Remedia externa in genere doloris capitis et omnibus simptomatibus eiusdem [illegible] supra genere [illegible]. fol. 225. 226

Remedia specifica in febribus internis. fol. 171. 172. 3.

JO. JAC. MANGET M.D.

BIBLIOTHECA MEDICO-PRACTICA

SIVE

RERUM MEDICARUM THESAURUS CUMULATISSIMUS

QUO

OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS MORBOSÆ AFFECTIONES

Tum ARTEM MEDICAM in Genere, Tum CHIRURGICAM in Specie, ſpectantes

ORDINE ALPHABETICO EXPLICANTUR;

ET

PER CURATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, ac CADAVERUM ANATOMICAS INSPECTIONES, tam hinc inde proprias, quàm à variis, iiſque præſtantiſſimis Authoribus, Veteribus & Recentioribus petitas, abundè imò & curioſè tractantur.

TOMUS SECUNDUS.



GENEVÆ,
Sumptibus JOANNIS ANTHONII CHOUET.

M. DC. XCV.

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER SEXTUS.

De Morbis à litera F incipientibus.

FAMES CANINA
Vid.
BULIMUS.

FAMES CANINA Vid. *BULIMUS.*

FASCINATIO.

QUAMVIS morbos à Fascino paucos admodum credamus, ne tamen hoc caput sinatur vacuum, sicque, de aliquorum sententia Bibliotheca nostra manca videatur, quædam adducemus scilicet qualia illa profert Clariss. Wolfgang. Wedelius in Dissertationibus suis Medicis selectis, seu potius Excellentiss. Fridericus Kaseberg sub prædicti Clariss. Viri præsidio Disputationem Medicam inauguralem, de Morbis à Fascino, habens, quæ inter præmemoratas Dissertationes reperitur. Qui plura voluerit atque veritati maximè consona ea capite de Venenis videre poterit, ubi in specie quædam de Philtris traduntur. Qui verò innumera undiquaque excerpta legere exoptarit; consulat Martinum Del Rio Societatis Jesu Presbyter. qui Disquisitionum suarum Magicarum lib. 3. fuse de hisce disserit, ac præcipue Clariss. Johan Christianum Frommann Doctor. Medic. Saxon. qui novissimè Tractatum admodum amplum de Fascinatione conscripsit, quò quicquid solidius (si modò quædam solida hac in re extent) ab innumeris Autoribus affertur, abundè adducit. Sic itaque Frideric. *Kaseberg.*

Vulgata est Parœmia: Homo homini Deus, homo homini Diabolus. Ζῶον πολιτικὸν, animal politicum & sociabile est homo, societati verò nil magis velificatur ac concordia, quando alter alterum juvat, solatur, tolerat.

Beneficiis humana vita consistit & concordia, elogio *Senecæ.* Nullo verò magis Deum æmulamur, quàm utrisque. Beneficia collocamus in alterum consilio & monitis; vox amici, vox Dei est. Præstamus eadem re ipsa, tùm ordinaria consuetudine, tùm casibus fortuitis, servando hominem, velut ἀπὸ μηχανῆς, quod ajunt, succurrendo.

Ex concordia fluit amor, ex amore beneficia, utraque à Deo, boni omnis autore primo & unico, ut hæc quasi catena sit ab homine ad hominem, ab homine ad Deum tendens.

Sicuti verò homo in adjutorium mutuum generatus est, ita ira, odium, invidia, nocendi cupido, in exitium. Quis verò enumerare valeat mille modos nocendi, quibus homo homini fit Diabolus? Non aperto solùm id fit marte, sed & furtivo scelere, adeò & inter cœtera mortalitatis incommoda homo ipse est homini adversus, furiis iræ, ambitionis & similibus agitatus.

At at, non hoc solum homo homini fit diabolus, ipse suis relictus viribus, sed &, quod turpe dictu est, odiorum autorem, dæmonem in consortium non rarò adsciscit læsionis, ut jus, quod habet nullum acquirat hoc ipso magis nocendi cupidissimus. Operæ hinc pretium facturos nos putavimus, si morbos à fascino considerationi subjiceremus. Hoc dum facimus, supremum ut annuat Numen, votorum nostrorum primum est.

Dari morbos à fascino.

Fascini acceptio licet latius pateat pro quacunque noxa, ab altero alteri, citra læsionem violentam, inducta, citra concursum causæ sublimioris, nobis tamen strictiori magis inpræsentiarum venit. Sic fascinari dicuntur vulgo vel ex invidia, vel ex laude, quorum illud oculis, hoc ore magis fit, *beruffen* vocant. De oculis res vel poetæ testimonio clara est, canentis: nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos. De ore id antidotus probat laudationi præservandi fine addita, quod præfiscine dixerim, q. d. ne noceat, unde & à φάσκω, dico derivari commode posset fascini vox.

Neque morbos à fascino illo naturali, si quod datur, ortos tractare animus est. Si quid enim oculus invidus, si lippitudine affectus nocet, similem morbum inferendo, id, nisi per accidens aliquando contingat, ab affluxu humo-

rum, vel effluviis viciniotibus, vel incusso terrore arcessendum potius est, cum pro diversis objectis varie moveatur Archeus, varie agitentur humores, & spiritus, nullibi quasi magis mobiles quàm in oculis.

Inde vero ad murmura sagarum, quæ prolata effectus morbosus aliusve damnosus insequatur, videtur vox deducta, sive id simplici fiat effato, seu additis ceremoniis aliis.

Non hoc nomine veniunt quoque morbi à Dæmone ipso omnipotentis Dei nutu inflicti, neque enim Jobi status morbosus à fascino dici vel potest, vel debet, sed potius, vel Ethnico præeunte Hippocrate nostro, iis in casibus τὸ θεῖον veneramur, cujus acceptionem contra mentem autoris frustra vulgo ad dæmoniacos affectus torquent.

Multò minus omnes in universum morbos à dæmone arcessere licet Christianis, uti *Kozack Tract. de Hæmorrhag. in dedicat.* contendit, qui omnes à dæmoniis excitari, imò entia illa, quæ nos morbos, vel morborum causas in nobis nominamus, revera esse substantias & spiritus infernales, dæmonia, scribit, latius ibidem videndus.

Propriè loquendo, & uti res ipsa jubet, non fascinat solus homo, sive oculo, ore, aliisque modis, nec solus dæmon, morbos à fascino inductos infert, sed causæ sociæ concurrunt quasi, homo & dæmon.

Diabolus enim effectum aliquem p. n. rarius præstat immediatè, plerumque vero mediatè & quidem per sua organa, homines scilicet perversæ frontis ac animi, qui lamiæ, sagæ, venefici, magi, malefici, incantatores alias audiunt, idque præstant vi fœderis & pacti vel expressi, quo dæmoni perpetuum officium homo spondet, Deoque renunciat, horrendum dictu! & pacta sacra baptismalia cum eodem facta rescindit; vel taciti & impliciti, deliberato animo, vel inscienter initi, altite nihilominus utrobique cooperatore & suasore maligno spiritu.

Præprimis verò mulieres dæmoniacis magis expositæ sunt officiis, quæ cum propter animi impotentiam, ætate magis fotam, non ita resistere respectu virorum insidiis norint, facilius decipiuntur, illecebris illis magis inescari aptæ.

Ut ergo non omnes morbi, quod diximus, ita nec nulli sunt à fascino, quod itidem sunt, qui affirmant, Ita Scharandæus sibi nullo modo probari affirmat, rationibus Philosophicis seu naturalibus, varios morbos hominibus veneficiis immitti posse, l. de rat. conf. san. c. 19. p. 147. Id vero duo invicta argumenta demonstrant, à causâ & effectibus petita, tum quod dantur venefici, utroque sexu; magis tamen sequiori respective, qui, infensi hominum hostis sociato concursu, tam noxas alias, quàm inter has morbos aliis, quos lædere volunt, inferre, quantum in ipsis est, satagunt; tum quod sensus ipsi veneficia talia in corporibus suggerunt, quæ per naturam dari in ipsis impossibile est. Hinc non alio, quàm hocce, sensu supernaturalem causam reliquis addidere Medicorum filii, ut nempe exprimerent alia quoque sphæram naturæ excedentia visa symptomata, aliunde orienda.

Negatio fascini sanè species atheismi videtur, præcipuè cum constet, diaboli potestatem, quantumvis limitatam & sub potestate summi Dei, tantam esse, ut nulla sit super terram, quæ cum illâ possit comparari. Testentur id ipsum testimonia omni exceptione majora ex sacris literis, περὶ τῶν δαιμονιζομένων & σεληνιαζομένων, quantum ex permissu numinis ad morbos per se quoque inferendos valeat. Nec culpandi sunt ICti, qui veneficas damnant ad rogum, convictas & confessas irrogati damni, maximè vero, abjurato Salvatore, baptismo novo suscepto, coitu impuro admisso. Revera hæc contingunt, nec si phantastica ponamus, una omnium mens & confessio hæc foret, contra deliriorum naturam. Utut enim Wierus contendat, præstare illa omnia dæmonem solum, citra ullam illarum vel alterius hominis cooperationem, obsidentem lamias dementatas, melancholicas; perpetrasse se fatentes, persuasas à dæmone, innocentissimas tamen. *l. de præstig. dæmon. in præfat. & per totum*; Rectè tamen in contrarium *Helmontius* asserit, satanam per se inefficacem, nisi per sui mancipii concursum, & per se impossibilem diabolo læsionem talem, puta à fascino inductam, esse, *l. recept. inject. §. 9. & 13.*

Sed videamus morbos illos, qui potissimum à fascino induci observantur. Horum licet plura possint dari genera, nec unius modi observentur, communiores tamen quidam haberi solent. Obsessionem ipsam diaboli, ex justo Dei judicio, etiam sine fascino dari posse non negamus. Observata tamen, vel nostra memoria, quod pueri bini Arnstadienses energumeni ante aliquot annos satis probant, exempla sunt, ubi id à lamiis præstitum & effectum est.

Frequentissima est quoque macies, & atrophia à fascino cum puerorum nonnunquam, tum & adultorum, quando vel totum corpus, vel certæ partes mirum quantum exarent, prævia talis modi fascinatione.

Contra ea & tumores graviores induci visi sunt ab hac causa, in capite, mammis, pedibus & aliis partibus. Par ratio est contracturarum quando artus perdita articulatione mirum quantum contrahuntur vel contorquentur. Motus item spasmodici varii, mira & inaudita contorsione ante, retro, sursum, deorsum exercent alios. Sic & in aliis deliria melancholica, cum summa anxietate & inquietudine, videas à fascino inducta. Nec cæcitas à sagis illata de nihilo est, *wen sie einem ein Auge ausschlagen*, qualia exempla non raro occurrunt. Præcipuè vero frequens rei exemplum præbet impotentia à fascino, etiamsi ludicro sæpè viso modo inducta facto nodo in filo vel ligula, clausa sera, inverso in theca sua cultro, dum copulatio peragitur.

Ligaturæ talis exemplum insigne notavit Nobiliss. D. Præses de cive quodam Jenensi, qui, à tempore initi conjugii, alioquin vegetus & sanus, hac morbi malitia per aliquot annos ita fuit afflictus, ut humido radicali penitus absumto & dejectis viribus pedetentim ad mortem deproperaret, & tandem naturæ debitum satis citò persolveret. Post hujus obitum cum alius multis annis post novus hospes ædes illius emtas penitus everteret & novas pararet, forte fortuna gallum gallinaceum, indusio viri demortui

mortui involutum in interstitio parietum intergerinorum absconditum invenit, cum sociis tunc temporis, testibus gravissimis & celeberrimis, *Dom. Martino Hartmanno*, Physico Vinariensi, & *Dom. Henrico Linckio*, ICto Altorfino, quæ causa eo usque specialis latuerat. Vomitus item & excretiones insolitorum huc spectant, qualia exempla non semel ad Præsidem sunt relata, qui meminit araneas vivas, chartas, acus, folia ribium, pennas, fila, stramina & similia rejecta.

E tumore quoque mammarum in fœmina, nigricante illo in superficie, carbones, linteamina, ligna, capillos exempta notavit. In alio ex tumore pedis magnam quantitatem pediculorum exemptam observavit. Tacemus summos & incredibiles dolores, atrocissimos ardores & cruciatus à fascino quandoque inductos..

Ad veneficium hoc referendæ omnino sunt blandæ illæ abdominis contrectationes alicujus apud *Codronchium*, quas illico dirissimæ lancinationes & abortus monstrosi subsecutæ. Sceleton etiam quod annis tredecim in utero quædam gestavit, attacto solum à venefica ventre.

De cultro ex hypochondrio exciso vid. *Wierus, de præstig. dæm. c.* 4. *p* 385. de clavis *Langius, l.* 1. *p.* 38. de aliis similibus *Heerius in Observat. pag.* 117.

Diarrhœam maleficio factam observavit *Mercatus tom.* 3. *p.* 284. ubi præter dictas, ait, diarrhœæ sortes memoriæ proditum est, alias succrescere posse, in quibus officula quædam similia passerculorum ossibus prodeunt, quasi laborans integrum devorasset passerculum, quæ sanè gravissimis excernuntur cum doloribus. Quam etiam excretionem maleficio factam potius, quàm à naturali causa nonnulli sunt arbitrati. Alia enim assuescunt fluere excrementa similia his, quæ in abscessibus externarum partium solent reperiri, quippe novimus excerni pilos, carbones, lapillos, ungues, testarum fragmenta. oleum, cœnum, lutum, mellis specimen aut vini fecem. Quibus excretis raro laborantes in pristinam sanitatem restituuntur, nam tabidi aut doloribus consumpti plerumque pereunt.

Bufonem ex abscessu notavit, ad manifestam licet causam relatum, *D. Paulus de Sorbait*, cujus verba hæc sunt: Observavi vinicolam post ingentem ex frigida & cœnosa aqua haustum in bronchocelen incidisse, quæ plurimum excrevit, deinde ex abscessu facto exivit bufo vivus, quem meis ipse oculis vidi: fortasse seminalis virtus cum aqua ad colli membranas exsudans hujus generationis causa fuit. Vid. *Ann.* 2. *Ephemer. German. Observ.* 103. *p.* 177.

Ex abscessu pilos, ungues, castaneas & animalcula viva miraque prodiisse narrat *Cabrolius Observ. anat.* 27. Pariter in mercatore castrensi abscessu femoris laborante, cum ope cauteriorum apertus esset, pus copiosum exivit, dein pili, globuli, ranulæ & pisa, quæ tamen frustra naturaliter, non magice educta fuisse opinatur *Borell. Cent.* 2. *Observat.* 86.

Fascinum datum à saga matri & infanti comprobat *Wolfg. Gabelchov. Curat. & Observat. Cent.* I. *Observ.* 16. 17. Plura exempla morborum à fascino videri possunt apud *Philipp. Salmuth. Observ. Medic. Cent.* 3. *p. m.* 126. *August. Thoner. Observ, Med. lib.* 4. *p.* 222. *Observ.* 1. ubi casus reperitur pueri novennis maleficiati admiratione dignus. Item *Balth. Timæi Cas. Medic. l.* 7. *Cas.* 24. *p.* 328. *& seqq.* ut plures non laudemus, largè congestos à *Sennerto l.* 6. *prax.*

Hoc loco & historiam à *Nobiliss. D. Schmidio, Archiatro Anhaltino* observatam, non ita pridem Excellent. D. Præsidi transmissam, dignam ut huc referatur censui, quæ ita sese habet: Virgo 26. annorum, temperamenti melancholico-cholerici, habitu corporis macilento, postquam per aliquot jam annos continuo fere capitis dolore, cardialgia nunquam intermittente, (ita ut circa scrobiculum cordis internam aliquam partem avulsam esse, serio affirmaret) artuum tremore, cordis anxietate perpetua laboraverat, corpore maculis fuscis interdum picto, indies magis magisque emaciato, sola facie carnosa & ob φλόγωσιν florida apparente, appetitu semper prostrato; adhibitis remediis quamplurimis præsertim antiscorbuticis, cordialibus, stomachicis & p. n. aliis, sine ullo levamine omnibus, vivam quandam sibi per artus hinc inde substantiam decurrere, seque fascino maleficiatam esse arguerat. duabus abhinc septimanis acutissimo ossis sterni dolore corripitur. Locum istum digitis comprimit ac statim duas acutissimas acuum cuspides ex sano & integro pectore protrudi videt, quæ remittente compressione retrocedunt. Hinc mixturam ex spir. lign. heracl. ℥ ij. Tinct. martis aper. ess. hyper. an. ʒ j. constantem mane & vesperi ad 30. gutt. sumsit. Externe scrobiculo cordis emplastr. impositum sequens ex empl. stomach. ℥ ß. visc. coryl. musc. corall. magnet. præp. an. ʒ ij. olei lign. heracl ʒ j. hyper. q. s.

Hisce primâ vice adhibitis, sensit gravissimum quasi pondus confestim à pectore per artus cum rigore ac tremore delabi ac distribui; dictum factum molestissima cardialgia, à qua per multos annos ne unico momento libera fuerat, remisit penitus, & quod magis mirandum, emplastrum impositum totum ad alutam usque omnino absumtum evanuit, quod tamen postea impositum intactum permansit, nec ullo modo imminutum, Continuavit horum usum per dies decem, eoque tempore sic satis bene habuit, cibos probe appetiit, levi vero diarrhœa correpta, quæ sponte remisit, hinc insolito totius corporis, præcipue crurum, pruritu afflicta est, crura scalpta maculas rubras exhibuerunt pulicum morsibus similes, sed paululum elevatas, ex quibus tuberculis innumera animalcula, minutissima, ruberrima per singulos cutis poros catervatim prodiere. Exemta & carbonibus injecta leviter crepuerunt, manibus imposita in momento disparuerunt. Per microscopium duobus pedibus totidemque cornubus instructa esse constitit, & corpore turgido ac succi pleno. Jussa reliqua acrius inquiri & scalpello poris eximi, quæ tamen quantocyus singula retrocesserunt, nec frictionibus calidis, nec mellis inunctione allici potuerunt, evanescentibus simul omnibus maculis. Ægrota alias delicata & pudicissima, quæ mane sanissima apparebat, maximum ex horum adspectu tædium, terrorem ac mœstitiam concipit, cardialgia denuo immani, respiratione difficillima, lipothymiis

creberrimis & cordis anxietate maximá corripitur, ratione privatur, torvum videt, absurda loquitur, caput sibi amputatum esse, se in deserto vivere, turrim sibi supra pectus extructam esse, agnatos, matrem & notissimos non novit. Dato medicamento cordiali & anodyno circa medium noctis alto sepelitur somno, manè expergefacta nescit singula, bene se valere jam dicens, nisi quod ob fascini metum anxia & sollicita sit, præsertim cum meminerit, sibi ante annos octo parvum in externa ac superiori dextri femoris parte tuberculum ortum esse, ex quo per emplastra aperto Chirurgus varia adspectu miranda exemisset verbi gratia, naturales ungulas & pedes avium, materiam quandam ovi columbini magnitudine, crassam, coriaceam ac nigerrimam, quam etiam nunc videndam exhibet, & alia, quæ singula fascini suspicionem penes illam maxime confirmant.

Imò & bruta & arbores, inprimis verò hominem fascino lædi certum est,

Remotius huc faciunt alia ex rebus *Naturalibus*, v. g. *ætas*, uti infantilem, tanquam teneriorem his obnoxiam statuunt non ineptè, ob fluxam magis & minus resistentem texturam; Maximè verò *dispositio* corporis ad hunc vel illum morbum, unde melancholia balneum diaboli & in his casibus omnino est; Singula tamen illa concurrente dæmoniaca opera demum effectus morbosos, à fascino dicendos, producere norunt.

Modus quidem respectu dæmonis & læsionis ipsius latet, est enim mille artifex, præstigiator mirus, unde receptior est hypothesis, non revera inextitisse talia v. g. rejecta vel exsecta in corpore; mera tantum, ut loquamur cum *Helmontio*, operatur ludibria & præstigias duntaxat inanes. Neque enim datur penetratio dimensionum, non potest culter insui cuti, vel clavus non læsa & divisa parte eadem. Respectu vero hominum modi applicandi fascini occurrunt non uniusmodi. *Generalis* & principalis est pactum jam laudatum initum. *Specialis* comitatus vel præcedens est superstitio & huic affinia, characteres, plantæ, ut mandragora, victorialis, aliaque in se innoxia, verba incondita & inarticulata, & hinc imprecationes quoque ipsæ, ut & vestimenta, inspirata, contactus, manus, imposita, in limine defossa, vel in plateam effusa, ut transgredi oporteat hominem, cui nocere est intentio. Hæc enim tanquam causam occasionalem aliquando licet deprehendere.

Frequenter & per assumta id peragitur, placentas, poma, pyra, variis id testantibus exemplis, Notabile enim est non æque per venena inferri fascina, illa enim per naturam sibi relictam interficiunt, sed & hæc illa aliàs innoxia & non venenosa, hoc charactere fascini sigillata, talia evadere.

Neque verò quis putet, posse ipsam conceptam ideam in animo læsuri noxas & morbos hosce inferre. Non enim agit hæc in aliud corpus amicabili vel odioso effectu, nisi ut objectum movens humores & spiritus. Utut enim vel maximè mortem inferre oculis tentet invidus Titius Sempronio: ipse tamen sibi maximè nocet, non item alteri, unde & emblema invidiæ est ipse suum cor edens. Nec de antipathiâ id ipsum valet, multo minus id per se verba, murmura, talisman, characteres, sigilla efficere possunt, licet & è Christianis sint, qui contra religionem, & sanam rationem hæc magni æstimant, quam in rem citamus *Hiebnerum*, qui mysterium sigillorum, herbarum & lapidum inscriptum librum edidit. Est & hunc in finem M SS. laudatum *Heurnio*, quod apud *Præsidem* nostrum vidimus, & inscribitur præstigia Hermetis.

Pertinent huc & philtra, ardorem in venerem in animis aliorum excitantia, interdum erga personam certam, interdum indifferenter, sed venefica, quæ nempe non tam sola mumiali confermentatione talis modi ideas inferunt, quam magicum & superstitiosum concursum. Par ratio est oppositi huic odii & inimicitiæ, inter personas adamatas utrinque inducti. Ad hæc maxime expetere leguntur malefici capillos vel unguium præsegmina, vel fasciam sive partem vestimenti, quod solitum sit tangere corpus maleficiandi, aut epistolam vel quid aliud de illius domo, vel corpore, quibus adhibent certas ligaturas & involuta consuunt tunicæ maleficiandi, vel abscondunt sub lecto, aut inter plumas & culcitram, super quam dormit, aut sub limine ostii vel alterius loci, super quem fœmina aut vir maleficiandus transiturus sit. Tale etiam maleficii amatorii genus fit per imagines quasdam ex terra vel cera, gemmis aut alia quavis mixtura confectas, quas abusu nominum & operationum divinorum maledictis suis nutibus aptant. Meminit hujus *Virgilius* in pharmacentria, dicens:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit.
Uno & eodem igni, sic nostro Daphnis amore.

Morborum à fascino causas secundas esse naturales, vel præstigias.

Axioma notissimum est: causæ sociæ stant pro unâ. Si ergo morbi à fascino sunt, non ex ipsius naturæ radice propullulantes, quacunque demum causa obstetricante naturali, vel necessitante, vel fortuitâ sed aliunde citra hæc & quidem à dæmone inducti, facile patet, primum horum movens esse dæmonem, non solum tamen, ast præcipuum. Ipse agit dæmon ut loquamur cum *Scaligero ex 349. p. 1085.* stultus ille ac vecors veneficus putat suis sese verbis agere. Ast ipse non exors est culpæ, & concursus causalis, licet dæmon sit princeps autor fascini, & deceptor & executor. Valet enim & hic illud, quod quis per alium facit, ipse fecisse putatur.

Duplicis vero generis statui possunt morbi à fascino inducti; primò qui ordinariis aliis, etiam non ab hac causa inductis, visuntur similes, imò sæpe iidem; deinde qui toto genere, ut vocant Medici, sunt præter naturam. Utut enim & tales dentur in corpore citra fascinum ullum, quale exemplum præbent vermes & calculi, ad nullum aliquod genus partium corporis referendi, sed tota substantia alieni, & peregrini; distinguuntur tamen facilè ab effectis diabolicis, quatenus hi per naturam sibi relictam existere in corpore nequeunt. Adeoque toto genere sunt & dicuntur nobis hæc p. n. quæ nec per naturam fœtificari vel produci in corpore ullo modo possunt, animata & inanimata.

Non

Non novum est in corpore nidulari aliquando insecta talismodi, ut ranas, bufones, serpentes non minus ac lumbricos, si per potum aquæ aliusve liquoris seminium illorum fuerit illatum. Quam in rem insigne præ aliis exemplum præbuit ancilla Altenburgensis *Ann. 1. Ephem. Germ. observ. 103.* ut & a *Bartholino Cent. 4. observ. anat. 19.* descripta. Est enim insectorum horum seminium valde materiale & diffusivum sui, corpus humanum calido & humido gaudens commune iisdem præbet hospitium gratum, ipsaque assuetudine nidus fat acceptus ipsis constituitur. Unde frustra fuerit negare, hæc talia in corpore gigni hoc modo posse. Ast si id fiat loco inconvenienti, quam ut hospitari ibidem possint & produci seminia velut in utero quodam vel receptaculo, quod de bufonibus & aliis talismodi locis se quandoque exerentibus diximus, meritò id inter fascina habetur. Longè magis vero id de partibus vegetabilium vel arte factis, aut metallicis asserere licebit. Ea sane rejecta per corpus aut generata in eo esse oportet, aut creata denuo, ut ex non ente fiat productio, aut jam extantia huc illuc illata, injecta, aut lusus esse dæmonis, qui concedente divino numine, impellente vel per voluntatem cooperante & concurrente malefico, gesticulationes illas efficiat. Generari eadem in corpore est impossibile, adest quippe improportio seminum, differt natura à natura, neque ea naturæ est inordinatio, quæ observantissima est legum, quibus se adstrinxit. Imò à sola arte figurata vel fabrefacta inepta sunt, quam ut eodem planè modo, quanta etiam illius sint miracula & diversimoda, una vice produci & producta naturæ ope excerni queant & illa quidem, ut exempla testantur, quæ vel in corbe fascinantis gestata, vel illi alias placuere, ut in corpore, cui nocere præsumebat, extarent.

Creari hæc talia posse à Dæmone, religio vetat statuere Christiana, imo sana ratio & ethnicis nota, uti nulla natio tam barbara fuit, quæ Deum negare ausit. Creare solius Dei est, qui & ipse peracto creationis universalis opere cessavit non entia producere, perennanti productioni per seminia propria commisso ordine & negotio, (nihilominus & ipso concurrente primario, quippe in quo vivimus, movemur, & sumus;) liberrime adalligatus naturæ, non exclusa divina, qua pollet, omnipotentia, etiamnum si velit creandi jam existentia vel nova, quo ipso tamen ex sapientissimo consilio abstinet. Ponamus ergo pediculos, araneas, bufones, nova vermium genera, uti sensus id demonstrant, per fascinum inducta reperta vel excreta fuisse, illa sane de suo producere non potuit dæmon, neque credendum est, ad mali genii desiderium summum Numen eo se demittere, ut eadem creet. Absit, ut hæc cogitemus! Sed inquis, unde ista vera animalia, ut ovum ovo similia? Quasi vero non nosset mille artifex, hæc aliunde arcessere, vel oculos ludere, quod ex historia Ægyptiaca Exod. 7. & seq. satis illustrari & intelligi potest.

Maximum & potissimum dubium esse potest, annon ipsissima dicta in corpus intrusa & actu præsentata statui possint prædicentibus sæpe ægris, ut historiæ fidem faciunt, jam acum imminere, jam cultrum, aliaque, immo eximi ex divisa prius integra cute chartam, linteamina, carbones. Sanè subtilissimum id fuerit artificium, nec humano ingenio assequendum, ubi quidem id revera extat vel se offert, uti quidem negandum non est accidere. Sed ἀπάτη illa omnino, seu deceptio est. Non novit nisi decipere dæmon, qui, ut imbellem se non esse persuadeat, sed potentem & admirandum, cum revera præstare non possit, fraude conatur, & primo intuitu tantum non persuadere, esse hæc ipsissima illa vel ex corpore educta, quæ tamen corpus ne attigere quidem. Patiamur id nobis persuadere, si videamus vel humana vafritie & celeritate gesticulatores infinita præstare, quæ inscius vel Jovem lapidem jure tuta se habere, objecta non assequente sensu, sed decepto, mira agilitate, modisque aliis. Ast quantillum homo potest in his talibus, si cum callidissimo spiritu in comparationem veniat? Producere se fingit gesticulator non extantia, auferre prius visa deglutire inepta, imo & carbones vivos mirandum dictu, vel ex ore omnigenos colores vini liquorumque aliorum velut ex siphone exstillare. Hæc toto die vel publico eveniunt in foro, & putemus, non posse similem fabulam ludere dæmonem, si quidem potestatem à Deo, &, quod jure mireris, ab homine socio acquirat, quam ex se non habet, miser spiritus.

Hæc cogitantibus solicita paulo magis inquisitione facile est colligere, præstigias eas esse dæmonis, tum à parte agentis simul vel quasi hominis, qui putat sua opera sola vel socia saltem certo id contigisse, abblandiens hinc sibi, ut fit, quod tam potentem effectum ciere noverit; tum à parte patientis potissimum, & adstantium quibus hæc suggeruntur quam maxime. Non attinet denuo latius adducere jam tacta superius. Præstigiæ sunt, quod præstringunt oculorum aciem, seu quod prætegunt, deludunt enim & quasi tegunt oculos, ut revera ita esse jures ac visui apparet, cum tamen aliter se res habeat.

Quod verò alteram classem attinet, seu priorem illam, dum morbos à fascino dicimus, necessum est, ut eosdem concipiamus secundum pathologiæ leges. Sunt enim itidem, ut alii morbi, vel in partibus similaribus fluidis & spirituosis, seu sanguine & sero, principiis vitalibus, adeoque intemperiei dictæ, quatenus peregrina miasmata inducta proportionem & compagem illorum dissiciunt, unde febres, anxietates, ariduræ, sudores. Vel partibus infliguntur organicis quoad conformationem, ut contracturæ, contorsiones, tumores, curvitas, & similia vitia in figura, situ & connexione. Vel in utrisque communiunitate apparent, ut ulcera prava & cacoëthica, & id genus alia.

Par ratio est symptomatum variorum, ut ex actionibus læsis verbi gratia, dolores immensi ac intolerabiles, impotentia, cœcitas ex fascino, ut plura non laudemus. Cum ergo uniuscujuscunq; effectus morbosi non sit nisi una *Causa immediata*, eaque certa & determinata, inter

quam & morbum nihil intercedit, sine dubio illa etiam in morbis his à fascino locum habebit, ita ut illa quadret & ex suis loculis arcessenda sit in quibusvis morbis vel symptomatibus, Neque enim opus est, ut in his immoremur speciatim longius.

Quin imo id ipsum quoque de *Causis Mediatis Proximioribus & Remotioribus*, ex ordine quasi quodam sese insequentibus, uniuscujuscunque talis morbi ex fascino valet.

Sola differentia inter communes seu ordinarios talis modi morbos & ex fascino productos est in causa dirigente extranea malefica illa sæpius & prima nobis dicta. Non differunt specie illi ipsi, sed concursu causæ extraordinariæ, supernaturalis sano sensu dictæ, quatenus non tam quæcunque ullo modo, uti Medicis laxiori sensu causæ morbificæ nomen venit, hunc illum morbum, sive proximius, sive remotius producere valent, hoc casu sibi relicta in corpus agunt, donec positis intervenientibus recipiendi debitis modis sistatur & se exserat in corpore morbus; sed dirigens & movens sive actuans illas aliud concurrit. Sane dæmon callentissimus est naturæ artifex, quo nemo acutius morborum causas penetrare mortalium ausit. Facile igitur fuerit ipsi ordinarias causas citare, singulas pro suo modulo, sive, ex *Naturalibus*, ætas, habitus & textura corporis, temperamenta, dispositio consentiant; sive ex *Nonnaturalibus*, aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ, excreta & retenta, animi pathemata, aliaque casu evenientia ministrent; seu ipsi jam morbi & symptomata alia ex *Præternaturalium* ordine, quibus se adsociare commode possit.

Variant scilicet hæc omnia pro intentione malefici hominis, callidissimè se componente ad nutum genio malo, ut eo se potentiorem probet. Et sanè moderari eadem universa divinum Numen & limitare verissimum est, quod nec in omnes æque efficax sit nocendi illa insana lubido, in quibusdam vero tam subtiliter id administretur, ut fallere satagat hoc ipso quoque alios, nunquam non fraudes architectans. Sic, ut quædam repetamus in exempli vicem, in doloribus tensionem fibrarum nervearum acriorem; in impotentia impeditum affluxum spirituum ad partes genitales; in motibus convulsivis stupendis nervosi generis irritationem tensivam constantem vel interpolatam; in melancholia fixationem majorem spirituum; in contracturis ligamentorum exsiccationem, in singulis humorum vitalium deturpationem machinari & præstare ipsi perquam expeditum est.

Ponamus currum dæmonis opera restare, nec moveri posse, uti non raro observatum à fascino fuit, (nulla in movenda machina, vel trahente equo ad sensum præsente vel investigabili remora,) nullum dubium est, vel in rotis, vel in equis, motum illum præstantibus, culpam inferri, licet non advertendam sensibus, ipsis nihilominus equis ad extremum sudorem coactis, imò, quod *Ronsæus* factum à fascino perhibet, vel genitali piso mire intorto, unde summus dolor & anxietas consurgit necessario. Eundem in modum in machina humani corporis se res habet. Cujuscunque visceris actio læsa est, illius velut habenas vel nervos, vel concurrentem necessario tonum læsum & tantum non corruptum esse, colligendum est.

Causa ipsa interna & effectus quoque est naturalis, exterior in corpus agens & dirigens non est naturalis, sed sublimior, Dæmoni imputanda, siquidem à natura sibi relicta non expectari idem soleat vel possit. Latet anguis in herba, unde cauto opus est, licet, quod diximus, & sensibus id palpare sæpe liceat.

Neque tamen absolutè valet, solum dispositos & aptos inferri morbos à fascino, quod ipsum dubios reddere posset eosdem magis, sed potius pervertit opum naturalium vim dæmon hoc ipso, ut qui antea sanguineo, læto ingenio gaudebat, totus à se diversus appareat, sibi dissimilis, ne plura laudemus, facile ex inferius dicendis colligenda.

Morbos à fascino signant phænomena ultra sphæram naturæ transcendentia.

Digestis causis morborum à fascino oriundorum tractatio de *Signis* tramite recto incedit, quibus iidem dignosci absolutè, diagnostica vocant, & respective quoad prognostica queunt.

Hæc difficultate non carent, cum mille formarum proteus naturalibus causis sese sæpe immisceat, iisque utatur, ut non facilè videatur prima fronte discernere, quid à causis naturalibus, quid ab ipso dæmone profectum sit, multo minus, qualia omnia inde sint capienda, unde etiam sunt, qui negant, dari aliquod morborum à fascino signum pathognomonicum. Difficultate interim hâc non deterritis Medicis, fas est signa ista accuratè examinare, ne vel naturæ debilitate evenientem morbum pro dæmoniaco habeamus, nec à fascino ortum vice versa pro naturali venditemus.

Si ullibi igitur, sanè hîc distinctio locum habet inter signa communia, & propria seu distinctiva. Illa non sufficiunt omnino, ita ut, instar regulæ, quamdiu in morbo quocunque signa adsunt communia, qualia quidem in aliis quoque per naturam eveniunt, tamdiu ille ipse pro naturali sit habendus. id quod ad omnes signorum fontes applicare integrum & fas est.

Sic quamdiu *Essentialiter inhærentia* cujuscunque morbi, vel symptomatis invenit Medicus, verbi gratia intemperiem, vitiosam conformationem, vel hiatum manifestum, aliaque formalem rationem absolventia, illa merito ex suo æstimat genio, taliaque judicat, qualia invenit. Par ratio est *Essentialiter consequentium*, seu symptomatum aliorum secundariorum, quæ velut ieconveniente uno posito ex necessitate consequuntur, sive in actionibus læsis, quorsum inprimis spectant dolores punctorii graviores, item convulsiones, contracturæ, &c. sive in excretis, sive in qualitatibus mutatis.

Par ratio est causarum. Quamdiu hæ è fontibus

bus suis scaturiunt, ut inter causam & causatum certa sit relatio, quæcunque producta ad ordinem hunc naturalem sunt reducenda, modò sufficiant & paria sint utraque inter se comparata, etiam ratione temporis. Sic quando generosa remedia non juvant, symptomata ingravescunt, & sine causâ manifesta desubitò ingruunt, ad præsentiam sagæ extemplo augeantur anxietas, dolores, clamores & similia, confirmant hæc ipsa fascinum.

Tacemus Analogismum, seu comparationem ægri ad ægrum, vel ad seipsum quoque, quod itidem satis est ad confirmandum, utrum morbus sit pro fascinato habendus, an non, prout id experientia uniuscujusque confirmaverit.

Nullum itaque pathognomonicum aliud signum superest, quàm illud unicum, an phænomena sese offerentia intra sphæram naturæ militent, an verò eandem superent, ita tamen ut accedat prudentia Medici hæc noscentis & distinguere apti. Quicunque nempè morbi vel symptomata intra naturæ terminos versantur, tum quoad ipsam formalem rationem, tum quoad causas, ex quibus oriri queant, illi pro naturalibus sunt habendi, non pro fascino seu supernaturalibus, etiamsi graves appareant satis; & contra ea, quicunque naturalem sphæram supergrediuntur, ad hos referendi, modò non error committatur in diagnosi circumstantiarum, de quo mox agemus.

Sic certissima morbi à fascino & veneficio illati signa pluribus historiis confirmat *Sennertus lib. 6. prax. part. 9. cap. 3. pag. 391. seq.* si acus, cultri, ligna, cera, capilli & similia artificiosa, vel alia, quæ in corpore humano generari non possint, vel per vomitum vel per alvum ipsosque tumores & ulcera excernantur, aut extrahantur. De iisdem signis videri meretur *Drauvizius de Scorbut. pag. 90. & seq.* Ubi & aliquot historias recenset huc pertinentes. Exemplum, præter jam allata, cujusdam fœminæ refert *Anton. Beniven. de abdit. morbor. & sanat. causis cap. 8.* Quæ longiores & recurvos clavos, æneasque acus unà cum cerâ & capillis in globum mixtis evomuit: & novissimè jentaculi frustum tantæ magnitudinis, ut devorare integrum nullus potuisset.

Seorsim verò præstigium deprehenditur, cum effectus non oritur à motu locali & superat causarum naturalium applicatarum activitatem, idque tantò magis, cum statim evanescunt visa de portentosis quibusdam è corpore rejectionibus, atque adeò circa morbos evenientia ordinariis metiri non licet regulis.

Obsessionis diabolicæ signa certa & indubitata ex collatione virium naturæ seu hominis quoad animum & corpus eruuntur. Quoad animum quidem, si intellectus & voluntas ferantur supra hominum captum, ut si peregrinis linguis loquatur, quas non didicit, æger, vel iisdem effata rudis aliàs intelligat, idque tantò magis, quò artificium majus accedit, ut si versus compingat & recitet.

Licet enim sint, qui idem per naturam fieri posse rentur, reverâ tamen id sphæram naturæ superat, & cum miraculosa illa linguarum cognitio hodie cessarit, vel saltim, quæ à Spiritu sancto est, non nisi in divinas laudes & hominum salutem feratur, si, citra hunc characterem, cæteris paribus, audiantur hæc talia, dæmonis id astutiæ & concursui adscribimus. Plura hanc in rem videri possunt apud *Codronchium lib. 3. de morb. Venef. cap. 13.* & passim, *Hildesheim. Spicileg. affect. cap. 10. pag. 702.* Ubi & plura habentur.

Idem valet de rebus absconditis, vel præsentibus, vel præteritis, quæ per humanam solertiam scire non datur, ut si occulta aliàs & non nisi huic illi, saltim non personæ edicenti cognita prius, nec sensibus hausta proferantur. Per naturam enim nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, saltim latius, ita ut liber inveniendi, illustrandi quin & fingendi ex cognitis illis intellectui maneat locus.

Nec obstat, occult. re se sæpe dæmonem, nec morbos dæmoniacos tales æque statim patere; idem enim & de aliis gravioribus sæpe valet. Opus ergò est tantò majori ἀκριβείᾳ, ne fallamur, sed tamdiu in viâ regiâ procedamus, quousque non alium tramitem sequi cogit necessitas.

Ut hæc illustremus specialibus quibusdam exemplis, frequentissima occurrit impotentia à fascino, quam arbitrari licet, si quis vegetus aliàs & juvenis nullo prægresso morbo, nullo odio vel aversatione, (quorsum aliàs *Borellus Cent. 4. Observ. 65.* Ligationes hasce referre satagit unicè, negans concursum Dæmonis,) nullâ causâ manifestâ, sentiat se simul & semel defraudari suo genio, emori partem & funerari veneri aptam, imò & anxietatem sæpè conjungi non levem, idque primâ vice, frustraneo omni conatu. Quis non agnoscit subesse maleficium, & hæc sphæram naturæ ordinariam transcendere?

Idem applicare licebit facilè ad maciem, convulsiones Epilepticas, & alia. Licet verò difficilius sæpe hæc causa eruatur à priori, ita ut pro naturali habeatur morbo, ubi nihilominus dæmon subest; præstat tamen, nil temerè asseverare, vel in casu dubio flectere huc animum, non deflectere, ut uno oculo morbum, quà talem, altero sublimiorem illam causam attendamus. Facit huc tum juvantium & nocentium notio, &, quod alias de morbum simulantibus prædicari solet, si non concordent sibi invicem signa, sed distent; ita tamen ut conjunctim & collectivè, omnibus & singulis probe examinatis, demum pronunciemus, morbum esse à fascino. Alia enim & hic sunt signa proximius, alia remotius id significantia.

Quod si & Prognosin generalem considerare lubido sit, moderantur eandem in genere collatio & proportio inter lædens & læsum, ut quò magis à statu naturali sunt remota phænomena, eò periculosior & gravior morbus sit habendus. Sic macies ad extremum gradum marasmi deducta restitui renuit. Vitales actiones magis læsæ gravius affligunt, animales illarum intuitu mitius habent, nec periculosæ æquè sunt, licet videantur. Impotentia restituitur sæpe. Reliqua ex suis modulis judicanda quoque. Sæpè verò majorem incutit metum dæmon, quàm eventus hinc testatur. Dæmoniaci morbi utplurimum longiores esse consueverunt, quandoque & recidivant, stato tempore redeunte melancholiâ, anxietate, delirio.

Neque opus est differentias attexere genericas, quippe quæ facilè eruuntur ex ipsis phænomenis

menis probè conſideratis. Alii tamen primarii ſunt, alii comitati, ſeu reliquis juncti, qui partim naturales ſunt, partim dæmoniaci, in partem cauſæ ſe vocante dæmone, unde facilius reſtituuntur, uti recentes omnes magis ſunt curabiles. Quando verò diuturnâ morâ principia vitalia deturbata magis ſunt, minus ſperandum eſt de perfectâ ſanitate, unde ſæpe συναποθνήσκουσι.

Non omnes morbos graviores pro faſcino habendos.

Ut nec nulli, ſic nec omnes morbi à faſcino ſunt derivandi. Vulgi ea conſuetudo eſt, ſive gravior paulò morbus incutiat, ſeu longius duret, etiam neglectis convenientibus remediis, non cœlum reſpicere & iratam vel caſtigantem Numinis manum, ſed dæmoni acceptam ferre cladem. Idque quotidiana probant ſatis exempla. Dari enim complures morbos, quorum cauſæ & remedia non æque ſtatim obvia ſunt, & exin à multis pro faſcino haberi, nemo neſcit.

Exemplo ſit melancholia, affectus graviſſimus & moleſtiſſimus, cujus ſoboles ſolet eſſe phantaſtica quædam perſuaſio cum vehementi triſtitiâ & animi mœrore, qui non rarò ægros adeò torquet, ut animam tantum non extorqueat, à cauſis tamen naturalibus ſæpe producta. Hinc citari hoc loco meretur locus *Ebuſinæ lib.3. fen.1. Tr.4. cap.18. p.m.*376. Ubi, quibuſdam Medicis, ait, viſum eſt, melancholiam fieri à dæmone; ſed nos non curamus, in naturâ occupati, an id fiat à dæmone, an non, certi, ſi fiat à dæmone, induci ita, ut immutet temperiem in atrabilariam, & hæc ſit cauſa hinc melancholiæ. Quo ipſo loco non tam negat eandem à faſcino induci, quàm ſtatuit, quod & nos jam innuimus, fieri id effectu naturali, nec temerè quamvis melancholiam pro dæmoniacâ habendam. Maniaci quoque ſæpè habentur vulgò pro obſeſſis à dæmone, Epilepſiæ graviores pro dæmoniacis, paralyſis item crurum & brachiorum, macies corporis, ſterilitas utriuſque ſexûs, inprimis verò convulſio & contractio mirè invadens ægrotos, ita ut adſtantes ſæpius exiſtiment, à veneficiis per incantationem hunc morbum fuiſſe conciliatum decumbentibus. Singula tamen hæc, ne plures laudemus ejuſdem commatis, naturales omninò agnoſcunt cauſas utplurimum, & facilè confunduntur cum dæmoniacis.

Neque id novum vel hodie demum fieri cœptum eſt, antiquiſſimus ille mos eſt, dudum *Hippocrati* noſtro culpandus viſus. Hic quippe *l. de morb. ſacro cap.*1. & 2. Ubi ſpeciatim Epilepſiam huic ordini eximit, tres potiſſimum rationes adducit, quare morbi, ad naturales cauſas referendi, pro faſcinatis vel dæmoniacis habeantur, primò ἀπειρίαν, experientiæ defectum. Ut pueris omnia nova ſunt; ita & qui hos illos graviores caſus, non æque patentes ignaris, non viderunt. 2. θαυμασιότητα, admirationem ob miros caſus, verſiones & circuitus morbi, quo inſolitum quid præ ſe ferunt graviores, rapiunt in admirationem, ut præ ſtupore deſperent de cognitione vel remedio Tertiam cauſam adlegat ἀμηχανίαν, conſilii & mentis inopiam, indeque ortum prætextum, imò ſuperſtitionem, unde in abſurda ferantur & ſalvare famam Medici, ſeu empirici potius tales ſatagant, ſive evadat æger, augendo ipſam, ſive moriatur, ut aliquid egiſſe videantur & exculpent ignorantiam.

Cavendum ſanè eſt, ne Medici prudentiâ minores ſint præ vulgo & indevia adigantur, ubi via tuta & manifeſta eſt, vel alia ſaltem. Μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾷν Hippocraticum etiam hîc valet, nil temere affirmandum, nihil prætervidendum. Auſim dicere, hanc ſæpenumerò cauſam eſſe, quare morbi iſti minus ſanentur, qui ſanari tamen potuiſſent, inprimis, ſi condeſcendant ægrotis Medici, & a faſcino eſſe morbum concedant, qui nihil minus quàm talis eſt. Hinc in abſurda feruntur ipſi, relictâ morborum panaceâ medendi methodo, & andabatarum more hinc depugnantes occaſionem præbent ægris jam dum in deteriora inclinantibus, ut ſatagant, flectere ſi nequeant ſuperos, acherunta movere. Itur hinc ad ſagas, carnifices, agyrtas & nullos non ſe profitentes Medicos, relictis quos conſulere intererat, imò ne fidem merentibus ullam, quicquid edicant.

Ante paucos annos mortuus eſt machæropœus quidam, temperamenti melancholici, qui a pluribus annis ſpontaneum quaſi carcerem domum habuit ſuam, octodecim ad minimum, quod crederet ſe faſcinatum, omniaque renueret remedia, pertæſus uſurpatorum & deſperans curari morbum magicum poſſe. Sentiebat ardorem intenſum in latere dextro, eâ regione quâ bilis decumbit & exoneratur in inteſtina. Putabat hunc carbonem eſſe vivum, quo torqueretur à fœminâ, quam maleficam induxiſſe malum firmiſſimè credebat, non minus ac in inguine quoque cruciatus repetentes ſæpius. Arguenti Præſidi noſtro bilem hanc eſſe acriorem, & acido confermentatam corroſivo, conſtanter renuit, nec vel educentia, vel temperantia, vel anodyna adſumſit ulla, quod perſuaſiſſet prius aliis, aliique viciſſim illis, à faſcino hæc oriri omnia. Tulit hos ergò cruciatus, pertulit citra remedium ipſe ſuum cor edens, anxietatibus & doloribus & inquietudine interpolatis, ſubinde novis accenſis facibus. Quod verò toties prædictum à Præſide fuerat, bilem eſſe in culpâ, ſurdo narratâ fabulâ, id poſt mortem apparuit ſatis, bile granulatâ penitus apparente & ultra tria millia granorum exhibente, & calculis, cum pinguedine mirâ repertis in inguine, cujus rei teſtis eſt exceptione major, qui Anatomico cultro cadaver ſubjecit Excellentiſſimus *D. Faſchius*, h. t. Academiæ Rector Magnificus.

Mortuus tabe infans à faſcino laborare putatus, cum poſt mortem citius corruptionem minitaretur abdomen juſto elatius, habitus meritò fuit ex obſtructione vaſorum meſentericorum defunctus à Præſide, quam ſæpius curavit ſolis aperientibus martialibus, humectantibus & nitroſis, nominatim Tinct Mart. aperit. & arcan. duplic.

Laboraverat tumore in ſcapulâ rebelli puella 16. annorum, conſultus idem κακοήθειαν agnoſcens diſſuaſit apertionem facto prognoſtico, æmulari cancrum occultum ejuſmodi tumores,

& ſi

& si aperiantur, moriendum esse, tolerabili cæteroqui malo, aliisque corrigendo. Nihilominus ab empirico apertus idem, nil nisi sanguinem & ichorem fudit, indies incrementa capiens. Mortua tandem in via, reduce à carnifice, sentiunt sonum quendam parentes, & aspides nescio quas rendentes in tumore sibi fingunt. Facta inspectione & apertione ulteriori sola fermentatio ichorum soni illius causa patuit.

Hinc non ita pridem de consimili tumore duro & magno, circa sinistrum thoracis latus, orta suspitione fascini, quæsita inclyta facultas Medica hujus loci respondit, *das die angeführte Umstænde zur probation einer Zauberey nicht hinlänglich, sondern vielmehr die erzehlte Zufælle; so der Patient erduldet*, *allein* ex causis naturalibus *herrühre können*. Rationes decidendi fuere additæ quoque, quod ejusmodi tumores mali moris & rebelles non rarò in scorbuticis fuerint observati, dolores ab humoribus acribus corrosivis orti, & ab intempestivâ apertione tumores indies in deteriorem statum ruant, & quicquid occurrat circumstantiarum ex naturalibus causis deduci possit, inprimis vero quod nihil inventum fuerit ultra sphæram naturæ transcendens vel insolitum.

Et talia toto die obveniunt alia quoque. Visi sunt a vermibus nine torti, quale exemplum in vicinia contigisse meminimus, ubi præ anxietate spasmodica sæpe capite inniti coacta fuit fœmina, inventis post mortem lumbricis pluribus, qui per intestina exesa in cavitatem abdominis eruperant, notante id *L. Marci*, Physico Watershuiano. Visi, qui in cavitate thoracis aliquid vivi & instar vermis repentis, qui cor ipsum eroderet, conceperunt, unicè id à fascino derivantes. Post mortem abscessus repertus docuit satis, materiæ purulentæ illum fuisse motum, quod itidem laudatissimus *Dom. Faschius* observavit.

Dignissimus locus est, qui hîc inseratur, *Gassendi lib.1 de vit. Petreskii pag. 12.* ubi, cum memorasset, ab anu malefica ingrediente per fascinum tum matri ademptam vocem & infanti bimestri ploratum, tum depressum utrique caput in alterum humerum, eâ rigiditate, ut flecti non posset, addit sequentia: Utcunque Optimus Deus innocentes infantulos malitiæ cacodæmonum permittere possit; utcunque ipsi ad ea officia, & ad obsequendum misellis quibusdam aniculis se comparent: compertum est tamen magnam eorum partem, quæ commemorantur, fabulosam esse, aut non alio certè niti fundamento, quàm minus solitis quorundam morborum symptomatibus, quibus sunt infantes obnoxii.

Meritò hinc morem hunc vulgi, quosvis morbos, quorum causas non satis assequitur, vel symptomata miratur, promiscuè ad fascina referentis, carpit *Anton. Prætorius im Bericht von Zauberey und Zauberern cap. 9. pag. 58. Es ist leider dahin kommen, so bald einem die Augen verdunckeln, der Bauch grimmet, die Finger schvværen, die Füsse geschvvellen, das Hertz zerschmeltzet, die Seele ausfæhrt, oder das Vieh verdorret, verlahmet, verfællet und stirbet: da rufft jederman, das gehet nicht recht zu, dem ist vergeben. Er hats am Apffel gessen, er hat es vom Trunck bekommen. Da gedencket man vveit umher, vvo man gevvesen, vver zu essen gegeben und zugetruncken habe, vver bey gesessen, vver angegriffen, und vvas mehr. Bald verdenckt einer diesen, der andere jenen, hie redet man heimlich, da rufft man laut, der und der hats gethan. Also vvird Leid mit Leid versaltzen, und Jammer über Jammer angerichtet: Ach! das ist zu viel, unrecht und leichtfertig gehandelt. Es gehören erfahrne Ærtzte und Naturkündiger dazu, das Kranckheiten, so von Gifft kommen, erkannt und von andern unterschieden vverden.* Hæc ille.

Fiunt monstra in Medicinâ toto die, quæ aliis non visa satis hunc censum subeunt. Ac proinde id vulgo, quod plerumque, quæ quotidiè non occurrunt, ad fascina refert, sic argutanti condonatur; ast docti sic inferre promiscuè, nisi evidentia signa contrarium suadeant, cavent.

Morbos à fascino curari remediis naturalibus.

Præternaturalis causa, à Dæmone profecta, uti ad Medicum minime pertinet, sic nec curatio, verba sunt *Plateri lib.1. prax. cap.3. p.m.106.* ubi de obsessione agit, quod & alibi, & nominatim de ligatione a fascino agens, repetit, non Medici esse illam solvere asserens. At nunquam definit subjectum Medicinæ esse corpus humanum, etiamsi a Dæmone obsideatur actu, vel ab eodem quomodocunque à statu naturali læsum fuerit.

Spiritus ipse est, ἀπαθής, corpori verò morbum sine medio naturali inducere verum nequit, quod digessimus satis. An putabimus ergo, quod impium est statuere, Deum O. M. liberaliorem esse in infligendo morbos, quam sanando? Uni malo mille opposuit remedia. Quandoquidem ergò corporis naturalis, quod diximus modò, fit vel facta est læsio, meritò etiam naturalibus remediis suus est locus.

Duo genuina concessa morborum horum sunt remedia, preces & medicamenta; Spurium & pejus morbo, aliquando male quæsitum, dæmoniis obsequiosa curatio, magica uno verbo.

Preces divinum sunt remedium, & ægro & Medico unicè commendandum.

Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,
Nil Tibi diptamnus, nil panacea juvat.

O quàm piè *Hippocrates* noster, (qui locus auro dignus & inter reliqua scripta præcipuus est,) τὸ εὔχεσθαι, scribit, πρέπον, & λίην ἐστὶν ἀγαθόν. *Orare decorum & valdè bonum est, lib. de insomn. cap.2. t.2.* Imo liceat nobis & alium locum de precibus elegantissimum ab ethnico mutuari, qui extat apud *Xenophontem lib.1. de pæd. Cyri pag.21.* ubi Cyrus disserit egregiè: 1. Rebus secundis maximè Deum esse implorandum, (multo magis verò adversis, & hoc loco misero, morboso statu;) 2. Manus admoventem implorare divinam opem oportere indigum. 3. Auxilium Dei diligentiam humanam non tollere, unde absurdum addit esse, petere, ut ager fructum ferat, semente non facto. Deus per media agit, licet pro infinitâ omnipotentiâ solo nutu, sine ullo medio, agere possit.

Cur ergo negligamus divinam manum, in medicaminibus repositam, & solis exorcistis v. gr. obsessos committamus? Cur pro κεκεασμένοις ægros relinquemus, denegatâ omni ope, sicque ad veneficas sæpè occasionem subministrantes ut convertantur? Ἄρχων τῶν σωμάτων, impera-

perator corporis est Medicus, elogio Philosophorum coryphæi, non diabolus. Excutere ergò & ab internali hoste illata ipsi à Deo demandatum est, & naturæ & Dei summi ministro. Hinc testatur experientia sæpiùs, curari feliciter morbos à fascino, modò audentiùs contra eat Medicus, jure suo utens, quod nullum habet in pium diabolus.

Laudandum hanc in rem illustre exemplum est, quod memorat *Erasmus Declamat. de laude Medicin. Tom. 1. oper. p. m. 456.* Ubi, præmissis huc facientibus aliis, Panaceum, ait, celeberrimi nominis Medicum, adolescens colui, is, me teste, quendam restituit, nomine Phlyarium, patriâ Spoletanum, qui ex vermibus in novum maniæ genus inciderat, ita ut in morbo teutonicè loqueretur, quod (uti constabat) nunquam sanus potuerat. Quis imperitus rei Medicæ non hunc dæmoniacum vel dejerasset etiam? At is hominem facili paratoque remedio menti reddidit. Redditus sibi teutonicè nec loquebatur, nec intelligebat. Omittimus, quæ subjungit & alia elegantia. Reverà id supra sphæram naturæ, adeoque dæmoniacum fuit.

Neque tamen putandum est, quod innuere ibidem videtur, esse crassiores quosdam dæmones, qui medicam etiam opem sentiant. Satis est nidum extimulari, annuente votis Jehovâ. Piè *Paracelsus*: ideò creata est Medicina, ut superstitio devitetur, & Medicus pro illâ; & Deus solus Deus est, etiamsi orcus moveatur. *Fragm. l. de morb. ex incant. pag. 139.* Præstant ergò id arma Medicorum, ad indicationes, vi Methodi medendi decenter erutas, directa, quas, de medicamentis contrà fascina nos edocens, canoni sequenti inclusit *D. Præses*: Quæcunque vel principia vitalia tutantur, vel effectus naturalibus conformes specificè tollunt, vel satanicam vim illudunt, fascini sunt antidota.

Accersenda ergò & huc evacuantia & alterantia, interna & externa. Purgantia, tum ἄνω, tum κάτω operantia, & in morbis à fascino remedia sunt probatissima, sive alvus fuerit obstructa seu per veneficium ingesta in primis viis subsistant, seu saltem bilis aliique humores ibi corrupti hæreant. Hinc uti observatum est, à veneficis per vim infusa nonnunquam quædam, nocendi & fascinandi fine; ita his exturbandis unicè præstitêre opem non rarò emetica. Sic *B. Michaelis* alicubi refert, se generosum quendam nobilem, ex fascino sterilem, intra paucos dies felicissimè per vomitoria curasse, & vidisse tres vermes nigros cum magnâ venenatæ materiæ copiâ fuisse rejectos.

Idem valet de philtris, de maniâ & melancholiâ satanicâ, (probè tamen distinguendâ,) de obsessis & similibus, quibus hoc ipso vecte, non alio præsentius, mederi licet, unde helleborus niger, antimoniata & vitriolica, imò & asarina emetica, ut alia lenientia quoque & clysteres ipsos non memoremus, huc eximiè faciunt.

Diaphoretica ut apta nata sunt excutere peregrina μιάσματα, seri στάσιν & ichorescentiam prohibere, liberamque ἄδηλον διαπνοὴν ex glandulis in poros cutaneos hiantibus præstare; sic insignissimè prosunt in morbis à fascino, nominatim in tumoribus, inflammationibus, doloribus, anxietatibus, aliisque, unde huc faciunt Rad. allii, succisæ, herba paris, camphora, myrrha, infusum sanguin. asin. Tinctura bezoard. spir. sal. arm. C. C. ebor. spir. & sal volat. fulig. liquor. C. C. succinatus, antim. diaph. theriaca, mithridat. ruta & ex his parata alia varia.

Diuretica quin ipsa quoque apprimè opem ferunt, serum superfluum ex alveis suis ad vias urinarias derivando, ejusque varia coagula, indeque ortas obstructiones tollendo. Hinc aperientia, salina, saponaria, speciatim in macie, tumoribus ventris, ischuriâ, impotentiâ ipsâ non sunt de nihilo, v. gr. ex eryngio, filice, verbenâ, Tinct. Mart. aperit. nephrit. Wedel. arcan. duplicat. arcan. tartari, tart. vitriolat. spir. sal. striat. vitrioli Philosoph. nitri dulc. sal urin. & succini, ocul. cancr. & cum his paratis.

Ipsa verò Alterantia specifica varia quidem recensentur apud Autores, optimè verò juxta dictam divisionem patere possunt, opposita vel universali læsioni, vel effectibus determinatis. Cum enim vita & sanitas radicentur in sero & sanguine, tanquam principiis vitalibus, & fascina ad instar venenorum subruere eadem satagant, si non actuali veneno, consimili tamen sigillata charactere, meritò opponuntur hisce bezoardica & balsamica, sub diaphoreticis jam exposita.

Talismodi polychresta & pluribus symptomatibus satisfacientia sunt cumprimis viscus colurnus, antirrhinum, ruta, filix, verbena, adianthum aureum, & præ aliis hypericum, fuga dæmonum hinc dictum, omniaque exinde parata. Dilaudat id ipsum mirum quantum hunc in finem *Paracelsus lib. 3. de reb. natural. cap. 5. p. 1038. & seq.* & hinc quoq; *Angelus Sala* stupendos effectus vidisse se refert *l. de essent. veget. cap. 4. p. 7.* & de eodem insignis sive fabula sive historia ex Hercule Saxoniâ citata videri meretur apud *Scipion. Mercur. de Obstetr. lib. 2. cap. 38. pag. 551.*

Cumque balsamica sit planta, si quæ alia, & ad maciem, impotentiam, dolores & inprimis melancholiam, &c. Ex causis manifestis eximiè conducat, præ aliis ad fascina commendatur non immeritò; sumenda tum in essentiâ balsamicâ, tum mixturâ l. c. *A. Sala* laudata, bis in die, manè ante Solis ortum, & vesperi ante somnum, quod speciatim commendant sine dubio ideò, quod morbi serosi & inter hos quoque fascino debiti nocturno tempore magis soleant exacerbari. Faciunt huc quoque corallia, quorum Tincturam Helmontius multum solaminis attulisse testatur, ess. antimonii simpl. & comp. spir. & oleum Heraclinum, &c. Os triquetrum Cranii humani, tum per se, tum combustum mirè laudatur.

Sin ad exempla morborum specialium devolvamur, in melancholiâ ess. hyperici, spir. sal armon. infusum sanguin. asini, Tinctura smaragdi prosunt. In impotentiâ rot. stimul. Mynf. non semel expertæ, chocolada Inda, confect. alkermes, ess. satyr. officium faciunt. *Helmontius lib. de lithiasi cap. 8. §. 25.* dilaudat cerevisiam, in quâ betula cocta. In doloribus anodyna; in motibus convulsivis Epileptica activiora ex usu sunt, & sic quoque idem valet de aliis.

Succenturiantur his Topica varia, causas morbificas inductas exturbantia. Inter appensa laudatur Mercurius vivus; electrum immaturum

turum Paracelsi, intus & extus usurpatum, suis experimentis dilaudat *Helmont. l. de injacul. mod. pag.* 48. Cynoglossum Dioscoridis superiori seculo expertos esse alexipharmacum præstantissimum contra fascinationes cives Genevæ refert *Saguyer. schol. in pharmac. Fernel. pag.* 147. sine dubio, vel emolliente vel anodyna virtute, ipsoque tetro odore id præstante.

In Balneis, præter alia jam laudata communia, ex rutâ, hyper. verben. abrot. in primis ad maciem commendantur ob abstersoriam virtutem sideritis & conyza coërulea, ruga vulgò dicta, *gros und klein Beruff-Kraut*, quæ etiam nervina sunt, non minus ac Unguenta & Emplastra. Celeberrimum inter hæc est unguentum de visco corylino Carrichteri, quod *Heer. observat.* 6. *pag.* 128. Item *Horstius lib.* 11. *observ.* 16. *p. m.* 549. Commendat, ubi & alia egregia reperiuntur. Viscus sanè nervinus est itidem & emolliens. Ex emplastris instar omnium est emplastrum fœtidum Mynsichti. Ad quævis, ait Autor, maleficia experimentum est stupendum & quasi cœlitus demissum, super centrum enim, ubi cruciatus, persequendo positum, non tantùm maleficium ipsum, verùm etiam omnia phantasmata & incantationes sine superstitione & confestim fugat, propulsat atque debellat, sed internis non omissis.

Joh. Agricola in Chirurg. parv. tract. 5. *p. m.* 646. abscessibus vel tumoribus incantatione inductis imponere jubet excrementum proprium, hinc suspendere id in vesicâ suillâ in fumum, & intra paucum tempus evanescere dolorem, quod ipse fuit expertus. Nec inconvenientia sunt ipsa Suffimenta, dissipandi, alterandi, demulcendi virtute conspicua, tum ex dictis, tum ex aliis, quatenus sale volatili oleoso, in atomos infinitas per ignem redacto, partibus affectis succurrunt.

Plura remedia, contra quoscunque morbos veneficos, si quis scire anhelat, vid. *Barth. Carrichteri Herbar. tit. Von gründlicher Heilung der Zauberischen Schaden*, & *lib.* 2. *de ulceribus antiquis cap.* 10. & *seq. Codronchium, Helmont. l. c.* &, qui instar omnium esse potest, *D. Frommannum tract. de fascinat.* Exempla verò morborum ex fascino curatorum plura memorant Autores varii, v. g. *Mart. Rul. Cent.* 3. *observat.* 100. *D. Schorerus in Medic. peregrin. p.* 205. *Thonerus lib.* 4. *observ. Medic.* 1. & alii.

Pertinent huc remedia alia quoque licita pro fascinis averruncandis, quæ nempe in illusionem cedunt Satanæ ac contemptum. Superbissimus est spiritus dæmon, unde nihil minus ferre potest, quàm quæ in ejusdem ignominiam cedunt, vel precibus præviis forti animo opponuntur. Sic anu sub fascini administratione vapulante, apud *Gassendum l. c.* mater & infans fascinati restituti sunt, nullo alio quàm plagarum sufficientium remedio. Sic allium & assa fœtida latrinæ indita & cum fecibus incantati confermentata dicuntur stercoreum saporem incantanti inferre. Sic mictio per annulum sponsalem huc referri potest, à ligato facienda, aliaque jam dicta, modò non superstitionis reatum præ se ferant. Neque enim curatio Magica, etiamsi primâ fronte talis non videatur, ullum habet locum, unde non imitandæ historiæ hinc inde annotatæ, ubi sagarum murmure ablati leguntur morbi à fascino. Talia exempla recenset *Casp. Calder. de Hered. Tribun. Medico magico sect.* 11. *art.* 1. *pag.* 68. ubi & huc facientia plura præmittit.

Tale etiam relatu dignum exemplum contigit non ita pridem in pago Bucha, præfecturæ Könizensis in Comitatu Schwartzburgico, quod coronidis loco attexemus. Incolæ ibidem, in variis mechanicis artificiis parandis celebris, Johannis Hoffmanni, annorum 40. vitæ integerrimæ, ædes catus niger, antea non visus, ante duos annos frequentavit, caseos, ova gallinacea & lac sæpè subducens, adeoque damno non levi paganum hunc afficiens, ut de remedio ei opponendo cogitare teneretur. Cum ergò aliquando hospitem hunc molestum in horto ædibus contiguo conspiceret, bombardæ explosione illum occidit. Projecturus eundem extra sepis oleas, nondum penitus mortui pedes decurtat, atque sic ejicit horto, quo loco sequenti die non repertus, nec fuit, qui amissum conquereretur. Elapso mense ingruente nocte domum ex agro repetens in prato prædio suo vicino catum eundem offendit, eumque sæpè verberibus petit, sed frustrà, saltu ictum semper declinante. Postridiè ingentes dolores dextri oculi persentiscit, tertio die ob eorundem adauctas faces prodit in pagum, ubi tamen persistere non fuit integrum, examen enim vesparum dextro oculo subitò ingruit, quod impossibile fuit depellere. Celeri pede domum se confert, vespæ presso pede insequuntur in supremam usque contignationem. Dolores ingravescunt indies, ut per quatuordecim sæpe dies insomnes noctes ducere cogeretur, sequitur cæcitas per 32. hebdomades durans. Medicos consulit, sumptibus non parcens, sed frustrà; quotidiè spinas, stupas, pilos, grana milii ex oculo extraxit. Elapso hoc tempore cum malum hoc sedem mutaret, & in sinistrum oculum consideret, evenit, ut tres ignotâ facie fœminæ ipsum inviserent, & iter ex Ægypto ad illum susceptum simulantes curam promitterent, modò de sostro convenirent. Promittit quinque imperiales, enumerant rem totam, ut gesta erat, & decoctis herbis aliquot visum perfectè restituunt, dimissæ hinc unde venerant.

De Diæta tandem non attinet seorsim plura dicere, conformandâ ad morborum proprium genium, unde hâc vice discursui huic finem imponimus.

Clarissimo Doctorando S. P. D. Præses.

De divino in morbis frequens occurrit tum apud Medicos, tum alios quoque eruditos discursus, non æquè tamen constat, vel singulis cordi est, quidnam per id ipsum innuatur.

Cum dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ, inexhaustum verò suggerant divini *Hippocratis* scripta, fas est eundem velut primum autorem consulere, &, quid subsit, sciscitari. Ita verò hic *l. προγνωστικῶν cap.* 1. *t.* 14. ἅμα δὲ inquit, καὶ εἴτι θεῖον ἔνεστιν ἐν τοῖσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν χρή. Simul verò & si quid divini in morbis inest, etiam hujus prænotionem ediscere oportet.

Non nostrum est loculos excutere interpretum, vel acquiescere communi quæ inoluit opinioni, per divinum in morbis intelligi morbos à fasci-

à fascino. Repugnat id omninò & pietati divini senis, & textui.

Pietati quidem, argumento totius libri de morbo sacro, ubi satis probat, quantum naturæ sacerdos alienus sit à superstitione, & posito, magos mala & morbos inferre, id θεῖον, divinum nullo modo vocandum esse, *l. c. c.3. t.32.* Taceo, quæ sobriè admodum de Dei puritate & bonitate addit.

Textui verò id contrarium est, si antecedentia & mentem lustremus Coi. Agens enim de prædictionum medicarum necessitate & excellentiâ, summam rei complexurus scribit, nosse oportere morborum naturas, ὁκόσον ὑπὲρ τὴν δύναμίν εἰσι τῶν σωμάτων, quantum corporum vires excedunt.

Regula hæc unica est & norma certissima omnis prognoseos, ex quâ tanquam ex tripode licet augurari, hunc evasurum, hunc moriturum; proportio, inquam, inter morbum & naturam, & vires utriusque inter se comparatæ.

Ast, cum in morbis aliquando contrarium eveniat, ut qui evasuri videbantur fatis cedant, &, qui morituri prognostico relicti erant, evadant, tum alibi jam inculcat, *2. Aphor.* 19. non omninò certas esse prædictiones in morbis acutis, tum τὸ θεῖον attendere hoc loco jubet.

Divinum ergò in morbis est, ex autoris mente, si citra regulam illam quidpiam eveniat. Decumbit studiosius malignâ febri, adsunt convulsivi motus gravissimi, pulsus frequens, inordinatus & debilissimus, feces invitæ prodeunt, oculi feroces, natura prostrata, evadit tamen.

Alius, febri malignâ itidem laborans, ad oblata bene habet, vires constant, pulsus bonus, urina bona, moritur tamen. Utrobique Dei digitum venerari fas est omnia ex artis legibus facienti.

Idque toto evenit die, cumprimis in morbis epidemiis, unde alterum, juxta *Hippocratem*, κελτήελον est divini in morbis, cum plures indifferenter morbo eodem corripiuntur, & biliosi & pituitosi, seu dispositi & indispositi, Tros Rutilusve fiet. *l. de morb. sacr. cap. 5. t. 13. & 14.* Exemplo sit pestis, ubi divini hujus innumera contingunt exempla; ut adeò si non à priori, tamen ex post facto pateat satis, fatalem adfuisse horam, Dei hoc esse, Deoque debere adscribi unicè vitam & mortem.

Addi quinimò possunt huc alia quoque, quæ in morbis contingunt omina sæpe, sive per insomnia, sive per sonum fortiorem, & velut sublapsum domus; sane & illa divina sæpè sunt monita & ad divinum in morbis referri debent.

Quod verò magicos morbos attinet, quando ultra naturæ vires absurda quædam se exerunt, illa sanè ad divinum in morbis nullo modo spectant, nisi eatenus velimus id, contra *Hippocratis* mentem, explicare, quod Deus permittat hæc talia dæmoni, ad nutum malefici hominis, sed valdè ἀκύρως. Non divinum scilicet id est, sed magicum, & diabolicum.

Sed, ne ultra propositum evagetur oratio, brevia hæc suffecerint ad explicandum τὸ θεῖον in morbis. Finio ergò, &, ut laudatissimis studiis condigna præmia divinitus obtingant, gratulante & votivo animo precor. Dab. è museo 1682. *Calend. Septembr.*

Rudolph. Wilhem. Krauss. Philos. & Medic. Doctor. Practic. & Chim. Profess. publicus. Facultat. Medic. Senior & h. t. Decanus Lectori Benevolo s. d. p.

Magiæ nomen æquè ac magorum apud antiquissimos mortalium honestum erat ac venerabile, contra quàm solet hodie ad res turpissimas traduci, & qui ejus cognoscendæ studio occupatur, inter sæculi dedecora atque opprobria connumerentur. *Hesychius* magum describit, rerum divinarum cultorem, Θεόλογον, Θεοσεβῆ, qui sacra tractat, & illis operam suam addicit. Neque tamen magi ab initio naturalium curam spernebant, intenti siderum cursui, ortum, variumque motum & occasum diligentissimè observantes, anni tempestates, & hujus generis plura scrutantes anxiè, ut *Suidas* ob cœli terræque cognitionem præcipuam non immerito φιλοσόφες illos & φιλοθέες appellet, qui sapientiæ humanæ ac divinæ dediti essent. Sed ne soli putemus incubuisse contemplationi, & jucundis meditationibus, activæ pariter vitæ studiosi, rationem tradidere imperia feliciter administrandi, respublicas instaurandi, leges è salute publicâ condendi, quin regibus à puero dati comites indivisi, ut horum consilio fruerentur. Hæc itaque causa noscitur, quare nemo summam rerum inter Persas suscipere potuerit, nisi magiæ studio probe excultus fuerit. Esset heic amplissimus campus, per seriem annorum demonstrare, quinam ex his præstantiores, in maximis imperiis gloriosis factis eminuerint, quinam consilii salubritate regibus adfuerint, quæ per eosdem scientiis ac disciplinis olim incrementa accesserint: verùm sic extra sphæram propositi fortè constituti in aliena digrederemur. Sufficiat vel tribus ostendisse, quàm insigne nomen atque honoratum ab initio magorum fuerit. Quando tamen nihil tàm præclarum habeatur, aut eximium, quin pravitate ingenii, & successu temporum, in sequiorem partem inclinet, id manifestò magiæ exemplo condiscimus. Circa religionem duo statuebant principia, magiæ cultores, lucem ac tenebras illique bonorum omnium, his autem malorum tribuebant primordia, causam & originem; è quâ sententiâ, ceu fonte errorum, ingentia mortalium incommoda extitêre. Ipsi magi ex altera parte, non lucem sectati, opera tenebrarum potius facere optarunt, tantâ impietate, ac facinoris malignitate, ut nefandas incantationes & veneficia denique profiterentur. Qui lucem odit Cacodæmon, magister erat, inque perniciem hominum ea excogitabat, quæ speciem artis habebant, & à viris auctoritate & sapientia commendatis ad communem fecem transibant. Auctæ sic miræ superstitiones, cognitæ fraudes nocentissimæ, diaboli mille artes, & execranda mortalium excœcatio patuit, quibus ex detrimento plurimorum & odia justissima & supplicia statuta sunt. Illinc voces horrendæ præstigiatorum, veneficarum, sagarum, incantatricum, mancipiorum nuntiorumque diaboli, hinc exquisitissimi cruciatus, rogi, accensæ pyræ & his similia. Nec immeritò, ob pacta illa sive explicita sive implicita cum tenebrarum principe, ob detestabilem baptismum illum & abnegationem,

gationem, renunciationemque omnium impurissimam, ob postulata illa pestifera, & alia ineffabilia. Quis jam percenseret remedia, è superstitione protecta, quibus effectus naturalis adscribi nequit, ac quibus ad non naturale quid præstandum temerè utuntur, cujus generis sunt verba ignota, characteres, circuli, signa innumera? Adeo enim nemo extra semetipsum constituitur, qui rebus per se inefficacissimis tantam inesse crederet virtutem, quâ tot miranda contingunt, nisi pactum accederet tacitum, ac turpissima cum hoste generis humani collusio. Et quamvis in operibus his nefandis πανῦργος ille potissimas exequatur vires, utpote qui omnem aucupatur occasionem miseris nocendi mortalibus, ministerio tamen magorum utitur ac sagarum; ut sic verissima sit opinio *del Rionis*: Magi possunt multa operari mirabilia dæmone adjuvante, ac Deo permittente. Scilicet hic solus est, qui verbis ipsorum tùm ore prolatis, tùm etiam scriptis, sive characteribus, vim tribuit, & omnem efficaciam impertitur. Eccur enim quæso adhiberent serias advocationes, tot obtestationes, comminationes? Cur prosternerent corpora, & alia peragerent nefaria, quàm ut magistri sui nequitiam implorent, sine cujus auxilio nihil planè efficere possunt. Quod sine rubore vix dixero, sunt inter Medicorum filios nonnulli, qui sibi & aliis persuadent, licitum esse remedium, characteribus in curatione uti, ac tantam verbis tàm ore prolatis, quàm stylo consignatis inesse virtutem, ut morbi aliàs pertinaces & invicti iis superentur. At profecto suam in rebus naturalibus imperitiam, in disciplinis pruritum, inque studio Christiani hominis impietatem produnt, ac sese præterea Medici honore ac titulo indignos reddunt, quod, nisi brevitati litandum, pluribus demonstrari posset. Pari quoque ratione vulgi sententia putatur illa, qua cuncta præter naturam evenientia sagis protinus imputantur, *Es sey einem gemacht*, sicut neque admittitur *Wieri* contraria, quâ negatur, incantationum nullam esse efficaciam, neque hinc morbos oriri, quod experientiâ & rectæ rationis judicio convincitur, sicut ex Inaugurali Disputatione de Morbis ex Fascino, videre est, quam publicæ ventilationi exhibiturus est clarissimus & dignissimus artis Medicæ Candidatus Dn. Fridericus *Kæseberg*, &c.

FASTIDIUM CIBORUM.
Vid.
ANOREXIA.

FAVI.
Vid.
CRUSTA LACTEA.

FEBRIS.

Febris pro Dea culta fuit apud Veteres, eique ne noceret Romani tria consecraverant templa, primum, scilicet, in Palatio, secundum in Marianorum arce, tertium in summa Vici Longi parte; ac in illa remedia corporibus febricitantium priùs innexa, deferebantur, tum ad præsentem fugandum morbum, tum etiam ad eundem adventantem arcendum. Hic morbus Græcis ἀπὸ τοῦ πυρὸς, πορετός, imò si ardentior fuerit Hippocrati absolutè πῦρ dicitur: Vocem autem *Febris* quod attinet; Sennertus postque eum Willisius, putat Latinis à *februo* dici, quod verbum uterque ab alio scilicet *ferveo* deducit, addita ratione physica, quòd purgamenta cùm optime per fervescentiam perficiantur, sic itidem februo quod significat expurgo à ferveo optime derivetur. Verùm præterquàm quòd non valet consequentia, liquor effervescens commodè expurgatur; Ergo *februo* expurgo à *ferveo* bene derivatur, omnis purgatio non fit per effervescentiam, ac de effervescentia nequidem somniando cogitabant Veteres cùm Februarium mensem ea propter vocabant quod per illius decursum Diis Manibus placandis ædes suas lustrarent & expurgarent; Sic nec etiam ad illam prorsus attendebant in denominatione Februæ Deæ, a *Februis* seu purgationibus propterea dictæ quòd fœminas post partum, secundis exeuntibus purgare putaretur. Præstabit itaque cum Vossio ac etiam Schokio, febrem deducere à fervere seu ferbere, inde enim ferbis, ac per literarum transpositionem, febris. Verùm quid istis immoramur, quin potiùs pergimus ad hujusce morbi *definitionem* de qua sanè acriter apud Medicos disputatur.

Galeno cùm febris natura ipso nomine cognita crederetur, *definitionem* ejusdem afferre & supervacuum, & inutile visum est; ex illius tamen operibus satis elici potest; vocat enim febrem alicubi conversionem nativi caloris ad ignem; alibi excessum intemperiei in caloris abundantia, ut & totius animantis immodicum calorem. Ex his Avicenna proculdubio definitionem suam consarcinavit quæ talis est ex Arculani interpretatione. Febris est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo mediantibus spiritu & sanguine per arterias & venas in totum corpus, inflammatur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus: non sicut caliditas iræ & laboris: cùm non ultimatur, vel cùm non pervenit ad hoc ut sit accensa, & noceat operationibus. Averrhoës calorem in genere pro febris essentia adduxisse non contentus, specialiùs scribit eum compositum esse ex naturali & præternaturali. Fernelius qui incultam & obscuram Arabum dictionem, advertens eorum nomina ut placet Roderico à Castro obscurare decrevit, edito egregio opere quo universam ferè medicinam complexus est, febrem uno verbo atque secundùm eorundem mentem definit Calorem præter naturam è corde in omne corpus effusum. Sic etiam Sennerto. Febris dicitur calor contra naturam in corde accensus, & ex eo mediantibus spiritibus ac sanguine per arterias & venas in totum corpus diffusus, actionesque naturales lædens. Seu potiùs: Intemperies calida totius, à calore præter naturam in corde accenso, & mediantibus spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus diffuso, ortum habens, actionesque naturales lædens. Ne nimii simus, abstinemus ab aliis definitionibus adducendis in quibus quamvis aliis verbis calor de febris essentia declaratur, ut videamus jam quomodo hæc veritati conveniant. Celeber. Helmontius,

super hac re sic habet: Cùm in Scholis calor sit essentialis febri, debet imprimis à febri ita esse inseparabilis, ut febris mentaliter concipi nequeat, quin individuus sit illi comes calor iste: sed se noviter objecére Castrenses febres, quæ citra sitim ac manifestum calorem accidunt; id est ab initio in finem vitæ usque, absque calore suam peragunt tragœdiam. Si dicant has febres Veteribus ignotas, nec ideo sub definitione comprehensas; concludo saltem inde has febres, aut ideo non posse esse febres, aut febrium essentiam non alligari necessariò, sed tantùm per accidens calori. Præterea quicunque frigus penetrabile per horas aliquot senserit, in febrium principiis, non persuadeat tamen febrim sibi inchoatam non adesse, sed alium affectum hactenus anonymum. Etenim quanquam concutiatur rigore, dentibus quatiat, labrisque præ frigore liveat, persuadeat tamen sibi per hujusmodi squalores, febrium initia illa non esse febrium initia: neque enim qui talibus initiis moritur (quod plerumque in intermittentibus fit) vera febri extinctum, credat qui volet: etenim non soleo de contingentibus sensu notis, alium advocare judicem præter tactum; ita enim stupidus sum, quòd de sensibilibus, non nisi sensuum judicio sto, Medici verò opinionis, &c. *Unde concludit*; utcumque calor præter naturam auctus possit esse indicium febrium, ipsum tamen non esse febrem, nec illi inter medendum magnopere esse insudandum. Sic etiam Clar. Bontekoë. Calor non est ipsa febris, sed ejus tantummodo effectus, vel ad summum pars aliqua ipsius, ita ut qui febrem nihil aliud quàm calorem statuunt, pari ratione loquantur, ac si dicerent, brachium, vel crus hominis esse integrum hominem. Et in sequentibus addit. Cùm itaque febris existere possit absque calore, quales sunt ex. gr. febres illæ algida in Belgio adeò frequentes, in quibus ægri nihil aliud sentiunt quàm frigus: hinc luce meridiana clarius patet, calorem & frigus febrium tantummodo esse effectus, non secus ac lux & calor effectus sunt ignis. Et quod notandum, febris potest existere sine calore & frigore: quippe febricitans dum febre laborat algente, vel conquassante, nullum persentit calorem, pariter nec frigus ipsi molestum est, quando causo infestatur; nam si reapse calor ipsa esset febris, sequeretur necessariò eum qui incaluit labore, nimia exercitatione, vel æstu solis, igne & similibus, febre quoque revera laborare, quod Doctores nostri animadvertentes, hunc calorem dixêre præternaturalem. At si febris revera esset calor, atque cor illius focus, ubi primò accenditur, prout sibi persuadent, necessariò flammas conciperet & deflagraret, antequam quispiam in membris externis, possit observare calorem adeò insignem, cùm experientiâ teste videamus calorem magis calefacere & incendere corpora proxima, quàm quæ sunt remotiora. Jam verò considerare oportet, quòd si quis ægrotantium querelas audiat, deprehendat, eos præcipuè conqueri de dolore regionis lumbaris, capitis, vel alius corporis partis, rarissimè etiam æqualem ubique persentiscere calorem, vix unquam verò conqueruntur de insigni aliqua cordis inflammatione, vel calore. Si febris insuper revera consisteret in calore, necessariò ea foret continua, & tamdiu duraret donec omnis calor, uti ejus causa, prorsus esset dissipatus: at si hoc verum esset, tum non amplius febres haberemus intermittentes, certo tempore, ac præcise recurrentes. Porro si calor reapse esset febris, & ab una eademque posset incendi materia eam producente, proculdubio sequeretur febre extinctum ea adhuc dum laborare & esse calidum; cùm materies quæ febris causa fuerat, adhuc in defuncto resideat, calor etiam tanto magis subsistere deberet, si febris ex mente Autorum nostrorum ex aliqua proveniret putrefactione. Nam si revera sint febres putridæ, unde fit, quod quamprimùm ac aliquis ex febre obiit, calor unà cum vita extemplo cesset? Cùm tamen materia corrupta adhuc supersit, & corpus paulo post mortem fœtorem emittere incipiat. Adeo ut si febris & calor originem ducerent à putrefactione, sequeretur calorem & febrem post obitum non tantùm permanere, verùm etiam intensiora esse. Unde optimè concludimus, calorem aliunde oriri, nec ad essentiam febrium aliquid conferre. Præterea si febris consisteret in calore, omnes febres ejusdem essent essentiæ, & Doctores nostri semet ipsos quàm maximè deciperent, statuendo tam diversas & differentes febrium species, (experientia enim nos æque ac illos docet, varias earum dari species) cùm calor semper sit calor, nunquam verò aliud observetur discrimen, quàm quòd sit intensior, vel remissior. Interim deprehenduntur febres non differre inter se ratione intensionis vel remissionis, vel quòd revera diversi caloris gradus percipiantur, sed quòd revera diversæ dentur species. Hinc cùm differentiæ in febribus occurrentes, absque controversia sint, nemo ratione præditus inficias ibit calorem non esse ipsam febrem, cùm unus idemque calor diversas nequeat efficere febrium species. *Hactenus Bontekoë.* Exemplum febris purè frigidæ à se observatum refert Clar. Ettmullerus. Erat hic, *inquit*, artifex, qui laborabat perfecta tertiana, anticipando tamen semper duabus horis cum nullo subsequente calore. Patiens inclinabat ad phthisim, ac erat insignis scorbuticus. Paroxysmus ingruebat cum insigni horrore & frigore gravissimo, qui ultra horam integram durabat, postmodum, cùm deberet succedere calor, nullus sentiebatur, sed loco hujus acerbissimi dolores totum corpus, omnesque artus excruciabant, imprimis regionem dorsi & femora, & in specie in regione dorsi lumbari circa locum connexionis mesenterii. Circa finem interdum materia viridissima amaricantis saporis vomitu rejiciebatur, absque ullo calore, urina erat insigniter turbida, crassa cum copioso sedimento. Paroxysmi observabant ordinarium typum anticipando bihorio. Vocatus ergo cùm jam ab uxore purgatus esset, præscripsi ad temperandum acidum.

♃. Tartar. vitriol. Oculor. cancr. præparat. ana gr. xv. M. exhibeatur ante paroxysmum qui tum erat quartus.

Post hoc remedium & frigus & dolores insigniter remiserunt, & quidem blando sudore subsequente, absque tamen insigni corporis incalescentia. Die intermissionis,

♃. Spir. sal. armoniac. ℈ij. Spir. cochlear. ℨj.

M. Ca-

M. Capiantur 40. guttæ bis in die intermissionis, & die sequenti tantumdem bihorio ante paroxysmum.

Paroxysmus eodem modo redibat, cum frigore absque calore, remittentibus doloribus. Die nona intermissionis continuavit hunc spiritum. Ante paroxysmum ordinavi,

♃. Sal. absinthii ℈j. Oculor. cancr. ℈ß. M. Usurpetur bihorio ante paroxysmum.

Paroxysmus non rediit. Die intermissionis continuavit spiritum, & tempore paroxysmi adhuc semel præfatum pulverem, sicque curatus fuit. *Hæc Ettmullerus.*

Hisce omnibus non opus est addamus propria experimenta & ratiocinia, quo concludatur calorem non constituere propriam febris essentiam, à qua scilicet sit inseparabilis. Clariss. Barbette hisce forsitan, aut aliis similibus motus rationibus à calore febrem non definit, sed eam dicit, auctam sanguinis circulationem, per pulmonem, cor, cerebrum, totiusque corporis partes. Cum eo consentit Clar. de le-Boë Sylvius dum febrem adesse ait cùm pulsus plus solito frequentior est, pulsumque frequentiorem à motu cordis & sanguinis aucto deducit. Verùm contra circulationem sanguinis auctam in febribus sic opponit Clar. Bontekoë. Falsò creditur insignem febricitantis calorem, urinam rubicundam & quasi inflammatam, sitim, imprimis pulsum, *in aliquibus febribus*, tanta vehementia & celeritate pulsantem, verissima esse signa citioris circulationis, vel ebullitionis atque effervescentiæ alicujus præter ordinem in massa sanguinea; tales enim Doctores interrogo, quomodo calor signum esse possit auctioris circulationis; Fateor quidem calorem consistere in motu particularum subtilium, inter quas acidum & alkali, cum partibus crassis multa cum rapiditate moventur. Notum enim est aquam ebullitioni proximam esse, absq; ulla motione unde evidenter liquet, liquorem aliquẽ existere posse fervidum, quamvis non fluminis ad instar rapiatur; simili modo etiam videtur, si sanguis febrilis non magis circularetur quàm more solito, non minùs fore calidum, dummodo multis scateret particulis igneis. Fluvii quoque currentes, mare ab undis agitatum, fontesque salientes nos docent, liquorem magno cum impetu moveri posse, nec minimum tamen incalescere, neque etiam tubulis suis, quos turgescere facit, ullum imprimere calorem. Hæc itaque demonstrant calorem non semper esse necessarium consequens, neque certum aliquod signum insignis liquorum agitationis. Præterea pisces sufficientem nobis præbent rationem probandi, succum aliquem sat citò fluere posse per angustissimos ductus absque caloris sensibilis perceptione. Videmus enim etsi illorum succi & alimenta circulentur, nullum tamen in iis observari calorem. His adjungere possumus ægros inveniri, quorum pulsus & sanguinis circulatio admodum est lenta, quique nihilominus de ingenti conqueruntur calore. Idem cernimus in phlegmone, quòd scil quamvis patiens vehementem sentiat calorem, nulla tamen observatur nota unde judicare liceat sanguinem velociùs, ac vulgò in ea parte circulari. Si denique attendamus halitum nostrum manifestè videbimus quòd calor non semper sequatur motum celerem: nam si compressis labiis manum inflemus, illico speciem frigidi alicujus ventuli percipiemus; è contra calorem, eodem halitu, at leniori eam inspirando. Observamus porrò quod aër tanto sit frigidior, quanto magis à ventis agitatus, & quo minùs movetur, eo majorem nos sentire calorem, ita ut optimis cum rationibus concludere possimus, quòd calor febrilis non sit signum concitatioris sanguinis circulationis. Jam quærat aliquis ex nobis, si calor non est verum signum, quid tum dicendum de rubicundo urinæ colore? Designat ne ille nihil? An non inde velocior indicatur sanguinis circulatio? Respondeo uteric orum urinam intensiorem esse, quorum tamen sanguinis circulatio non est admodum velox; nam potiùs cernimus in hoc morbo sanguinem lentiùs circulari, ita ut motum suum quasi perdidisse videatur: atque hoc est quod in plurimis casibus manifestè apparet, videlicet ex tarditate pulsus, patientis debilitate, ejusque virium prostratione. Neque sitis magis verum signum est; nam nihil inde concludere licet nisi quòd gula humectatione indigeat; verùm hoc non semper à calore procedit, ut ex frigore liquidò constat, quo durante patiens sæpiuscule magis intolerabili infestatur, quàm præsenti calore, quamvis hoc tempore sanguis tam lentè circuletur, ut videatur motu suo prope destitutus. Pulsus ergo forsan erit qui nos docebit quanta cum velocitate circulatio peragatur? Ast non obstante Doctorum nostrorum opinione, assero contrarium, persuasus me paradoxon hoc tot validis rationibus defensurum, ut nemo possit non assentiri. Primò itaque animadvertendum est quanta cum velocitate cor alicujus animalis exsectum & mensæ impositum, palpitet, ubi revera frequens observatur pulsus, licèt sanguis tum, non tantùm parum circuletur, verùm etiam cùm nec sanguis, nec circulatio ibi inveniatur; adde complures morbos dari, in quibus sanguis crassus & coagulatus admodum lentè circulationem perficit, ubi interim vehementem adesse pulsum deprehendimus.

Nemo quoque inficias ire potest, quin in principio paroxysmi febrilis, cùm æger tam vehemens sentit frigus, ut omnes corporis partes inde concutiantur, pulsus æquè celer sit quàm accedente calore. At quis audeat affirmare sanguinem præsenti frigore esse calidum & tenuem, simulque concitato cursu? Quod tamen fieri oporteret, si verum esset pulsus celeritatem produci calore, & sanguinis agitatione; jam verò si certò velimus experiri pulsum celerem non esse signum aut consequentiam frequentioris circulationis, oportet primò percipiamus quid sit pulsus, quo comprehenso, evidenter constabit, haud aliam adesse causam, aliudque nihil denotare, quàm cordis & arteriarum motum velocem & convulsivum, non tamen motum sanguinis idcircò velociorem. Sciendum enim est cor nihil aliud esse quàm musculum, vel potiùs compagem multorum musculorum ejus diastoli & systoli inservientem sine vel minima sanguinis opera. Nam si cor propter introitum & exitum sanguinis se aperiret & clauderet, absolutè impossibile foret, ut cor ex vivo animali sectum tantas ederet pulsationes, cùm ne unica sanguinis guttula in eo

reperiatur. Sanguis itaque non est qui cordi motum conciliat, sed cor eum recipit, &, ut ita dicam, non secus ac machinæ hydraulicæ, aquam, eum haurit. Ast si hoc sit verum quod pulsus sive sit frequens sive tardus, non aliunde proveniat quàm ex motu cordis; tum arteriæ erunt ductus sive tubuli sanguinem eodem tempore recipientes & expellentes, non per ipsam sanguinis agitationem, sed mediantibus certis quibusdam musculis, eodem modo quo cor hoc perficit. Hinc accidit quòd dilatentur & contrahantur velocissimè, non tantùm cùm sanguis tenuis existit, verùm etiam cùm crassus & coagulatus est, atque tardè circulatur. Nam si cor pulsare potest, licèt nulla sanguinis guttula intret, idem facere potest sanguine existente crasso & tardè se movente, postquam ejus pulsationem haud propriè à sanguine dependere videmus. Præterea si rem bene perpendamus, sanguinem coagulatum necessariò esse causam velocioris pulsus, ac ubi nimiùm crassus est, circulationem sistere deprehendemus. Certum enim est, quando sanguis est coagulatus eum tardè circulari, & difficulter per arteriarum ramusculos in venas transire: quare necesse est cordis pulsationem frequentiorem fieri, & loco unius, tres vel quatuor edere pulsus, ut sic frequenti sua pulsatione sanguinem tardè fluentem melius expellere possit. Hoc autem necessariò debet sequi, quia sola cordis contractio insufficiens est, influentem sanguinem uno nixu depellere, quòd cùm non perfectè sit occlusum, illico dilatatur, & denuò contrahitur, quæ verissima rarioris circulationis & frequentioris pulsationis causa est. Quod si in corde accidat idem consequenter fiet in arteriis, cùm hæ contrahantur & dilatentur multò velociùs, sanguine coagulato & tardè circulante. Nam cùm sanguis est tenuis facilè arteriis eum comprimentibus cedit, & multa cum celeritate fluit in extremitates venarum, ita ut tempus quo arteria utitur ad se denuo dilatandum multò longius sit, quàm tum quando crassior sanguis, tardè circulans, & haud facilè in venas, ob ductus nimiùm angustos fluens, ita arteriarum contractioni resistit, ut non nisi dimidia ex parte claudantur, hæc ratio est, quòd arteriæ breviorem habent viam faciendam, quia sanguinem coagulatum non ita comprimere possunt, quàm qui ex particulis magis dissolutis est compositus. Hinc necessariò sequitur pulsum frequentiorem existere, licèt sanguis crassus & circulatio tarda sit; è contrà verò quando sanguis subtilis, calidus, &c. Deprehenditur, pulsum lentiùs necessariò ferire oportet, quia cor & arteriæ in contractione sua minimè impediuntur, cùm sanguis facilè cedat & fluat multa cùm celeritate. *His ille in Definitionem Barbettianam animadvertit.* Signum febrium pathognomonicum à Francisco De-le-Boë Sylvio additum quod spectat, illud in pulsu frequentiori non ita bene ponitur, quin multæ dentur febres, tum algidæ, tum etiam summè calentes, eæque malignæ, in quibus cum oculorum rubore, & scintillatione, delirio immani, doloribus atrocissimis, & linguæ nigrore, pulsus adest debilitas, infrequentia, & aliquando etiam intermissio; imò quosdam vidi febribus intermittentibus peculiaris generis laborantes, qui intervallis à paroxysmo vacuis satis bene habebant, quibus vires & appetentia mediocriter tum constabant, pulsusque aderat naturali proximus; sed in quibus adventantem paroxysmum, eumque postea præsentem, ab initio ad finem usque non aliàs observare licebat, quàm per ejusdem pulsus tarditatem, remissionem & debilitatem, cum adjunctis etiam aliquando motibus convulsivis. Illos tamen remediis febribus intermittentibus intenso calore & pulsus frequentia comitatis, destinatis, & in sequentibus referendis, curavi. Unde probabile est eandem causam febrilem variè in pulsum agere posse, eumque aut citatiorem, aut remissiorem facere pro varia succorum corporis, cerebri, nervorum necnon nervearum omnium fibrarum dispositione, nam ab hisce pendet cordis, arteriarum vasorumque omnis generis major vel minor motus, per quem sanguinis variorumque humorum circulatio peragitur. Verùm super hisce satis; videamus jam an alibi veriorem aliquam reperire detur definitionem. Clar. Willisius, impiger & indefessus fermentationum patronus, febrem describit per motum inordinatum sanguinis, ejusque nimiam effervescentiam cum calore & siti, aliisque præterea symptomatis, quibus œconomia naturalis varie perturbatur; additque effervescentiam illam esse vel brevem & interpolatam, quæ febres intermittentes, vel magnam & diu protractam, quæ continuas pariat. Magni sanè facimus, cum toto Orbe Literato, Viri Celeberrimi industriam, artificiosamque methodum qua sua systemata condit, atque ex iis varia phænomena ingeniosissimè deducit; non propterea tamen credimus omnia ab ipso allata sine examine esse admittenda, & fermentationem sanguinis in specie ab ipso propositam, pluribusque tum musti, tum aliorum liquorum fermentescibilium collatione, illustratam, quod spectat; illa pluribus nominibus non arridet. Qui enim sanguis velociori & continuo cursu ad instar rapidi fluminis vasa sua pererrans, nec alicubi moras trahens fermenta excipiet particulis suis salinis ita admiscibilia ut inde tota massa varias commotiones, rarefactiones, & ebullitiones patiatur? Nihil motui particularum alicujus liquoris vario, in quo ex saniori Philosophia & fermentatio & calor, magis officit quàm ejusdem motus directus. Succus uvis expressus, cerevisia aut alia id genus quibuscum comparatio instituitur, difficiliùs fermentationem inirent si semper vehementiùs agitarentur. Aliam instantiam adfert etiam Clariss. Bontekoë, scilicet quòd cùm cor, venæ atque arteriæ cruore sint plenæ, nullusque ad eas aëri pateat aditus, eapropter sanguis in iis nullatenus fermentari potest; sed præterquàm quòd vasa sanguinea non sunt ita plena ac fingit vir Clar. & aëris in ea intromissio non ita est impossibilis quin pluribus, iisque solidissimis & mechanicis innitentibus fundamentis eam probet Joh. Alphonsus Borellius in elaboratissimo suo de motu animalium Tractatu; non sanè verum est liquorem fermentescibilem apprimè conclusum, nullo modo fermentari; quotidie sic parantur vina, eaque generosissima, fermentationisque tam vehementis, ut ea sæpe vasa continentia maximæ crassi-

tiei & duritiei disrupisse viderim. Ast quid hoc habet cum sanguine commune? Vinum quantumvis exquisite conclusum, in cavitate ampla non alium habet motum quam intestinum, & tum sensu Carthesiano à particulis primi & secundi elementi impressum, tum sensu Chymicorum, à concursu salium diversimodè in se invicem agentium, sicque fermentationem efficientium: Cùm in sanguine dum in venis animalis viventis circulatur secundus motus impediatur, ut jam significavimus, per eam cordis & arteriarum vim, quæ illum exprimendo, in motum directum agit, minusque patitur salium prædictorum congressus in cavitatibus exilibus. Primus verò totus impendatur in circuitibus absolvendis. Itaque Bontekoë instantia non ita valida est, ut evincat quod ipse opinatur. Non minùs interim concussa erit Willisii de fermentatione etiam in febribus sententia, quomodocunque illam defendat. Qui alias in hoc argumento rationes voluerit, legat quæ in sequentibus fusè adjicimus è Clar. Joh. Alphonso Borellio, ubi de causis febrium.

Hic non moramur Paracelsistarum & Helmontii definitiones, quorum illi de incendio sulphuris & nitri, vel incandescentia universali balsami & mercurii vitæ loquuntur; hic verò de Archei, quoties non vitale in agrum vitalem inseritur, indignatione & excandescentia ut istud peregrinum è sui anatomia excludat, verba facit: sunt hæc enim meræ ineptiæ, ac cassæ voces.

Clariss. Thomas Sydenham morbum quemcunque, ipsamque etiam febrem, nihil aliud esse dicit, quàm naturæ conatum, materiæ morbificæ exterminationem, in ægri salutem, omni ope molientis. Hæc quamvis dilucidè satis prolata, rem multò magis non explicant, quam ab Helmontio decantata Archei excandescentia, qua peregrina è sui anatomia excludere nititur; nam quod huic Archeus, illi Natura est, quod huic Archei excandescentia, illi Naturæ conatus, quod hic Archeus per exclusionem è sui anatomia, illic per exterminationem materiæ morbificæ intendit. Itaque quicquid ad Praxim faciat definitio Sydenhiana Helmontianam explicans, illam meritò Vir Clariss. pro generali tantùm & rudi motuum in morbis contingentium descriptione, non verò pro legitima, regulisque logicis conveniente febrium definitione habet. Nec est sanè quòd talem hîc exquiramus definitionem, cùm enim illa ex iis omnibus quæ febrem antecedunt, concomitantur & sequuntur, necnon ex eorundem causis, colligi possit, illa exponenda veniunt in subsequentibus priùs quàm quid sit febris declaretur. Itaque missas facimus cæteras de febris definitione disputationes ut jam de ejusdem subjecto aliquid addamus.

Clarissimus Franc. Piens suo de febribus Tractatu eandem defendit de febris *subjecto* opinionem quam priùs Donatus Antonius ab Altomari vulgaverat; nam hic in calido innato, mutato, alterato, caliditatemque accidentalem suscipiente, eam locaverat; ille in corde, non quoad parenchyma, sed respectu ignis vitalis & naturæ, cordis hospitis, à cujus actione pulsus pendet, ipsam ponit. Quid enim aliud est ignis ille vitalis, cordis hospes, quàm Veterum calidum innatum alia decoratum denominatione in scenam productum. Verùm ut solidè objicit Clariss. Lovver. Tantùm abest ut credam sanguinis motum à sua in corde accensione ulla dependere, ut nec cordi calorem suum jure aliquo debere videatur: Quanquam enim cor caloris fons, (unde calor in totum corpus emanat) rectè satis agnoscendus sit; non ideo tamen in illo solo calorem istum excitari, aut sanguinem ab illo solo tantùm incalescere, veriùs fortè dicetur quàm aquas thermarum à balneo ubi erumpunt, & non ab intestino partium æstu, quas in visceribus terræ in transitu lambunt alluuntque, calorem suum concipere; nihil enim in corde quod tanto calori producendo sufficit: Constat utique cor ex se non calere; sed quemadmodum sanguine per arterias in se deposito omnino alitur, ita quoque foveri desiderat. Cordi itaque non magis tribuendum est quàm vasis & visceribus omnibus, iisque præcipuè quæ in pectoris & abdominis claustro conclusa sunt, quòd sanguis tantùm incalescat: Quippe uti sanguinem in extremis partibus, ubi aëri externo ferè nudus & expositus fertur, refrigerari accidit, ita pariter certum est ubi in pectoris & abdominis cavitatem recipitur, in locis adeò conclusis protinus incalescere, atque hinc est quòd homines obesi & pingui aqualiculo donati, quorum vasa sanguifera profundè magis & quasi in carne sepulta latent, præ macilentis frigoris patientes sint; quanquam corda hujusmodi præpinguium hominum non adeò sint vegeta & robusta, ac illorum qui magis sunt graciles & strigosi. Sanguini itaque in totum debemus quòd cor ipsum caleat, quòd corpora nostra calore suo actuet & vivificet. Concedimus interim, licèt major illi calor quàm cæteris musculis à natura datus non sit, in quantum tamen continuo motu, & in loco adeò concluso indesinenter exercetur, ita præ cæteris corporis membris calore magis constante & vegeto donati; unde forsan fit ut sanguinem in se receptum aliquantulum à contactu suo magis adhuc foveat, calfaciatque. Quibus ritè perpensis clarum fore arbitror sanguinis calorem à cordis foco ullo, omnino non dependere. *Hæc ille.* Sic etiam Clariss. Needham. Dum *inquit*, de flammula vitali loquuntur Philosophi mihi videntur entia sine necessitate multiplicare. Neque enim hactenus aut experimento quocunque evictum est dari in rerum natura talem igniculum, aut nodus in Philosophia adeò dignus vindice occurrit ut Deo hoc in scenam vocato opus sit. Saltem qui faciliùs ex hoc commento solvi, quàm aliter potest. Flammam hanc nulli mortalium conspectam fatentur, imò contendunt illius sententiæ assertores. At neque occultum in cordis sinu, aut arteriarum cavitatibus recondi, & cæco nos igne carpi, imaginari pronum est. Etenim si ad sanguinis genium propiùs attendamus ignitioni minùs aptus videbitur. Carbonibus nempe injectus flammam non facilè concipit, sed potiùs torretur in grumum. Et licèt negandum non sit dari in sanguine sulphureum quiddam quod distillatione elici potest, tamen illud quantitate minus est quàm vulgò creditur, & aliis multorum generum particulis adeò permixtum, ut omnia simul sumpta

ineptissima incendio evadant. In dextro nempe ventriculo, tum lymphæ, tum chylo, neutris sanè inflammabilibus contunditur. Et licèt in pulmonibus postea intimiorem partium commixtionem obtineat, cruor tamen, cùm in cor redit, adhuc venosus existit, neque nitrosi aëris additamentum quolibet indicio prodit. Difficile itaque erit hujusce accensionis locum, aut modum assignare. Vel enim tum fit cùm sanguis aëri commisceri statuitur in pulmone; vel in cordis sinu, dum alicui tertio occurrit. Prius illud est contra experientiam eorum qui cruorem hinc effluentem nihil pristini moris mutasse deprehendunt, cujus rei testem habeo ipsum Doctissimum Lovverum eo ipso in loco ubi omnium accuratissimè hanc hypothesin explicuit & magna probabilitatis specie firmavit. Ex his cùm satis constet ignem vitalem nullum in corde sedere ac inde in totum corpus calorem spargere, ruinosa est omnino sententia quæ ei, ut & calido innato tanquam subjecto apto febres adjudicat. Clarissimus Willisius dum in sanguinis effervescentia materiam febrium ponit, pro earum utique subjecto sanguinem habet. Sic & Clarissimus Bellini dum tanquam certum quid & inconcussum statuit nullam febrem sine vitio sanguinis dari, ejus focum in liquore, seu miscella per arterias & venas fluente constituit; nam, inquit, cùm sanguinis naturaliter in arteriis se habentis necessaria proprietas sit pulsus naturalis; & nulla sit febris in qua pulsus non aberret à naturali ordine, in qua nempe non desint aliquot, vel omnes earum conditionum, quæ ad pulsum naturalem requiruntur, concludendum nullam febrem sine vitio sanguinis dari. Ulteriùs progreditur Medicus quidam Gallus dum in Ephemeridibus Medico-Physico-Gallicis, explicaturus, quænam in specie sanguinis partes, & quomodo hocce in morbo afficiantur, ejus anatomen cum Clarissimis Leuvenhoek & Hook microscopio instituit, postque concludit, ratum ergo esto nihil singulare in febribus accidere cujus non facilis sit per hæc explicatio: Cùm extra controversiam sit minores sex globulos, ex quibus unusquisq; rubrorum globulorum componitur, posse quoque seorsim & peculiari sibi motu moveri, aut axiformi, aut variis aliis modis; Iterum unius motum, alterius motui posse adversari, aut etiamnum motui totius globuli quem constituunt; adde his globulos crystallinos, & partes tetragonas posse motibus anomalis præterea cieri, ideoque varios tumultus toti massæ sanguineæ inducere. Verùm sententiam de subjecto febrium in sanguine in genere habendo, tum quòd secundùm Willisium illius effervescentia sit febris ipsa; tum quòd secundùm Bellini ab ejusdem vitio necessariò pendeat; satis in superioribus, ubi de febris definitionibus, vidimus excussam. Fabulam à Medico Gallo in Ephemeridibus memoratis attextam quod attinet, uno verbo eam indicasse sufficiat. Jam verò si quis de febrium subjecto curiosiùs à nobis quærat; respondebimus nos nihil hac in materia pronunciare posse priusquam veras febrium causas explicuerimus, quod in sequentibus satis forsan abundè fiet.

Differentias febrium si ex earundem symptomatibus colligere liceret, in immensum sanè excrescerent. Franciscus De-le-Boë Sylvius ex illorum tantùm parte febres in specie intermittentes distinguit in Algidas, Ardentes, Siticulosas, Famelicas, Cardiacas, Torminales, seu Colicas, Syncopales, Præfocantes, Anhelosas, Asthmaticas, Tussiculosas, Catarrhales, Arthriticas, Insanas & Deliras, Emeticas, Dejectorias, Sudatorias, Micturientes, Sputatorias. Additque; occurrunt dubio procul adhuc plures intermittentium febrium species, ac differentiæ, à Symptomatibus gravibus, molestisque appellandæ; sed sufficiat aliquot ad exemplum proposuisse. Differentias legitimas & ab ipsa febrium diversarum natura petitas quod attinet, eas curiosè persequitur Clar. Laurentius Bellini, & propterea integram illius dissertatiunculam hic atteximus.

Si in febrilium, inquit, affectionum enumeratione aliquem servare ordinem constituamus, non illum sanè suscipiemus qui pendere posset ab illa vulgatissima, atque acceptissima febrium divisione in Ephemeram, Humoralem, & Hecticam; hæc enim divisio supponit febrium causam, in ephemeris quidem accensionem spirituum, aut sanguinis, in humoralibus humorum putredinem aut accensionem, in Hectica partium solidarum. Sed ille nobis erit instituendus ordo, qui, si cum aliqua divisione febrium debebit esse conjunctus, nullam suppositionem contineat de earundem febrium causis, in quarum cognitionem, ac si essent penitus incompertæ, devenire studemus per cognitionem eorum, quæ in unaquaque febre sensibus patent. Cùm itaque nihil magis amemus in rebus nostris, quàm ordinem, disponemus hanc febrilium affectionum enumerationem per duo quædam ipsis conjuncta obvia sensibus, & quæ non solùm causas non supponunt, sed ne minimam quidem ejus suspicionem movere possunt, & secum ferunt facilem febrium omnium partitionem, ac differentiam, cùm duo illa conjuncta sint quasi summa genera, in quibus febres singulæ continentur. Duo autem illa conjuncta cum febribus obvia sensibus, & nihil causarum supponentia, à quibus febres singulæ deducuntur, sunt quidam modi ratione temporis, quibus febres inhærent corpori: Siquidem nullam febrem invenias; imò verò ne ullam quidem dari posse, demonstres, quæ aut per nullum temporis spatium omnino cesset, aut omnino cesset per aliquod intervallum temporis, seu nullam febrem invenias, quæ non sit, ut appellant, continua, aut intermittens, duo summa genera febrium sensibus obvia, & nihil causarum, à quibus febres producuntur, supponentia. Ponamus igitur tanquam summa genera febrium continuam, & intermittentem (neque enim à febris difinitione in genere exordiri possumus, qui ipsam ignorare supponi interim volumus,) & continuæ nomine intelligamus, quæ per totum temporis spatium, quo æger quispiam tali febre laborare dicitur nunquam relinquit corpus integrum, seu cujus nullus est finis integer intra datum illud tempus, seu quæ nunquam ex toto finitur, seu quæ nunquam planè desinit (sunt enim hæ omnes Celsi formulæ ad exprimendum summum de-

cessionis terminum in febribus:) nomine autem intermittentis febrem, quæ intra spatium temporis, quo æger quispiam laborare dicitur, relinquit aliquando corpus integrum, vel cujus est aliquis finis integer intra illud tempus, seu finitur penitus aliquando, vel planè desinit. Quoniam igitur febris continua illa est, quæ per totum tempus, quo quis febrire dicitur, nunquam relinquit corpus integrum; vel igitur vis causæ moventis, & conservantis febrem per unicum & simplicem febris circuitum tota absumitur, ac planè deficit, vel ita post unicum circuitum superest, atque persistit, ut alios circuitus excitare possit, eosque vel ita ut alter invadat, antequam prior planè desierit, vel aliquo temporis intervallo, postquam desiit, & utrumque vel certo quodam, ac stato, vel nullo ordine. Si per unicum, simplicemque febris circuitum vis causæ ipsam moventis, & conservantis tota absumitur ac planè deficit, igitur cessante causa cessabit similiter febris illa per unicum circuitum, atque simplicem, atque ita cessabit, ut ulteriùs per novum circuitum ab eadem causa productum invadere non possit, cùm causa hæc prorsus consumpta supponatur. Erit igitur hujusmodi febris continua unius, ac simplicis circuitus quæ proinde continua simplex appellari debebit; si verò per unicum febris circuitum causa ipsam movens, atque conservans, alios circuitus excitare possit, & recurrat alter, antequam prior planè desierit, & recurrat semper eodem certo, ac stato ordine temporis servato, erit similiter febris continua, ut patet, sed ex pluribus circuitibus, seu periodis composita, iisque ex suppositione ordinatis; quare dici debebit continua periodica, si verò non recurrat alter servato semper eodem ordine temporis, sed sæpiùs, rariùs, priùs, posteriùs; recurrat tamen, antequam prior planè desinat, erit continua vaga, sive erratica. Si autem causa febrem movens, atque conservans post unicum circuitum alios movere possit, sed non nisi aliquo spatio temporis, postquam prior desiit, producetur jam febris intermittens, & periodica quidem, si circuitus recurrant eodem semper certo ordine accessionum servato; vaga verò, sive erratica, si iidem recursus ordinem ejusmodi non servent, sed sæpiùs, rariùs, priùs, posteriusve contingant. Erit igitur hæc summa febrium ad rem præsentem faciens, & hujusmodi eorum dispositio: febris omnis aut continua, aut intermittens, continua aut simplex, aut periodica, aut vaga; intermittens autem periodica solùm, aut vaga. Et sanè ex recensione singularum febrium subitò patebit, in hac facili, perspicua, & necessaria febrium partitione ipsas omnes contineri. Ecce siquidem ephemera legitima est continua simplex, cùm per unicum circuitum 24. horarum, paulò plurium, pauciorumvè finiatur, ita ut aliis ipsius recursibus ulteriùs non affligatur corpus: Ephemera plurium dierum est quidem aliquantò longior, sed est semper idem circuitus ad plures dies protractus. Synochus imputris (cogimur hic, & in sequenti febre uti vocibus putredinis, nempe causam quandam febrium exprimentibus, cùm aptioribus careamus) seu synochus simplex, vel febris inflativa dicta unius simplicis & ipsa circuitus, post cujus finem febre simili non rursus tentatur corpus. Synochus putris, seu febris continens, cùm differat hæc febris à priore per majorem calorem, & intensionem affectionum omnium, cæterum circuitus unicus, post quem perfecta salus: causus, seu febris ardens, quando periodo caret, cùm enim sine recursu est, differt solùm à duabus præcedentibus per calorem exurentem, & extremam sitim, cum quibus conjungitur: ac tandem hectica, cùm hæc sit febris unius circuitus, caloris, ac pulsus semper ejusdem gradus, nisi quantùm leviter uterque intenditur à cibo. At verò continuis ordinatè recurrentibus accensendæ sunt tertiana continua, cùm hæc ex pluribus circuitibus constet, quorum singuli tertio quoque die servato semper hujus ipsius temporis ordine recurrunt ita, ut invadat alter, antequam prior planè desierit, & ad hanc tertianam continuam redigenda est superiùs exposita causus, cùm typum tertianæ habet, vel ejus calorem ad hanc colliquans; vel ratione typi, vel caloris fundentis ita, ut colliquescere cogat corpus. Ad hanc Assodes & Elodes ex non absimilibus causis. Quotidiana continua, cùm hæc pariter pluribus constet circuitibus, sed singuli singulis diebus recurrant, servare semper hujus ipsius temporis ordine ita, ut invadat alter, antequam prior planè desierit, & ad hanc quotidianam continuam propter frigus quoddam redigunt Epialam, Syncopalem minutam, Syncopalem humorosam vel repletionalem. Quartana continua, cùm hæc pariter pluribus constet circuitibus, sed singuli quarto quoque die servato semper hujus ipsius temporis ordine recurrant ita, ut invadat alter, antequàm prior planè desierit: ac denique maligna, & pestilens febris sunt ut plurimùm è genere continuarum ordinatè recurrentium, licèt aliquando sint etiam ex continuis simplicibus, unde ad alterutram expositarum classium redigendæ sunt; imò verò sunt etiam erraticæ, ut notabimus infrà; Hæ autem febres omnes dicuntur continuæ essentiales, sive primariæ, aliæ sunt secundariæ, quæ accidentes, symptomaticæ, & earum aliquæ etiam comitatæ nuncupantur; & primariæ quidem sunt ex seipsis morbus, nec ulli alii morbo, à quo pendeant, superveniunt; symptomaticæ pendent ab alio morbo, cui vel dum fit, vel postquam factus est, superveniunt; comitatæ denique conjunctum secum habent morbum alium, quem vel ipsæ necessariò generant, vel uterque simul generatur. Has omnes febres esse debere continuas, asserunt (non tamen video, cur intermittentes esse non possint, si à causa pendeant, quæ nonnisi per vices possit invadere) recensentque Phlegmonoden, Erysipelatoden, Typhoden, Lypiriam, Lentam, febrem variolarum, & morbillorum in pueris. Succedunt his intermittentes periodicæ, è quarum numero est tertiana intermittens, cùm hæc ex pluribus circuitibus constet, quorum singuli tertio quoque die servato semper hujus ipsius temporis ordine recurrunt ita, ut invadat alter, postquam prior per aliquod spatium temporis corpus integrum reliquerit: quotidiana intermittens eundem in circuitibus suis temporis ordinem servans recurrendo diebus singulis, post-

quam prior circuitus per aliquod spatium temporis ex toto desiit: & quartana intermittens quarto quoque die ordinatè recurrens circuitibus suis, quorum prior per aliquod intervallum temporis ex toto finiatur, antequam invadat alter. Tam continuæ, quàm intermittentes febres sunt vel legitimæ, exquisitæ, veræ, vel spuriæ, & nothæ: illæ sunt, quibus conveniunt omnes, & non aliæ affectiones, quàm unius alicujus febris; nothæ verò, quibus plurimæ quidem insunt affectiones alicujus febris, sed non omnes, & aliquot alicujus alius. De nothis seorsim, ac distinctè à nobis, neque in hac enumeratione affectionum, quæ febribus conveniunt, neque in sequentibus propositionibus agendum est, cùm quid illæ sint, subitò pateat, si, quid sint febres legitimæ, intelligatur. Ex his interim patet, à febribus nothis non constitui genus aliquod febrium, quod in hac earum partitione non contineatur. Ulteriùs tam febres continuæ simplices, quàm periodicæ, & intermittentes aliquando componuntur, hoc est, plures febres ejusdem, vel diversi generis eodem tempore affligunt ægrum, ut plures continuæ simplices, plures continuæ periodicæ, plures intermittentes, vel simplices, & periodicæ, vel periodicæ, & intermittentes, vel continuæ simplices, & intermittentes, & recensentur confusæ, quæ eodem tempore incipere, ac desinere dicuntur ita, ut vix discerni possint; servant tamen utræque naturam suam, & neutra prævalet, aut trahit, mutatque alteram in propriam conditionem, aut aliquid suæ sortis ipsi communicat, unde distinguuntur à nothis, quæ sunt febres singulares plurium naturam participantes, & ab illa, quæ prævalet, denominationem sumentes, ut mixta ab elemento, quod est potentius, seu dominatur. Implicitæ, cùm plures febres eodem tempore detinent, & evidenter distinguuntur, quæ si sunt ejusdem generis, denominantur ab ea, qua sunt, multitudine, ut duæ, tres, &c. tertianæ, duæ &c. quartanæ, duæ, aut plures quotidianæ. Cùm verò implicantur febres diversi generis, proprio carent nomine, excepta febre, quæ componitur ex tertiana intermittente & quotidiana continua, cùm hæc appellari soleat semitertiana, vel horrida. Cùm autem hæ febres implicantur, seu componuntur, siquidem alterius paroxysmus invadat, antequam prioris desinat, dicuntur subintrantes: si brevi à fine integro unius invadit alter, coalternæ; si verò quasi statim à fine decessionis unius invadit alter, communicantes ab Avicenna nuncupantur. Neque igitur de compositis febribus seorsim, atque distinctè à nobis in febrium enumeratione; aut propositionibus pertractandum; quicquid enim in compositis demonstrationem exigit, illud totum in iis febribus seorsim continetur, ex quibus illæ componuntur: erit solùm aliquid de semitertiana exponendum, cùm in ipsa quædam contingant, quæ penitus omittenda non sunt; sed & hîc patet interim, à febribus compositis non constitui genus aliquod febrium, quod in exposita partitione non contineatur. Postremò vagas, aut erraticas febres ex ipsa appellatione, patet, esse posse tam continuas quàm intermittentes, adeoque etiam malignas, ac pestilentes, quæ nullum certum ordinem accessionum, finium, circuituum, nullam certam febris formam servant, sed sæpiùs, rariùs, per plures dies, paucioresvè, per horas etiam invadunt, desinunt modò cum calore, modò cum frigore, & hujusmodi perturbatis, & ordinem minimè servantibus affectionibus conjunctæ; sed neque in his contineri quidquam, patet, quod à nostra partitione febrium non habeamus, & erraticas ad eas ipsas facilè redigi. Quoniam itaque series febrium, quas ad continuas, & intermittentes redegimus, est quantum febrium a rei Medicæ peritis dari supponitur, earumque distributio est juxta partitionem febrium comparatam per quasdam earundem affectiones notas sensibus, nec de caussis, aut operandi modo quidquam supponentibus perspicuam, ac necessariam, & hujusmodi partitione nobis est opus, ut aliquo apto ordine enumerentur antecedentia, conjuncta, & succedentia singularum febrium, in quarum caussam, naturamque perquirere constituimus; febrium igitur enarrationem eo ordine instituamus oportet, quem superiùs exposita partitio secum fert, adeoque primò exponendæ affectiones febrium continuarum simplicium, tum continuarum periodicarum, tertiò periodicarum intermittentium, postremò tam continuæ quàm intermittentes erraticæ, quid sint singulæ, deinde per propositiones indagaturi. Age itaque & rem ipsam aggrediamur.

Antecedentia, conjuncta, & succedentia febribus continuis simplicibus. Febris Diaria, vel Ephemera legitimè & propriè dicta: Græcis πυρετὸς ἐφήμερος.

Antecedentia. Tristitia, timor, sollicitudo, iræ, vigiliæ nimiæ, animi contentio, evacuationes, motus corporis, nimia omnia, dolor, fames, sitis, cibus, & potus calidus, ebrietas, cruditas sive nidorosa à nimio calore, sive à parvo veniens, æstus aëris, mora ad ignem, vel Solem, balneum nimis calidum, prohibita perspiratio, perfrigida, vel adstringentia, ut balneum aluminosum, & hujusmodi: glandularum, & inguinum inflammationes, seu bubones, præcipuè cùm suppurantur, temperamentum calidum, & siccum, somnus nimius, retentio fuliginum, alvi fæcum, & urinæ: Erysipelas extremorum, plenitudo.

Conjuncta. Initium à causa procatarctica, evidente, & manifesta, vel immediatè febrem excitante, prohibendo ex. gr. perspirationem, &c. Urina sub initium, colore, substantia, & contentis ferè qualis sanorum aliquando crudior, & albidior, mox sedimentum bonum, aut eneorema, aut nubecula, & bonus color, respiratio magna, & frequens, calor, & dolor capitis, pulsus non multùm à naturali dissimilis, solùm aliquando major, celerior; atque frequentior, aliquando etiam debilior; semper tamen sine ulla inæqualitate, & cessante febre statim ad naturalem statum redigitur nulla identidem recurrente inæqualitate, ut in aliis febribus contingit, calor naturali quidem major, & molestior, sed mitis, & suavis etiam in statu, & vigore febris, accessio sine frigore, rigore, horrore, pandiculatione, oscitatione, vel levis aliquando, & subitò evanescens horror, incrementum

mentum caloris, ac pulsus liberum, & æquale. Declinatio (decessio dicitur Celso) cum madore, & humida evaporatione, qualis sanorum sudor, post quem perfecta apyrexia, seu, ut Celsus diceret, finis integer. Ab animi affectibus veniens est cum urina rubicundiore: ex ira pulsus magnus, creber, vehemens, calor non mordax, sed copiosus, & blandus: ex tristitia pulsus parvus, tardus, languidus, rarus, calor acrior potiùs, quàm copiosus, corpus extenuatum, oculi concavi, & nova quædam decoloratio. Huic similis febris, quæ ex animi contentione, sed extenuatio corporis, oculorum cavitas, & decoloratio faciei minor succedit. Ex vigiliis facies humidior, oculorum motus gravior, elevatio palpebrarum difficilior, & in iis humiditas quædam; ex lassitudine per labores cutis siccior usque ad statum; à statu verò iis, qui ad summum non fatigarunt, ex imo corpore humidus vapor ad cutem fertur, unde hæc humescit; summè autem fatigatis etiam declinante febre siccitas permanet. Ex cutis adstrictione eadem durior, compactior, calor primo attactu mitis; sed eo diutiùs protracto calor intensior, urina rubicundior, non cavi oculi, non extenuatio corporis. A bubonibus pulsus maximi, veloces, frequentes, æquales, calor multus, suavis, faciei rubor. Ex plenitudine facies, & oculi rubicundiores, urina rubicundior, pulsus magnus, velox, durat 24. horas, paulò plures, aut pauciores.

Succedentia. Synochus simplex, vel continens, vel hectica præcipuè in juvenibus calidioribus tempore verno periodicè in cacochymis; quæ autem succedant febres, ostendunt affectiones singularum propriæ, & præmonstrant dispositiones, quæ febrienti insunt etiam, antequam ephemera finiatur. Instat autem ephemeræ aliqua expositarum febrium, si transactis 24. horis adhuc ephemera protrahitur etiam postquam sudavit febriens si fuit ephemera cum dolore capitis, qui eodem spatio temporis exacto adhuc perseveret, si nullus sudor erupit.

Ephemera plurium dierum.

Antecedentia. Eadem, quæ Ephemeram propriè dictam, sed majoris roboris, obstructio cutis, repletio, ebrietas, catarrhi, bubones.

Conjuncta. Eadem similiter, sed duratio per plures dies absque ulla remissione, aut intensione.

Succedentia. Similiter eadem.

Synochus non putris, seu Synochus simplex, sive febris inflativa dicta.

Antecedentia. Eadem cum Ephemera, sed præcipuè prohibita perspiratio, & potissimùm effluviorum calidorum, plenitudo vasorum à sanguine, seu plethora ad vasa cum duritie corporis, tempus vernum, juventus, vini nimius usus, cibi succi pleni, suppressio hæmorrhoïdum, menstruorum, vel cujuslibet alius effluxus, qui vel naturâ fieri debeat vel ex assuetudine.

Conjuncta. Eadem cum Ephemera, sed magis evidentia, & magis activa, calor blandus, sed major, quàm in ephemeris, cutis non sicca, sed madore perfusa, urina naturali similis, crassior tamen, & rubicundior, pulsus vehemens, celer, frequens, plenus, magnus, & æqualis. Facies, ac totum corpus rubens, & quasi inflatum, venæ sanguine infartæ, ac tumidæ, lassitudo tendens, caput grave, respiratio difficilior, & frequentior, somnus plerumque profundus, & rubra per ipsum spectra, pulsatio temporum, pectoris angustia, inquietudo. Duratio per tres, quatuor, aut non multò plures dies ad usque septimum sine remissione, & per totum durationis spatium vel calor est æquabilis, seu ejusdem gradus, & dicitur febris homotonos, vel acmastica, vel continuè crescit, & dicitur epacmastica, vel continuè decrescit, & dicitur paracmastica. Sudore, vel hæmorrhagiâ narium solvitur.

Succedentia. Eadem cum Ephemera quoad febres, & in insigni plethora, quæ si non sit per artem medicam imminuta, phrenitis, angina, pleuritis, vel quid simile à nimio sanguine.

Synochus putris, seu febris continens.

Antecedentia. Cutis, jecoris, & aliarum partium internarum obstructiones à crassis, & viscidis humoribus, copia nimia sanguinis, ætas juvenilis, tempus vernum, suppressio consuetæ, aut naturalis evacuationis, biliosi, aut sanguinei temperamenti corpus, multus labor & exercitatio, curæ vexantes, insolatio, & æstus longior, ciborum, & medicamentorum incendentium, & exsiccantium usus, quicquid bilem cumulat.

Conjuncta. Accessio sine frigore, horrore, rigore, calor tactui multus, vaporosus, minùs molestus, & acris, quàm in periodicis, major, & acrior, quàm in continuis simplicibus hactenus expositis. Processus ejus ab accessione usque ad finem integrum apta proportione decrescit, increscit continuè, aut in eodem semper gradu persistit, & hoc per totum primi diei spatium præcipue solet contingere: quæ ejusdem gradus calorem conservat, dicitur febris homotonos, vel acmastica, ut in synocho simplici, continuè decrescens paracmastica, continuè increscens anabatica, seu epacmastica; nulla accessio nova, aut exacerbatio; pulsus magnus, vehemens, celer, frequens, inæqualis, inordinatus; urina crassa, turbida sine sedimento, cruda vel leviter cocta in principio; aliquando etiam dolor capitis, inquietudo, vigiliæ, sitis; urina tenuior; aliquando dyspnœa, inflatio, & rugitus ventris, pustulæ nigræ, aut lividæ. Pura durat septem dies, notha quatuordecim.

Succedentia. Urinæ sub initium rubicundiori salus, & brevi successura; albæ autem plerumque mors: diutiùs protractæ facilè causos, asthma, inflammatio pulmonum, hæmorrhagia, vel pruritus, & titillatio narium, splendores ob oculos, visus hebetudo.

Causos, seu febris ardens sine periodo.

Antecedentia. Quicquid intensè siccat, & calefacit, temperamenta calida, & sicca, ætas juvenilis, aut consistens, aëris calida, & sicca temperies, ferventissimus Solis æstus, labor immodicus, vigiliæ diuturnæ, copiosior vini potus, ira, sitis, &c. A dolore ventris laborioso febris ardens lethale, ait Hippocrates.

Conjuncta. Calor urens, constans, & perpetuus

tuus sine ulla exacerbatione, & sitis inextinguibilis, etiamsi biberint ægri, quæ duo sunt præcipua, & constituentia: utraque intensiora in causo legitimo, quàm in notho, lingua sicca, aspera, nigra, ventris morsus dejectiones pallidæ, vigiliæ, interdum desipientia, respiratio difficilis, densa, magna efflatio continuè os aperiendo, jactatio, & inquietitudo indefessa, pulsus duri, celerrimi, urinæ flammeæ. Puræ ardentes plerumque septem, non puræ novem, undecim, quatuordecim, &c. Diebus durant, & solvuntur per alvi dejectiones, sudores, vomitus, abscessus, & hujusmodi.

Succedentia. Senibus plerumque mors, sicut iis, qui causo corripiuntur in aëre, temperamento, anni tempore, & cæteris frigidis: Quartana intermittens præcipuè, si febris ardens ad Autumnum pertingat.

Hectica.

Febris hectica dicitur intemperies calida, & sicca partium solidarum, & cùm absumit humiditatem ipsarum roridam, primus gradus hecticæ: cùm substantiam carnosam, & adiposam, ut Galenus asserit, ut alii, cambium, secundus gradus: cùm membranosam, & fibrosam, quæ Galeno in specie solida dicitur, ut aliis gluten, tertius, ac summus gradus. Hinc duplex statui potest, cum tabe, & sine tabe; sine tabe, cùm humiditas partium nondum absumpta est; cum tabe eadem jam absumpta, & exsiccata, ac tum Hectica marasmodes, & ejus summus terminus marasmus non naturalis, & incurabilis; datur enim & naturalis marasmus, Latinis marcor, & est illa viventis corruptio naturalis ob siccitatem, qua senes omnes naturâ morerentur, & senium etiam dicitur, & à simili affectu siccitatis traductum est hoc nomen ad ultimam vim Hecticæ fataliter exsiccantem, quæ non per frigiditatem, & siccitatem, ut naturalis marasmus, sed per caliditatem, & siccitatem interimit. Dicitur Hectica catexin juxta habitum, seu habitualis, hoc est quæ tam invaluit, ut ex sese ipsam conservet, habeatque suæ conservationis causam inhærendo partibus, easque consumendo, atque ita nulla aliunde veniente, & conservante causa opus habeat; reliquæ verò febres dicuntur catascbasin, seu schetica, hoc est in dispositione, ad quas nimirum excitandas, & conservandas requiritur fomes, & causa in corporibus cæteroquin febriendo dispositis, quæ sine ejusmodi causa nunquam febrirent.

Antecedentia. Quæcunque plurimùm humidæ substantiæ in partibus solidis absumere, vel maximum calorem excitare, vel utrumque præstare possunt, & dispositio ad suscipiendas eorum impressiones, sic diuturnæ atque insignes evacuationes per alvum, urinam, sudores, &c. Ulcus in pulmonibus, thorace, utero, renibus, &c. Inedia, labor, tristitia, curæ, singula diuturna, calor febrium ardentium, & acutarum, & aliæ etiam febres diuturnæ, habitus corporis calidior, & siccior aëris, & loci constitutio calida, & sicca, ebrietas, furor.

Conjuncta. Calor sine ullo ægri dolore, ac molestia ita, ut se febrire vix sentiat, primo attactu debilis, diutiùs protracto acer, & mordax, major in arteriis, quàm in partibus circumpositis: intensio ejus ab assumpto cibo, quacunque hora sumatur, etiam non servata eadem hora ipsum sumendi diversis diebus, & duratio ejus intensionis per totum tempus, quo chylus distribuitur, quo absoluto calor ad suum priorem statum se redigit, & semper ejusdem gradus ad usque novam assumptionem cibi perseverat. Cum calore mutatur pulsus, qui fit major, & velocior, duratque talis, quousque durat caloris intensio, ac tum pulsus etiam redigitur ad eum statum, in quo fuerat, antequam cibus assumeretur, nempe parvum, crebrum, & celerem. Mutationes istæ contingunt sine ullo frigore, rigore, horrore, oscitatione, pandiculatione. & si quæ alia aliarum febrium accessiones comitantur, & hæ mutationes caloris, & pulsus à cibo sunt propria, & inseparabilia ab Hectica: Cæterùm pulsus parvus, creber, modicè celer, urina per colorem naturali similis, debilitas semper increscens, extenuatio corporis, & exsiccatio. Cùm verò ad secundum gradum deducitur, siccitas, & debilitas major, pulsus magis debilis, frequentior, minor, durior, urina oleaginosa, cui nempe pinguedo innatat, qualis aranearum telæ. In tertio autem gradu invalescunt hæc omnia mala cum iis omnibus, quæ conjuncta sunt cum summa siccitate. Insuper cum Hectica in genere conjungitur calor in hypochondriis primo tactu mitis, post acer, mordax, aridus, pigrities, ad motum desidia, & motus difficilis. Complicatur Hectica cum ephemeris periodicis continuis, & intermittentibus, & cognoscitur per singularum signa, quod difficile captu non est.

Succedentia. Primo gradui secundus, nisi ille curetur, & nisi curetur pariter secundus (secundum enim etiam curari posse, sunt qui asserant) ipsi secundo summa tabes, seu marasmus, & mors irreparabilis.

Antecedentia, conjuncta, & succedentia febribus continuis periodicis.

FebrisSynechis, sive continua proportionalis, proportionata, & periodica (ita enim appellatur communiter) est ejus naturæ, ut nunquam ad finē integrum, seu apyrexiam perveniat ante accessionem alterius circuitus, & diversa sortitur nomina, prout alter ille circuitus singulis, tertio, aut quarto quoque die recurrit, unde quotidiana continua, tertiana continua, quartana continua. Accessiones autem nullus præcedit, aut comitatur horror, rigor, aut frigus; decessiones nullus sudor.

Tertiana periodica.

Antecedentia. Quæcunque ad intensiorem calorem disponunt, abundantia bilis, temperamentum calidum, & siccum, vel similis intemperies alicujus partis, vel totius corporis, juventus, alimenta calida, & sicca, inedia, victus tenuis, & parcior, exercitatio corporis frequens, & vehemens, æstus aëris, sive à regione, sive ab anni tempore, sole, balneo, &c. Evacuationes biliosæ suppressæ, vigiliæ nimiæ, animi contentio, & hujusmodi.

Conjuncta. Calor urens, & sitis ardens, vigiliæ, aut somnus levis, insomnia iram præ se ferentia, deliria, oris amaritudo, linguæ siccitas, & nigredo: sine frigore, rigore, aut horrore exacerbatio,

cerbatio, sine sudore decessio, pulsus in accessione compressus, contractus, & quasi se abdens, parvus, rarus, aut frequens, & inæqualis inæqualitate systematica, qua scilicet una pulsatio est major altera, deinde celer, & frequens: urina ignea, rubra, acris, initio semper cruda sine sedimento: nausea, vomitus biliosi, & similes dejectiones, magna anxietas.

Succedentia. Quartana intermittens præcipuè, si tertiana periodica Autumnum attingat.

Ad tertianam continuam periodicam pertinent causos, seu febris ardens, cùm servat tertianæ periodicæ typum, vel calorem ejus, & de hac febre superiùs. Colliquans, quæ est summi caloris, pinguedinem, carnem, partiumque solidarum substantiam fundens, in liquidum redigens, & extra corpus mittens per insensilem perspirationem, sudores, urinas, dejectiones, & in hac contingit subita corporis emaciatio & consumptio, oculi concavi, collapsa tempora, nares acutæ, dejectiones rufæ, pingues, fœtidæ, viscosæ, corpulentæ, sinceræ, biliosæ, & spumosæ, urinæ pingues, oleosæ. Febris Assodes, in qua jactatio frequens, & inquietudo molesta, quam febrientes graviter ferunt, nausea ut plurimùm, & vomitus, morsus, & stimulus orificii superioris ventriculi, & membranarum ejus: ac denique febris Elodes, in qua perpetuò sudores funduntur.

Quotidiana continua periodica Barbaris Latica, quòd latentem quendam habet calorem.

Antecedentia. Ætas, natura corpus humidum, pueri, infantes lactentes, vel adhuc carentes dentibus, senes, qui crassiore sunt corporis habitu, otio, crapulæ, longo somno dediti, loca humida, vel regiones, & tempestates similes.

Conjuncta. Calor primo attactu mitis, mox acrior perseverans à prima ad alteram accessionem, & hæc circa vesperam sine ullo frigore, rigore, horrore, sine ullo sudore decessio; pulsus rarior, tardior, inæqualior, & minor, quam in reliquis periodicis, & adhuc rarior, & tardior in accessionibus, & compressus, & quasi se abdens. Urina sub initium, & ad accessiones crudior, mox crassior, minùs ignea, & rubra, quàm in cæteris periodicis, sitis etiam remissior, nisi urgeat salsa pituita, facies subtumida, laxa, sublivida somnolentia, inappetentia, excretiones pituitosæ, in longum protrahitur, vix desinit ante diem 40. & ad sexagesimum, atque ulteriùs excurrit.

Succedentia. Per sudorem, alvi fluxum, aut abscessum judicatur, ut per parotides, quæ ipsi non rarò superveniunt, Cachexia, Hydrops, febris Hectica.

Ad quotidianam continuam periodicam pertinent epiala vel ἀπὸ τ῀ ἠπίυ, quòd blanda, & lenis est, vel à rigore, qui ἠπίαλος Atticis, illa est cum Galeno, in qua eodem tempore minimæ, & universi corporis particulæ, calore, & frigore afficiuntur, non ut Avicenna, & Arabes, in qua per totum circuitum interiora frigent, exteriora calent. Hanc alii ad intermittentes, alii ad continuas periodicas, alii ad symptomaticas reducunt. Aiunt tamen, ad quotidianam periodicam referendam propter frigus, quod à pituita, quæ nondum putruit, nec putrescit adhuc calorem, qui à pituita similiter, sed quæ jam putruerit, vel putrescat, quæ utraque, calor scilicet, & frigus simul tactu teste in hac febre contingunt. Hinc igitur asserunt, originem hujus febris repetendam esse à pituita putrida, vel putrescente, quæ non putridæ admixta sit.

Syncopalis, quæ duplex, utraque ad pituitosas febres pertinens; altera humorosa, vel repletionalis conjuncta cum copia crudorum, & pituitosorum humorum, cum oris ventriculi debilitate, unde æger in syncopem labitur præcipuè febre invadente, adest virium imbecillitas, pulsus parvus, debilis, validè inæqualis. Syncopalis minuta dicitur altera, & conjuncta statuitur cum humore tenui, pauco, acri, icoroso; sed corrupto, & venenato, quo os ventriculi afficiatur, & fiat syncope.

Quartana continua periodica.

Antecedentia. Quæcunque humores crassos frigidos, ac terreos, seu siccos generare possunt, corpus aridum, & macilentum, color fuscus, aut obscurus, temperamentum frigidum, & siccum, ætas inclinans, tempus autumnale, aut magnas inæqualitates habens, curæ multæ, & sollicitudines, hæmorrhoides suppressæ, tumor lienis.

Conjuncta. Calor quarto quoque die invalescens, nullo præcedente frigore, rigore, aut horrore, nullo succedente sudore, cætera eadem cum quartana intermittente, nisi quod pulsus in continua initio est parvus, tardus, & submersus, postea magnus, plenus, celerior, & inæqualior, quàm in intermittente, & in statu fit intensior; calor mitior, quàm in tertiana periodica, acrior, quàm in quotidiana: sitis media inter sitim tertianæ, & quotidianæ periodicarum. Urina initio crudior, & tenuis, post, varia, protrahitur ad 40. diem & ulteriùs etiam, rarò contingit, & vires maximè dejicit.

Succedentia. Quartana intermittens, cachexia, tabes.

Febris maligna κακοήθης, seu mali moris: & varias ejus species, nempe morbum Hungaricum, sudorem Anglicum, febrem malignam cum spasmo, catarrhum, ac tussim epidemicam malignam vide apud rei medicæ Scriptores.

Antecedentia. Vitiosi, ac pravi humores in corpora collecti per cibum pravum, vitiis, & corruptioni facilè obnoxium, prava à natura constitutio, in eadem vitia facilis, & quicquid humores corrumpere, & quasi in venenatam naturam permutare potest.

Conjuncta. Species quædam benignioris febris, nempe mitior calor, quo fit ut principio lateat natura febris deterioris: paulo post principium virium insignis imbecillitas sine causa manifesta, & major, quàm pro febris, & caloris natura, inquietudo, anxietas, inordinati sudores. Pulsus frequens, parvus, imprimis debilis, aliquando naturali similis cum inquietudine, anxietate, aliisque pessimis, unde & talis pulsus pessimus est, aliquando initio febris formicanti similis, minimus, & frequentissimus, ut plurimùm pulsus varius. Urinæ primis diebus aliquando quales sanorum cum pessimis interim symptomatis aliis, aliquando tenues, crudæ, sine

sine sedimento, vel quid in fundo matulæ potius excremento, quàm sedimento simile, aliquando crassæ, coloratæ, turbidæ, cum crasso, rubro, turbido sedimento, Calor comparatus cum calore febris ardentis minor, etsi summus est in his febribus, & magnum plerumque incendium, symptomata interim graviora, quàm in febre ardente, & quàm quæ secum ferre debere cæteroquin videretur calor ille minùs acer. Sitis aliquando magna superans caloris febrilis modum, aliquando nulla cum intensa febre, & linguæ siccitate, singularis ad omne ciborum genus inappetentia non secus, ac si essent medicamenta qualibet gustui gravissima, nausea & vomitus in principio præcipue morbi, horror frequens, & inordinatus sæpiùs in die recurrens. Gravitas totius corporis, & veluti membrorum confractio, deliria, dolor capitis non eundem locum servans, sed modò in fronte, modo in occipite, dolent & aliæ partes fixo dolore, vel vago; sudores frequentes, parvi, minuti, inutiles principio morbi, oculorum rubor frequentissimè contingit, variolæ, & morbilli per totum corpus erumpere solent, sed majori copia in facie, pedibus, & manibus: similiter maculæ purpureæ, seu petechiæ; sed hæ majori copia proveniunt in dorso præcipuè, & pectore, in facie, pedibus, ac manibus multò pauciores, & plerumque nullæ. Facies tetra, & à naturali statu multùm aliena, vividaque sua vi, ac spiritu destituta; aliquando tamen est naturali planè similis, vigens, & florida. Somnus, vigiliæ, veternus, memoriæ debilitatio, spectra varia, insomnia turbantia, nihil cohærentia, vertigo, tremor, convulsio, corporis inquietudo, anxietas, oculorum caligo, surditas, tinnitus, aut sibilus aurium, odoratus & gustus corruptio, membrorum quasi conquassatio, cardialgia, sitis molesta, nausea, vermes per alvum, os, aut nares, fluxus alvi fœtidi, colliquantes, stillicidium sanguinis è naribus præcipuè initio morbi, & majoris quantitatis, tumores post aures, circa alas, & inguina difficilè maturantes, sæpe retrocedentes, lingua sicca, aspera, nigra, os amarum, extrema modò refrigerantur, modò incendio uruntur, & nihil malorum est, quod cum malignis febribus aliquando non conjungatur. Quæ erumpunt peticulæ, sive petechiæ, vel lenticulæ, aut purpuratæ sunt maculæ lenticulis, puncturis, aut morsibus pulicum similes frequenter purpurei coloris; sed & violaceæ, virides, lividæ, nigræ, aliquando majores instar vibicum, & lividæ, quales vibices, aliquando amplissimæ, & integras partes corporis occupantes, ut brachia, crura, dorsum, atque rubescunt; cùm autem petechiæ sint simplices maculæ, nihil à cute eminent; sed ipsam solùm inficiunt. At variolæ sunt pustulæ, quæ ad suppurationem veniunt, morbilli minores pustulæ, & quasi asperitates cutis, quæ sine suppuratione excutiuntur. Exanthemata pariter erumpunt, pustulæ nempe, quæ eminent, & ad suppurationem veniunt. Febris, in qua, peticulæ, petechialis dici solet.

Succedentia. Febris pestilens, cùm nempe febris maligna privata fit popularis, eorum, quos invadit, plerosque necans, & contagiosa.

Pestilens,

Differunt pestis, & febris pestilens; neque enim semper pestis cum febre; sed dantur pestes sine febre, ut apud rei Medicæ Scriptores. Cum autem pestis est cum febre, antecedunt, conjunguntur, & succedunt pesti eadem, ac febri, ut patet. Differt autem pestis à febre pestilente, ut genus à specie, cùm enim pestis in genere sit morbus communis, seu popularis plerosque necans & contagiosus, quoties febris popularis est plerosque necans, & contagiosa pestilens dicitur. Ubi notandum populares morbos esse vel 1. *Sporadicos*; cum nempe diversa genera morborum plurimos eodem tempore, ac regione corripiunt; vel 2. *Endemios*, cùm idem genus morbi plurimos eodem tempore, ac regione corripit, ortumque habet ab eadem regione, cui est familiaris, ac naturalis: vel 3. *Epidemicos*, cùm idem genus morbi aliunde translati plurimos eodem tempore, ac regione corripit, & nullum ex his popularibus esse pestilentem, nisi necet plerosque, & sit contagiosus, & Græcis dicitur 4. *Limodis*, qui pestilens est, vel pestis.

Antecedentia. Victus pravus, aër corruptus vel loci vitio, ventis, vel tempestatibus a naturali ordine deviis, contagium aliunde advectum, halitus venenati è terræ imis per terræ motus, fodinas, &c. Mox autem invasuram antecedunt morbi epidemici, qui cujuscunque generis esse possunt, febres petechiales, variolæ, morbilli, dysenteriæ, pleuritides, &c. Epidemicæ; variolæ, & morbilli non solùm infantes, sed & adultos corripientes; anthraces, seu carbunculi, & bubones frequentiùs erumpentes, summa caritas rerum, unde fames naturalis, ex qua pestis juxta dictum Græcum ὁ λοιμὸς μετὰ λιμὸν pestis post famem.

Conjuncta. Subitaneus virtutis lapsus, summaque virium debilitas; animalis verò facultas in peste ad usque finem vitæ integra persistere dicitur, sicut & naturalis aliquando non adeò insigniter labefactatur, in multos invasio, & plerorumque mors, per contagium communicatio, quod fit vel per verum contactum peste affecti corporis, vel per quid ab eodem non attrectato in distans expirans, quod est à peste inseparabile. Cum exposito subitaneo virium lapsu palpitatio cordis, lipothymia, syncope, summa angustia, ob quam quiescere nequit æger, sed corpus volutat, mutatque situm, virium verò lapsus fit sine ulla manifesta causa, & evacuatione insigni, vigiliis, doloribus, &c. Pulsus parvus, languidus, frequens, inæqualis, calor ardens quandoque tam interiùs, quàm exteriùs, plerumque ingens æstus interiùs, exteriùs mitis calor, ita ut nares, aures, summæ manus, ac pedes aut non caleant, aut minimè caleant; cùm interim per æstum interiorem vestimenta, operimenta, & lintea ferre non possint. Exanthemata rubra, pallida, nigra, livida, aliorumque colorum, bubones, & carbunculi, quæ singula ab exanthematis ad carbunculos usque seorsim spectata non erunt argumenta pestis, nisi cùm aderunt antecedentia, & conjuncta reliqua cum peste; neque enim omnis carbunculus, &c. est pestilens; sed solùm qui conjungitur, ac pendet à causis pestis. Cùm verò Animalis

malis facultas etiam afficitur, fit delirium frequens, memoriæ lapsus, perpetuæ vigiliæ, vel veternus, & sopor, oculi lumen refugientes, aurium tinnitus, surditas, tremores, convulsiones, lingua inepta sermoni, quasi balbutiens, nec nisi magno conatu se movens, aliquando inappetentia, nausea, vomitus. Urina nunc tenuis, & summè cruda, nunc turbata, & jumentorum similis frequentius colore livido & plumbeo, non rarò fœtida, interdum sanorum similis, sudor aliquando copiosus, nonnunquam fœtidus, intempestivus, acer, frigidus. stillicidium sanguinis è naribus. Alvi dejectio prava, fœtida, malè colorata, & sæpissime exigua, quædam glutinosa, alba, crocea, viridis, plerumque fœtida, non aquosa, sed corpulenta. Linguæ ariditas, & asperitas insignis, oculi vivido colore, & splendore destituti flentium, ac mœrentium similes, fœtidus spiritus, universum corpus malè olens, sensus putridi saporis in bono cibo, ac potu, cardialgia, singultus. Variæ fœditates, & ulcera per cutem, quorum alia ignem sacrum, inflammationem, serpigines, impetigines lepram, scabiem alia referunt, durat 24. horis, triduo, quatriduo, quinque, septem, novem diebus, ultra quartum decimum etiam producitur.

Succedentia. Mors plerumque, postquam eruperunt per cutem maculæ diversi coloris, quales etiam apparent in iis, qui insigni, & vehementiori aliquo veneno sublati sunt.

Febres symptomaticæ, vel secundariæ.

Atque expositæ sunt hactenus periodicæ febres continuæ primariæ, quæ scilicet nulli morbo necessario superveniunt; sed ex seipsis accidunt, & morbus sunt. Dantur aliæ continuæ, quæ symptomaticæ, vel accidentes, nempe pendentes ab alio morbo, à quo ex necessitate proveniunt, ut in phrenitide, pleuritide, hepatitide &c. & febris pendens à vera inflammatione à puro sanguine phlegmonodes, ab erysipelate erysipelatodes, ab inflammatione jecoris, yphodes; atque ita de cæteris nuncupatur: Hujus classis est lypiria, in qua interiora omnia quasi uruntur, exteriora frigent, febris ardens, ac vehemens ab inflammatione magna, & vehemente alicujus profundi visceris cum pulsu parvo, inæquali, & celeri. Huc pertinet febris lenta à latente obstructione, vel putredine, seu corruptione alicujus visceris, febris mitissima sine ullis accidentibus, ita ut æger vix se laborare judicet, mali tamen notæ in urina, & pulsu; vires ægri collabuntur, ut vix progredi præ imbecillitate possit, nihil ex alimento reficitur, sed sensim contabescit, & absumitur, in longum protrahitur ad 40. diem, & ulterius. Lentæ similis febris est in cachecticis, & virginibus chlorosi laborantibus, in quibus febris alba.

Symptomatica pariter est febris ex lacte corrupto intra ventriculum in pueris, & infantibus; similis à sanguine extra vasa derivato, & putrescente: similis ex vermibus, sed conjuncta cum mille aliis, delirio,, læsa imaginatione, memoria, motibus convulsivis, animi deliquiis, turbatione visus, & auditus, vigiliis, stridore dentium, contritione labiorum, gemitu, clamore præter occasionem, perfrictione narium, ejusdem loci impatientia, corporis hinc inde pacate, aut cum impetu variatione, ira, inconstantia, pulsu parvo, obscuro, debili, inæquali, deficiente, modo inappetentia, modo fame canina, & hæc cum insigni corporis emaciatione, vomitu, nausea, siti maxima, alvi fæcibus aliquando duris, ac siccis, sæpius alvo soluta, urinis spumosis, albis, interdum obscuris, fere semper perturbatis, sudoribus fœtidis, ac frigidis, saliva plurima ex ore, labiis nocte humentibus. die siccis, fœtido halitu, qualis ex aceto, vel fermento, colore pallido, extremorum frigiditate, tumore ventris, punctionibus, doloribus colicis, oscitatione, pruritu, & frictione narium, morsu ventriculi, tussibus siccis, exiguis, dormitatione. Similis ex cruditate infantium ob defectum dentium plura, atque integra devorantium, & voracitatem; & hæc cum hypochondriorum tumore, atque inflatione conjuncta est.

Plures ex his, quas symptomaticas, appellavimus, præcipue quæ cum inflammationibus conjunctæ sunt, possunt esse comitatæ; tales scil. ut vel ipsæ simul cum inflammatione generentur, vel ipsæ sint, quæ necessario inflammationem generent; quia tamen ad rem Medicam perinde est, de iis fusius non hic agetur speciatim per singulas excurrendo; sed solum comitatarum unicam exponemus quæ cùm naturaliter invadat ferè omnes, antequam pueritiam vel adolescentiam excedamus, momenti est maximi; ut per illam in vitæ discrimen adductis opem Medicam ferre valeamus. Est autem hujusmodi febris, quæ variolas, ac morbillos naturales præit, de qua proinde mox; sed prius adnotabis, non ita plane constare, cur Medici communiter symptomaticas omnes continuas asserant; si enim causa febrem symptomaticam producens ejus sit conditionis, ut febrem ad finem integrum pervenire permittat, dabuntur etiam symptomaticæ intermittentes, nec video, quid sit, quod, id fieri posse, prohibeat.

Febris Variolarum, & Morbillorum in pueris.

Antecedentia. Dolor capitis pulsatorius in fronte, ac temporibus, somnolentia gravis, terrores in somno, deliria, interdum tremores, & convulsiones, sternutatio, pandiculatio frequens, raucedo, tussis, spirandi difficultas, calor, rubor, & punctionis sensus in toto corpore, dolor dorsi, magna anxietas, & inquietudo, lacrymæ involuntariæ, oculorum splendor, & pruritus, tumor faciei cum rubore, febris synochus cum his omnibus symptomatis ab initio vehementibus, ut morbus statim vigorem attigisse videatur.

Conjuncta. Mox Erumpunt pustulæ vel majores varis similes, quæ ad suppurationem pervenire solent, & variolæ dicuntur, vel pustulæ perexiguæ, & veluti cutis asperitates cum intensa rubedine, qualis erysipelatum, & dicuntur morbilli, & proveniunt in toto corpore; sed præcipuè facie, manibus, ac pedibus: morbilli intra 5. vel 7. dies sine suppuratione discutiuntur. Veræ variolæ cum rubore, & inflammatione proveniunt; aliud autem genus, quod *Ravaglione*, vel *Vaiol Salvatico* nobis dicitur, est pu-

stularum genus variolis simile in magnitudine, & figura; sed sunt quasi vesiculæ albæ seroso humore plenæ, quæ intra triduum disrumpuntur, & siccantur, nullius sunt periculi, & plerumque sine febre erumpunt. Variolæ, & morbilli sunt rubicundæ, albæ, subflavæ, violaceæ, lividæ, nigræ, citius, tardius erumpentes, citius, tardius exarentes, exteriores solum partes corporis, vel etiam interiores, & viscera occupantes ac denique vel depurativæ ex doctrina Avicennæ, in quibus partes solum excrementitiæ sanguinis putrescunt, & ad cutem quasi per crisim expelluntur, vel non depurativæ, seu corruptivæ, in quibus bonus etiam sanguis putrescit: hæ mali, illæ boni ominis.

Succedentia. Variolis rubris, albis, mollibus, distinctis, paucis, rotundis, fastigiatis, solam cutem, non autem interiora occupantibus cum levi febre cessante, vel multum imminuta post earum eruptionem, remissis symptomatis, voce libera, & respiratione facili conjunctis salus. Contra vero variolis tardè erumpentibus, multis, magnis, duplicibus, & continuis, depressis, duris, viridibus, lividis nigris, melioris coloris; sed nigram maculam in medio habentibus, vel permixtas maculas purpuratas, easque lividas, aut nigras statim ab eruptione evanescentibus, & statim tumore corporis subsidente cum alvi fœcibus, & urinis lividis, aut nigris, vel utrisque sanguineis, vel ex puro sanguine constantibus cum hæmorrhagia per nares, gingivas, aliasque corporis partes cum ingenti febre, nec imminuta post eruptionem variolarum, anxietate, & inquietitudine, difficultate spirandi, siti magna, alvi fluxu, aut dysenteria conjunctis summum periculum, aut mors.

Antecedentia, conjuncta, & Succedentia febribus intermittentibus periodicis. Tertiana intermittens.

Si tertianæ intermittentis circuitus horas duodecim non excedit, dicitur tertiana intermittens legitima, pura, exquisita: si horas 12. excedit, tertiana simpliciter, vel notha: si ultra 24. horas protrahitur, tertiana extensa.

Antecedentia. Quæcunque bilem excrementitiam generare possunt, intemperies corporis, præcipuè jecoris, ventriculique calida, & sicca, juventus, ætas, calida, & squallida aëris constitutio, vigiliæ, curæ, ira, inedia, cibi, & potus calidi, medicamentorum calefacientium nimius usus, labor, exercitia nimia. Et hæc quidem tertianam puram. Quod si hæc fiant ab homine pituitoso, vel melancholico, ut misceantur dictæ conditiones cum causis humores siccos, aut frigidos producentibus, antecedunt illa tertianas nothas, aut extensas.

Conjuncta. In ipso statim insultu vehemens rigor totum corpus concutiens, carnem quasi pungens; sed potest & remissior dari, eoque cessante calor multus, acer, & mordax, & in vigore quaquaversum extensus, & ad attactum diuturniorem remitti videtur, & manu superari, nudatio corporis, spirandi difficultas, magna, multaque respiratio, sitis, oris amaritudo, appetitus dejectio, frigidæ rei cupido, vigiliæ, deliria, sæpe capitis dolor, & præcipuè circa statum; pulsus in paroxysmo parvus, debilis, tardus, rarus, ipso increscente pulsus vehemens, velox, frequens, æqualis, inquiunt, quoad reliqua; sed inæqualis inæqualitate febrium propria, quæ est, ut dilatatio sit constrictione velocior (& rursus alia est, in qua constrictio dicitur velocior dilatatione; sed utraque est tam ficta, ut nihil sit fictum magis, & excogitata ad explicandum expulsionem fuliginum, & attractionem aëris refrigerantis in febribus; fictam autem esse, ex doctrina pulsuum facilè patet.) In statu si bibatur, vapor plurimus ex cute, bilis vomitus, sed hic sæpius in rigore, ventris depositio, & mictus biliosus, sudor etiam vaporosus, & calidus per totum corpus æqualiter, pulsus velox, magnus, vehemens, urina subrufa, vel subflava, consistentia mediocris, & paulo post vel nebula alba, vel eneorema, & febris tum ultra quartum paroxysmum non extenditur, si autem urina, sit rubicundior, & neque nebula primo circuitu appareat, neque sublime aliquid, seu suspensio ad septimum usque circuitum extenditur; quæ autem febris cum expositis omnibus conjuncta est, & primo die subsidentiam in urina lævem, & æqualem habuerit, ea exquisita est, & ultra tertium paroxysmum non protrahitur. Desinit etiam, si ulcera aut pustulæ in labiis, aut naribus erumpant, sicut etiam per alvi fluxum.

Succedentia. *Quæcunque febres,* inquit Hippocrates, *non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculosæ sunt; quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse, significant*; hoc tamen non est universaliter verum, ut patebit ex demonstrationibus. Tertiana notha.

Quotidiana intermittens.

Antecedentia. Quæcunque pituitam generare possunt, debilis calor viscerum, frigida, & humida alimentorum natura, eorumque copia, habitus corporis obesior, & albicans, venæ, & arteriæ angustæ, ætas senilis, sexus muliebris, vita otiosa, victus plenior, anni tempus, aër, cœlum, locus, frigida, & humida, somnus longus præsertim à cibo, usus medicamentorum præsertim refrigerantium, mens, & sensus hebetiores, somnus profundus, insomnia de aquis, nive, submersione; pulsus tardus, parvus, mollis, urina alba, vel pallida, nunc tenuis, nunc crassa cum multo sedimento.

Conjuncta. Invadit præcipuè tempore nocturno, nec subito, sed sensim cum extremorum saltem refrigeratione, aut horrore, nec rigor est, ut in tertiana; sed levis horror, hinc calor tardè, & difficulter increscens, & cum magna inæqualitate ita, ut modo calor, modo frigus sentiatur, non est acer, sed halituosus, qualis vapor ex accensis lignis viridibus, & inæqualiter manum ferit, quasi per cribrum trajiceretur. Diutius permanente manu ad contactum calor mordax aliquantum, & acris apparet, hinc per corpus totum diffunditur, quod non valde afficit, unde æger nec se nudat, nec tegumenta abjicit, nec multum, aut frequenter respirat, nec potum appetit; lingua non arida, sed humida, neque sitis. In insultu præcordia intumescunt, inflantur, ac distenduntur

tur

tur; color ægri pallidus etiam in statu febris; facies sublivida, & subtumida; corporis gravitas, & maxima in somnum propensio præcipuè in paroxysmo, in quo non raro lipothymia ab ore ventriculi, qui affici dicitur. Urinæ primis diebus albæ, tenues, crudæ, & in principio morbi aliquando quid sedimento simile in fundo matulæ; sed revera non sedimentum à coctione, verum portio crudi, pravique proinde humoris; procedente vero morbo crassiores, turbidæ, quin etiam aliquando rubræ: alvi dejectiones crudæ, & pituitosæ. Primis diebus nullus sudor, procedente morbo aliquid sudoris in declinatione paroxysmi. Pulsus minimus, rarus, circa augmentum velocior, & inæqualis, tardissimus febrium omnium; tertianæ enim maximus, frequentissimus, velocissimus, quartanæ inter hæc. Paroxysmus ad octodecim horas extenditur, quandoque & 24. unde fit continuæ similis. Longa est, & raro contingit, duratque dies 40. menses tres, quatuor; imo etiam ulterius progreditur.

Succedentia. Cachexia, hydrops, carum, lethargus, similesque gravissimi morbi.

Quartana intermittens.

Antecedentia. Quæcunque atrum, ac melancholicum humorem generant, ætas supra 40. annum, Autumnus, corpus frigidum, & siccum: lien tumidus, obstructus, & imbecillis; crassorum ciborum usus, ut carnes bubulæ, cervinæ, aprugnæ sale conditæ, & fumo duratæ, pisces ex limosis aquis, olera, & legumina, panis non fermentatus, vinum crassum, ac fæculentum, & similis cerevisia, acetum, unde Hippocrates acetum melancholicis noxium esserit; curæ, tristitia, studia, graves occupationes, suppressæ purgationes, & præcipuè per hæmorrhoides; faciei totiusque corporis color fuscus & nigricans, interdum æqualis, & per totum corpus, interdum maculis saltem quibusdam conspicuus; habitus corporis siccus, & macilentus, aspectus tristior, amor solitudinis, somnus turbulentus, insomnia de rebus nigris, fumis, morte, cadaveribus, sepulchris; & similibus tristibus, urina, si nihil melancholiæ simul excernitur, est tenuis, alba: si melancholia simul excernitur, crassa, livida, & nigra.

Conjuncta. Insultus cum oscitatione, pandiculatione, molesta quadam totius corporis inæqualitate, quam rigor sequitur initio parvus, vel ejus loco sola refrigeratio, & horror; progressu vero temporis sensim fit major, donec fiat vehementissimus cum stridore dentium, ac talis, qualis iis, qui hyeme rigent præ frigore, sensumque exhibent non rei pungentis; sed gravantis, & quasi contundentis, & confringentis ossa, qui doloris ὀστοκόποι Græcis, hinc calor paulatim succenditur non adurens, & æstuosus, ut in tertianis; sed summissus. Declinatio est cum perfecta, & longa apyrexia, pulsus toto febris progressu rarus, tardus, parvus, & in principio valde rarus supra omnes febres, & hæc raritas etiam in augmento, & statu servatur comparatione facta ad frequentiam in augmento, & statu aliarum febrium. Primis diebus nullus sudor, succedentibus copiosissimus. Urina principio alba, tenuis, aquosa; morbo procedente coloratior, mutaturque sæpe color, & contenta ejus. Sitis media inter sitim quotidianæ, & tertianæ, minor, quàm in tertiana: major, quam in quotidiana. Lien ut plurimùm afficitur. Duratio paroxysmorum similis tertianæ nonnunquam etiam longior.

Succedentia. Dysenteria brevior, eaque salutaris, ait enim Hippocrates, *Lienosis difficultas intestinorum superveniens, bonum,* & idem, *Qui lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, iis longam supervenientem dysenteriam aqua inter cutem, aut lævitas intestinorum excipit, & moriuntur.* Hydrops, aut Scorbutus, si conjuncta sit cum alicujus visceris nobilioris affectione, ut jecoris, ventriculi, lienis; Senibus plusquam sexagenariis plerumque fatalis: lethalis etiam, cùm in continuam mutatur. Similiter fatalis hæmorrhagia narium, cachexia.

Febris semitertiana.

Febris semitertiana 1. *Phricodis*, seu febris horrida etiam dicta, & 2. *Imitritaos* propriè sumpta est febris composita ex tertiana intermittente, & quotidiana continua, unde nunquam ad finem integrum pervenit, & in hac febre illud notatu dignum est, quod toto ejus decursu rigores, & horrores pluries, & sæpe redeunt, præcipuè tamen in accessione tertianæ, unde differt à rigore ab abscessibus præcipuè internis proveniente; hic enim sæpius in die repetit nullo servato ordine ad accessionem, atque insuper plerumque cum sudatiuncula, qua caret rigor semitertianæ. Est maximè lethalis, & afficit os ventriculi, nervosasque partes; veternum, cataphoras, vigilias cum delirio, diaphoreses cum syncope inducit, linguam maximè siccat, & animi deliquium parit, vehementer, quæ in profundo sunt, commovens, & omnino ferum habet typum, ut ait Galenus libro de *Typis.*

Antecedentia, conjuncta, & Succedentia febribus erraticis.

Antecedentia. Vitiosus diversorum succorum apparatus ob varia in victus ratione errata, diversorum ciborum ingestionem, quorum alii concoctu faciles, alii difficiles, alii in bilem, alii in pituitam &c. mutabiles; inæqualis, & inconstans tempestatum ordo, vel inconstantia, & diversitas caloris frigoris, humiditatis, aut siccitatis singulis quibuscunque diebus; febres aliæ non penitus resolutæ.

Conjuncta. Vagi, & inordinati insultus sine ulla certa forma, ideave febris nullo servato tempore, aut ordine invasionis; primis quandoque accessionibus, rigor, quem calor excipit, & sudor sequitur, secundis nullus rigor, sed levis horror, calor, & decessio, vel finis integer sine ullo sudore; nunc sola pandiculatione invadunt cum calore longissimo & sudore multo desinunt; aliquando cum vomitibus, & siti, aliquando sine his, nunc semel intra hebdomadam impetunt, nunc bis, aut ter nullo certo dierum numero, ac tempore, sed quandoque per quinque, aut sex dies relinquunt cor-

pus integrum, quandoque per duos, aut tres recurrunt, quandoque bis in die.

Succedentia. In quartanas commutari solent.

Conjuncta cum febribus in genere, seu, ut appellant, symptomata febrium communia.

Dolor capitis, vigiliæ cum dolore, aut sine dolore, somnus profundus in aliquibus febribus præcipuè quotidianis, semitertianis, & malignis. Deliria, phrenitis; convulsiones epilepticæ præcipuè in febribus malignis, & pestilentibus; hæmorrhagia narium; tussis; lingua arida, nigra, aspera, inflammata, nonnunquam lento quodam humore obducta, aliquando quasi fixa, quæ quandoque accidunt universo œsophago ad usque os ventriculi. Sitis, & hæc aliquando cum magno æstu circa ventriculum, aliquando cum quadam velut ignea expiratione è pulmonibus, & magno pectoris ardore; singultus, cardialgia, nausea, vomitus, alvi fluxus, sudores symptomatici, lipothymia & syncope præcipuè in malignis, dolor lumborum, inquietudo, inappetentia omnibus propè febribus communis.

Horum autem plurima etsi suis locis in singulis febribus enumerata sunt; quia tamen sunt incerta, & huic, aut illi febri possunt accidere, & fieri potest ut accidant, vel modò plura, modò pauciora eidem febri contingant, prout illa acrior, aut mitior est, hic simul omnia recensere voluimus, ut intelligatur, hæc non esse necessario conjuncta cum hac, aut illa febre, hoc illove ejusdem febris tempore, sed posse sine his, vel eorum plurimis febres dari, posse febrem dari cum iis omnibus, aut plerisque conjunctam.

In Febrium *causis* huc non adducemus quæ super sanguinis incalescentia in genere habent Autores, ut nec quæ de pituita, sanguine ac melancholia in febrium particulari explicatione addunt iidem; verum in iisdem quid arguat, quidque sentiat Clar. Joan. Alphons. Borellius in suo de motu animalium tractatu, ubi scilicet *de motu excandescentiæ febrilis*, Lectori hic exhibemus, additis præterea sub finem ejusce dissertationis, propriis animadversionibus circa causas quasdam febrium ab aliis rursus assignatas, at vero à Clariss. Borellio nullatenus explicatas.

Sic autem Ioan. Alphonsus Borellius. De Motu Excandescentiæ Febrilis,

Agam de motionibus Excandescentiæ Febrilis, quæ licet nostris sensibus exposita sit, quam frequenter nostro malo experiamur, nihilominus earum causæ & modi mechanici, quibus efficiuntur, quamvis summo studio quæsiti fuerint usque ad nostra tempora, adhuc humanam sagacitatem fugiunt; cùm non vereantur Doctissimi Medicorum ingenue profiteri, adhuc febrium naturam se assecutos non fuisse. Si ergo in re tam ardua & recondita nil profecero, non magis mihi, quàm cæteris vitio vertent Eruditi Lectores. Quibus aliunde ingratum non erit, nova methodo à principiis, longè diversis ab iis, quæ traduntur in communi schola, ea me deduxisse & expressisse.

Propositio I. Vulgata febris definitio affertur, ejusque defectus insinuatur.

Nomen febris ab hominibus impositum fuisse, constat, passioni cuidam excandescentiæ motus cordis & arteriarum (non quidem irritatæ ab ira & vehementi corporis motu, sed spontaneæ & permanentis) cui associari solet fervor & caliditas totius corporis, eamque consequuntur alia symptomata, languoris, debilitatis, doloris, & alia plurima. Sed brevius definiri solet febris, quod sit calor, accensus in corde. Febres postea subdividuntur: aliæ enim intermittentes, aliæ continuæ sunt; aliæ periodicæ, aliæ irregulares; aliæ incipiunt cum rigore & frigore, aliæ ab initio incalescunt; aliæ ardentissimæ sunt, aliæ minimum incalescunt; quæ aliquando perniciosæ valdè censeri solent.

Circa causas excandescentiæ febrilis, putant, efficientem esse nativam cordis caliditatem; materialem esse sanguinem, copia, vel qualitate peccantem, qui, non secus ac ligna, pabulum incendio subministrat: & quia ut plurimum febres habent certas periodos durationis & intermissionis, ut determinatis temporibus exactius quam horologium renoventur, oportet, ut in sanguine generetur, aut aliunde ei communicetur aliquid: quod ad singulas periodos febriles in stata mensura, & æquali proportione, & tempore possit febrim denuo reaccendere. Hoc autem erit juxta eorum sententiam, humor aliquis excrementitius & corruptus, in minera aliqua delitescens, & sensim augmentatus in stato tempore, ut inde sanguis afficiatur, & fermentescat, Talis minera, seu focus in vulgari sententia ponitur in venis mesaraicis, vel alibi; materia vero sunt quatuor humores vulgares. Sed hæc profecto sententia merito rejicitur, post sanguinis circulationem detectam, cùm sanguis nec in mesaraicis, nec alicubi stagnet; nec recessus, aut specus pro mineris usquam in corpore animalis excogitari possint absque tumore insigni, aut abscessu aliquo. Et proinde tota hæc fabula evanescit.

Propos. II. Non à foco vel fermento in corde existente, febris accenditur.

Alii recentiores cum Cartesio aiunt, sanguinem in febri ebullire, & fervescere ex calore contracto in corde, manifeste evinci ab experientia, scilicet ex pulsu grandi & vehementi, & ex æstu intolerabili in præcordiis, & ex siti ardentissima. Ponunt postea præcipuum sanguinis fermentum in corde ipso, quod focus caliditatis est.

Sed contra hanc Cartesianam imaginationem res ipsa clamat: nam in vivorum anatome non observatur in corde fervens illa caliditas, quam tantopere exaggerant; immò irritato animali doloribus & cruciatibus acerbis, dum secatur, proindeque in excessu rabioso iracundiæ ejus (quæ ex sui natura caliditatem in cor-

corde auget) satis moderata caliditas in corde ejus reperitur, nempe ejusdem gradus, ac habent viscera, & reliquæ partes internæ animalis; scilicet non superat gradus 40. thermometri, scilicet est æqualis caliditati solis æstivi.

Postea in corde non reperiuntur vasa fermentum continentia: nil enim aliud ibidem conspicitur, quam cavitates carneæ, consistentes, mundæ & abstersæ, quæ continenter abluuntur à simplici transitu sanguinis; nec saporem aliquem acrem, acidum, aut alterius naturæ, quam purissimo sanguini convenit, quisquam reperiet.

Ex his ergo & ex aliis rationibus, quæ contra Cartesium ab aliis adduci solent, satis evincitur, caliditatem, aut focum cordis, vel ejus fermentum non esse causam excandescentiæ febrilis.

Propos. III. Non accenditur febris à sanguine alterato fermentatoque; neque ob mordacitatem ejus cor irritatum febrilem excandescentiam efficit.

Non desunt tamen Præclari Authores, qui adhuc, antiquorum præjudiciis præoccupati, censent, sanguinem principem locum obtinere in hac scena. Aiunt enim, sanguinem vel ob copiam ejus & turgentiam, vel ob admistionem humoris alicujus fermentitii alterari, fermentari & corrumpi facilè posse. Ex quo fit, ut motum, fervorem, caliditatemque contrahat sanguis ab ipsamet actione fermentativa; sicuti videmus, herbas contusas maceratasque, & vina nova fervere, ebullire, motum agitationemque vehementem maxima cum caliditate contrahere. Præterea, postquam sanguis ex fermentatione jam dicta acrimoniam, & pungitivam quandam naturam contraxit, necesse est (inquiunt) ut in transitu ejus per cor mordicet & pungat stamina fibrosa cordis, non secus, ac in corde avulso à contactu succi mordicantis, ut aquæ fortis, renovatur, augeturque extincta ejus pulsatio: ex qua punctura cor vehementissime commoveri & pulsare debet cum ingenti ardore, ac caliditate; producta ab ipso corde, vel potius à sanguine virtute propriæ caliditatis nativæ, vel excitatæ à fermento ipsi sanguini superaddito.

Nituntur postea confirmare, ex sanguinis corruptela febrem oriri, propterea quod passim in febribus urina alteratur, corrumpitur; cumque urina ex sanguine in renibus segregetur, secum deferre cogitur particulas impuritatum, quibus sanguis coinquinatur, & tamdiu urinæ alteratæ perseverant, quamdiu febres perdurant; quod est signum indubitatum corruptelæ sanguinis.

Contra hanc plausibilem, & à magnis viris receptam sententiam, nonnulla militare videntur, quæ examini doctiorum operæ pretium erit exponere.

Et primò, non quia urina febricitantium alterata est quoad colorem & consistentiam, sequitur, quod sanguis, cui urina commista fuerat, sit quoque corruptus. Fieri enim potest, ut non à sanguine, sed ab alia causa urinæ alteratio & perturbatio contrahatur. Sicut ab oleo purissimo & insipido, à quo aqua commista separatur, possibile est, ut dulcorem, vel acredinem amaram, quam aqua secum defert, à contractu sacchari, vel rhabarbari contraxerit, non ab oleo insipido. Quare, etsi urina alterata in febribus à sanguine separetur, non licet concludere, sanguinem eadem corruptela affectum esse, & causam efficientem fuisse alterationis urinæ, nisi certò constiterit, quod à nulla alia causa liquor urinæ contaminari potuerit. Quis enim scit, an in stomacho, vel intestinis, aut in glandulis mesenterii reperiatur humor, sal, aut fermentum, à quo effici potuerit talis urinæ conturbatio.

Et hoc aliunde evincitur, quia si urina alterata & corrupta indicat corruptelam actu existentem in massa sanguinea, à qua febris gignitur; ergo, dum perseverat alteratio urinæ, perseverabit quoque malitia sanguinis, & proinde effectus ejus, nempe febris: sed urinæ alteratio perseverat nedum diebus & horis paroxysmi febrilis; sed etiam toto tempore quietis & intermittentiæ à febre in tertianariis & quartanariis. Igitur malitia sanguinis etiam diebus vacationis & intermittentiæ perdurat; & tunc quoque sanguis per cor continenter transit, circulando; proindeque accensionem in corde excitaret, ex sua acrimonia cor vehementer concitare deberet: ergo diebus intermittentiæ febris accendi deberet. Et propterea febres tertianæ & quartanæ omnes essent continuæ, absque ulla intermissione, quod & falsum. Igitur hypothesis assumpta falsa quoque erit.

Secundo si nulla alia de causa ægritudo tam perniciosa, qualis febris est, accenditur, nisi quia sanguis, alteratione & putredine contracta, valdè recedit à statu ejus naturali, procul dubio sanguis febricitantium valde differret à sanguine sanorum, sicut insigni differentia vegetabilia, & animalia putrida à non putridis diverso colore, odore, sapore, consistentia, & facultatibus activis distare videntur. At nos videmus, quod sanguis, per phlebotomiam ex sanis hominibus eductus, nil ferè differt à sanguine febricitantium, etiam in acutis; in utroque enim separatur pars fluida candicans, albumini ovi similis, quæ in igne concrescit, à parte consistenti rubicunda; eundem saporem atque odorem in sanis & ægris retinent: colores verò licet aliquantulum differant inter se in febricitantibus, eædem differentiæ pariter observantur in cruoribus hominum perfectè sanorum. Igitur dicendum est, sanguinem febricitantium non esse putrefactum, corruptumque proindeque verum non erit, quod à sanguine corrupto febris accenditur & fovetur.

Tertiò videmus, quod ex apostemate in extremo pedis febris excitatur: idemque contingit in fluxionibus articularibus; in his tamen sanguis non peccat.

Quartò in fluxionibus catharralibus, asthmaticis & epilepticis febres excitantur non quidem à sanguine, sed à fluxionibus cerebri.

Quintò, si ponatur corruptio sanguinis, causa excandescentiæ febrilis, salvari non poterunt periodi febriles, quæ statis temporibus

circuitu facto renovantur in intermittentibus de non esse ad esse, ut in quotidianis, tertianis & quartanis contingit. Quod satis suadetur ex eo, quod ipsi nequeunt salvare tales effectus assignando illos diversos gradus alterationis & corruptionis sanguinis, à quibus periodi febriles producantur: sed coguntur recurrere ad mysteria motus lunæ, ad numerorum facultates, & ad similes machinas. Præterea si sanguis putridus, dum transit per cor, ipsum irritando, aut venefica qualitate afficiendo, febrem excitat, quomodo cessare periodus febrilis potest? Quia, inquiunt, in paroxysmo humor peccans concoquitur, & à Natura expellitur per poros, aut ejicitur è locis principalibus ad intestina, vel alio tanquam ad cloacas. Sed si hoc verum est: quare post certum tempus intermissionis redit febris? Aiunt, remansisse fermentum, quo denuo sanguis corrumpi potest in determinato tempore; & sic denuo creare potest febrilem excandescentiam. Verùm, quia confecto paroxysmo fermentum febrile subito agit, inchoando novam alterationem massæ sanguineæ, continenter augendo corruptionem per gradus, continuato, non verò interrupto motu, ut constat experientia in fermentationibus vegetabilium & humorum; & cum tali inchoata corruptela sanguis per cor continenter circuit, proindeque cor afficiet suo gradu malitiæ, & putredinis acquisitæ. Ergo semper febris perseverabit, nec daretur perfecta quies & intermissio totalis à febre, sed haberet periodum continuo crescentem usque ad excessum: & hinc continuato progressu decresceret usque ad infimum terminum, in quo non quiesceret, sed interrupto motu denuo augeretur. Ut contingit in oscillationibus fune-penduli, & in fluxu & refluxu maris; eo quod viget causa motus, aut augmenti ejus crescentis causa, vel decrementi, dum causa motus diminuitur. Cùm igitur hoc sit falsum, perseverat enim quies à febre per plures horas, & dies integros; non igitur corruptela in massa sanguinea generata, & augmentata morbosam motionem febrilem creare potest.

Si postea supponamus cum aliquibus Authoribus, fermentationem fieri, & asservari in aliquo specu & angulo corporis animalis, hoc quidem in Anatomica experientia refellitur: nusquam enim in corporibus febricitantium tales specus, seu cloacæ, repletæ humoribus putridis, conspiciuntur; sed in omnibus visceribus, vasis & carnibus sanguis & humores continuo & non interupto motu fluunt & refluunt; & licet aliquando adsint abscessus, & apostemata interna, tamen hoc rarissimum est, & fere semper febres accenduntur absque ullo abscessu; imo aliquando à simplici intemperie calida, aut frigida, à vigilia, ira, aut tristitia excitantur febres periodicæ, quotidianæ, & tertianæ, in quibus nullum internum apostema reperitur. Unde constat, quod febres humorales non semper excitantur à sanguine, malè affecto & contaminato à commistione succi alicujus fermentitii, asservati in aliquo specu corporis animalis.

Propos. IV. Non accenditur febris à chylo alienæ naturæ à sanguine, qui fermentationem, ebullitionemque ejusdem sanguinis inducat.

Sed antequam ulterius procedamus, operæ pretium erit expendere doctrinam doctissimi Neotherici de eodem argumento. „Supponit ipse, quod vere sanguis corruptus febrilem excandescentiam per se efficere potest, quotiescunque spiritus & pars sulphurea sanguinis exaltata & efferata, cæteris sanguinis partibus supereminet, & cum iis conjungi nequit, efficit luctam quandam, quæ ebullitionem & effervescentiam febrilem creat. „Ait præterea, quod fermentum, à quo sanguinis alteratur, de foris advenit, nempe est succus nutritius sanguini ætherogeneus; „& proinde ei ægre assimilari potest, qui, ad plenitudinem in vasis congestus, fermentationis motum, ebullitionemque inducere potest. Quia vero præviderat, maxime negotium facessere intermittentium febrium „& periodorum renovationes, nititur difficultatem hac ratione declinare. Licet, confecto paroxysmo, succus nutritius sanguini ætherogeneus subitò paulatim eidem sanguini admisceatur, non perinde febris subito accendetur; sed expectandum est, quo usque vasa repleantur & turgeant, ut ebullitio vehemens febrilis fieri possit: non secus ac cervisia, vel vinum novum utribus infusum, & stricte occlusum, ut evaporare nequeat, licet fermentescat, tamen sine fervore & impetu ibidem continetur; sed multiplicatis vaporibus ibidem cohibitis tota massa turget, ebullit, & adeo insigniter fermentescit, ut vas utris dissiliat, disrumpaturque; quæ operatio perficitur, completurque stato tempore, veluti in intermittentibus febribus.

Contra quam doctrinam aliqua dubia proponam. Primum est quod ex eo, quod in febri sanguis agitetur, & calescat ferventissime, non sequitur, talem fervorem produci tanquam à causa ab ipsa sanguinis fermentatione & ebullitione, cùm talis effectus agitationis sanguinis produci possit ab aliqua alia causa. Quod aliunde ex eorundem verbis colligitur: concedunt enim, ex mordicatione & titillatione ipsius cordis produci posse vehementem commotionem cordis, & consequenter sanguinis commotionem, quæ ebullitionem æmulatur. Igitur non est necesse, ut è contra solummodo sanguis ipse fermentatus sit primaria causa, excandescentiam febrilem producens.

Secundò videmus in actu ferventissimæ iracundiæ excandescentiam omnino similem febri, quoad vehementem fere convulsivam cordis & arteriarum pulsationem, quoad æstum ardoremque circa præcordia, quoad fervorem excursionemque sanguinis per universum corpus, quoad sitim, amaroremque oris, quoad commotionem viscerum, tremoremque extremarum partium; & tamen sanguis primævam temperiem suam naturalem retinet, est dulcis; nullam acredinem, nec signum abundantiæ salium, aut sulphuris exaltati ostendit.

Constat ergo, produci posse excandescentiam febrilem ab alia causa, longe diversa à sanguine fermentato.

Tertiò cùm asseritur, in motu febrili spiritus, & sulphur sanguinis exaltatum & efferatum esse, ita ut cæteris sanguinis partibus supereminneat, & cum iis conjungi non possit, & ideo luctam illam ebullitionis inducat; sunt hæc (si id, quod sentio, proferre licet) verba metaphorica, gratis & confidenter prolata, quæ causam commotionis fermentativæ sanguinis non declarant, neque ejus existentiam probant.

Dicerem potius, in mistis reperiri ignis innumeras particulas, & præterea alias, quæ aptæ natæ sunt sponte se movere: hæ vero varie nectuntur, & vinculis constringuntur, ut in calce igniculi retinentur, quæ, si contingat ab humido, vel à consueta motione interna, vel externa, ut vincula dissolvantur, partes illæ vi motiva percitæ, libertatem nactæ suam indolem exercent se movendi; & ideo reliquæ misti partes ab illis agitantur, & variè revolvuntur commiscenturque. Hoc autem in vino, calce, & aliis similibus patet, fieri posse, tum ob facilitatem dissolutionis, tum ob abundantiam spirituum, seu igniculorum aut hisce analogorum: in sanguine vero non videtur tam grandis effervescentia fieri posse, cùm non adsit copia olei, sive spirituum, ut in vino: & illi spiritus acres, qui per distillationem à sanguine eliciuntur, dubium est, an opificio & commixtione ignis (ut in calce immiscentur) geniti sint; quod in multis casibus doctissimus Boyle animadvertit.

Quartò circa modum, quo nititur idem Auctor salvare renovationem paroxysmi in intermittentibus, observo, quod exemplum musti conclusi intra utres, & ibidem bullientis, quod ob nimiam turgentiam vas dissilit, male adaptatur fermentationi sanguinis intra venas, à qua paroxysmus febrilis renovatur in intermittentibus: quia mustum inclusum intra utres, semper eodem tenore fermentatur & bullit; scilicet æque incalescit, & æqualibus temporibus gignit ampullas vaporosas ejusdem molis, æque numerosas, & æquali frequentia, sive utris turgeat, sive non. Et ratio, quare ob nimiam turgentiam vas dissilit, non est, quia tunc inclusum vinum majori vehementia fermentatur, scilicet magis calet, & majori proportione & celeritate ampullas vaporosas gignit. Sed tunc præcisè completur repletio utris; & deinceps aucta superflue moles aëris evaporati à musto non potest in loco strictiori utris dicta moles tantopere dilatata contineri; & proinde vim facit, ut quærat amplum spatium æquale suæ moli, & hinc scissura vasis efficitur. At sanguis intra venas inclusus, si completo primo paroxysmo, ad instar musti, fermentativum motum exercet, & ebullit absque turgentia, non secus ac mustum, non video, quomodo expectari debeat turgentia venarum & arteriarum ad hoc, ut subsequens febris accendatur, quandoquidem dissilitio vasorum sanguineorum frustra timetur, cùm vasa sanguinea in principio novi paroxysmi neque turgeant, neque sanguinem ferventem contineant; imò exinanita, & adeò pusilla & frigida sint, ut pulsus contracti & parvi fiant, & ut plurimùm rigorem & tremorem concomitantem habeant; nec ebullitio & caliditas sanguinis, producitur à turgentia, sed ab ipso motu fermentativo sanguinis, qui motus fit ab initio (ex concessione ipsiusmet Authoris) alias comparari non posset cum musto fermentescente. Origo ergo fallaciæ in hoc consistit, quod comparatur quies intermittentiæ febrilis, quæ est defectus & privatio motus fermentativi sanguinis, cum statu utris musto oppleti ante ejus turgentiam perseverantis, absque dissilitione & ruptura: in quo statu mustum fermentescit & ebullit, secus ac sanguis faciebat. Nam si verum est, quod toto tempore intermittentiæ à febre sanguis, contentus in vasis, fermentesceret & ebulliret, non secus ac mustum in utre non turgido, oporteret, ut in transitu per cor fervorem & excandescentiam febrilem excitaret pro gradu fervoris ipsius sanguinis. Quapropter toto tempore intermittentiæ paroxysmus febrilis perseveraret, licet minus intensus. Nulla igitur febris intermittens daretur, sed omnes essent continuæ, crescendo continenter & decrescendo, ut antea dictum est: quod cùm sit falsum, fatendum est, non à sanguine fermentato febrilem excandescentiam creari.

Propos. V. Experimentis comprobatur, quòd sanguis, alteratus à caliditate, putredine, vel ab admixtione salium, aut sulphuris, febrem non producit.

Quotiescunque dubitatur, an aliquid sit certa & indubitata causa alicujus effectus, qui in aliquo subjecto exoritur, hac regula & cryterio, dictamini naturæ conformi, procedendum esse, uno ore omnes Philosophi fatentur. Si enim posita illa, de qua dubitatur, an causa sit, absque alterius consortio semper sequitur effectus, & pariter verificatur, quod, remota & non existente illa, semper cessat effectus, affirmabimus absque erroris formidine, illam vere causam esse productivam prædicti effectus. Attamen, si inquirendum est, an aliquid non sit causa alicujus effectus, tunc regula infallibilis hæc erit; si nimirum remota & non existente illa, quæ ambigitur, an sit causa, nihilominus aliquando, imò semel effectus producitur; tunc affirmare tenemur, illam nequaquam causam fuisse prædicti effectus: è contra, si illa posita, debite subjecto applicata, & non impedita effectus, nihilominus non sequitur, concludere licet, illam non extitisse causam effectus non producti, & non existentis in Natura. Modò, quia ambigimus primo loco, an caliditas actualis massæ sanguineæ febrem pariat; quia videmus, quod caliditas sanguinis, contracta à fervore aëris æstivi, vel ab hypocausto, aut à potu abundantissimo aquarum Lucensium calidissimarum, licet sit intimè applicata ipsi sanguini, scil. diffusa sit per omnes sanguinis particulas, & proinde non impedita, nihilominus fervorem febrilem non producit; absq; hæsitatione concludere possumus, quod alteratio sanguinis ab actuali caliditate febrilis motus causa non est. Nec obstat, quod aliquando à radiis solis canicularis

febres excitentur; nam hoc contingit, quia contrahitur læsio in cerebro & nervis, non à caliditate, ut calor est. Quod suadetur ex eo, quod prædictæ febres non accenduntur, dum actu viget, aut existit talis caliditas sanguinis, scilicet quando actu radii solis caput calefaciunt, sed post aliquod tempus, nempe cùm caliditas illa non amplius existit, nec operatur.

E contra, posito defectu & privatione intemperiei calidæ actualis in sanguine, imò posita in sanguine actuali tepiditate tempore hyemali, & rigida frigiditate in quartanariis, tamen subsequitur effectus accensionis febrilis. Igitur intemperies actualis caliditatis sanguinis non est causa productiva ardoris febrilis.

Secundo loco, quod alteratio sanguinis, contracta ab admistione spirituum & sulphuris exaltati, vel salium, non sit causa productiva febrium, suadetur ex eo, quod aquæ Thermales sulphureæ & salsæ, copiosissime ebibitæ, intime commiscentur sanguini, & per universum corpus sparguntur, & præcipue cor ad instar torrentis irrigando, valde id irritare & mordicare deberent, proindeque insignes febriles excandescentias producere, quod tamen non contingit. Præterea ob urinæ retentionem in calculosis, sales ammoniacales urinæ acerrimi massam totam sanguinis inficere, & cor ipsum perpetuo mordicare deberent; proindeque febrem molestissimam & continuam producere, quod tamen non contingit. Insuper, dum Pisis degerem, solertissimi & docti Anatomici Carolus Fracassatus, & Silvester Bonfigliolus, me præsente, infuderunt intra canis vivi jugularem venam olei sulphuris unam vel alteram dragmam; & post aliquos ejulatus ligata vena canis solutus adeo vegetus & immunis à febre remansit, ut avidissime ossa corroderet, debitis temporibus ederet, & dormiret, ut nullum signum invaletudinis ostenderet; & sic permansit usque ad diem octavum, quando aufugit à cubiculo, in quo detinebatur. Si igitur à tanta copia salium & olei sulphuris acerrimi sanguis alteratus nequaquam febrem efficere potuit, fatendum est alterationem sanguinis, à salibus & sulphureis succis & spiritibus factam, non esse causam productivam febris. Quod præterea confirmatur ex adverso, quia sanguis febricitantium mitissima temperie donatur sapore dulci, non mordicante, nec acri salino: & ideo intemperies acerrima salina & sulphurea, in sanguine non existens, non potest esse causa effectus febrilis. Et proinde sanguinis alteratio febris causa efficiens non est. Nec obstat, quod in ebriis pulsus concitetur, & corpus incalescat: nam præcipua læsio fit in cerebro & nervis ob dolores capitis, vertigines, sopores lethargicos, convulsiones, phrenitides, & similes affectus. Quare potius censendum est, cordis concitationem & caliditatem esse effectum, dependentem à læsione cerebri & nervorum; quod inferius confirmabitur.

Quod putredinem sanguinis pertinet, quid quæso magis coinquinatum & putridum excogitari potest, quam pus pleuritidis? Et hoc tamen, quando per urinas expurgatur, per pulmones ad sinistrum cordis ventriculum perduci necesse est, & hinc intra Aortam effundi, ut nimirum medietas fere puris per ramum ascendentem ad caput & brachia, dispergatur, & per venas jugulares & axillares denuo ad cor reducatur; reliqua vero parte puris per Aortæ descendentem truncum diffusa, non tota simul puris massa prima vice per renes expurgatur, exoneraturque, sed solummodo tertia vel quarta ejusdem puris portio pro mensura & capacitate arteriæ renalis, comparata ad totam Aortæ descendentis amplitudinem, ut demonstravimus: unde puris residuum, per totum corpus diffusum, recolligitur à venis, & denuo per venam cavam unà cum pure, à capite & brachiis descendente, ad cordis dextrum ventriculum; & inde ad pulmones diffusum secunda vice, una cum nova dose puris in pulmonibus stagnante, ad sinistrum cordis ventriculum reducitur. Et hinc denuo circulando deponitur in renibus exigua alia ejusdem puris portio. Quia vero pluries circulatio prædicta reiterari debet, antequam pus universum per vasa urinaria excernatur; & interea nedum necesse est, ut tota massa sanguinea infecta & coinquinata permaneat per horas & dies, sed etiam cor in singulis diastolis & pulsationibus ejus affici, & mordicari à prædicto putrefacto pure debeat. Igitur hujusmodi coinquinatio sanguinis à tali puris putredine vehementissimas & anxiosissimas febres producere deberet. Quod cùm multoties non contingat, dicendum est, febres non à putredine sanguinis, sed ab alia causa longe diversa produci.

Sed antequam ulterius procedamus, non negabo, sanguinem tam perversa & maligna alteratione affici posse, ut insignes læsiones, & tandem necem animali afferre queat: hoc enim amici superius laudati me præsente experti sunt. Infusa enim ope syringæ aqua forti intra jugularem venam canis vivi, siquidem aqua fortis non fuerit diluta, & copiosè infundatur, tunc sanguis grumescit, consistentiamque tetram, & fere lapideam acquirit, replendo totam venæ amplitudinem, ita ut impediatur transitus sequuturo sanguini, ut nequeat cum aqua forti admissa ad cor perduci: si verò sit diluta aqua fortis, vel quilibet succus, & sensim paulatimque intra venam instilletur, tunc quidem cordis sinus attingens, miras convulsiones & spasmos canis patitur, & vehementissime se contorquendo & ejulando cito moritur, & aperto thorace sanguis grumefactus in corde & in vasis reperitur. Oleum verò Tartari per deliquium easdem convulsiones, dolores & necem efficit, & sanguis non grumescit, sed fluidus remanet. Observavi quoque, quod quilibet succus acidus, sero, seu albumini sanguinis commistus, & igni approximatus impedit ejus concretionem. Unde incidenter noto, quod, quando polypi in corde & in venis reperiuntur, tunc sanguis nequaquam à succo acido infici potest.

Ex hisce tamen experimentis non deducitur, quod alterationes sanguinis à spiritibus & salibus acerrimis febres producant: & si forte accidat, ut illis symptomatibus febris aliquando commisceatur, negabo semper, eam immediate accensam fuisse ab illis sanguinis salinis inquinamentis. Quod evincitur ex eo, quod omnes aliæ innumeratæ febres non producuntur

à san-

à sanguinis alteratione, fermentatione, & corruptela, ut ostensum est.

Propos. VI. Spiritus, seu succi nervei solito redditi acriores, & nervos cordis irritantes, sunt causæ productivæ primæ, & immediatæ excandescentiæ febrilis.

Postquam febrium causas ab aliis traditas rejecimus, earumque incertitudinem indicavimus, operæ pretium erit tentare, an aliquid probabilius circa febrium Naturam conjicere valeamus. Pro cujus inquisitione denuo observo, quod propriissima affectio & character febris est pulsus, & commotio vehemens cordis & arteriarum, ad quam consequitnr incalescentia, & alia symptomata: & hoc nedum verum esse constat ex universali fere hominum consensu: sed etiam evidenti ratione & experientiis suadetur. Quia videmus, quod, posita vehementi cordis motione & concussione, paulò post subsequitur in toto corpore animalis nova quædam caliditas, quæ priùs non aderat, ut patet in Ira, & in agitatione vehementi corporis. Similiter, ablata tali motione cordis, scilicet diminuta, contracta, & tardiùs facta, subsequitur tepor, rigor & frigiditas, quæ prius non existebat per corpus animalis, ut contingit in timore, & in rigoribus quartanæ. E contra, posita nimia caliditate, & ardore corporis & viscerum, non semper sequitur nova cordis vehemens commotio, ut experimur in ardore æstivo, in hypocausto, & in potione copiosa aquarum thermalium ferventium. Igitur dicendum est, quod vehemens cordis commotio sit causa effectiva caliditatis corporis; & non è contra, scilicet caliditas corporis non erit causa productiva vehementis cordis motionis.

Videndum modo est, quænam sit causa efficiens præcipua, & immediata vehementis motionis cordis, quæ pariter esse poterit principium productivum febris.

Et procul dubio eadem illa causa, quæ in statu sanitatis placido & ordinato motu musculos cordis agitat, eadem planè viribus aucta id ipsum celeriùs & vehementius movebit. Sicuti idem ignis, qui exilem tepidamque caliditatem producit, in tactu majorem ardentioremque procreabit si magis approximetur, aut flamma ejus augeatur. Similiter ab eodem imperio voluntatis, mediante spiritu, vel succo nerveo, manus, pedes, & cæteri musculi agitantur tardo & leni motu, nec non magna vehementia celeritateque operando. Et quia cor, ad instar automatis, per se moveri potest independenter ab imperio voluntatis successivis pulsationibus, interpositis morulis, necesse est, ut ab eodem spiritu, vel succo, à nervis intra cor instillato (ut alibi dictum est) pulsationes cordis producantur placido & leni motu in statu sanitatis, & vehementer in statu febrili. Quare ad hoc, ut celerius & vehementius cor moveatur, nil aliud requiritur, nisi ut ille succus spirituosus, acrior redditus, frequentiùs instilletur. Cumque febrilis constitutio non differat à statu sanitatis, nisi in celeritate & vehementia motus cordis; igitur in statu febrili spiritus seu succus nerveus ob acredinem citius & frequentius intra cor instillatur.

Et hæc satis ostendunt nedum possibilitatem nostræ positionis de Natura febris, sed præterea facilitatem simplicissimam effectionis ejus. Modo afferemus rationes & experimenta, quibus confirmari potest prædicta assertio.

Et primò observo, quod à simplici odore vini, vel à quolibet vapore spirituoso & nutritivo vires animalis languidæ & labefactatæ mirificè reficiuntur, & cordis languida pulsatio momento vivificatur & augetur. Procul dubio fumi odorosi non communicantur per venas, aut per pulmonis bronchios ad cor, nedum quia transitus per pulmones non patent, sed etiam quia, si retento spiritu fumi odorosi ascendentes per nares insinuentur, & facta expiratione, applicato ore foramini, in cubiculi pariete excavata, excipiatur inspireturque novus aër externus, & hoc semper repetatur, certè fumi odorosi intra cubiculum inclusi, ascendentes non ad cor per pulmones, sed per nares insinuati, nervos mamillares titillando, ad cerebrum pertingent. Et hinc per nervos celerrime, & quasi momentaneo motu ad cor motio, & affectio odoris communicari potest; unde, vi illius refectionis fortius cor moveri & pulsare posse, videtur nedum possibile, sed necessarium.

Secundò id ipsum confirmatur ab opposita operatione tetri & maligni fœtoris, qui per nares ad cerebrum perductus vires prosternit, & languidas pulsationes in corde producit.

Tertiò non secus retento, & agitato vino intra Os per vasa salivalia spiritus vini ad glandulas, & hinc per nervos ad cerebrum, & cor communicatus citissime vires & pulsationes cordis reficere, & vivificare videtur.

Quartò, sed evidentiùs hoc confirmatur ex animi pathematis. Ex simplici enim apprehensione objecti horribilis subito cor in suis pulsationibus retrahitur, minuiturque; è contra ex apprehensione objecti suavis, & diu expetiti, cor pulsationes auget subsultando. Nemo certè sanæ mentis negabit, communicari talem affectum timoris, aut gaudii per nervos à cerebro, sede imaginationis, ad cor. Si igitur spiritus, seu succi nervei tanta facilitate, & momentanea fere celeritate motus cordis alterant, non erit difficile, imo valde credibile, ut idem spiritus, seu succus nerveus, contracta intemperie mordaci in febricantibus, agitationes illas insignes cordis vehementes & inordinatas pariat.

Quòd postea ex pulsatione vehementi & concitata musculi cordis sanguis, qui continetur in qualibet pausa, & quiete ejus repletur, effusus à vena Cava impelli intra arterias usque ad extremas ejus capillares extremitates debeat eodem concitato motu, quo cor contrahitur, patet ex legibus circulationis sanguinis. Similiter evidentia sensus constat, à vehementi & concitata circulatione sanguinis per totum animalis corpus excitari fervorem, caliditatemque de novo, quæ prius non extiterat, ut mox insinuavimus: cujus originem haud quaquam ex motu, ut motus est, peti debere censeo, sed

ſed potius ex ipſa ſanguinis natura; continet enim ſanguis ſpiritum, ſeu oleum, ſeu potius igneas particulas ſopitas, quæ, ſi contingat diſſolvi à vinculis, quibus nectebantur, ut indolem ſui motus exercere valeant, tunc caliditatem ſenſui oſtendent; quod ſi non ex attritu partium ſanguinis ætherogenearum contingit, ſaltem ex miſtura cum ſalibus lixivialibus, diſperſis per viſcera & reliquas partes corporis reconditas, ad quas pertingere poteſt ſanguis ob violentiam, qua à corde impellitur, contingere poteſt caliditas & fervor, non ſecus ac contingit in miſtura acidi vitrioli & ſalis tartari: vel potius ut Willis experimento comprobavit, qui ſanguini extravaſato calenti immiſcuit ſpiritum vini, aut cornu cervi, vel fuliginis, aut vitrioli, aliuſve liquoris ſpirituoſi, aut ſalini, & vidit, miram ebullitionem & efferveſcentiam excitari in prædicto ſanguine.

Propoſ. VII. Quomodo ſuccus nerveus fermentatus, & acredine affectus cordi communicari queat ad febrem concitandam.

Non ſufficit noſſe, ſuccum nerveum cordi inſtillatum ſua acredine vehementem commotionem febrilem efficere poſſe: ſed præterea oportet, ut indicentur viæ & modi, quibus talis ſuccus è remotioribus corporis partibus ad cor perducatur, ut ibidem operationem ſuam febrilem complere poſſit. Sed priùs, ne videamur laborare in hypotheſi imaginaria & phantaſtica, erit operæ pretium oſtendere, verè in animali exerceri talem operationem, nempe è locis longinquis, ut ab extremo pedis communicari poſſe noxium ſuccum per nervos ad cerebrum, & inde ad cor, id vehementer agitando & concutiendo. Hoc patet in ſuccis venenoſis qui, ſi ſolummodo cutim tangunt, non lædunt; ſed ſi tetigerint cicatrices, aut ulcera, citiſſime ad cerebrum ducuntur, vertigines & torporem afferendo: & poſtea ad cor communicantur, ejuſque rhythmum alterant, & palpitationes inducunt. Et ne quis putet, non per nervos, ſed per venas virus ad cor traduci, obſervet, quod à morſu viperæ, aut ab oleo Tabaci prius cerebrum afficitur & conturbatur, quàm ad cor læſio producatur. Poſtea conſideret, quod oſtiola venoſa in ulceribus glutine quodam ſatis tenaci obſtructa ſunt, cùm idem ſuccus tam fortiter obſtruat arteriarum orificia, venulis pariter inciſis contigua, ut ſanguis per ea effluere nequeat; qui aliunde maximo impetu ſolet ex arteriis exilire. In vulneribus poſtea recenter inciſis neque ſuccus venenoſus per venas communicari poteſt, quia motus contrarius, quo ſanguis ipſe è venulis foras egreditur, impedit introitum ſucci venefici, quod animadvertimus in Academia Experimentali Medicea, dum experiremur vires potentiſſime veneficas olei Tabaci, quod, copioſè effuſum intra vulnus recens, nullam noxam afferebat, & confricatum filo madido intra carnes poſt unum vel alterum minutum torpore animal afficiebat, & paulò poſt extinguebatur.

Neceſſe eſt ergo, ut communicatio illa celerrima ſucci venenoſi fiat per oſtiola nervulorum, in ulceribus & vulneribus patentia; & ſubito uſque ad cerebrum diffundatur, ibique plurima prava ſymptomata pariat, eademque celeritate è cerebro ad cor communicetur, illudque concutiat, motumque febrilem excitet.

Id ipſum comprobatur ex febrili motu, qui exoritur, dum pus conficitur in puſtulis & ulceribus, in quibus ſucci pravi pus efficientes & fermentantes non per venas ad cor, ſed per nervos ad cerebrum traducuntur. Quod ſuadetur ex eo, quod cor nil fere afficitur à contactu ſimilium ſuccorum fermentatorum, ut patet ex tranſitu puris pleuritici per cor. Quare prædictus ſuccus fermentatus puſtularum, qui valdè mordicare nervos ibidem deſinentes poteſt, facilè veneficam ſuam qualitatem cerebro & hinc cordi commotionem communicare poteſt, ejuſque rhythmum alterare febremque efficere.

Non ſecus ex febre illa, quæ in arthritide conſurgit, id ipſum confirmari poteſt. Quia, dolores illos articulares acerbiſſimos ex mordicatione membranarum & tendinum nervoſorum oriri, manifeſtum eſt; taleſque mordicationes fieri à ſuccis ſalinis & tartareis, ibidem concurrentibus, fermentatis agitatiſque, dubitandum non eſt: unde colligitur, quod ſucci illi mordicantes vel irritant nervos uſque ad cerebrum, vel communicatur ſuccus ille uſque ad cerebrum, & hinc ad cor, unde febrilis illa continuata excandeſcentia oriri poteſt.

Idem dici debet de qualibet febre ſymptomatica, in quibus omnibus verificatur, quod ex locis affectis per nervos communicatur cerebro, & inde cordi, vel tranſlatio mordacitatis, unde motus cordis augetur, acceleraturque.

Oſtenſa jam ſymptomatis exiſtentia & veritate, quærenda modò reſtat cauſa & neceſſitas, quare irritatio facta in nervis è cerebro communicari potius debeat muſculo cordis, quàm cæteris muſculis animalis, ad quos è cerebro nervi propagantur non ſecus, quam ad cor; & tam hic, quam illi ſunt ductus deferentes vim & facultatem motivam. Quare neceſſe foret, ut è tali diffuſione à cerebro, ſicut cor vehementius agitatur & concutitur, ſic quoque omnes reliqui muſculi concuſſi paralyſim quandam & tremorem contraherent.

Verum cùm hoc non contingat, nec veritas illius ſymptomatis negari poſſit (niſi velimus recurrere ad vocabula ſympathiæ, conſenſus & convenientiæ, nil ſignificantia, quæ ignorantiæ ſunt velamina) dicendum eſt, quod ſtructura organica cordis valde differt ab ea, qua cæteri muſculi conformati ſunt. Nulla enim alia de cauſa eadem facultas motiva diverſas operationes efficit, niſi quia diverſis organis utitur, ut idem fluxus aquæ fluminis modo triticum conterit molitque, modo trabes ſecat, modo malleis metalla contundit, modo ſymphonias tibiis & organis pneumaticis canit.

Videamus modò, quonam pacto cordis organica ſtructura differat ab ea, qua cæteri muſculi conformati ſunt. Et hoc ſanè, licet ſenſibus non pateat, conjici tamen poterit ex diverſitate operationum eorundem. Videmus enim, quod muſculi omnes artuum, licet non careant vi motiva, nempe ſpiritibus, ſeu ſuccis intra nervos exiſtentibus, tamen torpent, nec motum inchoant, niſi adveniat voluntatis

præ-

præceptum & imperium. E contra videmus, cor esse organum sui juris, quod, sive jubeat, sive renuat voluntas, semper eodem tenore & rhythmo suas pulsationes efficit. Unde quæso hoc, si causa efficiens motus non est, nisi spiritus, vel succus e nervis intra musculos effusus? Nempe quia in musculis artuum talis effusio fieri nequit, nisi initia nervulorum ab imperio voluntatis convellantur, ut ad instar hirudinum succum spirituosum exugant, in corde verò nullius imperio addicto semper talem effusionem guttatim fieri oportet; eo quod subtilia illa nervorum orificia semper patentia & aperta permanent. Et hinc facilè salvari potest, ni fallor, Problema nostrum. Quia nimirum, posita quacunque exili & leni spirituum; seu succi intra cerebrum agitatione, vel effervescentia, non est necesse, imò est impossibile, ut musculi artuum absque voluntatis præcepto moveantur. At cor non item, quia ob ostiolorum in nervis perseverantem aperturam non potest impediri effluxus succi spirituosi intra cor: & ideo omnino necesse est, ut cor concutiatur, & vehementius suas consuetas pulsationes efficiendo, motum, quem febrilem vocare solemus, producat.

Et hoc contingere posse diximus, posita levi qualibet spirituum intra nervos commotione. At si talis agitatio succi intra nervos & cerebrum fuerit ferventior, & efferata ob nimis acres sales admistos, tunc nedum cor vehementissime concutitur, efficitque acriorem ferventioremque febrem; sed præterea musculi omnes, vel præcipui totius corporis adeo convelluntur, ut convulsivos motus patiantur; quia nempe acrimonia & agitatio succi nervei tam vehemens & efferata est, ut, non obstante voluntatis renitentia, ostiola nervorum destruere possit. Quod observatur in febribus valde perniciosis.

Propos. VII. De loco & causis, quibus succi nervei alterantur, ut febres periodicas producere possint.

Ut exactè natura febris exponatur, non sufficit indicasse, quod succus nerveus fermentatus, & acredine affectus, potest cordi communicari & illud vehementer agitando febrilem excandescentiam producere: sed præterea oportet, ut declarentur causæ proximæ, prædictum succum alterantes, & loca, ubi tales alterationes fiant, Quod ut commodius præstari possit, oportet, ut effectus à febre producti in cadaveribus observentur, in quibus patet, nullam mutationem notatu dignam in sanguine reperiri, sed frequentissime pulmones inflammati, ulcerati, & aliquando cancrenati, aut exanthematis conspersi apparent: aliquando lien & hepar læsi reperiuntur; sed frequentius lien induratus & scirrhosus: semper tamen observantur glandulæ aut duræ & scirrhosæ, aut flavæ & lividæ, præcipue in mesenterio.

Et primò quoad rubedinem saturam pulmonum, illa profectò neque febris causa extitit, neque inflammatio illius visceris, aut læsio ulla censeri debet, cùm in omnibus cadaveribus sanorum animalium quoque reperiatur; oriturque in moribundis ex eo, quod prius cessat respiratio, quàm cordis pulsus: & sic copia illa sanguinis, quæ ad pulmones reducitur in illo vitæ confinio ibidem sistitur, turgidosque pulmones reddit, cùm exonerari nequeant, extincta respiratione.

Secundò læsio tabida & pustulosa eorundem pulmonum raro est causa febris, licet remota; sed frequentissime est effectus ejusdem, cùm non in omnibus cadaveribus febricitantium sic corrupti reperiantur; & è contrà in asthmaticis pulmones sunt valdè læsi, & pure referti absque febre: quare aut prope mortem completur talis pulmonum corruptio, aut, si præcedit, non erit causa immediata febris. Restant ergo solummodo considerandæ læsiones glandularum, quæ semper in febricitantium cadaveribus observantur.

Præterea constat ex observationibus eruditissimi & solertissimi Wartonis, & aliorum, quod in qualibet ex innumerabilibus glandulis animalis ramificantur nervi, arteriæ, & venæ, & vasa lymphatica, emittendo innumeras radices ad instar arborum; & in aliquibus apparent manifesti ductus, & canales expurgatorii, ut sunt vasa salivalia, & ductus pancreatis.

Ex hac structura percipitur, glandulas esse totidem officinas, in quibus insigne aliquod opus perficitur, elaboraturque. Sed quodnam illud erit? Forsan in glandulis sanguis arterialis expurgatur ab aliquibus impuritatibus & humoribus serosis, qui excipiuntur à vasis expurgatoriis, ut sunt salivalia: sed si hoc verum esset, ad quid adderetur nervus ibidem ramificatus, cùm glandulæ nec motum, nec sensum exerceant, aut possideant? Oportet ergo, ut radices nervosæ in glandulis aut excipiant aliquid ab arteriis, aut nervi ejiciant evomantque aliquid in vasa, receptioni destinata, ut sunt venæ, aut in vasa expurgatoria, ut sunt salivales ductus, Quod nervi in glandulis ab arteriis sanguinem recipiant, videtur inverisimile, cùm arteriæ, copiosissimè in cerebrum desinentes, possint ibidem abundantissimè magno compendio sanguinem subministrare: cùm è contra incommodissime nervi cogerentur in glandulis sanguinem mendicare. Verosimilius igitur videtur, quod e nervis aliquis succus in glandulis exoneretur, certæ & determinatæ naturæ pro varia ostiolorum nervorum figura & capacitate; qui postea, commistus cum particulis ab arteriali sanguine emissis, aptus sit ad aliquod opus exequendum in diversis partibus animalis, nimirum in ore, œsophago, stomacho, intestinis, & alibi ad fermentationem & digestionem ciborum, & ad opera exequenda, nempe ad nutritionem & vivificationem partium animalis.

His præmissis animadverto, quod succi illi destinati, ut è nervis expellantur, deponanturque in glandulis, fieri potest, ut casu aliquo detineantur in eisdem nervis, obturatis nimirum meatibus & ostiolis nervulorum, in glandulis desinentium, ob plethoram, vel ob gluten aliquod in eis contentum: hi vero succi retenti in nervis degenerare facile possunt fermentatione quadam in alienam naturam animali noxiam. Novum enim non est, ut semen genitale in animali perfectissimæ temperiei, destina-

stinatum expulsioni pro fine generationis, diu retentum contrahat corruptam & veneficam naturam. Fieri etiam verisimilius potest, ut ab obstructione & scirrho glandularum contracta, aut à pravis succis ibidem collectis, aut aliunde communicatis, & congelatis, fermentatisque, ut in lue venerea, nedum prohibentur effluxus è nervis, sed insuper communicentur particulæ irritantes, noxiæ, & malignæ ipsis nervis. Ex his omnibus causis manifestum est, irritatione, vel communicatione quadam affici cerebrum posse, & per nervos usque ad cor commotionem illam efferatam spirituum, seu succi nervei propagari.

Loca igitur, in quibus succi nervei primò fermentantur, sunt glandulæ & radices nervulorum earundem obstructæ, & malè affectæ & irritatæ. Causa verò fermentationis est retentio violenta partium, quæ excerni debuerant è nervis, vel coinquinatio ibidem communicata, pariterque ob retentionem apta ad intemperiem spirituum procurandam.

Propos. IX. Ratio exortus paroxysmi febrilis, aut semper calentis, aut primo gelidi & postea ferventis exponitur.

Ostendimus in genere fermentari posse succum nerveum ob glandularum & nervorum earundem obstructionem & læsionem, & quod à tali fermentatione irritari possit cor, ut excandescentiam febrilem producat. Modò hæc generalis Theoria adaptari debet casibus particularibus, ut nimirum ex ea deducantur causæ & modi, quibus omnia phœnomena febrium produci possint.

Sed primò, ne quid ambiguum & incertum recipiamus, adverto, quod verisimile videtur, obstructionem totalem glandularum prædictam, & nervulorum ibidem desinentium fieri debere sensim, non celerrimo & quasi instantaneo motu: & proinde paroxysmus febrilis deberet ab ejus privatione & statu quietis augeri, progressu temporis diuturni usque ad gradum maximum per gradus intermedios ascendendo; non vero per saltum à minimo ad notabilem gradum commotionis & fervoris, vel rigoris algentis, quo ægri corripiuntur, ut constat experientia. Et licet ante adventum paroxysmi præcedant somni inquieti, perturbationes, vertigines, oculorum corrugationes & oscillationes, nihilominus hæc levia symptomata sunt potius signa, quàm partes febris.

Adductæ difficultati mihi fieri posse satis videtur expendendo experimentum superius adductum, ubi diximus, quod oleum Tabaci, & alii succi venenati orificiis venarum incisarum applicati nil lædunt, cum communicentur cerebro, aut cordi, propterea quod effluxus ipse sanguinis impedit, ne succi venenosi intra easdem venas intrudi possint. Cogitemus modo, plures glandulas infectas esse succo aliquo pravo & excrementitio, à quo obstruantur canales excretorii magna ex parte, unde fermentatio in glandulis prosequi possit; tunc planè fieri potest, ut canales nervosi & sanguinei adhuc sint obstructi; & ideo à nervis & arteriis continenter effluent succi nervei, & sanguis arterialis, & hinc ambo per venas asportari poterunt. Manifestum est, quod toto illo tempore, quo succi è nervis effluunt, magna ex parte impeditur insinuatio & introitus particularum acrium, glutinosarum, fermentatarumq; è glandulis intra nerveos ductus; & ideo nec nervi, nec cerebrum, aut cor mordicari ab eis poterit: quare tunc temporis excandescentia febrilis non excitabitur. At postmodum, crescente plenitudine & plethora glandularum ob additionem & fermentationem excrementorum glutinosorum & viscidorum, tandem nedum poruli nervorum obstruuntur, sed etiam coguntur admittere particulas aliquas acres fermentatasque, è quibus copiose glandulæ repletæ fuerant. Et hanc postremam operationem cito absque diuturna mora absolvi posse facile percipimus, scilicet in extremo temporis spatio, quo completur plethora glandularum à succis glutinosis, quam reliqui prædicti effectus consequuntur. Modò, qui paroxysmus febrilis nulla alia de causa fit, nisi quia nervi obstruuntur & mordicantur, & ideo ad cerebrum & ad cor communicatur; hinc est, quod fiat illa celeris. & quasi subitanea mutatio à statu quietis ad fervorem febrilem: præcedentibus tamen levibus illis symptomatibus inquietorum somniorum, perturbationum, vertiginum &c. quæ producuntur ab aliquibus irritatiunculis levibus à succis glandularum fermentatis, factis, in aliquibus paucis capillamentis nervosis jam obturaits. At postquam omnino completa fuerit plethora glutinis in glandulis, subito obstruuntur orificia nervorum, & succi nervei retenti & inquinati fermentantur: & ideo cor irritatur, & febrilis excandescentia exoritur insigni & vehementi fervore.

Porrò, nisi adsit peculiaris causa rigoris & frigescentiæ, semper febrilis paroxysmus ab initio calidus erit ex sui natura; propterea, quod à vehementi cordis pulsu, irritato à spiritibus, vel succis nerveis fermentatis, sanguis vehementissime per corpus circuit, contrahitque caliditatem, ut dictum est.

Exponi ultimo loco debet causa rigoris & frigoris, cum quo aliqui paroxysmi febriles incipiunt. Quæ forsan esse poterit, quia sanguis nunquam sero urinæ omnino privatur, cùm post abstinentiam à potu duorum vel trium dierum mejant adhuc animalia. Ergo fieri potest, ut in glandulis obstructis arteriæ evomant particulas nitrosas, & alia salia, quæ aqueum urinæ humorem in sanguine existentem copiosè inficiebant, & ob peculiare fermentum, in glandulis malè affectis genitum, calchantinam frigorificamque naturam acquirant; & postea, plethora & obstructione completa, è glandulis per nervos ad cerebrum & spinalem medullam deferantur (patet enim via expedita & compendiosa è nervis plexus abdominis, qui cum lumbaribus communicantur in spinam dorsi] & quia nerveæ fibræ facillime vellicantur & irritantur, tremoris frigorisque sensum ob peculiarem nitri naturam inducere possunt in principio paroxysmi, ex qua contractione & tremore spiritus torpent, & hinc pulsus contracti & parvi fieri possunt; & hoc continget, dum commotio succi nervei debilis est.

Alio insuper modo passio frigoris in principio paroxys-

paroxysmi creari potest. Si è glandulis obstructis, fermento alteratis, communicetur per nervos succus non absimilis spiritui vitrioli, ut mox insinuavimus, & supponamus, in medulla spinali sales urinosos ab arteriis relinqui, qui cum ammoniacam naturam retineant (ex urina enim confici ammoniaci sales solent) commisti cum spiritibus calcanthinis, ibidem effervescentiam gelidam producere possunt, ut experimur, apud nos ebullire tamen miscellam cum ingenti frigiditate. Utroque igitur modo effici potest passio rigoris, tremoris & frigoris, præcipuè in regione spinalis medullæ una cum torpore spirituum, & pulsus parvitate, eò quòd languido motu cor pungitur, nec talis gelida ebullitio subitò evanescit, sed poterit per unam, vel alteram horam produci, quia è locis dissitis per canales vasorum possunt sensim instillari & misceri prædicti succi: & quia interim spiritus, seu succi nervei, in motu constituti, rapido impulsu ob aperturam ostiolorum nerveorum ibidem desinentium, & sua acredine cor irritare possunt, necessariò pulsationes continenter augendo duplici nomine ardentem fervorem creant; Primò, quia sales nitrosos diffundunt, & partim expellunt intra venas; Secundò, quia sanguis acuto pulsu cordis, vehementissima commotione & circumductione per universum corpus diffusus, creare potest caliditatem & fervorem paroxysmi febrilis, ut ex dictis colligitur.

Propos. X. De causis symptomatum, febrilem paroxysmum concomitantium.

Nedum initia paroxysmorum, sed progressus quoque & accidentia omnia, febrilem motum concomitantia, animadversione digna sunt, tum propter se ipsa, tum etiam, ut theoria à nobis tradita pluribus testimoniis & argumentis fulciatur.

Et primò supervacaneum non erit rationes afferre signorum, seu passionum præcedentium paroxysmum, ut sunt somni inquieti, perturbationes, vertigines, &c. Quia proximè ante paroxysmum licèt glandulæ non turgeant, tamen abundant succis fermentatis, qui aliqua ex parte cerebrum, mediantibus nervis, infestare possunt, & sic somni turbari. Eadem ratione perturbationes contingunt, quia spiritus, seu succi nervosi infectati neque motiones, neque sensationes consuetas debito ordine & quiete perficere possunt. Hinc pariter vertigines, & oculorum corrugationes originem ducunt, nempè ex cerebri & spirituum perturbatione inchoata. Oscitationes verò, quæ sunt lenissimæ convulsiones, constat, à mordicatiunculis nervorum fieri posse. Patet igitur, quòd ab eadem unica causa, nempè à procemiali læsione nervosi succi & cerebri, hæc accidentia produci possunt; quæ posteà insigniter aucta excandescentiam febrilem creat.

Inchoato deinceps paroxysmo, sæpè vomitus biliosi fiunt, quia in rigore & tremore febrili ab iisdem succis nerveis acredine coinquinatis membranæ totius corporis convelluntur, præcipuè stomachus, pylorus, & choledochus, qui nervis abundant; & ideò spasmo contractis, bilis è felleo meatu compresso expellitur in duodenum, & hinc in stomachum, & tandem per os ejicitur.

Præterea præcordiorum æstus ferè intolerabilis, licet immediatè à vehementissimo motu sanguinis pendeat, ut dictum est; mediata tamen causa est mordicatio, facta à succis nerveis acribus intrà musculum cordis, unde pulsationes tam vehementes fiunt.

Sitis ardentissima & inextinguibilis nedum à calore, sed præcipuè producitur ob particulas acres & salinas, quibus glandulæ copiosissimæ linguæ, faucium, œsophagi & oris ventriculi intarciuntur ob jam dictam obstructionem & fermentationem, quæ nervos ibidem desinentes, & papillas nervosas linguæ corrodunt, lacerant, & pustulosas, nigras, scabrasque in acutis præcipuè reddunt. Digna tamen animadversione est diversitas hujus operationis ab illa, quam piper & sales acres, linguæ & faucibus obvoluti, producunt: hi enim sitim quoque grandem excitant, sed sine oris ariditate, imò sputum copiosissimè provocant, contrà febris. Quæ diversitas præclarè confirmat veritatem nostræ Theoriæ. Quia si vasa excretoria, scilicet ductus salivales glandularum oris in febricitantibus non fuissent obstructi, necessariò sales, mordicantes nervos ibidem desinentes, deberent profluvium salivalem provocare, ut in sanis contingit. Igitur ariditas illa, & siccitas maxima oris febricitantium suadet, quòd verè ductus excretorii glandularum obstructi sunt, ut supposuimus in nostra Theoria. Incidenter tamen noto, quòd vulgò à fuliginosis vaporibus, è stomacho ascendentibus, nigrorem linguæ fieri censent; quo nihil insulsius dici, aut excogitari potest.

Quoad dolores, præcipuè capitis, in febribus facillimè salvantur in nostra sententia. Quia à salinis succis acribus & pungitivis, per nervos excurrentibus, possunt membranæ & nervi mordicari, & præcipuè in cerebro, ubi sensu exquisitissimo donantur; & proindè dolores & spasmos possunt afferre.

Quod tantopere vires debilitentur, & lassitudines spontaneæ in febribus contingant, facilè ex nostra sententia deducitur. Quia læsio fit in nervis, & ideo dissipantur, læduntur que spiritus, seu succi nervei, qui sunt substantiæ exiguæ molis, sed impetum facientes in animalibus; non autem in sanguine existunt, eò quòd phlebotomia etiam liberalis nil ferè debilitat, nisi major pars sanguinis evacuetur.

Vigilia & deliria, quæ paroxysmis associari solent, eadem facilitate in nostra sententia salvantur: ambæ enim hæ operationes fiunt in cerebro à succis acribus & pungitivis, id irritantibus, & perturbantibus ordinatos motus spirituum.

Syncopes multis modis fiunt, licèt ab eadem causa immediatè, sed in febribus, de quibus in præsenti agimus, pendent à mordicatione oris ventriculi ob copiam nervorũ trunci sexti paris ibidem desinentium, unde cerebrum & cor afficiuntur: talis mordicatio fieri potest à quolibet succo acerrimo, à venenis, à lumbricis, & aliis ejusdem generis, & ab eadem causa cardialgia producitur.

Motus convulsivi in paroxysmis ægrè salvari possunt, nisi in hac nostra theoria: nam, ut certi

aliqui

aliqui musculi tensissimè contrahantur, non consentiente voluntate, fieri non potest, nisi ob acredinem & pungitivam naturam, quam spiritus & succi effundunt è nervis intra eosdem musculos, & eos irritando motus illos involuntarios producant.

Postremo loco in acutis, abscessus in glandulis majoribus, & exanthemata mirifice nostram sententiam comprobare videntur; quia succi nervei tanta malignitate & venenositate affici possunt, ut excreti in glandulis majoribus, vel in papillis cutis, abscessus & cancrenas efficere possint; quod contingere solet, non in principio febris, sed postquàm confecti sunt aliquot paroxysmi, scilicet postquàm ab effluvio sanguinis vehementer circulati deobstruuntur orificia nervorum, intra glandulas desinentium, ut mox ostendemus.

Propos. XI. Causa diminutionis & terminationis febrilis affertur, & alterationis urinæ.

Producto paroxysmo ad excessum fervoris ejus, debemus jam declarare, quare & quomodo idem ipse minuitur ordinato decremento usque ad totalem ejus extinctionem. Quia ob turgentiam glandularum, vel ob viscíditatem in eis contentam, obstruuntur orificia nervulorum ibidem desinentium: ex quo fit, ut succi nervei retenti & malè affecti fermententur, & nervulos pungant; & ideò cerebrum, & postea cor irritando, febrilem motum producant. Igitur, vigente & perseverante febri, necesse est, ut sanguis, vehementer ab arteriis intra glandulas impulsus, sua fervida fluiditate & rapidissimo attritu abluat, abradat, tollatque obturamenta corrosiva, quibus ostiola nervulorum, intra glandulas disseminatorum, obstruebantur, & etiam aperiant aliqua vasa excretoria. Ex qua apertura sequitur, ut succi nervei acres fermentatique, non ampliùs impediti, effluere excernique è nervis intra glandulas possint, & hinc partim intra venas emitti, in easdem glandulas desinentes (juxta Naturæ leges, quæ venas ad excipiendos succos destinavit) partim verò excerni queant per vascula excretoria, nuper aliqua ex parte deobstructa. Dum igitur sensim è nervis expelluntur prædicti succi fermentati & acres, qui irritando causa febris fuerant, necesse est, ut continenter excandescentia febrilis mitescat & minuatur: & tandem completa exoneratione nervorum, & expurgatis à sarcina acrium succorum, cessabit necessariò irritatio & commotio vehemens musculi cordis; & proindè quies ejus, & finis paroxysmi febrilis subsequetur.

Sed ne quis putet, nervos à succis fermentatis acribusque expurgari omnino non posse per effusionem eorundem intrà glandulas, nisi spiritibus omnibus effusis, ut nervi exinaniti & exucci fiant (hoc enim sine animalis interitu fieri non potest) cogitandum potiùs est, non totam massam succorum nerveorum æque & uniformiter contaminatam esse debere, ad instar dolii aceto oppleti, è quo acredo tolli non potest, nisi totum acetum effundatur, ejiciaturque: sed potiùs sicuti fæces vini & flegma, à sulphureis & oleosis partibus separata in fundo vasis subsidentia, commodè educi è vino & ab oleo possunt per foramen, in fundo dolii apertum; sic quoque succi acres fermentati subsidere possunt in infimis partibus nervorum prope glandulas obstructas, & proinde ab apertis orificiis eorum effluere possunt, remanente reliqua massa spirituum nerveorum sincera, & à salibus non coinquinata.

Quòd verò aliunde cor irritari possit, licèt actu non tangatur à salibus acribus, in remotis partibus nervorum sepositis, facilè suadetur. Quia nervi ejus naturæ sunt, ut mordicato uno ejus extremo termino sensus dolorificus in loco dissito percipiatur: sicut, læsa spinali medulla ob contusionem, aliquando in genu & crure dolor perceptus est; pariterque intima fovea auriculæ vellicata, excitatur læsio & commotio in septo transverso, & in musculis intercostalibus, à quibus vehemens tussis efficitur. Idemque innumeris aliis exemplis comprobari posset.

Quare manifestum est, quòd ex nostra theoria facile adæquata ratio reddi potest diminutionis & extinctionis paroxysmi febrilis.

Pariterque resolvi potest hoc aliud Problema. Quare initio morbi urinæ non sunt alteratæ, sed post primum & secundum paroxysmum suam malitiam ostendunt, ratio desumi posse videtur ex eo, quòd ante primum paroxysmum succi salini, qui sunt fermentum febrile, non in venis, sed intrà glandulas obstructas, & deinceps intrà nervos detinebantur: & ideo mirum non est, urinam à sanguine separatam immunem esse ab impuritatibus, in sanguine non adhuc existentibus: sed postquam confecto paroxysmo prædicti succi salini è nervis intrà venas magna ex parte exonerantur, necesse est, ut aqueæ sanguinis serositates à prædictis salibus inficiantur, imprægnenturque, ut aquæ natura exigit; proindeque urinæ ostendent malitiam & corruptelam, à dictis salibus dependentem.

Propos. XII. Quomodo paroxysmus febrilis denuò renovari possit post certa ac determinata tempora.

In præcedenti jam diximus, quomodo paroxysmus febrilis diminui, tandem in intermittentibus omnino remitti & extingui possit. Restat modò difficillimus nodus dissolvendus, quomodo & quare post certa & determinata tempora paroxysmus renovari possit, ut nimirum exactius, quàm horologium, statis temporibus redeat; cujus phænomeni tam ardui latent adhuc intimæ, propriæ & immediatæ causæ: quare contenti erimus conjecturis illis generalibus, quæ subodorari possunt. Quia, completo uno paroxysmo, subsequens renovari non poterit, nisi denuò reliquiæ fermenti & humor viscidus aucti multiplicatique obstruant secunda vice excretoria vasa, & repleant & pungant orificia nervulorum earundem glandularum. Et completo primo paroxysmo, cessat effluxus vehemens sanguinis, à quo ostia glandularum patula & aperta retinebantur. Et aliunde reliquiæ fermenti in glandulas nova elaboratione succos viscidos & acres advenientes fermentant: ergo ab iis vasa excretoria, & postea ostiola ner-

nervorum secunda vice infarciri, obstrui & pungi poterunt. Modò certum est, universam hanc operationem fermentativam, & obstructionem vasorum in glandulis fieri & absolvi debere certo & determinato tempore, non in instanti, siquidem succus fermentativus, & viscida materia esset in omnibus febribus eadem, ejusdem acredinis & consistentiæ; & vasa, eodem modo disposita in eisdem glandulis, proculdubio semper eodem tempore talem operationem complerent; proindeque in omnibus febribus tempora intermittentiæ essent æqualia inter se. Porrò cum videamus, inæquales valde inter se esse durationes intercapedinum paroxysmorum; ut nimirùm à principio unius ad initium alterius subsequentis intercedant horæ viginti quatuor in quotidianis, & horæ quadraginta octo in tertianis, atque horæ septuaginta duæ in quartanis, fatendum omnino est, vim fermenti, & materiæ visciditatem in hisce diversificari eadem proportione temporum inæqualium, quibus operationes illæ febriles complentur. Et quidem ex vulgari opinione talis differentia in quatuor humoribus alteratis & fermentatis ponitur: ut nimirùm longa intercapedo inter antecedentem & subsequentem paroxysmum in quartana dependeat ab inertia, & torpore humoris melancholici, frigidi, atque terrei; è contra brevius interstitium in tertiana pendeat à mobiliori qualitate flavæ bilis calidæ & igneæ; & major frequentia paroxysmorum in quotidianis à nobilissima sanguinis natura aërea & vividiori producatur. Sed quia tota hæc doctrina de quatuor humoribus, eorumque proprietatibus & operationibus meritò antiquata & rejecta est, cum nedum nullis firmis rationibus fulciatur, sed præterea phœnomenis febrium nullomodo satisfacere queat, ideo alia hypothesi hoc problema resolvere tentabimus.

Adverto igitur, quòd, licèt plurimis modis salvari possit inæqualitas intercapedinum paroxysmorum, ille tamen seligendus mihi videtur, qui nedum omnibus phœnomenis satisfaciat, sed etiam omni ex parte congruat, facilis quoque & simplicissimus sit.

Is porrò, ni fallor, talis erit. Diximus, quòd, nisi orificia nervorum obstruantur punganturque, paroxysmus exacerbari non potest. Igitur si secunda obstructio & vellicatio fieret non priùs, quàm exactis horis 24. vel 48. aut 72. horis, deberet tot horis præcisè retardari excandescentia secundi paroxysmi. Quia verò causæ, obstruentes & irritantes orificia nervorum in glandulis desinentium, non sunt aliæ, quàm succi viscidi & lenti, & acres in glandulis collocati; igitur, si prædicti succi talem consistentiam haberent, ut obstructiones perficere possent temporibus inæqualibus superiùs expositis, deberent effectus febriles iis inæqualibus temporibus fieri.

Videndum modò est, quomodo consistentiæ succorum viscidorum differre possint in quæsita proportione. Hoc autem non videtur difficile. Si enim in tribus cyathis infundantur æquales partes aquæ, v. g. in singulis libra una; & in primo misceantur sex unciæ farinæ, aut alterius pulveris gluten efficientis; in secundo vase misceantur unciæ tres farinæ; in tertio vase duæ unciæ tantùm: manifestum est, atomos farinæ, spatium ejusdem molis aquæ occupantes, non æquis intervallis à se invicem distare posse, eo quòd sex unciæ farinæ continent duplo majorem granulorum farinæ multitudinem, quàm ejusdem tres unciæ habent: Et ideò atomi hujus duplo intervallo ab invicem recedunt, quàm atomi illius. Hinc fit, ut in descensu farinæ ad vasis fundum gluten ejusdem consistentiæ conficiatur temporibus inæqualibus; nempè duplo citiùs in eo cyatho, in quo farina duplo copiosa fuerit. Supponamus modò, quòd gluten primum contingat canalem aliquem, vinum lentissimo & torpidissimo cursu effundentem, eumque obstruat spatio unius horæ, ibidem nimirùm ejectis & coagmentatis particulis glutinosis. Patet, quod gluten secundum semissem dosis materiæ obstructioni aptam habens, tardiùs eundem canalem obstruet, nempe duplo tempore; tandem gluten tertii vasis, cujus materia glutinosa subtripla est primi, & subsexquialtera secundi glutinis, obstruet eundem canalem longiori tempore, scilicet triplo primi, & sexquialtero secundi. Hoc igitur cum lumine Naturæ fieri posse constet, plane in casu nostro excandescentiæ febrilis, omnino illi exposito exemplo simili, idem fieri posse probabiliter conjicere possumus. Nam ab orificiis nervulorum in statu quietis effluunt succi nervei torpidissimo cursu intra glandulas. Ergo materia viscida & acris, contingens prædicta ostiola, dum turget ob fermentationem, facilè insinuari potest, obstruere & pungere illa ostiola, & hoc absolvi deberet temporibus reciprocè proportionalibus consistentiæ glutinis, scilicet ejus, quam habent materiæ moles admistæ, gluten efficientes. Quare in quotidiana illa materia v. g. unius scrupuli admista, si obstructionem complere poterit post horas 24. in tertiana subduplum molis ejusdem materiæ obstructionem complere poterit post horas 48. & in quartana subtriplum prioris materiæ obstructionem complebit post horas 72. & tantundem dilatari intermittentiæ, seu distantiæ inter primum & secundum paroxysmum. Et hæc generalia circa hoc problema mihi conjiciendo dici posse videntur.

Progrediendo postea ad febres continuas, hæ quidem non videntur differre ab intermittentibus, nisi in perseverantia continua excandescentiæ febrilis crescentis, aut decrescentis per easdem periodos quotidianas, aut tertianas. In hisce continuis febribus duæ actiones contrariæ supponi debent simul operantes: una est ipsius glutinis fermentati, quod ob ejus copiam & malitiam potest perpetuò obstructionem, irritationem, & puncturam nervulorum in glandulis moliri majori aut minori celeritate pro inæquali vi, & copia ejus; alia est ipsius sanguinis agitatio à febrili cordis commotione, à qua absterguntur deobstruunturque continenter orificia nervorum, & excretoriorum canalium in glandulis desinentium.

Insuper prædictas duas contrarias operationes hac lege absolvi posse censendum est. Ut, postquam insignis illa turgentia glandularum, & acrium succorum copia (quæ in continuis febribus semper supponi debet) redacta est

ad minimum gradum repletionis, tunc febris ad maximam declinationem reducitur crescente posteà materia glutinosa & acri, crescit pariter turgentia glandularum, & febris similiter augetur usque ad summum ejus statum. Hinc vehemens illa energia, qua sanguis concitatur & fluit, abstergere, vel magna ex parte obturamenta nervorum tollere poterit. Quare succus acris incipiet effluere & excerni è nervis; & prout major ejusdem copia expellitur è nervis, eò magis febrilis paroxysmus minuitur.

Modò, quia, dum minuitur paroxysmus ob fermenti acris ejectionem è nervis, non cessat concursus novæ materiæ viscidæ glutinosæ & acris, in glandulas immissæ ab arteriis & vasis lymphaticis, nec vis fermentativa in glandulis existens otiatur, hinc fieri potest, ut, antequam imminutus ille motus febrilis omninò extinguatur, & ad statum naturalis moderationis reducatur, interim succi illi glutinosi & maligni, in glandulis collecti, & fermentati, novam obstructionem efficere possint, replendo vasa excretoria, & orificia nervulorum pungendo & mordicando: propterea, quòd diminutus ille paroxysmus, lento motu sanguinem impellendo, nedum ob sui debilitatem ineptus est ad deobstruenda omninò nervorum ostiola, sed nec impedire potest adventum novæ materiæ, & novam eorundem vasorum obstructionem. Quare necesse est, ut, antequam primus paroxysmus omninò extinguatur, incipiat secundus, ob easdem causas renovatus. Et hinc mihi verisimilis causa esse videtur continuationis febris, ut, uno paroxysmo non adhuc completo & extincto, alius subsequatur.

Non dissimulabo tamen, quòd, si certum esset, ut vulgò asseritur, in febribus continuis periodos paroxysmorum complicari, ut præcisè inter se correspondeant, veluti sunt duæ Tertianæ, vel duæ, aut tres Quartanæ, non æquè facilè id salvari posset in nostra Theoria. Sed forsan hallucinantur hi, qui putant, paroxysmos inæqualium periodorum complicari inter se, ut animadvertit Doctissimus Willis. Error enim oriri potest ex eo, quòd numerantur dies, non vero intervalla horarum inter binos paroxysmos proximè se consequentia. Verbi gratia, si intervallum sit duodecim horarum, unum proximè fiet nocte, alterum die, & hæ non erunt duæ quotidianæ, sed potiùs febris una semidiaria. Idem dicendum, si intervalla hos terminos supra & infra non valdè transgrederentur. Similiter, si intervallum fuerit 16. horarum, complentur tres periodi febriles spatio duorum dierum, præcisè non erunt duæ Tertianæ, sed una periodus subsexquialtera diei. Pari modo, si intervallum sit 18. horarum, fient 4. periodi febriles spatio trium dierum. Et si intervallum sit horarum 40. fient tres periodi diebus quinque. Non secùs ratiocinari possumus de intermediis intervallis. Quare falsum esse potest, quòd in continuis plures febres complicantur, vel potiùs id ipsum in nostra hypothesi salvari posse videtur. Si enim verum est id, quod aliqui Medici se observasse aiunt, distingui febres complicatas, nedum quoad tempora accensionum, sed etiam quoad symptomatum varietatem. Tunc considero, quòd, sicut videmus, ab apostemate extremi pedis febrem excitari, sic etiam fieri potest, ut in duabus glandulis insignibus fiant duæ distinctæ obstructiones, quæ diversis temporibus extremum gradum turgentiæ & fermentationis acquirant, & ideò diversis temporibus nervos & cor irritent. Et sic salvari posse videtur, quòd duo paroxysmi habeant duas mineras, seu focos, qui diversis temporibus fermententur & accendantur.

Propos. XIII. De aliarum excandescentiarum, & symptomaticarum febrium causis.

Præter periodicas febres dantur aliæ excandescentiæ, quas omnes ab eadem causa superiùs exposita produci posse ostendemus. Et primò animadversione digna est febris catarrhalis, quæ à frigore improviso produci solet, & multoties, si ob exercitium aut moram in loco calidiori sudor excitetur, ut superveniat aura frigidiuscula, tunc quoque aër communis, insensibiliter refrigeratus, catarrhum excitat. Pro expositione causæ & modi productionis ejus supponendum est, nedum in externa nostra facie, collo & buccis adesse insignes & innumeras glandulas; sed etiam universam cutem totius corporis abundare exiguis glandulis, cum suis propaginibus nervorum & tubulis sudorificis, ut Clariss. Malpighius & alii recentiores Anatomici observarunt. Ergo à frigore superveniente, vel ab aura frigidiuscula, aut à vento necesse est ut impediatur effluvium, quòd ex canalibus excretoriis glandularum sudorificis, & transpirationi insensibili destinatis, continuò egreditur, non secùs ac fluxus aquæ ex virgulis fonticulorum impeditur à venti contraria percussione. Quare succi & particulæ, quæ a fonticulis cutis exilire debuerant, ibidem coërcentur, aut sistuntur; & ideò cohiberi & fixari coguntur: ex qua mora & fixatione obstructio pororum subsequitur. Porrò facta tali obstructione, reliqui succi nervei & sudorifici, seu urinosi, in motu ad egrediendum positi, cohibentur, impediturque ulterior eorum egressus: & ideò, in glandulis coacervati, eas turgidas reddent, ut patet in tonsillis inflatis; deinceps retrocedendo intra nervulos, eosque obstruendo, oportet, ut fermententur, & ideò mordicatis nervis communicari irritatio cerebro deinceps & cordi potest; unde pulsus celer, & caliditas febrilis oriri potest, ut priùs dictum est. Veritas hujus Theoriæ meliùs confirmabitur ex curatione catarrhi, ut inferiùs dicemus.

Adest præterea alia perniciosissima ægritudo, quæ vulgò vocari solet febris latens & proditoria, in qua licèt pulsus bonus sit, & urina laudabilis, nihilominus æger moritur. Hanc profectò ægritudinem febrem esse negarem, sed potiùs passionem similem ei, quæ à venenis producitur, quæ absque febre necem afferunt; propterea quòd spiritum, vel succum nerveum tanta celeritate conturbant, alterant & fixant, ut prius vires consternant & interimant, quàm agitationem febrilem excitare possint. Quòd verò in hisce malignis ægritudinibus,

&

& in venenatis, nervei ſucci ſint malè affecti, & ſanguis non ſit coagulatus (ut aliqui ſomniaverunt) patet experimentis, à nobis factis in Academia experimentali Medicea in animalibus necatis à morſu viperæ, vel ab oleo tabaci, in quibus ſanguis ſemper fluidus & non coinquinatus adeò repertus eſt, ut animalia illa veneno necata, ab aliquibus comeſta, nullam noxam eis attulerint. Similiter in cadaveribus necatorum à malignis morbis ſanguis quoque fluidus, & ſimilis communi ſanguini paſſim reperitur. E contra inſigni læſione affici ſuccum nerveum patet ex torpore, lethargo, paralyſi, & convulſionibus, deliriis, & abſceſſibus in emunctoriis.

Sequitur febris illa, quæ hectica vocari ſolet, quæ non eſt periodica, ſed lenta excandeſcentia perpetuò vigens; ſolet tamen poſt cibum, vigorem & fervorem reaſſumere majorem, quia novus chylus in ſtomacho, pyloro & inteſtinis inficitur ſalibus acidis, & deinde immiſtus ſalibus lixivialibus, quibus eorum glandulæ meſenterii abundant, fervorem & ebullitionem quandam excitare poſſunt (prout eorundem Natura exigit) à qua cor mediantibus nervis mordicatum commotionem, ardoremque febrilem excitare poteſt.

Connumerari hic quoque poſſunt excandeſcentiæ podagricæ, & aliæ ſymptomaticæ, de quibus ſuperius egimus, oſtendimuſque, omnes ab eadem cauſa immediatè produci, nempè ab irritatione cordis, facta à ſuccis nerveis acribus.

Propoſ. XIV. Quomodò febris omninò extinguatur, cureturque, ut animal ad naturalem ſtatum reſtituatur.

Quia remiſſio paroxyſmi in intermittentibus eſt curatio quædam ad tempus; & cauſa, quare renovatur, eſt nova fermentatio, orta ex reliquiis fermenti latentis in glandulis; manifeſte deducitur, quòd integra & abſoluta curatio febris non priùs continget, quàm omninò fermentum febrile tollatur, elimineturque. Quomodò autem hoc conſequi poſſit, non erit ſupervacaneum indicare aliquo exemplo, quod eſt illud, quo familiaris febris catarrhalis curatur. Quia in hac febre cor, vehementer agitatum, magno impetu ſanguinem per arterias impellit; ergo vi impetus, quo ſanguis excurrit, poterit abſtergere glutinoſa obturamenta in nervulis & vaſis excretoriis glandularum totius corporis, & præcipuè propè cerebrum exiſtentium, ubi læſio principaliter reſidet. Porro ablatis obturamentis è ſudorificis, & ab amplis ſalivalibus canalibus in regione faucium, narium, oris & pectoris, expurgari poſſunt ſucci nervei alterati & fermentati, ejectis nimirum impuritatibus, aut contemperatis: ſales enim intra venas magna ex parte amandari, & hinc per urinas excerni ſolent; & reliqua ſalia per vaſa ſudorifica, & per ſalivationem emittuntur. Hoc igitur modo, vel etiam contemperatis ſuccis nerveis, ut naturalem ſuam dulcedinem acquirant ſimilem ei, quam habet cerebrum, & medulla ſpinalis, tunc ceſſat omnino febris, & intemperies morboſa catarrhalis.

Hoc præclarè confirmatur ab excretionibus, quæ in fine morbi ejiciuntur; ſunt enim dulcis & grati ſaporis, ſimilis ei, qua cerebri ſubſtantia, vel ſpinalis medulla donatur, cum initio morbi acres, ſalſæ & corroſivæ excretiones eſſent.

Eodem planè modo febres reliquæ omninò curantur, cum nimirùm vaſa excretoria glandularum, intra viſcera & in extrema cute exiſtentium, deobſtruuntur, & fermentum, in glandulis exiſtens, partim ejicitur per ſudorem, aut tranſpirationem inſenſibilem, partim contemperatur, partim effunditur per venas, & hinc paulatim cum urinis expurgatur, aut contemperatur ab adveniente ſucco chyloſo bene temperato.

Hinc deduci poſſe videtur, quòd febres nunquam, aut rarò curari queunt ob copioſas humorum purgationes & ejectiones, cùm fermentum febrile exiguæ molis eſſe ſoleat: quod evincitur ex curatione febrium, cum rigore advenientium à radice febrifuga, ab India nuper advecta, quæ abſque ulla ejectione, aut per alvum, aut per ſudores, vel per urinas febrem tollit. Et ideo ſufficit, ut puſillum illud fermentum aliquando extra nervos aſportetur ejiciaturque, aut cùm aliis humoribus miſceatur confundaturque, aut ejus motus fermentativus ſiſtatur, torpeat, aut commutetur. Quod evidenter ſuadetur ex eo, quòd pertinaciſſimus morbus quartanæ aliquando curatur à ſimplici opinione iræ, vehementis angoris, aut timoris, cujus ratio eſſe videtur, quia motus vehemens & concitatiſſimus ſpirituum, ſeu ſuccorum nerveorum perturbare, ſiſtere, & commutare poteſt motum fermentativum eorundem ſuccorum, & ſic introducto novo motu, febris omnino eliminari poteſt.

Hæc quidem febrium curatio, quæ ut plurimùm ſpontaneo naturæ motu perfici ſolet, tamen artificio periti Medici, ſecundùm artem operantis, adjuvari poſſe naturæ conatum, omnes uno ore fatentur. Verùm remedia, quæ ab arte adhiberi ſolent, valdè incerta & ambigua ſunt, ut peritiores & doctiores Medici ſincerè fatentur: & licèt eventus aliquando uſum præcipuorum medicamentorum comprobare videatur, tamen caſuale & fallaciſſimum eſt, quia ut plurimùm febres ſunt ſalutares, in quibus, ſive Medicus bene & ſecundum artem, ſive malè & perversè, ſive nil omnino operetur, nihilominus ægri perfectè convaleſcunt. Ergo in hoc caſu, cum operationes & medelæ diverſæ, & inter ſe contrariæ, æquè juvamen afferre videantur, quomodo fundamentis tantopere fallacibus & vacillantibus inniti poterimus.

E contrà aliquando febres ſunt adeò pravæ, ut quælibet medicamenta adhibita aut non juvent, aut noceant; ex quibus deducitur, tutius eſſe, ſine urgenti neceſſitate ab omni medicamento artificiali abſtinere.

Non is tamen ſum, ut omnino Artem medicam, ut inutilem, aut noxiam damnem, & proſcribere velim. Scio in tanta ambiguitate (dummodò præjudicia removeantur) bene poſſe diuturna & ſagaci obſervatione quamplurima medicamenta certò comprobari, ita ut ſemper, aut frequentius juvent. Et hoc experientia quotidiana patet: his planè prudenter & debita cautione uti poterimus.

Verùm, ut ad propositum redeam, intentio principalis Medici in cura febrium (ut ex dictis colligitur) esse debet, ut obstructiones vasorum excretoriorum tollantur, & sales fermentantes contemperentur, adhibito cibo, & potu tenui & aquoso, eò quòd salium separatio ab humoribus, & expulsio frustrà speratur, cum sales, succis glandularum semel inhibiti, & incorporati, ægrè possint ab illis secerni & ejici. Videmus enim ab aqua marina non posse, nisi distillatione dissoluta aqua in vapores, sales separari, & non omninò: potius igitur prædicti sales contemperari & dulcorari possunt, vel admiscendo fluida menstrua appropriata, vel adhibendo salia contraria, ut experimur in aqua forti, quæ acredine salina vitrioli & aluminis componitur, est adeò valida, ut possit argentum corrodere, & dissolvere in atomos minutissimos; huic verò aquæ forti si addantur sales ammoniaci, multò magis acres, quàm sint vitriolum & alumen, nedum vim majorem corrodendi non acquirit, sed è contra eam vim, quam habebat, amittit, adeò enim retunditur & debilitatur, ut nequeat ampliùs argentum corrodere. Similiter mistura salis nitri & sulphuris accensibilis est, &, addito sale ammoniaco, accendi nequit. Alibi posteà sal prunellæ, ex eisdem nitro & sulphure combustis compositum, inflammationes tollit, & fusionem succorum coagulatorum promovet. Sed quoque, & pulvis cornu cervi & cancrorum, acredinem acidissimam retundunt, & tollunt; & id ipsum acetum distillatum plumbo affusum, dulcedinem saccharo similem acquirit. Ex his ergo, & ex aliis exemplis, quæ adduci possunt, constat, acredinem salinam fermenti febrilis retundi, dulcificari, & destrui omninò posse ab aliis salibus admistis contrariæ naturæ.

Postremo loco aliquid de usu Phlebotomiæ dicendum videtur, quam aliqui summopere laudant, alii ut perniciosam vituperant. Hanc ego censeo parum juvare, & parum nocere posse: si enim tam proficua & laudabilis esset, proculdubio in majori proportione ægri convalescerent in Gallia & Hispania, ubi ab omnibus febricitantibus sanguis educitur, quàm in Italia & in aliis locis, ubi nunquam sanguis emittitur. E contrà, si tam noxia esset, in majori proportione ægri in Hispania & Gallia interirent, quàm in Italia. Cùm igitur neutrum verum sit, fatendum est, neque noxam, neque juvamen notatu dignum afferre.

Præterea, quòd Phlebotomia vires non prosternat, educendo spiritus & balsamum vitale, constat experientia in hæmorrhagiis, & liberalibus sanguinis effusionibus in sanis & ægris, in quibus vires non prosternuntur, nisi exangue ferè corpus remaneat.

Experimenta postea, quibus usus Phlebotomiæ, vel non usus comprobatur ab aliquibus, nil probare posse videntur; propterea quòd verificantur in febribus salutaribus, in quibus levia errata nil nocent: sed eo ipso, quod eductio & non eductio sanguinis adversantur sibi ipsis, & utramque proficuam experiri, manifestè indicant, fallaces esse, & in eis locum habere paralogismum, quòd ex non causa ut causa appellatur.

Negari tamen non potest, aliquando Phlebotomiam juvare, aliquando verò noxam afferre: in aliquibus verò Epidemiis omnes ægri, in quibus sanguis eductus est, intereunt: è contra in aliis constitutionibus Phlebotomiæ proficuæ & salutares sunt. Quare dari possunt casus, in quibus noceant, & in quibus proficuæ sint: si hoc enim verum non esset, non semper, vel non ut plurimum verificaretur.

Causa verò, quare aliquando Phlebotomia juvare potest, forsan est, quia in fine cujuslibet paroxysmi succi acres & maligni è nervulis glandularum intra venas effunduntur, à quibus massa sanguinea contaminatur, nec omninò per renes expurgari potest; quare per Phlebotomiam ejiciuntur cum sanguine succi illi acres, & hi, qui in sanguine remanent, contemperari possunt à chylo superveniente, à quo facilè & citò sanguis reficitur & renovatur.

Licèt igitur sanguis alteratus non sit causa prima & immediata febris, non tamen puto nullam noxam afferre; potest enim multis modis animalis œconomiam perturbare; & ideò reductio ad bonam habitudinem & temperiem curationem valdè promovere potest.

Aliquando Phlebotomia utilis esse potest, quia, alterato consueto sanguinis motu, contingit, ut in cerebrum & nervos novus motus introducatur; & ideò fermentativa & morbosa agitatio perturbari, & in melius commutari potest. Hoc quidem confirmari potest ex eo, quod multoties hæmorrhagia sistitur per eductionem sanguinis è vena secta. Similiter tussis asthmatica suffocativa, vel Epilepsia per Phlebotomiam medicatur.

Alteratio verò motus, qui in sanguine ob Phlebotomiam fieri potest, est acceleratio motus ejus in arteriis, & retardatio ejusdem in venis. Quia, dum sanguis egreditur è vena secta, non impeditur adventus & excursus sanguinis in arteria contigua, & ideo celeriùs excurrere poterit: eò quòd antea ipsamet copia, per vias obstructas tardo motu migrando, impediebat vetabatque exitum advenienti sanguini. E contrà, toto tempore, quo sanguis effluit ab incisa vena à vulnere ad proximum truncum Cavæ, non subministratur sanguis; & ideò nedum ob copiam diminutam, sed etiam, quia non urgetur, ut priùs, reliquus sanguis Cavæ tardiùs & minori impetu ad cordis dextrum ventriculum perducetur. Ex hac, inquam, alteratione motus sanguinis consequi potest in ipso cerebro, & nervis aliqua perturbatio, cùm à qualibet minima motiuncula spiritus, seu succi nervei affici & vellicari possint, & novo rhythmo commoveri queant.

Porrò prædicta perturbatio motus spirituum, non est necesse, ut in motionem ordinatam, naturali salutiferoque statui conformem, desinat, cum multoties possit in deterius commutari; & sic aliquando sanguinis missio adeò noxia esse potest, ut necem afferat.

Non secus medicamenta, purgantia per alvum & per vomitum, possunt aliquando juvare; aliquando nocere: attamen ex vi rationum vulgaris scholæ certè nunquam juvabunt, quia humores copiosi & pravi non sunt causæ febrium, sed potiùs exiguum fermentum in nervis è glandulis communicatum. Hoc autem non video, quomodo Catharticis remediis excerni possit,

possit, quia putare, quòd pharmacum vi quadam electiva & attractiva, veluti magnetica ex confusa massa humorum secernat, colligat, & asportet succos aliquos, relictis aliis omnibus salutaribus, videtur somnio simile. Potiùs dicendum, quòd Cathartica acredine & venefica vi, qua pollent, agunt mordicando, exprimunt succos, in vasis excretoriis glandularum, atque in vasis sanguineis contentos, eosque intrà intestinorum cavitatem effundunt: eodem propemodum modo, quo Piper, & quælibet salia corrosiva, linguæ & faucibus obvoluta, copiosissimam salivam excernunt. Hinc inferre licet, quòd in prædictis purgationibus expelluntur humores omnes, in prædictis vasis existentes, sive boni & utiles, sive pravi sint; & hoc nomine utilis & noxia esse potest talis expurgatio.

Verum tamen est, quòd ex vehementissima commotione, quam afferunt Cathartica, potest motus fermentativus febrilis adeò alterari, ut in melius, aut in deterius commutetur; & sic casu pharmacum aliquando proficuum, aut noxium esse potest. Nihilominus in periculosissimis ægritudinibus expedit potiùs aleam dubiam, & periculosam tentare, quàm certò interire.

Alio nomine Cathartica proficua esse possunt, quia venefica vis salina eorum contendere, contemperare & dulcificare potest salia fermenti febrilis, (ut ex superiùs dictis colligitur) non secùs venenositas Cantharidum in vesicantibus eadem ratione aliquando proficua esse potest: sed hæc omnia non carent incertitudine; imò multoties fieri potest, ut valdè noxia sint.

Verùm si hæc, quam exposuimus febrium Theoriam, falsa & erronea non est, scilicet, si non valdè à janua aberravimus, non diffitemur, quòd progressu temporis certiora aliqua febrium medicamenta reperiantur ab eruditis & sagacioribus Medicis.

Hactenus Clarissimus Borellius.

Nos priusquam in hacce disputationum super febrium causis perplexitate, quid sentimus pronunciemus, duas rursus expendemus opiniones, primam quidem Francisci De-le-Boë Sylvii, alteram vero Michaëlis Ettmülleri. Ille tum à bile, tum à lympha, tum à succo pancreatico, tum à saliva, sive sejunctim, sive simul vitiatis, adeoque variè, inter sibi invicem occurrendum, fermentescentibus, febres omnes, earumque symptomata ingeniosè satis deducit. Hic, cum Helmontio maxima in morbis acido tribuens, ejus energiæ, tum per spirituum alterationem cor irritanti, tum per sui cum aliis succis fermentationem, in cordis ventriculis turgescentiam facienti, tum aliàs etiam in variis partibus operanti, quicquid febrium est accenset. Verùm præterquàm quòd fermentatio omnis in superioribus satis superque explosa est, illique propterea in systemate causarum febrilium condendo minùs innitendum; quis non videt celeberrimum Sylvium dum Triumviratus sui partibus nimium studet, sæpius hallucinari; quippe à novo hoc, ut sibi videtur, invento, quasi alia Pandoræ pixide, omnes corporis humani morbos, tantùm non pedum clavos, eruit. At quid hisce immoramur? quandoquidem satis superque ab aliis viris cordatis qualitates ab hoc Autore, tum pituitæ intestinali à saliva vorata præcipue efformatæ, tum succo pancreatico ipsi ut & Discipulo suo Graeffio pro πανάγιον salutato, tum bili, tum lymphæ, assignatæ, jam excussæ fuere, ruinosumque factum ædificium, quantacumque cum arte condecoratum, ipsis superextructum. Ettmüllerum quod attinet, dum acido & alcali totus attentus est, (quorum tamen insufficientia pro principiorum seu elementorum corporum naturalium, munere gerendo, non tantùm probata est, sed etiam ulteriùs demonstratum, nec ab alterutro, nec ab utroque solis morbos solidè deduci) ex illo quasi malo genio quicquid malorum est effert, dùm ab hoc è contra quasi bono genio remedia apta exquirit. At prætérquam quod acidum & alcali pura, etiam de patronorum suorum sententia non reperiuntur, unde Clariss. Otto Tackenius tam anxiè alcali aliquod vacuum, hoc est particulis acidis non imprægnatum, quasi hactenus sibi non visum, consectatur. Illustrissimus Philosophus Robertus Boyle acidum cum acido, alcalique cum alcali hostiliter agere probat, ac proinde signum solum pathognomicum ea interstinguens, & in hac lucta positum diruit, unde constare potest illa esse mera entia rationis per mentis abstractionem à Chymicis quibusdam recentioribus excogitata, nec ullibi in rerum natura versantia. In tanta opinionum varietate & confusione jam ut quid verosimillimum nobis videtur declaremus, non dubitamus ad sententiam Clar. Borellii accedere, quæ etiam ex parte cum Franc. Piens placitis convenit, nam uterque cordis irritationi motuum febrilium causam adjudicat, sed hic à sanguine eam deducit, dum ille à nervis & succo nerveo ipsam derivat; non opus est hic prædicti Franc. Piens hypothesim de irritationis memoratæ causis impugnemus, quandoquidem illud jam à præclarissimo Borellio in propriæ sententiæ explicatione & confirmatione confectum est. Succum nerveum quod spectat, quantumvis eum eliminasse sibi persuadeat Clarissimus Piens ut & alii multi, ad ligaturas & nervorum præcisiones, quæ sine tumefactione & stillicidio peraguntur, in negationis suæ probationem recurrentes, non minùs tamen ille assertores suos & protectores imposterum habebit; atque etiamsi non ita constaret de ipsius existentia, quis demum inficias ibit particulas acres per nervorum fibrulas tubulatas insinuari posse, quæ eadem vi qua convulsiones in artubus tam vehementes sæpe excitant, corpus cordis musculare, fibrasque arteriarum motrices varie exagitent, contrahant & contorqueant, unde præter horrores universales choream in febribus continuis, ut & in intermittentium paroxysmis ut plurimum ducentes, aliaque itidem symptomata magis ordinaria & à Clarissimo Borellio memorata, febres illæ proficiscuntur anomalæ, quæ cum pulsus debilitate, sanguinis retardato, & quasi represso motu, indeque nato algore continuo, vel per paroxysmorum intervalla tantum recurrente, motus suos perficiunt, de quibus omnibus quædam suprà diximus ubi de febris definitione verba fecimus. Focum istius acrimoniæ quod spectat, illum Borellius in glandulis mesenterii

ſenterii ponit, indeque à nervis quaſi exſugi arbitratur, nec multum ab hoc abludebat Fernelius, dum febrium, interque eas præcipuè intermittentium, ſedem in meſenterio conſtituens, partem illam pro Medicorum culina habebat; in uno revera differunt Viri Celeberrimi, quòd famoſiſſimus Fernelius vias per nervos nequidem ſubodoratus, quicquid morbifici è meſenterio ſubrepere paratum erat per venas devehebat in ſanguinis maſſam, at verò Borellius nervis ut jam diximus totum hoc munus tribuens, eos vitii in glandulis memoratis aggeſti infauſtos vectores facit, de quibus omnibus nullatenus opus eſt hic repetamus quæ jam ab Illuſtriſſimo Viro abundè ſatis enarrata in ſuperioribus vidimus. Clariſſ. Gulielmus Cole elaboratiſſimo ac ingenioſiſſimo ſuo de Febribus intermittentibus Tractatu omnino cum noſtro conſentit Borellio, dum per nervos cauſam earundem derivat; verùm in eo differt, tum quòd non è glandulis meſentericis materiam febrilem à nervis hauriri, ſed potius à glandulis totum cerebri corticem conficientibus, reputet; tum etiam quòd febres tantùm intermittentes iſtos agnoſcere natales, continuas verò nullatenus affirmet. Nobis ſanè quandoquidem obſcurum admodum hactenus eſt, quales demum ſint motus, ac etiam, ut innuit ipſe Borellius, circulationes ſucci nervei, ſeu, quod aliis magis arridet, liquoris ſubtilis ſpiritus animales in varia ſua officia vehentis, non etiam ita patulum eſt quis demum ſit verus focus morborum quorum materia per ipſos in corpus propagatur, aut qualiter ab iiſdem exſugatur, ac itaque non multum diſceptabimus an in meſenterio, an in cerebro ipſo, an in aliis etiam corporis glandulis, aut ipſo ſpinalis medullæ tractu febrilis aggeratur fomes. Sed in eo quod magis clarum videtur ſubſiſtemus, rationibus ſcilicet à Borellio allatis, quibus abunde ſatis evincitur penes nervos omnino reperiri quicquid tragici, ac tumultuarii motus in febribus excitatur. Minùs præterea anxiè exquiremus differentiam cauſarum quæ febres aut continuas, aut intermittentes faciat, probabile tamen ſatis videtur eandem prope materiam tot inſidias quantumcunque inter ſe primò intuitu diverſas nobis ſtruere, cujus ſcilicet, tum varii acrimoniæ gradus, tum varii motus, tum etiam ſuccorum in toto corpore aggeſtorum (quibuſcum admiſta turbas movet) varia indoles, tum ab alimentis, tum ab ipſa aëris in variis tempeſtatibus, varia etiam conſtitutione dependens: operationes variant. In ſucco enim nerveo non ita mordicus hæremus dum de febrium cauſis agimus quin itidem aliorum ſuccorum in toto corpore, ut jam diximus, reperibilium miſcelam agnoſcamus, de quo ſobriè ac verbô tantùm dixiſſe ſufficiat, dum ad ea quæ praxim ſpectant præcipuè attendimus. Hic continuò adderemus quædam ex Præclariſſimo Richardo Morton qui tractatum de Febribus noviſſimè conſcripſit, verùm cùm commodius forſitan fuerit ea ipſius Autoris Curationi annexa perlegere, illuc Lectorem remittimus, ſcilicet ad Curationes jam jam è variis tradendas, ubi quid hac in parte afferat Illuſtriſſimus Vir propriis ipſius verbis explicabimus.

De *Signis* tum *diagnoſticis*, tum *prognoſticis* videri poſſunt quæ ſuprà è Clariſſ. Bellini in febrium differentiis; *Curationem* vero generalem quod attinet illam jam propriis Clar. Franciſci Piens verbis explicabimus. *Sic autem ille*.

Cum verò omnis Medicinæ ratio in eo conſiſtat, ut Hominem in totum à morbo vindicet, morborumque vehementiam obtundat, Hipp. *in lib. de Arte*; adeoque non tantùm Sanitati integræ tuendæ occupetur, verùm etiam vacillanti ſuffulciendæ, ac collapſæ inſtaurandæ; per magni intereſt, ut juxta Nominis, Definitionis, Subjecti, Differentiarum, cauſarumque ac Signorum conſtitutionem, quæ jam ſunt tractata, etiam Febrium Indicationes curativas internoſcantur, ut, ordiendo ab iis, quæ ſunt ad finem, hoc eſt, à Nobis notis: progrediendo ad finem ipſum, qui eſt Natura notus, quoquo modo utilitas hujus Tractatus promoveatur. Verè itaque & benè.

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Notandum verò in genere; omne, quod p. n. eſt, remotionem ſui indicare, uti Gal. habet *lib. 8. meth. Med. cap. 1.* Hinc febrem, utpotè affectum ex cordis irritatione p. n. ortum: remotionem ſui quoque poſtulare lippis, & tonſoribus notum eſt, idcircò Medicorum auxilia implorat, illaque Medici eſt conſulere. Si febris autem ex ſimplici efferveſcentiâ, ac fermentatione leni originem habeat, ad morbum convenienter reſpiciendum in curatione, adhibitis imprimis refrigerantibus, ac ſecundariò (ſi ſiccitas adſit) humectantibus; Gal. *lib. 9. meth. Med. cap. 14.* Omnis febris, inquit, qua febris; humectatio, refrigeratioque remedia ſunt. Hipp. etiam *lib. 1. Aphor. 16.* Quod ſi ex fermentatione febris ortum ducat, ad cauſam potiùs cura dirigenda eſt, & vel fermentum diſpellendum, atque evacuandum; demonſtravi enim calorem non eſſe febrium genus, nec eſſentiam; ſed merum effectum ipſas conſequentem, ſeparabilemque ab iis, ac per intervalla ipſas adorientem; ideò ad illum indicatio non eſt adhibenda. In febribus verò malignis, morbificæ cauſæ præcipuè obſiſtendum, ac tam alexipharmacis, quàm diſcutientibus utendum.

Hæc verò curatio abſolvitur duobus modis; vel Empiricè; vel dogmaticè: Medicina Empirica, (cujus Auctor fuit *Acron Agrigentinus*: qui neglectis rationibus, poſthabitaque cauſâ, & naturarum inveſtigatione, atque Anatome, experimentis utebatur, & in incognitis morbis ad ſimiles affectus, & ſimilia remedia confugiebat) ab Agyrtis, Circumforaneis, ac mulierculis petita, pluris apud vulgum æſtimatur, imò haud raro plus efficit, quàm quæ juxta exactam medendi methodum adhibetur. Floruit hæc ſecta potiſſimum apud Ægyptios, apud quos (ut ait *Herodotus*) ſinguli morbi ſingulos ferè Medicos habebant: Antiquior etiam ille erat Hippocrate: Scripſit Athenis linguâ Doricâ de Medicinâ librum unum. Remedia Empirica, quibus febres curantur, paroxyſmum ingruentem ſine aliquâ evacuatione arcent: Eaque vel intus adhibentur, uti ſuccus plantaginis, atque Roſar. rubrar. Alumen, &c. Quatenus ſanguineas particulas fermentativas figunt, conſtringunt atque arcent, undè acceſſionem febrilem impediunt: Cujus rei ratio; cùm ſanguineæ particulæ in qualibet parte à motu fermen-

mentativo præpediantur, in cæteris impetuosius tumultuantur, adeoque à perturbatione isthac in toto sanguine concitata, liquoris ejus effervescentia spontanea, ac fermentatio disproportionata, paulò post sequutura inhibetur: Vel exteriùs applicantur, uti regioni cordis, carpis manuum aut plantis pedum: hæc etiam quandoque adeò prodesse vulgo notum est, ut quidam sub mulctæ cujusdam pœnâ, per ista remedia febris curationem polliceantur; cujus rei ratio eadem ac præcedens, scilicet quod sanguinearum particularum cum febrili materiâ effervescentia aut fermentatio inhibeatur, quippè à medicamento vasis alligato particulæ quædam spirituosæ, sive effluvia sanguineis particulis communicantur, quæ sanguinis particulas valde figunt, ac constringunt, aut fundendo & agitando velut præcipitant, atque ita febrilem fermentationem impediunt. Progressu autem temporis homines experientiæ allaborârunt addere rationem, & sic paulatim ante Hippocratem, apud *Cnidios*, *Rhodios*, *& Coos*, nova secta subnasci cœpit, quæ primò quidem dicta fuit.

Dogmatica, seu Rationalis, & jam verò ob admixtionem aliarum sectarum Dogmatico-hermetica appellatur; seu Dogmaticospagirica: Veterum enim Medicinam maximam partem retinemus, sed auctam spagiricorum fundamentis, elegantioribusque medicamentorum præparationibus, utilia seligentes, noxiaque & quæ absurdè tradita rejicientes.

Hujus Dogmatis auxilia duplicis generis à me statuuntur: vel *Natura*, vel *Ars* (quæ Artis, & Naturæ instrumenta superant, ad Medicinam non pertinent) Illa Crisium auctor: hæc tam per *Venæsectionem*, quàm per *pharmaca* alterat, evacuat & roborat: vel ut aliis placet per Chirurgiam, pharmaciam, ac diætam. Quidam tamen Medici ac Doctores Chymici neque in sanguinis abundantiâ venam secandam, neque in cachexiâ purgandum esse dictitant, sed eo respiciendum, quo fermentatio particularum sanguinis sedetur, archeus consopiatur, & vitalis balsamus conservetur. Principio huic olim legitur *Asclepiades*, qui floruit ætate Pompei Magni, orandi Magister, nec satis in eâ arte quæstuosus, qui ob id magni habitus, quod vim naturæ minimè inferret, solum diætâ, balneo, inunctione & frictione contentus. Multo tamen operosior hoc seculo *Helmontius*, qui totus in id occupatur, quo medicamentis & auxiliis Archei furorem mitigantibus, universam medendi rationem absolvat, irridens Galenicos, qui tot millia hominum purgantium usu, & sanguinis missione Charonti offerant. Quasi verò hisce solùm absolveretur Medicina; neque ampliùs de *V. S.* esset cogitandum, de Sudoribus, de Purgationibus, per quæ generosa remedia ipsa natura sponte & citra Artis opem, magnos & periculosos morbos sanat. Imò *Democritus*, teste *Plutarcho*, Helmontium, Asclepiadem, & nos doceat, Animalium nos summis in rebus esse discipulos. Canis enim ab aliquo nunquam institutus laxat quidem stomachum esu cujusdam graminis. Ibis, avis illa Ægyptiaca, rostrum tanquàm *clysterem* in alvum insertans, haustum liquorem injicit, ut refert *Galenus*, item *Plinius*, rostri aduncitate, *inquiens*, per eam partem se perluens, quâ reddi ciborum onera maximè salubre est. Atque Ovidius:

De quibus exiguo est volucris devota labello
Corpora projectâ, quæ sua purgat aquâ.

Unde etiam Phile:

Obstructionem autem ipsa (Ibis sc.) *solvit callidè.*
Geritque Clysteris vicem oris aduncitas,
Quo ventris infundens cavo salsuginem,
Excretiones humidas ani ciet.

2. in *Naturam*, quæ in morbis acutis & præcipitibus per hæmorrhagiam: hæmorrhoides, fluxum mensium, per diarrhœam, unoquasi impetu se relevat. 3. in *se ipsos* hoc ipso fiunt injurii, cùm id idem expediunt contraria sua methodo, quod ordinaria illa facere consuevit: nam cùm fermentationem anodynis inhibeamus peccantium particularum, nonnè id etiam facit purgatio, nonnè eandem aufert *V. S.* 4. nisi præstarent, accessiones febriles extemplò non tollerentur, uti ex praxi quotidianâ cuique notum est, purgantia sub initium paroxysmi exhibita, febrilem insultum protinùs coërcuisse. 5. neque illa Empiricorum curatio, cum, ingruentibus Arthriticis doloribus, partem affectam profundè scarificant, & *V. S.* frequentiùs instituunt, de nihilo est. 6. cùm verò ajunt, præcipitantibus commodiùs hoc posse expediri, ecquis nescit purgantia optima esse præcipitantia, neque tantùm præcipitantia quantum simul expellentia: Ut taceam quod præcipitantia adhibere in magnâ humorum fermentatione disproportionatâ, uti in febribus ardentibus multo sit deterius ipsa purgatione & *V. S.* 7. si hoc non sufficiet, vel satisfaciet illis, subsumimus ex Hippocratis mente *lib.* 1. *Aphor.* 6. *Ad extremos morbos extrema exquisitè remedia optima:* Sed *V. S.* & Purgatio sunt extrema remedia. Ergo.

Cùm itaque *Asclepiades*, *Chrisippus Cnidius*, *Erasistratus* & *Aristogenes* Medicus, necnon *Helmontius* in nullo morbo venam secabant, uti dictum; Alii è contrario tam audaces erant, ut nullo demùm in morbo ab eâ abstinerent, quos *Galenus* summâ cum ratione rejicit; est enim *S. V.* tempestivè & cum ratione administrata multorum affectuum præsens remedium, eadem in multis aliis morbis summè nociva.

Quæritur tamen, an *V. S.* sit adhibenda in omnibus febribus fermentativis? Galenus docet *lib.* 11. *Meth. Med. cap.* 15. *Saluberrimum est in omnibus febribus, quas putrescens* (potiùs fermentalis) *humor concitat, non continuis modò, verùm etiam reliquis, venam incidere.* Sed addit: *ubi nec ætas nec vires prohibent: Lævatâ scilicet quæ corpus nostrum regit, Naturâ, exonerataque eo, quo uti sarcinâ premitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincet: itaque proprii muneris haud oblita, & coquet,* (hoc est digeret & separabit) *quod concoqui est habile; & excernet, quod potest excerni.* Deindè, ut fermentationis impetus utcunque sistatur, Venæsectione opus est; sanguis enim velut vinum fermentatione turgens, aperto vase, subsidit: Licèt autem in Venæsectione non parum utilium spirituum cum sanguine effluat, & exspiret, hi tamen ipsi detenti fermentationem, ac effervescentiam intenderent, æstumque augerent: at remittente fermentatione immodicâ, ipsa Natura meliori conatu mox damnum compensat.

Vena itaque si sit secanda in febribus, ea in principio fieri debet juxta Hippocrat. *lib.* II. *Aphor.*29. *Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move: Vigentibus autem quiescere multò præstat.* Ac eò quidem citiùs, quò morbus velociùs ad augmentum contendit. In reliquis verò præparatio humorum disproportionatorum, extra vasa consistentium, ac fermentum suggerentium, necnon evacuatio aliqua eorundem, Venæsectioni præmittenda est. Plura de hâc re, qui desiderat, legat Augen. *lib.*5. *de curat. per sang. mission.* Sylvaticum *Controvers.*40. *Cent. problem. Med. Decad.* I. *quæst.* 3. Itemque *Tom.* I. *Disp.*18. *Coron. de Venæsect. quæst.*12. *pag.*335. Dom. Sennertum *Tract. de feb.* Jacob. Primeros. *lib. de feb.* De cucurbitulis, scarificationibus, &c. Posteà in specie; hic tantùm in genere de evacuatione pauca dicenda.

Pharmaciam quod attinet, antequàm de eâ agamus, de coctione aliquid dicendum. Est illa principaliter Naturæ opus, in quâ, ceù alicubi *Galenus* ait, Medicus spectatorem agit: Quo tempore nihil temerè movere expedit, estque hujus operis index clarissimus ille Naturæ motus, qui crisis vocatur, prius non apparens, quàm causæ morbificæ in meliorem statum mutatio præcesserit.

Quærenti itaque, utrùm coctionem ejusmodi Medicus accelerare teneatur? Resp. ex *Hippocrate*, nonnisi virium robur conservando per similia non contraria, aut protinus quiescere! Methodum hujus conservationis *lib.* I. *&* II. *Aphor.* tùm *lib. de victûs rat. in acutis* annotatum invenimus. Sed pergendum est & ad expulsionem materiæ peccantis, quæ opus non solius semper *Naturæ*, sed etiam *Artis*, seu Medici. Naturæ, ut in crisi καθαιρόμενοι αὐτόματοι liberati ultrò aut sponte: prout loquitur Hippocr. *lib. de veter. medicin.* Medici, ὑπὸ φαρμάκου à pharmaco, quod de purgante intelligendum, vox præcedens καθαιρόμενοι innuit. De hisce vocibus lege sis ἐπιπελῶς Dietericinas in *Jatreo Hippocratico*.

Cùm verò *Purgatio* duplicem habeat apud *Hippocratem*, & Dogmaticos significationem: Primò significat, humorum, qui suâ quantitate, qualitate aut motu molestant, evacuationem, sive naturâ, sive arte factam, per quamcunque regionem, e. gr. vomitum, sudorem, urinam, nares, tussim, alvum, uterum; Secundò solam disproportionati humoris evacuationem per alvum tantùm, ope medicamenti factam notat: Prior significatio habetur, *com.* 4. *in* 6. *de morb. vulg.* Posterior in eo Aphorismo: *qui benè corpore habent, difficulter ferunt purgationes.*

Aloisius Mundella Vir sanè alioquin de re medicâ optimè meritus purgationes (uti fert Valeriola *in loc. comm. lib.*3. *cap.*16.) in febribus acutisque morbis ita explodit, aversatur, damnat, ut vox locum in medendo illis relinquat *Epist.* namque, **10.** *lib. Epist. Medicinal* rursusque, *Epist.*22. ita solventium medicamentorum in febribus usum contemnit, ut priori Epistolâ affirmare non vereatur, nullam à Galeno *lib.*II. *Meth. Med.* de solventibus Pharmacis mentionem esse factam; altera autem Epistola ita medicamentorum solventium noxas exaggerat, omissis, quas præstant utilitatibus. De hâc sententiâ quoque *Helmontius* fuit.

Contra quam & summorum Medicinæ principum virorum Hippocratis puta, Galeni, Pauli, Aëtii, Abvalibn-sinæ, &c. Inconcussa, & Medicinæ auctorum omnium concors assensio, ipsaque experientiæ fides attestari, comprobareque firmissimo testimonio videntur. Galenus *lib.* **II.** *Meth. Med. cap.***10.** quoque dicit, quæ obstruunt, detersa, dissectaque, per *alvum*, urinas ac sudorem ea evacuare tentandum. Idem etiam *eodem lib.* de quo *Aloisius* mentionem facit. Hic igitur expressis verbis in utroque loco *Galen.* purgationes in febribus adhibet. *Helmontius* verò Soli obloquitur: Plurimùm hic purgantibus pharmacis loci est: Illa enim febrium materiam expellunt. Et hoc est quod, restrictâ alvo, crescant indispositæ, ac febriles particulæ, & hinc gliscant febres. Forsan *Helmontius*, ut *Asclepiades*, à C. Celso sublevari potest. *Vomitum*, inquit hic, *rejecit & rectè, si eo homines vorandi facultatem moliuntur. Paulo etiam longiùs processit. Idem purgationes quoque eodem volumine expulit. Et sunt hæ perniciosæ, si nimis valentibus medicamentis fiunt. Sed hæc tamen submovenda esse, non est perpetuum, quia corporum temporumque ratio potest ea facere necessaria, dùm & modo & nonnisi cum opus est. Ita non ex toto res condemnanda est.*

Quæritur, an Purgatio in principio conveniat? nam Hippocrates *lib.*I. *Aphor.*22. inquit; Materia cocta purgatione est educenda, non cruda: coctio tantum fit in statu, cui succedit declinatio, in quâ tantum videtur purgandum, etsi enim morbus solutus esse videatur, reliquiæ tamen permanent, quæ solent facere recidivas: Cocta autem sunt purganda, quia materia sequax est, nec resistit medicamento purganti, dein naturæ motus sequendus, quæ primum coquit, separant, posteà purgat: Ex hisce itaque negarunt esse unquam in principio purgandum. Quidam purgationem distinguunt in eradicativam & minorativam, quæ partem tantùm materiæ morbificæ demit, dicuntque minorativam in principio convenire posse, eradicativam autem tantùm perfectâ coctione, & absolutâ. Sed in harum vacuationum explicatione non satis consentiunt: Nam quidam omninò minorativam istam purgationem derident, aut si detur, negant tamen eam ante coctionem convenire. Alii definiunt minorativam, quæ partem materiæ morbificæ subtrahit; eradicativam verò, quæ universum humorem: At si ita est, raro eâ purgatione utemur, etsi enim interdùm quando humor paucus est, unico dato catharctico totus vacuari potest, tamen id raro contingit, cùm sæpiùs cogamur catharsin iterare, nec satis tutùm sit talem purgationem, quæ præterquam, quod non semper succedit, corpus præterea in multa pericula præcipitat, aggredi. Sed quid de Epicrasi, quæ paulatim tantùm humores concoquit, & expurgat, dicturus illi. Præterea purgatio instituitur in morbis ad eorum curationem, undè purgare tantùm in declinatione, curato scilicet morbo, aut inutile est, aut saltem id non fit ad curationem, sed tantùm ad præcavendam recidivam, quæ à priori morbo distincta est. Demùm per blanda & minorantia pharmaca, sed sæpiùs repetita universum humorem disproportionatum haud raro expurgamus, uti Apozematis nostris in quatuor, vel plures doses institutis, & violentis pharmacis aut semel tantùm,

aut

aut minore dosi exhibitis partem saltem educimus, unde confundi possunt istæ duæ vacuationes, si minorando, uti loquuntur, eradicamus, totumque humorem vacuamus.

Aliter igitur istas purgandi rationes explicandas censeo, ut eradicativa illa sit, quæ particulas fermentativas disproportionatas totas educere, & expurgare apta est, sive in unica dosi, sive pluribus exhibitis præstat, ut Rhabarbarum, Jalappa, Resina Jalappæ, Resina Scammonii, Hydrocatharcticon Turqueti, Calomelanos Turqueti, quæ si sæpiùs, debitaque quantitate exhibeantur, omnes humores febriles purgare apta sunt; minorativa illa sit, quæ non humores febriles disproportionatos, sed & illos in primis viis latitantes educit, ita ut hujusmodi medicamentum naturâ suâ nunquam ipsum morbum curet, cum natura sua nullam morbi partem demat.

Sitque 1. conclusio; leniens medicamentum, seu minorans utiliter in morbi principio administratur, cùm quia primam regionem expurgat, cujus impuritas morbum fovere potest, cum quia aliàs nec venæsectione, nec aperientibus pharmacis tutò uti licet. 2. Conclusio: Medicus interdùm regulariter operatur, interdum coactè. Regulariter non debet in principio purgare, quoniam humores crudi etsi possint esse tenues & parati ad expulsionem, tamen non sunt à reliquis separati, viæque non solent esse apertæ. Coactè autem potest purgare in principio, quando particulæ fermentativæ turgent. 3. Conclusio: non est semper expectanda perfecta concoctio ad purgandum, sed sufficit qu discunque, ideò licet in principio & augmento quando coctio incipit apparere, catharsin instituere; uti enim particulæ disproportionatæ coquuntur, & sequestrantur per partes, ita & per partes evacuantur: Id maximè apparet in chronicis febribus & longis, ubi alternis purgare solent Medici, & præparantibus uti.

Vomitiones quoque mortalibus sunt, teste *Plinio*, in remedium excogitatæ: At eas *Asclepiades* condemnavit: sed haud ex toto, si *C. Celsum* audiamus. *Ejectum esse*, inquit hic, *ab Asclepiade Vomitum in eo volumine, quod de Tuendâ Sanitate composuit, video, neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui quotidiè ejiciendo vorandi facultatem moliuntur.* Cæterùm sua cuique natura sit cognita: Quidam ex facili vomunt: *Nota habet*, Seneca *inquit, quisque sui corporis vitia, itaque alius vomitu laxat stomachum, alius interposito jejunio corpus exhaurit & purgat.* Multi jam saturi haud ægrè, quicquid biberint, vomitu remittunt. Cuidam quoque stomachus musculosus & ad id valdè aptus teste D.D. Bartholino contigit. Contra multi jam ebrii vomendo interiere. Sanè Hippocrates, *in lib. de inter aff. tex.* 47. vomitum conducere arbitratur. Mos olim fuit apud Ægyptios & Chaldæos pro conservandâ sanitate, quolibet mense vomitum ciere, uti referunt Diodorus Siculus ac Herodotus: quem morem laudat Hippocr. dum *lib. de insom.* scribit, salubre esse bis in mense vomere, & 3. *de diætâ*, humidiores, *inquit*, debent vomere ter, sicciores bis. Legitur etiam in Ecclesiastico *cap.* 31. de vomitu præceptum dignum prorsus: *vers.* 25. *Et si coactus fueris in edendo multum, surge è medio & vome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatē.*

Cæterùm, quæ Vomitum cient, ea collegit *D. Joh. Freitagius*, item *Claudius Deodatus. D. Joh. Walejus, Sennertus*, aliique; uti sunt Syr. vomitivus Prevotii. Syr. Emeticus Gr. Horstii. Electuar. Diasar. vomitivum Fernelii. Tartarus Emeticus purgans. Elixir. Emeticum Vegetabile. Syrup. Emeticus Zwelferi. Vomitorium Heurnii. *Atque Benedicta Rulandi & Freitagii.* Sed quod absque ullo quoque periculo à me in febribus aliisque morbis in praxi usurpatur, est Sal Tartari Vitriolati.

Nec tantùm per alvum & vomitum, sed per urinas & sudores corpus in febribus evacuamus. *Diuretica* itaque, seu urinas moventia, quandoque cum fructu in febribus exhibentur, præsertim in intermittentibus, si natura eodem vergat, & nulla magna humoris quantitas & crassities obstet: Propinanda vero imprimis post alias evacuationes: ac temperatiora ex iis eligenda, quæ simul meatus aperiendi, febrilemque materiam attenuandi vim habent; uti Rad. fœnicul. Apii, Petros. Asparag. Saxifrag. Sisymbr. Ononid. rubr. tinctor. &c. Herb. Saxifrag. Herniar. Abrotan. Agrimon. sem. dauci. fœniculi. Baccæ Juniperi. Lauri. Sal. Prunell. Spiritus Salis, Vitrioli, Sulphuris, Tartari. ol. junip. veri. Vide sis amplius *Schroder. Sennert. Walejum. Heurnium* aliosq;.

Cùm autem varia sint *diuretica*, non est promiscuè quibuslibet utendum; nam si febris sit vehemens, febrilisque materia copiosa, benignioribus utendum, minusque calefacientibus, ne vehementioribus agitatus humor & ad angustos meatus deductus obstructiones plurimas pariat: Leviora quoque sufficiunt, si natura jam eo inclinet. Quod si febris sit remissior, febrilis materia crassior, corpusque aliquando repurgatum, validioribus uti commodiùs poterimus.

Per *Sudorem* autem evacuari solet febrilis materia, quæ tenuis est serosa, & biliosa: Hæc *Sudorifera* in quibusvis febribus, circumspecto Medico, conveniunt ad fermentativarum particularum in massâ sanguineâ hærentium discussionem: In intermittentibus tamen ac periodicis continuis, tutiùs post humorum præparationem ac purgationem exhibentur; idque eo tempore commodissimè, quo natura ipsa humores movere aggredimur, nempè vel horâ circiter ante paroxysmum, quo scilicet instanti exacerbationi præripiatur febrilis materia, ac causa intercipiatur; vel in paroxysmi fine, quò reliquiæ fermenti, jam magis ad motum aptæ, dispellantur, & ejiciantur. Ubi vero crisis aliqua per vomitum, vel alvum, vel hæmorrhagiam instat, à Sudoriferis, ne operatio naturæ turbetur, tantisper supersedendum.

Sunt itaque sudorem moventia omnia acria, & tenuium partium, quæ non peculiari facultate, sed summâ humores extenuandi vi sudores concitant: Sed non tantùm acria, sed etiam quædam modicè calida; uti decoctum Chamæmill. Syr. S. Ambrosii. præterea quædam majori vi, ut Guajacum, Rad. Chynæ sed hisce rarò in febribus solemus uti, nisi in chronicis, lentis, velut dicemus in specie. Communiter autem conveniunt Sales ex Card. Bened. Absinthio. Fumariâ. Scordio. Centaur. Minor. Tamaris. &c. Item Hydrodiaphoreticon Turqueti. C.C. PP. Diasc. Rob. Sambuci Cortex Peruviana. Trochis. de Vip. Theriac. And. Mithrid. Sp. de Cor. Cer. &c.

Nunc

Nunc de *Acidulis*, *Thermis*, & *Guccis*, dicendum: *Reinerus Solenander* prodit, nec *Græcos*, ut *Hippocratem*, *Aristotelem*, *Galenum*, *Aetium*, *Oribasium*, nec *Arabes*, nec *Latinos*, nec denique recentiores auctores, ut *Michaëlem Savonarolam*, *Barth. Viottum*, *Mengum Blanch. Hugolinum*, *Gentilem Fulgi*, naturam Calidorum fontium sat peritè exposuisse. *Hippocrat.* quidem Thermas *Meli* tantùm commemorat: Unde *Prosper Martianus*: hic homo medicamentis omnibus incassum adhibitis ad Thermales aquas, ut à pruritu sanaretur, *Melum* petiit, quod *Hippocrat.* adeò manifestis verbis asseruit, ut non satis mirari possim Valesium, qui eas aquas dulces fuisse existimavit: Quia si hæc *Balnea* aquæ dulcis ubique parari possunt, ad quid ivit in *Melum*, ubi sunt calidæ *Balnea*, uti *Hippocrat.* ait. Ex recentioribus *Bartholomæus Montagnana* septem Balnea optimè exequitur, sicut *Balneum Aponense*, *S. Petri*, *Novæ Domus*, *Montis Groti*. *S. Bartholomei*. *S. Helenæ*, *Montis Ortonis*. Plura enumerant *Vidus Vidius* & *Fallopius*. Consuli quoque possunt *Menghus Blanchellus*, *Jacobus de Dondis*, *Johan. Anton. Pantheus*, *Ludovicus Pasinus*, *Johan. Francisc. Brancaleo*. *Nicol. Massa*, De hisce Thermis naturâ vel arte factis apud *Horstium Sennertum* aliosque viros videri potest, utrum in febribus conducant necne: Curiosus enim eorum apparatus apud nos desiit, vixq; unquam nisi in Hecticis eo utimur.

Diætam febrium quod attinet: Rectè scribit *Hippocr.* 1. *Aphor.* 1. non solùm Medicum, sed & astantes, & ægrum officio suo fungi debere, alias remedia administrari commode nequeunt, si quæ rectè Medicus præscripsit, adstantes aut intempestivè adhibent, aut inconsulto Medico aliquid circa ægrum moliuntur, quod postea ipsi futurum est nocivum. Solent enim Mulierculæ, quæ ægrotantibus inserviunt, tam affines etiam, quàm amici ægrum invisentes, cibos obtrudere quàm plurimos, & sæpiùs ad vires, uti ajunt, sustinendas. Victûs verò ratio omnium maximè virium incolumitatem spectat, per accidens enim curationem. Consistit itaque in quantitate, qualitate, & utendi modo.

Quantitatem quod attinet. Notandum, ægrotos habere latitantes intus causas morbificas, quæ igni naturæ ac viribus vim inferunt, cibus autem etsi sua natura conservare soleat, causas tamen febriles non debellat. *Corpora impura, quò plus nutries, eò magis lædes.* Hipp. 2. *Aphor.* 10. Quod observare debent omnes, qui dùm ægris opem ferre gestiunt, in certam perniciem illos detrudunt: & sive Medicus quippiam aut imperarit, aut prohibuerit ex arbitrio tamen faciunt, quicquid lubet. Ventriculus enim in febricitantibus languidior est, idcircò cibum probè non concoquit, sed potiùs ab humorum ob particulas febriles disproportionatorum copiâ & fermentatione corrumpitur, sicque febrili causæ fomentum præbet: Hinc Hippocrat. 7. *Aphor.* 65. Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic laboranti morbus. Febres vel sunt acutæ, vel acutissimæ, vel longiores: In acutissimis, quæ quatuor diebus judicantur tenuissimo victu utendum, quia habent brevissimum principium & augmentum, & mox ad statum properant, statim extremos habent labores, Hipp. Sed quæ minùs sunt acutæ, non adeò tenuem victum postulant, semper observando ut juxta statum tenuior sit quàm in principio, quià natura tum humorum pepasmo intenta non debet revocari ad alimenti pepsin. In febribus porrò vel materiam morbi spectamus vel vires: Materia cùm concoqui & evacuari postulet, nullum cibum desiderat, viribus autem inedia, tenuisque victus nocet, eas enim atterit: Igitur semper vires spectandas esse docet *Abvaljibn-sina*; Item Hipp. 1. *Aphor.* 7. & 8. Item 1. *Aphor.* 9. Galen. Item observari debent Regiones, anni tempus, ætatem, & morbum, in quibus febris expedit, aut non, juxta *Aphor.* 11. & *lib.* 2. *Aphor.* 34.

Qualitatem quod attinet: Solent itaque mulierculæ haud rarò febricitantibus cibos varios, quos roborantes vocant, offerre, uti cerevisiam crassam cum nuce moscatâ, cinamomo decoctam, aliosque, quos variis nominibus appellant: imò urgent sæpe ad solidos cibos capiendos; licet hæc omnia satis imprudenter. Et quidem 1. solidi cibi febricitantibus sunt valdè importuni, cùm à ventriculo concoqui probè non possint. At quæ sorbentur, faciliùs vincuntur, citiùs alunt; hinc sorbitionibus potiùs quàm cibis solidis alendos ægros suadet. *Hippocr.* variis in locis: Ejusmodi enim diæta natura citiùs roboratur, nec revocatur à pugnâ quàm inivit cum morbo. *Facilius est refici potu quàm cibo. Aphor.* 11. *lib.* 2. ubi per potum quicquid sorbendo sumitur, intelligit, uti interpretes advertunt, vide sis Cor. Celsum *lib.* 3. *c.* 6. Galenum *in comm. lib.* 1. *Aphor.* 16.

Vivendi modum quod attinet: Solent namque mulierculæ cibos febricitantibus offerre, quando minime oportet. Ubi sciendum, in febrium accessionibus à cibo prorsus abstinendum, juxta Hippocr. *Aphor.* 11. *lib.* 1. & 19. ejusdem libri: Quâ in re hoc nostro tempore non parum peccatur, in quo plurima pars indiscriminatim alant ægros, nullâ observatâ temporum ratione. Natura enim dum in accessione adversus morbum decertat, conficiendo alimento minùs intenta est, quo fit ut ille incoctus febrem ejusque symptoma augeat: Quæ autem damna ex importunâ cibi oblatione succedant, docet Hippocr. 4. *de acutis*. Quæritur tandem an illis febribus, quarum accessio tam longa est, ut fermè statim à declinatione novus instet paroxysmus, in statu exhibere cibos conveniat, an in declinatione? Quidam deteriùs esse putant, cibum largiri in principio paroxysmi, quàm in statu, invadente enim febri, irritatur ignis naturæ, pulsus depravatur, cor magis læditur; hinc virtus labefactata cibum commodum non coquit, cruditates augentur, fermentatio disproportionata gliscit, particulæ vaporosæ plurimæ ex alimento malè fermentato, & accenso suscitantur, sic periculosior fit paroxysmus & mors interdùm ex ignis naturæ irritatione, ac suffocatione contingit, quod enim in principio commissum est erratum, aliis temporibus etiam communicatur; undè *Hippocr.* ptisanam dare, cùm pedes sint frigidi, vetat: Hinc error committitur à mulierculis, quæ in febribus, quando toto corpore frigescunt ægri, potus & actu calidos, & multùm calefacientes propinant, ut molestum illud frigus abigant: Cùm potus tamen præsertim calidus faciliùs corrumpitur, & febrilem fermentationem exasperat,

asperat, in principio itaque nihil dare satiùs est, at cùm calor ad pedes descenderit, aliquid dare licet. Sed in statu tantum non est periculum. Alii his omnino adversantur, cùm virtus in statu plus laboret in corpore universo, quàm in principio. Attamen prior sententia ob rationes supra dictas probabilior est, falsum enim est virtutem plus laborare in statu, quàm in principio paroxysmi, pejus enim est virtutem opprimi, quàm à calore irritari & alterari. Sunt tamen corpora quædam biliosa, calida ac sulphurea sensus exquisitissimi, quæ cùm pluribus laboribus, copiosoque victu uti soleant, nisi cibus detur in paroxysmi initio, incidunt in Syncopen, Marasmum; cujus Historiam narrat Gal. 10. meth. cap. 3. de quodam juvene, qui æstate Tertiana laborans, nisi in accessione cibum capiebat, incidebat in Syncopen. Casus tamen rarus est & non omnes cholerici hisce periculis sunt obnoxii. Denique omnia ea plurimi, qui temere Medicinam faciunt, ignorant, qui tantùm id sibi negotii credunt solum dari, populo ut placerent, & videantur esse de viribus ægri solliciti, quarum tamen conservatio non ex verbis sed commoda remediorum administratione dependet: Sic, uti nimis austeros Medicos non probo, pejores sunt nimium indulgentes, qualis, pro exemplo olim erat Romæ Asclepiades, qui ægris concedebat Balnea, vinum, carnes, & quicquid ægris gratum erat, & optatum, sicque mentes civium Romanorum mirabili artificio ad se trahebat, haud dubiè non sine insigni multorum pernicie: Nos vero scribimus, experientia edocti: Ne quid nimis. Nam.

Balnea, Vina, Venus conservant corpora nostra:
Corrumpunt eadem, Balnea, Vina, Venus.

Omnia (uti de aliis rebus antea dixi) ad Diætam pertinentia, quia cum non sint generalia, in febribus particularibus sunt tractanda.

Quoniam genus Mortalium adeò in suam perniciem ruat, ut non tantùm contra rectam medendi methodum obluctetur, & Medicos ludibrio habeat, verum etiam pentacula sive amuleta quædam in febribus excogitet, in genere hic aliquid ideò dicendum restat, cùm omnes febres in genere hisce curare posse dicant. Nonnulli idcircò hæc Amuleta excogitarunt, uti Zenexeton Paracelsi, cui magnam pesti propulsandæ virtutem inesse multi arbitrantur; sed quia ea ipsa immensis superstitionibus referta sunt, iis quoque à nemine fidem adhiberi velim; cùm similia vix unquam sine expresso aut implicito pacto Diaboli effectus suos sortiantur. Quidam confugiunt ad nescio quæ Amuleta Sacra, variis literis, characteribus, crucibusque intricata, quibus Deum Opt. Max. tanquam ad sensibilia signa cogi posse putant: Sed hæc uti impia sunt, sic à Cordatioribus Ecclesiæ Pastoribus merito tanquam innumeris Diaboli illusionibus exposita, proscripta sunt. Ex quibus multis hic in gratiam Lectoris unum sat superque jam notum vulgatumque apponam, ut fraudibus cognitis ab hujusmodi maleferiatorum hominum inventionibus unusquisque abstineat.

Sic igitur se habet.

† Z. † D. I. A. † B. I. Z. † S. A. B. † Z.
† H. G. F. † B. E. R. S.

Quorum characterum hujus *Amuleti* superstitiosi ajunt hanc esse explicationem.

† *Crux Christi salva me.*
Z *Zelus domûs Dei libera me.*
† *Crux Christi vincit & regnat, per lignum Crucis libera me Domine ab hac febri.*
D. *Deus Deus meus expelle pestem seu febrem de loco isto, & libera me.*
I. *In manus tuas Domine commendo animam meam, & corpus meum.*
A *Ante cœlum & terram Deus erat, & Deus potens est liberare me ab hac febri, seu peste.*
† *Crux Christi potens est ad expellendam febrem & pestem à loco isto.*

Et ita de reliquis characteribus. Verum cùm hæc scripta ejusdem omninò formæ sint cum innumeris aliis, quæ hominibus maleferiatis, & cum Dæmone haud raro pactum habentibus, ad alios effectus similes, impiè excuduntur & superstitiose adhibentur: dicendum ea prorsus suspecta atque scandali plena esse, eaque propter, eorum usum cavendum esse. Nec refert, quod horum *Amuletorum* characteres sic explicari possint, ut sint versuum quorundam Psalmorum, similiumque precum initiales literæ. Nam præterquam quod iidem characteres se ipsos ad id indeterminati sint, possintque à Dæmonis ministris ejusmodi *Amuleta* crudentibus in sensum prorsus oppositum detorqueri; adhuc tamen ex hoc talis *Amuleti* usus reprobandus est, quod eo modo nudis characteribus & crucibus consignatum & in corpore gestatum, exindè insignem & singularem, aut certam vim ad effectus suos habere superstitiosius existimetur. Atque hæc etiam de hâc materiâ difficillimâ, & apud veteres obscurissimâ dicta in genere sunto: sed breviter. Si quæ tamen obscura & dubia in re hoc modo à paucis tractata occurrent, ista non priùs rejicere aut damnare decet, quam meliora fuerint substituta. Ideoque, Lector Benevole.

---------Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non. his utere mecum,

Hactenus *Clariss. Piens*, cui continuò subjungeremus Curationes Febrium ex aliis variis, secundum methodum nobis familiarem, n. de Lectoris nostri commodo magis futurum crederemus si rursus duas hic prius attexemus methodos curatorias; primam scilicet qualem illam habet Autor Praxeos Chymiatriæ rationalis qualiscunque demùm ille sit; alteram verò qualem ipsam exhibet accuratissimus Richardus Morton in sua πυρετολογία seu exercitationibus de Morbis universalibus Acutis. adjectis utriusque circa Febres ratiociniis, quæ quidem apud illum paucissimis verbis secundùm principia Philosophiæ Carthesianæ, ac Chymicorum explicantur; Apud Clariss. verò Morton, secundum sententiam eorum qui ad Systema Nervosum Febres referunt, nervosè traduntur. Veniant itaque primò Capita de Febribus, quæ in

Praxi Chimiatrica Rationali reperiuntur, *decimum octavum* scilicet ac *decimum nonum*.

Febris est mala & perturbata sanguinis mistura, varia producens symptomata.

Divisio febrium est *duplex*, aut propter durationem & intervalla quædam, aut propter symptomata urgentia.

Differentia propter durationem est etiam *duplex*, vel *continua*, vel *intermittens*.

Continua dicitur febris quæ à primo momento invasionis permanet usque ad ultimum momentum suæ durationis, absque ulla remissione.

Continua est etiam aut *ephemera*, sive *diaria*, quæ per unum permanet diem: aut *synocha*, latinè *continens* dicta, quæ per plures dies durat.

Synocha febris est aut *acmastica*, quæ nec accrescit, nec decrescit: aut *epacmastica*, quæ continuo accrescit, aut *paracmastica*, quæ perpetuò decrescit.

Continuis annumerantur, quæ aliquas exacerbationes & remissiones habent, & sunt 1. *quotidiana continua*, quæ quolibet die remissionem habet: 2. *tertiana continua*, quæ tertio die remissionem habet. 3. *quartana continua*, quæ quarto die remissionem, sive exacerbationem habet.

Intermittens est *febris*, quæ post intervalla nunc breviora nunc longiora, diversis redit paroxysmis.

Intermittens dividitur propter intervalla, 1. in *quotidianam*, quia quotidie novus redeat paroxysmus præcedenti respondens: estque *duplex* vel *triplex*, quoties eodem die duo, tresve sibi proportione varia successivè respondentes producuntur paroxysmi. 2. in *tertianam*, quando tertio die novus redeat paroxysmus: estque *duplex* vel *triplex*, quæ ex duobus tribusve tertianis constat, sive in duplici eodem die bini, aut alternis diebus singuli revertantur paroxysmi: sive in tertiana triplici uno die bini, altero unus, aut quandoque uno die terni, altero nullus infestent paroxysmi. 3. In quartanam, dum post duos intermissionis dies revertatur paroxysmus: estque duplex vel triplex. 4. In quintanam, sextanam, quæ aliquando observantur.

His febribus intermittentibus adduntur vagæ.

Causa febris synochæ est sal & sulphur volatile, quod vel propter acrimoniam & volatilitatem à pituita in foco febrili retineri nequit, vel quia ipsa pituita tam mollis & fluida est, ut acrimoniæ fermentorum pro tempore resistere non possit. Causa vero quotidianæ intermittentis est materia salino-pituitosa; sed in tertiana intermittente est materia acido-austera, nec non pituitosa. In quartana autem intermittente, est materia acido-austera, nec non pituitosa. In quartana autem intermittente, est materia magis viscosa & terrestris, salibus rigidioribus & crassioribus constans. In febri vero maligna sive pestilentiali est materia sive fermentum peregrinum non tantum valde activum, sed insuper acre & corrosivum sanguinis mixturam & fermentationem valde turbans & coagulans.

Solem ad non quotidie demittere effluvia subtilissima, motum & vitam sublunaribus cunctis tribuentia, & conservantia, cuique varias anni tempestates consideranti manifestum est.

Hyeme enim propter obliquum solis situm ad terram pauci, & non nisi valde obliqui ad nos derivantur radii, ac propterea motus, & in quibusdam etiam ipsa vita, pro tempore quasi suffocata videtur: torpent ranæ, muscæ immobiles jacent, privantur suis foliis arbores, semina terræ commissa otiosa jacent, nec illorum principia activa ab universali hoc fermento in actum educuntur, & pleraque quasi mortis imagine sopita jacent.

Verùm succedente vere, soleque altius supra nostrum horizontem ascendente, radiosque copiosiores magisque directos ad nos mittente, omnia quasi reviviscere, & ad novam vitam revocari videntur subtilissimis materiæ primi elementi effluviis, horum principia activa in actum educentibus, nec hic materiæ subtilissimæ transfluxus solummodo locum habet in inanimatis, sed propter suarum particularum tenuitatem quorumvis animalium vitam & motum dirigit, cujus luculenta observare licet experimenta in brutis, quæ tempore veris in æstum concitantur venerium, ex agitante materiæ primi elementi partes illorum seminales liberiori motu, quæ per totum hyemis spatium non nisi languido concitabantur motu qui furor tamdiu durat, donec particulis salino-sulphureis volatilibus discussis, sanguis ad pristinum redeat temperamentum, imò hæc particularum seminalium agitatio tam vehemens est in quibusdam, ut quædam bruta in furorem vertantur, & licet cicurata nullorum suorum dominorum habeant rationem, ut hoc in cervis, elephantibus observarunt physici, imò etiam ipso tempore veris, plerique mortales internam quasi lætitiam persentiunt absque ratione manifesta ex liberiori ætheris trasfluxu, sanguinem blandius fermentantis, quique per totam hyemem languentibus morbis fuere detenti, circa veris initium solamen persentire solent, quæque medicamina in hyeme morbos chronicos superare non potuere, à fermento hoc universali adjuta hoc debellare solent.

Hic materiæ subtilissimæ transfluxus, si fiat secundum poros sanguinis figuræ & motui materiæ primi elementi convenientes, & correspondentes, nullam inde homo persentit alterationem, nec molestiam.

Sed si contingat, sanguinem per fermenta peregrina in mixtura & partium suarum ordine valde alterari, hinc pori per quos materia primi elementi libere transibat, in figura sua multum immutari necessum est, & non potest non, quin magnæ inde excitentur turbæ.

De Febribus intermittentibus.

Hisce enim subito angustatis & coarctatis, pro tempore oritur impeditus liberioris materiæ subtilis transfluxus, hinc particulæ sanguinis tardiùs motæ, & segniùs in corde fermentatæ, calorem debitum corpori communicare nequeunt; friget itaque & languet corpus, & pro ratione salium acrium in peregrinis fermentis contentorum cum sanguine ad partes sensibiles membranosas delatorum, oriuntur rigores intensissimi; Verùm cùm materia subtilis continuò impetum facit in sanguinem, ad poros sibi restituendos, tandem vehementius sanguinem concutiendo, ardores introducit molestissimos, quippe sanguinis particulæ, quaquaversum motu celeriori agitatæ, calorem suscipiunt intensum,

sum, duratque ille paroxysmus, donec sanguis ad pristinam reducatur mixturam, porosque obtineat trajiciendæ materiæ subtili correspondentes absque resistentia, & donec fermenta peregrina sanguinis mixturam perturbantia, vel per sudores, vel per insensibilem transpirationem, vel per urinas sint educta, quo in casu materia subtilis absque ulla molestia ruit per poros sanguinis, illumque blandè tantum fermentat.

Redit autem paroxysmus, ubi fermenta peregrina in focis suis stagnantia, ad istum acredinis statum perveniunt, ut obstructiones suas erodere valeant, seseque cum sanguine confundere queant, in quo eandem scænam absolvunt ut ante, duratque illa febris intermittens, donec fermentis temperatis, & pituita viscida obstructiones faciente soluta, sanguinis mixtura non perturbetur amplius, febrium itaq; intermittentium causam adscribimus fermento salino acido austero, nec non pituitæ viscidæ, obstructionem in pancreate causanti, quæ fermenta certis quibusdam temporibus exaltata, & in sanguiguinem acredinis gradum attingentia, pituitam erodunt, seseque in intestina exonerant, vasaque lactea pertranseundo in vena subclavia sanguini se miscent, prædictasque turbas excitant, interim ductibus pancreatis de novo à pituita obstructis. stagnat fermentum, & successu temporis exasperatum, de novo suam obstruentem pituitam perforat, reditque paroxysmus.

De Febris tertianæ Curatione.

Laborandum itaque, ut pituita incidatur & educatur, & fermenta acido-austera sanguinis mixturam perturbantia enerventur, & eliminentur, quæ temperantibus, purgantibus & sudoriferis perficietur.

℞. Pilul. nost. cathol. ℈ j. vel gr. xxv. Formentur pilul. nu. 7. pro dosi.

Vel, ℞. Extract. cathol. ℈ j. Mercurii dulcis, gr. 8. Trochisc. alhandal. gr. 3. Olei macis still. gutt. 4. M. F. pilulæ num. 7.

Vel, ℞. Resinæ Jalappæ gr. 6. scammonii gr. 4. Dissolv. in vitello ovi, adde Aq. menthæ ad formam haustus. Tartari vitriolati ℈ß. Olei carui gutt. 3. M. F. Haustus purgans.

Vel, ℞. Purgantis universalis antimonii gr. 6. Extract. ros. ℈ j. Formentur pilulæ num. 6, pro dosi.

Corpore ritè purgato præscribatur sequens sudoriferum & anodinum.

℞. Reg. antimonii med. ℈ j. Mercurii diaphor. Jovialis gr. 5. vel 6. Diascord. fracast. ℈ ij. Confect. de hyacinth. ℈ j. Salis card. bened. gr. 10. M. F. Bolus, quo assumpto exhibeatur insuper ægro tinct. opii cochl. j. aut ij. cum vino aut cerevisa.

Hæc autem fiant per horam 1. aut j ß. ante paroxysmum, ægerque se ad sudores componat, ut antequam fermentum obstructiones suos referens, se cum sanguine miscere queat, medicamentum hoc in actum educatur.

Si lingua sit arida, æstusque vehemens torqueat ægrum.

℞. Diascord. fracast. ℈ ij, Confect. de hyacint. ℈ j. Reg. antimonii med. gr. 12. Camphoræ, gr. 4. Sacchari saturni, gr. 3. Salis prunell. gr. 10. M. F. bolus sudorificus.

Quod si hæc minus fœliciter succedant, vena secetur hora 1. ß. ante paroxysmum, & ut dictum prius, prædicta exhibeantur medicamenta.

Pro siti exstinguenda exhibeatur decoctum flor. cyan. & buglossæ ut dictum supra, vel spiritus nitri stillatim per guttulas aliquot cum cerevisia vel potu ordinario mixtus, potenter sitim exstinguit. uti etiam sal prunellæ per successivas doses exhibitum an ℈ß. ad gr. xv. cui majoris efficaciæ gratia camphoræ, aut sacchari saturni gr. 2. vel 7. admisceri possunt.

Quidam carpis manuum applicare solent sequentem mixturam.

℞. Fol. ranunculi incis. & maculat. m j. Cort. interioris sambuci, m ß. Fuliginis camini splendentis, Salis communis. Piperis nigri, an, p. 2. Misceantur inter se, & humectentur aceto sambucino, & inter duo lintea comprehensa carpis manuum alligentur & continuo aceto sambucino humectentur.

Vulgus exhibet muschatam nucem cum alumine.

Ubi æger ad sudores pervenit, medicamentumque in actum est eductum, sequenti mixtura, sanguinem ad bonam mixturam redactum, regito.

℞. Aq. melissæ, boragin. Card. bened. menthæ an. ℥ j. Cinnamomi, ℥ ß. Reg. antimonii gr. 30. Salis prunellæ, ℈ i ß. Ocul. cancri, præparat. ℈ j. vel gr. 25. Tincturæ opii, ℥ ß. Syr. de limonibus, ℥ j. M. F. mixtura diaphoretica.

Quòd si per sales medicus judicet rem fœliciùs successuram, sequens præscribatur pulvis sudorificus.

Salis absinthii, card. bened. an. gran. 12. Bezoard. miner. gr. x. Croci optimi, gr. 6. Laud. opiat. gr. 1. Tartari vitriolati, gr. v. M. F. pulvis diaphoreticus.

De Febris quartanæ curatione.

Febres vero quartanæ intermittentes suâ diuturnitate & pertinacia, sufficienter ostendunt illarum ortum esse ex materia magis viscosa & terrestri, salibusque rigidioribus & crassioribus obstructiones pertinaciores parientibus, quæ se non facilè superari & resolvi patiuntur, nisi in principio vel adhibitis generosioribus medicamentis.

℞. Mercurii præcip. albi vulgaris, q. p. Oleo vitrioli irroretur, ut inde pasta formari queat exponantur, hoc tertia vice repetito, & tandem pluvia abluito ad gratam aciditatem pulveris remanentis. Ita enim obtinebis præcipitatum correctum, per inferiora fœlicissime operans, tenacissimosque humores incidens & educens. M. F. Mercurius præcipitatus albus purgans dosis à gr. v. ad x.

Vel, ℞. Vitri antimonii in subt. pollinem triti, q. p. Oleo vitrioli itidem irroretur, ut inde pasta formari queat, exficcetur supra ignem, & hoc tertia vice repetatur, digeraturque postmodum cum sequenti sp. vini rect. (nempe

℞. Mastiches. ℥ j. sp. vini rectif. ℔ j. digerantur & destillentur ut artis est.) Mastichino per xxv. dies digestione sp. vini mastichini peracta cum vitro antimonii coquantur simul, &

in fine sp. vini accendatur. Ita enim obtinebis vitrum antimonii per inferiora purgans, dosis, an. gr. 3. ad 8.

Pro purgante tibi insuper inservient Mercurius vitæ correctus, Præcipitatum solare, & lunare, Asoth. solificatum, dosis an. gr. 3. ad 5.

Purgationibus peractis, per sudores, vel per insensibilem transpirationem, vel quandoque per sedes, sequens arcanum potenter operatur.

♃. Antimonii Hungarici per ignem naturæ multiplicatum calcinati, hoc est, per radios solares concentratos per speculum ustorium, (cave tibi à fumis copiose adscendentibus) calcinationem autem hanc tam diu continuato, donec antimonium ad pristinum redeat pondus.

♃. Hujus antimonii hung. calcinati, ℥ j. Sp. summi vegetabilis, sive sp. vini rect. ℔ ß. digerantur p. XIV. dies, noctesque, hujus circulati exhibeantur ʒ ij. vel iij. in commodo vehiculo appropriato.

Vel, ♃. Rad, bryoniæ, ℔ j. raphani rust. ℔ ij. Herb. cochlear. M 8. Contundantur, iisque adde Vini albi generos. ℔ iv. Digerantur per viii. dies noctesque, Destillentur post modum ex mariæ balneo ad siccitatem.

♃. Hujus destillati, ℥ iij. nucis moschat. in vino saccharato, ℈ j. M. F. haustus mane & vesperi exhibendus.

Vel, ♃. Salis tartari q. p. Butyrum antimonii rect. eo cum stillatim confunde, donec ebullitio cessat, exsiccentur leni igne, & præparatum habebis purgans antimonii quandoque lenissime per vomitum operans, quod potentissime obstructiones pertinaciores resolvit, dosis à gr. 3. ad 8.

Vel ♃. Reg. antimonii med. gr. XXV. Antimonii diaphoret. jovialis gr. x. Theriaces ven. ʒ j. Salis card. bened. ℈ ß. M. F. bolus sudorificus.

Quidam in principio suadent vomitorium, quod quandoque cum fructu succedit.

Prosunt insuper decocta ex lignis & radicibus, generosiora salibus volatilibus ammoniaci, fixisque card. benedict. nobilitata.

Uti & sales volatiles, & aromatici per intervalla ex haustu vini sumpti.

Multum contribuit ad curam diæta exacta, qua ordinariè quartanarii peccare solent, ordinariis medicamentis nihil proficientibus.

Ad chinam chinæ confugere solent tanquam ad sacram ancoram, sed experientia edocuit, quòd si china chinæ exhibeatur, corpori præcipue impuro, quòd plus noxæ & damni quam utilitatis adferat; brevi enim recidivam patiuntur, & morbus ingravescere solet, unde non levis est suspicio, chinam chinæ focum febrilem pro tempore tantùm obstruere, manente interius hoste in insidiis, qui mala diæta exasperatus, majores excitat turbas quàm ante.

Purgetur itaque ante usum chinæ chinæ æger, ut tantum pituitæ viscosæ & salium educatur, quantum fieri potest, præscribaturque ipsi sequens vinum medicatum.

♃. Ras. ligni sassafras, ℥ j. guajaci, ℥ ij. Cort. tamarisci, Aurantium, Citri, an. ʒ iij. Rad. enul. campanæ, Raphani rust. an. ℥ ß. Herb. cent. minoris, Chamædrios, an. M j. Bacc. juniperi. Lauri. an ʒ ij. Sem. dauci, nasturtii, an. ʒ j. M. F. species pro vino medicato quibus affundantur, Vini alb. ℔ v. Sp. vini vulg. ℥ v. Digerantur per 48. horas. Quod si purgans volueris, capite Prædictor. ℔ ß. iisque adde Fol. sennæ mund. ℥ j. Trochisc. agar. ℈ ij. Rad. turbith, ℈ j. Macis, ℈ i ß.

Corpore itaque per purgantia & alterantia bene præparato, si chinam chinæ exhibere animus sit.

♃. Cort. chinæ chinæ, pulv. ʒ ij. Vini Hispanici, ℥ vi. Stent in infusione in cineribus calidis per noctem, detur pro dosi hora 1. ante paroxysmum.

Quidam præscribunt infusionem ligni colubrini, vel ipsum lignum in substantia.

Interea pergat æger, dum febris sopita jacet in usu vini medicati, & strictè diætam observet suam, ita enim fermenta febrilia sensim evanescunt, & pituita viscida inciditur & attenuatur, & foras educitur.

De Febribus continuis.

Quòd si verò fermenta ita volatilia & acria sint, ut pro tempore à pituita in foco febrili retineri nequeant, vel pituita mollior & fluidior fuerit, ut acrimonia fermentorum pro tempore resistere non possit, ita ut antequam paroxysmus prioris febris solvatur, accessus sit sequentis febris; vel si tota sanguinis massa inquinata sit, oritur febris continua, à fermentis peregrinis continuo sanguinis mixturam perturbantibus, ejusque fermentationem in corde alterantibus, hisce figentibus sales & sulphura nostri sanguinis, tandem per continuatas extraordinatas fermentationes se ex nexibus & vinculis aliarum partium exstricant, & in libertatem se vendicantes, furiabundum motum ebulliunt, ulteriusque sanguinis mixtura resolvitur, & ad putredinem vergit.

Ille enim est status corporum naturalium putrescentium, ubi singulæ particulæ seorsum abeunt, & pristinæ suæ societati renuntiant; quamdiu enim principia activa naturalium corporum suis crassioribus particulis ita manent involuta, ut cum iis certum ordinem & mixturam observare cogantur; tamdiu corpora conservantur in suo esse: verum si fermentatione intercedente, vincula corporum naturalia ita laxentur, ut sali & sulphuri volatili, (principiis scilicet illorum activis) detur occasio avolandi, putrescit illud corpus, & ad interitum vergit: in hoc enim interitu corporum naturalium primò secessum faciunt sales & sulphura subtiliora, postmodum crassiora, itidem per fermentationem continuatam attenuata avolant una cum phlegmate, & nil nisi caput mortuum post se relinquunt.

Hisce in casibus maxime laborandum medico, ut vires conserventur, ut materia morbifica per sudores expellatur, ut sanguinis mixtura restituatur & conservetur, utque sales & sulphura nimium ebullentia figantur, & ad quietem reducantur, quod potissimum fiet cardiacis, sudoriferis fixis, acidis spiritibus, blandisque anodinis.

℞. Aq. melissæ, boraginis, card. bened. an ℥ ij. Confect. de hyacint. ℈ ij. alkermes, ℈ i ß, Reg. antimonii med. gr. 30. Sacchari, saturni. gr. x. Salis prunell. ℈ j. Laud. opiati, gr. 3. Syr. de limon. ℥ j. M. F. mixtura diaphoretica.

Si salium & sulphurum nostri s. nguinis tantus sit impetus, ut prædictis non auscultet, exhibeatur tinctura opii à cochleari j. ad ij. in mixtura cardiaca.

Vires si ferant, instituatur venæsectio.

Alvus indurata si fuerit, per clysteres emolliatur: vel si remissio notabilis se ostenderit, purgetur æger infusione rhabarbari, sennæ cum cremore tartari, cujus formulam vide supra.

Corpore purgato exhibeatur haustus sudorificus, ex regulo antimonii medicinali, diascord. fracast. & saccharo saturni, ut supra, vel

℞. Rad. cichorii. scorzoner. an. ℥ j. Rasuræ cornu cervi ℥ ß. Herb. card. benedicti, acetosæ an. m i ß. Tamarindorum. Tartari rhenani ana ℥ ß. Coq. in s. q. aq. pluv. s. a. col. ℔ ij ß. adde Syr. de limonibus. violarum an. ℥ j. Nitri vitriolati ʒ ij. M. F. apozema.

Ad dolores capitis mitigandos, respice illa, quæ proposuimus capite de phrenitide.

Ad sitim intolerabilem exstinguendam, convenit spiritus nitri, vel vitrioli guttatim in cerevisia tenui vel aq. hordei exhibiti.

Vel figetur sal prunellæ vel nitrum vitriolatum in sindone, & in aq. card. bened. madefacta sæpius linguæ imponatur. Vel dissolvatur sal prunellæ in pluvia & os sæpius eluatur.

Vel, ℞. Aq. hord. ℔ j. Rob. de ribes, ℥ ß Syr. de limonibus ℥ j. Olei sulphuris per camp. ad gratiam, M.F. Julapium ad sitim exstringendum.

Vel, ℞. Conserv. ros. pallidarum boraginis, Rob. de ribes an. ℥ ß. Crem. tartari ʒ i ß. Syr. de limon. q. s. ad form. conditi. M.F. Conditum ad idem.

Observarunt insuper practici, quod quandoque æger corripiatur tali febri, in qua eodem tempore & de calore & de frigore simul conqueritur, quod quidam adscribunt materiæ crassæ, lentæ vel pituitæ vitreæ secundum aliquam sui partem putrescenti in venis, quæ ad partes sensibiles delata, calorem iis imprimit, altera vero sua parte aciditate peccans, & non putrescens frigus & rigorem inducit: alii verò hoc phœnomenum potius deberi autumant, duabus intermittentibus eodem die concurrentibus, ita ut rigor unius incipiat, antequam alterius calor cessavit, vel cùm intermittentes cum continuis concurrunt: In his enim calor ex continua perseverat, dum vero in accedente intermittente horror & frigus se manifestant: alii verò hoc menti deliranti adscribunt.

De Febribus malignis sive pestilentialebus.

De febribus malignis ac pestilentialibus acturi oportet, ut inquiramus naturam malignitatis, quam variis modis considerare possimus, vel quatenus sanguinis nostri mixtura à fermentis heterogeneis subito constringitur, & coagulatur, ita ut ineptus evadat ad fermentationem in cordis thalamis suscipiendam, hoc est, satis attenuari, & dividi in minimas partes nequit, ac proinde circulatio impedita, æger succumbat, necesse est, hujus effecta luculenter se produnt in opio, mandragora hyosciamo, quæ sanguinem inspissando, prædicta incommoda promovent.

E contra vero, malignitas se conspicienda tradit in nimia sanguinis resolutione, qua superveniente, sanguis putrescit, hoc est, ipsius sulphura & sales volatiles à fermento contagioso in actum excitata, & ultra modum fermentata, secessum faciunt à reliquis sanguinis particulis, & sic destruitur tota mixtura sanguinis, avolante enim sale & sulphure volatili, quod reliquum est, se habet instar vappæ & capitis mortui, hoc est, revera putrescit, sanguis insuper nimium resolutus, majori copia & impetu in ventriculos cordis & pulmones ruens, quàm par est, itidem circulationem sanguinis suffocare valet, quo in casu subito exstinguitur æger.

Denique sanguini nostro supervenit malignitas, quando peregrina fermenta non tantùm valde activa insuper acria & corrosiva sanguinis mixturam & fermentationem valde turbantia, eo cum miscentur, & hoc in casu periculosa & funesta symptomata se ostendere solent, morbo longè lateque se distendente; ad hæc medicus distinctè attendere debet, ut pro varia constitutione veneni, curam suam dirigat.

In nimia itaque resolutione sanguinis juncta cum acri sale, tentet medicus, antequam corrosivum sedem fixam sibi capiat, illud vel per sudores ejicere, quod potissimum fiet per sudorifera fixa mineralia juncta cum illis, quæ corrosivum demulcere & sanguinis mixturam nimium resolutam, reducere valent. ut

℞. Diascord. fracast. Confect. de hyacint. an. ℈ j. Theriaces ven. ℈ ij. Ocul. cancr. præp. gr. 15. Reg. Antimonii med. ℈ j. Nitri vitriolati, ℈ ß. M F. Bolus in aq. card. benedict. & prophylacticæ, an. q. s. Solvendus.

Vel, ℞. Theriaces venet. ʒ j. Confect. alkermes, ℈ j. Antimonii diaphor. solaris, gr. 25. vel, Ipsius loco, bezoard. miner. gr. xii. Salis prunell ℈ ß. Camphor. æ. gr. 3. M. F. Bolus, ut supra solvendus.

Sudoribus erumpentibus, exhibeatur ægro singulis quadrantibus de sequenti mixtura cochlear I.

℞. Aq. melissæ, ℥ iij. Theriacalis camph. ℥ i ß. Cinamom. ℥ ß. Prophylact. ℥ j. Confect. alkermes, ʒ i ß. Ocul. cancr. præparat. ℈ ij. Reg. antimonii med. gr. 30. Nitri vitriolati ℈ j. Sp. vitrioli q. s. ad gratiam. M.F. Mixtura diaphoretica.

Quidam in principio exhibent sal tostum & decrepitum cum aquâ calidâ hauriendum: Sperantes ex sale tosto detersionem veneni, se ventriculo vel intestinis applicantis, aquâ vero calidâ ablutionem, & eductionem veneni per sudores.

Postmodum pro sudorifero exhibent flores sulphuris cum vino generoso calido, de quo vide Helmontium in tumulo pestis.

Quidam in principio suadent vomitorium, præcipuè si vires ægri hoc ferre queant, cui usui inserviet practico vitrum antimonii per nitrum correctum, ut dictum supra, cum requisitis aliis conditionibus syr. violar. & olei sulphuris per campanam.

Laudantur hic balsama sulphuris tam simplicia quàm composita, descriptio ejus.

℞. Flor. sulphuris, ℔ j. Mirrhæ, ℥ iij. Aloës succotrinæ, ℥ ij. Croc. optimi, ℥ i ß. Camphoræ

venient exactius propendenda, unà cum eorum singulorum situ, textura & usu, cæterisque omnibus, quæ ad causas morborum particularium eruendas, & clarius explicandas conferre possint. Prima fœtûs origo, uti mihi observatione constat, cerebrum est, proximum huic cor, seu punctum saliens; Indeque cerebrum fœtus seu embryonis proportione cæteras partes semper superat; Ex hoc stamina totius corporis sensim & seriatim producuntur. Quod autem ad texturam cerebri peculiarem attinet, sic se habet: Corpus est spongiosum, glandulæ ad instar, conflatum ex tenuissimis fibrillis circumvolutim complicatis, medulla oblongata & spinalis eodem modo formatæ sunt. Fibrillæ tam cerebri, quàm medullæ spinalis in nervos compinguntur, qui sive intra cranium à cerebro & cerebello, sive extra cranium à medulla spinali oriantur, canalium instar, spiritus animales per totum corpus placidè deducentes, sensum motumq; corpori impertiunt, cæterisque muneribus ad vitam necessariis funguntur. Eædem cerebri & cerebelli propagines ulterius continuatæ in membranas, vasa sanguifera, viscera, & musculos expanduntur, iterum constrictæ in forma tendinum & cartilaginum colliguntur, immò ulterius compactæ in ipsa ossa indurescunt. A cerebro igitur, tanquam fonte quodam, tota compages corporis, omniumque ejus viscerum, & vasorum, ortum habet, è spiritu, instar fulguris, è cerebro perpetuo derivato, animata, ad usus proprios & destinatos apta evadit. Quinetiam in statu præternaturali, spiritus animalis, non secus ac massa sanguinis, fermento peregrino inquinatus morbosum characterem recipit. Ex quo non tantùm morbi cephalici, uti apoplexia, vertigo, lethargus, coma, epilepsia, convulsio, mania, melancholia primaria, &c. verum etiam incubus, hystericæ passiones, & affectiones hypochondriacæ, paralysis, cæterique morbi generis nervosi, immò & febres cujuscunque generis, variolæ, morbilli, scorbutus, chlorosis, & generaliter loquendo, omnes morbi sive acuti sive chronici generantur, præter eos qui evidenter à mala diathesi alicujus visceris vel partis specialis oriuntur. Indeque ætiologia omnium morborum universalium, qui totum corpus primariò afficiunt, æquè ac cephalicorum, & nervosorum propriè sic dictorum, ab hinc ritè petenda est. Et quidem juxta hanc hypothesin, horum morborum pathologia certior & rationi longe congruentior concinnari potest, quàm ex doctrina humorum à priscis tradita, forsan etiam indicationes curativæ, quæ adhuc desiderantur, ad hos morbos universales magis aptæ, Medicorum expertorum sagacitate & industria, in magnum ægrotantium solatium, exinde excogitari possunt. Licèt non inficiar indicationes communes à vitiato statu sanguinis, & humorum desumptas, suos usus habere. Nam sicut à morboso spirituum statu, tanquam à præternaturali fermento, illico massa sanguinis morbo afficitur, ita etiam æger spirituum status ut plurimum, à vitiata crasi sanguinis (qui quidem eorum pabulum & fomes est) dependet.

Quo vero hypotheseos nostræ de morborum universalium origine veritas illustretur, priusquam ad specialem ætiologiam & pathologiam descendamus, ut quædam generalia nobis concedantur, postulamus, quæ tamen, pro viribus, & quantum rei natura patitur, demonstratione evidenter probare conabimur. De morbis partium postea suo loco dicendum est.

Postulata sunt quæ sequuntur, nempe dari revera spiritus animales, eosque in singulis fibrillis totius machinæ hospitari, à cerebro & medulla spinali promanare; Eorum canales esse nervos, promptuarium verò cerebrum & medullam antedictam, spiritus esse τὸ ἐνεργητικὸν, seu primum principium activum totius machinæ. Atque eorum unionem cum sanguine esse intimam; Eorum œconomiam sæpissimè perverti, crasin sanguinis ab eorum morbis semper immutari, atque à morbosa spirituum affectione, & inde consequenti eversa sanguinis crasi morbos universales, quotquot sunt, immediate oriri, mediate autem etiam morbos partium.

Quod autem revera dentur Spiritus animales, quantum res patitur, suo modo scilicet ab effectu demonstrari facile potest. Demonstrationem à priori rei natura non permittit, quoniam hi spiritus omnium fere nostrorum sensuum captum longe superant; Cumque secundum Philosophorum axioma, nihil possit esse in intellectu quod non prius fuit in sensu, nec ratio ipsius naturæ atque substantiæ horum spirituum (qui quia sensus omnes præter tactum effugiunt, ideo metaphorice tantum describi possunt & solent) à nobis requiri potest, nec alia aliqua demonstratio illorum existentiæ, nisi quæ sit à posteriori & ab eorum effectibus, qui tam in statu naturæ integro, quàm in morboso sensui patent. Hoc modo existeutia spiritus animalis atque animæ ipsius æqualiter demonstrari potest, adeò ut utriusque existentia pari ratione vel agnoscenda vel neganda sit. Est enim (ut mihi videtur) Spiritus iste immediatum animæ organon, & vitæ ipsius subjectum, qui ideo mediam quandam naturam inter corpus & animam participat, ut vinculum sit, quo anima corpori uniatur, & totam suam energiam vitalem exerceat. Sicut enim in statu sano, per continuatam horum spirituum irradiationem à cerebro, tota corporis compages ad vitales & animales suas functiones, motum scil. & sensum, rite & facile exequendas apta redditur, ita in statu morboso propter horum radiorum influxum, sive à strangulatione, sive à compressione spinalis medullæ impeditum, omnes subjectæ partes illico exsolvuntur, ab irritato vero & explosivo eorum statu tota compages variis hic illic spasmis agitatur & distorquetur, denique ubi à mala diathesi cerebri & principii nervorum hi spiritus à naturali suo statu in stupidum torporem degenerant, utut partes adhuc sint animatæ, illico inutiles, & sensui atque motui impares redduntur, uti in paralysi clarè conspicitur. Indeque facillimè concludere licet, præter animam & fistulosam corporis compagem, dari etiam spiritus (cujuscunque naturæ illi sint) in minutissimis quibusvis fibrillis totius hujus organi hospitantes, quorum ope, quamdiu munus suum debite exequuntur, anima cùm singulis partibus sese communicat, & cùm eos deficere contingit, vel morbo affici, anima ipsa languescit, & brevi; disruptis carceris sui repagulis, aufugiens cadaver deserit insuper ex sensu

sensu tactûs, qui solus ex sensibus spiritus animales percipit, evidenter constat, non solum hos spiritus reapse existere, quin etiam naturam verè corpoream participare; Ex constrictione enim diuturna partis cujuscunque dependentis quivis in se facile sentit non tantùm intumescentiam partis à recursu sanguinis impedito, verum etiam à præpedito spirituum influxu stuporem nec non debilitatem, & pro tempore, partis paralysin. imò etiam per aliqua momenta à constrictionis remissione, puncturam quandam percipit, à renovato scil. spirituum influxu, quæ molesta sensatio eousque durat, donec pars spiritu animali placidè iterum sensimque ut ante irrigetur; Quandoquidem autem nihil quod non est revera corporeum, ligatura seu compressione externa, ab influxu solito impediri potest, nulliusque rei nisi corporeæ motus à sensu quocunque percipitur, demonstrative concludere licet non tantum dari reipsa spiritus animales, verum atiam illos suo modo esse corporeos, utut omnes sensus nostros, præter tactum solum, ob tenuitatem suam fugiant; Spiritus igitur tollendi omnino non sunt quia præcise definiri nequeunt, si quid tamen conjectura judicare licet, qui fulguris aërem irradiantis, vel auræ animalis ideam affingat, non multum forsan à scopo aberrabit; Saltem hoc modo varia sanitatis & invaletudinis phœnomena prompte explicabit. Corporei sunt & maximè fluidi, tactu judice, quod etiam subtilissimi sint necesse est, cùm per fibrillas cerebri omnium partium ut mihi videtur, subtilissimas & tenuissimas transeunt, & ex iisdem eliciantur, atq; inde, communi consensu, spirituum nomine indigitantur, quia præ minutia sensibus percipi nequeunt. Porrò, ob vim elasticam seu explosivam, quâ pollent, aëream plane naturam referre videntur, & maximâ ex parte intra cerebri officinam confici ex aëris particulis singulis momentis cum sanguine, mediante pulmone, in hunc finem mistis, quo nomine, forsan sine ἀκυρολογίᾳ, hos spirirus auram animalem seu aërem exaltatum nominare soleo.

In singulis autem fibrillis hos spiritus hospitari status corporis tam sanus. quàm valetudinarius indicat, quandoquidem minutissima quæque fibrilla ab iis animetur & sensu gaudeat, contusionem, sectionem, vel aliam quamvis continui solutionem sine tristi & molesta sensatione sustinere non potest; Præterea fibræ, modo adsit diathesis spirituum explosiva, vellicantur & spasmis torquentur, in diathesi narcotica sensus expertes manent.

Promanare verò hos spiritus à cerebro, uti radios à sole, in totum systema corporis influere, inibique perenni novarum copiarum appulsu singulis momentis instaurari quivis in se facile experiri potest, namque ex vehementi constrictione, partes infra ligaturam sitæ illico sensu privantur; præterea, quoties ex materia morbifica cerebro impacta tonum ejus everti contingat, vel quoties canales nervorum inde obstruantur, præ defectu spirituum influorum partes subjectæ illico paralysi afficiuntur.

Nervos esse canales spirituum, ex eorum fabrica, nexu, usu, & ramificatione satis fere sensui patet; formantur enim instar Canalium, sive partem inferiorem & medullarem, sive exteriorem seu tunicam spectemus, ortum etiam suum habent singuli à cerebro vel spinali medulla, at neque motui, neque sensui inservire videntur, nisi quatenus spiritus in musculos & cæteras partes motui & sensui dicatas transmittunt, Denique, eodem prorsus modo, quo venæ & arteriæ, sanguinis & succi nutritii canales, per totam corporis molem affabre. & quasi naturæ consilio in hunc finem ramificantur.

Cerebrum esse officinam & quasi cisternam communem spirituum ex illius fabrica peculiari patet; Namque non sine causâ è subtilissimis fibrillis pars ista constat quæ tantæ functioni à natura destinatur, quæ commune promptuarium est quod toti compagi sensationem suppeditat, quæque levissimæ cujusque impressionis capax esse debet. Porrò magnitudo hujus partis in embryone cæteras proportione excedens, continuatio & nexus reliquarum partium corporis, quarum stamina à cerebro & medulla spinali propagari videntur, ut etiam subita & universalis sensus privatio in apoplexia aliisque cerebri morbis, qui, influxum seu dispensationem spirituum aut penitus tollunt, aut diminuunt, huic rei fidem faciunt.

Spiritus animales esse τὸ ἐνεργητικὸν seu primum principium activum, & quasi fermentum universale totius corporis, à quo sanguis & humores variè agitantur & immutantur non dubito. Hi sunt Helmontii Archæus, sanitatis & invaletudinis, vitæ & necis totius machinæ princeps & moderator. Verosimile etiam est Hippocratem, magnum illum medicinæ parentem, idem sensisse, ubi morbis θεῖόν τι inesse asseruit; Verum, missis istis authoritatibus, certum est, quòd spiritus, sanitatis tempore, placidè, instar radiorum solis, omnes recessus minimasque fibrillas totius machinæ permeant atque implent, sanguinem intra fibrillas fluentem actuant, crasin ejusdem integram conservant, & irradiatione perpetua vitalem characterem ei imprimunt, ubi vero morbo tentantur, sanguis ipse, & tota humorum massa conturbatur, nec non fermenta in singulis glandulis hospitantia varias alterationes subeunt.

Unionem spirituum animalium cum sanguine esse intimam facilè demonstratur ex verissima illa hypothesi quæ supponit totam texturam corporis esse vascularem, ad mentem Hippocratis asserentis esse ἐν σώματι ζῶντι πᾶν συμπνοὸν & σύῤῥουν. Namque jam ante probavimus spiritus non detineri in claustris nervorum tenuissimè licet ramificatorum, sed per minimas fibrillas musculorum & membranarum exspatiari, quò fit ut cum sanguine non possint non Commisceri; Eodem enim modo sanguis non arcto venarum & arteriarum spatio inclusus irrito fluxu & refluxu cor perpetuo petit deseritque. Verùm ab extremis cujusque arteriolæ capillaris in corpus musculorum, membranarum &c, effusus fibrarum tubulos implet, unaquaque cordis systole novo flumine à tergo pressus, lento motu habitum corporis pervadit more scaturiginis è terræ visceribus repentis, donec tandem oscula venarum capillarium subintret & deinde recta via ad cor iter faciat. Hanc sententiam plurimis argumentis confirmare licet: Primò quia sanguinis tantillum ex minima quavis sectione vel punctura sive musculi sive cutis ubicunque instituta illico effluit.

Secundo

Secundò quia nisi hujusmodi sanguinis è vasis in habitum corporis effusio concedatur, ratio reddi vix potest quo modo succus nutritius partibus alendis apponatur, & frustra sanguinis intra vasa solummodò fluxum refluxumque natura instituisset, cùm nullis corporis partibus nisi forsan vasis sanguiferis aliquid emolumenti esset in hac perpetua circulatione sanguinis. Insuper, ubi jam fere ab omnibus conceditur nullam dari anastomosin venarum cum arteriis, impossibile erit absque hac hypothesi motum sanguinis circularem explicare, qui tamen ab omnibus medicis defenditur. Denique quid opus verbis? Cùm res tota experimentis plurimis comprobata sensui ipsi in singulis corporis visceribus, quæ hujusmodi experimenti sunt capacia, manifesta sit? Injecto enim lacte, atramento, vel aliquo alio liquore caloris saturati per arteriam coronariam, non tantùm vasa sanguifera, verum etiam totum parenchyma cordis illico albescit vel nigrescit: itidemque liquor per arteriam injectus idem numero iterum per venam redditur. Idem etiam in renibus ab injectione ejusmodi liquoris per arterias emulgentes, in liene per splenicam, in hepate per venam portæ conspicitur & dubitari non potest, quin idem quod in his visceribus sensu percipitur, in reliquis machinæ partibus circulationis lege fieri debeat.

Quod spirituum œconomia perverti possit idque primariò, & sine antecedenti humorum dyscrasia, plurima exempla probant. Quam frequenter enim in rheda vel navi vehentes, vel fumum tabaci haurientes vomitiones biliosæ, eæque immanes, lipothymiæ Vertiginesque à solo irregulari spirituum motu adoriuntur? Quis autem ab humoribus, aut crasi sanguinis prædisposita hoc evenire asseret, qui serio perpendit quàm citò inordinatus iste motus, aëris & loci mutatione compescatur, & omnia symptomata quantumvis dira evanescant? Melancholia etiam hypochondriaca, utut varias mutationes in sanguinem & humores sæpissime inducat, indeque venæsectione, medicamentis chalybeatis, lenibus catharticis, &c. alleviari possit, evidenter tamen cerebrum ipsum, genus nervosum, & spiritus in iis hospitantes, tanquam immediatum morbi subjectum primario afficit, plurimaque symptomata, cum quibus hic morbus sociatur, nempe jactatio. Inquietudo, deliria, vigiliæ, intenta cogitatio, dolores vagi spasmodici, generi nervoso omnia non humoribus accepta referenda sunt. Quid? quòd plurimos istiusmodi ægrotantes memini, qui obstinatione quadam contendere soliti sunt animam solùm suam ægritudine affici, nec quicquam emolumenti à medicamentis expectandum esse, cùm pertinacia affirmantes non nisi rationibus & colloquiis Philosophicis curationem tentari oportere. At consilia sine medicamentis nullius momenti esse experientia compertum habemus, nam; recrudescente paroxysmo, cùm novæ tenebræ spiritibus effunduntur; delirium illico, consilio non obstante, revertitur, unde liquet non animam, sed spiritus animales, quorum ope anima corpori unitur, esse immediatum hujusce morbi subjectum. Porrò, in morbis ex contagione, vix quisquam concipere potest crassam & segnem humorum molem ab effluviis quibuscunque extraneis, in tot enormes, tam efferos & subitaneos motus concitari posse, nisi spiritus ipsi contagionis miasmate contaminati totam humorum massam inficerent. Denique res clarissime apparet in passionibus hystericis, reliquisque morbis quamplurimis tam chronicis quam acutis, qui ortum suum evidenter ab animi pathematis ducunt: Hæc enim pathemata cerebrum & genus nervosum immediatè afficiunt, & naturalem spirituum diathesin evertunt; Affectiones autem morbosæ, quotquot sint, quæ exinde in sanguinem, aut viscera quæcunq; particularia inducuntur, naturalem dispositionem spirituum eversam aptissimè consequuntur. Quamplurimos autem morbos, eosque cum symptomatis vehementissimis sociatos non tantùm in genere nervoso, sed etiam in arterioso & venoso hac origine prognatos quivis in medicina mediocriter versatus facilè agnoscet.

Imò, quis unquam sanguinem & humores, qui sensu præditi non sunt ægrotare asseruit; Revera totus homo, (viz. compages corporis è musculis, visceribus membranis, nervis eorumque fibrillis, unà cum humoribus contentis) est subjectum adæquatum ægrotationis: at proximè & immediatè in spiritibus & genere nervoso morbi radices habent, ubi etiam tantummodo ab ægrotantibus percipiuntur.

Nequis verò, hanc nostram hypothesin, tanquam plane Helmontianam, & in perniciem medicinæ rationalis excogitatam, & ad liquorem Alkahest seu medicamentum universale adaptatam repudiet; statuimus non uniusmodi esse spirituum morbos, sed humorum morbis inde consequentibus numero pares, & modum, quo spiritus afficiuntur, ab istis morbis indicare: v.g. A spasmo intelligitur quòd spiritus nimis explodantur: Ab affectibus hypochondriacis & hystericis, quòd sint flatulenti, crudi & in officina cerebri non bene elaborati: A scorbuto, quòd sint segnes & naturæ crassioris, à rheumatismo & quacunque diathesi inflammatoria, quòd sint nimis sicci & inflammati; A paralysi; quòd sint stupidi. Est ubi hi morbi intra generis nervosi limites continentur: Est ubi in tota massa sanguinis imprimuntur. Est ubi unum aliquod corporis colatorium præ reliquis, uti jecur, lienem, renes, vel ventriculum labefactant, fermentaque in illis hospitantia pessundant. Sin nos, dum sermonem de iis quæ sensus nostros superant habemus, hallucinari & cespitare contingat; veniam expectamus, quandoquidem nullo alio Ariadnes filo utimur ad varias spirituum ægrotationes explorandas, nisi effectibus spirituum sensibilibus in corporis staminibus & humoribus impressis.

Causa varietatis hujus in spirituum morbis (quantum mihi vel anatomia vel conjectura judicare licet) à duplici fonte petenda est, sc. à crasi sanguinis alterata, & cerebri vel nervorum tono everso: ubi enim à longo abusu sex rerum non naturalium debitam crasin sanguinis (qui spirituum pabulum est & fomes) conturbari contingat; mirum non est, si spiritus animales inde formati eandem dyscrasiam participent; ubi etiam à flacciditate & humiditate nimia cerebri, vel ejus siccitate & calore præternaturali ortis ex intensa cogitatione; diuturna liquorum spirituosorum ingurgitatione, &c. à

spha-

ſphacelatione, nimia ventriculorum ejus diſtentione à cruore extravaſato; fibrarum ejus præternaturali tenſione à frequenti ſpirituum exploſione, vel tandem ab inflammatione à circulatione Sanguinis impedita & ejuſdem ſtagnatione, officina ſpirituum, cerebrum, morboſè afficiatur quis ſpiritus inibi formatos; varios morborum typos induere miretur; Jam ſc. nimis calidos eſſe & ad fermentationem proclives, jam ſegnes & torpidos, aut è contra exploſivos & nimis elaſticos evadere? Ubi tandem fibræ in principiis nervorum, & ſpinalis medullæ humiditate laxatæ & reſolutæ fuerint (quod ſæpe in paralyticis obſervavimus) vel tonus nervorum imbecillis, minus firmus & athleticus à frequenti ſpirituum exploſione ſeu influxu nimis violento, & diſtenſione fibrarum nervoſarum à vehementibus animi pathematis reddetur, quid mirum ſi ex præternaturali ſpirituum diſpenſatione morbi quam plurimi in genere nervoſo, uti paralytici, hyſterici, ſpaſmodici, &c. proveniat?

Non autem medendi methodum, uſu per tot ſæcula probatam, quæque venæ-ſectiones, cathartica, emetica, alterantia, &c. cum ſucceſſu adhibebat, hac hypotheſi convellimus. Nam non tantùm à morbis ſpirituum ſanguinem & humores, varias mutationes ſubire contendimus, quod in titulo ſequenti ex profeſsò demonſtrare conabimur; verùm etiam quandoquidem ſpiritus animales è ſanguine, materia ſc. habili & idonea eliciantur & renoventur, ut plurimum morboſa quædam diſpoſitio ſenſim in ſanguine facta, non tantùm in ſcorbuto, chloroſi, aliiſque morbis univerſalibus chronicis: quin etiam in febribus, variolis, morbillis, cæteriſque morbis acutis ad hanc ſpirituum ægrotationem viam ſternit: Quippe vitiata ſanguinis diatheſi, ſpiritus inde eliciti labem non participare nequeant. Et quidem quoties à maſſa humorum ex abuſu ſex rerum non naturalium ſenſim in morboſam diſpoſitionem redacta, hos ſpiritus ægrotare contingat morbus magis habitualis, contumax & curatu difficilis evadit. Ubi verò ſyſtema ſpirituum à meris animi pathematis, aut aëris externi injuriis, ſine antecedenti humorum vitio alterari contingat, quoniam morbi fomes in genere nervoſo maxima ex parte continetur, appropriati alicujus & ſpecifici medicamenti ope, motus hic ſpirituum præternaturalis compeſci ſolet, & nullum poſt ſe relinquit miaſma in ſanguine, quod uſum methodicum vel alterantis vel evacuantis cujuſcunque remedii poſtulet, quod clarè conſpicitur in febribus intermittentibus, & etiam remittentibus uſu corticis peruviani ſanatis; in affectione hypochondriaca, ſcorbuto & chloroſi; chalybe, arte vel natura præparato profligatis; in morbis hyſtericis & ſpaſmodicis, cinnabari nativa, viſco quercino, ungula alcis, aut alio appropriato ſpecifico in ordinem redactis. Verum circulus hîc contra argumentationis leges committi forſan videatur, dum ſanguinem à ſpirituum morbis turbari, itidemque ſpiritus à ſanguinis dyſcraſiis affici contendimus: verùm, quid vetat circulum quendam cauſarum & effectuum in microcoſmo æquè ac in macrocoſmo fieri? Annon quotidie videmus terram à pluvia humectatam, iterumque circulatione quâdam, à vaporibus è terrâ in aërem evectis pluviam renaſci? Annon in corpore humano cibum ſeu pabulum ſanguinis, ope ſalivæ & fermenti ſtomachalis parari novimus, quæ nihilominus ex ipſo ſanguine mediantibus glandulis perpetuò ſupplentur? Quare igitur abſurdum habeatur circulationem hanc inter ſpiritus & ſanguinem, in ætiologia morborum explicanda admittere? Hoc unicè volumus, quòd, utut ex maſſa humorum conturbata corpus nonnunquam ad morbos ſit prædiſpoſitum; morbus tamen ipſe (ſaltem univerſalis) primò inſtanti, ab ægrotatione ſpirituum formetur, qui orgaſmo ſuo, & motu efferato, eoque præternaturali, primum inſultum faciunt, eumque ſubitum & inſtantaneum, quo tota corporis compages illico afficitur.

Quorſum vero hæc omnia, & cui bono, tanto cum labore ſubtilem hanc hypotheſin (& uti forſan quibuſdam videatur inutilem) ſtabilire aggredimur? Reſpondeo, quod ex multa morborum obſervatione, jam diu mihi res ipſa ſe non aliter habere viſa eſt, Medicumq; decere, quantum in ſe eſt, ritè Philoſophari, & à rei ipſius natura hypotheſes ſuas deſumere. Porro, multo clarius ex hac hypotheſi, quam humorum doctrina, (licet ex antiquitate æſtimanda,) non tantum ætiologia, verum etiam pathologia morborum, & indicationes curativæ certius deſumi queant, quod in ſequela operis cuiquam ſpero demonſtratum iri. Nec non Medici Solertes & Sagaces hinc inſtigati alia ſpecifica excogitare ſatagent, quæ ſpirituum motus efferatos compeſcendo eorumque morbos ſanando, varias etiam dyſcraſias inde genitas breviori & feliciori compendio tollent, ſicut jam inventus Peruvianus cortex febres intermittentes & remittentes abigit, & cinnabaris nativa non rarò affectiones ſpaſmodicas & epilepticas, (à veteribus pro herculeis & inſanabilibus habitas) abſque magno, eoque magis incerto apparatu medicaminum methodice adhibitorum, ſanat.

Quòd, naturalis ſanguinis craſis à morboſa ſpirituum diatheſi perverti & labefactari ſoleat, facilè probatur; Sicut enim ſpiritus à ſanguine malè diſpoſito generati & reparati, non poſſunt non ægrotare, ita ab ægro ſpirituum ſtatu, qui maſſam ſanguineam æque in ſtatu morboſo agitant, alterantque, atque in ſtatu ſano regunt, œconomia ſanguinis & humorum univerſalis non poteſt non perverti. Mihi, ſane, variæ iſtæ mutationes non aliter fieri videntur in ſanguine, quàm in vino, cereviſia aliiſque liquoribus generoſis à tonitru; vel terræ motu ſpiritu maſſam regente ac temperante orbatis, qui illico vappeſcunt, vel aceſcunt nec ſtatum priſtinum priùs recuperant, quàm ſpiritus depreſſi aut diſſipati partes ſuas iterum reſumant: Hoc facto uterque liquor in ſtatum naturalem ſponte redit. Hæc vis ſpirituum maxime conſpicua eſt in morbis univerſalibus, qui totum corpus afficiunt, quique ab univerſali ſpirituum tumultu pendent: Sive primario, & reſpectu non habito ad partem aliquam ſpecialem: à ſpirituum orgaſmo initium ducant, quales ſunt febres acutæ quæcunque, variolæ, Morbilli, chloroſis, ſcorbutus, rheumatiſmus, &c. Sive particularium viſcerum labes cum univerſa humorum maſſa ſeſe communicet, eamque contagionis ritu inquinans, morbos univerſales, licet ſecundario, producat

posse. Diffitendum quidem non est cibum & potum quantitate nimios, vel qualitate peccantes, æque ac pathemata animi, cæteraque non naturalia, in censu causarum evidentium horum morborum habendos esse. Verùm quandoquidem non tantùm constat spiritus animales, quia ex sanguinis massa generantur, ideo à victu pravo ægrotare solere, sed etiam non rarò à victu euchymo eoque moderatè sumpto ansam ægrotandi arripere, modò minùs firmâ valetudine priùs potirentur; nullus dubito quin alimentum incongruum in causarum remotiorum censum referendum sit, & quòd Spiritus sint τὸ ἐνεργητικὸν s. immediatum principium morbum formans, & ὁρμὴν s. insultum efficiens, quod quidem totum est quod hic contendimus.

In hâc sententiâ non parum confirmabat cùm pleraque morborum phænomena hoc pacto explicari posse perciperem, quæ à priscis vel intacta, vel non satis illustrata, tenebris hucusque obruebantur, imò, quicquid ad eorum solutionem ex crassis antiquorum principiis affertur, Mihi planè gratis dictum videtur, atque (ingenuè fateor) Hoc primùm, animum meum anxium & incertum impulit ad hanc novam Hypothesin de ætiologiâ morborum universalium formandam, quæ naturam morborum clariùs explicat, & eorum causas sensui penè demonstrat, cujus rei in exemplis sequentibus specimen dabo.

Quid in enarranda symptomatum aliquot ætiologia, magis apud Priscos decantatum est quàm Sympathia sive consensus partium? Ex hac, vomitionis à concussione cerebri, vel nephritica affectione causam reddunt, at nisi respectus habeatur ad continuitatem & nexum totius corporis cum cerebro, & origo morborum in cerebro & spiritibus statuatur, vix aliàs solvi potest hoc Phænomenon; jacto verò hoc fundamento, quòd tota machina è fibrillis cerebri elongatis & expansis conflata, ab eodem dependet, & quòd mala diathesis spirituum & eorum motus inordinati morbum ejusque symptomata formant, quam facile concipi potest remotissimam quamvis machinæ partem, & consequenter ipsum ventriculum affici posse? Absq; hâc Hypothesi explicari nequit Morbi Metastasis seu translatio ab una parte in aliam, quæ non tantùm in fatali Febrium Crisi evidenter apparet, ubi Morbus ex habitu corporis translatus non rarò in cerebro, idque subitò, figitur; verùm etiam in Peripneumonia frequenter in Anginam mutata, super omnia verò in Rheumatismo versatili: præsertim spurio & nervoso, ubi morbus ab uno artu in alterum unoquoque die vel etiam singulis horis, imò nonnunquam ictu quasi oculi citiùs transfertur. In sanguine tota humorum massa confunditur, celeri & non interrupto motu agitatur, & per vasa innumera æqualiter diffunditur, adeo ut materia morbifica tam subitò separari nequeat, & ad partem aliquam singularem determinari: Spiritus autem morbo perculsos, pro Genio suo volatili & versatili, alternatim jam hanc, jam illam partem, remotam licet, impetu quodam petere, distendere, vellicare vel spasmodicè constringere, ibidemque morbum hujusmodi vagum producere quid impedit? Cùm sanguinem & humores per eam partem trajectos alterare valent, iisque characterem morbosum imprimere; Atque hæc est ratio metastaseωs morborum.

Ut cætera mittam, in Paroxysmos febrium Intermittentium, periodicè, stato & certo tempore scil. quotidie, tertio, aut quarto quoque die, ut plurimum eadem hora recurrentium, lubet inquirere. Hujus vulgaris φαινομένου Ætiologia heu! quantùm torsit, Philosophorum ingenia non tantùm priscorum, sed etiam neotericorum, quotquot omnium Morborum causas in sanguine & humoribus inveniendas esse hariolati sunt. Qui maximo ingenii acumine freti hujusce Phænomeni solutionem aggressi sunt, Fomitem quendam humorosum, Biliosum scil. atrabiliarium vel phlegmaticum statuêrunt in viscerum aliquo, aut parte corporis nescio qua delitescentem, pro genio suo jam quotidiè, jam tertio vel quarto quoque die moveri, & fermenti instar, humores exagitare. At qualis tandem est hic Fomes? Humor certè, secundum horum Hypothesin, Qua parte vero stabulatur? Hic inter authores maximum est dissidium; apud alios altum silentium; Ab aliis varia assignantur receptacula, omnia verò ejusmodi, ut aliquam partem materiæ morbificæ continuo massæ sanguinis necessario suggerant. Hunc Fomitem in venis mesaraicis, uti veteres autumarunt, nusquam recondi ab omnibus jam concessum est, namque ex quo, sanguinis circulatio inventa est, apparet nullam dari ejusmodi (saltem materiæ à sanguine distinctæ) stagnationem in vasis sanguiferis. Et si concederetur, tamen à perpetuo sanguinis transitu particulæ heterogeneæ hujus Fomitis eluerentur, & sanguinis massæ commixtæ, eandem indesinenter inquinareut, & à perpetua fermentatione febris continua accenderetur. Non rectiùs iste Fomes in primis viis collocatur; cùm enim chylus ex alimentis in ventriculo concoctis, & in Intestinis gracilibus ulteriùs elaboratis (per ea saltem transientibus) eliciatur, necesse est ut succus chylosus à fermento isto indesinenter depravatus, morbosam qualitatem sanguini impertiat, adeò ut morbus ex eâ natus inducias dare non possit, saltem paroxysmus post singulos pastus redeat.

Quod ad eorum sententiam attinet, qui mineram morbi in aliquo glandulosorum viscerum latere statuunt; nullus sanè (quantum scio) locum adhuc assignavit, in quo hoc inimicum fermentum stabulari, sanis argumentis demonstrare potest, licet unus Lienem, alius aliud ex visceribus gratis incusaverit. Verùm si modò, secundum nostram Hypothesin (quam uti spero satis jam ante demonstravimus) tota corporis compages, præsertim viscerum ipsorum uti Hepatis, Lienis, &c. Sit vascularis, & sanguis, continuato cursu & recursu circumactus per singularum fibrillarum tubulos permeet, qua alia parte hic fomes nisi in ipsis fibrosis filamentis delitescere potest, ubi nil, nisi spiritus animales, hospitatur? At cùm isti spiritus à cerebro per totum systema fibrosum, velut per canales ad usus vitæ necessarios exequendos indesinenter deferantur, &, pro vario genio invaletudinis, qua afficiuntur, jam quotidie, jam tertio vel quarto quoque die exploduntur, & symptomata, quæ principium Paroxysmi comitantur, inferunt, nempe algorem, horrorem, &c.

Deinde

Deinde fermenti vices supplent, à quo sanguinis massa per fibrillas transiens inficitur, & in paroxysmos febriles periodicè excandescit, quousque sc. sponte vel arte sedata hac effervescentia spirituum, finiatur etiam Paroxysmus, atque saburra humorum in paroxysmorum serie colliquata, per poros cutis, vel aliam aliquam portam commodam (nec jam à calore præternaturali ut priùs constrictam) prorsus eliminetur. Cui sententiæ quivis vel Medicus vel Philosophus favere cogetur, qui seriò secum perpenderit, quàm sæpe insultus non tantùm, Hysterici & Spasmodici, paroxysmorum febrilium, saltem sub initium, planè æmuli, ex mero motu inordinato spirituum orti, intervallis licet incertis redeant; verùm etiam insultus Epileptici, statis periodis, bis vel ter in Luna, vel hebdomada, ab eadem causa recrudescant.

Quid plura? Regimen ipsum à priscis Medicis imperatum, atque multo usu jam per plurima æva comprobatum, nostræ huic Hypothesi ubique quadrat. In morbis enim acutis, uti Febre, Variolis, &c. Ubi invaletudo producitur à vi elastica spirituum irritata & nimis exaltata, summam quietem, decubitum in lecto, alimentum maximè tenue & parcum, detractionem sanguinis, &c. Uno ore imperant; una cum Julapiis, Emulsionibus & Apozematis admodum temperatis, quæ vim spirituum elasticam minimè intendunt, sed potiùs minuant. E contrà, in Febribus malignis, ubi spiritus à natura veneni deleteria νεκρώσει quadam affecti, elasticitate & vi sua expansiva destituuntur, quàm uno ore usum pulverum Cardiacorum, Bolorum Theriacalium, Julapiorum cordialium, atque hodie Spiritus Salis Armoniaci, Spiritûs & Salis volatilis C. C. idque posthabita febre præsente, ex industria, & cum optato successu præscribunt? Quæ quidem omnia, non tam segnem humorum molem, quàm Spiritus respicere videntur, qui primario affici solent. In Scorbuto vero, Chlorôsi, aliisque morbis Chronicis Universalibus, ubi, ab agilitate spirituum imminutâ, & eorum statu minus quam par est elastico, visciditas humoribus, constrictio pulmonibus, rigiditas & stupor quasi Paralyticus Artubus, constipatus obstructusq; habitus, isque evidentibus criteriis manifestus universo corpori acciderit, Exercitia frequentia, Aër tenuis & perflatus, Omnimoda animi Excitatio, medicamenta sale volatili abundantia, uti Cochlearia, Raphanus Sylvestris, Chalybeata, Aloëtica, stimulantia omnia & Ecphractica, in methodo curationis utramque implent paginam. Quid hoc autem ad humores crassos nisi mediante spiritu illo animali qui eos regit & actuat?

Quòd autem ad secundam partem hujus propositionis attinet sc. Quòd morbi partium, qui à peculiari aliquâ ἀταξίᾳ partis, vel glandulæ alicujus singularis oriuntur, à spiritibus etiam mediatè producantur. Ea non æque perspicua est ac prior. Namque horum morborum Ætiologia remotiùs petenda est, atque ratiocinando tantùm invenienda. Quandoquidem verò Viscerum vel partium singularium affectus à morbosâ humorum diathesi oriri constat, atque (quod ex antedictis manifesto apparet) massam sanguinis, à spirituum animalium, qui ei præsident, dyscrasia, vario modo turbari & agitari; fas sit conjicere pro vario dyscrasiæ spirituum genio, jam hanc, jam illam partem, hanc vel illam glandulam, uti Jecur, Pulmones, Renes, &c. laborare. Indeque medicamenta specifica v.g. Antihysterica, Antivenerea, Antiscrophulosa, Antispasmodica, Pulmonaria, Hepatica, Nephritica, Uterina & si qua sint alia, usu multo contra hos morbos experta & probata, non ejusmodi esse videntur, quæ hanc vel illam specialem partem respiciunt, sed quæ peculiarem spirituum dyscrasiam ad has partes vel glandulas afficiendas aptam, tollant. Quæ quidem remedia mihi inde Specifica audire videntur, quia spiritibus, quorum morbi sensus nostros fugiunt, accommodata sunt; sicut enim ex usu Emeticorum, Catharticorum, Diureticorum, Diaphoreticorum aliorumque medicaminum sensibiliter evacuantium, moli humorum præternaturaliter colliquatorum & in massa sanguinis coacervatorum subducendæ satis prospicitur: Ita his Specificis, Hepaticis sc. Hystericis, aliisque ejusmodi, experientia potiùs quàm ratione primùm excogitatis, & multo usu comprobatis radix totius mali funditùs evellitur, quæ extra sensuum Sphæram in Spiritibus delitescit. Quanta verò pars artis Therapeuticæ in prudenti usu horum specificorum versetur, nôrunt Medici Practici.

Juxta hanc nostram Hypothesin facile est morbos omnes, qui intus nati, corpus humanum affligunt, in duas classes distribuere, nempe in Universales & morbos partium. Universales sunt, qui sicut è systemate nervoso, & spiritibus animalibus in eodem hospitantibus immediatè oriuntur, ita totam corporis compagem uno insultu primariò vel saltem secundariò afficiunt. Secundariò dico, quoniam morbi aliqui particulares, uti Lepra, Scabies, Lues Venerea, &c. Licet contagione ab aliqua parte singulari primùm propagentur, non tamen unius partis, præ altera, labefactationi, nisi ex accidente, ortum suum debent, & Spiritus animales veneno suo universim inquinando citissimè Universales evadunt, ideoque in censum morborum Universalium, licet secundariò talium, referuntur. Morbos autem partium eos voco, qui, à gravi alicujus è visceribus, vel alterius partis singularis labefactatione, oriuntur, utut morbosa sanguinis textura, & spiritus animalis dyscrasia iis ut causæ remotæ, ansam præbeant. Præterea quidam, morbo Universali laborantes, brevi sanitatem recuperant, vel mortem obeunt, alii leviùs affecti in statu valetudinario vitam diù protrahunt, ideoque morbi Universales, in Acutos, uti Febres Variolas, &c. & Chronicos, uti Scorbutum, &c. distingui debent. De morbis Universalibus primùm, postea de morbis partium seriatim (licet strictim) sermonem instituam, in quo eorum ætiologiam & Pathologiam totam, atque Indicationes curativas tradam, quod pensum, modò feliciter absolvatur, in publicum forsan emolumentum haud parum cedet. Utcunque, satis est in magnis tentasse, &, in re tantis tenebris obvoluta, facem prætulisse & monstrasse viam.

De morbis universalibus in genere.

Radix s. semen horum morborum (sit verbo Paracelsi venia) est heterogeneum quid, sensu

vix perceptibile, non rarò autem vi venenata & planè deleteria prædítum, tota sua natura flammæ vitali contrarium & inimicum, atque ad eam extinguendam, vel saltem supprimendam aptum; sive intus sensim generatum fuerit, sive à veneno assumpto, morsu Viperæ, vel aëre contagioso in corpus admissum. Cujus quidem vis deleteria, si adeò præpolleat, ut subitò flammam vitalem penitùs obruere possit, Æger statim alget & lipothymicus perit, Natura contra non certante, utpote à vi superiori jam planè evicta, quod non rarò, præsertim in Constitutione aëris Pestilentiali ac Epidemia contingit. Sin verò venenum paulò remissius, & vigor spirituum animalium fortior, luctatio succedit, in qua, utut tota Corporis Machina primo insultu (vi elastica spirituum fere obruta) cum pulsu debili algere incipiat, mox Natura vires quadantenùs recolligens pugnam init, cujus præludia sunt dolor leviter Spasmodicus & versatilis, Horror Rigor, Oscitatio, cæterique motus, quibus Spiritus animalis oppressus sese iterum expandere nititur, usque dum tandem, vi spirituum elastica irritata, & supra gradum naturalem evecta, Calor intensus, & febrilis orgasmus excitetur. Ab hoc calore pori cutis, sicut cæteræ Corporis portæ, irritati & occlusi, flammam intestinam acrius intendi faciunt, donec Veneni pars, à spiritibus jam victoria potitis, expellatur, vel à propria Antidoto subigatur, & tum demum, pori cutis non ampliùs constricti, colluviem humorum, à præternaturali calore colliquatam, copiosè dimittunt, modò per alvum, aut alio modo id non ante factum fuerit: Vel denique Natura, vi superata succumbit, Æger Spasmis, deliriis, subsultibus tendinum, aliisque diris naturæ triumphatæ & incassum colluctantis symptomatis in genere nervoso fatigatus, fatis cedit. Hæc est ratio Formalis morborum Universalium Acutorum, & symptomatum eos concomitantium.

Verùm, ubi è contra fermentum morbificum, quo spiritus vel sensim ex abusu sex non Naturalium, vel subito & uno impetu à contagionis miasmate imbuuntur, vi non adeò deleteriâ præditum est, ut vita in subitaneum discrimen ducatur, vis spirituum elastica inde duntaxat quadantenùs opprimitur, unde sese ad munera solita more debito minus aptè expandunt, & hostis non tam aperto marte quàm insidiis vitam aggreditur. Inde evenit, quòd spiritus animales, quippe minùs irritati, non tam graviter & acriter contra hostem insurgant, nec certamen Paroxysmo & crisi decernunt, ut in Acutis fieri solet, verùm Æger sarcinâ hâc oppressus vitam ærumnosam atque valetudinariam, morbo aliquo Chronico, Scorbuto, Chlorosi, Febre hectica, &c. afflictam diù protrahit, cum lassitudine spontanea, stupore, pondere gravitativo Hypochondriorum, somnolentia, vertigine, lumbagine, dolore versatili, crurum & abdominis, aliisque ejusmodi signis spiritûs animalis universim in genere nervoso affecti & depressi. Nec quidem Natura, hoc modo habitualiter oppressa, sarcinam hanc in totum negligere videtur, verùm licet paroxysmorum nixibus, uti in Acutis, ab onere se liberare non moliatur, idem tamen lentè & quasi halitu quodam, per omnes portas, per quas fieri potest, efficere tentat, sc. per Renes, ut in Hypochondriacis & Hystericis, qui tanquam Diabetici, tempore paroxysmi, insigni urinæ profluvio non raro corripiuntur; per Sudores, Diarrhœam, Vomitiones, quibus Hypochondriaci & Scorbutici immodicè plerumque tentantur; per Tussim, per Sputationem largam; symptoma Hypochondriacis & Scorbuticis maximè familiare, quorum saliva particulis adeò acribus & venenatis sæpe saturatur, ut gingivæ & os totum inde inflammetur & ulceribus fœtentibus scateat. Nonnunquam etiam Natura certamen, paroxysmi Acutorum fere æmulum, licet non statis temporibus, in his morbis instituit, quod in Paroxysmis Rheumaticis, & Arthriticis admodum dolorificis, & in Spasmis Hystericis & Hypochondriacis sæpe recurrentibus observatur; In quibus omnibus Natura contra hostem acriter insurgens, saburram extemplo deponere, licet incassum, satagit.

De hisce omnibus jam, calamo fusiori, disseremus: primùm sermonem instituturi de morbis universalibus Acutis, deinde de Chronicis.

De Morbis Universalibus Acutis.

In hac classe primum locum vendicant Febres omnes præter Hecticam & Pallidam, (utpote quæ diutius protrahi, nec more morborum acutorum, crisi evidenti judicari solent) Deinde Variolæ & Morbilli ad eandem classem pertinere mihi videntur, quippe hi morbi totam machinam primo insultu afficiunt, respectu ad aliquam partem singularem non habito, more etiam cæterorum morborum Acutorum, paucorum dierum circuitu, judicari solent; Ideoque licet contra morem sit, de his morbis sub titulo febrium variolosarum & morbillosarum in generali Febrium doctrina agam. Primus enim variolarum & morbillorum insultus, non secus ac Febrium, subitus est & instantaneus, isque in genere nervoso, utpote à spirituum animalium ἀταξίᾳ primùm & immediate factus, cum Comate, deliriis, spasmis, vomitione immani, dolore capitis & Artuum, lumbagine, aliisque ejusmodi symptomatis sociatus. Nec non Pathemata animi ac aërem contagiosum pro causis procatarcticis, non rariùs quàm aliæ quælibet Febres, agnoscunt, & in omnibus cum cæteris Febribus conveniunt, nisi quòd in his, quo certamen sit breviùs, eò magis durante luctatione, urgeant symptomata; Ideò sub titulo morborum Universalium Acutorum, inter Febres acutas, Variolas & Morbillos ordine tractabimus, & ab eorum Ætiologia & Pathologia, juxta Hypothesin nostram explicata, Indicationes curativas deducemus ad varia horum morborum stadia accommodatas, & quarum ope Medicus in sanandis morbis possit agere Philosophum & non Empiricum.

Exercitatio Prima. De Febribus Acutis in genere, & præsertim de Febre Ephemerâ & Intermittente. De Febribus Acutis in genere.

Febris Acuta in genere est Calor præternaturalis, in sanguine accensus à spiritu animali, miasmate quodam deleterio contaminato, & ex accidente quodam irritato, atque inde insolito more præter naturam suam expanso.

Hujus miasmatis heterogenei descriptionem nemo sanè à nobis requirat, quandoquidem omnes nostros sensus planè superat: Quippe non tantum intus ex abusu sex non Naturalium generari solet, & inde hanc vim deleteriam sensim acquirere; verùm non rarò ab effluviis contagiosis cum aëre inspiratis, à morsu serpentum, vel denique ab animi pathematis, momento quasi propagatur: Quocirca conjicere fas est hoc venenum, cujuscunque naturæ sit, subtilitate suâ genium spirituum, non autem materiæ sensibilis, æmulari, & inde non humores, sed Spiritus animales immediatè afficere atque agitare, utut sanguinis massa inde sensim conturbetur. Pathologiæ morborum acutorum hucusque tenebris obvolutæ quantum lucis ex hâc Hypothesi accedat, proximo loco videamus.

In primâ Febris invasione, ab hoc veneno Spiritus animales planè obruuntur, illicò totum corpus, præsertim partes extremæ algent, Pulsus in debilem & celerem mutatur, Respiratio in citatiorem, debilem & anhelosam, tanquam Ægro statim ex Lipothymiâ morituro: sanguinem hoc tempore, urgentibus symptomatis, detractum, frigescentem sensi. Hoc stadium morbi vix unquam diù protrahitur; siquidem Spiritus irritati & vires suas recuperantes sese expandunt, unde, mutatâ scenâ, Algor in calorem febrilem convertitur, nisi vel venenum sit in summo gradu malignum, vel robur spirituum adeò deficiat, ut sese brevi iterum explicare haud possint. In isto casu, primo insultui Æger succumbit. Juvenem novi paroxysmo febris tertianæ per triduum algentem, sine subsequente caloris paroxysmo, & crebris lipothymiis laborantem, è vivis sublatum? Cui, præ summo veneni gradu, & debilitate spirituum priùs diù lacessitorum, neque frictionibus, neque calore externo quocunque modo adhibito, neque cordialium & medicaminum spirituosorum exhibitione, quicquam adjumenti afferre, nec spirituum naturalem expansionem restituere potuimus.

Quò intensiùs, aut diutiùs protractum, vel quò remissius est hoc symptoma in primo morbi insultu, eò magis minusve deleterium venenum, aut vis spirituum elastica fortior aut debilior pronuntiari potest; unde ab ipso initio morbi de eventu magis minusve periculoso & fatali hinc licet judicare.

Indicationes in hoc stadio morbi sunt duæ. sc. ut venenum deleterium Spiritus obruens citissimè Antidoto propriâ (modo ea nota sit) subigatur; & Spiritus algentes & penè enecti, ope stragulorum & medicaminum cordialium, iterum sese expandant, & subitaneam Machinæ ruinam elasticitate suâ præcaveant. Manu tamen non admodum prodigâ, nec nisi necessitas postulet, oportet hæc ministrari, ne post vim expansivam spirituum inde restitutam, Æger hujus erroris pœnas luat, aucto gradu Paroxysmi illicò subsecuturi. Quamprimùm enim Spiritus animalis excitatus vires resumpserit, nullas sibi metas ponit, &, dum veneni eliminationem molitur, non rarò totam fabricam incendio intestino consumit. Namque in isto casu Spiritus ipsi incalescunt, & flammam in sanguine accendunt non priùs extinguendam, quàm venenum expellatur: Siquidem jam morbus nihil aliud est quàm mala dispositio totius corporis, orta à motu inordinato spirituum, in venenum antedictum insurgentium, & novum symptomatum agmen procreantium: Inter quæ sicut gravativa & Comatosa Cerebri oppressio, & inde totius systematis lassitudo spontanea ab oppressione spirituum ortæ videntur; Ita Horror, Tremor Artuum, Jactatio inquieta, Oscitatio & Pandiculatio nisum spirituum sese expandere satagentium consequuntur. Vertiginosa autem affectio ab inordinato spirituum motu in Cerebro, ex hoc nisu & labore intenso fit, sicut & Invaletudo Universalis, præsertim ventriculi, cum nauseâ & vomitu sociata; Namque Vertigo, quæ usum Opii; quæ in curru vel navi vectionem aliquando comitatur, nauseam & vomitum pariter sibi adjungit. Igitur quamdiu per totum morbi cursum hæc symptomata se prodant, conjicere licet vim spirituum adhuc a veneno qu dantenùs opprimi, nec se satis expandere posse in præsens Machinæ tutamen. Atque in Febris continuæ cursu, postquam Spiritus expansi flammam in sanguine, uno tenore diù ardentem excitârunt, si novus horror aut rigor, reliquo hujusmodi symptomatum satellitio stipatus invadat (quod non rarò in praxi observare licet) nisi hoc ex mero accidenti, ab evidenti aliquâ causâ evenerit, aut à mutatione typi Febris in Intermittentem (quod ab horum symptomatum, statis periodis, recrudescentiâ unicè conjiciendum est) fatalem eventum præsagit, & genus nervosum à veneno recenti, aut vetere vires suas resumente labefactatum, & Naturam deliriis, spasmis, subsultibus tendinum, &c. mox subsecuturis victam, manus daturam.

Indicationes in hoc stadio morbi sunt ferè eædem cum priùs memoratis, sc. ut Alexipharmacorum usu, & stragulorum ingestione spirituum expansio acceleretur, & promoveatur; donec vis veneni saltem obtundatur. Sicut enim ab auctâ spirituum elasticitate symptomata hæc vel evanescunt, vel diminuuntur; Ita etiam, ubi Æger frigori externo expositus fuerit, inexpectatam horroris, rigoris & reliquorum symptomatum recidivam patitur, quo pacto, hoc morbi stadium ultra metam solitam non rarò protrahitur. Hæc verò symptomatum caterva, communiter loquendo, brevi evanescere solet, quippe quàm citissimè locum datura aliis numero pluribus, diutiùs duraturis, iisque planè contrariis, utpote à contrario spirituum statu ortum ducentibus; Modò, Algoris paroxysmo Ægrotans non succumbat. Quamprimùm enim Spiritus sarcinam excutere incipiant, & flamma in Spiritibus & sanguine accendatur, insequuntur, in genere nervoso, Cephalalgia immanis, Vigiliæ pertinaces, Deliria, lassitudo ulcerosa, dolores spasmodici hinc inde versatiles, vel in parte singulari fixi, qualis est Lumbago: Respirationis & Pulsûs celeritas & fortitudo, ac mutationes in humoribus non minores. Nam Urina jam primùm tingi incipit, & contentis saturari, & Aëri exposita non rarò partes nutritias præcipitare: Sitis, ut plurimùm, importuna adest, os arescit, Cutis siccescit, Appetitus prosternitur; Ventriculi digestio evertitur; Nonnunquam gradus aliquis Choleræ morbi, aut saltem Diarrhœa supervenit, nausea augetur, cum

multis aliis, quorum ætiologiam ex hypothesi nostrâ jam daturi sumus.

Distensio fibrillarum Cerebri, vel ejus membranarum à febrili spirituum expansione Cephalalgiam illam immanem producit, quæ febrilem calorem comitari solet, de quâ Ægri præ omnibus aliis symptomatis, præsertim in principio morbi, conqueri solent. Eadem distensio in toto corporis habitu, lassitudinem ulcerosam inducit; quale symptoma post equitationem violentam, vel quodcunque aliud insolitum & laboriosum exercitium sentimus, quoniam ab hoc motu fibras ultra tonum suum naturalem distendi accidit. Ex eodem fonte ὀσφυκόπον illum dorsi dolorem, Lumbaginem febris insultus comitari solitam, oriri rite conjiciendum est, quippe in nervos insignes ab hac parte spinalis medullæ propagatos ad usus Artuum inferiorum, Spiritus insilientes & ferociter explosi eos ultra tonum naturalem extendunt. Hinc etiam Dolores huc illuc versatiles febrem Rheumaticam comitari soliti, & dolores Spasmodici in parte singulari fixi, in Febre peripneumonicâ, Pleuriticâ, Anginosâ, Arthriticâ, vel quâcunque aliâ Inflammatoriâ, oriri mihi videntur. In febre Rheumaticâ dolores sunt versatiles, quoniam distensio compagi musculorum laxiori accidit. In spasmodicis verò, ubi dolor in parte singulari fixus est, explosio contingit in compage Tendinum & membranarum strictiori. At de hoc posteà fusiùs in capitibus de Febribus Inflammatoriis & Rheumaticis. In Vigiliis pertinacibus & deliriis Spiritus violenter moventur; In Comate à veneno deprimuntur; atque inde Coma expertis Medicis præsagium magis funestum suggerit, quàm vigiliæ: Namque ab incendio intestino non tàm cita mors expectanda est, quàm à summo gradu veneni quod Spiritus maximo conatu subigere sæpenumerò nequeunt. Denique robur & magnitudo Pulsûs & Respirationis cum orgasmo febrili sociari solita, eidem spirituum expansioni debetur, atque inde abhinc de spirituum robore, de veneni progressu, & consequenter de Febris genio, vel benigno, vel maligno, & de eventu ejus, vel salutari, vel funesto certissimè judicari potest.

Inter Humorum symptomata, semper ferè observatur, quòd Appetitus prosternatur, & Alimenti assumpti subactio admodum difficilis reddatur, adeò ut Febricitans vix quicquam appetat, & nihil præter potulenta, eaque tenuiora digerat; Quod à fermento ventriculi everso, & alterato fit, quippe fermentum illud per glandulosam ventriculi tunicam secretum ad alimenta maceranda, è massâ ipsâ sanguinis ministratur, indeque, pro præsenti statu sanguinis, non potest non alterari, neque munere suo iterùm fungi, donec sanguis deferbuerit, & in statum pristinum redactus fuerit. Similiter Cholera Morbus, Diarrhœa, Nausea, & ad vomendum propensio aucta, quæ hunc statum morbi comitari solent, à vitio succi glandularum ventriculi & Intestinorum è massâ humorum morbosorum secreti, producuntur; sicut & sitis ingens à salivâ male dispositâ, Oris ariditas, & Cutis siccitas à glandularum salivalium & cutanearum constrictione, ex calore febrili in humoribus accenso, efficitur: Denique Tinctura Urinæ rubra, & copia contentorum ex eâdem præcipitari solitorum, ab eodem calore dependent; Inde enim partes sanguinis biliosæ incrassantur, atque poris glandularum Hepaticarum à spasmodica excandescentiâ spirituum constrictis, non ampliùs liberè secernuntur, vel in vesicam felleam, vel in porum biliarium; sed in sanguine coacervatæ, sero per renes secernendo sese adjungunt, atque urinam intensâ rubedine tingunt: Istæ sunt particulæ una cum nutritiis, quæ, si urina Aëri exponatur, præcipitantur, & eam conturbant.

Modò Venenum, omnium horum symptomatum fons & origo, ab Antidoto propria subigatur & curetur, (quod jam solummodò Indicatur) Febris Augmenti Status, & Declinationis tempora non percurrit; &, sine Crisi sensibili, redit Appetitus & concoctio; Pulsus, Respiratio, Urina, &c. statum naturalem acquirunt. Hæc certa, tuta & jucunda, & eâ de causâ optatissima, imò radicalis curandi ratio mihi videtur. At, cùm Venenum, in Continuis, & Malignis Febribus, nullis Antidotis, quæ nobis innotescunt, superari potest, Medici est rem gerendam Naturæ committere, &, ubi non minus periculum intenditur ab incendio in humoribus, ex insolitâ spirituum expansione, quàm à Veneno, pro vario statu morbi, atque symptomatum inde natorum, Naturæ succurrere; sive Enematis, Venæsectionibus, Emulsionibus, Opiatis, aliisve medicamentis orgasmum sanguinis compescendum, sive Vigilias, Dolores immanes, Inflammationes, Excretiones, aliaq; hujusmodi præsentis incendii pericula præveniendа judicet. Ideoque per totum cursum morbi, jam hoc, vel illo modo, Indicationes curativæ, pro re natâ, variandæ sunt. Verissimum quidem est Spiritus, Veneno non valdè maligno oppressos, sese ita aliquando expandere, ut hostem primâ luctatione vel fugent, vel sopiant, & inde ἀπυρεξίᾳ & quiete potiantur, donec, à veneni revirescentiâ, novum certamen instituatur, quod in Febribus Intermittentibus, imò quadantenùs in Remittentibus seu συνεχέσι conspicere licet. Atque hujus Veneni (modò Natura sibi ipsi non subveniat, absque suppetiis medicinalibus) Antidotus Herculea, ferè omnibus nota in promptu est, sc. Cortex Peruvianus, à cujus justâ dosi tempestivè exhibitâ, illicò Æger in statum sanitatis reduci solet. Sin verò, præ gradu veneni summè deleterii, vires hujus Febrifugi planè superentur (quod in febribus verè Συνόχοις & malignis quotidie contingit) Natura, continuatâ spirituum vibratione indies magis magisque ad extremum usque gradum auctâ, venenum sive intus natum, sive ab extrà, contagione communicatum, eliminare molitur, in eo morbi stadio, quod Augmentum vocatur. Quo durante, sicut flamma febrilis, parili gradu, in sanguine intensior indies accenditur, ita Cephalalgia, Sitis, Vigiliæ, Tinctura Urinæ, & in Febribus benignis, Fortitudo Pulsûs, una cum reliquis symptomatis à calore aucto provenientibus sensim crescunt; Necnon, ab Inflammatoriâ humorum acrimoniâ ulteriùs exaltatâ, Apthæ suppullulant Albæ, vel, pro genio veneni magis deleterio, Nigræ, prout salivam è sanguine magis minusve venenato secerni contingit. Eadem acrimonia, dum ventriculum vellicat, Singultum, dum musculos, membranas, vel partes glan-

glandulosas impetit, Dolores Rheumaticos, Pleuriticos, Phreneticos, Anginosos producit. Et hic quidem Indicantur ea omnia, quæ humorum orgasmum contemperare possint, Julapia admodum temperata, diæta tenuissima, summa quies in lecto stragulis paucis cooperto in loco tenebricoso, &c. quæ tamen cautè admodùm administrari debent, ne inde repressi Spiritus in posterū impares veneno eliminando reddantur.

Sin è contrà, Spiritus jam succumbere contingat, atque Febris cum præpropero subsultu Tendinum, Delirio, Comatoso affectu, aliisque veneni Efferatioris Symptomatis, Malignitatis speciem induerit; vis spirituum expansiva Spiritibus volatilibus C.C.Sal. Armon. Cardiacis & Alexipharmacis, præsertim Suppedaneis acribus, & frequentibus Vesicatoriis excitanda est; Diæta quadantenùs ditior indulgeatur, uti jusculum pulli, &c. Æger è lecto nonnunquam transferatur in aërem cubiculi clarum & apricum, ut Spiritus latiùs expandantur, & sese à symptomatis malignis liberent.

Ubi verò, Spiritus jam sensim, ultimis conatibus se dilatârunt Status Morbi incipit, quem sæpenumerò per plures dies protractum conspicimus, antequam Natura vel vincat vel vincatur, calore febrili una cum omnibus symptomatis, uno tenore, fluentibus. Ideoque non multùm nunc à Medico, absque urgente necessitate, moliendum est, verùm totum negotium Naturæ soli, & Patiens regimini debito committendus est, nisi quòd temperatis Cardiacis jam vis spirituum fovenda sit, non Opiatis & refrigerantibus, multò minùs Venæsectione opprimenda.

Quamprimùm verò Natura Venenum intus delitescens excutere & subigere, in agone ultimo, semel tentaverit, non diu res manet in æquilibrio, verùm Crisis instat, Naturâ quam citissimè triumphaturâ vel triumphandâ. Siquidem, cùm primùm à subactione veneni incœptâ, Natura quadantenùs superior evaserit, calor febrilis illicò mitigari incipit, atque symptomata inde provenientia diminui, uti Vigiliæ, Deliria, &c. Pulsus fortior, & minùs celer sentitur, atque Respiratio liberior, Aphthæ decrescunt aut saltem colorem in melius mutant, Emunctoria corporis calore priùs constricta reserantur, atque lympha inutilis & effæta, in habitu corporis priùs congesta, quâ datâ portâ, liberè effluit: Cùm per Renes excernitur, Urina priùs pauca, tenuis & straminea; jam copiosa redditur, contentis saturata, vel saltem hypostasin aut enæorema dimittens: Cùm per poros cutis emittitur, Sudores sunt universales, iique calidi & satis copiosi, & cum εὐφορίᾳ tolerati. Cùm è ductibus Salivalibus, Rivulus Lymphæ sanæ os colluit, Aphthæ absterguntur, brevi sanescunt, & sitis extinguitur. Nonnunquam Crisis fit per glandulas Intestinorum, superveniente Diarrhœâ miti, & cum nullis torminibus sociatâ. Quæ quidem Crisis, in Febribus Benignis & merè συνεχέσι, sicuti cum agône evidenti, & agitatione extremâ totius Machinæ accidit (quod à Jactatione, Angustiis pectoris, Scintillatione oculorum, Hæmorrhagiâ narium profusâ, &c. præcedentibus concludere licet,) ita brevi finitur, Ægro spatio paucarum horarum cum ἀπυρεξίᾳ placidum somnum capessente.

Sudores in hoc morbi stadio erumpentes non Criticos, verùm reâpse Effectum & Signum Criseos incœptæ ritè æstimo, quippe primum fomitem morbi, non in massâ humorum sensibili, sed crasi spirituum morbosâ delitescere ex antedictis satis constat, Atque uti ex usu Remediorum Diaphoreticorum & calidorum, vigente adhuc febre, perperam exhibitorum, pori cutis à calore aucto plus constringuntur, ita in Malignis febribus, & maximè periculosis (ubi præ gradu veneni intenso Spiritus oppressi flammam in massâ humorum accendere nequeant, quâ pori constringantur) non rarò conspicimus Ægrum, per totum cursum morbi, sudoribus colliquativis, Diarrhœâ, aliisque evacuationibus confectum; Quæ inde symptomaticæ apud veteres audire solent, & parili gradu, quô augentur, ruinam præsentem minantur. Et quidem in articulo Mortis, ubi jam à veneno prævalente Spiritus enecantur, & expansivâ sua facultate privantur, cùm flamma nativa, æque ac præternaturalis extingui incipit, solutis poris calore priùs constrictis, quàm immanis sudoris rivo Æger madefactus animam efflat? Unde concludendum est, Sudores, cujuscunque generis fuerint, immediate dependere à laxitate pororum; sive Spiritus à veneno diminuti (sicut accidit in symptomaticis & colliquativis sudoribus) poros ampliùs constringere non possunt, sive Febrili calore in ordinem redacto, pori ante constricti naturalem laxitatem recuperant, quod ante sudores criticos evenire solet; qui non inde Critici æstimari debent, ac si per excretionem lymphæ cujusdam (quâ totus habitus corporis adhuc infercitur) Crisis fieret; verùm quatenus sunt Criseos, per Spiritus ipsos effectæ, signa Diagnostica. Cutis nimirùm horum sudorum, instrumentum est nervea membrana, & ad nutum spirituum animalium poros suos facillimè contrahit & dilatat, sicut in sudoribus subitaneis perturbationes animi insignes comitantibus, videre est. Et in quâvis parte corporis sudore madidâ si frigido aëri exponatur, statim enim cutis instar anserinæ pellis contrahitur. Nec frigus tantùm, verùm etiam nimius caloris gradus horum pororum constrictionem spasmodicam inferre valet; sicut enim liquorum frigidorum ingurgitatio sudores non rarò provocat, ita è contrà, spiritûs vini & calidorum potatio eosdem temperat ac diminuit. Spiritus enim temperamento moderato, inter calidum & frigidum medio prædíti ab utriusque qualitatis extremo gradu in spasmos aguntur, & inde pori cutis à calore & frigore extremo pariter constringuntur.

Febrium Malignarum Crisis uti sensim & sine notabili apparatu fit, itâ tardiùs procedit, & tandem, plurium dierum circuitu absolvitur. Sub initium vix percipitur, nisi ex Urinæ copiâ & Tincturâ auctâ, unâ cum Hypostasi aliquali. sudoribus levibus indies recurrentibus, miti Diarrhœâ, vel Salivatione, &c. quippè prout venenum intus delitescens à spiritibus adhuc quadantenus oppressis sensim subigitur: Ita calor febrilis una cùm deliriis, spasmis, subsultibus Tendinum, &c. sensim diminuitur, atque liquor effœtus, priùs congestus, per Cutim, Renes, Hepar, ductus Salivales, glandulas Intestinorum, &c. protruditur.

Durante Crisi, utrum illa fuerit Acuta, vel tarda (quæ etiam veterum sententia fuit) absque urgente necessitate, nil moliendum est. Expansio justa spirituum unicè Julapiis Cordialibus admodum temperatis, diætâ quadantenus ditiori è jusculo pulli tenuiori, atque regimine in cæteris debito fovenda & sustentanda est. Sicut enim à cardiacorum quantitate nimiâ, vel qualitate incongruâ, modò ea perperam jam exhibeantur, Spiritus priùs nimis expansi, jamque ulteriùs incitati ferociter insævire solent, Atque Hæmorrhagiis, Sudoribus immanibus aliisque id genus colliquationibus Ægrum priùs debilem affligere, aut calorem Hecticum accendere, quo pœnas erroris diuturnas, post Crisin Febris acutæ patiens luat; Ita ab Opiatis, Catharticis, magis verò ab Emulsionibus, Julapiis vel Apozematis refrigerantibus, & maximè à Venæsectione, absque urgente necessitate, celebratâ, non rarò contingit Morbum illicò recrudescere; Cùm enim expansio spirituum hoc modo intempestivè, & perperam præpediatur, Venenum sese in tantum recolligit, ut Natura, jam debilitata, victoriam penè partam vix aut ne vix reportare possit. Quo nomine vehementer oro obtestorque omnes artem medicinalem exercentes, ne, in hoc articulo Morbi, absque urgente necessitate, proprii lucri, vel famæ causâ, quicquam moveant, vel quidem tentent, imò, quoties necessarium videatur vel fræno vel calcaribus uti, ut, cum summâ cautelâ, & parcâ manu, id faciant; satius enim est Ægros à morbo quàm à Medico trucidari.

In ultimâ harum Febrium Scenâ, ubi Natura Veneno victa manus datura est, ubi adsunt dirissima nervosi generis symptomata, cum Respiratione suspiriosâ, pulsu tremulo, urinâ clarâ & stramineâ, & madore frigido per totam machinam diffuso præter caput, quod jam intensè incalescere solet, modò quicquam adhuc tentandum restat, unicè indicatur copiosus usus Alexipharmacorum, Spirituum Volatilium, acrium Suppedaneorum, atque frequentium Vesicatoriorum, ut, ex inflammatione artificiali, spiritus animales languentes & oppressi tandem resuscitentur, quomodo plurimos ab Orci fere faucibus revocatos novi.

De Febre Ephemerâ sive Diariâ.

Supervacanea forsan videatur de hâc Febre dissertatio, utut succincta, cùm ultro, absque artis nostræ auxilio, spatio 24. horarum finiri soleat. Quandoquidem verò Puretologia in genere; atque præsertim hypothesis nostra de causâ febris Continente & immediatâ, inde quadantenus illustrari possit: Necnon, quia ex venenatis principiis priùs in spiritibus delitescentibus, & jam in actum erumpentibus, vel ex malo regimine, haud rarò contingit Febrem Ephemeram in Intermittentem, Continentem, aut Malignam ipsam transmutari; Operæ pretium erit, brevi, de genio & eventu hujus Febris observationes nostras subnectere.

Febris Ephemera est, quæ immediatè à merâ agitatione, & motu spirituum animalium nimio, ab evidenti aliquo externo accidente, sine apparatu venenato, producitur, ideoque, legitime tractata, spatio 24. horarum sponte sæpenumero terminatur. Spiritus nimirum diu agitati, sese, pro tempore, more febrili expandunt, ac si à veneno aliquo intus nato perciti; indeque massam humorum tandem accendentes, superinducunt Pulsum celerem, Sitim, Dolores, Lumbaginem, Lassitudinem ulcerosam; Rigores incertos, atque id genus symptomata febrilia.

Causæ Procatarcticæ & Evidentes sunt Insolatio, Equitatio, sive quævis alia exercitia laboriosa; vigiliæ diuturnæ, studia intensa, & alia quævis Pathemata animi graviora, ingurgitatio multa liquorum spirituosorum, cæteraque ejusmodi, quæ nisum, motum, & fervorem insolitum in spiritibus efficiendo, eos in summam, licet accidentalem, expansionem adigunt.

Indicantur unicè quietus admodum in lecto decubitus, atque somnus, quo spiritus, non ampliùs jam agitati, sponte (sensim licet) in statum naturalem redigi queant. Quo facto, flamma in sanguine illico extinguitur, & Febris cum omnibus symptomatis, cessat, Ægro tandem madore undiquaque perfuso, sero per calorem febrilem colliquato, & jam per poros cutis, non ampliùs fervore inimico constrictos, copiosè excreto.

Durante flammâ febrili, tenuis ac parca diæta instituatur, æquè ac in aliâ quâcunque Febre; Copia enim cibi vel potûs ingesta, antequam Ventriculi fermentum restituatur, vix minus quàm veneni in nervis delitescentis exsuscitatio, hanc febrem extendit, eamque mutat in Intermittentem vel Continuam, eamque aliquando malignam; & tunc novæ Indicationes curativæ exsurgunt, quæ in reliquis hujus Puretologiæ capitibus continentur. Ex dictis constat nullum esse κελτήελον Pathognomonicum hujus Febris, unde ante horas 24. certò dignosci possit, nam si unius diei limites hæc Febris excedat, Typum atque nomen novum sibi asciscit.

De Febre Intermittente ejusque causâ, Typo & Symptomatis.

Febris Intermittens est calor præternaturalis in sanguine accensus ab insolitâ spirituum expansione, statis periodis, quotidiè sc. tertio vel quarto die, vel sæpiùs redeunte, pro genio Veneni eam efficientis, unde Quotidiana, Tertiana, Quartana simplex vel duplex audit. In hâc Febre Algor, Rigor, Calor, & Sudores sese vicissim excipiunt: Nec absunt Ægritudo universalis, Nausea & Vomitus, Dolor Capitis, Lumbago reliquaque ejusmodi symptomata.

Quid sit hoc Venenum (sive id intus natum fuerit sive ab extrà admissum) haud facile est explicatu, quia sensus omnes nostros planè superat atque fugit, æque ac Spiritus ipsi qui eo imbuuntur. Ideoque satis est ejus realem existentiam à posteriori seu effectu probare, sc. à veneni symptomatis, quæ in morbo inde formato sese prodere solent, quæ non rarò eadem sunt cum iis, quæ à veneno sensibili oriuntur, uti Lipothymiæ, Vomitiones immanes, Ægritudo universalis, dolores spasmodici, &c.

Verùm, fermentum venenatum hujus Febris (quicquid sit) mite admodum videtur præ fomite Febris cujuscunque alterius: Spiritus enim eo imbuti, quàm citissimè, vi suâ elasticâ jam exsuscitatâ, in tantum sese expandunt, ut spatio

24. ho-

24. horarum venenum subigere valeant; necnon Venenum vires Antidoti vulgaris Corticis sc. Peruviani, brevi, agnoscit. Insuper, Fortitudo pulsus, profunda Tinctura urinæ, Gradus caloris febrilis, immanis Vomitio, vel Diarrhœa, profusi sudores, unà cum citissimâ exacerbatione omnium symptomatum cæterorum; sicuti spirituum fortem expansionem probant, ita etiam genium veneni minùs deleterium, & spiritus agitatos, potiùs quàm oppressos esse arguunt.

Argumentis, quæ in Hypothesi nostrâ generali attulimus, pensitatis: Nemo (opinor) vis fermentum hoc venenatum in receptaculis, visceribus aut recessibus nescio quibus, ad mentem veterum collocabit, verùm in gremio spirituum delitescere, atque statis periodis, pro genio veneni, reviviscere concedet, præsertim cùm omnes confiteantur fomitem insultuum Hystericorum & Epilepticorum, qui non rarò stato tempore, sicut Intermittentium Febrium paroxysmi, repullulant, in nervis contineri.

Causæ procatarcticæ hujus miasmatis, saltem evidentes, sunt Frigus ab ambiente aëre, vel à decubitu in terrâ sub Dio, ex quo Spiritus animales, saltem ii qui in extremis plexibus fibrarum & nervorum cutaneorum hospitantur, algentes, tonum suum naturalem quadantenùs amittunt, unde œconomiam spirituum illicò everti contingit. Aër item externus, præsertim Palustris vel Autumnalis inspiratus, & cum spiritibus commixtus, particulis heterogeneis & venenatis ita nonnunquam refertus est, ut Febres Intermittentes non aliâ de causâ in locis palustribus & oris maritimis Endemiæ fiant, atque Autumnali tempore ferè ubique Epidemicæ evadant. Fatendum tamen est à cibo δυσπέπτῳ, subito terrore, cæterisque animi Pathematis gravioribus, non rarò hoc venenum exaltari, & nullus dubito, quin à longo abusu sex rerum non naturalium hoc Venenum, utplurimum, intus nascatur, utut ab externis evidentibus causis in actum ducatur; unde evenit quòd ab iisdem causis externis non omnes parili modo Febre Intermittente afficiantur.

Ubi ab energiâ Veneni prius intus delitescentis, jam verò à causâ aliquâ evidente exaltatâ, Spiritus quasi opprimantur; flamma vitalis ferè extinguitur, Pulsus fit celer, oppressus & debilis; Urina tenuis & Pallida, Cerebrum grave & Comatosum, Algor etiam totam machinam invadit, qui præsertim prope Spinam dorsi, è quâ spirituum animalium canales propagantur, atque in naso & extremis artubus sentitur.

Quamprimùm Spiritus cum veneno manus conseruerunt, luctationem inceptam esse vertiginosus Cerebri affectus prodit: Sequuntur autem in reliquis machinæ partibus Vomituritio, Oscitatio, Pandiculatio, Jactatio inquieta & suspiriosa; Oppressio Hypochondriorum gravativa; Respiratio anhelosa; Horror & Rigor universalis, donec flamma in sanguine accendatur, à quâ Pulsus fortis & celer evadit, Urina rubedine tingi incipit à Bile, præ calore, inspissatâ, & inde in sanguine coacervatâ; necnon contentis plus debito saturari à particulis chylosis eâdem de causâ colliquatis, & in sero præcipitatis. Incalescit totum corpus, & maximè Artus extremi, qui siccescunt quia pori cutis à calore contrahuntur: Sitis adest, vel quia papillæ salivales contringuntur, vel quia saliva, ab ebulliente sanguine secreta, miti suâ & leniente facultate exuitur. Cephalalgia meninges, Lumbago partes spinæ vicinas, Lassitudo ulcerosa universos fere musculos ac totum genus fibrosum torquet, imò ab insolitâ distentione musculorum quorundam maximè debilium, spiritibus immaniter explosis, non rarò oriuntur dolores spasmodici horrendi, iique huc illuc versatiles more Rheumaticorum; vel in membranis compage strictiore donatis fixi, Pleuriticorum, Colicorum, Cholericorum, &c. Æmuli, unà cum copiosis vomitionibus aut fluxibus alvi, quoties acrior lympha colliquata, è sanguine ebulliente in ventriculum aut intestina confertim excernatur. Idem perturbatus spirituum motus pertinaces Vigilias infert, & Deliria, durante Paroxysmi febrilis vigore, atque multorum aliorum symptomatum satellitio stipatus est, quæ nunc recensere longum foret.

Hæc molesta symptomata ad 7. 10. 12. aliquando 24. horas durare solent, & circa finem Paroxysmi vehementiora fieri. Primum insultum hujus Febris, præsertim, ubi parvulos eâ corripi contigerit, per triduum vel quatriduum protensum, typum Febris continuæ pro tempore induisse, non rarò me observâsse memini: Namque, pro genio veneni, citiùs aut seriùs Paroxysmus solvitur, & symptomata cessant: Quamdiù autem venenum intus delitescens viget, Paroxysmus elongatur, augescentibus symptomatis, donec, ultimo tandem conamine spirituum, veneni vigor subigatur, aut saltem sopiatur. Hoc facto succedunt sudores: Et deinde ἀπυρεξία, quæ eo usque durat, donec veneno, de novo refervescente, spiritus recens irritati, certamen iterum instaurent, atque inde Paroxysmus febrilis iterum formetur, cum symptomatis priùs memoratis, & impensâ Naturæ novâ. Siquidem hujus veneni indoles peculiaris est, atque ab omni alio fermento febrili planè diversa, licet enim, extrema spirituum expansione in singulis Paroxysmis facta, ejus energia planè vincatur, & subigatur, intus tamen adhuc delitescit, novas tragœdias daturum, usque dum ab arte vel Natura miasma febrile non tantum subactum, sed & penitùs eliminatum fuerit. Quippe mensuram durationis cujusque veneni, quod fomitem hisce febribus ministrat (ut mihi videtur) Natura ipsa determinavit, quod exinde, licet ab usu propriæ & potentis Antidoti, aut præpollenti & frequenter repetita spirituum expansione, per plures hebdomadas vel menses subactum videatur; à levissima occasione, imò non rarò absque evidenti causa revirescere solet, donec metam durationis à Natura constitutam attigerit. Hoc facto, vel sponte exulat Fermentum, vel à copioso & repetito Antidoti usu, aut ab expansione spirituum satis valida, Natura hoste superior facta vires veneni prorsùs prosternit.

Hic mihi Corticis Peruviani justa defensio suscipienda est. Cui salutiferæ Antidoto à Φιλανθρωπία ipsa in levamen ærumnarum vitæ humanæ plurimarum divinitùs concessæ convitium faciunt Adversarii, quia febrile fermentum inde subactum, sæpenumerò post hebdomadas, vel saltem

saltem menses aliquot revirescere solet. Quum reverà hocce fermentum (quicquid sit) durationis suæ spatium fixum & determinatum habeat, jam brevius, jam longius, & sæpiùs ad plures menses imò & annos protensum, adeò ut, priusquàm hic Fomes metam suam ultimam attigerit, Febris inde orta, quocunque modo curetur, sive alio quocunque Arcano, sive more methodico sc. Venæsectione, Emeticis, Catharticis, Epithematis, Pericarpiis, Diaphoreticis, &c. (Modo hæc unquam scopum attingant) vel Naturæ solius viribus, (quod non rarò fit æstivo tempore, cùm ex appropinquante sole vis spirituum expansiva multum fovetur & augetur) non rariùs tamen Æger recidivam patitur, quàm si Antidoto magno usus fuisset. Indeque Febrium recidivatio soli Cortici imputanda non est, potiùs jure lætandum nobis est, quòd Remedium istiusmodi possideamus, quo Naturæ diù oppressæ & attritæ, quoties libuerit, succurrere & fatalem hujusce morbi exitum præcavere possimus, utut à curatione aliquando repullulare soleat. Quinetiam, nescio an non à frequenti, atque post justa intervalla repetito ejus usu, eradicatio fomitis ipsius venenata accelerari queat. Certè revirescentia Morbi Cortice curati, non medicamento, sed Medico vel Ægro accepta referenda est; præsertim ubi jam vili pretio, magnum hoc Remedium comparari possit, & à liberali ejus usu nunquam quicquam detrimenti ægros passos esse, quantum ego scio, hactenus observatum est; at à nimis parca ejus dosi hoc incommodi accidit, quòd Morbus exinde vel in propria, vel, Protei instar, in alia forma ad revirescendum aptus natus sit.

Quanquam febrilis Paroxysmus Acutus sit, Morbus tamen ipse, quicunque fuerit ejus Typus, Quotidianus, Tertianus, Quartanus, simplex scil. vel duplex, est fere semper plùs minùs Chronicus, duraturus usque ad perfectam eliminationem venenati miasmatis, quocunque modò id tandem fiat. Fermentum enim hujusmodi Febrium (quicquid è contrà veteres senserint) exinde mihi videtur non multiplex, sed unum idemque esse; quia hæ febres (præsertim ubi diù duraverint) typum suum absque aliqua evidenti causa mutare solent, atque Febris quæ jam legitima Tertiana audit, post unam vel alteram hebdomadam Quotidiana, Hemitritæa, imò non rarò Quartana evadit, & vice versa. Quid? quod semel observavi, hujusmodi Febrem, ex malo regimine in Malignam Petechialem admodum periculosam degenerasse? Cujus curatio, maxima ex parte, liberali usu Corticis Peruviani absolvebatur, genio veneni primarii id suadente. Præterea fermentum cujuscunque Febris Intermittentis viribus Corticis Peruviani indifferenter cedit; Et observatu facile est, unciæ uni Chinæ-chinæ ipsam Febrem Quartanam, absque apparatu Apozematum deobstruentium à veteribus decantatorum; atque solennium Evacuationum, æque citò & certò locum cedere, ac simplicem Tertianam, Quotidianam aut quamcunque aliam hujus generis vel levissimam.

De Signis Febris Intermittentis Diagnosticis.

Febris Intermittentis in genere, aut Quotidianæ, Tertianæ, Quartanæ, Hemitritææ in specie, genuinæ scil. signa Diagnostica & Pathognomonica enarrare supervacaneum mihi videtur; cùm ea ex Paroxysmorum diligenti observatione, nisi Febris Intermittens typum alterius morbi induerit, cuivis innotescant è symptomatis priùs descriptis, Atque symptomatum Diagnosticorum Ætiologia vera & satis luculenta ex antedictis peti possit. Verùm quandoquidem aliquando accidit, ob vehementiam symptomatis alicujus singularis cætera omnia in tantum superantis, ut Algor, Horror, Calor, &c. Non tantum Adstantium sed etiam Ægri ipsius sensum planè fugiant, Æger de hoc vehementi symptomate unicè conqueratur, &, durante Paroxysmo, tractari postulat methodo, ipsi morbo, sub cujus larva Febris jam latitat, debita; ejus tamen revirescentia vix aut ne vix præcaveri possit absque Cortice Peruviano, vel alia (siqua sit) Antidoto in Paroxysmorum intervallis exhibita; operæ pretium mihi videtur hujus Protei varias formas, saltem quæ mihi adhuc innotuêrunt, enumerare, quin & criteria subjicere, unde dignoscantur à veris ipsis morbis quorum typos mentiuntur.

Quanquam multa arte genium suum aliquando dissimulent Febres Intermittentes, certo certiùs tamen ex Urina (quæ jam multùm tincta est, contentis saturatur, & sedimentum præcipitat colore plùs minùs lateritio, ut in verè Intermittentibus ferè semper fit) atque ex statis Paroxysmorum, & lucidorum intervallorum periodis, & periodica horum symptomatum exacerbatione & remissione, deprehendi & dignosci possunt.

Ita in aliqua parte Meningum, spiritibus inibi veneno agitatis & explosis, Hemicraniam intolerabilem subortam sæpissimè observavi, eamque post certas & statas periodos, quotidie ut plurimùm, recrudescere solitam, verùm absque aliquo solenni Algore, Horrore, Calore & Sudore, qui sese alternatim excipiunt in Intermittentibus legitimis. Urina verò multùm tincta & contentis saturata, speciem Aquæ cum pulvere lateritio commixtæ semper præ se ferebat. Morbum sæpè incassum frequenti venæsectione in Jugulari vel ejus ramulis celebratâ, atque æque frequenti Epispasticorum applicatione, usu Cephalicorum omnigenorum, Errhinorum, Masticatoriorum, &c. curare tentavi. Verùm Emeticis, Catharticis lenioribus, Chalybeatis, Antiscorbuticis, &c. Ad mentem veterum exhibitis, acuendo & turbando Spiritus, eam semper auxi, donec tandem experientiâ didiceram, usu copioso Corticis Peruviani Venenum Febrile, doloris hujus fomitem, penitus posse subigi.

Parili modo, à præpollenti vi veneni hujus febrilis Cerebrum & origines Nervorum circumquaque obsidentis, atque spirituum dispensationem præpedientis, iterum iterumque Apoplexiæ symptomata observavi, certo tempore, tertio vel quarto quoque die recurrentia; sc. profundissimum somnum, stuporem & stertorem, Urina interea (uti solet in Febribus Intermittentibus) semper rubedine multùm tincta, contentis saturata, atque, cùm aëri exponeretur, ad præcipitationem sedimenti lateritii valdè proclivi. Hos Ægros, durante Paroxysmo, methodo Apoplexiæ debita, copiosa sc. Venæsectione.

sectione, Epispasticis frequentibus, Emeticis atque Catharticis acrioribus, Sternutatoriis, Cephalicis, aliisque ejusmodi Remediis stimulantibus, cum felici successu, excitare sategi; nunquam verò revirescentiam Paroxysmorum præpedire potui absque China-China, in intervallis lucidis, manu liberali, idque confertim ministrata. A quo tempore, Ægros, quamvis ab Apoplexia liberatos, sæpius tamen diuque recrudescentiæ Paroxysmorum Febris Intermittentis obnoxios observavi, unde de origine & vero Fomite hujus morbi Apoplexiam veram mentientis non amplius dubitavi.

Centies observavi Colicam Ventriculi, vel intestinorum, Pleuritidem acutissimam & verè spasmodicam, Rheumatismum universalem, vel particularem, Febrem Scarlatinam, Erysipelatosam cum symptomatis Pathognomonicis intensissimis, ab expansione explosivâ spirituum hoc veneno nimis irritatorum, orta fuisse. At ista symptomata statis periodis redibant; Urina reddebatur, qualis in Febribus Intermittentibus apparere solet: Et has febres, cùm vel sponte suâ, vel arte coactæ larvas deponunt, China-chinâ citò semper, & feliciter curare soleo.

Denique, quoties hocce venenum, vel Emeticum & Arsenicale vel Catharticum est, vel simul utramque evacuationem inducit: Morbus induit Typum Choleræ morbi, Diarrhœæ torminosæ, Dysenteriæ, vel simplicis Vomitionis. Verùm statis periodis revertitur, vel saltem exacerbatur, atque semper Urina rubra & turbata est, ac si pulvis laterum cum Aquâ confunderetur; & qualis in Febribus Intermittentibus ferè semper conspicitur. Hic verò, licet Paroxysmos Laudano sæpiùs repetito, Enematis, Aqua Pulli copiosè propinata, aliisque ejusmodi debita methodo ministratis curavi: Remodi revirescentiam tamen Paroxysmorum vix unquam absque liberali usu Chinæ chinæ cum Laudani moderatâ dosi commixtæ, & frequenter remissionis tempore exhibitæ, præcavere potui. Ubi verò à Corticis justâ dosi venenum hoc Emeticum vel Catharticum subactum fuerit, colluvie humorum colliquatorum versùs ventriculum & Intestina jam minùs tendente, facillimè cum, vel absque Laudano horrendæ istæ excretiones ultrò cessant: Aliquas Historias è plurimis aliis selectas, in majorem sententiæ nostræ & Praxeos elucidationem, atque confirmationem, in fine hujus exercitationis subnectere non pigebit.

De Febris Intermittentis Prognosticis.

Prognostica quod attinet, illa duntaxat proferre lubet, quorum veritatem longus usus & experientia comprobavit & quæ sunt principiis nostris prius stabilitis conformia. 1. In uno eodemque Paroxysmo Febris Intermittentis, post expansionem spirituum inceptam (ex aquâ Naturam, hâc vice, quadantenùs victricem tore conjicere liceat) non ampliùs Ægro periculum intenditur, modò Morbus typum legitimum non mutet, & symptomata aliqua vehementiora non superinducantur; Omnes enim, quos in Paroxysmo pereuntes ego observavi, algentes fatis cedebant fere statim à primo insultu Paroxysmi, atque licet Algor ad biduum vel triduum aliquando protractus fuit, ope tamen caloris interni, vel externi, & artificialis ministrati, nullam omnino spirituum expansionem sentiebant, tanta fuit veneni vehementia! 2. Quotiescunque, ob vehementiam præsentis alicujus symptomatis ex insuetâ spirituum sive expansione sive oppressione orti, contingit febrem typum suum nativum mutare in speciem Apoplexiæ, Pleuritidis, Colicæ, seu Choleræ morbi, &c. Unoquoque Paroxysmo Æger in discrimen adducitur, plus minus, pro ratione symptomatis urgentis, atque gradu veneni ansam symptomati ministrantis. Indeque symptomata hæc insolita, quæ subitaneam totius Machinæ ruinam minari videntur, curam præsentem Medici, applicationemque remediorum sibi debitorum (posthabitâ Febre & veneno, à quo ortum ducit) postulant. 3. Symptomata isthæc vehementiora sub finem Paroxysmi (modò Æger superstes fuerit) ultro cessant, vel saltem plurimùm mitescunt, donec à renovato veneni vigore, in Paroxysmo proximo recrudescere incipiant; atque proinde Medici est, in hisce intervallis, copiosâ eâque satis repetitâ Antidoti propriæ ingestione, subactionem veneni morbifici quam citissimam, totis viribus, moliri, ut saltem symptomata hæc venenata & lethifera, si non ipsum Paroxysmum subsequuturum tollere queat. 4. Febris Intermittens genuina, (eaque non tantùm Quartana, verùm etiam ipsa Quotidiana & Tertiana) respectu ad seriem Paroxysmorum, & fomitem eorum delitescentem habito, typum Morbi Chronici induit, utut singularis quisque Paroxysmus fuerit Acutus, imò peracutus, quippe paucarum horarum spatio omnia sua stadia decurrens. 5. Fermentum Febris Quartanæ maximè omnium fixum est atque durabile; quippe, priusquam vires Corticis Peruviani præpotentes in hisce morbis debellandis cognitæ erant, hæc Febris, præ cæteris omnibus, Opprobrium medicorum jure merito habebatur, neque unquam (quantum ego scio) nisi forte fortuito, ab arte vel Naturâ, nisi tempore æstivo, sole appropinquante & expansionem spirituum multum adjuvante, curationem admittebat, quin etiam, præ cæteris omnibus, Febris hæc curata, sive Arte sive Naturâ, ad revirescendum mirum in modum proclivis est. 6. Omnis Febris Intermittens, ubi jam annosa & valde chronica evaserit, genium Quartanæ imitari videtur; &, sicut Quartana, post longa intervalla, cum, vel absque evidenti causâ, incertis periodis, non rarò recrudescit, & typum suum sæpiùs mutare solet, adeo ut quæ uno mense fuerit Quotidiana, altero evadit Tertiana, Hemitritæa, Quartana, & vice versâ. Quo diutiùs autem typum Quartanæ servet, eò magis chronica redditur, atque eo plus ab ea Natura patitur. 7. Febris Intermittens, quæcunque fuerit, Quartanâ non excepta, in ætate juvenili atque æstiva tempestate, viribus solius naturæ sæpiùs curatur; Juventus enim, æquè ac verna seu juvenilis anni tempestas, expansioni spirituum favet; at in ætate provectiori, & hyemali vel Autumnali tempore, sole indies magis magisque recedente, vix aut ne vix absque ope generosæ illius Antidoti febrifugæ Corticis sc. Peruviani curationem admittit. Satis igitur astutè à Medicis antiquis, (qui hujus morbi non minùs veram causam

causam quàm remedium ignorabant,) quasi totidem ignorantiæ suæ Asyla, excogitata fuerunt proverbia illa ad vulgus decipiendum; quæ in mente plebis, non sine summo Ægrotorum detrimento, hactenùs fixa manent scil. Quòd hæ febres non debent præproperè sanari, quum revera certam eas curandi methodum planè ignorabant. Quòd olfactus Rosæ hunc morbum solvit, cùm revera nonnisi æstivo tempore hoc remedium comparari possit. Quòd Febris Intermittens verna sit Remedium Regium; h. e. Salutiferum & cæterorum morborum prophylacticum, quippe, appropinquante jam sole, brevi ac sponte evanitura, cum instauratione universa naturæ à sarcina sua hoc pacto liberatæ. 8. Ante tertium Paroxysmum, Emetico, Pericarpiis vel quocunque alio levi remedio facillimè nonnunquam tollitur hæc Febris, post hæc autem difficiliùs. Quo enim magis Chronicus, eò magis curatu difficilis hic morbus evadit, quippe cum malis symptomatis sociatus; Indeque nulli Author ero, uti vel secundus Paroxysmus ultro permittatur. Cui enim bono? Esto, morbus Cortice hoc modo derepente sublatus recrudescere non rarò solet: Atqui à Corticis exhibitione post debita intervalla frequenter repetita, hoc etiam incommodum præcaveri potest; Neque quidem ex usu præpollentis Antidoti nativa duratio venenati fomitis elongatur, sed inde ejus vires plurimùm pessundantur. Quinimò, nonne satiùs est (licet duratio hujus Fermenti inde non brevior fiat) naturæ laboranti, & pessimis symptomatis circumcirca obsessæ, ope generosæ Antidoti succurrere, quàm permittere, ut absque ope artis languens natura, symptomatis novi alicujus morbi superinductis, penitùs succumbat? Quo nomine non possum non gratias maximas referre *Deo Opt. Max.* qui tantis viribus hunc simplicem Corticem instruxit, ut ab eo omnia fermenta febrilia acuta, saltem mitiora, penitùs tolli queant; adeò ut inter Opium, Mercurium, Chalybem, Aquas minerales & cætera Remedia maximè generosa & quadantenùs universalia, utpote ad plures morbos accommodata, locum mereatur. 9. Hæcce Febris, quoties ab arte vel Natura extinguitur in ἀκμῇ suâ, absque signis concoctionis in urinâ præcedentibus, faciliùs revirescit; ubi verò sensim deficit, ita ut tandem sine Algore, Rigore, Horrore, aut dolore Spasmodico evidenti, Paroxysmi invadant, à veneno sensim languente, utrum id arti vel naturæ debeatur, Revirescentia ampliùs vix aut ne vix expectanda vel metuenda est. 10. Febris hæc, quoties legitima est, rarò admodum est funesta; Atqui quotiescunque eam esse Chronicam contingit, viam sternere solet ad plures alios morbos, eosque maximè funestos, uti Hydropem, Phthisin, Icterum, Scorbutum, &c. Qui quidem omnes Cortice Peruviano copiose exhibito atque sæpiùs repetito feliciter curantur (cui observationi fidem facient historiæ aliquot fini hujus Exercitationis adjectæ;) atque absque ejus ope vix aut ne vix curationem integram admittere possunt. 11. Denique, hæcce Febris, ubi vel Chronica fuerit vel malè morata, mutari solet in Febrem continuam languidam & fatalem, perpetuò conjunctam cum omnibus dirissimis symptomatis in genere nervoso, Lipothymiis, Vomitionibus, Suffocationibus, Vigiliis, Ægritudine universali, &c. Ac si Æger animam quovis momento efflaturus esset. Quæ omnia prægrandia symptomata (modò Cortex, decurrente morbo, priùs exhibitus fortè fuerit) generoso huic Remedio, ut Probra, vulgo objiciuntur, cùm quidem post cætera Febrifuga, Cephalica, atque Hysterica omnigena, intus & extra incassum tentata, illa ipsa symptomata Corticis usu recens repetito unicè tollenda sint. In cujus rei testimonium unam vel alteram historiam calci hujus Exercitationis bonâ fide subjiciam.

De Febris Intermittentis Indicationibus Curativis.

Indicatio Generalis, pro vario statu veneni morbifici, duplex est sc. Una, Vigente Paroxysmo, verùm in intervallis plane Altera.

In ipso insultu Paroxysmi, ubi tota Machina, à præsenti vigore veneni, evidenter in periculum adducitur, atque Natura inde expergefacta, expansione spirituum insolita, contra vires ejus deleterias sese munire satagit, Indicatio curativa est unica, sc. ut expansio spirituum justa atque debita conservetur, ita ut Spiritus à vi veneni lethifera, quamprimùm liberentur, & tota Machina à funestis incendii intestini symptomatis immunis servetur. Siquidem ab excessu expansionis, ad gradum usque explosivum, æque ac à defectu, Naturam detrimentum capere sæpiùs conspicimus: Indeque Medici est, qui Naturæ unicè ancillari debet, ad Naturæ normam, omnia sua mandata diætetica & pharmaceutica dirigere, sc. ut nimiam spirituum expansionem reprimat, deficientem (quæ plus periculi habet) adaugeat, moderatam verò, justo regimine, eodem tenore pergere sinat, nihil officiosè & sine urgenti necessitate tentans, verùm totum negotium Naturæ ipsi, ad quam jure pertinet, permittens, nec quidquam in regimine, vel in apparatu Medicaminum, suæ, vel adstantium rationi dissonum committat, ut, quicunque tandem fuerit Morbi eventus, egregiè officio suo functus sit, sine vel famæ suæ, vel Conscientiæ jactura.

Quòd spectat ad Regimen, durante vigore veneni, in ipso sc. Paroxysmo, huic morbo debitum, id paucis absolvam.

Diæta sit admodum tenuis, uti Avenacea, Possetala, Panatella, Hordeacea, &c. Jusculum pulli, vel Cerevisiam crudam sub initium paroxysmi, & bihorio vel trihorio ante paroxysmum Æger ne gustet: quippe fermentum ventriculi jam è massa spiritu venenato labefactata secretum, vix quicquam præter potulenta & pultacea, eaque, quæ particulis fermentescentibus, quantum possibile est, privata, à forma Chyli minimum distant, potest concoquere, & ab ingestis quibuscunque, quæ facultatem ventriculi superant, Natura antè fatigata, nova & molesta sarcina inde superinducta, incassum premitur, Ægritudo verò perpetua, Nausea, & Vomitio immanis, Gradus caloris intensior, plurimaq; alia id genus symptomata succedunt.

Durante Algore, atque etiam ipso Horrore, scil. donec Spiritus motu quadantenus liberiori sese expandere incipiant, Æger prope ignem lucu-

luculentum multa veste indutus sedeat, vel potiùs gressu citatiori obambulet, vel aliquo alio modo vires suas exerceat; quo vis spirituum veneno oppressa excitetur, & liberiùs sese expandat.

Calore verò febrili jam ingruente, potiùs decubitus, isque admodum quietus, atque in loco tenebricoso eligendus est, ubi stragulis Æger cooperiendus est; sed non nimiis; ut somnus conciliari, atque inde fervor sanguinis, ac incendium intestinum ab expansione spirituum ortum, temperari queat, & consequenter dolores spasmodici in capite, reliquisque partibus, cum aliis id genus symptomatis ab explosivo statu spirituum oriri solitis, præveniantur. Quo pacto, paucarum horarum spatio, ab ipsis naturæ viribus hocce veneno quadantenùs debellato atque cicurato, Paroxysmus quam citissimè sudoribus subsequentibus sponte finitur; Calore febrili sensim prius decrescente, prout ejus fomes subtrahebatur.

Pharmaceuticam partem quod spectat; durante paroxysmo, modò expansio spirituum ritè se habeat, neque vel excessu vel defectu peccet, nullum remedium officinale indicatur, nisi quòd ad spiritus refocillandos, fermentum ventriculi confortandum,& calorem sanguinis temperandum, Julapium Cordiale temperatum concedatur ad libitum sumendum, quem in usum, sequens aut aliud simile ego præscribere soleo.

♃. Aqu. card. ceras. nigr. ana ℥ iv. cinnam. hord. Menth. Epidem. ana ℥ i ß. Salis Absinth. ℈j. Syr. è Limon. vel caryoph. ℥ i ß. M.F. Julap.

Ab Emeticis, utut lenioribus, à Catharticis licet benignis, uti decocto amaro, Manna, &c. Vel ab Enematis ipsis, hoc tempore officiosè, atque sine urgenti Indicatione ministratis, multum detrimenti pati solet Æger, si vita ipsa non exinde in subitum discrimen adducatur. Instante Crisi, sine evidente ratione nil arte moliendum est; ne Natura inde interturbetur; præterea cùm fermenta ventriculi & Intestinorum veneno activo imbuantur, si à pharmaco levissimo vel enemate eam stimulari contigerit, quàm enormes evacuationes, cum magna & periculosa virium jactura, inexpectatò insequi quotidiè conspicimus?

Nec minùs Venæsectio, præsertim in primo insultu paroxysmi, priusquam Spiritus sese liberè expandant, perperam celebrata, Spiritus labefactando, venenatum fomitem ad lethalem usque gradum statim exaltare solet: aut saltem febrem intermittentem in continuam, si non malignam cum dirissimis symptomatis in genere nervoso sociatam mutat. Idem non rarò in praxi observare licet, ubi à Natura ipsa magnæ Hæmorrhagiæ in primo paroxysmi insultu contigerint.

Itidem Diaphoretica, præsertim Opiata (qualia sunt Theriaca, Mithridatium, Diascordium, &c.) Sicuti sub finem paroxysmi exhibita, absq; manifesta Indicatione, nihil ad curationem promovendam conducere observantur; ita in primo insultu Spiritus præproperè agitando, atque interturbando, Naturam in maximas, si non lethales angustias inducere solent, à quibus Spiritus priùs confusi difficulter admodum sese liberare queant. Verùm Opiata, justam spirituum expansionem præpediendo, indeque gradum veneni deleterium multùm promovendo, paroxysmum Febris Intermittentis legitimum haud rarò in funestam Apoplexiam, vel Coma, vel alium aliquem peracutum & lethalem morbum convertunt. Hoc pacto celeberrimus ille vir *Andreas Mervill* cum magno Reipub. (præsertim literariæ) detrimento (ex ignorantia Medici senis atque superciliosi, cui in more erat contra Corticem Peruvianum, quasi communem pestem, immaniter ubique debacchari) è vivis ante diem sublatus fuit. Siquidem, postquam absque evidenti aliqua Indicatione, in intervallo, post tertium paroxysmum Febris Tertianæ legitimæ, præparationis gratia (uti omnia methodicè fieri viderentur) sanguis ab Ægro ætate provecto, post enematis rejectionem, liberè extractus fuisset, & in subsequenti intervallo, Alvus decocto amaro subducta, & paulo ante tertium paroxysmum Emeticum propinatum; Hoc modo strata via, sub initium paroxysmi subsecuturi exhibebatur magnum Febrifugum, haustus scil. ex Aqua Theriacali, &c. Æger stragulis opertus, vel potiùs sepultus jussu Medici, ad somnum & sudores sese componebat; ut saltem Algorem & Horrorem primum insultum paroxysmi comitari solitos evitaret, & brevi, somno profundissimo & sudoribus colliquativis correptus, spatio horarum 24. tempore paroxysmi, Apoplecticè periit, Qui tamen ex uncia una Corticis Peruviani ritè ministrata (uti ego Medico hanc historiam fronte satis perfrictâ narranti excandescens regerebam) spatio 24. horarum Orci & morbi fauces facile evasisset. Ob talem praxin Mulierculæ reprehendendæ sunt, & acriter corripiendæ, multò magis Medici & Philosophi, quos oportet nihil Empiricè, nihil absque urgente ratione, multò minùs contra rationem & manifestam Indicationem præscribere.

Denique, nec Cortex Peruv. nec aliud quodcunque Febrifugum tempore paroxysmi propinandum est, sed in Intervallis, (modò ea sint satis protensa, eoque nomine ad Febrifugi ingestionem accommodata) Nam durante vigore veneni, vires Antidoti à fermento ventriculi venenato plurimùm fractæ, haud liberè sese explicare possunt, & totis viribus in hostem insurgere; sicut in Intervallis paroxysmorum (in quibus venenum imbelle est, & sine viribus delitescit) & possunt & solent. Præterea cùm liquor glandulosus, in ventriculum, cibi fermentandi gratia, continuò depositus, è massâ sanguinis venenatâ secernatur; necesse est Ægritudinem, Nauseam, Vomitionem vel fluxum alvi œconomiam ventriculi eousque subvertere, ut Æger nutrimentum tenuissimum vel deglutire non possit, vel illicò sursùm aut deorsùm rejiciat; multò minùs remedium officinale amarum, & forma ac quantitate, æquè ac sapore ingratum. Imò sæpe observatum est, quòd ii qui lubentissimè in paroxysmorum intervallis Corticem deglutiunt, atque facilè retinent, ingruente paroxysmo, sursùm vel deorsùm eum semper rejiciant; unde iniquum videtur, Ægros tempore paroxysmi sarcina morbosa plus satis pressos, absque urgente necessitate, ampliùs ingratis medicamentis plecti.

Sin verò, ob expansionem spirituum hoc tempore deficientem, aut nimis exaltatam,

durante paroxysmo, Vita Ægri in discrimen adducatur, cum scil. febris alterius morbi symptomata vehementia & lethifera sibi adsciscit; Morbus iste ascititius eadem methodo tractandus est, ac si esset Originalis; ut ex Orci faucibus Æger quam citissimè liberetur; Postquam verò hæc nova symptomata cessent vel mitigentur, assiduè atque copiosè exhibendus est Cortex Peruvianus, seu aliqua alia (siqua sit) generosa Antidotus febrifuga, qua vires veneni morbifici frangantur, & paroxysmus futurus, vel saltem symptomata peregrina, præcaveri possint. v.g. Cùm Æger funesto Algore correptus, quasi moribundus & languens per plures dies jaceat, expansio spirituum quàm citissimè calore multo externo, frictionibus duris, Julapiis cordialibus, spirituosis, spirituum & salium volatilium repetitis dosibus, frequentibus Vesicatoriis (quæ flammam artificialem in spiritibus excitando præ reliquis hìc conducunt) & quocunque alio modo convenienti promovenda est.

Ubi verò (quod non rarò accidit) à mitiori veneno Spiritus non extinguantur, verùm toto paroxysmi tempore opprimantur & langueant, unde Æger Comatosus evadit, & sudoribus frigidis perfunditur, tanquam mox lipothymicè animam efflaturus; Indicantur Julapia Hysterica, & Cephalica paulò calidiora, Spiritus & Salia Volatilia, aliaque ejusmodi, præsertim verò Vesicatoria, quæ ad quamcunque partem præsertim verò ad totum caput applicata egregiè conferunt.

Quoties ob tonum cerebri & nervorum peculiari modo debilem atque ad obstructiones aptum, Spiritus veneno morbifico perciti, per nervos non transmittantur, & sanguis, circuitu impedito, in cerebro stagnet, præter medicamenta Cephalica Spirituosa & Epispastica priùs memorata, indicantur insuper Phlebotomia copiosa, sæpe repetita, &, si opus fuerit in Vena Jugulari; Cucurbitulæ inter scapulas cum profunda scarificatione, Sternutatoria, &c. Remedia Antapoplectica.

Febris hæc Proteiformis, typum Rheumatismi, colicæ ventriculi aut Intestinorum, choleræ morbi, Diarrhœæ, Dysenteriæ, Febris Scarlatinæ Erysipelatosæ, &c. Induit, ubi venenum morbificum non valdè deleterium est, & Spiritus animales veneno irritati hoste longè superiores. Cùm igitur symptomata hæc oriantur à nimia spirituum elasticitate; Venæsectione, & Opii usu copioso & repetito, paroxysmi tempore, in ordinem felicissimè rediguntur; extra paroxysmos verò, Cortice Peruviano cum Opio commixto, venenum hisce symptomatis, & eorum recrudescentiæ ansam præbens, radicitus tollitur.

Hac methodo Ægris consulendum est, ubi Spiritus nimiùm expansos confertim in Musculos & Tendines irruere contigerit, eosque ultra tonum solitum distendere, & Spasmos cruciantes, hinc inde versatiles excitare, atque præterea, sanguinis circuitum præpediendo, seri acris secretionem in partibus, unà cum tumore & inflammatione inferre, ita ut paroxysmus febrilis jam planè latitet sub specie Rheumatismi. Ubi verò à nativa, vel accidentali, à frigore suscepto debilitate partis contigerit hanc explosionem spirituum fieri in partibus Thoracicis, præsertim in Membrana costas succingente, Musculis intercostalibus, aut reliquis membranis & musculis Respirationi dicatis durante paroxysmo; Morbus planè, simulat speciem Pleuritidis vel Peripneumoniæ, quippe cum dolore laterali atque Tussi immani, & Respiratione difficili sociatur; & à vehementia symptomatum insolita hìc (hìc enim, præ doloris & strangulationis vehementia, pulsus fere obruitur, atque extrema algent, ac si Æger illicò expiraturus foret) Pleuritis hæc Symptomatica à Genuina præcipuè dignoscenda est. In hoc casu utut Pulsus languor, & Algor extremorum contra indicare videantur, Venæsectione tamen copiosa in brachio lateris affecti sine mora celebrata, & repetita, Opii ingestione liberali, Linimentis, & Fotibus anodynis externe applicatis, hæc explosio spirituum tollenda aut saltem minuenda est; Spasmis enim hoc modo sublatis, dolor lateralis horrendus, Dyspnœa & Tussis sine medicaminum Pectoralium ope (quæ in hoc casu nihil valent) sponte cessant, Pulsus robur naturale, atque calor extremorum redit.

Sin fortè Febris haece Colicam ventriculi aut Intestinorum, vel Iliacam passionem simulet, expansionem spirituum spasmodicam cohibere necessarium est Venæsectione copiosa, applicatione calida Linimenti Anodyni ad partes affectas, Enemate carminativo, dein Cathartico acriori cum Laudano commixto, & (si opus fuerit) Aquarum mineralium purgantium coctarum, & lacte alteratarum dosi liberali, unde, saltem sub finem paroxysmi febrilis, solutio horum symptomatum, bombi & dejectiones copiosæ expectari possunt.

Denique, ubi febris intermittens, sub Typo Diarrhœæ torminosæ, Dysenteriæ, vel choleræ morbi latitet; quamprimùm venenum in singulis Paroxysmis exaltari de novo incipiat, Spiritus in ventriculo & intestinis recens exploduntur, & momento quasi Tormina, Vomitiones, Dejectiones enormes, ac si à pharmaco aliquo deleterio sumpto, recrudescunt. In Paroxysmo igitur Vena secetur, Opiata & Astringentia ad spasmos sublevandos & colliquationem inhibendam repetantur, humoris venenati in ventriculum & Intestina excreti acrimonia obtundatur copia liquoris mitioris in os atque anum ingesta, v.g. Decocti Pulli tenuissimi & simplicissimi. Et, denique partibus ab hujus humoris transitu inflammatis, & tantum non Sphacelatis, applicatione Fotuum, Sacculorum Aromaticorum in vino & aqua ferratâ coctorum & expressorum, Linimentorum, vel Emplastrorum Carminativorum tempestivè prospiciatur.

In Cholera morbo præcepta ante memorata observentur, nisi quòd rarò aut nunquam venæsectio celebranda sit.

In Diarrhœa verò & Dysenteria periodica (sive torminosa, sive sine torminibus.) Decocto albo, vel aqua Pulli in locum cujuscunque liquoris fermentescentis pro potu ordinario substituta; Venæsectione, & Laudani tertia, vel quarta quaque hora repetitioue, usque ad finem paroxysmi, expansio spirituum, & liquoris venenati colliquatio refrænanda est.

Scar-

Scarlatinam & Erysipelatosam Efflorescentiam in cute periodicam consultò sileo, quia eas semper Diarrhœæ vel Choleræ periodicæ conjunctas observavi, atque eâdem methodo tractandas.

Extra Paroxysmum Indicatio generalis est Unica, scil. ut Venenum morbificum in nervis delitescens perfectè extirpetur, ut, spiritibus non ampliùs irritatis, œconomia humorum in posterum sarta tecta conservetur, & paroxysmi cujuscunque revirescentia præcaveatur.

Nemo igitur miretur veteres Medicos futilem atque inanem operam navasse huic morbo debellando, Sensibus enim magis quàm par est confisi, humores in receptaculis nescio quibus stagnantes fomitem morbi fuisse somniarunt, indeque toto cœlo errantes, utramque curationis paginam longo apparatu medicaminum Deobstruentium & Evacuantium implevêrunt, idque methodicè, licet absque certâ aliquâ Indicatione à naturâ rei ipsius desumptâ, sed in propriis ipsorum Musæis excogitatâ. Cumque morbificum hunc fomitem penitùs eradicari impossibile crederent absque sensibili humorum evacuatione, copiâ medicaminum Incidentium humores præparabant, ut Remediis evacuantibus magis obsequentes fierent. At hos ipsos medicos appello, noverint ne unquam, nisi fortuitò, hâc methodo, utut diutiùs protractâ, quenquam perfectè sanatum? Me quod attinet, ego simplicem Tertianam, eamque admodum benignam & legitimam inde non rarò in Hemitritæam, vel Quartanam mutatam esse cum Hydropicis, aliisque diris symptomatis sociatam observasse memini, Naturâ hisce Venæsectionibus & purgationibus incassum lacessitâ. Hujus malæ & infelicis praxeos (quæ per multa sæcula cum magno Ægrotantium incommodo inter nostræ Artis Professores invaluit) πρῶτον ψεῦδος est falsa Ætiologia, Non enim, nisi ex accidenti, uti in Plethora, Cachexiâ insigni, &c. (De quibus posthac dicetur) ulla omnino evacuatio indicatur; verùm, utplurimum istæ evacuationes, Naturam inaniter lacessendo, veræ curationi multùm officiunt, saltem copiam Antidoti admodum ingratæ multò majorem necessario requiri faciunt.

Nuperi quidam Medici, postquam methodi veteris infelicem eventum observassent (licet hypothesin veterem palàm & exprofessò mutare hucusque iis visum non sit) ac si consilium commune cepissent, in Arcanis febrifugis inquirendis occupantur, quæ ex proprietate substantiæ (uti loqui amant) vel qualitate occultâ morbum eradicent, vel, quod idem ferè est, venenatum morbi fomitem pessundent atque subigant. Atque in hâc sententiâ sunt Neoterici omnes, quotquot in verba Magistri non jurarunt, verùm ad praxin medicinalem propriam attenti, liberam Philosophiam amplectuntur. Tacitè enim, licet non ῥητῶς atque palam, hypothesi nostræ de Ætiologiâ & curatione hujus morbi Herculei authoritatem tribuunt; dum aliqui Terriculamentis prope insultum paroxysmi Ægro inopinatò oblatis, sese hunc morbum sæpius prostrasse gloriantur; Alii Amuletis, Pericarpiis, aliisque Epithematis externis imò Carminibus (quæ omnia Spiritus animales, & non humores immediatè afficiendo, scopum attingere credibile est) eundem effectum sese consecutos esse jactitant. Inter Pericarpia innumera, duo sequentia ego ipse aliquando satis felici eventu comprobata expertus sum. ex. gr.

♃. Terebinth. Venet. Pulv. Oliban. ana q. s. m. & extend. super alutam. F. Pericarpia duo ad pulsus ipsos applicanda, paulò ante Paroxysmum.

Vel ♃. Fol. Chelidon. maj. Rutæ; ana Mj. Fuliginis è lignis combustis, sapon. Venet, Salis marin. ana q. s. m. cum Acet. acerrim. F. Massa pro Pericarpiis, horis duabus ante paroxysmum expectatum applicanda.

Nec minùs Helmontiani pro more jactabundi, Arcana quædam Chymica, pro certissimis febrifugis venditare solent: Vires nonnullorum ex iis ego ipse cum aliis Medicis (priusquam Herculea Antidotus Cortex Peruv. mihi innotuisset) sæpe incertas, haud rarò tamen cum felici successu efficaces expertus sum. Inter hæc Vinum Benedictum seu Infusio Croci metallorum, facilè palmam cæteris præripit (præcipitato Diaphoretico Paracelsi non excepto, quod *Gabriel Fontanus* in Apologetico, omnem sanare febrem, si semel exhibeatur, satis impudenter atque falsissimè jactat.) A justâ dosi Vini Benedicti trihorio ante tertium paroxysmum expectatum exhibita sæpiùs febrem tertianam curatam novi, verùm non tam ab evacuatione (uti mihi videtur) quàm ab Orgasmo inter vomendum in Spiritus impresso. Quo pacto etiam Vertiginem, Rheumatismum, & nonnunquam Apoplexiam, atque alios spirituum animalium morbos, illicò curatos haud rarò conspicimus. Sæpè etiam granis 7. Antimonii Diaphoretici in vehiculo quocunque convenienti exhibitis paulò ante insultum paroxysmi, febrem intermittentem tertianam simplicem, & Hemitritæam ipsam, absque quacunque sensibili evacuatione humorum, sustuli; Unde mihi penè persuasum est in Antimonio particulas aliquas latitare, quo mereatur in classe febrifugorum proximum Cortici Peruviano locum. Sal Absinthii etiam inter decantatissima febrifuga (antequam vires Corticis Peruviani exploratæ fuerant) à Clarissimis Medicis prædicabatur; & ad hunc usque diem novi quosdam è senioribus, qui Haustum, qui sal illud recipit, paulò ante expectatum paroxysmum, propinatum, Cortici Peruviano præferunt; Quem Haustum, quoniam in febribus intermittentibus magis benignis aliquando proficuum expertus sum, non pigebit hic loci describere, & ansam inde arripere palàm proponendi cætera febrifuga, quæ mihi contigit usu comprobasse.

♃. Aqu. Card. Theriacal. stillat. ana ℥ij. Salis Absinth. ʒß. Syr. de Limon. ℥ iß. M. Sumat Æger dimidiam partem trihorio ante expectatum paroxysmum, reliquam verò in primo insultu paroxysmi.

Efficacia plurimorum Amarorum, uti fol. Absinth. Matricar. fol. & Sem. Card. Benedict. Sem. Citri. Rad. Gentian. summit. Centaur. minor. flor. Chamæmel. &c. Præ omnibus aliis, in hoc morbo debellando, diù antequam vires Corticis Peruviani satis exploratæ fuissent, multo usu (eventu licet sæpe incerto) compro-

probata fuit. Imò, posthabitis omnibus aliis febrifugis, nuperrimo sæculo, Amarorum usus invaluit, non tantùm apud vulgum qui, communi quasi consensu, haustus largos liquoris Possetici foliis Cardui Benedicti alteratos paulò ante expectatum insultum Amicis ægrotantibus propinabant, unde aliquando febris intermittens mitior atque recens sublata est, vel diminta; Quin & *Professores Medicinæ*, præsertim observatores perspicacissimi, & usu longissimo instructi, hujusmodi remediis Amaris locum insignem in curatione febrium intermittentium concedere dignati sunt. Et non tantùm decantatum illud febrifugum, Decoctum Amarum, ex Amaris, quæ viribus febrifugis maximè pollere experientia docuit, conflatum (quod jam demùm loco in *Pharmacopœâ Londinensi* cohonestatur) palam ubique in hunc usum proposuerunt, verùm etiam ex Abstersivâ & Ecphracticâ Amarorum naturâ, eorum efficaciam, ratione & more Philosophico (an ritè vel non jam haud disputo) demonstrare satêgerunt. Formulam hujus decocti mihi familiarem, & à communi aliquatenùs diversam, & modum utendi subjicere hic loci non pigebit, quoniam aliquando febres intermittentes mitiores, præsertim verno tempore, eo curatas observavi.

℞. Fol. Matricar. Card. Benedict. Comar. Absinth. summit. Centaur. min. flor. Chamæmel ana M j. Semin. Card. Benedict. Citr. ana ʒ j. Salis Absinth. ʒ i ß. Coq. in Aq. F. q. s. ad ℔ jß. Colaturæ ℥ ij. iij. iv. pro ratione ætatis, bibat Æger quarta quaque hora extra paroxysmum.

Sin alvum subducere Medico visum fuerit; sive Vomitio immodica, sive alia Cachexiæ signa id suaserint, omni alio Cathartico longe tutius & melius operatur Infusio Calida ʒ j. ʒ i ß. ʒ ij. vel iij. (pro ætate & εὐφορίᾳ purgationis) fol. Sennæ primo haustu decocti prædicti.

Porrò Clariss. meus Collega, isque vir integerrimus atque medicus expertissimus *D. D. Elisha Coysh* jam μακαρίτης, sæpius sincero animo mihi asseruit, sese vires florum Chamæmeli subtilissimè pulverisatorum, in vehiculo convenienti exhibitorum, atque post debita intervalla repetitorum, æque felices ac certas in hoc morbo debellando expertum fuisse, ac ipsius Corticis Peruviani. Penes Authorem fides sit, Me quod attinet, ego nusquam efficaciam hujus simplicis Remedii tentando exploravi, verùm eodem medicamento cum aliis commixto filium *Domini Barnard*, Jurisperiti Londinensis febre hemitritæâ laborantem, quem Cortice Peruviano diu & copiose adhibito ne quidem ab uno Paroxysmo liberare potui, spatio bidui, perfectè in sanitatem restitui. Nec non Dominam Gumley vetulam febre tertianâ decumbentem (postquam diu & ad nauseam usque vires Corticis Peruviani irritas experta esset) ope ejusdem Arcani, post debita intervalla exhibiti, spatio etiam bidui sanavi. Itidemque uxorem Vetulam Domini *Royston Bibliopolæ Regis* fere septuagenariam, postquam ad biennium febre intermittente, nunc tertianâ, nunc Quartanâ vel Hemitritæâ laborasset, spatio duorum dierum eodem Remedio, perfectè & absque recidivatione curavi; Fateor equidem me nunquam (quod scio) in quocunque alio febre intermittente laborante hujus remedii periculum fecisse, quippe vix unquam (si rectè meminerim) præterquam in hisce tribus Ægrotantibus, Antidotus illa Herculea Cortex scil. Peruvianus spem meam fefellit, proindeque nec licitum, nec decorum esse duxi in humano corio, experiendi gratiâ, ludere, & certo atque experto Remedio, magis incertum & minùs exploratum præferre, Utcunque ejus Formulam describere, in gratiam Curiosorum, operæ pretium duxi, ut ii possint, modò velint, experiri, num hoc etiam sit certum febrifugum, vel saltem num (uti mihi evenit) vires Corticis deficientes supplere queat. Formula pulveris est quæ sequitur.

℞. Flor. Chamæmel. subtiliss. pulverisat. (plus minus pro ætate) ℈ j. Antim. Diaphoret. Sal. Absinth. ana ℈ß. M. F. Pulvis sumendus in haustu Possetalæ, vel cujuscunque Julapii temperati. Aut in formam Boli cum Syrup. Caryoph. vel in formam Pilularum cum Mucilag. Gum. Tragag. redactus, sexta quâque hora per biduum vel triduum repetendus.

Unde Amara vi febrifugâ adeò præpollenti donentur, forsan non facile explicatu est. Verissimum quidem est Amara fere quæcunque facultate plus minus Abstersivâ & Ecphracticâ pollere, uti a curatione Scorbuti, Hypochondriacæ affectionis & Chloroseos, ex eorum usu, omnibus in Medicina leviter Exercitatis abundè patet. Num vero energia eorum febrifuga in hac facultate Abstersiva & Ecphractica speciatim vigeat (quicquid cæteri Professores opinentur) non ita liquido mihi constat; præsertim, cùm Chalybeata medicamenta, quæ omnium consensu, multò magis hâc vi præpollent, nihil ad febrium curationem conducere observentur, quin potiùs Spiritus incassum agitando & turbando, multum officere. Insuper Ecphractica & Abstersiva medicamenta, annuente totâ corona Medicorum, inde præsertim ad curationem morborum conferunt, quatenus humores præparant, quo magis sequaces, atque vi Catharticorum evacuanti obtemperantes fiant, cùm quidem febres intermittentes (quoties eas ope Amarorum curari contingit) sæpissimè, imò felicissimè, absque ulla evacuatione præcedente, comitante, aut subsequente (quod medici hodierni nôrunt) solvi solent. Quid? quòd hæc sententia, falsâ illâ veterum hypothesi innixa est, quæ fomitem febrium in humoribus, non autem in spiritibus delitescere statuit, atque oportere eum remediis evacuantibus penitùs eradicari: Contra quam sententiam ubique militat (uti priùs innuimus) non tantùm Ratio, verùm etiam Experienti ferè universa.

Restat igitur, ut hæcce Remedia, proprietate quadam naturæ, seu qualitate occulta, scopum suum in febribus profligandis attingant, vel, quod idem est, ad instar Antidoti, vi nativa fomitem venenatum in spiritibus delitescentem subigant: Sique ratio efficaciæ hujusmodi febrifugorum à me requireretur, ego hisce tenebris, in causis rerum indagandis, obrutus, multò potiùs in peculiari Amaritudine sensibili, quàm in nescio quâ Abstersivâ facultate inde consequenti, vim illam collocarem; quia plurima Amara, admodum grata esse ventriculo, nervis, & spiritibus animalibus, multo

multo usu comprobantur; & ferè singula, suo gradu, scil. hæc plus, illa minus, verum præ cæteris omnibus Cortex Peruvianus, ob excellentem suam amaritiem, vi Febrifuga à Natura donatur, qua Fermentum Spiritus accendens immediatè destruitur. Et quidem Febres Intermittentes recentiores atque benigniores, præsertim verna & æstiva tempestate, ab Amaris vulgaribus haud rarò curari contingit, & forsan sæpiùs quàm à quibuscunque aliis Febrifugis. Illud vero Ἱερὸν πικρὸν *Cortex scil. Peruvianus* (cui nihil præter nomen gratum deest ut opinione vulgi commendetur) à quo tempore Europæis innotescere cœpit, consensu Medicorum omnium ferè expertissimorum, Febrifugum Catholicon esse comprobatur, quòd omnes Febres Intermittentes, & alias plurimas (uti posthac dicetur) in quavis anni tempestate, in omni sexu, ætate, & Temperamento radicitus & penitus, citò, tutò & feliciter sanet. Ego sanè, qui jam ad viginti annos, & quod excurrit, hoc Polychrestum remedium ferè quotidie præscripsi, vix aliquid incommodi Ægrotantibus ortum inde observavi (quicquid clamosè atque falsò oggerant malè feriati quidam atque ignorantes) quinetiam, nonnisi ter, uti sincero animo prius asserui, in Febribus Intermittentibus spem meam frustratus est: Utinam idem dicere licuisset de quoquam alio quantumvis celebri Remedio in cæteris humani corporis affectibus debellandis decantato. Certè non est ut Medici ingenia sua amplius torqueant in aliis Febrifugis explorandis, modò hujus usum satis perspectum habuerint. Neque justum aut æquum est, methodis antiquorum incertis, sine Indicatione vera, sine successu, gratis stabilitis, in posterum insistere; aut novum aliquod & minus probatum Arcanum prædicto anteferre, verùm, sicut oriente sole, stellæ minores disparent; itâ cætera Febrifuga, è tribu Amarorum aut alia quavis petita, huic unico locum cedere oportet.

Verum enim verò, cùm jam ab omnibus Medicis Corticis hujus efficacia comprobata sit, &, communi consensu, titulo Febrifugi κατ' ἐξοχὴν jure insigniri incipiat; posthabitis reliquis Febrifugis, de hoc unicè in posterum sermonem habere lubet, ejus Naturalem Historiam succinctim enarrare, rationem efficaciæ ejus Febrifugæ explicare, ejusque justam causam adversus malevolos atque ignorantes detrectatores suscipere, & denique, modum eum præparandi, eoque utendi varium, una cum justis, & usu probatis Canonibus atque regulis huc spectantibus subjicere.

De Cortice Peruviano, seu Chinâ-Chinâ, atque Virtute ejus Febrifugâ.

Locus natalis Arboris, quæ hoc Cortice obducitur (referente *M. Anton. Bollo* Mercatore Genuensi in Epistola sua Italicè scripta) est Regnum Quitense, præsertim prope Loxam in America Peruviana. Arbor non procera est, sed in ramulos insigniter divaricata; Folia habet, qualia sunt Prunorum rubeorum, neque minùs patula, neque acuminata, quæ saporem Aromaticum, nullatenus Amarum, quippe è particulis acribus & pungentibus conflata, in lingua imprimunt. Floribus albis, & cæruleis, ad instar Mali Granati eximiè ornatur; Nullum tamen fructum parit, ac si in pompam unicè cum tanta luxuriantium florum copia nata fuisset: At istum defectum abundè compensat Cortex ejus Febrifugus in sanitatem gentium, proculdubio, à *Deo Opt. Max.* conditus: Cujus gratia Arbor Vitæ, siqua alia, saltem nobis nota, jure merito appellari potest.

Lignum autem hujus Arboris, atque etiam Flores, uti nullam amaritiem habent, ita (testante Clariss. *Hieron. Bardi*) nulla Febrifuga seu medicatrice virtute donantur. Verùm Resina, quæ è ligno, præsertim verò è Cortice exsudat, atque etiam Semina, quæ Hispanicè Pipita de quina vocantur, atque Semina Cucurbitæ plane referunt, virtutem non dissimilem, sed inferiorem longè, quàm Cortex ipse, sortiuntur. Unde evenit quòd Authores, posthabitis cæteris quibuscunque partibus hujus Arboris. Corticem duntaxat pro decantato Febrifugo venditent.

Arborem hanc salutiferam (quam Incolæ Gannaperide vocant) ab ipsis Mundi primordiis ibi loci satam, sponte crevisse nullus dubito. Virtutem Febrifugam, quæ ejus Cortici à Natura inest, Indis hominibus jam olim innotuisse refert idem Bollus; Verùm à quo tempore Heros ille *Genuensis Christophorus Columbus* hanc plagam mundi primùm detexerat, usque ad annum salutis millesimum sexcentesimum quadragesimum, ex odio Indorum erga Europæos, præsertim Hispanos concepto, magnum hoc Remedium de industria celabatur.

Quomodo verò, magnum hoc Febrifugum Hispanis, cæterisque Europæis primum patefactum fuerit, narrat idem Author fide dignus: Nimirum forte fortuitò, in civitate Limensi quæ est Metropolis Regni Peruviani; Uxor Proregis, qui tum temporis erat *Comes del Cinchon*, Febre tertiana sævissima (qualis illic loci Epidemia esse solet) correpta funestè decumbere videbatur. Rumor (uti semper de magnatibus) per urbem divulgatus tandem per finitima loca ad Loxam usque pervenit. Hispanus illius loci tunc temporis præfectus, per literas Proregem monebat, in Arcanis sibi esse Remedium, cujus auxilio Proreginam illicò revalituram spondebat: Lubentissimè annuens Proregina, Corticem præparatum sumpsit. Quid fit? Stupentibus omnibus, dicto citius convaluit. Hinc fama hujus Arcani titulo Pulveris Comitissæ insigniti, ubique per civitatem Limensem, totamque Americam Hispanicæ ditioni subjectam, brevi, multum inclaruit. Discedente autem Prorege ex India, Ubi in Hispaniam reversus est, illicò percrebuit ubique rumor de novo hoc Febrifugo, quod, post experimenta frequenter facta, votis Ægrorum semper & ubique respondebat. Circa annum salutis 1649. famam suam indies magis, magisque provexit, non tantùm per Hispaniam verùm etiam Italiam, Romam usque, conatibus imprimis *Johannis Cardinalis de Lugo Soc. Jesu*, & cæterorum *Collegii Jesuitarum Romæ* Patrum, qui eum gratis religiosis & pauperibus largiebantur. Unde infausto omine, atque in vulgi Reformati terrorem, ac Scandalum, Pulvis Patrum

trum vulgò audit (Anglicè *The Jesuit's Powder*.) Quo nomine plurimos, eosque non sortis gregariæ, in hunc usque diem, ab ejus usu abhorrere contigit, ac si, non naturale remedium fuisset, sed factitium, diabolicum, & venenatum arte Jesuitarum paratum, potiùs quàm divinæ Φιλανθρωπίας donum. Historiam non injucundam huc spectantem refert *Clariss. Badus Anast. lib.* 2. *cap.* 6. de Matronis duabus Londinensibus, quam audiverat ex *Johanne Lucâ Durante* Oratore Reipubl. Venetorum ad Carolum Secundum. Qua de causa obnixè cupio, ut suo proprio, ac antiquo Chinæ-Chinæ, Chinæ Febris, Gentianæ Indicæ, Pulveris Comitissæ vel Peruviani, aut aliquo altero minus infami nomine, communi Medicorum consensu, in posterum appelletur, & à præjudicio, ob Nomen, liberetur.

Quàm celeri gressu fama hujus Febrifugi per totam Europam spargebatur, & ipse Cortex ubique gentium à Professoribus ferè quibuscunque in usum recipiebatur, facilè potest quivis conjicere ex ipsis verbis *Clariss. Badi qui libro primo Anastas. Corticis Peruviani* (quem typis dedit Anno 1663. *Cap.* 20.) Medicos Londinenses increpat. Quippe *Famâ mendaci, potiùs quàm propriâ experientiâ instructi, saluberrimam hanc Medicinam respuebant, quum tot alii Medici in omni Europâ, sive in Galliâ, sive Hispaniâ, Germaniâ, Flandriâ, Italiâ eam nedum usurpent, quin & miris laudibus extollant*.

Verissimum quidem est, non defuisse nefarios quosdam detrectatores ubique, præsertim Londini, qui dolo malo consilium ceperunt de hujus Febrifugi famâ præmaturè supprimendâ, ne scilicet hac succincta methodo febres obtruncandi, Ægrotantium crumenas emulgendi occasio tolleretur; De hac conspiratione sæpe palàm verba habuit Dominus Bertram Pharmacopola jam defunctus, cui fidem in hac re promptè adhibui; quia nequam quidam & ignavi, quorum nomina honoris causâ sileo, memet ipsum, iisdem illecebris, in suas partes trahere tentârant. Temerè igitur & sine experimentis priùs institutis, magnum hoc Remedium condemnârunt, & famam ejus fictis calumniis ubique insectabantur, sese severissimos Chinæ-Chinæ speculatores & judices ultro constituêrunt, si forte fortuitò, licet post annum ab ejus usu elapsum, symptoma aliquod minùs solitum supervenerit, Eheu! quot convitiis Herculea & divina hæc Antidotus extemplò jactabatur, ac si quid diabolicum in hoc Equo Trojano latuisset; Fæces, nescio quas deleterias, & fermenta morbosa post se in corpore semper reliquisse asseruêrunt, unde novæ tragœdiæ, & funestissima symptomata repullulabant. Hoc modo, siquid mali unquam aliunde subsecutum erat, id omne Medicamini, ut probrum objiciebant, licet symptomata ad morbum primarium, nimis parco corticis usu imperfectè sanatum, reâpse pertinerent. Nec minùs iniquâ mente, ab Amaro & Ecphractico hoc Pharmaco habitum corporis denuò obturatum & obsessum iri pertendêrunt, atque inde, neminem ad septennium ab ejus usu superstitem fore, reclamante experientiâ universâ. Hinc Medici Londinenses inexperti; atque Ægrotantes, ab usu hujus Febrifugi diù perterriti abstinebant; Interim Medici antiquis methodis longis, eoque magis incertis insistentes, famæ & fortunarum suarum; Ægroti vero vitæ ipsius dulcissimæ jacturam fecerunt, qui ope Chinæ-Chinæ, spatio bidui vel tridui, facilè convaluissent.

Insuper, præter hos nefarios detrectatores, non defuerunt plures, cæteroquin Viri docti & probi, veteri tamen & crassâ humorum sensibilium, & qualitatum hypothesi occæcati, qui de usu Chinæ-Chinæ multùm ancipites hærebant, quandoquidem Febres absque sensibili quâcunque evacuatione curatas ejus ope observassent; Quod quidem gravissimum erat argumentum *Chrysostomi Magnesii* Professoris *Papiensis*, ut in ejus Epistolâ ad *Hieron. Bardi* data *April.* 9. 1652. patet.

Quamplurimæ etiam futiles & inanes controversiæ, nugæ sanè & tricæ, ex doctrina Humoristarum ortæ, inter doctissimos viros cum eruditione, specie tenus, & zelo agitatæ sunt per decennium & quod excurrit, scil. à primo Corticis in Europam adventu usque ad annum salutis 1663. quas enumerare vix operæ pretium duxi. Febrem enim in humoribus qualitate peccantibus locantes, Remedium qualitate contraria præditum requirebant, &, Hi propter siccitatem, Illi propter Caliditatem, alii sive qualitates manifestas Cortici adscriptas, ejus usum impugnarunt & apud vulgus suspectum reddiderunt.

Nec minùs equidem mihi à scopo erràsse videntur, vel famæ Corticis minùs offecisse, qui ex eadem pharetra; manifestarum scil. qualitatum doctrina, Argumenta deprompsêrunt, quibus Corticis causam seriò tuerentur.

Horum Antesignanum invenio eximium Antymum Conygium, qui efficaciam Febrifugam in tenuitate partium Corticis collocat, unde crassos humores incidit, & causam Febrium tollit; ac si crassum hoc pharmacum cæteris quibuscunque, partium subtilitate præiret: aut Aromatica, & spirituosa quæcunque, utpote partibus subtilibus insigniter prædita, eo etiam nomine, Febrifugorum titulum ritè mererentur.

Gaudentius Brunaccius Romanus forsan non minùs, etsi cum specie magnæ eruditionis, nugatur, dum in libro suo Venetiis cuso Anno 1661. strenuè contendit, Chinam Chinam caliditate ac siccitate sua manifesta hasce Febres (quas authoritate Avicennæ & Helmontii in Frigido & Humido consistere statuit) præpollenter & efficaciter subigere. Ac si Calida & Sicca, quâ talia, vim Febrifugam sortita essent; atque omne Pharmacum hisce facultatibus imbutum, ea de causa (licet experientia Universa & ratione ubique reclamante) in numerum Febrifugorum asciscendum esset. Verùm, ut paucis ex rei ipsius natura petitis, velitationem hanc dirimam & absolvam; Sciendum est, Frigus æque ac Calorem hasce Febres comitari solita, effectus esse potius Febris quam causas; Quorum prius à spirituum oppressione, posterius ab eorundem expansione nimia (ut ante demonstravimus) oritur. Causa vero Febris est venenatum quid, & deleterium, spiritibus ipsis inimicum, quod propria sua Antidoto (sive calidum vel frigidum vel neutrum fuerit) unicè subigi potest; Atque proinde frustrà, eò quòd qualitatem aliquam evidentem possideat, vim

Cor-

Corticis febrifugam vel stabilire vel convellere aggredimur; præsertim cùm ex testimonio *Petri Aponensis cap.* 45. de Remediis veneni, atque *Hieron. Cardani* libro de Venenis constet, ab esu *Ficuum Pharaonis* calidarum & siccarum in *Insulâ Sardiniâ* crescentium, quæ inde febriferæ appellantur, Febres Tertianas æque certo induci, ac à Cortice iisdem qualitatibus evidentibus imbuto sanantur.

Porrò non defuêrunt Medici celebres, qui vim Corticis febrifugam, ob ejus siccitatem & caliditatem aliasque evidentes qualitates, majori veritatis specie, mordicùs atque acriter impugnarunt: Hoc fecerunt celeberrimi Professores *Placentini* & Mediolanenses Anno 1661. ubi res agebatur *Cardinalis Doughi*, Febre Tertiana notha laborantis (referente *Clariss. Bado lib.* 1. *cap.* 15. *Anastas.*) quin & Medici ipsi Londinenses in casu *Johannis Lucæ Duratii* Legati antedicti. Sed agedum, expendamus rationes.

Primùm *Christophorus Paravicinus* Med. Clar. Mediolanensis, utut in Quartanis Chinæ-Chinæ usum commendet. In Biliosis autem, & Mixtis Febribus, ob caliditatem eam improbat, metuens scil. ne, calore humorum inde aucto, Febris etiam adaugeatur. Itane vir Clariss.? Verùm quis febrem, cujuscunque fuerit generis, unquam ab usu Corticis auctam vel duplicatam hactenus observavit? Appello sensum, atque Experientiam Universalem. Porrò, an non *Hippocrates ipse*, *lib. de Acutis*, Vinum febricitantibus concessit? Quinetiam in curatione febris tertianæ succum Silphii & semen Trifolii in Vino propinabat? Annon *Galenus lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 10. in Nothis Tertianis Piper ipsum, & in Quartanis Theriacam præscripsit, atque alibi Absinthium, Centaurium minus, Myrrham, Diatr. Piper, &c. Dic sodes! Quis æquus judex gradum caloris in Cortice magis intensum, quàm in hujusmodi medicamentis sensit, vel ratiocinando, vel quidem somniando id hariolari potuit? Verùm ut rem ipsam dicam, Nullus dubito, quin in genere Calidorum febrifuga inveniri possint, quæ, proprietate naturæ venenatum fomitem in spiritibus latitantem subigendo, febrem tollere valeant, quandoquidem vera & genuina febrium Ætiologia, non à quacunque humorum qualitate, verùm à statu spirituum venenato ritè deducenda sit, ut ante demonstravimus. Atque meherculè! haud parum lætatus sum, cùm viderim perspicacissimum & doctissimum *Badum* diù abhinc (*pag.*139. *Anastas.*) in hanc sententiam hac ipsissima observatione coactum transivisse.

Clariss. *Rochus Casatus* in Tertianis puris vel Spuriis, & in ipsis Quartanis, usum Corticis naconvellit, quia eum Frigida & Narcotica natura esse suspicatur, unde (ut asserit) Spiritus pro tempore quadantenus forsan obdormiscunt, & veluti à succis narcoticis hebetantur, at, post inducias, Paroxysmi vehementiores: &, humore peccante inde vel aucto, vel in partes nobiliores translato, vel magis putrescente, dirissimi morbi succedunt. Si Pace tanti Viri liceat proferre quod sentiam, totum hoc gratis dictum est, & merum Authoris commentum, cui experientia refragatur. Quis enim præter Illum usquam vel somniando Corticem in classe Narcoticorum posuit? Quanquam *Hippocrates* febres quartanas Soporiferis medicamentis feliciter se expugnasse asserat.

Præ cæteris, hostes Corticis acerrimi erant Viri Clarissimi *Johannes Jacobus Chifletius & Vopiscus Plempius*.

Primum *Chifletii* argumentum adversus Corticem sumitur à recidivatione febrium post ejus usum; Cui populari objectioni suo loco responsum dabitur. Dein de Corticis caliditate queritur, metuens sc. ne ejus igneo calore (sunt ipsius *Chifletii* verba) siccet, accendat & torreat imbecilla præcordia, nativum calorem dissipet, vitæ pabulum depopuletur & nescio quos humores noxios ad partes ab ortu infirmas inde propellat. Bona verba quæso *Chifleti!* Mehercule? Quæ spectra & terriculamenta hîc finguntur de calore Corticis prorsus igneo, depopulante, dissipante, torrente, accendente, siccante? Quis unquam causticam hanc & deleteriam vim Corticis, vel actualem, vel potentialem, præter Te Vir Clariss. hactenus expertus est? Pudeat doctum virum Principio precario, & contra sensum, & experientiam universi generis humani ficto, argumentum suum adversus pharmacum salubre industriò sufsulcisse: Verùm de calore febrifugorum satis, paucis licet verbis, prius diximus Pergit *Chifletius lib. sui cap.* 4. Et tertio jaculo Corticem petit his verbis, Utut à resolutione partium humoris subtiliorum ex caliditate Corticis exhibiti, Paroxysmi tolluntur, pars tamen crassior magis incrassatur, & quodammodo lapidescit, indeque post paucas inducias extemplò ferocit iterum febris. Necnon *cap.*6. ejusdem lib. Inde Bilis flava in suo folliculo, nigra in Liene, Pituita salsa in ventriculo & intestinis coquuntur, densantur, immobiles fiunt, quibus putrescentibus, liquefactis, & in substantiam partium adjacentium imbecillem quaquaversùm effusis, ac impactis, diuturni & exitiales morbi, etsi lentè ac serò pullulare solent. Adeò nihil nisi humores & manifestas qualitates crepans, Vir Clar. toto cœlo à vera & genuina febrium Ætiologia aberrat! At non sic *Hippocrates* qui in Medicinæ praxi, ad primas hasce medicamentorum qualitates parum respexit, quippe persuasum ei fuit, omnibus morbis τι θεῖον inesse, atque perinde τὸ ἐνεργητικὸν, seu primum impetum faciens, extra sphæram sensuum poni, neque sensibilium quarumcunque qualitatum potestati subjici. Porrò hæc figens, crassescens, lapidescensque vis Corticis (quam gratis stabilire conatur Vir Clariss.) nec demonstratu facilis est, nec docti ac experti cujusvis Medici assensum meretur, adeò magnificum hoc effatum inter quisquilias & deliramenta jure merito haberi debet! Denique, ne brevibus pereat sua charta libellis, aut saltem uti aliquo stigmate infami Cortex notetur, is ipse Vir Clariss. qui modò ei calorem exurentem & causticum, atque dein nescio quam figentem & crassescentem qualitatem objiciebat, jam *cap.*6. eadem libertate Poetica, potius quàm Philosophica; in febribus curandis suspectam habet Adstrictionem ejus, & obstruentem Stipticitatem, quippe viarum apertione solvuntur febres, constrictione excitantur. Ex eodem Ore calidum

& frigidum ſpiranti, jure meritò dolus & fucus olim in Apologo objiciebatur. Atque profectò Clariſſ. Chifletius ſuam integritatem in Corticе impugnando, inde præſertim mihi maximè ſuſpectam reddit, quia poſitus videtur in contraria cauſa, & accuſationi Corticis prævaricatur. Quis enim facilè crediderit Corticem prorsùs igneum & adurentem, ſua Caliditate cogere, aut repellere, aut figere, aut humorem incraſſare poſſe, & cæteros Frigoris effectus producere? Quæ etenim ſunt calida & ſicca (teſtante Galeno Meth. medendi *lib.* 4. *cap.* 7.) quod reliquum eſt humoris prorsùs abſumunt. Aſt cum reliqua Amara, uti Abſinthium, Gentiana, Centaurium minus, Caſtoreum, Flores Chamœmeli, atque decantatiſſimum decoctum amarum ex his factum (quæ ferè omnia Febrifuga & Ecphractica habentur, atque proinde, omnium Medicorum conſenſu, tutò ad Febres Intermittentes curandas adhibentur) ipſum Corticem Aſtrictione & Caliditate, ſenſu judice, ſuperent vel ſaltem æquent; quare Huic amaro cæteris vi Febrifuga longè præpollenti, Stipticitas & Aſtrictio unicè objicitur? Fateor equidem levem quandam Aſtrictionem ſive auſteritatem Corticі ineſſe: Atqui inde eo infarciri viſcera, vel habitum corporis obſtrui vehementer nego. Nonne Aloë, Rhabarbarum atque ipſe Chalybs aſtringente ac ſtiptica qualitate, æque ac calida imbuuntur? Quis autem ea uſquam in obſtruentium claſſem hactenus reduxit? Dic ſodes! quare Cortex ſolummodo propter levem ſuam ſtipticam acerbitatem in numerum Obſtruentium illico relegandus ſit. Audiamus Galenum de Rubia loquentem, lib. 6. *de ſimp. Medicam. Quandocunque Amaritudo & Aſtrictio in uno medicamento ſimplici concurrunt, poſſunt Hæ qualitates ſimiliter coeuntes Jecur & Lienem expurgare, Menſes & Urinas ſanguinolentas evocare, idque ratione Amaritudinis; poſſunt & eadem Aſtrictionis virtute vaſa claudere & adſtringere.*

Poſt Chifletium, Clariſſ. Vopiſcum Plempium audiamus, alterum Corticis acerrimum hoſtem Chifletio coætaneum, quem Cl. Badus. *lib.* 2. *cap.* 8. Anaſtas, ait maledicendi libidine ductum, ore, dente, lingua, calce, calamo in corticem irruiſſe. Ille pallium Philoſophicum deponens, Hiſtoricum agit, Experientiam adpellat, atque tela inde acuminata in Corticem collimat. Cap. 3. lib. ſui anno æræ Chriſtianæ 1655. typis mandati hæc habet, Plures tertio vel quarto reciderunt (Ad quam popularem objectionem ſuo loco reſpondebimus.) Plerique cachectici facti, nonnulli mortui. Item Magnates hujus Aulæ nominare poſſem, qui ab uſu pulveris, extenuati ſunt, & ad Phthiſin præcipites facti ni uſu longo lactis Aſinini reſtituti fuiſſent. Hæc Plempius.

Quam egregiè verò reprehenſus fuit & falſi convictus hicce Corticis calumniator à Clariſſ. Bado in reſponſione ſua Genuæ typis data anno 1656. cui Author nunquam hactenus aliquid regerere auſus eſt, ipſa Reſponſio conſulatur. Me quod attinet, Ego fidenter dico, idque poſtquam jam ad 25. annos quotidiano uſu, ejus vires explorando expertus ſum, me nuſquam noviſſe aliquid mali ab uſu Corticis cuiquam eveniſſe, præter Surditatem aliqualem temporе uſus moleſtam, quippe, à motu ſpirituum inordinato & lucta inter Venenum & Antidotum ortam, quam ſponte illicò à morbo evicto, vel pulveris omiſſione ceſſare ſemper obſervavi: Me hujus remedii nunquam pœnituit, nunquam aliquem cachecticum, tabidum, aut quocunque alio morbo affectum; multò minùs quaſi toxico interfectum novi, atque ter tantum (uti olim innui) optato eventu, in Febre Intermittente ope ejus ſananda, deſtitutus ſum. Verùm res ipſa loquitur. Quo pacto enim Pharmacum amarum, quod Menſes ciet, Obſtructiones aperit, Ventriculum atque genus nervoſum univerſum confortat, Cachexiæ, vel Tabis futuræ, multò magis mortis repentinæ. & inopinatæ fundamenta jaciat, difficillimum eſt conceptu. Fateor equidem (quod etiam Cl. Badus innuit) propter antipathiam quandam naturæ adversùs hoc medicamentum, ex Idioſyncraſia ortam, ejus uſui ſubitas & enormes Vomitiones, Lipothymias, aliaque dira ſymptomata, quaſi à veneno, excitata, ſupervenire poſſe. Verùm quid inde? Nonne hoc ab uſu Caſei, Anatis, aut cujuſcunque alius ſaluberrimi edulii, vel ab aſpectu ſolo, vel præſentia Felis in eodem cubiculo, vel à Pharmaco ſaluberrimo ſæpiùs evenit? Idem ſanè à tantillo Mellis, Syrupo Cariophyllorum & Oculis Cancrorum nonnunquam acciddiſſe memini. An inde hæc omnia in cenſum deleteriorum & toxicorum potiùs releganda ſunt? Porrò quoties à nimis parco, vel non ſatis frequenter repetito uſu Corticis contigerit Fermentum venenatum febrile vi ſuppreſſum eſſe, potiùs quàm penitùs ſubactum, Æger recidivam non raro patitur, & aliquando, ubi fomes venenatus, Corticе quadantenùs irretitus & ſubactus, febrilem paroxyſmum haud ampliùs formare poſſit, in ſtatu valetudinario, cum appetitu proſtrato manet, atque ſæpe ſymptomata dira, præſertim in genere nervoſo, formam & ſpeciem induentia nunc lipothymiarum, nunc ſpaſmorum dolorificorum, aliarumque affectionum id genus, peculiari nomine haud deſignatarum ſuſtinet; Quæ omnia à repetito & juſto uſu Corticis, abſque quacunque alia methodo, ſponte ceſſant. Verùm quid hoc ad Corticem? Culpentur Medici qui ipſum ſatis copioſe non exhibuerunt, aut Ægri qui ejus repetitionem reſpuebant, non verò pharmacum quod inſons eſt.

Corticis, ad decennium præjudiciis Vulgi, & Profeſſorum laborantis, vindicias Rolandus Sturmius Medicus Clariſſ. Delphenſis edidit anno 1659. ſtylo compto, & perquàm eleganti ſcriptas, ſed veterem Humoriſtarum hypotheſin ſapientes. Is pag. 3. diſertè ait, Febrifugum Peruvianum hactenus penè ſopitum, jam demùm ob experimenta varia ejus præpollentis energiæ in Quartanis profligandis, Anno 1658. frequenter habita reſuſcitari cœpiſſe. Et paulo poſt de Medicis Coævis hoc modo clarè ſententiam ſuam profert, Medicamentum ſc. quod non noverant, auſi ſunt non modò alto ſupercilio deſpicere, ſed etiam ſeſquipedalibus verbis idem proſequentes eliminare. Poſt hunc Clariſſ. Sebaſtianus Badus Medicus Genuenſis. quippe à Vopiſco Plempio in libro ſuo typis dato Anno 1655. ad exequias Corticis Peruviani

viani vocatus, tandem libro, cui titulus Anastasis Corticis, Anno 1663. edito, pro virili Corticis causam agebat; Quo in libro, utut aliqua superstitionem regionis redolentia Lector inveniat, maxima tamen ex parte, Cl. Authorem sentiet in scriptis ubique eruditionem multifariam, ac profundam spirare, atque judicio admodum limato præpollere, quod quidem præsertim liquet, ubi Doctissimum Chifletium, Plempium, reliquosque Corticis hostes acerrimos argumentis verè Elencticis redarguit, atque vires Corticis salutares plurimis iisque amplissimis testimoniis comprobat, & causam Febrifugi penè proculcati, & triumphati, doctè adeò & argutè vindicat, ut vix quisquam è turba Medicorum postea adversùs Corticem hiscere ausus sit. Quin & exinde, de acri, atque purgato hujus magni viri judicio ritè conjectura facienda est, quippe is ferè primus, pro sagacitate sua, idque jam olim, posthabita humorum & evacuationum sensibilium, atque qualitatum manifestarum doctrina, vires hujus magni remedii Febrifugas Anastas. lib. 1. cap. 13. ab ejusdem occultis qualitatibus deducere satagebat, atque amplexus est illam ipsam Hypothesin, quam nos mox proponere, explicare, atque stabilire conabimur, utut veteri humorum doctrina imbutus, atque implicitus, non admodum clarè & congruè sensa sua ubique proferat.

Ita tandem, licet difficillimè, atque multo labore, obstetricantibus plurimis Medicis doctis & probis, qui ex veris vel falsis principiis ejus causam defendebant, Pharmacum hoc divinum, & in plurimis aliis morbis æquè ac in Febre Intermittente proficuum Anno 1663. post varia Abortionis signa, & pericula, feliciter in lucem editum, & suffragio Professorum penè universali, in censum Medicaminum salubrium, atque maximè efficacium adaptatum est, Nec de suo jure apud doctos & probos Viros decedet ante consummationem sæculorum, utut ex astutia, malitia, temeritate, aut ignorantia non desinant aliqui huc usque obstrepere, oggannire.

Verum agedum, secundo loco expendamus rationes populares contra salubritatem atque utilitatem hujus remedii, quotquot sunt, quibus vulgus perterritum anceps adhuc, & dubium manet.

Primò & præcipuè objicitur, Febres hoc pacto curatas sæpe in forma priori, vel deteriori recrudescere, indeque potiùs suppressas quam sublatas videri, cùm fæces morbi intùs adhuc cohibeantur. An igitur Cortex ea de causa male audiet? Ecquis præter unicum Conygium in salubris hujus Pharmaci parte terrestriori portiunculas quasdam deleterias, & febriles, in subtiliori verò Febrifugas delitescere, contra universalem experientiam vel somniando hariolatus est? Febres sanè, substantia Corticis citiùs ac certiùs, quàm quacunque speciosissima ejus Tinctura, Extracto, vel Elixire fugari, atque fugatas ad recidivationem minus aptas esse certo certiùs constat. Non igitur Medicamentum, sed Febris indoles in culpa est, si à perenni humorum fonte enutriatur, & non ab Aëre maligno, aut alio accidente externo; Sive enim Natura, sive arte quavis sanetur, ad revirescentiam valdè proclivis est. Multa enim experientia fretus, fidenter affirmare audeo Febrem à Corticis usu fugatam, & demum recidivantem, licet quacunque alia methodo, vel Febrifugo, vel viribus Naturæ subacta fuisset, nihilosecius redituram fuisse. Atque hanc sententiam ego eo lubentiùs amplector, quia Febres Continentes Inflammatoriæ, æque ac Intermittentes hac Antidoto penitus absque aliqua recidivatione quotidie evincuntur & extinguuntur. Imo Intermittentes Febres, maximè pertinaces, Cortice frequenter repetito, & ad prophylaxin, post debita intervalla, exhibito, absque recrudescentiæ periculo, funditus tollere facillimum est (uti mox in Methodo exhibendi hoc Pharmacum ostendemus) quod quidem nec alia quavis methodo curationis, nec alio quocunque Febrifugo præstare licet. Neque est, cur quisquam multum Corticis usum noxium esse, ac deleterium suspicetur, utut Phthisis, Scorbutus, Icterus, Hydrops, atque alii Morbi immanes aliquando Febres Crhonicas insequantur; atque affectiones etiam nervosi generis, quoties nimis parco Febrifugi usu fermentum supprimitur potiùs quàm subigitur: Nunquam enim me pœnituisse memini, quod Corticem frequenter & copiosè exhibuerim; Inde enim sæpe appetitum magis firmatum, concoctionem alimentorum in ventriculo restitutam, generi nervoso robur adjectum, & habitum corporis, à statu tabido in Athleticum mutatum observavi. Quod ad Fæces febris spectat, quæ in corpore delitescere dicuntur post sublatam Febrem, illas palam profiteor me penitus ignorare, æque ac Fæces ipsius Pharmaci, quibus Vulgus perterritum, post usum Corticis Cathartica medicamenta perperam afflagitare solet. Fæx quippe unica, seu fomes febris, juxtà nostram hypothesin, est venenatus spirituum status, qui inde humorum massam variè agitant; Hoc autem à propria Antidoto subacto, humores in statum naturalem sine fæcibus redeunt. Qui igitur, post victoriam à Cortice de veneno reportatam, de fæce morbi adhuc soliciti sunt, mihi videntur nodum in scirpo quærere, modo absit manifesta Cachexia quæ huic veneno primum ansam præbuerit. Quod quidem rariùs me observasse memini.

Secundo objicitur, Corticem energiam suam febrifugam exercere Constringendo Humores (uti aiunt) unde habitus corporis non possit non constipari atque obstrui (unde messis morborum funestorum ampla, Hydropum. sc. Icterorum, &c. expectari possit) & vix quenquam ab usu Corticis ad septennium superfuisse. Bona verba quæso! Quot ego ipse post quatuor lustra annorum, & quod excurrit, ab usu Corticis vegetos, atque firma valetudine utentes vidi, & magis Athleticos quàm priùs. Fortè illi qui hæc objiciunt vix per septennium ejus vires experti sunt. Quo pacto autem Pharmacum quod more Cathartici operari aliquando observatur, quòdque in Puerperio salubriter ministratur, inter Obstruentia numerari potest? Veteres isti Philosophastri, qui Ætiologiam omnium morborum ex humoribus & manifestis qualitatibus petendam esse duxerunt, ubi, sine aliqua evacuatione sensibili,

febriles

febriles fermentationes, illicò à justâ dosi Corticis exhibita, sopitas viderunt, inde, experientiâ reclamante, & rei ipsius naturâ, nescio quam omnipotentem Constringendi & Obstruendi facultatem Pharmaco huic inesse commenti sunt. Aa sanè, Cortex febriles fermentationes neque facultate obstruente, neque deobstruente sistit, verum vi suâ Alexipharmacâ, quâ eximiè præpollet. Quocirca non est, quòd quisquam hisce terriculamentis, insomniis, & deliramentis Philosophicis ab usu Polychresti hujus Pharmaci terreatur.

Denique Objectionem tertiam contra usum Corticis allatam me planè referre pudet, quâ non tantum à Pharmacopolis quibusdam avaris, verùm etiam à Professoribus ipsis, iisque viris doctis, nonnunquam me petitum memini, sc. quòd ab hoc brevi & Laconico modo febres curandi, Ars Medicinalis multum detrimenti passura sit, præsertim, si vires hujus Antidoti efficaces atque præpollentes in Febribus Continuis, æquè ac jam in Intermittentibus prodigandis vulgò passim innotescant. Hinc enim quivis fiet sibi medicus, & Medicorum lucrum eripietur; Totam enim Cantilenam ex hoc pendunt, ut quamplurimum lucri faciant. Apage! Decetne Medicum probum emolumento publico proprium lucrum anteferre; aut Dei munificentissimi dona in sudario abscondere? Longè hoc à Nobis absit; Nec Ars nostra in levamen ærumnarum, & tutamen vitæ instituta, in artem crumenas emulgendi degeneret. Nonne Medicus misericors gemitu, & lacrymis Ægrorum tangitur, cùm iis, præ artis nostræ defectu, subvenire haud possit? Quantâ verò lætitiâ perfunditur quoties desperata sanitas iis restituatur? Nigro equidem carbone notandi sunt, qui cùm possunt, nolunt ægrotantibus manum adjutricem porrigere. Quid? quod in honorem Artis nostræ deceat Medicum ab Orci faucibus quam plurimos liberare, quod qui fecerit, optimè famæ, quin & crumenæ suæ consulit, siquidem omnes Ægrotantes eum accersunt, qui sese citis, tutis, & jucundis curationibus priùs insigniverit. Denique, utut certum atque efficax sit hoc Remedium manu experti Medici ministratum, adeò tamen Proteiformis est febris Intermittens, & multò magis Continua: uti præter ipsius Antidoti exhibitionem, Medici auxilium & præsentia sæpiùs requiratur, ut Phlebotomia, Vesicatoria aliaque ejusmodi plurima præscribantur, quæ non tantùm morbus, verùm etiam symptomata varia inde suborta, postulant atque exigunt.

Restat jam tertio loco, pro modulo nostri ingenii, ernenda & accuratiùs pensitanda Causa genuina efficaciæ Corticis febrifugæ, mirabilis sanè ac stupendæ, quâ ratione scilicet hasce suas vires in febribus subigendis tam certò & citò exercet.

Hoc non fieri per sensibilem quamcunque humorum evacuationem, Salivationem, sc. Vomitum, Secessum, Urinam, vel Sudores, clamitat universalis experientia, Hoc Amici æquè ac Osores Corticis pro confesso habent. Fateor equidem Vomitum vel Fluxum alvi, quin & Sudorem profusum (evacuationem autem aliam sensibilem inde consecutam haud novi) ab usu Corticis aliquando accidere. Nullatenùs verò istæ evacuationes Criticæ, verùm potiùs symptomaticæ reputandæ sunt, quippe ex amari hujus Pharmaci particulis pungentibus, atque membranas ventriculi & Intestinorum lacessentibus, maximâ ex parte ortæ; Pluriès verò idque certiùs & feliciùs absque quâcunque hujusmodi evacuatione scopus attingi solet.

Æquè etiam certum est non ab evidenti aliquâ Corticis qualitate humores attenuante febres fugari, utut Gaudentius Brunaccius, lib. sui, cap. 1. ex principiis gratis stabilitis sese torqueat, ut probet vim Corticis febrifugam in Caliditate & Siccitate contineri. Quam quidem ob causam doctiss. Chifletius, aliique, majori rationis specie, eum prorsùs è censu febrifugorum exulare debere putant. Ecquis enim sanæ mentis hâc in re Gaudentio usquam assensum præbere queat, nisi qui Spiritum Vini, vel aliud quodvis siccissimum & calidissimum Remedium, eodem jure inter febrifuga numerandum, & Cortici præferendum ducat?

Quid sentiendum sit de Clariss. Casato, qui in facultate Corticis narcoticâ & figente (gratis sæpè ei adscriptâ) totam ejus vim febrifugam ponit; uti & de Antymo Conygio, qui in subtilitate ejus partium egregiam hanc potestatem inesse opinatus est, ex antedictis satis constat.

Rolandus Sturmius Vir ingenio verè Spagyrico, hypothesi quadantenùs novâ, Hanc vim, dissolventi partium Corticis tenuitati acceptam refert. Ait enim *Part.* 2. *pag.* 36. 37. libri sui. Eum separare humorem febrilem, priùs massæ sanguineæ mare continuo, sive contiguo, intimè unitum: quo, compage humorum vi Corticis solutâ, pars febrilis, pro genio & aptitudine suâ, per omnia Colatoria eliminatur, pars crassior sc. per Intestina, tenuior per Urinam, Sudores, & insensibilem Transpirationem. Hypothesin fateor summo ingenii acumine excogitatam esse, & tanto viro dignam: Quæ tamen, pace Cl. Authoris, mihi videtur principiis prorsùs precariis inniti: Non obstante enim docto illo, ac acuto sermone de Naturâ Dissolventium, atque variis Dissolutionum modis, Ecquis Corticem crediderit, quem ille ipse Sect. 3. p. 46. 47. verissimè asserit temperamentum moderatè calidum siccum, & amarum, unà cum reliquis febrifugis participare, atque nullam extremam qualitatem possidere (cui rei sensus testimonio est) particulis adeò præpollenter pungentibus, & penetrantibus esse refertum, ut humores varios cum sanguine intimè unitos, fluxu & refluxu perpetuo agitatos, ad instar ignis aut fermenti summè activi, dissolvere queat. Neque faciliùs demonstrare potest Vir Cl. Evacuationes per Sedes, Urinam, Sudores atque insensibilem transpirationem semper à Corticis usu insequi, quoties vires suas febrifugas cum optato successu exerceat, quod priùs innuimus. Quid? quod tota hæc hypothesis crassâ humorum & qualitatum manifestarum doctrinâ innititur.

Ad Transpirationem humorum insensibilem à Cortice effectam quod attinet, hoc mihi videtur etiam gratis dictum, quippe utut effluvia humo-

humorum, eâque copiosa, per poros cutis perpetim avolare lubentissimè concedam, difficile tamen admodùm probatu est, ea à Corticis usu copiosa fieri, vel saltem particulas febriles inde hâc viâ protrudi, quandoquidem id insensibiliter fieri affirmetur: Atqui minimè decet Philosophos istos omniscios, qui minutularum quarumcunque rerum rationem sese reddere posse jactitant, atque inde adversùs occultas qualitates debacchantur, ad hoc Asylum ignorantiæ confugere.

Clarissimus atque doctissimus Sebastianus Badus, pensitatis undique, atque demùm refutatis variis hisce celeberrimorum Authorum sententiis, lib. 1. Anastas. Corticis cap. 13. à citâ atque subitâ ejus efficaciâ, in omni Sexu, ætate, atque temperamento; Quia non ratione, verùm usu atque experientiâ primùm inventus, & demùm comprobatus erat, aliisque Argumentis verè Elencticis probat & propemodùm demonstrat, non à qualitate quâcunque manifestâ, verùm potiùs ab Occultâ Corticem singulari hâc efficaciâ præditum esse, quem igitur Antidoti nomine sæpiùs cohonestavit. Neque est cur quisquam hanc qualitatem esse ignorantiæ Asylum Philosopho indignum objiciat (quod sibi vir doctissimus reponi posse præsensit) quippe, ubi de Animâ, Spiritibus, eorumque affectionibus, & ægrotationibus, aliisque ejusmodi, quæ sensum superant, ratiocinemur; Demonstratio, nisi ab effectu expectanda non est, atque satiùs est, hoc ritu, modestè ignorantiam confiteri, quàm superbè ὑπερφρονεῖν. Quàm funesti errores ex hypothesi male formatâ, & in Philosophiâ, falsò sic dictâ, precariò fundatâ, in praxi Medicinæ sæpè committuntur? à Cortice ipso exemplum peti potest, adversùs cujus salubrem usum Philosophi in doctrinâ Humorum & Qualitatum manifestarum præoccupati strenuè arietârunt. Sufficit Medico ad praxin instituendam, si noverit à posteriori seu, effectu, rem ita se habere, licet τὸ διότι seu quam ob causam contingat, plane nesciat.

Plurimùm lætatus sum, cùm in tantâ Medicorum multitudine unus tandem repertus esset, doctissimus sc. & sagacissimus Urotospatarius, qui eandem propemodùm nobiscum sententiam amplexus est, Cujus verba hæc sunt. Meliùs ergo ad fermenti extinctionem recurrendum, cùm potiùs fermentatæ materiæ augeantur & effervescant. Ad quam ædepol! fermenti extinctionem nulla est necessaria subsequens evacuatio, cùm sæpe illud in spiritibus velut indivisibilibus consistat. Non enim benè capio humores esse febris causam immediatam, nam aliàs omnes homines febricitarent: sed potiùs quid humores agitans & fermentans, in miasmate existens, quo sanè ablato, Natura sese corrigit.

Ut verò Hypothesis nostra de vi Corticis Alexipharmacâ magis illustretur, pauca in genere de Naturâ, Subjecto, & variis differentiis Venenorum, atque Antidotorum (quantum rei natura patitur) prælibare necessarium duco, quatenus ad naturam & causas febrium cognoscendas, easque curandas conducere videantur.

Venenum seu Toxicum est quid deleterium, atque vitæ principio, seu Spiritibus animalibus inimicum, unde Facultas eorum Expansiva penitùs obruitur, & Flamma vitalis necessario extinguitur.

Spiritus animales, tanquam subjectum primarium & immediatum, à veneno affici constat 1. Quia à minimâ quantitate materiæ peregrinæ citissimè afficiantur; quod innuit Jul. Cæsar Scaliger. Exerc. 218. 5. 8. atque etiam Galenus quinto de Simp. Medicam. cap. 19. & lib. 1. de semine cap. 16. hisce verbis. Minima portiuncula lethalium Venenorum, quæ deleteria appellant, Ubi in animalium corpora ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat. Ecquis verò segnem humorum massam à grano uno vel altero Pharmaci deleterii, eò quòd evidenti quâcunque qualitate præditum est, tam subitò, & quasi momento tantas mutationes subire posse facile credet? Quòd autem à Toxico exhibito, ante aliquam sensibilem humorum alterationem, Principium vitæ petatur, Animi deliquia frequenter recurrant, Genus Nervosum undiquaque vacillet, atque variis Spasmis dolorificis tentetur, Intestina torqueantur, cerebrum deliret, & vertigine afficiatur, Oculi obtenebrentur, cor trepidet, multàque alia symptomata spirituum animalium morbo affectorum vehementiora accersantur observatu nòn indignum est. Fateor equidem nonnunquam venenatum hunc fomitem ex abusu longo sex non Naturalium in massâ sanguinis intùs nasci, atque inibi paratum cum Spiritibus perpetuò commisceri; Hoc tamen unicè contendo eum nunquam nomen Toxici mereri, nec quidem Veneni speciem induere, donec Spiritus eo inquinentur, atque agitentur, & inde totum systema nervosum præmemorata symptomata patiatur. Præterea, à morsu Viperæ, vel Aëre contagioso inspiratione hausto, ubi procul omni dubio, Spiritus, non massa humorum, primario afficiuntur; æquè certò ac citò tota corporis compages Veneno contaminatur.

Quandoquidem autem tota œconomia sanguinis & humorum, horum spirituum regimini subjecta sit, & vitalis character in humoribus à Spiritibus imprimatur, mirum non est, si ab hoc statu Spirituum Venenato, atque variâ eorundem agitatione, illicò (uti solet) tota Machina idem virus participet, ac variis, iisque dirissimis Symptomatis laboret, atque per corporis colatoria, pro genio Veneni vario, excretiones copiosæ & virulentæ, nonnunquam colatorii Sphacelationem minitantes, extemplò fiant; Necnon à subactione virosi fermenti, per propriam Antidotum, vel expansionem Spirituum, excretiones sistantur, aut intereà temporis, Lacte, Aquâ Pulli, Oleo aliisque ejusmodi liquoribus Lenientibus humorum excretorum acrimonia plurimùm mitigetur.

Hoc pacto, à Veneno hausto (modò præ gradu Toxici summè deleterio non contigerit instantanea spirituum extinctio, & subita Mors) Æger illico febre mali moris detinetur, variè sese jactitat, immaniter sitit, Lingua fœda atque arida evadit, Algore, Horrore, Tremore, atque calore, alternis laborat (prout

sc.

sc. Spiritus plùs minùs Veneno perciti sese expandere incœperint aut tentaverint) Pulsus fit celer, Debilis, Inordinatus; variis doloribus horrendis & spasmodicis Patiens hinc inde corripitur, Cutis ubique rubedine suffunditur, vel Exanthematis, Maculis purpureis, aut Ulceribus sparsim fœdatur. Accedunt Mictus Sanguineus, atque Dysuria, velut à Cantharidibus devoratis; Ubi Natura, pro genio Veneni peculiari, humores venenatos per Renes deturbare satagit; Aut Spasmi ventriculi, ac Intestinorum lancinantes, unà cum Vomitione immani, Dejectione frequenti, vel Fluore Alvi cruento, Choleram morbum, Diarrhœam torminosam, aut Dysenteriam simulantibus, ubi venenatus fomes genium Emeticum, Catharticum aut utrumque sapiens, humores infectos & colliquatos per ventriculi & Intestinorum glandulas enormiter protrudit. Quoties autem venenum de genere Mercurialium fuerit, ad glandulas salivales peculiari modo tendit, & suffocatione molesta, atque Ptyalismo Ægrum è medio tollit. Quæ quidem morbosæ humorum excretiones eousque tantùm durant, donec Venenum vel ab Antidoto propria, vel à spirituum expansione subigatur; Atqui, hoc facto, massa humorum sponte quiescit, & in statum naturalem & sanum ultro redit.

Quid autem sit hoc Venenum, quod tam subitò Principium vitæ adoritur: tot tantasque mutationes in tota Machina efficit; vel in quo præsertim ejus Virulentia consistat, narratu haud ita facile est; neque quisque id jure merito à nobis exigere potest: Quia, sicut Spiritus quos immediatè afficit, sensus nostros planè fugit, & à posteriori duntaxat intelligi potest. Utut enim vehiculum hujus virulentiæ, nempe Cicuta, Antimonium, Mercurius, Arsenicum, Cantharides, vel quodcunque sit, sensui pateat, quippe quid quantitativum, & palpabile, his, vel illis manifestis qualitatibus præditum, virulentia tamen ipsa, in quo consistat, non ita liquido apparet; neque, ut plurimum, à quavis qualitate evidenti, Caliditate, sc. Frigiditate, Siccitate, Acrimonia, &c. dependet, proindeque in Classe Ineffabilium, quippe sensu non perceptibilium, uti Anima, Spiritus animales, aliaque id genus collocanda est: Satiùs enim est Philosophum sana mente quædam ignorare, quàm insanè nugari & delirare. Quod autem revera Virulentia Toxicorum à sensibilibus eorum qualitatibus deduci nec possit nec debeat, verùm potius à peculiari spirituum animalium fabrica, cui virulentia infensissima est, exinde constat; quia nonnunquam saluberrimum Pharmacum, aut Alimentum, ratione Idiosyncrasias, Toxici partes obtinet. Plurimos novi à Pharmacis aut alimentis ejusmodi in enormes vomitiones atque dejectiones incidisse, ac deliquia perpessos, ac si Toxico maximè virulento perciti fuissent; Salubria autem hujusmodi Pharmaca, atque Alimenta, non, quia sanguis & humores, verùm quia Spiritus peculiari modo prædispositi sunt, hos effectus producunt: Namque quantitas eorum tantis motibus atque alterationibus in mole humorum immensa ciendis planè impar, licet inopinato deglutita; Rei odio habitæ conspectus, aut ejusdem Idea in Phantasiam fortiter impressa, eos motus excitat, qui ægrè admodum consopiuntur, priusquam Idea in Spiritus impressa deleta fuerit.

Disquisitione generali peracta de veneno, ejus causa, subjecto immediato, atque Differentiis, succincta licet; non opus est ut in natura, causis, & differentiis variis Antidotorum, atque rationibus operandi describendis diu moras traham; Contraria enim juxta se posita magis elucescunt. Sufficit nobis modestam Philosophiam unice professis, nosse ὅτι, sicut venena immediate Spiritus afficiunt, ita etiam Antidoti, hæc miasmata in Spiritus impressa delendo, vires suas Alexipharmacas exercent, quamquam διότι seu per quam manifestam qualitatem id efficiant, nos prorsùs nescire ultrò confiteamur. His non contenti, ignorantiam nobis objiciant, si voluerint, atque è Cathedra Verbis Sesquipedalibus & altisonis, naturam Spirituum, eorumque morbos, & curandi rationem unà cum reliquis, quæ sensum æquè ac Intellectum longè superant, disertè describendo & dogmatice definiendo pulmones rumpant; quod ad me attinet, ego non facilem præbebo aurem: De iis, quæ extra sphæram sensuum posita sunt ratiocinari, quid aliud est quàm eruditè delirare, præsertim, ubi vera Indicatio curativa (quæ quidem hìc una tantummodo est, scilicet, ut opportunè exhibeatur justa quantitas Antidoti certo usu comprobata) absque his argutiolis innotescat.

Ut vela igitur contraham, totum hunc nostrum sermonem de Venenis ac Antidotis ad febres accommodare jam aggredior, Argumentis à rei ipsius natura petitis ostensurus, Fermentum febrile esse quid deleterium in Spiritibus delitescens; Atque Corticem, more Antidoti, virulentiam febrilem subigere, & vires suas febrifugas exercere.

Quod ad primum attinet. Quàm facile observatu est, à supremo gradu Fermenti febrilis, Spiritus adeo esse oppressos, ut ne certam quidem cum hoste instituere queant (sive fermentum hoc à longo abusu sex non Naturalium intùs natum fuerit, sive ab Aëre contagioso, vel frigore externo, Corpori immissum) Ægrum primo insultu prorsùs Algentem, frequentia animi Deliquia patientem, tanquam à Toxico lethifero propinato Mortem oppetere; Quod quidem in constitutione pestilentiali Epidemica (ut olim innuimus) sæpiùs evenit.

Quoties autem mitior sit Veneni natura, Spiritus vires suas tandem exercent, atque, quæ sequuntur symptomata febrilia, eadem prorsùs sunt cum iis, quæ à Toxico quocunque mitiori sese alternatim excipientia, quotidiè producuntur, scil. Algor, Languor, Animi deliquium, Jactatio, Horror, Rigor, Oscitatio, Pandiculatio, Vertigo, Dolores Spasmodici, Debilitas Pulsûs, Ardor, Sitis, Linguæ Ariditas. Porro massa sanguinis, & humorum à fermento febrili easdem planè, easque æquè repentinas mutationes subit, ac si Veneno esset inquinata, Quippe, jam pro febris peculiari genio, per totam cutim Rubedo ubique suffunditur; aut in Labiis, Naribus, & aliis quibuscunque corporis partibus Exanthemata varia, Pustulæ, atque maculæ

Pete-

Petechiales, rubræ, vel purpureæ efflorescunt: vel Bubones Alas & Inguina, cæteras partes Carbunculi, Furunculi, Tumores, atque Ulcera varii generis obsident.

Denique, à vario hujus virulenti Fermenti genio, non tantùm typorum varietatis, sed etiam symptomatum Febrilium inde consequentium ratio, clariùs quàm à quacunque alia hypothesi deduci potest (quod à Philosopho non nihili habendum est.) v. g. Ubi Fermentum mite Spiritus exagitat, victoria de Naturâ non reportatur, verùm Spiritus ferè integri, quamvis irritati, vi majori in hostem irruunt, atque, quà data via, Secessu, Vomitu, Sudore enormi, &c. (Pulsu interim forti ac celeri permanente) undiquaque id eliminare satagunt. Inde symptomata vehementiora momento quasi suborta virulentiam fermenti mitiorem, ac vires Naturæ magis integras, utut lacessitas ostendunt. Ita nonnunquam viginti quatuor horarum spatio, plus minus, ab hac extrema expansione spirituum, virulenti Fermenti activitatem planè subactam videre est, atque Ægrum inde in statum Ἀπυρεξίας restitutum, nisi post statas periodos, singulis, alternis, vel quarto quoque die suo more recrudescat, atque, viribus resarcitis, Naturam de novo lacessat.

Quoties autem, præ gradu Fermenti Febrilis magis deleterio, accidat vires Spirituum eò esse pessundatas & labefactatas, ut nequeant prima sua expansione, de Veneno activo, quo imbuuntur, penitùs triumphare, Febris suboritur ab Antiquis dicta, Συνεχὴς sive continens, continua quidem, at certis ac statis Paroxysmis, atque Remissionibus interpuncta. Cui etiam congener est Febris Inflammatoria, sive Rheumatica, Erysipelatosa, Pleuritica, Peripneumonica, &c. Quam quidem Febrem, utut dira aliqua symptomata, Spasmi nempe dolorifici in genere nervoso, aut Diarrhœa, cholera morbus, vomitio, &c. In Emunctoriis. ab insultu Naturæ in hostem provenientia, à primordiis ipsis morbi comitari soleant, quia tamen Venenum non summè deleterium est, Febris minùs lethalis fit; At unoquoque congressu victoriam (licet non adeò perfectam ac in Febre Intermittente) Natura de Morbo reportat. Hinc Exacerbationes & Remissiones, toto morbi decursu, statis periodis sese alternatim excipiunt.

Ubi verò, Veneno prævalente, vires spirituum nativæ potiùs delentur, quàm opprimuntur ac irritantur, ab initio, sine violento aliquo symptomate, Æger ferè ἄπυρετος jacet, cum Urina sana, Pulsu debili, vel saltem moderato, utut celeri ac inordinato, Siti pauca, Languore virium summo, si non deliquio frequenti detentus, ac madore frigido ubique perfusus. Febris uno tenore pergit, sine exacerbationibus & remissionibus periodicis, estque ut plurimùm periculosa & Maligna, Æger autem fatis cedit dirissimis symptomatis in genere nervoso confectus, quia Spiritus animales ab initio veneno adeò potenti inquinabantur, ut certamini instituendo impares, Fermentum neque subigere neque minuere valerent.

Quoties Venenum Febrile genii Emetici est, Ventriculum petit, per ejus glandulosam tunicam virulentiam suam excernere satagens (quod in Febribus Intermittentibus præsertim videre est.) Quàm enormi Vomitione, vel saltem Nausea, durante Paroxysmo, ac si ab Antimoniali haustu epoto, Ægrum perpetim lacessitum conspicimus? Viribus autem veneni in decursu Paroxysmi fractis atque subactis, momento quasi, hæ turbæ sponte compescuntur, donec, recrudescente veneno, massa sanguinis, ac si ab Emetico recens propinato, de novo inficiatur. Prætereà Febres continuæ dictæ Συνεχεῖς æque ac Intermittentes, durante Paroxysmo, Diarrhœam serosam & torminosam, Dysenteriam vel choleram morbum simulant; Ægri enim fluxu Alvi enormi, aliquando cruento; aut excretione humorum colliquatorum immani sursum ac deorsum, cum Spasmis horrendis, quasi à colocynthide, Arsenico, vel forti ac deleterio quocunque Pharmaco exhibito, corripiuntur: Quippe fermentum Febrile naturam Arsenicalem vel aliam aliquam ejusmodi deleteriè catharticam sapiens, Glandulosam Intestinorum tunicam ultrò petit: Colliquatio verò, finitâ exacerbatione, sponte cessat, aut saltem mitigari incipit, atque viribus Opiatorum ac astringentium citiùs longè, & certiùs cedit, quàm vigente paroxysmo. Porrò, in Medicinâ Tyrones non possunt non sæpiùs observasse Febres Συνεχεῖς, & Inflammatorias continentibus congeneres, præsertim Autumnales, atque ab habitu Scorbutico oriundas, Salivatione legitima per dies 21. plus minus durante, cum Aphthis, Tumoribus oris, & Faucium Ulceribus, cæterisque symptomatis omnibus, præter halitum fœtentem, Mercurialem ptyalismum comitari solitis sociata, criticè terminatas: Quippe fermentum Febrile humores exagitans veneno Mercuriali imbutum, suapte sponte ad fauces, & glandulas salivales tendit. Insuper, sicut in Febre Diabetica symptomaticè, itâ in nonnullis aliis Febribus, præsertim Scorbuticis, copiosam serosæ colluviei separationem criticè fieri per Renes nonnunquam conspicimus, à Fermento virulento, procul omni dubio cantharidibus congeneri, vel ejusmodi alicui sine nomine Toxico, quod Renes præ alia quavis parte petat. Neque multùm forsan à verò aberrare videamur, si statuamus Febrem illam Pestilentialem Epidemicam, Sudorem Anglicanum, à Polydoro Virgilio descriptam, & reliquas Febres istiusmodi colliquativas malignas, à venenato fermentô peculiari (utut proprium ejus nomen hactenus non sit designatum) quod virulentiam suam per poros cutis eliminare satagat, ortum ducere. Uti & Pestem, aliasque Febres mali moris congeneres, Anthracibus, Carcinomatis, nigris Maculis in cute efflorescentibus, crusta nigra ori & linguæ obducta, reliquisque ejusmodi symptomatis notatas, à Sphacelante, & caustico quodam, seu adurente Fermento oriri: Quippe ipsissima eadem symptomata à Venenis causticis intrò sumptis passim proveniunt.

Quamobrem, modò de hisce rebus quæ sensus planè fugiunt ac superant, liceat à Posteriori, seu effectu ratiocinari (quod jure merito negari haud potest) concludendum est hoc fermentum, Veneni reapse semper plus, minùs particeps esse.

Hoc concesso, quid opus verbis ut demonstrem Corticem Peruvianum vim suam febrifugam, Antidotorum more, exercere, scilicet venenatum hunc fomitem expellendo & subigendo? Ecquis enim hactenus aliquo Remedio Arte parabili, nisi Antidoto seu Alexipharmaco venenum vincendum esse somniavit? Et quàm inani labore Medicamentis contrariis qualitatibus imbutis, adversùs effectus & symptomata morbi militamus, dum ejus fomes, seu causa integra & salva intùs maneat? Huic nostræ sententiæ de virtute Corticis Alexipharmaca fidem facit Modus, quo hoc Remedium operatur; Quàm subitò enim & inopinatò vires suas exercet, atque in febribus fugandis scopum attingit? *Fracastorius* olim *lib.3. de Contag. Morb. Curat.* de *Boli Armenæ* vi Alexipharmaca notavit, quòd ea homini intumescenti, & in agone à morsu Araneæ posito, exhibita, vox statim rediit ac vita. Non autem à manifesta aliqua alteratione in humoribus inde effecta (quam momento fieri posse nemo opinabitur) verùm uti ab Antidoto, quæ venenum propria sua substantia delet, effectus hic verè mirabilis & stupendus ex improviso producebatur. Ergo eodem planè jure China-China in classem Antidotorum, quo Bolus Armena, adsciscì potest. Porrò non minùs huc spectat Corticis efficacia in omni sexu, in ætate senili ac infantili, in puerperio ipso, in quavis anni tempestate, atque in Temperamentis diversis prorsùs, & contrariis: Certa enim experientia comprobatum est, Medicamenta, quæ sensibili quacunque qualitate humores alterando finem assequuntur, pro vario Ægri temperamento, ac causa morbi varia, oportere variari, adeò ut quivis Medicus doctus ac expertus, formulas suas in eodem morbo, & eadem persona curanda necessariò sæpè mutare cogatur: Quinetiam Empiricum, ac Medico indignum hucusque semper visum est, inter unius Receptæ, Formulæ vel Schedulæ cancellos comprehendi. Observatu etiam dignum est quàm parva quantitas Corticis Febrem, quantumvis confirmatam, imò ipsam Quartanam fugare valeat. Licet enim, præ copia Corticis Spurii, Putidi & Effœti, qui vulgò venalis prostat, Medicamentum hoc magnum, ab indole sua nativa multùm degenerasse videatur, & dosis ejus, cùm minùs sincerus sit, incerta, ad ℥j. ij. iij. in os Ægri nauseabundi necessariò ingerenda sit, priusquam optatum eventum assequi possimus (de quo jam olim conquerebatur *Cardinalis de Lugo* in Epistola sua ad *Sebastianum Badum*) At quamdiu genuinus ad nos afferebatur, scil. ab Anno 1649. ad Annum usque 1663 (testante *Bado*) juxta primam formulam *Schedulæ Romanæ*, solenni drachmarum duarum dosi Febris quæcunque Intermittens, & Quartanæ contumacissimæ profligari solebant. Imò *Clariss. Andreas Nicolus* in Epistola, ait sese drachma una quartanas fugare solere. Alii Scrupulo uno vel ℈ß. Febres infantium sese subegisse affirmant. Atque equidem Ego ipse, ante Annum 1678. Cùm circumforaneo Tabor non innotuit, nec apud Medicos increbescere cœpit, & Mercatores quidvis putidum ac effœtum, proprii lucri causa, pro Cortice genuino non vendebant, nusquam in Febre curanda sive Intermittente sive Remittente ʒij. excedere solebam: Qua dosi, æquè certò optatum eventum assequebar ac hodiè Uncia una vel altera. Ecquis autem à tàm pusilla quantitate Medicamenti generosissimi totam molem Sanguinis & Humorum, momento quasi, adeò mutari posse concipere queat, ut morbus contumax, qualis est Febris Quartana, inde fugari possit? Prætereà nulla extrema qualitate hoc Pharmacum præditum est, qua humores insigniter alterare valeat (ut olim observavit Doctiss. *Sturmius*) & ob eandem causam non ratiocinando inventum, & ad usum medicinalem primùm adaptatum erat, verùm, sicut aliæ Antidoti, casu atque Experientia. Præterea (quod prius innuimus) absque quacunque humorum evacuatione sensibili scopum suum attingere solet.

Dissertatione de Operatione Corticis peracta, quædam exinde Corollaria deducemus. Primò, ex prædictis Quivis facilè concludere poterit, decantatum Febrile fermentum, sive id, quicquid sit, quo Archæus (verbo Helmontiano sit venia) irritatur, atque unde moles Humorum in Febribus variè agitatur, non ampliùs quæri debere in massa Sanguinis, ejusve Caliditate, Frigiditate, Siccitate, Humiditate, acrimonia, aliave quacunque Qualitate exuberante, quippe hæ omnes Qualitates manifestæ secundariò in Sanguine succrescunt, à Fermento alibi sito, atque proinde medicamentis contraria qualitate imbutis, in Curatione Febrium, unicè fidendum non est. Illud autem Febrifugum certissimum est, quod sive calidum, sive frigidum, Fermentum hoc Humores exagitans atque irritans penitùs subigit atque delet.

Secundò, Fermentum hoc, quod Principium vitæ petendo, primùm Spiritus irritat, dein totam massam Sanguinis & Humorum diversimodè conturbat, in spiritibus animalibus tanquam primo atque immediato suo subjecto delitescere, atque proinde inibi deleri debere. Quam quidem Hypothesin, utut in Apparatu nostro priùs palàm demonstravimus; haud parum tamen lucis ei insuper accedit ab observatione efficaciæ Remediorum exteriùs applicatorum: Quantùm enim cerebrum, atque Genus Nervosum afficiuntur ab Emplastro de Galbano umbilicali, & à variis Odoramentis fœdis aut Moschatis, ut in Hystericis videre est? Quantùm à cataplasmate ex Allio plantis pedum applicato, paucarum horarum spatio, Natura patitur ut facile cum suo damno quivis in seipso experiri potest? Quantùm denique à Suppedaneis, Pericarpiis, Vesicatoriis, Epithematis, cataplasmatis, atque Emplastris variis Curatio Febrium promoveri soleat, Medicis Tyronibus satis notum est. Num autem ab hisce Externis massam sanguinis derepente mutatam atque alteratam esse facilè quis credat? Multò clariùs mehercule! hujus rei ratio reddi potest ab effluviis horum remediorum exteriùs applicatorum transmissis per poros cutis ad spiritus in fibrillis Membranarum hospitantes, unde Fermentum in partibus nervosis delitescens Immediatè, Secundariò verò massa sanguinis alterari facile potest; Neque est, cur quisquam dubitet, utrum

Spiritus

Spiritus hi, quippe naturam maximè agilem participantes, hujusmodi Fermentorum, quæ statis periodis delitescunt, atque iterùm revirescunt, possint esse subjectum capax; modò seriò secum perpendat in hisce Spiritibus potiùs quàm segni Humorum mole principium Fermentationis ac motûs cujuscunque, sive continuus sive periodicus fuerit, primum inesse. Tertiò Fermentum hoc febrile plus minùs esse venenatum ex jam dictis abundè constat. Atque proinde Quartò, Febrifugum propriè ita dictum, quod ad hunc Fomitem subigendum destinatur, oportere esse veram ejus Antidotum, Amicissimum spiritibus, verùm Fermento Inimicissimum, Usu & Experientiâ potiùs quàm ratione excogitatum; Cujus parva quantitas scopum suum in fugandis febribus, quarum Fermento par est, citò certò, &c. attingit. In morbis Partium, Viscerum & Emunctoriorum, ubi Fomes in Humoribus præter naturam alteratis immediatè latitare videatur, Medici interest causam Morbi ex peculiari humorum Affectu accuratè eruere, quo melius instructus Medicamenta qualitatibus evidenter contrariis ad eos impugnandos imbuta, eligere queat. Verùm ad hos morbos Universales curandos satis est nôsse Antidotum certo usu comprobatam, quæ causæ Morbificæ contraria, eam deleat & Morbum penitùs diruat. Qui hac in re altius sapiunt, procul omni dubio in puteum erroris incident, & credulos ac sequaces Discipulos unà secum abducent.

De Corticis Præparatione atque Exhibitione.

Ad ultimum sermonis nostri stadium jam demum deventum est, ubi Justus Modus Corticis præparandi atque exhibendi tradendus est, isque certis Regulis, ac Canonibus usu multo comprobatis comprehendendus. Quod pensum brevi, at pro virili absolvere satagemus.

Atque sanè primo loco, idque accuratissimè cavendum est, ne Cortex non sit genuinus & vegetus; Siquidem ubi fortè Antidotus ipsa, qua utimur, putida, effœta, malè electa aut spuria fuerit; nulla Arte præparandi, nulla methodo ministrandi, hunc defectum compensare possibile est. At eheu! præ socordi incuria, vel sordida avaritia eorum, quorum interest huic Provinciæ diligentiùs prospicere; quàm sæpè Apothecæ Pharmacopolarum, & Capsæ Mercatorum, adulterino nescio quo Cortice implentur, vel Cortice genuino, præ ætate autem, vel alio accidente planè effœto, insipido, putido, ligneo, atque proinde nullius pretii? Adeò ut nonnunquam vix decimam ejus partem genuinam, aut saltem vegetam deprehendi. Hoc autem in pollinem redacto, ob veri & vegeti Corticis partem commixtam, fucus non facilè percipitur. Ego sanè vix oculis solis, nisi prægustaverim, in Electione Corticis credere soleo, atque equidem, ubi, negotiis impeditus Corticem non coram elegi & probavi, anxius ac tremulus eum semper præscribo, utut, eo nomine, aliquos adversus me vehementer succensentes atque palam excandescentes probè noverim; Quocirca Apotheca publica lege sancienda, & curæ doctorum ac proborum virorum demandanda multùm optanda est, ut Vitæ & Palatis ægrotantium, necnon famæ Medicorum & Pharmaci Polychresti consulatur: Dum enim spurium, effœtum & putidum nescio quid, loco hujus generosi Medicamenti, indiscriminatim vendatur, nauseabundi Ægrotantium Ventriculi immensâ quantitate ingrati Pharmaci inferciuntur, & ipsa vita nonnunquam in discrimen adducitur, quia in præcipiti morbi cursu tempus sæpenumerò non datur adeò immensæ Corticis adulterini quantitati deglutiendæ par. Sæpe etiam Medicum ipsum de quantitate Corticis exhibendi incertum manere necesse est, & haud rarò expectationem ejus decipi, unde Ars Medicinalis, Medicus, & præsertim Pharmacum Polychrestum non possunt non apud vulgum famam existimationemque amittere. Quam ob causam nemo ampliùs miretur, si inter plebem adhuc adversùs Corticem præjudicia fiant, & Medici vires ejusdem minùs perspectas habeant, atque nonnulli eorum sententiam minus æquam de eo adhuc proferre soleant.

Corticem autem qui prostat in Officinis venalis, reapse, maxima ex parte esse spurium, effœtum, ac putidum, testes appello Medicos omnes æquos, expertos, quos ego ipse sæpenumerò audivi hâc de re impensiùs conquerentes. Quin & res ipsa idem clamitat: Quare enim dosin solennem drachmarum duarum Adultis olim præscriptam, hodie in Febribus curandis ad tot uncias augere coacti sumus? Quando primùm invaluit Corticis usus, scilicet ante Annum 1660. fucum ac neglectum hunc pestiferum à Pharmacopola Collegii Romani jamdudum detectum fuisse constat, ex propriis ejus verbis, quæ hic non pigebit transcribere. Queritur autem Plurimum ejusmodi fictitium Corticem Aqua Aloës lavatum, quo amaritiem conciliet, Romæ tunc temporis advehi, quin & ad alios locos proseminari, ideoque Aromatarios, Pharmacopæos, ac Medicos seriò monet, ut sedulò super hac re animadvertatur, ut Cortex, quem emunt, sit germanus, non fucatus. Atque alibi in Epistola sua ad *Clariss. Badum April.* 9. 1659. data, hisce verbis: Repeto vestræ Dominationi, quotidiè magis observari falsitatem Corticis invectam causa mercimonii, adeoque nocumento fuit in regione Pedemontana duobus, qui post octiduum ab ejus sumptione obiêrunt. Et postea, Innotuit damnosum istum Corticem non fuisse genuinum, sed adulteratum, cujus viginti capsulæ Neapolin pervenêrunt, & multæ cistellæ Romam. Ipsæ etiam *Cardinalis de Lugo*, cujus industria vis Corticis Febrifuga Romæ primùm innotuit in Epistola ad eundem Badum de Cortice scribens ait. Id autem mali est, quòd ob ejus usum frequentiorem, jam Romæ incipit deficere, & is qui venum exponi poterit, nescio quamdiù immunis esse poterit à Mangonum periculis, ut in aliis pretiosis & exoticis Medicamentis accidit. Quid autem jam expectandum est, postquam ejus usus & fama per totam Europam increbuit? Vincentius etiam Protospatarius Doctiss. atque Clariss. Medicus Neapolitanus in Epistola ad eundem Badum disertè ait, Sese duplicem observasse Corticem, Alterum illegitimum, cujatem verò nescit, sed, ad mercimonii augmentum, à pessimorũ quorundã sorditie invectum, nigrescentem, non amarum,

non friabilem, sed austerum & viscidum quid ex attritu dentium exhibentem, sapore non aromaticum, sed injucundum potiùs, ac insuavem. A cujus usu D. Alphons. Gaglia Tertiana affectus, post quadraginta dies summum obiit diem, & Domino Matthæo Sacconi simplex Quartana duplicata fuit.

Lubet igitur Criteria genuina adjicere, ex quibus verum à supposititio Cortice distinguere liceat, quæ Articulis perpaucis facile comprehendentur. Genuinus Cortex colorem cinnamomi visui refert: Nigricans colorem suum ab Aloë, aut aliquo alio ejusmodi proculdubio mutuatus est: Genuinus Sapore satis grato ac aromaticè amaro est: Injucundè amarus ac intensè acerbus pro suppositio habendus est: Genuinus Olfactui odorem spirat peculiari modo Mucidum, attamen suavem, gratum, ac aromaticum; Atque huic Sensui in Corticis genuini sinceritate deprehendenda, præ cæteris omnibus, ego credere soleo, & Corticem, cui gratus hic ac peculiari modo Mucidus odor deest, qualemcunque saporem vel colorem referat, semper suspectum habeo. Denique Genuinus dentibus attritus, vel quocunque alio modo tractus, friabilis est, non viscidus & glutinosus, quem utpote liquore aliquo tenaci imbutum ac saturatum rejiciendum duco. Corticem etiam male electum sensu facilè deprehendemus, num scil. sit crassus, & ligneus, quippe Tenuis ille, qui à ramulis raditur, est maximè vegetus, quia succo recenti saturatus. Effœtus ac annosus ferè omni sapore, præsertim Amaritie privatur. Putridus etiam, modò frangatur, sese palam oculis prodit. Cum multâ tamen diligentiâ hoc scrutinium fieri oportet, quippe ex vafritie & avaritiâ Mercatorum ac Aromatariorum, mercimonii causâ, sæpissimè ad parvam qnantitatem genuini ac vegeti Corticis pars multò major spurii, effœti ac male electi adjicitur, qui fucus haud ita facilè deprehenditur, ubi in pulverem Cortex redigitur.

Quod ad modum Præparandi Corticem spectat, non est quòd diù moras traham in Tincturarum inde elicitarum, Spirituum destillatorum, Elixirium, Extractorum formulis Elegantioribus describendis, cùm multâ ac diutinâ Experientiâ fretus, palam affirmare audeam Chinam-Chinam simplicem, & in substantia, forma Ægro gratissima, exhibitam (modò in pollinem seu *Alcohol* arte priùs redacta fuerit, ut minori tædio deglutiatur, atque ventriculum minùs oneret, ac citiùs per corporis habitum trajiciatur) certiùs ac compendiosiùs vires suas exercere, atque finem optatum attingere, quàm si multa arte, aut igne torqueatur, ac nativis viribus spoliata, more pomposissimo, exhibeatur; Adeò ut in istis præparationibus Oleum ac opera perdatur. Neque cuiquam author ero ut nugas hujusmodi captando, atque reapse nihil efficiendo, temporis pretiosissimi jacturam faciat, siquidem uti cochleariam, reliquaque Antiscorbutica atque (generaliter loquendo) Specifica cætera, quotquot sint, ita Chinam-Chinam feliciùs atque compendiosiùs operari Experientia didicimus, quo simplicior & minùs fucata fuerit.

Copia formularum elegantissimarum præscribendi, atque exhibendi Corticis Medicus instructus esse debet, scil. ut Pharmacum sua natura non admodum gratum in Haustum, Bolum, Electuarium, Apozema, aliamve quamvis Ægri Palato gratissimam formam redactum ministretur, & nauseabundi Ægrotantis tædium methodo exhibendi honeste decipiatur; Et nonnunquam Ægro præjudiciis in Corticem præoccupato Remedium salutiferum, nihil tale suspicanti ingeratur, atque denique, ut additamentis aliquibus, quæ vel Medicamenti ingratum saporem corrigant, vel à symptomate aliquo vehementiori indicantur, locus detur opportunus.

In Schedulâ Romanâ, China-China pulverisata in Unciis quatuor Vini Albi generosi propinanda primùm præscribebatur. Quam formulam Medicos diù solenniter atque religiosè observasse abunde constat: Nihilominùs hodie in haustu Julapii cujuscunque temperati, Cerevisiæ fortis vel tenuis exhibitam, æquè certò ac tutò eundem effectum producere Experientiâ comperimus.

In eadem Schedulâ dosis ℨ ij. præcisè Adultis præscripta erat; jam autem quia Cortex adulterinus est, coacti sumus saltem ℥j. nonnunquam ij. vel iij. ingerere, priusquam scopum attingere possimus. Drachmas duas vix jam sufficere infantium ac puerulorum febribus fugandis, cuilibet in Medicinâ exercitato notum est.

Tota dosis præscripta simul unicâ vice exhibebatur; cùm hodie, ne ventriculus nimiùm oneretur à tantâ mole confertim ingesta, Medicis visum sit (ratione ac usu comprobante) partitis vicibus Corticem ministrare, scilicet drachmam unam tertia vel quarta quaque hora, quousque una vel altera uncia absumpta fuerit.

Solenniter etiam in Schedula præfata sub insultum Paroxysmi Pharmacum ministrandum præscribitur; At hodiè, cum majori ratione, atque successu magis felici, in Intervallis paroxysmorum duntaxat exhibetur, quo tempore uti faciliùs absque Nauseâ admittitur, certiusque retinetur, ita (quod haud quaquam flocci habendum est) veneno sopito atque delitescente, vires Antidoti magis integræ in corpus transmittuntur, quippe Fermento ventriculi salubri adjutæ.

Secundùm eandem Schedulam, ante exhibitionem Corticis Alvus Medicamentis Catharticis sæpiùs subducenda est, licet Indi, testante Bollo, neque sese purgabant, neque, quocunque alio modo, ante ejus usum præparare solebant; quin & Excellentissimus *Badus Anastas*, *pag.* 119. ait sese æque certo, atque feliciter sine cathartico (morbo urgente ac suadente) Febres cortice fugasse, ac corpore priùs purgato. *Nicolaus Imperialis* Vir. Doctiss. & rei Medicinalis scientissimus, jure merito, adversùs hos succenset, qui adeò tardè corticem febricitantibus exhibent, cùm non minùs tutò absque specioso hoc apparatu eos curare potuissent. Quin & res ipsa idem clamitat: Quid enim cathartico cum Antidotis commune est? Vel quis hactenùs corpus purgandum esse ante usum alterius cujuscunque Antidoti duxerit? Certò præterea scimus, à lenissimo quovis cathartico (quia

(quia vires Naturæ ac Antidoti inde franguntur) Febrem cortice sanatam repullulare solere. Proinde purgatio ita necessaria ante corticis usum æstimari non debet, quæ postea damnosa ac periculosa esse conspicitur. Verùm hic Canon ad Corticis usum spectans ab *Authore Schedulæ Romanæ*, *Chifletio*, cæterisque Humorum, & Qualitatum manifestarum Patronis primùm, procul omni dubio, in errore fundatus erat, & veterem illam doctrinam jam ubique explosam redolere videtur. Me quod attinet, utut, nausea insolita suadente, lenius Emeticum ante usum Corticis præscribere nonnunquam necessarium duxerim: Et in Plethora, vel Immani Dolore Spasmodico, aut alio Symptomate vehementiori Phlebotomiam suaserim, & in cachexiâ insigni catharticum propinaverim; Nullo modo autem, absque evidenti Indicatione, quicquam horum, præparationis gratiâ, ministratum curationi conducere multo usu expertus sum, At è contrà; cùm, ratione symptomatum, liberiores evacuationes (cujuscunque generis fuerint) instituere coactus sum, eò majorem Corticis copiam præscribi semper necessarium observavi.

Canone alio Schedulæ Romanæ sancitum est, ut Æger illicò à poculo Febrifugo propinato protinùs lectum petat, ibique stragulis coopertus maneat. Quorsùm autem hæc? Si Febris præsentis gratia Æger in lecto claudatur; quandoquidem sub ingressum paroxysmi Pharmacum hoc deglutiri debere priùs decretum fuerat, mitto. Sin ab insensibili aliquâ evacuatione, aut Sudore inde elicito effectus Medicamenti expectetur; hanc legem non accipio, quia Febris in Humoribus primariò sita non est. Præterea Cortex in Aëre aprico versantibus, atque solitis muniis fungentibus propinatus scopum tàm certò attingit, quàm si patiens intra lecti cancellos incarceretur. Quorsùm igitur molestis hisce tædiis quasi lege sancitis, nullâ necessitate suadente, Ægros ultrò lacessimus? Durante Paroxysmo, regimen Febricitantibus debitum Ægro imperetur; Delitescente autem Veneno, in Paroxysmorum intervallis, sicuti victu quocunque euchymo, carnibus non exceptis, ad vires resarciendas lautè & copiosè Ægrum nutrire licet; nec in lecto jacere, nec alias Regiminis regulas observare tenetur: Quippe non Antidotus, verùm Febris præsens, seu activum Venenum hoc regimen exposcit: Ecquis autem hactenùs in gratiam cujuscunque Antidoti necessarium duxerit Ægrum solitâ libertate privare, vel regimine aliquo circumscribere?

Denique, eadem Schedula monet, ne quatriduo post Corticis usum, ullum aliud Medicamentum admittatur. Medicamentum hic loci procul omni dubio Catharticum, vel saltem Evacuans intelligitur, quippe ab eorum usu vires Naturæ, ac Antidoti franguntur, &, venenato Fomite inde repullulante, febris sæpenumero revirescit, quod vel ab Enemate Cathartico non tantùm post quatuor dies, verùm post tot hebdomadas in ecto evenisse sæpiùs memini. Quocircà, à Corticis usu Ego, nisi evidenti Indicatione coactus, nusquam intra quatuor dies, ne quidem hebdomadas, vel menses, donec ex appropinquante sole tempestas Anni immutetur, solennem evacuationem instituere ausus sum; aut saltem facti me pœnituit, nisi toties quoties hoc malum repentinâ Corticis repetitione averruncassem. Neque duntaxat à Cathartico Febrem Cortice fugatam revocari conspicimus, verùm sæpenumerò à minimo Frigore percepto, vel ultrò, absque causâ evidenti, cum magno Medici & Medicinæ opprobrio, nisi tempestivâ, ac frequenti Corticis repetitione ei obviam eatur. Quocircà Febre priùs Cortice fugatâ, Ego Prophylaxeos gratiâ (ut Medicum decet) solennem ejusdem repetitionem, post intervallum octo vel decem dierum bis terve imperare soleo, scil. donec Luna stadia sua singula semel decurrerit, quam statis cursus sui periodis, vi exsuscitandi Fermenta Morbosa, quæ in Spiritibus delitescunt (ut in insultibus Epilepticis, præsertim circa Novilunium & Plenilunium periodicè repullulantibus) maximè pollere conspicimus. Atque hoc modo Febres Intermittentes maxime pertinaces certissimè ut plurimùm sanantur, quas utut vigesies Cortice fugatas, posthabito hoc Canone, iterùm sese in ordinem recolligere quotidiè videre est.

Fasciculum Canonum de Corticis usu, quos mihi ratio ac Praxis suppeditavit, hìc adjiciam.

Primùm, Medici multùm interest (neque eo nomine nimis officiosæ sedulitatis incusari debet, ubi vitæ Ægri, & famæ propriæ consulit) diligenter prospicere ut Cortex, secundum Criteria prius memorata, sit genuinus & bene Electus. Deinde, ut in subtilissimum pollinem reducatur, quo facilius deglutiri, digeri atque per habitum corporis trajici queat. Formulas Elegantiores mihi hactenus notas mox subjiciam. Adultis præscribendus est, prout plus minus genuinus sit, ab ℥ß. ad ʒ vi. ℥j. ℥iß. ℥ij. Infantibus ac pueris pro ratione ætatis à ʒj. ad ij. iij. iv, Neque tantam molem unicâ vice ingerere necessarium est, cum satius sit partitis vicibus, ʒj. scil. ʒß. ℈j. quartâ quâque horâ, respectu ad Ætatem habito, ministrare, Non autem in Paroxysmo, ob rationem olim redditam, verùm potius in Intervallis: Neque equidem præparationis gratiâ, alia aliqua Medicamenta, uti vomitoria, cathartica, &c. Nisi in Intervallis, ubi aliqua vehementiora Symptomata ea postulent, ministrari convenit. Hoc autem in casu, si Natura à veneno morbifico vehementius irritetur, & Æger inde Cephalalgiâ, aut Rheumatico quocunque dolore graviori correptus detineatur (quod nonnunquam accidit) Phlebotomia ante usum pulveris, absente Paroxysmo, spirituum nimis irritatorum furor compescendus est. Vel ubi, præ Nauseâ in Ventriculo à præcedent. Paroxysmo relictâ, impossibile fuerit febrifugum nisi difficulter admodum deglutiri aut retineri, non abs re erit Possetalam foliis Cardui Benedicti alteratam copiosè propinare, vel Vomitorium Antimoniale levius exhibere; Aut saltem ubi signa Cachexiæ evidentia adsint, Decoctum Amarum purgans, Tincturam Sacram, vel aliquod ejusmodi lene Catharticum, in Intervallis, semel vel bis præscribere. Consuetudinis autem gratiâ, ac, absque Evidenti Indicatione, aliquid, hujusmodi imperare irritum esse docet Experientia, æque ac ratio,

proindeque Empirico dignum potiùs, quàm Medico quem omnia sua Mandata ad normam rationis, non proprii Arbitrii, dirigere oportet. Æque etiam absurdum est in Intervallis paroxysmorum, durante Corticis usu Ægrum in lecto, vel cubiculo, vel domo incarcerari, aut Diæta parca ac tenui solummodò nutriri, aut quocunque alio Regimine circumscribi; modò paulò ante paroxysmum Ventriculus non repletus fuerit alimento, cui digerendo ejus fermentum mox veneno inficiendum haud par sit; Atque durante Veneni vigore, parca ac tenui Diæta contentus fuerit Æger, in lecto etiam (Febre id tunc temporis exigente) decumbat. Fugata autem à Cortice febre, oportet Medicum attentè prospicere, ne iterum reviresçat, neque officio suo satis se functum esse credat cùm febrem sustulerit, si non Ægrum contra ejusdem Recrudescentiam sartum tectum muniverit. Quocirca, jubeat ut Æger ab injuriis Aëris, atque erroribus in Diæta (quantum liceat) sese incolumem servet; Cibo Euchymo (tantillo vini etiam quotidiè indulto) vires languentes quàm citissimè resarciat, ut Natura Virulentiam delitescentem & sese jam, vel Appetitu deficiente, vel Sudoribus nocturnis prodentem, prorsùs eliminare ac subigere queat. Caveat maximè à Venæsectione, absque evidenti necessitate; aut cathartico, seu quocunque alio Medicamento, unde Natura fatigata impensas virium majores sustinere cogatur. Ante omnia (præsertim si ab Appetitu minùs vigente recidivationem mox futuram præsagire liceat) saltem ad spatium Lunæ unius, Intervallo octo vel decem dierum, utut firma valetudo videatur, repetatur uncia una Antidoti, cujus drachmam unam in formâ quâvis gratissimâ, ter die, horis Medicinalibus Patiens deglutiat, superbibendo post singulas doses haustum vini admodum generosi. Hoc Canone observato, haud ita frequenter febrium cortice curatarum recidivationes famam Medici & Remedii minuerent.

Formulæ Corticis præscribendi Elegantiores, mihi usitatissimæ sequuntur.

♃. Aqu. Cardu. ℥ ij. Aqu. Epidem. Syrup. Caryoph. ana ʒ ij. Chin. Chin. Elect. & Subtilissimè pulverisat. ʒj. M. F. Haustus, qui, absente Paroxysmo, illicò propinetur, repetaturque tertiâ vel quartâ quâque horâ ad 8. 10. vel 12. vices: Pulvis hâc formâ exhibitus, ut plurimùm, præ Bolo aut Electuario arridet, & minori cum molestia deglutitur; si verò forma Boli aut Electuarii magis placeat.

♃. Cortic. Peruv. Elect. in subtiliss. pollinem redacti ʒ j. Syrup. Caryoph. Melissophyl. aut cujuscunque gratioris q. s. M. F. Bolus mollis statim sumendus, repetendusque tertia vel quarta quaque hora extra Paroxysmum ad 8. 10. vel 12. vices, post singulos Bolos superbibendo cochlear. 4. 5. vel 6. Julap. sequentis, de quo etiam bibat ad libitum, præsertim vigente Paroxysmo.

♃. Aqu. Cardu. Meliss. ceras. nigr. cinnam. hord. ana ℥ iij. Aqu. Epidem. Stephan. Syrup. caryoph. ana ℥ i ß. vel (si Ægro Julapium Perlatum magis arridet) Margar. præpar. ʒ i ß. Sacchar. albiss. ʒ v. vel vi. M. F. Julap.

Vel ♃. Cortic. Peruv. subtiliss. trit. ℥j. vel ℥ i ß. Syrup. è Rub. Idæo (à quo; modò recens fuerit, sapor magis gratus Medicamento concilietur) q. s. Balsam. Peruv. ℈j. vel ʒß. M. F. Electuar. de quo sumat Æger quantitatem nucis Juglandis vel Moschatæ, tertiâ, vel quartâ quaque horâ extra Paroxysmum, superbibendo post singulas doses haustum Julapii priùs præscripti, vel cujusvis alterius ejus æmuli. Hac forma pulverem pro pueris præparari jubere soleo, ita ut exinde sumant quantitatem Nucis Moschatæ parvæ, vel dimidiatæ, solutam in cochleari Julapii supra præscripti, superbibendo unum vel alterum; quo modo facilè, ac cum minima Medicamenti jactura, in os Infantium ac puerulorum ingeri potest: vel si forma Pilularum Ægro magis arrideat,

♃. Pulv. febrifug. Elect. & subtiliss. trit. ℥j. vel ℥ i ß. Mucilag. Gum. Tragacanth. Aqu. Plantag. Extract. q. s. M. F. Pilul. mediocres, deaurand. quarum 8. 10. 12. quarta quaque hora Intermissionis deglutiat, & superbibat haustum Julapii supra præscripti. Hac formularum copia instructus, Ægros, honesta fraudè, atque cum proprio suo emolumento, fallere soleo, & unius formulæ pertæsos, ut Remedium idem nova specie, una, vel altera indutum, quamdiu opus fuerit, admittant, facilè suadeo.

In eorum gratiam qui ægrè admodum ferunt Pulveris crassiorem substantiam, quacunque forma, sive Boli sive Electuarii sive Haustûs exhibeatur, Tincturam sequentem ex eo eliciendam excogitavi. Qui quidem liquor (modò Cortex, quo saturatur, genuinus fuerit) est admodum ventriculo gratus, neque Palato injucundus; atque sanè, postquam fundamenta curationis priùs in aliquot drachmis pulveris in propria substantia ministrati jacta fuerint, facillimè ope hujus Tincturæ perficitur atque felicissimè absolvitur, Tinctura est quæ sequitur.

♃. Cort. Peruv. Crassè pulverisat. ℥ iij. coq. Leniter in Aqu. F. ℔ j. ad dimid. part. consumpt. deinde fiat colatura, atque reliquiæ decocti eadem Aqu. quantitate recens affusa coq. & cola iterum; hoc modo repetendo Operationem ad tertiam vicem, vel donec tota Corticis Amarities fuerit extracta. Denuò omnes colaturas commisc. & add. Aq. Epidem. Syrup. Caryoph. ana ℥ iv. vel v. M. F. Apozem. sive Tinctura, de quo sumat Æger ℥ iv. v. vi. quarta quaque hora extra Paroxysmum, vel sæpiùs ad libitum.

Si ob laxitatem Alvi nimiam, vel præsentem Diarrhœam, quam stimulanti sua Amaritie Cortex multùm promovet, vires suas febrifugas exercere non posse ritè metuatur, utatur Æger Decocto Albo, vel Vino clareto cum Aqua commixto, loco cerevisiæ, atque Opiatum aliquod cortici addatur (quod ei admodum amicum, atque in eundem scopum quadantenùs collimare usu comprobatur) plus minus pro Ætate, atque rariùs vel frequentius pro Symptomatis vehementia. Exempli gratia.

Primæ dosi pulveris, pro iis quorum Alvus fluit (quacunque forma ministretur) & deinceps omni dosi nocturnæ adsocientur Laudani liquidi Helmont. gutt. pro Ætate atque Opii Euphoria 4. 8. 12. 20. vel Laud. Londinens. à Semigran. ad gr. j. gr. j ß. Urgente autem Diarrhœa

rhœâ torminosâ (quod non rarò accidit) necesse est, ut singulis dosibus adjiciatur tantillum Laudani, quantum ad Alvum frænandam seu cohibendam sufficiat, scil. gutt. 4. 8. 10. 11. Laudan. liquid. vel more sequenti Cortex præscribatur.

♃. Cort. Peruv. Elect. & subtilissimè pulverisat. ℥j. confect. Fracastor q. s. M. F. Pil. Mediocres deaurand. quarum 8. vel 12. Æger deglutiat, repetatque quartâ quâque horâ extra Paroxysmum in lecto decumbens (ne ob Opium commixtum Vertigine afficiatur) & superbibat haustum Julapii suprà præscripti post singulas doses. Hoc modo ab Opiato cum Cortice commixto (utut Cortex Amaritie sua Alvum sollicitet) Diarrhœam truculentissimè torminosam citiùs curatam semper observavi, quàm à Laudano ipso in dupla licet quantitate per se exhibito; Quippe fermento febrili humores exagitante, fundente, colliquante ac per alvum deturbante à Cortice jam subacto, Diarrhœa ultrò sistitur, aut saltem dosi Opii admodum exigua frænatur ac cohibetur.

Sin Ægri Pulmones infarcti sint, satiùs est post extractionem sanguinis liberalem, Corticem cum Lubricantibus atque Incidentibus ministrare more sequenti.

♃. Ol. Amygd. d. rec. Syrup. ex Erysimo ana ℥ij. Pulv. Peruv subtiliss. atque Elect. ℥j. Sacchar. chrystal. alb. ℥ß. M. exactissimè F. Linctus, quem Æger à Paroxysmo liber capiat è cochleari, repetatque quarta quaque hora superbibendo ℥iv. Apozem. sequentis calid.

♃. Decoct. Pector. optime depurat. ℔ 1 ß. Tinctur. croc. Aqua Theriac. Extract. ℥ß. Syr. è V. Rad. ℥ 1 ß. M. F. Apozem.

Vel ♃. Chin. Chin. Elect. & subtil. pulver. ℥ß. Ammoniac. optimè depurat. ʒj. flor. Benzoin. ʒß. Syrup. Balsam. q. s. M. F. Pil. Mediocres deaurandæ, quarum sex cap. quarta quaque hora in Intervallis Paroxysmorum superbib. ℥iv. Apoz. sequentis calid.

♃. Cortic. Peruv. Elect. crassè trit. ℥ij. cochinel. croci in nodulo ligat. ana ʒß. Balsam. Tolutan. ʒij. Ingred. Decoct. Pectoral. q. s. coq. in suffic. quant. Aqu. font. ad ℔ 1 ß. colaturæ adde Aqu. Epidem. ℥iv. Syrup. Balsam. ex Erysim. ana ℥ 1 ß. vel ℥ ij. M. F. Apozem. turbidè propinandum.

De Proteiformi Intermittentis Febris genio.

Exempla febrium Intermittentium Cortice Peruviano curatarum adjungere, irritum planè atque inutile esset, postquam *Clariss. Badus, Sturmius*, cæterique Remedii hujus Polychresti Fautores hanc Provinciam jamdudum susceperint. Et nemo hodie (quod scio) de viribus hujus Remedii febrifugis dubius hæreat. Quandoquidem autem, ob vehementiam Symptomatum, ubi Natura ferè integra, acriùs stimulatur ad luctam cum veneno hostili instituendam, hæ febres haud rarò plerosque alios Morbos, eosque acutissimos simulare soleant, Corticis tamen viribus cedant, & si Cortex non exhibeatur sæpiùs funestæ evadant: Operæ pretium duxi Exempla aliquot hujusmodi febrium, quas nuperrimè observavi, seligere, scriptis mandare, atque publici juris facere. Atque equidem hoc pensum eò lubentiùs aggredior, quia Nemo adhuc (quantum scio) hoc subjectum tractavit, cujus cultura ad Praxin Medicinalem promovendam maximi momenti mihi esse videtur. Siquidem inter innumera illa symptomata hasce febres comitari solita, nullum est quod non aliquando adeò vehementer sæviat, ut vita Ægri inde in præsens discrimen adducatur, & Typus febris in variis suis stadiis Algoris, Caloris & Sudoris abscondatur penitùs, & opprimatur, ita ut neque ex Urina, Temperie, Pulsu, vel alio quocunque solito modo distingui possit; verùm sub larva Algoris funesti, Vomitionis indesinentis, Diarrhœæ torminosæ, Choleræ morbi, Colicæ ventriculi, Hemicraniæ periodicæ, Apoplexiæ, Syncopes, Rheumatismi, Spasmi Universalis, Pleuritidis, Peripneumoniæ, Doloris lateris punctorii vel alterius Morbi securè delitescens, Medicum à scopo suo non rarò abducat. Symptoma quidem interea Remediis propriis, sed incassum, tentatur; Nam, posthabito fermento febrili, proxima effervescentiæ periodo, priora, aut deteriora symptomata inexpectatò recrudescunt, Medicus Sisyphi saxum volvit, atque Æger vitæ dulcissimæ dispendio, aut saltem magno sumptu, ignorantiæ vel incuriæ Medici pœnas serò luit.

Sic ubi, præ gradu Veneni summè Deleterio, Spiritus adeò perculsi sunt, ut à primo ictu sese iterùm nullatenùs expandere valeant, Algor qui primum horum paroxysmorum insultum, ex instituto Naturæ, comitari solet, eousque protrahitur, donec Æger Deliquiis frequenter recurrentibus confectus, tandem fatis cedat. Interea Remedia intùs vel extrà ad flammam vitalem resuscitandam incassum applicantur, febris autem nullo indicio ex Urina, Temperie, vel Pulsu, accuratissimo observatori sese prodit.

Parili modo, ubi in primo Stadio Paroxysmi, Fomes Venenatus Spiritus tantùm opprimat, ut non ultra solitam Sphæram sese possint expandere, absque indiciis febris præsentis de Nausea, Ægritudine, & Vomitione Æger unicè conqueritur, donec Veneno à Cortice Peruviano, vel alia Antidoto subacto, spiritus in nativum statum restituantur.

Nonnunquam Venenum febrile sub initium paroxysmi glandulas intestinorum petit, & Fluxum Alvi torminosum, vel Dysenteriam excitat; At, cùm Spiritus diù uno tenore opprimuntur, hæc symptomata utut continua statis periodis exacerbantur & periodica evadunt, sine febris indiciis manifestis, & vires Opiatorum & Adstringentium longè superant, donec à Cortice Peruviano cum Laudano commixto, causa, sc. fermentum febrile, Massam colliquans, æque ac symptomata inde orta auferantur.

Ubi Venenum Emeticam simul ac Catharticam naturam participat, Æger frequenti vomitione & dejectione detinetur; &, nisi Spiritus in primo Paroxysmi Stadio expansione legitima virulentiam excutiant, formatur inde Cholera morbus, febre neque per pulsum, Urinam vel Temperiem se manifestante. Ventriculo interea, aut Intestinis, aut utrisque simul ab acrimonia Humorum intensissimè venenata Sphacelatis, Æger brevi Fatis

cedere cogitur, aut saltem post Inducias infidas datas, à veneno, proximo Paroxysmo recrudescente, Symptomata eadem crudelia & funesta revirescunt, nisi à tempestiva Antidoti febrifugæ exhibitione antevertantur.

A parili gradu Veneni non raro observavi Ægros præsertim antiqua & confirmata hujusmodi febre lacessitos, denuo (typo febris legitimæ amisso, perpetua Nausea, Ægritudine, Vomitione, Sudore colliquativo, Suffocationibus Hystericis, cæterisque id genus Symptomatis in Genere Nervoso penè Confectos, atque Animam quam derepente efflaturos; quos debita Dosi Corticis (nulla alia arte sanabiles) illico restitui.

Unicuique etiam in Medicina versato notum est horrendos Dolores (& iis qui à Toxico propinato proveniunt non minores) Lumbos & Crura spasmodicè lancinantes, non raro primos insultus febrium Intermittentium legitimarum, præsertim Quartanarum comitari solere, durante Algore & Rigore, donec Spiritus multo nisu expansi, ac agitati pares sint Veneno activo eliminando. Flamma autem inde accensa, Spasmi dolorifici sensim cessant: Verùm ubi Spiritus vi veneni non tantùm deprimantur, sed etiam in statum Explosivum universim adigantur, nonnunquam deprehendi totum Corporis Systema inde perpetuo algens, idque diù, ac sine ulla febris nota; totam autem Machinam interea spasmis universalibus, iisque horrendis, & versatilibus hinc inde vellicatam & lancinatam. Nec mirum est, si Æger perpetua Ægritudine, Vomitione, atque deliquiis inde confectus (ut fieri solet) brevi Mortem oppetat, nisi Ars tempestivè Naturæ languenti succurrat.

Haud raro etiam Spiritus à nativa sua debilitate, vel obstructione, atque præsertim à Frigore percepto, vel alia quavis causa evidenti ansam præbente, in statum Explosivum adiguntur, unde partes aliquæ singulares, præsertim Thoracicæ, Pulmones, scil. Pleura, Diaphragma, aut Ventriculus ac Intestina vellicantur, & Spasmis lancinantur. Æger, præ atroci dolore, perpetuo alget, atque Deliquiis frequentibus, Suffocationibus, & Vomitionibus fatigatur, sine aliqua nota febris evidenti; Urinam claram reddit, & sine Pulsu Moribundus jacet, quousque Spiritus veneno icti Arte vel Natura expansi flammam in Massa denuo excitarint: Morbus autem à Cholera morbo, Pleuritide, seu Peripneumonia, duntaxat ex Tussis, & Pulsus defectu, Vomitionis & Doloris excessu, Deliquiis, & extremorum Frigiditate dignoscendus est.

Sæpe etiam Ægros de dolore lateris unius aut alterius punctorio conquerentes novi, in quibus tamen Febris κελτίγμα deprehendere non potui per plures dies, nisi quòd Pulsus paulò justo celerior erat, Postquam autem Venæsectione, & usu Laudani cum Alexipharmacis commixti, isti Spasmi mitigabantur, atque inde vis Spirituum Elastica nativa aucta fuit, signa flammæ in Massa accensæ, quàm citissimè sese prodiderunt; Urina tincta est & turbata. Pulsui fortitudo ac celeritas pari passu accessit, Temperies universim incaluit, sitis clamosa evasit, Aphthæ linguam atque Os cooperuerunt. At, ad Flammæ, & doloris exacerbationem statis periodis recurrentem semper, quasi ad Cynosuram, auspicatò cursum meum dirigens; Copia Corticis Peruviani cum Laudano commixti, intervallis Paroxysmorum exhibiti, Venenum subegi, & Ægrotantes à febri ac dolore penitus liberavi.

Præter cætera omnia Mihi pluries mirari contingit, post subactionem Veneni febrilis ab expansione Spirituum quadantenùs effectam, cùm ex Pulsu forti ac celeri, Urina intensè rubra, ac turbata, Temperie calida, cæterisque Indiciis, febris sese palàm ostendat; Artus hisce Doloribus spasmodicis, statis periodis recurrentibus, & more Rheumatismi versatilibus esse affectos, cum Tumore & Ardore partium laborantium, à nisu Spirituum in his partibus sese expandere satagentium. At hosce Dolores adhibita Venæsectione debita, usu Corticis Peruviani copioso extra Paroxysmum ministrato feliciter semper profligavi.

Denique Cerebrum, primo insultu Febris legitimæ affici, non tantum Vertigine, à Spiritibus veneno Activo oppressis ac turbatis verùm etiam Dolore Acuto vel Gravativo, à nisu spirituum in membranis sese expandere satagentium, cuivis Medico notum est. Nonnunquam autem Spiritus hoc tempore febris adeò opprimuntur & turbantur, ut Ægrotans, more Apoplecticorum, durante toto Paroxysmo, sine febris indiciis, Mortuo similis jaceat, & eadem Symptomata simul cum Paroxysmo subsequenti sæpe recrudescant: Quibus Symptomatis utut Venæsectione, Vesicatoriis, cæterisque ejusmodi Apoplexiæ veræ Remediis, jure merito succurrendum sit, Revirescentia tamen eorum sine Cortice præcaveri nequit.

Hemicraniam Periodicam etiam observavi, à nisu Spirituum in membranis Cerebri sese expandere conantium, quam spatio bidui, Venæsectione & usu Corticis penitus sustuli; licet in hujus Symptomatis Curatione, Venæsectio, Vesicatoria, Emetica, Cathartica, Errhina; Masticatoria ad hebdomadas aliquot spem meam deceperant.

Quò genius Versatilis morbi hujus Proteiformis ad vivum depictus dignoscatur, & ut inde sciatur, quo pacto Naturæ hisce Symptomatis laboranti, tempestivè succurri possit, Historias huc spectantes hic subnectam, quibus unam Historiam admodùm raram subjicere non pigebit Febris à dolore Nephritico ortæ, Symptomatis horrendis spasmodicis stipatæ, & Cortice curatæ; uti & efficaciæ nostri Febrifugi priùs memorati, ubi vires Corticis, ob diutinam assuefactionem, vel peculiarem Ægri dispositionem, defecerant.

Historia I.

Dominus Amblar habitans in Mile-End, Vir quinquagenarius, macilentus & quadantenùs valetudinarius, febri Intermittenti contumaci, ac cum vehementibus Symptomatis sociatæ, ex levissimâ quâcunque occasione sæpe antehac obnoxius, Anno 1690. à Frigore vehementi in Aëre pluvioso primùm suscepto, ac à vectione super Thamisin diutius protracta, domum reversus Rigore & Horrore immani derepente corripiebatur; quibus successit Algor uni-

universalis, quo durante, Pulsus vibratio vix percipi potuit: Vomitione, Dejectionibus, & horrenda ventriculi Oppressione, & Ægritudine (sicut in Cholera morbo) affatim lacessebatur. Pharmacopola advocatus stragulis multis impositis, ac Bolis Cardiacis atque Julapiis cordialibus exhibitis, Flammam pene extinctam resuscitare, atque reliqua dira Symptomata corrigere tota Nocte incassùm tentavit. Mane enim sequenti Ego accersitus, inveni faciem planè Hippocraticam, totum corpus instar Glebæ frigidum & madore perfusum, Cutim, præ Sanguinis Congelatione, nigredine tinctam, vires perpetua ægritudine, ac evacuatione Bilis diversicoloris per Os, & Cremoris fœtidi albescentis per Anum pene exhaustas. Appropinquantem Mortem omnia ostendebant, quippe Principium vitale, seu Spiritus animales à Veneno adeò deprimebantur, ut sese iterum expansuros spes non esset. Ad demulcendam autem malignam humorum Acrimoniam è Glandulosa Ventriculi & Intestinorum membrana perpetim excretorum, eàque lacessentium; jussi, ut Aqua Pulli Ægro copiosè propinaretur, & per Anum siphone injiceretur; ut regio ventriculi assatim Sacculis nostris Aromaticis calide foveretur, & Bolus summè Cardiacus, &, pro Ægri viribus, Opiatus, ad Expansionem Spirituum promovendam, & colliquationem humorum præcipitem compescendam, quarta quaque hora, cum haustu Julapii Cardiaci & Alexipharmaci exhiberetur. A tertio vel quarto Bolo deglutito, Pulsus robur plurimùm restitutum sensi, nigredinem cutis evanescentem, Calòrem in Extremis partibus redintegratum, Evacuationes enormes quadantenus suppressas, Sudores Colliquativos diminutos, jactationem minùs inquietam, & Somnos, breves licet, tamen minore ægrotatione finitos. Quocirca Venenum, durante hac Symptomatum Remissione, Cortice Peruviano cum Laudano commixto, quartâ quâque horâ in forma Haustûs propinato aggredior, probè sciens vires Ægri secundo Prælio non esse pares. Verùm ante tertiam Dosin Corticis; Veneno inexpectatò recrudescente, Paroxysmus recens, cum prioribus Symptomatis diris sociatus, atque funestus invasit: Unde misellus Æger spatio 24. horarum fatis cessit.

Historia II.

Filius unicus Mercatoris prædivitis, 10. Annos natus qui etiam jamdiu valetudinarius fuerat, circiter Annum 1676. Febre Tertiana correptus, in manus Pharmacopolæ per tres hebdomadas curandus tradebatur. At quâ methodo, durante hoc spatio, tractabatur, nescio; Tandem a Veneno febrili intenso Spiritus Animales opprimebantur, & extinguebantur, & Misellus Puer, per triduum ab insultu Paroxysmi ultimi, continua ægrotatione, ac Vomitione pressus jacebat; cum Pulsu formicante, inquietus, insomnis, immensè sitiens, & Madore frigido undiquaque perfusus. Die secundo Paroxysmi Ego advocatus, virulentiam humorum per glandulas ventriculi excretorum copiosâ ingestione Aquæ Pulli demulcere sategi, stragulis etiam, Calore externo, Sacculis Aromaticis Vino Clareto incoctis & expressis, & ad ventriculum exteriùs applicatis; nec non Spiritu CC. Julapiis, Speciebus & Bolis Cardiacis, & Vino copiose propinato, Expansionem Spirituum promovere, & Flammam vitalem penè extinctam resuscitare pro virili conabar, Incassum autem omnia; quippe Spiritus Veneno summè Deleterio, à primo Paroxysmi insultu, planè extincti fuerunt. Puer autem languens & Algens, tandem sub finem tertii diei Lipothymicè obiit, Toxico prægrandi proculdubio interemptus.

Historia III.

Nuperrimè accersitus à Domina Baker Vetula, habitante in vico dicto *Fleet-street*, eam inveni continua ægritudine & vomitione, à quatriduo, oppressam, & jam penè confectam; omnia ingesta illicò rejicientem, & inde animi Deliquium sæpiùs perpessam; Pulsum deprehendi celerem & debilem, Temperiem autem præ Languore & perpetua ægritudine, mitem, & quadantenùs frigidam: Urinam ferè sanam. Insomnis jacebat, & tantùm non delirabat; De Nausea verò & vomitione unicè conquerebatur; Mihi de singulis diligenter percontanti narratum est, Fœminam à sex hebdomadis præteritis valetudinariam fuisse, frigore & calore præternaturali sese excipientibus tentatam, nec non periodis incertis, Nausea & Vomitione frequenter laborasse. Unde, juremerito, conjeci eam Veneno febrili mitiori diu infectam fuisse, quod tandem, ex incuria, eoùsque prævalebat, ut Spiritus Animalis, inde pene extingueretur, Ægra, ac si Toxico propinato, Vomitione perpetua laboraret, & brevi fatis cessura, esset nisi veneni viribus, ope Antidoti, sine mora fractis, Tonus Spirituum & Crasis sanguinis illicò restitueretur. Igitur postquam præscripseram Bolum & Julapium Cardiacum, atque Vesicatoria ad Expansionem Spirituum promovendam, & pro potu ordinario, Aquam Pulli ad demulcendam Acrimoniam humorum in ventriculo excretorum, Julapium Sale Absinthii & succo Limonum saturatum, ad ventriculum confortandum cochleatim hauriendum; Jussi ut Cortex Peruvianus exhiberetur copiosè ad venenum febrile subigendum, in formam Haustuum & Tincturæ redactus, addendo bis vel ter die gut. 10. vel 12. Laudani liquid. Vehementis vomitionis gratia, quæ tàm alimentorum quàm Medicamentorum retentionem impediebat: Inde spatio unius diei, Ægritudine & vomitione diminutis, criticè succreverunt Aphthæ albæ per totum Os, Urina multa Rubedine tincta & contentis saturata reddebatur, & cætera indicia Expansionis Spirituum & Febrilis Caloris redintegrata aderant, &, brevi, Morbus Propriam Formam Tertianæ legitimæ induebat; Frigus, Calor & Sudores sese alternatim excipiebant, quæ ex continuato usu Corticis post circuitum duorum Paroxysmorum profligata sunt, & Ægra ab omni Symptomatum satellitio liberata.

Historia IV.

Domina Harcourt Vidua, habitans in vico dicto *Nevvgate-street*, postquam per tres hebdomadas Febre Intermittente legitima laborasset, ubi tandem, ob malum regimen, Febris in continuam degenerasset; Natu-

Naturâ virulentiam per glandulas Intestinorum & ventriculi protrudere satagente, singulis Exacerbationibus, in novum morbum incidisse videbatur, Diarrhœam scil. torminosam ac truculentam, cui adjuncta erat insuper levis ad Vomendum dispositio. Frigore, Calore, cæterisque febris signis planè evanescentibus, misera Muliercula unice conquerebatur de Fluxu Alvi immodico atque horrendis Torminibus, quibus, durante Paroxysmo, adeò excruciata & confecta erat, ut illico moritura sibi videretur. Ex inspectione autem Urinæ intensè rubræ ac turbatæ (qualis Febre Intermittenti Laborantium Urina esse solet) atque observatione Exacerbationum hujus Fluxus, & Alvi Torminum, probè novi molesta hæc symptomata à Venenato Fomite febris Intermittentis ortum suum habuisse. Proindeque suppressionem dirorum horum Symptomatum Laudano, cæterisque ejusmodi frustra tentandam duxi, nisi Fermentum, horum omnium Symptomatum causa, propriâ Antidoto priùs subigeretur; &, quamprimùm Natura, à recenti veneni vigore, irritata, virulentam materiam, more suô per alvum deturbare iterum satagerit, Symptomata priora, disruptis ubique repagulis, recursura; aut, si fortè ab Opiatis sisterentur, pejora, atque magis funesta, in genere nervoso, in eorum locum successura. Quocircà, quamprimùm Aquâ Pulli, & Decocto Albo in locum potûs ordinarii substitutis, atque Bolo Opiato Symptomata præsentia compescueram, atque, finita exacerbatione, inducias obtinueram, illicò Corticem Peruvianum absque vel cum Laudano, prout Symptomata id requirebant, confertim ingerendum curavi, unde non tantùm à Diarrhœa, & Torminibus periodicis, verùm etiam à latitante febre prorsus liberabatur, Urina etiam in sanum colorem restituebatur, atque appetitus rediit. Indeque Ægram, absque alio aliquo præscripto, dimisi, solummodò ab prophylaxin, Corticis post debita intervalla, repetitionem suasi, quandoquidem Morbus cum diris suis Symptomatis Cortice solo profligatus esset. Hoc Consilio à muliere jam valetudine integrâ utente spreto, quasi officioso & supervacaneo; Totum Genus Nervosum, post duas hebdomadas elapsas, virulentiâ recrudescente, Universali dolore spasmodico versatili, mirum in modum excruciabatur, & tandem Morbus prior revirescens, Speciem Ophthalmiæ dolorificæ, seu Inflammationis Oculi sinistri induebat. Ego advocatus, ubi observâssem Urinam denuò reddi intensè rubram ac turbatam ut priùs, sitim urgentem, Pulsum celerem & fortem, atque ipsam Opthalmiam alternis diebus, statis Periodis, exacerbatam, & reliqua indicia febris primariæ; ritè conjeci Naturam à Fomite venenato iterùm lacessitam, nova hæc Symptomata Proteiformia produxisse. Indeque, licet, ad relevationem Symptomatum urgentium, sanguinem è Vena Jugulari extrahi. Alvum bis, terve diebus alternis, Decocto Amaro, Decocto Sennæ Gereonis ac Manna, atque tandem Decocto Sennæ cum Syrupo de Spinâ Cerv. Subduci, atque Collyrium anodynum Fotum, ac Cataplasma ad Oculum exteriùs applicari jusseram; diebus tamen intermediis, Electuarium è pulvere Corticis Peruv. Confectum, exhibendum præscripsi; Probe sciens hoc Symptoma Medicamentis frustra impugnari, si Causa ejusdem virulenta propriâ Antidoto non subacta fuisset. Atque, hac methodo, à febre, æque ac Ophthalmia, brevi, liberata revalescebat, atque hactenus optima valetudine utitur.

Historia V.

Domina *Hudson* vidua, circa Annum Ætatis suæ tricesimum, à mutatione Aëris, ac frigore inde suscepto, Diarrhœa torminosa, & Vomitione adeò atroci corripiebatur, ut in ἀκμῇ Paroxysmi, præ vehementia Spasmorum ventriculi ac Intestinorum, animi Deliquium fere semper instare videretur. Ego, durante vigore Paroxysmi quinti, mediâ nocte, accersitus, Symptomata urgentia facillime sustuli, Præscripsi enim Aquam Pulli, & Decoctum Album pro potu ordinario, & gut. 14. Laudani liquid. in haustu Julapii Hysterici, quarta quaque hora exhibendas. At post horas 24. recens lucta instituta est, quo tempore, non obstante regimine præfato, ac usu Laudani repetito, symptomata cum priori sævitia recrudescebant; Quod cùm semel aut bis observassem, Urina interea intensè Tincta, atque Aëri frigido exposita sedimentum Colore lateritio deponente; jure merito suspicatus sum (utut cætera omnia signa febris Intermittentis Diagnostica hoc symptomate obscurata disparebant) cruciantem hanc Diarrhœam à veneno febrili prodiisse, quod, singulis paroxysmis, ad Intestina protrusum, recrudescentiæ dirorum horum symptomatum ansam præbebat. Indeque utut Laudano symptomata cederent, revirescentia eorundem, sine subactione Fermenti febrilis, præcaveri non potuit. Quocircà (annuente Cl. Collegâ D. D. Daniele Cox, qui unà mecum Ægræ saluti consulebat) Drachma una pulveris Chin. Chin. cum guttis 12. Laudani liquid. in Paroxysmorum intervallis, in formam Haustus redacta quarta quaque hora propinabatur, unde (quamprimùm ʒvi. vel ℥j. consumpta est) febre, ac Symptomatis inde ortis jam evictis, Ægra illicò prorsùs revalescebat, Urina ac appetitu in statum integrum restitutis. Nobis autem nihil amplius agendum restabat, nisi ut, revirescentiam Morbi anteverteremus.

Historia VI.

Uxor Domini Peck, habitantis sub Insigni Leporis, in vico dicto *Russel-street* in *Covent-Garden*, Anno 1688. Hectico calore alternis diebus aucto, Tussi importuna, Dyspnæâ; ante omnia Nauseâ & vomitione, præsertim verò Diarrhæâ torminosâ correpta, plurimùm inde emaciata & viribus spoliata, alium Medicum (Me absente) accersivit. Qui, symptomata suborta, causa eorum posthabita, aut saltem non probè perspecta, spatio hebdomadæ, variis Remediis incassum impugnavit. Mihi tandem vocato, Fœmina in ultimo Stadio Phthiseos Acutissimæ versari videbatur, donec ex Historia Morbi clarè admodum deprehendi, Fermentum febrile, Fomiti Intermittentium non dissimile ansam præbuisse huic symptomatum catervæ, in pulmonibus, ventriculo, & Intesti-

Intestinis subortorum. Indeque utut Venæsectione, Linctu & Apozemate Pectorali Pulmonibus plurimum infarctis succurrere, atque Opiatis & Adstringentibus fluxum alvi colliquativum compescere sategerim; Probe tamen sciens cardinem curationis in hoc verti, ut usu Corticis Peruv. Fermentum febrile Venenatum subigeretur; (Colliquationem enim Humorum, eorumque excretione in Pulmones, Ventriculum atque Intestina hoc modo impedita, Tussis, Dyspnæa, & Diarrhœa torminosa non amplius duraret) Unciam unam, vel alteram Polychrestæ hujus antidoti cum Laudano ob præsentem Diarrhœam commixtæ, spatio tridui, partitis vicibus, ministrandam jussi, forma Ægræ gratissima. Quo facto, illicò à febre, Diarrhœa, & quadantenùs ab affectionibus Pulmonaribus liberata (appetitu etiam, ac Urina integrè restitutis) multò meliùs sese habuit, quocirca Eam in Aërem rusticanum dimisi, ut Pulmones ab infarctu penitùs liberarentur, atque ibi, usu Corticis, post debita Intervalla, ex meo Consilio bis terve repetito, prorsùs revalescebat.

Anno 1690. eadem impraegnata, ferè toto Ingravidationis tempore Diarrhœæ torminosæ, incertis periodis recurrenti obnoxia erat, unde, mense puerperium præcedente, adeò excruciabatur, ut Operam meam iterum petere coacta sit. Ubi Opiatis & Adstringentibus hunc Fluxum sistere incassum tentassem, qui postea, tempore puerperii, auctus, solitam ac debitam perspirationem penitùs impedivit, unde magnum aliquod incommodum subsecuturum, jure merito, suspicari fas erat, tandem memor Historiæ priùs narratæ, auspicatò judicavi, Diarrhœam hanc torminosam, utut Chronicam, à Fermento Febrili Venenato delitescente subortam fuisse: Indeque Corticis ʒj. cum Diascordio commixtam, forma Pilulari, quam Ægra elegerat, exhibendam, & quarta quaque hora repetendam jussi. Unde, sine cujusquque alterius Remedii ope, spatio bidui, [illegible]lore & Perspiratione solitis redeuntibus, à Diarrhœa & Torminibus planè liberabatur; Nihilominùs (quod apprimè notatu dignum est,) Fermento Venenato post unam vel alteram hebdomadam elapsam iterùm recrudescente, duos vel tres Paroxysmos febris intermittentis Legitimæ, Tertianæ, cum nulla Diarrhœa vel Torminibus sociatæ, successivè passa est: At febrem repetito Corticis usu facillimè penitùs evici.

Historia VII.

Dominus *Atwood*, habitans sub Insigni Lunæ dimidiatæ, in vico dicto Cheapside, Vir sexagenarius, postquam ad tres vel quatuor dies, statis periodis, jam febricitaret, jam meliùs se haberet, tandem, quasi in instanti, diris Ventriculi ac Intestinorum Spasmis, Vomitionibus & Dejectionibus immanibus Choleram morbum referentibus correptus, & penè confectus, in hoc mortis procinctu stans opem meam efflagitavit. In levamen symptomatum illicò imperavi (quod mihi in Cholera Morbo solenne est) Aquam Pulli copiose uniceque bibendam; atque etiam ad humores per glandulas Intestinorum excretos demulcendos, Enema ex eodem liquore extemplò injiciendum: Tandem, regione ventriculi Sacculis aromaticis, in Vino Clareto & aqua ferrata coctis & expressis, prius calide fota; Ad spasmos prorsus sublevandos, guttas 12. 14. 15. Laudani liquidi in Haustulo Julapii Carminativi, singulis vel alternis horis exhibendas, donec, torminibus & evacuationibus diminutis, placidè obdormiscere cœperit. Hoc pacto, Paroxysmo soluto, evictisque symptomatis inde ortis, Vita Ægri in vado esse visa est. Quandoquidem autem ex Urina sedimentum colore lateritio præcipitante, aliisque indiciis probè noverim dira hæc symptomata sobolem esse Venenati febrium intermittentium fomitis; Indeque eorum revirescentiam die secundo vel tertio ritè expectandam esse; Præservationis gratia, præscripsi haustum febrifugum cum ʒj. Cortic. & Laudan. liquid. gut. 10. tertiâ vel quartâ quâque horâ propinandum, ad fermenmentum febrile subigendum, & recrudescentiam dirorum symptomatum antevertendam. Die sequenti autem, antequam Dosis Pulveris satis larga ingeri potuit, derepentè, absque evidenti occasione quâcunque, Paroxysmus Febris Tertianæ Intermittentis legitimus repullulabat, non autem diris symptomatis, ut ante, sociatus; quandoquidem ab usu Antidoti, licet hactenus nimis parce ministratæ, vires Venenati fermenti quadantenùs fractæ fuerant. Ex continuato verò usu Haustuum, sub finem Paroxysmi repetitorum, absque aliquo alio additamento, planè revalescebat Æger, Urina atque appetitu in statum pristinum restitutis, atque huc usque post plurimos Annos superstes manet, optimâ valetudine utens, inde præsertim (ut arbitror) quia Mandatis nostris morem gerens, post febrem, & Choleram Morbum fugatas, usum Corticis, bis terve, post stata ac debita intervalla, Prophylaxeos gratiâ repetebat.

Historia VIII.

Domina *Arris*, postquam diversitata fuisset in Aere rusticano, ubi tunc temporis Febris Intermittens Endemia grassabatur, Londinum reversa, cholera Morbo derepentè corripiebatur acutissima, adeò ut e lecto suscitatus primo mane, festinanterque accersitus sim ad eam invisendam: Etenim præ vehementia Spasmorum, & Evacuationum suprà & infrà, vita Ægrotantis in summum periculum adducta videbatur. Extrema quippe algebant, Pulsus deficiebat, & inordinatus evaserat, Patiensque Ægritudine immensa, ad deliquium usque, penè confecta erat. A quibus symptomatis eam brevi restitui, Methodo in priori Historia descripta. Paroxysmo autem finito, ubi Urinam intensè rubram, ac lateritio colore, inspexissem; Haustus Febrifugos cum Laudano, Prophylaxeos gratia, propinandos jussi; quos, cùm sese bene habere jam sensit, planè neglexit, quasi Officiosè, atque absque necessitate præscriptos. Hujus autem negligentiæ die sequente pœnas luebat, recrudescente Paroxysmo Febrili, cum diris choleræ Morbi symptomatis ut ante sociato. A quibus symptomatis ubi sese liberasset ante præscripta Methodo; Ipsa ultrò à me petebat Haustus febrifugos Prophylacticos, quos illa jam æque diligenter deglutiebat, ac Ego luben-

lubenter præscripseram. Atque, hoc pacto, à febre ac diris hisce Symptomatis liberata, protinùs revalescebat, & usu Pulveris, post debita intervalla, bis terve repetito, hactenus à v. vel 6. Annis Sana manet.

Historia IX.

Ante tres menses accersitus eram ad invisendum Puerum tres Annos natum, ad Insigne Regii Capitis in Fetter-Lane. Inveni eum immensè sitientem, hebetem ac attonitum: Aderat extremorum frigiditas, & Pueri salus à parentibus desperabatur. Quippe per horas 12. Cholerâ Morbo acutissimâ penè confectus erat. Ubi eum ab imminente à symptomatis periculo, Methodo præfatâ, spatio unius diei liberassem, ex Urinâ lateritiâ de fermento febrili delitescente certior factus, pulveris febrifugi ℈j. cum gut. v. Laudani liqu. in cochleari Julapii Cordialis, quartâ quaque horâ exhibendum jussi. Post tres Drachmas hujus Antidoti ministratas, virulentiâ febrili subacta, vegetus ac sanus puer evadebat; Appetitu ac Urinâ (stupentibus omnibus Amicis) spatio tridui integrè restitutis.

Historia X.

Domina Fendall, Matrona generosa sanè ac formosa, Mense Septembri Anno Dom. 1672. & Ætatis suæ quadragesimo, febre Quartanâ correpta, curæ Pharmacopolæ sese committebat. Medicamentis autem nescio quibus, jussu ejus, perperam tractata, & in statum deploratum inde redacta, mediâ Brumâ, ubi ab unâ vel altera hebdomada lecto perpetuò, præ languore affixa esset, quasi animam illicò efflatura, me accersebat. Deprehendi pulsum ejus debilem ac celerem, Ægritudinem ventriculi immensam, ac perpetuam, Lipothymias frequentes, Vigilias pertinaces, Nauseam ac vomitum indennentes, sudores multos & Colliquativos, Sitim inextinguibilem, sputationem magnam, continuam Jactationem ac inquietudinem, Appetitum summè prostratum, Suffocationes Hystericas, cæterasque ejusmodi affectiones in genere Nervoso; hæcque omnia symptomata, noctu dieque, sine quâvis Remissione, perpetuò urgentia. Unde Ægra indies sese ultimum diem oppetituram rata, recidivationem febris primigeniæ obnixè optabat, modò, eâ lege, ab hisce miseriis variis ac perpetuis liberaretur. Ubi applicatione Emplastri Hysterici & largâ quantitate Julapii Cordialis, & Cephalicorum, viribus prostratis, & suffocationibus succurrere incassum tentâram, nec Opiata somnum conciliare poterant, nisi quem semper Ægritudo immensa excipiebat, firmiter statuebam Catharticis lenioribus Morbum hunc in pristinam suam formam restitui debere. Quocirca, Potionem Amaram cum ℥ß. Sennæ duntaxat, ob debilitatem virium, & lubricitatem alvi solitam, propinandam, atque per tres dies continuos repetendam jussi. Dejectiones inde, habuit singulis diebus 8. 10. 12. Unde, quamvis debilior quadantenus evaserat, hoc tamen commodi (prout vota feceramus) reportavit, quòd remissiones & ferè intermissiones symptomatum urgentium inde perceperit, & Morbus pristinum typum resumpserit: In singulis enim paroxysmis Horror, Ardor, & Sudores copiosi sese invicem iterum excipiebant. Quo observato, à purgatione ulteriori prorsùs abstinui, atque pilulas è Cortice peruviano exhibendas quartâ quâque horâ præscripsi. Spatio bidui, cùm primùm pulveris febrifugi ℥ß. (qui tunc temporis vegetus ubique venalis prostabat) devorâsset, à febre atque satellitio dirorum symptomatum eam comitantium liberabatur, atque hucusque in vivis est, optimâ valetudine utens, utut recidivationi simplicis febris Intermittentis, ex levi quâcunque occasione, sæpiùs obnoxia fuerit.

Historia XI.

Domina Thompson circiter Annos 34. nata, vicina Dominæ Fendall, ubi ad tres Menses febre Quartanâ, non obstante Pharmacopolâ, qui ei Medicinam faciebat, laborasset, ac jam symptomatis, fere iisdem quibus nuper Domina Fendall, confecta esset, adeò ut vix sese in lecto ab una ad alteram partem movere posset sine deliquio, Cùm Vicinam suam subitò ac inopinato restitutam esse fama accepisset, me etiam accersivit. Ego Hanc etiam, Methodo, in Historia præcedente descripta, brevi restitui: verùm ob pertinaciam morbi, pulverem febrifugum ad ℥iß. in variis formis, exhibere coactus sum. Inde verò, absque additamento cujuscunque alterius Medicamenti, præter spem omnium Amicorum, qui eam pro deplorata habuerant, planè convaluit, à variis atque horrendis symptomatis liberata.

Historia XII.

Anno 1682. invisi Juvenem habitantem in vico dicto Covv-Cross, quem à frigore suscepto inveni derepentè Dolore universali acutissimo, Rheumatismum spasmodicum referente correptum, quo jam ad horas 12. ad minimum, excruciatus fuerat; adeò ut præ Doloris vehementia & diuturnitate, sine viribus, & anhelus jaceret, ac si illicò animam efflaturus. Urinam autem (uti spasmodicè affecti ubique solent) reddebat tenuem, claram & copiosam, pulsus erat admodum debilis & celer. Dirum hoc symptoma illicò, pro virili, sublevare sategi, efferatum Spirituum motum primùm Venæsectione (quam in brachio statim celebrandam jussi) compescendo, dein leni vomitorio (quippe vires Emeticorum egregias in Rheumatismo universali debellando jam sæpiùs expertus fueram) & denuò, gut. 15. Laudani liqu. Helmont. quarta quaque hora exhibitis, in Haustulo Julapii Cordialis, quousque doloris perseverantia id indicaret. Hoc pacto, nisu spasmodico, seu efferato Spirituum Orgasmo jam diminuto, manè proximo ex pulsu in fortem & celerem mutato, atque Urina contentis saturata, & rubedine profundè tincta, atque ejusdem cum aëri exponeretur, colore lateritio, æquè ac ex præsenti Ægri Temperie, febrem manifestò deprehendi. Paroxysmo autem, more solito, subsequentibus copiosi sudoribus, finito, subsequentibus copiosis sudoribus finito, ut reliquias febrilis effervescentiæ tollerem, atque symptomatum dirorum recrudescentiam præcaverem, Venenati fomitis subactionem

actionem larga quantitate Corticis cum Laudano commixti festinanter & cum successu moliebar. Æger morigerus spatio 36. horarum inde planè in statum ἀπυρεξίας redactus, ex Orci faucibus evasit; Urina simul & Appetitu jam integrè restitutis, adeò ut, brevi, muniis solitis, cum firma valetudine, fungi potuerit. Utut Corticem prophylaxeos gratia non repetens, post 10. dies elapsos negligentiæ pœnas luebat, uno vel altero Febris Tertianæ legitimæ paroxysmo, tunc temporis reviresCente, non autem cum diris symptomatis ut priùs sociato. A qua febre etiam, repetito usu Chinæ-Chinæ, statim liberabatur, & hucusque (quantum scio) optima valetudine utitur.

Historia XIII.

Dominicus Ernly Juvenis, servus Domini *Wood* habitantis sub insigni Leporis in vico dicto *Pater-Noster-Rovv*, post ingurgitationem nimiam Vini clareti, cùm primùm die sequenti Mensis scil. *August.*3. 1690. pransus esset, Horrore, Rigore, atque frigore intensissimo corripiebatur, unà cùm dolore horrendo regionem Diaphragmatis occupante, unde Algens, Anhelus, & Imbecillitate ac Languore confectus, ad plures horas, quasi jamjam moriturus, jacebat, Arteriis interim, sensu judice, vix sese vibrantibus. Ego advocatus statim deprehendi Spiritus à Venenato fermento febrili non tantùm irritatos esse, verùm etiam plurimùm oppressos; atque eò magis, quia Ventriculum, cùm fermentum stomachicum activo veneno labefactatum cibo macerando haud par fuit, recens saginaverat. Ideoque, ut Ventriculus à molestâ farcinâ quam citissime liberaretur, jussi, Salis Vitrioli ℈ i ß. cum Oxymel. Scillitic. ℥ i ß. commiscendam, atque mixturam illicò cochleatim exhibendam; liquore possetico inter singulas doses calidè & copiosè ingesto. Æger, finitâ Vomitione, in lecto decumbens, & multis stragulis coopertus cochlearia 4. vel 5. Julapii sequentis cordialis sæpiùs ad libitum sumpsit, donec ab expansione spirituum inde restitutâ, flamma in massa sanguinis accendi incœpit; Deinde jussi ut, ad spasmorum solutionem promovendam, ℥ viii. Sanguinis è brachio mitteret, Bolum ex Theriacâ Andromach. & Pulv. è Chelis Cancr. Comp. ana ʒß. confectum, ad spiritus refocillandos; Spasmos ulteriores compescendos, & sudores ciendos devoraret; superbibendo Haustulum Julapii cordialis sequentis.

℞. Aqu. Meliss. Ceras. nig. ana ℥ iv. Aqu. Pœon. Comp. Epidem. Syrup. Caryoph. ana ℥ i ß. M. F. Julap. Die proxima sc. Aug. 4. ubi observassem Alvum esse adstrictam, atque Pulsum à remissione Febris quadantenùs debilem (utut Æger à Spasmis immunis esset) ne ex nimia Spirituum depressione febris in malignam mutaretur; post rejectionem Enematis è Decoct. Emollient. ℥x. Mell. Mercur. & Sacchar. rubr. ana ℥ij. & Spec. Hier. Picr. ℈ij. confecti, jussi illicò ʒß. Pulveris è Chel. Cancr. Comp. è cochleari Julapii exhibendam, & sextâ quâque hora repetendam; Tria etiam ampla & acria Vesicatoria ad Nucham scil. & Carpos internos supra Pulsus applicanda, & Bolum Theriacalem, horâ somni ministrandum. *August.* 5 Ægrum fere ἀπυρετὸν inveni, atque omnia (ut Mihi videbatur) in vado. Indeque duntaxat jussi repetionem Julapii cordialis; & Enematis quintâ Pomerid. (si Alvus adstricta id requireret) injiciendi, & Boli Theriacalis, horâ somni exhibendi, & ut ℥ iv. Decoct. Amar. Purgant. crastino manè in promptu essent, quo Alvus (si ita visum esset) leniter subduceretur. Mediâ autem nocte, inexpectatò, spasmis adeò horrendis iterùm corripiebatur, ut pluries deliquia inde perpessus sit, atque ad sex horas, ad minimum, Algens, & Anhelus, velut illicò exspiraturus jacebat: A quo discrimine Ægrum haud absque Laudano liberare potui, quod inde manu liberali, repetitisque vicibus ministrandum jussi. Spasmis autem hoc modo solutis, spiritus iterùm sese expandere incipiebant, & flamma in Massâ flagrare: Quocirca ℥ viii. sangu. iterùm detraxi, &, ne spiritus inde labefactati derepente corruerent, Bolum Theriacalem statim à Venæsectione deglutiendum jussi, ut & Empl. Hystericum, Galbano in Margine obductum circa Umbilicum applicandum, & duas Pilulas ex Ammoniac. Galbano, Assa Fœtidâ, & Castoreo confectas tertia quaque hora exhibendas, unà cum cochl. 4. vel 5. Julap. sequentis, quandoquidem genus Nervosum, velut in Hystericis, multum pati videbatur.

℞. Aqu. Menth. Rut. ceras. nigr. ana ℥ iij. Aqu. Pœon. Bryon. comp. ana ℥ i ß. Tinctur. Castor. ℈ i ß. sp. sal. armon. ʒß. syr. Pœon. comp. ℥ i ß. M. F. Julap. Hisce autem non obstantibus, nocte sequenti recrudescebat paroxysmus cum spasmis Diaphragmatis & cæterarum partium Respirationi inservientium horrendis, & Deliquiis frequenter recurrentibus sociatus; Quæ symptomata non sine largo & repetito usu Laudani superare potuimus. Cùm hac tertia vice spasmos periodicè recurrere observassem, & ab inspectione Urinæ jam multùm tinctæ, & in colorem lateritium præcipitatæ; deprehendi Proteiforme Venenum à Fomite Intermittentium febrium non diversum, sub hac larva delitescens ansam hisce diris symptomatis præbuisse. Ad venenatum igitur hoc seminium penitùs eradicandum, Haustum sequentem febrifugum illico exhibendum jussi, & tertia quaque hora ad 12. vices repetendum, semper addendo Laudan. Londinens. gr. jß. haustui nocturno, ut, tempore paroxysmi, spasmi præpedirentur.

℞. Aqu. cardu. ℥ij. Pœon. comp. syrup. Caryoph. ana ʒ ij. Pulv. Cortic. Peruv. subtiliss. trit. ʒj. M. F. Haustus. His ministratis planè convaluit Æger, absque quocunque alio Medicamento, nisi quòd ℥j. Corticis semel atque iterùm, post justa intervalla, repetendam jusserim, partitis vicibus ministrandam, ut recrudescentia diri hujus morbi præcaveretur; atque sanè votis omnia faustè responderunt.

Eadem Æstate, *Fabrum Ferrarium* habitantem in vico dicto *Covv-Lane* prope *Smithfield*; Aliumque idem ministerium exercentem in Platea dicta *St. John's-street*, eodem fere modo, post *Crapulam* correptos conspexi, diù scil. Algentes, Anhelos, Imbecillitate virium ferè ad Lipothymiam usque confectos, adeò ut præ atroci & ineffabili dolore, regionem Diaphragmatis & Abdominis totius occupante, sese illicò

perituros crederent. At postquam præsentem Orgasmum Spirituum, atque Spasmos inde subortos Venæsectione priùs cohibuissem; Bolo Theriacali & Opiato, atque Vesicatoriis, justam Spirituum expansionem promovissem, dolor mitigatus est, Flamma (ut ex vibratione Arteriarum & Tincturâ Urinæ apparebat) in sanguine accendebatur, facillimè Haustibus nostris febrifugis Opiatis, quartâ quâque horâ per biduum repetitis, Febris cedebat, integrè & sine alterius Medicamenti auxilio, ambo sanabantur.

Nuperrimè etiam, scil. die instantis *Februarii* decimo sexto, post Meridiem, Pharmacopola diligentissimè me accersivit ad invisendum Collegam eximium *D. D. Grear*, qui postquam sese, horis matutinis, injuriis Aeris, post intensum frigus præcedens mox regelantis, incautè exposuisset, Spasmis adeò atrocibus & horrendis totam Pulmonum, & Diaphragmatis regionem occupantibus derepentè corripiebatur, uti inde anhelosum, & ad deliquium usque pressum, velut illicò animam efflaturum, sedentemque eum invenerim; Decumbere etenim nullatenùs potuerat: Extrema frigebant: Urina erat tenuis, & clara; Vibratio Arteriarum tarda & oppressa, atque per plura momenta nedùm explorando perceptibilis: Ferè per quadrantem horæ attonitus, stertore quasi Apoplectico afficiebatur. Accersito igitur Chirurgo, ℥xiv. Sang. illicò è Brachio detrahendas jussi; Pilulam item ex Ammoniaco, Galbano, Castoreo & Asâ Fœtidâ confectam unà cum haustu Julapii Cephalici Spir. Salis Armon. Tincturâ Castor. &c. saturati sæpiùs exhibendam. Atque Frontem, tempora, & extremos Artus Spir. Sal. Armon. imbutos, frictionibus asperis agitandos. Quamprimùm autem Spasmi, horum usu, ex parte sublevati fuerunt, quo decumbere potuerit, eum in lecto priùs calefacto positum stragulis operiendum imperavi; Unde sæviens dolor, post trihorium quadantenùs mitigari cœpit: Pulsus, oppressus licet, Ordinatior fuit: Vires aliquatenùs resarcitæ, Respiratio liberior. Indeque (annuentibus Erud. Collegis *D. D. Martin*, & *D. D. Havers* quos in hoc præcipiti casu accersendos duxeram) ad reliquias excruciantium spasmorum penitùs tollendas, post Enematis rejectionem (quod jam in promptu erat) Haustus Paregoricus cum ℥iij. Syrup. de Mecon. gutt. 14. Laud. liqu. & gr. v. Salis Volatil. C. C. illicò propinabatur: Quin & quartâ quâque horâ, ad orgasmum Spirituum nimium prorsùs compescendum, repetebatur: Ne spiritibus autem inde præter modum depressis & irretitis, Febris in Malignam fortè degeneraret, Vesicatorium insuper amplum & acre ad Nucham applicandum jussimus. Quid fit? Mane sequenti invenimus Cl. Virum, à Spasmis dolorificis, deliquiis juxta, ac anhelosâ respiratione liberatum, atque Sudore (uti in fine paroxysmi febrilis) undique perfusum: Pulsum verò citatiorem ac fortiorem: Et Urinam intensè rubram, & frigido aëri expositam colorem lateritium referentem: Unde ritè conjectantes, catervam hanc symptomatum dirorum, à febrili fermento delitescente profectam, atque brevi (si venenum Antidoto exhibitâ non maturè subactum fuerit) repullulaturam; Jussimus ʒj. Chinæ-Chinæ illicò formâ Haustus exhibendam, & quartâ quâque horâ repetendam, addendo Haustui nocturno Laud. Lond. gr. j. Die Morbi Tertio, Veneno recrudescente, spasmodico dolore in cruribus, ad modum Rheumatismi levioris, afficiebatur: Ex continuato autem Corticis usu, quarto die convaluit, à dolore penitùs liberatus: Quin exinde appetitus rediit, atque sanum planè colorem Urina induit. Post verò spatium Tridui elapsum, absque evidenti quâcunque causâ, recidivam passus est, Spasmis Thoracinis, licet non adeò truculentis ut priùs denuò correptus est. Urina primùm clarè & pallidè reddita, demùm verò intensa Rubedine Saturata: Nullo autem alio indicio febris præsentis ex Pulsu, vel siti, apparente; Ab hac Exacerbatione verò, spatio bidui, ex repetita Venæsectione, usu Laudani & Corticis restitutus, per quatuor dies iterùm convaluit; Tum demùm, ex Veneno recrudescente, levem quandam spasmorum revirescentiam iterùm in Pectore sensit, à qua, Venæsectione & Bolo ex Theriac. Androm. & Pulv. Goan. ana ʒß. & Laudan. Lond. gr. j. confecto ac exhibito; spatio unius noctis, Sudoribus undiquaque scatens penitùs liberabatur; Urina, quæ nocte præcedenti clara & tenuis apparebat, manè sequenti colorem lateritium referente; Tertiò autem die, ab usu Corticis sana planè apparente; Ideoque consului, ad futuram horum paroxysmorum Sextanorum recrudescentiam antevertendam, ut quarto quoque die Unciam unam Corticis electi, forma sibi gratissima, devoraret ad tres vel quatuor vices.

Historia XIV.

Filia Domini *Sayers* Procuratoris in *Doctors Commons*, Menses 13. nata, nuperrimè à veneno febrili spiritus deprimente, ad unum vel alterum diem jacebat pallidula, attonita, suspiriosa, ac anhelosa, tanquam illicò moritura (quippe cerebrum & Pulmones plurimùm opprimebantur) & eo prorsùs modo quo infantes Spasmis obnoxii, in Paroxysmorum Intervallis, affecta: Verùm febris præsens ex Temperie vel Pulsu dignoscenda non erat. Ego advocatus jussi ad Spiritus exsuscitandos Emplast. Cephalic. cum Euphorb. ad plantas Pedum, atque Vesicatoria ad Nucham & Carpos internos, Linctum etiam ex Oleo Amyg. d. rec. Syrup. ex Erysim. & Sacchar. Cant. alb. confectum, & in Decocto Pectorale solutum, cochleatim, idque sæpiùs exhibendum: Linimentum etiam ex æqualibus partibus Unguent. Dialthæ. & Ol. Nucist. pectori exteriùs illinendum, atque gr. 6. Pulv. è Chel. Cancr. Comp. cum æquali quantitate Pulv. de Guttet. commixta, quartâ quâque horâ è cochleari Julapii Cephalici exhibenda. Horum usu Infantula, die sequenti, à prædictis symptomatis plurimùm liberata est: Febris (Spiritibus jam sese expandere incipientibus) manifesta apparuit, atque Typum primò Quotidianæ, dein Tertianæ induit, à quâ Pulv. Peruv. ʒß. soluta in cochleari Julapii Cephalici, & quartâ quâque horâ repetita, spatio quinque dierum, Infantulam liberavit.

Historia XV.

Eâdem Hebdomadâ accersebar, ut inviserem Filiolam Domini *Melvin* habitantis in vico dicto *Little St. Hellens*, vix 12. Hebdomadas natam, quæ ad quatriduum, singulis diebus, Paroxysmum octo horas durantem perpessa erat. Tempore Paroxysmi, clausis oculis perpetuò jacebat, pallidula, attonita; frigus extremas partes occupabat, tanquam illico esset moritura, neque vagire valebat, ne quidem respirare, (quanquam non aderat evidens Spasmus partium Respirationi inservientium;) quippe Pectus simul ac Cerebrum opprimebatur. Ad resuscitandos Spiritus Vesicatoria 3. ad Nucham & Carpos illicò applicanda jussi, & ad Respirationem relevandam, totum Pectus Linimento in præcedente Historiâ memorato illinendum; atque, durante Paroxysmo, Linctum pectoralem ex Oleo Amygd. d. & Syrup. ex Erysim. & Julapium Cephalicum sæpiùs cochleatim ingerendum; extra Paroxysmum vero Pulv. Peruv. ℈ß. cum Pulv. de Guttet. gr. ij. commixtum in cochleari ejusdem Julapii ministrandum: A quorum usu, spatio bidui, à febre ac Spasmis liberata (stupentibus, quotquot aderant) revaluit, & hucusque valet.

Februar. 21. 1690. accersitus invisi filium Domini *Gouge* habitantis in *Bull and Mouth Street*, Menses 13. natum, *Gravedine* periodicâ Cerebri & Pectoris correptum. Durante Paroxysmo, quasi attonitus jacebat. Post applicationem Vesicatoriorum ad Carpos, Bolum Theriacalem ad expansionem spirituum promovendam exhibitum, & Linctum Pectoralem ministratum, ℥ iij. Corticis Peruv. partitis vicibus è cochleari Julapii Cephalici propinatis, Puerulum spatio bidui (Deo favente) perfectè restitui.

Historia XVI.

Domina *Kirk* quadragenaria, Mulier proba ac honesta, quartâ die Aprilis 1689. Frigore ex mutatione aëris suscepto, derepente immani Vomitione, ac Spasmis Ventriculi adeò atrocibus ac truculentis corripiebatur, ut toto cursu Paroxysmi (qui ad octo horas durabat, atque demùm Sudore subsequente finiebatur) continuum ferè Deliquium pateretur, ac si, quovis momento, animam efflatura: Die uno interposito, iterùm, eâdem ferè horâ, recrudescebat Paroxysmus, & symptomata priora, sed gradu aucta. Ego igitur festinanter accersebar, ne fortè, ante adventum meum, subitò periret. Ægram inveni Vomitione, Dolore ac Languore penè confectam, Pulsus insuper erat celer ac inordinatus, extremaque frigebant; Urina autem intensè rubra ac contentis saturata, qualis redditur à Febre Intermittente laborantibus. Colore Urinæ, ac spasmodicorum Paroxysmorum reviresc entiâ periodicâ observatis, ritè conjiciebam hosce Spasmos à Fomite Febris Intermittentis ortum suum duxisse, humoribus inde venenatis, per tunicam Ventriculi Glandulosam secretionem & excretionem sui moliri satagentibus. Indeque, ubi largâ quantitate Aquæ Pulli pro potu ordinario, & Opiato, præsentis Paroxysmi solutionem, atque symptomatum indè dependentium allevationem tentassem; ut Paroxysmi recrudescentiam anteverterem, Corticis largam quantitatem, formâ Haustûs exhibendam, ad Fomitem venenatum subigendum præscripsi; singulis etiam haustibus nocturnis Laudani Lond. gr. j. commiscendum jussi, ut Spirituum Elasticitas aliquatenùs tolleretur; & paulò ante Paroxysmum expectatum Pericarpia ex æq. part. Oliban. ac Terebinth. commixtis applicanda, ut ab intrà ac ab extrà recrudescentia morbi diri ac atrocis præverteretur. Die octavo, ubi nullus novus paroxysmus invaserat, repetitionem Corticis, prophylaxeos gratiâ ante Plenilunium & Novilunium præscripsi, & Ægram dimisi. Venenato autem Fomite, die decimo tertio, præter expectationem revirescente, Ægra Febricula Ophthalmica admodum dolorifica illicò corripiebatur (quod olim etiam sibi contigisse affirmabat ante recrudescentiam Febris Intermittentis Cortice Peruviano, Consilio Medici rusticani, curatæ, quam ob causam huic methodo ægrè jam consentiebat.) Quocircà ℥x. Sanguinis illicò è brachio detrahendas jussi, & postridie ℥ iv. Decocti Amari cum dupl. Sennæ propinandas, unde parcè admodum dejiciebat. Igitur, ut somnum, in levamen virium dolore Ophthalmico plurimùm exhaustarum, conciliarem; atque deturbationem alvi citatiorem ac copiosiorem promoverem (siquidem à restitutione febris genuinæ Ophthalmiam hanc admodum molestam ritè profligandam duxi) nocte sequenti ℈j. Pilul. Stomach. cum Gum. & Laudan. Lond. gr. j. exhibui, atque mane proximo Potionem Amaram ut priùs. Die decimo quinto, Collyrium ex Aqu. Plantag. Troch. alb. Rhas. sine Opio, & Sacchar. Crystal. alb. ad dolorem mitigandum, Oculis sæpiùs instillandum, & Haustulum Paregoricum hora somni propinandum præscripsi: Febre Intermittente, hisce Evacuationibus peractis, in propriam suam formam, absque prioribus Spasmis restituta, sponte denuò evanuit gravis hæc Ophthalmia. Febrem autem Intermittentem post hasce evacuationes recrudescentem, usu Corticis repetito illicò penitùs sanavi.

Historia XVII.

Uxor Vicini mei Domini *Wilson*, habitantis sub insigni Septem Stellarum, in vico dicto *Nevvgate-street*, nuperrimè correpta erat Spasmis Intestinorum adeò atrocibus & excruciantibus, unà cum Vomitionibus immanibus, & continuâ ventriculi Nauseâ & ægritudine, uti, præ vehementiâ symptomatum, ad plures horas, extrema frigescerent, & illicò animam expiratura videretur. Collega noster *Clariss. D. D. Carolus Goodall*, morbum hunc Colicam genuinam esse opinatus, præscripsit Linimentum anodynum, partibus affectis calidè applicandum, atque pilul. ex ʒß. Extract. Rud. & Laudan. Lond. gr. 1ß. confectas statim exhibendas; & Clysterem Carminativum (si opus foret) injiciendum; unde cum bombis copiosæ dejectiones sequebantur, Tormina & Vomitio cessabant, Fœmina revalescere videbatur. Die tertiâ verò, recrudescebat paroxysmus, eâdem ferè horâ, sine evidenti occasione, cum symptomatis priùs memoratis sociatus, qui usu Opiatorum cum Catharticis commixtorum, iterùm, spatio 24. horarum, Sudore copioso exceptus,

finiebatur. Inde ex præscripto Collegæ Clariss. ad recrudescentiam Colicæ antevertendam Aquæ Minerales Catharticæ coctæ, & Lacte alteratæ, primo mane calidè propinabantur. Paroxysmo autem inopinatò revirescente; Intestina spasmis torminosis recens vellicata nihil dejiciebant, cuncta autem ingesta, inter horrendam & continuam ægritudinem, Vomitione rejecta sunt. Ægra per plures horas, frequentes Lipothymias perpessa est, atque extremorum Frigore territa, sese illicò morituram credebat. Collegâ vero alibi occupato, Ego incunctanter accersebar; Colore verò Urinæ lateritio, recrudescentia paroxysmorum periodicâ, & pulsus celeritate pensitatis, ritè conjiciebam hanc colicam (utut nullum febrilem calorem deprehendere possem, & totum corpus frigesceret) esse symptomaticam è venenato febris intermittentis fermento ortam. Indeque ad spasmos compescendos, & reliqua symptomata vehementia inde succrescentia sublevanda, Clysterem Carminativum statim injiciendum, atque pilul. ex Extract. Rud. & Laudan. repetendas, atque totum Abdomen Panno Wallico Linimento ex Unguent. Dialth Ol Lil. alb. & Laterit. prius illito, calidè fovendum jussi. Unde, sub Vesperam, Alvo iterùm cum bombis copiosè subductâ, Ægra Sudore universali perfusa, placidè dormiebat. Mane sequenti verò, ad præcavendam revirescentiam paroxysmi futuri (annuente Clariss. Collegâ) ʒj. Pulv. Peruv. tertia quaque hora in forma Haustus incunctanter exhibendam jussi, donec ℥j. Pulveris absumeretur. Quo facto, sine quocunque alio Remedio revaluit, neque ullam aliam Morbi recrudescentiam passa est. Cortex autem, ex communi nostro consilio, post debita intervalla, iterum iterumque repetebatur.

Historia XVIII.

Dominus *Johnson*, habitans in *London-House-Yard*, Spiritibus à venenato fermento febrili plurimùm jam lacessitis, irritatis atque demum in statum Explosivum adactis, dolore intestinorum spasmodico primùm leviori, verùm per triduum continuato, corripiebatur, qui tandem quarto die adeò sævire cœpit, uti præ horrendis Spasmis, Vomitionibus & Deliquiis frequentibus, in summo discrimine versari videretur, indeque Medicum magni nominis accersiri curavit; Qui, postquam Enemate Cathartico, fotu externo & Laudano copiosè ac frequenter exhibito, Ægrum, spatio 24. horarum à symptomatis hisce diris liberasset, nullo respectu ad febrile fermentum habito, ei, quasi in sanum statum integrè restituto, valedixit. At post inducias 24. horarum infidas, Veneno recrudescente atque pro gradu virulentiæ aucto, spiritus jam potiùs subigente quàm irritante; Æger, à febre in Malignam jam mutatâ, frequentibus Lipothymiis, nullis autem spasmis dolorificis affectus, sese illicò animam missurum credebat; Indeque Me primo mane festinanter advocari jussit. Ego ab Urina rubedine tincta, pulsu celeri, utut debili; Aphthis in gutture succrescere incipientibus, ac Deliquiis frequenter recurrentibus, cum nullo dolore sociatis, monitus, clarè perspexi Venenum sub initium morbi mitius (quale est fermentum febrium intermittentium & remittentium) in magis malignum degenerasse, ex vi Spirituum Laudano multo obruta & oppressa; dum intereà fermentum Venenatum plane negligeretur. Igitur Vesicatoria frequentia illico applicanda jussi, ut spiritus exagitarentur, & flamma in massa sanguinis denuo exsuscitaretur, & in eundem finem Bolum ex Theriac. Androm. Contect. Alcherm. & pulv. è Chel. Canc. Comp. ana ʒß. confectum, unà cum haustu Julapii Cardiaci, sexta quaque hora exhibendam. Unde, die sequenti, pulsum fortiorem, Deliquia verò, cæteraque symptomata minora deprehendi; Æger placidè dormiebat: Paroxysmus, intereà, cum levioribus deliquiis conjunctus, alternis noctibus recurrebat, & Aphthæ cum inflammatione, salivatione & levi singultu (uti assolet) conjunctæ, per totum Os serpebant. Tincturam igitur Corticis sæpiùs & copiosiùs exhibendam, Gargarismos, cæteraque pro re nata præscripsi: Usu verò Bolorum Alexipharmacorum & Julapiorum cardiacorum continuato, tandem, spatio sex dierum, mirum in modum misellus Æger revalescebat. At quia paroxysmus, tempore solito, adhuc recurrebat, cum magno successu Corticis substantiam exhibendam, & quarta quaque hora repetendam jussi modo sequenti.

♃. Aqu. cardu. ℥ij. Epidem. Syr. caryoph. ana ʒij. Cortic. Peruv. elect. & subtiliss. pulverisat. ℈ij. Theriac. Androm. ℈j. M. *F.* Haustus. Cùm ab his ferè in statum ἀπυρεξίας redigi videretur, insigni & perpetua Salivatione Natura per ductus salivales virulentiam, quasi criticè, propellere moliebatur. Quocirca ad delitescentes Veneni reliquias penitùs subigendas, Haustus *Febrifugos* bis scil. vel ter in die, ad spatium bidui, adhuc, repetendos duxi, unde Æger, Urina, Pulsu, Temperie, & Appetitu, integrè restitutis, ex Orci faucibus liberatus, plaudentibus & mirantibus Amicis, convaluit.

Historia XIX.

Uxor Domini *Gamble*, habitantis in Platea dicta *Foster-Lane*, die *Januar.* 24. 1690. quinto ingravidationis suæ Mense, immani dolore Lumborum primùm correpta, dein Spasmis dolorificis quasi circumcincta, utut Alvum, more solito, quotidie dejiceret, Vomitione tamen affecta, ingesta quæcunque, illicò rejecit, atque, præ vehementia Spasmorum, ferè perpetuò ad modùm parturientis, gemens vociferabatur. Post triduum hisce symptomatis penè confecta, Obstetricem accersivit, ex cujus consilio, ad Abortionem præveniendam, ℥vii. Sanguinis è brachio misit, Dolore autem nullatenùs inde mitigato, Ego die 28. suadente Obstetrice, advocatus sum: Ubi autem ex Pulsu, Temperie, Lingua, & Urina febrem præsentem senserim, & ab Astantibus narratum sit, dira hæc symptomata, à primo morbi insultu, alternis diebus, more paroxysmorum, repullulasse, & Obstetrix, exploratione facta, Os uteri internum strictissimè clausum esse affirmaverit; nec guttula una sanguinis menstrui effluxisset, Jure meritò opinatus sum spasmodicos hosce dolores non esse uterinos, & Abortionem

tionem præsagientes, verùm Intestinales, spiritibus à fermento febrili irritatis, & sese in hisce partibus expandere conantibus. Indeque Venæsectione, ad efferum hunc motum spirituum compescendum, celebrata, Haustum febrifugum illicò, cum Pulv. Corticis ℈j. propinandum jussi, atque tertia vel quarta quaque hora repetendum, ad fermentum venenatum eliminandum; singulis dosibus addendo Laud. liqu Helmont. gut. 14. ut, Spasmis inde sedatis, Remedium, suapte natura ingratum, in ventriculo nauseabundo & vomituriente meliùs retineretur. Postridiè Ægram inveni ferè ἀπύρετον, atque à spasmis dolorificis prorsùs liberatam. Quandoquidem verò tædio pulveris in propria substantia exhibiti jam afficiebatur, Tincturam nostram Corticis in ejus locum substitui, cum Laudano quarta quaque hora repetendam ut priùs. Die autem sequenti, recrudescente paroxysmo, quadantenùs febricitare cœpit, non autem Spasmis dolorificis & Vomitione uti antea afflicta. Quocirca repetitionem Haustuum Febrifugorum ad sex vices iterùm præscripsi, adjiciendo alternis Haustibus tantillum Laudani, ne fortè revirescerent Spasmi His autem absumptis, sine additamento cujuscunque alterius Remedii, prorsùs revaluit Ægra, Appetitus, & Urina integrè restituebantur, nec minimum Abortûs symptoma apparebat.

Uxorem Domini *Moodey* habitantem in Platea dicta *Franchurch-street* iisdem symptomatis, & animi insuper Deliquiis laborantem, à septimo mense gravidam, hoc ipso Anno, eadem ferè Methodo liberavi; Quæ macilenta licet, elumbis & valetudinaria fuerit, tandem, tempore debito, vivum infantem peperit, & hucusque benè valet.

Historia XX.

Domina *Hamms* sexagenaria, habitans in vico dicto *Bull-and-Mouth-street* (cum jam per multos retroactos annos, Tussi & Pulmonum infarctui, Colicæ ventriculi, ac Ictero frequenter recurrentibus, ex obstructione Hepatis obnoxia, valetudinariò admodum degisset) postquam per 5. vel 6. dies dolore punctorio Hypochondrium dextrum occupante affecta fuisset, die *Martii* 26. 1690. à Me opem petiit, de hoc symptomate duntaxat conquerens: Ubi autem observassem eam more solito vestitam, carnibus vescentem, & in cubiculo obambulantem, neque ullo insigni indicio, ex Tussi, Respiratione, Pulsu, Linguâ, vel Temperie Febrem, Pleuritidem, vel Peripneumoniam dignoscere valerem; Urinam autem multum tinctam, & in colorem lateritium præcipitatam vidissem, ratus hoc symptoma ab Hepatis affectione oriundum, ad Icterum stravisse viam, jussi ut ℥x. Sanguinis illicò è Cubito dextro detraherentur; & cochleare unum Linctûs sequentis cum ℥iv. Apozematis calidi quarta quaque hora exhiberetur

℞. Ol. Amygd. d. rec. Syrup. ex Erysim. ana ℥iß. Sacchar. Crystal. alb. ʒiß. M. exactissimè. F. Linctus.

℞. Rad. Petroselin. fœnic. Gramin. Asparag. cichor. ana ℥ij. Rad. Curcum. Cortic. interior. Berber. ana ℥j. Uvar. Corinthiac. ℥ij. Rasur. c. c. Ebor. ana ℥ß. Croci in nodulo ligat. ʒß. sem. Anis. ʒj. Coq. in Aqu. F. q. s. ad ℔ij. Sub finem ebullitionis addendo Vin. Alb. ℥viij. Colaturæ adde Aqu. Lumbric. Mag. syr. è V. Radic. ana ℥iij. M. F. Apozema. Die autem 27. quum ex difficili respiratione pulmones etiam affectos esse, simul ac Hepar suspicarer, jussi tres pilular. seq. horis medicinalibus deglutiendas e cochleari Linctus, superbibendo haustum Apozematis, & Pannum Wallicum linimento sequenti imbutum calidè ad partes affectas applicandum.

℞. Milleped. præpar. ʒiß. Ammoniac. depurat. ℈ij. flor. Benzoin. ʒß. Extrac. Croc. Balsam. Peruv. ana gr. v. Balsam. Sulph. Terebinthinat. q. s. M. F. Pil. mediocres deaurand.

℞. Unguent. Dialth. ℥ß. Ol. Lil. alb. Laterit. ana ʒiij. M. F. Liniment. Die autem 28. Cùm ex Dyspnæa cum dolore conjunctâ suspicatus sim obstructionem Bronchiorum à phlegmate viscido symptomati huic pertinaci ansam dedisse, Apozema sequens præscripsi copiosè propinandum.

℞. Decoct. Pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. ℥j. Syrup. è V. Rad. ℥iß. M. F. Apozema. Vigiliis etiam, & febricula præsenti indicantibus, Bolum sequentem unà cum haustu Apozematis Pectoralis, horâ somni deglutiendum jussi:

℞. Theriac. Androm. ʒß. Pulv. è Chel. Canc. Comp. gr. 25. Syr. Caryoph. q. s. F. Bolus. Die 29. ad lubricanda Bronchia, Alvi adstrictionem tollendam, & inde dolorem mitigandum præscripsi cochl. ij. Ol. Lini recens sine igne extracti, secundâ quâque hora, unà cum haustu Apozemat. Pectoralis ministranda; & horâ somni, febriculæ gratiâ & Vigiliarum, Bolum Theriacalem repetendum. Die 30. quum tædio Olei Lini affecta fuisset, atque gradus Dyspnææ ferè in Asthma, forsan à Bolo Theriacali exhibito & repetito auctus id requireret, lenem Vomitionem cum Oxymel. scillitic. & Aqu. Cinam. fort. ana ℥j. ciendam, & Linctum unà cum Apozemate Pectorale continuandum jussi, atque inde Respiratione multùm liberiori factâ, eandem Mixturam Emeticam, ipsâ Ægra petente, die 31. repetendam, &, Fluxu Alvi nimio jam suadente, Bolum Theriacalem iterùm hora somni præscripsi sumendum. Die 1. *Aprilis*, ubi Languorem senseram unà cum febre auctum, cochlearia 4. vel 5. Julapii cordialis sequentis ad libitum propinanda jussi.

℞. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Aqu. Cinnam. hord. Epidem. ana ℥ij. Marg. præpar. ʒiß. Sacchar. alb. ʒv. M. F. Julap. Sanguinis etiam ℥viij. illicò è brachio detrahendas: Et ad infarctionem pulmonum minuendam Rad. Ireos; Enul. Campan. ana ℥ß. Ingredientibus Apozemat. Pectoralis adjiciendam; atque ʒß. Pulveris sequentis quartâ quâque horâ in Cochleari Julapii exhibendam.

℞. Coral. Rub. Marg. præpar. Pulv. è Chel. Canc. Comp. Salis Prunel ana ʒß. M. pro iv. Chartulis, & denique, in subsidium generis Nervosi (quod jam laborare incipiebat) Vesicatoria duo ampla & acria ad interna brachia applicanda. Die secundo *Aprilis*, phlegma glutinosum pulmonibus impactum copiosâ Apozematis sequentis exhibitione diluere, & temperare tentavi.

℞. Rad. Scorzoner. Hisp. ℥ij. Liquir. ras. ℥ß

Uvar. Corinthiac. ℥ iij. Coq. in Aqu. Hord. q. s. ad ℔ iv. Colaturæ adde Syrup. ex Acetositate Citri, Viol. Balsamic. ana ℥ i ß. M. F. Apozema. In subsidium autem Tussis & Vigiliarum (quæ jam urgebant) Bolum sequentem hora somni præscripsi.

♃. Theriac. Androm. Balsam. Lucatel. ana ʒß. Conserv. fruct. Cynosbat. ʒj. M. F. Bolus. Hoc pacto, docte & argute delirans, quippe falsa principia ponens, & apparentibus symptomatis deceptus, Ægram, febre, Vigiliis, Deliriis ac dolore pene confectam ad Orci fauces duxeram, donec febre, quotidianis & statis periodicis Paroxysmis jam tandem typum ac genium suum palam prodente, suspicatus sum fermentum febrile Venenatum delitescens, & spiritibus implicitum, symptomati huic dolorifico admodum molesto, ansam præbuisse. Quocirca (annuente Clariss. Collega *D. D. Hulsio*, qui mecum in consilium vocatus est) ad nisum spirituum efferum (quem causam esse doloris deprehendi) minuendum, die tertio *Aprilis*, Venæsectionem iterum in brachio celebrandam jussi; &, ad seminium venenatum delendum, ʒ xii. Cortic. Peruv. cum æqualibus partibus Sacchari albi commixti, partitis vicibus, sc. ʒij. quarta quaque hora exhibendas, & Pannum Wallicum, Oleo Palmitis illitum ad partem affectam calide applicandum: Et in Languoris relevationem cochl. 4 vel 5. Julapii sequentis ad libitum sumenda.

♃. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥ iv. Epidem. ℥ ij. Confect. Alcherm. S. Moscho ʒ ij. fol. Aur. num. 1. Syrup. Caryoph. ℥j. M. F. Julap. Hisce finitis, die quinto, præter spem Amicorum, aut meam, conspexi Ægram ἀπυρετὸν, placide dormientem, hilarem, vegetam, à symptomatis universis, & dolore ipso penè liberatam; Ideoque duntaxat repetitionem Linctus ad expectorationem promovendam præscripsi, & Boli Balsamici hora somni exhibendi Die sexto autem, Ubi gradum febrilis caloris quendam leviorem jam restantem, atque cum Tussi conjunctum observassem, jussi ℥ iv. Tincturæ Corticis s. Apozematis nostri febrifugi, ad reliquias venenati fermenti delendas, quarta quaque hora exhibendas, & Bolum Balsamicum hora somni ministrandum. Die septimo febre jam planè profligata, Pilulas narcoticas sequentes præscribere jam ausus sum, hora somni sumendas; ut Spasmi & reliquiæ Doloris lateralis inde penitùs tollerentur.

♃. Pilul. è Cynogloss. gr. 8. Extract. Croc. gr. 2. M. F. Pil. 2. deaurand. Ne autem Pulmones inde farcti quicquam detrimenti paterentur, Linctum Pectoralem repetendum, eumque sæpiùs cochleatim exhibendum jussi. Die octavo, quia Pilulæ nocte præcedenti præscriptæ ex sententiâ successerant, eas iterum hora somni repetendas duxi; & die nono, quandoquidem venenati fermenti revirescentiam jam futuram suspicabar, Bolum sequentem ter die degluttiendum jussi.

♃. Pulv. subtiliss. Cort. Peruv. elect. ʒj. sacchar. alb. ʒß. Ol. Amygd. d. rec. q. s. M. F. Bolus, addendo semper dosi nocturnæ Laudan. liquid. Helmont. gutt. 14. Decimo autem die, ubi Ægram, more Hystericarum, strangulatione quadam levi affectam observassem, duas Pilul. sequentes, quarta quaque hora exhibendas præscripsi, unà cum ℥ iv. vel v. Apozematis.

♃. Ammoniac. Gum. Galban. ana ʒß. M. F. Pilul. 14. deaurand.

♃. Rad. Scorzoner Hispan. ℥ i ß. Uvar. Corinthiac. ℥ ij. Liquir. ℥ß. coq. in Aqu. Hord. ℔ ij. ad ℔ i ß. colaturæ adde Tinctur. Croc. ℥j. Syrup. de Erysim. ℥ ij. M. F. Apozema. Infarctione autem Pulmonum, ac diminuto appetitu id suadentibus, die 12. Ægram in aërem rusticanum dimisi, hac lege, ut, quamdiu, ob Tussis & Dyspneæ gradum leviorem adhuc restantem necesse foret, tres Pilul. sequentes, omni mane deglutiret.

♃. Ammoniac. depurat. flor. Benzoin. ana ʒß. Bals. sulphur. Anisat. q. s. M. F. Pilulæ mediocres deaurandæ. Atque omni nocte gr. 8. Pilul. è Cynoglosso; Et denique ad revirescentiam venenati fermenti præveniendam, post 10. dies Pulver. febrifug. ʒ vi. repeteret partitis vicibus; Emplastrum etiam Paracels. & de Minio ana p. æqu. commixt. partibus diuturno dolore labefactatis superimponi jussi. Unde, brevi, præter spem Amicorum, integre restituta est, & hucusque optima valetudine utitur.

Historia XXI.

Faber Lignarius habitans in vico dicto *Cursiter's-Alley*, circiter Annum Dom. 1684. horis matutinis, Horrore, Frigore, & inde, Dolore lateris sinistri adeo excruciante corripiebatur, ut sub vesperam ejusdem diei, præ vehementia spasmorum, universim algens, imbecilitate confectus, &, more Peripneumonicorum, penè suffocatus, Me diligenter accersiri jusserit, singulis momentis sese animam efflaturum credens: Ex Tussi autem inani (cùm advenissem) suppressâ, & anhelosa respiratione, Proclivitate ad vomendum, & dolore intensissimo regionem pulmonum & pleuræ occupante, probè intellexi cuncta hæc symptomata dirissima, & præsertim spasmodicam pleuræ & pulmonum constrictionem, ortum duxisse è veneno febrili cum spiritibus implicito. Indeque, post Enematis Carminativi rejectionem, sanguinis è brachio lateris dolentis ad impetum spirituum demulcendum ℥ x. detrahendas jussi; Spasmis dolorificis, Madore frigido & pulsu Ægri formicante non obstantibus. Ad solutionem spasmorum ulteriùs promovendam fotum præscripsi ex Rad. Petroselin. fœnic. semin. Lin. fœnugr. flor. Chamæmel. & Melilot. in Aqu. Coctis conficiendum, atque in Vesica Bubula semiplena calidè ad partes affectas applicandum, & in ejus locum (quoties eum amovere visum fuerit) Pannum Wallicum calidè illitum Linimento ex Unguent. Dialth. Ol. Lil. alb. & laterit. ana p. æqu. substituendum; Et dein ad Orgasmum spirituum ampliùs compescendum gutt. xv. Laudan. liqu. in Haustu Julapii Cordialis exhibendas, & quarta quaque hora (si dolor perseveraret) repetendas. Ad lubricandas autem fistulas pulmonares, quò facilius phlegma bronchiis impactum rejiceretur, jussi, ut Linctus ex Ol. Amygd. d. rec. Syrup. Capil. Ven. ana ℥ i ß. Sacchar. Crystal. alb. ʒ i ß. Cochleatim deglutiretur quarta quaque hora, superbibendo ℥ iv. Apozematis calid. ex ℔ i ß. Decoct. Pectoral. de-

depurat. Tinctur. Croc. ℥j & Syrup. Capill. Ven. ℥jß. Effero spirituum nisu inde sedato, & solutis spasmis, pulsus statim augebatur; Æger à Dolore liberatus universim incalescere, & ab expansione spirituum evidenter febricitare incepit, unde tandem post mediam noctem sudore calido perfusus, respiratione allevata, & viribus instauratis, finito paroxysmo, obdormivit. Inspecta autem Urina die sequenti multum tincta & lateritiâ, illico Haustum febrifugum Cortice impraegnatum jussi exhibendum, ad recrudescentiam paroxysmi expectati antevertendam: & quarta quaque hora repetendum (addendo semper Haustui nocturno Laudan. Londinens. gr. j.) donec Urina (quod spatio bidui evenire observavi) tandem colorem naturalem recuperaret & contentis debitis saturata redderetur. Quo pacto, Ægrum quarto die, sine quavis morbi revirescentia planè convalescentem, cibo Euchymo nutriendum Adstantium curæ tradidi, nec quicquam ampliùs præscripsi præter Corticem post decem dies repetendum, ut venenati fomitis recrudescentia anteverteretur. Hoc verò Consilio posthabito, pœnas post duas hebdomadas luebat, recidivatione febris tertianæ legitimæ, cum diris verò symptomatis, ut priùs, non sociatæ, quam repetitione Corticis facile admodum & perfectè curavi; & Æger hucusque (quantum scio) firma valetudine utitur. Eadem planè methodo insuper Vitriarium habitantem in Burgo dicto *Southvvark*, & Viduam in parochia Sanctæ Helenæ minoris, & plerosque alios (quos recensere nimium esset) symptomatis horrendis peripneumoniæ acutissimæ correptos, iisque diù, in Febrium Intermittentium initiis, protensis, feliciter, atq; spatio brevissimo curavi.

Historia XXII.

Tinctor pannorum in vico dicto *White-Cross-street*, à frigore sæpiùs suscepto dolore Rheumatico fere universali, per omnes artus hinc inde versatili correptus; Ubi præ gradu doloris spasmodici deliquium sæpenumero perpessus, de vita desperare cœpisset, tandem me advocavit. Cùm autem observassem Urinam profunda rubedine tinctam, aëri expositam sedimentum lateritium deposuisse; Atque ab Adstantibus narratum esset, dolores statis periodis, singulis scil. vel alternis diebus, augeri solere, atque summa Ægritudine concomitante exacerbari (utut ex pulsu vel Temperamento certa indicia febris, præ symptomate vehementi, deprehendere haud potuerim) ritè decrevi spasmos hosce dolorificos ortum suum duxisse ex venenato febris Intermittentis fomite, spiritum animalem adeò irritante, ut ad gradum usque Explosionis adversùs venenum, præsertim in paroxysmo, sese expandere moliretur. Quocirca in præsens dolorum levamen ℥xii. Sanguinis è brachio illicò detrahendas jussi, atque post intervallum sex horarum Vomitorium Antimoniale mitius propinandum; Quo pacto spasmi derepentè minui cœperunt: Ut autem Morbi fundamenta penitus eruerem ℥j. Corticis cum guttis aliquot Laudani liquidi tertia vel quarta quaque hora exhibendas jussi; eo modo subactionem veneni morbifici moliens, nè spiritus inde recens irritati novum paroxysmum reducerent. Postquam sesquiunciam Corticis (qui genuinus eo tempore erat ac vegetus) devorasset, illicò, absque quocunque alio Remedio ministrato, à febre ac spasmis Rheumaticis liberatus, Urina ac Appetitu derepente restitutis, revaluit Æger, nisi quod hebes & quadantenus attonitus per triduum manebat, spiritibus animalibus à Laudano, plus quàm à fermento febrili depressis. A quo symptomate, applicatione Vesicatoriorum, prorsùs liberabatur, licet post 14. dies elapsos quamprimùm scil. energia Corticis deficere cœperat, denuò recidivationem Rheumatismi perpessus sit, quæ æquè facilè Cortice, post Phlebotomiam, repetito (nullo alio Medicamento exhibito) brevi sanata erat, uti iis accidere solet, qui febris Intermittentis revirescentia afficiuntur.

Historiam Dominæ Lane congenerem notavi in Phthisiologiæ nostræ, lib. 3. cap. 11. Verùm nimius Lectori viderer, si recenserem singulas Historias quas observavi huc spectantes, quæ penè innumeræ sunt. Plures autem ejusmodi, posthac Graphicè descriptas inveniet Lector sub Titulo febris Συνεχὴς, ac Rheumatica comprehensas.

Historia XXIII.

Dominus *Dun* Tinctor sericorum, habitans in vico dicto *Noble street*, Vir quadragenarius, à frigore frequenter suscepto, demum Mensis Maii die 7. 1690. ac si à Toxico quodam sumpto venenatus, vehementi Ægritudine, immani vomitione ac dejectione, torminibus immensis, ac universali Rheumatismo, sive spasmis totum corporis habitum cruciantibus illicò corripiebatur; Cutis rubedine intensâ ubique perfundebatur; Urina erat non tantùm rubra sed etiam contentis saturata; paroxysmus ferè ad horas 10. durabat, atque tandem sudore copioso exceptus finiebatur, utut absque evidenti quocunque algore, Horrore, Oscitatione, cæterisque febris Intermittentis symptomatis usitatis invasisset. Die nono, eadem fere hora diei, inexpectato recrudescebat Morbus, cum prioribus symptomatis adeò vehementibus ut illicò sese animam expiraturum fore crederet Æger, indèque me protinùs advocari jussit. Ad spirituum explosionem nimiam compescendam, ac dolorem vehementem inde auctum leniendum ℥x. Sanguinis è Cubito mox detrahendas curavi; Atque deinde Bolum sequentem ad sudores ciendos exhibendum (quo citius præsens paroxysmus finiretur) una cum julapio temperato, de quo post bolum, atque etiam ad libitum Coch. 4. vel 5. sumeret, & ut, durante paroxysmo, à cerevisia abstineret, contentus aquâ pulli, decocto albo, &c.

℞. Theriac. Androm. ʒß. pulv. è Chel. Cancr. comp. ℈j. Syr. Carioph. q. s. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Epidem. ℥ij. Syrup. Caryoph. ʒx. M. F. Julap. Finito autem paroxysmo, ad fomitem venenatum subigendum (ut recrudescentia morbi præcaveretur) Haustum febrifugum sequentem hora somni propinandum præscripsi, repetendumque, aurora sequenti, atque deinceps quarta quaque hora, semper addendo Haustui nocturno Laudan. Londinens. gr. j. ad cohiben-

bendum spirituum Orgasmum, & præcavendum dolorem ventriculi ac Intestinorum Spasmodicum, modo paroxysmus reverteretur.

℞ Aqu. Card. ℥ij. Aqu. Epidem. Syrup. Caryoph. ana ʒij. Pulv. Subtiliss. Cortic. peruv. elect. ʒj. M. F. Haustus.

Verum quia Cortex, quem Pharmacopola paraverat, fuit minùs vegetus ne dicam planè effœtus, Die undecimo, eadem fere hora diei, novum paroxysmum Æger perpessus est, non autem tamdiu protractum, neque equidem symptomatis ità vehementibus stipatum ut priùs. Indeque Julapium sequens, durante paroxysmo sæpiùs propinandum præscripsi.

℞ Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Epidem. Cinnam. Hord. ℥iij. pæon. comp. ℥ß. Marg. præparat. ʒiß. Sacch. alb. ʒv. M. F. julapium. Iussi etiam Corticem magis vegetum à pharmacopœio parandum, atque ut Æger in ejus usu, durante paroxysmorum intervallo, diligentissimè persisteret ut priùs. Maii. vero 13. à paroxysmis prorsùs liberabatur, atque planè convaluit, utut ob neglectam repetitionem Corticis, quam præscripseram, post duas hebdomadas, recrudescente febre Intermittente, licet non ita diris symptomatis stipata, probè senserit sese pœnas hujus negligentiæ, jure merito dedisse. Repetito autem deinde Cursu Corticis bis terve, post debita intervalla, firmam valetudinem recuperavit, & ea adhuc (quantum ego scio) utitur.

Historia XIV.

Dominus Langley habitans prope Hospitium dictum *Bridevvell.*, ubi à frigore suscepto, valetudinariò ad unam vel alteram hebdomadam degisset, tandem Nauseâ, Ægritudine & vomitione per quatriduum continuata affectus, atque etiam Efflorescentia, per horas quatuor à primo decubitu, singulis noctibus recurrente, & febrem Scarlatinam simulante, per totam cutim sparsâ, unà cum pruritu, ac calore inflammatorio admodum molesto afflictus, à me nuperrimè opem petiit. Symptomatis autem serio pensitatis, præsertim ubi Urinam multa rubedine tinctam & contentis saturatam inspexeram, fermentum febrile fomitis Intermittentium æmulum percepi. Indeque ad demulcendam irritationem spirituum præternaturalem à veneno inflammatorio ortam, & massæ sanguinis communicatam, ut ℥xii. sanguinis è brachio illicò extraherentur, jussi, utque alvus mane sequenti ℥iv. Decoct. Amari & ℥ß. Syrup. de spin. Cerv. subduceretur. Ne autem spiritus ab hisce evacuationibus depressi, veneno eliminando prorsùs impares redderentur, & morbus inde in malignum mutaretur; bolum Cardiacum præcripsi è Theriac. Androm. & pulv. è Chel. Canc. comp. ʒß. confectum, hora somni, post venæsectionem exhibendum, itidemque post purgationem repetendum, & julapium cordiale temperatum ad libitum propinandum. Denique posthæc Unciâ una Corticis peruv. forma Ægro gratissima, partitis vicibus, ad spatium 24. horarum, fermentum febrile aggressus sum. Æger verò à Nausea, vomitione, pruritu, cæterisque symptomatis molestis liberatus, Urina ac appetitu restitutis, spatio tridui integrè revalescebat.

Historia XXV.

Accersitus Anno Dom. 1680. ad invisendum Filium Reverendi admodùm D. D. *Fovvler*, nunc Episcopi Gloucestrensis, Puerum circiter annos 12. natum; Eum observavi summo stupore correptum; stertentem, cæterisque Apoplexiæ fortissimæ symptomatis affectum: Et à somno isto profundo, Phlebotomia in vena jugulari celebrata; applicatione Cucurbitularum intra scapulas cum scarificatione profunda, injectione Enematis acris, exhibitione potionis Catharticæ, Vesicatoriis frequentibus, sternutatoriis aliisque ejusmodi Remediis evacuantibus ac stimulantibus puerum excitare sategi. Die sequenti eum inveni (mirum dictu) non tantum expergefactum, verùm etiam, absque minima hebetudine, erectum in lecto sedentem, atque cum sociis ludentem, à febre perfectè liberatum, ac victum petentem. Postridiè autem, eadem fere hora diei, advocatus, ubi eum Apoplexia iterùm, ut priùs, laborantem observassem, Methodo priùs memorata Apoplectica symptomata sustuli. Observatione hac bis facta, nullus dubitabam fermentum febris Intermittentis sub proteiformi hac larva delitescens, Apoplecticis hisce symptomatis ansam dedisse, neque absque venenati hujus fomitis subactione, reviresentiam Apoplexiæ præcaveri posse. Quocirca (annuente Collega meo eximio D. D. Daniele Cox, qui jam mecum in consilium adhibitus erat.) Statutum est, Prophylaxeos gratia, Corticem Peruvianum in paroxysmi intervallo copiosè ministrandum esse. Quo exhibito, Apoplexia nunquam iterùm rediit, utut puer, post unam vel alteram hebdomadam elapsam, paroxysmos aliquot febris Intermittentis, primùm Tertianæ, dein simplicis Quotidianæ perpessus sit; à quibus, repetito usu Corticis facillimè liberabatur.

Historias ejusmodi plures sub finem Capitis de febre Apoplectica & Paralytica videre est.

Historia XXVI.

Circiter Annum 1683. nuntiatum est Avunculum meum Dominum Izatt (qui ferè per annos 15. retroactos obesus, hebes & somnolentus fuerat, & jam annum Ætatis sexagesimum quartum agebat) post triduum valetudinario transactum, demùm Apoplexia correptum fuisse in Domo mea rusticana, cum ibi loci febres Intermittentes, constitutione aëris conspirante, Epidemicè grassarentur; Ego quippe multis negotiis Londini implicitus, impetravi à Fratre meo dilectissimo atque Collega Cl. D. D. Tyson ut eum inviseret, quod lubenter fecit, instructus priùs Lanceolâ ad extrahendum sanguinem (si visum fuisset) Vesicatoriis, julapio Cephalico, pilulis Catharticis, Sternutatoriis, aliisque ejusmodi Medicamentis in curatione Apoplexiæ necessariis. Insuper me suadente, Unciam unam Corticis Peruviani secum tulit, quem (cæteris omnibus posthabitis) jugiter ingerendum consului, modò, ex spontanea symptomatum Apoplecticorum remissione id fieri posset: Rite etenim conjiciebam, ex Constitutione tunc temporis Epidemica, atque Apparatu apoplexiam præcedente, gravem hunc Morbum potiùs symptomaticum esse ac à fermento febrili ortum, quàm primarium atque genui-

genuinum; Proindeque desinente paroxysmo, inducias ultrò concessurum esse. Uti è contrà, si morbus fuisset primarius, ob Ætatem Ægri provectiorem, atque stuporem solitum, & habitualem, plane funestum fore, atque supra Medicinæ sphæram positum. Clariss. D.D. (itinere jam peracto) ubi, ob omnium symptomatum remissionem, observasset Ægrum quadantenus à somno ac stupore ultrò restitutum, atque sensûs, hebetioris licet, compotem, indeque pulveri deglutiendo parem; spatio sex horarum ℥j. Corticis ei ministrari curavit (cæteris omnibus ad Apoplexiam spectantibus posthabitis) unde, licet post bihorium, paroxysmum febris Intermittentis legitimum perpessus sit Æger, nullis symptomatis Apoplecticis denuò tentatus est, atque equidem in posterum, absque exhibitione cujuscunque alterius Remedii, per tres vel quatuor Hebdomadas à Febre liber mansit; utut per totam hyemem insequentem, recidivationi febris Intermittentis simplicis, jam Quotidianæ vel Tertianæ, jam Quartanæ sæpenumero obnoxius fuerit. A qua tandem, verna tempestate sequenti, usu Corticis perfecte liberatus optima valetudine per plures annos utebatur, multo minùs hebes ac somnolentus quàm priùs.

Historia XXVII.

Anno 1690. à frigore suscepto, Ego ipse, ad quatriduum, insolito faciei calore periodico, præsertim à pastu, affectus sum: Dein per tres vel quatuor dies continuos Hemicraniam molestam, sinistram capitis partem occupantem, ab octava hora matutina ad quintam usque Vespertinam protensam, quotidie patiebar: Quoad cætera firme valebam, &, cum appetitu integro, muniis solitis fungebar. Quandoquidem autem hunc morbum, antehac in aliis, non obstante repetita venæsectione applicatione vesicatoriorum, Cucurbitularum, Fotuum, Errhinorum, Masticatoriorum, & exhibitione methodica Catharticorum, Emeticorum, cæterorumque idgenus, ad mentem veterum, valde Chronicum & contumacem sæpiùs observassem; atque molestum hoc symptoma à fermento febrili delitescente subortum esse, suspicatus essem utut nulla febris præsentis indicia apparerent. Post extractionem ℥xii. sanguinis è brachio sinistro, pulveris febrifugi ℥j. spatio bidui devoravi. Postquam Corticis ʒv, absumpsissem, dolorem multò mitiorem, die sequenti (periodice licet & designato tempore recurrentem) passus sum. Penso vero absoluto, die proximo prorsùs liberatus sum. Post tres autem hebdomadas recrudescebat dolor (sicuti in febre Cortice curata solet) quem non sine Chinæ-Chinæ ℥jß. jam superare potui, quippe vegetam & genuinam penes me tunc temporis non habui. Repetito autem Cortice post duas hebdomadas, prophylaxeos gratia hucusque, sine quocunque alio Medicamento exhibito, optima valetudine utor.

Ad Dominam Bodington habitantem in vico dicto Lothbury, Hemicrania periodica per tres hebdomadas, eodem fere modo affectam, nisi quod, ex mora paroxysmorum longiori, tandem quadanteuùs febricitare inceperit, accersitus sum. Corticis autem ℥j. exhibita, post detractionem sanguinis, applicationem vesicatorii ad Nucham, & bolum Theriacalem priùs ministratum, spatio bidui Patiens plane convaluit.

Historia XXVIII.

Domina Fox vidua elegans & robusta, quæ à multis retroactis annis affectiones Hystericas atque etiam Nephriticas post longa intervalla recurrentes perpessa fuerat, & Calculos plures è Renibus excreverat. Cùm Anno Ætatis quadragesimo fere ad duodecim Mensium spatium, menstruarum purgationum solitarum omnimoda suppressione laborasset, demum lumborum dolore atroci correpta, incertis spasmis, verùm ut plurimum quotidie revertentibus excruciabatur. Plurimis, iisque maximi nominis Medicis (qui variis methodis, jam ut Nephriticam, jam ut menstruis purgationibus destitutam eam tractarunt) per spatium trimestre incassum consultis; denuò ubi dolores pene continui facti sunt, atque adeo exacerbati, uti extremæ partes inde algerent, atque, præ spasmorum vehementia, mulier fere perpetuò lipothymica jaceret, nostram opem petiit. Post rejectionem Enematis carminativi (spasmis vehementioribus id Indicantibus) venam lateris affecti in brachio tundendam, atque sanguinis ℥viij. illico detrahendas jussi; partes affectas etiam, coram luculento igne, linimento ex unguent. Dialth. Ol. Lil. alb. laterit. ana p. æqu. confecto, illinendas; & demum Extract. Rud. ʒß. cum Laudan. Lond. gr. jß. commixtam, forma pilulari in lecto deglutiendam præscripsi; atque Apozema nostrum Nephriticum ex Semin. Malv. Alth. &c. libere propinandum: julapium etiam hystericum spiritu salis Armon. saturatum sæpiùs exhibendum jussi. Incassùm autem hæc omnia, quamprimùm enim vis laudani anodyna deficere incipiebat, vomitio, algor extremorum, lipothymiæ, & spasmi horrendi, ut priùs recrudescebant, quos allevare non potui absque quantitate laudani adeò larga & frequenter repetita, ut misella Ægra inde perpetuò delirans, stupida ac attonita jaceret. Ubi autem die tertio observassem Urinam multa rubedine tinctam, contentis saturatam, ac in colorem lateritium præcipitatam, clare perspexi fermentum febrile (utut ex vehementia spasmorum extrema jam frigerent) sub hisce spasmis delitescere: indeque Haustum nostrum febrifugum Corticis ʒj. & laudani liquid. gutt. xx. saturatum statim propinandum, & quarta quaque hora repetendum duxi. Unde post horas 30. (restituta jam urina in colorem naturalem, atque dispositione ad vomendum plurimùm evicta) Dolor multò magis allevabatur, quàm ubi longè majori laudani dosi ægra hebetabatur: appetitu insuper restituto, carnibus vescebatur, atque magis vegeta ac vivax quam antea apparebat. Quandoquidem autem à spasmis dolorificis immunis non erat, nisi quamdiu laudano repetito Renes sensu privati narcosi afficiebantur, eam, per spatium duarum hebdomadarum, omni die à purgatione libero, in Balneum artificiale ex aquæ & lactis ana p. æqu. confectum, herbis, cæterisque ingredientibus lubricantibus saturatum, quotidie immit-

immittendam duxi, ut, lubricatis meatibus urinariis, calculi Renibus aut ureteribus impacti, faciliùs deturbarentur; &, in eundem finem, tertio vel quarto quoque die, Alvum bolo Cathartico lenitivo, hora somni exhibito, & Aquis mineralibus coctis, cum vel sine manna, prout opus fuit, mane proximo subducendam jussi; ante & post singulas purgationes & balneationes Dosin laudani satis largam ministrando. Unde dolores & spasmi adeò allevabantur, uti fœmina, quæ priùs ob acutos & vehementes dolores vix à lipothymiis, vel in lecto, immunis esse potuit, jam non tantùm in cubiculo obambularet, sed etiam foras exiret, atque frequenter (me jubente) currum, ad extrusionem calculorum promovendam, conscenderet, licet omni nocte dosin laudani largam, ad acutos spasmos antevertendos, repetendam jusserim; atque Alvum, post debita intervalla, pharmaco Cathartico leniendam; ne ex ejus constrictione dolor Nephriticus (uti solet) adaugeretur; Cerevisiam insuper ordinariam, sacculo ingredientium Antiscorbuticorum alterandam, atque haustum ex vini Chalybeati & decocti amari sine purgantibus ana ℥jß. omni mane à purgatione libero propinandum jussi: Quippe ex Diathesi manifestò scorbutica & hypochondriaca, menstruis purgationibus suppressis, æque ac à calculis in Renes aut Ureteres impactis, hosce spasmos subortos esse jam suspicari cœperam. Hac methodo mensibus demùm restitutis, & calculis plurimis majoribus excretis, prorsùs convaluit, & huc usque à dolore omni libera, plaudentibus Amicis, optima valetudine utitur, & hilaris ac vivax muniis solitis fungitur.

Eadem fere Methodo Coquum habitantem in vico dicto The Old Change liberavi ab horrendis spasmis calculosis cum febre conjunctis.

Historia XXIX.

Domina Royston, vetula elumbis ac paralytica, circiter Annum Dom. 1678. & Ætatis suæ 67. febre Intermittente Tertiana, tempore verno, correpta, Cujus paroxysmis adeò protensis atque cum diris admodùm symptomatis sociatis ubi vires suas haud pares sufferendis sensit; sese in manus Medici consueti atque collegæ mei Clariss. curandam dedit. Ille autem, utut senex, atque exercitatissimus in arte Medicinali, quandoquidem vires Corticis febrifugas haud sæpe explorasset, ab ejus usu plane abhorruit, atque potiùs venæsectione, lenibus Catharticis, Emeticis, Pericarpiis, atque longo usu decocti amari sine purgantibus, cæterorumque ejusmodi febrifugorum fallacium ac incertorum, curationem perficiendam duxit. Inde, spatio lunæ unius, viribus Ægræ plurimum attritis, præsertim à febre jam typum suum in Duplicem tertianam mutante, universa symptomata cum subito virium collapsu in pejus ruebant; Ego igitur à perterritis adstantibus etiam accersebar, ut unà cum Clariss. collega de nova curationis methodo instituenda consulerem. Ego autem, experientia virium Corticis multifaria fretus, animum dedi Cl. collegæ, ut lubentissime vires ejus in hac vetula experiretur, non obstante provectiori ejus Ætate ac paralytica affectione, quas ob rationes hactenus eum præscribere non ausus fuerat. Cortice autem ad ℥vi. spatio tridui exhibito ac devorato, plane convaluit Ægra, quo circà, ne officiosus viderer, Memet ultrò subduxi, atque Ægram in Cl. collegæ manu reliqui, postquam eum clam monuissem usum Corticis, ac recidivationem antevertendam post debita intervalla repetendum esse. Verùm hoc sano consilio (utrum Ægræ vel medici culpa nescio) posthabito, sæpius, scil. post intervalla unius, duorum, vel trium mensium, ad spatium sesquianni recruduit Morbus, toties à Cortice profligatus, quoties eum revirescere contigerat: At seminium penitùs hucusque deletum non erat. Unde Anno 1679. media hyeme, ego solus à vetula perterrita, attrita & imbecillitate pene confecta advocor, ubi vix ulla spes revalescentiæ affulsit, unoquoque paroxysmo cum diris symptomatis sociato, & jam singulis diebus revirescente, atque ad spatium horarum 18. vel 20. protenso. Invenio Mulierem præjudicio adversus Corticem præoccupatam, quippe duas ejus libras, ad minimum, nullo cum fructu sese devorasse affirmabat, & ego ipse observaveram ab uncia una Corticis vix unum paroxysmum differri potuisse; adeo sese vetula huic Remedio assuefecerat. Statutum est igitur in gratiam Mulieris, utut vetulæ, tamen vitæ amantissimæ, vires febrifugas alterius specifici experiri, cujus efficaciam ante multos annos, priusquam Cortex mihi notus fuisset, in debellandis hujusmodi febribus sæpius comprobaram. Quandoquidem autem pharmacum erat admodum ingratum; in formam pilularem redactum, ut ejus sapor vomitionem minùs provocaret, modo sequenti exhibendum præscripsi.

℞. Pulv. Flor. Chamæmel Subtiliss. trit. ʒj. Antimon. Diaphoret. Salis Absynth. ana ʒß. Mucilag. Gum. Tragac. q. s. M. f. pilul. mediocres deaurandæ, quarum quatuor capiat quamprimum unà cum haustu julapii cordialis quod in promptu est, repetatque sexta quaque hora. Unde spatio bidui, præter spem Adstantium, à febre, brumali tempestate, & concrescente ubique gelu, penitus liberabatur, neque posteà unquam morbi revirescentiam passa est. Nec non (quod equidem notatu dignissimum est) appetitum integrum, & firmam valetudinem, brevi, consecuta, quasi iterum juvenescere quadantenus visa est, & jam, ubi octuagesimum Ætatis annum pene attigerit, vultu vivaciori, ac animo hilariori prædita est, corpore magis erecto, & gressu magis cito ac firmo incedit, quam ante febrem. Quod mehercule multo & diutino Corticis usui maximè acceptum referendum duco, præsertim, quia nonnullos alios etiam, à multo hujus pharmaci usu, è statu valetudinario, in habitum corporis magis Athleticum & robustum quam priùs, restitutos sæpiùs vidi. Quocirca, hoc vivum ac præclarum exemplar ob oculos eorum ponere soleo, præsertim seniorum, qui opinione nescio qua præoccupati ab usu hujus Remedii timent. Siquidem mihi jam multa experientia freto persuasum est, nihil inauspicatum ab hujus pharmaci usu unquam eventurum esse (modò infelix ἰδιοσυγκρασία absit) ubi manu sat liberali fuerit exhibitum.

Historia XXX.

Circiter Annum 1685. accersitus, invisi Filiolum Domini *Barnard* Jurisperiti, vix duos annos natum, quem inveni plurimùm febricitantem, atque, more Infantium denturientium, Pulmonum infarctu, cerebri oppressione, ac hebetudine laborantem, unde spasmos mox subsecuturos, jure merito suspicabar. Quocirca ad spiritus resuscitandos, suppedanea acria ad plantas pedum; & Vesicatoria ad Nucham & carpos applicanda jussi; quinetiam Julapium cephalicum ad libitum pitissandum, & Pulv. è chel. cancr. comp. gr. VI. cum Pulv. de Guttet. gr. IV. commixta, sexta quaque hora exhibenda. Unde plurimùm à symptomatis prædictis liberatus videbatur. Febrili autem paroxysmo, iisdemque symptomatis, unoquoque die, atque eadem ferè hora, iterùm atque iterùm periodice recurrentibus, nullus dubitabam recrudescentiam symptomatum, unà cum febre, Cortice tollenam esse. Cùm autem Pueri ἰδιοσυγκρασία spem meam frustrata esset, postquam spatio 5 dierum propè ℥VI. Pulveris Peruv. nullo cum fructu, illi ministraram, vita Pueri in maximo discrimine jam versante, gr. XV. Pulv. Nostri febrifugi è cochlear. Julapii cephalici exhibenda jussi, & sexta quaque hora repetenda, Unde spatio bidui, à febre atque omnibus symptomatis liberatus reconvalescebat Puer, & adhuc valet.

Hoc etiam Remedio Domina *Gumley* Febre Tertiana, quæ ob fœminæ ἰδιοσυγκρασίαν vires Corticis superaverat, correpta, brevi liberata est.

Exercitatio Secunda. De Febribus Continuis, præsertim Remittentibus Συνεχέσι *sive Continentibus.*

De Febribus Continuis in genere.

In priori Exercitatione generalem febrium, rationem & continentem earum causam, in Venenato fermento spiritibus animalibus implicito consistere docuimus, & symptomata multifaria, quæ febricitantibus accidunt, inde dependere demonstravimus: Febrium etiam Intermittentiam Ætiologiam, Pathologiam atque Indicationes curativas ab hoc fonte clare & perspicue deduximus. Restat jam, ut ad hanc Cynosuram Theoria febrium continuarum συνεχῶν scil. simplicium & mixtarum, Inflammatoriarum, colliquativarum, & Συνόχων, quæ superest excolenda, dirigatur; Indicationes curativæ eliciantur, & denique methodus medendi cum ratione ac experientia congruentior stabiliatur, quàm ea quæ olim Humorum & Qualitatum evidentium doctrina innitebatur.

Ante omnia, hîc loci notandum venit, Venena in genere, seu fermenta febrilia, quotquot sint, eandem ipsissimam naturam sortita esse, atque, utut jam vi Emetica, jam cathartica, &c. Eximie prædita sint, unde vehementia, eaque admodum multiplicia symptomata proferre apta nata sunt; in quantum tamen species febrium discriminant in Intermittentes, Remittentes, continuas vel Malignas, ab invicem gradu solummodò differre; prout plùs minùs principium vitæ, seu spiritus animales obruunt aut delent; indeque mutationes in massa sanguinis, ac symptomata in genere Nervoso variantia producunt. Exempli gratia, Quoties spiritus robore nativo pollentes, & miti Veneno obsessi, adeò firmi ac constantes sunt, uti spatio 24. horarum victoriam reportare valeant; licet delitescens fomes statis periodis nunc his, nunc aliis, ad recrudescendum aptus sit; Febris inde formatur vere Intermittens, de qua in priori Exercitatione sat superque sermonem habuimus. A proximo Veneni gradu spiritus quadantenùs fracti, licet perciti & irritati, toto suo nisu & conamine hostem, unius vel alterius diei spatio, excutere nequeunt: Hinc formatur Febris Συνεχὴς, ubi Æger continuò febricitat; exacerbationes tamen & remissiones, statis periodis sentit: Licet enim Natura in unoquoque certamine, quotidie superior evadat, quia tamen victoriam admodum diminutam, ob deficientem spirituum expansionem, semper reportat, nusquam, in statu prorsùs ἀπυρέτῳ, de hoste triomphat. Si gradus Veneni sit adhuc intensior, & spirituum expansio non tantùm valdè deficiat, verùm etiam cum multo nisu & labore ad metam Elasticitatis, quam assequitur, pertingat; Spiritus inde excandescentes in statum explosivum adiguntur, varios dolores in universo systemate, vel parte aliquâ singulari excitantes, aliquando Vomitus, vel secessus enormes, vel utrosque simul efficientes. Febris hinc orta, pro diversitate symptomatum vehementium, nunc Inflammatoria, nunc colliquativa seu Glandulosa, jure merito denominatur, & Typum Rheumatismi universalis vel particularis, Pleuritidis, Peripneumoniæ, Erysipelatis, Anginæ, Ophthalmiæ, Febris Scarlatinæ, Variolosæ Morbillosæ, Diarrhœæ, Dysenteriæ, choleræ morbi, colicæ ventriculi vel intestinorum, &c. pro genio fermenti vario, & partis affectæ debilitate simulat; Exacerbatio insuper, & Remissio periodica ex hisce symptomatis clariùs quàm à calore febrili aucto vel diminuto dignoscitur: Calor enim, sæviente symptomate, præ languore mitescit, remittente, augetur, & evidentiùs se prodit. A gradu Veneni intensissimo suboritur Febris Συνοχὸς, ubi, utut mitia sub initium cuncta appareant symptomata; quia spiritus primo ictu mortificati, luctæ instituendæ impares redduntur; Febris tamen plus minus maligna est: Spiritibus enim mortificatis, Antidotus febrifuga nullius usûs est, donec Arte vel Naturâ Venenum quadantenùs subigatur, & febris typum benignæ, seu Συνεχοῦς induere incipiat.

Varia hæc Venenata fermenta (utut febres inde ortæ typo, symptomatis, & Methodo Curationis toto cœlo distent) non specie, sed gradu tantùm, ab invicem differre ulteriùs constat; quia non tantùm febres remittentes, verùm etiam nonnunquam intermittentes, ex malâ Praxi, in verè continuas, Malignas, & Pestilentiales mutari contingit; Et è contra Malignas (præsertim Autumnales) non raró in Remittentes vel Intermittentes terminari. Necnon facilè observatu est, Febres summè Malignas, idque in constitutione Epidemicâ (ubi Venenum ab extra admissum, vel deleteriâ, si quod aliud, maximè præpollere videatur) primo insultu typum Febris Συνεχοῦς induere, atque tertio die, si non etiam quinto, & septimo,

in-

ducias dare, cum evidenti Diaphoresi ac Remissione conjunctas; A quo tempore, gradu Veneni jam aucto, & morbo ad Statum properante, in Συνοχὸν degenerant, & Petechiæ, Eruptio Miliaris, vel aliæ aliquæ Malignitatis notæ quàm citissimè efflorescunt. Ex adverso, Febres Petechiales, Purpureæ, & ipsæ Pestilentiales, prope Crisin (quoties eam contingit esse salutarem) Veneno quadantenùs subacto, & spiritibus priùs implicitis sese expandere incipientibus, in benignas & Συνεχεῖς, putridas dictas, transeunt, sudore singulis vel alternis diebus, statâ horâ, pro ratione paroxysmi antecedentis, plus minus copioso excipiuntur, quem sequitur somnus placidus, Delirii, cæterorumque id genus symptomatum remissio; Aliaque Naturæ victricis indicia ab Urinâ, pulsu, & temperie desumenda; donec tandem Æger, totâ materiâ febrili deflagratâ, & Veneno penitùs subacto, spiritibus inde pristinam expansionem recuperantibus, sensim in statum ἀπυρεξίας restituatur. Insuper, febres Συνοχεῖς. Præsertim Infantium, uno tenore per quatriduum progredientes, non raro observavi, quinto vel sexto die, Veneno ex regimine debito quadantenùs diminuto, in Συνεχεῖς vel ipsas Intermittentes terminari. Imò nuperrimè in familiâ Vicini mei Domini *M.n* (ubi octo ad minimum simul decumbebant, uno eodemque modo primùm correpti) sex, quos invisi ante tertium diem Morbi, scil. priusquam venenum ex morâ exaltaretur, merâ Corticis exhibitione, cum, vel sine Venæsectione, pro ratione symptomatum, spatio bidui vel tridui integrè restitui: Dominum vero ipsum, atque ejus conjugem (qui opem Medicam ad diem septimum vel octavum distulerunt) ex Orci faucibus, nonnisi spatio Lunæ integræ, idque difficulter admodum, usu frequentium Vesicatoriorum, Alexipharmacorum, cæterorumque ejusmodi Anti-pestilentialium Remediorum liberare potui. Cortex hic nihil valebat; Delirabant enim, Lipothymiâ, subsultibus Tendinum, cæterisque diris in genere Nervoso symptomatis afficiebantur Patientes, Petechiis etiam, atque Eruptione Miliari quaquaversùm interspersâ notabantur.

Hoc concesso, Theoria Febrium continuarum generalis facilè & breviter explicari potest. Venenum enim spiritibus implicitum (quod Naturam ad certamen irritando, hisce febribus ansam præbet) iis vel Debilius, vel fortius, vel Æquale est: Modò Debilius sit, Natura, unoquoque certamine, quadantenùs superior evadit, indeque oritur Febis continua benigna, dicta Συνεχὴς seu putrida; ab evidenti Paroxysmo ac Remissione, singulis, vel alternis diebus periodicè recurrente, dignoscenda. Si verò Æquale sit, multò magis si fortius, febris insequitur Συνοχὴς, unum tenorem servans.

Hinc sequitur febrem Συνεχῆ simplicem, quâ talem, & quamdiu talem, nunquam esse funestam: Quippe Natura quovis certamine victoriam reportat, imperfectam licet; Quoties autem à gradu Veneni aucto lethalis evadit; paulò ante funestum diem, typum suum mutando, in Malignam transit: Simplicem inquam Συνεχῆ; Namque à nisu & luctâ spirituum haud rarò funestum aliquod Symptoma suboritur, Rheumaticum, Pleuriticum, Peripneumonicum, Erysipelatodes, Dysentericum, vel Cholera Morbus, Diarrhœa Torminosa, Colica Ventriculi aut Intestinorum Symptomatica, unde Æger interimatur, utut febris fuerit, uti aiunt, Putrida & benigna, & Venenum unoquoque certamine quadantenùs domitum. E contrà, affirmo, febrem quamcunque Συνοχὸν semper alicujus Malignitatis participem esse, quia Venenum spiritibus superius, vel saltem æquale est; nec unquam posse sanari, donec a subactione Veneni, & expansionis spirituum restitutione, Typum suum mutet, ac fiat Συνεχὴς seu benigna. Quo igitur febris plus minus accedit ad naturam Συνεχοῦς vel Συνόχου, hoc est, pro ratione expansionis spirituum, Prognosticon ritè faciendum est, vel funestum vel salutare, atque Methodus Curationis (durante cursu unius ejusdemque morbi) jure merito varianda. Siquidem, quamdiu Febris speciem continentis induerit, spirituum robur superest, quod sufficiat ad vires Antidoti in actum deducendas, cujus exhibitio ad Veneni reliquias frangendas apprimè necessaria est, Cortic. scil. Peruviani, cujus vires in hac, æquè certò & citò efficaces, ac in Intermittente curandâ, multo usu, & communi Medicorum consensu comprobantur; Ubi autem Venenum magis deleterium est, & spiritus non sine multo nisu & conamine sese expandere valent, unde varii spasmi, & prægrandes Excretiones, præsertim sub initium uniuscujusque Paroxysmi excitantur, utut febris sit revera Συνεχὴς, speciem tamen exhibet alterius febris inflammatoriæ scil. Colliquativæ, &c. Unde fit, quòd hæc febris, licet in se salutaris, & viribus Corticis victricibus, (quas spirituum robur ac vivacitas hactenùs superstites regere, ac in actum deducere valet) cessura; Propter symptomata tamen vehementia à nisu hoc & luctâ difficili orta, ex accidente, lethalis sæpiùs evadat. Quapropter, præter subactionem fermenti venenati febrilis, multa alia Indicantur à nisu spirituum & parte affectâ, quibus (posthabitâ generali Indicatione) Medicus quivis sese priùs satisfacere debere noverit. Febris Συνοχὴς unam tantum generalem Indicationem suppeditat, scil. ut expansione spirituum promota, Æger in extremo discrimine versans & quasi gradu quodam Mortuus, ab Orci faucibus liberetur. A Cortice Peruv. vel alia quacunque Antidoto nihil opis omnino jam expectandum est, donec spiritus Antidoti vires regere possint, & à veneno sopiti Cardiacis, Alexipharmacis, &c. Exsuscitentur, & muniis suis iterùm fungantur. Quo facto, febris genium suum non mutare, & in Συνεχῆ Benignam transire non potest, ejusque mutationis specimen exhibere in Exacerbationibus & Remissionibus periodicis, singulis vel alternis diebus recurrentibus, & pro ratione victoriæ partæ plus minus manifestis.

Quandoquidem hæ febres indole admodum diversâ sint, indeque Prognostica diversa suppeditent, & Methodum Curationis variam postulent, & eadem ipsa febris, brevi temporis spatio, genium suum sæpiùs mutare soleat, Medici interest, ante omnia, febrem curandam

dam ex certis Criteriis posse dignoscere, scil. num Benigna, Maligna, vel Mixta sit, & varias Metamorphôses, quas eadem febris subit, animadvertere; ut inde, tanquam Cynosurâ ductus, non temerariò & more Empiricorum febres omnigenas, vel eandem ipsam, in diversis suis Stadiis, heu quantùm mutatam! unâ methodo, absque discrimine tractare; Verùm pro ratione Veneni aucti, vel diminuti, & expansivâ spirituum facultate inde plus minùs læsa, ad normam rationis, Prognostica sua dirigere, & Methodum Curationis, pro re natâ, multiplicem instituere valeat. Exempli gratiâ, si febris à primo insultu, mali Moris sit, & Mors quasi ab initio præ foribus adstet; Prognosticon funestum faciendum est, Indicatur verò expansio spirituum, ab ipso initio, Alexipharmacis, Vesicatoriis, &c. Promovenda. Sin spiritus, qui primò prævalebant, ex malâ praxi, vel alio quovis accidente, durante certamine, deficiant; & venenum prope statum Morbi spiritibus superius evadat; Febris, quæ primùm fuerat Συνεχὴς in Malignam transit, fatale Prognosticon suggerit, & Methodum Curationis mutandam postulat. Sin Artis vel Naturæ ope, Spiritus, instante morbi Statu, extremo nisu, quantum possunt, sese expandant, Veneno inde quadantenùs subacto, febris quæ prius erat Maligna & Συνοχὸς, mutatur in Benignam Συνεχῆ, evidentibus Exacerbationibus & Remissionibus interpunctam, & faustum eventum præsagientem, præsertim quia Antidotis specificis utendi occasio datur, unde citò, ac certo, Venenum febrile subigi potest: Quocirca tam Prognosticon, quam Methodus medendi, pro præsenti Morbi genio, jure merito variari debet.

Ideam harum Febrium Graphicè depingere, ita ut certis quibusdam Criteriis ab invicem, & a cæteris morbis congeneribus discriminentur & dignoscantur; Fontes etiam variorum Prognosticωn ad normam rationis adaptatos ostendere; necnon Methodum Curationis ad diversas hasce febres accommodatam rationi innixam stabilire, qua in variis hujus morbi versatilis Stadiis, symptomata diversa sublevari possint, est pensum illud, quod adhuc superest filo sermonis jam texendo absolvendum: Id autem à febribus Συνεχέσι sive continentibus consultò auspicamur; quoniam istæ Intermittentibus magis affines videntur, quam Malignæ, vel Inflammatoriæ aut Glandulosæ seu colliquativæ, quæ à fermento magis Deleterio, vel saltem magis irritante originem suam trahunt.

De Febribus Continuis Remittentibus, ab Antiquis Συνεχέσι dictis, iisque tam simplicibus, quàm spuriis; earumque Naturâ, causâ Continente, ac Typo Vario.

Febrem illam Remittentem, seu Συνεχῆ voco, quæ licet continua sit, manifestò tamen, atque ut plurimùm periodicè, exacerbatur & remittit. Hæc febris vel est simplex & pura, vel spuria seu mixta, vehementi quippe aliquo symptomate stipata.

Συνεχὴς Puræ & Simplicis Typus, ex manifesta Exacerbatione & Remissione, singulis ut plurimùm, vel alternis diebus, statâ & certâ horâ, Periodicè recurrentibus facillimè dignosci potest; Atque equidem, ab Intermittente, inde duntaxat discriminatur, quòd calor febrilis in intervallis hujus febris nunquam penitùs extinguatur; & primus summodò paroxysmus cum solenni Algore, Horrore & Rigore incipiat. Unde operæ pretium vix erit, in hujus morbi Criteriis, sive signis Diagnosticis diù morari, postquam Typum ejus Graphicè descripserimus.

Cùm primùm spiritus, ex improviso, aurâ Venenatâ inficiuntur & obruuntur, tota Machina Algore universali corripitur, eousque durante, donec sese expandere iterùm nitentes, hostem adoriri incipiant; Quod sine Horrore, Rigore, Oscitatione frequenti, Pandiculatione, Vertigine, cæterisque id genus levioribus spirituum oppressorum & confusorum symptomatis (quæ in primo uniuscujusque febris limine molesta sunt) fieri non potest. Urina etiam tenuis, pallida, & copiosa redditur, atque Pulsus in Celerem, verùm debilem & suppressum mutatur (veluti in Hystericis, cæterisque affectibus Nervosis accidere solet) donec spiritus nisu, & motu nonnunquam vehementi excandescentes, atque inde præter solitum expansi, flammam febrilem in sanguine accendant: Totâ autem massâ jam flagrante, Temperies illicò mutatur in fervidam & æstuosam, Pulsus in celerem, fortem & magnum, Urina multa rubedine tingi, & colliquatione facta, contentis saturari incipit: Poris à calore insolito constrictis, cutis arescit; accedit sitis ingens, & Linguæ summa ariditas; & quia Fermentum Ventriculi à massâ sanguinis flagrante secernitur, ipse Ventriculus Dyspepsiâ, Ægritudine, Nauseâ & proclivitate ad vomendum derepentè afficitur: Cerebrum, à Veneno non adhuc penitùs excusso, Gravitate molesta laborat; & Artus Lassitudine premuntur: A motu spirituum inordinato sese ulteriùs expandere contendentium, Vigiliæ pertinaces oriuntur, atque jactatio corporis inquieta: A Fibrarum Membranacearum distensione Dolor Capitis prægrandis, & Lassitudo Ulcerosa totius Corporis; præsertim verò prope exitum Nervorum è Spina, insignis Lumbago, hanc Febrem ferè semper comitari solita, ortum suum ducit. Atque omnia hæc symptomata vigent, & crescunt, donec spiritus, expansivam suam vim exercendo, Venenum quadantenùs subegerint, postquam ad spatium unius vel alterius diei acriter certaverint: Tunc tandem Febris (subortis sudoribus) mitior evadit, Jactatio, Vigiliæ, Ægritudo, Sitis, Cephalalgia, Lassitudo, cæteraque omnia symptomata sensim atque ultrò decrescunt, donec Venenum, vi potiùs suppressum quàm subactum, novas vires resumat, & certamen de novo instituat, quod jam sine solenni Algore, Horrore, & Rigore incipit, quippe spiritus, durante remissione, ultra solitum expansi, ex improviso non adeò deprimi possunt. Quamdiu febris hunc typum servet, jure merito Συνεχὴς seu continens audit: Ubi verò venenato Fermento aucto sponte, vel ab Evacuationibus, vel Opiatis, perperam & in larga nimis quantitate exhibitis, vel quocunque alio accidente,

febris typum suum mutet, & uno tenore progrediatur, illico maligna fit, prognostica diversa ministrat, & methodum curationis admodum diversam postulat. At de Maligna febre exercitat. quinta uberius loquemur.

De Febris Continentis Signis Diagnosticis.

Criteria febris Συνεχὸς simplicis Diagnostica à quatuor fontibus potissimum petenda sunt. 1. scil. à manifesta symptomatum exacerbatione & remissione, singulis vel alternis diebus periodice revertente; Quo autem magis evidens sit exacerbatio & Remissio; quove magis certa sit harũ exacerbationum & remissionum periodus, eo genius Συνεχὸς clarius sese prodit. 2. à pulsu, qui utut, durante remissione, mitis sit, vigente paroxysmo augeri solet, & mutari in fortem, magnum ac celerem, æquali & constanti tenore, pro vigore spirituum influorum, pergentem; Quo propriùs autem pulsus ad hoc exemplar accedit, Συνεχὴς eò magis simplex & pura est. 3. Ab urina, quæ post primum insultum, durante paroxysmo, rubedine multa perpetuo tingitur, & contentis copiosis saturatur, durante vero Remissione hypostasin laudabilem ut plurimum deponit. 4. à Sudoribus periodicis, quibus sub finem cujuscunque paroxysmi Æger perfunditur.

Spuriam autem Συνεχῆ non adeò facile est ad vivum depingere, ut non adhuc ingenia doctissimorum & exercitatissimorum Medicorum, in ea exploranda & dignoscenda, torqueantur; Nam, urgente symptomate, quodcunque illud fuerit, haud raro Criteria febris prius memorata plurimum desiderantur; siquidem à nisu violentiori, spiritus in statum explosivum quadantenus adiguntur: unde symptomàta in genere Nervoso suboriuntur, Dolores in musculis, tendinibus & membranis Rheumatismum, Pleuritidem, Colicam, cæterosque id genus morbos inflammatorios & spasmodicos simulantia, & è partibus Glandulosis enormes subsequuntur humorum Excretiones, vomitio sc. immodica, Cholera morbus, Diarrhœa, Dysenteria, unde Natura jam prorsùs languens, in veneno adoriendo, intra cancellos solitos sese circumscribere nequit, indeque typus Συνεχὸς spuriæ multum obscuratur, neque facile è notis prius descriptis dignosci potest, siquidem, præ vehementia Doloris, Inflammationis, vel Evacuationis comitantis, spiritus, utut adhuc contendere persistant, multùm tamen obruuntur, atque Natura inde labefactata plurimum deficit, adeo ut donec symptoma allevetur, & spiritus sese iterum expandere incipiant, calor febrilis uno tenore pergens (extremis jam fere semper frigentibus) remissus & mitis sentiatur, pulsus sit debilis ac celer, urina pallida, tenuis & copiosa (sicut in Febribus malignis) Typo febris genuino ex periodicis Exacerbationibus & Remissionibus dignoscendo, planè exulante: Vel ubi symptomata (quod sæpe fit) alternatim exacerbantur & remittunt, paroxysmi periodici inde incerto & nonnunquam sæpius eodem die recurrere solent, scil. Evacuatione, vel dolore aucto, Calor & pulsus minuuntur: His autem diminutis, illi augentur. Donec hæc symptomata releventur, non, sine maxima difficultate, experto & exercitato Medico typum & genium febris hariolari licet; Quocirca, uti jam necesse est methodo quadantenus diversa, quæ scil. symptomata vehementiora adjuncta, æque ac morbum ipsum respiciat, febris curationem feliciter absolvere; Ita non minus ex aliis fontibus, quam ex typo ipsius febris signa ejus verè Diagnostica petenda sunt; prætertim scil. à symptomatis vehementioribus, quæ, si ejusmodi fuerint, quæ robur spirituum, utut jam obrutorum, aut saltem forte conamen arguunt, &, si cum magna violentia invadentia, febrem inflammatoriam, vel Colliquativam denuntient, præsertim, si hæc symptomata observentur post periodos certas recurrere; atque, saltem durante Remissione, urina reddatur, qualis in συνεχῆ genuina reddi solet, & pulsus etiam congruat; admodum verisimile est hancce febrem (qualiscunque sit ejus typus) esse de genere συνεχῶν, atque ejus Curationem usu Corticis Peruviani ritè ministrati, respectu scil. ad symptomata urgentia habito, feliciter absolvendam. Ex. gr. Ubi febris (quomodocunque typus ejus nativus à symptomatis suppressus obscuretur) insolita & intensa Nausea, vel vomitione stipetur, adeo ut Æger vix quicquam Medicamenti vel alimenti retinere, vel suscipere queat, quin illico vomitione sursum id rejiciat; vel, ubi fluxus alvi immodicus adsit, ita ut omnia ingesta confertim deorsum ejiciantur; vel ubi, sicut in Cholera morbo leviori, sursum ac deorsum propellantur; vel ubi prægandi aliquo & spasmodico capitis, Artuum, vel cujuscunque partis dolore, Colico, Pleuritico, Rheumatico, &c. Patiens torqueatur, & de symptomatis vehementia duntaxat conqueratur; Expansione spirituum, unde febris typus se alias palam ostendisset, jam præpedita; vel denique, ubi circa Nares, Labia, aut aliam quamvis partem Efflorescentia quasi Erysipelatosa (quæ ferè semper febrem Intermittentem genuinam comitatur) in cute appareat; præsertim verò, si hæc symptomata singulis vel alternis diebus, post certas periodos, revirescere & declinare observentur; atque, saltem durante declinatione, Urina & pulsus sese habeant, ut in febre συνεχῆ; Febrem hancce in classem συνεχῶν quæ viribus Corticis rite ministrati fugari solent, jure merito asciscere licet. Atque sane, ab hisce Criteriis, rarissimè, si unquam Memet deceptum memini, in genio hujusce febris dignoscendo, (quomodocunque typus ejus à typo simplicis & puræ συνεχὸς differat: Vires etiam Corticis æque efficaces hic etiam ut plurimum sensi, ac in Continente simplici, vel ipsa intermittente, modo methodo ad varientia symptomata accommodata exhibitus fuerit; suam methodum, proprio loco, sub hujus libri finem explicabo.

De Febris Continentis Causâ Evidenti.

Restat jam, ut de Causa harum febrium procatharctica sermonem habeamus, quæ cum sit ut plurimum Atmosphæra, Sententia nostra de causa harum febrium continente non parum stabilitur, quandoquidem spiritus multo facilius & clarius ab ambientis Aëris impuritatibus, & injuriis infici posse ac turbari, quàm humorum

rum segnem molem, ab omnibus libenter conceditur.

Ambientem autem Aërem reapse hisce febribus primùm ansam dare solere, exinde constat, quia ubique ferè Endemiæ sunt in Aëre Palustri, Maritimo vel Arboribus plurimùm obsito, quia heterogeneis particulis refertus & minùs perflatus, mirum in modum, non rarò stagnat & putrescit: Atque quovis fere loco Epidemicæ sunt, tempestate Autumnali, cùm Sole recedente, Aëris Temperies admodum inæqualis redditur, mane scil. & Vesperi gelida, meridie autem intensè fervida. Unde incauti, & eodem modo semper vestiti, postquam medio die æstuarunt & sudarunt, non possunt horis matutinis; præsertim verò vespertinis, in poros cutis, præcedente calore apertos, frigus non suscipere, unde spiritus derepente Algentes, & à naturali Temperie recedentes, ex improviso conturbantur; Et calor in massa sanguinis ab hoc motu accenditur, saltem Ephemerus, &, pro ratione cacochymiæ priùs congestæ, plus minus ad repullulandum proclivis.

De Febris Continentis signis Prognosticis.

Ex hac Febris Remittentis Ætiologia Prognostica sequentia verissima desumuntur. 1. Febris συνεχὴς simplex, quà talis, & quamdiu talis, rarò admodum, si unquam, funesta est. 2. Simplex συνεχὴς, priusquam exitialis evadat, typum ac genium suum mutat, ac transit in συνεχῆ malignam. 3. Febris hæc benigna propè statum morbi (veneno vel spontè, vel ex mala Praxi aucto, & spiritus obruente) in malignam facillimè transit; Unde Methodus curandi admodum diversa requiritur, & eventus vel dubius vel funestus prædicendus est. 4. Ex temeraria & incauta symptomatum συνεχῆ spuriam comitantium sublevatione, sive ex nimio Evacuantium & Opiatorum usu, sive Venæsectione perperam & prodigè ministrata, sæpissime contingit, quovis Morbi tempore, Naturam adeò pessundari, & spiritus inde labefactari, uti hæcce Febris, naturaliter benigna, momento quasi, malignæ speciem induat; Quod Febribus Erysipelatosis à frequenti & nimiâ sanguinis detractione; & aliis cum doloribus spasmodicis vel fluxu Alvi nimio sociatis, à profusâ Laudani exhibitione contigisse sæpiùs memini. Quocirca, uti cautela maxima in horum usu ritè requiritur, ita, admisso hoc errore, qui ex subitâ Pulsûs mutatione apprimè dignosci potest; Naturæ languenti incunctanter & assiduè Alexipharmacorum & Vesicatoriorum usu succurrendum est, ut vis spirituum expansiva suscitata jam demum, iterum promoveatur: Prognosticon etiam de eventu morbi à priori diversum faciendum est. 5. Quo plura malignitatis indicia cum hâc Febre conjunguntur, eò periculosior est, & eventus ejus incertior: Quo autem pauciora, eò major spes affulget; præsertim, quia Venenatum Fermentum, Corticis vel alterius cujuscunque Antidoti vires non ita promptè eludere potest. 6. Spirituum robur, ex Pulsu ante omnia certissimè explorandum est; Modus enim influxus spirituum, atque expansionis eorum gradus, ac Venenati Fermenti vis major aut minor, hâc viâ, maximè sese produnt: Indeque Pulsus fortis uno tenore pergens, utut Deliria, Tremores, Tendinum subsultus, cæteraque dira in genere Nervoso Symptomata subitam ruinam minari videantur, semper bene præsagit: E contra verò, Pulsus celer, debilis ac vacillans, Mortem præ foribus adstantem indubitanter prædicit, utut reliqua symptomata adblandiantur. Quamobrem Medicus, qui ad hanc Cynosuram sua Prognostica dirigit, rarissimè à scopo aberrabit, &, qualiscunque fuerit eventus, sese ipsum & Artem Medicam honestabit. 7. Συνεχὴς spuria sive Mixta, utut in se minùs funesta sit, ope tamen symptomatum adjunctorum Ægrotantes haud rarò è vivis tollit. Quocircà, primò omnium ea symptomata auferenda sunt. 8. Quò plura, vehementiora, & curatu difficiliora sint hæc symptomata, eò magis funesta (ex accidenti licet) ritè habenda est ipsa febris. 9. Febris primo instanti συνοχὴς & maligna, si salutaris Crisis contingat, illicò in συνεχῆ transit, & bonum Prognosticon suggerit; Et quò Paroxysmorum & Remissionum alternatio conspectior fuerit, & periodi certæ observantior, eò melius. 10. Συνεχὴς nonnunquam, post statum Morbi, in Intermittentem transire solet. Febris autem hujusmodi Intermittens, uti præ cæteris curatu difficilior, ità ad recidivationem præ cæteris, proclivis est. 11. Judicatio Febris συνεχ⊕, utut mitis ac benignæ, viribus Naturæ solummodò facta, admodum longa ac incerta est; Quippe, Veneno circa Morbi Statum aucto, Natura sæpissimè succumbit; Unde Febris facillimè in malignam transit: Cortex autem certiùs, atque citiùs, sine dierum Criticorum expectatione, victoriam reportare solet. 12. Quò Exacerbationes & Remissiones diei horâ magis certâ redeant, & quo Remissiones magis sunt protensæ, eò meliùs: è contra incerti Paroxysmi sæpiùs in die recurrentes, atque Remissiones obscuriores Prognosticon pejus, vel saltem magis dubium ministrant: Namque vel malignum quid delitescit, vel Natura vehementiori aliquo symptomate opprimitur. 13. Συνεχὴς simplex viribus Corticis æquè certò cedit, ac ipsa Intermittens; quippe gradus Veneni in utraque ferè idem est. 14. Efficacia Corticis febrifuga in συνεχῆ Spuriâ debellandâ est propemodùm æque certa ac in simplici (modo ritè ministretur, respectu ad symptomata vehementia habito) non autem adeò cita est; Quia, uti Venenum febrile in hâc intensius est quàm in priori, ità parili modo, nonnisi exhibitione ejusdem Antidoti in quantitate longè majori, subigi potest. Indeque, utut simplex συνεχὴς unciâ Corticis genuini & vegeti una, æquè certò subigitur ac ipsa Intermittens; Rheumatica tamen, Erysipelatosa, Dysenterica, vel quæcunque alia inflammatoria, aut colliquativa, à Veneno intensiori orta, haud rarò quantitatem duplò majorem irritam reddit. 15. Συνεχὴς simplex vel spuria, solius Naturæ ope sanata rarissimè recidivam habet; Cortice autem, vel alia quavis Antidoto subacta, non rariùs quàm ipsa Intermittens recrudescit (semper autem speciem Intermittentis simulat) si repetito

ejusdem specifici usu non præveniatur. Verùm, hoc non obstante, hic modus curandi propter certitudinem & celeritatem, cuicunque alteri, jure merito, longè præferendus est. 16. Curatio συνεχὸς, quæ Cortice, vel aliâ (siqua sit) Antidoto perficitur, sicuti, quocunque Morbi tempore, Principio scil. Augmento, statu, vel declinatione, sine longa dierum Criticorum expectatione ad umbilicum ducitur; Ità Vesicatoria & multa alia excruciantia, minusque grata remedia supervanea reddit, necnon Ægrotantem, brevissimo tempore, ad pristinum statum, vel forsan magis Athleticum certissimè restituit; Quo nomine omnibus aliis Methodis curandi, jure merito, antecellit. 17. Συνεχὴς Cortice curata rarò admodum cum evidenti aliqua Crisi terminatur: Siqua vero Crisis per salivationem, & inde succrescentes Aphthas albas contigerit, Veneno evicto, sponte ac citò solet terminari. 18. Evacuationes in συνεχεῖ à Natura institutæ, scil. Hæmorrhagia, Vomitio, & Fluxus Alvi, ferè semper sunt infidæ, atque ut plurimum symptomaticæ, quippe à nimia irritatione ortæ. Evacuatio Critica & salutifera fit solummodò per sudores, vel salivationem Aphthas albas comitantem. Prior quidem est magis cita & acuta, paucarum enim horarum spatio finitur, arguitque præsentem spirituum expansionem vegetiorem; Altera verò est æque certa, licet tarda & molesta à robore spirituum minùs vegeto orta. 19. Συνεχὴς simplex (Ubi Curatio vi expansiva spirituum solummodò perficitur) sæpenumerò longa est, & Crisis ejus nonnunquam tarda, cum molesta salivatione, Aphthis, & singultu pertinaci conjuncta: Quæ symptomata durant, donec à Venenati Fermenti subactione Massa in statum integrum restituatur; Saliva inde & sanguine restitutis, sponte ac citò cessant: Spuria verò, ob Naturæ impensas, & symptomata vehementiora, magis acuta est; imò, pro ratione symptomatum, præsertim si sint de genere spasmodico vel Inflammatorio, & imitentur Pleuritidem, Peripneumoniam, Colicam, Choleram Morbum, &c. peracuta; sin Diarrhœam, Vomitionem, &c. simulent, non adeò acuta. 20. Crisis Febris συνεχὸς, ubi Materia colliquativa per plures portas eliminatur, (utrùm id simul, vel successivè fiat) tardiùs procedit, quàm ubi unica via extruditur; & copia materiæ peccantis hinc arguitur, viriumque defectus; unde spiritus massam non adeò constanti tenore, eodemque modo regere & disponere valent. 21. Febris συνοχὸς, ubi solis Naturæ viribus curatio perficitur, post Statum morbi mutata in συνεχῆ, ut plurimùm, sub secundi Paroxysmi finem, Criticis Sudoribus perfectè terminatur; Indeque dies iste Indicatorius habetur, in quo prima Remissio contingit, & Criticus, in quo secunda. 22. Febris, συνοχῆ speciem referens in primo morbi limine, scil. ad triduum vel quatriduum, priusquam venenum valdè auctum sit, facillimè ab Enemate injecto, & Venæsectione moderatâ inde celebratâ, atque Bolo Alexipharmaco & Theriacali demum exhibito in συνεχῆ mutari potest; unde occasio Corticem exhibendi datur, eoque Curationem perficiendi & accelerandi. 23. Durante Morbi Augmento, præsertim prope Statum, pessimum signum est, si Urina rubra & contentorum copia saturata, sensim in tenuem & pallidam mutetur; Si Pulsus magis celer, debilis ac vacillans evadat, multò magis si subsultus Tendinum, loquacitas, Insomnia terribilia, & Phantasmata inusitata accedant, quippe jam Coma, Vigiliæ, Deliria, cæteraque pessima Febris in Malignam transeuntis symptomata, jure merito, expectanda sunt, quibus Cortex impar est. Atque hoc Antiqui Practici, Humorum Patroni percepêrunt, dum materiam in cerebrum transferri asserebant: E contrà, Pulsus fortis & constans, Urina rubedine multum tincta & contentis saturata, multò magis quæ hypostasin laudabilem deponit ubi Morbus ad Statum pervenerit; uti Febrem genium suum primarium Benignum servaturam cum Paroxysmorum & Remissionum alternatione significant, ità eventum faustum ac prosperum brevi expectandum prænuntiant, utut reliqua symptomata contrarium præsagire videantur. 24. Omnis Febris Epidemia, Autumnalis, & Castrensis, quando primùm invadit, est ut plurimùm συνεχὴς, simplex scil. vel spuria: utut, quovis morbi tempore, ex malo regimine, vel prope Statum, suapte sponte ad degenerandum in Malignam mirum in modum apta sit.

De Febris Continentis Indicationibus Curativis.

Quo pacto hacce Febris sive simplex, sive spuria, tollenda sit, & quæ sint Indicationes Curativæ in hoc Morbo, restat inquirendum. In genere unice Indicatur Deletio Fermenti Venenati, quod Naturam ad certamen irritat atque provocat: Hoc enim sublato, lucta febrilis sponte cessat; Spiritus enim non ampliùs lacessiti tonum naturalem illicò recuperant, atque massa Humorum sponte quiescit, indeque nulla paroxysmorum revirescentia expectanda est.

Ubi verò spiritus veneno graviori irritati, à nisu suo immodico in explosionem adiguntur; aut humores inde colliquati è Glandulis immodicè excernuntur, plures, eæque, pro ratione symptomatum, admodum diversæ Indicationes subministrantur, quas Medicum apprimè respicere oportet; Quippe ab his symptomatis, haud rarò, vita Ægri in præsens discrimen adducitur, plus quàm à Veneno primario. Quo pacto hoc fieri debeat mox in Methodo curationis explicabimus.

Deletur Venenatum Fermentum, vel à naturali spirituum expansione sæpiùs repetitâ, donec ad extremam activitatis suæ Sphæram sensim perveniant; Vel Cortice Peruviano, aut altera (siqua sit) Antidoto incunctanter exhibita, quæ, cùm spiritus adhuc vivaces sint, quocunque Morbi tempore illicò Venenum subigere valet. Prior Methodus magis incerta est: Atque, Febre jam in Inflammatoriam vel colliquativam mutata, Æger incendio intestino, vel evacuatione immodica confectus haud rarò perit: Jam à spirituum nimia depressione Febris, nullo non tempore, præsertim prope Crisim, in Malignam & funestam facil-

facillimè transit; Medicus interea Naturæ tantùm ancillatur, regimen universum ritè imperando, atque spiritus, ubi depressiores febrem in malignam transituram indicant, Vesicatoriis, Alexipharmacis, cæterisque id genus stimulantibus excitando; Aut Venæsectione, Enematis, Catharticis Benignis, Emulsionibus, Apozematis, Julapiis contemperantibus, fervorem ac Orgasmum eorundem minuendo, quoties æstum, ac Diathesin inflammatoriam moli humorum impertiant, unde dolores Spasmodici, & Rheumatici, & reliqua id genus dira symptomata non rarò producuntur: Vel denique Opiatis spirituum motum compescendo, quoties Vomitio enormis, Diarrhœa, aut alia quævis excretio colliquativa inordinata ac symptomatica id requirat. Medicum hac Methodo utentem oportet esse cautum admodum, atque sagacem; nihilque temerè aut officiosè moliri; neque unam semper viam in febribus sanandis pertinaciter calcare; verùm, pro ratione symptomatum varia, atque præsenti Febris genio, in unum vel alterum extremum tendentis, Methodum suam sæpiùs atque incunctanter, quoties opus fuerit, cum ratione mutare. Omnibus verò hisce Canonibus diligentissimè observatis, Eheu! quot à symptomatis ex improviso subortis, vel Ægrotantis ἰδιοσυγκρασίᾳ ante non percepta, hac methodo, Arte Medicinali ad Orcum demittuntur, quanquam fidei exercitatissimorum Medicorum commissi, qui sæpissimè Scyllam evitantes in Charybdim incidunt? Tanta est Ingeniorum acutissimorum hebetudo, atque in morbis indagandis vel tollendis vacillatio, tamque fallax & lubrica est rationalis Febres curandi Methodus! Utut verò hæc se habeant; in eorum gratiam, qui à modo febres curandi compendiario, ex præconcepta opinione, abhorrent, lubet primùm, pro virili, juxta nostram hypothesin, Methodum Curationis rationalem certam ac perspectam, multo usu mihi comprobatam delineare: Siquidem, licet hac ratione non cum æquali certitudine optatum eventum consequatur Medicus, nunquam tamen, in toto morbi curriculo, Empirici partes sustinere cogitur, vel dubitanter Artem suam exercere; Ratio enim docet quid agendum sit, utut scopum assequi sæpiùs non detur, atque mehercule animus noster haud parum oblectamenti capit (qualiscunque fuerit eventus) quoties conscii sumus nos ritè, atque ad normam rationis, unoquoque morbi tempore, quod nostrum est, præstitisse, ἐδὲν εἰκῆ ἐδὲν παρέργως.

De Methodo curandi Febrem Continentem rationali.

Ut Methodus hæcce rationalis Febrem curandi clariùs innotescat, necessum duco, de variis hujus morbi stadiis, cùm Naturæ soli committitur, at que Phænomenῶν inde succrescentium diversâ indole aliquid præfari. Quamdiu spiritus veneno contaminati & depressi vigorem naturalem recuperare nisu quodam moliuntur, Augmentum morbi durat; atque interea omnia symptomata febrilia, Dolor scil. Lassitudo Ulcerosa, Ægritudo, Jactatio, Vigiliæ, Calor intensus, Sitis, Celeritas & Fortitudo Pulsûs, Tinctura & Contenta Urinæ, Ariditas oris, &c. juxta Naturæ leges, indies augentur; Paroxysmi magis protensi, Remissiones autem minus sensibiles observantur; Atque equidem hoc symptomatum incrementum ritè expectandum & optandum est. Natura hoc Stadium non uno eodemque temporis spatio perficit, verùm quo mitius venenum est, & spiritus vegetiores, eo citiùs percurrit, ante quintum scil. septimum vel nonum diem; quo gravius autem, & à veneno magis Deleterio pessundentur spiritus, eò diutiùs hoc morbi Stadium (modò eventus salubris futurus sit) protrahitur, nimirum ad 11. vel 14. diem. Quamprimùm spiritus ad activitatis suæ ἀκμὴν perveniant, ultra quam sese ampliùs expandere haud valent, illicò fit Status morbi, in quo usque ad Crisin instantem, Paroxysmi & Remissiones uno eodemque tenore ferè ad amussim procedunt; Urina, Pulsus, & Lingua planè eodem modo se habent: eadem symptomata, idem symptomatum gradus fixus manet, præter Lassitudinem Ulcerosam, Cephalalgiam, cæterosque dolores, sive fixos, sive versatiles, qui lege Naturæ jam sensim declinare incipiunt, qualiscunque futurus sit eventus, Nisu enim spirituum sese expandere molientium jam sponte finito, Fibrillæ Membranarum, Musculorum, & Tendinum non diutiùs lacerantur, convelluntur aut distenduntur. Hoc etiam Stadium (sicut de priori dictum est) spatio temporis determinato, quasi cancellis circumscribere haud fas est, siquidem, pro ratione spirituum plus minus vigentium, atque Veneni primarii magis minusve Deleterii, citiùs vel seriùs finitur; Cùm enim spiritus ad extremam expansionis suæ Sphæram exaltati, veneno longè superiores evadant, Status morbi adeò brevis & imperceptibilis redditur, ut, hypostasi laudabili prænunciâ sese in Urinâ prodente, spiritus illicò summè efferati, & hostem adorientes, Jactationem inquietam, varios dolores extemplò revirescentes, oculorum scintillationem, Pruritum narium, tensionem Hypochondriorum summam producant, & perfecta Crisi venenum eliminent. Lucta, victoria jam parta, cessante, Calor sponte mitescit, & Lympha in præcedenti agone Colliquata, ubique per poros cutis excernitur, &, ductibus salivalibus à præternaturali constrictione liberatis, Os scatet saliva; sitis extinguitur, &, spiritibus haud ampliùs lacessitis, somnus placidus Ægrum invadit, Jactatio, Delirium (& siqua sint alia symptomata graviora) penitus remittunt, & febris finitur die septimo, nono, vel ad summum undecimo; Jamque declinationem sensibilem frustrà expectamus, cùm uno ictu Critico, & perfecto, bellum decernitur. Parili modo, ubi spiritus, in statu morbi, ad ultimum expansos Venenum sponte, vel ex mala Praxi, aut quocunque alio accidente longè superet; Status morbi quamcitissimè, funeste terminatur, cum Pulsu scil. admodum debili & celeri, Urina pallida & tenui, Lingua nigra & arida, subito Virium collapsu, subsultu Tendinum, Comate, Vigiliis, Deliriis, cæterisque id genus Vacillantium & Enecatorum spirituum indiciis sociatus, Febre jam perpetim in malignam transeunte, idque non rarò ante diem Morbi decimum, vel 12.

At, ubi parile est virium & Veneni Robur (quod ut plurimùm fit) & æquali propè Marte dimicatur, in æquilibrio res diu pendet; atque proinde Status Morbi diutiùs protrahitur ad 17. 25. diem & ultrà, de victoriâ intereaque ambigitur: Quo spatio, Febris media esse inter Συνεχῆ & σύνοχον videtur. Quin etiam ipsa Crisis, quæ hoc Morbi Stadium à tergo sequitur, fit æquè tarda ac infida, non raro per dies 6. 8. 10. 12. protracta, quippe Natura non unâ dimicatione; verùm Prælio sæpiùs instaurato, sensim & cum difficultate, victoriam jam reportat; Necnon Crisis, hoc modo feliciter cœpta, sæpissimè ex improviso interrumpitur, ac funestè terminatur. Lympha insuper colliquata, non per unam portam confertim protruditur, verùm, pro diverso veneni febrilis genio, nunc hanc, nunc illam; nunc per Transpirationem insensibilem; nunc per Sudores paucos & periodicos; jam per Hæmorrhagiam sæpiùs recurrentem, jam per Fluxum Alvi lentum & periodicum è Membranâ Intestinorum Glandulosa deturbatur; præsertim verò, ubi venenum sit de genere Mercurialium, Lympha, in tardâ hujusmodi Crisi, sæpissimè Glandulas salivales atque totam Membranam Os, œsophagum & ventriculum investientem petit: Unde nova, eaque satis molesta symptomata hoc Morbi Stadium, ab initio usque ad finem comitantur: scil. Salivatio, eaque interdum adeò copiosa atque diutina, ut rivulus acris & venenatæ Lymphæ ad tres hebdomadas continuò scaturiat; Et Aphthæ Albæ, sive ulcuscula totam Membranam oris, Linguæ, œsophagi, & nonnunquam ventriculi Glandulosam occupantia, ab acrimoniâ Lymphæ ex his partibus excretæ orta, quæ continuò succrescunt & revirescunt, donec veneno, Crisi perfectâ, penitùs subacto, tota Massa deferbuerit: Denique singultus horrendus, isque ferè perpetuus, atque cum præfocativâ strangulatione conjunctus, quamdiu scil. in Ventriculum Lympha hæc Venenata excreta, hanc partem inflammet atque exulceret.

Ubi salubris & fida futura est Crisis hujusmodi tarda, Febris ad Stadium suum ultimum, Declinationem scil. sensim pervenit, atque inde Remissiones redduntur longiores ac magis conspicuæ, Paroxysmi verò indies breviores & minùs atroces: donec Æger tandem prorsus ἀπύρετος evadat, vel saltem Febris Typum suum mutet, ac speciem verè Intermittentis referat. Tunc omnia sunt in vado, Pulsus magis constans ac vegetus fit, Urina rubedine satis tingitur, ac hypostasin vel saltem Enæorema præcipitat: Aphthæ magis albæ, ac deciduæ, neque amplius ad revirescendum aptæ sunt, Vigiliæ, Deliria, sitis unà cum reliquis id genus symptomatis indies decrescunt.

Ubi verò è contrà, Febris jam fiat ferè continua, Urina sensim à rubrâ & turbatâ mutata, primùm hypostasin levem, vel Enæorema ostendat, dein verò in claram & pellucidam transeat, Pulsus magis celer, debilis ac vacillans fiat, Aphthæ nigrescere incipiant & minùs inflammari, atque, deciduæ licet, iterùm repullulare; Lingua fiat tremula, arida vel scabrosa; salivatio derepentè sistatur, accedentibus subsultu Tendinum, Comate, Deliriis cæterisque id genus Febris malignæ symptomatis: Procul omni dubio, venenum in ultimo agone, de spiritibus victoriam reportavit, atque, utut Natura languens Crisin moliatur, nullam tamen assequitur nisi infidam & imperfectam, quam Mors, brevi, exceptura est, si, assiduo Alexipharmacorum Vesicatoriorum cæterorumque malignitatis Remediorum usu, id non possit evitari.

Ideâ hujusce Febris, ex rei ipsius Naturâ, hoc modo ritè formatâ, facilè admodum quivis in Medicinâ mediocriter versatus, veram atque genuinam eam curandi Methodum, ratiocinando assequi potest, & cæterorum Practicorum errores convellere.

Antequam igitur ulteriùs progrediamur, errores illorum, in Praxi admodum perniciosos levi Censurâ perstringere lubet, qui Humorum ac qualitatum evidentium doctrinæ fidem dantes, in Provinciam ipsius Naturæ verè Iatricam sese audacter immittentes, atque propriæ ὑποθέσει δουλεύοντες, nescio quas Methodos hasce Febres, sine Antidoto aliquâ, curandi, easque, pro ingeniorum suorum luxuriantium modulo, multiplices perperam excogitarunt, ad Phænomena ac Symptomata non vulgaria in humoribus orta duntaxat accommodatas, nec tam Naturæ Morborum medicatrici suppetias adferre, quàm ipsius vices agere gloriosè venditant: Siquidem hi *Galeni* Sectatores Calidum & siccum, frigido & humido regimine, lege contrariorum, ritè subigendum ducunt, nescientes mehercule τὸ θεῖον, seu Venenatum illud Fermentum sensus nostros longè superans, quod *Hippocrates* asserit Morbis inesse, & Calorem illum siccum & febrilem, à luctâ spirituum adversùs venenum febrile ortum suum ducere; Quem, nisi fortè justos cancellos transgrediatur, & totius Machinæ ruinam & incendium minetur, Venæsectione profusâ, Opiatis, Catharticis, vel Emulsionibus, Julapiis & Apozematis refrigerantibus officiosè minuere, durante Augmento, præsertim verò Morbi Statu, vel Crisi haud impunè licet, ne Febris inde, à nimiâ spirituum dissipatione in malignam & funestam degeneret. Illi verò, nescio cui Hypothesi innixi, igne ignem extinguere moliuntur, dum paginam utramque in Curatione Febrium (cujuscunque fuerint generis) non exceptis Inflammatoriis, Cardiacis, Alexipharmacis, atque Vesicatoriis indiscriminatim adhibitis complent, ac si oleo flamma esset supprimenda; Unde Ægri incendio Intestino, atque Symptomatis inde succrescentibus, haud rarò confecti, miserrimè pereunt, qui forsan, debito regimine imperato, absque hâc officiosâ sedulitate prorsùs evasissent. Alii, cæteroquin eruditi, quippe Spagiricâ Doctrinâ imbuti, atque Chymiæ nimiùm dediti, nil præter Salem fixum, Acidum, Volatilem, Alcali, Sulphur, cæteraque id genus Chymica crepant, atque ex diversis horum mixturis & effervescentiis in Sanguine factis, Universam Febrium rationem explicant, atque inde Curationem instituunt; Cùm equidem prædicta salia, &c. Formaliter Sanguinis massæ inesse, atque inibi varias hujusmodi effervescentias excitare, quales exteriùs Arte fiunt, gratis admodum asserant; &, licet forsan aliquid analogum, in sanguine etiam sanp-

sanorum semper reperiatur; Verùm, ubi hæc Principia justum modum excedant, indeque morboso condimento massam imbuunt, Spiritus Venenati omnino in causâ sunt. Unde *Sisyphi* Saxum volvere mihi videntur, quotquot hisce Principiis innixi, posthabito Veneno in spiritibus delitescente, Humores alterare solummodò moliuntur, atque methodum febrifugam inde conflare. Sæpissimè etiam Pharmacopœi, Chirurgi aliique nonnulli indocti, qui in messem alienam falcem audacter intrudentes, atque Artem Medicinalem modo Empirico exercentes, quique Febres quascunque sine delectu, eodem planè modo, curare satagunt, non rarò in primo Curationis limine, sive negligentiâ, sive officiosâ sedulitate, Febres hasce reâpse Benignas, Pharmacis Emeticis, Catharticis, Venæsectionibus, præsertim autem Opiatis (quæ, ad subitaneam Symptomatum molestorum relevationem, & opinionem vulgi inde captandam profusè perperam exhibent) depressis spiritibus, in Malignas citissimè immutant. (Quod ex subsultu Tendinum, cæterisque id genus indiciis immediatè consequentibus liquidissimè constat:) Aut, ex æquè intempestivo ac exuberanti Cardiacorum, Alexipharmacorum, Vesicatoriorumque usu, spiritus nimiùm incitant, & has Febres in inflammatorias aut colliquativas adigunt. Neque mehercule! Medicus Exercitatissimus, seriùs advocatus (ut solet) hos Empiricorum errores facilè corrigere potest, quorum pœnas Æger vitæ suæ, Medicus verò famæ dispendio tandem luere solet. Utut enim, pro ratione spirituum justo plus minus expansorum, in Curatione Febres συνεχὸς, præsertim Spuriæ, locum nonnunquam habeant Emetica, Cathartica, Venæsectiones eæq; repetitæ, Opiata, Emulsiones, Apozemata, & Julapia attemperantia, vel equidem Alexipharmaca, Salia Volatilia & Vesicatoria, non tamen, nisi ratione symptomatum vehementiorum, unde spiritus multùm & diù lacessuntur, in Naturæ Medicantis auxilium ea ministrari oportet: Rarò enim aliquid hujusmodi officiose committitur & impunè. Methodum autem certam febrifugam & constantem, his principiis innitentem instituere, sive hanc, sive illam, planè delirare est; Siquidem methodus febrifuga rationalis universa duobus articulis comprehenditur; scil. Ut imperetur regimen justum, & ut Natura variis Methodis refocilletur, prout opus fuerit; Natura nimirum Medici partes hic sustinet, Medicus ipse duntaxat ancillatur.

Quod ad Regimen spectat, Oportet Ægrotantem stragulis moderatis coopertum, in loco tenebricoso, in lecto sese continere, inibique, sine Amicorum Colloquiis, vel Interpellationibus, somnum, quantum potest, captare; Siquidem æb erecto corporis situ, multò magis à motu & exercitiis, à stragulis multis ad Sudores eliciendos perperam impositis, ab Aëre luculento, & adstantium confabulationibus, spiritus ultrò sese expandere molientes, cum Ægrotantis damno evidenti, & lacessentis alicujus symptomatis superinductione, plus debito irritati facillimè excandescunt.

Victus, licet ad spiritus refocillandos, sæpiùs ministrari oporteat; unoquoque tamen Pastu sit parcus admodum, isque tenuissimus, maximè præsente exacerbatione, atque durante febris augmento; Veluti Avenacea, Panatellæ, Hordeacea, Liquor Posseticus Salviâ alteratus, Cerevisia tenuis pane tosto calefacta, Ala maciata, Ptisana, &c. Ne Fermentum ventriculi Veneno priùs pessundatum, ab Alimenti copiâ, & sarcinâ Chyli crudi ac indigesti jam prorsùs obruatur, atque Æger Nauseâ & Vomitione inde provenientibus, simul ac Veneno Febrili conflictetur. In statu Morbi, præsertim prope Crisin, plurimùm confectis Victus manu liberaliori, atque quadantenùs lautior, uti Jusculum Pulli, Vinum Lymphatum, vel ipsum Merum concedi potest, ne, in ultimo agone, spiritus priùs confracti & dissipati, præ languore, prorsùs succumbant. Atque equidem Regimine, à primo morbi insultu, hoc modo imperato, quamplurimas Febres Benigniores ab ipsâ Naturâ curatas, plurìes novi sine Remedio quocunque Officinali; multò magis absque apparatu Medicaminum pomposo, quod cæteros etiam Exercitatos Medicos vix puto latere; E contra verò ab officiosâ, repetita & profusa Venæsectione, à Julapiis, Apozematis, & Emulsionibus refrigerantibus, præsertim verò ab Emeticis, Catharticis & Opiatis perperam exhibitis, Febres hasce mitiores jugiter in Malignas degenerasse, & à Cardiacis, Alexipharmacis & Vesicatoriis officiosè ministratis, eas in Inflammatorias perpetim mutatas sæpiùs deprehendi.

Quandoquidem autem à mole Fæcum in Intestinis congesta, Calor præternaturalis frustrà augetur, explosio flatuum præpeditur, & Ægrotans inde molesta sensatione afficitur; In hoc statu, Alvus adstricta, singulis vel alternis diebus lubricetur Enemate è Lacte Saccharato, Floribus Chamæmeli alterato.

Vel ♃. Decoct. Emollient. ℥x. Sacchar. rubr. Mell. Mercurial. ana ℥ij. M. F. Enema. Ubi Alvus admodum difficulter sese reddit, insuper addi potest Electuar. Lenitiv. Diacath. vel Cassiæ ℥ß. & ad Fæcum induratarum lubricationem, Ol. Oliv. Violac. Amygd. d. ℥j. si opus fuerit. In alvo laxiori, Ubi fluxus nimius ab Enemate insecuturus ritè metuatur, sufficit Glans ex Spec. Hier. Picr. ʒß. Alumin. Mell. ana p. æq. in debitam consistentiam concoctis, confectus, qui oleo priùs illitus, hora opportuna, durante scil. Remissione, intrudatur. Imò, ubi, ob constipationem Alvi insolitam, Fæces neque Glande intruso, nec Enemate educi queant, Decoctum Amarum cum Dup. Sen. extra tempus Paroxysmi propinare licet.

Quoties verò Fluxus Alvi, præsertim torminosus supervenerit, qui non rarò à primo Morbi insultu invadit symptomaticè, & cùm maximo Ægrotantis damno (Spiritibus enim inde multùm dissipatis, & à justa expansione præpeditis, Febris facilè in Malignam degenerat) necessaria est abstinentia omnimoda à Cerevisia, Alla cruda vel cocta, imò liquore Possetico, vel alio quocunque Floribus Cerevisiæ fermentato, qui colliquativam hanc Diarrhœam, præ omnibus aliis, vi peculiari promovere solent; Illorum verò loco, ad sitim moderandam, propinetur Tinctura Rosarum Sacchara albiss. gratè edulcorat. Vinum Claretum multa aqua dilu-

dilutum, præ reliquis autem Decoctum Album, copiosè, & ad libitum, calidiuscule verò hauriendum, quod non tantum ad humorum fervorem compescendum, & sitim minuendam gratè conducit, at insuper ex præpotenti Alcali C.C.C. quo saturatur, acorem lymphæ stimulantem plurimum obtundit. In eundem usum Testacea omnia, & Alcalizata hic locum sibi vendicant, quæ (modò largâ dosi & sæpiús repetita exhibeantur) Acrimoniam tundendo, opiati partes felicissimè sustinent; Atque Tormina simul ac alvi fluxum, sine ullo Ægrotantis damno, sistunt. Quo Arcano palam facto clariss. noster collega D. D. Harris, pro Candore suo, in libro nuper edito de morbis infantum acutis facultatem nostram adauxit. Quo nomine gratias illi jam lubens refero. Ex gr.

♃ Ocul. Cancr. præparat. pulv. è Chel. cancror. simp. comp. coral. rub. præparat. ana ʒj. Margarit. præparat. ℈j. M. pro Chartulis quatuor quarum unam capiat sexta quaque hora, unà cum Cochlear. 5. vel 6. Julap. sequent. de quo etiam bibat ad libitum.

♃ Aqu. Lact. Alexiter. ℥viij Aqu. Cinnam. Hordeat. Epidem ana ℥ij. syrup. caryoph. ʒiß. M. F. Julap. Sin hoc modo fluxus alvi non sistatur, ad ipsa Opiata confugiendum est, quæ tamen parca manu, & repetitis vicibus ministrari debent, atque cum Alexipharmacis & *Alkalisatis*, quæ simul spirituum expansionem sustinent ac promovent, commixta; Ne, spiritibus inde obrutis, febris jugiter in Malignam transeat. Ex. gr.

♃ Theriac. Androm pulv. è Chel. cancror. comp. ana ʒß. Coral. rub. præparat. gr. 15. syrup. Caryoph. q. s. M. F. Bolus, illicò sumendus, & sexta quaque hora (si opus fuerit) repetendus, superbibendo post singulos Bolos Coch. 4. vel 5. Julap. sequentis, de quo etiam ad spiritus refocillandos Æger bibat ad libitum.

♃ Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Aqu. cinnam. Hord. Epidem. ana ℥ij. Syrup. Caryoph. ʒx. M. F. Julap. Nec non (modò fluxus præsertim verò Tormina adhuc urgeant) nocturno bolo addantur laudan. liq. Helm. gut. 12. vel laudan. Lond. gr. j. insuper Enema sequens ad Excretricem intestinorum facultatem sopiendam, & tonum eorundem confirmandum, semel in die injiciatur.

♃ Lactis Chalybeat. Flor. Rof. rub. saturat. ℥vj. Diascord. vel Theriac. Androm. ℥ß. M. & Cola pro usu.

Cùm à crapula, vel alimento aliquo δυσπέπτῳ febris ortum suum duxerit, unde ventriculus sarcina Chyli crudi, & inani vomitione jugiter lacessitur, curatio à leni vomitorio ritè auspicanda est v. g. Liquore Possetico, foliis Card. Benedict. alterato copiosè ingesto, addendo inter vomendum (modò opus fuerit) bis, terve ʒß. Salis Vitrioli, vel Oxymel. Scyllitic. Cochleare unum vel alterum solut. in Haustu liquoris. Religiosè autem ab Emeticis, Antimonialibus cæterisque ejusmodi violentioribus abstinendum est, ne in hac Crasi humorum venenata evacuatio nimia inde excitetur, unde, spiritibus jam multùm dissipatis & oppressis, febris in Malignæ speciem facilè degenerare potest. Ubi verò Venenum febrile sit de genere Emeticorum, sponte petit ventriculum, atque copiosè humores colliquatos inibi excernit, unde adeò enormes & continuatæ vomitiones Biliosæ & diversicolores excitantur, ut Ægrotans vix quicquam vel medicamenti vel alimenti retinere valeat; Hanc evacuationem, quippe symptomaticam, vel minimo quidem emetico promovere haud fas est. Verùm potiùs Aqua pulli, loco cerevisiæ copiosè propinanda, venenatam & lacessentem humorum acrimoniam demulceri convenit, atque Remediis appropriatis, quæ etiam quadantenus febrifuga sint, tonum ventriculi, jam nimiùm laxatum firmari. Ex. gr.

♃. Succ. Limon. ℥vj. Salis Absinth. ʒiß. M. Sumat. Cochl. ij. singulis horis. Delicatulis, Cochl. 5. vel 6. julap. sequentis singulis vel alternis horis propinentur.

♃. Aqu. Menth. Cinnam. Hord. ana ℥iij. Aqu. Stephan. ℥j. Sal. Absinth. ℈ij. Syrup. Limon. ʒiß. M. Imò, ad compescendum hunc ventriculi spasmodicum motum, ut saltem aliquam partem Remediorum & Alimentorum retinere valeat, laud. liquid gutt. 12. (modò Æger Laudanum cum ἰυφορίᾳ toleret atque eidem jam assueverit) in Haustulo julapii convenientis, sexta quaque hora concedantur, & Regio ventriculi Sacculis Aromaticis in Vino Clareto & Aqua ferrata coctis, & calide expressis, bis in die foveatur.

Sin dolor Capitis, Lumborum vel Artuum prægrandis, à primo morbi insultu, vel durante ejus augmento, Ægrotantem plus solito affligat, & simul adsint Iactatio corporis, & Vigiliæ pertinaces, & à nimio spirituum in seipsis expandendis nisu, febris genium inflammatorium ac Rheumaticum quadantenus sortiri videatur; apprime convenit (modo cætera id ferant) in ipso exacerbationis articulo, post rejectionem Enematis (si hoc indicetur) venam tundi, atque sanguinem ad ℥viij 10. 12. pro gradu doloris, reliquorumque symptomatum exigentia, & præsenti Plethorico, vel Athletico Ægrotantis statu, è vena Iugulari, vel Brachii lateris maximè effecti detrahi, ut hæc symptomata vehementia diminuantur. Quinetiam, durante morbi augmento, Venæsectionem, in subsequentibus Paroxysmis, iterùm, iterumque celebrandam esse nonnunquam eadem ratio suadet; Cautè tamen admodùm, atque, non sine urgenti necessitate, operatio hæc primum instituenda, multò minùs iterùm repetenda est; unde scil. non febris curatio, vel Symptomatum sublatio, sed eorum tantum sublevatio exspectetur: Nullatenus verò in statu, aut propè morbi Crisin, nisi, ob Symptomatum excessum, Vitalis indicatio id necessarium fecerit, Siquidem à detractione sanguinis officiosâ, vel debito sæpiùs celebrata, præsertim prope Morbi Crisin, haud raro vis spirituum Elastica adeò præpeditur, ut, febre inde in Malignam transeunte, spiritus in posterum planè succumbant, neque ampliùs debito modo se expandere valeant, & Ægrotans vigiliis, Deliriis, tendinum subsultibus, &c. inde consequentibus confectus, cum magno Artis nostræ opprobrio, potius occidi, quam sponte mori videatur. Eheu! quam sæpe Medici temeritatis pœnas luit misellus Æger? Quàm circumspectè autem, & quanta cum animi applicatione oportet

tet medicum sagacem, pulsu prius diligentissimè exploraro, cæterisque Ægrotantis circumstantiis serio pensitatis, hanc sui muneris partem obire, cum Ægri vita vel mors sæpenumero à cuspide lanceolæ pendeat. Officiosè, temere atque evidenti necessitate venam jam tundere, ac prodigam purpurei liquoris jacturam facere, quid aliud est nisi in Corio humano ludere, atque lanionis partes agere? venæsectione autem hoc modo peracta, æquum est, toties quoties, ope Cardiacorum & Alexipharmacorum Elasticitati justæ spirituum sustentandæ prospicere, ne delitescens venenum, data hac occasione in eos grassetur. Tantillum etiam Opiati ad demulcendos spiritus, & sudores eliciendos adjicere jam licet, modo sequenti.

♃. Theriac. Androm. pulv. è Chel. canc. comp. vel Goan. ana ℈ß. syrup. Caryoph. q. s. M. F. bolus mollis hora somni, post venæsectionem, deglutiendus, superbibend. Cochl. 4. vel 5. julap. sequentis de quo bibat Æger ad libitum.

♃. Aqu. meliss. ceras. nigr. ana ℥iv. Aqu. epidem ℥ij. syrup. caryoph. ℨx. M. F. julap. vel.

♃. Aqu. cardu. Bened. lactis alexiter. ana ℥iv. cinnam. hord. ℥iij. pœon. comp. epidem. ana ℥ij. Margar. præparat. ℈iß. Sacchar. Alb. ℨvj. M. F. Julap. de quo bibat cochl. 5. vel 6. (agitata phiala) tertia vel quarta quaque hora.

Sin ob genium veneni admodum lacessentem & stimulantem, spiritus adhuc multo robore pollentes, à nisu, quo sese expandere moliuntur, in motus adeo efferos adigantur, ut partes aliquas, præsertim præcordia, reliquasque vicinas respirationi inservientes, tempore exacerbationis, spasmis horrendis torqueri ac convelli contingat: Extremis jam præ atroci dolore frigentibus, atque pulsuum vibratione depressa, adeo ut vita Ægrotantis in præsens discrimen inde adduci videatur: Necesse est, in ipsa exacerbatione, ad nisum hunc spirituum insolitum minuendum, ut non tantum vena tundatur, & sanguis liberali manu, toties quoties, detrahatur, verùm etiam, ut copioso ac repetito laudani usu, efferus hic spirituum motus compescatur. Ex. gr. Tertia vel quarta quaque hora (quamdiu opus fuerit) exhibeantur guttæ 15. vel 20. laudan. liqu. Helmont. in Haustu julapii Antispasmodici sequentis.

♃. Aqu. Flor. Chamæmel. card. Benedict. Rut. ana ℥iij. Aqu. Pæon. bryon. comp. ana ℥jß tinctur. castor. ℨj. spirit. Sal armon. ℨß. syrup. pæon. comp. ℥jß. M. F. julap. Spasmis autem hoc modo solutis; bolum Alexipharmacum antè præscriptum, vel quodcunque aliud viribus iisdem præditum, ad expansionem spirituum renovandam exhiberi convenit; ut illi Opiatis prius irretiti liberentur, atque paroxysmus sudoribus, more solito, finiatur; ne febris, à nimia & diutina spirituum depressione (exulante omni Remissione & Exacerbatione) in continuam & malignam degeneret.

Ubi autem (ut in febre ardente) sanguis æstro spirituum flagrantium percitus atque agitatus, plus justo ebulliat, & ab Incendio, magis quam à veneno febrili vita Ægrotantis in discrimen duci videatur; Præter venæsectionem liberalem & repetitam (quæ jam apprime necessaria est) nimius Massæ fervor & Ebullitio copiosum ac frequentem usum julapiorum, apozematum, emulsionum, cæterorumque id genus attemperantium postulat. Ex. gr.

♃. C.C. ℥j. Crustæ panis alb. ℥iij. Macis ℈j. Sacchar. albiss. ℥jß. Coq. leniter in aqu. F. ℔iv. ad ij. liquorem absque expressione colatum bibat Æger copiosè ad libitum. Vel.

♃. Sem. melon. pepon. ana ℨij. Sem. papav. alb. ℥ß. Amygd. d. decorticat. n. vii. His sensim affund. in mortario Marmor. continuo agitando, aq. Hord. ℔jß. F. Emulsio s. a. Cui add. aqu. Ros. rub. ℥ij. Sacchar. alb. ℥jß. bibat Æger Haustum prælargum subtepide, saltem tertià vel quarta quaque hora.

Vel, ♃. Rad Scorzon. Hispan. ℥ij. Rasur. C.C. Ebor. ana ℥ß. Fol. lujul. Salv. ana Mj. flor. borag. buglos. ana Mß. Uvar. corinthiac. ℥iij. coq. in aqu. F. vel Hord. purificat. q. s. ad ℔ij. sub finem Ebullitionis addendo Glycyrriz. Hispan. ℥ß. Colaturæ album ovi clarificat. add. aqu. Theriacal. Stil. ℥ij. Sacchar. cant. alb. ℥iß. Vel syrup. ex Acetos. citr. violac. ana ℥iß. M. F. Apozema, cujus cap. ℥iv. calidiusculè tertia quaque hora, vel sæpius ab libitum.

Vel ♃. Aqu. lactis alexiter. ℥viij. aqu. cord. frig. Saxon. cinnam. Hord. ana ℥iij. Marg. præparat. ℈ij. Sacchar. alb. ℨvj. M. F. Julap. de quo bibat Æger cochl. 7. vel 8. (agitata phiala) ad libitum. Apprime autem cavendum est, ne, ex nimia attemperatione, spiritus elasticitate sua plus justo orbentur, & ansa præbeatur venenati fermenti augmento, unde febris ardens inopinato in malignam mutetur. Quocirca, si ex intumescentia aut Angustiis Hypochondriorum, vel quocunque ejusmodi criterio, fas sit hunc eventum suspicari, Medicus vel ab idgenus attemperantibus prorsùs abstineat, vel eorum usum parciorem imperet, & Iulapio Perlato, aqu. Epidem. ℥ij. adjiciat; Apozemati vero sub finem coctionis, Vini Albi vel Rhenan. ℔ß. Et Emulsioni aqu. cinnam. Hord ℥iij. vel 4. Insuper, saltem singulis noctibus, Bolum sequentem ministret.

♃. Theriac. Androm. pulv. Goan. vel è chel. cancr. comp. ana ℈ß. syrup. caryoph. q. s. M. F. Bolus mollis. Post singulos Bolos superbibat Æger coch. 5. vel 6. Iulapii sequentis, atque etiam inter singulos Apozematis vel emulsionis Haustus, aut sæpius ad libitum.

♃. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. aqu. Puleg. Epidem. Pæon. comp. ana ℥i. syrup caryoph. ℥iß. M. F. Iulap.

Vel, ♃. Aqu. card. benedict. ceras. nigr. ana ℥iv. Epidem. ℥ii. pulv. è. chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. ana ℈i. Sacchar. alb. ℨvi M. F. Iulap. sumat exinde Æger cochl. 5. vel 6. (agitata phiala) quarta quaque hora.

Denique, ubi ex Elasticitate spirituum à vi Veneni, sponte sua, vel aliquo accidente aucti, multum depressa, febris συνεχὴς, Exacerbationibus & Remissionibus exulare jam incipientibus, recta via tendit ad συνοχὸν, Methodus medendi prius tradita, pro gradu mutationis, plus minus alteranda est, donec ab usu repetito Alexipharmacorum Alcalium, Salium volatilium, vesicatoriorum, cæterorumque, curationis utramque paginam in febre maligna complentium, spirituum expansio iterum instauretur, idque incunctanter & sine mora, priusquam spiritus, vi veneni intensioris, in Statum sphacelatum

latum (quod quam citissimè fieri solet) adigantur; Tunc enim de vita Ægrotantis pene conclamatum est; Quippe totum negotium extra artis nostræ Sphæram ponitur, ubi linguæ nigrities, tenuitas & pallor Urinæ, mentis vacillatio, subsultus tendinum, cæteraque id genus funesta symptomata sensim succrescentia hanc spirituum νέκρωσιν palam prodant. Atque ob hanc causam necesse est, ut medicus sæpius in die Ægrotantem invisat, præsertim statu morbi durante, & crisi; Et, unoquoque congressu, summa cum animi applicatione pulsum patientis exploret, varias Urinæ alterationes serio pensitet, atque Adstantium relationes animadvertat, ut naturæ, pro gradu languoris, tempestive succurri queat; Hoc etenim in casu, si usquam alias, quod citò fit, bis fit.

Ubi à debilitate pulsus primum animadversa, paroxysmorum protensione, & remissionum incertitudine ac brevitate hanc febris degenerationem suspicari liceat, ne prorsus corruant spiritus, Alcalia, quotquot sunt, in auxilium adsciscantur, quæ, licet nullo calore sensibili prædita sunt, ex conflictu tamen, quem cum particulis acidis in ventriculo & sanguine delitescentibus instituunt, effervescentiam in massa recens excitant, atque inde spirituum expansionem resuscitant ac promovent. Ex.gr. infantibus sæpius propinentur cochl. iij. vel iv. julapii speciebus Alcalisatis saturati, quod commate priori jamjam descripsimus, adultis autem hujusmodi Testaceorum alcalium dosis largior exhibeatur, & quarta quaque hora repetatur. Ex. gr..

♃. Pulv. è chel. canc. comp. vel pulv. Goan. ℈ß. sumat. Æger è cochl. julap. sequentis superbibendo 4. vel 5. repetatque quarta vel sexta quaque hora.

♃. Aqu. meliss. ceras. nigr. scord. comp. ana ℥iij. aqu. epidem. pæon. comp. syrup. caryoph. ℥iß. confect. Alkerm. ʒiß. M. F. julap. de quo bibat ad libitum.

Vel, ♃. Ocul. cancr. præparat. pulv. è chel. canc. comp. ana ʒiß. lap. Contrayerv. ʒj. coral. rub. præparat. ℈ß. M. pro chartulis sex, quarum unam capiat sexta quaque hora ut prius.

Vel, ♃. Coral. rub. præparat. ℈ij. Margar. præparat. spec. confect. de Hyacinth. ana ℈iß. bezoar. Oriental. ℈j. M. pro chartulis sex vel octo, sumendis ut antea. In eundem usum julap. Perlatum admodum gratum more sequenti parari potest, sumendum ad libitū (agitata phiala)

♃. Aqu. lact. Alexiter. cardu. benedict. cinnam. Hord. ana ℥iv. aqu. epidem. pæon. comp. ana ℥iß. margar. præparat. ʒij Sacchar. alb. ℥j. M.F. Julap. Post singulas autem hujusmodi doses, & Julapii Perlati singulos Haustus, Æger os & fauces gargarisando colluat lotione aliqua abstersiva, vel saltem cerevisia tenui, ne ex adhæsione pulveris ad partes oris exsiccatas sitis augeatur, atque rigiditas ingrata ac molesta partibus deglutioni inservientibus superveniat.

Vesicatoria plurimum in hunc usum conducunt, non ob copiam lymphæ quam eliciunt, quæ non magis morbosa mihi videtur, quàm urina, & reliqua colluvies serosa insensibili transpiratione aut sudoribus per poros cutis continuo excreta; Verum ideo præsertim quod partes subjectas corrodant ac inflamment, atque consequenter diathesin inflammatoriam massæ humorum impertiant; Spiritus autem ab hac inflammatione artificiali non possunt non pro tempore expandi & excitari, indeque à vacillatione immunes, robore iis arte conciliato, conservari; Adeo ut deliria, subsultus tendinum, reliquaque ejusmodi symptomata antevertantur, & jam suborta certius curentur, quam à quocunque alio Remedio intus vel extra adhibito. Ex quo constat magnum hoc Remedium perperam à vulgo medicorum in quibuscunque febribus indiscriminatim adhiberi, siquidem in inflammatoriis, nisi cum suapte sponte in malignas degeneraturæ sint, aut à profusis venæsectionibus præcedentibus, vel aliis evacuationibus nimiis, vel saltem usu laudani immodico spiritus profligati imbelles reddantur; plurimum nocent ac, flammam flammæ adjiciendo, curationi officiunt. Neque equidem in quacunque febre, præter σύνοχον malignam, aut quæ huc tendit, ubi à veneno, plus quam ab incendio Ægrotans in discrimine versatur, reapse indicantur. Neque in malignis ipsis, ad medici arbitrium, absque evidenti necessitate, fas est Ægrum imbellem ac confectum denuo iterum Epispasticorum tortura lancinari, verùm pro exigentia naturæ, & spirituum majori, vel minori vacillatione, eorum applicatio primum imperanda est; Medicus autem eorum numerum definiat & magnitudinem, &, durante cursu morbi, recentem eorum applicationem ad partes quascunque opportunas imperet V. G. ad Nucham, brachia interna, carpos supra pulsus, pone aures, ad interna femora & denique (si opus fuerit) ad Tibias internas: Ad partes autem à corde remotas ac dependentes, ultimo loco, nec absque evidenti necessitate vesicatoria adhibere soleo; sicuti enim serius, ac cum minori certitudine Epispastica in hisce partibus, à fonte vitæ longius distantibus scopum suum assequuntur; Itá, in hisce artubus dependentibus, haud rarò, à venenato humore trajecto, Ulcera maligna ac curatu admodum difficilia, & ipsæ gangrænæ, præsertim in senioribus, oriuntur, unde misellus ægrotans, à medico manumissus in Chirurgorum ditionem redigitur, quod gloriam victoriæ arte medicinali prius partæ haud parum obscurat.

In eundem finem etiam Suppedanea acria & stimulantia, vel Spiritus foventia ac instaurantia, ad plantas pedum, vel ad pedes totos applicari convenit; Siquidem hæc cutis pars, præ cæteris, quippe ex filamentis nervorum extremis conflata, sensu pollet egregio, unde ad fibrillas cæterarum membranarum & musculorum, & exinde ad nervos ipsos, & tandem, continuitate quadam, ad Cerebrum, per hos poros cutaneos particulæ activæ facillimè trajiciuntur. Unde Spiritus vel stimulati, vel confortati sese recolligunt, ac demum expandunt, indeque, cum majori robore ac constantia, in partes subjectas influunt. Horum formulas mihi familiares hic loci adjicere non pigebit. Ex. gr. Ubi à Comatoso affectu Spiritus ad gradum ναρκώσεως seu stuporis deprimuntur, sequentia applicentur ad plantas pedum.

♃. Empl. Cephalic. cum dup. Euphorb.

Gal-

Galban. ana q. s. Ol. Succin. gutt. 4. M. & extend. super alutam. F. Suppedanea duo.

Vel, ℞. Fol. Rut. Mij. Rad. recent. Tormentil. Aristoloch. Long. ana ℥ß. Fæcul. Bryon. alb. ℥ iß. Sapon. nigr. q. s. M. & contund. in mortario, F. Cataplasma quo toti pedes calidè involvantur, Renovando applicationem semel vel bis in die, quoties scil. ob calorem partis, massa siccescere incipiat.

Vel, ℞. Fol. Rut. Chelidon. Maj. ana Mj. Rad. Raph. rustic. Contus. ℥ ij. Carnem. Halec. muriat. num. 1. Sapon. nig. Salis Marin. ana ℥ß. N. M scissf. num. 1. Ferment. acris. Acet. acerrim. ana q. s. Contund. & F. Cataplasma quo toti pedes calidè involvantur.

Ubi verò, non tàm extincti & dissipati, quàm agitati & explosivi fuerint spiritus, unde ab æstro, quo perciti ac irritati sunt, tota Machina spasmis variis hinc inde versatilibus torquetur ac convellitur (quod Phreneticis post pertinaces Vigilias accidere solet) Partes Animalium vivas, cæteraque ejusmodi, quæ, particulas congeneres ac amicas potiùs quàm acuantes aut irritantes communicando, spiritus demulcere atque refocillare queant, ad hasce partes applicanda censeo; Ex quibus somnum placidum febricitantibus, post pertinaces Vigilias, Spasmos, ac Deliria sæpissimè conciliatum memini. Vegetus autem Pullorum Columbinorum calor Medicos suasit, quasi uno consensu, eos in hunc finem cæteris omnibus Animalibus anteponere: Utut sint, qui ex applicatione Offæ bovinæ calefactæ, aceto irroratæ, ac demum Pulvere N. M. aspersæ eundem scopum sese sæpiùs assecutos esse glorientur. Procul omni dubio, cerebrum etiam vires Anodynas Pulmonum Agninorum, Vervecinorum vel Vitulinorum recens Extractorum, atque, dum adhuc naturaliter calent, ad plantas pedum applicatorum multò faciliùs ac commodiùs, atque cum minore frigoris inde exteriùs suscipiendi periculo percipit, quàm cùm ex jussu Medicorum solenni (quod fieri solet) Capiti cum molestiâ prius raso imponantur. Omnia autem hujusmodi sive Animalia, sive Animalium partes, sicuti naturali calore prædita ritè applicanda sunt, ita sæpius scil. sexta vel octava quaque hora renovari postulant, ne ex putrefactione contracta spiritibus animalibus potius officiant quàm prosint: Ex. gr. Applicentur ad plantas pedum Pulli duo Columbini recens mactati, atque per spinam scissi, amputatis prius Capite, Alis & cruribus, & renoventur octava quaque hora: Vel toti pedes involvantur calidis Pulmonibus Agni, Vituli, aut Vervecis recens mactati, Renovando applicationem saltem ter in die. Vel Offæ duæ Bovinæ recentes ad plantas pedum alligentur bis terve in die. Cataplasma etiam è Theriacâ Londinensi recens confectâ, cum pannis lineis duplicatis totis pedibus superinductum in hunc usum, scil. ad irritatos spiritus compescendos atque demulcendos plurimum confert.

Sin ab hisce tam intus quam exteriùs exhibitis, spirituum expansio, atque justæ in Massa flammæ exsuscitatio illicò non promoveatur, nè, à spiritibus penitus obrutis, atque inde quadam νεκρώσει affectis, Febris continua prorsus in Malignam, Pestilentialem ac funestam mutetur, Spirituum Elasticitatem, Alimentis & Medicamentis generoso calore imbutis, Alexipharmacis dictis, veluti Vino generoso, Spir. C. C. Diascord. Mithridat. Theriac. Androm. cæterisque id genus confectionibus, quin & ipsa radice Serpentariæ Virginianæ, excitare necesse est. Siquidem jam non ab incendio, sed à Veneno Deleterio & Sphacelante metuendum est. Ex. gr. Concedatur Ægro sæpiùs jusculum Pulli, vel Vinum generosum, idque Spir. C. C. saturatum: Alexipharmaca etiam bis, ter, quaterve in die cum Alcalisatis commista. Ex. gr.

℞. Theriac. Androm. Mithridat. vel Diasc. ʒß. ℈ ij. Pulv. è Chel. Cancr. comp. ʒß. Syrup. Caryoph. q. s. M. F. Bolus mollis hora somni unà cum Haustu Julapii exhibendus atque mane sequenti repetendus, vel sæpiùs scil. octava vel sexta quaque hora, prout gradus Veneni Deleterius atque Sphacelatio Spirituum requirat. Imò, ubi linguæ nigrities, subsultus Tendinum cæteraque præsentis Spirituum Sphacelationis indicia exigant, gr. 8. 10. 12. Radic. Serpentar. Virgin. vel Electuarii de Ovo ad singulos Bolos adjiciantur; Quo pacto plurimos ab ipsius Orci faucibus liberatos memini. Phlogôsi autem spirituum ac sanguinis hoc ritu restitutâ, ne incendium funestum inde suboriatur, prorsùs ab hujusmodi calidiorum usu tempestivè abstinere oportet, aut saltem eorum dosis minuenda, & sæpiùs repetenda est. De hisce autem sermonem fusius habituri sumus in quintâ Puretologiæ nostræ Exercitatione, ubi ex professo de febribus continuis malignis & pestilentialibus tractaturi sumus.

Crisi Febris peractâ (quocunque modo eam fieri contigerit) Opiata, utut sub initium, in Statu, aut instante Crisi, noxia esse, atque lethifera (ubi nullum vehemens symptoma eorum usum indicat) sæpissimè observentur, quia Elasticitatem Spirituum justam ac debitam præpediunt, haud rarò, admodum proficua sunt, & symptomata quædam molesta, Tussim scil. Diarrhœam & Vigilias immodicas compescunt. Imò, ab Haustu sequenti, vel alio congenere Ægrotantem priùs hisce symptomatis plurimùm lacessitum atque confectum, spatio unius noctis, mirum in modum restitutum sæpiùs novi.

℞. Aq. Paralys. ceras. nig. ana ℥ iß. Aq. Epidem. ʒ iij. Syrup. de Mecon. ʒ vi. ℥j. M. F. Haustus.

Denique, quamprimùm à perfectâ Febris judicatione vires Ægrotantis & Appetitus resarciri incipiant, apprimè necessarium est saburram humorum effœtorum in præcedentibus agonibus colliquatorum, atque jam in habitu corporis delitescentium Catharticis repetitis, primùm lenioribus, deinde acrioribus per alvum subducere atque deturbare, ne ex iis diutiùs in habitu corporis congestis Cachexia suboriatur, quæ Tumores Artuum œdematosos, Scorbuticam vel Hypochondriacam affectionem, aut graviorem aliquem Morbum Chronicum (ut sæpe fit) producat, & misellus Æger novo morbo multatus, potiùs quàm sanatus videatur. Formulas mihi usu comprobatas adjicere lubet.

℞. Fol. Senn. optim. ʒ ij. Cassiæ cum cannis confract. ʒß. ʒ vi. Semin. Anis. Coriand. præp. Cinnam. acut. ana ℈ß. Coq. in Aq. Hord. ℥ xii. ad viii. In Colaturâ dissolve Mannæ selectissimæ

℥j.

℥j. vel ℥ i ß. M. F. Potio larga, cujus partem dimidiam sumat Æger calidiusculè primò mane, reliquam post bihorium (si opus fuerit.)

Vel ℞. Pil. Ruff. Alæphang. Aloes rosat. è Succin. Stomach. cum Gum. ℈j. vel ʒß. Ol. Cinnam. Chym. vel Opobalsam gut. iij. M. F. Pil. iij. vel iv. deaurand. quas sumat horâ somni, mane sequenti bibendo ℔ iv. Aqu. Mineral. purgant. ad ℔ iij. coct. & ℔ß. Lactis alterat.

Vel ℞. Decoct. Sennæ Geron. ℥ iij. Aqu. Cinnam. Hord. ℥ß. Syrup. Cichor. cum Rheo ℥j. vel Mann. ʒ vi. vel syrup. de Rhamno solutiv. ℥ß. M. F. Potio.

Vel ℞. Mass. Pil. fœtid. coch. min. ana ʒß. Salis Tartar. gr. iv. Ol. Juniper. Chym. gut. iij. M. F. Pil. viij. deaurand. quas sumat mane, vel à primo somno cum Regimine.

Vel pro delicatulis, ℞. Elect. Lenitiv. ℥ß. ʒ vj. Pulv. Semin. Anis. ℈ß. Opobals. gut. iv. M. F. Bolus post mediam noctem exhibendus.

Vel ℞. Cassiæ recens è Cannis extract. ℥ß. ʒvj. cum sacchar. aspers. F. Bolus, horâ somni deglutiendus cum liberâ custodiâ. Junioribus Pulverem sequentem è cochleari Lactis frigidi mane ministrandum, repetendumque semel in hebdomadâ cum regimine præscribere soleo, quippe minori cum tædio in os ingerendum, atque Vermibus (quibus Juniores obnoxii sunt) inimicum, unde post unam vel alteram Vomitionem, copiosè atque cum εὐφορίᾳ dejicere solent.

℞. Calomelan. Diagryd. Sulphurat. ana gr. v. vj. vij. viij. vel ℈ß. pro ætate, M. F. Pulvis.

Quod spectat ad reliqua symptomata particularia, & magis accidentalia, quæ varia hujus Morbi stadia comitantur, quo p[a]cto scil. tractanda sunt, Puretologiæ nostræ Exercitationem sextam, ubi de febrium symptomatis ῥητῶς locuturi sumus, consulat Lector.

Ego (liceat sine jactatione profiteri) hâc methodo rationali innixus, Naturæ hasce febres Medicanti sæpiùs feliciter ancillatus sum, atque penes me habeo plures hujusmodi Curationum Historias, quas consulto omitto; Siquidem probè novi quas moras hæc methodus trahat, atque quam dolorifico Remediorum Apparatu miselli Ægrotantes inde affligantur, ac quanto cum discrimine ac incertitudine optatum eventum tandem assequantur; dum ex relationibus Adstantium incertis Medicorum perspicacissimorum observationes ut plurimùm pendeant, atque ex incertis istis conjecturis Methodus medendi primùm instituatur, dein variò mutetur. His addatur lubrica hujusce febris indoles, quæ suapte sponte, vel à minimâ Medici hallucinatione, aut quocunque alio accidente, unde Venenum augeatur, præsertim propè Crisin, in continuam malignam facillimè degenerat, quam in pristinum suum statum & magis benignum redigere (si non primo instanti obvium eatur) difficillimum est; Atque insuper, inadvertentia & hallucinatio, cui Medici Exercitatissimi, quippe multis negotiis impliciti, in ratiocinando sæpenumerò obnoxii sunt, unde vitæ Ægrotantium ab eorum calamo dependeant. Hisce (inquam) pensitatis, à multis retroactis annis; scil. à quo tempore vires Corticis in hisce febribus, æque ac in intermittentibus debellandis certas atque efficaces multo usu comprobaveram; in hisce febribus tàm Spuriis quam Genuinis curandis totus me contuli ad usum Polychrestæ hujus Antidoti; Et cum felicissimo successu, in omni ætate, sexu ac temperamento citò ac tutò, si non jucundè eas profligavi. Idque facio conscientiæ causa, utut ex præconcepta opinione reclament Amici, Medici, vel ipsi Ægrotantes; Quorsum enim Natura dubio Marte Venenum aggrediatur, cum penes nos sit Herculea Antidotus divinitùs concessa, quæ vires ejus certò & citò frangere valet; Quantùm dedecet probum ac misericordem Medicum adeò in Corio humano ludere, Artem nostram in Lanienam, frequenti Epispasticorum applicatione, convertere, atque tandem Ægrotantis vitam incertis atque hallucinantibus ratiocinationibus nostris temere subjicere, quarum pœnas Æger, crumenæ ac vitæ suæ dispendio, non raro luit?

Methodus Exhibendi Corticem in Curatione Febris Continentis.

Quocircà, missâ hâc Methodo rationali curandi febrem συνεχῆ, quippe longa ac incertâ; totus me demum accingam ad modum exhibendi Corticis, in συνεχῆ tam spuria quam legitima, describendum. Unde earum Causa, Venenatum scil. fermentum, modò magis compendiariò tutò ac citò subigitur & deletur. Quid opus autem multa verborum ambage, ubi Natura potiùs quàm Arte res agenda sit? Siquidem Antidotus quocunque modo exhibita (modò exhibeatur) Venenum delet. Fomite autem subtracto, flamma sponte extinguitur, atque, ubi Natura à Venenato fermento non ampliùs lacessitur, lubens quiescit. Ut totam rem paucis absolvam, simplex hujusce febris natura nihil præter Antidotum, formâ Ægrotanti gratissimâ exhibendum exigit, idque partitis vicibus, & durante Remissione, ut spirituum regimini magis subjecta vires suas feliciùs exerceat. Indeque, quotiescunque ad Ægrum advocor, simplici συνεχῆ laborantem; ubi nullum insolitum symptoma, aut gradum symptomatis solito vehementiorem deprehendo, si Exacerbationes & Remissiones statis ac certis periodis sese invicem excipiant, absque pomposo quocunque apparatu præcedenti, Prima scil. Remissione opportuna, illicò Cortic. Peruv. elect. in subtilissimum Alcohol reduct. ʒj. ʒß. ℈j. ℈ß. ℈ß. pro ætate, forma Boli, Haustûs, Pilul. vel Electuarii (prout Æger ipse maluerit) exhibendum jubeo, repetendumque tertia vel quarta quaque hora extra paroxysmum, dum opus fuerit. Atque, ut verum dicam, vix aut ne vix unquam memini simplicem συνεχῆ post ℥j. Antidoti exhibitam, superstitem fuisse.

Sin adventus meus differatur, donec febris hæc in augmento suo adeò provehatur, ut in continuam jam vergat, & paroxysmi fere aboliti fuerint, aut saltem periodos suas certas ac statas, ob Cephalalgiam, Lassitudinem ulcerosam, aut symptoma aliquod aliud solito vehementius subortum penè amiserit; post Clysteris (modò indicetur) rejectionem, sanguinis ℥vj. viii. x. pro ætate, & symptomatum exigentia, in ipsa exacerbatione, illico è brachio detrahendas jubeo, atque deinde Bolum Theriacalem cum

cùm haustu Julapii cordialis exhibendum, qui ad libitum repetatur, ad ſpirituum Elaſticitatem reſuſcitandam; Et Veſicatorium unum vel alterum, in eundem finem, ad Nucham vel Carpos internos applicandum præſcribo; undè, uti Vigiliarum, Dolorum, cæterorumque Symptomatum diminutionem ferè ſemper ſubſecutam eſſe memini, ita inſuper inducias Remiſſionum magis certas ac protenſas obſervavi; quâ occaſione datâ, Antidotum incunctanter exhibeo, atque ejus repetitionem, durantibus Remiſſionibus, jugiter renovandam, cùm felici ſucceſſu & optato eventu impero, Quid? quod ſpatio bidui, ſcil. quàm primùm Corticis ʒ vj. vel ℥ j. Æger devoraverit, Eum ἀπύρετον fere ſemper inveni.

Sin, ob præſentem Vomitionem, hæc guſtui parùm grata Antidotus ægrè admodùm in ventriculo retineatur, neceſſe eſt vel lene Vomitorium dare, vel Tonum Ventriculi corroborare, atque fermenti ejus acrimoniam priùs demulcere mixturâ è Sale Abſinthii & ſucco Limonum, cochleatim & ſæpiùs exhibitâ; Aqua Pulli in locum potûs ordinarii ſubſtitutâ, atque Bolo Cardiaco & Opiato horâ ſomni miniſtrato, cæteriſque Cap. 2. Exercitationis quartæ memorandis; ubi ex profeſſo de hoc ſymptomate tractaturi ſumus. Quinetiam ſingulis vel alternis Corticis doſibus tantillum Laudani adjici convenit, ut, Spaſmis Ventriculi inde ſopitis, Antidotus eò faciliùs retineri queat, donec, à Veneno inde ſubacto, Maſſa ſanguinis, & conſequenter Ventriculi fermentum in priſtinum ſtatum reducantur, & hoc ſymptoma unà cum febre dometur.

Ubi verò, ob ſolitam Alvi lubricitatem, aut præſentem ejus fluxum nimium, ritè metuendum ſit, ne Antidotus ſtimulanti amaritie prædita, Symptoma in Diarrhœam vel Dyſenteriam exaltet, & non tantùm Remedium ipſum feſtinanter unà cum fæcibus deturbatum, Inteſtina, reinfecta, prætèrlabatur; verùm etiam, Ægro Torminibus, cæteriſque diris Symptomatis inde provenientibus confecto, Febris in Malignam tranſeat, apprimè neceſſe eſt, Bolo Theriacali priùs exhibito, & Electuario adſtringente & Opiato partitis vicibus ſæpiùs miniſtrato, Enemate adſtringente injecto, Decocto albo in locum potûs ordinarii ſubſtituto, cæteriſque in Cap. 3. Exercitationis quartæ memorandis lævitatem Inteſtinorum quadantenùs corrigere, atque liquoris glanduloſi ex iis excreti acrimoniam demulcere; & ſingulis vel alternis Pulveris doſibus Laudan. Liq. gutt. 10. 12. 14. pro ætate & ſymptomatis vehementiâ addere; donec Veneno uſu Antidoti deleto, colliquatio inde ſenſim minuatur, & Diarrhœa unà cum febre jam demùm auferatur.

Sin à veneno (pro genio ſuo peculiari) Ventriculum ſimul ac Inteſtina petente, ac utrobique humores colliquatos eliminante, Vomitiones enormes & dejectiones cum ſpaſmis horrendis, velut in cholerâ morbo, adſint; Oportet priùs humorum Venenatorum in Ventriculum & Inteſtina excretorum acrimoniam copiâ Aquæ Pulli in locum potûs ordinarii ſubſtitutæ, atque Enemate ex eadem demulceri; Ventriculum fotu aromatico externè calidè refocillari, atque Spaſmos & evacuationes per os & anum frænari Laudan. Liqu. gutt. 12. 14. 16. ſingulis vel alternis horis in hauſtu Julapii accommodati propinatis; dein verò ſingulis vel alternis doſibus Antidoti (prout opus fuerit) tantillum Laudani adjici. Quo pacto, Venenô febrili deletô, moleſta hæc ſymptomata, quæ ab hoc fermento ſolummodò dependent, unà cum Febre illicò corruunt, neque in poſterum (modò repetitione Antidoti poſt debita intervalla præcaverentur) recrudeſcunt. Verùm de hoc ſymptomate fuſiùs atque ex profeſſo tractabimus Cap. 5. Exercitationis quartæ.

Quoties, ob ſpirituum in ſuis expanſionibus excandeſcentiam ac niſum, hæcce Febris propè accedat ad Inflammatoriam (ſive Inflammatio more Rheumatiſmi verſatilis totam machinam hic inde afficiat, ſive Pleuram, Pulmones, Oculos, Mammas, Teſtes ſive aliam aliquam partem ſingularem præ cæteris occupet, atque itidem Paroxyſmis & Remiſſionibus, certis aut incertis periodis recurrentibus inſigniatur, in primo Curationis limine, Doloris atque Inflammationis allevatio, Enematis, Venæſectionibus in ipſa Exacerbatione celebratis, & (ſi opus fuerit) repetitis, atque reliquo apparatu (quem pro textura partis affectæ ſingulari, admodum varium eſſe, ex tertia Exercitatione abundè conſtabit) molienda eſt. In prima autem Remiſſione, atque deinceps, quoties ſubſequens Remiſſio occaſionem miniſtret opportunam, Antidotus partitis vicibus jugiter ingerenda eſt, uſquedum à Veneno inde ſubacto Lucta finiatur, & Febris diro hoc Satellitio ſtipata ſponte exulet. Venenum autem, quod ſpiritus in motus adeò efferos adigit, rariùs ab una uncia Corticis deletur, ſæpiùs duplam, triplam quantitatem ſuperat, & Medicus, priuſquam ſcopum hoc modo aſſequi queat, detractione ſanguinis iterum, iterumque celebrata, orgaſmum ſpirituum compeſcere, nonnunquam etiam Cathartica Lenia, & ipſa Emetica in juſtis Intervallis adſciſcere cogitur.

Ubi autem Venenum præter modum, Spiritus velut œſtro laceſſit, & in ſtatum Spaſmodicum adigit, undè Ventriculus, Inteſtina, Præcordia, Diaphragma, cæteræque partes Cordi vicinæ adeò Lancinantur & torquentur, ut Æger, vacillante jam Pulſu, atque extremis frigeſcentibus, ſuffocatus vel lipothymicus periturus illicò videatur (Quæ Symptomata συνεχῶς ſpuriam haud rarò comitantur, & ſpeciem Colicæ Ventriculi vel Inteſtinorum, aut Spaſmi Thoracis & Abdominis univerſalem ſimulant) neceſſe eſt, primò locô, efferum hunc ſpirituum orgaſmum tollere, atque niſum minuere, Enematis, detractione ſanguinis copioſa (utut Symptomata contra indicare videantur) atque liberali & repetito Laudani uſu; Cujus doſin duplo vel triplo majorem, ob præſentem ſpirituum ὁρμὴν, Æger cum εὐφορίᾳ tolerat, quàm quocunque alio tempore ubi ſpiritus quieſcentes Elaſticitate duntaxat naturali pollent. Turbis autem hôc modô ſedatis, Æger, quamprimùm ſcil. urinam rubedine tinctam reddat, atque Cutis ſudoribus ſcateat, & induciæ à morbo impetratæ ſint, incunctanter Corticem Peruv. partitis vicibus jugiter deglutiat: Cujus ſingulis doſibus tantillum Laudani, ad reviréſcentiam Spaſmorum

L ante-

antevertendam, adjicere fas est. A cujus usu Venenato fomite deleto, febris exulat, nec in posterum repullulatio dirorum horum symptomatum ampliùs expectanda est.

Ubi denique, Venenum sponte, vel ex quocunque accidente adeò increverit, ut, spiritibus jam succumbentibus, Febris degenerare in continuam incipiat, & æquali tenore pergat, utut æquum sit in usu antidoti ad vires veneni frangendas (quantum Ægrotans ferre potest) pertinaciter persistere, Expansionem tamen spirituum, ut vires Corticis inde depromantur & regantur, omnimodè Medicum promovere oportet Epispasticorum frequentium applicatione, commixtione Alcalium cùm singulis Corticis dosibus, vel exhibitione Boli Alexipharmaci, atque ejusdem repetitione bis, ter, quaterve in die, prout gradus veneni & spirituum obrutorum imbecillitas indicet.

Verùm quandoquidem multifaria hæc res meliùs Exemplis quàm Regulis dilucidatur, non pigebit, è multis, præsertim nuperrimis, quas Mihi observâsse contigit, paucas Historias huc spectantes seligere, easque graphicè depingere, tàm ad Theoriæ nostræ ex rei ipsius naturâ petitæ illustrationem promovendam, quàm ad divinæ Antidoti multiplicem efficaciam confirmandam.

De Proteiformi Febris Continentis Genio.

Historia I.

Uxor *Domini Blackerby* Jurisperiti habitantis in vico dicto *Chancery Lane*, Anno 1690. a suppressione purgationum menstruarum ad unam, vel alteram Lunam perseverante, Nauseâ & proclivitate ad vomendum per quinque ferè hebdomadas continuatâ molestè afficiebatur. Symptomata pro signis ingravidationis habita primùm æquo animo ferebat Ægra, donec tandem adeò prævalerent, uti appetitus inde prorsùs prosterneretur, ac, Digestione eversa, Ventriculus ingesta quæcunque, illicò rejiceret; unde, præ ægritudine, & languore, lecto perpetuò affixa jacebat debilis & insomnis, funestum eventum indies expectans. Ego ab eximio Collega *D.D.Goodall* consultus, licet, primo adventu, nullum præsentis febris criterium in Urina, Lingua, Pulsu, vel Temperie deprehendere potuerim, à diuturnitate tamen & vehementiâ symptomatum (quod sæpiùs in aliis Me observasse memineram) multùm suspicabar Venenatum febrile fermentum delitescens Vomitioni & ægritudini ansam dedisse, atque, præ gradu Veneni intenso, spiritus haud jam satis ad Paroxysmos legitimos formandos sese expandere potuisse. Indeque, irritum duxi adversùs symptomata militare, neglecta causa, Veneno scil. Febrili, quo à propria sua Antidoto subacto, & sanguine inde in statum pristinum redacto, fermentum Ventriculi non posset non naturalem suum vigorem sponte recuperare, & symptomata urgentia illicò sublevari, Ideoque, ut Cortex Peruv. in hunc usum jugiter ministraretur, suasi. Quandoquidem, autem Ægra, & Ægræ Amici ab usu hujus Pharmaci planè abhorrerent, impræsentiarum, frequenti exhibitione Salis Absinthii & succi Limonum Symptomata saltem diminuere tentavimus, atque Aqua Pulli in locum potiùs ordinarii substituta venenatam acrimoniam humoris biliosi, flavi & æruginosi, in ventriculum excreti demulcere; Sacculis etiam aromaticis ac Emplastris tonum stomachi confortare, & tandem frequenti exhibitione Antimonii Diaphoretici (ut pote febrifugi non ingrati) Febrile fermentum aggressi sumus. Ab horum usu, humor vomitione rejectus, post tres vel quatuor dies, non fuit æruginosus & flavus ut priùs; Spiritus etiam, ut ex Temperie, Pulsu, Lingua & Tinctura Urinæ liquidum erat, liberiùs sese expandere cœperunt. Quocirca, Lene Vomitorium è Sale Vitrioli & Oxymelite Scyllitico ministravimus, quod cum εὐφορίᾳ ferebatur; dein ℥ vij. Sanguinis è Brachio detrahendas jussimus. At Ægra, Nauseæ, Vomitionis, cæterorumque symptomatum vehementia, ac diuturnitate pressa, ac tandem à Corticis usu non ampliùs abhorrente, eum præscripsimus, singulis dosibus Laudanum, cui jam diu assueverat, addendo, ad præsentem Vomitionem sistendam, unde spatio tridui, ex Orci faucibus planè eripiebatur; à Febre, vomitione, Ægritudine, cæterisque horrendis symptomatis prorsùs liberata, Appetitu & Digestione jam demùm integrè restitutis.

Historia II.

Advocatus Ego à Clariss. Collega *D.D.Carolo Goodall*, invisi Mulierem Diarrhœa torminosa in puerperio excruciatam, ac penè jam confectam. A colore Urinæ lateritio, atque a periodica Diarrhœæ & Torminum exacerbatione, illicò deprehendi fermentum Febris Intermittentis, aut saltem Remittentis delitescens, hisce symptomatis ansam dedisse, utut Indicia Febris præsentis neque Ægræ ipsi, neque adstantibus priùs perspecta fuissent. Ideoque misella Mulier, debito licet Diætæ regimine instituto, Dosibus Laudani largis & frequenter repetitis, hebetata languebat, ac Madore frigido perfundebatur, mente vacillabat, Pulsu intereà tremulè ac inordinatè vibrato, tanquam in articulo Mortis. Statis attamen periodis, scil. tempore Paroxysmorum, Torminibus, ac Fluxu Alvi immani torquebatur, quasi nihil Opii sumpsisset, vel debitum regimen adhibitum non fuisset: Aut cùm Alvus arte supprimeretur, prægrandem Ventriculi ægritudinem, usque ad deliquium, perpetiebatur; Siquidem Opiatorum, Adstringentium cæterorumque Diarrhœæ torminosæ debitorum usu, priùs contra symptomata urgentia pugnatum fuerat; Morbo ipso autem, seu causa morbi integra adhuc intus manente; quamprimùm fermentum virosum, sequenti Paroxysmo, recens invigorari contingeret, non potuêrunt Fluxus Alvi, Tormina, cæteraque congenera symptomata non inde illicò reviviscere; Natura per glandulas, & glandulosam Intestinorum Tunicam iterùm satagente virulentiæ reliquias excernere, &, uti sarcinam molestam, more solito deponere. Quam ob causam seriò monui, uti, durante Paroxysmi remissione, Haustus cum drachma una Pulv. Chin. Chin. tertia quaque hora, Ægræ propinaretur, addendo singulis Haustibus, gutt.12. Laudani liqu. Helmont. ad com-

compescendum fluxum Alvi præsentem, uti simul symptomati urgenti, & ejus causæ, fermento scil. febrili, in singulis paroxysmis humores colliquatos versus Intestina detrudenti prospiceretur. Indeque, spatio 30. horarum, quamprimùm scil. uncia una Corticis hoc modo exhibita fuit, Ægra, venenato fermento subacto, à paroxysmis febrilibus, Diarrhoeâ, Torminibus, reliquisque ejusmodi symptomatis periculosissimis integrè liberabatur, atque adhuc superstes ac sana manet; licet, duplò majori Laudani Dosi priùs præscriptâ fluxus alvi & tormina cohiberi non potuerint.

Historia III.

Domina Brent, habitans in Burgo dicto *Southwark*, Vidua sanè proba ac elegans, ante sexennium, tempore autumnali, anno ætatis suæ tricesimo, Diarrhoeâ torminosâ corripiebatur adeo atroci ac contumaci, ut fluxu enormi & spasmis excruciantibus confecta, lecto perpetuò affigeretur, non obstante debito regimine, ac multo apparatu Medicaminum adstringentium & Opiatorum à Clariss. Collegâ, *D. D. Blackmore* imperato, & ad plures dies continuato: Quippe contra symptoma adhuc duntaxat militatum erat, fomite venenato febrili, qui colliquationem effecerat, interea non animadverso quandoquidem à Languore ex hoc symptomate vehementi orto nullum caloris febrilis evidens indicium sese prodebat. Ego autem nono, vel decimo morbi die advocatus; ex Pulsu celeri, Urinâ rubrâ ac contentis saturatâ, & Linguæ ariditate morbum primarium illico deprehendi, Febrem scil. de genere Remittentium, quippe fluxus alvi inde ortus quotidiè statâ diei horâ, manifestò exacerbabatur, indeque consilium dedi, ut Bolus è Cortice Peruv. quarta quaque hora, durante Remissione, jugiter exhiberetur, unà cum gutt. 10. vel 12. Laudani Liquid. ut inde Diarrhoeæ, ac fermento febrili colliquationis causæ, simul prospiceretur: Siquidem ab Opiatis & adstringentibus solis fluxus enormis non ita cohiberi poterat, quin proximâ Exacerbatione recrudesceret, cùm causa ejus integra intùs maneret, atque licet multo Laudano spiritus sopiti fuissent, & fluxus forte fortuitò cohibitus, Febre tamen intactâ, atque intùs delitescente, Ægra diris symptomatis in genere nervoso male multata nihilo seciùs peritura esset. Consensit Collega Clariss. & Ægra, licet Remedii saporem molestè ferens, mandata nostra strenuè executa est cum optato eventu. Spatio enim Bidui, postquam ℨ vi. Corticis in varias formulas redactis devorasset, multò melius sese habuit, utut Aphthæ albæ & benignæ sub finem febris suppullularent; Tertio autem die, à febre, dirisque ejusdem symptomatis, ac Aphthis nuper subortis penitus liberata revaluit.

Historia IV.

Servus Domini *Hall*, Pharmacopolæ, in vico dicto *Pye-corner*, die 4. *Maii*, 1691. (Die præcedenti levem Brachii contusionem perpessus, quâ ratione, eodem ipso die, sanguinem è Brachio opposito detrahendum curaverat) horis tribus à prandio Spasmo Intestinorum immaniter dolorifico, & Vomitione bilis diversicoloris, enormi corripiebatur; Quam ob causam mane sequenti scil. die 5. *Maii* ℨß. Extract. Rud. cum gr. 1. Laudan. Lond. commixt. sibi ipsi ministravit; unde Diarrhoeâ torminosâ, & levi singultu à spasmis ventriculi suborto totâ nocte sequenti continuò lacessebatur. Die 6. Collega *Clariss. D. D. Torlesse* accersebatur, qui Enema sequens illicò injiciendum imperabat,

℞. Decoct. commun. ℥x. Electuar. lenitiv. ℥j. è Baccis Laur. ℥ß. Ol. chamæm. chym. ʒ ij. M. Deinde ℥iv. Julap. sequentis tertia quaque hora propinavit,

℞. Aqu. Hord. ℔iij. confect. Fracastor. ℥ß. coq. ad ℔j. colaturæ add. Aqu. Epidem. ℥ iij. Syrup. Violac. è succo Lujul. ana ℥j. Sp. Sulphur. per campan. ℈j. M. F. Julap. Bolum etiam sequentem cum Haustu horâ somni exhibendum curavit,

℞. Diascord. ℈j. Mithridat. ℈ß. Pulv. è chel. cancr. comp. ℈j. Syrup. caryoph. q. s. M. F. Bolus.

℞. Aqu. ceras. nigr. ℥ij. Epidem. ℥j. Syrup. cardiac. ℥ß. M. F. Haustus. Ad molesti singultus levamen cochl. 2. vel 3. Julap. sequentis, pro re natâ, ministranda jussit.

℞. Julap. Rosat. ℥ vi. Sacch. cant. ℥j. Aqu. cardu. ℥ vi. Mosch. Odorat. gr. 1ß. Amb. gris. gr. 1. croc. in nodulo ligat. ℈ß. M. F. Julap. A quo singultus quadantenùs allevabatur; Diarrhoea vero immaniter sæviebat, cum horrendis totius abdominis spasmis sociata; quocirca usus ante præscriptorum repetebatur; atque totum abdomen, ad excruciantes spasmos sublevandos, fotu sequenti calide fovebatur:

℞. Flor. chamæm. M iij. coq. in Spir. Vin. tenuior. q. s. pro usu. Abhinc materiâ (ut loqui amant) in cerebrum translatâ, illicò Æger delirabat, indeque, de dolore abdominis non conquerebatur; sub vesperam ejusdem diei, ad revulsionem materiæ à cerebro, Vesicatoria ad Brachia & Tibias internas, atque Emplastr. cephalic. ad plantas pedum applicabantur, & Bolus cum Haustu Julap. sequentis exhibebatur,

℞. Rad. Serpentar. Virg. ℈ß. Pulv. è chel. cancr. comp. ℈j. Syr. caryoph. q. s. M. F. Bolus.

℞. Aqu. cord. Saxon. ℥x. Epidem ℥iij. syr. Rub. Idæ. ℥ 1 ß. M. cap. cochl. vij. ad libitum. *Maii* 8. & 9. cùm singultus, Vomitio, Diarrhoea, & Tormina plurimùm prævalerent; Aqu. Dullagens. pro potu ordinario substituebatur; atque Alcalium Testaceorum Dosis larga sexta quaque hora ministrabatur, unde die decimo (quo Ego primùm advocatus sum) utut Diarrhoea sublata videretur, & alvus potiùs constricta, Mens tamen adhuc vacillabat, Tormina Ventriculum & Intestina dirissimè excruciabant, atque vomitio porracei nigricantisque liquoris immanis, & fere perpetua aderat cum Nauseâ, ægritudine & singultu conjuncta. Ubi autem, ex Pulsûs celeritate, colore Urinæ lateritio, siti urgenti, & Linguæ mucositate febrem deprehenderam, quam periodicæ symptomatum Remissiones & Exacerbationes comitabantur; Conjiciebam Vomitionem, Diarrhoeam, reliquaque omnia symptomata ab eodem venenato fomite ortum duxisse, atque incassùm Remediis nescio quibus tractanda esse, dum venenum febrile, hujus

stragis fons & origo, integrum & intactum intùs remaneret. Indeque (annuente Clariss. Collegâ) post Enematis rejectionem, ob præsentem Alvi constipationem, & Aquam Pulli ob Vomitionem enormem in locum potûs ordinarii substitutam, Bolus ex Pulv. Cort. Peruv. subtiliss. ℈ij. Ocul. Cancr. præp. ℈j. & syrup. Caryoph. q. s. præscribebatur illicò exhibendus, & jugiter repetendus quarta quaque hora, addendo gutt. XII. Laud. Liqu. Helmont. unicuique Bolo, tàm ad spasmos cohibendos, quàm ut, inde sopito ventriculi motu, Pharmacum eò melius retineri posset. Die undecimo, postquam Æger ℨvj. Chin. Chin. hoc modo devorasset, symptomata omnia sedabantur, Urina minùs rubebat, & hypostasin laudabilem deponebat, ideoque cùm Æger Bolorum tædio affectus esset, reliquam curationem perficiendam duxi Apozemate in fine Tractatûs nostri de Cortice Peruv. descripto: addendo Haustui nocturno gutt. XII. Laud. Liquid. vel sæpiùs, si opus foret: Undè, idque brevi, integrè revaluit.

Historia V.

Domina *Maschall*, Juvencula, Pathematis animi gravioribus diu exagitata, ubi jam fere ad quatuor hebdomadas, a fermento venenato delitescente multa diraque symptomata sese invicem excipientia, Diarrhœam scil. torminosam, Lienteriam, Vomitionem, colicam, &c. perpessa esset; & quanquam ab eximio Doctore *Watson Laudanum*, cathartica, & reliqua remedia à symptomatis indicata, ministrata essent, non tàm sanitatem recuperavit, quàm unum morbum pro alio commutavit, & continuatâ ægrotatione confecta est. Ego nuperrimè accersitus ut cum Collegâ de Ægra consulerem; Eam inveni in lecto decumbentem, perpetua suffocatione, ac Vomitione, spasmis ventriculi & Intestinorum horrendis, & fere Animi deliquium inducentibus laborantem, ac frigido madore ubique perfusam; Arteriæ insuper debiliter admodùm & inordinatè sese vibrabant: Urina verò intensè rubescebat, & sedimentum lateritium præcipitabat. Cùm verò ab astantibus certiores facti sumus omnia hæc dira symptomata quotidiè, licet non hora certa ac stata, exacerbari, Venenum febrile ab indole fermenti Remittentium febrium non diversum huic funestorum symptomatum catervæ ansam dedisse non dubitavi. Ideoque primùm Enemate injectô, Aqua Pulli in locum Potûs ordinarii substituta, frequenti Julapii Hysterici exhibitione, & Dosi Laudan. sæpiùs repetita, mitigationem symptomatum auspicato tentavimus, quâ potiti, incunctanter jussimus ℨj. Corticis cùm Laud. liq. gutt. XII. in formam Boli vel Haustûs redactam, exhibendam, atque deinde tertia vel quarta hora repetendam: Unciam unam Corticis, utpote effœti atque omni amaritie privati incassùm devoravit Ægra; Quàm primùm autem vegeta ac vera China China, ad spatium bidui, ministrata esset; A Febre ac diris omnibus symptomatis liberata revaluit; utut recidivationem aliqualem iterum, iterumque perpeteretur, quam, repetito Corticis usu, facilè superavit, atque jam superstes optimâ valetudine utitur.

Historia VI.

Uxor Dom. *Thornburg* Mercatoris in *Towver-hill*, ad triduum à puerperio, spasmis dolorificis laborans, atque Vomitionibus adeo atrocibus correpta, ut languore ac suffocatione inde confecta, illicò animam efflatura videretur, me nuperrimè accersivit, ut cum Medico suo ordinario Collegâ meo *Cl. D. D. Tyson* consulerem de sublevandis diris hisce symptomatis, quæ, utut ab usu Enematum, Opiatorum cæterorumque à Collegâ Eruditissimo excogitatorum sæpiùs obtunderentur, quotidiè tamen recrudescebant, & indies magis, magisque sæviebant, spesque revalescentiæ vix jam affulgebat. Cùm primùm advenerim, Ægra summè languebat, madore frigido perfundebatur, strangulatione fere suffocabatur, totum abdomen diris doloribus torquebatur; Pulsus erat admodum debilis & celer. Urina verò multùm tincta & contentis saturata, Unde febrile fermentum, à fermento Συνεχῶν non diversum, sub horum symptomatum larva delitescere, jure meritò, suspicabar. Quocirca postquam ab Enematis repetitis, atque dosi Laudani sæpiùs exhibitâ, symptomata inducias dederant, Haustum febrifugum e ℨj. Cortic. Peruv. & gutt. XII. Laud. Liq. confect. statim propinandum præscripsimus, repetendumque quarta quaque hora, ad revirescentiam symptomatum antevertendam; Die sequenti exacerbatio, sed levior, invadebat, 3. tamen, quamprimùm scil. ℥j. vel ℨx. Corticis in varias formas redactas Ægra devorasset, sine cujuscunque alterius Remedii ope prorsùs revaluit, atque eadem Antidoto, post debita intervalla, repetitâ, à recrudescentiâ febris ac symptomatum immunis in posterum manebat.

Historia VII.

Collega *Cl. D. D. Carolus Goodall*, *Maii* 28. 1691. accersebatur ad invisendam filiam Domini *Thatcher* in vico dicto *Pater-noster-Row*, circiter annos 16. natam, juvenculam sanè elegantem, ac optimo ingenio præditam; indeque parentibus & amicis jure optimo charissimam, quæ jam ad triduum Febre Συνεχεῖ laborans, & à Pharmacopolâ curata, demum Vomitione immani, doloribus, cæterisque id genus diris symptomatis adeò opprimebatur, ut Temperies non ampliùs indicia Febris proderet. Jussit Clariss. Medicus Vesicatorium amplum ad Nucham statim esse applicandum, & gr. xv. Pulv. è Chel. Cancr. comp. è cochl. Julap. seq. exhibenda.

℞. Aqu. Meliss. ℥vi. Protheriacl. ℥ij. syrup. Caryoph. ℥j. M. F. Julap. de quo bibat ad libitum. Cortic. etiam Peruv. ℨj. in formam Boli cum syr. Caryoph. redact. sexta quaque hora deglutiendam præscripsit. *Maii* verò 29. ob enormem vomitionem, gr. xv. salis Absinth. sexta quaque hora è cochl. j. succ. Limon. exhibenda curavit; & singulis vicibus Haustulum sequentem propinavit.

℞. Decoct. Cortic. Peruv. ℥ß Aq. Protheriacl. Gentian. comp. ana ℨij. syr. Caryoph. ℨß. M. *Maii* 30. Duo Vesicatoria ad interiora Brachia recens applicabantur, Decoctum album in locum Potûs ordinarii substituebatur; de Julap. Perlat. ad libitum bibebat. Haustus febrifugos intereà non omisit. *Maii* 30. sub vesperam, Ego in Consilium vocatus, miseram Ægram Vomitione perpetuâ penè confectam, atque

præ

præ Spasmis Thoracis, & Abdominis horrendis, perpetuò ejulantem, & tantùm non suffocatam deprehendi; Febre jam, præ vehementia symptomatum, vix ullo modo sese prodente: Urina etenim (ut in spasmis vehementioribus solet) erat clara ac tenuis, Temperies mitis, Extrema frigescebant, Pulsus erat celer, sed debilis & inordinatus. Ad Spasmos hosce universales compescendos Emeticum ex Vin. Benedict. ℥ ij Oxymel. Scyllit. ℥ß. Aqu. Card. Benedict. ℥j. illico exhibendum præscripsimus; Liquorem Posseticum copiosè bibendum inter vomendum, &, (si opus foret) Vitriol. alb. depurat. ʒß. in Haustu Liquoris Possetici solvendam: Finita vomitione Aquam Pulli tenuissimam pro potu ordinario propinavimus; Bolum sequentem hora somni Ægra deglutiebat cum cochl. iij. vel iv. Julap. sequentis de quo etiam bibit ad libitum,

♃. Theriac. Androm. ʒß. Pulv. è Chel. Cancr. Comp, ℈j. Syrup. Caryoph. q. s. M. F. Bolus.

♃. Aq. Lact. Meliss. ana ℥ iij. Cinnam. hord. Epidem. ana ℥ß. Sal. Absinth. gr. xij. Syrup. è succo Limon. ʒx. M. F. Julap. Vomebat Ægra cum εὐφορία, atque à Bolo deglutito somnum placide capessebat, à Vomitione & Spasmis dolorificis liberata: Jam demum verò, in hac symptomatum Remissione, Urinam reddebat rubram ac in colorem lateritium præcipitatam, unde fermentum febrile subesse ritè suspicabar, atque inde repullulationem symptomatum brevi futuram. Ne autem, ingratum Remedium (quale est Cortex) præproperè ingerendo, Vomitioni & Spasmis (quæ symptomata sponte recursura expectavimus) ansam dedisse videremur, præscripsimus solummodò pulverem sequentem ad acrimoniam Humoris Ventriculi obtundendam, tertia quaque hora repetendum, cum haustu Apozematis sequentis,

♃. Margar. præp. Ocul. Cancr. præp. Pulv. è Chel. Cancr. Simp. ana ℈j. Coral. rubr. præp. ℈iß. M.

♃. Decoct. Alb. ℔ ij. Aq. Cinnam. hord. ℥ij. Ceras. nig. ℥ iv. Sacch. alb. ℥iß. M. Tertia hora pomeridiana, sine evidenti causa ultrò recrudescebant symptomata, & plus quàm die præcedenti sæviebant; Misella virgo suffocata penè ac delira, præ atroci dolore totam Thoracis & Abdominis regionem occupante, sese jactabat & perpetuò vociferabatur, Nec intereà Vomitio cessabat; Indeque sub vesperam, ad dira hæc symptomata minuenda, sanguinis ℥vij. è brachio, post rejectionem Enematis sequentis, detrahendas jussimus:

♃. Decoct. commun. pro Clyst. ℥x. Elect. è Bacc. Laur. ℥ß. Ol. Chamæm. Chym. cum frustulo sacchar. solut. ℈j. sacch. rubr. Mell. Mercurial. ana ℥iß. M. F. Enema. Exacerbatione symptomatum hoc pacto diminuta, Haustum febrifugum sequentem statim exhibuimus, qui repetebatur quarta quaque hora, Primo haustui addebantur Laudan. liqu. gutt. xii. Imperavimus etiam ut persisteret in usu Decocti albi, Julap. Perlat. & Aqu. Pulli. Haustus febrifugus erat hujusmodi

♃. Aqu. Cardu. ℥ ij. Aq. Pœon. comp. syrup. Caryoph. ana ʒ ij. Pulv. Peruv. ʒj. M. Junii 1. mane, (delirio id postulante) Vesicatoria duo ad internas tibias applicabantur, & Suppedanea ex Emplastr. Cephalic. cum dup. Euphorbio & Galban. in Acet. solut. & colat. ana p. æq. ad plantas pedum; Et gutt. xij. Spir. C. C. in unoquoque haustu potûs præscripti exhibebantur; & haustus febrifugi quarta quaque hora non omittebantur. Exacerbatione verò spasmorum, reliquorumque symptomatum post meridiem iterum, hora solita, recrudescente, sub vesperam præscripsimus Haustum sequentem anodynum, ad symptomata allevanda, illicò propinandum, repetendumque post tres horas, si dolores adhuc urgerent; si verò sedarentur, Haustus febrifugos repetendos jussimus. Haustus anodynus erat hujusmodi

♃. Aqu. Ceras. nigr. Rut. Meliss. Pœon. comp. ana ℥ß. Spir. Castor. gutt. xii. Laud. liqu. gutt. xii. Syrup. Pœon. comp. ʒ iij Totos pedes Cataplasmatis è Rad. Bryon. alb. fol. Rut. Sapon. nig. & sale marin. confectis, calidè involvendos curavimus; & nodulum ex Ass. fœtid. Galban. Castor. incis. confectum, & aceto irroratum, de collo suspendendum. Junii 2. Urina reddebatur laudabilis, atque symptomata plurimùm levabantur; nihilominus Haustum anodynum in promptu esse jussimus; si paroxysmus recrudesceret, post meridiem ministrandum, & extra paroxysmos, Haustus febrifugos repetendos. Exacerbatione autem hora solita recrudescente, utut minùs jam sævierint symptomata, sub vesperam Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap, Goan. ana gr. xii. Salis Prunel. sacchar. alb. ana gr. iv. sumpsit, è cochlear. primo Haustûs anodyni, reliquum superbibendo; Unde sudore universali & calido perfusa, placide dormiit, à symptomatis prorsùs liberata, quæ die sequenti ut priùs non revirescebant; Urina verò & appetitu integrè restitutis, quasi ex Orci faucibus erepta convaluit. Quocirca postquam Emulsionem ex Sem. Cucum. Melon. ana ℥ß. Sem. Papav. alb. ʒ ij. Amygd. d. num. 5. Aqu. Hord. ℔ i ß. Aqu. Ros. rubr. ℥ ij & sacch alb. ℥j. confect. præscripsissemus, & repetitionem Corticis ter, quaterve in die ad triduum; Ei valediximus; atque equidem huc usque optima valetudine utitur, nisi quòd, ex præmatura Aëris mutatione ante usum Corticis, post 5. vel 6. dies, levem priorum symptomatum revirescentiam passa est, quæ exhibitione Decocti amari purg. & repetitione Corticis facilè profligabatur.

Historia VIII.

Dominus *Stradvvik*, Vir quadragenarius, Amicus meus integerrimus, habitans ad insigne Alvearis in platea dicta *Snovv-Hill*, qui à multis retro annis, ab hepatis imbecillitate sæpius in Icterum inciderat, & cujus pulmones phlegmate viscido quadantenus infarciebantur, sub initium Junii *1691* à frigore suscepto Febricitare incipiens, dolore lateris admodum molesto corripiebatur, & post multa incassùm à mulierculis intùs & extra ad dolorem allevandum tentata, sese pleuritide laborare credens, Junii tertio ℥xij vel xiv. Sanguinis è cubito detrahendas jussit, dein hora somni, haustum aquæ theriacalis seu epidemiæ à seipso peculiari modo paratæ (quam semper laudibus tanquam Panacæam efferre solebat) deglutiit. Ubi autem Junii 4. omnia in pejus ruerent, me ac-

accersebat. Adveniens, eum inveni vestitum, obambulantem in area domus, nullo Regimine diætæ circumscriptum. Temperies mitis, pulsus verò erat celer, & Urina intensè rubra atque in colorem lateritium præcipitata; Noctes cum multa jactatione insomnes transigebat, de dolore lateris, infarctione pulmonum, & tussi duntaxat conquerebatur; Sed febris συνεχὴς Spuria, cujus exacerbationes nocte recrudescebant (ut mihi ex pulsu, & urina liquido constabat) erat primarius morbus, atque tussis, infarctio pulmonum insolita, ac dolor lateris ab hac συνεχεῖ Rheumatica ortum suum trahebant. Ideoque, ne febris, ob Regiminis neglectum, & celebratam Venæsectionem spiritibus pessundatis, in malignam degeneraret bolum ex theriac. Androm. & pulv. Gascon. ana ʒß. confect. hora somni exhibendum jussi, cum cochl. 4. vel 5. julapii sequentis, quod etiam ad libitum propinabatur.

℞. Aqu. meliss. ceras. nigr. ana ℥iv. epidem. ℥ij. Syrup. caryoph. ʒx. M. F. julap. Mane sequenti ʒj. pulv. peruv. in formam haustus redactam præscripsi, quarta quaque hora repetendam; Ut phlegma viscidum faciliùs è bronchiis educeretur; linctum Cochleatim ad libitum sumpsit. Die sequenti, julii sc. 5. à domo sua rusticana in Urbem reversus, collegam meum eximium D.D. Carolum *Goodall*, ut mecum consuleret advocavit, qui, tota re audita, lubentissime mecum consentiebat Cortice Peruv. fomitem venenatum esse delendum, nec dubitavimus, quin symptomata inde orta vel sponte exularent, vel Remediis propriis facilè cederent; Quandoquidem vero Ægrum jam haustuum tædebat, idem Remedium in pilulas redactum exhibuimus modo sequenti.

℞. Cortic. Peruv. subtiliss. pulverisat. ℥ß. Mucilag. Gum. Tragac. q. s. M. F. pilul. xlviij. deaurand. quarum xij. cap. quarta quaque hora, superbibendo haustum julap. prius præscripti. Ad diluendum Phlegma bronchiis impactum, apozema sequens copiosè propinandum jussimus.

℞. aqu. Hord. cum Rad. Scorzon: Hispan. ℥iß. incoct. ℔ij. syrup. violac. è succo limon. ana ℥iß. M. F, Apozema. Ad linguam emolliendam Cochl. unum Mucilag. sequentis sæpius in ore tenendum jussimus.

℞. Mucilag. Sem. Cydon. aqu. plantag. extract. ℥vj. Diamor. ʒvj. M. junii 6. Urgente adhuc dolore lateris, sanguinis ℥ix. illico è brachio detrahebantur, atque pulvis peruv. in formam boli cum Antipleuriticis sequentibus redactus ministrabatur, hora una à venæsectione, & repetebatur media nocte, & crastino mane, cum haustu Iulapii prius præscript.

℞. Cortic. peruv. elect. subtiliss. pulverisat. ℈ij. mandib. Lucii. Dent. Aprug. ana gr. v. syrup. capil. Vener. q. s. M. F. bolus mollis. Sumpsit etiam Cochl. ix. Apozematis sequentis calide quarta quaque hora.

℞. Decoct. pectoral. depurat. ℔j. syrup. è v. Rad. è. Succ. Citri, Capil. Ven. ana ℥ß. M. F. Apozema. Pannus *Wallicus* insuper, oleo Palmitis calidè imbutus ad partes dolentes applicabatur, & illinitiones bis in die repetebantur. Junii 7. Urinam copiosam cum laudabili hypostasi innatante reddidit, atque meliùs sese habuit, cunctis symptomatis jam sensim decrescentibus: Ideoque bolum ex ʒß. pulv. peruv. ad venenum penitus tollendum, quarta quaque hora ministrandum jussimus, & Cochl. unum vel alterum syrup. sequentium in haustu largo Aquæ hordei solutorum sæpius propinandum, ad expectorationem facilitandam.

℞. Syrup. è Succ. Citr. Violac. è v. Rad. ana ℥ij. M. Præscripsimus insuper Cochl. 4. vel 5. Iulap. sequentis in languoribus ad libitum sumenda.

℞. Aqu. meliss. lactis Alexiter. ana ℥iv. Cinnam. hord. Epidem. ana ℥iß. marg. præparat. ʒiß. Sacchar. alb. ℥ß. M. Iunii 8. reversi, cum jam Ægrum bolorum, pilularum, & haustuum tæderet; Apozematis febrifugi sequentis Cochl. 9. quarta quaque hora ad curationem complendam præscripsimus.

℞. Cortic. peruv. elect. ℥ij. Aqu. F. ℥xij. Coq. lento igne ad dimid. & cola, repetendo colaturam & coctionem ad omnimodam amaritudinis è cortice extractionem; Colaturis simul mixtis & depuratis add. syrup. capil. ven. è v. Rad. ana ℥iß. M. F. Apozema. Sub noctis ingressum, ab haustu aquæ suæ theriacalis epoto, sudoribus Universalibus, quasi criticis perfusus Æger placidè dormiit; mane sequenti eum invenimus ἀπυρετὸν, à Dolore, Tussi, Dyspnœa, reliquisque symptomatis plane liberatum, Urinâ etiam integre restituebatur; Quocirca ei valediximus, postquam in mandatis ei dederamus, ut ʒj. Corticis, Prophylaxeos gratia, post intervallum octo dierum, in formam sibi gratissimam redactam repeteret. A quo tempore, hucusque optima valetudine utitur.

Historia IX.

Dominus *Gumley*, habitans ad insigne Cærulei Apri in Plateâ dictâ *Le Strand*, Vir quinquagenarius, quadantenus obesus, atque à multis retroactis annis nonnihil Asthmaticus, ubi jam per quatriduum ad minimum, dolore Punctorio, regionem inter Hypochondrium & Ileum sinistrum sitam occupante laborarat, nostram opem petiit, de hoc molesto symptomate unicè querens. Alvum dejecit, & Urinam more solito reddidit, neque Nauseâ, vel Vomitione afficiebatur, adeò ut Colicam vel Nephriticam affectionem jure meritò suspicari non licuerit; Neque Tussis, aut Dyspnœa aliqua insolita Pleuritidis, vel Peripneumoniæ suspicionem fecerit: Neque equidem locus affectus huic conjecturæ minimè favebat: Cùm autem inspexissem Urinam multa rubedine tinctam, & turbatam, Febrile & Venenatum Fermentum Spiritibus implicitum (utut neque à Pulsu, Siti, Linguâ vel Temperie Febrem præsentem dignoscere potuerim) Causam doloris esse deprehendi, dum spiritus, in hisce partibus præsertim, depressi, nisu quodam sese expandere moliebantur. Cui sententiæ Exacerbatio doloris periodica multum favebat. Indeque, ad efferum & spasmodicum spirituum motum compescendum ℥xij. sanguinis è cubito lateris dolentis die Decemb. 29. 1689. illico detrahendas jussi; atque nocte sequenti bolum è theriac. Androm. & pulv. è chel. cancr. comp. ana ʒß. confectum, deglutiendum, & julapium Cardiacum temperatum

tum ad libitum bibendum, quo vis spirituum elastica post venæsectionem promoveretur. Die tricesimo reversus, inveni Ægrum sudore perfusum, placide dormientem, neque spasmis adeo horrendis ut prius lancinatum, urina vero adhuc erat plane febrilis. Quocirca, linctum pectoralem ex Ol. Amyg. d. rec. syrup. ex Erysim. ana ℥iß. Sacchar. Crystal. alb. ʒiß. confectum, ad expectorationem phlegmatis bronchiis impacti promovendam præscripsi Cochleatim sumendum, atque haustum febrifugum cum ʒj. pulveris peruv. quarta quaque hora repetendum ad septimam usque vicem, ut inde seminium venenatum febrile spasmos jam efficiens, & deteriora symptomata denuntians, penitùs deleretur. Die Ianuarii primo, quandoquidem Æger tædio haustuum afficiebatur, ʒiij. pulveris febrifug. jussi in pilulas 36. redigendas, atque earum sex, quarta quaque hora, exhibendas. Ianuarii secundo Ægrum præter spem inveni evidenter febricitantem, inter somniandum variis Phantasmatis territum, atque penè delirantem. Indeque, ubi de viribus Corticis hoc in casu dubitare inceperam; & methodum tritam Antiquorum experiri, vacillante licet animo, decreveram; bolum Diaphoreticum, una cum haustu cordiali, horâ somni repetendum duxi, atque Alvum ℥ij. decocti Amari cum dup. sennæ, mane sequenti, leniter subducendam. Die tertio, purgatione jam finita, bolum Theriacalem iterum repetendum jussi, atque emplastrum Cephalicum cum dup. Euphorb. Ad plantas pedum applicandum. Cum autem die quarto, ab hac leni evacuatione Dolorem lateris nullo modo relevatum, cerebrum autem vacillans, tendines subsultu tremulo affectos, pulsumque debilem, aliaque triumphatæ naturæ, & malignitatis indicia observassem; multum dolebat mihi animus de Amico meo integerrimo ac antiquo, qui jam fere per viginti annos opem medicam à me unice petere solebat. Quum autem mente seriò revolvissem methodum, cui in posterum insistere me oporteret; tandem, accersito pharmacopœo, jussi, ut portionem aliquam Corticis peruv. qui in Officina tunc prostabat venalis, mihi adferret. Quo facto, clarè perspexi Ægrum non ex errore medici, verùm pharmacopolæ inscitia vel incuria, in periculo versari. Bone Deus! Qualem corticem? Spurium, effœtum, insipidum, cariosum; Vix inter tres libras totidem uncias veri & vegeti corticis inveni. Utcunque, amicitiæ ergo, ex hoc sterquilinio tres vel quatuor uncias selectissimi corticis, gustando, ac oculis explorando, separavi, atque in manus pharmacopolæ, in usum Ægrotantis, ad Apozemata & bolos conficiendos (quippe haustus & pilulas jam fastidiebat) tradidi, ita ut ʒß. in formam boli cum syrup. caryoph. redacta, unà cum ℥iv. Apozematis febrifugi, quarta quaque hora ministraretur. vesicatoria etiam duo ad expansionem spirituum promovendam, atque genus nervosum inde sublevandum, ad internos Carpos applicanda curavi; Qua ratione, die sexto, in vado res erat; febris & dolor fere exulabant, appetitus & urina integre restituebantur: Ideoque, ad reliquias febrilis fermenti eradicandas, duntaxat ʒij. corticis in bolos vel pilulas redigendas (sicut Ægrotanti maxime placeret) unà cum ℔j. apozematis ℥iß. Corticis saturati, partitis vicibus, spatio bidui exhibendas jussi; & ad firmandas partes dolore Spasmodico jam diu labefactatas *Pannum Wallicum* imbutum linimento ex unguent dialth. Ol. Lil. alb. & laterit. confecto, applicandum, atque sæpius renovandum. Die nono, ubi Ægrum integra valetudine utentem observassem, ei valedixi, postquam usum unciæ unius pulveris ad recrudescentiam fermenti febrilis antevertendam, die 14. & 27. repetendum præscripsissem, atque etiam eum seriò monuissem, uti primo instanti me certiorem faceret, si forte unquam posthac hisce symptomatis sese correptum sentiret. Hujus sani consilii memor, die 19. Martii sequentis, scil. quamprimum, à frigore suscepto, sese ejusmodi spasmo dolorifico in latere correptum sensisset, me advocavit; Quandoquidem vero nullum Symptoma febrile ex pulsu, Temperie, lingua, vel quidem Urina ipsa (quam claram & copiosam reddidit) deprehendere potui, ad efferum & dolorificum spirituum motum compescendum ℥x. Sanguinis illico è brachio extrahendas jussi, & Julapium Cordiale, ad spiritus refocillandos pro libitu sumendum præscripsi: Atque insuper pil. Stomach. cum Gum. ʒß. cum Laudan. Lond. gr. jß. commixtam, hora somni deglutiendam; & ℔iv. Aquar. Mineral. purgantium ad ℔iij. Coct. & ℔ß. Lactis alterat. mane sequenti bibendas. Die autem vigesimo, ubi observassem Urinam multa rubedine tinctam (utut nulla alia indicia febris præsentis apparuerint) fermentum prius venenatum recrudescens huic dolori ansam dedisse jure merito suspicatus sum: Ideoque, ut seminium hoc morbi deleretur, haustum febrifugum cum ʒj. Corticis selectiss. illico propinandum, & quarta quaque hora ad octavam vicem repetendum jussi. Unde die 22. sine quocunque alio Remedio ministrato, à dolore penitùs liberatus convaluit, Urina, & appetitu jam iterum integre restitutis: Neque quidem hac vice, vel in lecto decumbebat, aut quodcunque aliud febris sensibile symptoma patiebatur: Præscripsi autem ad prophylaxin Potionem Amaram die 30. Martii propinandam, & 15. Aprilis repetendam, atque post unamquamque purgationem ℥j Corticis partitis vicibus sumendam. Die Junii undecimo 1690. (postquam ad triduum sese eodem dolore spasmodico affectum senserat) iterùm me advocavit; ubi jam ex urina & pulsu indicia febris præsentis sese prodiderunt; Venæsectione autem, & applicatione linimenti cum Ol. Laterit. &c. atque exhibitione haustuum febrifugorum n. 18. (Bolo Theriacali nocte 15. 17. & 18. quoties scil. spirituum oppressio id requirebat, non omisso) spatio septem dierum plane convaluit: Quocirca eum iterùm dimisi, postquam potionem amaram die 25. sumendam, & Julii 6. repetendam jussissem, atque ℥j. Corticis post singulas purgationes partitis vicibus exhibendam. Decimo quinto Novembris 1690. eodem dolore correptus iterùm decubuit, febre etiam evidenti, atque Tussi & Anhelitu, ab infarctione bronchiorum plus quam anteà affectus. Ideòque post detractionem ℥x. sanguinis è cubito lateris affecti, & usum linimenti

anodyni, præscripsi Haustus 14. Febrifugos cum Pulv. Peruv. & Linctum Pectoralem ad libitum sumendum. Deinde die 18. Linctum febrifugum, ex ℥v. Cortic. Pulverisat. Ol. Amygd. d. ℥iv. & sacch. cant. alb. ℥vi. conficiendum jussi, quarta quaque hora cochleatim sumendum unà cum Haustu Apozem. febrifugi, & Emplastr. Cephal. ad plantas pedum applicandum. Die vicesimo Julap. Perlat. & Bolo Theriacali Spiritus oppressos resuscitare moliebar. Die 21. & 22. Haustum febrifugum mane & vesperi repetendum imperavi, & Apozema febrifugum horis intermediis; Unde à dolore, ac febre penitùs liberabatur; Neque quicquam aliud præscripsi præter repetitionem Haustuum febrifugorum die 22. *Novembris*, & die primo *Decembris* sequentis, Prophylaxeos gratia. A quo tempore huc usque convaluit, nisi quòd nuperrime eodem dolore stringeretur, ac primo fere momento, ex meo consilio, unciam unam Corticis devorabat partitis vicibus, & iterum illicò convaluit.

Eodem modo Dominus *Immins* habitans prope Templum Suecum in vico dicto *Little Trinity-Lane*, hoc ipso Anno, acutissimo dolore Hypochondrium sinistrum occupante correptus, præ vehementia symptomatis ejulans, & penè ad deliquium usque oppressus (frigentibus etiam extremis) tandem à Me opem petiit. Celebrata Venæsectione, Bolo Theriacali, Julapio cordiali & Linctu Pectorali exhibitis, & Linimento Anodyno applicato, motu spirituum effero exinde quadantenùs sedato, multò meliùs sese habuit. Nullum indicium Febris in Temperie, Lingua vel Pulsu se prodebat, Urinam verò multa rubedine tinctam, & in lateritium colorem præcipitatam reddebat. Quocirca, Pulverem febrifugum in formam Haustuum, Bolorum, Apozematum, & Pilularum redactum, per plures dies præscripsi; Venæsectione etiam repetitâ sæpiùs, pro re natâ, atque Alvo tandem, post debita intervalla, iterùm iterumque subducta; unde tandem, post Aphthas in Gutture & Ore succrescentes (licet vix aliud indicium febris evidens adfuerit) Dolore inter Latus sinistrum & Scapulam dextram diu versatili, plurimùm licet attenuatus & debilitatus, liberatus demum reconvalescebat.

Historia X.

Uxor Domini *Patchin* Vitriarii habitantis in vico dicto *Broad-street*, nuper, scil. sub initium *Aprilis* 1691. cùm Annum Ætatis suæ circiter trigesimum septimum ageret, à frigore in puerperio suscepto febricitans, dolore primùm Maxillæ, dein Lateris spasmodico, horrendo ac atroci corripiebatur. Unde Medicus ejus ordinarius *D. D. Crell*, eam pro Pleuriticâ curavit; Indeque ℥viij. Sanguinis è cubito detraxit, Linimento ex Ol. Scorpionum partem affectam illinendam, atque Linctum ex Ol. Amygd. dulc. rec. syrup. capil. Ven. & sacch. crystal. alb. confectum, cochleatim sæpiùs exhibendum jussit. Dolore autem inde à Latere ad Maxillam, & Aurem dextram rursùs translato, sanguinis ℥viij. vel x. iterùm detrahebantur, &, ad dolorem sedandum, ℥ß. syrup. de Mecon. ministrabatur. Unde Maxilla & Aure quadantenùs relevatis, dolor in Latere recrudescens unà cum febre sæviebat ut priùs; Vires autem languentes & lacessitæ, à repetitis Venæsectionibus, Dolore & Febre plurimùm prosternebantur; Siquidem mulier erat elumbis, & systemate Nervoso admodum debili, licet ingenii acumine maximo prædita. Die 5. *Aprilis*, Ego accersitus ut de salute Fœminæ cum *D. D. Crell* consilium caperem, Vires deprehendi multùm depressas, Pulsû debilem & celerem, Temperiem mitê, faciem & Manus madore frigido perfusas, Urinam verò multùm tinctam, & sedimentum lateritium deponentem; Dolores, utut acerbos, versatiles tamen, ac periodicè recurrentes; Unde ritè conjeci febrem propriè esse Συνεχῆ spuriam ac Inflammatoriam, Rheumaticam verò potiùs quàm Pleuriticam; à repetitâ autem Venæsectione in Malignam mox transituram; Siquidem Venenum inde auctum vim spirituum Elasticam plurimùm obruisse videbatur. Quam ob causam, utut dolor Lateris excrucians urgeret, sanguinem non ampliùs detrahere ausus sum, verum fotu externo, & usu Laudani interno nisum spirituum nimium, & spasmos dolorificos inde consequentes compescere felici cum eventu sategimus; donec Venenum, causam febris, & spasmorum, Cortice subigendi occasio daretur, modo sequenti.

♃. Rad. Petrosel. Fœnic. ana ℥ij. Sem. Lin. fœnugræc. ana ℥j. flor. Chamæm. Melilot. ana M ij. coq. in Aq. F. q. s. Reponatur colatura in Vesica bubula recenti semiplena, & calidè ad partem affectam admoveatur. Amota Vesica, pannus laneus mollis Linimento sequenti calidè illitus applicetur.

♃. Unguent. Dialth. ℥ß. Ol. Lil. alb. Laterit. ana ʒ iij. M. F. Liniment.

♃. Aqu. cardu. ℥ij. Epidem. Syrup. caryoph. ana ʒ ij. Pulv. subtiliss. Cortic. Peruv. elect. ʒj. Laud. Lond. gr. j. M. F. Haustus statim ab usu fotûs propinandus, repetendusq; deinceps absque Laudano, quarta quaque hora ad 4. vices. Junii 6. invenimus Ægram à dolore Lateris spasmodico liberatam; Urina verò multa rubedine tingebatur, & sedimentum lateritium deponebat, aderant etiam alia Συνεχ@ præsentis indicia. Indeque jussimus, ut persisteret in usu Haustuum febrifugorum adhuc ad 4. vices, &, ut alternis Haustibus adderetur Laudani Lond. gr. j. ad revirescentiam spasmorum antevertendam. Decoctum album etiam pro potu ordinario præscripsimus, ob nimiam Alvi lubricitatem. Junii 7. Febris profligata videbatur; Urina ferè in sanum colorem restituebatur, Pulsus tamen erat languidus, atque Ægra insomnis jacebat, perterrita, & quasi delira, unde facilè deprehendi spirituum animalium vacillationem & imbecillitatem à debilitate systematis Nervosi ortam; Indeque in subsidium cerebri & generis Nervosi Emplastr. Cephalic. cum dup. Euphorb. ad plantas Pedum, Epispastica ad Brachia & Tibias internas, Hystericum cum Galbano in margine, ad regionem Uteri applicabantur. Nodulus ex Sem. Rut. Pulv. Castor. Galban, & Ass. fœtid. confectus, & aceto irroratus parabatur, quem sæpiùs olfecit, aut ejus loco, spirit. Castor. & sal. Armon. in phiala collo arcto & oblongo prædita. Insuper, frons & tempora sæpiùs illinebantur Manu frigida Linimento ex Unguent. Popul. ʒ ij. Acet.

Sambuc.

Sambuc. Aq. & Ol. Rof. ana ℥j. Denique iv. pilularum sequentium quartâ quâque horâ Ægra deglutiit, superbibendo Cachl. 3. vel 4. Julap.

♃. Pulv. Chin. Chin. ʒij. Castor. Gum. Galban. ana ʒß. Ass. Fœtid. ℈iß. Mithridat. q. s. M. F. Pil. mediocres deaurand.

♃. Aqu. Ceras. nigr. Flor. Paralys. ana ℥iij. Pæon. comp. comp. ℥j. Tinctur. Castor. ʒij. Sacch. Perlat. ʒiß. syrup. Flor. Paralys. ℥iß. M. F. Iulap. Quandoquidem vero nihil profecerimus, Iunii 8. ad Spiritus excitandos imperavimus, ut toti Pedes calide involverentur Cataplasmate ex Fol. Rut. Sapon. nig. & Sale communi contusis confecto; Et ad fervorem Cerebri inquietum temperandum, Ut Frons & tempora sæpe frigide illinerentur linimento sequenti.

♃. Camphor. ʒij. Sacch. Saturn. ℥ß. Ol. Nymph. Acet. Sambuc. ana tantillum. M. & terantur in formam linimenti; Insuper, ut bolus ex Ent. Veneris (cujus vires in Hypochondriacorum & Hystericarum vigiliis & Deliriis temperandis efficaces sæpiùs expertus sum) gr. vij & conserv. Flor. borag. ʒiß confectus, bis terve in die exhiberetur cum Haustu prælargo Julapii sequentis.

♃. Aqu. Fl. Paralys. Papav. Rhæad ana ℔ß. aqu. Pæon. Bryon. comp. ana ℥j. Tinctur. Castor. sp. sal. Armon. ana ʒß. Syrup. Flor. Paralys. ℥ij. M. F. Julap. Sub vesperam ejusdem diei hæc symptomata, non tam à debilitate Systematis Nervosi, quàm à gradu veneni aucto ortum suum duxisse suspicati sumus, Συνεχεῖ sc. febre à repetitâ venæsectione, & usu laudani in Malignam Συνοχον, mutata; Bolum igitur Alexipharmacum ex Theriac. Androm. Pulv. è Chel. Cancr. comp. & tantill. Syrup. Caryoph. confectum, horâ somni exhibendum jussimus. ad expansionem Spirituum promovendam, idque cum optato eventu, Somnum enim magis placidum inde capessebat Ægra à Deliriis & Lipothymiis plurimùm liberata. Quocirca eundem Bolum Junii 9. ter in die repetendum duximus, unicuique bolo addendo Rad. Serpentar. Virgin. gr. 7. Insuper 2. pilul. sequentium, in subsidium generis nervosi vacillantis, sextâ quaque horâ exhibuimus unà cum coch. 4. vel 5. Iulap. sequentis. quod etiam ad libitum bibendum erat.

♃. Gum. Galban. Ammoniac. ana ʒß. Castor. Ass. Fœtid. ana gr. xv. M. F. Pil. xxiv. optime deaurandæ.

♃. Aqu. Rut. meliss. cinnam. hord. ana ℥iij. Epidem. Pæon. comp. ana ℥iß. Confect. Alcherm. ʒiß. syrup. caryoph. ℥j. M. Repetebatur Cataplasma. Die 10. eosdem bolos ter repetendos jussimus, itidemque undecimo, quo die Glans ex Melle & Alumine coctis, ob alvi Constipationem, intrudebatur. Die duodecimo repetebantur boli ut priùs; Insuper, ad expansionem spirituum ulteriùs promovendam Vesicatoria duo pone aures applicabantur; & Suppedanea ex Gum. Galban. & Emplastr. Cephalico. Die 13. Urina rubescere iterùm cœpit, & contentis saturari; atque Ægra multò meliùs se habere. Ideoque bolum Alexipharmacum tantùm bis in die exhibendum jussimus, atque (ob Alvi adstrictionem) Glandem ex Hierâ Picr. alum. & Melle simul coctis intrudendum. Cùm sensim indies revalescere videretur, die 14. & sic deinceps usque ad decimum nonum, bolum Alexipharmacum hora somni duntaxat deglutiendum præscripsimus; Decimo nono autem Rad. Serpentar à Bolo detraximus, & pilul. Hystericas repetendas jussimus, Omisso autem bolo, nocte vigesimâ multùm conquerebatur de Cerebri vacillatione & spirituum languore adeo ut bolum horâ somni exhibendum iterum præscribere coacti essemus, & Glandem recens intrudendam, nec non Epispasticum ad Nucham de novo applicandum. Vigesimo tertio verò, cùm Συνεχὴς, legitima cum paroxysmis, & Remissionibus periodicis sociata reverteretur, ʒj. Corticis ter in die, ad triduum exhibendam jussimus, atque bolum Alexipharmacum mane & vesperi. A quo tempore plane convaluit, multa artis nostræ ope, eaque diu continuata, difficulter admodum ab Orci faucibus liberata. In aëre rusticano quidem, semel, vel bis levem Recidivationem, intra spatium duorum mensum perpessa est, illicò verò repetito Corticis usu liberabatur.

Historia XI.

Dominus Guttur Ludi Magister, habitans prope Hospitium Ecclesiæ Christi, vir habitu œdematoso, à frigore sæpiùs suscepto Anno 1690. subito algore, rigore ac horrore, deinde flagranti Æstu correptus, Iactatione, Vigiliis, siti immensa, Respiratione anhelosâ, Hypochondriorum oppressione gravativâ, vomitione immani, dolore horrendo ac Inflammatorio, ab uno artu in alterum versatili, reliquisque febris verè Rheumaticæ & inflammatoriæ Symptomatis laborans, tertio Morbi die sub vesperam me accersivit. Cùm advenissem, pulsum deprehendi fortem ac celerem, urinam multa rubedine tinctam ac in colorem lateritium præcipitatam; Symptomatum autem vehementiâ Ægrotans adeo confectus erat, & madore colliquativo perfusus, ut lachrymantes Amici de sanitate ejus recuperandâ desperarent. Ab astantibus autem probè intellexi exacerbationem horum dirorum symptomatum quavis nocte recrudescere solere, unde de spe, quam matutinis horis conceperat, sub noctis ingressum decidebat, & vix sese ad matutinam sequentem superstitem fore putabat. Præterea, in unoquoque paroxysmo, dolor Inflammatorius intactum adhuc artum indies corripere solebat, adeò ut manibus pedibusque mancus, præ dolore fere continuò ejularet, ac vociferaretur. Ad efferum hunc nisum & Orgasmum demulcendum, post Enematis rejectionem, sanguinem copiosè ad ℥xij. vel xiv. illicò paroxysmi tempore detrahendas jussi. Tincturam Rosarum ad Sitim relevandam, Haustum Hypnoticum cum ℥i. Syrup. de Mecon. ad spiritus ulteriùs compescendos, & Iulapium Perlatum temperatum ad vires refocillandas ad libitum pitissandum præscripsi. Quo pacto, post somnum hoc modo conciliatum, mane sequenti, (cùm sanguinem planè mucosum vidissem,) Remissionem evidentiorem nactus, Haustum Febrifugum cum ʒj. Corticis ad veneni extirpationem, quod spiritus stimulando, eos in hos tumultus adegerat, & prælium indies instaurando, idem in posterum sine fine facturum esset, tertiâ quâque horâ ministrandum

fine

sine morâ jussi: Paroxysmo pro more suo recrudescente, omnia symptomata iterùm exacerbari cœperunt, & aliud Membrum dolore & tumore inflammatorio recens invadente, immaniter excruciabatur. Has Exacerbationis vices ad triduum æquo animo tulit Ægrotans, siquidem curationem se brevi consecuturum hâc Methodo expectavit; atque intereà temporis probè novit Me (quantum poteram) symptomata sublevasse. Cùm autem post tertium paroxysmum, atque ℥iß. Corticis in varias formas redacti deglutitam, nihil levaminis sensisset, atque dira symptomata, stato Exacerbationis tempore, indies potiùs augerentur, animo despondebat; Neque minùs Ego ipse erubescens atque dolens, demum anceps hæsitabam. Denuò autem exploratione diligentiori factâ, inscitiam vel incuriam Pharmacopœi culpandam novi, qui Corticem nescio quâ ingratâ amaritie tinctum, viscidum, & plurimùm effœtum ministraverat. Quocirca, sanguinis ℥xii. iterùm è brachio detrahendas jussi, atque ℥ij. vegeti ac veri Corticis Peruv. partitis vicibus extra paroxysmum ministrandas curavi; Unde Æger à febre prorsus liberabatur: Et dolores Rheumatici indies decrescebant. Fomite autem febrili hoc modo subacto, cùm vita Ægri in vado esset, neque ampliùs à futurâ recrudescentiâ metuerem; Humores colliquatos, Artus debilitantes Decocto amaro & syrup. de spin. cerv. per alvum κατ' ἐπιχειρον subduxi semel in hebdomadâ, post singulas purgationes usum Corticis iterùm imperando, ne fomes febrilis inde resuscitaretur. Quo pacto, spatio trium hebdomadarum, à reliquo versatili dolore liberatus (Artubus sensim indies restitutis) convaluit, atque hucusque sine Recidivatione valet, nec adeò œdematoso corporis habitu est, ut priùs.

Historia XII.

Dominus *Glascock*, Presbyter Reverendus, Vir valetudinarius, & systemate Nervoso admodum debili, habitans in *Le Strand*, à frigore, durante usu Aquarum Mineralium Chalybeatarum, suscepto, febre ac dolore inflammatorio, hinc inde in Artubus versatili correptus, *Junii* 18. 1691. à Me opem petiit. Pulsum, exploratione factâ, deprehendi celerem & quadantenùs fortem, Urinam rubram & contentis saturatam. Appetitus erat prostratus, Ventriculus Nauseâ & proclivitate ad vomendum affectus: Noctes transigebat insomnes & inquietas, copioso madore semper in lecto perfusus, Exacerbationem quippe sub vesperam quotidie perpetiebatur. Quocirca, in subsidium virium ex perpetuis vigiliis languentium, Curationem, ab Haustu Paregorico sequenti, horâ somni propinando auspicatus sum.

℞. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iß. Epidem. ʒiij Syrup. de Mecon. ʒvi. M.F. Haustus. Mane sequenti ℥viii. vel ix. sanguinis (qui admodum gelatinosus erat) detrahendas jussi, atque dein ʒj. Pulv. subtiliss. Peruv. quarta quaque hora ad 8. vices exhibendam è cochl. Julap. sequentis, superbibendo ejusdem Haustum.

℞. Aqu. Meliss. ceras. nigr. ana ℥iv. Epidem. Pœon. comp. syrup. Caryoph. ana ℥iß. M. F. Julap. *Junii* 20. Pulveris Chin. Chin. sex novas Doses imperavi; Ad sedandam sitim, Tincturam Rosarum Saccharo albissimo edulcoratam, ad libitum bibendam concessi, atque ante vesperam, si Alvus priùs non solveretur, Enema Lactis sacch. flor. chamæmel. alterat. injiciendum præscripsi. *Junii* autem 26. Æger à febre liberabatur ac doloribus; Urinam reddidit colore & quantitate sanæ similem, appetitus verò non integrè restitutus erat, quocirca tres Haustus adhuc repetendos duxi ut priùs; atque iterùm, octo diebus elapsis, post exhibitionem ℥iv. Decocti amari cum dup. sen. & ℥ß. syrup. de Rhamno solut. ad reliquias Humoris colliquati, & in habitu corporis congesti subducendas, ʒj. Chin. Chin. ter in die ad triduum, prophylaxeos gratia, in Haustu cerevisiæ ministrandam. Die *Junii* 29. à concione, priusquam vires resarcitæ fuissent, habitâ, atque frigore inde in poros cutis suscepto, illicò recruduit febris, ac Dolores Artuum inflammatorii & versatiles; Urinam intense rubram Æger iterum reddidit, Pulsus in celerem & quadantenus fortem mutabatur, appetitus prosternebatur, Ventriculus Nauseâ, Ægritudine & Vomitione afficiebatur, sitis aderat ingens, Vigiliæ & sudores colliquativi, tempore Exacerbationis, scil. per totam noctem durabant, & reliqua febris inflammatoriæ & Rheumaticæ symptomata: Ideoque *Junii* 30. ℥viii. sanguinis e crure vel Brachio Lateris maximè affecti iterùm detrahendas jubeo, atque 10. Pilularum sequentium (quia tædio Haustuum Æger afficiebatur) quartâ quaque hora, cum Haustu Julap. priùs præscripti exhibendas.

℞. Cort. Peruv. subtiliss. pulveris. ʒvi. Mucilag. Gum. Tragac. q. s. M. F. Pilul. mediocres deaurandæ. *Julii* 4. ob Nauseam immensam, & dolores mobiles in toto corpore, Emeticum sequens sub vesperam cum Regimine exhibendum impero, &, Vomitione finitâ, Haustum Paregoricum sequentem; Die verò proximo ʒiij. Corticis in pilulas redacti.

℞. Aq. Cardu. Vin. Benedict. ana ℥j. Syrup. Viol. M. F. Potio Emetica.

℞. Aqu. flor. Paralys. ℥ij. Epidem. ʒiß. syr. de Mecon. ʒvi. M. F. Haustus. *Julii* 7. reversus, inveni Ægrum planè ἀπυρετον, atque à doloribus immunem, licet ab humore colliquato congesto Artus adhuc rigiditate & Tumore afficerentur; Ideoque ad Humores demulcendos Decoctum Sarsæ sequens præscripsi pro potu ordinario.

℞. Sars. opt. ℥vi. Rad. Chin. ℥ij. Ras. C.C. Ebor. Santal. Rub. ana ℥ß. Passul. maj. Exacinat. ℥iij. Glycyrriz. ras. ℥ß. coq. in Aqu. F. ℔xii. ad 6. & cola pro usu. Post 6. dies elapsos, saburram humorum Decocto Amaro cum dup. Senn. per alvum subduxi, atque dein, ter in die pilulas febrifugas num. 12. quotidiè exhibui, donec ℥j. Corticis absumebatur; Idem Catharticum, atque postea Pilulas, post intervallum octo dierum, prophylaxeos gratiâ, iterùm præscripsi; Intereà temporis admonui Patientem, ut à concionando. & omni alio vehementiori Exercitio protinùs abstineret. Cui sano consilio morem gerens prorsùs revaluit, & hactenus optimâ valetudine utitur.

Dominum *Blakey* Clericum admodum Reverendum, qui à multis retrò annis, ex causâ levissimâ Rheumatismo inflammatorio sæpiùs obnoxius

noxius fuerat, eodem ferè modo, à tribus febribus Rheumaticis, spatio trium Annorum, recurrentibus, sine quocunque alio Remedio, brevi, atque integrè restitui.

Historia XIII.

Dominus *Semyr*, habitans in vico dicto S. *Thomas Apostle*, Vir quadragenarius, à frigore in poros cutis sæpius suscepto, dolore tandem versatili dextram maximè corporis partem occupante affectus, & in lecto ad tres septimanas detentus, Maii 15. 1690. Cùm accersivit, præ dolore, vix aut ne vix sese ab uno latere in alterum commovere poterat, Sudore perfundebatur, urinam reddebat intensissimè rubram, ac lateritiam, lingua erat fœda ac arida, Sitis ingens, pulsus Celer, Vigiliæ pertinaces, temperies verò adeò mitis, ut nec æger, nec Pharmacopola febrem suspicaretur. Æger febre laborarat Συνεχεῖ spuria Rheumaticâ, cujus exacerbationes nocte quavis recrudescebant; Tumor cum hoc dolore, ut in vero Rheumatismo, non conjungebatur, quia spiritus irretiti ac implicati, licet continuo lacessiti, ultimum expansionis suæ gradum non assecuti sunt: Unde etiam febris se minùs prodebat.

Postquam cortex ad aliquot vices exhibitus fuerat, respectu habito ad Symptomata vehementia, die 25. Æger à doloribus ac febre pene liberabatur, pulsus fortis, ac tardus, temperies mitis evasit, sitis pene extinguebatur, appetitus rediit, lingua tamen quadantenùs arescebat, & urina plus justo rubescebat, unde conjeci rem esse in vado, atque naturam veneni reliquias sponte deleturam. Quid fit? Spatio unius hebdomadæ Aphthæ quasi criticæ cum Salivatione conjunctæ morbum terminabant, qui solito contumacior erat, vel quia à veneno intensiori producebatur, vel quia Æger nauseabundus vix dimidiam partem Remedii præscripti deglutiebat: Vel quia cortex parùm vegetus ministrabatur.

Historia XIV.

Dominus *Kemp*, Mercator Londinensis, habitans in vico dicto *Franchurch-street*, Maii 14. 1690. me accersivit. Ægrotaverat per triduum; Horis antemeridianis è lecto surgebat, non multùm sitiebat vel febricitabat, verùm adeò Hebes erat ac mente captus, atque arteriarum vibratio adeò vacillabat, ut licet Urina esset ruberrima & lateritia, apoplexiam vel simile aliquod symptoma à veneno febrili suboriturum suspicarer. Æger de Languore solo, ac anim perturbatione conquerebatur. In tutamen cerebri (ut mihi videbatur) præcipuè obsessi, sanguinis ℥x. aut xij. illicò detrahebantur è brachio, vesicatoria applicabantur, Boli & Iulapia ad spirituum expansionem promovendam cum optato eventu exhibebantur; Die autem 15. hebetudo diminuta est, pulsus factus est æqualis, licet celer, Urina adhuc intensè rubescebat, ac turbabatur, dolor molestus ac Rheumaticus genu ac pedem sinistrum occupavit à nisu spirituum venenum adorientium subortus. Sanguis iterùm educitur (qui admodum gelatinosus erat) deinde cortex illicò exhibetur, cum Laudano commixtus; cùm dolor & vigiliæ id postularent. Quia femur & Crus dolens grandi Tumore œdematoso afficiebantur, sequenti linimēto bis in die calidè inungebantur.

℞. Unguent. Dialth. ℥ß. Ol. Lil. alb. Laterit. ana p. æqu. M. die 21. febris, dolor, ac Tumor Femoris evanuerunt; Ægerque de Dolore humeri conquerebatur. Repetebatur cortex & venæsectio, & die proximo nempe 22. Ægrum dimisi perfectè sanatum. Corticem duntaxat, prophylaxeos gratiâ, præscripsi.

Verùm, si singulas historias recenserem Συνεχῶν non tantùm legitimarum verum etiam Spuriarum, quas nuperrimè, spatio sc. unius mensis, hoc pacto felicissimè sanavi, in senili vel infantili ætate, atque in ipso puerperio, nimius essem. Fateor equidem, ubi Spirituum Elasticitas à veneno ita opprimitur, ut vires Antidoti regi & in actum deduci inde non possint, & Συνεχὴς in Σύνοχον Malignam degeneret, me haud raro sortem cæterorum Medicorum participasse, & restitutionem Elasticitatis spirituum Enecatorum ferè, & sphacelatorum, methodo quâcunque, sæpe incerto, sæpe incassùm tentâsse. Palam autem affirmo me multò plures hujusmodi Ægrotantes, Deliriis, subsultibus Tendinum, cæterisque id genus symptomatis Malignis obsessos, ab Orci faucibus arte liberasse, ubi antidoti usus curationem auspicabatur, quàm cùm ab initio, aliâ quâcunque Methodo uterer; modò cùm accersitus primò essem, umbra aliqua Remissionum & Exacerbationum superesset. Fundámentum Curationis in cortice semper jacio; Posteà pro modulo ingenii, juxta Normam artis, quod à symptomatis indicatur efficio, atque haud raro cum optato successu Curationem ad umbilicum duco: Coronidis loco, unum vel alterum hujusmodi curationum exemplum hic addam.

Historia XV.

Dominus *Shakell* Stannarius, habitans in Plateâ dictâ *Fanchurch-street*, Vir quadragenarius, obeso quadantenùs Habitu, & pulmonibus infarctis, qui jam per quadriennium, scil à quo tempore Rheumatismo universali correptus perperam Emplastris è limacibus contusis ferè ad totum corpus frigidè applicatis, cæterisque ejusmodi, à medico suo ordinario præscriptis, Cerebri & Systematis nervosi tantâ debilitate laboravit, ut sæpiùs in die, præsertim cum esset cogitabundus, attonitus reminiscentiâ omni planè orbatus sit; qui insuper ter, quaterve insultus Apoplecticos leves aut saltem Epilepticos passus est; Cùm ad bihorium, Algore, Rigore, & horrore adeò vehementi corriperetur, ut mane toto, in Lecto decumbere cogeretur, morbum aliquem novum, ac insolitum in genere nervoso expectans; Junii 15. 1691. Me accersebat. Eum autem (præludio Paroxysmi finito) intensissimè febricitantem inveni, immensè sitientem, in Hypochondriis inflatum, anhelosâ respiratione oppressum: Sese inquietè è loco in locum jactabat, facies, quasi ex strangulatione, rubedine perfundebatur; Urina erat sanæ similis, quia Flamma in sanguine vix dum accendebatur; vibrationem Arteriarum (exploratione factâ) citissimam; constantem verò, ac fortem deprehendi: De genio igitur febris hæsitans, utcunque ab insolitâ

litâ debilitate cerebri suasus, in ejusdem tutamen, durante hac effervescentia, ℥x. Sanguinis è Brachio illicò detrahendas jussi. Ne autem Venenum inde, de spiritibus priùs debilibus victoriam reportaret, cochl. 4. vel 5. Julap. sequentis, ad eorum expansionem promovendam, quarta quaque hora exhibenda duxi.

℞. Aq. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Epidem. ℥ij. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. ana ʒß. Syrup. Caryoph. ʒx. M. Bolum etiam sequentem hora somni deglutiendum unà cum Haustu Julap. præscripsi, atque tàm ad præsentem Alvi fluxum sistendum, quàm ad fervorem sanguinis moderandum Decoctum album sacchar. albiss. gratè edulcoratum in locum potùs ordinarii substitui.

℞. Theriac. Androm. Pulv. è Chel. Cancr. comp. ana gr.xv. Syr. Caryoph. q.s. M.F.Bolus. Cum die sequenti scil. 16. reversus essem, Æger Sudore levi perfundebatur, atque Calor post somnum nocturnum remissior erat, Pulsus non ita celeriter ut priùs, constanter verò, ac fortiter vibrabatur, Urina multa rubedine tingebatur, & contentis saturabatur, Alvus adstringebatur. Ideoque, Exacerbatione finita, Enema sequens injiciebatur.

℞. Decoct. Emollient. ℥x. Mel. Mercur. Sacchar. rub. ana ℥ij. M. Atque dein Bolus Cardiacus repetebatur cum Haustu Julap. sequentis, quod etiam Ægro ad libitum propinabatur, agi ata phiala.

℞. Aqu. Lact. Alexiter. ℔j. Epidem. Cinnam. Hord. ana ℥j. Sacch. Perlat. ʒj. M. Æger Decoctum album, loco potus ordinarii, adhuc hauriebat; Quippe à multis annis, ex consilio prioris Medici, ab usu Cerevisiæ prorsùs abstinuerat. Suppedanea ex Emplastr. Cephalic. cum Dup. Euphorb. in cerebri tutamen, ad plantas pedum applicabantur: Sub noctem ejusdem diei reversus, Ægrum observavi post Exacerbationem, quæ eodem die recrudescebat, rursus sudore perfusum; Cerebrum autem, ut ab astantibus didiceram, durante Exacerbatione, quadantenùs confundebatur; Ideoque Bolum Cardiacum hora somni repetendum duxi, atque Vesicatoria duo ampla & acria ad internos Carpos supra Pulsus applicanda, & Julap. cum speciebus denuò repetendum, & quarta quaque hora exhibendum. Die 17. manè, cùm manifestior adesset Remissio, Haustum Febrifugum cum Pulv. Peruv. ʒj. illicò propinandum jussi, atque quarta quaque hora repetendum, donec Exacerbatio redintegrari inciperet, & Julap. Perlat. repetendum. Sub vesperam reversus, Remissionem nactus Paroxysmi, qui eodem die iterùm recrudescebat, Haustus Febrifugos quarta quaque hora repetendos jussi, nec non Bolum Cardiacum hora somni exhibendum, & Decoctum album pro potu ordinario hauriendum. Die 18. ob Dysuriam, quam Vesicatoria effecerant ℥iv Emulsionis sequentis, quarta quaque hora propinavi.

℞. Sem. iv. frig. maj. ana ʒj. Sem. Papav. alb. ʒß Amygd. d. decorticat. num. 9. cum Aqu. Hord. puriss. ℔iß. F. Emulsio, cui add. sacchar. alb. ʒj. Aqu. Ros. ℥ij. M. Persistebat Æger in usu Decocti Albi & Julapii; Atque Julapium cum speciebus, quarta quaque hora Exacerbationis exhibebatur, durante verò Remissione Haustus Febrifugos Æger quarta quaque hora repetebat: Sub vesperam, ob Dolorem Lateris Spasmodicum, Pannum Wallicum Ol. Palmit. illitum ad Regionem Pulmonum applicandum jussi, necnon Bolum Cardiacum hora somni, & Haustum Febrifugum quarta quaque hora exhibendum. Die sequenti, scil. 19. Exacerbatio per totum diem non recrudui, Æger Urinam reddidit copiosam, Urinæ sanorum ferè similem, ac laudabili hypostasi donatam, Dolor Lateris etiam obtundebatur; Attamen Phlegma Pulmonibus impactum Ægrè admodum egerebatur. Ideoque cochl. 1. Linctus sequentis una cum ℥iv. Apozem. subtepid. quarta quaque hora ministrandum jussi.

℞. Ol. Amygd. d. rec. Syrup. Cap. Ven. ana ℥iß. Sacchar. Crystal. alb. ʒiß. M.

℞. Decoct. Pector. opt. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. ʒß. Syrup. de Erysim. ℥iß. M. Duos etiam Haustus Febrifugos tempore diurno exhibendos curavi. Sub vesperam Pulsus, Urina, &c. eodem ferè modo, quo mane sese habebant: A mentis autem levi vacillatione, & Linguæ fœditate ac ariditate aucta, suspicatus sum à veneno spiritus æquante Febrem in primum Malignitatis gradum transiisse, ideoque præter usum Haustuum Febrifugorum, Julapii cum speciebus, & Decocti Albi, Bolum Alexipharmacum ex Theriac. Androm. Pulv. Gascon. ana ʒß. & tantillo Syrup. Caryoph. conflatum, hora somni ministrandum jussi; necnon Vesicatorium amplum & acre ad Nucham applicandum, & Os Gargarismo sequenti sæpiùs colluendum.

℞. Aqu. Plantag. ℥vi. Diamor. ℥j. Mell. Ros. colat. ℥ß. M. Die 20. (Clariss. Collega *D. D. Goodall* advocato) communi consensu præscripsimus repetitionem Haustuum Febrifugorum sexta quaque hora, necnon Linctus, Linimenti, Apozematis Pectoral. Julapii Perlati & Decocti albi. atque insuper (ratione Doloris Lateralis) ℥ix. Sanguinis è Brachio Lateris affecti detraximus. *Junii* 21. Enema manè repetendum jussimus, ut priùs; necnon Vesicatoria duo ampla & acria ad interna Brachia applicanda, & ℥iij. Tincturæ seu Decocti Corticis quarta quaque hora exhibendas: Sub vesperam Bolum ex Theriac. Androm. & Pulv. è Chel. Cancr. comp. ana ʒß. cum tantillo Syrup. Caryoph. confectum, hora somni exhibuimus, una cum Haustu Julap. Perlat. atque, post sudores finitos Bolum è Cortic. Peruv. ʒß. & Syrup. Caryoph. q.s. post mediam noctem & quinta & octava matutina repetendum, cum Haustu Decocti Corticis ante præscripti; Quippe Febris adhuc aliquo modo exacerbabatur, & remittebat; Atque cochl. unum Mucilaginis ad Linguam emolliendam sæpiùs in Ore tenendum, præsertim ante & post Bolum exhibitum; Et quoniam Ægrum tandem Julapii Perlati tæderet, aliud substituimus, nempe.

℞. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Cinnam. Hord. ℥ij. Pœon. comp. ℥ij. Syrup. Caryoph. ʒx. M. F. Julap. de quo bibat cochl. 3. vel 4. ad libitum. Die 22. reversi, Ægrum invenimus ferè ἀπύρετον, Urinæ rubedinem iterùm reducem, Pulsum fortem & regularem, & Temperiem mitem: Placidè insuper dormiverat, sed efflorescentia Miliaris satis vivida & rubra per collum, & pectus undiquaque spargebatur. Indeque, ut

ut efflorescentia hæc Critica promoveretur, vires spirituum sustentavimus Alcalibus & Alexipharmacis modo sequenti.

℞. Pulv. è Chel. Cancr. comp. ℈j. Sal. Prunel. ℈ß. Sacch. alb. gr. xv. M. F. Pulv. Sumend. è cochl. uno Julap. cord. superbibendo ejusdem cochl. iij. repetendusque quartâ pomeridianâ. Horâ somni Bolum Theriacalem repetendum jussimus, horâ tertiâ & octavâ matutinâ Haustum Apozematis Febrifugi ministravimus. Persistebat Æger in usu Linctûs, Apozematis, Julapii Cordialis, & Mucilaginis. Die 23. Pulverem Cardiacum decima matutina & tertia pomeridiana repetendum jussimus, & Bolum Theriacalem hora somni exhibuimus, necnon Linctum, Apozema Pectorale, Julapium cordiale & mucilaginem prius præscripta ad infarctionem Pulmonum tollendam. Die 24. discedente jam Collegâ, Ego solus præscripsi Pulverem statim repetendum, & Bolum Theriacalem hora somni cum gutt. viij. Laudani liqu. ob dolorem Lateris Rheumaticum, de quo solummodò jam conquerebatur. Die 25. ad dolorem Lateris tollendum, quo adhuc, præsertim inter tussiendum angebatur, præscripsi Forum sequentem unà cum Linimento antè præscripto ad partem affectam applicandum, atque cochl. unum Olei Lini recens sine igne extract. secunda vel tertia quaque hora cum Haustu Apozematis Pectoralis exhibendum, cujus vires anodynas, & detersivas jam sæpiùs expertus eram.

℞. Rad. Petrosel. Fœnic. Semin. Lin. Fœnugræc. ana ℥ij. Flor. Chamæm. Melilot. ana M ij. Coq. in Aqu. F. q. s. Colatura reponatur in Vesica bubula recenti, ita ut semiplena sit, & tepidè ad Latus affectum applicetur, ad horæ vel semihoræ spatium; Amota Vesica, applicetur Pannus Wallicus calidè illitus Linimento antè præscripto. Bolum Theriacalem hora somni, & Haustum Julapii repetendum jussi. *Junii* 26. præscripsi cochl. unum vel alterum Mixturæ sequentis, omni nocte sub ingressum Lecti exhibendum, donec Tussis (quod symptoma solumodò jã supererat) mitigaretur.

℞. Syrup. Balsam. ℥iv. Laudan. Liqu. Helmont. ʒj. M. Appetitu verò restituto, & viribus jam resarcitis, tandem suboriebatur Tumor Crurum œdematosus, quem facillimè tribus vel quatuor purgationibus superavi, post quas tamen Corticem repetendum, & Vinum Chalybeatum præscripsi. Ex his Æger integrè restitutus, optimâ valetudine hucusque utitur, plurimùm etiam à veteri & assuetâ cerebri & generis Nervosi mala affectione liberatus.

Historia XVI.

Domina *Maria Lechmere*, habitans in vico dicto *Watling-street*, Virgo prudens ac proba, quam ante sex annos Συνεχεῖ simplici laborantem integrè, idque brevi, restitueram; nuperrimè, scil. die *Junii* 2. 1691. circiter Annum Ætatis suæ vicesimum sextum sæpiùs in die de Frigore & Calore alternatim se excipientibus querebatur. Quanquam noctes transigeret insomnes, quia tamen tempore diurno symptomata remittebant, quotidie è Lecto surgebat, obambulabat, atque muniis solitis quadantenùs fungebatur usque ad diem 16. Morbo autem jam plurimùm increscente, Enema sibi ministrandum jussi, atque dein ℥ix. Sanguinis è Brachio detrahendas, atque Julapium Cordiale à Pharmacopœo petiit, ob præsentem Languorem ad libitum sumendum. Die 17. in Lecto decumbebat, atque cùm jam omnia symptomata eodem tenore pergerent, Febre Συνεχεῖ, à Veneno per detractionem sanguinis perperam celebratam aucto, mutatâ in Σύνοχον, sub vesperam Me accersivit. Adveniens, Pulsum deprehendi debilem & celerem, Urinam verò non multâ rubedine tinctam, vel contentis saturatam. Caput Ægræ vehementer ardebat, extrema frigebant; Unde plurimùm de eventu dubitans, ad expansionem spirituum promovendam impræsentiarum duntaxat Bolum Theriacalem horâ somni exhibendum, & Julapium Perlatum ad libitum sumendum, Emplastrum Cephalicum cum dup. Euphorb. ad plantas Pedum, & Epispastica duo acria & ampla ad internos cubitos, prope Axillas applicanda jussi, & exspectavi, an forte, mane sequenti, remissio subsequeretur. Die 18. omnia symptomata remittebant, atque ab æquali ac moderato Capitis & Extremorum Calore reverso, expansionem spirituum quadantenus redintegratam esse judicavi; Ideoque Haustum Febrifugum cum ʒj. Corticis illicò exhibui, atque deinceps quarta quaque hora repetebam, & Gargarismum sequentem, ob Faucium rigiditatem & molestam siccitatem, Siphone sæpiùs calidè ingerendum jussi.

℞. Fol. Plantag. Rosrubr. Summit. Rub. ana Mj. Coq. in Aqu. F. q. s. ad ℔iß. Colaturæ adde Diamor. ℥iß. Mel. Ros. Colat. ʒvj. M. Ad expansionem spirituum adhuc deficientem promovendam Bolum Theriacalem hora somni repetendum atque Epispasticum ad Nucham applicandum duxi. Die 19, & 20. eosdem Haustus Febrifugos repetebam, & Bolum Cardiacum hora somni exhibebam; Julapii etiam sequentis cochl. 4. vel 5. ad libitum sumenda præscripsi, quod toto Morbi cursu Ægræ maximè arridebat.

℞. Aqu. Meliss. Ceras. nigr. ana ℥iv. Pœon. Comp. Epidem. ana ℥j. Confect. Alcherm. sine Mosch. ʒiß. Syr. Caryoph. ℥iß. M. Die 20. sub vesperam (exulante jam omni Exacerbationis & Remissionis vestigio, atque, Cute Colli, & Pectoris ubique Vesiculis aqueis, sine quâcunque rubrâ efflorescentiâ, interpunctim notatâ, unde, spiritibus depressis ac tantùm non deletis, Febrem in Σύνοχον purè Malignum degenerâsse sentiebam) plurimùm languebat Ægra, attonita erat, ac tantùm non delirabat: Indeque, omisso usu Corticis in posterum, spirituum expansionem Alexipharmacis & Vesicatoriis duntaxat moliebar; Epispastica nova ad internos Carpos supra Pulsus illicò applicanda jussi, & Bolum Cardiacum repetendum, cui addebatur Confect. Alcherm. sine Mosch. ʒß. Die 21. Bolum Cardiacum cum Confect. Alcherm. absq; Theriaca (quippe Coma quadantenùs impendebat) manè repetendum jussi, eundem verò cum Theriaca sub vesperam: Eodem modo die sequenti scil. 22. pergebat. Quandoquidem verò multùm tussiebat, atque Phlegma viscidum Bronchiis impactum ægrè admodum egerebat, ℥iv. Apozematis sequentis calidè, quarta quaque hora propinandas jussi.

℞. Decoct. Pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. syrup. Capil. Vener. ana ℥j. M. Die 23. Bolum Cardiacum, absque Theriaca, mane & quarta pomeridiana, ob languorem & deficientem spirituum expansionem; Et cum Theriaca hora somni Ægra deglutiit, unde vires aliquantùm instaurari videbantur. Ob Aphthas verò jam in ore subortas præter Gargarismum Cochl. unum Mucilaginis sequentis sæpiùs super linguam tenendum jussi.

℞. Mucilag. tenuior. Semin. Cydon. Aqu. Plantag. Extract. ℥vj. syrup. è Rub. Idæ. ℥iß. M. Die 24. omittebantur Boli per totum diem in gratiam Adstantium, qui timebant ne ægra inde nimiùm incalesceret, cujus neglectûs pœnas vitæ suæ dispendio propemodùm luebat sub vesperam languens & confusa, & adeò confecta, ut vix respirare poterat. Quocirca, ad expansionem spirituum resuscitandam, Cochl. iv. Julap. sequentis tertia quaque hora vel sæpiùs in languore exhibenda jussi (agitata phiala.)

℞. Aqu. Meliss. Rut. Ceras. nigr. ana ℥iij. Epidem. Pæon. comp. ana ℥iß. Pulv. è Chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. ana ℈ij. Rad. Serpentar. Virgin. ʒß. Sacch. alb. ʒvj. M. Spiritus etiam Salis Armoniaci in languoribus olfaciendus præbebatur. Singulis Bolis gr. iv. Serpentar. Virgin. adjicienda jussi, modo sequenti.

℞. Theriac. Androm. Confect. Alcherm ana ʒß. Pulv. Goan. gr. xxv. Serpentar. Virgin. gr. iv. M. F. Bolus. In horum Bolorum usu, cum, vel absque Theriaca, bis terve in die persistebat úsque ad diem 27. & indies meliùs sese habuit: Pulsus quotidie fortior evasit, & temperies mitior, Pustulæ serosæ, quæ in pectore spargebantur, & sensim disparebant, Ægra ab Orci faucibus erepta tandem ἀπύρετος ac sana evasit, nisi quòd Tussis importuna somnum admodum interturbabat; ad quam minuendam primùm præscripsi die 26. Linctum ex Ol. Amygd. d. syrup. capil. Vener. ana ℥j. & Sacch. Cant. alb. ʒj. confect. Cochleatim, urgente Tussi, ministrandum. Hoc autem nihil proficiente, die 27. Haustulum Paregoricum cum Syrup. Paralys. ℥ß. & Laud. liqu. gutt. viij. (Febre jam victa) cum magno successu hora somni propinandum jussi, & nocte diei 28. Pilulas sequentes.

℞. Pil. è Cynogloss. Extract. Glycyrriz. ana gr. viij. M. F. Pilul. ii. A quo tempore hucusque optima valetudine utitur, nisi quòd, posthabito sano meo consilio de Cortice repetendo, sub finem secundæ Hebdomadæ languere, appetitu privari, atque, statâ diei hora, bis vel ter Algore quodam perfundi cœpit, Repetita autem tandem ʒj. Corticis, illicò convaluit, sine quocunque alio medicamento exhibito.

Appendix Secundæ Exercitationis, Historiam Febris Συνεχέ@ compendiariam ab Anno 1658. ad Annum 1691. complexa.

Ex quo Philosophiæ & Medicinæ Principiis mediocriter instructus, Observationibus Medicinalibus faciendis qualitercunq; par fui, naturam atque Indolem Febris Συνεχέ@ indagandi studio magnopere incensus sum. Atque equidem, quantum memoria repetere præterita possum, febrem eam, vel simplicem vel spuriam, frequentissimam semper fuisse deprehendi, & inter cæteras febres maximè vulgarem. In nonnullis locis, scil. Maritimis, Paludibus ac Nemorosis ferè perpetuò Endemia est, ubique verò, præsertim durante tempestate Autumnali, & in castris, ubi Corpus externis aëris injuriis perpetuò obnoxium est, post statas periodos Epidemia; neque in Constitutione ipsa Pestilentiali penitùs defecit. Necnon febres Σύνοχοι, quotquot sint, generaliter loquendo, vel primo insultu Συνεχῶν speciem referunt, aut saltem in eas demùm mutantur, quoties Crisi salutifera finiuntur.

Ut autem certior huic nostræ observationi fides adhibeatur, lubet Historiam hujusce morbi, per triginta Annos, & quod excurrit, ordine recensere, atque graphice pro virili depingere, ut penes Lectorem sit hac in re æquum judicium facere.

Incipiam ab Anno 1658. Æra (Mihi saltem) notabili, quo tempore febris hæc tàm spuria quàm simplex, præsertim Mensibus Autumnalibus, ubique per totam Angliam grassabatur; Quod etiam Clariss. noster *Willisius* in Puretologia sua olim edita testatus est. *Oliverius Cromwellus* qui tum temporis rerum Britannicarum potitus est, & Pater meus Reverendus, idemque Medicus Exercitatissimus illo ipso Anno, ineunte Septembri, cùm hæc constitutio ad ἀκμὴν pervenisset, hac febre correpti fatis cedebant; Συνεχὴς Natura in utroque succumbente, in Σύνοχον demùm mutata, quam comitabantur deliria, spasmi, cæteraque funesta malignitatis indicia. Insuper, postquam conspexeram matrem meam pientissimam, Fratres & Sorores, Servos, Ancillas, Nutrices conductitias, quotquot erant intra eosdem nobiscum parietes, ac ferè omnes ejusdem, ac vicinorum Pagorum Incolas hoc veneno infectos & decumbentes, ne forte ejus memoria mihi excideret, ego ipse eodem morbo correptus sum, atque postquam à morte, in primo ejus insultu, Ægrè admodùm evaseram, spatium trimestre valetudinariò transegi; Συνεχὴς (qua primùm affectus fueram) ubi venenum ex diuturna & repetita spirituum expansione quadantenus subactum fuerat, in intermittentem jam tertianam, jam Quotidianam demùm facessente. Hoc tempore, si unquam alias, fere tota hæc insula, saltem Mensibus Autumnalibus, Nosocomii publici speciem præ se ferebat, &, in nonnullis locis, sani vix supererant, qui ad ministrandum valetudinariis sufficerent. Verissimum quidem est, hancce febrem, utut Epidemiam & publicè grassantem, minùs funestam fuisse quam Pestilentialis seu maligna esse solet, quippe à veneno mitiori ortam; Unde, vel spirituum sese expandentium vi, aut suppetiis, quales quales fuerint, ab Arte ministratis (Nondùm enim vires Corticis in hoc veneno subigendo, saltem hic loci, comprobatæ erant) plurimi licet ægrè admodùm ex morbo evaserunt. Multos autem passim videre fuit, post sextam vel septimam Exacerbationem (ubi natura à veneno sensim aucto demùm victa fuerat) exulantibus omnibus Paro-

Paroxysmorum & Remissionum vestigiis, febre maligna Continua, quam diri spasmi, & deliria comitabantur, decimo septimo, vel vicesimo primo morbi die è vivis sublatos. Alios autem Diarrhœâ & vomitione, vel doloribus quasi Pleuriticis, Peripneumonicis aut Colicis, aut alio aliquo Συνεχῶς spuriæ symptomate vehementiori attritos & confectos, die morbi septimo, nono vel undecimo, fato quasi præmaturo occisos. Insuper, qui ex morbo evaserunt, fere omnes, quos ego novi, Hyemem subsequentem valetudinario transigebant; Durante enim Brumâ, Intermittentes, Quartanas, Tertianas, Quotidianas ab ejusdem veneni mitiori gradu oriundas fere æquè epidemias videre erat, ac in Autumno Συνεχεῖς seu Remittentes. Neque mehercule, sæviente gelu, penitus defecerunt istæ febres Continentes, & licet non, ut in præcedenti Autumno, publice grassarentur, ubique tamen subsequente vere ac Æstate sporadicè caput suum tollebant, usque ad mensem Augustum. A quo tempore per totum Mensium Autumnalium decursum, rursùs ubique Epidemiæ fieri & reviresscere cœperunt. Atque equidem hancce febrem hoc pacto sub typo Συνεχῶς, præsertim simplicis & legitimæ, Quotidianæ scil. vel tertianæ maxime vulgarem fuisse, & tempore Autumnali plùs minùs Epidemiam usque ad Annum 1664. observavi; Necnon plurimos ab eâ demùm in Σύνοχον degenerante in Orcum demissos, non obstante methodo medendi rationali & excruciante, quæ tunc adhibebatur; Siquidem efficacia Antidoti Peruvianæ ad hoc venenatum fermentum delendum, vulgus medicorum adhuc latebat.

Sub ingressum verò Autumni, Anno 1664. planè silebat hæcce febris; & ferè omnes acuti morbi derepente exulabant, & salubris admodum erat istius tempestatis constitutio. Vere, autem subsequenti, post brumale gelu præter modum atrox, & Cometam in Æthere calamitatis hujus quasi prænuncium, venenum sese recolligens, & mirum in modum auctum, hanc Συνεχῆ in pestem funestissimam & dirissimam inopinato mutavit, quæ Epidemice grassata, spatio unius Anni plus quàm quadraginta millia Hominum è vivis sustulit. Attamen, sæviente hac ipsa peste non penitùs defecerunt vestigia nonnulla febris Συνεχῶς; Quotquot enim ex Peste evaserunt, utpote mitiori Veneno infecti, vel robore Spirituum vegetiori prædití, quamprimùm Natura suâ sponte, vel Artis adminiculis Bubones, Parotidas, Carcinomata maturescentia, vel quævis alia victoriæ monumenta seu trophæa de hoste constituere cœperit; Singulis vel alternis diebus in scipsis percipiebant symptomatum Exacerbationes & Remissiones statis horis alternatim sese excipientes. Unde non temeritatis jure merito incusandam censeo Facultatem Medicinalem Neapolitanam, quæ (referente Clariss. Bado, Anastas. lib. 1. cap. 20.) etiam Corticem Peruvianum in Pestis Curatione adhibendum jussit; Siquidem ad hoc ipsum venenum (quoties mitius esse contigerit) delendum, & deinceps ad curationem accelerandam plurimùm conferre queat.

Porro, Peste hac exitiosâ sub initium Anni 1666. exulante, rursùs febris συνεχὴς à veneno mitiori orta, spuria autem & colliquativa, nimirum cum Fluxu alvi torminoso aut Dysenterico sociata, sub initium mensis Augusti suum caput attollere incipiebat, quæ indies per omnes menses Autumnales magis magisque sæviebat, & publicè grassabatur, nec mihi pepercit contagio, dum Mense Augusto, sedes Dysentericorum minùs caute inspicerem; Et ex hoc morbo ægrè admodum evasi; Iterumque etiam sequenti Autumno, ex eadem occasione infectus sum; Adeò Epidemicè jam ubique Londini seminium hoc virulentum propagatum erat! Durante verò ejus ἀκμῇ, Mense scil. Septembri & Octobri, quo tempore Συνεχὴς simplex grassari solebat, vix quenquam alium morbum videre erat. Civitas fere universa hoc morbo correpta videbatur, atque singulis septimanis tercenti, quadringenti, quingenti plùs minùs Fluxu & Torminibus, cæterisque Dysenteriæ excruciantis, vel Diarrhœæ colliquativæ diris symptomatis confecti, citiùs vel seriùs, die scil. 14. 17. 21. Fatis cedebant, non autem absque siti inexplebili: Aphthis albis vel nigris, pulsu celeri, Deliriis, cæterisque Febris Epidemiæ indiciis. Plurimi insuper, postquam colliquatio & tormina, & reliqua Dysenteriæ symptomata multo Opiatorum & astringentium usu supprimerentur, nihilo seciùs sensim languentes, & Hectico quasi calore emarcescentes demùm extinguebantur. Alios (virulentia per ductus salivales criticè expulsa) ope Aphtharum & salivationis immensæ supervenientis (quod in crisi Febrium Συνεχῶν haud raro evenire solet) liberatos memini: Siquidem venenum huic Dysenteriæ Epidemicæ ansam præbens, tanquam Colocynthidis, aut cujuscunque alterius Cathartici æmulum, Intestina sponte petens, eademque horrendis ac vellicantibus spasmis perpetuo lacessens, atque per eorum glandulosam Membranam Serum colliquatum & virulentum copiosè effundens, vires tamen spirituum non adeo præpollenter ubique prosternere videbatur, ut non natura saltem sub initium morbi, post statas, vel incertas periodos, vires suas plus minùs colligeret, atque inde victoriam, saltem aliqualem, sæpiùs reportaret; Quod facile observatu erat; Unde Remissio atque Exacerbatio torminum, colliquationis, cæterorumque truculentorum symptomatum, singulis vel alternis diebus recurrentes, evidenter sese in conspectum dabant. Durante enim Remissione, symptomata cuncta excruciantia nonnunquam ultro minuebantur; recrudescente autem paroxysmo Opiatorum ipsorum vires spernebant. Unde clarè deprehendi Dysenteriam symptomatis duntaxat rationem habuisse, Febrem autem (utut ob externum calorem à Torminibus & Diarrhœâ suppressum cuivis intuenti sese non proderet) eamque vere Συνεχῆ à veneno mitiori, Cathartico scil. oriundam Primarium fuisse Morbum. Atque demum hac observatione innixus, ubi cum vulgo medicorum diu Sisyphi saxum volvendo, Rhabarbaro, Myrobalanis, Opiatis & Astringentibus intus exhibitis; & Enematis, fotibus anodynis,

cæterisque decantatis, quibus authores passim utramque paginam Curationis Dysenteriæ implere solent, in truculentis hisce symptomatis sublevandis, frustrà curationem tentaveram, cùm interea venenatum fermentum intus delitesceret; Non sine ratione consilium novum inii, atque ad Opiata & Astringentia, quæ ad Symptomata Dysenterica spectant, febrifugum aliquod potentius (si modo ejusmodi febrifugi compos fieri possem) adjicere statui, quod venenatum fermentum febris ipsius ac colliquationis causam delendo, febrem simul tollere, & fluxum sistere, ac Tormina inde consequentia compescere posset. Atque eò potiùs ad hanc sententiam mens mea inclinata est, quia sæpiùs observaram miseros Ægrotantes, non obstante diligentissimo Remediorum Antidysentericorum usu, sævissimis hisce symptomatis confectos, tandem ad Orcum cacaturientes descendisse; Alios vero multis Astringentibus atque Opiatis usque ad delirium & deliquium adactos, atque inde inebriatos potiùs quàm curatos, eosque haud raro inopinatam symptomatum Dysentericorum recrudescentiam perpessos esse, vel saltem cum Pulsu celeri, Calore Hectico, cæterisque venenati fermenti delitescentis indiciis emarcescentes, quieta & astricta Alvo summum diem oppetiisse. Ex alternante autem Torminum & Fluxus Exacerbatione & Remissione (quam sæpenumerò plus minùs hunc morbum, saltem sub ejus initium comitari jam observaram) potiùs quam à calore febrili, quem pro ratione symptomatum molestorum quadantenus inæqualem deprehenderam, semper autem depressum ac mitem, monitus; hoc in casu vires Corticis Peruviani cum Laudano commixti tentando experiri decrevi. Neque temerario quidem, siquidem utut Cortex amaritie sua tenera Intestina proritando, Fluxum Alvi adaugere aptus sit; cum Laudano tamen quod Humorum colliquationem sistit, sensumque Intestinorum exquisitum stupefacit ac hebetat, commixtus & irretitus, venenatum fermentum colliquativum subigendo, ad Fluxum & Tormina simul ac febrem ipsam sistendam & compescendam jure merito idoneus haberi possit. Eventus votis respondebat. Primùm autem vires decantatissimi hujus febrifugi antidysentericas experiendo comprobavi in ægro habitante in vico dicto Long-Lane, Dysenteria Tertiana laborante; Hujusmodi enim aliquæ mihi in Praxi occurrebant, ubi Tormina & Fluxus Alvi mucosus & sanguineus, tertio quoque die, hora stata, non obstante diligentissimo Opiatorum usu, recrudescebant: Cùm in intervallis, truculenta hæc Symptomata, adminiculante Laudani Dosi pusilla, vel sua sponte sæpiùs mitigarentur. Arrepta igitur prima symptomatum Remissionis occasione, sine mora ℨj. Corticis cum Laudan. Lond. gr. j. commixtam, in haustu exhibendam jussi, repetendamque deinceps quarta quaque hora ad sextam usque vicem. Quid fit? tantum abesse observavi ut Intestina ab amaritie Corticis proritarentur, ut illicò senserim ea faciliùs à Laudano cum Cortice commixto, quàm cum Astringentibus conjuncto compesci & demulceri; A quinto autem, vel sexto Haustu exhibito Fluxum ac Tormina, unà cum febre reliquisque Symptomatis comitantibus, penitùs exulasse, neque unquam in posterum. Periodis solitis recruduisse: Atque hæc observatio animos mihi addidit, ut in ipsis Quotidianis Dysenteriis, quoties scil. & quamdiu se de genere Συνεχῶν ex quantulacunque alternante symptomatum exacerbatione & Remissione, & non malignas esse proderent, Pharmaci hujus Polychresti vires, modo jam memorato experirer: Neque eventus mehercule, spem meam fefellit. Et nullus dubito quin Diarrhœa quævis epidemia, & quæcunque alia cum febre juncta, imò febres Castrenses cum hujusmodi symptomatis ut plurimùm sociatæ, nimirum Συνεχεῖς Spuriæ, hac methodo compendiaria multo certiùs sanari possint; quam magno illo apparatu Rhabarbari, Myrobalanorum, Astringentium & Opiatorum, quæ methodum curationis horum morborum hucusque implerunt. At de his posthac fusiùs in exercitatione quinta de febribus colliquativis. Imprǽsentiarum eas supremis labris (ut aiunt) duntaxat prælibo, eo fine, ut ostendam Dysenteriam ac Diarrhœam torminosam, quæ ferè per septennium vigebant, ac unoquoque autumno ab Anno 1666. usque ad Annum 1672. solenniter hic Londini revirescentes ubique Epidemice grassabantur, subortas fuisse à febre vere Συνεχεῖ, quam eo nomine appello Συνεχῆ Spuriam, quia cum vehementi Humorum colliquatione, eorumque per intestina excretione conjungebatur. Atque equidem, ut à vera ac genuina idea hujus morbi formata, curativæ indicationes in posterum certiores desumantur, mihi in votis est, ut communi medicorum consensu Diarrhœa, & Dysenteria Castrensis, seu quæcunque alia epidemia, nomine proprio Συνεχὴς Spuriæ ac colliquativæ posthac designetur.

Quemadmodum febris Συνεχὴς genuina ab Anno 1665. (in quo Pestis, veneno ad gradum summe deleterium provecto, caput suum extulit) fere per biennium profligata disparuit, nec ampliùs recedente sole grassata est ut antè; Ad eundem modum Συνεχὴς hæc Spuria & colliquativa, Dysenteriæ & Diarrhœæ torminosæ nomine designata, quæ post Pestem subintrans, unoquoque Autumno, fere per septennium repullulans & longè lateque serpens imperium suum hic loci exercuisset, penitùs exulabat. At locum dedit morbillis epidemiis, qui ad instar pestis mitioris, nulli sexui vel ætati parcentes, adeo Mensibus Anni 1672. Autumnalibus Londini sæviebant, ut tercenti plus minùs inde confecti, quaque hebdomada ad Orcum descenderent. At hi nunquam epidemicè in posterum hucusque grassati sunt. Quantùm verò hæc ipsa Pestilentialis & Epidemia Febris Morbillosa, post ἀκμὴν suam, (ubi scil. salutarem eventum habitura fuit) speciem febris Συνεχὴς referebat, atque quàm egregiè Cortex Peruvianus, eo nomine, in curatione ejus perficienda partibus suis functus sit, posthac suo loco enarrabitur; scil. in exercitationis tertiæ Cap. 2. ubi Morbillos & febrem scarlatinam ex professo tractaturi sumus.

Morbillosa autem hac Constitutione, post tyrannidem ad sex Menses durantem, jam demùm sub finem hyemis sensim declinante, ac

tandem penitùs exulante, venenum febriferum deinceps proximo Autumno, scil. Anno 1673. quadantenùs mitescere & cicurari videbatur, & mitius hucusque est. Unde febris, quæ unoquoque Anno à Mense Augusto usque ad Solstitium hyemale antehac Epidemicè grassabatur, non ampliùs Dysenteriæ vel Diarrhœæ Torminosæ speciem induit, vel cum quocunque altero vehementi symptomate conjuncta fuit; verùm typum eundem ad vicesimum usque Annum gerit, quem ante Pestem, quæ annis 1665. & 1666. vigebat, præ se tulit: Et forsan eundem typum servatura est, donec à Peste aliqua exitiosâ in procinctu stante venenatum fermentum mutari, & in gradum magis deleterium provehi contingat. Fateor equidem à gradu veneni mitiori, nonnullis Annis, præsertim ab Anno 1677. ad 1682. (quo tempore circumforaneus ille Tabor Corticem Peruvianum pro Arcano cæteris medicis ignoto venditans, sese febrium Æsculapium unicum jactabundè gloriabatur) febres Intermittentes quotidianas, Tertianas, Quartanas, fere pari passu cum Συνεχέσι Epidemice grassatas esse; Atque annis nuperis, præsertim durante ἀκμῇ Constitutionis, Mensibus scil. Septembri & Octobri, à gradu veneni plus solito irritante, has ipsas Συνεχεῖς aliquando cum vehementi aliquo symptomate conjunctas, non tantùm speciem Diarrhœæ & Dysenteriæ periodicæ, verùm etiam Choleræ morbi, vomitionis immanis, Rheumatismi versatilis, Pleuritidis, colicæ ventriculi & intestinorum], seu alterius alicujus morbi Acutissimi induisse: Quinetiam has ipsas Συνεχεῖς non tempestivè aut rite curatas, à veneni incremento, in Malignas & funestas sæpenumerò degenerasse; & nonnunquam à gradu veneni præter modum deleterio, in primo insultu malignas extitisse, Purpuratas scil. Petechiales, vel Morbillosâ Efflorescentiâ, vesiculis aqueis per collum & Pectus Sparsis, Parotidibus, Bubonibus, Anthracibus, cæterisque malignitatis indiciis notatas. Verùm cunctæ Hæ Febres, sive Συνεχεῖς Spuriæ, sive malignæ, Sporadicæ duntaxat fuerunt, neque contagione, ut in pestilentiali Constitutione, sese propagabant. Febris unica Epidemia, quam singulis Autumnis jam per quatuor Lustra annorum solenniter repullulare observavi, fuit verè Συνεχὴς simplex, & quæ Cortice tempestivè exhibito semper cedere solebat. Neque constitutio Variolosa, Erysipelatosa, Scarlatina, Rheumatica, Anginosa, Pleuritica, vel si qua sit alia, in una vel altera Anni tempestate grassata, adeò venenum Autumnale mutavit, ut febris Epidemia, in tot Annorum decursu, à Typo solito quicquam deflecteret, aut novo diversoque tenore procederet. *Hactenus Clariss. Richardus Morton.*

De Cortice Peruviano ejusque vi Febrifuga plura jam legimus, atque in sequentibus ex Clariss. Thom. Sydenham, Joh. Jones, Gulielmo Cole &c. videbimus; interim tamen quædam hic rursus de eo adjungemus. Arbor unde hic cortex, Ganna-napeside Ditionis Peruvianæ Incolis dicitur, & ut scribit Clar. Morton, nec non Clariss. Joh. Raius in sua historia Plantarum p. 1796. magnam habet similitudinem cum quibusdam è nostratibus, scilicet ejus folia non parum accedunt ad folia arboris pruna rubea ferentis. Illorum iconem exhibet Nobiliss. ac Curiosissimus Rhedi in suis Experimentis circa res diversas naturales, illasque speciatim quæ ex Indiis adferuntur: verùm adnotante D. Tancredo Robinson apud præcitatum D. Raium hæc non bene quadrat cum icone quæ in musæo Clariss. Viri D. G. Courtine asservatur. Hactenus creditum fuit corticem qui vulgò in officinis prostat è ramis ipsius arboris detrahi; verùm Clariss. D. Carolus Spon in tractatu de Febribus ac Febrifugis Gallicè conscripto, se accurata & diligenti inquisitione habitâ comperisse ait, Corticem Peruvianum dictum non trunci aut ramorum arboris esse, sed radicum; illorum enim, ut in particulis quibusdam ad se missis expertus est, minimè amarum esse. Quæ observatio, ut habet Clariss. Raius, alicujus usus esse potest iis qui in nostro orbe hujus Corticis succedaneum quærunt. Quô autem jure id asseratur à Clariss. Viro hactenus non satis perspectum est, dum alii omnes, tum in quorum manibus frequens est admodum ejusmodi Cortex, aut ii etiam qui in Regno Peruviano, (in quo ipsius natales) per annos commorati sunt, nihil simile afferunt, ac potiùs unô ore pronunciant, è ramis eximi. Cortices autem isti sunt crassitie mediocri, foris scabri, paululum canescentes, sæpe musco obducti; intus læves, colore ferrugineo, seu cinnamomio; saporis acris & amari. Hisce patet quomodo differant ab alio Cortice, qui etiam nomine Kinkinæ, ac Corticis Peruviani nobilitatur, est enim hic tenuior, foris cinereus ac canescens, intus ex fusco aut obscuro ferrugineus, saporis acris, amaricantis, subpinguis, odoris fragrantis. Ipsius arbor sua sponte nascitur in Regno Peruviano. Cortex hic à plurimis præfertur Kinkinæ veræ, quia major vis aromatica ei inest, & etiam à Clariss. Morton videtur præ alio seligi, dum in China Chinæ præter alios characteres odorem aromaticum exquirit, quô alius cortex omnino destituitur. Pro ejus vi febrifuga quidam acriter militârunt, dum alii nobile hoc medicamentum totis impugnârunt viribus, donec tandem ultimis hisce annis ab omnibus prope Medicinæ Cultoribus, Ægrorum suorum solatium verè expetentibus, non tantùm amicè excipitur, sed etiam, ut videre fuit apud Clariss. Morton, pro panaceæ quâdam quasi specie non immeritò salutatur. De methodo illum exhibendi suprà jam, scilicet in Notulis ad Tractatum de Febribus Clariss. D. Piens hæc scripseram. Ego sæpiùs Corticem Peruvianum in febribus profligandis sic usurpavi.

♃. Cortic. Peruvian. subtiliss. triti ℥j. Salis Tartar. Armoniaco fixo adjuncti ʒij. pulveris viperini, antimon. diaphoretic. ana ℈v. cum rob juniperi, vel syrup. granorum Kermes q. s. F. Electuarium de quo tres bolos ter de die, temporibus à paroxysmo liberis, & longè à pastu, sumat febricitans, donec totum fuerit absumptum, ac etiam post aliquot dies iteretur. Usurpavi etiam in aliis vinum febrifugum sequẽs.

♃. Cortic. Peruvian. subtiliter triti ℥j. irroretur spirit. vin. rectificatiss. ℥iv. ac olei sulph. per campan. ʒiij. Digerantur in vase bene clauso per horas aliquot; post adde vini bene maturi ac tenuis pintas duas. Digere rursus per dies

dies aliquot, ac cola. Sumat mane & vesperi ℥ iv. corpore priùs expurgatô. Quandoquidem verò hæ ut & aliæ omnes hactenus descriptæ Corticis Peruviani præparationes, minùs erant tutæ, ac dum in aliquibus bene cedebant, in plurimis aliis intentum non explebant, nisi ad tempus, aliam ipsius exhibendi rationem excogitavi, & per experimenta repetita ita confirmavi, ut de ea asserere possim; primò febrem intermittentem qualemcunque, sine ullo recidivæ metu supprimere. Secundò, die primâ quâ exhibetur corpus satis bene expurgare, subsequentibus alvum ut plurimum liberam facere, urinas in largissima quantitate pellere, transpirationem promovere, ciborum appetentiam ac digestionem, etiam in ventriculis debilissimis, & cibos maximè aversantibus, restituere, vultui colorem, toti corpori vires, reddere. Tertiò, symptomata plurima febribus aliquando adjuncta profligare; quod inter alia testari possum de Tussi sicca, Hæmoptisi & totius tumefactione in juvene annos 22. nato, & febre tertiana duplici afflicto; de doloribus infimi ventris & delirio in puerpera, tertiana laborante; de doloribus gravativis & lancinantibus orificii ventriculi superioris: de vomitu perpetuo & totali inappetentia; de doloribus etiam arthriticis paroxysmos exquisitè concomitantibus; de morositate, taciturnitate, catalepticis affectibus, cephalalgiis, aliisque symptomatibus penè innumeris febres quartanas, itemque alias intermittentes, consequentibus. De quartana in specie, non cum Clariss. Franc. Piens 12. tantùm ægros, aut cum Celeberr. Riverio 30. sed plures etiam centenos, cujuscunque demum ætatis & sexus, tum hic locorum, tum alibi, scilicet, tum me præsente, tum absente etiam, per deportatum medicamentum cum præscriptionibus necessariis, citò curatos adferre quàm facillimum foret. Illic rursus addidi alia quædam de febrifugis quæ hic adjicere non pigebit. *Hæc autem sunt.* Clariss. Viri, Joh. Petr. Faber, Christianus Langius, Michaël Ettmullerus aliique, in febribus intermittentibus quibuscunque maximè commendant remedia emetica, tanquam curationis veras radices, eaque iteratis vicibus in febribus rebellioribus, aliquot ante paroxysmum horis, exhibent. De sale cichorii, ut & centaurei minoris ejusque extracto, de radice plantaginis, Zedoariæ, Chelidon. major. imperator. gentian. angelic. valerian. garyophyll. violarum, asari, item de tormentilla, vermiculari, de myrrha, alumine, sulphure, imò febrifugo illo militari pulvere pyrio, aliisque innumeris, quæ Autores multi celebrarunt, quibusque vim specificam pro febrium curatione insidere asseruerunt, nihil hic addimus. Non etiam moramur varia medicamenta composita tantopere à suis decantata Inventoribus, aquam v. g. febrifugam Poterii, ut & duplicem aquam, calidam unam, temperatam alteram Doctiss. D. de Mayerne, quarum parandi methodus à Clariss. Carolo Sponio in suo de febribus & febrifugis tractatu, aperitur. Pericarpia item non adducimus, quæ ex allio, sabina, ranunculô ardente, theriacâ terebinthinæ & mercurio adjunctâ, camphorâ, araneis, imò etiam ovi pelliculâ; ut nec composita ad eundem usum varia, apud Joh. Michaëlis, Schröderum, aliosque passim reperibilia; quia scilicet illis, tanquam ex parte admodum futilibus, minùs fidendum credimus, quicquid demùm de ipsorum viribus garriant aliqui; unde etiam Artis nostræ quidam Mystæ, inter quos Celeberrimi Willisius, atque Jönes, occasionem sumpsere, operandi rationem, & exquirere, &, quod arbitrati sunt, manifestum facere. *Hæc in Notulis ad Clariss. Piens.* Jam de febrifugis hæc à me ipso non semel experta adjicio, cortices fraxini, mali persicæ, cerasi, ac illius præcipuè quæ nigrum profert fructum, berberis, sive in substantia, sive in extractô, sive in decoctô, aut tincturâ aliterque ea exhibuerim, parum opis attulere; Radices gentianæ, succisæ, violariæ, caryophyllatæ, ac præcipuè viperinæ aut serpentariæ Virginianæ, in substantia, aut tincturâ convenienter extractâ, propria quæque dosi, propinatæ, magnô fuere auxilio, non tamen semper pro voto cesserunt, ut nec etiam mercurius præcipitatus albus per digestionem longam in spiritu vini rectificatissimo edulcoratus, cujus vires quantumvis eximiæ, non semel interim me fefellerunt: nunquam vero Arboris Chinæ Chinæ cortex probè selectus ac secreto hactenus modo à me præparatus. Antequam autem de hac præparatione explicatiùs eloquar non inutile fuerit si quædam ex iis quæ ab aliquot Autoribus, iisque sane Celeberrimis ac mihi non parum suspiciendis, de modo & ratione operandi hujus corticis, afferuntur pro modulô expendam. Quidam totam vim Chinæ Chinæ in parte hujus corticis volatili reposuere: Verùm non semel totam tincturam atque etiam amaritiem corticis, per iteratas, easque longas tum coctiones, tum macerationes, in ipso spiritu vini, aut aqua sale Tartari, vel Absinth. centaur. minor. aliisque acuata, extraxi, non sic tamen minus quod restabat corporis illius corticis, insipidum prorsus, ac tanquam caput mortuum febres restinguebat, dum illud larga exhibebam dosi, imò minùs molestiæ sæpius creabat stomacho quàm si crudum corticem obtulissem, quia scilicet, coctione, ac digestione solutus succis ventriculi faciliùs obediebat. Tincturæ autem omnes quas sive per coctionem longissimam, in aqua sale Tartari acuatâ, sive per digestionem in vino spiritu vitrioli, aut sulphuris animatô, sive per ipsum vini spiritum sale armoniaco imprægnatum, aliæque plures quas elicui, effectum suum ad tempus tantùm præbuere. Quidam in amaritie illam collocant: Verùm, ut jam diximus, capite mortuo hujus corticis, omni prorsus amaritie spoliato, febres exulasse sæpiùs æquè certò vidimus, ac si corticem integrum vorandum dedissemus. Quidam tandem dum pro parte corticis terrestriori ac fixiori militant omnem volatilium miscelam non parum extimescunt: Verùm sanctè asserere possum me in millenis ægris exhibitionem corticis nunquam satis tutam observasse omnique prorsus recidivæ antevertendæ aptam, ni volatilia, etiam in largissima dosi admiscuerim. Quæ praxis non malè respondet Ideæ quam plures Viri Celeberrimi, quos, suprà legere licuit, sibi de febribus faciunt, dum scilicet eas generi nervoso insidere non immeritò credunt: nam quis nescit spiritus volatiles nervis esse quàm maximè amicos, spiritibusque animalibus ac succo nerveo excitandis

non

non parum aptos, sicque fermentis febrilibus iisdem innidulantibus, impugnandis verè comparatos; idque cum exagitatione sanguinis satis modesta ut nihil inde turbarum in ipso cieatur. Credimus itaque partem fixiorem ac terrestriorem corticis in febribus profligandis primas omnino tenere, non tamen alias qualitates, amaritiem scilicet, aut aliud quodcunque quod per spiritus aut alios liquores affusos, imo per coctiones præmemoratas elicitur, flocci faciendas volumus, dum toti suo cohærent; Sed ab eodem separatas parum admodum virtutis possidere experti asserimus. Corticem autem ipsum quod attinet præterquàm quod, vix genuinum illum reperias, cujusque propterea dosis ad minimum duplicari non debeat, unde non parum gravatur stomachus; ni vel per coctionem longam vel alia ratione aperiatur, ut particularum ipsius pori succis ventriculi excipiendis magis pateant; quandoque per vomitum, quandoq; per secessum, ejicitur, imò iners quandoque in ipsis ventriculi rugis, vel intestinorum cellulis restitat, aut saltem si aliquid virium exerat, illæ infirmiores sunt quàm quæ ad longum tempus febrem arcere valeant, ac propterea tot recidivæ de quibus v. g. Clariss. Morton in majori suarum historiarum parte, ac etiam de quibus querelæ apud omnes propè Medicos, & præcipuè apud ipsum vulgus increbuerunt, unde multum de Nobilissimi, nunquamque satis laudandi corticis fama derogatum est; non unicuique enim datum est ægros ita faciles invenire quales illos habuit Empiricus ille Talbot, sive Tabor, qui nescio qua fortuna dum febrifugum suum ex Anglia ad Gallos deportavit, eò auctoritatis devenit, ut Chinam Chinam tum in substantia, si ita rebellior febris cogeret, tum præcipuè in infuso, quod ordinarium ipsi erat, ad libras integras per iteratas vices hauriendam dare potuerit. Vidi tamen ego aliquot qui ipsius remedio febrifugo tantopere decantato, usi fuerant qui recidivam passi sunt, inter quos recensebo fortem quendam Capitaneum Cohorti Helveticæ in Galliis Præfectum, qui absumpto toto medicamento quod ipsi magno cum fastu præbuit prædictus Empiricus, per tres menses omni febre liber quidem vixit, verùm illa post hoc intervallum revirescens per tres alios menses ipsum afflixit, quibus elapsis rursus per alios tres disparuit, sicque per duos annos integros, & recedebat & recrudescebat statis periodis ac intervallis, donec tandem Virum Fortem, nihil proficientibus novis remedii dosibus, ad inscitas redigeret. Quô tempore curam ipsius tanto cum successu habui, ut brevi vires recuperaverit, ministeriisque suis gnaviter absolvendis, novisque magnô suô meritô adipiscendis, omnino par fuerit. Præparationem jam ipsam quod attinet eam hic, bonô publicô, ut credo explicabo.

℞. Corticis Peruviani probè selecti ℔ vj. Viperinæ, seu Serpentariæ Virginianæ ℔ j. Diaphoretic. martial. albiss. ℔ j. destilla desuper spiritus vini sale armoniaco acuati q. s. ad eminentiam trium circiter digitorum, post infusionem 30. dierum decantetur liquor, ac seorsim asservetur, massa verò Corticis Peruviani spiritu prædicto imbuta, partim cum rob juniperi, addito pauco ejusdem oleo stillatitio, in formam electuarii redigatur; partim in umbra siccetur in pulverem, qui in vasis probè clausis postea asservetur, quo scilicet pro exigentia, vel forma pulveris cum sacchFaro, vel formâ pilularum cum mucilagine gummi tragacanthi confectarum, vel aliâ etiam forma exhiberi queat. Dosis remedii varia est pro ratione febrium; pro Quartanis rebellioribus eam ingredi debent tres Corticis unciæ, pro Tertianis autumnalibus, aut quæ post solstitium æstivum accedunt, uncia una cum dimidia; pro Tertianis vernis uncia una sufficit. In Febribus horrificis quales sunt Hemitritææ, dummodò cum inflammatione visceris alicujus principis illæ non fuerint complicatæ, quod aliquando accidit; imò in omni lentarum genere quod cum exacerbationibus ac remissionibus, durisque symptomatis, divexat, tutum prorsus est hoc remedium, sed ipsius dosim, ut in Quartanis, Corticis unciæ tres ingredi debent. Exhibetur autem ter de die temporibus à paroxysmo, aut febris exacerbatione vacuis, longè à pastu absumendo unâ quâque vice corticis drachmam ad minimum integram. In maximè rebellibus febribus, liquoris spirituosi per decantationem ut mox innuebamus separati, seorsim esservati, ac oleorum menthæ crispæ, caryophyll. & cinnamomi particulâ aromatisati, aliquot guttulæ post devoratum medicamentum, in vino semper propinantur. Cùm verò ingræ dosis cuique febri necessariæ dimidia circiter pars absumpta est, medicamenti reliquiis ad dies 8. 10. aut 12. supersedendum, iisque tantùm elapsis ad remedium redeundum, continuando tum sine interruptione bis de die ad totalem absumptionem. Nec expectandum unquam pro absumenda ultima dimidia parte, (quæ ad dies præscriptos post primam absumptam differtur) donec febris de novo caput exeruerit, sic enim renovanda veniret tota medicamenti dosis, quasi de eo nihil hactenus voratum fuisset. Antequam frebrifugum exhibeatur, & venæsectiones necessariæ, & purgantia viribus febricitantium accommodata, sunt administranda, nam in eo vix cum Clariss. Morton convenimus, quòd fermento febrili venenato, antidotum suam, Corticem scilicet, sine ulla præliminari præparatione, utplurimùm opponat: Hoc siquidem nobis feliciter non cessit, indeque recidivas non infrequentes atque perniciosissimas enatas vidimus, cujus ratio est sanè in propatulo, scilicet fermentum febrile quantumvis subtile ac spirituosum, ex humorum saburra ac colluvie facilè ascendit ac perpetuatur, unde etiamsi ipsius vis per exhibitum corticem pro tempore dometur, exsuscitatur facilè de novo febris, imò tandem cortici omnino surda fit. Præstiterit itaque, tum in febribus plurimis, sanguinis missionem celebrare pro totius massæ exagitatione, fermentisque profundiori, & ut ita dicam, secretiori loco, innidulantibus, in propatulum quasi proferendis, ut sic medicamentô expugnanda faciliùs se offerant; tum purgantia medicamenta propinare, quò & humorum effumantium abundantiæ aliquid subtrahatur, ac antidoto aptæ via aperiatur ac expeditior fiat. Itaque in primis bolis, pilulis, &c. purgantia accommodata admiscemus. Hic non mihi regerat aliquis spiritum vini

ſale armoniaco acuatum parum præcipuè profuturum in eo cortice qui poſtea exſiccatur, ut ſub forma vel pulveris, vel pilularum exhibeatur; per mille enim experimenta edoctus aſſero vim ipſius aliam prorſus eſſe poſtquam hoc ſpiritu ſaturatus fuerit, imò etiam majorem fieri quò pluries iterabuntur affuſiones ac deſiccationes, ſi modò in ſecundis nihil liquoris decantetur, ſeu potius ſi ſpiritus ad materiarum ſaturationem, non verò ad ſupereminentiam aliquam deſtilletur. Sic etiam Bolus Armena, ſulphur, variaque alia mineralia per ejuſdem ſpiritus affuſiones facultatibus multò nobilioribus donantur, quàm quibus antea inſigniebantur, ſive quòd ſic reſeratis mineralium horumce poris commodiùs in ſe fermenta morbifica recipiant, ſive quòd ab incarceratis particulis ſalinis ac volatilibus motus promptiores acquirant, quibus particulis heterogeneis ſanguinem de tono ſuo diſturbantibus, obviam eant, ipſaſque efficaciùs impugnent. Ex hiſce omnibus patet quàm verè dixerimus de remedio noſtro in præcitatis Notulis, illud triplici deberi regno, animali ſcilicet, vegetabili & minerali, quorum varia munia ignis digerentis beneficio uniantur. Hic addimus eas præcipuè febres in quibus genus nervoſum vel ab ipſo vulgo affectum, dicetur, noſtro remedio citiſſimè fugari, quod de iis omnibus quas affectiones catalepticæ, convulſivæ, ac apoplecticæ concomitatæ ſunt teſtari poſſumus, ſed in iis doſis liquoris paulò auctior, ac frequentior exhibenda eſt, donec ſopiti ſpiritus exſuſcitati fuerint, ægerque vorandis bolis, pilulis aut pulveri, paratus. Quæ cùm ita ſint quis in Medicina tam hoſpes fuerit qui non videat, dum in omnibus prorſus febribus tam bene cedit hoc medicamentum, per viperinam Virginianam (remedio verè antiſpaſmodico) volatiliaque, quibus ſaturatur, maximè nervinum, febrium fomitem in nervis exquirendum, ſive demum eò è ſanguine humoribus inquinato, ut cum Veteribus loquar, aſcendat, ſive in ipſo ſucco nerveo degenere formetur. Atque hæc ſatis de febrifugis in genere, noſtroque, hactenus ſecreto, in ſpecie. Unde abundè ſatisfactum credimus iis qui ipſius præparationem noſce avidè exoptarunt, inter quos recenſere poſſem beatæ jam memoriæ, Celeberrimum Dominum Carolum Sponium Medicum Lugdunenſem, alioſque, ſed inter eos unicum ſeligam Nobiliſſimum ac Ampliſſimum Virum D. Joh. Chriſtianum Tralles S. C. M. Medicum Aulicum qui me ſuis literis Freiſtadii Sileſiorum die 23. *Decembr.* Anno 1689. datis ſuper hoc me non parum honorificè compellavit propriis hiſce verbis. Mentionem feciſti in illis tuis additamentis ad tractatum de febribus D. Piens, de febrifugo quodam, tantùm non infallibili in febribus quibuſvis intermittentibus debellandis, cujus tu unicè exiſtas pater & poſſeſſor. Fateor ingenuè, Me perlectô hoc temperare Mihi haud potuiſſe, quin in effuſiſſima diffluerim gaudia, dari ſcilicet Herculem, qui ſit Hydræ iſti Lernææ detruncandæ. Nec potui coërcere intra Præcordiorum anguſta hanc ipſam lætitiam; ſed ſtatim arripui calamum, gratulaturus tibi de tam nobili invento, & tibi, alterius inſtar Æſculapii Hecatomben oblaturus. Cùm verò te haud fugiat omne bonum eſſe communicativum ſui, hinc à te ſummopere peto, per iſtam quidem neceſſitudinem, quæ invicem Medicos probos atque integros animi arctè conglutinat, digneris Mihi hanc gratiam exhibere, & non ſaltem pretium unius alteriuſve unciæ ſignificare, verùm etiam methodum utendi illò deſideratiſſimò remediò candidè perſcribere. Sic tuâ pace faxo, ut copiam tam egregii medicaminis obtineam, cùm religioni ducam ejus deſcriptionem integram precibus millenis emendicare. Quem enim tibi vel leviſſimi favoris indicem exhibui, ut in immeritum, tantum beneficium, veluti redhoſtimenti loco derives? Ni tibi grave, reſponde quantocius, num tibi arriſerit, mihi votiſque meis aſſurgendi. Oro te quàm qui maximè, digneris ſervulo tuo id pauxillum amicitiæ dare, tibique de Me reciprocè officia quævis polliceri. Et rurſus in aliis 8. *Januar.* 1690. Nuper audacior juſtô literas ad te dedi, Num advolârint nec ne anceps hæreo. Utinam expertæ ſint Deos viales propitios! Vir equidem cui tradidi illas Berolini, ſanctiſſimè juravit ſe omnem operam daturum, ut ſalvæ ad te perveniant. Hinc ad illas in dies ſummo cum deſiderio reſponſoriam tuam gratiſſimam exſpecto, quam tantò promptiorem Mihi polliceor, quantò faciliùs è ſcriptis tuis ſolidiſſimis colligere potui, in te humanitatem cum eruditione pari ambulare paſſu. Quòd ſi præter ſpem Mea prior Epiſtola fuerit deperdita, hæc te edocebit illius contenta. Scilicet cùm in primis in nuper editis tuis notis ad Piens tract. de febrib. *pag.* 674. legi, te poſſidere febrifugum fidum & infallibile per has ipſas literas denuò rogatum te venio, digneris Mihi perſcribere num poſſim copiam tam egregii illius remedii habere? Adde ſi placet pretium & ſimul modum & doſim utendi ſufficienti explicatione amicè mihi trades. Rem facies Mihi gratiſſimam, nullô non tempore præconiis debitis à me mactandam, &c. Quibus quas tum Reſponſorias fecero dicere jam ſuperſedebo, quia fuſior jam hoc in articulo fui, continuoque procedendum venit ad

Curationes, Conſultationes, Obſervationes & Anatomicas inſpectiones ex variis.

Curationes.

Febres in Genere omnes.

In omnibus febribus propriè itâ dictis rectè curandis maximoperè reſpiciendum eſt eò, ut nec ἀμεθόδως, nec temerè curam auſpicemus.

Quantumvis nimirum ſpecifica utramque paginam abſolvere dicuntur, in omnium morborum curatione, illa tamen vel ſine ratione, hoc eſt, ſine methodo & judicio exhibita parùm faciunt, ſtagnantibus nempe impuritatibus corporis contra ſpecificorum innatas poteſtates mirabiliter dimicantibus.

Quæ ratio itaque in cæteris morbis omnibus, ea etiam hic nullô modô negligenda fuerit.

Evacuantia hôc locô eſſe poſſunt omnia illa, de quibus ſuprà diximus: itâ tamen ut temperamenta, ætas, ſexus & vires probè conſiderentur.

Speci-

Specificum purgans omnium febrium est, exceptâ Hecticâ, Antimonium, cujus flores dextre parati & præparati febriles impuritates è corpore eliminant: flores autem illi redigendi sunt in oleum: per præcipitationem redigitur in pulverem Emeticum, si basis præcipitationis fuerit aqua simplex: vel redigitur in pulverem purgantem tantùm per inferiora, si basis præcipitationis fuerit oleum tartari.

NB. An ol. Tartari post præcipitationem diu relinquendum cum Crollio, an verò mox auferendum. Affirmatur posterius, aliàs nimirum nimis figitur Antimonium.

Uterque pulvis justâ sui dosi intermittentibus & continuis febribus legitimè exhibitus medetur, præsertim, si ab initio certissimè administratus mali mineram ex corpore exturbandam ratio ista suaserit.

Interdum Obstructiones pertinacissimæ in hepate, venis Mesaraicis, Splene, Mesenterio. Item in renibus fomitem mali propagando fovent, ubi sanè una vel altera evacuatio sæpè irrita est.

Itaque Digestiva quæ sunt è tartaro vitriolato, cremore tartari, spiritu tartari, spiritu vitrioli, aperiente Penoti, spiritu salis maximè seligenda sunt, eaque administranda in vehiculis convenientibus & obstructionibus expediendis nonnihil utilibus.

Hòc modò obstructionibus resolutis & mobilibus, mundificantia rectiùs operantur, febriumque curam magis prosperam reddunt.

Sunt etiam necessarii Vomitus, præsertim in febribus Ventriculi & quotidianis à phlegmate provenientibus, ubi aqua Benedicta sæpius profuit.

Quinimò in Tertianis pilulæ Antimoniales Emeticæ dextre procuratô vomitu, tandem subsequente secessu, rectiùs profuerunt.

In Ephemera, unde sæpe Hectica, post solutum paroxysmum est excellens mistura simplex, ut morbi reliquiæ ex habitu pellantur.

Specificum purgans in febribus intermittentibus initio morbi non in augmento, malo adhuc stabulante in ventriculo, ex vitro Antimonii est tale:

♃. Vitri Antimonii diligentissimè & justo, si fieri possit, tempore facti, prætereaque cum spir. vitrioli albificati & pulverisati ℥ß. sacchari Canarini ℥iv. farinæ triticeæ ℥iv. Croci ℈j. Coque cum aqua communi lentô igne ad spissitudinem pultis, cavendo tamen, ne in fine aduratur, sed penè panis formam habeat, fac indè globulos seu glomulos & diligentissimè reconde. Servatur in integritate sua quadriennium, posteà contrahit scabritiem, datur sub initium paroxysmi (in intermittentibus) cum prima vestigia horroris in artubus incipiunt. Datur in adultis ʒj. in fœminis ℈ij. in pueris ℈j. vel ℈ß. Vide etiam infrà de methodo curandi febres.

(Febres intermittentes facili negotio curo sequenti modo, primò do vomitorium instante paroxysmo ut simul operentur

♃. Tartari Emetici Mynſ. gran. iij. Corall. rubr. præp. ℈ß. M. F. Pulvis. Posteà spiritum salis armoniaci quotidie bis vel ter propino ad gut. 30. in sequentis vehiculi haustu ob penetrantem saporem & odorem

♃. Aqu. Cichorei, Verbenæ, Papav. Errat. ana ℥ij. Syrup. Papav. Errat. ℥j. M. D. Hæc mixtura, cum sit à Syrupo Papav. Errat. rubicundissima affuso spiritu statim intense nigrescit. Ex his Medicamentis vix tertium aut quartum febricitantes patiuntur paroxysmum, modò in tempore, antequam materia peccans totam sanguinis massam subierit, adhibeatur. (Quod Nota.)

Specifica ad Febres tertianas intermittentes extant quàm plurima tum simplicia, tum composita.

Simplicia sunt 1. Aqua Tabaci seu nicotianæ, quæ unô atque altero cochleari exhibita 3. vel 4. horis ante paroxysmum, præmissis præmittendis, tandem paroxysmum tollit.

Hæc aqua in febribus plerumque movet vomitus, quos nullos facit aliàs in aliis morbis data.

2. Radix Asari ℈j, vel ℈ij. in vino Malvatico (in quartana) 6. vel 7. horis ante paroxysmum vehementer sudores movet, & sæpiùs vomitum.

3. Alumen crudum, cujus ℈j. vel ℈ß. in aqua vel decocto Centaurii minoris 5. horis ante paroxysmum, datur, sudoribus, si fieri potest, provocatis: quod satis laudare in Quartana nequeo.

4. Sal Absinthii seu ostrutii debitô modô paratum, cujus ℈ß. ad summum in aqua centaurii minoris datur ante paroxysmum.

5. Oleum piperis nigri per Vesicam destillatum (cordiale eximium & refrigerans & dulce cum grata humiditate) cujus gutt. iij. vel v. in aqua Tabaci vel Centaurii minoris horis aliquot ante paroxysmum datæ febrem tollunt.

6. Testæ cochlearum, docente Crollio, in specifico febrili.

7. Spir. Salis Ammon. cujus gutt. iij. usque ad vij. in aq. Centaurii minoris vel Cichorii horis 5. vel 6. ante paroxysmum sudoribus inde profluentibus dantur.

Composita sunt: 1. Aqua radicis Imperatoriæ, quæ fit hòc modò:

♃. Radicis ostrutii & vini generosi ana, digerantur invicem in B. M. sub alembico cæco, posteà destilla ex alembico per arenam in fine, cavendo, ne Empyreuma redoleat. Hujus exhibe patienti in die quietis & postero 3. horis ante paroxysmum, atque ità etiam tertiâ die jejunô ventriculô cochl. j. ut sudores, si possit, moveat Raro post specificum Paroxysmus redit.

2. Est compositum Crollii ex oleo vitrioli & sale Absinthii seu spir. ejus cum aqua Cichorii.

3. Est aqua formicarum composita, quæ fit hòc modo.

♃. Aqu. fragorum, Centaurii minoris ana ℔ij. Mellis ℔ij. vel iij. M. in cucurbita detruncata, eamque sine integumento in acervo formicarum sepeli usque ad summitatem, & formicæ confertim admodum irruent in vasculum dulcedine mellis scil. allectæ. Post collectam harum sufficientem quantitatem, exime vas, omnia invicem probè mixta agitando, per alembicum ex cineribus eliciatur aq. quæ diligenter servanda: dosis ejus est in principio cochlear. ß. ad summum.

Hæc aqua (scilicet in Febribus tantùm, ut aqua Tabaci) interdum vehementiùs movet vomitus, operæ pretium itaque est, ut diligentiùs

tius natura patientis consideretur, an nempe ad Vomitiones sufferendas habilis sit necne: Et an causa morbifica febris per vomitum aptè expurgari possit, præterea quoque, an vires patientis constent.

Licet nimirum hoc specificum febres intermittentes tollat, quod si tamen ad vomendum minùs sit dispositus æger, hoc specificum potiùs intermittendum, quàm temere periclitandum.

4. Sal. Centaurii minoris in formam compositi hoc modo redactus.

℞. Sal. Centaurii minoris probè facti ʒj. Conf. rosarum vitriolatæ, violarum ana ℥j. M. de hac mixtura exhibebis ʒij. quotidie, in primis verò ante paroxysmum 2. vel 3. horis datur etiam vesperi atque ità perge, donec declinet Febris.

5. Mixtura simplex 4. vel 5. horis ante paroxysmum aliquando etiam intermediis.

Quartana eadem purgantia requirit, cautè tamen fuerit progrediendum.

Quartana nimirum quasi ludibrium Medicorum, nisi convenienter & molliter tractetur, sive jam recens nata fuerit, sive jam adoleverit, aut ad ætatem aliquam pervenerit, raro sui domitorem exactum relinquit.

Præterea multum situm est in naturis Quartanariorum, quæ sæpe medicamenta etiam cum summa mollitie exhibita eludunt.

Extractum Ellebori pro purgante, vel etiam pilulæ Antimoniales (de quo suprà de purgantibus) per secessum tantùm moventes, blandissimè hujus febris mineram extrudunt, præsertim si recens, aut si post aliquot menses suâ spontè ad declinandum inclinata fuerit.

Sæpissime enormes obstructiones splenis & hypochondrii sinistri derivato subinde malo ad venam cavam, unde dolores dorsi, lumborum, Coccygis, plerumque dominantur: sæpe præcedit Icterus niger, aut sequitur, aliaque graviora symptomata morbum vehementiorem faciunt. Ubi sanè aperientia in primis sunt necessaria, quæ hoc loco nulla sunt alia, quàm quæ antea tradidimus.

Vomitus in febre Quartana haud prodest. Etsi nimirum primam ventris regionem aliquantulum expurget, & circa loca vicina aliquid heterogenei depopuletur, nihil tamen attingit, quod proximè febrem continet.

A vomitu itaque sæpe repetito abstinendum (sufficit una Vomitio.)

Specificum etiam Paracelsi purgans, etsi Quartanam non tollat, est tamen insigne aperitivum, si ejus aliquid misceatur cum cæteris digestivis. Sæpius idem specificum purgans cum Extracto Ellebori (ana vel ultrà) justâ dosi mixtum exhibitumque, paulatim mineram febrilem consumit, aliquoties, sed admodum leniter alvum expediendo: qua sanè nullum aliud purgans in Quartana dari potest felicius. Hoc nimirum obstructiones feliciter aperit, alvum subducit, febremque simul tollit. Extractum Lapidis Lazuli de quo suprà de purgantibus.

Etsi autem post repetitas hasce evacuationes quandocunque propter profundiùs impactas mineras febris haud desinat: nihilominus tamen pergendum & tandem ad specifica proveniendum, (vesperi ante exhibitionem specifici abstineat æger à cibo,) quæ sunt:

1. Oleum Myrrhæ, cujus guttæ 4. ad 8. in vehiculo convenienti exhibeatur paulo ante paroxysmum.

2. Succus nasturtii aquatici cum ana aceti mixtus, & si ferre possint, cum oleo communi distemperatus, cujus cochlearia 2. vel 3. cum guttis 6. vel 8. spiritus salis absinthii (in ejus defectu salis absinthii) paulò ante-paroxysmum exhibeantur ter vel quater continuando stato paroxysmi tempore, etsi emaneat ille.

3. Pulvis serpentum seu Viperarum (de quo suprà de asthmate & elephantiasi) ex carne & spina dorsi, non solo corde curativus, cujus ℈j. ad ℈iß. in convenienti vehiculo ante paroxysmum datur ter vel quater continuando stato paroxysmi tempore, etiamsi emaneat ille.

Quandoque in Febribus quartanis, tum in statu isto, tum etiam in declinatione vehementissimi sunt dolores dorsi, causam diximus suprà.

Huic symptomati medetur sacculus oblongus ex hordeo integro in aqua simplici usque ad crepaturam cocto, calidè spinæ dorsi toti ante paroxysmum, vel etiam post eundem doloribus nempe aliquandiu subsistentibus applicatus.

In febre Hectica eadem fermè necessaria, quæ suprà in exulcerationibus pulmonum proposita fuerunt. Hanc nimirum tanquam comes individuus Hectica sequitur, quæ sæpius majorem Medici operam requirere videtur, quàm morbus ipse.

Humectantia & refrigerantia non quidem accidentaliter, sed essentialiter necessaria sunt. Sales Corallorum & perlarum hìc multùm valent.

Quandoque balnea dulcia habitum corporis exsiccum & aridum plurimùm juvant.

Lac asininum (calidè) in hectica, præsertim à sumpto menstruo corpus infestante, mirificè restaurat.

Sunt etiam alia quamplurima ab autoribus descripta, qui consulendi sunt.

Febres compositæ curantur ad modum simplicium, ità tamen, ut purgantia sint leviora.

Febres quotidianæ puræ maximè hospitantur in ventriculo, earum ergò cura sola vomitione absolvitur, quæ aqua benedicta vel aliis vomitoriis intenditur.

Deinde corroborantia ventriculum sunt varia: in primis autem confortat conserva acetosellæ, rosarum, menthæ, cum acidulis mineralibus (spiritus vitrioli) distemperatæ.

Reliquum absolvit diæta: quandoque etiam interna ab impuritatibus viscosis & lentis liberanda sunt, cui sanè negotio suppetias ferunt Panchymagogum vegetabile, specificū purgans, & in primis Antimonium per secessum purgans.

Per malignas Febres intelligimus quascunque affectiones Epidemicas, ab initio rigorem, deinde verò calorem intensissimum incutientes non sine malignitate vel aëris vel etiam ab esculentis & potulentis aliquando causatas: tales sunt Petechiales, Hungaricæ, catharrales febres. Item ardentes, quæ magnam partem Europæ hactenùs invaserunt & subindè excutiunt.

In istis curandis feliciorem modum invenire fas non est, quàm qui à vomitione incipit, & per media necessaria tandem in confortantibus desinit.

Vomitorium est aqua benedicta, cujus usus meritò laudatur.

De

De venæsectione aliquibus formidabili, à nobis disputatum est sæpius, necessaria an sit, necne.

Plethora intermissionem non admittit, sæpe in corporibus biliosis venæsectio temeraria fuit.

Nos cum Rulando Phlebotomiam ità distemperamus, ut urgente necessitate & indicationibus satis manifestis nuspiam ab eadem tutò deflecti posse statuamus, vide tractatum de Ungaris Martini Rulandi filii. Videatur item Balthasar Conradinus de Febre Ungarica.

Aq. C. C. recentium sanguine adhuc rigidorum ad omnes Febres ardentes, malignas & Epidemicas suprà de Confortantibus.

(Sic valet hic multum

Oleum Anti-Paralyticum.

℞. Gut Scheidevvasser vvirff darin etliche hueffnägell, doch nicht zuviel, damit die entzündung nicht zugros vverde. Giess also fort darauff Baumöhl, oder *Oleum Therebenthinæ* oder *Petræ*, so vvird der *Sulphur Antimoniatis*, das öhl blutroht ferben, und dick machen, dieses öhl hat nicht seines gleichen *in Paralysi*, in Schvvindung der glieder, oder vvann selbige durch fallen geschädiget, in geronnen geblüt &c. offt damit geschmieret, vvann der schaden frisch, hilffts so bald, ist er aber alt, muss länger damit angehalten vverden, Innerlich habe diss öhl zvvar noch zur zeit nicht gebraucht, zvveiffele aber nicht, das es auch innerlich schöne Wirckungen thun solle.

Methodus curandi Febres.

In curandis Febribus sequens potest esse methodus principio statim, si sit febris continua, præmisso clystere, emolliente & refrigerante, vena aperiatur vel circa quartam vespertinam vel tempore matutino, cum vespere præcedente clyster injectus.

Hinc singulis diebus offeratur Julepus refrigerativus constans ex decocti refrigerantis ℥iv. Syrupi violarum aut de Cichorio ℥ ij. M. & fiat Julepus, de quo sumat ad libitum pro potu. Aut.

℞. Aquæ Endiviæ, Cichorii ana ℔ß. Rosarum ℥ iv. salis Prunellæ ℈ ij. Syrup. Nymphææ, vel violarum aut de 5. radic. ana ʒiß. M.

Vel ℞. Rasuræ C. C. ℥ ij. Coq. in aqu. hordei vel papaveris s. q.

℞. Hujus decocti ℔ ij. Syrup. de Tussilagine, de Prassio, Capillorum Veneris ana ℥j. Spiritus Scordii sine additione gr. 8. Vitrioli g. II. M. F. Potio, quâ assumptâ aliud præscribatur, cui nonnunquam post purgationes Universales sacchari Saturni ℈ß. vel gr. 6. admisceri possunt.

Die sequente post venæsectionem detur Apozema aliquod aperiens & laxans, aut quod non incommodum, purgetur infusione Rhabarbari aut Extracto panchymagogo. Aut fiat syrupus Magistralis ad naturam patientis & humoris peccantis accommodatus.

Hinc per duos dies utatur manè & tribus horis à prandio aperiente & laxante Apozemate: quinto die iterum purgetur habito respectu ad dies Criticos: si febris non remittat, iterum aperiatur Vena die octavo, & ex indicantium ratione detrahatur sanguis, semper interim continuando Julepum dictum, cui etiam nonnunquam guttæ aliquot spiritus vitrioli aut tartari admisceri poterunt, aut ℥j. succi limonum depurati.

Si vires labascant, interdum detur Confect. Alkermes aut de Hyacintho cum syrupo de limonibus & aqua Cordiali destillata.

Potest etiam fieri opiata, quæ ℞. Conservæ nymphææ, rosarum, Cichorii an. ℥j. Salis perlarum. spir. vitrioli ℈ß. de qua capiat ad lubitum. Item interdum vesperi cum dictis confectionibus & diebus criticis præsertim offerri possunt gr. vj. lapidis bezoardici aut ʒß. aquæ ètyphis cervorum: imò, si dicto Julapio abhorreat, ptisanæ incoquere licet rasuram CC. quam si rubeam instar vini desideres, adde radicis Oxalidis seu acetosæ ad libitum, sed tunc non oportet addere liquiritiam sed passulas, jujubas & radices intybi, relinquatur donec refrigescat.

Interdum magno cum commodo in talibus febribus excitatur sudor, aut cum lapide bezoar, aut cum Antimonio fixo diaphoretico, aut cum Bezoardico minerali. Datur post sudorem in copia imò & in ipso sudore Julepus cum sale prunellæ, aut spir. vitr. vel sulphur. cum aqua hordei ad aciditatem gratam.

Si linguæ ardor adsit, prodest extrahere mucilaginem è semine Cydoniorum aut mali granati, aut sal prunellæ in aqua dissolvere, ut talia æger in ore teneat. It. sæpius comedat malum granatum.

Si adsit magna linguæ nigredo, convenit aperire venas sublinguales.

Si febris sit intermittens, eadem medicamenta quoque prodesse possunt, variata tamen pro constitutione materiæ, & morbi, modo observetur quotidiana si adsit, in qua plerumque de ventriculo conqueruntur, ut offeratur vomitorium semel atque iterum ex infuso florum aut Vitri Antimonii aut vitriolo albo. Hinc sine omni coctione medicamentis paulo fortioribus purgetur, quæ ut in aliis semper eo modo offerenda, ut ante paroxysmi accessum operationem suam perficere possint, verbi gratia, si accessus sit hora 9. matutini; dandum purgans hora tertia, & sic consequenter.

In fine Paroxysmi sudor, qui plerumque prorumpere solet sponte, largiter ut fluat permittatur, ægro bene cooperto, & tum largiter concedatur potus Julepi superius præscripti. Si non purgetur, semper ante paroxysmum hor. j. assumat Julepum dictum, cui dupla quantitas salis prunellæ addita sit, quantum voluerit, ad minus ℥vj, aut si abhorreat, fiat emulsio.

Post primam purgationem die sequenti, si vires constant, aut si non, subsequente, vena secetur.

Si his medicamentis per tempus aliquod continuatis non cedat febris, utile est sub initio paroxysmi, cum prima vestigia horroris in artubus gliscunt, exhibere in adultis ℈ij. in fœminis ℈j. vel ℈ß. in pueris ℈ß. vel ℈ j. sequentium pilularum, quæ mirifice morbos febriles expellunt, de quibus suprà de intermittente febre.

℞. Vitri Antimon. per se facti & tenuissime pulverisati ℥ß. sacchari canarii, farinæ tritici ℥iiij. Croci ℈ j. Coque in aq. communi igne lento ad formam pultis, ad plenam spissitudinem, cavendo ne in fine aduratur, sed fere panis formam habeat, fac inde globulos, &c. aut detur Cochlear ß. aquæ febrifugæ sequentis.

℞. Aq.

℞. Aq. Centaurii minoris, fragorum an ℔ij. mellis ℔ iiij. M. in Cucurbita &c. Hujus descriptionem vide in annotationibus in Crollium & alibi.

Aqua in omnibus febribus. ℞. Salis nitri ℔ j. sulphuris, sal. Ammon. ana ℥ß, ex sale & sulphure fiat lapis prunellæ, in fine addendo sal. Ammon. hujus lapidis.

℞. ʒij. Aquæ Cardui benedicti ℈ iiij, olei sulph. ℈ ij. M. & F. aqua Cardui benedicti secundum artem. Hujus aquæ ℥ iiij, vesperi exhibeantur aliquoties in malignis Tertianis, &c.

Vidimus quoque alios curatos esse sale absinthii à ℈ j ad ʒß cum spir. vitrioli guttis vj. aquæ Cichorii ℥j. ij. aut iij. ante paroxysmum tribus horis expectato sudore in lecto. Aut detur dosis ex spiritu tartari aut salis ammoniaci præparati, velut diximus in imbecillitate ventriculi, à gr. vj. ad viij. in aqua centaurii minoris vel decocto Cichorii 3. horis ante paroxysmum expectato in lecto sudore largius profluente, febrim tollit. Eadem dosis est iteranda, si prima vel secunda vice non satisfecerint.

Multum quoque valet specificum febrile Crollii ex Conchis, cujus dosis ℈ j. ad ℈ ij. in haustu vini.

In omnibus dictis febribus non intermittenda Epithemata, cordi, hepati, & testibus applicanda, de quibus vide apud Practicos.

Tandem notetur, quod in omnibus intermittentibus diuturnis ad Antimoniata & Mercuriala confugere liceat, eo quod fomes absconditus sit in parte aliqua interna, in primis in Mesenterio, unde, nisi uno è dictis medicamentis omnia percurrentibus excitetur, vix fomitem unquã rectè expelles, nisi longo tempore.

In Quartana fiat principio syrupus Magistralis liquidior ex aperientibus & spleniticis & Melancholiam expurgantibus, de quo singulis diebus matutinis assumat dosin, excepto die, quo laborat febri. Aut fiat Apozema aperiens & laxans, de quo capiat singulis diebus doses duas mane & horis tribus ante cœnam: Emplastrum lieni applicetur semper ex ammoniaco gummate post universales evacuationes.

Sublatis obstructionibus ad Antimonialia accedere licet, quibus si malum non cedat, convenit offerre duobus diebus continuis bezoardicum minerale, cujus post assumptionem excitetur sudor in lecto.

Ante Paroxysmum cùm signa præsentis instant dantur olei Caryophyllorum gr. vj. vel viij. in conserva aliqua aut syrupo, aut detur succi expressi de sempervivo minori Cochlear cum vino, aut offeratur infusum Asari vel imò vomitorium. *Joh. Harthman. in Praxi Chymiatrica.*

Si febris tertiana intra breve tempus, nec sponte naturæ sensim declinet, ut intra 7. vel 10. periodos plane cesset, nec quovis à prædictis modo judicatur, nec pharmaciæ ope tollitur, quin post 10. aut 12. paroxysmos ægrotantes usque graviter affligat, curationis difficile admodum incumbit pensum: quippe sanguis à continua materiæ febrilis congestione, crebrisque incendiis adeo depravatus tandem evadit, ut nihil rectè coquat pro corporis nutricatu, & ejus viribus sustentandis: nec impuritates & excrementa à sinu suo prorsus excutere valet, quod morbi crisin faciat: at verò eodem in dies præpollente, sanguis præter dyscrasiam ejus, in mixtione nonnihil lædi incipit; quare paroxysmi crebriores infestant, nec iis perfecta ἀπυρεξία intercedit, quin ægri valde imbecilles & languidi, cum siti & calore fere continuo febricitant. Quando res ad hunc statum deducitur, nisi remediis ab arte succurritur, aut soli & cœli τροπαὶ tempestivè opem ferunt, non rarò hic affectus in mortem terminatur.

Quoad curationem, medendi methodus vulgo in unicum hunc scopum dirigitur, nimirum ut morbi minera extirpetur, & sine fomite residuo aut recidivæ metu materia febrilis è corpore nostro eradicetur; quare vomitoriis & catharticis diligenter insistitur, quæ cum nihil ad curam proficiant, quin plurimum franguntur vires; ægroti à medicis relinquuntur, & res tota naturæ committitur. Intentiones (uti mihi videtur) debent esse hujusmodi. Primò sanguinis ad temperiem naturalem restitutio. Secundò, depravationis succi nutritii (quantum fieri potest) præcautio. Tertiò, fermentationis febrilis, ne paroxysmus suscitetur, inhibitio. Atque hæ indicationes non tantum in febre tertiana, sed in qualibet præterea intermittente locum habent: quæ tamen non iisdem modis aut remediis, verùm aliis & aliis pro diversitate morbi, conditionis ægri, & symptomatum maximè urgentium, sunt peragendæ. Utcunque in curatione hujus morbi plus naturæ & bene institutæ victus rationi, quàm pharmaciæ tribuendum est.

I. Circa primam intentionem, nimirum ut sanguis ad temperiem naturalem reducatur, vomitoria, venæ sectio, & purgatio magni sunt usus, præcipuè si in morbi principio celebrentur. Juvant vomitoria tum quatenus ventriculum expurgant, ut coctio primæva melius perficiatur, indeque chymus nutritius pro materia sanguinis purior suppeditetur; tum præcipuè quatenus bilem è meatu choledocho copiosè exprimendo cystin felleam inaniunt, ut exinde bilis è massa sanguinis plenius eluatur, adeoque sanguis à recrementis salis & sulphuris adustis depuretur. Venæsectio sanguinem refrigerat & ventilat, ut propterea minus torrefiat, aut præassetur, atque liberius sine adustionis periculo in vasis circuletur. Item purgatio bilem è vasis felleis, & consequenter è cruoris massa ubertim emulget, & proritando exprimit. In hunc finem (scilicet cruoris reductionem) conferunt digestiva, acetosa, attemperantia, quatenus sanguinem fundunt, & alterant, ejusque fervorem attemperant. Quandoque etiam soli & aëris mutatio malam sanguinis constitutionem præ cæteris quibuscunque remediis insigniter emendat.

Secunda intentio, diæta & exactâ victus ratione optime perficitur; quæ in hoc morbo sit tenuis, & parca oportet. Quare vulgò dicitur Fames optimum hujusce ægritudinis remedium: & communi constat experimento, à parciori victu accessionem febrilem ultra tempus consuetum sæpissimè protelari. Duo sunt imprimis circa victum observanda: Primò, ut alimenta sint tenuia, nihil exhibeatur sulphureum aut spirituosum; sic enim conflagratio sanguinis minoratur; dein secundò, ut ingruente aut urgente paroxysmo, nihil alimenti ingeratur:

ratur: quare in jejunis paroxyſmus eſt levior, & citius finitur.

Quod tertio erat propoſitum, acceſſionis febrilis inhibitio inſtituitur per remedia quæ ſanguinis fermentationem ſiſtunt. Licet autem hoc remedium Empiricum, amethodicum & valde infidum apud Medicos audiat, tamen mihi compertum eſt, has febres hoc modo ſæpenumero curari, cum pharmaca non omnino prodeſſent. Qualia ſint, & quo ritu, abſque veneficii ſuſpicione, pro curando hoc morbo juvamen præſtent, ſuprà annotatum eſt. Hic ſolum advertimus, horum uſum poſt pharmaca & venæſectionem (ſi opus ea fuerit) eſſe maximè proficuum; & niſi hæc ritè præmittantur, iſtæc altera rarò paroxyſmum inhibere. Vomitus autem, purgatio, & venæſectio, niſi ab initio ſtatim celebrantur, parum opis præſtant, imò ſæpius obeſſe ſolent: dum enim ſanguis ſpiritu vitali pollet, ejus mala diatheſis facili negotio corrigi aut emendari poteſt: quare ſi bilis circa initia copioſè emulgetur, aut cruor eventilatur, ad craſin naturalem reducitur: poſtea tamen in morbi hujus progreſſu (ſpiritu jam plurimum exhauſto, atque ſale & ſulphure nimium exaltatis) ſi hujuſmodi evacuationes adhibentur, ſanguinis craſin plus debilitant: ideoque obſervatione conſtat, ab his remediis ſerò admotis febrem tertianam rarò aut vix omnino curari, & ſæpe in quotidianam tranſire. Novi egomet verno tempore quoſdam ſatis integra valetudine fretos, ab emetico fortiori præcautionis gratia ſumpto & evacuationem violentam ciente, è veſtigio in febrem tertianam incidiſſe; atque alios à febre hac aliquandiu curatos, cum purgationem pro exterminandis materiæ febrilis reliquiis fortiorem inirent, illico recidivam paſſos. In promptu erit dicere, mineram morbi priùs ſopitam, hoc modo à pharmaco exſuſcitari, & in actum deduci: attamen ſi rectè hanc rem conſideres, potiùs dicendum videtur, quod à pharmacia fortiori ſanguinis craſis plurimum lædatur; cumque prius fuerit in dyſcraſiam biliosam pronus, ut ſuccum alibilem ægrè aſſimilet, à cauſa hac evidenti illico magis degeneret, ut protinus nutrimentum in materiam fermentativam perverterit, adeoque diatheſin febrilem ſuſceperit. Vulgò increbuit opinio, febrem tertianam ſine vomitorio vix ſanari poſſe; quare ſolent nonnulli medicaſtri, ſub neceſſitatis prætextu, quibuſcunque hoc morbo laborantibus (languidis & infirmis licet) non ſine magno vitæ periculo pharmacum emeticum propinare: & quos tali remedio omnino impares cenſent, tanquam non facilè curabiles naturæ relinquunt. Verum (uti mihi ſæpius contrarium experto ſatis conſtat) hujuſmodi praxis perperam inſtituitur: quin potius exiſtimo pro curatione febris tertianæ, niſi in corpore robuſto & ad vomitum facilè proclivi, & cum contigerit ventriculum materia excrementitia aggravari, rarò aut nunquam vomitoria requiri, ſed vice hujus lenem purgationem, qua humorum ſaburra blande ſubducatur, rectius ex uſu fore: quippe purgatio in hoc caſu idem præſtat quod vomitorium; nimirum vaſa choledocha evacuat, ut bile è ſanguine uberius exhauſtâ, dyſcraſia febrilis emendetur. Cum autem humor felleus in ventriculum exantlatus ſurſum educitur, gravis inde noxa ſtomacho infertur, ac inſignis perturbatio in toto corpore excitatur: ſin vero à leni cathartico humor iſte deorſum proritetur, ſine quavis moleſtia foras excernitur. Dein, ſi blandæ purgationi ſemel aut bis iteratæ victus admodum tenuis & carnium expers accedat, indicationi præſervatoriæ non rarò ſatisfiet, ut pro cauſa morbi tollenda non aliis remediis opus fuerit; quin his ritè præmiſſis in uſum adhibeantur quæ aut intus ſumpta, aut exterius applicata acceſſionem febrilem ſiſtant. Hujuſmodi plano & facili medicinæ inſtituto, ſcilicet purgatione ex infuſo ſennæ & rhabarbari, victu tenui, & topico febrifugio pectori aut carpis adpoſito, ſine pharmaci cujuſvis alterius deleterii uſu febres tertianas brevi tempore ſæpiſſimè curatas novi: quinimò gravidas, ſenes, item valde imbecilles, quorum vires purgationi non ſufficerent, ſolum tenuis diæta cum periaptis tempeſtivè adhibitis perquam feliciter ſanavi. Iſtius methodi optatum ſucceſſum ita crebrò expertus ſum, ut minimè dubitem, febrem tertianam, ſi ab initio hoc modo tractetur, ſcilicet priuſquam malâ victus ratione, aut pharmaciâ perperam adhibitâ ſanguinis temperies plus lædatur, æque facilè ac alium quemvis morbum perſanatum iri. In hujus verò rei fidem liceat ſequentem hiſtoriam proponere.

Juvenis quidam nobilis, bilioſo temperamento præditus, febre tertiana intermittente corripiebatur; ingruente paroxyſmo plurimum bilis flavæ & virideſcentis evomebat, dein cum inſigni cardialgia, calore & ſiti intenſiſſimis, per plures horas graviter moleſtabatur. Huic, intermiſſionis die, quo fortè aderam, ex præſcripto meo ſanguis ad uncias octo fuit miſſus, & poſt meridiem clyſter emolliens injectus; etiam victu tenuiſſimo (ſcilicet tantum ex hordeatis) utebatur: cepit qualibet nocte hora ſomni hanc opiatam, ſcilicet Conſerv. roſarum vitriolat. ſem. drac. diaſcordii 1. ſcrup. etiam quolibet mane ſalis abſinthii 1. ſcrup. è cochleari ſucci aurantii: ſed cum hæc non ſuccederent (redibat enim paroxyſmus nonnihil remiſſior, ſeu cum vomitu atroci ut prius) inſuper cum vomitorium hic æger valde perhorreſcebat (quoniam antehac non ita pridem ab emetico admodum leni ferè trigeſies evomuerat, uſquedum ſpaſmo & convulſionibus affectus in magnam virium proſtrationem cum vitæ periculo adduceretur) idcircò die prædictum paroxyſmum ſequenti potionem ex infuſ. Sennæ, Rhabarb. & Santal. Citrin. cum ſale abſinthii in aq. fontan. exhibui, à qua decies purgabatur cum levamine: mane proximo 3. horis antequam paroxyſmum expectaret, epithemata febrifuga carpis admovi, & ſanguinem denuo miſi ad 6. unc. ex quo acceſſione febrili caruit, & dein iterum eodem modo purgatus integrè convaluit.

Quod ſi febris tertiana ob malam ægrotantis conſtitutionem, vel propter errata in victu, aut pharmaciâ commiſſa, altiùs radices egerit, ut poſt diuturnam affectionem paroxyſmi uſque ingraveſcant & cum viribus dejectis, ſiti, & æſtu fere continuis, inappetentia, vigiliis, pulſu debili, urina rubicunda, & contentis valde ſaturata, laborantes ſummè oblangueſcant; me-

thodus therapeutica paulo aliter institui debet: in hoc casu primò enitendum erit, ut sanguinis dyscrasia tollatur; quare alimentis solum tenuibus, uti sunt juscula hordeacea, aut avenacea cum radicibus aperitivis incoctis (jure carnium omnino posthabito) ægri vescantur: enematum emollientium usu (si opus fuerit) alvus soluta servetur; insuper (catharticis omissis) medicamentis solummodo digestivis, quæ sanguinem fundant, & serosas impuritates blande per urinas educant, necnon remediis confortativis, quæ viscera corroborent, & spiritus refocillent, præcipuè insistendum esse videtur. In hunc finem apozemata ex herbis & radicibus leniter diureticis concinne parata, item opiatæ ex conservis temperatis, cum sale nitri, aut herbarum fixo, cumque pulveribus testaceis, & spiritu Vitrioli admixtis, apprimè conducunt. Quando sanguinis crasis nonnihil emendatur, ut urina sit clarior & minus colorata, etiam somnus quietior, cum sitis & æstus remissione succedat; tunc remedia paroxysmum febrilem inhibentia utiliter adhiberi poterunt: quare Epithemata febrifuga carpis, aut plantis pedum applicentur, etiam pulvis è Cortice Peruviano aut ex succedaneo ejus; aut etiam è corticibus fraxini, Tamarisci, vel gentianæ, cum salibus admixtis è vino albo propinetur: postquam accessiones tolluntur, & ægroti viribus constare, ac alimenta appetere, & aliquo modo concoquere incipiunt, purgantia lenitiva ex usu erunt; usque tamen à victu lautiori aut carnium participi ægroti abstineant: atque non dubitandum erit, quin absque catharsi violentiori, aut phlebotomia, ægrotantes integram valetudinem propediem sint recuperaturi.

Febri tertianæ, propter affinitatem & paroxysmi similitudinem, proximè succedit quotidiana, scilicet cujus accessio quolibet die redire solet. Quorundam opinio est, hujusmodi febrem esse solummodo tertianam duplicem; & à materia dispersa, & duplicem focum nacta oriri; cui tamen non assentior, ejusque exortum peculiari sanguinis dyscrasiæ attribuendum duco. In hac frigoris & caloris symptomata sunt remissiora; verum accessio diutiùs protrahitur, & sæpè horas 18. aut 20. solet durare: hæc febris, utplurimum, tertianæ succedit; cum enim spiritus vitalis à crebra sanguinis deflagratione plurimum avolarit, atque (diathesi febrili adhuc manente) cruor debilior factus sit, succum nutritium minus coquit, aut maturat, & totum fere in materiam fermentativam pervertit; quare citius ad incrementum pervenit, & sub duplo istius temporis, quo prius, ad turgescentiæ plenitudinem congeritur. Quoniam vero materia congesta cruditatis æquè ac adustionis particeps est, ideo effervescentiæ calor est remissior & inæqualior, atque (instar ligni viridis foco superstrati) lentius deflagrat; quare paroxysmus est durationis longioris.

Quandoque accidit febrem quotidianam sine prævia tertiana primò oriri, scilicet cum in corpus cacochymicum, & pravis succis refertum diathesis febrilis incidit; tunc enim sanguis spirituum inops, succum nutritium in majori copia pervertit, & breviori tempore ad turgescentiæ plenitudinem congerit: quæ autem quotidiana incipit, non rarò typum commutat, & tertiana evadit; non secus ac tertiana sæpe in quotidianam migrat, siquidem inter has febres, earumque causas magna est vicinitas; & constitutio sanguinis parum immutata, alterius in alteram μετάβασιν facit. Febris intermittens quotidiana non ita facile uti tertiana curatur; sive enim illa simplex primò advenit, sive alteri intermittentium succedit, utcumque à causa fortiori excitatur, & majorem arguit sanguinis dyscrasiam, quæ remediis haud statim cedit. Quin etiam hæc febris si diuturnior fuerit, aut morbo alii chronico supervenerit, præter sanguinis labem sæpissimè adjunctas habet viscerum infirmitates: nimirum sanguis labefactus impuritates suas sensim congestas visceribus, dum eorum anfractus pertransit, facilè affigit; (hinc cum febre quotidiana ventriculi aggravatio, hypochondriorum tensio, modo hepatis, modo lienis, aut mesenterii obstructiones, aut tumores conjunguntur) sunt autem hujusmodi affectus non causa febris (uti vulgò creditum) sed tantum ejus producta. Quare in hac febre præter simplicem curationis methodum, quæ in tertiana indicatur, quamplures aliæ intentiones, sine coindicantia, in considerationem veniunt: nimirum ut ventriculus humorum saburra expurgetur, viscerum infractiones liberentur, infirmitates corroborentur, atque unà cum his dyscrasia sanguinis emendari queat, & accessiones febriles inhiberi possint, omni ope niti decet; unde propter varias hujusmodi intentiones longiori via ad curationem proceditur; in hoc casu vomitoria (si vires ferant) erant præ cæteris ex usu: etiam purgantia, quibus assiduus materiæ excrementitiæ proventus eliminetur, sæpius iteranda: præter hæc, remedia digestiva, deobstruentia, quæ fermenta viscerum, & sanguinis restituunt, & dyscrasias corrigunt, erunt crebrò adhibenda. Quamobrem sales herbarum fixi, eorundem extracta, Spiritus mineralium acidi, ac interdum chalybis præparata apprimè conducunt: circa hæc media difficile incumbit pensum, cum ob multiplex malum simul plura sint agenda, attamen ob paroxysmi febrilis assiduitatem paucioribus solum uti ægro vacat. In affectibus ita complicatis, licet methodi ratio postulet impedimenta primò amovere, & dein morbum sanare; tamen hujusmodi febrem in corpore cacochymico cum plerisque aliis affectibus stipatam sæpe ἀμεθόδως & Empirico modo curatam novi; scilicet, post levem totius provisionem remedia febrifuga exterius applicata accessionem febrilem primò sublevarunt, ut dein reliquis affectibus curandis tempus, & medendi occasiones felicius concederentur. Nuper invisi fœminam illustrem, quæ cachectico corporis habitu diu prædita, post mensem à puerperio languida, & imbecillis, febre intermittente quotidiana corripiebatur; à cujus sex, aut septem accessionibus vires in tantùm erant prostratæ, ut lecto exsurgere, aut in eodem suscitari vix potuerit: alimenti, licet tenuissimi, ne tantillum capessere, quin maximæ inde molestiæ stomacho cierentur; insuper regio ventriculi, & hypochondrii sinistri erat tumore duro, renitente, & immaniter dolente, per totam obsita, propter vires summe

me prostratas præter enematum usum nullus hic evacuationi fuit locus; etiam alia quæque remedia, nisi pergrata, & in exigua tantum quantitate, stomachus valde imbecillis aversabatur. In difficili hoc casu, atque intra angustos medendi limites circumscripto pauca hæc consului, nimirum ut bis in die sumeret hanc mixturam, scilicet Aq. Magistralis lumbricorum; unc. 2. Elixir proprietatis g. ll. vi. insuper fotum ventriculo adhibendum institui, ex foliis absinthii Pontici, Centaurii, Abrotani, cum radicibus Gentianæ, vino albo in vase cooperto incoctis: etiam ut post fotum placenta ex pane tosto, & eidem liquori intincta, supra ventriculi regionem gestaretur; præterea Epithemata febrifuga carpis alliganda curavi; atque his solummodo remediis die tertio paroxysmo febrili caruit, & ab eodem postea immunis perstitit: dein remediorum chalybeatorum usu intra breve tempus integre convaluit.

In febre quartana, quàm in cæteris, periodus est longior, quæ nimirum inclusivè in diem quartum extenditur. Etiam mora esse solet diuturnior, & curatio difficilior: quippe hic morbus ad plures menses, sæpe etiam annos protrahitur; & rarò, aut vix omnino medicamentis cedit.

Paroxysmus ut plurimum à frigore, & rigore incipit, quibus calor succedit satis molestus, sed remissior quàm in tertiana: sudor plerumque accessionem concludit. Quando morbus recens invadit, paroxysmi sunt graviores, & admodum infesti, ægrosque lecto affigunt, necnon de robore, & vigore corporis decidere faciunt: postea verò leviori absolvuntur plaga, ut accessiones extra lectum quandoque in itinere, aut aliud quicquam agentes ferant. Longius si hæreat, affectionem scorbuticam, aut hypochondriacam inducit, hominesque statu invaletudinario implicat.

Causæ, quæ ad hunc morbum disponunt, sunt primò soli, & cœli constitutio; quippe tempus autumnale huic affectui ferè proprium est, ut rarò observes febrem quartanam, nisi circa autumnum oriri: etiam in quibusdam locis, præcipuè juxta oram maritimam, hic affectus solet esse Endemius, quosvis illic degentes, aut aliorsum advenas confestim occupare. Huc etiam faciunt ætas declinans, quæ in παρακμῇ constituitur; etiam melancholica temperies, & quæ ob malam victûs rationem affectioni hypochondriacæ obnoxia est; insuper febres alius generis diuturnæ, & morbi chronici non rarò in febrem quartanam transeunt.

His juxta positis, & ritè pensitatis, dicendum videtur, quod febris quartana, æquè ac cæteræ intermittentes, à vitiosa sanguinis diathesi dependeat; quia nimirum succus nutritius sensim in vasa delatus, in materiam fermentativam pervertitur; atque hujus usque ad turgescentiæ plenitudinem congestæ effervescentia febris quartanæ paroxysmum constituit. Cum verò in hac febre nonnulla sint à cæteris peculiaria, inquirendum erit, qualis sit in hoc morbo sanguinis dyscrasia à reliquis distincta, & quo pacto symptomata præcipuè notabilia excitet.

Super hac re quæ vulgo perhibetur opinio à veritate multum recedit. Fere omnium consensu febris quartanæ essentia, & origo humori melancholico alicubi in primis viis coacervato, & periodice illic putrescenti ascribitur. Vice hujus, asserimus nos, quod in hoc morbo sanguinis liquor a natura dulci, spirituosa, & balsamica in acidam, & nonnihil austeram, instar vini acescentis transierit: nimirum adest spirituum penuria, atque sanhuinis pars Terrestris, seu Tartarea (quæ constat inprimis Sale, & Terra) nimis exaltatur, & in fluorem evecta acorem cruoris massæ inducit: non secus ac cum cervisia à tonitru commota, & fæce turbida infecta acescit. Sanguis hoc modo ab indole nativa degener succum alibilem non rite coquit, & sibi assimilat, sed in materiam extraneam pervertit; quâ cum ad plenitudinem in vasis saturatur, partesque nervosæ à succo illinc oriundo irrigantur, sequitur hujus materiæ fluor, & velut spontanea effervescentia, quâ nimirum accessio febrilis cum rigore, & calore, non secus, ac in tertiana, solet induci.

In febre quartana periodi longiora habent intervalla, quia cùm sanguinis dyscrasia sit versus acidum, ideoque minus acris & calida, succum alibilem sine lucta & tumultu pervertit; quare ejus nonnihil assimilatur, & reliqui depravatio non ita longè, ut in tertiana, à statu naturali recedit: atque hinc ejus congestio ad plenitudinem fit tardior, & fere sesqui-altero istius temporis quo in tertiana ad turgescentiam assurgit: ideoque hac febre correpti mediocriter valent, & robusti sunt, quod indicium est succi nutritii minus depravati; etiam paroxysmi sine immani incalescentia fiunt, quia sine magna adustione humor nutritius in materiam fermentativam pervertitur.

Cur autem hic morbus tam difficilis sit curationis, adeoque pertinaciter ægros infestet, in causa est atrabiliaria sanguinis constitutio, quæ non facile amovetur, & ferè nullis cedit remediis. Diathesis biliosa crebra sanguinis deflagratione emendatur, & sæpe sponte cessat; non secus ac vina nimis opulenta propria effervescentiâ deprimuntur, & in debitum statum reduci solent. Verum melancholica hæc sanguinis dyscrasia, in qua cum spirituum inopia & defectu, Sal & Terra nimis exaltantur (veluti cùm vina acescunt) difficillimè restituitur, & pene ejusdem laboris, & difficultatis est, ac in aceto vigorem, & spirituum vinosum redintegrare: etenim ut sanguis isto modo depravatus reducatur; opus erit, ut tota ejus massa volatilisetur, ac velut de novo spiritualescat. Quare in hoc casu evacuantia ne hilum prosunt, imò sanguinem magis depauperando, sine medela sæpe vires atterunt: quin opus est iis quæ quod fixum est exaltent, & volatilisent, & in tota cruoris massa πνευμάτωσιν promoveant. Inde est quod in hoc morbo cœli solique mutatio præ cæteris quibuscunque remediis sæpissimè juvamen præstat: etenim febres quartanas circa autumnum oriundas, ver sequens non rarò tollit. Quod proculdubio contingit, quoniam immutata aëris conditio malam sanguinis diathesin in melius alterare solet: ob eandem rationem etiam & loci mutatio hunc affectum pharmaco cuivis inexpugnabilem sæpissime curat.

Si adhuc inquiratur, quare hic morbus in Autumno potissimum oriatur, raró autem Vere, aut Æstate, dico, tempus autumnale hujusmodi febrilem sanguinis diathesin aptissimè producere: cum enim ab æstivo calore plurimum Spiritus, & sulphuris avolarit, & quod reliquum est, à frigore constipari incœperit; sanguinis liquor (veluti vinum à nimia effervescentia acescens) in naturam ponticam, & acidiusculam facile degenerat. Hoc etiam aura maritima halitibus Salinis, & Spiritus figentibus inficiendo sanguinem, facile procurat. Quin etiam affinitas hujus morbi cum scorbuto, & affectione hypochondriaca planè indicat, in vitio esse malam sanguinis diathesin, qua nimirum salsus, & terrestris, cum πνύματώσεως defectu evaserit.

Circa febres quartanas fuit novissimus annus observationum adeò abundè ferax, ut nulli non liceret quæcunque ad hunc morbum spectant, αὐτοψία colligere; cum enim æstas calidissima præcesserat, circa finem ejus febris epidemica (cujus alibi habetur descriptio) insequuta est: dein vergente Autumno, cum morbus iste cessaret, febris quartana plurimùm increbrescere cœpit, ut pluribus in locis ferè quarta pars mortalium eadem corriperetur: nec tantum senes, melancholicos, lienosos, sed cujusvis ætatis, aut temperamenti homines, etiam infantes, pueros, juvenesque hic morbus passim infestavit: quod planè indicio erat, hunc affectum non ab humore atrabiliario ob lienis vitium congesto, verum à sanguinis dyscrasia propter anni intemperiem inducta, ortum traxisse: etenim sanguinis massa post nimios fervores non secus ac vina post immodicas effervescentias, nonnihil acescere, aut diathesin austeram nancisci habilis est: adeoque in hujusmodi febrem etiam proclivis, uti superius innuitur.

Quæ propter hujus curationem, tum à Medicis, tum Empiricis tentabantur remedia, si unà colligerentur, eorum descriptio in magnum volumen excresceret; verum multiplex licet medicinæ apparatus contra hoc malum institueretur, tamen pauci admodum intra Autumni terminum curati sunt. In nonnullis circa prima ægrotationis initia, priusquam morbus radices egerat, vomitoria opem contulere, in plerisque autem pharmaca quovis modo cathartica, centies licet repetita, ne hilum profecerunt: quibus altiùs insederat labes, à remediis excogitatissimis per totum Autumnum usurpatis ægroti nequicquam levaminis recepere. Cum verò hoc tempore vulgares medicinæ methodos incassum adhiberi cernerem, virgini cuidam perillustri curationem subitam quovis licet modo perficiendam exigenti, proposui ut si à pharmaco minerali per aliquot dies oris fluorem pateretur, inde morbum brevi profligatum iri speraret. Cum huic facilè assensit, pharmacum ei mitius, & omnino tutum exhibui; à quo sputatio tantum levior, eademque inter duodecim dies finita, ciebatur. A quo salivatio incepit, paroxysmis statim caruit; quibus verò temporibus accedere solebant, perturbationem in toto corpore cum cordis oppressione, & lipothymiæ metu persensit; postea tamen sputatione finita, planè convaluisse videbatur; cumque iterum post bimestre spatium hujus morbi leviores quasdam accessiones pateretur, à pulvere emetico bis, aut ter exhibito, sine recidiva integrè curabatur.

Post solstitium hyemale hic morbus non ita grassari, verum in nonnullis sponte sedari, in plerisque aliis pharmacorum usu faciliùs expugnari cœpit: quippe hoc tempore dyscrasia sanguinis ab æstivo fervore contracta, propter brumæ frigus sensim deleri, & cruoris massa inveterascens, velut exuvias suas deponere, & versus statum naturalem reduci solet. Qui vero temperamenti erant melancholici, aut viscera, & imprimis lienem, malè affecta habebant, aut qui malâ victûs ratione utebantur, nullam ab hoc Tropico mutationem receperunt, quin ad proximam anni periodum, scilicet ad æquinoxium vernale morbum tulerunt; & tunc in quamplurimis sanguine aut ex se redintegrato, aut intemperie ejus remediorum usu facilius emendata, hic affectus debellari visus est: interea tamen multi senes, cacochymici, & aliàs invaletudinarii, toto hoc temporis tractu ab hoc morbo passim interibant: etiam nonnulli supersunt, qui solstitio æstivo licet præterito, ejus jugum nondum excusserunt. Quanquam vero per totum ferè annum hac febre velut epidemia plures laboraverint, tamen nullus (quod scio) ipsam in vere primò contraxit, & pauci admodum durante Autumno ab eadem convalescebant, ut revera sanguinis dyscrasiam hujus causam esse, & in mutatione ejus curam consistere minimè dubitem.

Remedia, quæ sæpissimè opem contulerunt (uti nostræ saltem observationi constitit) fuerunt ejusmodi, quæ paroxysmum febrilem inhibent: etenim mala sanguinis diathesi à mutata tempestate nonnihil emendata, si modò habitualis paroxysmorum consuetudo abrumpatur, natura se recolligit, & pristinum valetudinis statum proprio nisu facilè recuperat. Atque hujusmodi intentio (scilicet paroxysmorum inhibitio) licet à vomitoriis paulò ante accessionem exhibitis interdum perficiatur (hæc enim motum sanguinis febrilem, motum alium huic contrarium ciendo, non raró sistunt) tamen hæc indicatio longè certius, & quidem felicius peragitur ejusmodi pharmacorum usu, quæ non omnino è visceribus evacuant, verum sanguini aut fixationem quandam, aut materiæ febrilis præcipitationem pro tempore inducunt. Quare quos instante vere, & deinceps curandos suscepi, hac methodo (& in plerisque bono cum successu) tractavi: facta totius provisione cum pharmaco interdum emetico, interdum solutivo tribus horis ante paroxysmum, epithemata carpis admoveri, simulque pulverem febrifugum in vino generoso propinari, ac ægros intra lectum in levi diaphoresi detineri præcipere solebam: raró evenit, quin prima, aut secunda vice hoc modo accessio febrilis inhiberetur, & dein eodem remedio aliquoties iterato, tandem morbus integrè cessaret. Hujusmodi praxi (præter experientiam nostram) fidem, & probationem nonnullam adstruere videtur usus pulveris è cortice quadam nuper ab Indiis petita, quæ hunc morbum certissimè curare perhibetur; hujus tamen virtus, seu operatio sine quavis evacuatione solummodo in hoc consistit, quod paroxysmos febriles ingruentes inhibeat.

De

De Cortice isto Peruviano, quia nuper quotidiani usus esse cœpit, erunt hæc nonnulla quæ observationi communi prostant dicenda. Vulgaris exhibendi modus est ut hujus in pulverem triti drachm. 2. vino aut tenui, aut generoso in vase cooperto per duas horas infundantur; at dein, ingruente paroxysmo, ægroto intra lectum composito liquor cum pulvere propinetur. Hæc potio non rarò accessionem imminentem tollit, sæpe tamen isthac solito more habita, proximè succedentem præcavet: utcumque, sive prima, sive secunda, aut tertia periodo paroxysmus inhibeatur, atque morbus curari visus sit, intra viginti, aut triginta dies sæpissimè redire solet; dein pulvere hoc rursus exhibito, pro temporis circiter ejusdem spatio, morbi insultus denuo protelatur, atque hoc ritu novi plures quartana laborantes, toto autumno, & hyeme accessiones febriles tantum rariores pertulisse, hostemque ita in procinctu detinuisse, donec verè ineunte, tempestatis anni, & aliis pharmaciæ ope sanguinis diathesis in melius alteretur, adeoque affectus iste sensim evanesceret: qui hac ratione crebras inducias quartanæ procurabant, alacres & vividi & ad negotia quævis expediti degebant, cum secus enerves, & pallidi in languorem, & vitiosum corporis habitum redigerentur. Vix unus è centum hoc remedium incassum tentavit, imò si in dimidia, aut minori quantitate, scilicet ad drachm. j. aut sem. pondus sumatur, accessiones sæpissimè tollit, ac breviori tantum spatio easdem suspendit: nec interest utrum in vino tenui, aut generoso propinetur, nisi cum respectu ad crases ægrotantium: quippe in temperie calidiori poterit in aqua destillata, aut sero lactis utiliter sumi. Etiam infusio ejus clara, substantiâ crassiori rejectâ, similem effectum, sed breviùs duraturum producit: quibusdam hunc pulverem cum mucilagine tragacanthi in pilulas redactum, cum pari laborantium emolumento exhibendum curavi; quocumque modo sumatur, nisi nauseabundis, & quamvis pharmaciam horrescentibus nullam evacuationem manifestam infert, & ferè in omnibus paroxysmos tollit; nec tantum in febre quartana, verum in aliis intermittentium speciebus, quibuscumque nimirum ἀπυρεξία quædam intercedit, cum fructu adhibetur: vulgò præcipitur ut hujus usui purgatio lenis præmittatur: at in quibusdam valde imbecillis, & lecto affixis, sine prævia pharmacia hic pulvis solitariè sumptus effectus laudabiles procuravit: interim ingenuè fatebor me nondum vidisse febrem intermittentem hac cortice semel exhibita penitus curatam: quinimò non tantum quartanæ, verum tertianæ, & quotidianæ febris paroxysmi aliis remediis facile in totum superabiles, hoc pulvere profligari visi, post breve tempus constanter redibant. Ob hanc rationem qui febres intermittentes aliàs facilè curabiles, non urgente necessitate, hoc pharmaco tantum brevi supprimunt, medicinam dolosam instituere videntur, nec in rem suam magis, quàm qui ulceri cavo, & mox denuo erupturo cicatricem inducunt. In quibusdam revera casibus hujus usus sat erit opportunus, scilicet cum paroxysmorum assiduitate nimia, ægrotantium vires plurimum atteruntur, induciæ hoc ritu procurentur, quo natura se recolligat, & deinceps hosti potentius adversetur: etiam ut febris quartana, durante Autumno, & Hyeme, cum minori molestia transigatur, hic cortex commodè adhibetur: qui autem à febris istius incursibus longiorem feriationem expetunt, pulverem hunc in majori quantitate, & crebriori vice assumere jubentur, scilicet drachmas duas per tres continuò periodos capiunt, sive accessiones redeunt, necne; hac ratione diutius immunes perstant, usque tamen hostem licet sopitum intus latentem retinent.

Si de natura hujus corticis, ejusque in supprimendis febrium intermittentium paroxysmis virtute inquiratur, non dissimulandum videtur, difficile esse hujusmodi effectuum causas, & operandi modos explicare; quoniam in nullo præterea subjecto similem efficaciam adhuc reperire datum est; singulari autem experimento ratio generalis non ritè adaptatur: utcumque è phænomenis diligenter collatis Theses quasdam ordine deducemus, quæ hujus rei veritatem si non assequantur, ad illam saltem gradum aliquem faciant.

Notetur igitur primò, quod hoc pharmacum intus sumptum in sanguinis massam vim suam, & energiam præcipuè exercet: quippe viscera non omnino irritat, neque excretionem quamvis, aut molestiam iis infert: insuper, dummodo sanguini virtus ejus communicetur, δύναμις ἀντιπυρηκτικὴ non omnino exeritur: quare non semper paroxysmus proximè sequuturus, aut secundus, aut tertius, deinceps ab eodem assumpto præcavetur: atque ob hanc rationem, quo citius cruorem afficiat, usitatum est, ut una cum pulvere liquor eodem valde imprægnatus propinetur, sic enim in sanguinis massam ejus particulæ faciliùs convehuntur. Secundò, Corticis istius virtus sanguini impressa aliquandiu in eodem manet, idque brevius, aut diutius, juxta quod major, aut minor medicamenti portio intus sumitur: etenim particulæ hujus cruore confusæ, cum ipso circulantur, & quo plures adsunt, eo magis massam ejus afficiunt, & affectum diuturniorem producunt. Nam licet alimenta, & alia quædam ingesta, in quantum à calore nativo statim subiguntur, quicquid habent virium intra paucas horas exerunt: hac dein assimilata, aut foras excreta operari cessant: tamen pharmaca nonnulla intus admissa, quia nec facilè perdomantur, nec irritatione citata illico foras eliminantur, per plures dies valde activa perstant, atque sanguinem, & succos in hoc, aut illo fermentationis ritu dudum retinent: hoc observare licet de medicamentis quibusdam, item de venenis, & plerisque alexiteriis, quorum unica exhibitio per plures dies, eademque iterata, longiori tempore solet corpora nostra afficere: miratum enim est, à medicamentis catharticis, si quando per vomitum, aut sedem minus operantur, post plures hebdomadas pustulas, & exanthemata exteriùs erumpere; quinetiam si à toxico epoto mors evitetur, diu admodùm in sanguine, & succis virulentiam delitescere, nemo est qui nesciat. Pariter etiam hic pulvis, & fortassis alia quamplurima intus sumpta, in spiritus, & humores, quantumvis sopita videantur, etiamnum agere perseverant.

Tertiò, licet medicamentum istud immediatè in sanguinem, & humores agat, tamen dyscrasiam febrilem in iis sitam haud radicitus tollit: quam cito enim vis ejus absumitur, & particulæ omnes à mixtione sanguinis avolarunt, affectus pro tempore solùm suppressus, denuo emergit, & solito more accessiones repetit: quatenus verò natura hoc cessationis spatio fortior evaserit, ideo post recidivam paroxysmi (non uti prius) sed die tertio aut quarto, juxta primum morbi typum, redire solent.

Quartò annotetur, quod hoc remedium non quemadmodum vulgaria febrifuga sanguinem figendo, aut etiam fundendo, accessiones febriles sistit; tunc enim paroxysmus semper ingruens, & non secundus, aut tertius postea sequuturus caveretur.

Quibus juxta positis, ut corollarii vicè de ipso operandi modo, quo hoc pharmacum agere videatur, quædam subnectamus; dicimus verisimile esse, quod cum particulæ ab eodem ingesto procedentes sanguini permiscentur, ipsum in novam quandam fermentationem compellent, qua dum cruoris particulæ continuò agitantur, ne materiam excrementitiam congerant, aut turgescentias febriles ineant, omnino inhibentur: quemadmodum enim post morsum canis rabidi, aut ictus venenatorum animalium, ipse sanguis, & succus nervosus diu venenantur; ne tamen magnas anomalias statim concipiant, alexiteria propinata eorum liquores in alia fermentatione detinendo prohibent; quorum usus si tamdiu continuetur donec corpuscula virulenta penitus avolârunt, à labe isthac contracta nullum horrendum symptoma timetur; sin prius absumantur remedii nimis parcè exhibiti vires, illico venenum repullulat, & virus pristinum explodi visum, denuo in actum deducitur: non absimili ritu, quando sanguis diathesin vitiosam nactus, succum alibilem pervertit, eumque ad plenitudinem congestum, quo rectius expellat, turgescentias febriles concipit; Cortex iste Peruvianus tritus, & exhibitus, particularum commercio sanguinem licet dyscrasia affectum, fermentatione nova concitata, adeo exagitat, alteratque ut succum alibilem aliquatenus coquat, ejusque recrementa continuo evaporet, ut in paroxysmi materiem non uti priùs congerantur. Cum vero è sanguinis consortio hujus remedii particulæ penitus exhalarunt, totaque virtus absumpta fuerit, mala sanguinis diathesis prius contracta denuo emergit, ideoque paroxysmi febriles solito more redeunt: forsan aliquando accidit, ut dum usu istius pulveris accessiones supprimuntur, propter mutatam anni tempestatem, aut alios remedii ope, aut naturæ ipsius nisu ista dyscrasia sanguinis sensim emendetur, adeoque febris demum sponte dispareat; hoc tamen nonnisi rarò contigisse novi, quoniam æquali ferè certitudine, qua ab isto pulvere paroxysmos febriles supprimi, eosdem postea redire expectes.

Quod attinet ad qualitates sensibiles quibus hic cortex insignitur, constat ipsum amaritudine cum stipticitate quadam pollere, ut gustu indice similem ferè saporem referat, qualis in plerisque alexipharmacis, uti sunt radix gentianæ, serpentariæ, contrayervæ, &c. reperiri solet: quæ enim sunt actu amara, in supprimendis fermentorum præternaturalium viribus maxima virtute pollent; quinimò radix gentianæ, quæ optimè hanc corticem similat, olim pro curatione febrium quartanarum celeberrimi erat usus. Nunc autem licèt hic pulvis Peruvianus sit unicum adhuc repertum febris quartanæ alexiterion, quod nimirum ipsius aliarumque intermittentium paroxysmos (licèt solum pro tempore) inhibet: attamen dubitandum non est, quin alia in rerum natura extent medicamina, quæ sunt æquè febrifuga; atque sperandum erit, ut novi hujus inventi exemplo ducti ad explorandas herbarum virtutes adhuc ferè ignotas excitemur: ita cum singularium tentamini insistimus, & Medicinæ rationali Empirica adjungitur, proculdubio quartanæ aliorumque Herculeorum morborum curationes feliciùs procedent: quod eo libentius seculo huic, aut saltem posteris spondeo, cum manu ducente Corticis istius analogiâ, medicamentum ad profligandas febres non contemnendi usus ipse non ita pridem varia percurrens adinvenerim; quod etiam pauperioribus quibusque succedanei vice bono cum successu propinare soleo.

Circa febris Ephemeræ, & synochi non putridæ solutionem, sive crisin, tria sunt præcipuè requisita: scilicet causæ evidentis remotio: secundò, materiæ depravatæ, sive excrementitiæ à sanguinis massa secretio, & difflatio: tertiò, partium sanguinis sedatio, earumque ad motum, & situm naturalem ac æquabilem restitutio. Juxta quod hæc modo citius, modo tardius & magis difficulter succedunt, hic morbus brevi, aut longiori tempore finitur.

I. Causa evidens, quæ plerumque extrinseca est, facile amovetur, solentque ægri statim atque noxæ à re qualibet sensum percipiunt, istius rei præsentiam, seu assiduitatem vitare: nullus à vino febricitans, ejus potui adhuc indulget: quamprimum à balnei, aut solis æstu quispiam plus solito incalescit, iis diutiùs immorari tædet.

II. Quoad materiam excrementitiam, quæ à sanguine secerni, & difflari debet, hæc vel ab extra confertur, ut cùm à crapula, vini potu, insolatione, aut balneo calidiore, effluviis, seu corpusculis calidis & fermentativis cruor inficitur; vel isthæc materies intus progignitur, ut cùm à sanguinis deflagratione ejus liquor recrementis seu particulis adustis refercitur. Utraque hæc materies à sanguine discerni, difflari, & vel sudore, vel insensibili διαπνοῇ debet foras protrudi, priusquam febris sedetur: quare cum pori sunt constricti, & transpiratio impeditur, febris Ephemera diutius prorogatur, & nonnunquam à synocho simplici in putridam transit.

III. Causa evidenti remota, ac materia hac degeneri difflata, ad ἀπυρεξίαν requiritur partium sanguinis sedatio, & in ordinem reductio; etenim motus rapidior, & inordinatus in sanguine incœptus non statim sistitur, sed paulatim compesci debet; etiam diversæ sanguinis particulæ hoc modo confusæ, & propter effervescentiam febrilem sursum deorsumque actæ, non statim repetunt priorem sitûs & positionis ordinem: quin eas sensim extricari, & æquabili mistioni paulatim restitui opus est.

Licet hic morbus post amotionem causæ evidentis postea sponte naturæ utplurimum cessat, tamen remedia quædam medica bono cum fructu

ctu in usum adhibentur; præsertim cum periculum est, ne febris Ephemera in putridam transeat. Præcipuæ intentiones erunt, sanguinis fervorem compescere, & transpirationem liberam procurare; quibus conducunt imprimis venæsectio, victus tenuissimus, seu potius abstinentia, potus refrigerantes, fæcum alvi per enemata subductio: præ cæteris maximè juvant somnus & quies, quæ si deerint, opiatis & anodynis tempestivè procurentur.

Quinimò licet historiæ & observationes febre Ephemera affectorum nihil oppidò rarum in se contineant: libet tamen hic exemplum unum aut alterum, quo hujus morbi hypotypolis aliquantum illustretur, subjungere.

Juvenis quidam illustris, viginti circiter annos natus, habitu corporis athletico præditus, ab immodico vini generosi potu in febrilem intemperiem, cum siti, calore, & insigni præcordiorum æstu incidit; phlebotomiâ celebratâ, aquæ fontanæ ingentem quantitatem ebibit, indeque sudore copioso statim insequente, brevi convaluit: in hoc casu tenuior sanguinis portio à vini spiritibus effervefacta impetum fecit, totam cruoris massam exagitari, ejusque compagem solito plus laxari coegit, atque id propter à cordis fermento istam plus dissolvi, & particulis activis è mixtione solutis velut accendi contigit; donec vasis à phlebotomia depletis, sanguis turgescens eventilaretur, & ab aquæ potu ejus fervor attemperaretur: dein calidis effluviis unà cum materia adusta sero copioso obvolutis, & per sudorem amandatis, cruor debitam temperiem tandem recuperabat. Insuper Juvenis ingenuus vitæ sedentariæ, simulque rei literariæ studio plurimùm addictus, cum nuper in æstivo Sole supra modum se exercuisset, de capitis dolore, inappetentia, præcordiorum æstu, & intemperie febrili per totum suffusa queri cœpit, cui (cum pharmaciam omnem aversaretur) omnimodam abstinentiam, nisi à cervisia tenui & hordeatis præcepi: die secundo ac dein amplius tertio symptomata paulatim se remittebant, quarto demum sine quovis medicamine à febre immunis evasit.

Symptomatum, & signorum in febre putrida hîc agmen claudant, pulsus, & urina, quibus præcipuè attenditur pro dignoscendis tum morbi statu, tum ægri viribus: cum enim duo sint, quibus vita nostra innititur, scilicet calor in corde accensus, & coctio in visceribus & vasis peragenda, quoniam pulsus, & urina alterationes in utrisque à febre inductas optimè ostendunt, ideo hinc affectus in mortem, aut salutem cessuri certissimum desumitur criterion. Haud necesse arbitror de his fusè agere, aut singulas utriusque causas, & differentias recensere: sat erit de iis præcipua annotasse, quæ in febrium decursu consideratione digna occurrunt. Et primum consulitur pulsus, velut constitutum à natura thermometron, ut exinde mensuretur calor in febre accensus; qui si intensior fuerit, & magnam sanguinis ebullitionem concitet, arteria vehementiùs, & citatiùs vibratur, quamdiu spiritus vigore pollent; dein ipsis paulò exhaustis, validior pulsus remittitur; qui tamen celeritate compensatur, & fit celer & parvus. Si febris sit mitior, & minori incendio tumultuetur, etiam pulsus à naturali statu minùs deflectit: & in toto morbi decursu hujus moderatio naturæ inducias denotat. Nec tantùm pulsus febris, veluti nostis, copias prodit, sed & naturæ robur, & resistendi valorem planè ostendit. Quamdiu pulsus est laudabilis, res in vado est, & spem optimam exhibet; sed ex malo hujus statu pessimum infertur omen, & salutis desperatio. Ideo sine crebro & diligenti pulsûs examine Medicus nec prognosticon ritè faciet, nec pharmaciam tutò instituet.

I. Quoad primum, innotescat oportet (inquantum fieri licet) qualis sit cujusque pulsus juxta naturalem constitutionem; his enim fortior, illis debilior existit: dein in singulis febrium momentis perpendendum est quibus gradibus à naturali statu distet, modò enim est debito vehementior, & arguit febrem intendi; modò infra solitum deprimitur, & denotat spiritus & vires dejectas.

Quibus sanis debiliter, & languidè pulsat, eos febre correptos pulsum habere exilem & debilem non adeò malum est, ut statim de salute desperemus. Quibus pulsus à natura fortis, & vehemens est, si à morbi crisi vix mediocri polle vigore, licet non sit omninò debilis, ægrotantis rem suspectam, & minimè tutam arguit.

Si ab initio febris, priusquam sanguis deflagravit; vel si facta crisi, cùm pars oneris detrahitur; aut si alio tempore, sine causa evidenti, pulsus debilior evadat, multum portendit: sin post longas vigilias, aut à magna evacuatione paulò debilior fit pulsus, non ideo de salute conclamatum erit, quoniam vires his modis dejectæ, aut labefactatæ poterunt denuò restaurari, & spiritus refici.

Quando pulsus subitò in deterius alteratur, licet æger quoad cætera symptomata se meliùs habere visus sit, triste mortis prognosticon edicas: & vice versa, licet horrenda urgent symptomata, & tamen pulsus sit laudabilis, adhuc salutem sperare liceat. Si in viro robusto febricitante pulsus valde exilis, & formicans evaserit, mors in propinquo est.

II. In exhibendis medicamentis cautiones, & regulæ non levis momenti à pulsu desumuntur. Purgatio, & vomitus prohibentur à pulsu nimis citato, & violento; etiam ab humili, & depresso: quippe dum sanguis nimis effervescit, evacuatio parum conducit; tum quia quod noxium est, minimè secernitur; tum etiam quod à perturbatione vires plus debilitantur. Cùm verò spiritus sunt fracti, & vires dejectæ, pharmacia eas magis prosternit, & quandoque penitus exsolvit. Quare cùm Medicus evacuationem ἄνω, vel κάτω meditatur, priùs pulsum exploret, & hoc opus aggrediatur solummodò cùm natura est fortis, & sedata, ut unà medicamenti operationi vacare, & viribus possit sufficere.

Nec minori circumspectione opus est in diaphoreticis, & cardiacis: quæ si in febrili paroxysmo adhibentur, cordis motum priùs violentum nimis intendunt, & sæpissimè ejus robur frangunt. Etiam cum pulsus valde languidus sit, si cardiaca calida, & validiora adhibentur (ut cùm exilis flamma fortiori spiritûs afflatu urgetur) facilè vita extinguitur: quare vulgaris observatio est, quod cardiaca non rarò mortem

accelerant, eo quod cruorem nimis exagitando vires citiùs atterant.

Adhuc maximâ opus est cautelâ & pulsûs directione in exhibendis narcoticis; hæc enim (quia spiritus vitales nimiùm feroces extinguendo, & figendo opus suum perficiunt) si in pulsu debili, aut vacillante usurpentur, aut spiritus vitales diminuendo eos morbo omninò impares reddunt; aut eos nimis suffocando somnum perpetuum accersunt: quare in pulsu languido, inæquali, aut formicante, cane pejus, & angue opiatæ vitentur.

Pulsus inæqualis, ac intermittens ex Medicorum scriptis pessimè audiunt; tamen pravæ licèt notæ, non uti pulsus debilis tam certò mortem portendunt: novi enim plures cum ejusmodi [illegible]is, licèt sepulchro damnatos, evasisse: quipp[illegible] multò certiùs, & faciliùs spirituum, & sanguinis inordinatio compesci, aut sedari poterit, quàm eorum dejectio restaurari.

2. Urinarum inspectio in febribus, præ cæteris quibuscunque morbis, plus habet certitudinis, & maximi est usûs: hinc enim ægri, & morbi status optimè cognoscuntur, & medicæ intentiones circa agenda meliùs diriguntur. Quæ super hac re vulgò prostant observationes & regulæ, adeo plurimæ sunt, ut singulas enumerare penè infiniti esset operis, & tædii: præcipua hic quædam annotasse sufficiat.

Circa urinas febricitantium præcipuè advertenda sunt, color, consistentia, contenta, & subsidentia. Color urinæ indicat modum, aut excessum caloris in sanguine; qui prout augetur, vel remissiùs se habet, etiam urina plus, aut minùs rubicunda existit: cujus causa est ebullitio, sive effervescentia cruori à febre inducta, propter quam particulæ Salis, & Sulphuris sanguini, humoribus, & solidis partibus insitæ plus dissolvuntur, & sero incoquuntur, eique rubedinem impertiunt; non aliter, ac cum Sal Tartari, & Sulphur commune invicem commixta, & aquæ incocta, liquori rubedinem saturatam impertiunt.

Quorundam urinæ summè rubescunt, quando parum, vel leviter febricitant: & è contra aliorum æstu febrili laborantium urinæ sunt minùs coloratæ. Qui calore vegeto, & sanguine præfervido abundant, aut scorbuto, phthisi, aut affectioni hypochondriacæ sunt obnoxii; cùm à frigore suscepto, πυκνώσει, crapulâ, aut vini potu febriculâ quavis tentantur, urinam intensè rubicundam reddunt, eo quod Salis, & Sulphuris particulæ in sanguine eorum exaltatæ, & priùs semisolutæ extiterunt; quare necesse est, ut febre urgente sero plus incoquantur. E contrà, qui temperie frigida cum pulsu debili, & imbecillo præditi sunt, febre correpti cum majori sanguinis effervescentia urinam minus coloratam excernunt.

Urinarum consistentia, contenta, & subsidentia, velut in eodem filo posita, simul dependent à materia adusta, & recrementitia, quæ à deflagratione febrili in sanguine residua est: hujus si copia adfuerit, urinæ consistentia nonnihil spissior evadit; & postquam steterit, à frigore turbatur: si autem hujus sit minor quantitas, aut aliò quàm ad renes derivatur (nimirum si vel sudore, aut critica in hanc, vel illam partem metastasi avocetur) consistentia fit tenuior, & liquor clarus persistit. Etiam hujus materiæ particulæ urinæ contenta elargiuntur, quæ se diversimodè habent, juxta quod succus nutritius à sanguine modo nonnihil coquitur & assimilatur, modò omnino pervertitur, & in putrilaginem facessit. Coctionis, & assimilationis signa quædam exhibent in urinis febricitantium modò hypostasis laudabilis, modò ejusdem vestigia quædam, & rudimenta: coctionem vitiatam denotant hypostaseos privatio, & partium urinæ confusio, & perturbatio. Prout autem hæc materies plus, aut minus in sanguine assatur, contenta sunt modò pallidi, modò rufi coloris, instar ochræ. Pro ratione quâ recrementa sanguini confusa vel spiritu præpollente subigi, & secerni incipiunt, vel eodem nimis depresso separari minùs queunt, etiam contenta urinæ plus, aut minùs, citiùs, aut tardiùs à reliquo liquore secerni, & versùs fundum subsidere solent.

Quoad prognostica ab Urina desumenda annotamus, quod urinæ color nonnihil remissior, consistentia mediocris, contenta pauciora sponte subsidentia, aut facilè in nubeculam collecta bonum portendunt: è contra rubor intensus, consistentia spissa & turbida, contenta crassiora & opaca, quæ tardè, aut vix omninò versùs fundum subsidunt, effervescentiam magnam, materiæ adustæ copiam, ejusque subactionem, & secretionem difficilem, aut frustratam denotant.

Quoad directiones pharmaceuticas, res in hoc cardine versatur, ut crebrâ urinarum inspectione naturæ motum attendamus, eidemque obsequamur, nec catharsi, nec diaphoresi quidquam movendum, nisi cùm hypostasis quædam in urinis coctionis, & separationis signa exhibet. Super hac re plura hic inserere supervacaneum duxi, quoniam alibi, proprio in loco, quæ ad urinas spectant, fusiùs tractantur.

Circa Therapiam febrium putridarum cujuscumque generis, quatuor sunt intentiones generales, quibus totius negotii cardo innititur. *Primò*, ut sanguis (si fieri possit) ab incendio vendicetur, & prorsus supprimatur flamma, sive ignis in sulphurea ejus parte accensus; quod circa prima hujus morbi initia non rarò fieri contingit. *Secundò*, ut cùm sanguis incendio tactus protinus extingui nequeat, saltem mitiùs, & cum minori noxa deflagrationem suam peragat. *Tertiò*, ut deflagratione finita, materiæ concrematæ & adustæ recrementis liquor cruoris expediatur, & postea ad crasin & vigorem naturalem restituatur. *Quartò*, ut symptomatis præcipuè urgentibus (quæ nisi tollantur, & naturæ & pharmaciæ opera frustra erunt) tempestivè occurratur.

Quoad remedia particularia, quibus intensionibus istis satisfiat, varia sunt præscripta, & medicamentorum formulæ non solùm apud Medicos, sed etiam mulierculas & Empiricos quosvis passim in usu; à quibus tamen, cum instar gladii in cæcutientis manu, sine discrimine, & exacta methodo medendi usurpentur, plus damni sæpius quam emolumenti ægris accrescit. Non opus erit hîc purgantium, cardiacorum, aliorumve pharmacorum formulas apud plerosque authores satis eleganter traditas hoc in loco repetere: præcipuas quasdam indicationes, & cautiones medicas, quæ in decursu hujus

hujus febris, juxta varia ejus tempora, & diversa symptomata observari debent, paucis subjiciam.

I. Circa primum hujus morbi insultum, danda erit opera, ut febris protinus supprimatur, atque sulphuris effervefacti inflammatio inhiberi possit, cui venæsectio imprimis conducit; hoc enim modo sanguis eventilatur, & particulæ calidæ nimis agglomeratæ, & incendio jam proximæ ab invicem dissipantur; veluti cum fœnum exardescere aptum, si aperto aëri exponatur, ejus accensio præcavetur. Insuper tenuis instituatur victus, in quo nihil spirituosum, aut sulphureum adhiberi debet. Viscera, & primæ viæ materiæ excrementitiæ saburra liberentur; quare enemata erunt usus necessarii, quandoque etiam vomitoria, & lenia cathartica, quibus aliquando tempestivè & cum judicio adhibitis, febris inter ipsa statim initia, detracto accensionis pabulo, extinguitur. Quod si non obstante hac methodo, incendium latius serpit, & sulphureas sanguinis particulas magis indies, & magis corripit; procuretur (quà fieri possit) ut deflagratio sine magno tumultu leniter procedat.

II. Quare cum febris in augmento fuerit, si cruor nimis effervescat, & cum pulsu forti & vehementi vasa plurimum distendat; si vigiliæ, phrenitis, aut dolor capitis immaniter urgeant, sanguinis missio denuò repetatur, & transpiratio (quantum licet) libera procuretur: quare in lecto utplurimum ægri decumbant; victus sit parcus, ex alimentis admodum tenuibus; item potus tenuis & copiosus, ut sanguis exardescens sero uberiore diluatur: enemata satis tutò, & reverà commodè adhibentur; pharmaca autem, sive cathartica, seu diaphoretica, & quæ sanguinem nimis exagitant, eadem industria vitentur, qua ventorum flamina ædibus incendio flagrantibus. Quin potius opiatæ & anodyna, quæ sanguinem & spiritus figunt & constipant, erunt usurpanda: item Julepia, & decocta quæ viscera æstuantia refrigerant, cruorem attemperant, & spiritus refocillant, erunt crebro exhibenda: liquores acetosi vegetabilium, aut mineralium, necnon nitrum purificatum, quia sanguinis æstum cohibent, & sitim extinguunt, ritè conveniunt. Aquæ ardentes, spirituosæ, pulveres cardiaci, & bezoartici (quamdiu morbus malignitate caret) procul habeantur: si modo sanguis inæqualiter circuletur, & magis impetuosè versus caput, quàm pedes feratur, conducunt Epithemata ex tepidis animalium carnibus, aut visceribus plantis pedum applicanda.

III. Quando febris in statu est, diligenter attendatur naturæ motus, num sit crisin facturа, necne? Quare nihil temerè à Medico tentandum. Venæsectio, aut fortis purgatio omnino prohibeantur; postquam vero à sanguinis deflagratione aliquatenus remittitur febrile incendium, & signa coctionis in urina apparent, si modo segnior sit naturæ motus, diaphoresis aut lenis purgatio procuretur; quæ tamen melius & tutius à Medico peraguntur, cum prius natura motu critico materiæ morbificæ seclusionem fuerit aggressa. Quod si omnia sint cruda, & perturbata, urina adhuc turbida, absque sedimento, aut partium secretione; si vires sint languidæ, pulsus imbecillis; si crisis nulla, aut tantum irrita præcessit, non sine manifesto vitæ periculo, aut sudore, aut cartharsi evacuatio quævis tentatur: quin diutius expectandum est, ut spiritus cruoris se recuperent, materiam excrementitiam & adustam aliquo modo subigant, & dein paulatim secernant: interim cardiacis temperatis vires refocillentur, immodica sanguinis effervescentia (si adsit) inhibeatur, & debita ejus fermentatio sustentetur; quod revera à coralliis, margaritis & ejusmodi pulveribus optimè perficitur, quæ quidem à viscerum fermentis dissolvuntur, & dein cum sanguine fermentescunt, ejusque motum imbecillem & vacillantem valde restaurant. Interim (natura laborante,) obstacula quævis, & impedimenta removeantur, & præcipuè excrementorum proventus in primis viis congestus crebro enematum usu subducatur.

IV. Qua ratione aut methodo symptomata maximè urgentia tractari debent, non facile erit certis regulis præscribere, quoniam ipsamet eadem aliquando protinus compesci & sedari, interdum citatius promoveri postulant, ac quorum majus quiddam est, alio forsan tempore Naturæ erunt prorsus relinquenda. Horum nonnullis cum remediis demulcentibus & lenitivis, aliis vero cum pharmacia asperiore & irritativa occurri poterit. Interea tamen præceptum in omnibus tenendum sit, ut naturæ vestigiis religiosè instatur, quæ si perperam agat, ejus inordinatio reducenda; si rectè ac vehementer nimis, refrænanda; si vero rectè, ac debito segnius aut debilius operetur, è re erit ut ejus nixus ope medica incitetur, atque adjuvetur.

V. In febris declinatione, cum à crisi perfecta natura fuerit morbo superior, res in vado est, nec multum negotii Medico relinquitur: solummodo restat exactam victus rationem proponere, ut sine recidivæ metu cito vires ægri recuperent. Etiam leni purgatione materiæ febrilis reliquias exterminare conducit. Circa victum recidivæ scopulo sæpissimè alliditur, scilicet à præpropero carnium aut cibi fortioris comestu ægri in febrem relabuntur: cum enim viscera sunt debilia, & alimenta (nisi admodum tenuia) non facilè coquunt, cumque & sanguinis crasis sit imbecillior, ut succum nutritium fortiorem non assimilet, si alterutri quid improportionatum afferatur, iterum naturæ œconomia pervertitur, & omnia pessum eunt. Quare à carnibus convalescentes diu temperent, iisque demum utantur nonnisi postquam urina fuerit sanorum similis, neque amplius à frigore turbatur: & quidem tum satius erit à diluto carnium jusculo incipere, atque dein pedetentim ad alimenta fortiora ascendere.

VI. Cum à crisi imperfecta res in dubio versatur, & adhuc sub judice lis est, tunc Medico difficile incumbit pensum. Sedulò attendantur naturæ motus, & vires, num morbo prævalere incipiat, an eidem succumbat. Si coctionis adsint signa, & vires constent, evacuatio lenis, & tantùm per epicrasin erit celebranda. Interim symptomatis maximè urgentibus cum remediis idoneis succurratur, impedimenta quævis tollantur, cardiacis & recta victus ratione (quantum fieri possit) vires sustententur.

VII. Cum à crisi aut mala, aut nulla omnia

in

in deterius vergunt; cumque de morbi curatione ferè desperat Medicus, eventum ejus suspectum & valde timendum prædicat. Neque tamen nudo prognostico adeo fidendum, ut reliqua omnia metus occupet: verùm adhuc, quantum artis est medicæ, pro salute, conclamata licèt, consulatur: symptomatis maximè infestis remedia adhibeantur, spiritus cruoris ferè extincti cardiacis redintegrentur. Cum de sanitate despondemus, vita quamdiu potest protelętur, & saltem Euthanasia procuretur.

Juxta varios febris putridæ typos modò descriptos in promptu esset ægrotantium historias, & observationes particulares circa curationem factas quamplurimas subjungere, cum hujusmodi exempla in praxi quotidiana passim occurrant, ita ut ingens volumen implere sufficerent: ex his tamen paucula quædam singulas febris prædictæ species respicientia, quibus earum doctrina atque medendi methodus superius tradita elucescant, candidi Lectoris bona cum venia breviter proponam.

Nobilis matrona 50. circiter annos nata, gracili corporis habitu, statura humili, facie rubicunda prædita, cum Junii die decimoquinto ob æstivum calorem vestes solito tenuiores indueret, vesperi malè habuit; inde nausea, & oppressione ventriculi afficitur, dolores sentit vagos, modò in scapula, modò in dorso urgentes; sitibunda, sine calore tamen immodico: die secundo, & tertio ferè ad eundem modum; die quarto post vomitorium, scilicet infus. croci metal. 1. unc. exhibitum, quater evomuit bilem flavam, ac ter alvo soluta alleviari visa est; nocte insequenti aliquantò melius dormivit: die autem proximo, febre per totum accensa, de siti, præcordiorum æstu, & dolore modò in latere, modò in dorso querebatur: protinus sanguis mittebatur ad 8. unc. erat urina rubedinis valdè saturatæ, opaca, & turbida, sine hypostasi, aut contentorum subsidentia; pulsus inæqualis, & sæpe intermittens; nox insequuta insomnis: die morbi sexto, primo manè erupit sudor exiguus, unde calor nonnihil sedatior, qui vesperi iterùm intenditur: die septimo calor valde acutus, cum siti, æstu, pulsu inordinato, & intermittente, necnon summa inquietudine & jactatione totius corporis. Octavo symptomata erant nonnihil remissiora; etiam in urina hypostaseos vestigia quædam. Cepit isto die serum lactis cum foliis ulmariæ incoctis: copiosè sudavit, & febris judicata est. Toto ægrotationis tempore pro victu tantùm exhibebantur cervisia tenuis, serum lactis, decocta hordeacea, aut avenacea. Enemata erant crebri usus; potus & julepia refrigerantia pro libitu concedebantur.

Illustris hæc fœmina ἀ πνοιαῖς, seu transpiratione præpedita, in synochum putrem incidit: effluvia per cutim evaporare solita intus retenta (unà cum bile è vasis choledochis exundante) partim visceribus affixa eorum crases everterunt, & imprimis stomacho molestias fecerunt; partim musculis & membranis suffusa dolores & spasmos ciebant. Erat pulsus inæqualis & intermittens, non propter morbi malignitatem, prout in peste, verùm ob idiocrasiam quandam cordis, quâ nimirum fermento ejus non benè constituto, sanguis effervescens non statim æquabiliter accenditur, & totus exsilit, sed pars cruoris influentis primò exigua, dein major, & post aliquot vices maxima in sinubus cordis pro momento temporis restitans, pulsum inæqualem & intermittentem producit. Novi in pluribus aliis planè similem pulsus affectionem: quamdiu scilicet ab intemperie fuerunt immunes, pulsus erat omninò æqualis, & ordinatus; sin verò subitâ animi passione aut corporis agitatione nimiâ solito intensiùs incalescerent, statim pulsu inæquali, & intra vibrationes forsan 4. 7. 10. aut 20. intermittente afficiebantur; & quotiescunque febricitarent, pulsus irregulari modo ita se habuit. Cùm nondum habitualis ista circa pulsum anomalia experientiâ crebrâ mihi innotuerit, solebam usque malignitatem in morbo suspicari, & eventum funestum augurari, qui secus evenit.

Die quinto in hac ægra febris, licèt tardiùs accensa, ad augmentum pervenit, indeque celeriori motu reliqua pertransiit stadia: sexto materiæ adustæ ad plenitudinem assurgentis diaphoresi obortâ, levis depletio, adeoque æstus febrilis quædam remissio insequuta est: die septimo materies ista adusta ad summum incrementum assurgens morbi statum fecit, cui demùm in octavo cum omnibus ad bonam crisin requisitis sudor copiosus successit, & febrim perfectè judicavit: quippe evacuationem hanc criticam (uti fieri debuit) hæc tria præcesserant. *Primò* scilicet sanguinis plena, & sufficiens deflagratio, uti constat ex calore intensissimo, & planè igneo, per tres antea dies continuato. *Secundò* item materiæ adustæ ad plenitudinem congestio, prout colligere erat ex summa inquietudine & jactatione in nocte præcedenti; ac dein ejusdem materiæ pepasmus quidam & secretio in sanguine incœpta, quod symptomatum sedatio & in urina coctionis signa ostendebant: quare sudor copiosus σημειῶδ tam laudabili superveniens, quamdiu abfuerit malignitatis suspicio, nil nisi bonum portendit.

Sub initium æstatis Anni 1656. vir Clarissimus, habitu corporis athletico præditus, sine causa manifesta (nisi quod rei literariæ studio addictissimus nullo insuper exercitio uteretur) malè habuit. Primò de nausea, inappetentia cum immani cephalalgia querebatur: die secundo modò rigore, modò calore identidem reciprocantibus, siti insuper & præcordiorum æstu, cum linguæ scabritie, & sapore ingrato afficiebatur. Isto die sumpsit liquoris emetici 10. drachm. à quo septies evomuit, rejecitque bilis flavæ copiam ingentem, & quatuor habuit sedes: nox inquieta, & ferè insomnis insequuta est, in qua æger calore adaucto intensiùs febricitavit. Die tertio cùm symptomata prædicta ingravescerent, sanguis ad 10. unc. mittebatur: fuit urina rubicunda, crassa, cum sedimento copioso; pulsus citatus & vehemens: noctu parum sudavit, cum somno brevi, sed perturbato: manè sequenti parum alleviari visus est; vesperi tamen omnia exacerbabantur, cum vigiliis, calore ac siti intensissimis. Die quinto à levi sudore æstus nonnihil remisit, qui tamen solitâ atrociâ paulò ante vesperam rediit: nox iterum insomnis cum jactatione corporis ferè continua; mane à diaphoresi blandicula sensit parum levaminis, vesperi rursus omnium exacerbatio sequuta est: nox etiam fuit valdè inquieta.

Circa

Circa initium diei sequentis sudor uti priùs successit, & paulò in majori copia: hoc die fuit ῥοπὴ manifesta versùs salutem; calor & sitis paulatim defervescebant; fuit urina minus rubicundâ cum aliquali hypostasi; deinceps per tres dies febris sensim declinabat: qualibet tamen nocte paroxysmum quendam, remissiorem vero quàm priùs habuit. die 11. uberiùs sudavit, & perfectè judicatus est. Toto ægrotationis tempore victu parcissimo utebatur, utpote nihil alimenti capessens præter cervisiam tenuem, & serum lactis cum ea paratum. Potus & julepia refrigerantia ex decocto hordei, & aquis stillatitiis aliquoties sumebat: quotidie si alvus non sponte solveretur, clyster emolliens fuit injectus: nullo præterea pharmaco, scilicet nec cathartico, nec cardiaco usus est. Febre autem sedata, fuit bis purgatus, & dein citò convaluit.

Fuit hæc febris synochus putrida, prout ex rigore circa initia, & deinde calore continuo, aut vigiliis, aliisque symptomatis per plures dies graviter infestantibus conjicere licebit: quatenus verò intemperies ista qualibet nocte exacerbabatur, dicenda erit continua quotidiana. Sine causa evidenti hic morbus primos insultus fecit, quia sanguis minùs eventilatus, veluti vinum sponte effervescens, à sulphure exaltato ardorem conceperat. Bilis vasis choledochis exundans, unaque sanguinis æstuantis purgamenta interiùs suffusa (uti in febribus plerumque assolet) statim in primis viis magnas molestias, & inordinationes ciebant. Propter materiæ excrementitiæ hac ratione ibidem congestæ depletionem, mox ab initio vomitionem procuravi; quæ tamen evacuatio, uti & per alvi secessum fortior Purgatio, si febre per totum accensa adhibeantur, quia sanguinem nimis exagitant, & materiæ febrilis adustæ coctionem valdè perturbant, exinde plus damni ægris quàm commodi plerumque adferunt. Primum hujus morbi stadium, scilicet dum totus cruor incendio corriperetur, ad diem tertiam extendebatur; atque deinceps cum sanguis deflagrans recrementis adustis aggravaretur, major ejus ebullitio cum crebro per diaphoresin expulsionis nixu insequuta est. Die septimo, quando cruor maxima ex parte deflagraverat, & recrementa adusta in sinu ejus ad turgescentiæ plenitudinem congesta molesta esse cœperant, motus criticus ciebatur: quo tamen, materie isthac nondum penitus subacta, nec ad secretionem parata, morbus haud perfectè judicatus est; quin post alteram periodum eadem denuò succrescens, & die undecimo commotâ sanguini turgescentiam alteram, & perfectè judicatoriam induxit. Diebus intercalaribus, quia præter recrementa à deflagratione sanguinis residua, & in crisin reservata, etiam à succo nutritio haud statim incendio correpto, sed peculiari modo depravato altera in cruoris sinu materies ad turgescendum apta congereretur; idcircò à quotidiano hujus incremento, & fluore febri huic continuæ paroxysmi (quales intermittentium esse solent) statis diebus ac horis accesserunt.

Juvenis studiosus in ætate 25. circiter annorum, vultus luridi, & temperamenti melancholici, sine manifesta occasione, Augusto 1656. ægrotare cœpit. Primo de intemperie febrili, cum siti, lassitudine spontanea, & inappetentia querebatur; die secundo insuper de dolore in latere dextro, & distentione utriusque hypochondrii, item vomitu ferè continuo, vigiliis & immani capitis dolore: die tertio Medico accersito, illico sanguis ad uncias 12. mittebatur; vesperi magis incaluit, & deliravit; posteà sudore, licet exiguo, succedente, mane proximo melius habuit; die quarto iterum ingesta quævis statim rejecit, item continuo ferè vomendi nixu tentabatur. Vomitorii exhibitionem à Medico propositam, tum æger, tum amici periculo priùs edocti renuerunt. Ab enemate injecto sex habuit sedes, & parum alleviari visus est; etiam nocte insequenti aliquantulum dormivit: die quinto iterum vomitio crebra cum siti intolerabili adfuit: intus æstuabat, sed caloris immodici sensus exteriùs haud tactu perceptibilis erat; quoniam cruoris effervescentis recrementa quæ per cutem exhalare debuerant, intus restagnare, & in viscera exundare videbantur. Ideo vesperi ad provocandam diaphoresin hic bolus exhibetur. Conserv. Rosar. vitriolat. 1. drach. pulv. Gasconici 1. scrup. Laudani soluti in aqua meliss. 1. gr. Ista nocte mediocriter dormivit, & à sudore copioso succedente symptomata mitigari visa: nihilominus die sexto cuncta iterum exacerbari; calor in toto, sitis & præcordiorum æstus immaniter urgere: die septimo & octavo pulsus erat inæqualis & inordinatus, plerumque delirè loquebatur; & si in lecto commoveretur crebro in syncopen incidit. Die nono eadem restabant symptomata; insuper tendinum in carpis contractione, aliarumque partium motibus convulsivis tentabatur, ut penè de salute desperaremus. Isto mane quoniam natura victas manus tradidisse visa est, quantùm erat artis, succurrendum restabat: quare diaphoresin copiosam velut ultimum refugium intendens Spirit. cornu cervi 1. drachm. in haustulo Julepii cardiaci una vice propinavi; exinde per quatuor horas valde inquietus & furibundus vix in lecto contineri potuit: postea tamen somno obrepente plurimùm sudavit, & res extra periculi aleam subitò constitit. Nocte insequenti pro continuanda diaphoresi, quibuslibet sex horis dosin pulveris contrayervæ exhibendam præcepi; & febris & affectiones nervosi generis brevi cessabant, & æger convaluit.

Hæc febris quoad typi rationem synochus putrida appellatur, quæ in hoc ægro à sanguine instar fœni incalescentis sponte effervefacto, adeoque fermentationem immodicam concipiente originem sumebat: propter sanguinis temperiem melancholicam fuit calor minùs intensus, licèt symptomata aliàs pejora, atque imprimis nervoso generi inimica obtigerint: etenim cruor deflagrans, velut ignis in fumo cespitibus cooperto, incendio potissimùm intestino gliscebat: idcircò de præcordiorum æstu cum siti intolerabili æger conquestus est, cùm interim exteriora minùs incalescerent: ob hanc rationem, & quoniam corpus fuit minùs perspirabile, sanguinis recrementa adusta crisin factura, & quæ statis temporibus exteriùs difflari solebant, introrsum suffusa (naturâ scilicet valdè oppressâ & perpetuò irritatâ) vomitus immanes, & ferè continuos induxerunt; quare cùm materia

materia febrilis ante plenitudinem aut coctionem ejus ita crebro expulsionis nixu ad primas vias derivaretur, crisis minimè insequuta est. Nec ab irregulari ista evacuatione æger se meliùs habuit, quinimò sanguis mixtione usque deterior factus, in se corrumpi, & liquorem nervosum omninò pervertere incœperat: unde præter vomitiones assiduas crebræ lipothymiæ, pulsus inæqualis, necnon deliria & motus convulsivi oriebantur: quatenus verò utriusque humoris mixtione & crasi nondum penitus solutis aut eversis diaphoreticum fuit exhibitum, quod pro insigni partium agilitate & cruorem, & liquorem nervosum certissime trajecerit, eorumque impuritates & extraneas mixturas, fermentatione vegetâ & festinâ de novo concitatâ, foras eliminarit, status morbi ad exitum tendens versùs salutem reducebatur, atque hoc modo in criseos naturalis vicem medicinæ ope succenturiatâ, æger velut ab inferis revocatus brevi sanitatem recuperabat.

Mulier in ætate 30. circiter annorum, corpore robusto, & temperamento atrabiliario (uti ex moribus valde austeris conjicere licebat) prædita, tertio post puerperium mense, cùm noctu infantem lactaret, stragulis discooperta frigus contraxit, & deinde statim in rigorem incidit; huic calor solito auctior successit, qui postea (diaphoresi leni oborta) cito remisit. Die secundo & tertio erat sitibunda, ac cibi inappetens, sine æstu tamen immodico, ut vixdum se febricitare crederet: qualibet nocte quieta jacuit, verùm somni omnino expers: urina erat intensè rubicunda, à contentorum multitudine nonnihil spissa & opaca, quæ tamen à frigore minimè turbata, sine hypostasi aut partium subsidentia usque eodem modo perstitit. Die quarto calor in toto accenditur; quare Medico tunc primùm accersito, sanguinis circiter 12. unc. è brachio detrahebantur: post sanguinis missionem, & alvum eodem die à clystere immisso copiosè subductam vesperi in sudorem incidit, à quo tamen minimè alleviata (medicamentò licet anodyno exhibito) noctem (uti priùs) insomnem duxit. Die quinto ab enemate injecto tres habuit sedes, & levamen sensit: urina usque eadem perstitit, rubicunda & turbida. Cùm sanguinem è vena poplitis mitti in præscripto esset, ægrota obnixè renuit, se convalescere existimans: noctu insequenti cùm diu insomnis & inquieta jacuisset, tandem paroxysmum, qualis vulgò hystericus perhibetur, gravi modo passa est; & primò stupore quodam, sive punctionis sensu extremas corporis partes (præcipuè pedes, crura & femora) occupante, simulque flatu intestina, ventriculum & hypochondria immaniter distendente afficiebatur: sensit in imo ventre velut molem quandam sursum obrepere; quæ cùm ad cor, indeque ad cerebrum ascendisset, ægra statim intellectu vacillabat, & per totam exinde noctem delira & absurda loquens jacuit. Die sexto post alvum à clystere subductam ad se rediit, rectè animo constabat, & mediocriter habuisse visa est. Vesperi autem, cùm in lecto commoveretur, ejusmodi (ut priùs) paroxysmi insultum presentiscere cœpit; nimirum in toto corpore habuit punctionis sensum, veluti si urticis stimularetur, simulque in ventre velut globum convolutum, qui sursum obrepens intestina & ventriculum distendebat, ut exinde flatus & ructus copiosi ederentur. Levaminis gratia aquæ frigidæ potum postulabat. Insuper remedia in affectibus hystericis usitata, uti castoreum, odor assæ fœtidæ, suffitus e plumis ustis, ligaturæ, & frictiones crurum, & similia adhibita sunt, quorum usu in præsens videbatur affectu prædicto libera, & prorsus immunis facta per horas quatuor: cùm autem supina in lecto decubuit, ut somno capessendo se accingeret, derepente totum corpus eadem symptomata simul pervadere conquesta est, & mox inde in delirium incidit: tota nocte insomnis ejulans & clamans delire loquebatur; die sequenti oculis apertis sine motu aut loquela jacuit. Vesperi iterum cum febre aucta fuit ægra furibunda, ut vix in lecto contineretur; atque ita per tres dies, modo delira, clamans & ejulans, modo velut stupida sine motu aut voce perstitit; usque tamen motibus convulsivis circa musculorum tendines percellebatur. Die decimo respirationem altam & anhelosam cum pulsu debili & velut formicante duxit, media nocte obiit.

Erat hæc febris è putridarum censu, quæ tamen ob diathesin sanguinis atrabiliariam (uti supra innuitur) haud multum incendio, seu calore ingravescebat; attamen solutu difficilior, etiam cerebro & nervoso generi fuit plurimum infesta: sanguis ad effervescendum prædispositus à frigore suscepto facile intemperiem contraxit; verumtamen à sale & faculentiis terrestribus unà cum sulphure commotis minùs apertè inflammabatur: nihilominus incendio intestino & velut clauso ardescens insigniùs depravabatur: hinc statim ab initio urina erat summè rubicunda & turbida; etiam omninò insomnis degebat: die quinto sanguis deflagrans, & recrementis, seu materia adulta satur, plenitudine sua ad excretionem moliendam irritabatur; quare isthac nocte turgescentia oborta sarcinam suam sudore minus difflabilem in caput transfert, ibidemque cerebro & nervorum generi affigit: inde statim spirituum animalium irradiatione solita in ipso fonte perturbata, eorum inordinationes in extremis partibus primò sentiri accidit: quare punctio aderat in toto corpore, venter inflatus, hypochondria distenta, & velut moles quædam sursum ascendens & successive ventrem, præcordia, & demum caput pervadens: hujusmodi enim symptomata non semper (uti vulgò creditur) à vaporibus ab utero elatis & sursum contendentibus oriuntur; verùm non rarò à cerebro & nervorum principiis maximè affectis: cùm enim labes ibidem infligitur, ut spiritus animales juxta originem suam in motu perturbentur, nec (uti priùs) corpora nervosa inflent ac distendant, statim spiritus alii in nervorum extremitatibus siti influxu solito privati, tumultuari incipiunt, & inordinatè ac versus principia sua commoti, partibus quibus insident spasmos inducunt: hic motus irregularis & convulsivus in extremitatibus inceptus, continuò spirituum, & partium nervosarum ductu, mox in partes alias, & deinde alias usque cerebro propiores serpit; donec tandem (tota spirituum, velut militum, serie successivè in retrocessum acta) spasmi in ipsum motus fontem continuantur. Quod re-

verà hoc ritu motus convulsivi dissitissimè à causa, seu affectus loco aliquando incipiunt, hoc unico argumento planum fiet; quoties scilicet in crure aut brachio ligatura strictiori, aut incubatu influxus spirituum animalium inhibetur, punctionis sensus, sive spasmus cum stupore, primo in pede aut manu sentitur, qui postea successivè versus partem affectam altiùs ascendit: quare in hac ægra ob materiam febrilem (scilicet recrementa adusta) è cruoris sinu metastasi critica in cerebro defixam, atque illic nervorum principia obsidentem, symptomata ista affectionem hystericam imitantia ciebantur: propter nervos (qui mediante spinali medulla per totum corpus disperguntur) juxta originem affectos, punctionis sensus in extremis inceptus mox in toto percipitur. Ob sexti paris similem in fonte læsionem, primo in furculis ejus dissitissimis (nimirum circa abdomen) spasmi & distentiones oriebantur: fuit iste velut molis cujusdam ascensus solummodo viscerum & musculorum abdominis à spasmo successivè inflatorum tumefactio; deinde eodem affectu (mediante ejusdem sexti paris ramo) superius usque & propius cerebrum perreptante, videbantur præcordia, & dein caput ipsum (velut à vapore quodam ab inferioribus sursum elato) corripi: die proximo, cum materia hæc febrilis primo leviter cerebro infixa à cruore denuo resarciretur, symptomata prædicta ad tempus cessabant: dein brevi posthac (sanguine iterum efflorescente & incrementa sua rursus in cerebro deponente) ejusmodi, uti prius, affectionem ingruere hæc ægra persentiscit; quæ tamen frictionibus, fœtentium odore, aliisque remediis in passione hysterica usitatis per quatuor horas ab insultu retardabatur; quatenus nimirum spiritus animales ab externo objecto lacessiti, & in motum violentum irritati impedirentur, ne motus convulsivos ita subito conciperent: postea verò cum ista spirituum incitatio exterius adhibita cessaret, urgente adhuc causa morbifica, spiritus isti graviter obsessi non successivè ab extremitatibus incipiendo (uti priùs) sed derepente omnes tum in cerebro, tum in nervosa appendice unà in confusionem aguntur. Crisi ad hunc modum tentata, scilicet materiæ febrilis ad cerebrum translatione, morbi eventus tum in hac ægra, tum in aliis, quorum ægritudines diligenter observavi, plerumque funestus successit. Etenim sanguis, nisi valde depravatus & impeditus, depurationem suam tali crisi vix unquam molitur: & quotiescunque hoc modo excretionem satagit, cerebro & nervoso generi labem nec cito, nec facilè delebilem infligit: etiam ipsa cruoris massa raro admodum talis efflorescentiæ motu à materiæ febrilis impura mixtione immunis redditur.

Juvenis eruditus, gracilis habitus, & pallidi vultus, ineunte vere, nullius errati circa victum conscius; queri cœpit de lassitudine & impotentia ad ambulandum, etiam de capitis torpore & somnolentia: die secundo insuper siti, inappetentia, & præcordiorum æstu torquebatur: die tertio Medico accersito vomitorium sumebat, à quo cum ter evomuerat, & quinquies biliosa & calida dejecerat, nonnihil alacrior factus est, & nocte insequenti mediocriter dormivit: die quarto fuit stillicidium sanguinis in exigua quantitate; dein sitis & calor plurimum aucti: erat urina rubicunda cum sedimento copioso, & aliquali hypostasi. Quoniam autem post signa coctionis in urinis apparebat naturæ veluti oppressæ ad excernendum conatus sine evacuatione sufficienti, ideò sanguis ad 7. unc. mittebatur, & ex inde plurimum alleviari visus est; vesperi tamen omnia exacerbabantur, & exinde per tres dies febris usque intendi videbatur. Die septimo de gravi torpore in capite, & caligine oculis obversante querebatur: post meridiem hæmorrhagia copiosissimè successit, ut præ immenso sanguinis dispendio æger ferè viribus exsolveretur, atque opis medicæ pro sanguine sistendo maxima incumberet necessitas: in hunc finem cùm venæsectio in brachio, ligaturæ, epithemata, tum capiti, tum imo ventri adhibita, & quamplurima alia remedia (urgente præcipiti medendi occasione) à quibuslibet præscripta incassum tentabantur; tandem mulieris illuc casu occurrentis suasu, nari stillanti ferrum ignitum admovebatur, & derepente à vapore sanguinis torrefacti in nares suscepto istius fluxus sistebatur; hoc remedium postea in plerisque bono cum successu usurpatum novi. Copiosâ istâ hæmorrhagiâ febris continua judicata est; cui tamen intermittens quotidiana successit, qua postea juxta medendi methodum superiùs traditam brevi curata est.

Hæc febris sine manifesta occasione incipiens, ac per plures dies cum siti & calore continuata, erit synochus putrida dicenda; quæ tamen sine quovis horrendo circa initium aut statum symptomate, facili decursu licèt crisi demùm periculosa, & difficili, judicata est. huic sanguinis verno tempore turgescentia, simulque in eodem ventilationis defectus originem præbuerunt: cruor incendio febrili deflagrans circa diem quartum aliquantulum materiæ adustæ congesserat, ut efflorescens motum criticum (hæmorrhagiâ licet exiguâ) tentaret: evacuationis plenioris defectum venæsectio pro tempore supplevit; posteà recrementis adustis in magna copia congestis, iisdem in corpore non bene perspirabili per diaphoresin minùs difflari aptis, quo tempore natura erat crisin molitura, hæmorrhagia ingens sequuta. Cùm enim sanguis ob materiæ febrilis seclusionem motu critico agitatur, ejus particulæ quamplurimæ à mixtione solvuntur, ita ut turgescentiâ majori citatâ quodvis extraneum ipsis confusum eliminent: si hoc tempore cutis spiracula minùs pateant, cruoris massa (velut mustum utri strictioris orificii inclusum) usque insigniùs turgescit; & quia materiam febrilem per sudorem excutere nequit, unà cum ipso, quâ datâ portâ se foras proripit; quare cùm per vasa in apertura narium dehiscentia sanguini ebullienti facillimus pateat exitus, è ductu isto (instar ejusdem musti quando vas aperitur) spumosa rarefactione ampliatus copiosè exsilit. Febre continuâ hoc modo solutâ, quotidiana intermittens successit, quia post longam sanguinis deflagrationem, ejusque ingens dispendium, qui residuus erat cruor spiritu plurimùm orbatus, ac sale cum relicto sulphure perassato ejusmodi diathesin facilè

contrahebat, quâ succum alibilem haud ritè coquere, sed in materiam usque fermentativam pervertere aptus fuerit.

Matrona sexagenaria cùm linteis non satis à madore exsiccatis lecto instratis quadam nocte discubuisset, malè habere cœpit: primò afficiebatur catarrho suffocativo, ut præ serosa colluvie in laryngem exsudante, vix ei respirare, nedum dormire licuisset: postridie nausea & inappetentia, cum aliquali siti & caloris excessu suborta est: die tertio dolor acutus in latere, cum tussi & febre aucta invasit: urina fuit rubicunda & clara, cum hypostasi laudabili; pulsus inæqualis, & intermittens. Medico vocato sanguis ad 10. unc. detrahebatur, etiam isto die ab enemate immisso alvus copiosè soluta est: sub noctem dolor evanuit, & mediocriter dormivit; urina tunc erat rubicunda, turbida, & contentis saturata: die quarto febris nonnihil auctior: vesperi tussis valde molesta, succedente mox dolore acuto (ut priùs) in eodem latere: urina iterum clara, cum hypostasi: dolor à sanguinis missione denuò celebrata brevi cessavit. Die quinto febris remissior, nox tamen inquieta, cum calore & jactatione corporis, verum sine dolore. Mane proximo copiosè sudavit, & alleviata est; dein victu adhuc tenui per aliquot dies usa, & semel purgata, sine recidiva convaluit. Observatione dignum fuit, quod urgente dolore, urina erat clara, & cum hypostasi, nec à frigore turbata; quæ tamen, eodem sedato, statim crassa, magisque rubicunda, & contentis saturata evasit.

Hic morbus propter acutum lateris dolorem, velut symptoma pathognomonicum, pleuritis dicetur; verùm hic febrem habemus dolori præcedaneam, & minimè ipsius productum. Ægritudinis causa evidens fuit à pororum constrictione transpiratio impedita. Propter effluvia retenta sanguis effervescens, simulque seroso latice nimis scatens, plurimum ejus ex arteriis in laryngem terminatis quasi evomens, catarrhi suffocativi sensum inferebat; etenim hujusmodi affectus (uti & tussis cum sputo copioso) minimè oriuntur, eo quod humor aquosus (prout vulgò perhibetur) è capite in guttur & pulmones depluit; sed quia latex serosus modò è vasis pneumonicis immediatè in pulmones suffunditur, modò arteriis in laryngem dehiscentibus exsudans in pectus decumbit. Die tertio ab eodem humore seroso cum portione sanguinis in latere defixo dolor acutus oriebatur; etenim sanguis effervescere incipiens, cùm adhuc in se materiam à succo alibili degenerem, crudam, & (uti videtur) acidiusculam contineret, eandem (quia foras per diaphoresin rejicere nequiret) lustratione propiori per arterias intercostales in membranam costas succingentem deposuit; atque illic (uti semper in pleuritide assolet) sive coagulatione, (quod suspicari fas sit) sive vasorum obturatione sanguis eadem materiâ implicitus in motu sistitur; dein novi usque sanguinis appulsu mole auctus solutionem continui, adeoque dolorem acutum inferebat. Quod in hâc ægra ejusmodi materies sanguinis massam perturbans, cum portione ejus extravasati circa pleuram defigeretur, exinde constabat, quo niam urgente dolore urina erat clara & contentis minimè saturata: dein cùm vasa propter phlebotomiam inanita materiam istam prius è cruore exterminatam, in ejus massam denuò resorberent, urina statim turbida & contentis iterum gravida evasit: pulsus erat inæqualis & intermittens, propter idiocrasiam, quâ nimirum in qualibet intemperie ita se habere solebat: cùm enim ante plures annos hanc mulierem febricitantem curarem, pulsus inæqualis & intermittens mihi aliisque circa morbi eventum tristis præsagii metum incusserat; qui tamen eo tempore (uti & in hac ægritudine) sine horrendo quovis symptomate prospere cessit.

Juvenis robustus & εὐσαρκὸς circa solstitium æstivum post immodica exercitia, indeque frigus subitaneum calori superveniens male habuit: primò inappetentia, nausea, sævo capitis dolore, necnon siti, & calore solito intensiori afficiebatur: die secundo dolor acutus in latere dextro cum tussi & respiratione difficili invasit: sanguine statim è brachio ejusdem lateris copiosè detracto, dolor iste nonnihil remisit; qui tamen vesperi, cum tussi & sputo cruento atrocior factus, rediit. Nox insomnis & valde inquieta successit. Die tertio sanguis denuò mittebatur; insuper linimenta & fotus lateri dolenti applicabantur; pulveres, Julepia, & decocta antipleuritica intus sumpta: sub noctem dolor ferè in totum cessavit; dein mox cephalalgia immani cum vertigine æger afficiebatur. Die quarto fuit sanguinis stillicidium è nare dextra ad 2. unc. à quo affectus isti capitis planè cessabant: vesperi autem dolor in latere prius affecto cum majori atrocitate rediit; interim pulsus erat parvus & debilis, ut cum de sanguine mittendo consuleretur, periculum esset ne vires dejectæ tale remedium non admitterent: quare in exigua tantum quantitate phlebotomia celebrata, fotum & cataplasmata lateri diligenter applicari, insuper spir. cornu cervi guttas 20. in cochleari Julepii cardiaci propinari, idemque sex horarum intervallo continuo repeti præscribitur: sudavit ista nocte copiosè, & dolor plurimum remisit; sputum erat parvum, cruore interspersum, quod intra diem (dolore etiam sensim evanescente) omnino cessavit. Cepit æger bis in die ejusdem spir. c. c. 1. scrup. & sine recidiva intra paucos dies integrè convaluit.

Fuit hæc febris synochus simplex à causa evidenti, scilicet pororum constrictione, excitata: quamcitò cruor recrementis adustis nonnihil saturari, adeoque magis turgescere cœpit, materies quæ secerni debuerat, propter peculiarem ejus labem in pleuram transfertur, ibidemque defixa sanguinem sibi adscitum coagulari, ideoque circuitu sisti, & cum à venis minus exciperetur, statim extravasari coëgit: hinc dolor acutus in latere, & sputum cruentum mox ab initio hujus morbi acciderunt: dein postea eadem materies foco isto quem adsciverat depulsa, & in cruoris massam resorpta in capite defigitur, atque illic similem cruoris stagnationem, & (uti probabile est) coagulationem inducens, vertiginem cum atroci dolore inferebat; qui tamen affectus (hæmorrhagia ob sanguinem extravasatum oborta) brevi solvebatur. Parte materiæ morbificæ hoc modo detracta, pars altera

altera à sanguine resumpta denuo ad focum usitatum (scilicet latus prius affectum) convehitur, ubi deposita laticem suum (scilicet cruoris portionem) rursus coagulat, & extravasari cogit: etenim dolor iste cum sputo cruento die quarto renovatus, à sanguinis ebullitione nimia, ideoque è vasis exundantia provenire nequibat; quoniam isto tempore pulsus erat parvus & debilis cum vasorum concidentia, ut reverà cruorem vasis exsudasse putandum sit, eo quod à materia morbifica coagulatus (ideoque licet arteriis expulsus, à venis tamen referri minus habilis) in circuitu sisteretur. Huic dolor acutus succedit, quoniam sanguis crebro appulsu congestus, & in tumorem elevatus continui solutionem fecit. Etiam mox ab initio sputum cruentum supervenit, quia sanguis intus in corpore alicubi in motu cohibitus, ob tenerrima & facilè patentia vasorum oscula in cavitates exsudat; cum eidem exterius extravasato, propter cutim densiorem & obserata vasorum oscula, nonnisi in abscessum facto & suppurato patefiat exitus. Venæsectio in pleuritide incipiente prodest, eo quod sanguinem alicubi in circuitu præpeditum à nimia effervescentia cohibet; præcipuè autem quia cum vasa hac ratione valde deplentur, humores quoscunque prius exterminatos, adeoque sanguinem in parte affecta stagnare incœptum denuo excipiunt, & fluxilem reddunt. Etiam remedia circa initium hujus morbi maximè juvantia sunt ejusmodi quæ sanguinis coagulationem impediunt, aut inter coagulandum dissolvunt; qualia sunt quæ sale volatili aut alchalisato plurimum abundant, nimirum spiritus fuliginis, sanguinis, cornu cervi; item spiritus & sal urinæ, pulvis è chelis aut oculis cancrorum, è dente aprugno, aut mandibula piscis lucii, egregii sunt usus. Inter vulgares mos est infusionem stercoris equini propinare; quod equidem medicamentum in casibus fere deploratis non rarò opem contulisse novi. Interim acida quæcumque, quia sanguinem plus coagulant, & expectorationem impediunt, in hoc morbo summe lædunt.

Pro curatione febrium, tum pestilentium, tum malignarum, quàm in cæteris quibuscumque majori opus est judicio, & circumspectione: cum enim duo sint primaria indicantia, scilicet malignitas, & intemperies febrilis; tùmque alteri sine alterius detrimento vix prospicere liceat, utri prius sit occurrendum, & potius consulendum, non facile erit discernere. Respectu febris, purgatio, venæsectio, & refrigerantia imprimis conducunt: dum vero hæc celebrantur, malignitas plerumque augetur, & neglecta venenum latiùs diffundit: contra malignitatem alexipharmaca, & diaphoretica requiruntur; verum hæc febrem valde intendunt, sanguinem, ac spiritus prius accensos velut follium explosu plus exagitant, & totos quasi in flammam adigunt: quare hic magna opus est solertia, ut hæc ritè inter se conferantur, & unde plus periculi immineat, illinc intentiones curativæ immediatiùs designentur; ita tamen ut dum alteri consulitur, alterius neglectus non habeatur. Verùm in his casibus, præter Medici cujusque privatum judicium experientia potissimam medendi rationem suppeditat: cùm enim hæ febres primò grassantur, singuli ferè singula tentant remedia, & ex eorum successibus unà collatis facilè edi scitur, quali demùm methodo innitendum erit, donec ultimo crebro tentamine, seu transeuntium vestigiis, via quasi regia & lata ad hujusmodi affectuum rationem teritur, variisque observationibus monitisq; munita.

Præter hujusmodi febres, quæ simul in plures grassantur, & propter contagium, perniciem, & conspicuas virulentiæ notas, pestilentes, aut malignæ dici merentur, dantur aliæ quædam epidemicæ, seu populares, quæ singulis ferè annis, aut vere, aut autumno in quibusdam regionibus desæviunt, à quibus incolæ quamplurimi ægrotare solent, & non pauci, præsertim è senioribus, occumbere; in quibus tamen nulla pestilentiæ, aut malignitatis signa apparent, nec tam contagio videtur morbus ab aliis subinde in alios grassari, quàm ob prædispositionem ferè omnibus impressam unà plures corripere. Hujusmodi autem affectus à prægressa anni constitutione potissimùm dependent; si enim tempestas, propter excessus frigoris, aut caloris, siccitatis, aut humiditatis, valde intemperata præcesserit, adeoque diu perstiterit, sanguinem nostrum utplurimum à debita temperie immutat, quâ postea effervescentias febriles concipere aptus sit; atque hinc febris modò hujus, modo illius typi, ac ideæ producitur, quæ statim epidemica evadit, quoniam à causa communi, quâ simul omnium quodammodo afficiuntur corpora, originem ducit: tales verò febres, quatenus à sanguine diathesin modò acrem, modò austeram, aut alius generis, propter anni temperiem nacto dependent, utplurimum sunt de intermittentium censu: proprio tamen symptomatum apparatu, juxta peculiarem cujusque anni constitutionem insigniri solent. Has sub communi quadam norma, seu ratione formali, quæ singulis hujus naturæ qoadret, comprehendere non licet; quoniam ipsæ juxta pleraque accidentia quotannis variant. Utcunque tamen hujusmodi febrium nuperis annis in hac regione grassantium descriptiones tum temporis habitas in aliquale cæterarum specimen dabimus, & sub finem hujus operis coronidis loco subjiciemus.

Restat adhuc malignarum censui febres quasdam alias privatas, & nullius contagii participes ascribere; cujusmodi sunt in primis quæ fœminis puerperis, ob partum difficilem, & laboriosum, vel propter lochia detenta accidere solent. Siquidem has valdè periculosas, & non rarò lethales esse, observatione communi satis constat: nam si læsis uteri partibus, aut frigore admisso, aut aliâ forsan causâ lochia sistantur, & qui excerni debuerat humor sanguinis massæ confusus fuerit, ipsum veluti mixturâ quadam venenatâ pessimè inquinat, ut exinde statim febris excitetur, quæ malo symptomatum apparatu, scilicet calore, & siti immani, vomitu, cardialgia, & vigiliis utplurimum stipatur, & plerumque crisin aut nullam, aut valdè difficilem obtinet: quippe, nisi solitâ viâ lochiorum fluxus denuò restituatur, post sanguinis effervescentiam per aliquot dies habitam labes cerebro, & nervoso generi communicari solet; unde mox delirium, phrenitis, convulsiones, aliæque pessimæ affectiones sæpissimè indu-

inducuntur, quæ non raro in mortem terminantur: verùm hujusmodi febres considerationem peculiarem merentur, quam inferiùs, discursu in hanc rem appropriato, pleniùs habere statuimus; subit interea febrium superiùs traditarum, scilicet pestilentis, ac malignæ, instantias, seu exempla quædam proponere.

Febris pestilentialis nuperis annis rariùs quàm pestis ipsa in his regionibus grassata est: hujus generis unicæ, quæ nostræ observationi constitit, descriptionem brevi subjiciam. Anno 1643. cùm ineunte vere Essexiæ Comes Redingam præsidio Regio defensam obsidione premeret, in utroque exercitu morbus admodum epidemicus exoriri cœperat; utcunque tamen operi insistente illo, donec inclusi ad deditionem cogerentur, affectus ingravescebat adeo, ut brevi postea utrinque discessum, & deinceps per plures menses non cum hoste, sed morbo pugnatum fuerit, ac si exitiali ingruente lue, in aliud mortis genus, districtis jam, & velut huic uni incumbentibus fatis, divertere non esset otium. Essexius castra movens Thamæ locisque adjacentibus consedit, ubi magnam suorum partem brevi requisivit. Rex verò Oxonium rediit, ubi militibus primò in campo aperto, dein postea per oppida & vicos dispositis, non multò leviora passus est: pedites enim ejus (quos præcipuè invasit) gregatim in arctis contuberniis collocati, cùm omnia squalore, tetra immunditie, & fœdis odoribus complevissent (ut ipsum aëra inquinasse viderentur) catervatim, & quasi per manipulos ægrotabant. Tandem febris jam plus quàm castrensis inermem, & imbellem turbam, militum nimirum hospites, aliosque quoslibet passim invasit, qui primò (lue adhuc mitiùs inflicta) licet gravi, & diuturno languore obsessi, plerique tamen evaserunt. Circa solstitium æstivum febris hæc cum pejori symptomatum apparatu etiamnum increbrescere, & plurimos colonos, aliosque ruri habitantes occupare cœpit. Dein postea in hac urbe nostra, & universa vicinia per decem utrinmùs milliarium spatium grassabatur. Interim qui in aliis regionibus procul hinc degebant, velut extra contagii sphæram, noxæ immunes perstiterunt. Hîc verò morbus iste in tantum epidemicus evasit, ut maxima pars mortalium eodem inficeretur: quamcunque domum intraverat, statim totam adoriebatur, ut vix è sanis superessent, qui malè habentibus ministrarent. Advenæ, aut conducititii in ægrorum ministeria vocati, mox eadem corripiebantur lue; ut demùm præ contagii metu, ex hac febre decumbentes ferè ac peste laborantes à sanis vitarentur.

Nec minima quidem pernicies, aut mortalium strages hunc morbum comitata est; quippe senes, cachectici, phthisici, aut aliàs invaletudinarii quamplurimi hoc fato interiere, etiam puerorum, juvenum, maturæ, & robustæ ætatis hominum non pauci. Memini in quibusdam villis seniores ferè omnes hoc anno vitâ abreptos, ut vix superessent qui traditionibus antiquitus acceptis Parœciæ mores, & privilegia tueri potuerint.

Quando hæc febris primò incœpit, synochi putris typum nonnihil referebat; erat tamen judicatu difficilior; & cùm sudore, aut diarrhœa solvi videretur, statim recrudescere solita erat: plerumque verò post sanguinis deflagrationem per sex, aut septem dies continuatam, hac remittente, & criseos vice, materiâ adustâ in cerebrum translatâ, cum furore nonnunquam, sæpiùs cum torpore, imbecillitate magna, & aliquando motibus convulsivis ægri longo tempore decumbentes vix tandem evaserint. Circa mediam æstatem præter contagium, & funerum frequentiam, signis apertis, scilicet exanthematum, & macularum eruptione hic morbus vim suam malignam, & pestilentialem prodidit: quippe sub hoc tempus multis sine magno febris incendio pulsus inæqualis, debilis, & plurimùm inordinatus, etiam sine manifesta spirituum expensa vires statim languidæ, & valde dejectæ evaserunt: aliis simili ritu decumbentibus papulæ modò exiguæ, rubræ, modò latæ ac lividæ apparebant: in multis bubones (uti in peste) circa adenes. Ex his nonnulli sine magna spirituum lucta, aut excandescentia febrili in cruore citata tacitè, & improviso emoriebantur: interim alii mox furibundi quoad vitæ participes fuerant, spirituum animalium distractiones horrendas perpessi sunt. Ex hoc morbo evasuri, sine crisi laudabili (nisi sudore ab arte provocato citiùs liberarentur) cerebro demùm, ac nervoso genere affectis, cum sensuum stupore, tremoribus, vertigine, membrorum debilitate, ac motibus convulsivis, nonnisi post longum tempus convaluerunt. Durante Caniculâ hic morbus usque infestus, non uti febris, sed velut mitior pestis tractari, & remediis tantùm Alexipharmacis expugnari cœpit: phlebotomia huic usque fatalis credita est; vomitoria, & purgationes interdum, licèt non ita crebro, usui fuerunt; potissima autem medendi ratio in Alexiteriis, & diaphoresi tempestivè procuranda statuebatur. In hunc finem præter Medicorum præscripta è pharmacopolis petita, remedia quædam Empirica laudem non exiguam meruere. Tunc primùm in hac regione pulvis Comitissæ Cantii magni nominis esse cœpit: etiam non minimæ notæ fuit pulvis alter cineritii coloris, quem Aulicus quidam in hac urbe forte diversatus bono cum successu pluribus exhibuit, aliisque ejus usum probantibus, magno pretio venalem exposuit. Solebant ægri ab hujus semidrachma in quovis liquore propinati in sudorem copiosissimum incidere, adeoque à morbi virulentia liberari. Fuit diaphoreticum illud (cujus præparationem ab Authoris consobrino posteà edidici) solummodo Bufonum Sale expurgatorum, dein vino optimo lotorum, & in olla fictili leviter calcinatorum pulvis. Vergente Autumno hic morbus de solita atrocia sensim remittebat, ut pauciores ægrotarent, & eorum plurimi convalescerent; donec incumbente hyeme, febre istâ ferè in totum evanidâ, status denuo salubris in hac urbe, & rure circumcirca in solidum reddebatur.

Liceat hic febris ab initio tantùm castrensis, demùm pestilentialis, ac epidemicæ factæ exortum, progressum, & postremò exitum intueri. Quod primò in militum castris morbus incœperit, non tantùm eorum squalori & tetris odoribus, verùm aliquatenus communi aëris vitio imputandum videtur: cùm enim hæ febres non quotannis eveniant, earum origo peculiari consititu-

stitutioni anni nonnihil adscribenda est. Quippe exinde contracta levior auræ intemperies, licet salubriter degentes haud malè afficiat; in exercitu tamen, ubi προκαταρξ isti generali causæ evidentes, scilicet errores in sex non naturalibus, quamplurimæ accedunt, ejusmodi ægritudines faciliùs concitari necesse est. Fuit autem hujus anni constitutio verna imbribus ferè continuo madentibus valde humida; cui dein Æstas calidior succedens contagii febrilis miasmata hîc priùs gliscentia usque in pejus evexit, & corpora quævis ad suscipiendum ista magis disposuit. Quare quod hic morbus ferè huic regioni proprius, & hoc tempore epidemicus extiterit, ejus seminario ab exercitu circumcirca considente primitus oriundo debetur. Inquantùm verò pestilentialis, & valde epidemicus postea factus mortalium hîc degentium plurimos infecerit, & non paucos interfecerit, in causa erat mala aëris affectio, qui propter anni intemperiem minùs salubris, insuper halituum tetrorum à militum castris, & ægrotantium contuberniis exspiratione continuâ ita demùm vitiosus evaserit, ut in eo dispersa hujus febris miasmata exaltarentur valde, & ferè ad pestilentiæ virulentiam assurgerent. Refert *Diemerbrochius*, ab hujusmodi febre castrensi Noviomagi in æstate excitatam postea aliam malignam, & pestilentialem, ac dein pestem ipsam accrevisse. Etiam febrem hanc nostram ultimò ipsius pestis fuisse æmulam, præter magnam vim contagii, & funerum frequentiam, indicio erant ab eadem in omnibus cruoris, & liquoris nervosi affectiones pessimæ statim inductæ; quippe vires subitò dejectæ, pulsus debilis, intermittens, formicans, papularum, & bubonum eruptio sanguinis coagulationem, & dispositionem corruptivam arguebant: insuper delirium, mania, phrenitis, torpor, somnolentia, vertigo, tremores, motus convulsivi, aliique diversimodi capitis affectus insignem cerebri, & nervosi generis læsionem ostendebant.

Ut febris malignæ typus, sive idea ad vivum depingatur, observationes, seu ægrotantium historiæ quamplurimæ satis ad manum prostant: è pluribus hujus morbi exemplis libet hîc pauca tantùm inserere, quæ ante aliquot annos in domo venerabilis viri ut cum clade luctuosa, ita non sine admiratione quadam obtigerunt.

Circa solstitium hyemale, Anno 1655. puer in ætate circiter septem annorum, sine causa manifesta malè habens, gravi capitis dolore, somnolentiâ, & insigni torpore afficiebatur: simul aderat febris, licèt minùs intensa, cum incendio mediocri; quæ tamen paroxysmis vagis, modò semel, modò bis in vigintiquatuor horarum spatio exacerbabatur: mox ab initio morbi ferè continuò dormiebat, etiam in somnis ejulare, incongruè fabulari, & sæpius lecto exsilire solitus. Excitatus, ac interdum sponte evigilans, statim animo constare, & potum constanter requirere solebat. Urina fuit rubicunda, & contentis saturata; pulsus æqualis, & satis robustus; tendinum in carpis contracturæ leves; in collo aliisque partibus corporis maculæ quædam rubræ pulicares apparebant. Primis diebus lenis purgatio, & (enematum usu) crebra alvi subductio instituebatur; Julepia cardiaca cum Alexiteriis quotidie sumebantur; vesicatoria collo, aliaque emplastra pedum plantis fuerant adhibita: die sexto sanguis parum è naribus stillavit; septimo sine manifesta diacrisi febris plurimùm remisit; calor tantùm mitis fuit tactu perceptibilis: etiam urina pallida, tenuis, sine quovis sedimento. Attamen somnolentiâ, & capitis torpore longè graviùs molestabatur, ita ut urina, & excrementa alvi involuntariè effluerent: utcunque voce interpellatus adstantes novit, & interrogatis respondit. Affectiones istæ non obstantibus remediis indies ingravescebant: circa 14. diem æger adeo stupidus evasit, ut nec intelligere, nec loqui potuerit; usque tamen ori ingesta (licèt inscius) deglutivit, fuitque pulsus satis laudabilis: sub hoc tempore diarrhœam sponte naturæ excitatam per quatuor dies passus est: qua demum cessante, crusta albicans, & velut cretacea totam oris, & gutturis cavitatem oblinire cœpit, qua sæpiùs in die detersa, nova statim erupit. Cum deinde per quatuor dies hoc modo laborasset, circa intellectum, & sensationem melius habuit, ita ut parentes, & amicos dignoscere, dictis annuere, & jussa aliqua exequi potuerit. Prout verò facultas sensitiva restitui, ita circa loquelæ, & deglutionis organa malum ingravescere cœpit, proculdubio materia è cerebro in nervorum principia, & ductus prolapsa. Torpori ac stupiditati paralysis in lingua, ac gutture successerat; qui affectus brevi in tantum accrevit, ut postea ægrotus non omninò deglutire potuit, quin ore ingesta statim effluerent, nec quidquam in ventriculum illaberetur. Cum præter morbi atrociam periculum esset, ne hic fame enecaretur, instrumentum parabatur ex pinnâ cetacea in virgunculam flexilem efformata, ejusque apici nodulo bombycino adaptato; atque hoc gutturi intrusum clausuram ejus pro tempore reserabat, quo alimentis ingestis transitus patefieret. Post hujus usum die uno, aut altero iterum deglutire, & dein satis alimenti ingerere potuit: atque intra paucos dies loqui, quidvis discernere, atque mirabiliter esuriens totis diebus esculenta cujuscumque generis postulare, & oblata quævis avidissimè vorare cœpit. Interim præ diuturna ægritudine, & partibus nervosis graviter læsis in tantum emaciabatur, ut demum ossibus vix cuti cohærentibus, sceleton vivum exactissimè repræsentaret. Postea tamen matris sedula, indefatigabili, & prudenti circa victum cura sanitatem perfectam recuperaverit, & adhuc sanus vivit.

Dum hic puer ægritudinis suæ vix ἀκμὴν transegisset, frater ejus binorum circiter annorum ætate major, Idibus *Januarii* ferè simili ritu decubuit. Primò torpore, & capitis gravitate, perendie febricitans somnolentia, & stupiditate afficiebatur: in somnis delirè fabulari, dein evigilans vix animo constare cœpit; post quatuor, aut quinque dies symptomata hæc ingravescebant: parum intelligere, nonnisi titubanter, & vix articulatè loqui potuit. Urina fuit crassa, opaca, sine hypostasi, aut contentorum subsidentia: maculæ rubræ, exiguæ, pulicum morsui similes, prout in fratre apparebant. Excrementa tum alvi, tum vesicæ involuntariè effluebant. Pulsus verò adhuc robustus, & æqualis constabat. Hypochondria erant tensa, & inflata

cum tumore abdominis; circa diem octavum stillicidium sanguinis exiguum erupit: die ægrotationis undecimo in diarrhœam incidit, qua intra quinque horas septies dejecit biliosa, tenuia, & summè putida, unde spes aliqua conditionem ægri meliorem fore: postridie tamen fluore alvi cessante, dolor, ac tormina in ventre immaniter infestabant, ut clamans, ac ejulans die ac nocte quærelas gravissimas misceret: hypochondria, & abdomen instar tympani erant tumida & valde distenta. Cum à nullis remediis plurium Medicorum opera exquisitissima tentatis quidquam levaminis recipere potuisset, die decimaquarta in his cruciatibus convulsus obiit.

Paulò post hujus mortem, scilicet 16. Idus *Februarii*, frater ejus senior, circiter undecim annos natus, spei optimæ puer, febricitare incœpit, torpore, & gravitate capitis, uti priores, licet minus intensè, affectus: verum in sanguine, qui temperamenti erat calidioris, major effervescentia, & perturbatio apparebant, ut primis sex diebus præter calorem & sitim, continuo excretionis nixu, modo per sudorem, modo per alvi fluxum molestaretur. Urina erat rubicunda, & turbida: maculæ quædam rubræ, prout in cæteris, eruperunt: die septimo hæmorrhagia ad quinque uncias obtigit, quâ cessante torpor ingens successit, ut per totum istum diem, & noctem sequentem vix oculos elevare potuerit. Die octavo hæmorrhagia narium iterum copiosissima insequuta est, ut periculum esset, ne unà cum sanguine animam effunderet: cruor copiosè adeo è nare sinistra exsiliit, ut pelvi exceptus casu suo in bullas ingentes efformaretur. Cum supra duas libras sanguinis amiserat, & sudore frigido perfusus viribus exsolvi incœperit, remediis demum adhibitis difficulter admodum fluxus sistebatur. Hæmorrhagia sedata puer altum dormivit, ac toto isto die somnolentus evasit: crebrò tamen evigilans, satis animo constabat, eratque sensu, & intellectu vegetis: de valetudine interrogatus, se mediocriter habere dixit. Urina, quæ prius erat rubicunda & turbida, tunc pallida, tenuis, & cum hypostasi laudabili apparebat, ut videretur æger (præsertim quia sitis, & immodici caloris expers) perfectè judicatus, & febre immunis. Mane sequenti, die febris nono, adhuc torpidus mansit: excitatus verò, sine intemperie, & alacriter degens in convalescentiæ statu videbatur, nisi quod loquela parum vacillare cœperit. Vesperi cum res minus essent suspectæ, febre denuò accensa, derepente in lethargum incidit, ut ægrè à somno excitari, vellicatus vix quemquam noscere, aut articularè loqui valeret. Licet adeo immanis sanguinis jactura præcesserat, pulsus fuit denuò citatus, altus, & vehemens, etiam urina rubicunda. Post remedia derivantia, & revellentia tota isthac nocte usurpata, egregius hic juvenis paulò in meliori statu visus est, ita ut manè proximo diutius à somno continere, oculos huc illuc deflectere, & se parum exigere incœperit, sine loquela tamen, aut adstantium notitia. Ante meridiem oculis denuò clausis, cujusque facultatis animalis usum penitus amisit: cum pulsu alto & vehementi, palpitatione cordis, respiratione anhela, & suspiriosa, triduo velut apoplecticus jacuit: pulsu demum sensim diminutiore facto, die febris decimotertio mortuus est.

Decimoquarto Calendas *Martii* hujus soror minuscula, cum intemperie febrili & siti, queri cœpit de dolore, & torminibus in ventre, tremore in manibus, & tensione dolorifica in musculis colli: ultimo *Februarii* apertius febricitans lecto abstinere nequivit; insuper calore vago, modo in facie, modo circa partes inferiores afficiebatur: item torpida, & somnolenta evasit; è somno evigilans haud statim animo constitit. *Martii* primo cum expressione Rhabarbari fuit leviter purgata, cum levamine: urina crassa, & rubicunda fuit; etiam maculæ rubræ petechiales (prout in cæteris) erant conspicuæ. Huic deinceps per quatuor dies crebris vicibus, nimirum sex horarum intervallo, exhibuimus spir. cornu cervi guttas 10. è cochleari Julepii Cardiaci: symptomata prædicta postea sensim remiserunt, & sine manifesta diacrisi hæc ægrotans salutem, licet tardè, recuperavit.

Sub eodem tempore fraterculus horum ætate minimus ferè simili ritu ægrotavit; qui tamen diarrhœa sponte naturæ oborta, per plures dies biliosa & viridia dejiciens, facilius absolvebatur. Etiam in eadem familia plerique alii domestici, atque advenarum administrantium nonnulli, velut labe per contagium propagata, ex eodem morbo decubuerunt: qui tamen omnes difficili demùm, & lenta convalescentia sine crisi regulariter facta evaserunt.

Hanc febrem fuisse malignam, ex contagio, pernicie, macularum pulicarium apparentia, multisque aliis indiciis constare videtur; licèt miasma illud inficiens, quo ab alio subinde in alium grassata est, torpidum & minoris efficaciæ extiterit: quippe inter singulorum ægrotationes plures dies, ac sæpius hebdomadæ intercesserunt, ut morbi hujus, etiamsi acuti infectio, ac in plures disseminatio vix intra quadrimestre spatium in eadem domo finiretur. Febris circa prima initia visa est mitis, & blanda, haud multum incendio terribilis; attamen materies à sanguinis deflagratione congesta, statim indomita, exterminatu difficilis, item cerebro, & nervoso generi inimica evasit: quare in singulis morbi initia torpore, & somnolentia, potius quam fervore, & æstu erant dignoscenda. Etiam crisis, licet variis modis, scilicet per sudorem, diarrhœam, hæmorrhagiam, tentata haud feliciter successit, quin plerumque sanguis motu critico turgescens materiam febrilem è propriis finibus in spirituum animalium domicilia transferre cogebatur; nec tamen ipse hoc ritu depuratus evasit, quin circa febris statum, utrique humores (nimirum & cruor, & succus nervosus) impura mixtione simul vitiati, & graviter tacti, morbi eventum aut funestum, aut valde periculosum constituerunt.

Febris Lactea.

Utcumque verò hujus morbi causa statuatur, circa curationem parum aut nihil intererit: hæc enim naturæ omninò committitur, & quamdiu lochia se rectè habent, sine ope medica utplurimum sat feliciter procedit: quippe post effervescentiam sanguinis per 3. aut 4. dies peractam, aut sudor copiosus, aut transpiratio liberior hunc affectum solvit; nimirum aut particulæ

riculæ humoris lactei inter assimilandum degeneres, aut recrementa adusta à sanguinis deflagratione residua, aut simul utraque fomitem febri suppeditantia paulatim subiguntur, & foras evaporantur; quibus exclusis, sanguis extranea mixtura liber factus, cito pristinum statum recuperat; interea tamen quædam regulæ vulgares circa lactis admissionem, aut ejusdem ex uberibus propulsionem observari solent. Si lac copiosè nimis in mammas prosilit, ut earum inflammatio, necnon immodica sanguinis effervescentia præcaveantur, tunc temporis victus tenuior & parcior, nimirum ex jusculo carnium experte, & in minore quantitate imperatur; etiam ubera suctu crebriori depleantur. Si matri infantem lactare minus commodum fuerit, usitatum est primo, aut tertio à puerperio die ceratis modicè adstringentibus (utpote ex Emplastro de minio, &c.) totas mammas obtegere, sic enim spongiosa glandularum substantia nonnihil constringitur, quo humorem lacteum illuc scaturientem minus promptè suscipiant. Hoc tamen remedii genus cautè adhiberi debet, ne si lac omninò excludatur, aut nimis confertim è mammis abigatur, in cruorem subito restagnans, ejusdem inordinationem, febris putridæ, sive malignæ prodromam inducat: de qua proximè dicendum restat.

Puerperarum Febres putridæ.

Circa curationem hujusmodi febrium Medico difficile admodum incumbit pensum, quoniam puerperis pharmacia quævis non modò inutilis, at insuper noxia admodum apud vulgus habetur: quare Medici rarò accersuntur, nisi cùm remediis nullus relinquitur locus, & utilis operæ omninò præteriit occasio. Quod si fortè circa prima morbi initia adfuerint, non facile erit vulgaribus remediis laborantibus salutem procurare; quodcunque verò tentaverint, ni istud opiferum fuerit, à mulierculis, & adstantibus exitiale, & unica mortis causa perhibetur: ut revera circa nullius morbi curationem minùs commodi, & plus opprobrii nobis obvenire soleant.

Methodus autem medendi (non secus ac in morbis contagiosis) duplex institui debet: nimirum prophylactica, & therapeutica. Prior harum tradit præcepta, & cautiones, quibus puerperæ à febrium incursu præserventur: altera intentiones curativas suggerit, quibus laborantes (si modò fieri poterit) salutem denuò recuperent.

1. Licèt hæc febris, quantumvis maligna fuerit, contagio minimè accersatur, & decumbentibus nullus venenati miasmatis ab extra suscipiendi incumbat metus; attamen puerperæ omnes indigenam habent virulentiæ mineram, & ab hujus noxa, tanquam summæ malignitatis fomite, cavere debent: quapropter iis exacto regimine opus est, quo nimirum à partu sine febris periculo impuritates sanguinis, & humorum ritè expurgentur, necnon uteri malæ affectiones sanentur, atque vires à partu fractæ, & debilitatæ debito modo restitui possint. Propter hos fines erunt hæc tria præscriptis Medicis potissimùm inculcanda. *Primò* exactissimam victûs rationem puerperis imperari necessarium duco; nimirum ut jusculis avenaceis, modò ex cervisia, modò ex aqua vino albo admixto paratis, necnon panatella, aliisque levioris nutricatûs, per septimanam utminùs omninò vescantur: sed quia multùm inaniuntur, ideo crebriùs eis sorbere licebit; at nihil solidi, aut fortioris alimenti exhibeatur. Etenim diligenter observavi, quod has febres sæpissimè induxit præpropera carnium, aut esculenti lautioris comestio. Quippe puerperæ non solùm uti graviter vulnerati, verùm sicut indispositionem febrilem ex perturbata sanguinis crasi, & temperie nacti tractari debent: apud ipsas enim cruor pridem nimium evectus, & velut impuro miasmate tactus, pabuli cujusvis Sulphurei citissimè flammam concipit. *Secunda* post victum erit cura, ne à frigore externo incautiùs admisso constipentur pori, aut sistantur lochia: etenim à levissima occasione, immutato διαίτης modo, sanguis priùs effervescens inordinationes concipit, necnon uterus auræ afflatu tactus se contrahit, & vasorum ora, quò lochia minùs fluant: quapropter per quinque utminùs à partu dies mulieres in lecto detineri omninò velim. Scio, quod vulgi mos sit quasvis die tertio è lecto exsuscitare; verùm exinde plures in febres incidisse novi: & reverà si puerperas extra periculi aleam consistere cupiamus, tutissima erit ratio, ut diutiùs se lecto contineant. *Tertius* circa præservationem restat scopus, ut puerperis, facta leni sanguinis proritatione, lochiorum fluxus continuetur: in hunc finem solent obstetrices (si quando à partu difficili id malum timetur) sperma ceti, pulverem tegulæ Hibernicæ, aut crocum vino albo intinctum exhibere: Porrò juscula avenacea, ut sanguinem magis fundant, ex aqua vino albo, aut Rhenano admixto parare, quibus, aut etiam sero lactis, flores calendulæ, folia pulegii, aut artemisiæ incoquunt. Extant pleraque alia administrationum genera circa puerperas habenda, quæ utpote vulgo nota hic libens prætereo.

Febris puerperium subsequentis Therapeia à methodo in putridis usitata longè recedit: enimvero in ista non expectandum est, ut sanguis incendio febrili tactus gradatim deflagret, dein recrementa adusta in sinu ejus sensim congesta subigat, eademque crisi secernat: quin potiùs (uti in maligna fieri amat) quamprimùm immodicè effervescit cruor, à remediis blandè diaphoreticis ipsum exagitari, ejusque mixtiones heterogeneas, & impuras foras eliminari convenit: quare inter vulgares (idque haud perperam) in more est puerperis febricitantibus statim sudorifica exhibere: hoc ritu sanguine eventilato, ejus effervescentia sedatur; necnon propter agitationem ejus lochia cohiberi apta in effluxum proritantur. Inter authores plurimùm disceptatur, unde hujusmodi febrium initia computari debent, scilicet an ab ipso partu, an à primo febricitationis sensu? Attamen parum intererit, sive hoc aut isto modo hujus solutio statuatur: nam si quidem hæc febris solita putridarum stadia haud æquabiliter decurrat, nec crisin habitura sit, neque remedii cathartici usum omninò admittat, non est ut de periodo ejus, aut mensuratione quoad dies omninò soliciti simus: at verò circa indicationes curativas solùm ex usu erit distinguere de agendis in morbi hujus principio, augmento,

to, & fine; quid etiam, dum vires nonnihil constant; etiam quid in iisdem oppressis, & valde dejectis moliri debemus.

Cùm itaque hac febre puerpera quæpiam primò afficitur (cujus insultus à lactea dignoscitur, quia cum rigore utplurimùm incipit) protinus danda erit opera, ut sanguini flagranti uberius detrahatur pabulum, & ut superiùs monui, animalium carnes, aut juscula ex iisdem procul amandentur: interea tamen frigida quævis, & virtute stypticâ pollentia æquâ sanctione arceantur: hæc enim sanguinem figunt, & constipant nimis, ejusque expurgationem valdè requisitam tum per lochia, tum per transpirationem cutaneam, impediunt. Quin potiùs, febre licèt urgente, decocta, pulveres, aut confectiones è moderatè calidis exhibeantur: hujusmodi sunt (prout jam dictum) decocta, aut aquæ destillatæ florum calendulæ, foliorum pulegii, artemisiæ, radic. scorzoneræ, necnon pulveres Bezoartici, spir. cornu cervi, Sales herbarum fixi, &c. Si lochia sistantur, ut eorum fluxus denuò cieatur, omni modo entendum erit: huic promovendo conducunt frictiones, & ligaturæ circa femora & crura, interdum cucurbitulæ, aut vesicatoria circa femora, aut coxas, necnon in plantis pedum; quandoque etiam venæsectio in talo convenit; interea fotus ex decocto hysterico circa pubem applicetur, vel omentum vervecinum calidè exemptum imo ventri imponatur. Pessaria, & injectiones uterinas aliquando prodesse experientiâ constitit: si alvus non respondeat, glande violaceo dicto, aut clystere emolliente blandè subducatur. A proritatione fortiori cavendum erit, quoniam in puerperio, non secus ac in febre maligna, à copiosa dejectione cum spirituum deliquio vires subitò exsolvi constat. Si quando cum lochiorum suppressione sanguinis perturbatio insignis cum vomitu, siti, & vigiliis adfuerit, sæpe Laudanum croco admixtum felici successu exhibitum novi. Vice Julepii refrigerantis hujusmodi mixtura convenit, scilicet:

♃. Aq. pulegii, melissæ, an. unc.3. hystericæ unc.2. Syrupi Artemisiæ unc.1.sem. tincturæ croci drachm.2. Castorei in petio ligati, & suspensi scrup.1. Misce. Hujus cochlearia tria, aut quatuor aliquoties in die propinentur.

II. Si non obstante hujusmodi remediorum usu, febris usque ingravescat, & cum pejori symptomatum apparatu sensim augeatur, ut præter sanguinis inordinationes cerebrum, & nervosæ partes percelli incœperint, medicamina, licèt plurima cujusque generis tentantur, sæpissimè minùs prosunt: quinimò in hoc casu indicationes cum istis in ipsa peste adhibendis ferè coincidunt; siquidem lochia aliquandiu suppressa haud facilè, aut vix omninò, in magna sanguinis, & humorum confusione reduci poterunt, ideo diaphoresin citatiùs movere convenit; nimirum ut corruptelæ sanguini, & succo nervoso impressæ, & ab utero restagnantes per sudorem & transpirationem insensilem quodammodò eliminari possint. Quare hìc pulveres, & confectiones Bezoarticæ, spir. cornu cervi, aut fuliginis, tincturæ è coralliis, aut margaritis conducunt. Vidi aliquoties hujusmodi medicamentorum ope in casu deplorato, cum pulsu, aliisque symptomatis paulisper meliùs se habentibus aliquantulum spei affulsisse; curatio tamen rarius successit, quin cùm iste cardiacorum usus remitteretur, cum pulsu debili, & diarrhœa statim oborta laborantes in lethum præcipites ivere.

III. Cùm adhuc in deterius res ægrotantium vergant, ut cùm febre auctâ pulsus debilis, & inæqualis fuerit, ac crebri horrores, & motus convulsivi in toto corpore cum delirio, aut stupore infestent; tunc Medicus facto priùs lethi prognostico, remediis paucioribus, iisque ferè tantùm cardiacis insistat: & à sanguinis missione, scarificatione, vesicatoriis, aut cucurbitularum usu omnino abstineat; tales enim administrationes solum odium, & opprobrium accersunt, ut propterea à fœminis quibusvis malefici, & crudeles habeamur.

Febres puerperarum symptomaticæ.

Acuti puerperarum morbi non modò juxta febris prædictæ typum se habent, sed nonnunquam symptomate quodam insigni, scilicet anginâ, pleuritide, peripneumonia, dysenteria, variolis, aut alius generis stipantur; & tunc temporis affectuum istorum appellationes sortiuntur. Non erit opportunum quæ ad naturas, & essentias singulorum latè pertinent, hoc in loco repetere: quid verò ægritudines istæ cum puerperii affectionibus complicatæ, circa causas, aut curationes peculiare habent, breviter subjiciam.

Cuncta isthæc symptomata à sanguinis coagulatione quadam, & exinde ejus extravasatione procedere arbitramur: dum verò sanguis extravasatur in una parte, ejus effluxus quilibet naturalis, & criticus cohibetur in alia: quare periculum est, ne dum cruor aut in particulari assuetoque congelationis foco, aut universim in tota ejus massa coagulari incipiat, protinus lochiorum dimanatio sistatur; quod reverà utplurimum accidit, ideoque affectus isti puerperis sæpissimè lethales existunt: attamen exitii causa cum aliquo discrimine plerumque evenit, scilicet in variolis lochia fluentia malignitatem exteriùs eliminari cœptam intus revocant, ejusque labe sanguinis massam, & cor ipsum prorsus venenari cogunt: ideoque in variolis purgamenta isthæc uterina sisti convenit: in pleuritide autem, anginâ, & cæteris, cùm morbi stimulus hic, aut illic particulari loco defixus, impuritates sanguinis per lochia secerni debitas sibi accersat, & prorsus ab utero derivet, propter istam rationem cruoris inquinamentum adauget. Lochia in variolis cohibita universaliori excretionis modo cum particulis morbi venenatis foras excludi poterunt; quod quidem in cæteris ob minutulam, & parciorem ἐκκρίσεως viam non succedit.

Ex his Angina, Pleuritis, & Peripneumonia, propter magnam & causæ similitudinem, & curationis analogiam, unà considerari poterunt. Cum puerpera qualibet harum afficitur, putandum est quod præter miasmata ingravidationis tempore congesta accedit sanguinis diathesis quædam acidiuscula, cujus ratione, dum ipse febriliter effervescit, ejus particulæ quædam acore perfusæ in hoc, aut isto loco congelationem, instar lactis acescentis, & proinde coagulati, subeunt; cruor ibidem gelatus, & in circuitu

cuitu præpeditus reliqui transitum inhibet: sanguis autem motu obstructus in obicem suum arietat, adeoque circumcirca congestus, & extra vasa propulsus in tumorem accrescit: inde statim quidquid in ejus massa heterogeneum, & secernibile continetur, in partem affectam velut cloacam deponitur; quare sanguinis corruptelæ per uterum expurgari debitæ illinc versus morbi hujus focum derivantur, quæ cum hac via satis expurgari nequeant, & cruoris liquor insignius corrumpitur, & affectus istius particularis, scilicet anginæ, pleuritidis, aut alterius judicium redditur difficiliùs.

Pro curatione complicatarum hujusmodi ægritudinum à primis statim initiis entendum erit, ut sanguis alicubi defixus, & extravasari cœptus circulationi restituatur, nec apostema faciat, quoniam rarò admodum puerperæ febribus istis symptomaticis correptæ, materiæ abscessu, aut sputo sanantur: quapropter remedia interna, quæ sanguinem fundunt, & à coagulatione liberant, erunt usurpanda, cujusmodi sunt imprimis Diaphoretica Sale volatili referta, ut sp. c. cervi, fuliginis, urinæ, necnon Sales ipsi: item pulveres testacei, & Bezoartici, lapis prunellæ, decocta, & julepia è vegetabilibus menses, aut urinam moventibus: quibus omnibus admisceri debent quæ experientia duce, uterinis affectibus appropriata reperiuntur. Insuper parti affectæ remedia discutientia, quæ materiem impactam abigant, & dispescant (cujusmodi sunt linimenta, fotus, & cataplasmata) sedulo erunt applicanda. Interim sanguinis impetuosior motus, & effervescentia immodica procul inde amandentur, & purgamenta ejus, quibus fieri possit modis usque inferius transferantur. In hunc finem frictiones, ligaturæ, epispastica, & (si opus fuerit) cucurbitulæ circa pedes, & crura adhiberi poterunt. Si affectu plurimum ingravescente sanguinis missio indicatur, nisi ingens plethora in toto corpore, & inflammatio valde acuta in parte affecta adfuerint, venam in pede secari, aut vasa hæmorrhoïdalia hirudinum suctu aperiri præstabit; sin verò necessitas urgeat, ipsam in brachio fieri. Post isthac habitam phlebotomiam, altera (si admitti poterit) in crure subsequatur: verumtamen monendum erit, venæsectionem caute admodum in his casibus institui debere; nisi enim juvamen præstat (quod raro contigisse novi) statim pulsu debiliori facto, res ægrotantium in pejus ruit.

Dysenteria à simili fere causa cum prædictis affectibus ortum ducit; verùm in hac, quia sanguis extravasatus illicò profunditur, nec in corpore retentus illic molestiam facit, & plus adhuc corrumpitur; cumque hæc ἐκκρίσεως via prope uterinum effluxum fiat, eumque postea non alio derivat, hinc minus ab hoc morbo, quàm ab aliis prædictis periculi timetur: sæpenumero tamen hic affectus puerperis lethalis est; eo quidem potius, quoniam à dysenteria sanguinem attemperantia, & modicè astringentia indicantur; hæc verò lochiorum fluxum inhibere nimis apta reperiuntur: quare in hoc casu, donec puerperæ diutino fluore fere satis expurgantur, alterius morbi curatio omittatur, & tantum demulcentibus symptomatum ferocia compescatur.

Variolarum indicationes non modo ab istis supra descriptis dissident, at verò sibimetipsis contrariis stipantur; etenim lochiorum fluxus modice cohiberi (quemadmodum dictum est) postulant; interea tamen ut sanguinis efflorescentia, & blanda diaphoresis continuari debeant: cum enim in hoc morbo fermentum venenatum duplex extiterit, & particulæ sanguinis corruptæ in duplicem extrinsecus ferantur viam, cavendum est, ne minor, & angustior porta materiam aut totam, aut plus quam extramittere poterit, ad limen suum attrahat: itaque ne lochia copiosius fluentia venenum exterius efflorescere aptum intus revocent, erit ratio victus nonnihil immutanda; atque imprimis ægrotantium jusculis, quæ vi alexiteria, simulque adstringenti pollent (uti sunt radix tormentillæ, & bistortæ) incoquantur: etiam pulveres, julapia, & opiatas tali virtute præditas debitis intervallis exhiberi convenit; quinetiam in hoc casu nullo modo fœminis indulgeatur, ut carnibus, earumque jusculo vescantur, aut lecto exsurgant: verum quiete (quo fieri possit modo) tum animi, tum corporis procurata, & diæta ex iis quæ sanguinem minime exagitant imperata, res fere in totum Deo & Naturæ committatur.

Quæ superius de acutis puerperarum morbis dicta sunt, facile esset historiis & observationibus illustrare: verum exempla, quæ hac in re adduci potuerint, maxima ex parte luctuosa, & mali ominis erunt; quippe febres istæ in mortem ut plurimum cedunt. Hujusmodi verò ægritudines describere nec Medici confirmabit operam, nec Medicinæ methodum in iis usurpatam omnino probatam reddet; utcumque siquidem harum notitia ad meliorem morbi istius diagnosin facit, libet hic puerperarum singulares quosdam casus, & symptomatum varietates proponere; in quibus licet curationum formulæ, & rationes parcius occurrant, saltem præcautionis regulæ quædam non contemnendi usus habebuntur.

Clarissima mulier in ætate viginti sex circiter annorum, sexti fœtus partum difficulter admodum, nec sine vitæ discrimine enixa est: postea tamen statim se mediocriter habuit. Die secundo carnem totius pulli comedit; tertio lecto excitata per quatuor horas in cathedra sedit: nocte insequenti se male habuit, quo tempore lac in mammas prosilit; quod tamen emplastris è diachylo applicitis citò disparuit. Mane proximo de lassitudine, & dolore velut ulceroso totius corporis, necnon de vomitu, nausea, ac plenitudine circa ventriculum, & hypochondria querebatur: nox valde perturbata sequuta est. Die quinto apertius febricitavit; modo rigorem, modo æstum undique gliscentem persensit: erat nauseabunda, stomacho aggravata, insuper irrequieta, & insomnis: lochia minute fluebant, humor verò albicans (vulgò lactis fluor dictus) emanabat. Vesperi circa frontem & tempora velut somnolenta gravamen habuit, & parum dormire cœpit: post sesquihoram cum phantasmate perturbato evigilans, questa est de capite velut in molem ingentem aucto, etiam de maxillis obseratis, ut dentes recludere nequiret, & pugnis arcte contractis porrò stuporem in toto corpore

re quasi pungitivum sentire visa est. Ventriculus. & hypochondria usque tensa, & inflata perstabant. Huic frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, aliaque remedia tum interius, tum exterius adhibebantur, quæ lochia revocarent, & sanguinis recrementa à capite derivarent. Venæsectionem pulsus debilior & inordinatus non admittebat: pulveres, & julepia quæ diaphoresin blande moverent, sanguinemque & succum nervosum funderent; & à restagnationibus impedirent, diligenter fuerant adhibita: quin etiam fotus imo ventri modo ex pannis laneis decocto emollienti intinctis, modo ex tepidis animalium visceribus applicabantur: interim fœtida (uti in hystericis assolet) naribus admota erant, quæ spirituum & sanguinis impetuosum in caput raptum arcerent: his verò, aliisque per plures horas sedulo peractis, quiddam levaminis sentire visa est; usque tamen oculos claudere, aut somno se accinqere verebatur; etenim palpebris obductis cum sonitu & tinnitu in toto capite, mille phantasmata animo incursabant: noctem fere insomnem ducebat. Quamprimum dormitare cœperat, statim perterrita, & in præcordiis aggravata expergiscebatur: die sexto circa meridiem rigorem magnum, seu potius horrorem cum totius corporis concussione valida perpessa est; cui velut in febris intermittentis paroxysmo, mox calor, & dein sudor copiosus successere: inde vero nihil levaminis laboranti advenit; quippe statim à sudore, febrilis calor redintegratus est, & affectus convulsivi ipsam plus infestabant: nocte insequenti cum & reliqua symptomata ingravescerent, primo in lingua, dein mox in gutture paralysis excitata est, ut minime loqui, & vix omnino deglutire potuerit. die septimo circa eandem horam, iterum rigor cum calore, & sudore; inde pulsus longe debilior, & inæqualis; item respiratio difficilis cum anhelitu crebro, & pectore elato invaserunt; adstantes non agnovit. Die octavo emoriebatur.

In illustris hujus fœminæ perniciem, propter ingravidationem in febrem prædispositæ, multiplex armabatur occasio, morbique malignitatem impendio auxerat: nam & uteri à partu difficili læsio, lactis subitanea à mammis exclusio, carnis comestio, & cita nimis è lecto exsuscitatio in majorem noxam velut conjuratione facta convenere; sanguis febrili incendio tactus statim inordinationes concepit: lochia, aliaque forsan uteri inquinamenta in se rapuit, indeque labem majorem, & diathesin plane venenatam acquisivit; viscerum membranæ sive succo nervoso degeneri perfusæ, sive spasmis iis ab utero continuatis, motibus convulsivis percellebantur: etenim ejusmodi circa abdomen inflationes, & distensiones revera convulsionum effectus sunt: nam licet fibræ directæ, membrum contrahentes, sæpe illud comprimunt; tamen cum fibræ simul rectæ, & transversæ, alioque vario situ positæ in membrana cavitatem ambiente unsi convelluntur, pars tanquam vesica inflata intumescit; in cujus vacuitatem, aër rarefactus secundario se proripit: tantum abest (quod vulgo fertur) aërem, sive flatum ibi primo congestum, distensionis causam esse. In ægrotante nostra sanguis effervescens, atque cito materia adusta atque maligna satur, ipsam subigi, & per sudorem secerni inhabilem, protinus in cerebro defigere conabatur; prima ejusdem materiæ in caput suffusio propter spiritus animales semiobrutos sensum intulit magnitudinis ipsius capitis plurimum auctæ; quod simili ritu accidit, ac cum pes stupore correptus se ipso longe major persentiri videtur. Quod vero post levamen quoddam, in dormitatione, & oculorum clausura affectus recrudesceret, ratio est; quia vigiliæ, & sensuum excitatio materiem cerebrum & nervos obsidentem aliquatenus excutiunt, & à se amovent; quæ tamen prope, & in procinctu sita, irrepente somno, ab ipsis quasi imbibitur, eorumque corpora unà cum succo alibili penitius subit. Cruor autem, licet recrementa cerebro copiose suffuderat, haud tamen ipse immunis evasit; quin impura saburra usque impletus, efflorescentiam velut criticam concepit, & cum rigore, subsequentibus calore & sudore (prout in magna ἐκκρίσει assolet) semel atque iterum, sarcinam suam excutere tentavit; quo tamen nisu nihil ultra proficiebatur, quam quod materies cerebro adhærescens, altius ipsi impingeretur, nervorumque surculis quibusdam infixa, loquelam, & deglutitionem, dein postea sensationem adimeret; atque sanguinis massa sensim magis magisque depravata, tandem vitæ sustentandæ inhabilis evaserit.

Fœmina perillustris paulo infra vicenarium ætatis annum nupta, uterum gestans, cum, durante ingravidatione victu parvo, & exercitio fere nullo uteretur, in partu labores, & tormina cum intermissione tamen, & crebro levamine per duodecim horas passa, filium enixa est: fœtus cum secundina abscessit, omniaque recte circa uterum constitere: diebus primo & secundo mediocriter habuit, tertio autem post levem rigorem de siti, & incalescentia queri cœpit; quibus diarrhœa successit, ut isto die quatuor sedes habuerit: nox fere insomnis sequuta est, intemperies febrilis deinceps per biduum eodem modo perstitit. Quotidie alvum, ter, aut quater dejecit, lochiis adhuc modice fluentibus. Die sexto cum, mulierum suasu, ad moderandum alvi fluxum quiddam adstringens cepisset, purgamenta uteri fere in totum sistebantur: quo tempore febris intensior evasit, & symptomata velut hysterica emergebant; etenim in præcordiis oppressiones habuit magnas, & crebras, atque in gutture præfocationis sensum perpessa est. Die septimo erat calor intensus, & respiratio difficilis, ac laboriosior; tum vero ex præscripto Medici, tum primo accersiti, sanguis è pede ad unc. 3. erat detractus, è quo per quatuor horas se melius habuit: etenim somnus placidus cum sudore copioso successit; lochia in exigua licet quantitate denuo apparebant: vesperi iterum omnia exacerbabantur, vires plurimum exsolutæ, pulsus debilior, & inæqualis evasit; questa est etiam de sonitu, & tinnitu aurium, cum plenitudine capitis. Porro tendinum in carpis subsultus, necnon totius corporis subitas concussiones habuit; usque tamen diarrhœa ipsam exercuit: huic cardiaca, aliaque remedia, & administrationum genera ex plurium Medi-

Medicorum præscriptis sedulo adhibita ne hilum profuere, pulsu debiliori facto, & viribus sensim diminutis die nono à partu obiit.

Hæc febris à vitioso corporis apparatu, velut causa procatarctica plurimum dependebat: etenim sæpius observavi quod male sit puerperis, quæ cum gravidæ fuerint, fructus, & cibaria quævis insalubria ingerunt, atque sine motu, ac exercitio degentes, tantum otio, & quieti indulgent: sanguis ob præviam κακοχυμίαν, sine evidenti occasione, velut sponte incendium concepit: effervescens autem recrementa sua, & impuritates usque interius deponens, diarrhœam intulit: nec tamen ab ista fere continua excretione ejus massa depuratior facta est, quin mixtione sive crasi ejus usque magis depravata, tandem à propria indole omnino descivit cruor, & ad fermentescendum in corde, quo calor, & spiritus undique dispescantur, inhabilis evasit. Diarrhœa naturæ motu excitata perperam erat cohibita, præsertim adstringentium usu; hæc enim non impune tentari sæpius observavi. Quippe alvi fluor nonnullas male habentes sanavit, atque in ista Domina plurimisque aliis (uti experientiæ nostræ abunde constitit) etiamsi febrem non sustulerit, tamen à gravioribus cerebri, & nervosi generis affectibus eas liberavit: unde hæc ægrotans delirio omnino caruit, nec motibus convulsivis, donec fere ad extremum redacta, percellebatur.

Mater-familias non ignobilis, triginta sex, aut quod excurrit, annos nata, decimum septimum fœtum gestans fuit mœsta admodum atque anxia, ne ab instanti puerperio interiret: sed (Deo favente) sat feliciter filium enixa est, & per tres inde dies alacriter habuit: die quarto cum ex carne pulli plus debito comedisset, paulo ante noctem in febrilem intemperiem cum vomitu, & lochiis cohibitis incidit: tota nocte insomnis, & irrequieta jacuit, mane proximo spatio unius horæ quatuor habuit sedes, & alleviari visa est: circa meridiem (quo tempore adveneram) rursus de calore, & siti, necnon palpitatione cordis, & molis cujusdam in guttur ascensu conquesta est: pulsus erat celer, & parvus, urina erat rubicunda, lochia vix apparebant: huic Julapia, cardiaca, & purgationem uterinam moventia exhiberi, insuper fotus imo ventri adhiberi, etiam crura, & pedes pannis excalfactis sæpius confricari præcepi: hora somni laudani gr. 1. cum croci pul. scrup. sem. in cochleari aquæ Theriacalis propinabam; placide dormivit, & lochia ubertim descenderunt: indeque, victu tenui, & fluxum uterinum modice proritante per paucos dies usa, plane convaluit.

Huic sine magno apparatu, aut prædispositione multum vitiosa immoderatus carnium esus, velut causa evidens, & sola fere sufficiens, febrem induxit: lochia in massam sanguineam restagnantia ejus intemperiem auxerunt, atque nervoso generi statim molestias intulere: interea tamen cruor, licet effervescens corruptionem, haud magnam subibat: quin cum recrementa à crapula congesta diarrhœa excernerentur, atque sanguis fluxu lochiorum restituto rursus solito more expurgari cœperat, febris ista, fermento adhuc plurimum maligno carens, cito disparuit.

Fœmina prænobilis, juvenis, & venusta, filiolæ secundæ partum satis facilem obtinuit; & per sex dies circa lochia aliaque accidentia recte habens, cujusvis intemperiei suspicione omninò caruit: carnibus quotidie vescebatur, & lecto excitata in cubili alacris versabatur. Die septimo sine causa manifesta rigor supervenit, cum febre, & lochiis diminutis, verùm non suppressis: ad diem verò à partu decimum modice tantùm febricitans, cum purgamentis uterinis adhuc fluentibus, symptomate quovis graviori immunis degebat: tunc vero licet valde febricitans, solito hilarior, & de salute sua confidentior visa est. Nocte parum, aut vix omnino dormivit; mane sequenti (quo tempore eam primò invisi) apertè deliravit, lochia sistebantur, horrore etiam totum corpus concutiebatur, tendines in carpis convellebantur, adeo ut vix liceret pulsum dignoscere, qui interea debilis, inæqualis, & valde creber fuit. Hanc, nisi divina manus insperatò, & quasi è machina intervenerit, brevi emorituram pronunciavi: utcunque Bezoar Orientalis g. 6. in cochleari julepii cardiaci exhibita sudorem copiosum cum pulsu meliori inducentia, dein alia cardiaca debitis intervallis propinata spem salutis aliqualem, dubiam licèt, sibique minimè constantem fecere. Post quatuor horas à quo intraveram, languida sponte naturæ sedem ingentem habuit; inde statim omnino conciderunt vires, atque intra sesquihoram mortua est.

Huic Dominæ, cùm circa partum, aut uterum nihil mali contigisset, sine magna atque insuper maligna sanguinis & humorum προκαταρξει, febris ita perniciosa, & subito lethalis obvenire non potuit: utrum plenior victus, an frigus susceptum, aut alia quæpiam causa evidens, huic originem præbuerit, incertum est: quippe mulieres & nutriculæ ministrantes nullam manifestam ægritudinis occasionem agnovere: Febre accensa, sanguinis labes purgatione uterina etiam diu continuata, haud in totum eliminari potuerat; licet propterea symptomata teteriora, haud statim ingruerent: usque tamen malum intus latitabat, atque morbo valde acuto, ejusque motu celeri existente, die quarto, cum natura crisin moliri debuisset, materia febrilis commota, necdum vero subacta, cerebrum, & partes nervosas semel & quasi momento obruit, ipsamque sanguinis crasin subito pessundedit, unde mors inexspectata, atque præceps subsequuta est.

Mulier eximia vicesimum vitæ annum vix prætergressa, vultus floridi, & gracilis corporis, post partum cum lochia immoderate fluerent, remediis quibusdam astringentibus ex ministrantium consilio usa est, unde omnino sistebantur: fluxus vero alvi successit; qui cum per tres dies incrudesceret, mulieres alia propinant remedia ad sistendam diarrhæam: nec quidem successu frustratæ sunt: interim febrem periculosam, & affectus quasi hystericos, in prioris mali locum advocavere: etenim siti, & calore cum vigiliis, dein crebra vice syncope, & sudoribus frigidis infelix puerpera afficiebatur; hoc tempore accersitus, remedia cardiaca, & purgationes uterinas moventia hauriri, atque insuper clysterem immitti præcepi: alvi

fluxu

fluxu denuo provocato, etiam lochia descenderunt, atque ægrotans nostra prædictis symptomatis, & graviori morbo, scilicet nutricularum remediis libera, cito à febre convaluit.

Huic fœminæ fluxus uterinus copiosior contingens, morbi gravioris procatarxin amoverat: quare cum tot errata circa regimen ejus committerentur, (scilicet primo in sistendis lochiis, dein, quo istorum defectus compensari debuit, in cohibendo alvi fluxu) febris tantum levior sine miasmate venenato sanguini impresso accersebatur: simile huic frequenter accidisse novi, nimirum si quando primis diebus purgationes uterinæ admodum copiosæ dimanant, postea cum parciori earum profluvio, ac interdum defectu puerperæ evadunt. Atque hoc in loco obiter notetur, periculosum omninò esse quemvis naturæ motum licèt anomalus incitatum, aut inhibere, aut saltem deflectere, atque in transversum agere.

Illustrissima mulier viginti & circiter annos nata, habitu corporis pleno & toroso prædita, intra anni spatium bis abortum passa est: cum postea utero conceperat, ex præscripto Medici sui, semel in mense sero lactis copiosè epoto vomitum provocavit, quo multùm pituitæ crassæ, & tenacis rejicere solebat: etiam gravidationis tempore quinquies sanguinem misit. Gestationis spatio transacto, cum difficili admodum partu puerum enixa est: secundina integrè abscessit, & egregiè purgabatur. Die secundo, dum in lecto super pedes erigebatur, ut lintea, atque stragula meliùs componerentur, frigus suscepit, indeque lochia sanguinea omnino sistebantur, & tantùm aquæ serosæ parum dimanavit. Die tertio queri cœpit de dolore acuto in latere dextro: quæ aderant mulieres, admovent sacculos ex camomilla cum lateribus excalefactis; verumtamen affectus plurimùm exacerbabatur, cum sputo cruento. Die puerperii quarto dolor acutissimus cum respiratione difficillima & valdè laboriosa invasit. Ex præscripto Medici tunc primùm ex vicinia adventantis sanguis à basilica ad unc. 6. detrahebatur, & levamen subitò persensit, & per horas decem melius habuit: media nocte dolor pungitivus cum solita atrocitate rediit. Tandem Medicis aliis in consilium vocatis, venæ sectionem in brachio lateris affecti denuo necessariam esse communi omnium suffragio pronunciatur. Sanguine ad unc. 4. misso dolor remisit, & ægrotans meliùs respiravit: dein à remediis diaphoreticis in sudorem copiosum cum somno quieto incidit; pulsus verò crebrior, & debilior factus est; etiam in carpis tendinum contracturæ emicuere: postea statim incongrua loquebatur, atque intra vigintiquatuor horas è quo sanguis ultimò mittebatur è vivis excessit.

Quod hæc Domina à lochiis suppressis unà cum febre in pleuritidem inciderit, in causa aliquatenus fuisse videtur sanguinis missio gestationis tempore ita crebrò adhibita: etenim hac ratione sanguis in brachio eventilari assuetus, postea effervescens, utero relicto versùs solitum extramissionis locum rapitur; ubi cùm exitum non invenerit, in latere vicino, velut proximo extravasationis foco defigitur: imo præter usitatum pleuritidis morem huic morbo malignitas haud minima accesserat; nam sanguis ab extravasatione vindicatus statim in crasi sua corrumpi incœpit, atque tertio febris die in tantum depravabatur, ut in corde ulteriùs fermentescere, adeoque vitam prorogare nequiret.

Non ita pridem uxor cujusdam fabri ferrarii parturiit, quo tempore in eadem domo nati ejus variolis afficerentur; atque ipsa, uti videtur, ejusdem morbi contagium susceperat: namque secundo à partu die cum incalescentia febrili, & dolore in lumbis pustulæ erumpere cœperunt, quæ quidem per triduum, lochiis moderatè fluentibus, in moleculas ritè assurgebant. Tametsi purgatio uterina eo tempore copiosa obtigisset, variolas in toto corpore confertissimas habuit; nec tantùm in cutis superficie, verùm etiam oris, & gutturis cavitatem impleruut, adeo ut vix loqui, aut deglutire potuerit: die puerperii sexto lochia immoderatè fluebant, unde statim cum variolis flaccidis syncope, convulsiones crebræ, aliaque mali moris symptomata ægram incessère, quæ mortem brevi minabantur. Accersitus præscripsi pulveris hujus semidrachmam è cochleari Julepii sequentis trium horarum intervallis constanter assumendam, scilicet

℞. Radic. tormentillæ pul. drach. 2. boli armeni opt. drachm. 1. specierum de hyacintho drach. sem. F. pulvis.

℞. Aqu. scordii composit. Dracontii, ulmariæ an. unc. 3. Aceti Theriacalis unc. 1. Syrupi è coralliis unc. 2. Cornu Cervi usti drach. sem. F. Julepium. Insuper jusculis, & potulentis quibusvis radices tormentillæ incoqui præceperam: his remediis purgatio uterina mox in totum sistebatur, & variolæ sine graviori symptomate sensim maturatæ excidebant.

Casus hic fuit reverà difficilis, & magno cum discrimine absolvebatur: scilicet aut lochia, aut variolas intus cohiberi periculosum erat; & tamen alterutrius plenior eruptio alterius motum impediebat: quamdiu utraque moderatè procedebant, res naturæ ductui permissa moderatè se habuit: cùm verò alterâ invalescente, artis opera requirebatur, lochiis frena, variolis autem stimulos adhiberi ex usu fuerat.

De Febribus Epidemicis.

Hic ultimam dissertationi nostræ de Febribus manum imponere animo statueram; commentarium potiùs, quàm integrum tractatum meditatus. Quatenus verò febres quædam epidemicæ non rarò grassentur, quæ nullas observant leges, neque ad certam doctrinæ normam revocari possunt, verùm anomalæ prorsus quotannis variant, & propterea quoties earum aliqua increbrescat, statim morbus novus appellatur: idcircò operæ pretium duxi, quoniam de his febribus generalia præcepta non sunt tradenda, historias particulares de quibusdam hujus farinæ subjungere; etenim ex vario symptomatum apparatu quo insigniri solent, natura & tota formalis ratio hujusmodi affectuum nonnihil elucescet. Cùm itaque nuperis annis intra brevem temporis tractum tres morbi populares in his regionibus grassati sint; singulas eorum descriptiones temporibus quibus febres ipsæ ingra-

ingravescebant, olim factas huic operi coronidis loco subjiciam.

Febris Epidemicæ circa autumnum Anni 1657. *increbrescentis descriptio medio Septembris habita.*

Dum febris hoc tempore immaniter grassantis descriptionem meditamur, æquum est ut Hippocratis exemplo ducti, prægressam anni constitutionem, ejusque intemperies, & qualitatum excessus priùs expendamus. Etenim morbi epidemici, & communiter inter populum excitati erit causa communis, qualis Anni habitudo, & exinde contracta sanguinis nostri diathesis (quâ pariter complures afficiantur) assignanda. Ut autem ab initio rem deducamus, Ver novissimum, atque exinde succedens tempus usque ad finem Æstatis, scilicet totum hoc semestre spatium impensè calidum, siccumque fuerat: præcipuè verò post solstitium Æstivum fervores adeo intensi per plures hebdomadas insequuti sunt, ut dies & noctes nullus non quereretur de aëris calore, & ferè continuo sudore, quo maderet, quodque liberè respirare non liceret: circa Calendas sextiles hæc febris primùm sporadica in quibusdam locis erumpere cœpit, ut forsan unus, aut alter in Urbe, aut Vico eadem corriperetur: in plurimis tertianæ intermittentis typum imitata est, scilicet diebus alternis paroxysmi redierunt: qui tamen sine frigoris, aut rigoris procemio cum calore intensissimo ægros infestarunt. Vomitus, & dejectiones biliosæ in plerisque copiosè venerunt, sudore nonnisi difficili, & sæpe interrupto succedente, quo febrilis accessio rarò in ἀπυρεξίαν solvebatur: quin toto interstitii tempore cum siti & inquietudine languidi, & imbecilles Ægri transeunt: in quibusdam cùm res in melius vergeret, post tres, aut quatuor paroxysmos frigus & rigor accessionem inchoabant, & febris exacte tertiana intermittens facta est: in plerisque autem morbus usque in deterius cessit, & statim mali moris, & difficilis solutionis cum pravo symptomatum apparatu evasit; cum enim ægri in paroxysmis summè incalescerent, & difficulter sudarent, errores committi solebant, qui morbi vires quotidie intenderent: quippe ob ægrorum impatientiam, & ministrantium imperitiam, sudore qui accessionem febrilem finire debuerat, interrupto, post unum paroxysmum vix finitum statim alter successit, indeque morbus periodos vagas & incertas, sine ἀπυρεξίας intercessu habere, & postea in febrem velut continuam transire solebat; cujus status aliquando valde periculosus cum mala cerebri, & nervosi generis affectione fuerat, ut non rarò lethargus, aut delirium, sæpe autem spasmi, & motus convulsivi excitarentur. Circa mensem *Augusti* hæc febris longè, lateque in populum grassari cœpit, ut in nulla non regione, & vico plures ex eadem decumberent; erat tamen ruri, & in villis minoribus longè frequentior, quàm in urbium, aut oppidorum confiniis. Usque febris intermittentis typum referebat; nisi quod paroxysmorum atrocia, & intermissionis brevitate solito infestior visa sit; ideoque morbus novus passim vocabatur; insuper malignitatis cujusdam subibat notam, & certa satis contagii atque perniciei suæ documenta dederat. In quantum de domo in domum serpebat, plures ejusdem familiæ, & præsertim cum ægris familiarius versantes eadem labe infecit: quinetiam senes, ac maturæ ætatis homines passim è medio sustulit.

Affectus naturam ac essentiam si spectes, erit hæc febris propriè in intermittentium censum referenda: etenim paroxysmi statis temporibus redeunt: necnon utplurimum cum frigore, & rigore, sæpissimè cum vomitu incipiunt, & mox calore intensissimo procedentes demum sudore finiuntur. Urina in plerisque apparet coloris flammei, in paroxysmo tenuis, cum aliquali hypostasi: extra hunc crassior, cum sedimento subruffo. Sudore licet copiosissimo, & sæpius iterato, morbus non judicabatur, quod in febre continua expectare liceret: quin per plures dies, aliquando & menses affectus diutissimè perstat, licet plurima evacuatio per vomitum, & sudorem quotidie fere contingat: quod in febre intermittente frequenter, in continua rarò ccidere observamus. Extra paroxysmum, quovis morbi tempore purgatio commode instituebatur, quod in synocho ante signa coctionis esset nefas moliri. Præterea esse hanc febrem de intermittentium genere, vel hinc constare videtur, quia plurimi ex eadem convalescunt, ut ægrotantium vix millesimus intereat, quod de synocho Epidemica vix auditum censeo. Circa prima hujus morbi initia tertianæ intermittenti perquam similis apparet, licet postea in aliquibus ob vitiosum corporis apparatum, & errores in victu & diaphoresi commissos, in continuam migrasse videatur: quibus enim paroxysmi non ritè concluduntur, nec in apyrexiam desinunt, propter materiam morbificam non penitus difflatam, iis sanguis jugiter effervescit: unde factum est, ut accessiones celerius redeant, & diutius infestent; donec tandem ob materiæ copiam, & naturæ languorem cruor debilior factus, non amplius turgescere, & statis horis materiam febrilem secernere potis sit, quin ipsam paulatim, & continua effervescentia subigere nitatur.

Circa causas hujus morbi inquirendum erit, quæ sit causa προηγουμένη, evidens & conjuncta, scilicet cujus ratione adeo nunc passim grassetur, ut per totam Angliam Epidemicus evaserit; quibus modis, & ob quas προφάσεις in quibuslibet hominibus soleat primò excitari: ultimò demum, qualis alteratio sanguini & humoribus inducta hujusmodi febrim cum tali symptomatum apparatu pariat, & in actu conservet.

Scio in promptu esse hujus morbi adeo popularis causam in maligna aëris constitutione omnino collocare; quod nimirum auræ qua vescebamur, particulæ miasmate quodam extraneo, & naturæ nostræ minus congruo infectæ fuerant; cujus miasmatis corpuscula intus admissa cum sanguine & humoribus fermentescebant, adeoque in plurimis cum eadem ferè symptomatum apparentia hanc febrem induxere. Quis enim morbi adeò communiter grassantis originem à minus publico fonte deducere audebit: aut aliunde morborum causas acceptas referre, quàm fomiti isti vitalis auræ quem universi jugiter depascuntur? At mihi rem attentius consideranti, paulo altius ejusdem stemma, & prima quasi rudimenta repetenda videntur. Quod nimirum hæc febris nata sit, non contagio

gio quodam ab aëre communicato, & immediatè hominibus labem infigente; sed potius à diathesi, seu prædispositione quadam febrili, propter anni intemperiem antehac corporibus nostris impressa, quæ demum maturitatem adepta, levi occasione in actum deducitur, & in hanc febrem non erumpit adeo, quàm excrevit.

Cum enim circa *Julii* Calendas æstu intensissimo per plures dies aër immodicè incalesceret, facilè sanguinem nostrum versus calidam & biliosam intemperiem alteravit, quia nimirum (uti in vino plus debito effervescente) pars dulcis, & spirituosa multum absumitur, interim salina & sulphurea nimis evehitur, ut exinde rancorem, aut acorem liquor facilè contrahat: hujusmodi sanguinis diathesin, qua quidem à temperie dulci, & spirituosa, propter nimiam assationem in biliosam vergit, ad febres intermittentes aptissimam esse alibi ostendimus; hinc succus alibilis, qui in cruoris massam continuò defertur, non ritè coquitur, nec in sanguinem assimilatur, sed in materiam velut extraneam & fermentativam pervertitur; quæ in ipso sanguinis sinu ad plenitudinem assurgens, juxta incrementa sua statis periodis turgescens, quemadmodum suprà docuimus, febris intermittentis paroxysmos inducit: cùm itaque à retorrido hujus æstatis fervore sanguis fere omnium plus debito incalescens plurimum exassaretur, nihil mirum est, si exinde ad febres intermittentes maximam aptitudinem contraxerit: cur autem non urgente adhuc cœli fervore, sed paulò postea hic morbus increbuerit, ratio est, quoniam hæc indispositio non semel & una vice, sed paulatim, & nonnisi longo tempore cruori nostro imprimitur: ideoque morbi, velut fructus, post prægressum æstatis calorem potissimum in autumno maturantur.

Hanc aptitudinem, seu diathesin febrilem haud omnes ex æquo contrahunt: illi quorum sanguis à natura calidior plus sulphure abundat, & proinde citius assationem patitur, etiam qui laboribus dediti, aut sub dio morati, æstatis fervorem magis perpessi sunt, ob cruorem insignius torrefactum facilius in hunc morbum inciderunt: quare inter colonos, & ruri potissimum primò desæviit: ex his qui à sanguine perassato aptitudinem ad hanc febrem acquisiverant, forsan alii in hanc sponte inciderant, diathesi febrili sensim ad maturitatem evecta; alii ob levem occasionem, seu causam evidentem, quæ aliàs febrilem effervescentiam solet concitare, uti à frigore suscepto, crapula, vini potu, & similibus: atque alii ægrotarunt propter contagium ab aliis susceptum, siquidem ab ægrotis effluvia constanter emanant, quæ cum in corpora ad similem affectum prædisposita impingunt, δυνάμεις latentes facilè in actum suscitant.

Quod erat tertiò propositum, nempe ut hujus morbi causa conjuncta, ejusque ratio formalis innotescant, in memoriam revocanda sunt, quæ de febrium intermittentium natura alibi habentur: supponimus nimirum hujus affectus velut basin, constitutionem sanguinis retorridam & biliosam, propter quam succus alibilis, velut in dimenso quotidie suppeditatus, non ritè coquitur, sed assatione in materiam fermentativam, & cum cruore non miscibilem facessit. Quando hac materia sanguis ad plenitudinem saturatur (quod statis temporum intervallis contingit, quia succus alibilis in stata velut mensura suppletur) sponte turgescentiam concipit, & effervescentia hujus materiæ eliminandæ gratia citata paroxysmum febrilem infert, qui eò usque perdurat, donec hæc materia febrilis in corde accensa, & velut combusta cum sudore penitus distletur.

Ex hisce præmissis palam fiet, nonnulla esse quæ in hoc, de quo agimus affectu, à communi intermittentium genere peculiari ritu contingunt, ideoque febris novæ appellatione eam non immeritò insigniri; cujusmodi sunt primò quod circa morbi initia paroxysmi sine frigore, aut rigore incipiunt, sed cum vomitu atroci, siti, & calore intensissimo ægros diu affligunt; quibus sudor ægrè plerumque, & partialis, ac sæpe interruptus succedit, quo accessio nonnisi longo tempore finitur. Quorum ratio unicè poni debet in diathesi sanguinis valde biliosa, & supra modum perassata: hæc enim à sulphure præpollente procedens solitum sanguinis acorem, qui turgescentiam ejus sequitur, & rigorem aut frigus solet concitare, omnino inhibet; atque ob hujusmodi temperiem sanguinis succum alibilem nimis assantis, & velut comburentis, cruor unà cum succo isto turgescens, & in motum concitus, plus solito in corde accenditur, & deflagratione sua calorem cum siti intensissimum, & ægris molestissimum inducit. Vomitus biliosi non tantum ab initio, sed & medio paroxysmo contingunt ob illius exundantiam, qua vasa choledocha subinde nimis oppleta ipsam intestinis suffundunt; quæ dein, spasmo in visceribus concitato, facile in ventriculum exantlatur. Sudor ægrè succedit, quoniam bilis plus sero abundat: quare materia febrilis combusta diaphoresi non facile secernitur, quin vel cruori commissa effervescentiam diuturnam infert, aut versus intestina delata vomitum aut diarrhœam producit. *Secundò* differt hæc febris à vulgari intermittente, quia post finitum paroxysmum non datur plena intermissio usque ad ἀπυρεξίαν: quin ægroti usque manent languidi, & sitibundi, quoad appetitum, somnum & cætera accidentia se malè habentes: quod reverà accidit quoniam ab intenso paroxysmi calore plus sanguinis, & materiæ febrilis accenditur, quàm ut recrementa à deflagratione ejus residua possint cito difflari: præsertim quia sudor ob materiæ siccitatem ægrè admodum succedit, nec satis materia febrilis excernenda seroso latice diluitur: quare sanguis ab ejus contagio paroxysmi tempore haud perfectè liberatus, adhuc effervescit, neque accessione finita à morbo plenas inducias sortitur: interea dum cruor effervescentia ferè continua hoc modo urgetur, à synocho differt; quoniam in hac pars sanguinis Sulphurea nimis evecta velut inflammatur, & deflagratione sua febrim facit: continua autem ebullitio, quæ hoc modo febri huic intermittenti supervenit, à materiæ non miscibilis confusione, ejusque à sanguine ægra secretione omninò dependet. Synochus instar vini ob opulentiam suam sponte effervescentis contingit; altera instar ejusdem, propter heterogeneum aliquod confusum, orgasmum concipit: quare advertimus cum febris nostra jam in continuam migrasse visa est, eam tamen

tamen nec sudore, nec alvi fluxu, copiosè licet & crebro obvenientibus, judicari; quia à sanguine depauperato potius quam inflammato dependens diutissime perstat, ægrosque versus cachexiam disponit.

3. Erit tertia discriminis ratio, qua hæc febris à communi intermittentium censu discrepat, in hoc sita, quod facile per contagium in alios subinde propagatur; cujus ratio est, quoniam corpora hic plurima sunt eodem modo ad eundem affectum prædisposita, quod alio tempore minimè contingit: quare mera effluvia à corpore morboso in subjecto facilè capaci similem effectum concitare valent; non secus ac flammæ radii quidam in materia valde combustibili flammam accendunt: interim hujus febris labem haud omnes pariter contrahunt: quin aliqui minus ad ipsam parati impunè cum ægris conversantur.

4. Occurrit aliud symptoma huic febri haud constans, sed aliquibus tantum locis contingens, quod ipsam non tantum à communi discriminat, sed proprium sui ipsius typum variat: nimirum aliquando accidit, affectus dysentericos hunc morbum comitari; in quibusdam ad modum choleræ, vomitus & dejectiones biliosæ plurimum infestant; ac in aliis sedes cruentæ cum atroci dolore ac alvi torminibus succedunt. Prius in nostra hac vicinia sæpius adverti, ejusque ratio à temperie sanguinis insigniter biliosa deduci potest: propter hanc enim materies adusta diaphoresi minus difflabilis copiosè in jecore secernitur; dein ob vasa choledocha ad exundantiam repleta ventriculo & intestinis demandatur. Alter dysenteriæ affectus in quibusdam tantum locis reperitur, ibidemque sporadicus potius quam communis nonnullos solum ægrotantes occupavit. Ejus origo ad peculiares quorundam corporum crases, aut vitiosos apparatus, necnon locorum situs, aut auræ conditionem referri potest. Dein morbum, non sine miasmatis cujusdam communicatione subinde ad alios translatum suspicari est.

Circa hunc morbum duplex prognosticon haberi debet. *Primò* ipsius febris in genere, qualem & quando habitura sit finem: quid Terræ nostræ minetur; an non pestem, aut ægritudines λοιμώδης (quod vulgò timetur) præcedat. *Secundò* poni debent signa, quibus salutem aut periculum in variis ægrorum casibus præsagire solemus.

Quoad primum, quoniam hujus affectus originem non ab aura contagio, aut venenato miasmate infecta, nec à maligno vaporum seminio per aërem diffuso petendum ostendimus, sed tantum à temperie, seu diathesi corporum nostrorum insigniter biliosa cum sanguine adusto, & ob æstivos fervores summè præassato; puto hic nullam subesse metus rationem, qua vereamur ne febris hæc vitio aëris in pejus evecta, tandem in malignam aut pestilentem excrescat. Quin potius (quod mutata anni tempestas, & sanguinis nostri alteratio expectanda pollicentur) timere debemus, ne febris hæc, quæ modò tertianæ intermittentis typum imitatur, postea sanguine atrabiliscente in quartanam transeat: quod quidem in aliquibus jam jam contigisse adverto; & ne posthac autumno ad finem vergente in pluribus obveniat, præcipuè metuendum duco.

Quoad particulare prognosticon, signa, qui in hujus febris decursu maximè notabilia occurrunt, ejusque statum & eventum quodammodo prænunciant, sunt hujusmodi: si morbus in corpore firmo, benè temperato, & facile perspirabili contingat: si vomitio cum euphoria succedat, sitque alvus soluta: si paroxysmus cum levi rigore incipiat, & post calorem moderatum cum sudore finiatur, sitque intervallum cum ἀπυρεξία vel tolerantia: si pulsus sit fortis, urina coloris flammei, pellucida, cum hypostasi laudabili, morbum citra periculum brevi desiturum prædicimus. Sin hæc febris in corpore pingui & habitus vitiosi excitetur, si cum vomitu molesto calor efferatus & sitis intolerabilis ægrotum diu exerceant, si calori sudor difficilis, partialis, sæpe interruptus, & crebris vomitionibus intercalatus succedat, ac minimè in apyrexiam desinat, morbum hic longum & periculosæ aleæ subjectum pronunciamus. Sin tamen viribus æger constat, & urina signa coctionis exhibet, de salute minimè desperamus; præsertim si post quatuor aut quinque periodos morbus, quod fieri solet, de solita atrocitate remiserit. *Tertiò* observamus, si morbus hic in corpore senili aut aliis ægritudinibus fracto, aut debilitato excitetur; si præter vomitiones horrendas, & caloris atrociam, crebra syncope, lipothymiæ, deliria, aut affectus lethargici accedant; si post plures accessiones, prostratis ægri viribus, morbus nihil remittat, quin effervescentia continua sanguinem exercet, ac spiritus vitales plurimùm disperdit: si appetitus dejectus, vigiliæ pertinaces, motus convulsivi, cum pulsu debili, urina turbida, aut crassa obveniant, rem periculo plenam judicamus: nec tamen æger velut deploratus relinquatur, quia morbus hic minimè præceps haud citò & affatim jugulat; sed diu protrahitur, & naturæ se recolligendi, & Medico remedia exhibendi tempora & occasiones concedit.

Indicationes therapeuticæ, quæ in curatione hujus febris locum habent, sunt præcipuè quatuor. *Primò* ut sanguis jam retorridus, & nimis biliosus factus ad debitam temperiem reducatur. *Secundò*, ut succi alibilis depravatio, ejusque in materiam fermentativam alteratio inhibeatur, aut saltem minuatur. *Tertiò*, ut circa morbi declinationem sanguis crebrâ deflagratione depauperatus, & materiæ morbificæ seu adustæ confusione impurior factus restauretur, atque uti par est, volatilis reddatur. *Quartò*, ut symptomatis, quæ in morbi decursu maximè infestant, cum remediis idoneis tempestivè succurratur: quò his intentionibus satisfiat, methodo sequenti utendum consulto.

Circa prima morbi initia, si humore bilioso è vasis choledochis exundante, & in ventriculum suffuso æger sit in vomitum proclivis, instante paroxysmo uberior ejusdem evacuatio leni emetico proritetur. Venæsectio, & purgatio nonnisi paroxysmorum interstitio debet adhiberi: dum enim sanguis immaniter effervescit, aut in sudorem exsolvitur, natura ab opere incœpto non debet avocari, nec molimina ejus è Medicorum præscriptis interturbari: quare post accessionem præteritam, & sudorem integrè finitum, leni cathartico purgatio instituatur,

eademque postea simili occasione aliquoties repetatur: hac enim methodo non solùm materiæ excrementitiæ proventus primis viis subducitur, sed præcipuè vasis choledochis inanitis, è massa sanguinis bilis copiosè emulgetur, indeque versùs crasin naturalem cruor restituitur. Sanguinis missio si indicatur, statim ab initio celebretur; sic enim liquor ejus nimis turgescens eventilatur, quo & succum nutritium minùs pervertat, & urgente paroxysmo mitiori incendio unà cum materia morbifica deflagret: secus autem si post longam ægrotationem vena secatur, quando sanguis depauperatus, & aquosior factus plus materiæ morbificæ congerit, ipsamque minùs rectè coquit & excernit, multùm de naturæ viribus detrahitur, de morbi potentia nihil. Accessionum intervallo, cùm nec venæsectioni, nec purgationi locus sit, constanti enematum usu alvus soluta servetur: etiam remedia digestiva ex liquoribus & pulveribus acetosis, aut salinis exhibeantur: cujusmodi sunt cremor Tartari, sales herbarum fixi, Tartarus vitriolatus, Cornu Cervi ustum, Spiritus Vitrioli & Salis, &c. Hæc enim viscerum fermenta amissa, aut consopita restaurant, sanguinem fundendo depurant, necnon materiam morbificam secernunt, ac velut præcipitant: etiam hoc tempore intercalari, si quando vigiliæ pertinaces infestant, & ægri vires atterunt, liceat remedia anodyna, & blandè narcotica exhibere: in accessione verò nequaquam; tunc enim febrilis materiæ subactionem, & secretionem valdè impediunt, & paroxysmum citiùs desiturum diu protelant.

Hæc de agendis circa accessionum interstitia: urgente autem paroxysmo, licèt ægri potissimùm accersunt ac inclamant Medicos, attamen eorum præscripta hoc tempore breviori limitantur scopo. Si Vomitus (licet emetico priùs adhibito) usque infestet, à liquore posseti, aut simplici, aut cum herbis amaris incoctis, liberiùs provocetur: potissima autem juvaminis ratio sit in contemperandis calore & siti, quæ in hac febre solent ægros graviter torquere: dum enim sanguis cum materia morbifica effervescens, ac in corde accensus in pulmones exsilit, immanissimam illic phlogosin concitat, quæ frigidi humoris veluti pro flamma extinguenda perfusionem exigit: quare potum sine modo & mensura ingerere appetunt, quo destituti præ nimio fervore ægri exsolvuntur, eorumque sanguis ferè totus, velut in flammam & fumum rarefactus circulationis filum haud facilè continuat; quare potus febricitantibus omninò concedi debet: qui tamen, si largâ nimis quantitate ingeratur, sanguinem æstuantem primò magis exagitat, & materiæ febrilis secerni incœptæ denuò confusionem parit; ut proinde subactionis & secretionis opus diutiùs pertrahatur, & paroxysmus fiat longior, præterea item magna potùs ingestio ventriculo molestias facit, ipsumque perturbando, & sæpe vomitum ciendo diaphoresin impedit, & sudorem erumpentem, aut forsan eruptum intus revocat: quare accenso primùm febris calore, ægri licèt sitibundi, solùm pitissando bibant, & quantùm licet se contineant: postea cùm materia combusta, & subacta sudore incipit difflari, genio hac ex parte liberiùs indulgeant; sic enim diaphoresis valde promovetur, & paroxysmus citiùs finitur: quoad naturam potus, modò liquor posseti, modò cervisia tenuis, aut aqua hordei propinetur: quandoque aqua fontana, aut simplex, aut succo limonum acidulata: in hoc casu meritò laudatur usus Salis prunellæ in quovis liquore exhiberi; hic enim nitrositate sua sanguinem æstuantem mirè compescit, & sudores potenter movet: sæpiùs observavi, medio paroxysmo ægros in lipothymiam, aut syncopem incidisse, ubi quæ statim infundi solent, cardiaca & liquores ardentes, febris violentiam plurimùm adaugent, & solito majores molestias pariunt, ut paroxysmus difficiliùs finiatur: verùm hæc deliquia ut plurimùm contingunt, vel ab humore bilioso in ventriculum suffuso, vel propter sudorem derepentè abruptum: & contra hæc remedium præsentissimum semper expertus sum, ut vel plumâ gutturi inditâ vomitus provocetur, vel liquore tenui ubertim epoto sudor denuò suscitetur. Etiam in toto hujus febris decursu nulla omninò cardiaca aut alexiteria exhibere soleo.

Victus in hac febre solummodo tenuis, & minimè opimus institui debet; edulia quævis ex carnibus animalium parata omnino vitentur: hæc enim Sulphure cùm abundent, sanguini effervescenti, seu accenso pabulum (velut oleum flammæ suffusum) uberius præstant: nihil præterea spirituosum, ut sunt aquæ ardentes, cerevisia fortis, aut vinum, concedatur; quin decocta aut juscula avenacea aut hordeacea herbis refrigerantibus alterata in maximo sint usu: item liquor posseti, & cerevisia tenuis aut serum lactis pro ægrorum libitu propinentur: etenim hac ratione, cum succus alibilis admodum tenuis & aquosus sanguinis massæ convehitur, solutæ Sulphuris particulæ citiùs, & cum minori tumultu deflagrant: etiam materiæ adustæ recrementa è cruoris sinu faciliùs eliminantur: sin è contra ditior & uberior nutricatus adhibetur, effervescentia cruoris inde plurimùm augetur, & materiæ adustæ confusione sanguis magis inficitur.

Postquam à crebris paroxysmis sanguine plurimùm deflagrato, febris in declinatione posita de fervore ac atrocia remiserit, cavendum est ne ægroti tandem adhuc convalescentes in cachexiam aut affectum scorbuticum impingant: etenim læsâ viscerum crasi, & cruore valdè depauperato, quamvis succus alibilis, licèt non uti priùs, exassetur; haud tamen ritè coquitur & in sanguinem perfectum maturatur: quin ob πνευματώσεως defectum excrementa serosa Sale fixo imbuta valde congeruntur, & modò in visceribus, modò in extremis partibus defixa varios effectus pariunt. Quare in diuturno ægrorum languore, aut aliàs, citioris convalescentiæ gratiâ exhibeantur remedia quæ sanguinem volatilisent, viscerum infarctiones aut inhibeant, aut factas reserent, eorumque fermenta velut extincta restituant: huic usui imprimis conducunt remedia, & præparata, quæ vulgò digestiva & anti-scorbutica appellantur; quibus tempestivè adhibitis, novi plures imbecilles, pallidos, & quasi exsangues citò vim vegetam, & vigorem recuperasse.

Febris Catarrhalis, Anno 1658. *medio Vere Epidemicæ descriptio, prid. Calend. Junii habita.*

Novissimæ æstatis calorem immodicum, hyeme insequente æquè intensum gelu excepit, adeo ut similem huic annum, propter utrumque, tum æstus, cùm frigoris excessum, haud quisquam modò viventium facilè meminerit. Ab Idibus *Decemb.* ferè ad Æquinoctium vernum erat tellus nive obtecta, & Borea jugiter sufflante cuncta sub dio posita constanter obrigescebant: etiam posteà ab initio Veris ferè ad Calendas *Junii* eodem vento adhuc spirante tempestas erat brumæ quàm veri similior; nisi quod interdum die forsan uno aut altero præfervido intercalaretur. Durante hyeme inter nostrates (nisi quod febris quartana in Autumno contracta quosdam infestaret) status erat mediocriter salubris, & populari quovis morbo immunis. Ineunte Vere, febris intermittens tertiana, (uti quolibet præterea anno assolet,) nonnullos incessit. Circa finem *Aprilis* derepente emicuit affectus, qui velut afflatu quodam à sideribus immissus quamplurimos unà corripuit; ut in quibusdam oppidis unius septimanæ spatio plusquam mille homines simul decumberent. Symptoma hujus morbi pathognomonicum, & quod primò ægrotantes invasit, fuit tussis molesta cum sputo copioso, necnon catarrho in palatum, gulam, & nares decumbente: adest etiam intemperies febrilis, quæ cum calore & siti, inappetentia, lassitudine spontanea, & dolore gravativo in dorso & artubus utplurimùm conjungitur: quæ tamen febris in nonnullis erat remissior, ut foras obambularent, & circa consueta vitæ munia toto ægrotationis tempore occuparentur, interim de virium defectu & languore, cibi fastidio, tussi, & catarrho querentes: in quibusdam verò calida intemperies plurimùm emicabat, ut lecto affixi ardore & siti ingenti, vigiliis, raucedine, ac tussi ferè continua molestarentur: interdum hæmorrhagia narium in aliquibus sputum cruentum, & non rarò dejectiones sanguinolentæ huic affectui supervenerunt: qui corpore infirmo præditi, aut provectæ ætatis homines hoc morbo corripiebantur, haud pauci interibant; robusti autem & constitutionis sanioris ferè omnes convalescebant: qui huic morbo succumbentes interibant, plerumque ob vires sensim labefactatas & colluviem serosam magis in pectore coacervatam, cum febre adaucta & respiratione difficili, instar febre hectica laborantium emoriebantur. Circa hunc morbum inquirere oportet, qualem habuerit causam procatarcticam, ut medio vere derepentè emergeret, eodemque infra mensis spatium ferè tertia pars hominum afficeretur: dein signis & symptomatibus sedulò collatis, assignari debent hujus morbi ratio formalis, item criseos & curationis modi.

Ventum Borealem producendis catarrhis aptissimum esse, præter Hippocratis testimonium experientia communis suffragatur: cur autem non toto hyemis ac veris tractu catarrhi, saltem sporadicè increbuissent; sed tantùm unius mensis spatio, & tunc cum febre conjunctus hic affectus epidemicè grassaretur, ratio haud planè constat. Scio plures causam deducere ab inæquali (pro isto tempore) aëris intemperie: qui licet plerumque frigidior, tamen aliquando remittente Boreâ die uno aut altero præfervidus extabat: quare ab hac προφάσει, velut à frigore post incalescentiam suscepto, homines communiter ægrotare poterant: hujusmodi causa evidens forsan pro nonnullis hac ægritudine afficiendis sufficeret; at verò pro excitando affectu ita derepentè exorto, & communissimè grassante, præter talem occasionem magna procatarxis, seu prædispositio requirebatur: namque supponi debet, quod cuncti ferè homines ad hunc morbum suscipiendum fuissent proclives, secus nulla causa evidens vim suam ita potenter in plurimos exerceret: quare verisimilius videtur, quod ab anni intemperie, & maxima inordinatione hic morbus originem duxerit: & sicut febris intermittens Autumnalis superius descripta fuit productum immodici caloris præcedanei, ita hæc febris catarrhalis ab anni tractu succedente nimis impensè frigido omnino dependeret: enimverò sanguis ab æstate præfervida jam retorridus, & in febrem superius descriptam proclivis, dein urgente autumno acetosior factus, & in febrem quartanam aptus, postea ob intensum brumæ frigus parum eventilatus, & à debita perspiratione prohibitus dyscrasiam adhuc retinuit, eandemque pro data occasione luere in promptu habuit: quare cum medio vere sanguis (uti vegetabilium succus) vegetior factus, necnon efflorescere, & luxuriari inceptus, ob πύκνωσιν adhuc continuatam, inter circulandum angustaretur, in febriles effervescentias erat facile proclivis: cumque latex serosus in cruore redundans, propter poros usque è frigore strictos extus evaporare nequiret, intus restagnans & præcipuè in pulmones (ubi διαπνοῆ externæ aliquid succedaneum peragitur) decumbens tussim ita crebram & molestam excitabat.

Hujus itaque morbi origo, & formalis ratio in duobus præcipuè fundantur: quod nimirum unà contigerint sanguinis effervescentia solito major, à tempestate verna inducta; simulque πύκνωσις, sive magna pororum constrictio, à tractu temporis præcedaneo nimis impensè frigido excitato, ut propterea sanguini in vasis efflorescenti haud liberum concederetur spatium. Res ita se habuit, ac si vinum effervescere inceptum, vasis strictim occlusis imponeretur; namque hac ratione, tum vasa, tum liquor disperdi periclitantur.

Quare ut rei summam brevi contraham, quod hic morbus medio verè exortus statim latissimè grassatus quamplurimos occuparet, in causa fuit haud maligni aëris afflatus, quo velut sideratione percussi ægri afficiebantur, prout nonnulli volunt, verum quod hoc tempore sanguis à constitutione verna inspiratus, adeoque luxuriari, & effervescere aptus in motu coarctaretur, ac effluviis intus cohibitis non satis eventilari potuerit. Quolibet anno, licet temperato, usitatum est vere & autumno morbos quosdam epidemicè regnare; quoniam scilicet hoc tempore sanguis redintegratus veluti de novo efflorescit, ideoque febres intermittentes, ac interdum variolæ hac tempestate passim increbrescunt: quare nihil mirum, post anni constitutionem maximè inæqualem, & à naturali dissitam,

cum hoc Vere ſanguis vegetius intra vaſa ebulliens propter διαπνοὴν impeditam liberè circulari, & ſatis eventilari nequiret, ſi exinde magnæ inordinationes ſequantur, & à communiſſima hac cauſa affectus valde epidemicus excitetur.

Quoad ſymptomata huic morbo adjuncta, intemperies febrilis, quæque huic appenduntur, præcordiorum æſtus, ſitis, laſſitudo ſpontanea, dolor in capite, lumbis aut artubus gravativus, à ſanguine plus effervеſcente, nec ſatis eventilato inducebantur: hinc in pleriſque tenuioris cruoris parte excalefacta, ac reliquo liquore ſolummodo in confuſionem acto, ſynochus ſimplex, ſive plurium dierum inducebatur, atque hæc intra paucos dies plerumque ceſſabat: in nonnullis autem vitioſa ſanguinis diatheſi, aut malo corporis habitu præditis hujuſmodi febris propter eandem cauſam exorta, cito in putridã valde periculoſam, & non raro lethalem tranſiit.

Tuſſis cum catarrho hanc febrem comitata ab humore ſeroſo, propter tranſpirationem præpeditam diu in ſanguine coacervato, & dein effervеſcentia oborta, arteriolis intus dehiſcentibus magis exſudante originem traxit: cum enim pori conſtringuntur, ſeroſitates in ſanguine ſuperfluæ exterius evaporari ſolitæ, propiori ſanguinis luſtratione in pulmones ſuffunduntur: quare à frigore (uti vulgò dictum eſt) ſuſcepto, hoc eſt à tranſpiratione extus præpedita tuſſis utplurimum concitatur; atque in procatarxi ad hunc affectum ſeri in cruoris maſſa exundantia locum ferè primum obtinuit: namque à frigore diuturno ſanguinis aſſ tionem, ſeu bilis proventum impediente, atque laticis aquoſi διαπνοὴν prohibente neceſſe erat plurimum ſeroſi humoris in ſanguine coacervari: quare cum ſanguis à Vere effloreſcens effervеſcentiam concepit, ſeri exundantia, ejuſque in partes interiores ſuffuſio, primo tuſſim, velut proprium hujus morbi ſymptoma, inferre ſolebat: ac in quibus ſanguis à ſeri mixtione dilutior factus tuſſi, & affectioni Rheumaticæ fuit maximè obnoxius, ipſi ab intemperie febrili cum leviori plaga abſolvebantur.

Hujus morbi prognoſis circa privatas perſonas plerumque facilis eſt, ut à primo ſtatim inſultu eventum prodat: nam ſi in corpore robuſto, & prius ſano hæc ægritudo excitetur, ſitque intemperies febrilis moderata, & ſine gravi & horrendo quovis ſymptomate, res periculo vacat, & affectus ita levis momenti reputatur, ut vulgò tantum frigus contractum audiat; & plerumque nec Medicus conſulatur, nec remedia, niſi trita, & facilè parabilia adhibeantur. Sin verò hic affectus in corpore imbecillo, & invaletudinario cum malo apparatu contigerit, ſitq; aut febris in putridam evecta, aut tuſſis ingraveſcens reſpirationem difficilem, & conſtitutionem velut tabidam inducat, morbi eventus plurimum ſuſpectus eſt, & non raro in mortem terminatur. Prognoſticon commune, quod hinc circa anni ſtatum futurum deſumitur, nihil valde timendum continet, aut inſigniter malum ominatur, ut propter inæqualem anni intemperiem, ac magnos æſtus, ac dein frigoris exceſſus morbos à dyſcraſia ſanguinis oriundos liceat timere; verumtamen à præſenti ſtatu neque auram inſigniter depravatam, aut venenatis halitibus infectam ſuſpicamur, ut hinc peſtis, aut maligníoris morbi imminentis criterion habeatur.

Quod ad therapeiam attinet, quando hic morbus levius infligitur, ejus cura utplurimum naturæ relinquitur: etenim hæc febris, cùm ſit tantum ſynochus ſimplex, intra paucos dies per diaphoreſin judicari ſolet: quare à ſudore copioſo plerumq; circa tertium diem, aut quartum calor & ſitis, laſſitudo ac dolores gravativi ſedantur: deinde tuſſis diutius protracta poſtea paulatim remittitur, & demum ægri ſenſim convaleſcunt. Si quando hic affectus altiores radices egerit, remediis idoneis & exacta medendi methodo opus eſt. Febris ingraveſcens juxta leges in putrida obſervandas ſanetur; verumtamen cum hoc diſcrimine, ut quoniam tranſpiratio præpedita, & humoris ſeroſi in pulmones ſuffuſio præcipuè in culpa ſint, ideo diaphoretica, & remedia dicta thoracica crebrioris ſint uſus: hæc enim ſeri è vaſis intus exundantiam cohibent, ipſumque aut poros reſerando foras convehunt, aut à cruoris ſinu præcipitando per ductus urinarios amandant. Itaque medicinæ methodus pro hoc morbo in pejus evecto reſpiciat tum intemperiem febrilem, cujus ſanandæ gratia juxta intentiones in febre putrida adhibitas dirigatur: tum affectionem Rheumaticam, quæ tamen ſit indicans ſecundarium; & remedia non quælibet expectorantia, aut contra tuſſim uſitata, ſed ejuſmodi tantum admittit, quæ febrem minimè intendunt. Horum formulæ, & medendi occaſiones è præceptis pro curatione febris putridæ, & tuſſis paſſim traditis petantur: auxilia, quæ nunc crebra experientia in hoc morbo opem præcipuam contuliſſe vulgò perhibentur, ſunt diaphoreſis, ſive procuratio ſudoris, & ſanguinis miſſio; etenim vaſis hoc aut illo modo depletis, tum immodica ſanguinis effervеſcentia, tum ſeri exuberantia cohibentur.

Febris Epidemicæ ſub initium Autumni, Anno 1658. exortæ deſcriptio habita Idibus Septembris.

Febris vernalis modo deſcripta vix ultra ſeſquimenſem duravit, ut planè videretur ea tantum levior ſanguinis effloreſcentia, qua nimirum in vere turgeſcens, ſimulque ob ventilationis defectum ſpatio coarctatus, inſtar muſti utribus incluſi impetuoſius ebullivit, ac dein ſponte ceſſavit. Exinde tamen, prout neque annus, ita nec ſanguis noſter debitam temperiem recuperabat, adeoq; in novam uſque febrim fomes alter citò congeſtus eſt. Quippe poſt ſolſtitium æſtivum, Borea adhuc flante, tempeſtas frigida diu perſtitit, ita ut fruges ac ſegetes hoc anno vix ad maturitatem perduci poſſe agricolæ vererentur: poſthac autem, paulò ante calendas ſextiles, calor intenſiſſimus per plures dies inſequutus eſt; & jam regnante Sirio aër impensè æſtuabat, ut ſub dio verſari plurimum tæderet. Propter hujuſmodi æſtus ac frigoris exceſſus, hujus anni temperatura fuit maximè inæqualis: quapropter ſanguinem noſtrum modo figi, ac velut congelari; modo præaſſari nimis, ideoque à craſi naturali in retorridam, aut atrabilariam perverti neceſſe fuit; etiam poros cutis à conſtitutione recta plurimum alterari, ut proinde tranſpiratio inſenſilis haud ſolito more perageretur.

A quo deſiit febris ſuperior ferè ad occaſum Caniculæ fuit ſtatus ſalubris, & morbi cujuſque popularis immunis: deinceps verò pauci

primò

primò in villis ac vicis minoribus sparsim ægrotarunt; postea autem circa finem mensis *Augusti* febris nova derepentè exorta per totas regiones undequaque in vicinia nostra grassari cœpit. Hæc etiam, prout altera, quæ novissimo autumno increbuit, in pagis, & villis rusticanis præcipuè desævIit; interea tamen urbium & oppidorum majorum incolæ rariores decubuerunt. Eodem tempore in aliis regionibus procul hinc dissitis, imò per totam ferè Angliam, febris epidemica grassari ferebatur; etiam in aliis quibusdam locis longè crebriora funera, quàm hic inter nostrates audiebantur. Forsan hujus febris modo regnantis idea, ejusque symptomatum apparatus haud ubique locorum per omnia similis existit, aut iisdem prorsus phanomenis & accidentibus insignitur: quicquid tamen circa naturam ejus, prout in vicinia nostra se habuit, observatione propria, aut ab aliis communicata edidici, succinctè ac breviter subjiciam,

Circa prima hujus morbi initia fuit typus ejus vagus, & valdè incertus; quippe in nonnullis aderat effervescentia continua, in aliis intermittens, & paroxysmis statis interpolata: quamplurimis verò ægrotantibus velut symptoma hoc tempore pathognomonicum accidit, in cerebro & nervoso genere se malè habere, ut statim à febris hujusce primordiis de capite graviter affecto ferè omnes quererentur; quippe alios cephalalgia immanis, alios gravitas auditus cum tinnitu aurium infestarunt: plerisque verò aut torpor, & somnolentia gravis, cum affectu vertiginoso, aut vigiliæ pertinaces cum delirio & spirituum animalium distractionibus accidere solebant. Observavi in nonnullis, quod primo, aut secundo ægrotationis die maculæ latæ & rubicundæ morbillis similes in toto corpore sensim eruperint, quibus brevi postea evanidis, febris statim intensior, & præcipuè affectiones capitis longè graviores evaserunt. Exinde quosdam torpor sensuum, & somnolentia per plures dies incesserunt, ut sine loquela, aut amicorum notitia velut moribundi diu jacuerint. Novi alios hinc in lethargum, aliosque in apoplexiam conjectos; quosdam in deliria, & phrenesim incidisse. Ex his juniores, & robustæ ætatis homines (non sine diuturno tamen languore, & dubia convalescentia) complures evaserunt: interea senes, aliàs imbecilles, ac invaletudinarii passim interibant. Qui febre velut continua cum istis malignitatis notis decubuerunt, rariùs, & in quibusdam tantum ædibus sporadicè affecti extiterunt. Quæ verò in nostra vicinia ægritudo communissimè grassata plurimos incessit, atque etiamnum graviter desævit, typum febris intermittentis, scilicet aut Tertianæ, aut Quotidianæ imitari videbatur: siquidem in diebus aut singulis, aut (quod sæpius observatur) alternis, ægri paroxysmos habent, qui cum frigore, æstu, ac sudore ordine succedentibus eos diu ac graviter infestant: hujusmodi verò accessienes, necnon totius morbi decursus, pro diversis ægrorum ætate, ac temperamento, cum varia symptomatum & accidentium συνδρομῃ insigniri solent. Hoc tamen plerisque (penè dixerim omnibus) decumbentibus commune est, unà cum hac febre affectibus cephalicis ale p lecti.

Cum itaque hoc morbo quispiam afficitur (sive ex causa evidenti, aut contagio, sive absque occasione manifesta ægritudo excitetur) dolor in capite, & non raro in lumbis, cum siti, inappetentia, lassitudine spontanea, ac calore, licet minus intenso, ejus adventum produnt. Si in corpore juvenili, sanguinis floridi, & temperamenti calidioris accidat, circa ejus initia paroxysmi frigore, aut rigore carent, æstu tamen diuturno & acri sunt plurimum molesti: ægri vomitu sæpe tentantur, iisque caput plerumque immaniter dolet: sudor difficulter succedit, qui sæpe partialis, ac cito interruptus paroxysmum raro solvit; quin cum sudore desierunt, denuo incalescunt, ut vix intra horas 18. aut 24. in quibusdam accessio finiatur. Interim à cruore admodum effervescente phantasia perturbatur, ut sæpe delirium, fabulatio absurda, vigiliæ, & summa inquietudo durante paroxysmo concitentur; eodem verò finito, interstitii tempore adhuc sitis molesta, calor lentus, virium languor, & spirituum magna debilitas, cum cephalalgia & affectu vertiginoso plerumque infestant. Rarò inveniuntur, qui prout in tertiana communi, accessionum intervallis se mediocriter habent. Circa morbi principia exacerbationes febriles paulò mitiores existunt, quæ postea qualibet vice sensim ingravescunt, & dein cum frigore, aut rigore incipiunt: cui tamen post æstum diuturnum & valde molestum sudor ægrè in plerisque succedit, ita ut paroxysmus raro in temperiem debitam finiatur. Intra sex, aut septem periodos ægrotantium vires plurimum atteruntur, ut languidi & imbecilles facti difficile habeant pensum cum morbo colluctari; quippe nisi ab arte naturæ succurratur, febris usque prævalet, & raro aut nunquam intra breve tempus aut crisi solvitur, aut sensim remittit: quin affectos diuturnâ obsidione in summas angustias adducit, eò usque nimirum persistens, donec sanguis à crebra deflagratione valde effœtus & aquosior factus, sponte in vasis nimium effervescere, aut in corde uberiùs accendi sit omnino inhabilis; & tunc non raro ita vappidus, & spirituum inops evadit, ut lampadi vitali prorogandæ insufficiens mortem accersat. Interdum verò cruoris massa ab hoc morbo depravata, & inops facta ignem vitalem semiextinctum (ægrè licèt) perennare, ipsumque dein cum spiritu & vigore paulatim, & diutino tempore redintegrare valet: interea tamen post statum hujus morbi, cùm sanguis debilior, simulque impurior factus materiam febrilem, seu recrementa adusta motu critico foras expellere nequit, eadem cerebro transfert; ideoque circa febris hujus ἐπιχμὴν spirituum torpor, & stupiditas, somnolentia, vertigo, aurium tinnitus, tremores, & motus convulsivi cum magna totius facultatis animalis oppressione sæpissimè inducuntur.

Qui frigidioris temperamenti, aut provectioris ætatis homines hoc morbo corripiuntur, licèt minùs acutè febricitent, cum majori tamen vitæ periculo decumbere solent: quippe in his præter sanguinis diathesin haud facilè reducibilem, etiam in paroxysmis, quod extraneum & non miscibile congeritur, ægrè subigitur, & difficulter à cruoris massa secernitur: quare & sanguis in crasi sua usque insigniùs depravatur,

vatur, & in singulis paroxysmis impura mixtione magis inficitur: insuper liquor nervosus à debita temperie valde pervertitur, & recrementis adustis cerebro continuò suffusis pessimè inquinatur. Cùm itaque senes, melancholici, aut aliàs invaletudinarii in hanc febrem incidunt, à primo ejus insultu statim torpidi, & plerumque vertiginosi evadunt: in paroxysmis licet calor sit minùs & mordax, inquieti tamen, & plurimùm jactabundi degunt: sæpe incongruè, & delirè fabulantur. Post diutinam incalescentiam sudor aut nullus, aut tantùm partialis, & crebro interruptus succedit, quo paroxysmus haud plenè solvitur; quin totis intervallis ægri sitibundi, cum oris siccitate, linguæ scabritie, & amurcæ viscosæ suffusione malè habere perstant. Post aliquot paroxysmos viribus summè dejectis, aut lecto affiguntur penitus, aut parumper interdiu suscitati vix stare, aut è loco in locum, pedetentim licèt, incedere valent: interim languore, respiratione difficili, sensuum torpore, & totius nervosi generis imbecillitate magnâ laborant. Urina in plurimis intensè rubicunda est, coloris saturati magis, & consistentiæ crassioris, quàm in tertiana communi: pulsus, dum vires non omninò prostratæ sunt, plerumque robustus est, & æqualis: postea cùm ægroti valde oblanguescunt, debilis, inæqualis, ac sæpè intermittens existit; cui etiam tendinum contracturæ, & motus convulsivi in carpis adjuncti, prognostici utplurimum lethalis occasionem præbent. Qui sensim debilitati versùs mortem declinant, aliquo ante obitum spatio, plerumque sine loquela, aut adstantium agnitione, velut stupidi decumbunt. Rarò accidit in hac febre, ut quispiam moribundus memoriâ & intellectu vegetis res familiæ suæ disponat, aut amicis valedicat. Quos vero è languore summo, & statu ferè deplorato evadere contingit, haud subitâ & manifesta diacrisi cito emergunt; verùm diu vacillantes, torpidi, ac enerves jacent, ut non nisi post dubium & difficile certamen natura tandem vix ac ne vix quidem morbo potior extiterit, & dein lenta ac diuturna convalescentia vires gradatim recuperet.

Si natura, & formalis ratio febris epidemicæ modo descriptæ inquiratur, dicimus hanc (prout illam prioris anni) esse propriè intermittentem: quæ enim communiter grassatur, hujusmodi typum gerit; licet continuæ quædam rariores interspersæ sunt, quas etiam mox obiter perstringemus. Hujus seminarium non opus erit ab aëre miasmate quodam infecto derivare, quin potius causam ejus προηγουμένην ab indebita anni constitutione, & exinde sanguinis nostri indispositione acquisita petere. Quippe vere, & autumno febres intermittentes quotannis increbrescunt: quia nimirum sanguis noster æquè ac vegetabilium succus, his temporibus solito vegetius commoveri, ac efflorescere solet. Quare si cruoris massa ob prægressam æstatis aut hyemis tempestatem à debita temperie alteretur, & diathesin aut acrem, aut atrabiliariam, aut alius generis contraxerit, ejus dyscrasiæ prius incoeptæ circa æquinoctia potissimum maturantur; quando nimirum sanguis uberius fermentescens (si modo à crasi naturali desciscit) non ita facilè sanguificat, quin succum alibilem éi confusum in materiam extraneam, & febrilem pervertere aptus fuerit. Cum itaque hic annus à constitutione recta plurimum deflexerit, ut non solum Canicula præcedens, sed bina retrò solstitia, totidemque Æquinoctia omninò intemperata extiterint, nihil mirum est, si febres intermittentes solito crebriores, æquè symptomatis quibusdam inusitatis insignitæ sub Autumno ingravescant. Quod igitur febris Epidemica intermittens hoc tempore desæviat, haud aëris præsentis vitio, sed tempestatis prægressæ anomaliis attribuendum duco: à quibus tamen causis, & occasionum momentis symptomata in hac febre propria quædam, & à communi intermittentium norma distincta orientur, inquisitu erit dignum. Dixi superius apparatum, quo hæc febris in mortalium perniciem instruebatur, in duobus præcipuè constitisse: scilicet anni temperies modo impensè frigida, dein succedens calidissima, tum sanguinis nostri crasin variè perverterat, tum poros cutis constitutione indebita affecerat: Juxta rationes ab utrisque petitas hujus morbi accidentia explicare, ejusque phænomenôn causas assignare satagam.

I. Primò observamus quod febris hujus typus fuit varius, nimirum in his cum effervescentia continua, in aliis cum macularum eruptione, in plerisque autem intermittens, & instar tertianæ, ac interdum (licèt rariùs) quotidianæ, diebus singulis, aut alternis paroxysmos repetens. Diversitatis hujus causam assignamus, quoniam hoc anno νοσηρὴ προκατάρξις fortior & potentior erat, quàm ut solummodò febrem intermittentem in Autumno communitar assuetam produceret: quare in aliquibus praviori forsan corporis habitu præditis febres nonnihil malignas concitavit, & quibus juxta solitum tempestatis morem intermittētes accersivit, eas peculiari symptomatū apparentia notari fecit.

II. A febre hoc tempore Epidemica (sive ea sit continua, sive intermittens) correpti, protinus malas capitis affectiones patiuntur; scilicet modo cephalalgia immani, modo spirituum animalium aut stupore, aut distractione nimia infestari solent. Hujus ratio est, quod succus nervosus æquè ac sanguis, propter anni intemperiem, à crasi debita, scilicet natura dulci, ac spirituosa, plurimum alteretur, ac modo hebes & ferè vapidus, modo acris nimium & pungitivus evaserit. Præterea item ipsa cruoris massa huic malo valde contribuit; dum enim effevescit, effluvia vaporosa, quæ exterius difflari oportuit, ob poros constrictos capitis membranis, ac cerebro suffunduntur: atque propter hujusmodi πύκνωσιν ferè omnibus impressam sudor ægrè, & non nisi partialis, & sæpe interruptus in paroxysmis succedit: hinc etiam in morbi statu crisis perfecta, aut spontanea ejus solutio rarò & vix omnino contingit; quin vice hujus, si res naturæ committitur, materies adusta, seu recrementa in cruore congesta capiti transferuntur, ibidemque affectus modo comatosos, modo phreneticos, eosque diuturnos ac contumaces concitant.

III. Quod paroxysmi interdum sine frigore, aut rigore incipiant, cum æstu tamen molesto, & sudore difficili, partiali ac sæpius interrupto

diu

diu protelentur; dein quatenus eodem finito ægroti rursus incalescant, ut non nisi longâ halitus sicci evaporatione accessiones finiantur, in causa est nimis acris & biliosa sanguinis diathesis, qua Sale & Sulphure adustis potius quàm seroso latice refertus, quando turgescit, sine prævio nitrosæ materiæ fluore protinus incendium concipit; ideoque ob seri defectum, & poros occlusos, exhalatione ferè tantum sicci, deflagratio ejus longo tempore continuatur, & vix tandem in ἀπυρεξίαν desinit. Atque idcirco paroxysmorum interstitia calore, & siti, cephalalgia, vertigine, aliisque affectibus sunt plurimum molesta: quia scilicet materia febrilis in sanguine congesta singulis Paroxysmis haud tota discutitur, quin pars ejus post accessionem relicta velut extranea, & non miscibilis, effervescentiam ferè continuam inducit.

IV. Observare est, quod hac febre affecti viribus suis, & solita corporis firmitate confestim decidant, ut post unum aut alterum paroxysmum anhelosi, & valde imbecilles vix pedibus stare, aut absque sustentaculo ambulare valeant; cum usitatum sit, febre intermittente communi correptos in accessionum intervallis satis vegete & alacriter se habere. Discriminis ratio est, quoniam in hac febre cruoris massa tum succi degeneris impura mixtione plus depravatur, tum præcipuè quod eadem à crasi naturali magis pervertitur; & propterea quando extra paroxysmos minus ebullit, in cordis tamen sinubus haud ritè, & æquabiliter fermentescit: quare cum à motu citatiori, aut corporis agitatione quavis sanguis in cordis sinus impetuosius urgetur, quoniam illic non totus statim accenditur, & foras exsilit, stagnatione sua cordis oppressionem, & spirituum vitalium exsolutiones magnas infert. Propter hujusmodi cruoris dyscrasiam, qua nimirum fermentationi, seu accensioni debitæ in corde fit inidoneus, etiam jumenta quædam, ac præsertim equi, tempore verno. aut autumnali fiunt anhelosi, atque ad motum rapidiorem valde inepti.

V. Super hac febre ultimò inquirendum restat, quare in villis, pagis minoribus, ac cruri potissimum increbrescat: quando urbes, ac oppida majora leviori plaga feriantur. Videri autem posset, quod hic affectus ab halitibus paludosis, aliisque noxiis in hoc aut illo aëris tractu uberiùs congestis excitetur: verùm ratio melius constat, asserendo istiusmodi locorum incolas frigori vernali, ac dein caloribus æstivis magis expositos dyscrasiam sanguinis majorem, adeoque in hanc febrem diathesin aptiorem contraxisse, Enimverò rure habitantes vix ædibus egrediuntur, quin solis radiis, aut aëris æstuantis fervori exponantur. Insuper agricolæ, & rustici durioribus negotiis assueti (inter quos hæc febris maximè sæviit) à labore & exercitiis immodicis sub dio habitis, simulque victu pravo & aspero utentes, sanguinis diathesin adustam & retorridam, ideoque huic morbo aptiorem, citius acquirunt, quàm cives, & oppidani, qui otio & victu salubri fruentes in contuberniis, aut plateis ædificiorum umbra refrigeratis sæpissimè degunt. Huic assertioni fides astruitur, eo quod non solum febris Epidemica modo desæviens, verum & altera prioris Autumni propter sanguinis dyscrasiam excitata, inter colonos & ruris incolas potissimum increbuit: quæ autem medio Vere febris popularis exorta est, à transpiratione præpedita præcipuè dependens cives, & oppidanos maximè infestavit: interim rusticani exercitio & laboribus διαπνοὴν liberiorem procurare soliti impunius degebant.

Hujus morbi prognosticon generale tantum ominari videtur, similem ferè plagam huic successuram, ac ob eam quæ febrem prioris Autumni Epidemicam sequuta est, scilicet (augurio à sanguinis nostri intemperie potius, quam ab aëris labe desumpto) haud pestem, sed febrem quartanam denuò imminentem vereri liceat. Quoad σημείωσιν particularem, ut signa quæ mortem, aut salutem promittunt, brevi contraham, ea præcipuè respiciunt vel sanguinis cum Spiritu vitali, vel etiam succi nervosi cum Spiritu animali temperiem, & regimen. Si à pulsu, urinis, actionibus minus læsis, aliorumque symptomatum apparentia planè indicetur, quod sanguine quoad diathesin febrilem, à crasi naturali haud valde pervertitur, quod in paroxysmis modicè tantum deflagret, & materiæ febrilis sarcinam in qualibet lucta facilè subigat, & consortio suo penitus excutiat; quod post aliquot accessiones ejusdem sanguinis massa versus temperiem debitam nonnihil restituatur; quod minus succum alibilem pervertat, & mitiori turgescentia quod extraneum est, & non miscibile excernat: atque interea si liquor alter spirituosus cerebrum ac corpora nervosa ritè inflat, ac irrigat, ut somnus, vigiliæ, sensatio, & motus benè, aut saltem mediocriter peragantur, de ægroto liceat omnia bona sperare. Sin vero ex iisdem indiciorum fontibus constabit, quod sanguis in hac febre crasin à naturali dissitissimam acquisierit, si plurimum succi alibilis pervertat, & dein ab extranea & incongrua ejus mixtura cruoris liquor valde turbatur, & Spiritus in confusionem aguntur, Si in paroxysmis cruor intensè nimis, & longo tempore deflagret, nec tamen materiam febrilem ritè subigat, aut totam foras excludat, quin impura ejus miscela adhuc magis (& in qualibet accessione febrili) usque magis inficiatur, simulque spiritibus continuò assumptis pauperior evaserit, vitam ægrotantis periculosæ subjectam aleæ pronuntiare possumus. Super his si liquoris nervosi accedant vitia, ut à debita temperie alteratus, aut hebes nimium, & quasi vapidus cerebrum, & nervosum genus minus actuet, aut supra modum acris eadem in spasmos, & distractiones continuò irritet, ac si præterea effluvia vaporosa à sanguine continuo decidentia, aut recrementa adusta sudore critico secerni solita in caput transferantur, ibidemque affectus lethargicos, aut maniacos inducant, salutis spes admodum in præcipiti versatur, & eventum valde funestum timere licebit.

Circa hujus morbi therapeiam intentiones curativæ præcipuè tres in considerationem veniunt. Primò sanguinis, & liquoris nervosi ad crases naturales (quantum fieri potest) cita reductio, vel saltem istorum depravationis nimiæ præcautio. Secundò, ægrotantium circa paroxysmos recta tractatio, quæ procurare debet:

Primò,

Primò, ut minus ſucci degeneris in paroxyſmi materiam congeratur. *Secundò*, ut congeſti penus qualibet acceſſione in totum diffletur, quo in intervallis ægroti melius habeant. *Tertiò*, ut corpore in melius alterato, remediis anti-febrifugis paroxyſmi inhibeantur. Tertia intentio reſpicit ſymptomata præcipuè urgentia, quibus tempeſtve occurratur, quò natura minimè impedita quidquid in viſceribus, aut vaſis contentum intemperatum ſit, reducat; extraneum ſubigat, & excernat, atque cito demum vim vegetam, & vigorem priſtinum recuperet.

Primò igitur pro ſanguinis & ſucci nervoſi reductione, & emendatione diverſimodæ evacuationes circa initia ægrotationis in hoc morbo bono cum fructu adhiberi ſolent. Vomitoria in hoc affectu potius quam in tertiana communi inſigniter ex uſu eſſe, è praxi moderna ſatis conſtat: quare in corpore robuſto, ac in vomitionem proclivi, ſub initium ſecundi aut tertii paroxyſmi pharmacum emeticum propinari convenit. Hujus operatio in hac febre magis prodeſſe videtur, & quatenus è ventriculo ſordes, ac vaſis choledochis bilem flavam uberius evacuat, & quoniam ſeroſum laticem è nervoſi generis emunctoriis circa pancreas, & inteſtina conſitis copioſè exprimit, & proritando emulget. Quare obſervamus, à vomitorio adhibito circa capitis affectus ægrotantes ſe melius habere. Purgatio (quibus vomitio non convenit) die paroxyſmum ſequenti velut ſuccedaneum inſtituatur, etiam emetico licèt præmiſſo; dein poſt unam, aut alteram acceſſionem ritè ſuccedat: verumtamen cum pharmaco tantum miti, & benigno, quod ſanguinem minimè perturbet, aut exagitet, peragatur. Nobis ſolenne eſt in his febribus medicamine quovis Aloëtico, aut Diagridiato poſthabito, tantum infuſionem, aut pulverem ex Senna, Rhabarb. & Santal. Citrin. cum Tartaro, ac Sale Abſinthii exhibere, atque hujuſmodi purgationem haud longè nimis à morbi initiis celebrare: aliis verò temporibus crebro enematum uſu alvum ſolutam reddere. Venæſectionem in hoc morbo apprimè utilem crebra experientia ſatis edocuit: cum enim ob poros in omnibus ſolito conſtrictiores ſanguis à febre efferveſcens ventilatione indigeat, ſanguinis miſſio διαπνοῆς liberioris vicem ſupplet, præcavetque, ne effluvia cohibita adeo promptè cerebro, & nervoſo generi ſuffundantur. Attamen hoc remedium præcipuè indicatur à ſanguine præfervido, & temperamento calidiori; neque indifferenter à ſenibus, pituitoſis, aliiſque valdè imbecillis uſurpari debet, niſi forſan in exigua quantitate, ut cruoris maſſa nonnihil eventiletur, & materiæ febrilis in cerebrum metaſtaſis inhiberi poſſit. Si venam ſecari convenit, circa febris initia, aut ſaltem ante quartam, aut quintam acceſſionem fiat; ſcilicet priuſquam cruor à deflagratione crebra effœtus valde, atque materiæ aduſtæ confuſione impurus nimium reddatur: quippe ſi cruore inſigniter labefactato phlebotomia celebretur, ſpiritus vitales, ac ægroti vires inde plus debilitantur, nec tamen de morbi potentia, aut cauſa ejus quidquam detrahitur. Reſtat alius evacuationis modus in hac febre celebris, per emplaſtra nimirum veſicatoria variis corporis partibus adhibita, hæc adeò juvamen præſtare vulgò obſervantur, ut inviti, ac tale remedium valde perhorreſcentes, aliorum exinde meliùs habentium exemplo ducti illud facilè admittant. Quo ritu cuticulam à cute ſegregent, & quaſi in veſicam aquæ plenam attollant; an humorem iſtum aquoſum, & limpidum ex arteriis, an ex nervis exprimant, non eſt hujus loci diſquirere: ea tamen in hoc morbo utiliter adhiberi, præter experientiam, ratio hæc nonnihil ſuadere videtur; quia nimirum hujuſmodi ſeroſi laticis larga profuſio tranſpirationis liberioris defectum quadantenus compenſat: inſuper hoc remedii genus velut fores, & oſtia patefacit, quibus & ſanguis, & ſuccus nervoſus materiam extraneam ipſis confuſam purgamento propiore illicò excernant; quare in peſte, & affectibus malignis veſicatoria valde proficua æſtimantur. Etiam communi obſervatione conſtat, quod in hac, aliiſque febribus eadem tempeſtivè habita graviores capitis affectus præcaveant, atque iiſdem priùs inductis opitulari ſoleant: quare in pituitoſis, ſenioribus, ac frigidioris temperamenti hominibus emplaſtra epiſpaſtica circa primum hujus morbi inſultum præſervationis cauſâ applicari poſſunt, atque in aliis quibuſvis torpore, vertigine, aut cephalalgia immani laborantibus; propter eorundem affectuum curationem utiliter adhiberi ſolent. In conſtitutionibus verò impensè calidis, ubi cum ſeri defectu ſanguis aduritur nimium, atque ſi febricitantes cum æſtu intolerabili, vigiliis, aut phreneſi ſunt obnoxii, veſicatoria minùs ex uſu eſſe videntur.

Pro ſanguinis craſi, necnon viſcerum tenore emendandis, temporibus intermediis, quando ab evacuationibus modò citatis parumper vacat, locum habent remedia attemperantia, atque digeſtiva, quæ nimirum ſanguinis liquorem fundunt, ejuſque fæculentias ſegregant, & velut præcipitando verſus emunctoria deturbant; propter ejuſmodi intentiones propinari ſolent Julepia, & decocta refrigerantia, ſpiritu Vitrioli, Salis, Tamarindis, ſucco Aurantiorum, aut Limonum acidulata, quorum formulæ ſatis elegantes vulgo proſtant. Etiam in hunc finem conducunt pulveres acetoſi, ſalini, teſtacei, ſcilicet ex Tartaro, Halinitro, ſalibus herbarum fixis, è Cornu Cervi uſto, item chelis, aut oculis cancrorum parati. V. g.

♃. Cremoris Tartari drach. 3. Salis abſinthii, drach. 1. cum ſemiſſ. doſis drachm. ſem. in decocto aperiente, bis in die extra paroxyſmum.

Vel, ♃. Cremoris Tartari drachm. 2. pulv. oculorum Cancri drach. 1. nitri purificati drach. ſemiſſ. Miſce, propinetur eodem modo.

Vel, ♃. Cornu Cervi uſti drach. 2. Spiritus Vitrioli quantumpulvis imbibendo excipiet, doſis eſt ſcrup. unus. Egregii uſus eſt, cùm febricitantes lumbricis infeſtantur. Hujuſmodi remedia materiæ febrilis ſecretionem promovent, necnon ſanguinis, & viſcerum fermenta ferè deperdita reſtituunt.

Secunda intentio, ſcilicet ægrorum circa paroxyſmos recta tractatio, plura comprehendit. *Primò* inſtitui debet idonea victûs ratio, quò ſucci degeneris in paroxyſmi materiam congeſtio plenior inhibeatur; quare alimentis ſolùm tenuibus ægri veſcantur; carne (aut ipſius juſculo) ovis, potu generoſo, & eſculentis quibuſvis

busvis opiparis omninò abstineant; solùm decoctis hordeatis, aut avenaceis, panatella, sero lactis, & cervisiâ tenuiori contenti: siquidem uberius alimentum minimè coquitur, aut assimilatur, quin ventriculum aggravat, & cruori confusum ejus liquorem perturbat, & impetuosiùs effervescere cogit. Ingruente paroxysmo, & pro tempore durationis ipsius, nisi pro siti restinguenda, nullum alimentum ore assumatur: pro temperandis verò calore, & siti julepia, & decocta refrigerantia, & imprimis cervisia tenuis, & serum lactis concedi debent. *Secundò*, paulò antequam accessio febrilis expectatur, pharmacum lene exhibeatur, quod paroxysmum vel præcavendo arceat, vel diaphoresin faciliùs procurando facilitet: in hunc usum confert Doctissimi *Riverii* potio febrifuga, ex aqua Cardui, cum oleo Sulphuris, & Sale Absinthii:

Vel, ♃. Cremoris Tartari, Salis Absinthii, sem. urticæ, an. scrup. 1. detur in decocto radicum Acetosæ. Cùm febris declinare incœperit, & paroxysmi paulò remissiùs habeant, epithemata febrifuga exteriùs applicata accessiones febriles non rarò inhibent. Interea tamen, quandiu paroxysmi repetunt, ægri tractentur adeo, ut qualibet accessione materia febrilis in sanguine congesta penitus diffletur: quare cùm sudor ægrè succedit, Medicamentis temperatis paulò excitetur; etiam in lecto cum blanda diaphoresi ægri se detineant per plures horas, nec citò nimis excitari permittantur: etenim sæpiùs observavi ægrotantes usque deteriùs habuisse, quoniam lecti impatientes, priusquam effluvia vaporosa satis exhalarint, vestes induerunt.

Tertiò, quoad symptomata, & accidentia particularia, quibus ægroti in hac febre infestari solent, eorum quamplurimis cum remediis, & curationis methodo hactenus descripta satis prospicitur: contra sitim, ardorem, oris & linguæ scabritiem, vomitus, diarrhœam, syncopen, aut lipothymiæ metum-præscriptiones in aliis febribus vulgò usitatæ satis commodè huc transferri possunt: quæ autem peculiarem medendi methodum in hoc morbo exigere videntur, sunt imprimis capitis, & cerebri cum nervoso genere affectiones, quibus ni tempestivè occurratur, exinde in magnum vitæ discrimen ægrotantes citò adducuntur. Circa hujusmodi capitis mala indicationes sunt duplicis generis: si ex torpore, somnolentia, vertigine, aut cephalalgia constet, succum nervosum nimis hebetem, & quasi vapidum existere, ideoque cerebrum & corpora nervosa non vegetè satis actuare, præter remedia superius tradita, & imprimis vesicatoria, in hoc casu optimè conducunt medicamina Sale volatili referta; quare spiritus Cornu Cervi, sanguinis, necnon Sales eorundem, egregii sunt usus: sin verò liquor nervosus fit nimiùm acris, aut effluvia à sanguine æstuante suffusa spiritus animales in distractiones agant, ejusmodi è Sale volatili remedia paulò in minori quantitate cum fructu adhibentur. Insuper crebra sanguinis missio, & medicamina ejus fervorem demulcentia conducunt, uti emulsiones, serum lactis, aqua simplex uberiùs propinata. Opiata in hac febre cautè admodum usurpentur: nam phrenesis ab iis sedata sæpissimè in lethargum, aut altum stuporem commutatur. *Thomas Willisius Tractatu de Fermentatione & Febribus, quem fusius hic exscripsimus ne aliquid hac in parte nobis deesset.*

1. Primò adverto inordinatam illam massæ sanguineæ commotionem Febris continuæ seu causam, seu comitem, à natura concitari, vel ut heterogenea quædam materia in eadem conclusa, ac ipsi inimica secernatur; vel ut sanguis in novam aliquam diathesin immutetur.

Atque in hoc negotio magis arridet latius & generalius Commotionis vocabulum, quàm vel Fermentationis, vel Ebullitionis, quippe quòd inanis λογομαχίας occasionem præscindat, quam fortassis istiusmodi voces (quæ etiamsi explicationem non incommodam admittant, tamen minùs propriæ, ac nonnihil duriores nonnullis videntur) haud satis caverent. Quamvis enim Cruoris in Febribus commotio, liquorum vegetabilium aliàs fermentationem, aliàs etiam ebullitionem æmuletur; non desunt nihilominus qui eandem non uno modo ab utraque plurimùm differre arbitrantur. De Fermentatione unum alterumve ab illis sumatur exemplum. Primò, licet fermentescentia liquida vinosam quandam indolem ita nancisci soleant, ut spiritum ardentem ex iisdem destillatio eliciat, atque in acetum facilè desciscant, quod ipsum insigni acore pollet, & spiritum acidum destillando exhibet; neutram tamen ejusmodi mutationem in sanguine hactenus observatam fuisse contendunt.

Deinde adverti volunt quòd cum in liquoribus vinosis fermentatio & depuratio eodem tempore peragantur, & quasi paribus passibus procedant, depuratio tamen sanguinis in Febribus ejusdem æstuationem non comitetur, sed consequatur, id quod in paroxysmo febrili per sudores soluto, vel oculorum testimonio, patere existimant.

Quod autem ad Ebullitionem attinet, difficilior illis hæc videtur analogia, quæque experientiam habet summopere retragantem, in multis nimirum casibus, quoties non adeò effrænis est cruoris orgasmus, ut Ebullitionis appellationem mereri possit. Verùm utut sit, (neque enim hisce controversiis me ullatenus immisceri patiar;) quandoquidem Fermentationis & Ebullitionis vocabula apud recentiores Medicos plurimùm invaluerunt, ego quoque eadem subinde usurpare non dubitaverim, dummodo ex jam dictis satis constet voces istas in hoc Tractatu clariori solummodò dicendorum explicationi inservire.

Porrò febrilem hanc sanguinis commotionem ob materiæ cujusdam heterogeneæ, ipsique naturæ adversantis, secretionem ab eâdem concitari, omne genus febrium quæ eruptionibus stipantur testatum facit; utpote in quibus, istius ebullitionis sanguinis beneficio, fit excretio ad cutim excrementi in eodem latitantis, & prava qualitate affecti.

Quinimò nec, meâ quidem sententiâ, minùs liquet febrilem sanguinis commotionem sæpe (ne dicam sæpiùs) non aliò collineare, quàm ut ipse sese in novum quendam statum, & diathesin immutet, hominemque etiam, cui sanguis purus, & intaminatus perstat, febri corripi posse; sicuti in corporibus sanis evenire frequenti observatione compertum est, in quibns nullus

nullus apparatus morbificus, vel quoad plethoram, vel quoad cacochymiam fuerit, nulla insalubris aëris, anomalia, quæ febri occasionem subministraret. Nihilominus etiam hujusmodi homines, præcedente insigni aliqua aëris, victus, cæterarumque rerum nonnaturalium (ut vocant) mutatione, identidem febre corripiuntur; propterea quòd eorum sanguis novum statum, & conditionem adipisci gestit, qualem ejusmodi aër aut victus postulaverint; minimè verò quòd particularum vitiosarum in sanguine stabulantium irritatio, febrim procreet. Etsi nequaquam dubitem materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem, solenniter excretam, vitiosam esse; quamvis sanguis laudabilem antea diathesin obtinuerat: id quod vix magis mirandum est quàm quod esculentorum portiones aliquot corruptæ, & fœtidæ evadant, postquam insignem in corpore alterationem subierint, ac jam à reliquis segregatæ fuerint.

II. Secundò ita mecum reputo, Indicationes veras, ac genuinas, quæ in hoc morbo consurgunt, in eo versari, ut sanguinis commotio intra modum naturæ proposito congruentem, sistatur; ea nimirùm ratione, ut nec hinc plus æquo gliscat, unde periculosa symptomata insequi solent, nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel materiæ morbificæ protrusio impediretur, vel sanguinis novum statum affectantis labefactarentur conatus. Adeo ut sive materiæ heterogeneæ irritanti, sive cruori res novas molienti febris ortus debeatur, Indicatio utrobiq; eadem existat. Hisce positis fundamentis Therapiæ methodum hoc ritu instituo.

Quoties mihi cum ægris res est, quorum sanguis vel per se imbecillior existit, (uti ferè in pueris) vel justa spirituum copia destituitur, (ut in decliviore ætate, atque etiam in juvenibus diuturno aliquo morbo confectis) à venæsectione manum tempero. Enimverò si Phlebotomiam his imperarem, sanguis etiamnum citra ejusmodi imminutionem plus satis debilis, despumationi suæ obeundæ prorsus impar redderetur; unde totius massæ perversio, ac proinde forsan ipsius ægri interitus sequeretur, (quemadmodum si cervisiæ aut aliùs cujusvis musti fermentatio intempestivè sistatur, liquores illi vitium plerumque contrahunt.) Quippe particularum, quas semel exterminare cœperit, quæque, tametsi dum reliquæ cruoris massæ æquabiliter immiscerentur, puræ extiterant, jam verò putredinem deterrimam acquirere, & cæteros humores gravi inquinamento inficere habiles evaserint, consortium natura ferre ampliùs non potest. Quanquam haud me latet ægros temerariâ sanguinis missione mulctatos, convenientium Cardiacorum usu aliquando servari, sanguinemque ad tenorem defæcationi suæ peragendæ idoneum restitui posse. Sed præstiterat plagam non infligi, quàm sanari.

Attamen ubi in contrariæ indolis sanguinem incido, qualis in juvenibus athletico habitu & temperamento sanguineo præditis reperiri consuevit, primum in curatione locum Phlebotomiæ attribuo; quæ (præterquam in casibus inferiùs memorandis) sine salutis periculo hîc omitti nequit. Nam aliàs non solùm præ nimiâ sanguinis ebullitione, Phrenitidum, Pleuritidum, aliarumque id genus inflammationum periculum immineret, sed præ copia etiam, impeditio omnimoda Circulationis, & totius massæ quasi strangulatus consequeretur.

Mensuram quod attinet, mihi solenne est eam duntaxat sanguinis quantitatem detrahere, quantùm conjicere liceat, quæ ægrum ab incommodis quibus immodicam ejusdem commotionem obnoxiam esse diximus, incolumem præstet. Æstuationem verò illam deinceps rego ac moderor, Phlebotomiam vel repetendo, vel omittendo, Cardiacis calidis vel insistendo, vel parcendo, ac denique alvum vel laxando, vel compescendo, prout motum illum vel efferari, vel languescere animadverto.

Post Venæsectionem (siquidem ipsa juxta casus præmemoratos necessaria fuerit) sollicitus sedulusque inquiro nunquid ægrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propensio sub Febris initium interturbaverit. Id si contigerit omninò medicamen Emeticum præscribo, nisi vel ætas tenella, vel insignis aliqua debilitas ægri ab eo temperandum suaserit. Sanè Vomitorium propinare, ubi istiusmodi prægressa est vomendi proclivitas adeò est necessarium, ut nisi humor ille expellatur, in sentinam complurium malorum difficilium sit abiturus, quæ crucem figent Medico toto durante medicationis tempore, ægrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum præcipuis, & maximè solitis est Diarrhœa; quæ ut plurimùm in defervescentia Febris consequitur, quotiescunque Emetica, quando ea suadebat indicatio, omissa fuêre. In febris quippe progressu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil subegerit Natura, & ad intestina amandaverit, illa ab acri humore ex hoc in stomacho fonte perpetim scaturiente usque adeò corroduntur, ut non possit non insequi Diarrhœa.

Observavi nihilominus in Febribus inflammatoriis quæ malignæ vulgò habentur omissionem Vomitorii, tametsi talis vomendi propensio præcesserit, Diarrhœam, quemadmodum in aliis quibusvis Febribus, necessariò non inferre; sed de ista re plura in sequentibus.

Jam autem in eo versatur istiusmodi Diarrhœæ periculum, quòd æger satis jam morbo debilitatus, enervatur ulterius, & præterea (id quod majoris est in ipsius noxam momenti) in febris declinatione, quo tempore contrahere se sanguis, ac vim suam exerere debebat ad despumationis officium peragendum, penitus præpeditur hac emissione.

Jam verò nequid dubites humorem hunc in ventriculo nidulantem, nisi fortè vomitu eliminetur, hanc Tragœdiam (Diarrhœam dico) quasi ex insidiis aliquanto post daturum, inquisitione institutâ, nunquam ferè non comperies, siquando Febrim hanc Diarrhœa comitetur, ægrum in morbi principio in vomitum proclivem fuisse, nec tamen Emeticum fuisse propinatum. Porrò etiam compertum habebis etiamsi proclivitas illa ad vomendum jampridem præterierit, Diarrhœam tamen quamprimùm Vomitorium exhibueris plerumque cessaturam; dummodo Emetico ferendo pares fuerint ægri vires: Sæpiùs autem observavi Diarrhœâ semel obortâ, medicamenta adstringentia vel nihil omninò, vel parùm admodum ad eandem sistendam

dam conferre, sive introsumpta, sive exteriùs applicata.

Emeticum quale passim à me propinatur hujusmodi ferè est.

℞. Infus. Croc. Metall. ℨvj. Oxymel. Scillit. & Syrup. Scabios. comp. ana ℥ß. M. F. Emet. Quod hauriri jubeo tempore pomeridiano, duabus horis post leve prandium. Verùm quò tutiùs, ac feliciùs vomitio subsecutura succedat, illud etiam in mandatis habetur, ut zythogalæ ℔ vj. vel viij, sint in promptu, quippe quòd periculosa sint ista medicamenta nisi copiosè diluantur: Ideoque quoties vomuerit æger, aut alvum exoneraverit, è vestigio sumendus erit haustus: quo facto, & inania illa tormina præcaventur, & vomendi conatus auspicatò procedunt.

Sæpè miratus sum dum fortè materiam vomitu rejectam aliquando curiosè contemplabar, eamque neque mole valde spectabilem, nec pravis qualitatibus insignem, qui factum fuerit ut ægri tantum levaminis exinde senserint; Nempe vomitu peracto, sæva illa symptomata (nausea v.c. anxietas, jactationes, suspiria luctuosa, linguæ nigredo, &c.) quæ & ipsos excruciârant, & adstantes perterrefecerant, mitigari solent ac solvi, quodque morbi reliquum est εὐθύμως tolerari.

Illud hîc loci non omittendum erit, Si ægri conditio utrumque auxilium postulaverit, (Venæsectionem intelligo, & Vomitorium) tutum omnino esse, ut Venæsectio, Emetici exhibitionem præcedat; aliàs enim dum vasa sanguine distenta sunt, periculum imminet nè ex violentis illis vomendi conatibus vel rumpantur vasa pulmonum, vel Cerebrum lædatur, affuso cum impetu sanguine atque effuso, adeoque æger Apoplexiâ correptus pereat. Cujus rei quamvis historias aliquot commemorare possim, illis tamen hîc supersedere visum est, monuisse contentus maxima hac in re cautela utendum esse.

Siquis autem quærat, quo tempore Febris Vomitorium exhiberi velim; dico, In ipso planè Febris initio, siquidem optio daretur, Emeticum propinarem: ita enim fiet, ut ab horrendis illis symptomatibus, ex humorum in ventriculo, locisque vicinis delitescentium illuvie ortum ducentibus, ægrum præmuniamus; imò verò & fortasse in ipsis quasi incunabulis opprimamus morbum, qui aliàs cum ægroti periculo grandescet, ac longævus evadet: nutritus nimirum dictis illis humoribus, qui vel substantiâ suâ in penitiores corporis partes transmissi cum sanguinis massa commiscentur, vel ex ipsa mora pejores facti, atque venenata pravitate inquinati, ex foco suo jugiter pertranseunti sanguini malignam auram afflabunt. Hujus rei (nè longius abeamus) Cholera morbus exemplum nobis exhibet; fit enim aliquando ut intempestiva opera vomitum in illo morbo cohibere satagente, (sive illud Laudano fiat, sive adstringentibus medicamentis) eo cohibito non minùs periculosam malorum catervam invehant. Humores enim acres corruptique, quorum exclusionem tantisper permittere oportuerat ut satis evacuarentur, hoc pacto repulsi, vires suas, ac sævitiam in sanguine exercent, febremque accendunt, quæ ut mali moris, & gravibus symptomatis stipata esse solet, ita nisi propinato Emetico, tolli vix poterit, etiam ægro jam nè quidem vomituriente.

Quòd si nobis (ut sæpe fit) serò accersitis non licuerit Emeticum propinando, ægrorum saluti sub febris initium consulere; certè tamen convenire existimaverim ut quovis morbi tempore illud fiat, modò vires eò usque morbus non attriverit, ut Emetici vim ferre jam ampliùs nequeant. Equidem ego die febris duodecimo vomitum imperare non dubitavi, etiam cùm æger vomiturire desiisset, neque sine fructu: Eo namque Diarrhœam sustuli, quæ sanguinem in peragenda despumatione impedivit; quin & seriùs idem facere minimè dubitarem, nisi virium attritarum ratio prohiberet.

Vesperi, celebrata jam vomitione, semper illud ago ut tumultum ab Emetico in humoribus excitatum consopiam, & quietem conciliem; ideoq; sub noctem, vel hora somni Paregoricum quempiam haustum exhibere jubeo. Ex. gr.

℞. Aq. papav. rhœad. ℥ij. Aq. Mirab. ℨiij. Syrup. de mecon. & papav. errat. ana ℥ß. M. F. Haustus.

At si vel ob copiosam sanguinis jacturam, quam curationis decursu passus est æger, vel ex vomendi frequentia, dejectionibusque in Emetici hujus usu factis, vel ex præsenti ejusdem ἀπυρεξίᾳ, vel ex debilitate ejus, vel ex Febris jam declinantis vetustate, nullum jam supersit in posterum concitandæ nimiæ Ebullitionis periculum; tum metu procul habito, vice haustûs præscripti, Diascordii satis largam dosin vel impermixti, vel aquæ alicui Cardiacæ sociati exhibere jubeo. Præclarum sanè Medicamentum, modò ea quantitate exhibueris, quæ remedii potiùs quàm tituli mensuram impleat.

Hîc autem loci, priusquam de Emeticis dicendi finem faciam, prætereundum non est, omninò tutum non esse saltem in hac febre, Vomitoria ex infus. Croc. Metall. parata puerulis, ullisve infra adolescentiam constitutis; vel minima quantitate exhibere. Optarem equidem ut illius loco alia nobis tutiora, sed satis interim efficacia suppeterent, quæ humorem hunc, in febris declinatione, ferè semper, Diarrhœam minitantem, radicitus extirpare possit; vel saltem ut medicamento aliquo idoneo acrem istam materiam, ejusque vim corrosivam ita mutare liceret, ac retexere, ut commovere Diarrhœam nequiret. Sæpius profectò mihi molestum illud accidit, quòd ad infantes, puerosque febre correptos, accersitus, indicationem conspexi, quæ quidem medicamenti usum suasit, cujus ope extra periculum collocari potuissent, quod tamen exhibere, veritus infælicem exitum, non sum ausus. Verùm in adultis nullam inde noxam hactenus observavi, modò cum cautionibus prædictis Emeticum propinetur.

Vomendi exantlato negotio, illud mecum ulteriùs disquirere soleo, utrum evacuationibus prægressis non obstantibus, sanguis etiamnum adeò exæstuet, ut illius effervescentiæ limites adhuc ponendi sint, ac sufflamen addendum; an verò eò usque elanguerit ut indigeat incitamento; vel denique, an Fermentatio ad gradum idoneum, ac debitum reducta permitti sibi absque ægri periculo possit. De horum singulis nonnulla mihi dicenda sunt.

I. Itaque si sanguis eousq; exæstuet ut meritò

adhuc suspicari liceat, ægrum vel Phrenitidi, vel alii alicui molesto symptomati, ex nimiâ sanguinis ebullitione prognato, obnoxium esse, postridie Emetici exhibiti Enema præscribo, ut

℞. Decoct. commun. pro clyst. ℔ j. syrup. viol. & sacch. culinar. ana ℥ ij. M. F. Enema. Idemque repeti, pro re nata jubeo; quo sæpe fit ut sanguine nonnihil ventilato refrigeratoque, illius effervescentia satis compescatur. Interdum tamen usu venit, ut Venæsectionem etiam semel adhuc atque iterum repetere necesse sit, nempe in temperamentis admodum sanguineis, & ætate florentibus, aut in iis qui nimio vini usu, inflammatoriam quandam diathesin sanguini suo impresserunt. Verùm plerumque tanto, tamque insigni remedio (quale quidem est repetita Venæsectio) non opus est; ac proinde, si prædictos casus exceperis, effervescentiam illam Enematum adminiculo satis reprimemus. Quare si sanguis nimium æstuet, atque effervescat, singulis, vel alternis diebus, prout res postulaverit, Clysterem injici jubeo, idque ita fieri ad decimum usque morbi diem vel circiter. Verumtamen si magna vis sanguinis missa fuerit, vel æger sit ætate provectâ, tunc temporis Enemata nulla impero, etiamsi sanguis multùm efferbuerit. In his etenim casibus, uti metuendum non est, ne omissis Clysteribus, ebullitio concepta eò usque procedat, ut insignis alicujus, & infesti symptomatis periculum immineat; ita certissimum est, eorundem usu sanguinis robur, ac vim, atque (ut ita dicam, etsi minùs propriè) tonum relaxari, eatenus quidem ut, in senibus præcipuè (neque enim illis Enemata tam prosperè ac juvenibus cedere solent) Naturæ opus interturbetur, atque impediatur. Quòd si vena secta quidem fuerit, sed non multùm sanguinis emissum, tunc, uti dixi, Clysteres adusque decimum, plus minùs diem impero; nonnunquam etiam adusque duodecimum; quod in illis præsertim obtinet, quibus sanguinem demere non audeo. Sunt enim, qui post Intermittentes Autumnales (sive Tertianæ fuerint illæ, sive Quartanæ) febribus continuis, ex purgationis, in præcedentis morbi fine, defectu, corripiuntur; His si sanguinem miseris, periculum est, ne sedimentum illud, quod prægressa fermentatio deposuerat, in massam sanguineam resorbeatur, novasque turbas excitet: Venæsectionis itaque loco, rebus ita se habentibus, Clysteribus utor, & quidem ad diem usque duodecimum, modò æger sit juvenis, atque fermentatio nimis exaltata.

II. Verùm è contrario, sive Venæsectionem adhibueris, sive omiseris, si sanguinis effervescentia nimis elanguescat, adeòque stimulo egeat, ne Naturæ juvandæ impar fuerit; tunc equidem à Clysteribus etiam ante diem decimum, multòque magis eo præterlapso, prorsus abstinendum arbitror. Quorsum enim jacentem jam, & nimis elanguidam fermentationem ulteriùs compescere atque reprimere conaremur? Quòd si verò post tempus illud, in morbi nempe declinatione, Clysteribus utaris, profectò non minùs absonum id fuerit, atque ab omni ratione alienum quàm si quis effervescenti Cerevisiæ nimis amplum spiraculum aperuerit: Etenim aperto illo spiraculo præpeditur Natura, quo minùs ad morbificæ materiæ separationem unitis viribus incumbat, postquam igitur vel mediantibus evacuationibus idoneis, atque opportunis, æger ἔξω βελῶν positus fuerit, quantum ad illa symptomata attinet quæ ex nimiâ ebullitione nascuntur, vel morbus jam declinaverit; quantò magis astrictam illi alvum præstitero, tantò magis eam extra periculi aleam colloco: nempe febrili materia ad sui concoctionem suaviter, ac blandè propendente. Quocirca si præcedentes evacuationes, sanguineæ massæ quasi laxitatem quandam induxerint, vel inducere minentur, vel æger ante debitum tempus febre levatus fuerit, vel etiam febris ad ultimam suam periodum pervenerit, non solùm Enemata procul haberi volo, sed & Cardiacorum opem atque auxilium suggerendum arbitror, atque mox ad alvum adstringendam memet accingo.

Cardiaca verò quod spectat, quoniam usu mihi compertum est, eadem properè nimis exhibita non contemnendam noxam inferre, (venâ scilicet nondum sectâ metuendum est ne materia cruda adhuc existens in Cerebri membranas, &c. aut pleuram decumbat) ideò curæ mihi semper est, ne Cardiaca exhibeantur, dummodo vel nihil omninò, vel parùm sanguinis emissum, nullaque alia insignior evacuatio facta fuerit, aut æger ætatis vigorem nondum exegerit; neque enim video, quorsum sanguis ejus per se satis locuples, ulteriùs in ipsius perniciem ditesceret: Locuples autem atque opulentus satis est, neque succendiculis eget, quamdiu evacuationes insignes calorem ejus insitum non prostraverint. Hujusmodi ægri domi nascuntur Cardiaca, & quæ foris adduntur, aut frustranea sunt, aut etiam damnosa: quapropter ego vel nulla omninò, vel saltem levissima, permiserim. Interim verò si æger ex profusis evacuationibus lassus & languidus, vel ætate fuerit provectus, solenne mihi est, Cardiaca vel in ipso febris initio propinare: Morbi autem die duodecimo, negotio tunc temporis ad secretionem vergente, medicamentis calidioribus liberaliùs indulgendum censeo; (imò paulò maturiùs idem fieri potest, modò non metuendum sit, ne febrilis materia in partes principes præceps agatur;) Namque hoc tempore quò magis calefecerim, eò magis concoctionem accelerabo. Neque reverâ cogitando assequi possum, quid sibi velint Medici, cùm sua præcepta toties ingeminant, de remediis ad promovendam febrilis materiæ concoctionem administrandis, id quod in morbi initio accersiti sæpe faciunt: nihilominus tamen eodem ipso tempore medicamenta ejusmodi imperare non dubitant, quæ febrim scilicet attemperare possint. Profectò enim est Febris ipsa Naturæ instrumentum, quo partes impuras à puris secernat: hoc illa modo planè imperceptibili præstat ab initio, atque etiam in ἀκμῇ morbi, verùm in ejusdem declinatione apertiùs, atque manifestiùs idem opus aggreditur, id quod ex urinâ cernere licet. Materiæ febrilis concoctio nihil aliud reverâ significat, quàm peccantis materiæ à sana separationem. Hanc igitur ut acceleres, non satagendum nescio quibus, attemperantibus, sed Febris effervescentia tamdiu permittēda est, quamdiu salus ægrorum passa fuerit; cùm autem finem spectat, atque declinationem, secretione jam conspicuâ,

tunc

tunc quidem calidioribus medicamentis illam à tergo insequemur, ad rem eo celerius ac certiùs perficiendam. Atque hoc reipsa est, febrilis materiæ concoctionem promovere; cùm evacuationes, & refrigerantia moras nectant, & curationem impediant, ipsamque sanitatem jam appropinquantem abigant, uti sæpius à me fuit observatum.

Si fermentatio satis progrediatur, despumatio circa diem decimum quartum peragetur; Verùm si refrigerantia quælibet seriùs adhibueris, atque ita eorum ope effervescentia sufflaminetur, mirum non est, si febris ad diem vicesimum primum, quin & in effœtis corporibus malè tractatis multo longiùs excurrat.

Illud porro observatu dignum est, quandoque accidere, ut æger Clysterum, aliorumve catharticorum usu circa declinationem morbi intempestivè præscriptorum, parùm alleviari videatur, imò nonnunquam apyrexiâ omnimodâ frui, post diem autem unum alterumve senties, non tam pristinam febrim vires suas redintegrâsse, quàm novam accendi; rigor nimirum, atque horror subitò invadet, quem mox excipiet calor atque febris, idem stadium (nisi forsan in intermittentium classem se reponat) decursura, quod in præcedentibus monstratum fuit. Cùm ita se res habeat, non aliter tractandus est æger, quàm si antea febre non detentus fuisset, verùm quoad res agendas calcata jam vestigia repetenda; despumatio enim, quæ cœptæ jam ebullitioni debetur, nonnisi prædicti temporis, scilicet 14. dierum spatio peragetur, utcunque molestum fuerit ægro, à prægresso morbo satis jam debilitato, eousque sanitatem expectare.

Cardiaca, quæ adhibeo, passim sunt ejusmodi, quæ statim subindicabo, quorum moderatioribus utor in morbi principio, æstuatione maximè fervente; gradatim ad usum calidiorum, juxta morbi progressum, vel ebullitionis gradus pergens; semper memor licere, siquidem multum sanguinis missum, vel æger senex fuerit, ut Cardiaca fortiora administrentur, quàm cum vel nulla præcesserit Venæsectio, vel æger ætate floruerit.

Moderata autem illa quæ dixi, Cardiaca fiunt ex aquis stillatitiis (verb. gr.) Borag. Citr. Scord. compos. fragor. Theriacal. cum admixtis Syrup. Melissophyll. Fernel. Caryophill. & de succo Citr. &c. fortiora verò ex pulver. è Chel. Cancr. Comp. Bezoar. Confect. de Hyacinth. Theriac. Androm. alisve ejusdem indolis. Quæ sequuntur in frequenti usu sunt.

℞. Aq. Borag. Citri. Scordii compos. & ceras. nigr. ana ℥ ij. Aq. cinamomi hordeati ℥j. Margarit. præparat. ʒij. Sacchari Crystallini ℥ j ß. Misce, sumat cochl. iv. sæpius in die, præcipuè in languoribus.

℞. Aqu. totius citri, & fragor. ana ℥iij. Aqu. cord. frig. Saxon. ℥j. Aq. theriac. stillat. syr. Melissophyll. Fernel. Caryophill. & de succo citri ana ℥ß. Misce, F. Julapium, de quo capiat sæpius.

℞. Pulv. è Chelis Cancrorum compos. lap. Bezoardici Oriental. & Occidental. contrayervæ ana ℈j. fol. auri n. j. Misce, f. pulvis subtilissimus; Capiat ad quant. gr. xii. quoties opus fuerit; ex syr. è succo citri, Caryophill. ana ʒ ij. superbibendo cochl. aliquot Julap. præscript.

℞. Aq. Theriac. stillat. ℥ iv. semin. citri ʒ ij. contundantur simul & f. Emulsio. Colaturæ adde sacchari perlati q. s. ad gratum saporem, sumat cochl. ij. ter in die.

Plures verò formulas recensere supervacaneum arbitror, quoniam & innumeræ sunt aut esse saltem possunt, & in morbi decursu juxta varia ejus tempora, ac diversa symptomata, variandæ sunt.

III. At si Fermentatione que nimium æstuet, neque langueat, eam in isto gradu relinquo, nec ullis remediis utor, nisi ægrorum vel amicorum, quibus stipantur, importunitas à me aliquid extorqueat, quod ipsis citra instituti, & scopi mei fraudem placeat.

Atque hoc loco non prætermittam, me sæpius ad tenuis conditionis homines, quorum crumena prolixo apparatui Medico ferendo non erat, accessitum, nil fecisse aliud post Venæsectionem, & vomitionem peractam, (siquidem eas postulasset indicatio) nisi quod ipsis præscriberem, ut toto morbi tempore lecto defixi, nonnisi jufcula avenacea, & hordeacea vel similia haurirent; tenuem cerevisiam (dempto frigore) moderatè biberent ad sitim sedandam; Enema ex lacte sacchar. singulis, vel alternis diebus usque ad diem decimum, vel undecimum injici curarent. & versùs febris finem cœptâ jam separatione, siquidem segnior esset, ad eam juvandam fortiorem subinde potum, Cardiacorum loco, bibere ipsis permisi: Atque ita sine ulteriore aliquo apparatu, nisi quod leve Catharticum in fine morbi addere soleam, eos salvos, & incolumes dimisi.

Sed ut ad institutum meum revertar, si prædicta methodus sollicitè observata fuerit, usitato circa 15. diem, tum ex laudabilis in Urinâ separationis signis, tum etiam ex manifestâ omnium symptomatum remissione, percipio tempestivum tunc esse potionem purgantem exhibere, quæ sedimentum è prægressa fermentatione hìc illic depositum subducat; quod nisi tempestivè factum fuerit, periculum est, ne in sanguinis massam remigret; ejusdemque febris recidivam conciliet; vel etiam sua in partibus naturalibus, ad quas amandatum fuit, morâ, in mineram, tenacium deinceps in corpore malorum feracem abeat. Nimirum, separatione jam factâ, humores crassi ac impuri ex arteriis sanguini in venis refluo, immissi, regressum ejus facilè impediunt, ex quo varia obstructionum ac tandem fermentorum genera nascuntur.

Ubi tamen animadvertendum, non adeò planè necessarium esse post febres Vernales, atque post Autumnales purgationem celebrare; idque propterea quod sedimentum à Vernalibus depositum tum copiâ, tum qualitate terrea, malignaque ab autumnali superetur. Quod ipsum etiam in Variolis obtinet, multisque morbis aliis Verno tempore grassantibus, in quibus Purgantium omissio non tam grave periculum (quod ego quidem observaverim) quàm in casibus priùs memoratis, inferre solet.

Et sanè non multùm is à veritatis scopo aberraverit, qui affirmaret ab hoc capite (purgandi sc. post morbos Autumnales omissione) plurium morborum colluviem, quàm ab ullo alio, quo demumcunque causarum fonte, dependere.

Si valdè debilis sit æger, vel alioquin perfectâ adeò depuratio facta non fuerit ut audacter possim purgans exhibere die decimo quinto, rem differo ad decimam septimam; quo tempore sequentem, vel similem, pro ratione ægri virium, potionem propino.

℞. Thamarind. ℥ß. Fol. sennæ ʒ ij. Rhabarb. ʒ iß. Coq. s. q. aq. Colaturæ ℥ iij. dissolve mannæ & syr. rosac. ana ℥ j. Misce, f. potio cap. mane.

Purgatione peractâ, ægrum, hactenus lecto, ex præscripto meo, defixum, surgere, & paulatim ad pristinam victûs rationem reverti jubeo. Ea quippe, quam ad hoc usque tempus præscripsi, eadem propemodum est cum illa quam modò commemorabam; Uti juscula avenacea, & hordeacea; panatellæ ex pane & vitello ovi, in aqua cum saccharo confectæ; juscula tenuia ex decocto pulli; Cerevisia tenuis lupulata, cui quandoque æstuante ardore Febrili, immisceri potest succus Aurantiorum recens expressus, & super ignem ad cruditatis tantummodo sublationem coctus; & his similia, quamvis juscula Avecanea sint instar omnium. Negare verò cerevisiam tenuem, quæ subinde in mediocri quantitate sumatur, severitas est minimè necessaria, imò sæpenumerò etiam detrimentosa.

Accidit interdum (maximè in senibus) ægrum Febri jam curatâ, & corpore satis jam superque purgato, nihilominùs valde debilem esse; & quandoque tussi, interdum etiam screatu, magnam glutinosi, viscosique phlegmatis copiam expectorare; quod symptoma non tantùm ægro terrorem injecit, sed & ipsi Medico, præsertim minùs cauto, imposuit, eumque in opinionem induxit, quasi affectus iste Phthisi viam sterneret; licèt observaverim ego, rem adeò periculosam non esse. Hoc in casu ægrum jubeo Vinum Malaganum annosum, vel Falernum, sive Muscatum, cum pano tosto ei immisso, bibere; quod crasin multùm prægressâ æstuatione sanguinis debilitati (proindeque nuperingestorum succis assimilandis imparis) corroborans, symptoma illud paucorum admodùm dierum spatio abigit, ut crebrâ experientiâ mihi constat.

Hâc ipsâ, quam proposuimus ratione, ægrum à multis affectibus, symptomatibusque, quæ malignitati tribui solent, tutum præstabimus; cùm nihil magis solitum sit Medicis in arte suâ minùs exercitatis, quàm, quando medicamentis nimis refrigerantibus, vel usu Enematum intempestivo, crasin sanguinis ita relaxârint, Naturamque in perficiendâ sanguinis depuratione adeò debilitarint, ut animi deliquia, aliaque symptomata (quæ genuina sunt ejusmodi impedimentorum arte positorum effecta) contingant, malignitati culpam transcribere: at si diuturnitas in quam abierit morbus, eum ab hoc vitio vindicet, tùm quicquid eos in medelâ deinceps fatigat, id Scorbuto acceptum referunt: quamvis reipsâ neque symptomata, quæ accidebant, quamdiu vigebat morbus, malignitatis erant effecta, neque ea, quæ contigerunt in declinatione ejus, Scorbuti, sed utrumque rei malè gestæ debetur, quemadmodum crebrò id à me observatum est.

Non quod ego, aut quisquam alius; qui Morborum historiam vel delibaverit, nescius esse possit, Febres esse, quæ non intemperie solâ, aut putrido tantùm calore, sed etiam maligna qualitate (cujus signa evidentissima in ægris non possunt non apparere) constent: vel etiam quod inficias eam, complicari aliquando cum Febre Scorbutum & complures alios morbos posse; hoc tantùm dico, has affectiones immeritò sæpe in litem vocari.

Si fermentatio sanguinis ritè processerit, fiet omninò materiæ morbificæ despumatio intra tempus modò dictum. At si remedia refrigerantia, vel Enemata seriùs exhibita fuerint, multò, longiùs excurret Febris, præcipuè in hominibus grandævis, malè à medico curatis; ad quos quandoque accersitus, postquam Febri per quadraginta dies & ampliùs laboraverant, nihil non expertus fui quo despumationem sanguini inducerem: sed nempe usque adeò debilitatus erat sanguis, partim senio, partim enematibus, & medicamentis refrigerantibus, ut neque Cardiacis, neque ullis aliis corroborantibus remediis scopum meum assequi possem; sed vel illorum Febris, virium suarum tenax permanebat, vel alioqui, si adesse videretur ἀπυρεξία, vires ægrorum admodum prostratæ erant, & tantùm non emortuæ.

Aliorum autem remediorum successu frustratus, aliò consilium vertere sæpe coactus fui, cum successu non vulgari; nempe adolescentulorum vivum vegetumque calorem ægris applicando. Nec est quod quis multùm miretur, hâc methodo, licet inusitatâ, ægrum tantopere corroborari, naturamque debilitatam juvari, ut semet à materiæ secernendæ, eliminandæque reliquiis exoneret; cùm proclive sit intelligere, insignem effluviorum vegetorum copiam à sano, & athletico corpore in corpus ægri exhaustum transfundi. Neque unquam comperi iteratam calentium linteorum applicationem ullatenus id præstare valuisse, quod modò præscripta methodus præstitit; ubi calor applicatus tum magis est humano corpori congener, tum simul blandus, humidus, æqualis, perennisque. Atque hæc ratio, spiritus, & halitus, forsitan Balsamicos, in ægri corpus immittendi, ex eo quo ipse illam adhibui tempore, licèt aliena primum videretur, ab aliis cum successu fælici fuit adhibita: neque profectò me pudet hujus remedii meminisse, tametsi petulci quidam homines, atque arrogantes, omniaque vulgaria ingenti supercilio contemnentes, me forsitan hoc ipso nomine aspernabuntur. Ego enim proximi mei commodum, ac salutem vanis illorum opinionibus longè anteferendam censeo.

Methodus hactenus enarrata, si quis illam prudenter, & cum destinato animi consilio observaverit, ægros, si non ab omnibus, saltem à plerisque molestis illis symptomatibus immunes præstabit, quæ hanc Febrem vel comitari, vel eidem supervenire solent, quæque Medicum animi ancipitem, atque sæpè in curationis decursu consilii penè expertem reddunt, imò & illius curæ commissos non rarò è medio auferunt, etiamsi morbi natura mortem non interminari visa sit. Sed quandoquidem vel ægrorum culpâ, Medicum non satis opportunè accersentium, vel ipsius Medici minori sive peritiâ sive cautelâ, ejusmodi accidentia sæpissimè oborta cernuntur, non gravabimur peculiarem eorundem curam summatim hîc attingere; verùm ad ea tantùm

tùm ſymptomata me reſtringam, quæ, tametſi ſæpenumerò præverti potuerint, modò viâ, atque ordine prædicto quis uſus fuiſſet, cùm tamen ſemel acciderint, diverſam quandam, ſibique propriam curam poſtulant.

Phrenitis. Atque (ut hinc ordiar) ſi æger, vel calidiora medicamenta nimis propere atque intempeſtivè ſumendo, vel calido nimis temperamento ſuâ natura fretus, in Phrenitidem prolapſus fuerit; vel (quod proximè illuc accedit) ſi non omninò dormiat, ſæpe exclamet, aut inconditis vocibus utatur, ſi vultu ac loquela ferociat, ſi medicamenta, potumve communem avidè & quaſi raptim bibat, vel denique urinam habeat ſuppreſſam; in hoc, inquam, caſu, liberaliori manu, quàm ſuprà indulſi, ad venæſectionem, clyſteres, ac medicamenta refrigerantia me accingo, verno tempore præſertim, (quo etiam aliàs ſymptomate hoc non apparente, juvenes atque vegeto calore prædici, ejuſmodi auxilia ſine multo diſcrimine admittunt) atque talibus remediis utens, ægrum eouſque ſuſtinere conor, donec in diuturnitatem aliquam affectus excurrat, quo tempore non admodùm difficile erit eum & à morbo & à ſymptomate unâ eademque operâ liberare: id quod fiet Narcoticum aliquod medicamentum in largiori paulò doſi exhibendo. Quamvis enim febre vigente, quæ ναρκώσεως vi prædita ſunt non omninò proſint, neque deſtinatum à Medico ſcopum feriant; tamen opportunè, & in declinatione morbi adhibita, præclaros effectus edunt: anteà verò prodeſſe non poſſunt, partim quia fermentationem vi atque impetu procurrentem ſiſtere nequeunt, etiam in maximâ doſi exhibita, partim verò (quod quidem majoris adhuc momenti eſt) materiæ peccanti tunc temporis maſſæ ſanguineæ æquabiliter admiſtæ neque verſus ſeparationem adhuc vergenti, ab exhibito hujuſmodi medicamento manus injicitur, adeoque depuratio illa tantopere expetenda impeditur. Verùm ſive hæc ratio ſit hujuſce phænomeni, ſive alia aliqua magis abſtruſa, judicent illi, quibus animus atque otium eſt talia ſpeculari. Interim ex fideli atque idoneo obſervationum plurimarum complexu rem ipſam certiſſimam eſſe pronuncio, *Laudanum*, vel alia quævis Narcotica in principio, augmento, vel ſtatu hujus febris ad ſymptoma hoc levandum, vel non prodeſſe omnino, vel quod ſæpe accidit, etiam obeſſe; verùm in ejuſdem morbi declinatione eadem mediocri doſi adhibita non ſine ſucceſſu uſurpari. Semel equidem Narcotico die morbi duodecimo uſus ſum, nec fruſtra; citiùs autem nunquam proſperè exhibitum novi. Quòd ſi autem illius uſum ad decimum quartum uſque diem diſtuleris, tanto magis proficuum evadet, ſeparatione nempe perfectiori tum factâ. Neque verò hæc mora, tametſi fortè aſtantes magnopere perterrefaciet horrendum hoc ſymptoma, mortem ſtatim ſubinfert; cùm ſæpe obſervaverim, hanc rem plerumque inducias ferre poſſe ac ſolere, donec ad Narcotica deſcendere fuerit opportunum; ſaltem ſi caveatur nè Cardiacis, calidiſque medicamentis adhibitis, intemperies cœpta accendatur uberiùs, quo caſu ægri ſubitò pereunt. Narcotica, quibus ego uti ſoleo, ſunt vel *Laudanum Lond.* ad gr. iß. vel ſequens.

♃. Flor. Paralyſ. M. i. Coq. ſ. q. aq. Ceraſor. nigr. Colaturæ ℥ iij. Diſſolve ſyrup. de meconio ℥ß. ſucci limonum Cochlear. ß. Miſce.

Vel ♃. Aqu. Ceraſ. nigr. ℥ iß. epidem. ʒ ij. Laudan. liqu. gutt. xvi. Syr. Caryoph. ʒj. M.

Illud unicum hîc addere placet, quod ad hanc rem obſervaſſe non inconſultum arbitror; nempe ſi ſymptoma hoc eouſque inducias ferat, & febris adeò in diuturnitatem abeat, ut æger ante aſſumptum Narcoticum commodè purgari poſſit, medicamentum illud tantò fæliciùs effectum ſuum editurum. Quocirca ego imperare ſoleo Pil. cochl. ma. ℈ ij. in aq. Betonicæ diſſolut. atque hoc 10. vel 12. horis ante Narcotici exhibitionem. Neque metuendum eſt à tumultu illo, quem calidior illa maſſa pil. aliàs excitare ſolet; ſubſequentis enim Narcotici vis penſabit illas turbas, & quietem ſuaviſſimam, blandiſſimamque inducet.

Quòd ſi vigiliæ ultra febrem excurrant, ceſſantibus aliis ſymptomatibus, obſervavi, linteum in aqua roſar. immerſum, & frigidè ſincipiti, ac temporibus applicatum, plus quàm Narcotica quævis prodeſſe.

Tuſſis. Sæpe accidit, ægrum per totum morbi decurſum tuſſi moleſtâ divexari; nimirum commotâ vehementer ac tumultuante ſanguineâ mole, omnibus jam ad ſeditionem & partium ſtudia ſpectantibus, fit ut humores quidam ſoluti, diffluenteſque è maſsâ ſanguinis per vaſcula pulmonaria, vel etiam per diapedeſin in tracheæ membranam interiorem, teneriorem ſcilicet atque exquiſito ſenſu præditam, transferantur: hinc tuſſis oboritur; quæ primò ſicca eſt, quoniam tenuis adhuc materia vim expultricem eludit; mox craſſeſcit, atque expectoratu difficilis evadit, eò quòd ſenſim febrili calore torreatur, atque aſſetur: hinc fit, ut ſuffocationis metu percellatur æger, utpote cui vires deſunt ad lentam hanc viſcidamque materiam tuſſi eliminandam. Ego in hoc affectu raro alio aliquo medicamento utor præter oleum amygdalarum dulcium recenter expreſſum, niſi forſan acciderit (accidit autem aliquoties) ut ægrotus oleum prorſus averſetur; tunc enim vulgaribus illis pectoralibus, ut licet, opem ferre conamur. Interim oleum illud amygdalarum, ſiquidem illo per ægrum uti licuerit, Bechicis aliis anteponendum cenſeo, ob eam cauſam præcipuè, quòd cùm neceſſe ſit hæc liberaliùs, & majori quantitate exhibere: modò prodeſſe velimus, hoc pacto ventriculum jam ſatis ſuperque debilem & ad nauſeam proclivem oneramus; nonnunquam etiam eâdem operâ præpedimur, ne reliqua, eodem ipſo tempore tranſigenda, procuremus. Neque verò ſatis aut intellectu aſſequor, aut experientiâ edoctus ſum, cur ab hujus olei, quod jam diximus, uſu in febribus abhorreamus, eo quòd ſcilicet inflammabile ſit, adeoque metuendum ne febrim adaugeat. Fac enim, illud ſuâ naturâ calidum eſſe, certè tamen calor ille tantus non eſt, ut aliundè non abundè penſetur: præ cæteris enim manifeſta vi pectori conducit, aperitque vias, ac lenit, adeoque expectorationem promovet, quâ (præſertim ſi copioſior acciderit) tum exoneratur ſanguis à moleſto humore, commodè jam excreto, tum eâdem operâ nonnihil refrigeratur; adeoque me non admodùm malè habet,

siquando viderim symptoma hoc intercurrere, cujus beneficio non parum etiam ægro beneficii accedit. Illud unicum nunc moneo, unâ, eâdemque vice tutum non esse, totis cochlearibus hoc oleum exhibere; periculum enim est ne & ventriculo nauseam & alvo fluxum inducamus: parce itaque sed frequenter interdiu, noctuque propinandum erit, quo non solum expectoratione factâ tussim leniemus, verumetiam, quod alicujus momenti est, attritas ægri vires blando nutrimento nonnihil solabimur.

Narium hæmorrhagia. Fit nonnunquam, ut hæmorrhagia narium superveniat; sive quòd medicamenta nimis calida in morbi initio fuerint exhibita, sive quòd ebullitio non satis coërcita fuerit, ægro nempe vel in florenti ætate constituto, vel anni tempestate coadjuvante. Hoc si fiat, non admodum juvabunt ea, quæ ad sistendum sanguinis motum vulgò fieri consueverunt, qualia sunt venæsectiones, ligaturæ, medicamenta adstringentia, atque agglutinantia, vel etiam sanguinis acrimoniam contemperantia, &c. quamvis enim pro Medicorum consilio, ac prudentiâ, his atque hujusmodi aliis uti liceat; in eo tamen cardo rei vertitur, ut idoneo aliquo medicamento sanguinis ebullitioni frænum imponatur, quod sistat, fugatque illius impetum in præcipitia quæque ruentem. Verum quidem est, si symptoma seorsim spectetur, ea quæ supra enumeravimus (ac venæsectionem potissimùm) accommoda satis esse; nec ego ipse dubitarem, iisdem uti; sed nempe symptomatis hujus causam (saltem si phlebotomiam exceperis) non satis attingunt, quam profectò non majori ratione per prædicta tollere, quàm si gladio ignem extinguere satageres. Ego itaque in hoc casu, frustrà aliis tentatis, tale quidpiam adhibere soleo, quale nunc subnectam.

℞. Aq. Portulacæ, & papaveris ceratici ana ℥iß. Syrup. de meconio ʒ vi. Syrup. paralyseos ℥ß. M. F. Haustus. Nolim autem hæc ita intelligi, quasi hæmorrhagiam quamlibet ita statim curari velim; quin potius illa sæpe permittenda est, atque ægro plurimum prodesse potest, partim nimiam ebullitionem reprimendo, partim etiam criticè aliquando morbum solvendo. Atque revera parum proderit huic symptomati frænum prædictum aptare, priusquam illud aliquantisper excurrerit, vel etiam priusquam vena in brachio secta fuerit. Illud diligenter advertendum est, hanc ipsam, atque alias omnes immodicas hæmorrhagias peculiare illud obtinere, quòd quamprimum illæ quomodocunque sedatæ fuerint, nisi leniens aliqua purgatio celebretur, metus est ne recidivam æger patiatur; proindeque purgandum erit, quamvis (si Febris tempora spectentur) serius aliquanto id fieri soleat, atque debeat, nisi symptoma hoc acciderit.

Singultus. Hoc symptoma plerumque senibus accidit post copiosas evacuationes, vel per secessum ex diarrhœa, vel maximè per vomitiones, atque sæpenumero mortem præ foribus adesse denunciat. Ingenuè fateor, me mihimet ipsi de Singultus causa disquirenti satisfacere non posse; nihilominùs observavi, sæpe illum ex turbis, ac tumultu ab asperioribus medicamentis in ventriculo, locisque vicinis excitato, ortum ducere, quibus sedandis atque in pristinam pacem reducendis cùm naturæ vires non suffecerint, fit ut ingens periculum immineat. proindeque consentaneum existimavi, curam eò dirigere, ut quod natura per se nequibat, artis adminiculo suffulta perficeret. Diascordium igitur larga dosi exhibitum, nempe ad ʒ ij. à scopo meo non aberravit; cùm semine anethi, aliisque, quæ tanquam specifica decantantur, usus nihil profecissem.

Diarrhœa. Si in morbi hujus decursu Diarrhœam obortam conspexeris, quæ (uti jam alicubi suprà notavimus) accidere tum solet, cùm in morbi initio vomitorii propinandi indicatio se obtulit, neque tamen illud propinatum fuit; dico in hoc casu convenire, ut quovis morbi tempore (nisi vires contraindicaverint) Emeticum exhibeatur, etiamsi jampridem illa ad vomendum propensio præterierit. Quoniam autem hac de re satis, opinor in superioribus pagellis à nobis dictum est, illud hoc in loco duntaxat annectam, quid facto sit opus, si exhibito licèt emetico nihilominùs Diarrhœa supervenerit. Quod tamen oppidò rarum est, nisi in Febre inflammatoria ubi vomitorium, hoc symptoma non solùm non impedit sed quandoque creat; quod notatu dignum est. Itaque cùm sic se res habuerit, præ quibusvis astringentibus hujusmodi clysterem profuisse comperi.

℞. Cort. granator. ℥ß. rosʃ. rubr. p. ij Coq. in lactis vaccini s. q. Colaturæ ℔ ß. dissolve Diascordii ʒ iij. M. F. Enema. Non suaserim ut majori quantitate Clysterem injicias, quamvis enim propria vi adstrictionem polliceatur, metuendum tamen est, ne sua mole lacessat intestina, adeòque fluxum alvi, quem consopire animus erat, uberius provocet,

Sed forsitan objiciet his aliquis, magis è re videri, ut, præsertim declinante morbo, diarrhœam, siquidem acciderit, permittas potiùs quàm sistas, quandoquidem fluxus ille alvi nonnunquam criticus est, morbumque solvit. Respondeo, me non inficias iturum, fieri aliquando, ut Febris per hanc portam sibi viam faciat, atque effugiat; verùm illud rariùs accidit, quàm ut illius spe quicquam moliamur: quin & ratio illa, quâ de medelâ Febrium universim loquuti, fluxus hujusce sistendi necessitatem ostendere conati sumus, etiam hic omnino locum obtinet. Nunc autem illud addendum est, meâ quidem sententiâ animadversione non indignum, nempe ad genuinam sanguinis depurationem non tantùm necessariam esse illam quarundam partium secretionem, quæ per fæces fit, sed requiritur etiam ut secernantur aliæ, tanquam flores, id quod in aliis etiam liquoribus opulentis atque heterogeneis quotidiè cernimus. Itaque si Diarrhœæ nimium indulseris, mediam solummodo depurationem, tantopere expetitam, procurabis atque etiam forsan, quod postremo in loco rejiciendum erat primò excernetur. Fateor equidem separatione illâ per flores jam factâ (quæ, ut obiter id attingam, sensim & sine sensu peragi solet, atque plerumque paulo pleniori διαπνοῇ potiùs quàm sudore manifesto) Diarrhœam, si fortè acciderit, periculi non multum interminari: Sciendum tamen est, illam tum non aliunde accidere, quàm quòd purgatio subducendis fæcibus dicata, non opportunè

tunc exhibita fuerit; quæ quidem fæces morâ sua fermenti alicujus maligni indolem adeptæ, intestina jam ad excretionem irritant, stimulantque; ut omittam dicere, liquidissimam illam excrementorum consistentiam (tali enim formâ plerumque visuntur) satis indicare ea pro critica morbi solutione habenda non esse.

Ileus. Forsan etiam inter symptomata Febribus supervenientia recenseri potest Iliaca passio, eo quod vomitus enormes qui initio Febrium accidere solent, huic occasionem quandoque subministrent.

Horrenda hæc affectio est, & huc usque omnium ferè judicio funesta, ex intestinorum motu inverso, ac præpostero originem ducens. Nimirum intestinorum fibræ, quæ à superioribus versus inferiora contrahi debent, contrahuntur ad superiora, & quæcunque in intestinis continentur non versus alvum sed ventriculum protruduntur, & impetu facto ad os regurgitant; adeò ut Enemata, quantumcunque acria, emetica evadant, uti etiam cathartica per os assumpta per vomitum subitò excernuntur. Et, meâ quidem sententiâ, exquisitus ille, ac intolerandus dolor huic morbo superveniens, non aliunde oritur quàm ex præpostero intestinorum motu modò dicto. Cùm enim sinus illi quos multiplices intestinorum circumvolutiones constituunt, ita à naturâ formati sint ut ad descensum fæcum quàm aptissimè conducerent, cùm ii, inquam, motui suis fibris contrario cedere cogantur, exoritur inde prædictus dolor; qui quidem uni parti instar terebelli infigitur, cùm aut valvula quæ ad initium coli apposita excrementorum ad ileon regressum impedit, aut alia quævis membrana ad sinum pertinens, vim hujus præposteri impulsus sola sustinet.

Hujus verò inversionis unde dolor ille exoritur duplicem causam assignare licet. Obstructionem nempe, vel irritationem.

Primò igitur quæcunq; intestina vehementer obstruunt ut nihil per inferiora descendere valeat, hunc contrarium in intestinis motum ut producant necesse est, & nemini non notum. In horum censum ab Authoribus referri solent fæces induratæ, flatus crassi magnâ copiâ collecti, ac intestina velut in nodum convolventes, constrictio intestinorum in hernia, inflammatio denique, aliique tumores magni, qui cavitatem internam intestini occludunt. Interim verò haud negandum quod motus contrarius hisce causis originem debens, potius ingestorum, quàm intestinorum motus habendus, neque hæc totius intestinorum ductûs inversio est, sed illorum tantùm quæ supra sedem istius obstructionis sita sunt. Quam ob causam affectio iliaca hinc profecta, à me notha appellatur.

Secundò verò opinor, quòd in affectu iliaco causa inversionis peristaltici intestinorum motûs ut plurimum ita se habet. Nimirum ex tumultuante sanguine in Febre nuper conceptâ, in ventriculum & proxima intestina deponuntur humores acres & maligni, ex quibus ventriculus primò motum suum invertere ac violento impetu materiam molestam in eo contentam per os rejicere cogitur: Ventriculi tandem motui validiori, intestina tenuia ipsi continua jam debilitata cedunt & cum his demum majora in consensum trahuntur, vomituriente ventriculo quasi choream ducente. Hunc affectum verum ileum voco, & ille hujus loci est. Methodus eum curandi hactenus fere incognita fuit, quicquid nonnulli jactent de usu argenti vivi, & globulorum, quæ præterquam quod parum conducunt, noxam sæpe haud contemnendam inferunt. Ego cum felici successu hâc methodo utor.

Quando liquet ex Clysteribus per os rejectis & aliis signis verum esse ileum, tunc in hæc tria enitor. 1. Ut contrarius iste ventriculi motus, qui similem motum in intestinis efficit, impediatur. 2. Ut intestina acri humore debilitata corroborentur. 3. Ut ventriculus ac intestina ab istis humoribus liberentur. Quibus indicationibus ut satisfaciam, curationem hoc ritu instituo. Primò salis absinthii ℈j. ex cochleari uno succi limonum mane, & serò sumendum præscribo, intermediis verò temporibus aquæ Menthæ stillatitiæ sine saccharo, aliove quovis additamento cochlearia aliquot bis quaque horâ propino, cujus vel solius repetito usu & vomitus & dolor ex eo natus subito evanescent. Dum hæc fiunt catulum viventem nudo ventri indesinenter accumbere jubeo. Postquam verò dolor cum vomitu per spatium bidui triduive omnino cessaverit, tum pil. coch. ma. ℥j. in aqua Menthæ, dissolutam exhibeo, quam etiam aquam (quò certiùs vomitus recursum prævertam) toto catharseos tempore sæpius sumendam injungo. Neque catulus removendus antequam usum pilularum æger aggrediatur.

Observavi frustra pilulas istas vel quodvis aliud catharticum, utcunque forte, propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeò ad motum naturalem reducto, intestina etiam ad proprium motum æquè reducta fuerint. Aliàs enim cathartica omnia intus assumpta emetica evadent, & plus damni quàm commodi inferent. Inde est quod remediis purgantibus viam facere non aggredior donec per spatium quoddam medicamentis istis ventriculum respicientibus usus fuerim.

Victum valde tenuem ægro præscribo, ita ut nonnisi cochlearia aliquot jusculi ex pullo Gallinaceo parati sorbenda bis vel ter in die permittam. Interim verò ut per totam ægrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectæ sanationis signa appareant, ac etiam post sanationem per longum tempus in prædictæ aquæ usu persistere & laneis duplicatis ventrem à frigore bene defendere impero, quo minus recidiva fiat, cui hic affectus præ omnibus aliis est obnoxius.

Pauca hæc universam meam in curando hoc affectu methodum exhauriunt, quam à nemine consulto ob simplicitatem suam & splendidioris sive verborum sive pharmacorum apparatûs defectum aspernatum iri confido.

Atque hæc sunt illa symptomata, quæ in febre hac occurrere solent. Sunt autem & alia quædam, quibus memorandis nunc supersedebimus, partim quidem, quoniam ea minoris momenti sunt; partim verò, quòd peculiarem nullam curationem postulent, febre enim ritè tractatâ sponte sua cessant.

De Febre continua hujus Constitutionis, ac de symptomatibus ejus hactenus.

Quandoquidem, ut jam sumus præfati, quæ præ-

prædictos annos omnes Constitutio pervasit, producendis omnium generum Intermittentibus tam egregiè favit, quas tum de illis feci observationes haud indiligentes, hic impertiam: Addam insuper & quæ de paucis illis intermittentibus observavi, quæ ab illo deinceps tempore sporadicè contigerunt, quò minùs orationi stilum insequentium deinceps annorum historiam complectentis, cogar intercidere.

Primo loco, quò naturam illarum atque genium conjecturâ saltem assequamur, advertendum est, quòd in paroxysmis Febrium intermittentium hæc tria tempora spectanda sunt. 1. Tempus Exhorrescentiæ. 2. Tempus Ebullitionis. 3. Tempus Despumationis. Et quidem ad exh rrescentiam quod attinet (ut de his rebus summatim loquar) ego illam exinde oriundam arbitror, quòd materia Febrilis, quæ nondum turgescens à massa sanguinea utcunque assimilata fuerat, jam tandem non solùm inutilis verùm & inimica naturæ facta, illam exagitat quodammodo atque lacessit: ex quo fit ut naturali quodam sensu irritata & quasi fugam molita, rigorem in corpore excitet atque horrorem, aversationis suæ testem & indicem. Eodem planè modo, quo potiones purgantes à delicatulis assumptæ, aut etiam toxica incautè deglutita, horrores statim inferre solent, aliaque id genus symptomata. Natura itaque hoc pacto irritata (ut ad tempus ebullitionis jam transeamus) quo faciliùs hunc hostem à suis cervicibus depellat, fermentationem aggreditur, solennem nempe machinam, quâ in Febribus & quibusdam aliis acutis morbis uti consuevit, cùm sanguinis molem ab intestinis inimicis liberare conetur: hujus enim effervescentiæ beneficio disjunctæ peccantis illius materiæ partes, quæ sanguini æquabiliter admixtæ fuerant, aggregari quodammodo incipiunt, atque adeo leviori operâ subigi possunt, ut ad despumationem opportunæ evadant. Et quidem ut hoc fiat, vel ex eo plurimum referre constat, quòd qui ex Febribus Intermittentibus moriuntur, siquidem in paroxysmo pereant, in primo illo tempore (exhorrescentiæ scilicet) fato fungantur, nam si ad tempus effervescentiæ pertigerint, saltem pro illa vice non moriuntur. Atque per hæc duo tempora res ægrorum in angusto versantur; quibus elapsis, tertium tempus quod despumationi dicatum est, insequitur, quo succedente, symptomata omnia primò leviora fiunt, atque tandem planè evanescunt. Despumationis autem nomine nihil aliud significatum volo, quàm materiæ Febrilis jam subactæ, & quasi devictæ, expulsionem, seu separationem; atque illud quod separatur, partim (ut in aliis liquoribus cernere licet) florum, partim fœcum rationem & sortem obtinet.

His ita positis, videamus quomodo fiat, ut redeat Paroxysmus, quandoquidem ægrorum sors in vado jam constituta videtur. Nimirum Febrilis materia nondum tota emigravit, sed quemadmodum apum Embrya statis temporibus sensim succrescunt, ita latens hæc materia pro typorum ratione denuò caput effert, ac novum negotium naturæ facessit, idem stadium decurrens quod in præcedentibus modò ostendimus. Nunc autem si quis à me causam quæsiverit, cur fomes ille delitescens effervescentiâ præcedenti non satis subactus, ac proinde cum reliqua materiâ peccante non expulsus, proindeque novas tragœdias daturus, non eodem modo in omni Febre intermittenti progrediatur (nam nunc unum, nunc duos, nunc tres dies exigit, priusquam ad maturitatem perveniat novumque Paroxysmum excitet) de hac re, inquam, si quis mihi negotium exhibeat, ego planè me nescire fateor. Neque vero quisquam alius, quod sciam, in hac causa tam præclare se gessit, ut arcanum hoc opus naturæ satis enarrasse videatur: Ego Philosophi nomen non ambio, & qui titulum illum se mereri existimant, atque me fortassis hoc nomine culpandum putabunt, quòd in hæc penetralia non irrumpere conatus sim; moneo illos, ut in aliis naturæ operibus, quæ ubique nobis obversantur, vires suas experiri velint, antequàm aliis dicam scribant. Libenter enim quæsierim, cur equus ad ἀκμὴν suam pertingat septem annorum spatio, homo 21. cur in plantarum regno, hæc Mense *Maio*, illa *Junio*, ista alio, florere soleat, ut innumera alia nunc sileam. Quòd si doctissimos quosque viros non pudeat suam ignorantiam in his rebus palam fateri, non video, cur mihi vitio verti debeat, si in re non minus difficili, atque forsitan prorsus inexplicabili, manus ab αἰτιολογίᾳ abstineam: quippe cùm persuasissimus sim, naturam non minus hic loci quàm in aliis quibuscunque, methodo quadam certâ, atque ordine progredi: quartanosa enim (ut sic dicam) ac tertianosa materia non minus naturæ legibus subjacet, iisque regitur, quàm alia corpora qualiacunque.

Cum rigore atque horrore in universum Intermittentes omnes incipiunt, cui mox calor succedit, atque huic deinceps sudor; Per utrumque paroxysmum, tum illum quo riget æger, tum quo plus satis incalescit, vomiturit ut plurimum, vehementer ægrotat, cum siti & lingua arida, &c. Quæ quidem Symptomata iisdem omnino gradibus recedunt quibus provehitur sudor, quo uberiùs prorumpente Paroxysmus solvi videtur. Satis rectè valet qui modò ægrotabat, donec Paroxysmus periodo sibi consuetâ denuò recrudescat; in Quotidianâ scilicet quolibet νυχθημέρῳ, in Tertianâ alternis diebus, in Quartanâ tertio quoque die, calculatione videlicet factâ ab unius Paroxysmi initio, ad initium subsequentis. Licèt haud rarò ingeminentur posteriores duo, ita ut Tertiana quolibet die invadat, Quartana per duos dies continuos, tertio quidem ab insultu libero manente; quandoque etiam ter tribus diebus continuis infestet, cùm Triplex Quartana est; morbo ab isto, quem primùm assumpsit, Typo nomen sortiente.

Quæ sanè Paroxysmorum reduplicatio nonnunquam à materiæ Febrilis excessu activitateque nimiâ producitur, quo in casu Paroxysmus adventitius primarium antevertit; nonnunquam etiam à virium prostratione, cùm in ægro nempe nimiùm illæ fuerint dejectæ, & Paroxysmi vigor retusus, sive refrigeratione intensiore, sive etiam evacuationibus præter modum effusis: in hoc verò casu cùm Paroxysmus adventitius primarium insequitur, mitiùs insuper, neque ita prorsus diu atque alter ægrum affligit. In priori instantia, materiæ turgescentia sive

ὀργασμὸς tardiùs revertentem sibi debitam periodum nequicquam præstolatur, ac proinde aliquanto præmaturiùs despumatione suâ adfungitur: in posteriore autem cùm sanguis non jam ea vi polleat, quæ materiæ Febrili uno impetu excutiendæ sufficiat, mox alium de novo Paroxysmum substituit, quo ejus reliquias è sinu suo exturbet. Quinimò e duabus hisce causis sibi invicem adversantibus fortè etiam pendet tam Paroxysmorum Anticipatio in Febre Intermittente ordinaria atque regulari, quàm eorundem tardior accessio; quarum utraque in his Febribus frequenter occurrit, quæ, ut jam dictum, νυχθήμερον omne percurrunt, vel solitum Paroxysmi tempus anticipantes, vel eo seriùs accedentes.

Febrium autem Intermittentium quædam Veris sunt, quædam Autumni: quamvis enim in tempestatibus intermediis nonnullæ oboriantur, quoniam tamen illæ & minus frequentes sunt, & ad prædictas reduci possunt (illas nempe quibus magis appropinquant) idcircò omnes sub duobus hisce generibus, Vernalibus nempe atque Autumnalibus, complectar. Tempora ad quæ particulariter ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ referuntur, menses sunt *Februarii* atque *Augusti*; licèt quandoque maturiùs invadant, tardiùs etiam nonnunquam; prout scilicet uberior parciorve in aëre apparatus, vel ad easdem producendas facit, vel officit, & ex consequenti magis etiam minusve Epidemicè deprædantur. Cujus rei exemplum habemus satis obvium in Febribus Intermittentibus Autumnalibus Anni 1661. quo anno memini fœminam quandam ædibus meis vicinam primo Quartanæ suæ Paroxysmo, ipso scilicet *Johannis festo* correptam fuisse. Et complures alii circa idem tempus præmaturum Febribus illis correpti fuēre, quæ postmodum adeò Epidemicæ evaserunt; quod argumento est magnum tum fuisse in istâ quæ tunc obtinebat aëris temperie, ad istos morbos apparatum, qui deinceps procedente anno stipatiores grassabantur.

Et quidem usque adeò necessaria est hæc Febrium distinctio, ut nisi eandem in praxi sedulò contemplemur, neque de earum duratione prognostico aliquo ritè facto quicquam pronunciare, neque commodo regimine ægrorum corpora curare poterimus, habitâ tum tempestatum, tum naturæ Febrium diversæ ratione. Verum quidem est Febres utriusque tempestatis ingenium non planè dissimile nancisci, sive modum spectes primi insultûs, qui cum horrore primùm incipit, mox in calorem erumpit, ac tandem per sudorem solvitur; sive typorum discrimina, quorum respectu quædam Tertianæ sunt, tum Vere, tum etiam Autumno. Interim tamen non dubito, quin Febres istæ totâ suâ naturâ sive essentialiter distinguantur.

Intermittentes Vernales. Atque ut de Vernalibus primò dicam, illæ ferè omnes vel Quotidianæ sunt vel Tertianæ, & vel seriùs vel ocyùs ingruunt pro vario tempestatis apparatu. Nam per brumale frigus spiritus concentrati vires in suo recessu sibi acquirunt, quos appropinquantis postea solis calor jam vegetos evocat, qui cum viscidis humoribus (minùs tamen viscidi sunt hi, quàm quos in Autumno prægressi fervores excoxerunt ac torrefecerunt) commissi, quos durante hyeme natura in sanguinis massa congesserat, dum avolare nituntur implexi detinentur, & quasi irretiti, adeoque vernam hancce ebullitionem concitant. Eodem planè modo quo vasa cerevisiâ repleta atque in arena vel cella frigidâ diutiùs reposita, si igni admoveantur, tumultum statim concipiunt, & liquor ad volatum pronus est. Sanguis hoc modo affectus purgationem sui molitur, atque spirituum volatilium ope negotium hoc sat citò peragit, nisi fortè nimiâ viscidorum succorum vi instructus fuerit, qui fermentationem cœptam remorentur; & licèt hoc ipsum accidat, effervescentia tamen verna rarò continua suique similis manet, verùm dissilire atque in diversos Paroxysmos quasi findi solet. Sanguine enim opulentis hisce spiritibus jam turgido, natura negotium suum quasi præceps aggreditur, & quarundam partium secretionem ad modum perfectæ solutionis per Paroxysmos particulares peragit, priusquam universali separatione defungatur: Atque hæc mihi quidem ratio non inidonea videtur, quòd vernâ tempestate, præsertim illâ quæ æstatem propiùs attingit, paucæ Febres continuæ occurrant, nisi fortè constitutio fuerit Epidemica. Fermentationes enim tunc temporis obortæ vel subitò consopiuntur, vel ad intermissionem properant; vel denique partes humorum ad separationem proniores, præmaturè & cum vi quadam aliò transferuntur; ex quo mox Anginæ, Peripneumoniæ, Pleuritides, aliæque id genus pestes succrescunt, quæ desinente potissimùm vere caput suum exerunt.

Animadverti Febres Intermittentes Vernales rarissimè fuisse diuturnas, semper verò salutares; ita ut vel maximè senex vel debilis quispiam, officiosissimâ damnosissimâque imperitissimi cujuslibet περιεργίᾳ, modò probus is fuerit, è medio vix queat tolli. Contigit mihi tamen videre Tertianas Vernales, quæ ob Phlebotomiam & Catharsin indebitè celebratas, & regimen insuper cum morbo malè quadrans, moras traxēre etiam usque ad tempus illud quo Autumnales solent invadere; quæ tempestas, cùm hujus morbi genio sit admodum contraria, eundem continenter extinguit; ægro interim frequenti Paroxysmorum reduplicatione, & duratione longiore ita penè confecto, ut in extremis versari videatur; quæ nihilominus (quatenus mihi hactenus observare licuit) semper est eluctatus. Neque in convalescentibus ab hoc morbo mihi adhuc subiit videre gravissima illa symptomata, quæ, ut infra dicetur, Intermittentes Autumnales diuturniores sequuntur; Lethalem intelligo tonsillarum inflammationem, ventrem induratum, tumores Hydropicos, &c. Plus semel tamen adverti ægros à morbi diuturnitate & Paroxysmorum ingeminatione (accedentibus ad malorum cumulum evacuationibus repetitis) ad summam debilitatem redactos, ubi primùm ceperint convalescere, in Maniam incidisse, quæ pari cum illo passu recessit, quo eorundem vires de novo redintegrabantur.

Intermittentes verò Autumnales longè aliter se habent. Primò enim Tertiana, licèt quibus annis Epidemica non est, & sanos invadit, citò nonnunquam se proripit, neque pluribus stipatur Symptomatis, quàm quæ Verno tempo-

re

re contingere solent Tertianæ, ubi tamen Epidemicè grassatur, & ætate provectiores, aut pravo corporis habitu præditos ferit, haud vacat periculo; quinetiam ad menses duos vel tres, fortè etiam insequuturum usque Ver tirannidem exercet. Deinde Quartanæ & periculosiores sunt, & obstinatiores longè quàm sunt illæ de quibus ultimò diximus: Ubi enim natu grandiores impetunt, eosdem paucis adhuc Paroxysmis multatos quandoque jugulant; quo in casu æger tempore exhorrescentiæ, ineunteque adeò Paroxysmo, ut plurimùm moritur, quod jam dictum. Quòd si æger in senectutis tantùm fuerit confinio, necdum ejus limen prætergressus, licet non in eodem versetur discrimine ne inter Paroxysmos primò lacessentes luce privetur, haud tamen facilè à Febre hac elabetur, nisi vertente anno, appetenteque illo tempore quo primò corripiebatur. Nonnunquam etiam hæres lateri lethalis arundo, nec, nisi à morte, languescenti decutitur. Quartana interim Typum subinde variat, plurima etiam parit Symptomata, Scorbutum v. gr. Ventrem induratum, Hydropen, &c. Juniores verò ferendo huic morbo pares sunt, à quo nonnunquam circa Solstitium Brumale liberantur, frequentiùs tamen nonnisi adveniente Verno Æquinoctio, vel etiam Autumno insequenti, ubi scil. venæsectionem aut Catharsin admiserint. Sæpe non que stupore sum intuitus, Infantes tenellos cum hoc morbo per totos menses sex commissos, nec oppressos tamen, sed de eodem, Herculis instar pueri, in cunis triumphantes.

Hic notandum, quòd cu uscunque demum ætatis aut temperamenti fuerit, is qui Quartanâ corripitur, si quolibet alio vitæ tempore (vel etiam ab hoc remotissimo) eâdem semel laboraverit, non diu admodum eum secundâ hâc vice fatigabit morbus, sed post paucos aliquot Paroxysmos sponte suâ solvetur, quod scitu dignum erat.

Intermittentium Vernalium Curatio. Intermittentium autem Vernalium curationem quod spectat, licet illas suo semper arbitrio permittendas existimaverim, & nihil prorsus movendum, cùm nemo quisquam, quod sciam, earum unquam operâ fatis concesserit; atque ex adverso, qui illas abigere sategerunt, remediis præsertim evacuantibus, id tantùm egerint, ut morbus inde confirmatior pertinaciùs obsisteret, si tamen importuna ægri impatientia Medici opem obnixè efflagitet, Intermittentes Vernales variis modis, & quidem cum optato exitu aggredi licet, uti mihi non infrequenti observatione abundè constitit.

Nonnunquam Emeticum tempestivè propinatum, ut nempe ante Paroxysmum negotio suo defungi possit, fœlicissimè successit; præsertim si quantitatem mediocrem Syr. de Meconio vel cujusvis Narcotici post finitam Emetici operationem, exhibueris immediatè ante Paroxysmi insultum.

Est ubi sanitatem videas restitutam per diaphoretica, quæ sudorem in Paroxysmi solutione obortum promoveant, ægro interim optimè stragulis cooperto, id quod tantopere ac tamdiu faciendum est, quamdiu vires ægri patiantur. Atque hoc in Veris Intermittentibus, præcipuè Quotidianis, sæpe obtinuit: humoribus enim in hac tempestate non admodum crassis existentibus, solutio alias imperfecta futura, in perfectam adolescit, quod quidem in Autumno nunquam accidit.

Quid quòd Clysteris in diebus intermittentibus per triduum vel quatriduum adhibiti beneficio, Tertianas aliquando curaverim.

Interim, si ob Phlebotomiam, liberiori manu celebratam, quò tempestas ipsa parùm cautos facilè inclinat; vel ob ægri debilitatem antecedaneam, spiritus illi qui subitò ad despumationem se accingerent, pauperiores facti minùs valeant; accidere potest, ut hujusmodi Febres Vernales, auxiliis quibuscunque frustra tentatis, Autumnalium diuturnitatem æmulentur. Sed sanè non solent illæ eousque durare; quippe quæ vel sponte suâ desinant, vel leviori remediorum ope facilè in fugam vertantur.

Intermittentes Autumnales. Intermittentes autem Autumnales non tam levi operâ se amoveri patiuntur. De illis igitur nonnulla mihi dicenda sunt. Si Autumnalis Constitutio fuerit Epidemica, circa Junium adultum solent invadere. Sin minus, Augustum præstolantur & Septembris initium: in subsequentibus verò mensibus rariùs occurrunt.

Cùm earum ingens aliquod agmen simul invaserit, observare licebit earum Paroxysmos plerumque unâ eâdemque diei horâ contingere, accessionibus nunc prævertentibus, nunc postponentibus, simili planè modo, atque eodem tenore, nisi quod accidere queat ut ordo ille medicamentis adhibitis, quæ retardandi vel præcipitandi vi pollent, in quibusdam corporibus immutetur vel pervertatur.

Observandum est etiam quòd in principio Febrium Intermittentium (Epidemicarum præcipue quæ Autumno contingent) haud ita in proclivi est Typum sub primis Invasionis diebus ritè distinguere, quandoquidem febre continuâ adscitâ primùm, adoriuntur, neque facile est aliquandiu, nisi diligenter adverteris animum, quicquam aliud præter aliqualem morbi remissionem deprehendere, quæ tamen paulatim in perfectam desinit Intermissionem, & Typum anni tempestati aptè respondentem.

Typorum ratione vel Tertianæ sunt vel Quartanæ. Atque de Quartanis quidem illud merito affirmari potest, eas genuinam esse Autumni sobolem. Utræque profectò ea affinitate inter se connexæ sunt, & sæpenumero vices permutare, saltem ad tempus, deprehendantur, mox fortassis ad pristinum genium redituræ. Sed Tertianæ Vernales, Quartanarum typos nunquam induunt, cùm toto (ut ita dicam) cœlo à se invicem distinguantur. Neque porro observavi unquam, hac tempestate, Quotidianam contigisse, nisi quis Tertianam duplicem, vel triplicem Quartanam hoc nomine censuerit ἀκυρολόγως appellandam.

Has autem febres intermittentes eo ferè modo suam originem nancisci arbitror, quem nunc summatim attingemus, Nempe anno surgente atque progresso, sanguis etiam pro rata proportione exaltatur (haud secùs ac vegetabilia quævis augmentis atque declinationibus suis anni cursum referunt) donec ad ἀκμὴν suam ultimumque vigorem pervenerit; hinc

hinc paralelis motibus cum tempestatibus anni pergens, eo declinante relaxari tandem & ipse incipit, ac tum præcipue cùm ab accidentali aliqua causa promotus fuerit, putâ sanguinis immodicâ jactura, frigore admisso, cibis crudis atque excrementitiis, balneorum usu intempestivo, aliisque non paucis. Jam verò sanguis in hoc decidentiæ statu constitutus, impressioni morbificæ cuicunque obnoxius est, quam in illum faciet quælibet aëris constitutio, quæ hoc tempore dictis Intermittentibus est Epidemica. Atque hùc spectat ebullitio mox inducta, quâ liquorem sanguineum quandoque valde degenerem corripiente, Febris inde oriunda mali moris esse solet, & malignis atque horrendis symptomatibus plenissima. Illud utcunque accidit ut sanguis spiritibus suis magnam partem exutus, & ab æstate præcedenti plurimùm adustus, ebullitione suâ nonnisi tardissimis motibus defungatur, suæque despumationi longissimam periodum postulet.

Jam verò ut manifestum evadat quàm difficulter hæ Febres (Autumnales puta) curationem admittant, hoc loco perpendendum est: Continuarum hujus tempestatis, atque intermittentium discrimen in eo maxime versari; quòd Continuæ conceptam semel effervescentiam συνεχῶς unoque tenore perficiant, Intermittentes autem partitis vicibus ac diversis temporibus eâdem defungantur. Interim in utrisque fermentatio naturæ ductu peragitur spatio horarum 336. aut circiter, neque enim citiùs aut tardiùs massa sanguinea in humano corpore ordinariò repurgatur, si negotium naturæ permiseris; haud secus ac pomatium suam, vinum atque cerevisia suam, ac peculiarem habet periodum quâ depurentur. Quamvis autem in Febribus intermittentibus sanguis nonnunquam (ut in Quartana contingit) sex mensium spatio despumationem suam moliatur, ac tandem perficiat; non tamen (si ritè calculum ponas) plus temporis in eadem absolvenda impenditur, quàm quod in continuis impendi naturaliter solent; quatuordecim enim νυχθημέρα sive dies naturales efficiunt horas 336. tribuendo nempe horas quinque cum dimidia cuilibet Paroxysmo Quartanarum, habebis in Quartana valorem 14. dierum h. e. horas 336. Jam si quis dixerit quartanam, verbi causâ, (eadem enim reliquarum intermittentium ratio subintelligenda est) ultra sex mensium spatium aliquando excurrere, antequam periodum suam absolvat; respondeo idem etiam non rarò in continuis Febribus hujus constitutionis spectari, quæ sæpe ultra dies quatuordecim protrahuntur: in utroque nimirum casu si effervescentiam (præsertim circa Febrium finem) ritè atque ordine decurrere, ac sustineri vegetam curaveris, despumatio intra prædicti temporis spatium, hoc est quatuordecim dierum, vel 336. horarum peragetur: quòd si verò effervescentiam illam, seu fermentationem refrigerantium medicamentorum aut Clysterum usu tunc temporis (scilicet versus Febrium declinationem) importunè inhibueris, & quasi frænum illi injeceris, mirum non est si in longum evagentur, ordine quippe naturæ perturbato. Namque hoc modo relaxatur quodammodo sanguinis humani tonus, unde se ad despumationem accingere cum effectu nequit. Imò verò in corporibus debilibus & effœtis idem aliquando vel sponte accidit, nisi cardiacorum ope naturam in illis languentem adjuveris, quo sanguini despumando par sit.

Verùm illud hic jam porro notandum arbitror, ea quæ de fermentationis spatio atque continuatione suprà tradimus, de illis solummodo Febribus intelligenda esse, quæ statam quandam naturam, atque habitum nactæ sunt. Sciendum enim est, neque me præterit, Febres quasdam esse, tum continuas, tum intermittentes, quæ transeuntis & incerti genii sunt, neque in suis effervescentiis ad destinatam periodum pertingunt. Hujus generis sunt quæ à levi aliquâ offensâ ex sex rerum non naturalium quas appellant, ut cibi, potûs, aëris, & his similium, abusu, nonnunquam ortum ducunt, his enim morbis correpti subitò sæpe convalescunt. Idem etiam in adolescentulis, sanguine puro, ac multis spiritibus referto præditis, aliquando accidit: nimirum Febres illorum spirituosâ quâdam ac nimis tenui, volucrique materiâ nixæ, fermentationes suas citiùs perficiunt, ac celeri gradu spatia sua emensæ, evanescunt. Ad fermentationem enim illud primò requiritur, ut materia fermentescibilis, sive illa sanguis sit, sive vinum aut alius aliquis liquor quilibet, eâ tenacitate & viscositate polleat, ut spiritus implexos, atque irretitos eatenus detinere valeat, ut in liquoris massa moveri atque agitari possint eodem ferè modo, quo aves visco captæ, aut muscæ atque apiculæ melle detentæ, motitare quidem, & murmura sua peragere possunt, avolare interim non valentes. Neque tamen, (ut obiter illud dicam) eam tenacitatem obtinere debent liquores memorati, ut spiritus prorsus obruant opprimantque, adeò ut non omnino moveantur.

His jactis fundamentis (quæ quidem nescio an aliis, mihi certè ratione non contemnendâ niti videntur) mirum non erit, si illis non aliam medendi methodum superstruam, quàm quæ in Febribus continuis ad despumationis debitum opus ritè perficiendum, adhibenda videatur: cùm nimirum illæ à continuis nullo discrimine sejungantur, si ordinem spectes quo natura earundem materiam expellere solet, scilicet per effervescentiam certâ periodo comprehensam. Etsi quod ad earum speciem, atque naturæ proprietatem attinet, illas & à continuis, & à se invicem plurimùm differre non diffitear. Itaque vel methodum, quâ se natura liberare ab hoc morbo solet, cautè, soliciteque observando indicium sumete oportet, quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ad sanitatem ægros perducamus; vel in ipsam causam specificam penetrando, danda erit opera ut remediis efficacibus, ac specificis morbo obviam eatur. Ab horum alterutro indicationes sumendæ sunt. Ego utramque viam ingressus aliquando fui, atque illæsâ (uti opinor) verecundiâ profiteri possum, non sine summâ curâ, atque attentione animi indefessâ, sed nondum eam felicitatem adeptus sum, ut Autumni Febres intermittentes certâ aliquâ praxi, atque medicandi ratione tollere possim, antequam statas illas fermentationes (de quibus suprà locuti sumus) peregerint, utcunque molestum hoc febricitantibus videa-

videatur, qui eousque sanitatem suam expectari inviti coguntur. Revera autem siquis inter mortales reperiatur, qui sive methodo aliquâ certâ, sive remedio specifico adhibito, Febrium harum intermittentium cursum non solùm inhibere, sed etiam omnino abrumpere novit, existimo eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam summopere expetendam patefaciat: quod si non fecerit, ego illum nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciare ausim; neque enim civis boni est, illud in rem suam vertere, quod toti generi humano tam ingens beneficium apportet; nec viri prudentis, divinâ benedictione semetipsum privare, quam à summa bonitate liceret expectare, si ad publicum bonum promovendum se accingeret. Honoris autem, ac divitiarum longè minor apud probos, ratio habetur, quàm virtutis & sapientiæ.

Quantumlibet autem fuerit difficile, Intermittentes has Autumnales certò fugare, tradam tamen quicquid ad earundem curationem præ reliquis facere mihi visum est.

Intermittentium Autumnalium Curatio. Intermittentium Autumnalium curationem non sine ingenti discrimine per Catharsin tentari, (nisi eo, quem mox dicemus, modo instituatur) præsertim verò Phlebotomiam, frequenti nimis observatione jam olim didici. Etenim in Tertianis (maximè si ea Constitutio admodum fuerit Epidemica) hac methodo sanandis, nisi Chirurgi gladiolus eodem ictu quo venam pertundit, ipsam etiam Febrem confodiat, dictæ Febres, etiam in vegetiorbus & Athleticè cæterà valentibus, non nisi longo temporis tractu expugnari se patiuntur: In provectioribus autem, diutinum Febris cruciatum tandem etiam mors excepit, quam præforibus jam esse haud rarò denunciat lethalis illa Tonsillarum inflammatio, cujus fecimus mentionem. Adde quòd venæsectio alia etiam symptomata illa maturiùs acersivit, quæ Febres Autumnales Intermittentes in statu declinationis vel comitari diximus, vel à tergo sequi. Quartanariis verò in tantum obest Phlebotomia ut Juvenes qui à morbo aliàs intra sex menses fuissent liberati, per sex adhuc alios ab eodem detineantur: Ætateque provectiores, qui, nisi sanguinem detraxissent, intra annum poterant sanari, morbum etiam ultra statum illud tempus alere periclitantur, ac denique ab eodem victi succumbere. Quæ de Venæsectione jam dixi, levi operâ ad Catharsin possunt transferri, nisi quòd hæc non usque adeò perniciosa sit, nisi crebrò repetita.

Intermittentes Tertianas Autumnales hoc pacto aggredior. Ægro in lectulo composito, & stragulis undiquaque cooperto, sudores provoco sero lactis Cerevisiato, cui Salviæ folia incocta fuere, quatuor circiter horis ante Paroxysmi adventum; quibus jam obortis mox præcipio, ut devoret ℈ ij. Pilularum Cochiarum majorum solutarum in ℥j. sequentis misturæ,

♃. Aq. vitæ ℔j. Theriac. Andromach. ℥iij. Croci Angl. ʒj. M. stent simul pro usu. Hæc ubi assumpserit, in sudoribus continuò eliciendis persistat, donec elapsæ fuerint aliquot horæ ab illo tempore quo Paroxysmus ingruere debuerat, magnâ cum cautela se muniens contra illas sudationis interruptiones quas illi fortè creabunt dejectiones aliquot à medicamento Cathartico profectæ. Sæpiùs mihi ex animi voto cessit medicamentum hoc in fugandis Tertianarum Paroxysmis, quàm usu receptum illud ad eundem scopum tendens, Decoctum scil. Rad. Gentian. Summit. Centaur. &c. cum paucâ Sennæ atque Agarici quantitate. Cùm enim duos illos contrarios sudandi ac dejiciendi motus eodem tempore excitet, eundem cum vulgari isto effectum obtinet, ordinatum sc. Paroxysmi processum confundendo atque interturbando; idque efficaciùs, nec tamen tutò minùs. Atque hâc sane methodo Intermittentes Autumnales Tertianas bene multas pepuli; necdum præstantiorem aliam experiri his annis mihi licuit.

In tertiana duplici, quæ Typum variavit, ob ægrum vel evacuationibus vel alio quovis modo debilitatum, sudor pari etiam modo provocandus, & pari temporis intervallo à futura Paroxysmi invasione, vel medicamento jam laudato, (omittantur verò Pilulæ Cochiæ, cùm nec tutum sit, nec ad rem faciat, Cathartico, jam ab eodem fractas ægri vires ampliùs dejicere, & Paroxysmis ejusdem ope ingeminatis suppetias ferre) vel diaphoretico alio aliquo δραστικωτέρῳ atque efficaci, quod etiam repeti potest Paroxysmo genuino proximè subsequente: In summa ægri debilitate à dicta Paroxysmi ingeminatione, Electuarium, quod jam sequitur, præscribo:

♃. Conserv. flor. Borag. Buglos. ana ℥j. Conserv. Anthos. ℥ß. Cortic. citri condit. Nucis Mosch. cond. Theriac. Andromachi ana ʒiij. Confec. Alkermes ʒij. M.F. Opiata, de qua capiat ad magnitudinem avellanæ mane & vesperi, superbibendo cochl. 6. sequentis Julepi.

♃. Aquæ Ulmariæ & Theriacalis stillat, ana ℥iij. Syrup. Caryophil. ℥j. M. vel hujus loco Aquam aliquam Epidemicam simpliciorem saccharo dulcoratam exhibeo, Interdicto Enematum usu; ægro Juscula è pullorum carnibus, Avenacea, &c. concedo.

Quartanarum quod attinet Curationem, nemo est, opinor, in hâc arte vel mediocriter versatus, qui nesciat quàm parum votis respondeant methodi istæ omnes, quæ huic Medicorum opprobrio eluendo hactenus destinantur, si *Corticem Peruvianum* excipiamus, qui tamen inducias sæpiùs impetrat morbo, quàm eundem debellat, cùm postquam ad septimanas duas vel tres delituerit, magno cum ægri emolumento, qui ab illo malè multatus paululum interim respirat, mox de novo recrudescens haud segniùs quàm priùs lacessit; atque ut plurimum, quotiescunque demum repetatur illud medicamentum, nonnisi longo temporis tractu expugnatur. Referam tamen quicquid de methodo ejusdem exhibendi habeo compertum.

Curandum est ante omnia ne præmaturè nimis hic Cortex ingeratur, ante sc. quàm morbus suo se marte aliquantisper protriverit, (nisi collabescentes & jam fractæ ægri vires eundem temporiùs sumendum esse dictaverint) neque enim illud solum est metuendum ne à præpropero ejus usu inefficax iste reddatur, & spem ægri fallat, sed etiam ne de ægri vitâ agatur, si sanguini omni fermentationis nisu se despumanti eam derepente injiciamus remoram. Proximo loco, neque Catharsi, multò minùs Venæsectione,

ne, subducenda est materiæ febrilis pars aliqua, quo liberius cortex suo fungatur munere: cùm enim ab utraque labefactetur quadantenùs œconomia corporis, eo promptius certiusque recrudescent Paroxysmi, evanescente semel pulveris vj. Mihi etiam magis è re fore videtur ut sanguinem dicto medicamine sensim, longioreque à Paroxysmis intervallo, leviter inficiamus, quàm ut uno omnino ictu Paroxysmum jam instantem tentemus confodere; hoc enim pacto & plus temporis remedio conceditur quo suum opus pleniùs absolvat, & evitatur quicquid id est periculi quod ægro poterit oriri ex subito isto atque intempestivo nimis sufflamine, quo Paroxysmum jam invalescentem atque omni se ope exerentem conamur opprimere. Postremò brevibus istis temporis intervallis repetendus est pulvis, ut non protinus evanescat prioris dosis virtus, antequam altera exhibeatur: crebra enim repetitione ista εὐεξία tandem recuperabitur, profligato in solidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum cæteris antepono, peruviani corticis ℥ j. cum conservæ rosar. rub. ℥ ij. misceatur; æger verò quantitatem nucis moschatæ majoris mane & sero quotidie devoret diebus à genuino Paroxysmo vacuis, donec confectionem omnem absumpserit. Repetatur porrò ad tres alias vices interjectis semper diebus quatuordecim.

Neque fortè cum minori fructu usurpari poterit cortex hic in tertianis, qua vernis, qua autumnalibus, quàm in quartanis adhibetur. Sed ut vera loquamur, nec artem ἀπροσδιονύσως ostentemus; Si harum febrium alterutra correptus æger vel infans sit, vel ætate floreat, convenit omnino (quantum ego hactenus edoctus sum) nihil medicamentorum quorumvis ope, aut aëris, ac diætæ mutatione moliri: Nihil enim hinc mali natum hucusque intellexi, si modò totam rem naturæ permiserim. Id quod ego non sine admiratione, præcipuè in infantulis, sæpe observavi; sanguine namque depuratione sua defuncto, febres illæ sponte sua evanuerunt. Quod si autem è contrario vel strictiori aliquo regimine utaris, vel medicamenta purgantia subinde adhibeas, (adhiberi scilicet solent eo prætextu, ut obstructiones expediantur, atque humores in primis viis stabulante exturbentur) vel si, quod præcipuum est, in constitutione epidemica venæ-sectio celebretur, fiet ut morbus in longissimum tempus procurrat, atque interim ut ægri mille symptomatis, iisque periculosissimis exponantur.

Si verò febricitantes provectioris ætatis sint, ex utroque morbo (tertianas dico, autumnales, ac quartanas) non solum diuturnitatis, verum etiam ipsius mortis grave periculum imminet.

Hic itaque Medicum illud agere oportet, si neque cortice peruviano, nec alia quavis methodo morbum submovere valuerit, ut naturæ saltem suppetias ferat, eamque illis adminiculis sublevet quibus ad negotium suum peragendum opus habuerit. Certè enim in effœtis corporibus, nisi fermentatio cardiacorum & corroborantis diætæ, ut vini absynthitis ac id genus similium, beneficio sustineatur, illud accidet, ut ægri incertis atque frustraneis Paroxysmis divexati debilitentur, atque morbus eousque duret, donec languida priùs natura, Paroxysmo aliquo graviore correpta, ad ebullitionis tempus pertingere non possit, adeoque in ipso exhorrescentiæ tempore diem suum obeant ægroti. Atque in senibus non rarò usu venit, qui longa catharticorum serie debilitati fuerunt, imò, ut aliquando visum est, in ipso vel primorum Paroxysmorum rigore, penitus defecerunt, cùm exhibito cardiaco satis forti saltem ad tempus aliquod sustineri potuissent.

Cùm sanguis tempus illud exegerit quod ad despumationem suam perficiendam requiritur, necessarium est ut provectioris ætatis ægri, eodem ipso tempore, vel paulo antea, insignem aliquam aëris mutationem subeant, sive (quod potiùs optandum esset) in calidiorem aliquam regionem commigrando, sive mutando saltem locum in quo primùm hoc morbo correpti sunt. Mirum sanè est quantum valeat hæc aëris mutatio ad morbum hunc prorsus abigendum. Interim ut ante hunc temporis articulum aër mutetur, non tantùm non necessarium est ad sanitatem ex hoc morbo restituendam, sed & minus convenit. Etiamsi enim quis in regionem quantumcunque australem & calidam migraverit, sanguis tamen ejus in morbido hoc motu semel constitutus, depurationem suam ut peragat necesse est, quod quidem beneficii frustra expectabitur ab insolito novoque aëre, priusquam procedente atque adulto jam sanguis motu, sanitatis recuperandæ capax fuerit. Insignis ergo illa aëris mutatio tum demum adeunda est, cùm primùm æger à Paroxysmo liberari potest: Exempli causa. In quartana quæ primùm in autumno invasit, non citiùs aër mutandus est, quàm circa februarii initium. Interim si æger mutare locum vel nolit, vel commodè nequeat, oportebit ut hoc ipsius temporis articulo, forti aliquo medicamento utatur, cujus eæ sint vires, ut uno quasi ictu languescentem illam depurationem potenter promoveat, & si fieri poterit perficiat. Ad hanc rem consulerem ego, ut electuarii de ovo, vel Theriacæ Andromachi sesqui-drachma in aquæ cœlestis, vel aquæ vitæ communis unciis duabus dissoluta exhibeatur. Id quod à me, cum successu non infelici, in morborum hujusmodi declinatione factum est. Licet agnoscam calidiora hæc citius exhibita vel morbum duplicare, vel in febrim continuam mutare, quod aliis jamdudum observatum est. Idem in juvenibus hoc morbo detentis fieri potest, cautela adhibita. Ut autem in puerili ætate idem fiat, non tantùm non convenit, verum etiam periculo non vacare dudum observavi.

Priusquam huic argumento clausulam addamus illud monendum venit. Ea quæ de febrium autumnalium intermittentium duratione, atque de tempore ad sanguinis despumationem requisito, jam dicta sunt, ita intelligenda esse ut nos solum illud nunc spectemus quod natura vulgaribus atque usitatis tantùm medicamentis suffulta, præstare soleat. Nequaquam enim eo consilio de his rebus ita locuti sumus, ac si doctos ac solertes Medicos despondere animum velimus, atque de melioribus medendi rationibus excogitandis, vel nobilioribus remediis

invenieudis spem totam abjicere, quorum ope hujusmodi morborum sanationem accelerent; tantum enim ego profecto ab hoc proposito absum, ut non desperem vel à meipso tale quidpiam sive methodi, sive remedii aliquando repertum iri.

Sublato morbo æger sedulò purgandus est; incredibile enim dictu quanta morborum vis ex purgationis defectu post febres autumnales subnascatur. Miror autem hoc à Medicis minus caveri, minus etiam admoneri. Quandocunque enim horum morborum alterutrum paulò provectioris ætatis hominibus accidisse, vidi, atque purgationem etiam omissam, certo prædicere potui periculosum aliquem morbum eosdem postea adoriturum, de quo tamen illi nondum somniaverant quasi perfectè jam sanati.

Omnino interim cavendum est, ne purgetur æger nisi morbo penitus depulso. Quamvis enim partes naturales illuvie ista quam in illas congessit, febris, hoc pacto quadantenus sublevari videantur, nova tamen materia derepente succrescet, febre scilicet à cathartici impetu atque humorum agitatione jam revocata, eandem suppeditante; ac proinde id tantùm à purgatione lucri fecerimus, ut morbus contumacior evadat. Quotidiana id nos docent eorum exempla, qui in morbi θεραπείᾳ ut theoriæ isti morem gerant quæ in tollendis obstructionibus, & evacuando humore melancholico, qui mali fons & origo vulgò habetur, curationis spem omnem ponit, repetitis purgationibus miserè plectuntur; quibus sanè quicquid id demum est humorum quod à corpore divellitur atque eliminatur, compertissimum est nobis febrem altiores exinde radices agere, & pertinacius stationem suam tueri, quam si non fuerit proritata. Quapropter religio mihi est catharticum propinare ante tempus illud, quo non tantùm Paroxysmi perceptibiles, sed etiam alteratio ista qualis qualis ea fuerit, quæ diebus illis in quos Paroxysmus incidere debuerat, persentiscitur, omnino evanuerint, atque unus insuper mensis fuerit elapsus: quo quidem effluxo, potionem aliquam ex lenitivis vulgaribus præscribo, atque eandem semel in septimana ad menses duos tresve subsequentes repetendam impero; addito etiam singulis vicibus haustulo aliquo paregorico, hora somni assumendo, finita jam medicamenti operatione; ut nempe Paroxysmo se de novo ingerendi ansam præscindamus, quam aliter fortè arriperet ex occasione tumultus atque orgasmi, quos vel mitissima excitant cathartica.

Purgationibus instituendis idcircò spatia ista ampla interpono, ut sc. æger à recidivæ metu liberetur, quæ quidem à nimis crebra & confertim repetita sanguinis atque humorum exagitatione, de facili poterat induci. At cùm jam ista res vacet periculo, apozema sequens frequenter usurpari poterit.

♃. Rad. Rhabarb. Monachor. ℥ ij. Rad. Asparag. Brusci, Petrosel. & Polypod. quer an. ℥ j. Cortic. Median. fraxini, & Tamarisci an. ℥ ß. fol. Agrimon. Ceterach, & capill. Ven. an. M. j. Sennæ mund. ℥ i ß. (irrorat. ℥ iij. vini albi) Epithimi ℥ ß. agarici troch. ʒ ij. sem. fœniculi ℈ iv. Coq. in aqua fontana ℔ i ß. sub finem adde succi aurantiorum ℥ iij. In colatura dissolve Syr. Cichor. cum Rheo, & Magistral. ad melancholiam ana ℥ i ß. F. Apozema, de quo capiat ℔ ß. singulis matutini & per triduum, & repetatur quoties opus fuerit.

Ut tandem Symptomata illa memoremus, quæ febres intermittentes in declinationis statu comitantur, observandum est, vera rum paucissima esse, si ad illa comparentur quæ autumnalibus accidunt, tum quia non ita diu hærent istæ, tum etiam quia in humoribus non usque adeò terrenis, & minus etiam malignis fundantur.

Hydrops. Primum hîc sibi locum vendicat, subinde occurrens hydrops; unde primo quidem crura intumescunt, deinde etiam venter; qui exinde nascitur quòd sc. sanguis crebris illis fermentationibus, quas peperit morbi diuturnitas (præcipue in natu grandioribus) plures spirituum manipulos prodegit, unde summa eorundem inopia jam laborans, succos cum alimentis ingestos non amplius valet assimilare, quorum cruda adhuc indigestaque moles in crura tandem deponitur, atque his jam distentis, neque ulterius quicquam admittentibus, in ventrem etiam, unde verus hydrops formatur. Rarò autem juvenes obsidet hæc malorum Ilias, nisi catharticis per febris decursum, sæpenumero iteratis, eandem inconsulto nimis sibi accersiverint.

Verum hydrops ex causa memorata superveniens aperientium & catharticorum usu facilè sanatur, si modò recens fuerit. Neque mihi molestum est, quoties hunc natum morbum audio atque intelligo, nempe de rei exitu omnia bona tunc temporis animo concipiens: Nonnullos enim usu apozematis jam præscripti, vel sine admistione hydropi magis appropriatorum, persanavi.

Verumtamen observavi, frustra esse, si quis hydropem ex febre intermittenti natum, medicamentis purgantibus tollere conetur, febre illa adhuc durante: Febris enim hoc pacto radices profundius agere deprehenderetur, non autem amovebitur hydrops; expectandum itaque donec febris exudet, ac tum demum negotium prosperè suscipiendum.

Verùm enimverò si tam importunè atque acriter instet symptoma hoc, ut ejus curatio non eò usque videatur differenda donec febris recessus catharticorum usum permittat, aggredienda omnino illa est infusionibus rad. Raphani rusticani, summit. absinth. & centaur. min. baccarum Juniperi, Cinerum Genistæ, &c. in vino factis, quæ non solùm symptomati obsistunt, effœtas sanguinis vires de novo instaurando, sed naturæ etiam de morbo jam triumphaturæ tempori subveniunt.

Rachitis. Infantes autem post febres autumnales tum continuas, tum intermittentes, hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati, tumentes, ac duri evadunt; sæpe etiam tussis, aliaque tabidorum symptomata subnascuntur, quæ rachitidem planè mentiantur. Hos ego sequenti modo tractandos consulo. Paretur potio cathartica quam in febrium continuarum fine assumendam præscripsi. Hujus capiat infantulus cochl. j. vel ij. plus minus pro ætate, mane

mane per 9. dies, uno atque altero die, si opus fuerit, intermisso. Interim verò purgatio ita moderari debet ac regi, dosim vel augendo vel minuendo; ut ultra 5. vel 6. sedes singulis diebus non procedat. Post finitam catharsin totus venter inungatur linimento aliquo aperitivo per aliquot dies. Sequenti uti soleo.

♃. Ol. lilior. & tamarisci an. ℥ ij. Succi rad. brioniæ & apii an. ℥ j. bulliant ad succorum consumptionem, addendo unguenti de althæa & butiri insulsi an. ℥j. gummi ammoniaci in aceto soluti ʒß. ceræ flavæ q. s. f. linimentum. Sanè quamplurimi infantes, etiam verâ Rachitide laborantes, hâc methodo à me liberati fuerunt.

Veruntamen (ut antè monuimus) cavendum sedulò ne purgationem aggrediamur, nisi febre jam perfectè fugatâ; licet enim hoc pacto humoris in partes naturales amandati portio quædam evacuari non sine causâ videri possit, nihilominus ab ipsâ febre nova subinde pravæ materiæ copia suggeretur, quæ non solùm purgationem reddet frustraneam, verùm & ipsum morbum diuturniorem præstabit, ob rationes antea memoratas.

Observatu non indignum est, quòd cum febres autumnales teneram ætatem diu cruciarint, nulla spes sit easdem abigendi, donec abdominis regio, circa lienem præcipuè, indurari atque tumefieri occæperit, iisdem enim gradibus quibus hoc symptoma supervenerit, febris etiam fugam meditatur. Neque fortè ex meliori aliquo prognostico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quàm si sedulâ animadversione suboriri hoc symptoma perspexeris. Idem porrò in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando spectantur.

Ventris tumor qui infantibus accidit post has febres, quibus annis aëris constitutio intermittentibus autumnalibus progignendis epidemicè determinatur, tangentis digitum haud aliter ferit, ac si materiam aliquam continerent viscera in scirrhum induratam; cùm qui aliis annis, simili licet προφάσει, contingit, tactum ita afficit, ceu tensio hypochondriorum à subjectis flatibus. Hinc, nisi annis quibus intermittentes autumnales prædominium habent, veræ rachitides rariùs occurrunt, quod observatu dignum.

Tonsillarum dolor & inflammatio post febres sive intermittentes, sive continuas, cum deglutiendi primùm difficultate & molestiâ, supervenientibus deinceps raucedine, oculis cavis, & hippocraticâ facie, mortem certò imminentem præmonstrant, intercisâ planè omni redintegrandæ sanitatis spe. Funesto huic symptomati producendo evacuationes justo copiosiores in ægris vi morbi jam ferè attritis, longiori febris moræ sociam operam ut plurimùm commodasse observavi.

Maniæ species quædam. Multa alia sunt accidentia quæ morbos hosce consequi solent ob purgationem vel non omnino, vel non ritè celebratam, quibus in præsentiarum enumerandis supersedebimus, cùm curationis eadem ferè ratio sit utrobique, nempe sedimenti ab effervescentia præcedanea depositi repurgatio, quippe quòd suâ morâ malis hujusmodi materiam præbuerit. Quanquam licet hîc loci non contemnendum symptomatis genus referre, quod non tantùm purgationibus & evacuationibus aliis quibuscunque, Venæ-sectioni præsertim, cedere dedignatur, verùm & ab illis vires sibi acquirit. Illud autem peculiaris quædam est ac sui generis Mania intermittentes diuturniores (quartanas præcipuè) nonnunquam excipiens, quæ communem medicandi rationem aspernatur, & post evacuationes fortiores adhibitas in miseram quandam stultitiam degenerans, non nisi cum ipsa ægrorum vitâ terminatur. Miratusque sæpenumero sum nullam hujus rei mentionem ab Autoribus factam fuisse, cùm non rarò accidisse viderim. Cùm reliquæ amentiæ species copiosis evacuationibus, & Venæ-sectione, & catharsi ut plurimùm persanentur, hæc neutram potest ferre. Sed cùm jam æger in sanitatis limine est, si vel enema ex lacte saccharato semel injeceris, statim de novo recrudescet malum. Et si reiteratis purgationibus, venæ-sectioneque contranitamur, ejusmodi evacuationes morbi quidem ferociam possunt domare, ægrum verò certissimè non tantum fatuum, sed & incurabilem omnino reddent. Quod quidem nemo mirabitur, qui secum reputaverit, alteram amentiæ speciem à nimis exaltata & vivida sanguinis crasi produci hanc verò ab ejusdem debilitate, & ut ita dicam, vapiditate à diutina fermentatione quam invexit febris, quâ mediante spiritus functionibus animalibus obeundis impares planè sunt.

Huic malo ad hunc modum mederi soleo, ægro ter in die cardiacum aliquod è generosioribus exhibeo dosi paulò liberaliori, e. g. Theriacam Andromachi. Elect. de ovo. pulverem Comitissæ. pul. Gualteri Raleigh, vel similem in Aq. Epidemica, Theriacali, vel aliâ. Possunt etiam in aliâ quavis formâ exhiberi cardiaca medicamenta. Æger interim victu quidem moderato, analeptico tamen, & potu generosiore reficiendus est; foras ne exeat, in lecto se diu multumque contineat. Alvus sub hoc regimine justo erit astrictior, unde ut etiam à calidorum medicamentorum usu à febre quis sibi metuat, sed vano prorsus timore; cùm spiritus antecedente morbo penè exhausti novum deinceps non valeant accendere. Post aliquot septimanas paulatim in melius proficiet, quo tempore omitti possunt cardiaca ad dies pauculos, diæta verò analeptica jugiter instituenda, & post brevem intermissionem repetendus est denuo cardiacorum usus, atque in eo persistendum donec integrâ sanitate fruatur.

Dicta methodus maniam etiam quæ has febres minimè excepit, quandoque sanavit, frigidiori sc. atque infirmiori temperamento praeditis. Anno nuper elapso Sarisburiam accersebar, ut cum Medico erudito & sagaci, mihique conjunctissimo, Domino Doctore Thomas fœminæ nobili consulerem, cui imaginatio haud parùm fuit læsa. Verùm adhibitis, etiam cùm jam prægnans esset, remediis modò dictis, ad sanam omnino mentem rediit.

Attamen Mania communis, quæ vegetis hominibus atque etiam nulla febre prægressâ, accidere solet, alius sanè prosapiæ est, ac proinde longè diversâ quoad evacuationes, methodo tractanda tametsi vel in hâc specie, ea quæ cerebrum atq; spiritus animales corroborant, haud

omitti debent. Curationem autem ejus, etsi non sit hujus loci, obiter tamen prædictæ speciei subnectere non gravabor, ne quis fortè præ similitudine morborum in errorem illabatur.

In Junioribus ac sanguineo habitu præditis, mittatur sanguis ex brachio ad uncias octo vel novem bis vel ter, diebus tribus inter singulas venæsectiones interpositis: Deinde semel extrahatur sanguis ex venis jugularibus. Ultra hunc modum repetitæ venæsectiones ægrum potius in stultitiam ducunt, quam curationem absolvunt. Postea aggrediatur usum pil. ex duobus, quarum drachmam semis vel scrupulos duos (pro ratione operationis) capiat semel singulis septimanis stato die, ita ut si, verbi gratiâ, die lunæ primò pilulas assumpserit, precisè eodem ipso die, nec frequentius, sequentibus septimanis eædem repetantur per longum tempus, usque dum perfectè convaluerit. Hâc methodo humores qui in hoc morbo mentis arcem impetere solerent, sensim in inferiores sedes dilabentur, aliâ quasi ῥοπῇ eis inductâ.

Diebus à purgatione liberis per totum decursum electuario sequenti, vel alio medicamento eadem virtute prædito, utatur.

♃. Cons. Absinth. Rom. Anthos, & Theriac. Androm. ana ℥ j. conf. flaved. Aurant. Angelic. condit. nuc. mosch. condit. ana ℥ ß. cum s. q. syrup. Caryophil. f. Electuarium, capiat ad magnitudinem nucis moschatæ bis in die, superbibendo haustulum vini Canarini, cui fuerint frigidè infusi flores Paralyseos.

Si à Fermentatione sanguinis varia, variæ febres oriuntur, atque illa à diversi generis fermento, certè Curatio febrium universè perficietur, aut remediis, quæ fermentum ipsum moderentur, & compescant; aut iis, quæ Fermentationem ocyus promoveant, & fermentantem succum veluti à sanguine alienum repurgent, secretumque per consentaneos naturæ ductus depellant, præsertim verò per sudorem, qui videtur in febrientibus frequentior, & salubrior. Cumque modus non adeò tutus quibusdam visus sit, cùm subinde febres à fermento deinceps reviviscere soleant ac vehementius invadere, factum est ut potior Medentum pars posteriori methodo inhæserit: Imò Helmontius propria & specialia febrium remedia inquit esse diaphoretica, præcipue vero suum Mercurium. Verum tamen est quandoque sudorifica parum aut nihil profuisse, præsertim cùm fermentum febris alicubi in primis ductibus hæsit; vomitum autem momento temporis abstulisse ex vino emetico, aliove promotum. Hinc animadversione dignum censeo, an febres à fermento aliunde sanguine suggesto, vel à restagnante humore circa pylorum in pancreate, ipsoque ventriculo originem ducant: illæ enim desinent ab assumpto vomitorio, quod una simul blande alvum movebit, ut pluries experimento confirmatum. In idipsum convenire video Thomam Sydenham in methodo Curandarum febrium qui ex infuso croci metallorum, oxymelle scillitico, & syr. scabiosæ emeticum conficit, atque in ipso febris initio exhibet.

At in ratione victûs febrientium nostra ætate longe admodum à veterum præceptis Medici recedunt. Et quidem sive febres acutæ sint, sive chronicæ, & sive intermittentes, sive continuæ, eadem prorsus & invariata ciborum conditio, & quantitas apud illos semper est, cùm mane contusæ, vespere verò consumptæ & expressæ carnes pullorum indiscriminatim offerantur. Neque istæ solum, sed & elixæ cum oleribus, quæ calorem infringere creduntur; itemque assæ, & multifariam conditæ, præter bellaria omnis generis. Verum hæc cibandi norma his summopere nocua est, cùm exinde gravetur potius natura quàm juvetur, excrementa plurima cumulentur, & febris ipsa saltem protrahitur, nisi etiam deterior fiat. Si quis etenim, inquit Hipp. cibum febricitanti dederit, sicut sano robur, ita laboranti morbus fit.

Tametsi tàm larga cibandi ægrotos ratio perperam nostratibus instituta videatur; non tamen illos laudandos arbitror, qui indifferenter febricitantibus omnibus extremam inediam præscribunt. Porrò observanda est corporum affectorum varietas, num pueri, graciles, imbeciles, senes; an adultis, succi pleni, robusti sint ægrotantes, & pro eorumdem ratione, nunc paulò plenior, nunc parcior offeratur. Gracilibus enim, & picrocholis adhuc instante paroxysmo, & inter ipsius febris initia cibum in gratiam virium, & languentis stomachi, exhibendum esse suadet Galenus; quamquam Hippocrati per id temporis nocuus videatur. A viribus itaque victus ratio mensuranda. Unum quippe illud est, inquit Celsus, quod semper ubique servandum est, ut ægri vires subinde assidens Medicus inspiciat, & quandiu supererunt abstinentia pugnet, si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subveniat: id enim ejus officium est, ut ægrum neque supervacua materia oneret, neque imbecillitatem fame prodat. Nec insuper statim victum permutare conveniet, documento ejusdem Hippoc. nisi tamen præcedens illius ratio morbi causa extiterit.

Mirum verò quàm plerique nostratium vini usum damnent, ut nec illud gustare permittant, hinc factum est ut adhuc ab ejus nomine vulgus hominum deterreatur. Verum Hippocrates innumeris ferè in locis vinum febricitantibus commendat, & exhibendum esse præcipit similiter & Galenus. Neque de illius calore verendum: nam præterquam quod in horum corpore calor exoptatur, ultroque exquiritur, præsertim si syncope copuletur, ex documento ejusdem Galeni, qui vino utendum docet adhuc in febre ardente, quam syncope comitatur, ex bile amara progenita; ab ejus usu moderato diuresis, & diaphoresis sollicitatur, & præterea stomacho succurritur.

Quod denique plerique putant præcipuum, & præsentaneum febrium omnium remedium esse sanguinis missionem, authoritate Galeni dicentis, saluberrimum esse in omnibus putridis febribus sanguinem mittere: tam est ab Hippocrat. mente alienum, ut potius in quolibet affectu, cui febris juncta foret, à venæsectione is abstinendum esse voluerit; Ut notat etiam Prosper Martianus comm. in Coac. 79. sect. 3. A sanguinis etiam detractione abstinendum docet Zacutus, Pereda, aliique licet Hispani, quibus cæteroqui sanguinis missio familiaris

miliaris admodum esse consuevit. Atqui longè graviora obstant argumenta, alias à nobis recensita.

Pleræque intermittentes febres non raro certis tempestatibus contingunt, quæ sponte sua absque ullo medicamentorum usu sensim remittuntur, ac tandem salubriter desinunt, sudore, dejectione, aut urina copiosiori; ab adhibitis verò remediis potissimùm evacuantibus, in longius tempus protrahuntur, aut in pejores commutantur, impedito nimirum fermentationis, & secretionis motu. Aliquando vero omnino expediet congruum propinare medicamentum, quod febrile fermentum aut exturbet, aut corrigat, & refrenat; imò & sanguinem ipsum à contracto vitio depuret, repurgetque. Inter ea, quæ febrile fermentum, seu degenerem à sanguine humorem extra corpus eliminant, tutiora plerumque sunt vomitoria ex infuso croci metallorum, reguli, antim. aliusve similis. Jucundum autem, & perquam accommodum experti sumus aliquoties oxysaccharum emeticum Angeli Salæ. Post finitam emetici operationem, exhibendam suadet Thomas Sydenham paulò ante paroxysmum largam diascordii quantitatem, ut ejus impetus infringatur; si tamen febres istiusmodi vere & æstate contingant. Neque solùm inter initia, & in febribus acutis, sed etiam in chronicis, & contumacibus unice prodesse vomitum testatur Galenus lib. 1. ad Glauc. ipsumque alii plurimi salutarem se expertos confitentur. Quòd si alicui vomitus insuetus sit, aut non ferendo videatur, maximè utilis erit pulvis Comitis de Wervich, qui solus plurimas intermittentes, imò & continuas febres, adhuc in principio solvit per æstatem, & autumnum. Cavendum autem, ne ab intempestivo, & inconvenienti medicamento purgante vires dejiciantur, agitentur magis humores, aut alii, quàm qui peccant, inutiliter educantur, succedente etiam hypercatharsi. Nec præterea fidendum iis, quæ vulgò benedicta appellantur, quasi quòd solùm leniant alvum, & primos, ut ipsi dicunt, ductus abstergunt, ideoque innocuè sumi possint, ut Manna, Viola, Rosa: Hæc enim tam nocua sunt in febribus, quàm quæ alia, cùm facilè corrumpantur, stomachum relaxent, & febrile fermentum augeant; unde Diarrhœa, cardialgia, cibi fastidium, & ingens sitis, præter alia, sæpissimè suboriuntur. Quare Riverius in his febribus, etiam diuturnis, ipsaque quartana usus est Mercurio dulci sexies sublimato cum resina jalapæ; vel scammonio vapore sulphuris correcto, seque optatum ex hoc remedio eventum, ac propositum assequutum, innumeris planè exemplis testatur, *in Centuriis Observationum Medicarum.*

Cùm à glutinosis, crassisque succis foveri febres videbuntur, Diæta attenuans sit, & medicamenta quæcumque diuresim, aut diaphoresim quoque moveant, unaque simul stomacho opitulentur. Verumtamen non statim à principio sudorifica exhibeantur præsertim potentiora, cùm non facile crassi humores sudore possint educi; juvabit propterea primùm illos sensim attenuare, deinde per cutim educere, nisi tamen à vomitu fuerint magna ex parte discussi, & excreti. Si verò humores acres sint, illos temperabunt partim alimenta molliora, partim etiam medicamenta humectantia levioribus acidis commista, ut etiam anodyna, & narcotica blandiora: quæ etiam acidum infringent, si id præcellere videatur, præter ea quæ sale volatili sunt prædita, minime vero oleosa, ne inde æstus, & sitis inducatur. Quibus verò signis ejusmodi humorum vitia dignoscantur alibi dictum.

A sanguinis missione nil quidquam juvaminis unquam sperare licebit in febribus intermittentibus, cùm hæ fomitem extra venas, & arterias habeant in imo ventre. Nec insuper illa videtur Galeno commendata, nec minus Aëtio Æginetæ, aliisque Græcis Authoribus; sed nec Arabibus plerisque, præsertim Avicennæ & Averrhoi, cæterisque ex Latinis Scriptoribus innumeris. Inde enim nullum febrientibus juvamen evenire ratio, & experimentum pluries evicit, infracto scilicet robore vitali, quo natura causam morbificam debellat. Notissima est Historia Cardinalis Toletani ab Helmontio memorata, cui sanguis licet ad omnem venarum depletionem fuisset exhaustus, numquam tamen potuit tertiana febris adimi, ut tandem infeliciter perierit.

Quoniam verò sæpesæpius sponte naturæ solent febres copioso sudore desinere, postquàm illæ aliquatenus deflagraverint, sudorificis sine ullo metu utendum; attento autem præprimis motu naturæ. Inter varia tamen, & innumera, ex carduo benedicto, dictamno, scordio, contrayerva, angelica, carlina, scorzonera, vipera, cornu cervi, camphora, succino, nitro, sale ammoniaco, vitriolo, tartaro, stibio, mercurio parata, salia, pulveres, electaria, spiritus, elixires, tincturas, aquas, magisteria, tutiora, jucundiora, & efficaciora fuere hæc hactenus observata: sal cardui benedicti, absinthii, & prunellæ, tartarum vitriolatum, sal volatile succini, & viperinum, spiritus salis ammoniaci dulcis redditus, stibium diaphoreticum, & omnia bezoardica, & mercurialia fixa, ritè præparata. Summis laudibus extollitur ab Helmontio mercurius diaphoreticus; at ejus præparatio inter arcana reservatur; decoctum tamen Asari ad febres chronicas, & ad quartanum spiritus salis marini commendatur. Ex sale polychresto è fuligine camini elicito, sale prunellæ, & stibio diaphoretico pulvis efficacissimus conficitur, quo non solum febres intermittentes, sed etiam continuæ mirabiliter curantur, promoto sudore, aut diuresi. Febrifugum Riverii creditur Rolfinchio componi ex mercur. sublim. auro & vitro antim. solutis, cohobatione iterata destillatis, & in pulverem redactis, cui additur diagridium cum alvi solutio desideratur. Apud Grullingium describitur sal quoddam antifebrile, cujus usu ad ℨj. duabus, vel tribus horis ante accessionem in aqua centaurii minoris, vel simili sudor sub declinatione paroxysmi manare dicitur, & febris aboleri. Conficitur id ex sale ammoniaco sublimato, nitro præparato, sale cardui benedicti, absinthii, & centaurii minoris in aqua cichorii solutis, atque in salem crystallinum secundum

artem commutatis. Proponitur quoque ab eodem pulvis ad febres omnis generis ex septem rebus compositus, qui valde utilis observatus est. Jam nunc frequentissimus est apud omnes usus pulveris corticis Peruviani in vino primùm infusi, mox ante accessionem exhibiti, quo ingruens paroxysmus coercetur, & fermentatio impeditur, licet post aliquot dies redire soleat. Tanta autem nonnullis in hoc pulvere fiducia est, ut etiam in continuis febribus illum offerre non dubitent: at non semper res ex voto succedit, ut subinde febris, quæ continua est intermittat, quamquam his temporibus genuinus cortex vix inveniatur. Quare in ejus locum suffectus est in publico Nosocomio D. Virginis M. Annunciatæ alius ex corticibus cupressi, & malorum aureorum dulcium, cum radice, gentianæ cui prout necessitas postulaverit etiam addere solemus tartarum vitriolatum, & stibium diaphoreticum: eo autem ter exhibito febris desinere solet. Idipsum etiam experti sumus ex pulvere corticum radicis arboris Persicæ pari modo in vino albo veteri exhibito cum sale absinthii, vel centaurii minoris. Meminit alterius pulveris Bartholinus de gannaperide dicti, ad eumdem usum. Commendatur etiam à Frederico Deckers pulvis alius ex corticibus ligni guajaci, & fraxini, extracto radicis gentianæ & Angelicæ, stibio diaphoretico, sale volatili ammoniaco, seu floribus ejusdem cum myrrha. Franciscus Piens multos à terciana liberasse fatetur haustu febrifugo Crolliano aquæ cichorii ad ℥ij. salis absinthii ad ʒß. & spiritus sulphuris ad ℈j. Ad quartanam verò memorat medicamentum sibi à Jacobo Cochio communicatum, quod habet: aq. card. bened. ℥iij. alum. crud. pulv. ʒj. olei sulphur. per campanam eliciti ℈j. sal. centaur. minor. ʒß. fiat haustus calidus. Hoc & ipse sæpius feliciter usus sum, etiam si quartana hyemem attigisset. Hydrodiaphoreticum, & Hydrocatharticum Turqueti, quo nil præstantius ad ejusmodi febres debellandas inveniri idem Piens testatur, voluit ut alios lateret. Alia plurima proponuntur ab aliis, quæ consultò omittere visum est, sicut & externa medicamenta carpis manuum applicanda, ut est emplastrum Strobelbergeri descriptum à Schrodero in sua Pharmacopœa, & à Grullingio in suo Florilegio; itemque cataplasma febrifugum Principis Anhaltini: Fotus à Lotichio relatus; & oleum febrifugum ejusdem Strobelbergeri. A spinæ inunctione cum oleo seminum colocynthidis tertianam aliquando curatam vidi; sicut etiam à cataplasmate lumbis admoto ex albumine ovi, croco, & myrrha, cum modico camphoræ. Quo autem pacto ista febrim tollant explicare conatus est. *Thom. Willisius de febribus intermittentibus cap. 3.*

Febres continuæ ac continentes ut salutarem nanciscantur eventum, fermentum febrile removendum, corrigendumque est. Hinc plerique diaphoreticis insistunt, quibus possint illud dissolvere, & repurgare, unaque simul per diaphoresim protrudere, quæ sanè in febribus universis familiaris naturæ esse consuevit, interea nec oppressis, nec exsolutis ægri viribus per pharmaca, phlebotomias, cæterasque similes evacuationes naturæ motum vel impedientes, vel distrahentes. Utile tamen fuerit, si ductu symptomatum, præsertim in excretis, aut retentis, & in qualitatibus mutatis quænam sit causa febrilis fermentationis conjici possit, ut in eam exhibenda remedia colliment.

Verumtamen in curandis febribus Ephemeris, seu Diariis hæc notitia contemni solet, cum illæ suapte natura sæpissime, unica die salubriter terminentur, & satis sit aërem temperatum quærere, si fortasse ab illo febris ortum duxerit: moderatam diætam; si a crapula, & cruditatibus; quietem, ac somnum: si diuturna vigilia, & immoderatum exercitium præcesserit: itemque consuetas evacuationes promovere, si ex iisdem suppressis, vel retardatis proficiscatur.

Protractas autem diarias, synochos, & ardentes febres retundere, ac tollere oportebit, vel compescendo fermentationem in sanguine inductam, vel particulas ejusdem acriores fermentum excitantes in præcipitationem disponendo per diaphoresim, aut diuresim. Et sanè cùm videbitur vehemens in sanguine commotio à partibus ejusdem mobilibus nimium exaltatis, ea quæ diluunt, & acido moderato temperant peropportuna sunt, ut potiones ex aquis diaphoreticis, vel diureticis, speciatim verò cardui benedicti, scorzoneræ, vincetoxici, cornu cervi, rutæ caprariæ cum spiritu salis dulci, vitrioli, sulphuris; itemque expressiones ex seminibus peponum, papaverum, cydoniorum: sales quoque nitri in crystallos redacti, tartari, prunellæ, atque ex lotionibus cerussæ, stibii eliciti, aliive. Ab his enim sæpe febres cæteroqui exurentissimæ statim desiere, partibus in sanguine fermentescentibus coercitis, aut per sudorem, & urinam propulsis aut etiam insensibiliter difflatis; atque hac ratione, quia nitro sunt saturatæ, gelidæ aquæ largius epotæ, non rarò ardenter febrientibus prosunt. Neque verò acida moderatè sumpta semper sunt fugienda, cùm sæpenumero etiam contulerint, cùm scilicet tenuiores sanguinis partes in motum nimium concitæ quodammodò coërceri debent, & cum crassioribus & glutinosis consociari, pari modo ac Helmontius ab acido mali citrii minimè cavet in lithiasi; nec acida in febribus reformidant Sylvius Leboë, Paulus Barbette, Piens, aliique, si præsertim cum potionibus commista, & temperata fuerint.

A recrementis verò cum sanguine mistis inducta fermentatio sedabitur, iisdem secretis, & in sua conceptacula, vel extra corpus expulsis. Fæces blandè clysteribus subducentur: urina per diuretica alibi tradita promovebitur; sicut pariter sudor. Detenti halitus, & vapores cute rarefacta frictionibus, atque diaphoresi excitata, aëre calido, integumentis, & attenuantibus medicamentis sale volatili præditis elicientur. Venena assumpta, per alexipharmaca, & antidota propria. Concretus restagnansque sanguis ope dissolventium multo alckali abundantium, sanguinis hircini, C. C. dictamni, scordii, contrayervæ, angelicæ, carlinæ, stibii diaphoretici, oculorum cancr. salis absint.

absinthii volatilis succini, cornu C. & viperarum, quorumcumque bezoardicorum, spirituum theriacalium, & similium. At verò in pus conversus purgabitur potionibus vulnerariis cum balsamo sulphuris, atque remediis ex Mercurio paratis.

Si præterea fermentescat sanguis fermentis aliunde suggestis potissimum è pancreate, cysti fellea, aquæ, & chyli ductibus, aliisque, eadem fere Methodus servanda erit, quam superius in intermittentibus proposuimus, educto primum, si licuerit, degenere illo humore unde fermentationem promoveri conjectabimus; mox verò repurgato sanguine à consimili succo in eundem inserto usu remediorum sudorem moventium, & impuritates secernentium in consueta corporis emunctoria.

Peculiaris autem ratio habenda semper erit de ventriculo ejusque succis cibum conficientibus, ut exinde chylus progignatur sedans, & obtundens fermentationem a confluxu succorum in intestinis tenuibus excitatam. Siquidem eludetur omnis opera in usu cæterorum medicamentorum, nisi ventriculus suo munere fungatur: eo namque languido, cruditates cumulantur, quæ febri fomitem addunt, vel saltem ejus resolutionem impediunt, & retardant.

Providendum quoque symptomatis febres hasce comitantibus, cùm illa plerumque his longè graviora esse soleant; quin & ab illis rite perspectis in causæ morbi conjecturam adducimur.

Cæterum in reliquis febribus continuis scire refert num vitiosus humor fermentationem indebitam in sanguine promovens, acer, acidus, austerus, salsus, tenuis, crassus, volatilis, fixus, aquosus, tartareus, aliusve sit; itémque an multus, vel paucus, an unus & simplex, aut multiplex, & implexus, an hærens, aut fluens, & vagus, an alicubi stagnet, aut cum sanguine circumeat; an partes ventriculo proximiores aut potius remotiores occupet, & an præterea solidarum partium vitium affectionemque consequatur, præsertim in ductibus obstructis, aut compressis, relaxatis, aut erosis. Ab his enim variant plurimum indicationes exhibitionesque remediorum.

Verum enim vero felicius, & facilius febribus fere omnibus prodesse in dies experimur salem polychrestum, stibium diaphoreticum, & mercurium præcipitatum fixum, qui vomitum non movet, nec dejectionem, nisi cum catharticis jungatur, illamque blandam nimis, & moderatam. Colore is rubet, ut coralliorum pulverem æmuletur, comminuitur in pollinem, & instar cinnabaris tingit, igni resistit, neque à lixivio revivificit, aut permutatur: levis est, nec temporis diuturnitate quicquam aut mole, aut virtute diminuitur. Mirabiliter autem operatur per diaphoresim in dosi trium, aut quatuor granorum cum aliquo electario commistus; vel cum modico extracti catholici, si exinde alvi subductio desideretur. Luem etiam veneream quamvis diuturnam, & inveteratam, doloribus articulariis, ulceribus, tumoribus, cæterisque symptomatis comitatam brevi depellit, & curat, nec unquam memini septies ejus dosim repetiisse, quin certò morbum hunc funditus debellaverit.

Quandoquidem in febribus malignis sanguis veneno incitur aut coagulante, aut exolvente, certe Medela omnis ad illius correctionem dirigenda erit per ea, quæ Alexipharmaca, & Alexiteria dicuntur, dummodò coagulans, aut exolvens fermentum evertant, ac præcipitent; sanguinem concrescentem solvant, avolantem verò frænent, & in sua naturali compage detineant.

Quamquàm autem coagulans acidumque fermentum emendari, & repurgari potest diluentibus aqueis, obtundentibus alckalicis, & opiatis; congruentiora tamen & potiora semper erunt, quæ sale volatili sunt prædita, quæque sua energia valent floridum vegetumque sanguinem reddere, ac vitale robur adaugere, unaque simul alexiteria vi veneno resistere, & fermentum febrile præcipitare, ac secernere. Cujus generis sunt omnia Theriacalia dicta, Bezoardica, & Diaphoretica, Diascordium Fracastorii, & Sylvii, Theriaca vetus, & Germanorum, antidotus Orvietani, spiritus Theriacalis, aqua Salii, Stapedii, & Riverii, aqua vitæ Matthioli, & Magnanimitatis, Bezoardicum Minerale, Joviale, Martiale, solare, dictum lapis Bezoar, sal volatile succini, cornu cervi, & viperarum, extractum ligni Aloës, hyperici, juniperi, oleum cinnamomi, & ambari, tinctura Tartari essentialis dicta, idque genus alia, ex quibus componi poterunt potiones, pilulæ, conditus, pro libitu ægrotantium & symptomatum varietate. Fotus etiam externi ejusdem census erunt. Margaritæ, smaragdi, corallia, & gemmæ quæcumque, eatenus convenire poterunt, quatenus alckali fixo præditæ acidum, quod exorbitat in ventriculo adjunctisque partibus absorbere valent; quamobrem satius erit in illorum locum pulverem cornu cervi, oculorum cancrorum, boli Armeniæ, terræ sigillatæ, terræ Samiæ, & Melitensis subrogare; sicut etiam contrayervam, scordium, dictamnum, carlinam, angelicam, rutam caprariam, carduum, vincetoxicum, veronicam, valerianam.

Epithemata adeo vulgo commendata in malignis febribus cavenda suadent Mercatus, & Wedelius, ne scilicet ab illis diaphoresis impediatur, eoque magis si frigida adhibeantur. Verùm si quandoque applicanda videntur, calida sint; ex spiritibus, tenuibusque liquoribus concinnata. Idipsum admonet Riverius in usu oxyrhodinorum. Multò autem utiliora sunt calida epithemata, & balnea plantis pedum admota ex vino calenti, ejusque spiritu, elixire quolibet, & similibus: ab his enim universum corpus roboratur, sanguinis motus promovetur, futuri abscessus, delirium, aut sopor imminens præcaventur: quod etiam adnotavit Hofmannus in Schroderum.

Frictiones utiles erunt, si præsertim adhibeantur, cùm cutis laxanda est, ad faciliorem halituum perspirationem, atque ad promovendam exanthematum eruptionem, quæ sæpesæpius febres istas salubriter comitantur.

Diætam denique quod spectat, illam quàm optimè institutam esse oportet, perpurgato inprimis aëre à cujusvis generis inquinamentis, adhibito quoque, si fuerit opus, igne, ex plantis odoriferis. Cibus laudabilis sit, facilis di-

gestionis, & mediocris quantitatis. Vinum perquam optimum, sed modicum, & dilutum; vel ejus loco, si æger sit abstemius, aqua C. C. in balneo Roris parata, scorzoneræ, vel cardui benedicti. Solo quippe vini usu plerique à febribus malignis liberati referuntur: est enim cardiacum, simulque alexiterium, & sudorificum. Cætera prout prudenti, ac sagaci Medico visum fuerit, resque ipsa tulerit, opportunè præscribantur, ut in cæteris febribus dictum est.

In dissolvente fermento febrili alexipharmaca temperatè acidis jungantur. Acria enim, & salia volatilia nocua sunt, nisi aceto, aut acidis temperentur, & commisceantur: expertum autem in his febribus sanguinem eductum minimè concrescere, sed liquatum, fluidumque diutius perseverare. Utilis idcirco est aqua prophylactica Sylvii, & Barbette, atque extractum ex relictis fæcibus ejusdem; itemque spiritus vitrioli volatilis, & antiepilepticus Hartmanni, Arcanum duplicatum Mynsichti, Tinctura violarum, aut rosarum cum spiritu vitrioli, vel sulphuris parata. addita confectione alchermes, vel de hyacinthis. In pestilenti, & contagiosa febre efficacissimum dicitur hoc acetum, quod ex his fit: Summitatum scordii, cum floribus m i ß. verbenæ. & galegæ singul. m. j. rutæ ℥ß. corticum mali citrii ℥ iij. malorum aureorum ʒ ij. ligni aloës optimi, macis, & caryophyllorum singul. ℈ iv. santalorum rubrorum ʒ iij. radicis zedoariæ ℥ j. petasitis, carlinæ, & angelicæ singul. ʒ vj. seu olsenicii, scorzoneræ, dictamni albi, & imperatoriæ singul. ℥ ß. enulæ ʒ ij ß. myrrhæ rubræ electæ ʒ ij. theriacæ mithridatii, & diascordii Fracastorii singul. ʒ vj. camphoræ ʒ i ß. baccarum juniperi ℥ ß. lauri ʒ i ß. croci ℈ j. Hæc incisa, & contusa infund. in aceti vini acerrimi canthar. ij. & vase clauso detineantur in loco tepido. Sumitur ad cochleare unum.

Describitur etiam à Crollio, & Hartmanno elixir adversus Pestem, atque aliud à Tychone Brahe summo sui temporis Astronomo, cujus meminit Thomas Bartholinus in Cisti Medica. Apud Isbrandum Diemerbroeck notatur & aqua Theriacalis, quæ mirabilis dicitur simul com extracto quodam magistrali. Aliæ referuntur à Cratone, & Sennerto. Inquit Helmontius Hippocratem Pestis antidotum habuisse vinum fumo sulphuris suffitum, vel vinum salsum fervidum cum sulphure: sal etenim abstergit, & à putredine tutatur; sulphur verò venenum cohibet. Promoto deinde sudore patientes alebat cremore hordei, & pro potu exhibebat vinum græcum picatum, cui inerant aliquot grana salis, & sulphuris: folia autem Asari aceto macerata calida superponebat bubonibus, itemque plantis pedum, & manuum, quæ post singulas horas duodecim humo contegendas præcipiebat. Ab usu quoque vini picati, subdit, Hispaniam rarò peste affici, cùm ibi vina coriis picatis conserventur. Ad stigmata admovebat lintea calida generoso vino intincta, cui sulphur incoxerat. Postremò exhibebat electarium viperinum ex carne, & corde, & hepate compositum; ut latius apud eundem Helmontium. Insignes pariter vires ad pellendam pestem tribuit Mindererus sulphuri ac vitriolo: nullam enim putredinem, nullam infectionem, nullam humorum depravationem ab his non corrigi fatetur. A vitriolo etiam præstantissimum remedium deduxerunt alii, teste Roderico a Fonseca. Vitriolum album in pulverem conteritur, & ter infunditur in aqua rosarum, totiesque siccatur ad solem, adjecto modico camphoræ; deinde cum æquis portionibus dictamni albi, & radicis tormentillæ commiscetur, & in tenuissimum pulverem redigitur. Datur ad ʒ j. cum ℥ ij. aquæ plantaginis, rosarum, vel acetosellæ, manè, & vespere. Commendatur à nonnullis veluti summum remedium Muria carnis porcinæ despumata; & à Paræo Muria Encraticholorum piscium. At Crato certissimo experimento sibi constare ait ad præcautionem, tincturam succini; ipsumque succinum, si eo tempora, carpi, malleoli, & sinistra mamma ad ruborem usque confricentur, unicum fuisse amuletum cuidam Chirurgo Hispano testatur Helmontius. Hartmannus electarium ex saccharo candido cum spiritu salis per spiritum vini dulci reddito conficit, & commendat.

Plerique Arsenicum, aut sublimatum linteolo inclusum, & sub sinistra mamma appensum homines à Peste tueri affirmant. Addunt alii pulverem busonum, cujus præparationem memorat Helmontius. A pellibus quoque busonum siccatis, & ulceribus pestilentibus applicitis venenum extrahi scribit Kirkerius, idque in communem usum verti apud Germanos. Includunt alii Mercurium crudum in cortice avellanæ, & collo suspendunt, ut cordis regionem tangat ex Marsilio Ficino. Et alii radicem plantaginis majoris sacculo contentam gestant. At quis unquam his solum fidet? Sicut neque fumo tabaci ab Isbrando Diemerbroeck plurimum commendato, aut olenti urinæ hirci, quam magnifacit Avenzoar.

Postremò bubonibus, anthracibus, pustulis, ulceribus, maculis, aliisque symptomatis, notisque pestilentibus, quæ in cute erumpunt, specialibus quoque medicamentis occurrere consueverunt emplastris, cerotis, lituris, oleis, quæ multa præsertim referuntur à Sennerto, & Hartmanno. Illud verò potissimùm videtur adnotandum non statim ulcera ista ad cicatricem esse perducenda, nisi postquam pestilens virus omnino fuerit resolutum, & expurgatum.

In Curatione Febris Hecticæ distinguendi sunt ejus status varii. Etenim primis diebus tractanda est febris hæc more febrium diariarum protractarum, remotis tamen primum caussis externis, unde ipsa originem ducit; mox verò adhibitis iis, quæ sanguinem fermento febrili infectum repurgare valent. Cumque sæpissimè febris hæc ardentes, & acutas consequatur, sanè illa eadem erunt exhibenda. quæ in ardentibus sunt memorata, consideratis tamen viribus, & propria ægrotantis constitutione. Tunc enim sicuti marcor nullus, vel insensibilis est, ita febris vix Hecticæ nomen meretur, nisi tantum ex suspicione habitudinis patientis, & febris æquabilitate.

Com-

Commendant potissimum Medici congruam victus rationem, aëris mutationem, & lactis usum. Et quidem victus rationem ejus generis instituunt, ut modice refrigeret, valenter vero humectet, & efficacius impinguet; unde jura & contusa testudinum, limacum, & ranarum à plerisque præscribuntur, itemque aquæ ex his medicatæ, electaria, & similia. At congruentiora sunt jura ex carnibus viperarum, & cancrorum fluviatilium. Cerebella quoque & interanea animalium, carnes hædinæ, vitulinæ, gallinaceæ; Etsi namque ab illis glutinosior chylus exoriatur, vegetior tamen ventriculus in ipsis conficiendis exquiritur; quamobrem satius erit delicatioribus alimentis hecticorum corpora alere, iisque nec immodicis, sed per intervalla assumptis: nam quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lente reficere oportet ex Hippoc. 2. Aphor. 7. Pro potu utile erit vinum stomacho gratum congruenter dilutum & temperatè epotum. Saluberrima erit quies cum somno; neque multum de evacuationibus adhuc consuetis sollicitum esse decet, cùm satis sit alternis diebus ventris onera deponere: alvus quippe lubrica nocua est in ejuscemodi ægritudinibus.

Aëris mutationem, si præsertim in cœlum patrium fiat, vel in salubrius maximeque purum omnes in hoc affectu commendarunt. Cavendum autem ab eo, qui subinde variat, ac ventis plurimum agitatur: sive enim austrini illi sint, sive borei, mali sunt, ægreque feruntur ab hecticis. In nostris regionibus præ cæteris magni fit aër Stabiensis in agro pompejano ad radices montis Visevi, & littus maris, quo Galenus suos ægros mittere consuevit.

A lacte plerique tabidi convaluere, illo usi pro cibo potuque sine alterius alimenti mistura. Præcellere dicitur humanum, succedit asininum, tertio caprillum, postremo loco habetur ovinum, vel vaccinum. Statim ac è mammis fuerit expressum potari debet, ne coaguletur, & acescat; quare stomacho vacuo, & omni humore repurgato sumendum est, aliter acorem contrahit, & concrescit in caseum, vel etiam corrumpitur, & ventrem solvit non sine vitæ periculo. Docet præterea Hippocrat. 5. Aphor. 64. abstinere illo oportere capitis doloribus obnoxios, insigniter febricitantes, & siticulosos, murmura, dolores, tumores, obstructiones, aliasque ægritudines in alterutro hypochondrio patientes, eosque omnes, quibus multa sanguinis dejectio facta est. Quantum enim utilitatis ex ejus usu sperare licet, cùm bene cedit, tantundem & irreparabilis nocumenti accidet, si acescat, & corrumpatur in ventriculo; quamobrem ex Galeno admiscent practici mel, saccharum, vel sal. Cautè igitur illo utendum erit, etenim res est solliciti plena timoris; quamvis plerique nil mali ab illo vereantur, ac temere adhuc empyicis, & phthisicis exhibeant. Pro eo nonnulli lacte amygdalarum dulcium, nucleorum pineorum, & seminum melopeponum utuntur eventu feliciori. Et alii aquis ex carnibus vituli, capi, aut viperarum, itemque ex pulmone vervecis recenter exempto, sicut etiam ex serpentibus, quos nostrates cervones vocant, per alembicum elicitis, qualis præcipue est aqua illa, quæ ab Authore suo capocefali, dicitur; pariterque sanguinis lactentis vituli, vel agni ex B. M. Ptisana etiam hordeacea in frequenti usu est, necnon syrupus ex cancris fluviatilibus concinnatus. Fertur Zacuto summè profuisse cuidam tabido, cui nec balneum, nec lac, nec aliud quippiam humectans, & reficiens contulerat, aqua ranarum per B. M. elicita, & cum syrupo violaceo permista, atque in potum quotidianum exhibita; iisque elixis cum oleo, sale, saccharo, & salsamentis in cœna, & prandio una simul assumptis, ac præterea interdiu jure ex illarum carne contusa parato, cum amygdalis, lacte, butyro, farina hordei, saccharo, & vitellis ovorum, ac denique cinnamomo, & aqua rosacea irroratis, lenique igne una decoctis.

Verum præter ea, quæ humectant, & alunt, glutinosamque sanguinis portionem restaurant commendantur quoque quæ acritudinem ejusdem muriaticam corrigere, & emendare possunt. Et quidem ex Hartmanno efficax proponitur sal coralliorum, & unionum ritè præparatus; itemque pulvis cachecticus Quercetani, saccharum è Margaritis in conditum redactis cum ebore, & oculis cancrorum. Cerusa etiam stibii in aqua plantaginis, vel rhapontici mira quoque præstat, si tamen opportune detur saltem per mensem.

Tabes demum à reliquis causis inductas, obstructione, apostemate, ulcere, evacuatione, pervigilio, vermibus, pathematis animi, cæterisque, curare oportebit remediis ad hæc congruenter comparatis, de quibus alibi actum est. *Lucas Tozzi Medic. Pract. lib. 2.*

Curationem febris hecticæ quod attinet; Diætæ primò & præcipuè attendendum, propterea aër sit temperatus, talisque exquiratur, si non adsit ubi versatur æger, cùm præcipuè videamus itinera suscepta multum proficere iis qui chronicis affliguntur morbis, dum modo non peccetur in excessu. Alimenta sint sanguini edulcorando apta, & bene nutrientia, hinc pultes tum ex oryza, tum ex avena hordeoque excorticatis, tum amygdalata, conferunt; item carnes vitulinæ, perdices, phasiani, omnesque monticolæ aves, lepusculi, pisces imò saxatiles admittuntur, sed præcipuè cancri fluviatiles, è quorum succo butyro non salito misto antihecticum egregium parat Ettmullerus, nos verò juscula ex iisdem cancris brodio carnis vitulinæ pullorumque coulmbinorum, incoctis, magnæ efficaciæ conficimus, si sola coctione in aqua vel vino fuerint præparati, videndum an eos ferat ventriculus. Ranæ, ostreæ, testudines, à pluribus laudantur, atque Lindanus super Hartmannum historiam habet virginis Hectica desperata laborantis quæ per ostreas comestas sanata fuit, ut & Amatus Lusitanus curæ per pullos gallinaceos testudinibus nemoralibus saginatos, & potum lactis asinini, peractæ. Nos experientia edocti, viperas recentes jusculo pullorum gallinaceorum incoctas maximi facimus, ut & lac, tum asininum, tum caprinum, tum vaccinum, quibus admiscemus ad correctionem, & ad arcendam coagulationem salia volatilia mitiora, quale è terra catechu patratus, item balsamum sulphuris essentiale

sum-

meque volatile, cui refrænandæ & obtundendæ seri acrimoniæ, indeque ortis aut oriendis exulcerationibus, tum impediendis, tum curandis, par remedium nunquam vidimus.

Conducunt etiam Gelatinæ tum C. C. tum aliæ simplices, quàm varie compositæ, quarum præscriptiones & formulæ passim occurrunt.

Potus sit decoctum radic. chinæ, passulis item additis, quarum in sanguinis dyscrasia acri temperanda, & sanguine renovando vires maximè extollit Ettmullerus. Nos si nihil obstet aliquid vini bene maturi cum decocto chinæ simplici concedimus. Aquam betulæ incisæ commendat Clar. Dolæus in sua Encyclopædia Medica, ut & alii aquam mille florum.

Somnus sit mediocris; alvus pigrior proritetur enematibus ex emollientibus, laxior vero refrænanda, remediis cydoniatis, tincturis rosarum rubr. papaver. rhæad. Flor. althææ, & malvæ roseæ, ut & gelatinis lenioribus adstringentibus varie impregnatis, item pilulis & tabellis è terra catechu imò hic forsitan præcipuè faciet ros vitrioli; seu phlegma vitrioli roridum iteratis digestionibus à vitriolo abstractum; quod remedium non tantum in omnibus alvi fluxibus, ardoribusque viscerum conducere videmus, sed etiam in hectica magni fit propter sulphur vitrioli anodynum quo impregnatum creditur. Corpus mediocriter exerceatur, frictionesque leniores, frequentius celebrentur.

Animi pathemata vitentur, interque ea maximè mœror & tristitia.

Venus nimium non exerceatur, si enim in alio quopiam casu, hic maximè valet quod asserit Cornelius Celsus ipsaque experientia, frequentiorem nempe concubitum corpus solvere.

Remedia quod spectat, nihil reperimus de usu lactis, viperarum, &c. de quibus jam in diæta. Illa autem debent sero attemperando esse accommodata, ut & viis eidem aperiendis. Talia sunt terra foliata tartari ejusque liquor quæ inter volatilia & fixa medium tenent locum, bezoardicum joviale, antimonium diaphoreticum volatilibus per plures affusiones & abstractiones artificiosè maritatum, antihecticum Poterii cum conserva rosarum; ex quo magnum commodum videre non potuit Dolæus, quia forsitan per trinam calcinationem aliaque in ejus præparatione curiosiùs observanda ex mente Autoris, nobis à Clariss. quodam & amicissimo viro communicata, satis accuratè non fuerat confectum; oculi cancri, ut & perlæ, per solutionem in aceto destillato in magisterium butyrosum præcipitati, quamvis tamen sic non obtineant quod exquirit Helmontius pro cura absoluta tabis, scilicet ut solvantur in primum suum concretum lacteum, liquoremque primogenitum. De terra catechu, ejusque sale volatili ut & de sulphure, variisque itidem illius præparationibus, atque præcipuè volatili, nihil addimus, quia de istis jam supra.

Sequens destillatum antihecticum nonnullos sanitati pristinæ restituisse asserit Clar. Dolæus, qui propterea Lectorem admonet ne farragine simplicium ipsum componentium deterreatur.

℞. Caponem evisceratum quem coque in diplomate ossibus prius contusis cum aq. ℔ viii. infunde rasuræ ligni sassafras ℥ ß. rasuræ cranii humani, cornu alcis ana ʒ iij. rad. chinæ ℥ j. fol. scabios. hepatic. nobil. veron. mont. rorismar. flor. pœoniæ, tiliæ, scabios. tussilag. bellid. min. ana M. ß. rasuræ subtilis visci pyror. ℥ ß. micæ panis alb. siligin. conserv. rosar. rubr. antiq. an. ℥ iij. pulmon. vulpis calid. exempt. num. j. jecur. gallin. limacum exenterat. ana num. x. ranarum num. xv. succi beccabung. ℔ j. aut tempore hyberno ejus loco aq. è succo destill. ℔ ij. fiat lege artis destillatum quod edulcorari potest manu Christi perlata. Addit idem. Ex hoc destillato possunt parari emulsiones modo sequenti.

℞. Sem. melon. recent. ʒ ij. aq. antihect. nostræ, sc. mox descriptæ, ℥ vi. f. emulsio sacchari perlati q. s. edulcoranda, atque circa vesperam exhibenda.

Vel ℞. Nucleor. pineor. ʒ ij. sem. cannab. ℈ j. aq. antihectic. nostræ ℥ iij. f. emulsio cui adde lactis sulphur. ʒ ß. pulver. cordial. pretios. gr. xi. sacch. perlat. ʒ j. pro una vice.

Idem laudat pro calore acri in manuum & pedum volis maxime observabili temperando & minuendo tincturam è florib. violar. bellid. min. borrag. bugloss. per rorem majal. extractam, & ad liquor cochlearia bis vel ter de die exhibitam; nos pluris facimus eandem aut similem tincturam cum rore vitrioli extractam.

In exulcerationibus maxime commendamus remedium jam bis memoratum, scilicet balsam. sulphur. essentiale volatile, ex lacte, vel emulsionibus ad paucas guttas exhibitum. Dolæus verò hocce in casu alumen sic præparat.

℞. Alumin. pulver. q. v.

Destilla calore arenæ: phlegma destillatum suo corpori redde, idque septies repete, aut donec totum phlegma in corpore suo remaneat. Sic paratum alumen tere, atque in loco humido per deliquium in liquorem solve. Liquorem balnei calore per duodecim aut quindecim dies digere; & postea filtratum lento igne coagula. dulcis usus, habet præterea Clar. Dolæus, non tantùm in febribus, sed & in pectoralibus morbis, præcipuè autem in hectica venit commendandus. Dos. à gr. x. ad xv. in vehiculo convenienti.

Febris Maligna in specie. De variis declinandi modis, quorum ope febris maligna castrensis epidemia præcaveri potest.

Morbum hunc divina assistente gratia tribus modis præcaveri posse, quotidiana nos docet experientia.

1. Observatione debiti ac decentis vitæ regiminis, quod in observatione sex rerum necessariarum, nonnaturalium à medicis appellatarum, quæ non tam ad esse, quam ad bene esse hominis spectant, consistit: hæcque sunt 1. aër, 2. cibus & potus, 3. motus & quies, 4. somnus & vigiliæ, 5. excreta & retenta, 6. ac animi pathemata.

2. Debita medicamentorum applicatione, quæ iis, qui vel dispositionem ad hanc luem in corpus suscipiendam præsentiunt, vel in quibus una aut altera sex modo recensitarum rerum necessariarum, seu evidentium corrigi debet, cito, tuto & jucunde exhibenda sunt.

3. Mutatione loci, quo is morbus ferocit;

eit: quotquot autem alienum solum, gravissimæ hujus luis virulentiam evitaturi petunt, timiditatem prius exuere, bonoque & pacifico esse animo, atque omnes excessus enormes vitare, amice rogantur: nisi enim hoc faciant, in locis longe dissitis nihilominus ab hoc morbo corripientur; & sic patrios lares fugiendo, ni mox Parcarum furvæque mortis præceptis obedire adigantur, diu tamen lecto teneantur.

Quomodo animi affectus sint sopiendi ac moderandi.

Videmur quidem à consueta medicorum via recedere, quod mox in principio, quomodo animi pathemata dirigenda sint, docere nisi simus: quem etiam ordinem Raymundus Mindererus in libro de medicina militari olim quoque observabat. Sed quoniam constat, absque animi placatione, nec aëra purissimum inspiratum, nec laudabilem cibum ac potum sumtum exercitationes aut requiem, nec somnum & vigilias, neque excreta & retenta quicquam ad corporis vigorem, sanitatisque conservationem conferre; ideo prudentiores hoc vobis vitio haut versuros fore persuasi sumus, quod animum tranquillare ante omnia decreverimus.

Quotquot igitur loca febribus malignis epidemiis, seu hac castrensi inquinata innabitare coacti, aliò se conferre non possunt, primario omnium peccatorum scelerumque commissorum memores, vera penitentia inducti, resipiscant, horumque veniam à summo rerum Gubernatore devotissimis suspiriis, precibusque ardentissimis in genua procumbentes efflagitent; & virtuti ac pietati posthac litaturi, à vita perversa desistant, peccandique illecebras fugiant, necesse est; quod ubi præstabunt, veramque in D. O. M. fiduciam collocabunt, eumque haut fucata mente colent providentiam ac singularem ejus tutelam per omnem vitam suam; etiam in omnibus actionibus, experientur, ut inde summa animi tranquillitas speranda veniat; cum ex adverso pervicaces Numinis contemtores, quia se omnibus flagitiis nobilitare unice student, semet ipsos supremi Judicis clementia defraudent, variaque mentis inquietatione, animi angore, ac conscientiæ morsibus conficiantur; quæ certe haud parum ad harum febrium productionem conferre solent.

Idcircò, quisquis es mortalium, spem tuam, & dum Sol justitiæ animi nubila serenat, & urgentibus angustiis in Deum tuum colloca, qui te nunquam deseret, sed salvum te vult, quoties peccata, suppetias ferente Deo, fugere, integer vitæ scelerisque purus vivere, atque nequitiæ viis relictis, tramite recto & ad vitam æternam ducente insistere tibi curæ cordique est: non enim Deum omnipotentem & ubique præsentem, imo & summe sapientem, omnia providentem ac misericordem credere sufficit, nisi eundem scelerum simul vindicem ac justum revereri velimus.

Posthæc igitur quilibet omnem melancholiam, mœrorem ac vanum periculi mortisque imminentis metum excutiat, iisdem vale dicat, lætaque mente seipsum erigat, quo corpori robur non deficiat, ac spiritus inde suscitentur; & pro certissimo habeat, se sub Numinis clementissimi tutamine esse, qui ut medios inter ægros grassante lue versari teneatur. Nimis enim hunc morbum exhorrescentes, solo sæpius metu, solaque forti sæpius animi impressione hujus mali crudelitatem experiuntur.

Spiritus namque animales ab angore ac timiditate, modum excedente, ita angustantur & contristantur, ut virtute sua dilatante, partesque nobiliores perenni suo transitu roborante, quo felicius eidem sua munia obeant, mirum quantum defraudentur: hunc singulis humorum, alias laudabilium, coctionibus turbatis ac vitiatis, moribusque corporis perversis deleteria colluvies, hujus luis causa, proficiscitur; atque tandem propter omnimodam humorum corruptionem omnia naturæ præsidia corruunt.

Qualis aër eligendus, & quomodo vitiosis fuliginibus refertus corrigendus.

Est quidem aër vitæ & morborum auctor juxta Hippocratis de flatibus libro effatum: qui si purus, lucidus, ac ventis salubribus perflatur, non potest non magnum sanitati condimentum esse.

Aëra igitur, sine quo ne per momentum vivere possumus, accuratius pensitantes, in illo occultum vitæ nostræ cibum esse deprehendimus: id quod felix ille, sic dictus Cosmopolites, *Alexander Sethonius*, observans in novi luminis chemici tract. 12. epilogo his verbis expressit: Creatus homo de terra, ex aëre vivit: est enim in aëre occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte de die aquam vocamus rarefactam, cujus spiritus invisibilis congelatus melior est, quam terra universa. De quo pluribus videri possunt nobilis de *Nuysement* libro de sale philosophico, seu spiritu mundi universali, *Joh. Ristii Holsati* Phœnix philosophicus, Hygini à Barma Saturnia regna, *Robertus Boyle* de aëris vi elastica, cum aliis hujus viri celebrandis scriptis, *Johannis Mayovv* quatuor primi libri tractatus medico physici, *Sebastiani Wirdigii* medicina spirituum curiosa, *Joh. Henrici Koefferlini* disquisitio physicomedica de spiritibus, *Andreæ Nimeri* tractatus de spiritu mundi, seu nobili aqua cardiaca, & tandem *Christiani Adolphi Balduini* aurum auræ cum phosphoro Hermetico, qui quasi in compendio omnia de spiritu mundi, in aëre natitante, notatu digna luci publicæ exposuit.

Cum itaque aër spiritu mundi seu sale volatili æthereo imprægnatur, ac ab omnibus veneficis & peregrinis exhalationibus aut vaporibus depuratus, ad vitam prolongandam, sanitatemque conservandam, quam maxime, necessarius sit; sæpissime autem tum à variis ejus è terra, ac montium cavernis exhalantibus fumis, ab insepultis hominum, ac bestiarum cadaveribus oriundis fetoribus corruptis, (quod supra jam in primæ sectionis capite 5. §. 1. innuimus) inficiatur, sanitati nostræ si velimus consulere, hæc loca deserere, aut in salubriorem nos recipere; aut si hoc commode fieri non posset, debitis remediis aër corrigi atque depurari oportet.

Humidum, pessimeque olentem in ædibus vel angiportis contentum aëra, interdiu bis, ter

ter vel pluries, mane scilicet, circa meridiem, vesperi & noctu, flamma è probe prius exiccatis lignis juniperi, abiegno, aut piceo suscitata purgamus; huic scopo etiam pulvis pyrius parum humectatus, sulfur itidem commune, chalcanthum, resina, cornua caprina, acetum & similia in prunas conjecta aut accensa inserviunt.

Sanitati nostræ omnino consultum foret, si sterquilinia cuncta, sordesque à porcis, gallinis, anseribus, aliisque animalibus domesticis ex ædibus ac plateis arcerentur. Eluvies in plateis, aut angustioribus ædium areolis, decliviore facto canali in cisternas, aut profluentem rivum deducatur, ne stagnando putrorem contrahat. Neque etiam tolerandus est perversus mos impudicæ pubis, & puellarum natibus muros fricantium, alvique coacta ad ædes, sepimenta, pomeria, derelictosque urbis angulos deponentium, unde proximi vici fetore inquinantur. Pariter quoque sordidi homines, ac ancillæ urinam matulis noctu collectam in plateas non effundant. Neu fetor excrementorum è sella familiæ, aut cloacis publicis totam domum, totasque areas inficiat, ea probe obtegantur, aut in locum abditum transponantur, aut etiam à foriis tempestive purgentur.

Carnificibus senatusconsulto serio inculcetur, ne fetidas cadaverum quorumcunque detractas pelles, antequam in altiori, ab urbe tamen remoto, loco bene exsiccatæ fuerint, ædium superioribus contignationibus suspendant, alias per totam viciniam teterrimus inde exhalans squalor maximo cum sanitatis detrimento dispergeretur, naresque illic degentium perpetim feriret: imo grassante pecorum lue pelles nullo modo detrahant, sed ista cadavera profundioribus fossis integra occultent.

Pannos, lectisternia, lintea, vestimenta; ut & alia ægrotantium utensilia non statim ab aliis usurpentur, nisi prius probe lota, suffumigiis correcta, aërique puriori ad tempus exposita fuerint: quod etiam de omnibus aliis rebus, quæ nos ambire solent, intelligi debet, ne aër inde magis conspurcetur, sed munditiei opera detur.

Vita sordida luxuique dedita aëra in ædibus ac plateis, homines proxime ambientem, contaminare solet, ita ut, experientia teste, eundem non possint non ejusmodi dira mala variique morbi excipere.

Horis pomeridianis, hibernoque tempore, si cœlum faveat, fenestras valvasque parum patefacito, liberalemque flammam è junipero in conclavi alito; ut aëre udo inquinato, felidoque expulso recens, ac spiritu æthereo turgidus inter, locumque perflet: quo facto mox iterum fores atque luminaria claudito.

Ægros invisuri, aut aliorsum nebuloso aëre domo exeuntes, caveant sibi, ne per plateas festinando spicula nociva in aëre volitantia concitatius inspirantes attrahant; atque ægrotantium ædes vix ingressi haut statim ad lectum sublimi anhelitu properent, ne malignam decumbentium auram sudoremque exhalantem per respirationem in semetipsos recipiant, neu per ejusmodi contagium inficiantur.

Curiosum est, inquit Tullius ea scire velle, quæ ad nos non pertinent: idcirco nullus, nisi vocatus, aut munere devinctus qui tetricum ægrotantium vultum exhorret, aut à nauseabunda ægros ambiente mephiti contremiscit, febri maligna detentos adeat. Sed hoc eo tutius expediet, ubi ante accessum vel aliquot grana juniperi, vel parum de radice angelicæ aut zedoariæ, corticibus pomi citrei vel aurei aut caryophyllum manserint.

Hunc etiam in finem haut parum emolumenti dabit cafura fabæ magnitudine sindoni insuta, si naribus sæpe admoveatur: vel sequentes res serico includantur.

℞. Rad. angelicæ rec. siccatæ, myrrhæ rubræ selectæ, cafuræ, caryophyllor. ana ʒj. baccar. junip. gr. 60. cymas rutæ rec. tres. nucem myristicam totam.

Incisa & contusa in unicum saltem vel duos globulos coacta sindoni aut linteo involvantur, ac aceto rutato vel rosaceo intincta naribus frequenter applicentur; quibus etiam tempora & carpi simul fricentur. Necessitate urgente, si cuncta hæc ad manus non essent, rutam viridem manibus contritam, cum aliquot confractis juniperi granis itidem aceto humectam dicto modo adhibe; aut caryophyllos, nucem myristicam, rutam viridem, baccasque juniperi simul contusas, acetoque madefactas temporibus ac carpis sæpius affricato, naribus admoveto.

Quomodo victus ratio hic sit observanda.

Non minus eleganter quam scite Hieronymus Mercurialis opus de arte gymnastica cedro dignissimum à victus erroribus auspicatus est hoc modo: Quamdiu homines paucissimis rebus contenti lautas mensas & opipara convivia non cognoverunt, propinationisque post inductam paulatim consuetudinem penitus ignorarunt, (id quod primis illis seculis extitisse, memoriæ proditum est) morbi neque apparuerunt, neque eorum nomina innotuerunt; sicut usque ad tempora Socratis distillationum, quas Græci κατάῤῥους dicunt, nomen, quo nil hodie frequentius est, ignoratum esse tradidit Plato: qua de re tunc temporis medicinæ aut paucos omnino, aut nullos usus nullaque principia extitisse certum est: etsi Homerus, antiquissimus Auctor scripserit Ægyptum multas herbas, multaque medicamenta habuisse. Postquam vero intemperantiæ nefanda lues, coquorum exquisitæ artes, delicatissima epularum condimenta, vinorumq; peregrinæ temperaturæ inter homines irrepsere, morborum simul varia continuo genera succrescentia ad inveniendam medicinam eos coegerunt: qua semper carere profecto licuisset, nisi humana, vel potius ferina ingluvies, omnium maxime necessarium effecisset.

Ne igitur hi, qui sanitatis vitæque integritatis studiosi sunt, ad eos scopulos navim suam afflictam videant, cum pro perverso seculi more intemperanter vivunt, assidue tuburcinantur, uino somnoque sepeliuntur, iisdem suasor essem, ut medicorum innocua hygieines præcepta strictim observarent; & hisce tempestatibus certe morbi tot ac tantas strages haut ederent. Quo itaq; medium in hac re teneant, consultum duxi locum ex Plutarchi præceptis sanitatis, to. 1. operum Græco-Latinorum Parisiis 1624. editorum sat utilem iisdem commendare:

Non

Non igitur, inquit, imitari debemus bonos naviculatores, corpusque subinde impletum & oneratum, purgando sursum & proluendo evacuare: sicut illi ob avaritiam, multa in naves cum ingesserunt, assiduo deinceps aquam exhaurire coguntur, sed corpora nostra nabilia & expedita servare, ut etiamsi aliquando premantur, ob levitatem suberis instar sursum sese efferant.

Qualem vero selectionem in cibo ac potu sumere, quemque modum in illis capiendis observare debeant, ipsis celebriores, qui de alimentorum facultatibus ac re cibaria scripserunt, auctores præcipient: ex quibus *Simeon Sethi* de alimentorum facultatibus interprete *Martino Bogdano* Bernatium Archiatro, *Melch. Sebizii* ac *Balthasaris Pisanelli* libri de alimentorum facultatibus, *Ludovicus Nonnus* ac *Johannes Bruyerinus* de re cibaria, *Leonardus Lessius S. I.* in hygiastico seu vera ratione valetudinis bonæ & vitæ, cum subjuncto tractatu *Ludovici Cornari* eodem pertinente, præsertim vero omni exceptione majores *Paulus Neucranzius* de purpura *cap.* 20. ac *Johannes Sigismundus Elsholzius* in diætetico nuper patrio sermone typis exarato; necnon *Gregorius Horstius* ac *Engelbertus Holterhofius* de tuenda sanitate legi ac imitari merentur.

Ne igitur sine symbolo dato hinc discedamus, paucis tantum, qualiter homo cibi ac potus debita administratione febrim castrensem malignam declinare queat, iisdemque necessariis regulis lectorem instruere voluimus.

Cibus & potus, licet bonæ notæ sint, ac laudabile nutrimentum suppeditent, sæpius tamen de die, & magna copia non ingerendus, quia succi nutritii elaboratio hoc modo turbatur; ita etiam esculenta sanguinem feculentum, spiritibusque orbum progenerantia interdicta volumus, qualia sunt caro recens suilla vel putrida aut corrupta alia, pisces palustres putrescentes vel emortui, ova ad duritiem cocta, butyro frixa ac vetula, massæ ex arina & spumo lactis pinsæ, non fermentatæ, lagana, poma immatura, fructus dulces bilemque augentes, ut sunt pruna, mala persica, cucumeres, pepones & similia: sic etiam nec vinum largius ad ebrietatem usque, neque sulphuris fumo inquinatum, aut recens, acidum, austerum, pendulum ac rancidum, nec cervisia haut bene defecata, non vetus, nec acescens bibenda. Vitam sedentariam exigentes, quia exercitationibus corpus non multum fatigant, nec assidua manuum opera victum quæritant, cibis, alimonium bonum præbentibus, concoctu facilius parcius demensis hora debita vescantur, vinum generosum vetus, vel zythum probe fermentatum beneque defecatum superbibendo.

Cœna semper prandio parcior sit, nec statim à pastu, ventriculo cibis onusto, nisi prius steterint, aut passus mille mearint, lectum petant; inter prandendum aut cœnandum, vel sub vesperam pro sanguinis refectione ac refrigeratione embammatis loco, fructus acidiusculi, simulque nonnihil adstringentes, attamen, maturrimi, ut sunt ribesia Europæa, fraga, baccæ rubi ideæ, cerasa acida, mala, pruna Damascena, ac uvæ modice gustari possunt, cumque his, ne acor eorundem crudior ventriculo obsit, panis tantillum comedatur.

Quorum corpora nimio calore æstuant, ab esu lactis, tormina sævissima, diarrhœam vel vomitus biliosos excitante sibi temperent; operariorum & crebrioribus exercitationibus defessa corpora, quia vitiosorum humorum congestum sudore mox eliminant, non tantum lac, sed & alia interdicta edulia facilius ferunt.

Quotquot autem ventriculum, ab hesterna cœna, cibo potuque nimium gravarunt, si postridie à quoque victu abstineant, nullo incommodo erunt obnoxii.

Quicunque prima statim luce Medici ægros contagio furente invisere debent, offam cepe ac ovo sorbili auctam assumant, vel panem butyro illitum foliisque rutæ conspersum edant; vel ad minimum frustulum panis rutato vel alio aceto intinctum deglutiant, ne virus inspiratione attractum ventriculo vacuo diu inhæreat.

Jentaculis non assueti, vel ea ob nauseam formidantes, grana aliquot juniperi, vel angelicæ, zedoariæ aut imperatoriæ radicem, corticesque mali citrei, caryophyllos, cinamomum aliaque spiritus suscitantia manducando sanitati suæ consulere possunt: cepæ aliique esus hoc tempore multum conferret, modo ea deglutientes pessimum ex ore halitum non spirarent. Ego graveolentium horum loco sumerem panem martium aromatibus conditum aut biscoctum saccaro onustum.

Horum etiam perversa consuetudo merito detestari debet, qui vix orto sole vinum sublimatum, aliosque generosiores latices liberalioribus, aut duntaxat brevioribus haustibus ingurgitant, vel absinthiten, aut aliud vinum integrum fere mensuris hauriunt: quorum in usu diutius perseverando ventriculi habitudo sensim relaxatur, flaccescit, ac ciborum digestio depravatur.

Quid de abominando atque nocentissimo tabaci abusu statuendum sit, supra *sect.* 1. *cap.* 5. §. 2. abunde explicatum est: hoc unicum saltem hic concedimus, quod aëre præsertim nebuloso & humido, aut si caput distillationibus sit obnoxium, summo mane ac cubitum ituri unicam tantummodo fistulam fumificam exsugant: caveant tamen sibi omnes ab intemperato ejus usu.

Ultimo non ab re foret Medicos castrenses, si à scripto tædium hauserint, ad *Raymundi Mindereri* Medicinam militarem notis *Johannis Hiskiæ Cardilucii* novis auctam, ac *Johannes Valentini Willii*, quem ob præmaturam mortem merito lugemus, tractatum Medicum de morbis castrensibus internis *cap.* 4. §. 3. remittere.

De modo gubernandi exercitationes, ac requiem.

Quemadmodum moderatæ corporis exercitationes naturam à multis molestiis, intra cutis spiracula hærentibus sordibus liberando, sanguinemque, (ne particulæ hujus duriores, crudiores & minus mobiles in vasis tenuissimis varios morbos producturæ subsistant) in naturali motu juvando, ad sanitatis conservationem plurimum faciunt: ita motus vehementior ac diuturnior sanitati humanæ quàm maximè officit,

quia omnes in corpore spiritus exhauriuntur, singula membra cum visceribus debilitantur; ita ut particulæ, sanguini ægre uniendæ, ad cutis reticulum glandulasque miliarias rejectæ, ibique subsistentes per sudorem aut exhalationem exspirare nequeant.

Otiosa similiter segnisqus vita, qua fuligines copiosæ in corpore accumulantur, propter motum autem partibus denegatum exhalare non possunt, valetudinis firmitati summe nocet: sic itaque suppressis spiritibus laudabiles etiam humores sordibus istis conspurcantur, ac deleteria qualitate imbuuntur: quapropter, si sanitati viribusque nostris prospicere contendimus, in motu & quiete medium teneamus necesse est.

Sudor à laboribus, vel aliis corporis exercitationibus in cutis ambitu frigus contrahens, & ad interiora pulsus, sanitatem vehementer lædit. Hinc quibus hoc accidit, cutim universam confestim satque diu pannis calidis asperioribus, ad poros patulos reddendos, perfricari sibi patiantur; quibus hoc non arridet, in lecto probe tecti sudorem proliciant, quo id, quod frigoris impetu sub cute congelarat, expellatur; alias febri quadam infestari possent, & si sudor præter omnem spem non excitetur, eundem cochleari rob sambuci, aceti aut aquæ, vel etiam poscæ modico diluti, è voto provocabis.

Qui prolixiorem de his institutionem desiderant, attenta mente *Hieronymi Mercurialis* totum de arte gymnastica opus perlegant, cum huic elegantissimo scripto, quod ad corporis exercitationes pertineat, nil omnino desit.

De modo regendi somnum & vigilias.

Quia capite præcedenti, quomodo corporis exercitationes grassante hac febri sint instituendæ, aut moderandæ, explicuimus, haud difficulter illinc quoque somni ac vigiliarum regimen desumi posse existimamus; nihilominus tamen unam vel alteram animadversionem addendo, commentarium hac de re magis intelligibilem reddemus, ex quo etiam nonnihil pateat, quomodo & quando somnum vel vigilias capessere sanitati conducat.

Cavendum itaque, ne in excessu, aut defectu eorundem peccemus, sed, sicuti in motu & quiete, medium teneamus. Ab immodicis namque ac intempestivis vigiliis spiritus fugantur, sanguis acrior ac crudor, evadit, calor nativus obtunditur, ciborum concoctio depravatur, vires labefactantur, sensusque omnes obscurantur. Contra somnus nimius, meridianus præsertim modum excedens, alimentorum digestionem retardat, imperfectamque relinquit, ac excrementorum egestionem remoratur; dumque ventriculus denuo cibo ac potu, prioribus nondum digestis, oneratur, chylus certe à fecum inutilium magmate haut decenter secernitur, sed turbidus crudusque ac feculentus permanet, & postquam sanguini commiscetur, peregrinam atque hostilem eidem larvam inducit, motuque corporis deficiente bona malis tam diu commixta permanent, donec humores omnes putrescant, cruditatem limosam, vasa angustiora obstruentem: contrahant, atque acrimonia corrodente partes singulas sensim sensimque depascant.

Ægrorum curam habentes, totasque noctes insomnes traducentes interdiu per unam aut alteram horam dormiant, cibosque coctu faciles capiant. Ne quoque ab ægris exhalantes malignæ fuligines tam facile contagionis ope per respirationem sese insinuent, neu spicula sua profundius in pulmones, ventriculum aut cerebri meningas adigantur, jejunus ad ægrum appropinquet nullus sive Medicus sit, sive alius, sed semper aliquid prægustent necesse est; vini autem potui largiori non indulgeant, quia ebrii partim lecto affixis non recte prospicere, & partem faciliorem ad luem hanc per contagionem hauriendam dispositionem nanciscuntur.

De modo excrementa in corpore præter naturam retenta, expellendi, probosque humores retinendi.

Venter quotidie ad minimum semel ministerio officioque suo fungatur, necesse est: quod majori valetudinis levamento mane mox à somno fit; si autem quotidie ciborum retrimenta tam mature deponi non possunt, sellæ cum egerendi nisu sæpius insidendo, (qua consuetudine non neglecta tandem adstrictissima alvus obediet) ventris coacta è corpore extrudentur.

Pessime sanitati suæ consulunt, qui in pertinaci alvi segnitie purgationibus extemplo, clysterum injectionibus, ac glandibus perpetim se macerant: à binis enim posterioribus excretionum modis, si nimis acria immixta sint, ani sphincter, sedisque venæ nonnunquam ita intumescunt. ut sordes ventris, licet ex intestinis reliquis ad rectum usque protrusæ sint, excerni tamen nequeant; & sic alvi contumacia, quam his remediis tollere male satagunt, eo magis augeatur.

Æque boni, quàm vitiosi humores cum ipsa bile in cysti sua, magna vi è corpore per medicamenta purgantia fortiora expelluntur, ita ut deinceps magna versus inferiora detrudendum, ac per alvum eliminandum partim non satis humectetur nec lubricum reddatur, partimque ob exhaustam bilem stimulo ac nisu debito, quo felicius & facilius egeratur, careat.

Improvidæ purgationes, experientia teste, novas contrictiones spasticas ac inde oriundas inflammationes in ventriculo, intestinis, pulmonibus partibusque aliis internis frequentissime excitant: proinde prudens Medicus tam temporis, quàm loci symptomatumve circumstantias probe observet; ne alium hostem, quam antea morbus fuerat, magis sævientem, detestandis hisce evacuationum offuciis, in corpus illiciat, quam exturbet: cujus etiam *in sect.* I. *cap.* 10. paucis mentio facta est.

Plurima à purgantibus remediis damna exhibentur in doctissimo venerandi *Wepferi* nostratis libro de cicutæ aquaticæ historia ac noxis, qui infinitis fere ditatus est observationibus; quarum aliquot jure meas, bona cum auctoris celeberrimi gratia appellare possum; quod experimentis illis non solum frequenter interfuerim, sed etiam iisdem suppetias ultro tulerim; quod & alii viri solertissimi, ut ex ipsomet opere patet, ingenue præstiterunt.

Quam

Quam ob rem æquum lectorem ad scriptum illud elegantissimum, pro asserto nostro vindicando, evolvendum obsecro.

Quoties autem alvum adstrictam nonnisi remediorum opera ad excrementorum egestionem sollicitare possumus, mitiora nobis sufficiant, inter quæ sequens usui externo conducit.

♃. Butyri rec. unc. ij. vitellum ovi. croci triti, gr. x.

Hæc probe subacta (quibus ad placitum de luteo sambuci pulvere ʒj. commisceri potest) crassitie nucis myristicæ vel juglandis ano intrudantur; vel globuli è panis fermento, sale consperso formantur & exiccantur, quos postea in usum vocando, unum, duos, vel tres butyro aut olivo illitos podici intrudimus. Qui à flatibus ventri inclusis obstructiones alvi incurrunt, pari modo globulis è saccharo moschum spirantibus, oleo communi vel butyro intinctis utantur. Hoc in casu quoque tutissime glandes, (non sæpe tamen repetendæ,) ex melle cocto, salis communis addito pauxillo, confectæ applicantur. Globulis autem atque glandibus propter excernendorum nimiam duritiem nihil proficientibus, clysteres emollientes domestici cum fructu injiciuntur, qui ex libra lactis dulcis tepidi, cui vitella ovorum duorum, mellis cochlearia duo, vel saccharum tritum admixta sint, componuntur; vel lactis loco, aquæ fontanæ aut juris carnium mensura media substituitur, cui furfurum, herbæ malvæ aut altheæ, florum chamæmeli singulorum manipulus, seminis anisi ʒ ij. incoquuntur, colato juri postea butyri recentis unc. ij. mellisque recentis cochlearia duo addendo; quoties aquam fontanam assumpsimus, parum adhuc salis communis inspersimus.

Infantes à sola candelæ è cera, aut syringes clysteris butyro vel oleo illitæ in anum lenta intrusione sæpius alvum exonerant; quibus etiam externa remedia superius recensita, commode applicari.

Unguenta, cataplasmata, ac olea hic epomphalina egregie alvum movere solent: uti est unguentum de cyclamine seu de artanita, oleum epomphalinum Fioravanti, cataplasma ex cumino cum felle tauri mixtum *Seb. Austrii Rubeaquensis*, descriptum à *G. H. Welschio* in *exoter. cur. & observ. chil.* 2. 501. Linimentum è salvia recenti cum butyro coctum, ac hujus plantæ pulvere aspersum, ac unguentum contra vermes correctum in Noctibus nostris hibernis; ut & sequens mixtura, quæ conficitur ex olei è lathyride Fernelii, ac linimenti è salvia singulorum uncia, oleique epomphalini ʒj. Cuncta hæc vel ventri toto, vel si fortiora sint, umbilici regioni illinuntur. Huc quoque spectant unctiones pedum cum helleboro utroque, hermodactylis, hyoscyamo, sempervivo, succo pœoniæ ac sebo paratæ, ac ab eodem *Welschio exoter. cur. & observ. chil.* 2. 596. descriptæ. Si oleum lini calide linteis exceptum sæpius ventri toto imponatur, etiam pertinacissimæ ventris obstructiones reserabuntur.

Alvus externa remedia respuens, lenientibus & emollientibus internis medicamentis ad officium compellenda est: quod fiet, quando mane ac vesperi horis duabus ante prandium & cœnam cremoris tartari probe triti ʒj. in jure carnium parum ebulliens assumitur; vel præsente biliosa in ventriculo colluvie sequens pulvis eodem tempore cum jure tepido sorbetur.

♃. Crem. tartar. Ij. Ocul. cancror. Iß. Antimon. diaphor. c. nitro. gr. 5. Dacryd. sulphur. par. gr. ij. Ol. nucis myristicæ expr. gr. j. M. f. p. s.

Pulvis cholagogus celeberrimi *Wepferi* huic intentioni etiam satisfacit, cujus hæc est descriptio.

♃. Cremor. tartar. Iß. Dacryd. c. sulphur. par. gr. iij. Nitri præparat. gr. j. Misce.

Felicem effectum in contumacissimis aliâs alvi obstructionibus à passularum laxantium usu, de quibus mane ac vesperi bonum cochlear assumitur, experti sumus, & infantibus etiam, ut ut minori dosi, tutissime exhibuimus: modus illos parandi sequens est.

♃. Prunor. Damascen. maturor. à nucleis liberat. ℥ iv. Folior. sennæ sine stipit. select. ℥ ij. Tartar. alb. puriss. ʒj. Sem. feniculi ʒ ij.

Incisa & contusa in aquæ fontanæ mensura media ad dimidii consumt. lente coquantur; colato juri add.

Passular. minor. probe lotor. & select. ℥ viij. Sacchar. albiss. ℥ iv.

Hæc iterum coquantur, donec mellis fere spissitudinem habeant; postea ab igne remotis, & tamdiu, donec refrigescant, agitatis commisce cinamomi selecti pulveris ʒj. atque ita in pyxide pura ad usum servetur.

Sola folia sennæ cum prunis Damascenis urgente necessitate, coqui, jusque calide, addito saccharo, hauriri potest.

Sambuci flores nondum aperti, aceto, pipere ac macere conditi, & saccharo oleove aspersi embammatis instar in mensa assumpti alvum laxare solent.

Lactuca junior cum jure carnium bullita ac butyro recenti, salisve, piperis macerisque pauxillo aucta pariter aluum sollicitat.

Succus nasturtii aquatici cum jure sumptus, ventrem laxat, si mane ac vesperi repetatur, ac per aliquot dies continuetur: quod & præstat succus cochleariæ eodem modo ingestus.

Imo quotidie secunda hora ante prandium de sequenti pulvere dosis in jure salis experte sumi poterit.

♃. Crystallor. tartari, Antim. diaphor. florum salis ammoniaci cum hæmatite, salis absinthii singulorum ℥ iv. F. pulvis tenuis, divisus in doses 8. æquales.

Quomodo ex adverso in diarrhœis aliisque alvi profluviis procedendum sit, infra *sect.* 3. *c.* 14. satis explicabitur.

Sudoris quidem in hujus *sect. cap.* 5. aliqualem mentionem fecimus; nihilominus tamen delicatuli, si qualemcunque mutationem percipiunt, frigidusque eorundem membra horror quatit, de extracto nostro theriaco grana 5. in catapotiis, vel bezoardici mineralis grana 10. cum syrupo oxyacanthæ seu berberum, vel citri, aut mica panis, vel conditura rosarum subacta deglutire, vel etiam aliud diaphoreticum, quorum infra descriptiones aliquot exhibebuntur, sumere poterunt.

Cerebri sordium, ut dicunt, in naribus extillatio, propter ductuum in iisdem à spissiore blenna oppilationem, intercepta, errhinis ac ptarmicis optime resolvitur & educitur: quo varii pulveres e tabaco, aromatibus ac plantis odoratis compositi pertinent, quorum copiam nobis *Dn. Prademus* nobilis Gallus in eleganti tractatu de tabaci per nares attrahendi præparatione primum Gallicè edito, nunc vero Germanicam in linguam verso à *G.K. M.D.* exhibuit: quibus hic subjungere voluimus pulverem tabaci compositum, communicatum ab Illustrissimo Comite *Maximiliano Francisco à Furstenberg*, unde hodie apud nos sub nomine pulveris tabaci Comitis *Maximiliani* venum exponitur, cujus hæc est descriptio,

℞. Tabaci virginiani ℔ ij. Iridis florentinæ ℔j. Ligni rhodii ℔ß. Cyperi rotundi ℥ iv. Cinamomi, styracis calamitæ, summitatum amaraci, rorismarini, lavendulæ singul. ℥ ij. Caryophyllorum. maceris, florum rosarum rubearum singulor. ℥ ij. Radic. Ellebori albi ℥ iß. Zibethi, Moschi Orientalis spiritu rosarum soluti sing. ʒß.

Fiat ex omnibus pulvis non admodum tenuis: verum malus mos, pulveres ptarmicos liberalius ac frequentius attrahendi, hic merito rejicitur.

Huic quoque sequens pulvis ad roborandum caput efficacissimus viribus accedit, si quantitas lentis subinde naribus attrahatur; qui ab amico communicatus hoc modo, ut sequitur, paratur.

℞. Tabaci virginiani ʒ j. florum Betonicæ, caryophyllorum, nucis myristicæ singul. ℈j. Moschi Orientalis spiritu rosarum soluti, ambræ chryseæ singul. ℈j.

F. Secundum artem pollen probe in vase custodiendum clauso.

Huc quoque elæosaccharum nostrum ptarmicum pertinet, quod usu frequenti probatum quoque propalare voluimus, & sic componitur.

℞. Sacchari candi albi, radicis piperitidis siccatæ singul. ℥ iij. Balsami apoplectici optimi ʒj. Olei Thymi, amaraci utriusque distillati singul. ʒß.

M. F. Pulvis subtilis, qui in vitro optime clauso asservandus.

Sic aliquoties hac tinctura ptarmica, quæ Excell. *Joh. Sophronicum à Kozak* auctorem habet, satis antiquas ac pervicaces cephalæas post purgatum corpus cum extracto catholico ac Mercurio dulci persanavi, & hoc modo componitur.

℞. Radicis Ellebori albi ℥j. pyrethri, amaraci floriferi siccati singul. ℥ß. Spiritus vini optimi, quantum sufficit, ut tres digitos supereminceat.

Stent aliquandiu in loco tepido probe vitro inclusa, donec inde tinctura fortior extrahatur, quæ per philtrum ut clarescat trajicienda: in hanc postea penna immergenda, qua nares, quoties inibi blennam stagnantem resolvere ac expellere studes, illinire poteris. Nos interdum quoque aquam amaraci in qua Ellebori albi fibra bullierit, siphunculo vel rhinenchyte in nares infantum oppletos injecimus, & ita eosdem à suffocatione liberavimus.

Modum, quo à variolis obstructæ nares mature reserari queant, nobiscum olim communicavit *Emanuël Stimmer*, Senator amplissimus, compater & amicus integerrimus, quem propter egregias animi dotes ingeniique, quo pollet, acumine, honoris causa hic nomino: quod sciam, eundem ad omnia infantibus ac pueris suis obvenientia morborum symptomata, accurate semper attendere. ῥινεγχύτης enim Cœlio Aureliano auctore est specillum seu instrumentum, per quod aliquid in nares infunditur, sive infundibuli sive siphonis formam habeat; ac ferreum aut corneum sit, perinde est: oriturque à verbo ἐγχύω, naribus instillo; quo usus est Dioscorides aliquot locis; ut & ἐγχυσία ac ἐγχυτευμένος ibidem occurrit.

Hodie pariter in Gallis aqua Reginæ Hungariæ in nares attracta usitatissima est, ita ut plurimi, cum à limpido hoc liquore tunicæ in naribus foramina confestim reserentur, tabaci pulverem deserant.

Salivam deficientem mastichis, caryophyllorum vel radicis pyrethri manducatione prolicimus: at si in locis infectis contagii tempore verseris, à salivæ deglutitione sedulo tibi caveas, ut cui forsan jam spicula lethifera ex aëre attracta inhærere, & in ventriculum detrudi, illicque facillimè inflammationem aut gangrænam excitare possunt; ideo semper eandem expuere conducit, uti id diffusius à Nobilissimo *Jacobo Johanne Wenceslao Dobrzenski de Nigroponte* in præservativo Universali naturali demonstratum est, quem videbis. Urina suppressa aqua petroselini vel raphani rustici, cui guttæ aliquot olei distillati succini albi instillentur, provocatur; aut in hunc finem mane ac vesperi de tinctura salis tartari guttæ 10. vel 12. in jure vel aqua fragorum assumuntur.

Menstruus fluxus in fœminis utero non gerentibus deficiens per sequens infusum emmenagogum, prius ab Excell. *Wepfero* longo usu probatum, postmodum vero à nobis hoc modo præscriptum, excitabitur.

℞. Scobis chalyb. ℥ j. Cinamomi, acuti, cort. pomor. aur. extract. sicc. rhabarb. electi singul. ʒ iij. Caryophyllorum, maceris sing. ʒ iß. Cortic. Winteran. salis absinthii, sem. fenic. singulor. ʒ ij. Melissæ, pulegii singulor. Man. ß. Sacchari ℥ ij. Contusis in pulverem crassum affunde vini albi veteris mensuram, aquæ melissæ mensur. mediam.

Stent per biduum infusa; postea quotidie mane ac vesperi de claro liquore bibant ℥ ij. quo sumpto, corpus per horam movendo, sese calefaciant, omniaque frigida fugiant.

Similiter Antimonii diaphoretici martialis grana 10. vel 15. cum pauxillo Cinamomi in vino vel jure mane ac vesperi deglutire, perque 14. dies continuare conducit.

Et quia grassante hoc malo virium quam maxime conservationi studendum est, sudores etiam in laconicis prolecti, Venusque immoderata plurimum nocent.

De animi pathematibus, quæ potissimum aliæ enormes evacuationes, vires una cum spirituum cohorte prosternentes, consequuntur, in superioribus sufficienter dictum est. Hisce temporibus quoque post purgationes vituperatas, venarum etiam incisio, scarificatio & similes evacuandi ritus æque noxii ac omnes errores in sex rebus necessariis deprehenduntur.

Quibus

Quibus remediis hic morbus præcaveri possit.

Quotquot, licet nullam in corpore mutationem, se ab hac lue correptos esse, percipiant, copiosis in sanguine stagnantibus corruptis humoribus referti sunt, feculentarum harum superfluitatum colluviem vere & autumno per leniter purgantia, superiori capite indicata medicamenta evacuare debent; plethorici vero, & quorum arteriæ ac venæ turgent, si ad id assueti sint, nec inde expavescant, secunda vel tertia ab assumpto pharmaco die, ad sanguinem imminuendum ac ventilandum, observato simul debito victus regimine, quinque vel sex aut septem ejusdem uncias è secta vena emittant. Hanc qui, ut & remedia purgantia reformidant, de die in diem à cibo & potu sibi detrahant, usquedum se melius habere, atque ventriculum & intestina à superfluis excrementis, corpusque ab humorum corruptela liberum esse senserint. Nec media æstate, præsertim diebus canicularibus, nec hieme horrida in partes sæviente purgatio aut venæsectio instituenda: his namque anni tempestatibus varios morbos, hac non sæviente malignitate, incurrere possumus, si ejusmodi adminiculis abuti velimus.

Qui vel leviter febri castrensi se tactos esse existimant, purgantibus omnino abstineant, atque scammonium, colocynthida, jalappam, agaricum, aliaque his similia cane pejus & angue fugiant: mox vero in principio, si cardialgia adsit, aut ventriculus ingestis corruptis scateat, mitius aliquod vomitorium assumant, v. g. de oxysaccharo emetico *Danielis Ludovici* ℥ß. vel de tartaro emetico ejusdem auctoris duo vel tria grana in cochleari aquæ fontanæ aut juris calidi, postero mane diaphoresin instituant, Antimonii diaphoretici ʒß. vel bezoardici mineralis ℈ß. cum pauxillo conditurae rosarum, aut rob sambuci subactorum sumendo; utque sudor velociùs atque liberaliùs prosiliat, bonum haustum decocti cornu cervi aut alterius superbibant: absente autem emeticorum indicante, Antimonii diaphoret. ʒj. nitro adhuc gaudentis aquæ distillatæ aut fontanæ unciis aliquot dilutam, ac syrupo violarum ad placitum auctam uno haustu ebibere, aut salis polychresti semunciam in jure largiori solutam absumere poterunt; postea sudoris expulsio tractari videtur, & ita sæpius à diaphoretico efficaciori semel aut bis sumpto æger convalescit penitusque restituitur.

Infantes propter pituitæ tenacioris, verminmque in ventriculo ac intestinis collectionem, potissimum, quando variolorum vel morbillorum indicia adsunt, commodissimè ac securissimè trochiscis nostris hermeticis laxantur, quorum compositio hæc est.

℞. Mercurii dulcis aliquoties sublimando optime purgati ℥ß. Diacrydii sulphuris fumo non infracti gr. 48. Cornu Cervi Philosophice præparati ℈ij. Cinamomi acuti ℈j. Sacchari albissimi ℥ß.

Misce fiant cum lentore tragacanthi ac conditura rosarum trochisci No. 64. fabæ magnitudine, æquales; de quibus infanti unius anni unicus, bimulo & trimulo duo, quatuor aut quinque annos habenti tres, sex ad decem usque annorum pueritiam extendentium quatuor, vel triti in pulticula, aut alio quocunque modo exhibeantur.

Præter hæc, licet præmissis purgationibus, beneque instituta victus ratione corpus satis detersum, atque colluvie vitiosorum humorum liberatum sit, alia etiam medicamenta huic veneno è diametro opposita in usum vocanda sunt, quando majori securitate minorique infectionis metu inter hac lue detentos vivere volumus; ex quibus sequentia excellunt.

Queis itaque forma pulveris arridet, his sequens præscribatur.

℞. Radicum angelicæ, carlinæ, zedoariæ, radicum fraxinellæ, helenii, boli Armen. singul. ℥ß. Myrrhæ rubræ selectæ, cinamomi optimi, caryophillorum, nucis myristicæ singul. ʒj. Sacchari albissimi ℥ viii.

Misce fiat pulvis subtilis, de quo mane ac vesperi cochlear dimidium comedant, vel vino aut melle dilutum potent.

Conditurам vel eclegma desiderantes hunc pulverem uni vel duabus libris rob baccarum juniperi vel sambuc. commixtum mane ac vesperi, quantum apex cultri capit, deglutiant.

In forma pilularum aut conditurae sequens probatur.

℞. Aloës Soccoterinæ, gummi ammoniaci, Myrrhæ rubræ, terræ signatæ singul. ʒ ij. Croci Orientalis ʒj.

Misce fiant cum Theriaca Andromachi catapotia pisi magnitudine, de quibus duo mane ac vesperi sumenda: aliarum etiam pilularum theriacōn tuendi se contra febres malignas gratia è rebus ad theriacam necessariis artificiosa virium extractione paratarum duo vel tria grana in unam pilulam redacta felici successu quotidiè deglutiuntur.

Compositionem extracti theriaci licet satis laboriosam sequenti modo, *sect. 3. cap. 2.* sæpius feliciter obtinui, ausimque affirmare, eandem omnes alias longo post se intervallo relinquere, cum summo studio vires earundem rerum in hoc extracto conserventur, exaltentur, ac in exiguam moleculam contrahantur.

Qui liquidis delectantur, mane in cochleari cum vino guttas sex ad decem usque de elixyri proprietatis Paracelsi debite secundum *Johannem Franciscum Vigani* parato, vel loco hujus de sequenti mane ac vesperi 12. 15. ad 20. guttas in vino, jusculo, aut aqua scabiosæ sumant; cujus hæc est compositio:

℞. Aloës soccoterinæ, myrrhæ rubræ, Croci Orientalis, rhabarbari veri, radicis zedoariæ, angelicæ, enulæ, corticis citri siccati flavi extimi singul. ℥ß.

His contusis & concisis affunde aceti acerrimi ℥ iv. & spiritus vini à phlegmate liberi mensuram mediam: stent per dies aliquot in loco calido, vitro probe munito, inclusa; essentia postea clara servetur ad usum.

Quibus acida grata sunt, de sequenti aceto alexipharmaco cochlear unum mane ac vesperi assumant, vel frustulum panis in eo madefactum deglutiant, aut offæ, jusculo, vel cibis commixtum hauriant:

℞. Radicum angelicæ, enulæ, carlinæ, fraxinellæ, tormentillæ singul. ℥j. baccarum juniperi ℥ ij. zedoariæ, zingiberis albi singul. ℥ß. corticis citri, Winterani, cinamomi optimi, nucis my-

myristicæ, caryophillorum; myrrhæ selectæ, singulor. ℥ij. Croci Orientalis, cafuræ singulor. ℥j. foliorum rutæ, herbæ scordii, rorismarini, florum centaurei minoris, rosarum rubearum, calendulæ singulor. Mj. seminis citri, feniculi singulor. ℥j.

Incisis & contusis affunde aceti acerrimi ac fragrantissimi mensuras tres & ubi in loco calido per duas hebdomadas in vitro capaciori probe clauso stetere, acetum, reliquo magmate post prelum rejecto, clarum in aliud vitrum effundatur, &, ut supra dictum fuit, capiatur.

Nonnulli quoque domo egressuri orbiculum de pomo citri recenti cum ipso Cortice comedunt: qui commanducatus meo judicio haut contemnendus; in peste Viennensi eodem cum fructu usi fuerunt.

Tria trium celeberrimorum Physicorum Amstelædamensium *Francisci de le Boë Sylvi*, *Pauli Barbette*, & *Francisci van der Schagen* prophylactica medicamenta intra corpus juxta eorundem præscriptum assumpta, maximo cum fructu virtutes suas exerunt; qualia sunt aqua prophylactica vel acetum antiloimicum, conditura prophylactica & pulvis alexipharmacus.

Nullis aliis balsamis aut aquis distillatis, aliisque operosis compositionibus contra hanc luem opus habent, qui in modo descriptis, & *sect.3. cap.3.* adductis remediis acquiescunt. Lectorem autem his non contentum ad Auctores eos, qui de peste scripsere, remittimus, nosque ad curationem harum febrium, tertiamque sectionem accingimus.

De optima medendi methodo in curatione hujus morbi attendenda.

Quoniam inter omnes medicinæ partes genuina medendi methodus primas tenet, siquidem illa modum docet, quo deperdita jam sanitas per certas indicationes iterum restitui possit; ideo etiam hic nobis probe observandum venit, ut ex veris artis fundamentis curationem hujus mali tutam desumamus; quam obtinebimus, ubi secundum certas indicationes, indicata remedia ex infallibilibus hujus luis indicantibus causis desumimus.

Cum itaque Universalis methodi medendi scopus sit, ut contraria contrariis curentur, atque indicationes curationis generatim in hoc consistant, ut omnium morborum causæ inhibeantur; inde sequitur per remedia iisdem contraria, partimque nocentis sublatione, & partim deficientis additione hoc fieri debere: sublata enim alicujus rei causa tollitur etiam effectus.

Merito igitur reprehendendi sunt omnes qui empiricorum more, minus perspectis causis, imò vix animadversis morborum phænomenis, mox se ad persanandos quosvis affectus accingunt, quo jurata sua remedia secreta sat caro pretio misere afflictis ægrotis venundare possint.

Ut autem ad propositum nostrum eo commodius perveniamus, occasione febris castrensis malignæ epidemiæ certæ indicationes adinveniendæ, quæ ad triplicem hujus luis causarum numerum dirigi queant; atque ut decentem curationem obtineamus, sequentia peragenda sunt.

I. Ut acidum volatile, corrodens, efferum, sulphureum, seu realgarinum sal virulentum, internarum istiusmodi inflammationum sæpiusque gangrænæ causa, evacuando, infringendo, invertendo, absorbendo, dispergendo, præcipitando, aut figendo viribus suis orbetur.

II. Ut sanguis, ejusque serum, succus nervorum seu spirituum vehiculum, ac omnes, quocunque nomine veniant, in corpore peccantes aut in putrorem abeuntes, vel etiam ob lentorem stagnantes humores immutentur & emendentur, naturalemque dulcorem, systasin debitam, ac motum convenientem redipiscantur; & si qua cruditate laborant digerantur, ac ad maturitatem perducantur, lentoremque deponant.

III. Ut inordinata vivendi victusque ratio deseratur; ex adverso autem hygieines præcepta, quæ in debito sex rerum necessariarum usu consistunt, & partim ad opprimendum morbum, partim ad pristinam sanitatem recuperandam necessaria sunt, observentur.

Nihilominus tamen diligenter hæc tria notatu digna sunt. 1. Ut curatio tuta, cita & jucunda fiat. 2. Ut à mitioribus ad fortiora remedia gradatim ascendamus. 3. Ut communia auxilia singularibus præferamus.

De inventione remediorum, ex tribus hisce indicationibus provenientium.

Quum in præcedente capite, inque prima indicatione, malignitatem hanc corrodentem evacuando curari posse statuerimus, plurimi forsitan existimabunt, nos per purgationes sæpius repetitas aut sanguinis missionem crebriorem ac largiorem hoc effecturos esse: quod tamen nequaquam intendimus. Candidus quippe lector ex supradictis satis colligere potest, quantopere fortiores & inflammantes purgationes, qualia sunt agaricus, scammonium, turbed, esula, jalappa, colocynthis, atque ex his paratæ pilulæ, eclegmata, aliæque formulæ fugiendæ sint, ut per quæ partes jam tum debiles magis irritantur & inflammantur.

Sic etiam quam maxime reprehendendi sunt illi, qui nullam febrem malignam absque semel instituta, ut de sæpius repetita taceamus, venæsectione curari posse existimant; cum tamen in febribus castrensibus duo duntaxat casus, iique rarius observentur, & in quibus sæpe sæpius nullus Medicus præsens, vel tunc nondum vocatus est, in quibus secta vena locum habeat, abundantia scilicet sanguinis & veneni corrodentis revulsio ac derivatio, antequam profundius partibus, quod vel in principio erumpentis horroris aut rigoris, vel eodem finito contingit, sese insinuaverit. Quapropter Chirurgus confestim vel horrore aut rigore durante, vel mox eodem peracto, dum vires adhuc constant, ægerque plethoricus aliàs sit, venam tundat, sibique, ne sanguinem nimis profundat, caveat; imò multo minus, ut plures ex Medicorum filiis perperam consuevere, in tertium, vel quartum, à morbi assultu, diem laborem hunc differat.

Haut vero arbitrari debemus, eos, qui in sanitatis statu sanguinei reperti sunt, hoc morbo postea prehensos, ejusdem purpurei liquoris

ubertate refertos esse; fastidium enim ciborum, ut plurimum, præcedens, ac per aliquot dies durans, omnem hanc sanguinis affluentiam, imò & ipsum corporis vigorem consumere atque tollere potest, ut deinde hanc ob causam detractione sanguinis non opus sit: præsertim vero depravata ciborum digestio, chylive turbata secretio, iræ, terroris ac pavoris imago, virium conservatio, atque iterata veneniferæ, acidæ ac stagnantis malignæ causæ in sanguinem commixtio penitus dissuadent, ut ægrum in majus adhuc vitæ periculum præcipitemus, ac una cum sanguine spirituum reliquias provocemus.

Nota. De sanguinis missione ejusque necessitate in febribus non tantùm simpliciter malignis, sed etiam vere pestilentibus, multa scribit, Leonardus Botallus in suo de curatione per sanguinis missionem Tractatu, quorum hæc est conclusio. His observatis nemo rationis capax, jure in his morbis vituperare sanguinis missionem potest, sed mirificè, & tanquam divinum auxilium commendare, extollere, & confidenter usurpare: quod ipse profectò ab annis quindecim facio. Ideò in morbis pestilentibus in obsidione Rupellarum, & Montibus Hannoniæ ab hinc quadriennium, & Parisiis toto hoc biennio, & Cameraci anno proxime acto, in omnibus meis ægrotis (qui innumeri fuerunt) nullum præsentius ac salutarius reperi ipsa larga & tempestiva sanguinis missione. Hujus rei testes esse possunt, & rhedarius Clarissimi Viri Domini *Bellievre*, à Secretiore Regis Consilio, qui Montibus Hannoniæ & exanthematis, & carbunculis amplissimis & profundissimis, & angina vehementi fuit obseptus, cui sanguis nostro consilio quater fuit missus ex brachiis, nunquam infra sesquilibram, præter aliquot uncias quæ fuerunt detractæ ex venis sub lingua, & præter cucurbitulas cum scarificatu scapulis applicitas. Et præfectus Chamvis, cui in dicta urbe mane circiter libram cum dimidia detrahi fecimus, & a meridie ex eodem vulnere libram, idque ex brachio partis qua bubo insignis pridie ejus diei cæperat apparere, & statim post matutinam sanguinis missionem pyroticum apponi jussimus. Quartus hic jam erat dies morbi, nec illum antea videram, & nisi febris die sequenti magna ex parte remissa fuisset, denuò detraxissem sanguinem, at septimo, sudore multo liberatus est.

Sed unum exemplum afferam dignum relatu. Lutetiæ Capluanum, Hic Philosophiæ & Medicinæ candidatus erat qui praxeos adipiscendæ causa Botallum sequebatur, quique testis fuerat curationum Cameraci & in exercitibus à Clarissimo hoc viro per sanguinis eductionem institutarum, in iis omnibus febribus in quibus nares stillabant, quamvis de genere pestilentium essent, cum capitis & lumborum doloribus gravissimis, & urinarum turbulentia & confusione, atque etiam cum exanthematis, aut parotydibus, quas mors excipiebat nisi largè ab initio sanguis fuisset missus) quem superiùs nominavi, ad me venientem in vicum Bethysi, insignis febris corripuit; quem dum lassum, & longè distantem à suo domicilio video, in meum hospitium accubare facio; cui postridie mane insigniter febricitanti, cum exanthematis minutulis & purpureis, venam aperui basilicam dextram ad sesquilibram, sanguine puro existente: postridie purgavi corpus ex syrupo rosarum laxativo, & decocto foliorum sennæ. Sequenti die, qui erat finis tertii, ingravescebat febris, & abscessus erupit supra cubitum dextrum, ex quo iterum tantundem sanguinis detraho impurissimi; à meridie iterum circiter libram ex eodem vulnere, & pyroticum abscessui appono. Die sequenti, qui erat quartus, mane, dum me videt, quasi deflens, me obsecrat, ut illi injuriam & noxam a qua me affecerat ignoscere velim, interim ut illum domo ejicerem ageremque quicquid velim tanquam de homine multis modis perditissimo, tum præ morte, cui se proximum putabat, tum præ infamia & periculo, quod videbat imminere domui & familiæ meæ toti ejus causa. Ego ex eo rogo unde hæc verba? Ille, Peste gravissima me correptum video. Unde hoc colligat postulo? Ad inguen sinistrum, inquit ille, erupit mihi hac nocte insignis pestis. Retegit; attingo, illumque in spem erigo, significans illi genus mali jam mihi patuisse primo ipso die, dum exanthemata eruperunt. Quare reduco illi in memoriam, me illo die ab eo petivisse, num nocte pulices habuisset molestas: cui respondit, ne unam quidem, quamvis tota nocte pervigil fuisset. Quod verum esse ille intelligens, in meliorem spem se erigere cœpit. Ego consideratis, bubonis magnitudine, & febris increscentia, & urinarum incendio, crassitie, confusione, & cruditate, venam aperio basilicam ex ea parte, sinistra scilicet, ad libram unam sanguinis putridissimi (nam ipse hæc omnia præstabam, ne genere morbi aperto Chirurgis, domus mea infamaretur, utque pestilens; ut mos erat, concluderetur) statim post pyroticum buboni applicui. Vesperi aliquid coctionis urinæ exhibere cæperunt. Die sequenti mane, quæ erat quinta, alius bubo sub axilla dextra insurgit, febris remissior, urinæ meliores: hoc ipso die, imo etiam pridie, duo ex meis famulis qui illum inserviebant, & mali speciem subolebant, rogant me, ut illis liceat, aut ad eum non ampliùs redire, aut à me penitus recedere. Quod Capluanus fortè intelligens, dum ad illum accedo, me statim sic alloqui cœpit. Non ignoro quanta animi molestia debeas opprimi mea causa, qui jam videor mihi ita morbo levatus, & viribus restitutus, ut non diffidam meposse in equum proficisci ad meum hospitium, vel rus. Qui sermo fuit mihi jucundissimus. Itaque jubeo parari illi gradarium equum, & à duobus meis famulis comitari, qui paucis diebus ter quaterve, Sanguinis missione repetita, pristinæ sanitati divina gratia fuit restitutus, ut patet ex binis ejus epistolis quas ad me postea scripsit. (eas in sequentibus adfert vir Clariss. verùm nos brevitatis gratia hic omittimus) Non ignoro me à multis hoc loco accusatum iri temeritatis; quod jure quidem fieret, si ipse hoc alibi, quàm in meo hospitio præstitissem, aut jam illam manifesta peste correptum, ad me duxissem; sed amicum ægrotantem, domi meæ receptum, sua in extrema angustia explodere, quæ fuisset immanitas? Nam neque ipsa prima luce in pedes, neque in equum consistere ullo modo potuisset, propter frequentes nauseas, gravissimos capitis & lumborum dolores, ar-

dentissimamque febrim: quis illum sic laborantem, ac morbum dissimulare minimè valentem, eo tempore quo pestis per totam urbem luxuriabat, recepisset? Periisset ille, & ego infamiam non effugissem. Ita & illum, & me cum tota familia, Deus optimus maximus incolumes servavit. Quòd illum sæpius viderem, & confidentissimè ter quaterque in die tractarem, venam tunderem, bubonibus caustica apponerem, hanc confidentiam (præter Dei gratiam) exhibuit artis usus, quo didici, Pestilentium febrium & earum symptomatum vim omnem extingui tempestiva & justa sanguinis missione, quam ipse in me æquè ut in meam familiam posse & solere exequi sciebam. Cæterùm etsi de aliis remediis in illo usurpatis nihil dixerimus, utebatur tamen ille apozematis refrigerantibus, & detergentibus & cardiacis. Sed scopus propositus est tantùm dicere de sanguinis missione.

Habes igitur hic mirandum exemplum, sed profectò primum (rhedarii scilicet) non minus mirum fuit, quamvis is non tam citò fuerit restitutus, in illo enim parciùs ac tardiùs justo sanguis fuit missus: nam primo die quò ad illum accessi, qui erat secundus à morbo, etsi sanguinem mitti imperaverim, id tamen minimè fuit factum, quoniam accersiverant quendem Chirurgum; qui dixit lunam esse in signo infausto, nec id fieri debere ante biduum, sicque discessit. Quare postridie mane alterum Chirurgum accersiri jussi, qui, me præsente, venam aperuit ad sesquilibram, & à meridie ad parem modum.

In Episcopo Sisternensi nepote meo (biennium agitur) pestilenti, eaque ardenti febre correpto, ante diem quintum circiter libras quatuor sanguinis detraxi, & cùm in aulam mihi tunc proficisci necesse fuerit, curam ejus commisi Marescoto eruditissimo Medico, qui illi adhuc bis terve sanguinem misit; unde ad me scripsit ultimam spem se ponere in phlebotomia tertiò à se celebranda, qua præstita liberatus est. Et Henrico uni ex meis famulis, Montibus Hannoniæ eodem febris genere, pestilenti scilicet, prehenso, septies saltem sanguinem misi, & nunquam libra una sanguinis fuit detracta, bis vero supra libras duas uno die.

Multa sanè alia nobis exstant exempla, ad hoc nostrum institutum pertinentia: verùm quia res est de qua latiùs seorsim agere instituimus, ideò plura nunc dicere desinemus: dicentes denuò febrem nullam pestilentem esse, cui non conveniat æquè, vel potiùs missio sanguinis, quàm Synochæ putridæ. Hactenus ille.

Sic Petrus à Castro in febris malignæ puncticularis curatione admonet sanguinem per venam sectam statim esse detrrahendum, & maximè quantum fieri possit ab initio. Est enim, inquit, hæc operatio tanti momenti, ut illa neglecta vix faustum eventum in hac febre vobis sperare liceat, quantumcunque blateret indoctum vulgus, cujus perniciosa petulantia licentiam in hoc sibi arripit, peritiorum etiam medicorum operationem arguendi ac coërcendi. Non vos ista deterreant, & à recto medendi tramite latum unguem avertant. Extrahite in principio alacriter sanguinem, pro plenitudinis & virium ratione, summatim verò ad quartum usque; quinimò etiam & illo toto tempore, quo non admodum diffusa fuerint contagionis seminaria: cum plethora autem etiam post dispersionem. In sequentibus postquam de variis nominibus, (pro ratione philosophiæ suæ) tundendis verba fecit, tandem addit: Nec tamen semper sola plenitudinis præsentia debet esse inviolabilis norma ad tundendam venam in hac febre: multa enim occurrunt quæ istam operationem impedire valeant: alia quæ illam, si non omnino tollant, saltem minuant & coarctent. Illud facient symptomata prava & gravissima, quæ in principiis solent quandoque præ malignitate apparere, facientia colliquationes, syncopes, exsolutiones, anxietates, & alia quæ aureo illo *cap.*14. *lib.*1. de arte curativ. ad. glaucon. fusè vos docebit Galen. Hoc verò justa libratio virium ægrotantis, multitudinis plethoræ, accessionum, consuetudinis, ætatis, habitus corporis, causæ alicujus procatarcticæ violentæ, & aëris ambientis; circa quem alta mente reponite auream Hippocrat. sententiam *lib.* 4. de ratione victus *t.* 19. Cùm fuerit aër abundè calidus & siccus, ita ut citò ab eo corpus evaporet, nempe tum à sanguinis missione abstinemus, etiamsi morbus magnus sit, vigensque ætate homo. Licèt non semper æstate media grassari soleat hic morbus, sed sæpe atrociùs irruat hyeme, ut nunc experimur.

Tandem & post alios multos Clariss. *Sidenham*, non tantùm ea quæ de venæsectione in peste celebranda attulimus, scribit; sed etiam hæc habet in Schedula sua admonitoria de novæ febris ingressu nuperrimè edita. Malignitatis in febribus opinio humano generi ipsa pulveris pyrii inventione lethalior fuit. Cùm enim eæ febres præsertim malignæ dicantur in quibus intensioris præ cæteris inflammationis gradus conspicitur, hinc Medici se ad usum Cardiacorum, & Alexipharmacorum nescio quorum contulerunt, quò scilicet per cutis poros expellant quod somniant venenum (hoc enim est dicendum, nisi malint verbis ludere, quàm illud quod potest intelligi seriò proponere) ex quo factum est ut regimen calidissimum, methodumque huic parem iis morbis adaptaverint, quæ frigidissima tum remedia, tum regimen præ cæteris sibi postulabant. Quod quidem satis arguitur, tum in variolarum, qui ex calidissimis in rerum natura affectibus est, tum in febrium aliarum curatione. In quem errorem fortè inciderunt ex conspectu petechiarum, macularum purpurearum, & cæterorum idgenus φαινομένων. Quæ tamen omnia in plerisque subjectis, inflammationi, ægri sanguini jam diu plus satis à febre accenso, superinductæ, omnino debentur. Utpote quæ raro sponte sua efflorescunt, præterquam sub adventu pestis ipsius, atque in initio invasionis istarum variolarum confluentium quæ summæ inflammationis participes sunt.

In hoc enim morbi genere maculæ liventes in variis corporis partibus una cum pustulis primùm erumpentibus, comparent; atque æger eodem tempore sanguinis excretione, vel per meatus urinarios, vel cum tussi per pulmones, fatigabitur; cùm ita valida exagitatione, atque orgasmo ab inflammatione orto, sanguis ferociat, ut diffractis jam repagulis, in cavitates corporis præceps ruat. Et licet maculæ istæ purpureæ in hac febre non à tam intenso sanguinis

guinis calore, qualis is est qui istiusmodi hæmorrhagias excitat, ortum ducunt; ab eadem nihilominus inflammatione, sed gradu remissiori producuntur; & quoties ista sanguinis excretio (unicum in variolis symptoma cui devincendo nondum par est ars medica) non accedit, refrigeranti regimini facile cedunt. Quòd si malignitatis præsentiam non tantùm è maculis purpureis colligunt, sed etiam ex eo quod observaverint febris symptomata subinde fuisse mitiora quàm quæ ejus naturæ competere viderentur, ægrum tamen magis viribus occisum fuisse quàm pro ratione temporis à quo cœpit ægrotare; Respondeo omnia hæc exinde tantum procedere, quòd natura à primo morbi impetu quasi oppressa, divictaque, non satis valida est, ut symptomata regularia, & magnitudini morbi consona exerat, omnia verò phænomena prorsus sunt anomala. Etenim perturbata œconomia animali, & quasi disjecta, febris exinde deprimitur, quæ obtinente genuino naturæ ductu vigere solet. Cujus rei experimentum haud vulgare occurrisse mihi memini multis ab hinc annis in Juvene quodam ad quem accersebar. Quamvis enim fermè animum agere videretur ille, calor tamen in externis partibus ita ad tactum sentiebatur temperatus, ut fidem mihi derogarent adstantes amici, quoties asserebam eum febre laborare, quæ ob sanguinis oppressionem (cujus mole, exitu negato, quasi strangularetur) se explicare & ostendere palam nequibat: quòd si venam inciderent, febrem illico satis violentam statim animadverterent. Aperta vena, & sanguine paulò copiosius educto emicuit febris, quâ vehementiorem nondum mihi videre contigit; quæ non nisi tertiæ, quartæve demum phlebotomiæ cessit. Hæc omnia adfert vir de re Medica quàm optimè meritus ut probet importuno diaphoreticorum molimine, febrem, malignæ, si placet, nomine venientem; quæque vel sua sponte, vel in ipsis morbi principiis eductis aliquot unciis sanguinis evanescere potuerat, vehementiùs accendi, & in morbum jam radicatum confirmatumque abire; atque ea propter sanguinis missionem potiori multo jure apud veros medicos sub febrium initia mereri, quàm aliud quodvis præsidii genus.

Non est sanè quòd hic quæ in cap. de Peste jam attulimus, recinamus; imò tum nihil ex proprio usu suppetebat unde hujus, vel illius Practici firmaretur sententia; at circa febres malignas multiplici experientia edoctis satis superque constat, venæsectionem iteratam, nulli nocumento, at omnibus magno cessisse bono; Itaque etiamsi non unica methodo ad eundem scopum plures collimare posse concedamus, non minus interim confidenter phlebotomiam, remediis, tum à Clariss. Autore mox recencendis, tum etiam in sequentibus ulterius explicandis, intermiscebimus, cùm de febrium anomalarum cura apud nos agetur: dummodo contraindicantia prorsus non prævaleant; quòd nobis hactenus videre vix contigit. Consultò hic abstinemus ab adducendis exemplis eorum qui in febribus mali moris, cum pulsu admodum depresso, alvi fluxu seroso, madore corporis universo & dejectione virium totali, per sanguinis missionem aliis præsidiis oportunè interjectam restituti sunt, dum alii eodem tempore & loco timidioribus commissi Medicis cardineis medicamentis quasi prægnantes acherontа cito nimis tranfretarunt. Omittimus præterea pleuritides purpuræ adjunctas cum imminente suffocatione, ut & febres enormioribus stipatas symptomatibus, in quibus eadem methodus omnino pro votis cessit. Hæc, inquam, omnia omittimus ne nimii hoc in capite simus. Sufficiat Lectori Doctissimo Clarissimos Viros pronunciantes, jam audivisse. *Atque hic notæ finis.*

Nos in hac parte per vocem evacuare nihil aliud intellectum volumus, quam ut hujus morbi fomes, potissimum in pectore, ventriculo ac partibus vicinis latens, inque bilioso, lixivo, tenaci & amaro liquamine consistens, securiori vomitorio, sale nempe vitrioli, oxysaccharo emetico *Dan. Ludovici*, vel ejusdem tartaro emetico ejiciatur, simulque etiam venenum volatile corrodens, quamvis internis partibus jam inhæreat, hac concussione extricetur, ac superveniente sudore expellatur; vel ut virus hoc volatile, & quidem omnium optime per diaphoretica ac alexipharmaca & invertentia eliminetur, Ne vero per diaphoresin laudabiles simul & noxii humores expellantur, artis opus est, ut hoc venenum prius infringatur, invertatur, retundatur, seu præcipitetur, vel absorbeatur seu imbibatur, aut involvatur ac lentori implicetur, aut dispergatur ac diluatur, intercipiatur, aut figatur, ac ligetur, aut spirituum ferocia demulceatur, vel defectus eorundem resarciatur, sanguinis ac lymphæ motus restituatur, aut humorum putredo inhibeatur, vel omni possibili modo virulentia hæc evertatur.

Tam diversis igitur huic veneno resistendi modis diversa quoque, variasque virtutes habentia remedia expetuntur: speciminis ergo loco sequentia sint.

Omnia ergo, quæ hoc acidum corrodensque volatile venenatum sal infringere, invertere, ac retundere valent, omnino contrarias acido qualitates habeant, necesse est: hæc itaque cuncta partim præcipitando, ac partim absorbendo aut imbibendo spicula hujus veneni inania reddunt.

Ex præcipitantium strictim sumptorum numero huc pertinentium, sequentia haut infimæ erunt notæ: sicuti sunt ostracodermata pleraque, lapides è triplici regno desumpti, ac gemmæ, corallia scilicet margaritæ, conchæ margaritiferæ aut aliarum ostrearum testæ, chelæ lapidesve cancrorum, Bezoar Orientalis ex animalibus desumptus, aut in agris Siculis collectus, Occidentalis dictus; necnon crystallus, smaragdus, hyacinthus, amethystus, granatus, aliæque gemmæ; & si quis hæmatiten, silices, aliosve viliores lapides ad hanc classem referre vellet, huic certe nullo modo refragatur.

Quo etiam citius ac majori impetu quicquid est hujus veneni infringatur ac invertatur, simulque obstructiones arteriarum à crudiore, viscidiore, ac ad motum inepta lympha ortæ, tanquam inflammationis causæ referentur: necesse est, ut in subsidium veniant omnes sales spiritusque volatiles; uti sunt sal & spiritus cornu cervi volatilis, sal viperarum, serpentum, lumbricorum, ungulæ alcis, sanguinis ac cranii hominis, eboris, tartari, fuliginis, urinæ, omnia volatilia;

latilia; nec non spiritus urinæ aut salis ammoniaci, ejusdemque flores ab hæmatite, chalcantho usto, sulphure aut chalybis scobe elevati: quibus jure merito annumerare debemus cafuram, tanquam excellentissimum sal volatile oleosum aromaticum.

Huc quoque pertinent omnia remedia, quæ luxuriem ac spicula hujus venenati salis occultare, absorbere ac imbibere possunt: ex quorum numero ante omnia terræ simplex elementum, seu terra virginea aut magnetica est, ubertimque in plurimis corporibus terrestribus reperitur, sicuti est terra signata, bolus Armena, terra Lemnia, Melitensis, unicornu fossile, marga ac creta; cujus indolis quoque sunt ex animalium classe cornua, ossa, ut & cornu cervi ustum, ossa hominum cremata; imo etiam omnes metallorum ac venarum metallicarum calces, quæ plerumque nil aliud sunt, quam talis terra primæva ramentis metallicis ac pauxillo salis sociata: uti sunt antimonium diaphoreticum, pulvis fixus antimonii albus, cerusa antimonii, specificum stomachicum Poterii, bezoardicum minerale, Solare, Lunare, Ioviale, Martiale, Saturninum; necnon diaphoreticum Martiale *Dan. Lud.* ac diaphoreticum Ioviale seu antihecticum Poterii, sulphur Antimonii fixum diaphoreticum, crocus Martis, diaphoreticum magnum Fabri antipestiferum *Frid. Hofmanni* & similia.

Ex involventium ac implicantium classe hæc, quorum vel glutini spicula hujus corrodentis salis involvuntur, vel ramosis pinguium particulis implicantur, sunt: ut tanquam glutini seu visco virus hoc inhærescat, in usum vocanda sunt animalium cornua, ossa, dentes ac ungues; necnon eorundem partes membranaceæ, & ex quibus gelatum jus excoqui potest. Frequentius tamen sequentibus uti solemus, cornu cervi videlicet, cornu alces, rhinocerotis, unicornu marino, dente hippopotami, & apri, mandibula ac ossibus lucii piscis, ungula alces, caballina, gummi Arabico, cerasorum, lacruma draconis arboris, tragacantho; ac imprimis multis succis concretis è plantarum classe, uti sunt sapæ, extracta, rob, gummi.

Ex oleosis implicantibus excellunt butyrum, olivum, adeps humanus, catulorum: necnon amygdalæ, pistachia, nuclei pini, semina frigida majora, & minora, semen Cardui benedicti ac lactei, papaveris, cannabis, lini, violarum, napi, nasturtii, urticæ, sesami ac plura alia, cum eorundem oleis expressis ac pinguedinibus.

In dispergentium ac discutientium censum primario veniunt, spiritus ac sales volatiles antea dicti; quibus & sequentia, quæ simul balsamina virtute ac fragrante odore suo suppressos & tenebricosos spiritus suscitare, refocillare ac erigere queunt, accensenda; quo postmodum tam remediorum horum ope, quàm etiam spirituum subsidio ad hujus veneni è suo nido expulsionem conjunctis viribus se accingant, ac ejusdem impetum superent; ut sunt inula, angelica, valeriana, imperatoria, chamæleon, rosmarinus, amaracus, scordium, dictamnum Creticum, serpillum, thymus, calamintha, origanum, ruta, absinthium, calendula, sambucus, cortices pomi citrei & aurei, semen feniculi, anisi, seselios, grana juniperi, cinamomum, cortex Winteranus, Kinkinna celebre antipyreticum, caryophylli, nux myristica, macer, crocus, & sexcenta alia, quæ propter sal volatile oleosum suaveolensve virtute aperiendi & penetrandi superbiunt, ut eo facilius feliciusque sudorem elicere valeant, seroque immersas particulas veneni per cutis spiracula eliminent. Et quia hic videmus fragrantia hæc salia oleosa prodesse, merito etiam operam impendamus, quo omnes spiritus, olea atque salia volatilia, chimica arte parata, per sæpius iteratas elevationes ac admixtione cinerum, cornu cervi usti, vini sublimati, aliarumque rerum, quibus scoriæ adhæreant à sordibus quisquiliisve empyreuma, fuliginem, rancorem, ac fetorem spirantibus purgentur, donec sales nitido ac sincero suo colore nivem aut glaciem purissimam æmulentur, spiritusque pelluciditate ac candore ipsum æthera fere superent: aliâs hæc retrimenta, si iisdem immixta permanerent, acore suo hasce inflammationes multum augerent, partesque adhuc magis lacesserent. Unda nulli suasor essem, ut spiritum cornu cervi non bene depurgatum, & cui fetens oleum adhuc supernatat, vel sulphuris balsamum ab optimis licet cultrorum fabris Smalcaldiæ confectum, & hisce morbis intra corpus assumeret, si velit majoris periculi exors vivere.

Quo etiam adhuc magis virulentum hoc sal dispergatur, omnium optime largiori aquæ potu aut aliis potulentis convenientibus a se invicem separari ac dilui poterit; quam ob rem aquæ potus adeò necessarius est, ita ut per totum morbi decursum eadem carere haut possimus, & si fontana aut putealis vitio quodam laboret, bullitione solitaria, aut cum aliis rebus corrigi debet, cui postea immiscemus sapas, rob, syrupos, succosve acidos ac refrigerantes; vel eidem immergere solemus, cerasa acida, pruna, fructus oxyacantha, pomum citreum, nitrum vitriolatum & similia. Nec ullo jure hic acidulas reticere possumus, tanquam excellentissimum hujus veneni diluens: quarum in febribus malignis usum ego olim, cum in illis oris degerem, summe salutarem expertus fui; ac in hac re forsan nobiscum sentiet *Elias Rudolfus Camerarius*, Archiater ac Professor Wirtembergicus celeberrimus, in suis de acidulis dissertationibus, Hisce etiam addamus serum lactis caprilli, bubuli, aut alterius probæ notæ, quod teste Excellentissimo *Christophoro Hardero* Poliatro nostro felicissimo egregiam in diluenda acrimonia hujus veneni operam præstare solet; hic enim vir optimus primum nobis serum lactis caprilli in febribus malignis commendavit: quibus tandem adjungenda sunt jura carnium suaviora; quibus hic pinguia ac oleosa merito associari possunt.

Quo etiam hujus veneni impetus intercipiatur, ac ejusdem penetratio impediatur, in usum quoque vocanda erunt adstringentia è plantis desumpta, quæ plurima terra virginea referta sunt: exempli loco sint radix tormentillæ pentaphylli, bistortæ, rumicum, plantago, pyrola, virga aurea, dens leonis, sanicula, flores papaveris rheados, rosæ rubeæ, balaustia, gallæ, sorba, cydonia, mespila, baccæ myrti; itemque succorum spissamenta è spina Ægyptiaca seu akakia, hypocisthide, ac catechu Narsingensi conflata,

Ad figendum ac ligandum hoc venenum acida requiruntur, quæ simul spiritus suppressos odore jucundo suscitent, virtuteque sua suaviter adstrictoria ventriculum flaccidum ac relaxatum roborent, hujus fermentum seu magis volatilem salsamve lymfæ partem à biliosa blenna corruptum corrigant, putredini resistant, & inde sanguini in solis arteriis resoluto debitam & æquabilem spissitudinem largiantur, sitimque insuper intensiorem extinguant, hæcque sunt mala citrea, aurea, berberes, seu fructus oxyacanthæ, cydonia poma acidiuscula, mala granatorum, cerasa acida, baccæ rubi idæi, oxytriphyllon, acetosa, exque his expressi succi, aut aliæ inde paratæ gustui gratæ compositiones; itemque acetum, nitrum vitriolatum, nitrum præparatum, vel ejus spiritus, spiritus sulfuris acidus, spiritus vitrioli; quibus etiam sulfur vivum crudum, aut sulphur pellucidum Lausannense, vel hujus flores sublimati annumerari possunt.

Ne autem quidam existiment, nos nobismetipsis contradicere, dum in præcedentibus contraria contrariis tollenda esse asservimus; jam autem acidum ipsius veneni aliis quoque acidis expellere nitamur, ceu per quæ morbus, stante priori & maxime plausibili sententia, magis augeretur, quàm auferretur? illi responsi loco habeant, ab usu acidorum modico in febrium castrensium curatione nullum omnino formidandum esse periculum, cum per acida hæc fixa veneni luxuries volatilis ac erratica magis, ne nocere possit, ligetur. Quemadmodum enim acetum, nitrum, hujusque spiritus, ac alii acidi latices, venenatum, efferum, acidum, volatile realgarinumque sal in stibio, hydrargyro, mercurio sublimato, aliisve virulentis fossilibus ac plantis figunt ipsisque omnem nocendi vim adimunt: simili prorsus modo hæc eundem in corpore humano præstant effectum, dum non tantum hujus luis virus corrodens hebetant, ligant, spiculaque ejusdem obtundunt; sed & insuper ventriculum à bilioso liquamine liberant, sanguinemque depurant, ejusque systasin in æquilibrium redigunt; ut & universum corpus cum humoribus in illo fluctuantibus à graviori putredine ac corruptione defendunt; præsertim autem impetuosiorem sanguinis è corde propulsi motum aliquo modo mitiorem reddunt.

Huc etiam illa pertinent, quæ propter salis volatilis, ceu terrestribus fecibus inhærentis, copiam, (ita ut quamdiu humidæ sint, à nullo calore sal hoc volatile avolet, sed ipsis constanter inhæreat) putredinem vehementer arcent, sudoremque vi sua penetranti procurant: inter quæ gentiana, zedoaria, zingiber, myrrha, nuces immaturæ, fumaria, Carduus benedictus, scabiosa, centaurium minus, & ex his herbis distillatæ aquæ, vel è cineribus producta salia excellunt: ex modo recensitis medicamentis *Nathanaël Hodges* in sua Loimologia sive pestis nuperæ Londini grassantis narratione Historica *sect.* 7. Zingiber miris laudibus extollit, & quomodo pulvis ejus ad sudandum, conditura verò tanquam prophylacticum in peste conducat, fusius pertractat.

Tandem ejusmodi quoque requiruntur medicamenta, quæ ope oleosarum partium seu sulphuris sui facile dissolubilis (quod tamen terrestribus scoriis seu innato limo circumdatum est, ac inde ægre separari potest) vim habeant sudorem non solum egregie proliciendi venenumque expellendi, seu etiam spiritus animales irritatos perturbatosque & inordinate commotos sedandi atque ad æquilibrium reducendi, omnes peregrinas in corpore humorum fluctuationes erraticas ac resolutiones in sanguine, aliorumque liquorum, in ductibus aquosis aut ipsis nervorum canaliculis contentorum, compescendi, dolores mitigandi, simulque optatam homini tranquillitatem conciliandi. Robur tamen horum medicamentorum in eo consistit, quod lubricis ac oleosis suis particulis cerebri poros ac meatus leniter oblinant ac obstruant, & cancellis quasi sanguinem includant, somnum creent, & præterea exortum, medium aut extremitatem nervorum, per quas vias spiritus animales influunt, feruntur ac egrediuntur, litu suo oppilent, ut vel circa nervorum fines spiritus coerceantur, & à causa dolorifica removeantur; vel circa eorundem principium influxus spirituum uberior inhibeatur, ne inde magis ad furorem agantur, dispergantur ac perturbentur. Oleosa n. hæc seu sulphurea, quia, ut dictum, facile dissolvuntur, mox in omnibus humoribus ac succis corporis humani intimius permiscentur; unde tam exigua quantitate assumpta magnam seri secretionem, & inde sequentem sudorem promovent. Quamobrem à veteribus Medicis nulla fere antidotus, nullum philonium, nullum alexipharmacum, imo nullum etiam compositum exhibitum fuit, quin de hisce rebus, opio scilicet aliisve anodynis, abundenter fartum esset; huic autem eorundem remediorum dissolutioni sal in sanguine fluitans volatilis, ac ipsum serum quoque suppetias ferunt. Hæc medicamenta tam interne quam externe, non sine magno & ægroti & Medici emolumento applicari possunt. Interne omnia, quæ ex variis papaveris speciebus conficiuntur remedia conducunt, ut sunt semen papaveris albi, capita papaveris, papaver erraticum, opium, diacodium, syrupus papaveris erratici, ac essentia ejus, laudanum (potius laudandum opiatum) crocus, castoreum & sexcenta alia. Omnibus hisce palmam mihi videtur præripere artificiose elaborata ac efficacissima essentia opii *Joëlis Langelotti*, quam in epistola ad præcellentissimos Naturæ Curiosos descripsit: hanc secundum viri celeberrimi præscriptum sæpius paravi, eademque adhuc summo cum fructu in multivariis affectibus utor: inde tamen has quatuor remediorum formulas commodioris exhibitionis gratia conflare volui.

I. *Pilulæ anodynæ Regiæ viris exhibendæ.*

℞. Essentiæ opii Langelotti ℥j. Cinnabaris Antimonii purificatæ, unicornu fossilis albissimi singul. ℥ iij. Pulveris croci Orientalis, sanguinis draconis veri singul. ʒj. Ambræ chryseæ gr. 16. Moschi Orientalis gr. 8. Olei cinamomi distillati guttas 8. Fiat massa pro pilulis pondere gr. j.

II. *Pilulæ anodynæ hystericæ.*

℞. Essentiæ opii Langelotti ℥j. extr. croci, extr. castorei singul. ʒj. Cinnabaris nativæ præparatæ,

paratæ, diaphoretici Iovialis singul. ℥ iij. olei succini albi gutt.20. Fiant pilulæ pondere grani unius.

III. *Pulvis anodynus.*

℞. Coralliorum rubeorum præparat. ʒ ij. sanguinis draconis veri, unicornu fossilis singul. ʒß. Essentiæ opii Langelotti ʒj. Fiat pulvis subtilis.

IV. *Elixir anodynum.*

℞. Essentiæ opii Langelotti ℥j. Spiritus vini tartarisati ℥ iv. Misceantur bene.

Soluta per filtrum trajiciantur, & in vitro probe munito asserventur. Dosis à gutta 1. ad 2. 3. ad 8. usque.

Attamen essentiæ opii Langelotti dictæ Laudanum opiatum *Franc. Merc. van Helmont. Joh. Baptistæ* F. haut inferius est: cujus descriptionem *Robertus Boyle* à jam laudato *Helmontio* sibi communicatam per *Henr. Oldenburgium* in actis Philosophicis 26. *Octobris* 1674. *N.* 107. *fol.* 194. luci publicæ exposuit; quam etiam hic æquo lectori non invidere volui, sic enim se habet:

℞. Opii minutim ac frustillatim concisi ℥iv. Succi cydoniorum tepidi recentis ℔iv. vel ℔v. pond. civ.

Stent in loco moderate calido per octiduum, aut decem & amplius dies, donec penitus fermentarint, postea tincturæ per colum trajectæ adde.

Cinnamomi opt. caryophyllorum, nucis myristicæ singul. ℥j. vel ℥ i ß.

Stent bene clausa per triduum, quatriduum, vel, quod melius, integram hebdomadam in digestione; perque filtrum trajectus liquor in vase terreo super vaporis balneo ad extracti fere spissitudinem, aut quamcunque tenuiorem, si stillatim exhiberi debeat, evaporet; tandem adde quoque.

Croci optimi tenuissime triti ℥ ij. vel ℥ iij. aut ejusdem extracti, quantum tot unciæ suppeditant.

Fiantque inde, si spissius sit extractum pilulæ, quarum dosis à gr. 1. usque ad 4. si vero liquidius sit, ejusdem guttæ 5. 6. usque ad 10. & amplius sumantur.

Nihilominus tamen præ omnibus ex regno animali ac vegetabili paratis anodynis, metallorum & fossilium in supremum puritatis gradum evecta & fixata aurea sulphura laudanda veniunt.

Externe bono cum fructu omnia emollientia & humectantia medicamenta cum dictis adhiberi possunt, qualia sunt flores chamæmeli, radix ac folia althææ, flores liliorum alborum cum radicibus, folia & semen hyoscyami, nuclei persicorum, semen melonum, papaveris, crocus, castoreum, pinguedo canina, humana, butyrum, lac, meconium s. opium, galbanum cum variis oleis, unguentis, emplastris & cataplasmatibus, ex his vel aliis simili modo operantibus simplicibus confecta.

Ex his jam adductis variis remediis, plurimæ, præter jam citatas, medicamentorum formulæ & compositiones in commodiorem & temporalem etiam usum, secundum artem paratæ, in officinis pharmaceuticis prostant: e. g. Theriaca Andromachi, Mithridatium Damocratis, electuarium de ovo *Maximiliani Imperatoris*, diascordium Fracastorii confect. alchermes, confectio Orvietana, pulvis rubeus Pannonicus, confectio & species de hyacintho, species liberantis, pulvis comitis Heroinæ de Kent in Monconysii itinerum tom. 3. ac Medicinæ experimentalis Digbeanæ tom. 1. descriptus; hujus æmulæ pilæ regiæ *Wepferi*, aqua theriacalis refrigerans Riverii, spiritus theriacalis Paracelsi, tinctura bezoardica *Michaëlis* aut *Danielis Ludovici*, hujusque mixtura simplex, aqua prophylactica Amstelædamensium, & alia plurima, ut hic recenseautur, minus necessaria.

Verum quia egregias quoque virtutes possidet confectio nostra alexipharmaca, ejusdem conficiendi modum hîc inserere nobis placuit, ut sequitur:

℞. Radicum angelicæ, chamæleonis, fraxinellæ singul. ℥ iij. Radicum inulæ, zedoariæ, tormentillæ singul. ℥ij. Corticis citri extimi siccati, Winterani, foliorum dictamni Cretici, scordii, rutæ, florum rosarum rubearum singul. ℥j. Baccarum herbæ Paridis, seminis feniculi singul. ℥ij. Gummi ammoniaci, galbani, myrrhæ amaræ selectæ, cinamomi acuti, Croci Orientalis singul. ℥j. Zingiberis, caryophyllorum singul. ℥ß. Terræ signatæ, florum Sulphuris, unicorum fossilis, cornu cervi Philosophice præparati singul. ℥ i ß. Antimonii diaphoret. ℥ iij. Opii correcti, casuræ, salis cornu cervi volat. fixis succini oleosi singul. ʒß succi citri recentis q. s. ad humectationem pulverum omnium mellis juniperini, rob ribesiorum, rubi idæi, cydoniorum singul. ℥ xxxii.

Misce diligenter & pone ad fermentandum per aliquot dies, pro dosi exhibetur in convenienti vehiculo ʒj. ℈ iv. ad ʒ ij.

Diffusiorem pulveris rubei Pannonici utriusque descriptionem hoc sequenti modo contraximus, quo nunc uti solemus:

℞. Terræ signatæ optimæ ℥ vi. radicis tormentillæ, fraxinellæ, smaragdi præparati singul. ℥ iv. boli Armenatis præparatæ, coralliorum alborum præparatorum, rubrorum præparatorum, conchæ margariferæ præparatæ singul. ʒx. Unicornu fossilis, rasuræ eboris, cornu cervi Philosophice præparati, radicis doronici veri singul. ʒvi. Santali albi vel citrini, corticis citri extimi flavi siccati, seminis acetosæ, opii, casuræ, croci optimi singul. ʒ ij.

Fiat pulvis subtilis, qui servetur ad usum, dosis est à ℈ß. ad ℈j. ʒß. ad ʒj. in convenienti vehiculo ad sudoris elicium.

Supra *sect.* 2. *cap.* 8. pluribus extractum theriacon egregium nostræ compositionis commendavimus, cujus accuratam parandi methodum æquis rerum utilium censoribus haut invidere volui: conficitur ergo sequenti modo:

Extractum theriacon egregium nostræ compositionis.

Classis I. ℞. Radicum fraxinellæ ℥ iij. iridis Florentinæ ℥ i ß. Rhabarbari vel Pontici, zingiberis, tormentillæ, pentaphylli singulorum ʒ vi. Calami aromatici seu acori odorati, phu Pontici utriusque ʒv. angelicæ, gentianæ utriusque ℥ß. Aristolochiæ longæ veræ ʒ ij. Asari ℈ij. Incisis & contusis affunde aquæ pluviæ distillatæ, ac aceti distillati purioris, de utroque quantum sufficiet ad debitam extractionem obtinendam; vel

vel horum loco aceti distillati prius prodeuntis aquam volatilem (quam imperitiores phlegma vocant) ac rorem mineralem. Extrahatur tinctura in loco calido, atque bis vel ter hosce liquores magmate post prelum relicto affundas, quo omnis virtus ex his rebus extrahendo acquiratur; à collecta hac tinctura in maris balneo abstrahe omnem fere liquorem, & spissamentum seorsim asserva; aqua vero per distillationem prolecta ad extrahenda sequentia assumi potest.

Classis II. ℞. Rosarum rubearum exiccatarum, scordii nostratis sicci utriusque ℥iß. Prasii albi florum stœchadis Arabicæ de utroque ʒ vi. Calaminthæ montanæ, Chamædryos, polii Cretici vel montani nostratis, Chamæpityos, florum hyperici singulorum ℥ß. Centaurii minoris ʒij. Incisis & contusis affunde pariter tunc quam prima distillatione partam; & si ejusdem quantitas vix sufficiat adde liquorum prima classe nominatorum suffenam quantitatem. Eodem modo, ut primo in labore observatum, aliquandiu in loco calido digerantur, donec tinctura extracta sit, quam uti prius exprimere, novis infusionibus augere, colligere, per filtrum depurgare, ac in maris balneo ex cucurbita vitrea humidum distillando in spissamentum cogere debes. Extractum inde prodiens spissamento *Classis* I. addatur; aqua vero seorsim collecta pro sequentibus rebus extrahendis usurpetur.

Classis III. ℞. Piperis long. ℥iij. albi ac nigri, seminis petroselini Macedonici singulorum ʒ vi. seminis ammios, anisi, feniculi Florentini, seselios Cretici vel nostratis, dauci Cretici de quolibet ʒij. Cardamomi minoris, cubebarum utriusque ℥iß. Pinsa hæc eodem modo, ut superiores Classes, tractanda, ut extractum spissamentis dictarum Classium addi, & latex distillando acquisitus ad reliquas Classes extrahendas assumi queat.

Classis IV. ℞. Cinamomi veterum, seu cariophyllor. qui ipsomet cortice excellentiores, ʒ xiii. Casiæ, seu Cinamomi recentiorum acuti ℥j. Costi odorati, vel Corticis Winterani ʒ vii. Maceris ʒ v. Incisis & contractis affunde liquores, uti in præcedentibus Classibus factum fuit, quo tandem extractum reliquis jam collectis addi queat; & si quæ aqua à distillatione superfit, seorsim asservetur.

Classis V. ℞. Myrrhæ r. sel. sale tart. reser. ℥j. Asphalthi, seu resinæ succini, Castorei medullosi utriusque ʒij. Xylobalsami, Aspalathi, de utroq; ℈ij. Incisis & contusis affunde spiritus vini absq; phlegmate quantum satis erit. Fiat harum rerum extractio ut decet; & spirituum vini dein post tincturas collectas abstrahe; Resinaceum verò spissamentum superius junctis extractis commisceatur.

Classis VI. ℞. Seminis napi ℥iß. Seminis thlaspios ℥ß. Cum pauxillo aquæ, ab antecedente *Classis* IV. Residuæ, fiat emulsio, quæ fortiter per linteum expressa spissamentis collectis exactissime immisceri debet.

Classis VII. ℞. Seminis citri decorticati, Nardi Indicæ utriusque ℥j. Schœnanthi ʒ vii. Dictamni Cretici à stipite purgati ʒ vi. Nardi Celticæ ℥ß. Mari veri, amaraci de utroque ℈ij. Hæc Classis meo saltem judicio, subtilissime teratur, ac per cribrum absque ulla alia præparatione trajiciatur, addaturque reliquis extractis collectis; cum harum rerum virtus balsamina volatilis vix extrahendo, ob levissimam partium texturam, conservari possit.

Classis VIII. ℞. Salis viperarum aut serpentum nostratium, vel in horum defectu, salis cornu cervi aut lumbricorum terrestrium, volatilis candidissimi, ac optime cum spiritu vini à scoriis fetidis sublimati unc. ij. quod cum spiritus vitrioli Martis suffena quantitate ad saturitatis punctum ligetur, donec strepitus, inter instillandum omnino cesset.

Classis IX. ℞. Terebinthinæ Chiæ, thuris masculi triti utriusque ʒ vi. Mastiches selectæ ℥j. Quæ simul lenibus lignis solvenda ac reliquis extractis commiscenda sunt.

Classis X. ℞. Succi hypocistheos, succi acaciæ seu spinæ Ægyptiacæ, gummi Arabici splendidi singulorum unc. ß. Hæc tria simul in succo pomorum, citreorum limpido, aut vino cydoniorum, vel etiam in aqua distillata, à superioribus speciebus prolecta, solvantur, depurgentur, ac in spissamentum, ut prius, cogantur, ut extemplo reliquæ massæ addi ac immisceri queant.

Classis XI. ℞. Styracis Calamitæ in lacrumis, sagapeni in lacrumis, terræ Lemniæ, aut Melitensis S. Pauli de quolibet unc. ß. opopanacis selecti in lacrumis, galbani puri in lacrumis utriusque ʒij. quæ omnia vel seorsim, maxime vero hiberno tempore, terenda, vel junctim in pollen impalpabile redigenda, ac cum pulveribus *Classis* VII. Permiscenda sunt, quo sic reliquo spissamento jungantur.

Classis XII. Postquam omnes antecedentes Classes sic elaboratæ, ac invicem mixtæ sunt, adde juxta artis pyrotechnicæ leges sequentia seorsim præparanda, videlicet: Extracti scillæ recentis, in clibano cum pane assatæ, expressæ ac in viscosum spissamentum exhalatæ ℥ij. vel quantum scillæ præparatæ siccæ ʒiij. cum aqua fontana extractæ suppeditant; extracti ab opii Thebaici ʒij. cum aceti distillati & spiritus vini purioris Partibus æqualibus parati, ac denuo spissati; Opobalsami Arabici genuini, vel ejus loco, olei nucis myristicę expressi, vel utriusq; ad compositionem assumpti ʒ xiii. Extracti glycirrhizæ pellucidi, è recenti radice cum aqua simplici juxta Angelum Salam, ceu optimum extractiones rerum parandi magistrum, facti ℥iß. Extracti ex agarici ℥iß. ope spiritus vini confecti; ac tandem extracti croci cum liquoribus acidulis parati ℥j. Singula hæc per vices toti massæ æquabiliter commisceantur, ne grumi minus per tritum dispersi coalescant.

Classis XIII. Tandem cuncta simul juncta in mortario calido, cum pistillo similiter calente, tamdiu probe commiscere oportet, donec omnia diligentissime dispertita sint; & quia hoc spissamentum aliquomodo liquidius remaneret, ni crassitudinem ab aliis siccioribus rebus acquireret, ideo addere solemus pulveris Antimonii fixi albi Bas. Valentini, seu magisterii Antimonii diaphoretici ʒ iv. Boli Armenatis ʒij. Misce hæc exactissime cum integra massa; ne autem pinguiusculum hoc pollen intermiscendum in glebulas vix separabiles arctetur, sindoni aut linteo raro includi debet, ut instar amyli aut farinæ inspergi possit.

Classis XIV. Operatione ad hanc metam provecta, totum extractum adhuc diu manibus

malacissandum erit; cui tandem partitis stillis addantur oleorum amaraci, anisi, feniculi, cinamomi, cariophyllorum, rosarum veri, omnium distillatorum de quolibet Guttæ decem: quæ deinde omnia probe unita, ac per aliquot horas malacissata in pyxide metallica ex auro, argento, plumbo candido Anglico, aut lamina conflata usui ulteriori asserventur. Hujus extracti seu spissamenti dosis postmodum erit à grano hordei ad duo, tria, quatuor ad quinque; quod catapotiorum forma exhibendum, aut in convenienti vehiculo dissolvendum.

Extractum theriacon ita paratum etiam basis est sequentium compositionum; quæ similiter in hujusmodi affectibus summo cum sanitatis emolumento potui dari possunt, v. g. Pilulæ seu Extractum bezoardicum nostrum:

♃. Extracti theriaci nostri, bezoardici mineralis utriusque ℥ ij. Misce hæc probe; cujus dosis in feb. malignis erit à granis decem ad duodecim pro adultis. Pilulæ bezoardicæ anodynæ sic fiant:

♃. Extracti nostri, antihectici Pot. de quolibet ℥j. Cinnabaris stimmios vel nativæ, sulphuris antimonii fixi utriusque ʒ vi. resinæ succini ℥ß. Misce fiat massa; cujus dosis à granis 5. ad 10. usque ad 15. erit.

Illa remedia, quæ pro symptomatum varia in hoc morbo sævientium indole multivaria quoque esse debent, infra in singulis symptomatum capitibus reperientur.

Quæ remedia statim in prima hujus morbi aggressione ægris sint adhibenda.

Si penitus extra dubium est, hominem hac febri castrensi maligna prehensum ac infectum esse, quod ex omnium membrorum lassitudine, gravibus animi deliquiis, capitis doloribus atrocissimis, vehementique cardialgia cognoscitur; adeoque infirmi videntur ægri, ut præ debilitate haut amplius erecti stare queant; si nunquam, vel turbate saltem dormiant, interno æstu & siti intensa premantur, oris amaritiem incusent, debilis aut laboriosa respiratio, pulsus frequens ac celer, & urina turbida atque lixiva sit; ciborum summo fastidio ac nausea, quam vomitus enormes excipiunt, vexentur; vel in potissimis tantum membris dolores lancinantes ventrisque tormina sentiant, alvi profluvio torqueantur, rigor aut horror morbum procedat, & subsequens calor post vesperam ingravescat, alternisque diebus ægrum magis lacesset.

Queis itaque hæc accidunt; non statim absque ullo observato temperamenti aut sexus discrimine purgans remedium, aut sanguinem mittere convenit: quemadmodum hisce tempestatibus maligna sæviente febri non tantummodo veterinarii, sed etiam plures ex Doctoribus Medicis, antiquo Barbarorum more, hæc præsidia adhuc plerisque ægris mox præscribere, medicationemque suam auspicari consuescunt.

Ante omnia vero, ut jam dictum est, distinguenda sunt ipsa ægrorum temperamenta, ætas, ac sexus; imò quoque distinguendi ipsimet affectus: cum longe alia ratione curatio in majori humorum putrore ac resolutione, quam in minore, requiritur, seu ubi sanguis ac lympha plurimo acido fixo seu melancholico succo scatet: quorum hæc longe facilius spirituum ac salium volatilium applicationem fert, eorundemque continuum usum postulat, dum in magnis humorum resolutionibus à putrore ortis acida ac terrestria fixa, seu alcalia insipida cum adstringentibus ac opiatis omnem medicandi scopum absolvunt. Supponimus tamen, impeditum sanguinis circuitum mox è primo morbi insultu spirituum ac salium volatilium usu prius restitutum, aut ventriculum à crudis, indigestis, viscidis, biliosisque sordibus lenioris vomitorii ope purgatum esse.

Ne autem quicquam, quod in hujus morbi medela necessario observari debet, omittamus; ideo absque ulla interposita mora ægri non tantum in lecto stragulis bene cooperti detinendi sunt; imo per totum morbi decursum hoc modo requiescant in lecto tecti, quo ab auræ frigidioris injuriis tuti degere queant: ubi simul provideant adstantes ac Medici, ne frequentius, intempestivius, vel tempore aliàs minus convenienti ægroti stratis exiliant, ac corporis membrorumque jactatione continua sibimet ipsis labores arcessant; neu multa loquantur, sed taciturni sint: quam garrulitatem *M. Valerius Martialis* in *Mathone* salse perstrinxit *lib. 4. epigr. 81. his versibus.*

Declamas in febre Mathon: hanc esse phrenesin.
Si nescis, non es sanus, amice Mathon!
Declamas æger, declamas hemitritæus:
Si sudare aliter non potes, est ratio.
Magna tamen res est: errans cum viscera febris
Exurit, res est magna tacere, Mathon.

Si enim juxta *Nicolai Tulpii* Amstelædamensium Consulis amplissimi monita observationibus suis subnexa hemicrania laborantibus tacere convenit, multo magis hoc effatum ad ipsas febres malignas, quæ hemicrania periculosiores, extendi poterit.

Neque minus noxium esse nimium corporis aut membrorum motum ex ipsa *Galeni* Medicorum antesignani sententia verum esse comperimus, statuentis febri acuta laborantes ab omni motu esse removendos; quo etiam referre possumus nobilem quæstionem ab *Hieronymo Mercuriali de arte Gymnastica lib 4. cap. 7.* motam, an corpora ægra ullo pacto exerceri conveniat? unde locum, qui maxime ad nos spectat, huc inserere consultum duximus.

Quocirca secundum istos corpora, quæ immodica intemperie calida laborant, nullis vehementibus remississve exercitationibus accommodantur; quod calor, qui diminui debet, ab illis potius augmentum suscipit: quemadmodum Galenus de Premigene, summa caliditate laborante, narrat, qui nedum à vehementioribus exercitationibus, imo & ab exiguis deambulationibus in porticu, ante balneum factis, magnopere lædebantur. Unde merito condemnandus est Asclepiades Prusiensis, qui in ardentibus febribus, referente Celso, gestationibus utebatur: in aliis vero febribus, & morbis, medicamenta ac vomitiones tollens, inedia, siti, vigilia, luce primis diebus ægrotantes, instar tortoris, excruciabat; aliis autem diebus ambulationibus, gestationibus, balneis lectulisque pensilibus exercebat.

Multo

Multo minus febri maligna atrocius detenti absque manifesta læsione viriumque detrimento erecti in lecto aut sella insidere; imo adhuc difficilius stare aut ambulare possunt: quam ob causam eo magis solliciti simus, ad ægrum quo citius eo melius ac firmius lecto affigendum.

Quo itaque juxta propositum nostrum genuinamque medendi artem curationem rite prosequamur, ante omnia examinabimus, num sanguinis missio, ut quibusdam placet, in principio hujus febris locum inveniat, adæquatumque ac sufficiens in morbo hoc expellendo auxilium præstet: quod institutum in iis duntaxat aliquomodo valet, qui plethora, seu sanguinis, & quidem laudabilis, abundantia, pollent, quibusque vires adhuc integræ, vel nondum omnes dejectæ sunt: ubi mox durante febris horrore aut rigore, vel confestim ab eodem finito in brachio alterutro, sub lingua, aut in pedibus aliquot sanguinis unciæ, nec forsan ultra quatuor aut quinque detrahantur: & ne ullum animi deliquium aut syncope superveniat, ante & post venam sectam sequens alexipharmaca refrigerans potiuncula duobus partitis haustibus assumatur.

♃. Aquæ scabiosæ ℥ iv. aceti antiloimici, syrupi rubi idæi, singul. ℥j. Antimon. diaph. ʒß. salis absinth. ℈j. Misce ad vitrum.

Post venam sectam ac epotum alterum haustum æger in lecto ad sudandum sollicitandus est. Cavendum autem quam maxime, ne hominibus valde debilibus, aut jam nimium ægrimonia confectis, urgente cardialgia, inque sanguinis penuria, ac morbo jam ad aliquot dies sæviente venam tundamus; alias in præsentissimum vitæ discrimen hac sinistre admota operatione ægri præcipitarentur. Has igitur ob rationes, quantum potuimus, in febri castrensi aut alia maligna, imo in cunctis intermittentibus, à sectione venæ abstinuimus ideo, quod ne ullum quidem felicem effectum inde obtinuerimus, nisi in vere sanguineis mox in prima morbi accessione, & quibus vires nondum exhaustæ fuerunt.

Supra dudum diversis in locis perniciosam istam medendi methodum detestati sumus, qua ægrotantium plurimi in principio statim cujuscunque affectus medicamentis fortioribus purgantibus, in acriori atque irritante resina consistentibus, dilaniari solent; at nos hæcce, nisi urgente duro necessitatis telo, nec in præsenti, neque aliis morbis in usum adhibere consuevimus; cum pyrotechniæ sollertia nobis multo suaviora, tutiora ac certiora remedia primas vias detergentia suppeditet, quæ in hujusmodi infirmitatibus valetudinis maximo cum fructu exhiberi possunt.

Verum enim vero, si quis ex omnibus circumstantiis persuasus sit, medicatione per inferius guttur purgante hic opus esse, is vulgatioribus rejectis purgantibus omnibus, mox post morbi exortum pilulas sequentes una vice deglutiat.

♃. Mecurii dulcis optime mitigati ℈j. Antimon. diaph. cum nitro ℈ß. Extracti hellebori nigri diaphor. gr. iv. Mercurii vitæ per exhalationem fumi virulenti correcti gr. j.
℞ M. F. cum pauxillo theriacæ pilulæ No. 5. vel 10.

Vel in jure calido in tinctura salis tartari stibiata *Frid. Hofmanni* 20. vel 30. assumat guttas.

Imo Antimonium diaphoreticum ad integram drachmam in aquæ scabiosæ ℥ iv. ac syrup. violar. purp. ℥ß. una vice instar potus refrigerantis assumptum securissimum detergens ac purgans, biliosam corruptamve aut alias crudam viscidamque colluviem è ventriculo ac intestinis expellens, erit: quo dein summe volatilia, ac maxime penetrantia diaphoretica eo liberius radios suos per quosvis corporis ductus trajicere, vasorum sanguinem ferentium obstructiones cœptas reserare, interceptumque purpurei laticis circuitum ad perennem suum motum, naturæ congruum, reducere queant: dicta potio nonnunquam etiam, si fauces ac gula blenna tenaciori oblinita sint, vomitum movet; & cum nitrum ab Antimonio diaph. nondum elotum est, adultis ad quatuor scrupulos in jure non salito exhiberi poterit. Sic etiam Antimonii diaphoretici ℈ ij. ac florum salis ammoniaci cum hæmatite sublimator. ℈j. inter se mixta cum jusculo salis experte sumi solent.

Pari modo sal polychrestus à ʒ ij. ʒ iij. ad ℥ß. in jure largiori non salito, vel aquæ fontanæ gelidæ, aut decocti hordei mensura media solutus, ac intra horæ spatium brevioribus aliquot haustibus sumptus, sufficienter & absque noxa primas vias, si plurimis fecibus sint refertæ, expurgat; quibus vero dulcia arrident, huic jentaculo detergenti immisceant syrupi violarum purpurei ℥j. eodemque recensito modo utantur.

Non hic reticeri debet diaceltatesson, à *Mose Charas Helmontio* adscriptum, sub finem pharmacopœiæ suæ chemicæ expositum; quod à ℈j. ad ʒß. & ℈ ij. in conditura rosarum, aut rob domestico, vel aqua convenienti dissolutum dari potest, cujus descriptio hæc est.

♃. Antimonii crudi, & salis ammoniaci, tritorum & simul mixtorum singul. ℥ vi.

Sublimentur ex arte flores inflammabiles rubri: horum ♃. ℥ iv. Nitri purissimi ℥ viii. detonentur in ollis sublimatibus, & flores absque ulla sui perditione colligatur: flores detonatos elue aqua calida, donec nulla amplius salsugo gustu deprehendatur. Sicco huic leni calore pulveri affunde spiritum vini purissimum, ad quatuor transversorum digitorum eminentiam, omniaque vasi vitreo excepta, agglutinato recipiente, distillentur igne primum lento; qui tandem ita urgeatur, ut materia ebulliat ad siccitatem usque. Relictus vero pulvis perfecte exiccatus per dimidiam adhuc horam igni exponatur, & ad usum servetur.

Huic modo recensito medicamento procul omni dubio haut absimilis erit *Georgii Thomsoni*, Angli ac chemiatri celeberrimi pulvis emeto-diaphoreticus; quem olim in hæmatiasi, nuper vero in epilogismis chemicis ampliter commendabat. Nec quoad operandi modum ac dignitatem inferius erit viri expertissimi ac humanissimi *Petri Gabrielis*, Præfecti hortorum Serenissimi Ducis Wirtembergici arcanum emeto-diaphoreticum, quod æque ac sal antiloimicum Fournelli certissima contra pestem, aliasve lues epidemias pestilentes antidota, eodem auctore, sint: at quia utrumque hoc remedium, tam quoad præparandi modum,

quam quoad exhibendi rationem à laudato *Gabriele*, tanquam singulare secretum obsignata manu dehinc 5. annis ἀρχείῳ Wirtembergico legatum fuit; ideo illud, invito auctore, propalare noluimus.

Quod vomitoria concernit, eadem in principio hujus luis in plurimis ægris non tantum summe proficua, sed & maxime necessaria experti sumus: ex quibus nos tutiora tantum eligimus. In quibus itaque ægrotantibus vehemens cardialgia, oris amaror, appetentia ciborum omnino dejecta, ac nausea animadvertitur, illis statim tutius aliquod emeticum propinamus; urgente necessitate parum curantes, sive mane sive vesperi hoc fiat. e.g. de tartaro emetico *Dan. Ludovici*, (*Mynsichtianus* incertius operetur) grana duo, robustioribus autem tria, vel in pauxillo juris, aut in cochleari aquæ fontanæ, in qua mox funditur, vel in forma boli cum tantillo conditurae rosarum rubrarum exhibemus; dumque ventriculus valde exagitari incipit, nulloque adhuc præsente vomitu vehementius lacessitur, sorbitionem juris, aut seri lactis caprilli calidorum largius frequentiusve hauriendo idem rejectus provocabitur: cujus etiam remedii ope nonnunquam simul assellandi conatus augetur.

Si autem intentio sit, obtenta vomitione simul per inferiora corpus detergere, huic pulvisculo emetico 15. vel 20. grana cremoris tartari commixta exoptatum effectum præstabunt: quo augmento omnium prius celeberrimus *Christophorus Harder* nostras usus fuit; cujus luculento testimonio fultus eodem modo illud remedium postmodum propinare incepi. Verum hac tempestate adhuc securior reddi solet vomitio, ac sordium in febrium principio per alvum deturbatio; si de Antimonio diaphoretico, tartaro tartarisato, floribus salis ammoniaci cum hæmatite sublimatis singul. gr.10. cum tartari emetici Grano unico permixta in jusculo salis experte simul exhibeantur. Nos huic scopo insistentes sæpissime summo cum ægrorum levamine sulphuris stimmios aurati cum sale ammoniaco ac terra Tripolitana sublimati, atque à salsugine iterum, ope filtri, aut requiei, liberi ac correcti grana duo vel tria cum tantillo theriacæ in pilulam redacta dedimus.

Quibus liquida potius arrident medicamenta, eandem virtutem in oxy sacchari emetici *Danielis Ludovici* ℥ß. experientur, quod ex croco metallorum, non autem ex vitro Antimonii, ut syrupus emeticus Angeli Salæ paratum sit: vomitiones à jusculorum sæpius iterato haustu, uti superius, promoventur. Quibus res angusta domi est, chalcanthi grumum seu atramenti sutorii aut tinctorii frustulum fabæ quantitate, in aqua vel jusculo solutum, ad vomitum stimulandum assumant: chalcanthum enim, teste *Riverio in observ. cap.4. § 99.* Etiam in peste melle & aqua dissolutum, admodum profuisse constat. At nonnisi maxime urgente necessitate illis, qui graciliores aut alias non solido temperamento sunt, vomitoria exhibeantur; qui v. ad phthisin inclinant, aut angustius pectus, latissimasque in macie scapulas habent, iisdem vomitus intercicti sint, oportet.

Quamprimum etiam hac lue infectus quis deprehenditur, vinum, zython, aliosque inebriantes potus, cibosque pipere aut aromatibus aspersos, vel etiam pinguia edulia cum piscibus, lacte, ac ovis butyro frixis ceu pestem fugiant. Corpus antem, juxta Plutarchum in præceptis sanitatis, ita validum est nullum, cui conturbato & inflammato vinum adhibitum non adferat aliquid damni. Quam vini noxam *M. Tullius Cicero lib.3.* de natura Deorum hac quoque sententia firmavit: Quia ægrotis, vinum scilicet, prodest raro, nocet sæpissime, melius est, non adhibere omnino, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere. Extemplo igitur vini, aut interdicti potus loco bibant audacter nectar è pomis citreis ac saccharo paratum, vel fontanam syrupis refrigerantibus, aut rob ex succis acidis auctam, vel cui immersa sint cerasa acida, pruna alba serotina, racemi oxyacanthæ, aliive fructus acidiusculi; necnon decoctum hordei, cornu cervi, acidulasque, si in promptu sint, bibere convenit; nonnunquam & serum lactis caprilli prodest, cautius tamen exhiberi. Ex cibis tantum jus bubulum aut gallinarum, vel offa farinacea, aceto nonnihil aut succo citri diluta laudantur; interdum etiam passulas minores, poma aut pruna cocta, cremorem hordei aceto aut succo citri recenti impraegnatum & similia concedimus; corpus ægri ab aëre externo frigidoque ambiente, ne venenum introrsum repellatur, diligenter præmuniendum est.

Quomodo æger in augmento hujus morbi tractandus.

Omnes illi, qui propter cardialgiam prægressam, oris amarorem, conatumque vomendi, emetico, ad colluviei biliosæ, sordium ac cruditatum in ventriculo fluctuantium (in quibus etiam potior materiæ virulentæ pars latitare solet) expulsionem jam usi fuerunt, neque hac operatione omnem vitiosam saburram ejecerunt; aut qui ab hisce symptomatibus liberi vomitione haut indigent, cuncti hi certe bis quotidie, mane videlicet hora quinta vel sexta, ac vesperi hora quarta vel quinta à medicamento affabre alexipharmaco assumpto unam vel duas, pro virium ratione, horas in lecto probe tecti sudorem proliciant; sitimque intensam, quæ sæpissime eosdem mirum quantum affligit, non diu ferant; sed illam vel potu decocti ordinarii, vel aliis julebi cardiaci refrigerantis, non tamen admodum gelidi, extinguere nitantur: etiam subinde refectionis gratia assumi queunt orbiculus ex pomo citreo discisso, pruna aliquot Hispanica, aut cerasa acida in aliqua fontana emollita, vel cydonia condita, aut berberes seu oxyacanthæ racemi conditi; singulis duabus aut tribus horis elapsis cochlearia duo egregiæ alicujus mixturæ alexipharmacæ & cardiacæ ægro exhibeantur; noctu autem, seu tempore somni julebus alexipharmacus epotetur; interdiu noctuque sæpius sphæra seu globus spiritus refocillans *sect.2.cap.3.* descriptus, uel fasciculus foliorum rutæ recentium aceto antiloimico aut alio probæ notæ imbutus naribus admoveantur, atque iisdem tempora, carpi ac præcordia sæpissime quoque illinantur.

Quolibet peracto sudore, aut alias singulis tribus horis cochlearia aliquot ptisanæ hordei aut jusculi corroborantis succo citri, vel aceto sive simplici, sive alexipharmaco aliove fragrante conditorum, aut quibus acetosa hortensis vel oxytriphyllon bullierit, sorbeant; ac stragulæ duabus horis post finitum sudorem matutinum, seu ante meridiem hora octava sternantur; circa vesperam autem hic labor intermittatur; quoniam anxietudines tunc propter quotidianas exacerbationes ingravescunt. Teste enim experientia in omnibus morbis acutis febribusve malignis pleraque symptomata æstusque interni propter majores sanguinis per arterias propulsi refrenationes, tempore distributionis chyli contingentes, crebrius ac crudelius, quam aliis horis, ægrum sollicitant: quæ etiam symptomata à quocunque pleniori aut minus convenienti victu, aut potulentorum inebriantium abusu arcessi solent. Cubiculum, casa, tentorium, aut alius locus, in quo æger decumbit, semper summo mane, post meridiem, ac noctu, sic etiam post sudorem, elicitum aggestis flammis è ligno juniperino, abiegno, aut pineo ab exhalationibus putidis, dum fores ac fenestræ patent, expurgetur; dein mox iterum, præsertim aëre frigido & nebuloso claudantur. Æstate vero aut flagrante canicula ædes perviæ sint vento, quo miasmata pestifera eo melius atque liberius è conclavibus abripiantur; aliquoties namque dum

Urit & exiccat sitientes Julius agros, propter liberioris auræ, spiritu æthereo imprægnatæ, interdictionem, ægri in effeto ac putido aëre languidam exhaluere animam, qui sine dubio in recenti spiritibusque turgida aura refocillari, imo servari potuissent: Cui enim bono inclusus aër, cujus pestilens ac gravis, ut Tullius loquitur, est respiratio. Similem affecti aëris noxiam nobis suggerunt elegantissima experimenta *Joh. Mayovv* in tract. I. de sale, nitro, ac spiritu nitro, ac spiritu nitro aëreo *cap. 9.* descripta, quem legere, eademque experimenta absque magnis sumptibus ipsemet instituere poteris.

Valde efficax nobilisque aqua spiritus nostros reficiens aëri nos proxime ambienti innatat; quæ si artificiosa manu colligatur, & ab adhærentibus sordibus dextre purgetur, plurimas certe suaviter olentes latices effectu suo felici superat. De qua legi certe meretur *Andreæ Nitneri* dissertatio de spiritu mundi, seu aqua roborante Universali; sicuti & hi, qui jam superius *sect. 2. cap 3.* allegati sunt Viri Clarissimi.

Et quamvis in aëre frigido undique nos cingente restauratio ac cibus pro vita nostra sustentanda lateat, cavendum tamen, ne durante aut incrementum sumente morbo, æger nimium auræ frigidiori, excepta facie, alter utroque brachio se exponat; inde enim pervium cutis reticulum glandulæque iterum occluderentur, ut ab impedita exhalatione venenum hoc corrodens ac luxurians ad interiora retrocedere cogeretur; atque corpus male affectum denuo morbis conflictaretur.

Sequentia igitur medicamenta ad sudorem expellendum in hoc morbo efficacissima deprehendimus.

♃. Antimonii diaphoretici ℈j. florum salis Ammoniaci cum sulphure sublimator. ℈ß. Bezoardici mineral. gr. v. casuræ gr. I.

Misce fiat pulvis subtilis, qui pauxillo rob sambuci, vel conditur æ rosarum rubrarum commixtus in forma boli deglutiatur; vel cum aquæ Cardui benedicti, fumariæ aut scabiosæ cochlearibus IV. ac syrupi ex acido citri ℥ß. in potiunculam redactus, exhauriatur: eodem modo etiam sequens pollen parari ac exhiberi poterit:

♃. Antim. diaphoret. ℈j. Cornu cervi Philos. præpar. Bezoar. occid. singul. ℈ß. Bezoardici miner. gr. v. M. F. Pulvis subt. pro unica dosi.

Vel, ♃. Florum salis Ammoniaci cum sulphure elev. ℈j. Bez. mineralis gr. v. M. F. Pulvis subt. qui vel in decocto ordinario, aut jusculo calido hauriendus.

Si natura hisce medicamentis ad sudoris expulsionem incitari vix potest, quod melancholicis, hypochondriaca affectione, scelotyrbe, ac lue Veneria laborantibus sæpissime accidit, atque alias nulla præsens sit diarrhœa aut dysenteria, sequentia certe conducunt, si in eorundem usu tam diu perseveremus, donec sudorem illum lentum, mellisque instar cuti ac manibus adhærentem, ut plerumque est, nacti simus.

Salis volatilis puriss. cervi, aut viperarum ℈ß. gr. xv. ℈j. vel ʒß. cum conditura rosarum ac pauxillo sacchari in bolum cogatur; vel quod melius, aquæ distillatæ fragrantis unciis duabus vel tribus dilutus, sirupoque competenti sociatus uno haustu sorbeatur. Horum salium loco autem spiritus volatilis cornu cervi purissimi ʒj. substituatur: sic & mixturæ simplici *Danielis Ludovici*, aut *Frid. Hofmanni* tantundem cochlearibus aliquot aquæ cardui beneci vel scabiosæ commixtum, & cum syrupo rubi idæi aut acido citri suavius redditum, ebibitur; cui etiam pro ratione morbi antim. diaphor. & salis absinthii singul. ℈ß. addi poterit. Volatilibus atque summe penetrantibus ejusmodi remediis, sudorem provocantibus, tam diu insistendum erit, quam diu pulsuum rythmi inæquales percipiuntur; aut per aliquot intervalla pulsus penitus deficit, manumque tangentis non ferit; aut malignitas morbi partibus profundius implicata est, ac inhæret.

Qui difficiliores ad medicamenta sunt, illi bezoardici min. gr. x. vel de sulfure stimmios diaphor. fixo gr. iij. cum pauxillo theriacæ, diascordii Fracastorii, micæ panis vel conditur æ rosarum rubrarum pilulas redacta deglutiant; imo de pilulis nostris bezoardicis ℈ß. devorent, aut etiam tantundem de pilulis bezoardicis anodynis; sic quoque proderit extractum theriacum nostrum, aut theriaca cœlestis Greiffii vel Hoffstadii ad gr. v. pro sudore eliciendo una vice deglutire, vel in aqua cardui bened. ac syr. ex acido citri soluta haurire, præsertim si ventris profluvium metuatur, aut jam ægrum lacessat. Ab assumptis mox alexipharmacis, è spiritibus salibusve volatilibus, aut extractis, essentiis ac tincturis pyrotechniæ ope productis, ad sudorem eo felicius promovendum, bonus haustus potus consueti, aut julepi refrigerantis superbibatur.

Potest etiam confect. alexipharmacæ rubræ, diascordii Fracastorii, vel confectionis de hyacintho ℥j. ℈ iv. aut ʒiß. aut pulv. rubei Pannonici, vel specierum liberantis aut pulv. conf. de

hyacintho gr. 30. vel 60. Aquæ Cardui benedicti, scabiosæ aut fumariæ cochlearibus aliquot, aceti antiloimici cochlearibus duobus, ac sirupi cydoniorum, rubi idei, aut è succo citri uno cochleari potiunculæ instar sudoroticæ exhiberi. Sic etiam, si diarrhœa adsit, sequentem bolum mane ac vesperi deglutire poterunt, ut sudorem inde exspectent: qui conficiatur è theriacæ Venetæ ʒj. ac terræ signatæ ℈ß. invicem mixtis, addendo parum sacchari; vel de extracto theriaco aut theriaca cœlesti gr. v. in pilulis devorare queunt.

Pauperiores, vel quibus alias nimium curta suppellex est, cochlear unum rob sambuci aut juniperi, cum aquæ fontanæ & aceti probi cochlearibus duobus in potiunculam redigant & bibant; vel pulv. pyrii ʒij. aut sulphuris nativi ʒj. in aqua solutam: sic quoque pulv. Card. bened. aut radicis gentianæ contusæ, vel chamæleonis, fraxinellæ, angelicæ, inulæ aut petasitidis cochlear unum, cum vel absque rob sambuci in modico aceti, jusculo, aut aquæ fontanæ assumant, sudoremque inde expectent. Imo pulvis alexipharmacus popularis *sect.* 11. *cap.* 8. descriptus hoc modo exhibitus similiter proficuus erit.

In extremo necessitatis casu summaque remediorum penuria sulphuris citrini triti, aut nitri depurati, vel etiam salis communis ʒij. boli rubri, aut rubricæ fabrilis, aut etiam hæmatitis ʒj. rob sambuci, aceto & aquæ commixta conferunt: sed juxta præscriptam methodum hæc remedia iterari debent, ut sudor exoptatus singulis vicibus inde erumpat.

Abhinc pluribus annis sequenti pulvere diaphoretico ad febrim malignam expellendam summo cum ægrorum levamine usi fuimus, de quo durante morbo quotidie bis dosin in convenienti vehiculo liquido, mane nempe hora quinta vel sexta, ac vesperi circa horam quartam vel quintam, ægrotanti exhibere solemus; utque inde per horam integram, aut amplius sudorem in lecto stragulis probe coopertus provocet, curamus: hujus pulveris permiscendi modus hic est, ac in officinis nostris pharmaceuticis semper paratus invenitur:

℞. Antimonii diaphor. ℥iv. Bezoardici mineralis, Cornu cervi Philos. præp. singulor. ℥j. Misce fiat pulvis tenuis, de quo, pro qualibet dosi adultis propinanda, drachma media in separatam chartam appendi debet.

Quacunque data opportunitate, quotiescunque aliquot chartulæ hujus pulveris diaphoretici ægris distribuuntur, simul sequentem mixturam liquidam, ad diluendos pulveres vehiculi loco, hoc modo paratam transmittimus.

℞. Aquæ Cardui bened. scabiosæ, vel fumariæ ℥vi. vel de singula ℥ij. syrupi de rubo Idæo, berberum, cerasorum acidorum, aut è succo citri pro lubitu ℥ij. Misce ad vitrum.

De sequentibus aquis cardiacis spiritusque refocillantibus singulis fere horis duo cochlearia exhibeantur.

℞. Aquæ florum acaciæ, melissæ singul. ℥ij. Syrupi ex succo pomi citrei, vel rubi idæi ℥j. Antim. diaph. ʒj. Bezoard. occid ℈j. Misce ad vitrum.

Vel ℞. Aquæ Cardui bened. ℥iv. Prophylact. Amstelædamensium, mensium, syrup. rubi idæi singul. ℥j. Confect. de hyacintho ʒij. Misce ad vitrum.

Vel ℞. Aquæ florum persicorum, fragorum, singul. ℥ij. Cinam. sine vino distillatæ ℥ß. Coral. rubr. præparat. Cornu cervi Philos. præpar. singul. ʒß. Bezoar. occid. ℈j. Sacchari diamargaritū ℥ß. Misce ad vitrum.

Vel ℞. Aquæ flor. acaciæ, rosarum, melissæ singul. ℥j. Cinam. sine vino distillatæ ℥ß. Antim. diaph. ℈ij. Bezoard. miner. unicorum foss. sing. ℈j. Sacchar. diamargaritū ℥ß. Confect. alchermes compl. ℈ij. Misce ad vitrum.

Vel ℞. Aquæ scabiosæ, fumariæ, singul. ℥ij. Syrup. flor. tunicæ ℥j. Sal. c. c. vol. puriss. ʒß. Unicornu foss. Margaritarum Orientalium præp. singul. ℈j. Misce ad vitrum.

Vel ℞. Aquæ acetosæ, Card. bened. singul. ℥iß. flor. acac. ℥j. Corall. rubr. præpar. conchæ margaritiferæ præp. singul. ʒß. Sacch. diamargaritū ℥ß. Misce ad vitrum.

Vel ℞. Aquæ cichorei, acetosæ singul. ℥iß. Cinam. sine vino distill. menthæ crispæ sing. ℥ß. diaph. Iov. seu antihectici Poterii ʒj. Elix. propr. cum spir. salis tart. par. ℈j. Syrupi rubi idæi ℥j. Misce ad vitrum.

Quælibet certe ex hisce aquis cardiacis adhuc multo efficacior fiet, si eidem de spiritu cornu cervi ab omni phlegmate libero ac subtilissimo ʒj. vel ʒij. aut amplius, vel de ejusdem sale volatili nitidissimo, ac ope vini sublimati à scoriis adustis per elevationem purgato ℈j. ʒß. aut ℈ij. Immisceantur: imo spiritus salis tartari, spiritus ac flores salis Ammoniaci volatiles ad ʒj. additi, easdem pariter efficaces reddunt. Cuncti enim hi spiritus ac sales volatiles potentissime quavis internas inflammationes resolvere ac dispellere solent: quæ etiam de aliis quibuscunque volatilibus medicamentis tam balsaminis ac aromaticis, quàm urinam redolentibus intelligenda esse, autumamus, quemadmodum haut absimilem ob rationem casura, tanquam egregium sal volatile oleosum aromaticum, in vini subtilissimo spiritu soluta, ac crocus eodem vino sublimato ditissime extractus, salisque balsamini seu sulphuris aurei anodyni particeps, absque ullo sanitatis detrimento in morbis hisce acutis, etiam criseos tempore, inter se commixta integris cochlearibus exhiberi possunt.

Julepi cardiaci sequenti modo parari poterunt, quos postmodum, ut & mixturas cardiacas alternatim ægro propinare debemus: ad syruporum igitur e toto citro, aut simplici hujus mali succo, rubi idæi, cydoniorum, cerasorum acidorum, oxyacanthæ seu berberum solitarie, vel junctim sumptorum ℥ij. aquæ scabiosæ, Card. bened. vel fumariæ, vel unius, vel inter se mixtarum ℥ij. Aquæ prophylacticæ Amstelædamensium ℥j. nitri purissimi ab Antim. diaphoret. elutriati ʒj. & spiritu sulphuris aut chalcanthi quantum satis est, ad gratum acorem obtinendum, bene inter se invicem commisceantur. Quibus itaque consultius videbitur, condita aut eclegmata mollia corroborantia ac refrigerantia prædictis medicamentis superaddere, ægros itidem sequentibus felicissime operantibus solabuntur, quæ sic parari solent.

℞. Conditurae ros. rubr. ℥iv. Succi ex integro malo citreo cum extimo cortice flavo, Confect.

Confect. alchermes compl. Antimon. diaphor. singul. ℈ iv. Misce fiat mixtura mollis, detur ad fictile.

Vel, ℞. Conditurae oxytriphylli ℥ iv. Succi ex integro malo citreo cum extimo cortice flavo, diaph. Iov. seu antihectici Poterii, Confect. alcherm. compl. singul. ʒj. Misce fiat pariter mixtura mollis, cui interdum de theriaca Androm. aut Confect. de hyacintho ʒ ij. addere possumus. Vel etiam hoc conditum exhibeatur.

℞. Conditurae rof. rubr. oxytriphylli, syrupi ex toto citro singul. ℥ ß. Confect. alcherm. compl. specierum confectionis de hyacintho, Antim. diaph. singul. ℈ iv. Misce diligenter ad fictile,

De his conditis interdiu sæpius quantitatem mediæ, cubitum autem ituri totius juglandis capiant.

Ne igitur in proliciendo sudore oleum & operam perdamus, dum sæpe sæpius ab omnibus narratis remediis madorem vix obtinere possumus, alia certe adminicula huic scopo inservientia adhibere necessitas efflagitat: è quibus fi ictiones meo saltem censu, optima erunt; vel pedibus etiam lintea calefacta, aut lateres calidi, aut sacci piris vel cerasorum ossiculis repleti ac forni supponantur; imo quandoque sub alas, ac ad inguina vesicæ, aut utriculi aqua calida, vel tepido lacte repleti applicentur. Hæcque eo magis urgeo, ne præter spem æger morbo hoc succumbat, cum sudor in omnibus febribus malignis adeo necessarius esse judicetur, ut eundem etiam in ipsis morbis, sudore colliquescente corpus perfundantibus, sicuti Anglicus sudor est, (cui similem sæpius inter ipsas malignas observavimus) haud declinare queamus; quia curatio ipsius sudoris Anglici juxta *Levinum Fischerum* Medicum celebrem, quoque consistit in diæta tenuissima, bezoardicorum usu, ac tempestiva sudorum extractione: si enim sudores, inquit vir largiori encomio dignus, subsistunt, mors præ foribus est; si uberius effunduntur, sudore fetido æger exoluitur. *Corp. Medic. Imperial. lib. 3. tit. 2. §. 2.*

Quid circa statum hujus morbi, ac circa crisin agendum.

Quotiescunque ergo medicamentorum dictorum debita ac diligens administratio observatur, astantesque simul etiam apud ægrum officio suo decenter funguntur, de felici hujus morbi crisi, & hanc subsequente salutari eventu bene sperare jubemur; & quanquam febris hæc ob versipellem suam indolem plerumque statis diebus indicibus criticisque difficulter includi queat, nihilominus tamen septimo, nono, vel decimo quarto die morbus in melius mutatur: quod præcedentes horum indices, quartus videlicet, sextus aut undecimus forsitan signis suis salubribus ostendent. Quas ob causas sedulo attendendum, dum morbus jam augeri desiit, ac in statu est, utrum natura, seu totius corporis temperies per corruptos humores, ac virulentas impuritates oppressa, & in furorem adacta hidrosi, diuresi, diarrhœa, hæmorrhagia narium, excreatione, vomitu, hæmorrhoidibus, abscessibus, ac in fœminis purgationibus menstruis ab hisce febribus se liberare omnibus viribus contendat? quæ nocte crisin præcedente ex certis signis, quorum uberiorem enumerationem superius *sect. 1. cap. 9. 10. & 11.* invenies, cognoscuntur; an vero harum secretionum ac evacuationum nulla eveniat? quæ ex contrariis certe signis addiscuntur.

Interim cuncta, quæ, dum morbus in statu versatur penes ægrum observatu digna sunt, octo his regulis inclusimus.

I. Ægrum circa statum pleniori victu non onerandum esse.

II. Medicamenta alexipharmaca sudoremque pellentia statis suis horis, ad tempus usque criseos, continuanda esse, ut ita naturæ eo melius in expellenda hac malignitate per sudorem occupatissimæ succurramus.

III. Sudorem postea criticum, haut absque remediorum alexipharmacorum etiam efficacissimorum ope, quam diu adhuc manifestæ eruptionis suæ indicia animadvertuntur, utut tota die ac nocte duret, promovendum, nulloque modo remorandum esse.

IV. Ventris profluvium criticum, ante diem tertium non supprimendum esse.

V. In vomitibus criticis longiora jusculа potumque largiorem mox in principio hujus conatus data, eluere virulentas sordes ac biliosa liquamina è ventriculo ac intestinis; at diutius & frequentius ea exhibere, nefas esse.

VI. Excreationes criticas bechicis detergentibus ac dissolventibus juvandas esse.

VII. Narium aut alias hæmorrhagias, nisi diutius durent, ægrisque animi deliquia superveniant, non sistendas esse: quibus tamen in casibus remedia cardiaca refrigerantia, simulque modice adstringentia plurimum præstare possent: interne de sequenti mixtura singulis fere momentis cochlear unum exhibere conveniret, cujus est descriptio.

℞. Aquæ flor. acaciæ, acetosæ, plantaginis, syrupi coralliorum Zuelferi singul. ℥j. lap. hæmatit. præp. croci vitrioli Mercuriatis probe eloti, sanguin. dracon. arboris veri singul. ℈ ij. Misce ad vitrum.

Externe acetum rosaceum linteo exceptum, carpis, fronti, temporibus & pudendis, vel cataplasma ex rubrica fabrili aut hæmatite, vel etiam terra vitrioli dulcis cum aceto in pultem redactum temporibus ac fronti in narium hæmorrhagia, in nimio autem mensium fluxu hypogastrio applicentur.

VIII. Ulcera, bubones, aliosque tempore criseos erumpentes tumores, ne malignitas hæc retrorsum pellatur, maturantibus cataplasmatis, aut emplastris convenientibus emolliendos esse.

Hic tamen ulteriori silentio minime prætereundum, quod fere plerique, & ex iisdem Medicorum antesignani, in scholis nuper docentes, discipulis suis, ceu dogma summe necessarium, inculcarint, ægrotantes in statu febrium acutarum criseosve tempore remediorum multitudine, quocunque nomine audiant, nullo modo aggravandos esse; sed naturæ, ac cujusvis constitutioni totum hunc laborem committi debere: eandem enim propria virtute restitantes sordes è sede sua dimovere, ac cum ægrorum levamento expellere valere. Cui sententiæ nos quidem olim fere subscribebamus, ni quotidiana experientia

rientia ac dura necessitas nos contrarium edocuisset. Quonam, quæso! fundamento tunc vires miseri ægroti innituntur, quando easdem plane suppressas, ac morbi violentia superatas conspicimus. Quotiescunque igitur morbi sævities eo perveniret, ac crisis nullatenus erumpere posset, anne tunc Medicum à recta discedere conscientia oportere opinamini? Ut tantummodo nudum spectatorem, non autem valetudinis strenuum vindicem sese exhibeat, donec subruto naturæ robore æger tandem in conspectu sui morbo penitus conficiatur, Verum enim vero, si unquam salutaria consilia, & efficacissima remedia prodesse queunt, ea profecto febribus malignis ἀκμὴν tendentibus maxime necessaria fore asserimus: & præsertim pyrotechnias ope purificati spiritus oleosi, salesque volatiles liberaliori dosi exhibiti tunc laudabiles, ac egregias suas virtutes in pene moribundis monstrare poterunt: quemadmodum spiritus vini cafura ac croco prægnans, tinctura bezoardica *Michaëlis*, mixtura simplex *Dan. Ludovici*, spiritus theriacalis Paracelsi, spiritus cornu cervi purissimus, aliique efficacissimi liquores integris cochlearibus absque ullo metu subsequentium symptomatôn morti luctantibus infundi queunt: unde confestim insignis immutatio percipietur; quia æger non tantum in faucibus, aut trachea hærentem viscidam, crudam, tenacemque blennam, suffocationem eidem minitantem, ampla excreatione, aut mitiore vomitu, aut consequente alvi profluvio, vel largiore sudoris imbre, non sine manifesto levamine, ejiciet; sed etiam inde spiritibus animalibus propemodum expressis nova supplementa scribentur, ut natura fere succumbens victoriam ab atra Parca reportare queat. Recensitorum veritatem quidem innumeris exemplis, quibus ipsimet sæpenumero interfuimus, abundanter confirmare possemus, si instituti ratio id exposceret, aut brevitatis studium nos inde non absterreret. At loco omnium quarumcunque potentissimarum probationum hic sufficient firmissima testimonia collegarum ac amicorum integerrimorum, qui in semetipsis, dum febribus perversissimi moris, purpuraque laborarent, excellentes penetrandi vires spiritus cornu cervi defecatissimi, aliorumve salium volatilium, me suppetias ferente, plus vice simplici experti fuerunt: ex quorum numero præ aliis erunt Vir Nobilissimus Amplissimus ac Excellentissimus, *Joh. Henr. Koëfferlinus*, Augustissimo Induperatori à Consiliis ac Professor P. Medicinæ olim Friburgi celeberrimus; necnon *Matthæus Harder, Johan. Conradus Peyer*, ac *Johan. Conradus Wepfer*, Philosophorum, Anatomicorum atque Medicorum nostratium triga exoptatissima.

Exinde igitur benevolus lector procul omni dubio judicabit, nostram de febribus malignis cognoscendis ac curandis sententiam à nuda, nuper in scholis docentium, auctoritate, atque ab inani conjectura, aut contemplatione consilii experte minime dependere; sed rationi ac experientiæ unice subnixam residere: inque eodem asserto eo magis confirmamur, quo certiores sumus, non paucos celebrium Medicorum, è breviario ante decennium vernacule à nobis edito, in veram febres malignas medendis methodum pertractatos fuisse, qui antehac secundum vulgatius receptas opiniones rebus Medicis operam darunt.

Quæ porro in criticis hujusmodi expulsionibus, si æger nimium delassaretur, summeque debilis fieret, observanda sunt, inferius in curatione symptomatum fusius explicabuntur.

Quomodo æger in declinatione morbi tractandus.

Postquam per dictas crises luis hujus contagiosæ causa penitus è corpore expulsa fuit, extemplo ab ulteriori remediorum superius præscriptorum usu abstinendum; excepta mixtura qua cardiaca, de qua sæpius cochlear unum exhibeatur: ne ab impetuosius proritato sudore contumacior alvus, sudores colliquescentes, vel ob humoris largius ab intus profusi dispendium ipsa tabes contrahatur.

Crisin vero munus suum absolvisse partim ex symptomatum remissione constat, partim ex pulsu, urina, respiratione, ac læto vultu, aliisque circumstantiis naturaliter se habentibus colligitur. Vires interea moderato ciborum boni succi, seu laudabile nutrimentum suppeditantium, ac concoctu facilium usu restaurentur: summopere autem, ne ægri esca nimium infarciantur, caveamus; sic n. ventriculi temperies ac functio denuo turbaretur, ita ut appetentia ciborum prorsus dejiceretur, vel etiam viribus adhuc fatiscentibus recidivæ supervenirent.

Quoniam autem sæpius ab ejusmodi secretionibus virus hoc omnino expellitur, neque plane consumitur, quod ex pulsu celeri, urina flammea, perseverante siti æstuque nimio ægrum adhuc molestantibus, observatur; ideo quotidie semel duntaxat unum ex supra dictis nobilioribus diaphoreticis sumere, atque sic reliquias virulentiæ atterere ac funditus profligare oportet. Quamprimum vero æger de die in diem melius se habere incipit, alternis tantum diebus, ac parciori manu sudorem ciens remedium propinare, mixturamque simul cardiacam ac alia corroborantia & refrigerantia non negligere conducit, donec venenum hoc radicitus extirpatum sit; quilibet tamen prudens Medicus ex supra memoratis satis superque colligere poterit, quomodo omnibus symptomatibus succurrendum sit.

Quomodo curatio in gravidis aliisque debilioris constitutionis hominibus instituenda.

Quandoque evenire solet, ut etiam infirmæ constitutionis homines, rarioris texturæ virgines, aut gravidæ mulierculæ febri hac maligna corripiantur; attamen mox à quovis sudore syncopas atque animi deliquia pati solent, ut singulis fere momentis à nimia membrorum concitatione medios inter amplexus extremum halitum efflare videantur: quam ob rem ad sudorem fortius eliciendum plane non sunt compellendi; quod etiam de gravidis alias intelligi debet. Præsertim autem spiritus salesque volatiles, atque oleosa aromatica penetrantiora assumpta gravidis obsunt, quia inde perlevi momento non tantum abortire, sed haut raro vitam amittere possent: nihilominus tamen ejusmodi

ægris

ægris mitiora remedia alexipharmaca statis horis, ut sæpius inculcavimus, exhibere quam necessarium est, inter quæ sequens potiuncula excellit.

♃. Aquæ scabiosæ vel Card. bened. ℥j. Syrupi è succo citri, vel rubi idæi ℥ß. unic. foss. bezoar. occid. cornu cervi phil. præp. sing. ℈ß. Misce pro unico haustu.

Vel ♃. Antim. diaph. ℈j. cornu cervi philos. præpar. unicornu fossil. singul. ℈ß. M. F. Pulvis subt. in jusculo aut decocto ordinario totus sumendus, donec lenis malor cum ægrotantis levamine per cutis spiracula sensim exudet.

Huic quoque intentioni sequentia, videlicet bezoardicum minerale, Lunare, Solare, aut sudoriferum maximum *P. Joh. Fabri*, seu *Dan. Ludovici* ad gr. x. specificum stomachicum Poterii ad gr. xx. in pauxillo conditura rosarum aut oxytriphylli sumpta, congruentia sunt.

Cæterum iisdem ægris quoque mixturæ cardiacæ ac refocillantes enixa diligentia frequentissime sunt exhibendæ; at quia à suaviter & vehementer olentibus mox læduntur, etiam nec confectionem alchermes ferre queunt: ubi & reliquas ægrarum circumstantias apud imbeciles hasce rite advertere oportet. Maxime vero tunc omnes refrigerantes ac mixturæ cardiacæ syrupis aut coagulis acidis exaltandæ sunt, quo in fœmelles menstruus fluxus intempestive erupturus compesci aut in gravidis embryo conservari queat.

Quomodo infantes hac lue correpti tractandi.

Infantes ab uno ad sex annos difficulter ad sudorem persuadentur: quapropter in hujus defectu sæpius nonnihil ex alexipharmacis mitioribus ac jucundioribus porrigendum; aut si medicamenta penitus respuerent, iisdem cibo vel potui commixtis fallendi sunt: ex quibus mixturam sequentem sæpius felicem experti sumus, singulis duabus horis cochlearia duo exhibendo.

♃. Aquæ flor. acaciæ, Card. bened. singul. ℥iß. Syrup. è succo citri, aut rubo idæo ℥j. Antimonii diaphor. bezoard. occid. singul. ʒß. Misce ad vitrum.

Vel ♃. Syrup. citri ℥ij. Bezoard. Orient. unicornu marini, Marg. Orient. præp. singul. ℈j. Aquæ flor. acac. ℥j. Misce ad vitrum.

Hæc aqua corroborans spiritusque illustrans pariter conducit.

♃. Aquæ Card. bened. scabiosæ, fumariæ, Syrupi acidi citri, aut de rubo idæo singul. ℥j. Antimonii diaphoretici ℈ij. Bezoard. mineral. salis cornu cervi volat. singul. ℈ß. Misce ad vitrum.

Vel de sequenti pulvere quotidie ter quantum apex cultri capit, in pulte vel syrupo rub. idæi dandum,

♃. Antim. diaph. ℈ij. unicornu foss. cornu cervi phil. præpar. singul. ℈j. Succi albi præpar. Cinnab. Antimon. vel nat. singul. ℈ß. Sacchar. albiss. ℈j. M. F. Pulvis subtilis.

Mensuræ dimidiæ decocti cornu cervi aut alterius ordinarii Antimonii diaphoretici ʒß. ad ʒj. semper addi, ac quoties infanti potus exhibetur, probe agitari potest; deque eodem Antim. diaph. gr. 5. vel 6. in jure exhiberi.

Adeo consueta nobis est methodus, sagaciores delicatulosve infantes fallendi, dum iisdem recensita aliaque alexipharmaca in offis, jusculis, aut in ipsomet potu exhibemus. Jam diu hisce delicatulis omneque remedium formidantibus sequentem potum summo cum fructu præscripsimus:

♃. Sacchari albi, Antimon. diaphor. cornu cervi phil. præpar. ℈ij. vel ʒj. bezoardici min. ℈j. aquæ fontanæ mensuram integr. bulliant aliquamdiu; ac turbide potus præbeatur.

Sic etiam de magisterio antimonii diaphor. ʒj. vel de bezoar orientali ʒj. ad ʒij. probe trito aquæ fontanæ aut potui assueto permisceri, ac ad sitim æstumque febrilem compescendum dari solet; quamadmodum nuper etiam summo cum emolumento hæc Serenissimo Principi Wirtembergico Hæreditario ab Archiatris tunc præsentibus consulta & applicata fuerunt.

Adultiore ætate pueris media saltem pars remediorum hujus sect. III. cap. 4. recensitorum convenit: qui quoad reliqua, ut maturæ ætatis homines, tractandi sunt.

Quomodo capitis doloribus, delirio, & phrenitidi hoc morbo durante succurrendum.

Quotiescunque in acutis morbis, aut febribus malignis ægri capitis atrocissimis doloribus vexarentur, sequente epithemate frontis summo cum fructu notabilique dolorum remissione usi fuimus.

♃. Nucleorum Persicorum ℥ß. aut horum loco nucleorum malorum Armeniacorum, vel amygdalarum amararum tantundem, seminis peponum decorticati, papav. alb. singul. ʒij. aquæ fontanæ ℥iv. vel hujus loco aquæ betoniæ, & verbenæ singulor. ℥ij. M. F. lege artis emulsio; cui adde aquæ rosar. fragrantis, aceti antiloimici, aut in hujus defectu rutacei, vel aliüs singul. ℥j. nitri puri ʒij. casuræ, croci Orient. singul. ℈ß. Misce ad vitrum.

Hoc emulso tepefacto lintea rara complicata imbuuntur, quæ mox fronti atque temporibus applicantur, & quamprimum exiccantur, iterum renovellanda sunt; quod opus diemque continuetur, usquedum capitis dolores prorsus evacuerint. At sedulo cavere debemus, ne quicquam ipso actu frigidum fronti adhibeatur, alias perquam levi negotio pejora symptomata in capite aut ipso cerebro, qualia sunt morbus attonitus, lethargus, hypocophôsis, vel omnimoda surditas, aut etiam oculorum caligo seu visus hebetudo & abolitio succrescere possent.

In hujus epithematis defectu sequentia substitui possunt: brassica capitata sale condita, sempervivum contusum, folia vitis vel salicis, flores sambuci vel rosarum rubrarum aceto conspersi, panis domesticus cum sale culinari, vel sal aceto commixtum, puls pomorum putridorum nigrorum, aut fungi rosæ caninæ aceto aut alii liquori immersi ad tempora ac frontem applicantur; imo & gallina nigra aut alia sana, vel columba vivens per medium dissecta cruore ac interaneis adhuc calida capiti imponatur. Sic etiam in summis debilitatibus, dum animam quasi agere videntur ægri, epithemata pone carpos, ac in cordis, seu potius ventriculi, scrobiculo applicari possunt; ex quibus forsan subjunctum præ aliis excellet:

♃. Rad.

℞. Rad. Angelic. irid. Florent. singul. ℥ij. Corticis pomi citrei recentis extimi flavi ℥ß. flor. rosar. rubr. sambuci, cymarum rutæ recentis, amarici, seminis melanthii, caryophyllorum, cinamomi, nucis myristicæ, baccarum juniperi singul. ʒj. Cafuræ, Croci Orientalis singul. ʒß.

Quæ incisa & contusa tribus latioribus sacculis includantur, & aceto antiloimico, rosaceo, rutato, aut calthæ hortensis intincta brachiis ac præcordiis alligentur; ac quoties siccantur, denuo mox liquore dicto immersa adhibeantur. Pariter prodest pomum citreum vel aureum orbiculatim discissum, aceto conspersum ac iisdem locis applicatum; infantibus vero pauxillum de confect. alchermes in vino solutum ventriculo ac brachiis imponi solet.

Pedum plantis acre panis fermentum, baccæ juniperi, ruta, aut semen erucæ cum aceto in pultem redacta, vel fermentum ac allium aut cepæ cum aceto tritæ, raphanus item rusticus recens radula comminutus cum fermento ac aceto, vel lutum sali & aceto commixtum sæpius admota prosunt.

Quando vero tales ægroti intensius deliriis aut phrenitide vexantur, præter diligentem horum epithematum applicationem in utroque brachio ac pedibus, & phreneticis etiam pone aures, cantharidum aut aliorum acrium, quasi cauteriorum ope, ulcuscula pellucida excitantur: oportet autem hæcce tamdiu tenere exulcerata, neque pati cicatricem ducere, donec vesania (connatam hic non intellectam volumus) penitus extincta sint, mentisque iterum compotes fiant ægri: quem effectum ab applicatione emplastri de meliloto, cui quarta pars emplastri exulcerantis, vesicatorii dicti; addatur, obtinebis.

Ad exulcerandam ergo cutim, nobis familiare est emplastrum exulceratorium Augustanum, hoc modo à nobis correctum & concretum:

℞. Cantharidum, ceræ flavæ, singul. ℥iij. Ol. rosacei, resinæ larignæ seu terebinthinæ sing. ℥j. Thuris, myrrhæ, mastiches, cafuræ sing ʒj. Thuris ac myrrhæ pulveres subtilissimi in terebinthina liquentur; mastiche & cafura in oleo rosaceo solvantur; ceræ fusæ adde terebinthinam, in qua thus & myrrha jam liquata, dein oleum rosarum cum adjunctis, ac tandem pulverem cantaridum; & sic conflabitur emplastrum efficacissimum.

Hujus emplastri laudes vix satis prædicari possunt, uti plurimis observationibus constat.

Hoc emplastrum interdum Imperialis monetæ, nonnunquam palmæ mediæ latitudine ac cultri dorsi crassitie alutæ aut linteo superinductum, locisque debitis applicatum post elapsas horas duodecim detrahatur; deinde ulcusculum, nisi ultro rumpatur, forfice aut lanceola incidendum, serum prosiliens linteolo rariori sicco excipiendum, &, quoties hæc ulcuscula, ut supra indicavimus, aperta tenere non opus est, mane ac vesperi, donec consolidentur, foliis brassicæ, betæ aut hederæ butyro recenti obductis tegenda sunt; verno ac æstivo sole, dum solitæ plantæ recentes non habentur, auctore Excellentissimo *Johanne Ammiano*, percelebri Doctore Medico nostrate, cuti læsæ folia calthæ palustris cum butyro, maximo ægrorum commodo, imponuntur.

Quod si vero celerior cutis exulceratio in hisce affectibus desideretur, pro efficacia emplastri hujus exaltanda, ejusdem unciæ mediæ integram cantharidum tritarum drachmam adjicere solemus. Quibus hoc emplastrum non suppetit, cantharides ac semen erucæ contusa pauxillo fermenti panis commisceant, aut tithymalum, ranunculum, vel flammulam Iovis recens contusam, donec in pustulam elevetur, applicent, cæteraq; ut præcedentia tractentur.

Solertissimus *Johannes Conradus Hollander*, Medicinæ Doctor apud nos Excellentissimus, ac in secretiori pyrotechnia versatissimus summo cum fructu spiritum cornu cervi aquis temperatioribus infractum capiti in phrenitide applicare solet.

Quæ remedia in sopore gravi, lethargo, & ex adverso, quæ in nimiis vigiliis conducant.

Quotquot autem in hoc morbo sopore gravi, aut veterno seu lethargo corripiuntur, iisdem, uti superiori capite modo diximus, statim in brachiis, pedibus, cervice, aut inter scapulas exulcerationes fortiores fiant necesse est: postmodum sequentes sacculi in vino & aceto rosaceo æquali mensura junctis calefacti capiti imponantur, & antequam refrixerint, mox iterum hisce liquoribus calidis immergantur, & tamdiu applicentur, usquedum æger ab hac narcosi liberetur.

℞. Herbæ betonicæ, cymar. origani, amaraci, flor. spicæ hortensis, rosar. rubear. sambuci singul. Mj. nitri puri, sulphuris flavi sing. ℥j. sem. cumini, feniculi singul. ʒij. Incisa & contusa duobus sacculis latis insuantur.

Hi sacculi nonnunquam ita sicci super fornacem aut operculum alternatim calefacti summo cum ægri levamine adhibentur; quia crebra experientia compertum est, humidos sæpe sæpius, cum gelidi fierent, majorem noxam, quam fructum attulisse: hanc igitur cautelam ubique in ejusmodi remediorum applicatione, si caput aliquo laboret affectu, cautiores Medici observent. Nonnunquam lethargo detentis salutare est emplastrum, exulceratorium, derasis capillis toti capiti impositum: hoc enim modo serum in anfractubus cerebri fluctuans potentissime è latibulo elicitur.

Vertex & tempora frequenter oleo succini albi, aut rorismarini distillatis illinantur; interne de sequenti mixtura ant-apoplectica sæpius interdiu ac noctu unum vel duo cochlearia exhibeantur:

℞. Aqu. flor. lilior. convall. & flor. spicæ hortensis cum vino simul distillatarum, amarici singul. ℥iß. spir. cochleariæ ʒß. salis cornu cervi vol. purissimi, spir. salis ammoniaci vol. sing. ʒß. Essentiæ Castorei ℈j. Misce ad vitrum cerato obturandum.

Naribus quoque spiritus salis ammoniaci volatilis, spiritus fuliginis, aut sal ammoniacum in lixivio fortiori solutum, vel superius *sect. II. cap. 3.* descripti noduli admoveantur: interdum corium antiquum, aut schidia sulphure illita præ naribus accendi solent, donec ægrotantes è sopore expergiscantur.

Et quia in febribus malignis, imprimis cum morbus increscit, vigilias ægri moleste ferunt, ita

ita ut ab earundem diuturnitate quandoque in delirium delabantur, necessario auxilia ad illas abigendas in usum trahi debent: ex quibus præterito cap. recensita epithemata, lintea in spiritu cornu cervi madefacta, ac capiti imposita, atque vesicæ in cute, per emplastrum exulceratorium excitatæ, valdopere conducunt; præsertim si papaver aut opium extus non deficiat; intus enim opio tartis remediis, nisi diaphoreseos causa, morbo incrementum capessente, ad vigilias arcendas uti velle, esset certe languentem ad immanes ac desperabundas mentis aberrationes, præsertim si æstantes torve aspectent, cogere; at tempora iisdem sequenti linimento anodyno sæpius calide inungantur.

♃. Ungu. de hyoscamo, vel olei populni ℥ij. Olei nucis myristicæ expressi ℈ij. opii aceto soluti ℈j. ol. chamæmeli distillati, succini albi distill. singul. gr. iv. M. F. absque igne linimentum, quod detur in pyxide.

Quamprimum v. morbus declinare incepit, ut nihilominus vigiliæ invalidis magnas adhuc creent molestias, somni tempore sequens emulsum anodynum uno haustu epotetur.

♃. Sem. peponum vel cucumer. decorticati ℥ß. lactucæ, papav. albi singulor. ʒij. decocti corvi ℥iv. M. F. lege artis emulsum: cui adde sacchari diamargariti ʒij antim. diaph. lapid. cancr. præp. sing. ℈j. Misce ad vitrum.

Sic etiam tunc prosunt gr. 3. vel 4. de therica cœlesti, aut de nostris pilulis bezoardicis anodynis ad somnum capessendum, deglutita.

Quomodo oris fauciumq; inflammationi, aphthis ac anginæ prospiciendum.

Quibus ægris lingua ac os intus tenaci & viscida crusta, ab illitu vitiatæ salivæ orta, obducta sunt, iisdem antequam ullum cibum, potum vel medicamentum sumant primo spathula, vel cochleari eandem defricent, simulque salviæ folio viridi fontanæ innatante lingua è sordibus curatius detergatur; deinde os atque fauces aqua limpida, in cujus sextario nitri purissimi, aut sulfure, aut sale ammoniaco præparati, velquod adhuc efficacius, nitri vitriolati ʒij. solutæ sint, diligenter gargarizent atque eluant.

Hoc in casu, antequam inflammatio harum partium mortem alicui minitetur, venas sub lingua, raninas vulgo appellatas, absque ulla mora tundere proficuum erit: sed maxime cavendum, ne à chirurgo fortiter ac profunde scalpello feriantur; aliàs sanguis tanta quantitate profluere posset, ut ipsius animæ cum sanguine expuitio metuenda foret; cui mature sistendo nil aliud; quam candentis ferri attactus, frustra aliis ischamis prius applicatis, necessarius est.

Si v. post hæc omnia rite applicata nihilominus linguæ, oris ac faucium inflammatio nimis ingravesceret, eaque in oris siccitate, lingua arida fissa ac nigra aut squalida cinerea crusta obducta, inque faucium ac gulæ exulceratione, fissuris ac ardore furorem suum ostenderet, ab acribus, acidis salsisque, ac omnibus quæ spiculis pungentibus horrent (qualia sunt nitrum, chalcanthum ac ejus spiritus, spiritus sulphuris, alumen, acetum, diamoron, sirupi acidi) plane abstinendum esse, ipsa hujus affectus necessitas exigit; è contraria autem parte os lacte tepido, aut ejusdem sero, aut hordei cremore, vel succo è gammaris fluviatilibus, aut succo raparum sæpissime detergi ac elui debet.

Sequens etiam gargarismus, seu potius apozema, de quo interdum calide haustulum capiat æger, quam maxime conducit.

♃. Hordei mundati manipulum, cornu cervi rasi ʒij. herbæ solidaginis mediæ, florum malvæ arboresc. singul. manip. medium, fol. sedi major. recent. manipulum, gammarorum fluv. contus. No. 12. sem. cydonior. plantag. singul. ʒij. Incisa & contusa cum aqu. font. ℔ iij. vel sextariis duobus ad tertiæ partis exhalationem coquantur; dein jure hoc colato os, sæpius eluatur; ac subinde sorbillando ℥j. vel ℥ij. æger lente deglutiat.

Post singulam gargarisationem de sequenti mixtura medium vel integrum cochlear sensim frequenter delingat, cujus descriptio sic se habet:

♃. Lentoris sem. cydon. aqua ros. facti, mellis rosacei, vel sir. de siliquis singul. ℥ij. succi sempervivi recent. cochlearia iv. Misceantur probe ad fictile.

Vel de hac butyri compositione interdum frustillum fabæ majoris quantitate capiat:

♃. Butyri rec. probe loti ℥ij. diacod. Mont. ℥j. Pulv. diatragacanthi frig. ℥ß. boli Armen. præp. ʒij. Misceantur diligenter ad ollam.

Nonnunquam in jusculo calido pulveris è creta compositi Mynsichti, aut diatragacanthi frig. ʒß. singulis sex horis hauriat: quæ egregie ardori faucium, gulæ ac ventriculi medentur.

Sic quoque prosunt radix althææ saccharo condita, succus raparum cum pauxillo sacchari ad spissitudinem sirupi decoctus, ac cochleatim haustus; oleum seminis raparum cum saccharo cando linctum; item oleum amygdalarum dulce cum sirupo sempervivi mixtum, sæpiusque deglutitum injurias faucium læsarum abigere solet.

Tonsillæ viscida quandoque lymfa ita infarciuntur, faucesque eadem simul oblinuntur, ut collum enormiter inde tumescat, ægerque vix, ac ne vix quidem deglutire quicquam valeat, (imprimis si phlegmone easdem prehendat) extus ergo collum circumquaque frequenter illinendum erit oleo chamæmeli vel liliorum alborum per infusionem paratis, aut etiam summe anodyno oleo è floribus composito Cosmæ Slotani; ab inunctione qualibet collum superinducto emplastro incognito seu santalino, diachylo cum gummis, ac cataplasmate de meliloto cingendum; pariter & bono cum fructu unguentum Iovis magmate suo non spoliatum cataplasmatis instar usurpari hic poterit; proluviem ventris calide applicare pauperum ac rusticorum euporiston, non tamen contemnendum remedium est; aut epithema è nido hirundinum, albo Græco, butyro, melle & lacte conficiatur & imponatur; vel butyrum recens cum floribus chamæmeli aut hyoscyamo in linimentum coctum calide admoveatur: intus os ac fauces quoque sæpius lacte tepido, in quo ficus ac althææ radices aut folia bullierint, atque parum sacchari solutum sit, vel alio liquore emolliente gargarizent.

Quomodo pleuritidi, asthmati, peripneumoniæ & tussi medendum.

In singulo horum quatuor symptomatôn semper post mediam horam ab assumpto medicamine diaphoretico (in cujus exhibitione nimis calida vitentur) bonus haustus sequentis apozematis bechici calide bibendus, cujus descriptio hic subjuncta est:

♃. Rad. inulæ, tussilag. singul. ℥j. Glycyrrhizæ, irid. Florent. sing. ℥ß. herb. hyssopi, veronicæ, scabiosæ, flor. papav. rhœados sing. manipulum, passular. min. ℥ij. sem. fenic. ʒij. ficuum pinguium No. 10.

Incisa & contusa coquantur in aquæ fontanæ M ij. ad quartæ partis consumptionem, de colato dein jure scyphus mane ac vesperi mox post sumptum diaphoreticum seu alexipharmacon, ac noctu circa nonam horam exhauriatur, usquedum respiratio difficilis & tussis cessaverint.

Quod si vero lympha in ipsismet bronchiis ac vesiculis pulmonum ob summum lentorem, obque summam cruditatem, aut inflammationem eandem exsiccantem stagnet, ex magis incidentibus ac resolventibus apozema bechicum confici, ac eodem, ut superius, modo exhiberi debet; quod juxta hanc formulam parari poterit.

♃. Rad. Imperatoriæ, Angelicæ singul. ℥j. Irid. Florent. inulæ, Aristoloch. veræ sing. ℥ß. Scillæ siccatæ ʒ ij. Cort. ligni sancti ℥j. Herb. prasii albi. Hyssopi, pulegii, salviæ sing. manipulum, bacc. junip. ℥ ij. Sem. fenic. ℥ß. ficuum pingu. No. 16. passul. mai. ℥ iv. Mellis recent. ℥ vi. Aqu. font. ℔ vi. Coquantur in caldario, in vase exacte clauso recondita per trihorium, juri per colum trajecto, si refrixerit, adde syrupi de peto ℥ iij. spiritus salis ammoniaci vol. ʒj. Misce diligenter.

Externe interea sæpius de die adipe capi aut anseris, oleo chamæmeli per triplam infusionem parato, unguento de cynoglossa, pectorali August. vel unguento de hyoscyamo pectus calide inungatur; vel diachylon cum gummi parti affectæ imponatur, si dolor pungens in alterutro latere se prodit. Nonnulli lateri dolenti lac tepidum in vesica bubula aut suilla inclusum applicant; vel poma putrida cum lacte caprillo in pultem excoquunt, crocique pulveris tantillum inspergunt, quam linteis exceptam calide parti affectæ sæpius imponunt.

Alias in principio febrium malignarum, si statim hæc symptomata in pectore laborem ægro facessant, mixtura simplex *Dan. Ludovici* spiritus diapente, seu spir. theriacalis, spir. vini croco ac cafura satiatus, tinctura bezoardica, spir. cornu cervi, ac sal ejus vol. purissimum, spiritus ac flores salis ammoniaci volatiles largiori dosi exhibita, aut aliis alexipharmacis ac bechicis juncta quam maxime conducunt, quibus & fixiora, ut antim. diaph. bezoardicum minerale, Ioviale, flores sulfuris, aliaque sexcenta, aliorum diaphoreticorum loco, ante apozematis bechici usum assumpta, miram opem præstant; sique in suffocationis periculo versentur ægri, etiam spiritum cornu cervi ab integra drachma ad ʒij. in convenienti vehiculo præbere, aut de mixtura simplici *Dan. Lud.* vel spir. theriacali Paracelsi à ʒj. ad ʒß. uno haustu ebibere; vel etiam cum albumine duorum ovorum de spiritu vini croco & cafura farto cochlear unum vel duo; ac florum salis ammoniaci cum hæmatite, sulphure aut chalcantho sublimatorum ʒß. inter se mixtis potui dare, est quasi ægrum ex Erebi faucibus eripere: subinde quoque hi spiritus, si ægri alto prensentur veterno, soli cochleatim ori infunduntur.

In communi v. thoracis phlegmone, si cruentum pus in resolvendo moram trahit, de sequenti pulvere singulis sex horis ægri drachm. integram assumant.

♃. Sangu. hirci juxta Helmontium exiccati, lap. Cancr. præparatorum, mandib. lucii piscis, sulphur. vivi, singulor. partes æquales. M. F. Pulv. subt. ad scatulam.

Interdiu ad sputi excreationem eo melius promovendam, passulæ Corinthiacæ aqua emollitæ, vel harum sapa, aut parum rob baccarum sambuci sumantur; nonnunquam saccharum candum in ore dissolutum idem præstat.

Quod si autem febris decrescat maligna, colluviesque humorum vitiosorum tamen in pectore magna copia stagnet: unde ab eodem infarcto difficultas spirandi & alia mala inferuntur: nil igitur melius sequenti linctu materiam viscidam resolvit, attenuat, atque maturat, si subinde cochleatim deglutiatur.

♃. Syrupi scelotyrbici, de peto olei amygd. dulc. singul. ℥ij. spir. cochleariæ ℥ß. spir. salis ammon. vol. ʒj. Aquæ florum acaciæ ℥j. Misce ad vitrum.

Rusticis autem, ac pauperculis subsequens hæc mixtura egregia erit.

♃. Ol. lini rec. expressi, oxym. helleborati Gesneri utriusque partes æquales. Misce fiat linctus; de utrovis duo cochlearia singulis horis æger delingat.

Quibus hæ formulæ non arrident, hanc sibi parari curent.

♃. Olei amygd. dulc. recèns expressi, syrup. de erysimo Lobelii singul. ℥ij. Antimonii diaph. ʒj. vel hujus loco diaph. Iov. ʒß. Aqu. hyssopi ℥j. Misceantur, & ut superiora in usum vocentur.

Olim tanquam secretissimum euporiston habitum fuit stercoris caballini succus expressus, calide in pleuritide, peripneumonia ac colicis doloribus epotus, & per sudorem iterum expulsus. Nos eodem pariter summo cum fructu hoc modo uti solemus.

♃. Hippenterôn, seu scybalorum recentium stercoris equini No. 5. Aquæ Card. bened. flor. ocaciæ singul. ℥ ij.

Stent per trihorium in loco calido, dein succus inde exprimatur; cui adde.

Lauk de scilla ℥j. Spir. cornu cervi volat. purissimi ʒj. Misce, ut duobus haustibus post sex horarum intervallum epotari queat.

Ne igitur reliquiæ viscidioris pituitę in bronchiis hærentes tandem vomicam aut empiema efficiant, quod ex perpetua tussi sicca divinandum esset, conducet secretum hoc lac sulphuris verum, si inde mane ac vesperi integrum qualibet vice cochlear æger assumeret: Cujus parandi modum nobiscum ultro communicavit Celeberrimus *Joh. Henr. Koëfferlinus* amicus singularis; qui sic se habet.

♃. Sul-

♃. Sulphuris vivi aut crudi optimæ notæ P. j. salis tartari purissimi ac siccissimi P. ij. Misceantur, ut fiat inde pollen tenuissimum; quod in lebete ferreo super igne carbonum tandiu agitetur, donec instar hepatis, colorem rufum adipiscatur: massæ huic liquefactæ, ac in mortario calido tusæ affundatur spiritus vini, ab omni phlegmate liberi, sufficiens quantitas, & in leni cinerum balneo mox extrahetur tinctura satura; quæ repetitis vicibus cum vino sublimato collecta postea aquæ fontanæ affusione præcipitetur: Pulvis dein præcipitatus cis filtrum hærens, probe prius exsiccatus, denuo cum salis tartari duplo in lebete ferreo urendus, vinique spiritu extrahendus, ac fontana præcipitandus est bis aut ter. Ultima autem vice spiritus vini ab hac sulphuris tinctura per alembicum, absque præcipitatione, ad siccitatem abstrahendus est; atque relicto, in cucurbitæ vitreæ fundo, pulveri mox spiritus roris majalis, vel aqua æquinoctialis pluviæ, aut grandinis putrefactæ distillatæ debita quantitas affundenda: quæ postmodum è maris balneo iterum in vas recipiens evehantur, & videbis si nul sulphuris scobem tenuissimam in oleum transmutari; quod tamen mox liquori permiscebitur, eidemque turbidum lacteum colorem, ac gratum saporem impertietur.

Quæ remedia in vomitione enormi & singultu conveniant.

Quia vomitus, licet crebrius ægrum molestent, quandoque critici fiunt, seu in quibus universa colluvies virulenta, singularis secretionis ope, è toto corpore ad ventriculum è tubulis extillans per superiora, ceu proximam viam largiori imbre ejicitur, non statim ab exortu sistendi sunt; diutius autem perseverantes sequentibus remediis linteolo mundo vel corio exceptis, ac extensis, & scrobiculo cordis applicatis compescuntur.

♃. Fermenti pro panificio nucis juglandis quantitatem, theriacæ Andromachi ℥j. Nucis myristicæ radula tritæ ʒß. Misceantur omnia probe ad emplastri spissitudinem.

Similiter etiam sequens emplastrum stomacho extus impositum conducit.

♃. Empl. diachalcit. compl. Hildani nostræ correctionis ℥ij. Theriacæ Andromachi ʒj. Ol. Nucis myristicæ express. ʒß. Menth. distillati gutt. 10. Fiat mollius emplastrum alutæ super inducendum,

Sic quoque haut contemnendam in vomitu, nauseante stomacho, ac singultu, operam præstare solet hoc balsamum, præ stomachicis aliis, utilissimum.

♃. Olei ros. rubr. per triplam infusionem parati, myrtini comp. nostræ correctionis singulor. ℥ij. Tacamahacæ purissimæ, styracis in lacrymis, mastiches selectæ, asæ dulcis singul. ℥j. Soluta lenibus lignis, ac per linteum colata agitentur, donec pene refrixerint; quibus dein adde theriacæ Andromachi ℥iij. Bals. Peruani, Olei nucis myrist. expr. singul. ℥j. Ol. absinthii distill. caryoph. distill. Menthæ distill. chamæmeli distill. singul. ʒj. Secundùm artis regulas hæc omnia exactissime commisceantur, postea serventur in pyxide aut vitro probe munita; & quoties opus erit; inde aliquid alutæ superinducatur, ac stomachi cavo extus imponatur: si autem plus æquo liquidius sit hoc balsamum, potest rosis rubris, balaustiis ac bolo Armenate tritis ad desideratam crassitiem cogi.

Muscus pruni sylvestris, aut panis nuce myristica frictus, & aceto humectatus; vel sacculi absinthio, mentha crispa; floribus ros. rubr. repleti, vinoque madefacti, & cordis scrobiculo impositi, multum præstant.

In hisce casibus (aliter ac in principio vomitus critici) ægri à crebra jusculorum aut aliorum potulentorum sorbitione summopere sibi temperent; at virium conservandarum gratia cerasa acida, syrupi subacidi, cydonia, mespila, pruna sylvestria condita, & alia nonnihil astringentia modice sumantur: quæ etiam omnia remedia in singultu, per totum praxeos nostræ tempus summe proficua esse deprehendimus: interne hisce symptomatibus præter theriacam cœlestem, extractum theriacon nostrum, pilulas bezoardicas anodynas, anodynas regias, ac hystericas fere nulla alia remedia adhiberi queunt, cum nauseans ventriculus tam largiores potus, quam titillantes res prorsus respuat; unde his contenti plura ad horum symptomatôn mitigationem addere supersedemus.

Quid in diarrhœa & dysenteria agendum.

Diarrhœæ criticæ ante triduum non sistendæ sunt: quod si autem diutius durando ægrotantis vires nimis exhauriant, remediis acidis nullo modo intermissis, etiam sequentia leniter adstringentia & constipantia in usum trahantur medicamenta.

♃. Theriacæ Andromachi ʒj. terræ signatæ ʒß. syrupi cydonior, ℥ß. Fiat cum potu consueto haustulus una vice exhibendus.

Vel ♃. Conditura ros. rubrarum ʒij. terræ signatæ ʒj. essentiæ opii Langelotti gr. j. Misce fiat cum pauxillo sacchari bolus, totus simul deglutiendus.

Cornu cervi ustum, radicis tormentillæ pulvis, pulvis coralliorum, vel semen plantaginis ad ʒj. sumpta etiam prosunt: præsertim si debito tempore, quo sudores alias in his ægris provocare solemus, sumantur, ut hydrosin inde expectent.

Si vero profluvia hæc ventris ab ubere colluvie biliosa ex colliquescentibus humoribus ad ventriculum & intestina tendentibus oriatur, acidi certe potus acidæque mixturæ corroborantes frequenter exhibendæ; quarum hæ sequenti modo in usum vocari possunt.

♃. Aq. flor. acaciæ, cerasorum nigr. melissæ, fragorum singul. ℥iß. Syrupi rubi idæi, berberum, ribesiorum singul. ℥j. Antim. diaph. ʒiß. Bezoar. min. ʒß. Misceantur ad vitrum, & inde æger singulis fere horis cochlearia duo sorbeat.

Si quis autem lacteo colore magis afficiatur, huic talis compositio ut supra exhiberi potest; cujus parandi modus sic esto.

♃. Aqu. Card. bened. scabiosæ, syrupi ex toto citro sing. ℥iv. Antimonii diaph. ʒiß. Smaragdi præp. bezoar. occid. bezoardici min. an. ʒß. Misceantur ad vitrum.

Externe venter singulo trihorio elapso hac oleorum miscela calide totus inungatur necesse est.

℞. Olei cydoniorum cocti, mastiches sing. ℥j. Nucis myrist. expr. ʒj. Soluta dentur ad fictile.

Non minus salutare est cataplasma ex diacydonite cum vino rubro in pultem cocto, ventri calide impositum, cui pro re nata pulverem hæmatitis, mastichen, nucem myristicam, ac rosas rubeas immiscere poteris.

Dum hæc ita commendamus, tacite omnem volatilium usum tanquam suspectum, & ad humorum totam resolutionem plurimum stimulantem rejicimus; quibus tn. per intervalla carere haut possumus, cum nil magis spirituum penuriam extemplo resarciat, ac lymphæ coagula impediat, præ hisce salibus ac spiritibus volatilibus. Sed. opiata medicamenta præcedenti capite indicata etiam hic cum emolumento assumi queunt.

Pro potu ordinario emulsum amygdalinum cum decocto radicum bistortæ vel tormentillæ paratum inserviet; pauperiores decoctum radicum bistortæ vel tormentillæ solitarie, aut aquam ferrariorum, aut in qua argilla vel silices candentes extincti sunt, bibant. In coquendo jure bubulo, gallinaceo, agnino semper de ichthyocolla ʒ ij. ollæ indantur, de quo postmodum mane hora septima, circa meridiem, vesperi hora quarta, ac hora septima, noctu nona hora ac sub mediam noctem aliquot cochlearia præbeantur. In contumaciori profluvio alvi Carduus benedictus in aqua coctus, & interdiu aliquoties sorbtus egregium remedium erit; delicatiores vero solam aquam ejus distillatam decocti loco bibere poterunt.

In dysenteria eadem conveniunt medicamenta; vel de sequenti pulvere ʒß. singulis sex horis in emulso amygdalino exhibeatur.

℞. Croci vitrioli Chalybeatis dulc. sanguin. drac. arboris veri, corall. rubr. præp. unicornu foss. cornu cervi phil. præp. terræ signatæ singul. ʒj. essent opii Langelotti gr. 4. M. F. Pulvis subt. ad scat.

Huic quadrat, ut etiam hic inseratur, uterque pulvis, quo in difficultate intestinorum utimur, & sic paratur.

Pulvis antidysentericus.

℞. Sacch. alb. terræ Lemn. sing. ℥ij. unic. foss. corall. rubr. præpar. singul. ℥j. sangu. drac. veri, smaragdi præpar. boli Arm. præpar. cornu cervi phil. præp. sing. ℥ß. essent. opii Langelotti, ol. nuc. myr. sing. ʒj. M. F. Pulvis subt. cujus dosis ʒß. quæ singulis sex horis in emulso amygdalino dulci assumatur.

Pulvis stipticus pro pauperioribus.

℞. Rad. tormentillæ, bistortæ, consol. maj. flor. rof. rub. balaust. sem. papav. alb. singul. ℥ß. Terræ signatæ, boli Arm. singul. ℥iß. Nucis myrist. ʒij. opii ʒß. sacch. alb. ℥ij. M. F. Pulvis subt. ut superior sumendus.

Durante dysenteria conveniens potus pariter erit quodlibet ex decoctis superioribus; vel lac bubulum in quo chalybs extinctus sit, iisdem ad sitim inserviat, vel suberis aut prunorum silvestrium decoctum in aqua fontana. Cydonia, mespila, cynosbatus, corna, rubi Idæi fructus, ac ribesia condita, aut eorundem gelata coagula frequenter sumpta prosunt. Venter inungatur mixtura oleorum hoc capite descripta, aut cataplasma illic allegatum imponatur; vel theriacæ Andromachi ʒß. cum vitrioli Martis ʒj. rob sambuci com misceatur, trilici inungatur, ac ventri imponatur.

Quibus remediis ventris durities diuturnior, tormina ac flatuum inclusiones tollendæ.

Alvus ad triduum adstricta externe glande ex melle, sapone, sale gemmæ, aut lardi saliti frustulo ad officium compellitur; interne idem præstant pruna Damascena cocta, cremor tartari, haustus aquæ, cui manipulus florum acaciæ nostratis aut florum cerasi vel persicorum tantundem incoctum sit; bonus seri caprilli, in quo nitri puri ʒj. soluta sit, haustus, aut pilulæ Rufi aliquot deglutitæ. Ubi tormina atrocissima simul ventrem infestant, statim clyster è solo jure calido, cui oxysacch. emet. ʒj. & but. recent. ℥ij. commixtæ, vel lac tepidum, cui de oleo lini cochlearia sex ac vitella duo ovorum addita sint, injiciatur. Venter interea unguento de hyoscyamo, cujus unciis duabus Antim. diaphor. ʒ ij. Oleive anisi, vel succini singulorum ʒß. Additæ sint, calidæ inungantur.

Clysteribus nil proficientibus ex electro metallico antihectici Poterii globuli, magnitudine pisi, formati deglutiantur, à quibus ingestis semper exoptatum obtinebis effectum.

Etiam ventrem laxat Antim. diaph. nitro non spoliatum, ac flores salis ammoniaci, si de quolibet horum gr. 20. vel 30. mane ac vesperi in jure insulso hauriantur; neque etiam reticere debemus succum cochleariæ, aut nasturtii aqu. si de utrovis recenti cochlearia tria in jure salis experte bibantur: à quorum usu appetentia ciborum dejecta redit, spiritusve omnes agiliores, sanguisque ac lympha ad motum aptiores redduntur; deinde ad aliquot dies de tinctura tartari stibiata *Frider. Hofmanni* gutt. 20. sumantur.

Contra colicos dolores, pertinaciter affligentes, in hujus morbi declinatione, associatis enematibus ac unguento anodyno ante descriptis, hæc potio duobus haustibus evacuata summe proficua est:

℞. Hippenter. rec. No. 5. Aquæ rosarum, flor. acaciæ singul. ℥ß. stent per aliquot horas in loco calido; succo dein expresso adde olei amygd. dulc. syrupi papav. err. singul. ʒj. sperm. ceti rec. Antim. diaph. sing. ℈ij. Cinnab. antim. sal. cornu cervi vol. sing. ℈ß. Confect. alcherm. compl. ℈ ij. Misceantur probe ad vitrum.

Quibus remediis exanthemata, anthraces, bubones, morbilli atque varioli tractandi.

Quocunque morbi tempore exanthemata cutem fedare incipiant, sive id paribus sive imparibus diebus contingat, in diligenti supra jam præscriptorum medicamentorum alexipharmacôn usu perseverent necesse est: iisdem enim malignitas maximo cum ægri levamine, nobiliora viscera deserendo, ab interioribus ad exteriora per sudorem propellitur. Quamprimum tamen

tamen suspicio de variolis aut morbillis prorupturis adest, naturam officio suo rite fungentem fortioribus sudorem pellentibus non obruamus; quod si autem veneno huic eliminando impar, & affectibus istis quasi succumbere, vel saltem aliquo modo opprimi videatur, remediis modo supra *sect.* 3. *cap.* 8. recensitis utendum erit; emulsa quoque prosunt è seminibus napi, nasturtii, cochlearia, melonum, violarum, urticæ & simil. necnon decoctum ficuum cum sacch. cando. At horum ope nullum sudorem per vim evocare instituant: tunc enim sudor limpidiorem lympham vitiatam, non autem crassiorem ac purulentam ejus portionem expellit: unde plus damni, quam fructus sudorem magno æstu ac vi expulsum sequitur; atque varioli inter sudandum difficilius, aut ne vix quidem erumpunt, quam cute sicca, attamen molli, uti id quotidiana experientia compertum est. Videatur de hisce affectibus celeberr. *Th. Sydenham in variis opusculis.*

Bubones, parotides, ac carbunculi apparentes per repellentia, ac jure siccantia retro agendi non sunt; sed extrorsum, quo felicius prorumpant, per optima remedia alexipharmaca promovendi: externe v. resolventibus, maturantibus seu suppuratoriis, ac emollientibus cataplasmatibus aut emplastris constanter tractandi: ex quibus conducunt unguent. Iovis una cum magmate suo cataplasmatis instar impositum; puls è farina & lacte cocta, cui mel crudum ac succus chelidonii majoris additur; fermentum (aut massa pro panifico) quod allium, cepas aut scillam contusam immixtam habet; Cataplasma è lupino aut faba fressa, radice althææ, mercuriali, malva, floribus chamæmeli, meliloto, semine lini, fœnugræci, aliisve maturantibus cum lacte aut aqua coctum, cui butyrum recens, unguentum populnum, aut de hyoscyamo additum sit; Radix lilii albi vel martagi recens cum cepis contusa, ac pauxillo fermenti & butyro subacta, cui aliquid, dicis caussa, de theriaca permisceri potest; Item medulla panis siliginei, aut alius albi, falsi tamen, cum lacte vaccino aut caprillo tamdiu excoqui solet, donec in pulmentum vertatur, cui sub finem coctionis florum chamæmeli manu tritorum bonam quantitatem, & pro lubitu pauxillum croci inspergere poteris: Si vero adhuc fortius hoc cataplasma expetes, adde allium, cepas, aut radices lilii albi recentes contusas: Emplastra dein post usum cataplasmatôn convenientia erunt, emplastrum de meliloto, diachylum cum gummi, magneticum Angeli Salæ, ac emplastrum de cicuta nostræ descriptionis, & exulcerans Augustanum, aliaque plura.

Emplastri de cicuta hæc est descriptio:

℞. Resinæ flavæ recentis, succi cicutæ spissati singul. ℔j. Galbani puri ℔ß. Olei è lateribus, olei ceræ, vel ol. de cornu cervi ℥ij. M. F. empl. mollius.

Interea satis mirari nequeo, doctissimos alioquin viros reperiri, qui emplastrum magneticum ob arsenicum additum tuto in usum vocari non posse existimant, cum tamen virulentia arsenici à sulphuris ac stimmios acido penitus fracta & fixata sit, ut ejusdem spicula, aliàs luxuriantia, schematismum ob horum accessum jam mutarint, & retusa sint.

Horum certe remediorum opera crustæ putridæ ac corruptæ, una cum pure bene cocto in anthracibus ac bubonibus facilius ad separationem & exitum disponuntur, ut minori postea negotio decidant. Quamdiu vero materia ad perfectam suppurationem nondum pervenit, Unguentum fuscum *Felicis Würzii*, aut *Ægyptiacum Hildani* illinatur, cavumque dein ulceris unguento maturante repurgetur.

Bubones nonnunquam profundius intra cutem latentes lapide caustico ex argento vel salibus lixivis composito, aut ferro candente, vel scalpello ad puris effluxum aperiri debent; postea ut alia ulcera matura tractandi sunt: potest etiam, ne malignitas latius serpat, magnete arsenicali dicto sæpius circum anthraces aut bubones circulus duci.

Quid in convulsionibus ac morbis spasticis agendum.

Variæ convulsionum species febri castrensi epidemia laborantibus, in diversis corporis partibus, facie, manibus, pedibus aliisque erumpentes, quandoque superveniunt: quando itaque motus spastici faciem mire distorquent, vertex, & cervix; quando brachia, cervix ac spina dorsi inter scapulas; quando pedes aut aliæ partes spasmo corripiuntur, universa spina dorsi cum osse sacro sequenti oleorum mixtura calide inungantur:

℞. Olei vel pingued. castorei, è floribus Slotani, lumbric. terrest. singul. ℥ß. succini albi distill. ʒj. Misce ad fictile.

Interne mane ac vesperi quotidie ʒß. vel ℈j. Pulveris hujus antipasmodici pauxillo conditurae rosarum commixti deglutiatur:

℞. Antim. diaph. unic. foss. cornu cervi phil. præpar. succini albi præpar. singul. ʒiß. Cinnab. Antim. vel nat. ʒj. sacchar. albiss. ʒij. M. F. Pulv. subt. ad scatulam.

Quibus res angusta domi, mane ac vesperi radicis valerianæ tritæ ʒj. in aqua aut jusculo sumant.

Quomodo sitis intensa restinguenda.

Quia vinum in febribus continuis malignis cane pejus & angue fugiendum est, varii potus cocti ex aqua parari debent, quibus sitim ægrotantes mitigent: interea luxuriosi Bacchi nepotes mutata scena aqua sitim restinguere coguntur, nisi stygias abire ad undas velint. Conducunt itaque decoctum hordei, cornu cervi crudi, vel usti; vel bibatur aqua in qua cerasa acida, racemi oxyacanthæ, pruna alba, aut passulæ Corinthiacæ aliquandiu immersæ sint; aut spira, vel panis è simila, aliave crusta panis tosta nuceque myristica fricta aquæ injiciatur, ut pro potu ordinario inserviat; præsente diarrhœa in aqua fontana silices, chalybs, ferrum aut argilla ignita extinguantur: tussi simul affligente in aquæ fontanæ sextariis quatuor manipulus furfuris vel avenæ mundatæ coquantur: in siti intensissima, absente diarrhœa, nitrum præparatum, nitrum vitriolatum, vel pulv. pyrius in aqua solutus, aut, quod in oris fauciumve inflammatione præstantissimum audit remedium, albumina aliquot ovorum aquæ fontanæ exacte commixta bibantur.

Opulentiores ex ſyrupis è ſucco citri, rubi Idæi, acetoſæ, berberum, oxytriphylli, ribeſiorum, ceraſorum acidorum vel cydoniorum, refrigerantes & cardiacos ſibi parari curent potus, quibus ad gratum acorem conciliandum ſpiritus chalcanthi vel ſulphuris guttas aliquot pro lubitu inſtillare, atque ſæpius bonum haustum pro ſiti extinguenda capere poſſunt.

Extemporalis quoque potus è pomis citreis recentibus ac ſaccharo paratus fere omnibus aliis liquoribus hic, ob ſuavem acorem ac ſummam fragrantiam, à corticibus communicatam, palmam præripit, quia acido ſucco ferociam tumultuantis colluviei biliosæ in ventriculo fluctuantis, lymphamque putreſcentem ac colliqueſcentem compeſcit, ſimulque ob ſal vol. oleoſum, excellens ſpiritus reficiens ac cardiacum remedium eſt: hanc tamen efficaciam aliis quoque acidis, quæ ad guſtum grata exiſtunt, ineſſe, notum eſt: quibus pleraque è cydoniis ac rubo Idæo parata remedia accenſeri poſſunt.

℞. Aquæ fontanæ menſ. 1. cui infunde radula detritum corticem flavum pomi citrei majoris ſucculenti; dein diſciſſo pomo manu ſuccum fortiter expreſſum aquæ inſtilla, addendo ſacchari integri ℥ ij. vel ℥ iij. & hic potus ſiti ſedandæ proderit.

Vel ℞. Flor. roſ. ℥ß. vel ʒ vi. pom. citrei cum cortice diſciſſ. No. 1. ſpir. ſulph. q. ſ. ad grat. acor. obtinendum, aquæ fontanæ ferv. menſ. 1. ſtent per 8. vel 12. horas infuſa; dein colentur, addendo ſacchari ℥ ij. vel ℥ iij. f. tinctura ſapidiſſima.

Vel ℞. Condit. roſ. rub. ℥ ij. vel ℥ iij. ſuccum & deraſum corticem pomi citrei, aquæ fontanæ frig. menſ. 1. ex commixtis fiat potus extemporalis. Plures condituræ roſarum rubear. vel oxytriphylli ℥ ij. vel ℥ iij. in aqua gelida diluunt, ac potant. Ros vitrioli aliorumque foſſilium, necnon ſtimmios latices acidi cochleatim exhibiti intenſam ſitim reſtinguunt; rarius tamen exhibendi.

Poma, pyra, rapæve, cuncta condita, ac à ruſticis comeſta, nulli febri maligna laboranti exitio ſunt, ſitim enim magnam, ardoremque in faucibus extinguere ſolent; quare haut abſque ratione *Plinius hiſtor. natural. l. 23.* Uvas in aqua cœleſti ſervatas commendat his verbis: Saluberrimas putant Medici uvas in aqua cœleſti ſervatas, etiamſi minime jucundas: ſed voluptatem earum in ſtomachi ardore ſentiri, & in amaritudine jecoris, felliſque vomitione in choleris, eum ardore febrium ægrotantibus. Imo declinante jam morbo, ſi alvus adſtricta eſt, uvæ in vino aromatico aſſervatæ proſunt.

Quomodo æger in victus ratione, decubitu, ac aëris moderamine tractandus.

Præter juſcula gallinarum aut è carne bubula ac agnina confecta, aliaque efficaciora vix quicquam ciborum ſine moleſtia ægri ſumunt: diarrhœa vero ægrum infeſtante offæ farinariæ, quæ tamen ex jure carnis parari poſſunt; aut cremor hordei ſucco citri vel aceto auctus; quibus & proſunt gelu gallinaceum ſucco citri ubertim conditum, quo & cremor hordei gratior redditur, ſi tantum hujus, quantum illius commiſceatur; pruna Damaſcena cocta, pulmenta ex pomis, & quæ ſunt alia facilis digeſtionis eſculenta concedantur: vitandi contra cum piſcibus omnes cibi præpingues, aromatibus vel pipere nimium conditi, flatulenti, ac cruditatum auctores.

In lecto ita æger decumbat, ut aëra ambientem proximum excludere, ac facilius ad ſudandum ſe componere queat; torale autem plumis admodum repletum non ſit, ne propter gravius ſibi impoſitum pondus difficilius æger reſpiret: ab externo aëre frigido omnino arcendum eſt ægri corpus; licet aëris recentis ſpiritibusque æthereis turgidi flamen in cubiculum intromiſſum conducat; neque propter syncopes aut animi deliquiorum metum languens crebrius è lecto ſurgat aut allevetur: ſatius ergo erit ægrotanti lectum ante Meridiem, dum febrium æſtus aliæque imbecillitates aliquantum remiſerunt, ſternere; multo enim facilius tunc extra lectum per exiguam moram ſedere poteſt, quam ſub veſpera, quando tam æſtus, quam alia ſymptomata majus incrementum reſumſere; vel ſi debilitates majores ſint, quam ut erectus eſſe poſſit, mox ex uno lecto in alium transferatur; ac quotieſcunque veſicam aut alvum exonerare cupit, eidem pelvis ex orichalco, aut ea quam *Gr. Fabr. Hildanus* deſcripſit, ſupponatur; & hoc modo animi deliquia eo certius declinabuntur.

Aër in conclavi vel cubiculo ſæpius ſuffumigando accenſis lignis juniperinis aut abiegnis corrigendus eſt, ut ſupra *ſect. 11. cap. 5.* jam protulimus.

Quomodo æger in ſtatu convaleſcentiæ tractandus.

Quamprimum morbus declinare incipit, appetentiaque ciborum ægro redit, ventriculus non ſtatim multis crudis concoctuque difficilibus, aut ſupra jam interdictis cibis onerari debet, aliàs perfacile recidivas efficere febris; ſed de die in diem ita paullatim dimenſus cibus augendus, uſque dum tandem ventriculus liberaliora ingeſta abſque omni moleſtia ferat, nulloque labore digerat.

Vinum non conceditur, donec ſtomachus modicam ciborum quantitatem retinere poſſit; quod ſi fiat, in prandio & cœna aqua dilutum modica quantitate hauriendum; extra autem hoc tempus vitari debet. Non dudum in febre, niſi veteribus, vinum, nec niſi declinante morbo *Plin. hiſt. nat. lib. 23. cap. 1.* memoriæ prodidit.

Si poſt uberem nutritionem ſcrotum intumeſcat inflammatione, unguentum Iovis cum magmate ſuo calide ſæpius imponatur; intus vero proſunt diaphoretica, ut in morbo progreſſo.

Si vero decumbenti in ſtatu convaleſcentiæ pedes intumeſcant œdemate, mane ac veſperi hæc fomentatio pedibus prodeſt, ſi per mediam horam vaporem calidum inde emanantem excipiat, quæ ſic paratur:

℞. Salviæ, flor. Chamæmeli, ſerpilli, origani, ramul. pinaſtri, baccar. junip. ſingul. manip. 2. vel 3. decoquantur in aqua aut vino albo aliquandiu; dein omnia ſimul in ſitulam fundantur; utque vapor fervidus pedes ubertim lambat, ſilices, lateres, aut recrementa ferri ignita

ignita per vices immergenda; pedes operculo ſitulæ cancellato mox inſiſtant, ac linteis circum quaque muniantur, quo vapor eo fortior verſus pedes feratur.

Interne, corpore intumeſcente, prodeſt ſaſis polychreſti ℥ß. vel Antim. diaphor. ac flor. ſalis ammoniaci ſing. ℈j. ſi in jure ſalis experte aſſumantur.

Moderatæ corporis motiones inſtituantur; ægerque diutius ob virium debilitatem extra lectum non ambulet; vires tamen omnes brevi tempore, ubi aëre ſimul exteriore iterum frui datur, recolligentur.

Alvus quotidie ſuum faciat officium, neceſſe eſt. Veneri immaturius non litent; ira, timor, ac terror vitentur.

Si corpus omni humido ſpoliatum ſit, conducit per 3. hebdomadas ſerum lactis caprilli, mane ac veſperi calide ad ℥xii. potum; in effeto ſpiritibuſque orbo ſanguine, pleroſque ſenſus hebeſcente, appetentiam ſitimque naturalem ſuſpendente, ſuccus naſturtii recens ad cochlearia 3. vel 4. in jure non ſalito, mane ac veſperi, per duas hebdomadas calide potus admodum efficax erit.

Intertrigo emplaſtro ſaturnino aut ſpermatis ranarum eluditur; ſi vero ſub cute ſphacelus deliteſcat, excindendus, ac unguento Ægyptiaco ſeparandus, & ſicuti aliud ulcus ſanandus eſt.

Quod reliquum eſt, ex *ſect.* 11. ubi vitæ victuſque ratio præſcribitur, hic repetatur.

Faxit D. O. M. ut omnia, quæ hic propoſuimus, in gloriam ejus ſempiternam, miſerorum ſalutem, Medicæque artis honorem cedant. Cujus ſanctiſſimæ voluntati, æviternæ providentiæ, imperſcrutabili ſapientiæ, ac infinitæ miſericordiæ nos, ac noſtra ſtudia, haut fucata mente, ſupplices commendamus. *Henric. Screta Tract. de Febre Caſtrenſi maligna.*

Febres Intermittentes in ſpecie.

Neminem in re Medica mediocriter verſatum latet, medicamenta ad Febres intermittentes curandas numeroſiſſima circumferri: Quilibet *Neo-doctorculus*, *Agyrta*, vaniloqua & delira muliercula, treſſiſque Impoſtor, qui bullatis nugis, & ſtrophis, quæſtum captat, ementitum ſuum Febrifugum (quod vitioſa nuce non emerem) in cœlum attollit, ac inflatis buccis proclamat. Quanta pericarpiorum, periaptorum, amuletorum, carminum, ſigillorum, & veneficiorum circumvolitant dira, & infauſta agmina; Quanta emplaſtrorum, epithematum, & cataplaſmatum inquinamenta, dorſi, ſplenis & cordis regionibus; plantis pedum, temporibus, &c. admoventur: Pharmaca etiam interna omni, quæ in Pharmacopæis proſtat, formâ ab his vel illis decantantur, & vix datur vegetabile, minerale, aut animale, quod non Febrifugi titulo decoratum fuit, & ampliſſimis elogiis evectum: Febrium enim cauſâ non perſpectâ, univerſi in tenebris errabundi (ſuaviſſimæ ſanitatis reſtituendæ cauſâ) cujuſvis ferè rei, quæ ad manum fuit, periculum fecere, donec aliquid illis (ut opinabantur) ex animo ceſſit, quod protinus tanquam donum cœlitùs delapſum coluere, licèt reverâ Febris ex ſe, aut aliâ aliquâ de cauſâ (non animadverſâ) evanuerit; & quamvis, errore tandem comperto, aut impoſturæ larvâ detractâ, inanes magniloqui auriculas ſæpenumerò demittebant, nihilominus Febrifuga per fas, nefaſque in immenſum numerum excrevere, quæ dies deficeret percurrere.

Nos autem deſpectis popelli levitate, ſcotomate, & brutâ temeritate, meliora (pro facultate noſtrâ) meditantes, indigeſtam, & diffuſiſſimam Febrifugorum farraginem in meliorem & contractiorem ordinem redigere conabimur: ſupervacanea ergò, futilia, minuſque experta & uſitata rejicientes, cætera in unum quaſi manipulum colligemus, & intra certum modum coercebimus.

De humano genere peſſimè merituri ſimus, ſi ſtolidæ plebeculæ, hominumque quiſquiliis plures medicamentorum formulas, (ceu gladium furenti) permittamus; eadem igitur parciùs proferemus; non enim imperitum vulgus, ſed Medicinâ & Philoſophiâ ornatos ambimus.

Intentiones curativæ in hâc re genuinæ, & generaliores, hæ ſunt.

1. A Febribus intermittentibus præſervare.
2. Eaſdem (cum res poſtulaverit) palliare.
3. Eaſdem radicitus evellere.
4. Diatheſin febrilem emendare.
5. Damna ab his Febribus illata reſarcire.

De Præſervatione.

Præſervationis munus abſolvitur, (1.) Sanguinem à cruditatibus liberum, & ſincerum ſervando. (2.) Cruditates, ſi quando ſanguini ſuggerantur, inhibendo, quò minùs in anguſtiis hæreant, & paroxyſmos febriles pariant.

Sanguis à cruditatibus immunis ſervabitur, (1.) Cauſas Procatarcticas in hujus opuſculi limine editas tanquam peſtem refugiendo, & res iis contrarias in conſuetudinem adſciſcendo, ex gr. Aeris humido-frigidi vice calido-ſiccus, dyſpeptorum eupepta, & debilitantium vice corroborantia in uſum adducenda ſunt. (2.) Si caſu eveniat, aut vitæ ratio exigat, ut cauſas aliquas morbificas vitare nequeamus, iis protinus obvertantur diæta & medicamenta, quæ earundem effectibus vires ſuas opponunt; ex. gr. ſi quis cogatur aërem humido-frigidum ſubire, aliave humectantia in primâ cauſarum procatarcticarum claſſe comprehenſa uſurpare; hâc de cauſâ.

Aër luculentis ignibus, hypocauſtis, aromatum & odoratorum ſuffimentis (quantum fieri poteſt) emendetur.

Menſa inſtruatur cibis pipere, zinzibere, caryophyllis aliiſque aromatis conditis, carnibus percoctis, aut probè aſſatis, pane biſcocto, aliove penitiùs fermentato, percocto, & nonnihil ſiccato: Avibus ferinis aridam colentibus, cujuſmodi ſunt alaudæ, paſſeres, perdices, phaſiani, urogalli majores & minores, turdi, ruſticulæ, gallinagines, merulæ, coturnices, &c. Avibus etiam aquatilibus ferè omnibus præter anates, anſeres, aliaſque planipedes. Inter manſuetas eidem uſui inſerviunt gallinæ, capones, pipiones, galli & gallinæ Numidici. Ex quadrupedibus in menſis commodiùs apponuntur cuniculi, lepores, verveces, aliaque animalia firmiori,

miori, & minùs mucosâ carne prædita, modò non sint nimis annosa. Inter animalium partes caro musculosa, corda, jecora, & linguæ exsiccatæ cæteris, anteponenda.

Præmissis annumerandæ sunt Radices battatæ, pastinacæ, bulbocastani, sive glandis terræ; Argentinæ, sisari, symphyti, eleoselini, raphani rusticani; Cepæ, porri, allii, eringii, angelicæ, zinziberis, & si quæ aliæ sint calidæ, aut siccæ e sui aptæ.

Cortices aurantiorum, limoniorum, citreorum, sassaphras; Cassia lignea, cinnamomum, nucis myristicæ involucra, *&c.*

Herbæ & folia; ut Cerefolium, nasturtium aquaticum, hortense, & hyemale; Beccabunga, petroselinum, piperitis, pulegium, serpillum, porrum, cepula, allium ursinum, hortense, & sylvestre, alliaria, hypposelinum, tanacetum, draco herba, hedera terrestris, rosmarinus, ruta, mentha, salvia, majorana, satureia, fœniculum, absinthium, horminum, anisum, balsamita, pimpinella, omniaque calidiora, quorum sapor gustui arridet.

Semina anisi, coriandri, fœniculi communis & dulcis, carui, dauci, erucæ, sinapeos, anethi; Cardamomum, grana paradisi, caryophylli, aliaque calefacientia & siccantia quæ alliciunt, & palatum permulcent.

Fructus & baccæ, ut nuces moschatæ, cubebæ, baccæ juniperi piper, mespili, corna, amygdalæ, cinaræ, nuclei pini, capsicum, baccæ Bunæ arboris (vulgò *Coffee-berries*) mala cydonia, cerasa nigra, mora, nuces juglandis, pyra licciora, olivæ fructus exsiccati, *&c.*

Flores Croci, salviæ calendulæ, menthæ, sambuci, paralyseos, nasturtii aquatici, & Indici; primulæ Veris, lupuli, lavendulæ, anthos, *&c.*

Aromatica omnia, & quævis alia calidosicca alimentaria, & salubria.

Ex præmissis quisque arbitratu suo parare potest convivia, dapes, secundas mensas, embammata, acetaria, condimenta, prout vi um fuerit, locique & convivarum consuetudo fert.

Potus sit vinum. præsertim austeriusculum & stomachicum, ut Rhenanum, rubrum, vel album Gallicum, *&c.* Cerevisiæ fortiores lupulatæ, probè coctæ, penitiùs fermentatæ, & claræ; Hydromel, cerevisia, & vina absinthio, centaurio, vel herbis, fructibus, seminibus, & floribus modò memoratis alterata.

Animus sit hilaris, nullo mœrore, aut solicitudine cruciatus.

Exercitationes frequentes, eá tamen lege, ut spiritus potius reficiant, quam dissipent, & defatigent.

Alvus sit satis laxa; & subinde sudor, urina, & sedes (catharticis lenioribus mox enarrandis) provocentur. Vigiliæ paulò protractiores.

Medicamenta efficacissima sunt amara, ut *Cortex Peruvianus*, centaurium minus, radix gentianæ, serpentariæ Virginianæ, & contrayervæ; Semina & folia Cardui benedicti, absinthium, chamæmelum, ejusque flores, summitates abietis, cupressi, *&c.* Salia absinthii, Cardui benedicti, rutæ, genistæ, thymi, tartari, veronicæ, scordii, & viperarum; Sal Ammoniacus, *&c.* Omnia exsiccantia, calefacientia, diaphoretica, diuretica, & anti-hydropica, ut lignum sassaphras, guiaci, buxi, fraxini, santala omnia, lignum Lentiscinum, *&c.* Radix sarsæparillæ, enulæ campanæ, fœniculi, petroselini, apii, *&c.* Summitates pini, juniperi, *&c.* Aqua calcis vivæ, *&c.*

Secundæ causarum procatarcticarum classi, nimirum debilitantibus, utpote hæmorrhagiis, &c. opponenda sunt corroborantia, analeptica, spiritusque & sulphur restaurantia, & stomachica præstantiora ex præmissis ferè deligenda; quibus adjicere licet cupedias lautiores, & generosiores ex vinis & euchymis confectas, ova sorbilia, avenæ gelatinam (*Anglicè Flumrp*) cum vino Canarino & saccharo devoratam, cinaram, animalium juniorum testiculos, glandulas, & linguas, radices tragopogi, consummata & expressa omnia minus mucosa cum vinis comesta, pistacia nucleos pini; *&c.*

Potus constet ex vinis opulentioribus, & cerevisiis fortioribus, præsertim superius laudatis.

Aër sit serenus, tenuis, & perflatus. Exercitationes moderatæ. Animus erectus, omni mordaci curâ, aut mœstitia vacuus. Excreta & retenta mediocria. Somnus refectioni idoneus.

Tertiæ causarum procatarcticarum classi, quæ ex dyspeptis constitit, adversantur omnia stomachica præsertim amara modo recensita.

Potus constet ex vinis austeriusculis, cerevisiis satis vetustis, absinthiatis, centauriatis, *&c.*

Aër sit purus, & serenus. Exercitationes frequentiores. Animus minime perturbatus, & curâ solutus.

Excretio satis libera; convenit purgantia stomachica leniora subinde usurpare; qualia sunt Tinctura sacra, decoctum amarum, Hiera picra, Aloë rosata, Pilulæ stomachicæ cum gum. Pil hieræ cum Agarico, vel Tertareæ Quercetani. Vigiliæ nonnihil producantur.

Cruditates jam sanguini suggestæ (quæ ex causis procatarcticis, appetitus dejectione, urinæ cruditate, aliisque cacochymiæ signis deprehenduntur) inhibentur, quo minus in angustiis hæreant, & paroxysmos febriles evocent, si in eo statu serventur, quo sunt, priusquam Febris in actum educatur; hoc est (uti ex cap. de Quotidianis apparet) si cruditates satis comminutæ in sanguine tranquilliori, & compactiori detineantur, ut angustias permeare queant: Et tandem prorsus tollantur.

Cruditates eo statu custodientur. (1.) Si earum incrementis obstemus, ne (uti in cap. de Quotidianis ostenditur) redundantes, & sanguinem superantes corporis angustias occupent; aut crassiores de novo suppeditaræ easdem trajicere nequeant.

(2.) Si sanguis ab omni perturbatione (graviori saltem) immunis perstet, nè (uti in cap. de Tert. Vernal. monstratum fuit) coalescentes angustias oppilent.

Cruditatum incrementis occurrit, qui omnes Febrium intermittentium Causas Procatarcticas devitat, & contrariis se assuescit ut suprà.

Si cathartica primis viis detergendis visa fuerint commoda, præstantiora stomachica, abstersiva, & cruditatibus adversantia seligenda sunt, cujusmodi sunt, quæ in hoc cap. proposita fuere.

Notandum tamen, quòd catharsis blandè saburram subducens instituenda est. (1.) Quia metuendum est, ne vehementiora sanguinem exa-

exagitando, reserando, & fundendo latentem diathesin in actum deducant. (2.) Ne vires, & spiritus diminuendo sanguificationi derogent, & cruditatibus generandis non parùm tribuant: Quinetiam primarum viarum sordes faciliori catharsi dejiciuntur.

Consultum duco, ut hujusmodi cathartica in forma solidâ sub ingressum lecti exhibeantur, quoniam hujusmodi forma, somno & quiete insequentibus, mitiùs, & seriùs operantur; &, ut plurimùm, proxima priùs affulget Aurora, solitaque instat surgendi hora, quam turbas cieant; quod tamen, ut adhuc securiùs præstetur, omnisque perturbatio, & intempestiva noctu molestia avertantur, expedit Laudani opiati g. j. (plùs minùs) necnon *Corticis Peruviani* tantillum dictis blandioribus catharticis adjicere.

Cathartici formula.

℞. Mas. Pil. hier. cum Agaric. Tartar. Quercetan. ana gr. 16. *Cort. Peruvian.* subtilissime super Marmore lævigati ℈ß. Laudan. Opiat. gr. j. Syrup. Absinth. q. s. M. F. Pil. num. 6. sumend. sub lecti ingressum; repetantur quoties opus fuerit primas vias detergere.

Pari ratione in vomitoriis præscribendis, vix ultra Zythogalam carduatam affatim haustam oxymellitis scillit. aut vin. scillit. ℥ij. aut saltem Vitrioli ℈ij. vel ʒj. assurgendum est, nec Medico excidat paregoricum ab emetici operatione semper propinandum, quo exhibito, somnus & quies imperentur, ut, si qua a vomitorio perturbatio oriatur, è vestigio, priusquam furibunda evaserit, & diathesin febrilem in actum exsuscitaverit, sedetur.

Formula paregorici.

℞. Aq. papav. rhead. ℥ij. Cinnamom. hordeat. Menthæ ana ʒj. Diacod. ℥j. M. F. Haustus, finita vomitorii operatione, sumendus.

Sanguis debitam consistentiam, & tranquillum suum statum retinebit, si nullæ causæ excitantes (quæ *cap. de Tert. Vernal.* recensentur) interveniant; proinde oportet ut in eis vitandis omnem operam locemus. Et, si necesse fuerit, paregorica, refrigerantia, & astringentia, ut alumen, bol. Armen. corall rubr. Margaritas, rad. tormentill. bistort. *&c.* Usurpemus; vel styptico-amara, quæ (experientiâ testante) eximiæ virtutis sunt ad sanguinis tumultus consopiendos; ut *Cort. Peruvian.* aut rad. tormentillæ, cum rad. gentianæ, aut summitat. centaurii minoris mixta, *&c.*

℞. *Cort. Peruvian.* in alcool redact. ʒj. Syrup. è corall. è ros. siccis ana q. s. M. F. Bolus horâ somni sumendus.

Maximè convenit, ubi vigiliæ urgent, aut perturbationis in sanguine orientis suspicio habeatur, huic Bolo addere Laudan. opiat. g. j.

Cruditates penitùs tolluntur earum coctione, & evacuatione, sedulò tamen cavendum, ne, (cùm omnis coctio à calore fiat) sanguine nimis rarefacto, & agitato, cruditates dimittantur, & paroxysmos excitent. Quare in caloris gradu moderando omne Medici studium ponendum est, omnesque cogitationes ejus configendæ; Calorem Vernalem, qui cruditates Hyeme congestas sensim, & placidè (nisi sanguis à causâ aliquâ excitante inquietetur) sine febre absumit, tanquam debiti caloris aptissimum exemplar proponimus; Verè ergò (evitatis solummodo causis excitantibus) totum opus naturæ (sive potius benigno ejusdem calori) concedatur, ni tempestas sit, aut constitutio humido-frigida, aut dispositio cacochymica subsit, tum enim temperare calidis, & liquoribus paulò generosioribus (multò verò magis autumno & Hyeme) indulgendum est; prudenter tamen & cautè cum eis mercandum, interpositis nimirum styptico-amaris, ut *Cort. Peruvian. &c.* Paregoricis, & astringentibus; & his ultimis convenit pericarpia modico sale imbuta continuò gestare; nec addubitet Medicus hujusmodi tempestatibus, & constitutionibus paulò calidiora permittere, cùm sanguis ex se segnior sit, pacatior, & compactior, quàm ut statim (sine gravissimâ causâ) in furorem erumpat; at si nihilominus eundem gliscentem deprehendas, prædicta mitigantia in auxilium evocanda sunt, uti & venæsectio, clysteres, omniaque refrigerantia. Hoc pacto plures Febres tam intermittentes, quam continuas avertere potes, quamvis hæc methodus rarò aut nunquam usurpatur, imo vix quidem advertitur. *Vid. hujus Partis cap. 3.* Ubi materiæ morbificæ coctio & institutio tractatur.

Curatio perfunctoria, seu palliativa, quâ paroxysmi, materiâ morbificâ non subductâ, sistuntur.

Non rarò ob labascentes, fractasque vires, & Febris acerbitatem, ægri in summum vitæ discrimen conjiciuntur, tum Medici probi, & prudentis est, quasi passis velis contendere, ut eos ex fati faucibus eripiat, nè mors morbum occupans omnem curandi ansam præscindat; quapropter paroxysmi temporiùs, & quasi tumultuariè inhibendi sunt, & ad efficacissima palliativa, quæ confestim paroxysmos prosternunt, tanquàm ad sacram anchoram (in quâ unica spes est) confugiendum, sunt enim ex illis aliqua, quæ penè inter mortuos quasi ab inferis revocant.

Porrò, operæ erit pretium paroxysmos supprimere, cùm ægri itinera (non aliter commodè conficienda) suscipere, ac res momentosas (aliàs insuperabiles) transigere cupiunt; & ut induciæ, & levamen gravius excruciatis afferantur; ac non rarò, ut absolutiorem curam felicius auspicaremur, uti sequentibus patebit.

Paroxysmi, non sublatâ materiâ, morbificâ, inhibentur, omnia ad eum statum, quo constituta erant, priusquam diathesis febrilis in actum evocata fuerit, redigendo; dictus autem status (uti sæpiùs innuimus) in hoc consistit, ut cruditates satis comminutæ angustias pervadant, & sanguine firmiori crasi prædito conclusæ nullas perturbationes cieant. Quapropter,

Ad paroxysmos abigendos,

1. Cruditates coalitæ denuò conterendæ sunt. Quò expeditiùs sanguine, & sero permixtæ, angustiores meatus pervadant.

2. Sanguis compescendus est, & ad constantem, firmamque compagem reducendus; Si enim, hoc posthabito, & neglecto, cruditates (sine debitâ earum coctione & evacuatione)

comminuantur; aut impensiùs sanguinem reserantes, libereque per angustias trajectæ, Febrem protitabunt; aut (uti ostendimus) sibi invicem occurrentes coalescent, in angustias hærebunt, & recidivam accersent.

Quæ maximè quascunque res comminuunt, sunt ignis, sive calor; fermentatio, corpora asperiora, & duriore motu prædita. Unde fit quod ignis ferè nihil non in cineres, fumum, calces subtiliores, *&c.* redigit; Calor tincturas elicit, digerit, coquit, *&c.* Fermentatio sales, & olea in spiritus comminuit, *&c.* Quòd limæ, raduiæ, serræ, lapides molares, *&c.* res illis admotas in pulveres redigunt; & sabulum, arena, lapidum pulveres, pumex, cineres, *&c.* sordes conterendo, & abradendo vasis ligneis, metallicis, *&c.* nitorem afferunt; quòd pulvis corallii, fictilium, Chinensium, sales, (imprimis austeriores, magisque styptici, ut alumen, vitriolum, *&c.*) plantæ astringentes asperiores linguam, fauces, dentes, ac alia quæcunque à squaloribus suis vindicant; quòd optime detergunt; & Omasariæ, Coqui, Icthyopolæ, *&c.* intestinorum, carnium, limacum, anguillarum limositates sale absumunt; quod viscosa, & mucosa vix sine cinerum, calcium, aliorumve pulverum, aut salium admistione, quibus plurimùm conteruntur, dividuntur, & distrahuntur, destillari queunt.

Lubentissimè agnoscimus ignem, calorem, & fermentationem corpora penitissimè comminuere, materiæque morbificæ coctionem (quæ nihil aliud est, quàm consummatior ejusdem comminutio) absolvere; nihilosecius paroxysmis solummodo palliandis ineptissima sunt. (1.) Quia sanguinem magis, quàm res fert, exagitant, & rarefaciunt, adeoque intentioni eundem pacandi, & confirmandi, obnituntur. (2. (Æstum promovendo ægris plurimùm attritis extremam debilitatem afferunt (3.) Cùm solâ coctione operantur, quæ tardiùs (unâ forsan aut alterâ septimanâ & quandoque pluribus) perficitur, evenire potest, ut morbus calore exacerbatus priùs febricitanti vitam adimat, quam cruditates hoc pacto debitè subigantur, & evacuentur. Nec hæc quidem palliatio, sed integra dicenda erit curatio; quæ ad cap. seq. spectat.

Aspera ergò, & dura, ut terrea, salina, aut terreo salina, eaque sola nostro scopo respondent.

Sales verò cruditates efficaciùs comminuunt, quoniam promptiùs sanguinem ingrediuntur, & in corporis angustias (ubi cruditates delitescunt) citiùs admittuntur, quippe è ventriculo ob eorum fusionem, & acrimoniam, quâ ejus membranæ irritantur, illico ejiciuntur; dein ob vim suam penetrativam in venas lacteas oxyus se insinuant, nullaque morâ factâ sanguinem subeunt; ubi aquosiori seri parte (cæteris omnibus in vasis sanguiferis contentis tenuiori) soluti, & delati, motûs arterialis adminiculo quosvis (vel angustissimos) corporis meatus rimantur; ac cruditates inibi stabulantes conterunt, & abstergunt; nec utique mirum; cum in carnibus inanimis, & frigidis sale conditis, (quarum pori calore deficiente, constringuntur; quibusque nulla arteriarum protrusio, aut sanguinis fermentatio, penetrationem adjuvat, aut naturalis excretio cruditates amandat) limosas sordes absumunt. Hac ratione salia lixivialia, sal tartari, vitriolum Martis, *&c.* (dum hujusmodi sordes meatus obstruentes conterunt & abstergunt) tanquam egregia aperitiva meritis encomiis evehuntur, unde leucophlegmatias, cacochymias, hydropes, aliosque morbos à crassis, & lentis humoribus enatos radicitus evellunt; Quoniam dictos humores conterunt, fundunt, & sequaciores reddunt; poros excretorios expurgant, & corporis stagna per sudorem, urinam, sedes, *&c.* eliquant: Proinde probatissima etiam sunt exsiccantia, cùm eorundem ope omnes superflui humores excernuntur.

Sic mucum, quo intestina muniuntur abradentes, & membranas solicitantes sedes movent, & tormina excitant: Infusis, & decoctis dissoluta (penetrando, & abstergendo) medicamentorum vires eliciunt, crassiores, ac tardiores mulieres, agrosque palustres (humiditates exsiccando) fœcundant. Hinc fit, quod cineres, & calces egregia sunt hujusmodi terrarum lætamina.

Concesso itaque, quòd luxuriantes humores salium vi e corpore derivantur, sanguis tersus magis, & compactior necessariò evadit. (1.) Quia liquidior ejus pars, quâ dilutus fuit, decit; & propriæ ejus partes magis exsiccantur. (2.) Aliquatenus etiam ob infixos salium cuneos obrigescunt. (3.) Sublatis interfluis humoribus, sibi invicem propiùs accedunt, & sanguis confirmatur, quælibet enim res, absumpta ejus humiditate, ni ex partibus rigidissimis confletur, contrahitur, & firmiorem compagem acquirit; uti in spongiâ, lignis, caulibus, fructibus, granis, seminibus, &c. Necnon in ipso cruore emisso & frigefacto conspicitur. Concludimus ergò salia (præterquam, quòd cruditates comminuunt) sanguini firmiorem crasin (alterum nimirum ad paroxysmos tollendos requisitum) largiuntur; propterea nonnunquam ex se paroxysmos tollunt.

Terreæ tamen particulæ (quæ & ipsæ asperitate suâ cruditates conterunt) sanguinis consistentiam à salinis particulis (modo præfato) inchoatam consummant; his enim stypticitas, omnisque insignis constrictio debentur; quæ ideò rarefactioni, & dilatationi (sine quibus fermentatio institui nequit) validissime resistunt, & tumultus ferè omnes restringunt. Hâc ratione materiæ morbificæ à salinis & terreis particulis comminutæ, ut angustias pervadat, à stypticis & astringentibus frænum injicitur, nè perturbationes pariat, aut sanguinem transiliens in angustiis congeratur; omniaque simili statu, quo, dum Febris in fieri erat constituuntur; & paroxysmi evanescunt.

Tam salinas, quàm terreas particulas materiam morbificam comminuere planè cernimus; illæ vero magis comminuunt; hæ potentiùs astringunt, ab utrisque verò simul junctis debitam cruditatum comminutionem justamque sanguinis coactionem assequentes scopum destinatum attingimus; & paroxysmi inhibentur, donec aut medicamenti vires conficiantur, aut causarum Febrem excitantium aliqua (ut purgatio, vomitio, intempestiva exercitatio. *&c.*) Sanguinem denuò exagitans, & reserans (eadem

dem planè ratione ac insolatio, purgatio, *&c.* ubi diathesis subsit, Tertianam Vernalem inferunt) recidivam evocat; quæ aliàs in terreo-salinarum usu persistendo, & causas excitantes fugiendo, certissimè anteverti potuit. Sed hoc magis ad perfectam curationem (seq. cap. proferendam) spectat.

Ex his cernere est, terreo-salina in paroxysmis abigendis primas tenere. Salia enim sine terreis particulis non satis efficaciter sanguinis compagem constringunt, & sero dissolutæ ocyus se è sanguine surripiunt; ac, pro eorum vi penetrativâ per diaphoresin, diuresin, ac sedes, faciles exitus inveniunt. Terreæ itidem particulæ sine salinis cùm duriores sint, sicciores, ac indomabiliores, & pylorum constringunt, nimias in ventriculo moras trahunt, vixque ob crassitiem suam sine optimis illis viæ ducibus venas lacteas (ab eisdem etiam contrictas) ingrediuntur. Porrò, sales ad terreorum vires meliùs eliciendas conducunt; & terrea humoribus, & cruditatibus non adeò se immiscent, & implicant, ac salia; nec in angustiores meatus, quos cruditates occupant, promptè adeò se insinuant.

Ubi verò major comminutio, & minor constrictio requiritur, uti in sanguine torpidiori, & brumali tempore, salia quandoque paroxysmos fugant. Quandoque etiam mera terrea, ubi nempe major constrictio, minor comminutio desideratur, uti in sanguine rarefacto, ubi cruditates satis sunt comminutæ, sive semi-subactæ. Tamen tum hæc, tum illa seorsim sumpta minùs fida sunt, quàm terreo-salina, quæ adhibitis cautelis mox subjiciendis, vix unquam optato eventu nos destituent.

Ad sanguinem pacandum, ejusque perturbationes consopiendas egregiè sanè conducunt narcotica, & paregorica. Sed, cùm humores condensent potiùs, quàm comminuant, eorumque vires illico evanescant, medicamenta tantùm subsidiaria sunt, quæ, urgentibus nimiis sanguinis fermentationibus, vigiliis, doloribus, diarrhœis, *&c.* Usui esse debent; & tum quidem (quatenus tumultus sedant & sanguinis constrictioni non parum afferunt) plurimi æstimanda sunt.

Nostram de terreo-salinis sententiam ratione & veritate niti ipsa palliativa evincunt, tum interna, quorum præcipua sunt *Cortex Peruvianus*, alumen, vitriolum Martis, radix tormentillæ cum amaris, & salibus exhibita: tum externa, ut pericarpia ex bursâ pastoris, plantagine, radicibus tortillæ, bistortæ, pentaphylli; pilosellâ, visco oxycanthæ querci foliis, gemmis, visco, aut cortice teneriori; equiseto, floribus balaustii, rosis rubris, fructu cynosbati, prunis sylvestribus, mespilis, malis Cydoniis, & multis aliis astringentibus cum sale communi, alumine, aut alio quovis sale, vel aceto contusis, & in cataplasmatum formam redactis; vel ex conservis astringentibus, rosarum nempe rubrarum, prunorum sylvestrium, *&c.* Quæ cum saccharo (salis unâ specie) conficiuntur: Astringentia autem unanimi omnium consensu à terreis particulis, & amara à terreo-salinis vim suam mutuantur, præclara ergo, & præstantissima (si non omnia) Palliativa sunt terreo-salina. Alia cataplasmata, emplastra, *&c.* Ex discussivis, & calidis composita, materiæ morbificæ coctioni, adeoque Febris curationi absolutiori, non vero palliationi (uti in seq. cap. patebit) inserviunt.

Cataplasmata terreo-salina hac ratione operantur. Salia cataplasmatum humore dissoluta quoddam muriæ genus efficiunt, quæ astringentium (seu terreorum) vim potenter elicit sibique adsciscit; eadem muria ob dissolutas salium particulas validissimè penetrat, quare cataplasmatis carpis, ubi pulsus micant, aliive teneriori parti, tenui, & rarâ cute vestitæ, & vasis sanguiferis distinctæ admotis, dictæ muriæ (quæ quasvis vel solidiores & inanimatas carnes penetrare valet) facilis ad sanguinem patet aditus, eoque magis, quoniam partes cataplasmatis subjectæ humido eorum tepore tenerescunt; Proinde, cataplasmatis nocte dieque gestatis, salinæ, & terræ particulæ sanguini continuò suppeditantur, donec earundem sufficiens (ad cruditates comminuendas & sanguinem compellendum) quantitas suggeritur, unde paroxysmi (eâdem ratione, ac si terreo-salina per eos introsumpta fuissent) sistuntur.

Nihilominus nullus dubito, quin pericarpiorum, *&c.* stricta ligatio auxilii aliquid adferat; quandoquidem (rarissimè licet) ipsæ ligaturæ paroxysmos inhibent; non quia (uti vulgò traditur) sanguinis motum interrumpentes febrilem fermentationem sedant, (quæ enim sanguinis motum impediunt eundem in furorem adigunt) sed quia dolor, qui à ligaturis fit, partes sensiles indesinenter lacessens, continuam earum contractionem (quæ etiam evenit à gravi, & permanente formidine, ab immersione in aquâ, *&c.*) parit; quæ mirâ ejus communicatione in *Part. prim.* expositâ, totam membranarum seriem pervadit, vasaque sanguifera & omnes partes contractioni aptæ, dolore persistente, coarctantur; crudæ ergo particulæ in sanguine (non secùs ac si ab astringente fiat) compresso (ad tempus saltem) detinentur.

Quòd celeberrimus *Cortex Peruvianus*, cujus effectus, & præstantiam omnes summâ cum admiratione intuentur, terreo-salinus sit, sole Meridiano clariùs elucet. Nemini ignotum est stypticitatem terreis, amaritudinem terreo-salinis particulis deberi; sed *Cortex Peruvianus* est styptico-amarus: Ergò.

Non oleosus est, aut sulphureus, cum minùs sit inflammabilis; nec spirituosus, quoniam non tanquam corpus spiritibus refertum sensus ferit; nec aquosus, quia impensè siccus est; Ergò terreo-salinus est.

Quinetiam arte Chymicâ solicitatus terræ & salis multùm, spiritûs, olei, aut aquæ exiguam quantitatem præbet.

Quo magis alia palliantia terreo-salina sunt, eò certiùs paroxysmos tollunt; at *Cortex Peruvianus* omnibus aliis longè antecellit; quapropter necessarium videtur, ut terreo-salinus sit.

Sic tandem proditur quâ ratione præclarus ille *Cortex* ab Indiâ petitus, & astringentia salibus, vel amaris juncta, tum internè tum externè adhibita accessione febriles supprimunt.

Quòd autem *Cortex* inter terreo-salina facilè palmam præripit, & paroxysmos febriles quàm certissimè fugat, Medicos penè omnes in admirationem rapit. Sed advertendum, Quòd in quibusdam terreo-salinis particulæ salinæ terreis laxè,

laxè, & dissolutè alligantur, horum terreæ particulæ in ventriculo cunctantur, vixque venas lacteas subintrant, sed trajectis per intestinorum foraminula munitioribus, & acrioribus salinis, crassioribus his particulis introitus denegatur, & salinæ à terreis liberatæ in sanguine minùs efficiunt. Hujusmodi terreo-salina facilè dignoscuntur, quia gustui vix alium quam salinum saporem, relicto circa linguam, & fauces stypticitatis sensu, suppeditant; solæ enim salinæ particulæ, terreis exteriùs relictis, quæ stypticitate suâ fauces afficiunt, percolantur, & linguæ porulos penetrant. Hujus generis sunt alumen, vitriolum commune, vitriolum Martis, & salia cum astringentibus arte tantùm coagmentata; quæ ideo alvum etiam magis constipant, propterea quòd, salinis particulis per venarum lactearum oscula trajectis, terreæ magnâ ex parte in intestinis restant.

In aliis terreo salinis terreæ & salinæ particulæ firmiùs cohærent, & arctiùs se invicem amplectuntur; tum è ventriculo simul ejiciuntur, & venas lacteas subeunt, junctisque viribus paroxysmos debellant. Hæc amaritudine suâ dignoscuntur, quæ (in nos nostra fallit conjectura) ideò sentitur, quia terreæ & salinæ particulæ arctiori nexu combinatæ linguæ poros unâ permeantes, ob terrearum asperitatem sensum rudiori modo, & ingratiùs feriunt, aliter non reddi potest ratio, cur non, (cùm amara sint terreo-salina) omnia terreo-salina sint amara; & cur non amara (saltem magis terrea) non perindè, ac Vitriolum Martis, aut alumen alvum constiparent.

Ex his demùm alia magis, alia minùs terrea sunt; hæc quia sal in illis prædominatur amaritudine suâ citiùs, illa tardiùs gustûs sensorium afficiunt, & amaritudinem suam aliquatenus reservare videntur; quia terræ copia requisitam penetrationem retardat. Quamvis hæc., & illa cruditates comminuere valent, amara tamen magis terrea sanguinem potentiùs constringunt, adeoque palliationi summum fastigium imponunt, & in hoc *Cortex Peruvianus* omnibus aliis amaris antecellit.

His præmissis, exigui erit negotii, quamvis maximi momenti, omnium phænomenon à Corticis Peruviani usu provenientium rationes patefacere. Quamobrem, cùm sit omnium palliativorum præstantissimum, cæterorumque scientia ex ejusdem consideratione elucescat, eis brevitatis causâ valedicemus, & ad hunc palliativorum facilè principem calamum restringemus.

Obiter notandum, quòd, præmissis ritè perpensis, optima cortici succedaneum investigandi ratio apparet. Aliquid nempe quærendum est terreo-salinum, sed styptico amarum, quod amaritudinem asperiorem quasi in recessu habet, cujus compages, quoad salis & terræ nexum, stabilis est, & firma. Inter Cortices (uti nobis videtur) disquisitio instituenda est, quia Cortici Peruviano magis sunt analogi, & ut plurimum admodum terrei; ac præterea sal & terra in eis (qui aëris, venti, caloris, & frigoris injuriis, calli instar, obdurescunt) arctiùs sibi invicem alligantur. Minùs denique oleosa sunt, spirituosa, & aquea.

Phænomena à Corticis Peruviani usu se proferentia explicantur.

1. *Corticis Peruviani* vires in sanguine diutiùs persistunt ob firmiorem illum terræ & salis nexum, qui non facilè resolvitur, præsertim verò ob terrearum particularum (quæ post cruditatum comminutionem ex se ad paroxysmos inhibendos sufficiunt) indolem indomabiliorem.

2. Præ omnibus aliis, ob rationes modò allatas, paroxysmos sistit.

3. Si, fugatis à cortice paroxysmis, ejus usus non continuabitur, morbus post aliquot septimanas ut plurimùm recrudescit. Quia, cruditatibus in sanguine remanentibus, adhuc Febrilis subest diathesis; quæ, aut absumpta corticis vi, aut, sanguine purgantibus, aliisve causis excicantibus agitato, & reserato, cruditates denuò (modo in *Part.* 2. *cap.* 5. exposito) dimittuntur, in angustiis coacervantur, *&c.* Unde recidiva fit.

4. Purgatoria, vomitoria, aliaque sanguinem exagitantia, & rarefacientia recidivas pariunt, ob rationem in præcedenti paragrapho propositam.

5. Regimen calidum, decubitus in lectulo, vinorum & cardiacorum generosiorum usus, *&c.* Corticis operationem aut eludunt, aut plurimùm retardant. Quia sanguinis dilatatio, & rarefactio, quæ à calore conciliantur, constrictioni, quæ à cortice expectatur, strenuè se opponunt.

6. Sic ulcus internum, pulmonum putà, renum, *&c.* non solùm corticis effectum protelat, sed nonnunquam eludit, & paroxysmos priùs abactos paucis diebus revocat. Quoniam heterogeneus, & sordibus ulceris ichor sanguini se immiscens ejus compagem reserat, & perturbat, & febrem (quam Hecticam nominamus) excitat, quæ (uti decubitus in lecto, insolatio, purgatio, *&c.*) dum sanguinem rarefacit, & exagitat, corticis vim constrictivam amolitur; &, (ichore sanguini perpetim suggesto) paroxysmos priùs abactos denuò accersit.

7. In Febribus calidioribus, quarum remissiones obscuræ sunt, non rarò perniciosus est, & quandoque fatalis, præsertim si febricitantes lecto affixi sint, juvenes, temperamenti sulphurei, &c. aut tempestas calidior. Ratio quidem in promptu est, quia nimirum sanguinis rarefactio ejus constrictioni, & quieti obest; & interea materia morbifica tam ab intenso calore, quàm à corticis particulis plurimùm subitoque comminuta sanguinem impensiùs dividit, in furorem adigit, funestosque tumultus ciet; quare materia non dum eousque cocta, ut evacuari possit, magis tamen comminuta, quàm ut in angustiis hæreat, vehementiori sanguinis motu altiùs in cerebrum impingitur; unde fit, quòd febricitantes hâc infaustâ, & lugubri methodo extincti (qui ob incautam, & stolidam medicastrorum temeritatem haud pauci sunt) convulsionibus, spasmis, aut deliriis tentantur. Medico itaque piaculum sit corticis Peruviani promiscuus usus, quamvis opinio increbuit; Quòd omnes Febres præcellenti ejusdem vi debellantur.

8. Ab ejus usu paroxysmus vehementior quan-

quandoque observatur, ob materiæ morbificæ præcipitem comminutionem priusquam sanguis ad nimias fermentationes inhibendas componatur, & constringatur.

9. Hujusmodi paroxysmus Febris (ni ex genere calidiorum sit) discessum plerumque præsagit. Significat enim sanguinem à cortice plurimùm affici, licèt non adhuc debitam constrictionem assequatur, quam, continuato corticis usu, & paroxysmi declinatione, ac intermissionis supervenientis frigore, & quiete ad sanguinis contractionem concurrentibus, ante paroxysmi futuri adventum satis certò adipiscetur.

10. Paroxysmus à corticis usu imminutus, aut in melius alteratus, ægris in ejus usu persistentibus, idem prænuntiat. Quia hoc non tantùm materiæ morbificæ comminutionem, sed & sanguinis constrictionem inchoatam denotat, aliàs enim fermentatio à solâ materiæ comminutione exacerbescet; declinatione ideò, & intermissione (modo prædicto) conspirantibus, sanguis a cortice satis constringetur, priusquàm proximus paroxysmus invaserit.

11. Diaphoresin parit. Quia partes ejus salinæ serum fundunt, attenuant, & penetrare faciunt, ac poros à limosis obstructionibus expediunt: Et præterea terreæ particulæ sanguinem coarctantes serum exprimunt. Unde etiam omnia ferè astringentia alexipharmaca sunt, & sudorem movent.

12. Ab eodem fonte profluit illa copiosa, & limpida urina, quæ corticis usum excipere (à *Clar. Sydenhamio*, à nobis, aliisque non paucis) observatur, Eò autem profusior est, quò magis diaphoresis à frigore, &c. præpeditur; unde lectulo affixis, aut quovismodo calentibus minùs competit. Ideò limpida est, quia serum citiùs à sanguine constricto exprimitur, quàm ut saturatiori colore imbuatur; hâc de causâ urina copiosiùs reddita semper ferè limpida est.

13. Liberaliores sudores, aut urina copiosa, & limpida paroxysmorum discessum significant, quia à sanguine constricto (uti priùs dictum fuit) proveniunt.

14. Quandoque sedes movet. Quia humores à seri, & limositatum fusione, & sanguinis compressione defluentes intestina lubricant, & stercus fluidius reddunt; necnon salinis corticis particulis instructi intestinorum membranas ad excernendum irritant, & mucum abradunt.

15. In substantia exhibitus longas in ventriculo moras trahit ob terream ejusdem compagem, & indolem indomabiliorem, aliasque rationes superiùs allatas. Paroxysmos nihilominus tollit, propterea quòd omnia liquida ab ægris hausta ejus tincturam (quæ in ventriculo optime elicitur) in sanguinem deferunt.

19. In substantia sumptus certiùs & citiùs paroxysmos sistit. Non tantum quia liquidis omnibus sanguinem versus tendentibus vires suas impertit, sed & ejus tinctura (uti modò diximus) in ventriculo optimè elicitur: Præstantissima est tincturas extrahendi ratio, ut commodum menstruum vasi idoneo inditum in calido loco collocetur, & sæpiùs agitetur; at ventriculus semper calidus est, continuò movetur, & menstruo efficacissimo gaudet. Ergo.

17. Primi in recidivis paroxysmi plerumque calidiores sunt. Quia ob inducias datas spiritus & sulphur reficiuntur, & cruditates magis adhuc disgregatæ sanguinem penitiùs dividunt.

18. Liquores acidiusculi, & austeriusculi (ut vinum Rhenanum, rubrum Gallicum, granatorum, *&c.*) cum cortice exhibiti felicius succedunt. Quoniam ejus tincturam promptiùs extrahunt, & cruditatum communitioni plurimùm conferunt, nec sanguinis constrictioni obsunt.

16. E contra, liquores molliusculi, lenes, & aquosi (ut serum lactis, zythogala, ptisanæ, *&c.*) malè cedunt, cùm ineptissima sint ad vires ejus educendas menstrua, & insuper corticis asperitatem leniunt, & obtundunt.

20. Cortex non tantum Febrem, sed nonnunquam etiam Hydropem inde ortum depellit. Quia salinis suis particulis humores fundit, & poros excretioros detergit, partesque sensiles ad excernendum solicitat; & præterea (quatenus terreus) serum, dum sanguinem constringit, exturbat; ac (quâ styptico amarus) digestionem confirmat.

21. Hecticis puerorum Febribus occurrit. Has enim, cùm à cruditatibus proveniant, quas cortex absumit, exstirpat, Porrò fermentationis enormitates reprimit, &, digestione ab eodem emendatâ, sincerus & copiosus chylus lactis æmulus, hecticoque sanguini maxime proficuus, conficitur.

Cautiones & canones circa Corticis Peruviani usum Observandi.

Ex præmissis liquet; (1.) Continuatum corticis usum recidivas avertere, (2.) Purgationes, vomitiones, regimen calidum, ulcus internum, decubitum in lecto, omnesque causas excitantes corticis viribus adversari, & paroxysmos priùs abactos revocare. (3.) Eundem in Febribus calidioribus minùs faustum esse, & quandoque lethalem. (4.) Paroxysmorum alterationem, aut imminutionem eorundem fugam sæpenumero præsagire. (5.) Corticem in substantiâ efficaciorem esse. (6.) Acidiuscula, & austeriuscula commodissima ejus vehicula esse, aquosa verò & mollia ineptissima.

7. Insuper notandum est, Quòd, si in Febribus calidioribus obscurè remittentibus (quæ continuas redolent) calidis temperamentis, *&c.* Urgenti aliqua de causa, corticem usurpare visum fuerit; ut melioribus auspiciis curationem aggrediamur, diurnus in lecto decubitus interdicatur; nec, cùm æger se in lectum recipiat, crassis, aut nimiis integumentis oneretur; Aër ad frigidum potiùs, quam ad calidum vergat, Cortex acidiusculo, & frigido vehiculo propinetur; potus sit refrigerans (ut ptisana, *&c.* Succo limoniorum, aurantiorum, spiritu vitrioli, sulphuris, *&c.* ad levem, gratumque acorem alteratus; venæsectio etiam, ubi plethora subest, celebretur, & si alvus non benè respondeat, injiciantur clysteres emollientes. Hâc ratione Febrem veriùs intermittentem reddes, & periculum à corticis usu aliàs formidandum amolieris. Præstat tamen, ut cortici per aliquod tem-

tempus præmittatur hujusmodi regimen, quò æger adversus illius injurias magis præmuniatur. Quamvis cortex in his Febribus res quidem lubrica est, & suspiciosa, nihilominus à prudenti Medico, adhibitis cautelis in hoc capite propositis, satis tuto exhiberi potest, at in hac re multum quidem studii, & judicii ponendum. Agyrtis ergo, & mulierculis nefas sit, nulla circumstantiarum ratione habita, universis Febricitantibus (quamvis apud Nostrates in more positum est) corticem indiscriminatim obtrudere.

8. Ubi magna cruditatum congeries, corticis usus periculosus est. Magna enim moles non facilè comminuitur, nec comminuta intra sanguinem coërcetur, sed redundans, & liberiùs jactata diras metastases semper minatur, & non rarò producit. Quinetiam pituitosæ sordes in ventriculo stabulantes corticis particulas oblinunt, & quasi visco implicant; eaque de causâ plurimùm obtunditur, & impeditur; & quandoque gravissimæ & insuperabiles in ventriculo massæ efformantur, quæ eundem opprimentes febricitantibus vitam eripiunt.

9. In Quotidianis igitur, duplicibus præsertim, & triplicibus, aliisque ingeminantibus Febribus convenit aliquid de cruditatum cumulo detrahere, priusquam cortex sumatur. Cruditates diminuuntur, (1.) Emeticis & catharticis phlegmagogis & abstersivis, qualia sunt inter emetica sal Vitrioli, oxymel Scilliticum, acetum Scilliticum, &c. Inter cathartica Pilulæ Tartareæ Quercetani, aliaque in capite præcedenti enarrata, quibus semper adjiciendus est cremor tartari, vel tartarum vitriolatum, vel salium lixivialium superiùs laudatorum unum. (2.) Horum salium usu temporibus inter catharses intervenientibus. (3.) Partiali materiæ coctione, & evacuatione, quarum ratio *seq. cap.* edocebitur.

10. In minorativis usurpandis ratio habenda est cruditatum quantitatis, & plus, minusve earundem subducendum, prout in corpore magis aut minus scatent. Ex *Cap. de Quotidianis, & Cap. de Febribus ingeminantibus in P. 2.* Manifestum est, quâ proportione in his, vel illis Febribus abundant.

11. In Febribus diutiùs, & perspicuè intermittentibus cortex tutissimus est, & commodissimus. Quia præmissorum discriminum nullum subest, & sanguinis pacatiori, & compactiori conditioni à corticis usu expectandæ, harum Febrium intermissiones non parùm tribuunt. Unde.

12. In Quartanis, & Tertianis Autumnalibus; necnon Vernalibus minus exquisitis, & clarius intermittentibus, optato eventu vix unquam destituitur.

13. Si in Febre ardentiori, ut pote Tertianâ exquisitâ, continuâ remittenti, &c. Cortice ad ℥vi. vel vii. Sumpto, nullum levamen, aut notabilis in melius alteratio sentiatur, sed Febris potius excandescat, à corticis usu omninò desistendum est, & ad regimen refrigerans & paregoricum confugiendum; usquedum Febris ad caloris gradum satis remissum (à sagaci solummodo Medico dignoscendum) redigatur; & tum quidem (cautè tamen, regiminis frigidi præsidiis non omissis) cortex resumi potest.

14. In segnioribus, & frigidioribus Febribus, ubi materia crassa est, & torpida, tempestas humida, aut frigida, & constitutio minus spirituosa, & sulphurea, ægris cum vinis tartareis, & austeriusculis, ut Rhenanis, &c. porrigatur. Quia corticis virtutem expeditiùs eliciunt, & cruditatum comminutionem promovent. Et subinde vini haustulus illis propinetur.

15. Istiusmodi vinis non incommodè substituuntur alia vina salibus lixivialibus, aut sale tartari imbuta.

16. Consultum est corticis exhibitionem à Paroxysmi declinatione auspicari. Quia sanguis a declinatione plurimùm contractus, & pacatus, corticis constrictioni faciliùs paret, nullumque intermissionis tempus incassum elabitur; quod in brevioribus intermissionibus magni quidem momenti est. Nihilominus hoc non impedit, quò minùs quovis tempore, nisi paroxysmus urgeat, aut ingruat, dari possit.

17. Si Febricitantes in summum vitæ periculum conjiciantur, aut alia aliqua causa morbi palliationem raptim peragendam suadeat, cortex majori quantitate, tenuissimo pulvere, vinisque austeriusculis infusus, & cum eisdem agitatus, sæpissimè repetatur; interpositâ ejusdem corticis tincturâ saturatissimâ.

18. Ubi ægrorum res in discrimine non versatur, sufficit unius intermissionis spatio corticis ℥ß. ℥v. aut vi. exhibere. Detur ergò interdiu.

19. In Quartanis quâque quartâ horâ ad ℈ij.

20. In Tertianis quaque tertia hora ad ʒj.

21. In Quotidianis & ingeminantibus (præmissis minorativis) quaque secunda hora ad ʒj. vel quaq; tertia ad ℈iv. & quò intermissio brevior sit, eò sæpiùs, & majori quantitate concedatur.

22. Tinctura saturata multoties repetita substantiæ ferè æquivalet, magisque convenit, ubi ventriculus plurimum sordescit. Quia non (uti pulvis) in ventriculo impeditur.

23. Si quando ejus solummodo infusio Febricitantibus arrideat, expedit, ut sit omnino potus ordinarius; sic enim (haud secùs, ac à substantiâ assumptâ,) omnis liquor sanguinem versus iter faciens ejus virtute imbuitur.

24. Si alvi laxitas palliationem impediat, aut eludat, astringentia, & opiata in usum vocanda sunt; Ut tinctura rosarum, tormentilla, bolus Armena, diascordium; Laudanum opiatum, liquidum, &c.

25. Si catharsis à corticis usu exigatur, lenioribus catharticis cum Laudano, & cortice mixtis (uti in capite præcedenti habetur) instituatur; nè paroxysmi denuò evocentur.

26. Opiata & paregorica summo sunt usui, ubi vigiliæ, nimiæ fermentationes, perturbationes, & dolores, deliria, diarrhœæ, aut dysenteriæ febricitantibus molestiam afferunt; necnon ubi sanguis tenuis est, acris, aut calidus.

27. Ubi plethora, aut enormes effervescentiæ ægros infestant, & in discrimen adducunt (& non aliter) sanguinem mittere licet.

28. A medicamentis quibuscunque, prætérquam memoratis, vix ulla cortici accedit virtus, multa sæpe detrahitur.

29. Cortici optimè substituuntur amara magis styptica (ut centaurium minus, &c.) cum astringentibus sumpta, & pericarpiis terreosalinis adjuta.

Curatio consummata, quâ Febres intermittentes radicitus evelluntur.

Febres intermittentes radicitus evelluntur, si materia morbifica penitus tollatur; quod solummodo fit, eandem adeò subtiliter comminuendo, ut poros excretorios pervadere queat.

Hujusmodi penitior comminutio solo calore (quæ ideo materiæ Coctio dicitur) absolvitur; quæ enim à terreo-salinis fit (uti ex recidivis, urina crudiori, &c. constat) inchoata est, & imperfecta, nec cruditates evacuationi aptas reddit; quæ calore debitè coctæ facile eliminantur.

Verumenimvero non contemnenda est rudior illa à salinis & terreo-salinis comminutio: (1.) Quòd materia aliquatenus hoc pacto confricta à calore promptius subigitur, pari planè ratione, ac digestio in ventriculo sanguinis calori ad alimenta prorsus coquenda subservit. (2.) Quòd comminutio à salinis, & terreo-salinis, utpote salibus lixivialibus, amaris, &c. expeditissima est, uti digestione, quæ paucis horis; paroxysmorum palliatione, quæ non raro uno, aut altero die absolvitur, manifestum est.

Quamvis materia morbifica sola coctione prorsus tollitur; illud tamen fieri potest præmissa, vel non præmissa, paroxysmorum palliatione.

Prima Methodus.

Si paroxysmis prius abactis, materiam morbificam coquere instituas, tum curandum est, (1.) Ut recidivæ inhibeantur. (2.) sanguis ad coctionis munus obeundum debitè calescat.

Recidivæ avertuntur. (1.) In Terreo-salinorum (sive palliativorum) usu persistendo. (2.) Errores graviores vitando.

Palliativa superiori capite continentur; quod vide.

Omnis in hac re error necessariò provenit, vel à causis disponentibus, quo novas cruditates suppeditant; vel excitantibus, quæ diathesin adhuc latentem excitant; Illæ Part. 1. cap. 1. Hæ Part. 2. cap. 5. recensentur; quibus vitatis, exigui erit laboris, aut consilii materiæ morbificæ coctionem sensim assequi, quoniam cruditates à terreo-salinis jam plurimum comminutæ, & in sanguine caloris fonte detentæ, & fotæ indies magis subiguntur, præsertim cùm causas disponentes, quæ ex humectantibus, refrigerantibus, debilitantibus; & dyspeptis consistunt, avertentes non tantùm res omnes coctioni inimicas declinamus, sed & eas declinando necessario ad meliores nos recipimus. Quinetiam terreo-salina (præsertim stypticoamara] quæ per totum hujus curationis decursum usurpantur, omnibus, [quæ diathesin fovent, opponuntur: Primæ nempe causarum procatarcticarum classi, quæ ex humido-frigidis consistit, quia (modo prius enarrato) valdè exsiccant. Secundæ, (debilitantibus nempe) quòd digestionem maximè confirmant, & chylum penitius comminuentia sanguificationi plurimùm ministrant, eâque de causâ vires reficiunt. Tertiæ ex dyspeptis consistenti, quoniam eadem conterunt. Et denique sanguinem constringendo causis excitantibus adversantur. Quapropter stiptico-amaris (ut Cortice Peruviano, &c.) continuo adhibitis, parùm aut nihil negotii superest.

Sanguis igitur ad coctionem absolvendam terreo-salinorum usu, & causarum disponentium amolitione, satis calescit; nisi aut tempestas adversa, frigida constitutio, febris algida, & diuturna, calidorum adminiculum postulaverint; tum quidem, habito moderamine, concedenda sunt vina generosa, cerevisiæ fortiores, cardiaca sulphureo-spirituosa; & id genus alia cap. de præservatione proposita. Nec metuenda est ab horum usu sanguinis nimia reseratio, cum palliativa, cæteraque omnia eidem obstent.

Cortex igitur Peruvianus, cùm sit terreo-salinorum, & styptico-amarorum præcipuum, non tantùm ad paroxysmos tollendos, sed & ad diathesin emendandam, causas excitantes frustrandas, & coctionem maturandam, tantis pollet viribus, ut ad febres curandas (ut plurimum) unicè sufficiat, & remedium præstantissimum, maximeque specificum [penè dixeram adæquatum) jure merito habeatur; cujus repetitione, usque diu continuatâ innititur Arcanum Talborianum, tantopere per totam ferè Europam celebratum; Quod ob ejus famam longè, lateque disseminatam, expertam in febribus intermittentibus fugandis certitudinem, & exactissimam cum nostrâ hypothesi congruitatem subjicere visum est.

Arcanum Talborianum.

♃. Quinquinæ opt. (i.e. Cortis Peruviani) subtilissimè pulverizat. ℔ j. inspergatur alternatim decoctione anisi, & succo petroselini per diem unum, aut alterum; dein indatur urceo figlino cong. VIII. capaci; vas, pulvere jugiter agitato, sensim impleatur vino rubro Gallico; fiat infusio frigida per VIII. dies, bacillo, spatulave, aut alio idoneo instrumento ter quotidie funditus agitetur: & colatura demùm in ampullis vitreis probè obturatis reponatur.

Vinum hoc medicatum febricitantibus propinavit ad ℥ v. vel VI. quaque tertiâ horâ, nisi somnus obstiterit, à paroxysmi præcedentis declinatione ad sequentis accessionem, usque dum paroxysmi evanuere; & deinde (ventriculo jejuno) per sex dies continuos manè, & horis ad minimum duabus à cæna.

♃. Magma infusionis prioris, additoque Quinquinæ recentis pulverizat. ℔ ß. fiat (modo prædicto) infusio per decem dies, &c.

Colaturæ propinavit ℥ v. aut VI. alternis diebus manè tantum per octo dies continuos à sex prioribus numerandos.

♃. Magma secundæ infusionis, & infundetur [ut priùs] per alios decem dies, &c.

Hujus dedit ℥ VI. alternis diebus manè, per alios 14. dies, & dein per 14. dies quaque tertia Aurora.

♃. Quinquinæ lævigatione super marmore

in alcool redactæ ℥ ij. pulveri in ampulla vitrea recondito affunde Spir. vin. opt. ℥ viii. vas radiis solaribus per quindecim dies expositum quotidie agitetur. Tinctura decantata reponatur in vase vitreo fidelius obturato.

Ubi Febris contumacior præmissis infusionibus non paret, singulis earundem dosibus instillentur hujus Tincturæ gut. v. vi. vii. aut viii.

♃. Quinquinæ tenuissimè pulverizat. q. v. & cum syrup. e succ. Limon. F. Electuarium.

Primâ infusione successu carente, hoc electuarium (quia, uti præmittitur, cortex in substantia efficacior est) in usum vocavit.

Cùm ob nimiam repletionem, alvumve non debitè respondentem, visum fuerit sedes movere, infusionum prædictarum ℔ ij. vini sequentis ℥ iv. plus minus, prout infusiones rarius, aut sæpius sumebantur, ægrique conditio postulabat, adjecit.

♃. Hieræ opt. ℥ j. infunde per 8. dies in vin. rubr. Gallic. ℔ ß. vase tribus prioribus diebus semel quotidie agitato: Tinctura decantata in ampulla vitrea obturata reponatur.

Ubi non insignis est repletio, nec alvus enormiter astricta, magis expedit clysterem ex emollientibus injicere; quia cathartica sanguinem perturbant.

Methodus Talboriana, salvis regulis, & cautionibus à nobis traditis, commodè satis instituitur.

Secunda curationis methodus, quâ nempe, paroxysmis non prius fugatis, materiæ coctio acquiritur.

In hâc curatione sanguinis calor utramque paginam facit: Hæc ergò morbum profligandi ratio omnia calefacientia, & discussiva (quæ innumera sunt) suo ambitu complectitur; aquas nimirum ardentes, & spiritus vinosos quoscunque, cerevisias fortiores, vina generosa, aromata; stirpes, caules, herbas, fructus, flores, folia, semina, mineralia, &c. calidiora internè, vel externè in pericarpiis, &c. adhibenda. Imo coctioni plurimum inserviunt salia lixivialia, amara, & quæcunque materiæ comminutioni, attenuationi, aut fusioni, conferunt, ut Mercurialia, Antimonialia, Saturnina, &c. quæ nativi, febrilisque caloris adminiculo, cruditates efficacissimè, & citissimè attenuant & fundunt.

Nunc tuam (candide Lector) memoriam refricans, quæ à nobis narratæ sunt, in animum reducas, & sine Lyncea acie facilè cernes, quo pacto Terrea, Salina, Sulphurea, & Spirituosa, varieque ex his (infinitum penè) composita febres intermittentes, earumve paroxysmos tollunt; unde, prout cuilibet de his, vel illis observationes suppetebant, febrifugorum nomina sortita sunt; quod perplexæ eorum turbæ in immensum augendæ ministravit. Et ne cuiquam ex principiis naturalibus suus desit honos, etiam ipsa aquea, quòd æstum restinguunt, & in febribus ardentibus aliquid levaminis afferunt, ac sudori materiam suppeditant, à quibusdam in febrifugorum album referuntur.

Cautiones, & canones circa hanc curationem observandi.

Calida, & comminuentia eo moderamine concedenda, ut materiæ morbificæ coctio debitè provehatur, & febris non excandescat, & furibunda evadens gravioribus symptomatis stipetur. Non videmus, qua ratione Medicus hallucinabitur, aut errore abducetur, si hanc regulam perspectam habeat, & sedulò animadvertat. Imis ergò pectoribus insideat hic canonum Coryphæus, nequando ex animo elabatur.

2. Propterea si Febrem nimis incitatam deprehendas à calefacientibus abstineas, & ad frigida, paregorica, aliaque id genus confugias, donec Febris permulceatur.

3. Febris nimium proritata à calore intensiori, remissione obscuriori, pulsu majori & citatiori, vigiliis magis importunis, somno irrequieto, deliriis, siti ingravescenti, aliisque symptomatis ab æstu enatis dignoscitur.

4. Tanquam debiti caloris exemplar, & normam Tertianæ Vernalis moderatioris auspicatiorem æstum proponimus. Proinde.

5. In hujusmodi Tertianis nihil prorsus tentandum, sed naturæ [hoc est, sanguinis calori] totum permittatur opus; ni febris errore aliquo exacerbatur; aut dimissius, quam par est, subsidens coctionis muneri succumbat; aut paroxysmos sistere statuas, priusquam materiæ coctionem aggrediaris.

6. In calefacientibus adhibendis accurata tempestatis, constitutionis, materiæ quantitatis ratio habenda. Quapropter.

7. In Autumno, aut Hyeme, tempestate, aut constitutione humido-frigida, & ubi materia gravis sit & torpida (uti in Quartanis, &c.) minus addubites aut extimescas febricitantibus liquores generosiores indulgere, aliaque calefacientia concedere.

8. Æstate verò, aut tempestate calido-sicca; vegeta, juvenili, aut florida ætate, constitutione sulphureo-spirituosa, & ubi materia tenuior est, & levior [uti in Tertiana Vernali exquisita, &c.) nè prorsus quidem, (aut saltem multò parcius, omnibusque circumstantiis attentius libratis) concedenda sunt.

7. Cathartica & emetica in hac, quàm in priori curandi methodo magis ex usu sunt, quoniam nullus subest paroxysmos revocandi metus; cùm non, nisi curatione absoluta, sistantur.

10. Cathartica & emetica commoda sunt, ubi magna cruditatum congeries ventriculum gravat, & digestioni, & curationi plurimum obest; uti in Quotidianis simplicibus, duplicibus, & triplicibus; Tertianis duplicibus, Quartanis triplicibus, &c. Et in omni febre ad cruditates priùs coctas evacuandum.

Notandum, Quod vomitoria, (quamvis à nonnullis tanquam febrifuga insigni laude celebrantur) febres intermittentes nulla alia de causa eradicare videntur, quàm quod, quassatis omnibus vasis, & humoribus, materia morbifica tenuior, aut multum subacta, & cocta è sanguine per majusculos ventriculi poros, quovis vomendi nisu (haud secus ac saliva musculorum ad os spectantium agitatione, & contractione) exantlatur, citiùs (quàm aliàs fieri potuit) elutriatur, & ejicitur. Unde emetica in Quartanis (quarum materia crassa est) nequaquam (nisi forsan sub earundem

dem discessu, cruditatibus plurimùm jam coctis) proficua sunt; & in Tertianis Vernalibus, (quarum materia tenuior est) ab emeticis uberiores fructus sæpiusculè percipimus; quinetiam rationi minimè consentaneum est, ut medicamentum evacuativum, quod vix unquam ventriculum præterit, aut pylorum superat, duabus aut tribus horis materiam morbificam per totum corpus sparsam perquirat, ac tantopere (uti nonnulli imaginantur) attenuet, & alteret; ut illico excernatur. Ex præmissis satis liquet, quâ ratione emetica Febres intermittentes nonnunquam (rarò licet) funditus extinguunt; & quibus Febricitantibus tempestivè, quibus intempestivè propinantur.

11. Studiosè animadvertat Medicus, ut neque vomitoriis, neque catharticis nec quovis alio pacto, venæ-sectione puta, &c. ægrorum vires labefactet & spiritus exhauriat; omne enim virium & spirituum dispendium cruditatum coctioni officit, & morbum protrahit.

12. Ubi magna subest, cruditatum moles coctio præpropera, & nimis præceps suspiciosa est, cruditates enim majori copia coctæ, quàm ut promptè eliminari possint, subinde funestas patiuntur metastases; quare in Quotidianis, &c. coctio, præmissis minorativis, sensim promoveatur, & prout materiæ morbificæ pars aliqua coqui deprehenditur, diaphoresi, diuresi, sedibus, & (si res postulet) vomitoriis amandetur.

13. Cruditatum coctio salium lixivialium, amarorum, &c. ope, quia ocyssimè (quamvis inchoatè) easdem comminuunt, acceleratur.

14. Eandem etiam expediuntur vina austeriuscula, quoniam particulis salinis, & sulphureis comminuunt.

15. Materiæ morbificæ reliquiæ (quasi tot Febris demolitæ rudera) â morbi discessu diaphoresi, diuresi, & leniori catharsi asportentur.

De diathesews Febrilis emendatione.

Diathesis Febrilis in melius provehitur, si causas eandem foventes amoliaris; & ad emendantes te recipias. Has Part. 3. cap. 1. illas Part. 1. cap. 1. palam fecimus.

De damnis à Febre intermittente illatis resarciendis.

A Febre intermittente, quamvis probè curata, carnis, virium, sulphuris & spirituum jactura evenit. Quæ omnia (subductis prius, & expurgatis morbi fæcibus) resarciuntur. (1.) Digestionem validam & sanam reddendo, & appetitum acuendo: Appetitus dejectus, digestioque dubia, & elanguescens vinis, & cerevisiis absynthiatis, centauriatis, aliisque amaris non ita pridem memoratis pristinæ sanitati, & vigori restituuntur. (2.) Si convalescentes eupeptis & euchymis (cap. de Præservatione recensitis) vescantur, & subinde (spirituum & sulphuris reficiendi, & restaurandi causa) vini generosioris haustulum absorbeant.

A Febribus verò malè judicatis oriuntur præterea cacochymiæ, leucophlegmatiæ, aliæque affectiones cruditatibus scatentes (Part. 1. cap. 1. traditæ) quæ, (cùm materia morbifica planè eadem sit) haud secus ac diuturni & pessimi moris Febres intermittentes, cruditates comminuendo, coquendo, & eliminando, sulphurque & spiritus suppeditando, digestionem & appetitum erigendo, &c. profligantur; quare medicamenta probatissima his morbis debita, utpote salia, lixivialia, amara, cathartica, &c. ex præmissis petenda. *Joh. Jones Tract. de Febrib. Intermitt.*

Febrium Intermittentium Cura.

Adumbratâ symptomatum & typorum ratione proximum est ut Curandi methodum proponam, administrationibusque singulis ætiologiam, juxta allatam hypothesin, pro modulo meo affigam. Quippe cùm pluribus præsidiis ad eundem scopum assequendum utantur authores, incumbit ut ubi constiterit eventum votis respondisse, istarum singularum ratio, quâ licet, assignetur.

Inprimis autem attingendum est (id quod omnes Medici nôrunt) non prorsùs unâ eâdemque methodo (licet forsan non admodum diversa) singulas tractandas. Cum enim præ constitutionum, quâ annorum, quâ singulorum hominum, varietate liquorum, imò & solidarum partium crasis, non uno semper modo se habeant, palam est variari debere intentiones, atque unâ administrationes quæ has complent: cujus sane causa nulla omnino methodus, in quacunque febrium istarum specie, præscribi potest, quæ singulis individuis eâ laborantibus aptari valet. Adde quod multæ circumstantiæ subvenire possint ad istam qualemcunque variandam, utpote ætas, sexus, aliorum morborum complicatio, tempus morbi quo advocatur Medicus, plurimæque aliæ: Idcirco juxta prudentis Medici judicium ad particulares casus accommodandæ sunt administrationes.

Quandoquidem igitur tres anni constitutiones habeantur, prout supra notavi in quibus tot pullulare solent febrium intermittentium species, quæ genio ab invicem sat longè distant singulis ea propter sua medendi methodus aptanda venit. At quoniam quædam dantur, quæ omnes ferè indiscriminatim percurrunt administrationes, par est ut generalibus designatis medendi indicationibus, has primùm in genere proponamus, una cum agendi rationibus, quas deinceps ad singulas species, juxta indicationes debitas, accommodare facilius erit.

In genere igitur (donec talia, si quæ sint, medicamenta, quæ secretioris Chymiæ cultores venditant, atque unico ictû cunctos indiscriminatim morbos debellare asserunt, qua proinde nullis præviis ratiocinationibus aut indicationibus ad sui exhibitionem indigent, publice innotescant) indicationibus hisce insistendum videtur; viz. Primò materiæ morbificæ orgasmi contemperationi; Secundò, spirituum in ordinem reductioni; Tertio, Toni partium affectarum, præcipuè cerebri, corroborationi. Quibus omnibus quamvis eædem forsan quandoque sufficiant administrationes, speciatim tamen,

Primæ adimplendæ convenire videntur, tum evacuationes, fomitem substrahendo, eæque quà generales, quà particulares utpote inter illas, per Phlebotomiam, vomitionem, catharsin, diaphoresin, diuresin; per vesicatoria autem; sputum moventia, & si quæ sint aliæ, inter has; tum digestiva & attemperantia, ut & forsam Topica. Secundæ quamvis & evacuantia ex accidenti conducant, causas nempe inordinatæ spirituum agitationis removendo, immediatius tamen tum digestiva & attemperantia, tum quandoque Opiata conferant, ut proinde maximâ ex parte coincidunt duæ istæ indicationes. Tertiæ specifica dicta potissimum deberi censeo.

Idcirco primo loco (ut dictas percurram administrationes) attendendum, quòd vix ulla Febrium intermittentium species occurrat, in qua, saltem sub primam invasionem, sanguinem, modo sat tempestive advocetur Medicus, mittere non conveniat. Nisi forsan in ægrotis valde debilibus, vel quibus præivere hæmorrhagiæ cujuscunque generis copiosæ, aliive morbi qui vires multum exhauserunt; vel etiam ejusmodi idiosyncrasiâ laborantibus (quos aliquando convenire datur) ut prosternantur statim à levicula quâvis sanguinis eruptione vires: Quæ tamen postrema contraindicatio, quandoquidem perraro occurrit, nec nisi experiundo dignoscitur, à culpâ Medicum, qui obviis indicationibus judicium suum regere tenetur, absolvere videtur.

Hanc aliis administrationibus præmittendam censeo, quo & pacatius effervescat sanguis, & minori impetu in cerebrum arietet: quo fieri expectandum est ut & deliria, phrenitides, capitis dolores &c. præcaveantur, vel, si adsint, magna ex parte tollantur; & minori copia heterogenea materia Paroxysmum imposterum inductura in systema nervosum deponatur: Quippe sanguine aliquatenus diminuto contractius aliquanto redditur cerebrum, unde minus hiare necesse habent admissura radicum oscula. Et quidem in ipso Paroxysmi caloris ardore potius administrandam, quàm in intermissione, suaderem; quoniam (ut tacerem me frequenti experientiâ hanc praxin suffultam habere) turgescenti tunc temporis maximè sanguini alteratio hinc efficacius imprimitur, quàm sedato induceretur; quin partim exhausto, partim aliorsum derivato sanguine, subsidit, ut modo dixi, cerebrum, seque contrahit, efficaciusque dum sic à turgescente lacessitur sanguine ex intimis suis recessibus congeri aptum extrudit cruorem; unde magna ex parte præcavetur quò minùs imposterum materia in ulteriores Paroxysmos secernatur: Porrò cùm præ Febrili calore fortiùs isto quàm alio tempore invigoretur, atque arctiùs subducto sanguine, se compingat, citius proinde ad tonum debitum redit: cùm, ex adverso, si in intermissione sanguinem mittamus, nisi vel multùm quantitate luxuriaverit, vel plurimùm tunc conturbatus fuerit (quod non omnibus, imò nec plurimis contingit, saltem proportionaliter ad conturbationem quæ in paroxysmo habetur) parùm omninò alterationis à tali expectandum esse praxi censeo; utpote quoniam congestionem, quam toties memoravi, in cerebro nequaquam impedire potest; eo quod circulatio sanguinis eodem ferè tenore procedat, quandoquidem perrarò tantum detrahimus quantum huic eatenus minuendæ sufficiat, ut cerebri constringatur tonus ad ingressuram indidem crassiorem materiam arcendam. Quin insuper sanguinis missio vomitioni (postmodum, si cætera consentiant, administrandæ) præmissa, & periculum ruptionis vel apertionis vasorum sanguiferorum præcavet, & liberiorem, sanguine sic quadantenus sedato atque hinc reliquis succis, secessionem particularum depravatarum, tum ex ejus alveo, tum nervis, glandularum ministerio, in ventriculum deponendarum permittit. Hæc quo minùs in sequentium Paroxysmorum uno vel altero forsan repetatur non video quid vetet, modo vel immanis turgescentia vel capitis affectus persitent vel redeant; cùm sic identidem cerebro sese constringendo, detracto per vices fomite (quod turgescentiæ tempore commodissime præstandum mihi videtur) otium concedatur.

Post Phlebotomiam vomitoria, ut plurimùm in usum ducenda sunt, Horum usus tanti plerumque est momenti, ut sæpenumero observari poterit, debitè exhibita febres intermittentes cujuscunque generis in totum, absque aliis subsequentibus adminiculis, & sine recidiva, sustulisse; saltem multum ad curationem conferre universali consensu constat; præcipue si saburra oneretur ventriculus, nulla vero prohibentia adsint; utpote pectoris angustia, crassisque Phthisica, vomendi magna difficultas, tenera nimis corporis, præsertim vero ventriculi nervorumque constitutio &c. atque modum opitulandi hunc mihi propono; nempe præterquàm quòd saburram in ventriculo delitescentem, inque mineram morbificam secus cessuram, eliminent, viscerumque obstructione, præsertim hepatis, expediant, atque sic & sanguinem & nervosum succum ubivis ad illa copiose satis delatos ab impuritatibus liberent, maximæ opis esse judicio ad tonum nervorum ipsiusque cerebri, roborandum: Quippe cum hunc quadantenus laxari supponam, videtur mihi quod, ab irritationibus convulsivis in ventriculo inceptis, contractivus ad nervorum usque originem, ipsiusque radiculas in corrice fundatas, propagatur motus, qui non solum quod in eorum conceptaculis continetur exprimô, sed & laxitatem corrigit, tonumq; restituit, utpote quoniam tensione semel illis hac arte reddita, eandem, œconomiæ animalis lege illis debitam, retinere apte dispositæ videntur.

Porrò cathartica quandoq; [sed non semper] febres intermittentes fugare, authorum testimoniis liquet, saltem aliquando indicari leges artis docent, idque & sub earum initia & in progressu; Et quidem eò efficaciùs, si paucis ante Paroxysmum horis exhibita fuerint. Quorum ratio, ubi speratus procedit effectus, hinc forsan peti potest; quod nempe quando (in priori casu) laxiora in sanguinis massa (sive à retentis effluviis, sive, à quavis heterogenea materia per chyli vias admissa provenient) recrementa fluitent, unde in cerebrum deposita Paroxysmum forsan unum vel alterum induxerint, eveniant, quòd, quamdiu vel sanguinis crasi, vel cerebri nervorumque tonus non multum vitiantur, ista medicamenti purgàntis vi in propria

pria vasa secretoria (directione quamvis quotidie observabili, quoad intimum tamen agendi modum impendio abstrusa) secedere cogantur, unde nil vetat quin brevi sedetur affectus, glandulis cerebralibus nondum magnopere laxatis. Ubi porrò in progressu morbi quandoq; propinatum fuerit hujusmodi medicamentum, dum materia Paroxysmum jam inductura, jam maturata in procinctu ad eruptionem stat, superinductæ fermentativæ particulæ tum huic, fermentativam pariter indolem jam nactæ, admixtæ magis eam exagitant, inque novas & insolitas commotiones, crasin ejus admixtione turbando, concitant, unde inter binas hasce substantias orgasmus promptè (lenior licet, sat tamen ad effectum fortis) instituitur, quò ex conceptaculis suis se expediant; tum cerebri nervorumque laxatorum, ut dixi, fibras præter solitum vellicando, arctiùs sese constringere faciunt, unde non solum vegetius exterminant inclusum hospitem, sed & ulteriorem novæ materiæ admistionem, ad proprium tonum (nisi supra modum labefactatæ) constrictione isthac quadantenus restitutæ, precavent. Verùm non semper hunc effectum eorum exhibitionem sequi, imò quandoque contumaciores reddi hasce sic tractatas febres, non dubito quin cunctorum ferè medicorum experientia, non minus quàm mea constet; nec absque ratione. Quippe si vel multum perverti sanguinis crasin contigerit (sive hoc in nimia partium eum intime constituentium laxitate, sive earundem strictiori æquo textura, sive heterogeneitate consistat) vel multum labefactetur tonus cerebri, corticalis præsertim ejus partis, vel die intermissionis longè ab initio secuturi Paroxysmi, quando omnia sedata fuerint, nullaque ad orgasmum propensio adest, exhibeantur purgantia, tantum abesse videtur, ut juvent ut potius multum nocere debeant, idque vel sanguinis particulas confundendo, vel tonum cerebri, quod in debitas contractiones non statim adigere valent, oborta conturbatione debilitando. Si ergo indicentur, censuerim vel lenientia solummodo; quæ nec sanguinem nimium exagitent, nec systema nervosum supra modum lancinent, exhibenda esse, vel (modo contumacior sit febris, nervoso scil. genere gravius affecto) talia quæ in nervos admitti habilia, per eorum tractus sat perniciter serpere nata sunt, atque una heterogeneam, quam inibi offendunt, materiam in itinere resolvere, & abstergere, pleni interea tantum quasi titillatione ipsos ad familiares contractiones solicitare apta, qualia me judice Calomelan, aliaque forsan mitia mercurialia, audire merentur; in quorum numerum referri forsan potest celebratum illud olim Riverii febrifugum. Sin vero eveniat, ut ab exhibito Drastico aliquo cathartico dispareant affectus, hoc isti causæ adscribere liceat; quod scil. talis medicamenti particulæ, aculeatæ cum sint, ferociter adeò in cerebrum inter circulandum, idque derepente, impingentes, partim insolitam imprimant vellicationem; partim humidiorem, quâ scatet, confertim exhauriant materiam, unde aliqualem corrugationem subire necesse habet; quo fit ut proxime secus secuturus Paroxysmus præcaveatur, aditu mineræ morbificæ ingredi solitæ hinc denegato: cumque non statim redimpleantur (prout supra evincere conatus sum) sic exhausta conceptacula, hinc in solidum redire desinunt Paroxysmi, cerebro ad nativam tensionem, ubi semel sat fortis (quod in hoc casu evenire ex ante dictis concipiatur) accesserit instinctus, sponte redeunte. Utcunq; sit, quamvis forsan aliquando Drastica hæc talibus quibus robustior cerebri adest tonus, conveniant, vix dubito tamen quin tenera corporis constitutione donatis exhibita periculosissima deprehendantur.

Diaphoretica ante Paroxsmum exhibita quandoq; febres intermittentes sustulisse notum est. Cujus rationem hanc forsan comminisci licebit; Quòd nempe partim laxatis stragulorum (tunc temporis admovendorum) fotu glandularum in cute poris, quò copiis apud ostia stantibus detur exitus, imò toto fibrarum habitu ubiq; hinc intenerato; partim impulsu particularum medicamenti citò sanguinem trajicientis, adque cerebrum (ad cujus poros congruitatem obtinere concipiatur; utpote vel ex Salibus volatilibus, constantis, prout in spiritu salis armoniaci aut similibus cernere est; vel ex activis cujuscunque generis particulis fermentatione, ut in Theriaca &c. aliove modo multum exaltatis & comminutis conflati) pertingentis, morbifica materia, nondum plene ad requisitum acrimoniæ pro paroxysmo concitando gradum evecta, per tractus fibrarum prona labatur, quo fieri potest ut nulla hinc molestia conceptaculis impressa, sicut mox secus erupturus præcavetur Paroxysmus, sic otium datur tum cerebro, tum fibrarum universo systemati, sese usque adeo contrahendi, ut imposterum admittendæ materiæ heterogeneæ minus apta evadant. Adde quod admissæ medicamenti summè exaltatæ particulæ texturam forsan mineræ morbificæ ad acorem vergentis tantopere mutent, ut hinc etiam prohibeant, ne fibrarum continentium tunicas lancinent. Verum non semper hanc methodum votis respondere, quin quandoque contumaciorem hinc evadere morbum, vel in alium transire, deprehendatur: Quippe si tonus cerebri ante fuerit multum laxatus, vix hinc contrahetur adeo; uti hac forsan difflata, nova postmodum (assignato modo) succedat; saltem valde elumbes evadant ægrotantes, scorbutusque, aliive à depressis, depravatisque spiritibus tono partium nimium laxato, profluentes hujus vice in scenam prodeant affectus.

Diuretica quod spectat; Hæc securius, imò & efficacius, febribus hisce edomandis adhibentur, ut pote quæ tam digestivorum quàm evacuantium munere funguntur. Atque inter hæc, Acidiuscula, vel saltem ex acidis & alcalinis combinatis conflata, maximè efficacia deprehendantur; Quæ quidem officium hoc præstare forsan concipiantur, partim sanguinis, sulphurei liquoris, turgescentias reprimendo, adeoque ad æquabiliorem crasin redigendo, partim secum materiæ morbificæ particulis associando, & sic majores grumos diversæq; figuræ concinnando, unde tum ex liquoris poris elabendi promptitudinem induant, tum congruitatem ad secretoriorum vasorum porulos nanciscantur, partim denique lancinatione partes solidas ad molles adigendos contractiones.

Verùm, præter istum, quem præstant evacuan-

tia, magnum imò forsan maximum, effectum alterantibus, in febribus intermittentibus debellandis, deferunt Medici, ut raro illis tota linquatur curatio, quin ista in subsidium advocari soleant.

Ex his quædam digestiva (mihi) dicenda videntur, quædam usitato vocabulo specifica audiunt, utpote quæ (debite saltem adhibita) ad Paroxysmos sistendos, at modo non vulgo obvio, imo forsan vix, uti creditur, explicabili, collimant.

Accuratam horum distinctionem prætexere velle pro temerario sugilletur ausu; quandoquidem abstrusæ adeo sunt operationis medicamentorum, vel maxime familiarium, rationes, ut nemo sanus sibi arrogaverit dogmatice hac in re pronuntiare; unde quoq; tā discordes ubivis inter authores circa singulas fere observentur sententiæ, si tamen meam in re obscura dubitabundo proferre, aliorum exemplo, liceat, censuerim.

Digestiva applicari posse quæ (sive naturæ sint producta, sive artis effecta) partim sanguinis aliorumve in corpore liquorum particulas placide comminuendo & transponendo, partim taliter hinc aptando, ut per urinæ vias leniter secedant, partim solidas partes molliter, imò imperceptibiliter, quo debitam contractionem subeant, vellicando, atq; sic tum liquorum crasin depravatam, tum partium tonum amissum corrigendo vim suam exerunt. Hinc fieri quidem potest, ut Paroxysmos quandoq; sistant, verùm non sub hac consideratione quod digestiva, sed quoniam necesse est ut, illis ad debitum redactis statum, febres intermittentes (non secus ac reliqui omnes morbi) sponte evanescant & quamvis vel specifica sat longa in corpore mora, hoc ipsum tandem satagant utpote energia ad hunc scopum forsan collimante, segnius licet, se prodente, donata; ut plurimùm tamen proprie talia obicem Paroxysmis ante ponunt quam vere restituatur corporis œconomia; id quod hinc liquet quod non raro ab istis sedati post intervallum non admodum longum redeant.

Digestiva hæc salinæ, pleraque saltem, prosapiæ, quin simplicioris esse texturæ (quæ scil. hisce muniis natæ sunt eorum particulæ) deprehendantur, atq; angulis, usque rigidiusculis, prædita, quorum ratione non statim ab occurrantibus, cujuscunque fere generis, absque aliqua lucta, subigi & dissolvi possunt. Proinde ubi, intra corpus suscepta, à spiritibus fermentisve, quibus occurrunt, actuata fuerint, sese per liquorem in quibus ista scatent massam explicare gestiant, atque sic præfatas operationes producant. Sub hunc censum cadunt, non solùm quæ acida saturant atq; inde incongrua secedere faciunt, qua ratione Cl. Etmullerus præcipitantia potissimū agere censet, sed & quæ quasvis sanguinis aliorumve liquorum irregularitates, sive sub turgescentia vel effervescentia complectendæ sint, sive in strictiori illorum crasi consistant, subigendo corrigunt; ad exclusionem vero particulas reductioni ineptas, idq; potissimum, ut dixi, per urinæ vias disponunt. Quamvis hujusmodi medicamenta; pro variante substantiarum in sanguine quæ reductione indigent, varii generis esse possint, adeo ut alia acidis, alia sulphureis in eo abundantibus debeantur, alia in lixiviali ejus statu offerenda sint, ista tamen quæ vel moderatè acida nitrosa sunt, vel ex acidis & alcalibus una maritatis, ut in tartaro vitriolato, conflata, unde nova & blandè incidens emergenti concreto accidit crasis, communissimæ esse indicationis censeo; tum quoniam nitroso pabulo, hoc est, inter acidum & salso volatile quodam modo ambigente, magna ex parte constare & resarciri activas corporis nostri substantias, atque à talium defectu vel irregularitate earum enormitates, quas patimur, maxima ex parte profluere, credendum mihi videtur; ut proinde talia supplenda sint medicamenta quæ istis facultatibus dotentur; tum quoniā ubi sulphureas nimium exaltari contigerit particulas, prout in statu febrili usu venit, eorum alterutro, debite administrata, iis coërcendis aptissima, communi Medicorū consensu, deprehenduntur. Quin porro, præ aculeis quibus stipantur, maxime ad tonum solidarum partium, prout supra indigitavi roborandum, (quod nisi fiat, vix debite comminui, & subigi possunt liquores) accommodata videntur, Et quidem ab hac toni partium invigoratione deduci (ex parte saltem) potest solutio effectus, quem quandoque observavi; spiritus salis armoniaci, paulò ante Paroxysmum, quo sistatur, exhibiti. Quippe conjectari fas sit hunc celeriter distributum, adque nervosi systematis tam radices, quàm propagines citissime pertingentem, tonum eorum levi lancinatione usque adeo corroborare, ut hinc texturæ contentorum mutatio, novo & insolito iis impresso motu, succedat; unde Paroxysmus mox erupturus derepente sufflaminetur.

Objiciat forsan aliquis, me degenerationi succi nervei versus aciditatem vel nitrositatem, productionem Quartanæ & Tertianæ (quæ duæ longè maximū febrium intermittentium numerum complent) adscribere, ut proinde digestiva, sive nitrosa, sive acida iis curandis minime competere, concipiantur, verū potius augendis.

Cui repono, quòd quamvis (ut hoc obiter dicam) horum usum in omnibus indiscriminatim febrium intermittentium casibus neutiquam suaderem, magnum tamen intercedere discrimen censeam inter aciditatem medicamentorum, & istam quam morbus producit, tam quoad genium, quàm effectus. Illius materia summam, cujus ad hoc munus capax est, exaltationem subiit; hujus tantùm est in fieri, utque evolvantur & exaltentur particulæ ex quibus constat, altiorem usque activitatis gradum acquirit fomes; unde multum diversos à consummata effectus producere disponitur; Illa quodammodo similaris est; Hæc multum diversi invicē generis sociatas habet particulas, quarum scil. miscella atque actione ad hunc statum in foco suo assurgit, statimq; hoc adepto erumpit: Illa à natura præstituta est; Hæc degenerantis & depravati liquoris, effectus; Illa confertim suggeritur, inque ventriculo, & primis viis actionem suam orditur; Hæc sensim inque remotis regionibus, nervosi systematis staminibus, progignitur: Illa antecedenti morbi causæ edomandæ debetur; Hæc ipsa pro continente habenda est. Proinde multum alterutrius diversificandos fore affectus palam est: Quippe cùm ventriculum, ut jam modo innui, primam actionis suæ scenam obtineat medicamentum, sicut in illum, multum à fomitis morbosi foco dissitum,

tum ejusque contenta, primùm vim suam exerere necesse habet; sic magna ex parte exantlari verisimiliter concipiatur, antequam tam longinquum iter emetiri possit, ut morbidam mineram, etiamsi ejusdem omnino prosapiæ foret, integram attingere, eamque augere queat. Idcirco conjectari subit, quòd ventriculi tono, si vitiatum esse contigerit, restituendo, medicamenta hujus generis aliquatenus conferant, cum sint astrictoria, quò sic aptior vitæ muniis paretur materia, quin in sanguinem admissa turgescentias reprimendo debitam ejus fermentationem promoveant; tandem verò ad nervorum origines inter circulandum, portione aliquali, quantumvis perexigua, delata, eos paulùlum, ut dixi lacessendo (nec enim hactenus aculeis suis, licet aliquatenus retusi evadant, orbati conjicio) in lenes adigant contractiones; quo incongruam arceant materiam secus subingressuram. Cùm è contra morbida minera jamjam deposita, inque ultima hac regione in acidam, ulterius indidem in vasculis suis serpendo, maturata, tantum absit, ut juxta normam medicamenti agat, ut potius conceptacula sua, à quorum bene constituto tono omne corporis robur functionumq; integritas pendet, delasset, spiritusque unà conclusos deprimat: atque hoc tantum beneficii invehere concipiatur, quod, ubi ad debitam acmen perducta fuerit, nervosas partes quibus includitur ad sui, hospitis scil. ingrati, extrusionem proritet; quo facto morbus [ad tempus saltem quoddam] cessat.

Digestiva hæc non uno tantum morbi tempore, initio scil. usurpanda censeo, sed toto fere decursu, quoniam & longam minera morbifica subactionem requirit, & nova usque pullulat ab omnibus alimentis seges, quæ ab illius contagio in similem, ad longum quandoque tempus, facessit, ideoque ab his medicamentis pertinaciter exhibitis corrigi postulat.

Specifica, quæ vocant, Antipyreta quod spectat; hæc complexæ naturæ mihi videntur; atq; nec salium, nec aliorum, uti chymicis appellare placet, Principiorum (utut concedatur fortassis ex his conflari) ratione energiam suam, in febribus intermittentibus domandis exerere, sed crasis & texturæ: adeo ut in liquorum nostrorum gremium admissa, licet multum comminui necesse habeant, non tamen in ista principia dissolvi, verum texturam suam sartam tectam per totam agendi sphæram servare conjiciam. Texturæ hujus ratione, cùm ex vegetabilibus ut plurimum, constent, non admodum duras & lancinantes, licet figuræ irregularis, sortiri possunt particulas, sed tamen solidiusculas; unde non statim subigi in totum valent à mollioribus, quibus admiscendæ veniunt, liquorum particulis, sed partim hos peragrando à cohæsionibus indebitis arceant, partim interpositione sua, eas, si nimis magno numero adhærere contigerit, quaquaversum explicatæ dissolvant, utpote mole & qualiquali soliditate majorem ad agendum, quàm istæ ad resistendum vim nactæ; partim porrò (imo præcipuè,) ad cerebrum, inter circulandum delatæ in illud agant, modo inferius, ex iis quæ de cortice Peruviano verba faciens tradam, intelligendo. Horum sat magnum numerum habuerunt majores; atque alia uno, alia alio seculo & famam & neglectum subiere: Et revera pauca, omnino ante præsens seculum seu inventa sive reperta fuere, quæ votis efficaciter in multis ægrotantibus responderunt; nostro vero, ubi innotuit Cortex Peruvianus, vix est ut de altiori soliciti simus, quandoquidem hic, modo debita cautione exhibitus fuerit, raro Medici expectationem fallit, ut proindè propius considerari mereatur, quod integro capitulo mox fiet.

De opiatorum viribus si quæratur; quâ ratione nempe febribus hisce sistendis conferunt; augurari liceat quod, quandoquidem hæc, functionum animalium exertionem cohibendo, in cerebrum indubitate agant, quædam eorum particulæ in hiantes vasculorum secretoriorum (quas esse nervosæ arboris radices supposui) meatus inter circulandum depositæ, partim eos aliquatenus obstruant, partim succum alibilem in sanguine adhuc commorantem quadantenus incrassent, adeoque ineptum ad tantillos poros (quantum ut dixi ampliatos) statim subingrediendos reddant; quibus porro dum succus iste ex sanguine hic ubique secretus accumbit, ipsis quoque subtilissimis substantiis, quæ spirituum nomine innotescunt, magna ex parte ingressum denegat: quo fit ut unà cum supplementorum morbificorum prohibito commeatu, vel ipsa materia quæ nervosum systema ad motum & sensum præstandum actuare solet ab introitu arcetur, obrepitque hinc somnus: In quo quidem (ut hoc obiter notem) cor solito more pulsat, functionesque viscerum parum solummodo immutantur, interea ut reliquarum partium satis languide perficiantur; quod forsan huic causæ imputare datur, quod quandoquidem has partes ad vitam apprimè necessarias summo artifici construere placuit, quæ propterea perpetim moveri necesse habent, hanc nervis ad eas tendentibus atque vectigalia deferentibus, præsertim Pari vago, sive amplitudinem sive conformationem donare voluerit, qua sat liber ad hæc munia idoneæ substantiæ transcursus concedatur, dum reliquis aliter constitutis denegatur: & quidem hujus Paris tubulos cæteris patentiores esse à multifaria Hypochondriacorum affectuum & symptomatum, quæ homines numerosius multo, ni fallor, quàm reliqui morbi incessunt; turma colligere est; Cujus ratio, vix forsan aliunde sat mechanice, quàm ab hac nervorum istorum ampliata cavitate, deduci potest; quippe cujus medio & incongruas substantias facilius admittant, & spatium in debitis harum, noxiisque exaltationibus præbent. Postquam vero istæ opiatorum particulæ inducias nervis, quo se contrahere incipiant, sic paululum dederint, quidni fieri potest ut solito restitutionis motus brevi ad debitam mensuram redeant, atque sic imposterum desinant Paroxysmi. Revera opiatorum tot tamque stupendi, ubi debita cautione adhibita fuerint, ubivis observantur effectus, maxime vero quoad orgasmum humorum qua sedandum qua præcavendum, ut sicut multis nominibus primas, fere, in medicamentorum classe forsan mereantur, sic quandoquidem constat succos, quibus perluitur corpus, in debitas subire fermentationes, dum in febriles Paroxysmos maturantur, hac insuper sub ratione ea in febrifugorum censum, dum has compescunt, transferre haud dubitavero.

Porrò non exiguam Pericarpiis efficaciam in febribus intermittentibus curandis quidam adscribunt, atq; practici fere omnes horum formulas libris suis inserunt. Et quidem si Helmontii & Kergeri authoritate standum foret, vix aliis febrifugis opus esset, modo eorum quæ illi adhibueruntcompotes fieremus. Mihi sane nunquam, quantum memini, tam felici esse contigit, ut notabilem ab ullorum applicatione effectum cernerem; licet quædam satis decantata aliquoties admoverim. Et quamvis suspicari forsan subeat effectū internis una adhibitis remediis debitum externis hisce ascribi (quippe putaverim paucos vel Medicos vel agyrtas febres intermittentes tractantes hisce solis, absque internorum exhibitione, niti) si tamen revera talis iis competat vis, hujusmodi solutionem aptare forsan non incongruum erit. Nimirum cùm eorum materia vel ex astrictoriis vel salibus volatilibus, vel resolutivis constet (prout ex formulis quas afferunt authores colligendum esse censeo) conjectari liceat alterutru ex duob⁹ priorib⁹ genus (licet forsan aliquantulum dicendo agendi modo) tendines quibus applicantur in contractiones quales quales adigere, utpote promptè poros cutis in vitali corpore permeantia, & calore atque madore partis actuata: Quæ quidem contractio quo minus ad cerebrum ipsum brevi propagetur non video; cùm ubivis plus vel minus tensas esse omnium partium ad sensationem motumque (saltem ad motus promptitudinem) fibras nemo Medicorum negaverit, istas vero tendinum præ reliquis hac diathesi pollere, quin & valde sensiles esse. Quo dato, ubi hic loci qualem dixi facta fuerit impressio, analoga ad usque fibrillas cerebrum constantes propagari necesse habet, eaque sat fortis ob multitudinem & consensum fibrarum quæ primitus afficiuntur. Unde laxatus quodammodo hujus corrigitur tonus, atque tum quod incongrui in universarum tractibus congestum erat leniter extruditur, tum obex secùs ingressuro ponitur. Tonus autem naturalis hinc semel restitutus non facilè, uti supra notavi, nisi à causa violenta, statim iterum deficit. Quod autem ad modum quo resolutiva se exerunt, attinet; istorum particulæ nonnullæ præ calore partis, halituum erupturientium medio, dissolutæ, inque venularum cuticularium oscula asportatæ (utpote extrinsecus præ involucris ab avolatione coërcitæ) sanguinis texturam intus delatæ aliquatenus alterent; imò forsan & sat efficaciter, quandoquidem à nullis vel ventriculi, vel intestinorum, vel aliarum quas devorata peragrare tenentur, partium fermentis refractæ in sanguinem illibatæ ferantur, ipsæ vero sanguini pro adoptivo ad hunc usum fermento inserviant. Dum verò cum hoc circulantur, quidni ad cerebrum pars delata, tum ejus tono roborando conducant tum in illius tubulos admissæ eorum contenta pari modo ac de sanguine dictum est, afficiant.

Horum non secus ac cæterorum medicamentorum, formulas quamvis mihi non propositum sit cumulare; unum tamen, quod novitatis quadam gratia forsan arridebit, attexere non pigebit ex relatu eruditissimi Medici D. Welsted; qui mihi edixit se ptimo successu expertum esse cataplasmata ex Cortice Peruviano subtilissimè pulverisato cum sapone nigro in debitam consistentiam redacto, carpis admota.

Administrationibus Medicis in genere sic lustratis, par est ut eas ad medendi usum accommodem, & quasnam in singulis febrium intermittentium speciebus, quove ordine usurpandas censeam exponam; sed breviter. Quippe si ea sit, quam astruxi, inter singularum causas affinitas, indicationes generales plurimum coincidere debere par est conjectari. Nec formulas, ut modò dixi, attexere necesse videtur, cùm apud omnes practicos abundè prostent; imò unici Corticis Peruviani debita (præmissis universalibus) nec præmatura, exhibitione nullam non, ferme, earum speciem tandem prosterni notum sit. Ut proinde longis hic circa singulas deductionibus opus non videatur.

Idcircò in quotidianis (ut ab his ordiar) universim ferè (sub conditionibus allatis) sanguinem mittendum censeo; quoniam in his magis heterogenea materia refertam esse ejus massam conjicio, unde majori cura de effervescentia præcavenda prospiciendum. Dein ad vomitoria, ut plurimum, accedendum, maximè si nausea, vel vomituritio, vel ventriculi oppressio infestet. Atque si facile vomat ægrotans, sale vitrioli, vel oxymelite scyllitico, imo forsan sero lactis cerevisiato carduo benedicto alterato sufficiat vomitionem concitare; secus, infusum croci metallorum, vel antimoniale quoddam aliud, in usum trahatur. Vomitione peracta digestiva exhibere conveniat, quò sic & reprimatur sanguinis orgasmus, & pars morbificæ materiæ ab hisce maturatæ per urinæ vias amandetur: Hæc ex cremore tartari, sale mirabili Glauberi, sale absynthii, corallio, aliisve aliquibus alcalinis (vel seorsim exhibitis, vel acido alicui maritatis, prout indicatio seu acidorum, seu salium fixorum, seu particularum sulphurearum in corpore luxuriantium, edomandorum tulerit) concinnari possunt, atque vel unà cum decocto aliquo aperiente addito quandoque vino albo, vel cum jusculis avenaceis exhiberi, idque bis terve de die; persistendo donec coctio in urinis, si obtineri possit, appareat. Sin præ inquietudinibus, aliisve gravibus symptomatis, magnam, & laxius hærentem, intus stabulari saburram colligi possit, ex usu erit minorativum aliquod purgans, utpote decoct. amarum, sennæ, Gereonis, vel tale aliquod exhibere: imò, si usque perstet vel redeat ventriculi oppressio vomitorium repetere. At insuper quoniam nimis irrigari, atque hinc obrui, periclitatur systema nervosum, quâ præ ipso materiæ morbificæ genio, quâ anni tempore quo maximè istæ ingruere solent, hinc tum vesicatoria in usum ducenda veniunt, tum salibus volatilibus, utpote sp. C. C. salis Armoniacis &c. roborari convenit spiritus animales quo digestio & citius & efficacius inducatur. Verum si contigerit hæc per quinque vel sex paroxysmorum decursum incassum adhiberi, opportunum erit ad specifica, inter quæ præcellit, cortex peruvianus, confugere, quorum (hujus præsertim) post evacuationes efficacia major deprehenditur.

quo

Tertianæ curationem quod spectat; hæc non multùm disparem, quotidianæ medicandi rationem, non solùm quoad magna, uti vocant, remedia, sanguinis scil. missionem, & vomitoria, sed & reliqua exigit; hoc tantum discrimine, quòd quandoquidem vere, quando hæ maximè ingruere solent febres, tum sanguis magis spirituosus existit, saltem particulis magis exaltatis atque fermentativis, quàm hyeme posset, magisque proinde ad turgescentias, ubi data fuerit ansa, pronus est, majori, hac tempestate, industria reprimendus sit, ne noxias cerebro suppeditare perstet substantias, tum nervosum genus hinc ferociùs lacessitum, majorem circa contentorum suorum efferationes sedandas curam exigat. Idcircò majore, cæteris paribus, copiâ celebranda venit phlebotomia, frequentiùs iteranda, si usque sæviat morbus habito tamen respectu ad corporis habitum, ætatem, euphorian, aliasque circumstantias, porrò cùm bilis nunc temporis promptius & copiosius generari & ferocire inque ventriculum exundare soleat, unde magna, paroxysmorum initio, ad vomendum propensio plerunque invadit, hinc quoque de emeticis propinandis magis curandum, nisi labes aliqua, sive nativa, sive adventitia (quales cuncti ferè notant practici] quæ eorum contraindicet exhibitioni, adsit; imo minorativis purgantibus, si magna scatent saburra uti convenit. Digestivis insuper insistendum, iisque vel nitrosis vel acidis, quandoquidem hæc tum sulphureis sanguinis exaltationibus, tum bilis, quæ multum lixivialis est prosapiæ, nimiæ productioni, & efferationi adversantur. Ante verò paroxysmos aliquot, si redeant, commode exhibeatur haustus Crollianus (ex aq. Cardui benedicti, sale Absynthii, & ol. vitrioli) vel tale aliquod præcipitatorum, quod maturatæ & jam erumpere gestienti mineræ commixtum, partim quadam dissimilitudine energetica morbificas alteret particulas: partim his in grumos post actionem hanc grandiores (mutata insuper hinc figurâ) invicem coeuntibus tantò efficaciùs eliminandis conferat; partim insuper vegetiori hinc irritatione glandulas cerebrales ad debitas contractiones adigat, quo imposterum heterogenearum admissioni minùs pateant, sin post sex vel septem paroxysmos sic tractatos usque perstet morbus, opportunum erit ad Corticis peruviani usum, perinde ac in quotidiana, pervenire, cujus forsan sub initium vel irritus, vel periculosus, sentiatur usus, ob rationes infrà subdendas; hoc autem tempore (maximè si præmissum fuerit vomitorium) rarò spem fraudat.

Ad quartanas quod attinet: hæ minus exigere sanguinis missionem videntur eo quòd magis effœtus iste, hoc quo invadere solent anni tempore, deprehendatur, saltem non tantâ copiâ, quantâ vere vel æstate (nisi aliæ aliter suadeant circumstantiæ) licet, detrahendus venit; verum pro ratione sive orgasmi, sive affluxus ad aliquam peculiarem partem, determinanda quantitas. Vomitoriis autem non minus hâc, quàm quâvis alia tempestate locus est, imò aliquoties repetitis; quoniam labefactato magis hoc tempore cerebri tono, quin ab acescentibus magis contentis fermentativis usque læsionem retinente excitatio fortior requiritur ad noxiam impressionem efficacius corrigendam. Porrò digestiva alcalina, salia que volatilia, magis hic ex usu sunt ad acorem edomandum, iisque diutius immorandum, quin decoctis amaris, quæ & huic intentioni satisfaciant, & crasin sanguinis restituant, obstinatius insistendum: si verò his ad septem vel octo paroxysmos propinatis non cedat morbus, tandem ad certissimum illud specificum, corticem peruvianum (vel si quod aliud paribus instructum dotibus sive inter vegetabilia fœlix aut docta sagacitas, sive & chymicorum furni suppeditaverint) perfugere oportet, quod quidem præmature nec debitis præmissis evacuationibus, exhibitum, frequenter incassum, imò quandoque noxiè, propinari, multis ubique observationibus, si rem ad trutinam revocare velimus, constare, ni fallor, poterit.

Superest ut de famoso illo, & multiplici experientia comprobato, in his affectibus remedio Cortice Peruviano, aliquanto fusius differamus, tum quia reliquis vim febrifugam multo certius exerens altiorem proinde considerationem meretur, tum quod, si monstretur operandi modum ad allatam hypothesin, quadrare, isti firmandæ pro fulcimento aliquo fortassis inserviat.

Ut de natali ejus loco, descriptionem & verba facere mittam.

In hac disquisitione, primò, ex notis ejus effectibus potissimos proferendos censemus; cùm & valdè arduum sit in genere in abstrusas rerum naturas à priori penetrare, & speciatim, quandoquidem relatæ hìc medicamenti vires perpendendæ veniunt, non alio ritu ad earum rationem reddendam procedendum videtur, quàm ut observatis effectis in corpora quibus adhibetur, ad modum efficiendi progrediamur. Deinde qualis sit texturæ, quantum conjectando hariolari valemus, inquiremus, postea scenam operationis investigare conabimur. Dehinc modum agendi ex prædictorum collatione pro virili indigitabimus. Tandem videbimus an huic responsura sint observanda.

Quoad primum, ubivis notum est, imprimis, paroxysmum, si non proximum ab exhibitione, saltem sequentem, si sat largis dosibus offeratur medicamentum, utplurimum, præcaveri; modò non admodum prope à morbi initio, vel etiam corporibus valdè cacochymicis propinetur: quippe non raro contingit ut, si dum cruda sunt omnia, hoc est, nulla particularum morbificarum ab invicem vel à purioribus disjunctio debita habetur (uti fit in morbi initio, vel etiam ubi magna humorum saburra intus latet) exhibeatur, non solum pessundetur effectus, sed & multum noceat, febre scil. vel auctâ in seq. paroxysmis, vel in longum excurrente, vel in continuam versa, vel cerebro nervosoque generi labem haud facilè emendabilem affigente, unde languores, comatosi affectus, motus convulsivi, &c. emergunt.

Deinde observari potest nullam evacuationem notabilem seu per vomitum, seu sedem, seu urinam, seu sudorem, ordinarie ab isto cortice excitari solere, imò non raro, sedari, si affecti prius ad tales evacuationes propensi fuerint. Ordinarie, dixi, quoniam nonnunquam, licet rarius evenit, ut tali aliqua ejus usui superveniente libere-

beretur ægrotans. porro aliquando, imò sat frequenter observari potest paroxysmos, postquam per sex vel septem vices ab usu Corticis destiterint tandem redire, eundemque quem ante cursum, eadem pariter ferocia, repetere: & hoc non solùm irregulariter se gerentibus (licet istis magis quàm his qui majori cura sanitati suæ litant) sed vel cautissimé viventibus contingit. maxime vero sub epidemica, ad febres intermittētes disponente, constitutione aëris hoc usu venit, vel etiam his evenit qui longo, antequam hujus remedii usum aggressi sunt, tempore insultus istos passi sunt Insuper, observatione frequenti constat, à catharticis (saltem fortioribus utpote quæ in remotiores corporis recessus penetrant] præproperè administratis recrudescere istos affectus non minus ægrè nunc domabiles quàm ab initio fuerant. Adhæc (notante primùm puto Cel. Syndenhamio) si lecto se, in usu Corticis multum addicat ægrotus, raro levamen speratum inde percipit unde non mirum si (quandoquidem desidiam tantopere colimus magna pars hominum) apud multos malè audiat: ut mos est plurimis, qui sua licet culpa infructuose hausta universim damnant remedia, porro majorem vim exerere deprehenditur cortex si unà cum austeris vel acidis exhibeatur; quo modo famosus ille non ita pridem, febrifugus Talborius propinasse perhibetur, addito sc. singulis dosibus succo limonum atque hinc forsan obtinuit usus, inter nostrates Medicos frequens, decoctum amarum, superbibendum offerendi; cum pleraque amara stypticitate & austeritate polleant. Tandem (ne plura congeram) frequenti observatione habetur, multos hujus medicamenti usu à febribus hisce liberatos citius vigorem pristinum recuperare (quantum mihi saltem observasse contigit) quàm qui aliorum plerorumque febrifugorum ope convaluerunt.

Quoad secundum, texturam scil. particularum Corticis: videtur hæc valdè stricta esse; hoc est, particulas salis, sulphuris, spiritus (si quæ hujusmodi actu sint ex quibus concreta constant) tam arctè cum terrestribus implexas esse, ut ægre extricabiles sint, seu mavis, usq; adeo ramosas esse constituentes particulas atq; invicem implicatas, ut nexuum istorum solutio, non parum negotii facessat. Atque hoc colligere licet ex usu naturali maxime obvio quem plantæ, cujus est, præbet, quippe cui datus est (perinde ac cæteris plantis sui cortices) ut tegumini vice partes penitius reconditas, in quibus earum vita potissimum residet, ab aëris, pluviarum &c. injuriis muniat; cui quidem usui parum aptus esset, nisi particulæ ex quibus compaginatur satis arctè, præ reliquis quas involuit, implicarentur, atque sic à prompta dissolutione prohiberentur. Quin insuper constat eum haud promptè in ullis liquoribus (nisi fortè talibus qui magna corrodendi vi præditi sunt) dissolvi, imò nec tincturam deponere aliam, quam quæ colligatur esse tantummodo decisio integralium particularum minutiorum, quæ intra poros liquorum ad hanc rem adhibitorum contineri valent, id quod arguitur tum ex sapore, eodem cum integro pulvere degustato, tum quod talis tinctura efficaciæ ejusdem cum illo generis esse deprehenditur, licet debilior, nisi ea quantitate propinetur quæ pulveris in substantia exhibiti dosi respondeat. Si objiciatur, amaritudinem satis laxum, juxta Chymicos, principiorum nexum arguere, atque valdè compacta nullum, priusquam laxata fuerit eorum intima compages, saporem præbere, prout in metallis lapidibus, aliisque similis texturæ experiri datur; Respondeo, primò, istam amaritudinem in cortice nec valde notabilem, nec obviam esse, nisi vel aliquandiu in ore detineatur pulvis vel prævia maceratione in liquore aliquo idoneo eliciatur, unde saltem inferre licet texturam non esse valde laxatam [nec enim compactissimam omnino volumus) verum, secundo, qualitatem hanc non à principio aliquo chymico mihi videri necessario deducēdam, ast potius à determinata quadam figura & mole corporis afficientis, quorum gratia, hoc vel illo modo sensorium feriens diversam sensationem ab ea quam efficiunt aliter modificata, imprimit; & quid vetat complexa corpora tales induere figuras, sub valde exigua quidem mole, unde in poros corporum sentilium, (quos in nobis sat patulos esse quivis concesserit) intrantes eos eodem modo afficiant, quo principiorum chymicorum patroni simpliciorum suarum substantiarum particulas volunt? Ratione hujus compaginationis necesse videtur, ut & friabiles sint ejus particulæ, & præ comminutionibus, quas vel intra vel extra corpus subire contingat irregulares atque angulosas multo maxima earum pars induant figuras, unde fit, ut non solum in teneros ad quos deferuntur se sat promptè ingerant meatus, verum & illorum latera, quodammodo lancinent, atque sic si sensilibus esse contigerit, in corrugationes, ac contractiones aliquales cogant.

Quoad tertium: inquirere oportet non solum in ipsam palestram, in qua, sed & antagonistas quibus cum, in sistendis febribus intermittentibus strenuus hic athleta colluctetur. Idcirco quatuor lustrandæ veniunt regiones, quas ejus particulæ vel pertransire vel saltem afficere (quocunque tandem modo id fiat) censeantur, ut in quanam ex iis energiam suam potissimum exerceat dignoscamus; chylosæ scil. massæ officina & viæ à ventriculo adusque vasorum lacteorum thoracicorum in venis subclaviis ostiola; vasorum sanguiferorum tractus, in quibus cum sanguine includuntur, atque una circulantur, habitus corporis ubivis ultra vasa, isthæc constitutus, ex quo fomitem morbi ad paroxysmum concitandum erumpere concipiatur, & tandem nervosum genus (hoc est tam cerebrum quàm nervorum tractus, & propagines fibras partium constituentes) America ut ita dicam Microcosmi, quam tot ditionibus nobilem, tot provinciis, onustam, per transennam tantum veteribus quasi notam nostro primum seculo celeb. Glissonius & Willisius & plenius monstrarunt & quòd in ea (exiguum sanè) conspectum eorum effugit ad penitius indagandum posteris viam tamen indigitarunt.

Dum verò regiones istas nomino haud quaquàm ita intelligendas vellem, ac si unicè supponerem vasa continentia esse objectum immediatum actionis medicamenti; verum & succos inclusos sub hâc nomenclaturâ comprehendi volo, quandoquidem hujus influentia & actio in hos pariter determinari uidetur, utpote quibus im-

mediatè

mediatè admisc etur, & ad quos sese motû tam ationis, quàm fermētativo identidem variè applicant ejus particulæ: interea tamen & illa unà officii concipiantur, atque ad effectum, si non primario producendum, saltem complendum concurrere; in quantum scil. tonus eorum sine quo nulla functio animalis ritè obiri valet, tandem istarum actione roboretur.

Primò, in chylum quidem corticem hunc agere aliquo modo posse nil vetat, cui & illibatis viribus admiscetur, & quocum iter tam longum unà emetitur: Quin & amaritudine aliqua, ut modo notatum erat, pollet; atqui notum est concreta hac qualitate donata à Medicis & usitato (saltem ex iis pleraque) & efficaciter adhiberi ad plerasque chylosæ massæ inordinationes corrigendas, præsertim ubi acidis scatet particulis, quales cùm in quartanaria diathesi (ad quam & primitus usurpatus fuit cortex, & in qua efficacissimam vim exercere cuncti norunt) dominium obtinere vulgo censeantur, in ventriculo, chyli officina, se vomitionibus acidis sæpenumero produnt. Porro dum ulterius cum chylo provehuntur ejus particulæ, atque exactiorem cum ea subeunt miscellam, accessû biliosi & pancreatici in duodeno liquorum, & lymphæ in glandulis mesentericis & receptaculo communi, usque adeo exaltari concipiantur, ut notabilem in eum, inertem satis & viscosum liquorem, vim toto itinere imprimant, vel saltem reagendo alterationem inducant: unde fieri vix potest quin sanguis ex illo resarciendus, & reliqui inde conficiendi liquores, imò tota animalis œconomia, multo melius imposterum habeant. An vero hoc sufficiat ad rationem quæsiti effectus reddendam mox dispiciemus.

Secundò, nec quidem negandum admissas medicamenti particulas afficere posse sanguineum laticem. Utcunque enim strictior illis (quod modò deducere conati sumus) sit compages, quandoquidem tamen cum multiformi adeo massa commiscentur & gyrantur, haud fieri potest quàm quibusdam ex hujus partibus alterationem, sive id agendo fiat, sive earum actionem recipiendo, saltem eas ab associationibus indebitis interpositione sua arcendo, inducant, præsertim quando vegetiori ejus motu & calore eas magis invigorari contigerit. Porro febrilis caloris, quem formaliter in sanguine fundari [undecunque tandem instinctum habeat) uno ore fatentur Medici, cessatio, multorumque indè profluentium symptomatum sedatio, quæ illarum admissionem brevi subsequuntur, sanguinem ab iis quodammodo affici fidem aliquam faciunt. Qui quidem effectus, quamvis potissimum ulteriori alicui actioni (uti inferius astruere conabimur) forsan debeatur; nil vetat tamen quò minus ab istius contubernalis cum sanguine consortio ex parte pendeat; si non alia de causa, hac saltem, quod robur deperditum ejus crasi hinc restituatur; quod citius ab hujus, quàm aliorum febrifugorum efficaci usû redire, ut plurimum, prout supra innui, observetur.

Tertiò, tertiam quod attinet regionem, habitum scil. corporis, quandoquidem cavernulis plurimis abundat (tales nempe dari ipsa rara & cedens partium compages, ponderisque, præ multis aliis ejusdem molis corporibus, carentia si nulla ab autopsia suppeterent argumenta, fidem faciunt) vix dubitari potest, quin si in eas corticis particulis ingressus detur (quod quin faciant nulla vetat ratio) afficiant. Quippe cùm hæ ex membranis vel fibris, si non in totum, saltem maxima ex parte, constentur (sive propriæ sint, sive vasorum quibus universa singularum partium stamina constent, & quas interjacere multis in locis spatiola necesse est) quas omnes sensibiles esse credibile est, par est ut censeamus rigidiusculas hasce particulas subintrantes, in motus, saltem contractiles, ad amoliendum hinc ortam molestiam, eas urgeant: unde saltem ingruentium symptomatum probabilis ratio assignari potest.

Quarto, de ultima ex memoratis regione major forsan lis moveri potest, non solùm scil. an afficiant succum nervosum, sed insuper an vel admittantur in nervosi systematis tractus corticis particulæ: Quippe fortassis suggeratur, angustiores esse tubulos istos, quàm ut quidvis, nisi subtilissimum, illæsi capiant; particulas verò hujus medicamenti, irregulares & rigidiusculæ cùm sint, prout ex supra allata de textura suppositione constat, si admitti contigerit, nimis arctandas fore, quàm ut se explicare valeant, vimque suam, quæcunque illa fuerit, exerant; saltem molestiam asperitate sua parietibus indesinenter inducant: quin insuper has tot liquorum quos pertranseunt, actionem passas, ante forsan exantlandas fore, quam ad originem nervorum pertingant. Verum neutrum mihi concedendum videtur: Quod enim spectat ad admissionem, si inde conferamus innumeros (magnitudinis dicam, an minutiei?) gradus inter vascula insectorum, nervosque nostros, hinc vero corporum, nulla vel attentissima mentis acie assequendam, divisibilitatem (præsertim ubi concurrerint efficaces comminutionis causæ, quales in corporibus animalium adesse nemo, opinor, negaverit) facile concident priores suggestiones. Actionem verò, si admitti contigerit, quod attinet; multa cerebrum & nervosum genus afficere posse illæso sanguine (imò forsan multos cum eo circuitus absolvere) suadet nervosorum quorumdam affectuum ab assumptis aliquibus, infesta vi pollentibus, productio, sanguine interim parum tacto: sic Pastinacæ Sylvestris radices in affectum maniaco similem (licèt brevi cessaturum) comedentes sæpè compulerunt; sic cicutæ aquaticæ & hyosciami radices, nux vomica, aliaque plura hujusmodi comesta, in nervosum genus potissimum vires suas exerere deprehendantur; uti palam fit ex iis quæ circa hanc rem protulit Celeberrimus Wepferus, hist. cicut. aquat. Ut taceam Hydrargyrum non solùm auri fabris, inque mineris versatis, sed etiam assumentibus, & salivationem movere, & pertinaces quandoque artuum tremores, aliaque nervosi generis gravissima symptomata, integra sanguinis crasi persistente, inducere. Porro idem evincit specificorum medicamentorum in convulsivis, aliisve nervosis affectibus exhibitorum, ad eos debellandos efficacia; quorum quamvis singulis, pro talibus habitis, immerito forsan titulus iste & effectus adscribendi sint, si tamen etiam uni vel alteri, collatis debitè rationibus, jure competere deprehendantur, sat erit ad evincendum medicamenta viribus non penitus destructis ad cerebrum pertingere posse. Quo minus forsan

nec

nec nostro Cortici denegatur ista facultas.

Quamvis autem singulæ hæ regiones ab hujus medicamenti particulis, sicut dixi, afficiantur, non tamen eodem omnes modo, nec gradu, nec adæquate ad effectum, de quo sermo est, producendum.

Et primo non admodum probabile videtur, in chylum solum agendo rem præstare. Etenim si monstrari posset morbum à chylo vitiato pendere, non tamen dum in primis viis versatur; id quod postulat præsens superpositio. Quippe prima invasionis symptomata nec semper, nec, ut plurimum, in isthac regione se ostendunt, verum remotissimam adoriuntur; nempe rigoribus, extremorum frigiditate &c. ante plerunque impetuntur ægrotantes, quàm nausea, vomitionibus, aliisve ventriculi vel reliquarum primarum viarum affectarum indiciis; imo frequenter morbum derepente invadere constat, ubi nullas, nedum chyli, sed nec quorumvis præterea liquorum vitiatorum notas colligere licet. Quinimo si à chyli vitio profluat affectus, facile fieri posse videtur ut, denegato per jejunium ejus proventu, paroxysmus, absque alterius Febrifugi ope, præcaveatur, quod tamen perraro accidit: Imo tanta post paucorum Paroxysmorum decursum anorexia multos incessit Febricitantes, ut nil ferme alimentorum plurium postea intercapedine haurire velint, eundem tamen tenorem his servantibus, imò ingravescentibus. Non equidem negavero Chylum, repetita forsan hujus medicamenti assumptione usque adeo corrigi posse, ut purius pabulum sanguini, atque exinde succo nervoso, aliisque liquoribus, conficiendis suppeditando ansam imposterum debellando morbo præbeat, (quippe fatendum est, quamvis ejus anomaliis proprie non debeat ortum morbus, accensum tamen inde foveri.) Verum hoc potius arguit antecedentem in chylo affectus causam, quàm continentem haberi. Si suggeratur, corticem, ante brevi expectatum Paroxysmum exhibitum, eundem quandoque præcavere, dum interea ultra ventriculum perrexisse vix præsumatur, regero; Primò, non absimile vero mihi videri particulas quasdam ejus tenuiores mox ab assumptione (præsertim si tincturæ forma exhibeatur) cum liquoribus, quibus, ad egressum paratis, illis occurrant, ulterius transvehi posse, atque lege motus chyli & sanguinis qui sat celeriter peragitur, cito per totum corpus distributum ad ipsum materiæ morbificæ stabulum longissime dissitum sic deferri: Verum secundo, si cui solutio hæc minus arriserit, saltem non videtur, ita ab isto in ventriculo commorante affici posse nervorum hic insertorum extremitates, ut ab actione isthac, absque materiæ transmissione in longinquum delata effectus reddatur ratio. Quippe cùm chordis tensis assimilari nervos debite constitutos solenne sit apud Medicos, à laxatis vero multos provenire nervosos affectus, quidni, si in cerebro (uti ante adstruere conati sumus) fundetur hic, concipiamus astrictionem, præfatis nervis in ventriculo impressam, ad usque cerebrum, universosque exinde systematis nervosi tractus, celerrime propagari posse, atque hinc mineram ab eruptione coërcere, cum non raro observetur nervos, certis in partibus in contractiones actos, reliquos omnes pari modo afficere; id quod ex convulsionibus à punctura tendinis oriundis, necnon periodicis illis, quæ in parte à cerebro sat remota, manu, v. g. vel pede, fluunt. Porrò & ex istis (quod præsens subjectum propius attingit) quæ quandoque à vomitorio exhibito excitantur, palam fit: Quin insuper ex historiis Medicis fide dignis constat, subitum terrorem febres intermittentes quandoque sustulisse; cujus ratio vix, nisi à nervorum contractione, reddi potest. Quæ quidem instantiæ quamvis vegetiorem forsan supponant impressionem, quam quæ à cortice in nervos stomachicos infligi potest, videntur tamen evincere nervulos, præsertim in ventriculo, quovis modo lacessitos, sat cito sua in reliquos universos seu commoda seu noxas propagare posse: cumque levis contractio sufficere videatur ad tonum cerebri, adeo sua constitutione naturali teneri, restituendum, hinc levis impressio sufficere concipiatur ad contractionem talem efficiendam.

Secundam quod attinet regionem; nec hic ad sistendum Paroxysmum terminari actionem medicamenti verisimile mihi videtur. Quippe cùm prima, supra memorata, symptomata in partibus ultra sanguinis vias (saltem gurgitem) ingruant, sicut probabile est materiam morbificam in ulteriori regione stabulari, sic pariter remedium vires suas, in eam potissimùm impendere; Porro cùm solidiusculæ sint ejus, præ sanguinis, particulæ, quid vetat quominus has prætervectæ (ut naturale est solidis vim motûs tam retinere tenaciter quàm facile concipere) eò sat integris viribus pergant, quo multa laxioris, & flexilis texturæ ex ejus sinû penetrant? Quinimo nullas in sanguine turbas concitare deprehenditur, nullas inde evacuationes usitate movere unde colligatur notabilem inter alterutrum discrepantiam intercedere. Adhæc, si febri, quâ tali, medendæ debeatur, cur non æque efficax in continuis, quarum causam continentem in sanguine haberi communi fere sensu sancitur, pellendis observatur? Nempe vix puto, constabit impendio in his averruncandis, modo nervosi generis affecti symptomatis vacent, si recte ineantur rationes, energiam deprehendi, quantumvis mos seculi sit, ut vix parcius in his, quàm intermittentibus præscribatur. Sane; utcunque inter succos primo agere soleat medicamentum, cùm tamen hi non sui gratia in corpore habeantur, sed ut solidis partibus (in quarum debita constitutione sicut præcipua sanitatis effecta, sic in depravata morborum indicia, ex quibus eorum rationem colligere debemus, præcipuè deprehenduntur) materiam in nutritionem, motum, sensationem, &c. impertiant: quin functionum animalium non ex se, sed quatenus his ministrent, atque actuandis inserviant, participes sint; idcirco concludendum videtur medicamentorum, non secùs ac alimentorum, actionem ad has afficiendas (saltem præcipuè) ultimo destinari, atque illos vix magis pro agendi scenâ (nisi in paucioribus morbis, qui in iis proprie fundantur) quàm vehiculo, vel saltem menstruo præparatorio, habendas esse.

De tertia regione suggeratur: quòd, quandoquidem & necessario cum sanguine in corporis ubivis habitum deferantur & cavernulas, ut supra notavi, in eo numerosissimas, in quas deflectant, offendunt medicamenti particulæ, illic usque adeò, præ otio quo hic frui possint, maturentur, ut tandem materiæ morbificæ (sive isthic illius focus habeatur, unde cominus hic eam aggrediantur; sive alibi resideat, quò fiat ut, post maturationem in venas regestæ, ad eundem ubivis situm cum sanguine transferantur,) debellandæ pares evadant. Verũ præterquam quòd supra ostendere conati simus materiæ morbificæ sedem non hic primitus inveniendam, nec proinde medicamentum energiam suam isthic adæquate exerere, quæri insuper poterit, quomodo si daretur isthic hostem congredi, tantillum quod admittitur medicamenti, nec admodum ex se agilis, nec in omnium minutissimas propter texturam tantopere compactam, prout modo deduxi, citò dirimi habilis particulas, universa sic præcaveat symptomata; quandoquidem & sanguinis copia immaniter adeo particularum hujus numerum superet; ut non detur proportio inter medicamentum & morbum, & arteriarum per quas deportatur ramificationes tam numerosæ sunt, ut minimè concipiendum, mea sententia, sit istas ad omnes corporis partes distribuendas sufficere, nec proinde hac ratione ad morbificæ materiæ eruptionem reprimendam: ut taceam magnam earum partem unum fortasse capessere vasorum tractum, neglectis reliquis (id quod non improbabile illi habebitur, qui perpenderit quàm difformis sæpe observetur cruoris emissi, & pluribus scutellis excepti, facies, ut nempe una portio coccineum sortiatur colorem, alia lividum, reciprocantibus quandoque in variis vasculis hisce Phasibus) quo modo fieri potest ut sufflaminata forsan in una corporis regione eruptio, procedat nihilominus solito tenore in alteris, quæ vim medicamenti, siquidem illò haud pervenientis, non persentiunt; adeoque & partiales hinc excitentur rigores, & postmodum materia hac in sanguineum rivum ex loculis istis effusâ, febris solitum repetat cursum, totâ sanguinis massâ febrilem commotionem, ibi impressam, mox concipiente. Verùm multo minus probabile est medicamentum hic maturatum ad mineram alibi sitam transfretandum destinari: cùm præterquam quòd multas ejus particulas transpirationis lege foras expelli contingat, vix in promptũ habebitur ratio, quâ & reliquas, confundente sanguinis motũ, ubi ab eo resorptæ fuerint, agitatas ad focum ubicunque locatum dirigendas fore.

Restat ergo; Quartò, ut in cerebro & systemate nervoso quæratur, operationis ratio adæquata, quam inibi (probabiliter) inveniendam esse ut monstrare satagam, non abs re videntur observanda quædam paucula generaliora (ex se quidem pleraque satis forsan obvia) circa relativam medicamentorum ad corpora nostra, succosque inclusos, actionem (quantum ad præsens institutum spectat) præfari, quò clarius evincatur suppositionis istius probabilitas.

Primò, igitur, quandoquidem constat nulla concreta indiscriminatim in cuncta alia agere, verum singula, prout texturæ, tam agentis quàm corporis in quod actio imprimitur, ratio permittit; notari poterit ea, quorum laxior est compages, intus suscepta, promptius vim exerere, quibus vero strictior competit, lentius. Hinc multum discriminis interest inter actiones liquidorum & solidorum assumptorum; ut nempe illæ & liquoribus quibus obviam fiunt, facile se per totum admisceant, & in solidarum partium porulos, modo satis hient, prompte insinuent, unde levi negotio in alterutra immutando agant, modo cætera consentiant; hæc verò, prius quàm vires suas exerere, notabiliter saltem, possunt, vel præviâ quâdam præparatione compagem solui exigunt, vel saltem multum comminui, maxime si compactioris, nec facile solubilis, sint texturæ.

Secundò, notari poterit ea, quorum particulæ molliores sunt, laxiorque compages, intra corpus admissa, [in quo motu progressivo continuo urgentur) sicut compactioribus citius vires suas exerunt, sic citius exolui adeo ut nisi vel intime possideant particulas valde energeticas, (hoc est, sicut valde minutas, sic & solidas & angulosas) vel sat magna copia exhibeantur, vel etiam talia non offendant quæ earum vim retundant, ultra primas vias, vel saltem sanguinem, actionem suam extendere nequeant, ad remotiores vero regiones fatiscunt. Compactiora vero ad has, integris ferme viribus provehi possunt, imò debent; quandoquidem & magis resistunt actioni liquorum quibus primo admiscentur, & istorum commeatu prorsum usque ad eas feruntur: imo quæ eas primo impetu perlabuntur, repetitis usque & usque circuitibus tandem postliminio attingant.

Tertiò, ad actionem medicamenti determinandam (talis præsertim quod in longinquum deportandum est, adque solidas partes afficiendas, destinatum) particulariter consideranda est figuræ & soliditatis ratio, ut nempe quorum cum notabili soliditate multum irregularis, figuræ sint particulæ, præterquam quòd fortius & inter fluidas substantias vibrentur, & in partium ad quas appellunt meatus impingant, viam insuper aliis vel subtilioribus, vel mollioribus, sat facile inter eorum prominentias & meatuum latera, ubi semel in eos admissæ fuerint, concedere concipiantur, cum interea quæ molliores, & flexilis sunt genii, maxime si minus sint irregulares, paucisque angulis præditæ, hoc nomine vasa, vel obturare, vel præterlabi, aptæ natæ sint, unde nulla in ea impressio habere potest.

Quartò, nec minus ad hoc momenti habet aptitudo, seu fluidarum substantiarum quibus admiscendum venit medicamentum, seu solidarum partium ad quas deportandum est, ad actionem hanc recipiendam: sicut enim inter illas & medicamenti particulas, vel repugnantia, ratione figuræ & molis, esse debet, quæ luctæ occasionem det, vel similitudo, cujus gratiâ congruè coëant, sic meatuum, quoad mensuram, figuras, aliaque requisita, apta habenda est ratio; cùm secus vel in

totum istæ ab ingressu arceantur, vel indebito modo præ incongruitate afficiant.

Quinto, perpendendum est, illuc ad morbum quemvis perdomandum deportari debere medicamentum, ubi fomes residet; adeo ut si viscus aliquod, vel artus, vel particularis aliqua alia pars afficiatur, universum consulant Medici, nec fallaci eventu, ut remedium ad locum sic affectum, si morbi illic stabuletur causa, dirigatur, vel, secus, ad partem unde influit. Pari modo, si universum corpus afficiatur, sicut rationi congruum est illuc, quà licet, dirigendum esse medicamentum, unde in totum influere possit, sic ubi talibus dosibus aliquod pollere deprehenditur, ut universalem, utitate, debellet morbum, quidni concipiamus & hic deponi, & potissimum agere, unde influentia isthæc propagatur, eoque magis si sat subitaneus effectus subsequatur.

Ab istorum consideratione colligere licet, primò, corticem Peruvianum, quandoquidem, ut supra deduxi, particulæ ejus pro solidis, etiam ad ultimam suam scenam, habendæ sunt, atque hinc ægre dissipabiles, ultimam suam in sanguinem activitatem statim impendere non posse, verum multos cum eo circuitus absolvere, antequam vires suas disperdat [id quod paulo ante notavi;] Secundo, ejus particulas, dum partium habitum permeant, sat facile illic deponi posse, prout ad cavernulas (vel, si mavis, poros,) iis admittendis aptas natas, in transcursu suo appulerint; quarum quidem permultas nequeunt non ubivis, præ insigni corporis raritate, offendere: Ex his vero, Tertio, nullis æquè huic muneri paribus occurrere posse, ac istis quæ in Cortice cerebri habentur, idque duplici ratione; 1. Quia tenerrima est isthæc pars, & proinde facilè crassiusculis & solidiusculis hisce corporibus cedens, quæ quia à sanguine minime subigi, nec cum eo exacte misceri queunt, facile divortium subeunt, inque tales (ubi eo per circulationem delatæ fuerint) meatus, qui minus iis resistunt, facile penetrant; 2. quia angustiora (uti saltem æquum videtur suspicari) sunt capillaria vasa sanguifera quæ hic terminantur, quam quæ uspiam alibi invenire datur, quandoquidem isthic loci secernendus est succus nervosus (imo si molles spiritus animales) subtilissimus in toto corpore liquor; quo fit ut ex arteriolis cum suo vehiculo, sanguine, elapsæ istæ particulæ, ægre præ mole & figurâ [quam quadantenus angulosam & irregularem esse comminutionis ratio suadet] venularum cavitates hic loci arctissimas, subintrare valeant, quin potius in juxta adsitos Glandillarum cerebralium, præfato succo admittendo dicatos, porulos deflectere in proclivi habent, quoniam eos quàm venarum (quarum, etiam capillarium, parietes præ istis rigidiusculi audire merentur) magis cedentes inveniunt, imò & præ sua teneritudine magis se figuris istarum particularum accommodare aptos. Si quæratur quomodo, quandoquidem longe maxima medicamenti pars (si in substantia exhibeatur) per sedem amandatur, reliqua vero quæ venas subit, usque adeo distrahitur, perque totam distribuitur sanguinis massam, ut valde exigua, arteriarum considerata proportione, ejus portio ad cerebrum deferri possit, tantilla ejus, (& quidem satis, ut videtur, inertis) quantitas, quæ inter sanguinem illo deportatur, tanto effectui producendo par esse possit; Responderi forsan haud prorsus incongrue, poterit quod, quoniam juxta nervorum originem deponitur (qui licet angustis cancellis hic coërcentur, toti tamen corpori notissimam, & quidem instantaneam ferme influentiam imprimunt) perpusilla medicamenti quantitas hic deposita ad grandes effectus in partibus hinc actuatis producendos sufficiat: sive enim effectus ratio a nervorum constrictione, unde ad debitum tonum prius laxati redeunt, deducenda sit, hoc facile, ubi omnes conpinguntur & compatiuntur, præstari potest, sive à particularum medicamenti in eorum tubulos admissione pendeat, constat pauculas admodum in tam exilia vasa receptas grandi effectui producendo pares esse posse, quoniam singulæ totam fere cavitatem (exceptis quæ puro succo nervoso & spiritibus transmittendis inter earum angulos interjacent spatiolis) saltem statim ab ingressu, occupant, atque hinc materiæ morbificæ introitum negant, unde si vel unica in singulos nervulos particula forsan penetret, sat erit ad effectum, qui per totum eorum tractum sentiatur, inducendum. Quin insuper nil impedire videtur quominus, quæ uno circuitu aliò deferuntur, ejus particulæ, huc postmodum, rata circulationis lege, perduci possint, atque sic tandem ut, repetitis & circulatione & pulveris exhibitione, præfatâ ratione compleatur effectus.

Designato sic operationis stadio, proximum est ut aliquanto enucleatius tradam quonam, juxta præfatam suppositionem agendi modo vires tam notabiles exerat Cortex: Quod quamvis jam præstitum quis censeat; quoniam tamen minùs aptè forsan contexta habentur, quæ Hypothesin constituunt, utque propositæ methodo satisfiat, par est ut saltem in summam totum negotium redigam, unoque sic quasi intuitu videndum ob oculos ponam. Idcirco conjicio, quòd, ubi primum in ventriculum admissum isthoc medicamentum, actione stomachalis fermenti, (succi scilicet ex glandulosâ tunicâ in ejus cavum exudantis) quod cuncta statim adoritur, assumpta, comminuantur laxiores, facilius proinde cedentes, ejus particulæ; ex quibus, quot ad trajiciendos chyliferos meatus in intestina hiantes aptitudinem hinc nanciscuntur, intus solito Chyli itinere in sanguinis feruntur gurgitem, ab hoc (non secus ac lymphâ quâ cum in transitû suo congressæ sunt) ulteriorem identidem comminutionem passæ, pariter ac ipsi robur, ut supra innui, afflantes, ejusve forsan crasin quovis modo immutantes. Sanguinis commeatu istæ, quibus contigerit cum hac ejus portione quæ ad cerebrum tendit commisceri, illo delato, in glandulas ejus corticales, si earum osculis satis aptè respondeant, modo novissime explicato deponuntur, atque inde pars, more succi nervosi, in ipsum cerebri meditullium (exprimi nervorum, staminibus, exinde identidem amplificandis, conflatum in sequentium protrusione, & motû partium Systaltico, urgen-

urgentur; in quo præ ductuum angustiâ, lentaque illâ protrusione lentissimè moveri necesse habent; pars crassior aliquandiu in ipsis Glandillarum istarum de meaculis hærent. Dum illhic commorantur, partim præ angulis, quæ ex soliditate & constructionis lege sortiri supposuimus, leniter partes ambientes ad contractiones solicitant (quas membranosa conflari texturâ nemo opinor, negaverint, & proinde aliquantulum ad has ab irritatione proclives) unde laxior earum tonus emendatur: partim, insuper subingressuris crassioribus & heterogeneis è sanguine particulis, quas (ut in allata de his assectibus producendis hypothesi monstrare conati sumus) materiam morbificam constituere arbitramur, hinc aditum denegant: Interea ut præ irregularitate sua sat viæ, inter earum insterstitia & vasorum horum latera, subtilioribus ex sanguine particulis, quales in liquorem nervosum facessere solent, ad perennanda sensus & animalitatis munia concedant partim denique, quæ ex illis maximè subtiliantur, se succo nervoso continuo progredienti associant, interque illius particulas motitati, & ab indebitis cohæsionibus interpositione sua arcent, & motu æquabili, cùm sat illis congruæ sint, urgent; quin insuper, præ majori soliditate quàm quæ illis competit, atque angulis, quorum ministerio ad corpora minus compacta comminuenda aptantur, ipsas ulteriùs dividant, atque hinc subtiliores, & usibus designatis aptiores reddunt. Hoc facta quamvis, ut quandoque sit proximè secus invasurus Paroxysmus non inhibeatur (maximè si paulò ante Paroxysmum primâ vice detur) quandoquidem materia morbifica, priùs admissa & maturata, ad eruptionem parata in proscenio stabat; sequens tamen, ut plurimùm, vel præcavetur, vel saltem mitiùs invadit (nisi nimis propè, ut dixi, ad morbi initio, quando omnia sunt cruda, vel etiam sanguine multùm impuro, propinetur) eò quòd isti abingressû præ ludantur viæ à medicamenti particulis, & tonum partis quadantenus hic intercapedine roborari credibile sit. Unde tandem fit, ut continuatâ exhibitione, (imò quandoque post unicam dosin) ad constitutionem debitam redeant vascula ista, atque hinc ut, præciso sic fomite, statim, vel saltem brevi, in totum evanescant Paroxysmi.

Supra quidem innui medicamenti particulas adhuc in ventriculo commorantes multum ad sistendum Paroxysmum opis conferre posse, nervos illic sitos, &, eorum consensu, totum systema nervosum invigorando. Verum cùm ista nimis evanida sit agendi ratio, ad constantem sanitatem inde expectandam; cùm porrò motis è ventriculo medicamenti particulis, nisi quid ulterius præstarent in corporis penetralia delatæ, suspicio oboriatur & nervos tensionem illam brevi remissuros; cumque insuper ratio modo assignata & facilis, & constans, videatur naturæ regula ad effectum solidum producendum, huic potissimum innitimur.

Disquiramus jam tandem an huic hypothesi quadrent de usu corticis in limine observata, quæ si inde probabiliter explicari valeant pro argumento forsan erunt eam non prorsùs inepte excogitatam fuisse.

Ex his primo aliqua parte satisfactum censeo ex novissime dictis. Quod verò ad limitationes assignatas spectat; videtur quòd dum in morbi initio, crudioribus existentibus, hoc est, non satis in compage laxatis succis, vel etiam ubi magna adest humorum saburra, exhibetur cortex, nequaquam vel prima dosi satis subigi, & comminui possit, vel si quibus ex ejus particulis id obtinuisse contigerit, se in cerebro ad crudorum istorum, vel aliter vitiatorum in sanguine luxuriantium, consortio extricare valeant, ut in meatus cerebrales vel debite, vel sat magno numero ad effectum producendum, viam inveniant; quin eveniat quandoque ut, cum istis humoribus subintrantes, paxillorum ritu eos tanto arctius loculis his compingant; unde nec spirituosi destinati succi (quem par est comminisci ad functiones animales explicandas) per ipsum cerebrum commeatus, nec ejus in systema nervosum debita distributio haberi potest, sicque necesse erit, ut nervosa quamplurima hinc emergant symptomata. Imo dum in sanguine massa adhuc hospitantur istius medicamenti particulæ, conjicere licet, quòd materiæ heterogeneæ copiose in ea congestæ debita maturationem (inter ejus particulas spiculis suis se ingerendo, sicque à multis congressibus ad hoc opus necessariis arcendo) atque hinc exterminationem, impediendo, eam proinde tantisper detineant, donec laxata universim sanguinis crasi febris continua, vice intermittentis, inde tandem excitetur.

Ex eo quòd nulla notabilis evacuatio ejus exhibitionem subsequi soleat, interea ut sedetur morbus, deducere forsan licebit. Primo, quod, quandoquidem, evacuationem materia ex sanguine, maximam partem, proveniat, vix verisimile videatur illic materiam morbificam formaliter stabulari, cùm si ita res esset, vix vix sedaretur morbus nisi extrusâ causâ; atque parum probabile apparet tantulum (satis inertis, ut supra stabilire conati sumus) medicamenti quantitatem in sanguinem, & per magna id proportione superantem, & in vasis valdè amplis (comparatione ad alia habitâ) contentum & gyrantem, admissam hanc corrigendo solùm rem præstare posse; Secundo, proinde, quòd in talem substantiam agat, quæ & in evacuationibus concitandis efficientis munere fungitur (quod quidem succo nervoso competere, olim Tr. de secretione Animali adstruere conati sumus) cujus propterea pacationi, ubi ad has ultra modum invehendas ab admista quibus irritante materia instinctum nacta fuerit, allaborandum; & cui propriorem aliquam gerat proportionem ratione quantitatis, quàm, ut dixi, ad sanguinem habet; quâ cum porro in ejusmodi vasis coërcetur unde nec ipsæ ejus particulæ ab invicem nimium disgregentur, nec facilis & subitus nimis, vel illis quibusvis ante reconditis substantiis, egressus detur: quo fiat ut sat illis, genio à commotionibus molestis, ciendis, alieno præditis, moræ ad una

conclusas subigendas, vel si quod aliud iis demandatur pensum exequendum, concedatur. Si vero contigerit aliquando, ut illius usum evacuatio subsequatur, non hoc medicamento, tanquam solenni illius effectui, jure adscribendum videtur, cum perraro eveniat; sed potius vel importunæ administrationi, vel insigni, sanguinis, aliorumve liquorum, concitationi, qui à quovis heterogeneo, quantumvis leni, admisso in motus enormes, ante conturbati, non raro pelluntur; vel etiam alicui idiosyncrasiæ (quales quibusdam hominibus competere, dum certæ aliquæ offeruntur substantiæ, frequentia authorum testimonia, imò cujusvis penè observatio fidem faciunt) imputandum erit. Porro quando evacuationes isto exhibito sedari contigerit, hoc merito imputandum videtur eximiæ ejus in nervosum genus energiæ: quamvis enim sanguis aliive præcedanei liquores commoti materiam his præbeant, attamen nervosas partes lacessendo effectum sortiri ex eo deducere licet, quòd (præter id quod de Fermento secretorio à nervis oriundo olim notavimus) harum solummodo ministerio partes secretoriæ in contractiones expulsivas aguntur. Porro nervos quovis modò irritatos varias non raro evacuationes ciere, ex Diarrhoea à subito terrore ad quam nonnulli, satis rectâ utentes valetudine proclives sunt, salivationibus, nedum à medicamentis mercurialibus oblatis (quæ sanguinem vix, comparatione ad effectum eorum in nervos, impensè afficere consentiunt Medici) sed vel ab ingrati medicamenti hauriendi conspectu, obortis, sudoribus, urinâve copiosissimis hypochondriacorum (quorum quam multis nervosum genus, præ veneno ejus è contentis, malè habere testatum faciunt symptomata) colligere obvium est. Cùm ergo medicamentum has sedaverit, in proclivi est conjicere, id hoc præstare in istas substantias, quæ eas concitant, agendo; sive id fiat manus iis inciendo (hoc est, vel activitate sua obtundendo eorum angulos, vel sic iis sese applicando, ut hinc majores moles, novasque, & minus noxias, figuras induant adhuc in textura conturbatas in ordinem redigendo, sive viam iis in sanguinem erupturis præcludendo, aliove quocunque modo eas afficiendo.

Quòd post aliquot periodos debellari visi Paroxysmi redeant, hinc pendere videtur; quòd quemadmodum admissæ in corticalem cerebri substantiam vel nervos Peruviani medicamenti particulæ haud cito (cùm quodammodo, ut dixi, irregularis & rigidæ sint, licet non usque adeo ut molestiam arcent) ex tenerrimis eorum conceptaculis exterminari valeant, ubi dum commorantur particulas morbificas ab ingressu arcent, unde persanari per spatium plurium Paroxysmorum videatur morbus; sic quando vel præ longa ejus ante oblatum remedium duratione, vel præ causæ cujusvis violentia, vel etiam dum aëris intemperies, ut in epidemica constitutione fit, usque foret effectum, nervosum genus apud originem suam laxum adeo & labefactatum fuerit, ut ad pristinum non ante restituatur tonum, quàm istæ, ut dictum, exantlatæ, & exclusæ fuerint, particulæ crassiores (quales in omni, vel sanissimorum, sanguine scatere verisimile est) porulos cerebrales, eodemque ante modo constitutos, atque jam nupero hospite liberos, offendentes, necesse habeant in eas ingressum capesseret unde pari ac ante modo imposterum progredi debet morbus, cùm omnia eodem ritu quoad nervos constituta sint. Quocirca necesse est ut sæpius repetatur medicamentum, quò sic identidem sufficiantur ad partes præfatas, nondum perfectæ sanitati restitutas, novæ copiæ; ut saltem morbus ad idoneum magis anni tempus, quod plenæ faveat sanationi, protelетur.

Cur ab exhibitis catharticis, saltem fortioribus, quandoque redeant Paroxysmi, ratio sat congrua mihi videtur, quòd horum particulæ drasticæ facile se inter circulandum cum sanguine in porulos corticis cerebri, ipsiusque systematis nervosi, ubi medicamenti hærent particulas insinuare possint, hasque ex loculis suis extrudunt, unde imposterum in istos, sic ampliatos, morbificæ materiæ denuo concedatur ingressus: quin insuper non mirum partes has, priùs debiles, ab his tantopere aculeatis (prout fas est conjectari) magis usque labefactatas in (quemadmodum multoties vel sanis à talibus exhibitis accidit) adeoque multo, quàm secus evenisset, curatû difficiliorem reddi effectum.

Quòd multos fallat expectatio levaminis, dum per hujus usum lecto abstinere nolunt, hinc deducibile videtur; quòd partem præ laxitate glandularum quibus, fere, constat cutis (quod quoque omnibus præterea partibus usû venit) partim stragularum mulcedine, pori usque adeò pateant, ut, transpiratione solito magis procedente, multæ particulæ medicamenti, secus ad cerebrum deducendæ, hâc illam foras capessant; quæ vero illuc pertingunt se in venas præ ista laxitate nunc magis hiantes facile cum reliquo sanguine recipiant; unde id laterales, quos dixi, in cortice cerebri recessus, ad nervos ducentes, minus apte deflectere possunt.

Ex eo quòd cum acidis vel amaris propinatum magis conspicuos prodat effectus, in promptû est colligere, magis hinc compingi, & rigidas reddi ejus particulas, atque inde magis stipticas evadere, saltem ista unà assumpta calculum suum ad effectum conferre, quandoquidem & vim illis febrifugam competere etiamnum, pariter ac olim data fuit, credimus. Quam quidem energiam in nervosum genus potissimum exerceri hinc statuminari forsan potest, quòd inter specifica pro cerebro & nervis roborandis nuncupata, pauca reperiendà sint, quæ aliqua stypticitate non polleant; quorum & nonnulla inter febrifuga habita fuerunt. In quibus & febrifugis, utpote Centaurio, Gentiana, Pentaphyllo, Alumine, &c. ante Corticem Per. repertum, vix minus spei locatum fuisse, quàm nunc in hoc, notum est; quæ quamvis hodie inferioris multò classis esse deprehenduntur, quid vetat tamen quo-minùs famulitio suo talia ex his isti in effectu producendo, opitulentur quæ nullam antipraxian noxiam, quâ imminuantur ejus vires

vires, exercere observantur, maximè quoniém, si in liquida forma propinentur, vehiculi loco inserviant quo citius & certius intus, ubi stativa ponit morbus, devehant: Quin contemptus veterum est novitatis invidiam, à quibusdam quibus nil fore sapit nisi quod ex libris Hippocratis, Galeni aliorumve ex antiquis (quorum sanè, utpote primorum Medicinæ luminum, veneranda semper esse debet memoria) hauritur, imputari solitam amolietur secutum, dum ab iis transmissa neutiquam repudiare notabitur.

Quòd tandem citius post intermittentes quàm continuas redeat pristinus vigor, pro argumento haberi potest (obiter) illas in nervoso genere fundari, non vero in sanguine, harum statione; cùm vigor corporis à debitâ solidarum partium, ex nervis oriundarum, constitutione potissimum pendeat; illius ergo correctis anomaliis, non mirum est restituendum cito fore robur. Quòd vero in ipsis intermittentibus ab hoc, quàm aliis febrifugis salutariter exhibitis celerius redintegrentur vires, hinc pendere videtur, quòd ejus particulæ in nervis & præfatis cellulis diutius commorantes, continuo eos ad sese contrahendos placide solicitent, atque ita ad perfectam toni firmitudinem saltem simulandum; quæ tandem nisi gravioris impedimenti quidquam obstet, præ nixus istius assiduitate, his exturbatis, brevi in perfectum redit. Quin porro & hac mora puriori solum succo inter particularum medicamenti (figuræ multum irregularis, ut sæpius notavi) & vasorum latera transitus, ut etiam innui, conceditur; unde indidem grato & familiari liquore remotiores eorum tractus referciuntur, quo & tensitas & cætera animalia munia celerrime restituantur. Cùm interea quæ alia quavis medendi ratione rem præstant, quoniam statim nervos deserunt, opem citò evanidam solùm præbent. Unde tono, licet aliquantum constricto, nondum tamen confirmato, verum se subinde laxante, plusculum heterogenearum particularum cum succo laudabili necesse habet unà subingredi; quo pacto & diutulè impediatur debita istarum partium constrictio, & ipsi succo nervoso, minus hinc puro, non licebit functiones animales ritè mox obire; donec tandem natura, aliis plerumque subsidiis adjuta, debilitatem hanc lentè superaverit.

Si quæ alia circa corticis administrationem peculiari observatione digna censeantur, vix dubitavero quin æque facilem, atque hæc, solutionem ab eadem Hypothesi juxta hanc normam admittant.

Ut vero tandem hæc, quæ de grandi hoc specifico theoretice sic protuli, ad praxin quadantenus accommodem, subnectere liceat, rationi congruum videri (id quod vix dubito quin à quorumvis Medicorum experientia comprobetur) evacuationes, maximè vero per vomitionem, corticis exhibitioni præmittendas esse: nisi forsan vel magna debilitas, vel urgentia symptomata maturandam esse suadeant: tam nempe ad alvendam saburram quæ in primis viis, potissimum vero ventriculo, non raro hospitari solet, atque efficaciam ejus secus pessundat, quàm ad laxiora recrementa sanguinis exturbanda.

Idcirco, quod ad vomitoria attinet; quandoquidem non omnes homines æque facile vomitionem subeunt, his antimonialia utpote infusum croci metallorum, sulphur antimonii, tartarus emeticus, &c. illis sal vitrioli, oxymel scylliticum &c. pro cujusvis euphoria, porrigantur. Quod vero ad purgantia; leniora solùm propinanda suaderem, utpote decoctum amarum, Sennæ Gereonis, infusum Rhabarbari, Tamarindorum, Cassiam, Mannam, juxta vulgo notas formulas; quin pilulari formâ, Pilulas Tartareas, stomachicas, vel similia; Drastica vitando, quæ nimiam forsan conturbationem cieant.

Modum exhibendi quod spectat; Quamvis Medici, quà forsan, ut solertiam suam ostentent, quà ut ægrotorum sive palato, sive antipathiis morem gerant, varias excogitarint ejus præparationes atque formulas; efficacissima tamen in substantia datur (sive in pulvere vehiculo alicui admiscendo, sive in boli vel pilularum forma) quemadmodum primitus exhiberi solebat. Quippe hoc modo diutius in ventriculo commoratur; quô fit, ut particulæ ejus à fermento stomachali jugiter & comminuantur, & cum ingestis alimentis & liquoribus commisceantur, cum chylo usque & usque intus convehendæ, quo pleniora pro morbo edomando supplementa cerebro suppeditantur. Cui quoque usui decocta ex amaris specificis (prout supra notavi) aliave vehicula quæ, ἄποια forsan ipsa comminutas particula corticis debite saltem diluant, multum conferent, & quidem mos obtinuit, nec absque ratione, ut & sat largis dosibus, utpote drachma pondere adultis, propinetur, & eâdem dosi tertia vel quartâ qualibet horâ, iteretur, quo effectus producendo & idonea intus deportetur quantitas, & jugi tenore suggeratur, ut sic novarum usque copiarum superinductione tanto certius opprimatur hostis. Cùm vero plures ubique dentur qui in specie assumere nolunt, hi decoctum ejus (in aqua factum) haurire poterunt, sed bene saturatum; quippe quòd paucas tantum particulas, præ comparativa earum crassitie, in poris suis recondere valet. Cui effectui conducere mihi videtur, ut in subtilissimum pollinam hic redigatur antequam coctioni exponatur, quò sic copiosius minutiores ejus particulæ ab aquâ excipiantur. Et quidem nisi dupla ad minimum, imo forsan tripla, quadrupla, quantitate (nisi exquisite ante comminuas) qua in substantia exhibetur, coquendum exponas, vix usti compos fies; quamvis enim promtius forsan in sanguinem coctura præparatus admittatur, paucissimæ tandem hinc ad sedem morbi, cerebrum scilicet pertingere possunt ejus particulæ; cùm paucæ omnino si in sanguinem ipsum ferantur, quarum & maxima pars ab eodem retinetur vel ad alias corporis regiones deflectit. Huic decocto si vel vinum in subtripla forsan, vel sub quadrupla proportione addatur, vel aqua aliqua spirituosa, utpote aq. Gentianæ composita, at in minori, imo quandoque acidum aliquod, nempe succus Limonum, Aurantiorum, Spir. Vitrioli Gas sulphuris, &c. vel sal aliquod Alcalinum

utpote Tartari, Absynthii, &c. prudenter juxta debitas indicationes admisceatur, Ventriculo flaccido, vel depressis aut exaltatis Fermentis, pro variis eorum dyscrasiis, commodius subveniatur. Sin ad Diarrhœam pronus fuerit ægrotans, par erit ut vel Laudanum, vel stypticum aliquod una propinetur.

Porro opportunum videtur, ut, post devictos Paroxysmos, ad plures, dies duarum scil. vel trium periodorum, quæ invadere solebant decursum continuetur medicamenti exhibitio: quo sic præsto sint in sanguine novæ copiæ, in priorum conceptacula, quæ dixi, in radicibus nervorum per corticem sparsis admittendæ, si antequam debite roboratæ fuerint has extrudi contigerit: Imò & post decendium repeti non sine causa in usu est; ne defectu Antidoti in procinctu diversantis recrudescat morbus.

Quanquam vero primitus solis febribus intermittentibus sanandis adhibitum fuit hoc medicamentum, nunc dierum tamen ad plerosque chronicos morbos curandos, præsertim qui intermissionem subeunt, in usum trahitur; & non raro exoptato successu. Quod quidem mihi saltem arguere videtur, (ignoscite hypothesin propriam, ut solent parentes liberos, nimium forsan adamanti) nedum intermissionis, quæ in morbis deprehenditur causas in nervoso genere quærendas esse, sed & vel eorum (plerorumque saltem) mineram hic sitam esse; nisi aliis, & fortioribus argumentis constiterit alibi delitescere.

Coronidis loco unam vel alteram historiam attexare placet, quæ vel ad medicamenti allatum rationale, vel morbi sedem assignatum stabiliendum faciant.

Primam retulit mihi Reverendissimus Præsul D. D. Gilbertus Ironsider Episcopus Herefordiensis. Scilicet, cùm olim Rev. Vir. Febre intermittente diu laboraverat, pluraque alia incassum tentaverat remedia, tandem ad corticeem Peruvianum, Medici sui consilio, perventum erat. Quo vesperi sumpto, somnoque mox obrepente, non ita multa post in insolitum insomnium incidit, quod quidem vividam adeo menti ejus ideam impressit & reliquit, ut distinctissime, imo satis moleste, ejus recordationem à somno excitatus reetinuerit, quòd per raro alias unquam contigit. ab illo vero tempore febris prorsus evanuit.

Quæ quidem observatio scenam actionis hujusce medicamenti in cerebro haberi mihi non obscure indicat, imò mea jam modo pro lata sensa cumulatissime confirmare videtur. Quippe (ut rationem aliquam hujus Phœnomeni assignem) ubi medicamenti particulæ ad cerebrum cum sanguine inter circulandum delatæ, inibique ab isto in corticali regione secretæ fuerint, atque in angustiores ejus recessus penetraverint, tum parietes vasculorum aliquatenus irritant, adeoque tanto fortius ideas eorum quæ inter dormiendum obversantur impingunt; quo fit ut æquè firmiter ferè excitatum hæ afficiant, ac si ab externis objectis immediatè invectæ fuerint, tum hac impressione, quicquid incongrui has cerebri, ubi agunt, regiones obsederat, exturbari faciunt; unde molesta, diem hoc transigitur, sensatio interna nequit non invehi: Dum verò ulterius in nervorum propagines traduntur, sicut penitiorem animæ aulam ab earum lacessentibus vibrationibus liberam linquentes quietem magno incolæ reddunt, sic porrò crassiusculis, quas pluries memoravi, & heterogeneis particulis in nervos ingressuris viam præpedientes invasiones secus subsecuturas præcavent.

Alterem Historiam Celeberrimus Doctissimusque D. Blackmore mihi narravit de quodam tertianario: cui, cùm paroxysmi febribus corticis Peruviani repetita exhibitione sublati fuissent, dein vero post mensem, circiter, recrudescerent, eodemque remedio iterum fugarentur; Periodo immediate sequenti moræ convulsiones epilepticarum æmulæ, successerunt, eundem omninò, quem febris tertianæ, typum ad plures periodos servantes, adque horas, præter propter, quatuor singulis vicibus durantes: Quas tandem ille in arte versatissimus, partim evacuantibus, partim antispasmodicis brevi sustulit.

Quæ insuper Historia Hypothesin meam supra exaratam, de intermittentium sede, non parum confirmare videtur, unde enim fit quod, mutatis tantummodo symptomatis, spasmi (quos omnium seculorum consensus in cerebro locavit) parilia cum febre intermittente studia observaverint, nisi eadem utrinque affectui competat sedes? cujus (insolitæ sane) metamorphoseos rationem ut breviter, secundum supra allata reddere coner; in memoriam revocandum est, velle Hypothesin meam, materiam febrilibus Paroxysmos producendis dicatam, postquam cerebrum trajecerit, in omnes nervorum fibrorumque tractus sat libere dispensari debere, atque in illis lente ad mensuram tumescentiæ maturescere, quo fiat ut, cùm latè dispergatur isthæc minera, non usque adeo in cerebrum ipsum sæviat, quandoquidem turgescentiæ instinctus, quantumlibet isthuc inceptus, facili negotio extrorsum ad ipsos vasorum horum, eundo ampliatorum, & materia uniformiter maturata refertorum, terminos brevi propagari valet. Atque hinc sicut Paroxysmorum solitum, juxta modo dicta, recursum, sic pariter symptomatum seriem regularem, sat facile explicari posse censuerim. Horum medelam à particularum corticis in radiculos nervorum intrusione haberi supposui; dum scilicet crassiori materiæ paroxysmos imposterum inducturæ aditum sic negant: ubi tantisper hærere autumem, donec tono sensim restituto & hæ prorsum latæ extrudantur.

Quibus sic habentibus, ut ad casus solutionem accedam, supponere liceat, quòd, si ultimo, admissæ corticis particulæ non quidem in radicum meatibus, nimis adhuc, præ tono nondum restituto, (id quod recursus morbi post mensem indicat) patentibus, sed illos prætervectæ in nervorum spinalem medullam conflantium principio hæserint, quanquam aditum morbificæ materiæ cerebrum ingressuræ minusve negant, ulterius tamen progressuræ obicem (juxta leges assignatas) ponant; adeò ut nulla ejus, utpote neutiquam admissæ, congestio in fibrarum totius memoratis tractibus habere possit, nec proinde ad usitata symptomata dispositio. Interea isthæc in cerebro

partim

partim in parvagum deposita (cujus quidem ramorum cæteris amplior cavitas facilem corticis quas admiserant particulis transitum præbeat, quæ ad eorum extrema serpentes inibi coerceantur; quemadmodum suspicari licet Paroxysmos Hystericos in longum productos obstruenti alicui materiæ circa nervorum horum confinia hærenti durationem suam debere) aciditatem solito modo acquirat. Cumque ad eruptionis acmen (juxta præfatam pro typis solvendis rationem) pervenerit, quandoquidem in spinalem medullam præ corticis particulis, illic, uti supposui, aditum munientibus, erumpere non potest, in ipsum primo cerebrum, dein, instinctu hinc dato, in præcordia cæterasque quas par vagum perreptat partes lancinando sævire concipiatur; unde eadem symptomata, quæ in epilepticis affectibus sine hujusmodi prophasi emergentibus obveniunt, producta iri quid vetat? Quæ quidem symptomata tantisper persistere & redintegrare forsan concipiantur, donec partim idonearum purgantium vi è loculis suis extrusæ fuerint corticis particulæ, partim antispasmodicorum aliorumve corroborantium energia, tam reliquiæ fermenti convulsivi post paroxysmos delitescentis subactæ fuerint, quàm tonus cerebri restituatur, ad quæ ambo pensum subeunda hujusmodi medicamenta multum aptata videntur. *Gulielm. Cole Tract. de Febrib Intermittent.*

Consultationes.

Pro quodam in Aula Imperatoris Febre diuturnâ & sæpe recurrente afflicta.

Dilucida luculentaque signorum & symptomatum, quæ in laborante Domino observantur, enumeratio, expressam morbi speciem, omnesque illius, tum interiores, tum evidenter causas nobis ob oculos posuit. Corporis forma, figura, habitudo, omnisque constitutio; deinde functionum tum naturalium, tum animalium integritas, nativum temperamentum laudabile commonstrant: sed quod paulum in calidius divergere ostendit venarum amplitudo. Id ætate annorumque decursu sensim calidius evasit. Tandem etiam naturæ convenientem modum excessit, magnis animi perturbationibus, vigiliis, curis, solicitudinibus, quas Dominus sedulo in rerum magnarum administratione subiit. Ab his similibusque causis evidentibus jecur incensum, multæ bili gignendæ accommodatum est, quæ tempore coacervata & exæstuans, omnium quæ traduntur symptomatum effectrix est. Hæc vel in secunda valetudine celeres vehementesque animi perturbationes, crebramque excandescentiam gignit. Hæc eadem causa est cur alvo adstrictiore, acri vapore caput tentetur, reliquumque corpus non excretabile sentiat inæqualitatem, & manuum volæ plantæque pedum exæstuent, quod etiam jecoris calidioris est indicium. Itaque bilis retroactis annis tempore exuperans effecit, ut corpus universum, quasi liquescens, in quandam extenuationem collapsum sit, atque etiam ut bilis tempestivè non expurgata, sed coërcita ac subinde putrescens sæpiusculè sui generis febris excitavit: idque multo crebrius postremis annis, quibus illa copiosior cumulabatur. Et cùm corpus proclive sit & præparatum, ut ex levissimis quibuslibet occasionibus caloris, frigoris, laboris, perturbationum animi, atque victus in ejusmodi febres incidat; hisque promptè corripiatur, argumentum sanè est exuperantis causæ interioris, maximeque redundantiæ, quod sit naturæ gravis, & supra modum molesta. Quinetiam febris species invasionisque modus interiorem causam demonstrant atque exprimunt: nam rigor initio, calor acris, faciei rubor & inflammata cum levi mentis alienatione, pulsus creber, similisque respiratio, urina rufa atque crassa, excretiones sub morbi finem biliosæ, omnes quidem notæ sunt exuperantis flavæ bilis, quæ ex permistione sanguinem tenuissimum fervidumque reddit. Itaque & febris, & omnium quæ narrantur symptomatum causam non alio quam ad bilis exuperantiam, & ad jecoris immoderatum calorem referri potest. Eodem etiam erysipelatis & omnium fluxionum, quæ in crura procumbunt cura pertinet: quandoquidem erysipelas febri continuò succedit, quasi illius quædam indicatio, ex eo nimirum humore qui febrem accenderat. Cæterum, si quis tumor pedum œdematosus erysipelata discussisse deprehenditur, etiamsi per sanitatem adesse consueverat, & familiaris putetur, suspectus tamen esse debet, & metuendum ne imminentis cachexiæ sit prænuncius; ferè enim jecur multâ crassâque bile obstructum, obscura scirrhæ rudimenta contrahit, quæ dum sensim & sine sensu adolescunt, in cachexiam, hydropemque præcipitant.

Licet autem febrium reversiones, & crurum inflammationes defluxionesque ægrius inveteratæ sint, ætasque laborantis jam inclinet. Si quis tamen tempus diligentiamque sumet, poterit in illa valida robustaque senectute, vel integram sanationem, vel certè summam levationem sperare: maximè verò si in dextro hypochondrio nihil renitens, aut durum, contactu, decubituve deprehenditur.

Medendi autem scopus erit jecoris obstructionsts expedire, exuperantem illius bilem sensim expurgare, ipsumque viscus refrigerare & corroborare: quæ qui opportunè præstabit, omnem certè febris causam adimet, defluxionum fontem exhauriet & in multos annos vitam producet.

Primùm igitur decernatur purgatio ex diluto ℥ij. rheubarbari, ut docet, apparato, quò omnis illa redundantia, & crudorum ac semiputrium humorum in ventriculo, & circa mesenterii ad venas fluctuans, abigatur, aut emendetur. Deinde jecoris lienisque obstructiones reserendo his remediis quæ dum extenuant & reserant: simul obstructionis materiam in alvum sensim deducunt: Hujusmodi est syr. de cichor. compos. qui pro dosi habeat ℈ij. rheubarbari. Hic diebus alternis, aut tertio quoque die offerendus tribus horis ante cibum sine custodia. Si longius erit intervallum irrita erunt omnia, nec quem sperabamus effectum assequemur: ita enim laxatis apertisque viis sensim natura assuescet bili in alvum expurganda.

Syrupus ad retorridam bilem.

♃. Rad. cichor. acet. gramin. aspar. ana ℥ ß. agrim. ceter. cuscutæ, lupulor. adiant. capill. vener. ana man. j, fol. senn. mund. ʒ iij. F. decoctio ad ℔ ß. In colatura dissolve succorum depuratorum buglossi, borrag. fumar. & acetos. ana ℥ i ß. sacch. alb. ℔ j. paretur syr. perfectè coctus. Et cùm decoquetur adde expressioni ʒ vj. rheubarbari electi in aq. endiviæ infusi cum ʒ ij. cinnam. electi. Capiat bis in hebdomada ℥ i ß. vel ℥ ij. pro dosi, cum aquis hordei, vel melissæ, fine custodia. Diebus interjectis alvus molliente clydere proritetur.

Ad cruditatem pituitosam, quæ aliquando per hiemem contingit.

♃. Rhabarb. elect. ʒ i ß. aloës optimæ, pulver. hieræ simpl. agar. recenter præparat. ana ʒ j. cum syrup. absinth. formetur massa. Hæc evacuationum genera omnem bilis exuperantiam sensim detrahent per alvum, nec febrem accendi, nec fluxionem in crura procumbere sinent: nec tamen vires frangunt, sed potius augent, dum naturam humorum noxiorum sarcinâ, veluti pondere gravi, relevant. Hac æstate residua, dum æstu corporis humores adhuc fluxi sunt, & quasi fusi, in hanc curationem incumbendum.

Scopus alter curationis erat jecur, universumque corpus refrigerare & corroborare: id autem præstabitur victus ratione potius quàm medicamentis. Sit igitur victus tenuis initiô curationis, qui modicé refrigeret. ac humectet: jura gallinarum ex lactuca, acetosa, omphacio, buglosso, boragine. Carnes assæ macerentur condimento refrigerante, ut succo acetosæ, omphacio, succo mali punici, citrei, vel arantii. Vitet salsa, piperata, aromate condita, quæ jecur & humores adurunt, saccharata omnia quæ promptissimè in bilem facescunt: allium, porrum, cæpam, sinapi, nasturtium, hujusque classis omnia. Vitet etiam vina generosa, debilia diluere assuefcat, nec timeat stomachi imbecillitatem. Cerevisia interdum utilis, sed quæ nec multum acris sit nec admodum crassa. Corpore puriore jam factô cibus augeatur, servatâ quantitate. Peractis viginti diebus curationis, sorbeat manè hordeum mundatum paratum ut decet; hinc si potest indormiat, continuetque in duos aut tres menses, aut si velit in omnem vitam, eorum exemplo qui hoc salubriter & magna valetudinis commodo uti assueverunt.

Cruribus nihil adhibendum censeo præter aquas aut succos solani, plantaginis, & rosarum cum aceti octava parte dummodò quantum fieri poterit, illa sublimem locum obtineant. *Johan. Fernelius in Consiliis Medicis.*

De Febre Intermittente dolorifica.

Laborans de qua scribitur gravissima febre intermittente afflicta, cum vomitione crebra, cum syncope, & cum summa corporis totius, sed maximè viscerum imbecillitate, quoniam omnium remediorum opem neglexit, nec tempestivè medicamentis paruit, in sævissimas ventris torsiones meritò incidit, quibus diu ac vehementer cruciata est. Febris enim peccans materia, è visceribus (in quibus febris omnis intermittentis fomes consistit) inter peritonæi & ventris membranas devoluta, febrem finivit, sed dolorem accersivit. Ex his postea membranis, cùm minimè excidere posset, nec viam expeditam inveniret quâ in alvum illaberetur, velut furiosa, alio tandem impetum faciens, transiliit in caput, & in corporis artus, ubi & novos cruciatus movet. Metuendum, ne tandem nervos occupans & tendones, paralysis speciem ingeneret, quæ ex colico dolore fieri traditur à Paulo, & de qua non pauca scriptis notavi.

Hæc sunt sanè omnium malorum gravissima, quæ neglectis, & perperam curatis febribus intermittentibus supervenire solent: his autem remedia quærenda. Licet autem minùs quàm olim purgationes nunc pro futuræ sint, imperandæ tamen sunt, eæque satis validæ, ut noxium humorem è summis partibus revellant in alvum: aut si minime paritura est laborans, his saltem levioribus, sed identidem repetitis purgetur, quibus jam aliquoties est usa. A purgationibus conferent unctiones dolentium partium, anodynæ & discutientes, quales comparari possunt ex oleo lumbricorum, & irino, & oleo de terebinthina, his tandem adjectis, quæ ad paralysin conferunt; conferent quoque balnea in quibus incoxerint herbæ cephalicæ, multoque magis vaporaria, aut æstuaria sicca, si modò ea perferre queant laborantis vires.

Porrò morbus pervicacissimus in laborante malè obtemperante, dubium, aut etiam sinistrum plerumque exitum expectat. *Idem ibidem.*

De febre lenta & variis affectibus à Gallico.

Ut certò satisfacere possim quæsitis ad me missis de febre lenta, operæ pretium est ejus veram causam & originem investigare, quæ quoniam aliis febribus intermittentibus & à erraticis successit, in ea sum sententia, fomitem ejus latere, vel in renibus, vel in jecoris aut lienis prava qualitate est enim symptomatica. Cujus ut planum haberi possit indicium, urinæ sunt perpendendæ. Si enim crassæ, spissæ, albæ, purulentæ sunt, aut si quando aliàs cruentæ fuerunt; indicium est, abscessum aliquem, aut ulcus in renibus subesse. Quòd si nihil alienum in illis conspicitur, à jecore vel liene causa repetenda. Non enim doloris colici, vel nephritici quibus D. Laborans conflictatus est, hæc confectaria esse videretur. Sitis cerevisiamque bibendi lubentius

citius quàm vinum cupiditas, quâ tenetur; ciborum aversatio, præcipuè esculentorum, ructus, rugitus ventriculi stridor, & ad concoquendum absurditas, cum lipothymia ad syncopem usque, manifestum ejus & ab eo noxam demonstrant, tum propriô vitiô, tum hepatis & splenis viciniâ ac sympathia. Neque vero pleniori (si quæ in ventriculum decumbit) tantopere mens adjicienda: non enim tam læva accidentia solus catarrhus parit.

Remedia tum ad febrim, tum ad alios affectus blanda & epicratica esse debent, de ætate, diuturnitate, debilitate, considerationis partem ad se trahentibus. Alternis ergo diebus, si alvus non respondeat, injiciatur clyster ex formula.

℞. Radic. alth. ℥ j. flor. chamæmeli, meliloti, anethi, absintæ, furfur. macri, ana m. j. sem. anisi & fœnic. ana ʒ ij. F. decoctio. In colatura ad ℔ j. dissolve mell. rosat. ℥ ij. olei comm. ℥ iij. Fiat clyster. Si non satis detrahat crassæ & lentæ pituitæ addes hieræ simpl. ʒ vj. vel ℥ j. Per hebdomadas syrupum infrà præscriptum hauriet, ut sensim ventriculus detergeatur, cæteræque partes hujus mali fomites. Quod si sæpiusculè uteretur largiùs, prodesset. Nullo enim pacto debilitat, imò valenter roborat.

℞. Radic. acetos. cichor. gram. & petroselini, polypod querc. ana ℥ ß. agrim. ceter. cuscut. ana m. ß. fol. senn. mund. ℥ ij. fiat decoctio ad ℔ ß. in colat. dissolve sacch. alb. ℔ j. fiat syrup. perfectè coctus, cui inter bulliendum adde expressionem ℥ ij. rheubarbari elect. infusi in vino albo cum ʒ j. cinnam. electi. Capiet ℥ i ß. pro dosi in aq. hordei; mane, tribus horis nec pluribus ante cibum. Nonnunquam locô syrupi uti poterit pilulis sequentis descriptionis.

℞. Aloës optim. rheubarb. elect. pulver. hier. simpl. ana ʒ j. agar. præparat. ʒ ß. malaxentur cum syr. absint. Capiat pilulas v. pro 3. manè horis 4. ante cibum.

Diebus interjectis ad roborandum ventriculum & firmanda viscera expediet conditô sequenti liberaliter indulgere.

℞. Cortic. citr. conditi ℥ j. myrobal. conserv. rosar. ana ℥ ß. pulver. elect. rosati aromatici maj. ℈ ß. cinnam. elect. santal. citrin. rasur. ebor. & C. C. ana ℈ j. sacch. rosat. q. s. F. conditum aurô coopertum. Coopertum. Capiat cochleare unum mane, & per horam ante cœnam.

Ad sitim bibet julepum similis descriptionis.

℞. Aqua rosar. ℔ ß. succi granat. ℥ iv. succi limonum ℥ ij. sacch. alb. ℥ viii. Fiat Julep. Utatur in siti longè à cibo, cum triplo vel quadruplo aquæ coctæ. Neque alii potui indulgebit, aut aquam vel ptisanam vulgarem, ven. cerevisiam hauriet: sed supradicto julepo contentus erit, vel syrup. granator. vel succo citri, aut aurantii, extra cibum, atque etiam cum cibo. Quòd si eum lipothymia quædam incesserit præstaret multò hæc superiora illi propinari, quàm vinum. Eo tamen in pastu gustare mediocriter poterit, ut nulla postea sitis consequatur. Ad ventriculi autem labores, dum cibis coquendis incumbit, erit ex usu pauca & paulatim præbere. Quòd si esca solida sit, succis supra dictis irroretur. Neque te victus refrigerans magnopere deterreat: placidiùs enim ad frigida quàm ad calida ejus se affectus habebunt. *Idem ibidem.*

De Febre Quartana pro Regina Leonora.

Ab annis teneris, & à priore usque pueritia deprehensa est obnoxia asthmati, quod humidiore cælo, & quoties Luna illucescit, nova destillatio vehementius fatigat, magnô & periculoso uteri strangulatu sæpe correpta est; in quo & mens & sensus omnes pereunt, & suffocationis vehementia, cervicis, oculorum, & faciei venulæ dehiscunt, ut hinc rubræ maculæ diutius persistant viscerum, maximeque jecoris, illæ numerosæ insunt obstructiones, ex quibus sæpe in continuas & in tertianas febres, easque diuturnas, sæpe & in icterum admodum contumacem incidit. Quum tali esset constitutione, annum superiorem totum in otio transegit, nec tamen quidquam detraxit de victu, qui uberrimus esse consueverat. Hinc crudorum humorum, omnisque generis excrementorum ingens proventus, & obstructiones geminatæ, quæ tandem effecerunt ut mensium hæmorrhoidumque evacuationes parcius, nec stato tempore procederent. Quibus ex causis tandem universum corpus cæpit ingravescere, & quindecim diebus antequam morbo prehenderetur, mirâ lassitudine spontaneâ fatigari. Simul & appetentiam sentit dejici, quam tamen vario obsoniorum genere, variisque gulæ irritamentis conabatur excitare, ut non minùs intemperanter quàm olim viveret.

Ab his causis quartana invasit secundâ Septembris, ex se ipsa, non ex alio antecedente morbo: sed principiis adeò tenuibus, atque obscuris, vix ut à quoquam deprehenderetur. Secunda accessio manifestè exhibuit intermittentis febris speciem, in qua omnis generis vomitiones eruperunt. Tunc cæpimus & syrupis & clysteribus, & tenuiore victu corporis humores præparare. Tertia tamen accessio multò vehementior evasit, tum frigore, tum vomitione, tum suffocatione ex asthmatis permistione, tum jactatione corporis atque siti. Proinde medio accessionum intervallo, & proximô die minoris accessionis blandè purgavimus. Licet autem vacuationes undique & pituitosæ & biliosæ arte sponteque procederent, febris tamen manifestè increvit, habuitque quartam, sextamque accessionem, & acerrimam, & longissimam, ut jam nulla integritas, aut intermissio deprehenderetur. Nullus enim sudor unquam erupit, qui accessionem finiret. Quum igitur febris non minus continuæ quàm quartanæ particeps videretur, ne fortè in deteriorem degeneraret, utile visum est venam secare basilicam sinistram, é qua corrupti sanguinis unciæ circiter octo detractæ sunt magnô

magnô quidem usu & facili tolerantiâ. Nam præter febris continuæ suspicionem, id faciendum suadebant mensium, hæmorrhoidumque suppressio, victus in otio intemperantior, faciei rubor, & venarum ingens ac turgens plenitudo, ob quam sanguis è naribus subinde emanabat. Ab eo tempore corporis integritas, & intermissionis puritas major apparuit, sed par ferè accessionum vehementia, cum cibi fastidio & nausea, cum vomitione & oris amarore. Quæ symptomata, cùm nec victûs ratione, nec syrupis, nec clystere mitescerent, secundô medicamentô, eôque blandô purgandam duximus post accessionem novam. Cæteræ accessiones hinc leviores insequutæ sunt, sensimque decreverunt, ut neque frigus molestum sit, nec calor interpellet. Quo circa toto mense Octobris solâ victûs ratione idoneâ, & emollientibus clysteribus occursum est, nisi quòd semel, dum gravi nauseâ & linguæ amarore premeretur, sorbitioni incocti sunt folliculi sennæ, & paucis ante diebus ad levem ex destillatione tussim syrupus adhibitus jujubinus.

Quæcunque posthac ad reliquam curationem idonea videbuntur, horum imitatione prudenter decernent ii, quibus id muneris erit commissum. *Idem ibidem.*

Ad Quartanam destillationi implexam.

Cùm multis ac variis affectibus, fereque assidua destillatione, jam diu conflictaretur Generosus D. Cathalaunensis, censuimus non soli quartanæ febri, quâ torquetur, sed aliis quoque implicitis affectibus succurrendum: quod his præsentibus ægrè possit quartana febris profligari, quodque eâ profligatâ variis nihilominus querelis futurus sit obnoxius. Itaque omnibus quâ licuit animadversione æstimatis, duximus non differendam, sed summâ diligentiâ suscipiendam curationem; quæ tum medicamentis, tum victûs ratione, & veteres morbos, & hanc vitiosam corporis constitutionem immutet.

Victus ratio prorsus sicca sit & attenuans, moderateque calida, ut hanc frigidum mucosumque habitum emendet. A sorbitionibus prorsus abstinendum, à liquidis omnibus, ab elixis carnibus, à piscibus, à caseo, à fructibus ab immoderato potu. Carnibus vescendum euchymis, hisce omnibus assis, aut per rarò elixis, quas tamen si volet condimentis intingat ex pipere, gingibere, cinnamomo, nuce moschata, interdum & sinapi. Vinum generosum sit ac minimè vaporosum, album, aut subrubrum, tenue, non supra modum dilutum, quô & parcè utetur in pastu.

Medicamentorum, sed blandorum frequens sit usus, & quæ crudos noxiosque humores sensim, nullaque vi detrahant. Alvus sæpe clystere solicitetur, qui in decocto emollientium habeat hieræ simplicis, diaphœnici ana ʒ vi. mellis anthos. ℥ ij. olei rutæ & anethi ana ℥ i ß. sextô aut octavô quôque die, pridie accessionis dentur catapotia, quæ constent ex pulvere hieræ simplic. rheubarbari, aloes & agarici, quæ paribus portionibus malaxantur in syrupo absinth. sumatque pro dosi ʒ i vel ℈ iv. Nonnunquam vice pilularum purgetur hoc syrupo.

♃. Rad. apii, petrosel. fœniculi, & capparum, polypod. quercin. semin. carthami ana ℥ ß. agrimon. beton. hyssop. origan. lupul. ceter. thymi, epithymi ana manip. j. sem. anis. fœnic. & melon. ana ʒ i ß. fiat decoctio ad ℥ xv. in qua infunde per noctem folior. senn. mundator. ℥ iv. agarici albi ℥ ij. gingiber. ʒ ij. bulliant mane parum & fiat expressio in qua dissolve sacch. albi ℔ j. Paretur syrup. coctus ad perfectionem, & non clarificatus. Capiat ℥ ij. pro dosi cum aqua buglossi vel alia convenienti. Convenit interdum dissolvere in eo expressionem ʒ j. rheubarbari electi infusi in vinô albô, ut sensim genus omne humoris separetur, vacueturque. Ita igitur istorum usus continuandus est alternis diebus, ut vix ulla prætereat, quin pridie vel clyster, vel pilula, vel syrupus adhibeatur.

Præparantibus syrupis non admodum fatigandus est D. Laborans, sed omnis præparatio idonea victus ratione tentanda. At quoniam interdum per accessiones bibendi necessitas urget, locô ptisanæ aut aquæ hordei, vel alterius potus refrigerantis, & compingentis humores propinandum est oxymeliti simplex Galeni, aut syrup. acetosus aquâ multâ dilutus: sed tamen parcus potus apprimè utilis est, omnemque morbum breviorem reddit, at liberalior naturam occupat, revocatque ab humorum coctione. *Idem ibidem.*

Pro Iuvene egregio tertiana intermittente exquisita laborante.

Juvenem propositum laborare febre nemo esset sanæ mentis, qui denegaret, corripitur namque calore quodam extraneo supra naturæ modum ad modum excedente, ac per totum diffuso. Verum cum ex febribus alia sit diaria, alia hectica, alia putrida; febris hæc erit de genere putridarum, quoniam symptomata, quæ spectantur in hoc patiente non ad febres diarias, non ad hecticas, sed ad putridas attinent. Et quoniam febrium putridarum alia est continua, alia vero intermittit, hæc quia rigorem sibi conjunctum habet, est de serie intermittentium, ac Tertiana intermittens existit, non quidem notha, sed exquisita. Hoc autem ex forma, causis, & symptomatibus cum Galeno secundo de Crisi, secundo, facile deprehendo; Et forma primum, quoniam æstus adest insignis, calor est acris, idemque citò movetur, atque durat circiter octo horas (hujusmodi enim febris duodecimam horam non transcendit) ita causis secundo quoniam bilis flava peccat, quem admo-

quemadmodum vita anteacta, tempus anni æstivum, temperies biliosa, ac ætas Juventutis patientis ipsius persuadent; Ex symptomatibus demùm, sicuti dolor capitis, sitis clamosa, rigor intensus, & non extensus, vomitus bilis flavæ sinceræ, ac urinæ bilem flavam attestantes manifestè docent.

Causa interim immediata hujus febris est fuligo putrida cordi communicata, elevataque ex minera biliosa syncera putrescente in venis ambitus corporis, & quod ibi putrescat non solùm sudor, verùm etiam rigor in singulis suadere videntur, putrescit autem ob prohibitum transpiratum ab obstructione, generatur verò in hepate calidiori ob errores in sex rebus nonnaturalibus insignes perpetratos ad unicam bilis generationem idoneos.

Ut propterea scopi curativi sint refrigerare, & humectare, non solùm ratione febris, verùm etiam ratione jecoris fervidioris, præterea, & materiam putridam eradicare, putrescentem per refrigerantia, atque siccantia corrigere, obstructionesque refrigerare.

Quos scopos obtinere non erit impossibile, nec arduum quantum ego existimo, quoniam febris intermittit, itemque symptomata omnia, finita accessione finiuntur.

Deveniens itaque ad curationem, statuo venæ sectionem non probare, quoniam deficit sanguis, nihilominus occasione doloris capitis cucurbituli scarificatæ partibus infernis applicitæ, sicuti & frictiones, deligaturæ, & lavationes earundem non improbantur.

Quantum vero, ad pharmaca attinet primum lenienda est alvus syrupo violato solutivo cum decocto tamarindorum, præparandi sunt humores decocto endiviæ, acetosæ, lactucæ, ac hordei, addito in fine tantillo aceti propter obstructiones; Purgandi denique sunt infuso Rhabar. & syrupo violato dicto, dummodo tamen sudor non prohibeat, prohiberet autem, ubi cum aliqua morbi remissione prosequeretur, quo in casu naturæ tanquam per se bene operanti totum esset opus curationis hujus febris committendum, Quòd si fortè fortuna progrederetur quidem sudor, sed imminute admodum absque insigni alleviatione morbi, tunc ab aqua hordei tum cortice copiosè in fine accessionis assumpta pro sudoris vigoratione, nullo pacto esset desistendum.

Atqui pro alteranti conveniet demum serum cum succo endiviæ, & lactucæ sumptum, exteriusque succo endiviæ, & semper vini cum aceto jecur perfundi poterit.

Sed quoniam patiens de dolore capitis insigni, de sitique clamosa præsertim querelas habet, ideò pro dolore capitis frontale ex lacte cum succo limonum, vel ex oleo rosato comcum aqua rosacea, & aceto addito ovo pleto integro mihi videtur opportunum, & eo magis si syncipiti quoque hoc remedii genus adhibeatur.

Pro siti mihi arrident stillicidium supra linguam ex aqua cisternæ frigida factum, aqua hordacea sumpta, quantum unico haustu sumi potest, vel aqua acetosæ, & violarum cum succo limonis; Huc pertinet loco ex mucilaginibus seminum psilii atque cotoneorum cum succo limonis, & saccharo candido ex juleb violato, frusta etiam cucurbitæ, & caules lactucæ saccharo condita, & in aqua cisternæ macerata supra linguam detenta mirificè valent.

Sed inter cætera victus refrigerans est addendus, locetur igitur patiens in aëre frigido, cujus census, si naturalis haberi minimè poterit, arte erit præparandus, cujus occasione patientem inspirare supra vas magnum aqua frigida repletum maximè proficuum erit, quemadmodum & eundem vesci ptisana cum lacte seminum majorum frigidorum, necnon pane ex jure, lactuca, endivia, acetosa, & similibus alterato; Potus sit vini gran torum cum aqua cisternæ necesse est, reliqua vero omnia respondeant secundum proportionem. Et Deus patienti succurrat, sic etenim tuto, citoque, & non injucundè præsidia modica operabuntur. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationib. Medicin.*

Pro quodam Nobili Iuvene febre tertiana continua notha proportionata correpto.

Quod juvenis propositus laboret febre ita de se constat, ut nulla penitus indigeat confirmatione, calet enim in toto plusquam conveniat secundum naturam; Quod rursus febris hæc sit putrida ex præsentibus Symptomatibus colligitur, quæ sunt perpetui comites febris putridæ, non autem diariæ, neque hecticæ. Et quoniam febrium putridarum aliæ sunt continuæ, aliæ intermittentes, febrem, de qua interim agitur esse continuam, quia est immunis à rigore, dignoscitur; Quoniam rursus continuarum aliæ sunt continentes, aliæ proportionatæ, febris nostra est proportionata, nam alternis diebus habet exacerbationem, sine qua febris continua continens existit, ut unica accessione contineatur; Demum quoniam febris proportionata, vel est tertiana, vel quotidiana, vel quartana, febris præsens est tertiana, nam pendet à bile, quod cognosco ab ægri temperie, dolore capitis, siti, inquietudine, ac tempore anni æstivo, quæ omnia in unius bilis generationem, & collectionem conspirant; Verùm ob vitam anteactam pituitæ, ac humoris crudi feracem (plurimum enim in usu fructuum, ac lacticiniorum patiens deliquit) puto febrem hanc non legitimam, sed spuriam esse constituendam.

Utcumque tamen causa immediata ejusdem est fuligo putrida cordi communicata, causa verò remota est minera biliosa, & aliquo modo pituitosa, à qua fuligo illa putrida elevatur, quæ quidem minera putrescit in venis mediis ob prohibitum transpiratum inductum ab obstructione illarum venarum, atque hanc obstructionem oriri tum à multitudine sanguinis, tum à crassitie, & lentore humorum existimo; A multitudine quidem sanguinis, quoniam patiens est temperàmenti sanguinei subdominantis, hinc excernit quoque urinas crassas, & rubras; A crassitie, & lentore humorum ob vitam prægressam. Tandem causa remotissima est intemperies calida jecoris bilem multiplicans.

Quibus ita constitutis, ad Medicum attinebit refrigerare, & humectare, materiam putrefactam eradicare, putrescentem per refrigerantia, & siccantia corrigere obstructiones per eva-

evacuantia, attenuantia, & detergentia auferre, jecurque attemperare.

Cœterum intentùm assequi, non erit undequaque tutum, febris namque est continua, nulla autem febris continua periculo vacat, & summa cum ratione, quoniam sub ea major est recessus à statu naturali, putredo est in venis, plura Symptomata conjunguntur, imminet tabes, & vires sæpius non restituunt.

Ideò (quantum ad materias medicas attinet) omnis prorsus diligentia est necessaria, quare lenita prius alvo clysteri venam cubiti dextri secandam esse statuerem, & si febris ultro progrederetur, ita ut vigesimum diem transcenderet, & salvatelam sinistræ manus secari posse non absque fructu putarem. At si opus fuerit ob capitis dolorem, extrema fricari, deligari, atque lavari poterunt.

De medicamentis verò statuo, ut leniatur alvus ante venæ sectionem clystere ex decocto hordei, & herbarum communium, oleo, melleque violaceis, saccharoque rubro parato; post venæ sectionem cum syrupo rosato solutivo, & sero, addito modico mellis rosati solventis. Deinde pro humorum præparatione probo decoctum ex sonco, endivia, acetosa, hordeo, & boragine, adjecto modico aceti in fine, interdum verò serum depuratum copiosum, & cum succo cicorii, ac acetosæ datum ad remittendum fervorem febrilem non improbo. Et ad humorum evacuationem omnibus præfero infusum Rhabarbari, & modicum Agarici trociscati cum syrupo rosato solvente, postquam evacuationem alterantibus uti licebit, inter quæ ego primum omnibus præfero idem serum cum succo sonchi deinde laudo conservam cicoraceam cum pulvere confectionis ex tribus sandalis. Exterius valet irrigatio hypochondrii dextri cum succo sonchi, endiviæ, & aceto cum pulvere sandalorum. His non conferentibus, ac febre ultro progrediente, necesse erit deobstruentia mediocria propinare, inter quæ mihi arridet, vel ptisana facta cum radice Apii rec. vel oxymel simplex cum jure pulli decoctionis agrimonii, vel decoctum agrimonii, Capillorum ven. citrac, radicis Apii rec. cicorii, & boraginis cum aceto, quibus non conferentibus, ad trociscos de Rhabarbaro, de eupatorio, de rosis, & de absynthio deveniendum, tandem repetenda purgatio pilulis de Rhabarbaro, vel aggregativis, adjecto item Rhab. Febreque progrediente, & absente prohibente, balneum aquæ dulcis omnino laudarem; Ac viscera tandem corroboranda Diarhodone Abbatis, & confectione ex tribus sandalis.

Pro victu autem primum eligendus est aër frigidus, deinde nutriendus est æger Ptisana, & pane ex jure pulli; pro potu vero dandum est vinum granatorum aqua dilutum, quo pertinet & decoctum prunorum, vel passularum. Alvus mollis est servanda clysteri jam dicto, somnus (si fuerit opus) lacte seminum papaveris cibariis immixto conciliari poterit, Demumque corporis, & animi quies imperabitur. Et hæc Deo auspice cedant in salutem ægrotantis. *Idem ibidem.*

Pro Illustrissima Beatrice Estensi de Bentivolis Parvo hemitriteo, febre inquam putrida quotidiana continua, necnon tertiana intermittenti, ac puerperio imminuto laborante.

Postquam à viris clarissimis constitutum fuit, Excellentissimam Matronam à sexdecim diebus febre laborare, & à septem jam puerperam esse, habuisseque partum in mense octavo, qui per biduum tantum vixit, mihi interim meas partes agenti quatuor erunt examinanda. Primum qualesnam sint illi propriè affectus, qui eam infestant. Secundum an sint sanabiles, Tertium quibus remediis. Quartam quibus remediorum materiis.

De primo statuo febrem, & hanc ipsam putridam (ut fatentur omnes) necnon puerperium valde imminutum esse vitia, quæ Illustrissimam Matronam affligunt, & circa quæ mihi interea est digrediendum, ea tamen ratione ut cum Galeno initio primi ad Glauconem ex medendi Methodo remediis illis convenientia invenire, inventisque rectè uti possim: sed cùm remedia varientur pro varietate essentiæ, ac existentiæ morborum, idcirco morbi propositi considerandi erunt quoad propriam tum generationem, tum læsionem, nam illa ad essentiam, hæc verò ad existentiam attinet; Ad hæc quoniam generatio supponit quidditatem, & morbi lædunt cum intensione, seu remissione, sub aliquo more, ac in tempore præfinito, ideo non tantùm mihi de quidditate, & principiis generationis horum morborum est agendum, verùm etiam de intensione, more, ac tempore, seu motu, nam tempus, ut numerus motus, ex motu innotescit.

Ut igitur à primo exordiar, ad febrem me converto, quam tanquam putridam ab omnibus receptam & ipse recipio; verùm quoniam febrium putridarum aliæ continuò, aliæ cum intervallo affligunt, febrem hanc nunc esse mixtæ naturæ puto continuò namque affligit, ut nemo jugi pulsus frequentia, celeritate, ac inæqualitate febrium putridarum proprius ductus negare potest, cum intervallo autem, quoniam alternis diebus horror quidam invadit, qui à continuis, ex Galeno, non modò si intensus, sed etiam perseveret est sejungendus. Ut ex his pateat, febrem hanc interim esse de genere hæmitriteorum, nam primis diebus fuit febris tertiana simplex interpolata, sed valdè extensa.

Et si quis objiceret nunc forsan etiam extensam esse, ac paroxysmum alterum alteri subingredi. Dicerem primum non dari tertianamo quæ novum paroxismum attingat, nam accessi tertianæ ad quadraginta horas tantùm extenditur, & amplius extensa dicitur. Secundo, dato quod hoc esset, jam non appareret ratio, cur ea die, qua horror non accedit, febris præsens circa Vesperas exacerbaretur, cùm accessionem præcedentem cum horrore ingruentem suam exacerbationem citiùs habuisse par sit.

Febris igitur nostra est composita ex quotidiana continua proportionata, ac tertiana intermittenti, qui complexus semitertiana etiam, atq; parvus hæmitriteus vocari solet ad medii, & majoris hemitritei, differentiam ille enim ex tertiana continua, & quotidiana intermittente, hic vero

verò ex tertiana continua, & quartana intermittente componitur. Nostri autem parvi hæmitritei meminit Hippocrates primo Epid. Commentario primo tom. 23. & primo ejusdem Comm. 3. Tex. 5. qui cum duplex sit, exquisitus, & non exquisitus, ille sit ex pituita, ac bile ex æquo putrescentibus, hic verò ex iisdem humoribus, quorum unus alteri dominatur.

Pituitam in Illustrissima Matrona prædominari, ab hora motus, nam febris quotidiana putrescentis pituitæ soboles circa Vesperas (quo tempore pituita movetur) exacerbatur, item ab urinis, & alvi excrementis pituitosis facilè est intelligere, in cujus confirmationem facit sitis non molesta, & mador quidam lentus, ac viscidus per totum erumpens, vita sedentaria, atque etiam totius habitus sub pituitosus, quinimò (ut accepi à Viris Doctissimis) non tantùm excrementa potissimum alvi sunt succo pituitoso, & hoc ipso vitreo referta, verùm etiam & vomitus, quem superioribus, diebus Nobilissima Patiens habuit, eodem penè humore scatebat, quibus omnibus & illud addo, quod Mulieres utero gerentes hujusmodi succi colluviem ob menstrui retentionem vitiata prima coctione sibi comparare solent, ut ex his alicui mirum videri non debeat, si Nobilissima Matrona utero gerens in fine septimi mensis, generationem prædicti humoris excrementitii, & ab hujus generatione febrem quotidianam incurrerit, quæ (ut illud etiam non omittam) videtur quoque sapere naturam illarum febrium quas Galenus contra Lichum, Tiphodes, & Elodes vocabat, sub quibus ægrotantes ferè jugiter sudant.

Cæterum, tertianæ febris notæ, sunt quæ bilem putrescentem ostendunt, calor inquam satis mordens, qui alioquin mitis esse ob pituitæ copiam deberet, atque hic circa meridiem, qua hora bilis movetur, accedere solet, dolor etiam capitis punctorius, vomitus biliosus, sitis aliqua, quamquam non molesta ob pituitæ præsentiam, ætas primi floris, atque Archigenis conjectura, quoniam scilicet istis diebus tertianæ vagatæ fuerunt.

Atqui dicet ille tertiana hæc dubio procul erit de genere notharum propter pituitæ redundantiam, ita ut tertiana majoris famæ dici mereatur, quo dato jam insignis occurrit difficultas, quòd videlicet cùm denominatio fiat à prædominanti, & pituita, ut statutum fuit, longe, lateque prædominetur, potiùs febris hæc intermittens quotidiana, quàm tertiana vocanda erit.

Dico respectu febris quotidianæ pituitam non tantùm copia, sed etiam virtute dominari, respectu autem tertianæ copia tantùm, bilem verò virtute; modò denominatio à prædominio virtutis fieri debet, & summa cum ratione, ideò cùm bilis in casu nostro secundum virtutem prævaleat, jure febrem propositam tertianam dixi.

De puerperio ita sentio, ut citra omnem controversiam sit imminutum, quia tametsi Illustrissima Fœmina non sit sanguine repleta, ut hac ratione non videretur hoc mali genus pati posse, nihilominus, quia jam septem tantum dies à die partus distat, puerperium adhuc emanare debere rationi esset consentaneum, & eò magis, quoniam corpus illius valde cacochimicum pravisque succis redundans observo, quibus accedit quòd ultra solitum mesta Nobilissima Patiens existit, quæ duo hoc morbi genus insequi solent.

Cum igitur hæc sint vitia curanda, puto ea ipsa à communi causa, unica nempè pituita pendere, hæc enim in venis ad uterum attinentibus recepta parit obstructiones, à quibus expultrix uteri impedita in proprio opere frustratur, atque sic puerperium, quod est Symptoma secundarium in genere excretorum in quantitate decenti non expellitur. Rursus eadem pituita in venis mediis totius corporis suscepta pariter illas obstruit, transpiratum prohibet, putredinem in pituita, in iisdem venis existente parit, à putredineque fumi exusti cordi communicantur, hinc occasio febris quotidianæ continuæ proportionatæ; nam, ut omnes norunt, in febribus continuis proportionatis locus putredinis sunt venæ mediæ; Ad hæc eadem pituita per venas capillares ad ambitum corporis attinentes propagata, similiter illas obstruit, & modò jam dicto febrem in humoribus pituitoso, ac bilioso simul mixtis accendit.

Et si quis quæreret, quo modo fieri possit, quod in venis mediis aliqua bilis portio non subsit, quoniam in his febribus absque dubio humores ii simul mixti transmittuntur à venis majoribus ad medias & capillares, nam febres cum accessionibus pro majori parte ortum habent à transmissione materiæ.

Dicerem id contingere, quoniam transmissio bilis, & pituitæ simul non fit eadem hora, qua transmissio pituitæ tantum, quoniam bilis propter sui acrimoniam facultatem expultricem irritando, est sibimet causa, ut ad venas usque extremas expellatur, cui favet & agilitas ejusdem humoris ad motum, necnon habitus corporis admodum rarus.

Et si rursus aliquis quæreret, cur non fiat rigor, sed parvus horror, ac frigus, quando bilis ob rationes dictas soleat rigores efficere.

Dicerem hoc evenire, quoniam portio bilis, quæ à venis capillaribus ob concitatum motum expultrici egredietur, ac per partes sentientes discurrit, permixta est cum aliqua pituitæ tenuioris portione, à qua & ipsius acrimonia, & ad motum promptitudine imminuta rigor de more non succedit.

Jam verò febrem hanc ratione saltem Symptomatum concomitantium nullam intensionem habere existimo, quando hæc ipsa in casu nostro nullam magnitudinem præ se ferant; non nego tamen ratione essentiæ, qua scilicet febris duplex est, atque altera continua existit, magnam dici posse.

De more illud pro certo habeo, quòd nimirum febris proposita sit bene morata, atque à malitia immunis, nulla namque Symptomata, quæ pravitati attestantur, hucusque magna supervenerunt, magna inquam, & in propria essentia, & ratione præstantiæ partis laborantis, ac malæ tolerantiæ.

Tempus autem ejusdem febris ex motu morbi, motus ex alteratione; & coctione materiæ, coctio autem, ex Galeno nono Meth. capite quinto, non tantùm ex urinis à posteriori, verùm etiam à priori ex pulsu innotescit; Quare cum

cùm urina signa coctionis manifesta, sed imperfecta præ se ferat, patet febrem hanc non ità cito esse terminaturam, ut meo judicio ad quadragesimum diem possit pervenire, nam quamquam sit in augmento universali, quod immediate ipsum statum præcedit, quoniam tamen augmentum in morbis, qui à materia crassa, & lenta dependent, semper protrahi solet, non abs re ideò ad quadragesimum diem, & forsan etiam paulò ultra morbum hunc pro majori parte à materia crassa pendentem deduci posse sum arbitratus; Idem etiam ex pulsu liquet, quia hic ipse in Illustrissima Matrona non usque adeo validus observatur, ut hujusmodi caloris nativi robur præ se ferat, quod citam humorum coctionem, & proinde proximum morbi finem possit polliceri.

Sed jam (quod pertinet ad secundum propositorum) explicemus quisnam sit futurus hic finis, ut igitur liberè loquar, puto finem salubrem futurum, quoniam Illustrissima Fœmina facilè spirat, dolore non angitur, bene dormit, atque morbum hunc facile tolerat, præterea prudens, & obsequens est, ut his omnibus rationibus adductus sanitati restitui posse confidam. Et quamquam febris hæc, ut dicam, aliquod sibi periculum adjungat, & in longum protrahi multum possit, nihilominus anni tempus æstivum, atque Medicorum curantium solertia, & diligentia satis insignis hæc duo poterunt quam facilè emendare. Provincia tamen hæc ab omni difficultate, & periculo immunis minimè censenda est, nam præterquam quod plures morbi simul complicantur, & contraria remedia exigentes, agendum est contra febrem continuam, & quæ tertiò quoque die fortior sit, quam periculo non vacare scribebat Hippocrates.

Quænam autem sint remedia in hoc casu convenientia sic adinvenire licet. Morbi ii habent suæ occasionis initium à pituita copiosa, lenta, & crassa genita in ventriculo frigidiore, necnon à bile copiosa à jecore fervidiori producta, & utrisque ad locum putredinis transmissis, ergo hosce succos oportet evacuare, sed eosdem prius calefacere, refrigerare, detergere, ac attenuare, oportet etiam & eos à loco putredinis retrahere, ad quem ubi pervenerint, si sint putrefacti oportet illos eradicare, si putrefiant refrigerantibus, & siccantibus corrigere, atque puerperium fluxile reddere, & ut Nobilissima Matrona magis, ac magis præservetur ventriculum calefacere, ac jecur refrigerare necesse erit; Interimque calor febrilis attemperandus, & virtus alimoniis erit conservanda.

Postremò quantùm ad materias Medicas attinet sic procedendum arbitror, ut lenita alvo clysteri communi mane, qua hora febris remittit, vena tali aperiatur, deinde partes infernæ jugiter fricentur, deligentur, atq; ventosentur, ut scilicet puerperium imminutum jam evocetur.

Verùm & medicamentis utendum, quæ ad evacuantia, & alterantia redigo, In genere evacuantium tum lenientia, tum purgantia propono. Et quamquam lenita fuerit alvus medicamento accommodato ante partum, puto tamen interea leniri iterum deberi tum clysteribus emollientibus alternis diebus injectis, tum medicamento per os dato (transacta inquam secunda die) ex melle rosato sol. & diacatholico composito. Apparentibus verò signis concoctionis, componendum est pharmacum ex infuso Agarici trocisc ati, & Rhabarbari adjecto melle rosato solvente, quod progrediente morbo pluries repetendum erit, nam in hisce morbis corpora delicatoria obsidentibus (quale est corpus Illustriss. Fœminæ) per epicrasim est procedendum, in quem finem præter pharmacum propositum, mihi maxime arrident, vel catapotia de tribus cum Rhabarbaro, vel quod ex infuso agarici præparati in decocto cartami facto adjecto syrupo de cichoreo cum Rhabarbaro componitur, nam à valentioribus ob rationem etiam de epicrasi adductam, est abstinendum. Ad hæc & medicamenta insensibiliter evacuantia, febre nimis in longum tendente videntur ex usu; Idcirco jus Galli tantopere à Dioscoride celebratum maximè probo, & eo magis si Gallus junior in præsenti seligatur, & China, aut etiam salsa cum tantillo ligni sassafras alteretur.

Medicamenta autem alterantia sunt, quæ materiam morbificam, atque viscerum discrasias respiciunt. Priora sunt quæ & materiam crudam præparant, & sanguinem nunc immobilem, veluti fluxilem paulo post reddunt, quapropter in casu nostro mihi maxime arrideret, ut mane Nobilissima Patiens. unc. i. ß. oxymellis simplicis assumeret, ac statim apozema biberet ex jure decoctionis cichorii, betonicæ, boraginis, pimpinellæ, capillorum veneris, & cicerum rubeorum, eo tamen constituto ut ipsis uteretur quousque coctio in urinis appareret. Peracta autem prima hac præparatione, ad validiorem deveniendum erit, quocirca & oxymel longum cum decocto simplicium jam dictorum, necnon quinque radicum aperientium, cuscutæ; camedris, & artemisiæ paratum, ante cujus assumptionem trociscos de Rhabarbaro, vel de eupatorio devoratos oportuna existimo: Hunc jus Galli prædictum omnibus enarratis simplicibus medicatum, itemque oxymel, vel acetum scyllinum syrupo de pomis, vel de corticibus citri castigatum veniunt referenda, scio etiam, & veluti experimenta quædam, pulveres ex camedri, vel ex millio solis, vel radice gentianæ paratos plurimum valere in finiendis febribus hujus census nimis in longum protractis. Veruntamen & ad putredinem corrigendam, ne scilicet in venenatam, ac perniciosam qualitatem abeat, ea, quæ citra adstrictionem operantur, ex usu proficuo esse posse existimo, sunt autem lapis Bezoar (qui menses etiam evocat ex sententia Mercati) datus ex aqua scorzoneræ, necnon aqua cordialis, quæ in febribus pestilentibus usurpatur, tandemque acidum citri cum pulvere boli Armeni lutei, & scordii veri, quemadmodum etiam aqua scorzoneræ stillatitia bibita.

Cæterum & jecoris fervor compescendus erit succo cichorii depurato tum interiùs assumpto, tum exteriùs, speciebus adjectis cerati sandalini, modico spicæ, & aceto sub forma perfusionis adhibito.

Ventriculus quoque calefaciendus tum decocto absinthii pontici in jure columbi parato, vel cortice citri condito, vel aromatico rosato sine musco, & ambra assumptis, tum unguento ex oleo amygdalino dulci cum vino Cretico,

Cina-

Cinamomo, absinthio, & mastiche in duplici vase ebullito, & facta colatura adjectis succo absinthii concreto, & cera. Ceratum quoque ex mastiche cum aromatibus aliquot maximè proderit; Atque his non conferentibus ad stillicidium ex oleis cum simplicibus stomaticis, ac aromatibus, bezoino, myrrha, & ligno sassafras medicatum erit deveniendum.

Quibus omnibus & victus compar adjiciatur oportet, quare maximè arridet, ut prosequatur in usu ptisanæ, quam audio pipere medicatam esse, laudo etiam ut ferculis utatur cum ovo, atque acetario cichoraceo cum floribus boraginis, in progressu autem ex Capparibus salitis erit opportunum, & sicuti nunc juribus sunt incoquenda pimpinella, & acetosa, ita posthac petroselinum, fœniculum; Bibat interim Nobilissima Patiens jusculum tenue, febris enim, & materiæ copia, atque cruditas, vinum prohibent, sicuti puerperium aquam vetat; At febre remittente, cocta materia, atque etiam minorata vinum fulvum, aut etiam subrubrum propter consuetudinem tenue, pauciferum, & non austerum concedatur: Alvus in proprio munere servetur clysteribus alternis diebus injectis, paratis ex decocto communi adjecto furfure in linteamine deligato, ex melle rosf. sol. oleo communi, saccharo rubro, ac similibus, quibus in progressu & hieram simplicem adjicere præstabit.

Amplius danda est opera, ut animo, & corpore Illustrissima Fœmina quiescat, & si aliquando sub hoc morbo corpus esset exercendum, exercitio substituantur frictiones, quæ meo judicio, sicuti & alia omnia Deo annuente Nobilissimæ Matronæ sanitatem restituent. *Idem ibidem.*

De Febre Lenta, dolore ventriculi, & macie insigni totius corporis. Pro Nobili Matrona.

Ex disertissimis scriptis Viri Præclarissimi constat apertissimè, Nobilem Matronam quadragenariam de duobus præcipuis affectibus conquestam esse, dolore scilicet ventriculi cum rugitu, & febre lenta cum insigni corporis macie. Pro quorum debellatione plura Medica præsidia successivis temporibus fuerunt à Viro Præclarissimo ex methodo proposita, summaque cum utilitate administrata; sed ob inordinatam victus rationem omnia in deterius lapsa sunt, perseverante febre cum macie, & forsitan cum dolore ventriculi & rugitu; ideoque de agendis consulitur.

Quod ut pro virili præstemus, statuendum censemus, non solum ab incomposita victus ratione, sed & ab inordinata mensium purgatione, omnimodaque eorundem suppressione intempestiva, omnia cùm præsentia, tum præterita mala originem traxisse, rediisse, & adhuc foveri, & conservari; Mensibus enim deficientibus, morbi fiunt ex utero, Divini senis testimonio. Impurus namque sanguis, & à prædominio melancholicus in Nobili Patiente genitus à jecore præcalido, & in corpore detentus, labefactare potest calidum innatum, non ventriculi tantummodo, cui maximè consentit uterus, sed & totius venosi generis, hincque dolores, rugitus, febres, totiusque corporis macies, non sine suspicione melancholiæ hypochondriacæ.

Qui proinde affectus cùm ex sui natura, tum ex victus incontinentia difficillimæ curationis erunt. Veruntamen cum antehac beneficio remediorum administratorum semel atque iterum recesserint, sperare quinetiam possumus, fore ut iisdem repetitis omninò tolli possint, cùm habeamus ex Avicenna, quod illa remedia, quæ semel assumpta juverunt, repetita sanare possint. Dubitare tamen quis facilè posset, utrum ventriculi dolor à viginti annis per intervalla recurrens, provenerit à materia pituitosa, & cruda, vel ab humore melancholico ad ventriculum transmisso: ab utroque etenim morbi diuturni provenire possunt, habitusque corporis, & aversio à vino id suadere possent. Attamen si à juvantibus & lædentibus indicia sunt desumenda, cum referat Vir Excellentissimus, quod in juventute dolores accesserunt absque ulla mensium imminutione, vel inordinato cursu, quodque aqua Tetutiana, Chinæ decoctum & stillicidium stomacho bis administratum quam maximè juverunt, cùm filiam pepererit, dolorque omnino remiserit, & ad proprias functiones absque ullo impedimento redierit, in eam inclino sententiam, quod potius provenerit à materia pituitosa: non negando tamen jecoris fervorem, ventriculi imbecillitatem, & sanguinis impuritatem, ac obstructiones venarum uteri, maciei, & febriculæ lentæ occasionem dedisse.

Quare suaderem, ut Nobilis Patiens præmissa corporis expiatione, sanguinis detractione tum ex saphena, tum ex hæmorrhoidibus, repeteret aquam Tetutianam, & decoctum radicis Chinæ cum santalis & lentisco, paratum cum columba turricola, utque iterum fiat stillicidium ventriculo ex oleis stomachicis, dum sumus in hoc anni tempore ad frigidum properante. Interim tamen laudarem ut singulis mensibus aperirentur venæ sedales in plenilunio; & tandem, ut vere ad æstatem vergente, repetita purgatione, daretur serum lactis caprini, modò depuratum, cum syrup. de pol. tanquam dejectorium, modo destillatum cum syrup. capillorum ven. tanquam diureticum, pergendo in missione sanguinis ex venis sedalibus; & post horum usum, ut denuò admitteret lac humanum; in morbis enim longis, longa quinetiam medicatione opus esse censeo. Et hæc sunt, quæ annotanda duxi. Faxit Deus, ut sint cum juvamento Nobilis Patientis, alvo interim lubrica servata familiari aliquo medicamento. *Bened. Silvaticus Consil. & Respons. Medicin. Cent. 1.*

De Febre Mali Moris. Pro Illustrissimo Abbate Gustagutto.

Illustrissimus Abbas quinquagenarius, habitus gracilis, hirsutus, venosus, gravibus negotiis addictus, diuturnæ scripturæ, hacque occasione cutis constipationem perpessus, ob ambientis frigiditatem, hora vigesimasecunda, parum riguit, & incaluit; die secunda bene habuit; tertia pransus cum Eminentissimo Legato, à prandio in curru cum eodem riguit, evomuit cibum, & pituitosa excrementa, decubuit, & magis incaluit; quarta dies quieta: in quinta rigor vehemens circa decimam

mam quintam horam, febrisque valde calida, urinæ crassæ, rubræ, non subsidentes; sexta vesperi sine rigore incaluit, accessitque dolor o tocopos in femoribus, & cruribus valde molestus, ictericus fuit, cui tamen icteritiæ dicitur obnoxius: septima rediit febris cum rigore, & cum levi lipothymia, urinæ fuere copiosæ: octava sponte biliosa dejecit, vesperique magis incaluit sine rigore; nona levis rigor, horror, refrigeratio postponens per quatuor horas circiter; ac deinde incaluit, denuoque biliosa dejecit; decima perseveravit febris cum obscura annotatione; undecima visus est meliùs habere, nulla observata manifesta accessione, febre tamen semper durante, quæ continuè diebus subsequentibus perstitit, ita tamen ut horis matutinis visus sit magis febricitare quàm vespertinis, linguæ siccitas ferè continua: urinæ modò minùs coloratæ, modò colorem intensiorem habentes, hæque vel sine contentis, vel cum obscuro suspenso, vel cum crasso, & inæquali sedimento: pulsus modò parvi, modò majores, inæquales, celeres, & frequentes: somni in primis diebus insomniis turbati, mox quieti, & ita faciles, ut comatosus videretur; quando tamen excitatur à somno promptissimus est ad actiones omnes animales cùm principales, tùm sensitivas & motivas; post decimamquartam urinæ sanorum similes, pulsus minores, & sic protractus est affectus usque ad vigesimum cum febre continua, obscurissimis accessionibus, extenuatione corporis, & cum imbecillitate virium.

Pro ipsius curatione sexta die leniens exhibitum biliosa purgavit; octava sanguis eductus ex venis sedalibus; decima præmisso Clystere cucurbitulæ scarificatæ dorso, & lumbis fuerunt applicatæ. Alterantia, & Bezoartica non omissa; undecima Clyster mollis denuò præscriptus, a quo tardè, & parum purgatus fuit; decimatertia syrup. rof. solut. clarificatus præscriptus nil purgavit: propterea vesperi præscriptus fuit Clyster acris ex pulpa Colocynth. cum centaurio, melle rosat. solut. & hiera Logadii, ex quo habuit dejectiones biliosas in copia; decimasexta iterum Clyster acris injectus, præmissa unc. 1. flor. Cassiæ, & scrup. ii. pilularum ex Aloë, hincque etiam copiosæ dejectiones biliosæ; duo etiam adhibita vesicantia; decimaoctava ante diluculum sumpsit serum caprinum depuratum ad libras duas: postea denuo præscriptus Clyster acris cum electuario de succo rosarum, loco hieræ, & cum aliis jam præscriptis, vomuit biliosa, & pituitosa, & dejecit biliosa valdè corrupta, & fœtida, hincque major virium prostratio, quæ tamen decimanona die parùm refectæ sunt.

Febris hæc quemadmodum communi Clarissimorum Virorum consensu, duplex tertiana continua spuria judicata fuit, ita in dubium revocatum an continua essentialiter, & maligna semper fuerit, an primis saltem diebus fuerit continua per subingressum paroxysmorum, non autem essentialiter talis, & benigna: communior tamen fuit opinio ipsam fuisse in tribus primis paroxysmis tertianam, & subsequentibus, usque ad undecimam, duplicem tertianam continuam per subingressum paroxysmorum, non autem essentialiter, quod ex rigore in paroxysmorum principio apparente fuit confirmatum, juxta Hippocratis doctrinam in Aphorismis dicentis: Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur. Etenim rigor in febribus apparens vel invadit in principio ipsarum accessionum, vel in progressu febrium continuarum, vel perseverat inæqualiter per totum paroxysmum, & febris progressum. Quando invadit in principio singularum accessionum, non potest non arguere febrem ex natura sua intermittentem fore, propter transmissionem materiæ morbificæ per partes sentientes, quæ possunt esse tum ambitus corporis, cum Altimaro, tum viscera naturalia, cum Fernelio, præsertim si repetat singulis paroxysmis. Nam aliquando incipit febris cum rigore, quæ tamen est continua, & symptomatica, dependens scilicet ab inflammatione pleuræ, vel aliarum partium sensilium: siquidem in principio ipsarum inflammationum, dum materia transmittitur à venis ad partem affectam, rigorem infert; sed talis rigor non amplius repetit: at quando rigor ipsas febres subsequitur, id fit vel criticè in febribus ardentibus salutaribus, juxta *Hippocr. in Aphor.* A febre ardente habito rigor superveniens bonum; vel symptomaticè in lethalibus, de quibus idem Hippocrates. In febre non intermittente rigor superveniens ægro jam debili, lethale. Quod si rigor inæqualiter invadat, hoc utique fieri potest etiam in continuis malignis, quas horrificas vocat Galenus, necnon in febribus semitertianis, à Græcis Hemitritæis dictis.

Cum itaque in casu nostro rigor per quinque paroxysmos tertio quoque die sese manifestaverit, luce clarius constat, febrem hanc de genere biliosarum periodicarum intermittentium fuisse, ideoque non immeritò vocatam fuisse duplicem tertianam spuriam, continuam per subingressum, ex sua tamen natura intermittentem, à bile prædominante, cum magno subdominio cùm pituitæ, tum melancholiæ: humoresque hos non putruisse tunc temporis in venoso genere; quoniam habemus ex Galeno in secundo de differ. febr. ultimo, quod quibus per circuitus ægritudinum accessiones fiunt, in his partem aliquam esse affectam necesse est. Pars autem affecta in casu nostro fuit hypochondrium dextrum, & fuere viscera naturalia. Propterea dejectiones fuere biliosæ, & continuò apparuit lipothymia, quæ successit transmissa prædictæ materiæ portione ad os ventriculi. Imò & linguæ siccitas aliqua ex parte id confirmat, quamquam & narium angustia respirationem impediens possit esse causa quod lingua, & fauces siccescant. Tunc autem temporis, quando febris fuit de genere intermittentium, benigna quoque censenda fuit, saltem quoad excellentiam putredinis: siquidem si respiciamus symptomata assidentia, & supervenientia, negari non potest quin mali moris extiterit. Illa enim icteritia ante septimam apparens, illa urinarum crassities, lipothymia, & dolor ostocopos non possunt non præ se ferre malum aliquem morem prædictæ febris. Cæterum sicuti usque ad undecimam sapuit naturam intermittentis, ita in illa die, dum melius habere visus fuit, dege-

gene-

generavit febris in continuam essentialem. Natura enim gravata à sarcina materiæ, qua premebatur, & à mala qualitate humorum atrabilarium, quibus scatet hoc corpus, non potuit amplius detrudere materiam extra venas, prout antea fecerat, cum præsertim serositates in septima pro majori parte fuerint evacuatæ: ideoque facta fuit febris continua, periodica tamen, sed ex illis, quæ accedunt magis ad naturam continentium, propter obscurissimas annotationes: propterea licet remiserint accidentia præterita, quo nomine melius habere videbatur, non tamen melius habuit; sed Illustrissimo Patienti evenit id, quod & Hermocrati ab Hippocrate descripto tertio Epidem. qui undecima melius habere visus fuit, & decima quarta fuit immunis à febre, nihilominus in vigesima septima obiit. Dum autem facta est continua, dumque natura gravata fuit ab humorum prædictorum copia, & mala qualitate, destitit ut plurimùm à concoctione humorum peccantium, languente calore nativo, ideoque remisit quinetiam calor febrilis, & vehementia Symptomatum.

Nihilominus tamen in dies vires magis labuntur, ut propterea suspicari possimus de Hermocratis eventu, quod Deus avertat.

Interimque agendum, & insistendum primo & principaliter virium conservationi, cum natura sit morborum medicatrix; & quia virium imbecillitas provenit à copia, & mala qualitate humorum, incumbendum erit revellentibus, evacuantibus, & bezoarticis corroborantibus cor.

Atque ideo præmissa sanguinis detractione antehac à Viris Præclarissimis præscripta, non erit abs re cucurbitulas cum flamma infernis partibus aliquando repetere: vesicantia femoribus, & brachiis applicare, frictionesque toti corpori, cum inunctione Aëtii administrare, non omissa repetita alvi purgatione, etiam cum acribus clysteribus horis minoris afflictionis. Bezoartica tamen temperatiora principem locum obtinebunt. Cujus generis erit aqua ex succo acetosæ, de ruta capraria, ex scorcionera; Juleb gemmatum, lapis bezoar, aqua cordialis Magistralis Saxoniana; conserva ex acido citri cum cornu cervi usto, & margaritis præparatis; aliquando Mithridatica confectio in pauca quantitate, confectioque de hyacintho, abstinendo ab omnibus adstringentibus, ab impense calefacientibus, & exsiccantibus, ob continuam linguæ siccitatem, internam phlogosim indicantem; ob quam serum lactis caprini destillatum cum succo citri, ptisana hordeacea, emulsionesque seminum frigidorum proficient summopere; sicuti potus loco aqua hordeacea, aqua fragorum, & humectantium in ore detenta ex usu erunt; non omissis externis epithematibus, & inunctionibus cordi, & jecori appositis Viris, Præclarissimis notissimis, quæ propterea lubens & volens, omittenda duxi. Faxit Deus ut ad vota succedant. *Idem ibidem.*

De Febre Populariter Bergomi Grassante ad Excell. Medicorum Cœtum jussu Illustrissimi Johannis Grimani Urbis *Prætoris, Responsum.*

Temporibus inconstantibus morbi equidem fiunt inconstantes, dummodo illorum perduraverit inconstantia: sed quando ipsorum inæqualitas uniformis aliquandiu perstiterit, prout factum est per duos annos ferè continuos, ut qui plurimùm fuerunt austrini, ventosi, frigidi, pluvii & cum maxima aquarum illuvie, morbi supervenientes constantes apparent, & ferè uniformes: cujusmodi sunt febres hoc tempore grassantes, non Bergomi tantum, sed Bononiæ, Venetiis, in Foro-Juliensi, agro Patavii, Vicentiæ, & ferè ubique locorum. In his enim omnibus locis populariter sævierunt febres, non quidem verè pestilentes, quia licet multos interfecerint, ut plurimum tamen fuerunt salutares, nec alicui (quod fuerit observatum) communicatum fuit contagium: sed sunt ardentes spuriæ, ad continentium naturam accedentes, invadentes cum dolore capitis, colli, lumborum, & totius corporis, perseverantes cum siti, vigiliis, comate vigili, paraphrenitide, & aliquando cum vera phrenitide, vermibus, & cum peticulis erumpentibus plerumque rubris, aliquando violaceis, nigris, diversis temporibus, ut plurimum circa septimam & in puerulis; cum morbillis & variolis, & urinis tenuibus, aliquando crassis, & turbatis, & cum aliis accidentibus malum morem harum febrium commonstrantibus; hæque febres viros magis quàm mulieres affligunt, eosque ut plurimum intra secundum senium constitutos, si præsertim plethorici, biliosi, aut melancholici fuerint, si locorum humidorum fuerint incolæ, si incompositè vixerint, immodicè incaluerint, veneri indulserint, vitiosisve succis redundaverint, rarò claustrales, tanquam minus incompositè viventes.

Harumque febrium sicuti causa adæquata fuit vel insignis exustio, vel excellens & vera humorum peccantium corruptio, aliquando superante natura, aliquando eadem superata: ita causa communis fuit inæqualis aeris intemperies, quoad activas qualitates, cum excessu humiditatis quoad passivas; Hinc enim accidit ut caput pluribus humidius sit redditum quàm conveniat, & interna viscera vitiosis humoribus cujuscumque generis, à prædominio tamen serosis & biliosis fuerint repleta, impeditaque ipsorum ventilatione cùm à cutis constipatione, propter ambientis frigiditatem, tum ab internis obstructionibus, computruerint, & putrescendo febrium prædictarum causæ fuerint, cum enarratis symptomatibus, pro varia parte affecta, & diversitate dispositionis viscerum principalium. Foveri quidem potest hæc febris ab annonæ charitate, cujus merito facta est maior congestio vitiosorum humorum: hancque ob causam pauperes febricitant magis quàm divites, & frequentius intereunt; non tamen annonæ charitas fuit causa principalis harum febrium, ut quispiam forsitan suspicari posset, non enim divites his febribus fuissent correpti, ut potè qui annonæ charitatem non fuerunt experti.

Originem autem habuerunt hæ febres ut plurimùm à putredine circa viscera naturalia, ideoque & vermes fuerunt excreti, & diarrhœæ non rarò subsecutæ, cùm criticæ, tum symptomaticæ: ferè tamen semper sese insinuavit putredo in totum venosum genus, non sine aliqua

pulmonum inflammatione, ut apparuit ex dissectione cadaverum: hincque factum fuit, ut ferè in omnibus apparuerint peticulæ, pluribus supervenerint sudores aliquando diaphoretici, non rarò salutares, & ferè omnes indicati sint per urinas copiosas.

Quæ cùm ita sint, sperandum etiam est, morbum hunc pestilentem non futurum, dummodo austrinæ constitutiones tamdiù non perdurent, ut hinc aër non solum intemperatus fiat, verum etiam corruptionem & putredinem concipiat per admixtionem vaporum putridorum. Quod ne fiat, ventilationes, ignis accensiones, viarum munditiës, & diligentes cadaverum humationes erunt necessariæ.

Pro curatione autem harum febrium, insistendum duximus refrigerantibus, exsiccantibus, divertentibus à partibus principalibus, deobstruentibus, bezoarticis, & vires conservantibus.

Ideoque inter Chirurgica præsidia principem locum deberi censuimus venæsectioni, dummodo vocati fuerimus statim in principio, in ætate vigente, non præcedenti immodico veneris usu, vel simili quopiam vires prosternente, & hoc nomine sectionem prohibente. In febribus enim omnibus putridis, internis inflammationibus incipientibus, & obstructionibus internorum viscerum, nullum magis accommodatum remedium excogitarunt veteres venæsectione. Neque obstat, incipere putredinem à visceribus naturalibus, vel in his febribus adesse exanthemata, aut superventura. Per venæ enim sectionem neque trahuntur humores à visceribus naturalibus ad venas, neque impeditur transmissio ad cutem, quando pauca sanguinis copia detrahitur, ut faciendum censemus; imò potius sequitur id quod dixit *Galen. 2. Aphor. 29.* quod scilicet natura levata ab eo, quo veluti pondere premebatur, residuum materiæ facilius vincere valet, Si enim *Galenus 2. in 6. epidem. 30.* expendens historiam Simonis ab Hippocrate descriptam, in qua apparet quod Simoni lata apparuerunt exanthemata, dixit, etiam in hoc casu convenire purgantia, & venæsectionem, non quidem ad evacuandam materiam ad cutem transmissam, sed ad tollendam humorum superfluitatem in venoso genere existentium, antequam topicis evacuetur materia ad cutem transmissa, cur & nos venam secandam non censebimus in febre ardente, acuta, viribus permittentibus, antequam materia transmissa fuerit ad cutem: eligimus tamen potius salvatellam dextræ manus quàm jecorariam, ob minus virium dispendium. Quod si vires non permiserint venæsectionem, in hoc casu venarum sedalium apertionem laudamus, quamquam non fuerint innatæ, cùm ratione revulsionis à partibus principalibus, tum ratione evacuationis à venoso genere, antequam ad topica deveniamus; paulò tamen postea cucurbitulas cùm scarificatas tum non scarificatas lumbis, & infernis partibus sæpius applicandas censemus; frictiones & inunctiones injungimus, dummodo natura non tendat excretionem materiæ per alias partes corporis. Vesicantia præsentaneum & tutissimum remedium semper fuere: ideoque nullo modo prætermittenda, si præsertim materia impetum habuerit ad caput, ad cor, & partes spiritales, dummodo non adsit aliquod urinæ impedimentum, tunc etenim vel non applicanda, vel non ex cantharidibus, sed ex ranunculo, aut flammula.

Inter pharmaceutica laudamus quam maxime blandas alvi subductiones, quando natura non transmittit cum impetu ad cutem, omniumque maximè largas potationes aquæ hordeaceæ, aut seri lactis caprini, cum spiritu chalcanthi: refrigerant enim, sitim sedant, urinam movent, sudorem alliciunt, & omnibus intentionibus mirificè satisfaciunt, non omissis bezoarticis illis, quæ vel non sint calida, vel parum, nec sint valdè adstringentia: inter quæ unusquisque sibi eligit illa quæ sunt magis familiaria. Medicamenta ex citro sunt tutissima, ideo Venetiis paratam habent aquam ex toto citro, qua familiariter utuntur: Margaritæ præparatæ, cornu cervi, sunt exsiccantia.

Diuretica, sudorifica, temperatissima. Conf. hyacinthina sine ambra, Aqua cordialis Saxoniana: Pulveres Bergomenses Magistrales, Juleb gemmatum magni D. Gelatina ex cornu cervi, & alia. Inter externa oleum scorpionum Matthioli, vel quid tale.

Victum non exquisitè tenuem laudamus, præ cæteris commendatur ab omnibus ptisana hordeacea, & in progressu morbi, facta corporis evacuatione, vinum oligophorum interdicendum non censemus, sicque progrediemur in harum febrium curatione. *Idem ibidem.*

De Morbo Epidemico Lucæ Grassante. Ad Præclarissimum Virum Franciscum Mariam Florentinum, Medicum Lucensem, pro Republica Responsum. Anno 1648. mense Augusto.

Morbi grassantes in Nobilissima Urbe Lucensi, ipsiusque agro, necnon & in Hetruria, inter epidemicos absque dubio sunt reponendi, si non ratione essentiæ, quo nomine sporadici potius dicendi forent, cum plures afficiant sub diversa forma, synochi scilicet, hemitritæi, ardentis, tertianæ, ephemeræ cum variis quinetiam symptomatibus: ratione tamen causæ, epidemcii & communes sunt dicendi, utpote qui à causa communi ortum duxerunt, aëre scilicet valde humido, & in activis inæquali, modò calido, modò frigido, qualis ab autumno præterito ad hodiernam usque diem perduravit.

Et quia hic affectus magis viguit in planicie, quàm in montibus, ubi magis ventilatur aër, hinc factum est quod in montibus degentes non ægrotaverunt; ægritudinesque variæ extiterunt, pro diversa patientium temperatura, & varia victus ratione. Sicuti enim excedens aëris humiditas corpora afficiens ea disposuit ad putredinem, cùm humiditas sit putredinis subjectum, putredoque hæc sese insinuavit in humores in corporibus prædominantes, eosque vel sanguineos, hinc synochi putridæ, vel biliosos, hinc ardentes, & tritæophyes, vel cum pituitosis putrescentes, hinc hæmitritæi. Nec solum variæ fuerunt febres, pro diversitate humorum, sed etiam, pro diversitate loci, in quo putrescunt. Hanc ob causam bile prædominante, modo facta fuit ardens, dum putruit in venis, modo tertianæ naturam referens, dum putruit in parte determinata, vel in carnibus ipsis;

circa

circa quas serositas biliosa inventa fuit in copia, dum facta fuit cadaverum dissectio. Nec solum variæ febres fuerunt subortæ, varia etiam symptomata fuere, concomitantia, & supervenientia, pro varietate loci in consensum tracti à materia putrescente. Dum enim impetum habuit ad caput, dolores ejus, comatosæ affectiones, vigiliæ, deliria successerunt, & hæmorrhagiæ narium: dum irruit in ventriculum, cardialgias, anxietates, sitim, Anorexiam, vomitum bilis porraceæ, æruginosæ induxit: dum ad intestina, vermes, diarrhœas, dysenterias; ad renes, varias urinas; ad ambitum, lassitudines, sudores modo indicantes, modo non. Dubium tamen est, cur morbi prædicti non apparuerint hyeme præterita, quo tempore aër erat utique humidus & pluvius. Secundo cur ex pluribus graviter infectis pauci interierunt. Tertio cur deterius habuerint euchymia abundantes, quam vitiosis succis scatentes. Quarto quid prædicendum. Et quinto quid agendum.

Prima difficultas contigit etiam tempore Hippocratis. Refert enim 2. in primum Epid. 2. quod totus annus fuit humidus, frigidus, & borealis, & nihilominus quod per hyemem salubriter degerunt. Ratio est quia non statim ac tempestas aliqua incipit intempestiva fieri, afficit adeo corpora, ut morbis corripiantur; sed tunc tantum, quando intemperies aëris ea tali intemperie afficit; quod sanè in instanti fieri non potest. Ad secundam quod attinet, ratio propter quam major pars affectorum evasit duplex est, prima quia aër fuit tantum alteratus, non corruptus, nec putridus, ut contigit in peste Thucydidis, propterea morbi isti non sunt pestilentes; secunda causa est, quia putredo in humido genita, non semper maligna fuit, sed aliquando benigna, & quando maligna, nec semper provenit à venenata, & occulta qualitate, talis enim plures interficit, sed tantum ab illa putredine, quæ fuit proposita à Galeno primo de differ. febr. 6. quam duplicem esse dixit; aliam superante natura, aliam ea superata, addita tertia facta partim superante, & partim superata natura. Fit autem superante natura, quando est juncta cum concoctione facta à calido nativo dominante calori extraneo, prout fit in inflammationibus ad suppurationem devenientibus: pus enim album, læve, & æquale fit à calore naturali prædominante: superata vero natura, quando calor extraneus ita dominatur naturali, ut hic pugnare non possit cum causa morbifica; quod Hermocrati contigisse retulit Hippocrates primo in tertium epid. qui decima quarta immunis fuit à febre, & non sudavit 17. rediit febris, 20. ab ea immunis, sed sine sudore, 27. obiit. Dicit Galenus ipsum immunem extitisse à febre, quia natura non pugnavit cum morbo, & propterea non supervenit aliqua evacuatio; hæcque est vera illa excellens, & summa putredo, quæ interficit, extincto calore nativo, non secus ac fit in gangrænis, nunc verò quibusdam ex febribus prædictis, plerisque tamen ipsarum contigit cum dominio naturæ: propterea patientes evaserunt, superveniente vomitu, diarrhœa, dysenteria, vel sudore, dummodo is non fuerit diaphoreticus, ob nimiam raritatem corporis, & virium imbecillitatem; qualis contigit aëre præterito, & præsenti. Quod si quis febre intermittente obiit, hoc necessario evenire debuit ex vehementia symptomatum, aut ex nimia spirituum dissolutione: cùm febres intermittentes ex sui natura sint semper salutares. Si quis tertio quærat, cur boni succi pleni interierint facilius, quam succis vitiosis referti? Responderi potest dupliciter: primo quia vitiosis succis redundantes facile à levi quacunque causa affici possunt, cùm in symbolum facilis fit transitus; plethorici vero nonnisi à violentiori causa, propter robur calidi innati: causæ autem validæ magis officiunt quàm debiles. Secundo dici potest, quod humores vitiosi, ut plurimum protruduntur ad partes remotiores, ac inde ipsorum putredo minus afficit: boni autem succi retinentur in toto venoso genere, ideoque ipsorum putredo facilius irruit in viscera principalia, & cor ipsum.

Ex his elici potest quid sit prædicendum. Vereri enim debemus, ne in dies magis ingravescat affectus. Si enim aër æstivus ex sui natura calidus resistere non potuit corruptioni, cùm alioquin febres pestilentes æstate cessare soleant, quando æstivum tempus servat propriam naturam, longè facilius extingui vel remittere saltem debuissent affectus præsentes. Nec ab autumnali præsenti tempore quidquam sperandum, utpote valde inæquali. Faxit Deus ne ita contingat.

Pro curatione corpus expiandum erit diligentissime etiam cum sanguinis missione, quantum vires permiserint, nec adfuerint symptomata ipsam impedientia. Nec omittenda sunt bezoartica medicamenta, quorum sylva habetur apud scriptores: præ cæteris tamen debent esse refrigerantia, & exsiccantia, utpote quæ contraria, febri ratione refrigerationis, putredini verò per exsiccationem. Pro præservatione autem habitatio sit in locis montosis. Quod si fieri non possit, vitandus saltem aër austrinus. Provocandus somnus, & alvus continuò lubrica servanda. *Idem ibidem.*

Febris Synocha.

Omnia mala, tum præterita gestationis tempore & à partu in Puerperio, tum præsentia, Matronam Excell. infestantia, à sanguinis vitio prodiisse & procedere, non est in Arte versatus qui dubitare possit: id enim apertissime demonstrant ea quæ tum à priori, tum à posteriori elici possunt: sanguineum enim est ipsius temperamentum, hinc vitium in quantitate & submelancholica dispositione consideratur unde mala qualitas, acris nimirum & quodammodo adulta atque acida; cujus sanguinis effectus pravi non adeo manifestabantur ante uteri gestationem, dum natura per uterum exonerabatur, secus autem in uteri gestatione, ejusdem evacuatione suppressa, & præsertim primis mensibus: cum enim parvulus fœtus abundantem sanguinis molem consumere nequiret, Medicus ejusdem per venam sectam evacuationem moliri coactus fuit, ut à tot molestiis Mulier Excellentissima vindicaretur. Et quoniam à partu non satis, quinimò valde imminute expurgata fuit, deteriora successerunt, sicuti Lochia deterioris, quàm Menstrua, conditionis existunt, dum absumpto à fœtu utiliori sanguine,

guine, vitiosior permanet, qui sicut singulis mensibus antea per uterum excernebatur, ita in puerperio sub lochiorum titulo expurgari necesse est, alioquin, ait Gal. aut uterus phlegmone corripitur, vel ad superiorem aliquam partem irrepens sanguis varios affectus producit; & nisi aptissima & quàm celerrima medela præstita fuisset, ad evidens vitæ periculum Matronam Excellentiss. deduxisset: Galenus enim memoria tenendum esse monet, in omnibus Mulieribus in quibus à partu impeditur purgatio, nonnullas in extremum mortis discrimen devenire, perpaucas vero modice laborare, dum considerabat Philini Uxorem quæ filiam pepererat, quia non bene expurgata fuerat, die vigesima à partu obiisse: quod idem repetebat in Historia Mulieris in Cizico decima septima defunctæ. Verum quia per sanguinis missionem diminuitur quidem ejusdem quantitas, remittitur quoque prava qualitas, at portio vere peccans ex toto à massa sanguinea evelli & educi non potest, ideo factum est ut à puerperio melius quidem habuerit Excell. Mulier, at non omnino convaluerit, & ideo contigit quod divinus prædixit noster Senex, Ipsam nimirum febrire & horrorem habere, quia partus purgamenta non fuerunt expurgata, nec postea satis Menses prodierunt; sic & magna febre correpta fuit, quæ Synochæ naturam sapit, & gulæ inflammatione atque ulcusculis. Febris tamen cito remissa est, quia peracuta; & quoniam congruis & magnis remediis adhibitis cessit, ut ipse Hippocr. innuebat dicens, quod Nisi à partu Mulier repurgetur, magno morbo tentabitur, vitæque periculum incurret, nisi quis celeri adhibita curatione convenientem purgationem promoveat. Et licet excrescentias quasdam febrem habere observetur, id evenit, quoniam ut Continens sit febris, sat est sanguinem ferueſieri & fermentari in venis alicujus partis cum corde, pulmonibus, faucibus, imo & venis communibus magnum consensum habentis.

Quibus ita se habentibus, cum febris ista non modo acuta, sed peracuta censeatur, cito & bene terminaturam sperandum, quia cito & apte auxilia medica administrata fuere. Restant autem indicationes considerandæ, nimirum vitiosi sanguinis correctio, qui quatenus adhuc quantitate peccat, imminutionem indicat; quatenus qualitate, commoderationem; quatenus motu, revulsionem & diversionem; calor vero febrilis, si perseveret, contemperationem expostulat viriumq; sui conservationem.

Et à fonte Chirurgico repetenda adhuc esset sanguinis missio, si Viro Prudentissimo Adstanti opus visum fuerit; sicut frequentes partium infernarum frictiones, necnon calidæ lotiones non sunt omittendæ.

Ex Pharmacia reliqua sunt depromenda pauca remedia, hæcque alterantia, evacuantia & ab affectis partibus repellentia; ideo opportunissimus esset exiguæ Cassiæ ad drachmas quotidianus usus, superepoto copioso sero, aut saltem aqua Nocer. matutinis horis; sicuti in statu febrilis caloris) aquæ stillat. de succo cichor. & acetosæ cum syr. vel Conserva de acido citri, de succo limonum aptissimæ erunt; & gargarismi repellentes jam propositi & administrati, ex aqua plantag. cum sale prunellæ, vel succo granat. vel succo agrestæ, vel mororum immatur. à dulcibus omnino abstinendo, & ulcuscula spiritu chalcanthi tangendo. Meliora proponenda pro statu præsenti non habeo, congrua victus ratione Prudentiss. Viro commissa. Verum exacto convalescentiæ tempore, Patavium ut se conferat Excellentissima Matrona consulo, ut levi præmissa primarum viarum expurgatione, ad aquas B. V. epotandas disponatur, ut jecoris feruor contemperetur, ne forsan imposterum valetudinariam vitam ducat. Hæcque sint dicta potius, ut acta & proposita confirmentur, quàm ut nova agenda proponantur. *Raym. Joh. Fortis Consultation. & Respons. Medic. Tom. 2. Cent. 2.*

Febris continua.

Quoniam primis diebus febris Illustriss. Comitissam cum refrigeratione invasit, nec adeo sensibiliter operationes læsit, cum domo exierit, neque à consuetis muneribus destiterit, ideo acutam nondum fuisse censendum, sed neglectam, acutiem quarta die acquisivisse credendum, sicque continuam primò per subingressum, mox non modo periodicam proportionatam, verum & essentialiter continuam redditam esse existimo. Quare biliosam mineram putrescentem cum sanguine, eoque crudo atque melancholico (unde lassitudo, si non phlegmonosa, saltem tensiva) in venis majoribus supra jecur cum Viris Excellentiss. reperiri credo, ut facile ex urinis turbatis cum sedimento inæquali & obscuro, pulsusque frequentia atque celeritate conjici potest. Dolor autem capitis, aurium tinnitus, somnus parcus atque turbatus, si febrem comitentur, magnitudinem seu ejusdem vehementiam arguunt; sicut malum morem, si supervenerint & mox apparuerint; vapores enim à toto venoso genere turbato atque confuso, vel auram malignam atque veneficam ab eodem ad caput elevari significant, quæ in capite continuum solvendo, dolores: spiritus agitando & cerebrum calefaciendo, somnos exiguos atque turbatos: & aërem implantatum commovendo, aurium tinnitum excitare valent. Putredinis autem occasionem præbuerunt humoribus jam dictis errores prægressi, in assistentia Illustrissimæ defunctæ peracta: à vigiliis enim cruditates multiplicantur; ab animi motibus utpote corpus calefacientibus bilis adaugetur, & ab iisdem perseverantibus exustiones atque animi mœrores tandem oriuntur; unde sanguis totus excalefactus quoad illam partem facile putredinem nactus fuit, & eo facilius, remorata & tardiori reddita ab ejusdem crassitie totius circulatione, non parum ad hæc omnia conspirantibus imminentibus Menstruis, pravi sanguinis congestionem in promptu significantibus.

Sed circa jam dicta considerandum occurrit, cur modo accessiones, non solum refrigeratione, verum etiam cum horripilationibus invadant, nec tamen febris ulla declinatio observetur, quinimò semper magis in vigore sustineatur, quod non ratione febris contingere credendum, sed verendum potius ne aliqua portio sanguinis è venis ad partem aliquam deponatur, quæ in exitu per partes sentientes discur-

discurrendo, horripilationes inchoantibus inflammationibus familiares excitet, quod confirmare quoque videtur alvus turbata, biliosa, cruda & tenuia excernens, naturæ irritatæ indicio.

Quibus omnibus ita constitutis & consideratis, nil certi præsertim abiens prædicere possum: affectus enim adhuc in fieri, in augmentonimirum reperitur, cum hucusque vix apparuerit coctionis rudimentum, febrisque pravis symptomatibus comitata sit; vires tamen in hac florenti ætate, proba temperie & anni tempore saluberrimo forsan valere possunt, quousque natura dominari & coctiones peragere valeat: acutus enim cum sit, celeres mutationes ad utramque partem suscipere potest.

Ideo ad agenda deveniendum, ut indicationibus à Viris Excell. propositis satisfacere nitamur. Et ut ordine executivo procedamus cras summo mane sanguis ex altera Saphæna omnino erit educendus ad septem uncias, si pulsus permittant: non enim dierum numero, sed uni virium robori attentos esse oportere jubet Galenus; assistat itaque Vir Excell. Illustrissimæ Patienti in ipsa sanguinis eductione. Nec alvus irritata cum exiguæ materiæ expulsione hoc genus remedii vetare poterit, nisi fortasse pluribus vicibus & copiosam excreverit peccantem materiam. Duo Vesicantia coxis, à Viris Excell. proposita, jam apposita suppono; nec frictiones sunt infernis partibus omittendæ, toti corpori vero caute administrandæ in præsenti alvi commotione; licet enim cruda existat materia, ideoque motus criticus esse non possit, quandoque tamen fit ut motus hujusmodi, medii paulatim critici tandem evadant, & ideo post sanguinis eductionem, nocte sequenti exigua portio floris Cassiæ præberi poterit, superaddito sero.

Alterantia erunt aqua stillat. de succo acetosæ, addita quoque portione scorzoneræ, cum syr. vel conserva de acido citri. Alexipharmaca cordialia necessaria sunt, non tamen diaphoretica, tum propter alvi motum præsentem, tum propter Menstruorum imminentem. Verum si alvus supprimatur, nec Menses erumpant, & lassitudo totius perseveret vel augeatur, adeo ut humores ad ambitum corporis vergant, tunc diaphoretica intrinsecus, ut lapis Bezoar, cornu cervi phil. Extractum Contrayervæ in aquis cordialibus; & extrinsecus cucurbitulæ sicca & incisæ, frictiones & Aëtii inunctiones erunt exercendæ. Omnibus congruam victus rationem addendo Viris Doctissimis notissimam, sicut reliqua quoque omnia ab iisdem proposita, & à me confirmata. *Idem ibidem.*

Febris Chronica.

Vestalis Illustrissima temperamenti calidi & humidi, annum agens trigesimum sextum, jam septimus annus est ex quo post improvisum mortis dulcissimi fratris nuncium, mœstissima facta, post varios animi angores, febre etiam correpta fuit, qua per totum fere hoc temporis spatium divexata est. Principio febris continua proportionata evidens fuit, quæ eadem hora per hebdomadas quotidie invasit, mox vero medicamentorum ope evanuit, sed brevi interjecto intervallo, absque manifesta causa Nobilissima Virgo iterum febricitavit eodem febris ordine, sed typo non adeo distincto, ita ut aliquando non solum ab accessione, sed ab ipsa febre liberaretur, à qua etiam repetitis medicamentis omnino evasit. Cæterum vix convalescens, male servata victus ratione, imo neglecta, spretoque Medicorum consilio, non solum improportionata munera obeundo, sed præcipue jejunando, & piscibus pravisque aliis edulis vescendo, maxime in suo, ut vocant, Adventu, iterum in febrem incidit, à qua usque in hodiernam diem continuo affligitur. Febris hæc quotidie nocturno tempore invadit, accessione satis obscura, nullo prævio rigore, sed aliqua tantummodo universali lassitudine, quæ per multas horas perdurat, nec integre dissolvitur, nisi in fine augmenti ipsius paroxysmi, quo tempore vehementem calorem utplurimum percipit, & præcipue circa caput de quo non leviter conqueritur. Toto hoc molestissimo morbi curriculo, corpus ejus permansit, ut vix ex aspectu qui fere naturalis est & nativo roseo decore præditus, aliqua à naturali statu declinatio desumatur. Pulsus satis firmi, urinæ non multum tenues, calor satis mitis, hypochondria mollia, somni breves, appetitus potius dejectus, maxime pharmacorum tempore, a quibus semper affligitur, corporis vigor satis debilis, ut a quocunque faciliori motu offendatur; menstruæ purgationes ordinatæ, non imminutæ. In hac pertinacissimi morbi natura, frustra de Peritissimorum Medicorum Vincentiæ repetito consilio, & de meo pluries expertis remediis, graviora exitia metuens, alienam, me jubente, requirit opem, ut tandem, Diis juvantibus, evadat.

Virginem Illustriss. multis abhinc annis claustrali vitæ dicatam, ob dilectissimi fratris obitum septem jam annis cum intensissimo perseverante ejusdem animi mœrore secutum, melancholicam fuisse redditam, quinimò & affectu melancholico correptam pro certo habeo: distractis namque spiritibus, cum naturali calore à ventriculo ad caput ob intensas & diurnas & nocturnas continuas meditationes, chylosi imminuta, cruditates genitæ, & in venis lacteis atque mesentericis diutius detentæ, à jecoris calore terreæ, arefactæ & in melancholicam naturam conversæ, affectum hypochondriacum illegitimum excitare potuerunt, cui brevi temporis tractu succedere solet melancholicus, dum ab hujusmodi clausuris, hypochondriorum & jecoris calor non ventilatus acuitur, intensiorque redditur, qui postea sanguinem à ramo cœliaco & mesenterico emanantem, ac mesentericas & splenicas portæ venas ingressum, ut ad hepar, indeque per cavam ad cor circulando feratur, magis magisque excalefaciendo, crassiorem & ad motum ineptum reddit, ut propterea in eodem loco stabulans, symptomata aliqua melancholica, vel in corde, vel in cerebro excitare soleat, à quibus omnino immunem esse Virginem Illustriss. vix credere possum, sicuti hypochondriaca affectione detineri pro certo habeo. Quoniam vero per consensum ab hypochondriis ventriculi læsio perseverat, juges ideo quotidianas cruditates emergentes, & à jam dictis obstructionibus detentas, ab æstuante calore non solum effervefactas, verum & fermentatas,

mentatas, febriculæ caufam effe non eft mirandum: ficut enim illarum portio quotidie confumitur, ita quotidie quoque reproducitur, eoque magis, prava addita victus ratione. Putridum vero tangens non putridum, putridum illud reddit, ficque febriculæ perfeverant horis vefpertinis aut nocturnis obfcure intendentes, quia licet in ignobili loco cruditates fermententur atque putrefcant, quia tamen claufæ per partes fentientes dimoveri non poffunt, ideo neque manifeftas acceffiones prodere.

Neque vifcera obftructa & inquinata effe credere poffum, adeo ut Ferneliana febris ex labefactatis vifceribus enafcatur; fiquidem neque floridus faciei color, neque totum corpus adeo nutritum confervari poffent: hucufque enim fi non cachecticum, cacochymum faltem fuiffet redditum, infigniter læfo jecore, nutritionis principio: fed pulfus alterationes febriles facile foveri cenfeo ab æftu hypochondriaco, ut obfervare folemus in Hypochondriacis. præfertim à cibo, & in hac Nob. Virgine potiffimum horis vefpertinis atque nocturnis, dum cœna licet levis, prandio non adhuc bene confecto, fuperingeritur.

Ab hoc febrili & valetudinario ftatu vindicari poffe Patientem Illuftriffimam non dubito; & licet non adeo facile nec brevi, quia in febribus corpus pro ratione non imminui & contabefcere, morbi diuturnitatem, ficut plus jufto periculum minari folet: attamen congruis repetitis remediis febrem cefluram in hac gratiofa ætate optimoque temperamento pro certo habeo.

Quod affequi poterit, primas vias expiando; Obftructiones, licet non adeo tactu manifeftas, referando; Hypochondriorum & jecoris calorem contemperando; Et tandem ventriculum, licet non pofitive, fed privative affectum, nonnihil corroborando.

Pro quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico fanguinis miffio petenda ex fuperioribus potius, quàm inferioribus venis, ad eventandum jecoris totiufque venofi generis calorem, & ad conditionem fanguinis explorandam, ne forfan adeo diuturni temporis tractu, totum quoque fucco melancholico fit inquinatum. Et cum in Utero nulla fanguinis portio commoretur, quæ derivatione indigeat, ideo ex venarum fedalium apertione, ab utero recte operante diverfio verenda effet.

Præcipua remedia à Pharmacia funt defumenda; & pro primis viis expiandis, electuarium lenit. pro prima & fecunda evacuatione fufficiens erit: ficut quinque intermediis diebus erit quoque fufficiens julapium acet. cortic. citri aromatizatum, quod exigua aqua totius citri dilui poterit. Inde ad ulteriora Præparantia & Aperientia erit deveniendum, quæ femper exficcatam materiam humectare valeant, & meo judicio, fucci depur. opportuniffimi erunt: mellita namque & faccharata Hypochondriacis non valde conferunt; quare parabitur fyrupus præparans ex fucco depurato cichor. borag. & pom. dulc. ad ℥ iij. in decoct. borag. endiu. malvæ, violariæ & agrimoniæ. Sex autem transactis diebus, aliquod benigne Purgans erit exhibendum ex flore caff. & femidrach. extracti fenæ & pilularum de tribus, cui fuperbibat jus pullæ tenue, hordeo vel malva alteratum. Mox iterum fuccorum ufus repetendus, fuccum agrimoniæ vice pomorum dulc. addendo, quinimo & tartari vitriol. grava in decoctione erunt diffolvenda; fequenti vero die nos caffiæ ad ℥ij. addito fcrupulo rhabarbari opt. præbeatur, & poft horam fuperbibat feri capr. aut afin. deftil. cyathum, tribus vero horis ab affumpto fero prandeat; Tertia die repetat fuccos, ut fupra, quarta rhabarbarum cum caffia, & ita alternatim perfeveret fupra viginti dies; præbendo interim, fi opus fuerit, duobus diebus fuccos ipfos, & quarto quoque die caffiam cum rhabarb. fi evacuatio fequeretur abundans.

His peractis, ut venulæ in hypochondriis jam excalefactæ contemperentur, & removeatur ficcitas, ferum copiofum caprinum aut afininum depur. fi non bis aut ter, femel faltem ad libras propinare optimum erit, cum vehiculo fyrupi rof. folut. vel potionis ex man. clarif. ut inde jecoris & fanguinis quoque fervor remitti poffit lactis ufu, quod poterit primò artificiale parari ex emulfione feminum melon. & amygdalarum dulcium, fero capr. deftillat. aut aqua de fucco cichor. extrahenda, addita uncia fyrup. de fucco limonum, ut poftea fi Viri Excellentiff. prudentiæ vifum fuerit, ad lactis quoque afinini ufum cum faccharo Illuftriffima Patiens ducatur: refrigeratis enim prius hypochondriis & vifceribus, non adeo facile corrumpetur. Nec à febricula prohibetur, cum ab Hippocr. iis qui non multum febricitant, concedatur.

Et fi interim ventriculo quoque aliquam corroborationem afferre placuerit, à cibo duo grana maftiches deglutire poterit, vel rotulas ex aromat. rof. aut aquæ cinnam. cochlear.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, ab Eximio Viro in Arte verfatiffimo præfcribenda, cui etiam reliqua omnis corrigenda libenter relinquo. *Idem ibidem.*

Febris Chronica, & decumbendi difficultas ab Hypochondriis.

Illuftriffimus Comes annorum fexaginta trium; temperamenti calidi & humidi, cum prædominio tamen ipfius caloris; jecoris & capitis fervidioris, pituitofis deftillationibus obnoxius, ob quas tranfactis temporibus aliquando febricitavit, ptyalifmo fubditus, Autumno præterito magno totius corporis æftu correptus fuit, cui fucceffere in univerfa cute multæ efflorefcentiæ, & hæ in aliquam molem elevatæ cum pruritu (vulgo Effere) à quibus fola victus ratione convaluit. Incipiente Vere incidit in capitis gravedinem & febrem, quam catarrhalem putavit, & ideo fine Medici affiftentia per aliquot dies decubuit; poftea vero ingravefcente morbo, ad medicam opem confugit, à qua licet medicamentis fecundum rationem præfcriptis, & fanguinis miffione è venis fuperioribus inftituta levari non potuit: imò obfervatum fuit febrem ipfam potius adaugeri, licet naturæ intermittentis & erraticæ, cum etiam circa quadragefimam, poft ufum lactis caprini per tres dies in ferculis ufurpati, lapfus fit in paffionem flatuofam moleftiffimo fymptomate ipfum divexantem, à qua frequentiffima nidorofa eructatio exorta eft, & aliqua per inferiora crepituum emiffio, cum aliquo ventris rugitu & ventriculi ex-

extensione, cum impotentia decumbendi, adeo ut fere mensis spatio erecta cervice & somnum capere, & integrum diem sedens degere coactus fuerit: cum enim solitum decubitum vel pronum, vel supinum, vel ad latus tentat, statim surgere conatur ob imminentem suffocationem, quam forsitan Æger potius timet, quam nos credamus, cum nulla in ipso pulsu vel interceptio, vel intermissio, vel inæqualitas percipiatur. Quibus tamen non obstantibus, licet secundum rationem & propositis & adhibitis, febris adhuc perseverat sine intermissione: perseverat & flatus qui gravior fit in assumptione cibi, & ingruente febre, licet nunc remissior appareat. Cæterum febris magis ordinata ac determinata periodo Patientem aggreditur vespertinis horis absque notabili refrigeratione, sed sensim irrepit alternis diebus gravior, pauca pulsuum coarctatione & urinarum mutatione, quæ potius crassæ sunt & rubræ cum sedimento copioso: quæ tamen febris matutinis horis manifeste declinat sine ulla evacuatione, quo tempore etiam flatus remittit. His omnibus accedit ferquens sanguinis stilla, præcipue è nare dextera, coloris satis vividi. Medicamenta quæ ex tuo consilio exhibita hactenus sunt, fuere potiones ex manna clarif. bis repetitæ cum sero caprino depurato, à quibus copiosa successit evacuatio materiæ potius biliosæ tenuis, non sine aliqua pituitæ permistione, quod evacuationis genus etiam in ipsis clysteribus sæpius apparuit, & aliis levioribus medicamentis observatum fuit, omissis succis depuratis, & horum loco decoctionibus earundem herbarum substitutis, quæ ventriculo ipsius Pat. magis amicæ vitæ sunt. In hoc rerum statu, cum febris & difficillimus decubitus Ægrum ipsum & nos torqueant, & cum tum ratione stillæ sanguinis, tum effervescentiæ ipsius capitis, conveniret sanguinis missio, hanc ex hæmorrhoidibus perfecimus. De salute autem Illustrissimi Viri anxii, ut par est, perdurante præcipue utraque affectione, tam universali, quam particulari, tum ipsa decumbendi impotentia, à quibus majora infortunia metuimus, ipso Hippocrate teste, ad Te Nobilissimi Ægroti jussu confugimus, ut salubriora consilia recipientes, optatum finem qui salus Ægri est, consequi valeamus.

Ab exacta relatione status Illustrissimi Comitis à Viris Præclariss. descripta, mihique transmissa constat, duos esse affectus præcipuos Virum Illustrissimum affligentes, febriculam nempe & decumbendi difficultatem, quibus alii accedunt considerandi, perseverantes nimirum in hypochondriis flatuositates, à cibo præsertim invalescentes, & forsan aliqua à capite destillatio eidem Comiti familiaris & fere connaturalis, si non in partes spiritales, saltem in naturales, quæ sicut utriusque affectus fons & origo fuit, ita in præsens eosdem foveat atque conservet. Sed quamvis res ita se haberet, nobis tamen causæ proximiores & immediatæ præcipuorum affectuum occurrunt curandæ, hypochondriorum nimirum obstructiones jam diu factæ & confirmatæ, necnon phlogosis aliqua in hypochondriis iisdem excitata; etenim dubitari non potest, quin febricula prima autumnalis à catarrhali destillatione, una cum cruditatibus à libertate vivendi productis originem primam traxerit, nempe alteratis & putrefactis iisdem humiditatibus in ignobili loco à corde distante, ut propterea sine Medicis auxiliis diu degere & mane potuerit: sed tractu temporis pituitosa hujusmodi & cruda materia ab hypochondriorum calore clauso & intensiori reddito in terream naturam conversa, copiosæ flatuositatis in causa fuit, quæ exhalationis potius, utpote ex terrea minera elevata, quam vaporis naturam obtinet, & ideo haud facile dissolubilis: hinc ab iisdem clausuris & à calore intensiori reddito nidorulentæ ciborum corruptiones procedebant, depravatæ concoctionis indicium, quam tamen & imminutam in ventriculo sequi quotidie credendum, adeò ut quotidianæ cruditates emergant, addita facile catarrhalis materiæ portione, à quibus febricula pendet, quæ vespertinis horis sine sensibili annotatione, pulsusve contractione exacerbari observatur, cum urinis tamen colorationibus, ob calorem in jecore adauctum, & crassioribus ob cruditates ab hypochondriis ad jecur & venas delatas; jecur enim præcalidum habuisse Virum Illustrissimum significabant quoque tum efflorescentiæ universales, tum frequens vividi sanguinis è nare dextera stilla, & idcircò facilius hypochondriorum calor intensior fuit redditus, qui nunquam cessat tum recentes humidas cruditates, tum antiquas jam exsiccatas in halitus levare atque convertere, à quibus compresso diaphragmate, respiratio ipsa læditur, eoque magis in decubitu, tam quia facilius ad septi compressionem concurrit, tum quia maxime in decubitu à flatuositatibus ipsis copiosis facilius comprimuntur vasa lævia, qua compressione spiritibus liber transitus impeditur, sicque difficilis, imo intolerabilis redditur decubitus ipse; neque hujus decumbendi difficultatis alia mihi causa suppetere potest, nisi forsan quantitas aliqua subtilioris materiæ catarrhalis à capite in pulmonum cavitates paulatim sese insinuasset, quod etiam sine tussi evenire potest, ut monebat Gal. dum scil. per parietes asperæ arteriæ non affatim & confertim, sed sensim ac sensim delapsa fuisset, quo modo frequenter pulmonum hydropes fieri solent: quæ tamen causa si adesset, Præclariss. Virorum notitiam subterfugere non potuisset.

His igitur ita se habentibus non est qui non videat pro salute Comitis Illustrissimi necessarium esse ut cruditates evacuentur, obstructiones reserentur, & hypochondriorum atque jecoris fervor contemperetur, dum interim flatuum discussio non est negligenda, sed capitis destillatio tantummodo consideranda, & aliquo modo divertenda, alioquin vel in Hydropem siccam, vel in Cachexiam labi posset status Comitis Illustrissimi, ut omittam repentinæ suffocationis periculum.

Idcircò omnia agenda, ut Vir Illustrissimus pristinam sanitatem recuperet; in quem finem rursus primæ viæ à recentibus cruditatibus sunt expediendæ manna clarificata, sero copioso superepoto. Mox ad validiora Aperientia deveniendum, quæ prohibere non potest febricula, imo indicare: paranda itaque decoctio aperiens horis matutinis exhibenda, Parcant autem mihi Præstantissimi Viri, si descriptionem

nem subdam, ut Pat. Illustrissimo morem geram, quæ tamen descriptio ab iisdem Viris Adstantibus alterabitur, prout melius iis visum fuerit.

℞. Salsæ paril. electæ, Chinæ opt. an. ℥ß. Radic. althææ ℥j. Aqu. stillat. lat. cichor. malv. agrim. an. ℔j. M. F. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem pulli junioris, & bull. ad consumpt. dimidii, deinde fiat colat. pro duab. vicib. matutino tempore exhibenda in qua dissolvantur gr. x. salis tart. fixi, & tertio quoque die parum ante prandium præbeatur cassia, aut elect. lenit. ad ℥ iij. Altero vero die injiciatur clyster ex lact. cum syr. rof. solutivo, adeo ut quotidie & obstructionum apertio, & humorum evacuatio procuretur, sed blandioribus jam dictis remediis, cum præcipuorum malorum minera in distantibus partibus non sit quærenda. Quod si forsan dubitari posset de melancholici humoris subministratione a toto, ideo progressu aperiri poterit Jecoraria dextra, Medico præsente, ad explorandum potius, quam educendum sanguinem, nisi forsan niger & crassus appareret, tunc enim ad aliquot unc. educi posset ad sanguinem ipsum depurandum jecorisque calorem contemperandum, memores quod Gal. etiam in quartana intermittente venam aperiri jubet sanguinemque educi, si niger fuerit, non ratione causæ conjunctæ febrem facientis, sed ratione causæ antecedentis, ne scil. à toto venoso genere melancholica minera foveatur, & materia suppeditetur.

His caute administratis, & obstructionibus magna ex parte reclusis, libenter devenirem ad usum aquæ Nocerianæ, primis quatuor aut quinque diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis vero cum diuretico, quale esse posset spiritus tart. ter rectif. ad semidrachmam in primis cyathis: sicut pro vehiculo dejectorio potio ex manna clarif. ut minus insuavis; quo bene cedente remedio Comitem Illustrissimum ducerem ad usum lactis asinini, ut quod residuum exsiccatæ materiæ emollire, hypochondriorum æstum & jecoris fervorem contemperare, totum nutrire, neque caput tentare valeat; & dum jam dicta omnia fiunt, totum abdomen humectantibus & laxantibus illinire non parum proderit, victus rationem addendo cum intentionibus nostris proportionem habentem: quæ optatum finem habitura spero sub Præstantissimorum Virorum accuratissima assistentia & infallibili judicio, quibus ideo omnia & alteranda & immutanda libenter relinquo. *Idem ibidem.*

Plures febres Chronicæ.

Febris qua Illustrissima Mulier decem abhinc mensibus per intervalla divexatur, longa quidem atque chronica in genere dicenda est, in specie autem erratica, si totum tempus à quo febricitat, consideretur, Verum si in particularia intervalla ingruentis febris examinentur, plures febres, non unica tantum censendæ erunt: si quidem erraticæ febris natura est, errando suis accessionibus perseverare, sed febres istæ aliquot diebus intermittunt, rursus repetunt, quatuor aut quinque dierum spatio recedunt, aliquot post dies denuo invadunt, qui procedendi mos me ad credendum inducit, quod sicut febres hujusmodi causam unam stabilem habeant à qua foveantur, ita altera iisdem per intervalla paretur & addatur, per quam excitari possint. Igitur ego judico obstructiones reperiri in aliquo viscerum naturalium, hasque contumaces, quæ à recentis sive imminutis Mensibus sanguinis impuritatem arguentibus, foveantur & conserventur; non tamen ab his febrem hanc excitari credo, quoniam sicut firmatæ manent obstructiones ipsæ, continuæ quoque insurgerent febres, & aut tertianæ, aut quotidianæ, aut quartanæ naturam retinentes perseverarent; verum per intervalla repetunt, dum alia superadditur causa, quam in visceribus potius naturalibus, quam spiritalibus exoriri arbitror, forsan & facile ex incongrua victus ratione, genitis nimirum cruditatibus, vel ex prava ciborum qualitate, necnon à ventriculi imbecillitate in adeo diuturno morbo contracta, & a catarrhali destillatione valde adaucta, quæ cruditates antiquis obstructionibus superadditæ, utpote obstructionibus ipsis humidiores existentes, & idcirco ad putredinem paratiores, calore præter naturam afficiuntur, & febriculas excitant cum aliquo horrore, quia jam reperiuntur circa viscera naturalia, nimirum circa partes sentientes, quarum naturæ & conditioni conveniunt & competunt pulsus non valde frequentes, urinæ crudæ & albicantes, moderataque sitis cum calore remisso; his autem cruditatibus tribus aut quatuor diebus consumptis, consumitur & ipsa febris, donec aliæ cruditates cumulentur, ut febris iterum quatuor aut quinque dierum excitetur. Non autem adeo facile accenditur febris ex catarrho in pulmonibus corrupto & putrefacto, sicut excitata non adeo facile cederet: præterquam quod Senibus potius, vel Juvenibus hæmoptoicis familiaris esse solet; & ita tres omnes causas diuturnarum febrium à Galeno cum *Hipp. 3. Prognost.* 23. propositas, ad hanc quoque febrem constituendam concurrere existimo, nimirum partem curatu difficilem, humores crassos, viscidos & lentos, evacuationi resistentes, & errorem aliquem in victu.

Ita de præsenti febre decerno; & idcircò Curationem à Viro Excellentissimo propositam, quæ præsertim ad obstructiones aperiendas, ad sanguinem depurandum & ad Menstrua consueta revocanda dirigitur, profuturam spero, cui & ego libenter subscribo, sanguinem ex venis superioribus opportuno tempore educendo, atque tandem, sed tarde ex pede, peracta nimirum expurgatione & vasorum reseratione; iteratam enim sanguinis missionem, sicut permittit calidum & humidum temperamentum, ita non reclamare ignotam ætatem suppono. Cauterium suspendo, præsertim si viridis fuerit ætas, verum Excellent. Viro adstanti & copiam majorem, vel minorem destillationis ad pectus delabentis observanti, illud ipsum remitto.

Quoniam vero in adeo diuturno morbo jam primas vias satis expiatas suppono, ideo ad obstructiones aperiendas statim descendendum esse existimo, quæ si quodammodo exsiccatæ censeantur, prius humectatione præparandæ, præbendo per 15. dies alternatim cassiam ad ℥ij. aut iij. cum uno scrupulo rhabarb. opt. quatuor horis ante cibum, cui post horam superbibat

jus

jus malvæ, borag. & cortice citri alteratum; diebus vero intermediis hauriat jus malvæ, borag. endiv. alteratum, in quo dissolvatur semidracnma salis prunellæ. Quindecim vero transactis diebus ad usum syrupi Ferneliani à Viro Excellentissimo propositi, tuto deveniri poterit, secundum nostram descriptionem cum rhab. parati, quem assumet 10. aut 12. vicibus, alternis diebus ad ℥ij. in jure endivia, & borag. alterato, diebus autem intermediis præberi poterit jus alteratum radice cichorii, petroselini, foliis borag. endiv. capill. Veneris, agrim. omittendo penthaphyllum, deficientibus Menstruis valde noxium, in quo dissolvantur grana x. tart. vitr. aut gutt. XII. spiritus tart. rectif. Quod si fortasse jura alterata respuat Illustrissima Pat. præbeatur cyathus aq. stillat. agrim. & capill. Veneris, iisdem addendo spir. tart. rectif. guttulas.

His peractis febrem jam recessisse, viscerum naturalium obstructiones satis ablatas, satque bene massam sanguineam depuratam fore sperandum, adeo ut ad uteri vasa aperienda devenire possimus hysterico potius, quam diaphoretico aliquo medicamento. Propterea in aqua artemisiæ, capill. Veneris & agrim. stillatitia infundi poterit lignum sassafras ad ℥ß. pro duabus vicibus, quotidie summo mane exhibendo hujusmodi decoctionis ℥ VII. quibus affundi poterit oleum sabinæ ad gutt. iij. in cujus defectu substituatur uncia una aut altera aquæ ejusdem sabinæ; erit enim validum hystericum Aperiens. Quo eodem tempore extrinsecus quoque spongia magna bis in die utero erit apponenda, decoctione aperiente hysterica madefacta & expressa, quæ parari poterit ex radice lib. alb. cyclamini, foliis origani, pulegii, calamenthi montani, mercurialis, leuchoii, sabinæ, addito quoque calamo aromatico, imo & cyatho vini albi generosi ad faciliorem fotus penetrationem: remota vero spongia, tota regio uteri abunde illiniatur oleo lil. alb. cum aromatibus.

Et his omnibus congrua addatur victus ratio, sine qua nihil; suspicor enim Illustrissimæ Pat. ventriculum magis apperere, quam concoquere posit, & juges cruditates febrium mineris subministrare: nec enim nos latet quam difficilis sit in morbis diuturnis continentia. De hac igitur sit valdè solicitus, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem Excellentissimus Adstans, ut Illustrissima M. optatam sanitatem quamprimum consequi posit, quam eidem, servatis jam dictis servandis, polliceri possum. *Idem ibidem.*

Recidiva Febris.

Illustrissimus Comes duodecima Aprilis de more annuam exercuit corporis expurgationem, duobus assumptis medicamentis, sex interpositis syrupis, & unica desumpta sanguinis evacuatione ex basilica hirudinum ope; phlebotomiam etenim absque vitæ discrimine admittere non potest. In quorum usu observavi (sicuti & alias) excrementa prodiisse serosa ut plurimum, crassa & viscida pro aliqua parte, ultimo tandem biliosa, calida valde, ut igneam præ se ferrent conditionem. Post actos hos expurgationis dies, cum ulteriorem non admitteret Illustrissimus Vir corporis mundationem, in usu tamen refrigerantium & humectantium interne & externe exhibitorum, non parvo tempore perseveravit, in Autumnum ob negotiorum seriem differens ulteriorem corporis expiationem. Interim Venetias se confert: ibi die noctuque animo & corpore negotiis deditus, assiduo Marte versatur. Somnum vix capescit; Victum ex oleribus familiarem, necnon ostreaceis sibi comparat. Gelidum mox vinum, & quidem generosum, nunc aquam pro potu admittit. Tandem rediturus in Patriam, noctes sub dio auræ maritimæ expositus insomnis transigit, domumque reversus, binas repletiones ex necessitate in conviviis sibi adjungit; à quarum ultima, febre superveniente, lecto decumbere Illustrissimus Comes fuit coactus. Febris erat de genere tertianarum spuriarum, sat lenta, per subingressum continua: Pro cujus cura cum bis unciam cremor. tart. sumpsisset, & salvatella dextera adaperta fuisset, copiose expurgatus, liber evasit. Ast vix è lecto Illustrissimus Patiens prodiit, denuo se gravibus negotiis mente & corpore objicit, hinc paucos post dies inappetentia, lassitudo, & demum febris ex recidiva supervenit. Hujus febris diem assignare adeo exacte ego non auderem, cum non statim Illustriss. Pat. decubuerit; puto tamen diem Veneris quæ fuit 29. mensis elapsi, febri exordium dedisse, cujus norma erat de genere duplicium tertianarum spuriarum, protensarum, & per subingressum saltem continuarum, invadens hora quarta post meridiem cum extremorum refrigeratione, pauco capitis dolore, interno calore parum molesto, corporis aliqua jactatione & potus appetentia, necnon genarum per morbi decursum rubore. Hanc ego die lunæ sumpsi curandam, & quidem cum omnia medicamenta hucusque dulcia respuerit, syrupum ros. solut. aur. ebibit, cui lubenter adjecissem serum capr. depurat. nisi experientia doctus fuissem, facile illi vomitum ex quocunque liquore superbibito contingere. Ab haustu bona successit evacuatio & copiosa, serosorum, pituitosorum, necnon ultimo biliosorum succorum; illi quidem à stomacho & capite catarrho obnoxio, & continua destillatione ventriculum vexante; isti ab hepate calido ac magis accenso ab obstructionibus, quas frigidi & crassi, vias intercipientes, illi peperere humores. (Ex tactu enim non solum obstructio in parte gibba, verum & dolor aliquis emicat) Et quia vesperi dejiciendi aliqua cupiditas Illustrissimum Pat. infestabat, levi clystere intromisso, denuo calidarum & exurentium materierum aperuit exitus, flavi coloris partim, sed magis æruginosi. Nox fuit illi molesta, inquieta, somni turbati, sed his præbuit manum & alia causa externa. Mane sitiebat, fauces aridæ, tales etiam ob angustiam in naso obortam. Capitis dolor, pulsus celeriores, urina colorata, crassiusculæ substantiæ cum nube divulsa, crassa, atomis crassiusculis circumfusa. Quibus in considerationem habitis, ne febris essentialis continua & mali moris tandem evaderet, jussi sanguinem ex salvatella dextera educi, blando præmisso clystere: Basilicam enim tundere ob convulsivos motus in quos dilabitur, ei plane formidolosum accidit. Sequens accesio invasit hora consueta,

sueta, quarta nempe à meridie, cum eadem extremorum frigiditate per tres horas durante: Noctu moderate quievit & dormivit, ita ut mane omnia remissa invenirem. Sed nova accessio hora consueta die Mercurii invasit: noxque fuit sat laboriosa, non tamen ut nudius tertius, namque dormivit, sed cum insomniis & aliqua corporis jactatione. Mane die Jovis quæ apud me erat sexta, præbui bolum ex cass. cum crem. tart. difficillima industria illi exhibitum, & duas post horas seri capr. depur. lib. ij. & quamvis paulo post majorem seri partem evomuisset, nihilominus subsecuta fuit bona evacuatio, heterogeneorum, crudorum, pituitosorum, & tandem æruginosorum humorum. Febris accessio ea die postposuit plus hora, invadens cum majori extremorum frigiditate, quæ etiam plus consueto protrahebatur, forsitan quia non se cooperiebat: ex qua cum calor tarde exuscitari videretur, non solum leves frictiones, sed & unctionem Aëtii in usum duxi, à qua rediit æqualis calor, & nocte, si non perfecte, saltem competenter se gessit, cum pauco sudore mane oborto, sed non universali. Accessio quæ supervenit de more die Veneris, fuit paulum laboriosior. Die Sabbati itaque quia hæmorrhoides intumescebant, præmisso simplicissimo clystere ex lacte, ex quo vitellinæ bilis non parva copia prodiit, sanguis ab illis eductus est, ex quo visus est calor febrilis, & color faciei tantisper refractus. Verum accessio ea die, tertia post meridiem invasit: noxque fuit sat molesta, fauces que exsiccatæ. Mane injecto simplici clystere, magna vitellinæ bilis copia exivit, in vase ebulliens & spumea. Eadem die quæ fuit Dominica, accessio anticipavit hora una, fuitque mitis, nox quieta, & mane omnia meliora, nam vitellinæ bilis copiam ex haustu seri capr. depur. dejecit. tam acris & calidæ conditionis, ut ignem ex corpore effluere exclamaret. Die Lunæ quæ fuit nuperrima dies, & forsan undecima, accessio invasit ut alias: nox magis molesta: hinc mane pulsus celerior, & cætera magis Illustriss. Patientem affligentia, in qua ex sero capr. depur. epoto magna exivit vitellinæ copia, & adhuc magis calens, ita ut ex lacte clysterem imponere ad humoris effrænandam mordacitatem & calorem fuerit opus. Hoc igitur mane viscera pertracto, nullamque labem, nisi in jecoris gibba reperio, obstructionesque & succos ex primis viis depulsos esse. non solum tactus, sed biliosi excrementi conditio mihi fidem facere videntur. Fomitem duplicis hujus tertianæ in unico hepate statuerem: vitellinam autem bilem, non solum per assationem bilis flavæ, verum & pro parte per misturam frigidorum & crassorum succorum, tanquam causam agnoscerem. Urinam quoad substantiam, mediocrem invenio, vel saltem mediocri assimilem, nubecula crassa, divulsa, coloris citrini, excellentis, & corpusculis sive atomis à succis crassis emanantibus circumfusam. Pulsus non multum unquam fuere celeres; frequentes, frequentia se tenente ex parte diastoles, & parum duriores. Hucusque Illustrissime & Excellentissime Domine, morbi hujus progressu devenimus, cujus ideam ea qua potui diligentia & pro temporis angustia descripsi, & quidem aliqua fusius recensere potuissem, quæ tamen præterivi. Sunt etenim hæc & alia Sapientiæ tuæ præ foribus, cum ex ungue Leonem tibi inter multos noscere Dii concesserint. Quid autem posthac sit agendum, à tua, Vir Illustrissime, eximia Virtute expectabo. Interim ego aperientia, non tamen calida & humectantia quam maxime, ut feci, in usum ducam; evacuationesque cum tam copiosæ ex solo injecto clystere appareant, vix de simplici medicamento cogitabo: Vires conservabo, hepatisque regionem exterius etiam fovebo. Quibus si accesserint tua prudentissima monita, quorum præstantiam, tum Vir Illustriss. tum ego tanti facimus, sperabo, temporis ductu eundem sanitati restitui posse.

Quoniam à peractis Purgationibus, viscera naturalia nonnihil labefactari necesse est, ideo ut refractas vires à medicamentis resumant, diligenti custodia opus habent, ne nimirum aut nimium cibis onerentur, neve calor naturalis ventriculi, præsertim addito alio errore minuatur; alioquin excrementa facile rursus multiplicantur, & sæpe multo majora & deteriora reproducuntur, quæ nisi à natura, aut vomitu, aut diarrhœa expellantur, obstructiones in visceribus, aut non solum fervefacta, sed fermentata, febres accendunt; quod quidem Comiti Illustrissimo contigit, dum statim ab exacta purgatione Venetias se contulit; errata in victus ratione commisit, excrementa cumulavit, quorum quantitas, donum reverso, à repetitis repletionibus adaucta fuit, & inde pravus uterque successit effectus, non parum animi pathematibus adminiculantibus: Obstructionibus enim jecur refertum est, à quibus impedita ventilatione calor naturalis fervefieri & in igneam naturam converti cœpit, unde febris, quæ Medicis auxiliis opportune administratis extincta & superata fuit. Verum quia quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere solent; ideo cum adhuc in hepate stagnantes humores, licet non fermentati, nec putrefacti, relicti fuerint, rursus à novis reproductis cruditatibus, iisdem additis & calorem p. n. adeptis, nova quoque febris germinavit, & priori deterior: adeò ut cum Avicenna recidiva pejor sua radice successerit; duplex tertiana nimirum spuria à bile vitellina copiosa, ex bilis flavæ & cruditatum mistione exorta, & in jecoris vasis sedem habente; quæ nisi rite & recte à Medica manu tractata fuisset, non solum per subingressum, sed essentialiter continua reddita esset: nec mirum ab illo æstu in viscere existente & corporis jactationes, & bibendi desiderium, & faciei ruborem, & vigilias primò enatas fuisse: sunt enim symptomata hujusmodi febri propria.

Hoc die Sabbati 13. currentis ingreditur febris diem decimum sextum, quæ cum ex relatione mitior visa fuerit undecima die, optatus eventus sperari potest, nisi aliqua inquinati sanguinis portio è vasis in parenchyma jecoris hucusque effusa sit, adeo ut aliqua lateat in jecore spuria inflammatio, cujus dubitandi ansam nobis præbuerant extremarum partium diuturna perfrigeratio, sive saltem tepor, genarum rubor, excrementorum biliosorum copia cum urinarum crassitie. quæ nonnisi à corrupto sanguine ex nimio fervore procedit; atque tandem ipsius visceris dolorosa tensio, quæ

utinam

utinam intra limites tantum obstructionum sese contineat: hanc tamen excitatam non fuisse, considere possumus, ob repetitam sanguinis extractionem aliaque Medica præsidia opportune administrata.

Et ideo in calorem contemperantibus, simulque obstructiones aperientibus insistendum, quousque febris adhuc mitior fiat & ad chronicam vergat: tunc enim magis attenuantia, incidentia & aperientia in usum duci poterunt.

Quibus ut satisfaciamus, pauca mihi proponenda restant, siquidem majora remedia ab initio administrata fuere, juxta Hippocr. monitum, In principiis morborum, si quid videtur movendum, move; ideo sanguinis missionem iterandam proponere absens non audeo, quæ tamen conveniens non esset sine inflammationis præsentia. Jecori epithema ex succo cichor. cum succo limon. addita quoque exigua aceti ros. portione, tepidum appositum prodesse poterit: sicut etiam illinitiones unguent. ros. Mes. succo cichorei condensato misto, ut reformari possit.

Per os quotidie flos cass. ad ℥iij. exhiberi poterit, cui superbibat, hora transacta seri capr. destill. lib. j. idque tribus horis ante prandium. Pro alterante, in vigore febris exhibendo, succo cich. depur. & per arenam trajecto, erit utendum ad ℥iij. in decoct. cichorac. addita quoque uncia succi lim. vel offeratur aq. stillat. de succo cich. cum succo lim. vel ℈ß. Salis prunellæ; sicque erit procedendum, evacuando & alterando, donec inflammationis suspicio omnino evanuerit. Tunc enim unguentum ros. Mes. usurpari poterit, exiguo ol. de absinth. & portio succi absinth. epithemati erit addenda. Cassiæ vero gr. v. aut vj. tartari vitriol. erunt commiscenda; sicut succo quoque cichor. ad gr. x. cum jul. p. acet. & reliqua dulcia abhorreat. Aquæ vero stillat. pro alterante, esse poterunt de succo cichor. & de succo agrim. addito pariter tartaro vitriolato. Atque tandem contumacioribus se præbentibus obstructionibus, ad usum rhabarb. esset deveniendum, primò in substantia, vel cassiæ mistum, vel comansum, superpræbendo serum destill. post horam, ad concavam jecoris expiandam; sicut progressu in aqua cichor. & agrim. infusum, ut ad gibbam quoque aperiendam pervadat.

Hisque omnibus congrua pro tempore erit addenda victus ratio, à Peritissimo Viro præscribenda, cujus Judicio reliqua quoque jam dicta administranda remitto, pro salute Illustrissimi Comitis, quam eidem à Deo Opt. Max. enixe precor. *Idem ibidem.*

Hectica febris, cum catarrhali destillatione.

Tres abierunt anni postquam Vir iste Illustrissimus quibusdam tempestatibus tussi infestatur, quæ sicca fuit, nullo vel admodum exiguo sputo insequente: inde humidior facta est, cum sputo tamen admodum tenui. At proxima Æstate non solum sputum aliquod sanguinis tussim secutum est, sed semel & iterum copiosa floridi & spumosi sanguinis excretio, ad quinq; vel sex uncias qualibet vice, à qua pluribus transactis diebus, tandem, serò tamen ad Medica præsidia confugit, quæ sanguinis sputa omnino suppressere. Modo tribus abhinc mensibus crassiora sputa cum tussi ejicit, & aliquando etiam livida & putrida. Corpus multo gracilius evasit, continuaque febre detinetur, licet ab ipso Pat. non sentiatur, nisi quod à cibo manifeste incalescit, & vesperi febris cum frigore aperte invadit, cui nocte postea non modicus calor succedit, præsertim in partibus spiritalibus, cum insigni rubore faciei. Quamobrem de his malis sententiam tuam Vir, Sapientissime, Patiens Illustriss. enixe exposcit.

Præceps & perennis pituitosæ materiæ à capite destillatio in partes tum spiritales, tum naturales, quæ Illustrissimum Virum angit, non alio quam catarrhi nomine cum Gal. appellari potest, symptoma vere in excretis immodice fluentibus, cujus essentia in motu consistit. Quoniam vero ad quemlibet motum quinque concurrere solent, Motor scil. Mobile, Terminus à quo, Terminus ad quem, & spatium per quod, in nostro casu Motor dici potest retentrix capitis facultas à copiosa humida materia imbecillior facta, genita ab intemperie capitis insigniter humida, & per consequens destillationibus maxime obnoxii. Ab hac igitur intemperie Mobile producitur, nempe materia pituitosa tenuis, quæ à capite tanquam à termino à quo, per asperam arteriam & œsophagum, ut per spatium, in pulmones & stomachum, & inde in mesenterium tanquam ad terminum ad quem, copiose descendit. Partes igitur istæ quas diximus esse terminum ad quem hujus motus, sunt partes affectæ, materia namque ista in pulmones recepta, ut objectum noxium, expultricem irritat ad sui expulsionem; frustra tamen ob materiæ ejusdem tenuitatem, aëris impulsum effugientis, quæ ideo in pulmonum substantiam sese insinuans, ibique diu immorans, ab eorundem calore salsefacta, aliquam ex illis venulis corrosit, unde excretio illa & copiosa, & repetita sanguinis secuta est, non quidem per Anastomosin, nam Patientis habitus plethoricus non est; non per Diapedesin, quia excretio adeo copiosa non fuisset, sed per Diæresin, ut dictum est, eroso scil. à materia jam dicta pulmonum vasculo, quod postea callo obducto, coaluit iterum unde nullus postea sanguis apparuit.

At ab ista putrida materia in pulmonibus inhærente vapores in cor elevantur, quod dum eosdem repellere conatur, celerius & frequentius movetur: cumque omnis motus sit causa caloris, calidam & siccam intemperiem cor idem acquisivisse censeo, ejusdemque substantiam esse modo in calefacto esse, sicque toti corpori communicato calore; jam fixam & habitualem febrem constitutam esse, quam cum hactenus non roridas solum humiditates, sed adiposam & carnosam substantiam absumpserit, ad finem secundi gradus jam pervenisse credendum; quæ omnia facile confirmari possunt à prava corporis conformatione, pectoris scil. angustia, collo oblongo, & prominentibus scapulis, & à juvenili ætate, cujus hujusmodi mala ex Hippocr. propria sunt: præterquam quod febrire continuo, nec febrem percipere, & calor à cibo, sunt hecticæ febris pathognomonica signa.

Alia vero ejusdem materiæ portio in ventriculum, & inde in mesaraicas venas delapsa obstructiones facit, quas prohibita transpiratio, & hanc postea calor extraneus necessario consequitur, sicque febricula illa catarrhalis, quæ vesperi manifeste invadit; adeo ut febri hecticæ putrida quoque adjungatur.

Ut horum malorum Curatio instituatur, ex dictis necessariæ sunt eliciendæ indicationes, quæ duplicis generis erunt, Curativæ pro febre hectica, Curativæ & Præservativæ pro putrida. Primis satisfaciendum erit medicamentis refrigerantibus & humectantibus substantificis; secundis, refrigerantibus quidem & humectantibus, sed etiam moderate attenuantibus & incidentibus: hoc tamen ordine, ut prius febri putridæ occurramus, & catarrhali destillationi tanquam causis sine quibus non, & postea fixam ipsam febrem curare tentemus.

Intentiones quidem maximæ utilitatis, sed quæ fortasse adimpleri non poterunt, dicente ipso Galeno quod caliditatem hujusmodi cum siccitate conjunctam tollere impossibile est; & eo magis quod à sanguinis sputo Phthisis ait Hippocr. quod clarius etiam expressit Gal. his verbis, Cum vas in pulmone ruptum est, nisi statim glutinatum sit, antequam plegmon excitetur, scire aperte licet, id postea insanabile fore. Sed in hoc casu sero medicamenta adhibita sunt, ergo, &c. Difficultatem præterea auget virium debilitas, & ipsarum indicationum repugnantia. Attamen ne solo Prognostico Patiens Illustrissimus relinquatur, cum præsertim omnia acturus sit quæ Medici imperaverint, aliqua sunt proponenda, quorum ope diutius saltem vita protrahatur.

In Chirurgico igitur fonte, nisi prostratæ adeo essent vires, & totum corpus macie confectum, aliquam sanguinis portionem ex Salvatella juberem, ratione phlogosis aut inflammationis quæ circa corrosum vas in pectore supponitur, & ratione etiam putridæ febris; quia tamen ex dictis prohibetur, omitti potest. Cauterium vero in altero brachio infigatur, ad revellendam & divertendam materiam quæ in pulmones cadit, quæ quoniam præceps quoque labitur, opportunissimum esset Ceratum suturæ coronali applicitum, quod tamen Sinapismo omnino similis non sit, ratione caliditatis capitis, sed compositum potius ex rosis, myrto, santalis, mastiche, tragacantho, thure, betonica, & similibus. Lotiones etiam crurum in aqua dulci tepida convenient, ad diversionem vaporum qui in caput ex infernis partibus ascendentes destillationem fovent.

In Pharmacia, expiandæ prius primæ viæ modica cassia & modico agarici trochiscati. Humores præparandi syrupo de farfara, julapio acet. & syr. de hyssopo; repetito postea eodem medicamento, cum validiora & calor, & macies, & vires nullo modo permittant. Facta hac levi primarum viarum expurgatione, quæ sufficiens fuerit, cum antehac aliquod semper medicamentum subinde Patiens assumpserit, quod corpus purum servaverit, Decoctum Chinæ, santal. & exigui lentisci, cum beton. farfara, cichor. hyssopo in jure pulli, tentarem per 20. aut 25. dies, & amplius etiam, si opus fuerit. Quod si interea tussis urgeret, & somnum noctu impediret, necessarium erit uti pilula aliqua Cynoglossæ, aut Ladani Nepenth. quæ non solum somnum conciliare valeat, sed destillationem etiam in pulmones intercipere. Nec interim materia jam in pectore hærens negligenda erit, sed sæpe Lambitivo utendum parato ex oxymel. simpl. syrup. de farfara, de liquir. de hyssopo, pulvere Ireos & rad. enulæ. Suffumigium ex myrrha per os attractum, non exigui juvamenti esset, prout in Patientis quoque cubiculo alterum parari posset ex aqua rosac. myrrha, santalis, rosis, thure.

Hoc tempore, si cessasset destillatio, & putrida febris sanata esset, opportunus foret lactis usus, quod omnium maxime in hisce casibus Galeno placuit, cum ex eodem lac frigidum & humidum sit, facillimæ concoctionis, optimi nutrimenti, & substantificas humiditates mirifice reparet. Prius itaque eligatur lac humanum, & assumatur ad ℥ iij. vel iv. donec appareat, num toleretur à stomacho, cui postea succedat asininum majori etiam quantitate.

Antequam tamen lac assumatur, Balneum aquæ dulcis ab ipso Gal. summopere probatur. vel saltem universalis inunctio oleo amygdalino & violaceo.

His addendus exactissimus vivendi modus. Aër itaque cubiculi temperatus servetur. Quies convenit, non vero exercitium. Alvus lubrica semper sit, vel humidis alimentis, vel etiam aliquando drachmis aliquot cassiæ recentis. Somnus diurnus læderet potius, nisi nocturnum suppleat. Cibi sint refrigerantes & humectantes. Vinum sit tenue, album, dulce; & cœna parcissima. Post cibum utatur aliquo astringenti, ut saccharo ros. & alacriter vivat. *Idem ibidem.*

Febris Perneliana.

Illustrissimus Comes temperamenti calidi & humidi, cum subdominio bilioso & melancholico, olim mediocriter carnosus, ætatis annorum quinquaginta quatuor, cui caput negotiosum, non sine notis hypochondriacæ affectionis, pro quibus multoties Veris tempore, purgato corpore, acidulas Sancti Mauritii sumpsit. Modo hoc Autumnali tempore fructibus horariis summopere delectatus, ac etiam in aliis sex rebus non naturalibus non leviter errans, septem abhinc septimanis febre continua conflictatur, licet singulis diebus cum proportione de tertia in tertiam fiat exacerbatio, cum levi & obscura extremorum refrigeratione. Primis duabus septimanis, vehemens atque adeò acutus capitis dolor torsit Illustriss. Patientem, ut de Apostemate in capite latente sæpe ac sæpius dubitatum fuerit. De ingenti hypochondriorum æstu & tensione, præcipuè dextri, etiam antiqua; de siti inexhausta, necnon de maxima ciborum abominatione ferè toto morbi decursu conquestus est. Tribus vicibus, singulis octo vel novem diebus in considerabilem lapsum facultatis vitalis incidit, ut pulsus vix perciperetur, & fere semper inconstans, & hoc cum intensa extremorum refrigeratione & somno satis profundo præter solitum molestante. Novem abhinc diebus dolore maximo circa hypochondrium dextrum prope hepatis regionem molestante, plurima & per superiora, & per inferiora dejecit, pituitæ crassæ substantiam, &

& bilis porraceæ & æruginosæ colorem præ se ferentia. Hodie Illustrissimus Comes pluribus abhinc diebus absque ullo capitis dolore vivit, necnon cum reliquorum symptomatum remissione, febrilis tamen caloris singulis diebus mutata hora percipiuntur leves adnotationes cum robore facultatum principum. Urget jam diu, & nunc totius corporis insignis extenuatio, cum maxima hypochondriorum & totius abdominis depressione, & cum colore nescio quid cachectici præ se ferente. Alvus rarissime sponte respondet, arte semper, ope nempe Clysterium: flore Casiæ parumper ante cibum in parva dosi sumpto. Urina primis septem Morbi diebus visa fuit quasi laudabilis, in substantia, colore & contentis; de cætero modo cruda, modo subviridis, modo tenuis, modo crassa, semper copiosa; nunc cum aliqua materia crassa, semper copiosa; nunc cum aliqua materia crassa in fundo matulæ existente. Pulsus observantur paulo validiores, magis æquales & constantes. Plurima tentata sunt medicamenta, evacuantia, alterantia à qualitate manifesta, & occulta pretiosiora, non neglectis roborantibus, derivantibus & revellentibus præsidiis: Multoties namque sanguis missus fuit ex hæmorrhoidibus, applicitis hirudinibus, & per Cucurbitulas scarificatas: imo etiam Vesicantia primis diebus coxis fuerunt applicita. Evacuatum fuit totum corpus per syrupum rosatum solutivum Magistralem variis vicibus & tempore congruo. Deinde per epicrasin cum syrupo de cichorio Nicoli cum rhabarbaro, cum flore Cassiæ & cremore tartari: imo etiam variis Clysteribus, cum lenitivo, lacte atque aliis. Inter Alterantia ex usu fuerunt destillata Magistralia cum sero lactis, serum ipsum copiosum, cum syrupo acetoso simplici, Emulsiones seminum frigidorum; aqua Noceriana, hordei; Jus parvæ pullæ alteratum Cichoraceis & aperientibus; succus cichorii depuratus, cremor tartari. In praxi etiam posita fuit inunctio totius corporis cum oleo amygdalino & violato, non sine illinitione etiam cordis regioni, cordialibus appropriatis. Balneum universale aquæ fluvialis tepidæ, alteratæ refrigerantibus & humectantibus, cum lacte quatuor vicibus; ultimo lac ipsum Asininum sumptum secundum leges Medicas. Perdurante igitur febre supra descripta, cum siti adhuc molesta & totius corporis insigni extenuatione, petit Illustrissimus Comes à singulari tua humanitate & ab eximio Virtutis tuæ candore responsum: Primò An usus lactis Asinini aliquo temporis spatio adhibitus possit proficere, una cum Balneo. Secundò An cortex Chinæ, vel quædam alia Medicina febrifuga passim apud Authores descripta, possit esse salutaris. Tertiò An purgatio per epicrasin, vel cum Cassia, aut lenitivo cum portione rhabarbari vel syrupo de pomis Regis Sabor, vel syrupo cachectico Fernelii, vel alio consimili Morbum possit extirpare. Ultimò An quid peculiare pretiosum ex arcanorum tuorum thesauro depromere valeas atque digneris, quod falcem ad radicem mittat, pro omnimoda istius morbi profligatione.

Si Galeno difficile visum fuit, Ægris absentibus consilium dare, difficillimum utique id mihi videtur in Febricitantibus: ut propterea raro & ægre pro istis scribere consueverim. Nihilominus quoniam statum Comitis Illustrissimi à Doctissimo Medico Adstante adeo exacte delineatum video, ut tactu excepto sub sensus cadere videatur; idcircò quid sentiam, describere, & Viris Excellentissimis considerandum proponere non recusabo.

Febris itaque quæ Comitem Illustrissimum primò invasit, sicut biliosa spuria, cum subdominio pituitosi & melancholici humoris statuenda fuit, ita semper aliquo maligno characterismo comitatam fuisse credendum, accidentali & symptomatico saltem, si non essentiali, cum cerebrum ab initio vehementer doloribus infestaverit, progressu vero cum vitalium virium lapsu cor occupaverit, & tandem cum hypochondri dextri dolore, & forsan duritie, hepar obsederit: quas quidem febres cum hypochondriorum dolore, malignas appellabat Hippocrates. At cum jam quadragesima dies hujus febris præterierit, conditionem mutasse non est quod dubitemus, sedemque propriam in hypochondriis sibi firmasse, & præsertim ut ego judico, in hepate, adeo ut in febrem Fernelianam degeneraverit. Hujus autem affecti visceris indicia non desunt, nempe prægressa vivendi ratio: longi temporis hypochondriaca affectio: dolor mox superveniens in eadem parte: cibi fastidium: sitis perseverans: & quod magis est, imminuta non solum, sed depravata quoque totius corporis nutritio, macies videlicet etiam præter rationem insignis cum fœdo totius cachectico colore. Verum quoniam Febrem Fernelianam non unicam semper & eandem in visceribus naturalibus labem habere voluit ipse Fernelius, sed nonnunquam solas obstructiones in hepatis vasis: nonnunquam humores excrementitios in parencbymate ipso reperiri, substantiam ejusdem visceris labefactantes, & quodammodo corrumpentes, ut nobis insinuavit quoque Avicennas ante Fernelium: Propterea utra hujus visceris pars sit febris minera dubitari potest. Et quamvis hanc determinare, parum Curationem alterare aut mutare possit, non tamen idem de Prognostico asserendum: Medicæ namque intentiones in unum conspirant, in obstructionum scil. reserationem: peccantium humorum evacuationem: visceris roborationem, & universi corporis renutritionem, caloris febrilis semper habita ratione, de quo dicebat Galenus, refrigerandum esse quantum sufficit. Sed cum ab Excellentissimis Viris, tot tantisque remediis rite & recte administratis, adversus hanc febrem incassum hucusque pugnatum fuerit, ideo spem salutis in angusto positam esse video, cum etiam lethales affectus, hepar diutius, quàm cor & cerebrum, tolerare soleat: Non ideo tamen dura provincia deserenda est. Et licet Medicamentorum Sylva, ad jam propositas intentiones explendas, nobis offeratur consideranda, præcipua tamen fiducia in rhabarbari usu reponenda mihi videtur, ut quod aperiendi, educendi, & hepar ipsum roborandi facultatem obtineat; & propterea jure merito *Pater hepatis* à Medicorum Schola dictum fuit. Quoniam vero ad intimas & penitiores hepatis partes, ad substantiam scil. pervadere debet, ideo ejusdem infusio aptissima erit, quæ partes tenuiores ipsius

Rhabarbari magis penetrantes & aperientes in se continet: & ita parari posset

℞. Aquæ stillat. de succo cichor. de succo agrim. an. ℥ iij. Succi limon. ℥j. Rhabarb. maturi incisi & in petia alligati, ʒiß. M. F. inf. per horas 12. & colatura tertio quoque die præbeatur, cui si placeat, sacchari semicochlear, ad gustum Illustrissimi Patientis, immisceri poterit. Intermediis vero diebus aliquod validum Aperiens, non tamen valde calefaciens, licet exsiccans, adversus putrilaginem erit offerendum; nec efficacius, nec aptius excogitare valeo, spiritu tartari alchalizato ad 12. vel 15. guttulas in iisdem aquis exhibendo. Et interim ad uberiorem humorum evacuationem, si opus fuerit, semel in hebdomada syrupum Fernelianum, secundum descriptionem nostram ad ℥ iij. cum sero destillato exhiberem: etenim humorum eductionem per vias urinarias, forsan ab infusione Rhabarbari inceptam, divertere minime poterit. Et si fortasse calor febrilis urgeat (quamvis magis causæ quam febri modo sit incumbendum) sola aqua cichorii infusio fieri poterit, & serum destillatum copiosius cum syrupo propinandum. Extrinsecus quoque Medicamenta hepatica, moderate calefacientia, discutientia & aperientia erunt apponenda, ut succi cichorii, eupatorii & absinthii simul mixti, quibus addi potest unguentum malvinum vel rosaceum, & cum cera fieri linimentum. Pro Alterante vero in accessionis vigore, succus cichorii depuratus, imo & per arenam trajectus ad ℥ij. vel iij. in jure Cichoraceis alterato, vel in aqua stillat. additis granis salis absinthii & tartari, opportunus fore mihi videtur. Quibus omnibus, si febris non cedat, tunc tutior esse posset pulvis Peruvianus, China Chinarum dictus, ut febrifugus & visceribus naturalibus amicus; moxque sedata, aut valde imminuta febre, lactis asinini usus locum habebit, cum non valde multum febricitantibus ab Hippocrate concedatur. Et dum jam dicta omnia administrantur, virium ratio præcipua habenda est, & virium ratio præcipua habenda est, & vinum album pauciferum, tenue & oligophorum facile concedendum. Pro potu vero consueto, aqua carnis stillat. herbis & radicibus aperientibus alterata parabitur; & lactis usum alia Edulia facilis coctionis, distributionis & optimæ nutritionis supplere debebunt: sicut Balneum inunctiones universales jam propositæ. Meliora & tutiora mihi absenti proponenda non suppetunt. Ita Summus Deus Illustrissimi Comitis meritis assistens omnia salutaria reddat. *Idem ibidem.*

Febris Ferneliana ab Hepate.

Illustrissima hæc Matrona sexagesimum circiter annum agens, temperamenti hepatis & totius calidi & humidi, habitus mediocriter carnosi & nonnihil obesi, colorisque ad album vergentis, à naturæ primordiis usque ad annum quinquagesimum sextum inculpata valetudine degit; quæ olim Viro nupta, fœcunda fuit, & multos feliciter peperit filios, semperque sat bene menstruata. Sed quoniam postremis annis ob laxatum peritonæum in inguine dextro vitam sedentariam ducere cœpit, non mutata vivendi libertate, alimenta crassi succi comedens, & vina crassiora bibens, additis etiam animi pathematibus, tribus abhinc annis conqueri cœpit de dolore in hypochondrio dextro ad ventriculi regionem sese extendente, à Patiente Illustrissima semper neglecto; & cum bis in anno gravissima Pleuritide correpta fuerit, fuit etiam nobis concessa abdominis exploratio, & tumor in hepate considerabilis observatus, ventriculi quoque situm occupans. A jam dictis acutis morbis evadens, nunquam tamen pristinum statum recuperare potuit: imo paucos post menses adeo copiosa narium hæmorrhagia supervenit, ut animi deliquium induxerit, quæ remediis multis administratis suppressa, virium tamen languorem per multos menses reliquit. Interim aliqua semper spirandi difficultate cum tussicula laboravit, quæ Autumno proxime præterito magnopere invaluit cum siti molesta quam extinguere conabatur pomorum atque pyrorum comestione; & quoniam existimabat Illustrissima Patiens dolores spirandi difficultatem inducentes à flatibus provenire, ideo vinis generosioribus in mensa utebatur. Vere autem proxime præterito pedum tumores œdematosi supervenire, tuncque ad Medicos confugere coacta fuit, & observata insigni tumore in hepate, non sine ventriculi quoque læsione, cum ad mucronatam usque cartilaginem tumor cum dolore sese extenderet, initum fuit consilium, & statutum symptomata omnia ab hepatis tumore pendere, & hydropem imminere, quo morbi genere affectis visceribus etiam ipsius Mater defuncta est. Quare infausto præmisso Prognostico, ad majora præsidia statim deveniendum esse decretum fuit. Ad hunc finem præscripta est illi statim potio Magistralis solutiva, inde Præparans ex julap. acet. cum crem. tartari, & modico aquæ cinnamomi. Interim missus est sanguis ex salvatella, in modica tamen quantitate, postea applicitæ sunt hirudines hæmorrhoidibus. Deinde expurgatum est denuo corpus eadem potione Magistrali, addita infus. rhabarb. & agarici. Post hanc corporis evacuationem, opportunum duximus præscribere illi syrupum cachecticum Fernelianum quem caperet alternis diebus, deinde Tettucianam aquam experiri mens erat, ut inde ad medicamentum aliquod ex chalybe confectum devenire possemus. Sed vix cœperat uti prædicto syrupo Ferneliano, dum morbus hic qui hucusque ex propria natura chronicus fuerat, repente fere in acutum mutatus est: nam febris quæ antea levis percipiebatur, magnum incrementum sumpsit cum ingenti extremorum calore; urinæ quæ antea potius tenues & aquosæ erant, valde flavæ & subrubræ crassæque substantiæ evadere cœperunt; sed quod majus facessebat negotium, respiratio adeo difficilis reddebatur, ut fere suffocari se crederet. Quare supradictorum remediorum usum intermittere coacti fuimus, cum non levis suspicio adesset, ne phlogosis aliqua in hepate superveniret. Cumque per decem aut duodecim dies tam gravibus conflictata esset symptomatis, postremis hisce diebus morbus paulatim ad consuetum statum rediit.

Matrona Illustrissima cum optimum ab ortu naturæ sortita fuerit totius & viscerum temperamentum, fœcundaque extiterit, & abundantibus Menstruis semper adjuta, quamvis errores in vivendi ratione, & præsertim in ciborum crassi succi

succi comestione, & vinorum promiscua potatione commiserit, attamen semper incolumem vitam duxit usque ad quinquagesimum sextum suæ ætatis annum. Verum quoniam terminato Menstruorum tempore & declinante ætate, vivendi modum mutare non animadvertit, hinc factum fuit quod vitiato sanguine, pleuriticis aliisque affectibus obnoxia reddita fuerit, & copiosa immodica narium hæmorrhagia successerit, atque tandem humiditates excrementitiæ redundantes corpus totum obesum reddiderint, & ab iisdem peritonæo laxato, Hernia intestinalis, Bubonocele dicta, excitata fuerit. Quoniam vero abyssus abyssum invocat, ob hanc ideo, cum vitæ sedentariæ se dederit, cruditates multiplicatæ in jecoris vasis stagnare cœperunt, in quo viscere, ut dicebat Galenus, ob vasorum angustiam & permeantis substantiæ copiam crebræ fiunt obstructiones; facilius vero, ut notat Mercurialis, in Mulieribus quam in Viris, eo quod eadem vasa angustiora habeant, adeo ut nonnunquam crassi succi in sima jecoris parte instar collæ adhæreant. Et quia medica auxilia renuit, obstructiones ejusdem visceris quotidie magis magisque adauctæ fuere, & progressu humores extra vasa duci & in parenchyma impelli, & cum Avicenna, obstructiones in eodem viscere construere cœperunt. At nos dicamus quod potius tumorem constituerunt. Verum tamen est quod si huic tumori nomen imponere velimus, scirrhosus quidem non est, quoniam magnopere dolet: minus cancerosus, temperamento, parti & peccantibus humoribus humoribus minime consonus: nec œdematosus, cum Galenus crediderit, Oedema in hepate fieri non posse. Inflammatorius igitur esse deberet, qui tamen non sine febre acuta brevis esse consuevit. Quare crediderim ego, tractu temporis hujus visceris substantiam heterogeneis excrementis refertam, adeo inquinatam fuisse, ut labem Fernelianam contraxerit, levi febricula perpetuo comitatam. Non tamen hoc fuisse Fernelii inventum ego judico, sed à Galeno decerptum, dum primo ait quod consequitur impedita distributio & plenitudinis collectio in Mesaræo & simis venis, unde vel concoqui necesse est, vel phlegmonem, vel corruptionem sequi: & alibi adhuc melius habet, quod Humores in obstructionibus non possunt tales manere, sed aut concoquuntur, aut assimilantur, aut corrumpuntur, putrefiunt & febrem faciunt. Quoniam vero hepatis obstructio, ex Avicenna, est omnium Ægritudinum Mater, idcircò mirum non sit, si vitiato sanguine pedum tumores successerint, cachexiæ & hydropis nuncii; præterea si repletum viscus dolore afficiatur, & septum suo pondere deorsum trahendo difficillimam reddiderit respirationem: Lobum enim hepatis superiorem, ventriculo in omnibus superequitantem, etiam citra ipsius ventriculi læsionem, circa ejusdem regionem Illustrissimæ Patienti molestiam potius afferre credo, cum ventriculi operationes læsas non audiam. Ex jam vero dictis facile ratio elici potest, cur medicamentis deobstruentibus, parumper calidioribus exhibitis, hepar exasperatum fuerit, & cum adaucto dolore febris ita increverit, ut veræ imminentis inflammationis Adstantibus Excellentissimis suspicionem & metum intulerit: ab iisdem enim Medicamentis humores jam fermentati & semicorrupti, intensiorem effervescentiam adepti, ipsum parenchyma magis magisque excalefacere & ad inflammationem ducere cœperant, quæ omissione eorundem medicamentorum rursus remissa fuit.

Quibus ita se habentibus, spem salutis in angusto positam esse, imo vitæ discrimen præponderare & ad perniciem tendere, non est in Arte versatus qui non videat: altissimas enim radices malum hoc ab Illustrissima Patiente diu neglectum sibi jecit: pro quibus extirpandis pars ipsa læsa propria medicamenta jam tolerare non potuit, ut ideo vel tractu temporis Hydrops, vel potius brevi hepatis inflammatio lethalis immineat. Non est tamen solo Prognostico deserenda Illustrissima Patiens, sed in iisdem intentionibus aptissime ab Excellentissimis Viris istis sibi propositis insistendum, remediorum materias tantum alterando, quæ sine multo calore aperiendi & putredini resistendi, atque quandoque evacuandi facultatem habeant. Quibus intentionibus satisfaciendis, succus cichorii depur. aptissimus mihi videtur, si ad ℥iij. in jure pullæ tenui Cichoraceis & malva alterato, tertio quoque die exhibeatur, cum apud Galenum prærogativam habeat, ut hepati valde prosit, nec ventriculo noceat; cui progressu dierum addi poterunt grana tartari vitriolati, vtpote aperientis, & putredini magnopere resistentis. Intermediis vero diebus idoneus mihi videtur Cassiæ usus ad ℥. ij. addito unico scrup. rhabarb. maturi, cui post horam superbibat Patiens seri destill. cyathum, & duabus horis ab epoto sero prandeat. In quorum omnium usu pluribus diebus perseverandum erit, facta diligenti successus observatione. Et interim quinto aut sexto quoque die Minorativum aliquod præscribi poterit ex flore cassiæ, cum semidrach. pilul. de trib. cum rhabarb. cui serum depur. superbibendum offeratur; ut inde, si dabit Deus, ad validiora deobstruentia deveniri possit, nempe vel rursus ad syrupum Fernelianum, cum sero destillato, aut cum aqua de succo cich. exhibendum, vel saltem ad rhabarb. infusionem in aqua de succo cich. paratam, tertio quoque die præbendam: diebus vero intermediis ad spiritum tartari alchalizatum, qui ad penitiores visceris partes permeare & pervadere poterit, si aqua de succo cichorii & agrimoniæ offeratur. Non omittendo externa auxilia, inunctionem scil. ex unguento rosaceo, cui superponatur Epithema ex succo cichorii cum exiguo succo absinthii, addito quoque succo limonum. Et hæc pauca Eximiis Viris consideranda propono; quibus congruam victus rationem instituendam relinquo: illud unum addendo pro siti remittenda, quod stillatum è iure pullæ Cichoraceis, malva & frustulis pomorum dulcium alterato parari poterit. Quibus omnibus assistat Divina Clementia. *Idem ibidem.*

Febris Hectico-Gallica.

Nob. Juvenis annorum unius & viginti circiter, temperamenti ex constitutione naturali sanguinei quidem, sed excedentis caliditatis, ut etiam habitus, ex primæva constitutione, moderate carnosi, nunc vero multum à prioris

ris differentis & exsiccati; à quatuor jam mensibus ex multis in sex rebus naturalibus commissis erroribus, præcipue vero circa frequentes Veneris illecebras, quibus impuras contraxit Gonorrhœas, in manifestam totius corporis imminutionem incidit, extenuari enim universaliter cœpit, vividum vegetumque amittere colorem, pro ipsoque pallido fuscoque indui, viribus destitui, consueto appetitu spoliari, & quadam difficultate etiam cibaria assumere, obnoxiumque catarrhalibus fieri destillationibus, licet non salsis nec diu perdurantibus: & ex duobus circiter mensibus continua detineri febre, sed lenta, & ad vesperam maxime ingravescente: quo tempore dolore satis molesto in summitate humeri sinistri correptus est, qui tamen post quinque vel sex dies ex remediorum usu & topicis inunctionibus evanuit. Remansit vigetque adhuc descripta febris, & cum ipsa, descripta universalis emaciatio chlorosisque descripta. Quæ omnia Sapientissimo Judicio tuo subjicio, ut ab hoc labyrintho Nob. Adolescentem eruere valeam.

Arduus quidem, gravis & periculi plus est casus Illustrissimi Adolescentis, à Te, Vir Excellentissime, exacte & eleganter delineatus: siquidem, dum totius corporis macies insignis substantificam humectationem desiderat, hanc ipsam vetabunt, maciemque adaugebunt medicamenta exsiccantia; ex petita a lue gallica, cujus characterismus quamvis sit ipsa adustio, ipsa tamen fundatur in corruptione putrilaginosa & humida: ut propterea difficillimum sit, substantificas humiditates servare magisque reparare, simulque excrementitias absumere. Nihilominus in his angustiis & contraindicationibus audio summam Prudentiam tuam scopum attigisse, nam febriculam hectico-gallicam, à putrilagine multo magis occulta, quam manifesta procedens tecum & ego sentio. Et ideo post jam præmissam necessariam excrementorum expurgationem, Alexipharmacis propriis tabum gallicum expugnare tentandum esse censeo, cum impossibile sit quod ex pravo ac venenato sanguine caro gigni, & corpus totum nutriri possit, nisi prius venenum ipsum ab ipso sanguine, imo & ab ipsis visceribus segregetur & adimatur. Statim igitur dura hujusmodi provincia suscipienda, Decoctum sudorificum ita parando

♃. Salsæ parillæ el. incisæ, pulpæ guajaci pinguis & rec. Chinæ opt. an. ℥ß. Aq. stillat. cich. borag. an. ℔j. Cardui sancti ℔ß. M. F. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem pulli junioris, ranarum mundatarum, caudarum astacorum an. n. 4. m. bull. ad consumpt. dim. & colatura servetur pro duabus vicibus, matutino tempore una hora ante sudorem exhibenda. Sudor autem in Balneo provocari debet, aquæ dulcis alteratæ foliis malv. viol. salicis & pentaph. in quo non valde fervido, & potius linteo cooperto, maneat per horæ quadrantem circiter: etenim & in lecto perficietur ipse sudor. Tribus transactis diebus, libenter experirer hypocaustum, ut mox ad Balneum revertatur, & quarto aut quinto quoque die sudorem in eodem hypocausto provocarem. Quod si fortasse cum difficultate erumperet sudor, præmitti poterit ante Decoctum bolus ex uno scrupulo Extracti salsæ granis 4. Mercurii dulcis. Victus ratio interim nec tenuis, nec multum extenuans esse debet: etenim caro pullæ junioris, etiam elixa concedi debet: permitti quoque ova recentia, ptisana hordeacea, præsertim in cœna ex ferculo Excellentissimi Saxoniæ parata. Emulsiones quoque amygdalarum rec. & pineorum in panatellis; sed una cum carne ebulliant semper caudæ cancrorum, ranæ, imo & portio carnis Testitudinis nemoralis, una cum taleolis optimæ Chinæ. Pro potu consueto, secunda parari poterit ex residuis, addito saccharo & frustulis citri recentis: in prandio tamen, & cœna cyathum quoque vini albi tenuis subdulcis libenter permitterem, ad vires recreandas, & ut vehiculum ad alimentum distribuendum. In quem finem manibus inunctis, cutis hinc inde sublevatio & levis frictio erit quotidie administranda. Nec medicamentis, quamvis levioribus, ventrem solventibus, ut mos esse solet, utendum, sed potius Clysteribus ex lacte, butyro & saccharo paratis alvus erit excitanda: vel ad summum Cassia ad ℥ iij. vel iv. erit offerenda. Absoluto vero sudore, ad usum lactis & Balnei aquæ dulcis alteratæ ducendum esse Nob. Patientem existimo. Quæ pauca dictavi, sed appropriata, ut à senili Prudentia in Juventute tua recto usu executioni mandentur. *Idem ibidem.*

Febris post Colicam cum lue Gallica & Suspicione ulceris in Mesenterio.

Ex erudita & eleganti relatione Præclarissimi Viri in Arte consummati, quam oretenus confirmavit, & auxit Excellentissimus Medicus, Hippocraticæ atque Galenicæ Doctrinæ fidelis Cultor, colligi posse mihi videtur quod Illustrissimus Co. annum agens quinquagesimum quintum, temperamenti secundum totum calidi & humidi, capitis, humida intemperie affecti, & ideo rheumatismis obnoxius; mollioris habitus, & præsertim abdominis, propterea herniosus jam factus fuerit; qui negotiis implicitus, in reliquis liberam vitam semper duxit, & Veneri præsertim indulsit, à qua fructus Celticos reportavit, quos propriis medicamentis alexipharmacis semel dimisit, sed rursus cum eadem infecta Muliere repetito congressu, resumpsit, nec ampliùs dimittere valuit, præceptis Medicis obtemperare renuens. Interim copiosior multo quam antea, apparuit materiæ catarrhalis destillatio, præsertim in ventriculum: sed ob ejusdem redundantiam, non solum ad vias deglutitionis, sed & respirationis irruere cœperat, cum metu potius, quam sensu suffocationis, erumpentibus interim variis in locis etiam nonnullis gummatibus & pustulis Gallicis. Tandem multis abhinc mensibus Colici dolores invadere cœperunt cum febriculis & Ictero, ab initio fere nigro, deinde progressu, flavo: cedebant autem evacuantibus medicamentis, non omissa sanguinis ex venis sedalibus extractione; sed revertebantur, & eodem modo cessabant, & paucis post mensibus (ut retulit Excellentissimus Medicus ex auditu) pus verum atque legitimum, multum, ab Excellentissimis Adstantibus per alvum excretum visum fuit, ob idque abscessum abruptum fuisse unanimes

nimes judicarunt; post cujus excretionem Illustriss. Co: melius habuisse sibi visus est. Sed duobus circiter transactis mensibus, redit Colica febre comitata, ut supra, Evacuationibus cedens; mox octava die pluries reversa, inde nono quoque die, & denique cedente Colica, mansit ipsa febris, quotidie vespertinas & non adeo manifestas habens exacerbationes, sine ingenti calore, cum modica siti, & absque aliis symptomatibus, acutiem comitari consuetis. Modo Illustrissimi Co: status hujusmodi mihi considerandus proponitur, de quo quid sentiam paucis perstringam, & ad agenda deveniam, cum ribus magis quam verbis Illustrissimi Ægre & agritudinis conditio opus habeat.

Febrem itaque omnium primò considerandam atque curandam, cum Viro Excellentissimo & ego sentio, quæ ab initio Colicos dolores comitabatur: non quia à doloribus ipsis accenderetur, sed quoniam ab eadem causa dolorum, nimirum à copia catarrhalis materiæ à capite delabentis, ad asperam arteriam ingressum quidem tentantis, sed per œsaphagum ad ventriculum, indeque ad intestina pervenientis, in cavitatibus, non in venis fermentatæ excitabatur: facilè autem medicamentis evacuantibus cedebat, quia loci conditio facilè evacuationem admittebat, Octana vero & Nonana facta fuit Colicæ periodus, & inde eodem modo octana & nonana febris, quoniam tantum temporis requirebatur pro crudæ & catarrhalis materiæ novo apparatu atque proventu, ut Colicam & febrem ipsam excitare valeret. Verum quoniam progressu materia quæ prius in cavitatibus manebat, & à debili calore in flatus conversa, intestina extendebat Colicamque excitabat, & utriusque bilis ductus comprimens, brevem Icterum inducebat, facileque evacuationibus cedebat, tandem ad vasa aliqua ex parte sese insinuavit; idcircò non amplius spatia distendens, sed in vasis fermentata & alterata moram faciens, non amplius ideo Colicam excitat, sed febrem conservat, quam quidem putridam, sed catarrhalem potius, quam humoralem censendam esse crediderim, quotidianam æmulantem: cum magis à catarrhali materia continuo à capite in ventriculum delabente, quam à vera & legitima pituita proveniat; cui tamen exiguam quoque bilis portionem à jecore transmissam immisceri negandum non est, pro frigidæ materiæ accensione; Unde Hippocr. omnes febres à bile, id est, non sine bile fieri pronunciavit. Sed interim oblivisci non oportet copiosæ evacuationis materiæ per alvum excretæ, ab abscessu in mesenterio dirupto emanantis, ut asserebant Viri Excellentiss. Adstantes: spatium namque quod antea purulentam materiam continebat, est supponendum: nescio vero quomodo detersum, unitum & curatum fuerit, nisi forsan materia illa non fere purulenta, sed catarrhalis & cruda in intestinorum cavitate diu detenta & corrupta fuisset: scitu namque mihi necessarium esset, num prægressi fuerint continui & diuturni ventris dolores: cum ab Hippocr. habeamus, A ventris dolore diuturno, suppuratio; Præterea continuæ febres una cum doloribus necessario prægressæ essent, juxta illud vulgatum Hippocr. dictum, Dum pus conficitur, dolor & febris magis, quam pure jam confecto; de quibus omnibus certiores me reddere non potuit Excellent. Medicus ut nuperrime accersitus. Ad febrem redeo, & præter rationem non esse existimo, circa mineram dubitare, materiam catarrhalem fermentatam hærere in mesenterio, relicto ulceri additam. Nec nos tutos reddit levamen post puris evacuationem, aliquo tempore à Viro Illustrissimo perceptum: si quidem post purulentæ materiæ excretionem levamen ipsum respectivum, non absolutum forsitan fuit, ita ut mox spatium, sive ulcus relictum, quotidie magis sordidum reddi potuerit, pro evidenti febricula postea gignenda: & multo facilius, addita Gallici præsentia. Horum omnium malorum authorem fuisse copiosam à capite in subjectas partes destillationem, ab intemperie quidem naturali scaturientem, quæ tamen non leve augmentum sucepit à Gallica lue contracta, à qua viscera quoque naturalia non parum labefactata fuerunt, non est qui non videat.

Utinam materia superioribus mensibus per alvum excreta, vere purulenta non fuisset, sed fuisset cruda & catarrhalis in intestinis potius corrupta, & ad formam sive speciem puris redacta; & si purulenca, spatium relictum, detersum, satis exiccatum, unitum & cicatrizatum fuerit: ita enim de Illustriss. Viri salute dubitandum non esset; superata namque febre, expeditis intestinis, etiam hoc tempore incongruo, & Gallica lues, & materiæ catarrhalis prouentus non parum remitti poterunt, sicque arceri Colicæ iterati insultus. Quod ut assequamur, intestinorum spatia mundanda; humores viscidi & lenti in vasis mesenterii, & forsan etiam cavæ viscerum, sunt attennatione & detersione præparandi, atque per Epicrasin educendi; mox alexipharmaco aliquo medicamento vis Gallici retunda, simul humida capitis intemperies corrigenda, & si fortasse ulcus relictum adesset, exiccandum.

His autem ut satisfaciamus, à fonte Chirurgico aliqua sanguinis missio ex salvatella dextera esset petenda, nisi Pharmaceuticis remediis cesserit febris. Cauterii autem brachio sinistro affixum, iam indicavit copiosæ materiæ catarrhalis in capite perennis reproductio. Interim quotidiani Clysteres laxantes & detergentes in usum ducendi, dum per os assmptis materiæ præparatio erit ineunda, nimirum melle rosa. simpl. addita, si placet, portione iulap. acet. cum vehiculo, sive diluto ex aq. aut iure hordei, in quo cochlear crem. tart. cum frustulo cinnam. ebullierit, facta colat. post secutam imprægnationem. Quarto autem aut quinto quoque die Minorativum erit exhibendum ex semiunc. elect. lenit. addita semidrach. pilul. de tribus cum thab. ut vis medicamenti ad vasa perveniat; cui medicamento superbibendum dari potest ius hord. & rad. cich. alteratum. Ita progrediendum esse præparando & evacuando, xv. saltem diebus existimo, ut inde ablata, aut saltem valde remissa febricula, aqua Tettuciana propinari possit, tribus, aut saltem duabus vicibus. Sicque tandem ad postremam intentionem exequendam devenire possimus usu aquæ nostræ stibiatæ, quæ ita parari poterit

℞. Salsæ parillæ electæ, visci querc. veri, Chinæ opt. an. ℥j. Aq. font. ℔vi. M. F. inf. per hora

horas 24. deinde adde antim. crudi electi rud. contusi, lapidis pumicis rud. contusi sacculo simul cum antimon. repositi, an. ℥ iij. m. bull. omnia ad consum. duarum partium, ita ut remaneant lib. ij. & colatura servetur pro tribus syrupis matutinis. Aqua vero pro potu consueto ita paretur

℞. Salsæ electæ, visci querc. veri an. ℥ iß. Chinæ optim. ℥ ß. Aqu. font. lib. xv. M. F. infus. per horas 24. deinde adde antimon. crudi electi, lapid. pum. an. ℥ vi. contund. crasso modo, & ponantur in sacculo, deinde bull. ad consumpt. tertiæ, in fine adde cinnam. integri ʒ ij. bull. parum, & colaturæ adhuc ferv. adde sacchari albi ad libitum, & frustula citri rec. ut agitando f. aqua vulgo dicta Cedrata. In hujus autem usu quadraginta diebus insistendum erit: & decimo quoque die potio ex manna clarif. exhibenda, interdicendo omnino vini potum; sicut comestionem piscium, lactis, eduliorum ex pasta, fructuum & olerum; Potus sit aqua præscripta ad libitum. Toto vero hoc tempore sub ingressum lecti Conservam aliquam capitalem in usum ducere poterit, è floribus rosarum, beton. salviæ, ror. mar. additis speciebus aromat. rosati, & aliquot guttulis tincturæ coral. chymicæ. Pauca hæc suppetunt mihi proponenda, à Sapientibus Viris potius consideranda, quam executioni mandanda, cum selectiora iisdem non desint, pro meliori statu Illustrissimi Co. comparando, ut, Deo dante, Vere venturo ex toto perfici possit. *Idem ibidem.*

Febris Ephemera.

Nobilis Juvenis, 25. annum agens, temperamenti totius ad calidum & humidum vergentis, rari habitus, in victus ratione non valdè aberrans, sed moderatè vivens; cum æstivo tempore, triduo abesset ab hac Urbe, matrem acuto morbo laborare per certum nuntium accepisset, nulla interposita mora, jejuno ventriculo, per dispositos equos, sub radiis solaribus, cum exiguo cibo, domum versus iter suscepit, quò perveniens, matrem animam agentem invenit, quæ paulò post expiravit. Interim Juvenis ex itinere defessus, parum nutritus, & animi mœrore confectus, decubuit, febricitare incipiens; ob idque Medicus statim accersitus, ab adstantibus accepit febrem cepisse absque ullo rigore, pulsusve coarctatione, ipse autem observavit liberum caloris ascensum, absque ullo pravo symptomate: præterea pulsus æquales & celeriores in dilatatione quàm in constrictione: urinam, cum naturali suspenso, omnino coctionem ostendentem: calorem suavem & halituosum, sed cum cutis siccitate: status clementiam, ægrique facilem tolerantiam. Perterriti autem Consanguinei, celeri matris interitu, postridiè me ad consilium de agendis accersiverunt, qui postquam jam dicta, à Medico observata, audivissem, & juvenem, cum febre decrescente madentem, invenissem, absque ulla de reditu febris suspicione, meam ita sententiam in medium protuli.

Licet aut nulla, aut valdè exigua ope Medica indigeat Nobilis iste Juvenis, attamen, quia tempus non operandi, æquè ac operandi, Medicus cognoscere tenetur: remedia vero, non à medicamentorum, sed affectuum cognitione sumuntur, ideo tenetur quoque Medicus affectus cognitionem habere (& quidem prima die) ut præstantissimæ hujusce Facultatis peritum semetipsum ostendat. Quare jure gloriabatur, Gal. nullius Diariæ cognitionem prima die ipsum aufugere potuisse. Et quidem Diariam existimo hanc esse febrem, quia unius diei febris etiam ab Hippocr. dicta est, ideo & ephemera appellari solet, sumpta denominatione ab ephemeris quibusdam animalibus, apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum defluit, nascentibus, & unico die viventibus. Neque exercitato Medico difficile erit, hanc febrem statim cognoscere, si ea, quæ à Viro Excellentissimo accuratissimè observata fuere, examinentur.

Et primò, quod febris sine rigore & horrore inceperit, citraque pulsus coarctationem; cùm enim rigor impetuosum motum humoris, aut crassi vaporis, per musculos requirat, extra febres humorales non reperitur, sicuti sine his neque opprimi, neque gravari potest pulsifica facultas: horripilationes autem quædam contingere possunt, quando Diaria ex cutis obstructione provenit, quæ tamen facilè solvuntur & evanescunt.

Secundò, ipse observavit liberum caloris ascensum, quia à materia non opprimitur, sed liberè augetur; substantia enim spirituum subtilissima cum sit, facilè inflammatur atque resolvitur.

Tertiò, pulsum æqualem & celerem in diastole tardiorem in systole, quia refrigerium, magis quam excrementorum expulsionem, Diaria desiderat.

Quartò, urinam statim concoctionem ostendentem, quoniam nulla in venis humorum putredo reperitur, quod signum proprium & inseparabile est ab ipsa diaria.

Quintò, calorem suavem & halituosum; sicut enim ephemerarum calor suavis est, ita putridarum acris & mordax, ut aridus hecticarum.

Sextò, status clementiam, à facili ægri tolerantia desumptam.

Septimò, videre mihi videor terminandam hanc febrem cum madore quodam universali; quia temperamentum est calidum & humidum, non autem cum sudore, ob prægressam lassitudinem & inediam. Et licet febris humoralis non sit, spiritus tamen cùm constent ex tenuissima sanguinis parte, & subtilissima aëris inspirati portione, dum in accensione attenuantur, crassior ipsorum portio in sudorem abit.

Et tandem incepit à procatarctica causa, quod est omnibus ephemeris proprium, facta namque fuit, ut notissimum est, ab insolatu, lassitudine, inedia & animi mœrore, prout ex lassitudine non semel Diaria fuit correptus ipse Gal. Has omnes, occasiones appellabat Gal. sicut causa, est accensio spirituum, non naturalium, quia non dantur, nec animalium, quia contingeret delirium, sed vitalium, non tamen semper immediatè, sed nonnunquam mediante jecoris vel cerebri accensione, & ita sibi constat ipse Avicennas.

Quibus omnibus addamus cutis siccitatem, quæ in lassitudine major est quam in reliquis ephemeris omnibus, ætatem, spirituum accensioni

sioni idoneam: temperamentum, ad calidum & humidum vergens, in quo spiritus accensionem suscipiunt & conservant, cum in bilioso si spiritus accendantur, accensionem non conservent, sed illicò ad exustionem transeant, & tandem vitam anteactam, ab impuritatibus & excrementis immunem, quibus præsentibus non adeo facilè ephemeræ accenduntur, sed potius excitantur.

Ephemeræ omnes, ex sui natura, sunt salutares, quæ 24. horarum spatio terminari solent, & licet adeo breves sint, non tamen inter acutissimos morbos collocandæ, quas ne vix quidem inter morbos ponendas esse existimabat Cels. unde moderatissimas has appellabat Actuarius. Et hæc quidem talis censenda, hoc anni tempore calido, & diatritaria victus ratione à prudenti Medico omissa, ex Medicorum enim inscitia ephemeræ, ab hisce causis, non solum ad hecticas, verum & ad tabem ipsam atque marasmum transeunt.

Quod ut averteret peritissimus Medicus, in statu sorbitionem, & potionem in declinatione Patienti obtulit, siquidem in hac febre curanda duplex debet esse Medici scopus, alter febrem ipsam, alter partem affectam, cujus causa febris fuit inducta, respiciens. Priori satisfaciendum remediis universalibus, refrigerantibus & humectantibus, posteriori vero particularibus, affectæ parti appropriatis.

Universalia remedia tria proponuntur ab Avicenna. Potio frigidæ. Balneum & inunctio, necnon congrua victus ratio.

Potio frigidæ offerenda in vigoris principio, ad lib. 6. 7. & 8. Aquæ fontanæ dulcissimæ, non mineralis, sed cavendum ne adsit aliquod prohibens. Prohibentia autem quinque esse possunt, corporis gracilitas & extenuatio, cruditatum præsentia, alicujus visceris imbecillitas, insuetudo & anni tempus frigidum, quibus absentibus est certè remedium ingentis profectus, quod quidem in præsenti casu alioquin convenire potuisset, nisi præverso ordine, sorbitio refrigerans potioni præmissa fuisset, ut in cura coacta se gessit Gal. etenim præter inediam, & ab ea accidentalem quandam corporis extenuationem, reliquæ omnes aderant pro frigidæ potu conditiones, sed quoniam remedium hoc hisce nostris temporibus ferè prorsus obsolevit, ut ego puto ob climatis qualitatem, & ob aquarum impuritatem, ideo Excellentissimus Adstans, frigidæ substituit serum asininum ad lib. 3. & quidem depuratum, ut quadam lactea evaporatione caput quoque humectaret. Propinari quinetiam possunt aquæ stillatitiæ cichor. sonci, endiv. acetos. cucurbitulæ, cum julap. viol. ros. syr. de ribes, de berberibus & hujusmodi aliis.

Balneum aquæ dulcis secundum est remedium quod antiquitus sanis quoque familiare esse solebat, quodque ex quatuor constabat, aëre calido, aqua calida, aqua frigida, & loco detersioni apto. Hoc administrari potest calidum & frigidum, calidum in ephemera curandæ, convenit in cutis constipatione, otiosis, somniculosis, ebriis & hujus ordinis aliis, sicut perniciosissimum in ephemera ab inedia, vigiliis, mœrore, insolatu, verbo, à causis omnibus digerentibus & exsiccantibus excitata. Frigidum vero contra, sicuti prioribus causis infensum, ita utile posterioribus, quod tamen gracilibus & valdè extenuatis coporibus, ab initio tepidum, & sub finem frigidum institui debet, tum ut humectatio facilius ad internas partes pervadere valeat, tum quia actu frigidum nervosis & membranosis partibus parum amicum esse monuit Hippocr. quod quidem in casu nostro usurpari poterit, prout in Menandro Gal. sub cibo brevi exhibendo, cui post leves detersiones, inunctiones ex oleo amygdal. & viol. succedere debent, hocque remedii genus triduo continuato administrandum.

Victus ratio tandem sit refrigerans & humectans, citòque nutriens. Cubiculum ad Septentrionem, vel saltem ad Orientem sit expositum. Quoniam vero facilius est impleri potu quam cibo, ideo convenient prisana hordeacea Panatellæ, cum emuls. sem. mel. & amygd. dulc. Ova recentia, Panis vino madefactus, vinum enim sine formidine præbet Gal. Somnus sit consueto diuturnior. Quies omnium maximè ne cessaria. Alvus, si fuerit opus, clystere ex lacte, butyro & saccharo solicitetur, & tandem alacri animo æger degat.

Partem affectam quod attinet, hæc particularia postulat auxilia, potest autem affici in ephemera febre cerebrum, cor, jecur aut ventriculus, at in præsenti casu afficitur cerebrum ab insolatu & cogitationibus intensis. Cor verò à mœrore. Caput igitur refrigerantibus & humectantibus irrigandum, ol. ros. viol. & vigiliis urgentibus, copioso nenuphārino. Ab utiones quoque capiti parari possunt, ex aqua dulci, violis, malva, lactuca, nenuphare, foliis vitis & salicis alterata, quibus, æstu existente majori, adduntur quoque papaveris capita. Cordi vero ephithemata parentur ex aqua florum citri, aurantiorum, rosarum, addito aceto rosaceo & speciebus cordialibus temperatis, frigidiora namque in mœroribus, cor non postulat. Quæ satis, superque. *Idem Tom.1. de Febribus.*

Synocha.

Juvenis Nobilis, 25. annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, plethoricus, & densi habitus, otio, somno & ventri magnopere indulgens, cum temporibus hisce bacchanalium, in suburbanum recessum, ad convivium, cum commensalibus amicis, pedibus incedens concessisset, post prandium, & fœcundissimos calices, eodem modo domum reversus, valde excalefactus, rursus cum iisdem compotatoribus potavit largius, ac interim mador, licet exiguus, qui per totum eruperat corpus, perfrigeratus est. Cubitum ivit, nec unquam somnum capere potuit, sed æstu intolerabili interno correptus, huc & illuc se jactabat, & de universali lassitudine, dolore capitis gravativo, & nonnunquam pulsativo, conquerebatur. Accersitus ego, in Pat. observavi rubram faciem, & quodammodo tumentem, cum delatione in somnum, nec sine aliqua respirationis læsione, calor tactui erat minimè mordax, pulsus maximus, æqualis & vehemens, urina & crassitie, & colore, à naturali non multum aliena, ac ipsi nares valdè pruriebant. Medico autem domestico his perterrefacto, ita pro salute Pat. sum allocutus.

Mor-

Morborum primis aspectibus non statim fidendum est, Excellent. Vir, siquidem, sicut aliquando debiles & parvæ febres, malignæ sunt atque lethales, ita vehementes & magnæ, nonnunquam simpliciores & longè minus periculosæ evadunt, è quarum numero erit præsens, febris sanguinea & synocha dicenda, quoniam ex sola sanguinis effervescentia, citra putredinem, fuisse excitatam sat nobis superque persuadere possunt res, non solum præter naturam, sed & naturales & nonnaturales, etenim, si febrilem calorem consideremus, est halituosus, fumosus & minimè mordax, benigni humoris accensi, sed non putrescentis indicium; si pulsum contrectemus, æqualem inveniemus, utpotè qui non à fuliginosis vaporibus, à putrida minera inæqualiter elevatis, agitetur, unde Gal. hanc febrem in diariarum numero reposuit, maximum præterea ob sanguinis accensi redundantis copiam, vehementem atque frequentem, ob nativi caloris maximum incendium. Vrinam inspicimus, à naturali statu parum distantem, ac solum paulo consueto crassiorem, & rubram, quia ex multo, crasso & accenso sanguine producta est, somnum verò ab initio hujus febris capere non potuit, ob æstum internum, angorem quendam inducentem, licet ad somnum adsit proclivitas, quæ in febris progressu semper augebitur, imo somniculosus, & quodammodo soporosus evadet Patiens, ob multas fumositates ab universo sanguine accenso elevatas, quæ caput gravant, & replent pectus atque pulmones, unde aliqua respirandi difficultas, quinimo totum corpus replent & inflant, & ideo ab aliquibus, febris inflativa dicta fuit, atque ab Avicen. febris profundi somni, ob multitudinem vaporum condensatorum, ascendentium, & cerebrum humectantium. Ab aliis, cum Gal. ephemera plurium dierum appellata, nisi quispiam, non ineptè, hanc potius humoralem non putridam appellare malit, tum ut ab ephemera, quæ à solis spiritibus, tum ut à putridis distinguatur, & hac ratione non multiplicentur genera febrium.

Sic causa immediata hujus febris, est evaporatio in cor & totum corpus, à sanguine multo, non putrefacto sed solum accenso, elevata. Quantitatis autem sanguinis causæ sunt in Patiente nostro, naturales & nonnaturales, temperamentum scilicet calidum & humidum, habitus plethoricus, & otiosa, ac in cibo & potu libera vivendi ratio, prout accensio in sanguine fuit excitata à motu in itinere facto huic pleno corpori, laborioso, sed multò magis à prohibita transpiratione, quæ copioso sanguini, & cutis densitati, tum naturali, tum à perfrigerato madore adaucta, successit, copia namque sanguinis prægravat naturam, qui ideo depurari non potest, plurimi vero vapores à sangnine elevati, nec dissipati, eundem, & una spiritus naturales ac vitales, in arteriis & venis contentos excalefaciunt, sicque, cum vapores eleventur, & ob cutis densitatem non difflentur aut resolvantur ab iis fit ebullitio sanguinis, prout musti in dolio, ad quam non adeo facilè consequitur putredo ipsius sanguinis, quoniam à natura custoditur ob vitæ necessitatem, nisi interna intercedat prohibita transpiratio, ab humoribus crassis ac lentis, sic in hujusmodi febribus accendi posse universum sanguinem, asserebat Gal. experientia siquidem sæpe videmus frumentum, propter denegatam transpirationem, sine putredine multum incalescere; qua synocha, sine putredine, detinebatur Liber ille juvenis, à Gal. descriptus, ex otio & intermisso exercitio, cui aderant reliqua symptomata, in nostro Patiente quoque appetentia, nempè intolerabilis æstus, lassitudo totius tensiva, capitis pulsationes, vigiliæ, jactationes, & narium pruritus, synochis omnibus communis; quibus rursus addantur considerandæ res naturales & nonnaturales, nimirum totius temperamentum calidum & humidum, habitus plethoricus, copioso sanguine abundans, & juvenis, otio, comessationibus & compotationibus deditus, pleno corpore exercitatus.

Unicam itaque habebit accessionem febris hæc, si benè tractetur, nc transeat in putridam, in quam valde propensa est, ob cutis densitatem & plenitudinem totius, ac præterea, quia non paracmastica & decrescens, nec homotona & æqualiter affligens, sed epacmastica, hoc est semper increscens observatur, idque, quoniam plus est quod evaporat quam quod resolvitur, & ideo non unius sed plurimum dierum erit hujusmodi accessio.

Febris hæc, cum sit continua & continens, periculo vacare non potest; eò magis cum sit epacmastica, nimirum semper increscens, homotona & paracmastica periculosior. Et licet mitior, ac cæteris simplicior nominetur à Gal. locutus tamen fuit respectivè ad putridas, fit enim ex sanguine, inter humores benignissimo & non putrido. Hæc paucis diebus terminanda, nunquam enim hebdomadam excedit febris hujusmodi, & benè judicabitur rectè tractata, non enim tolerat pigritiam, aut Medicorum ignorantiam, quin degeneret in putridam, aut in phrenitidem, anginam, vel pleuritidem.

Ideo nihil cunctandum, sed Medicis scopis illicò satisfaciendum, sanguinem evacuando, alterando, & meatus totius corporis aperiendo. Quapropter tria proponuntur à Gal. potissima remedia, Sanguinis missio, usque ad animi deliquium, frigidæ potio, & balneum.

Et primò à sanguinis missione curationem esse inchoandam, idem præcipit, quia nullo modo differenda, & licet nonulli Gal. arguant, quod in curando juvene illo libero, sanguinis missionem distulerit in tertium diem, attamen ipse spontè in secundum tantum eam distulit, ut certior fieret de natura febris, dilatio vero in tertium, non ab ipso Gal. ut patet ex ejus verbis, sed à cæteris vincentibus Medicis decreta fuit.

Quamprimum igitur, injecto clystere, ad sanguinis missionem deveniendum, nulla expectata febris declinatione, quæ in epacmastica futura non est usque ad integram ipsius febris solutionem. Educatur autem usque ad animi deliquium, quidquid dicat Averr. contra Gal. & Hippocr. ipsum, forsan non distinguens animi deliquium à syncope, ut distinxit Gal. dicens, quod dum educitur sanguis usque ad animi deliquium, pulsus mutationi attentos esse oportet, ne syncopen incurrant. Hac igitur evacuatione abundans ferventis sanguinis copia minuitur, totum corpus perfrigeratur, & ad natu-

naturalem temperiem deducitur, unde sublevata natura, residuum expellere ac superare valet, adeo ut eorum qui ex cutis obstructione hac febre correpti fuerunt, nemo in putridam inciderit, hoc administrato præsidio, cujus, in casu nostro, adest omninò permittens, & abest quodcunque prohibens, quod item remedii genus indicatur magis à præsenti epacmastica, ab homotona minus, & adhuc minus à paracmastica.

Secundum, continentium febrium maximum remedium, est frigidæ potio, quam omisit Gal. in curando juvene illo libero, quia sola sanguinis missio sufficiens fuit. Hoc autem remedium ægro, copiosa sanguinis evacuatione indigenti, perniciosum esset, quia copiam intra corpus incrassando, coërceret atque firmaret, & innatus calor, à multo & crasso sanguine veluti suffocatus, à frigidæ potu obrueretur, cùm tamen aliqui Medici Hæmophobi, falsò crediderunt frigidæ potum esse remedium venæsectioni substituendum, licet sine detractione sanguinis administrari non possit, adeò ut venæsectio sine frigidæ potu admitti quidem possit, ut in Juvene libero, non autem frigidæ potus sine præcedente sanguinis missione.

Propinetur itaque Patienti nostro frigida, levis & copiosa, ad pallorem; egregius enim potator est, & omnium prohibentium expers, corpus etenim gracile non est, robur habet omnium viscerum naturalium, absunt tumores & obstructiones, nec deest consuetudo, & licet tempus æstivum non sit, hæc tamen parvi momenti conditio prohibens, præsentibus cæteris omnibus permittentibus.

Quod si, aut Medicus Phsychrophobus, aut Patiens Hydrophobus fuerit, absentibus quoque frigidæ potum prohibentibus, tunc frigidæ potioni substituenda est potio aquæ still. cichor. acet. end. aquæ hordei, seri capr. aut asinini destill. quibus addi poterit julap. rof. violac. syr. de succo lim. de acido cit. de succ. acetosæ.

Interim flos cass. cum pulpa tamarind. locum habebit, cum sero capr. aut aqua Nocera, si febris protrahatur.

Balneum aquæ dulcis, tertium est medicamentum in casu nostro administrandum, calidum scil. tum ad meatus recludendos, tum ad vapores expurgandos ac discutiendos.

A balneo abstersiones non adeo leves fiant, & ab his, frictiones panno calido, inunctionibus omissis, utpote quæ poros cutis obstruant & totum humectent.

Extra balneum refrigerantia conveniunt, hepati, Cordi, Renibus & Testibus. Sic pro hepate,

℞. Succ. cichor. depur. lib. j. succ. lim. unc. iij. acet. rof. unc. j. specier. triumsandal. drachm. ij. m. pro epith. hepatis. Pro corde.

℞. Aq. melissæ, borraginis an. lib. j. Aq. flor. cit. rof. an. unc. iij. succi cit. acet. rof. an. unc. j. s. specier. cord. temp. drachm. iij. m. pro epith. Cordis.

Pro Renibus, ℞. Unguent. rof. Mes. infrigid. an. unc. j. sandal. popul. an. unc. s. m. pro renum illitu. Sic testibus aqua rosacea, cum aceto frigida applicata, magnum affert toti refrigerium.

Victus ratio sit refrigerans & humectans, tenuis, ita ut sola ptisana sufficiat, vel lactuca cocta, vel cucurbitula, cum aliquo ex fructibus refrigerantibus. Potus sit aqua hordeacea, vel stillatitia acet. aut end. Vinum oligophorum dilutum, tandem concedit Serapio in declinatione. Et hæc pro salute Nobiliss. Patient. satis. *Idem ibidem.*

Synocha Putrida.

Juvenis Illustrissimus, 25. annum agens, temperamenti totius & hepatis, calidi & humidi, densi, carnosi atque plethorici habitus, valde edax & bibax, vinis dulcibus & substantiæ crassioris usus, otiosam vitam ducens, tandem, adventante Vere, ut sibi extremas partes, imo totum corpus excalefaceret, frigusque illius diei importunum fugaret, ad parvæ pilæ ludum cum sociis se contulit, ita excalefactus sudavit, vinum potavit, nec indusium jam madefactum mutavit; cœnavit, & nocte sequenti febricitavit, cum quibusdam horroribus inæqualibus, & totius corporis lassitudine phlegmonosa, manè autem parentes Medicos statim advocarunt, ut de agendis consulerent. Invenimus Nobilissimum Patientem æstuantem, huc illuc per lectum sese jactantem, cum intenso rubore faciei & oculorum, capitis gravitate, & dolore circa fauces. Calor ad tactum multus erat, non adeò acris & mordax, ut vulgò in cæteris putridis observari solet, nec tamen adeo suavis & halituosus, ut in ephemeris, semper autem æqualem manui tangenti sese offerebat. Pulsus erat magnus, frequens, mollis, vehemens, & major in systole quam in diastole. Urina rubra, & crassa. Quibus a nobis observatis, alterans ex refrigerantibus aquis stillatitiis, mox ptisanæ cremorem præscripsimus, & ut interim natura febris clarius nobis innotesceret, in vesperam consultationem distulimus tuncque Patientem observavimus eodem febris tenore divexatum, atque iisdem symptomatibus afflictum, absque ulla status mutatione aut alteratione. Quare pro ipsius salute ita consultum fuit.

Magnam & acutam febrem affligere Juvenem hunc Illustrissimum, statim conjecimus ex æstu magno, & quoniam statim extremos habuit labores, dum illicò ad statum pervenit, synocham eandem judicavimus, quæ continens, à continuo fervore, à Gal. & Antiquioribus dicta fuit, & ab Avic. conclusa, estque illa febris quæ nullas habet exacerbationes, sed à principio usque ad finem uniformiter progrediendo, unica accessione terminatur, de qua Gal. dicebat quod unicam habet accessionem, quia nulla est corporis pars quæ præcipuè sit offensa, quæ vel mittat, vel suscipiat, vel generet, vel attrahat superfluitates, sed humores habeat in venis omnibus & arteriis, præsertim maximis, & plurimo calore abundantibus, putrefactos. Ex quibus Gal. verbis patere potest sanguinem, pro tota massa sanguinea sumptum, putrescere in hac febre, & æqualiter in cor evaporare, quidquid dicant Avic. Averr. Argenterius, Mercatus, Capivaccius & alii, Gal. redarguentes quod asseruerit sanguinem, dum putrescit, secundum partem tenuiorem, in bilem, secundum crassiorem verò, in melancholiam converti, & ita non dari febrem sanguineam. Etenim si ita sensisset Gal. febrem synocham dari negasset, neque eandem ab ardente distinxisset, ac potissimum febrem sanguineam sanguinis missio-

missione usque ad animi deliquium non curasset, quam in biliosa febre nunquam admittere ausus esset, & præterea, sanguinem corrumpi, putrescere, & febrem accendere, iisdem verbis asseruit Gal. ipse: credidit tamen dari synocham, & legitimam, & spuriam, legitimam quidem, à tota massa sanguinea, omnes humores æquali proportione continente, ut in illo Juvene; spuriam, ab eadem cum bilis exuberantia putrescente, quam ideo quodammodo biliosam appellabat ipse Galenus.

Hanc autem legitimam synocham existimamus, & homotonam, tanquam æqualiter affligentem, & quia peccantis sanguinis nullum nobis defuit indicium, quia ætas juvenilis est, temperamentum totius calidum & humidum, habitus plethoricus, sanguine refertus, necnon vita anteacta sanguinem multiplicans, sic dicebat Gal. benè habiti corporis, ac valentis ætatis propria est, & ideo nec in frigida ætate, nec in frigido temperamento fieri solet.

Præterea, æstus insignis cum corporis jactatione, copiam fervidi ac putrescentis sanguinis indicare possunt, sicut calor ille multus quidem, verum suavis & semper æqualis, non acris, mordax & inæqualis, ut in cæteris putridis, benigni humorem, sanguinem scil. putrescere significat. Pulsus magnus, ob copiam spirituum arteriam dilatantium, frequens, ob usum adauctum à caloris intensione, mollis, ob sanguinis copiosi præsentiam, vehemens, ob virium robur, procedens à copia sanguinis & spirituum, majorem autem habet contractionem quam dilatationem, ob majorem necessitatem expellendi fuligines.

Urina rubra & crassa, copiosi sanguinis peccantis indicium, prout esset biliosi, rufa & flava. Lassitudinem totius phlegmonosam & capitis gravitatem, à copioso sanguine, & multo magis à nimia vaporum copia provenisse credendum, necnon facies rubra, cum rubris oculis & venis, veluti sanguine suffusis, ac faucium glandulis intumescentibus, exuberantis sanguinis indicia existunt.

Sanguis autem iste copiosus, à parvæ pilæ ludo, utpote violento exercitio commotus & excalefactus, nec à venis repletis ventilatus, putredinem concepit, & quidem facilius ex prægressa totius corporis cutis densitate, sudore perfrigerato, & indè prohibita universali transpiratione, ob quam retrocesserunt excrementa, adauctus est calor internus, & præterea ex retentis vaporosis excrementis, universali horripilatione, febris jam dicta synocha putrida, eaque homotona secuta est.

Febrem hanc inter simpliciores enumerabat Gal. unde, nisi accidat error, sperari potest crisis, in quarta aut per hæmorrhagiam aut per sudorem, ad summum vero in septimana: synochus enim vel incipit à vigore, vel tribus aut quatuor horis, ad vigorem pervenit, imò totus synochorum decursus, status est. Error autem, qui maximus in continentibus committi potest, est curationis dilatio, apud nos vero, præter dictum, secundus & frequens est, omissa sanguinis missio, aut quia timidi sint Patientes, aut quia Medici imperiti, hæmophobi & cucurbitularii, & ideo, si febrilis hæc hebdomadam pertranseat, acutissimi, maximi & gravissimi morbi contingere poterunt, unde & ipse Hippocr. dicebat, quod morbi qui ad febres continentes consequuntur, sunt maxime acuti, & accidunt laboriosissimi, qui plurima tutela & exactissima curatione egent.

Protractionem autem, imò & exitum infelicem, nobis plurimum præmonstrant urinæ, quæ si ab initio ad albedinem vergant diuturniorem fore febrem significant, si albæ & tenues, plerumque mortem prædicunt. Cum itaque in casu nostro rubræ & crassæ appareant, & quia nullus in curatione error admittitur, salutarem ac brevem fore speramus, cum vero densus sit Patientis habitus, hæmorrhagia facilius quam sudor expectari poterit.

Utcunque, statim ineunda curatio, quæ quatuor perfici debet. Refrigerantibus & humectantibus, ratione febris. Refrigerantibus & exsiccantibus, ratione putredinis. Attenuantibus & incidentibus, ratione obstructionis. Et tandem evacuantibus, ratione materiæ peccantis. Inter has autem indicationes, illa quæ à febre desumitur dignior est & cæteras obscurat, ut Galeno visum fuit.

Et in Chirurgico fonte, in primis consideranda sanguinis missio, quæ si in ulla alia febre conveniat, in hac necessaria censetur à Gal. dicente, Saluberrimum autem est in febribus venam incidere, non modo continentibus, verum etiam aliis omnibus quas humor putrescens concitat, ubi nec ætas nec vires prohibent. Ratio autem est, quoniam adest vitium in sanguine, & morbus est magnus: sic servus, synocho putrida laborans, misso sanguine à Gal. septima omnino liberatus fuit.

Quantitas autem, sit usque ad animi deliquium, quam evacuationem admisissent quoque Averroes, Celsus, Brasavolus, si inter se distinxissent exsolutionem, animi deliquium, & syncopen. Exolutionem quippe distinxit Hipp. ab animi deliquio, dum dixit, A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectus. Deliquium autem distinxit Gal. dicens. Quod si crassi succi, neque obstruant, neque onerent, syncopen certe non inferunt, sed animi deliquium. Sanguinem itaque mittit Gal. usque ad animi deliquium, non usque ad syncopen, nimirum usque ad incipientem pulsus mutationem, non ablationem, ita enim totum corpus refrigeratur, & ad pristinam temperiem deducitur, ac natura copiam peccantis humoris, per nares, vomitum, alvum, urinam aut sudorem expellit, eoque audacius in tali casu molienda evacuatio, cum Juvenis sit plethorici habitus, neque cruditates prohibeant, quæ si omitteretur, periculum incurreret suffocationis, aut syncopes, nisi plurimus sudor, aut largum sanguinis profluvium, ipsum à morte vindicarent, atque ita miseri ægrotantis vita, non in manu Medici, sed naturæ suffocatæ posita esset. Tempus sit, quamprimum, immisso clystere, antequam sanguis majorem putredinem nanciscatur. Quod si ob metum patientis, aut Medici, nonnunquam differatur sanguinis missio, sexto, septimo, ac sequentibus diebus erit usurpanda, non enim dierum numero, sed uni virium robori in hujusmodi febribus attentos esse oportet.

At si fortè ægri parentes sanguinis missionem usque ad animi deliquium reformidarent, repetatur

tatur bis aut ter, adeo ut cum Avic. multiplicatio numeri quantitatem suppleat. Conveniunt præterea frictiones totius corporis, nec non cucurbitulæ leves, ad cutis obstructiones reserandas, & liberam transpirationem ac diaphoresin conservandam.

Et quoniam, maxima continentium febrium remedia duo sunt detractio sanguinis, & potio frigidæ, ideo, si sanguinis missio sufficiens non fuerit, frigidam propinandam esse, præcipit, sic Rusticum quendam, synocho laborantem, gelidæ potu post venæ sectionem sanavit ipse Gal. & ideo hoc quoque remedium patienti nostro conveniet, ut qui nativi caloris robore gaudeat, viscera omnia ab obstructionibus, tumoribus & inflammationibus immunia habeat, copiosis gelidæ potibus sit assuetus, nec gracile sit ipsi corpus. Quare, aliqua tantum, licet non perfecta, sed incipiens saltem concoctio expectanda foret, & primæ viæ ab excrementis mundandæ. Hoc autem statim ab educto sanguine curandum, syr. ros. sol. & manna, cum decoct. pulpæ tamarindorum, flore cass. cum tart. quibus superbibat seri depurati lib.ij.

Dum autem expectatur concoctio, cæteris indicationibus satisfaciendum, attenuantibus & incidentibus, juleb scil. acet. vel cum Avic. acido cit. in aqua hordeacea, vel syr. de acido citri, de succ. lim. in aquis stillat. de succo cich. acet. endiv. imo & jusculis cichoraceis alteratis.

Frigida propinata, observanda naturæ propensio; quæ plurimum solet esse ad sudorem vel ad urinam, nisi hæmorrhagia secuta fuerit, ideo parari poterit pulvis, tepetendus, qui, ut exsiccans, putredini quoque resistere valebit.

♃. Corn. cerv. philosoph. drachm. j. lapid. Bezoar. occid. drachm. sem. m. pro duabus vicibus, & præbeatur in aqua Card. sanct. & scorzoneræ, cum gutt. spirit. vit. mane & vesperi. Clysteres quoque frequentes injiciendi, contemperantes, & ad alvum allicientes, ex decoct. malv. viol. mercurial. hordeac. cum cass. & syr. rosar. solut.

Tandem, ad rhabarb. exhibitionem cum cass. vel. syrup. rosar. solut. cum copioso sero capr. depur. deveniri poterit, cautè tamen, & nonnisi apparantibus manifestissimis signis coctionis, nimirum sub finem, ne relinquantur in morbo quæ recidivam facere possint, alioquin, ante signa coctionis, calor febrilis augetur, turbatur concoctio, neque sequitur humorum evacuatio.

Extrinsecus interim, refrigerantia, Jecori, Cordi, Renibus, & Testibus apponi debent.

Et pro jecore, ♃. Aq. de succ. cichor. lib. j. de succ. hepat. lib. ſ. succi lim. vel aurantiorum unc. iij. aceti rof. unc. j. ſ. specier. trium sandal. drachm. iij. m. pro epith. jecoris.

Pro Corde, ♃. Aqu. viol. rof. an. lib. j. Aq. flor. cit. unc iij. succ. cit. aceti rof. an. unc. j. ſ. specier. cord. temp. drachm. iij. m. pro epith. Cordis. Pro renibus, ♃. Aq. nympheæ lib. j. plantag. rof. an. lib. ſ. album. ovor. rec. n. ij. m.

Pro testibus, ♃. Aq. rof. unc. vi. Aq. sempervivi, aceti rof. an. unc. iij. m.

Victus sit refrigerans & humectans, tenuis, ut emulsio sem. mel. cum pauxillo pane, vel ptisana sola, jubet enim Hippocr. in sorbitionibus & potionibus degendum esse donec febris imminuta fuerit. Vinum omnino interdicatur. Et hæc pro salute Nobilis Patientis dixisse, satis. *Idem ibidem.*

Ardens.

Mercator Nobilis 25. annum agens, temperamenti totius, & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus, & ut ad operationes omnes exercendas promptissimus, ita ad iram facile pronus, cum sub Cane, ut Nundinas adiret, pluribus diebus sub radiis solaribus iter fecisset, diuturnam sitim passus, vina meraciora abundè potavit, iisdemque diebus, domum reversus, inexhausta siti detinebatur, & totius corporis lassitudine dolorosa corripi cœpit, cui paulò post successit vehementissima febris, cum ingenti calore & inexplebili siti, quæ prima & secunda die continua perseveravit, absque ulla declinatione cum linguæ ariditate, oris amaritudine, vigiliis, inquietatione corporis, aliqua interpolata mentis alienatione, & dejectionibus per alvum biliosis non sine aliquo morsu, modo ad tertium pervenimus diem, in quo, pro febris, & symptomatum declinatione, potius omnium exacerbatio, licet non cuilibet evidens, à nobis Medicis convocatis observatur, cum respiratione magna, celeri atque frequenti, pulsu pariter celeri & frequenti, temporum pulsatione & urina flammea, cum aliquo tamen apparente suspenso. Quare de agendis pro salute consulit.

Calor exurens & sitis inextinguibilis, sunt duo symptomata pathognomonica, adeo ardenti febri propria, ut omni, soli & semper ipsi conveniant, biliosarum enim omnium maxima est ardens, si magnitudo febris à magnitudine caloris est desumenda; Deurentem enim & Causona, sive Causonidem, ab incendio, eam Græci dixere, quam propriè & peculiariter ignem appellavit Hippocr. in Sileno, Philini Uxore, Metone, & Erasino. Talis est quidem præsens febris, qua torquetur egregius iste juvenis, in quo, pro abundantissima bilis generatione concurrunt causæ omnes internæ & externæ, naturales & nonnaturales. Juvenis enim est Patiens, temperamenti totius & jecoris, imò & ipsius cordis, calidi & sicci, cum & ad operationes omnes & ad iram promptissimus sit, habitus quoque gracilis, quia serositatibus biliosis, non probo sanguine abundat, unde carnosus evadere potuerit, iter longum fecit sub radiis solaribus, & sitim diutius passus est, quam extinguere credidit potibus meracioribus, sed præterea copiosæ bilis in venis putrescentis, & ardentem febrem excitantis, præsentiam sat superque attestantur, lassitudo ulcerosa, quæ primò futuram febrem pronuntiabat, modo præsentem ostendit, biliosorum enim ac tenuium humorum acrimoniam significat.

Pariter reliqua signa ab Hippocr. & Gal. proposita, necnon à Paulo, Oribasio & Aëtio recepta, nimirum lingua aspera & sicca, dejectiones liquidæ & pallidæ, ventris morsus, vigiliæ, interdum mentis alienatio. Et primò quidem lingua aspera, & sicca, ob insignem exustionem; biliosæ dejectiones & liquidæ, à calore colliquante; ventris morsus, ex confluxu acrium humorum ad ventrem, à quibus elevati vapores

ad ventriculum, inquietudinem & angorem inducunt; vigiliæ, ob vaporum acrimoniam caput petentium & exsiccantium, mentis alienatio, à raptis in cerebrum, non vaporibus solùm, sed biliosis humoribus, spiritus agitantibus & cerebrum calefacientibus, noncum tamen inflammantibus. Respiratio est magna, celer & frequens, quia os aperientes continuò respirant, ut majori exsufflatione spiritus ignei levetur ipse Patiens. Pulsus celer & frequens, ob necessitatem calorem eventilandi & fuligines expellendi, prout temporum pulsatio, ex spiritu, à vehementi calore impulso atque commoto. Urina tandem flammea & lucida, utpote ignea & biliosa, & in ardentibus perniciosa, aut nigra, aut alba, nigra, ob flavam bilem superassatam, alba, & omnino cruda, dum tota bilis ad caput fertur & phrenitidem facit.

Quibus omnibus in copiosæ bilis præsentiam conspirantibus, à nobis consideratis, ardentem febrem necessario secutam vidimus, dum hoc æstivo tempore, venulæ exsiccatæ a toto ad sese biliosos humores attraxerunt, sicut enim siticulosus quispiam æstivo tempore redditus, si liberalius aquam salitam, vel vinum purum bibat siticulosior evadit, ita attractrix vasorum facultas acres humiditates attrahit, quæ in uno membro, erysipelas, in toto, causum faciunt. Hæ autem biliosæ humiditates sunt primo, bilis excrementitia, utpote magis putredini obnoxia, progressu verò & alimentalis, quæ ratione ignis prius in aridioribus stipulis accenditur, mox in virgultis, & lignis, tunc que pulsus & urinæ peiores evadunt. Sic de Ichoribus loquuti fuerunt. *Hipp. & Gal. 4. Acut. 1. 1. de Morb. 27. & 4. Aph. 57.* De humoribus verò, *4. Aph. 58. & 59. 2. de Crisib. 3. & 2. de Diff. Feb. 9.* Bilis autem hujusmodi tertio quoque die accessionem non excitat, quia putrescit in venis maximis & cordi proximis, annotationem, & exacerbationem quandam præbet, licet obscurissimam tum ob ejus insignem activitatem, tum quia solet putrescere in venis, maximum consensum habentibus cum corde & faucibus, & ideo calor exurens, & sitis inextinguibilis, sunt signa ab hac febre inseparabilia, quas partes voluit esse Gal. ventriculum, hepar & pulmones.

Ardentem febrem acutissimam & perniciosissimam appellabat Gal. quæ, si exquisita intrà hebdomadam terminatur, quia adeo ingentem calorem, & symptomatum vehementiam, diutius natura tolerare non potest, quare statim aut vincit aut vincitur. Hæmorrhagia expectari potest, cum hujusmodi febri & familiaris & salutaris esse soleat, familiaris quidem, quia sicut in musto effervescente, ob spirituum copia, disrumpuntur & utres & dolia, quid mirum si in ardentibus aperiantur venæ narium? Salutaris vero adeo esse solet, ut Hippocr. dixerit, quod maximè servabantur illi quibus ritè & largiter sanguis per nares erumpebat, quorum nullum vidit mortuum. Philiscus vero, Epaminondas & Silenus, quibus parum, quarto & quinto die de naribus stillavit, mortem obierunt. Gal. addit in Comm. quod servati quoque nonnulli sunt, quibus aliæ fiebant excretiones, aut per sudorem, aut per urinam. Heraclides autem, apud Aristoclidem, ardente febre detentus, auriginosus factus, etiam ante septimam quia has tres habuit omnes evacuationes, servatus est, sed per alvum servari fuerunt Bion, Critonis puer, & ipse Milo.

Exitialem autem, & omnino perniciosum eventum, in ardentibus pronuntiavit liberè Hippocr. ex quo mors futura a sex potioribus signis tuto prædici poterit. Et primo quidem si diebus paribus intensior febris fiat. Secundo si adsit siccitas linguæ, nec tamen æger illam persentiat. Tertio si stilla meri sanguinis appareat. Quarto si rigor ægro jam debili superveniat. Quinto si superveniat icteritia ante septimam. Sexto, extremarum partium refrigeratio.

Cum igitur nullum horum adsit in Patiente nostro, & remedia tempestivè administrentur cum ægri obtemperantia, & sedulitate assistentium, speranda salus.

Pro curanda hac febre, à nobis considerandus modus quo pereant ardente febre correpti, exsiccati namque moriuntur. Quare, indicationes sunt desumendæ, ab ipsa Febre, à Causa, & a Viribus. Et primo quidem febris validissima postulat refrigerantia. Causa, bilis nimirum, & ipsa refrigerantia quidem primo, verum & secundo evacuantia. Vires vero tertio indicant sui conservationem, alimentis refrigerantibus & humectantibus, neque sunt negligenda symptomata.

Pro explendis intentionibus jam dictis, tria præcipua ab Antiquioribus considerantur remedia. Venæsectio, Frigidæ potio, & Balneum.

Venæsectionem in curatione ardentis febris proposuit Gal. cum Hipp. quam tamen damnat Avic. & Arabes a Græcis dissentire videntur. Verum neque Græci in vera, legitima & exquisita ardente curanda, sanguinis missionem proponunt, sic neque Paulus, neque Trall. neque Aëtius ullam de sanguinis missione mentionem fecerunt, pariter Hipp. & Gal. hoc remedii genus omnino prætermiserunt, & ratio est quoniam dum fit à pura bile excrementitia, cum defectu sanguinis, in temperamento calido & sicco, habitu gracili, facileque resolubili, cum prægressa victus ratione calida, in regione & anni tempore calido, vires constare non possunt. At si fiat à sanguine bilioso, aut à bile sanguini mista, mittitur sanguis ad caloris ventilationem, sanguinis effervescentis moderationem, fuliginum dissolutionem, & ad calidi humoris à corde diversionem. Animos autem addit ad sanguinem mittendum, crisis, seu judicium, per largum ex naribus sanguinis profluvium, quod ardentibus febribus familiare esse solet. Nec valet Avic. object. quod effrenetur bilis, quoniam æqualiter educitur effrenans ac effrenatum, nam in divisione misti, unaquæq; pars illius divisionis, constat ex omni simplici constituente totum mistum. Unde Avic. in non exquisita sanguinis missionem admittit, dicens, & non phlebotometur, fortasse enim inflammabit, in pura scil. & exquisita, non inflammabit, in impura & non exquisita. Quantitas tamen nullo modo fit usque ad animi deliquium, licet talis evacuatio proponi videatur à Gal. in febribus ardentissimis, intendit enim, ut Brasavolus, & cum eo omnes Professores interpretantur, per ardentissimas febres, fortissimas & vehementissimas, quales sunt synochi. Educatur itaque, habita virium & humoris peccantis ratione, parcè tamen semper; imò, non

con-

constantibus viribus, venæsectioni substituantur cucurbitulæ, vel hirudines venis sedalibus admotæ, præsertim urgente delirio, in quo casu phœnigmi quoque applicantur.

In nostro autem casu, cum omnes adsint ardentis puræ, legitimæ atque exquisitæ conditiones, à sanguinis missione erit omnino abstinendum, & ad frigidæ potionis considerationem deveniendum, est enim secundum principale remedium, in curatione febris ardentis, à Gal. propositum, his verbis. Nullus, cui frigidam propinavi, mortuus est, quia opportunè propinavi: neque perniciosè habentibus eam administrare unquam sum conatus. Hoc autem remedii genus satisfacere poterit Medicis intentionibus, non solùm curativis, quatenus æstuantem calorem febrilem contemperat & extinguit, verùm etiam præservativis, quatenus bilis mordacitatem & acrimoniam moderari, demulcere, ejusdem tenuitatem incrassare, & non rarò eandem per vomitum, alvum aut sudorem evacuare solet.

Cautè tamen frigida præbenda, etenim, licet adsit indicans, sæpè tamen adest prohibens. Prohibentia autem plurima sunt, gracilitas corporis, imbecillitas caloris nativi, viscerum obstructiones, tumor, vel inflammatorius vel scirrhosus, vel œdematosus, insuetudo, tempus non æstivum, & signa cruditatis, quàm tamen admittit Trall. in inflammationibus erysipelaceis. Sed quoniam prævidit Gal. difficillimum fore, ut omnia dicta prohibentia à febricitante abesse possint, & ideo egregium hoc remedii genus rarissimè usurpari posse, restrinxit ad tres conditiones. Prima est, quod febris sit ardentissima, & est indicans. Secunda, quod adsit totius & viscerum robur; & est permittens. Tertia quod appareant signa coctionis, & sic non adest prohibens. Et quoniam scio multos instare, quod si expectentur signa coctionis, tunc æger in tuto est, & ideo frustra futurum remedium, si vero non appareant, nunquam locum habebit, undè contra Gal. Aver. insurgit, pluresque adducit rationes, concludens exhibendam esse antequam ad exsiccationem ducatur, sicque moriatur æger: Hanc ob causam, Galenum explicando, dico sufficere quod aliqua appareant signa coctionis, quæ observantur in augmento, antequam æger exsiccetur, nec in tuto reperiatur, brevissimum enim est febris ardentis principium.

Quantitas sit ità copiosa, ut potentior ipsa febre evadat, ad extinctionem sitis, quantam unico haustu haurire potest Patiens, ad extinctionem vero febrilis caloris usque ad mutationem coloris ad plumbeum, ad lib. 6. 7. & 8. gelida autem in assuetis sit, naturalis vero frigiditatis, in desuetis.

Tempus universale sit, transacto principio, nimirum in augmento, præsumpto medicamento leniente, vel syrup. rosf. solut. cum sero capr. aut flore casf. cum eodem sero, non autem purgante, quidquid dicant Averr. Trall. & Paul. Et licet Hippocr. proposuerit sorbitiones attractorias, non novit nostra lenientia, sed præterea cibum medicamento commiscendum innuit, ad siccitatem arcendam, quod nos etiam in lenientibus exhibendis observare tenemur, & ideo serum copiosum superbibendum præbemus. Particulare vero tempus sit, horis minoris afflictionis, recedente statu, tuncque tegatur Patiens, quiescat, & somnus imperetur ut sudor provocetur. Ac proinde in Patiente nostro, frigidis potibus assueto, cùm adsint conditiones requisitæ, ad gelidam exhibendam, & aliqua signa coctionis apparere cœperint in urina, frigida propinari poterit, in præsentis exacerbationis status declinatione, jam dictis omnibus observatis, & alvo prius flore cassiæ lenita.

Quibus concedi non potest frigidæ potio, alia refrigerantia, & bilem ac calorem contemperantia substitui possunt. Hippocr. Causo laboranti, aquæ mulsæ coctæ & aquosæ, quantum æger voluerit præbendum jubet, imo & lac asinæ concedit, sed Gal. in Comm. serum præfert. Ægyptii utebantur aquis stillatitiis anguriæ, cucumeris & melonum. Trall. narrat se frequenter ardentem febrem sanasse succo peponum, & aqua copiosa superhausta. Sennertus, dat emulsionem seminum melonum, cum sero asinino. Fonseca, copiosam aquam hordei, cum drach. j. salis prunellæ. Nos, potionem ex aquis de succo cich. acet. endiv. cum syr. de succo lim. Mox pro secundo alterante, decoct. viol. lactucæ, portulacæ, hepaticæ, nympheæ, sempervivi, cum, succis acidis refrigerantibus. Et licet Massarias reprobaverit acida, ut adstringentia, forsan non cognovit quod stypticorum alia sunt crassæ substantiæ, ut pontica & austera, sorba, corna & hujusmodi alia adstringentia, alia tenuioris, ut acida, succus citri, limon. acetum, vitriolata omnia, hæcque non adstringentia, sed aperientia sunt, quæ ideo potionibus refrigerantibus, immo & aperientibus immisceri possunt.

Balneum tandem, est ardentis febris tertium præcipuum remedium, ex aqua dulci, malva, violis, lactuca, nenuphare alterata, paratum; tepidum initio, pro resolutione acrium humorum, ulcerosam lassitudinem causantium: frigidum in fine administrandum, licet robustis corporibus, æstivo tempore, frigidum quoque statim & semper permittat Gal. Sed quoniam Balnei usus hisce nostris temporibus jam obsolevit, ideo in nostro casu omittatur, & capiti, cordi, jecori, renibus & testibus refrigerantia apponenda substituantur. Sic capiti applicentur lintea, aqua rosarum, violarum, lactucæ, salicis & papaveris imbuta.

Cordi, ℞. Aquæ nympheæ, viol. rosf. buglossi an. unc. iv. flor. cit. unc. ij. aceti rosf. succ. lim. an. unc. j. specierum cord. temp. drachm. ij. diamargarit. frigid. drachm. j. camphoræ gr. ij. m. pro epith. cordis sæpius repetendo.

Hepati, ℞. Succi depurati cich. lib. j. end. lib. ſ. lactucæ unc. ij. succi lim. unc. ij. aceti rosf. unc. j. specier. trium sandal. drachm. iij. m. pro epith. jecoris. Renibus applicentur folia nympheæ, aqua frigida lota, vel lintea lacte madentia,

Vel ℞. Unguent. rosf. Mes. infrig. Gal. an. unc. ij. m. illinantur renes, mox folia vitis, aqua lota, superponantur. Testibus applicentur lintea aqua rosf. frigida, cum aceto rosf. imbuta.

Dum hæc omnia fiunt, frequentes sint clysteres refrigerantes & humectantes, ex decoct. malv. viol. hordei, cum oleo violac. butyro & flore cassiæ, vel ex lacte, butyro & sacchara parati. Et hæc pro febre satis.

Symptomatibus præterea occurrendum, quorum frequentiora & principaliora solent esse, sitis, vigiliæ, delirium & ventriculi angor ac æstus.

Sitim quod attinet, primò observandum præceptum Hippocraticum. Siti carentem, os claudere, tacere, ventum, cum potu, frigidum introducere, quo non sufficiente, aquæ potum & quietem addidit. Frequentes itaque sint oris colutiones aqua frigida, vel emulsione quatuor sem. frigidorum, cum aqua hordei aut cucurbitæ extracta. In ore detineat Crystallum, Achatem, vel alios lapillos, nive refrigeratos. Illinatur ventriculi regio unguent. rof. Mes.

Ad vigilias, præbeatur unc j. syrup de papav.

Vel ♃. Sem. papav. albi drachm. iij. aq. lactucæ unc. iv. M. F. emulsio, vel Nepenth. Querc. à gr. j. ad gr. ij. Extrinsecùs illinantur nares & tempora. Nep. Querc. aqua rof. vel viol. Vel, de more Rhasis, totum syncipût oleo nenuph. illinatur. Pedibus lotiones tepidæ, ab assumpto cibo, administrandæ, ex decoctione fol. lactucæ, nymphex, vitis & salicis, necnon capitum papav. albi.

Ad delirium præcavendum, est revellendum repellendum & refrigerandum. Revellunt pedum lotiones, aqua calente, ante cœnam, frictiones, cucurbitulæ siccæ, & urgente delirio, cruribus sinapismi, & phœnigmi coxis. Clysteres quoque quodammodo acriores, ex decoct. malv. bet. mercur. chamæm. addito syr. rof. sol. imo & elect. de succo rof.

Repellunt hæc, ♃. Ol. rof. omph. unc. iij. succi lim unc. j. m. pro oxyrrhod. frigido apponendo, & quibus caput est firmum, nec destillationibus obnoxium, capiti applicari poterit etiam linteum aqua frigida imbutum.

Ad ventriculi æstum & anxietatem, calor ad inferiora trahendus, frictionibus, siccis cucurbitulis, Deinde sub exacerbationis tempus,

♃. Aqu. scorzon. tot. cit. succi granat. an. unc. ij Margarit. præparat. drachm. j. m. & per os cochleari præbeantur. Sed potio frigidæ sat esse solet.

Extrinsecùs ventriculus illinatur ol. rof. vel succo portul. aut agrestæ, ut Trall. à quo proposita vesica, gelida aqua semiplena, est reprobanda, ne difficultas spirandi, singultus & interitus accidant, ut observavit Benivenius.

Victus rationem quod attinet, decumbat æger in lecto amplo & molli, cum linteis nitidis. Aër cubiculi frigidus sit & arte refrigeretur, tectus tamen maneat æger, adeo ut tangat calidum, & inspiret frigidum. Victus sit refrigerans & humectans, tenuis; quia morbus peracutus est, non tamen tenuissimus, hac recordatione, quod Gal. contra Diatritarios, in juvene calido & sicco, in accessione, cibum præbere coactus fuit. Unde & Rhasis non probat in Causonide victus rationem ab Hipp. in acutis præscriptam, nimis enim calor febrilis accenderetur, qua ratione etiam sani, calidi & sicci, ex inedia febricitant. Sic parum & sæpe, potiones & sorbitiones, suo tempore, actu & potentia frigidæ offerendæ, opportunè scil. & propè declinationem, etenim Philonis Filia, septima die intempestivè, cœnata, defuncta est, licet è naribus sanguis profluxerit, cum tamen Gal. in Com. asserat quod omnes, quibus copiosè sanguis è naribus profluxerat, servati fuerint. Potus sit aqua stillatitia cich. end. acet. & cucurb. Nec potus adeo denegandus, ne miser Patiens ducatur in hecticam, ut notat Gal. contra Medicos ignaros, & perperam rigidos. Somnus omni industria procurandus, ita & quies. Alvus clysteribus ex lacte, butyro, & saccharo, vel flore cass. solicitanda, & animi commotiones, ira præsertim, arceantur. Hæcque sint dicta pro salute Patientis. *Idem ibidem.*

Ardens Spuria.

Vir quinquagenarius, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus, & vorax, cui juveni alvus lubrica fuit, nunc verò exsiccata est, diebus bacchanalibus lautissimis, cum juvenibus, cœnis interfuit, & noctes insomnes duxit, à quibus ingenti febre correptus fuit, cum ingenti & acri, at non exurenti calore, sitique molesta, cui, cum tribus antè aut quatuor diebus, alvus omnino adstricta fuisset, prima febris die soluta est, & excrementa, non biliosa, sed potius corrupta & cruda dejecit, lingua tamen non nigra, sed potius albicans, cum sapore non amaro, sed salso, & statim cum delatione in somnum, pulsus celer quidem & frequens, at non adeo ut in ardente legitima, sicut urinæ crassæ sunt & crudæ, non flammeæ. Modo, tertia volvitur dies sine nova repetita accessione, die secunda à Medico assistente flor. cass. cum crem. tart. exhibito. In præsens de agendis pro salute consulit.

Febris hæc, quæ nudius tertius invasit, absque ulla repetita accessione, cum ingenti calore, & siti molesta, necessario inter conclusas & continentes collocanda venit, nec ob ætatem, temperamentum, habitum Patientis, inter sanguineas & synochos, sed potius inter biliosas enumeranda videtur, præsertim, si calorem insignem & acrem, sitimque molestam, ac pulsus celeritatem & frequentiam consideremus, sicque Causonidem, & ardentem eandem constituemus. Verum quoniam neque calor adeo exurens, neque sitis adeo magna, nec lingua adeo aspera & nigra, imo albicans observatur, neque urinæ alvique excrementa biliosa apparent, & loco vigiliæ, delatio in somnum, ideo ardentem notham & spuriam hanc omnino dicemus. Et licet Hippocr. in descriptione Causi nothi, posuerit alvum solutam, sitim magnam, linguam asperam, siccam, salsam, urinæ, interceptionem, vigiliam, extrementorum refrigerationem, ipse tamen descripsit Causum malignum, non enim perpetuò nothus est talis Causus, nec tamen posuit linguam nigram, quippè cui non competat, ut ardenti legitimæ, sitis magna & inextinguibilis.

Hunc autem nobis confirmant ætas inclinans & vita anteacta, voracitatibus dedita, cum spontaneis vigiliis, ad crudos & pituitosos humores coacervandos maximè idonea, unde dicebat Hippocrat. febrem ardentem pituitosos quoque corripere, & hyeme magis, hoc est, vehementiùs, non autem frequentius, ardentes febres fieri asseruit Aristot. nec sine ratione, cum spuriæ ardentes sint germanis periculosiores, ut observavit Trall. At quoniam, Patientis temperamentum totius & jecoris, calidum & siccum, habitusque gracilis est, ideo in eodem quo-

quoque bilis assatæ proventus est supponendus, quæ fusæ pituitæ associata, salsam eandem reddidit, & in venis maximis, cum corde & faucibus consensum habentibus, copiosa firmata, nec ut antecedentibus annis, per alvum excreta, putredinem concepit, majorem salsedinem acquisivit, ac febrem ardentem notham excitavit. Quibus enim juvenibus alvus humecta est, iis senescentibus exsiccatur. Spuria autem est, ratione materiæ, non ratione loci, fit enim & causus iste nothus, ex phlegmate salso, putrefacto, & quidem in venis, quæ sequuntur partes cordis, ut Avic. verbis utar.

Febris hæc notha, legitima ardente periculosior à Trall. censetur, eoque magis si in sene fiat, tunc enim lethalis habetur, & ratio est, quoniam cum à materia crassiori procedat, naturæ viribus eget, tum ad concoctionem, tum ad expulsionem ejusdem perficiendam, quæ ut plurimùm & ferè semper, per abscessum sequi solet ad aures, ut Antiphonti, Critobuli filio, cui 24. abscessus fiebant, & 40. prorsus liberatus est. Aliquando tamen & ad crura, aliasve corporis partes abscessus fiunt, unde & Averr. ab ardente febre fuit liberatus, materia noxia ad artus transmissa, frequentissimè tamen per parotidas judicantur, quæ si apparuerint, & non erumpant suppuratæ, pereunt, nisi horum alterum superveniat, aut sanguinis fluxus copiosus è naribus, aut crassa & copiosa in urinis subsidentia. Noster autem Patiens, cùm non sit adeò senex, viribus valeat, & tempestivè se ipsum obsequentem Medico præbeat, fore ut sanitati restituatur sperandum est.

Curatur autem ab Avic. eo modo quo tertiana continua notha, evacuantibus, præparantibus, & modicè contemperantibus.

Ad sanguinis missionem quod attinet, convenire non videtur, nisi multo sanguine æger abundaret, tuncque parcè, & potius ad eventilationem quam ad evacuationem. In casu nostro, si in progressu caput lædatur, & somnus profundior evadat, venæ sedales aperiri poterunt, nec tamen id differendum quousque natura deponere inceperit, narrat enim Rhasis quod Causo correptus, expulso humore ad partes extremas, judicatus, facta phlebotomia intempestiva, mortuus est.

Evacuantia quod spectat, cum leniens jam fuerit exhibitum, ad humorum præparationem erit statim deveniendum iis quæ attenuandi, detergendi, at non multùm calefaciendi facultatem obtineant. Paulus, & Oribasius mulsam proponunt, imò & Hippocr. quæ ut vim quoque acquirat incidendi, acetosa reddetur, addendo duodecimam partem aceti, præberique poterit ad lib. 1. vel julapium acet. cum decoct. borrag. end. melissæ & betonicæ.

Ad caloris verò remissionem, quoniam potio frigidæ huic ardenti non competit, utpote nothæ ideo substitui poterit aqua hordei cum saccharo ut quæ & attemperandi, & abstergendi facultatem obtineat, sic pariter sua nitrositate serum asininum, aut capr. depur. quod facilius ad alvum ducetur addito julap. acet. ad unc. iij. sicut, si ad urinæ vias natura vergere videatur, emuls. sem. melon. cum succ. limonum & pauxillo saccharo, Vel talis parabitur convenientissima potio,

♃. Sem. mel. mundat. unc. iv. anguriæ, cucurbitæ, cucum. an. unc. 1. liquiritiæ rasæ unc. ß. semin. fœniculi drachm. iij. sacchari fini unc. j. m. conterantur omnia in mortario, & aqua rosacea irrorata in linteo colligentur, & cum aquæ hordei lib. ij. fiat emuls. quæ bibenda præbeatur, sitim enim extinguit, calorem febrilem satis contemperat, & urinam provocat.

Interim clysteres injiciantur, ex decoct. malv. betæ, mercurial. addito melle ros. sol. & oleis. Vel repetatur minorans, ex cass. lenit. & tart. vel ex syrup. ros. solut. mel. ros. solut. quibus superbibat Patiens ser. depur. lib. ij.

Et apparentibus manifestis signis coctionis, nimirum febre declinante, aliquod leve purgans exhiberi poterit, audacius quam in legitima, & in hac potissimum existimarem Hippocr. proposuisse sorbitiones attractorias, ita ut attrahenti pharmaco sorbitiones misceamus, vel statim post medicamentum eas præbeamus, ad calefactionem nimiam & exsiccationem evitandam. Itaque sic parari poterit potio,

♃. Pot. Magist. ex manna clarif. unc. v. addendo infusioni consuetæ agaric. troch. drach. ij. Rhab. opt. drach. ß. fiat potio, tribus autem horis ab hac assumpta, præbeantur aquæ hordei, aut seri capri lib. ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat.

Vel boli, ♃. Flor. cass. recent. extr. elect. lenit. diacath. an. drachm. iij. pil. de tribus, vel de agaric. drachm. j. M. F. Bol. & post horam præbeatur serum, quatuor verò ab hoc, prandeat.

Balneum, pro tertio remedio febris ardentis, jam fuit ab Hipp. Gal. Avic. ac omnibus Medicinæ Principibus propositum, utpotè, quod possit calorem contemperare, & humorum coctionem, simulque resolutionem adjuvare. Sed in ardenti spuria, dubium est, an conveniat necnè, & dubitandi occasionem præbent Gal. & Avic. non concordantes. Gal. enim ait, quod Balneum, corpore evacuato, prodest, si à bile, non adeò, si à salsa pituita putrefacta oriatur febris ardens, cui subscripsit & Paul. Avic. vero docet, Balneum, in ardente notha utilius esse quam in exquisita. Conciliantur autem dicendo, quod finis & effectus Balnei duplex est, alter ad ardorem contemperandum & compescendam bilis effervescentiam, alter vero ad reliquias humorum discutiendas & evacuandas. Pro prima intentione, convenit in ardente exquisita, non solùm apparentibus signis coctionis, verum & antè, tuncque convenit frigidum; in ardente verò nostra notha, convenit calidum ut quod possit salsam pituitam, quæ difficilioris, est resolutionis, attenuare atque resolvere, in quem finem Avic. Balneum in ardente notha commendat, sed calidum, Gal. verò & Paulus damnant, sed frigidum. At quoniam balneum in febribus putridis apud nos administrari non solet, ideò ejus loco, in hac febre notha frictiones universales quotidie, in remissione febris, usurpentur, manibus tali oleo inunctis.

♃. Olei amygdal. dulc. cum igne ext. unc. ij. vini albi dulcis unc. j. nitri drachm. j. m. bull. ad consumpt. vini pro frictione totius.

Victus rationem quod attinet, cum ardens notha adeo acuta non sit, neque victum adeo tenuem postulat, licet magis extenuantem, si diu-

diuturna evadat. Et hæc pro salute nostri Patientis considerata sufficiant. *Idem ibidem.*

Tertiana Exquisita.

Nobilis juvenis, 30. annum agens, temperamenti calidi & sicci, gracilis, & rari habitus, libere vivens, biliosis diarrhœis quolibet mense obnoxius, quæ sex abhinc mensibus suppressæ cessarunt, post iter unius diei, celeriter, æstivo tempore, sub radiis solaribus peractum, sitibundus factus, domum reversus, ita æstuans, in cellam vinariam descendit, & abunde vinum dulce generosum potavit, à quo, nocte sequenti, inquietus, nihil dormivit, & totius corporis lassitudine defessus, decubuit, circa vero meridiem impetuoso rigore fuit correptus per horam, cui calor successit multus, acris & mordax, cum molestissima siti, oris amaritudine, æstuationibus, renum & capitis doloribus. Accersitus Medicus jam dicta omnia observavit, & præterea, pulsus magnos, celeres, frequentes & inæquales, juxta diastolem, urinam subrufam & subflavam, moderatè crassam. Præscripsit autem ei alterans, ex sero capr. depur. in statu febris propinando, & recessit: mox, hora 24. ad visitationem reversus, invenit Patientem totum mutatum, cum exiguo febris residuo post quatuor biliosas spontaneas per alvum evacuationes, cui ptisanam, cum ovo sorbili, pro cœna, hora tertia noctis, præbendam præcepit, & abiit. Nocte autem sequenti quietè dormivit, sequentem diem omnino sine febre transegit, sumpsit tamen syr. rosf. solut. cum sero depur. cui copiosæ, biliosæ, & serosæ materiæ successit evacuatio, indè noctem sequentem insomnem duxit, & die tertio, duabus horis antè meridiem, rediit febris, eodem, imo vehementiori modo, tuncque me quoque accersiverunt, ut de agendis pro salute ægri consuleremus.

Vehementissimam apparere febrem tertianam, quid mirum? si de genere ardentium esse, licet intermittentem, expressit Gal. Tertiana autem dicenda febris hæc, quia tertio quoque die invadit, hæcque exquisita, quia non protrahitur ultrà duodecimam horam, sicut spuria foret si ultrà 24. extenderetur, tuncque protensa, sive extessa dicitur, prout quæ intra 12. & 24. horam concluditur, simplex tertiana à Gal. appellatur, quæ quidem, neque exquisita, neque notha est, sed inter utramque media. Fit autem hæc febris, à flava bile per totum corpus affluente, quæ sincera est, non quidem sinceritate permissionis, talis enim in solo folliculo fellis reperitur, sed sinceritate qualitatis, etenim ubi adest copia bilis putrescentis, & plurimus calor, reliqua excrementa in bilis naturam convertuntur, cum in illo loco biliosa vis adeo vigeat, ut si quidpiam alterius humoris ei misceatur, pro nihilo habeatur, sicque purus atque sincerus dicatur, prout si vino exiguo & meraco aliqua portio aquæ superfundatur, adhuc tamen vini puri conditiones, quoad colorem, saporem atque odorem servabit, quia aquæ portio jam in vini naturam transiit. Et ideo, toto tempore quo tertianæ accessio durat, febris ardentis symptomata observantur, qua ratione omnium febrium maximè biliosas Galenus appellabat tertianas, imò biliosissimas, ab ardentibus enim in eo tantùm differunt, quod ardens habet flavam bilem ebullientem in venis, tertiana vero eandem in totum corpus discurrentem, sicque non ratione materiæ, sed solùm ratione loci, differt hæc nostra febris tertiana exquisita ab ardente. Focus autem putredinis, in casu nostro, sunt inania spatia viscerum naturalium, quem nobis demonstrat copiosæ bilis flavæ per alvum spontanea excretio. Non tamen semper bilis in hoc loco putrescit, in exquisita tertiana, ut falso credidit Fernelius, nec in solo ambitu corporis, ut perperam existimavit Altimarus, sed in utroque, ut facile deducere possemus ex locis duobus, per quæ natura bilem flavam peccantem excernit, alvum nimirum & vomitum, vel per sudorem. Et propterea non minus in ambitu corporis, quàm circa viscera naturalia, bilem in exquisita tertiana putrescere posse censuit Galenus, & ipse, dum non à jecore, ut Fernelius, sed à venis majoribus ad minimas, & à minimis ad spatia aut totius corporis, aut abdominis, bilis exuberans à natura transmittitur, quo impetu quoniam à bile ipsa vellicantur partes sentientes, ideo rigores excitantur.

Exquisitæ autem tertianæ signa elegantissimè proponuntur à Gal. quæ octo enumerata omnia observantur in nostro Patiente. Et primum quidem, rigor vehemens, veluti à re quapiam acuta & pungente proveniens, ad differentiam rigoris tertianæ nothæ, quotidianæ, atque quartanæ in quibus rigor, ab initio, nec tantus, nec talis observatur concurrunt enim omnia in hac febre, quæ ad vehementem & magnum rigorem punctorium statim exercitandum, necessaria sunt, nimirum quantitas bilis sufficiens, qualitas acris ejusdem, facultas movens robusta, & partium sensibilitas.

Secundum signum desumitur à calore, qui statim multus, acris & mordax percipitur, adeò ut à calore ardentium non distinguatur, paulo post tamen sub manu remittitur, cùm in ardentibus, quanto diutiùs manus imposita detinetur, tanto molestior & acutior persentiatur, idque quoniam in tertiana humor quidem tenuis est, sed per universum corpus dispersus, & ideo facile dissipatur atque resolvitur, in ardentibus vero non dissipatur, cum copiosus intra vasa contineatur.

Tertium signum desumitur à pulsu, est enim magnum, celer, frequens, ingentis caloris indicium, sicut inæqualis, inæqualitate spectante cordis ventilationem, nam inspiratio, quæ diastole fit, systole & expiratione longior.

Quartum signum est ab urina, quæ subrufa, subflava moderateque crassa est, bilis copia in venoso genere redundare significans.

Quintum signum desumitur ab accessionibus, accessiones enim fiunt de tertio in tertium, nec protrahuntur ultra duodecim horas, quanquam citius terminari possunt, undè Avic. septem horis id fieri posse asseveravit. Varietas autem durationis, pendet ab humoris quantitate & qualitate, facultatis robore, aut imbecillitate, cutis raritate vel densitate, & ab aliis causis externis.

Sextum signum dependet à modo solutionis paroxysmorum, solvuntur enim cum sudore, vomitu, aut bilis per inferiora evacuatione. Per vomitum quidem & alvum, si bilis circa viscera natu-

naturalia putrescat, per sudorem verò, si in ambitu corporis, unde Avic. dicebat quod vomitus in principio, aut aufert, aut minuit febrem, & Gal. quod morbi materiales, qui humidi sunt, hoc est, habent evacuationem annexam, salubriores ac breviores evadunt.

Septimum signum desumitur à symptomatibus, hanc febrem concomitantibus, suntque sitis, oris amaritudo, æstuationes, renum dolores, dolorque capitis pungitivus, non gravativus: quæ omnia ab humore bilioso necessariò provenire nemo est qui facilè non videat.

Octavum signum constituitur à prægressis, quæ interna & externa sunt. Interna, temperamentum calidum & siccum, habitus gracilis, ætas juvenilis, & suppressa bilis consueta, ut in casu nostro, evacuatio. Externa vero sunt, anni tempus æstivum, nimia exercitia potissimum, ut in casu nostro, sub radiis solaribus, & indè statim vini meracioris copiosa potatio, ac tandem, totius obstructio ab ambiente frigido in cella vinaria contracta. Sicut autem omnia superius allata signa in nostro Patiente tertianam exquisitam significant, ita omnia, ab octavo signo deducta, bilis flavæ redundantiam necessario demonstrant, quæ tandem naturæ molesta, à genere venoso successit, & facilius ad centrum, nimirum ad viscera naturalia, quam ad circunferentiam & ambitum corporis delata fuit, tum quia ad alvum jam anteà eandem deponere consueverat ipsa natura, tum quia ab ambiente frigido repellente, unà cum excrementis retrocedentibus, vias occludente atque intercipiente, bilis ad centrum repulsa fuit, & circa viscera concitato motu discurrens, rigorem, & indè quiescens atque putrescens, febrem hanc excitavit.

Si de eventu hujus febris loquamur, nunquam de se lethalis est, idque confirmat cum Hipp. Gal. dicens. Solæ febres, quæ in quietem febre vacantem desinunt, periculo vacant, etiamsi vehementissimam, & valdè longam habuerint accessionem, si vero adeo brevis fuerit, ut in tertianis exquisitis, minori duodenis horis tempore circumscripta, non modo sine periculo talis est febris, sed etiam cito judicatur. Neque obstat, quod sincerus humor sit periculosus, & pessimus, quia biliosus multam caliditatem, pituitosus multam frigiditatem significant, id enim tenet de bile sincera, cujus humiditas ab ardenti calore fuerit exusta, ut in ardentibus, non autem in tertianis. Longam, aut lethalem vocavit Hipp. si vel non curetur, aut malè curetur.

At quoniam magni Viri, Collerius & Mercatus, tertianas intermittentes lethales viderunt, quinque proponunt casus, in quibus lethalis reddi potest. Primus, quando biliosus humor, ad aliquod principale membrum impetuosè decumbit. Secundus quando nimis tenuis & summè putridus est. Tertius, quando bilis flava non est, sed vitellina, porracea & æruginosa. Quartus quando tenuis crassis humoribus commiscetur. Quintus, quando habet aliquod symptoma perniciosum annexum.

Si de longitudine aut brevitate loquamur, & primo de tempore particulari. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie solvuntur, ita & tertiana. De universali, tertiana brevissima, quartana longissima, utraque sine periculo, unde tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, terminatur, ait, quod longissimum, namque si prima die in urinis appareat subsidentia alba, lævis & æqualis, tertium circuitum non transcendit, si vero nubecula alba, pendens, ut in casu nostro, conspiciatur, in quarto paroxysmo terminandam sperandum, sicut, si urina potius rubicundior, sine nebula & suspenso, ad septimum usque protraheretur. Nec tamen unquam est morbus acutus, quia brevis, ut falso Altimarus fuit opinatus, acutus enim morbus, cum Gal. & Archigene, ille est, qui habet cum brevitate periculum.

Si de modo. Tertiana & ardens, ut plurimum sudoribus terminari solent, maximè vero si bilis, totius carnes & ambitum corporis occupaverit, ut si circa viscera naturalia extiterit, facilius per vomitum aut per alvum expurgabitur, namque, delationis impetu, ipsa bilis per seipsam expurgatur.

Curatur hæc febris, alterantibus potius quam evacuantibus, nimirum summè refrigerantibus & humectantibus, cum flava bilis calidissima & siccissima sit. Secundo, evacuantibus. At quoniam, ut diximus, delationis impetu ipsa per seipsam expurgari solet, ideo attentè observandum quo vergat, an per vomitum, alvum, sudorem, urinam expurgari desideret. Tertio symptomatibus occurrendum. Quarto vires conservandæ. Quæ intentiones ut executioni mandentur, consideranda sunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica & Diætetica.

Et in Chirurgico fonte, primo sanguinis missio consideranda venit, num scilicet conveniat, quando, & ex qua parte. De convenientia, dicant quid velint Mercatus, Mercurialis cum Actuario, ex usu esse posse, auctoritates enim & rationes eam non admitmittendam persuadent. Et primo quidem Gal. in erysipelate curando sanguinis missionem dimittit, & purgationem instituit, ita in herpete & quod magis est, in curatione tertianæ exquisitæ, omisit omnino sanguinis missionem, cum tamen in cura tertianæ nothæ, & quartanæ, eandem proposuerit. Et licet Gal. sanguinis missionem non admisisse, dicant, eo quod non sit morbus magnus, vel quia non sit periculosus, vel quia in exquisita tertiana vires constare non possint, ratio tamen potissima est, quia sanguinis missione exquisita tertiana in continuam, imò in ardentem migrare posset. Ardens enim, & exquisita tertiana intermittens, conveniunt in materia, differunt tantum loco. Quod si in tertiana exquisita sanguinem detrahamus, exinanitis venis, eædem bilem à toto ad sese attrahere poterunt, & febrem continuam, imò ardentem excitare: etenim, nullo alio modo fit febris ardens, nisi, quando æstivo tempore venæ exsiccatæ ad se biliosos humores attraxerint: hæc autem venarum exinanitio & exsiccatio, sanguinis missione facillime induci potest, in corpore exquisita tertiana laborante; cujus temperamentum, habitus corporis, ætas, anni tempus, regio, sunt omnes conditiones exinanientes: ideò bilis per universum dispersa facillimè à venis exinanitis attrahi poterit. Excusari

cusari verò possunt Actuarius, Mercatus atque Mercurialis: eò quod sanguinem esse educendum proposuerint in tertiana, ab exquisita recedente. At quomodo defendi possit Avic. non video, qui, & circa quid, & circa quando, omninò errasse videtur, dum ait: phlebotomiam post tertiam accessionem exercendam esse: primo enim non convenit, & si conveniret, in principiis morborum, si quid videtur movendum, move, quando consistunt, melius est quiescere, neque concoctiones turbate. Sed status exquisitæ tertianæ est circa tertiam accessionem. Ergo &c. Quare, in casu nostro, cum omnes adsint exquisitæ tertianæ conditiones, omnino à sanguinis missione erit abstinendum. Et quoniam rarò omnes simul uniuntur, adeò ut exquisitam tertianam constituere omnino possint: ideo quantò magis ab exquisita recedet, tantò minus prohibebitur sanguinis eductio, maxime ex venis sedalibus, in doloribus capitis & renum, ut fiat à capite revulsio, & à renibus, per venam cavam derivatio. Vel, applicitis cucurbitulis incisis, dum in ambitu corporis putrescit bilis: vel siccis, dum ab ambiente frigido cutis densata fuerit: quo casu & frictiones, ut in ægro nostro, toti convenientes erunt. Ita, ex hoc fonte, pedum lotiones à capite revellentes, ex aqua calente, ante cibum: somnum verò conciliantes, à cœna, ex aqua tepente, malva, viola, lactuca, salice & capitibus papaveris alterata.

A pharmaceutico præcipua desumenda remedia, in quorum administratione, mirum quo modo Mercatus & Sennertus adeo male senserint. Statim itaque à nobis erit consideranda facilitas materiæ educendæ, naturæque inclinatio: etenim, si materia circa viscera naturalia putrescit, per vomitum, aut per alvum: si in ambitu corporis, per sudorem est educenda: ideò aptissimè Vir Excellentissimus, præ omnibus, alvum leniens exhibuit. Per vomitum autem nunquam est educenda materia, adeò mordax, ob oris ventriculi sensum exquisitum: nisi quando natura eò vergat, ut nimirum celerius è ventriculo educatur: & tunc utendum aqua tepida, ut Tral. vel paretur vomitorium epicerasticum, ex jure pullæ malva alterato: additis oleo amygd. & julap. acet. omissis antimonialibus & valentioribus vomitoriis à Chymicis propositis, atque à Sennerto admissis. Per alvum autem tutior evadet humoris peccantis excretio. Et licet Hippocr. pharmacum deorsum purgans exhibendum proponat, tertia solùm transacta accessione: cui subscribit quoque Celsus; eo tamen utebantur magni isti Viri, aliqua tantum coctione prægressa; cum nostra lenientia & minorantia non cognoscerent, quibus & in principio nonnunquam copiam biliosorum humorum, cum tenues sint, & ad expurgationem paratissimi, mira cum utilitate educimus. Nec tamen ob id purgans ab initio exhibendum; ut perperam Rhasis, quem carpit Avic. Et licet tenues humores purganti medicamento educi posse asserere videatur Gal. intelligit tamen tenues, serosos & aquosos; imò & nos, neque post tertiam accessionem, exhibere purgans audemus, nisi appareant manifesta signa coctionis; tuncque rhab. infusum usurpamus, cum syrup. rosar. solut. superhausto sero capr. aut aqua hordeacea, ad libras.

Tutius autem fuerit, in nostro casu, minorativum repetere, & quidem die intermissionis, non verò accessionis; ne afflictio addatur; ut quidam perperam, exemplo Hippocr. in quartanæ curatione, purgans, duabus horis ante accessionem, præscribentis; id enim fecit ob humoris peccantis pertinaciam; quia facilius educitur dum à natura movetur; quæ pertinacia in tertiana exquisita non reperitur.

Interim, præparandi humores, refrigerantibus & humectantibus, decoct. cichor. acet. end. viol. lactucæ, nenuph. cum julap. viol. rosac. & syr. de acido citri; vel, quod melius, cum succis depuratis acetosæ, & end. dulcia namque & saccharata, in hac biliosissima febre, suspecta censenda. Præbeatur autem matutinis horis diei intermissionis; in die verò afflictionis, sicut frigidæ potio conceditur ab Hipp. ita nos hujusmodi alterantia propinare poterimus.

♃. Aq. still. ex succo cich. acet. end. cucurbitæ an. lib. ſ. syr. de acido cit. de succo lim. an. unc. j. m.

Vel, ♃. seri capr. aut asin. depur. lib. ij. Julap. acet. syrup. de acido citri an. unc. j. m. pro potu, in statu febris, quando scilicet extrema fuerint æque ac præcordia calida, propinando; tribus vero transactis horis ab hac frigida assumpta potione, sorbitio, nimirum jus cichorac. alteratum, erit offerenda; nec perperam, contrà Hippocr. mentem, ut multi faciunt, sorbitio potioni præferenda.

Dum biliosi humores refrigerantibus & humectantibus alterantur atque præparantur, clysteribus ex lacte, butyro, saccharo & flore cassiæ, frequenter sunt alliciendi. Die verò accessionis, cum Petro Salio, sub ejus principium acrior injiciatur; addendo syrup. rof. solut. imò & elect. de succo rosarum.

Apparentibus signis coctionis, absinthium, pro rhab. cum melicrato proponit Gal. utpote quod ad inferiora biliosos propellat humores, & ventriculum à morsu egregiè defendat. Et licet Tral. asserat se uti absinthio tantum in nothis tertianis, ob pituitæ misturam; hic tamen Gal. semper adeò impugnat, ut sæpe veritatem non cognoscat; qui certè in hac re se ignarum demonstrat: absinthium enim bilem contentam expurgat, quæ etiam stomacho & ventri inhæret. Pariter, de urinam moventibus carpit Gal. eo quod anethum proposuerit, ut minus calefaciens: cum in secundo gradu calidum & siccum sit; permittit verò apium, calidum & siccum in tertio. Non desunt autem, si opus fuerit, urinam moventia temperata; ut aqua hordei, cui, media ebullitione, addatur radix graminis, & sub finem, semina melonum mundata & contusa; colaturæ verò, addendo succi limonum ad libitum. In nostro vero Patiente facilè locum non habebunt; sicut neque sudorifica; quæ verò bilioso humore in ambitu corporis putrescente, administrantur, temperata esse debent, neque calefaciendi, neque humores liquandi vi prædita;

Ut ♃. Cornu cervi philosoph. drachm. j. Aq. Card. sanct. unc. iv. m. & exhibeatur; à quo statim præbeatur potio hujusmodi;

♃. Aq. acet. lib. j. scorzon. unc. iij. m. & cooperiatur æger, sed moderatè. Fernelius enim vidit aliquos vestibus multis, siti & sudoribus extinctos.

Vel,

Vel, ♃. Aq. acet. unc. x. card. sanct. scorzon. an. unc. iii. spirit. vitrioli gut. v. m. pro sudorifico.

Extrinsecus Antiqui ad biliosum humorem, atque febrilem calorem contemperandum, Balneo utebantur; nos autem, Balnei vice, epith. apponimus & inunctiones.

Sic pro hepate, ♃. Succi depur. cich. end. an. lib. i. succi lim. unc. iii. aceti rosf. unc. iij. specier. trium sandal. unc. ſ. m. pro epith.

Pro renibus, ♃. Ung. rosf. Mes. unc. ij. infrig. Gal. unc. j. camphoræ gr. v. m.

Pro toto abdomine, ♃. Decoct. cich. end. hordei lib. vi. succi aurantiorum lib. i. m. & linteum madefactum tepidũ abdomini applicetur.

Symptomata, quæ urgeant, non habemus in casu nostro, excepta siti. & quodam angore. Pro siti itaque sedanda, folia acetosæ, aqua gelida refrigerata, ore detenta in usu esse poterunt; sicut pruna parva, rotunda, recentia (vulgo amoli dicta) decorticata, aqua gelida imbuta, & in ore diu cum suo nucleo detenta, mirifice sitim sedant, & id genus alia Excellentissimi Viri prudentiæ notissima. Ad angores autem arcendos, panem lotum, frigida agresta aspersum, offerebat ante accessionem Amatus. Tralliani verò experimentum temerarium quodammodo mihi videtur; qui, hora una ante accessiones pepones impensè refrigeratos comedendos offerebat; mox statim aquam frigidam copiosam propinabat; aitque se frequenter accessionem præcavisse, dum aliis sudor; aliis copiosa bilis per alvum fuit excreta.

Victus rationem quod attinet, refrigerans & humectans esse debet. Aër. frigidus arte paretur, ut inspiret frigidum, & tangat calidum. Cibi sint cucurbitæ, lactuca, ptisana, pisces saxatiles; volatilium caro tenerrima, cerebra animalium, ova recentia: solam autem ptisanam, usque ad statum, non valdè deliciosis proponit Gal. Cibandi tempus, apud veteres erat dies intermissionis. Apud Avic. novem horis ante accessionem. Apud nos, potissimum in hoc Patiente, facilè resolubili, hocque anni tempore æstivo, quatuor horis ante febris insultum; ut à cibi præsentia etiam bili fortè ascendenti iter intercipiatur. Potus sit aqua still. cich. aut acet. cum succo ribes, granatorum, citri, limonum. Apparente coctione vinum concedit Gal. tenue, aquosum & paucum. Album autem acerbum magis refrigerare quam aquam solam asseruit idem, & confirmat Ætius; æquè namque refrigerat; sed ad refrigerandas omnes corporis partes, magis quam aqua sola permeare atque penetrare valet. Ex methodo autem, in principio accessionis, nec cibus, nec potus ullus est offerendus; nisi vires Patienti deficiant, aut angor corripiat; tunc enim, etiam in principio cibum offerebat Gal. Ptisana autem tunc concedenda, vel panis agresta, aut vino granatorum imbutus. Hæcque pro curanda hac febre, dicta satis superque. *Idem Ibidem.*

Tertiana Notha.

Adolescens quidam dives, 20. annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, frigidioris ventriculi, & hepatis plus æquo calidioris; carnosi & obesi habitus, coloris potius albicantis, in deliciis educatus, æstivo tempore proximè præterito, de more, gelidis compotationibus vini meracioris, & aquarum odoratarum, ac frequentibus comessationibus usus, otio omnino indulgens, febre tertiana correptus fuit, septenis circuitibus judicata. Sed quoniam febricitationis tempore, & aquæ frigidæ, & seri copiam, non solum Medici jussu, sed multo majorem clandestino potavit, pondus in utroque, sed præcipuè in dextero hypochondrio, à convalescentia emersit, cum manifesta tangenti, tensione; quæ consueta prava vivendi ratione semper augmentum suscepit; & tandem, cum hoc anni tempore autumnali, ambiente licet refrigerato, exutus vestibus incederet, languente interim cibi appetentia, noctem insomnem ac inquietam duxit, & in aurora, spontaneo, sed difficili excitato vomitu, pauca pituitosa rejecit; ac tertia post hora perfrigeratus, horrore diuturno correptus fuit, cui paulatim successit calor, non adeo acris & mordax, satis moderata sitis; nec pulsus adeo vehemens, potiusque tardus & rarus ac inæqualis, plenus, cum quadam tamen duritie, digito tangenti obvia. Urina cruda, & tenuis. Hæc febrilis accessio tota sequenti nocte perduravit, qua tamen æger utcunque dormitavit. Mane sequenti accersitus, jam dicta omnia ab Excellentiss. Viro adstanti accepi, & simul visitantes Patientem, eum invenimus febricitantem adhuc, cum insigni tamen declinatione, toto corpore madentem; sic ante nostrum discessum, cibum circa meridiem offerendum jussimus, mox hora 22. ad visitationem reversi, illum ferè prorsus febre vacantem, post sudorem in somno, à prandio secutum, invenimus. Præmisso clystere communi, addito mel. rosf. solut. cœnam instituimus. Subsequentem noctem insomnem transegit, & mane sequenti, eadem hora, eodemque modo febricitavit. Nos autem accedentes, patientem ægrè vomentem invenimus, cui vomitorium ex jure, seminibus citri & oxymelite paratum obtulimus; quo viscidam pituitam & crudam excretam vidimus, cum quodam, sub finem vomitus, amarore. Inde ad aliud cubiculum abducti, consilium pro salute infrascripti tenoris inivimus.

Febrem hanc Typus, qui jam tertianarius fuit observatus, tertianam esse nobis apertè demonstrat; & quoniam accessiones habet, non solum ultra 12. horas perdurantes, verum usque ad 30. horam protractas, ideo non solum simpliciter notham, verum & extensam, sive protensam jure meritò eandem appellabimus; quò enim longior est accessio, eò febris impurior, & exquisitæ tertianæ magis contraria; & ideò dicebat Gal. dari febres intermedias, ex extremis constitutas, adeò ut exquisitæ tertianæ accessio, intra 12. horam terminetur quod si ad 18. extendatur, tertiana notha simpliciter appellatur; si ultrà, semper dicitur extensa, sed si extensio producatur ad 24. horam, dicitur simpliciter extensa; si ad 30. parum extensa; si ad 36. multum extensa; si ad 40. horam, & ultrà, dicitur plurimum extensa. Hanc igitur nos propriè Tertianam exquisitè notham sed parum extensam appellabimus.

Notha autem redditur hæc tertiana à permistione, & unione perfecta pituitæ cum bile ipsa;

si enim fieret sola superadditio, non una tantum, sed plures suborirentur febres; in hac verò mistione prædominatur bilis, ratione activitatis; sicut pituita, ratione molis; cum febris usque ad 30. horam protrahatur. Et licet aliquando in hujusmodi febre, bilis melancholiæ quoque, non pituitæ misceatur, à qua mistione, tertiana notha non exquisita producitur; de hac tamen non est quod cogitemus in præsenti Patiente nostro, temperamenti calidi & humidi, cum obeso habitu, & albicantis coloris, ex frequentibus comessationibus, gelidisque potibus, sicque, non solum à frigida ventriculi intemperie, sed multò magis objectis improportionatis, cruditates continuò congerente, nec ullo exercitio easdem attenuante aut resolvente; quæ omnia in pituitosi humoris, non melancholici præsentiam conspirant. Et licet calidius sit hepar, bili producendæ aptum; non tamen adeò fervet ut sanguinem atrum reddere, aut humorem melancholicum producere possit; quod si superioribus mensibus præcessit febris tertiana exquisita, quæ humores adurere potuerit; attamen tanta fuit humectantium assumptorum copia, ut quamcunque exustionem inhibere & superare valuerit. Quarè, à bile vitellina majoris famæ, nimirum ex bilis cum pituita permistione, non ex vitellina minoris famæ, ex permistione scilicet bilis cum melancholia, præsentem febrem ortam censemus. Hæc autem vitellina bilis, nota non Arabibus tantum, ut quidam falsò crediderunt, sed & Gal. quam citrinam seu croceam appellavit; imò & ipsi Hippocr. qui in historia filii Cydis, dixit, quod in eo prodiit subbiliosum, viscosum, & velut ex ovo conquassato subpallidum; ad differentiam vitellinæ bilis, per assationem in venis genitæ, quæ crassa est non viscosa, prout hæc per commistionem extra venas genita, & in hac præsenti febre, circa viscera naturalia putrescens, præcipuè circa jecur, ubi tensio major, majorque obstructio percipitur, quæ naturalis caloris ventilationem prohibendo, antecedentium excrementorum putredinem acceleravit, cui febris hæc tertiana notha extensa mox necessariò successit.

Hanc commodè nobis significare possunt, primò horror in principio, inter rigorem & frigus, medius: nam sicut rigor bilis est proprius, ita pituitæ proprium frigus. Secundò, calor mitior, & in vigore non adeò mordax: nec ità confestim per totum corpus diffusus, ut in tertiana exquisita: qnia à pituitæ præsentia intercipitur. Tertiò, pulsus non adeò vehemens, tardus & rarus, cum pulsu tertianæ exquisitæ comparatus, & inæqualis, non solum febrili, verum & collectiva inæqualitate: quia vitalis facultas ab humorum putredine oppressa est: durus etiam percipitur, potissimum in principio, cruda existente materia, cujus coctione incipiente mollior redditur; hujus autem durities fit, non à siccitate condensante, nec à frigiditate congelante, sed à copia humorum replente, & arteriam distendente. Quartò, urinæ sunt crudæ & tenues, pituitæ & bilis præsentiam ostendentes. Quintò, modus invasionis & solutionis; invadit quippe cum vomitu pituitoso, & solvitur cum crasso & lento sudore. Sextò, tempus durationis, & primò quidem particulare, quod non solum 12. horam pertransit, sed attingit 30. Universale verò, quia ultra septimum circuitum progredi solet. Septimò tandem, res naturales, nonnaturales & præter naturam præteritæ, utriusque humoris exuberantiam nobis significare possunt: ut totius temperamentum calidum & humidum, habitus obesus, ventriculi frigiditas, jecoris caliditas, vita anteacta otiosa, deliciis, gelidis meri & aquæ compotationibus ac comessationibus dedita: & tandem tertiana exquisita præterita: cujus occasione, ex potibus copiosis, cruditates, indeque in visceribus obstructiones genitæ ac relictæ fuerunt.

Febris hæc, propria ratione, periculo caret, cum sit intermittens: longa tamen esse solet, ob viscidi humoris commistionem. At si errores, aut ab ægro, aut à Medico committantur, non solum longa, sed periculosa evadit. Hinc Gal. dicebat, quod si quis eam incipientem curet, neque longa, neque periculosa est: si vero non curet, aut malè curet, & longior fit, & sæpe occidit: nam vel transit in quartanam: vel, prægressis obstructionibus cachexiæ succedunt: & sic periculosam existimavit hanc febrem Gal. in illo Adolescentulo 18. annum agente; quia delinquebat, nec satis obsequens erat. Quibus consideratis, verendum ne in hoc Nobili Patiente hæc diuturna & periculosa quoq; evadat: Primò, quia ipsum in deliciis educatum habemus: prout ille Galeni: sed præterea adsunt obstructiones in visceribus, & potissimum in hepate, febrem ipsam foventes; quæ si augeantur, viscera naturalia semper magis intemperata reddunt, undè cachexiæ & hydrops.

Pro curatione itaque, in primis protestandum huic Adolescenti ut obsequentem se præbeat: alioquin Medicus aut parum, aut nihil proficere poterit. Deindè à nobis considerandum quod intentiones, in hujus febris curatione, valdè diversæ sunt à scopis curandæ tertianæ legitimæ exquisitæ: & ideo, non sine ratione, tertiana notha exquisitæ maximè contraria dicta fuit: in exquisita enim omninò refrigerare & humectare oportet: quia coincidunt indicationes cum febre, & causa febris: at hæc febris indicat refrigerantia, causa verò calefacientia. Quarè refrigerandum & humectandum, ratione febris, moderatè tamen: calefaciendum, attenuandum, incidendum & evacuandum, ratione causæ: deobstruendum, ratione obstructionum; & tandem, magna diligentia & observatione, vires conservandæ.

Et in Chirurgico fonte, in primis consideratur sanguinis missio; quæ in Patiente nostro, præmisso clystere & lenienti medicamento, necessaria erit, ex jecoraria dextera, parcè sanguinem educendo; incisiones enim, & detersiones, purgant obstructiones, non venæsectio; educitur tamen ratione causæ foventis. Undè & Gal. dicebat; quibus sanguinem mittere opus est, his statim, in primis diebus mittendus, servatis conditionibus; & evacuandum quantum convenit. Sic Paulus & Oribasius, cum conditione, si opus fuerit. Aëtius limitat, moderatè sanguinem esse mittendum. Avic. autem ait; quod dum phlebotomaveris clysteribus non indigebis; ità clyster contrà, erit succedaneum venæsectionis remedium. Et si caput coafficeretur, hirudines quoque venis sedalibus applicari possent, revulsionis gratia; sicut frictiones quoti-

quotidianæ non sunt omittendæ, & Balneo substituendæ, manibus inunctis oleo amygdalino & chamæmelino. Laudat præterea Gal. ut hypochondria foveantur, supposuit enim in visceribus naturalibus obstructiones. De his autem infra dicemus.

Ex Pharmaceutico fonte, sunt desumenda Lenientia, Præparantia, Contemperantia, Evacuantia, per vomitum, alvum, urinam, sudorem, prout opus fuerit, Deobstruentia, viscera Roborantia; & tandem, à proprietate Juvantia.

Leniens crastino mane exhibendum, poterit esse cass. cum lenit. & tart. vel syr. rosa. solut. cum lenit. quibus superbibat jus, aut aquam hordei. Secundo, præparantia sint ab initio leviora, ut julap. acet. ad unc. iij. cum acetum mulsum proponat Aëtius. In progressu efficacius reddi poterit, macerando in aqua agrimoniæ & aceto, radicem petroselini, pentaph. cich. fœniculi; & expressioni addendo sacchari q. s. pro julapio, cui superbibat succum cich. ad unc. iii. in decoct. cich. borrag. end. agrim. beton. Tertio, refrigerantia valde moderata esse debent; quarè, facilè sufficient succus cich. depur. jam propositus; vel, urgente calore, seri depur. lib. cum copioso julap. acet. Quartò, evacuantia consideranda, & primo quidem vomitoria; solis namque vomitionibus à cibo, Gal. asserit se hujusmodi febres diuturnas sanasse; ità Paulus, Aëtius, & Oribasius. At notanda illa verba, in longis hujusmodi febribus; cum enim per vomitum materia conjuncta evacuari nequeat, evacuatur antecedens, quæ quotidiè ab imbecillo ventriculo generatur, ne evadat conjuncta & febrem foveat. Ab initio autem, sola prima die vomitus ciendus, ut factum fuit; in progressu vero vomitorium parabitur ex jure sem. cit. alterato, cum oxymel. & succo raphani.

Per alvum purgantia præbeantur, ex Tral. verum coctione apparente, ex Oribasio, quæ benigna sint, humores enim purgandi non sunt distantes; & præterea, ne calor febrilis augeatur. Inter ea verò rhab. primas tenet; sed & agaric. Aloë, folia Sennæ. Quarè parentur bol. ex cass. lenit. & pil. de tribus cum rhab. Vel inf. rhab. agar. Sennæ, cinnamomi integri; addito syrup. ros. solut. quibus superbibat aquæ mulsæ, ex aqua hordei paratæ lib. ij. At quoniam materia hujusmodi requirit evacuationem per epicrasin factam; ideò tutius erit, quarto quoque die, cassiæ unc. sem. cum drachm. s. pil. de tribus exhibere; cui hora transacta, superbibat jus hordei, & prandeat.

Si ad urinam materia tendat, ità ut crassas easdem reddat;

♃. Decoct. agrim. petrosel. apii, capill. ven. unc. vj. spirit. ammoniaci gutt. v. m. Ægyptii utebantur chamæmelo, Soli consecrato, ad febres fugandas.

Si sudor moveatur, ut in brevibus, non in diuturnis aliquando evenire videmus, præbeatur decoctio verbenæ & Cardui sancti, cum aqua cord. pr^a. Sax. addito cornu cerv. philoph.

Quintò, deobstruentia & aperientia sunt necessaria; obstructiones enim, licet febris minera non essent, caloris tamen ventilationem prohibendo, aliorum humorum putredinem fovent. In hanc rem hyssopum & origanum proponit Gal. Nos uti solemus troch. de eupat. de rhab. de absinth. in jure aperientibus alterato. Pariter, syrup. de cichor. cum rhab. & in contumacibus, decocto salsæ, cum attenuantibus & incidentibus; habet enim salsa subtilissimas partes & maximè permeabiles, quibus angustissimas quoque vias pervadere potest; neque verenda ejusdem caliditas, calidiora quippe sunt apium, hyssopus & origanum; ipsa vero in activis temperata censetur.

Quare; ♃. Salsæ optimæ incisæ unc. j. radic. petrosel. fœnic. an. unc. s. Aq. cich. lib. ij. agrim. lib. j. m. fiat. inf. per hor. 24. deinde bul. ad consumpt. dimidii; in fine ebul. addendo fol. capil. ven. rec. agrim. pentaph. an. pug. j. bul. parum, & colat. servetur pro duabus vicibus; cui præmittatur bol.

♃. Succi condens. eupatorii, cich. troch. de rhab. an. drach. s. tart. vitriol. scrup. j. m. & cum vino albo reformentur bol. iv. & aur. quorum unus ante decoct. exhibeatur.

Sexto, viscera roboranda, in quem finem præstantissimum est absinth. ponticum, si ex eo paretur conserva; vel sal absinthii, vel vinum absinthites.

Extrinsecus verò, pro ventriculo; ♃. Ol. de absinth. mastic. de mentha an. unc. j. pulv. mastic. diarhod. Abb. an. drachm. j. vini albi generosi unc. j. f. m. bull. ad consump. vini; in fine, addendo ceræ parum, ut fiat linim. molle.

Pro hepate; ♃. Ung. ros. Mes. unc. j. s. ol. de absinth. unc. s. suc. cich. depur. unc. ij. pulv. absinth. agrim. an. drachm. j. m. bul. ad consumpt. succi; sub finem, addendo ceræ parum, pro linim.

Pro splene; ♃. Ol. de cappar. amygdal. amar. de cyclamine an. unc. j. pulv. tamaricis, cort. radic. cappar. an. drachm. j. succ. fumar. depur. unc. ij. aceti acerrimi unc. j. s. m. bul. ad consumpt. aceti; in fine, addendo ceræ parum, pro linim. lienis.

Ultimo, à proprietate juvantia, in hac tertiana notha, solent esse decoct. verbenæ & Cardui benedicti, centaurium minus, febrifuga dictum. Chymici præbent salem Centaurii minoris, ad gr. v. in aqua ejusdem. Ægyptii utebantur Chamædry. Extrinsecus apponitur pulsibus manuum apium silvestre tusum.

Victus ratio sit moderatè refrigerans & humectans, sed attenuans; ideò prisanam cum pipere offerebat Galenus. Nos autem cum integro cinnam. Crassior verò in hac quam in exquisita tertiana; quia diuturnior est. Non tamen, more Galen. & Avic. alternis tantum diebus est æger nutriendus; nostris enim temporibus, quia multo cibo assueti sumus, tantam ciborum dilationem vires ferre nequeunt, sed die quoque accessionis, quinque horis ante eandem, cibus, sed consueto tenuior est offerendus, à Galen. verò & Avic. forsan plenior prohibebatur. Vinum non conceditur nisi apparentibus signis manifestæ coctionis, ne cruditates deducantur ad venas, quod in legitima tertiana minus verendum. Et hæc sint satis pro hac tertiana notha curanda. *Idem ibidem*.

Tertiana Duplex.

Vir quadragenarius, temperamenti, secundum totum & secundum jecur, calidi & sicci, gracilis habitus, & multis ab hinc annis hypochondriacus, liberè vivens, potissimum in potu

copioso & fructuum usu delinquens, ineunte autumno, post vomitum continuato triduo, multiplicium & heterogeneorum humorum, amari, acidi & insipidi saporis, cum alvi stypticitate, hora xx. febricitare cœpit, cum totius corporis horripilationibus. Calor tactui erat ab initio non adeo mordax qui in progressu acrior percipiebatur, cum siti molesta, ventriculi angore, capitis dolore. Pulsus non magnus, non vehemens, non adeo frequens in diastole; sed valdè inæqualis, & systole frequentior. Urina cruda & tenuis, quoad substantiam; sed quoad contentum, crassa & confusa. Perseveravit febris, cum corporis jactatione tota nocte, quam solo jure cichorac. alterato transegit, summo verò mane sequenti, præbuit illi Medicus cassiam cum tart. Et quia valdè sitiebat æger, & ipsius hypochondria maximè æstuabant, serum depur. superbibendum concessit; mox ptisanam cum ovo sorbili sumpsit pro prandio; & inde somno se tradidit, capite tamen adhuc dolore vexato. Paulò post meridiem expergefactus est, cum adaucto calore in toto, capitisque majori dolore, molestiori siti, hypochondriorum æstu, corporis jactationibus atque inquietudine. Quare Medicus accersitus, ægrum cum novo febris assultu invenit, cujus progressus præterito valdè absimilis, imò molestior fuit observatus. Ideò tertio die, matutinis horis, præmisso clystere, sanguinem ex jecoraria dextera educendum; mox prandium præcepit Excell. Adstans, somnumque imperavit, quem quidem cepit, sed capite semper gravato. Hora autem 20. refrigeratis parumper extremitatibus, intensius totum incaluit, cum aliqua mentis alienatione, molestiori siti, & corporis jactationibus: tunc verò me ad consilium accersiverunt, qui, cum omnia jam præterita, & acta à Viro Excellentiss. accepissem, observato pulsu valdè inæquali, calore ad tactum perdurante multum acri, urinis crassis, confusis & ferè turbulentis, quæ mox clarescebant, ita sum fatus.

Quod excrementorum varietate abundet Nobiliss. iste Vir, indicio sat est quod hypochondriaco affectu detineatur: in quo cum ferveat jecur, hypochondriaque æstueat multis abhinc annis, coctiones in ventriculo, tum imminutæ, tum depravatæ sequutæ fuerunt, unde modò nidorulentæ, modo acidæ, modò pituitosæ & insipidæ materiæ proventus, non quidem, ut vulgus Medicorum falsò credit, ob frigidam ventriculi intemperiem, sed ob improportionatum objectum, sive potius, ob calorem excedentem, à jecore & hypochondriis ventriculo communicatum, qui, utpote improportionatus, cum coctio à moderato & halituoso calore perficiatur, ciborum corruptiones, vel saltem concoctiones imminutas, efficere solet; atque ita ferè perpetua est excrementorum productio, quæ tractu temporis, & obstructiones in mesaraicis, atque lacteis venis adauget, & venosum genus conspurcat, dum interim nec cessat biliosi humoris generatio; tum à jecore fervidiori, tum à copiosis vini potibus, & fructuum dulcium consueto usu. Quapropter biliosorum, pituitosorum & melancholicorum excrementorum colluvies, in venis viscerum & totius acervata atque commista, nec amplius à natura moderata, mediantibus obstructionibus, liberam transpirationem prohibentibus, putredinem, nondum quidem in venis communibus, quia febris continens sive conclusa non est, sed in venis viscerum, scilicet hepatis & cavæ principio, concepit, unde febris continua sequuta est, non per subingressum paroxysmorum; quia accessiones, neque declinationes adeò manifestæ sunt, neque continua omnino essentialis, quia exacerbationes habet, Medico & Patienti notas, sed est continua periodicè proportionata. Prior quidem manifestior; quia in venis hepatis magis particularibus sedem habet; secunda vero obscurior, quia in trunco venæ cavæ magis communi hæret: duplex enim requiritur putredinis locus, cum duplex sit tertianarius typus, tertio quoque die sibi correspondens, quæ ideò tertiana duplex continua, sive duæ tertianæ continuæ nominantur, & quidem spuriæ, ratione materiæ, ob aliorum humorum cum bile mistionem: unde pulsus, urinæ, calor & symptomata omnia, ab exquisitis declinant.

Symptomata concomitantia sunt, sitis, ob ingentem febrilem calorem; capitis dolores, ob evaporationes è venoso genere sursum elatas: angoris autem, & hypochondriorum æstus causa, potius hypochondriacus affectus quam febris censenda est. Delirium verò, licet in vigore febris solum observatum fuerit, & ideo paraphrenitis, & pseudodelirium sit existimandum, nihilominus in acutis semper malum & exitiale signum fuit; ut in Hermocrate Adolescente, in Meliboea, & aliis, ab Hippocr. fuit observatum.

Quare acutus quidem morbus est, qui acutissimos, maximos atque gravissimos affectus secum ducere potest, & ideò valdè periculosus, eoque magis cum non exiguus excrementorum apparatus argui possit, ex vita anteacta, naturalium viscerum constitutione, accessionum vehementia, & pulsus inæqualitate, qui in systole celerior est quam in diastole, copiosas expellendi fuligines necessitatem significans, ac tandem, ex urinis crassis ac turbulentis, quæ crudorum humorum copiam in venis, à calore non moderatam significantes, aliquem capitis affectum indicare solent.

Pro hujus febris curatione tribus est prospiciendum. Morbo, Causæ & Symptomatibus. Morbo quidem, refrigerantibus & humectantibus. Causæ, attenuantibus & incidentibus; necnon detergentibus & evacuantibus. Symptomatibus, Cor, Cerebrum & Hepar præmunientibus, nè aliquis in hisce partibus affectus inducatur; observando semper quò putredo vergat; namque si ad adustionem, alexipharmaca refrigerantia & humectantia convenient; si ad totalem corruptionem, frigida exsiccantia.

In Chirurgico fonte, sanguinis missio necessaria fuit; quoniam putredo in vena cava & hepate viget, ad jecoris refrigerationem & ventilationem; ita enim major inhibetur putredo, & calor febrilis remittitur; sicque febris formæ & materiæ medemur; imò, si in progressu caput magis coafficiatur, venæ quoque sedales aperiendæ erunt; ut vaporum & humorum, caput petentium, fiat revulsio, & forsan aliqua ab hypochondriis derivatio. Et si non solum coafficiatur, sed essentialiter quoque caput ipsum lædatur,

tur, adeò ut dolor sævior evaderet, & delirium diutius perseveraret, phœnigmi duo coxis apponendi essent, & de duobus aliis, brachiis applicandis, cogitandum foret.

Ex pharmaceutico fonte, depromenda sunt, Lenientia, Præparantia, Frigida aperientia, Alterantia, Evacuantia & Symptomatibus occurrentia.

Leniens jam fuit exhibitum; modò præparantibus & alterantibus, suo loco & tempore est insistendum.

Et pro præparante, saltem duabus horis ante prandium, julap. acet. ad unc. iij. opportunissimum erit, in jure pullæ in quo ebullierit semiuncia crem. tart. lævigati, facta priùs colatura. Secundum præparans, ordine executivo, proponam.

Alterantia in vigore febrilis caloris sunt omnino necessaria, ne exurantur & confundantur in venis humores; hoc enim remisso, coctiones à naturali calore facilius fieri possunt. In quem finem, in febribus biliosis & sanguineis, Hipp. & Gal. aquam libenter propinabant. Sic Hipp. 3. Acut. 40. & 42. & Gal. pluribus in locis, aquæ potionem commendat; ut in Lib. de Caus. Procat. cum suo Gorgia, contra Erasist. 1. Meth. contra Thessalum. 7. Meth. ventriculo malè affectos, frigida potione, unica die sanatos testatur. 8. 9. 10. & 11. Meth. gelidæ potum probat in febribus biliosis & sanguineis, sive putridis, sive non putridis; servatis tamen servandis, præsentibus nimirum conditionibus ad frigidæ potum necessariis; quæ plures enumerantur à Gal. sed omnes tamen ad tres redigendæ, dicente. Ergo, si vires cunctæ valentes sint, febris ardentissima, & coctionis notæ appareant, frigida propinari poterit; quæ quoniam in casu nostro non adsunt, ideò frigidæ potio, licet à Patiente expetita, à nobis tamen non est admittenda. Quarè substituenda potio alterans, ex aquis stillatitiis cich. acet. borrag. end. ad lib. iij. cum syr. de acido cit. vel de suc. lim. vel cum conserva de acid. cit. quæ potio in febris vigore, quando nimirum calor major ad pedes descenderit, est offerenda. Quatuor deinde transactis horis, præbeatur alterans, quod præparandi quoque & aperiendi vim obtineat; alterum scil. duorum, aut jus cich. borrag. end. acet. pentaph. malva alteratum, addito suc. depur. cich. ad unc. iij. aut unc. iv. Julap. acet. si humores ad alvum vergant; quod si ad urinam, præberi poterit, pro sorbitione, emuls. sem. mel. mundat. extracta in jure pullæ, si nutrimento sit opus; sin minus in aqu. cich. & endiv. addendo utrique syrup. de succ. lim. ad unc. ij. vel iij. Inde in remissione (qualiscunque ea fuerit) ptisana hordeacea, cum ovo sorbili, aut jure pullæ instaurante, erit offerenda. Sed hora una ante cibum, aliquod cordiale exhibendum; quale esse poterit jul. gemm. M. D. ad gutt x. in aq. scorzon. & tot. cit. Vel julap. perlatum, in iisdem aquis, ad scrup. j. utpote minus calefaciens & vaporosum, cum sine moscho & ambra paretur. Nec ad efficaciora cordialia, diaphoretica scil. deveniendum; nisi præcedant, & coctionis signa, & naturæ ad sudorem propensio.

Eodem ordine erit sequentibus diebus procedendum; sed interim clysteres frequentes erunt injiciendi ex lacte, butyro, syr. ros. solut. vel mel. rosar. solut. parati. Et ante septimam, minorativum medicamentum erit repetendum, ex flor. cass. & tart. vel ex syr. ros. sol. & manna; quibus superbibendæ præbeantur seri capri, aut aq. hord. lib. ij.

Transacta septima, facilè apparere poterunt aliqua signa coctionis, febre nimirum ad augmentum properante; & ideò tunc observanda erit naturæ propensio, ad expellendam materiam concoctam; quæ propensio ante coctionem expectanda non est, nulla enim excretio ante coctionem apparens, critica esse potest; ac proinde, neque à natura vincente tentata; & ideò irridendi Medici illi qui, ante signa coctionis, de evacuationibus solliciti sunt, cum tamen naturam operantem, & bene operantem imitari debeant, sive ad sudorem, sive ad alvum, sive ad urinam ipsa moveat.

Et si ad sudorem, sudorifera sint temperata, ut Corn. Cerv. philosoph. spirit. vitr. Bezoar. Orient. pulvis Contrayervæ, vel ejus extractum, Aq. pa. Cord. Sax. Aqua Card. sancti, Aq. scorzoneræ, & quotidianæ leves frictiones.

Si ad urinam, spirit. vitr. qui ad urinam & sudorem promiscuè se habet, sicut pariter Bezoar. Occidentalis, in aqua capil. Ven. agrimon. gram. hord. addito aliquo cordiali, ut aqua totius citri, cum succ. cit. aut. lim.

Si ad alvum: exigua cassiæ portio sat erit, vel ser. cap. j. depur. cum portione crem. tart. vel aqu. hord. cum julap. acet. naturæ namque moventi exiguum sufficit auxilium, operanti verò, nullum, juxta Gal. dicentem. Neque si febris fuerit cum profluvio alvi, alia opus est evacuatione, verum hæc sola sufficit, etiamsi non fuerit pro multitudinis ratione, quicunque enim, aut sanguinem mittere, aut ventrem movere tentaverunt, in gravissima pericula ægros duxerunt. Hæc Gal. qui licet de purgante medicamento sit intelligendus, attamen & lenientia valdè cautè sunt admittenda.

Externa interim non sunt omittenda, cordialia, & Hepatica.

Sic cordi, ♃. Ung. ros. Mes. unc. ij. specierum cord. temp. drachm. iij. camph. gr. iij. acet. rosar. succ. cit. an. q. s. M. F. lin. pro Corde. Pro hepate refrigerando, valet ung. rosar. Mes. cum suc. cich. aut totum illinatur abdomen; proderit enim & æstuantibus hypochondriis. Symptoma tum si aliquod superveniret, illi occurrendum propriis remediis, de quibus suo loco.

Victus ratio tenuis esse debet; quia morbus acutus est; memores tamen quod latitudinem habet ipsa tenuitas; sit autem refrigerans & humectans. Ita, ptisana hordeacea, si ad alvum materia vergat; sicut si ad urinam, panatellæ cum emuls. sem. mel. ova sorbilia, contusum pulli, jus instaurans. Lactuca quoque in jure cocta concedi potest; sic & cucurbita, & deficiente somno, ptisanæ addatur emuls. amygdal. dulc. Fernel. exemplo.

Potus sit aqua hord. ex qua parari etiam poterit emuls. sem. mel. valdè diluta; vel eidem addatur julap. acet. aut de suc. limon. Hæcque in casu præsenti satis. *Idem ibidem.*

Tertiana continua.

Vir Nobilis, 35. annum agens, temperamenti totius, & jecoris calidi & sicci, gracilis habitus, pallidi coloris, Hyeme sicca & aquilonia præcedente, Vere autem pluvioso & australi, hoc anni tempore caniculari, post immodica exercitia & meri compotationes, ex tempore febre correptus fuit, circa meridiem, cum ingenti calore, siti molesta, oris amaritudine, ciborum abominatione, & ad vomitum propensione; iracundia item præter consuetum, vigiliis & levibus somnis. Pulsus statim frequens & celer fuit observatus; urinæ flammeæ, lucidæ & tenues. Accersitus Medicus consuetus illicò excitavit vomitum, levissimo vomitorio; qui humorem, exiguum quidem, sed flavum ac viridem, valdè amarum vidit excretum; & alterans ex cichorac. paratum, vespertinis horis, ptisanamque exhibendam mandavit; postridie, matutinis horis, syrup. ros. solut. cum copioso ser. capr. præscripsit, à quo biliosorum humorum evacuatio fuit observata; vesperi verò rursus seri lib ij. cum julap. acet. & pro cœna, ptisanam. Interim vigiles noctes, vel cum levissimo somno transegit; & usque ad hunc tertium diem, febris ferè semper ejusdem tenoris, sine ulla accessione fuit observata. Accersitus ego, simul cum ægri Medico, decrevimus unanimes clysterem ex lacte, butyro & saccharo injiciendum; ptisanam indè esse dandam, & novam febris accessionem, circa horas meridianas esse observandam; vesperi verò, de agendis consulendum. Hora itaque 21. reversi, invenimus Patientem intensius febricitantem, & quodammodo aliena loquentem, omnibus jam dictis symptomatibus adauctis; licet adstantes nullum signum accessionis observare potuerint. Modò de agendis cogitandum.

Febrem hanc, tribus abhinc diebus Nob. Virum affligentem, ab Excellent. Medico, primis horis, in genere putridam atque biliosam esse, summa cum ratione creditum fuit; dum excrementa omnia, per vomitum, alvum, urinam, biliosa visa fuere, simulque observata reliqua omnia symptomata, nimirum oris amaritudo, vigiliæ, somni leves, facilis excandescentia; quæ peccantis bilis facilè nobis certissimum testimonium præbent; ut ideò adversus bilem aptissimè Medica auxilia direxerit. Speciatim verò, tertiana continua essentialis observatur; quia tertio quoque die invalescit, nunquam recedit; quinimò, declinationem insensibilem habet, cum imperceptibili exacerbatione; quam de genere ardentium esse Gal. existimavit, acutam proindè eandem appellans, sicque delineans. Si qua febris tertio quoque die exacerbatur, neque per minimum intervallum ita mitescat, & in ea febricitans eò deveniat, ut propè sinceram integritatem esse videatur, hanc febrem acutam nominabimus, ex illis videlicet quæ tertio quoque die exacerbantur.

Hujus autem febris causa, est bilis, eaque excrementitia; etenim à sanguine bilioso, fit biliosa synocha; nec tantum flava, sed vitellina; imò & porracea, ex dictarum exustione, in venoso genere producta; conspirantibus rebus omnibus, & naturalibus, & nonnaturalibus, ad bilis exustæ procreationem; ætate nimirum, in qua exustiones fiunt, temperamento totius & jecoris, calido & sicco, habituque gracili, atque pallido, bilem non solum, verum & exustam significantibus. Sic præterita hyems, sicca & aquilonia, in siccitatibus enim febres acutæ fiunt; & præterea anni tempus æstivum; ac tandem immodicum exercitium, & meri vini potus. Sic Puer quidam, ex meri potu, apud Grammaticum, acute febricitans, subortis vigiliis & delirio, interiit. Quæ omnia simul juncta, & quidem eodem tempore concurrentia, non solum bilem producere & coacervare, verum etiam jam anteà productæ, aliquam portionem assare potuerunt; quæ simul ab adaucto & præternaturali calore, in vena cava putrefactæ, hanc febrem excitare valuerunt, & quidem circà meridiem semper exacerbatam, quia à bile fit, quam exacerbationem, non solum à loco, eo quod non in omnibus venis, sed in cava, statim supra jecur putrescat humor; sed etiam à copia & activitate ejusdem humoris provenire credendum. Verum, quoniam causæ omnes, calorem & exustionem inferentes, simul concurrunt, & sævis symptomatibus, solius flavæ bilis non adeò propriis, comitata observatur, ut vomitu porraceo, contumacibus vigiliis, delirio; ideo, non flavam tantum, sed pejoris conditionis quoque bilem, ut diximus, putrescere arbitramur.

Febris hæc periculosa est, non solum quia continua; sed quia habet hanc conditionem, ut tertia die fortior fiat; estque illa de qua propriè loquutus est Hippocr. Febres quæcunque non intermittentes, tertia fortiores fiunt, magis periculosæ, hoc est, quam reliquæ continuæ, quod idem confirmavit in Coacis. Et nos semper hujusmodi febres formidavimus; cum in praxi à nobis observatum fuerit, malignas ut plurimùm, evasisse: facta nimirum in venis biliosi humoris superassatione, adeò ut flava vitellina evadat; ex superassata verò vitellina, prasina; & ex superassata prasina, æruginosa. Malignam autem, non ob excellentem putredinem, quæ ab excedenti humiditate, cum deficiente calore procedit, cujus finis est fœtor; sed propter exustionem, quæ provenit ab excedenti calore, in humido deficiente, cujus finis est cinis & exustio: utroq; namque modo humores coctionem respuunt, & in urina signa præbent contraria coctioni; tuncque actum est de salute Patientis, quoniam à privatione ad habitum non datur regressus. Datur verò tertia putredo humorum, quæ ad maturationem tendit, cujus finis est concoctio, quam vix admittere potest bilis prasina & æruginosa; non quia prasina juxtà Aponensem, putrescere non possint; sed quia putrefactæ secundo modo, ob earum crassitiem & adustionem, concoctionem non admittunt, sicque maligna febris suboritur; de qua dicebat Hippocr. quod si quis in febre continua, quarta die, & septima affligatur, & undecima judicatus non fuerit, plerumque perit.

Incerti itaque de hujus Patientis salute, curationem aggrediemur, quæ valdè convenit cum curatione febris ardentis; in eo autem differt, quod non adeò intensè refrigerandum sit. Sunt autem petenda à fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico, medicamenta, recto ordine administranda; adeò ut, Primò bilis putrida evacuetur. Secundò, ejusdē calor contemperetur. Tertiò,

Tertiò, attenuantibus, incidentibus ac detergentibus, obstructiones auferantur, ut sic libera reddatur transpiratio, & ulterior putredo inhibeatur. Quartò, cardiacis utendum, refrigerantibus & exsiccantibus, ut cor roboretur. Quintò, symptomatibus occurrendum. Et tandem vires custodiendæ.

Et à fonte Chirurgico, in hac febre curanda convenire solet sanguinis missio, dummodo abundet, ex jecoraria; ad totius venosi generis ventilationem, & exurentis caloris moderationem. In hoc autem casu valdè cautè procedendum; cum ægri corpus fere squalidum videatur; tempus sit caniculare: & bilis pravæ conditionis reperiatur in venis, quæ sanguinis missione semper deterior evadit. Quare possumus, ante quartam jecorariam aperire, & sanguinem ad quatuor vel quinque uncias educere; ad jecoris & sanguinis ventilationem atque moderationem; moxque delirio, alioque capitis affectu invalescente, venæ sedales reserandæ, parcè tamen, & ad solam revulsionem sanguine misso; quo casu phœnigmi quoque coxis erunt apponendi.

Ad Pharmaciam devenientes, considerandum Gal. documentum, quod non liceat valdè refrigerare & humectare bilem, nisi prius putrida evacuetur. At quoniam peccat in venis supra jecur, non video quomodo absque electivè purgantibus educi possit; quæ tamen ab initio non conveniunt. Verum crediderim ego de sola indicatione, ab humoribus putrescentibus deducta, Gal. eo loci loquutum fuisse, dum ait: At verò, in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio; ipsius verò febris refrigeratio, oppositio est. Sicque etiam, ante putridæ bilis crassæ evacuationem ratione febris, refrigerandum est; præterquam quod lenientibus quoque excitatur natura ad humorum in venis redundantium evacuationem tentandam; & ideo in acutorum principio, sæpe videmus solo syr. ros. solut. bilis quantitatem & qualitatem evacuari, quam vasa intra jecur procul dubio capere non poterant. Leniens itaque erit à nobis repetendum, ex cass. & tart. vel ex syr. ros. viol. solut. quibus superbibat seri depur. lib.ij. Et interim biliosi humores præparentur, & eorundem fervor contemperetur, ne ulteriori assatione crassiores reddantur.

♃. Aqu. still. de succ. cichor. end. acet. an. lib.ſ. Julap. viol. rosac. an. unc. j. m. pro syrup. exhibendo, quando major calor ad extrema descenderit.

Vel, ♃. Seri capr. aut asin. depur. lib.ij. Julap. ros. viol. an. unc. j. m. pro pot. ut supra, præbendo.

Vel, ♃. Aq. nocer. legit. lib. ij. Julap. viol. ros. syrup. de ribes an. unc. j. m. pro potu ut supra. Declinante accessionis vigore, nimirum quatuor horis ab assumpta potione, sorbitio aliqua poterit exhiberi; sic parabitur emulsio sem. mel. in jure pullæ, aut in decoct. ex jure cich. borag. end. acet. hepaticæ, sonci & portulacæ, ad unc.8. addendo julap. ros. & viol. In declinatione verò præbeatur ptisana, cum pulli junioris contuso, aut jure instaurante. Hunc ordinem nobis proponit Hippocr. dicens. Detur aqua mulsa aquosa, altera autem die qua febris detinet, aquam frigidam quantum bibere volet, dabis; ubi verò remiserit febris, ptisanæ succum sorbeat. Unde perperam faciunt Medici illi, qui sorbitionem potioni anteponunt. Interim diebus sequentibus aliquod minorativum erit repetendum, & refrigerantibus insistendum.

Et quoniam bilis refrigerata coctionem admittere posset, qua natura ad ejus expulsionem moveri solet, ideo tunc ejusdem naturæ propensio observanda, quæ solet esse vel ad alvum, vel ad urinam, & frequentissimè ad sudorem. Si ad alvum inclinet, sola aqua hordei copiosa, ut detergens & gravans, vel ser. capr. depur. ut nitrosum, poterit alvi motum jam cœptum conservare; maximè si iis addatur julap. acet. quo in hoc casu uti possumus; namque ex Avic. bilem in pituitam, & pituitam in bilem vertit. Si ad urinæ vias natura tendat, præbeatur serum asininum destill. cum syr. de succo lim. & de acido cit. vel emulf. sem. mel. extracta cum jam dicto sero destillato. Parari quoque poterit decoctio in aqua hordei, ex cich. borrag. acet. endiv. capill. ven. & radice pentaph. Gal. addit quoque anethum, quem reprehendit Tral. cum tamen ipse in eodem casu, utatur apii radice, calidiori. Si ad sudorem fuerit natura propensa coadjuvetur tali potione.

♃. Aq. acet. borrag. tormentillæ an. lib.ſ. Aq. cord Sax. unc. ij. spirit. vitr. gut. v. m. pro potu.

Vel, ♃. Aqu. acet. borrag. Card. sancti an. unc. v. scorz. unc. iij. butyri sulph. aut aq. sulph. gut. v. m. & est eximium sudorificum, ab Hartmanno propositum, maxime præsente bile pravæ conditionis.

Quod si natura nullam promoveat evacuationem, alvus solicitanda blandis clysteribus ex lacte, butyro & saccharo paratis. Interim cardiacis medicamentis, & à proprietate juvantibus utendum: & in hoc casu, diamargarito frigido; Margaritæ quippe præparatæ habent adversus has biles singularem proprietatem; sicut alexipharmacum & prasinæ & æruginosæ bilis, à tota substantia, est pulvis lævigatissimi Crystalli, à drach. ſ. ad drach. j. ut observavit Aponensis. Præbeantur autem hi pulveres, cum aqua totius citri & rosarum.

Extrinsecus quoque convenientissima erunt epith. jecori & cordi.

Jecori itaque. ♃. Succi cich. depur. lib. j. Succi portul. unc. iv. Succi lim. unc. iij. Succi absinth. aceti ros. unc. j. specier. trium santal. drachm. iij. m. pro epith. jecoris.

Cordis; ♃. Aquam melissæ, buglossi, an. lib.ſ. Aqu. è floribus cit. totius citri, rosar. an. unc. iij. Succi lim. unc. ij. aceti ros. unc. j. Camphoræ gr. v. spec. cord. temp. drach. iij. m. pro epith. cordis.

Superest tandem symptomatibus, necnon morbis supervenientibus occurrere, quæ solent esse Coma vigil, Coma somnolentum, Phrenitis, Lethargus, Parotides & alii abscessus, de quibus suo loco, à Medicinæ Professoribus agitur.

Victus ratio sit refrigerans & humectans. Potus, sit tinctura rosarum, extracta cum succo lim. in aqua acetosæ parata, sed longa & valde diluta, vel aqua hordeacea, vel aqua sec[illegible] Saxon. aquæ acetosæ mista. Quæ pro[illegible] curatione satis. *Idem ibidem.*

Febris Tritæophyes.

Juvenis Nob. calidioris hepatis, mediocris habitus, delicatè vivens, ventri, gulæ, otio & Veneri indulgens; dum tota æstate præsenti, vina generosa, nive refrigerata potavit, & fructus pariter eadem refrigeratos uberrimè comedit, tandem, modo æstate cadente, in febrem incidit; quæ cum horripilationibus invasit inæqualibus, atque ingenti & acri calore succrevit, necnon siti & amaritudine oris; sequenti die declinavit quidem, at nunquam intermisit. Tertia verò die rediit; at cum minori horrore, & postponens, cum eodem calore iisdemque symptomatibus jam dictis. Medicus domesticus accersitus, præmisso leniente, sanguinem ex jecoraria mitti jussit; alterantia præscripsit, quibus adhibitis, post septimam febris ipsa remisit, verum modò, decima quarta, eodem typo perseverat, sed inordinato, plurimùm tamen circa vesperam. Et licet non adeo intensa, magis tamen extensa est, non enim gaudet remissione febris, & symptomatum, quæ remissæ vehementiæ sit proportionata; conqueritur enim de capitis gravitate, somno profundo, sed turbato. Pulsus non adeo frequentes, ut antea, urinæ non adeò coloratæ, sed crassiores observantur; alvi excrementa, non amplius flava & tenuia, sed remissi coloris, viscida atque mucosa; febrisque eadem tertianarium servat typum, Quare de agendis pro salute consulit.

Febrem Nob. Juvenem affligentem, de genere biliosarum esse, & in specie, tertianam, significat nobis typus tertianarius; sicut eandem confirmant res naturales, ætas nimirum, atque calidior jecoris intemperies; necnon res præter naturam, nempe calor acris & mordax, sitis non exigua, oris amaritudo & excrementa, ab initio biliosa. Hanc verò acutam statim fuisse censemus, quia continua, calor acris & ingens, sitis non levis; ex quibus conjectare licebat, futurum cum brevitate aliquod periculum, quæ sunt acuti morbi conditiones. Verùm, acutam adhucnum, saltem ex decidentia, perseverare putamus; accessit enim capitis gravitas, ad somnum nimia propensio, cum somnis turbatis atque confusis, quæ symptomata prava & consideratione digna sunt habenda.

Verum, quia hujusmodi, & alia, in tertiana notha contingunt, bile nimirum tenuiori resoluta & evacuata, crassiori verò remanente, pituitæ commista, ideò forsan tertiana notha appellari poterit; vel si symptomata perseverantia, & accedentia, prava censeantur, facile tertiana continua nuncupanda fuerit.

At si propriè de hac febre loqui velimus, neutra tertiana verè est; sed tertianæ naturam referens, Tritæophyes ab Hippocr. & Galen. dicta; de qua dicebat Gal. Quæ tertio quoque die invalescunt, ego quidem nominare consuevi Tritæophyes, hoc est, tertianarum naturam referentes; quæ ad declinationem quidem, sed non ad infebricitationem terminantur. Hæc Gal. Subdamus nos. Si hæc febris, tertianæ naturam refert, ergo tertiana non est. De hujusmodi autem febribus ita loquutus fuit Hippocr. Continuæ febres grassabantur, quæ invadebant omnes more febris naturam tertianæ referentis; & uno die aliquantum remittebantur, altero ingravescebant. Mox subdit. Rigores autem omnes inordinati & errantes erant, & paucissimi in his, in aliis verò febribus, majores; diebus vero decretoriis deteriores fiebant.

Facta fuit febris hæc ab humores bilioso, à jecore calidiori, ex vini meracioris consueto potu & fructuum usu, genito; necnon à pituitoso, dum à nivis abusu, otio, & potissimum à nimia venere, labefactato ventriculi calore innato, quotidianæ cruditates jugiter productæ fuere. Ex quibus omnibus, in venis hepatis, & infrà, putrescentibus, febris cum horripilationibus invasit, commotis nonnihil per partes sentientes humoribus ipsis, inæqualiter tamen & inordinatè, ob viscidi atque tenacis humoris præsentiam, à quo tandem, saltem quoad molem, prædominante, & diathesin quandam pravam atque narcoticam continente, crassi & narcotici vapores in caput elevati, qua ratione gravitatem, in somnum delationem, & biliosis vaporibus mistis, somnos confusos induxerint, unicuique notum esse potest.

Modum verò remissionis istius febris, & ejusdem durationis, præclare recenset ipse Gal. dicens. Generantur Tritæophyes, non ex succo uno, sed pluribus, quorum calidior febrem acutam succendit, statimque discutitur; quæ dum corpus tenet, contingit frigidioribus corrumpi ac putrescere, itaque, iterum accendi ex illa remissione, quod est, veluti requie & imminutione febris, atque ita febris deterior evadit priore, videlicet, quod vires à prioribus molestiis defatigatas offendat. Hæc Gal. Et in hoc statu modo sumus, unde non adeò tuta salus videtur; atque ideo, violentissimæ, longissimæ atque laboriosissimæ ab Hippocr. dicebantur, licet lenes ab initio viderentur hujusmodi febres. Nihilominus, Patientis viribus, cum Medici quoque accedat peritia, febrem hanc expugnari posse sperandum; eoque magis cum opportuna hucusque, à Viro Excellentissimo Medica auxilia adhibita fuerint.

Insistendum itaque in humorum evacuatione, præparatione, eorundem à capite revulsione, caloris febrilis remissione, aliqua cordialium alexipharmacorum exhibitione, & virium conservatione.

Pro quibus adimplendis, à fonte Chirurgico nova sanguinis missio depromenda erit; eaque ex venis sedalibus, ad revulsionem vaporum & humorum caput petentium; quo satis non obstante auxilio, si caput magis adhuc repleatur, ita ut sopor adaugeatur, phœnigmi duo coxis apponendi erunt, & quotidianæ infernæ frictiones; atque calentes pedum lotiones administrandæ. Clysteres acriores, tum à capite revellendi, tum præparatorum humorum portionem per epicrasin evacuandi vim obtinebunt, parati ex decoct. malv. mercur. betæ, parietariæ; addito melle ros. sol. vel hiera magna, vel elect. diaphœn. Neque oxyrrhodina repellentia, eo casu erunt omittenda, ex oleo ros. acetoque parata.

A fonte Pharmaceutico, sunt desumenda minorantia, attenuantia, incidentia, ac detergentia, calorem febrilem, pro usu remittentia, & alexipharmaca, vim etiam narcoticam respicientia.

Minorantia erunt, in præsens, elect. lenit. cum crem. tart. & si febris ultra viginti dies exten-

tendatur, ut credibile, addi poterunt pil. de trib. cum rhab. vel elect. diacath. Attenuans, prout hucusque fuit julap. acet. ita deinceps esse poterit oxymel simpl. & nonnunquam, duabus horis ante prandium, semiuncia pollinis crem. tart. in jure cort. cit. alterato, dissoluti. Calorem febrilem sat contemperare poterit, decoctio in jure, cich. borrag. endiv. petroselino & agrimonia alterato, parata; dissolutis in progressu, gr. x. tart. vitriol. ut cum alteratione attenuationem quoque, & viarum reserationem obtineamus. Tandem, vapores narcoticos reprimere & infringere valet cochlear aceti squillit. in aqua agrim. Spiritus vitrioli in eadem aqua, aut in aqua totius citri, cum prima cord. Sax. Cochlear quoque aquæ theriacalis, in iisdem aquis, ad pravam in humoribus occultam qualitatem oppugnandam. In usum duci poterunt etiam confectiones hyacinth. Alchermes quoque, cum succis citri, aut lim. paratæ tamen cum Magisterio fragmentorum pretiosorum.

Victus ratio potius tenuis esse debet, & nonnihil attenuans. Sic convenit ptisana cum succo citri aut lim. vitelli quinetiam ovorum in jure dissoluti, addita aceti portione. Aviculæ montanæ concedendæ. Potus sit aqua hordeacea, sive Noceriana, cum julap. acetoso; vel cum syrup. de acido citri; vel de succo lim. Hæcque pro hujusce febris cognitione & curatione, satis. *Idem ibidem.*

Lipyria Febris.

Nobilis Juvenis, annum circiter 30. agens, temperamenti totius & jecoris, ad calidum & humidum vergentis, habitus carnosi, liberè vivens, & pravis alimentis potius usus, postquam noctes quasdam exiguo somno transegit, & diù negotiis domesticis, ruri, sub radiis solaribus intentus; atque cum sodalibus, hoc anni tempore caniculari, convivatus, & vina meraciora, nive refrigerata copiosè bibens; tandem febre correptus, cum exiguo horrore, decubuit, cui calor intensus, cum siti molesta successit, tepidis tamen semper externis manentibus partibus, noctemque satis inquietam duxit; sequenti mane accersitus Medicus, Patientem Nob. invenit adhuc valdè febricitantem, cum pulsu parvo & languido, urinisque flavis atque tenuibus. Quoniam verò quandoque ephemeris febribus erat obnoxius, ideo secundam diem sine ullo Medico auxilio prætererunt. Interim, circa meridiem febris rursus exacerbari visa est; non tamen adeò evidenter increvit ut prima die, & sequenti tertia, quæ accessit anticipans, cum inexplebili siti, æstuque interno intensissimo, & partium extremarum tepore; imò, in accessionis progressu, cum refrigeratione, & universali tenui atque tepido sudore, ac insigni anxietate & inquietatione; adeò ut nec ullam corporis positionem locumve ferre posset ipse Patiens. Urina verò crassior & biliosior visa est. Aquæ Nocerianæ copiam in vigore præbuerat Excell. adstans; nec tamen quicquam sitis sedari videbatur. Nos itaque statim, post aquæ potionem, accersiti, ita consuluimus.

Lipyriæ febris, Nob. Patientem modo affligentis, natura adeo dubia fuit, ob Græcorum & Arabum discordiam; quinimò & ipsiusmet Gal. inconstantiam, ut nonnullos gravissimos viros, & potissimum Fernelium, ad credendum induxerit quod proprium genus ipsa non habeat, neque sit Febris per se; sed esse malignarum & ardentium differentiam; idque desumpsisse videtur ab Hippocrat. dicente; quod in febribus non intermittentibus, si exteriores partes frigidæ, interiores urantur, & sitim habeant, lethale est. Quod generatim de quacunque febre, ab eodem pronuntiatum fuisse videtur, & potissimum de malignis & ardentibus. Verum decipitur in hoc Fernelius; Lipyria namque febris habet suam propriam essentiam, ab ardentibus distinctam; unde Galen. dicebat. Si intus & in ipsis visceribus calorem sentiant ægri; in externis verò partibus universis, frigus, tales sunt Lipyriæ; & præterea, quoddam ardentium febrium perniciosum genus. Ergo lipyria ab ardentibus differt; ut differre quoque, non solum Græci, sed multò magis Avic. cum Arabibus voluerunt; dum ille lipyrias collocavit inter febres pituitosas intermittentes; voluitque, modò fieri à pituita vitrea putrescente, à qua vapores eleventur crassi, nec adeo fervidi, qui possint exteriora calefacere eoque minus, si adsint frigidi humores in ambitu corporis, caloris expansionem inhibentes; modò vult fieri à bile pauciori & crassiori; cujus propterea vapores non possint ad ambitum corporis pervenire, & ita partes externas calefacere. Galen. autem, Lipyriam febrem malignam appellare consuevit, quæ, non ob viscerum inflammationem internam, sed ob humorum, à quibus pendet, malignitatem, ita dici meretur; idq; duplici ratione, vel primo, ob putrescentes humores prava & maligna qualitate præditos, ut sunt bilis prasina & æruginosa; qui cum à calore nativo vix concoqui possint, natura omnibus viribus totoq; conatu contendit ad eos, non modo concoquendos, sed multo magis expellendos, sicq; spiritus, & humores, & calorem, hoc fine, ad interiora revocat, & exteriora frigida relinquit. Vel secundo, ob eorundem humorum veneficam qualitatem; cum enim veneni proprium sit officere cordi, ideo natura, ut partem nobilissimam tueatur, ipsique auxilium afferat, undequaque spiritus & sanguinem, ad cor, ut ad partem nobiliorem transmittit, sicque per accidens interiora uruntur, & exteriora frigescunt. Quoniam verò ab intenso calore liquantur humores; ideò sudores tenues & calidi erumpunt; diaphoretici tamen, non autem syncoptici, ex liquatione scil. solidarum partium; tunc enim & crassi & frigidi fuissent. Utramque verò causam, in præsente lipyria constituenda, locum habere credibile est; cum Patiens liberam vitam duxerit, & ex consuetudine, pravis alimentis, potibusque meracioribus fuerit usus, bilis peccantis pravæ conditionis, in venis magnis putrescentis indicio; & ideò urinæ valde flavæ, valdeque tenues, & insignis præcordiorum æstus, cum molestissima siti observantur, ac tertia quaque die, simul cum febre, omnia magis exacerbantur; adeò ut licet verè ardens febris non sit, ardentis tamen naturam sapiat atque referat.

Veneficæ verò qualitatis indicium præbent pulsus, statim ab initio parvi atque languidi; verum atque præcipuum malignæ & veneficæ qualitatis signum; sic angor, inquietatio, & difficilis unius situs tolerantia permansio, auræ

veneficæ cor & ventriculum infestantis sunt argumenta. Sic Philisco externæ partes undequaque frigidæ erant, & sexta obiit; ita Pythio in Thaso toto morbi decursu refrigeratus, die decima interiit ob venenatam putrescentium humorum qualitatem.

Hæcque febris est Lipyria, proprissimè dicta; sicut impropriè talis est quæ pendet ab alicujus visceris inflammatione; quam potius symptomaticam febrem appellabant Antiqui; sicut, ne Avic. omnino excludatur, lipyria propriè dici poterit, quæ fit à pauca & crassiori bile putrescente, cum pituita frigida & crassa, in ambitu corporis existente, & ita caloris expansionem impediente.

Febris hæc, Medicis ipsis, nedum Patientibus & Adstantibus semper timorem incutit; externarum enim partium refrigeratio in acutis, internarum insignem effervescentiam atque malignitatem, in diuturnis verò, nativi caloris imbecillitatem significat. Et ideò juremerito dicebat Hipp quod si exteriores partes frigidæ, interiores urantur, lethale sit; aliud enim est, esse frigidas partes extremas; & aliud, esse frigidas partes exteriores; nam frigiditates extremarum partium aliis quoque febribus, præterquam lipyriis, competere potest, frigiditas verò externarum, nimirum cutis universi corporis, soli lipyriæ propria est. Attamen, cum inter malignas hæc recenseatur, & malignarum natura sit ut periculum quidem minetur, sed spem salutis omninò non adimat; statim est aggredienda curatio; duo potissimum observando, ut naturæ imitatores, ejusdem ministri evadamus. Alterum, quod si septima die, in hac febre, rigor & febris vehemens apprehendat,& sudor subsequatur, bonum est. Alterum, quod si cholera superveniat, bilis videlicet sursum & deorsum effusio, pariter bonum.

Quibus consideratis, ad curationem accedendum. Et cum febris quodammodo ex ardentium genere non solùm sit, verum & malignarum, indicantur refrigerantia & humectantia, calorem ad exteriora revocantia; cardiaca, diaphoretica & alexipharmaca, veneficam qualitatem oppugnantia.

A Chirurgico fonte, aliqua sanguinis missio, per venam sectam est depromenda, licet enim febris hæc sapiat naturam ardentium, non tamen vere ardens est; parce tamen, & semel tantum, tum ut vires conserventur, tum quia biliosorum humorum prava & adusta conditio, à sanguinis præsentia remitti solet. Cucurbitulæ siccæ leves & frequenter repetitæ, potissimum in febris remissione, principem locum habent sicut & universales frictiones. Pariter sinapismi cruribus, & brachiis, & tandem quoque phœnigmi.

A fonte pharmaceutico, sunt desumenda Evacuantia, Præparantia; Majorem exustionem inhibentia, Diaphoretica, Alexipharmaca.

Evacuantia sint lenientia, syr. rос. solut. ad unc. vi. cui superbibat serum capr. aut asin. depur. ad lib. iii. Deinde in progressu febris, per intervalla, præbeatur Cassia cum aqua hordeacea. Præparantia sint julap. viol. rosac. syr. de succo citri, de succo lim.

Alterantia quammaximè ab hac febre expetuntur, adeò ut Paul. & Æt. gelidæ potum convenire asseruerint, non tamen in principio, sed in statu, hoc est, apparentibus signis coctionis. Et licet gelidam propinaverit Æt. cuidam mulieri, non expectata coctione; erat tamen illa lipyria impropria, ab erysipelate ventriculi excitata cujus proprium remedium gelidæ potum esse, docuit quoque Galen. 9 Meth. 5. Nos autem libentius, in hoc casu, eligimus aliquod alterans, quod sua quantitate calorem nativum obruere non possit; sed potius qualitate, vim & facultatem refrigerandi & humectandi obtineat, cujusmodi esse solent aquæ sull. de succis acet. cich. imo & anguria, quæ ab lib. i. ß propinantur, additis tribus aut quatuor unciis aquæ scorzoneræ; quæ potio, quinque aut sex horis à febris initio, erit exhibenda. Ut autem facilius calor ad externas partes feratur, aut saltem, ne ab eodem adeo graviter viscera suffocentur, aut affligantur, abs re non erit tribus horis ab initio accessionis, exhibere Patienti, non quidem jus sem. cit. alteratum, ut perperam fieri solet, nihil enim tunc temporis, quod alimenti naturam habeat, est offerendum; sed tres aut quatuor aquarum cordialium unciæ præbeantur, tot. cit. scorz. & Sax. potione alterante, mox, ut dictum fuit exhibita; & ab ea, duabus aut tribus transactis horis, sorbitione, nimirum ex jure alterato cich. borrag. endiv. pentaphyllo & tormentilla; additis syr. de acido cit & de succo lim. necnon convenienti portione juris instaurantis.

Duabus vero horis ante cœnam, præbeatur aliquod alexipharmacum diaphoreticum temperatum; quale esse poterit lapis bezoar occident. ad scrup. i. vel drach. ß. Vel cornu cervi philophicè præp. ad drach. i. in aqu. cord. tot. cit. scorzon. cardui sancti & Sax. ad unc. iv. vel v. Sed insignem prærogativam, præter cætera omnia, habet lapis hystricis, in aqua scorzon. de more oblatus. Verùm, antequam hæc diaphoretica præbeantur, cucurbitulæ siccæ passim universo corpori sunt apponendæ, & statim removendæ; moxque frictiones universales faciendæ, manibus perfusis suffumigio ex vino albo, in quo *chamæmelum* si decoctum, elevato.

Extrinsecus quoque hepati & hypochondriis epithemata parant Orib. & Paul. ex succo cich. & portulacæ; addito succo lim. & aceto ros. Ætius, ex succo sempervivi, intybi, portulacæ, solani, plantaginis, cum aceto rosato.

Victus rationem quod attinet, debet esse tenuis, refrigerans & humectans; adeò ut Hipp. 2. de Morbis, solam ptisanam hordeaceam præbeat, cui tamen addit vinum album, colore & substantia aquæ simile, quod aquosum dicitur, & ratione corporis humani, est natura frigidum; imò aqua frigidius, refrigerat enim primo sua aquosa qualitate & frigiditate, mox etiam sua acerbitate, & penetratione, quam aqua habere non potest; quod cognovit quoque Gal. hocque vinum præbuit Hipp. suis temporibus, ut diaphoreticum, ad calorem foras expellendum; quo & nos etiam simul cum diaphoreticis uti poterimus; apparentibus tamen signis coctionis. Interim autem alia jam dicta diaphoretica præbenda erunt. Et hæc de casu præsenti dicta sunt satis. *Idem ibidem.*

Febris

Febris Typhodes.

Nob. Adolescens, temperamenti totius & jecoris calidi & sicci, gracilis habitus, abstemius, & valdè edax, post valida exercitia, solatii gratia, remigando peracta, hoc anni tempore caniculari, circa meridiem, præcipitavit in febrem, terrifico modo illicò invadentem; quandoquidem pulsus prorsus inæqualis & syncopizans observatus fuit, atque deficiens, cum aphonia & in soporem inclinatione; ingruente ipsa febre, levis horripilatio, at non in ambitu corporis, verùm in abdomine, circà viscera naturalia, ab ipso Patiente percepta fuit; cui calor ingens successit, cum siti molesta, totius corporis ariditate atque squalore. Febris tota sequenti die perseveravit, cum exigua declinatione, & nocte vigili: tertia verò die rursus eodem modo iisdemque symptomatibus exacerbata est; quinimo in augmento & statu deliravit Patiens. Urinæ interim valde flavæ & pellucidæ apparuerunt. Secunda die leniens medicamentum præbuit Medicus assistens. Modo in tertia, de agendis, pro salute consulitur.

De biliosarum genere febrem esse, quæ Nob. Adolescentem affligit, unicuique, vel mediocriter in arte versato, facile patere potest, considerata tertianaria exacerbationum periodo, ingenti & acri calore, siti molesta, vigiliis, urinis valde flavis atque pellucidis; & præterea rebus naturalibus, ætate nimirùm adolescentiæ, temperamento totius calido & sicco, & anni tempore Caniculari; necnon rebus nonnaturalibus, violentis scilicet exercitiis prægressis: omnibus biliosi humoris præsentiam, & febrem ipsam biliosam simul attestantibus. Verùm adeò facilè patet species ejusdem; licet enim cum Ardente, Tertiana continua, & Tritæophye non exiguam similitudinem habere videatur, ab his omnibus tamen, rectè consideranti, diversa apparebit; calorem enim adeò exurentem, nec sitim adeo inextinguibilem, ut ardens inducit. Hæc cum horripilationibus exacerbatur; quæ conditio mineram, sive focum putredinis, à continua febre diversum significat; hæcque acuta potius, quoniam sæva symptomata statim ab initio secum ducit, Tertiana verò continua, statim ab initio acuta est, potius ratione causæ, & loci affecti, quam symptomatum. Tritæophyes tandem, lenes à principio esse solent; in progressu verò violentissimæ, longissimæ atque laboriosissimæ evadunt. Typhodem igitur & siccam, non humidam hanc appellabimus febrem; quam inter acutas & Ardentes recensuit ipse Galen. iisdem tamen paulo longiorem; inter quas mediæ sunt semitertianæ. Ratio autem jam dictorum est; quoniam in Ardente peccat pura bilis flava, in majoribus venis; in Semitertianis, putrescit flava bilis extra venas, & intra venas pituita; in hac verò Typhode febre, bilis, non modo flava, verùm & crocea, crassæ pituitæ mista, in ramis venæ portæ, cava scil. jecoris parte; à quorum humorum putredine adeò excandescit jecur ipsum, ut inde, ab eodem, varia ac sæva symptomata procedant, etenim, præter ingentem calorem per venas cordi communicatum, ingens quoque evadit calor ipse febrilis, sitis molestissima affligit, & vigiliæ, quinimò accensis atque turbatis spiritibus animalibus, excalefactoque cerebro, etiam paraphrenitides excitantur. Et quoniam non minus crassi quam calidi vapores, à putredinali minera ad Cor & cerebrum elevantur, arterias leves & nervos quodammodo obstruentes, caputque gravantes, hinc pulsus valde inæquales atque syncopizantes, in exacerbationis principio & augmento, necnon sopores & aphoniæ observantur.

Ad æumorum outem jam dictorum generationem, quam maximè concurrere potuerunt ætas, temperamentum totius & jecoris calidum & siccum, habitus gracilitas & facilis resolutio, anni tempus æstivum, & immodica atque violenta exercitia; sicut ad pituitæ generationem, potus aquarum & ciborum voracitas; à quibus omnibus jam dicti humores originem non solum, sed & augmentum, naturæ limites excedens, habuerunt; qui in jecoris cava parte coacervati, & mediantibus obstructionibus putrefacti, ac in accessionis principio ad partes abdominis sentientes detrusi, horripilationem excitare valent, quæ ab ipso quoque Patiente in abdomine percipitur, non autem rigorem; quia pituitæ tenacitas impedit, quominus bilis confertim & concitatè, per partes sentientes moveri possit. Causa verò adeò intensi caloris, est ipsius materiæ peccantis crassities; ignis enim in densioribus corporibus, majorem activitatem obtinet.

Acuta cum sit febris hæc, periculosa quoque censenda, huic enim sæpè succedere solet hepatis inflammatio, tuncque lethalis evadit. Quare accuratissimè tractanda est, & quam citissimè auxilia medica adhibenda sunt, nec obstent pulsus syncopizantes, & languorem ostendentes; utpotè qui virium oppressionem potius quam resolutionem significent.

Quare, humorum evacuatio est procuranda, calor intensus remittendus, symptomatibus occurrendum, jecoris inflammatio inhibenda, & vires conservandæ.

Pro quibus explendis intentionibus, aliqua sanguinis missio necessaria videtur, ad febrilem calorem contemperandum, & jecoris inflammationem arcendam, Et licet anni tempus sit Caniculare, & corpus gracile, cum quodam squalore, prægressaque sint immodica exercitia; vires attamen constant, unde jam dicta omnia, non missionem sanguinis, sed quantitatem eductionis prohibere solùm valent. Aperiatur itaque salvatella dextera, & sanguis ad uncias sex educatur. Ad revellendos autem vapores, cor & caput infestantes, opportunissimi erunt duo phœnigmi, coxis appositi. In accessionis verò principio atque augmento, repellens oxyrrhodinum suturæ coronali admoveri poterit, ex ol. rosaceo & aceto paratum. Sic & hepati epithema refrigerans, ex succo cich. depur. succo lim. & aceto rosato compositum.

Reliqua auxilia à fonte Pharmaceutico petenda. Et primo quidem, evacuatio rursus tentanda, flore casiæ & tartaro, aquam hordaceam superbibendo. Præparantia esse poterunt, julap. acet. & tart. cremor, adeo ut julap. ad unc. iii. præbeatur, semel, aut bis, cum alterantibus, cremor verò tart. ad drach. v. vel drach. vi. duabus vel tribus horis ante cibum, in

in jure, vel aqua totius citri dissolutus, vim enim habet julapium incidendi, cremor verò tartari magis attenuandi, & viscidos humores liquandi. Sit autem primum alterans, aqua hordeacea ad lib. ii. & si sopor, aphonia & pulsus syncopizantes cedant, serum quoque depuratum propinari poterit, vel saltem destillatum. Secundum verò alterans, sit decoctio ex cichoraceis parùm ebullitis, in linteo colligatis & expressis parata.

Interim per epicrasin præparatorum humorum evacuatio erit repetenda, modò clysteribus ex decoctione communi, cum melle ros. solut. paratis, modo ex flore cassiæ, cum crem. tart. & semi drach. pil. de tribus. bolis paratis, super præbendo semper potionem, quæ refrigerandi, exsiccationem prohibendi & abluendi vim habeat, & potest esse serum depur. aqua hordacea jus, vel malva alteratum.

Ut autem vires cordis foveantur, parum antè cibum, aqua scorzoneræ, totius citri, cord. Sax. cum julapio gemm. offerri poterit.

Victus interim sit potius tenuis, non valdè tamen, habita ætatis, anni temporis, consuetudinis, temperamenti & habitus corporis ratione, imò, quoniam febris hæc protrahi solet, ratio victus mediocris tutior erit, & pro potu aqua hord. cum saccharo, aut julap. acetoso præbeatur. Hæcque pro præsenti febris curatione, dicta satis. *Idem ibidem.*

Hemitritæus.

Juvenis Nobiliss. 30. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, ventriculi verò frigidi, deliciis affluens. Veris præteriti, pluviosi & australis occasione, cum domi fere semper se contineret, sicque ocio, simulque crapulis, superingestionibus & compotationibus indulgens, nec veneri parcens, modo, hoc anni tempore æstivo, frequenter spirantibus austris, quibus libenter se ipsum exposuit, tandem non sine aliqua hypochondriorum tensione, quatuor abhinc diebus, correptus fuit febre, quæ incepit cum horrore, ad statum usque inæqualiter perseverante, adeò ut modo in summo esse, modo retardari visus sit. Calor in statu statim multus, acris & mordax observatur, cum tamen, paulo post, fumosus, humidus & vaporosus perciperetur, tardè ad statum perveniebat, eundemque percurrebat, cum siti satis molesta, undè tarda quoque in diem sequentem declinatio. Sicuti uero incepit cum ventriculi angore, & biliosæ atque pituitosæ materiæ vomitu, in declinatione terminari visa est cum mediocri sudore, licet ad infebricitationem non devenerit. Pulsus non adeò magni, celeres & frequentes, ut in tertiana, sed neque debiles, parvi ac tardi, ut in quotidiana. Urinæ subflavæ, & non adeò tenuës. Adventante vero nocte, nova observata fuit febrilis accessio, cum extremarum partium per frigeratione potius quam horrore, calor vero succrevit humidus & halituosus, neque acris aut mordax, nisi diuturno tactu, percipiebatur, semper tamen inæqualis usque ad statum, ad quem tardius quam in præcedenti accessione pervenire potuit, cum minori siti, verùm cum inclinatione ad somnum. Pulsus observati fuerunt tardi, parvi, debiles ac inæquales. Urinæ subflavæ & moderatè crassæ, ac tandem declinato, sequenti die, cum exiguo madore usque ad vesperam, quo tempore nova apparuit accessio, à prima nusquam absimilis, imò ejusdem tenoris usque in quartam diem, in qua, prope noctem, quarta fuit observata accessio, secundæ omnino similis. Cum autem febris hæc Patientem Nob. magnopere torqueat, ac ejusdem vires atterat, modo in quinta, de agendis, pro salute consulit.

Equidem febris hæc ex illis est quæ, utpotè facta ex plurium febrium commistione, cognitionem difficilem habet, adeo ut non modo primam, sed secundam, tertiam, & omnino quartam diem requirat ad sui cognitionem, cujus difficultatis exemplum adducebat Gal. semitertianam, in illo Adolescente, qualis est hæc Juvenem Nob. affligens, Latinis, Semitertiana, Græcis vero Hemitritæos appellata. His quippe Hemi, dimidium, Tritæos vero, tertianam significat, quasi esset febre tertiana minor, sicut semimalum minus malum significat, cum tamen diverso, imò contrario modo se habeat, & ideo hunc improprium loquendi modum Hippocr. ab antiquioribus desumere noluit, sed de hac loquutus, dicebat. In febre, quam Semitertianam vocant. Placuit autem ipsi potius horrificam nominare. A Gal. tamen, nomen hoc Semitertianæ, sive Hemitritæi, usurpatum fuit, etenim, cùm ejus natura confusa, ex quotidiana & tertiana intermittente constituatur, dimidiam partem ex utraque retinens, ab evidentiori tamen, efficaciori & activiori nomen sumpsit humore, prout enim à Deo, non ab homine, semideus: ita febris hæc, à tertiana potius quàm à quotidiana denominari debuit.

Quatuor autem modis complicari potest Tertiana cum Quotidiana. Primò, tertiana intermittens cum intermittente quotidiana. Secundò tertiana continua cum continua quotidiana. Tertiò, continua tertiana cum intermittente quotidiana. Ultimo, intermittens tertiana cum continua quotidiana. Et hoc ultimo tantum modo fit verus atque legitimus hemitritæus, aliis enim tribus modis deficerent conditiones ad hemitritæum necessariæ, ut infrà considerabimus, & ideo nonnisi impropriè & abusivè hemitritæus dici poterit. Quare rejicienda Sennerti & Zacuti opinio, qui existimarunt quod ad hemitritæum constituendum, sufficiat alteram harum quamlibet continuam esse, alteram vero intermittentem; liquido namque patet, quod si tertiana fuerit continua, deerit horror, nec amplius, cum Hippocr. horrifica dici poterit. Nec ullo modo admittendus Spigelius, qui Semitertianas semper ab aliqua interna inflammatione proficisci crediderit, nec viderit quod diebus paribus, quibus sola quotidiana succenditur, remitti non posset, quinimò acutissima æqualiter semper esset.

Componitur igitur legitimus ac exquisitus hic hemitritæus, ex Tertiana intermittente & Quotidiana continua, ab humore bilioso extra venas, & à pituitoso æqualiter in venis putrescentibus; tanta enim debet esse pituitæ, quæ bilis rigorem compescat, quanta vis ipsius bilis, quæ rigorem remissum, horrorem scilicet excitare valeat, inæqualem ad statum usque; dum enim utriusque humoris vires æquales, diuturno tempore pugnant, modò unus vincit, modo alter,

alter, & ita inæqualis quoque horror ipse observatur.

Neque hoc sufficit ad legitimi & exquisiti hemitritæi constitutionem, verùm necesse est ut tertio quoque die simul moveantur bilis & pituita, uno & eodem tempore, atque Tertiana pariter cum quotidiana coëat & confundatur, unde confusæ a Gal. dicebantur, sicut si diverso tempore, complicatæ forent, nec legitimus esset, nec exquisitus hemitritæus. Et licet, ex hac bilis & pituitæ commistione, fieri possit etiam tertiana notha, erit tamen unica febris, unica humoris forma, ac in unico loco putrescens: in hemitritæo vero duo humores, forma distincti duas excitant febres, uno eodemque tempore invadentes.

Sed hic instat Cardanus, at non solvit. Si in hac febre alter humor reperitur in venis, alter vero extra venas, quomodo simul putrescunt, simulque uniuntur? Et si respondeatur, satis esse quod simul moveantur & putrescant, licet simul non uniantur, rursus urget instantia. Si non uniuntur, quomodo pituita in venis putrescens, poterit bilem extra venas putrescentem cohibere ne rigorem, sed potius horrorem excitet? Cui quæsito frustra conatur satisfacere Amatus, dicens, horum humorum fuligines misceri, calidas & humidas, nec vidit fuligines omnes adustam obtinere naturam, neque ideo affectum jam dictum producere posse. Quare dicamus, quod dum tempore accessionis pellitur bilis ab intra ad extra venas, secum ducit portionem aliquam pituitæ putridæ, quæ potest bilis activitatem adeo remittere, ut pro rigore horror excitetur: ex quo fit etiam ut ipsa Tertiana producatur, quod non contingeret, nisi aliqua adesset mistio, sive pituitæ superadditio, Cessante autem tertiana, quoniam minera vera pituitæ in venis stabulatur, ideo perseverat ipsa quotidiana, & continua persistit.

Tensiones vero hypochondriorum à flatibus, & aliquibus quoque obstrictionibus, provenire possunt, quæ prout etiam sine febre observantur sæpe ita ab his foveri quidem, at omnino pendere febrem non est asserendum.

Licet autem febris hujus Semitertianæ, legitimæ & exquisitæ cognitio apud omnes difficilis sit, facilis tamen nobis redditur, considerantibus quatuor conditiones ejusdem, ab Hipp. traditas, nempe, quod sit horrifica, continua, acuta & periculosa: & quod altera die gravior, altera levior sit.

Primo horrifica, non quod solùm cum horrore incipit, sed quia perseverat inæqualiter horror, vel tota accessione, vel saltem usque ad statum. Ex quo elicitur componi ex tertiana intermittente & quotidiana continua.

Secunda conditio, quod sit continua, & ideo ex duabus intermittentibus conponi non potest. Et licet dari Semitertianam intermittentem asseruerit ipse Gal. loquutus tamen non fuit de vera atque legitima Semitertiana, qualis est hæc præsens, & ab Hipp. descripta.

Tertia conditio, quod sit acuta, immo & lethalis. Nec obstat, quod Tabidis fiant semi tertianæ, & ideo non acutæ, sed longæ esse possint, nam licet tabes sint morbi diuturni, non implicat quod iisdem morbi acuti supervenire possint, ut semitertianæ febres.

Quarta conditio, quod altera die gravior, altera levior fiat, gravior quidem ea die qua duæ simul uniuntur accessiones, tertiana scilicet & quotidiana, levior vero qua sola quotidiana invadit; ut enim sit legitima & exquisita semitertiana, ambæ accessiones in unum & idem tempus coincidere debent, ut horror inæqualis diù perseveret, unde horrifica dici possit, & ideo confusa quoque dicebatur: quod si diverso tempore fiant accessiones, non erit amplius exquisita, sed spuria semitertiana dicenda.

Quibus jam dictis, rerum naturalium & nonnaturalium consideratio erit addenda à nobis in casu nostro, quæ æqualiter concurrunt ab bilis & pituitæ generationem, dum ex una parte ætas est juvenilis, temperamentum totius & jecoris calidum & siccum, anni tempus æstivum; ex altera vero, temperamentum ventriculi frigidum, Ver pluviosum, Æstas australis, prægressum ocium, Venus, comessationes, compotationes & crapulæ, ob quam causarum diversitatem Romæ incolis semitertianæ familiarissimæ sunt, ubi Regio calida, & constitutiones humidæ observantur, pariter, & quidem magis in Æthiopa, ubi aër calidior est, constitutiones vero humidissimæ vagari solent. Et tandem urinæ, pulsus, cæteraque symptomata, bilis & pituitæ præsentiam æqualiter nobis confirmant.

Febrem hanc lethalem appellavit Hipp. periculosam vero Gal. miratus quod omnium deterrima sit, ideoque vix superabilis, quinque de causis: Primò quia est composita ex causis specie diversis, ægrè superabilibus. Secundò quia ipsi sæpè inflammatio aliqua interna supervenire solet. Tertiò quia alia symptomata sæva ei non raro succedunt. Quartò, quia frequenter epidemicam malignitatem in se continet, quamobrem, hanc, feram Gal. & Serenus mortiferam appellabant. Quintò, quando diuturnis aliis morbis succedit.

Nostra tamen, cum statim ab initio invaserit, non adeo periculosa erit ac si aliis morbis diuturnis supervenisset, tunc enim lethalis omnino est, longitudo tamen timenda, cùm nonnunquam ultra semestre extendatur.

Quare, magna industria atque diligentia curanda, cùm enim bilis & pituita in unum coëant, dum adversus bilem refrigerantia adhibemus, pituita pertinacior redditur & augetur; dum vero calefacientibus contra pituitam pugnare intendimus, bilis fervidior fit & copiosior, sicque, dum adversus neutram causarum vires Medicas integras adhibere possumus, fit ut febris diuturnior evadat, & ab humore vincente prava symptomata superveniant, sicque ægri vita periclitetur. Et ideo duo illa communia axiomata, in hac potissimum febre, sunt observanda, urgentiori scil. incumbendum, altero non neglecto, utque prodesse festinemus, ita non noceamus.

Et licet medela hujus febris eliciatur ex curatione tertianæ & quotidianæ, in his tamen componendis plures sunt necessariæ cautiones, quas omnes suo loco attingemus, dum indicationibus satisfaciemus. Sunt autem primò utrumque humorem præparare & evacuare. Secundò, vias reserare. Tertiò, calorem febrilem contemperare. Quartò, symptomatibus occurrere. Ultimò, affectas partes roborare.

Et primò, si de sanguinis missione loquamur, nulla hujus apud Græcos, nec apud Arabas, mentio fit, conceditur tamen à Celso inter initia, si corpus plethoricum fuerit, ne fervidior tota massa sanguinea reddatur, sicque putredo augeatur. Parce tamen educatur, quia humores peccantes in venis, pituitosi sunt, extra venas vero, biliosi, parcissime autem in Patiente nostro, ex jecoraria dextera, quod si ætas declinans esset, venæ sedales aperirentur.

A fonte Pharmaceutico desumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Contemperantia, Aperientia, Symptomatibus occurrentia, Viscera roborantia, & tandem à proprietate Juvantia.

Lenientia erunt, vel assumpta, vel injecta. Assumpta, vel dejectoria, vel vomitoria. Vomitorium itaque primo præscribatur leve, ex jure seminibus cit. alterato, & julap. acet. Et mox clyster injiciatur, ex decoct. malv. mercurialis, betæ, hordei, syr. rof. sol. ol. chamæmel. sale & ovi vitello. Medicamentum per os sit, syr. rof. sol. & mel. rof. sol. cum aqua flor. cit. Vel cass. & lenit. cum tart.

Secundò, præparatio est procuranda, ut inde frequens, & per epicrasin sequatur humorum minoratio, eoque ordine, ut prius præparetur & minoretur bilis, mox pituita, vicissim tamen & alternatim, ut tantundem bilis quantum pituitæ, utpote æqualiter peccantes, præparentur & evacuentur. Verùm, quod potissimum est, non sunt miscenda simul, uno eodemque tempore, præparantia & purgantia bilem atque pituitam, ac si misti essent humores, ut in tertiana notha fieri solet, utque decepti multi faciunt; sunt enim hi diversi atque contrarii, duobus in locis putrescentes, quibus uno eodemque medicamento, ex calefacientibus & refrigerantibus composito, utrumque præstare minimè possemus.

In nostro tamen casu, julap. acet. utrumque humorem respicere poterit, ut quod bilem in pituitam, & pituitam in bilem vertat, narrat enim Rhasi, se paucis diebus semitertianam malignam curasse & sanasse, ptisana, julap. acet. & vomitu. Bis igitur de die exhibeatur, ad unc. iij. manè duabus horis ante prandium, & noctu in statu febris, cum jure pullæ, alterato cich. borrag. endivia, acetosa, pentaphyllo, quibus absinthium addit Avic. ad statum properante febre. Quod si julapium respuat Patiens, substituatur crem. tart. ad drach. iij. bilem enim compescit, & pituitam attenuat, fundit atque detergit, & urgente calore, cum Avic. acida tenuium partium sunt usurpanda, ut syrup. de acido cit. de succo lim.

Alterantia, sive febrilem calorem contemperantia, varia esse possunt, pro caloris majoris vel minoris indigentia, refrigerandum enim quantum sufficit. Quare in Patiente nostro, cum calor febrilis multum excedat, sitque tempus æstivum, aquam hordei propinare possumus, vel mulsam dilutam acetosam, vel aqua hordei paratam, qua uti solebat Hippocr. in curatione ardentis spuriæ, etenim calorem febrilem contemperat, & materiam pituitosam attenuat.

Quod si fortè aliquæ latitarent, in cavo viscerum, obstructiones, egregium remedium aperiens & alterans fuerit, succus cichor. depur. ad unc. iij. in jure præscripto propinandus, cui addi quoque poterunt grana tart. vitriol. si manifestæ obstructiones adessent, sicuti gutt. spiritus tart. pluries rectificati, si ad urinæ vias tendat ipsa natura.

Apparentibus signis coctionis, observandum in hac febre curanda, cujus humoris in urinis appareat coctio, licet bilis prius apparere soleat, tuncque leviora purgantia lenientibus commiscenda, ut rhab. vel pil. de tribus cum rhab. & cassia, vel pro pituita, agaricus, sive potius aliqua portio pil. de hiera cum agarico, vel de agarico Mesues, cum cassia, aut elect. lenit.

Symptomatibus interim occurrendum, solent esse inflammationes, internæ, vel externæ, quibus, cæteris omnibus posthabitis, est incumbendum. Et si internæ, revellentia, repellentia & alterantia conveniunt, & ideo sanguinis missione, substypticorum appositione, & internis refrigerantibus opus erit. Si vero externæ ex humorum metastasi, aut ex crisi, per decubitum à natura procurata, sive materia, ex continuato decubitu diuturno, ad partem aliquam attracta, hæc quam maximè è Medico erit observanda, à diversionibus abstinendo, tum sanguinis missione, tum medicamentis, præcipuè purgantibus, procuratis, sed levioribus præparantibus, alterantibus, & clysteribus insistendo. Interim Chirurgo partis recipientis cura incumbit, nè inflammatio in gangrænam migret, nativo totius & partis calore, in febre diuturna, imbecilli reddito.

Viscera facilè roborantur. Ventriculus quidem, conserva menthæ, vel sale ejusdem. Jecur, conserva absinthii, vel sale ejusdem, & sic Diarrhod. Abb. Extrinsecus, illitionibus, fomentis, epithematibus, quæ Viris Excellentiss. hic non sunt præscribenda.

A proprietate juvantia in diuturnis adhiberi solent. Sic apud Varignanam, valet decoctum sisymbrii. Apud alios, decoctum centaurii minoris. A Chymicis, sal ejusdem in eadem aqua. Smaragdum proponunt collo appensum.

Victus ratio non adeo facilis est, unde dicebat Celsus, quod sub errore perperam cibati ægri, facilè moriuntur, & ideo subdit, quod talis esse debet ut non incitet febrem, sed longum ejus spatium sustineat. Sic die alterius paroxysmi copiosior cibus exhibendus, sequenti vero parcior, memores quod error major committitur in tenuiori, quam in paulo pleniori victu. Alimenta sint boni succi facilisque coctionis. Vinum in duobus casibus conceditur, primò, viribus deficientibus, secundò, apparentibus signis coctionis, paucum, tenue & oligophorum. Hæcque satis, curando huic legitimo hemitritæo. *Idem ibidem.*

Quotidiana.

Puella Nob. 10. annum agens, temperamenti, secundum totum & jecur, ad calidum remissum, sed valdè humidum vergentis, obesi habitus, albicantis coloris, vitam sedentariam, acu pingendo ducens, & fructibus, autumno proximè præterito, copiosioribus usa, ac intempestivè cibis, superingestioni scilicet assueta, hoc anni tempore hyemali, septem abhinc diebus, febricitare cœpit circa vesperam, & quidem, hucusque eadem hora, eodemque modo quotidie, quæ febris, ut Medicus domesticus observavit, incipit cum extremorum perfrigeratione, prosequitur

ſequitur cum calore fumoſo, valdè humido, & magis vaporoſo quam acri, tamen tactu diuturno percipitur mordax, ſemperque inæqualis. Pulſus parvus, debilis & inæqualis. Urina alba & tenuis primis diebus, nunc verò ſubpallida & obſcura incipit apparere. Et ſicut calor, neque in vigore adeò vehemens eſt, ità neque ſitis valdè moleſta, ructus nonnunquam acidos edit, & capitis percipit gravitatem, cum delatione ad ſomnum, quinimo ſomnolenta eſt, ejuſque facies pallida, & quodammodo ſublivida apparere incipit. Protrahitur autem quælibet acceſſio ad 18. horam, & cum madore terminatur. Modo & ego ſum accerſitus, ut ſimul de agendis pro ſalute conſulamus.

Febris hæc, quæ quotidie Puellam Nob. ſeptem abhinc diebus, invadit, ideò verè quotidiana eſt, quoniam quotidiè, eadem hora, eodem ordine, eademque proportione accedit: etenim dicebat Gal. quod circuitus 24. horarum, dicuntur quidem quotidiani. Alibi verò ſubdit, dummodo eodem modo fiant. Rationem autem reddit, dicens, dantur enim plures aliæ febres, quotidiè invadentes, quæ quotidianæ non ſunt, dum tertianariam, aut quartanariam ſervantes proportionem atq; correſpondentiam i duplices tertianæ, aut triplices quartanæ ſunt, nuncupantur. Eſt autem quotidiana, non ſolum exquiſita, ſed & exacte exquiſita, quæ à Græcis Amphemerina appellatur, quia diei & noctis particeps, ut expreſſit Aet. ſicuti, ſi continua eſſet, Catamerina proprius diceretur, quam rariſsimè dari credidit Fern. ſicut falſo nunquam Platerus. Talem hanc deſignant omnia ſigna, nullo deficiente, à rebus naturalibus, nonnaturalibus & præter naturam deſumpta.

Et primo quidem, inter res præter naturam, conſideretur modus invaſionis, dum incipit cum extremorum perfrigeratione, non cum rigore cum enim fiat ab inſipida pituita, quæ omni caret acrimonia, rigorem non infert, ſicut acida & ſalſa, à quibus quotidiana quidem, ſed non legitima provenit.

Secundo, calor fumoſus & valdè humidus tactu percipitur, magis quidem vaporoſus quàm acris, ob humiditatem à minera effumantem, & inæqualis, eſt enim veluti ignis à multa humiditate ſuffocatus, qui eandem ſuperare tentat, ſecuta vero victoria, mordax & æqualis magis evadit.

Tertio, pulſus debilis, parvus & inæqualis, tum quia ob exceſſum pituitæ virtus opprimitur & velut ſuffocata jacet, tum quia, febris hæc fieri ſolet affecto ventriculo, quo læſo facillimè trahitur in conſenſum cor ipſum.

Quarto, urina eſt alba, tenuis, propter obſtructiones, & præſentem frigiditatem, ſicut in progreſſu, fieri ſolet craſſa & rubra.

Quinto, ſicut calor neque in vigore vehemens eſt, ità nec ſitis moleſta, totum enim corpus præhumidum eſt, liquatæ pituitæ ratione.

Sexto, ructus acidi fiunt, ob imperfectam concoctionem, à pituitæ præſentia, & imbecillo ventriculo provenientem, ſomnolenta item fit, ob humidos vapores, caput petentes & occupantes.

Septimo, facies pallida & ſublivida apparere incipit, quia patitur ventriculus, & compatitur hepar.

Octavo, acceſsio protrahitur ad 18. horas, licet valdè paucos ad totalem integritatem pervenire aſſerat ipſe Gal. quia pituita tenax, glutinoſa atque copioſa eſt, & ideo exquiſitam quotidianam intermittentem, ſemel ſe vidiſſe aſſerit idem Gal.

Tandem terminatur cum madore, in progreſſu vero, cum ſudore deſitura, humore attenuato atque concocto.

Quod ſi ſecundo loco, res naturales conſideremus, puerilem ſcil. ætatem, ob ingluviem ciborum huic febri obnoxiam, totius & jecoris temperamentum humidum, obeſum habitum & albicantem calorem, anni tempus hyemale: omnia ad pituitæ productionem, proindè ad quotidianam exquiſitam conſtituendam prorſus conſpiraſſe manifeſtiſſimum fit. Quibus adduntur quoque res naturales, nimirum fructuum uſus, ſuperingeſtiones, & vita otioſa ſivè ſedentaria, quæ cauſæ omnes pituitæ naturalis excrementitiæ copiam accumulare valuerunt, quam inſipidam Avic. dulcem vero Gal. appellare ſolent, cujus generationis locus, ventriculus eſt, putredinis vero, extra venas, circa viſcera naturalia. Intermittens autem eſt, licet non habeat ſinceritatem illam, & purum intervallum, prout febres bilioſæ & melancholicæ, ut obſervarunt cum Gal. quoque Tral. & Paul. & ratio eſt, quia materia pituitoſa non modo craſſa, ſed ſummè viſcida eſt, adeo ut non poſſit niſi cum maxima difficultate reſolvi; & video ægrè poteſt febris ad exquiſitam integritatem devenire.

Febris hæc, licet intermittens, excipitur tamen ab Hippocratica ſententia, quoniam habet intervallum breve, & illud quidem ſatis imperfectum & obſcurum, undè Avic. dicebat, quod ſicut raro contingit quartanam continuam eſſe, ità raro reperitur quotidiana intermittens. Quare aſſerebat Gal. quod ex intermittentibus, breviſſima & mitiſſima eſt tertiana, longior, & de ſe, ſine periculo, quotidiana, eoque periculoſior quia legitima eſt, quæ ut ſolvatur, multum pituitæ excerni oportet, & multos in toto corpore, ſudores erumpere, & ideo quoq; longior; ad 40. enim, imò 60. diem protrahi ſolet, interdum & ad ſex menſes. Habet autem principium valdè longum, longam quoque declinationem, augmentum longiſſimum, & brevem ſtatum. Periculoſior autem, quia eſt diurna, ita cenſente Hipp. & ratio eſt, quia ſtatus & declinationes, diurnæ, incidunt in noctem, in qua remiſſio difficilior eſt, nam habitus corporis denſatur, color putredinalis ad viſcera contrahitur, putrida excrementa retinentur, & ita diuturnior evadit, tum quoad acceſſionem, tum quoad tempus univerſale, & in diuturnitate periculoſior.

Attamen, quia principium coctionis jam apparere incipit, cum urina ex alba tenui, ſubpallida & ſubturbida fieri incipiat, coctionis ſigna erunt evidentiora ſi nebula alba apparebit, evidentiſſima verò, quando nebulam rubentem videbimus, cum ſubſidentia bene colorata, & mediocris conſiſtentiæ, ut nos docet Gal. ideo ſalutis ſpes concipienda,

Pro hac autem febre curanda, 1. materia pituitoſa attenuanda, incidenda. 2. eadem per varias vias evacuanda. 3. ratio caloris febrilis ha-

habenda. 4. partes producentes roborandæ. Et 5. vires totius conservandæ. Nec audiendus Tral. dum carpit Gal. eo quod differentiam non posuerit inter attenuantia, pro pituitæ varietate, hoc enim prudenti judicio Medici assistentis commisit, præterquam quo Pro. ad Glauc. 12. exquisitæ quotidianæ curationem tradidit, qualis nostra est.

Iam dictis intentionibus explendis; in Chirurgico fonte, si sanguinis missionem consideremus, omissa fuit hæc à Gal. quia neque adest indicans, neque permittens, nisi adesset plenitudo in toto, quæ in puella nostra non est, tunc enim in omnibus febribus sanguinis missionem commendat Gal. ipse, dum scilicet apparet rubor non consuetus, tumor in toto, venæ eminentes, quibus addit Avic. ruborem in urina, omnia totius plenitudinem denotantia. Fomentationes quoque circa viscera naturalia conveniunt, ad quas tamen, consilio Tral. non est festinandum corpore plano, ne fusi humores à visceribus excalefactis attrahantur, & inflammationes, aut saltem obstructiones excitentur. Toti corpori leves frictiones, universalem transpirationem ad humorum resolutionem præstare poterunt.

A pharmacia præcipua sunt desumenda remedia. Et primo quidem, ventriculus exonerandus leni vomitorio. Secundo, clystere. Tertio, lenienti medicamento. Vomitus procuretur decoct. mercurial. malv. betæ, pariet. additis melle rof. solut. oleo chamæmel. ovi vitello & sale.

Leniens erit elect. lenit. cum tart. & modico hieræ. Vel mel. rof. sol. cum manna & decoctione cordiali.

Pro præparante, primis diebus, oxymel præscribit Gal. mox urinam cientia, & interim victus rationem attenuantem & incidentem. Hæc omnia quoque Paul. Tral. & Aet. Avic. pronit Geleniabin, hoc est mel rosaceum usque ad septimum diem. Præscribitur igitur itá.

♃. Oxymel. simpl. vnc. ii. mel. rof. simpl. vnc. i aquæ cinnam. cochlear. m. pro syr. & sic pro aliis. Materia in ventriculo præparata, leni purgante educatur, in quem finem agaricum laudat Avic.

Sic. ♃. Elect. lenit. drach. vi. crem. tart. drach. ii. pil. de hiera cum agarico drach. i. m f. bol. Vel fiat inf. agarici, cum modico rhab. in aqua melissæ & melle rós. solut. fiat portio. A quibus, si sitis infestet, propinetur mulsa, ex aqua hordei parata.

Secunda validior, non tamen validissima præparatio, itá procuretur.

♃. Decoct. agrim. cichorii, capil. Vener. borrag. absinthii, end. sem. cit. vnc. v. oxymel. simpl. vnc. i. syr. de cortic, cit. de duabus rad. an. vnc. s. m. pro syr. & sic pro aliis.

Præparata vero materia expurgabitur itá.

♃. Electuar. lenit. diacathol. an. unc. s. pil. de hiera cum agaric. de tribus cum rhab. an. drach. s. m. f. bol.

Vel. ♃. Agaric. trochisc. drach. iii. fol. sennæ mund. drach. ii. cinnam. drach. i. aq. agrim. q. s. m. f. inf. per horas xii. expressioni addendo mel. rof, sol. vnc. v. m. f. Pot.

Quibus si non cedat febris, ad validiora attenuantia, incidentia, aperientia, & indè purgantia erit deveniendum. Sic Syr. Fernel. aptissimus erit, eidem addendo rhab. præbeatur autem ad vnc. ii. vino albo tenui, aut jure diuretico, decem aut duodecim diebus. Quod si id genus medicamenti Puellæ non placeat, aliud substituatur.

Ut, ♃. Pil. de tribus cum rhab. de hiera cum agaric. aggregat. an. drach. i. m. & cum syr. de quinque radicibus, ref. pil. n. xii. & aurentur, quarum quatuor præbeantur quarto quoque die: diebus vero intermediis.

♃. Troch. de eupat. de rhab. de capil. Ven. an. drach. i. m. & cum syr. bizant. q. s. f. pil. n. 12. & aurentur, quarum quatuor præbeantur, iisque superbibat jus alteratum cich. borrag. end. petrosel. agrim. capil. Ven. rad. gram. fœniculi, apii, & in adultis, ut efficacior evadat, additur syr. quoque de cich. cum rhab. oxymel. simpl. an. unc. s. m. pro syr. diebus intermediis, declinatione febris offerendo. Dum omnia jam dicta fiunt, vomitus in usum ducendus, ut consulit Gal. & omnes Medicinæ Principes cum eo, ab absumpto cibo, radiculis comestis, præsertim in hac Puella, quæ ad vomitum prona & facilis est, & in qua ventriculus est causæ morbificæ minera, proderit enim educendo materiam antecedentem, antequam febris causa conjuncta evadat.

Et nisi jam propositis febris cedat, ad jus columbæ, & salsa & ligno sassafras alteratum deveniri poterit, itá parandum.

♃. Salsæ elect. incisæ. unc. i. s. ligni sassafras incisi unc. s. aq. comm. lib. iiii. m. f. inf. per horas 24. deinde adde dimidium columbæ turricolæ, & bul. ad consumpt. medietatis, in fine addendo chamædryos, tantopere à Tral. commendatæ, cardui benedicti an. pug. i. bull. par. & colat. servetur pro tribus vicibus matutinis horis assumenda, cui præmitti poterit, si ad sudorem fuerit propensa, bol. hujusmodi.

♃. Pulv. corn. Cerv. Philosoph. præparati scrup. i. salis card. sancti gr. vi. julap. gemmati q. s. m. ref. bol. & aur. Quod si ad urinam vergat, hic paretur.

♃. Tereb. nostræ, lotæ in aqua agrim. drach s. salis theriacalis gr. vi. m. ref. bol. & aur. quotidiè jure jam dicto præmittendus. Et interim, singula hebdomada alvus moveatur itá.

♃. Pil. mastich. vel de tribus cum rhab. drach. s. magist. mechoac. gr. xx. m. ref. pro una vice tantum.

Tandem ventriculus, utpotè hujus febris minera, erit roborandus, ideò Gal. utebatur absint. Nos conf. vino, vel sale absint. utebatur & diacal. diatrium pipereo. Avic. ad magnas antidotos ascendebat. Nos, ad confect. aromat. rof. & diarrhod. Abb. dissoluto saccharo cum aqua cinnamomi.

Extrinsecùs quoque fomenta & inunctiones parari poterunt. Fomenta quidem, ex decoct. absinth. mentæ, rorismarini, salviæ coriandr. præparat. cortic. citri, in vino nigro subaustero. Inunctiones, ex oleo mastichino, de absinthio, de menta, addita cera, vel oleo M. D. de corticibus citri. Et in diuturna, ventriculo valdè frigido existente, ætate senili, cachexia imminenti stillicidium quoque administrari posset, itá parandum.

♃. Col. amygdal. dulc. mastic. an. lib. i. s.

vini

vini albi montani lib. i. spicæ, absinthii, mentæ an. pugn. i. caryophyl. macis, cinnam. gingib. an drach. i. m. inf. omnia per diem naturalem, deinde bul. ad consumptionem vini, & facta colat. servetur pro stilicidio.

A proprietate commendat Tral. chamædryos decoctionem. Potens est etiam aqua stillat. chamæmeli, unde chamæmelum ab Ægyptiis soli fuit consecratum, tanquam eximium inter febrifuga medicamentum. Extrinsecùs Tral. laudat lapidem aëtitem, idest Aquilinum, alligatum. Ex aliis, inunctio spinæ oleo de scorpionibus. Mathioli. Ex Avic. frictiones ex telis aranearum in oleo maceratis.

Victus ratio sit attenuans, calefaciens & exsiccans, primis diebus quodammodo tenuis, ut pituita dulcis ad naturam sanguinis reduci possit, quod in cæteris pituitæ speciebus succedere non potest, & ideo dicebat Tral. quod sicut una non est pituitæ species, ita nec una victus ratio, fames tamen in universum commendatur ab omnibus in hac febre. Sic Hipp. consulit ut patiens febrem hyemalem custodiatur in fame. Rhasis, quod nil melius sit longa fame. Celsus, quod triduo primo à cibi abstineat. Cautè tamen in nostra puella agendum, primò, quia victus humidus pueris confert, secundo, quia qui crescunt plurimum habent calidi innati, & ideo plurimo egent alimento.

Potus sit mulsa cum cinnam. Vinum non admittit Gal. in hac exquisita quotidiana, sicut concedit Avic. in non exquisitis, pituita nimirum valdè frigide existente, & apparentibus signis coctionis. Vigiliæ & motus magis in hac febre quam in nulla alia putrida conveniunt. Sic, pro exercitio, frictionibus utendum. Clysteribus alvus lubrica servetur, & nonnunquam ventriculus, vomitu leniter excitato, euacuetur, ac tandem alacri animo recreetur & blandè tractetur. *Idem ibidem.*

Febris Quotidiana Nocturna.

Excellentiss. Senator, annum agens 65. temperamenti calidi & humidi, boni habitus, dum elapsis annis, podagram pati cæpisset, medicorum consilio, cymbæ usum deseruit, & pedibus incedere, corpusque continuo exercere cæpit, verum, anno præterito, Sereniss. Principis creatus Consiliarius, ac proindè habito dignitatis respectu, rursus cymba vectus, & præterea in Magistratibus, vitam sedentariam agere coactus, hoc autumnali tempore in febriculam incidit, noctu semper invadentem, cum aliqua horripilatione, sivè extremorum perfrigeratione, cui calor succedit, sensim ac tardè accensus, cum pulsu inæquali, at raro potius, & parvo, molli, non tamen undoso. Urina alba & cruda primis diebus, modo crassa, & quodammodo turbata conspicitur, de totius corporis gravitate, & articulorum laxitate conqueritur. Cessatis horroribus somnus supervenit qui non adeo facilè præverti aut prohiberi potest, & horis vespertinis sequentis diei, exigua valdè percipitur ipsa febris, nunquam tamen Excellentissimus Pat. ad ejus immunitatem pervenit. Modo de agendis, ut liberetur, & ut in posterum degat incolumis, auxilium petitur.

Febris quæ paucis abhinc diebus Senatorem Excellentiss. corripuit, quotidie, eadem hora eodem modo ac ordine invadit, quotidiana dicenda, & quia nocturno tempore accedit, quotidiana nocturna propriè appellanda; eaque continua, rarissimè namque esse potest intermittens, quia, cum à pituitoso, lento, & tenaci humore excitetur, vix prorsus destrui potest inquinamentum in minera relictum. Fit igitur ab humore caudo, pituitoso, in ventriculo genito, & in venis congesto, à libera vivendi ratione, ætatis mutatione nunquam mutata, qui humor, superioribus annis, ad articulos decumbens & podagram Patient. Excell. inferens, exercitii beneficio coercitus est, atque consumptus, quo, ab eodem intermisso, ut patriæ inserviret, rursus in venis coacervatus, mediante prohibita transpiratione, ab aliqua obstructione excitata, modo tandem putredinem contraxit, & jam dictam febrem excitavit. Cujus non desunt propria signa, siquidem cum horrore atque refrigeratione incipit, nunquàm enim cum rigore invadit, dum humor ad partes sentientes detruditur & per easdem lente movetur. Calor autem tarde accenditur, quia humor, temperatura frigidus & humidus est, consistentia vero lentus & tenax. Pulsus autem inæqualis valdè observatur, quoniam inæqualiter evaporationes à putrida minera elevantur in cor, rarus & mollis, propter materiæ peccantis humidam conditionem, parvus item veluti ignis à lignis viridibus suffocatus, non tamen adhucnum undosus, ut evadere solet in progressu, quando attenuata materia futuros sudores prædicit. Urina in principio alba & cruda, crudo omnino, & nihil prorsus segregato humore peccante, sicut modo in progressu, crassa & turbulenta observatur, dum aliqua ex parte segregatur, qua etiam ratione, & de totius corporis gravitate, & articulorum laxitate conqueritur Senator Excellentiss. dum redundantis humoris portio, tum ad musculos, tum & ad articulos decumbit, potius quam criticè ab ipsa natura expellitur. Quod autem somnus, imo & sopor sit hujus febris proprium symptoma, qualitas humoris peccantis facile docet, quod & Gal. ipse confirmat.

Febris hæc, ut quotidiana, longa esse solet, nec sine periculo, ex ipso Gal. Ita Hippoc. dicebat, quod febris nocturna non admodum lethalis est, ergo mediocriter lethalis. Subdit autem in Tex. Hipp. quod diurna longior est: Nec mirum, siquidem resolutio peccantis materiæ, quæ fit in declinatione, cadit in noctem, nostræ vero nocturnæ cadit in diem, & ideo brevior prædici potest.

Curari debet febris hæc ut quotidiana, verum, cum nocturna magis pituitosa quam diurna censeatur, efficacioribus quoque eget medicamentis. Incidendum itaque, detergendum evacuandum & roborandum.

Et primò quidem, ex fonte Chirurgico, in casu nostro, aliqua est depromenda sanguinis missio, licet à Gal. omissa, idque quoniam Excellentissimi Patientis corpus calidum & humidum, atque succis repletum est, unde sanguis, si non ut causa principalis, saltem ut fovens concurrit, præter revulsionem à capite, ne adeo facilè in accessionibus repleatur, & ad soporem deducatur, in quem finem, ratione quinetiam ætatis, aperiri poterunt venæ sedales. Frictiones etiam convenientes erunt, non solum universi corpo-

ris, verum & articulorum, qui à fluxionibus olim infestari solebant, ut, si possibile fuerit, ipsa podagra revocetur.

Et quoniam, statim ab initio, à medico domestico primæ viæ fuerunt expiatæ, melle rof. solut. cum tart. & momento aquæ cinnam. & postmodum, per integram hebdomadam, humores præparati oxymelite simplici, melle rof. commisto, repetito quinetiam jam dicto medicamento, & præmissis bolis ex hiera, cum exiguo lenitivo reformatis, duabus horis ante medicamenti exhibitionem, ideo in præsens, de ulteriori præparatione cogitandum, quæ bis per diem naturalem procuranda erit. Sic primo in vigore febris, oxymel. tantum erit præbendum, ad unc. ii. cum gr. tart. vitriol. in decoct. cich. borrag. end. beton. melissæ & sem. cit. Et quoniam calor difficulter diffunditur ad partes externas, & nonnisi post multas horas, ideo, ut promptius & citius succendatur & se exerat, præbeatur hujusmod. aqua.

♃. Aq, tot. cit. scorz. cord. pæ Sax. an unc. i. julap. gemm. MD. gutt. x. m. & exhibeatur In augmento verò febris, abstinendum omnino à jure sem cit. alterato, & qualibet alia potione alimentali, utpote quæ potius calorem ad interiora revocandi, quam ad exteriora expellendi vim obtineret.

Præterea, eodem tempore spinali medullæ inunctio fieri poterit, ol. de scorpionibus Matthioli, exiguo vino malvatico dissoluto.

Alterum verò præparans, magis attenuans atque incidens, exhiberi poterit tribus horis ante cœnam, nimirum in febris declinatione, quod poterit esse oxym. cum syr. de prassio & de cich. cum rhab. in decoct. cich. borrag. agrim. beton. chamædryos, radicis petroselini atque fœniculi. In quorum præparantium usu ita pergendum erit, & quarta quoque die, per epicrasin, præparati humores sic evacuentur.

♃. Pil. de hiera cum agarico scrup. ii. elect. lenit. drach. iii. m. f. bol. & præbeantur hora una ante cœnam, ut ab his operatio sequatur hora accessionis. Vomitus, quoniam difficilis est ipsi Patienti, omninò omittatur.

Quod si appareant signa coctionis, & nihilominus perseveret febris, ad fortiora medicamenta purgantia deveniendum.

Ut ♃. Elect. diaph. rof. Mes. an. drach. i. flor. cass. drach. v. m. f. bol. quibus superbibat mulsam dilutam, ex aqua hordei paratam.

Vel. ♃. Pil, de hiera cum agarico, de tribus cum rhab. aggreg. an. scrup. i. flor. cass. rec. ext. drach. vi. m. f. bol. quibus pariter superbibat jus, solo hordeo alteratum.

Dum hæc fiunt ventriculi potissimùm cura est habenda, siquidem quotidiana ventriculo male affecto fieri solet, ideo absinthii conserva, vel sal absinthii in usum duci poterunt. Confectiones quoque ex aromatico rof. & diarrhodone Abbatis, dissolvendo saccharum cum aqua cinnam. & manifestis apparentibus signis coctionis, magnæ antidoti quoque locum habere poterunt, Mithridatica scil. confectio, & Theriaca ipsa, exigua tamen dosi.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, quæ attenuans quidem, at non tenuis esse debet, idque pace ipsius Celsi, qui alternis diebus tantum cibum offerebat. Potus sit mulsa, coriandro, vel cinnam. alterata, & apparentibus signis coctionis, vinum libenter concedatur. Quæ, pro curatione hujus febris dicta sint satis. *Idem ibidem.*

Febris Lumbricalis.

Nob. Puer, decem annorum, temperamenti totius, calidi & humidi, habitus carnosi, subrosei & albicantis coloris, sanus alioquin, se d repletionibus frequenter distentus, a quibus tum vomitu, tum alvi dejectione spontanea se exonerabat, cum excretione, non modo cruditatum & materiæ pituitosæ, verùm etiam sæpè vermium, qui albi coloris, rotundi, palmarique longitudine, materiæ jam dictæ immiscebantur, quia, ut unigenitus, pravè quoque educatur, namque fructus, carnes, lac, & ex eodem parata, aliaque prava alimenta quolibet tempore eidem conceduntur, modo, prava eadem educatione perseverante, postremis hisce præteritis diebus decurrentis autumni, consueta appetentia deijci & nauseare incepit, tandemque febrire, præcedente anhelitus fœtore, dentium stridore, quinimò & clamoribus, & motibus convulsivis, in somnis. Febris autem, nudius tertius, circa vesperam, cum inæquali extremarum partium refrigeratione invasit, & hesterna die, plures accessiones passum esse ab assistentibus creditum fuit, licet exacerbatio vera à Medico pariter circa vesperam fuerit observata, sicut & hodiè nos accersiti observavimus. Clysterem ex lacte, butyro & saccharo paratum, huic injiciendum jussit, quem nulla subsequuta fuit evacuatio, ideo hoc mane tartari cremorem præscripsit, cui successit cruditatum & pituitosæ materiæ copiosa excretio, quatuor rotundis, albis commistæ vermibus, vivis adhuc. Puer interim quietus, & potius soporosus jacet, cujus pulsus non adeo frequentes sunt, valdè tamen inæquales, urinæ pallidæ & tenues, frequentes item mutationes observantur & coloris, & caloris, præsertim faciei, qui calor, nec principio, nec augmento accessionis, acris percipitur, sed potius fumosus, & salivatio in tota accessione copiosa perdurat. Modò sub noctem, ita de Pueri statu consultum fuit.

Febrem hanc Puerum Nob. divexantem, Lumbricalem & Vermicularem appellare placuit vobis, Excellen. Viri, quod nec mihi certè displicet, si vermium, qui eam comitantur, copiam consideremus, non vero quod à vermibus febris ipsa procedat, siquidem vermes, in febribus, ut signum, non ut causa, locum habent, Undè Hipp. de his pronunciavit, quod eunte in judicationem morbo, lumbricos quoque teretes descendisse, nihil nocet. Siquidem, dum cum aliis excrementis sub finem morbi excernuntur, tunc fit ex naturæ judicio, si verò in vigore, malignitatem in humoribus præsentem, à qua fugantur, significant, prout, si in principio morbi prodeant, ut in casu nostro, ex subjecta materia potius contingit, atque ita semper rationem signi, non autem causæ, in febribus subeunt, non enim ubi vermes, ibi febris necessariò reperitur. Quare idea hujusce febris prius investiganda, mox vermium præsentia consideranda.

Febris igitur, hucusque quotidie horis vespertinis, eodem modo, eademque proportione invadens, quotidiana dicenda jure videtur, quæ

&

invadens, quotidiana dicenda jure videtur, quæ & confirmatur à rebus naturalibus, à non naturalibus, & præter naturam. Et primo quidem, ætas puerilis, ad pituitæ subdulcis generationem aptissima observatur, ob cruditates à ciborum ingluvie procedentes, temperamentum præterea calidum & humidum, anni tempus autumnale, prægressa dissoluta vivendi ratio, ad crudos & pituitosos humores congerendos opportunissima sunt, ac tandem, hoc idem confirmant res præter naturam; etenim, cum extremorum refrigeratione invadit, pituitosis febribus propria, præterea calor febrilis, primis horis accessionis, non adeo acris & mordax percipitur, imo potius fumosus, adinstar ignis in viridibus lignis accensi. Vrinæ sunt pallidæ & tenues, pueris quidem consuetæ, modo, crudæ pituitæ, indicio. Pulsus inæquales, ob pugnam caloris febrilis cum pituitosa materia gravante, & putridos vapores ad cor elevatos, à putrida minera, à vermibus inæqualiter commota. Lingua salivosa, sive copiosa saliva madens, à cujus præsentia oris ventriculi suctio atque corrugatio inhibetur, unde non solum inappetentia, verum & nausea febrem ipsam præcessit. Et tandem copiosi adsunt cum hac febre vermes, qui nonnisi à pituita excalefacta & putrefacta gigni possunt, ut asseruit Avic. & ante ipsum Gal. dum probat amara, neque facile putrescere, nec vermes generare posse, prius tamen Arist. idipsum affirmavit, asserens unumquodque nutriri iis ex quibus constat, vermes autem, nec acidis, neque amaris nutriuntur, quia nec ex iis constant. Quibus subscripserunt quoque Aet. & Paul. Quare, cum neque ex acida melancholia, neque ex amara bile, neque ex sanguine, à natura tantopere custodito, vermes generentur, asserendum omnino quod à pituita putrefacta ortum ducant, à qua procedit quoque hæc quotidiana febris.

Et licet in febribus quoque acutis, biliosis, atque malignis, vermes generari ac excerni frequenter videamus, non tamen à biliosis & malignis excrementis, nec in eodem loco, ubi putrescunt, generantur (quanquam & in pluribus corporis partibus generari posse negandum non sit,) sed in primis viis, intestinorum scilicet regione, ex pituitosis & crudis excrementis, in casu nostro producuntur, quinimo, si portio, vel exigua, aut biliosi aut maligni humoris, à venis superioribus, per ductum cholidochum ad intestina feratur, fugantur ipsi vermes, & vel per alvum deijciuntur, vel ventriculum petentes, per vomitum excernuntur.

Sed, cur ad vermium putredinem non semper sequitur febris? An quia licet vermes ex Arist. generentur ex putredine terræ, nihil tamen, ex eodem, generatur putrescens, sed concoctum, quasi dicat, quod ex integra & consummata, vel excellenti putredine, vermes non generentur, unde dicebat, quod viventia in rebus putridis generantur, cum naturalis calor facultatem eorum cogendorum acquirit; quamvis enim materia putrida sit, oportet tamen vermibus generandis, ut à naturali calore coquatur, quam concoctionem Avic. rectificationem vocavit. Hinc Gal. ait, quod sola putredo non est ad generandos vermes sufficiens, sed & calore plurimo indiget, sicque vermes, & per putredinem, & per concoctionem generantur: per putredinem quidem, quoniam ut misti putredo præcedat necesse est: per coctionem quoniam opus quoq; est, ut postea calor ejusdem misti reviviscat, ita ut & coquere & in unum cogere valeat, quam vim ac facultatem suscipit à cœlesti calore accedente, dum misti calor nondum permisit integram humidi à sicco dissolutionem, ac proinde neque integram putredinem, cum alioquin ex hac non solum vermes generari non possint, sed ab ipsa intensiori reddita, vel necentur, vel fugentur, atque ab hac quidem febris generatur, non autem à priori putredine vermes producente. Ideo, pluries vermes excreti, sine febre, à Puero, & ab aliis visi fuere, tum ex corruptione ciborum, tum ex pituitosa materia, à lactis usu carnium & fructuum, atque dulcium alimentorum genita, dulcia enim in humidis temperaturis, & puerili ætate potissimum, non adeo facilè bilescunt. Horum autem signa patentia sunt, nimirum oris fœtor, à putredine in primis viis, dentium stridor, motusque convulsivi in somnis, è vaporibus, vel nervorum principium, vel os ventriculi vellicatibus, unde & clamores. Quoniam vero ex vermium copia, frequenter febris minera commovetur, & agitatur, hinc plures singulo die repetere videntur febrium accessiones, cum frequenti coloris & caloris mutatione, ab eadem causa procedente.

Febris hæc periculo non vacat, licet in primis viis putredinis mineram habeat, vix enim fieri potest ut pituitosa materia, viscida atque lenta, & potissimum hoc casu copiosa viginti quatuor horarum spatio febrilem calorem exuat. Vnde Avic. dicebat, quod sicut raro datur quartana continua, ita raro reperitur quotidiana intermittens. Augetur autem periculum in casu nostro, à copia vermium, qui semper mali, quia putredinem, si non intensam, extensam tamen significant, quæ ipsius febris causa fovens evadit.

Attamen quoniam statim ob initio accersiti sumus, Puer satis obsequens, & assistentes solliciti de ejus salute observantur, hæc speranda est, eoque magis, cum, & morbus, & symptoma ætati, temperamento, anni tempori, & vivendi rationi conveniant. Neque ut Medicorum vulgus, juxta cum mulierculis, vermium præsentia, ut signum malignum, formidanda, nisi fortasse iisdem in morbi progressu, mortui, aut vivi, fugientes excernerentur, intensiori nimirum putredine reddita, atq; loco mutato; verbo, mutata febris natura. Sicut magni faciendi quoq; teretes, morsu lædentes, præsertim os ventriculi, quoniam & lipothymiam, syncopen, & interitum inferunt.

Intentiones medicæ, pro hac febre curanda, atque Puero sanando, sunt. dirigendæ adversus febrem primo, secundo vero adversus vermes; non quia sunt febris causa, sed quod alia symptomata inducere possunt. Quare, primo materia pituitosa, attenuatione, incisione & detersione præparanda. Secundo, eadem evacuanda. Tertio, calor febrilis, pro usu, contemperandus. Quarto, partes producentes roborandæ. Ultimo, vires totius, congrua victus ratione conservandæ.

Vermes vero prius deturbandi atque necandi. Secundo expellendi. Tertio, si irritati, morsum,

aut aliquod alïud pravum symptoma inducant, eorum ferocia mitiganda.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, in fonte Chirurgico, non est quod de sanguinis missione loquamur, non solùm febris ipsius ratione, & causæ ejusdem, quia nimirùm non adest indicans, verùm etiam ratione ætatis, quia non adest permittens, prout & ab ipso Gal. omissa fuit.

Ex Pharmacia itaque sunt desumenda remedia. Et primo, pro ventriculi & primarum viarum exinanitione, injectus fuit clyster ex lacte, butyro & saccharo, à vermium præsentia facilè absorptus atque consumptus, mox exhibitus cremor tartari, quem crudorum & pituitosorum excrementorum justa excretio sequuta est. Quare alterantibus & præparantibus modo insistendum.

Alterantia esse possent jura, cich. borrag. end. ruta capraria & gramine alterata, quibus oxymel dilutum aqua de succo rutæ capr. & aceto paratum, ad unc. ii. immisceri poterit. Verùm quoniam jura hujusmodi, utpotè amara, respuit ipse Patiens, ideo substitui possunt aquæ stillat. de succo cichor. acetosæ, rutæ caprariæ & graminis, & oxymeliti, julapium acetosum, noctu in febris vigore offerendum. Mane vero solum præparans exhiberi poterit, julap. nimirum jam dictum, ad unc. ii. vel iii. vel ejus loco cremoris tart. & sacchari fini an. unc. s. vel in jure, vel in aqua rutæ capr. aut scorzoneræ dissoluti. Interim, quotidiè clyster injiciendus, non solùm ex lacte, butyro, & saccharo, verùm & ex lacte, cum syr. vel melle rof. solut. Et septima transacta die, minorativum præbendum ex cassia, tartaro, & semi scrupulo aloes, si possibile fuerit, sin minus, substituatur illi syr. rof. solut. aureus; vel pot. ex manna clarif. addendo tamen infusioni agaricum, ab Avic. tantopere commendatum.

Quod si forsan in progressu, calor febrilis augeatur, alterantis loco eligi poterunt aquæ stillat. cich. & acet. vel aqua hordei, cum melle rof. simpl. quod Avic. proponit, sub nomine Geleniabin, ut eodem tempore & alterationem & præparationem obtineamus, quibus omnibus in gratiam Pueri, nonnunquam & acidum citri, aut lim. commisceri poterit, licet enim acida hujusmodi frigida sint, attenuandi tamen & putredini resistendi facultatem obtinent.

Sed in progressu, perseverante febre, aliquod cochlear. syr. de cich. cum rhab. in aquis, vel decoct. jam dictis, opportunissimum erit, atque ita, quà alterando, quà præparando, & per epicrasin evacuando, pilulæ alicujus, vel masticinæ, vel de tribus, necnon clysteris frequentiori usu, erit procedendum usque ad febris consumptionem. Facilis quippe tunc fuerit ventriculi roboratio, confectione aromatici rosati, vel sale absinthii & mentæ.

Dum jam dicta omnia fiunt, vermibus semper prospiciendum, & primò enecantibus internis & externis. Secundò educentibus.

Enecantia, in hoc Puero tenellæ ætatis atque delicato, poterunt esse aquæ, succi, spiritus, pulveres. Aquæ stillat. nimirum absinthii, rutæ capr. citri, scorzon, card. sancti, & omnium maximè, cordial. præclariss Saxon. Succi suaviores, citri, limon. Spiritus salis, ad gutt. in aquis jam dictis. Sed calcanthi spiritus celeberrimus habetur ad vermes enecandos, nec unquam fallit.

Pulverem ex corallina, sive musco marino, quem circunforanei in Plateis vendunt, mirabilem deprædicant Matthiolus, Brasavolus, Mercurialis. Celsus præbet nitrum bibendum. Nos vero paremus pulverem ex corallina, cornu C. phil. præpar. cum cort. citri, nec non margaritis præparatis, quibus addantur quoque grana mercurii dulcificati, & exhibeantur in aquis cordialibus jam dictis.

Extrinsecus enecat vermes linimentum ab Aet. Paulo, & Orib. propositum, ex succo absinthii, bryonia, aloe & felle taurino, verum in Puero hoc febricitante, sufficiat oleum Abacuc, Venetiis paratum, vel de scorpionibus Matthioli, aceto squillitico dissolutum.

Educentia in casu nostro, poterunt esse crem. tart. repetitus, vel aloe lota, tantopere à Paulo commendata. In fine rhabarbarum quoque, in minutissima fragmenta redactum, & saccharo incrustatum, prout Venetiis paratum habetur, valdè utile, sic & conserva è floribus persicorum, enecat simul & expellit.

At si forte fortuna vermes ori ventriculi, morsu pertinaci adhæreant, tunc minime sunt irritandi, sed potius à morsu revocandi, atque alliciendi, hinc Aet. utebatur oleo, quod tamen nos non adeo tutum putamus, cum ab Arist. proditum habeamus, quod olei tactus insecta omnia interficiat, ideo Avic. carnes, & carnium contusam offerebat, mox carnibus enecantia commiscebat, ut vermes deciperet. Nos autem, lac, omnium præstantissimum existimamus, vel cum saccharo ipso, & quidem copiosum, ut ventriculum distendere, & diutius in eodem manere possit, simulque vermes prolectare valeat, sicque ad lac conversi ventriculum mordere desistant, quod etiam clysteribus erit injiciendum.

Quibus omnibus congrua erit addenda victus ratio, non adeo tenuis, ut in reliquis quotidianis, licet pituita sit dulcis, ob vermium præsentiam, & puerilem ætatem. Potus consuetus solet esse mulsa cum cinnam. qui in casu nostra poterit esse aqua hordei, cum saccharo, & cortice citri, imo, & nonnunquam, cum acido, cæteraque proportione respondeant curationi quotidianæ, superius traditæ. *Idem ibidem.*

Epiala Febris.

Vir quidam dives, sexagenarius, temperamenti olim calidi & humidi, habitusque carnosi, modo ad obesitatem tendentis, qui semper deliciosam vitam duxit, cujus causa, aliquando colicis doloribus fuit obnoxius, qui solvebantur pituitæ vitreæ evacuatione, per clysteres sollicitata, tandem multis abhinc mensibus, ob rixam & hostile dissidium, ab Vrbis Prætore domi se continere jussus, in qua adhucnum hæret, comessationibus, compotationibus & otio omnino indulgens, tandem hoc hyemali tempore, quo colica tentari solebat, febre correptus est, horis nocturnis, quæ cum quodam horrore incepit, non tamen recedente calore, adeo ut usque in subsequentem diem, toto corpore, simul eodemque tempore, & calorem & frigus se percipere asseruerit

ruerit ipse Pat. & per totam diem usque ad novum febris insultum. Accersitus Medicus invenit Patientem de algore & calore simul conquerentem, sed sine siti, cum pulsu parvo, tardo & raro, urinisque crudis & aquosis. Statim jussit ei offerendum jus sem. citri alteratum, tribus additis unciis aquæ cord. Sax. in eum finem ut totum tandem, in toto febris progressu, incalesceret corpus, quod tamen non successit, sed adventante nocte, novaque accedente febris accessione, invaluerunt & calor & frigus, uno eodemque tempore, per universum corpus, & utraque affectio pariter usque ad matutinam Medici visitationem perseveravit, quam rem miratus Medicus, cum domesticis, consilium à nobis capiendum decreverunt. Interim tamen optimè se gessit Medicus ipse, etenim summo manè, primo hoc præscripsit vomitorium.

♃. Juris carnium, raphano & sem. cit. alterati unc. x. oxym. simpl. unc. iii. m. pro vomitorio. Secundo, clysterem hujusmodi injiciendum jussit.

♃. Decoctionis utriusque centaur. mercurialis, chamæmeli, parietariæ lib. i. m. mel. ros. solut. ol. rutac. an. unc. iii. elect. diaph. unc. s. vit. ovi m. pro clyst. Tertio, præscripsit leniens, quod tamen distulit in crastinum sequentem diem, ita quoque rogâte Patiente, à duabus secutis evacuationibus nonnihil defesso à quibus pituitosi & crudi humoris copia excreta fuit.

Quotiescunque febricitant ægri & rigent simul, atque eodem tempore in toto corpore, per totam accessionem, utrumque sentiunt effectum, epiala febre laborant, ita Gal. Patiens iste ita se habet, ergo epiala febre tenetur. Et licet ab epias & alos, à maris nimirum tranquillitate, ita dicta fuerit, eo quod insignem calorem non excitet, & ideo tranquilla. Hinc, ut mare, licet tranquillum, horrendum semper est, sic & in Epiala, licet calor tranquillitatem ostendat, utpote mitis, horrida tamen evadit, ob rigorem perpetuum ejusdem, unde à quibusdam, febris Algida dicta fuit.

De causa hujus febris convenire videntur Avic. & Arabes omnes, cum Gal. & Græcis omnibus, sicut & de modo omnino dissentiunt, omnes enim voluerunt causam esse pituitam acidam, crassam, quam vitream appellat Praxagoras, circa viscera naturalia putrescentem. Modum hujusmodi admisit Avic. ut scil. pituita vitrea, putrescens, vapores ex putredine calidos mittat ad ambitum corporis, & ita exteriora caleant, cum vero materia sit frigida & lenta, interiores partes refrigeret, non secus ac dum pomum crudum in ignem projectum incalescit, quod quidem ferventem ac vaporosam exhalationem in aerem de se transmittit, quam ideo calefacit, ignem vero proximum & sibi circumpositum adeo refrigerat, ut illum ad exstinctionem ferè deducat. Gal. vero voluit quod Patientes febricitent & rigeant simul, eodem tempore, in quavis corporis parte, & in tota accessione, idque quoniam frigidissima ac densissima acida pituita, si per partes sentientes moveatur, sine putredine, rigorem sine febre excitat, si verò modicè putrescat, præcedit quidem rigor, sed postea subsequitur calor, devicto nimirum frigore à putredinalis caloris vigore. Verum tamen est quod humor iste, cum sit frigidus & tenax vix potest æqualiter & totus putrefieri, & ideo ex parte putrescit, & ex parte non putrescit, atque ea quidem qua putrescit, excitat calorem, qua vero non putrescit, frigus; & ita, uno eodemque tempore, & una eademque in parte, & calor & frigus persentitur.

Quam Græcorum sententiam nos libenter amplectimur, cum febris sit calor in corde accensus, & à corde in totum corpus diffusus, unde interiora algere, & exteriora incalescere non possunt, ut credit Avic. quia unumquodque fortius agit in proximum quam in remotum, quare calefieri non possunt externæ corporis partes quin prius internæ calefiant. Et quamvis Philosophantes quidam Gal. opinionem arguant, eo quod duo contraria, simul uno & eodem tempore, in unico subjecto reperiri nequeant, solvit tamen objectionem ipse Gal. dictum hoc scil. verum esse quoad sensum, non quoad rationem, & quoad partes dissimilares atque organicas: non quoad similares, etenim, manus frigida & calida, ut pars organica, ad sensum esse videtur, cum tamen similarium partium, eandem constituentium, aliæ frigidæ, aliæ calidæ verè sint.

Igitur à pituita vitrea, inæqualiter extra venas putrescente, fit febris hæc, Patientem hunc affligens, cujus productio difficilis non fuit, hac ætate sexagenaria, humido temperamento, habitu corporis obeso, delicata vita, à quo olim colici excitabantur dolores, quorum causam ostendebat pituitæ vitreæ copiosa per alvum excretio, quæ tandem ab intermisso exercitio, imo ab omnimoda quiete, & erroribus in cibo & potu adauctis, adeo multiplicata est, ut crassior etiam consueto reddita, ad intestina à natura detrudi nequierit, quinimò in mesenterio firmata atque putrefacta, febrem hanc epialam excitaverit, quam in genere quotidianarum collocavit ipse Gal. cum tota Græcorum Arabumque schola, & in qua, nulla sitis, calor mitis, pulsus parvus, tardus & rarus, cum urinis crudis & aquosis, juremerito observantur.

Neque huic Galenicæ veritati refragatur ejusdem auctoritas, Lib. de Inæquali Intemperie Cap. 11. ubi asserit, epialam ab amara bile, simul cum pituita vitrea putrescentibus fieri posse; rationi quippe consentaneum, quod sicut in cæteris omnibus, ita & in hoc genere febrium, & legitimæ & spuriæ dentur species, dum legitima ab uno simplicique humore, spuria vero, à duobus simul commistis producitur. In hac tamen frigus usque ad finem accessionis non perdurat, sed, vincente calore, in progressu cedere solet, secus ac in legitima.

Febris hæc, licet inter quotidianas intermittentes reponatur, cum humor per partes sentientes moveatur, ad rigorem vel horrorem excitandum, nihilominus, quoniam vera quotidiana non est, adhuc minus sincerum habet intervallum, ob materiæ lentorem, atque temporis brevitatem, unde si illa, non sine periculo fuit judicata, tantò minus tuta erit hæc epiala, ut quæ à densissima omnium, atque frigidissima pituita, vitrea scilicet, excitetur. Ideò & Gal. inter febres continuas epialas collocavit,

vit, quæ tamen continuitas, per subingressum paroxysmorum est intelligenda.

Sperandum tamen, cum Patientis vires validæ sint, ut attenuata materia, vel in veram quotidianam degeneret, vel sequuta ejusdem pituitæ ad intestina metastasi superveniente colica, febris ipsa recedat.

Quare confidenti animo curatio est aggredienda, quæ potius causam quam febrem ipsam respiciat. Sic primò materia pituitosa calefacienda, attenuanda, incidenda, & evacuanda. Secundo, calor febrilis modicè contemperandus. Tertiò, ventriculo afflicto prospiciendum, cum ex eo animi defectiones contingere soleant. Quartò tandem, vires totius conservandæ.

Quibus intentionibus satisfaciendum remediis à tribus fontibus desumptis. Et primò quidem à Chirurgico, non est quod ullam sanguinis missionem depromamus, etenim, si Gal. in quotidianæ curatione nullam sanguinis missionis mentionem fecit; sicut neque Avic. (nisi rubedo in urinis observata fuerit) hoc est, nisi subsit sanguinis plenitudo, quantò minus indicatur sanguinis missio in epiala hac febre, in qua pituita adeò tenax & frigida peccat, quæ majori calore pro concoctione eget? Quare nec indicans adest, nec, nisi vix, adesse potest permittens. Frictiones asperæ, in progressu febris, locum habere poterunt, ad porositates rarefaciendas, atque pituitosos humores attenuandos ac resolvendos, imo & inunctiones, quæ parari solent ex oleo chamæmelino, ad cujus tamen evitandam odoris insuavitatem.

℞. Ol. lilior. alb. unc. iii, nitri drach. ii. vini albi odoriferi unc. i. m. bul. omnia ad consumpt. vini & madefactis manibus, post frictiones, fiat universalis inunctio. Spinali verò medullæ.

℞. Ol. lil. alb. cum aromat. unc. ii. ol. de spica drach. i. m.

Ex fonte Pharmaceutico præcipua sunt desumenda remedia, lenientia, præparantia, purgantia, animi defectionem prohibentia, & ventriculum roborantia. Lenientia possunt esse assumpta, & injecta. Assumpta vomitoria, & dejectoria. Vomitorium aptissimum, jam ab Excell. Adstante fuit præscriptum, sicut & clyster acris opportunissimus. Præscripsit quoque leniens hujusmodi, per os exhibendum.

℞. Elect. lenit. unc. i. crem. tart. drach. ii. specier. hieræ simpl. drach. i. m. f. bol. Et si potio, talis erit.

℞. Mel. rof. solut. unc. vi. crem. tart. tenuiss. pulveriz. unc. ſ. m. f. potio. Præparantia secundo loco consideranda veniunt, eaque multo validiora quam in quotidiana, ut ratio, atque Ætii & Pauli auctoritates suadent; observando tamen, cum Avic. quod paulatim ad fortiora sit ascendendum. Primum igitur præparans sit.

Oxym. simpl. mel. rof. colatian. unc. i. salis mentæ gr. vi. vel aq. cinnam. unc. ſ. m. pro syr. matutino tempore, duabus horis ante prandium exhibendum, quod attenuandi quoque & incidendi facultatem obtineant, hoc esse poterit.

℞. Decoct. cich. borrag. buglossi, beton. mentæ, cort. citri unc. vi. julap. acet. syr. de cort. cit. an. unc. i. m. pro alterante.

Interim clysteribus acrioribus erit materia subducenda, & apparentibus aliquibus signis coctionis, purganti medicamento erit minoranda, & quidem potius bolo quam potione, præscribendo, cum minus crudam materiam exagitet.

Ut ℞. Elect. lenit. drach. i. m. f. boli.

Inde ad validiora præparantia, attenuantia & incidentia erit deveniendum: unde Dioscorides seseli semen cum vino bibendum dabat in Epialis, nos vero, pro syr. matutino.

℞. Oxym. comp. unc. i. syrup. de hyssopo de prassio, bizantini cum aceto, an. unc. ſ. mulsæ acetosæ, cum aqua agrim. paratæ unc. v. m. pro syr. matutino.

Pro nocturno vero, ℞. Oxymel. simpl. unc. i. syr. de cort. cit. de menta, sive de absinth. an. unc. ſ. decoct. cich. borrag. buglossi, beton. agrim. petrosel. salviæ unc. v. m. pro syr. Et ita per epicrasin, dum materia peccans præparatur, eadem, vel clysteribus acrioribus, vel præscripto medicamento erit educenda. Frustra autem, quod aliqui perperam faciunt, diureticis ejusdem materiæ per urinam evacuatio tentatur.

Ventriculo afflicto corroboratio tandem procuranda: & potissimum post assumpta medicamenta purgantia. Sic Paul. diatrium pipereon, succum cyrenaicum, imo & castoreum exhibebat. Nos autem contenti sumus confectionibus, ex aromatico rof. oleo de citro, anisorum, sale absinthii & mentæ,

Ad animi defectiones autem arcendas, aqua cord. præclariss. Sax. ad unc. i. cum unc. ſ. aq. cinnam. efficacissima erit.

Victus ratio debet esse quidem attenuans, at non adeo tenuis, unde Tral. dicebat, quod sicut non una est pituitæ species, ita non una debet esse victus ratio. Decipiuntur autem qui credunt tenuiorem victum esse debere in hac epiala, quam in quotidiana simplici, cum tamen omnino debeat esse plenior, & ratio est, quia in quotidiana, peccat pituita dulcis, quæ per ulteriorem coctionem in sanguinem & nutritionem converti potest, quod de vitrea sperandum non est, eademque ratio est habenda in reliquis pituitæ speciebus præter naturam. Potus sit aqua mulsa, aniso & cinnamomo alterata, vinumque addatur, apparentibus signis coctionis. Hæcque pro hac febre curanda dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris Singultuosa.

Vir quinquagenarius, delicatè vivens temperamenti secundum totum, subfrigidi & humidi, frigidi & humidi ventriculi, densi & obesi habitus, vitam otiosam & de more sedentariam ducens, copiosis, frigidis & crassis alimentis usus, quotidianis vomitibus pituitosæ materiæ, multis abhinc annis obnoxius, sex autem abhinc mensibus, suppressis, postquam hoc autumnali tempore, frequentibus conviviis interfuit, eduliaque copiosa, ex lacte parata, & fructus comedit, incidit in febrem, quæ sub vesperam, sine evidenti rigore, horrore & frigore, quotidie, eodem modo invadit, cujus calor paulatim increscit & augetur, nec unquam valdè excedens observatur, fumosus potius quam acris & aridus, cum inquietatione, siti molesta, & singultu in principio febris, continuo, usque ad finem

nem status ejusdem perdurante, qui eidem omnino somnum eo temporem terdicit. Pulsus observati fuerunt non adeo celeres & frequentes, urinæ crudæ, sed quodammodo crassiores. Modo in tertia nos de agendis pro salute consulit.

Febris hæc quotidiè, eodem modo, horis vespertinis invadens, cui fumosus nec vehemens calor succedit, in Patiente humido atque obeso, de genere pituitosarum, sive quotidianarum esse asserendum, & cum statim ab initio singultus accedat, sive potius, cum eadem febre invadat, & usq; ad statum semper, inclusivè, eandem comitetur, ab hoc symptomate febris hæc denominationem suscipere solet, & quotidiana singultuosa, sive potius tantum singultuosa appellari, cum nulli alii febri singultus perpetuo, usq; ad declinationem associetur, in hepatis namq; inflammatione, à calore inflammatorio, per nervos ventriculo communicato, singultus excitatur, nec tamen febris illa singultuosa dicenda. Pariter, si in eadem inflammatione, ab hepate, humores biliosi ad ventriculum transmittuntur, singultus quidem fit non autem febris singultuosa, sed necesse est ut singultus statim ab initio, cum ipsa febre quotidie invadat, & fere tota accessione febris perseveret, ut febris singultuosæ nomen mereatur. Quod expressis verbis prodidit cum Hipp. Gal. dicens, Fuerunt etiam in febrientibus, qui in singultu erodentem accerrimumq; vomuerunt humorem & vomitu à symptomate liberati fuerunt, verum febris hujusmodi nequaquam singultuosa appellatur, namq; ut singultuosa vocitetur, permanere amplius debet singultus, vel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbari. Hæc Galenus.

Fit autem hujusmodi febris à pituita in ventriculo putrescente, & facultatem ejusdem expultricem irritante. Hæc vero nonnunquam putrescit, ori ventriculi adhærescens, & si in cavitate, halitus tamen putridos, corruptos, acres vel acidos, atque malignos ori ventriculi communicans, vel putrescit in venis ejusdem ventriculi, & potissimum in gastrica, coronaria dicta, prout in casu præsenti dubitandum videtur, dum totum corpus obesum & humoribus pituitosis refertum est, atque ante actam ejusdem vitam expendimus, ad copiosam atque redundantem pituitam generandam omnino idoneam.

Hæc autem pituita, non est succus ille pituitosus, qui per ulteriorem coctionem succus sanguineus evadit, in venis contentus, ad partes frigidas & humidas nutriendas destinatus, neque excrementitia illa pituita, propriè naturalis, succus scil. à sanguinis perfectione declinans, crudus & inconfectus, qui in ventriculo generatur, nec naturalis impropriè, ut sputa & mucositates, sed est pituita præter naturam, non per excessum caliditatis, à qua fit salsa, sed per frigiditatis exuberantiam, acida dicta, quæ tamen tantam in se frigiditatem non continet ut vitrea reddita sit, cujus copiam atque præsentiam facilè attestari possunt ætas, anni tempus, temperamentum, habitus corporis, vita anteacta otiosa, ventri gulæque dedita, hæc autem superioribus annis, vomitu quotidie ab ipso Patienti excerni consueta, modo vero pluribus abhinc mensibus suppressa, & in venis coacervata, ac per venas ipsas ad os ventriculi delata, ibidemque putrefacta, præsentem parit febrem, prout & valde acida ac facultatem expultricem irritans, continuum in hac febre, usque ad declinationem, singultum excitat, donec scilicet pituita ipsa in vigore febris, à calore febrili attenuata fuerit, & os ventriculi excalefactum, tunc enim, vel insensibiliter digeritur, vel à loco dimovetur, unde cessat singultus, ut in casu nostro, cum tamen quandoque contingat, ut frigida existentente eadem pituita, debili vero febrili calore, cum ventriculi ore valde refrigerato singultus per totam accessionem quoque perseveret.

Singultum autem excitat hæc materia, non repletione, aut inanitione, quemadmodum fit convulsio, sed irritamento, quod est proxima causa singultus, alioquin, si concedatur repletio, & servetur Hipp. tanta hæc non est quæ continuum solvere, & dolorem excitare possit, ut in convulsione, ea tamen quæ simul cum aciditate irritamentum facere, & singultum sine dolore excitare valeat.

Febris hæc periculosa censenda est, quoniam continua, & quoniam perpetuum habet adjunctum singultum, vires debilitantem, eoque periculosior quia materiam non ori ventriculi hærescentem, verum in venis putrescentem habet. Attamen, quoniam vires validæ sunt, nec adest propensio ad vomitum ægrum nostrum defatigans & ventriculo inflammationem inducens, nec animi deliquium conjunctum habet mineraque non adest maligna, salus sperari potest, prout quendam alium, hac febre laborantem, sanitati restitutum vidi. Sic & Cardanus duos febre singultuosa laborantes vidit & sanavit, quorum alter juvenis, alter octogenarius erat. Quod si sternutamentum superveniret, facilior evaderet curatio. A singultu enim habito, sternutamētum superveniens, liberat. Plenitudo enim violento motu opus habet ut moveatur, ait Gal. in Com. Iudicari autem solet, aut sudoribus, aut urinis crassis & acribus, aut abscessibus.

Pro curatione itaque, primo calor febrilis moderatè contemperandus. Secundo materia peccans attenuanda, incidenda, detergenda & evacuanda. Tertio singultui occurrendum. Et tandem ventriculus roborandus, quibusdam alexipharmacis non omissis.

In Chirurgico fonte, missioni sanguinis locus non est, nisi suppressa fuerint menstrua; tunc enim saphena, aut, si consueta hæmorrhoidalis evacuatio, venæ sedales essent aperiendæ; parcè tamen semper sanguinem mittendo. Cucurbitula sicca ventriculo repetita, tanquam remedium ingentis profectus proponitur ab Aët. ut quæ possit materiam impactam ventriculo, suo calore attenuare, & motu deturbare atque dimovere. Avic. verò sinapismum proponit; nisi tamen obstet calor febrilis, aut imminens inflammatio. Revulsiones, ut frictiones, ligaturæ, pedum lotiones, sinapismi & phœnigmi, convenire solent, dum halitus à minera maligna ad os ventriculi ascendunt.

Ex Pharmaceutico fonte desumenda sunt Lenientia; Præparantia, Evacuantia, calorem febrilem Contemperantia, Singultum sedantia, à proprietate Juvantia, & ventriculū Roborantia.

Ptimò lenientia, per superiora & inferiora exhibenda; atque in primis vomitus leniter ita provocandus.

♃. Juris carniū sem. cit. alterati unc. x. oxym. simpl,

sin pl. ol.amygd.dulc.an.unc, iii. m.pro vomit. Inde eadem crastina die præbeatur leniens.

♃. Elect.lenit.drach.vii.crem.tart.drach.iii. m.f.bol.quibus, transacta hora, superbibat Pat. mulsam dilutam, ad lib. ii. vel potu.

♃. Mell.ros.solut.mannæ cum crem.tart.clarif. an. unc. iii. aq. cinnam. unc. ſ. m. f. P. & tribus transactis horis, superbibat mulsam; à mulsa verò, duabus post horis, prandeat.

Præparantia sint ab initio leviora, deinde validiora. Oxymel statim suspectum habetur apud Hipp. & Gal.qui in singultuosa febre acetum formidandum esse præcepit.

Quare, ♃. Mel.ros.colati unc.ii.aq.cinnam. unc.i.m.pro syr.In progressu verò ad validiora procedendum.Sic Hipp.proponit laserpitii succum oxymel. daucum, cyminum. Laserpitii verò aut succus Cyrenaicus, lacryma illa est à nobis belzoinum appellata, quæ à Cyrenaica provincia ad nos transferebatur, Silphium quoque dicta; quanquam legitima nostris temporibus non habeatur.Attamen tale paretur præparans.

♃. Oxymel.simpl.diluti unc.ii.belzoini.pulv. cymini an.scrup. ſ.aq.cinnam. unc. ſ. m. pro syr. matutino tempore exhibendo; sicuti nocturno.

♃. Decoct.cich.borrag. beton. agrim. pentaph.malvæ unc.vi.oxymel.simpl.unc. ii. m. pro syr.alterante & præpar. Quod si calor febrilis urgeat,addatur succus cichorei depuratus, cum minori decoctionis quantitate.

Præparati humores commodissimè evacuari poterunt hiera picra; nisi calor febrilis obstet.

Ut ♃ Elect.lenit.flor.cass.rec.an.unc.ſ.hieræ picræ drach.ſ.m.

Vel ♃. Elect.lenit.flor.cass.rec.an.unc.ſ. pil. de hiera cum agar. scrup.ii.m.f.bol. quibus omnibus superbibat aquam hordeaceam, ad lib.ii.

Evacuatur quoque materia peccans, per urinam & sudorem, si illuc vergat natura ipsa; ideò ad urinam ducere poterit aqua hordei, dauco & fœniculo alterata; ex qua emulſ.sem melon.diluta commodè parari poterit. Ad sudorem verò eadem aqua,cum uncia aquæ cinnam. vel semi uncia aq. vitæ, addito cornu Cer. philosoph.

Et licet in casu nostro maligna minera manifesta non adsit, aliqua tamen alexipharmaca, utilia esse poterunt; quale erit extractum de scorzon. in aqua cord.sancti, totius citri; Aqua Excellentiss. Saxon. Confectio alkermes; & in progressu, aqua quoque theriacalis.

Singultum contumacē respiciunt opiata, quæ tamen in causa calida,tutiora sunt; ideò in frigida cautè valdè adhibenda. Philonium Romanum, apud Galen.quam maximè commendatur, sicut à nobis theriaca recens, vel laudan. nepenth. cum pulvere tormentillæ, bolum reformando.

A proprietate juvantia interna, & externa esse possunt.Inter interna, validissima sunt elixir vitæ, cum cochleari aqu. cinnam. Item rotulæ ex oleo anisor.vel ocymi,vel potissimùm cymini, cum saccharo paratæ. Tertiò, balsamum naturale, ad scrup.i.in vino malvatico; vel urgente febrili calore,in aqua cord.Sax.dissolutum.Quartò,ginhiber conditum, sed recens, ad castaneæ quantitatem Extrinsecus ol. de spica,de pipere, scutella cinere quercus repleta, & vino malvatico aspersa, ventriculoque applicata.

Ventriculum roborantia erunt jam dicta, ideò repetenda non sunt.

Victus rationem quod attinet, ab initio ad tenuem vergat, sic ptisanam, cum melle dabat Hippocrat. nos cum pipere, in globulo ebullito; panatellam quoque cum cinnam. integro coctam, emulsionem amygdal. dulc. cum ptisana. Vinum album vinosum Hipp. Nos autem utimur offa panis, vino imbuta, vini tamen potu interdicto, in progressu condiendi cibi, salvia, satureia, origano. Hæque satis pro hac febre curanda. *Idem ibidem.*

Febris Syncopalis Humorosa.

Vir quadragenarius, pinguis habitus & albi coloris, ventriculi frigidi & humidi, humidique capitis, delicate vivens, multum deliquit in victus ratione; & primo æstivo tempore nuper elapso,fructus copiosos comedit,gelidas aquas, variis saporibus conditas, indulgentius potavit, & vina nive refrigerata. In prandio & cœna,de more hausit; alimenta præterea crassi succi, ut lacticinia, juniores anseres, anates,pisces atque conchylia, ad mensam,ut plurimum usurpavit; piscium quinetiam venatione delectatus, frequenter ante lucem surgens, sibi somnum necessarium subripuit, sub dio, in navicula eorum capturæ hamo intentus; tandem hoc autumni tempore, post prægressam inappetentiam, & totius corporis lassitudinem insolitas, suppressumque pituitosæ materiæ vomitum, ferè quotidianum, horis vespertinis febricitare cepit, cum extremarum partium refrigeratione,febrili tamen calore valde remisso, quod verò magni faciendum, frequens lipothymia, imò syncope, cum absoluta asphyxia, externarum partium perfrigeratione, & sudoribus frigidis, crassis atque lentis; in quam lapsus est Patiens, non semel, sed pluries, nec solum in accessione, verùm & in toto febris decursu, præcedente semper ventriculi angore, sine morsu tamen. Accessit rursus febris eadem, iisdem horis, eodem modo & ordine, cum frequenti syncope, pulsu valde inæquali, obscuro raro & tardo,urina tenui, aquosa, hypochondriorum inflatione, & facie quodammodò tumida, nonnunquam pallida ac livida, cum delatione in somnum; quæ omnia declinare videntur in ipsius febris remissione. Modò in fine secundæ accessionis, Medicus adstans, remediorum administrandorum anceps, ob syncopen frequenter ingruentem, Nos, de agendis consulit.

Duo magni affectus, quibus Nob. noster Patiens duobus abhinc diebus conflictatur, quorum alter febris est, alter verò syncope vera atque legitima, num unius tantum radicis ambo germina sint; an diversam causam agnoscant, & à loco diverso sobolescant, non levis hucusque apud nos hæsitatio fuit; attamen, dum consideramus hanc febrem de quotidianarum genere esse, ut accessio horis vespertinis, uno eodemque modo, eodem ordine, eademque proportione corripiens, nobis significat; (quæ enim quotidie invadunt sine his conditionibus quotidianæ non sunt; dum, tertianariam, aut quartanariam servantes periodum, aut duplices tertianæ,aut triplices quartanæ sunt, & nuncupantur); & præterea, ut res omnes naturales & nonnaturales; necnon syncope hæc frequens, quam à ventriculo ortam conjicimus, unde &

syncopes hæ stomachicæ, ab eodem Gal. jure merito appellantur, confirmant; idcirco unam, & eandem habere causam, eundemque locum, quotidianam hanc febrem & syncopen ipsam obtinere credimus; licet ordine primum locum febris habeat; prout ratione dignitatis & urgentiæ, syncope ipsa; unde non sine ratione à Medicinæ Scriptoribus, febris syncopalis humorosa appellari solita fuit, ad differentiam alterius syncopalis minutæ.

Fit enim hæc febris à tanta crudorum & pituitosorum humorum copia, ut obstruant, obruant & nativum calorem onerent, ita ut syncopen inducant; alioquin ait Gal. si crassi succi, nec obstruant, nec obruant ac onerent, lipothymiam potius quam syncopen inducere possunt. Et licet universum corpus, unà cum ventriculo, crudis hisce humoribus abundet; portio tamen putrescens, & febrem hanc quotidanam producens, intra ventriculum circa viscera naturalia reperitur ac stabulatur, cum perpetua ventriculi imbecillitate atque angore. Unde hujus febris essentia erit, quod sit continua, quotidianas accessiones, eodem modo, horis vespertinis habens, cum facili & frequenti syncope; dependens ab humorum crudorum sarcina, in ventriculo potissimum sed & in toto existente, cum ventriculi maxima imbecillitate.

Crudus autem humor, à quo febris ista procedit non est ille crudus, stricto modo ita dictus, quem Galen dicebat esse sanguinem semicoctum, per ulteriorem coctionem ad sanguinis naturam pervenientem; nec est humor ille, latissimo modo ita vocatus, quem biliosum quoque crudum appellabat, nondum scilicet à natura victum; sed est humor ille crudus lato modo, copiosa scilicet pituita crassa & viscida, quæ obstruere, obruere atque onerare valet calorem nativum, sicque syncopen frequentem facere in tota fere febris accessione. Ad tantam autem crudi hujus humoris copiam cumulandam, non defuerunt res omnes, tum naturales, tum nonnaturales; Patiens quippe pinguis est habitus, ventriculi frigidi & humidi, humidique capitis, fructibus, aquis & vinis refrigeratis atque alimentis, pituitosos humores multiplicantibus usus, somnumque concoctionibus necessarium sibimet subtrahens, sub dio, matutinis crepusculis, seipsum frequenter exponens; & quod consideratione dignum, multis abhinc mensibus suppressam per vomitum pituitosæ materiæ evocationem passus; à quibus omnibus facilis fuit copiosæ pituitæ, crassæ, viscidæ & lentæ productio atque retentio, ex qua & febris, & grave symptoma, syncope scilicet, tandem ortum duxerunt; hinc calor febrilis non adeò intensus; hinc pulsus, valde quidem inæqualis, obscurus tamen, rarus & tardus; hinc urina tenuis & aquosa, hypocondriorum inflationes, facies quodammodo tumens, nonnunquam verò pallida ac livida, cum delatione in somnum; quæ omnia hanc febrem reliquis omnibus quotidianis pituitosiorem ostendunt; sicut veram atque legitimam syncopen, præceps omnium virium lapsus, cum perfecta asphyxia, externarum partium omnium perfrigeratione, & sudoribus frigidis, crassis atque lentis, utpote non diaphoreticis, sed verè syncopticis.

Febris hæc semper periculi plena est; etenim, si cum Gal. longa, nec sine periculo est quotidiana quid erit pronunciandum de hac febre, quæ omnium maximè pituitosa est, & syncopen, mortis imaginem habet adjunctam? Periculum autem patet, tum ex parte causæ febris, insignis enim adest cruditas, unde cibus exhiberi non potest, ut inducatur concoctio, vires verò ipsius ægri sine cibo labuntur; tùm ex parte remediorum, quæ administrari nequeunt ob syncopen frequentem, non abscedente interim ipsa febre. Lethalis autem, & omninò impossibilis curationis evadit, tribus casibus. Primus, dum totum corpus fuerit crudis humoribus plenum; tunc enim adest causa fovens. Secundus casus, quando succi non modo crudi, sed corrupti sunt adeò, ut appareant signa contraria coctioni. Tertius, quando languentibus viribus, alicujus visceris inflammatio superveniat. Quare in casu nostro, febris hæc parum à lethali abesse videtur; cum in toto quoque humorum cruditas reperiatur.

Verum, quoniam in febris declinatione syncope nonnihil cedere videtur; ideò omninò deplorata salus non est, quanquam spes augeretur, si urinæ crassiores & pallidiores redderentur.

Pro regulari curatione. Primò, materia cruda frigida & pituitosa esset attenuanda, incidenda & detergenda. Secundò, evacuanda. Tertiò, ventriculus roborandus. Quartò, vires ejusdem & totius conservandæ.

Verùm, quoniam hîc, symptoma, nimirum syncope urget, coacta non regularis adhibetur curatio, symptomati occurrendo, unde Gal. spem totam collocat in frictionibus, quiete & inedia; quod desumpsisse videtur ab Hippocrat. à quibus dissentiunt Arabes, Avic. Rhasis; imo & Averroes. Tral. quoque, & è Recentioribus Mercatus, Saxon. & alii, quorum aliqui voluerunt cibum esse offerendum, alii medicamenta evacuantia præbenda; nonnulli quinetiam sanguinis missionem admiserunt, & tandem frictiones propositas, alii tanquam suspectas, omnino damnarunt.

Nos autem, pro tuta ac methodica hujus febris curatione, circa tres scopos perpetuò versandum censemus. Et primò quidem considerandam esse partem affectam, nimirum ventriculum ipsum. Secundò, materiam peccantem, pituitosam scil. & frigidam. Tertiò, vires ipsas. Ex quibus omnibus, urgentiori semper incumbendum, cæteris omnino non neglectis.

quod si itaque ventriculi passio urgeat, & frequentem syncopen inducat, adversus hanc nostra intentio dirigenda; cum legitimæ curationi, quæ est causarum ablatio, locus non detur, nec tempus concedatur; ideò præsente syncope, cum à caloris & spirituum suffocatione proveniat, calor in corde suffocatus, foras est evocandus; facultas excitanda, & spiritus vivificandi, internis & externis. Inter interna, liquida sunt eligenda; tum ad faciliorem introductionem, tum ad celeriorem operationem. Sic præstantissima est aqua theriacalis; aqua totius citri mista: Pariter aqua cord. prima Sax. Oleum cinnam. ad gutt. ii. in aqua scorzon. Quinta essentia roris marini. Omnium maximè spiritus revocat, & vires restituit vinum; utpotè quod quàm celerrimè nutrire dicat Galen. citissimènamque concoquitur atque distribuitur, quia minima indiget alteratione;

ratione; unde maximum penetratorem hoc appellabat Avic. ut juremerito Aret. in solo vino refrigeratis spem vitæ reponat. Sit autem, neque aqua frigida dilutum, quo uti solebat Gal. neque meracum. Non primum, ob insignem ventriculi imbecillitatem, & frigidæ materiæ præsentiam; non secundum, ob febrilem calorem, metum inflammationis internæ. Sit insuper nigrum, austerum & substypticum, non generosum. Quandoque tamen syncope adeò diuturna atque pertinax est, ob crudi humoris copiam, frigiditatem atque lentorem, ut posthabito febrili calore, ad validiorem attenuationem & calefactionem, aqua vitæ quoque uti cogamur; quæ ita paranda.

℞. Fol melissæ, pulegii, majoranæ, anthos, rosl rub. an. pug. i. caryophyl. cinnam. macis, cardam. an drach. i. ossiculor cord. Cer. n. ii. santal. citrin. drach. ii. moschi gr. v. incidantur incidenda, contundantur contundenda, & macerentur in sufficienti quantitate vini albi optimi; mox destill. B. M. cujus cochlearia frequenter præbeantur.

Extrinsecus, mos invaluit ut in sycope fiat aspersio in faciem, vel aqua frigida simplici, vel rosacea, vel vino albo adstringenti; quam proponit Gal. reprobat verò Avic. Gal. quidem, in defectu spirituum, ut retrahātur in auxilium cordis. Avic. verò eam juremerito reprobat, quando à spirituum suffocatio ne procedit syncope, ut in casu nostro.

Conveniunt itaque potius cucurbitulu siccæ, frictiones, calorem nativum excitantes, cutim universam rarefacientes, & humores crudos attenuantes, ac in halitus digerentes, oleis laxantibus, priùs in vino malvatico fervefactis. Sic extremarum partium madefactiones, aqua vitæ caryophyllata, calidis manibus factæ: Cordi quoque epithemata & inunctiones conveniunt.

Ut ℞. Aquæ melissæ lib. i. aquæ Flor. citri, rosl. vini malvatic. an. lib. ſ. aceti rosl. unc. iii. troch. de gallia mosch. scrup. ſ. camphoræ gr. v. m. pro epithemate cordis.

℞. Ol. de scorpionib. Matthioli drach. ii. Troch. de gallia mosch. scrup. ſ. aceti rosl. par. m. fiat linim. amoto epith.

Secundo loco materia consideranda venit, quæ evacuationibus, calefactionibus & atenuationibus eget; sed in his intentionibus explendis, tanta semper fuit inter medicinæ Principes dissensio atque diversitas, ut apud Recentiores adhuc sub judice lis esse videatur.

Primò enim, in fonte Chirurgico, sanguinis missio à Gal. aureis verbis omissa fuit, dicente. Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet; cum tamen evacuationem desiderent; verum nec sanguinis missionem, nec purgationē sustinent, utpore quòd sine his syncope facile adoritur, multò verò facilius cum his. Tral. verò, quem sequuti sunt & Rhasis & Averr. sanguinis missionem convenire contendunt. Attamen, parum aut nihil à Gal. jam dicti magni Viri dissentire videntur, dum conveniunt omnes in indicante, quod scilicet conveniret; sed neque discrepant in permittente; etenim & ipse Tral. subdit, quod si vires imbecilles fuerint sit abstinendum. Quoniam verò vires neque præsentes, neque futuræ, in syncope, & insigni humorum cruditate constare possunt; ideò in casu nostro, ut & frequentissimè in omnibus hisce febribus, à sanguinis missione abstinendum; relicta Recentiorum inepta illa decisione, quod humor considerari debeat, num crudus, vel semicrudus, vel extremè crudus fuerit, ad sanguinis missionem statuendam.

De medicamento exhibendo, pro minoratione pituitosæ atque crudæ materiæ, pariter dubitatur. Gal. enim apertis verbis, ut superius visum fuit; neque minorationem per medicamentum admittit, quod accepit ab Hippoc. cujus quinetiam opinionis fuit Orib. & Paul. dicentes. Neque venæ sectionem, neque purgationem ferunt; namque sine his derepente in syncopen cadunt. Quos sequuti fuerunt Arculanus & Recentiores multi; imò & hoc idem experientia comprobavit ipse Gal. dum ventriculo afflicto, & nondum ad syncopen perducto, multos vidit defunctos, quibus medicamentum fuerat exhibitum; Quid igitur dicendum erit præsente syncope?

Sunt tamen non pauci, Tral. Rhasis, Averr. Mercatus, Sax. & alii plurimi, qui medicamentum minorativum libenter exhibent, dicentes, quod leniter imminuta humorum copia, recedit syncope; & ita reliqui crudi humores commodius præparari possunt; additque Tral. quod cum vires à copia suffocentur, de copia modicum subtrahere est necesse, cum frictionibus, cæterisque à Gal. propositis, humores adeò copiosos & crassos atenuari & discuti posse, impossibile videatur, & si fieri possit, nonnisi longo tempore; quam diuturnitatem febris hæc cum syncope tolerare nequit.

Decisio itaque adeò gravis controversiæ sit, quod cautissimè in hoc magni momenti negotio sit procedendum; ab Hipp. edocti, quod absolutissima tum custodia, tum diligentia in hac febre curanda opus sit; adeò ut si syncope toto paroxysmo perseveret, impossibile sit medicamentum solutivum exhibere, qualecunque fuerit; ventriculo namque perpetuò afflicto afflictio addenda non est, alioquin stomachicæ syncopes irrevocabiles fiunt atque lethales, ut observavit Gal. At si in accessionis declinatione cedat ipsa syncope, ut in casu nostro, & ut frequentissimè accidit, prius roborato ventriculo, aliqua crudæ materiæ minoratio procuranda, clystere prius, mox etiam vomitu, si ad vomitum pronus sit Patiens. Interim attenuantia, & concoquentia præbeantur, ut medicamentum leniens, si non antè quartam, paulò post tamen exhiberi possit. Exercitatum autem Medicum, vel saltem valde cautum desiderāt hujusmodi febres.

Ad praxin itaque ut revocentur omnia; primò Clyster paretur ex decoct. malv. mercur. betæ, chamæm. in aqua hordei; addito melle rosl. cum oleo amygdal. vitello ovi & sale. Primò autem, mel rosl. non sit solut. & adhuc minus, addenda hiera, diaphoen. quæ in progressu, concocta & attenuata materia adhiberi poterunt; injiciatur verò extra accessionem syncopes. Secundò, vomitus provocatio dubia esse solet; cum enim materia valdè cruda, viscida & tenax sit, à debili vomitorio procul dubio educi non poterit, sicut à validiori valida quoque agitatio excitabitur cui facillius syncope succedit Nihilominus, provocandus vomitus si prius spontè procedat, vel saltem Patiens, ut in nostro

casu

asu ad eum sit pronus; eò enim evacuatur saltem materia innatans, & minus adhærens. Quare, leve vomitorium sufficiet.

Ut ℞. Juris carnium sem. citri alterati unc. viii. oxymel. simpl. ℥ vi m. In progressu verò, magis concocta materia, succus raphani addi poterit, vel pulvis asari, vel semi uncia dialari Fernelii. Tertiò, medicamentum poterit esse mel. rof. solut. cum manna clarif. & tart. aqua cinnam. aromatiz. vel lenit. cum tart. cassia quoque, urgente febrili calore, cum tartaro; suo namque lentore & ipsam pituitam quoque ducit, ut notabat Mes. In progressu verò, additur hiera, imo & pil. de hiera ipsa, cum agarico; quibus omnibus mulsa diluta, ex aqua hordei parata, ad lib. i. s. vel ii. superbibenda, ut ab ea sequatur ablutio. Circa medicamentum exhibendum, observatione dignum est quod à potione, quantum fieri potest, sit abstinendum & potius forma solida exhibendum sit; potio namque majori vehementia operatur, sicque majorem in humoribus commotionem excitat, majoremque spirituum dissolutionem infert, & ventriculum exolvit, unde facilior in syncopen lapsus.

Præparantia sint attenuantia, incidentia, detergentia, & quidem calida quantum febrilis calor perferre potest. Sic Hipp. oxymel aquosum proponit. Gal. mulsam crudam, ut ut magis subducentem & minus nutrientem, proponit etiam oxymel cum hyssopo. Oribasio placuit mulsa dilut., decocta; imo & ipsi Paulo. Nobis autem hæc sunt in usu.

℞. Oxymel. simpl. unc. ii. syr. de cortic. citri unc. i. vel.

℞. Oxymel. simpl. mel. rof. colat. an. unc. j. s. aq. cinnam. unc. s. m. pro syr. & sic pro aliis; cui in progressu addatur modicum juris, hyssopo, prassio & menta alterati.

Hæc agenda in casu nostro, quoniam in febris declinatione syncope cedit, at si in tota accessione perseveraret, vix clyster, nedum vomitorium, minusque medicamentum administrari possent, quo um loco, infrictionibus potissimum & inedia, totam curationis spem reponit Galen.

Licet autem iste quinetiam curandi modus suas habeat objectiones, & primo quidem, cum redundantibus crudis humoribus prohibeat Galen. frictiones, exercitationes, & quemvis corporis motum. Secundò, quod corporibus impuris exercitationes prohibet Hipp. Tertiò, quia in diarrhœa ex cruditate, prohibet Gal. abstergentia & cutem deobstruentia, attamen, omnibus concessis, quoniam longè majus ex his sequitur beneficium quàm damnum, ideò frictiones sunt adhibendæ.

Sed ne error aliquis committatur circa frictionum usum, in hac febre, quæ nullum vel minimum errorem admittere potest quinque sunt consideranda. Primum, finis ob quem instituuntur. Secundum, quæ partes corporis sint fricandæ. Tertium, quales frictiones esse debeant. Quartum, quo instrumento. Quintum, quandiu.

Primum quod attinet; frictiones primò facultatem emorientem excitant. Secundò, humores crudos & copiosos, spiritus & calorem suffocantes, à corde divertunt. Tertiò, eosdem humores attenuando ac resolvendo, diminuunt. Quarto porositates aperiunt, ut facilius insensibiliter resolvantur.

Quantum ad secundum, in primis crura & coxas fricare oportet, ad inferiora trahendo, ut major fiat diversio. Secundo, brachia & manus, a spatula incipiendo. Tertio, à collo ad spatulas, per latera.

Quoad tertium, incipiendum à fortioribus; nam materia in principio frigidior & crassior est; prout & porositates obstructæ valdè; unde Avic. usque ad abrasionem cutis; nos autem usque ad ruborem; in progressu verò, materia magis attenuata, leviores sint.

Quarto fiant panno aspero, fumigato potius suffumigio ex ligno aloes, moscho & cinnam. ex Avic. vel cum Gal. laxantibus oleis atque digerentibus; quibus nos & spiritum vini addi posse credimus.

Quintò, licet Avic. jubeat perpetuò frictiones esse facienda, vel cum somni exclusione; cautè tamen agendum, ne ægri pereant tricantium inscitia, ut observavit Tral.

Tertiò & tandem, vires ventriculi, cordis & totius sunt conservandæ; in quem finem julapium præstantissimum atque suavissimum hujusmodi p retur.

℞. Vini malvatici lib. j. aq. rof. unc. iii. caryophyl. cont. drach. s. cinnam. contuf. drach. j. in sindone ligentur; mox adde sacchari fini unc. iv. & bul. lento igne, ad julapii consistentiam, cujus cochlearia frequenter assumat Patiens. Pro ventriculo verò, potissimum erit ol. juniperinum; vel cinnam. ad gutt. j in cochleari aqnæ cinnam. pariter & ol. zedoariæ, tùm intrinsecus, tùm extrinsecus.

Vires totius congrua victus ratione conservandæ. Et primò aër, nec valdè calidus, nec valdè frigidus sit, suffumigio alteratus ex ligno aloes, santalis citrinis, cortic. citri & cinnam. in aqua rof. & è flor. citri fervefactis. Victus ratio valde tenuis, cum Hipp. cui subscripsit quoque Gal. nihil enim ab initio, præter oxymel aquosum afferebat; addunt tamen, dum vires constent. Nos, tribus primis diebus, solam ptisanam offeramus; secundis, addamus pulli instaurans; postremis, attenuata valde materia, ova recentia & pulli contusa. Vinum quoque conceditur, dilutum, etiam in cibo. Juscula alterentur quoque cinnam. caryoph. nuce myristica. Somnus, licet concoquat, tempore tamen præsentis & imminentis syncopes, interdicendus. Quies omnino necessaria; adeò ut neque ad ventrem exonerandum neque ad meiendum surgat; domumque obscuram, & lectum mollem habeat, ex Hipp. Venter clysteribus sollicitetur, & tandem animi accidentia, quæ possint virtutem exolvere atque agitare, sunt devitanda; licet nonnulli iram moderatam juvare crediderint. Et hæc, pro tantæ febris curatione dicta sufficiant. *Idem ibidem.*

Febris Syncopalis Minuta.

Vir 40. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus, & quodammodo squalido aspectu, post siccam præteritam anni constitutionem, & longum iter sub radiis solaribus, vina meraciora potans, & vigiliis nimis indulgens; suppressa quoque frequenti diarrhœa biliosa, plurimùm salubri, tandem

hoc anni tempore Caniculari, incidit in febrem circa meridiem, cujus quidem initium, cum levissima horripilatione; progressus verò cum insigni calore, &, quod pejus, dolore, morsu, æstu & anxietate oris ventriculi; necnon totius corporis inquietatione, oris amaritudine, siti molesta, nausea ac exiguæ flavæ bilis amaræ vomitu sine levamine, cum extremorum refrigeratione, atque in progressu, omnium quinetiam externarum partium, pulsu exiguo, inæquali & inordinato, & nonnunquam omnino deficiente, supervenientibus sudoribus frigidis & crassis, cum animi exsolutione. Urina autem pauca, sed flava & tenuis apparuit; secunda die omnia paulo mitiora visa fuerunt; sed tertia, eadem hora, eodemque ordine omnia invaluerunt; adeò ut statim à febris initio ventriculi affectus vehementes atque terribiles apparuerint, & præcipitem syncopen, cum evidentissimo vitæ discrimine induxerint. Quare nos accersiti, ita de hac febre verba fecimus.

Acutam, imo peracutam, hanc febrem jure meritò existimamus, propter sævitiam accidentium ejusque celeritatem, cum hac tertia die, Patientem nostrum, fere ad interitum deduxerit, propter veram atque legitimam syncopen, quæ præcipiti modo febrem ipsam fuit comitata; in quam, vix quodammodo levatus, rursus præcipitat, velut ejusdem symptoma concomitans, quinimò & cum ipsa ortum; quam ideò febrem syncopalem, à symptomate, Medicinæ Scriptores appellare consueverunt; quæ quoniam, non à quantitate materiæ, calorem & spiritus opprimente atque suffocante, sed ab exigua bile os ventriculi vellicante, & spiritus vitales resolvente, procedit; ideò, à Barbaris potissimum, minuta dicta fuit, ad differentiam febris syncopalis humorosæ.

Fit igitur febris hæc à flava bile excrementitia, in ora ventriculi ebulliente ac putrescente, non autem à vitellina, cærulea, prasina, vel æruginosa, hæ enim sunt crassæ substantiæ & tardi motus, à quibus rarissime oritur hæc febris, tuneque exquisita non est, quæ quoniam non per spatia, sed per venas illuc fertur, hinc vomitus exiguus sequitur, sine Patientis levamine; conclusa namque in venis reperitur bilis hujusmodi, unde circa ventriculum, & fortis æstus, & cordis morsus, à quo facillimè trahitur in consensum cor ipsum, accedente passione cardiaca, & spiritibus languentibus, atque deficientibus, sequitur vera atque legitima syncope; quam asphyxia, externarum partium refrigeratio, sudores frigidi, crassi atq; syncoptici cum animi exolutione, manifestissime nobis ostendunt. Biliosi autem humoris indicium præbent res naturales, nonnaturales atque præter naturam; ætas nimirum consistens, temperamentum totius & jecoris, calidum & siccum, gracilis habitus, squalida facies, præterita anni constitutio sicca, & præsens anni tempus; præterea, diuturna mora sub radiis solaribus, iter longum atque violentum, potus vini meracioris, immodicæ vigiliæ quæ sanguinem biliosum reddere solent, & bilis evacuatio suppressa, quæ Patientem ipsum ab affectibus biliosis præservare solebat; ac tandem, præsentem bilem apertissimè demonstrant, hora invasionis meridiana, periodus ejusdem febris tertianaria, acrimonia febrilis caloris, urina flava, ventriculi morsus & æstus, ac exiguæ flavæ & amaræ bilis vomitus; sicut enim causæ naturales & nonnaturales, ad bilis hujusmodi generationem omnes conspirant; ita bilis ipsa, licet non multa, intense tamen calida, in ore ventriculi effervescens atque putrescens, hanc febrem syncopalem minutam simpliciter excitare valet; quæ alioquin, si ad ambitum corporis transmitteretur, & una cum spiritibus insensibiliter exhalaret, syncopalis minuta, per halitum digerens oriretur; prout, si sensibiliter per sudorem, syncopalis minuta, digerens per sudorem, diceretur; tribus enim jam dictis modis fieri potest hæc febris, & excitari syncope ipsa.

Acuta, imò peracuta & perniciosa solet esse hujusmodi febris, cum intra septimam frequenter terminari soleat; in animi namque defectionibus & syncope, tenuiora omnia excrementa in ventrem insiuunt, & veluti abyssus abyssum invocat; sicque perpetuò syncope, cum spirituum defectu, diù perseverare non potest absque Patientis ruina & interitu; imo, per halitus digerens, vel digerens per sudorem tertia die interficere solet. Curationem quoque omnino recusat, si jecoris atque ventriculi superveniat inflammatio.

Statim itaque acceleranda curatio, quæ diversa, imò contraria est curationi syncopalis humorosæ; omnia enim agenda ut crassiorem materiam reddamus, refrigerantib. & humectantibus; cutem densemus, & transpirationem adstringentibus arceamus, atque syncopi occurramus.

Quibus ut satisfaciamus, alia sunt agenda præsente syncope, alia antequam ingruat.

Ante syncopen. Primò ventriculus roborandus. Secundo, totus habitus densatus. Tertio, revellendi sunt ascendentes ad ventriculum humores.

Roborantia sint externa & interna. Interna quidem, emulsio margarit. præpar. cum aqua rosac.

Ut ℞. margarit. præparat. drach. j. aqu. rosunc. iii. m.

Vel. ℞. Margarit. præparat. drach. j. vini granat. aq. scorz. an. unc. ij. m. & cochlearia plura assumantur ante accessionem. Extrinsecus, ventriculo apponatur placenta rosarum, vino austero, vel granatorum, vel omphacio, vel aceto rosac. aspersa.

Secundò densantia, sint totius inunctiones, oleo viol. & myrt. & urgente exolutione, unguento ros. & infrig. Gal. Cordi.

℞. Aq. ros. nympheæ, plantag. an. lib. ß. vini albi tenuis unc. ii. specier. diamargarit. frigid. drach. ij. camphoræ gr. v. succi citri unc. ii m. pro epith. cordis. Hepati.

℞. Succi cich. depur. lib. j. suc. lim. unc. iii. specier. trium santal unc. ß. m. pro epith. hepatis. Testibus applicentur lintea madefacta in aqu. ros. & plantag. cum aceto rosac.

Tertiò revellentia, sint frictiones partium externarum, ligaturæ, rubificantia, vesicantia; ut quæ possint serosos & biliosos humores a ventriculo revellere. Clyster quoque ex decoct. malv. viol. hord. cum syr. ros. oleo violaceo, & ovo integro.

Accedente verò syncope, spirituum resolutio primo

primò est impedienda; & secundò, eorum regeneratio procuranda. Sic statim aspergatur facies, vel aqua frigida simplici, vel aqua rosar. vel aqua, vino adstringenti mista, ut cutis densetur, spiritus retrahantur, & effluvium prohibeatur. Secundò spirituum regeneratio procuranda odoribus. Sic naribus admoveatur panis calens, vino, vel aqua cinnam. aspersus. Sed quoniam essentia virium, quibus regitur corpus, non in spiritibus solis, sed in solidorum temperamento quoque consistit; ideo utraque integra conservanda. Et idcircò partes solidæ quam celerrimè instaurandæ; etenim, quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet; quæ verò brevi, breviter. Cum itaque odore solos spiritus, non solida nutriant; ideò solidis, alimento succurrendum & quidem potu; facilius enim est impleri potu, quam cibo; sic præbeatur vinum, frigida dilutum. Interim facultas excitanda extremorum contorsionibus, pilorum evulsionibus, vociferationibus & hujusmodi aliis spiritus non dissolventibus.

Remissa syncope, febrilis calor contemperandus, & biliosi ac tenues humores præparandi hac potione.

♃, Aq. de succo acet. de cucurbita, de anguria an. ℔ ß. syr. de ribes, de agresta, de portulaca an. ℥ ß. m. pro primo alterante. Pro secundo vero, in majori declinatione.

♃. Juris alterati cich. endiv. acet. portulaca, violis, nenuph. hepat. ℥ vj. succi cit. ℥ ij. instaurantis pullæ cochlear. j. m. tribus autem transactis horis ab hoc jure, offeratur cibus plenior, præmittendo bolum hyacinthinum, cum aqua totius citri & scorz. Cibus autem sit ptisana hordeacea acida, scil. cum agresta, cum pullæ instaurantis, & offa panis, in vino nigro austero imbuta, vinum quippe dilutum necessarium maximè existimarunt Medicinæ Principes: paucis vero horis ante novam accessionem, cibus rursus exhibendus, ut necessarium censuit Gal.

Et nisi virium lapsus ægro interitum minetur, sub pleniori cibo, exhiberi poterit cassia cum pulpa Tamarind.

♃. Flor. cass. rec. extr. drachm. vii. pulpæ Tamarind. drach. iij. m. f. bol. hora una ante cibum exhibendi.

Jam dictis omnibus congrua & accurata victus ratio addenda. Sic aër frigidus paretur, inspersione frigidæ putealis, cum frondibus, virtute & actu frigidis. Cibus sit jam præscriptus, sed præterea, concedi possunt fructus aliqui austeri, ut mora, cerasa austera, & nostro potissimum Patienti, persica cocta. Potus consuetus, sit aqua acetosæ, cum julap. ros. aut vino granati præter offam panis, vino austero imbutam. Somnus, sicut præsente syncope, interdicendus, ita extra syncopem erit omni arte procurandus. Quies quam maximè conducit. Inanitio semper in hac febre est repletione periculosior, & ideo ut dixi, parum & sæpe Patiens nutriendus. Excrementa, clysteribus ex lacte butyro & saccharo paratis, educenda. omnibus animi passionibus est ablegandus, & confidenti animo recreandus. Quæ pro hac syncopali minuta simpliciter, curanda dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris Amatoria, sive Icteritia alba.

Nobil. & formosa Juvenis, 25. annum agens, temperamenti calidi & humidi, carnosi habitus, & antehac rosei coloris, tribus abhinc annis cogitabunda & mœsta præter consuetudinem esse cœpit, cum ob egestatem Patris, Viro nubere non posset: hinc vigiliis subortis, & querelis de ventriculo male affecto, rugitibus hypochondriorum, menstruis quoque interim imminutis: roseus faciei color in album, & mox in pallidum conversus est, timores ac mœrores accesserunt, cum capitis gravitate, necnon paulatim spirandi difficultas, cordis tremores, cibi fastidium, stupor & torpor, cum febre inordinate repetente, in dies quinetiam semper magis magisque imminuta, imo tandem omnino suppressa menstrua fuerunt: supervenientibus totius colore livido atque plumbeo, palpebrarum & crurum intumescentia, omnium membrorum gravitate, & virium languore: quibus demum accesserunt strangulatio, sive præfocatio, & Dæmoniaca phantasmata. Tandem à Religiosorum exorcismis & signis nullam opem experta, ad Medicorum manus confugit: quibus & mihi accersito, abdomine contractato occurrerunt in uteri regione ac mesenterii, obstructiones: febricula circa vesperam quotidie, cum horrore invadente, non adeo intenso calore: molesta tamen, nec sine aliqua, nocturno potissimum tempore, mentis alienatione. Modò Parentes mœsti insignem adeò mutationem admirante, causamque horum ignotam existimantes, nos omnes in subsidium advocant.

Hanc febrem, quam Hipp. erroneam, non sine ratione: alii febrem albam, sive albam icteritiam nuncuparunt: albi namque & frigidi humoris plurima symptomata indicium præbent. Primo siquidem menstrua suppressa, in juvenili ætate, temperamento calido & humido, nativum calorem suffocando, in toto frigiditatem induxerunt, non parum ad id conspirantibus obstructionibus in mesenterio & utero, forsan etiam in cava jecoris observatis, quæ naturalis caloris ventilationem prohibentes, ejusdem suffocationem fovent, unde horum symptomatum plurima frigidam intemperiem attestantur.

Hujus autem affectus Virginei causa primitiva, fuit intensa meditatio hujus Virginis, qua avocato nativo calore & spiritibus à ventriculo, cruditates genitæ fuere, obstructionum in venis lacteis & mesentericis origo: unde hypochondriaci affectus ortus, & de ventriculo malè affecto, & hypochondriorum rugitibus querelæ: inquinata quinetiã universa massa sanguinea: quæ crassior reddita, nec uteri venas statutis temporibus libere permeans, ac in iisdem stabulans, obstructiones in utero quoq; congessit, & menstruam purgationem diminutam reddidit; quibus adauctis, perfecta eorundem suppressio subsequuta fuit; sanguis enim effluxum non habens præ multitudine, resilit in cor & septum. Quando vero hæc repleta fuerint, cor fatuum fit; deinde ex fatuitate, torpedo, posteà ex torpedine delirium apprehendit: sicut, cum aliquo longo tempore desidente, sanguis ex coxis & femoribus depressus, in tibias ac pedes, torporem inducit: à torpore autem pedes ad iter faciendum.

impotentes fiunt, donec sanguis ad se ipsum revertatur. Hæc habet Hippoc. quibus subdit. Revertitur autem celerrime; citò enim propter venarum rectitudinem refluit, & locus corporis non est periculosus; at ex corde & septo tardè refluit; venæ enim obliquæ sunt, & locus periculosus, & ad delirium ac insaniam paratus. quum enim hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit; quas febres erroneas appellant. His autem ita se habentibus, præ adaucto calore insanit, præ caligine timet atque formidat; præ compressione circà cor, strangulationem & præfocationem patitur; præ sanguinis malitia, animus mœtens & anxius, malum attrahit.

Nos verò addamus, quod totum, non solum cacochymum, sed cachecticum quinetiam redditur; ut patet ex colore totius adeò vitiato, virium languore, & palpebrarum ac pedum intumescentia.

Verum, nec à solis suppressis menstruis; sed à retento quoque semine malum hoc provenire posse, innuere videtur Hippoc. dum, Virgines liberari asserit, si aut Viro cohabitent, aut menses suboriantur; præsertim verò in hac Virgine, temperamenti calidi & humidi, & boni habitus. Verùm, cum jam menstruorum suppressionem, tanquam causam evidentissimam habeamus; ideò seminis retentioni uteri præfocationem, potius quam febrem hanc erroneam tribuamus.

Ut autem ab hac febre vindicetur Nob. ista Juvenis, & in pristinum redigatur statum, res adeò negotiosa atque difficilis est, ut exercitatus quoque Medicus, in tota curatione anceps & dubius, medica semper auxilia sit administraturus; totum enim habitum renovare, & menstrua revocare oportet, metu alioquin, ne ad hydropem præceps ruat infelix Juvenis.

Nec in præsens Hippoc. monitum locum habere poterit, nisi prius massa sanguinea purificetur, & ad laudabiliorem statum redigatur.

Quod ut assequi valeamus. Primò ventriculi & primarum viarum expiatio præmittenda. Secundo, mesenterii & lactearum obstructiones reserandæ. Tertiò totius venosi generis cacochymia est auferanda. Quartò, incipienti cachexiæ insuper prospiciendum. Quintò, menstrua hystericis aperientibus sollicitanda, necnon interim iisdem à proprietate juvantibus, symptomatibus occurrendum. Ac tandem viscera roboranda. Quæ omnia jam præscripto ordine sunt executioni mandanda, medicis auxiliis à tribus fontibus desumendis.

Et in fonte Chirurgico, de sanguinis missione sicut dubitari non potest, cum hic peccet copia, substantia & motu; ita in præsenti statu, cautè agendum circa quantitatem; jam enim sanguis in cacochymiam descivit. Et licet Hipp. doceat, quod hujus affectus curatio, sit sanguinis detractio; id tamen jubet in principio esse faciendum antequam totum corpus cacochymum, & minus adhuc cachecticum reddatur, unde in diuturna & confirmata suppressione, idem Hipp. ventrem sursum atque deorsum purgat; quoniam cacochymia non sanguinis missione sed purgatione tollitur. Hinc à copiosa diarrhœa Ancilla illa restituta fuit. Quod videns Gal. carnosis & albicantibus, scarificationes potius quam venæ sectionem præscribebat.

Locus autem sit jecoraria dextera, ut detrahatur, non subtrahatur sanguis, prius quam obstructiones uteri reserentur, & perviæ reddantur; tunc enim & saphena aperiri poterit, sanguinem educendo tantum, ratione motus.

Interim cauterium coxæ inurendum. De reliquis autem topicis infra.

Pro ventriculi exinanitione, Pot. ex manna clarif. vel elect. lenit. cum tart. Ad primarum viarum præparationem, oxym. simp. mel. rос. simp. an. unc. j. ſ. aq. cinn. unc. ſ. m. pro syr. & sic pro aliis v. Mox repetatur alterutrum jam dictorum medicamentorum.

Indè mesenterii & lactearum obstructiones, attenuantibus, aperientibus, & evacuantibus sunt curandæ. Præparans igitur ita paretur.

℞. Succi cich. depur. unc. ii. succi borrag. unc. j. tart. vitriol. gr x. decoct. cich. borrag. end. pentaphylli, petroselini, agrim. unc. v. m. pro syr. ante auroram exhibendo; cui præmittatur oxymel dilutum, ad unc. ii. quibus decem dies insistendum; atque intermedio intervallo. præbeatur hoc.

℞. pil. de Tribus cum rhab. de hiera cum agarico, an. scrup. ii. elect. lenit. drach. vi. m. f. b. Decem verò transactis diebus.

℞. electuar. diacathol. drach. iv. rosat. Mes. drach. iv. pil. de Tribus drach. j. m. ref. bol. quibus, transacta hora, superbibat jus hordeo alteratum; vel aquam hordeaceam.

Ad accuratam verò ventriculi & intestiorum detersionem, & ablutionem, aqua Tettuciana, tribus diebus, cum vehiculo mell. ros. sol. de more offeratur.

Cacochymia, à sanguine, per epicrasin auferenda, præparatione, atque frequenti expurgatione; neque febricula pertimescenda; in hoc enim casu causæ omnino incumbendum, habita febris perexigua ratione. Instituatur itaque tale præparans,

℞. Succi depur. cich. borrag. agrim. fumariæ an. unc. j. decoct. cich borrag. melissæ, beton. agrim. cardui sancti, absinth. unc. iv. m pro syr. & sic pro aliis; & nisi renuat Nob. Virgo, addatur quoque oxymel. squillit. unc. j. His autem duodecim diebus insistendum; sed quarto quoque die hoc præbendum.

℞. Decoct. epith. Mes. unc. vi. vel, si bolos potius eligat.

℞. Extracti sennæ drach. j. helleb. nigri drach. ſ. elect. lenit. vel flor. cass. rec unc. ſ. m. f. b. quibus superbibat serum deput. quippe veratrum vim in se obtinet valdè exurentem.

Tribus hisce purgantibus assumptis, totam venosum genus ab impuritatibus defæcatum esse fidendum non est. Quare repetenda purgantia, quæ aperiendi quoque facultatem habeant. Instituatur itaque hujus liquoris usus.

℞. Radic. petroselini, fœniculi, asparagor. apii au. unc. ii. fol. agrim. capil. ven. hyssopi, prassii, pulegii, calamenti montani, an. m. j. agarici troch. unc. i. ſ. fol. sennæ rec. mund unc. v. epith. unc. ii. radic. veratri nigri unc. ſ. cinnam. integri unc. ſ. aquæ agrim. capil. ven. an. lib. j. m. macerentur omnia viginti quatuor horas: deinde fiat fortis expressio; & colat. adde sacchari fini q. ſ. bull. ad syr. consistentiam

tiam, cu mox infunde rhab. opt. unc. j. spicæ scrup. j.

Hujus autem unc. ii. præbeantur quotidiè, in semi cytho vini albi, tribus vel quatuor horis ante prandium, persistendo in hujus usu ad dies x x.

Hinc ad cachexiam intenti, carnosam partem depurantia, & à pravis humiditatibus vindicantia administranda forent, diaphoretica scil. sensibiliter evacuantia, & insensibiliter digerentia; cui intentioni satisfacere poterit sudor, præmisso convenienti decocto; vel viperini pulveris diuturnus usus. Verum, quoniam uteri venas aperire, menstrua provocare, & universum corpus, per vias illas naturæ proprias atque consuetas expurgare, potissimus noster debet esse scopus: ideò, ne à centro divertantur ad circumferentiam humores, hac posthabita intentione, hystericorum aperientium & menses moventium usus erit prius usurpandus.

Ad uteri contumaces obstructiones reserandas, chalybis usus ab omnibus medicinæ Professoribus extolli solet, & præsertim potabilis M. D. cujus vis ut ad uterum perveniat, vehiculo uterino indiget. Paretur itaque decoctum, quod & id præstandi, & totum exsiccandi facultatem obtineat.

Ut ♃. Salsæ optimæ unc. j. guajaci pinguis, radic. gentianæ, ligni sassafras an. unc. ſ. aq. stillat. cich. capil. ven. artemisiæ an. lib. j. m. f. inf. per horas xxjv. deinde bull. ad consumpt. dimidii, & colat. servetur pro duabus vicibus, summo mane exhibenda; cui addantur chalybis potabilis M. D. gutt. aquæ sabinæ cochlearuum; vel ol. ejusd. gutt. v. cujus loco, præmitti posset bolus ita paratus.

♃. Troch. de myrrha scrup. j. salis artemisiæ gr. vi. m. ref. b. j.

Extrinsecus quoque venarum apertio procurari debet, non quidem pessariis aut injectis, sed forinsecus admotis. Tale igitur paretur fomentum.

♃. Fol. malv. meliloti, origani, pulegii, calamenti, mercurialis, matricariæ, an. m. ſ. sem. fœnic. apii, ameos, an. unc. ſ. radic. altheæ, lil. alb. cyclam. an. unc. j. aquæ comm. lib. x. m. bull. ad consumpt. quartæ partis; cui in fine, adde vini albi generosi cyathum unum, & spongia magna foveatur uteri regio: eandem partem, post fotum, illinendo ol. lil. alb. aromatizato. Insessiones quoque in aqua sulphurea Aponensi, efficacissimæ erunt.

Hystericis symptomatibus occurrentia esse poterunt, aqua theriacalis, cum aqua totius citri. Oleum succini ad gutt. ii. in aqua cinnam. Theriaca mediæ ætatis; vel Triphera sine opio, cum aqua pulegii, aut matricariæ.

Tandem viscera roborabunt magni antidotæ, sales theriacales, sal absinthii, mentæ. Vinum ad mensam, roremarino, ligno indico, sassafras, medicatum sit.

Quibus omnibus congrua addenda victus ratio, non tenuis, sed attenuans. Hæcque dixisse satis, pro exacta cognitione, & curatione hujus febris. *Idem Idem ibim.*

Feb ris Lenta.

Mulier quinquagenaria, temperamenti totius & jecoris, ad calidum vergentis, potius carnosa: cui jam menses abunde fluxere, quatuordecim abhinc mensibus, iisdem omninò suppressis, valetudinariam semper vitam duxit: & potissimum circà hypochondria frequentes molestias percepit, cum appetitus prostratione: cujus causa eduliis pravi succi, de more usa est: undè floridum totius colorem deperdere, & pondus quoddam in hypochondrio dextro percipere, ac tandem, tribus abhinc mensibus, leviter febricitare cepit: qua tamen non obstante febricula, ad amœnissimum suburbanum secessit, ubi solutam adhuc magis vitam agens, fructus & herbas frequentissimè comedit, vina bibens dum quandoque à febre se immunem crederet; & ideò nonnisi transacto integro mense domum, in urbe, reversa, medico se tradidit; qui febrem tollere curavit lenientibus & præparantibus; sanguinem quoque misit ex pede; quod tamen ex voto non successit, hepate adhuc tenso atque repleto, cum dolore ad tactum, muliere forsan continuo in eadem victus ratione peccante. Idcirco, pro hac febricula sananda, ad consilium accersiti fuimus.

Si morbi qui omni periculo vacant, multis magnisque deinceps erroribus commissi in lethalium naturam vertuntur, quid mirum si febricula, Mulierem hanc Nob. molestans, ob errores commissos diuturna evaserit? quinimo mirandum quod acuta atque lethalis facta non fuerit; cum non levem causam ab initio quoque habuerit, ab intempestiva menstruorum suppressione ortam, siquidem, cum in Patiente, calido & humido temperamento à natura prædita, & sanguine abundanti, supra quinquagesimum quinetiam annum expurgari debuissent, immaturè suppressa, non quidem in venis uteri, cum non appareant hystericæ affectiones; sed in toto venoso genere, regurgitarunt ad hepar, in cujus vasis obstructiones coacervare cœperunt. Et quoniam ex vaporibus, ab iisdem, ad ventriculum elatis, & appetitus & coctiones labem aliquam acquisiverunt, hinc Pat. ad appetitum excitandum, alimentis pravæ conditionis usa est; à quibus, cruditatibus congestis, obstructiones in dies majus semper incrementum susceperunt; quæ tandem, impedita libera ventilatione, putredinem contraxerunt, & febriculam excitarunt; ut mirum non sit si antehac affecto jecore & pravis edulüs nutrita, floridus totius color fuerit corruptus: ex cujus solo vitio Gal. primo aspectu hepaticos cognovit. Hepaticam autem mulierem hanc nuncupamus: quia non solum obstructiones, ex humoribus crassis atque tenacibus, in vasis existentibus, verùm & in ipsa carne, sive hepatis parenchymate reperiuntur: ubi temporis progressu, vel inflammationem excitare solent: vel corruptæ, febriculam, ut in casu nostro, quæ non solum à Patientibus, verùm & ab imperitis medicis non raro negligitur.

Hæc autem febris, lenta appellari solet: de qua fusè verba fecit Fernel. quam fieri asserit ex latente obstructione atque putredine, quæ visceri contumaciter adhæret impactaque est; adeo ut substantia visceris plerumque labefactetur. Hasque innuere voluit Gal. dum dixit, quod sæpe splenis aut hepatis affectus febres inferunt.

Febris hæc diuturna esse solet, ut videre est in hac nostra Patiente: & cum viscera non solum obstructa, verum & quodammodo corrupta supponat, vel ad cachexiam & hydropem, vel ad atrophiam & tabem Patientes perducit; prout de cachexia, in casu nostro, potius dubitandum: cum mulier carnosa & boni habitus fuerit, neque hucusque ad notabilem gracilitatem devenerit.

Omnia tamen agenda, si fieri possit, ut ab imminenti jam dicto malo præservetur, & à præsenti febre liberetur, totum evacuando: jecur deobstruendo ventriculi & ejusdem jecoris tonum conservando; & vires sustinendo.

Quod si res non ex voto succedat, à Celso consilium capiendum, dum ait: quod in hoc casu Medici cura esse debet ut morbum mutet: fortasse enim curationi opportunior fiet. Etenim, circumspecti hominis est novare interdum & augere morbum, & febres accendere: quia curationem, ubi id quod est, non recipit, potest recipere id quod futurum est.

Interim ex fonte Chirurgico nova est depromenda sanguinis missio, ex jecoraria dextera, ut venosum genus purificetur, humorum confluxus à jecore divertatur, & jecur ipsum ventiletur: sit tamen parca, quia copia sanguinis in cacochymiam jam abiit. In hoc casu commendat Celsus frictiones universales, cum oleo & sale.

Sed à fonte Pharmaceutico præcipua sunt desumenda remedia, præparantia, & aperientia, cum jam lenientia, & aliqua quoque purgantia, à Viro Excellent. fuerint administrata: alterantibus verò, aut parum aut nihil sit opus. Ideò, statim ad usum syr. Fernel. erit deducenda Patiens ipsa, cum rhab. parati, qui alternis diebus, aut in vino albo non dulci & tenui, aut jure cich. & absinthio alterato, ad ℥ ij. erit præbendus: diebus vero intermediis præscribendum validum aperiens, quod sit subtilium partium, nec multum calefaciat: quale esse poterit decoctum salsæ, ita parandum.

℞. Salsæ optimæ, incisæ, radic. cich. petroselini an. ℥ j. aq. stillat. cich. ℔ ij. agrim. ℔ j. m. f. inf. per horas 24. deinde adde dimidium columbæ turricolæ, aut perdicis, & bull. omnia ad consumpt. dimidii, & fiat colat. pro duabus vicibus: cui præmitti poterit bol. ex tart. vitriol. rhab. extracto, & sale absinthii paratus: vel ex confect. cyphoeidis, quæ in hoc casu prærogativam habere solet, cum succo cich. densato reformata. Quibus forsan efficacior fuerit spir. tart. ter rectif. ad ℈ j. in decocto dissolutus: utpote qui citius & facilius ad hepar permeare possit, atque pervadere.

Quibus per mensem peractis, nec cedente febre, ad contumaces obstructiones superandas atque expugnandas, chalybis usum, medicinæ Professores proponere solent, vinum chalybeatum, à Fonseca descriptum, Patientibus exhibentes: quod poterit quoque Celsi præceptum adimplere. Ego vero uti soleo croco martis aperitivo, cum acido sulphuris parato, ad gr. ij. vel iij. vel sale martis, ab uno grano, ad duo. Reformantur autem cum succo eupatorii condensato, quibus super præbeatur, aut decoctum præscriptum: aut aquæ agrim. cyathus, cum spiritu tartari. Tertio vero aut quarto quoque die, pilula de tribus cum rhab. est offerenda, drach. ij. elect. lenit. aut diacathol. mista.

Dum hæc exhibentur extrinsecus emollientia regioni jecoris erunt quotidie apponenda.

Ut ℞. Ol. amygd. dulc. ℥ ij. butyr. recent. adipis gallinæ, anseris, anatis, medullæ crurum vituli, ol. nardini, aut irini, an. ʒ ß. succi absinthii ℥ ij. m. bull. ad consumpt. succi, & mox adde, squinanth. drach. ß. m. pro illitu jecoris.

Victus ratio jam dictis omnibus propositis proportione respondeat. Sic autem extenuans, ut manet Gal. Vinum concedatur album, tenue, non dulce, non acerbum. Surgat Patiens è lecto, sed ante cibum; motum enim à cibo prohibet Celsus. Et si Deus pristinam valetudinem Mob. Patienti restituere dignatus fuerit, febre sanata in usum ducat frequenter pil. de tribus cum rhab. Quæ pro præsenti casu, dicta satis

Idem ibidem.

Febris Chronica.

Vir Nob. quadragenarius, temperamenti calidi & sicci, mediocris habitus, liberam vitam ducens, cui hæmorrhoidalis evacuatio, multis abhinc annis, singulo mense familiaris erat, licet hoc anno postremo omnino sponte suppressa fuerit, cùm capitis doloribus, & corporis lassitudinibus, superioribus mensibus fuisset obnoxius: tandem ineunte proximo præterito autumno, febre continua, sed periodica proportionata correptus fuit, quæ eadem hora semper invasit, usque ad 27. diem: cùm interim 14. sudores apparuerint, ut & 20. non tamen febrem judicantes. A 27. usque ad 40. remissa febris visa est, verum semper mutationes frequentes, modo ad frigus, modo ad calorem observatæ fuere, & sicut urinæ antea tenues, & cum exiguo sedimento semper se prodiderunt, circa 40. coloratiores, nec sine aliquo sedimento visæ sunt. Febris autem à 40. erraticum modum & ordinem servasse videtur, cùm pulsu duriori, augusto & humili, & urinis, cum sedimento crasso ac farinaceo: ita his quidem omnibus ad hunc usque diem 80. perseverantibus. Quæ à Medico domestico observata accepimus, ad consultationem acciti, qui Patientem invenimus, primis hisce febris diebus, potibus: postremis vero, cibis nimium indulgentem: cujus licet totum corpus adeo gracile redditum non sit, pro horum ratione; in liene tamen tensio manifesta percipitur, & dolores quidam in cruribus, & potissimum articulis, cum aliqua quoque exigua intumescentia. Modò, pro ejusdem salute hujusmodi habita fuit consultatio.

Febribus acutis longas succedere videmus, cùm aut aliqua pars affecta curatu difficilis est: aut humores crudi & crassi abundaverint: aut errores in vivendi ratione à Patiente, assistentibus, aut rebus exterioribus commissi fuerint. Quæ omnia cum in præsenti Patiente nostro concurrant, nedum aliqua, mirum videri non debet si diuturnam & chronicam febrilem affectionem perpetiatur: pars enim difficilis sanationis fuit totum venosum genus, atro, melancholico, necnon crudo atque pituitoso sanguine scatens, qui multis abhinc annis per hæmorrhoidas à natura excerni consuetus, postremo hoc anno suppressus, & in toto venoso genere retentus

tus neque coacervatis est: à quo tandem lien infectus, obstructus & durus evasit. Crudos verò humores facilè congestos fuisse credendum: cum liberam vitam semper duxerit Patiens in omnibus rebus nonnaturalibus, & potissimum cibo, potu & venere. Errores autem in potu, primis diebus, in cibis, posterioribus, novas cruditates adauxerunt, & antiquarum coctionem retardarunt atque impediverunt: non parum quinetiam prohibente anni tempore autumnali, quippe à jam dictis humoribus, sanguine mistis, antehac per venas sedales expurgari consuetis, nunc verò suppressis, & in venis putrescentibus, febris hæc ab initio ortum duxit; qui cum biliosi, melancholici & pituitosi fuerint, non adeo facilè à natura attenuari, segregari, concoqui, & excerni potuerunt, sed in progressu ad venas inferiores, ramos scil. venæ portæ, imò & ad lienem transmissi, febris conditionem mutarunt, & cum antea brachychroniam, tandem polychroniam induxerunt: quam non parum foverunt errores in vivendi ratione. Cujus futuræ diuturnitatis nec signa defuerunt: urinæ namque ab initio tenues, sine ullo sedimento apparuerunt: prout & Cleonactidi, usque in diem 40. qui, 80. judicatus fuit; & cui, quoniam post 40. subrubræ, cum sedimento rubro se prodiderunt, ideo diuturniorem, sed perquam salutarem febrem fore existimavit Gal. prout pariter & accessiones, quæ eadem hora quotidie revertebantur, judicium difficile prædicebant; longitudinem quinetiam sudores, diebus judicatoriis supervenientes, nec febrem judicantes: tunc enim eam prorogari, & multam significare humiditatem, proferebat Hippoc. Sed, quid dicendum de frequentibus illis mutationibus, modo ad frigus, modo ad calorem? quæ cum multas variasque humorum redundantium in corpore dispositiones significent, à natura proinde exiguo tempore non conficiendas, longitudinem ideò indicare asserebat cum Hipp. Gal. à quorum humorum varietate, febris quoque erraticum ordinem contraxit. Postremis autem hisce præteritis diebus, pulsus duriores, angusti & humiles, longi morbi indicium præbent, & diuturnioris quinetiam urinæ, cum sedimento crasso atque farinaceo, quæ non solum præsentem, sed futuram longam affectionem significant, cum longè à concoctionibus sint alienæ: quàm diuturnitatem tandem nobis confirmavit totius corporis status, non valdè à naturali mutatus, partium densitatis, & humorum crassitiei signum evidens, qui chronicam proinde, ac diuturnam fore febrem significat: unde à ratione alienum non est, si labores, & intumescentiæ in crurum articulis fiant: eum redundantes serosos humores, quos natura extra corpus expellere non potest, veluti per abscessum ad crura deponat.

Hujus autem febris eventus anceps foret, si ejus longitudo ab erroribus non penderet; exolutionis enim virium ante coctionem periculum immineret: neque mirum videretur si vel ob solos commissos errores diuturna evasisset: cum in sanis quoque gravia delicta morborum lethalium causæ fiant. Cum igitur apparere incipiant signa coctionis, vires satis constent, nec totum corpus sit valde consumptum, & potissimum imus venter non adeò extenuatus, speranda utique salus. Ita, qui in Dealcis horto jacebat, sedimenta instar farinæ crassioris in urinis ostendens, die tamen 40. judicatus fuit: quia exitialia signa non habuit, prout Silenus qui obiit.

Judicium tamen per crisim expectandum non est, sed, vel per concoctionem, vel per abscessum, diuturnorum alioquin morborum proprium. De abscessu vereri posset, ne scil. febris hæc in quartanam migret: quoniam erratico modo procedere videtur: & præterea, quia tumet lien: congrua tamen adhibita curatione, aliqua spes est per concoctionem terminandam fore: etenim dolores in articulis qui supervenerunt, licet febrem judicare non potuerint, inutiles tamen non sunt.

Medicæ autem intentiones, pro hac curanda febre atque extirpanda, dirigi debent potissimum, adversus causam, excrementitios humores, tum præparando tum evacuando: obstructa viscera aperiendo: deinde adversus febrem, ejus calorem satis remittendo: tandem & ventriculi, & reliquorum viscerum, atque totius vires conservando.

Ex fonte Chirurgico, aut pauca, aut nullum superest desumendum remedium: jam enim ab Excellentiss. Adstante, ex vena fuit sanguis eductus: & ex hæmorrhoidibus repetitus. Quare, illud solum considerandum venit, ut una aut altera hirudo venis sedalibus, bis per mensem apponatur, non quidem sanguini educendo: sed ut ad partem illam rursus proliciatur, & spontanea hæmorrhoidalis evacuacuatio revocetur. Frictiones quoque leviores toti corpori utiles erunt, ut transpirabile servetur, neque tamen extenuetur.

Ex Pharmaceutico quoque fonte à Viro Excellentiss. propria & adæquata remedia deprompta fuere: in posterum autem, ad validiora attenuantia & aperientia erit progrediendum, quæ tamen humectandi quoque vim obtineant: tum ad exustionem; tum ad maciem totius corporis evitandam, quas partes satis implet fumaria; nam facultatem humidam habet, detergentem, aperientem, & moderatè calefacientem, ac quodammodo ipsa viscera firmantem; prærogativam autem in hisce febribus longis obtinere solet syr. de cich. cum rhab. Nicol. sic & byzantinus cum aceto. Quare in casu nostro, tale præparans parari poterit.

♃. Decoct. cich. borrag. end. petrosel. agrim. scolopendrii ℥ iv. succi fum. depur. ℥ j. syr. de cich. cum rhab. byzantini cum aceto an. ℥ ß. m. pro syr. matutino tempore, in febris declinatione exhibendo; sicut pro alterante, in accessionis vigore, hic præscribi poterit.

♃. Decoct. cich. borrag. endiviæ, fumar. ℥ v. succi depur. cich. borrag. pom. dulc. an. ℥ j. m. pro syr. & sic pro aliis.

Vel ♃. Aq. still. agrim. ℥ iv. cich. ℥ iij. tart. vitriol. gr. vi. m.

Dum præparantia hujusmodi, & alterantia administrantur, per epicrasin diminuendi atque evacuandi sunt humores, exhibendo singulis quatuor aut quinque diebus, pilul. de tribus cum rhab. ad drach. j. cum ℥ ß. flor. cass. aut elect. lenit. Clysteres quoque, diebus præparationis locum habebunt, parati cum melle ros. solut elect. diaph. oleo & sale, in decoct. malv. betæ, mercur. & parietariæ.

Quod si quindecim dierum spatio non cedat febris, ad usum syr. Fernel. erit deveniendum; cujus elegans & congrua descriptio talis esse poterit.

℞. Radic. cich. petrosel. fœnic. cappar. polypod. querc. seminum carthami an. ℥ß. fol. hyssopi, prassii albij, origani, agrim. cetrach. cuscutæ, adianti an. m. j. sem. anis. fœnic. endiviæ, melon. an. drach. j. aq. agrim. ℔ iij. m. bull. ad consump. tertiæ, colat. postea infunde per hor. 12. fol. sennæ mund. ℥ iv. agarici albi ℥ ij. epith. ℥ß. radic. helleb. nigri drach. iij. gingib. drach. ij. postea bull. parum, & expressioni adde sacchari fini ℔ j. bol. ad syr. consistentiam deinde adde rhab. in sindone ligati ℥ j. & servetur ad usum. Exhibendus autem ad ℥ ij. in febris declinatione, tribus horis ante prandium, dissolvendus in jure cich. vel end. alterato. Et si fortè ab eo evacuatio sequatur nimia copiosa, tertio quoque die solum exhibeatur, non omisso, diebus intermediis, præscripto præparante. In hujus autem syr. usu perseverandum ad xv. & xx. dies, cedente licet ipsa febre, ad obstructiones omnino expediendus. Quem modum magis compendium existimo, magisque proprium, adversus fibris pertinaciam mirabilis quippe ab hoe, in his casibus, effectus observavi, quos non comperi ex jure columbæ, aut perdicis, china & herbis aperientibus alterato, minusque ex jure Galli, quod si calidis aperientibus, & non evacuantibus, ex more alteratum offeratur, humorum exustionem potius adauget, obstructiones, contumaciores reddit, & facilè quartanam inducit.

Omitto quæ peculiari facultate adversus has febres longas pollere tradiderunt graves Medicinæ Scriptores Aquam scil. cuscutæ Avic. Eupatorium. Mes. Fœniculum, Rhasis. Chamæmelum, ab Ægyptio boli consecratum; omnia tanquam febrifuga ab iisdem proposita.

Extrinsecus addo ego lienis illitus, ex oleo de capparibus, de cyclamine, & amygdal. dulc. adipe anseris & anatis, ad ignem, cum cera, ad exigui acerrimi aceti consumpt. linim. reformando.

Et quoniam in loco putredinis, in diuturnis febribus inquinamentum quoddam fermento simile produci & relinqui solet, à quo humores, licet non adeo pravi, fermentantur & corrumpuntur, ideo ad hujusmodi fermentationem delendam, humoresque sistendos, congruis, præmissis evacuationibus, ut in casu nostro, evenire licet ad Chinam Chinæ, in principio accessionis, cum vino malvatico exhibendam; modo & quantitate jam cuilibet Medicorum notissima.

Quibus omnibus congrua victus ratio recedat, non quidem tenuis; quia in morbis longis dum victu tenui ægri delinquunt; sed attenuans & incidens. Sic betam cum sinapi concedebat Galen. Nos autem aliquando mustardam & salitos pisciculos. Pariter & acetum pro condimento concedi poterit; cum passulis ebulliram, & pro acetariis condiendis, potissimam ex capparibus, prout & ex radicibus cich. & petroselini. Pro potu consueto; paretur stillatim ex pulla, prius radice cich. petrosel. gramin. pentaphyl. foliisque borrag. & endiviæ alteratum; licet vinum quoque album, paucum & dilutum concedi possit; apparentibus enim signis coctionis, eadem adjuvat, & urinas movet; quod ideò in his casibus aqua utilius esse dicebat Gal. Hæcque pro præsenti febre curanda, dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris catarrhalis à Capite.

Excellentiss. Senex Patricius, annum agens 65. temperamenti totius & jecoris, calidi & humidi, humidioris tamen capitis, boni habitus; qui, præterquam quod fere toto vitæ cursu, caput semper plurimis & maximis negotiis habuit implicitum, in cæteris omnibus etiam libere vixit, lacustribus volucrum venationibus delectatus, quotannis capitis destillationibus divexatus est: dum postremo hoc hyberno tempore iisdem vacaret venationibus, plurima incommoda perpessus fuit; potissimum vero à nocturnis algoribus, dolore capitis fuit correptus, cum delatione in somnum, capitis gravitate, ad motum pigritia & inappetentia. Caput interim nihil per nares aut os, ut solebat antea, transmittebat, quibus omnibus, paucis transactis diebus febricula quotidie horis vesperrinis accessit, cum somnis turbatis: & post paucos dies catarrhalis materia à capite in pulmones decumbere cœpit, quæ Nob. Patientis gustui salsa, olfactui graveolens, & Medici oculis atq; judicio, corrupta & putrida observata fuit. Interim capitis dolore remisso, perseveravit tamen febricula, quotidie circa vesperam invadens, eum tussi & jam dictæ materia, tum per os, tum per nares expurgatione, totius quinetiam corporis macie accedente. Modo lecto decumbens, coactus, nos de agendis pro salute consulit.

Nob. Senex, semel saltem in anno, destillationibus antehac obnoxius fuit: tum quia præ humidum & calidum caput à natura sortitus, quod ab injuriis ab illis facile læditur: tum maximè quia aëris, inclementiæ, potissimum hyemali tempore, in venationibus illud exposuit. licet in pristinum statum, domum reversus, redigeretur, solo congruo vivendi modo, absque ullo Medici auxilio: robusta namq; ipsius natura genitam, in capite intemperato, materiam expellebat, & ejusdem intemperiem facilè corrigebat: quod tandem in hac senili ætate præstare non valuit: cum enim capitis temperies, postremò ab injuriis veris externi valde alterata non exiguam labem contraxerit, non modo facultas concoctrix catarrhalem materiam, ab intemperie in capite genitam, coquere, & à corruptela tueri non potuit: sed neque ipsa expultrix eandem à capite propellere: unde accidit ut genita, & in capite detenta, neque à calore nativo ejusdem custodita putredinem in eodem conceperit, à qua febricula, circa vesperam exacerbati solita, catarrhalis sc. suborta: prægressis prius ab ejusdem materiæ præsentia, capitis gravitate, in somnum delatione, ad motum pigritia, gravato scil. & tumefacto cerebro: & præterea inappetentia, ob consensum non exiguum inter cerebrum A ventriculum ipsum: quibus, post febris accessionem, somni turbati supervenere, excalefactsi.n. cum cerebro spiritibus ipsis, materia ipsa catarrhalis, à febrili, calore quodammodo fusa atque liquata, ad motum proclivior facta est: quæ putrefacta, ac proinde salsa reddita, facultatem expul-

expultricem irritando, ad subjectas partes, pulmones scilicet, expulsa atque detrusa fuit: & sicut tussis oborta est, sic capitis dolor gravius, ex ipsius decubitu non parum fuit diminutus. Perseverat tamen febricula: quia in capite nova regeneratur & putrefit materia catarrhalis: quæ ideo salsa & graveolens à Patiente Excellentiss. observatur, prout à nobis per tussim à pulmonibus rejecta, corrupta & putrida conspicitur. Neque credendum putredinis mineram in pulmonibus esse: quia febricula aliquot diebus molesta fuit ante tussim. Cujus catharrhalis materiæ putredinem in capite observavit quoque Hipp. ipse, dum ab eadem putrefacta ad pulmones delabente, tabem fieri posse existimavit, & ideo mirum non videatur, si modo totius aliqua consumptio & macies observetur, quæ ibidem super præcedere & anteire solet.

Quare statim opem medicam Seni Excellent. præstare convenit, antequam pulmones vel à salsa corruptave materia exulceretur; vel ab ejusdem copia flacciditatem non solum, verum & fraciditatem concipiant: sicque vel prima, vel secunda Hippocratis tabe afficiuntur.

Id autem non consequi posse speramus; quoniam Senex Excellentiss. robustus est, macies parum progressa, & affectus adeo recens, ut pulmones nondum laxitatem & flacciditatem contraxerunt.

Dirigantur itaque medici scopi contra causam, multo magis quàm contra febrem ipsam, primas vias primò expiando. Secundo, totum & caput purgando. Tertio catarrhalem materiam à pulmonibus divertendo atque intercipiendo. Quartò, pulmones & caput exsiccando non neglecto febrili calore, quoniam sufficit, contemperando.

Quibus ut satisfaciamus, à fonte Chirurgico aliqua sanguinis missio est depromenda, non quidem ex venis superioribus; quia id non requirit morbus, neque ideo benepermittit ætas, sed ex venis sedalibus. Et quoniam caput destillationibus obnoxium est, non solum pro curatione, verum & pro præservatione, cauterium brachio inuri poterit. Frictiones quotidianæ, à nucha incipientes, per dorsum descendentes, valde conferent; prout pedum calentes lotiones & Clysteres acres. Capiti quoque pulveres exsiccantes aspergantur, ex ligno carioso, radice Iridis Florentinæ, cornu Cervino usto, ossibus sepiarum combustis, rosis rubris, majorana & rosmarino parati.

Ex Pharmacia reliqua sunt petenda medica auxilia; & primò quidem pro ventriculi & primarum viarum expiatione, præbeatur potio ex manna clarif. Inde per quinque dies, oxymel simplex dilutum ad ℥ iij. vel iv. quolibet mane; mox repetatur eadem pòtio mannæ clarif. addendo parum agarici infusioni consuetæ; cui superbibat mulsam dilutam, ex aqua hordei paratam. Deinde ad validiora præparantia erit procedendum, ex decoct. in jure, cich. borrag. end. malv. beton. præmittendo oxymel. ireatum ad ℥ iij. In quorum præparantium, usu persistat, saltem octo vel decem dies; quibus transactis, purgans conveniens erit ex infus. agarici, rhab. & sennæ, in aqua beton. addito melle ros. solut. & manna. Vel, ita permittente febre, ut sperari potest, parentur pil. de agarico Mes. de hiera cum agarico, & aggreg. an. drach. ß. & m. ref. Quibus omnibus superbibat Patiens Excellent. mulsam dilutam jam dictam, ex aqua quinetiam stillatitia malvæ paratam.

His peractis, ad capitis expurgationem deveniendum, quæ commode pil. obtineri solet Itaque.

℞. Pil. cochiar. aurear. an. drach. ß. mastich. ℈ j. m. ref. pil. & aur. Quod si hucusque administratis febricula non cesserit, cassia erit addenda, & pilular. dosis minuenda, iisdemque serum asininum depuratum, aut aqua hordeacea, sive ex malva destillata, ad ℔ ij. erunt super præbenda. Pilulæ autem tribus vicibus sunt repetendæ, quarto aut quinto quoque die; & diebus intermediis præparans tale exhiberi poterit.

℞. Succi depur. malv. pom. dulc. beton. an ℥ j. decoct. cich. borrag. beton. stœchados, malv. ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis. Interim matutinis horis, ante prandium, pro errhino utatur hoc.

℞. Pulv. majoranæ, ireos an. drach. j. nigellæ drach j. m. & attrahatur per nares, ad modum tabacci.

Dum jam dicta administrantur, catarrhalis materia est quoque intercipienda, nocturnis horis in ore detinendo diatragacantum frigidum cum bolo, vel rosarum conservam tabulatam cum eodem bolo; penidiorum quoque usus spernendus non est.

Sed jam fluxa materia expectoranda erit, usu oxymelitis ireati, syrupo de ibisco commisti.

Et, tandem perseverante materiæ in capite productione, & inde ejusdem ad pulmones destillatione: humida ipsius capitis intemperies exsiccantibus, erit remittenda, pulmonesque ipsi roborandi. In quem finem decoctum in jure ita parari poterit.

℞. Ligni rorismarini, radic. chinæ optimæ an. ℥ j. radic. ros. damascen. santal. citinorum, radic. enulæ campanæ an. ℥ ß. aquæ still. cich. ℔. j. ß. beton. pulmon. an. ℔ j. m. f. inf. per hor. 24. deinde adde quartam partem pulli junioris, & bull. ad consumpt. dimidii; colatura verò servetur ad usum pro tribus vicibus; cui infundantur spirit. sulphuris gutt. ij. præmisso bolo ex terebinthina nostra, & pulvere liquiritiæ ref. In cujus usu perseverandum ad dies triginta, nisi antea sistatur fluxio, cessante licet febre.

Hujus autem calor moderatè contemperandus, cichoraceorum decoctione, additis malva atque beton. in febris vigore, circa noctis nimirum medium offerenda, cui præmitti poterit julap. acetosum.

Quibus congrua vivendi ratio addenda, non crassa; quia catarrhalis materia per sputum educenda eget attenuatione; non tenuis, quia affectus hujusmodi protrahi poterit ad quadraginta, imò & ad sexaginta dies; sit igitur mediocris. Uratur ferculo Sax. Vinum album, tenue, subdulce, sed modicum concedatur, cum Hipp. ad materiæ expectorationem, & ad ejusdem coctionem. Interim de more bibat mulsam dilutam acetosam, ex aqua malvæ vel hordeacea paratam. Cibum claudat conserva rosarum, & persistentibus somnis turbatis, exhibeatur conserva viol. lactuca condita. Quies, tum corporis tum animi procuretur. Quæ pro hac curanda catarrhali febre, dicta satis 1 demi bidem

Febris

Febris Catarrhalis in Pulmonibus.

Nob. Senex, 60. annum attingens, temperamenti totius ad calidum & humidum vergentis capitis humidioris, sicut & calidioris hepatis atque pulmonis, liberam vitam ducere consuetus, hyberno tempore aucupiis volatilium palustrium immoderatius occupatus, incidit in tussim, diu noctuque molestam, nullo Medici auxilio duobus mensibus sanatam; & quia supra modum sitiebat, copiose quoque vina meraciora bibit. Interim, materia per tussim excreta, crassa, abunde colorata, imò & graveolens observata fuit, superveniente febricula quadam, horis vespertinis invalescente, & tota nocte perdurante, aliquot diebus, à Patiente ipso neglecta. Tandem à nobis consilium petere decrevit, qui invenimus Nob. Patientem, matutinis horis adhuc febricitantem, cum aliqua, sed exigua spirandi difficultate, roseo genarum colore, pulsu molli & mediocriter sequenti, urinis crassioribus, ruborem potius quendam præ se ferentibus. Materia, quæ tussim excernitur, crassa est, non valde viscida, diversicolor, flava nimirum, viridis quinetiam & alba, pallens, & cujus substantia facilè dissolvitur, atque disiungitur; totum corpus quodammodò emaciatum, consueto tamen probo colore præditum. Modo, hoc Veris tempore, de agendis pro salute consulit.

Catarrhus est omnium morborum fons & origo; cujus vi totum corpus languere dicebat Gal. quod forsan desumpsit ab Hipp. asserente, fluxiones magno tædio atque molestia naturam frangere. Fiunt autem, valdè perfrigerata & excalefacta carne, dum à frigiditate exprimitur humiditas: à caliditate verò rarefit & tenuior redditur, idque, quoniam ab utraque intemperie introducitur imbecillitas, quæ immediata catarrhi causa existit. Ita Nob. iste Senex, in omnibus liberam vitam ducens, hyeme præterita ante lucem surgens in aquis palustribus volucrum capturæ intentus, ipse captus fuit; frigidam enim intemperiem, in capite alioquin valdè humido contraxit, unde multo major, quàm antea, catarrhi proventus ab eodem fuit observatus: qui ad fauces, imò ad tracheam defluxus, indeque ad pulmones, facultatem expultricem irritando, molestissimam tussim induxit: ita enim se habet Rheumatismus affectus, & generatur, ut in ventre diarrhœa ex mala coctione.

Ad pulmones autem defluxit, qui ut natura justo calidiores, undequaque à toto corpore materiam attrahere solent, imò & ab eorundem calore, ex potionibus quoque meracioribus adaucto, catarrhalis ipsa, materia facilè putredinem concepit: unde febris suborta, totum corpus juremerito gracilius reddens, horis vespertinis invadens, quod materiæ ejusmodi proprium: prout & pulsus quoque molles, nec adeò frequentes. Urinæ autem, nec albæ, nec tenues apparent, sed potius rubræ & crassiores: quoniam putredo, & putridus calor, non longè distat à majoribus vasis; de qua putredine, sicut & de loco, non est quod dubitemus; cùm am materia, quæ per tussim excernitur, varii coloris observetur, & potissimum graveolens, & uæ facil è stylo dividitur, cum colore ex albo & cineritio composito, putridæ pituitæ indicio minimè fallaci: sed præterea adest ponderosa quædam respiratio, & genarum rubor, affecti, aut excalefacti pulmonis certissima signa, juxta cum aliorum syndrome.

Status Patientis hujus periculo plenus est: stillationes enim ad pulmones, sicuti à Cels. pestiferæ, ita ab Hipp. malignissimæ dictæ fuere, maximè in casu nostro, dum catarrhalis materia in pulmonibus delitescens, pravam qualitatem, imò putredinem jam contraxit, pulmonibus adversariam quaam maximè. Et licet gravedini & raucedini febris superveniens, ad earum coctionem non inutilis sit, unde febris suspirium sanat: id tamen verum de catarrho solùm, adhuc in capite hærente, non autem in pulmonibus jam firmato & putrescente: tunc enim facile ad tabem inducit: flaccescunt enim temporis progressu pulmones, & tandem fracidi fiunt, unde secunda suboritur tabes, ab Hipp. descripta: tuncque affectus quidem protrahi potest etiam in tertium annum: sed postea moriuntur omnes. Quem infelicem eventum, in Patiente nostro vereri oportet: cum pulmones laxos & excalefactos habeat, à quibus catarrhum vix removeri posse dubium putamus, potissimum cum senex sit: nam etsi raucedines & gravedines in valde senibus coctionem non admittant, Gal. tamen in Comm. subdit, quod si ex humore frigido fiant, nec facile in juvenibus. Nihilominus, cum non valde Senex & robustus sit, neque pulmones adhuc labem contraxerint. nunquam enim sputum ullum cruentum fuit observatum, quod pulmonum substantiam fracidam atque exesam significare posset: ideo desperanda salus non est; difficillima tamen sanatio futura censenda.

Quoniam vero in fluxionibus, omnium primò fontem mali tollere oportet: caput ipsum firmando, id assequi difficillimum fore credendum, non præcedente totius, capitis & pectoris expurgatione, necnon caloris febrilis convenienti remissione.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, ex fonte Chirurgico primò est desumenda aliqua sanguinis missio: quæ ex venis sedalibus, in hisce casibus, institui solet, utpote pulmonibus valde utilis. Verum, quoniam pulmones ex motu concitato, in diuturna tussi, & ex catarrhi putredine, ac tandem ex febrili calore multo magis incaluisse existimandum est: ideò ut ventilentur atque refrigerentur, ex venis superioribus potius sanguis fuerit mittendus, mediana nimirum brachii dextri: parcè tamen, ut secundò, si opus fuerit, ex venis sedalibus mitti possit. Cauteria præterea duo brachiis inurenda, ut divertatur à pulmonibus catarrhalis ipsa materia, quousque fons ejusdem exsiccetur. Nec omittendæ quotidianæ frictiones ante prandium, à nucha, per dorsum: sicut vespertinæ, aut nocturnæ pedum lotiones, ante levem cœnam. Quod si forte contingat ut expurgatione peracta, catarrhalis ad pulmones à capite destillatio sisti nequeat, ad setaceum in occipite trajiciendum confugere opus erit.

Ex fonte Pharmaceutico depromenda erunt lenientia, præparantia, calorem febrilem contemperantia, catarrhalem fluxionem sistentia, totum & caput evacuantia, expectorantia; & hume-

humidam intemperiem, tum capitis, tum pulmonum exsiccantia. Lenientia erunt pot. ex manna clarif. cassia, elect. diasebest. Trochisc. de viol. sive scammon. cremor tartari. Præparantia primas vias tantum, sine diluto præscribenda, oxymel, & mel. rosac. simpl ad ℥ iij. Et quinque, aut sex transactis diebus, præparata materia, evacuanda, melle ros. & syr. viol. solut. potione quinetiam ex manna clarif. flor. cass. cum Troch. de viol. & lenit. Interim alterantia, calori febrili & pulmonum quotidie contemperando, in statu febris exhibenda, parata ex decoct. cichorac. additis foliis malv. viol. pulmon. & frustulo pomi apii; cui decoctioni præmittatur julap. acet. ad ℥ ij.

Hoc tempore, accuratior humorum præparatio procuranda, syrupis, quatuor horis ante prandium exhibendis, paratis ex decoct. malv. viol. pulmon. pomorum dulcium, siliquarum, & hyssopi, in aqua hordeacea; cui decoctioni præmittendum oxymel ireatum, duabus additis aquæ sulphuris guttulis; vel, si magis Patienti ipsi arriserit, mulsa, in aqua hordei vel malvæ, & pulmonariæ, cum melle Hispanico parata, & mox ireata, atque aceti portione acetosa reddita; cui pariter, aut julap. acet. aut oxymel præmittendum. Et dum hujusmodi instituitur præparatio, clysteres frequentes injiciendi, non solum molliores, ex decoct. malv. mercurial. betæ, parietariæ, addito melle ros. sol. &c. verum & acriores, addita utraque centaurea, necnon elect. diaphœnicone.

Præparati humores erunt expurgandi, agaricum addendo infusioni consuetæ pro potione clarif. vel elect. lenit. & cassiæ addendo Troch. de viol. cum scamm. cum scrup. j. aut drach. ß. pil. de agarico Mesues; quibus superbibat Patiens, vel mulsam dilutam, ex aqua hordei paratam, vel aquam ipsam hordeaceam. Agaricus quoque pulverizatus, in oxymelite dissolutus, à drach. ß. ad drach. j tertio quoque die, pluribus vicibus exhibitus, pulmones commode solet expurgare, diebus intermediis, præbendo succos depur. malv. & pomorum dulcium, in decoctione jam præscripta.

Si hucusque febris aliquantulum erit remissa, pil. caput & totum expurgantes præberi poterunt: aureæ scil. aggregat. & de agarico Mesues, ad drach. ß. an. superbibendo aquam hordeaceam, vel malvarum stillatitiam ad calorem remittendum; quæ ter saltem poterunt repeti, quarto quoque die; diebus verò intermediis, præbeantur succi depur. malv. beton. & pomorum dulcium, in decoctione præscripta.

Quo tempore per nares quoque caput expurgandum, errhino ex pulv. major. ireos & nigellæ parato. Nec tamen toto hoc tempore expectoratio negligenda erit; imò quotidie, matutinis horis, ante syrupos aut alia medicamenta, sollicitanda, & quidem oxymelite ireato, cum aliquot guttulis olei sulphuris. Egregium quoque expectorans experti sumus, ex oleo sacch. & julap. acet. paratum.

Tempore somni, aliquod medicamentum sistens, & fluxioni viam intercipiens, erit à Patiente in ore tenendum, quod esse poterit diatragacantum frigidum cum bolo, prout & conserva rosarum & violarum; à cibo assumenda.

Tandem humida capitis intemperies, ut mali fons, est auferenda, & pulmones, pro virili, exsiccandi; in quem finem decoctum cum sudore erit instituendum, ex chinæ radice, visco quercino, ligno guajaco pingui recenti: quo solo Erastus, Fracastorius, Vega, Zacutus, pulmones quoque flaccidos, imò & fracidos, integræ sanitati restituerunt. Excitandus autem sudor in hypocausto quidem, ratione ipsius capitis, sed perficiendus mox in lecto, capitis quoque cura potissimum habita, & quidem primis diebus; in progressu verò addi poterunt ipsi decocto gut. aquæ sulphuris, vel grana butyri, aut lactis ejusdem, cum pulvere pulmonis vulpis præparati, bolum formando, ipsi decocto præmittendum. In cujus usu mensem saltem erit persistendum. Quibus actis, si pulmo majori indigeret exsiccatione, ad aquas sulphureas Aponitanas se conferat Patiens: & conservis interim utatur, ex flor. beton. salviæ, rorismarini, botridis, potissimum sub ingressum lecti.

Victusque ratio congrua addatur, quæ alia debet esse præsente febre; alia eadem recedente, catarrho residuo extirpando. Sic, primis diebus, febre præsente, ptisanæ familiaris sit usus, cum saccharo, eadem verò recedente, ferculum Sax. addito chinæ pollinæ, erit opportunum. Vinum autem omnino interdicatur; cum Celsus jubeat à sole, balneo, vino & Venere esse abstinendum, & mulsa diluta sit pro potu consueto; in progressu vero, febre recedente, vinum album, tenue, subdulce concedi poterit; materiæ namque catarrhalis concoctionem & expectorationem non parum juvare potest; ut considerabat Hippoc. ipse. Et licet attenuans & exsiccans generatim convenire videatur, cavendum tamen ne in pulmonibus materia crassescat & exsiccetur; tunc enim maximè resistit; unde Tral. dicebat, quod anhelosis semper copiosus potus est exhibendus, quod non de potu solum, verum & de cibo accipiendum. Reliqua verò, ad victus rationem attinentia, Medici assistentis summæ prudentiæ committimus. *Idem ibidem.*

Febris Catarrhalis in Mesenterio.

Adolescens 18. annum agens, temperamenti, secundum totum & jecur, ad calidum & siccum vergentis, capitis verò calidi & humidi, mense Majo proximè præterito, febre tertiana duplici correptus fuit, à qua liberatus, externa quadam præcedente occasione, tussim contraxit, cum copiosa materiæ catarrhalis & tenuis à capite destill atione, quæ nunquam salsa, aut acida, minus amara ab eodem Patiente observata fuit. Interim, paucis transactis diebus, rursus febricitare cœpit, paulo post liberatus, secutis evacuationibus per alvum à Medico procuratis; nunquam tamen vires omnino redintegrare potuit, forsan quia non adeò congrua victus ratione usus; unde obstructiones in visceribus, & potissimum mesenterio congestæ fuere; à quibus quodammodo emaciari cœpit, & totius corporis color corrumpi, semper tamen perseverante tussi, cum excretione copiosæ jam dictæ materiæ, quandoque tamen paulò crassioris & flavescentis. Modo quatuor

præ-

præterierunt menses, quibus adhucnum jam dicta molestissima tussi laborat; & præterea febriculis, inordinato & erratico modo invadentibus, quæ, evacuatione per alvum sollicitata, intercipi solent, adeò ut nonnunquam matutinis horis, à Medico sine febre observatus fuerit, superstitibus tamen in hypochondriis obstructionibus. Modò ut sanitati restituatur consilium petit.

Equidem rectè dicebat Gal. quod destillationibus obnoxii, in multos & varios morbos proni sunt, pro variarum partium imbecillitate; ac proinde, cum præsens Adolescens invalidos pulmones à natura sortitus fuerit, cum laxitate quadam musculorum laryngem constringentium, quos Thyroarytænoideos & Cricoarytænoideos cum Anatomicis appellabimus: cerebrum enim, dum ipsum de se ipso plurimum liquefecit, in prægressis febribus imbecillum redditum fuit, & catarrhali materiæ producendæ maximè idoneum; unde & Gal. dicebat, catarrhum fieri, dum cerebrum, vel nimis perfrigeratum, vel nimis æstuans, imbecillum redditur, & ita male concoquit, & plurima excrementa generat, quibus retentrix facultas cedere cogitur; unde necessario fluxio ad inferiora concitatur, quæ per tracheam ad pulmones delabens, & eorum facultatem expultricem irritans, tussim excitat, & quidem molestiorem, si destillatio aquea, tenuis & copiosa fuerit; tunc enim extremè cruda est, adeò ut à pulmonibus cogi, extolli & excerni nequeat; prout ab initio conspectum in Adolescente nostro. Molestissima quoque tussis evadere solet in nonnullis, dum acris & salsa, licet exigua; tunc enim continuo expultricem irritans, tussim siccam potius quam humidam excitat. Verùm, quoniam jam dictæ contumaci & confirmatæ destillationi febriculæ successerunt, quæ in præsens erratico modo invadere non desinunt; de his consideratione dignum, num à catarrho proveniant; & si à catarrho, minera necessario indaganda. Neque enim nos latet, quibus caput facilè impletur, & in pectus destillationes præcipitat, non solùm febriculas, sed & tabem suboriri, maximè si fluxiones diuturnæ fuerint; unde à pituita copiosa in capite existente, putrefacta, in pulmones delabente, tabem fieri protulit etiam Hippoc. de Internis Affect. Si tabes, ergo facilius febricula. Verùm quomodo febris à catarrho, non adhuc putrefacto atque corrupto excitari possit, non videmus: cum tamen, qui ab Adolescente nostro per tussim excernitur, neque consistentia, neque colore putridus observetur; neque ab eodem acris, acidus, aut graveolens percipiatur: præterquam quod à Medico, immunis à febre Patiens ipse, non adeo facile sæpius observatus fuisset, non diminuta catarrhi copia, & ejusdem prava qualitate semper in deterius labente. Quare, sicut febrem hanc, putridam quidem, at catarrhalem, non humoralem statuimus: ita catarrhi mineram putridam, non in spiritalibus, sed naturalibus cavitatibus delitescere credimus: siquidem, longè major catarrhi quantitas per œsophagum, in ventriculum & mesenterium illabitur, quam per tracheam in pulmones. In mesenterio autem hæc diuturno tempore detenta, nec ventilata, calorem putrefacientem frequenter concipit, & febrem excitat: non parum ad putredinem adminiculantibus obstructionibus, ab improba victus ratione contractis, accedente eadem catarrhali destillatione, quæ eas fovet. Quod confirmare videntur evacuationes per alvum, arte procuratæ, quæ febrem ipsam pellere, & adolescentem non semel à febre immunem reddere valuerunt: quod certè evacuationibus non successisset, si febris minera in pulmonibus extitisset. A partibus autem infernis naturalibus vapores, tum per venas, tum per spatia, in caput ferri non est dubitandum: sicut de cruditatibus quoque à toto venoso genere non levis suspicio: non enim adeo probus esse potest sanguis, dum corpus totum & emaciatum & pravi coloris conspicitur: qui circulus est ab Hipp. deterrimus habitus.

Nec cuipiam forsan mirum videatur febrem hanc, putridam at non humoralem dici debere: siquidem alimenti aquosum sputum, & serositates à cerebro destillantes, Gal. humiditates excrementitias, at nunquam pituitam appellare voluit, & ratio est, quoniam pituita definitur, quod sit succus à sanguinis perfectione declinans, crudus scilicet & imperfectus sanguis: cerebralis vero succus, sive impropria pituita, est tertiæ coctionis excrementum: & ideo inter humores pituitosos recenseri non potest. Sed dantur quoque aliæ febres putridæ, non humorales, ut quæ ab interno aliquo ulcere procedunt, omnes tamen propriè symptomaticæ dicendæ.

Celsus dicere solebat, quod destillatio neglecta longa est: quæ si ad pulmones delabatur, pestifera ab eodem dicebatur: undè in nares, leve malum, in fauces, pejus, in pulmonem, pessimum: nec præter rationem, dum Plato existimavit pituitam acidam & salsam, omnium morborum à destillatione provenientium originem esse: ideò in adolescente nostro, neglecta destillatio longa facta est, quæ si salsa aut acida fuisset, pestiferos, in pulmones delapsa, effectus peperisset: sicuti non levia mala toti corpori intulit, coctiones vitiando & obstructiones producendo: febrem quippe & cacochymiam toti corpori induxit. Hoc autem magnum nobis facessit negotium: cum destillatio auferri non possit, impuris tum hypochondriis, tum toto venoso genere manentibus, tanquam prohibentibus & causam foventibus. Auget præterea difficultatem febris, vel quotidie, vel frequenter invadens, quæ in præsens vires prosternit, & in futurum, usum medicamentorum quodammodo prohibere poterit. Nihilominus, quia Patiens Juvenis est propria & generosa remedia nondum expertus, non est omnino desperanda salus, sed congruo ordine instituenda curatio.

Primò, primas vias mundando. Secundò, obstructiones aperiendo. Tertiò, calorem febrilem moderatè contemperando. Quartò, venosum genus & caput leniter expurgando. Quintò, capitis humidam & calidam intemperiem remittendo: & tandem destillationem omni arte, à larynge & œsophago divertendo.

Et primò in fonte Chirurgico, si de sanguinis missione loquamur, aperienda brachii vena, non solum ad viscerum ventilationem, sed potius

potius ut sanguinem exploremus quam evacuemus. Cauteria nullomodo sunt omittenda: alterum quidem in brachio: alterum in nucha: quinimo, si res urgeat, recedente febre, setaceum quoque abs re non erit. Quotidianæ interim frictiones convenientissimæ sunt, matutinæ, à nucha ad dorsum: & pedum lotiones vespertinæ, ante cœnam. Caput tonsum servetur, pulvere quotidie asperso, ex majorana, radice iridis, cornu cer. rosis damascen. sepius ultis, & carie lignorum parato.

Ex pharmaceutico fonte reliqua sunt depromenda medica auxilia: & primo quidem pot. ex manna clarif. primæ viæ expiandæ: cui superbibendum præbeatur jus, hordeo vel malvis alteratum, ad exsiccationem evitandam. Mox præparanda materia in primis viis hærens, julap. acet. ad unc. ii. cum drach. ii. crem. tart. Interim opportune calor febrilis erit contemperandus: id autem præstare poterit succus cich. depur. in jure cichorac. alterato: simul quippe, & calorem contemperare, & quodammodo obstructiones aperire valebit. Ita per aliquot dies progrediendum, clysteres interim iniiciendo, ex decoct. malv. viol. hord. mercurialis; addito syr. aut melle rosf. solut. &c. Mox repetenda erit humorum præparatorum evacuatio, vel jam præscripta potione, vel bolis ex caß. lenit. & tartaro paratis, serum superbibendo, aut aquam hordeaceam.

Verum, quoniam obstructiones nondum fuerunt ablatæ, ideo aperientia paulo validiora erunt administranda, quæ esse poterunt, præsente adhuc febre, succus, cich. depur. ad unc. ii. cum succo agrim. ad unc. j. in jure cichorac. alterato: in quo dissolv. gr. vi. aut. vii. tart. vitriol. Quod si recesserit febris, succis jam dictis addatur syr. de cich. cum rhab. ad unc. j. vel præbeantur aquæ agrim. & cich. an. unc. iv. in quibus drach. j. rhab. integra nocte infusa fuerit. Et ita aliquot diebus progrediendum: mox pil. de Tribus cum rhabar. & cassia præbeantur, quibus superbibat Patiens serum depur. vel aquam Nocer. ad libitum.

His peractis, ad capitis expurgationem deveniri poterit, dum uno eodemque tempore sanguis adhuc magis purificabitur, & ideo pil. præscribantur de tribus cum rhab. aggreg. & aureæ, summo mane, in aurora præbendæ, vel ex Tral. circa noctis dimidium: quibus mane superbibat Patiens aquam hordeac. vel Nocer. quæ, nisi quid obstet, bis aut ter repetendæ: eodemque tempore caput errhino expurgandum, ex radice Iridis & majorana parato.

Superest ut capitis humida intemperies corrigatur, simulque pulmones exsiccentur: quod tentandum decocto aliquo exsiccante quidem, at non valdè calefaciente: quod tamen sine sudore, aut parum, aut nihil profuturum credimus: liquati namque humores, tum in venis, tum in capite existentes, per ambitum corporis sensibiliter evacuari debent, ne in partes affectas irruant. Decoctum itaque ita paretur.

♃. Radic. chinæ opt. unc. j. ligni rorismar. radic. rof. vulg. radic. cannæ montanæ, radic. enulæ an. unc. ß. aquæ cich. pulmon. beton. an. lib. j. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad consumpt. dimidii, & colat. servetur pro duabus vicibus summo manè exhibenda: cui in progressu addi poterunt aq. sulph. gutt. iii. aut iv. ita enim, & facilius sudor prolicietur, & pulmones promptius exsiccari poterunt: sudor tamen in hypochausto tantum moveatur, & in lecto absolvatur. Decimo vero quoque die præbeatur Patienti potio ex manna clarif. nec victus adeo tenuis præscribatur, habita virium & gracilitatis ratione.

Toto vero jam præscripto tempore purgationis, aliqua intercipienda sublingualia non sunt omittenda: ut confectiones diacodii & diatragacanti frigidi cum bolo: expectorantia matutino tempore exhibendo, ut oxymel, aut julap. acet. ireatum, ante usum syrupor. decoct. & omnium jam præscriptorum medicamentorum.

Tandem aliqua caput & pulmones corroborantia sunt in usum ducenda: ut conserva ex radice helenii, cum pulv. pulm. vulpis præp. & butyro sulph. additis passulis & pomorum dulcium succo, cum saccharo q. s. ad ignem, S. A. elect. reformando. Ex usu quoque esse solet conserva è floribus botridis, butyro sulphuris addito. Pro capite, conservæ è floribus beton. salviæ, rorism. imo & rosarum, sub ingressum lecti assumendæ. Vinum quoque pro mensa medicatum, paretur ex ligno rorismarini, & santalo rubro, ad unc. j. pro unaquaque situla.

Quibus omnibus congrua addatur victus ratio, quæ neque tenuis, nec nimis attenuans sit: licet Celsus jubeat quod dimidia pars cibi sit demenda, & sitis, quantum fieri potest, sustinenda. Omnia autem prudentiæ Medici assistenti committenda. Et hæc satis. *Idem ibdem.*

Erratica Febris.

Vir 35. annum agens, temperamenti secundum totum, maxime secundum jecur, ad calidum & siccum vergentis, ventriculi vero frigidioris, pituitosis vomitibus assuetus, qui tamen sex abhinc mensibus cessarunt: præterito mense Septembri correptus fuit febre duplici tertiana continua notha, à qua die vigesima liber evasit. Verùm, nonnullis in vivendi ratione erroribus commissis, post paucos dies rursus à cœna febricitavit, cum horrore universali, calore non valde acri, sed tarde & cum difficultate foras se exerente, pulsu non adeo frequenti, urinis crudis & albicantibus, cum siti moderata: quæ febris spatio viginti quatuor horarum, cum universali madore cessavit: sed sequenti die, circa vesperam, rursus invasit, cum rigore toti corpori dolores inferente, & calore ab initio remisso: qui tamen in progressu paulatim succensus, intensior evasit, cum pulsu potius raro, & urina cruda. At nocte sequenti, hora decima febris nova ejusdem accessio manifeste invasit, cum horripilationibus & subsequenti calore, jam dictis non absimili: hæcque post trigesimam horam, longo lentoque madore omnino cessit, duobus integris diebus Patiente immuni relicto: quæ tamen iterum vespertinis horis quartæ diei eundem corripuit. Hæc autem febris inconstantia, à Medico & ipso Patiente observata, ansam dedit Medicis consulendi, ac de ejusdem causis, eventu, & de agendis, eorum sententiam in medium adducendi.

Inter febres periodicationes habentes, ea quæ Patientem nostrum infestat, periodorum nullum ordinem servat, sed inordinatè movetur, cujus est ordo, nullum ordinem servare; hæcque Erratica dicitur, sivè errabunda, quia semper errando procedit. Dicitur quoque Planetica; plane enim Gr. error Latinis; vel à Planeta Saturno, cum quo similitudinem habet; nam sicut Saturnus præludium melancholiæ, ita erratica febris principium quartanæ statuitur; ut plurimum enim, & fere semper in quartanam degenerat, ut observavit cum Hippocr. Gal.

De hac loquutus definitionem Auctor dixit; errabundas febres esse, quæ non præfinito, neque certo ordine, sed incerto procedunt. Gal. verò dicebat, quod inordinatæ, seu erraticæ febres, aliquando stant, aliquando moventur, nunquam verò ordinatè procedunt. Ita febris Pat. nostrum affligens; primò namque die, post cœnam febricitavit, spatio viginti quatuor horarum à febre liberatus; die sequenti, circa vesperam rursus eadem correptus fuit, & nocte sequenti; hora decima durationis hujus, nova febrilis accessio fuit observata, quæ post trigesimam horam omninò cessavit, & quidem duobus integris diebus; eadem tamen iterum quarto die, vespertinis horis, recurrente febre. Ex quibus patet, inconstantem & inordinatam, febrem intermittentem, propriè erraticam appellandam esse.

Neque decipimur in hujus febris cognitione, à plurium febrium, sive circuituum complicationibus, ut monebat Gal. nec minus ab aliarum febrium anticipationibus, prout Medici non exerciti, quos carpebat ipse Gal. primo, quia jam præcessit alia febris humores adurens, & cruditates inducens. Secundò, quia nulla proportio tertianaria, aut quartanaria stabilis observatur; & præterea, intervallum & quietem duorum, triumve dierum concedere solet hæc febris; & ideò dicebat Gal. quod aliquando stant, aliquando moventur hæ febres erraticæ. Tertiò, quia non desunt melancholici humoris putrescentis signa. Quartò, quia invadit hoc tempore autumnali, & supra juventutem.

Pendet autem hæc febris à diversorum humorum permistione; quæ tamen non est adeò perfecta, ut in tertiana notha; sed uterque humor suam propriam servat naturam; & ideò distinguitur hæc ab illis febribus, quæ fiunt ab una simplici materia, in quibus observatur diversorum humorum eam componentium, natura. Humores verò in casu nostro, sunt melancholici & pituitosi, qui anteà per vomitum excerni consueverant, hi verò simul misti, in uno tantum loco, circà viscera naturalia putrescunt, & ita à febrium complicatione distinguitur; dum enim humores iste, in uno eodemque loco invicem contendunt, modò unus, modò alter suam facit accessionem, ut observavit Gal. in Cleonactide; & ideò utriusque humoris signa observantur, in pulsibus, urinis, calore, siti, & invasionis modo; etenim rigor dolorem afferens fere Ostocopos, ab humore melancholico & acido, sicut horror à pituitosa materia, cum aliqua acidate conjuncta, proveniunt; & ita ordinem variant humores, & fit erratica febris, donec, progressu temporis, exustio æqualiter ambobus humoribus inducitur, & quartana ordinata evadit. Ideò Avic dicebat, quod de proprietate harum febrium est ut stent in suo fine secundum ordinem unum, hoc est, quod perducant ad febrem, servantem ordinem unum, nimirum ad ipsam quartanam.

Febris hæc, cum sit intermittens, periculo vacat; diuturna tamen semper esse solet, cum partim humores crudos & viscidos, partim verò exustos & melancholicos auctores habeat; undè raro fit quin in quartanam migret atque degeneret. sic Gal. dicebat, quod errabundis febribus quartana succedere solet. & Hipp. oportet, inquit, talem expectari abscessum per febrem continnam: in quartanam verò discessuram, quoties intermittat, prehendatque errabilem in modum, atq; ita agendo, autumno propinquet. Quod tamen præcognoscere durum erit nobis, si in urina nigræ nubeculæ appareant; tunc enim quartana expectanda.

Curationem quod attinet, videtur Hipp. potius huic febri eandem denegasse quam proposuisse, dum ait, inconstantes febres, donec constent, sinere oportet, ubi autem constiterint, victu, & purgatione convenienti curabis. Gal. tamen in Com. obscurum hunc loquendi modum considerans, explicavit, dicens: Inconstantes febres sinere oportet; donec qualisnam febris sit cognoverimus. Quare, si statim erraticam febrem cognoscimus, ut præsentem, statim quoque curationem ejus aggrediemur. Primo quidem evacuantibus. Secundò, magis attenuantibus, incidentibus, detergentibus & aperientibus. Tertiò, exustionem removentibus. Quartò, viscera roborantibus.

Et in fonte Chirurgico, si sanguinis missionem consideremus, cautè valdè agendum; nam sicut, si ab initio invaderet, mediana brachii aperienda foret, ut sanguinis qualitas exploraretur ita in hac, quæ aliis succedit, in quarum curatione jam sanguis extractus fuit, non adeò audaces in eodem iterum mittendo esse possumus. Salvatella itaque sinistra in casu nostro aperienda, & parcè sanguis mittendus, ad ulteriorem humorum exustionem inhibendam; sicut in aliis, quibus vires non adeò constarent, venæ hæmorrhoidales aperiri possent. Cauteria locum habent; nam morbi diuturni, non per crisim sed per abscessum sanantur; Medicus autem debet esse naturæ imitator. Frictiones quotidianæ toti corpori convenientissimæ erunt: ut humores crassi attenuentur, & simul discutantur ac resolvantur.

A fonte Pharmaceutico sunt petenda evacuantia, præparantia, alterantia, aperientia, & viscera roborantia. Lenientia esse poterunt, syr. ros. solut. de polypodio: vel elect. lenit. cum tart. aut cum diacath. quia aliis febribus successit

Et ideò, præparantia efficaciora statim esse poterunt; ut oxymel, syr. byzant. cum aceto, de duabus radicibus; & tandem oxymel compositum, cum syr. de cich. cum rhab. addita semper decoct. cichoraceorum, necnon agrimoniæ, pentaphylli, petroselini, scolopendrii.

Purgantia esse poterunt, decoctio epith. Mes. syr. ros. solut. temperata; cui superbibat Patiens seri capr. depur. lib. ii. Prærogativam solent habere pil. de tribus, & aggregat. an. drach. ſ. cum

cum flore caſſ. ad unc.i.ſero pariter ſuperbibito.

Interim præparantium uſui inſiſtendum erit, & per epicraſin purgandum. Quod ſi obſtructiones contumaces fuerint, ad decoctum ſalſæ Recentiores devenire ſolent, in jure galli, additis herbis & radicibus aperientibus, paratum. Nos vero ad ſyr. Fernelianum, libenter & utiliter properamus; addito, non ſolum rhab. verùm & modica radice nigra helleborina; qui alternis diebus propinari poterit; diebus vero intermediis, exhibitis ſuccis depur. hoc modo.

℞. Succ. depur. cich. borrag. agrimoniæ an. unc.i. decoct. borrag. endiviæ, meliſſæ, capil. ven. ℥.v.m. pro ſyr. & ſic pro aliis. ſi verò continuandum ad virginti & triginta dies, ſi opus fuerit, namque ex his omnibus conſequemur deobſtructionem, præparationem, caloris remiſſionem, & humorum, per epicraſin, paulatinam evacuationem.

Tandem viſcera corroborant, conſervæ abſinthii, bugloſſi, borraginis, cum ſpeciebus aromatici roſati; ſuccus abſinthii condenſatus; vinum abſinthite.

Victus ratio erit attenuans, at non tenuis, quæ morbis longis convenire non poteſt. Apparentibus ſignis coctionis, convenit vinum paucum, tenue & oligophorum; utpote quod poſſit humorum coctiones adjuvare, & evacuationes promovere. Quæ pro hac febre erratica curanda, ſatis. *Idem ibidem.*

Quartana Legitima.

Iuvenis Mercator, 30. annum agens, temperamenti totius & jecoris, ad calidum & ſiccum vergentis, mediocris habitus, ſed fuſci coloris, hirſutis hypochondriis; negotiis quammaximè addictus, & cibis uſus, de more, craſſæ ſubſtantiæ, ut carne bubula, leporina, ſalitis carnibus atque piſcibus, leguminibus, braſſica, caſeo veteri & acetariis, atque copioſis potibus: antehac quartana detentus, hoc autumnali tempore, dum febres graſſantur quartanæ, equo longum iter, mercaturæ cauſa facturus, ſecundo itineris die circa veſperam, febre correptus fuit, cum exiguo rigore, carniſque totius corporis, uſque ad oſſa, profunda & doloroſa laſſitudine: cum calore, ſtatim ab initio, ſatis remiſſo, qui mox paulatim ſucceſus, flammeus potius & ſiccus quam fumoſus ab ipſo Patiente fuit obſervatus. Perſeveravit autem febris uſque in ſequentem diem; ſicque die tertia, ſine febre domum reverſus, & ad conſueta negotia, licet viribus non parum refractis, noctem tranſegit inquietam; quarta verò die ſurrexit è lecto, cibum, ut ſanus aſſumpſit; ſed hora 21. eodem modo febricitavit ut anteà, cum vomitu pituitoſo; quorum cauſa Medicum accerſivit, qui pulſum potius tardum ac rarum obſervavit; urinam albicantem, aquoſam ac decoloratam; & in reliquis, quæcunque in antecedenti paroxyſmo obſervata fuere. Præſcripſit autem leniens, ex elect. lenit. paratum, & tertiam acceſſionem die quarta attente expectavit, quæ ferè eadem hora comparuit; in cujus primo inſultu pulſus obſervavit, non ſolum tardos & raros, ſed etiam parvos ac debiles, & præterea rigorem conſueto paulò vehementiorem. Et licet febrem periculo vacare cognoverit & ipſe Patiens, anxius tamen de ſalutis celeritate, ut negotiis propriis omninò incumbere poſſit, à nobis conſilium quærit.

Non eſt qui ignoret febrem, egregium hunc Mercatorem divexantem, eſſe quartanam; maxime vero cum impetum graſſantium morborum & temporis conditionem unuſquiſque attendere ſoleat; ſed præterea cum & ipſe Patiens ſe quartanarium agnoſcat; & quidem per intermiſſionem; quia poſt vigeſimam quartam acceſſionis horam, à febre immunis obſervatur. Rariſſimè autem continua evadit; etenim, non ab alimentali melancholia fit; quia eſt adeò pauca in venis, aliis humoribus alimentalibus miſta, ut difficulter putredinem concipere poſſit; nec ab excrementitia: quia ut valdè naturæ inimica in venis non detinetur, ſed foras protruditur, & ita febrem intermittentem producit.

Hæc autem non ſpuria & notha, ſed legitima eſt, utpotè genita, non ab humore melancholico præter naturam, & exuſto, ſicuti fieri ſolent quartanæ per abſceſſum, poſt prægreſſas alias febres; ſed ab humore melancholico naturali. Neque admittenda Tral. in Gal. criminatio, quod aliam quam legitimam quartanam, à naturali melancholia factam non cognoverit ipſe, & ideo ſolius tantummodo legitimæ curationem aſſignaverit; etenim non obſervavit Gal. dicentem: Atram bilem, ex qua quartanæ ortum habent, geminam ſortiri generationem; unam ex flava bile retorrida; alteram ex craſſo ſanguine. Quod idem alibi repetit; curationem tamen non propoſuit, eo quod, cum bilioſarum curatione coincidat.

Reliqua quoque ſigna omnia illegitimæ quartanæ præſentiam confirmant; Et primò quidem rigor oſtocopos, hoc eſt frangens oſſa & carnes; quia humor, utpote craſſus ac terreſtris, in profundo hærens, oſſa veluti frangit & carnes contundit; & ob hanc cauſam ab initio rigor vehemens obſervari non ſolet, ſicut in progreſſu; quia crudus, & non attenuatus, adeò facilè concitatius moveri non poteſt.

Secundo calor, qui ab initio remiſſus & paulatim ſucceſus, flammeus & igneus, non fumoſus evadit, non ſecus ac in teſta terrea, à qua parum aut nihil fumoſi elevari poteſt; ſecus verò in materia pituitoſa, quæ ideò lignis viridibus comparari ſolet.

Tertiò obſervavit Medicus, in ſecunda acceſſione, prægreſſa nocte gravi atque moleſta, pulſum tardum & rarum; quia cor, ob humoris frigiditatem, exigua indiget ventilatione; & prætereà in principio tertiæ acceſſionis, eundem pulſum parvum ac debilem quoque notavit; arteria enim quaſi alligata, & ad interiora retracta videtur, adeo ut liberum aſcenſum non habeat, ob humoris gravitatem.

Quartò, urinam albicantem, aquoſam & decolorem vidit, certum humoris melancholici naturalis indicium; talis enim non eſt in quartana ſpuria, ab exuſto humore producta; & ideò aptiſſimè dicebat Gal. quod in quartana urinæ variæ ſunt, ſed crudæ omnes.

Quintò, longitudo acceſſionis & intervalli; acceſſio namque, ut obſervavit Serapio, pluri-

mum ad 24. horam extenditur; intervallum verò adeò longum est, ut vix dari posse quartanam continuam admittat Gal.

Causa hujus febris, est melancholicus humor, excrementitius quidem, at naturalis, non exustus, aut præter naturam, in primis viis, circa viscera naturalia putrescens: ob prohibitam transpirationem, ab obstructionibus, ex humore melancholico, copia & crassitie peccante. Ad cujus non exustæ melancholiæ redundantiam, conspirarunt causæ remotæ omnes; ut ætas, totius & jecoris temperamentum, anni tempus, vita anteacta, ut studia; ciborum melancholicorum & aceti usus; non aliter enim fit ex vino acetum, quam ex sanguine melancholia; & tandem copiosi potus, qui si aquosi, lienem inflant; si meraciores, replent & humores adurunt.

Harum autem causarum consensus & conspiratio, antehac eundem Patientem quartanarium reddiderunt, pace Ætii, qui hominem semel tantum quartana corripi credidit, Hipp. auctoritate, Lib. de Septenario: spurius quippe, non verò Hipp. genuinus est liber ille, cui innititur Ætii opinio, cum potissimum experientiæ repugnet; etenim Villicus apud Benivenium, prima vice quartana correptus, ab ingluvie & meri compotationibus liber evasit: quia aderant signa coctionis; secunda verò vice rursus quartana correptus, iisdem crapulis dum seipsum liberandum sperabat: quia omnia cruda erant, mortuus est. Et ita concidit opinio Ætii. Sicut nullo loco habenda Fernelii sententia, asserentis ab omnibus, in utero materno, contrahi quartanæ causam, cùm tamen multi, toto vitæ cursu, quartana nunquam correptii fuerint.

Cùm autem quartana sit Medicorum opprobrium, eorumque operam atque medicamenta sæpissimè eludat; quoniam longissima semper est, & potissimum autumnalis; hinc accedit ut Empirici, Chymici, Paracelsici, Vanghelmontici, Methodici, Vulgares & Dogmatici, omnes sibi propriam atque singularem proposuerint, in quartana curanda, diversam rationem. Et quoniam humor melancholicus ægrè, & nonnisi diuturno tempore coctionem admittit, ideò Patientes impatientes sæpissimè evadunt; & licet prudentes ac divites, post dogmatica aliqua medicamenta experta, aliis sectis pseudomedicis sese committunt; & quamvis sæpius cum vitæ propriæ discrimine, aliquando tamen evenit, ut sequutis coctionibus, beata vetula accedat die critica; vel, ut observavit Celsus ubi ratio non prodest, aliquando temeritas adjuvet.

Nos autem, relictis Empiricorum vanis & validis antimonialibus; Chymicorum & Paracelsicorum medicamentis mercurialibus, Vanhelmontii febrifugo, quod nobis, & forsan ipsi ignotum reliquit; Methodicorum, ventrem & vomitum moventibus Balneis; Ægyptiorum quinetiam clysteribus; Vulgarium improba vivendi ratione, prava & copiosa alimenta ingurgitantium, & meraciora vina bibentium, Dogmaticorum veram atque legitimam curationem delineabimus: etenim hæc nostra Secta, vera ac legitima est; ut quæ ratione procedat: ex eadem & experientia composita.

Distinguamus primò exquisitam Patientis nostri quartanam, à notha, quoniam diversæ desumuntur ab unicujusque causa indicationes, ut contra Gal. notavit Tral. & exquisitæ, cum eodem Gal. curationes proponamus, desumendo indicationem a Febre, Causa febris, & à Viribus. Inter has autem, quæ a febre desumitur parvi facienda; & ideo Gal prohibet refrigerantia. Hippocr. verò præcipit quod omnis febris sit refrigeranda, præter quartanam. Sint itaque medicamenta, ratione febris, in activis temperata, & potius calida in primo gradu; in passivis verò, humectantia. Ratione causæ, attenuantia, incidentia, aperientia, & ventriculum roborantia. Ratione virium, nutrientia, & vires conservantia.

In fonte Chirurgico, omnium primò consideranda sanguinis missio, an conveniat, quo tempore, & ex quo loco. Convenire sanguinis missionem præcipit Galen. cui subscripsit quoque Avic. dummodò tamen sanguis niger & melancholicus abundet in venis, ut facile esse solet cum plerumque in quartanariis laboret lien, qui massam sanguineam depurare non valet: tuncque quoniam minera quartanæ febris a toto venoso genere foveri potest, educitur sanguis ratione causæ foventis & antecedentis: non autem ratione causæ conjunctæ. Quod si in toto niger sanguis non reperiatur, tunc statim sistendus; & ideò Medici præsentiam præcipit ipse Galenus.

Tempus solet esse in principio, cum Galen. si sanguis in toto abundet, niger & crassus, in quibus lien malè habet; sin minus, non in principio, sed cocta & digesta melancholica materia, cum Avic. tunc enim à ramis venæ portæ ad cavam digeritur, hoc est distribuitur, quo tempore venæ crassiores quoque apparent, & ideò indicans, vitium nimirum in sanguine, reperitur quod ab initio non aderat. Sic itaque conciliantur; Gal. enim ab initiò educit sanguinem, ratione causæ antecedentis, si adsit. Avic. verò in progressu, ratione causæ conjunctæ, ut depuretur sanguis ab humore melancholico, a minera febris ad venas distributio; cautè tamen, & nonnisi parcè educendus, sed potius melanagogis electivè purgantibus, tunc temporis coctione apparente, massa sanguinea est purificanda.

Locus, est jecoraria, sive mediana sinistra ex Gal. vel lateris magis affecti, ex Æt. Salvatella sinistra ut Galen. ex aliorum sententia, cui subscripserunt Paul. Nicolus, Cardanus, Amatus, Velesius, & ipse Areteus. Communior autem, & magis usitata sententia est Ætii, quod sanguis ex latere magis affecto educatur, neglecta interna aut media, omnes enim ab axillari procedunt; sed magis apparente & evidentiori tusa, ut crassior sanguis emanare possit. Sic in casu nostro, apperiatur vena brachii dexteri; cum sanguinem melancholicum in toto abundare, ex ætate, temperamento, habitu corporis, hirsutie, & vita anteacta facile arguere possimus; non omissa tamen observatione, Medico præsenti expedenda circa sanguinis effluentis qualitatem, à Gal nobis præscripta. Aperiuntur quoque venæ sedales, si suppressa esset consueta hæmorrhoidalis evacuatio; & in mulieribus, saphena, menstruis retentis aut diminu-

diminutis. Cauterium in casu nostro, locum non habet, ut in diuturnis quartanis.

Ex Pharmaceutico fonte, si curationem à Gal. propositam attendamus, lenientia omnium primò sunt depromenda, mox præparantia. Et quoniam melancholici plerunque cruditatibus abundant; ideò, ante humorem melancholicum, pituitosi est habenda ratio, qui à primis viis detrudendus, primò vomitu; secundo clystere; tertiò lenienti medicamento. Vomitorium paretur, ex jure carnium, radice raphani alterato; addito julapio acet. & oxymel. simpl. Clyster mollis paretur ex decoct. malv. mercur. chamæmeli, betæ; additis mel. ros. solut. oleo chamæmel. ovi vitello, & sale. Leniens sit elect. lenit. cum crem. tart. & modico hieræ picræ. Vel in potu mel. syr. ros. solut. cum lenit. & decoct. cord. q. s. pridiè ante accessionem assumendum.

Prima præparatio fiat syr. sine diluto, ut diutius ventriculo immorari possint.

Ut ℞. Syr. de cortic. citri, oxymel. simpl. aq. cinnam. an. unc. i. m. pro syr. & sic pro quinque. Inde reperatur aliquod ex prædictis lenientibus; cui superbibat mulsam dilutam, ex aq. hordei paratam. Expiatis primis viis ab humore pituitoso, diebus vacuis à febre, in die quoque accessionis, aliqua erunt agenda, humorem melancholicum respicientia. Sic si ingruente paroxysmo vomitus sponte moveatur, erit adjuvandus; etenim, ex Avic. aut eradicat, aut alleviat: levioribus tamen id fiat, primis diebus, ut supra; validioribus autem in progressu, apparentibus signis coctionis.

In statu febrili, aliquod alterans erit offerendum, quod tamen non valdè refrigeret, omnis enim febris perfrigeranda, præter quartanam, ex Hipp. & ideò Arist. quoque dicebat, quod in quartanis, sempet ignis sit injiciendus. Sit itaque jus malva, althea, borr. liquir. pomis apiis, & corticibus citri alteratum; cui addatur aquæ cinnam. cochlear. Vel paretur tale julap.

℞. Succi pom. dulc. unc. vi. aquæ flor. citri unc. iii. moschi, ambræ an. gr. iii. sacchari fini lib. i. m. ad ignem paretur julap.

In febris progressu, evacuantia & præparantia paulò validiora exhibenda, & tandem, apparente coctione, etiam valde purgantia. Ita clysteres validiores parari poterunt, ex decoct. malv. mercur. chamæmeli, utriusque centaureæ, fol. sennæ; additis elect. diaph. oleo chamæmel. vitello ovi & sale. Vomitorium ita paretur.

℞. Iuris carnium, raphano altetati unc. x. diasari Fernelii unc. s. m. & nisi præstò sit diasarum, substituatur pulvis asari, à drachm. i. ad drachm. ii. Medicamentum verò esse poterit.

℞. Elect. lenit. drach. xi. extract. sennæ polypod. an. drach. i. m. f. bol. vel potus.

℞. Fol. epit. sennæ, an. m. i. cinnam. integri drach. i. aq. melissæ q. s. m. f. inf. per horas xii. deinde facta forti express. colat. adde syr. de polyp. unc. v. aq. flor. cit. aut. cinnam. unc. s. m. s. p. cui superbibat jus malva, aut hordeo alteratum.

Validiora præparantia erunt, decoctio buglossi, borrag. melissæ, card. sancti, gentianæ, petroselini, apii; cui addantur succi depur. borrag. & fumariæ, potius quam saccharata & dulcia. Amara tamen & acida misceri possunt, ut syr. de cich. cum rhab. præsentibus obstructionibus; vel syr. byzantinus cum aceto. Et licet de usu aceti in præparando humore melancholico, dubitaverit Galen. cum Hipp. conceditur tamen, quando e us curationem, non autem quando præservationem intendimus; etenim, ad expurgationem non parum conducit fermentatio, quæ ab aceto excitatur.

Qua prægressa præparatione, & apparente humorum coctione, ad purgantia deveniri poterit; ut ad decoct. epit. Mes. ad unc. vi. vel ad drach. s. extracti veratri nigri, cum cassia; quibus superbibendum præbeatur ser. capr. aut asin. ad lib. ii. ob hellebori vim exurentem. Quæ purgantia, si ante coctionem præberentur, miseros ægros in damna irreparabilia præcipitarent, nam vel triplex quartana, vel diuturna, vel continua, vel alvi fluxus, macies, ac tandem mors etiam ipsa consequeretur. Avic. autem intelligendus de humore antecedente, non conjuncto, ab initio purgando; sicut Tral. de quartana per abscessum facta, idest notha, in cujus principio facilè aliqua coctionis signa observari possunt.

Apparentibus itaque signis coctionis, præbeatur purgans etiam die accessionis; quicquid dicans Gentilis, Savonarola, Mercatus, cum Gal. & Avic. Hipp. enim primò tribus aut quatuor interpositis diebus, pharmacum sursum purgans exhibendum præcipit, in ipsa accessione; mox. intercurrentibus aliis diebus, pharmacum deorsum purgans præbendum jubet. Pronunciavit autem indefinitè, aliis diebus, non tribus aut quatuor, ut innuat, humorum coctionem esse expectandam. Die autem accesisionis facilior & uberior sequitur humorum expurgatio à pharmaco purgante, quinque aut sex horis ante accessionem, humor ipsa à natura movetur, exhibito.

Humore autem iterum atque iterum expurgato, si aliqua in visceribus producta fuerit obstructio, syr. Fernel. cum rhab. paratus, opportunissimus fuerit, pluries exhibitus, in vino albo tenui; ut qui egregiè aperiendo, & humores crassos attenuando, uno eodemque tempore eosdem educat.

Mox Galen. diatrium pipereon, diaspoliticon, aquam cum pipere exhibet. Et tandem, manifestis apparentibus signis coctionis, Theriacam præbet; non autem ante, ne attenuati & commoti crudi humores, duplicem & triplicem quartanam excitent; ut contigit Eudemo Seni, Romæ, qui ab Archigene & Martiano, primæ notæ Medicis, præmaturè Ther. exhibita, in triplicem quartanam incidit. Detur autem Theriaca antiqua, duabus horis ante accessionem; molestos etenim rigores mitigat, & humorem attenuatum per varias partes expellit.

Quod si contingat ut rigor diuturnus & vehemens evadat, sitque molestus, præbeatur spiritus vitrioli in aqua prassii, ab initio, ut Gesnerus; vel gran. vi. piperis integra, cum pauco vino generoso, ut Amatus Lusitanus; & spina prælinatus oleo de Scorpionibus Mathioli, vino malvatico dissoluto; vel theriaca aqua vitæ dissoluta.

A proprietate juvant interna & externa.

interna, Gentiana plures dies assumpta optima censetur. Die accessionis, in aurora, gutt. x. quintæ essentiæ rorismarini, in exiguo vino cretico, tribus vicibus. Sic aqua theriacalis, aqua vitæ juniperina. Præstantissimum autem censetur oleum myrrhæ, in vino cretico sumptum, ad gutt. v. Inter externa, Marcellus Medicinæ Princeps, proponit lapillos albos & nigros in ventre hirundinum inventos. Cardanus, dentem Serpentis appensum. Fernelius viventem araneam, in testa juglandis clausam, collo appensam.

Victus rationem quod attinet. Aër sit calidus, ut consulit Arist. Victus, primis duabus hebdomadis, sit tenuis, mox plenior, sed attenuans; edulia sint à salsa & sinapi condita. Ætius tamen aliquam expectat coctionem, ante salsamentorum usum. Ab omnibus glutinosis, flatulentis & refrigerantibus cibis abstineat, & potissimum à carne suilla. Pro potu, aqua, tanquam pestis fugienda; sit itaque vinum album, tenue, calefaciens. Somnus, sub accessionem conceditur; impedit enim, vel saltem accessiones moderatur. Exercitium coctiones adjuvat, dum calorem excitando, crassos humores movet & attenuat. Animi motus quartanam aliquando solvunt ideo ex Gal. multi liberati sunt, ex solo gaudio; alii ex magno timore, ut narrat Rhasis. Sic Quintus Fabius fuit à quartana in prælio liberatus, ut refert Plinius.

Tandem, documentum circa vivendi rationem nobis tradit Celsus, dicens. In vetere quartana prodest mutare subinde victus rationem, à vino ad aquam, ab aqua vinum; à lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes transire, comedere radicem deinde vomere; Jure pulli gallinacei ventrem solvere; oleum ad frictiones adjicere; calefacientia, ante accessionem; sorbere aceti cyathos, vel vini cretici, cum sinapi: per hæc enim, & similia corpus agitandum, & de illo statu movendum. Monet prætereà Celsus ipse, quod dum Febris quievit, diu meminisse ejus diei convenit, adeoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem; facile enim revertitur. Hæcque, pro curatione hujus quartanæ legitimæ, dicta satis. *Idem ibidem.*

Quartana Spuria.

Iuvenis Nob. annorum 28. temperamenti totius & jecoris, ad calidum & siccum vergentis, mediocris habitus, boni coloris; in vivendi ratione, potissimum æstate proximè præterita, in usu fructuum & potibus gelidis delinquens, ineunte autumno præsenti, in febrem tertianam incidit, extensam; pro cujus curatione, serum & stillatitias aquas præscripsit Medicus, verùm genio nimium indulgens, medico inscio, easdem gelidas potavit largius, unde obstructiones in visceribus, & potissimum liene, oboriri cœperunt. Cessavit nihilominus tertiana febris, licet posteà valetudinarius, vixerit, immò, paucis transactis diebus, rursus febricitaverit, febre quadam, quæ modo tertianæ, modò quartanæ, modo quotidianæ typum servabat, ideòque erratica à Medicis existimata fuit; donec tandem in quartanam, modò sub finem autumni, firmata est; quæ cum vehementi rigore ostocopo invadit, cum dolore tamen in hypochondrio sinistro, ubi lien tumidus tactu percipitur. Pulsus sunt frequentiores, calor acrior, urina colorata, sed cruda, sitis molesta, appetitus dejectus, perpetuus mœror, & frequens ad iram propensio; tumentes quinetiam habet hæmorrhoidas. Consulit autem de salute adipiscenda.

Non unicam esse quartanæ speciem asseruit Gal. dicens, quod Autumno quartanæ sunt, non quartanæ; quia ex atra bile ortum habent, quæ duplicem habet generationem; alteram quidem ex flava bile superassata; alteram verò ex sanguine crasso. Quod idem alibi repetit, dum ait, Quartanam ex atrabilario humore consistere; qui vel à sanguine crassiori, & respondet proportione in venis, subsidenti in dolio vini fæculæ; tum etiam ex flava bile vehementer assata, quæ atra bilis melefica est. Et sicut legitima fit à puriori atra bile, ex crasso sanguine orta, melancholia scilicet naturali; ita non legitima, & spuria, ab illa quæ ex flavæ bilis exustione oritur, quæ atra bilis præter naturam dicitur: & ideo hæc per abscessum fieri solet, nimirum post alias febres, & humorum exustionem; ratissimè autem statim ab initio invadit; quarum quartanarum distinctionem si cognovit Hipp. cur eandem ignoravit Gal. ut falsò carpitur à Tra'. Hujus generis autem est præsens, Juvenem Nob. affligens; qui post errores in vivendi ratione, & præsertim fructuum usu, & gelidis potibus commissos, in febrem tertianam incidit, atque in iisdem perseverans, in erraticam; tandem obstructionibus in liene adauctis, in firmatam quartanam lapsus est. Lien enim ab Hipp. fons aquæ dictus fuit; quia, tanquam spongia, nimium potum trahit; unde imbecillis & tumidus factus, nec humorem melancholicum attrahere, aut, si cum potibus attrahat, eundem dimittere nequit, & ideo obstructiones tumoresque excitantur; sive dicamus aquam appellasse melancholiam Hippoc. quia ubi adustio, ibi multa liquata & expressa humiditas reperitur. Erat autem in adustionem natura pronus Nob. ipse Patiens: sed prætereà à prægresso febrili calore, etiam absque ulla naturali propensione, facilis in eam fuisset lapsus, quæ, accedentibus obstructionibus, & ab his libera transpiratione prohibita, in liene & ramis splenicis computrescens, febrem hanc quartanam illegitimam excitavit. Cujus cognitio neminem latere potest, non modo quia typus ejus ideam generatim nobis significare soleat; verùm quia & pulsus frequentiores, & calor acrior statim, urina colorata, sitis molesta, & proclivitas ad iram adsunt, & omnium maximè, quia aliis febribus & erraticis successit hæc febris; quæ sicut flavæ bilis exustionem, ita quartanam illegitimam attestantur.

Hoc autem exustos humores, majori parte attenuatos & fusos esse ex eo patet, quod ad venas sedis irritata natura eos deposuerit; quod statim ab initio rigor vehemens & ostocopos factus fuerit, qui alioquin nonnisi in progressu fieri solet, attenuato nimirum, in decursu ipsius febris, melancholico humore. Nec exiguum hujusce exustionis signum præbere solet appetitus dejectio, ut contigit Onesianacti cum humor melancholicus naturalis, ad

lis, ad appetitum excitandum destinatus, desit, nec ob vias obstructas, à jecore ad lienem demandari possit; sic & mœror immodicus, exustionem jam factam, & ira præceps, lienem adhuc nobis designant.

Febris hæc, licet, ut quartana, securissima sit, ex Hippocrat. attamen, si ex liene procedat, & cum ejusdem tumore fiat, periculosa evadit; imò ex hac nonnullos defunctos vidit Galen. etenim vel ad tabem juvenes, vel ad hydropem senes ducit. Ideò non adeo tuta præsens habenda; cùm tumeat lien, & utpotè spuria, ac per abscessum facta, difficilioris curationis semper evadet.

Utcunque tamen, longissima semper est, & hæc præsertim; primò, quia spuria; secundò, quia cum lienis tumore, tertiò, quia autumnalis, & hyemem attingens. Nihilominus, si Patiens deliciarum oblitus, obtemperans omninò fuerit, si non proximo solstitio, æquinoctio saltem verno, liberandum speramus, cum appetentiæ dejectionem ab initio, breviorem febrem prænunciare observaverit Brasavolus. Nec formidandæ observationes duodecim annorum, enarratæ ab Avic. neque vigintiduorum, à Massaria, in quadam Matrona Veneta, nec triginta, à Forestio, sunt enim rarissimi casus, qui in exemplum modò non sunt adducendi.

Curatio autem hujus febris coincidit cum curatione tertianæ nothæ; quam ideo Galen. non proposuit. Quare medicæ intentiones, pro hac tollēda, ab illis pro legitima curāda à Galen. propositis. Primò enim materia antecedens evacuanda. Secundò refrigerandū & humectandum. Tertiò lienis obstructiones aperiendæ. Quartò humores præparandæ. Ultimò expurgandi.

Et à Chirurgico fonte primò desumenda sanguinis missio, quam magis in hac illegitima convenire quàm in legitima quartana puto; cum in prægressis febribus exustio in venis & calida jecoris intemperies fuerit contracta. Aperiatur itaque mediana sinistra; modicè tamen sanguine educto, licet adsit indicans & permittens, cum Patiens noster satis viribus valeat.

Et si ulterius probatur ipsa febris, cum lienis obstructionibus, ex venis quoque sedalibus repetenda erit sanguinis missio. Et præterea cauterium sinistræ coxæ inurendum, ad serositates melancholicas educendas.

Sunt qui Balneo non ineptè utuntur, tredundantibus potissimum in hac febre exustis & melancholicis humoribus, parato ex aq. dulci, malva, lauro & calamento alterata, etiam ante manifesta signa coctionis. Verùm, hoc tempore frigido, Balneo substituendæ universales frictiones, & inunctiones oleo amygd. cum quo vinum malvat. ebullierit.

A Pharmacia depromenda lenientia, præparantia, alterantia, aperientia, purgantia, à proprietate juvantia & sistentia. Lenientia autem erunt primò vomitoria. Secundò clysteres. Tertiò leniens. Vomitus, ratione causæ antecedentis, levioribus procurandus. Clyster parabitur ex decoct. malv. viol. pariet. mercurialis; additis syr. rof. solut. oleo comm. maturo, aut amygdal. vitello ovi & sale. Prout autem ab initio clysteres molliores, ita in progressu acriores conveniunt, ideò addi poterunt syr. de polypod. elect. diacath. diaphœn. & hujusmodi alia. Leniens erit. syr. rof. solut. de polypod. cum momento aquæ flor. citri. Vel lenit. cum tart. quibus superbibat jus, hordeo, vel malva alteratum.

Alterantia erunt exhibenda in accessionis vigore, ut decoct. cich. borrag. endiviæ, malv. melissæ; additis succ. depur. borr g. endiviæ, pomorum dulc. concreno nonnunquam sero. Ætius quippe & lac asininum præcipiebat; & Tral. frigidam; quam reprobat Avic. Laudavit autem Ætius, ad heminas duas; sed instante accessione, ad rigorem inhibendum.

Præparantia erunt ab initio, julap. acet. ad unc. iii. cum drach. iii. crem tart. & gutt. aquæ cinnam. quod, diebus immunitatis, mane, tribus aut quatuor horis ante cibum, quinque aut sex vicibus exhiberi poterit, à quo minorativum medicamentum conveniet, ut syr. rof. solut. vel mel. rof. solut. cum manna clarif. aut lenit. cum. diacath & tart. solo, namque diacatholicone quartanarium liberavit Rhasis, quibus superbibat jus hordeo alteratum. Ad validiora præparantia & aperientia mox deveniendum; qualia esse poterunt syr. de cich. cum rhab. syr. de pomis, vel de succo borrag. julap. acet. in decoct. cich. borrag endiviæ, agrimoniæ, scolopendrii, solutis in hac eadem decoct. tart. vitriol. gr. x. quibus utendum septem aut octo vicibus. Sequatur postmodum præparatorum humorum expurgatio, decoct. epith. Mes. syr. rof. solut. mista. Vel elect. lenit. & diacath. additis pil. de tribus cum rhab. quibus superbibat serum depur.

His peractis, si non cedant lienis obstructiones ad usum syr. Fernel. erit deveniendum, qui in aqua agrim. paretur, radice veratra nigri infusioni addita, necnon rhab. globulo, eidem jam completo, infuso, qui ad unc. ii. in vino albo, per 10. dies præbeatur, diebus intermissionis.

Quod si neque his cesserint obstructiones, nec febris, ad validiora deobstruentia properandum, ad decoctum nempe ex salsa electa, ligno tamaricis & cortic. rad. capparum, in aq. stillat. agrim. cich. capil. ven. paratum, quotidie assumendum. cui præmitti poterit bol. ex ammoniaco, & troch. de capparibus compositus, cum aceto squillitico; vel in dicto decocto instillentur gutt. x. aut xii. spiritus tart. pluries rectificati in cujus usu diu insistendum.

Interim exterius pars obstructa illinenda oleo de capparibus, de cyclamine; cum adipe anseris & nitro reformato linimento. Mox formetur ceratum diachylon, cum ammoniaco, aceto squillit. dissolutum, alutæ inductum, lieni applicandum.

A proprietate juvantia in hac quartanæ speciе, interna esse poterunt, aqua destill. ex succo flor. chamæmeli, ad unc. ii. vel iii. quotidie; decoctio clinopodii in vino; in hoc verò Patiente, cor leporis præparatum, prout pulmo Vulpis & pulverizatum, atque pro tribus vicibus divisum hora paroxysmi, in vino malvatico propinatum.

Extrinsecus verò, Scarabæus vivus, fulvo

linteo alligatus, & collo appensus. Sec viridis lacerta. Pariter, prima menstrua virginis, brachio dextero alligata.

Sistentia tandem sunt consideranda, quæ vel rigorem sedare, vel totam accessionem sistere, ac firmare possunt. Ad rigores sedandos, Amatus Lusitanus expertus est cyathum aq. ros. in principio. Sic Ætius frigidam ad duas heminas propinabat. Extrinsecus, illinatur spina oleo majoranæ, vel juniperino, vel oleo antimonii.

Sistentia quoque dantur, cuilibet speciei quartanæ accomodata; sic & narcotica ante accessionem, apud Myrepsum Medicinæ Principem in usu fuerunt. Hisce autem temporibus, in hunc finem passim exhibetur Chinæ Chinarum pulvis, ad drach. ii. in vini malvatici cyatho propinatus, in accessionis præludiis; qui tamen tuto exhiberi non potest, nisi præmissis copiosis & repetitis evacuationibus, in diuturno scil. febris labore. Secundo, visceribus ab obstructionibus ac tumoribus immunibus; ne alioquin alterutrum horum trium malorum accidat; aut enim paucis post diebus, copioso existente humore, revertitur febris, aut in venis humor retentus, febrem continuam & acutam parit; aut tertio, in via firmatus, visceribus scil. exitialem inflammationem inducit. Quod si China Chinæ deficiat, substitui poterit, ex compositis, Theriaca, Mithridatium, Confectio ex succo Cyrenaico. Ex simplicibus vero, pulvis Gentianæ: vel clinopodii, pariter in vino malvatico.

Victus rationem quod attinet, sit refrigerans & humectans, ut in tertiana notha, quidquid dicant nonnulli: ità enim sentiunt Tral. Paul. Æt. Orib. & Avic. Vinum sit album, ut jubet Galen. & Avic. cum illo. Caveat Patiens ne impatiens reddatur, & quorundam exemplo, qui voracitatibus & compotationibus liberati fuerunt, liberam vivendi rationem præferat: etenim, natura, licet in angustiis insurgat, & concoctos humores superet, atque expellat: iisdem tamen crudis existentibus succumbit, ægerque moritur. Cujus rei exemplum habemus apud Benivenium, in villico bis quartanario, qui cum prima vice, concoctis humoribus, sub erroribus gravioribus in victus ratione, convaluisse visus esset, postea, illis crudioribus, ob eosdem errores, interiit. Hæcque satis, pro hac quartana illegitima curanda. *Idem Ibidem.*

Febris Quintana.

Vir quadragenarius, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilioris habitus, gulæ & veneri indulgens, meracioribus vinis usus, ineunte currente autummo, febre tertiana non exacte legitima correptus est, quæ decimaquarta transacta, in levem quartanam degeneravit, cujus peractis septem accessionibus, quinto quoque die manifestissime invadere cœpit, cum horripilatione, quam mox subsequitur calor manifestus, paulatim increscens, qui in progressu febris, acris & igneus evadit. Pulsus ab initio, valde obscurus, rarus & tardus est. Vrinæ, ante accessionem, diebus intermediis, crudæ, tenues & albæ, in accessione coloratæ & paulo crassiores: sicut post accessionem, sequenti die, coloratæ & crassæ. Terminatur vero ipsa accessio circa 24. horam, vel paulo supra, & reliquo tempore omnino infebricitans degit Patiens, cujus febris jam tres observatæ fuere periodi, quinto quoque die, eademmet hora. Quod Patiens ejusque domestici mirati, à nobis consilium petunt.

Nec raro occurrentia Professoribus admirationem injicete debent, prout quintana febris hæc, Patientem nostrum tandem invadens: quæ quidem rara semper fuit, sicut rarissima septimana, nonana, aliæque plurium dierum; quarum raritas Gal. movit ad has omnino negandas. Et licet Hipp. admiserit quintanas, septimanas, & nonas: unde easdem, quibus judicentur circuitibus, considerandas monet. Galen. tamen has febres dari non solum negat, verum & ab Hipp. de iis tradita, ejus non esse, sed ab alio infarcta suspicari sustinuit: cum tamen te vera dentur, & observatæ fuerint ab Avic. Rhasi, Halyabbate, Ætio, & Celso: quinimo decimanam in sexagenario observavit Zacutus: quindecim dierum, Gentilis: annuam, Benivonius & Amatus: quolibet septennio, Forestus. Et ipse Galen. tandem cognovit periodos, longe suprà quartanam, cujus verba sunt hæc. Quartanus typus est, qui quarto quoque die unam & eandem facit accessionem, ac unam & eandem remissionem. Eadem de quintano & septimano Intelligenda sunt. Subdit præterea. Et quintanæ inter se conjungantur, & cum sextanis, septimanis, decimanis, vigesimanis, trigesimanis, quadragesimanis, &c. Hæc Galen. Quæ antea non protulit, quia forsan periodos hujusmodi nondum observaverat.

Harum omnium causam Avic. voluit esse melancholiam phlegmaticam, factam scilicet per pituitæ assationem, vel per melancholiæ cum pituita mistionem. Secundum alios, utroque modo fieri potest; alii namque humores, licet assati, non sunt ita tenaces ut adeo lente moveantur, & tardius putrescant; qui tamen crassi & lenti humores valde pauci sint oportet, & extra venas communes non solum, verum & ipsorum viscerum, nimirum circa mesenterium, ut adeo tarde putredinem concipiant. Sic febris hæc quintana, in nostro Patiente, ab humore atrabilari, exustæ pituitæ permisto procedit; qui si paulo copiosior esset, citius accenderetur, & quartanam, non quintanam excitaret; prout & eandem, si exigua & sola esset atra bilis: quoniam diuturno tempore hanc perferre non potest ipsa natura, ut quintanam, septimanam, aut nonanam inducat. Ad hujusmodi humores gignendos, concurrunt in Patiente nostro, res naturales, temperamentum nimirum jecoris calidum & siccum, ætas quoque consistens: nonnaturales quoque, pituitæ feraces, meracioris scilicet, vini consuetus potus, immodica Venus, alimenta copiosa: & tandem prægressæ febres non parum exustionem auxerunt, dum primò à bile, pituitæ mista, tertiana notha producta fuit; inde, exustione introducta, in quartanam degeneravit: & tandem, minorata materia, sicq; prorogata periodo, in quintanam firmata est: in qua, horror quidem, sed levis observatur: quia crassus humor, per partes sentientes non adeo facile move-

movetur; calor paulatim succenditur, qui postea acris & igneus percipitur, prout in testa ignita; pulsus tardus & rarus, ob frigiditatem, urinæ variæ, sed crudæ omnes; non enim adeo facile hujusmodi humores concoctionem admittunt.

De hisce febribus loquutus Hipp. hæc protulit. Septimana longa est, verum non lethalis; Nonana, hac longior etiam, at non lethalis: subdit verò. Quintana pessima est omnium; etenim, & ante tabem, & tabidis superveniens, perimit. Contra quod prognosticum obmurmurans, ait Galen. in Com. quod Hipp. præsefert oculis, hæc arbitrata conscribere; quasi quod febres hujusmodi somniaverit, non autem viderit Aliqui non inepte confirmant quintanam esse septimam, & nonana periculosiorem; eo quod hæc à sola atra bile, quam diutius natura perferre non potest, proveniat; reliquæ vero ab atra bile pituitæ mista. Sed re vera quintana omnium pessima est; tum si præcedat tabem; tum si tabidis superveniat: non quidem ratione sui ipsius, sed ratione tabis; adeo ut si simpliciter consideretur quintana, magis periculosa esse non possit quartana ipsa, utpote quæ à minori quantitate atrabilaris humoris proveniat, & longius habeat intermissionis intervallum. At si quintana tabem habeat, aut proximam, aut conjunctam, tunc lethalis est, quod scil. natura sustinere non possit & hecticam & atrabilarem febrem. Tabes autem facilius quintanæ, quam septimanæ aut nonanæ accedit: quia humor magis atrabilaris in illa quam in his peccare solet.

Curatio hujus febris similis esse solet curationi quartanæ; quam ideo utpote notissimam, consulto omitto, ne tædio, sine Patientis utilitate, afficiam; nonnulla tamen peculiaria addere non verebor, ne in necessariis deficiam.

Et primo, quod major in ea, intensior & longior requiritur attenuatio & incisio: minor vero & tardior humorum purgatio, quam in quartana; idque quoniam humor, sicuti crassior, ita paucior existit, unde majori præparatione, & minori expurgatione eget.

Secundo, quod vomitum commendat Avic. die paroxysmi, ex validioribus, dum ægre naturaliter ad vomitum fuerit pronus.

Tertio, clysteres proponit Rhasis, die paroxysmi.

Quarto, Avic. proponit sudoris provocationem in progressu, & balneum resolutivum: quibus tamen caute utendum monet Arculanus, si quintanæ accedat ad hecticam propensio.

Tandem notandum, quod Zacutus sanavit puerum per integrum annum quintana laborantem, decoctione eupatorii quotidie exhibita.

Victus rationem tenuem laudat Avic. & somnum digerentem in principio; deinde in progressu, ad pleniorem victum transit. Quæ de hac febre quintana, reliquisque plurium dierum, dicta satis. *Idem Ibidem.*

Febris Maligna tota Substantia.

Vir 35. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & humidi, mediocris habitus, negotiis non parum implicatus, ventre gulæque indulgens, & pravi succi alimentis continuo usus, post itineris laborem, quo, ultro citroque, pedibus ad amœnissimum suburbanum suum secessum, ineunte æstate commeabat, ubi cum sodalibus comessationes atque compotationes immodicas agitabat, domum reversus, de totius lassitudine triduo continuo conquestus est; mox cum exiguo horrore decubuit, cui calor febrilis, exiguus potius successit, sine ullo symptomate pravo, sive molesto; siquidem neque sitis urgebat, nec anxietas, aut angor Patientem premebat, non vigiliæ, non cibi fastidium, solo alvi fluxu hac secunda die, sed moderata tamen quantitate, apparente; qualitate vero, liquidæ materiæ colliquatæ specie: in pulsu vix ulla unquam inæqualitas percepta, velocitate, tarditate, frequentia & raritate, sanorum pulsibus alioquin simili: languido licet quodammodo & humili; urina pariter sanorum urinis parum dissimilis; & quod mirabile ac rarissimum, cum virium tanta statim labe atque prostratione, ut vix è lecto surgere posset Patiens; quod domesticis, nos accersendi, ad consilium, sub finem secundæ diei, ansam præbuit.

Sicut malignum hominem, boni speciem simulantem, difficillime cognoscere licet, dum genium malum, malamque voluntatem corde premens, bona tamen dat verba, & blanditiis atque adulationibus sodales decipit, ac male agendo eosdem insectatur, atque tandem exterminat, ita de febre maligna asserendum, quæ quidem se placidam, atque mitem effingit, unde Galenus dicebat, quod Debiles & parvæ febres quandoque valde malignæ sunt; sicut contra calidæ & incendentes, stomacho angustiam, calorem & sitim intolerabilem afferentes, nihil tamen habent nonnunquam periculosum. Et ideo subdit; Licet ad manus sint mites, tamen Patientes perdunt. Hanc, Nobiliss. Pat. nostrum affligentem, talem esse atque futuram suspicamur; cum duo in eadem observentur pathognomonica signa, malignis febribus essentialibus propria: quorum alterum est alvi fluxus colliquativus, non superveniens, ut tradidit Galenus sed concomitans, ut melius observavit. dicens. quod, Colliquatio est perpetuum symptoma febris, quam pestilentialem privati vocitant, quæ mortales vel citra pestem corripit. Hoc est, maligna idealis, quæ vocari potest etiam pestilens, à febre pestilentiali distincta. Alterum vero signum, est celer atque cita virium imbecillitas, à venefica qualitate cor inficiente proveniens: unde statim pulsus humilis & imbecillis observatur. Nec obstat, quod Galenus in hac febre, pulsum esse similem sanorum pulsui asseruerit, hoc enim locum habet, quoad velocitatem ac tarditatem, frequentiam ac raritatem: cum venefica qualitas, potius quam insignis calor putridus cor ipsum corripiat: quare in motu quodammodo naturaliter se habet: non tamen validus neque magnus, quidquid dicant Altimarus & alii, impossibile quippe ut à vincente veneno, corde affecto, vitalium virium non sequatur debilitas: quinimo & nonnunquam subitus casus. Et licet pulsus citra omnem ordinis perturbationem, æqualis servetur, hoc signum est, non putre-

putredinis, sed potius veneficæ qualitatis in corde existentis; cujus effectus causa proditur à Galeno, quod sit nimirum repugnantia temperamentorum in ipso corde, dum in eodem calido continetur materia venefica frigida: ita enim in statu medio servatur, in quo pulsus quoque ad tempus in æquilibrio conservantur. Sic & urina à naturalibus parum distat: quoniam venenum magis urget quam putredo; & ideo hujus febris principio, perterrefacta quodammodo natura, neque pugnam contra causam morbificam aggredi tentat.

Quod autem febris hæc putrida sit, ac proinde à putridis humoribus pendeat, non est quod dubitemus, & quidem biliosis perpetuò, ex Hippocr. in casu tamen nostro, crudioribus commistis, quorum generatio haud difficilis fuit in nostro Patiente, calido & humido, ventri gulæque dedito, valdeque negotiis implicito. Et quoniam hujusmodi cruditates, ex alimentis non modo copiosis, sed etiam pravi succi in venis congestæ fuere, ideo malignam, imo veneficam qualitatem tractu temporis contraxerunt; quæ tandem, levi etiam putredinis occasione commotæ, hanc febrem malignissimam produxerunt, modo à Galeno descripto, dicente, Ab omnibus pravi succi eduliis censeo abstinendum, etiamsi ea quibusdam concoctu sint facilia: nobis enim non advertentibus, pravus succus ex ipsis, post, longum tempus, in venis colligitur, qui postea exiguam ad putrescendum nactus occasionem, febres malignas accendit. Venefica autem hujusmodi qualitas, spirituum vitalium generationem inhibere, & genitos per halitum digerere ac resolvere potuit, unde lassitudines, quæ neque tensivæ, neque ulcerosæ, neque phlegmonosæ, sed ex laxata atque debilitata facultate provenientes, malignam hanc febrem prænunciabant, mox præterea humoribus & partibus solidis colliquationem inducens, fluxum colliquativum, febris comitem excitavit.

De febris hujus eventu nihil certi pronunciari potest, nos enim latet efficacia veneni atque proprietas, in qua occulta fallacia, cum una rarò aut nunquam alteri assimiletur, ita ut possit observatio per similia de hac judicium facere. Illud tamen, cum Gal. & Hipp. statuere possumus, quod Malignæ febres, periculum minantes spem tamen salutis non adimunt, malignissimæ vero perniciosæ atque lethales sunt, in quibus simul cum metu, nulla spes salutis superest. Talis autem est præsens, in qua venenum magis quam putredo negotium facessit, quod malignissimum est, vincente namq; veneno, brevi tempore subitus sequitur virium casus, & ideo, nec à pulsibus, neque ab urinis, de salute aut futura morte Patientis quicquam certi prædici potest, quod vitæ periculum Patienti auget, unde febrem hanc omnium gravissimam Medicinæ Principes appellarunt.

Statim itaque & attentius est instituenda curatio, in qua omnium potissimùm venenata qualitas inspicienda, secundo proinde, Vires; tertio febris ipsa; quarto, ipsius causa, & tandem symptomata præsentia & supervenientia. Sicque primo indicantur varia alexipharmaca. Secundo, alimenta optimi & celeris nutrimenti. Tertio, alterantia, quantum sufficit. Quarto, causam præparantia & evacuantia. Et tandem symptomatibus, tum concomitantibus, tum emergentibus occurrentia, atque ita refrigerantia, exsiccantia, necnon cogentia, ratione colliquationis.

Quibus intentionibus satisfacere nullo modo potest sanguinis missio, per quam tolli non potest venefica qualitas, præterquam quod vires eandem non permittunt, & colliquatio prohiberet: cum non ex colliquante calore, sed ab insigni venefica corruptela atque putredine proveniat. Et licet Gal. in Asia pestilenti febre correptus, sibimetipsi libras sanguinis, scarificationibus detraxerit, quæ a toto evacuant, ut asserebat quoque Apollonius apud Oribasium, & Antyllus, facilè forsan tunc urgebat febrilis calor, vires valentiores erant, nec aderat prohibens. Phœnigmi quatuor, brachiis & coxis adhibiti, ad venenatos humores à corde evocandos, conferre quinetiam poterunt quam maxime.

A Pharmaceutico fonte, ordine executivo, desumenda evacuantia, præparantia, alterantia, alexipharmaca, & symptomatibus occurrentia. Evacuantia possunt esse, injecta, & assumpta. Clyster itaque statim infundi potest, ex decoctione malv. mercurialis, parietariæ, betæ, hordei, cum syr. ros. solut. oleo, sale, & ovi vitello. Leniens posset esse syr. ros. solut. cum crem. tart. & aqua flor. citri. Verum, ratione colliquationis, flos cass. cum pulp. tamarind. & pauco pulv. scordii, ad rem magis usurpari poterit, cui superbibatur aquæ Nocerianæ quantitas. Interim ni progressu repeti quoque poterit pulpa tamarind. ut quæ nonnihil evacuare, & magnum ad colliquationem momentum habere possit. Præparantia parentur potius ex succis, quam saccharata aut mellita, sic succus depur. acet. acidi citri, in decoct. cich. borrag. end. acet. card. sanct. scabiosæ, tormentillæ, pentaph. locum habebunt, vel si calor febrilis invalescat, paretur præparans ex aquis stillat. de succo acet. & scorzon. aut totius citri, quibus addatur succus citri, vel lim. aut spirit. vitr. ut cogantur humores, & ad urinæ vias divertantur

Alexipharmaca, malignam occultam, atque veneficam qualitatem oppugnantia, varia ac multiplicia simul exhibenda, cum interna, tum externa. Interna duplicis ordinis esse possunt, vel simpliciter veneficæ qualitati adversantia, vel diaphoretica. Hæc rursus omnia, magis putredini, vel veneno potissimum opposita, Putredini magis resistentia, sunt refrigerantia & exsiccantia substyptica. Veneno vero adversantia, sunt etiam calida, calori vitali nativo amica: occulta enim qualitate agunt adversus venenum facultatem vitalem uniendo ac roborando, & spirituum substantiam fovendo. Hæc autem recte in nostro casu usurpanda sunt, confectio scil. Alchermes, pulvis radicis contrayervæ, confectio lætificans. Rhasis. vel elect. de gemmis Mes. julap. gemmarum, potissimum M. Duc. Extr. & tandem magnæ, antidoti, præcipuè vero theriaca mediæ ætatis, cujus insignis est prærogativa, ut quæ ex pulveribus alexipharmacis sit composiva, omnia, cum aliquo vehiculo aquarum cord.

exhi-

exhibenda, qualis aqua card. ſancti, tot. citr. ſcorzon. de ſucco rutæ caprariæ, & omnium maximè cord. Exc. Sax.

Quod ſi febris progreſſu natura ad cutem vergat, alexipharmacis diaphoreticis tunc erit locus, cùm enim veneni quantitas exigua eſſe ſolet, ſolo ſudore unius diei febres malignas non ſemel reſolutas vidimus, tuncque ſpirit. vitr. Corn. cer. philoſ. Lapis Bezaar. uterq; in aqua ſcorzon. card. ſanct. cord. Sax. copioſè exhibita, primas tenent. Pariter lapis hyſtricis, infuſus in aquis cord. mirabilis obſervatur ad ſudores ciendos, & veneficos humores vincendos atque expellendos. Egregium quoque alexipharmacum diaphoreticum, eſt extractum contrayervæ. Quæ tamen diaphoretica omnia, non adeo indiſtinctè, neque in principio malignæ febris ſunt præbenda, niſi diminutis humoribus, & nonnisi natura ad cutem movente.

Extrinſecùs quoque, cordi linimenta & fomenta admoveri debent. Fomentum quidem hujuſmodi.

℞. Aq. meliſſæ, bugloſſi, card. ſanct. an. lib. i. è floribus citri, roſ. an. lib. ſ. aceti roſ. unc. iii. ſucc. citri unc. ii. ſpecier. cord. temper. drach. iii. m. pro epith. cordis, quo amoto fiat illitus talis.

℞. Ol. de ſcorp. Matthioli drach. ii. Theriacæ antiquæ drach. i. zibethi, benjuini an. drach. ſ. aceti roſ. q. ſ. m. diſſolvantur, & ſummo digito intincto cor illinatur.

Symptomatibus quarto loco occurrendum. Et quoniam omnia ad unicam ſyntexin, ſive colliquationem rediguntur, ideo huic incumbendum, non quidem frigida potione, quam propinabant Aet. Paul. & Orib. adverſus calorem colliquantem, ſed potius remediis cogentibus, denſantibus, ſubſtyptica facultate præditis, qualis erit terra ſigillata vera, ad ſcrup. i. iiſ. & bolus armena, pulvis item ſmaragdi, ad gr. x. ut xii. omnia in aqua plantag. & ſucco cydon. exibenda. Et urgente neceſſitate, ad opiata gradatim erit aſcendendum, & primò quidem ad ſyr. de papav. inde ad laudanum nepenthes, & tandem ad Theriacam recentem, cum margaritis reformatam.

Vires tandem omni induſtria atque arte conſervandæ, obſervando, cum Gal. quod dum vires laborantis debiles fiunt, cum inſigni corruptione, parum & ſæpe cibus ſit offerendus, iſque facilis coctionis ac diſtributionis, exiguique excrementi, ut ova recentia, inſtaurans pulli, cum ſacculo cordialibus repleto paratum, condiantur cibi acido citri & lim. Vinum in principio interdicatur, ob humorum cruditatem, quod in progreſſu conceditur, eſt enim eximium cordiale, ſpiritus vivificans & refocillans, vires inſtaurans, & putredini reſiſtens, interim pro potu conſueto utatur aqua ſtillat. borrag. & acet. cui addatur quoque portio ſcorzon. vel aqua ſecuda cord. Excell. Sax. Hæcque, pro curatione hujus febris, dicta ſatis. *Idem ibidem.*

Maligna Febris Superante Humido.

Iuvenis Nobilis, 30. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & humidi, plethorici & pinguis habitus, ad obeſitatem pendentis, otioſam vitam in quodam ſuo ſeceſſu, alicujus quidem emolumenti, ſed paludoſo degens: crapulis & compotationibus deditus, hoc ineunte Autumno, cum extemporaneis flantibus ventis frigidis, totus ambiens frigidior conſueto factus eſſet, levioribus verò ipſe æſtivis veſtibus indueretur, vehementer refrigeratus, gravibus adeo doloribus totius corporis poſtridie correptus eſt, ut neque ſtare neque decumbere poſſet, ſequentique die, heſterna ſcil. matutinis horis, intensè febricitare cepit, ac propterea adventante nocte, acceſſitus Medicus, Patientem invenit febre, ſemper æqualiter affligente correptum, & conquerentem de totius corporis dolore gravativo, ac de abſoluta impotentia ad motum, cum pulſu ſatis magno ſed languido & valde inæquali: urina ſemper rubra, craſſa & confuſa: cum fœtidiſſimo halitu ac expiratione, & externarum partium tepore. Modo in principio ſecundæ diei, nos de agendis conſulit.

Synochos ne, an potius maligna febris hæc appellari debeat, dubitari poſſet cum Fernelio, qui malignitatem febribus, etiam ſine putredine, accidere poſſe falsò credidit, atque ex anthrace, ſive punctura venenatorum animalium, febres, vel ſine putredine excitari à ſolo veneno exiſtimavit, non animadvertens forſan putredinem ſequi puncturam, illam vero, febrem. Ideo ſynochum putridam, verum malignam, hanc nominare ſatius fuerit. Synochum quidem: quia, ſicut hæc neque in frigida ætate, neque frigido temperamento fieri ſolet, ita præſens, in juvene temperamenti calidi & humidi, habituſque plethorici ſe prodit, quæ ſemper æqualiter affligit, horiſque mututinis invaſit, cum præludio laſſitudinis totius corporis phlegmonoſæ, perſeverans cum pulſu magno & valde inæquali, inſignis putredinis indicio, urinaque rubra atque craſſa. Verum malignam, & quidem magis magiſque futuram, etiam hujus principio depræhendimus, primò ex pulſu, qui cū alioquin magnus & vehemens eſſe debuiſſet, languidus tamen obſervatur, mox ex urina, quæ modò valdè confuſa, turbidam omnino atque ſubjugalem minatur, præterea ex halitu fœtido, quem exſpirat ipſe Patiens, excellentis putredinis indicio, ad quam jam pronus fuit, utpotè plethoricus, licet imperfectè, & ad obeſitatem potius proclivis, quibus accedit externarum partium, ſi non frigiditas, ſaltem tepiditas, inter maligna ſigna à Galen. cum Hippocr at. recenſita.

Cauſa autem potiſſima & immediata hujus febris, fuit improbi ſanguinis copia, ab alimentis copioſis, vel potius à conſuetis crapulis, merique compotationibus congeſta, accedente potiſſimum vita otioſa: ſicut enim, non impleri cibis, & impigrum eſſe ad labores, tanquam ſanitatis fundamenta ab Hipp. ſtatuuntur; ita ægritudinum, otium, & repletio, non parum quinetiam adminiculante in paludoſo cœlo habitatione, cum ſpiritus, animæ & omnium ſuperationum inſtrumentum, ex aere & tenuiſſimi ſanguinis portione perficiatur atque conſtet. Copioſa itaque impuri ſanguinis ſarcina in venis, tractu temporis, prava vivendi ratione coacervata, nec ab exercitiis, aut ullo alio modo purificata aut diminuta, tandem ex obſtructione univerſali cutanea, ab ambiente frigido.

& im-

& impedita diaphoresi, excrementis insensibiliter digerendis, intra corpus hærentibus: & cessante consueta atque necessaria totius corporis transpiratione, internus calor intensior & præter naturam redditus, putredinem in venis omnibus, vel communibus & maximis, ac plurimo calore abundantibus excitavit, à qua æqualis elevatur sanguinis putrescentis evaporatio in cor & totum corpus, sicque febris synochus, eaque homotona accensa est. Verum quoniam humiditas excrementitia in venoso genere redundat, quæ à tepido, & languido naturali calore moderari minime potest, ideo, calore febrili atque præter naturali dominatione, sequitur ejusdem corruptio ac putrefactio, cujus finis est fœtor, sive fœtida materia, in præsenti casu manifesta, sicut finis corruptionis nonnunquam est ipse cinis, dum ab excedenti calore fit exustio, & humiditatis consumptio, quarum corruptionem egregie meminit ipse quinetiam Arist.

Febris hæc periculi plena est, quia in hoc ejusdem principio, ab insigni putredine pendere, cum malignitate, ostendunt urinæ, quæ meiuntur turbidæ, eædemque permanent, vigentem in humoribus perturbationem significantes, præterea summa lassitudo phlegmonosa, copiam humorum naturam opprimentium ostendit, prout pariter pulsus languidus, valdeque inæqualis, insignem non modo, sed excellentem putredinem denotat, quam halitus fœtens confirmat, futuri in febribus, imo & propinqui obitus præsagium, ut observabat Amatus. Et si in principio, quo omnia, cum Hipp. imbecilliora esse solent, eadem adeo prava conspiciuntur ac considerantur, quid in augmento & progressu ominandum erit atque expectandum?

Nulla itaque interposita mora, cura est aggredienda. Primo, humores, extra & intra venas redundantes diminuendo. Secundo, febrilem & præternaturalem calorem, quantum satis, contemperando. Tertio, ulteriorem putredinem inhibendo, & veneficam qualitatem oppugnando. Quarto, symptomatibus occurendo. Quintò, vires cordis & totius conservando.

Humorum minoratio, medicamento, & sanguinis missione obtineri potest, & quoniam, ubi medicamento, juxtà & sanguinis missione egemus, sanguinis missio præferenda est, ideo primò consideranda venit: de cujus indicante dubitari non potest, cum corpus plethoricum sit, venæque copioso, necnon vitioso sanguine sint repletæ, unde lassitudo phlegmonosa & gravativa procedit. Negotium tamen facessere videtur permittens, cum pulsus, licet magnus, vehemens tamen non sit, ut esse deberet, attamen, si consideremus quod sine sanguinis diminutione, dubio procul putredo semper intensior atque excellentior futura sit, cum malignitatis proinde majori semper gradus incremento, atque Patientis certo exitio: sanguinis missionem omnino admitti debere determinamus, Quam dubitationem consideravit & ipse Gal. dum dicebat. Intemperantes, vinosos, ventri gulæque deditos, nec sanguinis missione, nec medicamentis magnopere adjuveris: etenim per vitæ intemperantiam, copiam vitiosorum humorum ocyssime colligunt, quibus nec manum admovere quidem esset tentandum. Quibus verbis nobis insinuat, quã periculosa sit medicatio in magno & pravo humorum apparatu, cum tamen periculosissima evadat, & lethalis auxiliorum prætermissio.

Injecto itaque clystere, statim ex jecoraria dextra sanguis educatur, non tamen copiosè, minusque usque ad animi deliquium, ut in hujusmodi febre, verum non maligna, educere solebat Gal. in duobus illis Iuvenibus, sed moderatè, Medico presente, & pulsum tangente: ita enim totam massam sanguineam ventilando, ejusdem quoque ulterior putredo inhiberi poterit, & natura sublevata à sarcina, qua premebatur, quod reliquum erit facilius, si non educere, saltem concoquere, & superare valebit.

In progressu autem ejusdem febris, at constantibus viribus, vel saltem multum non deficientibus, repeti poterit ex venis sedalibus sanguinis diminutio, cum venæ externæ hæmorrhoidales, ut constat, à toto evacuent, quod admisit quoque Gal.

Nec ab hac sanguinis missione deterrere valebunt maculæ, seu peticulæ, quæ facile in cute efflorescere poterunt, sanguinis corruptionem & liquationem significantes, quoniam motus ille, ut symptomaticus, ac proinde ut signum, non ut causa considerari debet, quia decernentia in melius non statim apparent, ut nos monuit Hipp. Poterunt tamen tunc temporis applicari cucurbitulæ universo corpori, ac etiam dorso, cucurbitulæ enim, non ad profunda, sed à profundis semper ad extimas partes trahere solent, idque non peticularum, sivè exanthematum ratione; sed ut sensibilior per sudorem proliciatur & procuretur evacuatio.

Phœnigmi quoque, in hac insigni humorum putredine, cor occupante, locum habent, utpote qui à toto venoso genere vapores & humores putridos, nec non ab eodem corde divertere possunt, Frictiones interim asperas non omittendo, manibus suffumigio ex decoctione malvæ & chamæmeli elevato, perfusis, oleorum enim usus, utpotè obstruens, non adeo nobis arridere potest.

Educto sanguine, excrementa primarum viarum, per alvum sunt excernenda, syr. ros. solut. ad unc. vi. addita portione crem. tart. tenuissimè pulveriz. vel unc. ſ. elect. lenit. Vel bolo ex cass. cum lenit. & tart. addito scrup. i. pulv. cordii, qui in progressu febris, erit semper cassiæ immiscendus, & tertio quoque die clysteres, cum melle ros. sol. in decoct. malvæ, mercurialis, hordei, betæ & parietariæ injiciendi.

Interim præparandi humores copioso julapio acet. bis saltem per diem exhibendo, nimirum ad unc. iiiſ. vel unc. iv. cui nonnunquam addi poterit crem. tart. tenuissimè pulveriz.

Neque caloris febrilis remissio negligenda, sed pro usu administranda, ne summè refrigerantibus adhibitis, in tanta humorum exuperantia calor nativus obruatur, diminuatur, sicque putredo adaugeatur. Eligantur autem in casu nostro, potius aquæ stillatitiæ quam serum, utpote, quæ magis putredini resistere valeant ut.

♃. A-

℞. Aquar. de succo acet. ℔ j. scorzon. ℥ iij. syrup. de acido citri, de succo lim. an. ℥ j. m. pro potu, & in vigore febris, qui etiam in synochis, certis horis observari solet, propinandæ. Quod si natura ad cutem vergat, addantur quoque spiritus vitr. gutt. v. Tribus vero transactis horis, exhibeatur sorbitio hæc.

℞. Decoctio cichor. borrag. endiviæ, acet. rutæ caprariæ, card. sancti, pentaphylli, calendulæ, dictamni cretici, ℥ vii. cui præmittatur julap. acet. ad ℥ iv. ut supra, quod secunda vice præberi poterit matutino tempore, duabus, aut tribus horis ante prandium.

Ulterior putredo inhibetur refrigerantibus & exsiccantibus substypticis. Hæc autem sint tenuis substantiæ, ut acida, succus citri, lim. acetum, & hujusmodi alia, non autem crassioris, ut pontica & austera, sorba, corna, & alia hujusmodi Ita quoque pulveres frigidi & sicci, hujus sint conditionis ut in farinam teri possint, & bene cum liquidis commisceri, cæteri namque obstructiones pariunt, vel in intestinis remanent. Quod cum intellexerit egregius Vir Hieronymus Rizzetus, Pharmacopola Venetiis, ad signum S. Margaretæ, & peritissimus Chymicus, Conf. hyacinth. cæterasque, cum magist. perlarum, & fragmentorum pretiosorum componere cepit, cujus exemplum ut omnes sequantur, in publicæ utilitatis gratiam, hortamur. Quare succi poterunt decoctioni jam dictæ immisceri, ut succus citri, lim. acetæ, cyani majoris & minoris. Pulvis vero statim ab initio parari poterit.

℞, Corn. cer. philos. margar. præp. boli Arm. Orient. ana drachm. j. m. dividatur pro tribus vicibus, & exhibeatur cum aquis ita paratis.

℞. Aqua rorius citr. sc orz. de succo rutæ caprariæ ana ℥ ij. m. & cum pulvere exhibeatur ante cibum. At si natura ad cutem vergat, addatur quoque lapis bezoar. Orient. vel infusio in aquis cordialibus scorzoneræ, & præclariss. Sax. lapidis hystricis, tuncque, non sub cibum, sed tribus vel quatuor horis ante, pulvis præbeatur. Quæ omnia non unico die, sed quotidie, pro oportunitate sunt repetenda, sicut composita quoque aliqua, & potissimum confectio Alchermes in usum duci poterunt, prout. urgente putredine, & venefica qualitate. Theriaca quoque mediæ ætatis, à Medicis celeberrimis exhibetur: indicatur enim à maligna febre, quoniam attenuando aperit, & exsiccando superfluas humiditates, putredinem delet, & facultatem à proprietate roborando, veneno occurrit. Verum debet adesse permittens, & abesse prohibens. Permitens autem est virium robur, sicut prohibens, est puerilis & senilis ætas, cum enim Thariaca, & theriacalia omnia, ex Gal. mediam quandam habeant naturam inter corpus humanum & venenum, ideo proprietatem quoque habent humano corpus contrariam, quam superante non valent pueri, senes, & viribus imbecilles. Cautè itaque semper exhibenda Theriaca, nec adeo facile pueris & senibus, prout facili negotio ægris, etiam brevi morituris, à multis exhiberi solet, tunc enim vitalis facultas languida, ab activitate theriacæ extinguitur, eadem ratione qua exigua flamma à magna.

Extrinsecus quoque, fomenta & illitus regioni cordis sunt administranda. Fomentum ita parari poterit.

℞. Aquarum melissæ ℔ ij. è floribus cit. vini albi odoriferi, aquæ rosar. an. ℔ ß. succi cit. aut limon. ℥ iij. aceti ros. ℥ i ß. Troch. de gallia moschata ℈ j. specier. cord. temp. ℥ ß. m. pro epith. cordis. Illitus autem hic erit.

℞. Theriacæ antiquæ drach. j. ol. de scorp. Matth. drach. f. zibethi, benjuini an. ℈ j. ung. ros. Mes. ℥ j. succi citri, aceti ros. an. q. s. m. ret. linim.

Symptomatibus quoque, tum concomitantibus, tum supervenientibus occurrendum. Et quoniam hucusque alia non observantur symptomata, præter totius corporis lassitudinem & colliquationem, adeo & his succurrendum, non solum frictionibus jam dictis, verum etiam asperioribus, nec tantum linteis asperis, verum & manibus vino malvatico madefactis, in quo sal & nitrum dissoluta fuerint, colliquationi vero cordialibus, addendo veram atque legitimam terram sigillatam, sicut & bol. armen. orient. Aliis autem quæ supervenire poterunt, diligenter erit attendendum.

De viribus cordis conservandis satis jam dictum fuit. Vires autem totius alimentis erunt sustinendæ, quæ celeriter, facilè & optime nutriant, parumque excrementi contineant, erunt autem ptisana hordeacea diluta, panatellæ dilutæ, emulsione sem. mel. conditæ, pulli instaurans, atque junioris contusum, ova recentia, succo citri, lim. vel etiam aceto diluta, in quibus parandis globulus, pulveribus cordialibus repletus, commisceri poterit. Ita & in contuso pulli extrahendo, aspergatur aqua ros. flor. cit. cum succo citri, aut lim. Parum autem & sæpe cibus est offerendus, cum vires debiles sint, & humores insignem putredinem, imo malignitatem concipiant. Ideo in hunc finem dicebat Hipp. Et quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora offerre oporteat, considerandum esse, habita quoque consuetudinis ratione. Cum noster Patiens assiduis crapulis & compotationibus debitus, Vinum, in duobus tantum casibus nostro Patienti concedi poterit, apparentibus scilicet signis coctionis, non autem in hac præsenti summa cruditate. Secundus casus erit, in extremo virium lapsu, vires enim inter omnes indicationes primum locum tenent. Et hæc satis pro casu patienti. *Idem ibidem.*

Febris Maligna Superante Sicco.

Nobilis Juvenis, 30. annum agens temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus, hirsutus, laboribus, & exercitiis quam maximè deditus, venationibus potissimum, pilæ ludo & remigationibus delectatus, in victus ratione præterea, meracioribus potibus, itemque aromatibus, pro conditura ciborum, usus, præteritis annis tertianis febribus frequenter correptus, tandem modo, hoc autumnali tempore, acuta febre detinetur, quæ eum inæqualibus horripilationibus nudius tertius, circa meridiem invasit, parum, aut nihil, hesterna die remissa, ut Medicus domesticus observavit, noctes omnino insomnes transegit, circa capu

& pectus parum sudavit, hodie vero, horis matutinis rursus exacerbata est, at sine ullo horrore aut frigore, cum vomitu porraceo, molestissimo capitis dolore, necnon præcordiorum, & potissimum circa ventriculum insigni æstu atque corporis jactatione. Pulsus sunt celeres atque frequentes, valdeque inæquales, nec adeo constantes, urinæ copiosæ, tenues, nec valdè coloratæ, alvus hodie turbata est, & sponte reddidit excrementa cruda, & sincere biliosa, dum interim Patiens ipse, & domestici assistentes, leniens medicamentum, à Viro Excellent. præscriptum hesterna die, recusarunt, clystere solo contenti. Modò accersiti, de agendis pro salute ita consulimus.

Acuta non solum, verum & aliquo modo maligna habenda febris hæc, ut mos ipsius invadendi nobis demonstrat, sævit enim intensè, & atrocior statim ab initio, in qua quidem, & qualitas, & substantia, & quantitas spirituum, humorum, atque continentium labefactantur, & quodammodo resolvuntur vires, ut ægrè resistat Patiens, unde deleteriam aliquam, ac malignam qualitatem ad ægri perniciem atque labores concurrere censendum est, cum enim ex Hippoc. principia & fines omnia sint imbecilliora, nec nisi vi adaucti morbi adaugeantur symptomata, si intra principii limites statim appareant sæviora, signum est præsentis causæ vehementissimæ, & aliquo pacto veneficæ. Unde rectè quidem Hipp. dicebat, quod Simplicissimæ febres, ac signis firmatæ securissimis, quartò die, aut citius desinunt, deterrimæ vero, uc signis affligentes difficillimis, quartò die, aut citius interimunt. Per deterrimas autem, malignas intellexisse, subdit Gal. Præterea idemmet Hipp. scripsit, quod febres cum comate, labore, lucis turbulentia, vigiliis, & sudoribus, malignæ sunt, maligna namque symptomata, statim in principio apparentis, arguunt contractam antea malignitatem: vel ex malo & multiplici humorum apparatu, vel ex prava humorum corruptione, vel ex maligna humorum combustione, quæ subitaneum effectum producant. Quod quidem suspicari possumus in Nob. Juvene, in quo humores quidem biliosi, ab ejusdem jecoris & totius temperamento producti fuerunt, unde præteritæ febres tertianæ, quæ facilius contingebant, cùm corpora calida & sicca, ex Gal. ad febres valdè disposita sint, licet ab ipso Avic. diversus sit. Verum hi tandem, tum ab ætate, tum à nimiis exercitiis, tum & à meraci vini atque aromatum usu, exustionem contraxerunt; pravamque naturam induerunt, qui modo in venis majoribus putrescentes, præsentem hanc febrem biliosam, acutam atque essentialem continuam, pravis symptomatibus comitatum, ideoque malignam produxerunt. Quis enim unquam in bene morata febre, statim ab initio, vigilias, porraceos vomitus, dejectiones crudas sincere biliosas, capitis dolores præcordiorum æstum insignem corporis jactationem, & exiguos sudores in capite observavit? Etenim, primò cum vigiliis. Adolescentulus in mendacium foro decumbens, non dormivit, & septima obiit. Sic mulier apud Pentimedem, non dormivit, delitavit, & obiit, Ita Silenus, nec prima, neque tertia, nec postea dormivit, & [illegible] obiit. Cum vomitu sincero, & bilioso, Mulier in mendacium foro decumbens, & Partus in Thaso, post quam octava die, nedum in principio, biliosa, deinde nigra evomuerunt, ambo perierunt. Ita Philistes vomuit primo biliosa, inde flava & virulenta, & obiit. Cum capitis dolore, Sileno statim cepit dolere caput XI. obiit, ita & Philistæ caput diu dolebat, etiam ante morbum. Sic præcordiorum, & potissimum ventriculi æstus, nou solum ingentem in venis majoribus calorem, verum & in venis ipsius ventrieuli, flavam bilem ebullitionem significat, quibus consequitur corporis jactatio, quæ contigit quoque Calvo in Larissa, quarta die defuncto. Sed sudores quoque, quantitate, & tempore peccantes, Deficientes enim semper mali: unde Hippocr. observabat: in illa pestilenti constitutione, quod sudabant quidem, sed non toto corpore. Ita Sileno caput parum sudavit. Sic Pythion in Thaso, secunda die circa caput modicum sudavit, & ambo mortui sunt. Tempore vero: in principio enim, ante signa coctionis fiunt, decernentia vero in melius non statim apparent.

Febris autem essentialem vehementiam, cùm pravis symptomatibus concomitantibus, ab humoribus, non solum impensè biliosis, sed vehementer exustis atque ferinis provenisse certo credendum, humor enim exustus quandoque talem acquirit pravam & deleteriam naturam, statim veneficos effectus & indicia de se probat. Sic Galen. excrementa mera, maligna appellabat, qualia in vomitu porraceo, & dejectionibus crudis ac sincere biliosis, in nostro Patienre observata fuere, unde Phreneticus ab Hipp. descriptus, primo quo decubuit dies virulenta vomuit, de quo Gal. ait, in hac Phrenitide, vitiosus humor in corpore coacervatus fuit, veneno lethali assimilis, à quo lethale repetente apparuit symptoma, Quare, nec nobis mirari subit, si hujusmodi, aut similibus, in casu nostro præsentibus humoribus, febris vehementiæ, symptomata quoque jam dicta vehementia accedant, sicque ab ingenti calore, primo urinæ copiosæ, sed crudæ, ex quadam colliquatione appareant, pulsus celeres, frequentes, valdeque inæquales, nec adeò constantes, cùm ab eodem calore spiritus & vires resolvantur.

Febris hæc, cum in malignis habeatur, spem tamen salutis omninò non adimit, mediam n. naturam inter salubrem & omnino lethalem servat, namque qui dicit malignam, non infecit necessario mortiferam, nihilominus humorum adusterum apparatus, statim apparens, auctus proculdubio ab igneo calore febrili, eminens & imminens periculum minatur, ne ob exustionis excessum, humores ad concoctionem inepti reddantur, absolutam cruditatem acquirant, sicque in urinis, ac reliquis excrementis, signa coctioni contraria insurgant, & ægri salus omnino deplorata evadat. Interim juremerito de aliqua superveniente inflammatione dubitari potest, sanguine à calorefuso, & acrimonia naturæ molesto, ad aliquam internam imbecilliorem partem ab eadem detruso.

Agenda igitur statim à nobis expensa, recto ordine executioni mandanda. Primo, febrem respiciendo. Secundo, causam. Tertio, symptomata

mata præsentia, & emergentia. Quarto, pravam & malignam humorum qualitatem. Ultimo vires.

Primus scopus respicit febrem, nisi enim febrilis calor remittatur, humores & sanguinem ipsum torrefacit, bilem producit, vires labefactat, atque resolvit, & coctiones impedit.

Secundus causam petit, nimirum humores putridos, quorum antecedentes statim sunt minorandi, conjuncti præparandi, sicque ad concoctionem disponendi.

Tertius oppugnat symptomata, tum concomitantia, tum emergentia. Concomitantia, vigilias scilicet, capitis dolores, ventriculi & præcordiorum angores, emergentia, deliria imminentia, & viscerum inflammationes.

Quartus spectat pravam, & veneficam humorum qualitatem, quæ quidem, ut nobis incognita, varia ac diversa alexipharmaca postulat, temperata tamen, utpotè ab immoderato calore procedens.

Ultimus, viribus totius & cordis dicatus, cordialibus & alimentis, instaurandis.

Quibus intensionibus ut satisfiat, ordo executivus hìc esse poterit, ut nocte proximè sequenti præbeatur, cassia, cum crem. tart. cui hora transacta, superbibat Patiens ser. capr. aut asinin. depur. ad ℔. Nec obstat turbata alvus, nec Gal. auctoritas, quod si febris fuerit cum profluvio alvi, nulla sit opus evacuatione, eo quippe loco locutus est Gal. de alvi profluvio critico cum signis coctionis, quod licet non fuerit pro multitudinis modo, stante tamen coctione, spes esse potest, summa cum ratione, fore ut sit sufficiens, utpote ab ipsa natura sponte procedens, cum in casu nostro longe alia sit ratio, quod non à dominante, sed ab irritata natura alvus profluat.

Crastina vero die, vespertinis horis, nonnihil scilicet remissa febre, & secuta convenienti evacuatione, alvoque subsistente, aliqua, sed parca sanguinis missio locum habere poterit, ex brachio, ad venosi generis calorem ventilandum & remittendum, necnon ad imminentem aliquam viscerum inflammationem præcavendam: quæ sanguinis eductio, nisi statim usurpetur, antequam vires deficiant, & humorum adustio atque putredo adaugeatur, tardè facta, juxta ac omissa, æquale vitæ periculum inducere posset, omittenda tamen, aut differenda, si sinceræ bilis vomitus perseveraret, supervenientibus quibusdam ventriculi morsibus. Interim observandum, si vigiliæ, capitisque dolores persistant, ut duo phœnigmi coxis, si fuerit opus, apponantur, & præterea oxyrrhodinum suturæ coronali applicetur, ex ol. rosac. nenuph. succo lactucæ, & citri paratum. Inunctiones præterea refrigerantes toti abdomini, ex ung. rosl. Mes. erunt adhibendæ.

Alterantia principem in hac febre locum habent, & nisi adeo crudi forent humores, corpus adeo gracile, tempus autumnale, de frigidæ potione cogitandum esset, quam libenter in hujusmodi febre, post quartam diem propinabat Celsus. Cum autem desint conditiones ejus usum permittentes, ideo eidem alia refrigerantia substituenda, quæ calorem febrilem quidem remittere, at nativum non obruere, nec humores peccantes crudiores reddere valeant. Erunt autem ser. capr. aut asin. depur. ad ℔ ij. cum ℥ ij. julap. viol. aut rosac. Quod si diarrhœa, non critica quidam, sed nec symptomatica perseveraret, adeo ut neque cohiberi, neque solicitari postularet, eligi poterunt aq. still.

Ut ℞. Aq. de succo acet. ℔ ij. aq. scorzon. ℥ iij. succi citri, lim. an. ℥ j. m. pro pot. in vigore feb. propinanda, sicut pro sorbitione tribus post horis ab assumpta potione, præbenda decoctio cich. borrag. end. acet. sonci, scabiosæ, melissæ, aut rutæ capr. cum succo acet. depur. vel cum sale acet. quam sorbitionem cibus subsequi debet, aliis quatuor post horis. In progressu vero, remisso nonnihil calore, loco succi acet. julap. acet. decoctioni jam dictæ addi poterit, utpote quod bilem in pituitam, & pituitam in bilem vertat, cum Avic. præterquam quod exustos humores fermentare, atque attollere, sicque ad evacuationem eosdem præparare valeat. Qui ordo procedendi nobis ab Hipp. præscribitur, cum Gal. Et ita excluditur abusus juris, sem. cit. alterati, qui in principio, aut febris augmento passim offerri solet, cujus usu anxietas, ab æstu, & caloris febrilis concentratio Patienti misero prorogantur, sicut abusus quoque, & perversus ordo exhibendi sorbitionem ante potionem omnino rejiciendus.

Symptomata, quibus occurrendum in præsens, sunt vigiliæ & dolor capitis, quæ nisi ab evacuantibus, alterantibus, revellentibus, atque topicis remissa fuerint, ad opiata leviora erit progrediendum, idque tuto quia calidi peccant humores atque vapores. Præbeatur itaque, vel syr. de papav. ad ℥ j. ß. vel laudan. nepenth. à gr. 1. ad gr. 2. summum, quo & aqua rosacea dissoluto, nares & tempora illini poterunt. Imminentia verò, quæ præcaveri possunt, inflammationes internæ sunt, quibus alterantibus, divertentibus, ac revellentibus prospectuum abunde fuerit.

Ideo consideranda alexipharmaca propria malignitatis, ab intenso calore productæ, quæ in humorum exustione consistit, quælibet enim qualitas, nedum sola caliditas, ubi ad plures gradus adaucta fuerit, sapit naturam veneni. Hæc autem, qualitatibus manifestis, vel frigida, vel saltem temperata esse debent, ne exustionem adaugeant. Prærogativam inter hæc solent habere margaritæ præparatæ: sic magist. perlarum: pulvis ossis de corde Cervi: pulvis cornu Rhinoc. sic & corn. cer. philosoph. uterque lapis Bezoar. opportunè exhibitus: Crystallus quoque præpar. & pulveriz. julap. perlatum M. D. omnia quidem in aq. tot. citri, scorzon. addita quoque portione cord. Excellentiss. Saxon.

Extrinsecus cordi linimenta, atque epithemata. Epith. ita.

℞. Aq. viol. ℔ j. rosar. melissæ an. ℔ ß. c flor. citri ℥ iij. succi lim. ℥ ij. diamarg. frig. drach. j. camph. gr. v. m. pro epith. cord. Linim. vero.

℞. Ung. ros. Mes. ℥ ij. specier. cord. temper. drach. ij. diamarg. frig. elixir vitæ an. drach. j. succi cit. & lim. an. q. s. m. pro illitu cord. post epith. adhibendo.

Vires tandem sunt diligenter custodiendæ, observando, quod sicut corpus cacochymum à

multo cibo, ita ab exiguo valdè læditur. Quare parum & sæpe Patiens iste erit nutriendus, parum quidem, quoniam multum non sustinebit virium imbecillitas: sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio corruptiva, & hujus corporis raritas atque facilis resolutio, defectus siquidem exigit adjectionem: corruptio vero temperamentum. Sint itaque, ptisana hordeacea, panatellæ, cum emuls. melonum, ova recentia, potissimum succo citri, aut aqua rosar. alterata, instaurans pullæ, ex margaritis paratum: condimenta ex acido citri, aut lim. Potus, aqua stillat.acet.end.cum acido citri,aut lim. & pauco sacch. aspersa. Vinum in progressu erit concedendum, tenue & oligophorum, apparentibus scilicet signis coctionis, vel viribus deficientibus. Hæcque satis pro casu præsenti. *Idem ibidem.*

Maligna Febris Symptomatum ratione.

Generosus Juvenis Mercator, annum agens 25. temperamenti totius, & jecoris, calidi & sicci, mediocris habitus, vini potator egregius, cùm hoc æstivo tempore, parum ante canem, iter diuturnum, concitatis & dispositis equis, sub radiis solaribus peregisset, & vina meraciora uberrimè potavisset; tandem dolore capitis & febre correptus decubuit. Hæc autem cum insigni calore incessit, & exigua, die postera, declinatione: perseverante semper capitis universali dolore pungitivo, cum rubore faciei, & venarum oculorum turgentia. Mane sequenti accersitus Medicus invenit Juvenem acutè febricitantem, cum pulsu celeri, frequenti & duro, urina tenui & flava, siti inexhausta, capitisque dolore acutissimo. Quare statim, imposito clystere refrigerante, sanguinem mediana dextera misit, & hora transacta, cassiam cum pulpa tamarindorum præscripsit, atque altera transacta hora, serum capr. potandum ad ℔ ij. ptisanam vero pro prandio. Post meridiem febris exacerbari visa est, juxta cum capitis dolore, ideo addidit Excellentiss. Adstans oxyrrhodinum, ex rosaceo, succo citri & succo lactucæ, bregmati frigidum frequenter repetendum, serum pariter depuratum, pro primo alterante, cum julapio violaceo & rosaceo propinavit, sicut aquam hordeaceam, cum conserva de acido citri, pro secundo. Tertia die summo mane, cum alvus ab assumpta cassia bene respondisset, ex altero brachio sanguinis missione parcam idem medicus mandavit. At circa meridiem febris multum invaluit, cum intensiori calore & siti, adeo pro alterante præscripsit aquas stillatitias de succo cich. acetosæ & anguriæ additis julapiis jam dictis, sicut pro secundo succos depuratos acetosæ & sonci, in cichoraceorum decoctione, & interim duo phœnigmos coxis apponendos præcepit. Noctem tamen æger prorsus insomnem duxit, manè vero universalis icteritia effloruit, dolore capitis parumper sedato, cum urina valdè flava & crassa, pura linteola tingente. Quarta die, febris non adeo intensè rediit, sed cum die secunda proportionem servavit, circa vesperam vero, parum de naribus nigri sanguinis stillavit, & rursus reperiit nocte qua parum dormivit. Modo in fine quartæ die nos accersiti, ut de agendis consulamus, invenimus jecur nonnihil elevatum ac durum, de quibus omnibus habita fuit hujusmodi consultatio.

Licet error non exiguus in vivendi ratione, à Patiente nostro fuerit comissus, motibus violentis, & diuturnis exercitiis sub radiis solaribus, hoc anni tempore fermè sub Cane peractis, accidente præterea vini meracioris uberrimo potu, à quibus equidem, tum jecur magis excalefieri, tum tota massa sanguinea biliosior reddi potuerit, nihilominus, biliosum apparatum in eodem antea extitisse proculdubio credendum, si Patiente ætatem, temperamentum totius & jecoris, vitamque anteactam consideremus, omnia enim ad bilis generationem conspirant. Quare mirum non est, si postrema accedente valida ac vehementi occasione, bilis adaucta, & ab aliqua ejusdem crassiori portione, vel ab aliqua quinetiam cruditatum occlusa, calorem putridum in venis supra jecur conceperit, & febrem excitaverit, quæ sicut in genere biliosa est, ita in specie tertiana duplex appellari potest, & quidem essentialiter continua, quamvis aliquam proportionem, tertio quoque die respondentem, observare videatur, etenim & febris ardens non sine tertianaria proportione procedit, à qua quidem parum hæc declinare videtur, cùm intensissimum calorem, & molestissimam sitim secum ducat, quem invasionis modum, adeo vehementem in principio, quodammodo malignum appellare licet, cùm qualitas, substantia & quantitas spirituum, & continentium labefactetur, resolvantur vires, & succumbat corpus, ex qua symptomatum intensione, innotescit deleteria aliqua & maligna qualitas, præter spirituum, humorum & solidorum vitium, cum alioquin ex regula, in morbis circa principia & fines omnes imbecilliora esse soleant, & nonnisi invalescente morbo adaugeantur symptomata, nunc vero, statim ab initio, sævus capitis dolor invaserit pungitivus, cum aliqua pulsus duritie, rubore faciei & oculorum, qui proinde facile Patientem ipsum ad phrenitidem perduxisset, nisi Medicus, repetita sanguinis missione, oxyrrhodino repellente, phœnigmo revellente, aliis refrigerantibus præsto fuisset.

Verùm malignitati jam dictæ, à febris vehementia & intensione procedenti, accedit quoq; malignitas symptomatum supervenientium ratione, icteritia videlicet ante septimam, necnon meri sanguinis stilla repetita, bilis enim portio quæ caput petebat, & in eodem dolores pungitivos continuos excitabat, dum à Medicis, administratis remediis repellentibus, revellentibus à capite revocata fuit, in venoso genere redundans, vi ejusdem irritante non autem à natura dominante & criticè expellente, ad cutem detrusa fuit, sicque intempestivè icteritia comparuit, quæ ante septimam, nimirum ante coctionem, nullo modo critica esse potest, expressus Gal. verbis, Nullum abscessum, nedum auriginosum, ante coctionem, criticum esse posse, quæ proinde mala ab Hippoc. fuit pronuntiata, nisi forsan ante septimam cum rigore invaderet, tunc enim morbum solveret. Quare pravum & malignum symptoma censendum fuerit, potissimum cum hepar tensum atque durum, tactu ipso percipiatur, incipientis inflammationis in hac

acuta

acuta febre indicio. Sic maligna quoque stilla meri sanguinis, quia significat quod natura quidem cupiat quod superfluum est excernere: sed ob propriam imbecillitatem id nequeat assequi, vel propter sanguinis crassitiem, vel proptar facultatis imbecillitatem, vel propter partium densitatem, vel tandem, propter omnium concursum. Quare dicebat Hippoc. quod quibus ritè & largiter sanguis per nares erumpebat, maximè servabantur, nec ullum vidit mortuum, Philiscus vero, epaminon & silenus, quibus quarto aut quinto die parum de naribus stillavit, mortem obierunt. Ideo nonnisi malignissimum symptoma superveniens hoc nuncupari potest, unde & febris, ratione symptomatum, maligna censenda.

Febris hæc, utpote magna, ratione propriæ essentiæ magnifacienda, vel ea in primis ratione quod statim ab initio pravis symptomatibus sit stipata, sævissimam quippe febrem, ejusque eventum exitialem nòn raro observavimus. Sicut enim simplicissimæ febres, signis firmatæ securissimi, tuto & cito solvuntur, ita deterrimæ, ac signis affligentes difficillimis, cito interimunr, ut docebat Hippoc. Augetur adkuc periculum à symptomatibus, non solum concomitantibus ut diximus, verum etiam mox apparentibus quorum ratione maligna hæc febris constituenda. Primo enim icteritia ante septimam omnino lethalis esse solet, nisi à jecoris fervore & copia bilis proveniat, ut observavit Gal. vel, nisi superveniat trium evacuationum aliqua, per hæmorrhagium scil. per alvum, ant per urinam unde Hermogenes, sexta die auriginosus evadit, Heraclides upud Aristoclidem, sexta auriginosus factus, vigesima judicatus est, quia omnes jam dictas habuit evacuationes, secus autem Phanagoreon servus, cui cum nulla ex jam dictis evacuationibus contigisset, petit. Sed his accedit, stilla sanguinis meri, quæ ferè semper mortem portendit. Attamen, quoniam Patiens juvenis est, viribusque satis robustis, salus deploranda non est, cùm natura hucusque à Medico aptissime & tempestive aliqua & sublevata, dictorum evacuationum aliquam facilè Medici possit, in septima.

Ad quas nos interim eadem invitare & sollicitare debemus. Primò humores leviter ad alvum & urinam ducendo, eosdem ad concoctionem præparando. Tertio, calorem febrilem, utpote intensum, remittendo. Quarrò jecoris vias refrigerantibus aperiendo. Quintò, vires cordis & totius conservando.

Quibus intentionibus hucusque satisfacere optimè tentavit Vir Excellentiss. Adstans, etenim in fonte Chirurgico, repetita sanguinis missione febrilem calorem intensissimum remittere tentavit, capitisque dolori occurrit, sicque imminentem phrenitidem intercepit, quàm, cum dolore, pulsus quoque durus minabatur. Ita docet Hippoc. Ut capitis dolorem sedes, sanguinem de venis detrahito. In eundem finem, oxyrrhodinum repellens frigidum apponendum præcepit, & phœnigmos coxis applicandos. Quare ab hoc fonte alia non supersunt depromenda præsidia, præter clysteres refrigerantes & humectantes, ex lacte butyro & saccharo, vel ex decoct. malv. viol. hord. cum ol. viol. & rosac. & naribus fomenta ex aqua tepida, vel ejusdem aquæ tepidæ malva alteratæ, attractio per nares, ad hæmorrhagiam proliciendam.

Ex fonte Pharmaceutico sunt desumenda, alvum, & urinam leniter moventia, præparantia, refrigerantia, nonnihil aperientia.

Alvum & urinam simul leniter movere poterit flos cass. ad drach. ij. bis per diem, sub prandium & cœnam oblatus. Urinam quoque movebit sal prunellæ, in aqua de succo cichor. & acet. ad ℔ ij. dissolutus, sicuti utrumque, crem. tart. in pollinem tenuissimum redactus, exigua quantitate, ad drach. ij. scilicet exhibitus. Alvum quoque leniter ciere poterit julap. acet. ad ℥ iij, in ℔ ij. seri capr. depur. quibus jam dictis propositis intentionibus satisfieri poterit, præsertim si secundi alterantis loco, instituatur decoct. cich. end acet. sonchi, hepaticæ, additis syrupis de acido citri, de succo lim.

Quibus opportune administratis, si aliqua succedat ex jam dictis evacuatio, quo natura verget, per loca conferentia & convenientia, eo ducere conveniet, sive per alvum, sive per urinam, sive nares, quæ si perfectè operabitur. Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, neque movere quicquam, neque innovare oportet, sed sinere. Spes enim, quæ in angusto posita, in aliqua jam dictarum evacuationum omnino collocata est.

Tandem, vires cordis conservare aliquo temperato cardiaco licebit, ut margaritis præparatis, magist. earundem, cum aquis temperatis scorzon. totius cit. de succo acet.

Vires autem totius, alimentis refrigerantibus, & humectantibus, facilis coctionis & distributionis erunt conservandæ, quæ liquida potius, quam solida sint, cum facilius sit impleri potu quam cibo, inclinet autem victus ratio ad tenuem potius, moderatè tamen habita consuetudinis & anni temporis ratione. Potus sit aqua cich. vel acet. Quæ pro casu præsenti, dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris Peticularis.

Mulier Nobiliss. 25. annum agens, temperamenti, totius & jecoris, calidi & humidi sedentariam vitam degens, superioribus annis fœcunda, modo abhinc tribus infœcunda, post austrinas aëris constitutiones, cum ruri, non longè à stagnantibus aquis diu morata fuisset, & alimentis indiscriminatim, crassi potius & mali succi nutrita, in urbem redux, non multos dies, hoc autumnali tempore, incidit in febrem acutam, cui, cum quadam horripilatione, ab initio calor successit intensus, cum lassitudine totius corporis, oculorum rubedine, & capitis gravitate, in ipsius febris progressu. Vocatus fuit Medicus domesticus, qui mane sequenti vix ullam declinationem ejusdem observare potuit licet ante meridiem exacerbari visa fuerit. Modò, horis vespertinis, ad consultationem acersiti, invenimus Patientem acute febricitantem, facie rubra, cum oculorum rubedine, & maculis, pectore, & brachiis potissimum, necnon & dorso quoque efflorescentibus, quarum aliquæ superficiales tantum, plurimum rubri, aliquæ tamen etiam vio-

lacei caloris, aliæ nonnihil quoque extuberantes, & ad tactum asperæ, colorisque flavi. Instant menstruæ purgationes, quæ ipsi imminutæ esse solent. Pulsus frequentes, valdé inæquales & parvi. Urinæ potius rubri quam flavi coloris, sed valde obscuræ; crassæ & ferè turbidæ. In quo casu loquuti sumus.

Licet hanc febrem synocham nobis patefaciant unica accessio, hucusque observata, rubra facies, cum oculorum rubedine, totius lassitudo quodammodo phlegmonosa, capitis gravitas, pulsus frequentes, urinæ rubræ, crassæ & fure turbidæ, eandemque confirment, totius & jecoris temperamentum calidum & humidum. necnon retenti sanguinis redundantia, nihilominus cum ad cutem statim, diversi coloris, & variæ conditionis maculæ & efflorescentiæ apparuerint, peticularem, sive petechialem appellari posse credimus, à nonnullis etiam purpuratam, atque in Regno Chinarum, sericam nominatam à symptomate scilicet sicut singulosa à singultu, & syncopalis à syncope denominari solet. Ab una tamen eademque causa, febris & peticulæ procedunt sanguine nimirum in venis maximis putrefacto, cujus putredo insignis & excellens censenda est, adeo ut sanguis ipse propriam consistentiam, & naturalem unitatem amiserit, & liquatus ad cutem facilè ab irritata natura expelli potuerit, cui, quoniam aliqua portio ejusdem necnon biliosi humoris, non adeò corrupta associatur, ideo periculæ quoque, non modo violaceæ, verùm etiam rubræ in cute apparuere, necnon eminentiæ quædam, à bilioso humore productæ, exanthemata dictæ, sicut, si humor crassior fuisset, totumque corpus magis densum, papulæ, eminentiæ scil. majores, variis similes apparuissent, ut in Sileno. Peticulas autem antiquioribus notas fuisse habemus ex Hippoc. qui maculas observavit in pherecida, culiculum morsibus similes, licet ex medecinæ principibus Græcis, solus actuarius de iisdem loquutus fuerit. Raram autem de his mentionem fecerunt antiqui, quidquid dicat Fracast qui ab ann. tantum 1505. in Italia observatas fuisse valuit, quia parum aut nihil ad morbi curationem faciebant, non enim habent rationem indicantis aut prohibentis, quia non est per accidens, non potest indicare, nec prohibere id quod est per se. Quare si sub nostram considerationem veniant, ut signum considerandæ, copiosi scilicet fusi & corrupti sanguinis, cujus corruptionis major vel minor intensio arguitur ab illarum calore, rubræ enim à solo sanguine, etiam ebulliente provenire possunt, sicut flavæ, ab eodem in bilem converso, violaceæ, à corrupto; & nigræ, ab intensiori adhuc putredine procedunt. Quam corruptionem nobis significare potest pulsus, si non modo parvus, verum & languidus fuerit, urinæ item non modo obscuræ & crassæ, verum etiam turbidæ & omnino confusæ.

Insignem vero putredinem contraxit Nobil. Mulier in sanguinis massa, tum ob ejusdem copiam, superioribus annis fœcunda, nunc vero sterilis, atque imminute singulo mense purgata. tum ab austrina constitutione præterita, necnon, quia paludosa loca diutius habitavit, & pravis alimentis nutrix, sedentariam vitam duxit. A quibus omnibus causis, sanguis adaugeri, & putredini atque corruptioni aptus reddi potuit, & peticularis hujus febris auctor fieri.

Quamvis hæc febris à fuso & corrupto sanguine, absque venefica qualitate nonnunquam fiat, de hac tamen, in casu præsenti, dubitari potest, cum peticulæ violaceæ plures observentur, color autem non parum faciat ad sanguinis corruptionem dignoscendam. Unde Critoni in pede secundo die postulæ nigræ sunt, eodemque die obiit. Sileno autem, quia papulæ octavo die rubentes apparuerunt, ad undecimam ejusdem fuit protractus interitus. Nobis itaque statuendum putredinem insignem adesse in casu nostro, quæ tamen adhuc veneficam qualitatem non contraxerit, quia pulsus, licet parvi & opressi, non tamen languidi sunt, & prætereà, quia non omnes maculæ violaceæ, minus verò nigræ in cute apparent, quanquam febris principium adsit, quæ juxta cum ejusdem causa, aut extensive, aut intensive, aut utroque modo augmentum necessario susceptura sit, unde periculi plena. Et quoniam inter omnino lethales & salutares reponenda est, ideo non desperata salute, ejusdem curatio intrepidè est aggrediendа.

Quæ perficienda erit evacuantibus, alterantibus intensiorem putredinem inhibentibus, cardiacis alexipharmacis, & vires totius conservantibus.

Et in fonte Chirurgico, præ omnibus consideranda venit sanguinis missio, peccat enim sanguis, tum quantitate, tum substantia, quia multus & putridus est. Quare de indicante non est dubitandum, sicut neque de permittente, cùm in principio pulsus parvi oppressionem, non virium resolutionem significare possint. De prohibente dubitari solet à Medicinæ Professoribus, sive, ut proprius loquar, à vulgaribus Medicis ob apparentes maculas, sive periculas, motu veluti natura critico, cum tamen primo vix concedi possit, quocunque tempore, confertam peticularum eruptionem febrem judicare posse, minus vero, aut nullo modo, in principio, ante signa coctionis, cum decernentia in melius non statim appareant. Quare ut corrupti sanguinis signum, non ut causa à nobis sunt considerandæ & ideo sanguinis missionem prohibere minime valent, quinimo, si indicandi aut prohibendi vim obtinerent, sanguinis missionem potius indicarent, quam prohiberent. Educatur itaque sanguis, in casu præsenti, antequam uires deficiant & saguis majorem putredinem nanciscatur, injecto tamen prius clystere, ex saphena, cum menses immineant, & quidem moderata quantitate. Verum, sicut proculdubio sanguis mitti potest in principio, non tamen adeo tuto id licet in progressu, non quidem ratione peticularum prohibentium. sed ratione virium non permittentium dum enim insignis in sanguine evadit corruptio deficiunt spiritus, concidunt vires, sicque deest permittens, unde mos invaluit, ut in hujusmodi febre, alii post quartum, alii post tertiam diem jure merito à venæ sectione abstineant. In hujusmodi namque casibus miratur quoque Galen. quod Hippocrat. ab initio venam non secuerit, quod tamen excusat

cusat quod forsan accersitus fuerit, morbo jam progresso. Et licet Amatus Lusitanus sanguinem ex vena, etiam decima die eduxerit, facile maculæ illæ rubræ, non vero pravæ conditionis fuerant.

In progressu, si aliquis sudor appareat, adeo ut natura ipsa dominatrix, non irritata, ad cutem moveat, cucurbitulæ scarificatæ applicandæ erunt, non spatulis, sed lumbis,& infra, ut à partibus nobilioribus quam longissimè materia abducatur, & revellatur. Sic observabat Oribus ex Galen. quinimo & coxis ipsis, & suris, menstruæ purgationes imminutæ prodierint. Frictiones quoque fieri solent, inunctione Aëtii manibus perfusis, & si aliqua pars princeps magnopere afficiatur, phœnigmi quoque, coxis primo, mox etiam brachiis erunt admovendi, necnon clysteres molliores opportunè injiciendi.

Interim primæ viæ expiandæ syr. ros. & viol. sol. flore cass. cum crem. tart. superpræbendo ser. depur. aut aquam Nocer. ad ℔ i ß. vel ij. quod si cassia repetenda fuerit, eidem modicum scordii addendum. Remittendus febrilis calor aquis still. ex succo cich. & acet. cum syr. de acido citri, & de succo lim. Pro secundo alterante, paretur succus depur. acet. vel præbeatur syr. de succo acet. cum modico succi citri, in decoct. cich. borrag. pentaphylli, sive tormentillæ, & rutæ caprariæ, addito in progressu julap. acetoso.

Ulteriorem putredinem, inhibere poterunt frigida, & sicca, tenuium partium, ut sunt succi acidi jam dicti, citri & lim. spir. vitr. pulv. margarit. præpar. bolus armena, tinctura corallor. & hujusmodi alia. Alexipharmaca, & cardiaca debent esse hujus conditionis, quæ febrilem calorem non augeant, ut emulsio sem. napi, decoctio acetosæ, card. sanct. rutæ capr. tormentillæ, pentaphyli, & potissimum in usum ducenda cardiaca diaphoretica, in quibus primum locum obtinebit lapis bezoar uterque, lapis hystricis contrayervæ, ol. sulphuris, ad gut. vii, & viii. benignius enim censendum ol. vitrioli. Inter composita vero præpollet aqua cord. præclariss. Sax. efficax quoque cord. fonsecæ, ad ℥ ß in aquis cord. exhibendum, nec spernendus quoque pulv. à Fracastor. ita descriptus.

℞. Terræ lemniæ, boli armeni, tormentillæ, dii, cornu rhinocerontis, vel ossis de corde cervi ana drach. j. m. Dosis drach. j in aquis cord. insignis quinetiam efficaciæ è nobis comperta fuit confectio alkermes legitimè parata.

Extrinsecus cor illinatur, vel aqua à fonseca descripta, vel ol. de scorpionibus Matthioli, succo citri dissoluto.

Vires quoque totius sunt congrua victus ratione conservandæ. Sic aër fit quidem frigidus, adeò ut Patiens inspiret frigidum, sed tangat calidum. Alimenta sint refrigerantia, ut ptisana hordacea, panatellæ, cum emuls. sem. melonum ova recentia, instantia pullæ, cibusque parum & sæpe offeratur, humorum enim malignitatem demulcere solet, & spiritus frequentius instaurare, qui insigni sanguinis corruptione deficere solent. Potus sit aqua hord. succ. citri alterata, nec vinum concedatur, nisi ob insignem humorum corruptelam atque malignitatem vires deficiant, tunc enim corruptioni resistere, & vires reficere valet. Sic autem tenue, oligophorum. Quæ pro hac curanda febre, dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris Colliquativa.

Nobilis Juvenis, 35. annum agens, temperamenti, secundum totum, calidi & humidi, calidioris tamen hepatis, mediocris habitus, fructibus copiosis assuetus. cibis condiendis aromatibus usus, & vina meraciora bibem hoc tempore æstivo febre acutissima correptus est, cum ardenti calore & siti incompescibili, quæ tertio quoque die obscuras quasdam exacerbationes habuisse visa est. Medicus accersitus, syr. ros. ventri solvendo exhibuit, cum sero copioso superhausto, inde sanguinem ex jecoraria detrahit, & potiones refrigerantes præbuit. Quarta autem die alvus sponte soluta est, cum evacuatione excrementi crudi, liquidi, sincere biliosi atque spumosi, quæ quinquies, & interdum sexies, usque ad septimam perseveravit, septima vero urinæ multæ apparuerunt, potus rationem atque mensuram excedentes, & undecima oleosa observata urina, cum supernatante nimirum pinguedine, ad instar telæ aranearum, perseverante tamen semper alvi excretione, quotidie magis magisque graveolente, nonnunquam pingui, & strigmentorum speciem referente. Patientis interim totum corpus emaciatum apparet, plusquam ratio postulet: febris perseverat acuta, lingua aspera, sicca cum vigiliis, & nonnunquam mentis alienatione. Modo nos de agendis pro salute consulit.

Febrem, quæ ab initio Patientem Nob. corripuit, ardentem fuisse existimandum, quia ardentis duo pathognomonica signa, eandem concomitantia, statim ab quarta initio apparuere, calor nimirum exurens & inexhausta sitis, cui, quoniam die superverunt crudæ, liquidæ, sinceræ, spumosæ atque biliosæ excretiones, non conferentes, nec ullum unquam judicium facientes, & in septima urinæ copiosæ, cum supernatante pinguedine, colliquationis indicio, appuruere: colliquativam febrem eandem factam fuisse certo credimus, quam alvi excrementa confirmant, quæ primo sincere biliosa atque spumosa apparuerunt, ac tandem graveolentia, pinguia, atque strigmenti specie. Hæc autem colliquatio non à malignitate humorum, sed à vi caloris febrilis, seu à magnitudine febris provenire solet, ut consideravit Gal. cujus caloris causa, non solum fervido jecori imputandæ, verum & vitæ anteactæ, nimirum frequenti omnigeno fructuum usui, qui facillime bilescere solent, multo vero magis ob aromata, necnon meri potum. Quæ omnia, tantum in jecore & toto venoso genere fervorem excitarunt ut non solum biliosissimus sanguis genitus fuerit, verum & ipsa flava bilis excrementitia copiosa, quæ in venis magnis, cum corde & faucibus consensum habentibus, putrescens, mediante prohibita transpiratione, ardentem febrem produxit. ut patet, non solum ex duobus jam dictis signis, verum ex lingua aspera, sicca, ut & mentis alienatione. Hæc autem viscerum, & venarum

effervescentia, quæ neque sanguinis missione, neque potionibus refrigerantibus cedere potuit, humores non solum, verum & adipem atque pinguedinem colliquandi vim obtinuit, quod excrementa & nimia totius corporis consumptio facile produnt, atque hinc colliquativa ipsa febris facta fuit.

Quibus duplici nomine periculosa est. Primo quia cito interficere potest, ut acuta, ubi enim biliosorum humorum dejectio, hypochondriorum fervorem non extinguit, maleficam eam febrem appellabat Galen. cujus acutie quoque superata, tabis tamen adhuc periculum adest; ideo Parium in Thaso, acuta febre correptum, cui sexta die urina oleosa apparuit, & 120. die obiit, tabidum forsan atque ëonsumptum obiisse crediderunt aliqui.

Omni arte itaque atque industria Patiens à febre acuta vindicandus, & interim ulterior colliquatio inhibenda, Quibus scopis satisfaciendum summè refrigerantibus & humectantibus, corruptos humores evacuantibus, in progressu humectantibus substantificis, incrassantibus, & quodammodo adstringentibus.

Pro quibus explendis intentionibus, frigidæ potio principem locum habere videtur, tum ratione febris ardentis, tum ratione ejusdem colliquativæ: sicut enim mulsæ potio adversissima, ita utilissima potio frigidæ frigidam quoque in casu nostro proponunt Aët. Paul. & Orib. & ratio est, quoniam ardenti calore febrili, simulque colliquanti, remedio est. Unde Gal. omnes conditiones ad frigidæ potionem requisitas, ad tres redegit, ad vires scil. valentes, signa coctionis, & ardentissimam febrem, quæ postrema conditio se habet loco indicantis, vires permittentis; ut coctio, prohibentis, in hoc autem casu de indicante & permittente non est quod dubitemus. Et licet prohibens dubio vacare non videatur, quoniam tamen vehementissimo calore febrili non remisso, signa coctionis apparere posse, si non impossibile, difficillimum saltem videtur, ideo, non apparentibus etiam manifestis signis coctionis, frigida statim à nobis est: exemplo Averr. qui frigidam propinabat non expectata coctione, æger siquidem, dicebat ipse mori potest ante coctionem exsiccatus, nos autem dicamus, colliquans atque consumptus. Præbeatur itaque, sed non adeo copiosa ut possit calorem nativum obruere, ad ℔. scil. v. vel vi. summum, sequentibus vero diebus, substituantur aq. stillat. ex succo cich. acet. end. & in progressu quoque, plantaginis, pro altera primo, pro secundo vero præbeantur succi depur. end & acet. in decoct. cich. end. viol. acet. hepaticæ.

Interim extrinsecus quoque visceribus epithemata refrigerantia apponantur cordi.

♃. Aq. viol. nymphææ, acet. rosar. an. ℔. specier. diamarg. frigid. drag. ij. camphoræ gr. vi. succi citri ℥ iij. acet. rof. ℥ i ß. m. pro epith. cordis. Pro jecore.

♃. Succi cichor. depur. ℔ ſ. sonci, lactucæ an. ℔ ß. species trium santal. drach. iij. succi citri aceti rof. an. ℥ ij. m. pro epith. jecoris. Totum vero abdomen illinatur ung. rof. Mes.

Quod si aliqua excrementorum major desideretur evacuatio, præberi poterit cass. cum pulp. tamarind. an. drach. iij. cui mox superbibat aquam Nocer. aut serum depur. sed facilè sola aqua hordeacea, aut serum depur. utpote nitrosum, sufficere poterunt.

Colliquationis quoque progressus est inhibendus in quem finem terra sigillata, ucra atra re solet, ad scrup. j. cum aquæ plantag. aut portul. portione exhibenda, sic & bolus armena pallida.

A proprietate vero agere dicuntur, pulvis smaragdi, ad gr. x. præparati, in aqua plantag. & succo cydon. exhibitus.

Quibus addenda victus ratio refrigerans & humectans, ac mediocris, non tenuis, non crassa ardente febre perseverante, qua cedente, minus refrigerans, & magis substantifice humectans atque incrassans locum habebit, sic panatellæ convenient, cum emuls. amygdal. dulc, sem. melon. & nucleorum pineorum, ova recentia semicocta, cum toto albumine sumpta, jura gallinarum, foliis lactucæ quandoque alterata, quibus aliquando addatur quoque pes aut portio capitis vitulini. Instaurans par erit cum corallis, margaritis. Et tandem remissa, aut omnino sublata febre, corpus totum jam emaciatum, ad usum lactis ducendum, & ex eodem edulia concedenda, observando interim, quod durante colliquatione alimenta omnia, non calida, sed tepida, imò etiam frigida exhibeantur. Potus sit aqua still. acet. stillatum pulli, quibus addi poterit aliquod cochlear succi cydon. vel granat. cui tandem aquæ immisceri poterit vinum austerum, tenue & oligophorum. Quæ satis pro præsenti febre. *Idem ibidem.*

Febri Hungarica.

Hungarus quidam Nob. nec minus cruditus quam dives, Patavium accedens cum aliis sodalibus, à nobis consilium petiit quonam modo se totamque Nobilissimam familiam, à quadam febre, secundo quolibet aut tertio anno ferè totam Provinciam Hungaricam invadente, tueri & liberari posset, multos enim occidere solet, licet plures quoque ab eadem evadant. Febris autem ab eodem ita fuit descripta. Hæc potissimum invadit post austrinas atq; pluviosas anni constitutiones, atque fluminum inundationes, & multos eodem tempore eodemque modo affligere solet, invadit magna ex parte juvenes, plethorici habitus & sanguine repletos cum horripilationibus in principio, quibus succedit calor multus, nec adeo suavit, sed potius acris & intensior, magisque intus quam extra cum molestissima siti. Pulsus sunt frequentes, potius molles, ab initio quoque magni, qui tamen progressu dierum, à quarta scilicet, parvi à Medicis percipiuntur. Urinæ rubræ & turbatæ, rubedo adest oculorum, cum acutissimo capitis dolore, & delirio nonnunquam, cum totius lassitudine tensiva, ac oris ventriculi dolore, non sine aliqua duritie. Febricitantibus missio sanguinis, sicuti ante quartam plurimum prodesse solet, ita post eam, multos è vestigio de medio tollit. Terminatur autem, ut plurimum circa septi-

septimam, sive ad salutem, sivè ad mortem. Qui servantur sudoribus diffluunt, & nonnunquam tumore quodam, vel pustulis corpore erumpentibus, aut post aures, quibus tamen tardius sanitati restituuntur.

Vir Nobiliss. Tutelam ab hac febre, seu præservationem non adeo facilè consequi poteris, cum sit morbus regionis, qui Endemius quoque sive Patrius, seu Vernaculus appellari solet, febris Hungarica, à Recentioribus dictus, plurimos enim uno eodemque tempore, eodemque modo, in hac tua regione invadere solet, qui quoniam à causa communi originem trahit, hæc difficulter ab incolis evitari potest, aliqua tamen ad hujus præservationem recensere, abs re prorsus non fuerit.

Et primo, aër cubiculi suffitu alteretur, ex aqua rosacea, santalis citrinis, ligno aloës, corticibus citri, cinnamom. & camphora parato. Totum corpus, vestitus ac linteamina, nitida omnia, & à sordibus immunia serventur, aërque nubilus, & potissimum caliginosus, summo mane, & horis vespertinis arcendus, præsertim verò si austrina fuerit constitutio, & prægressæ aut præsentes inundationes.

Secundò, inter condimenta ciborum, aromata non adeo ubertim usurpanda, nec meri fœcundi calices hauriendi.

Tertio, parce, & nonnisi nocturno tempore somno indulgendum.

Quarto, corpus quam maxime, ante cibum præsertim exercendum.

Quinto, si alvus sponte non bene respondeat, crem. tart. ex jure, corticibus citri, vel cinnam. alterato, dissoluto, sollicitanda, & plethorica corpora, Vere saltem, sanguinis missione evacuanda.

Ultimo, animum exerceant, nè cum ingenio, torpeat quoque calor innatus.

Pro curatione autem hujus febris, consideranda veniunt ejusdem Idea & Causæ, ut ab iis indicationes pro medela desumi possint. Febris igitur, synochos putrida biliosa erit statuenda quam abundè attestari possunt pulsus frequentes quidem sed quodammodo molles, & in principio magni: urinæ rubræ & turbatæ, sed præterea oculorum rubedo, necnon capitis dolor, ac tandem, quia corpora plethorica corripere solet, quæ sanguinis missione opportunè administrata, levantur ac liberantur. Hæc tamen legitima synochos non est, sed quodammodo biliosa, & ideo pulsus non adeo pleni, magni & molles in progressu observantur, dolor capitis pungitivus potius adest quam gravativus: quinimo, & à biliosis tum vaporibus tum humoribus caput calefacientibus, deliria quoque excitantur, sitis molestior quam in legitima synocho ægros molestat, & lassitudo, quæ in synocho phlegmonosa esse consuevit, in hac tensiva, mista nimirum ex phlegmonosa & ulcerosa se prodit, sicut à bilioso sanguine, per venas ad coronariam perveniente, ventriculi fit tensio dolorosa.

Verum quoniam peracuta est, septima namque die, ut plurimum interficit aut liberat Pat. Præterea, quoniam plures occidit, & cito vires prosternit, pulsusque parvos ac languidos reddit, & nonnunquam per pustulas, papulas, aliosque tumores, decubitum facit, ideo maligna non solum, sed quodammoda pestilentialis quoque, sine peste tamen censenda erit. Quare à sanguinis corruptione in venis maximis & cordi proximis provenire eam credimus, qui insignem & excellentem putredinem adipiscitur, à multis cibis, iisque pinguibus & pravi succi, est enim piscivora gens illa, præterea melones, cucumeres uberrimè comedunt, vinaque meraciora divites aquam vero pauperes bibunt, æstate potius lutulentam, quia frigida est, quam Danubianam, quia calida. Ab his autem omnibus sanguinis quidem proventus, verum & ad putredinem idonei, eoque facilius accedente aromatum & vini meracioris frequenti & copioso usu, adauctas enim & præternaturalis redditus calor, in humidum non naturaliter agens, illud ipsum corrumpere, atque intensè putrefacere potest, corruptio autem optimi pessima, quæ non solum intensive, sed extensive quoque ultro progressa, adeo massam sanguineam inficit, atque corrumpit, ut spirituum brevi temporis spatio instaurationem prohibeat, sicque post quartam vires concidant, & eductio sanguinis prohibeatur. Quod si vires alicui satis vegetæ fuerint, corrupti & venenati humores ab expultrice facultate ad ambitum corporis per sudorem expelluntur, eoque facilius si tenues fuerint, quibus crassioribus, nec facultate adeo valida præditis, abscessus fiunt, pustulis, aut tumoribus aliis, per varias corporis partes erumpentibus.

Jam autem observatum fuit febricitantes illos evadere, quibus copiosi sudores, vel abscessus putridi superveniunt, quod Gal. quoque non præteriit. Sicut servari quoque possunt per abscessus ad stranguriam qui non per decubitum sed per effluxionem fieri dicuntur, quibus urinæ copiosæ, crassæ, variæ, rubentes, veluti & purulentæ, cum dolore fluunt.

Statim itaque tentanda curatio naturam gravatam sublevando, veneficæ qualitati occurrendo, ulteriorem putredinem inhibendo, spiritus & vires conservando, febrilem calorem remittendo, atque symptomatibus occurrendo.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, statim à fonte Chirurgico, injecto clystere sanguinis missio petenda est, monet enim Celsus in hac febre, etiam cum aliqua temeritate remedia esse adhibenda, statuitque optimum esse sanguinem mittere, si vires constent, adest enim plenitudo in venis, & natura à sarcina exonerata, facilius quod reliquum est ejicit & vincit, parcior tamen debet esse sanguinis evacuatio, ob veneni præsentiam, & habita virium futurarum ratione. Locus autem sit vena pedis, ut fiat à capite revulsio, Gal. exemplo, qui in febre pestilenti, per crurum scarificationes libram sanguinis sibi mitti jussit. Quod si vires non adeo constent, ob ætatis conditionem, aut febris progressum, venæ sedales aperiantur.

Quarta transacta die, frictiones asperæ convenire possunt, sicut & cucurbitulæ siccæ, quinimo & scarificatæ, sanguine redundante, & constantibus viribus. Applicentur autem non solis infernis partibus, ut quibusdam consuetum, verum & dorso, cum non ad profunda, sed à profun-

profundis attrahant, omittantur tamen si abscessus quispiam ad aliquam partem apparere inceperit. Phœnigmi quatuor coxis & brachiis apponendi, ratione revulsionis à capite & revulsionis atque derivationis à corde & à ventriculo. Oxyrrhodina capiti repellentia apponenda, ex rosac. & aceto rosſ. parata. Ventriculus præterea ung. rosſ. Mesſ. illinendus, & tandem, oleo amygdalino exiguo, rosac. immisto perfundendus.

A fonte pharmaceutico reliqua sunt desumenda remedia. Et si primo de evacuantibus loquamur, quidam misso sanguine, & apparente humorum turgentia, ad cor potissimum, purgans exhibent medicamentum, ut elect. de succo rosar. vel rosſ. Mesſ. cum flore cassiæ, sero copioso super epoto. Verùm hoc magna indiget præmeditatione, ideo Celsus, in hujusmodi febre curanda, dicebat. Non facilè sanguinem mittere: non facilè ducere alvum: non cruciare vigilia, fame, aut nimia siti convenit. Quod si purgans præbendum videatur, id fiat die secundo, aut summum, tertio; primo quoniam ultra secundum diem humores non amplius turgere solent, & præterea, quoniam progrediente putredine, vires deficiunt, unde dicebat quidam, Cui vita cara est, transacto tertio die à purgatione, omnino à sanguinis missione abstineat. Leniens itaque juxta regulam offeratur, ex flor. cass. tart. & pulv. scordii, aut granis mercurii dulcificati, cui superbibat serum, vel aquam Nocerianam. Ulteriorem putredinem prohibentia erunt frigida & sicca, ut succus citri, lim. in aliqua decoctione, nimir. cich. acet. tormentillæ, pimpinellæ, cardui sancti, melissæ, opportuno tempore præbenda. Statim pariter varia alexipharmaca, veneficam qualitatem oppugnantia, sunt in usum ducenda.

Ut ♃. Semin. napi, citri an. drach. j. cornu. Cer. off. de corde Cerv. zedoariæ an. drach. ß. m. cujus dosis est drachma una, in aqua cord. Sax. & card. sancti. Robustioribus vero convenit decoct. scordii, card. sancti, in aqua acetosæ & rutæ caprariæ, Quarta transacta die, alexipharmaca diaphoretica opportuna erunt, ut humores à centro ad circumferentiam facilius proliciantur, sudoribus enim frequenter levari solent ipsi Patiente. Ideo hujusmodi pulvis in exigua licet febris remissione observata, exhibendus.

Ut ♃. Corn. Cer. scil. præpar. drach. j. lapid. bezoar. orient. ℈ j. m. pro duabus vicibus, & in aqua card. sancti, & scorz. exhibeatur, cui addi quoque poterit aquæ sulphuris gut. j. Conferre item poterit extractum contrayervæ, ad drach. ß. vel ℈ ij. eidem additis bezoar. orient. gr. VIII. cui superbibat Patiens cyathum aq. scorz. & card. sancti.

Interim observanda erit naturæ propensio, ne obnitamur ejusdem proclivitati, licet enim plurimum, in hisce febribus, ad ambitum corporis vergat, quandoque tamen movet ad alvum vel urinam, & frequentius ad aliquam partem abscessus facit, tuncque quo vergit, eo ducere convenit.

Neque negligenda febrilis caloris remissio, & humorum calidorum contemperatio. Ubi enim turget effervescentia febrilis, Celsus in hisce febribus frigidam quoque potionem exhibebat; transacta tamen tertia die, & expectata aliqua humorum coctione. Nos verò libenter eandem omittimus, ob virium imbecillitatem, ac caloris nativi labefactationem, ob veneni præsentiam, qui facilè obrueretur; quæ præterea prohibetur à ventriculi dolore, non sine tumore. Quare tutiorem censemus usum aquar. stillatitiar. refrigerantium, de succo acet. end. cum syrup. de acido citri, vel de succo lim. aut julap. rosſ. & viol. sicut & succi depur. acet. endiv. in decoct. borrag. hepaticæ, melissæ & rutæ caprariæ, pro secundo alterante præberi poterunt.

Tandem spiritus instaurare, & vires conservare oportet. Sic paretur in vase vitreo liquor odoratus, ex aqua rosſ. & flor. citri, addita perexigua aceti rosſ. portione: vel aqua rosac. infundantur cort. citr. recentis, & acetum rosatum. Paretur præterea liquor ex aqua scorz. & julep. gemmato vulgari aut M. D. Etruriæ, cujus haustus per intervalla à Patiente sumatur.

Vires tandem sunt omni industria conservandæ, ita ut æger parum & sæpe nutriatur, non vero gravetur; & ideo paretur instaurans pullæ, addito pulvere margarit. præpar. In usu sint ova recentia, in jure dissoluta, cui injiciatur quandoque cochlear aq. rosaceæ, vel succi citri, vel omnia simul. Ptisana hordeacea diluta convenientissima erit. Et pro potu consueto, aq. stillat. de succo acet. cum acido citri, aut lim. vel cum julap. item aqua secunda præclariss. Sax. vel tinctura rosar. cum aqua acetosæ parata, & succo lim. extracta. Hæcque, tum pro præservatione; tum pro curatione hujus febris dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris Anglica.

Medicus quidam Juvenis, qui magnam partem orbis perlustrare decreverat, cum ad Belgas autumnali tempore pervenisset, in febricitantium magnum numerum incidit, & quidem febribus quæ omnes uniformes & sibi similes erant, plurimos unico die interficientes; qua re perterritus, cum de itinere suo corripiendo, & brevi interposita mora perficiendo, ac de urbe lubenti animo quamprimùm deserenda cogitaret, obstitit Medicum esse, qui febres illas epidemicas, perniciosas, unam & communem causam habuisse arbitratus, eamq; non exigui temporis, à qua proinde non esset ipsi metuendum; ideo medicæ curiositati ut satisfaceret, aliquot dies in eadem urbe moratus est, quibus observavit febres illas acutissimas, vehementissimas, imò & contagiosas, maximé domesticis minus cæteris incolis, & omnium minime, advenis; quæ statim primis horis pulsus efficiebant languidos, inæquales, frequentes, & celeres, cum inquietudine, anxietate, imò & animi defectu. Urinæ quibusdam tenues & aqueæ, aliis turbidæ & subjugales observatæ: sudor post paucas horas confertim erumpebat, toto corpore manans, quem ipsimet sibi procurabant; ex quo tamen nimis copioso resoluti peribant aliqui, & sine ipse superstes nullus observabatur; quinimo, si vel Patientis incuria, vel medicis remediis omissis sistebatur, citius interibant. Observavit præterea

præcessisse humidissimam & austrinam temporis constitutionem, pluvias frequentissimas & copiosas, aquarum item inundationes non modicas. Quibus observatis discessit, & itinere continuato, literis à nobis percontatus est cujus naturæ febris illa fuerit; cui petitioni satisfacientes, responsum ita scriptis mandavimus.

Febrem, à te nobis adeò accuratè delineatam, Vir Excellentissime, Putridam esse, omni procul dubio asserimus, quanquam non ephimeram, eò quod unico die plurimum terminetur, ut aliqui falso & perperam arbitrati fuere; qui tamen concedunt infici quoque subtiliorem sanguinis partem. Etenim si solus spiritus putredinem conciperet, quod quidem fieri posse concedimus, cum ex aëre & tenuissima sanguinis portione generetur & constet, omnia verò putrescere possint præter ignem: pulsus primò inæqualitas non adeò evidens foret, quæ putrescentis humoris propria; à cujus minera putridæ evaporationes elevatæ inæqualiter, propter transpirationem ab obstructionibus impeditam, inæquales ideo reddunt pulsus. Sed præterea urinæ sub jugales, crudorum humorum in venis putrescentium agitationem demonstrant, à quorum copia, veluti per cribrum transfusæ, cum nativi caloris imbecillitate, tenues & aqueæ quandoque reddantur. Et tandem, solis spiritibus putrescentibus, tanta non succederet sudoris copia; cum solus mador admitti possit. Est itaque putrida febris, eaque continens, & ex iis quæ à plurima ac meracissima bile fiunt, quas de Natura Hominis, indigitavit ipse Galen. Alia tamen conditio eidem annectitur, quod nimirum sit epidemica, perniciosa atque contagiosa. Epidemica quidem; quia plures uno & eodem modo invadit; perniciosa, quia plures exiguo tempore interficit; contagiosa tandem, quia contactu, per miasmata, communicatur corporibus dispositis, & ex communi causa, & quidem facilius sympathia & sanguine conjunctis atque domesticis Sed maximè propriè coquendo, epidemicam jam dictam, in Endemia febre contineri asserendum; est enim regionalis apud Belgas & Hybernos, iisdem vicinis regionibus, ab Anglia propagata, ubi primo incepit anno *1486.* sub Henrico VII. inficiens Gallos, Belgas & Germanos, febrisque Anglica, sudor Britannicus dicta fuit: pestilentialis quoque, & per sudorem digerens appellari solita.

Est autem non solum intemperies calida cordis & totius, sed & morbus à tota substantia, venenatus, magnus, ratione partis affectæ, facultatis & symptomatum, tum præsentium, tum succedentium; in qua tanta est, tum magnitudinis, tum putredinis, tum veneni vis, ut natura ultra diem eandem tolerare nequeat, sed copiosis sudoribus, aut plurimum succumbere cogatur, aut nonnunquam liberetur. Pereunt aut facilius qui rari habitus facile resolvuntur, per sudores non solum diaphoreticos, sed syncopticos; servantur vero, habitu nec nimis densa, nec nimis raro præditi, à quo admittitur quidem sudor, at sine modum excedenti resolutione.

Febris hujus, sicut causa immediata atque conjuncta, est humor biliosus & valde serosus excellenti putredine infectus; ita causa procatarctica & communis, est, tum in aere, tum in alimentis omnibus, redundans humiditas; ab austrina constitutione, aquarum inundatione orta, solo & aëri communicata, quæ insigni adeo putrefaciendi atque corrumpendi facultate donata est, ut serositas quoque biliosas, non adeo facile putredini obnoxias, intensè corruperit, & venenum ipsi cordi impertiverit. Unde summa cum ratione dicebat Galen. quod ubi rectè anni tempora procedunt, & in se mutuo convertuntur, neque datur pestis, nec alius epidemicus morbus, sed solum dispersi.

Quod febris hæc perniciosa atque lethalis sit, experientia satis demonstrat; quæ terribilior evadit quò sudores unicum ferè hisce febribus perfugium, febricitantes dissolvendo, interimunt; obsistunt autem, ut diximus, facilius, densiorem totius habitum à natura sortiti; quia sudorem quidem, causam morbificam expellentem admittunt, absque tamen integra virium dissolutione; nisi dicamus, & melius, servari posse illos qui putredinem atque venènum in cordis sinibus continent, nullo verò modo, qui in cordis substantia, ut notavit ipse Gal.

Curatio itaque consistit in virium conservatione; humorum putrescentium atque venenatorum eductione; varia alexipharmacorum administratione, & caloris febrilis contemperatione.

Pro viribus tutandis, quinque vicibus, prima illa die, alimentum & alexipharmacum præbenda, ut totius & cordis reficiantur vires ipsæ. Alimentum sit ptisana valdè diluta, cum pullæ junioris instaurente, quæ si non adeo præsto sint, prima vice substituatur emulsio sem. mel. cum pullæ junioris contuso; & pro potu, aqua hordei cum julapio gemmato, aut tinctura rosarum, succo limonum extracta. Aqua quoque secunda præclariss. Sax. ad rem esse poterit. Alexipharmacum autem poterit esse pulvis ita parum.

♃. Bol. armenæ, terræ sigil. margarit. præpar. bezoar. occidentalis, ossis de corde Cervi, cornu Rhinocerontis an. ℈ ij. radic. contrayervæ ℈ j. m. dividatur pro quinque vicibus, & præbeatur cum aqua prima cord. præclar. Sax. & quidem una hora ante præscriptum alimentum. Aër cubiculi interim alterari poterit suffumigio ex aqu. rosar. in qua ebuliant cortices citri, myrabol, citrin. & modicum ligni aloës.

Pro evacuatione, sanguis nullo modo convenire potest; ejus namque missio non educit venenum, & vires resolvit. Et licet in peste Asiatica Galen. sibimetipsi, per scarificationes, libram sanguinis eduxerit, acutissima tamen non fuit affectio illa, prout febris hæc; ideo neque audiendus Avenzoar, qu phlebotomia juvenem illum è febre pestilenti liberavit. Vesicantia locum habere possent, tum cruribus, tum brachiis apposita, cum serositates venenatas à corde evocent & evacuent; nam & Ægyptii ulcera excitabant, & Recentioribus, raphanum pedibus, salse prius & aceto mundatis, malignitati, attrahendæ, apponere usus est.

Sunt qui medicamentis purgantibus statim ab

ab initio venenum expurgare feliciter etiam tentarunt. Sic Matthiolus narrat se plures liberasse antimonio crystallino, in vino albo infuso; quod certè genus remedii tunc admitti posset, si humores veneficos in corpore, non in ventriculis dignoscere possemus; verum quoniam incerta valde hæc conjectura, nec vires satis constant tanto remedio ferendo, ideo omittendum, considerantibus veneficos humores facilius per sudorem quam per alias vias evocat atque excerni posse, in hac præsertim febre, quæ sudorem potius expetere nobis significat; quæque exacerbatur, atque citius Patientes interncit, si Medicus sudorem sistere atque cohibere tentaverit.

Neque alterantia, & calorem febrilem contemperantia sunt omittenda. Sed quoniam tempus oportunum non adeo facile nobis conceditur; ideo, vel cum pulvere alexipharmaco jam proposito, integra libra aquæ stillatitiæ de succo acetosæ erit propinanda; vel cum alimento potus erit augendus. Quæ de hac febre dicta satis. *Idem ibidem.*

Febris Hectica Gallica.

Juvenis quidam dives 25. annum agens, temperamenti totius & jecoris, ad calidum & humidum vergentis, mediocris habitus, vigesimo suæ ætatis ante gonorrhœam contraxit, ob quam ad medicum confugiens, ab eodem, aut imperito, aut doloso, sanguinis missione & medicamentis purgantibus fuit curatus; quorum usu gonorrhœa quidem evanuit. verum capitis dolores, tumores crurum, & bubo in inguine dextro suborti sunt, & ab hoc suppurato, purulentæ & saniosæ materiæ copia tribus continuis mensibus emanavit. Interim capitis dolor cessavit, crurumque tumores delituerunt, sicque quatuor proximè præteritos annos absque ulla molestia transegit. Verum anno elapso, rursus ab infecta muliere ulcus in glande, & bubonem iterum reportavit, qui pæriter à lucri avido, & nefario Chirurgo, perperam sanguinis missione & medicamentis tractatus, in deteriorem statum devenit; evanuit quippe bubo, ulcus consolidatum, & subinde papulæ in universo corpore, & in capite potissimum eruperunt, saniosa materia manantes. Dolores insuper, non solum in articulis, sed & internodiis, sæviores spirantibus Austris successerunt, & vires totius defecerunt, ægro in dies semper graciliori; qui tandem duobus abhinc mensibus febricitare quoque cepit, febricula circa vesperam invadente, cum levibus horripilationibus, doloribus universalibus atque vigiliis; quæ succrescebat cum exiguo calore, in cujus vigore mitescebant dolores; pulsus tardi & parvi, cum aliqua inæqualitate. Modo febris sæpe, sine ulla horroris annotatione iisdem horis exacerbatur, perexiguam habet declinationem, nullamque intermissionem, & ab assumpto cibo quodammodo incalescit Patiens; gracilis autem adeo factus est, ut non solum ad atrophiam verum & tabem devenisse videatur. Varias hoc tempore peregit purgationes, decocta sumpsit, vina medicata, aquas stibiatas; at omnia sine sudore, dum gallicum morbum occultare & proprium statum palam facere detrectavit. Modo, in hisce angustiis, congruo hoc anni verno tempore, de agendis ipse, cum domesticis, consilium efflagitant.

Egregium Juvenem, quatuor abhinc annis lue gallica infectum, ab eadem nunquam vindicatum fuisse suspicamur; licet enim per suppuratum bubonem corpus totum diutius expurgatum fuerit; attamen ab imperito medico gallica virulentia, quæ prius in vasis seminariis tantum delitescebat, gonorrhœa, vi medicamentorum & missionis sanguinis avocata, quinimo sursum attracta, indeque per totam massam sanguineam diffusa fuit, & plures alias corporis partes; caput scilicet & crura inquinavit, non adhibitis potissimum propriis alexipharmacis. Et licet bene habere tres præteritos annos sibi visus fuerit, nulla tamen fiducia, cùm enim lues hujusmodi, non solum cum spiritibus, verum & cum humoribus crassis, à quibus gummata, ad universum corpus & solidas partes irrepserit; ideo diuturno tempore latere potest antequam palam fiat, & proprias exerat vires; ut de viru canino exemplum tradidit nobis Galenus. Utcunque autem, illud certissimum est ex novo fœdo concubitu, anno elapso, iterum novam luem Celticam contraxisse, quæ statim se prodidit ulcere glandis, ex attritione scilicet in concubitu: necnon bubone in inguine, hepatis emunctorio; unde in jecore primam sedem occupare plerique crediderunt; sicut alii in cerebro, quia humidus est affectus, caput vero Hippocrat. & Arist. testimonio, est pituitæ & seminalis substantiæ metropolis. Ex eodem autem, quo superius Chirurgi errore, atque præsidiorum medicorum abusu, materia infecta ab inguine revocata, & totum sanguinem inficiente pustulæ in capite apparuerunt; atque ab eodem inflammato papulæ quinetiam in universo corpore, saniosam materiam emittentes, illis non absimiles quæ in austrina illa constitutione, ab Hippocrat. descripta, grassabantur; in qua describuntur, sacer ignis, inflammationes, abscessus, suppurationes, cum materia puri non absimili, verum aliam quampiam præseferente; præterea capitis glabrescentiæ, ossium denudationes; hæcque modo cum febre, modo sine febre. Subdit, quod quibusdam brachium, vel totus cubitus decidit; nonnullis totum femur, vel tibiæ, vel pes totus denudabantur quibusdam anteriora; aliis vero posteriora afficiebantur; & maximè peribant quibus abscessus non fiebant. Quæ quidem omnia luem veneream Hippocrat. quoque temporibus viguisse quibusdam persuaserunt; præsertim cum addat ipse Hippoc. quod omnia gravissima erant, dum pubem & pudenda urgerent. Quibus addunt isti, morbum gallicum in Italia primò innotuisse anno 1495. cùm Neapolim oppugnabant Galli, Carolo VIII. regnante, juxta vulgi opinionem; cum tamen lues venerea, ex concubitu contracta, observata fuerit à Saliceto, anno 1270. & à Taranta, anno 1418. Nos tamen cum communiori credimus, sæva illa symptomata ab austrina & humida prægressa constitutione provenisse, corpora ipsa quodammodo corrumpente, & symptomata inducente gallicis similia; omnis enim corruptio ab excessu qualitatum procedit; sic & Gallicus ipse putridum quoddam & humidum inqui-

inquinamentum partibus solidis inurit, quo partes ipsæ obscœna putredine laxantur, dehiscunt, imò & corpore excidunt; & ideo flantibus austris omnia sæviora fiunt, & circa vesperam, noctuque, juxta cum febre, exacerbantur; præter dolores articulares & internodia infestantes, qui cum à materia sub periostiis contenta excitentur, sicut à noctis frigiditate ejusdem resolutio prohibetur, & ita exacerbantur, ita vigente calore febrili, post noctis medium, eadem attenuata atque resoluta, mitescunt quinetiam dolores ipsi.

Febrem autem, quæ in præsens majus facessit negotium, à virulentia gallica ortam fuisse, non est, quod dubitemus; cum gallica symptomata sit subsequuta, atque horis vespertinis invadat, nocturnis succrescat, non multo tamen calore, pulsu tardo, pituitosi & melancholici humoris indicio, in quibus tanquam firmiori sede, fundari solet Gallicus ipse; licet non inficiandum, in quolibet quinetiam humore copiosiori atque peccante, firmari posse, ut potè à natura derelicto, sive minus custodito; unde dari posse tum biliosas, sive tertianas; tum pituitosas, sive quotidianas; tum erraticas, & quartanariam periodum servantes, sive melancholicas febres omnino sit asserendum; ut plurimum tamen quotidianæ gallicæ observantur, cum virus hoc statim calorem nativum viscerum naturalium inficiat, & coctiones lædens, crudam atque pituitosam materiam adaugeat, in qua putrefacta, febris plurimum in Gallici tantum progressu accenditur; & præterea, quoniam licet Gallica lues in humido putri fundetur, nihilominus in nobis exurentem quandam occultam qualitatem in se obtinet, ut & in mercurio ignem experto observare licet; hinc adusta quoque & melancholica corpora reddit. Quare putridam ab initio fuisse pro certo habendum, ut pulsus inæqualitas, accessiones quotidianæ, cum horripilationibus, attestabantur; quibus evanescentibus, accessiones insensiles factæ sint; cum tamen continuo febricitet æger, exigua licet declinatione, absumpto item cibo incalescat, & gracilis valde sit redditus; quare dubitatur, num hectica laboret, necne? Equidem, sicut hecticum, non amplius scheticum esse Gallicum virus in hoc Patiente, censendum; ita hecticam quoque posse esse febrem ipsam facile credendum, non quidem simpliciter, sed gallicam, in qua calor præter naturam in corde fixus habitualis non est, quod rarò contingit; quia in humido putri fundatur lues ipsa; macies tamen hectica citò accedit, & habitualis evadit Gallica febris, ob putridum Gallicum inquinamentum, visceribus & solidis omnibus corporis partibus inhærens, ex quo febris, citra annotationem veram, hecticæ æmula. Non tamen negandum diuturnis febribus, tum gallicis putridis, tum non gallicis, hecticas quoque veras quandoque succedere; quod docuit & ipse Galen. quæ tamen diuturnitas non præcessit in hoc casu nostro, quam ideo veram hecticam simpliciter non esse decernimus.

Cum itaque res ita habeat, curandum statim, ut Celtica lues debelletur, quo febricula quoque, cum cæteris gallicis symptomatibus auferatur, antequam verè tabida evadat. Et licet intentionibus implendis obstet totius atrophia; difficultatem tamen, at non impossibilitatem id infert. Quare salus desperanda non est; cum juvenis sit Patiens, necdum generosa ac propria fuerit expertus remedia.

Qualitas autem hujusmodi cum sit occulta, alexipharmaca requirit, ut extinguatur; quæ tamen sola non sufficiunt, sed exsiccantia præterea, in manifestis, sint oportet; sicut & in pestiferis affectibus, ab Hippoc. in illa austrina constitutione observatis; Nec validis purgantibus tolli potest, ut falso quidam crediderunt, & longe minus laborantibus partibus solidis.

Quoniam verò totum, tum purgantibus medicamentis, tum sanguinis missione, satis superque evacuatum fuit; ideò in præsens, statim de alexipharmaco cogitandum; habita tamen insignis gracilitatis ratione; neque propterea vera ac legitima, procrastinanda curatio.

Quare ad guajaci medullam, tanquam adsacrum & tutum alexipharmacum, est confugiendum; quod licet calidum & siccum gradu secundo, oleaginosum tamen & pingue, dummodo odorum, recens & nigrum sit; cui addenda quoque salsa, ut quæ parum aut nihil calefaciat, & humores non modo congelatos, verum & exsiccatos emolliendo, attenuet atque fundat. China quoque admittenda; cui tamen parum aut nihil fidimus, cum citissime eximias suas vires amittat. Nec ab horum usu nos deterreat totius insignis gracilitas; cum animos addant Cardanus, qui solo jure ex guajaco parato, febrem gallicam duplicem tertianam curavit. Sed magis Scholzius, qui tabidum Gallicum decocti guajaci & salsæ sanavit; prout hecticum alium Solenander; quod tandem nostra non semel experientia confirmatum vidimus.

De modo autem cogitandum; cum sudorem quoq; ad materiam putridam solidis partibus infarctam, attenuandam, emolliendam atque educendam, necessarium existimemus. Decoctum itaque primo paretur, quod nutriendi facultatem obtineat, hoc modo.

♃. Salsæ electæ unc. j medullæ guajaci, chinæ rec. an. unc. ſ. aq. still. acet. borrag. an. lib. j. ſ. m. f. inf. per hor. 24. deinde adde dimidium pullæ junioris; bull. lente, & cum operculo, ad consumptionem dimidii: facta verò colatura servetur pro duabus vicibus, hora una ante sudorem assumenda. Inde.

♃. Residuum, fol. rec. end. borrag. acet. an. manip. j. aq. opt. lib. xii. pullæ junioris dimidium m. bull. ad consumpt. quartæ, deinde B. M. destill. ut fiat stillatum pro potu consueto; cui pro lubitu Patientis, addi poterit cinam. frustulum, & sacchari fini quantum libet.

Transacta unica hora ab assumpto decocto, sedeat Patiens in labello aqua calida pleno, malva, meliloto, & mercuriali, sive parietaria, alterata, & linteis superpositis cooperto: ita proliciatur sudor, ut minus gracilitati officiat, atque materia putrida galico infecta, solidis partibus inhærens, crassefecta emolliatur atque liquetur: & ita mox facilius educatur in hypocausto; quod octo post diebus subire debet, exigua tamen in eo mora, prolecto potius in lecto

sudore: rursusque aliis octo diebus transactis, ad labellum descendat, & alternatim sic prosequatur, ad 40. usque diem.

Sudandi modus iste respicit gracilitatem corporis, & duplici ratione materiam gallico infectam, educendam; quæ cum crassa sit reddita, humectatione eget ut dimoveatur: cumque & ipsa pituita crassefacta, sit quoque humectanda, ut facilior ad 'morum & evacuationem reddatur: prout notavit Tral. à Gal. edoctus, qui propterea anhelosis copiosum potum exhibebat. At quoniam putrida hujusmodi infectio omnino exsiccationem indicat: ideo in hypocausto ut alternatim sudet ipse Patiens necessarium duximus.

Sed nec vivendi ratio communis & consueta esse debet. Et primo quidem, cubiculum amplum, sed bene clausum sit, ad Orientem situm. Victus non tenuis, non plenus, sed mediocris, nec attenuans: ideo panis non erit biscoctus, sed subactus cum aqua, china & salsa alteratæ. Carnes pullæ junioris, vel columbæ turricolæ in prandio quotidiè sint in usu: quæ tamen bull. simul cum china, potius elixæ quam assæ. In cœna verò sit ipsi Saxoniæ ferculum consuetum: vel ptisana cum saccharo, & ova recentia, confectiones ex nucleis pineis, & passulæ: Quæ si viribus non sufficiant, vini quoque cyathus in prandio concedatur, albi, tenuis & subdulcis. Somno deficiente, à cœna comedat panis martiis portionem. Quies potius quam exercitium conveniet. Alvus clysteribus erit sollicitanda ex lacte, butyro & saccharo paratis, & decimo quoque die cassia cum tart. præbenda. At si multum interdiu ex aqua secunda bibat, tunc potio ex manna clatif. exhiberi poterit, cui tamen superbibat seri depur. libras. Interim totum abdomen ung. rof. Mes. quotidie illinatur, & ut alacri animo degat, ab amicis invisentibus sollicitetur.

Exacto verò sudore, de lactis prius asinini, mox etiam caprini, necnon de Balnei aquæ dulcis usu erit cogitandum: aquæ enim Nocerianæ, à tanta corporis gracilitate, ab usu decocti, & à sequutis sudoribus venas exsiccantibus, effluxus intercipitur, ut praxi observavimus: præterquam quod humectatione substantifica magis egebit Patiens, quam refrigeratione. Tota æstate verò, vinum ad mensam, china saltem medicatum erit parandum, totumque corpus ol. amygdal. quotidie illinendum. Hæcque pro gallicæ febris hecticæ cognitione, atque curatione, satis *Idem ibidem.*

Hectica primi Grodus

Iuvenis 30. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilis & rari habitus, post longum iter hoc anni tempore æstivo, quo meraciora vina potavit, iisdem antea quoque delectatus, domum reversus post sudores diurnos nocturnosq: de totius corporis lassitudine & imbecillitate conquestus est, cum siti molesta atque inappetentia, ob quam exiguū cibum sumebat, multum tamen meri potabat, præteritis diebus febricitare cepit febricula quadam adinstar diariæ, citra ullam caloris molestiam, & cum acili tolerantia: quæ tamen transacto diariarum spatio, non modo non cessavit, sed nec quidem declinavit: imo trasactis quinetiam tribus diebus, sine ulla accessione semper ejusdem tenoris perseveravit: cujus calor licet mitis videretur, aridus tamen & mordax tactu percipiebatur, semperq: æqualis & sibi similis: cutis quodammodo aspera, corpus totum, non solum gracile sed squalens apparebat, molestis quoque vigiliis divexatum. Patiens tamen se febricitare non percipiebat; quinimo à febre nonnunquam immunis sibi videbatur, cum tamen solita munia obire non posset: pulsus solito frequentior à Medico domestico, parvus & debilis fuit observatus, semper tamen æqualis, urinæ ferè sanorum similes. Modo, dubiis sic rebus, nos ad consultationem acciti sumus.

Cum Hippoc ex solo calore tactu percepto, febrium differentias desumere consueverit, nobis quoque suspicari licebit ex acri & arido hujus Patientis calore, febrem adesse; maxime verò si pulsus frequentiam consideremus, usum in corde adauctum à præternaturali calore significantem, & sensibilem operationum læsionem; cum Patiens ad consueta munera obeunda iners jam redditus fuerit. Sed quoniam æqualis observatur ipse pulsus, urinæque fere sanorum similes, putredinem abesse omnino credendum, adeo ut febris hæc putrida haud censeri possit; sed neque diaria, cum diariarum tempus consuetum jam excesserit; & præterea, quoniam calor mitis & suavis non est, ut in diaria, sed oridùe & acris; & quia in diaria Pat. seipsum febricitare congnoscit, cum alioqui calor febrilis, non semper æqualis & idem sit, sed incrementum & decrementum habeat. Quare à sufficienti febrium exclusione, in tertio genere, hectico scilicet præsentem contineri necessario concludendum, quod focile uobis confirmant res naturales, nimirum temperamentum totius & jecoris, calidum & siccum, ætas juvenilis, habitus gracilis & facilè resolubilis; unde dicebat Galen. quod Nullus habitus humidus ab initio statim hectica febre corripitur: sed qui natura sicciores sunt, calidæque temperaturæ, qui in vigiliis & laboribus degant. Quæ omnia adsunt in nostro Patiente, in quo non minus conspirant res nonnaturales: præcesserunt enim iter longum, caniculari tempore susceptum; præterea meracioris & copiosioris vini potus, ciborum abstinentia, aut saltem parcitas, cum sudoribus redundantibus; à quibus jam dictis procatarcticis causis febrem hanc excitatam fuisse minimè dubitandum, licet hæserint Mercur. Vega, Actuarius & Avenzoar, à causa scil. protarctica statim provenire posse; quem tamen scrupulum eximit omino Gal. dum triplicem tradit hecticæ originem. Prinam quidem à causa procatarctica. Secundam ab aliis præcedentibus febribus. Tertiam ab aliqua prævia interna inflammatione, ventriculi scil. jecoris, renum, pulmonis & intestini coli. Et licet Avic. quoque quodammodo à Galen. dissentire videatur, consentit tamen: quia raro aut difficulter id fieri posse affirmavit. Quid si raro, ergò aliquando; præterquam quod hecticam ab initio fieri, licet omnino negari possit, à causa tamen procatarctica admittendum, præsertim in corpore ad hecticam ita disposito, in quo facilis fuit caloris introductio, non solum in spiritibus & humoribus, verum & in solidis cordis, & totius corporis partibus: qu

calori

calor, ut factus & habitualis, ideoque semper æqualis, febriculam jam dictam, citrà caloris molestiam, cum facili tolerantia excitavit, quam hecticam, hoc est ægre solubilem, sive fixam & habitualem, quia totius corporis habitum insideat, vocavit Galenus. Hæc autem in primo gradu constituta est, qui roridam tantummodo substantiam, primis hisce diebus, calor ipse febrilis depascitur, nondum verò carnosam, minusque primigeniam; & ideò nondum signa secundi, minus verò tertii gradus apparent.

Ad prognosticum accedentes, consideramus quod in morbis semper facilius est redundans minuere, quàm deficiens supplere. Verum quoniam in hoc hecticæ principio, exiguus valde est defectus, ideo non admodum difficilis fuerit ejusdem curatio; rationem reddit idem Galen. dicens quod, Ubi adest intemperies & sola effervescentia in corde, sanare facilè est, at ubi effervescentiam sequitur consumptio, difficile; tunc enim virtus perpessa est humiditatis inopiâ Quare salutis spe concepta, curatio statim instituenda.

Quæ duplicem habet intentionem. Primam à febris essentia. Secundam à viribus desumptam; cum enim causam foventem non habeat, nec præservativam intentionem habere necesse est. Itaque, ratione febris refrigerandum & humectandum; ratione virium, substantifice humectandum.

Quare pro hac curanda febre, nullam convenire evacuationem, nec per sanguinis missionem, nec per medicamenta, nulli non apertum est; sed alterationem atque nutritionem omnes in curatione partes implere.

Pro hac igitur curanda primi gradus, duo generosiora remedia proponit Galen. à reliquis medicinæ Principibus recepta; frigidæ scil. potum, & balneum. Diximus autem hujus hecticæ primi gradus remedia esse; quia in hecticæ principio, multò magis urget caliditas quam siccitas, cum non adhuc corpus exsiccatum fuerit, ac proinde refrigerantia potius, quam humectantia indicentur. In progressu verò, quoniam augetur & invalescit siccitas, & corpus absumitur, ideo tunc vice versa, humectantia magis quam refrigerantia conveniunt; quinimo à refrigerantibus, eo statu, læduntur corpora graciliora, naturali calore destituta: unde in progressu lactis usum frigidæ potui substituemus, quod expressit Gal. dicens. Primis diebus frigida convenit, dum aires validæ, & sanguis copiosus in corpore existit: non sic in progressu. Unde frigidæ potu Juvenem quendam præservavit, ne in hecticam incideret: imo & sanavit Mulierem, autumni tempore hectica laborantem, moderata frigidæ potione. Sic Tral. ab initio frigidam exhibendam docet.

Antequam tamen frigida nostro Patienti propinetur, primarum viarum expiatio procurari poterit, cass. cum tamarindis, & quidem tutius quam syr. ros. aut alia potione, quæ confertim evacuando spiritus resolvere, vires minuere & valde exsiccare solet; bolis autem superbibendum præbeatur serum depur. ad lib. ii. Aquæ qualitas sit dulcis, levis, ad vi. vel vii. libras. Neque observandæ omnes conditiones à Gal. propositæ, frigidæ potum prohibentes, nimirum imbecillitas viscerum naturalium, gracilitas corporis, cruditates & obstructiones, insuetudo, & anni tempus frigidum, quoniam alibi easdem restrinxit ad febris ideam, virium robur, & signa coctionis. Verum in casu nostro, frigidam postulat idea febris, vires eam permittunt, neque attenditur humorum coctio. Ergò propinanda: quanquam ea non admissa, aqua stillatitia, serum & hujusmodi alia refrigerantia substituenda forent.

Secundum generosum remedium, pro hujus hecticæ curatione, est balneum, quod quatuor habet partes; constat quippe ex aëre calido, aqua calida, aqu. frigida, & loco detersionis. Huic autem hecticæ principio, convenit frigidum, si audiamus Galen. dicentem, quod Balneum hecticos nihil juvat, nisi in frigidam dimissi fuerint, & licet periculum sit ne in affectum frigidum deducantur, remedium tamen omittendum non est; satius enim est cum aliqua fiducia, vel etiam periculo aliquid agere, quam ægrum certæ morti relinquere; item potentibus remediis pugnare quam nihil agere; præterquam quod possumus posteà calefaciendo mederi. Hæc Galen. Qui tamen tepidum proponit in hecticæ progressu, sicut tepidum, deinde verò frigidum, dum vires valde imbecilles, & corpus gracilius ac emaciatum fuerit, qui balnei postremus modus, utpote tutior, à nobis eligi & usurpari solet, namque humiditas aquæ tepore facilius insinuatur & detinetur, si illico affatim superaffundatur frigida; in quem finem & Tral. præcipit inunctionem statim à balneo; sic & Ætius. Quare & nos, post levem linteis mollibus non detersionem modo, sed corporis exsiccationem inungamus oleo amygdal. & viol. simul mistis, toto abdomine ung. rosMes. illito: præterquam quod à tepido balneo facilior quoque redditur alimentorum distributio. Efficacius autem redditur, alteratum foliis malv. viol. nympheæ, lactucæ, salis, brancæ ursinæ.

A Balneo dormiendum non est, sed potius alimentum assumendum: ideo Gal. à balneo lac exhibet, præsertim imbecillioribus, Tral. autem ptisanum præbet.

Secunda intentio erit dirigenda ad virium conservationem.

Et ideo, primo aër inspirandus frigidus sit. Secundo notandum, quod hecticis copia ciborum noxia est: quare parum & sæpe nutriendum. Cibi autem in hoc primo gradu, sint æqualiter refrigerantes ac humectantes, nec adeo facile resolubiles: sic ptisana apta erit, pultes item ex lacte, ovis, penidiis, & saccharo: quibus nonnunquam hordei quoque farina addi potest. Carnes decoquantur cum cancris & ranis, absciso capite. Potus sit destillatum pulli, cum sem. frigidis lact. viol. & end. Vinum damnat Tral. at saltem sit album, subdulce, oligophorum. Tertio somnus sit longior, corpora enim extenuata alimentis & longo somno sunt reficienda. Quarto, parum aut nihil exerceatur: cum balneum & reliqua sat sint pro exercitio. Quinto alvus lubrica servetur jure malvæ, cum sacch. prima mensa sumpto: vel clyst. ex lacte, butyro & sacch. paratis. Ultimo, animo hilari ab ira & mœstitia: etenim spiritus tristis exsiccat ossa, juxta Poetam.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ.
Idem ibidem.

Hectica secundi Gradus.

Nob. Juvenis annum 30. agens temperamenti totius, & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus ad iram maxime pronus, post animi graves affectiones, & meri potum copiosum, caniculari tempore nuper præterito, ardenti febre correptus, & Medico domestico curatus, decima quarta judicatus est, prægresso sanguinis è naribus copioso profluvio. In cujus febris curatione Medicus ipse sitibundo Patienti potum denegavit, rigide adeo, ut præ calore & siccitate, uti atque absumi sibi visum fuerit. Et licet decima quarta ab ardente fuerit judicatus, febricula tamen perseveravit; cujus quoniam nulla unquam accessio observari potuit, ideo Patiens se se à febre liberum atque immunem existimavit; licet Medicus febriculam, tanquam obstructionum sobolem, non abesse crediderit. Jam verò integer præteriit mensis, cum necdum recedit febris ipsa, imo nec vires instaurare potest Patiens, quin potius in dies languidior atque gracilior evadit; tandemque à Medico familiari observatum fuit, quod duabus ac tribus horis ab assumpto cibo, totum corpus incalescat, quo tempore pulsus fit magnus & frequens, semper tamen æqualis; urinæ sanorum ferè similes, & in præsens continuo decumbere cogitur, cum nostrum poscit consilium. Accersiti itaque, observamus gracilitatem universi corporis evidentem, cum cutis quadam asperitate; pulsum debilem atque durum; caloremque totius aridum & acrem, in primis verò calidiora arteriarum loca; Quibus omnibus consideratis, ita fati fuimus.

Febricitantem Patientem hunc, non modo in præsens, verum & semper, ab ardente febre præterita febricitasse censemus; atque hecticam febrem istam subsecutam esse sancimus; tum quia symboleitas, ut cum philosophis loquamur, non exigua intercedebat, ætatis, temperamenti totius & jecoris, habitus corporis, anni temporis, & causarum procatarcticarum præcedentium, iræ nimirum, mœroris & meri potus; tum maxime ob radentem febrem, quæ exurentem calorem cum insigni siccitate, & sitim inextinctam perpetuo comitem habuit; & potissimum, ob denegatum misero patienti aquæ frigidæ potum, qua unica de causa hecticæ febres ardentibus succedunt. Hujus autem febris præsentiam agnoscimus, ex arido & acri calore, qui mitis tamen tactui ab initio, apparet; præterea, quia semper æqualis fuit, ut ideo infebricitantem antehac Patiens se ipsum existimaverit; quia calor factus æqualis nullam infert alterationem, citra quam verò non fit sensus; quæ vera est ac legitima ratio: non autem Mercati, quod scil. calor paulatim, non subito & confertim agat in humidum. Hanc verò febrem primum gradum præteriisse, & in secundo constitutam nobis significant, primo calor duabus aut tribus horis increscens à cibo, adeo ut incompressa adnotatio facta videatur: quod signum indubitatum ipsius hecticæ appellabat Gal quod fit propter humiditatem, mediante alimento, in sicco impressam: prout contingit si aqua calci vivæ superaffundatur. Et licet hoc signum ab hectica inseparabile sit, non tamen in primo gradu discerni potest; cum nondum vigeat siccitas morbosa, quæ ab affuso humido alimento evidenter accendi & alterari possit; quidquid dicat Joannes Bravus. Neque tamen fortè credendum, quamlibet siccitatem esse omninò de febris hecticæ essentia, ut falsò existimarunt Mercurialis & Mercatus; quoniam ab initio siccitas exigua valde existit, adeò ut nō possit sensibiliter operationes lædere; & ideò de essentia hecticæ febris non est; sat enim quod aliquo tempore ab hectica excludi possit. Quod expressit Gal. dicens: quod Proprium iis qui marasmo sunt affines, siccitas est, quoniam hectica febris sæpenumero sine siccitate consistit. Sed præterea hanc hecticam secundi gradus nobis designant, insignis totius corporis gracilitas, aridiuscula cutis, arteriarum loca calidiora, non intercepto de calidis vaporibus, à carne superstrata judicio; pulsus item debilis atque durus, ob vires prostratas, & maximam arteriæ siccitatem; qui à cibo fit magnus & frequens, non quidem ratione usus adaucti sed qnia virtus roboratur ab alimento, & arteriæ siccæ ex materia vaporosa molliores redduntur; non tamen fit magnus absolute; quia in hectica nunquam talis esse potest. Urinæ autem in hecticis, similes sanorum esse solent; quæ tamen si bonæ, parum conferunt ad salutem; si verò malæ & crudæ, periculum adaugent, ut considerabat Gal. cruditas enim & ipsa, facultatis concoquentis imbecillitatem significat. Quibus ita se habentibus, calor hecticus & habitualis, non modo roridam, verum & cornosam & adiposam corporis partem, cum Ga. sive cambium, cum Avic. occupat ac depascitur; atque ita febrem ipsam in secundo gradu, non exiguæ tamen latitudinis constituit

Sicut hectica primi gradus facilis, tertii verò impossibilis sanationis est; ita hæc in secundo gradu posita, medio quoque modo se habet; adeò ut neque facilis, neque impossibilis, sed difficilis tamen sanationis evadat; carnosa enim atque adiposa substantia consumpta, difficilius quam rorida & longe facilius quam congenita ac radicalis reparari potest. Quare, cum difficultas impossibile non importet, aliqua spes salutis concipienda, atque curatio proponenda.

Pro qua, medicæ intentiones erunt, Curativæ, à natuta febris; & Vitales, à viribus desumendæ. Præservativas omittimus; cum causam foventem non habeamus, quæ præservativa indigeat indicatione; quinimò, quoniam hecticahæc febris jam progressa est, secundum gradum jam assecuta; curativa intentio cum vitali coincidere videtur. Primo enim & principaliter humectandum. Secundo loco refrigerandum; ratione verò virium, pariter substantifice humectandum; atque ita coincidunt intentiones jam dictæ, quibus substantifice humectantibus satisfieri poterit, quibusdam refrigerantibus non omissis.

Quibus consideratis, frigidæ potioni, quæ hecticæ primi gradus statim convenit, lac erit substituendum; non neglecto secundo generoso remedio balneo scil. aquæ dulcis. Antequam tamen ad lactis usum ducatur ipse Patiens, aliqua præ-

præcedat oportet primarum viarum expiatio, cass. exhibendo, cum pauca pulpa tamarind. cui superbibat, transacta hora, seri depur. lib j. à quo tribus post horis prandeat. Aliqua quoque præparatio instituenda esset, vel melle rof. vel julapio acet. tamen sicut pituitosis amicissimum, ita biliosis inimicissimum, à Gal. habetur; acetum autem exsiccare nulli non constat. Quare, julapio acetoso addendus syr. de ibisco, vel syr. de pomis, superhausto jure alterato cich. borrag. end. malva & violis; quinque verò transactis horis, repetatur cassia supra dicto modo. Possumus & Hippocratico more alvum solvere, & primas vias abluere copiosa lactis asinini exhibitione, ad heminas, ad integram scil. phialam; ventrem enim solvit ita corpiosè sumptum, vias abluit atque mundificat, nec ullam partibus siccitatem relinquit.

His peractis, ad lactis usum erit ducendus æger; sitque asininum, utpote quod facilius per corpus distribuatur, & nonnihil refrigeret. Incipiatur autem ab unc. iv. cum dimidio cochleari sacchari fini; mox procedendo ad unc. vi. vel ix. & ad integrum cochlear ipsius sacchari, ideo Gal. dicebat, assuefaciendum esse ægrum ad lac ipsum. Asina autem ducatur in cubiculum; recens namque mulctum esse debet, alioquin, ut genitale semen, vires amittit,

Balneum, ut quod maxime corpus totum humectat, alimenti quoque distributionem valde juvat, si fiat cibo jam concocto sicut statim à cibo cruditates parit, & à longa inedia vires diminuit. Quare tribus horis ab assumpto lacte, in balneum duci poterit Patiens, quod tepidum sit, ex Galen. præcepto, in progressu hecticæ, frigidam in fine balneo affundendo, ut constrictis porositatibus cutis, humiditas à tempore introducta contineatur.

A balneo, levissimæ statim detersiones, mollissimo panno sunt instituendæ, corpusque totum oleo amygd. copioso inungendum. Cordi quoque aliquod epithema, calorem ejusdem habitualem contemperans, ac spiritus vivificans apponi poterit, ex aquis viol. rof. nymph. flor. cit. additis speciebus cord. succo citri, & limonum. Sic hepati succus. cich. depur. addito aceto rof. utilis esse poterit.

Hisque omnibus congrua victus ratio erit adjungenda, quantitate & qualitate. Quantitas sit, quæ ab imbecillo calore superari possit; & ideo in his casibus, parùm & sæpè æger nutriendus. Undè Hippoc. rectè considerabat; Quibus semel, aut bis, quibus plurane, an pauciora offerre oporteat. Qualitas sit substantificè humectans, boni succi, facilis coctionis & distributionis, at non facilis consumptionis. Et quoniam lac hanc obtinet prærogativam, ideò lactaria quoque, & edulia ex lacte parata, non solum concedi, sed & in usum duci debent. Ptisana secundum locum obtinet, cum ovo recenti, saccharo, & gutt. aliquot aq. flor. citri, aut rof. parata. Ova recentia nunquam omittenda. Contusa pulli, cum caudis cancrorum & ranis, dempto capite. Jura carnium addita testudinum pulpa. Neque fructus omnino interdicendi, ut melonum pulpa, ficus aliquando, & uva pensilis, necnon pyra ac poma cocta. Vinum album, tenue, subdulce & oligophorum concedi poterit. Pro potu autem consueto, paretur aqua ex succo pomor. dulcium & borragine, B. M. destillata. totum diù noctuque mediocriter pannis contegatur, ne à nimio frigore calor ad centrum cogatur, sicque magis accendatur atque exsiccetur, neve adaperta nimium diaphoresi, humiditates substantificæ simul cum viribus resolvantur. Somnus omnibus modis concilietur. Quies omnino procuretur. Alvus passulis, vel prunis damascenis, cum saccharo in jure coctis, aut clysteribus ex lacte, butyro & saccharo paratis lubrica servetur: animique passiones, & potissimum mœrores, à quibus sicut ex parte hæc febris hectica originem duxit, ita ab iisdem foveri & conservari posset, arceantur. Quæ pro hac curatione dicta sufficiant. *Idem ibidem.*

Hectica tertii Gradus, sive Marasmodes.

Juvenis, 35. annum agens, temperamenti secundum totum & jecur, calidi & sicci, gracilis habitus, hæmorrhoidali sanguinis profluvio obnoxius, post animi mœrores vehementes, propter uxoris & filii dilectissimi obitum, hypochondriacus redditus, tandem, æstate nuper elapsa, in febrem acutam incidit, quæ 14 recessit; superstite tamen febricula quadam, quæ vix ab ipso percipiebatur; quinimo medicus & ipse nonnunquam eundem omnino à febre immunem existimavit. Quoniam verò Patiens parcissime comedit, tenuiori etiamnum diæta imaginatus se ab illa febricula liberandum; cum tamen quotidie calor acrior & aridior fieret, habitus multo gracilior, vires languidiores, & ab inedia, attenuato sanguine, ejusdem profluvium ex hæmorrhoidibus longe copiosius hoc tempore manaret: Propterea ad Medicum rursus confugere coactus est, qui cassiam cum tart. præscripsit, syruposque alterantes aperientes; ratus verò, quotidie, tribus horis ab assumpto cibo febrem exacerbari, cibandi tempus mutavit; nec tamen calor iisdem horis ab assumpto cibo invalescere unquam desiit, urinis supernatante pinguedine, telæ aranearum simili. Interim jam duo præteriere menses, quibus hac febricula detinetur; unde nos ad consultationem accersiti fuimus, qui invenimus Patientem febricitantem, cum pulsu frequenti, duro ac languido, necnon parvo; urinis à sanorum non valde alienis; crudioribus tamen, sed sine ulla supernatante pinguedine anteà observata, cum calore valde arido, asperiori cute, unguibus aduncis, toto corpore squalido, prout & facie nonnulla Hippocraticæ signa præferente; etenim nares acutæ sunt, oculi concavi quidem, nondum tamen partes iisdem circumpositæ, omnino carne destitutæ, collapsa tempora, contractæ aures, cutis, circa frontem potissimum, dura & arida, totius faciei color pallidus atque livens, abdomen valde depressum atque exsiccatum, nec adeo evidenter, ut antea, totum corpus incalescit à cibo. Quibus omnibus consideratis, consultatio hujusmodi habita fuit.

Juvenem Nob. in melancholiam valde pronum, propter dilectissimæ uxoris & unici filii obitum, ad hecticam dispositum fuisse, quid mirum? si præ tristitia quosdam tabefactos periisse asseruit Gal. qui & juvenem vidit, post cogi-

tationes, tristitiam atque labores, à Diatritariis ad Marasmum fere deductum; sicut pariter ex mœrore & vigiliis, Mulier quædam autumni tempore, à Gal. quarto die hectica fuit deprehensa; adde quod in præsenti Patiente accessit febris acuta, quæ corporis humiditates absumere, & calorem acriorem reddere potuit: qui tandem, cessante quoque causa fovente, fixus & habitualis in corde productus est. Unde febris primo putrida in hecticam degeneravit; & ideo se febricitare non percepit Patiens. Hæc tamen augmentum suscepit, & invaluit ob tenuiorem victum, ab ipso Patiente servatum; necnon à largo sanguinis ex venis sedalibus profluvio; non parum adminiculante totius & jecoris temperamento calido & sicco, & habitu gracili, cum habitus humidus non adeo facile hectica febre corripiatur, sed potius natura sicciores calidæ temperaturæ, præsertim anni tempore calido, ut docuit ipse Gal.

Sed quoniam in hectica contingit cor pati, prout in lucerna fomes; in primo namque ejus gradu consumitur velut oleum in lucerna circumfusum; in secundo, oleum ellychnio affusum; in tertio vero substantia ellychnii, quæ ideo rumpitur, & præ ariditate continuitatem amittit, cui etiamsi magnam olei copiam superfundas, uberior tamen flamma accendi non potest, sed semper rara ac tenuis, veluti palpitat & continuo fit minor, donec omnino extinguatur: ideo consumptis primis humiditatibus, roridis scilicet, cum Gal. & innominatis atque roridis, ex Avic. cum primus jam præterierit hecticæ gradus, qui antehac difficilis quidem cognitionis, facilis tamen curationis fuerat: cui secundus successerit, nimirum ex consumpta carnosa, atque adiposa cum Gal. & cambio ipso cum Avic. facilioris cognitionis, difficilioris tamen curationis: imo non cognitus, licet pinguedo, carnosæ, & adiposæ substantiæ colliquationis indicium, in urinis supernatans apparuerit: qui tamen neglectus, aut male curatus, in tertium tandem gradum, marasmum scilicet torridum, sive febrem marasmodem descivit: cujus præsentiam demonstrare in hoc misero Patiente haud difficile fuerit: siquidem pulsus sunt frequentiores & parvi, imo & languidi ac duri: urinæ crudiores, nativi caloris imbecillitatem arguentes in quibus supernatans pinguedo antea observata non apparet: quia jam adiposæ atque carnosæ substantiæ absoluta adest consumptio: cutis totius corporis aspera, & scabra tactui occurrit, & in summa, figura naturalis quodammodo corrupta atque mutata videtur: nares enim acutæ, oculi quodammodo concavi, collapsa tempora, aures contractæ, cutis, præsertim circa frontem, dura, ungues adunci, & abdominis depressio atque durities, insignis in toto siccitatis indicium præbent: quam nondum ad extremum redactam vix credi potest: quousque enim partes oculis circumpositæ nutriuntur, cor certissime nondum extrema tabe confectum est.

Quare per gradus, quos omisit Hipp. & cum ipso Celsus, qui hecticam febrem sub nomine tabis, nobis proposuerunt, febris hæc à primo ad secundum, à secundo ad tertium, ad tabem scilicet progressa est, ut frequenter & sæpe sæpius fieri solet: licet aliquando marasmus torridus statim à principio, etiam sine præcedentibus duobus aliis gradibus fieri possit, quidquid dicant Zacutus & Vega: quoniam rorida humiditas, caro & pinguedo, ab aliqua alia causa colliquari & consumi possunt, quam consumptionem mox tabes ipsa, & torridus Marasmus subsequi potest.

Status hujus Patientis potius deserendus, quam curandus videtur. Tabem enim dicebat Gal. nec quidem curare tentaveris: nam etsi calorem extinguere poteris tamen remanet, quæ senectutis ritu hominem interficit. Nihilominus tamen duplex respectus ad curationem tentandam nos invitat & excitat, juxta Gal. & Tral. Gal. enim Juvenem tabidum curandum suscepit, vivumque in annos servavit, marasmum torridum in frigidum marasmum commutans: melius enim, dicebat ipse, in habitu senis vivere quam illico mori. Tral. vero scripsit, humanum esse, atque benignum artis auxilium, cum morbis contendere, & non ceu deploratos ægros omnino relinquere: interdum enim, ubi quis naturam dextram nactus fuerit, & tabes incipiat, nondumque solidas partes torruerit, salutem consequi poterit. Addamus nos, si interitum evitare non possumus, cum humiditas solidarum partium irreparabilis sit; celeritatem tamen possumus coërcere.

Quare, ut longiorem vitam ducat ipse Patiens, quammaxime fieri potest, substantifice totum corpus est humectandum. Secundo, ratione caloris febrilis, moderate refrigerandum; sed caute omnia, ne vel frigiditate nimia calor nativus omnino extinguatur, vel à nimio cibo obruatur. Ideo dicebat Gal. quod febris hæc nec levissimum quidem errorem tolerat.

Duo autem curationis erunt potissima remedia, internum unum; externum alterum; humectantia magis quam refrigerantia, ob siccitatem quæ jam præpollet. Quoniam verò in tabidis partes ad cibum alliciendum, propter siccitatem, infirmæ sunt; ideo alimentum sit facilis attractionis, tenuium scilicet partium, & moderate calidum; quod tamen, quia parum admodum nutrit, crassum namque, viscosum, firmum, quodque difficulter transpiret, ut assimiletur, exigeretur: in hac repugnantia non ita facile alimentorum copia suppetit: mediocriter tamen utrumque præstare poterit lac, præcipue si æger muliebrem mammam ore suxerit, ut Euriphon, Herodotus & Prodicus Gal. Præceptores præcipere solebant: vel saltem sit asininum, adhuc calidum, ut propterea asina ad cubiculum ducenda sit. Lac itaque, ut cæterorum omnium, tum alimentorum, tum medicamentorum præstantissimum, in usum ducendum: utpote mediæ temperaturæ inter sanguinem & pituitam, & quod magis accedat ad naturam sanguinis, ut Gal. visum fuit: ad frigidum tamen & humidum, ex eodem inclinat, parum autem à calore recedit, ideoque temperatum. Caprinum omittitur, licet magis nutriens, eò quod difficilius permeet, & ad nutriendas omnes corporis partes non adeo facile pervadere possit: minus verò vaccinum, & minus adhuc ovillum, omnium crassissimum. Camelinum autem, & equinum nullo modo in usum veniunt. Sit autem ab initio ejusdem exigua quantitas, ad unc. iv.

cum

cum melle, quia nimis calefaciens & exsiccans est; quæ paulatim augeatur. Sic si muliebrem mammam suxerit, unius mammæ turgidæ sufficiat quantitas, & paulatim ad duas ascendat, sacchˇro, cum ipso lacte, aut ante ipsum degluto, idque summo mane. In prandio præbeatur ptisana, cum emulf. amygd. & sem. melon. præmisso ovo recenti, in jure dissoluto; vel pulli junioris contuso, eodem modo, cum sacch. in jure exibito, vel parentur morselli, & præbeantur ad unc. ii.

♃. Pulpæ pullæ unc. v. nucleor. pineor. amygd. dulc. pistac. an. unc. ii. troch. de gall. mosch. scrup. s. sacch. fini dissol. cum aq. ros. & florum cit. q. s. m. f. morselli. Vesperi in cœna rursus mammas muliebres sugat, circa verò noctis dimidium, lac arte paratum præbeatur, nempe ex amygd. nucleis pineis, & sem. mel. in iure cum sacch. cui addi poterit contusum ex caudis cancrorum, vel testudinum carne. Quod si vinum appetat, sit pauciferum, tenue & subdulce, cum offis panis præbendum in prandio, & de nocte.

Verùm quia difficillima evadit in hoc casu alimentorum distributio, ideo frictiones, manibus oleo amygd. inunctis, quatuor horis ab assumpto cibo administrari solent, corporis cutem manibus inunctis contrectando atque humectando. Ab aliquibus quoque picationes institui solent; quas nos reprobamus, utpotè nimis resolventes.

Balneum verò antiquitus, potissimùm in hunc finem usurpatum est, ad alimentorum nimirum distributionem adjuvandam, & totius corporis habitum humectandum, atque quodammodo refrigerandum. Quare vel mane, quatuor horis ab assumpto lacte; aut vesperi, 4. saltem, aut quinque horis ab assumpto prandio, balneum aquæ dulcis adhiberi poterit, fol. malv. viol. lact. salicis alteratæ; sitque tepidum, ut considerabat Gal. dicens. Quod gracilibus & imbecillis, frigidæ balneo partes similares offenduntur, à quibus omnes actiones obeuntur. Quare prius in balneo incalescere debent; tunc enim ipsis accidit quod ferro dum intingitur, & in frigidam mergitur; sic enim roborotur. Quare sicut non calida, ne vires resolvantur; nec frigida, ne partes similares offendantur, ex usu est aqua, ita tepida conveniens erit, in fine tamen frigida affusa. A Balneo tandem ad stratum delatus æger, moliter est detergendus, & oleis amygd. & viol. totum corpus inungendum. Abdomen verò unguento rosato illinendum.

Et licet victus ratio jam præscripta fuerit, aliqua tamen circa eandem considerari possűt. Et primò, quod facilius sit impleri potu quam cibo. Secundò, quod eorum quæ velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. Tertiò, quod & quibus semel, aut bis, & quibus pluranè aut pauciora offerre oporteat, sit considerandum, ætati, anni tempori, regioni & consuetudini aliquid condonando; ac tandem, si non parum deterior cibus & potus, suavior autem, si quandoque præferendus. Aër interim inspirandus ad frigidum potius vergat. Somnus & quies omnino procurentur. Alvus lubrica servetur clysteribus mollioribus, ex lacte, butyro & saccharo paratis. Animi passiones arceantur, & erecto animo æger semper degere jubeatur. Quæ pro præsenti casu dixisse, satis. *Idem ibidem.*

De Febri Quartana Intermittenne.

Vir xxx. annorum, temperamenti phlegmatico-melancholici, cibis mali succi, velut carnibus fumo induratis & muriâ conditis, potuique minus defæcato nimium indulgens, aere autumnali pulvio & nebuloso ex itinere satis molesto domum rediens, sub vesperam sentit totius corporis lassitudinem, cum horrore, vomendi conatu, succedente calore, in principiô paroxysmi debili, in progressu verò manifesto, ad mediam noctem durante, quarto quovis die cum simili inæqualitate, horrore & vomendi desiderio repetit calor: Tussicula quandoque adest, capitisque dolor cum calore præcipuè succrescens: urina extra paroxysmum tenuis; in paroxysmo magis turbida conspicitur: Pulsus itidem ante invasionem tardus est & rarus; ingruente verò calore paulò celerior: In sinistro hypochondriô nonnunquam dolor percipitur gravativus, maximè ante invasionis tempus: Paroxysmus tertiâ jam redit vice: Tentata hactenus fuêre remedia quædam domestica, sed frustrà. Petitur consilium.

Resolutio.

Affectus quo Æger noster laborat, est febris Quartana Intermittens, Germanis *das viertagige Falte Fieber.*

Adesse hunc affectum testantur I. Signa Essentialiter Inhærentia, ut sunt: lassitudo corporis totius; horror, huicque pedissequus calor, & præter hæc aliis Febribus intermittentibus communia signa, typus, seu paroxysmus quarto quovis die rediens.

II. Signa Postessentialia, veluti dolor capitis cum calore incrementa sumens, nec non hypochondrii sinistri gravativus, vomendi desiderium, tussicula, pulsus tardus & rarus, idemque celer aucto calore evadens, urina tenuis, hinc turbida magis post paroxysmum reddita.

III. Causæ Prægressæ, quarum censum potissimùm subeunt temperamentum phlegmatico-melancholicum, cibi mali succi, potus crassior, aëre autumnali, pluvio, & nebuloso susceptum iter.

IV. Similitudo: qui enim dicto modo corripiuntur, Quartanâ laborare æstimandi sunt. vid. Rolf. in O. & M. Med. Spec. Consult. Horst. & Plater. in observ.

Subjectum Principale ut reliquarum febrium, ita etiam Quartanæ intermittentis cum B. Rolf. O. & M. cogn. & cur. febr. gener. c. XXIV. dicimus esse Cor. prout scilicet idem est officina sanguinis, & luculæ perpetuò scintillantis sedes, concretivè sumtum cum sanguine & vasis. Unde nec Febris adesse valet, priusquam Cor afficiatur & calefiat. vid. Galen. lib. 1. de diff. Febr. c. 3.

Minus Principale Subjectum est totum corpus, quatenus singulæ ejusdem partes diverso

licet gradu inæqualitatem à febri quartanâ provenientem persentiscunt, cum non fiant, quæ alias sub archei ductu fieri debebant.

Subjectum Causæ vix commodiùs concipi potest quam glandulæ stomachales, intestinales, & mesaraicæ, fermento intestinorum seroso, bilioso, & ipsis intestinis, mensenterio, pancreate, & inprimis in nostro Ægroto liene vellicantibus. quatenus scilicet fermentum febrile, acetosum, magisque fixum & penitius radicatum in iisdem generatur, quod ad tempus ibidem delitescens, ob copiam & subtilitatem hinc in massam sanguineam eructatur, & febris quartanæ autor evadit. Quare nec pancreas solùm, secundùm Sylv. lib. I. prax. c. 30. & Regner. de Graef. de succ. pancreat. c. 2. nec lien solus juxta quosdam pro hospitio quartanæ habenda, sed & alia primæ culinæ viscera conjungenda.

Causa Immediata Proxima est circulatio sanguinis turbata in vasis, radice & miscelâ. Hac enim posita optimè confusus ille status humorum, præsertim in paroxysmo, ex varietate symptomatum, caloris & frigoris, concipi potest; majori vel minori læsione sanguinis & seri intentatâ.

Causa Mediata Proximior habetur fermentum peregrinum, inæquale, acidum, fixum & tartareum, circa focos ordinarios ut glandulas stomachicas intestinales, pancreatis & lienis anteà dictas, penitius hærens, quod statis temporibus resolutum & in motus rarefactione promotâ adactum, per vias ordinarias, mediante vehiculo itidem ordinario, ad cor. defertur; ubi delatum in actum erumpit, & in M. S. ἐργασμὸν excitat, adeoque archeum ipsum turbat, qui hostis hujus peregrini & heterogenei injurias & insultus ægrè ferens, eundem aggreditur, & omni modo subigere, & extrudere satagit.

Ut autem fermenti febrilis ratio pateat, dicimus per fermenta, ut alias in Chymicis, ita & hic loci, nihil aliud quam particulas subtilissimas, salinas & volatiles insignem immutandi vim obtinentes, intelligi. Quemadmodum enim usu domestico & vulgari fermentum panificum, fæces vini aut cerevisiæ in exigua satis mole, ingentem mollis & liquidæ substantiæ copiam immutare valent (ut oris & ventriculi fermentum ipso assumtionis momento quævis palato immissa miro modo transmutantis, aliaque non latiùs memoremus) ita & cum fermentis morbosis & in specie febrili, sive illatum illud sit, sive interius in viscerum concamerationibus conceptum, se res habet. Illud namque minimè inertes possidet vires, sed maximè activas, & non raro vix subjugabiles, humoribus fermento tali febrili intimè nuptis & penitius coinquinatis.

Causas Medicas Remotiores præbent: Ætas, in nostro ægroto 30. annorum: quæ utut in se spectata non adeo facilè autor quartanæ esse queat; accedentibus tamen aliis occasionalibus causis, cumque magis ad annos provectiores inclinet, potuit aliquid conferre ad generandum hoc malum; præsertim cum constet, majorem Febrium hujusmodi proventum in tali ætate respectiuè oboriri posse. Nam quod attinet quartanam, quâ, teste Hœchstettero in obs. Med. decad. 2. cas. 2. puella in ipsis matris puerperii septimanis laborare cœpit, durante malo per integrum annum; hæc & similia rarissime obvenientia, ordinariam regulam non faciunt. Temperamentum cum sit phlegmatico-melancholicum ob serum vitiosum, vappescens, & uliginosum, acidoque signatum charactere, maximè ad quartanam producendam dispositum est.

Aër quoque huc confert autumnalis, pluvius & nebulosus, cui expositus æger noster ob transpirationem & respirationem suo modo prohibitam, μιάσματα salina, biliosa, uliginosa varia congerere potuit. quæ alias retenta facile fermentifica evadunt, nuptaque principiis vitalibus eadem conspurcant, eorumque motum & qualitatem vitiant. Cibis præterea cum usus fuerit δυσπέπτοις, fumatis præsertim & muriatis, mali incrementum iisdem non parum promotum fuit, qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis & consequens valetudo. Quomodo autem cibi se ad sanguinem habent, ita Potus præcipuè ad lympham; qualis etenim potus, talis lympha: quam hinc in nostro casu à nimio potus crassioris usu, crassiorem quoque magisque tartaream generatam fuisse, sequitur. Accessit tandem motus in itinere, qui materiam vitiosam movere, imisque latentem visceribus ad sanguinis potuit protrudere undas.

His itaque productus nutritusque Ægri nostri affectus sequentia inpræsentiarum examinanda produxit Symptomata.

Quamprimùm enim redux ab itinere factus æger, illico sentit lassitudinem totius corporis. Quæ uti alias in sanis etiam, à motu fessis accidere solet, ita majori eminentiâ in nostro casu eadem se manifestat, spirituum motu debito à vitiosis humoribus eodem gravantibus inhibito.

Subsecutus est horror, quatenus fixans inæquale, acidum & immorigerum quid archeo & massæ sanguineæ communicatur. Hoc enim panniculo carnoso, membranisque partium illapsum, fibras earundem nerveas, acidis, salinis & inæqualibus suis spiculis vellicat, & partes sanguinis volatiles, balsamicas deprimit, ad cor propulso calore. Hærente sic ad superficiem corporis hospite peregrino, sanguine verò ab oppressione nonnihil liberato, spiritus vitales se recolligunt & emicare incipiunt, hinc brevi post faces caloris accenduntur, quo facto, inæquale quod est corpori, archeus sui jam juris factus aggreditur, quod subigere, vincere, difflare extrudere omni vi satigit. Ex quo etiam fundamento productior caloris æstus, deduci potest. vid. de his latius Willis tr. de Febrib.

Vomendi desiderium petitur à vitiosa, crudâ & acri in ventriculo, ejusque tunicarum plicis hærente materiâ Unde irritatione nervosæ substantiæ ventriculi factâ, idem ad vomitum invitatur.

Tussicula quandoque adest, à vellicatione partium asperæ arteriæ, â materiâ irritante, inæquali proveniente, deducenda.

Capitis dolor itidem propter inæqualem & fortiorem acrioris seri in meninges cerebri influxum

fluxum, earumdemque distensionem, sicque ortam, (in quo dolor omnis formaliter consistit) continui solutionem, productus est.

Et cum idem humor ad lienem quoque feratur, etiam hujus dolorem parit gravativum, quod vel eo nomine præstare facile valet; quod constet, minùs nervis instructum esse eundem.

Urina extra paroxysmum tenuis & pallida cruditatem; turbida eadem paroxysmo exantlato, præcipitationem & separationem partium feculentarum, verbo, coctionem à naturâ inchoatam denotat.

Pulsus tardus & rarus ante invasionem, facultatis vitalis debilitatem: ingruente calore paulò celerior, eandem robustiorem, indicio est.

Quod autem paroxysmus quarto demum die redeat, causa quærenda est in humoris peccantis, adeoque fermenti fixitate. Quæ enim materia fluxilior, ea etiam sua natura citiùs massæ sanguineæ inferri apta nata est, exemplo tertianæ ad quartanam relatæ. fixiorè contra ineptior est ad motum, hincque tardius afficit. Non excludendus tamen Archeus omnium in corpore rector & diribitor, omnisque mensuræ, numeri & temporis calentissimus.

Prognosin Quoad Eventum Ipsum Salutis Vel Mortis quod attinet: affectus hic nullum lethalitatis metum præ se fert cum secundum communem practicorum sententiam quartana intermittens omnium febrium sit tutissima; nisi tamen exacta observetur diæta, & cura benè instituatur, facilè degenerare potest in duplicem, aut aliam mali moris febrim, ipsumque aliquando scorbutum, quem quartana, vulgo medicorum effato, vel invenit, vel relinquit, nec non melancholiam, aut hydropem. Non desperandum in nostro casu putamus, cum præsens anni tempus, ætas, & recens adhuc malum curationem ex voto futuram spondeant.

Quoad Longitudinem notum est, quartanam, licet minus periculi in se habeat, omnium nihilominùs febrium longissimam esse. Hinc rarò ante secundum aut tertium mensem, & si sextum attigerit ante annum terminatur. Ad plures annos 7. 12. 20. protractas quartanas leg. Gabelchover. cent. 6. obs. 47. Singula tamen hæc metienda juxta modulum activitatis fermenti: quod etiam ad statum in nostro ægroto applicare convenit, quem proin bono esse animo suademus.

Modum Eventus dicimus coctionem humorum, eorumque variis modis, naturæ vel medicamentorum ope, vel per sudorem, vel per urinam, vel per vomitum, ad quem proclivis alias est æger noster, futuram excretionem. De Prognosticis signis Febris Quartanæ pluribus legi potest Chesneau Obs. lib. 4. cap. 4. p. 466. & 467.

Perlustrata hatenus theoria, Praxin aggredimur. Cumque duplex in hoc affectu observetur tempus, Intermitentiæ nimirum, & Exacerbationis, curatio juxta hæc ipsa varianda erit.

Tempore Intermittentiæ ad sequentes indicationes respectus habeatur, necesse est: (1) ductus obstructi in primis viis apperiantur. (2) amurca fermentica tartar. ea & acido-biliosa corrigatur, imminuatur & enervetur in qualitate & quantitate, nè in actum denuò erumpere, & ὀργασμὸν concipere queat.

Primò scopo inservire possunt ex aperientibus martialibus tartareis, aromaticis, amaricantibus, aliisque ant hypochondriacis & antiscorbuticis, tum nostro ægroto, tum aliis hoc affectu laborantibus sequentia: tinct. mart. aperit. cum succ. pomor. cidon. parata solaris, Zvvolffer. tartari sata egregia aperiendi vi pollent, cum aceto parata, liqv. mart. vitr. mart. Ess. vitr. antiscorb. Ess. vitr. mart. Ludov. ab eodem descripta in Pharm. modern. sec. applic. diss. 1. p. 425. Arcan. tart. tinct. mart. cum arcan. tartari tinct. mart. temperat. D. D Wedel. Ejusdemque mart. tinct. balsam. egregii usus, liquore mart. cum Ess. lign. aloës mixto constans. tinct. mart. volatil. M. S. antiscorbut. Ess. absinth. compos. B. Rolfinc. descripta in chim. in art. form. redact. Lib. 4. sect. 1. artic. 1. cap. 6. vel D. D. Wedelii extans in Amœnit. Ejusdem mat. medic. Lib. 1. sect. 3. cap. 6. pag. 158. Elixir. Prop. simpl. & martiale cum oleo caryophyll. remixtum, itemque album Helmont. Ess. Myrrh. balsam. Ess. fol. senn. Ess. rhabar. antim. cujus descriptionem vid. in Amœn. mat. med. D. Wedelii Lib. 1. sect. 3. cap. 7. pag. 167. sp. sal. tart. Aperit. Penot. Elix. vitr. Mynsicht. Extract. absinth. card. ben. scord. acor. ver. & ex his cum sp. sal. arm. acuatis paratum Elix. Antiquart. D. Wedelii, magni usus in quartana & aliis febribus longioribus, pulveres Cachect. & similia huc spectantia.

Dantur hæc commodè cum Diluentibus præcipuè, pro extricanda penitiùs inhærente materia morbifica. quare Decoct. v. g. raporum, seri lact. caprin. & acidula obtundentia, ut Clyss. sulph. antim. tinct. rosar. viol. cum potu miscenda benè ordinantur.

Liquida enim hæc & penitiùs in poros admittuntur, & efficaciùs operantur. Hinc etiam Infusa, si paulò diutius duravit affectus noster, rectè commentari poterunt v. g. ex rad. acetos. cichor. gentian. plantag. fol. card. bened. summit. absinth. cent. min. fumar. chin. de chin. lig. colubr. cass. caryophyll. schonanth. cum limat. mart. & crystall. tartar. quæ tum diluendi, tum aperiendi fine in usum cedunt.

China de chin. (pluribus suo loco in sequentibus commendandum medicamen.) ad ℥ij. in vino infusum, pariter optimè in usum cedit, vel loco vehiculi, quod hujus loci est, vel per se adhibendum.

Ad alterum scopum obtinendum Educentia medicamenta unicè recommendanda sunt & quidem Vomitoria quod attinec, eadem in nostro affectu omninò abhiberi possunt & debent, cum constet ex vomitus desiderio in casu anteà prolato, materiam moveri adhuc posse, nec nimis glandulis insidere. cedunt proinde hunc in finem tart. emetic. ad g. ii. iij. cum cinnab. nativ. vel simili roborante, in pilulis vel cum saccharo datus, & convenienti vehiculo cum aq. cinamom. vel simili liquore propinatus. sal. vitr. tantoperè ab Angelo Sala ternar. emeticorum cap. 4. p. 499. commen-

datum, cum rad. asari & ol. destillat. cinam. vel alio, commode etiam adhibetur.

Laxativa & purgantia, insignem, in quartanis & similibus febribus longioribus obtinentia virtutem, jam commendanda sunt; excellunt verò pro re natâ & usu fortiori vel mitiori expetito inter eadem: pulv. laxat. vegetab. Dn. D. Wedel. Crem. & Cryst. tart. simpl. & mart. l. tart. vitr. simpl. & lunar. pulv. Cornachin seu Cerberus triceps ex Crem. tart. antim. diaphor. & resin. scammonii, qui pulvis sæpè in quartanis commodo usu esse solet. Porrò pro pilulari formâ conveniunt extract. aloës, hellebor. nigr. panchymag. Croll. rhabarb. mass. pil. tartarearum resin. scammon. gialap. Infusa etiam purgantia antifebrilia vel eo nomine commendanda sunt, quod continuari longiùs possit eorundem usus, fermento febrili glandulis intestinalibus penitiùs impacto commodè inservientia. plura de purgantibus hisce in quartanis febribus vid. passim apud autores practicos.

Purgantia hæc tempore intermittentiæ adhibentur utplurimùm: vel si placet die paroxysmi eadem propinare, maturius id exequendum, ut operatio ante paroxysmum absolvi possit; quam alias studiosè durante conflictu differre solet archeus.

Venæ sectio utut aliquando etiam in febribus intermittentibus horrore carentibus, vel plethorâ præsente administretur; utplurimùm tamen ejus usus non exposcitur, cum facile ex mobili productior morbus reportari possit: quare nullis indicationibus præsentibus in nostro casu, nè noceamus, cum prodesse velimus ægroto, nostro, planè inutilem esse dicimus venæ sectionem.

Tempore Exacerbationis, seu hoc loco ante paroysmum jam appropinquantem, eo respiciendum, ut miasmatis fermentifici, seu fermenti febrilis motus sufflaminetur & antevertatur, destruendo & annihilando eodem, quod fit præcipitantibus, incisoriis & disjicientibus, seu partium tenuium, seu fixarum cumprimis & alcalinarum, seu mixtis: quorum plurima licet etiam diebus intermissionis dentur, superiùs ex parte commendata, quale v. g. est Elixir Antiquartium, huc potissimum referendum; inprimis tamen hoc loco ante paroxysmum, velut magis specifica, meritò laudanda sunt sequentia: sal. absinth. cent. min. card. ben. antim. diaphoret. lapid. cancr. conch. præparat. corall. arcan. duplic. Mynsicht. flor. sal. armon. specif. febrif. C oll. Lang. Strobelbeg. Bezoard. min. mart. mater perlar.

Efficaciora verò & excellentiora hæc omnia reddi possunt additis viperinis, ut trochisc. de viper. cinnabarinis, oleis destillatis, & cumprimis oleo seu balsamo antifebrili Dn. D. Wedelii, composito ex oleo caryophyllorum, piperis & camphoræ. vid. Ejus Opiolog. lib. 2. sect. 2. cap. .

Commendanda etiam hoc loco in specie peculiari nomine veniunt Bezoardica, illa scilicet, quæ exclusionem fermenti febrilis in sangu ne respiciunt, talia verò sunt ex balsamis, sulphureis & salinis: olea. jam à nobis commendata, quibus addi merentur tinct. bezoard. Dn. D. Wedelii & aliorum ut B. D. D. Rolfinc. Michaël. Ludovic. Ess. theriac. balsam. sp. theriac. camphor, theriac. cœlest. ipsaque Andromach. sp. ebor. C. C. serpent. viperat. sal. volat. viperar. spectant huc quoque ipsa acida, ut acetum s. & bezoard. rutac. & similia.

Ex quibus hactenus recensitis, à medico perito, & materiæ medicæ gnaro, pro variis circumstantiis, quæ in ægro nostro contingere possunt, variæ, selectu probe instituto, concinnari queunt formulæ.

Singularem sui hoc loco meretur considerationem celebris hodie, & decantata medicina Cortex Peruvianus, China Chinæ dictus, superiùs etiam cum aliis allatus. Egregium sanè est hoc medicamentum, amaricante & fortiter penetrante virtute, cum asperitate leviter adstringente se commendans. Solet equidem ℨj per se, vel cum oleo destill. convenienti in vino malvatico, vel alio propinari ante paroxysmum. danda verò opera circa exhibitionem hujus nobilis medicamenti est, ut nonnisi præmissis universalibus, & acido febrili jam maximam partem correcto, in usum trahatur: alias major spirituum, materiæque morbificæ confusio ex intempestivo usu hujus laudati corticis provenire potest. Notandum præterea hinc est, infidum non rarò post usum hujus corticis observari effectum. qui enim semel vel bis à propinato eodem remansit, sæpè post aliquod tempus redire visus est paroxysmus, majori aliquando, quàm antea erat, cum vehementiâ. quare nec semper, nec nunquam hoc medicamine utamur oportet, quin semper genium morbi & circumstantias circa eundem, quidque ferant ægroti, quid minùs, attendamus; non tam empiricorum sectantes temeritatem, quam firmis & veris dogmaticorum innixi regulis. Denique & hoc addendum, optimum hujus chinæ de chinâ cum specificis febrifugis jam recensitis esse connubium. Plura curiosa hujus corticis exotici indagatori suppeditabunt Willisius de Febrib. cap. 6. Barthol. cent. V. hist. 56. Boyle tract. de utilit. Natural. Philos. part. 2. sect. 3.

Opiata præter jam dicta, quæ præstare possent ægroto nostro, aliisque quartariis auxilia, instar omnium & sufficientissimè docet Dn. Wedelius in suâ Opiolog. loco suprà cit. ubi simul methodum curandi genuinam febres intermittentes in genere, subministrat. Dari scilicet possunt Opiata non per se, & primariâ intentione, sed secundariâ cum pulveribus febrifugis maritata: ac præmissis universalibus; hinc hanc in rem Horstius problemat. therapeut. decad. 1. quæst. 7. plurimas ait febres intermittentes, præsertim quartanas, post præparationes & purgationes debitas auxilio laudani opiati sublatas fuisse, duabus vel tribus horis ante paroxysmum exhibiti.

Adhibito aliquo ex jam commendatis ante paroxysmum medicamento, æger leni calore tegatur, nec corpus ad sudorem conatu religioso cogat, reficiendus in ipso paroxysmo acidis, & aliis pro re natâ suaviter refrigerantibus. eo tamen respiciendum, nè nimio refocillantium usu paroxysmus inhibeatur, & materia pœnitenda hinc opera intempestivè intrò pellatur.

Quidam

Quidam ex hodiernis medicis methodo curandi febres quartanas hactenus propositâ non contenti, exantlato paroxysmo eadem repetunt, quæ paulò ante paroxysmum dederant medicamina, singulis 6. 8. horis eorundem continuando exhibitionem; immuinui nimirum hoc pacto & penitus inverti fermentum febrile rati. quem tamen curiosum conatum suo loco relinquimus, idque nonnisi in melius declinante morbo tentandum esse, rationibus in subsidium adhibitis, persuasi.

Topica poterunt adhiberi sequentia: stomacho, cum hic malè habeat, epithemata ex spir. vini, sæpius repetenda, emplastrum de crusta panis, & bacc. laur. ol. caryoph. carv. roboratum pro lubitu applicentur. Lieni, qui dolorem gravativum sentit, conveniunt. Unguenta & Emplastra emollientia & roborantia e.g. Empl. de cicut. de gumum. ammon. ol. cappar. lil. albor. sp. formicar. pinguedines variæ, & similia. Cordis & pulsuum regioni inserviunt sacculi ex spec. cordial. temperat. aq. is cordialibus frigid. irrorandi. Pro pediluvio commendatur lixivium: nè plura alia pro libitu adhibenda latius recenseamus.

Diæta debitè ab ægroto nostro in posterum observanda erit.

Cibus itaque sit boni succi & focilis concoctionis. carnes sal. e nimio conditos, fumoque induratos, aliosque cibos crassos, glutinosos, ac multum terrestris succi in se continentes evitabit. flatulenta omnia fugiet. è contra melioris succi & magis correctis vescetur cibis.

Potus sit cerevisia probè defecata, vinumque tenue & maturum consultum quoque est, carduo benedicto, absinthio, aliisque infusis, quemvis exaltare potum.

Aere pluvio & nebuloso, quantum fieti potest, nullum posthac suscipiet iter; sed temperatum undique sibi eliget eundem.

Motus intempestivos mox â cibo non instituet. nec quiete nimia effœminabit corpus: cuncta ad mediocritatis leges compositurus. *Ioh. Micael. in Pracli Clinica special.*

De Febri Maligna.

Juvenis viginti annorum, plethoricæ constitutionis, hæmorrhoidum fluxui assuetus, conqueritur de ingenti lassitudine totius corporis, sequitur horripilatio & inordinatus rigor, tandem calor continuus cum siti, capitis dolore & vigiliis subsequitur. Pulsus erat languidus, nonnunquam naturali iterum similis: Sæpius animi deliquium patiebatur; aderat nausea & diarrhœa cum ingenti circa ventriculi religionem dolore; lingua erat arida: urina rubicunda & clara. Quæritur quis morbus & quibus remediis curari possit.

Resolutio.

Affectum cognitio juxta Hippocratem est vera eorundem medicatio: Ante omnia itaque inquirendum erit in morbi hujus ideam, antequam curationem suscipiamus, cùm in morborum cognitione maximam Fortunæ Medicæ partem sitam esse putemus. Dicimus itaque præsentem Ægrum laborare Febri Maligna, desumtis signis dignosticis à symptomatibus, morbi idea & aliis.

Definimus hanc febrim quod sit: intemperies maligna acris & fervida, cum præternaturali totius massæ sanguineæ effervescentia.

Dicitur febris à ferveo, vel ut aliis placet à februo, de quo Willisius, Schokius Vosius & alii videri possunt. Nos parum curantes Etymologicas disceptationes, illas discutiendas aliis relinquimus. Nobis sufficit notasse, adesse intemperiem calidam & pulsus mutationem, vel ut alii loquuntur cordis irritationem: quibus positis, necessariò ponitur febris. Solebat alias vox febris solis febribus ardentibus tribui; hinc canit Virgilius.

Cum fuerit, atque artus depascitur arida febris.

Profuit incensos æstus avertere, & inter.

Ima ferire pedis salientem sanguine venam.

Usus verò obtinuit, omnes illas intemperies, quæ aliqualem etiam conjunctum habent calorem, modò febrilis adsit cordis irritatio, vacare febres. Vide disputationes Medicas Sylvii.

Maligna dicitur, quoniam est mali moris, decipiens non raro ægrum, medicum & adstantes: symptomata habet graviora, quàm febres vulgò habere solent, plures afficit, multos interimit, & eludit vulgaria ante febrilia medicamenta, ita ut ejus natura longè distet ab aliarum febrium ideâ & genio. Dicuntur etiam tales febres malignæ, quia similes sunt malis hominibus, qui aliud vultu & verbis præ se ferunt, aliud corde occultant, & factis præstant. Dicuntur etiam venenatæ, quia immediate à venenatis particulis, sive intus genitis, sive extrinsecus admissis, oriuntur, ut dicetur capite de causa. Infestæ sunt ipsis medicis, hinc nonnullis vocatur febris antimedica, medicorum napellus & flagellum, qua hodierno tempore in Germania multi celeberrimi viri objére, loquente experientia. vide tractantum Cl. Fehr. de Scorzonera.

Subjectum hujus morbi Universale dicimus esse totum corpus; conqueritur enim æger de ingenti lassitudine totius, adest horror & rigor; & omnes actiones læsas esse deprehendimus. Particulare verò est cor, quod musculum esse dicimus: Notandum verò ad evitandas falsas aliorum imputationes, nos hic non intelligere nudum illud parenchyma, ut vulgares Anamici illud in mactatis canibus vel aliis cadaveribus demonstrant; sed potius indigitari à nobis integram fabricam cum insito calore, & insidentibus spiritibus animalibus, sine quibus facultas illa pulsifica, quam nobis anticorum sectantes errores velut superadditam quandam ab anima peculiarem virtutem obtrudunt, explicari nequit Entia præter manifestam necessitatem multiplicari velint.

Cor esse verum hujus morbi subjectum, paret ab insigni functionis ejusdem læsione, pulsus enim est mutatus, in quo consistit ratio formalis febrium juxta nonnullos, qui demonstrant dari etiam febres frigidas, & calorem esse saltem effectum motus sive febrilis fermentationis: de quo vide Franciscum Piens Medi-

medicum & Chirurgium expertum, ut & magnum nostrum Sylvium. Nunquam, dicentem, probabunt essentiam febris consistere in isto æstu in corde, hinc & universo corpore. p. n. aucto, postquam dantur febres algidæ, frigore continuo & nullo calore aut ægris, aut medicis adstantibusve aliis notabili molestæ? quas, ne suis præjudiciis valedicire cogantur homines credere, quam scire magis apti, negant simpliciter & audacter? quoniam in auctoribus suis classicis, atque sua ex se mutuò exscribentibus, quos solos habent pro bonis, talia non legerunt in Museo suo somniis excogitandis & conscribendis, quam circa ægros symptomatibus eorum observandis magis dediti, pro quibus orandum est, ut sit mens sana in corpore sano, ni & hoc ex affectione quin & quandoque melancholia hypochondriacâ sit minus sanum sicut ex vultu talium tetrico & moroso facile est medicis practicis hoc deducere. Sed quid dicent suffeni bonorum auctorum helluones, ac nil præterea ferè sapientes, de frigore tam sæpè per horas plures tam graviter circa intermittentium initia ægros vexante & lacerante, subsequente non rarò calore leni ac nullatenus molesto? Audebunt ne negare, durante frigore laborare suos ægros febre? Anpotiùs dicent toto illo tempore tam longo auctum esse & concentratum in corde calorem suum fictitium ac præternaturalem, quamvis nec sibi nec aliis, nec ægris ullo signo observabilem, præjudicio tamen suo necessariò concludendum? sed pro his, pergit, quoque orandum, postquam mirè delirat ipsorum mens. An quæso assentiemus hominibus omnem tum ægrorum tum aliorum, tum suum sensum suis præjudiciis postponentibus. & quidem cum quotidiano ægrorum suorum detrimento? Absit, ut hoc agat vir bonus ac Deum timens &c. Certum tamen est, calorem insitum sive ignem naturæ ut alii vocant irritari, supprimi & tandem in manifestam erumpere flammam, accedentibus particulis ad expandendum nunc satis dispositis. Qualis vero sit ignis ille vitalis, multi non capiunt, seque illud nescire apertè profitentur, dicendo: Cœlestis esse naturæ. Putamus tamen non opus esse, ut ad extremos mundi angulos confugiamus, cum unus idemque hoc in universo sit calor. Cœlestia enim, inquiunt Cartesius, Graydanus, Regius Tatinghoff, de la Forge, Brokhuisen, Raei, aliique Viri Clarissimi: & elementaria tantoperè non differunt. Non sunt duo calores, inquit Piens, neque concipi debent ut duo, sed unus.

Quoad Causam Negotium hoc est arduum & difficillimum, quod multorum Clarissimorum Virorum torsit ingenia. Morbi pestilentiales, inquit Clarissimus Willis, adeò in tenebris grassantur & ignotam ducunt originem, ut eorum causæ & essentia sine recursu ad occultas qualitates rarò explicentur. Conabimur tamen, quantum possibile, ægro nostro & adstantibus causam morbificam adeò clarè ac perspicuè proponere; ut nulli dubitemuss, illam facillimè à quovis etiam, cui de meliori luto formavit præcordia Titan, perceptum iri. Causam itaque veram hujus morbi maligni dicimus esse particulas acres volatiles & valdè incongruas, quæ conpagem totius cruoris solvunt, destruunt, & universam œconomiam labefactant, id quod partim à priori, partim à posteriori probari poterit. Novimus, nonnullos alto supercilio hæc lecturos, qui istiusmodi morbos malignos à tota substantia, & qualitatibus occultis dependere acriter defendunt, imò in illos invehuntur, qui profundius in latentem causam inquirere conantur; quasi verò non sit laude dignum, veritatem procul fundo latente eruere, & omnia in foro medico ad manifestas qualitates referre velle. Omnes unanimiter profitentur & concedunt, causam febrium malignarum esse venenosam, ergo participabit de natura veneni: quod si ab epoto veneno eadem observemus produci symptomata, quæ per manifestas possint explicari causas, quid opus erit in explicatione symptomatum, febres malignas comitantium, confugere ad occultam aliquam & specificam energiam? dicam adhuc clariùs: Si Mercurius sublimatus, napellus, arsenicum aliaque venena intus assumta excitant nauseam, vomitum, ardorem, anxietates præcordiorum, tormina, rosiones, fluxus alvi cruentos, lypothimias, tremores, convulsiones, sopores, deliria, masculas cutis &c. per solam partium configurationem. quatenus dissoluta abeunt in subtilissimas volatiles ac summè acres particulas, per quam configurationem manifestè omnes illi effectus explicari possunt. Ergo etiam in febribus malignis & pestilentialibus, ubi eadem observamus symptomata, per tales qualitates manifestas idem negotium explicari poterit. Prius nunquam negari potest, & hactenus sufficienter probatum, à nobis etiam in ipso conflictu ulterius demonstrabitur. Ergo consequens etiam erit firmissimum.

Rectè hoc ex fundamento præmittit Clarissimus Willis explicationem naturæ venenorum, antequam venenum pestilentiale in specie describat, quoniam illis probè cognitis, facilimè etiam naturam febrium malignarum scire poterimus. Siquidem ipsorum vis consistit in sola continui solutione, sive foris in corpus nostrum agant, sive intus virulentiam suam prodant, ita ut supervacanea sit divisio morborum in morbos intemperiei, compositionis & solutæ unitatis, cum omnes in continui solutione conveniant, & differant solum quoad majus & minus, dum vel facilius vel difficilius in sensus incurrunt. A posteriori etiam sententiæ hujus veritas probatur, dum observamus medicamenta illa alexiteria non occultâ sed manifestâ agere qualitate, imò ne unicum quidem nominari posse alexipharmacum, cujus effectus sive operationis non manifesta possit reddi ratio. Omnia enim alexipharmaca referri possunt ad attenuantia, incidentia, volatilisantia, calefacientia, quæ pro diversitate veneni exhibentur, quatenus illud consistit in frigore potentiali: glutine quodam volatili, coagulatorio & contagioso: vel in particulis acutis scindentibus & causticis, quibus necrosin liquori tam vitali quàm animali inducit, (vel ut alii loquuntur, quibus animam vegetativam & sensitivam destruit) hinc oriuntur à venenis juxta Regium, magni ardores, mentis perturbationes, deliria: partium

& totius

& totius corporis refrigerationes, intumescentiæ, livores, rosiones, excoriationes similiaque alia symptomata; quæ per contraria calefacientia, vel refrigerantia, item oleoginosa, pinguia & lenientia, sæpè curantur. vide ulterius medicinam Henrici Regii.

Particullæ illæ incongruæ duplici agunt in corpus nostrum modo, vel fundendo, vel coagulando: fundendo, dum ita dissolvunt sanguinis compagem, ut in serosum abeat liquorem, & ad accendendum sit planè ineptus, inde cessat pneumatosis tam in corde quàm in cerebro, non aliter ac affuso oleo tartari lac in liquorem tenuem abit, nec unquam ad fibrosam consistentiam reduci potest.

In Ephemeridibus Gallicis collectis à Jean Batistita Denys refertur, canem illicò mori, si per Siphonem sanguini misceatur liquor N. ita enim fundi massam sanguineam, ut mutata ejus textura particulæ nunquam in ordinem pristinum cogi queant.

Coagulando, dum sanguis confestim figitur, & ad circulandum ineptus redditur; hinc oriuntur suffocationes, maculæ nigræ, lividæ, totum corpus non rarò vel saltem alterutrum latus post mortem obsidentes: Non aliter ac si spiritus N. injicitur per arteriam, & sanguinem cum inopinato animalis interitu coagulat.

Accusabimur forsan à nonnullis nimiæ curiositatis, quum illa parum prosint futuro medico, semper enim eandem dicunt manere medendi methodum, eadem etiam semper applicari remedia, sive ad occultas confugiat quis qualitates, sive alius factus audacior per particulas (ad quas tanquam commune asylum dicunt nos confugere, & pro illis tanquam pro aris & focis dimicare, imò pro Diis haberi) negotium illud explicare tentet. Verùm errant quam maximè boni illi viri. Quomodo enim Medicus debellabit morbum, cujus causam ignorat? ignorantiam verò suam nolens volens prodit, dum dicit: Febrem malignam esse morbum occultarum qualitatum, idem est, ac si diceret, *die Haubtschwachheit Kommt her ich weisz nicht woher*. Ipsa etiam alexipharmaca quàm maximè inter se differunt, neque indifferenter applicari debent, & hujus rei ignorantia multos trucidat, ita ut forsan errore medici plures pereant, quàm virulentia ipsius morbi. Siquidem si venenum sit volatile valdè & acre, summo cum vitæ periculo ægro exhibentur medicamenta alexiteria, salique volatilibus abundantia; potius contraria eligenda, vel præcipitantia, vel acrimoniam obtundentia, Lap. Bezoar. Bolus armena, diascordium & alia. Ex quibus patet, methodum nostram medendi non esse adeò periculosam & lubricam, ut illorum, qui vera negligunt principia. Retulit mihi Dominus Waldschmidius, se aliquando tractasse Juvenem febri maligna graviter decumbentem, in quo nullum toto morbi tempore gravius observare poterat symptomata, quàm summam respirandi difficultatem, per intervalla crebrius recurrentem, ut præ metu suffocationis æger erecto corpore noctu diuque sedere coactus fuerit. Ter secta fuit vena, non lege methodi ordinariæ, si quidem nec plethora aderat, nec calor febrilis adeò urgebat, hinc secunda & tertia venæ sectio ab aliis medicis prohibebatur; interim facies observabatur liquida à sanguine coagulato & circa malas restagnante, pulsus erat languidus à sanguine ad cor transeundum minus disposito, quibus omnibus probè consideratis, desertà via communi, venesectio bis adhuc felicissimo successu, aliis contradicentibus administrabatur, & æger è faucibus mortis eripiebatur, non neglectis aliis sanguinis coagulationem impedientibus medicamentis. Et quomodo quæso occurrere poterimus symptomaticæ & colliquativæ urinæ in febribus his excretioni? sudoribus illis copiosissimis sed ægro funestis? fluxui alvi colliquativo? de quibus optimè Riverius de febri malignâ? nisi vim illam fundendi probè cognitam habeamus, tunc enim exulare debent omnia attenuantia & volatilisantia, & illa adhiberi, quæ tonum tum viscerum tum ipsius sanguinis conservent.

Brevibus itaque dicimus, particulas has acres & malignitatis & effervescentiæ esse causas, ex sola configuratione, quemadmodum videmus in chymicis duos liquores confusos se invicem destruere, effervescere & strepitum edere, nullo alio accedente movente, præter solam illam texturam, quàm à primo habent ortu, & qua, quoties aliis figuræ particulis occurrunt, tales ebullitiones excitant.

Nunc eadem brevitate etiam Modum Generationis proponemus: generantur illæ particulæ vel in corpore ipso, vel alibi generatæ corpus intrant. In nostro ægro utrumque potest esse; Hodierno enim tempore malum hoc Epidemicum est, & hinc indè vagatur, ut quam facilimè contagium aliundè suscipi possit. Adest præterea consuetæ evacuationis suppressio, ob quam sanguis restagnans acescit, & ebullit, quo in motu particulæ fiunt acriores & cordi communicatæ irritationem illam vitiosam, nec non una cum sanguine ad alias partes translatæ, calorem totius corporis excitant, sicque malignitatem induunt, id quod cernere licet in aquis paludosis, aliisque liquoribus diu reservatis.

Symbolum suum conferunt Sex Res Non Naturales; Præ omnibus vero considerandus est Aer: quamvis enim & reliqua quid conferre possint, tamen non tam generare febres malignas, quàm illas graviores reddere putamus. Sine aëre vitam nostram conservare nequimus, cum in eo sit occultus vitæ cibus, de quo vide phæsin Sophicum Domini Johannis Takii. Aër iteque facillimè sanguini suas imprimit qualitates, quod si alienis & peregrinis imbuatur particulis, inficit sanguinem & labem corpori nostro communicat, Eundem verò alterari & inquinari certo certius est. Sunt autem duo præcipui spiritus, quos in aëre observamus, quorum unus est acidus, alter volatilis salsus, uterque aptus, vel compagem sanguinis solvere, vel cruorum magis figere. Negari sanè nequit, continere in se aërem æstivum particulas salinas lixivas, sed volatiles, aliquid oleosi & aromatici habentes: Hinc, referente Illustri Digbæo, & ex hoc Clarissimo Sylvio, illi, qui exeunte vere aut vigente æstate aëre sudo ac sereno per Galliam me-

rdionalem faciunt iter, percipiunt aromaticum plantarum etiam longissimè dissitatum odorem & fragrantiam certissimo argumento, particulas subtiles emanare ex illis plantis, atque cum vento transportari per aërem ad regiones alias. Particulæ illæ agitatæ à calore solis magis acuuntur, & attractæ per inspirationem augent particulas biliosas in sanguine, infringunt humorem acidum & austerum, quorum munus est sanguini justam largiri consistentiam, & temperare bilis volatilitatem, unde sanguinis crasis valdè mutatur & ad corruptionem disponitur. Neque aër inspiratus pulmonibus solùm communicatur, verùm ipso in introitu etiam salivæ miscetur, & glandulas intrat, deglutitur etiam in ventriculum, ibidemq; auget bilem, hoc est, reddit illam acriorem & magis volatilem humores etiam pituitosos & viscosos ibidem attenuat, & fluxibiles reddit. Clarissimus Sylvius hâc de re ita disserit: An inspiratus aër aliqua sui parte salivæ quoque aliisque humoribus, à cerebro subjectisque ipsi glandulis, glandulosisque tunicis ad os & fauces derivatis, commisceatur, & unà cum illis deglutitus in ventriculo & intestinis tenuibus mutationem aliquam humoribus ibi repertis, aut confluentibus adfert? sicut arduum est probare, ita durum videtur negare. Mihi certè, qui veritatem ubique ac unicè sector, non censetur illud improbabile, quamvis putem, plures adhuc requiri observotiones ad rem illam obscuram illustrandam, confirmandamque, & ita stabiliendam, ut dissentientium cogatur assensus.

Referendi sunt huc venti, qui agitando, confundendo, & apportando aërem vitiant. Sic australis alis suis salem volatilem ad nos transportat, nec non spiritum volatilem, Borealis plures acidas particulas secu vehit: suntque vel nitrosæ, vel de sale muriatico & armeniaco participant. Denique impurior fit aër, & ad generandas febres aptior à nebulis, nubibus, pluvia, nive, grandine, à vaporibus & tetris exhalationibus, è cavernis, locis paludosis, vel cadaveribus exspiratis: de quibus prolixè agit Sylvius, qui videri potest.

Aër itaq; infectus interimit plantas, bruta & homines, ut videmus aquas corruptas & alienis incongruis & peregrinis corpusculis & atomis refertas necare pisces: Venenatæ enim particulæ sunt valdè agiles, & in momento tanquam radii luminares per medium diaphanum transeunt.

Paulo aliis verbis, eodem tamen sensu, de hoc negotio loquitur Thomas Willis. siquidem is admittit innumeras atomos figuræ multiplicis & plurimum diversæ, ob quas varie cohærent, mutuo combinantur, & corpora nostra diversimodè afficiunt. Nam quamdiu in utrisq; apta contemperatio intercedit, tam diu vita ac sanitate fruimur. Sin vero corpuscula aëri innatantia sint ejusmodi figuræ & potentiæ, ut spiritibus corporis nostri adversentur, tunc crasis ipsorum pervertitur, corpus putredinem concipit, & vita nonnunquam extinguitur. Hinc inter homines ac pecora lues sæpenumero grassatur, quæ simul totos interficit greges. Plura qui desiderat, adeat ipsum authorem libr. de fermentatione & febribus.

Cum verò brevitati studeam, ipsam applicationem Lectori relinquo, vel magis specialia mihi ad cathedram reservo, qnilibet enim videt ex antedictis varam causam febrium malignarum facillime ita erui & in apricum duci posse, ut nihil possit esse clarius: Restat ut de Signis agamus, antequam ipsam aggrediamur curationem.

Signa Diagnostica vel malignitatem indicant, vel dispositionem febrilem: utraque à symptomatibus desumuntur, quorum syndrome & congeries signum pathognomonicum exhibet. Itaque hic operæ precium erit, ordine referre symptomata, & simul causam eorundem addere, quo signa fiant clariora. Hi morbi cognitu sunt difficiles, solent enim vel sine, vel cum tantillo frigoris invadere; adest statim in principio ingens lassitudo membrorum, capitis gravitas, & ut plurimum solent ab initio illam indispositionem suscitare, qua quis antea laboravit. Sic in hystericâ muliere causabunt uterinos affectus; in calculosis dolorem renum excitabunt: qui colicis obnoxii sunt doloribus, in illis colicam mentiuntur, in aliis pleuritidem simulant. Sæpius cum hæmophtysi adoriuntur, sicq; deludunt medicos, ut horum symptomatum, & non febris malignæ rationem habeant.

In præsenti casu Æger noster conqueritur de ingenti lassitudine totius, partim à copia humorum vitiosorum hinc inde in habitum corporis effusorum, partim etiam ob spirituum animalium vitium. Siquidem auræ instar particulæ illæ venenosæ afflant simul liquorem animalem, propterea segnius influit, & motum ac sensum cum molestia quadam edit. Accedit & hoc, quod, læsa sanguinis accensione in corde, illico cesset spirituum animalium genuina generatio, unde paulo post functiones animales non ritè peragi possunt.

Sequitur horror & rigor reciprocus; partim ab halitibus acribus & mordacibus partes sensiles obsidentibus, partim etiam ab ipsa cordis irritatione, & flammulæ cordis agitatione. Siquidem observatu dignum, ligna recentia igni imposita ipsi ruinam minari, & flammam valde minui, ut penitus extingui videatur: tandem luctâ transactâ, & recuperatis de novo viribus, in apertam erumpit flammam. Eòdem modò quoties humor incongruus una cum sanguine cor ingreditur, toties flammula cordis opprimitur, hinc rigor & horror ob illam cordis irritationem in universo corpore percipitur: Donec, discussis particulis aquosis, & ad accensionem minus dispositis, reliquæ particulæ fiant fervidiores; Hinc videmus in ægro nostro rigorem subsequi calorem, accenso enim sanguine, & auctâ nunc flamma particulæ illæ agitatæ alias vicinas agitant, donec tandem calor in toto corpore deprehandatur. Quæ omnia accurate explicantur à Jaque Rohault de febribus. Cum his conciliari possunt Sylvii meditationes, qui rigorem deducit ab halitibus acidis & austeris succi pancreatici corrupti ob restagnationem, & bilis dominium superantis: quibus discussis, inquit, bilis sui juris facta calorem sive agitationem

parti-

particularum minimarum in toto corpore instituit.

Sitis & capitis dolor ab iisdem dependent causis. Siquidem bilis tum per se acrior, tum ab effervascentia febrili adhuc acrior pejorque facta sitim inducit. In capite vero, rodendo, vellicando & distendendo acrimonia suâ salsâ lixivâ dolorem excitat: unde vigiliæ contumaces sequuntur, quatenus tam ab acida acrimonia, quàm etiam salsa partes sensiles afficiuntur. Siquidem vigiliæ tam diu durant, quam diu sensuum externorum organa vehementer vellicantur. Pulsus est languidus, ob sanguinis corruptionem, ex obstructione hæmorrhoidum pronatum; interdum naturali adhuc similis, quoties istiusmodi particulæ adhuc ingrediuntur, quæ momentaneam illam accensionem suscipiunt. Notandum tamen, talem pulsum non diu manere, & si accuratè forsan illum observare velimus, nunquam in omnibus erit naturali similis: Pulsus minor, inquit Clarissimus Sylvius, acceptus ferendus halitibus acidis ad cor delatis & sanguini admistis eundemque solito magis coagulantibus, adeò ut tunc densior factus segnius ac difficilius rarefieri queat, Debilior verò debetur iisdem halitibus acidis sanguinem non tantum, sicut dictum coagulantibus, verum eo ipso ipsum ad partium quarumvis secessum ac secretionem ubsolvendam ineptiorem facientibus; unde in cerebro animales spiritus minori copia tunc à sanguinis massâ secedentes animalem motum ubique languidiorem efficiunt: quapropter multi eò tempore pedibus suis stare non possunt, aut partes alias commovere.

Præcipuum signum diagnosticum inter alia â viribus desumitur. Videmus ægrum nostrum pati animi deliquium citra causam manifestam; inde concludimus, latere anguem in herba, & summam malignitatem occultari, reliquis diebus magis magisque se prodituram. Sanguinis enim motum valde esse perturbatum, & ob æqualam ejus mixtionem à fermento venenato solvi inceptam cruorem in corde stagnare exinde facillime colligi potest.

Adest Nausea a bile volatili in ventriculo & intestino duodeno fluctuante, & ventriculi substantiam sensilem ad motus peristaltici inversionem irritante.

Alvi fluxus oritur à sanguinis fusione & colliquatione, nec non à bile acriori prædominante, & excrementa diluente. Dolorem cirrca ventriculi regionem alii à flatibus comprimentibus orificium ejus superius derivant. Nobis magis placent illa, quæ Helmontius habet, dicendo. Sedem suam has febres habere in convexo stomachi, ad quæ losa nonnisi arcana provenire; Endemicam enim inspirationem nihil aliud esse, quam edores imperceptibiles, qui per pulmones in thoracem penetrent, diaphragma perspirent, & stomachi superficiem feriant. Linguæ ariditas vel sola hujus febris signum inseparabile est, qua persistente gliscit febris: vide Osvvaldum Grems. Quæ signa collective sumpta, & febrem & malignitatem certo indicant, cujus curationi nunc incumbuendum esset, nisi ex re foret medici, sese prognostico aliquo præmunire, ne, si curatio pro voto non succedat, ejus fama incurrat naufragium.

Urina rubicunda debetur bili, vel particulis sulphureis una cum salinis mixtis & incoctis: unde febrilem dispositionem & spirituum accensionem cognoscimus.

Signa Prognostica hoc in affectu sunt lubrica, facillime decipientia & medicum & ægrum, id quod jam dudum agnovit dictator dicens §. 2. aph. orism. 19. prædictiones in morbis acutis esse incertas. hinc. suadet Magnus Rolfincius ex Riverio: Satius esse, eloquia nostra suspendere, donec vel naturæ vel morbi victoriæ indicia certa se obtulerint. Siquidem observatum esse, quod quo majora in hâc febri apparuerint symptomata, quæ aliis in morbis pericula, imo etiam ipsam mortem minentur, eo meliorem salutis exitum respondisse; Mitiorum verò symptomatum præsentia plurimos interiisse.

Fallaces ergo sunt his in morbis prædictiones, quia tempora morborum ita accurate distingui nequeunt, cum morbus hic æqualiter sua tempora percurrat, & refert Grembs: quendam sextô die sudâsse sudorem frigidum copiosum, & septimo se melius habuisse. Hinc exclamat: oquam fallaces regulæ dogmaticorum! Idem observavit D. D. Geilfusius, in illustri persona, quod ex relatione Dn. D. Waldschmidii habeo.

Est hæc febris ex numero acutarum, hinc ratione temporis prædicimus ad undecimum & decimum quartum diem extendiposse. Est morbus periculosus, insidiosus, curatu difficilis ac multis lethalis. Metum augent graviora nonnulla symptomata; animi deliquium, fluxus alvi, & summa virium prostratio. Reconvalescentiam repromittunt ætas juvenilis, mentis constantia, & convulsivi motus absentia.

Interim inter spem & metum versamur. Nullum dubium est, sanguinem ob prægressam hæmorrhoidum obstructionem valde esse corruptum. Magna spes sita est in earundem apertione, nam in febribus malignis juxta Fabricium ab Aqua pendente plus præstant hæmorrhoidum per hirudines apertiones, quam venæsectio, quoniam reseratis arteriis sedalibus sanguis à corde revellitur.

Diligenter quotidie erunt inspiciendi oculi, manus tangendæ, & lingua examinanda. Oculi, ut instans delirium prævideatur. Manus, quæ convulsionem instantem indicant: & lingua, quo sciamus, utrum morbus ungaricus, vulgo *Braune* coincidat.

Pulsus servans æqualitatem bonus. Malus è contra inordinatus & inæqualis.

Pulsus sanorum similes periculosi: significant enim naturam præ imbecillitate à coctione abstinere: juxta Riverium.

Motus convulsivi admodum periculosi sunt.

Motus tremuli manuum & linguæ funesti esse solent, & plurimum ab Hippocra e damnantur.

Surditas in principio apparens malum portendit, in statu vero salutem pollicetur.

Narium stillicidium malum.

Singultus & cardialogiæ mortem minantur.

Maxima ciborum aversio periculosissima est.

Oculorum inflammatio certum appropinquantis mortis prænuncium, nisi hæmorrhagia narium sequatur.

Per somnium etiam nunquid ex oculis sub appareat, inspiciendum. Nam si quid non exacte commissis palpebris ex albo sub appareat, modo non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione, contingat, malum est signum & lethale valdè L.6.aph.52.

Ex urinis in febribus malignis ferè nulla prognosis elicitur, aut admodum incerta: siquidem, quæ sanorum similis est, sæpius pessimum exhibet signum: Imò verò multi, coctionis signis manifestè, in urinâ apparentibus, è medio sublati sunt. Attamen urinæ concoctæ, & laudabile enæorema habentes, idque multis diebus perseverans, & de die in diem magis sese uniens, ac in matulæ fundum sensim descendens, certam salutem perpetuo pollicetur. Vide Riverium.

Certius prognosticum, sed triste, sumitur ad hoc, quando ægri floccos carpunt, vel plicas supra lectum explicant, vel quodlibet objectum inordinatè arripiunt: quod qui faciunt, nunquam evadunt: quia significat delirium valde intensum, & non solum meningum, sed & occuli tunicarum inflammationem, & spirituum opticorum perturbationem incurabilem; propter quam oculis varia & falsa objiciuntur, quæ æger removere conatur. Vide Hœfer. p. m. 346. id aliquando tamen citra noxam & ægri interitum factum fuisse refert Horstius Tom. 2. p. 92. obser. suarum, quæ dignæ, ut noctu diuque à quovis practico legantur, relegantur, ac in succum & sanguinem convertantur.

Curatio nititur indicationibus: Sunt verò duo potissimum hoc in casu indicantia, intemperies calida, & maligna, illa per alterantia, hæc per alexipharmaca expugnanda. Adsunt etiam urgentiora symptomata, quæ curationem ad se convertunt: vigiliæ, alvi fluxus, animi deliquium & linguæ siccitas.

Remedia desumuntur è triplici fonte: Chirurgico, pharmaceutico & diætetico. In primô sese offert venæsectio; quæritur, utrum in ægro nostro celebrari possit?

♃. Nullum indicans venæsectionem reperimus hoc in casu, excepto calore febrili, & hæmorrhoidum fluxu supresso. Malignitas enim per se nunquam venæsectionem indicat. Itaque contraindicantia, perhibentia & prohibentia quoque consideranda veniunt. Adest autem alvi fluxus, nausea & summa virium prostratio, quæ illam potius prohibent. Itaque ab illa abstinendum, & ejus loco curcurbitulæ applicandæ sunt, præsertim in partibus corporis inferioribus ad solvendam hæmorrhoidum obstructionem, in quo spes salutis ferè sita est. Convenient etiam hirudines venis sedalibus applicatæ: modum applicandi docuit Zacutus Lusitanus, & ex hoc Hoffmanus.

Sanè venæsectio in morbis malignis mihi semper fuit suspecta, & nunquam approbatur, nisi in plethoricis; quia thesaurus iste vitæ humanæ, frænans acres & malignos humores per V.S. aufertur, & sic malignitas facilius prædominari potest. Hoc in nostro casu planè ob alvi fluxum exulare debet, qui est perpetuum prohibens. Et cum sit res maximi momenti, audiamus sententiam pronunciatam à Moræo, practico dexterrimo, ita dicente: Observandum diarrhæam magnum esse prohibens sanguinis missionis, ideoque in hac nostra maligna febre sanguinem non fuisse emissum, quia ipsa febrem, in qua tamen Hippocrates ita sanguinis missionem commendat, concomitatur. Fundamentum tamen etiam est in ratione, quia cum frequenti alvi dejectione, in qua diarrhææ essentia consistit, plurimum vires dejiciantur, sanguis si emittatur, adhuc magis consequenter infirmus viribus destituetur, & sic tandem non supersunt, quibus possit morbum in vigore consistentem, perdurare, quod tamen semper Medicus mensurare debet, alioquin actum est de vita infirmi. Igitur omni morbi tempore, quo diarrhæa adest, à sanguinis missione abstinemus.

Solent alias Medici pro & contra disputare. Et miror Minadoum Medicum Italum scripsisse de febri maligna, quod in hac febri audacter sit mittendus sanguis, si vero contingat, ut ægri moriantur, id factum esse, quod sanguis non sufficienter sit missus. Sed quid si ad animi deliquium usquè emittatur sanguis, & æger moriatur, valebit ne adhuc excusatio illa, mortuum esse ægrum, quod non sufficienter sit missus sanguis? Interim procede cautè, venæsectio est remedium, quod medicum ad summum honoris & famæ fastigium evehit, & quod ipsum etiam facillimè è solio iterum deturbare potest. Si enim sanguis non est missus, contendunt, si missus fuisset sanguis; forsan æger evasisset: Si vero mittitur, tunc inculpant venæsectionem, dicendo, febres malignas alexipharmacis expugnari, non vero vires dejici debent, quibus amissis natura contra malignitatem morbi pugnare nequit; quicquid ergo feceris, vulgi censura impinges, si solus es in cura, tum omnis culpa tibi soli imputabitur, si in mutuum consilium alios Medicos vocaveris, hic venæsectionem, alter sudorifera, alter laxativum proponet, & cum quilibet in sua opinione cedere nolit, fit inanis rixatio, quæ omnia prolixius prosequitur Grembsius.

Vicem venæsectionis supplere poterunt cucurbitulæ, de quibus supra. Rectè de illis Celsus, ut ex iis minus vehemens est auxilium, sic certè est magis tutum, nec unquam est periculosum, etiamsi adhibentur, ideoque ubi sanguinem mittere opus est, periculumque à vena secta immineat, huc potius semper confugite.

Ex hoc fonte etiam vesicatoria petuntur, quæ auram venenosam tam è liquore vitali quam animali potenter revellunt, quæ ægro nostro in pedibus applicanda ordinamus, ne sanguinis motus ad vasa sedalia impediatur. Et quamvis illorum usus à nonnullis in dubium vocetur, plus tamen confidimus experientiæ tot virorum illustrium

lustrium. vide Celeberr. Horstii & Riverii observationes. Experientiam hanc, inquit Hœferus in tractatu Hercules Medicus inscripto, in memet ipso confirmare ausim, qui, cum Anno 1632. eadem lue Epidemica diebus canicularibus laborarem, & morbo in statu existente per triduum totali usu rationis sine cibo, motu, loquela destituerer, non sine parentis mei & adstantium stupore, post cantharides nuchæ applicatas & vesicam ruptam pristinæ sanitati, Deo opt. maximo medicamentis benedicente, restitutus fui. Cavendum autem, ne instante vel præsente crisi adhibeantur, vel ne remedia uno eodemque tempore usurpentur, ne eveniat, quod fieri solet in incendio domus, ubi populus adeo occupatur, ut unus alteri sit impedimento.

E fonte pharmaceutico purgantia prodeunt, quæ etiam nobis prohibentur, tum a malignitate, tum ab alvi fluxu: quo nomine non solùm evacuantia prropriè dicta, verùm etiam lenitiva & clysteres castigantur, & citra temeritatem imo insaniam tali in casu, ubi diarrhœa comitatur febrem malignam, exhiberi nequeunt; illi enim temerarii non intelligunt naturam veneni, & nesciunt, quod particulæ illæ acres levissimo etiam motu agitari, & à circumferentia ad centrum summo cum vitæ periculo, medici infamia, & perpetuo conscientiæ morsu, præcipitari possint. Interim ignorantia nihil doctius, & nihil audacius.

Vidimus nunc, quid de venæsectione, purgantibus, lenitivis & clysteribus sit statuendum. Recte itaque primo statim intuitu aggredimur malignitatem, quæ Bezoardicis expugnanda: & quamvis Hippocrates sudores, sine coctione qui accidunt, insalutares esse statuat, tamē cum materia maligna qua talis coctionem non admittat, si coctionem expectare velimus, omnes humores interim corrumpat, radices altiores agat, & vires magis magisq; convellat; rectius ad ipsa statim sudorifera confugimus. Et cum superius dixerim, symptomatum urgentiorum semper habendam esse rationem, ut itaque una fidelia duos dealbare possimus parietes zobeardicis & intestina corroborantibus etiam sic simul hunc curabimus affectum: detur itaque pulvis sequens.

♃. Pulv. Anglici ʒß. S. *Englisches Giftpulver auf einmal.*

♃. Aq. è typh. Cervor. s. vin. Tormentill. ana ℥i. S. *Wasser zum Pulver.*

♃. Diascord. Fracast ℈iv. Aq. Carduib. ℥iß. Spec. de hyacinth. ℈j. Liquor diaphor. myns. ℈i M. F. Pot. S. *Schvveiktrancklein auf einmal.*

Hæc & alia, quoties opus fuerit, exhiberi possunt, & sudores tecto corpore expectari.

Curatio diarrhœæ felicius peragitur sudoriferis, quoniam illa humores ad ambitum corporis à ventre revellendo non solummodo diarrhœæ, ubi cum maligna febre conjungitur, maxime prosunt, verùm & ipsa malignitate febrili hæc remedia etiam expostulante, ipsi malignæ febri sunt remedium. Observandum enim hic iterum ex Moræo, hasce diarrhœas nunquam esse naturæ salutares operationes, quod ex eo patet, quod patientem solummodo in pejorem statum cum virium dejectione deducant, neque sint cum facili tollerantia, aut etiam sequatur conferentia, qualiter sunt illæ, quas in continuis simpliciter putridis febribus cum virium robore morbique remissione non raro in praxi observamus: Neque refert, quod in principio morbi, alvo solummodo primæ regionis excrementa evacuante, non multum videntur debilitare, quoniam notabilis sequitur debilitas, dum, diarrhœa continuante, serositates vasorum evacuantur. Interim & caloris & virium etiam habenda erit ratio. Cui itentioni satisfacient sequentia.

♃. Aq. Theriacal. ℥i. rosar. regiæ Viennens. ex Nitrum destill. è succ. rub. idæ. ana ℥ij. Spirit. refrigerant. gr. xv. Syrup. liberant. ℥i. M. S. *Kühlend und starckend Wasser.*

Vel ♃. Aqu. ser. lact. destill. borrag. ana ℥i. Juleb. Gemat. C. ℥ß. M. S. Ut antè.

♃. Spec. de hyacinth. Diamarg. frigid. Pulv. Bezoard. Sen. ana. ʒi. Lap. Bezoar. Orient. ℈ß. Nitrum perlat. gr. xv. M. F. Pulv. S. *Starckend Hertz Pulver, ein halb Quintlein auf einmal.*

♃. Aq. p. Epithem. cord. rosar. ana ℥ß. Carbuncul. ʒij. Acet. Bezoard. destill. ʒiij. S. *Hertz Pulfz und Anstreichvvasser.* Virgiliæ demulceri possunt sequenti Emulsione.

♃. Sem. melon. excortic. cucum. excort. ana ʒiij. papav. alb. ʒiß. Contus. cum Aq. ser. lact. rosar. borrag. a. ℥ii. emulg. l. a. add. Margarit. pp. ℈i. Man. Christ. perlat. ad grat. S. *Besanfftigende Nachtmilch fur etlichmal.*

Linguæ ariditatem corrigit Mucilago seminis Cydoniorum: Gelatina. C. C. vel quod erit instar omnium, Aqua rubra ad fauces, vulgo *das rothe Gurgelvvasser*, vel *das rothe Pommerische Wasser.* Cujus genuinam descriptionem multi inter arcana habent.

Unicum adhuc notandum de Diaphoreticis & Cardiacis, quæ liberaliori exhibita manu cordis motum intendunt, quin & sæpissime ejus robur frangunt; quare vulgaris observatio est, quod cardiaca non raro mortem accelerant, eo quod cruorem nimis exagitando, vires citiùs alterant.

Caveant ergo sic sibi juniores medici, & discant rectè ex præcedentibus mederi, ne tam multos æterno imposterum commendent somno.

Simili prudentia & circumspectione etiam opus circa opiata, hæc enim, quoniam spiritus vitales extinguendo & figendo opus suum perficiunt, si in pulsu debili ac vacillante usurpentur, suffocando somnum perpetuum accersunt, id quod quotidiana experientia satis superque testatur. Quare in pulsu languido, inæquali ac formicante cane pejus & angue opiata vitanda erunt.

Diætam quod attinet, consistit illa in legitimo sex rerum non naturalium usu, itaque in illis ægro nostro erit servandus modus: Aer vitiosus corrigendus floribus fragantibus hinc inde sparsis, aut suffitu ex rebus odoratis, miasmati venenoso resistentibus. Præterquam enim quod ejusmodi thymiamata aërem infectum corrigunt, etiam spiritus vitales, pravitate venenosæ auræ infectos, à fœdis inquinamentis depurant, quemadmodum quævis odorata in abdita corporis se trajiciunt, spiritusque valdè alterant, ac in lipothymiis rerum fragrantium odore evanescentes spititus revocantur, & in-

ſtaurantur. Sic referunt Democritum inſignem ſuorum temporum Philoſophum, morti jam proximum, panis calentis odore integrum triduum effluentem ſpiritum retinuiſſe. Hinc aliis in plurimis morbis ſuffitus antiquis ſuere familiares; ut videre eſt apud Hippocratem, Avicennam & alios: Nec muliebre commentum eſt, etſi illæ ſine conſilio re hac ſæpiſſimè utantur, & quamplurimos patientes liberent: vide Neucranz de Purpura.

Victu utatur tenui, cremore ptiſanæ, avenæ, panatella ex cereviſia & pane triticeo, ex juſculis hordei, oryzæ, pullorum, caponum, aliisque facilis concoctionis, cum ſucco citri, cydoniorum, rubi idæi & aliis paratis.

Potus ſit decoctum. C. C.. citri Mynſichti, Emulſiones amygdalarum julepi refrigerantes & confortantes. Tinctura roſarum. Et cum aſſuetus ſit cereviſiæ, admittimus tenuem defecatam & probè coctam, cui radix Scorzoneræ, raſura C. C., eboris & alia imponi poſſunt. Vinum jubemus exulare, quia ob leptometiam ſpontè ſurſum tendit, caput ferit, & vigilias contumaces & delirium excitat, ac febre ſuo, à maligno calore accenſo, ſanguinem inflammat, Et Neucranz in tr. de Purpura, ut & Hœferus in Hercule medico, teſtantur, omnes fuiſſe mortuos, quicunque vino abſtinere noluerint.

Quin & vini, aqua cocta aliave refrigerante diluti uſus meritò ſuſpectus eſt: Clar. Riverius in nonullis ſubjectis vinum concedit, ſi ſcilic. febris ſit exigua, venenata verò qualitas plurimum intenſa, & corpus ægrotantis pituitoſum. Zacutus Luſitanus, ut in omnibus, ſic & in hoc puncto mirabilis, indifferenter omnibus illud concedit. Sic juxta Celſum ſæpè quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Uſus acidularum etiam interdictus, quod interiora nimis refrigerent, & à circumferentia ad centrum moveant. Præſertim cum in noſtro ægro habeamus alvi fluxum ſyptomaticum, qui ab uſu acidularum ingraveſceret.

Quoad reliqua decumbat æger quantum poſſibile, quitè, quo per continuam diaphoreſin venenata ſpicula exſpirent. In ſomno & vigiliis ſit moderamen, quorum alterutrum, ſi extra naturæ legem abeat, convenientibus medicamentis reduci poteſt. Animi affectus declinentur, qua in re & adſtantes ſuum faciant officium. Confidat æger Deo, qui potenti ſuo verbo languores noſtros non raro ſanat, ubi omnis conſilii humani vis ceſpitat, ac cuncta deſperationi proxima inſtantem interitum nuntiare videntur. *Idem Ibidem.*

Hemitritæa Febris.

Vir 40. annorum, robuſtus, mala diæta diu uſus, incidit matutino quodam tempore in horrorem totius corporis; quem inſecutus eſt calor magnus, pulſus crebrer, celer, perpetuo durans. Sub veſperam ipſum eodem die invaſit refrigeratio totius corporis, poſt quam ſequebatur pulſus juſto celerior & crebrior. Sequente die, calore illo perpetuo & pulſu celeri & crebro durante, leviter perfrigeratus eſt, caloreque deinde increvit & pulſus increbuit. Tertio die rurſus mane exhorruit & deinde incaluit & veſperi, Poſtquam refrigeratus eſſet, etiam, increvit calor. Quarto verò die, leviter denuo ſub veſperam refrigeratus, incaluit & pulſus increbuit. Adeſt ventriculi dolor, ſitis, & capitis gravitas.

Afficitur in hoc ægro totum corpus, ut ex horrore, refrigeratione, & ejus incaleſcentia: cor, ut ex pulſu vitiato: æſophagus, ut ex ſiti: ventriculus, ut ex dolore: & caput, ut ex gravitate eſt manifeſtum.

Morbus, qui ipſum affligit, eſt febris, quæ ex tertiana continua, & quotidiana intermittente, compoſita, Hæmitritæa, vulgo appellatur. Idque ex ſymtomatum hic deſcriptorum ordine, & invadendi ratione & modo, clare innoteſcit.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt mala diæta, qua noſter æger diu eſt uſus. Inde verò nata cacochymia pituitoſa & bilioſa, tum in vaſis, tum extra vaſa exiſtens, antecedentem huic morbo præbuit cauſam. Pars verò ejus una bilioſa, mane alternis diebus horrorem, & perpetuum calorem, pulſumque crebrum ac celerem; altera verò pituitoſa, quotidie ſub veſperam, primò corporis refrigerationem & deinde corporis totius incaleſcentiam, & pulſus celeritatem & crebritatem, item ſitim, ventriculi dolorem, & gravitatem capitis inducens, continens hujus morbi & ſymtomatum ejus eſt cauſa.

Morbus hic, quia totum corpus affligit, & ex cacochymia contraria, bilioſa ſc. & pituitoſa, maligna & putreſcente, originem ducit, ſatis eſt periculoſus. Curatio itaque diligentiſſime eſt inſtituenda.

Eaque conſiſtet in cauſæ procatarcticæ, antecedentis & continentis, ac intemperiei, per contraria, ablatione.

Primo itaque injiciatur clyſter emolliens, quo inteſtinis evacuatis, ſanguis, ex brachio dextro, tempore minoris afflictionis educatur ad ℥vj.

Et bibat de hoc julapio: ♃. Syr. acetoſi ſimplicicis ℥ij. Capill. veneris ℥j. Aq. borrag., cardui bened. an. ℔ß. Spirit. vitriol. q. ſ. pro grato acore, Miſce, F. Julep. Purgetur etiam ſubinde, tempore minoria afflictionis, tali purgante medicamento:

♃. Electuarii diacatholici ℥ß Diapruni ſol. ʒiij. Caſſiæ recent. extr. ʒij. Aq. car. bened. q. ſ. Miſce F. Hauſtus.

Et utatur hoc apozemate: ♃. Rad. petroſel., polypod. querc. an. ℥j. cichor. ℥ß. Fol. agrimoniæ, acetoſæ, cichorii meliſſæ, an. m.j. Flor. centaur. min., geniſtæ an. p. j. tamarindor. ℥j. Decoq. in aq. hord. ℥xvj. addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ ℥jß. in Colatura diſſolve ſyr. de cichor. cum rhabarb. ℥jß. Miſce pro Apozemate, de quo quotidie ſumat ℥iiij.

Victus ſit tenuis, temperatus. Tempus cibandi ſit circa horas minoris afflictionis. Potus ſit cereviſia tenuis, bene defæcata, item julep. ex aq. endiviæ, cichor., roſar., viol., borrag. ſyr. de ſucco citri, ribium, & ſimilibus. Perturbationes animi fugiendæ, & cum ſpe eventus exſpectandus. *Henri Reginis apud Theodor. Craanen è Medicatton. lib. iij.*

Observationes

Juvenis quidam Nobilis bene habitus & sanguineus mense Majo pila palmaria ludens, seque vehementer exercens, adhæc cum antagonista contendens; atque excandescens, postea domum reversus in febrem incidit Synocham, itaque Chirurgo accersito, vena brachii aperta, sanguinisque ℥viij. detractæ fuerunt, statimque ad sanguinis fervorem extinguendum julepum hunc propinavi.

℞. Aq. endiv. & acetos. an. ℥ij. succi limon. ʒj. syr. de ribes & de agresta. an. ℥j. julep. viol. ℥jß. capiat mediam partem statim à venæ sectione, alteram sub nocte, ut aquam fontis, quam summè expetebat, injecta tamen prius crusta, panis, affatim biberet concessi, quia nox inquieta fuit ob turbulenta insomnia & caput dolebat, oxytrhodinum fronti & temporibus applicui.

℞. Aq. rof. ℥iiij. aq. plantag. viol. & lactuc. an. ℥ij. aceti rosac. ℥j. album ovor. numero j. ol. rosac. ℥j. agitentur ut fiat oxyrrhodinum.

Pulsus cum nihilo remissior esset, iterum crastino die missus est sanguis ex sinistro brachio bona quantitate. Sub vesperam quia alvus non respondebat, & ut calor magis restingueretur clysma injectum fuit tale.

℞. Fol. malv. viol. acetos. lactuc. endiv. an. Mi. fl. viol. nymphææ an. pi sem. cucurb conquassat ℥ß. sem. psyllii ʒj. F. decoctio in colat. ℔j. dissolv. sacch. rub. ℥j. cassiæ rec. extract. ℥ß. succi lactuc. ℥ß. ol. viol. ℥ij. salis parum F. Clyster. hujus usu bis ejecit, post mediam noctem facies & pectus madere cœperunt, indéque somnus subsequi, moxque inter dormiendum egregie sudare: & postea febris eum penitus dereliquit. Felix Platerus. obs. lib. 2. pag. 277.

Pro Febre ardente.

Pauper quidam quadraginta annorum correptus est ardente febre cum symptomatis solitis, illum paucis & nullius pretii remediis sequentibus sanum feci.

℞. Aq. card. bened ℥vj. rad. asari pulver. ℈ij. M. pro haustu, hausto hoc calide in lecto, sudavit multum, vomuitque nonnulla biliosa, sequenti die basilicam cubiti dextri aperuit, & copiosè sanguinem misit, pro cibo dabantur juscula, potus erat aqua decoctionis fragrariæ, atque his sanè mox subventum est misero. Martinus Rulandus. curat. 55. cent. 9.

Experientia longa observavimus in curandis febribus omnibus, & iis equidem quæ nullis pharmacis solvi & tolli potuerunt, illas mox & certò solutas & sublatas esse aqua benedicta. Martinus Rulandus. curat. 68. cent. 9.

Paupercula quædam febre ardente lethifera laborans, mox adjuta est & liberata peremptu facilia & utilia ista catapotia,

℞. Pil. sine quibus, aurear. an. ℈ij. agar. troch. ℈ß. cum syr. ros. solut. F. pil. ix. quarum operatio fuit bona & salutaris, potus erat decoctum radicum cichor. Martinus Rulandus. curat. 69. cent. 9.

Vir quidam triginta annorum ardente febre extorrescebat, accesserat pertinax vigilia, lingua arida, spiritus difficilis, cibi fastidium, vehemens sitis, ab omnibus erat desperatus, urina fuit rufa, turpida & spumosa, hujus deplorati hominis curam suscepti talem. Cibus erat liquidus. sorbilis, humectans, potus aqua julepizata julepo violato, hoc purgatorium propinavi.

℞. Decoct. aperitiv. cum rhab. ℥iij. syr. rosat. solut. ℥ij. syr. de rhab ℥j. M. pro haustu: quo alvus multa biliosa & varia egessit & febris sese mox inclinavit, urinaque cœpit naturalis fieri. Sequenti die post hanc evacuationem, basilicam venam me admonente pertudit, his ita peractis præter omnium hominum opinionem Dei misericordia iterum incolumis restituitur. Mart. Rulandus, cut. 46. ctnt. 10.

Juvenem quendam 19. annorum febre continua periculosé laborantem mox annuente Deo, sanum feci per sequentem potionem & poculum.

℞. Aq. font. vini. an. ℥iiij. bulliant simul & semel. postea infundantur in calice nostro chimico per horæ quartam partem, deinde invocato nomine Domini, accepit calicem salutarem, bibitque infusum, & post horam evomuit multa phlegmatica & biliosa, ac alvo quoque consimilia excrevit, & statim melius habuit, melior etiam urina, & quatuor dierum spatio sanatus fuit, victus ratio fuit humectans, potus decoctum hordei saccharatum. Martinus Rulandus. curat. 27. cent. 9.

Pro Febre continua putri.

Juvenis quidam biliosus 25. annorum, cum tempore verno à cibo, operi rustico valde intentus asset, in febrem continuam eamque putridam incidit. Secundo die à morbi initio ad eum accitus, cum alvum strictiorem haberet, minorativum medicamentum sequens propinavi.

℞. Elect. lenitiv. & cathol. an. ʒiij. syr. rosar. solut. ℥ij aq. cichor. ℥iiij. quo & multa biliosa evomuit. simulq; ter alvum excrevit, sequenti vero die, ℥viij. sanguinis ex vena brachii dextri extractæ sunt, cum robustus esset, hora quarta pomeridiana hunc julepum ebibit.

℞. Aq. lactuc. cichor. endiv. an. ℥j. syr. da endiv. viol. oxysacchar simpl. an. ℥ß. M. pro capitis dolore fronti oxyrrhodinum admovi, cumque malè dormiret tempora inunxi oleo viol. & papav. simul mixtis, cum à sanguini detractione, aliquantulum sudasset, & bene egessisset, quarto die melius habere visus est, quinto autem cum signa coctionis in urina apparerent, neque alvum deponeret, rhabari infusum sequens dedi,

℞. Rhabarb. el. ʒjß. pie ℈ß. infund. per noctem facta prius leni ebullitione in aq. endiv. ℥v. fortissimæ expressioni adde syr. rosat. solut. ℥ij. M. quo optimè excrevit, ita ut febris sexto die minus illum affligeret, & urina crassior facta valde subsideret; septimo autem die per sudorem crisis subsecuta est, & sanitati restitutus fuit. Petrus Forestus. obs. 1. lib. 2. De Febribus continuis.

Puella quædam septem annos nata, laborabat febre continua non admodum vehementi, sed quæ per intervalla, scilicet circa vesperam

exacerbabatur, incepit febris cum vomitu pituitoso, quem deinde secutus est alvi fluxus etiam pituitosus, per unum tantum diem perseverans; urina erat pallida & turbata, anhelitus acidus & graveolens. Præscribo potionem ex infuso ℈j. rhei cum syr. rosac. ℥j. quam paulò post assumptionem evomuit, cum pituita crassa & valde putrida; deinde circa vesperam clysterem ex catholic. duplic. ℥ß. iniiciendum curo: quo & reliquiis medicamenti simul operantibus, quinquies dejecit tota nocte materiam pituitosam, biliosam, & valde fœtentem; mane febris perexigua, & meridie febris expers, ac sanitati restituta est.

Ex hac observatione colligere est, quantum aberrent illi Medici, qui in omni febre continua indiscriminatim à venæ sectione inchoandam esse curationem existimant, cum sæpe in pueris dictæ febres à putridis humoribus, in prima regione stagnantibus oriantur; qui purgatione facilè educuntur, in hac autem puella vomitus pituitosus & alvi fluxus talem humorum redundantiam indicabant. Lazarus Riverius. obs. 57. cent. 1.

Pro Febre summe maligna cum pulsu intermittente.

Nobilis quidam incidit in febrem summæ malignitatis, quam statim ab invasionis principio comitabatur continuus vomitus materiæ biliosæ, vehemens linguæ ariditas, sitis, inquietudo, intollerabilis æstus ventriculi, cum frequenti eructationum repetitione, quæ per intervalla gulæ communicabat angustias & coarctationem difficillium; pulsatio arteriarum deprehendebatur valde inæqualis & in ordinata usque ad septimum diem, quo percipi cœpit intermittens, sed hic nondum arripui desperationis ansam, licet haudquaquam me lateret Galeni de hoc signo judicium prorpsus formidabili.

Ad medelam huic affectioni præstandam accitus, neglecta sanguinis detractione, quam hoc anno in quibuscunque malignis & pestilentibus morbis crudeliter grassantibus periculosam compereram, illico exhiberi jubebam antidotum hoc eum aq card. bened.

♃. Theriac. el. ℥iij. rad. tormentill. bacc. junip. sem. card. bened. an ʒiß. bol. arm. præp. ℥ß. diamargar. frigid. ℈ij. sem. acetos. citri. ras. eboris, an. ℥j. syr. acetos. citri, q. s. F. conditum, unde provocato abundè sudore meliusculè habuit, tertio die observata maxima humorum putredine, & apparentibus incendii adstionisque gravioris indiciis, ordinavi decoctum ex hordeo, carduo bened. & scabiosa confectum, admixto saccharo & aceto in formam syr. acidi quo assiduè utebatur, quandoque haustum ex stillaticia card. ben & oxalidis aqua bibebat. Nutriebatur ptisana subacida, avenato in aqua cum pauxillo aceti præparato, ac tandem jusculo pulli gallinacei simplici in quo vitellus ovi erat dissolutus, assumpsit quoque succum mali punici. Quinto die contecto diligenter corpore, exhibitaque aqua hordeacea dulcorata, copiosissime profluxit sudor, qui mirè ægrotantem sublevabat anxietatis continuæ molestiis. Sexto per secessum prodibant excrementa penitus biliosa cum fœtore magno, adeo ut natura materiæ peccantis diminutionem paulatim moliri jam videretur, sed impedita fuit ab insultu noctis subsequentis, qua symptomatum omnium concursus ingruebat tanta & vehementia & celeritate, ut æger condito ultimæ voluntatis testamento migrationis è vita momento intenderet. Septimo rediens manè in acerbo consanguineorum astantiumque luctu citra ullam dilationem digitis carpo admotis pulsum percipio intermittentem tertia quaque pulsatione, qui primo quidem contactu terrorem incussit, at examinatis interea cæterorum accidentium præsagiis, indeque certa convalescentiæ spe data, quidquid discriminis portendebat variata illa cordis & arteriarum motio, id totum retuli ad acerrimum naturæ cum vi morbi consertationem, neque profectò conjecturam meam eventus rei fefellit, quoniam reliquo diei decursu expultrix facultas occubatur planè in exonerando stomacho à noxia materiæ aductæ multitudine, animadversione habita primò ad virtutis corroborationem, odoratui mala arantia aq. rosac. obtuli. Deinde ad juvandum naturæ conatum insciendo vomitu exhibui aquam tepidam cum ol. communi & arantiorum succo mixtam, inde serosa quidem, excrementa nonnulla remanarunt. Sed quum minera mali nondum attingeretur satis ab imbecilliori hoc medicamento, aut ejus tenacissima malignitas infringeretur, sequenti die (qui octavus numerabatur deliberato animo, & pulsus intermissione quamvis perseverante, ministravi potionem purgan) tem sequenti modo confectam.

♃. Rhei el pulv. sen. laxativ. ʒiß. infund. seorsim in aq. endiv. ℥iiijß. horis x. post fortem expressionem colat. adde. syr. ros. solut. ℥j. M. & quia mentio incidit pulveris senæ solutivi, cujus usum in hac inferiore Germania ego primus introduxi ejus discriptionem lubenti communicatione obiter subjungam, ut quibus visum fuerit in suis præparent pharmacopoliis.

♃. Fol. sen. purgat. tartar. alb. an. ʒj. sem. anis. caryophyll. cinnam. galang. an. ℈j. diagrid. ℈ij. comminuantur minutissime in pulverem. S. A. dosis est ʒij. in substantia & ℥ß. in infusione. Ex suprascripti pharmaci assumptione sexies æger per alvum excrevit flava, biliosa, adusta, fœtida, cum sedatione omnium symptomatum: ut etiam testaretur sensibili perceptione sese liberari ab ingenti pondere glomeris per intestinorum longitudinem à ventriculo delabentis. Postea roboravi intrinsecus cons. exhibitione, foris verò illinitione olei ros. immaturi, convaluit probè nobilis hic post universalem corporis evacuationem: saltem pulsus intermittens perdurabat adhuc in nonum usque diem, quo commutabatur in parvum, rarum, & tardum, qui necessario debilitatem sequebatur ex mutua naturæ & ægritudinis colluctatione natam. Proinde manifestimè apparet hanc dicendi cautionem à Medicis esse observandam, ne animo penitus perculso & commoto de valetudinis recuperatione confestim diffidant, si quando ejusmodi pulsus sensui occurrat, cum causæ quidem morbificæ magnitudinem & ancipitem oppugnantis naturæ luctam denotet, non tamen mortis propinquitatem,

nisi

nisi plurimum lethalium signorum tanquam πικμηελων accessione confirmetur artificiosa conjectura. Ioanes Wierus lib. 1. obs. 4.

In febre maligna hodie frequentissimus est lapidis bezoardici usus; cujus (ut libere loquar) nunquam evidentem ullum fructum conspexi; veruntamen usurpari facilè concedo, quod ex iis sit, quæ si non juvent, nec etiam obsunt: quæque exerceri à Medico indulgebat Hippoc. Hier. Mercurialis. consult. 5. tom. 3.

Ut ingenuè dicam, dum Venetiis praxim exercerem, maximam lapidis bezoardici copiam consumpsi, nec egregiam operam sensi. Scio plurimos quibus exhibui, fuisse sanatos, sed non retuli in lapidem: Scriptores dicunt, quod eo sumpto sudor copiosus excitetur, post quem statim sublevantur. Ego tamen non vidi sudorem prorumpentem: vel si apparebat, erat sudor imperfectus, itaque quantum ad me, abjeci omnem spem hujus lapidis in his febribus. Hercules Saxonia, lib. De Febribus. cap. 38.

Pro Febre maligna.

Vngula alcis summoperè in epilepsia commendata mirabiliorem virtutem possidet, ut sæpius nos expertisumus, contra venena & febres malignas, eo modo sumpta quo lapide Bezoar utimur. Sudorem facillimè movet. Nos exhibuimus in minutissimas partes lima redactam cum conserv. de acredine citri ad septem granorum pondus, mirabilesque offectus in morbi malignitate superanda ægrotis peperit. Dominicus Panarolus. observ. 33. pentecoste. 3.

Vir quidam incidit in febrem malignam quæ ipsum ad convulsiones & delirium perduxit, cum summa pulsus inæqualitate, unde brevi moriturus videbatur. Ex variis quæ illi exhibita fuerunt. maximè profuit aqua theriacalis nostra in febris pestilentis curatione descripta ad ℥iiij. exhibita cum bezoardici jovialis, gr. xii. à quibus sudor copiosus excitatus est, & æger veluti miraculo liberatus. Lazarus Riverius. obs. 66. cent. 4.

Compositio aquæ theriacalis Riverianæ talis est.

♃. Limones recentes & succulentos, num. xij. cortices & semina eximentur, succus exprimatur, eique adde cortices prædictos & semina: succi scordiij, ℔iij. succi acetos. rutæ caprariæ. scabios. & card. ben. an. ℔j. ras. C.C. ℥iiij. theriac. vet. ℥vj. cortices limonum in tenues laminas dividantur, semina contundantur, & herbæ quæ minus habent succi inter contundendum succo limonum irrorentur. Omniaque destillentur in B. M. hujus aquæ detur. ℥j. per se vel cum aliis liquoribus permixta.

Matrona quædam Sexagenaria febre maligna laborabat, cum summa virium dejectione ex continuo alvi fluxu ad lienteriam tendente, & totius corporis refrigeratione singulis diebus recurrente, & per plures horas perseverante. Cum remedia ordinaria, quæ pro febre maligna alvi fluxu & corroboratione virium vulgo præscribi solent, sedulò ac continuò per biduum usurpara, nihil profuissent, & ægra in pejus rueret, ita ut die undecimo morti proxima ac veluti in agone constituta videtur, ad bezoardicum joviale tanquam alexipharmacum eximium, & potens diaphoreticum confugiendum esse censui; illius gr. xij. exhibui: ab eo tempore non amplius dejecit: perfrigerationes non redierunt, & intra biduum febris expers fuit, ac postmodum brevi convaluit. Lazarus Riverius. obs. 56. cent. 4.

Pro Febre maligna.

Post Monspellii obsidionem an. 1623. grassata est per plures menses febris admodum maligna, ex quamedia ferè pars ægrotanrium interibat, periculariter verò quibuscunque parotides superveniebant: (quod circa nonum vel undecimum morbi diem solebat contingere) omnes interibant, cum autem plures hujusmodi vidissem neque ullis alexipharmacis liberare potuissem, cogitare cœpi ideo censeri lethales parotides, quod pars illa non sit capax recipere totam materiam morbificam, quæ intus manens, interimit; & suplendum esse naturæ opus: ac quanquam ægrotantes pulsum haberent parvum & frequentissimum ac pene formicantem, ut in agone mortis versari viderentur, quæ etiam brevi succedere solebat: attamen hanc C. Celsi sentententiam animo revolvent, multa scil. in præcipiti periculo rectè fieri, quæ alias essent omittenda, & satius esse anceps remedium in uno aut altero experiri, quam tot ægros certo exitio relinquere; sanguinis missionem præscripsi partitis vicibus, propter virium imbecillitatem bis aut ter eodem die, & sequenti die, purgationem: qua via omne quia hæc remedia administrata sunt, fœliciter evaserunt, neque ullus deinceps interiit. Lazarius Riverius, obs. 43. cent. 1.

Vocatus ad quendam febre maligna laborantem, præter remedia ordinaria & julepos cordiacos cum sale prunellæ ter in die exhibendos hunc pulverem præscribo.

♃. Salis prunellæ. ℥ß. camphoræ ʒß. M. F. puluis: qui dividatur in quatuor partes, quarum unam capiat tertia quaque hora: noctu hunc pulverem sumpsit, & manè multò melius habuit, jubeo iterari pulverem cum aliis remediis, & eodem die à præsentaneo vitæ periculo liberatus est, & paucis modum diebus omnino convaluit Lazarus Riverius. obs. 18. cent. 2.

Aromatarius quidam viginti & quatuor annorum laboravit febre maligna, ex qua tandem circa undecimum morbi diem incidit in delirium, & paucis post. modum diebus in motus tremulos & convulsivos nervorum, qui phrenitidi lethali surpervenire solent per mensem ferè integrum dilirium perseveravit, convulsiones verò per dies duodecim, tandem evasit post multorum remediorum usum: ea quæ magis profuere, sunt sectio venæ frontis, & julepi compositi ex aq. card. bened. ℥iiii. aq. theriac. ʒiij. bezoar. mineral. ℈ij. camphoræ, gr. xij. qui quinquies fuere exhibiti. Lazarus Riverius, obs. 62. cent. 2.

Pro Febre maligna.

Ancilla quædam febre maligna laborare cæpit, quæ eam ad deliria convulsiones deduxit:

quia

quia paupercula erat, & parcebat sumptibus, paucis remediis curata est in sequentem modum. Quater secta fuit vena, cucurbituiæ pluries admotæ humidæ & siccæ: pro potu utebatur decocto radicis acetosæ, in quo dissolvebam bis in die salis prunellæ. ʒj. spirit. sulphuris. gutt. xv. In jusculis sumebat frequenter bezoard. mineral. ℈j. die undecimo morbi exhibui spiritus fuliginis. ʒij. in aq. card. ben. & parum sudavit: die duodecimo exhibui ejusdem spiritus ʒiij. cum eadem aqua & copiosè sudavit. eodemque die febris remissa est, deliria & motus convulsivi desierunt: & intra paucos dies postmodum convaluit. *Lazarus Riverius* obs. 36. cent.3.

Virgo quædam viginti annos nata, correpta est febre maligna, quæ eo usque processit non obstantibus remediis ordinariis, ut circa undecimum morbi diem in delirium & nervorum contractiones inciderit, quibus accedebant interdum Leipopsychiæ: in gravi illo periculo præter epithemata & pullos columbinos, aliaque roborantia interna & externa, sequentia remedia præscripsi; quæ in his affectibus maximæ solent esse efficaciæ: nempe vesicatoria quinque cervici, brachiis, & femoribus admovenda; julepos ex aq. card. bened. ℥iij. aq. theriac. Bauderon. ʒiij. bezoard. ℈ij. camphoræ, gr. vi. qui julepi per biduum usurpati fuere manè & serò: tum etiam prædictum bezoard. miner. exhibebatur in singulis jusculis ad ℈j. hisce remediis intra paucos dies, à gravi illo morbo liberata est. *Lazarus Riverius*. obs. 73. cent.2.

Mulier quædam triginta annorum sese mihi curandam obtulit: laborabat febre maligna à duobus diebus, cum dolore capitis, inquietudinibus ferè continuis, sitique intensa, maculis quibusdam lividis cirqua pectus & dorsum apparentibus: ter intra biduum sanguinem eduxi ad ℥viij. singulis vicibus, cumque interna omnia remedia adversaretur. ad externa animum contuli, quinto itaque morbi die cataplasma ex cochleis cum suis testis contusis, stupisque superpositis utrique pedi circa plantas applicandum curavi: admotum est hoc remedium circa horam tertiam pomeridianam, inclinante autem die, cœpit ægra sentire dolorem quendam molestum & gravem in utroque femore & tibia, qui ad mediam usque noctem duravit, ea sævitia, ut ægra de removendo catasplamate perpetuò cogitaret. Media autem nocte sudor totum corpus invasit, tanto fœtore, ut illum sustinere vix posset, mutato indusio, amota sunt è pedibus cataplasmata tetrum adeo odorem exhalantia, ut astantes fermè inficeret: mane ægram alacrem invenio, febre, aliisque symptomatis valde imminutis, & brevi post omnino convaluit. *Io. Martinus.* obs.8.

Pro Febre purpurata.

Vomitus ad invisendum virum quendam febre continua laborantem ab octo diebus, in quorum spatio ter ipsi vena secta fuerat, & purgans medicamentum semel exhibitum, ex præscripto medici ordinarii; invenio pulsum valde frequentem & inæqualem unde suspicor febrem esse malignam, simulque eum detegi jubeo, & totum corpus invenio exanthematis purpureis refertum: urinæ erant satis laudabiles concoctionis rudimenta quædam ostentâtes. Præscripsimus cucurbitulas multas secundum spinæ longitudinem applicandas, tum siccas, tum humidas, epithemata, inunctiones ex oleo scorpion. Mathioli, confectionem de hyacinto in jusculis, & julepos refrigerantes, cum cardiacis, pro potu utebatur ptisana vulgari, in quam nodulus C. C. mergebatur: hæc remedia continuavit usque ad undecimum morbi diem, cum tamen omnia in pejus ruerent, ægerque delirio, & convulsionibus correptus fuerit: dicto die undicimo leviter sudavit sine fructu. Delirium cum stupore quodam conjunctum erat: ideo vesicatorium cervici admotum est. & cucurbitulæ continuatæ partibus inferioribus.

Julepi sequentes præscripti sunt.

♃. Hord. integri, p. j. rad. bugl. ℥ij. fol. borrag. pimpinell. scord. an. Mj. sem. citri, acetos. an. ʒß. tamarind. ℥ij. fl. borrag. bugl. ros. rub. an. p. j. dictamn. cretic. p. ß. F. decoctio in aq. ℔viij. ad tertiæ partis consumptionem: in colat dissolv. sacch. alb. ℔j F. julep. de quo capiat ℥viij. mane & serò, addendo unicuique dosi salis prunellæ ʒj. spirit. vitrioli, ℈ß. Pro potu præscripta fuit tinctura ros. in jusculis, pulv. ex margarit. corall. ras. ebor. C. C. & lap. bezoard. at postremis diebus instante decimo quarto die cum omnia in pejus ruerent, loco pulveris illius, substitui bezoardicum minerale purum, cujus ℈j. sumebat in singulis jucubis. Cum verò circa vesperam, febris, delirium, & convulsio plurimùm intendi consuevissent; duabus horis ante exacerbationem hunc pulverem exhibuimus.

♃. Salis prnnellæ. ʒß. bezoard. miner. ℈j. camphoræ, gr. vi. M. capiat cum aq. card. ben. & exinde melius halius decimo sexto die cum apparet concoctio in urinis, medicamentum catharticum exhibitum est ex senæ ʒij. rhei ʒiß. in decocto refrigerante infusis. addendo colaturæ, & syr. rosac an. ℥j. quo blande purgatus est: eodem die pustulæ quam plurimæ animadversæ sunt instar variolarum ad suppurationem tendentes magno quidem numero circa vesicatorium, tum sparsæ per dorsum, lumbos, & nates: die sequenti prædictæ pustulæ majori ex parte ruptæ apparuerunt, & ad exsiccationem tendentes: verum in parte anteriore circa hypochondria & pectus pustulæ perexiguæ, pellucidæ, & diaphanæ, humore seroso refertæ, infinito propemodum numero prodiere: febris valde remissa, & dilirium valde imminutum: decimo octavo somnus multus fuit, & ferè continuus diu noctuque usque ad diem vigesimum: purgatus est iterum die vigesimo secundo, & postea febris omnino desiit, ac paucis postmodum diebus perfecte convaluit. *Lazarus Riverius.* observ. 21. cent. 1.

Raphanus quia magnam vim habet attrahendi malignitatem materiæ, utile est scobem ejus pedibus sale & aceto prius mundatis alligare: idem etiam occipitio apponi potest, si vehemens capitis dolor adsit. *Ioannes Crato.* consil. 16. lib. 3.

Pro

Pro Febre maligna.

Servus cujusdam Archiep. febre petechiali laborans eo devenerat, ut nulla spe superstite, de vita esset conclamatum, ille verò mortis candidatus, qui mori se intelligebat, misso ad Episcopum nuncio, supplex vini haustum expetit ante fatalem horam quod illi ilico concessum fuit largiore quam experierat, mensura. Post haustum vini rhenani in sudorem, quievit, & judicata est cum salute febris. Similia exempla plura apud nos memoriæ occurrunt. *Thomas Bartholinus*, hist. 7. cent. 6.

Ego certe testari possum, me, cum extremè febre pestilenti decumberem, animique deliquia singulis momentis haberem quatuorque dies & noctes absque omni somno habuissem, omnesque astantes de mea salute desperarent, sex guttulis tincturæ coralli cum decoctione violarum ex cochleari propinatis, exemplo & quasi miraculosè fuisse liberatum: quamprimum enim ad duo cochlearia tincturæ sumpseram, cordis spiritus ita recreari, & naturæ gratissimum, quippiam accessisse, ac omnia præcordia subiisse sensi, ut illico quasi luce depulsis tenebris, morbi vim, medicaminis efficacia, manifeste abigi perciperem. Sudorem enim & crisim (cujus tamen nulla indicia præcesserant) movebat, maculasque quamplurimas purpureas ad cutem pellebat: quibus sudore continuo deletis, brebi pristinam valetudinem recuperabam. *Alselmus Boetius*, lib. 2. De Lapid. & Gemmis. cap. 154.

Pro Febre continua in puerulo octodecim mensium, cui à secto Linguæ fræno Sanguis in ventriculum effluxit, ibiq; putrescens, Febrem excitaverit cum sævissimis Symptomatis.

Quam primùm vomitus provocetur cum ℥iij. ol. amygd. d. ut putridus in ventriculo contentus sanguis evocari possit mox à vomitu, Clysteriolus, quam primum injiciatur ex jure pingui & saccharo, vel melle despumato, ut fæces, & ejusdem corrupti sanguinis reliquiæ ab intestinis concreti purulentique notabilem copiam evomuit, adhæc unà cum rejecto clystere sanguinis corruptis grumo grumos permultos excrevit: & sic statim remissa fuit febris; cessaruntque omnia symptomata, neque in posterum quicquam mali persensit. Sanguis in ventriculum fluxit, quod ab opere chirurgico, non statim pronum situaverunt infantem, ut ex ore potuerit protinus profluere. *Io. Zecchius*, cons. 46. & append.

Pro Febre maligna cum vermibus in Muliere.

Ab umbilico inuncto sequenti linimento, & pilulis deinde devoratis, novem vermes ejecit, & sic præter omnium spem sana evasit.

♃. Ol. ovor. lilior. fellis bubul. succi cepæ assatæ, butyri rec. an. ℨij. M. F. linimentum.

♃. Aloes succotrinæ, ℈iß. spec. diatragac. frig. gr. v. cum syr. viol. F. pil. iij.

Sorbebat autem supra pilul. (ne aloe febrilem calorem augeret) cochl. i. syr. de limon. *Petrus Forstus*, obs. 4. lib. 6. De Febribus malignis.

Pro Fabre publice grassante cum gutturis dolore molestissimo ex Catarrho pene suffocante.

Plurimum profuit ad dolorem gutturis gargarismus subsequens, quo in meipso usus sum tum in aliis, ita ut cum illo septies tantum gargarisassem, dolor ille subito cessarit, simul & angustia pectoris miraculi instar.

♃. Aq. plantag. ℔j. aq. scabios. ℔ß. fl. ros. rubr. p. j. sem. cydon. ℨj. bulliant leviter & colentur; adde diamor. dianuc. an. ℥j. terræ sigill. veræ pulver. ℨj. M. quo cum usus essem videbat quasi liberatus ab hoc malo, ita ut nocte subsequente optimè dormirem. *Petrus Forestus* obs. 1. lib. 6.

De Febre stata.

Architectus quidam singulis annis stato die, hoc est, quo natus fuerat, febre implicabatur, quæ ex putrescente bile genita suum circuitum servans decimum quartum non transgrediebatur diem donec senio confectus, & eadem ex more complicitus febre natali suo die vi morbi prostratus, naturæ concessit. *Antonius Devenius*. cap. 84. lib. De abditis morborum & sanationum causis.

Pro Febre tertiana exquisita.

In principio mensis Junii, cum tempus valde calidum esset, ac impensè circa ægros curandos ipse laborassem, vigiliis, curis, & solicitudine, plus æquo occupatus, in tertianam veram & intermittentem lapsus sum: in paroxismi principio & augmento à somno & potu abstinebam, die verò sequenti intermissionis post primum paroxysmum ter in die ex julepo sequenti sumpsi.

♃. Fol. acetos. endiv. viol. lactuc. scariol. an. Mj. prunor. damasc. numero xv. coq. in sero lactis pro ℥ix. col. adde syr. viol. ex multiplici infusione ros. de endiv. an. ℥. M. F. julepus: eo alvus nonnihil solvebatur. Cibus erat panata vel pomum acidum coctum, potus cerevisia tenuis tempore intermissionis, tempore febris ptisana ex hordeo mundato & liquir. parata: post secundum paroxysmum die quietis hac leniente medicina usus sum.

♃. Flor. nymphææ, viol. borrag. an. p. j. prun. damasch num. xiij. tamariud. ℥ß. coq. in sero lactis in colat. ℥iv. dissolv. diapr. simp. cassiæ rec. extract. syr. viol. an. ℥ß. M. inde habui sex sedes valde copiosas ac biliosas. Postea tertius rediit paroxysmus adeo violentus, ut in statu delirarem. Die verò subsequente, nempe quieto, cum urina aliquo modo tincta spectaretur, & crassior, ex basilica brachii dextri ℥iiij. sanguinis extraxi: sed adeo inde debilitabar, ut quasi sync open futuram præsentirem, nisi Chirurgo imperassem, ut illico venam constringeret: at medico vino rhenano sumpto deliquium animi intercipiebam, ut non fuerim syncopen passus. Alteratio tamen illa adeo-

profuit: ut postea non amplius paroxismum habuerim. *Petrus Forestus*, obs.2.lib.3. De Febre intermittente.

Virum quendam febre tertiana laborantem Dei auxilio & sequenti mediciana mox liberavi.

♃. Decoct. card. bened. ℥iij. extract. esul. ℈ii. M. pro haustu, quo multa biliosa phlegmate permixta egessit: per sequentes novem dies in aurora & longè ante paroxysmum accepit decocti sequentis ℥vj. calide & in lecto stragulis benè contectus sudores graveolentes & acres emisit; ac eo penitus remisit febris, sanusque evasit decem dierum spatio. Est autem decoctum tale.

♃. Flor. centaur. min. M. iij. coq. in aq. q. s. ad dimidias. *Martinus Rolandus*. cur.97. cent.1.

Pro Febre Tertiana.

Ad Generosum quendam febre tertiana correptum vocatus, in hunc modum curationem institute. Primo longè à remisso paroxismo venam hepaticam pertundo. Sequentibus sex horis ante paroxysmum jejunus assumebat aquam hanc frigidè.

♃. Aq. fontis, ℥vj. spirit. vitrioli, gutt: v. vel vj. M. ut F. potio aqua acetosa, quæ dentes non contrahat in stuporem, per hujus primi potus efficaciam & Dei potissimum misericordiam febris arcebatur, atque ex toto quiescebat, nec unquam postea reverebatur: verum nihilominus per sequentes tres dies febri dicatos aqua ista dabatur ante ut dixi accessionem. *Martinus Rulandus*. curat.100.cent.1.

Alium febre tertiana laborantem curavi in sequentem modum.

♃. Aq. bened. aq. fontis, an. ℥j. commixtas fridè exhausit, atque suprà, & infra rectè multumque purgatus fuit, exhibui potionem hanc septem horis ante paroxysmum: sequenti die secari jussi dextri lateris basilicam, & sanguinem ad decem uncias fluere. Interea supra pulsus manuum per octo dies ligavi sequens. Epithema manè, quod perdiem retinebat, noctu removebat. Est autem hoc.

♃. Rutæ, Salviæ, bursæ, pastoris, an. Mj. cum aceto rosac. conterebantur in formam pultis, & adaptabantur ad pulsus: post quæ remedia, accessio febris ex toto recessit, nec in posterum rediit: cibus dabatur refrigerans & humectans, sed raro & parcè: potui dabam decoctum hoc ad satietatem quoties urgebat sitis.

♃. Cichor. Miij. rad. ℥iij. liquirit. ras. ℥ß. passul. corinthiac. ℥iij. coq. in aquæ q. s. ad tertias: & sic omninò convaluit. *Martinus Rolandus*. curat. 94. cent.2.

Pro Febre Tertiana.

Alternis diebus febrili paroxysmo corripiebatur. Puella Nobilis jam nbilis. Purgavi illam die quietis hoc pacto.

♃. Rad. cichor. dentis, leonis, an. ℥j. rad. rhapont. ℥ß. absynth. chamædr. chamæpyt. an. ʒiß. fl. cordial. p. i. fol. sen. ℥i sem. anis. ʒiß infund. in aq. & vino: coque parum in duplici vase: colatæ denuo infunde rhab. ʒii. cinnamom. ʒi. exprimatur: bibat unam dosim, alteram tertio post die quo apyretos est. cum non remitteret, jussi in principio poroxysmi aquam sequentem bibere.

♃. Aq. Cichor. cent. min. & gentian. an. ℥i. M. die febris febris elapso repetatur hujus aquæ potus: pulsibus applicari jussi in utroque carpo sequens.

♃. Cortic. intern. nucis arboris, maceretur in aceto forti, & ligetur supra pulsus: unde nigra macula, & postea cutis excoriatio secuta: paroxysmus post mitior fuit.

Jussi tertio aquam bibere, & pulsibus sequens apponere.

♃. Fol. thlaspi, bursæ pastoris, & plantag. an. q. s. contund. cum sale & aceto, & applicentur: vix bis hoc facto, febris cessavit, ipsaque sana facta est. *Felis Platerus*. observatione libro 2. pagina 288.

Nobilis adolescens mense Martio febre correptus, duobus diebus continuis paroxysmum habuit, postea alternis diebus paroxysmos aliquot, qui horis nunc tribus, nunc quatuor anticipabant: purgatus fuit, postea vena secta, itrumque purgatus: cæterum cum non cessaret febris eumque misere affligeret, dedi illi ante paroxysmi adventum sequentem julepum.

♃. Aq. plantag. ℥iß syr. de papav. ʒiii bibat. Pulsibus applicet in carpo, & temporibus unguentum populeonis subactum cum telis aranearum: superveniente paroxysmo statim sudor erupit, calorque longè mitior subsecutus. Postea denuo instante paroxysmo, hæc duo remedia repetii, addendo ad julepum aquam Nicotianæ. Sudavit iterum mox ab initio, & vix frigus persensit: calor etiam mediocris fuit: postea tandem febris illum deseruit. *Felis Platerus* obs. lib. 2. pag. 293.

Ob inordinatum thermarum usum, in febrem incidi tertianm intermittentem: sequenti die à secundo paroxysmo hausi ʒi. tartar. vitriol. cum gr. ij. diagridii in aliquot cochlear. vini absynthii calidi, cujus operatione bilis evacuatio egregia est subsecuta. Cum autem propter plenitnitudinem moderandam sollicitus essem, die paroxysmi tertio venæ sectionem institui, idque cum successu, signis concoctionis sese offerentibus: quam ob causam spem bonam de quarto paroxysmo non futuro suscipienbam. Quid fit? Natura ab onere ulteriore liberata sub noctem diarrhæam producit biliosam criticam, qua sanitati, Dei gratia, ab acuto morbo restituebar. *Gregorius Horstius*. obs.10. lib. 1. De Febribus.

Pharmacopæus quidam quinquagenarius laboratat febre tertiana intermittente: bis fuit purgatus, bis etiam phlebotomia celebrata: postea ante paroxysmum, sequens potiuncula ei exhibita est.

♃. Aq cichor. ℥iii. salis absynthii, ʒß. spirit. sulph. gr. xii. M. ab hac potione accessio non rediit, sed per urinas plurimùm fuit evacuatus. *Lazarius Riverius*. cent.1. obs.20.

Studiosus medicinæ post quinque accessiones febris tertianæ, secta vena bis, & semel purgato corpore. sumpsit initio paroxysmi, aq. bened. ℥i. accessio fuit cohibita, tum etiam operato medicamenti per duas horas, postea vomuit quinquies aut sexies sine molestia, accessio brevi-

brevior solito fuit, & in fine illius purgatus est per alvum pluribus vicibus, & omnino curatus est. *Lazarus Riverius*.cent.2.obs.57.

Gratianopoli vocatus sum ad equitem quendam ordinis Divi Iohannis, febre tertiaua laborantem; erat tunc temporis in tertia accessione: prius tamen quam tres illæ accessiones ordinem cœpissent, per aliquot dies sine typo febricitaverat: præcripsi ad diem sequentem, qui erat intermissionis dies, calomelanos Turqueti. ℈i. diagrid. gr. v. in forma pilul. quibus valde purgatus est; redeunte circa vesperam ciborum appetentia, qua prius destitutus fuerat: die verò accessionis sumpsit ante paroxysmum julepum sequentem.

℞. Aq. cichor. ℥iij. sal. absynth. ʒß. spirit. sulph. ℈j. F. julepus: quem hausit duabus horis ante paroxysmum, & copore propè contecto sudavit copiosissime sicque à febre liber evasit. *Lazarus Riverius*.cent.1.obs.26.

Pro Febre tertiana duplibi.

Consiliarius quidam annum agens. 63. febre tertiana duplici laborabat à quinque septimanis, in quarum decursu multa remedia administrata fuerant ab alio medico; quater secta fuerat vena, pluries purgatus erat. & multi julepi aliaque remedia exhibita: morbus tamen in pejus ruebat, & accessiones graviores evadebant, ita ut eo die quo ego vocatus sum, ipsum attonitum, & comatoso quodam stupore affectum invenerim, & adstantes de ipsius salute maxime dubitarent: tanta autem erat virium prostratio, ut nulli evacuationi locum esse censuerim. Primo igitur die quo ipsius curationi incumbere cœpi, julepum sequentem exhibui hora una ante accessionem.

℞. Aq.cichor.℥iii.sal.absynth.ʒß.spirit.sulp. ℈i.M. F. julepus. Secundo die idem remedium iteratum est, hora etiam una ante accessionem. Tertio item die eadem hora sumpsit & accessio perexigua fuit. Quartò die manè sumpsit sequentem potionem.

℞. Sen. mund. ʒii. sal. tartar. ʒß. spirit. sulph. ℈ß. aq. cichor. ℥vi. infund. frigide per noctem, & colaturam capiat cum regimine; pluries purgatus est cum euphoria: & eo die accessio non apparuit, neque deinceps, & ita perfecte curatus est. *Lazarus Riverius*. obs.2.cent.4.

Servida quædam septimestris correpta est febre tertiana duplici, quæ per mensem eam afflixit; nulla apparente remissione, quod periculum non exiguum portendebat. Docet enim experientia quotidiana mulieres gravidas, hujusmodi febribus laborantes, difficillime curari, & non paucas abortu interveniente de medio tolli: ter ipsi secta fuerat vena, purgans medicamētum bis exhibitum, & multi julepi aperientes & refrigerantes propinati, tandem venæ sectione hora ante paroxysmum celebrata, & exhibito immediate ante venæ sectionem, julepo ex decocto fl. chamam. & crem. tartari parato, febris omnino sublata est; accessio enim quæ post venæ sectionem expectabatur, non comparvit neque deinceps. *Lazarus Riverius* observ. 7. centur. 4.

Patronus quidam Sexagerius febre tertiana laborans, post usualia, remedia tandem curatus est secta hora una ante paroxysmum vena præmisso decocto chamæm. & cremor. tartar. & admotione carpis emplastri Sorobelbergeri. *Lazarus Riverius*. obsv. 12. cent.4.

Pro Febre tertiana.

A spiritu sulphuris cum aqua exhibito, copiosè sudor provocatur, quod multis experimentis nobis innotescit, qui plures tertianas febres curatas vidimus eodem remedio in summo accessionis æstu, & urgente siti exhibito, unde copiosi sudores provocabantur, à quibus non solum paroxismus, sed etiam totus morbus integrè solvebatur. Hac dosi exhibeo.

℞. Aq. frigid. ℔j. spirit. sulph. gt. xx. M. *Lazarus Riverius* obs.19.cent.1.

Retulit mihi D. Chomel. se omnes propemodum tertianas curare solitum, exhibendo per horam ante accessionem bonum haustum decocti chamæmel. & cremor. tartar. & statim ab assumpto remedio sanguinem detrahendo. Si non sit ad manus decoctum, aquæ frigidæ cyathum exhibet; & idem fere succedit effectus, putat aquam illam assumptam per phlebotomiam ad venas rapi, & materiam ebullitioni proximam diluere, unde accessio impeditur. *Franciscus Chomel*. obs.3.

Vir quidam febre tertiana notha correptus est, quæ per mensem perseverasset, sumpsit meo consilio vomitorium ex ʒj. salis vitrioli in aqua dissoluti, à quo ter aut quater excitatus vomitus, nec febris amplius apparuit. *Simeon Iacoz*. observ. 14.

Civis quidam Monspeliensis febre tertina laborans, sumpsit aq. bened. ℥j & à febre liberatus est, hujus etiam medicamenti operatione latum lumbricum excrevit septem pedum longitudinem æquantem *Samuel Formins* obs.12.

Perfamiliare remedium febris inter vulgus nostrum ex pipere percrebuit: quo cum successu usum magnum olim Selandiæ Episcopum D. Io. Resenium seniorem accepimus, in ipsa accessione piper cum spiritu vini exhibent, vel absynthium in aceto coctum cum pauco pipere tribus continuis propinant, quanquam malè multis cesserit, non paucis tamen profuit, sive quod vomitum provocaverit, sive quod horrorem febrilem discusserit. *Tumas Bartolius* hist. 48.cent.5.

Ad febrem tertianam intermittententem epidemiam sudorifera maximè profuere paroxysmo instante cum alexipharmacis exhibita præmissis ex methodo præmittendis. Innotuit in horum censu virtus unicornu nostri Groenlandici, quod non solum ʒß. pondere cum appropriatis ante paroxysmum exhibitum sudorem largum procuravit, sed febrem plerumque extinxit, expertus id remedii novi genus summagno successu in plurimis. *Tom. Bartolinus*. his 56.cent.2.

Pro Febre tertiana.

Pro minorativo has pilulas dedi.

℞. Extract. pil. coch. ʒß. diagrid. præp. gr. iij. ol. anis. fœnic. an. gr. ij. cum aq. cinnam. F. pil. vii. deglutivit involutas pulpa pomi sub cinerib assi, & mediocriter inde deposuit. Sequenti die in ipsa accessione istud expulsivum exhibui.

Aq. cinnam. card. bened. an. ʒx. C. C usti præp.

℈ii.confect.alker.ʒß.lapid. bezoard.gr.vj.M.F. haustus hydroticus. sudavit, & visus paroxysmus brevior. Sequens paroxysmus multùm anticipavit. in limine ejus dedi cochlear. 2. hujus pulveris ex cerevis. calente.

℞. Salis ab sinth.gra. xvi. fol. centaur. min. ʒiiß. sacchar. alb. ʒiß. M.F. pulvis.

Pro potu ordinario utatur hoc decocto.

℞. C.C. usti & præp. ʒii. coq. in ℔vi. aq. fontis deinde impone in cantharo cinnam. el. & fracti, & sacch. albiss. an. q.s. superaffundatur decoctum effervescens, & sinatur sponte sua refrigerari. paroxysmus rursus anticipavit, sed mitior fuit, exhibui iterum dosin pulveris suprascripti, & pulsibus hoc sequens unguentum applicavi.

℞. Ung. popul. ʒij. tel. aranear. ʒiiß. opii thebaic. aceto solut. gr. iiij. ol. fœnic. gr. ij. M. fiat unguentum. paroxysmus non reversus est. Ad reliquias febris discutiendas, vnica vice illum purgavi, ita.

℞. Elect. diacydon. lucid. lavat. ʒiß. exhibe. habuit aliquot sedes, bene tulit, & ad pristinam sanitatem rediit. *Petrus Lochitius obs. 1. cap. 5. lib. 1.*

Alteri, paroxysmi leve quodam præludium sentienti dedi ʒß. sequentis pulveris mei antifebritici.

℞. Pulv. fl. & fol. cent. min. ʒii. C.C. usti præp. ʒii. sal. absinth. card. bened. cent. min. an. ℈i. manus Chr. perlat. ʒij. M. Fiat pulvis ante sequentem paroxysmum ita accepit.

℞. Pulv. antefebritici suprascripti, ʒj. syr. de papav. ʒiij. cum vino albo, q. s. F. haustulus.

Abinde sudore copiosè insecuto placidè dormivit, & sese liberatum prædicavit. illo pulvere contra quascunque intermittentes febres fœliciter hactenus utor. *Ioh. Petrus Lotichius. obs. 2. cap. 6. lib. 4.*

Febris Quartana.

Empiricum Parisiensem plurimos quartanarios decocto radic. lappæ maj. ex vino albo, magno successu curare solitum, accepimus inter observationes Celeberrimi Viri Pauli Marquardi Slegelii, nimirum eadem quartanæ & luis venereæ quandoque remedia observantur. Sic illam cum tibiarum ulceribus hydrargyrosi cuitam narrat Ballonius. lib. 2. epid. & ephem. p. 131.

Hanc vero in Henrico tertio Galliarum Rege eodem decocto Bardanæ à Petro Pena deletam testatur. *Samuel Formius obs. 41. Georgius Hieronimus Velschius. obs. 4.*

Doctor Medicus certò affirmavit, vidisse se quendam quartanarium, cui in decursu febris ulcuscula apparuerunt maligna, consilio quorundam frictiones ex hydrargyro usurpantur. Sanantur ulcera, imò & febris ipsa quartana. *Guil. Balloniùs. lib. 2. Epid. & ephem. pag. 158.*

Hoc unum subjicere libet, quod ab amico seu secretum quid accepi, & in multis casibus non inutile deprehendi.

Sumatur cor leporis, & eo modo quo pulmo vulpis solet, præparetur, postea in pulverem redactum, atque in tres æquales portiones divisum, tribus vicibus exhibeatur, hora una aut circiter ante invasionem, vino albo, aut alio convenienti liquore dissolutum. Vidi ego semel atque iterum post hujus amuleti assumptionem, febrem deinceps non magis apparuisse, aut saltem paulatim evanuisse.

Verum hoc non statim ab initio morbi, sed ubi jam manifesta coctionis signa apparent, faciendum est. Petrus Monavius. ep. 62. lib. 5. consil. & epist. Cratonis & aliorum Medicor. à Scholtzio editorum.

Pro Febre quartana.

Quoniam in hoc levissimum & securissimum experimentum incidimus, quod quisque experiri poterit, literis id mandare placuit, quod ita se habet Cum frigore quartanarius torqueri cœperi, cyathum stillatitiæ aq. rosebibat, quo multa & biliosa evomet, & sanus evadet: ita enim multis evenisse observavimus: proximum est hic citare aliud contra quartanæ ingens frigus remedium, quod ex Galeno habetur, & sæpe à nobis in usu habitum, & pro vero compertum, grana v. vel vj. piperis integra deglutienda frigoris tempore ægrotanti cum pauculo vino generoso dabis, quo auxilio repetito, æger bene habebit, ut nostro accedit ægrotanti, cui quartana post tres desiit paroxysmos Amatus Lusitanus. cent. 2. curat. 97.

Postquam multa & varia medicamenta quæ tum atram bilem, tum splenem respiciebant, daremus, tandem propinato pharmaco atram bilem respiciente die paroxysmi quatuor horis ante accessionem, multa & nigra excrevit, ac liber à quartana evasit.

Hujus evacuationis die paroxysmi ratio assignatur talis, quia commotione agitata materia facilior ad expulsionem redditur, quam divinus senex contemplatus, in quartana febre die paroxysmi pharmacum dare mandat. lib. De Affectionibus. non longè à principio (si verò quartana apprehenderit, siquidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis tribus aut quatuor diebus pharmacum sursum versus purgans dato in ipsa apprehensione, & interpositis diebus rursus aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione) nos verò hodie hora paroxysmi vomitum proritamus, ac cum purgandi tempus instat die paroxysmi pharmacum damus, quibus multa & egregia consecuti sumus, adeo ut rarò quartanam incuratam hoc incedendi ordine dimiserimus. Amatus Lusitanus. curat. 4. cent. 1.

℞. Aq. fl. cent. min. & rad. gentian, an. ℥j. julep. rosat. ℥ij M. bibat initio paroxysmi, & spinam dorsi oleo chamæm. & aneth. inungat: bis julepum exhibui quo fugata est febris.

Alteri in principio paroxysmi haustum aq. tabacci exhibui, & valde profuit. *Felix Platerus. obsv. lib. 2. pag. 302. & 304.*

Aliqui pro singulari remedio singulis matutinis exhibent hanc aquam destillatam ad ℥ij. vel ℥iij.

℞. Aceti fortiss. ℔iii. panis albi calentis adhuc detracta crusta ℔j. pulv. pyrii. ℥ij. M. & destillentur in B. M. Similiter laudant quidam & hanc.

℞. Aq. Meliss. ℔ß. aq. vitæ ℔j. medull. ebuli ℔ß. M. destillentur: dentur ℥ii. per dies aliquot manè aut serò Felix Platerus. practic. tom. 2. cap. 2. pag. 138.

Quidam ante triennium quartana laboraba diu

diu, dicebatque mihi se multis remediis usum esse. unum hoc profuisse, accepisse vinum sublimatum diligenter, quod aquam vitæ appellant, & madefecisse petiam lineam, ac adveniente quartana, imposuisse ventriculo: hoc modo se eam depulsisse: videtur mihi satis tuta esse medicatio, præsertim in ventriculo frigido. Io. Crato. epist. ad Camerarium. lib. 5. cons. & pist. Cratonis. &c.

Consiliarius quidam à febre quartana liberatus est casu rarissimo: cum secta illi fuisset venæ, paulò post occlusum vulnus, & ligatum brachium, fluere cœperunt ex vulnere guttulæ quædam aquæ limpidissimæ quæ fasciam penetrabant: & indusia sæpe mutare cogebant: perseveravit ille fluxus per multos dies, donec febris quartana cessaverit. Notandum est illum post multos annos ex hydrope interiisse. *Lazarius Riverius obs. Lo, cent. 3.*

Aromatiarius quidam febre quartana satis diuturna laborans, quæ multis adhibitis remediis non cesserat, miscuit cum ptisanæ potus ordinarii cyathis tribus mixtionem ex ambaro & mosco, quam pro conficiendis muscardinis paraverat saccharo addito, in qua erant utriusque gr. viii. & in calore accessionis ptisanam sumpsit in tres doses singulis vicibus agitando ne pulvis in fundo remaneret, unde copiosissimi sudores oborti sunt, qui moschum redolebant, & ille perfecte curatus est. *Lazarius Riverius, obs. 35. cent. 4.*

Pro Febre quartana.

Multos quartana detentos curavi vomitibus; abstinentia cibi diebus accessionis, purgatione, inunctione dorsi hora frigoris cum ol. scorp. & pinguedine anseris & gentianæ succo.

Alios verò curavi succo rad. verbasci in potu dato. *Hieron. Cardanus curat. 24.*

Pro Febre quartana.

Anno 1571. multi quartanarii decubuerunt; qui sine remediis derelicti sunt, omnes pene convaluerunt: quibus curiosè adhibita remedia, ii fere interiere, præsertim si macilenti biliosique forent, ut febres istæ potius à bile essent usta quam à fæce sanguinis. Sic cum quartanis agendum mitissimè, ne officiosa sedulitas plus obsit quam prosit. *Guil. Ballontus lib. 1. epid. & ephem.*

Pro Febre quotidiana.

Affinis quidam meus gratis innumeros febricitantes febre quotidiana & tertiana detentos pericarpio sequenti curavit; quosdam prima vice, alios secunda, pertinaces tertia. Remedium tale est. Novem Pentaphylli folia radicitus colligit, postea incipiente paroxysmo, arteriæ brachii dextri tria folia cum sale, superque his tria alia folia cum sale, rursusque desuper alia tria folia cum salis pugillo in medio foliorum imponit, & sic mille ad minus febre detentos curavit, multique etiam quartana detenti quatuor folia eodem pacto imponendo curati sunt. *Petrus Borellus. obs. 32. cent. 1.*

Malo non cedente ad Generosum aliquod auxillium confugiendum est hoc.

♃. Lign. guaiac ℥ij. lign. visc. quern. ℥j. lig. sassafr. ℈j. infund omnia horis duodecim in juris pulli gallin. ℔i. deinde bulliant ad consumptionem tertiæ partis sub finem addendo cichor. beton. & menth. viridis an. folia duo colaturæ ℥vii. dentur horis quinque ante prandium per dies aliquot continuos *Io. Zecchius. consul. 22.*

Ad digestionem humorum pituitosorum ordinatum hoc claretum.

♃. Aq. cichor. absynth. fœnic. an. ℥iij. de cichor. cum rheo ℥iß. syr. de quinque rad. ℥j. de granat. acid. ʒvj. crem tartar. ʒß. spirit. vitriol. gutt. vj. aromatizetur cum spec. diarrhod. abbat. ℈j. cinnamom. el. ℈j. M. F. julepus instar clareti, pro tribus vel quatuor dosibus matutinis & vespertinis. paroxysmus anticipavit & fuit paulo brevior ex usu clareti quod continuabat. Sequenti die ex hac potiuncula purgante ter vomuit, & per inferiorem gutturem copiosè evacuavit.

♃. Gummi gutt. gr. viij. tartar. vitriol. gr. vj. spirit. vitriol. gt. ij. aq. cinnam. ℥j. M F. haustulus. Postea sequens expulsivum in accessione febris accepit.

♃. Aq. card. bened. cent. min. an. ℥j. an. cinnamom. ʒj. syr. de papav. ʒiij. sal. absynth. gr. viii. pulv. fol. cent. min. ʒß. spirit. vitriol. gr. iiij. M. diligenter. F. haustulus. Paroxysmus vix tres horas duravit, horum usu continuato intra paucos dies à febre immunis evasit. *Io. Petrus Lotichius. obs. 2. cap. 4. lib. 1.*

Duobus abhinc annis febre quotidiana violenta laborabam, à qua liberatus sum carpis applicando sequens.

♃. Salis marini, lupul. anglic. an. M. ii. passul. corinthiac. ℥iij. probè misceantur & contundantur. D. Robert. boile, lib. De utilitate Natural. Philosoph. cap. 10. sect. 5. part. 2.

Pro Febre Hectica cum initiis tabis in muliere quadam.

Commendata victus ratione humectante & nutriente, sic præeunte divina benedictione, processum est.

♃. Sem. papav. alb. ℥ß. gummi arabic. tragacanth. farin. amyli, an. ʒi. sem. alth. malv. portul. bombac. an. ℈iiij. sem. 4. frigid. maj. rec. & excortic. an. ʒiij. ciner cancr. fluviatil. corall. alb. ust. succ. liquirit. spodii, ros. rub. an. ℈iiij. spec. diatragac frigid. diair. Solom. an. ʒiii. cinnam. ℈ii. pulm. vulp. præp. ʒi. incisis & non contusis sem omnibusque loco calente exsiccatis M. F. pulvis dividendus in tres pertes,

♃. Pulv. præscript. partem unam, sacch. ros. vet. ℥j. pinear. rec. amygd. d. rec. excorticat. an. ʒv. sacch. penid. ℔i. aq. tussilag. veronic. ros. odor. an. q. s. ol. cinnam. gr. vi. F. rotulæ, è quibus diglutia manè in lecto numero ii. vel iij. elapsaque hora sumat cochl. i. sequentis misturæ quæ.

♃. Aq tussilag. ℔iß. syr. jujub. ℔ß. M. Noctu vero in ingressu lecti de hocce capiat.

♃. Pulu. præscripti partem secundam, syr. de jujub. de papav. loch. de farfara, an. ℥i. M. F. Elect. cum fol. auri.

♃. Pulv. præscripti partem tertiam, sacch. penid. ℥ii. M. ad Scatulam. Familiarem sibi faciat usum istius pulveris interdiu.

♃. Fl. ros. ʒiiß. fl. viol. bugl. borrag. & nymphææ, ae. ʒiß. santal. rub. ʒiiß. corall. ʒii. caryophyll. ℈iiß. sem. citri. ocymi, an. ʒiß. camphoræ ℈i. conquassatis omnibus. F. Sacculus pyramidalis è syndone rubro isque interbastatus; irroretur sequenti mistura.

♃. Aq. ros. odor. ℔ß. spirit. ros. ʒi. M. tepide ista irroratus sacculus admoveatur cordis regioni, hisce remediis diligenter cum insisteret,

rectius habuit convaluitque, *Ioannus Petrus Lotichius. obs.6. cap.2. lib.1.*

Pro Febre Hectica.

Infanti cuidam trium annorum atrophia & hectica laboranti, cui brachia & pedes flaccescerant, venter verò tumidus erat, sequentia consului. Primò de hoc lacte cancrorum detur infanti mane & vesperi calidè cochl.j. vel ii.

♃. Cancror. fluviatil. viv. numero v. bene lotis & mundatis affunde lactis caprini q.s. contunde parumque coq. Postea per linteum succus expressus edulcoretur sacch. cand. q.s.

Si, tussicula adsit, succus raparum sub cineribus coctarum & expressarum sacch. cando edulcoratus propinetur. Deinde fiat balneum ex aq. dulci fontana tepida in qua caput, & & pedes agni cocti sint, in eo ponatur infans per horam dimidiam & amplius si ferre possit, ante ingressum assumat parum lactis caprini rec. & calidi vel lactis cancrini ut supra. Pro ditioribus parari potest balneum è solo lacte caprillo, vel vaccino, vel dimidiis partibus lactis & aq. dulcis. Tertio quoque die renovetur balneum, & caput & pedes agni tam diu coquantur, donec caro ab ossibus separetur. Post egressum è balneo pectus cum spina dorsi hoc linimento calidè inungatur.

♃. Adip. capon. anser. an. ʒj. ol. viol. ʒij. ol. amygd. d. rec. exp. ʒijß. mucilag. sem. psyll. cum aq. viol. extr. ʒß. cum pauca cera. F. linimentum extra usum balnei etiam manè & vesperi fieri potest hæc inunctio *Io. Petrus Lotichius. obs.3. cap.2. lib.1.*

Habui hecticum in curatione diu, qui siccatus & tabidus, nec balneo, nec lactis potu, aliisque innumeris humidis reficientibus auxiliis unquam potuit restitui, tandem morbi pervicacis pertæsus, ad ranarum usum accessi. Stillatitiam aquam ex illis extractam in balneo Mar. cum syr. violaceo permixtam pro potu quotidiano bibendam obtuli: eas elixas cum oleo, sale, saccharo, & salsamentis in cœna & prandio degustabat, interdiu illi erat pro frequenti usu jus album, factum ex illarum contusa carne, cum amygdalis, lacte, butyro, farina hordei, saccharo, vitellis ovorum: quæ omnia respersa cinnamomo, & rosacea irrorata, ad ignemque percocta, conditum faciunt suavissimum, quod optimè nutrit, humectat, impinguat, coquitur facile, citò distributur: hoc modo gubernatus hic æger, trium mensium spatio pristinam recuperavit sanitatem Zacutus Lusitanus obs.36. lib.3. prax. admirand.

Pro Febre verminosa cum alvi fluxu.

Puella quædam duodecim annorum febre continua laborabat cum alvi fluxu molestissimo, quo materias excernebat colore cineritio infectas quales apparere solent plerumque in verminosis affectibus: præscripti sunt clysteres detergentes ex rebus dulcibus parati, tum potus vulgares contra lumbricos, & rhabarrum pulveratum bis iteratum; ex omnibus tamen his nullum levamen obtinuit, imò febris & alvi fluxus in deterius vergebant, ut jam de salute puellæ dubitaretur: tandem sequentem julepum ipsi præscripsi.

♃. Rad. acetos. gram. & cichor. an. ʒj. fol. endiv. cichor. acetos. portulac. & hyperic. an. Mj. scord. & absynth. pont. an. Mß. fl. cordial. p. j. coq. in aq. hord. ad quartaria v. in colat. dissolv. syr. limon. ʒiiij. spir. vitrioli gr. aliquot ad levem aciditatem. F. julepus pro quatuor dosibus manè & serò sumendis: intra illud biduum quo julepo usa est, febris & alvi fluxus omnino quieverunt, & perfectè curata est. Si quis miretur tam levi remedio sublatum esse hunc affectum, sciat hypericum & scordium mirabili efficacia putredini resistere, & lumbricorum generationem prohibere, nedum genitos enecare: & verè testari possum me hujusmodi julepis in infinitis pene puerulis lumbricis laborantibus cum fœlicissimo successu usum esse. *Lazarus Riverius. obs.16. cent.1.*

Febris Ephemera &c.

Illustris & verè generosus Heros Sigfridus à Kolonitsch, Liber Baro in Burgschlenitz, Haindorff & idenspoyen, &c. Sac. Cæs. Majest. & laudatissimor. Ordinum inferioris Austriæ jam per plures annos Dux equitum ferentariorum gravis armaturæ, quam spartam sibi commissam, quanta fide, dexteritate & prudentia exornarit, quosuis alios potius, quam me, suæ Magnific. domesticum fere, testem esse malo; cum flagrantissimo Sirio 30. Julii Anno 1596. in lenonem quendam castrensem vehementius excanduisset, haustumque vini meracioris gelida, & quidem glacie (cujus magnam vim ex subteraneis specubus Faciensium Turcarum Ungari protraxerant) refrigerata superbibisset, motuque violentiore incaluisset; in febrem ephemeram, quæ dubio procul, si dextre tractata fuisset, diem unicum non transiliisset, incidit. Excoquebamur tum æstu, si quo unquam, certe flagrantissimo: Sub cane, eoque summe ferventissimo, eramus: Sic, ut in ejusmodi, quæ tum quasi epidemice grassabantur, ne in continuas aut causonicas febres transirent, magnopere invigilandum esset. Ad primam statim accessionem vocati fuissemus: nisi Medicastri cujusdam procax πολυπραγμοσύνη suæ Magnificentiæ ad artem Medicam proclivissimæ obstitisset. Erat Medicaster ille Equitatui Austriaco à sacris concionibus: qui cum per transennam aliquando pharmacopolium quoddam iuspexisset, miram hinc artis Medicæ peritiam sibi adjudicarat: Sic ut etiam in corpore hoc Heroico periculum sui profectus satis audacter facere præsumpserat. Pillularum enim aggregativarum sesquidrachmam quam Chirurgus æque imperitus vel ipse Viennæ conglobarat, summo mane stupendi mysterii instar, suæ Magn. obtulit, oblatam intrusit. Vix assumserat, ecce boni nostri Practici Parochus & Barbitonsor, anhelantes accurrunt: rogant ut Heroi, jam morituro, præsto simus: simulque, quid tentatum sit in illa consternatione coram cunctis proclamant. Tantas enim intempestiva bilis effervescentis commotio torsiones, & viscerum erosiones excitarat: ac ad suam Magn. accedentes, vix non animi deliquium, aut graviora symtomata veremur. Enormiter equidem turgens materia evacuabatur: Sed, cum natura suæ Magn. tenerrime tractanda fuisse; utpote quæ etiam

levissimis pharmacis irritata, cohibenda potius, quam exstimulanda sit, non injuria quamprimum ad abstergentia & lenientia motumque humorem cohibentia decurrebamus. Fiebat hoc per Enemata: quorum primum ex decoctione hordei, alterum ex puris oleis, tertium, propter doloris atrocitatem, ex anodynis conflabat: quibus etiam Christo, medicante, paucis horis dolor omnis ita consopiebatur: ut, cum sub serum crepusculum tria Laudani veri grana in emulsione quant: sem: frigid. major. exhibuissem, sua Magn. per totam noctem placidissime, usque ad septimam diei horam dormierit. Apparentibus autem signis concoctionis in urinis, nec evidente lassitudine remanente, cum tamen sitis clamosa suam Magn. tam commotione bilis, quam fervore caniculari exagitaret, ad potum frigidæ non difficulter descendebamus: saluberrimi præsertim fonti viva scaturigine limpidissimas aquas suppeditante. Fons iste tertio a Facia, ex cujus latere Orientali castra metati fueramus, lapide, sud tecto, quo Turcæ, fontium admiratores, eundem convestierant, de concamerata porticu promanans, venulas suas, ex vicinis montibus, qui Austro recta oppositi auro, eoque purissimo, dubio procul turgent, mutuabatur. Tam blando enim afflatu non solum intestina, sed ipsum cor, irrorabatur, experientia penitus convictus, salubriores lymphas nunquam me gustasse, nec unquam gustaturum, putem. Cum autem, propter nimiam subtilitatem nullam ebullitionem admitteret, Saccharo candi & cinnamomo contuso, per manicam Hippocratis infusas aquas transcolabamus: quo quidem clareto non modo mirifice delectabatur: Sed etiam fuligines ardentes sic restinguebantur: ut post triduum ad excursionem, quæ Pesthum versus instituebatur, pancratice valeret. Etsi autem in eodem incursu, hostes provocando, & aliis equestribus commotionibus, Sirio ardente nimium excalfactus, adrecidivamam devenire potuisset: tamen, cum assiduum clareti nostri usum continuaret, non modo ad conflictum Kerestinianum usque (circa quem sua Magn. catharro, vigiliis & aëre humidiore concitato, paulum inquietabatur) integra sanitate fruebatur: sed medicastros castrenses serio detestatus, per totum quinquennium deinceps me in castris Heroica, fide & benevolentia complectens, contra Centaurorum Thrasonumque fremitus & ronchos, Germana magnanimitate, defendebat.

Quanta perditorum hominum, de Medicastris castrensibus loquor, per totum hoc decennium, non ad curandos, sed ad enecandos ægros, in Ungariam colluvies confluxerit, vel hinc æstimari potest: quod etiam ex Medicis sollemniter pronuntiatis, & tam Sac. Cæs. Maj. quam Ordinum Imperiis mandato, sanitati castrensi præpositis, ad quadraginta fere fuerint extincti. Inescatrix enim illa Pannonia, voluptatum suarum illecebris, & spelucri, vel ex remotis regionibus, Medicos attraxerat ut de Agyrtis Judæis, Anabaptistis, Chirurgis, desperatis, tonsoribus, prædicatoribus deniq; castrensibus altum sit silentium. Hi enim omnes, illotis manibus ad ægros irrumpentes, Plinianum illud, quo solos Medicastros impune in homines grassari asserit, sedulo adimplebant. Si quidem, ut sancta fide confirmare ausim plures hoc decennio per ejusmodi Harpyias, quam ab ipsis hostibus, trucidatos. Et Clericis fortassis otium, quo, cum rara sit in castris devotio, abunde fruuntur, hic patrocinari posset: Reliqua Medicastrorum castrensium sentina, unde coram horrendo Christi tribunali patrocinium tantorum scelerum mutuatura sit, non video. Confluit enim ad Pannonas flos militaris: qui non nisi egregie male tractatus, decerpendus videtur. Nec enim facile quis durissimum hoc vitæ genus subire gestit: nisi prius subductis rationibus se viresq; suas, utrum tanto oneri suffecturæ sint, æqua lance perpenderit. Felicem autem, & perfelicem, dixero: si in alieno & hostili solo morbis obrutus Medicum fidum verumq; adeptus fuerit: quam quidem felicitatem castris æternam velle, & voluisse, tam serenissimam Domum Austriacam, quam Ordines utriusq; Austriæ, absit ut dubitem: cum hi copiis suis in Ungariam fidelissime missis, Medicinæ Doctores adjungi curaverint: Illa publico salario, generali sanitati castrensi paterne prudenterq; consuluerit. Quam providentiam paternam utinam reliqui Imperii Ordines imitandam potius, quam, vile forsan æris exigui momentum comparsuri, devitandam censuissent, de ipsis Thraciæ visceribus jamdudum triumpharemus. Magnum est, quod assero, majus subjungo: hac, ut molliter dicam, negligentia, plenum victoriæ cursum non modo interclusum, sed veteranis paulatim absumtis, Tyronibus neglectis, triariis vix non prorsus sublatis, tanto majores hosti nervos additos esse, quantos nobis præcidimus: ut de suspiriis, quæ, inhonesta morte milite exstincto, non possunt non nubes perrumpere, nihil dicatur. Eo usq; enim temeritas practicorum castrensium progressa fuerat: ut Anno 1599. etiam vetulæ sagæq; & incantatrices ad mactandum descenderent: quarum furias nisi ferro compedibusve coerceri curassemus, vix, ex oppositis ripis Turcis Tartarisque grassantib. legiones, per lemures ejusmodi ad raritatem deductas, eodem Autumno ostentare ausi fuissemus. Plus igitur præstiterit: qui Medicum verum, rebusq; necessariis instructum, ad Ungaros demiserit: quam si integra legione militum, non ab hoste, sed morbis & negligentia sanitatis publicæ enecanda, sumtib. vix tolerandis, suppetias tulerit. Merito n. & quidem ipsa experientia suffragante, vix quintum locum Turcæ hosti in Ungaria concessero? cum impietas erga Deum, negligentia sanitatis publicæ, privati commodi studium, livor & invidia Turcas multis post se parasangis relinquat. Impietatem erga Deum primo loco pono: quod contra stimulum nos calcitraturos vereor: Si, Dæmone quovis deteriore sæpe milite, Sathanam Turcicum oppugnare perrexerimus. Et huic quidem malo, plaustris præsertim blasphemiarum, quibus castra, proh dolor, circumvallantur, obviam iturus Sereniss. Archidux Maximilianus, Anno 1597. Calend. Aug. sanctissimis edictis, quæ præcinentibus tubis passim in castris divulgabantur, non minus pie, quam fortiter, Christiani Im-

pratoris munia subibat, quæ tamen paulo post, effreni tam superiorum, quam inferiorum rabie antiquabantur. Negligentiam sanitatis publicæ in secundis pono: cum vel hac sola omnes, itiam rectissime dispositas molitiones disturbatas, non sine bile recordor. Absit n. ut his, quibus adhuc constringimur, compedibus in Ungaria nos detineri pateremur: si vel limis ocellis ad hanc, in castris apprime desideratam sanitatem respectaremus. Illi n. qui metationibus castrorum præfecti sunt, cum plerumque res sinistre pensitent, persuaderi nunquam possunt, ut in designatione mansionum paulo plus milites, quam jumenta respectent: sic quidem, ut non raro commodis aquationis tantum inservituri, uliginosas & terrimam mephitim exhalantes convalles eligere soleant: quæ humi cubanti, misero gregi, ipso aeris attractu, venenum, pro sanitate, infundunt. Nil jam de subvectione commeatus, deque vini, modo rate, modo axe devehendi, turbidissimis sentinis, quibus miser miles vivere cogitur, dicam: hoc tamen unicuiq; pensitandum relinquo: quænam sanitas illi futura sit; qui pani, modo mucido, modo, modo furfuraceo, modo ex clibano ferventi, carnes adhuc trementes supergerere, potum vero, quavis lacuna turbidiorem, superhaurire cogatur. Privati commodi studium tertius hostis erit: quod si uspiam, certe in castris, impunitate summa tyrannidem exercet. Quanta n ut molliter dicam, imprudentia hæc est: quod nulli fere ex Ducibus, quorum fidei turmæ equestres, & peditum phalanges toto hoc decennio concreditæ fuerunt, Medicis una deductis, tam sibi, quam suis, consuluerint: cum tamen honesto satis, non tamen nimis fructuoso quinquaginta florenor. stipendio, cuilibet legioni & cuivis mille equitum turmæ, vel decreto Sac. Cæs. Maj, fuerit prospectum. Qui igitur his denariolis privatum commodum adaucturi, Medicis castrensibus subtractis, vel eorundem loco pessimis homicidis, uno & altero nummo conductis, Rempubl. Christianam infanda clade affecerint, videbunt sane suo tempore, utinam brevi, quam se vix homines præstiterint. Livoris & invidiæ furias tanto magis Turcis præponendas scio: quo atrociorem noxam illarum, cum inter nostrates sæpe me spectante grassatæ sint, experiri coactus sum. Nec enim leviter teterrimo livore victoriæ nostræ contra Turcas basis hoc decennio fuit concussa: sic quidem, ut vel hoc solo, dum gravi simultatum & arrogantiæ veneno præcordia multorum infecta, omnem rei bene gerendæ occasionem sæpius extorserunt, quemvis Turcam superatum statuam. Ponam tamen in quinto & ultimo loco remorarum nostræ victoriæ Turcam hostem, hominem (si tamen tale brutum pecus homo dicendum est) re vera nihil minus, quam strenuum militem. Quamvis enim concessero, ante decennium per Europæos Bassas, Temesvvariensem, Budensem & Bossinensem, in his ipsis nostris limitibus florum militum sustentatum fuisse: eundem tamen felicissimo mactatu per hæc duo lustra fortiter resectum scio. Scio & illud: fatali mille annorum periodo ad finem deducta non prius hos Aquilæ Cæsareæ, Draconisq; Turcici conflictus conficiendos: quam labes priores interneciva hostium clade fuerint abstersæ. In hoc maturando strenuissimum se his duobus lustris præstitit Dominus Kolonitschius, non modo impietatem erga Deum summo studio à commissis sibi turmis arcendo, sed etiam inmetatione castrorum, quemvis etiam incursionibus hostilibus obnoxium locum seligendo: dummodo sanitatis castrensis ratio haberetur. Et hanc quidem, quam sedulo tutatus sit, locuples testis esse possum: cum me, vel per quinquennium non modo honestissimo stipendio in castris detinuerit: sed etima sua manu sæpe ad infirmos, ex suo equitatu decumbentes, plus quam fraterne deduxerit, militis, ex grege vel minimi, sanitatem quovis auro redimendam censens. Patuitcerte his omnibus non modo ad suam Magn. promtissimus aditus: sed etiam ex foco sæpe & commeatu, qui propter tales semper instructissimus nulli occlusus, saluberrima, & in castris corvo candido rariora pharmaca mutuabantur. Quibus quidem, non dicam artibus, sed debitis communi necessitati & Reip. Christiana officiis, suffragante divina clementia, effectum est: ut a suæ Magn. ferentariis equitibus toto quinquennio, exceptis illis, qui pulcerrima morte pro aris & focis occubuerunt, fato morbisque vix sedecim fuerint exstincti: cum contra sæpe dimidia pars illorum, qui a Ducibus, impietate, negligentia & sordibus nulli secundis, ad Vngaros deducebantur, turpissima morte, morbisq; inhonestis confecta sit desiderata Quoties enim, re ad conflictum spectante, vix quingentos ex mille, quo numero conscripti & authorati fuerant, equitibus in aciem produci potuisse recordor: toties hanc illorum vafritiem & avaritiam toto corde detestor. Cum vero ad legiones & cohortes pedestras respecto, vix gehennæ tormenta, tantam improbitatem excoctura vereor: qua miseri milites, summe etiam data opera ab iis, qui parentum loco esse deberent, in castris confici solent. Sed hæc severissimo tantorum delictorum vindici commendans, ad secundam ex observationibus nostris transcendo: cum non sine horrore recorder: quantos crabrones excitaverim: quoties, generali stipendio publicæ provinciæ Medicæ designatus, ad illorum Centaurorum, Thrasonumque rabiem connivere nolui: Sed, conscientiæ meæ consulturus, pessimis illorum molitionibus, obviam eundo, quidvis molitus sum, gravibus nonnunquam, de publicandis tantis sceleribus, comminationibus interpositis. *Fhobias Coberus Observation. Vungaricor. Decad.* 1.

Febris Gallica, epidemia.

ANno 1635, æstas erat admodum calida & sicca: quô tempore Regis Galliarum exercitus cum nostro conjunctus Lovaniam obsederat, ubi milites magnam rerum, præcipuè panis & aquæ, inopiam. patiebantur, atque hinc passim horarios fructus immaturos & crudos, carnes recenter mactatas & insulsas sine pane, aliosque mali nutrimenti cibos comederunt, simulque ex stagnis quibusvis biberunt atque ita magnam crudorum & pravorum succorum copiam sibi ipsis in corpore accumulaverunt. At tandem fame sitique penè consumpti, obsidionem

relinquere, & ob Schenckianum munimentum per insidias ab Hispano milite captum, in patriam nostram reverti coacti fuêre. Huc cum venissent, præter nostros etiam Gallorum peditatus maxima pars Noviomagi (ubi tunc temporis habitare & praxin exercere cœpi) aliquamdiu remansit, atque inter illos milites febris quædam maligna & pestilens paucis diebus ante eorum adventum grassari cœperat. Hic læti milites omnium rerum copia fruebantur, meliusque reficiebantur: sed proh dolor! illa maligna febris intra paucos dies maxima sumpsit incrementa, & totum exercitum, præcipuè Gallos, gravi clade mulctavit; nam præter nostros, intra duos tresve menses hæc dira lues ad minimum tria millia funerum solis Gallis Noviomagi crudeliter extorsit, nec minori sævitia in castris ante Schenckianum munimentum, & aliis in locis inter nostros & Gallorum milites passim dominabatur: atque ab illis etiam ad cives & incolas Noviomagenses contagio delata, eorum ad minimum mille & plures paucis mensibus terræ devorandos objecit, nec minor etiam strages aliarum circumjacentium urbium civibus illata est, imo usq; ad interiora patriæ nostræ penetralia malum hoc subiit. Quia autem febris hæc primo & gravissime Gallos, infecerat, deinde autum reliquos, vulgariter Febris Gallica, à multis etiam Morbus Gallicus appellabatur.

Non parvum huic morbo aderat contagium, quod maxime per contactum & attractionem putridorum ac fœtidissimorum vaporum, sudoris, &c. aliis communicabatur; ac proinde qui ægris inserviebant vel diu aderant, eorumque fœtores suscipiebant, plurimi eodem malò corripiebantur. Toti autem Noviomago brevi tempore contagium undique ingestum fuit hac imprimis de causa, quod ob tantum exercitum tota civitas militibus plena esset, ita ut ipsæ quoque plateæ & viæ publicæ undique militibus tam sanis, quam ægris ad latera platearum decumbentibus, repletæ forent, atque hinc sordes & excrementa tam ægrorum quam sanorum in vias publicas projecta ubique abundarent, nec quicquam, ob hominum sibi invicem occurrentium nimiam multitudinem, expurgari posset: ex hac enim fœtidissima colluvie elevati maligni ac putidissimi vapores totum aërem, atque ita maximam totius civitatis partem contagiò morbôque infecerunt.

Febris hujus causa non tam in spirituum, quam humorum maligna corruptione consistebat, atque propterea non admodum improprie pestis in humoribus apellari poterat. A peste autem in eo differebat, quod in peste imprimis spritus vitales, in hac febre humores malignô modô corrumperentur; præterea quod pestis contagium aëri imprimis inhæreat & magis ad distans inficiat, hujus verò febris contagium maxime per malignorum vaporum immediatum contactum & attractionem communicaretur: denique, quod pestis longè acutior & periculosior morbus sit, & cum quo plures moriuntur quam evadunt, cum in hac febri longe plures evadant quam moriantur.

Febris hæc nonnullos acriter, plurimos autem leniter in ipso principio invadebat, aliis sine, aliis cum levi frigore & rigore. Magnus, paulo post initium, in multis subsequebatur calor, cum siti vehementi, qui ardor, subinde brevibus intervallis leviter intermittens, ad septimum plerumque diem, vel diutius continuabat. In multis etiam calor intensus non percipiebatur, atque in iis cor magis ab humorum malignitate, quàm à calore affici videbatur, namque & his vitalis facultas magis læsa erat.

In principio morbi statim magna aderat debilitas seu ingens virium dejectio, nonnullis deliria, plurimis anxietates, multis capitis dolores, vigiliæ, omnibus sitis cum maxima linguæ siccitate, multis quoque non diu post initium dysenteriæ & diarrhææ malignæ, difficillimæ curationis, superveniebant. pulsus plerumque valde creber, parvus & inæqualis sentiebatur.

Diebus criticis ægri se semper pejus habebant, paucissimæ tamen crises laudabiles fiebant; videbatur natura velle moliri crises, sed propter humorum corruptorum copiam & malignitatem, viriumque summam dejectionem, perficere non posse. Crises per sudorem vel narium & menstruorum hæmorrhagiam solæ morbum interdum, sed rarius, solvebant, nam plerumque impefectæ erant; per alvi fluxum periculosæ multisque læthales erant. Nonnullis parvæ maculæ rubræ (Italis lenticulæ, puncticulæ & petechiæ appellatæ) per totum corpus in cute erumpentes, morbum mutabant, interdum in pejus, sed sæpius in melius. Quibusdam qui diu ægrotaverant, abscessus critici in aliqua parte salubri fiebant. Anthraces nusquam apparebant. Glandulas quoque in inguinibus, post aures, vel sub axillis nulli intumuisse, nihilque naturam per hæc emunctoria deposuisse vidi.

Ab hac febre curati, multibis terve recidivas satis periculosas ac sæpe læthales facili de causa incurrebant, imprimis si se ipsos vel nimis cito aëri exponerent, vel in diæta leve aliquod vitium committerent.

In curatione hujus febris primarium & maximum subsidium adferebatur sanguinis missione, terquaterve, imo in nonnullis sexies septiesve repetita: vidi etiam Gallos quibus à suis Medicis quatuor dierum spatio sanguis duodecies è brachiis satis magna quantitate detractus fuerit cum summo fructu: maximum enim levamen à venæsectione sentiebant ægri, quod brevi tempore adeo notum evasit omnibus, ut plurimi ægri, etiam sine Medicorum consilio, sibi ipsis aliquoties venam secari curarent, atque ita multi à morbo liberarentur. Ita ut præcipuum hujus mali remedium venæsectio revere fuerit. Sed quod mirum videri posset, cum à sanguinis missione alioqui debilitentur vires, in hoc tamen morbo natura post extractum majore copia sanguinem, à malignorum humorum gravamine manifesto levari & vires resumere videbatur, omnesque ægri, etiam illi quibus vires ad extremum dejectæ erant, venæsectionem fortiter ferebant. Nulli remedio febres istæ magis cedebant quam sanguinis missioni. Sanguis duabus vel tribus primis vicibus extractus admodum corruptus erat in omnibus, nec in tanta istius temporis ægrotorum multitudine ullum me vidissememini, cui sanguis laudabilis extractus

fuit in principio; sed ut plurimum albicans, sæpe ex livido virescens apparebat, cui parum rubri sanguinis admixtum erat: mucilaginosus erat instar decocti pedum vituli: in plurimis coagulabatur, in multis etiam vix coagulabatur, fibris nempe putredine magna ex parte consumptis, & hi maxime periclitabantur. Tertiâ quartave sectione sanguis erat laudabilior.

Accedentes igitur ad ægros, primo statim vel clystere injectô, vel levi medicamine alvô parum citata, venæsectionem instituebamus quam citissime fieri poterat, eamque, si vires primitterent, postridie repetebamus, extrahentes quaque vice a semi-libra usque ad libram sanguinis, idque deinde adhuc ter quaterve (pro virium robore & febris magnitudine) uno, duobus aut tribus interpositis, reïterabamus. Interea tamen temporis modo exhibitis medicamentis purgantibus, modo clysteribus subinde alvus citabatur, & quia malignitas morbo aderat, sudorifera & antidota sæpius dabantur. Julebi & condita refrigerantia ac cardiaca, ut & apozemata refrigerantia & diureticam vim habentia non parum quoq; proderant, præcipue si admiscerentur talia, quæ simul etiam malignitati resisterent. In nimiis vigiliis (quæ admodum frequentes erant) & deliriis, tantum lene aliquod soporiferum temporibus illinebamus, narcotica enim per os nunquam tuto exhiberi poterant.

Febres malignæ & pestilentes quomodo sine vera peste dari possint, & quid ab ea differant, latius docuimus in Tractatu nostro de Peste, lib. 1. cap. 12. annotat. 4. 5. Sunt autem hæ febres variæ, neque semper ab eadem causa procedunt, neque eodem modo invadunt, neque eandem curationem admittunt. Interdum solius aëris infectiones, interdum humorum ex prava diæta aliave causa pessimæ corruptiones, interdum rerum putridarum & corruptarum nocentissimæ exhalationes, interdum temperamentorum aëris & corporum pravæ dispositiones, vel singula hæc seorsim, vel aliqua ex his conjuncta, vel omnia simul hujusmodi epidemias febres generare valent, à quarum causarum varietate etiam earum, ut & curationes varietas maxime dependet: atque hinc est quod hujusmodi febres malignæ ac pestilentes vix unquam bis sibi plane similes visæ sint. Fracastorius lib. 2. & 3. de morbis contagiosis, describit febrem petechialem, quæ multum differebat ab hac nostra febre, nam ab aëris certa infectione originem sumpserat, & maxime spiritibus, non autem humoribus, bellum indixerat, atque imprimis curabatur antidotis, venæsectiones verò nocebant. Contra, hæc nostra humoribus magis inimica quam spiritibus, venæsectione præcipue sanabatur. Wierus lib. observat. medic. etiam mentionem facit febris malignæ & pestilentis, quæ circa Reheni tractum crudeliter grassabatur; sed illa quoque longe diversa fuit ab hac nostra, quod docuit curatio, nam scribit se comperisse in his venæsectionem admodum periculosam fuisse. Ab hac nostra febri etiam multum differunt illæ quas, Forestus lib. 6. observat. 4. 5. & 6. describit in quibus neque eadem aderant symptomata, neque curatio venæsectionem repetitam admittebat. Lazarus. Riverius, vir doctissimus, centur. 1. observat. 17. unum adfert exemplum febris malignæ, quæ in multis, cum hac nostra conveniebat, & quinquies iterata venæsectione curata fuit; cui non multum absimilem etiam nos in Gallia quondam vidimus anno 1632. cujus antea mentionem fecimus observat. 3. Verum ut quomodo ægri hac jam dicta maligna febre laborantes optime tractati fuerint, melius innotescat, jam his proximis observationibus unum aut alterum exemplum ex millibus subjiciam. *Isbrand. de Diemerbr. in observat. & Curationi Medicis.*

Febris Maligna.

Hermannus Thomas, pistor, prædicta febre maligna correptus fuit 5. Septembris, cum ingenti æstu & magna virium dejectione ab ipso morbi principio (nam febris hæc omnibus ægris statim vires potenter dejiciebat) pulsus erat, creber, nec parum inæqualis, sitis quoque maxima, cum linguæ magna ariditate. Totum corpus æqualiter affectum esse videbatur, ac proinde nullum uspiam dolorem sentiebat, de sola maxima cordis anxietate querebundus. Prima morbi die circa vesperam ipsum invisens, statim clysterem emollientem injici curavi, à quo alvum ter exoneravit. Ad sitim hunc julebum pro potu dedi:

♃. Aquæ cardui benedicti, borraginis, acetosæ, ana lib. 1. succi citri recenter è pomo expressi, syrupi de acetositate citri, violacei, rob. ribesiorum rubr. ana unc. i. olei sulphuris q. s. ad gratum acorem, misce, fiat juleb.

6. Septembris tempore matutino è vena mediana dextri brachii sanguinis libram venæsectione extraximus, cum summo levamine. Sanguis erat valde corruptus, cujus dimidia superior pars ex livido virescebat & mucilaginosus erat, inferior nigricans vix coagulabatur, serum quoque virescebat. Postridie dolorem in gutture sentiebat, qui sine tumore erat, ad quem sedandum gargarisma conveniens præscripsi. Etiam mane sumpsit medicamentum leniter purgans, à quo quinquies excrevit. Ad sitim vtebatur interdum cervisiâ tenui, interdum julebô dictô. 8 Septembris, febre in eodem statu permanente, sanguinis unc. x. è sinistro brachio extraximus, qui corruptus erat ut prior. 9. Septembris manè hoc sudoriferum datum est:

♃. Diascordii Fracastorii drach. i. confectionis de hyacintho, extracti cardui bened. salis rutæ, ana scrup. i. aquæ theriacalis, cardui, ana scrup. i. olei vitrioli gut. ix. misce, fiat haustus. Hinc bene sudavit, sed tamen continua febris (quæ singulis diebus per aliquot horas tantùm pauxillum remittebat) debilitas, dolor gutturis, sitis & oris siccitas in eodem statu permanserunt, quibus etiam vigiliæ ferè continuæ aderant. Post prandium hujus apozematis duos haustus bibit, eoque etiam sequenti die usus fuit.

♃. Radic. cichorei, graminis, asparagi, ana unc. i. herlenii, eryngii, petroselini ana unc. s. herbar. acetosæ, cardui ben. borraginis, centaurii minoris, scordii, scabiosæ, ana m. i. pomum citri integrum, in taleolas dissectum. sem. 4. frig. major. ana drach. i. s. fruct. tamarindorum, tartari rhenani, ana drach. vi. passu-

larum corinth. unc. i. ſ. coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ii. adde colaturæ ſyrupi de limonibus unc. iii. miſce, ſit apozema. 11. Septembris, præmiſſo enemate emolliente, rurſus ſanguinis uncias ſeptem è dextro brachio cum euphoria extraximus, à qua venæſectione febris multùm minuebatur. 12 Septembris manè ab aſſumpto priore antidoto rurſus copioſè ſudavit. Poſt meridiem apozemate uſus fuit. Sequenti die, cùm alvus non ſatis reſponderet, hunc pulverem dedi, quem cum pauxillo ſui julebi mixtum aſſumebat, atque inde ter alvum exonerabat:

♃. Rhabarbari optimi drach i. cremoris tartari drach. ſ. fiat pulvis. Hic pulvis 16. Septembris reïteratus fuit. Intermediis autem diebùs ut & ſequeutibus tribus, vtebatur antedicto apozemate, & interdum particulam hujus conditi comedebat:

♃. Pulveris liberantis drach. i. ſ. diatrium ſantalorum ſcrup. ii. confectionis de hyacintho ſcrup. i. ſ. cortic. aurantiorum condit. rob. ribeſiorum rubr. pulpæ tamarindorum, ana unc. ſ. ſyrupi de limonibus q. ſ. miſce, fiat conditum. A 12 Septembris febris in dies magis magiſque minuebatur, ita ut 19. Sept. æger jam expers febris videretur, neque angeretur, neque ſitiret ampliùs, ſed cibi appetentior eſſet. Tunc in victu forte leviore aliquo errore commiſſo, 22 Septembris recidivam paſſus eſt, febriſque magna cum vehementia rediit. Hinc rurſum præmiſſo clyſtere, ſtatim è ſiniſtro brachio ſanguinis ſemi-libram extraximus, cum tanto levamine, ut hac una venæſectione febris ferè in totum ſuppримeretur. Poſtridie manè ſumpto antidoto copioſiſſimè ſudavit, atque illò, & ſequentibus tribus quatuorve diebus apozemate antedicto cum condito utens, à morbo in totum liberatus fuit. Durante hac curatione, diæta tenui nutrinus fuit, ex juſculis cum acetoſa, borragine, pomis citri, hordeo mundato, uvis immaturis, & ſimilibus paratis. Interdum cerviſia tenui, interdum tenuiſſima (quam ſcherrebier appellant) interdum julebis pro potu utebatur, ſæpe intolerabilem ſitim fallebat cum pulpa tamarindorum, vel maſticando fruſtum pomi citri ſaccharo immerſum, vel linguæ imponendo folium ſempervivi majoris detracta exteriore pellicula in aqua maceratum. *Idem Ibidem.*

Febris Maligna.

Gertruda Coets juvencula circiter 24 annorum, eadem maligna febre correpta fuit. 8 Septembris veſperi (qui erat morbi die quartus) ad illam vocatus, inveni ægram adeò debilem, ut vix loqui poſſet, ſingulis momentis animo linquebatur, ob malignos vapores cor obruentes. Pulſus erat omnino parvus, creber, & inæqualis, calor tamen non admodum intenſus, cùm materia morbifica malignitate magis quàm calore infeſtaret. Statim hoc ſudoriferum exhibui.

♃. Lapidis bezoar orient. ſcrup. ſ. diaſcordii Fracaſt. mithridatii Damoc. confect. de hyacintho, ſcrup. i. aquæ cardui ben. unc. i. miſceantur pro hauſtu. Quamvis ob debilitatem non diu ſudaret, tamen hinc valde levata fuit. Ad ſitim hunc julebum præſcripſi.

℞. Aquæ cardui bened. meliſſæ, acetoſæ, ſcabioſæ, ana lib. ſ. cinnamomi unc. i. ſucci citri recenter expreſſi unc. i. ſ. ſyrupi de limonibus, violacei, ana unc. i. ſ. olei ſulphuris q. ſ. miſce, fiat juleb. 6 Septembris manè alvus ſuppoſitorio citata eſt: poſt duas abinde horas è vena mediana dextri brachii ſanguinis lib. ſ. extraximus, qui valde corruptus, mucilaginoſus, è pallido vireſcens erat, cum ſero viridi, parum boni ſanguinis in fundo continens. Non obſtante magna virium debilitate, fortiter tulit venæſectionem, indeque magnum levamen ſentiit. Hujus conditi ſubinde particulam comedit.

℞. Pulv. liberantis drach. i. ſallis prunellæ ſcrup. i. rob ribeſiorum rubr. pulpæ tamarindorum, conſervæ roſarum, ana unc. ſ. confect. de hyacintho drach. i. ſ. ſyrupi de limonibus q. ſ. miſce, fiat conditum. Poſtridie in iiſdem continuatum eſt. Cerviſiam tenuem olei vitrioli paucis guttis acore levi donatam pro potu ordinario bibit. 11. Septembris ultimum ſudoriferum rurſus ſumpſit, indèque levamen aliquod ſentiit. 12 Sept. febris, anxietas & debilitas rurſus augeri videbantur, quapropter è brachio ſiniſtro extraximus unc. vi. qui corruptus erat ut prior. Ab hac venæſectione magnum levamen ſucceſſit. Libenter apozemata & alia quædam medicamenta præſcripſiſſem, ſed quia per ſe delicatula erat, & jam à morbo valde nauſeabunda, ferè nihil aſſumere potuit. 13 Septembris rhabarbari pulveriſati drach. i. cum cremoris tartari drach. ſ. cerviſiæ tenui immiſcuimus, atqui ita non ſine moleſtia exhibuimus, unde ter alvum exoneravit. Poſtridie paulò meliùs habuit, & antedicto condito uſa eſt, febris valde exilis evaſit. 18 Septembris in ſummam recidit debilitatem. Tunc hanc mixturam in cochleari exhibui, à qua aliquantum levari videbatur:

℞. Lapidis bezoar orient. ſcrup. ſ. confect. de hyacintho ſcrup. i. aquæ cinnamomi drach. i. cardui drach. ii. miſceantur. 19. Septembris, iterum è brachio dextro ſanguinis unc. v. extractæ ſunt: qua venæſectione febris admodum mitigata fuit. Illa & ſequenti die continatum eſt in uſu conditi & julebi. Hoc tempore etiam in conſilium advocatus fuit D. Gisbertus Coets, vir doctiſſimus & Arnhemii Medicus primarius, qui inter cætera tanquam expertum & convenientiſſimum remedium commendavit ſuam aquam theriacalem, quam Carbunculi aquam nominabat, & inſtar magni ſecreti celabat. Hujus aquæ illius conſilio bis terve de die offerebatur ægræ cochleare unum. 21. Septembris, febre rurſus ingraveſcente, hoc antidotum dedi:

℞. Salis abſinthii, confectionis de hyacintho, ana ſcrup. i. lapidis bezoar orient. xii. aquæ carbunculi, cardui, ana unc. ſ. miſceantur. Idem illud 22. & 23. Septemb. manè & veſperi reïteratum fuit. Septemb. immiſſo ſuppoſitorio vix ſemel alvum dejecit. Veſperi hoc ſumpſit:

℞. Lapidis bezoar orient. gr. xii. margaritarum præparat. ſcrup. i. aquæ carbunculi unc. ſ. miſceantur, & dentur è cochleari. Sequenti die è maſſæ pilularum Ruffi gr. xii. duas pilulas deglutivit, à quibus circa veſperam bis dejecit: quæ pilulæ 28. Septembris reïteratæ ſunt, ut & 2. Octobris. Intermedio autem tempore continuatum

nuatum fuit in usu conditi, julebi, & aquæ carbunculi, & tenui victu ex jusculis nutriebatur ægra. Atque his tandem integræ sanitati restituta fuit. *Idem ibidem.*

Usus lactis In Putridis.

Civis Nicolasburgensis sexagenarius, cum ultra annum febre quartana intermittente simplici pressus esset, multisque remediis incassum adhibitis, febre tamen permanente, sensim deperdita ciborum appetentia, ad Tabem properare visus est. Diffidens de salute patiens, me una cum Excell. Dn. Georgio Francisco Goll, Physico civitatis Nicolasb. in consilium vocat. Inter alia dum de prognostico discurreremus, appetitum deperditum in hac febre, præsertim ætate hac declinante, pro malo signo ediximus, testante id ipsum Wolfgong. Hœfero in suo Hercul. l. VI. f. m. 258. quod & alii plures observarunt. Orta quæstio, an in hac febre Lac tuto propinari possit! contrarium tenente prænominato Dn. D. Goll, allegavit Hipp. sect. 5. §. 65. Lac dare caput dolentibus malum, malum vero & febricitantibus &c. Sed altius mihi hunc Aphorismum speculanti, in quibusdam febribus putridis Lac exhiberi posse statui, præsertim in ægro nostro ad tabem disposito: & in quo præter febrem nil aderat quod Lac impediret. Ac proinde pensitatis pensitandis omni die, qua Patiens à febrili paroxysmo immunis esset, Lac caprinum methodice exhibuimus, eo quidem effectu, ubi per aliquot tempus continuasset, notabiliter incrassari, refici & viribus restitui cœpit, redeunte appetitu, & paulo post medicamentis anti febrilibus sumtis febris desiit.

Hic nonnemo de audacia in Lacte exhibitio hæsitabit, sed ubi quis Aphorismi prædicti sequentem translationem antiquam diligentius pensitaverit, aliter procul dubio concludet, quæ sic se habet: Lac dare caput dolentibus, malum; malum vero febricitantibus, & in quibuscunque hypochondria suspensa rugiunt, & siticulosis: malum vero quibus felleus secessus, & in acutis febribus, & in quibus sanguinis egestio multa facta est. Convenit vero Phthisicis non valde febrientibus: dare vero & in febribus longis nullo prædictorum signorum præsente, & extra rationem tabefactis.

Supponit ergo phthisicos febricitare nonnisi febre hectica, ergo per febres longas febres quasdam putridas intellexit, sed cum nec in omnibus febribus putridis tuto Lac conveniat, duas addidit conditiones requisitas: 1. ut cum ejusmodi putridis non jungantur capitis dolor, neque sitis &c. 2. ut febribus similibus laborantes, toti quasi consumti conspiciantur.

Ad hunc modum cum se haberet Patiens noster, ceu ad Sacram Anchoram, confugimus; consulente & ipso Rhase 23. contin. cap. de Lact. qui caprinum Lac in Phthisi & febribus antiquis proponit. Neque credibile est, ipsum per febrem antiquam, Hecticam intellexisse, ceu quæ sub phthisi comprehensa esset, omnis enim phthisicus perfectus, Hecticus. Consentiunt nobiscum Theodorus Gaza & Hieron. Accorombius Eugubius tractat. de Lacte, qui tres similes Historias febrium Putridarum, per Lac curatarum, recenset. *Ioh. Ferdinandi Hertodij.*

De stercoris Suilli vi Antifebrili.

Non jactet amplius Gannanaperidem suam Peruviana regio, quæ febribus tertianis, quartanis & aliis cum frigore invadentibus antidoto existit; habet & Europæus Orbis remedia ubivis obvia, quæ si non excellentiora, saltem in effectu non minora & paria observantur. Non tibi memorabo hic Carduum Benedictum, cujus succum ad cochleare unum semis assumtum febres tum tertianas, tum quartanas petere experientia docet, quod idem præstat infusum ejusdem herbæ in spiritu vini Rhenani. Referam jam, quomodo Nobili cuidam Westphalo Tremoniæ febris curata sit. Hic per sex menses febre tertiana intermittente laborarat; remedia à Medicis præscripta nihil proficiebant: consulit ergo Monachum quendam Dominicanum, qui in Curatione febrium multum præstabat. Hic veniens dari sibi petit libram semis spiritus vini Rhenani, in eoque infundit stercus suillum, quod in pera attulerat, digerit per horam, inde colat per linteum cum expressione forti. Colatum hoc Nobili una vice assumendum propinat, qui inde in sudorem lapsus egregiè sudat. Hinc abit febris. Factum postmodum experimentum in aliis nunquam fefellit, aliqui tamen post mensem ab assumpto remedio recidivam passi. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

Pulveris corticis Chinæ-Chinæ usus contra febrim quartanam in Dania probatus.

Ante aliquot annos cœpit autoritas pulveris hujus febrifugi in pretio esse, quem non diu post singulari opusculo ventilavit celeberrimus Jacobus Chifletius, quo gratiam ejus potius improbavit quam laudavit. Deinde defensionem ejus suscepit. R. P. Honoratus Fabri (ficto licet nomine Antimi Conygyj adscripto opusculo Romæ edito Anno 1655.) atque tam propria experientia quam multorum observatione utilitatem ejus commendavit. Celeberrimus vir Villisius postea, multis experimentis edoctus, statuit libro de febribus, eximias esse hujus pulveres in febri Quartana debellanda; id quod & nobilissimus Rob. Boyle testatur in diversis editis à scriptis. Quare neque nos decuit usum ejus in terris hisce. Septentrionalibus salutatem fuisse silentio prætermittere, ut optimis rebus honos inprimis habeatur, neque in medicamentorum cognitione confessa cum ancipitibus & obscuris confundamus. Anno 1679. Epidemica in hisce oris sæviit febris quartana, pluresque omnis conditionis mortales infestavit, magis tamen extra Civitatem Hauniam quam in ipsa urbe. Æstas præcesserat calidissima sine pluviis fere tota transacta, quæ videbatur non minima causa fuisse hujus febris. Me quoque autumno invaserat ægritudo. Rediens quippe Hauniam mense Octobri, postquam in prædio meo Lindholm rusticatus animi relaxandi gratia essem, sentii die 25. ejusdem mensis rigorem toto corpore, quem paulo post insecutus est modicus calor, qui tum non admodum gravis erat. Sed insequens post diem

diem tertium accessio majores vires attulit, atque hoc suo typo quatanam prodidit. Nam hac vice notabantur pleræque febres quartanæ non tam rigore quam calore infestæ. Præmissis ergo universalibus medicamentis, purgantibus & sudoriferis, cum in tertiam hebdomadem durasset, febris, viresque admodum debiles reddidisset, cœpi cogitare de pulvere febrifugo ex cortice China China, cujus usus nondum hic admodum celebris erat Cognoveram tamen olim valde eum conducere huic morbo, eo tempore cum Romæ olim innotescere ejus virtus cœperat, unde etiam aliquot doses mecum domum attuleram quæ tam consumptæ & amicis impensæ erant. Assumpsi igitur incipiente paroxysmo pulveris istius ℨi. infusi aliquot horis ante in vino albo Gallico; quo facto, paroxysmus solitas vires exercuit, licet mitius, sed sequens paroxysmus plane intermisit.

Quare cum non nescius essem præcipuam ejus pulveris noxam esse, in eo quod paroxysmum quidem tollat, sed quin per aliquot dies redeat prohibere non possit, & sæpe tum in duplicem quartanam transeat, in memoriam mihi revocavi antiquum axioma politicum posse quoque in Medicina locum habere, melius esse prævenire quam præveniri? sæpius pulveris hujus eandem dosin repetere volui ineunte paroxysmo, ut si qua pulveris virtus esset in ex pellenda febri, eadem quoque in ea præcavenda valeret. Neque euentus fefellit. Nam cum multis vicibus iterassem hanc medelam, non rediit unquam febris, & Dei gratia liber evasi, neque graviora symptomata perpessus sum, quam quibus sæpius antehac per intervalla eo anni tempore, meo temperamanto maxime infesto, solitus eram, nempe flatibus hypochondriacis, capitis dolore & similibus, quæ solent Scorbuto attribui: Meo exemplo multi edocti pulveris hujus usum tentarunt, omnes ferè prospero eventu, nisi vel ipsi nimia intemperantia fallerent spem medicamenti, vel non rite usi essent præscriptis. Domestico quoque meo præcepi eandem medicinam, sed quia robustiori corpori majorem suasi dosin, nam drachmarum duarum pondus fuit pulveris. Neque frustraneum erat consilium, nam desiit similiter paroxysmus, quamvis non ipsa febris, quæ quia neglexerat sæpius idem repetere medicamen, sicuti suaseram, rediit aliquo tempore interjecto, duplici paroxysmo infesta, sed ejusdem pulveris usu mox liberatus ab utraque est, & iterum iterum iterumque rediens eodem modo desiit. Adeo ut verissimum esse deprehenderim quicquid laudati autores de hoc pulvere bono publico divulgarunt neque in hisce terris minorem esse ejus nobilitatem, quam in Meridionalibus. Est sententia Hippocratis, illa quæ reliquuntur in morbis recidivas parere; & recidivas deinde majoris mali periculum afferre, notum est. Non video tamen cur ab hoc pulvere abhorreant multi quia ejus usus semel probatus recidivas præcavere non possit, cum aliquoties iteratus facile id præstet. Id quod convenit omnibus feré aliis remediis, quæ non nisi sæpius usurpata prosunt. Neque ideo proscribendum ejus usum existimaverim quod paroxysmum absque ulla evacuatione evidenti tollat: primo quia necesse est corpus rite esse præparatum, deinde, quia oportet ægrum nihil omittere eorum quæ methodus medendi præscribit. Multa quoque medicaminum essent rejicienda ex hoc fundamento, quod operentur sine evacuatione vel ratione sensibili. Quæ cum ita sint, amplectimur grata mente Divinum hoc beneficium, & efficacissimum hoc medicamentum, quod præsentaneo remedio tollit paroxysmum & morbum, cæteris partibus; quæ utilitas rarò ab aliis speratur; adeoque auxilium hujus quo contra quartanas pollet hic commemorari debuit, præsertim in tanta inopia præsentaneorum medicaminum. *Erasmi Bartolini.*

De curatione Febris magica, seu per Transplantationem.

Honesta matrona Juvencula Anna Palivra, viri, dum viveret, integerrimi, Johannis Rechenbergeri, civis & Mercatoris Thorunensis conjux, Anno 1661. Mense Maio, febre Tertiana simplici correpta, eaque (variis remediis à nobis s. a. frustra adhibitis) usque in Junium protracta moræ impatiens, suasu cujusdem mulierrulæ insciis nobis sequenti remedio usa est: Subsecavit scilicet manuum pedumque ungues (ad modum ferme à Johann. Schrodero, in Pharmacopœia Med. Chym. lib. 5. clas. 1. cap. 23. propositum) eosque in linteolo colligatos caudæ tincæ piscis alligare jussit, posteaque halitum ori ipsius ter insufflavit, atque sic piscis cum additione verborum quorundam à vetula illa Vistulæ fluvio urbem præterfluente immissus est. Mirum sanè dictu, quod à remedio hoc nullus amplius Paroxysmus febrilis ægram invaserit; Sed illa volens vitare Charybdin in Scyllam verè incidit misera, in locum enim febris dolor Colicus atrocissimus successit, qui tanto molestior fuit, quod sine intermissione duraverit, & vix selectissimis remediis post multos dies cesserit: ita ut ægra præ illo dolore pristinam febrem aliquoties sibi optaverit. Cujus quidem curationis rationem hucusque nullam invenire potui. Sed talium ferè curationum, seu transplantationis morborum exempla, demonstrationes & rationes curiosus Lector invenies apud Robertum Flud, alias à Fluctibus, in Philosoph. Moysaica Sect. 2. lib. 3. membr. 1. cap. 3. 4. & 7. Similes etiam curationes reperiuntur in Opusculis Germanicis, Chymico Magico-Medicis Johannis Pharamundi Rhumelii: in Cura Magnetica Herniar. cap. 5. Cura Podagrica Magica cap. 6. in Medic. melit. cap. 4. item cap. 11. 12. 13. 15. 16. 18. 19. 20. 21. vide etiam Phil. Theophr. Paracels. Oper. Germ. Part. 4. p. 227. & alibi. Item Thom. Bartholin. Hist. Anat. & Med. rar. Cent. 3. Obs. 66. & Cent. 6. Hist. 53. Hic mihi in memoriam venit vidua Novo Oppidana Thorunensis Benigna Reichia, quæ cum sæpissime, dum viveret, ab Ictero defœdaretur, ex diuturno usu Medicamentorum eorundem pertæsa, tandem urinam propriam ipso die, quo emissa est, acervo superfundendam curavit, & hoc modo, morbum transplantando, ab eo liberata est: quodquidem remedium ei tantum dicis causa proposui, sed illa experientia propria veritatem ejus confirmare voluis

luit. Qua ratione purgatio per ttansplantotionem institui debeat, proponit ejus aliquot exempla Johannes Tilemannus in Appendice de materia Medica ad Aphor. Hippocr. Therapeut. p. m. 250. Addo hisce. quæ verissime observavi in Moniali quadam, scilicet Constantia Sibylla à Ludingshausen Wolffia, Monasterii Culmensis Ordinis S. Benedicti Priorissa, habente catellum nigrum, cum ipsa in eodem lecto cubantem, qui, quoties illa ægrotat, toties ille male habet, nihil comedit neque bibit, sed vomitus paritur, tam diu donec illa se melius habere percipit. Quibus adnectenda sunt notatu digna verba Excellentissimi Bartholini loco ultimo citato sequentia: Ego duarum causarum hic concursum desidero. Attrahentis animalis calorem, & morbosi corporis effluvia, nisi tertiam addere placuerit, occultam animalium potentiam, quæ indivividuorum varietate est diversa, sæpius tamen illis animalibus inest, quæ quotidiana consuetudine & ciborum similitudine hominibus sociantur *D. Simonis Schultzij.*

De singulari & rara Febris continuæ curatione.

Quidam Nobilis multorum adstantium titillanti admiratione, ipsius etiam Illustrissimi ac Excellentissimi Domini, recensuit, quod febre continua loborans tribus diebus ita viribus exhaustus sit, ut vitæ simul cum anima exhalationem timuerit, nesciebat ipse præsenti aliquo remedio comitantem inextinguibilem sitim compescere, ardoremque febris mitigare. Erat etenim in castris, ubi ordinaria quies & cura deficiebant: Sibi itaque procuravit remedium. Jussi bonam quantitatem favi mellis virginei adferri, & sex stossos aquæ invicem mixta uno haustu (utor verbis propriis ipsius Generosi Domini) absque intermissione ebibi, dormivi, maxime sudavi & convalui. *Andreæ Cnoffelij.*

Febris continua, qua solum latus sinistrum incalescebat, frigido dextro.

Mirari subit vasorum κατ' ἴξιν consensum in variis morborum generibus illorumque curationibus conspicuum. Non ita pridem uxor Amici mei, Febre continua detenta, sinistro latere toto adeo incaluit ut manum tangentium fere combureret, frigido latere dextro, cui demum calor consuetus rediit exhibito sudorifico. *Thom. Bartholini.*

Febris Acuta hæmoptysin sequuta.

Judex Provincialis Sælandiæ vir integerrimus, Casparus Severini Hiorn. tenero corporis habitu, præditus, hæmoptoisi frequenter infestatur quocunque acri fluxu, aëre turbulento, venulas pulmonis vellicante & erodente. Mense Majo 1673. malum ingravescens plurima subsidia artis admisit, me & *D. Matthia Iacobæo* operas mutuas tradente, quib. etiam consilio suo Cl. Borrichius subvenit. Tandem post largissimos rivos cruoris profluentes, post frequentes Venæsectiones, post varia Eclegmata, Tincturas varias, quibus cursus inhiberi solet, Emulsiones, juscula roborantia, & innumemera alia, quibus anima purpurea sistitur, suppressum sanguinem, qui adhuc in emaciato corpore superfuit, vidimus & lætabamur. Sed cum bono successu valetudinis æger ipse ad spem novam excitatus de lecto linquendo cogitaret, dictum factum, cum omnia salva viderentur, febris continua eum adorta est cum delirio, quæ nihil proficientibus Alexipharmacis aut Opiatis, sensim optimum Virum consumsit, ut tertio decimo die à febris invasione placide expiraret, nullo amplius cruoris vestigio comparente, sive quod sanguis calidior universum corpus occupaverit, sive quod febrilis calor escharam induxerit vasis pulmonariis læsis & apertis, sive denique quod inflammatio pulmonum febrim accesiverit. Hippocratis Oraculum est Coac. 427. intense febricitare in hæmoptoisi, minime esse conducibile, idque, sicut interpretes commentantur, propter ulcus pulmonum, sanguinis non fluxit, nec vehementer tussit, nec doluit; ut suspicio certa nobis nata sit febrem acutam & malignam, quæ ipsa hac tempestate passim in Provincia & Urbe grassabatur, corpus nimio sanguinis fluxu debile & prostratum invasisse per insidias, & vitæ pausam imperasse. Urina certe, malo omine, ut solet in malignis, sanorum similis apparuit. Et quamquam non paucos febres epidemicæ septimo die hoc anno jugulaverint, selectissimis tamen elexipharmacis ægrum nostrum XIII. diem servatum credimus.

Terrent plerosque sanguinis sputa, sive ex liene per vomitum, sive ex pulmonibus per tussim rejecta Neque ille metus vanus censendus, quippe morte purpurea plerumque terminandus, si sibi relictus extra mediocritatis terminos evagetur. Non is quidem per se lethalis; καλὸν enim dicit Hippocrates IV. Aph. 25. non θανάσιμον. Nam qui ex liene, lienem expurgat, ægrumque spleneticum sublevat, si modum servet, & vires sint ferendo. Vidi ad mensuras plusculas evomuisse lienem per dilatata vasa cruorem obstruentem, salvo ægro & superstite. Vidi etiam eodem affectu extrema passos Quem pulmones per vices fundunt, onere ingenti vasa levat. Coi est Oraculum IV. Aph. 47. exscreationes cruentas bonas esse, si commodè prodeant, in febribus nempe cum conferentia. Venæsectionis vicariæ sunt. Si menstrua vel suppressa vel imminuta supplent. Invicem enim succedere, ex V. Aph. 32. discimus. Matronam optimam novi sanguinem floridum tussi rejicientem tempore menstrui fluxus, quanquam satis copiosi; quia sanguine corpus abundat. Tussi arida præsentit imminentem hæmoptoisin. Bona igitur ast hæmoptoisis ad vasorum depletionem, quando vires integræ supersunt, etiamsi largior sit, v. Aph. 3. licet parca extra periculum magis nos ponat, si per vices effluat. Nam Illustris quidam Vir, senex, malè habuit, quoties hæmoptoisis sollennis suppressa fuit. Alius mihi notus jam per integrum annum sputa cruenta quotidiè videt, à phlebotomia abhorens. Malum, quod inde metuit, phthisis est, quam per plurimos annos vitam prorogasse observavi, magno senis solatio. In exulcerato enim pulmone sanguis

effluens

effluens suppuratur. Hinc puris sputum à sanguinis sputo. Junioribus periculosior est propter sanguinis fervorem & acrimoniam, vasorumque teneritudinem: Neque enim ob motum Pulmonis cito consolidantur vasa quocunque modo patentia, & consolidata cito recrudescunt tussi, motu thoracis perpetuo & acrimonia cruoris: Hæ causæ infamem sputationem illam reddunt, & remedia in tempore postulant, ne malum per longas moras invalescat. *Thomas Bartholini.*

Febris ardens spiritu vini curata.

Quædam Virgo Buxtehudana in Ducatu Bremensi, ardente febre laborans, petiit vinum adustum accepto eo, largum fecit haustum, inebriata hinc in somnum & copiosum sudorem lapsa, præter omnium spem, pristinæ sanitati fuit restituta, *Joh. Ludov. Hannemanni.*

Febris continua lethalis cum variis excretionibus symptomaticis.

Puellus quinquennis Viri pl. Reverendi Johannis Gyzicki ad D. Mariæ Thorunii Concionatoris Polonici filiolus unicus ante sesquiannum febre continui correptus, primum diarrhœa continua, dein vomitibus vexabatur, quibus utrinque subsistentibus, maculæ purpureæ hinc inde cum pruritu quodam erumpebant: sed mox iis evanescentibus, sudore copioso resolutivo molestabatur; quo etiam cessante; hæmorrhagiam narium per aliquot dies passus est: tum faucium & gingivarum putredine, cum fœtore & ulcere augebatur, Ista subsequebatur ex aure sinistra ichor quidam ad mortem usque fluens gravis fœtoris: tandem urina sanguinolenta: quibus omnibus ultima rerum linea, mors, colophonem imposuit, Causam tam febris continuæ, quam concomitantium symptomatum magnam humorum putredinem non sine ratione accusavimus. *Simonis Schultzii.*

De Febre Pemphygode seu Bullosa.

Minimè recte eos sentire autumat Cous, de ratione victus in acutis, qui morbos in minutioribus differentes, uno eodemque nomine nuncupare, nefas esse ducunt. Licitum itaque erit sequentem casum ad febres bullosas referre, quantumvis ampullæ non tantum fauces sed alias etiam corporis partes externas occuparint. Anno 1667. August. Fridericus Klimpel, quinquagenarius & in suburbio nostro degens, vicino suo in tegenda nova domo suppetias fert: in culmine autem constitutus malignaque quadam aura perculsus inopinato dolorem capitis gravissimum cum calore præternaturali conjunctum persentiscit. Sequente mane accersitus, audio patientem de intensissimo calore capitisque dolore immanissimo, cum interiorum horripilatione quadam querelas agentem. Rebus ergo sic stantibus pro more mihi consueto ad nobiliora bezoartica & alexipharmaca cum præcipitantibus commixta statim confugiebam, & pro calore præternaturali & fermento febrili compescendo, Antimonium ad modum Popii, debito modo calcinatum, nec non cum ocul. cancr. præparatis commixtum, singulis quatuor horis in aqu. ulmariæ exhibebam; pro levando autem capitis dolore Oleum Sal armoniac. Sulphureum per instrumentum Glauberi destillatum, cumque aqua rosarum atque verbena combinatum, ut vertici guttatim affricaretur, curabam. Circa Solis occasum advolat Uxor ejusdem madidis oculis, faciemque mariti mirum quantum intumuisse refert. Ego, cum virium naturalium præsentiam acquisivissem, eandem bono animo esse jubeo, & continuationem prædicti pulveris impero, addita insimul potione panchresta sive Julapio sambuci myrrhato cum spiritu sal. armoniaci sulphureo nonnihil acuato. Augusti die 27. patientem rursus visito, faucesque ejusdem & faciem bullis adeo defœdatam deprehendo, ut vix cognoscibilis esset; immo ipse etiam collum, manus, thoracem, tibiasque & alias corporis partes, quæ libero fovi fuerant expositæ, bullis majusculis instar globulorum, quibus pueri ludunt, contectas monstrabat, ut ne hilum genuinæ & naturalis cutis dignoscere possem, Calor vero p. n. nonnihil remiserat, reliquaque Symptomata non adeo urgentia erant, ideoque à prædictis duobus medicaminibus non destiti, & sic intra octiduum hisce solis patientem, Deo benedicente, pristino vigore restitui. *D. Christophori Seligeri.*

De Febre Singultuosa.

Febre singultuosa continua ante plures annos robustum virum, fere septuagenarium, Johannem *Krieger*, rusticum in Furtchke, pago Thorunensi, *Schlesischen Hans* (quoniam è Silesia oriundus erat) appellatum, affectum recordor; cui levis purgatio bis instituta, & postea tam Elix. Propr. Parac. cum essentia absinthii, quàm inunctiones externæ circa ventriculi regionem cum oleo absinthii & mastichino multum profuerunt, tandem & vinum absinthites; qui postea per aliquot annos vixit, & peste interiit. Vide similes casus apud Hier. Cardanum in libello de Curat. & Prædiction. admirand. n. 21. & Læl. à Fonte Consil. 58. fol. 170. Item apud Greg. Horstium Observ. Medic. sing. lib. 4. prior. lib. 1. Observ. 22. p. m. 40. Præter hos inveniet benevolus lector apud Joh. Petr. Lotichium singularem casum lib. 1. Obs. Med. cap. 7. Obs. 1. de febre Lyria lethali maligna cum singultu. *D. Simonis Schultzii.*

Æstus Febrilis insitata vis.

Fœmina quædam urbis Aureliensis gravida, febri acuta & inflammatione circa umbilicum subito correpta, opinione citius & ἀλόγως liberata fuit æstum vero febrilem in fœtum transiisse eventus docuit, mortuus enim ex utero extractus, ossa habuit in pulverem rubicundissimum redacta, tanta vis ignis febrilis fuit. *D. Matthiæ Jacobæi.*

Hectica in febrem ardentem salutariter terminata.

Studiosus quidam Juris, Dn. Ludovicus Hermannus Roder, Giessa-Hassus, Francofurti degens, febri tertiana corripitur, qua, nescio quibus remediis, intempestive sublata, ut sæpe fieri

solet, Hectica succedit cum appetitus prostratione, calore post pastum, sudoribus nocturnis & marcore insigni, Consulto E. Medico ordinario, varia tum ex officinis tum domesticis in usum vocantur, sed in varium omnia. Quare desperabundo fere animo Patriam suam Giessam repetens, mihi altera statim die omne negotium exponebat. Periculosam hecticam imminere dico, idque ex febri tertiana male curata. Idem & Francofurti sibi à Medicis dictitatum esse regerebat, deque eo, se pessimè habere, sed nulla ne sanitatis spes mihi reliqua? inquiens. Omnino respondebam, ast cum periculum in mora, maturo consilio opus esse, cum adhortatione, ut morigerum se præberet, Deoque T. O. M. & medicinæ ab ipso deterra creatæ consideret. Præmisso igitur obsequio, digestivi loco præmisi Sal. Armoniac. hoc in casu unanimi celebriorum Practicorum confessione commodissimum, aliis quibusdam præcipitantibus junctum, idque ad imitationem Pulv. antichectic. Felicissimi D. D. Conerdingii, quem à Celeberrimo Viro D.D. Scheffero obtinuit olim Beatissimus D.D. Thackius, Magnus quondam Hassiæ Machaon, è cujus MSS. eundem curioso Lectori lubentissime imperio, cum omne bonum sit communicativum sui, est autem talis.

℞. Ocul. cancr. ℨj. Salis Armoniaci. Nitri præpar. an. ℨß. Div. in 6. p. æ.

D. una dosis quotidie. Nitrum autem studio omisi, cum ob nimiam digestionis primæ depravationem diarrhœa quoque subinde laboraret æger, cui sal facile fomitem addidisse poterat: Remedio hoc per aliquot dies continuato præter omnem expectationem supervenit febris ardens continua, cum intensissimo calore, siti, vigiliis ac delirio, quæ omni pulveri illi mehercle insontissimo ascribentes consanguinei, mihique paulatim diffidentes Dn. Physicum hujus loci Ordinarium accersere jubent, qui præcedentium forte nondum certior redditus, triste prorsus prognosticum tulit, non tantum coram adstantibus, sed & in officina Pharmaceutica à pulsu sine dubio impulsus, qui prioribus morbis, jam nimium quantum debilitatus erat. Ego vero spem neutiquam abjiciendam esse duxi; sperabam enim fore, ut materia mortifica, facta è primis viis in vasa sanguifera metastasi, fermentatione ejusmodi febrili eo citius subjugetur, atque æger à molesta illa Hectica forte liberetur; nec decollavit spes primitus concepta: Debellata enim febri illa ardenti, omnia simul hecticæ symptomata prorsus evanuere, convalescente sensim ægro, qui nunc athletice vivit. *Michael Bernardi Valentini.*

Hectica cura.

Anno 1634. Patavii sub tempore verno, hectica febre laborans, præmissa tantum potiuncula laxativa, singulis diebus jejunus mane haustum bonum lactis caprilli recens emulcti, cum pauco saccharo sumsi, nec non pro potu ordinario aquam simplicem coctam & succo puro citri expresso permistam, itemque in alimoniam juscula caponum cum buccella panis similaginei, orizam, & hordeolum seu polentam, & præcipue ranas, limaces ac testudines, repudiata omni carne, in brevi sanitatem pristinam adeptus sum, citra aliorum medicamentorum usum. *Joh. Helvigii.*

Hectica in lactante.

Lanionis M, uxor, quadraginta duos annos nata, cholerica, lactans, die 17. Octobris, anni 1681. apud me conquesta est, se tota æstate viribus defecisse, inde vero à decem hebdomadibus tussim siccam pati, cum siti, citra cordis oppressionem, rursus jam à 14. diebus cibum fermè nullum appetere, passionibus hystericis crebro affici, denique ab octiduo ardores, rigores, defluxiones, sudores copiosos, capitis dolorem, cordis palpitationem, & maciem extremam sentire: suasi infantem ablactaret, uteretur que vino medicato, & balsamo, antiphthisicis, præterea biberet serum lactis cum conserva rosarum, & subinde acciperet Diaphoreticum Joviale. His vires instauratæ sunt, & ægra convaluit.

Infantibus fortiter sugentibus, etiamsi & mammæ & lac sanum fuerit, matri optimum nutrimentum decedit, & corpus exsuccum redditur, ita ut tandem marcore tabescat, imprimis si biliosa simul adest temperies. Vires ægræ nostræ paulatim defecere, qui optimum, dulcissimum, & pinguissimum sanguinis ad alendum infantem matri detractum est, juxta annexum 8. Exercit. de Bile in Clav. Ded. pag. 105. item de spiritib. pag. 57.

Postmodum tussis sicca invaluit, ob siccitatem pulmonum, & partum vicinarum, ardentes febres, & alias causas, videlicet optimi nutrimenti ablationem. Hæc tussis species curanda est medicamentis attemperatis, modice refrigerantibus & humectantibus. Inprimis conducit lac vaccinum & asininum, ceu naturæ humanæ familiarissimum. Dein valde prodest vinum nostrum aut serum lactis medicatum, cum balsamo antiphthisico.

Singularum ingredientia præcipua huic proponere, & examinare lubet.

Hedera terrestris vulneraria est, siccat, aperit, abstergit, & consolidat. asthmati medetur, & phthisi, item Coryzæ, & calculo. Odorem habet terreum, gravem, saporem subamarum, acrem, qui multum salivæ provocat, & linguam abstergit.

Hepatica nobilis saporem habet herbidum, & prope farinaceum, vix perceptibilem, odorem suavem, instar storacis. Modice refrigerat, & adstringit, sanguinem emundat, hepatis & lienis obstructiones reserat, hernias curat, & phthisicis cum successu exhibetur.

Muscus pulmonarius saxatilis saporem habet aromaticum, odoriferum, gravem glutinosum, amaricantem, pisces redolet, summum phthiseos remedium est modice refrigerat, siccat, abstergit. hepati valde prodest, & vesicæ obstructionibus, item febri hecticæ, ictero, scabiei, lichenibus, gonorrhœæ, febribus. Extrinsecus vulnerum hæmorrhagias sanat.

Pinguicula Gesneri saporem pinguem, butyrosum, excellentissimarum est virium in phthisi, & acribus humoribus demulcendis, pingues reddit homines, pectus amplificat: è plantæ hujus floribus albis & cœruleis paratur oleum per infusionem, quod balsamum nostrum antiphthisicum constituit.

Tussilago saporem habet subamarum, balsamicum, costinum, aqueum & aliquantum acrem, hinc modice refrigerat, pectori & inflammationibus prodest, tussim & phthisin curat; flores ejus mense Martio collecti & cum passulis decocti tussim leniunt, alvum laxant, denique fluxiones falsas destillantes ad pectus & asperam arteriam emendant, atque resolvunt.

Viola suaviter olat Martio collecta, tenues & acres destillationes ad pectus persanat, in phthisi sanguini bonam consistentiam largitur, & nervosum genus à convulsivis motibus tuetur.

Rosæ rubræ adstringunt, modice refrigerant, corroborant, hepaticæ sunt, & stomachicæ, Præservant à phthisi.

Balsamum antiphthisicum præter pinguiculæ & violarum rosarumque oleum recipit quoque pinguedinem caninam, & oleum hyperici.

Pinguedo hæc reliquis calidior est. Internè adhibetur vulneribus & exulcerationibus abstergendis, ac consolidandis, item in phthisi, & si cruor à casu dissolvendus est: spinæ dorsi inuncta spiritus animales ferocientes mirum in modum refrænat.

Oleum violatum usurpatur fermè in Clysteribus & inflammationibus. Cæterum ardores internos lenit, si eo spina dorsi ungatur, inordinatos motus spirituum animalium tollit, somnum conciliat, tabem infantum curat, si addatur ei pinguedo canis & caponis.

Oleum rosatum nostræ compositionis, refrigerat, inflammationes tollit, tumores & œdemata penetrando soluit. Pænacea est affectuum externorum, luxationem, & affluxum humorum impedit, acrimoniam mitigat, in phthisi curanda primas tenet.

Oleum Hyperici, vulnera curat, imprimis ligamentorum & nervorum, ad ambusta prodest, articulis refrigeratis succurrit, colicæ, dysenteriæ, & phthisi inunctum solatio est.

At non tantum sicca tussis ægram nostram vexavit, sed etiam sitis humido exhausto à siccitate faucium, cui tamen sero lactis & rosarum rubrarum conserva subventum est.

Appetitus prostratus erat ob bilem in ventriculo collectam, quæ ibi etiam ardorem excitavit, ad quem curandum usi fuimus decocto herbarum refrigerantium & humectantium, item balneo aquæ dulcis tepido, emulsionibus, conserva violarum & rosarum.

Passiones hystericæ adscribendæ sunt uteri imbecillitati, consensui matricis cum mammis. Manifestè hic observatur à Partu, cum lac ad mammas confluit, statim atque sugunt infantes: tormina exorta, quibus radice petroselini, cum semine anisi vel fœniculi decocta succurritur. Oleum nucum vel florum cheiri in cochleari exhibitum similiter decantatum est. Ventri etiam imponuntur sacculi ex herbis uterinis. Ægræ nostræ multum profuit infantem lacte depulisse & usurpasse Diaphoreticum Joviale.

Primum enim cessavit uteri vellicatio à suctione mammarum orta; deinde alimentum matri non amplius subtractum fuit: quare ista sese reficere potuit: & recuperare vigorem pristinum.

Diaphoreticum autem Joviale, seu pulvis antihecticus Poterii, ad demulcendam acritudinem humorum matricem & nervos irritantium mirum quantum valet. Idem uterum corroborat, sæpè ex emaciatis quadratos & robustos homines efficit.

Calores & horrores ortum duxerunt ex intemperie calida sanguinis febrem hecticam minante.

Defluxiones ortæ sunt à debilitate cerebri, acres eæ erant, ob salsedinem & acrimoniam sanguinis: hinc etiam capitis dolor ingravescebat, dum catarrhus tenuis & acris cerebri tunicas afflixit; cordis palpitatio iridem humorum anodini imputanda est. Macies in toto corpore adfuit, ob chyli & sanguinis consumptionem. *D. Joh. De Muralto.*

De Febre Tertiana, in sene in ipsa herba suppressa.

Cum Illustrissimus & Reverendissimus Dn. Matthæus Bistram, Episcopus Argivensis, Suffraganeus Culmensis, & Parochus Thorunensis atque p. t. Episcopatus Culmensis Administrator, septuagenario paulo minor, anno 1672. 28. Aprilis Thorunium venisset, & de dolore ventriculi, post tempus quadragesimæ, conqueretur, usus est è consilio meo die 30. Aprilis medicamento laxativo, præmissa prius digestiva potione: à quo ille non solum per inferiora, verum etiam per superiora blandè, sed sufficienter purgatus, die 1. Maii in febrem incidit, quæ tertia die reversa est; cujus causa Reverendissimo ad ventriculum roborandum sequens remedium præscripsi.

℞. Elix. proprietatis Paracelsi ℥ ij. essent. absinth. ʒ j. M. de qua mixtura singulis matutinis guttæ 11. 13. aut 15. cum jusculo sumantur. Sed ne paroxysmus febrilis tertia vice ipsum adoriretur, autor fui, ut hora una aut altera ante paroxysmum hoc antifebrili sæpius experto uteretur.

℞. Tartari alb. subtil. pulv. ʒ j. salis absinth. lap. prunell. an. gr. 3. nuc. mosch. gr. 1. M. F. Pulvis. Quo assumpto paroxysmus nunquam rediit. Verum ad obstructionem alvinam tollendam sequente enemate Illustrissimus postea usus est.

℞. Spec. decoct. emoll. carminat. an. M ij. caric. ping. num. 4. sem. lini leviter contusi ʒ ij. decoqu. l. a. in qu. aqu. font. colaturæ ℥ ix. adde elect. diacathol. ʒ vi. sacch. thom. ʒ x. ol. chamæm. malvæ an. ʒ vi. salis gemmæ ʒß. M. F. Enema. Tandem ad reliquias per sudorem, (ad quem natura inclinabat) expellendas, pulverem hunc pro duabus vicibus ordinavi.

℞. Pulv. rub. Pann. alt. ℈ ij. salis cardui ben. lap. prunell. an. gr. 6. M. Et sic benedicente summo Archiatro, Illustriss. Dn. Episcopus in tam provecta ætate è febri liber factus, huc usque sanus atque vegetus vivit. *D. Simonis Sczulizii.*

De Febre tertiana in sene post primam & secundam recidivam profligata, post tertiam vero lethali.

Prudenter sanè Hollerius commentario super Aphor. 12. Hippoc. sect. 2. hæc verba annotavit: Post crisin, hoc est, excretionem criticam, relicta materia, tum dispositio morbosa recidivas facere consueverunt: nisi antevertamus purga-

tione vel alteratione Accidit tamen aliquando; etiamsi nulla subsit materia, nulla morbosa qualitas, ut fiat recidiva ob intemperantem victum ægri, quum scilicet plura sumpsit quam conficere possit. Recidit etiam in morbum sæpe convalescens propter externas injurias. Patet hinc, Aphorismum duodecimum sectionis citatæ secundæ, qui ita sonat: quæ in morbis post crisin relinquantur, recidivas facere consueverunt, non simpliciter, sed cum certo respectu intelligendum esse, id quod etiam præsens casus demonstrat. Cum anno Christi 1668. Illustrissimus & Reverendissimus D. Johannes Rozycki, Episcopus Chelmensis, Abbas Mogilnensis, & S. R. M. Poloniæ Thesaurarius, Rehnique Poloniæ Senator, septuagenario major, Thorunii, ut Commissarius Regius degens, 11. Augusti in febrim tertianam exquisitam incidisset, ab eaque adhuc in isto mense per medicamenta opportune eidem, à nobis exhibita, fortunante Deo, scilicet purgationem lenem, venæ sectionem, & pulverem nostrum antifebrilem ab eadem liberatus esset; accidit, ut ex pravo victu, nempe fructuum horariorum, atque vini cerasitis nimio usu, die 2. Septembr. recidivam passus fuerit: qua iterum benedicente summo Archiatro, beneficio pilularum nostrarum antifebrilium feliciter profligata, hinc sanus usque ad Abbatiam Mogilnensem, novem milliaribus Thorunio distantem, profectus sit, ibidemque usque ad anni 1669. ultimos dies mensis Aprilis satis vegetus, in ista præsertim ætate, permansit: ubi tum ex nimio esu lactis coagulati, & cremoris ejusdem, secunda vice in febrim tertianam recidit, ad quem ego die 2. Maii veniens, post secundum paroxysmum, lene evacuans porrexi, subsequuto autem tertio paroxysmo venam dextri brachii medianam incidere jussi, tum ventriculo corroborantibus prospiciens, febrem denuo, Deo propitio, abegi. Sed cum ille ex lacticiniis, quibus admodum delectabatur, accedente ira, tertia vice in fine Junii, recidivam incurrisset, tertia Julii, viribus prostratis, vitam cum morte commutavit, ad quem ego 4. Julii ejusdem Mensis vocatus accedens, cadaver, cum permissione domesticorum aperire jussi, in quo omnia secundum naturam inventa fuere, præter peritonæum & mesenterium atque pancreas, quæ singula nonnihil corrupta & saniosa deprehendebantur, hepar etiam durius quam secundum naturam esse consuevit, erat. Apparet inde, quam vera fuerit hoc in casu Clarissimi Hollerii superius citata annotatio. De recidivæ febris cognitione vide sis Zacutum Lusitanum de PP. M. lib. 4. hist. 21. *D. Simonis Schultzii.*

Febris tertiana pura intermittens, per emissionem, vermis supra juncturam scapulæ & claviculæ, remittens.

Vermes diversorum generum diversis in febribus evacuatos legimus. Horst. sect. 18. Epist. Med. pag. 498. Vermis in quartana, & alterius striati in febri tertiana notha meminit. Sic lumbricus latus in febri putrida evacuatus fuit, ut idem d. l. p. 500. notavit. Anno 1597. priusquam lues Servestam infestare inciperet, febres grassabantur malignæ epidemicæ, in adultis quidem plerumque cum petechiis; in junioribus autem cum vermibus, qui & ipso postmodum pestis tempore, à multis pueris per os & intestina rejiciebantur. Salmuth. Cent. 3. Obs. pag. 137. Vermes è capitibus febri Ungarica mortuis proruperunt. Conradin. c. 11. de febrib. malignis. Vobcher. Coiter in append. Obs. Chir. & Anatom. In Matronæ cujusdam pestilenti hæmitritæo extinctæ capite aperto, vermiculi cum cimicum copia reperti sunt. Cornel. Gem. in append. Oper. Cosmocrit. Juvenis quidam in febri acuta duos tresve vermes ad formam granorum pini rejecit. Valesc. de Taranta lib. 4. cap. 30. in febri quadam maligna vermes excretos vidit Forest. lib. 6. Observat. Med. 4. & 5. Zacut. Lusitan. lib. 2. Prax. admir. Observat. 42. & lib. 4. Med. Princ. hist. 46. quæst. 42. in peste sævissima, quæ totam Lusitaniam, & in ea Olyssiponem depopulata, principio morbi omnibus vermium rotundorum nigrorum copiam per nares emanasse observavit. Sic anno 1664. 5. die Mensis Junii St. N. Juvenis quidam Berbenni in valle Telina, 18. annorum, temperamenti sanguinei, quarto paroxysmo febris tertianæ exquisitæ sudoriferum aliquod fortes operationes edens à me accepit. Finito largiter effluente sudore, dolorem aliquem in sinistro latere supra articulationem capitis humeri & claviculæ percepit, ab insultibus febrilibus liber evadens, hinc ad scalpturam motus tumorem excitavit inflammatorium, qui in principio materiam subtilem transsudare permittebat, postea de die in diem crescens, præterlapsis quindecim diebus ad magnitudinem nucis pistaciæ attollebatur. Rupto hoc tumore quidam vermis paulisper prominebat, qui ligatus subtili vinculo extractusque nigrum depressumque caput habebat, valde in cute hærens, in utroque latere quatuor pedes nigros ventrem versus decrescentes, reliquum corporis figuram parvæ vesiculæ cineritrii coloris repræsentabat, quæ leviter compressa exstillabat primo liquorem ichorosum, deinde subsequente sanguine nigro & impuro. Vermes pro vera febrium causa, & præsertim malignarum agnoscit Athanasius Kircherus in Scrutinio pestis c. 8. sect. 1. ut & in arte magna lucis & umbræ lib. 10. part. 2. pragmat. 2. non solum in variis rebus, sed etiam in sanguine febrientium vermes per microscopium observavit. Ejusdem sententiæ sunt Christian. Langius in Præfat. Scrutin. pestis, & in disputat. de Morbillis; Augustus Hauptmannus, aliique vermes in sanguine quoque observavit Borell. Obs. Med. Phys. cap. 3. observ. 4. p. 198. ut & in venis Rhod. Observ. Cent. 3. p. 180. Sic Marchioni de Beveren, cum anno 1658. Lutetiæ, duobus diebus ante obitum vena secaretur, vermem ex illa spithamæ longitudinis extraxerunt. *Franckfurtische Herbst*-Relation *selbigen Jahres* p. 95. Hinc vermium diversa genera generari posse, nemini impossibile videri debet, præsertim si consideret diversas plantas, diversaque animalia, quibus ad sustentationem vitæ homo vescitur. Ex illis vero certos vermes generari quotidiana experientia, & Sennert. de Consens. & Diss. ut & in suis Hypomnematibus Physicis hinc inde satis abunde monstrant. Semen igitur illorum sive analogum quid seminis, si cum ante

dictis

in ventriculo fermentatione & concoctione, sequestretur, per venas lacteas asellii sanguini communicatur, & vel in ipsa sanguinis massa, vel etiam per circulationem ad alias partes detrusum, & sui juris factum, iterum sese exserit, suaque pro natura vermem iterum generat, qui varia vel in aliis partibus, quo pervenit, symptomata & affectus producere aptus natus est. An vero omnes febres à vermibus excitentur? Et an in nostro hoc casu febris à verme isto ad scapulas detruso originem duxerit? Sive an propter evacuationem copiosi sudoris illa cessaverit, & semen istius vermis ipse minimus adhuc, cum materia sudoris per accidens ad prædictum locum pervenerit, ibique hærens à copiosis humiditatibus separatus ob nutrimentum assumtum grandior factus, cutem erosserit? judicium meum suspendam aliisque eruditis judicandum relinquam. *Caspari Theophili Bierlini.*

Febris Tertiana, cura neglecta, invehit symptomata.

Vir quadragenarius, habitus corporis strigosioris, laboribus duris assuetus, autumno anni 1679. Febre tertiana, hic tum endemia, qua diu fuerat infestatus, sine medicamentis tamen liberatus, appetitum accusabat prostratum, obstructiones alvi diuturnas, continuos ructus, nauseam, & propensionem ad vomitum, sudorem copiosissimum fœtidissimum, præterea in abdomine per vices dolorem sensit rodentem & maxime mordacem, qui quoties repetebat toties simul stuporem brachii sinistri induxit urinæ, cum emittebantur erant profunda rubedine tinctæ, mox turbidæ, crassæ, cum sedimento copioso, limoso; Conjiciens ergo ex symptomatum relatione, materiam febrilem in corpore detentatam has dare turbas, & cruditates stomachi, hinc naturæ subvenire pulvere emetico purgante constitui. Nil hic per inferiora evacuabat, solus vomitus ter secutus duos in lucem protulit vermes, alterum longitudine manus integræ, dimidiæ alterum. Propinatis hinc anthelminticis, infusioneque clysterum è lacte repetita, & purganti quodam alvo reserata nihil amplius in putredinosa colluvie verminosum apparuit, æger autem perfecte convaluit.

Fœmina rustica consistentis ætatis, prægnans, eodem tempore febre eadem epidemia corripiebatur, suasuque aliorum, ne fœtui scilicet noceret, usum medicamentorum negligebat, omnia naturæ, & proprii corporis robori committens, unde post in tumores pedum œdematosos incidit. Tribus ante partus legitimi terminum septimanis, cum maxime torqueretur circa præcordia, obstetricem quandam consuluit urbanam, quæ ipsi pulverem polychrestum nostratem ex præcipitantibus, bezoardicis, & diaphoreticis mixtum propinavit. Hinc post excitata per dimidiam horam symptomata velut asthmatica fœtum emittitur mortuum, cum profusione, loco lochiorum, aquositatis copiosissimæ, non tamen omnis, abdomen enim statim exinde majori aliquo tumore aquoso intercute obsidebatur, qualis à combustione oriri solet, minoribus hinc inde illum cingentibus tumoribus serosis, quasi insulis, quorum pars, uti & pedes tumidi, sponte sua erosi lympham effuderunt acrem. Sudore aliquoties usu myrrhatorum cum sal. volat. mixtorum concitato hæc symptomata omnia evanuerunt. *Joh. Burgi.*

De singulari tertianæ remedio.

Cum præterito Mense Martio anni hujus 1672. Tertiana infestaret Patrem Cantorem familiæ S. Dominici, virum obesum, qui diætæ leges tempore illo quadragesimali non ita stricte observarat, curæ illius me præfecit Adm. Rev. Pater Prior. Accessi, atque ubi eum nimio calore ac siti conflictari deprehendi, pro istius levamine julepum convenientem præscripsi, atque ut postridie pharmaco cacochymiam exturbet suasi. Qua intentione cum postera die mane adessem, ille se medicamentum propter certissima quædam negotia assumere tum non posse retulit, atque usum ejus post sequentem demum paroxysmum distulit. Interea vero dum istum instante nocte futurum coram Monasterii mercenario quodam conqueretur, hic paroxysmum omnino non rediturum sancte asseveravit, modo æger cubitum iturus singulis digitorum utriusque pedis interstitiis lardi muriatici frustulum, digitorum longitudinem & latitudinem æquans, imponeret, & pedes linteo, ne lardum excidere possit, obvolveret, atque sic ad somnum se componeret. Monachus sanitatis avidus monita ista quam diligentissime persequitur & quidem non sine insigni emolumento. Morbus namque ita omnino est sublatus, ut ab eo tempore nec ullos febriles insultus, nec horum reliquias vel minimas senserit, jamque dum ista scribo, salvus vivat ac incolumis. Quæstio hic oritur physica, qua ratione medicamentum hoc à febre liberaverit ægrum. Ego quidem, nisi id tribuatur nimiæ ægri confidentiæ, certum salutem ex applicatione hujus remedii sibi pollicentis, non tam lardo, quam sali, vi penetrandi putredinique potenter resistendi prædito, hunc effectum ad scriberem, sed ista jam oculatioribus expedienda committo.

Hactenus supra allegata, 26. April. præscriptæ Litteræ: At consequentia curam adeo præsentaneam, ex alia ejusdem Excell. Medici Epistola die 28. Junii exarata, verbis mox subjiciendis B. Lectori haud invidendum est.

Pater Cantor Ordinis S. Dominici, visus quidem est ab eo tempore sanus esse atque ab omni morbo immunis, Ast die 10. Junii hujus anni 1672. circa meridiem, eum è civitate in Cœnobium redeuntem derepente invasit Hemiplegia sinistri lateris. Et licet maximam adhibuerim curam, minime tamen prohibere potui, quo minus septimo post die, elusa omni opere, ad plures abierit. Utrum Empiricæ illi curæ adscribendus sit repentinus hic casus, non ausim absolute affirmare &c. *D. Georgii Vegeri.*

De singulari Tertianæ remedio supra memorato.

De cura illa Tertianæ beneficio Lardi muriatici aliud referam exemplum. Alutarii nostratis uxor, annum agens quadragesimum quintum, ex inordinata diæta corripitur sub finem mensis

Maii anni hujus 1672. Febre tertiana. Varia post venæsectionem adhibet medicamenta empirica, sed cuncta irrito successu. Accidit vero ut ille Pater Cantor Dominicanus, cujus mentionem feceram in nuperi observatione (vid. obs. 200.) die 2. Junii alutam empturus illius intraverit ædes. Is è vultu eam ægrotare, conjiciens, atque quod tertiana laboret percipiens, ut ad exemplum suum lardum muriaticum pedum digitis applicet, facile persuasit. Sed tantum abest, ut febris remiserit, ut potius majori violentia invaserit ægram. Unde die quarto Junii maritus me accessit, atque ut uxori opem ferrem sedulo rogavit, simul tamen quid anteactum sit reticuit. Proposui pharmacum, à quo aliquoties atque cum εὐφορίᾳ dejecit; unde optima spe freti, valetudinem brevi pollicebamur. Sed ecce nil adversi nobis cogitantibus, quæ hactenus simplex erat, in duplicem mox mutata tertiana adeo acerbe imposterum affligit ægram, ut non obstante diligenti medicamentorum usu omnia in deterius ruerent, ipsamque mortem in propinquo esse indicarent. Mirabar hanc inopinatam mutationem, atque maritum me inscio succum è gammaro vivo expressum in vino rhenano uxori propinasse suspicabar. Hoc namque remedium sibi à Nobili commendatum fuisse, ante dictam mutationem retulerat ille, cujus tamen usum tum dissuavi. Maritus tandem in angustiis versans, se non quidem succum illum uxori propinasse, lardum vero muriaticum pedibus ad Monachi persuasionem applicasse fassus est, Ego his cognitis, relicta febri ad acrioris salis in ægra redundantis ferociam coërcendam me accinxi, nec sine successu, postquam enim salis C. C. volat. ℈ ß. cum salis Card. bened. gr. 6. & salis Absinth. gr. 5. prima vice, idque hora una ante paroxysmum exhibui, iste non tantum ad bihorium tardius sed & multo mitius invasit ægram. Unde huic medicamento insistentes, atque ubi illud propter ingratum suum saporem nauseam excitare cœpit, cum pauxillo medullæ panis in pilulas id transformantes, ægram benedicente Deo ab orci faucibus feliciter reduximus. *Ex eodem.*

De curatione Tertianæ per lagenas.

Illustris apud nos fœmina, ab annis aliquot phrenetica, & jam ante meum ex Italia reditum, à peritissimis Medicis, post varia incassum tentata, relicta prognostico, corripitur superiori anno tertiana exquisita, advocor, præscribo, quæ in rem videntur, rogo assumat. Illa pertinaciter reluctari; nihil pharmacorum admittere, oblatum etiam cum fremitu respuere cœpit. Interea grassatur malum, & octavo jam paroxysmo invalescit, singulis accessibus ferocius. Assisto paulum ante paroxysmum nonum; & cum ore refutaret ingesta omnia, jubeo lagenis aqua calente ferventibus Ægram hinc inde circumdari, ut vel invita ad sudorem componatur. Illa contra, emoveri lagenas jubet, & nisi tollerentur, ad convicia se præparare. Nil ego clamore, nil indignatione Ægræ commotus, jubeo ancillas peragere mandata, & vel invitam cogere ad sudandum, memor illius Hippocratis Epidem. 2. Curandum, ut in pallescentibus Excandescentia oriatur. Quod si (inquiebam mihi) excandescentia sive ἐξυθυμία occuranda, ut sanguis diffundatur per habitum corporis, & pallorem exturbet; exturbabit etiam fortassis febrim, solvetque intestinas obstructiones, mali præsentis fomenta. Nec fefellit augurium, cessavit febris è vestigio, &, illa licet magnoperè ferociente, quievit, nec unquam postea reversa est. *D. Olai Borichii.*

De Febris tertianæ admiranda, aqua frigida, curatione.

Balthasar Helvvich, Civis Posnaniensis, reliquorum civium ora cachinnis medentum Observationes admiratione replevit, & certè febris ludibrium in scenam produxit. Hic tertiana intermittente laborans, post frigus sensit calorem præternaturalem ad usque delirium. Omnium adstantium amica seponens monita, suis demandavit, ut se ad transfluentem ibidem fluvium deferant, in quem usque ad collum se demisit, & eo usque in aqua ista se continuavit, donec omnis calor præternaturalis desierit. Sæpius iteravit & pristinæ sanitati restitutus est. Tota Civitas Posnaniensis moderni istius facti scientia abundat, sed non cuivis licet adire Corinthum. *D. Andreæ Cnoffelii.*

Cur Tertianæ hoc anno frequentissimè in Quartanas exeant.

Vix integro seculo tot in his Provinciis numeratæ sunt quartanæ, quot unico hoc autumno pullularunt. Nec initio visæ sunt quartanæ, sed tertianæ vagæ, quæ sensim in duplices, immò triplices quartanas degeneravere, nisi manus Medica initio admoveretur. Nec difficulter paruere pharmacis, sed sibi relictæ, vel negligentius habitæ ferociter insultarunt. Parcius tamen incubuere Urbi nostræ, quàm agris, insulisque, ob diætæ, ut opinor, vitia: cives: enim quod familiarem tum dysenteriam malignam formidarent, abstinuere à fructibus horariis, leguminibus, aliis, quæ vicinis suis morbum invexisse audiebant, cæterum agrestes, & minutiorum oppidorum incolæ, nullo metu, oblatis pascebantur. Hinc integræ familiæ toti propemodum pagi, immo quandoque tertia pars oppidanorum, quasi fulmine icta lectis affixa est. Nec omnium tamen febres in quartanas abiere, sed eorum, qui neglexere curam omnem corporum, similes Virgiliano illi Georg. III.

----- alitur vitium, vivitque tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora Deos sedet omnia poscens,

vel eandem initio perversam instituerunt. Causam autem, cur ad tam frequenter ventum quartanas, hanc puto: extremum æstatis præter morem, modumque apud nos calorem, unde intestinus corporum calor ab externo evocatus est foras, quo facto reliqui humores tanquam in vappam subacidam desciverunt, promptam quartanæ genitricem. Explicatius loquar; videntur humores corporum id passi, quod cerevisia in cellis, tonante cœlo, acescit, paulo post, mucet, corrumpitur; quod vividiores ejus partes fulmineum illud sulphur, omnia

omnia pervadens secum in aëra transtulerit, aut, si mavis, confuderit, & in aliud schema pervertit. *D. Olai Borrichii.*

De prole tertianariæ pallidissima.

Cum alia de causa secundam Germanicarum Ephemeridum partem evolveremus, fortuito incidimus in illos Batavæ puellæ peste infectæ amores: subiitque tum memoriæ similis ferè, sed desponsatæ, nec infimæ sortis, tertianariæ superioribus annis curatio. Consummationem matrimonii, post annua penè sponsalia, sponsus æquè ac illa, in omnem quoque eventum expetebant; & tradebatur tandem hæc, invitis ferè ob morbum parentibus. Inter primos statim dies, & fortè prima (utpote intercalari) nocte ingravidata evanescebat quasi sua sponte febris; peperitque puellam elegantis formæ, nunc (ni breve vivere desierit,) viripotentem, adeò tamen per totam ætatem, etiam inter corporis animique motus pallentem, ut febris idolum videri potuisset: sponso decætero sua impunè tunc peragente: cum tamen sæpius & hoc ipso anno observavimus tertianas, non domus tantum, sed integros quoque pagos pervagantes. Praxin adorientium causa hic addimus, frequentissimè notatum; quod scilicet in renitentiorum, aut per recidivas quotidianasve variationes protractiorum declinatione, cum remissius aut ferè nullum frigus est, calore licet aliquandiu persistente, consultius tum sit ab antifebrilibus, præsertim salsis aut insipidis, (dum amaricantia aliud insuper eo tempore, macilentis tamen non æquè semper in stomacho agere poterunt,) abstinuisse, quam sub negotiosiori (pro peremptoria mortificatione) talium continuatione, miasma animam sensim agens agitasse, vel ad novam conquirendam alimoniam pepulisse. Ut hic quoque non inconvenienter quandoque dicatur: *Ignem ne gladio ne fodito. D. Danielis Ludovici.*

Quartana superventu pleuritidis curata.

Nobilis quidam aliquot mensium quartana, propter diætæ vitia afflictus, cùm ipso die paroxysmi, sed horis aliquot ante ejusdem accessionem pertinacius saltasset, eoque, sudore manans, liberali cerevisiæ frigidæ haustu abstersisset sitim, pleuritide corripitur adeo effreni, ut de vita ejus dubii amici me accerserent; qui expiato venæsectionibus atque expectorantibus humore impetuoso, notavi illa via ita profligatam quartanam, ut nullo amplius paroxysmo molesta fuerit, lætissimo ægro, qui ex eo rarum quartanæ remedium invenisse se gloriabatur, ignorus quod uni fuit salutare, id aliis sæpe noxium deprehendi. *D. Olai Borrichii.*

De Quartanæ contumacia.

Mulier supra annum quartana vexata nullo remediorum genere tam molestæ febris curam tentaverat; sed illa nihil tot medicamentorum etiam vehementium, impetum morata pertinaciter hærebat. Placuit semel intentatum sequi consilium, & vomitorii experiri vires. Vocatus Medicus, qui duriusculè suos tractatæ consueverat, & emeticis macerare: qui, cum gummi gotte ad gr. 16. in conserva rosarum præbere quotidie solebat, idem hoc in muliecula, sed tenera jam, multisque paroxysmis debilitata, explorandum ratus, dosin, qua alias robustissimum quemque ex vulgo invadere pulchrum ducebat, quatuor ante paroxysmum horis exhibuit. Quid fit, ad vomitum & alvum sollicitata, adeo sæpè sellas petere, sæpè ore rejicere coacta est, ut jam ante illud paroxysmi tempus vicies alvum exonerasset, viribusque confecta nec manus, nec pedes movere, ad extremum nec uocem mittere posset. In illo tamen corporis humorumque, & medicaminis turbulento motu sua exactè hora subrepit cum frigore paroxysmus, laboranti suprema minans, cum pulsu exilissimo, & tantum non insensili. At neque sic cessabant vomitus & sellæ, verum, ut febris cedere vomitorio nolebat, ita nec vomitorium febri servare fidem voluit, sed jam pari vehementia utraque pugnabant in unum, quod videbatur, laborantis interitum contendentia. Vicit tandem natura, seque velut sequestriam litigantibus, hinc febri, isthinc vomitorio, adjecit, donec post quadraginta sellas, multaque animi deliquia spirituosis, emplastroque stomachali adjuta, nonnihil solarii ægra persentisceret, pleniusque ex illo paroxysmo convalesceret: cum autem tam impetuosa, frequentique cacochymiæ purgatione actum de febri existimaret, inconsultum hospitem destinatis diebus recepit, tamdiu conflictata, dum sponte & sine medicaminum usu sola veris temperie post binos menses miseram jam plus satis desereret. Quo discant velim isti severioris Medicinæ advocati, etsi vehementium impetu feliciter sæpe febres abigantur, in plurimis tamen etiam fraudi esse, molliculamque & lentam curationem duræ atque præcipiti anteponendam. *D. Joh. Nicolai Pechlini.*

De Quartana inversa.

Notum est illud Favorini apud Gellium, lib. 17. Noct. Att. c. 12. p. m. 428. Quartanæ elogium, quod biduo medio intervallata febris fortunata & laudanda sit, in qua sit μία μητρυιά, δύο μητέρες, una noverca, duæ matres, ut vero in reliquis febribus variæ inordinationes occurrunt, non tam vulgatæ illæ duplicationes, quàm aliæ minus adhuc in scriptis obviæ, uti tertianam sine rigore, & similia suo loco notabimus, ita quoque quoad paroxysmos quartanæ ipsos, seu typum, id videre contigit ita pridem. Viri Clar. filia novem annorum, præterito autumno in Hungaria febriles insultus experta est tales, ut duobus ex ordine diebus paroxysmus redierit, tertio intermiserit, idque constanter hactenus post meridiano tempore accidit, quo, præeunte frigore, calore hinc, aliisque consuetis febrium intermittentium symptomatis correpta fuit. Si itaque intermittentes febres à recursus tempore potius quàm quietis denominantur, & hæc ad quartanam, sed inversam illam, referenda est. Profuit inter alia tinctura martialis ex arcano tartari liquido, menstruo aqueo soluto & filtrato, cum paucis guttulis liquoris martialis ex cap. mort. flor. salis ammoniac. martial. in momento tincto, & pulvis ex antim. diaphoretici, arcan. duplic. & conch

præp. an. ℈ j. cum ol. antifebr. gut. 2. ante paroxyſmum propinatus.

Dubium de quartana inverſa dicta motum magni momenti eſt. Quod verò à communi appellatione abierim, & hoc nomen novum poſuerim, judicio veſtro id committens, hæ fuerunt rationes: 1. Certum eſt, quartanam à circuitu nominari, ut quotidianam non minus & tertianam. 2. Non prævia quartana propriè dicta, non poſſe, niſi impropriè, dici duplicem mihi videtur. 3. Neque enim duplex ille fons, focus ſeu nidus; quem Sennertus & alii offerunt, vel proponunt, æquè liquet. 4. Autores, qui quartanam duplicem obſervationibus ſuis deſcribunt, communiter non exprimunt, in quo conſiſtat ejus notio, typus, idea, magis ferè ex juſculatione ſcribentes, quàm experimento; vel ſaltim hypotheſibus ſuis innixi. Cum ego Foreſtus, & pauci forſan alii, quartanam duplicem deſcribant & vocent, ex præeunte quartana ſimplici, ſeu primaria, talem redditam, quæ ita commodè appellatur, iſta verò propoſita ab initio ſtatim hunc typum, obſervaverit, cum iiſdem quoad rigorem & ſymptomata alia accidentibus, ac quartana ordinaria, putavi commodius illam ita nuncupari poſſe; & vel illo ſaltim nomine obſervabilem, quod non facilè, ſi rectè memini, notatum, genuinum hunc ſuum typum conſtanter à primo inſultu obſervaverit Uti enim quartanam triplicem vocari poſſe vix admiſerim febrem quotidie revertentem, quales primario tales aliquoties uidi; ſed potius quotidianam; ex decidentia verò tertianæ vel quartanæ rectè ita vocatur: ita idem valere de quartana duplici videtur. *D. Georgii Wolffg. Wedelii.*

Quartana novo remedio ſanata.

Quantum utilitatis ad curandum morbum fiducia in medicum conferat, ego ipſe non tantum aliquoties, ſed & in primis præterito menſe Septembri anni hujus 1671. ſingulari expertus ſum exemplo. Acceſſit ad me juvenis Germanus, 24. circiter annos natus, tam qua corpus, quam qua fortunam planè extenuatus. Is ultra medium annum à febri tertiana (ſic quartanam per ignorantiam vocavit) & imprimis ferventiſſimo ejus calore ſe omnino exuri conqueſtus eſt, atque ut ſibi ſuccurrerem per Deum petiit. Ego cognito morbo facilè aſſurrexi perito miſeri iſtius, & in hypocauſtum me conferens, præſcripſi ei pulverem antifebrilem; ſcripturam verò recentem arena ſubrubea ſplendenti marina, quam Gedano ad nos deferre ſolent, conſperſi, atque egrediens, ſchedulam complicatam ægro tradidi: Hoc addito monito, ut à pharmacopola pulverem tempeſtivè petat, & hora unam aut alteram ante paroxyſmum, quem ſequenti die inſtare dixerat, aſſumat. Simul quoque in ægri ſolatium id addidi, fore, ut febris aut omnino, aut maxima ex parte ab eo ſit diſceſſura. Sic igitur magna inflatus ſpe in hoſpitium ſuum ſe confert æger: Cui interim è memoria excidit, quod pulvis ille antiſebrilis è pharmacopœia ſit petendus. Reverſus domum, ſchedulam probé aſſervat, ſequenti verò die præſente hoſpite eam explicat, & primum quidem de paucitate pulveris conqueritur, mox verò ne quid pereat, & ſanitas, quam certo ſibi pollicebatur, remoretur, totam ſchedulam una cum inſperſo pulvere in cereviſiam calidam immergit, hanc bene miſtam ebibit, & optima ſpe fretus in ſtratum ſuum ſe confert, nec ſefellit eum, ſpes concepta, vix enim quicquam de paroxyſmo ſenſit. Unde ſequenti die me acceſſit, quàm bellè morbus ſit debellatus retulit, pro ſuppeditato medicamento gratias egit, & licet monuerim, ut, ſi forſan poſtero die in febrim recideret, mihi id nunciaret, non tamen rediit amplius, quod pro certo feciſſet, ſi recidiſſet, cum de ſanitate ſua maximè fuerit ſolicitus. *D. Georgii Segeri.*

Terror tertianæ & quartanæ remedium.

Epilepſiam terrori aliquando ceſſiſſe Thom. Bartholin. Cent. 3. Hiſt. Anat. p. 83. annotavit podagricis eundem aliquando profuiſſe alibi relatum, quod & febricitantibus non raro conducat, bigam exemplorum ſubjungam.

Nobilis quædam fœmina tertiana correpta, & in ipſo paroxyſmo conſtituta, à bombardæ improviſa exploſione ita terrebatur, ut animi deliquio correpta pro mortua haberetur. Vocatus pulſum explorans fortem eundem adhuc invenio. Adhibitis igitur refectivis ad ſe rediit, calore febrili oppido evaneſcente, nec poſtmodum redeunte. Altera Virgo Nobilis per aliquot menſes quartanaria, cum ab aliis invitata cymbam intraret morbi tædium excuſſura, cymba derepente mergebatur, ut omnes aqua & morte ſimul corripi viderentur. Periculo verò ereptæ, quartanaria nullo poſtmodum paroxyſmo tentata convaluit. *L. Chriſtiani Friderici Germanni.*

Quartana poſt diuturnam violentiam ſopita, tandem poſt uſum Mercuriis iterum evigilavit.

Homo militaris triginta annorum, ex doloribus vagis crura, dorſum, frontem, & præſertim nares infeſtantibus incidit in ſuſpicionem Venereæ luis, & perfunctorie à neſcio quo Chirurgo tractatus quartana tandem corripitur; ſperatque fore ut malum ultimum ſuſpicionem prioris evertat, ex lege proverbii: Febrium id agere in corpore, quod incendium in camino, hoc eſt, fœces & fuligines ante natas in ſolidum ſecum auferre. Verum falſus augurii diu circumtulit in viſam febrim, & licet inſtitutis huc illuc peregrinationibus, ſenſit etiam poſt annum integrum eiuſdem inſultus; quibus demum circa æquinoctium autumnale quieſcentibus, nondum quieſcente priſtina luis malignæ ſuſpicione, commiſit ſe Chirurgo ſatis in hac palæſtra qui ad Mercurium more ſolenni provocans ptyeliſmum ad tres hebdomadas excitavit, nullo interea quartanæ veſtigio uſquam in corpore deprehenſo. Poſtquam ea ſalivæ lentæ vis educta eſſet, ut malignitatem ſupereſſe nullam arbitraretur, ventum eſt ad decocta vulgaria ex guajaco, ſarſa, aliis; quorum uſu ad dies 12. continuato, imperatis ex intervallo ſudoribus, rediit ex inopinato quartana, & jam antiquum obtinens ægrum oppido perplexum impulit, ut meum exquireret conſilium. Ego memor inſidiarum quartanæ, ſuadeo, ut decocto primo,

mo, ceu generosiori abstineat, contentus dilutiori illo, quod secundum vocant Artis filii, donec apertæ, fatigatæque ex Mercurialibus fibræ corporis collegerint se in robur antiquum. Quo facto. ex intervallo utatur pilulis de sagapeno, aculeatis grano uno aut altero trochiscorum Alhandal; tribus autem proximis ante solstitium hybernum (quod jam imminet) paroxysmis componat se ad sudores, assumpto gentianæ extracto, vel sale aliquo volatili, vel denique cortice gannanaperide: cujus usum etiam in tertianis laudant hodie Britanni; nostri inter initia febrium parcius usurpant, salibus lixivis in hoc malo plerunque contenti, ut quæ longo usu experti sunt salutaria, quamdiu malum quondam septies admonuit. Non inviti tamen post septem paroxysmos ad gannanaperidem descenderem, nisi à corticum fraxini similitudine fucus sæpe in Peruvianum hunc corticem emanaret. Aiunt quidem fraudem deprehendi frangendo, gannanaperidem in fractura nullas relinquere fibras, fraxini corticem relinquere, verum si cortex fraxini vetustior est, fortassis etiam fibras perdiderit. Optimum hactenus ab eventu indicium: dosis enim fraxinei corticis non suspendit paroxysmum, Peruviani suspendit, sed, nisi purgatissimo ægro, metuenda recidiva. Verum ad ægrum nostrum: cùm de eventu consilii nihil hactenus possit constare, illud tantum hic monere libuit ex allato hoc exemplo satis elucere; quàm improbum, & pæne invictum sit in veris quartanis acidum (nam spuriæ nonnunquam facilè percurantur) ut quod post annuum insultum, exclusa tanta pituitæ morbosæ copia, Mercurio detrectavit parere. *D. Olai Borichii.*

Febris ex imaginatione.

In febribus quantum valeat imaginatio, vulgò notum. Exemplo nupero illustrabo. Mulier quædam Hafniensis, cùm diu febris quartanæ tædio laborasset, consilium ingeniosum cepit, transferre febrem in saxum quoddam, quod medio inter Hafniam & Congium itinere eminet. Igitur scriptis literis officiosis, incluso vinculo coccineo, favoris indicio, mittit hominem, qui salute præmissa officiose rogaret, ut febrem ad se reciperet. Servus mandata exsequitur, vinculoque eleganti saxum exornat, & prælectis literis discedit. Hinc illa melius habere cœpit, à febre immunis. Alia ancilla Nobilis Matronæ febricitantis cùm vel joco vel serio officio offerret Dominæ duobus solidis se redempturam febrem, statim febricitate occœpit, salva Domina.

Parili frequentique satis superstitione mulierculæ nostræ infantes suæ curæ commissos instruere solent, ut ab aliis variolis infectis pro aliquot obolis variolas certo numero emant, existimantes illos, certa imaginatione illos, qui emerunt hasce ingratas merces, & proventu pauciore infestari, & citius & tutius liberari.

Quantum imaginatio valeat ad curandos morbos testatur historia Portæ, qui Neapoli sollicitatus ut remedium parturienti præscriberet, pulverem & quisquilias formulæ (in qua Aq. capillor. Vener. scripserat) involvit, ne à vento deportaretur, quas ubi ægra assumpsit forti imaginetione & opinione feliciter filium enixa est 5. Jo. Faber in Not. ad Hist. Mexic. f. 497. Observav. inquit Reiner. Solenander sect. 5. consl. 15. §. 17. quosdam chartulas in quibus medicamentorum formulæ (receptæ dictæ) conscriptæ erant, comedisse, & sanitati restitutos esse, tantum potest apud plerosque concepta in re aliqua opinio vel fiducia. *Thom. Bartholini.*

De triplici quartana & sextuplici.

Uxor cerevisiarii in foro veteri conquesta mihi est anno præterito, singulis diebus calore se corripi sine frigore, semper jam à longo tempore recurrente sine sudore. Hypochondriaca vero est. Credidi eam triplici quartana laborare. Hinc variis ex methodo præmissis, tandem chalybeato vino convalescere visa, mihi valedixit. De triplici quartana quædam olim adduximus Centur. 1. histor. 95. Hoc anno non absimiles febres mihi hafniæ grassari observatæ.

Sextuplicis quartanæ historiam & curationem olim à summi nominis Medico Patavino Hieronymo Capivaccio conscriptam servo, quam apud me diutius latitare nolo. Forsan ex usu erit: est verò hæc.

Cum Perillustris Comitis affectiones diligenter consideraremus; in hanc tandem sententiam ivimus, eum sex quartanis correptum. Quod etsi dictu forsan mirabile & inauditum videatur, tamen qui volet singula sedula meditatione persequi, ita rem sese habere comperiet. Affectu enim melancholico, & præsertim hypochondriaco virum nobilissimum laborare certum est. Vitium est flatus, namque percipit in hypochondriis rugitus, tormina, & in ventris regione frigiditatem, capitis etiam dolore premitur, quem ex vapore superiores partes petente provenire in confesso est, cum flatibus cessantibus eum etiam cessare fateatur. Sed quod majorem fidem facit, est totius partis sinistræ corporis frigus, quod in sinistro etiam pede percipit. Accedit præterea eum ex curis & vitæ solicitudine habitum contraxisse melancholicum, ut ex his omnibus facilè sit colligere eum affectu melancholico esse correptum. Cum vero febris bis in die invadat, mane & vesperi, nullo rigore aut sudore, quidnam aliud asserendum, quam quartanæ ideam obtinere? Eam autem sextuplicem esse; cum accessiones febriles in die bis invadentes, quarta quaque die sibi mutuo respondeant?

Hæc igitur febris ex melancholico humore ortum ducit, cujus est multiplex vitium, copiosior enim est quam par sit, crassior, viscidior in liene impactus, quorum culpa factum est, ut viscus hoc humore obstruatur, copiosus enim à jecore generante transmittitur, nec commode à liene expurgatur ob facultatis expultricis imbecillitatem. Hinc etiam fit, ut cum totus à splene suscipi nequeat, in totius partis sinistræ frigidioris quam par sit venas transfundatur, & multiplices sibi an sex quartanarum exortum focos comparet. Somnus verò ipsi facilè conciliatur, quia rationi est consonum melancholico humori pituitam esse permixtum ut ex spuitionibus frequentibus intelligitur.

Absque

Absque rigore invadit febris, quoniam à mobili humore, qualis est tenuis, fit potissimum rigor; at melancholicus hic humor est crassissimus, quandoquidem progrediente febre, cum magis attenuetur, horror saltem aliquis potest oriri. Propter hanc etiam causam sudor non contingit, qui solet rigores consequi, cum humor terrestris difficulter attenuetur & liquescat.

His definitis, eliciendæ indicationes à contentis & continentibus. Contenta sunt humores illi pituitosi & melancholici, qui cum propter tot vitia lienem obstruentes putrescant, ideo remediis hæc vitia respicientibus indigent: neque enim obstructio aliquid ex usu indicat, cum remotis humorum vitiis ipsa quoque removeatur. Continentia sunt hepar & ventriculus: illud refrigerandum, hic moderatè calefaciendus & siccandus; nec minus proportio calidumque insitum horum viscerum, & præsertim lienis, propriis remediis tuenda. Quos scopos absolvere admodum fore arduum putamus; quoniam magnitudo essentiæ in tot melancholiæ vitiis, & à naturali statu plus recedentibus conspiciatur, nec non & in intemperantiis prædictis, quæ & dignitatis magnitudinem sibi adsciscunt, cum temperies ex Galeno dignitate sit major. Verum cum æger vires firmas habeat, & nullum generosum auxilium fuerit expertus, speramus eum convaliturum.

Quod igitur spectat ad Chirurgiam: Sanguinis missionem probamus; cumque innatas hæmorrhoides non habeat, incidenda primo sinistri cubiti vena, & eo usque sanguis fluere sinendus, donec pro livido & crasso rubicundus & tenuis apparuerit. Sed expedit etiam sanguinis missio iterum molienda, ut multiplices focos febris, quantum fieri potuerit, debellemus.

Pharmacia lenienda est alvus, ut Melle rof. Sol. & Cassia Tum optimè præparandi sunt humores syrupi melancholico succo dicatis, ut de fumaria, de pomis, de epithymo admixtis congruis decoctis, ex Cetrach, fumaria, borag. tamarisc. Tum valenter expurgandi confect. hamech. Senna, Polypodio, & aliis efficacioribus, si opportuna videbuntur. Peracta purgatione decoctio Chinæ cum carne laudatur, quo per 60. dies utatur, & adjungantur herbæ melancholiam respicientes, ut borago, tamarisc. agrimonia, cetrach, fumaria, ut & cichoreum & betonica pro ventris & jecoris intemperantiis; quo tempore sudor etiam conferret. Ante Syrupos & cibos pilulis utatur ex pulv. Chinæ, agrimon. fumar. & cetrach. confectis. In summa, id observandum, ut (quemadmodum Aëtius præcipit) amaris adstringentia misceamus, ut humorum crassities tollatur, & lenis tonus servetur, ut cum sanguinem repurget, tum supervacua in ipso genita extra ad ventrem protrudere possit: hincque quanto crassiore utitur alimento, tanta valentioribus indiget. Magnæ antidoti & maximè Theriaca prodesset, sed quia adventant tempora calidiora, ab eorum usu erit abstinendum. Erit ergo satis conservas aliquas in usu habere familiari, ut confect. flor. borag. dianthos, ex flor. cichor.

Victus ratio mediocris respondeat, attenuans sit, moderatè calefaciens & humectans. Vinum sibi paret vindemiæ tempore medicatum, iis quæ affectus lienis juvant, cappar: corticibus, scolopendr. fumaria. China etiam, & tamarisco; nec à ratione alienum erit, si dolia & poculum, unde vinum hauriet, ex hoc ligno sibi confici jubeat, quod melancholicis affectibus adversari experientia constat. Reliqua suis Medicis relinquimus. *D. Joh. Helvvigii.*

Febris quotidiana Uterico-Sputatoria.

Inter varias febrium hactenus mortales affligentium copias & sequentem, haud ita pridem annotare licuit febris quotidianæ Uterico-sputatoriæ speciem, dum Juvenis 24. annorum, temperamenti calidi & humidi febre corripitur indies revertente, præcedente horrore & frigore quidem levi & brevi, calore verò eo intensiori. qui ad 6. horas durabat, subsequente. Hanc febrim per tres solidas fuere permittit hebdomadas, nihilque ad illam profligandam petit remedii; Imò totum negotium (ut vulgi perversus mos est) naturæ commisisset, nisi à nimia (durante paroxysmo) & continua tam urinam reddendi quàm salivam expuendi irritatione, hincque subsequente summa virium dejectione, ad requirendum medicum coactus fuisset. Quoties enim & quamprimum febrilis invadebat paroxysmus, toties salivam & urinam reprimere vix poterat æger, sed continuè jam salivam, jam urinam in maxima quantitate egerebat, ita ut ne momentum quidem ab hac urinam & salivam egerendi irritatione liber esse posset. Causam hujus mali partim in sale bilis volatiliori mediante effervescentia febrili, ad glandulas salivales copiosius delato serosque admixto, & eidem materiam tam copiosiorem, quàm rariorem & fluidiorem conciliante, partim verò in acrimonia succi pancreatici serum justo acrius reddente, & vesicam ad continuam urinæ expulsionem irritante consistere putavi. Curam itaque hoc modo aggressus sum, & tale præscripsi purgans.

♃. Extract. Mechoacann. ℈ 1 ß. cnicopharmac. ℈ j. Resin. Gialapp. ℈ ij. Diagryd. sulphurat. gr. 15. Ol. anis. gutt. 3. M. F. Pilulæ justæ quantitatis S. *Purgir-Pillen auf zvvol.*

Diaphoreticum tale, acrimoniam feri temperans, sæpius reiterandum ordinavi.

♃. Spirit. theriac. camph. ℥ ſt. C C. Sal. armon. an. ʒ i ß. essent. anod. ʒ j. M. D. S. *Sonderliche Schvvitz* Mistur. Dosis guttæ 50. ad 60. in vino.

Hisce adhibitis remisit quidem nimius urinæ & salivæ egerendæ conatus, nondum tamen planè evanuit, quapropter & sequens exhibui.

♃. Aquæ plantag. endiv. portulac. an. ℥ iv. Succ. cydon. rub. Id. an. ℥ j. Tinct. corallor. ʒ ij. anod. ʒ j. Pulv. absorbent. ʒ i ß. M. D. S. *Anhaltender* liquor, *offt 2. Löffelvolldavon zunehmen.* Quo usurpato, & ad dies 6. continuato, omnia, cum Deo symptomata remisere. *D. Benjamini Scharfii.*

De febre quintana duplici.

Anno hoc 1678. d. 24. Jan. uxorem Dn. Andreæ Miehe. Præfecti Uslariensis, fœminam 24. annorum, trium fœmellarum matrem, habitus serosio-

erroslioris, tertiana, prout sub initium putavi, simplici jam per octiduum laborantem inveni. Nolui in principio febrifugis fortioribus dejicere ægram, saltim dedi lapid. cancr. corall. præp. nitr. antimon. cum tantillo opii, ut & potionem purgantem die intermissionis: nec venæsectio, neque vomitus indicabantur. Cum autem paroxysmas tam vagos animadverterem, ut hodie hora prima pomeridiana, perendie hora septima vespertina redirent, nec tamen hoc tamporis intervallo postponere continuarent, sed is, qui triduo post, iterum hora prima pomeridiana reverteret, cœpi illos paulo exactius examinare, invenique rigorem illius paroxysmi, qui hodie affligit circa meridiem, vix quadrantem horæ durare, caloris verò moram notavi diuturniorem, tamque vehementem, ut igni se injectam putaret ægra; istius è contra, qui perendie circa vesperam redit, schema immiti frigoris furore, sed summa caloris clementia stiparum vidi. Quoniam igitur quinto quoque die paroxysmorum facies & tempore & modo invadendi æqualis erat, quintana duplici ægram meam laborare suspicabar. Obvia est Sylvii non inepta de febribus intermittentibus, illarumque variis speciebus hypothesis, cui hæc, qualiscunque demum sit, observatiuncula apprimè favet. Verum ad nostram ægrotam, cui ante sextum, qui contingebat vesperi, paroxysmum propinavi dosin de Panacea Dn. Cranii, sed septimus circa meridiem insecutus nihil omnino remisit. Quatuordecim ita passa est paroxysmos, frustra semper propinatis febrifugis, alisque medicamentis, hinc renuit horum usum. Quid fit? Decimus septimus sua sponte emansit, quanquam decimum octavum non leviter iterum senserit, sed postea evanuit, quicquid artus servabat frigidos corpusque febrile. Horret adhuc medicamenta, quibus, nisi recrementa, passim latitantia evacuabit, recidivam metuo. *D. Henrici Christophori Ebelii.*

Febris erratica Magisterii Martis aperitivi Mynsichti usu curata.

Vir quidam primarius longo tempore febre erratica oppressus, multis tentatis, quæ humores crassos, & tartareos expurgant, viscera aperiunt, deobstruunt, nihil est levatus, & accedente œdemate pedum, hydropis rudimento, solum Magisterii Martis aperitivi Mynsitchti usu, à febri & tumore ipsum liberavi *D. Matthiæ Tilingii.*

De Febri octava die recurrente.

Abstrusa febrium natura ipsa paroxysmorum varietate mirabilis plurima hucusque exercuit ingenia; quæ tamen latentem ejus indolem plene detegere nondum potuerunt. In earundem quoque numerum præsens paroxysmorum distantia notabilis merito recensenda videtur. Spectabilis quidam Scabinus veteris civitatis A.B. quinquagenario major, ad hecticam valde proclivis, die quadam Saturni Anni 1672. ad finem tendentis, post cœnam sumptam cubitum iturus percepit in lecto rigorem febrilem cum maximis dorsi doloribus, subsequente mox calore totius corporis urente, siti ingenti, anxietate cordis, & continuo urinæ in magna quantitate effluentis stimulo: quæ omnia circa matutinum tempus post copiosum sudorem solvebantur, sed appetitus, qui ea die prostratus fuit, sequentibus rediit, hinc etiam munia domestica libere expedit, verum ob intensum aëris externi frigus ædibus exire haut potuit. Liber hinc erat per totos septem dies à paroxysmo, neque circa sex res non naturales aliquam animadvertit mutationem, præterquam quod urina non parum tincta fuerat. Sed elapsis septem diebus, die Saturni, eadem hora paroxysmus cum iisdem symptomatibus reversus est; eodemque modo, quo primus, solutus. Fuit iterum per septem dies à febri liber: at tertius paroxysmus solito tempore, die scilicet & hora ordinaria, rediit, sic consequenter semper quartus & quintus, circumstantiis omnibus in & extra paroxysmum in eodem statu permanentibus. Sextus autem paroxysmus die quinta tres horas anticipans venit, qui etiam ultimus fuit, & sic natura ipsa medicatrice vir ille feliciter à febri prædicta liberatus est; Nullo interea medicamento usus, præterquam ad sudorem promovendum pulveris pretiosi sive cordialis simpl. & Marchion. epilept. an. ℈j. pro dosi, bis aut ter cum cereuisia calida. Verum natura ipsa partim per sudorem, partim per copiosam mictionem febrim istam soluit. De similibus raris & insolitis febrium typis, scil. quintanis, sextanis, septimanis, octanis, nonanis &c. vide Hippoc. lib. 1. sect. 3. textu 2. de morb. vulg. item sect. 3. text. 7. ibid. & text. 9. ac 17. ibid. Galenum in comment. ad eosd. text. Schenckium l. 6. obs. de febrib. Anat Lusitan. cent. 5. cur. 67. & cent. 7. cur. 75, Zacutum Lusit. de P.P Med. hist. 37. lib. 4. fol. 732. eund. de decimana de P.P. Med. hist. lib. 1. obs. 24. fol. 57. Talpium obs. l. 3. c. 52. Causas febrium istarum longioris intercapedinis indagare difficile esse videtur: Sed quid vetat secundum vulgatum humorum doctrinam statuere esse species simplicium typorum interpolata una accessione aut pluribus; ut sit quintana tertianæ species, in qua tertius dies siue accessione est, à pauca flava bile in naturam atræ bilis conversa, ob paucitatem materiæ interpolatæ. Septimana quartanæ species, interpolata accessione diei quarti, ab humore melancholico non multum irritante ob pituitæ mixtionem. Nonana, tertiana quædam intercepta, ab humore molancholico cum mixtione pituitæ in parte biliosa, quæ ob frigiditatem minus stimulat, servatque typum tertianæ ob locum. Omnes autem diebus imparibus procedunt, in quibus major est vis ad commotionem, ideo non interpolant duas accessiones, sed aut unam aut tres. Et sic de reliquis typis statuendum: liberum tamen cuique judicium in tam abstrusa doctrina libenter concedimus, præsertim Neotericis, quorum sententias hic recensere non est nostri propositi, Plateri mentem de quintana & sextana febre lego *Prax. Med. tom. 2. cap. 1. de febr. generibus D. Simonis Schultzii.*

Febris Oscitans.

Honestissima Virgo febre vaga jam levius jam gravius affligebatur, nonnunquam & induciæ aderant, cum incumberet gravius & sociam sibi jungeret nauseam, perpetua fatigabatur oscitationg

tatione, quæ non nisi absoluto paroxysmo solebat placari. Adhibita à me remedia varia, successu non satis optato, donec vesicatoriis occipiti admotis, seroque acerrimo illa parte evacuato malum tandem desineret. Nihil tamen actum fuit vel vesicatoriis, vel salibus volatilibus, vel castoreatis vel sectionibus venarum in lethargo alterius primariæ virginis, quæ narcosi sex dierum, oppressa, cùm omnia, quæ posset ars, Medici quæcunque exprompsissent remedia, nunquam evigilavit. *D. Olai Borrichii.*

De Febri ex umbra sambuci orta.

Quidam apud Quedlinburgenses Balneator, Hermannus Worbs dictus, cacochymico corporis habitu gaudens ac serosis humoribus abundans, quoties sambuci frutici æstivali tempore approximat, ita, ut, umbra ejus tegatur, statim quandam in corpore alterationem, lassitudinem ac torporem, in primis vero glandulas inguinales ad ovi magnitudinem cum dolore intumescere sentit, una vel altera elapsa hora, rigore febrili non levi, ad horæ circiter spatium durante, hinc calore p. n. forti, dolore capitis &c. corripitur, uno verbo: febricitat: Assumpto verò rob sambuci, vel alio quodam ex eodem frutice parato remedio sudorifero, intra 24. horarum spatium plenariè convalescit, & ab illa febre umbratili liberatur penitus: Hoc ipsum tali ritu sibi vel millies, quoties nimirum in umbra sambuci steterit, obvenisse jurato affirmat: Hanc p. n. ac febrilem sanguineæ massæ ac lymphæ fermentationem effluvia à sambuco exeuntia inspirare non facile quis negaverit. *D. Jacob. Schmid.*

Febres malignæ nuper Hafniæ frequentes.

Hoc anno 1673. Febres malignæ, & ut plurimum petechiales, cum insigni capitis dolore, & nonnunquam cum pleuritide spuria, delirio, sæpe etiam phrenitide conjuncta, plurimos hic Hafniæ invaserunt, quæ prima invasione in multis ad modum mites erant, sed latebat anguis in herba, nisi enim ante quintum diem, qui semi criticus est, Medici auxilium, placato prius Numine, implorabant Ægri, plurimi, præsertim in quibus Cacochymia aliqua scorbutica sedem habebat, illuc unde negant redire quenquam, abierunt. Venæsectio, quantum ego experiri potui, nocuit plurimis, nisi in ipso morbi principio, & quidem corpore plethorico, celebrata esset, idque parcè, & quo major malignitas, eo minus conferebat sanguinis missio, id quod multi suo malo experti sunt qui inconsulto Medico dogmatico venam pertundi curarunt. Idem suo exemplo probatum fecit Civis quidam Zytopepta in Vico Boreali, qui eadem febre maligna petechiali cum insigni capitis dolore, delirio & pleuritide spuria conjuncta correptus lethaliter decumbebat; ad hunc, cum nono die morbi, critico scilicet, vocatus essem (tum demum enim de salubri Diæta cogitat Philoxenus,

Cum Latus aut Renes morbo tentantur acuto,)

in ædibus illius ægri hominem medicastrum juxta fenestram hypocausti stantem reperio, qui manibus patellam cruore repletam hinc inde rotabat, & veluti ad Archimedis tabulam contenta examinabat, qui quam primum ad ægrum ingressus eram, male, sibi conscius clanculum sese subduxit. Ægro & morbo secundum artis leges examinato, quæro ex matrefamilias an Vena secta fuisset, respondit illa, imo heri qui octavus morbi dies erat, celebrata fuit Venæ sectio, idque ex consilio illius hominis quem in hypocausto vidisti: & hoc malè, dixi ego, ut ipse in malam rem abeat pessimus consultor cum malo suo consilio, hoc ipsum est quod in exitium præcipitabit tuum maritum, major enim hic est malignitas quam febris, & apparent jam perechiæ in pectore, in brachiis, plumbei & nigricantis coloris, pessimæ notæ, ubi & quidem octavo morbi die Venæsectio locum non habet, detracto enim sanguine, bilis freno, magis effervescit malignitas; nisi adsit plenitudo, idque in principio. Si summa & sola Veneni pernicies virium robur dissolvat inquit Joan. Morellus de febre purpurata C. 10. tunc doctus prudensque Medicus aut penitus à phlebotomia abstinebit; aut si febris urgeat parca manu sanguinem detrahet: idque ante macularum eruptionem; & hoc in purpura scilicet, sive febre purpurata propriè sic dicta; ubi nonnullis in Gallia & Italia Medicis non est religio etiam post quintum diem Venam secare; quod tamen ego in Dania non suaserim, ubi major malignitas in ejusmodi febribus, ratione Scorbuti quam ibi locorum repetitur. Id quod etiam Magnus in Dania Medicus νῦν ἐν ἁγίοις D. Olaus Wormius, Vir omni laude major, semper suasit, minusque esse peccati in malignis curandis, si phlebotomia omittatur. quam si incautè adhibeatur, Teste Excellentissimo Beati Viri Filio D. Wilhelmo Wormio Professore & Bibliothecario Regio, Affine meo honoratissimo. Eandem opinionem de peste etiam sectantur ille Trium Imperatorum Medicus Crato, Sennertus, Heurnius & alii plures, dissipato scilicet Cordis, ceu fontis Vitæ robore ab illa sanguinis eductione. Sed ut ad Ægrotum meum Zytopeptam revertar, conquerebatur ille præter alia Symptomata etiam de insigni lateris dolore, quod procul dubio seduxit illum Medicastrum ad symptoma respicientem, non ad morbum, pleuritidem esse ratus; sed malè hoc, ut plurimum enim illud Venenum in istis febribus malignis petechialibus consistit in Vitriolica aliqua qualitate, idest, acri & mordicante Sanguinis, quæ ad membranas delata illos vellicat, lancinat, & sæpe etiam ipsa pulmonum vasa arrodit, id quod mecum ante annum & quod excurrit expertus est Vir Doctissimus Dn. D. Olaus Borrichius Professor Regius, in uxore Consulis, de qua Vir Laudatissimus mentionem fecet in Actis Medicis prioris anni sub Titulo sudor Atramenti; quæ superata maligna febre petechiali, exulcerationem pulmonum passa est forte non aliam ob causam, quàm à Vitriolica illa qualitate sanguinis quam febris illa maligna induxit: quæ Vitriolica sanguinis qualitas, quantum ego divinare possum, & in praxi expertus sum, nan tollitur sanguinis missio-

missione, sed medicamentis vim habentibus Acidum illud præcipitandi, ut sunt oculi 69. crudi, margaritæ & fere præparata omnia hujus sortis & farinæ: Videmus enim si oculis 69. crudis subtilissime pulverisatis superaffunditur succus Citri acidissimus, illum dulcescere, idem in corpore humano.

Hoc prætea in febribus istis malignis observavi, quod multa laudatissima medicamenta nobis alioquin in ejusmodi malignis usualia, parum aut nihil auxilii nobis præstarent. Tinctura enim illa Bezoartica Lipsiensium, quæ multis aliis alio tempore profuit, nihil hic potuit, Diascordium Fracastorii, Elixir pestilentiale Tychonis parum efficaciæ dederunt: Sola Radix Contrayervæ subtilissime pulv. & cum rasura Unicornu Gronlandici subtiliss. tri ta, itemque aliquot grana Lap. bezoar orient. simul mixta, & in certo vehiculo octava quavis hora exhibita, Deo benedicente, palmam reliquis videbatur præripere: nec sine efficacia fuit Spiritus C. C. per intervalla in vehiculo convenienti datus; nec Syrupus ille ex Carduo benedicto compositus Cratonis, sidecocto ex radicibus Scorzoneræ, Bradanæ & rasura C. C. admiscebatur, pro potu ordinario, ejus autem hæc est descriptio.

℞. Succi Cardui Benedicti depurati, & ad mellis consistentiam cocti ℥v. Succi millefolii eodem modo parati ℥ij. Salis absinthii ℥ij. Sacch. fin. ℥iv. vel q. s. F. l. a. Syrupus.

Millefolium enim nonnulli Practici etiam in ipsa peste commendent, id quod nuper propria experientia mihi confirmavit Vir quidam Reverendus Pastor in Cymbria. Apud tenuioris sortis homines non sine laudabili efficacia operationem suam exercuit Theriaca de Tribus Kueufelii, cujus ingredientia desumpta sunt ex triplici illo regno, animali scilicet, vegetabili & minerali; quæ Theriaca forte illud est Theodoton Wolfgangi Gastoris, cujus Filius ipsius Flaminius Gasto meminit Tract, de peste §. 58. quod idem ex triplici illo regno compositum est. Sic etiam vesicatoria brachiis & femoribus applicata alio tempore in malignis saluberrima fuerunt, sed ut plurimum hic nihil effecerunt, quod cum observassem, loco Vesicatoriorum gallinam ngiram vivam per medium dissecandum & ipso momento plantis pedum ægroti, præsertim delirantis, imponendam, & cum fœteret maxime, removendum curavi. quod Deo aspirante maximum levamen sæpe attulit. Sic variantibus morbis etiam varianda sunt remedia: sæpe etiam Deus iusto suo Judicio suspendit Consilia Medicorum, ut verum sit illud,

Non est in Medico semper relevetur ut æger.
Interdum docta plus valet arte malum.

Hinc felicissimus ille Medico Chirurgus Febr. Hildanusobs. Chir. cent. 4. obs. 72. recte & pie disserit, dum inquit: Evenit ut sæpissime remedia quæ infinitis aliis profuerunt, in hoc vel illo ad votum non succedant, ut inde agnoscant ægri, simul & Medici, non proprie esse remedia quæ sanant Languores, sed solam misericordiam atque benedictionem Divinam. *D. Caspari Kolichen.*

Febris maligna ab haustu Aquæ Putealis infectæ oriunda.

Anni proxime elapsi hyberna constitutio, ut maximam partem clemens erat & austrina, ita eandem excipiebat ejusdem fere moris ac tenoris ver, multumque solatii afferebat omnibus terra nascentibus, adblandiente quoque æstatis Genio nativo, id est, calido & sicco, qui frugibus quidem & fructibus prosperam spondebat maturitatem, sed is multis simul funestus accidit: Statim enim ab Solstitio hoc urbem nostram ejusque incolas, præsertim plebeios, & qui virium robore præ cæteris pollere videbantur, Juvenes pariter & Juvenculas, invasit horrenda quædam lues, sive ea exaëris vitio (quod tamen ob contagii raritatem vix credibile,) sive infecta & corrupta aqua puteali profecta sit, nondum satis constat; constat autem inter omnes, quotquot ex illo puteo primario quidem, sed de maleficio suspecto, aquas hauserant, primum omnium hoc malo laborasse; corripiebantur autem intensissimo capitis dolore cum siti inextinguibili, continuo æstu ac summa virium jactura, pectoris aderat angustia, dejectusque statim appetitus, quosdam enormis vomitus, nonnullos diuturna Diarrhœa, non paucos faucium affligegebat tumor & exulceratio, lingua quasi fumo indurata, acida & fissa, ita ut etiam liquida vix admitterent, hinc inedia & vigiliis quidam confecti ac enecti, mox in delirium abripiebantur, gesticulabantur, blaterabant, floccos legebant, quosdam profundus obruebat somnus, ut fere impransi plures dies noctesque transmitterent, excitati verò & nonnihil refocillati itidem delitabant, & quasi comatosi in consuetum soporem iterum mergebantur, quibusdam pustulæ aquosæ circapectus erumpebant, quæ in squamulas desinebant, quibusdam petechiæ funestæ erant, & convulsiones Epilepticæ omnibus, quos invadebant, mortem intentabant, à diuturna ventris constipatione & nocturnis horripilationibus crebro repetentibus malum semper gravius, levius autem à Diarrhœa larga, sudore profuso, & hæmorrhagia natium; quidam parotidibus judicabantur, quibusdam sanies ex auribus, vermes ex faucibus, tumor colli, dolores & ulcera dorsi crurumque, pedum vacillatio & eundi impotentia, præsertim iis qui ex morbo jam quodammodo eluctati videbantur, & se cibo potuque largius invitaverant, id quod fere omnibus convalescentibus familiare erat, insatiabile scilicet cibi potusque capessendi desiderium, ac denique capillorum defluvium.

Puerum tum notavi jam decennem, qui, postquam febri hac maligna, qua per aliquot Septimanas graviter laboraverat, fere defunctus esse videretur, singulari tentabatur Bulimia, ut omnem cibum potumque, & quicquid in buccam tuburcinando quasi ingesserat, cum continuo ejulatu, canum instar duriora ossa rodentium, manderet & devoraret. ac lautitias istas suas cum lachrymis assumeret, quo malo nonnihil sedato aliud suprvenit non minus rarum ac stupendum, quod idem puer, qui in eodem cubiculo cum Sorore eodem morbo jam correpta, omnia delirantis sororis, & adstantium verba ac sermones repeteret: Ego enim harum rerum

omnino hospes; cubiculum pro more ingressus, quærebam ex Sorore, *habt ihr diese Nacht vvol geschlaffen*, Ille, *habe ihr diese Nach vvol geschlofsen*: Ego iterum, *ist der Durst noch dross*, ille, *ist der Durst aoch gross*: Ego, *thut auch der Kopf sehr vvehe*, Ille, *thur auch der Kopf sehr vvehe*, tum ad illum non sine stomacho conversus, *du bist ein Schalck &c.* ille omnia cordare & articulare serio ac severe retorquebat, non aliter ac si Echo quædam è convalle repercuteretur: & simile quid ab illa ipsâ ejusdem Sorore, nondum ad rectæ rationes usum penitus reversa, postea quoque expertus sum. *D. Joh. Micaael. Febr.*

Extremus Divi Friderici III. Daniæ Regis, quem morbus malignus extinxit.

Excessisse tantum Regem nunquam sine lacrymis recordor, qui magnis in Patriam, in subditos, in Literatos meritis æternitatem meruit, quam post fata possidet. Ut posteris constet, alioque sole calentibus, nihil à Medicis Regiis omissum fuisse quod gravis morbus, qui optimum Regem è vivis sustulit, ex methodo indicavit, morbi historiam & adhibita remedia exponam, ea fide qua à Medicis Regiis quinque qui curationi præfuerunt, consignata accepi. Sereniss. & August. Daniæ ac Norvvegiæ Rex Fridericus Tertius, optima visus gaudere salute, Anno 1670.

Die 6. Febr. undecima noctis hora, sine ulla prævia manifesta causa, horrorem passus est, cum Dorsi, Lumborum ac Crurum dolore.

Ante primam noctis nausea supervenit cum vomitu, quem excepit præternaturalis calor, aliqua sitis, respiratio crebra & celer cum pulsu frequenti, celeri, languido. Inter hæc mala inquiete transacta nox, cum quodam at non inconsueto pectoris infarctu. In diluculo reddita est urina parca, rubra, turbida. Inter septimam & octavam ante meridiem, à Jusculo alvi excrementa depositurus Sereniss. Rex in lipothymiam incidit brevi transeuntem nec amplius revertentem, in qua exhibitum est cochleare Aquæ Apoplecticæ, unde statim melius sibi esse retulit Sacra Regia Majestas. Plethora & morbi magnitudine generosum indicante præsidium, de sanguinis missione statim cogitatum est, hinc accitus Chirurgus Regius, venam, quam promptius in dextro quam in sinistro brachio invenerat, post decimam aperuit, ad extractionem unciarum septem crassioris & paucissimo sero scatentis floridi sanguinis. Post venæ sectionem remensere sitis, Respiratio crebra, Pulsus frequentia, celeritas, languor, in somnum propensio, summa corporis gravitas, cum insigni omnium virium dejectione. Audita duodecima tres vel quatuor unciæ jusculi assumpræ, à quibus alius expetitus potus, donec à morbo indicatum conficeretur Julapium hoc

♃. Rad. Scorzon. Hisp. ℥j. Carlinæ ℥ß. Contrayerv. ʒij. Rasur. rec. Unicornu ℥ß. C. C. ℥j. Caric. pingu. n. vij. Flor. Cordial. ana P. j. coqu. in Dec. Hordei q. s. postea dissolve in Cola. clarif. ℔j P. M. Syr. Rubi Idæi. Violar. purpur. ana ℥vj. Spir. Sulph. acid per Campan. q. s. Misce. Julapio per vices addidimus pluverem hunc Cordialem.

♃. Lap. Bez. Orient. veri ℈ij. Pulv. Bez. compos. Senn. ℈j. misc. f. l. a. pulvis. Utrique Carpo Epithema applicuimus sequens.

♃ Aq. Carbunculi, Cordial. temper. Carduibened. Cinam. c. v. à ʒiij. Acet. Bezoart. ℥j. spec. Cordial. temperat. de Hyacintho, Pulv. Bezoar. compos. Senn. an. ʒj. Spec. Confect. Alkermes ℥ß. Misc.

Post levem cœnam, hora octava Emplastrum ex Arthanita & Ol. Diacolocynth. Querc Umbilico impositum, à quo alvus commode mota excrementa biliosa, valde fœtentia ter exclusit.

8 Et quamvis Cardiaca noctu non sint omissa, sinistriora tamen signa sensim emersere, ut Linguæ ariditas, sitis, dolor ad apicem Cordis, Pulsus languor & frequentia, Urina rubra, turbida, parca, Respiratio crebra, Expectoratio difficilis, qua lentum quid, tenax ac viscidum post aliquot labores vix tussi è profundo pectoris ejectum, cui & Linctus hic præscriptus est.

♃. Looch. san. & exp. ℥ij. Conf. Alkerm. c. M. & A. ℥ß. Oxym. squillitic. ʒij. spir. sulph. per Campan. gutt. 9. Misc.

Quia autem Sereniss. noster Rex jam sentiebat cordis anxietatem & dolorem ad inferiores costas sinistri lateris, pannum cocco tinctum aqua Carbunculi irroratum cordi, Epithemata carpis superposuimus, ipsisque costis emplastrum, prius tamen premisso pectorali linimento.

♃. Ol. expr. de Palma, Amygd. dulc. an. ℥ß. destill. Rosar. ℈ij. Li. Rhodii ℈j. Ungu. Pectoral. Senn. ℥ß. Misc.

♃. Empl. de Melilot. ʒij. Sperm. ceti opt. ℥ß. ol. dest. Carvi ℥ß. Misc. f. l. a. Emplastrum.

Calor p. n. ad tactum nullus apparuit, sed potius leve quoddam per vices extremorum frigus, ad cujus depulsionem & spirituum revocationem Manus Regiæ tepido vino Rhenano immersæ sunt. Alvus circa decimam liquidum, biliosum ac fœtens excrementum sponte dejecit.

Post undecimam jusculum datum cum buccea panis & haustu cerevisiæ. Post secundam à meridie usurpatis Alexipharmacis Expectoratio aliquantulum liberior visa & Pulsus paulo plenior, autamen cum frequentia & celeritate, sed non diu stetit hæc felicitas, nam sumpto ad sextam vespertinam jusculo vires omnes multo languidiores, auctior cordis dolor cum aliqua Extremorum refrigeratione, quæ tn. mala post duarum horarum somnum parum remisere, ita ut Pulsu jam pleniore liberius & respirare & in utrumque latus in lecto se commovere ac convertere potuerit Sereniss. Rex, urinamque reddere crassam, nec ita intense rubram aut turbidam ut antea. Cardiaca nocte per vices adhibuimus, & Umbilico Empl. de Arthanita, quod tamen alvum non movit.

Successit nox cæteris mitior, at inter vigilandum ficciores fauces gargarismo, interdum Julapio admixto Cordiali pulvere demulsimus. Erat gargarismus ex Aq. Plantag. ℥xij. Syr. viol. purpur. ℥iß. Sal. Nitri præparati & crystallisati ℈j. Misc.

9. Surgente nono Februarii, & quidem prima noctis hora, urina frequentius & copiosius reddi incepit, colore ad aureum vergente, pulsus subinde plenior, & qui ad cordis apicem fixus hæserat dolor, bis hac nocte omnino evanuit,

certo

corte flatulentæ, utinam non malignæ, auræ indicio. Tertia inprimis matutina evigilans Sereniss. noster Rex læte fassus est se jam de cordis anxietate vel dolore non amplius conqueri posse, sed subitam se virium refectionem & integram à morbo restitutionem sperare, si dolor, qui jam penitus discesserat, non amplius rediret, qui tamen post quartam secundo reversus est.

Hora sexta matutina jusculum oblatum, à quo Cervinam assam desideravit, quam tamen non obtinens iterum dormivit ad nonam usque diei horam.

Ab hoc somno omnia in deterius palam ruere visa sunt cum extremorum refrigeratione, ingenti Cordis anxietate, Linguæ ac faucium siccitate ac nigredine, difficiliori respiratione, ἀσφυξίᾳ, & summa omnium virium ac facultatum prostrotione ac exsolutione.

Præter enarrata Cardiaca, Pectoralis hac aqua, quæ & anteas, jam quoqne exhibita, item parum Aquæ Apoplectic,

R. Aq. Hyssopi ℥iij. Syr. Capillor. Vener. de Hyssopo an. ʒj. Oxym. Squillit. ℥ß. Misc.

Emolliens quoque Clyster injectus, sed huic nihil proficienti suppositorium additum, utrumque frustra. Tandem Oleum Diacolocynth. Quere Umbilico admotum, secundusque Clyster immissus, & tertius acrior, & Extremitates calidis manibus Aqua Apoplectica & Carbunculi humidis diutius & pressius frictæ, sed omnium proh dolor opem elusit occultum morbi venenum; quod vix biduo cum dimidio elapso circa duodecimam diei horam Regiam Arcem & in vere Regium Corcum, summo omnium Bonorum luctu ac mœrore subdole expugnavit ac penitus occupavit. *Thom. Bartholini.*

De Febri Maligna ex Mœrore.

Humorem melancholicum coacervatum in corpore & putrescentem horrenda sæpius inducere Symptomata, multorum confirmatur Observationibus, siquidem juxta Galenum non solum atrabilis sit venenum, sed quælibet species Melancholiæ, imo quivis humor diu retentus, præcipue in cacochymicis corporibus, id quod vidi in primario quodam aulæ ministro, is cum gratia Principis sui excidisset, elapsis aliquot mensibus, immani corripiebatur & maligna febri, calor equidem non videbatur usque adeo vehemens sed anxietas cordis erat tanta, ut vix sese in lecto continere posset, quamvis ob summam virium prostrationem etiam primo statim die vacillantibus pedibus inniti non valeret, urina erat tenuis & clara cum copioso tartaro valde acuto, quinto, sexto & septimo die delirabat sæpius cum siccitate & ariditate linguæ, exhibebantur frequentissime alexipharmaca mixta cum deoppilativis & acrimoniam arenosi istius humoris Melancholici temperantibus, nono præter omnium expectationem judicabatur perfecte sudore copioso. Lubet hic Cl. Riverij, Medici Regij, verba allegare, quæ casum hunc valde illustrant, dum de febri pestilenti p. m. 534. sic scribit. Animi pathemata corpus vehementer exaggitare solent, humoresque conturbare, atque adeo ad hanc luem capessendam maxime disponunt, imprimis vero Timor & Tristitia adeo ut nonnulli existimaverint, in obsidionibus & castris morbos pestilentes non tam ex prava victus ratione & cadaverum fœtore, quam terrore, metu, anxietate & mortis formidine provenire, quæ humores exagitet, eosque tumultuari ac fluctuare faciat. Hactenus ille. Novi ego civem, qua ante biennium febri maligna moriebatur, longo tempore summo affectus mœrore, quem postero die uxor eodem morbo extincta sequebatur, in tantum tristitia dominatur Archeo, hinc Bravo Medicus Hispanus in Resol. Medicin. p. m. 726. repentinæ mortis causam Viri Excellentissimi eleganter deducit ex humoris Melancholici secundum Galenicos corruptione, quod Illustrissimæ cujusdam Personæ exemplo confirmare possem, nisi casum illum ad alia mihi reservatum. *D. Joh. Jac. Walschmidii.*

De Febri maligna singultuosa non lethali in fœmina quadam.

Typographi nostri Academici Uxor nuper in febrim malignam incidebat; cui statim ab initio aderant varia symptomata, ut membrorum omnium lassitudo, virium imbecillitas, inappetentia, singultus, ingens oris amaritudo, sitis inexhausta & linguæ scabrities. Singultus autem erat perpetuus, & tantus, ut abortum quoque concitaret. Horum pathematum causa erat humor malignus, acris & erodens, qui tunicis ventriculi impactus, singultum excitabat. Ego in auxilium vocatus, statim præscripsi Julapium, malignum atque mordacem istum humorem infrænans. Eum ad partes ignobiles crurum vinculis, frictionibus, cucurbitulis distrahere, atque porro decocto Scorzoneræ, cum Syrupis de rib. acetosi citri, granator. papav. rh. præparato, contemperare tentavi; extra ventriculo etiam olea & emplastra corroborantia apposui. Ast hæc omnia opem nullam tulerunt. Ad narcotica etiam accedere coactus sum, quæque ac priora vehementem ejusmodi singultum tollere non valebant. Tandem malum hoc ferax solum emulsione, ex semine melonum cum aquis convenientibus & Margaritis præparatis confecta, est edomitum; hæc enim narcotici medicamenti instar acerrimum humorem & correxit & infrænavit. *D. Matthiæ Tilingii.*

Vrina nigra, à viro quodam Febri Maligna laborante emissa, non lethali.

Juvenis quidam Steinbergæ in nostra vicinia habitans; alias melancholicus & hypochondriacus, incidebat, elapsis duobus annis, in febrim malignam, quæ tunc temporis admodum grassabatur. Ille febrili æstu, siti, inquietudine doloribus capitis, totius corporis lassitudine, nec non virium imbecillitate tentatus, per fratrem misit mihi urinam, maximopere contendens, ut ex ea morbi sui statum cognoscerem, & ipsi salutaria remedia præscriberem. Urinam videns perterritus sum, cum plane nigra & inst r atramenti scriptorij esset. Frater autem ejus dicebat, istam urinam esse vere nigram, fratremque suum hisce diebus semper talem urinam nigram reddisse. Ego, signum

hoc esse criticum considerans, auxilium meum ipsi non denegavi, & præscripsi statim sudorifera & alia convenientia remedia, quibus assumptis, etiam mox integram suam valetudinem recuperavit. *D. Metthiæ Tilingii.*

De Vrina oleagino in febribus malignis lethali signo.

Verissimum est axioma Excell. D. Wedelij, Introd. in Medicin. part. 3. sect. 2. theorem. 23. Urina oleaginosa quoad substantiam rara est, colliquationem notat malignam. Ejusmodi urinam oleaginosam, simul tamen impense rufam ceu pessimum & funestum signum deprehendi in duobus fratribus, Coriarij Quedlinbursgensis filiis, quorum alter viginti, alter vero octodecim annorum, uterque febre summe maligna correptus, ille intra biduum, (erumpente simul circa pectus carbunculo pestilentiali livido ac funesto) hic vero intra sex horarum spatium ab invasionis tempore, (bezoarticis & expellentibus generosis & optimis frustra adhibitis) anno 1678. mense Martio, una eademque simul hebdomade extinguebatur. *D. Jacob. Schmid.*

De Floccorum collectione in malignis non lethali.

Jllustrissima quædam Baronissa febre maligna Hungarica cum Petechiis laborans, cum à medicastro quodam solis refrigerantibus curaretur, incidit in Dysuriam, deinde in Convulsiones quas ultra quinquagesies passa fuit, eaque floccos moribundorum more colligebat, quam ad vocatus ego, Alexipharmacis & Cordialibus tum internis tum externis pristinæ Sanitati, cum Divina Numinis ope restitui. Ex hoc videre est, quod desperatos floccos & Convulsiones, funeste secundum Hipp. febribus supervenientes, flocci quandoque facere, & non protinus desperare debeat Medicus. *D. pauli de Sorbait.*

Manuum tremor & Festucarum collectio in febribus acutis non semper lethalis.

Jn acutis febribus interdum affectus seu motus ex tremore & convulsione mixtus accidit, qui παρμοτρομώδης appellari potest, ac lethale signum esse censetur, nam delirium & convulsio ipsum plurimum sequitur, unde ægri moriuntur; idque Hippocrates coac. prænot. aphor. 59. asserit: Et qui ad manum resiliunt, male habere judicantur. Verum curavi non ita pridem sartorem meum febre acuta laborantem, qui tertia die hoc affectu prehendebatur, & quod majus erat, festucas colligebat, de lecto floccos evellebat, quod ex sententia Hippocratis 1. progn. aphor. 23. lethale habetur, virium summa aderat prostratio, extrema frigebant, & in principio morbi die septimo sibi mortem prædicebat, quam quoque certo instare omnes astantes putabant, ast tunc sudore critico accedente æger præter omnium spem convaluit. Idem olim civi Wettinensi adhuc viventi, de cujus vita quoque desperabam, & ante paucas septimanas Nobilissimæ cuidam mulieri contigisse, recordor. De nullius igitur salute, ex consilio Trincavellij. Consil. 62. p. 505. desperandum, quia, teste Averrhoë 7. colliget. c. 3. 1. p. m. 166. sæpe accidunt monstra in arte, quemadmodum in natura, & ut Celsus lib. 2. c. 6. air, interdum deserti à Medicis convalescunt, & plures sanantur, de quibus Medicus desperat, & contra moritur aliquis, de quo Medicus securus primo fuit: imo nonnonullos cum signis coctionis mortuos esse, ex Schenckii Observationibus p. 840. patet. *D. Valentini Andreæ Moellenbracci.*

Vrinarum infidum in morbis malignis judicium.

Quo urinæ in febribus malignis primis diebus turbidiores, hoc melius de ægri rebus sperare soleo, quod videam magnam peccantis materiæ partem ita commode evacuari, quæ retenta in corpore irruit sæpe in partes nobiles, & tragœdias excitat. Non tamen perpetuum hoc esse experimenta loquuntur. Quandoque enim, licet rarius, urina in malignis sana, nihil mali portendit, quod peccans humor per metastasin alio declinet. Id ut in aliis, ita nuper in locuplete 82. annorum collylista mihi spectatum. Postquam enim decrepitus ille senex febre continua, malimoris correptus, celeberr. Archiatri Simonis Paulli, meamque operam sollicitasset, urinam in medio æstu febrili jam sanissimæ similem deprehendimus, jam ab aqua fontana colore non distinguendam, evasit tamen Libitinam, translato in hæmorrhoidas exteriores humore noxio, qui per abscessum copiose exclusus ægrum à confinio mortis liberavit. *D. Olai Borrichii.*

Ex vena sanguis albus eductus in Febre maligna.

Fermentum subtile malignam miram habet vim destruendi succum nutritium totamque corrumpendi massam sanguineam: Vocatus Segenstadium ad Canonicum quendam febri maligna correptum, inveni sanguinem ternis venæ sectionibus ante meum adventum extractum à Chirurgo, in quo ne vestigium quidem sanguinis apparebat, dixisses potius albumen avi, seri gelatinam, vel ut Medice loquar, saniem: quod & in aliis observavi, quorum tamen nemo evasit, siquidem & hic Canonicus ea ipsa nocte aute meum abitum commissus Sacerdotibus placide obdormivit. *D. Joh. Jac. Wasdschmidij.*

De Rebus insolitis, post Febrem malignam, per nares & alvum excretis.

Civis apud nos uxor, cum febre maligna aliquandiu conflictata, tandem morbo ad declinationem vergente, è naribus tres capitis pediculos, eosque vivos, emunxit, & non longe post magnam equinorum pilorum compactorum congeriem per alvum excrevit, mox succedente integra valetudine. Et alia Civis filia innupta, itidem febre maligna ultra ordinarium alias tempus graviter & dubia spe detenta, frequentissimis vomitionibus & ventris tor-

torminibus ita excruciata est, ut de recuperanda valetudine plane desperans, ne tantillum medicamenti assumere cogi potuerit, sola aqua per 14. pene dies contenta, appetitu plane prostrato, denique per inferiorem gutturem, cum Plauto loquor, ultra mille lapillos nucleis mespilorum, vel mali aurei non absimiles egessit, quæ tamen ante nil quicquam ejus fructus unquam comedit, & paulo post integre convaluit. *D. Georgii Abrahami Merzlini.*

Rarus casus in Febre Naligna.

Juvenis quidam Arti pyrotechnicæ addiscendæ operam navans, incidit hyberno tempore, frigore intensissimo, in febrem malignam, ubi septimo morbi die, critico scilicet, phreneticus è lecto nudus prosiluit, &, absentibus illis qui curam ejus habere debebant, per scalas quasi furiis agitatus decurrit in hypocaustum inferius, ubi Materfamilias ipsum comprehendere volens, ad januam enim deproperabat, ipsius furorem ex perta est, instar enim canis rabidi brachium ipsius mordebat, unde bona mulier perterrita liquit ipsum; quo facto, per fores, quas apertas vidit, in plateam nivibus & glacie undique tectam rapido pede procurrit usque ad forum Amagriense, ubi in puteum satis profundum & aquis plenum sese præcipitem dedit, mox tamen ab adstantibus aurigis, qui ante fores diversorii illius publici *Kockeerbisken* vulgo dicti, ex Urbe abiturientes præstolabantur, ex puteo illo extractus & in proximas ædes M. Nicolai Boye Chirurgi Regii, ex opposito sitas, deportatus, cura & bonitate domesticorum ad se rediit, debilis tamen & vix sui compos in hospitium cum reportatus esset, ego vocatus advolo, inuenio hominem exanimem fere & Charonteis aquis proximum: tentavi ergo in tam præcipiti casu omnia quæ sana ratio dictabat, inprimis sudore alexipharmacis largiter provocato, maculis rubris undique pictus melius spirare cœpit, & sic porro adspirante divini Numinis gratia, medicamentis ex arte præscriptis & ab ægro, qnamvis adhuc per aliquot dies deliraret, rite assumptus, convaluit.

Sic cum fata volunt bina Venena juvant:
secundum illud Ausonii. *D. Caspari Kolichen.*

Mors horrida Febre maligna laborantis rustici

ANno 1666. Mense Septembri grassabantur hinc inde in pagis Boëmiæ Febre malignæ. Contigit ut in pago quodam Illustriss. Dni. Comitis de Millesimo, quidam robustus vir eadem corriperetur, qua incrementum sumente tantum delirium successit, ut 7. personæ fortes habuerint quod agerent cum ægro, ad eum continendum. Obejectum autem delirii ejus erat, Ventrem suum scatere vermibus seu lumbricis, unde se torqueri ab iisdem affirmabat. Post aliquot dies videbatur delirium remittere, unde ad quietem sese componente ægroto, adstantes quoque quiescere cœperunt. Interea patiens, omnes alto somno stertentes conspiciens, seque liberum ad motum persentiens, novo œstro delirii percitus, ventrem aggredi, & ut robustus erat, umbilico excerpto, intestina continuato ordine extrahere cœpit, in tantumque extraxit, ut jam medietas illorum educta fuerit. Interea nescio an casu aut studio unus ex adstantibus quid ag.t patiens aspiciens, eundem crudeli labore implicitum advertit, convocatis sociis adque impediendum ægrum sese accingentibus obtestatus eosdem est æger, ut se sinant & non turbent in extrahendis è corpore suo lumbricis. Non diu perstitit sic æger, sed sensim immunitis viribus crudelis laboris pertæsus, obiit. *D. Jac. Joh. Wenceslai Dobrzensky de Nigroponte.*

Maligntas febrium hyberno frigore non mitigatur.

Experti id sumus pluribus jam annis tum Hafniæ, tum Hellingoræ. Enimvero febres malignœ hoc plerumque evadunt pertinaciores, quo sævius urget gelu, immo & spargunt magis virus sunm in domesticos, & nono plerumque die perimunt. Sed quam primum circa veris initia remittit frigus, sensim remittit etiam violentia febrium, & regi se patitur malignitas, quæ ante ægerrime frænum admisit. An clausum visceribus malum, cum obstructis poris exitum non nisi difficulter inveniat, per antiperistasin infestat severius. Quod si laxes meatus sudoriferis, & suos hic manes patiuntur ægri, antequã pleno sudore madeant, & sæpe, dictu factum, stragulis à manu tantillum remotis pori iterum clauduntur, intusque cohibitus hostis novas resumit vires, priusquam ægri persuaderi queant, ut ad iteratos se sudores accommodent. Quid enim facient Medentes, & ægris ipsis & ægrorum amicis sæpe non permittentibus repeti, quæ salutaria sunt, obtentu virium dejectarum? Quid quod aliquando nulla arte sudor exigi queat, antequam victor morbus, supermum illum & lethiferum, licet diu satis calentem madorem protruserit. Quin & ejus quandoque ferociæ est malignitas, ut ægri licet toto propemodum morbi decursu moderatis fluant sudoribus, nihilominus pereant. Et his si vesicatoria applices etiam plura, in rugas quidem contrahitur pellicula, sed parum initio effluit humoris, & postridie nihil, licet insistas sinapismis, quod perditissimum signum est. Salia volatilia, tantopere in malignis laudata Cl. Sorbaito, & merito laudanda; nisi tamen prudente regantur, pestiferam inducere solent hæmorrhagiam. Diascordium suis non caret laudibus, sed delicatorium stomachi saporem illum plus odere, quam fullones ululam. Nec pulsui semper fides. Ad summum, ut tranquillo mari quilibet gubernator esse potest, frementे pauci; ita in his febribus, quando dira ingruunt symptomata, quandoque ars malum superat, quandoque ab eodem superatur. *D. Olai Borichii.*

De Purpura epidemia maligna infantum.

Cum anno 1664. hyems mollis & pluviosa esset, grassabatur apud nos vere primo insequente purpura epidemia maligna, quæ per totam æstatem & autumnum usque in hyemem sæviebat, plurimosque infantes utriusque ex... & 12. annum attingentes (nam ultra hanc ætat vix ascendebat) perimebat. Plerique secunda die morbi, nonnulli etiam prime mo...e

bantur; illi solummodò evadebant, qui nulla fa[illegible]ium inflammatione vel tumore œdematoso ([illegible]ariabant enim ista pro diversitate naturarum) infestabantur. Tum omnibus ab isto morbo liberatis, post copiosum sudorem (nonnullis etiam diarrhœa, sed tantùm unius vel alterius diei critica profuit) squamæ decidebant, rubore cutis evanescente. Tandem, præsertim natu majoribus, tumor totius corporis, instar leucophlegmatiæ, & infimi ventris sequebatur, qui per aliquot se tima[illegible]as miseris molestus erat, sudoreque etiam solvebatur, interdum etiam urina largius profluente. Evasi tum etiam per divinam gratiam filiola mea unica, nondum annum supergressa, tum etiam privigna mea. in curatione admiscebantur sudorificis bezoartica. Excell. Dn. D. Segerus, tum temporis Collega meus meus charissimus hisce fidem dabit. *D. Simonis Schultkii.*

Febris Maligna cum Exanthematibus miliaribus.

Privigna Phamacopœi hic Posanii ad aureum Gryphum 11. vel 12. annorum puella sub initium veris hujus anni, anni, mane, postquam consueto inquietius dormivisset, expergefacta bis vel tres vomuit, cui mater errorem fortè in victu commissum rata, aliquid Theriacæ exhibuit, quo accepto paulam quievit & sudavit, post unam vel alteram horam decordis compressione & spinæ dorsi dolore conquesta, superveniente insigni calore, matrem in sententiam deduxit morbillos subesse, inprimis cum in colle & ponè aures maculas observasset rubras, dedit itaque pulverem expellentem, & intra 24. horas bis reiteravit.

Tertio morbi die rubor quidam instar Erysipelatis per totum corpus diffusus apparuit cum cutis quadam asperitate, oris siccitate, ariditate linguæ quasi fissæ, pulsu inæquali, delirio vehementi, &c. Accitus ego circa vesperam ex signis morbum agnosco malignum, sed rubore per habitum corporis diffuso suspendo judicium in crastinum, licet Rossalium esse vix dubitarim, præscriptis præscribendis discessi. Altero die reversus, totum corpus non tantùm ita intensè rubrum, ac si panno rubro involutum esset, deprænhendi, sed & à collo usque ad genua parvis exanthematibus granum milii vix æquantibus, plenis ichore quodam albo pellucido, non temen valdè dolentibus, repletum. Patiens quidem supra modum debilis, sed symptomata aliquantulum remissiora bonam spem faciebant; quare jussi continuare. Alexipharmacis & expellentibus usque in nonum vel duodecimum diem, quo instar squamularum dec dere, convalescente eximio matris cum gaudio ægrota. Pro Febri habui maligna miliari, ut ovum ovo, simili illi febri, quam puerperis ante aliquot annos tàm exitiosam descripsit Excell. Dn. D. Gothofred. Welschius P.P. Lips. in peculiari Dissertatione, & quidem illi speciei, quam *den weiben Triesel* appellat, nisi quòd ratione subjecti eventus quædam fuerit disparitas, periculosiores quippe omnes morbi maligni gravidis & puerperis solent esse, quàm aliis. Nunquam anteà à me visum fateor istud exanthematum genus, nec ab alio Practico hujus loci observatum memini. Ancilla tamen, quæ ægrotæ semper adstabat, affirmavit, planè eodem morbo laborasse in juventute, & sumto sæpius in die pulvere ex fl. sulphur. & nitro præparato, quia tenuioris conditionis erat, restitutam fuisse. Nonnullæ autem aliæ supervenientes & visitantes ægrotam fæminæ asserebant se vidisse quidem talia nonnunquam exanthemata plerumque exialia, sed Germanicè nominare mihi nesciebant. *D. Caroli. Kaygeri.*

Febris petechialis per diabetem spurium soluta.

Anni hi hactenus ut bellorum, ita febrium malignarum fæcundissimi, variè curam Medentium distrinxere. Desiere pleræque per sudorum crises, nonnullæ per diarrhœas superveniente quievere; una in juvene XXII. annorum, contumax, maculis subrubris comitata, & in deliquia subinde exiens, nec sudoribus paruit, nec aliis fomentis, donec tandem à vesicatoriis stimulati humores viam sibi fecere per urinas, quas æger die XI. profudit adeo copiosas, ut verum diabetem formidarem. Et hæc ipsa profusio ipsi salutaris fuit. Non est tamen tam fida alioquin crisis hæc quam illa altera per sudores: quippe notati mihi plures in febribus malignis, quibus, negatis sudoribus, fluxere effusè urinæ, sine optato eventu, quod pestilens illud in malignis fermentum sæpe adhærescat tenaciùs sanguini ipsi, & lentis in eo humoribus, quàm ut pariatur se in vias lotii amandari. *D. Olai Borichij.*

De Patechiis summe malignis.

Mortalitatis memorem me fecit calamitas domestica, quam sexennio abhinc experiri me voluit supremus rerum humanarum Director, justusque octavo morbi die, diris & lethalibus petechiis, quas pustulæ exiles variolas æmulentes comitabantur, ac per faciem, brachia & manus copiosè, rarius in tibiis & reliquo corpore pectore excepto, quod tam ab his, quam ab illis immune planè erat, intermixtæ conspiciebantur, acerbissimè conflictatam, ex hac miseriarum valle, incassum adhibitis alexiteriis exquisitissimis, in æternum gaudium transtulit. Morbi vehementiam & malignitatem præsumebam statim, magno cum cordolio, ex acerbissimo dorsi ac hypochondriorum dolore, cui ferendo teneri corpusculi vires non sufficiebant; accedebat insuper magnus præcordiorum æstus; nec non subsequenti die lethale alvi profluvium, ob caruncula fæcibus permixtas: Nam Hippocratis sententia excretiones ejusmodi esse funestas è sect. 4. aph, 26. didici, præsertim ubi humor tam effertus & acris est, ut exiguo tali temporis intervallo intestina lancinando eorum pingue, epidermidum & tunicam interiorem, uti has partes describit Hollerius in Schol. Tertia die manifestus adhuc inevitabilis mortis signum me perterrefaciebat, macula nempè nigra carbonis instar, mediocris pisi magnitudine & rotunditate, apicem linguæ in sinistra parte occupans, qualem Salmuth Obs. Medic, 32. Cent. 2. raram, nec à quoquam in lingua observatam, nisi in quadam matrona,

matrona, Lipsiæ intra triduum extincta, notavit. Ingemisco, quod ego alteram conspicere, & historiæ veritatem in propria mea morigeratissima filiola experiri habuerim necesse. Tum eruperunt etiam pustulæ in dictis supra partibus pusillæ, instar bullarum, quæ Hippoc. annotatione in Coac. Prænot. tex. 116. magis enucleato à Greg. Horst. in Progn. Febr. pag. 36. lethales censendæ in febribus continuis, nisi purulentus abscessus fiat; nec subsequebatur hic ullus, quin potius facies crustis quasi artis undique obducta, sc ad formidinem usque defœdata fuit, quæ antea nitida & delectabilis erat. Quinto morbi die urinam mingere cœpit cruentam, continuendo sic usque ad ultimum quasi vitæ halitum, quod Symptoma, in morbis acutis, mortis prænuntium dictavit, præter alios magnæ in Medicina authoritatis viros, Hochstetterius, Celeberrimus olim Patriæ Medicur, Observ. Med. tariorum Decad. 1. Cas. 7. 8. & 9. Nigras quandoque excerni innoxie Velschius suprà merito jure laudatus, Syll. Curat. & Observ. Medic. Cent. 4. in Not ad Observ. 20. ex Hipp. affirmat, aliquot insuper exemplis hoc ipsum illustrat Rhodius (quem Patavii olim singulariter mihi faventem colebam) observ. 31. Cent. 3. Truculentis igitur istis insultibus cùm resistere inbecilles puellalæ vires nequirent, morti victas dare manus, eheu fuit coacta acerbam relinquens mihi, matri, atque toti familiæ memoriam sui. Simile luctuosum fatum subiit mei vicini filiolus quinquennis, sed dispari sorte, beata enim mea filiola per octiduum miserè conflictabatur cum exitioso illo morbo, hic verò decem solummodo horarum, maxima ex parte convulsionibus gravissimis transactarum intervallo defatigatus, vitalem Spiritum emisit. Sanus quippè manè surrexerat, & sic diem transegerat ad horam sextam vespertinam usque, ast subitò de ingentibus capitis & ventris cruciatibus conqueri incipiens, post trihorium atrocibus Epilepticis motibus, cum sensuum externorum abolitione, correptus, hora duodecima nocturna, & subsequente matutina secunda pari ferocia iisdem redeuntibus, ac vitale robur planè pessundantibus, tandem post bihorium, inter parentum suspiria naturæ debitum citò solvit. Dubio procul variolæ, cum Epidemicæ, fuissent etiam subsecutæ in hoc puerulo, quia ingens aderat præcordiorum æstus, pulsus velocissimus, ebulliens in vasis majoribus sanguis, Epilepsia, exanthematum frequens prænuncia, ni atrox malum vehementiæ sua naturam priùs prostravisset, antequam noxiam malignitatem à Centro ad ambitum Corporis propellere conaretur. Cæturùm funera, morbique malignitatem eam, qua simul prehendebantur filius meus natu minimus, ut & ædibus meis propinqui istius filiola, natusque superstes unicus, superarunt; unde grates solvebamus Divinæ Misericordiæ immensas, quòd hanc nobis servavit trigam, porrò custodiendam!

Hippocr. summis Artis nostræ Dictatoris, Aph. 26. Sect. 4. Veritatem stabilivisse calamitosum domesticum meum exemplum, ante dixi. Ast feliciorem expertæ fuerunt eventum ætatis consistentis duæ Virgines, quas per aliquotdies, diverso tempore, Dysenteria exercuerat dolorosa valde, propter exulcerata à bile flava, pituitæ salsæ permixta, intestina, materia primò abeunte copiosa, frequenti, liquida, varia, pinguedine postmodùm quadam permixta, quam caruncula seu portiones quædam veluti carneæ, manifestè in excretis conspicuæ insequebantur Ambæ tamen liberæ evaserunt, ope meo Medica adjutæ. Inter alia salutaris admodùm iis fuit Balsamus Peruvianus liquidus, ad intestina exulcerata à fæcibus acribus, putridisque vindicanda & consolidanda, Clysteribus permixtus. Singularem quoque nobilissimi exotici hujus liquoris virtutem fui expertus, tùm in immoderatis Diarrhœis, tùm dejectionibus cruentis, quando reliqua parùm proficerent. Et sanè admirandus fuit ejus effectus in adolescente quodam, qui atrocissimis ventris torminibus nimium sæviter torquebatur, prodeunte cum excrementis, valdè fœtentibus, saniosa materia, intestinorum ulcus certò indicante: Mitigari autem illa nullo pacto poterant, diversa licet sopiendis doloribus usurpata fuerint methodicè remedia, usquedum Clysterem sequentem infundi, atque insuper istius Balsami, cum nucl. Pineis dissoluti ℈ß. additis Syr. è Cort. Aurant. ℥ij. & Sacch. clarific. ℥ß. exhiberi ego, & mecum Medici alii duo primarii curavimus. Clyster erat talis.

℞. Rad. Tormentill. Symphyti. āā. ℥ß. Herb. plantagin. Bursæ postor. Equiseti. Mentæ rubr. āā. mß. Flor. Rosar. rubr. Balaustior. Antos. āā. P. j. Sem. Sumach. ℨii. Coqu. in aq. font. s.q. ad dimidias colatæ.

℞. ℥vii. In quibus dissolv. Sacch. Thom. ℥ß. Bals. Peruviani c. vitello Ovi solut. ℨj. Succi Plantag. rec. expressi. ℥j. M. F. Clyster.

Cùm patiens mox levamen exinde sentiret post bihorium reiterari eundem jussimus, & sic Divina favente Gratia, ægrum jam conclamatum, pristinæ sanitati restituimus. *D. Lucl. Schrickij.*

De Morbo Hungarico sævissimis symptomatibus stipato.

Cum anno 1656. Serenissimus Sueciæ Rex Carolus Gustavus in Polonia funestam cladem pertulisset, milesque ejus dispersus, & morbo Ungarico (quem Clarissimus Sennertus rectè Castrensem nuncupat, Germani & Poloni nomine Capitalis morbi, *Hauptkranckheit*, exprimunt) infectus, Thorunium, quod tùm numeroso Præsidio Suecico septum erat, fuga petiisset, Urbs quoque colluvie tanta hominum oppleta morbum istum epidemium hospitio excepit: quo plurimi Germani Comites, liberi Barones, Nobiles, strenui Milites, Cives & plebeji misere perierunt, & qui mortem evaserunt, plerique recidivam diuturnam, nonnulli etiam bis, licet non lethalem perpessi sunt. Inter plurimos autem Casus, qui in ejusmodi morbis non rari sunt, sequens commoratione dignus nobis visus est. Henr. *Doring.* Uratisl. Silesius, sed Civis Dantiscanus è mercatore miles & Centurio factus, mense Majo eodem morbo gravissimè corripiebatur, quem pessimi satellites, utpotè capitis & præcordiorum atrox dolor, anxietas cordis, intensissima febris, sitis immodi-

ca, ingens delirium, vomitus enormes, maculæ purpureo-lividæ, noctes insomnes, inquietudo & somma virium prostratio affatim comitabantur, eisque tandem horenda & septem dierum continua epilepsia se adjunxit, à qua ita debilitatus est æger, ut per duas septimanas sine intellectu, sensu, motu & loquella jacens; morti proximus esse videretur: nam neque de cibo, neque de potu aliquid assumere poterat, nisi quod ex Medicamentis corroborantibus & cordialibus, vinoque Rhenano penna intincta labiis semiapertis instillabatur, quem astantes, & præcipuè ipsum sæpè visitans plur. Reverendus M. Johannes *Bemnachbahr.* Eccles. Thorun. Senior. ad Div. Mariæ Pastor, & Gymnasii Professor, sine commiseratione intueri vix poterant. Verùm Divina Dei Omnipotentis ope, Excellentissimique beatæ memoriæ D. Meisneri & nostra diligentia, per selectissimorum Medicamentorum & analepticorum sedulam adhibitionem quasi ex orci faucibus ereptus, & pristinæ sanitati cum multorum admiratione, sed demùm post plures septimanas, feliciter restitutus est. Hic nunc relicta militia mercimoniam exercet Warsaviæ, & pancraticè valet: utpote quo cum ante aliquot septimanas Thorunii locuti sumus. Remediorum consignationem ob nimiam prolixitatem Observationi huic adnectere supervacaneum esse duximus, cùm plurimi Auctores curationem istius luis descripserint: præsertim autem Martinus Rulandus Libro proprio de Morbo Ungarico, cui cum reliquis adjungi poterunt Crato in Consiliis Scholtzii, cons. 274. Sennertus lib. 4. de Febrib. cap. 14. de Morbo Ungarico. Greg. Obsv. Medic. lib. 4. prior. lib. 1. Obsv. 29. Joh. Petr. Lotichius Obsv. Medic. Lib. 1. c. 7. Obs. 15. Baldass. Timæus Cas. Medic. Lib. 8. cas. 16. Johann. Hornungus in Cista Medica Epist. 110. Quibus adde, si lubet. Jani Curandi Rumelii Histriam Morbi, qui ex castris ad rastra, à rastris ad rostra, &c. an. 1621. 1623. grassabatur. *D. Sim. Schultz.*

De Morbo Hungarico die decretorio per Temulentiam sublato.

Lucas *Fradel*, Austriacus, Civis & Pandocheus Thorunensis extra portam habitans. An. 1656. mense Aprili Ungarica febre correptus graviter decumbebat, sed cùm à Nobis Natura ejus fortis medicamentis idoneis adjuvaretur, quotidiè majora concoctionis signa circa urinam, & in indicante; præsertim decima quarta morbi die, sudore paulatim erumpente, animadvertimus: tum ille hora vespertina à me petiit, ut ipsi concederem haustum unum vel alterum vini Rhenensis, cui cùm, ut vini asueto, permiserim, ille non tantùm haustibus, sed totis mensuris illud bibebat, & ita per tres dies aliquot stoffos nostrates (quæ mensura continet quatuor libras civiles) exhauriebat, inde quasi è crapula, dies & noctes dormiendo, copiosissimè sudabat, & vix non sudore diffluebat, expergefactus interim vinum largiter sorbebat, iterumque somno se dabat, donec tandem die morbi decima septima, ad se rediit, mihique pro licentia (quanquam ille mensuræ confessæ modum valdè excessisset) gratias egit. Suffragatur nobis hac in parte Excellentissimus D. Sachsius à Levvenhaimb (præproperà, eheu! morte non sine ingenti literarii orbis detrimento è vivis nuper sublatus) qui Αμπελογρ. suæ Sact. 6. membr. 2. c. 6. ita statuit: Non sempe ægris denegandum esse vinum, modo absque insigni noxa fieri possit, si avidè expetatur, cùm & in hoc gratia Medici consistat, censente Rod. à Castro in Medico Politico lib. 3. c. 8. Imò copiosius sumtum in quibusdam morbis à malo liberat, secundum Primirosium lib. 3. de Vulg. Error. Medic. c. 18. Et paulo post: Proprietas hominis in omnibus morbis curandis magnam habet potestatem, & sunt nonnulli usque adeò comparati ad vinum, ut etiam in extremis morbis eo non possint abstinere; quod nos quoque in isto ægro considerantes, apparentibus signis coctionis, & circa diem decretorium naturali appetitu accedente, non sine ratione fecisse existimamus, utpote qui ibi natus & educatus est ubi cerevisia nullum locum habet. Conjunge cum his Canonherium de admirandis vini virtutibus, qui lib. 1. cap. 3. §. 18. ita scribit: Vino in febribus & ut alimento uti possimus, & §. 15. vinum sudores provocat, eoque serosæ materiæ non parùm per lotium elicitur. Item §. 26. vinum ex quocunque morbo revalescentibus prodest: ut ibidem plura prolixitatis vitandæ causa reticeam. Poterit cum his curiosus Lector conferre Cottœum in Tract. de Potu in Morbis Lib. 2. ut & Hippolyt. Obicium, atque Hippolyt. Antonellum in Apparatu Animadvers. in Eundem. *D. Simonis Schultzij.*

Vesicatoria quid possint in febribus malignis.

Quid præstent in declinandis curandisque malignis morbis, immò verò peste ipsa fonticuli, ulcera, vesicatoria, jam inde ab ævo Galeni cognitum fuit aliquatenus, dignum sanè, quod exactiùs adhuc inquiratur. Sub climate nostro, ubi humores plerumque crassi & pituita segnes, aliquando præsens è vesicatoriis solatium notamus, præsertim si ante septimum morbi diem applicentur internæ brachiorum, crurumque faciei, secundum procursum venarum ampliorum; est tamen; cùm totis mensibus frustra admoventur, immò toto quandoque anno nullum ab iis evidens auxilium. Ratio à diversitate μιάσματος petenda videtur: quoties particulæ illæ malignæ non admodum firmiter cohærent, & tenacem non amplectuntur humorem corporis, excluduntur faciliùs vesicatorio & virus fugax cum sero prorumpente secedit: quando autem in viscida nidulantur materia, aut ipsæ mutuo facierum lævore sibi arctiùs junguntur, eludunt ferè vesicarum conatum. Sed qui internoscendum, in quales se malignitas armarit particulas? temperamenti ratio inspecta non sufficit; enimvero adverti visicatoria nonnunquam segnissimè pituitosis oppidò fuisse salutaria, contra, bile tumentibus nil attulisse levaminis. Ut proinde hoc unum restet ex Ovidiano penu:

Semper tibi pendeat hamus.

Admovenda scilicet opportunè, præsertim ubi exemplis constiterit, aliis eodem modo, & prope tempore laborantibus fuisse utilia; quod si frustrentur exspectationem, persistendum

dum in alexipharmacis quæ nihilo secius adhiberi jubebant. *D. Olai Rorichii.*

Vesicatorii usus in Malignis Febribus.

Nunquam me fefellit Vesicatoriorum usus in morbis malignis. Nuper sæviente febre maligna in pago Blozemberg, applicare jusseram duo vesicatoria carpis manuum viri 30. annorum graviter decumbentis. Paulo post intumuere manus cum inflammatione & livore, sed evidenti cum levamine & symptomatum febris malignæ remissione, Intra paucos dies cessarunt tumor, livor, inflammatio sponte, ægerque convaluit. *D. Joh. Jac. Waldschmidii.*

Curatio Febris Malignæ, Viperarum vivarum deglutitione.

Mirabilem viperarum esse naturam, & maximam adhuc partem nobis incognitam, non ita pridem Nobilissimus Franciscus Redi ex Observationibus singularibus Orbi erudito notum fecit. Addam hisce morbi historiam non omnino incongruam, ab Illustr. & Nobiliss. Dn. Haub. à M. Seren. Saxon. Elect. à Consiliis intimioribus, mihi ante aliquot menses communicatum. Apud Salmurienses in Galliæ Ducatu Andegavino Anno 1670. corripiebatur Nobiliss. Dn. Craft B. à B. febre quadam maligna, quæ omnium fere Medicorum ibi celebrium operæ illusit, adeo ut ipse Patiens prognostico relinqueretur. Alius Medicus ex vicinia fuit advocatus, Empiricus vel Methodicus an fuerit, accurate non scio, is quoque conclamatum, & de vita Nobiliss. ægrotantis jam actum esse conspiciebat: nihilominus in morbo extremo ad extremum remedium confugiendum esse ipsi veniebat in mentem, propterea adstantibus ab eo suasum, ut, si vellent adhuc experiri medicamentum aliquod, deberent procurare tres viperas easque vivas, quas Dn. Patiens vivas quoque deglutiret; experientia namq; constare, viperas veneno resistere. Obstupescunt! sed obtemperant, atque summa cum molestia, agonizanti fere, tres viperas vivas deglutiendas præbent, quæ intra trihorium integram assuxerunt veneni ve Malignitatis labem, adeo, ut postea per secessum excretæ præ insigni Tumore, quasi rupi viderentur, quo facto sensim convaluit Nobiliss. C. B. à B. & per Dei gratiam peregrinationis metam prosecutus est. Si dubitare quis vellet de historiæ veritate, ei autentica testimonia, si fuerit opus, dehinc exhibebo. *D. Pauli Ammanni.*

De medicamento Febrifugo ex lapide Scissili.

Civis quidam facetiosus, videns Medicum vicinam suam sæpius visitare, quæsivit ex famula causam, respondenti heram suam febricitare alternis diebus, ultro obtulit Medicinam, sequenti die ante paroxysmum exhibendam: Quid fit? Hera inscio Medico assumit pulverem ab ancilla allatum, & statim liberatur. Unde factum est, ut omnes fere febricitantes eb inopinato hoc Medico efflagitarent auxilium, & cum in promp tu non haberet suum specificum, ipsos sæpius j ussit parumper commorari in ædibus, interea quæsivit in aula lapidem scissilem, & cultello tantum abrasit, quantum pro dosi sufficere autumabat, sicque solo hoc pulvere multos curavit. Quis hic cum Ecsiaste non quæret: Quid mihi prodest, quod majorem sapientiæ dedi operam? Cæterum cum hic de febribus incidat sermo, recordor pulveris antifebrilis Clarissimi Kergeri, quo plurimos se curasse asseverat, omissis longis illis veterum præparationibus & decoctis: Innotuit quoque toti Medicorum Orbi compendiosa febrium Barbettana, Salviana & aliorum Virorum curatio, imbibendo vel temperando acidum, seu juxta Excellentissimum Willisium & Kergerum, præcipitando, vel secundum Helmontium, Philosophum per ignem, saturando. Mihi in frequenti usu est specificum febrile, cujus basis est antimonium nitratum, quo multos curavi, subsequente leni vomitu & copioso sudore. Sic memini, ante aliquot annos periculose ægrotasse suavissimam conjugem Viri Amplissimi & Consultissimi Domini D. Schmidii, U. J D. & Consiliarii Hanoviensis eminentissimi, & solo hoc pulvere, incassum adhibitis aliis, per Dei gratiam à febri liberatam fuisse, quod innumeris aliis Exemplis confirmare possem. *D. Joh. Jac Waldschmidii.*

Arsenicum Antipyreton.

Haut ita pridem fuit nonnemo, qui asserere fuit ausus, cuilibet corpori naturali, quin, cuilibet animali, atque adeo homini, inesse suum venenum specificum, calidi innati & humidi radicalis intergerinum amicissimumque hospitem, naturæ quasibalsamum, hujusque conservativum: Hoc veneno, quovis modo excentrico facto, aut ab indole sua declinante, oriri morbos varii generis, hos autem indicare veneni conservativi restitutionem in integrum, & inde pendere sanitatis cardinem. Paradoxa est sane hæc opinio, & naturæ veneni quam minime competens, imo contradictorium, esse venenum, & esse naturæ conservativum. Qua enim catachresi venenum vocatur, sanitatis architectus, cum omnium effato venenum tota sua essentia dicatur corpori, naturæ, vitæ infestum? Siccine cadet ab omni seculo irroborata inter alimenta, medicamenta & venena, specifica differentia? Certe tale venenum est σιδηρόξυλον. Nil probat, animalia venenata nutriri suo veneno; morsus hominis irati esse venenatos, & quæ sunt alia: Nam uti illud est in controversia; ita hoc non est perpetuum; potest tamen ira effervescente degenerare in venenum, qui ante non fuit humor; adjuvant in morsibus continui solutio, ipsius vulnerati ira, affluxus humorum, inflammatio! nec enim so o contactu, ad instar torpedinis, vel halitu irati veneant: Est sane opus vulnere. Alium virum celebrem memini olim statuisse, aut omnia esse venena, aut nullum esse venenum, cum omnia etiam saluberrima, vinum puta, excessu adhibita possint esse veneni loco; jubet itaque venenorum dosin vestigare, & tunc futura innocua. Scilicet, arduum Vir eruditus cense statuere, quod quidquam Deus crearit, hominis, propter quem omnia creata censentur (quanquam & hic aliqui controversiam faciant) tota sua natura & essentia destructivum. Sed quis exactam venenorum dosin mensurabitur? Quidni

ni detur substantia, cujus sit talis à primordio elementorum textura, quæ intro sumta turbet, fermentet, congelet, convellat, enecet? nec enim inde sapientissimo Creatori dica scribitur! Namque, utut propter hominem esse omnia creata forte censeamus, non sunt tamen in eum omnia finem creata, ut iis vescamur; sunt aliis destinata usibus (sic neque ligno, neque lapide, neque ferro ordinarie vescimur. Occasionem ista proferendi sequens historia suppeditavit: Cum nuper Goppingæ morarer, narravit Affinis meus Maskoskyus Med. Lic. se miram oppido febrium intermittentium, at infallibilem in pluribus curam vidisse sequenti medicamine perfectam.

♃, Arsenici albi crystallini gr. iij. vel vi. pro ratione subjecti, injice pulverisatum in vitrum parvum lati orificii (*Zuckerglh*) adfunde fluvialis frigidæ s. q. apertum vas colloca super prunas; agitando, dum cesset strepitus: hæc mixtura probe confusa febrienti, per 12. plus minus horas ante jejuno, una vice propinatur; Ubi per horæ quadrantem, aut paullo amplius hanc stomachus retinuit, capiatur aquæ calidæ simplicis præterpropter quartanarius, in hac solvatur butyri notabile pondus cum ovi luteo, duabusque vicibus calide sorbeatur, imperata rursum aliquot horarum abstinentia. Insequitur anxietas magna largo sudore profluente; Tollit omnes intermittentes ipsamque adeo quartanam: Auctor perhibetur Monspeliensis Medicus Anonymus, cujus filius Raugraviæ Palatinæ è pedibus in Wurtembergico Ducatu plures hoc medicamine persanavit. Dictus Dn. Maskokyus periculum se facturum pollicitus est, effectum ubi edoctus fuero, nil restabit quam ut ocyus transscribam.

Paradoxa mehercule cura, arsenicum tantum non crudum intra corpus, idque jejunum sumere! quis enim hanc præparationem sufficientem facile credat? Quantum conjicio, partes arsenici deleteriæ volatiliores, per effervescentiam cum aqua fluviali, calcis vivæ æmulam, in auras avolant, relictis fixioribus, eoque mage fatuis: Effervescentiam autem & solutionem calor promovet: Ipsum vero arsenicum potestate Salina lactearum obstructiones, quæ sunt perpetuæ fere intermittentium productrices (quod in mea Inaugural. de febr. tert. interm. epidem. latius probavi) haud dubie promtius atque alia quævis, expedire natum est. Mixtura pinguis butyracea videtur hac fini exhiberi, ut veneni spicula, si quæ ab operatione forte supersunt in visceribus, obtundat; velut alias iis, qui venena sumsere, pinguia imperare solemus. Haustus autem pinguis non statim propinatur, ne vomitu reddatur sine fructu, quod modo fuit absorptum. Ego alia methodo intermittentes feliciter abigere didici, tardiori licet, atqui tutiori: nolim imitari: ausim profecto adservare, quantumlibet hac febris tollatur, remanere tamen in corpore veneni characterem; nec ægros hac via curatos adeo prospera valetudine per vitæ reliquia gavisuros. Alioqui novi Ambergæ Palatinatus superiore adolescentem lorarium à Magistro quotidie vapulantem, vitæ tædio, araneum prægrandem contritum cum calcis vivæ notabili quantitate deglutisse citra noxam. An hæc duo salia, aranei puta & calcis vivæ se mutuo destruxerunt; an aranus, quorum aliqui dantur, fuit ἀναώδης? *D. Rosini Lentilii.*

Ex fagino fructu liberaliter comeso febris lipyria.

Virgo nobilis annorum sedecim, & corpore, animoque valens, dum mense Septembri & Octobri in prædio paterno animi gratia rusticatur, &, ut erat delicatula, gustus oblectamenta varie quærit, tandem indigentibus paganis quibusdam mulieribus, faginos etiam fructus maturos crudosque ore attingit; dumque in iis nescio quid suave, & linguæ blandiens offendit, largius se suillo hoc pabulo per aliquot dies invitat, applaudentibus consiliariis mulierculis, invenisse se tam gratum herili filiæ nutrimentum, & non parca manu delitias illas quotidie in cubiculum virginis matre inscia, inferentibus. Paullo post reversa cum matre in urbem, sensim fastidit cibos, & pallidior solito de gravitate capitis, angustiis pectoris, & ventris inexplicabilibus doloribus conqueritur. Accedunt, corporis totius imbecillitas, pulsus vix sensum ullo observabilis, sitis, inquietudo, partium externarum frigus, illa interea non frigus, sed summum calorem in visceribus hærentem incusante. Advocatus initio jocari credebam virgunculam, ut quæ de ardore corporis questa, tota rigebat exteris. Sed tentato carpo, notatisque symptomatis comitantibus ægre tandem causam mali ex sculpo, febrimque, lipyriam (qualis jam ante ab aliis, sed nuper erudite descripta est à Raymundo Forti, Medico Patavino l. de febribus) sed nimia glandium harum faginarum voracitate, proinde malum agressus diaphoreticis & alexipharmacis feliciter tandem, Deo fortunante, expugno, Vivit illa valetque fagum jam prudentior adversata. Maneat ergo glans fagina suum, sciurorum, gliriumque pabulum, humani palati formido, quod de copiose turburcinantibus intelligendum. Mereturque hic adjici illud Bauhini in Histor. Plant. l. vii. Nobis sane observatum, fagineam glandem, potissimum virentem, & nondum exsiccatam, si paulo copiosius comedatur, lolii instar caput turbare, ac ipsos etiam sues ejus esu turbulentos reddi, & tandem obdormisere; id quod etiam Schwenkfeldius testatur: qui ait caput tentare, & inebriare eos, qui nimium comederint. Sed febrim lipyriam ejus esu excitatam nemo fortassis antea observavit. *D. Olai Borichij.*

Tertiana halecis esu curata.

Soror quædam mea ex esu halecum tempore æstivo febrem sibi causavit tertianam, sed cum per dies aliquot febricitans, aliquando me halecem esitantem vidisset, appetitu insigni infestabatur, cui me adversantem simulane, sed clandestinè famulis concessi, particulas quasdam halecis, esui ei porrigere. Quo facto, febris omnino decessit, & sanitatem ægra pristinam recepit: Idem mihi contigit in alio febricitante ex concesso potu aquæ frigidæ. *D. Iac. Schmid.*

De Curatione Febris tertianæ per terrorem.

Beatus Rolfincius scripsit Ordin. & Method. med. spec. comm. pag. 1024. Non raro medici vice fungitur terror, & quod illius superat captum, hujus sequitur raptum. Finem imposuisse quartanæ refractariæ experientia docuit de improviso subortum. Febris Tertiana immersione aquæ fluentis curata notatur Anno 3. Ephem. Germ. Obs. 211. Retulit mihi nuper quidam Magister Equitum, se tertianarium servum in paroxysmo perterritum, exploso in ipsum inopinato sclopeto, pulvere pyrio & papyro referto, à febre contumacissima liberavisse.

Scholium) Terrorem non solum in febribus curandis, sed aliis etiam in morbis magnam habere efficatiam, scimus. Sic tertianam ex bombardæ improvisa explosione Ephem. nostr. Dec. I. Ann. II. obs. 150. ex immersione in aquam Anno III. Obs. 211. quartanam ex cymbæ in aqua submersione cit. Obs. 150. ablatam recenset; quale per terrorem sanatæ quartanæ exemplum etiam in Ambros. Paræo libr. 1. cap. 23. Anno 2. Zod. med. Gall. mens. Jan. & decad. 4. observat. 1. Scharderiana refertur. Paralysin inveteratam & singultum gravissimum eodem remedio ablata describit Franc. Valleriola libr. 2. observ. 4. paralysin & contracturam Dam. Beckerus de cultriv. Boruss. quæst. 9. epilepsiam Dom. Casp. Theoph. Bierlingius advers. curios. 13. Dom. Thom. Bartholinus centur. 3. histor. anat. 41. arthriditem Phil. Salmuth. centur. 1. observat. 48. Sanguis ex utero fluxum & oris inflammationem Guern. Rolfincius ord. & meth. med. spec. comm. lib. 14. sect. 3. Scilicet cum spiritibus ab improviso aliquod casu magnus terror. incuritur, violenta eorundem commotio cotingit, ut ita, qui antea sanguinem aliosve humores, crassitie, quiete aut tempore peccantes sufficienter agitare atque attenuare haud valebant, nunc potentiori nisi subigendæ & alterandæ eidem pares evadant; quin & iidem viscosis præter naturam genitis particulis incarcerati quasi; sopiti, aut etiam ab aliis hostili acredine infestis lacessiti, jam veluti recollectis copiis ab eorum imperio sese evolvant, easque disjiciant; aut regressi ad centrum suum, sanguinem in motu aberrantem, in ordinem sic redire cogant. Sed hæc sunt fortuita, nec facile à Medico imitanda, curam utpote satis incertam, & periculosam involventia; cum nec semper ea sic causæ morbificæ conditio, quæ illi extraordinario spirituum cedat insultui, aut eum patienter perferat, vel etiam spirituum non idem vigor, qui perturbationi illi sustinendæ sufficiat; quin potius hos dissipari, omnino suffocari, morbumque augeri, aut navum induci, contingere queat, unde non pauciora, sed facile plura exempla recensere liceret, quibus terror incessus varios morbos; aut ipsam etiam mortem inferendo, perniciosus exitiosusve estitit. *D. Iac. Augustini Hunerwolffij.*

Anatomicæ inspectiones

Febres Hectica & lentæ.

Felius Dom. Pouvart Regii in camera computorum Auditoris, cum bimestri Tertiana laborasset, nec ad medicamentum adduci potuisset, cùm cœlum incanduisset paulum, datur medicamentum cui indormiendum imprudens Pharmacopæus censuit, medicamentum inane fuit, movit, nihil exclusit: Ab eo tempore vix febris expers: De Dolore capitis, de quo prius non conquerebatur: dum paroxysmus repetit, repente ἄφωνος fit, elatis in cerebrum vaporibus; imo & febre ipsa jam cerebrum occupante (unde caloris acerrimi sensus apparebat) ac si febris esset Capitalis, ut sic loquar: per xxiv. horas ἄφωνος fuit & κάτοχος eum prehenderat virtus erat debilis, nil natura præstitit quamvis irritata, Convulsus interiit.

In cerebro nihil deprehensum, venæ intumuerant parum: vi febris interiit, obsesso cerebro quoque, ut interea non esset flabellatio cordis ob respirationem non liberam. Iac. Thevart Annot. 3. in cons. 58. Ballonii lib. 1.

§. 4. Audimus D. Cardinalis Lotareni, qui febre velut capitali interiit, apperto capite repertas venas omnes adusto plenas sanguine, & meninges veluti tactas de cœlo & sideratas. Ballonius Epidem. & Ephemer. lib. 2. pag. 129.

Illustr. Baronissa de Coudrée, ætatis ann. 65. sterilis, post casum ex rheda in partem capitis lævam, defluxum persensit in maxillam diuturnum & dolorificum, unde Febris, sudores nocturni, melancholica phantasmata; Vario successu dimicatum est, tandem Febris invaluit, & mortalitatem exuit.

In aperto cadavere Pulmo repertus est inflammatus & lividus, cum maculis nigris: Ventriculus amplus, cor flaccidum; hepar extremo loco lieni adhærens, Uterus immense tumens & plane scirrhosus, Prostratæ ovi magnitudine refertæ pure: Cystis fellea referta lapillis & scirrhosa. Ex schedis Clar. Dom. D. Alexandri Diodati Medici Genev. & Dacani.

Duo sunt quæ inter accidentia symptomataque in febres, quæ hac tempestate grassantur, incidentia numerantur, quibus plurimum ægri torquebantur, Singultus ac Tussis: Nec ita quidem molesta esse cœperunt, vel quod totum febris tempus occuparent, vel quod brevissimo tempore divexarent: Vidimus enim ineunte statim accessione ita suffocationis periculum oboriri & tussis molestias, ac si nulla vitæ spes relinqueretur, desinente accessione placide ac sedate habebant: Singultus autem in nonnullis ita molestus fuit qui febre nocturna, mox diuturna, cum destillatione in pulmones laborarent, ut omnia præter Singultum moleste ferrent, In his fuit Dominus de Bures, cui antequam cessaret singultus, totum corpus intumuit: Detumescente corpore repetiit singultus, afferens ei aliquid permolestius quam ante: nam & ulcusculum excitavit in partibus ad orificium ventriculi attinentibus, nam cum quid deglutiebatur aut calidiusculum, aut manifesta qualitate præditum, percipiebatur in imo œsophagi dolor: Illi autem à Singultu, cum abdomen inflatum fuisset, alvus biliosa reddidit, post excretionem biliosorum sequuta sunt purulenta, quod mirum est, Nec credimus hæc à pulmonibus emanasse, quamvis hos laborare suspicaremur: cum enim à partibus superis tale quie-

quid contingit, id simul & semel fieri solet: at hic æger sæpe eam excrevit materiam.

Hic æger singultiens, tussiens, febriens, ad tabem vergens, interiit; Apperto cadavere inventus est hydrops ascites in abdomine: Inventi sunt pulmones purulenti, corrupti, Intestina livescebant, quasi siderata superna parte: unde credibile tum singultus magnam occasionem illinc natam, tum syncopes qua prehensus est: Lien plane puttis: Denique nulla in toto corpore pars inventa est integritatem suam servans: Dejectiones purulentæ, nobis admirationi fuerunt, à putri mesaræo manabant; Dejectiones antequam diem suum obiret, præcesseruntnigræ, pici liquidæ similes. Ballonius consil. 25. lib. 1.

Rarissimus affectus est quo obiit Sereniss. Venetorum Dux, Franc. Contarenus; cujus ægritudinis causa ter Venetias vocatus fuit Joh. Prevotius, variisque nominibus cum aliis Medicis dissentientibus disceptavit, Die ipso Solstitii æstivi indiderat in acutissimo dolores colicos, quibus erat obnoxius, iisque vix altero die liberatus ope remediorum præcalidorum, incidit in Febrem quæ typum duplicis tertianæ servabat, redibatque modo anticipando per aliquot dies, modo per totidem & plures post ponendo proportionaliter: Vigilia & sitis molesta fuit usque ad septimam, quo tempore, occasione levis medicamenti oborta est diarhœa biliosa, quæ ad 40. usque diem perseveravit: Urinæ ab xi. die semper apparvere mediocris consistentiæ, ut plurimum rufæ, copiosæ, modo cum sedimento albo & lævi, modo cum suspenso boni coloris, levi & satis cohærente, aderat quoque levis tussicula qua è faucibus videbatur aliquid pituitæ crassæ reddi, respiratio satis erat libera, difficilis tamen ad latera decubitus: ad oblata semper bene se habuit: Pulsus erant magni & fortiores quam ætati convenirent. Ad 40. diem febris visa fuit remittere, neque ulla manifesta aderat exarcerbatio: Alvi recrementa cœperunt consistentia fieri & fœces bene colaratas præ se ferre: pulsus perseverarunt robusti, retinebant aliquam non naturalem celeritatem, neque unquam recuperavit appetitum: Singulis autem 8. vel 10. diebus revertebatur manifeste febris, quæ duabus aut tribus accessionibus manifeste finiebatur post levem alvi evacuationem, vel spontaneam, vel clystere aut levissimo pharmaco procuratam, perseverabat tussicula & dificilis decubitus: Sub æquinoctium increvit tussis & catarrhus ipsis alias familiaris; cætera perseveravit in statu proposito vsque ad Octobris initium, valde emaciatus: Eo tempore rediit febris bis. alternis scil. diebus, sed cum spirandi difficultate & anxietate tam insigni in principio accessionis, ut vix duos illos insultus superarit, reddita autem copiosa bile per alvum beneficio clysteris, febris illa manifesto cessavit. Inde traduxit fere mensem integrum quiete, & si tussiculam exciperes, difficilem ad latera decubitum & inappetentiam: quæ nunquam cessarunt, videbatur Sereniss. ad convalescentiam pervenisse: dormiebat enim, comedebat sine nausea, aliquando surgebat è lecto. solus etiam absque innixu parum perambulabat, pulsum servans constantum, & robustum, qualem ab initio morbi habuerat: Ecce autem circa Decembr. initium spirandi repentanam difficultatem, cum anxietate & febricula, cujus obscura erat accessio alternis diebus, pulsuum mira inæqualitate & parvitate: decumbere cogebatur pene rectus, neque poterat ad latera: Sentiebantur ingentia murmura ventris, & ob flatus copiam subinde cibi & potus deglutitio impediebantur, spuebat difficulter crassa, cinerea, subflava, corruptum quid redolentia: urinæ erant crassæ cum sedimento copioso & crasso. Die 6. Decembr. in principio accessionis, dictorum symptomatum vehementia obiit, cùm ex pulsu ante explorato in sequentem diem vivere posse crederetur: Medici Veneti malum semper retulerunt in insignem jecoris æstum & siccitatem pulmonis, quem consumptum & arefactum credebant: ideo mellita, saccharata. aliaque aperientia, detergentia, & mediocriter catharrum absumentia, necnon ventriculum, & pulmones roborantia nunquam usurpare voluerunt:

Die 7. apertum fuit cadaver: Intestina omnia, crassa & tenuia, flatibus distenta erant: Jecur tumidum & spongiæ instar plenum materia alba, quæ omnem partis rubedinem abstulerat, adeo ut parenchyma varie dissectum, ubique album appareret. Cor prægrande, nulla tamen materia intus aut extra contaminatum. Cavitas pectoris ℔v. circiter aquosæ materia continebat; dextra pulmonis pars flaccida videbatur, crasso & mucoso humore oppleta: sinistra prorsus resoluta erat in saniem albicantem. quæ tunica pulmonis ut in sacco continebatur: Ea dissecta effluxit in cavitatem thoracis senies ad ℥xvj. circiter: Plane nullum pulmonis vestigium sinistro latere, præter membranæ, quæ costis adhærebat, indicium relictum erat. *G. Hieronymus Velschius ex l. Prevotii observat.*

Piscator in cereui siaria taberna cum sociis potans, poculo lapideo in capite feritur: Solutio continui nulla, tumor cutis exiguus, quo litu oleorum à Chirurgo brevi discusso. Piscator ad scapham suam, & post ad compotationem rediens, non multo post Febre correptus fatis concessit: Qui percusserat cædis malè insimulatus, capitur, carceri mandatur, supra extincti sarcophagum ex more patriæ decollandus.

Venitur ad apertionem cadaveris, In capite cis & citra calvariam omnia sanissima, nec ullum læsionis vestigium: Aperto thorace Pulmonis lobum dextrum pure refertissimum, quantus erat, deprehendimus: In sinistro quindecim abscessus, unguem pollicis æquantes observamus, Cum ab illis abscessibus, quos à capitis contusione processisse, si quæ fuisset, impossibile erat, enecatum Piscatorem jurejurando affirmaremus, compotorem carnificis manibus ereptum libertati restituimus. H ab Heers observat. Spadan. cap. 2.

Mulieri post xv. annos à connubio parere contigit, laboravit multum à partu: Secundinæ substiterunt, avulsæ frustillatim: Obstetrix asserebat superesse aliquid: Febris nata, hinc nigra lingua, Dentium intervalla scabritie nigricantia, facies νεκρώδης septimo die mortua.

Fe-

Febris Hectica Phlegmonarum internarum fere comes est.

Vidi inflammationi laxioris Intestini diutinæ succedere Marcorem, ac stomachi, ac vesicæ, ac renum: Fuerunt autem nonnulli qui affecti erant difficultate intestinorum, Et ut in summa dicatur, quoties præ exsiccatum cordis ipsius corpus febrilem calorem susceperit, solutu difficilem. Hector Gibaltus comm. ad cap. xii. lib, 1. de differt. febrium Gal.

D. Sagittarii (Serenissimi ducis bavariæ consiliarii) cor tabidum ex toto apparuit, ita quidem exsuccum & parvum, ut quod Thonerus de ejus cerebro ab aliis illusus recenset, id nigredinem ex usu Tabacci frequenti contraxisse, hoc ego de corde verissimmè affirmare possim: Sanè aliquot septimanas antequam occumberet Vir clariss. consumptis magna ex parte spiritibus vitalibus & animalibus in utroque oculo visum perdidit: Mortus tandem est anno hujus sæculi 47. non præcisè ex vomitu, ut Hœferus narrat. ex tabe & febri Hectica consumptus interiit: febri inquam Hectica quartum magnitudinis gradum adepta. Franc. Ignatius Thiermair. cons. 5. lib. 1. p. 75.

Puerum novem annos natum xix. Martii 1669. secui: laboraverat is febre hectica per quinque fere annos. cor autem nobis mortuus ostendit durum, longe infra suæ ætatis magnitudinem, vasis tamen præditum tam amplis, ut viri perfectæ ætatis capacitatem æquarent. Pericardium laxe illi circumdatum, salso liquore repletum. Pulmones indurati costis adhæserant, omni sui parte purulenta materia expleti. Folliculus fellis tunica virilis magnitudinis, nigricantem quandam substantiam imbiberat.

Probabiliter magis quam vere scribit Vesalius in Viris minus aquæ, in fœmellis plus inveniri: Seduxit etiam plures, ut Bauhinum, Iul. casserium, claudinum & alios, qui eodem tenui conjectura moti tradunt in hecticorum, Phthisicorumque & marasmo laborantium Pericadiis nihil aut minus aquæ reperiri: Ego autem in iis semper plus humoris quam in aliis offendi: Rem eam pluribus experimentis veram hucusque cognovi, & mecum alii, Excell. Chr. Majus, & 1. D. Hortius Anatom. Observ. 7.

Ego ubi hoc loco (pericardio) nonnonquam tres, quatuor, quinque aut sex uncias, aliquando libram illius humoris inveni, tandem eorum cerebro, opera administri inspicere non supersedi: profecto in ventriculis hanc aquam quoque multo cumulatiorem sæpius deprehendi: In iis pedes aqua erant tumidi, in abdomine minus, plus aquæ in thoracis cavitate erat, ac in cerebri ventriculis aqua erat sane quam notabilis. Horum quidam ante mortem amiserat memoriam, quidam mente non satis constabat, Quidam, inquit Dn. D. Wepferus phthisi obiit, ac remoto cranio plurimum seri subpallii it omnibus ventriculis & spatio inter meningas repirii, C. V. Schneiderus l. 2. de Catarrhis c. 9.

Inter febres symptomaticas refertur quæ vulgo Lenta appellatur: qui hac laborant plus debitò incalescunt præsertim à pastu, motu quovis aut exercitio: urina plerumque rubicunda est, spiritus sunt debiles & vires dejectæ, circa appetitum & somnum se mediocriter habent, Tussi aut sputo copioso carent, verùm in dies, (tabidorum instar) & sine causa manifesta marcescunt.

Quendam tali morbo defunctum aperui, in quo viscera coctioni dicata satis rectè se habuerunt, Pulmones vero erant exscici & aridi, necnon materia sabulosa instar cretæ per totum obsiti: Non in hoc affectu mesenterium glandulis tali materia argillaccea repletis obsidetur. *Fernelius.*

Filiolæ Dom. de la Vau mirum quid contigit, febris continua, dolor lateris sinistri, is fugax fuit nec perseveravit: inde dilata est phlebotomia, bene habere visa est, febris recruduit, difficultas spirandi, mors.

Aperto corpore, Epiploon pure perspersum erat, à thorace fluxerat, nam totus sinister pulmo, & thoracis pars sinistra pure plena erat: Catarrhosa erat nec expectoraverat quicquam unquam. *Gul. Ballonius Epid. lib. 2. pag. 262.*

Pulmonis uitium ex tenui, acri multaque distillatione è capite in hunc ipsum illapsa, cum Lenta febre notavit Jodocus Lommius Observat. med. lib. 2. Tale quid anno 1624. in Olao Slangeldorpio observare licuit Patavii, qui à febre continua in itinere Neapolitano contracta Romæ vix sanatus, extenuato corpore quum superatis Hetruriæ montibus Patavium rediisset, intra paucos dies vitam cum morte commutavit: Viri eximii Guerneri Rolfincii opera thorace aperto causa mali patuit. *Joh. Rhodius cent. 1. observat. 4.*

I. Haxius ex gravi percussione lateris dextri versus dorsum in tribus primis costis spuriis, à qua flatulentus œdematosus tumor procreatus, per gangrænam & cariem 1638. extinctus est: in cadavere aperto pleraque sana, nisi quod in mediastini intercapedine vomica existeret crasso pure repleta: similisque sterno sub pleura incideret, eo loco ubi mediastinum connexum erat, vomica affectum, ita ut inter sese duæ hæ vomicæ communi aditu paterent: In abdomine magna puris copia innatabat, præcipue ad aqualiculum collecta, quæ ex pinguedine omenti & intestinis adnata, per Tabificam febrem eliquata fuerat: Quam suspicionem O. Heurnio auxit residua omenti & intestinorum pinguedo, quæ diffluens similem idæam purulentæ materiæ representabat. *Bartholinus cent. 2. Observ. 59.*

Cadaver aperui cujusdam qui lateris apertionem admittere noluerat: in latere materia purulenta nidum habuerat, unde in thoracis cavitatem decidens, ibidemque in copia ingenti aggesta, & pulmones continue immersos polluens, febrem lentam, & quasi Hecticam, à qua æger valde senex interiit, excitabat. *Willis Pharmac. rat. p. 2. sect. 1. cap. 9.*

Multoties deprehendi integris pulmonibus, vel utramq; pectoris cavitatem, vel alteram aqua plenam: Interim pulmones corrupto in aqua natantes vidi: unde cum

Hipp

Hippocr. asserere licet in Pectore hydropem fieri: hujus rei insignia duo afferam exempla: anno 1666. in schola Boniensi, Medicinæ Theoricæ Professor I. Peregrinus quinquagenarius, corporis constitutione ad phthisin proclivis, hydrope correptus fuit, à qua multo ac diuturno piperis usu seipsum liberavit, tandem in hecticam marasmodem incidit & animam dedit.

Aperto cadavere inveni dextram thoracis capacitatem aqua plenissimam ac turgidam, Pulmonem illæsum, &c. In Virgine quadam, præter alia animadversione dignissima & rarissima, deprehendi thoracis partem dextram aqua subnigra & putrida plenam, continebatque ejus aquæ cantharum & dimidium: Pulmonis etiam dextram partem, quæ in ea cavitate collocata erat, cum pleura corruptam & nigram. *Coiter in Observation. Chirurg. & Anatom.*

Illustr. Comites Itali, Alexander & Octavius Blandiadi, alter xij. circiter, alter x. annorum, cum ultra annum Monachii satis commoda usi essent valetudine, alacres & prompti corpore animoque, nisi quod Octavius semestri ante mortem ex febre continua, sed lenta, aliquot dies decubuit, & ea tamen belle restitutus mense Iunio 1588. Octavius puer, qui prior rursus incidit in febrem continuam, lentam tamen & mitem, cum calore & dolore prope nullo, neque aliis malis accidentibus, pro ratione tanti affectus tunc adhuc latentis, stipatam, junctus tantum erat febri difficilis spiritus, sublimior quàm pro febris ratione, citra tussim, cum lateris dolore ad tactum, quem ferre non poterat, aliàs ferè nullo: ventris quoque aderat aliqua inflatio cum torminibus, urinæ turbidæ; Cum quotidie in peius omnia laberentur, decimo die obiit.

Dissecto cadavere, vitium incurabile, & forte à primordiis generationis illi, ut fratri, congenitum apparuit; cum enim abdominis viscera sana inventa essent, reserato thorace reperta vomica in dextro pulmone, universam simul dextræ partis thoracis pleuram occupans: erat enim sub tunica pulmonis dextri, & pleura ejusdem lateris costas integente plurimum ac crassum pus: In cavitate verò thoracis dextri plurima aqua citrina, alterò pulmone illæsò existente.

Alter vero frater, Alexander, paucis post diebus eòdem propè morbò decumbere cœpit, ex febre miti, continua, nullis comitata symptomatis pravis præterquam vigiliis, siti aliquali, tussiebat interdum, dolorem nullum quam sub axilla dextra indicabat, sed vinum desiderat, valde, ut & frater, urinæ tamen satis accensæ erant, cum enæoremate nigricante, quæ statim turbabantur: noctu magis incalescebat, sine tamen manifesta episemasia, qui calor neque ita morda fuit, ut in febribus essentialibus, ex materia in venis putrescente, & lentius illum conficiebat, paulatim enim vires considebant, ut neque sedere posset, extra lectum sublimis fiebat spiratio, naturam pinnæ movebantur, dolebat in affecto latere ad levem attactum: In somno conniventibus erat oculis, capite ad pedes cœpit devolvi: Tussis erat irrita cum qua nihil extundebatur: dolor sub axilla & appetitus vini augebantur: In 7. tussis crebior, cum qua aliquid purulenti excernebat, sed hærebat major pars in larynge & stertorem inducebat: ea nocte lumbricum rotundum alvo egessit, respiratio tandem, cum nihil eflatu dignum educeretur, cœpit valde coangustari, ut esset plane orthopnoicus puer: alvus fusa fœda excernebat liquamina, omnibus denique viribus intermorientibus cessit & ipse fato 10. morbi die.

Aperto cadavere abscessus, seu vomica purulenta reperta in sinistro pulmone & sinistra pleura, eratque pulmo ille intermedio pure costis & pleuræ agglutinatus, flaccidæ aliàs substantiæ & repletus vesicis quibusdam aqua viscida plenis. Reliqua thoracis cavitas in eo latere aqua similiter subviridi plena erat: Hepar etiam durum habuit cum felle magno. *Ex Observationibus Hieron. Fabri Medici Bavari.*

II. Domina Sporkia, Nobil. Baronis Spork conjux, Hectica laborabat, atque una Ascite gravissimè: præcesserant multis ab hinc annis lienis uterique obstructiones, una cum continuis ventriculi doloribus: Primo ad eam ingressus, adeò eam vigiliis, doloribus, imprimis ventriculi, immensa siti confectam reperi, ut non tantùm non animam trahere videretur, eapropter nihil minus quam afflictissimi hujus corporis curam cogitabam: Victus tamen precibus, ratus quoque melius esse, Celsi nostri indicio, anceps quam nullum experiri remedium, primò omnium, præmisso tamen leni clystere, confugi ad laudanum, nostrum perlatum, tanquam ad sacram post Deum anchoram: Dedi & vidi his oculis felicissimum effectum: namque post horam placidissimus eam excepit somnus, quo, licet diu non duraret, mirè tamen se refocillatam ajebat, adeoque petebat ut usum ejus continuarem: morem gessi, etiamsi multa adessent quæ crebriorem opiatorum usum dissuaderent, confisus in eo præparandi modo, qui usum Laudani mei tutissimum mihi polliceri poterat: perrexi itaq; & exhibui cum necessitas ita flagitaret, singulis fermè diebus, nunquam non felicissimo cum successu: Interdin contra Hecticam pugnatum liquore cornu cervi, sale essentiali Saturni, uti & antihectico Poterii, modo in jusculis alterantibus, modo in Julapiis appropriatis: utque vires adhuc majus augmentum sumerent, gelatinam Zuveiferianam parandam curavi, additis quibusdam pretiosis pro virium majori reparatione: Atque his, Deo benedicente, in tantum profecimus ut ad majora progredi nobis licuerit: Aquarum moles magnis illustrem Dominam patientem molestiis premebat, atque quà antehac movenda non erat, nunc de ea, quantum fieri posset removenda consilium ceptum, & propinatum primo apozema digens, aperiens, ex iis potissimum herbis confectum quæ sale essentiali turgent: subjunxi hydragogum lene ex magisterio gummi Gotte, Sale Martis subdureci & sale Tartari volatili constans è quibus effectum ut pars aquarum versus umbilicum secederet, pars quoque, licet exigua admodum, per alvum eiiceretur, non sine amen insigni Dominæ Patientis allevatione, quæ

quæ ut eo citius desiderato fine potiretur, fortiora sibi expetebat, imo jam se portu sanitatis navigare firmiter persuasum habebat: Verùm longe alia mihi mens erat, quam R. P. Confessionario ejus clarè satis exposui, prædixique hunc esse extremum naturæ conatum, quando quidem præter alia cadaverosus odor cubiculum satis amplum implens moneret, interiora corrupta omnia esse, Illustremque Dominam non procul ab ultima rerum linea consistere: Itaque dum discedendum mihi esset, confortantium præcipue usum commendavi, reservatis reliquis ad reditum usque meum, quo tamen opus haud fuit: paulo enim post, cum nihil minus quam mortem cogitaret, subita lipothymia correpta obiit.

Cadavere me absente, quod valde doleo, aperto, oppidò apparuit quæ subitæ mortis, quæ tot aliorum simptomatum, quibuscum per tot annorum decursum conflictata, causa fuerit: Mitto à Chirurgo observata, & lapidis in ventriculo reperti formam, &c. Cerebrum, quia plenilunium instabat, plenum erat & sanum: Pulmones velut arefacta spongia deformes, inter utramque alam purulenti, undique adnati: Cor valde parvum sed sanum: Ventriculus contractior siccitate, magnitudine ovi anserini, plenus materia cruda, quasi ovi putridi: Interius ventriculo accreverat lapis durus, griseus, quem abrumpere coacti fuimus, crassus pollicem, longus articulum: Diaphragma arefactum, Abdomen plenum aqua, circiter quatuor cantharorum: Hepar magnum, durum, densum & colore præternaturali: Lien parvus valde & contractus, sicut & Renes, omnia informia, Mesentericæ Venæ obstructæ omnes: Intestina flatu plena & aqua, Summa omnes musculi tabe flaccidi, uterus & vesica tam parva, ut puerilia, sed inania: Slesvvici 26. Iulii 1659. Ioel Langelot Epistol. ad Thomam Bartholinum centur. 3. Epist. 49. & 50.

X. Martii 1676. in Puella octo annorum, quæ Febre Hectica interierat, observavimus ventrem infimum mediumque sero valde lento repletum: Pericardium quoque ejus notabilem continebat copiam: Pulmo sinister totus purulentus pleuræ firmiter agglutinatus: Glandulæ mesenterii omnes, similiter ac illæ quæ venæ Portæ trunco circa Hepar adsitæ sunt, insigniter tumefactæ glandulæ: Pancreas cum conglomeratis aliis, integre satis se habebat. Gerardus Blasius Observat. Medicii xiij.

Monachus Franciscanus ex Febre Lenta, dyspnoea post mense aliquot, cum delirio ad plures abiit.

In cadavere apperto visi sunt nobis pulmones lividi & exsucci: Lien cœrulus & exilis, Intestina hinc inde inflammata, sicut & interior Vesicæ facies: Nihil tamen in urina viventis vitii comparuerat: Cætera sana videbantur, nisi quod totius corporis habitus fuerat exrenuatus. Bartholinus cent. ij. histor. x.

Apertum est cadaver Cathar. Mathyloo Leodiensis, quæ nata erat annos xv. causam mortis in nullo viscere eximiam deprehendimus, nam animi anxietate ex ærumnosæ vitæ afflictionibus contracta in Tabificam Hecticam miseriam inciderat: quippe in prava diæta cum haberetur, & pessime tractaretur ab iis apud quos victum laborando conquirebat, nullo commodo nutrimento partes sustentatæ, & ad incrementum naturale ecquirendum fultæ fuere: Unde enata Diarrhœa, ex humorum corruptela & intemperie, viscerum naturalium & vitalium omnes vires devastaverat, cujus manifesta spectabantur indicia in visceribus omnibus valde flaccidis, præcipue autem Corde & Pulmone: Vomica etiam in dextro pulmonis lobo aderat: & supra pericardium, ubi membranæ mediastini ei connectuntur: ad cordis apicem glandula nucis juglandis solida, valdeque densa exitestebat: Thymus etiam glandula in jugulo eandem constitutionem obtinebat, Sicuti etiam in Mesecolo exque majores, & in mesenterio, sed minores, inter quas erant variæ atheromatis materiam obtinentes: Plurima aqua pericardio inerat, cordi autem sanguis paucus: Sed Pancreas à magnitudine & consistentia naturali non variabat, sicuti nec Lien: Renes flaccidi erant & luci, præcipue in parte sima, sed ureteris utriusque extra renem in exordio progressus valde amplus: nihi tamen calculosi aut sabulosi in renibus aut vesica deprehendebatur: Omentum omni pinguedine exspoliatum erat: Hepar flaccidius & colore fusco ad luridum vergente, cæterum naturaliter comparatum: Uterus minimus erat & durissimus: Testis uterque gracilis & longior naturali figura: Tuba non apparebat, sed vas deferens à teste ad uterum aliquatenus conspicuum erat: Vasa ad fundum & collum uteri protensa tenuia erant, quoniam nondum menstrualis fuerat: Totius corporis habitus gracilis & exsuccus erat. Ottho Heurnius Histor. xv.

Febre hectica lutetiæ quidam cum periisset, in corpore nihil observatum, quam quod glandulæ, illæ duæ, quæ Pyloro à natura appositæ, (vel potius circulus qui est in pyloro) duritiem & scirrhum contraxerant, ratione cujus proculdubio alimentis non.

Glandulæ lumbares conspicuæ magnitudinis erant in corpore hectico, quarum cum lymphaticis commercium manifeste videbatur: Hectici hujus Mesenterium computruerat, Omento penitus absumpto, Ingentique aquæ ad viridem vergentis quantitate in abdomine collecta. *Thomas Bartholinus Epist. 70. cent. 2.*

Cadaver D. Miron Regii consiliarii, febre lenta mortui, & adeo exsucci ut nec carnem nec pingudinem habuerit, sed loco musculorum fibræ rubentes remanserint, & ossa cute sicca & arida fuerint vestita, Parisiis 18. Iunii 1639. apertum fuit plurimis præsentibus, imprimis Guidone Patino, visu digna hæc notabat vir doctissimus, 1. Omentum corruptum, gangrænatum & totum fere consumptum. 2. Ren dexter gangræna correptus, putridus & nigro colore tinctus, cui impactus calculus in medio, crassus & longus minimi digiti magnitudine, cujux apex ureteres ingredibatur, quos ramo bisurcato obstruxerat, hic ren adeo corruptus fuit, ut nisi aliunde mors obvenisset, mortis potuerit sola esse causa, ex suppressione urinæ brevi sine dubio sequutura;

Alter Ren neque putridus erat, neque ulcerosus, sed lividus totus propter sympathiam cum dextro, qui præter figuram nihil reni habebat simile. 3. Hepar grande sed durum multis in locis, plenum putridis tuberculis de foris, & parvis abscessibus interius, ex quibus prodiit materia alba & crassa smegmatis instar: sed magis putrida inferior pars quæ renem tangit, superior costis adnata, color lividus, Sanguis contentus crassus, lividus & putridus: 4. Lien non valde vitiosus, solo colore livebat, quod forsan vitium ab hepate illuc amplitudine sua protenso contraxit: 5. Intestina decolorata, imprimis jejunum nigriusculum, & nonnihil siccum durumque. 6. mesenterium consumptum nihil spectatoribus reliquerat præter glandulas nonnullas virides & pure fœtido tectas: substantia ipsa mesenterii videbatur in pus resoluta, quod tribus ultimis morbi mensibus per ventris fluxum evacuaverat: distincta tamen erant vasa, venæ & arteriæ, ob copiam sanguinis stagnantis. 7. Pancreas durum, scirrhosum & exile. 8. Ventriculo naturalis erat constitutio, & vesica lotio plena. 9. Pulmones duo plane purulenti, pleni tuberculis nigris & cœruleis, quibus appertis effluxit pus album & spumosum cum sanguine livido & nigricante, præter partem inferiorem sinistri, quæ tota rubebat, dura & sicca, cum aquæ rubræ claræ pinta unica in cavitate. 10. Cor exile & aridum, quale illorum esse solet qui febre lenta moriuntur. *Thomas Bartholinus cent. ij. observ. xix.*

Nob. mulier adolescens nupta viro Illust. provectæ jam ætatis filium illi peperit: Marito è vivis sublato, viduæ in mammilla sinistra tumor prodiit durus, &c. mox postquam sanata fuit in gravissimos dolores incidit circa ossium nudam, præcipueque articulorum regionem, cum capitis intolerabilibus cruciatibus erumpentes. Medici suspicati à lue venerea eos procedere, curationem eo dirigebant, atque suffitibus ex cinnabari medebantur: Accersitus ego, eam sub strato decumbentem suffumigiisque ob lectum carbonibus accensis calefactum, calentem sudantemque deprehendi, & de doloribus circa ossa atque calvariam conquerentem, febreque simul laborantem, quæ suas habebat certo tempore exacerbationes, easque præsertim post cibum sumptum: Cum & Medici & Chirurgi eam lue infectam mihi narrarent, Ego singulis exactè perpensis, ostendi arthritidem esse hunc affectum, neque dolorem illum, circa ossa se offerentem, quæ quartam luis speciem constituit, multis rationionibus probavi, Quare à suffitibus illis, quibus jam diu usa fuerat, & qui Febrem Hecticam in ea pepererant, abstinere jussimus, & pro doloribus arthriticis remedia convenientia adhibuimuss, verum cum præter hunc affectum, circa coxas, humeros caputque eum affligentem, febremque Hecticam eam consumentem, febris Putrida simul accessisset, unde cardialgiæ, vomitio post cibum sumptum fere continua, ac menses aliquot supervixerit, tamen sensim tot morbis labefactata, tandem è vivis excessit.

Corpus demortuæ à medicis sectione dissum, atque undique diligenter inspectum hoc pacto contructum deprehensum fuit: Capitis cranium crassum atque integrum sine suturis, Ventriculi in cerebro aqua limpida pleni: Mamma sinistra, qua dum viveret scirrho laboraret, circa radicem scirrhosa, ut & circa papillæ radicem scirrhus erat candidus, glandulam repræsentans. In costis vena lota nigricans. latebat: Hepar sanum nec vitiatum: Vesicula felis exterius nigra, intrinsecus ulcerata, & bile atra, quæ picis instar splendebat, repleta: Lien totus putris sanguine nigerrimo oblitus: Venæ mesaraicæ tumentes & sanguine atro turgentes, eoque crasso & veluti concreto, qui è majoribus venis, coralli instar nigri, invicem cohærens extrahebatur, venæque ex illis ventriculum implicantes latæ & varicosæ erant: In rene dextro calculus triangularis, albus, muco obvolutus inventus fuit, in sinistro tantum arenulæ; In reliquo corpore sanguis, in vena cava paucus, uti & cor, quod parvum erat, exangue cernebatur: Ex quibus præcipue his vitiis satis conjicere potuimus in venis causas & putridæ & hecticæ febris, atrophiæ, aliorumque partium naturalium symptomatum fuisse, quæ mortem illi potius quam arthritis, quippe quæ curari potuisset pererunt. Platerus Observat. lib. 2. p. 504.

Anno 1595. puellam annorum XII. aperui incantata quæ credebatur, adeo mitis symptomatibus per octennium correpta fuerat: Huic cor intra pericardium aquæ virulentæ innatabat, cui color viridis ac si marinam vidisses aquam: Causa mortis Pancreas erat, quod mirum in modum intumuerat, Jecoris cavæ parti arctissime adnatum, ita scirrhosum ut lapidem tangere te existimares. Dissectum candido plane intus conspiciebatur colore, haud aliter ac si albam pituitam admodum induratam tractasses. Extenuata omnino erat, extincta Febre Hectica. *P. Pavvius Observat. 14.*

Famula quædam cum longo tempore non sine febre decubuisset, per me tandem utcunque restituata fuit sanitati, ita ut aliquot mensibus foras prodiret, Verum postea facta recidiva, rursus aliquot mensibus decubuit, neque tunc ulla medicamenta adhibuit, nisi cum jam macie exhausta jaceret, cum Febre Lenta, Sitique continua & fluxu coliquante: Atque cum tunc ad illam accitus essem, tumor circa stomachum apparuit rotundus, ita ut tunc apostema esse videtur, atque instante jam quasi morte, & remediis aptis adhibitis nihil juvantibus, & cum ex tactu pus sentiretur, constabat intus latere abscessum jam maturum, Chirurgus accitus incisionem in moribunda tentare non fuit ausus, nam die uno vel altero sequente obiit.

Facta post mortem incisione, inventus est lobus hepatis supra stomachum ascendisse, totius hepatis membrana illæsa quæ hepar continebat; sed ea incisa tota hepatis substantia corrupta & purulenta, vomicæ instar undique effluxit in capicitatem ventris cum putore intolerabili. Forestus lib. 19. Observat. 20.

Vid

Vidi cui Hepatis parenchyma, illæsa sola superficie, in pus versum fuerat sub languida Febre ac frequenti leipothymia. Heurnius aph. 41. 6.

Vir Nobil. Jacobus Myro, Senator Parisiensis, cum esset raræ texturæ & infirmæ valetudinis, circa initium Februarii 1640. incidit in Febrim continuam, quæ ex prægrandi abscessu rupto in Mescenterio, cum pravis aliquor symptomatis, præsertim vero diarrhœa biliosa & serosa, jugibus vigiliis, hæmorrhoidibus, & universi corporis coliquatione, versa est in Lentam symptomaticam, qualem graphice descripsit Scholæ nostræ lumen Fernelius 4. path. cap. 16. Ex hoc affectu postquam decubuisset Nob. Senator, per quinque fere menses, quibus in dies pugnatum est arte medendi, tandem exitium superavit opem quæ victa jacebat fatisque cessit morte lenissima, sine ulla vi, ullaque torsione, quaque placidiorem nullam potuisset unquam sperare aut optare Augustus ipse, sine ullo cruciatu & tormento, quam εὐθανασίας nomine indigitare solebat. Transactis ab excessu horis xii, dissectum fuit cadaver.

Inter cætera observatu dignissima quæ consulto annotavi & hoc unum fuit, Ren dexter, ex cujus vitio supra annos x. sævissimis doloribus nephriticis multoties fuerat divexatus) totus putris & in tabum redactus deprehensus: In cujus media substantia & cavitate oblongum & obliquum calculum comperi, angulosum, & ut ita dicam, cornicularem. Jam multum temporis erat ex quo haud dubie Ren ille non solum putris & saniosus, verum etiam totus gangrænosi affectus & corruptissimus, sui muneris nihil quicquam edebat, & propria secernendi sanguinis & seri excernendi facultate destitutus erat. Qui enim potuisset obstructo meatu à glandiore calculo, & corrupta ad eum putredinis gradum propria substantia, ut ipsius renis nihil aliud quicquam haberet præter figuram & tunicam, quæ pro renis substantia merum tabum, idque nigerrimum continebat. Et tamen nulla unquam laboravit per totum morbum urinæ supressione: Quod sane sæpius quoque à xv. annis in hac populosissima urbe, calculosorum feracissima, observavi. Ergo non est semper verum uno Rene obstructo alterum statim cessare ab officio, cum ægrorum plurimi urinam profundant alterius Renis beneficio ad ultimum usque vitæ momentum: Ex Observationibus Excell. Guidonis Patini Doct. Med. Parisiensis & Facult. Decani.

Laborabat vir Nobiliss. D. Gul. Poole, ultra sexagesimum aliquot annos progressus, habitu pleno, febre quodam lenta, ut plerumque solent senes, cum apepsia, virium languore, aliisque symptomatibus, qui tandem jugulatus mortalitatem exuit.

Aperto post mortem corpore, inventus in vesica urinaria calculus, durissimus pyriformis, in medio secundum longitudinem pervius: urina ex eo tanquam canali quodam sine omni impedimento profluente, xiv. unciarum pondere constans: In hoc Nob. Viro nulla apparebant calculi signa, quæ quidem fuerint observata; nullus ponderis sensus, nulla unquam calculi in vesica coagulati suspicio: ut miretur quis non sine causa, quomodo fieri potuerit, ut tantæ molis & ponderis lapis ab ægro non discerneretur. *Fridericus Losius obsev. 55. lib. 3.*

Hac nostra memoria à corruptione uteri observatum est primates mulieres interiisse, febre latente & blande ægras tractante, quod expectationem spemque Medicorum non sine infamiæ nota & ignorationis suspicione decepit. Ballonius Histor. 1. lib. 2. consil.

Febres Intermittentes.

Aliquoties publice quibusvis præsentibus, in Nosocomio Academico ægrorum præter alios graves affectus, Intermittentibus quoque Febribus, & quidem non raro multifariis diutine laborantium, & tandem mortuorum cadavera dissecantes, per syringam huic rei aptam, infudimus salem volatilem liquidum, & tinctura cœrulea refectum in ductum Pancreaticum ubi in tenue hiat intestinum, qui sal quoniam nunc in plures, nunc in pauciores glandulas non penetrabat, dum in cæteras tum viciniores tum remotiores, & quidem non coloratas, tam ulteriores quam citeriores admitteretur, ipsasque colore suo inficeret, obstaculum aliquod hinc inde latitasse, propter quod ne per laterales Pancreatis ductus omnes in connexas ipsis glandulas mearet, Liquor infusus impediretur, Spectatorum nemo non videbat, & procul omni dubitatione agnoscebat. Fr. Sylvius Praxeos l. 1. c. 30.

Obstructionem in Pancreatis ductibus observavimus in fœmina febrem Intermittentem passa: In cujus dissectione per syringam infudimus liquorem volatilem ac cœruleum in ductum Pancreatis majorem, ex quo in plerosque ductus laterales penetrabat, dum in perpaucis propter obstructionem sistebatur, unde dicto colore inficiebatur ipsa Pancreatis substantia in uno loco & non in alio. Regnerus de Graaf Tractatu de succo Pancreatico cap. 2. Thesi 175.

Recordor egregiam & Nob. Domicellam Annam de Gatinois, uxorem N. xx. ante annos Tertiana autumnali laborasse, quæ in continuam & modicam tamen mutata, totam hyemem viguit, sed insignita sævissimis stomachi doloribus, duas tresve horas statim ab assumpto cibo juvenculam graviter exercentibus. Verosimile sane fuit focum Febris causamque doloris adeo acerbi in Pancreate latuisse. Nam hujusmodi dolores deinceps observavi a Scirrhoso Pancreate, graviter premente ventriculum, cibo distentum excitari, aut potius recrudescre & exacerbari à compressu ventriculi cibo pleni: Et nominatim in Reverendo Canonico Qui quatuor ante mortem annis de his doloribus fuit apud me semper conquestus, id enim constitit satis ex dissectione corporis: Car. Piso Sect. 6. de morbis ab Illuvie serosa pag. 594.

Vir quidam Nobilis Campanus Sanguineo

& melancholico temperamento, incidit in Febrem cum quodam dolore ad Dorsum Lumbos, & totius corporis tremore insolito, qui post paucos dies feliciter desiit fluxu hæmorrhoidali, lento quidem & pauco, sed dolorifico, post aliquot dies utroque symptomate adaucto. Is auxilium Medici recusat, nullam à Medicorum præceptis opem sperans, incurabili quodam, ut ajebat affectu laborans: Morbum enim magicum esse; Ingravescente affectu & Febre incandescente, accitus D. Guido Patinus Medicinam illi fecit, venæ sectione iterata & purgatione blanda ex cassiæ medulla, foliis sennæ & syropo diarrhodon ægri statum perduxit vt in convalescentiæ spem lubens devenerit: Tandem quum vino multo, eoque meraciore usus esset inscio Medico, invaluit Febris, prostratæ vires, fœtor corporis nulli ferendus: tandem cum ἀναισθησία & fugaci delirio extinctus est.

In dissecto cadavere apparuerunt omnia viscera nutritia supra modum pallida, à veteri intemperie biliosa, quæ toto vitæ decursu dominatum obtinuerat, sed absque ullo eorum substantiæ vitio: Ex utroque Pulmone leviter compresso serum putre & fœtidum defluebat; Substantiæ cerebri serum multum instar seri lactis subvirescens innatabat, cujus portio in spinam dorsi decidua, Tremorem illum initio morbi concitaverat. Mortis autem causa fuit ingens abscessus in toto Pancreate latitans, cum multo pure & fœtore intolerabili; pure inquam valde putrido & subviridi, cujus acrimonia glandulosum corpus pene universum exederat atque discerpserat. Thomas Bartholinus cent. ij. histor. xxxix. & Epist. 23. cent. ij.

Febris Tertiana in sene lethalis ob vitium peritonæi, mesenterii & pancreatis.

Cum anno C. 1668. Illustr. & Rever. Dn. Ioh. Rozycki Episcopus Chelmensis &c. septuagenario major Thorunii ut Commissarius Regis Poloniæ degens, 11. Aug. in Febrim Tertianam exquisitam incidisset, ab eaque adhuc in isto mense per medicamenta opportune eidem à Nobis exhibita, fortunante Deo, scil. purgationem levem, venæ sectionem, & pulverem nostrum antifebrilem ab eadem liberatus esset: accidit ut ex pravo victu, nempe fructuum horariorum atque vini cerasitis nimio usu, die 2. Septembr. recidivam passus sit: qua iterum benedicente summo Archiatro, beneficio pilularum nostrarum antifebrilium feliciter profligata, hinc sanus usque ad Abbatiam Mogilnensem novem miliaribus Thorunio distantem profectus sit, ibidemque usque ad annn 1669. ultimos dies mensis April. satis vegetus, in ista præsertim ætate permensis: ubi tum ex nimio esu lactis coagulati & cremoris ejusdem, secunda vice in Febrim Tertianam recidit, ad quem ego 2. Maii veniens, post secundum paroxysmum lene evacuans porrexi: subsequuto autem 3. paroxysmo venam dextri brachii medianam incidere jussi, tum ventriculo corroborantibus prospiciens febrem denuo. Deo propitio, abegi: Sed cum ille ex lacticiniis, quibus admodum delectabatur, accedente ita, tertia vice in fine Junii recidivam incurrisset, tertia Julii viribus prostratis vitam cum morte commutavit; ad quem 4. Julii ejusdem mensis vocatus accedens, cadaver cum permissione domesticorum aperire jussi.

In quo omnia secundum naturam, inventa fuere, præter peritonæum & mesenterium atque pancreas, quæ singula nonnihil corrupta & sæniosa deprehendebantur: Hepar etiam durius secundum naturam esse consuevit erat.

Apparet inde quam vera fuerit in hoc casu Clar. Hollerii aunotatio, comm. in aph. 12. s. 2. Post crisin tum relicta materia, tum dispositio morbosa recidivas facere consueverunt, nisi antevertamus purgatione vel alteratione: Accidit tamen aliquando citra hæc ut fiat recidiva ob intemperantem victum ægri, si plura sumpsit quam conficere possit; Recidit etiam in morbum sæpe convalescens propter externas injurias, id quod præsens casus confirmat: Huc refer aphor. citatum. Simon Scultzius in miscell. cur. anno 1674. 75. & 76. pag. 226.

Memini Febrem Tertianam, quæ tenuit Ampl. Presidem ante quinque annos focum habuisse in Hepate cujus indicium Tumor inflammatorius visceris ei superstes, qui in suppuratum abiit, ut constitit ex sero purulento, commixto sanguinis masæ, vena secta conspicuo, & lingua semper albescente, vapore scil. purulento tincta, quique accessu febris quartanæ exacto tandem anno mortem intulit.

Ejus in cadavere Hepar insigniter tumefactum & quasi retorridum, sed adhuc aspersum pure fuit repertum: Lien totus ambustus & carnis instar niger. Car. Piso de morbis à serosa colluvie, sect. 6.

Recordor etiam Nob. adolescentem, Ioh. de Foully, Tertiana laborasse gravi admodum & producta, cujus paroxysmi circa meridiem à mediocri Rigore cum inciperent, sudore largo sequenti solvebantur, Febre autem ingravescente, derepente & in continuam mutata, subito me absente suffocatus interiit.

Dissecto cadavere Hepar immani tumore, & jam scirrhoso distentum inventum, & vomica pure prægnas in pulmone, nam biduo ante peripneumonia oppressus fuerat. *Idem ibidem.*

Non ita pridem excessit è vivis Rever. N. à Tertiana febre comitata magno admodum tumore Hepatis, eoque duro, nec non abdominis dextri, & eo etiam infra umbilicum porrecto confectus.

In hujus cadavere, præter Hepar scirrhosum & oppido grande, observatæ glandulæ omnes dextri lateris, una cum pancreata, tumore supra admirationem magno & duro distentæ retorridæque, ut vere lapideas diceres: Hic autem, ut accepi, ante Tertianam Lenta febre hybernaque detentus extabuerat. *Idem. ibidem.*

Affligebat Nob. Scotum, & quidem juvenem Tertiana duplex, jamque xxij diem persequebatur, comitante usque & usque diarrhœa biliosa: Utrique malo obviam ibat Medicus peregrinus

venæ

venæ sectione decies repetita, Ptisana, confectione diahyacinthi, aliis: Quibus minime respondentibus expectationi, æger allatum Londino spiritum Tartari, nescio quo popularium suadente, per intervalla adguttas plures hauriebat, unde viribus quidem sibi auctior videbatur febre tamen nequaquam immutata. Successere tandem fæces alvi nigricantes, quas post aliquot dies mors sequuta,

Aperto cadavere hæc patuere, 1 Pulmo exterius atris sparsus maculis, interius pure hinc inde restagnans. 2. Pars Hepatis gibba, sanæ simillima, sed coloris obsoleti & in album tendentis: Sima, quæ felleæ vesicæ propior, cœrulea plane: neque lambebat duntaxat superficiem in visus ille color, sed in ipsam jecoris substantiam alte penetraverat: Ut conjicere hinc liceat bilem initio morbi hujus fuisse valde æruginosam, adeoque vicina omnia fœdo colore tinxisse: qua per continuam diarrhœam tandem deficiente, non ideo à morte vacua fuit vesicula fellis, sed alia sane bile, & quidem subflava, eaque dilutissima jam distendebatur, quæ perpetuo in intestina, ut erat texturæ nimis fluidæ excurrens, non poterat non alvum identidem ad excretiones frequentes sollicitare: Sed cur æruginosa ante bilis? laboraverat ante annum quartana in qua cum præcipue triumphet succus acidus, credibile aliquid ejus in vesiculam quoque fellis sese insinuasse, & colorem natura flavum convertisse sensim in viridiusculum. 3. Lien triplo major naturali, & intus nigra quadam amurca hinc inde squalens. 4. Renes magni sed flaccidi. 5. In dextro cordis ventriculo dimidium cochleare sanguinis, sed lenti & pituitosi: In sinistro ne gutta quidem sanguinis reperta, adeo frequentes v. s. omnia exhauserant: Quod si in simili posthac casu sanguis mittatur parcius, Et usurpentur liberalius, non ea quibus attenuetur bilis, sed quibus nonnihil crassescat, rectius haud dubie ægro consuletur. Olaus Borrichius Observ. 91. In actis Th Bartholini ann. 1671. & 1672.

Vir ætate florente, epulans liberaliter, quotidianæ vomitioni biliosæ jamdudum fuerat obnoxius, hac repente suppressa, ventriculi vehemens dolor prehendit, cum nausea & tussi inani: Huic mox cœpit corpus citra febrem ullam vehementi rigore tanquam invadente exquisita Tertiana, ex intervallis quotidie supra vicies concuti: Exactis diebus circiter xv. putrescente jam bile, Tertiana febre corripitur, qua multis post diebus soluta, resolutio insequitur omnium corporis partium quæ sunt sub capite, nec multo Corpore dissecto, tam multorum affectuum causam deprehendimus bilem sinceram, eamque prassinam, circum jecoris cava libræ pondo membranis coercitam, & cujus jam portio in spinæ nervos obrepserat. Fernelius Pathol. lib. 4. de febr. cap. 10.

Anno 1580. obiit Sereniss. Princeps, Magnus Dux Etruriæ, inexpectato casu, ex febri Tertiana, quam Medici ipsi simplicem fatebantur: Quæ causa erat deinde vulgi & eruditorum judicia hinc inde audirentur, præsertim cum primo pharmaco assumpto statim melius habere incipiens, ex voto, quod fecerat, 12. supplicium meritos è carcere liberari jusserit: Erant qui fungorum esui repentinam mortem adscriberent, quo cibo ipsum maxime delectatum certum est, cum sanus viveret; Alii medicamenta non recte exhibita incusabant, quæ sane omnia nive & glacie refrigerata gelidissime assumpserat.

In cadavere ejus Jecur durum & exsangue repertum, ut cui ℥xxj. sanguinis paucis interpositis diebus extractæ erant, subsequente siti intolerabili: ventriculi interiorem tunicam marcor quidam saniosus arroserat, reliquis visceribus bene constitutis & integris omnino. I. Vdalricus Rumlerus observ. 94.

§. 7. Bilem ejusque acrimoniam incusandam, ex anatome famuli Helvetici, duplici Tertiana & simplici. Patavii defuncti videor mihi divinare; Vesica enim fellea, quia ubique obstructa observabatur, imprimis obstructis meatibus, qui per substantiam jecoris dispersi bilem ad vesicam deducunt, bilem calidum succum in corpore restitantem, & febris & rigoris causam fuisse vero fit simile: videatur Spigelius lib. 1. de Semitertiana cap. 15. qui venas portæ pro fomite hic agnoscit. Th. Bartholinus cent. 4. Epist. 47.

Febres tertianæ naturam referente à serositate biliosa in carnibus putrente ortæ.

Anno 1648. mense Augusto in Nob. urbe Lucensi, ipsiusque agro, morbi grassantes inter Epidemios sunt reponendi, non ratione essentiæ, cum plures afficiant sub diversa forma, synochi scil. hemitritæi, ardentis, tertianæ, ephemetæ: sed ratione causæ, utpote qui à causa communi ortum duxerunt, aëre scil. valde humido & in activis inæquali, modo calido modo frigido: Et quia hic affectus magis viguit in planitie quàm in montibus, ubi magis ventilatur aër, hinc factum est quod in montibus degentes non ægrotaverunt, ægritudinesque variæ extiterunt pro diversa patientum temparatura & varia victus ratione: Sicut enim excedens aëris humiditas corpora afficiens, ea disposuit ad puttedinem, cum humiditas sit putredinis subjectum, putredoque hæc sese insinuarit in humores in corporibus prædominantes, eosque vel sanguineos, hinc synochi putridæ: vel biliosos, hinc ardentes & tritæophies; vel cum pituitosis putrescens, hinc heymitritæi: Nec solum variæ fuerunt febres pro diversitate humorum, sed etiam pro diversitate loci in quo putrescunt: Hanc ob causam bile prædominante, modo fuit ardens, dum putruit in venis: modo Tertianæ naturam referens, dum putruit in parte determinata; Vel in carnibus ipsis, circa quas serositas biliosa inventa fuit in copia dum facta fuit cadaverum dissectio. Ben. Silvaticus cons. 15. cent. 1.

In Tertianæ Febris principio morbifica causa cor petens, circa Cor & Pulmones, quando immoratur, anhelosos, suspiriosos & ignavos facit, quia principium aggravatur vitale, & sanguis in Pulmones impingitur, incrassatur, non transit; Hoc ego ex dissectione illorum qui in principio accessionis mortui sunt, expertus loquor. Harveus de motu cordis c. 16.

Lienis viscus, est focus friquentissimus plerarumqne febrium sive continuarum sive intermittentium, quæ ex inflammatione maxime fervidi, tenuis & atrabilaris succenduntur; quæ

quefebres adustionem sanguinis, partim linguæ nigrore, partim urina fulgorum quandam emicantem præ se ferente demonstrant, ut ex dissectione cadaverum eorum, qui ab ejusmodi febrium violentia perierunt, nec non ex excrementis, atque etiam ex solutione ejusmodi febrium deprehendere est: In dissectis namque cadaveribus, aut Lien totus sanguine atrorem fulgentem præ adustione retinente carbonis instar turgere conspicitur (ut sæpe alias & nuper à me animadversum in Ampl. Præside Michaele Bouveto extincto à quartana continua) Aut vero ejusdem Lienis parenchyma in succum quendam piceum ac fulgentem dissolutum cernitur: cujus particulæ quandoque per alvum rejici solent, picem fusam substantia sua & nigrore fulgente referentes, ut animadverti quoque in mulieribus præsertim melancholicis à natura, post diuturnas febres: C. Piso de morbis à sero sectione 1ª Theorem. 3. p. m. 40.

Joh. Formageus dum juvenis esset valde famelicus erat & ciborum appetens: vix famem satiebat: Observarunt primarii Medici eos, quibus aut imbecillis est Lien, utpote non satis officiose expurgans Hepar, aut putris, voraces esse, ac velut voulimo quodam generaliter dicto occupari: Ac revera hic de quo nunc agimus, Splenicus erat, corpore & habitu melancholicus per adustionem, sed tamen moribus & animo satis festivus & hilaris: Sed literæ illæ interiores, quibus vitiosissima etiam natura potest emendari (exemplo Socratis) illum ad istam æquitatem & hilaritatem traducere potuerant: At febre Quartana longa, qua detentus fuerat, & dolor fixus ad hypochondrium sinistrum, & apertio cadaveris satis testantur quale vitium in Liene fuerit: Et cum cibum ingesserat conquiescebat dolor. Præter autem naturale & insitum ipsi Lieni vitium, quod corpusculum istud in tantam corruptionem adducere non poterat, sed juvere tantum, causa erat σωκολαρκτικὴ, quæ noxam magnam intulerat ipsi Lieni: Nam cum forte in equum conscendisset, artis equestris parum peritus, tante vi ab equo depressus ac decussus est in solum, ut mirum fuerit cur repente oppressus non fuerit: inciderat in latus sinistrum, & Pulmo & Lien vitium ceperant: Ad medium mensis Martii dolore cœpit pedem dextrum, revera arthritis erat, eaque residua ex febre illa quartana de qua dictum, nam narrabat se diuturnitatis tædio affectum omnia remedia undique quæsivisse quibus posset cito febre ista defungi: Consultum est ut hauriret cyathum aceti destillati aqua diluti: Revera febris visa est extingui: Sed vice illius totum corpus scabie est infectum, nec non ab eo tempore in magnis temporum mutationibus articularibus doloribus est impeditus: Cum ergo duos integros dies magno pedis articulo laborasset, & ad anodyna more solito confugisset, dum cessat dolore iste, paulo post doloribus hypochondriorum, & præsertim sinistri conqueritur, in neutrum decumbere poterat; Erecta cervice spirare cogebatur: Murmur erat magnum & flatuum ilias, dolores istos à flatibus esse putabamus: alii vero ab illius refluxu materiæ, & orgasmo materiæ antecedentis, quæ ejusdem erat naturæ cum ea quæ dolores articulares committebat; Mors, quæ repente ingruit non fuit (ut putabamus) recursus illius materiæ quæ in pede dolore excitaverat, aut suppressæ materiei virulentæ & antecedentis commotio, sed rupta velut vomica interiit, Etenim in hypochondrio sinistro adeo potens erat pulsatio ut quæcunque ei hypochondrio superessent ea subsultarent, & pulsatio talis percipiebatur qualis in abscessibus ad suppuratum tendentibus: Nunquam memoria nostra tam alte palpitans pulsansque hypochondrium contigeramus; ut mirum non fuerit si ei post hæc doluerit semper, & si ita repentinæ cladis interitusque causam intus foverit: Ac initio quidem tanti momenti rem esse non putabamus: ac nos fateri oportet mali essentiam ignorasse deceptosque similitudine tantum: Nec illud evenisset, magnæ artis nostræ, quæ multis est auxilio, calumnia, quod contigit, Nam tribus à venæ sectione horis, derepente arteria vasisque aliis, ut credibile est, in Lienis regione ruptis interiit; Sed mirum quod contigit, natura conabatur per vas venosum in capacitatem rejectare eum sanguinem, qui sua copia & quantitate molestus erat, undeo intumuit induruitque ventriculus, ut saxeus lapideusque esse videretur: Sed credo libera non erat via qua id præstaretur.

Aperto autem cadavere, putris & semilacer inventus lien, & in magnam molem excreverat, sed corruptione propriæ substantiæ in partes veluti minimas concisus & semerosus videbatur, Lobi pulmonis sinistri adhæserant costis, & in Liene sanguis concretus erat, qui è propriis vasis effusus, tandem ruptis tunicis quibus concludebatur, inopinatam mortem intulit. Ballonius cons. 107. lib. 1.

Michael Tedler ann. 25. anno 1640. cum per 16. circiter menses Quartana laborasset, non obstante eo quod diversis accommodatis remediis usus esset, ad superandam quam ex victu pravo contraxerat cacochymiam, tandem morbo medelam superante noctu inter 23. & 24. Martii decessit: fuitque hic ejus vitæ exitus: aliquot diebus ante mortem à corrupto viscerum tono pedes & crura tumescere cœperunt, Viresque & appetitus paulatim dejiciebantur, manebat tamen idem febris circuitus, cujus paroxysmum etiam nocte, quæ ipsi penultima fuerat, passus est, sed & die subsequente ante vesperam, novo eoque vahementiori paroxysmo correptus fuit, qui ipsum mane ante tertiam abstulit,

Aperto in defuncto abdomine, hæc præcipue p. n. deprehensa fuerunt: Lien præter solitum, triplo major erat, flaccidus tamen & sanguine nigro ultra quam decet insuccatus: circa autem ejus arterias, earumque ramos, ad ventriculum & ad Portæ venam tendentes, glandulæ erant multæ, quæ comprimendo ductus angustabant, & visceris hujus (ut facile colligere est) obstructionem faciebant, simulque febri huic dum viveret occasionem præbebant, & omnium medicaminum vires eludebant: Sed & hujusmodi aliquot glandulæ erant circa vesicæ felleæ ductum ad intestina tendentem, eumque ita comprimebant, ut vix aliquo conatu instrumentis tenuissimis esset transitus: Et harum glandularum omnium maxima firmiter etiam Portæ trunco ad finem Pancreatis nectebatur

batur; adeo ut mirum non fuerit nutritionem ipsi defecisse, & Icteritiæ paulo ante mortem signa se in mutato corporis habitu obtulisse, & alvum (de qua tandem etiam querulus fuerat.) segniorem redditam: In Thoracis dextra parte etiam modica aquæ quantitas colligi cœperat, pulmo tamen mediocriter habitus & liber: sinister autem pulmo passim partibus continentibus erat adnatus, non corruptus quidem, sed flaccidior tamen & aquea spuma impletus: Reliqua à naturali constitutione non multum aliena erant. *O. Heurnius observ.* 22.

Helidæus secuit aliquando in Hospitali Bononiensi virum quendam, qui febre quartana, qua diu detentus fuerat, tandem mortuus est; Postea quam autem cadaver istud aperuit, repetit in corde, venis, & quasi omnibus membris, frustta magna, longa, alba, pituitosa: Hoc est proculdubio id quod in venis cruditatem appellere solemus; *Ex observationibus Laurentii Scholtzii.*

Juvenem, cui perperam fuerat exsectus testis, febris quartana prehendit, ac in eas redegit angustias, ut nequiverit unquam in cubili quiescere; nedum urgente etiam vel maxima dormiendi necessitate, sive nocte sive die, somnum capere, nisi vel pronus consideret in sedili, vel caput in lecto haberet sublime, interdicta ipsi quasi omni decumbendi copia; corpore enim vel minimum, sive retrorsum, sive in alterutrum latus inclinato. dici vix potest quam acerbos illico persentisceret dolores cum in lumbis tum in ventre, quorum cruciatibus, qualibet febris accessione tam miserandum in modum excarnificatus fuit, ut oppressus miseriis, non invitus è vita discesserit.

Invenit autem Anatome Jecur inflammatum, intestina vitellina, ventriculum vero atra bile perfusum, eandemque in turgidis omenti. ac multijugis lienis venis (quarum congeriem perperam vas breve vocant) adeo copiosam ut coram omnibus digito inde exprimeretur; In varicosis vasorum spermaticorum anfractibus, vesiculisque sub vesica positis, ob exectum alterutrum testem, plurimum stabulabatur seminis, Sed admirationem movit pancreas, supra infraque ut turgidum & extuberans, sic intus sordido pure, ac viscide pituita impendio nimis infarctum; cujus pondere depressis occlusisque venæ cavæ, ac arteriæ magnæ tunicis, visceri huic suppositis, ut juvenile hoc corpus emarcuit, genio suo defraudatum, sic excitavit contumax ipsius obstructio summas illas præcordiorum angustias, quæ comitabantur quascunque febris accessiones; incalescente proculdubio putrida hujus visceris proluvie, sive ab incendio febrili, sive à pulvinorum calore; cujus vapores deinde in ventrem spinalem, medullam cerebrumque delatos, ecquis non videt excitasse dira illa symptomata quibus corpus hoc quotidie fuit exagitatum, *Tulpius observat. med. lib. 4. cap.* 32.

Quinquagenarius, aut circiter, è febre tertiana æstiva autumno in quartanam simplicem, hinc in triplicem degeneravit, atque Novembrem in hydropem: Desperatus est à Medicis quia Practici confirmatum hydropem dicunt post secundum mensem; Relata causa ad hepar refrigeratum, partim morbo, partim usu aqua destillatarum, acetosæ & cichorii, quibus plurimum usus fuerat.

Mortuo Febr. initio inventa sunt syderata intestina, similia aquatilibus colubris: Omentum corruptum; Hepar multis occupatum scirrhis. *Hollerius observ.* 20.

Dom. Magnus ait in vulgari Quartanarum fœtura, observasse se plerosque toto autumno & hyeme quartanarios decubuisse, ac tandem interiisse, in quorum mortuorum cysti lapis loco fellis coucreverat; His Quartanis *Iecur author fuit, Ballonius Parad.* 135.

Febris Semitertiana.

Quidam ex gravi dysenteria in Semitertianam spuriam incidit, quæ postea febris intermittens facta fuit. Ægro 40. die mortuo, & corpore aperto, inventa est interna ventriculi tunica levi erysipelate inflammatorio affecta: Venæ mesaraicæ, & quæ ad ventriculum tendebant, atque omentum, crasso nigroque sanguine refertæ erant, imo omentum semiputrefactum ab inflammatione erysipelatode, quæ in omnibus venæ portæ ramis minoribus inerat, *Adrianus Spigelius lib.* 1. *de Semitertiana cap.*15.

Ego plures qui febre quotidie sese exacerbante, præcipue circa vesperam, aut statim post meridiem, in modum duplicis tertianæ continuæ, vel Semitertianæ, perierunt, secui, & in his putredinem non in vena cava, sed inflammato alicujus primæ regimis viscere, vel alia aliqua recondita parte, inflammationem paulò minorem quàm ut dolore ab ægro, vel tactu hypochondriorum à Medico & ægroto cognosceretur, deprehendi: *Idem ibi lem. cap.* 16.

In dissectis Semitertiana mortuorum cadaveribus, reperi inflammationes ex sanguina bilioso & pituitoso factas circa jecoris cavam partem, in ventriculo, intestinis tam crassis quàm tenuibus mesenterio, omeato, liene, & sæpius in una partium commemoratarum, aut pluribus; aliquando etiam in omnibus, quæ celeris mortis causa erant, superveniente gangræna vel sphacelo: Præterea in plurimis dolores in ventre immanes vel continuos, qui certis horis plerumque exacerbabantur, vel intermittentes eos affligebant, orti fuerunt, ex facto abscessu, sanie ac pure, aut bile saniosa & concocta per secessum vel vomitum redditis. *Idem cap.* 14.

Rarissime Semitertiana laborant, qui firmis sunt visceribus, sed ii qui destillationibus, laborant, jecur habent obstructum, aut lienem, aut mesenterium, pulmones male affectos, per longa intervalla colicis doloribus infestantur; Nullius eorum, qui à semitertiana perierant, cadaver inspexi, in quo pulmones & jecur non male haberent; vel una cum his caput, lien, renes, mesenterium, intestina magna ex parte inflammata, & in aliqua parte gangræna correpta erant, præsertim quo loco ileon colo jungitur, *Idem l.* 2. *c.* 11. In quodam juvene Belga, qui post dysenteriam in semitertianam incidit, & die 20, mortuus est, reperi intestina tenuia inflammata; Ileum, qua parte colo & cœco adhærebat, sphacelatum, *Idem ibid. c.* 16. Adolescens quidam Gallus semitertiana correptus 27. die mortuus est; in cujus cadavee dis-

sects

secto tenuia intestina inflammata fuerunt deprehensa, & ilei portio magna versus colon sphacelata: jecoris etiam cavæ partis portio inflammata fuit, *Idem ibidem.*

Novi mulierem (eo morbo detentam) cui cum urina fluebant primo surfurea quædam, inde & pelliculæ magnæ, & postremo pus manifestum villis, festucis & tunicis variis intertextem: Profecto ea membranarum defluxio, pro quantitate sui, certum morituris prænuntium misit, nam ex hepatis, aut pulmonis, aut cordis sideratione contigerant, ut etiam per anatomen deprehensum est: Plerisque dissecto corpore universa hæc viscera, aut major illorum portio, nunc nigra ut carbo quispiam visa est, nunc suppuratis pustulis plena: fit enim facillime ut per consensus tunicarum pituitaconcrescens jugiter adærescat, eademque salsior aut virulentior, subjectam œsophagi linguæque substantiam depascatur. Possem plurimos recensere, ut mulierem Æthiopis symbolo, & sub insigni Hierosol &c. Corn. Cemma de febre pestilenti Hemitritæo.

In Ill. Domino à Calmontio febris erat assidua, alias interdiu, alias noctu exacerbationes habens: una dies levior, altera acerbior, in morem πεντακαιφυσοῦ, aut ἡμιτριταίων: Si forte remissio aliqua erat, minima occasione prehendebat Horror; cum perfrictione quadam, ita ut ad hemitritæon accedere videretur: Anxietas erat summa, quæ à calore acri omnia confundente & os superius ventriculi molestante contingebat: Implacabiles erant dolores renum, urinæ fere crudæ: conjiciebamus circum ventriculum collectam esse humorum copiam, unde defectiones animi excitato vapore sequerentur: Sed mirum quod apparuit, nam cum habitum corporis haberet tumidiusculum, pituitosum, minime difflabilem, corpus internum æstuabat, omnia quæ excernebantur erant biliosa, tota massa sanguinis erat corrupta, Et quod mirum, pulsus erat vibrans, qualis in ingentibus inflammationibus apparere solet: Cumque esset annosa, mirabantur Medici, quomodo in febris assiduitate ista Pulsus vibratio, elatio, magnitudoque tamdiu perstitisset: at animosa erat mulier nullis aut corporis aut animi laboribus defatigari solita, nulli pene celeritate cedens, irasci celeris, ad omnes actiones expedita: cor compactum habebat, & facultatem vitalem omnium validissimam (nec enim tamdiu, tam violentæ diræque febris molestias tulisset (Itaque pulsus erat validus cum facultas vitalis esset valida, auctus erat usus, instrumentum cedebat, ut mirum non fuerit, si talis pulsus extiterit: Sed quod magis mirum fuit, est quod uno die quinquies aut sexies rigeret, ac si nova accessio foret: Statim ab isto horrore, calor adurens surgebat, manum tangentis feriens, adeoque vola manus & planta pedum incaluerat ut nullus fere eum calorem ferret, obiit die 27. totius morbi.

Aperto cadavere: sinistrapars Pulmonis erat purulenta, Et cum iræ esset præcipitis, in cysti cholidocho novem lapilli, ciceribus rubris duplo majore inventi sunt: Heper incendio incanduerat, totus sanguis putris erat & lacteus Ballonius lib. 1. consil. 77.

Febris acuta ab intestinorum inflammatione, subsequente vicinarum partium putredine &c.

Febre acuta correptus Fridericus filius Celsiss. Principis Norvegiæ &c. 1657. sexto die Parisiis extinguitur: Aperto defuncti corpore, visa est cerebri partium integritas summa, cor ipsum quale in sanis: Pulmones per febrile incendium à constitutione naturali aliquantum degeneres; Hepar parte sui cava & majore lobo, à calore febrili exsuccum & subnigricans: Lienis color immutatus, vergens in coeruleum, Omentum exaruerat: Renum parenchyma parte sui interiore subangustum & subdurum: Mesenterium magna sui parte putrilagine & sanie velut quadam conspersum: Intestina subtumida & subnigricantia, Intestinum Ileum duobus in locis exesum & perforatum: In vesicæ cavo glandulosa quædam substantia ad nucis avellanæ magnitudinem non adhærescens sed mobilis: Denique per totas alvinas regiones prorupta & effusa tam ingens vitiosorum & serosorum humorum saburra ut æquare videretur pondus librarum duarum & trium. *Thom. Bartholin. Cent. 5. Hist.* 4.

Febris ardens

Patavii puer quidam frequenti ficuum cibo scirrhum contraxit Iecoris, nec longe post in Febrem incidens Ardentissimam, die periit critico.

Eius dissecandi cadaveris facta copia, aperto abdomine, exta in fœtida natare aqua, siccus thorax, pericardium expers aquæ, maximo & continuo cordis æstu depastæ, corrugatum conspiciebatur. Observatio Iessenni à Iessen.

Invenis quidam intra triduum Febre Ardentissima, maximisque symptomatibus correptus mortuus est: Secto corpore Cor torrefactum pyri tosti imaginem representans, absque ulla pericardii aqua inventum fuit. Dominicus Panarolus Pentec. 1. observat. 31.

Ardente Sirio juvenis in Causum incurrit, cum lingua nigra, Siti clamosa, viscerum ardore & nimio viscerum caumate pressus, applicitis remediis convaluit: Post duos menses debilis factus iterum incidit in Ignem; curatio non potuit fieri quin macie tabefactus è vita migraret.

In ejus sectione inventum est cordis involucrum rugosum, & cordis ipsa substantia marcida; Nec mirum, quum omnis ferę humor qui in pericardio natura sua continetur, ab assanta colore fuerit exhaustus. *Zacutus Pr. Adm lib.* 1 *Observat.* 142.

Sanguinem grumosum in sinistro & dextro ventriculo cordis interne affixum semel tantum observavimus, in tot quos secavimus, In quodam juvene febre ardentissima mortuo, non concretum, nigricantem & stagnantem, ut in aliis, sed maxime rubrum, aliquantum flavescentem, in cordis ventriculis maxime adhærentem, ut secari non posset citra lacerationem. *Panarolus Pentec.* 2. *observat.* 29.

Lictori cuidam Febre Acuta prehenso statim livere cœpit supercilium sinistrum, & antequam viginti

viginti duæ elapsæ essent horæ, totum corpus Sphacelo fuit tentatum, ipseque exspiravit. Ego gravem subesse aliquam cordis affectionem suspicatus, curavi ut dissecaretur cadaver: Quo facto cor invenimus duplo majus quam in sanis esse solet, cum venis tumentibus & inflatis ad digiti crassitiem. *Hercules Saxonia Prælectim. Practic. Prate 1. cap. 1. §. 5.*

Quadragenarius febre ardentissima correptus doluit etiam à latere: detractus mediocriter sanguis ad vascula duo: perseverant omnia neque cedit dolor remediis: Sexto die detractus iterum sanguis ad duo vascula putris & corruptus: Sudor 7. levis, tenuis & tantum in capite & thorace: nihilo melius habet: deliria nocturna, æstus & inquietudo magna, vrinæ turbidæ; sudavit; 9. & 11. nihilo levata febre, 10 levius habere visus, nocte eadem patitur: 11. vrinæ subsident, sed divulso & nigro sedimento, sudat ut prius: pulsus perpetuo frequens & magnus cum pauca inæqualitate: Iam tendines manuum sine manifesto membri motu revelli sentiuntur: vrinæ bene coloratæ & corporatæ cum sedimento nigro: 13. floccos colligit, manibus revelluntur digiti, delirium fere perpetuum: 14. media nocte mortuus est. Pulmonibus corruptis nigricantibus inventus est. *Hollerius libello observat. §. 93.*

Intimus Sac. Cæs. Majestatis consiliarius, à parente podagrico ortus, circa annum. 35. doloribus arthriticis infestari cœpit, à quibus ut liberaretur emplastris quibusdam à Chirurgo oblatis est abusus: Sed incidit in scyllam volens vitare charybdin, nam post unum vel alterum annum correptus Ardente febre, cum erysipelate Pulmonum suffocatus interiit.

Cum autem mors semper fere imputaretur Medicis, quasi terminum accidentalem potis essent devincere ideo hanc ut calumniam fugerent, ad corporis dissectionem confugiunt, in qua Pulmo, post remotum sternum, niger adeoque tumidus sese obtulit, ut naturali suo reddi non potuerit hospitio: Epar magnum plurimo nigroque sanguine conspersum, cum cysti fellea omni bile destituta examinanda se obtulerunt, Cum autem sufficiens mortis causa in Pulmone inventa fuisset, dubii fuimus an aliæ investigandæ forent particulæ: Ultro ergo progressi, in utroque rene duo magni calculi inventi fuerunt ponderis ℥vj. nullo signo præcedente, sive pedum torporem, sive lumborum gravitatem sive urinæ indigentiam consideres: Nam copiosiores justo fundebat urinas, sed aquæ similimas, Sitimque adeo intolerabilem patiebatur, ut nullo potu ea sedari potuerit. *Antonius de Pozzis Observ. 32. Miscell. curios. anniav.*

Gener. Viri D. Thomæ Trenchard, Equitis aurati, famulus à pedibus, annos circiterxxv. numerans, proceræ staturæ, temperamento bilioso, cum ex officio multum incaluisset, hausto cerevisiæ, forsan frigidioris poculo, incidit in tussim, cum pectoris angustia & spirandi summa difficultate, accedente febri Acuta, cum intensa siti, & malarum rubore, pulmonibus laborantibus & inflammatis familiari: Hic ut erat robustus initio hunc affectum parum curans de vocando Medico parum erat sollicitus: Eo vero in dies ingravescente, Herus, serva amantissimus, me accersiri curavit, Ad quem ingressus, pulsum inveni tangendo magnum, undosum quodammodo & languidum: consideratisque symptomatis, hominem peripneumonia laborare affirmavi, dato simul Hippocr. oraculo, Quod pauci eam evadant: Ego tamen sine cunctatione, cum tertius esset à prima invasione dies, basilicæ dextræ incisionem institui, & detraxi circiter septem sanguinis uncias, cum virium imbecillitas largiorem profusionem non admitteret, etsi sanguinis plenitudo adesse videretur: Sequenti die ad materiæ impetum à pectore avertendum, & humores vitiosos evacuandos, exhibui mannam, de cocto pectorali dilutam, adjecto syr. ros. sol. cum agarico: Leniter inde purgatus fuit, sed symptomata omnia ingravescebant, ut de salute ejus omnino desperarem, maxime cum sputum non procederet, & febris excandesceret: His ut subvenirem, præscripsi Eclegma.

♃. Conserv. viol. & borrag. mucil. sem. psyll. & cydon. cum aqua decoct. malv. violar. & lactucæ extr. ana ℥j. tab. dialth. ℥iß. emuls. iv. frig. semin. & papar. alb. ℥ij. syr. violar. & juiub. ana. q. s. m. f. Eclegma. Pectus unguento pectorali & resumptivo mixtis injungi curavi, &c. Cum vero in lipothymiam creberrime pronus esset, & refici necesse haberet usus sum, ex imitatione Valleriolæ, succo ex vervecum cordibus expresso, addito tantillo confectionis Alkermes: Sed sicuti exitiale signum est, ubinunquam ullis auxillis, ratione recta administratis recreatur natura, ita & in hoc ægro contigit frustra adhibitis præsidiis, 7. tandem die, morbi magnitudine superatus, naturæ cessit.

Hujus corpore, Nobil. Heri iussu à me dissecto, omnes in infimo ventre contentæ partes apparebant bene constitutæ: Pulmones vero membranæ costas succingenti in utroque latere per plures fibras erant connexæ, unde difficultas spirandi ex parte proculdubio processit, forsan etiam inflammationi ansam præbuit, Substantia eorum erat nigricans & sphacelo correpta, Et hic fuit morbi exitus, ut verum sit quod Celsus ait, Peripneumoniam scil. esse vehemens & acutum malum, quod plus periculi quam doloris habeat, paucique ea correpti evadant. *Fridericus Lossine obser. iv. libr. 2.*

Febris Epidemia.

Illustr. cujusdam Comitis Filiolus trimus, vigoris supra ætatem solidi 1. Dec. anno 1653. tumorem pone aurem sinistram, ad juncturam maxillæ inferioris radicatum, sed tamen usque in collum protensum, cum dolore ardente monstrabat: qui indolem suam provido medico mox sequenti die cum febri acuta epidemica, gravi anhelitu & tussi sicca, constanter in mortem usque tenentibus huuc pusionem, loquebatur: d. 5 hujus virulentiæ epidemiæ sobole, successit alvi profluvium atro carbone nigrius & æstuosissimum cum dysphoria potius quam allevatione patiẽtis perstante tussi illa sicca & præcordiorum quasi præfocata spirandi difficultate, nuncio hujus veneni in spir. vitali & liquorib. naturalibus jam habituati & tyrannidem suam exercentis: cimmeriis plusquam ignorantiæ tenebris occæcati duorum medentũ oculi, hanc catastrophen è summa virulẽtia non advertentes, catarrhi figmento, quo totus orbis eluditur, afflictis parentib. & adstantib. singulis imposuerunt: Post 4. septimanam per alui recrementa rejecto vermiculo, totus in eorum expul-

pulsionem incubuit Medicus: etiam mercurium vomituum exhibere paratus: Interea cum indies magis arjetaret pro suo mercurio, Tumor oedematosus albus, nitens, circa Puelli hujus medicamentis inundati malleolos, in utroque pede exortus, supra suras, subito perreptat abdomen, & prima vice manum & faciem dextram occupat, ultima, & mortis, sinistram quoque, cum summa palpitatione illius lateris dextri: Die xi. Ianuarii exhibitus mercurius dulcis ad tria grana in pulte: Ex hoc dejecit hic æger octo sedes fœtidas mucosas (vermem vero nullum) liquidas, colore fere gryseo, cum allevatione respirii & tussis illius continuæ, remissiore etiam palpitatione dextri lateris, adeo ut cum hactenus ne manum quidem ferre posset, hic dextro lateri (quod pluribus septimanis non factum) incumberet, & indormiret satis placide, Die 12. insequente propinatæ quinque guttæ tincturæ martis in cerevisia: hora octava insequente ægrum sat bene comedentem & avide, & solito pauciores urinas vidimus: Die 10. alternata vice usu tincturæ Martis seposito, surrogatus est mercurius dulcis, dozi trium granorum, vermium & incipientis hydropis causa: qua tota die nisi duas ante mediam noctem dejectiones coctas, natureles, compactas habuit, & melius illa nocte quievit: mirabantur nobiscum astantes effectum & notabilem meliorationem, sed tamen perfidam ex hujus medicamenti usu bis repetito, Nam continua tussis & pleuram dextram circumsiliens palpitatio, remissior in tantum observata, ut pluribus, ac nunquam hactenus, horis æger huic lateri incubuerit, hodie de nullo querulus: Secundo tumor, tempore vespertino, in pedibus & suris prominentior semper, solita mensura circa suram utramque, ad duos transversos digitos monstratus, spem Illustr. parentibus faciebat meliorem, quam tamen minus tutam satis semper prædixi: Die xiv. eadem euphoria perseveranti ægro, post somnum præterita nocte satis commodum, denuo mane expergefacto exhibitæ sunt guttæ 4. vel 5. die de tinctura Martis: satis tota die commode valuit; Die xv. spes hæc meliorationis, prout prædixeram, concepta frustrari cœpit penitus, etsi domestici lætius sperarent: mihi unico nomine suspectus fieri coepit, quod cum febris æstu immanius recidivante, præteritam noctem duxerit totam insomnem, mox omnem cibum tam subito respuebat, vix respirium ducens & quasi suffocandus: Die xvi. ubi ex enemate ægri euphoria sperabantur, præcedens nox insomnis & inquieta hujus injectioni successit: manus faciesque sinistra, itemque latus ad oculum intumuere: Abdomen mensuram solitam, qua in dies tumor explorabatur vel diminutus, in sex transversorum digitorum incrementum per horas notabile elongavit: pedum itidem tumor albus, oedematosus, nitens, circa suram ad duos transversos digitos adauctus, & ad genua extensus cum respirio anxio & agonisante: Ideo seposito usu tincturæ Martis, de spiritus salis cerevisiæ usuali commixto, propinatum est ægro, ut urinæ, quæ deficere sensim cœpere, liberius succederent: Die xvij. incrementum sumente tumore & dyspnoea, æger sumpsit medullæ seminis ebuli curiose excorticati grana vii. cum gr. iij. Mercurii dulcis in pultè è contusis amygdalis facta: interdiu bis dejecit liquamia mucosa recrementis alui commixta: circa vesperam satis vegetus: Ex quo post mediam noctem præfocationis sibi imminentis quasi præsagio excitus puerulus, hora secunda antelucana cum morbo vitam quasi præfocatus & anxius finivit.

Die seqente apertum & exenteratum est corpusculum puelli: Antequam Chirurgus novaculam admoveret, invitavi Medicum Corrade & D. Davissonium, curationis comites, velint dispicere an putatitii & toties inculati vermes tantorum facinorum & mortis reatus postulandi fuerint, An potius, quod fieri amat in febrium harum Epidemiarum, maxime castrensium procrastinata curatione, viscus aliquod naturale, etiam Hepar ipsum eschara vel lethali characterisatum; vel hospite malignitate habituata exsolutum occasionalis causa fuerit illius hydropis, ad prædictas mensuras, duabus ante mortem, hedomadibus subito tumefacientis, sub cujus adauctu præfocatus videbatur hic puerulus: Aperto tamen abdomine, vermis nullus inventus: Sed ecce post hanc exenterationem, quod prognosi Medica nullus nostratium augurari potuit, in sinistra parte obviabat magna diaphragmatis propendentia instar sacci, purulentia ex albo virescente, è totali suppuratione sinistri lubi Pulmonis, salvis corde & pericardio, adeo infarcta ut liquamen illud purulentum, postquam scalpellum à Chirurgo per musculos intercostales in cavum thoracis penitius intruderetur, instar fontanæ prosiliret, & è cavo thoracis, postmodum aperti, supra mensuram dimidiæ ollæ effunderetur, de parenchymate vero pulmonis ne vestigium quidem compareret reliquum: In abdominis cavo vero aqua inventa nulla. *Andreas Cnofelius in methodo med. feb. Epidemias.*

Filius Dom. N. novem annorum, bonæ complexionis ægrotavit diebus xxxiij. febre Ardentissima, quæ spatio paucorum dierum consumpsit puerum. Mortui inveniebatur Hepar immensæ magnitudinis prorsus sanum, nisi quod in extremis partibus esset totum, nigrum & durum. *Bartholinus cent. 3. hist. 34.*

Aurifaber habebat ministrum macilentum & longæ staturæ, qui incidit in febrem satis acutam: Monitus à sodalibus, accepit vinum malvaticum cum zinzibere & aliis aromatibus ad provocandum sudorem: sed cum ex hoc levi sudore parum juvaretur, monitus accepit ab eisdem Theriacam & intravit balneum, ut magis postea provocaret sudorem, quod & secundo fecit, sed res semper cessit in deterius: Vocatus, adhubui refrigerantia & omnia quæ possunt moderare illum æstum sed frustra, & intra paucos dies exhalavit animam.

Secui corpus, Hepar ex nimia illa caliditate combustum fere inventum, ita ut haberet quatuor rimas in gibbo. Ex observation. *D. Ioh. Hessi med. Norici.*

Scotus febre prehenditur Assidua, &c. Aperto mortui abdomine primo se obtulit Hepatis lobus orificio ventriculi posteriori affixus diaphragmti nothisque costis, ut nonnisi frustillatim avelli potuerit, Portio hæc illius nigricans ex inflammatione quæ præcesserat, reliquum hepatis recte se habebat. *Platerus observ. p. 471.*

Anno 1670. Auriga ex febre continua ardente quasi furibundus, in via Regia demortuus, jussu Sereniss. Electoris Saxoniæ secabatur: In exenterato cadavere inter cætera observavi viscera omnia bene constituta, excepto quod in ventriculo neque cibus neque chymus sese offerret: Erat autem repletus materia viscosa fluidiore, ex viridi nigricante, gelatinæ spissiori, adhuc tamen fluidæ similis, quod mensuram cantharum misnicum ferme excedente: E cystide fellea adhuc integra & illæsa, ovo columbino majore, exsudasse vidi tenuiorem bilis portiunculam, duorum vel trium digitorum transversorum spatio, circum circa superas inferasque & adjacentes partes undiquaque croceo colore tingentem, irrigantem, itaque corrodentem ut partes ea illinitas & attactas putredinem acquisivisse manifeste non solum apparuerit, verum & præter heparis substantiam magnam partem hypochondrii dextri tingendo rodendoque putridam reddiderit, illæsa plane vesicula bilaria: Unde facile colligendum erodentem vim bilis simul genus nervosum tetigisse & ægrotum furiosum reddidisse: Venulæ insuper & arteriæ in cerebro turgebant sanguine nigricante, eque corde dissecto sanguis nigerrimus, picis ad instar liquidæ dimanabat. *Melchior Fribe in miscell. curiosis anni 1673. observ. 100.*

V. Veinmanni filius, cum Patavii diu misere affligeretur, tandem in febrem incidit vehementissimam, cum urinæ suppressione, cui postea stillicidium advenit, cum fœcum retentione & maxima hypochondriorum tensione, ita ut summe imbecillis evaderet vermes quidam subesse suspicabantur, cum nares semper vellicaret, atque ideo miserum clysteribus perpetuo sollicitabant: Ego inflammationem & fæcum retentionem solam causam divinabam, quare adhibito fomento ex absynthio, agrim. cuscuta & carduo melius habere cœpit, expulso etiam sudore, urina reddita & fœcibus excretis: cum vero naturæ debilitas nullis medicamentis tolli posset, obiit.

Secto cadavere, vesicam invenimus maximæ mollis musculis adnatam, urina aliisque excrementis plenam una cum ureteribus: Renes in puero tantæ magnitudinis quanta vix esse poterant in adulto: Splenis quoque & dextri hepatis lobi inflammatio aderat, vermes nulli. *J. Udalr. Rumlerus observ. 40.*

Observavi Lienem rubentem & acidum in quodam Duce militum; hic quamvis esset hepate bene se habente, nihilo tamen minus & siti immoderata angebatur, & ardente febre cruciabatur, fuitque hoc visum anno 1593. *Hippol. Boscus de Facultate Anat. Lect. 2. p. 14.*

Febris ardens, cum lumborum dolore ab inflammatione renis sinistri in corruptionem abeuntis.

Sereniss. & Potentissimus quidam Princeps, annos 53. natus, natura plethoricus & corpulentus, cum quodam tempore æstuante Sole inter venatorum turmas summo mane campos ingressus esset, non prius venari desiit quam sol ad occasum inclinans eundem abstinere cogeret; ibi vehemens ac violenta corporis, sub pondere gravis, & nedum optime post tot morbos compositi, agitatio, occasionem & causam fatalis morbi certo provocabat: ibatur enim venatico curru per invia tanto animi æstu, ut cum auriga non satis audacter pro reverentia Majestatis, Regem saxis, sulcis stipitibusque superveheret, Dux ipse, excusso a curru homine, habenas raperet, & animo alacriter indulgens, cursumque nulla lege temperans, nec currui parceret nec ipse sibi: altera post mediam noctem hora tristem effectum exercere cœpit violenta voluptas, ac primum quidem nephriticis correptus cruciatibus præter morem doluit: repetitum ea die bis terve balneum, neque calculum neque dolorem loco movit: altera tamen dies benignior visa est, jamque cum venatoribus nova expeditio designabatur, quamvis interim sitis faucium molesta & quædam inappetentiæ fastidia non desisterent: quarta morbi die vehementius exarsit renum viscerumque vicinorum dolor, quem excepit ingens ventriculi & præcordiorum, atque totius corporis concussio, cum vehementissimo ad vomitum conatu, & omnium, ut videbatur, vitalium minati conflictatione: apparebat ex illa naturæ violentia omnes quicunque in tanta corporis mole delitescebant humores ad tumultum excitos turbare, & omnia misere, præcipuamque rebellionis sedem jam tunc in stomacho refigere, febris certe manifestis sese prodidit argumentis, dolore capitis, æstu, siti, tædiis & aliis ejus generis: quare quæcunque; contranephriticos dolores sunt adhibita remeda, ita temperabantur, ut simul calorem expugnarent: Quinta morbi die cum malum cresceret, aperta vena emissus copiose est sanguis, usque adeo floridus ut nunquam hactenus ab annis plurimis observare licuerit meliorem, nam etsi primo vasculo non nihil putridioris admixtum innataret, tribus tamen aliis adeo purus exceptus fuit, ut vel inde perquam facile fuerit Medicis concludere febrem illam non ipsa in sanguinis massa exarsisse intra venas, sed extra vasa ab æstuante alicubi pravo quoppiam, aut etiam maligno humore, & præcipue ab illa intra ventriculum stabulante flamma concepisse: Firmabatur hæc opinio ab incrementis deteriorum symptomatum: nam quamvis sanguinis illa missio in corpore plethorico opportuna fuerit & laudabilis, post illam tamen non immunita sunt mala, sed advecta aliunde, inter quæ primas vendicare visus est gravis, & in omni febre periculosus singultus: hic cum in horas cresceret, nihil quod ad eundem compescendum conducibile videbatur intermissum est, continuo enim biduo aptissima & præstantissima medicamenta propinata sunt, nihilominus febris restincta non est: singultus autem vehementia augebatur in momenta; hinc demum Medici cum ex aliis signis, tum præsertim ex illis atrocibus singultuum incrementis, præsentissimum & plane extremum periculum adesse præsagiebant, credebantque fieri vix posse ut Rex, quantumquoque viribus polleat, diem unam aut alteram inter singultus illos supervivat: quare in eam partem omnes converterunt curas, ut stomachum ab illa labe, seu æstuante bile, fundo ventriculi innatante partimque ejus lateribus impacta liberum facerent: evidenter enim inde apparuit ab illa sola assurgere habitum venenatum, qui superius orificium ventriculi suffumigans, acrimonia sua singultus illos

excitet, totumque corpus concuteret; quia vero præviis purgatium culis nihil fuit effectum, conclusum est communi consilio, vomitorium porrigendum esse: adhibitus in eam crocus metallorum, sed beneficio naturæ factum ut medicamentum aliam aperiret viam, omnis enim ille pravæ bilis apparatus, qui sane magnus fuit, non vomitu, sed faciliore per alvum dejectione copiose, ad admirationem usque, & quandam formidinem deturbatus est, nec sine manifesto emolumento, mox enim post unam aut alteram horam omnis illa Singultuum tempestas ad malaciam composita est, & tandem desiit, cunctosque in spem erexit integræ ac perfectæ sanitatis; sed quamvis tanta adultæ bilis copia intra paucas horas educta sit, & major deinceps continuatis purgationibus copiosius educeretur, cessantibus tamen singultibus adhuc ardor febrilis ab incendio stomachi prorumpens, cor ipsum vehementer affligere patientem ad extremas adigere angustias non desiit: demum integro post sacram synaxin triduo, alternis eventibus cum morbo & doloribus luctabatur, victor interdum, & quasi periculum prætergressus morbo superior, interdum usque ad desperationem adstantium morbo succumbens, postquam ex diuturniore lucta insignis tum corporis, tum animi mutatio, vix aliquid boni promitteret; alternabant tamen spes & metus, donec ex multa conflictatione vires collapsæ penitusq; resolutæ nihil medicis in naturæ vel artis subsidiis bonæ spei relinquerent: tandem peracta extrema unctione, circa horam undecimam nocturnam manifesta deficientis vitæ signa se prodiderunt, ita ut ante secundam, post mediam noctem horam, istis verbis prolatis, Domine Jesu in manus tuas commendo spiritum meum, exspirarit suavissime.

Post meridiem sectione corporis facta, videre licuit manifestam morbi mortisque causam, partim in rene sinistro, qui quantus fuit, fœde computruerat, nihilque aliud fuit quam merissimus mucus & putrilago, partim in ventriculo, cujus fundo & inferiori orificio innatabat pars non minima bilis adultæ: cætera quoq, viscera haud leviter inflammata conspiciebantur. Cujus morbi historiam tibi B. L. candide exhibeo, ceu eandem oculatus & verissimus quidam testis, propria manu conscripsit; eamq; mihi fideliter communicavit: sed D. Andreas Cnofelius Archiater olim Regius, in exercit. epid. febr. contra D. Augustinum Corrade exerc. 4. tragici hujus casus causam in crocum metallorum, quem unus medicus insciis reliquis à balneatore quodam mutuatum, temere ad 15. grana in substantia propinavit, loco citato plane rejicit. De abscessu renum vide *Ballonium cons. 41. lib. 1. Simon Schultzius in Miscellan. cur anni 4. observ. 114.*

Nob. Venetus ardentissima febre correptus fuit ex pituita salsa, cum maxima albedine & lentore linguæ, cum siti inextinguibili, vigiliis & extenuatione corporis; obiit tabefactus.

Dissecto cadavere, invenimus in rene sinistro abscessum jam suppuratum, jecur, vesicam, intestina, erysipelate detenta, ex qua inflammatione erysipelacea obiit. *Bened. Silvaticus epist. ad beverovicium, in hujus exercit. de calculo.*

Vidi qui in acuta febre, utroque contento hypochondrio plurima per alvum dejiceret, nigra porracea, cruenta, flava, graveolentia: ei brevis interdum cataphora, levis surditas: temporarium delirium, à quibus parotides expectabantur ad 97. dolor sub auribus, unde magis illæ sperabantur: verum præ imbecillitate naturæ recurrente materia, orta gravi dyspnoea, mortuus est 30.

In altero quoq; eadem omnia & graviora quoque, singultus, animi deliquium, frequens mutitas, pulsus deficiens, sub 30. levi parotidum significatione edita & orta dyspnoea, alteri similiter obiit.

Utroque dissecto omnia viscera marcore confecta & abscessu putrida inventa sunt. *Hollerius commit. aphor. 17. sect. 2. Coacar. Hipocr.*

In vesica fellea eorum quos febris ardens aut diuturna rapuit, sæpe lapides deprehensi.

Arenulæ febricitantibus non paucis (maxime morbo jam defunctis) copiose cum urina minguntur, nulla vel præsente vel præterita etiam nephritide, sero à venis omnibus aut certe majoribus (ubi exustio humorum viguit) sabulum hoc rapiente: quod minus mirum videbitur iis, qui bilem totam intra propriam vesiculam in lapides, alias numero paucos, alias numerosissimos induratam aliquando viderint, apertis eorum corporibus, quos febris ardens aut etiam diuturna rapuerat. *C. V. Schneidens l. de catarrhis specieliss. cap. de Arthritide.*

Febris acuta ab inflammatione juxta musculos lumbares internos, in abscessum desinente.

Dom. N. famulum habebat, qui ex contusione lumborum in eorundem internorum inflammationem vehementem, febrem acutam excitantem inciderat; quo vita defuncto, cum venter aperiretur, ac intestina removerentur, animadverti in internis musculis abscessum a renum regione ad fundum vesicæ exporrectum delitescere, ex quo aperto magna puris copia exiliit. *Observ. Jac. Oethai Præsulis Aischtettensis Medici.*

Gravida acute febriens infantem enititur cujus ossa vi æstus febrilis friabilia reddita sunt.

Gravida febre acuta & inflammatione circa umbilicum subito, correpta, opinione citius & ἀλόγως liberata fuit, æstum vero, febrilem in fœtum transiisse eventus docuit, nam mortuus ex utero extractus ossa habuit in pulverem rubicundissimum redacta, tanta vis ignis febrilis fuit. *Matthias Jacobæus observat. 116. in Actis Bartholini.*

Illustr. virum temperamento cal. & humidum annum supra 63. agentem, circa solstitium hybernum anni 1606. Borea de repente sæviente, de mane horripilatio cum ingenti lassitudine invadit, unaque siti vehementi & oculorum caligine; facies insolito robore saturato ac livori propiore suffunditur: urinæ copiosæ, tenues & aqueæ, instar pellucidæ; hisce symptomatis totum diem urgentibus appetente nocte somnolentia gravisque torpor ac stupor & in motu atonia: taciturnitas denique, oblivio & desipientia quædam obrepunt: atqui cum non sine stupore omnium insolentem animi stuporem ac desipientiam in heroë mirantium, quid rerum ageret prorsus inscius & insultum ab illo hectore mutatus transegisset duas horas, ecce dere-

derepente evigilat atque ad se redit, sed attonitus & immemor eorum quæ sibi evenissent; tum vero primum è pulsu majore ac velociore, nec non crebro & inæquali, simulque igneo in toto habitu calore Febris emicat eaque acri comitate siti, & quæ plurimam noctis partem inquietam traducere cogeret: Sequenti die assidua quidem & vehemens sternutatio, una cum tussi & raucedine exercuit, indeque febris deferbuit paulatim, sed ea sequenti luce denuo ingravescere cœpit: Atque hunc cursum tenuit febris in xv. usque diem, nisi quod à secundo paroxysmo in dies lentescens magis magisque tandem prorsus elanguit: Secundus morbi recursus à priore nihil omnino discrepavit, nisi quod nulla sternutatio excretiove subsequuta, sed alterius brachii, in quod caput rependum inclinabat, torpor & tanta imbecillitas ut illud attollere per aliquo menses ei non fuerit integrum. Tertio febris repetiit sub novilunio in Februario incidente, flante desubito Borea, sed & 4. 5. 6. & 7. imo quoties constitutio aeris mutaretur usque ad annum 1698. recurrit inquam febris sed longe levioribus symptomatis: Circa deliquium Lunæ quintæ anni 1608. prægressis per unum & alterum diem coryza multaque spuitione, & insigni colli gravitate febris recruduit terrificis, magis quamunquam comitata symptomatis, 2. scilicer deliquii die Borea sæviente, cum ab hac causa serosa colluvie introrsum vi frigoris compulsa, plurima mictione urgente & sopore jam sensim premente sese æger comminxisset, ecce subito horrore insolitaque rigescit gravitate & pandiculatione, oscitationeque & sopore opprimitur atque mentis quadam hallucinatione: Ea porro gravitas brevi adeo concrevit, ut sponte conciderit genibus labantibus; reducto autem in lectum Sopor sensim, unaque oblivio ac veluti desipientia obrepunt, quorum ille quidem circa primam noctis vigiliam solutus est, hæc contra evidentius auxere, ita ut quanquam ad interrogata non absurde responderet, tamen garriret & nugaretur præter consuetudinem: Ab eo tempore vrens calor per universum corpus paulatim se prodere, sitisque urgere totam noctem una cum sequenti luce, urinis tenuibus alioqui ut ante, & instar aquæ perspicuis, copiose fluentibus: eam diem excepit nox sopore inturbido & inquieto traducta: à quo evigilantem gravitas statim opprimit pariter cum oblivione & desipientia, ut vel lectum comminxeret, moxque sopor horrorque, & tanta in motu atonia, ut statuam vel catalepticum in lecto diceres: sub vesperam tamen primum evigilare, nugari, æstuare, sitire; reliquam noctem sopor sed turbidus interruptusque tenuit, febris ardor inde remissior: Quinto morbi die, ecce paroxysmus hora consueta, sed longe gravissimus repetit, cum ingenti extremorum refrigeratione, oblivione, desipientia, commictione lecti, comate vigili, aphonia, sensu sepulto, motuque abolito, & tanta corporis gravitate ut plumbeum crederetur: neque vero quicquam deglutire, vel ad oblata generosa quæ somnum excuterent sensus alicujus superstitis signum ullum dare, respiratio crebra difficilisque admodum & parva; pulsus è magno & renitente, parvus, creber & mire inæqualis, vultus magis quam ante flammans, sed oculi lacrymas prægnantes: à meridie ad nonam largus sudor sese adjunxit, tandem circam x. noctis æger sensim somnum excutere, ad se redire, sed inde æstus vehementior, qui tamen lentescere cœpit declinante die: Hoc die de mane de natium dolore querelæ, nam cum corpus illi à natura vastioris molis à sopore illo gravissimum redditum, durante per 15. horas veterno, totum in nates procumberet gangræna successit, cujus cacoethia adjuncta vehementiæ paroxysmi quarti anticipantis, sive rigori, qui ex Hippocr. in continua febre, corpore jam debili lethalis est, oppressus naturæ cessit.

Aperto cadavere, Aqueam ~~in~~ capite impuritatem confirmavit reperta aqua plurima in toto capite stagnans, & adhuc in cadavere reses, nec ab ardore febrili resiccata: Febrem autem in sanguine inflammato hæsisse argumentum est, quod sanguinis massa ardore febris pene exsiccata exhaustaque est, ut dissectio docuit, cum in vasis vix libra sanguinis restitisset in demortuo. *C. Piso de morbis à sero sect. 2. p. 2. cap. 4.*

Huic febri comatosæ similem & germanam omnino vidimus in Nob. matrona 63. annorum, habitus eusarci: Similis inquam fuit in omnibus, sive idæam febris, sive syndromen symptomatum spectes: in his tamen duobus discrepans, quod & episemasias tempus ac initium exacerbationum non adeo pertinax, cum horas duntaxat novem desipientiaque premeret, & calor citius emicaret, Et vero non fuit producta, aut recursibus distincta; sed in quinti paroxysmi initio fatalis extitit.

Vasa similiter sanguine exhausta in cadavere reperta, & caput plurima scatens, aquæ sed speciatim vesica cholidochos distenta prægnansque pluribus calculis fabæ molem excedentibus, iisque viridantibus. *Idem ibidem*

Mulier Tinea tentata, crebris lotionibus sanata, in capitis dolorem ac febrem continuam lethalem incidit: Media pars totius cerebri, cum membranis (erat dextra) putrida inventa est, ichore citrino referta. *Saxonia Prælect. Pract. p. 1. cap. 1.*

Ventriculo nimis incalescente Pulmonis inflammatio pernitiosa, decreto Hippocr. de morbis lib. 2. Quali Ovenus Lunge suæ familiæ postremus, Cimbricæ nobilitatis decus Patavii anno 1617. abripitur; qui juvenis sanguineus vehementi in gymnasticis exercitio febrem continuam sibi attraxit, inflammatis Pulmonibus; quos corpori exemptos, ita deprehendimus affectos, antequam ad suos in patriam transportaretur *Ioh. Rhodius cent. ii. Observat.* 1

1601. in Ducatu Urbini, totaque Piceni regione hyems frigidior, æstas humidior fuit; autumnus frigidus & humidus; hyems denuo borealis, deinde placidior circa solstitia atque vernalis, etenim Austri Favonii, boreales alternatim viguere, bis terve tantum pluviæ; quare Martio & Aprili, tota in regione Pisauri, atque Urbini, grassabantur tumores circa fauces, frequentes pleuritides, tusses, dificultates anhelitus, Thoracis dolores, frequenter lethales Peripneumoniæ excruciabant,

aliæ primo insultu fatigabant, plurimæ ab angina & pleuritide ortum ducebant, & in septima sæpe, raro xi. interficiebant, neque hominum majorem partem occupabant, sed senes destillationi obnoxios, immoderationi victus deditos atque exercitiis violentis: plures ruris incolas quam urbanos, eosque calidos atque crassos: febre prima die cum rigore, deinde continua corripiebantur, cum siti magna & lingua excrementosa humida, modo aspero & rubra; gravitate thoracis premebantur, levi dolore ad claviculam, costas, spinam, humeros vagante; densa & calida respiratione, tussi tum sicca tum humida, cum sputo viscido, spumoso, crasso raro, subflavo, subcruento, subnigro, rarissime purulento: ægro sputa dejiciebantur, aut nihil; floccos aut paleas à parietibus carpentes, 4. & 5. delirii peribant: Hanc febrem non admodum magnus calor, neç tactu insignitet mordax concomitabatur: urinæ crassæ & confusæ inter initia apparebant, quæ si statim attenuarentur, moriebantur, Si vero paulatim clarescebant, sanabantur: eorum color est subrufus, pulsus magnus & mollis, aliquando intercurrens erat, in salvandis validus in morituris languidus, frequentissimus: Efflorescebat malarum rubor & oculorum: facilius supini & in latus decumbebant; alii recta cervice spirare cogebantur.

Quamvis auxilia necessaria adhibita fuerint, maxima ex parte tamen plurima pars ægrorum interibat: Sectis cadaveribus, reperti sunt pulmonum abscessus, ex quibus multa materia fœtens prodibat. *Lælius à Fonte consult. iit.*

Melchior de Fresnoy annos 4, natus sebre corripitur continua, sed quæ exasperationes haberet: catarrhus erat, tussis sicca, nec præ tenella ætate quicquam excernere poterat: tamen inanis semper erat tussis & tenuis humor eludebat spiritum: Vomitiones frequentes, alvus albicantia dejecit, deinde substitit: urinæ tenues crudæ, decolores pro febris vehementia: medicamentulo alvus sollicitata reddidit multa biliosa: tussis perseverabat: dolores ad sinistrum hypochondrium sed vagi nec eodem modo perseverantes, deinde sinistram lateris partem occupabant: alvus soluta est, viridia excreta, chylosa, sitis quæ expleri non poterat: magnum in pulmonibus conceptum incendium conjectum est: hinc dolores ad sternum & latus sinistrum, sed qui ad latus sinistrum non perseverabant: Medici putabant vomitiones ad imbecillitate ventriculi oriri: Quod in eam suspicionem eos adduxit, est frequens dejectio, multaque rerum variarum, putridarum, viridantium: aliquando animus paulum definiebat: & nos animi defectiones & frequentes vomitiones in alio observavimus, cui inflammatio pulmonis à pleuritide aut fugaci dolore lateris oborta fuerat. Febris non erat admodum vehemens, destillatio erat magna, eludabat spiritum: sensim conficiebatur; & incautis nobis cum cibum appeteret, biberet avidissime, 20. die, item cum de purgando eo cogitaret Medici, sublatus est: debueratmitti sanguis.

Aperto cadauere nihil p. n. in pulmone contentum inventum est: una pars pulmonis veluti stipula ardente deflagraverat, lobus unius pulmonis livebat, Hepar quoque veluti deflagraverat *Ballonius consil. lib. 1. cons. 27.*

Multi incauti eripiuntur ob inflammationem Pulmonis, quorum in Pulmonibus nihil reperitur aperto cadavere, nisi quod vestigium aliquod flaminæ apparet, Et hoc idiotæ non animadvertunt, Quod accidere verisimile est cum Erysipelas Pulmones obsidit. *Ballonius Epid. & Ephem. lib. 1. p. 25.*

Vir Rever. biliosus & melancholicus, post multos animi corporisve labores multam sanguinis rubicundi cum tussi copiam rejecit, qui auxiliorum ope visus est melius se habere, quamvis febris Assidua reliqua fuerit, quæ bis septem diebus transactis aucta est; post cibum & nocturnis horis magis increscens: conquestus per biduu de sinistri lateris dolore, eoq; non admodum intenso, cui per hoc tempus aliqua tussis, somnis breves, difficilis spiratio conjunguntur, nihilominus desistente dolore febris in dies magis augescit, & præter somni brevitatem, in hoc tempore adest siccitas & ariditas linguæ sine siti, dolor universi corporis, dorsi præsertim, mingendi difficultas, lotia clara & fæces duriores: Ego supposito sanguinis profusionem præcedentem à Pulmone fuisse, & cum non præcesserit dolor, potius per anastamosin factam esse quam per diæresin, existimo in substantia Pulmonis laxiori relictum, illius partis inflammationem concitavisse, deinde corruptionem & gangrænam; & ob id non esse mirum si in primis diebus adfuetit tussis & dolor, deinde parte affecta cancrosa reddita, omnia delituerint. Febris assidua à cibo & horis nocturnis ingravescens ex affectione proposita proficiscitur: An vero etiam febris fixa conjungatur, in dubio reliquo. Mingendi actio fere ablata, & siccitas liguæ sine siti, proveniunt ex facultatis harum partium deficientibus; cum non reperiantur aliæ causæ in quas possint referri quia ratione siccitatis cum non percipiatur sitis ob delirium, sequitur ex defectu facultatis sitiferæ symptoma procedat; Idem dic de mictione fere ablata.

Alii Medici putabant morbum futurum diuturnum, cum symptomatibus augescentibus spatio duorum dierum suffocatus obierit. Antequam secaretur cadaver, sciscitatus quæ mea esset opinio? respondi corruptionem Pulmonis in parte sinistra versus dorsum vergente, quemadmodum in consultatione dixeram, Et secto cadavere ita inventum est. *Lælius à Fonte consult xlix.*

Rev. Pater post multos labores & in aëre perniciosa moram, ut & sub radiis solaribus, febre Assidua cum destillatione ad partes spiritales, tertianæ duplicis formam referente fuit conflictatus, à qua transacta x 1. die visus est evasisse: Deinceps dum in novis erroribus versatur, in febrem Assiduam delapsus est, quæ à longo rigore exordium sumens, cum dolore sinistri lateris, cujusdam gravitatis thoraci incumbentis, cum tussi initio sicca, deinde progressione humida, in qua pituitosa flavitie & cruore persusa apparent; spirandi difficultate vehementi, cum pulsibus mollioribus, languidis & inæqualibus, malis rubentibus. Hic 14. die recidivæ suffocatus obiit.

Visum est secare cadaver, cum omnino ego præsagirem in pulmonibus offensionem esse: Secto cadavere, inventa est altera pulmonum pars aucta in magnitudine, ut quadruplo major esset quam altera, & durior: qua secta multa aqua fœtida

tida fuit expurgata, & caro inventa densa, dura & rubra, quemadmodum esse solet hepatis caro, & ab eodem latere etiam musculi intercostales non sine læsione inventi sunt. *Lælius à Fonte consult. 300.*

Nob. N. annor. 40. constitutionis sanguineæ, plenioriſque habitus, circa 4. Febr. 1617. cum febrilibus accidentibus incidit in pectoris angustiam, respirationis difficultatem, subsequens puto cruento & concurrente urinæ suppressione: prout autem erat vir magnanimus, ita parum vel nihil hunc affectum curans, Heidelbergam proficiscitur, ibique deterius habens, venæ sectionem instituit, & post biduum Darmstadium repetens, omnia symptomata magis ingravescere sentit, unde Francofurtum sequenti die sese confert, ibique medicorum opem frustra implorat viribus naturæ, ob gravia symptomata succumbentibus. Adfuit autem præter signa peripneumoniam comitantia, difficultas urinæ, qua mirum in modum affligebatur, cui fortassis ansam præbuit denegata ſeri copiosioris dissipatio per habitum corporis, ob aëris hyberni frigidioris inclementiam. in quo prædictum iter initio morbi suscipiebatur, imprimis cum alias etiam nephriticis obstructionibus æger interdum laboraret. Desiit ea difficultas urinæ remediorum usu, sed adhuc sputum cruentum, dyspnœa, nullus dolor in pectore. calor p. n. summaque virium imbecillitas aderat, ex quibus signis facillime pulmonum inflammatio lethalis colligebatur Ingravescente ergo virium imbecillitate 25. Feb. tumor pedum succedit symtomaticus. Ac 26. viribus pedetentim oppressis, & uno atq; altero pedum digito livescente atque emoriente, circa vesperam, præcedentibus diebus præeuntibus levibus deliriis, sæpius cum sopore quodam obortis, animam reddidit.

Aperto cadavere, in pectoris cavitate serum sanguinolentum copiosum aderat, pulmones, quorum substautia alias spongiosa undique sanguine crassiore, qualis venosus est, scatebant, extremis eorundem partibus induratis & nigricantibus: cor flaccidum & intus penitus exangue, conspiciebatur, à intestina sanguine putrido flatibus permisto replebantur, unde paulo ante mortem copiosus sanguis odoris deterrimi, ob imbecillitatem retentricis summam, etiam excernebatur. *Horstius observ. 9. lib. 3.*

Circa novilunium mensis Nov. anni 1607. cum Virum Illustriss. jam quindecim dies febris, arthritis, sopor aliaque symptomata crudeliter exercuissent, ecce derepente insolita accessit respirandi difficultas, ad sublimem accedens & recti spira, eaque dolore universi thoracis superioris comitata, atque gravi illo quidem magis quam puregente, & una tussicula, sed rara. Eo dolore quarto die evanescente, supervenere sopor generumque rubor, febre interea spirandique difficultate in crebescentibus. Quem morbi progressum tametsi ipse non viderim, sed ex relatu tantum ægri & domesticorum, atque triduo duntaxat ante obitum vocatus fuerim, illico peripneumoniam urgere & jam ad suppuratum & brevi ad mortem tendere significavi, cum tamen pro febre simplici catarrho conjuncta duntaxat ab omnibus haberetur: nam & pathognomonica signa eum affectum evidenter arguebant, & præter sputa toto morbi tempore alba, viscida, spumosa prorsus, rotundaque æstus, suffocatio & velut leipothymia, nec non ephidrosis superiorum partium cæteraque acidentia confirmarunt satis, quibus non multo post difficultas inspirando gravis, sudor toto corpore diaphoreticus successit, à quo sensim labefactari functiones omnes stertor subsequi cœpit. Tum præter dejectiones alias, semper abominabiles, tunc fœtoris expertes, hoc quoque memorabile fuit, quod in in illo ipso agone. antequam exspiraret, è naribus per 4. horas destillavit humor albidus, tenaxque & fœtidus omnino, ac vere purulentus, sed excoctus, qui in pulmonibus ebulliens sua sponte in nares despumaverat: cujus etiam reliquias repertum iri in dissecto pulmone denuntiavi, & revera observavi quanquam longe major portio ante mortem distillasset.

Postremo cùm viscera & hypochondria, intestinaque cum ventriculo & mesenterio, integra ac inculpata omnino fuissent reperta, præter renes calculis prægnantes & cæteroqui, sanos; solus pulmo insigniter tumidus & quodammodo exesus repertus, in iisque unus humor albus & tenax ac purulentus delitescens. *Car. Piso de morbis à sero sect. 5. cap. 1.*

Vir Illustris sanguineæ & biliosæ temperationis, in primo senio constitutus, qui multis ab hinc annis ruborem non naturalem in genis ferre cum pustulis extuberantibus consuevit, cùm Venetias appelleret, ex nimiis laboribus, & vigiliis in febrem assiduam delapsus est, cujus cum diuturno rigore cœpit initium, cum tussi, dolore pungente & respirandi difficultate ac pulsu duro, aspero instar serræ, quæ auxiliis adhibitis septima die visa est mitior reddita, ut sputa non amplius cruenta, sed alba conspicerentur. Transacta septima die, rursus febris cum rigore invadit, cum tussi & maxima respirandi difficultate, dolore non ita intenso, ad mediam thoracis partem potius vergente, cum pulsu magno, undoso, & sputione cruenta nigricante uberrima, ut mirum videretur unde tam copiosa exspuitio proficisceretur, ut aliqui ex medicis ex capite proficisci opinarentur: lotia sanorum similia conspiciebantur, fæces vero biliosæ apparere incipiebant; adest ingens faciei rubor.

Plurimis auxiliis, adhibitis, non cessantibus vigiliis & respirandi difficultate, decima die accessit pseudo delirium, & pulsus redditi sunt parviores, tandem 14. die vitam cum morte commutavit: secto cadavere, pars dextra pulmonum fuit inventa corrupta, nigricans, tanquam sanguis concretus, & ejusdem lateris etiam pleura male affecta: me hæc omnia prædicente, cùm alterius Medici opinionem non amplecterer, quod materia noxia à capite prolaberetur.

Mea sententia fuit Virum Illustr. in primis diebus proculdubio ex morbo laterali laborasse; adfuerunt enim 4. signa pleuritidis proposita ab Hipp. & quintum à Gal febris scil. acuta, dolor lateris assiduus, difficultas spirandi, tussis, pulsus durus, celer, inæqualis febris hunc affectum comitatur ob inflammationem & situm partis laborantis, quæ cordi proxima est: dolor pungens sequitur, quia membrana, pars nervosa, inflammatione tentatur, & continuum solvitur. Difficultas respirationis accidit, quam Gal. 3. de loc. 3. debere esse frequentem & assiduam affirmat, quoniam pars respirationis instrumenti la-

borat & dolet: prohibet enim dolor quoniam instrumenta respirationis plurimum attollantur, unde respiratio fiat parva & crebra necesse est. Tussis vero succedit, quia ex pleura laborante inflammatione, sive pars est tenuis & rara, ob id necessario aliquid humiditatis resudat, quæ pulmoni communicatur: pulsus vero ob febrem nenecessario est celer: propter vero nervosam partem male affectam insigniter durus, sed minor quam febri conveniat: postmodum vero ex pulmonis inflammatione conflictari, pleuritide in peripneumoniam commutata, imo sputiones copiosæ & nigricantes ipsorum pulmonum caloris naturalis corruptionem confertim factam, non mediocre indicium præ se tulerunt: Cujus affectionis causa proxima est sanguinis biliosi ad pulmones defluxio, prava qualitate affecti: remotiores vero jecoris intemperatio fervidior, mala dispositio pulmonum & errores exteriores. *L. à Fonte Consultatione 91.*

Adolescens 18. ann. optimæ cæteroquin constitutionis ex victu inordinato incidit in continuam cum respirationis difficultate: cumque aliquandiu, nihil proficientibus remediis laborasset, diarrhœa superveniente obiit.

Secto cadavere præter pulmones etiam hepar erat inflammatum, *Jo. Udalr. Rumlerus obs. 21.*

Illustr. & Rever. Matthæus Zante Patriarcha Venetiarum, sanguineæ & biliosæ temperationis, qui aliquibus abhinc annis difficultate excretionis fœcum laborabat, quæ duriores & ictericorum similes dejiciebantur, vigiliis obnoxius, mense Julii, post multos animi corporisq; labores, præcipue ad iram concitationem, in febrem assiduam delapsus est, quæ in principio accessionalis videbatur, cum longo rigore invadens: secunda autem major accessio primæ correspondens per decem horas anticipavit, in cujus remissione sudor copiosius insequutus est; deinde febris continua fuit animadversa, aliquot horis nocturnis augmentum capiens. Lotia erat sanorum similia & fæces, aderat maxima spirandi difficultas cum tussi, & albæ pituitæ exspuitio interdum etiam putridæ: rubor maximus in genis, non poterat in sinistrum latus nisi cum difficultate decumbere: aderant vigiliæ & somni breves, cum sudatiunculis circa pectus & collum; siccitas linguæ & labiorum albedo: pulsus magni, interdum molles, qui in sexta die in quarta pulsatione facti sunt intercepti, quo tempore etiam biliosa dejectio successit. Adhibitis remediis res tamen semper in peius delapsa est, ex quo factum est ut alter ex medicis pronuntiaret febrem esse redditam malignam, de inflammatione pulmonis ne verbum quidem, 14. die vitam cum morte commutavit.

Secto cadavere, fuit inventus tumor in parte sinistra pulmonis, ex cujus sectione materia fœtida fuit educta: quæ mea duntaxat fuit sententia, atque lapis in vesica fellea ingens, totam vesicam replens. *Lælius à Fonte Consultat. 32.*

Illustr. & Rever. Offredus de Offredis, sanguineæ & biliosæ temperaturæ in æstatis initio, post usum glaciei luculentum, ac labores corporis vehementes, in febrem assiduam est delapsus, quæ cum ventriculi offensione & alvo liquidiore, in principio per circuitus succendi visa est, cum immensa respirandi difficultate, ut decumbere non posset & suffocari videretur, cum rubore genarum ac linguæ & labiorum siccitate & albedine cum tussi & pectoris gravitate quadam, cui in fine tertiæ diei sudor copiosus successit: in toto tempore vigiliæ, circa frontem & collum sudiatunculæ, lotia alba crassiora, fæces vero sanitatis similes: pulsus magni, molles urinæ quales sexta die (dum per tres horas somnum capit) præter sudorem universalem dejiciunt, biliosa, lotia turbulenta prodeunt, maculæ magnæ, cineritiæ per cutim erumpunt, pulsus magni, molles, sed in quinta pulsatione intercurrentes percipiuntur: in fine sextæ diei succrevit delirium, pulsus redditi sunt in horas languidiores, in fine septimæ ad meliorem vitam fuit perductus.

Secto cadavere, pulmones fuerunt inventi tumentes & pravi coloris, sed non fuerunt secti, cum operatio fuerit facta ab ignaro barbitonsore. *Lælius à Fonte consuli. 122.*

Febris lethargica à pulmonibus putredine affectis.

Vidua Dom. Garnier ann. 45. nata in morbum incidit: habitu erat satis succulento, alba, genis rubentibus: ægritudine aliqua animi detinebatur qua sese eximere non poterat facile: circa æquinoctium autumnale, cum præcessisset temporis constitutio inæqualis (qualem pauci admodum animadverterant) putredinis parens, in morbum incidit. Primum totum corpus maculis rubris, ac si morbillis laboraret, aut si ingens æstus foret, erat defœdatum, nonnullus corporis torpor, appetentia dejecta, ignavia, rerum omnium contemptus, cum alioqui prudenter rerum omnium satageret & ad omnia munera obeunda esset alacris, quod magnam morum dissimilitudinem significabat, & ad judicandum de dubio ancipitique exitu occasionem porrigebat, febris continua fuit, de nocte maxime exacerbabatur, nec exacerbationis ullum erat signum quod anteiret, sed confusa erant omnia: magna non ita febris apparebat ut ea nos moveret: febres eo tempore grassabantur mali ingenii, urinæ fallaces erant, nam nec incendii indices erant magni, & sedimentum laudabile satis, & enæorema continebant: comatosa erat, nec nisi interrogata respondabat, alieni tamen judicii nullum erat signum: capiebat satis belle cibum oblatum: diebus judicibus nihil natura movit, nihilque excrevit nisi arte sollicitata: dejectiones variæ, putres admodum, sanguis bis missus plane putris: vires plurimum dejectæ apparebant, præsertim animales, quarum etsi non magna necessitas est in morbis tamen ad judicandum nobis magnam præbent occasionem: primis decem diebus exactis omnia satis moderata pacatâq; fuerunt, sed ab 11. aut 12. die magnum apparuit incendium; ex intervallis graveolentissimæ dejectiones, levia deliria, oculorum lacrymæ involuntariæ, genarum, ac præsertim sinistrarum, rubor satur admodum. Tandem cum urinam redderet involuntariam, aut retineret ac si suppressa esset, involuntarie quoq; alvus descenderet, 14. morbi die ab illa exacerbatione manifesta, 20. autem totius historiæ morbi, cum sudore magno (nullus autem toto tempore febris apparuerat) deliria, risus, taciturnitas magna, tremores & quasi subsultationes manuum aderant: potus omnes sine discrimine admittebat, non sitiebat graviter febriens; potus veluti in profundum descendere videbatur: cum colluere

luere os aqua juberetur, non poterat ore rejicere, bene ratiocinabatur, interiit.

Aperto cadavere reperti sunt pulmones veluti putres, costis adhærentes, intestina plena fugaci tetroque flatu, cum serosi humoribus in spatiis & inanibus foraminibus abdominis, qui meteorismum inferebant. *Ballonius conf.45.lib.1.*

Quatuor annorum puella febre continua extincta erat: hæc curiositati nostræ anatomicæ immolata post mortem, pulmones exhibuit costis & sterno firmissime adhærentes, multis locis duros, multo pure fluentes, & utraque parte, quod rarius occurrit, pure repletos: pericardium, panni lanei crassitie nigricantem cordis circumdabat substantiam; interim neque dyspnœa, neque tussicula ulla, neque phthiseos specie laboraverat: reliquo enim corporis habitu bene constituta, carne solida & pingui erat. Addo verò plurimos me in hacce nostra Hollandia secuisse qui pulmones altera parte habebant exulceratos: raros qui utraque, qui tussi aut dyspnœa laborabant non adeo multos. *Theod. Kerckringius Observ. Anat.72.*

Anna Burgunda, 33.annum nata, sanguinea, portatrix meri nulli secunda, ingluviei dedita febrem incurrerat stipatam siti, cibi fastidio, vigiliis, orthopnœa, corporis jactatione, aliisque symptomatis: inter quæ non obscurum locum habebat pulsatio vehemens supra ventriculum: quem pulsum ergo arteriæ cœliacæ multis animo meo versatis, conjeceram, quibus elevandis malis nulla præsidia profuere: verum indies augescente pulsatione, diutinos labores & extrema virium detrimenta jam passam mors occupavit.

Cadaver dissecando, compertum est mesenterii membranam, quæ à peritonæo deducitur, multo circum cruore suffusam atq: intentam, nihil interim mali mesaræi vasibus expertis: quoniam autem nobis opinio fuerat male patientis arteriæ cœliacæ, ad hanc nos perlustrandam nostrum studium appulimus, eandem ab omni proximo corporum objectu expedientes. Exorti igitur ab inferioribus, postquam ad artertias emulgentes pervenimus, superata jam parte quæ magnæ arteriæ primos divaricatus sentit, corpuscula offendimus tria ex pituita concreta (hujus est uber modus arteriæ longeque amplior quam venæ) vi caloris opinor sibimet incumbentia, quæ obturabili cujusdam modo arteriæ ductui sic offarcta transversim erant, ut spiritui se transfundenti præcluderent viam; continuo autem ad superiora facto transgressu, tandem cœliaca sese obtulit, ita dilatata ut compressum pusinum admitteret, quæ naturæ suæ modo vix annularis digiti crassitudinem æquat, in quo sinu sanguis abunde stagnabat ater, grumosus, in putredinem abeuntis imaginem præ se ferens: à quo uno arteriæ sic depravato statu profectam interitus causam nemo est qui dubitet. *Ex obser. Nicola. Larchei Medici Rom. apud Severinum lib. de Abscessibus p. m. 280.*

Cum Myrtilleti studio Medico vacarem, & inpinato quidam è Seren. Elect. Satrapis octiduo spatio à febre quasdam symptomatica jugularetur, exenteratio demandata est Archiatro, & sequentia notatu digna memoriæ infixi.

Abdomine secto, omnia salva & justo loco posita invenimus: ubi vero sternum à costis separatum, & pleura dissecta, statim animadvertere licuit utrumq; lobum Pulmonum valde flaccidum dorso cum pleura firmiter adnatum. Lobis in superiore parte dissectis & manibus compressis, nihil erat conspicium nisi spuma; sed circa medium alia sectione per transversum administrata, iterum lobis compressis, subito multæ parvæ vomicæ, instar apicum digitorum eruperunt, quibus uterque lobus ad infimam usque partem, qua diaphragma appropinquat, refertissimus erat. Corde aperto, in sinistro ejus ventriculo, invenimus massam quandam fibrosam, pinguedinem referentem, nulla parte adnatam, sed liberam ovi columbini magnitudine.

Hujus materiæ facit mentionem Cl. D.D. Wepferus Dissert. de apoplexia p. 124. Sed nullus dubito quin eandem materiam in arteriis invenissemus si modo inquisitio debita facta fuisset: interim hoc miratu dignum, Nobil. illum nunquam de ulla pectoris angustia conquestum, sive tussi, sed exercitio equestri & chorearum quotidie vacabat, cum tamen pulmonum minima saltem pars in superiore parte sana esset. *D. Gothof. Christianus Wincle rus in Miscell. cur. anni 1671. obs. 133.*

Vidi ego in dextro cordis ventriculo mulieris, quam peripneumonia sustulerat, radicè enatam, carnosam, albidam, flaccidam, quæ prodiens ex corde, & cavam venam subiens, propagabatur usq; ad caput & os sacrum: eadem carnea substantia ex sinistro ventriculo prodibat: quod in quatuor cadaveribus peripneumonicis subinde observavimus. *Obs. Nereti Neretii Med. Florent.*

Anno 1596 Virum quinquagenarium dissecui: hic inflammatione Jecoris laborabat, quod visui torrido ac adusto conspiciebatur colore: pertusa autem ejus membranula, parenchyma universum in putrilaginem abierat, maximamq; puris copiam effundebat, potissimum ea sui parte gibba quæ diaphragmati adhæret: adfuerat continua febris, quæ cordis succulentiam nativam ita consumpserat pyri in modum uti contactum conspiceretur, flaccidum plane, haud aliter ac si pulmonem tetigisses: huic pulmo variis locis costis adnatus conspiciebatur. *Pet. Pavvius obs. 19.*

Expendenti mihi aphoristicam. div. Hipp. sentent quod sc. ex bubone febres omnes malæ præter diarias, cum inviserem præcl. Vir. Adrianum Spigelium, Celeber. Anatomic. è vivis sublatum, cum bubone sub axilla sinistra ann. 1625. ann. 47. non levis mihi scrupulus occurrit, nunquid ex bubonib. fiant solæ ephemeræ, vel putridæ etiam; ex Hipp. enim sententia in aph. proposita: expressa luce clarius statui videtur, ex bubone febres putridas quin etiam fieri posse: non enim dixisset, ex bubone febres omnes malæ præter ephemeras, si ex bubone fierent solæ febres ephemeræ: cui subscribentes omnes fere medicinæ scriptores asserunt, fieri posse ex bubonibus, non solum febres ephemeras, sed etiam putridas. Atque de putridis id palam fit ex Præsenti Spigelii morbo, à quo extinctus est, quem ferè continuè observavi 63. dierum spatio quibus decubuit. Hic etenim Vir Præclar. ex indicis digiti punctura, dolorem & tumorem insignem in sinistro brachio passus est, cui successit abscessus seu bubo sub axilla, cum dolore adeo gravi, ut non solum brachium, sed & totum corpus immobile factum sit, cum febre acuta sine annotationibus manifestis, inappetentia, vigiliis & gravi virium languore; vigesima sponte erupit abscessus &

multam saniei copiam triduo effudit, subcruentam, fœtidam, liquidam, à qua remisit dolor, adeo ut in latus affectum decumbere potuerit, quod antea fieri non potuerat: perstitit tamen febris vehementia, cum tensione & dolore dextri hypochondrii ad claviculam usque cui succesit diarrhœa, primo biliosa, mox & saniosa, non dissimilis materiæ ex abscessu emananantis, quod ansam præbuit dubitandi nunquid esset dysenteria vel abscessus jecoris, cum vero nulla præcessissent tormina, non ramenta, aut intestinorum erosiones, in jecoris abscessum conspirarunt sententiæ, cum præsertim præteritis annis abscessus ventriculi per vomitum expurgatus fuerit: interim plurima interna & externa fuere præscripta, cum durante febricula, cum dejectione materiæ saniosæ 63. die extinctus est.

Dissecto cadavere, occurit abscessus in concava jecoris, juxta prognosticum. *Ben. Silvaticus cent. 3. consil.* 18.

Vir Illustr. Dominus Thamas Trenchard, ætatis consistentis, temperamenti melancholici, habitus gracilis & rari, spleneticus, hæreditario quodam jure à parentibus derivato, acutissimis ventris doloribus, colicæ æmulis crebro molestatus hic Nobil. affinem in Comitatu Hamptoninsi invisurus, eo loci profectus incidit in febrim continuam, satis acutam, cum vigiliis, & sinistri hypochondrii dolore, ad humerum usque tendente, in quo acerbos admodum dolores passus est, ut de nullis aliis esset querulus: adhibito in consilium Medico, Venæ sectio instituta basilicæ dextræ, neglecta rectitudine, quam observare solent practici, præmisso tamen pro more clystere: julapia quoque & alia exhibita; quibus nihil proficientibus, sed malo in peius ruente me quoque Dorchestria accersiri curat: consenso equo, quinque milliaria progressus, ab alio servo in via obviam facto, iter differre jussus, quod herus melius haberet, domum revertor, hyeme validissima solstitio proxima, nive omnibus candescentibus: Quid fit elapso solum die iterum vocor, quod essem ei ordinarius; sed antequam ad eum pervenire poteram, morbo superatus naturæ satisfecit.

Dissecto à morte corpore, omentum in se circumvolutum, & umbilicum versus ad formam orbiculi conglobatum invenimus: lienem vero totum putrefactum, & parte ininterna pene absumptum, mala adeo materia, picis instar liquida, nigra, fœtente, ut minime essemus ferendo; hepar etiam sima sui parte, in consortium malignitatis raptum etat, ubi putredine corripi incipiebat; reliqua salva conspiciebantur. *Fridericus Iosiius, observ. 45. l. I.*

Ioh. Fernelius uxoris morte ita repente perculsus ac prostratus est, ut ante xii. ab ejus funere diem, ex summo animi mœrore ac angustia in febrem inciderit continuam: ad septimum hujus morbi diem cum urinæ inclarescerent, & febris symptomata omnia multo leviora facta essent, qui illi opem ferebant medici felicem exitum una cum ægro expectabant: verum ad xi. mitum in modum exasperata sunt omnia, ideoque æger urinarum cruditate, atque aliorum symptomatum sævitia permotus, ac mortis metu perculsus doctissimos regis & urbis medicos aliquot in consilium adhibuit. hic febre quartana aliquando conflictatus fuerat, & toto vitæ curriculo non solum vino oligophoro aqua abunde diluto usus est, sed etiam extra pastus æstate, frigidæ potu sitim explere solitus erat: unde lien non parum læsus videbatur: inde enim acoris cujusdam sensus ori ac faucibus integrum jam biennium inerat qui nullis remediis discuti potuerat: quum ergo causæ quædam externæ, hæque graves admodum, acerbissimum mœrorem attulissent, superveniente uxoris obitu, quo omnia exasperata sunt humor in liene collectus tandem incalescens atque putrescens, inflammationem ejus visceris peperit unde & febris accensa est continua, quæ sensim increscens, ita naturæ vires omnes attrivit, ut eum XVIII. die nobis mors immatura eripuerit, anno ætatis 72. Christi 1557.

Causam interitus ex anatomo pervestigantes, è lienis inflammatione perniciem manasse judicavimus; quum & valde tumidum & prorsus lividum ac virescens id viscus esset; & scalpello dissectum magnam saniei instar picis nigerrimæ copiam profuderit. *Gul. Plantius in ejus vitæ.*

Amplissimus Præses M. Bouvetus extinctus à quartana continua, eaque coniuncta cum phlegmone hepatis, ex parte suppurata, & ex parte in scirrhum degenerante: cujus phlegmones hepatis initium quartanam præcesserat vel annum integrum ante. *Car. Piso de morbis sero sect. 1. p. m.* 40.

Sæpe jecur animadvertimus tuberculis & abscessibus instar furunculorum obsideri, nullo hypochondrii dolore, nullo tumore, nullo decubitu difficili: febris solum inerat non admodum ardens, cum siti, cum sibi fastidio, cumque alvi profluvio interdum in menses multos perseverante: ut idcirco difficile malum quemadmodum & substantiæ corruptela, ab intemperie calida, aut ab obstructione internosceretur. *Fernelius Pathol. lib. 6. cap. 6.*

Febris continua à corruptione gangrænosa in parte renis interna. Ab abscessu in sinistri renis parte extoriore, ab inflammatione testiculorum & meatus urinarii.

Juvenis post diuturnam gonorrhœam, cibi potionisque immoderationem febre assidua affligitur, quæ horis vespertinis magis augetur & amplificatur cum lotiis crassioribus & pituitosis: 11. die diarrhœa varia subsequuta est, quæ usque ad 19. permanens, vires maxime dejecit, unde siccitas linguæ, faciei rubor, inquietudo & totius macror successit, 20. lotia uberiora prodeunt & turbulenta, quæ tamen clarescunt: quamvis varia adhibita sint, semper adaucta est febris & symptomata succreverunt, adeo ut 30. accesserit rigor, cui successit febris vehementissima cum rubore genarum & pulsuum maxima frequentia & celeritate, qvare die 34. in plenilunio interiit.

Secto cadavere, inventa est corruptio gangrænosa in parte interna renis dextri ut lotia turbata gradum coctionis, quemadmodum erat opinio alterius Medici, non significarent, sed ex mea sententia alterius renis corruptionem: adeo ut etsi Galenus non comminiscatur nisi de lotiis turbidis quæ ex gradu coctionis subo iuntur, Medicus; si sit Philosophus, debeat etiam alias causas indagare. *Lælius à Fonte Consult.* 13.

Illustr. Abbas à 14. diebus temperaturæ sanguife-

guineæ, post cibi potionisque immoderationem, duobus affectibus potissimum detinetur, scilicet distillatione à capite in subditas partes, alter est febris assidua sine certo ordine tenens, post cibum & horis vespertinis more duarum tertianarum increscens: in quibus ita se habet ut se vix morbum persentire asseveret, cum dormiat plus consueto, nulla caloris mordacitas persentiatur, urinæ tamen copiosæ prodeunt albo sedimento refertæ, hæque multo uberiores quam ingestis respondeant optime: optime se habet ad ea quæ offeruntur: horis vespertinis facies rubicundior inspicitur, præsertim circa genas, nares & aures, quam aliis temporibus; adest tussis sicca, assidua; pulsus humiliores & frequentiores percipiuntur; ea quæ excernuntur sunt similia sanorum: In regione renum non mediocrem fervorem experitur, neque sine adminiculo incedere potest: 20. die facta minoratione ex flore cassiæ, præter excrementa fæcalia multus sanguis corruptus fœtens fuit excretus, tandem die 40. interiit.

Secto cadavere inventa est corruptio & abscessus in sinistri renis exteriore carne, me ita prædicente antequam cadaver secaretur. *Lælius à Fonte Consult.* 68.

In quodam à febre duplici tertiana continua extincto vermium in ventriculo & intestinis quantitas ingens deprehensa.

Febre duplici in tertiana continua correptum mortuum secui, in quo quanta esset vermium copia dictu incredibile est; ipsi enim in ventriculo & intestinis conglomerati atque coacervati per œsophagum ad os usque ascenderant, absque eo quod alexiteriis remediis copiose ægro administratis enecati fuissent, vermes porro ex materia heterogenea genitos, aliquos albos, aliquos rubros & alios nigricantes aspeximus. *Dom. Panarolus Pentec.* 1. *Observat.* 41.

Febris continua. 1. *A mesenterio pure referto.* 2. *Ab ejusdem abscessu.*

Virgo in dolores colicis similes incidit; contra quos cum nullum remedii genus valeret, misella febre quotidie cum rigore insigni repente, doloribus jam dictis associata post paucos menses marasmo consumpta est.

Dissecto ventre, ingens copia puris, quo tum mesenterium refertum, ac quasi turgidum erat erupit. *Ex observation. Th. Mermanni Archiatri Bavarici.*

Illustr. N. Febre valida correptus cum vomitu, 14. transacta, in alvi cruentam dejectionem devenit, ita ut sanguinem nigerrimum, corruptum, pessime olentem, ad 15. ℔. pondus excreverit, unde animi deliquio correptus, omnes eum proxime moriturum credidimus: nihilominus cibis per intervalla optimis refectus, vires resumpsit, ita ut, etsi febri continua, licet non ita intensa & uniformi continuo vexaretur, nihilominus salutis spem præberet: sed tamen cum quotidie fæces conspersas sanguinolenta saniosaque materia excerneret, in diesque magis, ac magis emaciaretur, infinitis prope remediis adhibitis, 63. à decubitus die occubuit, cum tamen postremis diebus ingens urinæ profluvium supervenisset, ita ut quinque libras & amplius quotidie per plures dies emitteret.

Cadaver dissectum fuit, atque in mesenterio ea in parte superiori, qua intestino recto annectitur, ulcus sordidum, ad spithamæ longitudinem adinventum: unde ea in parte collectum abscessum conjecimus, illoque disrupto, putridum sanguinem ea in copia profluxisse non dubitavimus; Sed quod mirum est, nunquam per totum ægritudinis tractum, præterquam extrema die, qua illi venter intumuit, de illius partis dolore conquestus est. *Marc. Donatus histor. mir. lib.* 4. *cap.* 7.

Franciscus primus Galliarum Rex Febribus Intermittentibus postea Continua occubuit, referente Thuano tomo xv. historiar. lib. 3. calendis Aprilis anno 1546. Manu facta est dissectio corporis Secto abdomine, omentum ruptum ad pubam & ad ventriculum sese exhibuit, sic ut intestina, suo veluti velamine ablato nuda spectarentur. Sed qua parte duodeno & pyloro incumbebat nigredinis speciem & corruptelam referebat, Duodenum putre, purulentum: Ventriculis inferiore tunica ruborem cum nigrore mixtum repræsentans, humorem atrum, majorem etiam quam pro ratione assumptorum copia, continebat; Gula ulcerata saniem subruffam eructans: Putris pulmo, dextra parte costis ad spinam sic pertinaciter hærebat, ut inde sine dilaceratione divelli non potuerit: qua parte sectione facta vitosa sanies effluxit: Cor & Iecur, Ren sinister plane illæsa, Lien non admodum insigniter affectus: Ren dexter ultima parte scatens, à quo exortum vas seminarium exemptum, colluviem partes adjacentes effederat, sic ut in illis omnibus insignes corruptelæ apparerent: In collo vesicæ, ulcus latum pure multo refertum: Sub pube dextra omnia purulenta, & ipsa substantia gangrænosa Scrotum, parastatæ & partes omnes testes ambientes simile vitium contrexerant; Animæ rationalis sedes integerrima: Tam variorum affectuum, tam diversos focos obsidentium certæ cum sint causæ, nullum tamen ad generationes primordia referendum esse, aut in posteros transire posse affirmare non dubitamus. *I. Cosmæ Holtzachii. Observatio.*

Mercatoris filia, antea frequenter hæmorrhagiæ obnoxia, ac proinde cachexia fere consumpta, in febrem biliosam continuam incidit: Ordinatum vinum laxativum (cum ab aliis omnibus abhorreret) inde pejus habet: Enema præscribo, leniendi ventris gratia simul non neglectis alterantibus & corroborantibus: Succedit autem pervigilia, dolor capitis, intumescentia ventris, cardialgia frequens, fit pulsus intermissus, convulsiones prehendunt, ἀσφυξία tandem totalis adest, fluxu alvi symptomatico succedente: Prognostico facto, roborantibus tantum naturæ suppetias ferre conati sumus, imprimis tunc temporis ubi exacerbatio καρδιαλγίας vehementissima affligebat, quam admodum leniebat roborans istud cujus usum mihi commendaveras in palpitatione cordis dolorifica, chrysolitus videlicet præparatus cum lapide bezoar, margar, magisterio, &c. Hoc sæpius adhibito, non tantum ad miraculum vehemens cordis

cordis dolor remisit, sed rediit etiam appetitus cum somno moderato: vires vicissim colliguntur quadantenus: pulsus, qui per octiduum fere nullus, jam vermiculans, post intermissus redditur: Sed plenaria restitutione gravius erat malum, ob incipientem hydropem: qua de causa virium recollectio diuturnior esse non potuit, ideoque paulo post naturæ debitum soluit.

Post mortem aperitur: abdomen ichore fœtido plenum, Omentum putrefactum, Lien atque Hepar scirrho laborabant: Pulmones pleuræ adnati, cum capsula cordis, in qua humor putridus: cor duplo majus, bubulum referens, inveniuntur; quodque notatu dignum, circa valvulas dextri ventriculi calculus ex Tartaro concretus, instar minoris castaneæ, nucis compressioris, membranosæ valvularum substantiæ adnatus conspicitur, vehementioris καρδιαλγίας proculdubio causa proxima *Greg. Horstius observat. lib.* 4. *obs.* 47.

Curæ meæ commissus est Dominus Contant, febre Continua laborans, cujus primis diebus comites fuere vigiliæ, capitis dolor: præsertim occipitis, durities & contensio utriusque hypochondrii sine dolore, cum mœstitia summa, quam pariebat metus ne simili morbo, qui fratrem extinxerat, detineretur: Robur nihilominus aderat vitium, ὀρθοστάδιος erat, per cubiculum, imo aream deambulans, appetitu non carens, maxime vini, quanquam solis jusculis ex Medicorum præscripto uteretur & ptisana officinali: Ter illi missus fuit sanguis ante diem septimam, bis in brachio, semel in pede, quæ venæ sectio eum immunem omnino reddidit è capitis dolore: enematis alvus quotidie subluebatur, exhibebantur Iulepi hepatici, fotus hypochondriorum adhibebantur a quorum usu remittebat eorum durities manifeste: Tandem symptomatis omnibus remittentibus aut mitescentibus, cum evidentibus coctionis in urinis notis, octava die lenis pugatio & epicrastica exhibita est, cui non defuit optatus successus: Toto eo tempore, quanquam non remitteret febris, sublevatum se testabatur, solitis deambulationibus insistens: Res eo in statu ad xi. usque qua se lecto tradere coactus fuit: xii incanduit febris, dejectiones aliquot biliosæ superveniunt, sitisque intenditur quæ parva hactenus fuerat: Buyatius Medicus vacuationes symptomaticas aliquando daripronuntiauit quæ periculum denuntiant, hanc vero ejusmodi esse non credere, qua de causa venæ malleoli sectionem ad diem sequentem præscripsit, dummodo levis illa diarrhoea consisteret; Atvero cum die xiii. auctior foret, sanguinis missio facta non est: quamobrem injecto, juxta dicta Medici præscriptum, clystere, xiv. fluor ille ventris multo liberalior fuit, viresque ægri deiiciebat, qui tamen circa vesperam substitit pæne, sed succedentibus atrocibus hypochondrii dextri doloribus & totius ventris: Accercitus D. D. Mouton, dolorem illum adscripsit humorum metastasi factæ à parte ignobili ad nobiliorem, periculumque denuntiauit Dom. D. Mousnerius xvj. die morbi superveniens, rite explorato morbi & ægri statu, in hepar factam esse humorum depositionem asseruit, nec procul abfuturam mortem, quæ die sequenti adfuit circa noctem & morbi 17. Septembris. 27.

Postridie cadaveris dissecandi gratia cum locum dictum adiissem, rem peractam reperi; avidus tamen cognoscendi hypochondriorum & intestinorum statum, ob summos dolores quos ea in regione perpessus erat æger, qui paulo ante obitum toxico se infectum fuisse credere mihi dixerat, laxatis suturis coram Dom. Garnier, deprehendi ventriculum sanum & integrum, at hepar & liene& omnino putrefacta, præsertim hepar quod lividum erat & lactis coagulati instar friabile: Intestinorum tunicam exteriorem corrosam & laceram diversis in locis, cum ulcere, cujus oræ callosæ erant, e quo materia purulenta prodibat, tantæ amplitudinis ut apicem auricularis digiti posset admittere, ac substantiam intestini cujuspiam omnino pervaserat, quod quale fuerit designare non potuit, quia in abdomen confusa conjecta essent; cujus capacitate serositas biliosa exundabat, abominando & horribili fœtore prædita, cujus libræ circiter sex eductæ fuerant ab eo qui dissectionem susceperat: Neque cor neque pulmones vidi, graveolentiam veritus, quæ referente Dom. Garnier, in statu erant naturali, si Pulmones aridiores non fuissent. Dabam Villettæ Antoniæ anno 1662. Octobris 2. Iulien.

Nos infra signati, examinatis interioribus partibus cadaveris Dom. A Contant: intestinis pluribus in locis exulceratis, è quibus unum perforatum: Hepate & Liene corruptis intra bidui spatium, per quod doluerunt, Aquis & serositatibus intra abdominis capacitatem, extraordinarie fœtidis collectum, aliisque; symptamatis funestis, concludimus dictum Dominum morte violenta occubuisse, inducta à causa maligna & veneno lente actionem exerente, quod substantia se non prodidit, sed tantum effectibus: Quod asserimus 2. Octobris 1662. Mouton D. M. Garnier, Iulien.

Dominus Corbet, Procurator Regius Viennæ Delphinatus, relationem præcedentem, quia res est momenti, communicatam mihi voluit. Ea præsertim de causa quia rumor erat defunctum à veneno exhibito interiisse, quamobrem sententiam meam quoque; ut proferrem voluit.

Ego D. Medicus Facultatis Monspeliensis, Lugdunensi Aggeregatus, infra signatus, certum facio me legisse, & ad amussim examinasse relationes facta à Dom. Mouton Doctore Medico, ac magistris Garnier & Iulien Chirurgis Delphinatibus, morbi & eorum quæ adnotate sunt in cadavere adaperto Domini A Contant; Qua de causa censeo morbi & mortis causam adscribendam esse insigni cacochymiæ & corruptelæ humorum, cujus malignitas proles est & alumna; nec non vermium copiæ febris comitum quandoquidem æger morbi initio famelicus fuit: Intestinorum unum pertusum fuit, è quo materia exiens, uni versum abdomen implens, putrida, abominando fœtore donata fuit (proculdubio ob lumbricorum ingentem copiam mortuorum & in intestinis corruptorum; quos proculdubio videre licuisset iis apertis) & intestinorum exteriorem tunicam exulceravit, mesenterium & epiploon corrupit, nec non hepar & lienem, intemperie affecta & impuritatibus infarcta: quandoquidem ab initio morbi observata fuerat insignis in utroque hypochondrio tensio, iis familiaris qui prava utuntur diæ-

Neq; enim locus est constituendæ legitimæ exhibiti veneni, cujus nullum signum univocum extat, cum ventriculus (qui primam veneni impressionem, ore dati, semper excipit) integer & sine labe repertus sit: Adde his memorata symptomata febribus à vermibus inductis fere familiaria esse quod hoc tempore præsertim innotescit, quæ Delphinatum finitimasque regiones peragrarunt, (Gratianopolim præsertim anno 1650) plurimis funestæ. Atque hæc est mea sententia quam propria manu firmavi: Lugduni x. Octobris 1662. Gras.

Febres continuæ lethales, exustis visceribus ob denegatum potum.

Sunt quidam qui eandem fere legem in omnibus febricitantibus servant, nimirum ut caveant maximopere à frigido potu: quam ob causam anno 1649. infinitus propemodum ægrorum numerus è vivis sublatus est, cum tamen febres essent continuæ, cum mixtione diversorum homorum & præcipue bilia, non tamen solæ, qui cum Siti maxima torquerentur exustiobibant.

Sectis cadaveribus ventriculus, cor, pulmones & reliqua viscera tanquam exusta apparebant. *Domin. Panarolus Pentec. iv. Obsev. 8.*

Febrie continua extincti vasa omnia sanguine depleta reperta sunt

Anno 1641. Novemb. v. dissectum fuit corpus Principis Ferdinandi, Hispaniarum Regis Fratris, qui lxxxix diebus Febri continua, ætatis 32. ann Sublatis, corde, hepate, pulmonibus, adeoque dissectis venis & arteriis, vix cochlear cruoris in cavum thoracis confluxit. Plane nimirum ostendit hepar exangne, cor vero instar crumenæ flaccidum; Biduum ante mortem plus edisset si ipsi concessum fuisset; Fuit nempe per venæ sectiones, purgationes, hirudines ita exhaustus, non desinebat tamen Tertiana typum servare. *Helmontius Tract. Febribus cap. 4. §. 16.*

In cadavere febre extincti in vasis vix libra sanguinis superstes fuit. *Car. Piso lib. de morbis à sero fecta. 2. p. 2. cap. 4.*

Anno 1663. obiit in Gallia Serenissimus Princeps H. ab A.D.L. annos 63. natus, pusillæ staturæ sed vividæ & robustæ constitutionis: Huic febre contiinuaprehenso tam stricta diæta imperatur, quanquam largiori alimento, si concessum fuisset, libenter indulsisset tamque frequentibus venarum sectionibus eæ deplentur, ut aperto post obitum corpore, vasa omnino exhausta reperta sint, viscera autem omnia integra, nullatenus, ut in sene, flaccida & marcida. Adeo ut facile constiterit magis illi funestam fuisse medicorum industriam & sedulitatem, quam ipsam vim morbi.

Febres ardentes alimentarios humores corporisque substantiam calore suo absumunt, scribit Hippocr. 1. de morbis, Qui ex febre ardente moriuntur, omnes ex siccitate moriuntur, Et referunt authores quidam sanguinem totum fuisse absumptum, ut scribit Argenterius ad cap. 2. lib. 2. ad Glanconem de Mutio Medices, Arcis Pisanæ Præfecto, in cujus cadavere ne gutta quidem sanguinis reperta est, *Primirosius de vulgi erroribus lib. 2. cap. 6.*

Illustriss. Marchesia Rangona tribus ab hinc diebus sollicitatur febre continua, è genere ardentium, imo etiam Leipyria: pulsus enim 1. magnus; est, celerrimus, frequentissimus atque etiam durus nonnihil, languidus tamen, qui Galeno teste, biliosas febres non omnes consequuntur, sed lethales tantum.

Sitis licet non sit insignis, ob humorem à cerebro in os assidue labentem, insignem tamen calorem febrilem intus urentem indicat, alias enim ægra non sitiret, nec aquæ potum usque adeo expeteret. 3. Vigiliæ quoque immodicæ febris hujus naturam patefaciunt, quippe quæ vaporum à bile putrescente in caput elatorum acrimoniam consequantur: Cæterum quoniam cerebrum destillationis principium multis subfrigidis abundat excrementis, fere continue in somnum propensa est, dormire tamen vix potest brevi etiam temporis spatio, unde colligitur Coma vigil. 4. Temporum insignes pulsationes dictæ febris pariter sunt indicia, humores enim biliosi facile sursum tendentes temporum arterias subeunt, eoque congressu membranas, tum internas tum externas invadunt feriuntque, ideo. 5. capitis dolorem suscitant, tant, ita ut. 6. quædam Deliris præludia detegantur; quandoquidem morbum perquam gravem & acutum minime (ut deberet) sentire videtur; interrogata enim quomodo se habeat; ut plurimum bene respondet: Quod mentem laborare indicat iuxta aphor. 6. sect. 2. 7. adest Spiratio frequens, laboriosa, & cum stertore quodam, à virium languore, usu aucto, ob viscerum, præsertim spiratalium, ingentem æstum atque viarum spiritus angustiam, capitis fluxionem in asperam arteriam consequentem, unde stertor: 8. Iungitur huic febri dolor dextri lateris, non punctorius & acutus, sed admodum mitis non continuus, sed longo temporis intervallo interjecto leniter suscitatus, qui parte laborante exterius pressa excitabatur, minime certo loco circumscriptus, sed modo hanc, modo illam dextri lateris partem invadens. 9. Excrementa, ut fæces & lotia, multa bile referta sunt: nec obstat quod pituitosa etiam admixta biliosis excrementa conspiciantur, nam ex præcedentibus sunt collecta: quæ cum spumosa sint, magnam viscerum & venarum ebullitionem indicant: fœces non solum biliosæ spumosæque conspiciuntur, sed læves etiam ac nonnihil pingues, quæ nativum viscerum calorem ab ingenti calore putredinali & febrili violatum denotant, ut humores primum eliquentur, deinde carnes & pinguedines: Lotium autem primis morbi diebus rufum fuit & saturatum, tenue tamen, infirmi caloris nativi soboles, crudique morbi indicium, deinde confusum apparere cœpit ob sanguinis & humorum, qui in venis sunt majoribus confusionem, corruptionem & putredinem, cum putredo omnia perturbet, permisceat & confundat: 10. Sudores circa caput, collum & pectus, una cum copiosiore urina erumpere cœperunt, qui mali, quia nullo in cæteris excrementis apparente coctionis signo, exigui, subfrigidi, febre non deficiente & in die pari promoti sunt: 11. Insignis calor percipitur circa thoacis & ventris regionem, licet exteriores corporis partes interdum frigidæ, nonnunquam moderate calidæ contingantur interiores tamen semper uri affirmat ægra hinc linguæ nigredo, tametsi non multum arida cernatur, ob materiam à cerebro in os assidue distillantem: Ex quibus colligimus

mus febrem hanc putridam & continuam, non solum biliosam & ardentem esse, verum etiam Leipyriæ naturam æmulari, cujus focus est in venis quæ ad partes spirituales ad jecur & hypochondria spectant, quod patet ex illarum partium æstu, dolore, atque hypochondriorum, præsertim dextri, elevatione potius quam renitente tumore, febris autem binas exacerbationes quotidie habet, mane nimirum & vesperi, leves tamen, ac tertio quoque die, sed per dies pares manifesta excandescentia apparuit, cum vero maxima esset inter nos opinionum ambiguitas, statim discessi non amplius rediturus, verum hora quinta circiter sequentis noctis, (die morbi quinta) summis precibus accersitus, Ill. Ægram inveni valde siticulosam, anxiam & inquiete, se jactantem, cujus extrema frigida non amplius recalescebant, difficulter & cum stertore respirantem, prompte tamen loquentem, quibus omnibus exacerbatis symptomatibus præceps destillatio ita impetuose accessit, ut præclusa spiritus via temporis brevissimo momento præfocata perierit.

Dissecto cadavere reperti sunt pulmones pene tabefacti & exsiccati, præsertim quoad partem sinistram, etenim, licet secundum propriam substantiam, in summam maciem siccitatemque dextri quoque pulmones ob eandem causam incidissent, multa tamen excrementitia humiditate suffusi ob inflammationem à sanguine pituitoso ea in parte inceptam, molles & flaccidi apparebant, imo corruptio quædam in membrana pulmones succingente ejusdem lateris dextri manifestè concipiebatur: Partes igitur internæ, ut prædicebam, non autem externæ, afficiebantur, nisi alio quodam leviore & peculiari affectu. *Zecchius consultatione.*

Tantum in Leipyria febre renitentiam alexipharmacis omnibus observavimus, ut mortuis ægrotantibus, secto pectore, maculæ nigerrimæ inventæ fuerint, per totam pulmonum substantiam dispersæ & alte penetrantes: pulmones hoc modo variegati pardi pellem æmulabantur. *Dom. Panarolus Pentec. 2. Observ. 14.*

Famulus cerevisiarii Delphensis misere ultra annum decubuerat, annos natus 36. Per integrum annum dolore hypochondrii dextri conficiebatur, atque in autumno febrem habuit non observantem typum, lentam tamen, qualis in corruptela substantiæ jecoris fieri solet: duravit deinde hæc febris, typum non retinens aut observans, per totam hyemem sequentem, quæ neque hominem in vere reliquit, & perduravit deinde ad æstatem usque &c. Cum autem per annum quasi tabe consumptus foret, maximos dolores perpessus, ac tunc faciem ictericis similem haberet, qualis contingere fere solet omnibus jecinorosis, tandem C. Ericium accersivit, quo statim repudiato cum opem non sentiret, variorum empiricorum opera usus est, ita ut tandem ad extremam atrophiam devenerit: Ego quoque accitus, homineque inspecto, admirari cœpi, cum in vita virum magis consumptum macilentioremque nunquam vidissem, cui tantum pellis rugosa una cum ossibus restabat, jecore enim ita contabescente totum corpus tabe absumptum conspiciebatur: Deinde huic non solum facies erat citrina, sed universum corpus flavum evaserat, etiam albedine oculorum in citrinum colorem plane conversa, quod & jecinorosis & ictericis evenire solet: Aderat & huic tussis sicca, admodum molesta, hominem omnino conficiens: hypochondrium deinde dextrum apparebat durum & valde subtumidum, & omnibus conspicuum; musculis abdominis plane consumptis & extenuatis: urina vero tenuis erat, sed supra modum tincta & ignea, ut vinum rubrum ac diaphanum videretur: sed & oris siccitas eum molestabat, præsente febre hectica, ac pulsu vix apparente, & magis sub noctem intensa: cæterum modo alvus adstricta erat, modo admodum liquida & plurima biliosa liquationis instar egerebat: postea iterum fuit arida & sicca: Præterea aderat & cibi fastidium sitisque inexhausta, ita ut in aquam frigidam ac gelidam magna in copia hauserit, ad hunc postquam ultra annum laborasset, ingressus, cum ab initio huic sanguinis detractio esset prætermissa, idque male in epatis inflammatione & apostemate, nunc id nullo modo licuit, in homine jam tabe & hectica febre consumpto, ipsoque humido radicali etiam absumpto: Ego vero apostema in hepate confirmatum atque incurabile pronuntiavi, & non diu post meam opinionem confirmavit cadaveris sectio: nam tumor admodum durus paucis diebus è regione hepatis ita in immensum excrevit, ut omnibus appareret, non sine dolore: quod signum erat abscessus futuri, nam si simplex scirrhus fuisset minus doluisset: quare prædicto prognostico eum pro deplorato habuimus, cum apostema hepatis confirmatum non curetur, at postea cum idem tumor laxior fieri inciperet, febre magis invalescente, suppurationem expectavimus: hinc cum apostema maturum appareret, & materia satis esset deducta ad saniem, remittebantur quidem prædicta accidentia, gravitas tamen major remanebat, cum materia in uno loco magis congregata videretur, & tactu lenitas & mollities sentiretur, duritie, quæ prius sentiebatur, in totum ablata: statim autem cognovimus ex dolore redeunte, ruptionem appropinquante, punctione & febre rursus increscente & gravitate majore: cum tamen per se non rumperetur abscessus, ut Chirurgus ruptionem juvaret imperavimus; verum cum ejusmodi ingens apostema non rumperetur, Chirurgum incitavimus ut ad incisionẽ procederet, sed in corpore debili & exhausto id tentare noluit, vel non audebat; existimabat enim quod tandem per medicamenta apposita rumperetur: verum cum illud non succederet & escharam quasi induxisset, denuo me in consilium adhibuit: ego autem cum ex signis præsentibus animadverterem quod pus totam ventris cavitatem occuparet, potissimũ è regione hepatis, ubi tumor ingens laxior apparebat (nam motio puris & fluctuatio quadam exaudiebatur) ulcus jam factum in hepate, malignum, putridum & corrosivum judicabam, quod hominem subito è vita tolleret, nisi ustio (ut veteres Medici facere solebant) vel incisio aut apertio statim fieret scalpello vel phlebotomo aliquo, quæ licet etiam in homine deplorato & virib. exhausto periculosa haberetur, tamen tentandũ fore, ne æger statim ex putredine puris intus collecti exspiraret, ideo & secundus Chirurgus advocatur qui incisionem statim agendam censuit, præhabito tamen prognostico quod cura coacta periculosa foret, ta-

men tentanda ne ulcus in pejus procederit; interim si fieret, atque æger animo dilinqueret, sicque vitam finiret, id in manu nostra non esse, cum vires exhaustæ essent, interea potius anceps quam nullum remedium adhibendum: Cæterum ægro ipso, tum amicis astantibus consentientibus, Chirurgus dextre suo officio functus est; prima vice post adhibitam incisionem sanie virulenta & sanguinolenta absque pure exeunte, at cum vulneri impositum esset linamentum, quod secunda visitatione amovebatur, materia viscosa, purulenta, fœtida, copiosa emanavit, cum tanto fœtore ut totam domum eo implerit, ita ut vix quisquam nostrum in cubiculo apud ægrum persistere posset; Cum vero materia foret vitiosa, ut eo minus exire posset, denuo coactus est incisionem ampliorem facere, quod etiam dexterrime peregit neque interiora læsit; exivit tunc materia admodum fœtida & purulenta amurcæ similis; unde conjecimus omnia interiora corrupta, & hepar simi iter, & ægrum non evasurum amicis prædiximus, juxta aphor, xlvij, 7. Tertio autem die ab incisione caro exterius facta est livide ac in gengrænam mortificata; nec tantum caro externa, sed & interior, quod cognovimus ex ingenti putredine & fœtore qui ex loco inciso exhalabat dum vulnus reficeretur, non aliter quam ex homine cadaveroso & demortuo: præterea dum Chirurgus paulatim pus propelleret, & ad exteriora labia vulneris deduceret, tanta cavitas apparebat ut & interna tandem etiam corrupta spectarentur: Paucis, septimo die ab incisione peracta mortuus ste.

Eo demortuo cadaver incisum, Et in tota ventris capacitate copia puris valde fœtentis, ut præsentes in cubiculo perdurare vix potuerint. Occupabat antem pus tam partem sinistram quam dextram sub toto abdomine, usque ad imum ventrem, & repertum est ommentum à pure virulento consumptum, peritonæum quoque disruptum & putridum conspiciebatur, similiter & intestina nigredine & plumbeo colore infecta spectabantur: Hepar autem durum videbatur, ingentis magnitudinis albicans autem circa stomachum, sed in gibba sui parte, prope nothas costas, nigrum, exustum ac plumbeum, in esthiomenon transmutatum: erat enim hepar circa illam partem potius esthiomenatum, ut ita dicam, quam ulceratum: & in parte gibbosa, paululum deflectente à costis, gangræna infectum: Et vix pus in hepate conspiciebatur, potius vero in concavitate ventris, quod ab hepate disrupta membrana eo defluxerat; præcipua autem Hepatis corruptio erat in parte dextra, versus costas spuria, & circa musculos; intercostales quinetiam similiter nigredinem contraxerant: Costæ quo-que spuriæ tanquam igne combustæ ex esthiomeno, nigritiem & exsiccationem contraxerant, ita ut carbonis instar nigræ adustæ frangerentur; Vlceratio vero ad muscu'os abdominis processerat, magis in parte dextra, qui musculi similiter tandem nigredine & gangræna affecti erant In parte vero hepatis esthiomenata potius virus & sanies spectabantur quam verum pus: mirum fuit quod hic tamdiu vixerit: Antequam autem in illam tabidam & siccam dispositionem

Domina de Bobigni, cum per aunos aliquot sensim atque paulatim emacruisset, omne alimentorum genus fastidivisset, & ut loquitur Hippocr. ἀπονενοημένος ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, tandem repente ac inopinato est extincta, ac cum cibum nec caperet nec appeteret (apud Hipp. autem λαμβάνειν significat cum aliqua appetentia accipere) quotidie vivendo moriebatur & moriendo vivebat, prehensa est paroxysmo febris tertianæ typum referentis: tertio post die idem paroxysmus, à quo revaluit & fuit ἀπύρετος, & habebat more solito, locum & deambulationem cogitans: At accessit rigor πρόδρομος tertiani & tertii paroxysmi: fuit rigor ingens & tantus ut ab eo non potuerit, ut loquitur Hip. ἀναθερμαίνεσθαι. Totum erat sane λειπυρικόν, interna conflagrabant incendio: sequenti die rato concessit: conquerebatur maxime de dolore ad hypogastrium.

Invenitur aperto cadavere pulmo aliqua ex parte inflammatus, epar exsuccum & mali coloris; Sed uterus erat corruptus & quasi gangræna affectus plenus tabo & sanie, quæ erat δυσώδης Maritus per tres annos fere abstinuerat à congressu: forte si ager fundusque cultus fuisset melius cum ea actum foret: laborarat olim ῥῷ γυναικείῳ, qui erat tetri odoris, aliqua ex parte & fere omnino suppressus erat: interiit fere à venena interno & genitivo: Hæc cum alias fœcunda esset, (quod mirum) cum fœmellam conceperat, fluebat ista materia, etiam copiosa; cum marem, aut minor erat aut sistebatur. *Jac. Thevart nota 2. in cons. 96. lib. 3. Cons. Ballonii.*

Filiolus septennis Ill. Baronis de Himton. ob varios in victu errores, doloribus intestinorum jampridem obnoxius, Novembri elapso vomitionibus porraceis, alvi fluxu putrido, æruginoso, interdum & variegato tentabatur; febre insuper exacerbationibus sub noctem cum anxietate, morsu ventris, nausea, stridore dentium, frigore extremorum, & siti inexplebili stipata: Per totum morbi cursum intractabilis pessime se habuit ad oblata, medicamenta pariter & alimenta, solis gelatinis ex C. C. & rasura eboris in cerevisia tenui solutis refocillatus, quas etiam sæpissime, præmissis ructibus aliquot acidioribus, anxius exstomachavit: Fauces interim aphthiis & albicante mucilagine usque ad linguæ radicem conspurcabantur. D.D. Meara memorata symptomata & una cum materia membranosa rejecta de phlegmone & sphacelo ventriculi hæsitantem tenuerunt, eam tamen non esse ex nobilitate partis affectæ, morbum tam lethalem in tot dies productum ferendo imparis, ex partium necessario consentientium incolumitate, ex euphoria denique ad ejectionem consequente, passus est sibi persuaderi; Ob similitudinem potius substantiæ, materiam jam prope lumbricorum formæ dispositam, vel forsan particulas esse lumbricorum putredine fractas conjecimus. Circa 8. morbi diem accersitus sum, consentiente autem D.D. Meara ad expurgandam morbi mineram in primis viis malignitate vermiformi putrescentem, infusum rhei mane exhibetur, coctione quadam in urinis apparente; 9. quo septies ferebatur alvus, excretionibus summum incendium redolentibus, sub nocte tamen ingravescebat febris consuetis stipata symptomatis. 10. Summo mane substantiam quandam nigricantem, viscidam &

quasi cutiformem summa cum inquietudine evomuit, ex quo sedatior aliquantulum ad somnum se composuit: nox eadem: 11. delirus in lecto contineri noluit, laudano vero opiato sub nocte consopitus sibi restitutus est: 12. consimilis materiæ semel ac iterum cum priori molestia portio ejiciebatur. 13. 14. Nausea, vomitus & diarrhœa aliquantulum sedabantur, ita ut appetitu quodam ad juscula incitari videbatur: Exacerbationes nocturnæ omnino cessabant, nisi quod pro stridore dentium narium pruritus continuo scalpendi impetu urgebat. 15. Sedatis igitur symptomatis, discessimus, Pharmacopæo interim junctis consiliis infusum rhei repetendum cardiaca, aquam deinde caponis cum scolebroticis destillandam ad fercula ordinaria curavimus: 20. alvus decies dato pharmaco ferebatur, nocteque sequenti refocillatus muliercularum curæ é Pharmacopæo tradebatur: At, at, quod per diem unam vel alteram delituit venenum jam tandem majori cum ferocia excanduit, ita ut perseverante fluxu, rebelli & colliquativo, emaciatus ad marasmum ducebatur: 28. denuo vocatus, in tam stupenda macie, qua potui diligentia viribus incumbendo, cæterum de felici eventu omnino despondens, in morbo pariter ac ægro intractabili, modis tamen quibus licuit omnibus contendimus: cataplasmatis præsertim, anodynis & roborantibus τὰ κζ τῶν ὀμφαλὸν ὡς τὸ ἧπρον munimus: analepticis exanguem reficimus, præcipue laudano opiato tanquam sacra anchora hæremus, sine quo continuo egerendi conatu fatigato, vel minimas parare inducias impossibile duximus: Hisce tentatis, alvus supra quam sperari potuit denuo sistitur, regio abdominis mollior & plenior assurgit, excrementa, quæ bis tantum vel ter in die dejecit, coqui parumper & ad mediocritatem quandam reduci videbantur, perseverante tamen nausea & rerum omnium fastidio, seseque per intervalla prodit pestis cum fluxu bilioso, sincero, pingui, spumoso fœtido conspicua & ipsissimis visceribus radicitus impacta: 36. materiam jam quarto vermiformem rejecit, unde continuo in pessum euntibus novo opus esse consilio, si quicquam adhuc superesse remedii speraverint, propono 38. Clar. D. Dikes accersitus, vix dum audita historia conceptæ opinioni de morbi causa calculum suum adjecit, de prognosi autem paulo confidentior, fluxum istum pernitiosum nec frænari posse nec deberi pronuntiauit, nec exangue sceleton renutriri, nisi veneno in ipsa culina & organis nutricatui inservientibus hærente per cathartica profligato: Vicit viri sententia, feliciori forsan omine obeunda in principio morbi & constantibus viribus, ubi nec macies, nec facultatis lapsus cæteris omnibus intentionibus ingentibus præpollueret: Eadem nocte Marc. dulcis cum resina gialap. in syrupo garyophyll. propinabatur: frequenter dejecit fœtida & pinguia sine evidenti virium ruina, de vermibus autem sollicitus, eosque medicamento parere nullus dubitans, repetitionem hortatur pulveris & infusionem hydrarg. vice julapii: 41. Summo mane sub priori regimine administratur purgans ut ante, sed in minori, ut par fuit, quantitate & minori molestia: sub nocte levi deliquio, tremore manuum & motus impotentia affligebatur: hinc uino albo valleriol. concesso, & laud. mop. gr. 1. ad ulteriorem spirituum dissipationem præcavendam, somno se commisit: xiv. sub mane, sudor diaphoreticus tempora & frontem occupavit, qui post horam unam vel alteram laxatis spiraculis per totum corpus calidiusculus erupit, sub vesperam, recreato parum & ad motum habiliori, carnes vitulinæ (poscenti sane) offerebantur, quas tandem succo spoliatas exspuit, noctemque sentit insperato prægressis auspicatiorem, cessante forsan natura & indomitæ pesti succumbente: xv. Hæc interim tanquam læta auguria D. Dikes una cum Illust. Fatre in ulteriora erigunt tentamina: Sub nocte repetitur pulvis compari regimine, minori tamen evacuatione, ita ut natura penitus deficiente nihil ultra periclitari placuerit, præsertim Doctore se subducente: xlix. Mane sanguis tenuis & ichorosus, tanquam ex liquamine Pulmonis, reciprocatione spiritus per asperam arteriam in os ferebatur, linteis intromissis emulgendus: hora 5. pomeridiana frigidum & exangue simulacrum tanquam exuvias deposuit Nobilis infans.

In aperto cadavere, rudi & inexercitata manu aperto, quæ observari potuerunt hæc sunt 1. Ecchymomata circa musculos transversos 2. Peritonæum nigricans & putridum 3. Omentum sicut & mesenterium extenuatum & omni pinguedine spoliatum, 4. Ventriculus laxus & inanis. 5. Intestina flatibus distenta, pellucida, excrementis vacua, internis quin etiam tunicis & fibrarum omni gennere exuta. 6. Ileon colore flavo variegatum. 7. Epar in parte concava lividum: Vesicula fellis quintuplo quam per est tumidior. 8. Pulmones exusti, aridi & mucagine alba obductis, 9. Cordis ventriculus sinister sanguine grumoso repletus. 10. Venæ majores vice sanguinis sero repletæ *D. Bidgoodin histor. rarioribus Edmundi de Meara, p. 161.*

In sede febrium facio cum Sylvio esse intestina tenuia: id sensus docet, exempla obvia sunt, unum communicabo ex schedis paternis, Mulier germane Patavii, robusta & corpulenta, nonnihil pinguis, sexagenaria, nihil excrevit per alvum spatio novem dierum, nec clysterem admittere voluit: Incidit in febrem Malignam cum vomitu biliosa, moritur post biduum.

Aperto cadavere pulmones fere putridi, Hepar parum scirrhosum & inflammatum, Ventriculi tunica interior inflammata, Intestinum Ileum in medio gangrænosum & putridum (ut ruptum sit inopinato ex contactu) tota pars, supra gangrænam ilei, inflammata intus in tunica interiore, ut supra modum venæ mesaraicæ magnæ & turgidæ fuerint: Pars Ilei inferior tota coaluit, ut nihil pertransire potuerit: A quo succo ista inflammatio sit, sensu dijudicare non possumus, nisi facem experientia sua præferat Magnus *Sylvius Thomas Bartholinus centur. iij. Epist. 86.*

Credo Helmontio sedem malignarum febrium esse in ventriculo: Id testatur Anatome illorum qui eo morbo extincti fuerunt, Observatus enim est ventriculus cum Intestinis inflammatus: Unde ingens illa sitis, vomitus, faucium ardor & alia apparentia oriuntur: Ex hujusmodi profecto sectionibus & oculari demonstratione certius de sede affecta indicamus quam rationibus & conjecturis: Firmat historia mox citata &c. Non absimilia vidit iu dissectis febri-

citantibus. Spigelius lib. 1. de semitertiana cap. 16. Romæ infiniti ægroti anno 1649. febre continua occubuere, in quorum sectis cadaveribus ventriculus & reliqua viscera tanquam exusta apparebant, teste Panarolo Pentecoste 4. obs. 8. quare refrigerio & humectatione postea multos sanatos scribit. *Th. Bartholinus cent.* 3. *Ep.* 4.

Nob. adolescens relicta Germania, Brixiæ ad diem 27. Junii anni 1572. in itinere alvus ei primum fluere cœpit, idque durans per dies forte XV. debilem valde reddidit: Quo fluxu tandem cessante, iterum convaluit, nisi quod faciei color usque cineritius remansit. Porro circa Januar. medium alvus ei strictior reddita, remansitque deinceps semper ita, ut nisi suppositorium adhiberetur rarius sedes haberet forte tertio vel 5. nonnunquam etiam sexto die laxari prunorum atque passularum, uvarum coctarum non potuit: nihilominus tamen comedit multum & hilariter nullos sentiens dolores, aut capitis gravedinem ullam, victus ipsi cum cæteris nobis communis; Eivinum sine aqua, & extra prandium vel cœnam nunquam bibenti, nec excessum ullum facienti, semper fuit gratissimum: Ingruente æstate ei in facie pustulæ obortæ sunt rubicundæ; atque ad diem Aprilis 29. Febri tertiana duplici laborare cœpit, à quo Doctorum auxilio mox liberatus nunquam satis feliciter valuit; Cœnans nihilominus ac prandens more solito, usus subinde lactis sero usque ad decimum septimum Junij, quo denuo per integros decem dies incepit vi febris putridæ & hecticæ decumbere, ac Medicorum præscriptionibus parere, quoad 26. præscripti mensis, statim post solis occasum vitæ diem ultimum clausit.

Hujus igitur cadaver cum post horas x. vehementer intumesceret, nigerque sanguis à naribus erumperet, diversa suspicatus ut aperiretur omnino volui: Quocirca in aperto corpore primum Pulmones pustulis affecti, omnino putridi sunt reperti: Lien nigrior & grandior. Jucur ponderosum adeo & plane exsiccatum; Stomachus cum reliquis partibus purus & integer, continens adhuc aliquantulum brodii hordeacei, 4. horis ante mortem sumpti, apertum corpus fœtidissimum edidit odorem.

Cum igitur prædictus Nobilis ad minus mensibus novem semper maxime sobrie, imo fine maximo etiam excessu quam temperatissime vixerit, ab excell. Medicis causas scire desidero. 1. Unde alvus adeo stricta permanserit; Deinde unde Jecur, unde Lien usque adeo affecta, atque pulmones tam valde putridi redditi sint, & unde mors ipsa provenerit, cum tam in ægritudine quam extra nullum commiserit errorem: ejusque optima habita sit ratio. victum quoque semper habuerit optimum: Num aër hic Italicus morbi hujus causa extiterit, & an diutius forsan in Germania vivere potuisset: Postremo quoque unde cadaver post mortis horam x. prius inceperit intumescere, & tantum cum maximo fœtore nigri sanguinis copiam per nares ejecerit; &c.

DE affectibus quos passus est Nob. Juvenis, de Illius morte, necnon de iis quæ post mortem sunt subsequuta, ut ex arte loquamur, hoc unum inprimis statuendum est tanquam manifestum & confessum, juvenem hunc à primordio generationis suæ Jecur calidissimum habuisse, caput vero humidius, & pulmones satis imbecilles, matrem non usque adeo sanam: quo factum est ut Jecoris caliditate humor melancholicus in dies magis magisque augeretur, inde obstructiones, & propterea etiam caloris incrementum, ex quo Jecinoris incendio omnia mala tandem sunt subsequuta, etenim Gal. 6. de diebus crit. 3. & 1. de loc. c. 7. dicebat Affecto jecinore sensim animal, moraque temporis læsionem in alimento percipere & calorem contrahere: quare mirum non est si ex generatione humoris melancholici, & propterea frigidi alimenti, color ille lividus & cineritius exortus est: Sique ex multis obstructionibus Jecur exarsit & Lien tumidior factus est. Etenim cum plurimum sanguinis melancholici generaretur, atque ad lienem transmitteretur, neque virtus lienis tanta esset ut humorem illum distribuere aut absumere posset, hinc lienis tumor subsequutus est: Et hanc esse causam putamus cur Jecur siccius, ac veluti aridum in cadaveris sectione observatum sit, & lien tumidior apparuerit, quod 2. loco quærebatur: Hinc etiam apparet causa cur post alvi profluvium alvus adstricta permanserit: Etenim sicuti alvus fit humidior quando cibus in chylum conversus parcius distribuitur in Epar, sic rursus siccior & adstrictior redditur cum omnis humor in ea contentus ad Epar fertur: & sicuti parcius distribuitur, vel quia pius assumitur quàm Epar indiget: vel quia citius trajicitur quam Epar attrahit, idque vel ob multitudinem bilis, expultricem debiliorem: sic omnis humor ad Hepar fertur, vel quia minus sumitur quam Epar indiget: vel quia Epar sui caliditate citius attrahit quam par sit, & omnem chyli humiditatem absumit, imo propter obstructiones venarum Epatis ad intestina bilis transmittitur, cujus causa facultas expultrix proritatur, atque propter caliditatem & siccitatem Jecoris, intestina quoque fiunt calidiora & sicciora, & ob id ad retinendum robustiora, ut mirum non sit si in hoc Nob. Adolescente, præcedente alvi profluvio, subsequuta sit alvi adstrictio, non quod cibus plus justo fuerit subtractus, sed propter jecinoris caliditatem & siccitatem, quæ omnem fere humiditatem absumpsit, adauctam fortasse propter obstructiones, quarum causa bilis quoque transitus ad intestina fuerit impeditus, & vis retentiva intestinorum facta fuerit robustior & fæces sicciores, & hæc uti arbitramur, est causa illius quod primo quærebatur: Quod vero & humorum exustio, cum quadam pravitate in corpore conjuncta, fuerit in causa ut pulmones putrescerent, ex hoc facile conjectari licet, quoniam fieri potuit, ut vapores & pravi succi in caput delati, cum in optimum nutrimentum commutari non potuerint, qui ad pulmones transmissi pustulas in pulmonis excitarint, aut cum pulmones suapte natura imbecilliores extiterint, ob pravum alimentum pustulæ istæ fuerint excitatæ, aut utroque modo perpessi fuerint: quibus pustulis excitatis, uti par est, febris maligna & fixa fuerit excitata, uti voluit Gal. 2. in Epid. 1. Hoc autem persuadere quoque videtur raucedo & catharrus insignis qui apparuit, ut mirum non sit si ob pustulas illas veneficas & malignas, quæ virus & materiam veneficam ge-

rarunt, calor nativus pulmonum fuerit extinctus, unde putredo illa pulmonum insignis, & tandem mors per suffocationem est sequuta, quod 3. & 4. loco quærebatur: Quod cum ita sit, cur mirari debemus si post mortem intumuit, cum hoc sit opus materiæ veneficæ, in iis præsertim qui per suffocationem pereunt? Quoniam humores & spiritus à proprio principio in materiam deleteriam revocati, liberi & soluti, quin imo ab eadem refugientes, quodammodo ad partes optimas delabuntur. & sic universum corpus attollunt, & ora venarum aperiuntur, unde sanguis effluere solet, quemadmodum in hoc præsenti cadavere contigit, è cujus naribus sanguis niger & melancholicus, & ob insignem putredinem valde fœtidus effluxit. Et hoc est quod postremo loco in dubium revocabatur: Ut concludendum sit materiam hanc, quæ febrem excitavit, & tandem mortem induxit, veneficam quidem fuisse, sed in corpore genitam, quod aliquando in corporibus male affectis contigere potest: Quare non aëri Italico, non pravæ victus rationi, non ineptis importunis medicamentis non alicui causæ externæ sed pravæ illius corporis constitutioni malum hoc est ad scribendum. *Consiliorum Scholtzij cxcix.*

Parentes Illustiss. Ernesti Nassovici Comitis filiæ, annum vix egressæ 23. Junij 1655. per literas conquerebantur; quod filia eusarca, florida & bene habens enormi diarrhoea correpta fuerit, altero die aliqua ex parte sopita, sequenti vero cum vomitibus recurrente largius: Advectus 24. Junii deprehendi duritiem in dextro hypochondrio, calorem totius p. n. sitim, pervigilias, capitis dolores, alvi excrementa alba, virium prostrationem, quibus 26. Junii superveniens epilepsia finem vitæ imposuit. Post obitum tota dorsi regio fuit nigra a nucha ad finem spinæ dorsi, ventriculus vero in sinistra parte nigricans & quasi putrefactus, viridi humore refertus. Hepar scirrhosum decem unciarum, vesicula bilis grandior & nigra bile inflata: Intestinum rectum quoque nigricans: Renes unciarum quatuor, bene dispositi & sani, ut & lien, vesica, ipsumque Cor unciæ unius & dimidiæ: Cerebrum vero librarum quinque copiosa aqua circumfusum erat, aderant ipsi pustulæ aqua plenæ: *Thomas Bartholinus, ex comm. J. Dan. Horstii, Cent. 3. Observ. 80.*

Virgo 31. annorum integro biennio ante mortem laboravit copiosissima narium hæmorrhagia qua nonnisi venæ sectione sisti potuit: paulo post incidit in cachexiam & hydropis initium tumescentibus pedibus & ventre inferiore, remanente cachexia: Menses fuere in ordinati, aliquando non fluebant penitus, aliquando nimis erant copiosi: perduravit tamen hæmorrhagia, quæ alternis diebus increscebat, xiv. vel xv. die ante interitum corripiebatur tussi molestissima & sicca, nonnunquam aliquid fœtidi expuebat; sentiit punctiones & dolores in regione hepatis, evomebat bilem corruptam, prasinam ac cum ea vermem oblongum aliosque simul vermiculos: Ego ad eam vocatus deprehendi febrem malignam, quam comitabantur subsequentia symptomata, delirium, vigilia, inquietudo, sitis inextinguibilis, vomitus materiæ corruptæ, dextræ partis faciei resolutio levis, hypochondrii sinistri ac lateris pectoris sinistri maximus dolor ac æstus: Nulli lateri incumbere potuit, color faciei flavus ac subniger: urinæ erant subnigræ, ex dextra nare frequenter per intervalla aliquot sanguinis guttulæ promanabant: Post multos perpessos cruciatus morte occubuit.

Mortuam secui, atque primo occurrit vena umbilicalis (quæ in omnibus adultis munus ligamenti obtinet) sanguinis copia turgida atque extensa; in quibusdam locis, ubi hæc vena contorquebatur, instar varicum tuberosa: Hepar justam habuit magnitudinem, sed erat album, tuberosum, inæquale, durum & exangue, ut vix sanguinis guttula ex dissecto hepate exierit, ex gibbo nihil, ex sima parte parum, Thoracis capacitas dextra erat aqua subnigra & putrida plena, continebatque ejusdem aquæ cantharum & dimidium: Pulmonis dextra pars in ea cavitate collocata cum pleure corrupta ac nigra fuit: Ventriculus mirum in modum copia tum fæcum tum flatuum inflatus ac tumidus reperiebatur: Juveni & duas vesicas urinarias, alteram naturalem & in sua sede collocatam, alteram ex matricis collo dextro latere prognatam, naturali vesica duplo quasi majorem, lotio plenissimam & duabus tunicis, ut naturalis vesica præditam: Hic nullus meatus aquam vel immittens vel emittens conspiciebatur: Uteri corpus erat scirrhosumque: reliquæ partes satis integræ apparuere. Caput non aperui *Volcherus Coiter libello observat. Anat. & Chirurgiæ.*

D. de Malortie, Vir magni in militia nominis, ætatis annorum circiter 42. continuis vomitibus per aliquot retro menses vexatus, qui nec bolis ventriculum detergentibus & aliis catharticis, nec corroborantibus internis aut externis sisti poterant, cum siti intensa, bilis copiam maximam in ventriculum confluentem indicantibus, sub finem Maii incidit in febrem quæ duplicis tertianæ, vel quotidianæ continuæ typum præseferebat, à multa biliosorum & pituitosorum humorum simul copulatorum putredine: ex duplici tertiana post octo dies facta est continua simplex: vomitus non desinebat; capitis dolor comitabatur & ardorem in lumbis percipiebat: Post injecta enemata emollientia & refrigerantia spatio trium dierum bis missus est sanguis ex cubito, qui pituitosus & crassus erat: postea hirudines venis sedalibus appositæ sunt, quæ capitis dolorem & renum æstum placarent, sed inflabatur ventriculus dolorificè & hypochondrium dextrum, unde compatiente Hepate, & ad inflammationem tendente, sexta die auriginosus evasit, sed tamen absque febris remissione, quod juxta Hipoc. Aph. 62. Sect. 4. perominosum est. Die 8. (cum septima sine evacuatione ulla critica effluxisset) purgatus est leni infusione rhei & agarici in aq. endiviæ, cum addita Elect. Cathol. ℥iß. & Syrup. rof. laxat ℥vj. & conf. hyacinth. ℈i. ad vires respiciendo, quia pulsus erat contractus, propter oppressam naturam à vaporibus malignis, unde sese expedire non poterat nec explicare: Vires deinde cadentes fulcire studuimus aquis & pulveribus cardiacis, & præcipuè lapide Bezoartico orientali, varie & extra pastum, & in ipsis ferculis administrato. Non dabat magna virium prostratio insignibus sanguine

guinis evacuationibus locum, pugnavimus tamen cucurbitulis, venæsectionis vicariis, ad partes infimas cum leni scarificatione, & citra illam, ad revulsionem vaporum malignorum à corde: Enemata frequentia in eundem finem, vel quotidie, vel altero quoque die injiciebantur.

Die nona obiit, Introspectum cadaver exhibuit nobis epiploon corruptum cum fibris non cohærentibus: Mesaræum scirrhosum in sua origine & corruptum, putrem lienem, Cavam epatis partem scirrhosam & instammatam, Pulmonem, qua costas attingit, inflammatione tentatum, Pancreas putrefactum, ventriculum pure repletum & in fundo pituita crassa ac viscida, unde vomitus illi pertinaces, infarctum: internam ejus tunicam aliquantum exulceratam. Nihil in renibus & ductibus urinariis, omnia inibi alias integra, sed absque sero ullo: intestinorum internam tunicam itidem, ut ventriculi, nonnihil ulterius justo abrasam & ad exulcerationem pronam. Sic in misero illo corpore οὐδὲν ὑγιὲς fere repertum, *Riverius.*

Dux Candaleus obiit Lugduni xxvij Januarij anni 1658. circa sextam vespertinam, extinctus à febre continua maligna: Postridie eadem hora dissectus est à Magistris Regnaut & Chiravet, Chirurgis, coram DD. Rhodio, Grassio, Guillemino, Garnerio & Falconeto Medicis Urbis Aggregatis, atque hæc in cadavere adnotata. 1. Totius dorsi epidermis inflammata & ex dimidio divulsa, ad partem lumborum infimam gangræna duobus in locis, unaquæque latitudinis semicoronati argentei quam plurimæ minores circumcirca ambiebant 2. Aperto capite, non solum cerebri meninges phlegmone tentatæ fuerant, & vasa plurimum distenta ac repleta sanguine adusto nigróque, sed & tota cerebri substantia, præsertim cerebelli, reliquis partibus magis inflammati cum siderationis initiis 3. Pectore explorato, musculi omnes phlegmone occupati & exsiccati comperti sunt, sunt, mediastinum, pleuram, septum transversum inflammatio quoque invaserat necnon universos pulmonum lobos, parte postica sideratione omnino correptos: pericardium paucissimam aquam continebat: cor inflammatum, admodum flaccidum, quod immersum vini spiritui, in quo plurima aromata infusa fuerunt, cardiaca & putredini reluctantia, conditurae gratia, inde summe foetens exemptum est: 6. In imo ventre Epiploon corruptum apparuit, cum maximæ intestinorum partis mesenterii & pancreatis inflammatione, 7. ventriculi interiorem tunicam phlegmone etiam num invaserat, in qua alicubi conspicuæ maculæ lividæ, præsertim qua Jecur spectat, 8. cujus tota substantia inflammatione correpta erat & sphacelo tacta, pæne in tota parte cava: 9. Splen incendium conceperat, in colore immutatus. 10. Renes quoque æstus notas præ se ferebant, & marcidi erant, venæ omnes, cava & azygos sanguine destitutæ, 11. Exempta viscera & pelui cupreæ imposita, horæque spatio tantum in ea detenta, eam decolorem & nigram reliquerunt.

Ego subsignatus certum facio me Romaniolam veinsse 26. Septembris anno. 1662. accersitum à D. Antonio Galian. morbo detento, febre scil. continua molestis symptomatis stipata, nempe dolore continuo totius ventris, acerbiori tamen ad hypochondrium dextrum: siti inextinguibili, sudore frigido capitis & pectoris, vigiliis perpetuis, & caloris naturalis extinctione A quorum symptomatum violentia postridie circa vesperam extinctus est.

Die sequenti urgente Nob. Matrona Maria Chol, uxore defuncti Dom. Claudii Galiani, Romaniolæ Domini, cadaver à Magistro Claudio Garnier Chirurgo, Cremii incola sectum, in quo partium nobilium insignes læsiones à nobis deprehensæ sunt & viscerum imi ventris, scil. hepatis, lienis, intestinorum, mesenterii & omenti: Heparis enim & Lienis substantiam putredo invaserat, extraordinario fœtore se prodens: Exulceratio aderat in intestinis, præsertim tenuibus, quorum unum exiguo foramine rotundo terebratum erat, exitum materiæ purulentæ, pulti simili, bili commixtæ, admodum fœtidæ concedente: Omentum & mesenterium adore tosta & pene putrefacta: E quibus enumeratis partibus compressione facta exsudarat biliosus humor, à quo abdominis capacitas replebatur necnon à flatu odoris teterrimi: Insignis illa dictarum partium intemperies, atque maligna corruptio, suspicionem suam exerente, cujus natura ab affectis demum intelligi potest, alienis omnino à morbis vulgaribus: Supra dicta vera esse assero, in quorum fidem nomen mecum apposui, *Mouton D. M. Octobris 2. 1662.*

Ill. Comes annum agens 52. corripitur febre lenta assidua, horis vespertinis magis excandescente, ante 7. exhibetur leniens à Medico: loco venæ sectionis, admoventur sanguifugæ venis quæ in extremo ano sunt positæ, quæ interdum purgare consueverant, sistitur sanguis à Barbitonsore caligine pulverisata aceto permixta, febris adaugetur, superveniunt maculæ in toto corpore latiores, violacei coloris, sensum & motum utriusque cruris amittit, lotium supprimitur 14. die obiit

Dissecto cadavere intelligo renem sinistrum compertum esse nigrum, & ab eodem latere etiam spinalem medullam affectam. *L. à Fonte consult. 59.*

Grassabantur febres malignæ petechiales in obsidione Hafniensi 1659. intra & extra muros: Multi qui de dolore ventriculi conquerebantur, concitato vomitu, vermes spithamam longos revomuerunt, & febre extincta ad sanorum consortium redierunt; quod sæpe quoque in Noosdochiis sibi commissis observavit Exercitatus Medicus & Chymicus D. Ahasverus Paynk. De verme admirando è dextra nare Nob. viri Cæsennatis post febrem acutam rejecto, legendæ disputationes tres apud Y. Alsar. à Cruce cent. 3. de quæs. per Epist. *Bartholinus cent. 6. histor 29.*

Medici tum præclarissimi tum fide digni mihi significarunt non unum vermem, sed aliquot, in hominis lenticulis extincti vel oppressi cerebro in ventos, qui num in cerebri substantia, num in duræ matris sinubus latuerint, non sat scio: *Coiter in appendice observ. Anatom. & Chirurgic.*

Ex corporibus eorum qui febre Hungarica, Theriode mortui sunt, vermes nonnunquam confertim prorepsisse animadversi sunt: Id quod experimento dedici cum nemo subesse suspica-

retur: Nonnulli crassi quidem sed non ita longi per aures prodiisse visi sunt, quales etiamnum in Peste observavi, unde evincitur eosdem facile in sævissimis capitis doloribus, ex prava venenataque eluvie, quæ in cerebri ventriculis aliquibus coacervatur, nasci posse: Fidem faciunt Anatomici nonnulli, qui inibi conspectos deprehensosque testantur: quæ causa etiam fuit cur vulgus circa initia hujus luis febrem hanc Cerebri vermem multis in locis nominarit. *Conradinus cap. 10. febris miscell. Hungar. theriodis.*

Cuidam Matronæ post capitis vehementissimos & diuturnos dolores, pestilentis hemitritæi, dissecta calvaria magnam putredinis vim ostendit circa substantiam cerebri, & inter meninges tum vermiculorum tum cimicum incredibilem copiam. *Gemma in appendice oper. cosmocrit. de Hemitr. pestilenti.*

Joh. Jac. Heilmannus Med. & Chym. doctissimus historiam retulit de quodam febre maligna apud Germanos laborante, cujus nasi extremitatem rubra quædam macula obsederat, symptomatibus benignum quid portendentibus, nec cibi appetitu plane dejecto, unde certam recuperandæ salutis spem æger conceperat; Sed nox obitum præcedens sinistra portendebat, omnia quippe in deterius ruebant, ignisque quidam internus viscera comburebat, cujus ardorem externo ac culinario igni nihil cedere ajebat, donec latius serpente veneno miserrimam vitam cum felici morte commutaret.

Dissecto cadavere omnia viscera nigricantia erant & sphacelata, quin & ventriculus ipse adeo computruerat ut sine ruptura & læsione digitis attrectari nequierit, quocunque enim digitorum attactu dirumpebatur, cavitasque relinquebatur manifesta.

Post febrem ardentem passus est in Galliis recidivam Generosus quidam Polonus: Medici de recidiva consulti variis potionibus medicatis, venæ sectione & aliis remediis frustra contra prostratas vi morbi vires luctabantur, nam potiones omnes vel respuebat vel assumptas revomebat, unde fatis cessit.

In aperto cadavere nullæ partes ullum vitium visæ sunt contraxisse, sed omnes nativa temperie sanæ comparebant; In ipso tamen ventriculo pustulæ quamplurimæ hinc inde conspiciebantur, quas à calore malignæ febris fuisse elevatas tanto minus dubito quod semper fere ventriculus in hujusmodi febribus vel escharam vel inflammationem, vel alia hujus census contrahat. *Th. Bartholinus cent. 3. histor. 92.*

Patavii in collegium Anatomicum cadaver deportatum febre maligna extinctum, in cujus vesicula fellea calculi in globum convoluti, instar globulorum asperorum thoracis inventi sunt: quibus fractis substantia picem nigram æmulari videbatur, forte ex bile supra modum assata & incrassata. *Ex observ. Ioh. Bilgeri Medici Campodunensis ad Greg. Horstium Tom. 1. p. m. 14.*

§. 16. Agnovi virum qui uxorem reliquit, & ab ea se separavit, & dedit ei venenum, quo facta est Tymphanitica, & superuixit paucis annis forsan sex aut septem, & ego curavi eam, sed sanare non potui: Jecur autem per venas corrumpit colorem linguæ & perducit ad lentas febres, & morbum facit similem naturali: Et ego vidi Hieronymum Bertolium ita laborasse quasi esset amphimerina, sed quia eo pervenit ut lingua esset omni fuligine nigrior, & adeo aspera & arida ut apposito orichalco non posset avelli, ideo existimavi esse venenum: Eoque dissecto apparuit ventriculi imum quasi excoriatum, & jecoris superficies tota convexa nigerrima. *Cardanus lib. 2. de venenis cap. 1.*

Vidi aliquoties in febribus ardentibus malignis concretum sanguinem intra venas, instar medullæ sambucinæ, quod observatum fuit à Fernelio in Physiologia. *Riolanus Encheir. Anat. lib. 2. cap. 27.*

Vidit Dom. Puylon doctiss. Medicus & Anatomicus Perisiensis, in juvencula mortua febre ardenti, sanguinem concretum intra venas, à claviculis usque ad inguina: & intra arterias sanguis concretus erat similis sebaceæ substantiæ, sive medullæ sambucinæ porosæ similis: *Riolanus in fine Anthrop.*

Sanguinem in cordis ventriculis & vasis majoribus fluidum, nec post obitum grumescentem in cadaveribus febri continua defunctorum aliquoties, & nunquam v. s. emissum febre maligna ægrotantibus observavi. *I. Iac. Wepferus Exercit. de Apoplexia. p. 429*

Non solum existimamus cum aliis medicinam facientibus vivorum pestiferorum sanguinem extra corpus manere fluidum, sed etiam peste extinctorum in corpore similem fluiditatem servare, quemadmodum hoc semel per experientiam didicimus. *R. de Graaf. de succo Pancreatico cap. 8.*

Patavii in cadavere Germani febre continua mortui calculi reperti trianguli, quadranguli, omniumque formarum, carbonis inmodū nigri.

In cadavere Cucullati cœnobieæ, febre Maligna extincti, Offredus septem calculos angulares nucis avellanæ magnitudine observavit. *Ioh. Rhodius cent. 3. observ. 2.*

In corde viri 28. annorum à Veslingo anno 1642. dissecti, observavimus ventriculum dextrum phlegmonoso corpore pingui repletum, quo imo cono firmiter annexum, ascendit ad patentem venæ arteriosæ dictum illumque obturavit: In sinistro ventriculo ejusdem substantiæ minor portio aderat; Ut interceptam sanguini viam resarciret provida natura, patuit anastomosis illa amplo foramine, inter venam cavam & arteriam venosam, qua sanguis, ut in fœtu, in sinistrum ventriculum ferebatur; Sive quod natura coalescere orificium hoc non siverit, sive quod leviter coalitum urgente necessitate vi reserarit, & sanguinis impulsu; certe longo tempore materia à phlegmone fuit congesta, & à calore cordis assiduo exsiccata & indurata, quin mortis attulerit homini necessitatem, vix dubito: Febre maligna intra triduum extinctus fuerat, quod aucta per calorem malignum materia, meatum sanguini liberum interceperit. *Bartholinus cent. 2. histor. 46.*

Pictoris depingo originale, per orbem notissimum, ignota Febre deletum: incidit in febrem præsenti anno & mense, quam tertianam intermittentem credidit simplicem simplex Medicus, qua de re alterius veterani consilium dum explorat, missionem sanguinis fore necessa-

cessariam pro exigentia morbi, & temperamenti sanguinei, percipit, & exequitur: mox ratione delicatæ complexionis blandam solito more præscribit solutivam ptisanam, ne activiori medicamento quateretur nimis abdominosa moles: quo peracto per quinque continuos dies visibili febre immunis statuitur, unde præparatam materiam quinque syrupis expurgandam pharmacum construunt, propinant; & hoc mixtas in humoribus evacuavit vires, moxque leve sequitur subdelirium, brevique quasi positus in Apoplexia obiit, cedens tamen naturæ, quam toties vicerat pictnris, Inexpectatæ morti. Attoniti Domestici cadaveris imperant dissectionem, cui præsens quæsitus ego, lividi primò corporis intensè rubentes observo genas, mox pectus secari satago, in quo sani cordis incredibilem vidi magnitudinem, Talem pulmonis corruptelam, ut illic substantia dissoluta simplici tantum membrana, tanquam in sacculo contineretur, quo reciso, copiosa effluxit, nigerrimi & fœtidissimi sanguinis, ac corrupti Pulmonis quantitas: Simillimum pulmonis vidimus Lienis statum, cujus integra tantum membrana fluidam pariter, ac corruptam illius substantiam, præter nonnullas Malpighii glandulas continebat; Ulterius, metastasim in capite conjiciebant aliqui, quorum gratia cerebri tentavimus dissectionem, ideoque secato cranio crassissimo, suturisque adeo compactis ut deesse viderentur; Ablata dura meninge, tenuis occurrit admodum crassa, ut attoniti suspicaremur an tenuior aliqua inferius lateret, triplicique cerebrum illud involueretur menige, quod non successit, sed hoc unum observabile, Piam matrem crassitie & densitate duram æquare: Ablatis itaque duris hisce meningibus, corticales cerebri anfractus ita pulchrè distinctos detegimus, hoc est, inter se adeo separabiles, ut notabilia vacua remanerent, cum in aliis capitibus arcta contiguitate anfractuosè copulentur; Anfractuum ergo hæc conformatio verè industria, dum æque benè ac intestinorum gyri semetipsis distinguerentur, & ideo si pia mater per corticales cerebri ambages undequaque se insinuat, cum illa crassa adeo extiterit, per consequens illa ablata notabile remaneret spatium inter anfractus, tanto magis considerabile quanto copiosiores gyri: substantia verò cerebri universa naturalis omninò & sana, præter solitam serositatem in minima quantitate, & corporis colorem nonnihil flavescentem.

Symptomata totius morbi progressu inobservata non scrutor, incredibile nullatenus nullam extitisse diagnosim tanti morbi, ut assistens fatetur Medicus: equidem febris latuit maligna, de qua loquitur Fernelius lib. de Febr. cap. 17. foris mitis ut interius vero conturbans; ex occultis autem emersit excitata pharmaco, dum duplex inflammatio purgantium non resistit viribus, febrileque fermentum mutuans à pharmaco vires, effrenatas concitat sanguini effervescentias, inflammatoque parti flammas adauget; quamobrem non immerito cum antiquis recentiorum consensus, nunquam satis purgantium reprobat damna in inflammationibus, cum autem præcipuus in febricitanti sit scopus statum noscendi sanguinis, utrum nempe in compage sua nimis sit stricta, quapropter excrementa intricata sanguini adeo complicentur, ut secerni ab ipso nequeant, quod sanguinis coagulationem nonnulli vocant, an diverso modo subvertatur cruor, quando scilicet ab heterogeneis particulis fermentativis secedit in partes, adeoq; dissolvitur, ut corruptus usque ad fibras communiter nuncupatas, & tunc per parenchymatum poros se insinuans alicubi stagnat, putrefit, partesque ipsas corrumpit, ac universo sanguini maligna communicans vitia, unde spiritus non elaborat sanguis, quinimo veneni assumens naturam hos inficit, vitamque maligne perimit: ita affectus sanguis in hoc casu in partes spongiosas irruens intime filtratur, inde corruptivam inducens fermentationem, illas adeo alterat, ut nec propriam retineant substantiam, sed in fœtidissimos degenerent chores propria parenchymatis membrana simpliciter inclusos.

Quid autem sentiendum de rara piæ matris crassitie & diducta anfractuum cerebri contiguitate? Verè suspicor multum contulisse suæ perfectioni in pingendo, cum in hac arte excellens fuerit si quis alter, Ecquidem hoc unum est quod cogitatio sit ab anima, non ab organis, ideoque cum bruta non cogitent, illa probabiliter carere statuunt Cartesiani; cogitationis antem scrutari vires, animæ ut essentiam indagare, idque exigere videatur aliquid supra animam, quia in tantum materialia, & omnia mortalia, cognoscit anima, quæ ut aliquid supra illa, cum sit immaterialis & immortalis, nullatenus in operando dependet anima ab organis, ita in fatuis, in quibus principes animæ facultates non exercentur uti debent, aliquid in cerebro insoliti apparet, ergo scrutari animæ operationes à corpore dependentes, nil aliud est quàm organorum vires contemplari, quid scilicet, & quomodo concurrant in operationibus, & ad id non requiritur aliquid supra animam, cum hæc sit supra sui corporis organa: posita ergo tantæ cognitionis possibilitate, quærendum esset utrum à particulari cerebri conformatione dependeat ingeniorum diversitas: profecto cerebri anatome suam detegit in omnibus structuram fere consimilem, quamvis probabili conjecturam suspicari possemus an cerebri fibræ Wilisianæ in omnibus ejusdem sint modificationis, quod non ita facile oculis observabile: Interea ingenii vires in particulari animati cerebri conformatione dependere firmiter credo, verum non tantum in hoc, sed à diversa sanguinis constitutione, ex qua major vel minor spirituum perfectio & copia consistit; ita accidit maniacis, in quibus non pervertitur cerebri structura, sed spiritus animalis ab indole miti & benigna in acerrimam degenerant. ita hypochondriacis, in quibus sanguis ater, spiritus gignuntur nebulosi, ex quibus tot phantasmata.

Cum ergo ingenii vires consistant in particulari sanguinis, & animali cerebri configuratione, possumus industriam eruere tanti pictoris: & primo cordis insolita adeo magnitudo arguit copiam notabilem rarefacti sanguinis, qualibet systole expulsum, quæ dum in anfractus cerebri perveniebat, capacio-

res exigebat, ut facilius & celerius filtraretur, ne sanguis subsequenter irruens ita copiosè sua mora noceret: ex copioso autem sanguine rarefacto naturaliter, copiosi & spiritus, ex quibus ingenii robur: verùm quamvis spiritus sub tenuissimo liquore concipiantur, summæ sunt tamen exhalabilitatis, quapropter piam meningem crassiorem effecit natura, ut illos retineret facillimè dissipabiles, à nimis laxa cerebri structura, tum etiam ut cerebri anfractus sua interpositione dilitaret ad faciliorem sanguinis instillationem: copiosi ergo spiritus, cum liberè per diductos cerebri anfractus permearent, libera etiam fluiditate per corpus exspatiari poterant. Unde ità ingeniosè imaginabatur, ut pura tantùm originalia per Italiam celeberima imaginationis suæ uiribus abstracta depinxerat nullis unquam deditus exemplaribus. *Ex Communicatione Excellentiss. & Clariss. Dom. D. Joh. Baptistæ Fantoni, Medici & Professoris Taurinensis. Theoph. Bonetus in sepulchreto.*

Serenissimus Christianus Dux Brunsivicensis & Luneburgensis, cum multis annis inordinatè vixisset, cruda multa affatim ingessisset, acetariis, oleribus, fructibus hortensibus crudis, & ejus generis difficilis concoctionis cibis corpus onerasset, incidit in febrem quartanam, qua curata aliquandiu bene habuit: Notandum tamen quod in ipsa febre quartana cum usus esset vomitorio ex rad. azari, & multas cruditates magna cum perturbatione & molestia rejecisset, (nam oleribus & difficillis concoctionis cibis se ingurgitaverat) juravit se nunquam vomitorium deinceps assumpturum; Quod cum ego animadverterem, & tamen Princeps ipse una mecum quamprimum restitui vellet, neque id absque vomitoriis commode fieri posse perspicerem, pilulis meis febrilibus, quibus ante singulos paroxysmos usus est, admiscui aliquantum pulveris rad. azari, quod tametsi in parva quantitate fuerit, sæpius tamen usurpatum multa per vomitum eo ipso die, quo assumptum erat, rejecit, & q. excrementa viridia, tenacissime cohærentia, quod omnibus abstantibus admirationem movit, conualuit post id & rectius habuit: Postea tamen cum iisdem crudis & difficilis concoctionis cibis iterum usus esset, incidit in gravem morbum, quem quidam, cum aliqualem calorem naturalem præter naturalem perciperent, febrem malignam judicaverunt, quod ego postmodum adveniens falsum inveni: Nam cum nossem Principis, qui alioquin temperantissime vixit, in rebus crudis & cibis herbaceis intemperantiam, statim prospexi ex cruditate ortum quicquid mali erat, neque in eo deceptus sum, nam post aliquot dies propinato aceto bezoartico, & aliis medicamentis ad rem pertinentibus, ejecit Tæniam, sive vermem latum, ruptum & per partes emissum; ita tamen ut tota longitudo ulnas circiter novem compleret; id factum est die 22. Maii 1626. Antequam is excerneretur, & aliquot diebus post, quiescere non potuit, sed corpus hinc inde jactavit, donec exhibitis medicamentis expulsivis alexipharmacis (propter suspicionem veneni, vel ex mortuis vermibus intrinsecus nati, vel extrinsecus dati) cordialibus & confortantibus paulum tranquillior fuit: Interim die 1. Junii advertimus infra sinistram mammillam novem pustulas lividas, sive tubercula sicca, instar fragi per medium dissecti & appositi, ejusdem cum fragis, sed obscurioris aliquanto coloris & asperitatis, sine pure protuberasse, unde veneni suspicio aucta est: Vires inde fractæ & mentis hallucinatio nonnulla sequuta est, loquutio etiam ita præcipitata fuit, si quid diceret rari intelligere potuerint, nisi quid esset sæpius rogarint: Initio Princeps multum vomuit, præsertim assumpto cibo & potu: cerevisiam, qua alias delectatus fuit, vinum fastidiens, semper rejecit, vinum retinuit, neque quicquam incommodi inde sensit, aut caloris præter nat. concepit: Pulsus initio propemodum naturalis, urinæ quales jumentorum, postea prope ad statum naturalem in colore, substantia & sedimento pervenit, pulsus vero magis magisque languidior factus: In medicamentis assumendis difficilior fuit, nam vetita affatim appetivit, concessa respuit & cum corpus maxime calidum servare debuisset, omnia tegumenta rejecit, & præterea aqua rosarum, & aliis refrigerantibus caput inundavit, cum tamen neque in pulsu, neque in urina, neque in tactu totius corporis ullum caliditatis signum apparere: Medicamenta, tum quæ ad exonerandam saburram, tum quæ ad excludendos vermes, extinguendum venenum, conservandum cor & reficiendas vires singulari virtute facere videbantur, diligenter administrata sunt, omnia tamen in pejus ruere, pulsus sese subducere & vires in horas labasci, appetitus posterni, donec tandem spretis omnibus humanis placide obdormierit d. 6. Junij 1626.

Aperto ad condituram cadavere, propemodum omnia viscera sana iuventa sunt, solus ventriculus & intestina vitium contraxerant; Ventriculus enim muscoso phlegmate redundabat, & tunica ejus interior obscuriore, quam pro natura, colore imbuta fuit; Intestina etiam plurimum pituitæ crassæ & mucosæ continebant, & interior tunica, in testinis tenuioribus fere nigricans, rugas instar plicarum orbiculatim in intestina intrensecus continua serie ambientes formaverat. In Colo vero de lato verme, sivæ tænia, particula ad longitudinem prope quinque ulnarum reperta fuit: Pulmones plane integri fuerunt: Cor nihil vitij habuit, nisi quod dexter ventriculus solito flaccidior visus sit, & in eodem vesicula albicans ad longitudinem & crassitudinem digiti, utrinque acuminata, pisciculum dixisses, qua discissa & rupta, cum aquam contineri putassemus, materiam pinguem, crassam instar axungiæ reperimus: Hepar magnum fuit & omni labe caruit, nisi quod quatuor quinquève locis ad magnitudinem felii menthæ, maculæ lutei coloris apparuerint, carne subjecta similiter ad corruptionem vergente, reliquis partibus tum quoad colorem, tum quoad substantiam omnibus integris: lien, quemadmodum & Renes omnis labis fuerũt expertes, Membrum virile supra modum flaccidum una cum scroto nigrorem contraxerat. *Ex observationibus Adami Lichtenii*

Lucætenii Regis Daniæ Medici in Actis medicis Bartholini anni 1672. p. 25.

Febris Epidemica Nervosogeneri & Thoracis partibus infesta Febris Epidemica ab inflammatione Pulmonum Epidemica verminulosa.

Circa æquinoctium vernale anni 1661. puella novem circiter annorum ægrotare cœpit, imprimis absque calore & siti intensis, appetitus dejectio & virium languor accesserant: insuper vertigo fere continua molestabat, cum crebro leipothymiæ metu, ut sæpius animi deliquium instare putaverit; cujus ægritudo quoniam Tussi crebra & humida stipata fuerat, primo tantum frigoris susceptio putabatur, verum intra paucos dies ista Tussis plane convulsiva: adeo ut inter tussiendum, piaphragmate sursum elato, & cum systole sursum repetita, ita aliquandiu retento stridor ingens & velut suffocativus ederetur: dein apertius Febricitans, ac de siti & calore conquesta, noctes insomnes cum insigni corporis agitatione ducebat, atque prope diem delire loquuta de veste sua in aquas delapsa querebatur: cumque omnia in pejus ruerent, motibus convulsivis primo in artubus, mox in facie & subinde toto corpore tentari cœpit, paroxysmi crebra vice, nempe bis aut ter intra horam repetente, gravissime urgebant, adeo ut misella hæc intra nycthemeri spatium, aquo affectiones spasmodicæ graviores exortæ fuerint, spirituum animalium tenore labefactato penitus fatum obierit: Dum paroxysmi convulsivi urgerent, pulsus erat plurimum inordinatus, ac sæpe intermittens, etiam vomitione crebra afficiebatur.

Cadavere dissecto, symptomatum in hac febre præcipue urgentium rationes & vestigia clarius patebant; Nam calvariæ olla amota, statim vasa meninges perreptantia, sanguine plurimum turgescere conspiciebantur, quasi fere tota cruoris massa in capite aggereretur: Venis enim circa viscera imi ac medij ventris sectis aut disruptis parum sanguinis effluxit: Porro membranæ istæ, ubi cerebellum investiunt, atque altius intratæ ipsum à cerebro derimunt, sanguine pluribus in locis extravasato suffusæ, colore atro purpureo insigniebantur, ut minime dubitandum esset, quin phlogosis sive inflammatio, illic circum circa excitata, convulsionum adeo atrociter infestantium causa fuerit: Integumentis hisce ablatis, cerebri substantia prorsus madida, & humore aquoso supra modum irrigata videbatur: quinimo ejus cortice exempto, ventriculi omnes aqua limpida erant impleti, cujusmodi pellucidi liquoris plusquam libræ semissem eximere licuit, ventre inferiore aperto, viscera omnia in eo contenta sanis sarta & sana tecta inveni: ventriculus, licet inani vomitione crebro lacessitus, nihil præter liquorem nuper ore ingestim continebat: etenim neque in ipso, nec in appendice ipsius lumbrici, aut acres humores (qui sæpe ejusmodi convulsionum causa perhiberi solent) reperiebantur: Intestina tenuia pluribus in locis mutuo involvebantur, à viscerum istorum motibus covulsivis; Thorace aperto, pulmonum cava valde rubicunda, & velut suffusa, imo in quibusdam locis quasi livida & fere nigra apparebat, ex eadem ubivis discissa ichor tenuis & spumosus exudabat; *Th. Willis pataol. Cerebri cap. 8.*

Temporibus inconstantibus morbi equidem fiunt inconstantes, dummodo illorum perduravit inconstantia; sed quando ipsorum inæqualitas uniformis aliquandiu persliterit, prout factum est per duos annos fere continuos, ut plurimum fuerunt austrini, ventrosi, frigidi, pluvii, & cum maxima aquarum illuvie, morbi supervenientes constantes apparent & fere uniformes: Cujusmodi sunt febres hoc tempore grassantes, non Bergomi tantum, sed Bononiæ, Venetiis, in Foro Juliensi, agro Patavii, Vicentiæ & fere ubique locorum; In his enim omnibus locis populariter sævierunt febre, non quidem vere Pestilentes, quia licet multos interfecerent, ut plurimum tamen fuerunt salutares, nec alicui cõmunicatum fuit contagium, sed sunt Ardentes spuriæ, ad continentium naturam accedenses invadentes, cum dolore capitis, colli, lumborum & totius corporis perseverantes, cum siti, vigili, paraphrenitide, & aliquando cum phrenitide, vermibus & cum peticulis erumptibus, plerumque rubris, aliquando violaceis, nigris diversis temporibus, ut plurimum circa septimam, & in puerulis cum morbillis cum & variolis, & urinis tenuibus, aliquando crassis & turbidis, & aliis accidentibus malum morem harum ferium con monstrantibus: hæquæ febres viros magis quam mulieres affligunt, eosque ut plurimum infra secundum senium constitutos, si præsertim plethorici, biliosi, aut melancholici fuerint, si locorum humidorum fuerint incolæ, si incomposite vixerint, immodice incaluerint, veneri indulserint, vitiosisve succis redundaverint, raro Claustrales, tanquam minus incomposite viventes.

Originem autem habuerunt hæ febres ut plurimum à putredine circa viscera naturalia, ideoq; & vermes fuerunt excreti, diarrhœæ non raro subsequutæ, cum criticæ tum symptomaticæ: Fere tamen semper sese insinuavit putredo in totum venosum genus, non sine aliqua Pulmonum inflammatione, ut apparuit ex dissectione Cadaverum: Hincq; factum fuit ut fere in omnibus apparuerint peticulæ, pluribus supervenerint sudores aliquando diaphoretici, non raro salutares, & fere omnes judicati sint per urinas copiosas. *Ban. Silvaticus consil. xiv. cent. 1.*

Sæpe decipiuntur Medici, Peripneumoniæ speciem pro febre mali moris & maligna udicantes, ac pro tali curantes: Et dum febres hujusmodi epidemiales vagantur, si corpora eorum qui perierunt secta sint, maxima ex parte inveni labem, vel in extremis lobis, vel in parte postica pulmonum, quæ ad gangrænam perexiguam tendebat: Id ipsum etiam accepi à Doctore celeberrimo, qui se eadem experimenta multoties observasse testatus fuit: Ideo caute in his procedendum est ut cognoscatur pars affecta.

Scholia.

In Pulmonum affectibus non plerumque respira-

respiratio læditur, quod provenit, partim ex natura affectuum, partim ex situ, Nam Tabes, vel ulcus Pulmonum, ex se respirationem non lædit nisi per accidens, cum scil. pus vel pituita in arteriis eorum recipitur: Similiter pituita, quæ in pulmonum substantia recipitur, respirationem parum aut nihil lædit, nisi cum vasa obstruit, & aeris ad cor ingressum vel egressum cohibet: aut pulmones magnificando, inanitatem pectoris, quæ ad libere respirandum requiritur, repleri facit: Imo neque ex inflammatione particulari pulmonis, quæ scilicet extrema loborum ejus, vel partem aliquam externā, & maxime posticam obsideat, nisi maxima sit: ex illa enim cor potius præfocationem patitur quam magnam æstuationē; neque ob id arteriæ occuluduntur, vel comprimuntur, Et ideo non sequitur neque ratione organi, neque ratione aucti caloris necessitas magna respirationis, neque impedimentum illius, nisi leve: Inde sæpe decipiuntur Medici, qui hæc est peripneumoniæ species, &c. Ideo caute in his procedendum est, ut cognoscatur pars affecta; Quæ ex levi, sed angustiosa respiratione, & subdifficili in aliquo latere decubitu, sicuti ex pulsuum mollitie, ex sudore circa pectus & cervicem, cum adsunt malignitatis notæ, colligi debet: Et maxime cum alvus bene ab excrementis abstergitur, & videntur hujusmodi ex sanguinis evacuatione sublevari, licet parum habita ratione languoris virium & febriculæ convenire videatur: Cognoscitur etiam ex pulsuum inæqualitate, nam ex parte affecta celeriores & majores, vel crebriores & oppressiores erunt. *Sebastianus Næsius meth. med. Parte 2. p. 298. Vide Læl. à Fonte.*

Initio hyemis 1693. districtu dominii Veneti universo, morbus quidam malignus & epidemius grassabatur, quo plusquam lx. millia hominum, ut ferebatur, cum horrore & febri corripiebantur: Horum nonnulli cito interibant, cæteri brevi evadebant.

Sectione cadaverum instituta, mira & vix credibilis vermiculorum minorum copia apparuit, causamque, quæ vel experientissimis nondum in mentem venerat, manifestavit. N. S. Gemmarius, ex illis locis redux, quamprimum ad nos appulit male habere cœpit, sibique propterea metuens ne simili morbo decumbere cogeretur, consilium nostrum expetiit: purgandum censuimus spec. diaturbith. cum Rhabarb. ℥j. pulv. sem. santonic. Jalap. ana ʒß. m. duas dozes sumpsit, juravitque se copiose purgatum plusquam bis mille vermiculos vivos excrevisse. *G. H. Velschius observ. Medico Physic. hecatostea 2. §. 59*

In capitibus eorum qui Febre Hungarica mortui sunt, cum sævissimis capitis doloribus, deprehensos vermes testatur Cnradinus cap. 10. de Febre Hungarica. Vide lib. 1. sect. 1.

FEBRIS ALBA.
Vid.
CHLOROSIS.

FICUS.
Vid.
VERRUCA.

FISTULA.

Curationes.

I. AB Ulcere sinuoso saltem differunt *Fistulæ*, quòd præterea callosæ & duræ sint. Namque Celeriter si non curetur sinus, pus cuniculos porro agit, pars ulcerata callum contrahit, duriorque efficitur, sic ut agglutinari nequeat quod malum tunc *Fistula* nuncupatur. Enim vero est Fistula Sinus Augustus & Oblongus, seu Ulcus Sinuosum, Angustum, simulque Callosum, ac proinde Curam non facile suscipiens. Id quod fit, quoniam orificio existente angusto, fundo autem lato & calloso, copiosa simul & virulenta sanies ibidem colligitur, indequè continuò emanat.

II. Sunt autem plures Fistularum Differentiæ, quæ desumuntur à magnitudine, numero, figurâ, situ. Aliæ enim breves sunt, aliæ longæ & altius penetrantes. Aliæ unum duntaxat orificium, unamque tantum cavitatem; aliæ vero plures sinus, diversasque cavitates habent. Aliæ sub cute extensæ, aliæ altius penetrant, aliæ in carnem desinunt, aliæ ad ossa, vel ad nervos, vel ad uenas aut arterias pertingunt.

III. Causæ Fistularum haud immeritò censentur omnes illæ, quæ Sinum efficere possunt. Quandoquidem enim Fistula à Sinu tantum differt callositate & duritie, facilè datur intelligere, in fistulam sinum degenerare, quum malâ sinus curatione callus circa ipsum obducatur, ac tandem durus evadat.

IV. Cognoscuntur verò Fistulæ, in primis stylo in sinum immisso; quò & quò tendat, & quam altè pertingat observamus. Quod si obliqua fuerit fistula, ut stylus recta adigi nequeat, specillum plumbeum, aut potius cerea candela, quæ flecti potest, immittatur. Insuper caro, quæ fistulam circumdat, alba apparet, sicca, dura, sine aut cum parvo dolore, nisi sit juxta nervum, partemvè nervosam. Sed an unus, an plures sint sinus, specillo vel candelâ cereâ explorandum est; idquè Pus etiam, quod effunditur, non raro testatur. Enimverò si plus puris, quam probabile sit unico in sinu contineri & generari, effluat; aut si, ubi Æger situm mutaverit, pus, quod prius substiterat, denuò fluere incipiat, plures sinus adesse, altiusque fistulam penetrare indicio est. At plura si sint fistulæ orificia, per stylum non ita facilè explorari potest; sed potius per syringam uni orificio liquor injiciatur, sique per omnia orificia is effluat, una est fistula: sin per omnia non reddatur, plures fistulæ adsunt.

V. Cæterum omnes fistulæ difficulter sanantur. Recentes tamen, simplices, quæquè in partibus solum carnosis sunt, non profundæ, in corpore juvenili & boni habitus, facilius curantur: difficilius verò, in quibus plures partes sunt erosæ, quæquè antiquæ sunt, sensu non præditæ, profundæ, flexuosæ, & varios sinus habentes, membris nobilibus vicinæ, in corpore senili, emaciato, cacochymico. Imò quædam fistulæ ne quidem curari debent, quoniam antiquæ sunt, & à partibus nobilibus remotæ, per

quas superflui ac vitiosi humores expurgari jam diu consueverunt.

Sicut & eæ difficul curantur, ac ferè insanabiles sunt, quæ ad musculorum principia, venas, arterias, nervos, ossa, articulos, dorsi vertebras pertingunt, quæ ad thoracis vel abdominis cavitatem, aut ad contenta intus viscera penetrant. Tales enim fistulæ vel medicamenta non ferunt, vel ad eas medicamenta pervenire non possunt. Hinc Celsus lib. 5. cap. 28. inquit: expedita curatio est in fistula simplici, recenti, intrà carnem; adjuvatquè ipsum corpus, si juvenile, si firmum est. Inimica contraria his sunt. Itemque si fistula os, vel cartilaginem, vel nervum, vel musculos læsit, si articulum occupavit, si vel ad vesicam, vel ad pulmonem, vel ad vulvam, vel ad grandes venas, arteriasvè, vel ad inania, ut guttur, stomachum, thoracem penetravit. Ad intestina quoquè eam tendere semper periculosum, sæpè pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si corpus vel ægrum, vel senile, vel mali habitus est. Et Paulus Ægineta lib. 4. cap. 49. ait: si fistula ad os usquè decumbat, curari hanc absque manus opera impossibile est, nisi temporis spatio sua sponte squamma, vel os abscedat.

VI. Quoad Curandi Methodum: duplex occurrit fistularum Curatio; una vera & perfecta; altera palliativa seu imperfecta, qua nimirum fistula exsiccatur intus, & foras consolidatur, manente nihilominus sinu. Hanc Curam innuit Galenus lib. de tumoribus præt. nat. cap. 4. ubi hæc habet: coërcetur tamen sinus siccatus à medicamentis, ut habere sanitatem irreprehensibilem pars videatur: siquidem perpetuò quis accurato victu utens, salubre ferè, & superfluitatibus vacans corpus habet, cohibitus manet sinus. Superfluitate verò aliqua collecta rursus repletur, iterumquè fit qui ab initio fuit abscessus: rursus verò, ut convenit, medicamentis evacuatur, siccatur que & coërcetur, & semper longè faciliora ei hæc omnia fiunt, quam iis, quæ primò abscedunt. Neque enim quæ divelluntur dolent partes: etenim jam distant, celerrimèque replentur, facile fluorem suscipiente sinu. Atque istam Curationem non omninò spernendam esse existimat Aquapendens, & interdum benè sibi successisse scribit, etsi non semper. Perficitur autem hæc cura legitimo Rerum Nonnaturalium usu, nec non purgato per intervalla Corpore; dehinc Fistulæ Simul immissis validè Siccantibus. Hoc enim modo coalescit orificium, ut sana videatur fistula: quæ quidem interdum planè coalescit; ut plurimum, tamen tamdiu clausa solummodo manet, quamdiu superflui in corpore non colliguntur humores. At postquam aliquid humoris denuò in sinu colligitur fistula quoque iterum aperitur.

VII. Altera autem fistularum curatio vera est, atq; hoc modo perficitur. Primum, conveniente institutâ Diætâ, vitiosi in corpore redundantes humores emendandi ac expurgandi, usurpatis tum vulnerariis dictis, tum humoribus istis evacuandis aptis Decoctis, præced. cap. 2. nec non lib. 2. cap. 7. abunde traditis.

Deinceps danda opera, ut callus removeatur. Sed cum Medicamenta callum absumentia ritè applicari nequeant propter fistulæ orificii angustiam, istud dilatare necesse erit.

Id verò fieri potest vel per sectionem, vel commodius & absque dolore per immissas turundas ex Radice Gentianæ, aut Spongiâ Præparata. Hæ enim fistulæ sinui immissæ humiditates imbibunt, & crassiores redduntur, atque itâ pedetentim absque dolore orificium dilatant: quæ interdum quoque, cum eum callus dilatationem impedit, imbuuntur & illinuntur medicamentis, quæ callum auferre apta nata sunt.

VIII. Sed dilatato quantum satis est fistulæ orificio, callus removendus. Fit autem hoc vel medicamentis, vel ferro, vel igne. Medicamentis aufertur callus in iis præcipuè, qui neque incisionem, neque ustionem ferre volunt, ubi recens est fistula, & callus non admodum durus: hujusmodi autem medicamenta acria & erodentia esse debent, & eò acriora vel minus acria, quò callus crassior vel tenuior fuerit.

Ad removendum fistulæ callum Scultetus post Armament. Chir. Obs. 75. hoc laudas Unguentum:

℞. Aluminis Usti, Mercurii Præcipitati, viridis Æris, Salis Nitri an. p. æq. Album. Ovorum q. s. F. S. A. Unguentum. Barbette istud commendat:

℞. Pulv. Rad. Bryoniæ, ʒj. Thuris, Myrrhæ an. ʒij. Æruginis ʒß. Salis Armoniaci ℈j. Olei Olivarum, Axungiæ Porci an. q. s. Misceantur pro unguento. vel, quod magis efficax:

℞. Vitrioli Albi ℥iiij. Aluminis, Æruginis an. ℥ß. Aceti fortis ℥vj. Calcinentur, & fiat exinde Pulvis, qui misceatur cum unguento Ægyptiaco pro Litu, eôque inungatur turunda fistulæ inserenda. Eum in finem quoque conducit unguentum Fuscum felicis Wurtzii. Vel fiat acris Injectio, quæ fistulæ callum erodat. v. gr.

℞. Aquæ Aluminosæ seu Mercurialis ℥iß. Plantaginis ℥iij Rosarum ℥j. unguenti Ægyptiaci ℥ß. Misceantur pro injectione. fistula verò post injectionem bombace, cerâ, vel emplastro occludatur, ut quod injectum fit intus maneat: atque talis injectio quotidie semel fiat, aut bis pro re nata.

IX. Sed cum semper callositas fistulæ medicamentis non cedat, atque interdum hac in re plus auxilii & commodi adferat manuum opera, nonnunquam etiam ad Ferrum & ignem accedendum. Aperiendus nimirum totus sinus est, dehinc Actuale Cauterium adhibendum.

X. Ablatâ tandem omni callositate, sinus detergendus est, ac purus reddendus, ut caro regenerari, hinc & sinus conglutinari possit. Hoc verò fiat adhibito unguento Aureo, Basilicone, aut Digestivo cui Aloë, Myrrha, similiave Sarcotica sint addita. Vel huic intentioni ut satisfiat, usurpetur injectio, ex Absynthio, Agrimonia, Centaureo, Radice Aristolochiæ Rotundæ, in Aqua Pura decoctis, addito Spiritu Vini cum Pulvere Myrrhæ & Aloës; qua & sinus apertus probe abluatur.

Fistulæ autem perfectè curatæ cognoscuntur: si humor emanans sit pacus, crassus, coctus; item si locus affectus sine tumore, dolore, & omninò siccus sit. *Joh. Munniks in in Chirurgia ad hodiernam Praxim adornata.*

De Fistulis in specie ac primò De Fistula Lachrymali, etsi de ea jam supra capite de Ægylope.

I. Cæterum in interno oculi cantho inter duo puncta lachrymalia Caruncula locatur, lachrymalis dicta, quæ continuum lachrymarum per genas defluxum impedit; sed eas imbibendo ordinate per vicina puncta lachrymalia in nares dirigit. Hæc caruncula ab acrium humorum affluxu turget nonnunquam, intumescit, & abscedit, ulceraturque, ulcere non raro in Fistulam abeunte, ut adeò tandem sujectum os carie eorrumpatur: qui affectus lachrymalis fistula nuncupatur.

II. Est itaque Fistula Lachrymalis Tuberculum inter majorem oculi angulum & nasi radicem ortum, plerumque cum inflammatione, nonnunqnam & sine inflammatione. Atque hic tumor aliquandò quidem in superficie se ostendit, aliquandò magis profundum obsidet, & non nisi tacta ac compressione percipitur. Tumor hic ruptus & male curatus in ulcus abit, quod vel simplex remanet, à quo pus coctum plerumque exudat: vel serpens & malignum evadit, à quo pus crudum effluit: id quod non raro sub inferiore palpebra viam sibi facit, & per tuberculum ibi elevatum, exulceratumque aquosam & ichorosam materiam effundit: aut si abscessus tardius rumpatur, in sinuosum ulcus, seu fistulam oculi, lachrymalem dictam degenerat.

III. Causa humor est tenuis, acris, salsus, qui eò stillans primò inflammationem, dein erosionem, exulcerationem, ac tandem fistulosum & sinuosum ulcus, nonnunquam cum subjecti ossis carie, producit.

Tuberculum autem ipsum alias majus, alias minus est, iu superficie eminens & visui expositum, aut in profundo latens, & cum soluta unitate in Ægilope, citrà hanc in Anchilope. Rumpitur autem tuberculum hoc, aut intus versus oculum, aut extrà per cutem, aut utrimque. Interdum & os naris proximum perforat; nonnunquam cartilaginem palpebræ, ac ipsam palpebram corrumpit.

IV. Igitur dignoscitur malum hoc, quod tumeat locus affectus, rubore in ambitu perfundatur, lancinante dolore affligatur, in primis inflammatio si adsit. Ubi verò cute exulceratâ rumpitur tuberculum, fit abscessus cum ulcere; quod si legitime non curetur, pus diutius coërcitum cuniculos porrò agit, sinumquè facit, per quem collecta intus sanies aut sponte effluit, aut presso ungulo extruditur, tumorquè nonnihil subsidet, usque dum nova colligatur materies. Nonnunquam ad os usque subjectum sinus penetrat, illudquè erodit, viamque in narem proximam aperit, è qua graveolens quid continuo excidit.

V. At verò affectus hic ægrè sanatur, nisi mature ei occurratur. Atque difficilius redditur hoc vitium, si sit conjuncta soluta unitas, sique tumor profundas occupet partes.

Si ruptio fit interiora versus, periculosior quia metuenda est subjectorum ossium corruptio.

Fistula recens, & quæ orificium habet extrinsecus manifestum, facilius curam suscipit.

In genere tamen Fistula Lachrymalis chronicum malum est, cum propter perpetuum materiæ affluxum, & motum oculi continuum, tum quia conveniens ligatura ea in parte fieri nequit, tum denique quia medicamenta debilia parum a gunt, fortia vero oculum lædunt.

VI. Quoad Curandi Methodum: Quandoquidem eodem modo non semper se habet Fistula Lachrymalis, non semper eadem erit hujus affectus Cura. Curatur namque vel ut incipiens; vel ut abscessus jam ruptus, cujus tamen latera minime sunt callosa vel ut Fistula perfecta, osse tamen subjecto sano, minimeque corrupto; vel denique ut Fistula perfecta, osse subjecto carioso: atque tum aut Medicamentis, aut Chirurgia.

VII. In genere ut Ægilops vel incipiens vel perfectus Curetur, primum instituenda est optima victus ratio. Dein redundantes in toto acres tenuesque humores sunt corrigendi, & tum per alvum, tum per urinas, tum per auctam transpirationem evacuandi. Quem in finem conducit Decoctum, ex Ligno Guajaco, Saisaphras, Radicibus Sarsaparilla, China, additis Betonica, Majorana, alisque Cephalicis; nec non (si Purgans id desideramus) Pulpa Colocynthidis, Glycyrrhyza, & Insuper Setaceum nuchæ adhibere quantum conducat in Curanda Fistula Lachrymali, Praxis docet, affirmat Hildanus Cent. 4. Obs. 19.

VIII. Generalibus hisce præmissis, si Ægylops incipiens sit, atque nondum apertus, secetur ferro ac aperiatur, idque fiat mature. Si enim apertio differatur, pur vicinas partes erodit, & Fistulam sæpe inemendabilem gignit.

Aperto autem abscessu, seu natura, seu arte, imponantur, Desiccantia, Detergentia, Consolidantia: quem in finem conducit Ungentum de Tutia, vel simile ex Aloë, Myrrha, Plumbo Usto, Tutia, Spodio Præpareto, &c.

Chalmetæus Enchir. Chi. lib. 3. cap. 20. se nihil præstantius sequenti esse expertum testatur;

℞. Vini optimi, seu potius Spiritus Vini, Mellis Rosacei an. ℥j. Pulv. Myrrhæ optimæ ʒij. M. F. Linimentum, quo mane & vesperi locus illinatur. Insuper ipsi ulceri postquam Exsiccans aliquod impositum sit Unguentum, pars affecta comprimatur instrumento ab Aqua pendente, & à Sculteto Armam. Chir. Tab. 8. Fig. 1. depicto, aliove simili, ut ulcusculum ita consolidetur, & cicatrice occludatur.

IX. Si vero perfecta sit Fistula, lateribus adeo callosis, incidatur ferro, ac dilatetur. Sed si Patiens ferrum admittere nolit, dilatetur Turundis ex Radicibus Gentianæ, aut Spongiis Præparatis. Quod si hoc fieri nequeat, tantillum ex Caustico quodam prudenter applicetur. Diligenter interim oculus claudatur, ne forsan liquefactum Causticum in oculum fluat.

Aperta & sufficienter dilatata Fistula, Mercurius Præcipitatus Ruber ulceri inspergendus, aut filamentis inponendus est, ac superponendum Emplastrum ex Gummi Elemni.

Atque hoc modo callus consumendus, quo attrito, pars affecta nunc citato Aquapendentis instrumento, vel simili comprimatur, ipsique ulceri Balsamum Peruvianum, vel Tolutanum, aliudve Unguentum Exsiccans, Detergens, Cicatrizans imponatur, sicque consolidetur ac cicatrice occludatur.

At vero subjectum os si cariosum observetur, (quod deprehenditur, si immisso specillo asperitas quædam inesse appareat; aut sonus quidam percipiatur osse pulso, consumpto scilicet perioste) quantum fieri potest detegendum est, dein ferro abradendum: quo sublato, ossi superstiti filamenta arida applicanda, quousque caro laudabilis ab ipso excreverit; imponendum quoque vulneris labiis Unguentum de Tutia, Sarcotici loco, propter continuum ichoris ad angulum oculi fluxum: tandem cicatrix inducenda Gummi Elemi, aut Emplastro Diapalmæo, similivè exsiccante. Si autem os cariosum & probè detectum commodè abradi nequeat, Euphorbium in subtilissimnm pulverem redactum inspurgatur. Enim vero nihil præstantius esse Euphorbio in ossibus cariosis, & in fistula lachrymali ostendit Praxis, subscribit hildanus cent. 5. obs. 22. & cent, 2. obs. 92. Quippe quod adjacentem carnem non adurit, ut perperam nonnulli metuunt.

Sunt qui cariem ossis oleo vitrioli, sulpuris, aut aqua forti corrigere tentant, sed male; ad circumjacentes enim partes fluunt, & os ulterius corrumpunt.

Alii ossis fistulæ lachrymali subjecti cariem cauterio actuali corigunt, malè; quæ enim ferrum aut ignis non sanat, insanabilia esse Hippocrates pronunciavit. Scribit tamen fabritius Hildanus, sibi curationem fistulæ lachrymalis cum euphorbio semper tam feliciter successisse, ut cauterio actuali nunquam fuerit usus, Interim vero illud non rejicit, atque ideo fistula plane occalescente, Inustionibus utendum, si Ægri admitant; utpote quæ callum non modo atterunt, partemque ipsam corroborant, sed etiam citius separant os corruptum.

Quandoquidem igitur & callus fistulæ, & ossis corruptio consolidationem impediunt, hinc callositate ossisque carie absumptis, nec non deterso satis ac mundificato ulcere, balsamum Peruvianum, vel Tolutanum, vel Uguentum de tutia, aut simile filamentis applicetur, ut plana ac pulchra fiat cicatrix.

Per totum autem curationis tempus, collyrium exsiccans ac anodinum oculo frequenter instilletur, & linteum republicatum, eodemque collyrio madefactum applicetur, sintque omnia fascia diligenter ligata, ut oculi motus quoad fieri possit impediatur, exempli loco esto id, quod sequitur.

℞. Aq. rosarum, plantaginis, euphrasiæ an. ℥iß. sem. cydoniorum ℈iß. maneant in infusione per horas dein colaturæ admisceantur, troch. alb. rhasis subt. pulv. tutiæ præparatæ an. ℈iß. fiat collyrium, calide oculo identidem adhibendum.

In genere tamen de fistula lachrymali inveterata cum magna subiecti ossis corruptione notandum, quod difficulter ea curetur; & si curata fuerit, adhuc tamen ex oculo lachrymæ effluant, ob carunculam lachrymalem absumptam.

Sed genuinam fistulas lachrymales curandi methodum videre licet apud Hildanum cent. 6. obs. 3. & *Petrum de Marchettis obs. chirurg. 22. Idem ibidem.*

De Fistula Ani.

Ani fistula est Ulcus angustum, longum, callosum, sedem habens in substantia intestini recti, vel musculi ejus sphincteris. Exulceratur vero sedes hac fistula variis modis. Interdum namque circa anum oriuntur fistulæ rectum intestinum haud quaquam perforantes, sed circa anum consistentes, & in carne terminum habentes. aliæ exedunt intestinum rectum, simulque perforant communia integumenta, ut sanies exterius per cutem egrediatur. Nonnullæ ad intestini recti tunicam tantum exteriorem pertingunt, & serpunt supra intestinum, quod tamen non perforant. Aliquæ inter tunicas intestini recti sursum tendunt, modo ad medium sphincterem, modo ulterius. Quædam ad vesicam deflectunt. Adhæc aliæ uno tantum sinu, aliæ pluribus perreptant: quædam rectæ, quædam tortuosæ, ut non possit earum ductus investigari; quandoque vero sunt multæ simul & contortæ, atque conjunctæ, habentes tamen unum orificium. Sunt etiam aliæ pertingentes ad articulum coxæ Harum fistularum principium excurrit nonnunquam ad lumbos, sive thoracis vertebras imo interdum ad ipsas scapulas, inquit ampl. Tulpius obs. Med. l. b. 3. cap. 28. Cujus oras licet forfice diducas, & amplies, (quod tamen ad cutaneas fistulas summe utile) operam nihilominus ludes: nec pervenies unquā ad remotissimum sinuosorum fluxuū principium.

Causæ vero fistularum ani aliæ externæ sunt, aliæ internæ. Inter externas causas frequentissima est tuberculum exterius circa anum enatum & supperatum, cujus sanies si exitum non habet, sinum efficit profundum. Enacitur autem istiusmodi tuberculum ex contusione partium ani, ut sæpe equitantibus, & aliquando remigantibus contingit: item ex ictu, vel casu in partibus circa anum facto, cum exinde partes ani proximæ atterantur, & perruptis vasis sanguis ad nates, & circa anum cogatur, qui extravasatus putrescit, & putrescendo acrimoniam acquirit, & molles illas partes exedit, sinuat, Fistulamque efficit. Insuper vulnera hujus partis non raro in ulcera degenerant, atque hæc in fistulas. Inter Internas namque fistularum ani causas primo numeratur ulcus intestini recti non rite curatum: dein apostema in partibus hisce obortum, & serius apertum; viz. expectata ejus maturatione, cum tunc temporis sanies illa intus contenta corrodat, & sinum, tandemqve fistulam efficiat: atque ideo in hac parte apostemata, antequam ad maturationem perveniunt, sunt incidenda.

Cæterum ab humoribus vitiosis ad intestinum confluentibus, & musculum sphincterem erodentibus hujusmodi fistulæ oriuntur; dum à materia salsa, mordaci, vel virulenta, ex lue potissimum venerea, exulceratur rectum intestinum, hinc sensim evacuato ulcere ab eadem in eo congesta, & diutius hærente, paulatim perfoditur; atque materia inter partes musculosos collecta, tandem oritur tumor in partibus ani externis, qui diruptus in fistulam abit, tum rectum intestinum, tum musculum ejus spincterem pertundentem. Denique hæmorroides tumentes & malè curatæ, atque exulcerantes, in sinus nonnunquam, tandemque in fistulas abeunt.

Cognoscuntur autem ani fistulæ, quod orificium ulceris sit angustum, sinus vero intus latens, & labia ejus collosa sint. Excernitur etiam inde sanies (modo orificium ejus non claudatur. Tum enim nihil excernitur, & vicinæ partes tumidæ fiunt) aliquando aquosa, aliquando virulenta,

An verò unus, vel plures sinus sint; item an penetrent, vel non penetrent; vel sintne rectæ aut intortæ hæ fistulæ, stylo immisso exploratur. Si namque fistula sit in partibus externis propè anum, quæ licet musculum sphincterem non perforaverit, in intestinum rectum tamen penetraverit, id specillio patebit; intruso siquidem digito oleo inuncto in anum, specillum nudum illi occurret. Si vero fistula sit tortuosa, ut stylus in anum facile penetrare non possit, ex excrementis id deprehenditur; cum aliquando per fistulam fœces alvi reddantur, & liquor in fistulam injectus per anum exeat, seu in anum infusus per fistulam egrediatur. Porrò fistulæ inter intestini recti tunicas dignoscuntur immisso specillo, si digito id non fuerit obvium, sed membranâ ipsius intestini tectum. An verò fistula perforat intestinum rectum in musculo sphinctere, vel supra eundem, hoc prodit signum: siquidem si digiti in anum intrusi apex ab eodem non constringi, sed loco veluti vacuo hærere sentiatur; quo stylus quinetiam in fistulam demissus pervadat ad extremum usque digitum, in illud scilicet cavum, fistulam perforare intestinum supra sphincterem indicio erit. Vtrum verò fistula fuerit in musculi hujus principio, medio, vel fine, quoque digito & specillo patet. Si ad vesicam perveniat, urina per eam redditur. Interdum ad rectum intestinum & vesicam simul penetrat, ac tum inter mingendum crepitus ex pudendo, perinde atque podice emittur.

Quoad Præsagia de Ani Fistulis facienda: Ani non penetrantes fistulæ penetrantibus minus periculosæ sunt. Nihilominus tamen omnes fere Ani fistulæ sanabiles sunt. Et gloriatur Petrus de Marchettis, se ultra sexcentas ani fistulas perfectè curasse, alias difficilius, alias facilius.

Ægre admodum sanantur ani fistulæ, quæ supra musculum sphincterem intestinum perforant ut & quæ à lue gallica proveniunt. Facilius verò, & brevi tempore, quæ in orificio ani; minus facilè, quæ in medio musculo intestinum perforant.

Atqui fistulas hasce Curandi Indicationes vel totum corpus, vel partem respiciunt affectam. Totum corpus quæ respiciunt, permittunt (si viscera Patientis bene fuerint constituta, ut patet ex inculpata ejus valetudine) fistularum curationem mox aggredi, non expurgato corpore, absque ullo futuri morbi periculo. Alioquin præmittatur corporis Purgatio, præparantibus, & purgantibus lenioribus; nec non Vena Secetur. At verò Patiens fuerit mali habitus, & cacochymicus, propinetur insuper Decoctum ex Ligno Guajaco, Salsaparilla, chin, &c. Ut tum per sudores, tum per Auctam Transpirationem, & copiosiorem excretam Urinam, ab humoribus vitiosis liberetur: præsente siquidem cacochymia, rarò admodum ex toto sanantur fistulæ ani. Fonticuli item cruribus excitati non rarò multum conducunt, cum per hosce materia derivetur, & evacuetur: sic in senibus ex antiqua fluxione si sint fistulæ, eæ tutò nunquam curantur, nisi ante consolidationem excitetur Fanticulus in crure, pro evacuatione materiæ quotidiè collectæ.

Partis autem Affectæ curatio multiplex est, pro varietate & differentiis fistularum. Atque hinc in ipsius fistulæ curatione explorandum prius, num hæc sit unica vel multiplex, hoc est, num unum habeat orificium & ductum; an verò plura orificia, pluresvè ductus: deinde num in intestinum penetrent fistulæ, nec ne; & sic porro fistulæ quippe prope Anum, quæ non pertingunt ac ipsius orificium, facillimè sanantur, non tamen absque Sectione: & quidem si rectæ sint sectione unica; si autem sinuosæ, pluribus curari solent sectionibus.

Primò igitur foramen fistulæ dilatandum immissis Turundis ex Radice Gentinæ, vel spongia Compressa; ac quotidiè eædem crassiores immittendæ, donec foramen fistulæ dilatatum admittat Scalpellum ad Sectionem: satis verò dilatato foramine, immittendus Cultellus rectus, atque facienda unica Sectio, ad fundum usque ipsius fistulæ; postmodum ad prohibendam inflammationem imponendum linteum discerptum Ovi Albumine imbutum, superinjectis stupis in eodem madefactis; quibus postero die remotis, diligenter stylo inquirendi alii sinus: qui dilatandi, atque secandi modo nunc dicto: supra fistulam sectam adhibendum Digestivum ex Melle Communi, Therebinthina, & Ovi vitello. Quod si fistulæ callum consumere nequeat, imponatur illud Sculteti.

♃. Mercur. Præcipit Rubr. ʒß. Mellis Rosacei, ℥ß. Misceantur. Unguentum hoc linteo discerpto excipiatur, & fistulæ appertæ callo ponatur.

Consumpto callo, detersoque vulnere, caro generanda, non quidem Sarcoticis Unguentis admotis, utpotè humidioribus; sed siccioribus, Uuguento de Tutia scilicet, de Plumbo, similibusvé, atque linteo discerpto his imbuto vulnus omninò implendum, ut caro è fundo succrescat; ac superponendum Emplastrum diapalma, vel simile.

Producta autem æqualiter carne, inducenda cicatrix, non Pulveribus, nec filamentis Aridis, quibus labia vulneris callosa evadunt, & cicatrix non ita facilè obducitur; at impositis iisdem Exsiccantibus Unguentis; quibus dura ac solida evadit cicatrix, quæ difficilius dehiscit.

Sed fistulæ, quæ ad orificium ani pertingunt, & serpunt exterius supra Intestinum Rectum, non tamem ipsum perforant, non ita facile sanantur, ob copiosas humiditates, quæ ab intestinis continuò defluunt. Istæ sunt quoque dilatandæ, & sequendæ; nullo quippe alio præsidio sanantur.

Igitur si occurrat fistula ani non penetrans rectum intestinum, sumendum specillum, quod in una sui extremitate capitulum rotundum, & pro fili serici trajectione foramine donatum habeat; in altera, pro incisione fundi fistulæ, instar acus tricuspidis acuminatum sit, cujus apici affigatur pila cerea, qua instrumenti acumen liberiorem transitum habeat ad sinus fundum, neque timor sit, ut in latera ejus impingat, operationem impediat, & dolorem excitet.

Præparato ita specillo incerato, fistulæ fundus inquirendus, eoque invento, specillum fortiter trudendo cutis perforanda, totumque illud per fistulam ducendum, propendente ex utroque foramine filo serico, dein educto specillo, fili extrema colligenda, arctissimè stringenda, sicque universi sinus incisio filo peragenda. Atque hic modus fistulam non penetrantẽ incidendi proponitur à Celso lib. 7. c. 4. hisce verbis: „in fistulã de-

„ misso

" missio specillo ad ultimum ejus caput, incidi " cutis debet; dien novo foramine specillum " educi lino sequente, quod in aliam ejus par- " tem ob id ipsum perforatam conjectum sit. " At vero quia fistulæ totius per filum incisio & curatio nimis tarde procedit, illamque assiduus comitatur dolor, merito rejicit eam Febr. ab Aquapendente, nec locum habere ait, nisi in iis, qui meticulose ferrum expavescunt. Unde & nos potius ducimus, fistula specillo perforata, & foraminibus pro usu syringotomi, quod altero extremo capitulum crassius habet, sufficienter dilatatis, filum sericum removere, atque fistulam ipsam incidere. Et hæc fistularum per filum & aciem scalpelli curatio Celsi & recentiorum Practicorum votis satisfacit, atque simplici per filum incisione melior est, & tolerabilior, in primis quando orificia propter sinus longitudinem nimium distant, Si tamen & hæc operatio æquo tardior videbitur, omnibus bonæ operationis conditionibus sati faciet Chirurgus, si statim fistulam inciderit Syringotomo autam aciem habente, globulo tamen cereo munitam, quo syringotomi acu non transitum habeat liberiorem ad fundum fistulæ, neque metus sit, ut in latera impingat, operationem impediat, doloremque excitet.

Verumenim vero licet hos modo, per Sectionem partium externarum, Fistulæ Ani non Penetrantes ut plurimum curari soleant; facilius tamen eædem curam sucipiunt, si ipsum intestinum intus secetur. Neque omnino metuenda est musculi sphincteris & intestini recti sectio; hac equidem cautela, ne musculus totus secetur, sicque fæces involuntarie effluant. Scribit Hipp. lib. de Hæmorrh. sphincterem tuto posse incidi, quovis modo, sine læsione sui officii, si saltem octava ejus pars relinquatur intacta, alias sequeretur involuntaria fæcum excretio, & tandem ipsa mors.

Tertio occurrunt Fistulæ, quæ Intestinum Rectum perforant, sive in inferiore Msculi Spicteris, sive media, sive suprema ejusdem parte; quæ tamen loci diversitas non mutat curationem, sed soluminodom ejusdem tempus; extremi quippe musculi fistulæ citius sanantur mediis vero, vel supremi tardius, propter profundas sectiones, quibus ad perfectam earundem sanationem opus est.

Hujusmodi fistulæ aliquando ab Hippocrate sine incisione curantur. Nam primum Turundam fistulæ immittit Succo Tithymali madidam, pro callo consumendo; deinde Florem Æris adspergit: in anum ad inflammationem prohibendam Glandem immittit Corneam, exterius Creta Detergente illitam, usque in quintum diem: ablato callo, Glandem Alumine implet, anoque imponit, ad glutinandum, ad inflammationem arcendam, ad locum affectum exsiccandum. Sed vix unquam hæc curatio succedit, Præferenda autem quæ primum hasce fistulas dilatat Turundis accommodatis, deinde eas secat, vel Syringotomo, vel Filo Serico. Utendum Filo, Patientibus ferrum reformidantibus; licet hæc sectio longa sit, & dolore molesta: frequentius vero Syringotomo quia citius & minore dolore operatio perficitur: & quidem hunc in modum. Specillum sumendum argenteum, in utraque extremitate rotundis capitibus præditum, illudqve pro necessitate incurvandum. Hujus extremo, & Syringotomi globulo filum ex lino duplicato alligandum. Quibus peractis, fistulæ orificio lente intrudendum specillum, illudque ut & filum duplicatum, & globosum scalpelli caput, per ani orificium trahendum. Deinceps manu sinistra arripienda syringomi superior pars, atque sic instrumentum trahendo & impellendo fistula uno ictu, ne diu Ægri doloribus torqueantur, integre incidend, Qua incisa, sanguis sistendus, inflammatio prohibenda, callus (modo nunc dicto) absumendus, vulnus recenti carne implendum, & cicatrix inducenda.

Ad Fistulas autem, quæ Intestinum perforant ultra Musculum Spincterem, parte superiore, quod attinet: Istæ à multis habentur insanabiles, nisi præsecto toto sphinctere, ex quo involuntaria fit fæcum alvinarum excretio. Hasce tamen se sæpius feliciter sanasse scribit Petrus de Marchettis, citra illud incommodum; facta viz. congrua dilatatione, ut in omnibus aliis ani fistulis curandis fieri solet; musculus sphincter eousque secandus, ut aliqua ipsius pars integra supersit, ac intacta, quæ suo fungatur officio. Facta sectione, superstes fistula Actuali Cauterio erit inurenda, ut callus tollatur, cujus crusta butyro vel digestivo sublata, implenda cavitas linteo discerpto imbuto Unguento de Tutia; hac ratione, ut imminuatur quotidie, donec proba caro æqualiter generetur, & cavitas oppleatur.

At nonnunquam observantur Fistulæ, quæ serpunt inter Intestini Recti tunicas, & superius tendunt, modo ultra latitudinem Sphincteris, modo infra. Eæ tamen raro fiunt callosæ, propter humiditatem in intestinum, ejusque membranas continuo allabentem; quæ proinde statim sunt dilatandæ Turundis ex panno lineo confectis, (vitatis illis ex Radice Gentianæ, vel Spongia Compressa, quæ plus satis dilatando, lacerant membranas intestini) dehinc secandum longitudinem, abique ullo metu læsionis musculi sphincteris: ad interna vero facienda est sectio.

Sed Fistulæ hædum secantur, immittenda intra Anum cannula rotunda, altero extremo clausa; at à latere fissura patefacta, in cujus medio lana mollis vel gassypium lateat, ne acies scalpelli hebetetur: illius cannulæ usus est, ut secta fistula, excipiat gladiolum, illæsis proinde intestini partibus oppositis.

Curantur autem facile hæ fistulæ sectæ, obducta cicatrice Injectionibus exsiccantibus bis quotidie infusis, nec non immissis Turundis imbutis Unguento de Tutia, atque Pulveribus itidem Exsiccantibus Facta namq; Sectione, mox immittenda Turunda longa, ad fundum usque sectionis pertingens, illita Ovi Albumine cum Bolo Armeno conquassato: ad detersionem vero injicenda Aqua Hordei cum Melle Rosaceo, & supra turundam inspergendi Pulveres ex Bolo Armeno, Terra Sigillata, similibusque, tum ad exsiccandum, tum ad adstringendum. Notandum vero, quod hujusmodi fistulis nunquam adhibeatur Digestivum, ne tenues intestini membranæ nimium flaccescant & resolvantur. Post quatuor aut quinque dies, parandæ Injectiones ex Aquis Thermalibus; vel, hisce deficientibus, Artificialibus ex Vitriolo, Nitro, Sale, Alumine, cum aq. communi, immissa semper Turunda imbuta Unguento de Tutia, ac Pulveribus dictis Exsiccan-

tibus; quibus remediis obducenda cicatrix, quæ durior licet, & callosa, nequaquam tamen impedit constrictionem musculi sphincteris; quinimo mollior foret, brevi resolveretur denuo ab humiditate continuo partem illam alluente.

Tandem ad Vesicam serpentes Fistulæ succedunt; quarum quædam perveniunt ad ejus collum, & quidem aut juxta ejus exortum, vel medium, vel finem, ipsum tamen non perforant: aliæ ipsum pertundunt in ejusdem exortu, aut medio, aut circa finem, ubi cervix vesicæ oriri vulgò perhibetur. De hiscè vix est dicendum, cum omnino sint insanabiles, & solo Prognostico relinquendæ, ne infamentur artis præsidia. Quoad illas tamen, quæ pervadunt ad cervicem vesicæ, ipsam tamen non perforant: in iis curandis majore dilatatione opus est, quam in præcedentibus; in quam rem, ex usu sunt Turundæ ex Compressa Spongia, vel Radice Gentianæ, atque fistula dilatata, facienda Sectio gladiolo admodum recurvo, dorso lævi, ne lædatur collum vesicæ, acuta acie, quod partes illud investiente sint membranosæ, quæ difficulter secantur. Si sint plures sinus, ii pluribus sectionibus sunt patefaciendi, illæso semper vesicæ collo; turpe quippè, & fœdum foret, urinam per aliam partem effluere, quam naturalem Facta sectione, callus removendus, tum absolvenda curatio uti in aliis fistulis.

In genere verò de Fistularum Ani Curatione Medico observandum, ut statim ad eam se accingat, nisi renuente Ægro; supressa siquidem, ut sæpè fit, purulenta materia, varii sinus excavantur, unde tandem Fistula in plures diffunditur; è qua supressa materia oriuntur abscessus, non sine magno dolore, gravi febre, & aliquandò morte ipsius Patientis.

Perperam itaque existimant multi Pseudo-Medici, & Barbitonsores, se sanare posse fistulas ani & intestini recti Balsamis, Unguentis, Injectionibus, aliisque hujusmodi præsidiis; sed frustra laborant, cum hæ non nisi Sectione sanabiles sint *Idem ibidem.*

De Fistulis *Pectoris*, *Abdominis* aliorumque partium vide Caput de Ulceribus ubi hac pertractabuntur, Hic rursus de *Fistulis* jam in specimento ratis ex Clar. Petro de Marchettis ac Theodor. De Mayerne, ut & de Fistulis urethrâ ex eodem Petro de Marchettis pauca.

De Fistularum Ani Differentiis.

Licet non me lateat, ab omnibus auctoribus curationem fistularum ani proponi, cum tamen diversi sint à me modo, & ordine eas explicandi, ac curandi, ideo decrevi eum in medium afferre, quo sæpe felicissimo successu has sanavi, à differentiis ipsarum exorsus.

Aliæ itaque fistulæ sunt propè anum, non tamen pervenientes ad ejus orificium; nonnullæ ad ipsum pertingunt, & serpunt exterius supra intestinum, quod tamen non perforant: quædam verò ipsum pertundunt; & quidem aliæ in externo musculo sphinctere; aliæ ad partem usque ejus mediam; quædam propè eundem externum superius, vel etiam ultrà, superiori tamen parte: aliquæ inter utramque tunicam intestini recti sursum tendunt, modo ad medium sphincterem, modo ulterius: earum item quædam aliquando ad vesicam deflectunt, quæ sunt species fistularum ani, & intestini recti à me observatæ. Præterquam quod aliæ uno tantum sinu, aliæ pluribus perreptant; quædam tortuosæ. quæ differentiæ accutate recensendæ fuerunt, utpote ad earum curationem apprimè necessariæ.

De Causis Fistularum Ani, & Intestini Recti.

Causæ harum fistularum aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ, vulnera, in ulcera degenerantia, atque hæc in fistulas; contusiones ex equitatione, ex lapsu, vel aliqua hujusmodi causa anum contundente, cujus ratione oriuntur abscessus; que contusiones, prope anum potissimum, ex pure in iis concluso, perforant absque dubio intestinum, quæ si longius ab ano recedant, illud non labefactant, sed tantummodo carnem, supra quam exterius serpunt.

Causæ verò internæ fistularum ani, & intestini recti sunt humores, hæmorroides, exulceratio.

Hæmorroides siquidem, ratione doloris sanguinem attrahunt, suborto postmodum tumore, qui in sinum, tandem in fistulam desciscit. Ab excoriatione verò intestini recti suboriuntur, dum ab aliqua materia biliosa, mordaci, vel virulenta, ex Lue potissimum Venerea exulceratur, atque sensim excavato ulcere ab eadem in eo congesta, & diutius hærente, paulatim perfoditur; atque materia inter partes musculosas collecta, progressu temporis suboritur tumor in partibus externis ani, qui disruptus in fistulam facessit; quæ tum partes ejusdem musculosas externas pertundit.

Ab humoribus quinetiam heterogeneis aliquando ad intestinum confluentibus, & musculum sphincterem perforantibus, abscessus, & fistulæ suboriuntur, ratione superius allata.

Atque hæ sunt causæ, & modus generationis fistularum ani, & intestini recti. Ad signa modo progrediamur.

Signa Fistularum Ani, & Intestini Recti.

Si fuerit fistula in partibus externis prope anum, quæ tamen musculum sphincterem non perforaverit, id specillo patibit, prout si penetraverit in intestinum; intruso siquidem digito oleo inuncto in anum, specillum nudum illi occurret.

Dignoscuntur fistulæ inter utramque túnicam intestini, immisso specillo, si digito non fuerit obvium, sed membrana ipsius intestini tectum. Observandum verò, quod specillo immisso, totam longitudinem fistulæ deprehendimus, quo non pertingit digitus in anum immissus. An verò eadem fistula perforet intestinum rectum in musculo sphinctere, vel supra eundem, hoc prodit signum; siquidem si digiti in anum intrusi apex ab eodem non constringi, sed in loco veluti vacuo hærere sentiatur; quo stylus quinetiam in fistulam demissus pervadat ad extremum usque digitum, in illud scilicet cavum, fistulam perforare intestinum supra musculum indicio fuerit, cujus intestini perforati signo ab omnibus proposito, accedunt flatus, male olentes scilicet ex fistula erumpentes, aut fæces.

Utrum verò fistula fuerit in principio musculi sphincteris, medio, vel fine perbelle patet digito, & specillo, ut supra observatum. Quando verò ad vesicam tendunt fistulæ, situs id nobis demonstrat; oculis siquidem ipsis id patet

specillo in locum vesicæ demisso: si verò vesicam pertuderint, copiosa effluet urina, atque aut per totum vitæ curriculum laborant, aut miserè paucis post diebus ægri moriuntur, si fistula valde dilatetur. Et hæc quoad signa, in quibus Medico-Chirurgus multum accuratus desideratur, in iis potissimum, quæ musculum, & intestinum perforatum produnt.

De Fistularum Ani Prognosi.

Omnes fistulæ superius descriptæ à perito Medico sunt sanabiles; prout, omni ambitione procul, felicissimo successu earum quamplures, imo sexcentas perfectè sanavi, methodo inferius proponenda: quanquam in his quædam facilius, quædam difficilius, & quidem ægre admodum sanantur, quæ scilicet supra sphincterem musculum intestinum perforant; ut quæ à Lue Gallica subortæ. Facilius verò, & brevi tempore, quæ in orificio ani; minus facile, quæ in medio musculo, ut & quæ intestinum perforant supra musculum; quippe difficillime istæ, nec nisi longo tempore admittunt sanationem.

Majori autem difficultate, si symptoma aliquod grave eisdem accesserit, utpote inflammatæ hæmorrhoides, atque proximus illis subortus abscessus, dolor gravis partis affectæ, ut & callus annosus, ac durus admodum; quæ symptomata licet diutius protrahant earum sanationem, non verò eam prohibent omninò; quin potius his sublatis, facilius eadem contingit.

Dubium verò apud auctores, utrum ani fistulæ occludi debeant, quibusdam id omninò negantibus, utpote quæ insanabiles, ipsorum sententia, qui hanc curandi viam ignorant; quibus refragatus, censeo omnes debere, ac posse sanari, his exceptis; quo casu observandum, an fistulæ post cachexiam sint obortæ, an verò fistulas cachexia exceperit: si enim fistulæ cachexiæ succedant, tunc non sunt sanandæ, nisi prius sublata viscerum omnium intemperie, & ad laudabilem redacta; quæ verò cachexiam præcedunt, omninò obducendæ.

Quod verò ex fistulis induci possit cachecticus habitus, facile est probare; sanguis siquidem, dum circulatione partem à fistulis corruptam, ac proinde inquinatam alluit, pravam nescio quam suscipit qualitatem, quam visceribus postmodum impertit, ac cachecticam infert dispositionem, vel saltem, non concessa circulatione, sanguinis tetri vapores, elevati à parte fistulosa pure obsita sanguinem contaminant, unde vitiata nutritione oritur cachexia.

Quod verò aliqui objectant, quo scilicet purulenta illa materia, quæ continuò ex fistula effluebat, erumpat, eadem sanata; hanc certè, inquiunt, tetram, & corruptam necesse est recurrere, atque alias partes labefactare; ut propterea pessimo consilio fistularum anni sanatio tentanda sit. Respondemus, nullum ex earundem sanatione sequi detrimentum; siquidem prout natura singulis corporis partibus proprium alimentum largitur, ita parti fistula laboranti; cui tamen nutridæ cum sanguis laudabilis licet, accedit, corrumpitur, & in pus convertitur, qui propterea est expurgandus, unde sanata fistula, alimentum illius partis non corrumpetur amplius; quinimò alimentalis substantiæ particeps in eam facesset, ut non sit opus materiam illam refluere ad partes sanas, atque ipsarum temperiem corrumpere; ut propterea fistulæ ani, & intestini recti possint nullo ægrotorum periculo sanari, ut sæpissime observavi; præmissa tamen totius corporis cura, expurgantibus materiam morbificam, & viscerum nativam temperiem redintegrantibus; atque quo omnis prorsus timor absit materiæ refluxus, fonticulus femori dextro inurendus, expurgandis quotidie excrementis.

Curandæ vero fistulæ ani, periculo gravioris mali, ex puris effluxu, ut sæpissime fit, cohibito, quod acrius, & calidius in varios sinus se diffundit, pertuso intestino, & amplius ulceribus productis, ex quibus quamplures moriuntur; prout exacto biennio accidit Illustrissimo, & Excellentissimo Malipetro, D. Marci Procuratori, non admissa sectione fistulæ ani, quod & in sexcentis aliis observavi; ad quarum propterea curationem me accingo.

De Fistularum Ani, & Intestini Recti Curatione.

Curatio fistularum duplex est; alia universalis, causæ, alia particularis ipsi morbo dicata. Universalem quod spectat, si viscera patientis fuerint bene constituta, ut patet ex inculpata valetudine totius corporis, abunde erit corpus expurgare lenientibus, præparantibus, & purgantibus, levioribus tamen, misso sanguine, si opus fuerit, ex brachio, vel pede, quanquam aliqui abhorreant à medicamentis; quibus quidem non refragamur, præsente optima corporis constitutione, qua præditos multos curavi, non expurgato corpore, felici successu, & abseque ullo futuri morbi periculo. Quod si patiens fuerit mali habitus, & cacochymicus, purgandus primò semel, & iterum, fluxioni arcendæ, ac tollendæ; tum propinandum decoctum ex ligno Guajaco, salsa parilla, aliisque medicamentis, pro ægri temperamento; præsente siquidem cachexia, raro admodum ex toto sanantur fistulæ, nisi sublata viscerum intemperie, iisdemque corroboratis. Quoad curationem topicam, multiplex ea est, pro varietate, & differentiis fistularum: Fistulæ quippe prope anum, quæ non pertingunt ad ipsius orificium, facillime sanatur, non tamen absque sectione, & quidem si rectæ, non sæpius repetita, si sinuosæ, pluribus.

Primò igitur foramen fistulæ dilatandum turundis, imbutis aliquo proprio medicamento unguento scilicet ex betonica, matrisylva, & hujusmodi; ac quotidie eædem crassiores immittendæ, donec foramen fistulæ satis ampliatum admittat scalpellum ad sectionem; quod si aliquando non sufficiant, aliæ aehibendæ ex radice gentianæ, aut medulla sorgi, vel spongi filo constricta: satis verò dilatato foramine, demittendus cultellus rectus, ab Aquapendente delineatus in instrumentis Chirurgicis, atque facienda unica sectio ad fundum usque ipsius fistulæ; postmodum imponendi globuli imbuti ovi albumine, ad prohibendam inflamma-

tionem, superinjectis stupis in eodem madefactis; quibus postero die remotis, diligenter stylo inquirendi alii sinus, qui dilatandi, atque secandi modo jam dicto; tum refrigerantia applicanda, atque supra fistulam primo sectam adhibendum digestivum. Quia verò sæpissime à sectione callus subortus impedit saantionem, illi tollendo, ex usu erit viride æris, vel præcipitatum inspersum; cavendo tamen ne hæc corrosiva contingant labia vulneris, metu doloris gravioris. Quibus frustra adhibitis, devenendum ad ignem actualem; quanquam observaverim aliquandò callum sublatum solo digestivo; quod licet alicui forsan novum, & præter rem videri possit, sæpius tamen experientia mihi est compertum, potissimum vero in muliere quadam laborante antiqua fistula, perfodiente ambas nates, per ossis coxendicis foramina, quæ clauduntur à musculis obturatoribus externo, quæ collo obduruerat admodum duro, ad crassitiē medii digiti, quam curavi amplis utrinque sectionibus, ad ossa ossa usque; postmodum applicato digestiva, concoctionis causa, quibus callus mollior factus, levi negotio abscessit, instar corticis arboris, spatio quinque mensium, perfecte adeo muliere sanata, atque multis post annis incolumi.

Consumpto verò callo, detersoque vulnere, carò generanda, non quidem unquentis sarcoticis, utpote humidioribus, sed siccis, de tuthia vel Isidis; atque ita globulis his imbutis vulnus implendum, ut caro è fundo sucrescat, priusquā illi imminuantur; necnon suqra eosdem applicandum ceratum de chalcitide vel de cerusa, aut de gratia Dei; vel, hyemali potissimum tempore, Barbarum.

Producta æqualiter carne, inducenda cicatrix non pulveribus, nec filamentis aridis, quibus labia vulneris callosa evadunt, & cicatrix non ita facile obducitur, sed eorum loco, medicamentis potentia siccis, actu verò humidis, prout supradicta unguenta, Isidis, de tuthia, de plumbo, & similia, quibus dura, ac solida evadet cicatrix, quæ difficilius dehiscat.

Quia verò quandoque succrescit caro, quæ remoratur cicatricem, atterenda hæc lumine usto, præcipitato, & similibus. Atque hæc de curatione primæ differentiæ fistulorum.

Aliæ verò fistulæ, quæ ad orificium ani pertingunt, & serpunt exterius supra intestinum rectum, non tamen ipsum perforant, non ita facile sanantur, ob copiosas humiditates, quæ ab intestinis continuo defluunt. Istæ tamen, prout in aliis diximus, sunt dilatandæ, & secandæ; nullo quippe alio præsidio sanantur.

Hic oritur dubium, an sectio sit facienda in interna, an externa parte; si enim externa longior videtur futura, ac nimis profunda, non levi sane periculo fit, ratione magnæ sectionis; si interna, vulnerantur sanæ partes. Id tamen solvitur, quod scilicet sectio internæ partis sit præferenda; quia fistulæ, quæ serpunt secundum intestinum rectum quamvis ipsum non perforent, nunquam possint consolidari nisi ipso quinetiam secto; nec absque ratione, cum heterogeneæ substantiæ sint, intestinum, & caro circumposita, quæ proinde non potest adglutinari, nisi carnæ substantiæ ope, quod per sectionem curandum.

Quod verò caro intestino coalescere non possit, causa est humiditas ichorosa, quæ ab ejus membranis effluens, humectat carnem ipsam, impeditque quominus possit agglutinari; ut propterea non sit omnino metuenda musculi sphincteris, & intestini recti sectio; hac tamen cautione ut musculus non totus secetur, ne fæces in voluntarie excernat.

Facta sectione, omnia præstanda superius præscripra; hoc solum excepto, ut digestivi loco, utamur unguento ex Betonica, vel de matrisylua aliquot dies; adhibitis deinde exsiccantibus paulò validioribus, coercendæ superfluæ humiditati, atque solidiori carni in fundo fistulæ producēdæ; oppleta verò fistula carne firma laudabili, obducenda cicatrix modo supra dicto; quæ tamen mollior sit, non dura, quo musculus perfectè constringi possit; hæc siquidem aliquando dura adeo evadit, ut ille satis non possit coarctari, non sine involuntaria fæcum excretione, cujus causa imperiti sectionem musculi à Medico, factam calumiantur.

Quod si contingat callum durum produci, e molliendus erit aqua forti, vel spiritu vitrioli, præter insessus in aquis nostris thermalibus, apprimè utiles, quarum vis non solum callos emolliendi, sed etiam simul & semel mirificè corroborandi partes læsas; in quam rem propterea vitanda olea, Unguenta, & cerata, quippe quæ laxando, reddunt partes fluxioni obnoxias; & callo nonnisi tardius producendo opportunas.

Succedit modo curatio fistularum, quæ intestinum perforant, sive in externa musculi sphincteris, sive media, sive suprema ejusdem parte; quæ tamen loci diversitas non mutat curationem, sed solummodo ejusdem tempus; extremi quippe musculi fistulæ citius sanantur, medii verò, vel supremi, tardius, propter profundas sectiones, quibus ad perfectam earundem sanationem opus est; quæ, prout aliæ omnes, primùm dilatandæ turundis accommodatis, mox secandæ; idque duplici ratione, vel syringotomo, vel filo sorico, aut seta equina. Utimur filo, patientibus ferrum reformidantibus; licet hæc sectio longa sit, & dolore molasta; frequentius verò syringotomo, quia citius, & minori dolore operatio perficitur.

Patefacta fistula, alterutro modo supra dicto procedendum, cavitasque ex sectione opplenda, globulis imbutis ovi albumine. Notandū tamen, quod hæ fistulæ plures postulant globulos, ut sectio patens sit, ne coalescente denuo intestino, quod facile fit, partibus circumpositis, fistula eodem statu, quo antea vigeat. Facta coctione, potius unguento ex Betonica, cum digestivo, atque optimo pure apparente, producenda caro; non quidem ut aliorum vulnerum, ratione superius allata, Unguentis de Betonica, vel de matrisylva, quibus, ob actualem humiditatem laxa fit, & mollis, in parte potissimum humidiori, sed adhibitis filamentis siccis, pulveribus tuthiæ præparatæ, terræ sigillatæ, cornu cervi usti, plumbi, & hujusmodi medicamentis actu, & potentia siccis inspersis, quibus cicatrix quinetiam firma obducitur.

Quod si musculi sphincteris multū sit abscissum contraria instituenda curatio, unguentis nempe actu humidis, verò siccis ne cicatrix, ut jam docui, durior & solidior evadat, quæ prohibeat cōstrictionem ipsius musculi, cum fæcum involuntario exitu.

Modum verò quod attinet curandi fistulas, quæ intestinum perforant ultra ipsum musculum sphincterē, superiori parte, quanquam insanabile

les à multis habent urnisi toto musculo sphinctere præsecto, ex quo in voluntaria fæcum excretio, eas tamen sæpius sanavi summa felicitate, citra illud incommodum, facta congrua dilatatione, prout in aliis omnibus præscriptum; musculus si quidem sphincter eousque secandus, ut aliqua ipsius pars, verbi gratia, ad latitudinem annuli, integra supersit, ac intacta, quæ suo fungatur officio.

Facta sectione, superstes fistula erit inurenda, ut callus tollatur, cujus sublata crusta butyro, vel digestivo, implenda cavitas globulis, imbutis unguento de tuthia; hac observatione, ut imminuantur illi, donec proba caro æqualiter generetur, & cavitas oppleatur.

Quia vero plurimum accidit, ut propter redundantem humiditatem partis, generetur caro fungosa, & mollis huic absumendæ, valet Unguentum Isidis, cum unguento de tuthia æqualiter mixtum, usque dum caro utilis producta fuerit, cicatrice postmodum obducta.

Succedunt modo fistulæ, quæ serpunt inter utramque tunicam intestini recti, & superius tendunt, modo ultra latitudinem sphincteris, modo infra; quæ tamen raro callosæ fiunt, ut ego observavi, propter affluentẽ humiditatem intestinum, & membranas continuo alluentem, quæ proinde statim sunt dilatandæ turundis ex panno lineo confectis, vitatis illis ex medulla sorgi, radice gentianæ, & spongia præparata, quæ plus satis dilatando, lacerant membranas intestinorum; quib. abunde dilatis, secandæ illæ sunt secundum longitudinem, absque ullo metu læsionis musculi sphincteris; ad interna vero facienda est sectio.

Dum vero secantur, immittenda intra anum cannula rotunda, altero extremo clausa, altero vero latere sifissura patefacta, in cujus medio lana mollis, vel gossypium lateat, ne acies scalpelli hebetetur; cujus cannulæ usus est, ut secta fistula, excipiat gladiolum, illæsis proinde intestini partibus oppositis.

Curantur facile istæ fistulæ sectæ obductæ cicatrice, injectionibus exsiccantibus bis quotidie infusis, nec non immissis turundis imbutis unguento ex tuthia, atque pulveribus itidem exsiccantibus.

Fecta sectione, statim indenda turunda longa ad fundum usque sectionis partingens, illita ovi albumine, cum bolo armena orientali conquassato, postero die ad detersionem, iniicienda aqua hordei, cum melle rosaceo, & supra turundam, inspergendi pulveres ex bolo armena, terra sigillata, cornu cervi usto; tum ad exsiccandum, tum ad adstringendum. Notandum vero, quod his fistulis nunquam digestivum adhibendum, ne tenues membranæ intestini corrumpantur. Transactis quatuor, aut quinque diebus, parandæ injectiones ex aquis thermalibus montis ægrotorum; vel harum inopia, artificialibus ex vitriolo, nitro, sale, alumine, cum aqua communi, immissa semper turunda imbuta prius unguento ex tuthia; deinde pulveribus exsiccantibus jam dictis; quibus remediis obduccenda cicatrix, quæ durior licet, & callosa, nequaquam tamen impedit constrictionem musculi sphincteris; quinimo si mollior foret, brevi resolveretur de novo ab humiditate continuo partem illam alluente.

Superest curatio fistularum ad vesicam serpentium, quæ differunt; quædam enim perveniunt ad ejus collum; & quidem aut juxta ejus exortum, vel medium, vel finem, nec ipsum perforant; aliæ ipsum pertundunt in ejusdem exortu, aut medio, aut circa finem, qua vesica annectitur suæ cervici.

De prioribus actum in tractatu de fistulis urethræ, de aliis non est disserendum, cum omnino sint insanabiles, & solo prognostico relinquendæ, ne infamentur præsidia, quæ multis fuere saluti, ex Celso, ut proinde earum sola curatio docenda superſit, quæ pervadunt ad cervicem vesicæ, ipsam tamen non perforant, in quibus maiori dilatatione opus est, quam in superius propositis; in quam rem, ex usu sunt turundæ ex spongia contorta, & compressa, radice gentianæ, medulla sorgi, vel sambuci; atque dilatata fistula, facienda sectio, non quidem scalpello, sed gladiolo in hunc usum parato, admodum recurvo, dorso lævi, ne lædatur collum vesicæ, acuta acie, quod partes illud investientes sint membranosæ, quæ difficulter secantur. Si sint plures sinus, prout plurimum fit pluribus quinetiam sectionibus patefaciendi, illæsa semper cervice, ne Medico infamia inuratur; turpe quippe, ac fœdum foret, urinam per aliam partem effluere, quam naturalem. Facta sectione, callus removendus, tum absolvenda curatio modo jam proposito in aliis fistulis, à quibus istæ non differunt, nisi ratione situs. Observandum tamen Medico, ut statum ad fistularum ani curationem se accingat, nisi renuente ægro; suppressa siquidem, ut sæpe fit, purulenta materia, variis sinus excavantur, unde progressu temporis fistula in plures diffunditur, ex qua materia suppressa suboriuntur aliquando abscessus, non sine magno dolore, & febre satis gravi.

Quod si fistulæ fuerint amplæ, deducunt totum corpus in cachexiam; sanguis quippe, dum circulari motu movetur, & partem affectam permeat, suscipit nescio quam malam qualitatem, & inquinatur, atque à parte fistula excavata elevantur vapores putridi, qui labefactant viscera naturalia & vitalia.

Fistulæ vero, quæ perforant intestinum, ideo statim sunt curandæ, quia ægri plurimum laborant tenesmo, & friquenti dejiciendi cupiditate, cum doloribus in excretione fæcum; & quod gravius, cum pars affecta pure semper redundet, accidit sæpius, ut in ulcera phagedæna facessant; quod frequentissime observavi.

De Symptomatibus supervenientibus curationi Fistularum ani, & Intestini Recti.

Præcipua symptomata, quæ in fistulis ani ad se trahunt curationem, sunt, sanguinis fluxus, inflammatio, vehemens dolor, & hæmorrhoides. Dolor sedandus anodynis, ut oleo amygdalarum dulcium, violarum, chamæmelino, lacte, butyro loto aqua rosacea, & hujusmodi.

Aliquando insignis suboritur inflammatio, præsertim ex sectione, si fuerit magna, ratione scilicet doloris attractis humoribus; tunc vero applicanda repellentia, ut ovi albumen, succus plantaginis, portulacæ, palygoni, myrtillorum; atque si dolor, & ardor urgeant, educendus sanguis è venis superioribus, revulsionis causa, ad partes longinquas.

Tument vero sæpissime hæmorrhoides, sectione potissimum, & applicatione medicamentorum acrium irritatæ, hinc acuti dolores, qui curationem trahunt, quibus ex usu est linteum in lacte tepido expressum, & applicitum, necnon offa panis lacte vaccino imbuta, & apposita, prout optimum unguentum rosaceum; quo casu conveniunt quinetiam stupefacientia, le-

viora tamen, ut unguentum populeum, vel santalinum, cum potiuncula opii. Nullum verò præstantius remedium sectione venæ brachii, 1. ratione revulsionis; postmodum ex pede, derivandi causa, ratione morbi, & virium.

Ultimum symptoma est sanguinis profluvium; secantur quippe aliquando rami venarum hæmorroidalium, qui statim sanguinem magno impetu effundunt; qui proinde omni ope sistendus, cum in eo vita consistat; applicandum propterea gossypium ustum, cum pulveribus adstringentibus; necnon stupæ imbutæ ovi albumine, parte manu opprime compressa per aliquod tempus, donec coerceatur; quo apparatu utendum duos, aut tres dies, quosque sponte à pure alluente defluat. Quibus verò instituta est aliqua sectio, vel hæmorrhoides fluunt, insessus ex aquis thermalibus non sunt administrandi, utpote qui facultate quadam fluxum sanguinis denuo excitant, quorundam chirurgorum gravissimo errore, qui illis utuntur.

De Observandis in curatione Fistularum Ani & Intestini Recti.

Perperam existimant multi Pseudo Medici, se sanare posse fistulas ani, & intestini recti balsamis, unguentis, injectionibus, aliisque hujusmodi præsidiis; verum frustra laborant, cum hæ nonnisi sectione, & ustione sanabiles sint. Siquidem ego spatio quinquaginta annorum, nullam vidi fistulam ani sanatam perfectè; licet observaverim aliquas à barbitonsoribus, imperitisque Chirurgis ad cicatricem deductas, quibusdam arcanis remediis, sed speciem solum, & superficie tenus; in quarum quippe fundo materia purulenta delitesceret, paucos post dies in novas majores fistulas, & graviores diffusa.

Quare si ex toto fistulæ sint sanandæ, ferro sunt omninò secandæ; quod licet multi reformident, Anatomes ignari, ejusdem tamen periti nullo periculo, & metu hoc præsidio utuntur, quod tamen cautè administrandum in hujusmodi fistulis, ne lacerentur venæ sedales, hæmorraoides dictæ, cum sanguinis erumpentis magno impetu, qui non adeò facile sistitur. Si itaque hæmorrhoides non tumeant, faciendæ sectiones inter unam & alteram ani rugam; si verò appareant, eadem inter ipsas administranda.

Fistulæ profundæ opus habent pluribus, & repetitis sectionibus, metu inflammationis, unica enim, & ampla, ob vulneris magnitudinem, dolorem, & inflammationem excitat; quod observandum etiam in sinibus profundis; ut propterea gravissimo errore quidam imperiti chirurgi, laniones potius, statim post sectiones ani, & intestini recti, ferramento candente urant partes recent cultro læsas, unde dolor insignis, & curatio longius protracta.

Sæpissimè verò accidit, ut flaccida caro sub crescat, quæ corrosivis absumenda, alumine scilicet usto, præcipitato, viride æris, trochiscis de minio, & hujusmodi: in quorum tamen usu observandum, applicanda mane potius, quam vesperi, ne ratione doloris, patientibus somnus intercipiatur, magno eorum detrimento; multos siquidem vidi, qui ob vigilias, & dolores à medicamento vesperi adhibito, inciderunt in febres; quod non accidit, si interdiu eadem medicamenta usurpentur; quia vis sensiva occupatur, & avocatur à variis objectis ex ternis, præterquam quod possumus eadem removere, & illorum loco, sedantibus dolorem uti, sine ullo incommodo patientis, & somni, quod noctu commode præstare non possumus.

Quod si pars ægra dolore afficiatur, adsitque febris, vel inflammatæ hæmorrhoides, tunc à sectione abstinendum, donec propriis remediis cedant; contingit verò aliquando dolor à materia purulenta, supressa in aliquo loco ipsius fistulæ, & potissimum in aliarum partium fistulis, & sinibus flexuosis, in quibus acrimonia corrodit partes subjectas, & dolores infert continuos, quos quibus sanandis statim facienda sectio, ut eadem effluat.

Observandum etiam summa diligentia, ut antequam ægri hujusmodi dimittantur, sectiones omninò sint carne oppletæ, & cicatrice obductæ; si enim vel minimum quid earum superstes fuerit, non occlusum, progressu temporis puris guttæ genitæ erodunt partes, atque ulcus, & fistula suboriuntur; cujus erroris crimine laborant Medicorum nonnulli.

Observationes

De Fistulis Ani. Quatuor fistulæ perforantes rectum intestinum, in infantulo unius mensis, perfectè sanatæ.

Curavi infantem unius mensis, Nobilem Patavinum, laborantem quatuor fistulis ani, perforantibus rectum intestinum, parte inferiori.

A principio exiguis turundis duas tantum ipsarum dilatavi, imposito filo serico, cui alligavi parvum syringotomum, arte paratum; quas postmodum sanavi modo superius proposito, tractatu de fistulis; alias verò duas eadem methodo secui, & ad cicatricem deduxi, ægro firma etiamnum valetudine degente. Quod observasse è re fuit, ut rarum, ratione ætatis.

De Ulceribus Ani.

Quia verò nostro ævo frequentissimè suboriuntur ulcera in intestino recto, ægrè admodum sanabilia, ut quotidiana patet experientia, modum propterea hæc sanandi proponere decrevi, hoc præmisso, quod pleraque horum ulcerum ortum ducunt à Lue Venerea, & potissimum præpostera, rara verò ab alia causa; licet quædam oriantur à dysenteria, in parte nempe superiori ipsius intestini recti, & coli; alia verò ex hæmorrhoidibus, partis scilicet inferioris ejusdem recti, & circa orificium ani; rhagades verò, vel scissuræ quæ à salso, & acri humore ortæ; facile tamen sanabiles, dummodo mala aliqua qualitate careant. Ulcera autem ex dysenteria facta, detersione aqua hordei, & melle rosaceo iterum, & tertiò per siphonem infusis; postmodum nostri aquis thermalibus, brevi spatio temporis sanantur; prout rhagades unguento ex cerusa camphorato, ducto in plumbeo mortario. Ulcera verò Venerea, quæ plurimum supra musculum sphincterem,

rem, non adeò fæcile; ex concubitu quippe semen corruptum, & virulentum in ipso superstes, ulcera ampla excitat, quæ progressu temporis serpunt, aut superius, vel inferius; cum observaverim in cadavere supra triginta ulcera, distincta magnitudine unguis supra ipsum musculum sphincterem, per totum rectum intestinum serpentia, ad coli quinetiam partem aliquam; ex quibus ulceribus duæ, tresue libræ puris per diem evacuabam. Hic autem patiens erat valde emaciatus, cum febre lenta ex ulcera; qui à me curatus tredecim, aut quatuordecim dies, tandem obiit. Prærer ulcera verò supra musculum sphincterem, adfuit sinus quidam, ab ulceribus superioribus serpens, usque ad ani orificium; quorum ulcerum causa fuit Medicorum incuria, qui duos ante annos ipsum non sanatum dimiserunt, ejusdem salutis prætextu, quod materia à toto corpore maligna expurgaretur; ut propterea miserrimus patiens sine remediis diem obire coactus sit; quamobrem modum docere decrevi, quo in curatione horum ulcerum uti soleo.

Primò itaque totum corpus ab humoribus expiandum medicamentis propriis, humores redundantes purgantibus; deinde assumendum decoctum ex ligno Guajaco, & salsa, per quadraginta dies, cum sudore, prout in Lue Venerea; atque dum hæc fiunt, adhibenda remedia topica, in primis injectiones à principio, ex aqua hordei, mista, cum Unguento Ægytiaco, ad abstergenda ulcera, semper sordida, usquedum dolorem inferunt, atque cum ex ipsis aliqua portiuncula sanguinis effluit; tunc verò abstinendum ab Ægyptiaco, cujus loco erit decoctum Guajaci, scordei, virgæ aureæ, & hujusmodi; postmodum utendum aquis nostris Thermalibus monti Ægrotorum: atque ab injectionibus immittenda semper turunda longa, & crassa, imbuta unguento rubro, Placentini, dicto, aut unguento ex tuthia, misto cum unguento Isidis æquali dosi, & aliqua semper portione præcipitati, ut Lui Venereæ dicati. Quomodo multa ulcera Venerea sanavi, & quotidie sano; quanquam ulcera quandoque adeò maligna occurrunt, quæ remediis dictis non cedunt, in quibus deveniendum ad ignem, quo inurenda non solum semel, sed iterum, & tertio, ac quartò atque ne partes sanæ lædantur, locus primò ulceris inveniendus; in quam rem utuntur quidam instrumento speculo ani vocato, quo lacerant partes, cum dolore, & inflammatione; neque tamen locus ulceris patet; ut propterea usum speculi non probem, cum facilius quod optamus consequi possimus. Quo itaque ipsum dumtaxat ulcus inuratur sine læsione aliarum partium, hac methodo utor; immitto turundam longam, crassam, aliquo unguento ex prædictis imbutam, quatuor aut sex horarum spatio, qua educta, observo, quæ pars ejusdem unguento careat, cujus loco aliqua materia purulenta superstes ipsi turundæ inhærens patefaciat locum, & magnitudinem ulceris; tum mihi paro cannulam ejusdem longitudinis, quæ possit pervenire ad ulcus, cujus extremum, sit obturatum, & perforatum tantum illa parte, quæ ulceri respondet; deinde munio cannulam linteolo imbuto ovi albumine cum aqua rosarum, ipsamque in anum intrudo, & ferramento eandem immisso, repetitis vicibus inuro ulcus; hac tamen cautione, frequentius id fiat, & citivs, remoto ferramento candente, potius quam eodem diutius intra cannulam contento, ne scilicet intestinum rectum altius inuratur, & perforetur. Facta inustione, duos aut tres dies utendum turunda imbuta butyro; postmodum deveniendum ad injectiones superius dictas ex aquis thermalibus, vel decoctionibus exsiccantibus, imposita semper turunda imbuta dictis unguentis. qua methodo multa ulcera Venerea intestinini recti sanavi, quam propterea latere nolui.

Observatio Singularis.

Gravia symptomata ex vi in anum immissa cauda porcina, ejusdem setis ad medium usque sectis brevi omninò sedata, cum salute ægræ.

Memini Meretricem quandam in vitæ periculum deductam, cui à quibusdam studiosis cauda porcina, quæ acri hyemis frigore obriguerat, intra anum immissa fuit hac ratione; sectis scilicet primò setis ejusdem, ad medium usque, valde asperis, postea inuncta eadem oleo, atque in anum ipsius mulieris vi intrusa; cum verò aliqua portio ipsius caudæ, tres digitos, extra emineret, atque eandem Medici tentarent educere, pili inversi defigebantur in intestinum rectum, ut dolorem ægra ferre non posset, cum verò medicamenta postmodum per os exhibuissent, speculumque immisissent, ut anum dilatarent, & educerent caudam, frustra fuerunt, adeò ut sex dies alvus illi suppressa fuerit, accendente vomitu, cum febre, & dolore omnium intestinorum; accitus verò, cum omnia prædicta intellexissem, arundinem longam duas, ut tres spithamas perforavi, in extremo lævigatam; deinde filo crasso extremum ipsius caudæ, extra anum prominens arctè alligavi, atque immisso filo in cavitatem ejusdem arundinis, in podicem immisi, per quam filo attracto caudam eduxi, illæso omninò intestino recto, ex quo statim maxima copia fæcum effluxit, cum patientis levamine; postmodum injecto duos, aut tres dies lacte caprino, bis, terve per diem, atque sedato dolore, gravissimo certe, infudi vi vinum nigrum austerum ad corroborationem partis; quibus ex toto convaluit ægra. *Petrus De Marcheтis in Sylloge observationum Chirurgicar.*

De Fistula in Ano.

Morbus per se patet, præcipuè si instrumentis exploretur ulcus.

Indicationes sunt hæ: sanguinis fluxus si adsi sistendus, ulcus sordidum detergendum, carne replendum, per siccantia consolidum, & cicatrix firma est procuranda: humorum acrimonia obtundenda, & corpus est renutriendum.

Quoad Victum, comedat parcè, vescatur unico cibo, prunis, passulis; bibat cerevisiam medicatam. Conveniunt quoque Emulsiones amygdalata, hordeata, Pasta regia, panis marcius, gelatinæ, lacticinia, sed præcipuè lac

asininum ad humorum acrimoniam temperandam.

Purgetur ter diebus alternis hoc modo.

♃. Calomelan. opt. præparat. gran. xv. vel. xx diaprun. solutiv. ʒij. gum. Arab. ℈j. fol. aut. numero 4. Mſ. f. Bolus mane ſumendus, ſuperbibendo tantillum vin. alb. aut cereviſ. medicat. & poſtea juſculum. Sine ullo dolore operatur aut ſanguinis fluxu.

Injiciantur Clyſteres ex vulnerariis & lenientibus, ut ſanguinis fluxus ſiſtatur; ut in Capite Diarrhœa Dyſenteria & Teneſmo deſcribuntur.

Injectiones fiant primo anodynæ, dein detergentes, & denique aſtringentes & exſiccantes. Anodynæ ſupra in Cap. 3. de Teneſmo, &c. deſcribuntur. Deterergens ſit talis.

♃. Raſur. guajac. ℥ij. rad. caryophyllat. ℥iij. ariſtol. rot. ℥j. fol. ſanicul. cul. prunel. vinc. pervinc. veronic. herb. Robert. piloſell. ana m. j. Coq. in aq. fabror. ferrar. ad ℔j. adde ſp. vin. ℥iiij. mucilag. ſem. pſyll. & cydon. in aq. roſ. & plantag. extract. ℥iij. tereb. Venet. ℥j. vitell ovor. numero 2. Mſ. f. Injectio. Addi quoque poteſt mel. roſ. aut Tapſimel.

Tapſimel, de quo hoc ſermo eſt, nihil aliud eſt quam mel decoctis vulnerariis additum & deſpumatum, ubi baſis eſt tapſus barbatus.

Injectio aſtringens ſit talis.

♃. Sterc. aſinin. rec. m. ij. aq. roſ. plantag. ana ℥iiij. Infunde & decoq. interim. adde ſucc. plantag ℥iij. ſyr. de papav. ℥ij. gum Arab in aq. ſpermat. ranar. ſolut. ℥ß. F. Injectio bis in die uſurpand.

Aliquando addo phlemat. alum. uncias aliquot, ol. myrrh. per deliqui ℥j. trochiſc. alb. Rhaſ. ℥ß. ſacch. Saturn. ʒj. vitriol. Martis ʒß. Aliquando facio ex calce viva ℥j. in aq. fabror. ferrar. ℔iv. vaſe æneo per hor. xij. macerat. unde ſumo ℔j. & mucilagines, ovi vitellos, &c. addo.

Aliquando compono ex aq. calcis & mercurio ſublimat. ſimul commiſt & ſacch. Satur. edulcorat.

Conveniunt intus Diaphoretica viz. Hartmanni aut commune, cum pulveribus teſtaceis & terreis commiſta, viz. ocul. canc. magiſt. perlar. bezaor. orient. corall. &c.

Perſiſtat in uſu Decocti ſudoriferi ſequentis ad 20. 30. 40. dies plus minus pro ratione operationis & virium.

♃. Raſur. lign. ſanct. rec. & reſinoſ. ſarſap. medulloſ. buxi ana ℥ij. raſur. quar. rec. rad. caryophyllat. ana ℥iß. rad. tapſ. barbat filipend. ſcrofular. maj. ana ℥j. rad. ſymphyt. maj. cortic. rad. ononid. ana ʒx. raſur. corn. cerv. rec. dent. equi marin. ana ℥ß. perſicar. maculat. m. ij. prunell. bugul. ſanicul. veron. utriuſque, ſcabioſ. ana p. iiij. flor. primul. ver. p. viij. roriſ. p. ij. Matracio indantur, & ſuperaffunde aq. ſequentis ad ſupereminent. iiij. degitor. Digere in fimo equino per biduum. Cola pro iiii. doſ. matutin. provocetur ſudor ſuperpoſitis ſtragulis ſine calore externo.

Aqua ſudorifica talis eſt.

♃. Rad. petaſit. rec. ℔ij. rad. bardan. ℔j. ulmar. card. bened. calend bened. ana m. viij. ſcord. m. vj. ſummit. anth beton. ana m. iiij. cort. citr. ℥vj. Inciſ. & contuſ. affund. cereviſ. fort. gallon. iiij. macera in fimo per quatriduum, & vaſe duplici diſtilla ad uſum.

Poſt quartum quemque ſudorem repetatur bolus purgans cum mercurio.

Diebus ſudorum, niſi fluat alvus, ſubducatur Enemate.

Poſtea) præcipuè ſi tabis ſit metus) deveniat ad uſum balnei ex aqua & lacte cum multo tapſo barbat. ad 4. 6. aut 8. dies ſemel in die.

Cereviſia medicata ſit hujuſmodi.

♃. Raſur. lign ſanct. ℥ii. ſarſap. ℥vi. rad. ſymph. mai. ℥v. cort. rad. dulcamar. rad. caryophyll. filic. fœmin. ſcrofular. mai. filipend. tormentill. ana ℥iiii. raſur. dentis equi matin. ebor. ana ℥iii. fol. rec. ſiccar. bugul. prunell. ſcabioſ. agrimon. piloſell. veronic. utriuſque, ſanicul. ana m. ii. nuc. moſchr per fruſtra diſſect. numero viii. cereviſ. lupulat. fort. cong. xii. bulliant in parte cereviſ. mox ubi refrixerint, reliquum addatur cum ſucc. cochlear. ℔iii. naſturt. becabung. ana ℔ii. pomor. redolent. rec. expreſſ. ℔vi. fermentatione peractâ lagenis lapideis indatur pro potu ordinario.

Ad fontem impurum occludendum utiliſſimum eſt Electuarium ſeq. in cujus uſus diu perſiſtat.

♃. Conſerv. flor. papav. rhœad. ℥i. conſerv. roſ. rub. ℥ii. pulv. rad. ſymph. mai. ℥ß. rad. ſcrofular. filipend. raſur. dent. equi marin. ana ʒiii. magiſter. perlar. corall. lap. hæmat. præparat. ana ʒiiß. ſang. dragon ʒii. ſpod. ʒi. gum. Arab. ʒiiiß. ſyr. corall. q. ſ. f. Electuarium.

♃. Hujus ʒii. terebinth. coctur. indurat. croc. martis corallin. ana ℈i. Mſ. f. bolus mane ſumendus, ſuperbibendo hauſtum lactis aſinini, & veſperi horis tribus à cœna. Addo aliquando battituram ferri vin. Hiſpanic. extinct. & in porphyrite lævigat. ad ʒiii. aut ℥ß. aut ampliùs pro re nata.

Eidem intentioni inſervit Julapium hoc, quod poſt doſin Electuarii (vel aliàs) ſumi poteſt.

♃. Flor. veton, rub. p. iiii. papav. errat. p. ii. malv. roſeæ p. iiß. roſ. rub. p. iß. aq. cichor. fumar. pomor. redolent. ana ℔ß. * aquæ e cordibus animalium ℥vi. ſp. vitrioli q. ſ. ad gratiam; extrahe tincturam. Cola, & in ℥iv. colaturæ diſſolve ſyr. de ſymph. ℥i. de pomis redolent. corall. ana ℥ß. Mſ. f. Julapium bis in die ſumend. Singul. doſ. adde gum. Arabic. in aq. plantag. ſolut. ʒß.

Juſcula Medicata fieri poſſunt è rad. chin. raſur ebor. dent. equi marin. corn. cerv. rad. ſcrofular. ſymph. filipend. ſem. melon. paſſul. & herbis vulnerariis & aſtringent. ventre galli veteris inclul. & incoct. cum fruſto carnis vitulinæ.

Hydromel quoque ex vulnerariis & ingredientibus cereviſiæ medicatæ parari poteſt.

Si adſit calloſitas, conveniunt pulveres cathæretici, ut pulv. Vigonis, æruginis; immo ſtercus humanum ſiccatum, calcinatum, & pulverizat.

Si adſit caro fungoſa, abſumatur ad fundum alum. uſto, Præcipitato per ſe aut cum alum. miſt. pedetentim alterutrum pulverem augendo, ol. antimon. unguent. Ægypriac. &c.

Balſamum ad ulcus detergendum tale ſit, præcipuè ſi adſit caro fungoſa.

♃ Virid

℞. Virid. æris depurat. & subtiliss. pulv. ℥i. vitriol. Hessiac. ʒii. ol. abjet. lin. ana ℥iiii. tereb. Venet. gum. elem. ana ℥ii. liquefiant gummata cum ol. & adde virid. æ & vitriol. & digere super ciner. tepide per noctem, addendo flor. antimon. mercur. alb. præcipit. ana ʒi. sal. Saturn. ʒii. Mſ. & limpidum à crasso separetur. Huic balsamo addi potest balsam. sulphuris.

Ad omnia Ulcera putrida Pulvis sequens est præstantissimus.

℞. Mercurii præcipit. ʒi. vitriol. alb. alum. ust. ana ʒß. escharam facit profundam. Aut ol. antimon. cum ol papav. aut rof. commist. donec stanno illitum id nigrescere non facit: exedit carnem putridam nullo vel saltem exiguo dolore.

Intestinum rectum pondere suo deorsum tendens cum dolore, sustentetur spongia molli cum idoneo subligaculo.

Post injectiones ne coacervetur purulenta materia, cannulam interdiu gestet, cui apprimatur spongia, ne aer subeat.

Suffitus quoque exsiccans hujusmodi fieri potest post ulceris detersionem.

℞. Mercur. ʒi. lap. pyrit. ʒvi. mastich. thur. sandarac. ana ʒiii. ladan ʒiiiß. styrac. calamit. benzoin. ana ʒii. gum. guaiac. ʒß. f. Alchol & cum terebinth Venet. q. s. f. Trochisci pond. ʒii. Recipiat fumum in sella perforata, dein per embolum in anum semel in die; pro euphoria continuetur. Addi potest gum. animæ, benzoin. &c.

Prosunt Aquæ Spadanæ: Aut si haberi non possunt, substituatur Vinum Chalybeatum vulnerarium sequens.

℞. Rasur. lign. sanct. ℥iii. cortic. ejusd. ℥iii. sarsap. ℥viii. rad. sicc. symph. maj. scrofular. utriusque, filipend. tapl. barbat. sanguinar, caryophyll. ana ℥iiii. fol. sicc. prunel. bugul. veronic. maris, virg. aur. hyperic. ana m. ii. androsem. equiset. pimpinell. agrimon. ana m. i. rasur. dent. equi marin. ℥ii. spod. corn. cerv. ad albed. ust ana ℥iß. croc. Mart. aperient. ℥xv.

Imbibantur vin. albo generoso ad macerationem, dein ejusd. vini adde ℔xxx. F. Vinum medicatum.

Si à vino nimis incalescat æger, diluatur dosis (viz ℥iiii.) cum aq. Spadens. ℥ii.

Si sinus non satis fit apertus, aperiatur turundis ex medulla sambuci, vel ex spongia carâ, glutine taurin. aut icthyocolla imbuta.

Si exulceretur ipsum intestinum rectum, & nullis cedat remediis, tandem ad excisionem deveniendum. Nam secundùm Hippocratem, Rectum intestinum & secans & resecans, & consuens sive ligans, & urens, & putrefaciens, etiamsi hæc gravissima esse videantur, nihil læseris. *Theodorus De Mayerne in Praxi Medica.*

De Ulceribus, & Fistulis Urethræ.

Oriuntur ulcera ex gonorrhœa Gallica, plurimum in extremo collo vesicæ, atque urethra; aliquando etiam ab humoribus calidis, acribus, & corrodentibus, licet raro. Ulcerum autem colli vesicæ in perineo situs; eorum verò, quæ paulo infra ipsum, scroto: quandoque verò inter glandem, & penem delitescunt, in foveola scilicet illa, ubi glandis ortus. Hæc autem non ita facile sanantur, nisi ex toto gonorrhœa sublata: quæ enim ab aliis humoribus oriuntur, emulsione seminum melonum decem, aut duodecim dies, sponte sunt sanabilia. Si itaque ex gonorrhœa ortum ducant, curanda hæc medicamentis accommodatis, ab omnibus propositis, luem spectantibus, decocto scilicet Guajaci, cum sudore, & hujusmodi. Sanata gonorrhœa, ulceri incumbendum primo; nisi enim sanetur, caro ex ipso luxuriat, unde affectio, quæ sarcoma Græcis, vulgò carnositas, quam lithotomi corrosivis medicamentis atterunt. Hæc itaque ne succrescat, ulcera curo candelis quibusdam, compositis ex pulveribus plumbi usti, cerusæ, tuthiæ præparatæ, misti cum cera, in urethram immittendis, & detinendis diu noctuque, quæ, meiendi pruritu solicitante, educuntur; quibus solis hæc ulcera sano. Observandum tamen, non esse imponendas, fluente gonorrhœa, ne ab iisdem suppressa, exulceret collum vesicæ, & alias partes proximas; atque, si malignitatis aliqua suspicio subsit, eadem candela imbuenda unguento ex cerusa camphorato, misto cum præcipitato pulverizato, absque ullo metu, ne hoc exulceret partes sanas; tum quia est correctum unguento ex cerusa, tum propria experientia duce, hoc scilicet non excoriare partes sanas sed tantummodo extinguere malam qualitatem ulcerum, qua sublata, candelis supra dictis postmodum sanantur facillimè: in quam rem utor etiam aqua Aponitana, assumpta per os, ad decem libras, cum spiritu terebinthinæ, aut vitrioli decem, aut duodecim dies, quatuor horis ante prandium, qua, urinæ meatum perlabente, ejusdem vi exsiccante ulcera urethræ facillimè consolidantur, quamethodo quamplurima hujusmodi sanavi.

Et quia solent perforare urethram cum integumentis, aliquando in perineo, quandoque in scroto, ab illis, progressu temporis, fistulæ suboriuntur; quæ si in perineo, absente gonorrhœa, pars callosa circa urethram, & partes adjacentes, inurenda fermento candente, quò caro illi accrescat: & ad cicatricem deducatur fistula; hac tamen lege, ne illa inuratur, atque fistula amplior fiat, nec urethra, pars spermatica amplius instauretur, & resarciatur; ut propterea sat futurum sit, eidem parti circum circa carnem inducere, quæ vice sit urethræ, ut cicatrice obduci possit medicamentis sarcoticis, & epuloticis jam dictis.

Observandum tamen, quod si pars interna urethræ non solidescit, oriri carunculam superius jam dictam; ac proinde in curatione harum fistularum, patienti candelam ceream in eadem semper gestandam, ne in cassum omnia adhibeantur.

Si verò pars urethræ scroto opposita fistula laboraverit, urina ex ipsa effluens scrotum corrodit pluribus foraminibus; quæ curatio ardua admodum, & difficilis, licet felici successu eandem sæpius hac methodo tentaverim. Expiato prius corpore, & exhibito decocto Guajaci, cum sudore, fluxioni sistendæ, statim accedo ad partem ipsam læsam, quæ si multiplex fuerit, omnes fistulas seco: & per candelam propositam omnem operam in sananda urethra adhibeo; cum alia ratione fistulæ scroti non omnino sint sanabiles, nisi cura palliativa, qua denuo recrudescunt: quod si non possit sanari urethra candela, scrotum secandum, usque ad illius fistulam, ipsaque inurenda, modo jam dicto, & carne sectæ partes opplendæ: ac tandem cicatrix inducenda medicamen-

camentis propositis. Contingit verò aliquando, quod in quibusdam observavi, ut scilicet pertusa urethra ex gonorrhœa, amplo foramine, urina profluat, & scrotum repleat, ad magnitudinem quandoque capitis pueri, dilatatis nempe partibus ejusdem, unde dolor, inflammatio insignis, ex qua tandem gangræna, & sphacelus; quorum causa, ferramentis candentibus, & incidentibus pars ipsa, alienata, & emortua amputenda; quod aliquando observavi, scroto sphacelo corrupto, & extirpato, nudatos testes, foramine amplo in urethram patefacto; quod sanavi modo superius proposito, per candelam scilicet, & usu sarcoticorum; ac tandem epuloticis: neque alia ratione vidi hujusmodi patientes sanatos. quæ licet ab aliis Medicis forte observata, propria tamen experientia confirmata, addere præter rem non existimavi. *Petrus De Marchettis in Syllogе observationum Chirurgicarum.*

Consultationes.

Pro illustri & nobili equite Simone merlino Foroliutense Vlcere intestini recti fistuloso, & sinuoso partem externam natis sinistræ vicinam apprehendente detento.

Sicuti perennis desidendi cupiditas in illustri, & nobili patiente affectus intestini recti ad finem est indicium, ita & excretio portiunculæ ramenti intestinalis idem intestinum paulo supra laborare, præcipuè verò secundum partem sinistram tum noxa circa natem ejusdem lateris, tumor inquam, ac inflammatio quædam prægressa, tum immissa tenta, & in partem ea recepta demonstrant. Verum affectum præter naturam nullum alium esse, nisi ulcus, quod intestinum rectum ac partem externam natis sinistræ, vicinam apprehendit, præter fidem oculatam, ichor saniosus ad flavitiem inclinans, qui continuò effluit, satis superque suadet, quod & canum esse ex tenta immissa, & affectu natis, item & fistulosum ex diuturnitate illius, ingique ichoris tenuioris emanatione. (nam à multis annis talem effluxionem cum pruritu intra, extraque anum passus est quæ indusia è regione ipsi ano semper infecit) confirmari posse mihi videor videre; Atqui ulcus prædictum per totam intestini substantiam peruasisse, orificiumque ulceris in eodem reperi intestino, ex vicina nate affecta facilè suaderi potest.

Sed quid causæ sit quod dum mingit illustris patiens, ut plurimum egerat, ac antea intermingendum difficultatem persenserit, fœcesque semper liquidas excreuerit, non erit abs re cognovisse. Arbitro ego postremum ex humore acriori, & copiosiori tunc temporis ad intestina defluente, eorumque expultricem facultatem solicitante, accidisse; difficultatem verò lotii in aliqualem compressionem ob tumescentiam partium affectarum vesicæ proximarum factam, referendam esse censeo, atque tandem dejectionem tempore mictionis aliquando fieri puto, quia intestinum rectum secundum proprium musculum sphyncterem malè habens, facilè in redditu urinæ afficitur, ac velit, nolit, egressum fœcum admittere cogitur.

Principia autem generationis ulceris propositi sunt proxima & remota, proxima in unius materiæ acrioris copiosum affluxum referre non dubito materia namque acredine erosionem, copia vero sinum, & cavitatem efficere valet, & ubi diutius colluies saniosa detinetur, callo, &c proinde fistulæ datur occasio.

Principia remota pertinent ad causas generantes materiam prædictam, & genitam moventes, in serie illarum tum intemperiem jecoris fervidam, uti calor flauus exeuntis jecoris lobores docet, tum errata in vita anteacta repono, in harum verò numero nativam imbecillitatem partium ani, ob earundem laxitatem, & humiditatem, robur autem expultricis partium totius, præcipuè verò jecoris pono.

Ut ex his unicuique facilè sit intelligere, ad Medicum pro curatione instituenda attinere, ut ulcus illud fistulosum amotis impedimentis agglutinetur; cœterum cum impedimenta & propria, & communia existant, ratione illorum oportebit orificium ampliare, detergere, & siccare, callum eximere, & quod est deperditum sarcoticis reparare, ratione horum, communium scilicet, humorum affluxum inhibere erit necessè.

Quæ opera ad fœlicem exitum perduci posse non dubito, tametsi meo judicio cum insigni difficultate, quia medicamenta opportuna prohibentur, aut saltem difficulter admittuntur, & partem affectam undequaque non possunt attingere, parsque demum malè habens sua natura imbecilla existit.

Sed an hæc facienda curatio meritò dubitari potest, nam ex una parte ætas patientis ultimi senii) est enim illustris eques septuagenarius) distantia loci affecti à partibus præcipuis, tandemque præservatio forsan à gravioribus malis, quam homines mediis hisce ulceribus fistulosis ut plurimum sibi nanciscuntur, facile quemuis persuadere possent, remedia pro perfecta, & vera sanatione non esse tentanda; Ex altera vero parte, quoniam nobilis patiens viribus est valens, benè habitus, ac in cœteris sanus, sæpiusque hujusmodi fistulæ multiplicantur, & concitata fluxione humorum inflammationem, dolorem, cruciatusque sibi insignes adiungant, tuberculaque dura in intestinis occasione illarum suboriuntur, meritò quorum exitus fœcum intercluditur, curatio obsoluta videtur ex usu opportuna, & necessaria.

At ego in ea sum sententia, ut si veræ curationi sese dare voluerit vir illustris, quod possit utique curari, sin minus, Medicus in id incumbat opportet, ut præservetur, qua amputatis vel saltem refractis causis remotis, ulcereque continuò deterso, exiccatoque malum non augeatur, sed potius reprimatur, quem curandi modum, tametsi fictum, & palliatum, gravissimi nihilominus viri insequuntur.

Deveniens ergo ad præsidiorum materias, & primum chirurgicas, statuo curationem ab aliqua sanguinis missione per sectam venam auspicandam esse, vena ideo in cubito, vel in manu secanda seligatur, sanguis enim in toto redundat, robur virium adest, & corporis habitus ad crassum inclinat, deinde canteria in brachio sinistro, aut femore dextro, secundum partem domesticam inusta, sicuti & perennes frictiones, deligationes, ventosationesque partium superiorum mihi summo purè probantur, apertionem vero loci ab experto chirurgo, medicamentis non conferentibus, non improbo.

Postmodum ad pharmaca, primum communia, dein priuata deuenio, quare si de communibus sit sermo, pro lenienda aluo syrupum rosatum solutiuum, ac de polipodio, pro humoribus concoquendis decoctum cicoreaceorum, boraginis, betonicæ, ac passularum cum suis syrupis; pro purgatione infusum Rhabarbari, Agarici, & senæ, cum manna etiam, atque etiam laudo: Quinimo & catapotia de tribus cum Rhabarbaro, tempore vero calidiori decoctum, infusumque mirobolanorum citrinorum, chebulorum, & indorum ex sero lactis paratum, interuallis quibusdam assumpta profutura propono; Vomitum quoque, si patiens ad eum à natura pronus fuerit, semel in mense habitum à cibo non vitupero. Verum & de medicamentis insensibiliter euacuantibus, præmissa purgatione est cogitandum, decoctum idcirco guaiaci, & salsæ cum china, & sandalis erit miri usus, & si sudor, modeste tamen, & placide promonebitur, tanto efficacius reddetur medicamentum; Vrinalia quoque medicamenta, non vera (nam vera iecur magis accendunt) huc referanda, quare inter alia mihi tum termæ frigidæ, tum serum lactis distillatum, adiecto lacte seminum melonum copiose bibitum tempore opportuno mihi maxime arrident, verum & ab oxymelle dilutiori ex decocto radicis apij recentis, capillorum veneris, scolopendrii, & eritro idis non abhorreo.

Demum de particularibus pharmacis cogitandum, quæ si referantur ad iecoris intemperiem, præter aliqua ex vrinalibus dictis, succum quoque cicoreaceorum non solum assumptum, sed forma irrigationis hypochondrio dextro vne cum aceto, & puluere sandalorum adhibitum, sicuti & conseruæ rosarum cum speciebus confectionis ex tribus sandalis usum continuum non improbo; Quod si medicamenta hæc ad ulcus attineant non solum à qualitate manifesta, sed & à proprietate quedam agere solent, quæ à proprietate, duo sunt, primum est puluis radicis gentianæ, vel aristolochiæ ex vino epotus, alterum est puluis ranarum adhibitus, verum à quibusdam radix hellebori nigri in fistula tribus diebus dimissa, item & elaterium terebintina exceptum radixque cucumeris asinini summis laudibus extolluntur. Sed quæ à qualitate nota operantur, sunt detergentia, siccantia, callum absumentia, & agglutinantia; Atqui orificium dilatandum turunda vel ex gentiana, vel spongia confecta, deinde ad medicamenta prioris ordinis deueniendum, sunt autem thermæ salsuginosæ, inter quas, velut ommium regina est aqua Tettuecii vocata, quæ non solum in potu per tres vel quattuor dies ante decoctum gujaaci assumpta, sed & iniecta ac per modum semicupij usurpata plurimum valet; succus quoque apii cum vino Mulso decoctionis hordei, myrrhæ & aloes iniectus, est accommodatus, at pro callo eximendo nil præstantius unquam succo herbæ Reginæ cum Ammoniaco aceto dilutis, & iniectis, sed quod omnibus præferendum, est unguentum Aegyptiacum lixiuio dilutum. à quorum usu, si pars nimium irritetur, iniiciatur serum lactis, vel ipsummet lac asininum, & si ex voto callus auferetur, ad sarcoticorum usum accedendum, qualia erunt unguentum isidis, vel detutia vino Mulso dilutum; item & succus pimpinellæ, virgæ aureæ, & Centaurii minoris, omnia iniecta. Proagglutinatione fiat iniectio ex vino nigro austero decoctionis plantaginis, rubi, malicorii, hypo istidis, & acaciæ, huc referendum oxeleum Galeni, & ceratum barbarum.

Victus his omnibus undequaque conueniens iniungatur, qui erit, ut nobilis patiens vescatur bonis cibis, & abstineat à fanis, agruminibus, aromatibus, lacticiniis, cibus farin., sub actis, piscibus paludosis; atque similibus acrioris, & crassioris naturæ, bibat vinum subrubrum subausterum, guaiaco, ac sandalis medicatum, tempore autem decocti instituatur victus se miattenuans, & vinum interdicatur, reliqua his ipsis respondeant, Deusque O M. faxit, ut cedant in salutem illustris, & nobilis Equitis. *Julius. Dælar Claudinus in Consultationibus Medis.*

De Vlcere fistuloso Ani. Pro Nobili Patiente

Quod morbi vel diligentissime curati, aut non sanentur, aut ægre saltem, modo ob ipsorum contingit pertinaciam, modo ob ægrorum, aut medicorum frequentes errores, modo utramque ob causam, prout in casu præsenti contigisse obseruo. Subortum enim nobili huic patienti tribus abhinc annis ulcus fistulosum in ano, cuius ratione frequentem passus est, & patitur deiiciendi voluntatem, doloremque, & grauitatem circa podicem. Neque hactenus ab affectu proposito liberari potuit, variis licet remediis præsidiis administratis. Idque duplicem ob causam, primo quidem ob incuriam cum ipsiusmet ægri incom posite viuentis, & affectum ipsum aliquamdiu spernentis, tum medicorum, vel potius circum foraneorum quorundam, qui generosis catharticis humorum colluuiem à toto ad partem affectam attraxerunt; tum & ob ipsiusmet affectus pertinaciam. Sicuti enim facillime suboriuntur ulcera fistulosa circa anum, ob innatam illarum partium mollitiem, laxitatem, & humiditatem: ita genita ægre admodum sanantur, ob continuam ad ipsas fluxionem, & difficilem localium parti affectæ adhæsionem, cum præsertim ulcera hæc veterauerint. & dolorifica, putrida, depascentia, intemperata, & tabe Gallica inquinata fuerint, cuius naturæ esse ulcus hoc valde suspicor. Hoc etenim sicuti originem duxit à flauabile, salsaque pituita, genita ob incompositam viuendi normam, & ad prædictas partes, tanquam imbecilliores à tribus annis decumbente; ita fouetur à continua fluxione à cerebro humido, ventriculo imbecilliori, & jecore præcalido, ratione intemperie ipsius. Quod contumax quinetiam factum est. ob virulentiam Gallicam, & alias prauas qualitates propositas: cum præsertim adeo altas egerit radices, ut non immerito suspicari liceat propagatum esse in varios sinus, atque in intestinum ipsum penetrasse Qua de re certiores erimus, si digito in podicem immisso stylum in ulcus demersum perceperimus; vel si sanies per alvum, & materia fæculenta, & fœtida per ulcus effluere obseruabitur: atque hinc febricula illa lenta, qua hebdomadas, & menses conflictatur, orginem ducere potuit, vaporibus scil. putridis jugiter ad cor eleuatis ab ulcere hoc putrido; quæ inualescit, dum egeruntur fæces duræ, cum rigore, iisdem præterlabenti-

bus partem exulceratam exquisito sensu prædi-tam, atque calore, accensis spiritibus, ratione doloris, hincque tandem carnis excrescentiæ, ex sanguine illo vitioso genitæ; ut propterea ulcus propositum omnium malorum sit fons, & origo; quo non obducto, nec alii affectus cedent.

Hoc autem consequi difficillimum censeo, ne dicam impossibile, si præsertim pertingat ad intestinum ipsum. Non ob id tamen medicis præsidiis supersedendum censeo, quib. saltem ipsius incrementum coerceatur, metu alioquin febris fixæ, quæ ad tabem, & mortem nobilem nostrum patientem tandem deducat: cui nunc satis vires constant, generosis remediis pares. Neque hæc fistulas enim ex illarum censu est, de quibus verba fecit Hippoc. 3. in 6. Epid. 39. dum prodidit, tales fistulas aliquando humores superfluos purgando præseruare à grauioribus malis, propterea non curandas. Illæ enim sunt fistulæ callosæ, sine dolore non depascentes; hæc vero est dolorifica, ideo non callosa, depascens & dysepulota, cacoethes, & maligna.

Ipsius autem curatio absoluetur exsiccatione ulceris. Quod fieri non potest, nisi sublatis impedimentis, quæ in casu præsenti sunt quatuor. Primo fluxio perennis, quæ est auertenda, & alexipharmacis extinguendum inquinamentum. Secundo intemperies calida & humida refrigerantibus, & exsiccantibus remouenda. Tertio sinus, qui aperiendus, si fieri potest, vel saltem laxandus. Atque demum detergendum, & exsiccandum est excrementum crassum, & tenue in parte exulcerata.

Ut prædictis indicatiomnibus satisfiat, præmittenda est diligens totius corporis euacuatio, cum eductione sanguinis, tum ex jecoraria dextra, tum ex saphena sinistra accedente simplici, ac repetita humorum vitiosorum præparatione, & purgatione, atque inustione facta duorum fonticulorum dextro femori, & sinistro brachio, exhibita triduum Aqua Tettutiana, cum syr. ros. Placet quintiam repetitus usus blandi decocti exligno Inaico, sarsaparilla, & santalis, cum cephalicis, & aliis quæ hypochondriorum rugitus, & tensiones spectent: à cuius usu 40. dierum spatio, cum blando sudore, commendatur usus lactis caprilit, tanquam detergentis, refrigerantis, & agglutinantis, 20. dies circiter cum octo, aut decen guttulis olei ex ligni Indico; ac tertio ex usu erit aqua B. Virginis, refrigerans, detergens, & exsiccans: vel ipsius loco aqua Villensis in agro Lucensi. Atque hæc de internis. Externa topica varia sint, pro sinnum varia conditione, in magnitudine, & profunditate. Si enim admodum alte descendant, cultro falcato angusto sunt aperiendi; profundiores vero turunda laxandi, blandisque erodentibus atterendus leuis quidam callus in superficie, non enim censeo totum sinum occalluisse, alioquin non esset dolorificus. His peractis, exsiccandum est ulcus, non ommissa ipsius detersione. In quem usum maxime pollent aquæ nostræ Thermales, in primis Montis agrotorum. Per alexipharmaca deinde ipsi ulceri occurrendum. Tandem ad maiorem exsiccationem, & roborationem partis, balsamum occidentale opportunissimum censeo, præter alia leuiora cuilibet in arte versato notissima, breuitatis propterea gratia prætermittenda. Atque hæc potissima pro præsentis affectus curatione proponenda duxi. *Benedictus Silvaticus Consilior. & Respons. Medic. Centur. 3.*

De Vlcere Ani. Pro Nobili Matrona Cremonensi.

Vigesimus nunc agitur mensis, cum Nobilissima Mattona annorum 27. ulcus patitur in tota interna parte intestini recti, subortum forsitan ex acri materia biliosa in secore feruido genita, & à toto corpore ad intestina, tanquam ad sentinam, tunc temporis transmissa, quando diarrhœa biliosa laborauit, non sine confluxu pituitæ salsæ, absque vila suspicione alterius corruptionis vitulentæ. Ulcus hoc nunc callosum factum est, pro ter materiam crassam porositatibus partis affectæ infarctam est sordidum, ob defectum caloris natiui; atque dysepuloton, ac difficilis sanationis, ob ingentem affluxum materiæ pituitosæ, biliosæ, & atrabilaris à ventriculo, iecore, & toto corpore ad partem affectam; cacoethes quenetiam, propter intemperiem humidam partis affecta, cuius indicium euidens caro circa eandem inæqualiter excrescens. Est dolorificum aliquando, cum propter decubitum prædictæ materiæ, tum propter violentam fæcum excretionem, fistulosum fortasse, cum supradictæ partes facile sinuosis ulceribus sint opportunæ, propter continuam earum humiditatem.

Difficilimæ propterea curationis, ut mirum videri non debeat, si usu tot medicorum præsidiorum ex methodi lege propositorum non cesserit. Non ob id tamen iis supersedendum est, quorum beneficio speramus fore, ut aliquo saltem temporis Nobilissima patiens pristinæ sanitati restituatur.

Quoad ut fiat, præmissa uniuersali totius cura, reuellentibus deriuantibus, & euacuantibus sistenda est fluxio, & materia fluxa euacuanda, ulcus detergendum, valide exsiccandum, & cicatrice obducendum, administratis interim iecur refrigerantibus, & calidum innatum partis affectæ fouentibus. Quæ præstebuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Pro totius itaque euacuatione, præscribatur leniens paratum ex mell. & syr. ros. sol. cum manna electa; vel ex electuario lentiuo, & mauno, cum pulpa tamarindorum. Sauguis interim educatur ex vena interna utriusque brachii, longe à menstruis purgationibus: mox sub illorum tempus, ex saphena. Præparentur humoris syr. de succo borraginis, & oxymel. simpiici, cum decoctione cichois, sonchi, hepaticæ, borraginis, agrimoniæ, & seminum citri; ac deinde purgentur rhab. senna, & agarico infusis in decoct. cord. adhito syr. de polyp. compos. ros. solut. & manna Repetatur deinde prædictorum humorum præparatio syrup. de fumaria compos. de cichorio cum rhabar. & oxymel. composito, additis aquis beten. fumariæ, lupulorum, & cichoris: alteruisque; diebus prædictarum aquarum loco, addatur unc. ris. decoct. epithymi Mes. & facta humorum præparatione, reperatur purgatio medicamento jam præscripto, vel huius generis. Vandiora namque; trahiherent humores ad partem affectam. Interim inuratur

tur fonticulus brachio sinistro, ad maiore revulsionem, & detersionem cum materiæ fluentis tum fluxu, & in parte ulcerata contentæ. Exhibeatur aqua Tettutiana quatuor aut quinque dies quolibet mane, ad libras quatuor, cum unc. iij. mel. rof. sol. A quibus ex usu erit decoctum radicis chinæ, salsæ parillæ, & santalorum citrinorum, additis hordeo, & cichoraceis, 40. dierum spatio, excitato sudore cum doliolis lixuio feruido plenis semel in die: victu modice tenui præscripto, vino oligophori potui concesso. His internis accedant externa localia, & quæ clysterum, & suppositoriorum ope partem affectam attingunt: atque adeo apprime conuenient clysteres ex aqua Tetutiana, cum melle ros. vel etiam ex muria, ad maiorem detersionem, tum ex vino rubro, cum puluere tuthiæ, fabarum, hordei, & thuris. Turundæ parentur ex terebinthina Cypria, & melle, cum ciner. quercus, chalcitide, ostreis ustis, & aristolochia rotunda. Omnium tamen maxime usui erunt aquæ Thermales montis ægrotorum, utpote quarum vis præsens ad ulcera antiqua, admissarum per clysteres, vel insessus forma: in iisdem tertia tamen quaque die oblinìri poterit pars affecta sevo hircino, atque ex ipso turunda parata continenda in ano, ad emolliendum callum, qui deinde atteretur detersoriis validioribus. Quæ si frustra fuerint, deueniendum erit ad ignem, parata cannula undique ferrea pertusa, in podicem inseranda, in quam deinde immittatur ferrum candens, idque ter, & quater in die: nullum enim præstantius, & tutius remedium in ulceribus antiquis putridis intestini recti expertus unqnam fui. Aquis Thermalibus propositis, inijciendis addentur aloe, thus, & sarcacolla, ad maiorem exsiccationem; tandemque applicentur sarcotica, ut betonica, matrisylua, plantago, & ossucremata, cum vino. Ad compescendum autem iecoris feruorem absque ventriculi noxa, conferet aquarum Thermalium frigidarum internus usus, decem aut 2. dies, cum diureticis, quo ad urinæ vias perducantur.

Quibus addatur congrua victus ratio prædictis proportione respondens. Ita namque spero fore, ut pristinam sanitatem consequatur Nobilis Matrona. *Idem ibidem.*

De Fistula antiqua, & Condylomatibus, cum febre. Pro Nob. Florentino.

Tot, & adeo refractarii sunt affectus Nobil. patientem diuexantes, ut nec ipsius Apollinis manu debellari possint; ex fide Virorum Praeclarissimorum, qui ad nos scripserunt, ut propterea medica exposcant præsidia, non pro huius salute, sed pro vitæ saltem prorogatione. Fistulæ namqne antiquæ in podice sunt semper curæ difficilis, ob laxitatem & humiditatem insignem partis affectæ, continuamque excrementorum colluuiem; magis vero profundæ, sordidæ, verminosæ, & tabo Gallico infectæ; deteriores autem, & magis rebelles, quando perforant intestinum, ita ut fæces transmittat per ulcus: licet tamen vita in longum protrahatur. Auenzoaris testimonio inter Arabes, & Matthæi de Gradi inter Latinos, historiam referentis Medici Ticinensis de Filibertis, qui fæces per ulcus excreuit annos viginti continuos. Quod si ulceri antiquo, fistuloso, profundo, cacoethi, verminoso, & Gallico accedant condylomata, siue carnis excrescentiæ, longis incurabilem produnt affectum, ob confluxum sanguinis vitiosi, & melancholici; quem sane in Nobili iuuene prædominari conicere facile est ex descripto eius temperamento. Quando vero decennio fere integro variis medicis præsidiis rite, & ex lege præscriptis cum assumptis, tum applicitis, non solum non cessit affectus, sed in dies magis inualuit, vesicæ collum erodens, ita ut fæces, & ventris crepitus cum lotio excernantur: quo prorsus modo id à Fernelio proditum est 6. de Partium morbis & Sympt. Cap. 11. vel saltem urinæ crassæ, fœtida, & saniosæ sunt conspicuæ, cum ipsius ossis sacri aliqua labe, atque omnium circumpositarum partium, qui locus quæso fuerit ullis medicis præsidiis? Accedente vero his omnibus febre hectica, rabida, marasmode, cum grandi corporis macie, ut ossa sola cute tecta videantur, viribusque adeo prostratis, ut semper decumbere cogatur, quæ spes elucescit de vita proroganda? Quinimo præsens impendet metus, ne adventante æstate, deteriora fiant omnia, viribusque collapsis, succumbat tandem patiens; ut propterea vix in promptu mihi sit, quo vita quidquam eius prorogetur, quod a Viris doctiss. & in arte versatissimis hactenus non fuerit præscriptum.

Quare si cuti summopere laudo quoad partem affectam, frequentem ulcerum detersionem, modo aqua Tettuitana, & melle, modo vino in quo ebullierint scordium, matrisylua, lupini, & fabæ; omissis causticis, validioribusque detersoriis; ita non inconsultum censeo eam roborare ferro candente per cannulam ferream longiorem à latere undique pertusam, intra podicem semel ac iterum singulis diebus applicato. Hoc enim unico remedio vidi fistulas Gallicas, putridas, & altas multos annos, absque ulla noxa durasse, nondum tamen ad has calamitates perductas. Ratione autem febris, si vires ferent, ex re erit consilio marasmum torridum in senilem mutare, per refrigerationem corporis balneo aquædulcis, administrato ex Gal. præcepro in Methodo medendi. Et quanquam alias non admodum profuerit decoctum radicis chinæ, atque lac non fuerit adeo familiare naturæ ipsius: utrumque nihilominus iterum præscribendum existimarem. Omnia enim secundum rationem facienti, licet non succedant rationem, non est ad alia transeundum, stante eo quod à principio visum est, ex Hippoc. decreto. Quod licet locum habeat in curativis intentionibus, non autem in materiis remediorum: attamen in casu præsenti etiam iisdem præsidiis medicis utcunque alteratis insisterem, atque aliquot dies decoctum radicis chinæ repeterem, cum carne porcelli, ranis, & caudis cancrorum paratum; ita tamen ut in ipso deinde fiat contusum pulpæ caponis nutriti carne viperina. Sic namq; erit medicamentum alimentosum. Quod si in ipso dissolvatur scrupulus magisterii perlarum, vires quinetiam magis instaurabit: exhibito deinde cibo modica quantitate, facilis coctionis, & laudabilis substantiæ; cujusmodi erunt ova tremula expressum vel contusum perdicum, testes gallorum juniorum, gelu ex carne capons, cum succo citri; & morselli

ex pistaciis, nucleis pineis, amygdalis dulcibus, pulpa perdicis, & nucis Indicæ, cum saccharo, & aquæ ex fl. citri. cum quibus assumet aliquando unum vel alterum cochlear aquæ vitæ ad instaurandas vires iam collapsas, à Quercetano descriptæ in sua Pharmacopœa Restituta. Post usum autem prædicti decocti aliquot dies, lac præscribetur, primo arte paratum ex nucleis pineis pistaciis, amygdalis, & seminibus melonum, in iure pinguis caponis, cum saccharo: tandem vero & naturale, idque asininum, si muliebris non fuerit copia, ex mammillis exsuctum, aut cum modico saccharo, & buccella panis, ubi primum emulsum fuerit, dummodo venter flatibus non obmurmuret. Quod si redundent, cum aliqua imbecillitate ventriculi, præmitti potest stillicidium supra eius fundum ex oleo absinthite, amygd. amararum, chamæmelino, & mastich. cum vino albo generoso ad penetrationem; munito deinde tote abdomine summitate purpuræ prædictis oleis imbutæ; ac deinde lac vel humanum ex ubere, vel asininum, cum quarta parte mellis Hispani, loco sacchari, ex Gal. decreto 7. Meth. medendi præscribetur ad uncias quatuor, vel quinque ad summum singulis matutinis horis in aurora, præmissa parca cœna, quo ventriculus vacuus sit; atque ita quatuor vel quinque dies periculum fiet eius tolerantiæ. Quod si nullam noxam inde capiet, & facile feret, continuandus erit usus ipsius aliquot hebdomadas; non omissa interim totius corporis inunctione oleo amygdal. dulcium facta blanda frictione ad reuocandum sanguinem, & retardandam corporis exsiccationem. Et hæc adnotanda duxi Virorum præclarissimorum mandatis obsecundans potius, quam ut magni fore usus sperem. *Idem ibidem.*

De Vlcere antiquo Intestini recti. Pro Illustriss. Equite Maffeo Ferrariensi.

Rogatus ab Illustrissimo Marchione Pio sentententiam de Chirurgica operatione, pro salute Illustrissimi Equitis Maffei inueterato recti intestini ulcere laborantis, proposita, intestini nempe eiusdem extractione, atque ustione, inficiari sane non possum, à Chirurgis celebribus solertia, & usu, nonnunquam præstari quædam miraculis perquam similia: quemadmodum & legi ab ipsis ex dorso è regione renis tentatam ipsius cum extractione calculi, patientisque salute, sectionem, rem profecto longe difficillimam. Quare & operationem propositam quod attinet, illam eorum peritiæ lubens committo: quam tamen & periculi plenam esse, & male cessuram existimo. Tametsi enim non ignorem, intestinum rectum partem esse, quæ loco dimoueri, & foras prolabi possit: quod pueris non raro accidit, ob laxatos humiditate musculos, nonnunquam & nixu maiore parturientibus, atque idcirco lubens fatear validioribus emollientibus, aptisque instrumentis intestinum id à Chirurgo extrahi, detergeri ulcus, urique posse: cum tamen semel dumtaxat admoto igne subsequi haudquaquam possit usque adeo curatu difficilis, inueterati scilicet, sordidi, profundique sanatio, Chirurgia hæc quid allatura sit emolumenti non video. Foris certe relictum intestinum longe maximum subibit gangrænæ periculum. Eodem vero mox ab ustione intro reducto, quid aliud sperandum, quam eschara recedente, statu ulceris pristino simillimus? Neque enim de sectione hic cogitandum. Esto tamen (quod impossibile ego quidem iudico) siccari ulcus hoc, sanarique modo prædicto possit, non poterunt certe non superesse continuæ ab intestini procidentia molestiæ. Neque enim quamuis exsiccato, ac cicatrice obducto ulcere, tanta unquam esse poterit laxatarum partium corroboratio, ut continuum intestini prolapsum prohibere possit, ni idipsum continue globulo idoneo, fasciaque competente coerceatur. Hæc mea super ea re sententia. *Idem ibidem*

De Vlcere fistuloso in podice: Pro Illustriss. D. Georgio Nani.

Affectum Illustrissimi D. Georgii etsi minus mihi, quam Viris illis Excellentissimis, qui ad ipsum Venetiis diutius continue inuiserunt, cognoscere licuit, Excellentiæ tamen tuæ Illustrissimæ geram morem, quæque mea sit de mali huius natura; eiusque futuro successu sententia paucis aperiam: Malum ego hoc ex ulcerum esse genere indubitanter pronuncio; quod & à paucis jam mensibus eram suspicatus; argumento fuerit exeuntis materiæ qualitas. Neque enim id quod effluere solet, simplex pituita est, sed materia quædam cum modica plerumque sanguinis portione permixta. Sed neque ex venis hæmorrhoidalibus, ut censent, manat hic sanguis. Esset enim & copiosus, & floridus, & à qualibet materia seiunctus, flueretque vel ad mediocrem conatum semper, & à partibus ano circumpositis emanaret. His autem omnibus nonditionibus sanguinem, de quo nobis sermo, videmus destitutum. Etenim neque multus is unquam est, neque expers putredinis, neque à reliqua materia separatus; sed & lotis aqua thermali illis partibus, eius sistitur fluxio; atque ab altiore loco eundem profluere ipsi nos cum speculi beneficio explorauimus, tum stylo argenteo gossypio inuoluto altius immisso, neque sine sanie extracto. Accedit, quod quæ speculo adhibito videri potuere partes, viderimus nec absque carne superflua exulceratas. Verum non unico ulcere constat malum hoc. Videre enim mox ulcus est in ani extremo sub ipsis hæmorrhoidibus; in ipso dein progressu ex coriatio multa speculi beneficio detegitur, non sine metu ne aliud intus delitescat, quod aut speculo, aut etiam stylo deprehendi non possit. Materiæ enim exeuntis & copia est maior, & terminus à quo, quod partem altior, quam ut uniuersam ab iis, quæ videri possunt, ulceribus promanare statuamus. Quare cum neque alicuius momenti adsit dolor, internam quandam adesse fistulam non levi suspicione adducor; tametsi hac de re Excellentiam tuam Illustrissimam certam reddere non possim.

Utut sit, non leue sane est hoc malum, cum quod partim sit hæreditarium, quod imbecilli, humidoque natura sit loco, atque inueteratum; tum etiam quod continuè ab prauorum uniuerso corpore humorum affluxu foueatur. Quapropter & quid boni augurari possim non video Neque enim facile crediderim eam fore Illustrissimi Domini Georgii patientiam, quam diuturni adeo,

adeo, atque pertinacis mali curatio exposcat: quinimo pronuntiare ausim, hunc eius affectum eodem, quo Illustrissimi Domini Antonii eius parentis, successu finiendum. Quod tamen prognosticon haud diffiteor usque adeo ratum esse, quin sperare liceat fore, ut Illustrissimus patiens diuturno usu præsidiorum, victusque præscripta ratione, sanitati tandem aliquando restituatur, quam eidem à præpotente Deo toto animo enixe precor. *Idem ibidem.*

De Fistulis Ani. Pro Nobibili Polono

Ea est affectum pertinacia, qui à decennio Nobilissimum patientem exercent, ut de ipsis sanandis nulla affulgeat spes; adstipulantibus etiam Viris doctissimis, qui ad nos scripserunt, adeo ut medica solummodo admittant præsidia, quorum ope vita saltem longius protrahi possit. Fistulæ siquidem antiquæ ani seu per sunt difficiles, ob fluxionem, imbecillitatemque partis affectæ difficiliusque sanantur, quando sunt sordidæ, profundæ, & verminosæ, virulentiæ Gallicæ participes: potissimum vero, quum perforant intestinum, ita ut fæces ex ulcere effluant; cum quo tamen affectu vitam longius prorogari posse, prodidit Auenzoar, & Mathæus de Gradi, qui refert historiam medici cuiusdam de Filibertis Papiensis, qui intestino perforato, & facibus per ulcus erumpentibus vitam traxit viginti, & plures annos. Quinimo, intestinis perforatis, & ventre ipso, adeo ut fæces illac transmittantur viuere ægros, prodidit Auic. Prim. 3. Fen. 6. Tract. 1. cap. 1. Neque lethalis omnino esse solet ani fistula, licet vesicam exulcerans, ut succedat mictio fæcum, & puris, crepitusque per pudendum, testimonio Fernelii Lib. 6. de Partium morbis, & symptomatibus Cap. 11. Quod si ulceri antiquo, putrido, sinuoso, Gallico, intestina perforanti accedant carnis excrescentiæ, seu condylomata, longe magis in curabilem exhibent affectum, ob continuum fluxum sanguinis vitiosis, & melancholici quem sane in nobili patiente præpollere conicere est ex eiusdem temperamento. Verum quum toto fere decennio variis medicis prædicis præsidiis, cum internis, tum externis non solum cessarint affectus prædicti, quin potius in dies magis convaluerint, quibus accessit febris hectica, tabida, & marasmodes, cum corporis macie adeo gravi, ut ossa pelle obducta supersint, viresque adeo prostratæ ut continuo sit ipsi decumbendum, non modo valetudinis adipiscendæ, sed neque longioris vitæ alicui spei locus est quin potius metuendum ne sub æstatem in deterius omnia labantur, viresque iam collapsæ tandem fatiscant: ut propterea vix mihi superfit quod iis addam, quæ à Viris doctissimis fuerunt hactenus usurpata ad vitam longius saltem producendam.

Quare sicuti laudo summopere frequentem ulcerum detersionem, modo aqua Tetutiana, modo vino albo in quo ebullierint matrisylua, lupini, addito modico melle; omissis omnibus causticis, & validioribus detergentibus: ita non inconsultum censeo exsiccare validius, & corroborare partem illam affectam ferro candente, per cannulam ferream pertusam ad latera intra podicem iterum ac tertium in die inserto, nec diutius detento. Ratione vero febris marasmodis, si ferant vires, consultum esset ex Galeni consilio curare ut marasmus torridus in senilem facessat, refrigerato, & humectato corpore balneo aquæ dulcis, ex Galeni præscripto administrato in lib. methodi medendi. Et quanquam alias non magno fuerit usui decoctum radicis chinæ; atque lac natura auersatus fuerit; utrumque nihilominus iterum tentandum existimarem, exhibito decocto radicis chinæ quindecim dies circiter, parato cum carne suilla recenti, ranis, & cancrorum candis; in quo deinde fiat contusum carnis caponis, nutriti carne viperina. ita namque fiet medicamentosum. Quod bis in die exhiberi poterit, interposito pauco cibo mediocris quantitatis, & facilis concoctionis, puta ouis sorbilibus, pullis Indicis, vel testiculis gallorum, aut gelu ex carne caponis, cum succo citri: morsellis etiam ex pistaciis, nucleis pineis, amygdalis dulcibus, carne caponis, & pulpa nucis Indicæ; à quo lac ipsum erit accommodatissimum primo quidem arte partum, aliquot dies, ex emulsione seminum frigidorum majorum, nucleis pineis, pistaciis, & amygdalis dulcibus, in quo dissoluatur syrup. sem. magisteris perlarum; deinde & naturale asininum, cum modico saccharo, & mica panis, ad uncias quatuor circiter: nisi antea ex usu visum fuerit Viris præclarissimis pelicu'um facere lactis muliebris ex ubere exsucti. In quorum usu cæna parcissima sit, quo usus lactis tempore ventriculus sit ieiunus *Idem ibidem.*

De Fistula lachrymali quamvis suprà capite de Ægylope fusè satis egerimus, per placet tamen huc rursus adducere ejusdem historiam satis raram, ac primò responsionem, quàm dedi informationi parum accuratæ mihi super hac re transmissæ, cui subnectam morbi integra historia qualem scilicet habui postquam Nobilissimam Ægram, Lausannam hac de causâ profectus, adivi.

Ex iis omnibus quæ per epistolam ad me transmissam significata sunt satis agnosco, Fistula Lachrymali affligi Nobilissimam Matronam, at non itidem constat, an imminentiæ omnis jam facta sit expers, sicque fistulam quam Chyrurgi Galli *Fistule platte* vocant constituat, & an omni prorsus carie os subjectum careat, nam etiamsi specillô exploratoriô adnotata non sit, non inde tamen concludendum nullam adesse, siquidem specillum commodè ac pro arbitrio non movetur ac volvitur hisce in partibus delicatioribus, nec caries ita incisionibus peractis semper subiacet, quin multi sinus arctiores ac variè contorti sæpius ad eam difficili deducunt via. Suppono interim Medicos ac Chirurgos in hanc explorationem adhibitos nihil quod exquisitioris accurationis sit omisisse, & ea propter tantùm novam meditari aptationem, quòd per viam sibi primò loco paratam ad morbi penitiores penetrare radices non detur: Verùm liceat mihi opponere, 1. quòd si fistula de qua agitur omnis prorsus eminentiæ sit expers vix concedatur distinguere quô denuùm incidenda veniat locô, pro cura perficienda; quodque

etiam si fistula pus multum eructaret, elevationemque satis sensibilem præberet, unde innotesceret subjecta cavitas, attendendum foret an ne cùm Domina Ægra junior sit fistula eô locô ponatur, in quo, carie absente, commodum fuerit deligationem compressivam adhibere, sicque curam, quam non semel expertus sum, peragere. 2. Videndum si fistula ejus fuerit conditionis quæ incisionem necessario exquirat quâ in ipsius deveniatur fundum, fungositatesque ossi adnatæ illius cariem obtegentes remediis absumantur, videndum inquam, quis locus operationi esse debent, quò scilicet fructuosior, quàm priùs celebrata, evadat, quod non levis est difficultatis, dum interim errores in hoc commissi, incisiones sæpius multiplicare cogunt & vultum omnino deformant, sic aliquando vidi à Chirurgo, quamvis petito, totam propè oculi circumferentiam ferro violatam, quia dum caries in ipso oculi angulo partibusque vicinis exquirebatur, inde ad ossis Lygomatis partem remotiorem, ubi posita erat, deveniendum fuit. 3. Quamvis mihi non satis perspectæ sint omnes Medicorum assidentium rationes quibus ad apertionem cauterio potentiali sibi parandam inducuntur, non possum quin regeram ejusmodi applicationem non parum secum vehere periculi, dum scilicet non ita penes nos est illius actionem exhibere quin sæpius ad ipsum oculi canthi majoris ligamentum pervadat, quò erosô, vel nimium debilitato enascitur morbus qui Rhyas dicitur, quique præter alia incommoda non parvam deformitatem inducit. Adde quòd etiam si tale quid non contingat, semper futurum sit ut turpitudo non mediocris de cicatrice restitante enascatur: quodque tam promptè quandoque molliorem pervadat cutem medicamentum ut ad os nasi spongiosum levique tantùm pellicula indutum liberius perveniat, illudque suâ acrimoniâ carie afficiat, ac inflammationem in viciniam accersat per exagitationem ac fermentationem salium, sero fluxionem facienti innidulantium, quam procurat. Unde patet ad hoc præsidti genus non esse descendendum donec alia omnia inutilia prorsus videantur; super his autem non est quòd determinatè pronunciemus priusquam ægritudinis examen diligentius perfecerimus Medicosque ac Chirurgos ordinarios audierimus.

In sequentibus cùm Lausannam ivissemus proprio nostro examine novimus de morbo ea quæ jam fusius paulò enarrabimus.

Nobilissima Matrona D. B. annos circiter 28. nata fistulam lachrymalem juxta dextri oculi angulum majorem gerit, quâ coacervatur pus copiosum, illudque crassius aut tenuius pro ratione temporis quô in parte afflicta commoratur. Per se autem non evacuatur pus aggestum, sed tantùm expressione factâ per immissionem digiti indicis inter oculi globum ejusque orbitam, illo spatio quod canthum inter majorem ac minorem medium interjacet; digito verò tum aliqua vi adacto per punctum lachrymale inferius non minori elabitur vehementia humor, quàm per syphonem truderetur. Imò si materia, contenta intactô largiùs fævô copiosius aggesta sit, quod serosius est ac lympidius sub lachrymarum forma effluit quidem, sed parcè admodum. Præteritis temporibus compressa parte affecta per canalem lachrymalem pus transmittebatur ad nares, verùm cùm à septem jam mensibus glutinosiores ipsius particulæ hæc sibi viam clauserint ad superiora necessariò illud refluit, unde non mirum si canalis herniosus factus sit, in quo ea quam passus est dilatatione continere valeat humorem ad cochlearis mediocris quantitatem, si modò per octo horas non comprimatur. Originem hujusce fistulæ repetant ab ictu ex ipsa infantia oculo inflicto, unde subito enata est magna inflammatio, quæ eam in glandula lachrymali reliquit alterationem unde suffectus sit continuò humor, qui per canalem lachrymalem inferiorem, unum e suis excretoriis vasis, expurgatus lympidus primò visus est, donec alteratione sensim aucta purulentus evaserit, nec hodie totus ab ipsa glandula derivetur, sed etiam à carnibus ac membranis glandulosis superiori prædicti canalis parti assidentibus, in quas proculdubio liquor de supra elapsus acrimonia sua eam irritationem ac debilitatem fecit, quæ in causa sit eas succi nutritii in eas corrivati, lymphæque excernendæ portio in pus abeat, & à multiplici hac scaturigine tam copiosum promanet. Si per orificium canalis lachrymalis quod vulgo punctum lachrymale dicitur, quodque hic non parum dilatatum reperitur, nobis licitum fuisset filum argenteum tenuis inducere, facilè de carie, an scilicet interiori orbita adsit, constitisset: Verùm quandoquidem præ metu irritationis ac inflammationis molestæ sic procurandæ, ab eo arcebamur tentamine, conjecturaliter tantum hac in re pronunciamus; scilicet, tum ex qualitate humoris profluentis, qui nec odore, nec colore cariem arguit; tum ex carnibus superstratis quæ nec livent, nec dolent, quantumvis quotidie vehementius pro educendo pure comprimantur; tum ex oculi globo ejusdemque musculis, ubi nec rubor, nec ad alterutrum latus alia retractio appareat; tum ex ipsius glandulæ lachrymalis colore qui satis naturalis est, nec aliqua fœdatur ulceratione aut erosione. Exinde enim probabiliter admodum deducitur materiam escretam malignioris non esse sortis, aut intensioris acrimoniæ, sicque hactenus vasis suis quantumvis dilatatis coerceri potuisse, ut ea ulterius, minime perruperit, & ad nudum os non pervenerit. Quod etiam faciliùs deducere: est ex eo quòd humor totus compresso suo sacco per punctum lachrymale effluat; si enim perruptus foret canalis humorque in orbitæ cavum effusus liberius vagaretur, quidni sibi alias pro exitu recluderet vias? Verùm quod hactenus magno Ægræ bono, infectum est, non sic impolterum semper perstabit, ni totis viribus & derivetur & mitigetur humor, oculusque cum adjacentibus partibus corroboretur. Caries autem hac in parte eò periculosior fieret quòd vix ac ne vix quidem medicamenta aut operationes necessarias pro sui cura demitteret. Pro humore evacuando proponebatur nasi perforatio juxta oculi majorem canthum, at hæc operatio minùs fructuosa foret, quia etiamsi prima mali origo in glandula lachrymali fuerit, illino ad vicinas & inferiores sibi partes corrivata est, ast earumque constitutionem ita vitiavit, ut copiæ materia-

materiarum quæ jam excernuntur præcipuè faciant. Jam autem quis non videt perforationem præpositam sublimiori perficiendam loco, quam quò ascendere valeat humor inferiùs aggestus, ut sic commodè exhauriatur? Itaque donec tumor aliquis exterius enascatur quô inciso ad cavitatis fundum pergere detur, (quod vix possibile credimus) cogemur curæ insistere palliativæ, cujus fructus aliquando lætior multò evadit, quam nobis primò polliciti fueramus. Hâc de causâ ut emissarium aliquod aperiemur humori setaceum omnino conducibile foret, sed delicatior Nobil. Ægræ constitutio illiusque pro tam generoso prandio summa aversatio, nos in cauterio in nuchâ continuò inurendô jam continebit. 2. Semel singulis septimanis corpus expurgabit Ægra & quandoquidem ventriculus purgantia ordinaria tolerare non valet, hoc commodè fit per infusum rhei & sennæ cum pauco sale prunellæ, quô vice aquæ communis parabitur potus coffe saccharo edulcorandus & aqua naphæ aromatisandus. 3. Serum in genere absumet, & ejusdem acrimoniam non parum obtundet si in potu ordinario utatur, loco aquæ communis cum vino, decoctô tenui radicis chinæ, salsæparillæ, visci quercini & ligni lentiscini. 4. Singulis noctibus cubitum itura oculô affectô, nareque ejusdem lateris excipiet fumum qui de pugillo uno aut altero pulveris in carbones immissi elevabitur; qui pulvis ex mastiche, olibano, myrrha, succino & sanguine draconis cum paucissima antimonii cinnabari paratus est, continuoque post fumigationem apparet oculo linteola conduplicata liquore balsamico, è myrrhâ, balsamo verô & Tolutano, extractô. 5. Imponet capiti sacculos cephalicos è succino, mastiche, gummi elemi, benzoin. flor. lilior. convall. salviæ, anth. betonicæ, confectos, addito balsamô verô. 6. Subinde de die attrahet in nares pulverem nasalem catarrhis educendis non parum aptum &c. His O. M. benedicat. Datum Lausannæ die 6. Martii ann. 1693.

Observationes.

Loës Auff dem Sande Hildenæ, consanguineus meus, vehementissimo dolore cujusdam dentis molaris vexabatur. Adiit barbitonsorem, qui fracta dentis eminentia radicem in alveolo reliquit, inde continuato dolore exortus est abscessus circa dentis radicem, quô ruptô exterius, paulatim remisit dolor, ulcus verò (quod nullô modô consolidare potuit barbitonsor) in fistulam degeneravit. Diversorum Chirurgorum consilia imploravit: sed frustrà, donec ego quintô post annô ad paternos lares reversus, curationem Dei beneficio infrà scriptis remediis feliciter absolvi. Instituta optimâ victus ratione sequentem exhibui potiunculam.

℞. Pulver. Passaphanti ʒ j. detur cum decoctô betonicæ, salviæ rosmarini & majoranæ. Postridie venam in cubito incidi. Deinde materiam in capite sequenti decoctô præparavi, & leniter purgavi.

℞. Herbar. & flor. betonic. scab. veron. cuscutæ, agrimon. an. m. j. summit. rosmar. major. flor. salv. & primul. veris an. m. ß. sem. anis. fœnic. an. ʒ ij. liquirit. ℥ j. Coquant. in aq. ad consumtion. tertiæ partis. Hujus colaturæ per triduum in aurora calidè ad ℥ iv. melle despumatô dulcoratæ, exhibui.

Postea. ℞. Ejusdem decocti colaturæ ℔ j. fol. sen. mundat. ℥ ij. agar. recent. trochiscat. & rhabarb. elect. an. ʒ ij. Maneant in infusione horas 12. deinde iterum leniter calefacta, fortiter exprimantur. Expressioni admisce syr. de betonica & rosat. solut. compos. cum rhabarb. agar. & sena an. ℥ j. M. f. potio pro 4. matutinis. Tandem sumsit sequentes pilulas.

℞. Mass. pilul. aurear. & aggregativ. ana ℈ i ß. trochisc. alhand. & diagr. an. gr. 4. Cum syr. de stœchad. formentur pilul. 5. quæ diluculo sumantur. Præparatô satis corpore radices dentis effodi, callositatem verò fistulæ unguentô quôdam caustico absumsi, & ulcus unguento de succo apii mundificavi, tandemque cicatricem emplastrô diacalcith. & pulv. alum. usti induxi, sicque curationem spacio 30. dierum feliciter absolvi *Fabr. Hildan. Obser. Chir. Cent.* 3.

Juvenis quidam Coloniensis non ex obscurâ familiâ oriundus, cùm simili morbo laboraret, in manus barbitonsoris incidit, qui variis & per menses aliquot frustrà adhibitis remediis, tandem me consuluit, & quidnam ampliùs agendum esset à me inquisivit, cui præscriptum methodum fideliter communicavi, quâ & brevi sanatus fuit æger. *Idem ibidem* ubi rursus duo alia adducuntur exempla quibus ulterius confirmatur quid valeat methodus descripta: sed eheu rursus ex Clatiss. Hildano aliud exemplum.

Inveterata ac deplorata inferioris maxillæ fistula quomodo curata.

Nobilis matrona Basileæ, ex morbo acuto sanitati restituta, defluxione ad dentes inferioris maxillæ sinistri lateris, cùm per multos menses vexata esset, nec dentem, ad quem catarrhus decumbebat, sibi extrahendum curasset, tandem radicem ipsius exortâ inflammatione & dolore maximô generatus est abscessus. Quô exteriùs ruptô remisit dolor: nisi quòd inter masticandum & loquendum, molestiam doloremque aliquem semper sentiret, ulcus in fistulam degeneratum per annos quatuordecim apertum remansit. Interim etsi variorum Chirurgorum consilia auxiliaque imploraret, multa tamen frustrà tentavit. Nullus enim de extractione dentis cogitaverat, imò potiùs extractionem omnes dissuaserant. Ego cùm ann. 1610. Sereniss. Princ. *Janutio Radzivilio* Lithuaniæ Duci, in difficili ac longô morbô operam meam impertirem, ad matronam quoque hanc (quæ jam sexagesimum annum ætatis prætergressa est) accersitus fui. Tum superiorem partem dentis, ac cujus radicem fistula erat, ad alveolum ferè usque erosum inveni. Semel atque iterum expurgatô corpore radicem dentis extraxi. Postea turundam unguento nostro ad callositatem absumendam imposui, erosâ callositate pulverem præcipitatum quotidie inspersi, & emplastr. palmeum applicui, nec medicamenta hæc mutavi usquedum ulcus perfectè sanatum esset, quod intra mensem contigit. Radix autem dentis erosa, inæqualis, & materia quadam lapidosa per laminas disposita, obducta erat.

Pro Fistula in dorso à Scapula ad lumbos pertingente.

Purgato corpore potionem hanc vulnerariam præscripsi.

♃. Rad. consol. maj. ʒij. rad. bistort. aristol. rot. dictamn. alb. an. ʒiß. herb. pyrolæ ʒiij. consolid. Saracen. ʒii. fol. alchimill. agrimon. equiset. beton. fl. hyperic. ros. an. ʒi. sem. hyperic. perfoliat. an. ʒii. ocul. cancr. ʒii. F. omnium pulvis: cujus sumatur tertia pars, & coq. in mensuris quatuor vini albi, & mensura una aq. plantag. coletur & servetur ad usum, addendo Sacchari quartar. j. aq. cinnam. ℥i. bibat de eo mane jejunus cyathum unum, & sub vesperam horis duabus ante cœnam tantundem; ita continuando donec reliquæ pulveris partes consumptæ fuerint. Interea dum hoc decocto utitur, injectionem sequentem per Syringam in ulcus indies infundat.

♃. Succ. apii officin. succ. plantag. & agrimon. an. ℥ii. succ. tabacc. ℥iß. mell. ros. ℥iii. vini rub. ℥i. dissolv. chalcanth. alb. aluminis tartari, an. ʒii. vel plus dum sordidum adhus est ulcus, ærugin. æris, auripigmenti, an. ʒß. F. injectio. Cum supra & infra pateret ulcus, ut siccaretur, fumus per canalem infundibuli in humilius ulcus fuit intromissus, tam diu donec per superius ulceris foramen prodiret, sicque interiores omnes cavitates pervasisset.

♃. Mastich. thuris an. ℥ß. myrrh. ʒii. benjoin. storac. an. ʒiii. sarcocoll. pic. resin. pini gummi elemi, an. ʒi. F. Pulvis carbonibus inspergendus pro fumo. Postquam curam hanc per injectionem & suffumigationem aliquot septimanis continuasset, integre sanatus fuit. *Felix Platerus. obs. lib. 2. pag. 568.*

Studiosus quidam octodecem annorum in pectore diu habebat Fistulam, ex qua effluebat multum aquosum pus. Hæc à me curata sic fuit, manè & vesperi postquam exivit omne pus, injeci per Syringam oleum heraclinum, ac postea foramini fistulæ turundam majorem imposui, ut maneret aperta, atque tali processu quotidie penitus consanuit *Martinus Rulandus. curat. 39. cent. 8.*

Domina quædam iuvencula fistulosis ulceribus pluribus locis prorumpentibus multum debilitata, post expertissimorum Chirurgorum irritos planè conatus, & cum ab omnibus pro deplorata haberetur, tandem brevi temporis spatio sequentis remedii usu integrè curata est.

♃. Absynth. & menth. an. Mi. millepedum bene contusor. (demptis prius capitibus) 300. Sacculo omnia includantur, qui suspendatur in cerevis. tenuis pintis viii. peracta fermentatione, capiat haustum de ea bis terve in die plurimùm præstant millepedes in fistulis & mammillis exulceratis modo non sint cancrosæ. *D. Rob. Boyle. lib. De Vtilit. Natur. Philosoph. part. 2. sect. 5. cap. 5.*

Cultri oblongi dimidium lumbis infixum, biennio pòst extractum est relictaque inde Fistula sanata.

Anno 1591. adiit me juvenis robustissimus optimique habitus laborans perangusta quidem, sed profunda & perpetuo dolorifica fistula, ad dextram spinæ dorsi partem, circa quartam vertebram lumborum. Is narrabat, sibi ante biennium cultro illatum vulnus, in quodam tumultu, quod à nemine hactenus curari potuisset. Dilatatâ fistula trochiscis de minio & spongiis præparatis, item radice gentianæ, inveni in ima parte oblongi cultri dimidium, cujus mucro defixus fuit inter tertiam & opertam vertebram, reliquum callo obductum. Inciso callo extraxi cultrum. Exin mundificato ulcere, cum pulvere præcipitato, & unguento quod Apostolorum vocant, juvenis brevi tempore convaluit. Id autem hic insigne est, quod à vulnere accepto, ad extremam curationem, vix unquam febricitarit; nedum passus sit inflammationem, spasmum, dolorem acutissimum, & reliqua symptomata quæ solent saucio dorso accidere gravissima Anno 1612. Cum Hildinam profectus essem, prædictum virum in arce Nesselrod prope Dusseldorpium, apud generosum Virum Dom. Wilhelmum Ketlerum &c. cujus tum temporis, quamvis senex, erat domesticus, vidi: qui & coram generosô suô, omnia quæ acciderant exposuit; se que ab eò tempore, quô à me curatus fuit, quam optimè habuisse constanter affirmavit *Guilhem. Fabric. Hildan. obs. Chirurg. cent. 1.*

Fistula ex parotide orta.

Studiosus quidam circa annum 12. ætatis abscessu sub ante dextra (parotis vocatus Medicis) correptus fuit, qui quum paulatim in fistulam abiisset per tres integros annos frustra è barbitonsoribus excruciatus fuit. Tandem 28. Julij. Ann. 1620. cùm Bernam venisset, & mihi adductus fuisset, fistulam cuniculosam, inveni; exteriùs in cute duo saltem erant foramina angustissima, quorum unum sursum versus cranium tendebat, & in duos sinus dividebatur, alterum deorsum versus jugulares venas descendebat. Sed omnia intus erant callosa, Optimâ præscriptâ victus ratione, semel quinetiam atque iterum expurgato corpore, causticô meô cutem quæ fistulis adjacebat, erosi, & digestivum, nec non unguentum basilic. ad casum escharæ applicui. Deinde eodem causticô, nec non pulvere angelicô, diligenter rectificatô, callositates omnes paulatim absumsi, ita ut intra septimanas septem plenissimè convaluerit. Porro in ejusmodi curationibus diligenter attendendum, ne quicquam de cute à musculosâ carne separatâ, & venis capillaribus destitutâ, remaneat. Consolidationem enim impedit. Et quia illa in primâ applicatione in nostrô ægrô propter callositatem insignem erosa non fuerat. applicationem constici aliquoties iteravi; ubi diligenter prospiciendum est, ut quantitas caustici, cum cute, quæ erodenda est, iustam, & ut dicimus, ad pondus habeat proportionem, Et ita quidem ut partes integræ & sanæ conserventur, malè affectu verò destruantur. Id autem rectè ut fiat, necesse est ut Chirurgus optionem habeat notitiam facultatis sui caustici. Deinde etiam ut naturam subjecti cognoscat, hoc est, an molle, rarum, humidumque, an verò solidum densum & sicçum

cum exsistat? 2. Quàm periculosum enim sit in applicatione causticorum medicamentorum errare lutor ex aliquot observationibus meis observare poterit. *Idem Centur.*

Fistula Vrachi.

Ualentinus Uogel calculum è seroto extraxeram, vicesimâ martij praximè præteriti iterum me invisit, retulitque se ab eo tempore quò à nobis discessit, iterum me invisit, quam optimè habuisse, & in ditione Tigurinâ in pago quodam ludimagistrum egisse, jam verò propter instans ver, atque æstatem (quô tempore Ludimagistros suos ablegant Helvetiæ rustici) ut alibi se nutrire possit, prospiciendum esse. Ante aliquot autem menses ulcus haud procul sub ipsô umbilicô exortum est. Ex quo plerumque pars aliqua urina, ut pote subtilior, non tantum guttatim exstittat, sed nonnunquam veluti cum impetu erumpit. Ulcus hoc sine dolore ferè, molestia, & febre, ex tuberculo ad instar furunculi, factum esse, sanctè nobis asseruit. Ego stylum explorarium per illud ipsum ulcus, quod valde angustum & callosum, ad vesicam ipsam immisi. Ex quibus videre est Urachum in virô istô pervium factum esse, tam sagax ac provida est natura, in conservatione sui individus. Cùm enim ductus urinarius callosis ulceribus impeditus esset, aliam sibi pro evacuatione urinæ fabricavit viam. Clarissim. Wierus in ea fuit sententia Urachum in omnibus pervium esse, & proinde diuntica maximô cum fructu umbilico applicari posse &c. *Idem Centur* vj.

Fistula lacrymalis in puella, sanata sectione, caustica, aliisque præsidiis, ex artis lege. Accedit, contra multorum sententiam, vera & tuta fistulas lacrymales curandi methodus.

Quamvis omnes Medicinæ, & Chirurgiæ Scriptores, variam præscribant curationem fistularum lacrymalium, ego tamen quædam à me observata proponam, licet ab aliorum methodo non aliena. Sanavi itaque puellam septem annorum, Curti mercatoris filiam, ab incunabulis fistula lacrymali laborantem, cujus à multis frustra tentata erat curatio, hac ratione; secui fistulam ipsam, & quia puella non ferebat diutius hanc operationem, osque erat corruptum, quod simplici propterea sectione abradi non poterat, coactus fui illi adhibere causticum, mixtum cum unguento ex betonica, & paulatim fistulam dilatare, quo totum os corruptum eradi posset, quo sublato, applicui supra os superstes filamenta arida, quousque cæro laudabilis ab ipso excrevit: præmissa tamen digestione medicamentis propriis; postmodum supra labia vulneris unguentum ex tuthia, sarcotici loco, propter continuum ichoris fluxum ad angulum oculi; tandem induxi cicatricem cerato ex Diachalcitide, filamentis tenuissimis aridis, qua methodo multos curavi; quanquam occalescente sinu, libentius inustionibus ferramento candente utar, si ægri admittant, utpote quæ callum non modo atterant, partemque ipsam corroborent, sed etiam citius separent os corruptum, quicquid sentiant aliqui, perforandum scilicet os, quo materia illa purulenta per nares effluat, & cicatrix exterius obducatur; qui tamen frustra sunt, quia os perforatum inurendum, ex illorum sententia, quo foramen melius pateat, præbeaturque exitus puri; at quando os est corruptum, omnino removendum, cum alioquin fistula non possit sanari, neque ad cicatricem deduci exterius, atque ita hæc curatio futura sit palliativa, & intuta; præterquam puod hujus perforationis non alius sit usus, quam ut os perforatum, & inustum citius abscedat, cujus loco natura carnem prius aliquam generat, quæ progressu temporis evadit callosa, & dura instar ossis, qui curationis finis; quia cutis cum carne subjecta, quæ ab ipso osse excrescit, cum ipsa coalescit, atque ita fistula sanatur; non verò foramine superstite, ex quo continuo emanat materia purulenta, cui antea patebat exitus ex angulo oculorum per foramina, puncta lacrymalia dicta; progressu siquidem viginti, aut triginta dierum circiter, os inustum, & per foratum abscedit, unde foramen obstruitur à carne, ut dictum est, ex ipso pullulante. Graviter proinde errant, qui existimant, perforationem hoc commodum præstare, ut materia pernares effluat, licet hujus ope os perforatum citius absedat; observandum tamen, non esse perforandum os, nisi præsente maxima ipsius corruptione, quæ perveniat usque ad cavitatem internam ipsius nasi; sola siquidem ejus supeficie corrupta, aut alterata, sat fuerit partem læsam scalpro abrasorio abradere, dum pars cutis coalescat ossi; quod tamen, fieri non potest, nisi sanum fuerit, & incolume, ejusdem autem corrupti, & scalpro excisi hoc vobis fuerit indicium, cum spatio, decem aut summum, duodecim horarum, caro illi accreverit, quod nonnisi facta abrasione contingit, coalescente fistula. Quod si post abrasionem nulla caro subcreverit, os corruptum adhuc subesse pronunciandum, quod proinde denuò abradendum, quousque hæc signa omnino non appareant. Qua ratione feliciter semper, & tutò sanavi fistulas lacrymales, non solum puerorum, sed etiam adultorum, qui cum plures sint, eorum nomina referre supersedo, quæ in memoriam revore difficile est.

Quia verò non omnes fistulæ lacrymales sunt cum corruptione ossis, ideo istæ duobus modis possunt curari; vel incisione sola, & attritione calli, cum generatione carnis; vel secundo, absente callo, per compressionem ipsius partis, instrumento ab Aquapendente descripto, aut aliquo alio simili: quæ, quia à plerisque pertractantur, supervacaneum censeo repetere, cum mihi sit animus, proprias tantummodo in medium adducere observationes, iis prætermissis, quæ passim ab omnibus proponuntur. *Petrus de Marchettis in observation. Medico Chirurgic. Sylloge.*

Fistulæ colli anterioris infra laryngem, ex tumore à barbitonsore intempestive sanato. Observanda in curatione vulnerum colli, ne venæ jugulares, & carotides arteriæ lædantur.

Multas sanavi fistulas colli potissimum verò qua laboravit adolescens quatuordecim annorum

rum

rum, in parte ejusdem anteri, infra laryngem, oborto primum ex contusione tumore, cui à Barbitonsore sanato, superstes fuit fistula inter utrumque annulum asperæ arteriæ, cum læsione utriusque cartilaginis, ex qua spiritus efflabatur. Habita itaque prius totius corporis ratione, medicamentis humores peccantes purgantibus, deveni ad topica; & primo quidem quatuor integumenta dilatavi, turunda ex spongia, deinde scalpro abrasorio partes ipsas cartilagineas utrinq; læsas accutate abrasi; tum filamenta arida supra easdem applicui; postmodum unguento Isidis, quod occalescere cœperat in parte carnosa, attrivi. Tandem globulis ex filamentis, imbutis unguento ex tuthia, cum unguento Isidis, cavitatem opplevi; atque sensim & sensim immunitis globulis, cerato ex Diachalcitide, cum filamentis aridis cicatrice fistulam obduxi.

Hic autem observandum, quod si vulnera colli punctim inflicta fuerint, nec statim mortem inferant, pro signo hoc habendum sit, venas jugulares, & arterias carotides illæsas esse, ac propterea maxima cautione curanda; quia licet non pervadant totum collum, turunda tamen non est immittenda longa, & crassa, sed brevissima, quæ integumenta non excedat, quæ principio imbuenda ovi albumine, superinjecto postmodum linteolo duplicato per totum collum, eodem ovi albo intincto, cum bolo armena, & sanguine draconis: educto deinde sanguine, pro virium tolerantia, atque exhibito medicamento leniente postero die; à quibus per duos dies non immutanda remedia partis vulneratæ adhibita, cum solum linteolum ex usu sit sæpissime, quotidie prædictis pulveribus cum ovi albumine inductum. Victus sit solum ptisana hordeacea bis per diem exhibita; potius verò aqua hordei pauca copia. quod si deinceps inflammationis metus ingruat ex altero brachio sanguis ducendus, justa quantitate; atque urgente dolore, viribusque permittentibus, affigendæ quinetiam cucurbitulæ, scarificatæ: omni quippe ingenio, & arte prohibenda generatio puris, utpote quod venas & arterias corrodat, cum mortis præsenti periculo; prout observavi in quibusdam ab imperitis male curatis, dum intruderent turundas longas admodum, à quibus puris copia congesta, venas, & arterias consumpsit, mortisque causa fuit; ut propterea duobus aut tribus post diebus, removeam turundam illam brevem, applicato deinde linteolo inducto cerato ex cerusa; repetito alio perindè dupliduplicato eodem modo, pulveribus prædictis, cum ovi albumine inducto, quibus spatio octo, aut summum decem dierum hæc vulnera sanare consuevi; servata tamen semper diæta tenuissima, ne humores ad partem vulneratam confluant, atque in purulentam materiam conversi vasa erodant.

Quod si vulnus trajiciat collum, hac methodo utor, imposita scilicet brevissima turunda utrinque eodem modo, quo superius proposui. Animadvertendum præterea, hæc vulnera nunquam esse tentanda specillo, ne, quod facile contigere potest, disrumpantur vena, aut arteri , cum vitæ proximo pericu'o. Quame hodo multos sanavi, multosque quinetiam mortuos vidi, diversa ab hac curatos. *Idem ibidem.*

Duæ Fistulæ sub axilla, variis remediis frustrà tentatæ, igne actuali feliciter sanatæ.

Quidam laborans duabus Fistulis profundis sub axilla me accessit, variis frustra tentatis remediis; quippe, quæ cum ad subjectas usque costas penetrarent, incisiones proindenon admittebant sine vasorum læsione, ac præsenti vitæ discrimine. Cum autem Medici, fuissent primo corrosivis; postmodum verò compressionibus, ligaturis, & hujusmodi præsidiis, in cassum tamen; ego corpore jam expurgato, statim ad operationem me accingens, utramfistulam ad fundum usque inussi, ferramento candente, absque cannula, repetitis vicibus, donec omninò, & æqualiter toto fistularum sinu callus attereretur; escharæ verò detergendæ, turundis primò longis, & crassis butyro illitis, postmodum digestivo usus; Pure verò apparente laudabili, alias immisi, inductas unguento ex Betonica, quas quotidie breviores paravi, quibus omninò remotis, pulvino ex linteolis sub alis, compressa parte ligatura satis arcta, spatio vinginti dierum ægrum sanatati omninò restitui. *Idem ibidem.*

Qua ratione curandæ fistula thoracis, cum labe ipsius ossis sterni, quod abrasione solum nonnunquam vero inusione tentandum.

Fistulas sæpissime præ manibus habui, ex abscessu, aut vulneribus superstites, quæ aut corruperant, aut aliqua saltem labe affecerant os ipsius sterni, ex abscessu potissimum, ratione redundantis puris; quo casu, amplianda fistula, aut turunda ex spongia; tota postmodum pars ossis corrupi abradenda, dum caro laudabilis, paucis post horis illi accrescat; tunc verò imponendi globuli ex filamentis imbutis unguento ex Betonica, aut Matri sylva, atque carne inducta, cicatrix, medicamentis exficcantibus alias propositis, obducenda; quod si caro parvo temporis spatio non succreverit, indicio fuerit. totum corruptum os non esse abrasum, ac proinde operationem repetendam, donec caro optima adnascantur, quo illis postmodum remediis detur locus. Nunquam verò deveniendum ad inustionem ipsius ossis sterni, quia non abscedit, aliorum more, quæ licet ex toto corrupta non sint, sed aliqua tantum parte, si inurantur, sola illa labefacta abscedit, superstite alia laudabili; quod non contingit ossi sterni, quod lentum satis, non potest ita facile in squamulas dirimi; quin potius inustione ad internam usque ipsius partem pervadente, totam partem corruptam abscedere necesse est, non quidem spatio triginta, aut quadraginta dierum, prout alia ossa, sed trium aliquando annorum unde consulo, ut nunquam os sterni inuratis; observavi siquidem in multis non abscessisse, nisi duobus vel tribus annis exactis; ut propterea tutior, & facilior sit curatio per abrationem, quam per ustionem; quæ methodus curandi fistulam à vulnere; vulneris autem, quod non penetret in cavitatem, principio

cipio statim ad mutuum contactum labia adducenda, & quidem si amplum fuerit, per suturam, si vero angustum, per compressionem, prohibita puris generatione, ne os ipsum corrumpat, aut saltem afficiat. qua ratione in his vulneribus non penetrantibus, sed lædentibus tantum os ipsum sterni, progressu octo vel decem dierum illa ad cicatricem perduxi, sola apposito cerato ex cerusa, vel ex Diachalcitide. *Idem ibidem.*

Fistula umbilici ad intestina usque serpens, diu frustrà curata, parvò temporis spatiô feliciter sanata.

Patrem quendam Theatinum vidi, laborantem fistula umbilici, ad intestina usque penetrante, de quorum dolore erant querelæ, ex demissò statim in eandem specillò: quem hac methodò curavi. Facta scil. totius corporis expurgatione, iussi totum orificium fistulæ jam collosum, & induratum immissa in illud parva turunda, quo omnis crusta simul callo attereretur, & quidem imbuta à principio butyrô, postmodum digestivo, quam facta concoctione eduxi appositis filamentis, illitis unguentô, ex betonica, & superdato & diachalcitide; atque octo post diebus circiter obstinui à filamentis, solô contentus ceratô, quô cicatricem induxi, agrô spaciô viginti dierum sanatô, qui à Medicis Mutinensibus multos menses in cassum fuerat curatus. *Idem ibidem.*

Quinque fistulæ femoris ex vulnere silopeti cum tumore, & osse carioso, malè curatæ, sublatô callô, & accommodatis remediis sanatæ quidem, ob extremum tamen os fractum supra aliud diutius coalescens, aliorum Medicorum incuria, claudicante ægrô. Quòd antiquæ fracturæ ex vulneribus sclopetorum sint incurabiles.

Memini me curasse Illustrissimum Vincentium britti, sclopeto vulneratum in femore, novem menses venetiis frustrà curatum. Laborabat autem quinque fistulis femoris, & insigni ejusdem tumore, cum osse carioso. Illustrissimô ægrô adeo emaciato, ut ossa sola cute tecta apparerent, accedente febre fixa ex fistulis orta; quem cùm interrogarem de remediis, & methodo curationis antea adhibitis, respondit, sine turundis processisse, applicito quidam cerato & cataplasmate ex farina lupinorum, theriaca & vino malvatico; præscripta à Medicis victus ratione ex pane furfuraceo, & carnis loco, ut pote quæ vulneribus sclopetorum noxia, oleribus, vel saltem aliquando solius vervecinæ concesso usu; quod valdè mirari subiit, cum fistulæ, omnium consensu, non sanentur nisi sublato collo, qui non solùm his accesserat, sed & ossis quinetiam corruptio accedebat: Tumor autem à cataplasmate calidiori, & nihil exsiccante, induratus adeo, fuit, ut resolvi omnino non posset. Ego vero hoc modo curationem sum agressus, præscripta primo victus ratione, ex pane scilicet triticeo purissimo, pullis junioribus, glandulis ac cerebris vitulorum, ovis sorbilibus tremulis, ptisana hordeacea, vino oligophoro & hujusmodi, exhibui quandoque ex pharmaciæ semiunciam floris cassiæ noviter extractæ, præscripto aliquando clystere, aut glande ad alvum ciendam: à quibus quinque fistulas priùs dilatavi turundis ex medulla milii indici, seu sorgi, aliquando etiam ex spongia, & quia tumor, curationem impediebat, illi applicui aliquot dies cataplasma balnei 2. lib. ad blaucon. ex farina, triticea, aqua & oleo communi, quibus brevi temporis spatio ex spatio toto discussus est; ex purgata quinetiam sensim materia prout in omnibus fistulis, in eo congesta, atque in pus conversa earum dilatatione. His peractis deveni ad abrasionem ossis cariosi, atque eadem opera ad calli attritionem; cùm vero hæ fistulæ à parte externa ad internam femoris penetrent, & quædam mutuis osculis in se invicem hiarent heu immisi setaceum ex senico imbuto unguento isidis, cujus præsidio callus ex toto fuit sublatus; tum ferramentis totum os fistulis subjectum erasi; postmodum sectaceis, dimissis, sensim turundas imminui, adhibitis medicamentis sarcoticis, mixtis cum aliqua portiuncula isidis, ne caro laxa, aut callus denuò succresceret, curationi impedimento futura; applicui quinetiam spongis supra femur, madefactas nostris aquis thermalibus montis nempe ægrotorum, atque modicè illus fascia constrinxi cum spongiis, ita tamen ut in quælibet fistularum orificia brevem cannulam plumbeam immitterem, ne materia aut purulenta, aut serosa, alicubi hærens aliud sibi pararet foramen. Tandem sublatis cannulis, & arctius alligatis spongiis, orificiis fistulatum adhibita filamenta arida, cum cerato ex diachalcitide, cicatrici inducendæ; cùmque Medicorum venetorum incuria extremum ossis femoris fracti fracti supra aliud coaluisset non potui antiquam hanc fracturam, novem nempe mensium, componere, cum ratione debilitatis virium Illustrissimi ægri à principio curationis; tum quod fracturæ ex vulneribus sclopetorum, iis quinetiam integris, cùm initio non bene committuntur, difficilimè sanantur; quod nec quidem tentandum, ossibus frustillatim fractis, nisi præsenti vitæ descrimine; ut propterea nobilis claudicare coactus fuerit. *Idem ibidem.*

Ex Gonorrhæa venerea antica variis fistulis pertusum collum vecicæ, prope urethram, cum effluxu urinæ, non solùm ex scroti pluribus locis, verùm etiam ex inguinibus, præter spem sanitati restituto ægro.

Cæsar Quojotus Rhodiginus, morbo detentus, meæ curæ se commisit, multorum frustra expertus, qui primò laboraverat gonorrhæa venerea, quæ longo temporis spacio sua acrimonia & mala qualitate, collum vesicæ prope urethram utrinque pertuderat; ut non solùm ex scroto pluribus locis urina, verùm etiam ex inguinibus efflueret, variis proinde fistulis subortis; quas insanabiles prædixi, superstite adhuc gonorrhæa: quarum tamen curationem agressus, & primo quidem corpore quàm accuratissimè expurgato, illi exhibui decoctum ex ligno, & salsa, cum sudore; turundis interim usus imbutis solo unguento ex betonica, minoribus

ribus primo, tum crassioribus, fistulis dilatandis; a quibus earum primo sectionem sum molibus in inguine, non ultra integumenta quanquam pervaderent usque ad collum vesicæ; immissa postmodum turunda ad fundum alterius fistulæ, & quidem sub vasis spermaticis ad testes delabentibus, per quorum ductum fistulæ utrinque serpebant, quia vero cultro non poteram, earum quod supererat secare, illæsis vasis transversis, has propterea oquotidie hinc inde die tartavi, atque patefactis vasis sine ipsorum labe, sub ipsis eadem forfice, sensim & sensim dilatatione facta, mihi viam paravi, impositis globulis imbutis unguento isidis, & ex betonica simul mistis; qua methodo multos dies usus, urina cæpit imminui cessante gonorrhæa atque eadem tres menses continuata, injectionibus scilic. aliquando ex aqua hordei & portiuncula Aegypriaci, absumendæ carni laxiori in quibusdam locis, atque alibi callo, non tamen valdè duro, ob continuum urinæ & gonorrhææ fluxum; insessiones, & injectiones postea ex aquis montis ægrotorum præscripsi, quibus progressu quatuor mensium circiter, non solum fistulæ inguinum sanatæ fuerunt, sed etiam tres aut quatuor ipsius scroti, solis immissis turundis imbutis unguento ex Tuthia & Isidis mistis, quas tandem eduxi sublata caucausa ipsius gonorrhææ & fluxus urinæ, incolumi multos annos ægro. Quum morbum, cùm nunquam antea, nec deinceps observaverim, insanabilem proinde existimaveram. verùm cùm medicorum sententia in Medicina aliquando nascantur monstra nunquam propterea saluti ægrorum desperandum. *Idem ibidem.*

Fistula ani.

Vlcera ani inquit Doctissimus Professor Hier. Fabr. ab Aqua pendente sæpe solent creare fistulas exteriùs circa anum perforando intestinum rectum. Interdum verò circa anum oboriuntur fistulæ rectum intestinum haud quaquam perforantes, sed circa anum consistentes, & in carne terminum habentes, quæ ferè non sanantur nisi incisione.

Quam molesta sint, & dolorifica ani simplicia, (ne de compositis quid dicamus) optime omnium experiuntur illi, qui sordida linteamina doloresque graves vestimentis suis occultare, imò toto vitæ tempore tolerare malunt, quam levem dolorem perferendo curationem exspectare, satis licet constet partem eam quæ ulcerum ejusmodi subjectum pronam valdè esse non solum in corruptionem, sed ulcerum propagationem.

Incisio eodem ab Aquapendente authore duobus modis, & duplici Chirurgia, absolvitur, hoc est filo s. lino, & syringotomo.

Ad Chirurgiam antequam deveniamus, notandum nobis, quoties ulcus adest fistulosum variis cavernis prædictum sine callositate aut intestini perforatione, Chirurgos varios curationem tentasse usu suppositoriorum ex unguento fusco Felicis Wurtzii, per evaporationem indurato confectorum, sic enim ulcera talia per liquefactionem unguenti mundificari posse exsiccarivè sibi persuaserunt.

Hæc curandi methodus arrident obis, utpote qua in non uno subjecto processi, imprimis ubi simplex adest ulcus, idque recens.

At vero ubi ulcerum datur multitudo, maximè quæ occalluere, etiam non perforato intestino recto, nullo alio medio ea curare nobis licuit, quàm incisione, quæ adeo ab H. Fabr. ab Aquapendente celebratur, ut, etiam intestinò recto non perforato, exemplum aliorum secutus, eam institui debere doceat.

Ipsa Authoris cap. 93 proposita verba hæc sunt, quæritur quomodo curanda sit fistula quæ exterius à tuberculo in cute aborto habeat originem & versus anum permeet, non tamen intestinum penetret, sed ad usque intestinum pertingat.

Ad hoc respondet Vir experientissimus se in ejusmodi ulcerum curatione, etiam non perforato intestino, neutiquam vereri intestinum ipsum incidere, maxime ubi podicis circulo proxima, Extremum enim intestini recti verba sunt Hippocratis, quæ habentur libro de Hæmorrhoidibus, & secans, & resecans, & consuens, & urens, & putrefaciens, etiam si gravissima hæc sint nihil læseris. Consentit Ætius Exleonid.

Ad Chirurgiam antequam deveniamus cognoscere Chirurgo interest, intestinum rectum adhuc an sit, an verò perforatum; eadem enim licet sit curandi ratio, læsum sivè fuerit intestinum, sivè integrum, facillium tamen conceptu, facilioris operationis perforationem eam esse quæ ubi intestino foramen aliquod adest, per quod instrumentum duci potest, instituitur, quàm ea est ubi eodem per intestinum sanum viam sibi facere tenetur Chirurgus.

Signa quibus intestini perforatio cognoscatur. Cuivis sine dubio cognita; Certum est, si flatus per externum foramen exeat, certius si alvinorum excrementorum aliqua particula per exteriora excernatur, certissimum, si Chirurgus digito in anum immisso instrumentum per fistulam insertum tetigerit.

Instrumentorum ad incisionem usualium primum filum est; hujus ope quæ peragitur Chirurgia licet minus dolorifica, incerti tamen magis eventus est; Celsus ipse lib. 7. cap. 4. ubi incisionem per filum admittit, imo ubi ejus opera eam absolvi posse desperat, fieri posse docet, ut curationis gratia cultellum hic adsumere cogamur.

Filum quo in hoc casu utimur ex filis crudis, fortioribus, contortis, pilis equinis, & filis sericis rubris crassioribus conjunctis, cera flava ad eum modum quo sartores fila sua munire ductiliaque magis reddere solent, incrustatis conficitur.

Filum hoc debitæ longitudinis excipimus foramine quod inest extremo uno (simile foramini quod in acu ea notatur, quæ ad setacea efficienda usurpatur) instrumenti exploratorii ex plumbo ad necessariam flexibilitatem parati.

Hinc digitum indicem sinistræ manus, cujus unguis, monente Paræo lib. 13. cap. 24. resectus, in anum immittimus, mox manu dextra instrumentum dictum filo instructum per fistulæ anfractus sensim variis modis intorquendo ad locum eum intestini qui perforatus est deducimus, sic ut auxilio digiti in intestino hæren-

hærentis incurvari, tandemque par anum exire queat.

Fili utriumque extremum conjunctum alligamus ligno cuidam tereti, sicque ad eum modum, quo cum festuca sua processit ab Aquapendente, contortione continua, fortique constrictione quicquid filo comprehenditur dividimus.

Operatio secunda Syringotomo perficienda certior est, minusque dolorifica, imo breviori absolvitur tempore, ab ea tamen abhorrere magis solent ægrotantes. Instrumentum hoc invenit Galenus, delineavit Andr. à Cruce, emendavit H. F. ab Aquapendente, approbavit Schultetus; figura ejus quæ operi quam maxime accommodata est, in qua globulus est, qualis etiam in instrumento exploratorio plumbeo supra indicato requiritur, ne, dum per fistulam, hinc intestinum ipsum, protruditur, nocumentum ei adferat; hinc per fistulam & intestinum ducitur, sic ut per anum exeat usque ad tertiam suæ longitudinis partem ubi acuties incipit instrumenti, cujus dorsum obtusum, similiter ac illud quod est cultri domestici, quo panem scindimus. Et autem totum instrumentum ad instar falcis incurvat.

Instrumentum hoc per fistulam immissum, digito in intestino apprehensum celeri manu extrorsum ducitur, & hac ratione quæcunque attingit impetu uno discindit.

Sincere ut hic agamus, necessarium non modo qualiter instrumentum dictum tractare debeamus cognoscere, sed & quomodo ulcus tale fistulosum incipiat, procedatque, imo quænam de eo prædici queant. Ad hæc casum sequentem exhibere utile erit.

Franciscus Volkertsen vir aliquomodo melancholicæ complexionis, ex animi ad os usque caudæ, hinc ad natium concursum ubi intestinum rectum ossi dicto accumbit. Brevi tumor hic exortus, qui pinguedinem, marginem musculi glutæi, imo, quod admirandum, intestinum rectum, perforavit.

Accedens ægrotantem, præter febrem, doloremque gravissimum, tumoris duritiem, rubedinem, extensionem, consideravi. Quod, simptomata alia tumori adscribi debere, certum, Cataplasma hoc eidem applicari necessarium duximus, quo eo maturatio promoveretur.

♃. Rad. Altheæ. Brion. Lilior. alb. an. ℥j. ß. Fol. Malv. Bismalv. Violar. an M. j. Flor. Chamomill. M. ß. Sem. lini. ℥ß. Coquantur & contundantur, addendo Farinæ fœnugr. Semin. lini. an. ℥ii Axung. porci q. s. Butyr. recent. ℥j. Vitell. ovi n. j. M. F. Cataplasma.

Calide hoc applicamus tumori, secundo die eum aperire consultum duximus, & effluxit materiæ fœtidæ purulentæ insignis satis quantitas.

Post hæc excrementa alvina, quibus flatus permixti, sonitu se manifestantes, tumorem accedere notabamus, unde perforatum jam esse intestinum clare constabat. Multa equidem adhibebamus, quorum opera consolidare, carnemque regenerare nos posse credebamus, ast frustraneus omnis labor; ad incisionem adeoque, modo in prægressis indicato perficiendam, devenire coacti, qua & intestini reliquas partes sanas, & cutem musculosamque intestini portionem adhuc integram dissecare necessarium; dissectione peracta, quod sanguinis fluxus gravis ex Venarum hæmorrhoicalium apertione adesset, medicamentum adstringens ordinarium vulnerato loco applicavimus.

Die sequenti puris minus solito in vulnere reperire licuit, imo omnia sanitatem veram promittere videbantur, quæ etiam brevi tempore, auxilio divino, introducta.

Per animi affectum excedentem in parte dicta humoralem collectionem exoriri posse, non est quod mirum alicui videatur, etiam in aliis subjectis similia iis quæ in hoc observare licuit, notabimus; At vero vitii principalissima causa hæmorrhoides exulceratæ, ex sanguine acriori ortum ducentes, unde vicinarum partium corruptio. Exemplis variis quæ proposuimus illustrare liceret, nisi ægrotantium plerique impedirent.

Sunt inquit ab Aquapendente, qui ferrum pertimescant & universi sinus incisionem à filo fieri expetant, quod non laudo, quia nimis molesta & tarda est incisio, & dolor assiduus, & longa curatio.

Partem hanc, in qua ulcera hæc fistulosa occurrunt, sensilem omnino esse, variis exemplis verum esse comperimus; testatur idem memorabilis historia quam Reverendus Pater Augustinus lib. de civit. Dei 22. cap. 8. de Innocentio summe dolores fugiente proponit; hanc rerum Chirurgicarum cultoribus coronidis loco communicare placet, cum voto curationis, similis omnino illi quam sanctus Episcopus adducit.

Quis inquit novit, præter admodum paucissimos, salutem quæ facta est Innocentio Advocato Vicariæ præfecturæ ubi nos interfuimus & oculis aspeximus nostris; venientes enim de transmarinis, me & fratrem meum Alippium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes; ut erat cum tota domo sua, religiosissimus ipse susceperat, & apud eum tunc habitabamus: curabatur à medicis, propter fistulas quas innumeras atque perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte. Jam secuerant eum, & artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa & diuturnos & acerbos dolores, sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire deberent. Denique sanatis omnibus, quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multumque formidans ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi ut saltem videret cum primum sectus est quomodo id facerent iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat, erupit, atque ait; iterum me secturi estis? ad illius, quem noluistis esse præsentem, verba venturus sum. Irridere illi medicum imperitum cœperunt, metumque hominis verbis promissionibusque lenire, præterierunt & alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat, Medici in sua pollicitatione persistebant, non illum sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros, adhibuerunt & alium grandævum jam medicum satisque in illa arte laudatum, adhuc enim vivebat, Ammonium dico, qui loco inspecto, idem quod illi, eorum diligentia peritiaque promisit. Cujus il-

le factus authoritate securus, domestico suo medico, quod futuram prædixerat aliam sectionem, faceta halaritate veluti jam salvus illusit. Quid plura? postea tot dies inaniter consumpti transierunt, ut fessi atque confusi faterentur eum nisi ferro, nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio terrore turbatus, atque ubi se collegit, farique potuit, abire illos jussit, & ad se amplius non accedere imperavit: nec aliud occurrit fatigato lachrymis, & illa jam necessitate constricto, nisi, ut adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc Chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse faceret quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed posteaquam venit ille, laboremque illorum in cicatricibus, sicut artifex, vidit, boni viri functus offico, persuasit homini. ut illi potius, qui in eo tantum laboraverant, quantum ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur: adjiciens quod revera, nisi sectus esset, salvus esse non posset. Sed valde abhorrere à suis moribus ut hominibus quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam, admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remansit; palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo ejus, & placuit ut eodem Alexandrino assistente, ipsi sinum illum ferro, qui jam consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in sequentem diem. Sed cum abiissent illi, ex nimio mœrore Domini, tantus est in domo illa exortus dolor,, ut tanquam funeris planctus, vix comprimeretur à nobis visitabant eum quoti die Sancti Viri, Episcopus tunc Usalensis, beatæ memoriæ Saturninus, & Præsbiter Gelosus, ac Diaconi Carthaginensis Ecclesiæ. In quibus erat, & ex quibus solus est nunc in rebus humanis jam Episcopus cum honore à nobis debito nominandus, Aurelius, cum quoque recordantes mirabilia opera Dei hac de re sæpe collocuti sumus eumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus, Qui cum eum, sicut solebant, vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus lachrymis ut mane dignarentur esse præsentes suo funeri potius quam dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaserat pænis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi, & hortati ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus. Ubi nobis ex more genna figentibus, atque incumbentibus terræ, ille se ita projecit, tanquam si fuisset aliquo impellente graviter prostratus, & cæpit orare. Quibus modis quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lachrymarum, quib. gemittibus atq; singultibus concutientibus omnia membra ejus, & pene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tum prorsus orare nil poteram, hoc tantummodo breviter in corde meo dixi, Deus quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut expiraret orando. Surreximus, & accepta ab Episcopo Benedictione dicessimus, rogante illo ut mane adessent, illisque, ut æqeo animo esset, hortantibus. Illuxit dies, quem metuebant, aderant servi Dei, sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt midici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta. proferuntur, attonis, suspensisque omnibus Eis autem quorum erat major authoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secturi, membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, undatur locus, inspicit medicus & secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit; scrutatur oculis, digitisque contrectat, tentat denique modis omnibus, invenit firmissimam cicatricem. *Job. à Meekren. Observat. Chirurg.*

De Ulcere intestini recti Brasilianis familiari.

Anno 1624. cum ego (Jacobus Lachmund) qui totius classis Batavicæ chirurgus constitutus eram, cum illa in regionem Americæ Meridionalis, Brasiliam, profectus essem, militibus nostris in illa regione ulcus nascebatur in intestino recto, eo modo, quo in nostris oris homines in digitis panaritio corripi solent, quod ipsis maximos dolores afferebant, ita ut ferè insanirent propter urentem materiam, antequam maturesceret & aperiretur. Brasiliani hunc affectum, seu morbum, quo sæpè infestantur, vocabant Byetos. Remedium autem hoc erat: sumebant citrium pomum, quod in sex vel octo partes longas dissecabant, ex his particulam quandam, instar suppositorii in intestinum inserebant, & hoc sæpè iterabant recentibus pomis citriis; hoc modo statim magni illi dolores sedabantur. Ego, cum Brasilianos hanc medicinam facere viderem, pari modo medicas manus adhibui & dolori & morbo nostrorum militum, qui hoc pacto pariter convaluerunt. *Friderici Lachmund.*

Dolor intestini Recti.

Vir Religiosus & Doctissimus habitu obeso, curru hyeme vectus viis impeditis luto & lapidibus, dolorem sensit in intestino recto, sedenti præsertim & cubanti molestus. Arbitrati sumus coccygis esse luxationem ad interiora, qua intestinum rectum vellicaretur. Talem enim iassim coccygis dislocationem observavimus, pæsertim in parturientibus. Facto per chirurgum expertum periculo, nihil digitis ano immissis observatum quod coccygis luxationem indicaret. Unde nervosi generis esse affectum, qui Virum optimum fatigat, suspicio remansit, læso nervo, sinistro præsertim, (ubi dolor,) qui ex osse sacro ad crura descendit. Hinc igitur per nervinum emplastrum, decoctum nervinum & suppositorium ex nervosis herbis, quod proximè affectam partem tangit, consilia & operam commodante Excellentissimo Dn. Borrichio, consultum fuit, ut minus jam molestiæ exhibeatur. *Th. Bartholini.*

De Calculis ex Ani fistula extractis.

Civis quidam Uratislaviensis, ob enormem corporis crassitiem, obesitatemque prorsus stupendam tota Urbe famosissimus, nescio ex qua causa fistulam Ani contraxerat, sineque insigni molestia aliquot annis toleraverat. Tandem ægrius eam ferre incipit, doloreque indies

dies magis magiſque exacerbato, tumorem inflammatorium fiſtulæ orificium, à parte ſiniſtra ſphincteris ani ſitum, attollentem ſentit, qui ipſum neque ſedere, neque ambulare, ægreque cubare permittit. Accerſitur Chirurgus Dn. Gottfried Schultz, Vir ob inſignem induſtriam non vulgari peritiæ junctam merito laudandus, qui lanceola tumorem, re ſic ferente aperit.

Ex vulnere primò puris copia, mox quoque calculus prorumpit. Evacuata ſic doloris & inflammationis cauſa, vulnus à Chirurgo debitè tractatur, ac tandem conſolidatur, fiſtula, monitu Albucaſis, intacta relicta, utpote quam patiens non admodum moleſtè ferret. Elapſo autem abhinc circiter biennio, denuo inter deambulandum vexari, atque de die in diem dolores acerbiores ſentire incipit, donec tandem nimis ingraveſcentes iterum Chirurgi manum in auxilium vocare eum cogunt. Hic, denuò paracta ſectione, inter ſordes varias ex vulnere emanantes, jam non unicum calculum, ſed geninum, & utrumque priori illo majorem invenit, ac deinceps vulnus ut antea cogit. Calculos iſtos, à Patiente magni habitos, Chirurgus mihi videndos examinandoſque obtulit; quorum primus redditus aſper eſt & ſuperficiei inæqualis, lupini inſtar compreſſus, cinerei coloris, ſtriis ſplendentibus variè interſtinctus, ſat elegantis texturæ, gr. viij. pendens. Secundus eorum ſcilic. qui ſecunda vice exciſi ſunt, major, avellanam mediocrem mole æquat, formaque fere refert, lævis eſt, pallidus, venulis rubentibus hinc inde pictus; fereque ſilicem mentitur, cui tamen & ſubſtantiæ firmitate multum cedit, & pondere, quo gr. xxvi. non excedit, inferior eſt. Tertius denique poſtremò inventorum ſcilic. minor albidior eſt, colore & ſubſtantia tartarum; qui dentibus accreſcit, exactè refer, lævis maximam partem, niſi ubi ſulcis quibuſdam, ſanguineum quid oſtendentibus, quaſi inciſus eſt. Uterque horum ea parte, qua mutuo ſe tetigerant, detritus eſt: atque ille in plano ab attritu facto lineolis ellipticis aliquot quaſi in totidem laminas ſive tunicas, ſucceſſivè accretas, diſpeſcitur: hic verò in medio detritæ partis puniceum quendam globulum oſtendebat, qui diffracto calculo nucleus ceraſinus, circa quem tartarea iſta maſſa concreverat, eſſe deprehendebatur. Integer adhuc pendebat gr. xiv. diffractus verò & nucleo caſſus, vix gr. viij. attolebat. *Gottofredi Schultzii.*

Fiſtula ſub mammâ dextrâ.

Fiſtularum pertinaciæ cauſa unde repetenda oſtendunt allata exempla: Pertinaciſſimæ & tandem tabem inferentis, exhauſto totius cruore, exemplum mihi occurrit anno 1652. cum eo tempore incumberet cura Medica pauperum Gallorum advenarum, vel urbis incolarum, inter illos commiſſum habui quendam nomine Bourgeois, Prætoris Vrbani Apparitorem, Virum raræ texturæ, anno circiter xxx. natum; Malæ illi, bene ſe habenti, leviter rubebant; vino modice utebatur, in victu temperans: Morbo prehenſus utitur calceolarii agyrtæ opera, qui antimonio exhibito ipſum ad hypercatharſin deducit, unde vir natura debilis ad Orci fauces compellitur: Vix recreatum, pravoque victu deinceps ſuſtentatum, pleuroperipneumonia vehemens adoritur; E qua mea ope emerſit, ſed ſupeſtite in pectore, ſub mammâ dextra, fiſtula, quam præceſſat abſceſſus inibi excitatus, quanquam univerſam materiam pectore contentam exhauſiſſe videtur libera & liberalis purulenta anacatharſis: Adeo copioſam cructabat Fiſtula ſaniem, ut illius occludendæ omne concideret conſilium: Indito tenui ſtylo & longo, origo ejus ſuperior eſſe deprehendebatur & inter muſculos pectoris deerrare; qua de cauſa inito cum aliis conſilio, diſciſſa eſt forfice (quantum alte progredi licuit) ſecundum longitudinem Fiſtula; ſed cum ad claviculas uſque factus eſſet progreſſus, nec exortus pateret; ingreſſus præterea, ob tortuoſitatem non pateret amplius ſtylo, res naturæ committenda fuit, & uſui decocti traumatici pectoralis, hyeromelitis forma præſcripti, à cujus uſu vitam per triennium produxit, Apparitoris officio ad ultimos uſque dies functus æger. *Theoph. Bonetis in Sepulchreto.*

Anatomica Inſpectio

Fiſtula inſanabilis ex inſpectione anatomicâ.

Filia Pictoris, Nicolai Æliæ infeſta aliquandiu acerbo lumborum dolore, incit tandem in moleſtam Inguinis fiſtulam, quæ perenni ſuo curſu uſque eo conſumpſit teneſſi corpuſculi vires, ut brevi exceſſerit è vita.

Cujus mortis cauſam inquiſitura Anatome, invenit evidentem cariem in coſta ſpuria emittentem continenter in ſubjectas partes tantum acrioris ichoris, ut illis eroſis prodierit inde fiſtula, ut longa & anfractuoſa, ſic eludens quamcunque opem Medicam.

Quam artis impotentiam non raro quoque videre eſt fiſtulis prope anum exortis; Quarum principium excurrit nonnunquam altiſſime ſive ad Lumbos, ſive Thoracis vertebras, imo interdum ad ipſas ſcapulas, quas ſcoptula operta vocat Corn. Celſus; Quibus in locis equidem non ſemel offendi fontem remotiſſimarum & immedicabilium fiſtularum.

Earum inacceſſa caries, quo minus exploretur ſpecillo impedit tortuoſus ipſarum flexus: qui etiam remoratur clyſteres eluendo ulceri dicatos: Excluditque manum exemturam os intus vitiatum: qno tamen minus mature ſublato, tollitur immatura morte homo, & obnixe ne à Medico ſanetur Fiſtula à remotiore carie originem trahens: Cujus oras licet forfice diducas & amplies (quod tamem ad cutaneas fiſtulas ſumme utile) operam nihilominus ludes, nec pervenies unquam ad remotiſſimum ſinuoſorum flexuum principium, à quo deſcendunt tot ramuli, & tam frequentes rivuli per profundiores muſculos ac tendines, ut licet ſpecillum vel dexterrime immittatur in tortuoſam ejuſmodi fiſtulam, neutiquam tamen attingat, nedum immutet, vel tollat cariem genuinam perrennis ulceris cauſam. *N. Tulpius lib. 3. obſerv. 28.*

Ex vulnere Thoracis fistula suborta, spatio aliquot mensium pervadens ad capsulam Cordis hujus substantiam ad fibras usque cavitatis absumsit.

Ex vulnere sterni ad quartam costam sinistra parte suborta fistula in quodam veronensi, cum per aliquot menses eadem laborasset, ad ejus curationem me vocavit; cujus corpore primo expurgato, nulla licet spe salutis, ratione maciei, qua confectus erat, nec non febris & virium imbecillitatis, immissa turunda copiosum pus eduxi, à quo aliquot post diebus syncope correptus æger vitam cum morte commutavit.

Dissecto cadavere, inveni capsulam, & fere totam cordis substantiam ad fibras usque ab ulcere exesam. Uideant igitur an constare possit sententia Arestotelis lib. 3. de part animal cap. 4. quod cor nullum vitium grave diu patiatur; siquidem hic patiens diu vixit, quamdiu scilic. ulcus & fistula penetravit ad cavitatem aut ventriculum finistrum ipsius cordis. *Petrus de Marchett. in observat. Medico-Chirurg. Sylloge.*

FLATUS.

De iis forsam jam satis in morbis quibus familiarius adjunguntur ac præcipue in *Affectione Hypochondriaca* ab iis *Flatulenta* denominata verum hic rursus paucula.

Flatus, qui intra ventriculum, & intestinorum cavitates plusquam in alia fotius corporis parte quavis ageri solent, ad hunc modum produci videntur: dum alimenta in visceribus subacta, & digesta, à fermentis & calore ipsorum dissolvuntur effluvia quamplurima decedunt; quæ si spatium liberum & apertum obtinerent, in auras migratura evanescerent; verum ea membrana conclusa, & simul aggesta vaporum congeriem quasi ventum constituunt; qui intestina sæpe inflat, ac distendit, & qua data via ruens, secum excretiones promovet; conclusus vero tormina, & non raro ventris, inflationem creat. Flatus in visceribus ab alimentorum dissolutione emergentes, simili ritu gignuntur, ac cum Margaritæ, Corallia, aut alia concreta matracio imposita à menstruis suis dissolvuntur: à solutionibus enim factis vapores quamplurimi dimanant, qui si strictius coërceantur, vas continens diffindi, aut dissilire cogunt: pariter ab alimenti intra primas vias, sive diffolutione, sive coctione, aut fermentione, effluvia copiosa decedunt, quæ simul aggesta, ac intra membranas conclusa flatum efficiunt; cujus insuper proventui uberiori causæ quædam aliæ contribunt. Hoc etenim insigniter præstat, succorum non ritè miscibilium collectatio, & effervescentia. Quippe dum humores adventitii: aut ingesta heterogenea ac impriis medicamenta cum aliis intestinorum contentis fermentescunt, à mutua particularum refractione, corpuscula quamplurima decedentia in vaporem aggeruntur. Porro ab ipso sanguine ebulliente cum halitus copiosi ubique decedunt, eorum pars quædam ex arteriis in viscerum cavitates erumpens, flatuum aggeriem ibi productam auget. Cæterum ad uberiores flatuum proventus amplius adhuc faciunt, viscerum extensiones, & intumescentiæ convulsivæ. Quippe dum membranæ, ob majores spiritum explosiones, & excursus inordinatos plurimum distenduntur, cavitas interna sicut vesica inflata multum ampliatur, proinde ut humoris inclusi portio, intra vacuum illud spatium, velut cucurbitam post flammam extinctam, in flatum rarefiat; qui postea, quando membranæ tetanus remittit; cum impetu erumpit, aut proximos subinde intestinorum anfractus tumultuose pervadit. Propter hanc rationem, quando intestini pars aliqua ex phlogosi, aut humorum acrium decubitu, extensionibus convulsivis fuerit obnoxia, etiam flatus continuo producti molesti admodum evadunt. Cum plurium à Coli inflammatione defunctorum cadavera aperui, reperi id omnibus cuncta intestina ad summum distenta, & quasi à vento inflata quod proculdubio accidit, non quia flatus primo genitus viscera ista distenderat, sed cum membranæ à spiritibus valde irritatis, ac intra fibras ipsorum ex plosis plurimum distenderentur; idcirco ad vacuum implendum Flatus isti secundario, & per consequens progignebantur. Propter hanc causam, Tympanitim oriri supra innuimus, & alibi forsan aliquando fusius declarabimus. Quod itaque in Nephritide, passionibus Colica, Hypochondriaca, & Hysterica flatuum proventus uberrimus esse solet, hi non, uti vulgo fertur, morborum istorum causæ, sed tantum effectus sunt: nempe dum istorum paroxysmis membranarum affectiones σπασμώδεις superveniunt, atque viscera cava à spiritibus violenter explosis intumescunt, hinc spatium inane oucupetur, humiditas quædam inclusa in vapores, à quibus fletus emergunt, resolvitur. Quamobrem cum partis affectæ distentio relaxatur, flatus ita ex tempore productus à membranis concidentibus alio propellitur. *Thom. Willis dharmac. ration. part. 1. sect. 3.*

Flatuum mirifici lusus.

Nullus fere est morbus, quem non faciat aut augeat concursu suo flatus; imo, ut semper in humoribus vitium sit, rarissimum tamen est ubi non & flatuum aliquæ sint partes, sed tam obscure & ita!, ut nescias an ipsis humoribus imputanda sit tantorum tumultuum causa. Manifestius autem in prima regione, velut proprio diversorio, imperium suum exercent; est enim ibi ille intestinorum angulus, in quem Bilis succusque Pancreaticus & quidquid desuper ex poris Oesophagi & Ventriculi destillat, perpetuo confluunt. Hic statim, ubi male convenit humoribus, & læsa hinc inde qualitatum temperies acrius invicem effervescit, parata flatuum materia. Nempe alcalina Bilis unde novis acrimoniæ stimulis & fluore animata, illam intestinorum hospitam, Pituitam, in bullas extollit, quæ ipsæ ut superficiem orbemque nactæ sunt viscosiorem, hoc magis ab intestina illa vi elastica ampliantur, difficilius que ob resistentiam viscidi majorem, discutiuntur. Jam vero etiam succedens alia post aliam Bilis iisdem armata spiculis fluoreque volatili oleoso, novæ usque flatuum moli crescentibusque indies symptomatis

symptomatis scenam instruit, doloribus jam fixis, jam vagis, jam acutis, jam crassis & obtusis & ferè indeprehensis; tumori jam anodyno, jam sonoro murmureque se & borborygmis prodenti. nunc etiam subito, nunc lento & paulatim eunti, omnia pro ingenio bilis & pituitæ. Quæ tamen ipsa tam dubiis sæpè indiciis se ostendunt, ut aliud pro alio existimes, & de flatu non temere nisi ex flatu constare possit. Sunt lumborum Chronici dolores duntaxat à flatibus, ea parte, qua intestinales in duodenum confluunt succi & vehementius mutuo insurgunt, hinc enim spumæ bullæque viscidiores coortæ intestinum magis expandunt fibrasque lacerant sensorias. Alligata est hæc ἔκφυσις validis firmissimisque membranis, quæ & ipsæ, ut sunt expansum planum nerveum, & hinc mirificus invicem cum spiritibus consensus, vicinos nervorum plexus facilè sollicitant sensumque sui impediunt. Atque ex hoc fonte illi tam sævi ad febrilium insultuum initia & grassantis ad ileum orgasmi lumborum cruciatus; hinc etiam dubii illi ancipitesque in colica nephriticâ dolores, tam immanes sæpe, ut veru se transfodi ægri existiment. Jam vero etiam fixus magisque immobilis efficitur dolor, si in tunicarum intestinalium spatiis unde unde illapsus hæserit flatus, quod in colica Pictaviensium accidere aliqui voluere, & cujus ego instar in viro quadragenario ex contumaci tandem & immedicabili octo mensium osphyalgia mortuo vidisse me planè sum persuasus. Sinistri hypochondrii dolores etiam flati non tam à lienis solido, quàm flatuum in angulum istum intestini conjectorum obstinatiore mora originem trahere videntur. Nempe obliquius assurgens tenuium illa pars lienem versus acutiusque inde reflexa vel situs ingenio efficit, ut diutius ibi hæreat, quidquid justo viscosius allabitur, sive pituita sit, seu lympha pancreatica, seu bilis, seu denique Flatus. Periclitatur autem quàm maximè hic locus in feminis, ut quæ asotia horæorumque fructuum ingluvie cruditatibus fermentationibusque flatulentis copiosam ministrent materiam, in illa imprimis corporum per balenatios imo & ferreos thoraces strictura. Equidem, cum succi importunius effervescentes spatium requirant solito majus, in quo liberè se expandere possint, accidit, ut compresso illo hypochondriorum angulo, quem dilatari oportebat, & succi & flatus ibi hæreant & fixa sede novis corruptelis fermentationibusque viam aperiant. Quod si tamen inde dilabantur, insolito se murmure & borborygmis per ventris angustias propulsant. Sanè quotidiano didici exemplo Virgines, quæ corporis integritate Viris se commendare debebant, gulæ intemperie & corporis nimia curatura hoc effecisse, ut, negato in illa ventris compressi angustia commeatu, continuo horrendoque murmure & velut arietantium in se spirituum rugitibus, etiam variato subinde per gradus musicos sono vicinorum aures offendisse, non sine suspicione depravatæ valitudinis. Jam qui in reliquis inde intestinis ipsoque colo oriuntur dolores à flatibus, vehementes sæpe sunt & funesti. Ubi id quoque notavi, omnes promiscuè abdominis dolores, si acuti sunt cumque tensione conjuncti, pro colicis vulgo haberi, qui tamen Iliaci non raro sunt, & nunc in hypogastrio, nunc sub umbilico, dirissime ægrum excruciant; deinde vix quenquam ex ejusmodi dolore occubuisse, cui non simul inflammatio Intestinorum, stagnante nimirum ob tensionem in capillaribus sanguine, contigerit. Adeo putandum non est, ita uni Colo inhærescere flatus, ut non in cætera quoque Intestina exspatientur; imo vero, cum effervescendi occasio duntaxat in tenuibus fit, necesse est ex illis lente in coli spatia prorepant, & ob valvulosos cellulatosque tunicarum processus, tum etiam segniorem motum peristalticum, diutius ibi hæreant, tandem quoque ab acescente cum tempore lymphæ fermento ad novam & tumultuariam flatulentiam disponantur, id quod in exquisita colica evenire auguror. Spurii coli dolores quotidiani sunt & causariis quibusque, tum maximè ἀπεψίᾳ laborantibus, familiares. Quin etiam hypochondriorum illi dolores, qua colum participant, eò pertinere videntur, ut quos à peculiari illius intestini fermento excitari maximam partem credibile est. Monstrata mihi est virgo annosa variisque exercita morborum tædiis, huic duabus plerumque horis post cibos intestina crassa, tam lateralia quàm illa hypochondriis subjecta, à flatulento spiritu adeo tumescere solent, ut imposita manus illam intestini à cæteris partem convexasque & interstitiis ligamentosis divisas cellulas luculentè distinguere possit, subsidente rursum post trium horarum intervallum illo tumore, & complanato ventre. Alius autem erat & planè mirabilis Nobilis Matronæ casus, cui semel iterumque de die, sive jejunæ seu saturæ, in tantam subitò molem efferri venter solebat; idque ferè sine dolore, ut veluti adflata ex æolio antro vaticinari velle videretur; hæc indiciis monita in sellam se recipiebat paroxysmumque unius ferè horæ generosè sustinebat. At nunc quoque qui ventriculi orificio incumbunt flatus, ob nervei ibi plexus subtiliorem sensum, cardialgiam sæpe excitant non ante destituram, quam in ructum eruperint; adeo etiam, quod in suffocatione hypochondriaca conjunctum est animi deliquium, non ante securitatem præstat, quàm exorti identidem flatus ore rejecti fuerint. Nonnunquam verò etiam in ipso ventriculo focus & locus esse flatuum solet, effervescente ibi acri materia, atque tum augeri ventriculum in majus & extra propelli necesse est; emphysema vocant hunc affectum practici nonnulli, cujus tantam vehementiam in puella quadrienni vidi, ut cartilaginem scutiformem articulo suo, cui tum adhuc dum molliter hæret, excussam in alterum latus inclinasset. Ut verò hîc quotidie flatus sese exserant, non tamen ita his carceribus contineri possunt, ut non etiam in sanguinem se proripiant, nam & in ipso sanguine concipi eos posse facilè inducor ut credam. Vidi ante annos viginti quinque teste & arbitro Celeb. Sylvio, cadaver aperiri hominis à multis ventris doloribus pectorisque angustiis tandem oppressi, quem etsi jam ante ex flatibus laborasse conjiceremus, sectio tamen rem omnem, manifestè docuit. Primum ergo, ut abdomen aperiebatur, erumpentes ingenti copia flatus cameram fœdo atque impudico odore replevere. Intestina deinde omnia hinc inde, ut

fieri solet, turgidula deprehensa, ventriculus quin etiam fotus inflatum utrem referebat, adeo ille erat extensus. Et verò perambulasse jam ventorum regionem videbamur, cum ad novum spectaculum magnitudo cordis vel duabus partibus naturali major curiosos avocaret; itaque, qui polypum hic aut copiosos sanguinis grumos adfuturos credebamus, ventriculum utrumque omni cruore vacuum, sed à copioso flatu in immensum adauctum, deprehendimus, imprimis verò dextrum illum, utpote cujus cavitas mollisque paries viscosi flatus lusum facilius admitterent; ejusdem ventriculi auricula & ipsa multo flatu tumefacta sociam venam continuata flatuum serie insolitaque tensione luculente prodebat; quid quod toto corpore venæ, etiam coronaria illa, passim flatibus distinctæ mirificam succi purpurei fluidique aërei alternationem oculis ostenderent. Virginem etiam vidi, quæ, postquam in frigore tertianæ cum ventris doloribus iisque à flatu, colluctata erat, invalescente deinde calore, universi habitus tumore laborare cœpit: & verò repentinum insolitumque symptomata plurimis veneni suspicionem injecerat, cum subsidens identidem cum calore tumor à flatu id fuisse luculente indicaret; nam & post quinquies cum paroxysmo idem recurrit tumor totiesque remisit; inde etiam quæ primæ regionis vitium corrigerent flatusque discuterent, morbum penitus delevere. De causis verò flatuum toto corpore bacchantium, ut plurimæ eæ eæ sint ac diversæ practicisque satis ventilatæ, mirum est sæpe eas quoque tam leves esse Novi & ostendi jam ante, quibus animi passiones fœcundam præberent flatuum materiam & in universum corpus diffunderent, Verùm id quidem rarum, quod solus decubitus in unum alterumve latus in Titio tantam generaverit flatuum & borborygmorum copiam, comitantibus gravissimis symptomatis, cardialgia frequentia Pulsus, & sudore frigido, ut nisi erecto in angulum corpore, & mutato viscerum situ à præsenti periculo liberari non posse videretur; & verò tum ἄνω ϗ κάτω missi ructus crepitusque in speciem choleræ ventriculum & intestina omnino exoneravere. Jam à voluntate etiam nostra flatus & excitari & regi ferè prodigiosum est; vidi tamen, qui quoties vellent, in os alvumque protrudere flatum poterant. Utrum consuetudo in libidinem versa, an obstinatior voluntas, specie animi affectus, bilem illam, flatuum dominam, provocaverit, alii exponant. Mihi satis est exploratum habere, nullos esse tam peregrinos mirificosque morbos, qui non & ipsi flatibus hisce vel totos se aut partem sui debeant. *Joh. Nicol. Pechlinus in Observ. Physico-Medic.*

De Flatu Furioso.

Fœmina quædam annorum 50. temperamenti phlegmatico-melancholici, mensium inexperta, & mater octo liberorum, heri circa vesperam conquerebatur anxietate, palpitatione cordis, vertigine, eamque paulò post excipiente inflatione, vim aliquali dolore in tibia dextra per dimidiam horam oberrante, hodie manè inflatio illa cum dolore ad sensum prorepebat instar serpentis per dorsum ad brachium sinistrum & hora post ad brachium dextrum, mox ad pedem sinistrum, & ita hinc inde è loco ad locum instar mercurii discurrens totam tandem corporis peripheriam vexat, adest sitis, appetitus depravatus, alvus tarda, urina est quodammodo turbida, pulsus inæqualis, somnus perturbatus, vires absumuntur; pejora metuens quærit consilium.

Omnibus in casu proposito enarratis signis probè consideratis, subjectum hoc affectu Arabibus Nakir dicto laborare patet; Latinis appellatur flatulentus ambulo, Flatus Furiosus, ambulo furiosus & vareni, nominibus scilicet ab inseparabili affectus proprietate desumtis; Germanis *die Natten, die Faren, die gute Kinder, die gute Holden.* Cùm verò definitionis nominum magna sit utilitas, quod ea mediante quæstionis statum distinctè intelligamus, ne frustra disputetur de vocibus, affectum nostrum definimus, quod sit inflatio cum dolore variè periodica, à vaporibus subtilissimis vehementissimè in variis corporis partibus oberrantibus orta: pro genere proximo igitur ponimus inflationem cum dolore, & eatenus pertinet ad morbos solutæ unitatis. Ratione solius inflationis, ad morbos magnitudinis auctæ: differentia specifica reliquis definitionis verbis comprehensa, subjecti & causæ proximæ denominatione conficitur.

Subjectum affectus nostri duplex facimus, alterum inhæsionis, alterum generationis: subjectum inhæsionis dum in definitione varias totius corporis partes constituimus, non tam viscera, quàm musculos & vasa intelligimus; generationis subjectum in hoc casu primarium est 1. ventriculus cum intestinis 2. vasa sanguifera. Ventriculum dico, propter vitiosum ejus fermentum, quod vitiosam efficit fermentationem seu concoctionem, cum concoctio propriè nihil aliud sit, quàm per fermentationem minimarum scilicet particularum, ex quibus alimenta constant, solutio. Intestina, inprimis duodenum, propter ductum bilarium & pancreaticum humores suos in id exonerantes, quibus commixtæ cruditates in ventriculo generatæ itidem peregrinam pariunt fermentationem & chylum vitiosum. Secundò vasa sanguifera, quia in iis demum vaporum subtilissimorum elaboratio perficitur.

His missis, ad Causas accedimus, à quarum cognitione cum teste Divino nostro Coo lib. 1. de morb. mul. tota curationis pendeat felicitas, eaque sola sit, quæ verè Medicos à medicastris distinguat, in eas paulò accuratius inquiramus. Dividuntur autem in immediatam seu proximam, & mediatas, hæque rursus in propinquiores & remotiores. Quoad immediatam, de ea Doctiss. Sennerti qu. 6. de arthrit. p. m. 82. ita sentit: nostri homines plerumque ad incantationem referunt, & nescio quid nati à succubis dolores illos parere putant, cum tamen dolores tales vagi etiam causas naturales habere possint & à flatu quodam acri seu sero acri ex humore ferè scorbutico genito per partes membranosas & musculos vagante, ortum habeant. Ex qua sententia eam eligimus, qua serum ad motum talem celerrimum excitandum nimis sit pigrum, adeoque pro causa immediata vapores subtilissimos & acres statuimus; hi quomodo generentur, partim capite præcedente audivimus, partim inferius, ubi de symptomatibus agemus

egemus, uberius explicabimus. Causa mediatæ propinquiores sunt, quæcunque propinquivis ad vaporum concurrunt generationem, uti sunt obstructiones variæ, inprimis hypochondriorum, particulæ heterogeneæ cum Chylo sanguini immixtæ, quæ in eo vitiose fermentescentes ejusmodi vapores producunt qui per arterias ad quas vis partes deferuntur.

Causæ mediatæ remotioros ex rerum naturalium, non naturalium, præternaturalium, ac supernaturalium classe desumuntur. In naturalium serie primo ex casu observendus venit Sexus, ratio est in promptu, quia uterque sexus peculiares habet affectus, & ita alter præ altero magis in hunc vel illum morbum inclinat. Sistitur autem sexus fœmininus; qui ut plurimum vitæ sedentariæ deditus, quæ mater est variorum humorum vitiosorum, dum sanguis non debite ventilatur, concoctio minus rite perficitur, unde variæ cruditates, hinc flatus, vapores, fuligines. Secundo Ætas, de qua Divinus noster Cous, & multum facit ad faciliorem difficilioremve curationem nosse ætetem, an juvenis vel senex, an juvencula vetula, ut scilicet sciamus, an sit morbo conveniens, qui plerunque non tantum in recessu habet periculi & non tam graviter affligit, ac extra eam contingens, & ut vires inde, cœteris paribus, colligamus. Est vero ægra nostra 50. annorum, qua ætete sanguis jam incepit vigorem pristinum deponere, variis particulis heterogeneis inquinari, spiritibusque minui, hinc variæ oriuntur peregrinæ farmentationes, unde exhalationes huic affectui generando aptæ. Tertio Temperamentum phlegmaticomelancholicum, quod cum humores viscidi & bilis adusta seu saburra bilis constituat, cooperantibus reliquis ad hunc morbum producendum maxime est idoneum. Ex Nonnaturalium classe primo examinari meretur Aer, qui variis hoc tempore miasmatibus ob putredinem matrem nisi omnium, tamen plerorumque morborum auctumnalium, vitiatus; dum per inspirationem sanguini in pulmonibus uentilando communicatur, varias cœteris concurrentibus pergrinas excitat effervescentias, hinc exhalationes & noster affectus. Hic obiter notandus magnus ille error circa influxum astralem, vel aspectus, uti vocant, quibusdam nimis superstitose creditos, quippe quæ, astra puto, quicquid etiam virtutis in affectibus flatulentis generandis argentum vivum tanquam ventorum & flatuum patri, Lunæ, ortui Herculis & reliquis ejusdem farinæ signis Astronomi quandoque nimis creduli attribuant, excepto unico sole, nobiscum neque prospera neque adversa valetudine fruentibus plane nullum habent commercium. 2. Cibus & Poeus, qui huc quoque non parum forsan contulerunt, uti sunt varia fructuum genera & novum vinum, ventriculum propter difficilem eorum concoctionem debilitantes cruditatesque ac obstructiones augentes. 3. Quies, cui dum ægra nostra obtemperamentum & consuetudinem nimium indulsit, malum fovit. 4. Animi Pathemata, tristitia, curæ, mœror, quæ cum figant quasi ac supprimant spiritus animales, coctionis viscera munia sua perperam obeunt. 5. Excreta & Retenta, quæ alias vel peccant in excessu vel defectu, hic in defectu peccasse videntur, dum in casu narratur ægram nunquam menses fuisse expertam, & nihilominus esse matrem octo liberorum, hoc vero naturaliter fieri posse & quotidie fieri, plurima probant exempla; rationem addimus, quod in his sanguis non abundet, sed tantum ejus sit, quantum in aliis post purgationem relinquitur, credimus igitur sanguinem menstruum neque ad conceptionem, multo minus ad formationem vel conservationem esse necessarium, adeoque parum huic nostro affectui contribuisse, vel adhuc contribuere 6. Somnus Et Vigiliæ, quæ cum Motu & Quiete convenire censemus, somnus sc. peccans cum quiete peccante, & vigiliæ peccantes cum motu peccante quoad afficiendi modum conspirant. Causæ Præternaturales sunt obstructiones variæ, peregrinæ fermentationes & intemperies massæ sanguineæ. Quoad causas Supernaturales, & diabolum rerum naturalium consultissimum hoc uti & alia omnis generis mala, permittente tamen Numine Divino in corporibus humanis excitare posse, varia apud varios testantur exempla, & quotidianæ, proh dolor! satis evincunt experientiæ.

Differentiæ sunt variæ: Alius est hereditarius, alius adscititius; alius sympatheticus seu per consensum, ex. gr. ex obstructione mensium, suffocatione hypochondriaca &c. oriundus, alius idiopatheticus seu per essentiam, ex fermentatione peregrina massæ sanguineæ proveniens; alius mitior seu benignior, alius gravior & quandoque malignus, pro humorum videlicet in corpore peccantium vitio. Hic monendum Clarissimum Blancardum in Lexico suo medico cœtera doctissimo arthritidem vagam confundere cum nostro affectu, hos autem affectus valde inter sedifferre probo primo, quia in illa, teste Nobiliss. Willis tom. I tract. de sceb. c. 5. p. m. 563. plures salis fixi quasi congeris è massa sanguinea huc illuc circa membra aut articulos velut totidem nidos deponuntur & eatenus est morbus articularis. 2. quia arthritis vaga motu est pigrior, quam Nakir, qui vapores pro causa habet subtilissimos & vehementissimos. 3. symptomatibus, de quibus cap. seq. Denique probo authoritate viri Doctiss. Sennerti, qui quæst. 6. de arthrit. p. m. 82. his verbis distinguit: verum morbus hic arthritis non est, neque enim est saltem circa articulos, sed oritur à flatu seu spiritu furioso è vasis effuso, & per ambitum corporis discurrente. Varenos vero & Nakir esse unum eundemque affectum cum Arabe Albucas. cap. 95. l. 2. Sennerto l. all. aliisque firmiter statuimus. Hæc de differentia.

Sequuntur Signa, quæ vel sunt diagnostica, vel prognostica. Diagnostica ex casu desumta sunt sequentia: 1. Anxietas, à sanguine ad accensionem minus apto, qualis phlegmatico-melancholicorum est, ideoque nimiam moram in corde trahente, vel à fermento peregrino subtili & acri cum sanguine ad cor delato, ipsiusque fibras & nervos sexti paris leviter afficiente. 2. Palpitatio cordis, à sanguine viscido & terrestri ope fermenti ante dicti rarefacto, adeoque majus spatium occupante, unde cordis ventriculi valde dilatantur, & spiritus co-

piosius impetuosiusque influunt. Vel etiam oriri potuit à particulis dicti fermenti jam post circulationes quasdam peractas magis explicatis seu solutis, adeoque cordis fibras magis vellicantibus & spasmodice contrahentibus. De cœtero ad mentem veterum de palpitatione cordis egit Sebast. Pissinius fuse lib. pecul. Francof. 1609. in 8. 3. Vertigo, à particulis quibusdam efferis ac indomitis sanguinis commeatu cerebro illatis, quæ spiritibus animalibus, siquidem incongruæ sunt ac improportionatæ, occursantes, eos huc illuc à solitis ituum ac redituum tractibus abigunt, adeoque in vortices ac gyros agunt. 4. Inflatio cum dolore in tibia dextri pedis per dimidiam horam oberrans: ab exhalationibus subtilissimis & acribus per arterias ad ejus musculos sufficienti copia delatis, in iisque tam diu, propter poros corporis præsertim tibiæ, arctiores, quam ut continuo tantum per eos transspirare possit, quantum continuo per arterias advehitur, oberrantibus. Hæ vero oriuntur à particulis heterogeneis seu fermento peregrino, teste Helmont. tit. de flat. §. 71. p. m. 424. peregrinam sanguinis fermentationem instituente, quæ dum ope arteriarum ad quasvis partes in nimia copia deferuntur, inflationes progenerant, & cum sint admodum subtiles, hinc inde in partibus eo celerius, quo minorem inveniunt resistentiam, seu quo majores sunt partium, ad quas deferuntur, pori, oberrant, donec peracta fermentatione nullæ novæ succedant, unde sensim & sensim transspirando in auras abeunt, adeoque inflatio remittit. 5 Invasio periodica, dum sc. novæ vel in ventriculo, vel hypochondriis, vel alibi generatæ cruditates de novo massæ sanguineæ infusæ novam excitant fermentationem. Eadem hinc ratio reliquarum corporis partium inflatione cum dolore magis minusve affectarum est petenda. 6. Sitis, propter Lympham qualitate & quantitate peccantem. 7. Appetitus depravatus, ob fermentum ventriculi depravatum 8. Alvus tarda, à materia viscida & glutinosa intestinorum parietibus adhærente & glandulas ipsorum obstruente, orta à cibus in ventriculo male concoctis & vitiosa bilis cum succo pancreatico fermentatione. 9. Urina quodammodo turbida, à sanguine mixtione, turbato 10, Pulsus inæqualis, ob inæqualem sanguinis motum & flatus in arteriis & quandoque in venis, unde ψαλιδοσφυγμὸς, vagantes, oriundus. 11. Somnus perturbatus, à spiritibus animalibus impuris & ipsorum motu perturbato. 12. Vires absumuntur, quia sanguis ad nutriendum (quod secilisset particulas ejus chylosas, quas solum netrire credimus) ac generandos puros & incontaminatos spiritus magis magisque redditur ineptus. Quoad Signa Prognostica, affectus hic Nakir curatu difficilis huic esse videatur ac periculosus, primo, propter senectutem; secundo, quia jam altiores egit radices & totum corpus invasit, tertio, propter virium imminutionem; verum cum ægra adhuc sit senectutis crudæ, vires nondum planè sint abolitæ, sed quadantenus imminutæ, malumque nondum ad summum pervenerit, spes adhuc aliqua restitutionis in integrum affulgere videtur, sic scilicet naturæ illico remediis succurramus, cum alias teste Celeberrimus Rolf. meth. med. spec. comm. libro tertio sect. 2. cap. 27. p. m. 234. lethalitate terribilis esse possit.

Perspecta itaqua; morbi natura cum causis ejus, differentiis & signis, restat ut ex methodi medendi legibus in omnibus affectibus & acutissimis observandis, Curationem maturemus; hæc ab indicatione dependet, quæ in genere præcipit conservationem illorum, quæ s. n. & ablationem eorum, qua p. n. se habent, estque triplex præservatoria, quæ causas, curatoria, quæ affectum cum symptomatibus; vitalis, quæ vires respicit. Præsidia his indicationibus satis facientia ex triplici auxiliorum penu depromuntur; Chirurgico sc. Pharmaceutico & Diætetico. Chirurgiæ jure merito primum locum vendicamus, licet ab ipsa non semper prima petantur auxilia, ex qua primo consideranda occurit V. S. cujus indicantia reliquis observatis circumstantiis, ætete sc. viribus & tempore, sunt plethora ac nimius sine malignitate calor, quorum neutrum cum hic appareat, non video, quid nos ad illam suadendam moveat. 2. Curcurbitæ magnæ, quas aliqui cum multa flamma sine scarificatione tanquam excellens remedium loco affecto applicari volunt, 3. follis fabrilis & tandem punctio cutis ejusque cauterizatio, quæ omnia tanquam remedia in hoc casu non admodum efficacia, suis auctoribus relinquimus.

Fons Pharmaceuticus præcipua nobis remedia, causam morbi sc. debellantia suppeditat, qualia sunt, 1. Humores vitiosos cum euphoria evacuantia. 2. Obstructiones reserantia seu aperientia. 3. Vapores discutientia, ac 4. Vires restaurantia seu confortantia. Cum euphoria evacuantia suademus, cum fortiora massam sanguineam jam alias turbatam insigniter fermentando malum magis juvent, quam debellent. Cum vero ventriculus jam cibis non sit vacuus, purgans ἄνω alias exhibendum jam non propinamus, sed in crastinum differimus, ac interim & quidem statim post paroxysmum sequentem clysterem carminativum & leniter alvum subducentem hic magni quoque faciendum injici curamus.

℞. Decoct. emoll. ℥ix. carminat. ℥ iij. Elect. de bacc. laur. ℥ß. Extract. cathol. ℈ij. Unguent. clysmat. ʒvii. lini ℥i. vitell. ov. num. j. nitr. ℈ij. F. l. Clyster. D. c. siph.

Dein, hora post assumat medicamenta in hoc affectu authoribus omnibus, qui ejus saltem mentionem fecerunt specifica, ex lumbricis terrestribus parata, eaque vel sola, vel cum aliis convenientibus composita, formula sit sequens.

℞. Aqua hirund. c. castor. ℥iß. carminat. ℥j. Ess. pini lumbric. terr. ana ʒiij. spi sal. amm. gr. 20. sal. volat. Serpent. gr viij. laud. opiat. gran. 2. M. D. S. *Wind-und Schmertzenstillende Essentz.*

De qua potiuncula subinde sumat cochlear unum & stragulis bene cooperta, si fieri potest, levem exspectet sudorem. Post, si cras alvus

nondum bene respondere videatur & appetitus adhuc sit depravatus, ad depravatum ventriculi fermentum & humores vitiosos tanquam causas, placidè educendos ac corrigendos mane sequentes exhibeantur pilulæ:

♃. Magist. jalap. Extract. helleb. n. à gr. v. MP. tart. Schrod. de ammon. Q. à gr. vii. M. F. Pil. num. xv. deaur. D. S. *Carier. Billen.* pro vehiculo.

♃. Aq. petros. Card. B. scorzon. à ℥ß. D. S. *Basser zu den Billen.* Tum ad confortantia progrediendum, quorum formula sit talis:

♃. Aquam cinam. ℥iß. sp. lumbr. terr. ʒiii. Tinct. bezoard. ʒii. pareg. Excell. Dom. Præs. ʒß. Sirub. cinnam. ʒiß. confect. elkerm. incompl. ℈ii. M. D. S. *Praffrigung. tumeilen. davon ein Loffet voll, ut nehnen.*

Tandem externa quoque spirituosa, discutientia parti affectæ applicari possunt; uti sunt sp. lumbric. terrestr. sp. fornic. pinguedo castor. oleum still. anethi, carv. cumin. fænic. &c. quæ vel sola, vel varie composita pro ratione status adhiberi possunt, hic formulam sequentem præscribere lubet.

♃. Bals. perum sp. lumbric. formic. essent. pini ãã ʒii. olei circulati ʒiß. still. anethi, carv. an. ℈ß. M.

Harthmannus in Praxi commendat magnetem umbilico impositum ad flatus expellendos, sed Excellentissimo Præsidi experienti eventus non respondit, alii unum vel alterum granum Ztbethi cum bombace umbilico imponunt, sed hic cautelâ opus est.

Cùm vero teste galeno de theriaca ad Pamphilianum, nullum tam validum in Medicina sit remedium, quod ex se ortum auxilium inducere possit, si resistatur ab iis, quæ circa diætam sunt, aut ab his non adjuvetur, non immerito ejus ratio habenda, in quo puncto prudens Medicus facilè noverit, quæ suarum erunt partium. *Ioh Michael. in Praxi Clynica speciali.*

FLVOR ALBVS

PRæter sanguinem quem naturaliter genitalia muliebria plorant, etiam interdum excerni solet liquor serosus ac pituitosus in affectu scil. qui vocatur *Fluor Albus*. A quibusdam appellatur bonorrhæa muliebris. ab aliis vero hæc duo tanquam destinctissima à se invicem separantur.

Est scilicet Excretio colluviei variæ per genitalia, dum nunc humor pituitosus, crassus & mucosus, omne aquosus & serosus effluit, isque interdum paucior, interdum copiosior, interdum acris est, salinus & mordax, interdum vero benignus, mitis & blandus. Albus quidem ut plurimum, interdum etiam flavecit, interdum viridescit, interdum alio vitioso tinctus est colore.

Inodorus est ut plurimum, rarius solet esse graveolens & fætidus, nec solet esse fere talis nisi simul exulceratio quædam conjuncta sit ex qua purulentia fætida tunc simul excernatur.

Occupat hic fluxus omnis ætatis & omnis status fæmellas, tam virgines, quam maritatas: Virgines, inquam, illibatas adhuc & innocentes.

Falsum namque est quod quidam putant, hunc fluxum iis non convenire, nisi quæ jam virum passæ fuerint. Testantur namque observationes etiam puellas octennes ac novennes, quæ nunquam menstruum fluxum, nec virum passæ fuerunt, huic ipsi fluori albo fuisse obnoxias.

Vnde etiam hic fluor albus longè aliud vitium est à mensium decoloratione, cum æque menstruatas & non menstrutas affligat, tam quæ nunquam adhuc menstrua viderunt, quam etiam quibus jam lege naturæ menstrua non amplius fluunt: Et quidem has posteriores quibus menstrua cessant familiarissime affligit hic fluxus: Rarius verò virgines aut puellas innocente, polluit; quin & gravidas afflixisse observatum fuit.

Typum, aut periodum certam hic fluxus observat nullum: sed nunc continuis, nunc interruptis; sed variis vicibus recurrit. Circa menstruationis legitimum tempus tamen copiosius & uberius scaturit.

De hoc affectus ejusque materiâ & causis; liberè quæ sentiam proponam; nam à nemine adhuc ejus natura legitmè producta fuit & explicata.

Dico ergo hunc fluxum album nihil esse aliud, quam gonorrhæam muliebrem, nunc veram nunc notham, analogam scilicet gonorrhæ virili, dico analogam non verò eandem.

Hoc negotium per se pateret si ex veterum hypothesi, mulieris intestibus semen elaborare, illudque in uterum & tandem in vaginam effundere, statuere vellem; sic enim qualis esset gonorrhæa per se pateret.

Sed quoniam huic sententiæ minorem fidem tribus; (scilic. seminis generationi in testibus muliebribus) Quin potius testes muliebres ovarium muliebre dicam: ob id hic fluor albus, seu gonorrhæa alio modo explicanda venit.

Hoc ut pateat certum est fæminas in coitu sensibiliter; idque cum insigni voluptate aliquam materiam excernere; Hanc hac vice materiam seminalem vocabimus. Testantur autem hanc excreationem ipsæ mulieres quamplurimæ, si scil. viri voluptuosô gaudeant amplexu, Vnde autem excernatur, & qualis sit, hic quæstio est?

Respondet Hornius, Batavus iste anatomicus jam defunctus, in prodromô epistolico de partibus mulierum generatiôni inservientibus ad Kolfinekium missô, quod mulieres quanquam talem materiam voluptuosè in congressu excernant, hæc ipsa tamen non ex testibus effluat, sed quod ex glandulosâ osculi uteri interni substantiâ per multos minutosque meatus, exprimatur ac eliciatur, idque beneficiô spirituum per arteriolas & nervos effluentium. Hanc Hornii assertionem, ut ut anatome nondum omnibus oculariter demonstratam, admodum tamen probabilem arbitror.

Nam maxima voluptas muliebris venerea, partim in earum clytoride ex dulci ejus à membro virili fricatoriô motu, partim circa istud

rificium uteri internum ab liquoris modo dicti expressione percipitur. Vnde glandulosam istam orificii uteri internam substantiam prostatis glandulosis & spongiosis virorum in radice penis quodammodo analogam æstimo. Præter hanc materiam, seu lympham veneream (ut sic dicam) cum ex glandulis excernatur, circa orificium uteri internum, alius est adhuc salivalis humor, ut apposite eum Rhodius in mentiss. observ. anatom. observ. 53. qui in congressu maris pubem irrigat, & per binas lacunas juxta muliebris pudendi labia sitas exiit quæ lacunæ observabiles sunt imprimis invivis mox post congressum: in defunctis verò cùm arcte conniveant, vix observabiles.

His præmissis dico, liquor iste qui in fluore albo emanat, excerni tum per orificium uteri internum glandulosum, & est vel ista seminalis materia turgescens quam mulieres in coïtu excernunt, vel est alius quicunque ichor, qui per loca ista transudans, aut transcolatus ex universa massa sanguinea ejiciatur. Prius si fiat, est gonorrhæa muliebris vera; posterius vero si contingat, gonorrhæa muliebris notha, sed benigna.

Observanda enim est differentia in hoc fluore muliebri, dum alius est levior in quo lympha pauca, id que non adeo frequenter, albicans & nonnihil glutinosa, excernitur, sine eô ut corporis gravius vitium, aut labes ejus insignior sit adjuncta: Est que gonorrhæa vera in qua solummodò istud orificium uteri interius est affectum.

Aliàs fluxus est copiosus, continuus, ubi multa varia, serosa variè colorata & similia uberiori rivo excernuntur, concurrit que tunc simul cachexia, seu levio phlegmatia totius corporis: interdum accedit tumor pudum, torpor actionum, flaviditas membrorum, & quæ sunt hujusmodi alia concurrentia symptomata: Et hic posterior fluxus est gonorrhæa notha, vitiô massæ sanguineæ totius cachectico pronata, orta inprimis remotè ex vitiô stomachi aberrante circa chylificationem. Accuratè præ cæteris differentiam nimiorum fluorum harum observat Heurnius, dum priorem fluorem vocat fluorem uterinum, tanquam qui solummodò ex uteri orificii vitiô accidat; posteriorem verò vocat profluvium muliebre, seu tale quod ex totâ muliere effluat.

Plura que ad cognitionem hujus affectus faciant qui cupit, is videat Hocstetter. decad. 4. obs. 1. in schol. Post Hocstetter. videat Schneiderum lib. 3. de catarrh. ubi fuse & prolixè historiam hujus affectus, cum primis ex aliis autoribus declarat in integro cap. 8.

Causam ergo quod attinet fluoris primi, seu gonorrhææ veræ, est materiæ istius seminalis copia & ubertas, aut ejus spirituosior turgescentia, conjuncta cum aliquâ laxitate orifici istius uteri interni: unde hoc dilabi ex se facilè permittit, accedente imprimis coïtus consueti ad tempus intermissione, aut ingenti coëundi, tam in maritatis, quàm virginibus desiderio, imprimis ubi adest simul laudabilis victus ratio, vita sedemtaria, curis ac meditationibus vacua, & quæ minùs gravibus turbata est animi affectibus.

Posterioris verò fluoris, seu gonorrhææ nothæ, causa proxima est laxatio istius orificii glandulosi ejusque flacciditas, seu tonus istarum glandularum ita læsus & laxatus, ut per eas t nquam per emunctorium quoddam universale excernatur mucus seu chylus erudus copioso sero acri dilutus, idque cruditatibus, ut dico, massæ sanguineæ vitio stomachi pronatis: tunc enim transcolata hujusmodi liquamina, per istud orificium nimis laxatum & glandulas resolutas, quasi continuo madore plorant istæ nymphæ, quæ aliàs potius aridis gaudent.

Unde in talibus est habitus perfecte cachecticus, ac potiùs perfecta quædam levio phlegmatia. Hinc tumores pedum, appetitus venereus dejectus, & similia concurrentia symptomata, manifestè se exhibent in talibus fæmellis.

Quod autem in specie per hunc locum effluat tale sanguinis liquamen, in causa est laxatio & quasi resolutio istius orificis interni. Unde præter alias causas remotas, etiam partus difficilis, aut abortus, in causa interdum est ut oriatur talis fluxus, ex nimia distensione aut laceratione, aut aliâ læsione istius orificii uterini interni glandulosi.

Hæc quoad theoriam hujus affectus. Quod attinet signa. Fluor albus ab ista fæmella ægra sponte manifestatur: Et quidem imprimis distinguendus est fluor, qualis scilicet sit, gonorrhæa an vera, an vero notha? Nam ubi fluor est gonorrhæa vera, tunc fluunt pauca moderate, citra ullum acrimoniæ sensum, & talis genorrhæa vera, seu fluor citra insigne incommodum petdurare potest; sin vero copiosa, aut acria, aut decolorata etiam, aut similia effluant cum cachexia corporis, virium prostratione, omnium actionum torpore, &c. genorrhæa notha talis, fluor albus esse solet, qui & ubi acrior simul concurrat lympha, tum febris nocturna, seu vespertina, quasi catarrhalis tales fœminas affligere solet, scilicet febricula quædam lenta, imprimis vespertino tempore acerbans, simul solet concurrere.

Prognosin quod attinet; præter alia mala infæcundas & steriles solet reddere fœminas hic fluxus. Denique præter cachexiam, quam auget, hydropem, item uterinum prolapsum, vaginæ uteri exulcerationem & tandem mortem inferre solet.

Rarum interim est quod refert Ballonius lib. 1. consil. 59. de fluore muliebri continuo suppresso, qui exinde mutatus fuit in diabetem lethalem.

In juvenculis facilius curationem admittit hic fluxus: in vetulis verò via est ad mortem: ut ut in genere difficiliùs curari soleat, & imprimis sedula medicamentorum continuatione opus habeat.

Ubi ergo fluxus hic est de natura gonorrhææ veræ, tunc quoad curam, asumenda est materia seminalis, & adstringendæ sunt partes uterinæ nonnihil laxiores.

Una ex optimis curis est copula cum viro: qua in viduis & virginibus deficiente, sequentia sunt usurpanda; aliàs in gonorrhæa virili ex turgescentia, aut acrimonia nimia seminis, sunt in usu v. g. succi citri ℥iij. singulo mane usurpanda; sicuti etiam mala citria & limonia crebrius usurpata conducunt, imprimis ubi cum ipso fluxu titillatio quædam, aut pruritus ad venerem fuerit

fuerit conjunctus: sed continuanda sunt hæc.

Folia & flores, seu cimæ salicis, decocta in vino & potata crebrius etiam hic conducunt; mentha & urtica mortua flore albo injicienda cerevisiæ, & ita potus hauriendus. Nam hæc urtica mortua, seu galeopsis flore albô præ aliis in gonorrhæa muliebri tam verâ quam nothâ convenit.

Terebinthina in ovô sorbili, vel in aquâ flor. salicis omnis mane assumta conducit. Tanquam efficax & expertum commendatur sequens decoctum.

♃. Rasum. rad. glycyrrh. ℥vj. sem. myrtillor. coriandr. præparati plantag. viticis s. agni casti ana ʒj. papaver. alb. ℈ij. hyosciam. ℈ß. hord. mund. M. j. acaciæ, sumach ana ℈j. Contusa coquant. in aq. chalyb. pro ℔. iß. addendo postmodum trochiscor. de Alkekengi ℈j.

Præter dicta, pulvis mandibularum lucii piscis à ʒß. ad ʒj usurpatus & continuatus ibidem conducere solet: Trochisci etiam de terra sigillata, item de succino: ipsum succinum præparatum & similia etiam sunt usus laudati. Externè balnea ac somenta adstringentia pubis regioni sunt admovenda, quæ inter imprimis est balneum, seu fomentum factum ex cortice radicum prunorum sylvestrium, cortic. lign. guaiac cum alumine in aqua chalybeata, adjecto pauco aceto, cocta.

Quod verò attinet gonorrhæam notham, seu fluorem album posteriorem & deteriorem; in hac curanda 1. stomachi chylificatio emendanda per vomitoria administrando tunc experta stomachica. 2. Sanguinis cruditas & cachexia corrigenda per salina vol. oleosa & aromatica. 3. Ipsi fluori specificis resistendum, partibusque læsis adstringentibus & nervinis est succurrendum.

Vomitoria imprimis sunt egregia, repetenda etiam ubi necessitas postularit. Purgantia circumspecte sunt usurpanda, ne augeant potius fluxum, quam fomitem subtrahendo eundem imminuant. Autore enim Platero observatum fuit, quod purgantibus fluxus talis interdum fuit excitatus, in iis quæ alias eundem nunquam passæ fuerunt. Caute ergo usurpanda hic purgantia per inferiora, aut omnino omittenda. Ubi vero necessitas postulat eadem, maritanda sunt imprimis rhabarbaro, ut hujus adstrictione relicta, emendetur inducta à purgante noxa. Unde species diaturbith cum rhabarbarô insigniter commendantur ab Helidæo Paduano. Juxtà pulverem jalappæ, etiam ejus resina, quatenus cachexiam sanguinis emendat, conducit. Sic ex helleboro nigro ejusque extracto cum mercurio dulci conveniunt laxativa.

Item bryonia adpropriatum, ubi necessitas postularit est purgans, quæ omnia laxativa colocynthide sunt acuenda, extracto trochisc. alhand. Potiora sunt sudorifera quæ tuto usurpantur non minus quàm diuretica in specie terebinthina. Sic namque Fonseca lib. 1. [cons. 21. pro derivatione ad urinas commendat & laudat hoc.

♃. Terebinth. ℥ß. pulver. corall. rubr. bol. armen. ana ʒß. M. sumat jejune bis in septimana in convenienti vetriculô. Unde etiam Kiverius tanquam utile commundat pilulas ex terebinth. cum rhabarbaro efformatas.

In specie vero ad corrigendam cachexiam simulque inde oriundum fluorem album, si quid aliud expertum specificum est rosmarinus ejusque decoctum sane expertum est ad sanandum fluorem album. Hoc namque decocto rosmarini solo semper felicissime se fluxum muliebrem alvum restituisse refert Lindanus in suis practicis: & credo quòd verum sit, est namque elegantissima plantula uterina rosmarinus. Sunt qui adjungunt folia melissæ & menthæ: ex quo ternario medicamenta quæcunque continuato usu administranda moneo.

Conveniunt etiam alia ad cachexiam appropriata, ut sunt v. g. radix galangæ, cyperi, caryophyll. item major. menthæ; etiam vulneraria, ut alchymilla, agrimonia, veronica, baccæ lauri, quibus adjungenda adstringentia & similia, in specie viscus quercinus est commendatus pro hoc usu. Hinc Panarollus in Pentec. 2. obs. 48. laudat decoctum nucis pineæ jam lignô visci quercini, quô decocto sæpius hausto, tanquam mirabili & expertô remediô in hoc morbô curando se usum fuisse asserit.

Hinc rad. filipendul. tormentill. Sigill. Salom. angelic. & similes conducunt. Sclarea, quam vulgo horminum odoratum, item gallitrichon vocant, est singulare specificum in fluore albo quacunque ratione usurpata, in specie si infundatur vino, & crebrius hauriatur. Sic etiam Corbejus de morb. mulier. item Stockerus in sua praxi, recensent quandam mulierem, aliasque albo fluore affectas per hoc unguentum curasse.

♃. sclaream, contundatur & aliquantisper putrefiat, in butyro postmodum coquatur aliquantulum, coletur & servetur pro usu: quo unguento mulier ab umbilico ad inferiora usque sedulo perungatur, & tiam ipsum unguentum per pessos vulvæ applicetur; qui pessi commendantur etiam de hac ipsa herba ut facilius succedat experimentum. Commendatur etiam ad compescendos omnes post partum dolores. Post selarcam optimum est lamium album s. galeopsis flore albo, species urticæ mortuæ; cujus aqua conserva decoctum in vino usurpatum, mire conferunt.

Vidi certe aliquando cum essem adhuc sub informatione D. D. Michael. quòd genorosa fœmina diu & contumaciter hoc albo laboravit fluxu, ita ut aliis quam plurimis in cassum adhibitis remediis, tandem accessa ad decoctum hujus galeopsis curata fuerit.

Post hanc etiam melilotus albus, item plantago cimæ rubi idæi, equisetum, hysopus & majorana laudantur.

Horum simplicium flores, specialiter nymph. alb. item bellis flor. alb. ejusque conserva, diutius continuata certo fluxum album sistere prædicantur.

Lignum lentiscinum, guajacinum, in specie saslafras commode, ubi placet simul sudores movere, usurpatur. Modus utendi est satis cognitus. De aromatis nihil dico, quoniam oratione cachexiæ per se commendantur, quæ inter inspecie est galanga, item anthophylli. Porrò vinum in quo extinctum est aurum tanquam experimentum laudatur tam à Foresto, quam à Corbeio. Lac chalybeatum cum bolô Armena mistum crebrius usurpatum in lascivioribus

ribus in usu esse solet. Essent. lign. tinct. coral. sassafras & similia per se sunt nota. Hisce porro etiam adiungendæ sunt maxillæ lucii piscis calcinat. cranium, seu caput caponis exsiccatum & pulverisatum. Item suber ustum ad ℈i. fuit experimentum Helidæi Paduani. Præ cæteris succinum album, ossa sæpiæ præp. trochisc. de carab. chrystall. præp. ostiocolla, alum. plumosum, item lapis amianthus, putamina ovorum calcinata post exclusos pullos; item ebur sine igne præpar. sunt commendati usus. Timæi namque expetimentum ad fluorem album componitur ex magisterio ostiocollæ ad ℥ß. misto cum carneolo præp. ad ʒiß. quæ à ℈i. ad ʒß. in aq. rorisⁿ. nar. vel conserv. rorismar. propinanda sunt Aliam paululum descriptionem his ipsis tamen primario ingrediendientibus, habet idem Timæur in casib. p. 214, Quid autem per magister. ostiocoll. intelligat, ut verum fatear. nescio, nisi ostiocollam præp. intellectum velit. Est enim ostiocolla substantia adeo singulariter dura, ut neque in igne calcinari, neque per quodamque menstruum corrosivum dissolvi, & in magisterium redigi possit. Erit ergo intelligentia ostiocolla præp. Ex qua etiam Tachenius venetiis, ut obiter moneam, præparat. remedium singulare contra casum ab alto, item contra febres quascunque. Lapidis amianthi, seu aluminis plumosi pulverem Boëtius miscet cum aqua vitæ & saccaro, & ita patienti propinat eundem tract. de gemmis. Alia per se cognita lubens omitto. vitellum ovi in aq. rosar. dilutum propinatum & iteratum superius ex Amato Lusitano commendavi in fluxu rubro, seu menstruis nimium fluentibus. Idem ad fluxorem album commendat albumen ovi aqua rosarum concussatum & ita repetitis vicibus usurpatum: hoc ipso enim se & fluorem album & etiam gonorrhæam curasse asserit. Efficacius erit si aliquot mastichis grana huic albumini ovi adsumendo adjungantur. Externa remedia quod attinet, conducunt inprimis thermæ artificiales ex sulphure & alumine cum adstringentibus & uterinis parandæ, v. g. cum plantag. salv. matric. artem & simil. item cinis nucleorum jugland. cum vino mistus in uterum injectum mirifice fluxum hunc sistere asseritur. Alias suffitus ex thure & mastiche, item ex gumm. juniper nunc mochat. succino & bdell. est egregius. Suffitus salvæ infundibulum exceptus est secretum Corbeii. Fotus ventris inferioris & pubis cum decocto vincæ pervincæ adstringente cui additum sit alumen, laudatur à Foresto.

Præter has gonorrhæas, seu uteri fluores est adhuc muliebris gonorrhæa notha, maligna seu virulenta. Hoc est fluor muliebris gallicus à contagiô malignô venereô oriundus, & ex ulcerationem cujusdam partis internæ, aut in vaginâ, aut in orificiô uteri, quin etiam exulcerationem ipsorum testium muliebrium insequens. Panarolus observavit namque vomicam seu ulcus clausum in unoquoque teste muliebri in muliere quæ ex gonorrhæa gallica cum gravibus doloribus mortua fuerat. Hæc ipsa tamen gonorrhæa maligna minus confundenda est cum nostra gonorrhæa seu fluore albo, de quibus modo loquuti sumus. *Michael Etthmulerus in Colleg. Pract. Special. de moro. viror. mulier. &c.*

Vix à solo utero procedit tantæ colluviei serosæ effluxus, sed liquidum istud excretum secedit à toto venoso genere. Ideò siccand. absorbendi & divertendi ichoris, maxima & continua est habenda ratio.

Hoc symptoma, quemadmodum gonorrhæam, præsertim virulentam, potius detergendo, quam adstringendo, averruncare soleo; & sane tutior est via, ne præsidio inclusus hostis deinceps ferociat & ulcus faciat in renibus, vesica, utero, in quo sæpe cancer hâc de causa generatur.

Ad peccantis materiæ evacuationem & diversionem facit, (1) vomitus sæpius provocatus; aliquando, raro tamen, per validiora Emetica, ut sunt Antimonialia. Vitriolum album astrictione roborat, & villos ventriculi firmat, neque impetuose movet per inferiora, ut sæpius Antimonio contingit. (2) Sudoris provocatio per diaphoretica potens est revulsivum. (3) Per via urinæ evacuatio electiva peccantis materiæ maximi est ad derivationem momenti. (4) Cauteria etsi laudentur à plurimis, tamen non sunt adeo insignis effectus, nisi manifestæ fiat à capite defluxio: tunc applicentur collo, humeris, brachiis. Vel ruentis in Uterum ichoris quæratur diverticulum & declive emissarium: Et tunc internus coxis quatuor digitis supra genua inurantur, (5) Purgatio etiam hic locum habet, per quam ducatur satis potenter tenuis humor, idque sæpius repititis vicibus.

Quod ad medicamentorum stadium decurrendum attinet, convenientissimus erit ordo sequens.

Quemadmodum morborum fere omnium longissimorum primus est focus in ventriculo, sic primarium illud est in eorum curatione, ut universo corpori prospiciens culina primo everratur, & superfluitatum collectio quotidiana pene inevitabilis diligentissime præcaveatur facile vomentium sors fœlix est, quippe per istam evacuationem antecedentium causarum incrementum antevertitur, earumque in conjunctas impeditur transitus.

Sequatur Vomitum purgatio, quæ absolute necessaria est (etiam sæpius repetita) antequam ad detergentia & sudorifica fiat transitus, quæ immeditate Catharticis debent succedere.

Purgantum formulæ.

♃. Terebinth. Venet. aq. rosar. ad albed. lot. ʒii. pulv. rad. petrosel. glycyrrhiz. & rhabarb. ana. ℈i. camphor. gr. iii. m. f. bolus sumend è cochl. cum syr. violar. hor. 4. ante prandium quatuor matutinis consequentibus.

♃. Mass. pilul. coch. min. ℈i. pulver. calomel. gr. xv. ol. anisi gutt. ii. M. f. dosis sumend. post bolos dict. Pilul. hæ sæpius repetantur prout vires ferant.

Hydragoga fluori huic convenient: viz Mechoacan. Jalap. ejusque resina, Scammonii resina; Elaterium aliis catharticis, ut pilul. aggregativis, permistum ad granum unum & alterum; Iris Florent. ad ʒi. cum resin. Jalap. vii. ad x. aut resinæ scammon. gr. v. Semen. Ebuli, Gambogia, &c. Observando semper ut die purgationis circa horam somni cardiacum aliquod ex confectione alkerm. lap. bezoar, magister. perl. & corall. exhibeatur.

Notatu dignum est in hoc affectu tantam haberi debere seri rationem (quippe cujus copia in venoso genere fluctuans, morbum fovet) ut ei evacuando strenue sit incumbendum.

Corpore probe per sedem purgato, utilissimæ sunt ad everrendum & roborandum aquæ Minerales ferri & vitrioli virtutibus turgentes, quales sunt Tunbrigenses; quæ si desint, licebit ejusmodi arte parare. In corpore pituitoso, ubi magis siccandum, aquæ Thermales sulphureæ bibantur.

Diureticorum hic locus est, quæ sint hujusmodi.

♃. Raphan. per taleolas sect. ℔j. sacchar. cand. ℥iv. crystal. mineral. ℥ij. Misceantur in paropside argentea, & excipiatur liquor ad usum.

N. B. Hic liquor valdè fœtet, præsertim cum nitro, nè nauseam moveat.

♃. Rad. apii recent. ℥iiij. rad. petrosel. taraxac. asari ana ℥ii. alkekeng. ceras. ℥j. Infund. loco tepido per hor. 24. in ℔ii seri lactis recenter clarif. deinde f. ebullitio ad ℔ß. consumption. Colatura f. per manicam, in qua dissolve liquoris prædicti ex raphano ℥iiij. M. pro 4. dos. sumend. bis in die, superambulando, per octiduum. Vel satius forte fuerit mane tantum istud diureticum exhibere in majori quantitate, ne si paulo post vel inter pastus detur, coctionem præcipitet, & cruditatibus venas oppleat. Tunc ℔iß. sit pro duabus dosibus, & addantur tantum ℥ij. liquoris ex raphano.

Dum diuretica exhibentur, injiciatur Clyster nisi fluat alvus per se, quod vix fiet, alio diverso sero.

Nota, cum hoc malo sæpius complicari Gonorrhœam vel simplicem, vel virulentam; utraque tractanda erit juxta proprias indicationes detergendo strenue & indesinenter, sed gradatim quoad gradum virtutis remediorum, & tandem sistendo & astringendo sive assumptis sive injectis.

Detergentibus succedant sudorifica, quibus utatur ægro pro διαφορίας modo, per septem vel plures dies

♃. Antimon. diaphoret. Hart. man gr. xij. lap bezoar. gr. vij. conf. flor. vetonic. ʒj. diascord. ℈j. M. f. bolus sum. mane superhausto seq. liquore.

♃. Aq. stillatit. card. bened. & Mariæ scabios. ulmar. ana syr. vetonic. ʒj. syr. vetonic. ʒvj. M. f. dosis cum guttis sex sp. Vitriol. Provocetur in lecto sudor superpositis stragulis atque (ni alias satis manaverit) ad pedes appositis lagenis aqua calida plenis.

Interim victus sit parcior, & nisi rite fluat alvus, provocetur clystere.

Cerevisia medicata diaphoretica talis sit.

♃ Sarsæ ℥ij. rad. chin. ℥iß. rasguaiaci ℥i. sassafr. ℥ß. vodorum abietis resinos. ʒx. rad. pimpinell. & tormentill. ana ʒiiij. sem. bardan. ʒiij. sem. coriand. præp. ʒv. veronic. mar. & sanic. sicc. ana m. j. Omnia contusa & concisa crassiuscule, dividantur singulis lagenis lapideis ℔ij. capacibus, affudendo cerevis. & bene obturando vasa. Post infusionem sufficientem bibatur cerevis. pro potu ordinar. in pastibus & extra pastus.

Vel. ♃. Sarsæ ℥xvi. rad. chin. ℥viij. rad. filic. fœm. ℥xii. rad. asperag. fœnicul. rusci ana ℥iv. santal. alb. & rubr. ana ℥iij. rad. symphyt maj. ℥vi. rasur. ebor. C. C. dentis equi marin. ana ℥iiß. summit. Archangel. alb. cum flor sophiæ, herniariæ, lysimach. purpur. ana m. iiij. pilosel. auricul. mur. ana m. iij. agrimon. ceterach, cuscutæ meliss. ana m. ij. nuc. moschat. ℥ij. squamæ ferri quater in vino Hispan. extinct. & in prophyrit. lævigat. ℥xv. Sicca omnia, concisa & contusa includantur sacculo è tela rara, qui pendeat in Alæ generos. galon. decem, sinatur fieri fermentatio ad perfectam usque depurationem. Liquor limpidus includatur lagenis lapideis, quæ apprime clausæ serventur loco subterraneo.

Vel loco dictæ decoctiones vulnerariæ & siccantes mane sumantur.

♃. Rad. chin. ℥ij. fol. veronic. maris, alchymill. buglæ, prunellæ, pilosell. millefol. agrimon. ana m. j. ros. rubr. p. ij. santal. citrin. ℥ij. lign. Rhod. ℥ß. f. decoctio in s. q. aq. font. chalybeat. Colaturam clarificatam levi coctura redige ad ℔ij. pro 4. dos. matutin. Dulcoretur pauco saccharo. Continuetur hujus usus per 20. dies

Quoad victum. Cibi sint boni succi & coctu faciles, carnes assatæ potius quàm elixæ, panis bene coctus, bene fermentatus, sale modice conditus, additis seminibus paucis anisi & coriandri, postridie coctionis saltem comedendus. Vitentur lacticinia, sorbitiones multæ, potus largus, fructuum abusus præcipuè ὡραίων. Vitentur etiam pinguia, mellita, saccharata, pisces mucilaginei & molles; si quos appetat, sumantur durioris carnis, sive marini sive saxatiles. Abstineat etiam ab acetariis, salsis, piperatis.

Violenta ne sint exercitia, quæ lumbos præsertim fatigent. Pessima animi pathemata, ita & mœror, cane pejus & angue fugiantur.

Quoad sistentia, videndum ut tempore idonec exhibeantur, id est ultimo; metus enim est ne à refluxu materiæ in viscera, gravius incommodum suboriatur. Hoc que incommodi habent astringentia, quod obstructiones augent, vel generant, & alvum astringunt.

In Sistentium censu primas tenent succinam, radix symphyti maj. tormentillæ, flor. lysimach. purpur. santalum album, camphora tenuitate valde penetrans, & aërea atque ignea vi insigniter siccans, & agens in partes generationi dicatas, in quibus odore solo semen consumere perhibetur.

♃. Cons. ros. rubr. ℥iiij. cons. flar. Nenuphar. utriusque, Lysimach. purpur. bugloss. ana ℥j. myrobal. condit. cortic. citr. condit. ana ʒvj. magister. perl. & coral. ana ℥ß. rasur. C. C. ʒv. succin. alb. præp. ʒiijß. off. de corde Cervi ʒvj. spodii C. C. ad albed. usti ana ʒiß. croci Martis aperient. ℥iij. M. & cum syr. cort. citr. f. Elect. de quo capiat æger instar jugland. mane & vesperi longe a pastu.

Vel. ♃. Cons. ros. rubr. flor. lysimach. purpur. archangel. alb. vetonic. rubr. salv. ana ℥j. crystal. Martis ℥ii. M. & cum syr. moror. rub. Idæi & sapâ cydon. f. Electuar. de quo capiat à ʒi. ad ʒii. quotidie mane. superhausto vini albi momento per plures hebdomadas.

Crystalli Martis. ♃. limat. ferr. puriss. q. v. cui

instilla paulatim & successive oleum sulphuris, donec nulla fiat ebullitio. Affundatur aqua pluvia distillata, f. dissolutio; hanc filtra per chartam emporeticam, eique sp. vin. permisceto: Crystalli intra paucas horas decident ad fundum, quos in charta siccatos reponito ad usum.

Quæ absorbendo sistunt, siccitate pollent & terreæ sunt substantiæ, viz. bolus, terra sigillata, Lemnia, creta, interior pars alba & mollis concharum ostrearum, mater perlarum, testæ & chelæ cancrorum, oculi cancri, ovorum testæ coral. alb. (præsertim in fluore albo, ut rubeus in rubro) perlæ, C.C. calcinatum, ossa omnia, præsertim humana, calcinata ad summam albedinem.

Crocus Martis corallinus, qui fit ex vitriolo Martis ad summam albedinem calcinato, ad summum astringens in omni fluxu.

Sistuntur etiam tenuium humorum effluvia eorundem incrassatione sive congelatione, quæ procuratur icthyocolla, gum. tragac. spermate ranarum (non bufonum) idoneo tempore collecto & diligenter exsiccato citra adustionem, ita ut possit in pulverem redigi; albumine ovorum itidem desiccato; mucilaginibus sem. psyll. cydon. præsertim autem nenupharis, ubi gluten est copiosum, Fit gelatina ex lacte & icthyocolla, additis pulveribus subtilissimis, santali albi, C.C. calcinati, spodii; additur parum sacchari & concinnatur ferculum non ingratum: potest addi aliquid cinamomi. Est in fluore albo efficax, si bis in die ad uncias duas ad minus devoretur longe ab alimento,

Pilulæ hæ specificæ sunt. ℞. Succin. alb. præpar. santal. alb. ana ℥ß. C.C. calcin. ocul. cancr. præpar. corall. alb. præp. nuc. moschat. ana ʒi. glycyrrhiz. Hispan. sicciss. ʒi. gum. Anim. camphor. ana ʒii. f. omnium pulvis subtiliss. excipiendus s. q. terebinth. Venet. f. massa pilular. Sum. ad pondus ʒi. mane hor. 4. ante prandium, & in ingressu lecti horis tribus à levi cœna, superhausto vini rubri sive clareti usti cum sacchar. & cinam. momento.

Vel. ℞. Gum. guajaci, animæ ladan. colophoniæ ana ℥i. mastich. thuris, sandarac. ana ʒiij. succin utriusque flavi & albi præpar. ana ʒiijß. rad. tormentil. bistort. symphyt. maj. filipendul. ana ʒß. inter ossis sepiæ, mandibul. Lucii magister. perl. & coral. cum ol. sulph. præcipitat. ana ʒijß. C.C. ad albedinem usti ʒvj. croci Mart. astringent. ʒx. camphoræ ʒij. ambr. gris. ʒjß. f. omnium pulvis qui excip. s. q. terebinth. Venet. s. massa pilular. Dosis ut suprà.

Haud minus sistunt tabellæ sequentes. ℞. Croci Martis optimi ℥ß. coral. rubr. præp. marg. præp. vel potius salis eorundem ana ʒij. lap. hæmatit. Præp. ʒiß. bol. Armen. terr. sigillat. ana ʒj. sacchari albiss. duplum pondus omnium Ms. & cum mucag. gum. tragac. in aqua Rosar. extract. f. tabell. ponderis ʒij. Capiat unam mane & vesperi.

Ista nisi profecerint, & ad Narcotica sit deveniendum, concinnentur tales pilulæ.

℞. Gum. guaiac. ʒiij. colophon. ℥ß. mastich. ʒij. laudan. dysenteric. nostri ʒß. cum sapa cydoniorum F. massa Capiat ʒj. quotidie mane super hausto vini albi tantillo per 10. vel 19. dies.

N. B. Vinum exhibendum ad correctionem opii, ne videl. caput feriat & somnum conciliat.

Laudanum autem Dysentericum hoc est.

℞. Extract. opij. ʒiß. extracti croci ℥i. tinctur coral. ʒvi. magister. perlar. croci mart. adstring. an. ʒij. ambræ gris. benzoin. an. ʒi. moschi ʒß. M. F. Massa. Dos. gr. ij. vel iv.

Quoad externa, ea sunt cauteria, insessus, suffitus metrenchyta, & emplastra lumbis &c. applicata.

De cauteriis supra dictum est.

Insessus ex hystericis, paucis adstringentibus & vulnerariis plurimis parandus est.

Suffitus siccus. ℞. mastich. sandar. an. ℥ij. styrac. calamit. benzoin. an. ℥i. lign. Rhodii, santal. citrini ana ʒiij. ladani puriss. ℥iij. carbon. salic. ℥v. M. & cum mucagine gumm. tragacanth. extract. in aq. Angelica aviculæ Cypriæ instar digiti crassæ & oblongæ, incidendæ s. a.

Suffitus humidus, ex odoratis in sella perforata exceptus etiam proderit ut ex decocto ligni Rhodii, rasur. juniper. styrac. benzoin. in vino albo, addit caryophyll. nuce mosch. &c.

Metrenchytum. ℞. cortic. medii querc. junior. ℥ij. radic. torment & bistortæ an. ℥i. sant. citrini & rubri an. ʒvi. fol. querc. tenell. potentillæ, plantag. centinod. an. M. j. archangel. albæ M. ii. salv. rubr. M ß. rosar. rubr. p. iiij. Bull. omnia in aq. fabror. ℔. vi. fiat injectio bis in die tepide, ter quater ve quavis vice. Postea utatur idoneo subligaculo.

Emplastrum applicandum lumbis & ossi sacro.

℞. Ladani puriss. ℥ij. radic. bistort. ℥i. gumm. Arab. lapid. hæmatit. battitur ferri in aceto præpar. an. ℥ß. sangu. drac. mastich sandar. an. ʒvi. myrtyll. ros. rubr. an. ʒiij. olei glandium, ceræ, an. q. s. ut f. Empl. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medic. lib.* 3.

In *Fluore Mulierum.* ℞. Extracti senn. ʒi. resin. turbith. gr. viij. res guajaci gr. vi. syr. rosar. q. s. M. F. Bolus.

In *fluxu seroso.* ℞. Rob. samb. ʒij. resin jalayp. gr. x. mercur dulc. gr. xv. M. F. Bolus.

Vel. ℞. Extract. rhei ʒi. syr. rosar. ℥i. sal. hæmatit. gr. iii. M.

Humores crudi circa ventriculum cumulati, evacuentur per vomitoria, uti.

℞. Eximel. ℥ß. sapæ vomitor. gut. v. M. F. vomitorium.

Post sufficientes purgationes, ad discutiendas humorum superfluorum reliquias, sudorifera adhibeantur uti.

℞. Rob sambuci ʒij. antim. diaphor. terræ solar. an. ℈i. tinctur. antim. ʒß. decoct. lign. guajaci ℥ij. est F. sudoriferum.

Vel. ℞. Bezoartici C. C. ʒi. decocti rad. chin. ℥ij. M. F. sudoriferum.

Tel. ℞. Conserv. ros. rad symph. cand. an. ℥iß. coral. rubr. C. C. usti & præpar. an. ʒi. matris perlas. præpar. ʒß. sang. drac. croci mart. ana ʒij. bol. armen. ʒi. eum syr. corall. & de ros. sicc. f. bolus. Dos. mane & vesperi à ʒi. ad ʒij. *Hermann. Nicol. Grimm. Compendii Medico chimici lib.* 4.

Con-

Consultationes.

Pro Perillutri, ac Nobilissima Fœmima Ausculana uteri fluore Albo quoquo pacto flavescente affecta.

Affectus, quo nobilissima mulier detinetur ita de se patet, ut à quoque vel medicæ facultatis ignaro cognoscatur, is etenim uteri fluxus albus existit aliqua ratione flavescens, qui sicuti omnibus quoad sensatam cognitionem, sic tantum Medicis quoad curationem meritò debetur, eorum nam que est proprias causas, propriamque generationem attingere.

Circa quæ illud meo judicio interim statuendum, hujus videlicet affectus causam unicum caloris nativi languorum existere, quod an ita se habeat, luis venereræ infectio, ejusdem occasione inunctio ex hydrargirio ad usum deducta, alijue fere innumeri in vivendi ratione errores perpetrati attestantur; quæ omnia an posint calorem nativum labefactare, proindeque diversos parere præter naturam affectus, vel ex hoc cognoscere licet, quod viscerum principalium temperamenta, ac proportiones potissimum solent evertere, id quod per illustri nostræ patienti contingit dubio procul, hinc non mirum, si in ea sanguificatio male habeat, non tantum ob læsam hepatis facultatem, ac proportionem, verum & ob ventriculi intemperiem frigidam, ac humidam, ex qua multa pituitæ copia ibidem generatur, quæ postmodum in jecore non potenti non emendata, per venas diffusa, ad uterum demum tanquam ad omnium excrementorum in fœminis partem expurgatricem deveniens, prædictum profluvium excitat.

Cœterum, an hoc in facultatis retentricis vitium, vel in expultricem sit referendum, non erit abs re, si distinxero; ac ut id paucis expediam, puto ego in facultatem expultricem esse referendum, quod ex eo potissimum conijcere licet, quod ea omnia adsunt hoc in casu, quæ solent facultatem expellentem ad operandum suscitare, excrementa inquam tum copia, tum qualitate peccantia, quantitas in pituitam, qualitas in alicujus ichoris biliosi portiunculam (hinc exeuntis color quoquo pacto flavescens) referri debet.

Quæ omnia cum ita se habeant, pro hujus affectus, Symptomatumque concomitantium, palloris nimirum, appetitus dejectionis totiusque lassitudinis, & aliorum si quæ alia patitur mulier nobilissima) remotione, Medici curantis partes erunt, in nnicam excrementorum ablationem non solum incumbere, verum etiam in id totum studium dirigere, ne scilicet de novo eorundem generatio fiat, ac propterea viscerum discrasias emendare, luem veneream propriis Alexipharmacis corrigere, calorem nativum roborare, atque uterum, qui præsertim patitur, firmare tenebitur.

Quæ ne consequatur, non parum suspicor, multa si quidem pertimescenda deterrent, calor primum nativus rei medicæ fundamentum adeo labefactatus; causa secundo illa maximæ activitatis lues gallica quam (ubi radices altiores jecit) est impossibile dimovere. Tertiò præsentis affectns difficilis tolerantia, quam lassitudo totius luce clarius insignem ostendit; Quæ tametsi obstent curationi, non propterea medicus à medicamentorum usu desistat oportet, ætas enim è contra patientis perillustris ferè consistentiæ, ejusdem animus prudens, ac præceptis Medicis obsequens Medicique curantis diligentia Medicamenta, & auxilia medica si non absolutam sanitatem, maximum saltem fructum, ac utilitatem allatura pollicentur.

Qua bona spe concepta, ad materias præsidiorum devenio; & quod ad chirurgicam spectat, non habeo quod proponam, nisi cauterium tum in femore dextro secundum partem domesticam, tum in brachio sinistro suscitatum, item frictiones primum molles, mox asperiores, hinc ex melle probè cocto, & actu frigido, ea tamen frigiditate, quam aquæ fontis æstivo tempore sustinent, factas; Galenum præceptorem insequutus non possum non summopore probare.

Quod attinet ad pharmaca, totius habeatur providentia, primum per lenientia mel ros. & syrupum ros. solutiva, deinde per præparantia, decoctum inquam cicoraceorum, betonicæ, boraginis, agrimonii, senecii, capill. ven. semine melonum cum cortice, tandem per purgantia ex infuso Rhab. & Agarici, adjecta manna, sed mitiora aliqua evacuantia perillustri patienti in usu sint oportet, eaque sæpe sæpius reiteranda, inter quæ ego omnibus præfero pulverem radicis mechiocani ex infuso myrobalanorum citrinorum in vino nigro austero facto.

Post hæc pro evacuatione sensibili per urinas ea Diuretica probo, quæ pariter Galenus hoc in casu probavit, decoctum videlicet asari, & apii, verum cum lacte semine melonum: pro evacuatione vero insensibili per habitum nil præstantius decocto guajaci, & salsæ, adjectis sandalis rubris, cicoraceis, betonica una cum diureticis frigidis, aut saltem temperatis; A quibus ad uteri roborationem duo propono unum est aquæ insessus ex thermis aliquibus aluminosis. Alterum est pulvis qui.

℞. Carabæ. drag. ii. florum spicæ odoratæ tunicarum internarum ventriculorum Gallinæ an. drag. 1. M. & fiat pulvis subtilis, cujus drag. 1. exhibeatur ex decocto extremitatum vitvli, in aqua calybeata parato.

Pro ventriculo autem, & hepate roborando, necnon proportione eorundem servanda, primum ratione hujus, si exterius succus cicorii ex aceto, ac speciebus cerati sandalini super propriam regionem administraretur, non improbarem. sed qnod mirum in modum probo, est serum caprinum depuratum, estque calybeatum cum succo acetosæ interius ad plures dies exhibitum. Ratione verò ventriculi intus à confectione aromaticum rosatum dicta, sine Musco tamen, & ambra non recederem, extra ceratum Masticinum cum aromatibus applicitum, & his non conferentibus embrocam ex oleis stomaticis juberem administrandam, quibus omnibus confido calorem nativum insigne juvamentum percepturum, & eo magis, si proba vivendi ratio conjungatur.

De qua nil habeo dicendum, nisi quod patiens nobilissima carnes comedat vitulinas, hædinas, pullorum, & aenum in montibus degentium, iis-

que potius assis, quam elixis utatur, ova, ac pisces sint illi in usu, qui in aquis claris vitam degunt, circa quæ omnia illud præcipue notandum quod si edulia in aqua calybeata coquerentur, plurimi esset fructus, vinum bibat nigrum, & austerum, quod si oportebit aqua diluetur. Verum eo tempore, quo guaiaci decoctum assumet, eam vivendi rationem servabit quæ usui esse solet, quam etiam hic adnotarem nisi certo scirem excellentissimum curantem eam posse optime præscribere, sicuti & omnia alia, quæ ad salutem nobilissimæ patientis attinebunt, quam utinam his à me propositis præsidiis. Deus O.M. de morboso ad sanum statum traducat. *Julius Cæsar. Claudinus in Consultat Medicin.*

Muliebre Profluvium.

Mulier annum agens vigesimum tertium, temperamenti pituitosi, duobus abhinc annis viro nupta, post aliquot menses ab inito Matrimonio in muliebre profluvium incidit, primo satis mite, temporis autem progressu magis molestum. Materia peccat tum qualitate, ut plurimum ad glaucum, sive croceum colorem, & quandoque albicantem vergens, tum etiam quantitate, quia fluxio est continua; suis tamen temporibus consueti Menses apparent. Hinc mœrore & tristitia afficitur, cum filios, ut maxime optat, procreare non valeat. Multa quidem fuere tentata remedia, sed ea leviora omnia. Quare cum generosiora nondum experta nobis adhuc salutis spem faciant, sapientissimum consilium tuum & auxilium quærimus.

Quoniam muliebre Profluvium Senioribus familiare esse solet, quo quinquagenariæ utplurimum corripiuntur, unde mirabatur Mercurialis cum Aëtio, Adolescentes: & ante ipsum Fernelius, Puellas hujusmodi affectu corripi: ideo cum huic Nob. Adolescenti contigerit, magnus inde recessus à naturali statu est inferendus: cum enim per hujusmodi affectum totum corpus, scatens excrementis, per Uterum expurgetur, tanta excrementorum sarcina non adeo facile in juvenili, minusque adolescenti ætate congeri debet, in quibus uiget calor nativus. Quare in hac Nob. Adolescente non exiguam adesse partium principalium, & forsan principaliter inservientium intemperiem, facile credendum; at quænam sint, ambigere cogimur: siquidem totius ejusdem intemperies pituitosa in relatione describitur, materia vero ex utero fluens, crocea utplurimum, & quandoque albicans observatur, caliditatis indicium: unde cogimur quoque statuere, frigidam quidem atque humidam in toto, sed in jecore calidam reperiri intemperiem; quibus facile addita quoque fuerit aliqua ventriculi imbecillitas, si non positiva, saltem privativa: & forsan cum Hipp. à capite defluens humiditas, de quibus Scheda nulla mentio: sicut nulla de modo vivendi, qui forsan & cruditates in ventriculo, & biliosus humores in jecore, indeque in toto congerere potest: Pro certo enim habendum quod ad muliebre profluvium gignendum semper concurrat sanguinis impuritas, aut cum Expultricis robore, ut in Juvenibus, aut cum Retentricis venarum imbecillitates, ut in Senibus, sicque varia excrementorum copia, pro diversitate partis laborantis, & excrementum producentis. Et licet sæpe à serositatibus procedat, nihilominus Auctor Definitionum dicebat, quod in Profluviis muliebri colores plures contingunt, albus, rufus, ruber, niger: quod confirmabat Galenus dicens, in profluvio muliebri expurgari, quod in corpore redundat, vel rubram sanguinis saniem, vel excrementum album, ut pituita; vel pallidam, vel biliosum; unde mille coloris species obseruari asserebat Aretæus.

Quoniam vero Uteros humidos habentes non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura, vel præterlabitur, ideo Nob. Adolescens non concipit, quia continuo ulterum humida materia irrigatum habet, & forsan à diuturuo excrementorum transitu aliqua intemperie & imbecillitate affectum: atque ita symptoma hoc in excretis immodice fluentibus, copia & qualitate peccantibus, causa sterilitatis evadit.

Cujus Curatio impossibilis censenda non est, licet valde difficilis: altas enim & quodammodo naturales radices habet, partium nimirum intemperies continua excrementa regenerantes, quas corrigere non adeo facile fuerit.

In tribus autem consistit ejusdem Curatio, in evacuatione materiæ peccantis, tum per Dejectoria, tum per Diuretica; in correctione intemperierum partium mandantium; & in aliqua Uteri exiccatione atque roboratione.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, iterata, sed parca, opus erit sanguinis missione ex utroque brachio. Et quamvis differat casus iste ab illo in Uxore Boëthi, à Galeno descripto; nihilominus frictiones quoque asperæ, ut in illo, toti corpori proficere poterunt.

Reliqua ex Pharmaceutico fonte sunt desumenda remedia; & primò, pro primarum viarum expiatione, conveniet potio ex manna clarif. cum tartaro. Pro primo Præparante sine diluto oxymel simpl. cum aqua menthæ paratum, & cinnam. atque cortic. citri aromatizatum, ad ℥. iij. Quinque vero transactis diebus, repetatur potio eadem, ut supra, addito tamen agarico infusioni consuetæ.

Qua prima peracta expurgatione, aqua Tettuciana, utpote præstantissimum remedium, quatuor aut quinque diebus cum vehiculo dejectorio propinanda erit. Mox pro secunda præparatione paretur mulsa diluta, cui addantur succi depurati & per arenam trajecti, cich. borag. & agrimoniæ; in quorum usu quindecim diebus insistat: sed quinto quoque die assumat electuriarii diaph. & de succo rosar. an. ℨ. ij. cum flore cassiæ; vel infusionem agat. rhab. & senæ, addito syr. rosſ. solutivo, quibus superbibat aquæ hordeaco vel seri depur. ℔. ij.

His transactis diebus, ad urinæ vitas erit materia fluens Diureticis divertenda, cum Diaphoretica

retica & Sudorifica ab anni tempore calido non permittantur: Sic Galenus uxori boëthi præbebat æpii & alari decoctum: ego vero jus alteratum, ita parandum censeo.

℞. Chinæ opt. inc. ligni lentisc. è chio an. ℥.ß. ligni sassafras. inc. ʒ.ii. radic. fœnic. apii. an. ℥.i. aquæ com. ℔. iii. m. f. inf. per hor. xxv. deinde adde quartam partem galli junioris, & bull. ad consumpt. dimidii, colatura vero servetur pro duabus vicibus, summo mane exhibenda; cui præmittatur bolus.

℞. Terebinth. cypriæ lotæ in aqua capill. ven. ʒ ß. salis tart. volatiliz. gr. vii. m. reform. bolus. In cujus decocti usu insistat integro mense; sed singula hebdomada assumat.

℞. Elect. lenit. ℥.ß. diaph. de succo rosar. an. ʒ. i. Magisterii jalappæ gr. vii, m. reform. boli, & exhibeantur quatuor horis ante cibum, quibus tamen superbibat aquam hordeaceam.

Terminato decocto jam dicto diuretico, jecoris & renum calida intemperies per easdem vias urinarias corrigi poterit aquis acidulis, imo vitriolatis in valle solis scaturientibus, & prærogativam in hoc affectu obtinentibus: ad quas se conferat Nob. Mulier, ut postea ea domum reversa, utero exiccatio aliqua atque roboratio procuretur; in quem finem utilissimæ essent insessiones in aquis sulphureis; quæ quoniam forsan præsto non erunt, ideo iisdem substituatur aqua pro insessione cum tubulo, in qua ebulliant folia rosarum, myrti, balaustia, cort. granat. gallæ, pulegium, & calament. & membrana illa, quæ sub crassiori cortice quercus reperitur, portionem quoque alum. crudi in eadem dissolvendo.

Et dum jam dicta omnia peraguntur, sicut & postea, congrua erit servanda victus ratio, quæ sit moderata in primis qualitatibus, ad siccumque vergat in secundis, à viro excellentissimo adstanti peculiariter præscribenda. Sed interim vinum pro mensa paretur medicatum lentisco & santalo, adeo ut pro singula situla dictorum unciæ duæ ingrediantur. Ita à cibo devoret duo aut tria integra grana mastiches, vel pilulam ex ℈. i. succi absynthii condensati.

Quibus si non cedat affectus, à capite magnopere foveri facile erit credendum; & ideo ad decoctum sudorificum opornuiori tempore erit deveniendum, cum pulvere viperino exibendum: hoc enim suppresso, fœcundam quoque futuram Mulierem Nobil. sperandum. *Raym. Iohan. Fortis Consult. & Resp. Medic. T. 2. cent. 4.*

Muliebre Profluvium.

Illustrissima March. temperamenti totius ad calidum & siccum vergentis, hepatis calidioris; post felicem fœminæ partum felixque puerperium mense Augusto præterito securum, incidit in menstruorum primo diminutionem, cui venæ sectione opus fuit; inde quatuor post mensibus, ob varias corporis animique agitationes, in eorumdem depravationem, cum statuto tempore aliquot solum guttulis sanguinis succederet fluxus albæ materiæ, viridi ac flavæ mistæ fœtidæ semper, atque acris, quæ non solum partes per quas exibat, summo ardore afficiebat, sed magnis quoque doloribus dorsum & ulcerosa lassitudine totum corpus vexabat, præsertim aut omnino suppressis, aut parcius effluentibus jam dictis materiis, quibus rursus exeuntibus patiens Illustriss. levabatur. Interim febriculis quoque subinde laboravit, urinis turbidis plerumque apparentibus. Tandem circa dimidium februarii mensis, ignara etiam se utero gerere, variis insolitis prægressis motibus, post egressum abunde sanguinem, abortivit, succedente etiam sufficiente lochiorum expurgatione, cum addita parca ex saphæna sanguinis emissione, patiens melius se habere visa est. Duravit tamen. & durat adhucnuc dolor fere continuus in dorso cum fluxu, licet parciori earundem materierum absque ullo levamine. His accedit frequens alui fluxus materiæ crudæ ac serosæ, calidæ & acris, cum calore, ac doloribus capitis, siti, totius corporis lassitudine ulcerosa, urinis, jumentorum similibus sæpe, sed semper crudis; stomachi imbecillitate ac viscerum naturalium fervore. Quibus malis opportuna remedia à summa tua Virtute exposcimus, hoc solum addentes, quod in præsens menses floridi sanguinis fluunt, licet suo more, hoc est, summa patientis lassitudine, & etiam post debitum tempus apparverint.

Muliebri profluvio matronam Illustriss. jam divexatam fuisse, & adhuc nuc molestari non est qui in arte peritus dubitare possit: siquidem continuuum ab utero effluvium materiæ copiosæ à sanguine alienæ id attestatur: sicuti ab urina jumentorum simili, confirmatur, ut de Nat. muliebri 15. asserebat Hippocrates. hoc autem profluvium biliosum sese ostendit, qum observatur humor exiens serosus, & sæpe flavus, præterea acris & mordax, & non in utero congestus: exiguus enim esset, & fluorem uterinum potius, quam muliebre profluvium constituere: sed à toto venoso genere emanat, sicut prius à jecore fervidiori producitur, qui una cum menstruis purgationibus singulo mense à Natura excerni debuerat, verum partim ob aliquod in utero & vitium, & labem ex abortu contractam, partim ob humoris ejusdem & copiam, & acriorem qualitatem, usque ad præfinitum tempus Menstruum detineri, nec à Natura tolerari potest, sed facultatem expultricem irritando, eandem ad sui expulsionem frequenter cogit, & muliebre profluvium parit. Vitium autem in utero, obstructionem esse credendum, eamque à crasso, exusto & melancholico sanguine factam; & ideo accedentibus menstruis, quia vasa & ligamenta implentur & extenduntur, dolores succedunt, ab utero ad dorsum usque etiam sese extendentes. Ad hujusce autem sanguinis productionem prona valde est patiens Illustrissima: virilem enim naturam ab ortu sortita fuit, fervidius temperamentum tum jecoris, tum cordis, & ætas in vigore caloris temperamenti constituta est, quæ omnia (additis quoque animi mœroribus) non ad solius biliosi humoris, sed atrabilaris quoque generationem conspirant, qui à natura ad uterum detrusus, nec venulas illas permeare valens, in iisdem manens obstructiones

facit: & reliquis humoribus excrementitiis transitum impediens, Menstruorum imminutionem induxit, sicque concurrit fœcunda calidi humoris generatio, & parca, menstruali tempore, eorundem expurgatio, quam supplet Natura continua jam dictæ serolæ atque biliosæ acris materiæ extra tempus transmissione.

Profluvium hoc curari quidem, at non adeo facile supprimi debet, dum è multis malis minus hoc elegit Natura: sicut enim modo malum est, ut signum, ita si importune supprimeretur, malum evaderet etiam ut causa, dum multiplices excitare posset p. n. affectus. Neque ut causa modo conceptioni infensus esse potest, cum à venis non in Vteri cavitate, sed ejusdem cervice profluat humor. Curandum tamen esse dixi, tum quia concubitum molestum reddit, tum maxime quia ab iisdem causis permanentibus aliqua quoque pejora mala procedere possent: & ideo causis multo magis, quam effectui esse incumbendum nos monent omnes Medicinæ Principes.

Quare expiatis primis viis, secundò venosum genus ab hisce pravis humoribus depurandum. Tertio Uteri obstructiones sunt aperiendæ, ut Menstrua bene procedant. Quarto Jecoris & sanguinis fervor contemperandus; atque tandem uteri vasa nonnihil corroboranda.

Quibus intentionibus in fine veris, aut ineunte Æstate satisfaciendum erit; & primo à fonte Chirurgico iterata erit depromenda sanguinis missio, & primo ex Jecoraria dextera, tempore intermedio à præterita & futura menstrua expurgatione æque distenti: secundo ex saphæna dextera in fine menstruæ purgationis imminute procedentis. At si primus sanguis extractus forsan niger valde atque crassus apparuerit, unico intermisso die, ex altero brachio repetatur eductio, ut facilius tota purificetur massa sanguinea, & ne ad Vterum à Natura transmissus, impedimenta adaugeat, magisque imminutas reddat menstruas purgationes, non omissa postea tertia ex saphæna eductione.

Ex pharmaceutico reliqua sunt depromenda medica auxilia. Et primo primæ viæ erunt expiandæ potione ex man. clarificata; aut syrupo ros. solutivo; aut cassia cum lenitivo. Deinde quinque diebus præparantibus utendum è Julapio acet. corticibus citri aromatizato. Quod si abhorreat Illustriss. Patiens, substitui poterit cremor tartari ad semiunc. quotidie præbendus, in jure corticibus citri alterato dissolutus. Mox leniens supradictum erit repetendum. Et inde ad ulteriora præparantia deveniendum, quæ erunt potius succi depurati, quam syrupi saccharati, illique ex cich. borag. & pomis ad ℥iii. in decoct. cichoraceorum, additis foliis malvæ & viol. in quorum succorum usu ad xx. dies saltem pergendum erit; sed quinto quoque die biliosi humores, & tandem etiam exusti erunt elective educendi, prima & secunda vice exhibendo electuarium de succo rosarum ad ʒ. iii. flori cassiæ mistum, cui post horam superbibat, aut seri caprini, aut aquæ Nocer. ℔. ii. tribus vero horis ab assumpto potu prandeat. Vice vero tertia & quarta, addatur quoque Extractum senæ ad ʒ. i. aut potypodii. & pariter superbibat serum, aut aquam jam dictam: nec quicquam de ventriculo dubitetur.

Jam dicta peracta purgatione, utilissimas, imo necessarias existimo fore aquas acidulas, & præsertim Villenses, ut quæ valeant non solum viscerum & sanguinis calorem contemperare, verum quodammo & aperire: quarum tamen usus tutior fuerit, si iisdem præmittantur aliqua alia præsidia Vteri venas reserantia, quæ esse poterunt interna & externa. Et interna, erit cyathus aq. stillat. capill. Uen. & artem. additis gr. x. salis ejusdem artem. vel addita uncia aq. sabinæ, vel gutt. tribus aut quatuor ol. sabinæ; in cujus aquæ potu insistat matrona illustrissima x. aut xii. diebus; & interim uteri regio foveatur spongia magna apposita, imbuta prius decoct. malv. puleg. orig. calamen. mercurial. radic. lil. alborum, quæ removeatur, ut altera calens admoveatur, & sic per vices ad integram horam; inungendo postea uteri regionem oleo lil. alborum.

Inde ad usum jam dictarum aquarum deveniat; & primis diebus vehiculo dejectorio, reliquis vero diuretico, ut moris est, sunt propinandæ: & tunc lactis usum per plures hebdomadas utilissimum fore censeo; quo eodem tempore insessiones quoque in aliqua aqua uterum corroborante prodesse possent, qualis apud nos est aqua Montis Ægrotorum, vulgo de Monte Grotto dicta; & ista; esse poterit aqua jam dicta Villensis, ut venæ cervicis uteri quodammodo laxatæ aliquam corroborationem acquirerent, qua forsan non indulgebit uterus nuper affectus.

Jam dictis omnibus congrua victus ratio est addenda, adeo ut à salitis, acribus, calidis aperientibus alimentis abstineat; sicut ab usu aromatum & vini generosi; à nimio exercitio, & ab ira, & mœroribus: ad has enim animi passiones est valde propensa. Alacriter igitur vivat, ut optatam sanitatem consequi & conservare possit, quam ego eidem Matronæ Illustrissimæ à Deo enixe precor. *Idem ibidem.*

Muliebre Profluvium.

Nobilissima Matrona annorum vigintiti novem, staturæ mediocris, temperamenti totius ad calidum & siccum vergentis, jecoris calidioris, ut ex colore florido atque interno calore cum alui stypticitate conijci potest, capitis humidi, quia capillos gestat & multos, & oblongos, & præterea destillationibus est obnoxia, unde ventriculum quoque lædi credibile est, sicut læditur etiam à libera victus ratione; sex abhinc annis, post partum felicem & naturalem, sibi observare cœpit madida pudenda cum aliqua acrimonia & urinæ ardore, quæ humiditas hucusque major semper Æstate, quam Hyeme apparuit, eaque coloris citrinis ut plurimum, & quandoque aquosi; ab illo vero tempore sterilis reddita est, & successit vix percep ibilis quædam totius corporis gracilitas. Varia à Medicis Excellentissimis fuere administrata remedia, nimirum aquæ thermales, boli ex terebintho, serum destillatum & chinæ decoctum necessariis præmissis purgationibus, quibus tamen

men quicquam non cessit effluxio, licet nonnihil à chinæ Decocto juvari sibi visa fuerit Nob. Matrona, quoad concoctiones & nutritionem, non autem quoad fluxionem ab Vtero. Dubitatum fuit, num Gonorrhœa, sive seminis effusio sit, cum addatur ignavia quædam ad Venerem & à coitu aversatio; an potius imbecillitas aliqua, sive laxitas vasorum renalium, sive tandem totius corporis excrementorum ad Vterum depositio. Pro hoc affectu sedando, si non auferendo, ad usum juris Chinæ ducta fuit triginta abhinc diebus Nob. Matrona, cum aliquod juvamen sibi afferre videatur. Proximo vero Autumno ad majora devenire cogitant isti Excellentissimi Medici, nimirum, post expurgationem universalem, ad Decoctum sallæ, ligni quercini, radicum pæoniæ cum correctivis hordei, cinnam. & coriandri, tertio quoque die idem Decoctum alterando pulpa tamarindorum, & dissoluta cassia cum crem: tartari. De quibus omnibus à me consilium petit Nobiliss. Matrona.

Molesta ab Vtero fluxio materiæ serosæ, & utplurimum citrini coloris, qua sex abhinc annis divexatur Matrona Nob. & quæ primis temporibus cum urinæ ardore & acrimonia effluebat, progressu postea remissis, inter depravatos motus à Galeno recensetur, symptoma in excretis immodice fluentibus, qualitate, quantitate, modo & tempore peccantibus, quæ si modica esset atque fuisset, Vteri Rheuma, sive fluxus uterinus dici posset: verum quoniam non adeo exigua effluit materiæ, eaque utplurimum flavo ac citrino colore tincta, acrique qualitate ab initio prædita, idcirco non in Vtero primum ortum habere, nec ab Vteri imbecillitate, sive intemperie scaturire credendum, adeo ut fluor uterinus tantum constituatur; sed ab alia superiori loco originem ducere; Vterum vero ut aquæductum eidem inservire credo, nisi forsan adeo diuturno tempore à continuo humiditatis ad Vterum affluxu & Vterum ipsum aliquam labem contraxisse suspicemur; fluxionem tamen principaliter à partibus superioribus defluere, & muliebre profluvium appellandam statuo; quod tamen legitimum non esse, sed spurium ostendit signorum absentia, quæ non solum à Galeno in Vxore Boethi ad Posthumum, verum & ab Aetio, & Paulo adducuntur. nimirum cibi fastidium, difficilis respiratio, tumor pedum, abdominis, faciei, oculorum, & tandem totius, cum virium insigni imbecillitate, quibus addi Hipp. vrinam jumentorum similem. Neque confundenda est hæc affectio cum Gonorrhœa, sive seminis effusione, quoniam non adeo diuturno tempore sine insigni virium jactura & totius emaciatione perseverasset, ut in Hipp. de Grypalope legimus: neque cum imbecillitate, cui necessario non associatur materierum effluxio; præterquamquod exiguo temporis progressu urina cruenta, quinimo & propter imbecillitatem laxatis venarum orificiis sanguis ipse excretus visus fuisset. Quare constanter asserendum idem hujus affectus esse muliebre profluvium, quod nil aliud est, quam totius corporis redundantium excrementorum per Uterum expurgatio. Horum autem partes mandantes ex ipsorum qualitate, & totius, atque partium superiorum intemperie facile dignoscuntur, & ideo in casu nostro, cum Matronam Nob. in juvenili ætate constitutam potius, & jecoris temperamenti calidi & sicci, capitis vero humidioris, nec adeo firmi ventriculi esse considerem, hisque excrementorum ab utero prodeuntium color utplurimum citrinus & flavus, nimirum biliosus, necnonquandoque albus & aquosus addatur, plures quoque atque diversas esse partes generantes ac mandantes certo decerno; à jecore namque citrini coloris materia, sicut à capite aquosa & pituitosa producitur, cui in ventriculum delabenti, & eundem quodammodo laxanti cruditates quoque ab eodem genitæ commiscentur, indeque mista materia hujusmodi ad jecur & genus venosum distribuitur; utraque vero hujusmodi meteria & biliosa, & pituitosa Naturæ molesta, pro minori malo & individui tutela ad uterum transmittitur, magisque Æstate, quam hyeme, quoniam tunc temporis tenuiores generantur humores, & per ipsum expurgantur magis, non sufficientibus consuetis menstruis evacuationibus. Ab hac vero fluxione quoniam impeditur conceptio, & sterilis reddita est nob. Matrona, ideo non per vasa ceruicis, sed per interna corporis ipsius uteri effluere omnino credendum: dum enim ab hac irrigatur & humectatur uterus ipse, Genitura non retinetur, sed foras elabitur; Quæcunque enim humidos Vteros habent, non concipiunt dicebat Hipp. à qua eadem humiditate excitamentum quoque ad coitum obtundi, & corrugationem impediri credibile est. Grocilitatem vero vix perceptibilem à causa potius hujusmodi profluvii, nempe ab intemperie partium concoquentium, quam ab ipso profluvio & excrementorum ipsorum excretione provenire censeo; non enim utilis succus, ut esset sanguis, excernitur.

Affectus iste, præterquam quod Mulieribus molestissimus esse solet, sterilitatem etiam inducit, & præterea temporis diuturnitate individuo quoque plura mala afferre potest; adaucta namque intemperie, partium mandantium imbecillitate, suscipientium, & viarum lubricitate, adaugetur quoque excrementorum profluvium, quod tandem bonorum succorum, imo & ipsius sanguinis portionem secum rapere & extraducere solet, unde corpus vel ad Atrophiam, vel ad Cachexiam ducitur; & idcirco omnia agenda, ut prorsus auferatur; quod tamen assequi non adeo facile erit, cum non ad versus solam humiditatem pugnandum sit, sed adversus quoque biliosos, & calidos humores, sicque contra indicationes habeamus.

Nec illud in Curatione præcipuum à nobis est subticendum, quod nimirum de astrictione, vel de hujusmodi fluxionis suppressione soliciti esse non debeamus, nisi prius excrementorum reproductionem prohibeamus, intemperies partium mandantium corrigendo, alioquin retenta excrementa, multa pejora mala Nob. Mulieri inducerent.

Quare aliqua hoc anni tempore sunt agenda, ne augeatur affectus, sed vera, legitima & generosa curatio in Ver futurum erit differenda: in contumacibus enim affectibus quos purgare oportet, Vere purgandos esse dicebat Hippocr.

In præsens itaque levis esset ineunda Purgatio, nisi jam à Viris Excell. Adstantibus præmissa fuisset, chinæ Decocto modo ab iisdem præscripto, de cujus usu ita decerno, quod parum profluvio huic prodesse possit, cum primis qualitatibus non valde exiccare, & secundis potius laxare, quam astringere & roborare valeat; attamen quoniam nostro calori nativo China satis analoga est, & coctionibus ideo utilis, ut propterea ejus usum nutritioni potius nobil. mulieris, quam profluvio profuisse observatum fuerit; idcirco jus ejusdem admitti posse puto, Verum ventriculi coctionis fovendæ, & ipsius fluxionis, si non sistendæ, saltem, cohibendæ vim obtinebit, si lentisci e chio & santalorum alb. portiuncula eidem addatur; quod taman jus ita alteratum, exacta Æstate, in Autumnum differre consultius censeo. Sed interim jecori calidiori aliquam opem feramus, matutina potione gustui non ingrata, qualis esse poterit cyathus integer aqua. stillat. de succo cich. cum syr. de succo lim. & guttulis tincturæ coral. chymicæ. Quod si hoc eodem tempore ventriculo quoque sit prospiciendum, deglutiat nob. Mulier duo aut tria grana mastich. inrigra statim à cœna, ita enim capiti quoque proderunt. Et ut alvus magis officiosa reddatur in jure jam dicto chinæ quandoque dissolui poterunt ℨ. iij. aut iv. cremoris tartari; Cassiam namque dissolutam in eodem jure, licet optimam, non propono, utpote pro haustu insuavissimam. Convenire quoque poterunt passula prima mensa comansæ, superepoto jure, comis maluarum, aut mercurialis alterato. Et hæc pauca sat erunt pro proximo autumno, hyeme autem addatur quoque usus vini medicati pro mensa iisdem ingredientibus, china nimirum, lentisco & santalis, quæ ingredientia nullum vino saporem, uut odorem alienum inferunt.

Ad majora ante futurum vernum tempus deveniendum non esse denseo; & si de proposito Decocto loquamur, dico illud sine sudore potius nocere, quam juvare posse: siquidem omnia humores fundentia caput replere, & fluxum hujusmodi adaugere valebunt, nisi iisdem succedat sudor; eoque magis, cum illo anni tempore humores ad centrum ferantur, cum tamen ad circumferentiam moveri expostulent.

Quibus addo, hoc jam dictum anni tempus indicationibus necessariia pro intemperie calidi jecoris corrigenda opportunum non esse; quinimo neque pro purgatione congrua præmittenda; quare jam dicta à viris excellentiss. proposita erunt ad ver venturum differenda: tunc enim his indicationibus erit satisfaciendum; primo primæ viæ erunt mundandæ. Secundo massa sanguinea depuranda. Tertio caput purgandum. Quarto ventriculus roborandus. Quinto Humida capitis intemperies exiccanda. Sexto Caliditas jecoris corrigenda: ab harum enim trium partium intemperie excrementa proveniunt. Tandem pars recipiens, nimirum uterus, erit exiccandus atque roborandus.

Pro quibus explendis intentionibus remedia tunc temporis erunt à me, jubente matrona nobilissima, præscribenda, cui à Deo opi. Max. perfectam incolumitatem auguror & enixe precor.

Consultatio II.

Pro eadem.

Equidem non me latet Romæ clima nostro Patavino, calidius, cum poli elevatio quadragesimum primum gradum attingat, additis quinquaginta minutis; patavij vero ad gradus quadraginta quinque ascendat, sex additis minutis. Verum considerandum quoque istius caloris beneficium nobis detrahere posse aquilonales non infrequenter ventos spirantes, difflationem impedientes, & humores ad centrum impellentes. Addo quod uere & æstate in matrona nobilissima augetur affectus, quia tunc temporis funduntur humores; Hyeme vero incrassantur & ineptiores ad motum redduntur, ob idque facilius illo, quam hoc tempore ad corporis peripheriam evocari posse credendum: & quod magnifaciendum est, quod absoluto sudore, insensibilem humoralem per diaphoresin transpirationem, ipsorum etiam Professorum captum quantitate excedentem, eamque exuberantem, & certam æstate, parcam vero & incertam, atque interruptam Hyeme obtinere possumus. Sed præterea neque calidam jecoris intemperiem, à qua citrini coloris excrementa proveniunt, integre hyemali tempore corrigere valebimus. Quibus tamen non obstantibus, istius urbis clima experta Medentium observatio, & Matronæ nob. anxia petitionos à præscriptis considerationibus, & à proprio instituto abducunt, & ad obsequendum ducunt.

Quare pro curando Profluvio Muliebre sex annorum in superiori Consultatione sat à me descripto, citrinæ utplurimum, & aliquando albæ, aquosæ & viscidæ materiæ, à jecore, capite & ventriculo provenientis, cui successit, quoque infœcunditas & ignava venus, intentiones medicæ erunt primo primas vias expiare. Secundo Totum venosum genus ab excrementis vindicare. Tertio caput purgare. Quorto ventriculum quoque pacto roborare. Quinto Humidam capitis intemperiem exiccando emendare. Sexto calidam jecoris corrigere; & tandem labefectatum uterum, ut partem, jam dicta excrementa suscipientem & extraducentem exiccare atque roborare.

Pro prima itaque intentione explenda assumat nob. Matrona potionem ex manna clarif. ad ℥. vj. cum aqua. florum citri; vel electuarium lenit. ad ℨ. vii. cum crem. tart. ad. ℨ. iii. Mox. quinque diebus matutinis horis assumat julapium acet aromatiz. cum corticum citri ℥. ii. & aqua. cinnam. ℥. ß. Deinde repetat alterutrum jam dictorum Lenientium.

Inde accedat ad secundam intentionem, humores in vinis præparando fuccis depur. & pec arenam trajectis cich. borag. ad ℥. iii. iu jure pullæ cich. agrim. & melissa alterato. Sequenti vero die assumat bolos ex flor. cassiæ ℨ. ii. additis

tis tart. vitriol. gr. x. quibus pariter superbibat jus alteratum; ita enim si quæ adessent in mesenterio obstructiones, una cum humorum præparatione reserari poterunt, alternatim perseverando in dictorum succorum & cassiæ usu ad octavum usque diem: quo tempore assumat bolos ex flor. cass. ad ℥. vi. & pil. de tribus cum rhab. ad ʒ. j. addendo Magist. mechoac. gr. x. quibus post horam superbibat aquam nocer. ad libra. ii. & tribus horis ab assumptæ aqua prandeat. Mox reassumat succorum depur. usum, nempe cich. borag. & agrimoniæ, in jure pullæ cichorac. agrum. capill. Ven. & betonica alterato, in quo dissoluantur gr. xii. salis tartari fixi; in quorum usu pergat ad octavum usque diem; sed interim hoc tempore de sanguinis missione cogitandum erit, ex Jecoraria dextera sanguinem educendo ad ℥. vii. observando tamen tempus medium & æque distans à menstrua purgatione tum præterita, tum futura; in quem finem potest differti, & anticipari sanguinis eadem missio. Transactis jam dictis postremis octo diebus, præparatorum humorum expurgatio erit ineunda, vel jam dicto medicamento ex cassia, vel electuario lenit. cum pil. de tribus, & Magist. mechac. parato; vel infusione rhabarb. ad ʒ. ii. agar. ad j. sennæ ad ʒ. ii. cinnam. integ. ad ʒ. j. in aqua cich. addendo syrupi rof sol. vel pot. ex manna clarif. ℥. v. quibus pariter superbibat, ut supra, aquam nocer. ad lb. ii. vel iii. & interim diebus intermediis alvus clysteribus solicitari poterit.

Expedita secunda intentione, tertia erit quoque absolvenda, caput nimirum expurgando pilulis aureis, cochiis, simulque aggregat. an. ʒ ß. summo mane assumendis; quibus, transactis duabus horis, superbibat aqua. Nocer. libra. ii. aut iij. & tribus horis ab epota aqua prandeat. Hæ pilulæ quarto aut quinto transacto die sunt repetendæ; & diebus intermediis cyathus aqua capitalis erit præbendus, nimirum stillat. cich. beton. & major. ad ℥. vi. vel ix. in eadem dissoluendo sal betonicæ. ad gr. x. vel xij. & addendo, ita annuente nob. Muliere. conseruam de acido citri, aut limon. ad libitum. iisdem diebus intermedis expurgetur quoque caput ipsum Errhino, pulvere ex rad. iridis florent. major. & nigellæ parato.

Quarto pro roboratione ventriculi aquæ Tettuciana à me proposita fuisset superius, nisi crudorum excrementorum à ventriculo proventum multo magis à jugibus improportionatis objectis, quam ab ejusdem ventriculi imbecillitate derivari conicerem. Quare dum paulo infra humidæ capitis intemperiei prospiciam, uno eodemque tempore atque iisdem remediis ventriculi quoque rationem habebo.

Et ideo quinto pro capitis exiccatione, simulque excrementorum ab utero diversione ad sudorificum decoctum erit deveniendum, quod ita parabitur.

℞. Salsæ pril. elect. ligni visci querc. veri an. ℥. j. Chinæ opt. sant. alb. lentisci è chio an. ℥ ß. aqua stillat. cich. ℔ iij. stillat. beton. ℔ j. m. f. infusio per horas 24. deinde bull. ad consumpt. tertiæ, & facta colatura seruetur ad usum pro tribus vicibus, matutino tempore, hora una ante ingressum hypocausti assumenda, cui præmittatur pulvis viperin. ad. xij. Propotu vero consueto.

℞. Residuum, aqua. com. electæ ℔ xv. m. bull. ad consumpt. tertiæ, & sub finem ebullit. adde cinnam. integ. ʒ. ij. bull. parum, & f. colat. cui adhuc ferventi adde sacchari albi ℥. iv. vel ad libitum nob. Matronæ, sicut pariter frustula citri recentis, ut agitando fiat potio suavis, vulgo aqua Cedrata dicta, pro potu in mensa consueto: Vinum enim prorsus & omnino abdicandum. Sudor autem semel tantum in die provocandus, & primis tribus aut quatuor diebus in hypocausto excitatur, perficiatur in lecto: inde paulatim in eodem hypocausto diutius detineatur, adeo ut octo aut decem dierum spatio ad horæ dimidium perveniat, sicque perseveret, neque id tempus excedat usque ad quadragesimum diem, sudorem tamen in lecto per alterum horæ dimidium perficiendo. Decimo quoque die potionem sumat ex manna clarif. ad aquam epotam infra ducendam: & diebus intermediis, si alvus pigra fuerit, clysteribus solicitanda, ex lacte & syr. rof. sol. parandis. Victus debet esse attenuans licet non adeo tenuis, habita temperamenti, habitus corporis & consuetudinis ratione. Quare de more comedat panem biscoctum, aniso, aut fœniculo & (si placet) etiam saccharo conditum: addantur nuclei pinei, amygdalæ quoque, & præterea passulæ ad libitum. Tertio quoque die concedi poterit palumba turricola assata, aut aviculæ montanæ, quinimo & perdix una: & quandoque, vel urgente siti, vel exuberante calore, ptisana hordeacea concedenda, semel tamen, non bis in die. Absoluto sudore, calida jecoris & renum intemperies corrigenda esset, hocque eximie præstare possent aquæ acidulæ vitriol. ut quæ non solum refrigerare, verum & renes, & vasa roborare, imo & fluxum ab utero ad urinam affatimdi vertere valeant. Verum quoniam tempus pro hujusmodi aquis epotandis omnino importunum erit, ideo in futuram æstatem differendus, non autem omittendus erit aquarum dictarum potus, & substituenda est potio aquæ stillat. de succo cich. & plantag. ad ʒ x. cum gutt. tincturæ coral. chymicæ, summo mane haurienda, eidem præmittendo Conservam rosar. ad ℥ j. sicque decem diebus, sicut mox aquæ de succo cich. addi poterit aqua stillat ex tenerrimis quercus foliis, omissa illa plantaginis.

His iisdem diebus quibus jecur aquis præscriptis quodammodo refrigeratur, postremæ quoque intentioni aliquo pacto satis facere erit tentandum, & insessionibus in aquis sulphureis & aluminosis cum tubulo, quæ ob temporis inopportunitatem administrari nequibunt, substituendæ erunt injectiones clysteribus uterinis, primis diebus aqua Tettuciana simplici parandis, quæ diebus sequentibus alteretur fol. rosat. myrti, salviæ, ror. mar. orig. puleg. calam. montani, & facta colatura, addatur alumen crudum, atque tandem tantillum troch. de gallia moschata, nimirum ad ʒ. ß. libris ejusdem aquæ commisceatur, tum pro utero exiccando, tum

tum pro ejusdem tono conservando; hæ autem injectiones repeti poterunt & mane, & vesperi, aquam industriè in utero diu detinendo. Quo eodem tempore regio quoque renum sub ingressum lecti illinienda erit balsamo saturni, quo facile parabitur, oleum saturni cum oleo myrtino commiscendo, idque tum ad eorundem renum refrigerationem, tum ad laxitatis vasorum roborationem comparandam. Jam dictis omnibus addi potest aliquod medicamentum à proprietate juvans, à me non semel in hujusmodi casibus expertum, estque pulvis turturis ita parandus. Turtur deplumatus & exenteratus, vino ablutus, granis mastiches electi impletur, consuitur, & in furno reponitur ad exiccationem usque, deinde contunditus, in pulverem redigitur, & à ʒ. i. usque ad ii. quotidie post exactas purgationes, vel in jure carminum plantag. alterato, vel aqua stillatitia ex foliis quercus per mensem exhibetur, quem Nob. Matrona quoque assumere poterit, præsertim quia tempus erit hyemale. Nec pigeat tamdiu in remediorum usu persistere, ita enim morbi conditio expostulas, jam confirmati, & altas radices in corporis partibus principalibus fixas habentis.

Qui idcirco congruam quoque vivendi rationem pro fundamento exigit, quo deficiente corruet quoque fabrica medica: unde dicebat Aëtius, quod præcipua fiducia in recta victus ratione posita est, quæ in hoc casu mediocris tum in attenuatione, tum in tenuitate esse debet. Et primo caput ab aëris inclementiis erit custodiendum, & præsertim ab extemporaneis aquilonalibus ventis, sicut à diuturna mora prope ignem, corpusque totum toto hyemali tempore vestibus caute custodiendum. Secundo ex alimentis inter carnes vitentur concoctu difficiles & excrementosæ, quales sunt suillæ, bubulæ quoque frequens usus, agninæ, volucrum aquatilium. Inter pisces, damnantur palustres & nimis glutinosi, non ut tales, sed ut cruditatum authores; pariter ostreacea omnia & conchylia, vulgo apud nos pesci armati vocata. Inter edulia ex pasta parata damnatur tantum frequens usus. Inter lacticinia, prohibetur lactis usus, sicut usus quoque casei veteris: reliqua conceduntur. Inter legumina, permittuntur hordeum, oriza & lenticula, damnantur cætera. Inter fructus, conceduntur castaneæ, nonunquam persica, & pyra decocta, & uva pensilis. Inter bellaria, amygdalæ, nuclei pinei, raro pistacia. Inter olera, in acetariis concedi possunt lactuca, endivia, cichorium. Inter condimenta, prohibentur aromata, exiguo cinnam. vel pipere ruditer contuso exceptis; damnantur quoque condimenta ex allio, cæpis; & renuente ventriculo, etiam valde acida, ut frequens usus succi citri, limon. arantiorum. Quandoque ad concoctionem in ventriculo juvandam duo integra grana mastich. devoret. Prandio pleno potius, & parva cœna sit contenta. Superingestiones, tanquam pestis, fugiendæ, nil enim pejus, diæbat Avic. quam comestio supra comestionem: sicuti compotationes quoque tum vini, tum aquarum vitandæ. Potus autem consuetus sit vini non generosi, non albi, non dulcis, sed rubri substyptici potius, lentisco & santalo rubro medicati. Tertio somnus concoquit, & ideo potius diuturnus & nocturnus, non autem diurnus proderit. Quarto probatur exercitium, sed in hoc affectu moderatum, ita ut lumbi & renes non defatigentur, aut in rheda laxentur. Quinto alvus lubrica servanda cibis potius, quam medicamentis, passulis scil. aut prunis Damascenis in jure decoctis, saccharo conditis, prima mensa assumendis, & iidem jus carnium superbibendo; clysteriumnamque usu alvus torpescit, & nonnisi auxilio aliquo excrementa reddit; quare potius cassia condita prima mensa uti poterit. Et tandem animi alterationes sunt arcendæ, & præsertim ira ac mœstitia. Hæcque omnia in salutem Nobil. Matronæ scripta sint. *Idem ibidem.*

Muliebre Profluvium cum Sterilitate, in Hypochondriaca.

Nob. Mulier, triginta annos nata, temperamenti calidi & humidi, plethorici habitus; octo jam annis quadragenerario Viro nupta, marem post annum feliciter enixa, cœpit postea Muliebri profluvio lutei coloris vexari, cum ab ineunte ætate insigni dolore cum tumore in parte dextera uteri laboraverit, quod per totum hoc temporis spatium nullis tentatum remediis perdurauit, imo etiam maligna febris jam quatuor annis accessit, medicis auxiliis sanata: & si quandoque siti aquæ potibus nobil. Pat. indulgebat, ingentes cruciatus ad dorsum usque sese extendentes uterum invadebant. Sic se habentem unici filii obitus duobus abhinc annis tanto anxit dolore, ut in mœrorem ac timorem, aliaque melancholica symptomata inciderit, quæ etiam in præsens una cum ipso muliebri profluvio infestant, licet menstrua suis legibus per quinque dies satis prodeant. Tacto abdomine, dolorem magnum in pyloro atque liene persentit, vomitusque insipidæ materiæ illi facilis, imo familiaris, prout alvus facillime assumptis pharmacis solvitur; & interim infœcunda reddita est.

Inter affectus atque symptpmata quibus divexatur Illustrissima juvenis, aliqua mihi propono hoc tempore consideranda atque curanda: aliqua tantummodo consideranda. Consideranda atque curanda, sive saltem minuenda, est hypochondriaca affectio: præterea muliebre profluvium; atque tandem sterilitas. Tumoris autem antiqui in uteri regione existentis modo curationem non aggrediar: altas enim & antiquas sibi jecit radices, quæ ut evellantur, opportuniori tempore & ulteriori medicatione indigebunt.

Sterilem ad tempus, non absolute, esse juvenem Illustrissimam jam patet, cum anno primo nuptiarum marem conceperit felici partu, qui usque ad annum sextum sanus vixit, & ideo sterilitatis causam mox successisse censendum, quam adhuc in Muliere Illustr. reperiri, non autem ex parte viri, credendum est; hancque fuisse humorum excrementitiorum copiam, facile conjicio, tum quia olim tumorem in uteri regione contraxit, tum quia quatuor jam annis malignam febrem fuit passa, quæ à libertate, & forsan mutatione aliqua in vivendi ratione ortum duxit: habitus enim ejus crassior redditus est;

eſt; quare ſuſpicandum menſtruum ſanguinem conditionem mutaſſe, & præterea muliebre profluvium (excrementorum indicium) non ſolum per venas cervicis, verum & per vaſa uteri interna prodire, ſicque uterum ipſum irrigando, conceptionem impedire. Hanc vero excrementorum generationem multo magis adauxit triſtitia atque mœrore, ob unici filii obitum, dum turbatis in ventriculo alimentorum coctionibus à vehementi, diuturna & triſti meditatione, quotidianæ cruditates & in pyloro, & in meſenterio ſtabulantes, & obſtructiones producentes, à jecoris & circumſtantium viſcerum calore ferveſactæ, imo aduſtæ redditæ, hypochondriacam affectionem excitarunt, cui facile melancholica acceſſio paſſio, ab iiſdem obſtructionibus ſanguinis impedito motu, qui ſtagnans, idcirco craſſior & magis exuſtus redditus, ſpiritus inficiendo, mœrorem & timorem inducit, melancholici affectus ſymptomata propria. Sic Galenus hujuſmodi affectum deſcribendo, dicebat credendum eſſe in hoc affectu plus caloris, quam deceat, adeſſe in illis venis quæ cibum e ventriculo excipiunt, & in iiſdem ſanguinem craſſiorem eſſe redditum. Quoniam vero hypochondriaca affectione præſente, multiplicatur excrementorum proventus, dum à minera melancholica ventriculus infeſtatur, & coctiones labefactantur; ideo à cruda materia in eodem quotidie genita, vomitus quoque materiæ aquoſæ excitatur: & ab eadem ad jecur, indeque ad venas delata, muliebre profluvium fovetur atque conſervatur; quod flaveſcentis coloris utplurimum obſervatur, quia à jecore fervidiori reddito, à proximis obſtructionibus & à meracioris vini potu billioſa materia ſubminiſtratur, quæ crudæ & pituitoſæ materiæ tranſeunti aſſociatur. Nollem tamen interim quod decipiamur in imbecillitate ventriculi conſideranda atque curanda, quæ à frigiditate privativa, non poſitiva procedit: privatur enim calore ventriculus ab exuberante calore jecoris atque hypochondriorum, eo modo quo minor flamma à majori allicitur atque extinguitur, unde & ſiccitas in pyloro, imo & in ventriculo ipſo introducitur, quæ tactu percipitur adeo, ut compreſſionem vel levem tolerare minime poſſit; quod ante oculos nobis eſſe debet, ut vulgarem errorem in curatione evitemus.

Aliqua igitur ſunt hoc tempore agenda, ut affectiones jam dictæ imminuantur, & vere venturo facilius curari & ſuperari poſſint, antequam ad incurabilem ſtatum perveniant.

Et primo ventriculus & primæ viæ ab excrementis mundandæ. Secundo obſtructiones reſerandæ. Tertio venoſum genus ab excrementis, quantum fieri poteſt, depurandum. Quarto jecoris calida intemperies moderanda. Quinto uterus exiccandus; atque tandem aliqua à proprietate pro conceptione in uſum ducenda.

Pro quibus explendis intentionibus, omnium primo potio ex manna clarif. præſcribi poterit, ad ℥. iv. vel ad ſummum ℥. v. cum alvus Illuſtriſſimæ juvenis facillimæ ſoluatur. Mox per quinque dies ſummo mane aſſumat.

℞. Julap. acet. ℥. ii. aq. florum citri ℥. i. aq. cinnam. ℥. ß. m. pro una vice, & ſic pro aliis. Quinque autem tranſactis diebus, repetatur potio jam dicta, addito cochleari aquæ cinnam. Pro ulteriori humorum Præparatione.

℞. Succi depur. cich. borag. endiviæ an. ℥. i. per arenam trajiciantur, deinde adde tart. vitriol. gr. xii. juris alterati borragine, malva, agrim. ℥. iii. m. pro una vice, & ſic pro aliis ſeptem. Hiſce autem, aut ſequentibus diebus, ſanguis ex jecoria dextra eſt omnino educendus ad ad ℥. vii. vel ℥. viii. tempore nimirum intermedio & æque diſtanti à præterita & futura menſtruorum expurgatione. Sed interim ſeptem jam dictis tranſactis diebus, aliquod leve purgans erit exhibendum, quale eſſe poterit potio jam dicta ad unc. iv. addita drachma rhabarb. & agar. infuſioni conſuetæ, & evacuatione incepta, ſuperbibat libram aquæ hord. vel juris hordeacei. Inde ad ulteriora præparantia, aperientia, at non valde exiccantia erit deveniendum, ut.

℞. Succi depur. malv. agrim. an. unc. i. per arenam, aut manicam colentur, deinde adde ſalis tart. fixi gr. x. juris carnium alterati malva borag. agrimonia unc. iv. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Sequenti vero die ſummo mane bibat.

℞. Aquæ ſtillat. de ſucco cich. de ſucco agrimon. an. unc. iv. ſyr. de ſucco limon. unc. i. m. pro una vice, & ſic pro aliis; cui præmittatur bolus ex ℈. i. Extracti de rhab.

Sic ſequenti die reaſſumat ſal. tart. fixum: ita alternatim procedendo uſque ad dies viginti quatuor.

Interim poſtremis diebus ſe recipiat ad Balnea montis falconis, & fiant inſeſſiones cum tubulo in aquis illis ſulpureis & ſalgemmoſis duodecim aut quindicim diebus, quotidie mane & veſperi per ſemihoram, aſcendendo etiam uſque ad horam integram.

Poſthæc Profluvio muliebri proſpiciendum erit; in quem finem paretur pulvis turturis eodem modo quo pro altera Illuſtriſſima adoleſcente ſcriptum fuit.

Ita pro fœcunditate recuperanda aliqua erunt in uſum ducenda, & eſſe poterunt eadem, pro altera Illuſtr. præſcripta; quibus addi poteſt pulvis ſtellariæ in vino exhibendus, vel decoctio radicis imperatoriæ; quandoque etiam paſtinacæ ſylveſtris.

Et victus ratio quæ fuit jam pro altera præſcripta, erit obſervanda, cruditates arcendo, nec humiditates multiplicando, moderatis & opportunis cibis & potibus; corpus exercendo, præſertim jejuno ventriculo: & virum ejuſdem Illuſtriſſ. monendo, ut decem dies ante menſtruas purgationes à concubitu abſtineat, & ſtatim ſecutis iiſdem menſtruis, cum uxore coëat, & penis glandem balſamo factitio peruviano ante coitum illiniat.

Reliqua pro jecoris fervore contemperando, & alia ineunte futura Æſtate erunt adimplenda, niſi jam dicta, à me in præſens propoſita ſuffecerint. *Idem ibidem.*

Muliere Profluvium cum uteri prolapſu.

Illuſtriſſima & Excellentiſſima comes cujus, ætatis

ætatis & habitus sit, ignotum est, temperamenti totius pariter non enarrati, hepatis tamen calidioris, capitis calidioris & humidioris, & ventriculi frigidi, de cujus menstruis purgationibus nihil relatum est; cum superioribus annis laboriosos tulerit partus, tribus abhinc annis præcipuis tribuis symptomatibus conflictari cœpit, nimirum vehementi lumborum dolore, muliebri profluvio, & uteri procidentia, ita referente Excellentissima. Viro adstanti: quo tamen ordine inuaserint, scire hactenus non licuit. His accedunt quoque quandoque dentium dolores, & occasione motus; tum corporis, tum animi, dorsi dolor cum reliquis omnibus adeo exacerbatur, ut totum corpus alteretur, & arteriarum omnium pulsatio vehemens excitetur. Effluit autem ab utero materia heterogenea, tum cruda, tum assatata, & facile quoque serosa, adeo acris & mordax, diversique coloris, ut mordicando, excoriationem in uteri vagina excitare videatur: cum tamen nulla sanies, minusque pus apparverit unquam, & ideo ab omni exulceratione prorsus immunis censeatur. Varia fuit experta medicamenta purgantia, Decocta radicis cannæ sylvestris & salsæ; aquas Sancti Mauritii, verum omnia citra levamen: quinimo ex Purgantibus hystericos & colicos dolores non semel passa fuit. Modo de agendis pro salute consulit.

Quod matrona Excellentissima quam ego in consistenti ætate suppono, itemque mediocris habitus, & secundu totum temperamenti (ut coniicere licet) ad calidum & siccum vergentis, vehementi lumborum dolore crucietur, fluxione variæ materiæ diversique coloris ab utero detineatur, & uteri procidentiam patiatur, Excelentissima Medico relatori credendum. Verum num uterino fluore, an muliebri profluvio laboret, mihi decernendum est; & præterea ad quem gradum ex tribus uteri procidentia pervenerit statuendum. Quæ ut distinguantur, plura in relatione desiderantur, quantitas nimirum materiæ quæ per uterum manu, aut digito tangentis, num scilicet fundus os uteri tantum tangat, & primum; an ad vaginæ dimidium perveniat, & ita secundum: an vero extra pudendum tangatur & prospiciatur, sicque tertium gradum constituat. Facilius autem nobis erit muliebre profluvium ab uterino fluore distinguere, si materia profluens diversi coloris, cruda & assata consideretur, quæ à sola uteri intemperie & nativi caloris imbecillitate provenire haud credi potest, eoque minus, si copiosa fuerit: præterquamquod & jecoris feruor, & capitis intemperies calida & humida, & ventriculi frigiditas, licet privativa, multorum excrementorum heterogeneæ naturæ proventum necessario arguere nobis videntur: à capite namque calida & humida intemperie affecto, & per consequens destillationibus obnoxio: catarrhalem materiam, eamque copiosam, non in dentes solum, unde dolores, sed multo magis in ventriculum continuo debuisse credendum, cujus portio crassior facile in vasis mesaraicis detenta, obstructiones etiam reliquit, quæ arteriam aortam comprimentes, facilem à parva occasione ejusdem, & reliquarum omnium arteriarum pulsationem adaugent: & inde exortis hypochondriacis flatibus, dolores quoque, hypochondriaci proprius, quam colici, quandoque excitantur; portio vero tenuior ad jecur & venas delata, & à calore ejusdem liquata, una cum sanguine exusto, acido & acri, à facultate expultrice ad uteri venas detruditus, & muliebre profluvium excitat, quo, ut dicebat. Galenus à totum corpus per uterum expurgatur: hocque fieri, nullo modo utero affecto. Verum progressu temporis hujusmodi profluvio perseverante, vel uterus ipse intemperie aliqua, vel ali quo morbo in soluta unitate, quinimo & in situ mutato tandem affici solet; quod in casu nostro evenisse censendum, dum à perenni & diuturna humorum in uterum fluxione laxatis superioribus ligamentis, latis nimirum, quæ desinunt in uteri fundum, laxatus quoque à suis appendicibus est uterus iose, unde ejusdem procidentia secuta fuit, quæ adhuc major evadit, quotiescunque partus difficultates, aut abortus accedant, adeo ut aliquando uteri fundus invertatur, & non solum primum, verum secundum & tertium procidentiæ gradum constituat. Nec mirum lumborum dolores his casibus excitari, cum jam dicta ligamenta lata, sicut desinunt in uteri fundum prope cornua, ita musculis lumborum proxima sint; Muliebre vero profluvium copiosius evadere solet, dum menstrua, aut imminuta procedant, aut prorsus suppressa fuerint.

Affectus isti sunt omnes magni faciendi: Vteri namque prolapsus præterquam quod sterilitatem importat, præterea mulieribus turpis & molestissimus esse solet; muliebre vero profluvium quandoque cachexias, nonnunquam Tabes accersit, vel utero aliquod grave malum imprimit, sterilitatem & illud frequentissime inducens. Difficilis autem curationis erunt in hac Excell. Matrona, quoniam plurimum annorum, & altas sibi radices confirmarunt. Nihilominus ego floridam ætatem supponens, bonumque corporis habitum, nondum graciliorem redditum, viresque robustas, salutem non despero: eoque minus, cum propria hucusque non fuerint administrata remedia malorum horum omnium radices extirpantia. Vtinam paschate proxime peracto hæc scribere mihi datum fuisset.

Pro salute igitur comparanda, medicæ intentiones erunt, primas vias mundare. Secundò obstructiones Humectantibus & Aperientibus reserare. Tertiò venosum genus totum depurare. Quarto caput expurgare, & ut mali fontem, exiccare. Quinto uterum reponere, si fuerit opus, ejusque ligamenta roborare. Sexto reliquias materiæ in venoso genere existentes ab utero divertere, atque tandem calidam jecoris & venarum intemperiem corrigere.

Quibus intentionibus ut satisfiat, à chirurgico fonte, quamvis Gal. in curatione uxoris Boëthi nullam de sanguine mittendo mentionem fecerit, eadem tamen in casu nostro opus esse judico, utpote ab illo dissimili: scatebat enim illa aquositatibus multis, quæ retentæ, & in utero collectæ, uteri hydropem excitaverant

rat; quare brachii vena magis apparens; præsente Medico, erit aperienda; & sanguis q. s. mittendus; cætera genera revulsionum non adeo apta statim videntur ante totius repetitam minorationem: conveniunt enim profluvio mensium multo magis, quàm muliebri; & ideo nec derivatio locum habebit, nisi fortasse menstrua imminuta; aut suppressa fuerint. Cauterium sinistro brachio affixum, opportunum foret, ad materiæ catarrhalis à capite delabentis diversionem & evacuationem, quamvis capitis exacta exiccatione secuta, evitari possit. Uterina vero præsidia topica, quoniam nonnisi toto & capite expurgatis administrari debent, cum Hipp. in uteri prolapsu curando dixerit: ventrem autem ne solveris; ideo ordine executivo proponentur.

Et interim reliqua remedia ex fonte pharmaceutico depromentur. Pro prima explenda intentione potio magistr. ex manna clarif. & post sex dies repetita, idoneum erit leniens, & intermediis, quinque diebus julap. acet. ad ℥ ij. addita oxymel. & aq. flor. citri unica uncia, aptum erit præparans.

Pro secunda intentione tutum erit adhibere succos depuratos & per arenam trajectos cich. borag. & agrim. ad ℥ iij. additis gr. x. salis tart. fixi, in jure pullæ cichorac. alterato. Præparati verò humores, octo aut decem dierum spatio, erunt expurgandi pilula de tribus ad ʒ j. flori cassiæ commista, superbibendum præbeatur serum, aut aqua hordeacea.

Inde ad tertiam intentionem explendam succi pariter depur. exhiberi poterunt ex cich. agrim. & fumar. in jure pullæ cichor. melissa, lupulo & asparago alterato, guttulas addendo spirit. tart. ter rectificati, qui sal quoque volatile continet in semetipso: humores enim præparando, ad urinæ vias quoque ducere poterit: cui syrupo, si placeat Viro Excell. Adstanti, præmitti poterit oxymel dilutum, aqua agrim. paratum; in horum autem usu duodecim aut quindecim diebus erit insistendum; sed quinto quoque die elective purgans erit exhibendum, indicationem desumendo ab extracto sanguine: namque electuarium de succo rosarum, diaphœn. & confectio hamech. cum flore cassiæ, erunt purgantia eligenda, quibus semper aliquod hydragogum, exemplo Galeni, ut mech. Extractum addi poterit: quibus semper superbibendum serum, aut aqua noceriana sive hordeacea.

His peractis, pilulæ capitales pro quarta adimplenda intentione, bis aut ter quarto quoque die erunt exhibendæ, nimirum cochiæ, aut, & aggregat. ad ʒ ß. simul mistæ; diebus intermediis succos depuratos præbendo cich. agrim. & beton. in jure cichorac. & capitalibus alterato, caputque Errhinis expurgando, ex pulv. radicis ireos, major. & nigellæ, aut tabaci paratis. Inde ad capitis intemperiem humidam auferendam erit deveniendum; in quem finem de decocto sudorifico præbendo omnino cogitandum, alioquin & jam à me præscripta, & præscribenda, inutilia, sicut reliqua omnia antehac administrata, prorsus evadent: hoc enim remedii genere non solum caput, pars mandans, exiccabitur, uterus nempe, & cum utero universum corpus. Parabitur autem ex visco querc. modica salsa, lentisco, & china quoque; si macies aliqua inceperit, in aquis stillat. de succo cich. & beton. præmittendo pulverem viper. ad gr. xv. aut xx. Decimo quoque die potionem ex manna clarif. aut syrupum ros. solut. exhibendo, & quadraginta diebus in hujus usu insistendo. Quo tempore non adeo tenuis; licet attenuans esse debebit victus ratio; & pro potu consueto parabitur ex residuis aqua secunda; addendo in fine ebullitionis frustula cinnam. frustula citri & saccharum ad licitum, ut fiat aqua suavis vulgo cedrata.

Quinta intentio erat; uteri in situ naturali repositio, & ligamentorum roboratio; quare repositione si egeat, ut docet Aët. & Paul. Matrona Illustr. supina collocata, coxis altioribus, reflexis poplitibus & cruribus disparatis, pessario ex lana astringentibus imbuto; uterus sursum repellendus; deinde aut eodem pessario, aut pessario ex subere in loco conservandus, imo circulus uterinus ex eodem subere in eundem finem parandus, Matrona ipsa cum Hipp. octo aut novem dies decumbente. Interim umbilico cucurbitula apposita prodest, necnon sub mammis; odorata naribus; fœtida utero commendat Aët. cum Hipp. Lumbis vero ceratum aliquod corroborans erit apponendum; quod ex mastiche, pulv. constrict. & cerato de pelle arietina poterit reformari. Post hæc verò mirabiles experimur quotidie insessiones; primò in aquis aponitanis humiditates exiccandi & resolvendi facultatem habentibus: mox in aquis montis grotti; sive ægrotorum, facultatem exiccandi & efficaciter roborandi obtinentibus.

Sexta erit intentio reliquias humorum ab utero divertere, more Galen. qui uxorem Boëthi hydragogis, diureticis, frictionibus asperis & cibo euchymo curavit atque sanavit, nunquam astringentibus usus; ut perperam reliqui Romæ Medici fecerant. Nos igitur diversionem quidem cum eodem tentabimus, at non diureticis, quoniam serosus & aquosus humor fere simplex in illa Boëthi uxore peccabat, crassiores vero humores in casu nostro, qui ideo per alvum potius erunt ducendi electuario lenit. cum pil. de tribus aliquando, nonnunquam cum magist. mechoac. bis aut semel in mense.

Postremæ tandem intentioni satisface posse videntur aquæ thermales acidulæ, & præsertim vitriolaræ, quæ alias non profuerunt, quoniam mali fons non in hypochondriis & hepate solum, sed multo magis in capite reperiebatur. Verum quoniam impetuose & violenter ad vias urinarias & uteri tendunt, ideo suspectas habeo, & potius aliquot diebus cyathum aq. stillat. cich. anguriæ, & cucurb. cum julapio ros. & viol. totius substitui posse credo, ut tandem ad usum lactis asinini, ut quod quàm celerrime distribuatur, nec caput feriat, ad quadraginta saltem dies, Matrona Excell. ducatur, eo fine, ut viscera naturalia contemperentur, sanguinis qualitas demulceatur & edulcoretur, totumque corpus, forsan substantifica humectatione indigum, renutriatur.

Hæc sunt, quæ pro vera, legitima & absoluta dictorum affectuum curatione mihi necessaria videntur: quorum administratio quoniam

aptiori tempore eget; idcirco aut ea tantum ex præscriptis eligenda, quæ ab anni tempore calidiori permitti poterunt aut prorsus tota curatio in tempus magis opportunum differenda: addita congrua victus ratione, propositis indicationibus proportionata. Etsi ventriculo robur aliquod addere Viro Excell. Adstanti videatur, sal absinthii statim à cibo quandoque deglutiendum præcipiat, cæteraque opportune præscribat. *Idem ibidem.*

Muliebre profluvium & infœcunditas in hypochondriaca melancholica.

Illustriss. Mulier annum trigesimum agens, Viro nupta, temperamenti totius & jecoris ad calidum & siccum vergentis, capitis humidioris; jam duodecim annis concepit, & octavo mense abortivit; dum vero in utero habebat, materia modo alba & viscida, modo flava & crassa ex utero fluebat; post abortum lotia copiosa nimis & abundantia eruperunt, adeo ut ad medica auxilia sistentia & astringentia confugere coacti fuerint assistentes, à quorum administratione menstruæ purgationes, quæ antea convenientes & abundantes prodibant, imminutæ reddi cœperunt, & ab illo tempore paulatim semper magis defecerunt, ita ut in præsens duos tantum dies anticipantes parcissime effluant. Interim de ventriculi imbecillitate conqueri cœpit, quæ in dies semper invaluit, cum ptyalismo rugitibus in abdomine, copiosis flatuositatibus & frequentibus vomitibus materiæ crudæ, utplurimum acidæ, adinstar succi limonum: accedentibus suffocationis sensu, cordis oppressione, capitis gravedine & perturbatione, timore & frequentibus mœroribus, etiam sine causa manifesta, cum imminentis delirii suspicione & vitæ desperatione; & multis diebus, antequam menstrua erumpant omnia sæviora redduntur, cum dolore lumborum, perseverante adhuc jam dictæ materiæ, quandoque albæ & viscidæ, utplurimum flavæ & crassæ per uterum effluxu. Accersitus fuit Medicus pro curatione, & aquam tettucianam exhibuit, indeque alia medicamenta, ut conjectare possumus, calida, decocta nimirum & pulveres, sudorem provocando, à quibus tantum abest ut levamen reportaverit, quin potius abscessus sub ala sinistra consertim extuberaverit, & quà citissime suppuraverit, qui à Chirurgo adapertus, copiose expurgatus fuit. Cum autem vitam infelicem ducat, & infœcunda sit reddita, ad me pervenit, ope medica indiga: in quem finem hypochondria manibus tractavi, & obstructiones non leves, valde exiccatas, sub pyloro in mesenterio & utero manifestas percepi, nec ab iisdem jecoris gibbam partem immunem inveni. Quare hoc veris tempore congruo medelam infrascriptam consulo, non quidem ut ex toto ab hisce affectionibus omnibus hac sola vice vindicetur, sed ut ad multo meliorem statum redigatur.

Mensium imminutione & muliebri profluvio detinetur Illustrissima Mulier, atque ab affectu melancholico hypochondriaco conflictatur: neque credendum à facultatis imbecillitate neque ab Uteri densitate, sive duritie, neque à [illegible] angustia vasorum primum provenire posse symptoma: siquidem ante conceptionem satis abunde statuis temporibus per Vterum expurgabatur; sed ejusdem duplex assignari potest causa, nempe sanguis crassus, qui occasione profluvii lochiorum abortum secuti, præcipitavit in Uterum, & in eodem ramansit, tenuiori parte affluente, ibidemque deinde confirmatus ab astringentium medicamentorum usu, à Medico incaute præscripto, adeo ut ab illo tempore vasorum astrictio, & sanguis crassior quotidie semper redditus, imminutionis mensium semper etiam magis adauctæ, pro causa concurrant. Anticipationis causa est natura irritata à prava qualitate & copia ipsius menstrui sanguinis evacuationem exigentis, qui dum paulatim acervatur in Utero vasa replens atque distendens, cruciatus affert pluribus diebus, antequam menstrua erumpant: improbi namque sanguinis testimonium fuit muliebre profluvium, primis annis etiam ante conceptionem apparens. Et quoniam si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex utero morbi contingunt, hinc factum fuit quod excrementorum copia, tum à fervido jecore, tum ab imbecillo ventriculo quotidie genita, nec per Uterum expurgata, in venoso genere detenta, à natura partim ad cervicis Uteri venas transmissa, muliebre profluvium conservaverit: partim ad venas internas, obstructiones in Utero adauxerit, sicque mensium imminutio successerit, & infœcunditas: in vasis vero hypochondriacis retenta, in iisdem stagnans atque stabulans, motu & circulatione privata, affectum hypochondriacum melancholicum procreaverit, forsan etiam sine prægresso hypochondriaco affectu, qui tamen necessario successit, tum ob ventriculi naturalem quamdam imbecillitatem, tum quia in melancholicis hypochondriacis necessario compatitur, unde cruditates, quibus & in lacteis & in mesentericis venis obstructiones succedunt, & in casu nostro ad jecur quoque peruenerunt, & gibbam partem nonnihil obstruxerunt; ab his autem crasse factis & terreis redditis, exhalationes, flatuositates nempe crassæ jugiter elevatæ, & tandem adducta omnia in relatione symptomata in naturali regione procedunt: hoc est rugitus ac murmura huc & illuc per ventrem vagantia, & ventriculi perturbationes, ciborum imminutiones & nonnunquam ad acidum corruptiones, & diaphragmatis compressiones, unde suffocationis sensus emanant: sicut à minera sanguinis melancholica, & in Utero, & in mesentericis stabulante, tetri & crassi vapores ad cor & in caput efferuntur, qui spiritus obtenebrantes, timores insolitos, & sine causa mœrores inducunt, imo Patientem Illustrissimam ad futuri delirii suspicionem, & ad propriæ vitæ desperationem deducunt; de quibus & Hipp. dicebat, quod Sanguis in Vtero retentus, præ multitudine resilit in cor & septum unde cor fatuum fit: à fatuitate vero sequitur torpedo, & à torpedine delirium apprehendit: & ideo mortem, ut bonum, vel saltem ut minus malum, amant. Ad quæ omnia mala inducenda negari non potest, olim adhibita medicamenta, jecoris, hypochondriorum & sanguis fervorem, & æstum adaugentia, non parum conspirasse; Vtero itaque male affecto existente, totius sanguinis impuritate

puritate addita, quid mirum, si mox à conceptione destiterit, & Mulier ipsa Illustrissima infœcunda reddita fuerit, dum sanguis menstruus, ut tertium generationis principium, ad conceptionem concurrit, & nisi satis profluant menstrua, Uterus genitale semen arripere non potest.

Sicut status hujusce Illustrissimæ Patientis Medicis eget auxiliis, ita ab iisdem non adeo cito optatum levamen reportaturam esse credo: antiquæ enim & confirmatæ in ea sunt omnes jam dictæ affectiones, & quod peius est, melancholicæ, & quæ magna industria atque diligentia ex parte Medici egent, sicut ex parte Patientis non minori obedientia, quam præstare eidem operæ pretium est, cum sit juvenis, & ideo de longa vita feliciter traducenda agatur.

Curationem itaque alacri animo aggrediatur, primò primas vias expiando atque mundando. Secundo obstructiones in mesenterio stabulantes removendo, aut saltem hac prima vice imminuendo. Tertiò massam sanguineam depurando. Quartò Uteri vias, quoad fieri poterit, aperiendo; atque tandem jecoris atque hypochondriorum calorem contemperando.

Propositis autem intentionibus satisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis.

Et inter Chirurgica, omnium maxime convenit sanguinis missio, quia substantia, qualitate & motu peccat ipse sanguis, nec prohiberi potest à gracilitate, quæ in hac Illustriss. non adeo evidens & insignis est; Multi enim graciles, dicebat Gal. sanguine abundant, alii crassi parum habent: & subdebat, ob id ego mulierculæ, cui jam octo menses menstruæ defecerant, licet extenuatissima foret, primo die sanguinis sesquilibram detraxi, secundo libram, tertio semilibram; at nos minori quantitate contenti erimus. Educatur itaque decem à purgatione saltem diebus, ex vena jecoraria brachii dexteri, usque ad ℥ vi. cujus color si in meliorem mutetur, exire permittatur usque ad ℥ vi. cujus color si in meliorem mutetur, exire permittatur usque ad ℥ viii. si vero niger usque ad ℥ vi. totus appareat, supprimatur, & tertia die repetatur venæ sectio brachii sinistri, sanguinem pariter ad ℥ vi. educendo. Et quamvis ex pede quoque, ratione motus, sanguinis missio conferre possit, erit tamen in finem curationis differenda, & facienda statim à secuta menstruali purgatione, adhuc hiantibus orificiis vasorum Uteri, ad ℥ v. aut ad ℥ vi. ad summum: sicut parum antequam erumpant menses conferre potest cucurbitula sicca, & pubi, & inguinibus affixa; eodemque tempore fomenta, spongia magna uterinis partibus admota & repetita, prius imbuta, & expressa decoctione malv. mercur. dictami cretici, sabinæ, calam. montani, radic. althææ, & lil. alborum, mane & vesperi per horam; qua remota, fiat inunctio oleo lil. alb. cum aromatibus. Interim toto curationis tempore abdomen illiniatur unguento malvino, oleo amygdal. reformato.

Ex Pharmaceuticis desumenda sunt primò Lenientia.

Syr. ros. solut. clarif. ℥ iv. pot. ex man. clarif. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. f. potio, cui, tribus transactis horis, superbibat jus hordeo vel malva alteratum, & hora una ab assumpto jure prandeat. Sex sequentibus diebus assumat summo mane tale præparans.

♃. Julap. acet. ℥ ij. aq. tot. citri ℥ j. aq. cinnam. ℥ß. m. pro syr. & sic pro aliis, à quibus subsequatur expurgatio.

Ita ♃. Syr. ros. solut. de polypod. an. ℥ iij. aq. flor. citri parum, m. f. potio, & tribus horis ab assumpta potione superbibat seri capr. depur. aut aquæ nocer. ℔ j ß. duabus vero horis ab assumpta aqua prandeat. Sequenti vero die assumat tale præparans.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. borag. intybi an. ℨ. j decoct. in jure pullæ paratæ malvæ viol. melissæ, sonchi. ℨ. v. pro syrupo. Sequenti mane assumat bolos ita parandos.

♃. Floris cass. rec. extractæ ℨ. ij. Tart. vitriol. gr. x. m. f. boli, & post horam superbibat jus alteratum foliis cich, borag. endiv. malvæ, viol. agrim. & tribus horis ab assumpto jure prandeat. Tertio vero die repetat succos in jure alterato, ut supra; & quarto repetat bolos, ut supra, ita perseverando ad xv. dies; quibus terminatis, talis præbeatur potio.

♃. Rhabar. opt. ℨ. j. fol. senæ rec. mund. polypod. an. ℨ. ij. cinnamomi integri ℨ. j. aqua s. m. f. inf. per hor. xij. deinde f. expressio, & adde expressioni syrupi ros. solut. ℨ. v. m. f. potio, & tribus horis ab assumpta potione præbeatur serum capr. depur. ad ℔. ij. duabus. vero ab assumpto sero prandeat. Inde ad ulteriora deobstruentia erit deveniendum sic.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti cich. agrim. pom. dulc. an. ℨ. j. decoct. in jure paratæ borag. malvæ, agrim. capill. Ven. cuscutæ ℨ. v. spirit. tart. ter rectif. gutt. vi. m. pro syrupo. Sequenti vero die assumat bolos ita parandos.

♃. Flor. cass. rec. extr. ℨ. ii. rhabarb. opt. ℨ. ß. m. f. boli, & post horam superbibat

♃. Seri capr. destill. ℔. j. syr. de succo. limon. unc. j. tribus vero horis ab assumpto sero prandeat. Tertia die repetat succos, ut supra; quarta bolos, & ita alternatim perseveret ad xv. dies, quibus absolutis, assumat potionem hujusmodi.

♃. Pot. ex man. clarif. unc. vi. addendo infusioni consuetæ rhabarb. opt. ℨ. i. cui, tribus transactis horis, superbibat serum depur. ad ℔. ii. & duabus horis ab assumpto sero prandeat.

Ita reseratis quoquo pacto & mesenterii, & jecoris obstructionibus, & massa sanguinea quodammodo purificata, ad uteri venas aperiendas deveniri poterit; in quem finem paretur Julapium hystericum tali pacto. Macerentur folia sabinæ, dictami cretici, artemisiæ, calamenthi in aceto & aqua capill. ven. per hor. 12. deinde facta expressione, addatur ad ignem sacchari q. s. ut fiat julapium dilutum & longum, deinde.

♃. Hujus julapii ℥ ij. aq. malv, capill. ven. artemisiæ an. ℥ ij. salis artemisiæ gran. j. m. pro potu matutino, decem aut duodecim diebus exhibendo; quo eodem tempore apponatur utero spongia decoctione suprapropolita imbu-

ta, & expressa, modo quo supra inunctionem subdendo, amota spongia, ut scriptum fuit.

His peractis, absoluta quoque erit curatio, sive totius & partium expurgatio, quibus duo sunt addenda alia remedia præstantissima, nullo modo omittenda, ad obstructionum reliquias delendas, & jecoris, hypochondriorum & totius sanguinis calorem contemperandum, ac ad totum corpus substantifice humectandum & connutriendum, quorum alterum internum erit, alterum externum; primum erit lac asininum per quadraginta vel quinquaginta dies, mane de more quinque horis ante prandium assumendum, incipiendo ab ℥ v. cum semicochleari albi, & ascendendo usque ad ℥ x. cum integro ejusdem sacchari cochleari; sed assumatur nuperrime mulctum cum suo naturali calore, neque eidem superdormiendum. Alterum externum est balneum aquæ dulcis, tepidum & ad frigidum potius inclinans; alteretur autem aqua foliis malv. viol. mercur. sonchi, in quo moretur ad semihoram, vel paulo plus, horis vespertinis circa 22. horam & in hujus usu perseveret ad 30. dies. Interim non omittendo lactis usu n summo mane, & in eodem, etiam terminato balneo, perseverando.

Dum lac assumit, decimo saltem quoque die sumat cassiam ita parandam.

℞. Floris cass. rec. extr. ʒ v. crem. tart. ʒ ij. m. f. boli, cujus in fine augeatur parumper dosis usque ad ℥ j. Et quoniam, repurgato corpore massaque sanguinea purificata, & quod magis est, reseratis uteri obstructionibus, & in integrumredacti menstrua purgatione, muliebre quoque profluvium cessurum esse jure redendum sit, ideo à supprimentibus & astringentibus hac vice abstinere utile fore puto, ne rursus obstructiones & in visceribus, & in utero adaugeantur.

Quare jam dictis omnibus sat sit, congruum vivendi rationem addere. Et primò incolat aërem, qui non sit crassus, paludosus, vitet crepuscula & quamcunque aëris inclementiam. Secundò victus sit potius refrigerans & humectans. Inter carnes virentur suillæ, bubulæ, aves lacustres. Inter pisces, virentur palustres, cœnosi, ut tinca, anguilla, & hujusmodi, testaces & ostreacei, & in sartagine frigi. Edulia ex pasta parata prohibentur, exceptis vermiculis apuliensibus. Inter lactaria, damnatur caseus, præsertim antiquus. Inter legumina, permittuntur tantum oriza & hordeum. Inter fructus, prohibentur acidi, & nimis dulces, ut pruna omnis generis, cerasa acida & ficus, reliqui conceduntur: uva tamen sit pensilis & alba. Inter olera damnatur brassica. Condimenta prohibentur ex aromatibus, cinnamomo & pipere ruditer contuso exceptis; pariter prohibentur ex alio & cœpis; acida item omnia. Vinum sit quidem album, sed non dulce, non austerum, mediocriter generosum: & interdicatur potare inter prandium & cœnam. Somnus sit diuturnus, sed nocturnus: & si consuetus diurnus, sit brevis. Exercitium confert, sed ante cibum, nempe mane & postremis horis vespertinis. Alvus lubrica servetur passulis, vel prunis decoctis, jusculis quoque carnium superbibitis; quibus non sufficientibus, exigua sufficiat portio floris cassiæ ad ʒ ij. vel iij. sub cibo sumenda. Animi passiones arceantur, consocietates procurentur, & solitudines evitentur, alacrique & confidenti animo sustineatur, & credat se iteratis purgationibus, non tamen adeo diuturnis & operosis, optatam sanitatem consecuturam. *Idem ibidem.*

Muliebre profluvium cum sterilitate in hypocondriaca.

Nobilissima Juvenis vigesimum quartum annum agens, temperamenti calidi & sicci, mediocris habitus, & muliebri profluvio multis abhinc annis divexata, elapso proxime anno adolescenti Viro nupta, sex abhinc mensibus timore ac mœrore sine causa cum alvi stypticitate affligi cœpit, ipsaque menstrua quæ statis temporibus per octo dies, licet cum aliquo dolore fluebant, imminui & quinque diebus absolvi. Mesenterium in parte dextera obstructionibus implicitum est, prout uterus in sinistra. Coitu parum delectatur, & tarde admodum semen emittit. Modo & inveterati profluvii, & aliorum malorum auxilium efflagitat, ut conceptioni quoque idonea reddatur.

Ex tribus affectibus de quibus conqueritur Illustrissima Adolescens, duo proprium individuum, tertius speciem & propagationem respicit. Individuum, melancholia hypochondriaca & muliebre profluvium: speciem sterilitas ipsa. Et quoniam postremum à primis duobus pendere censeo, ideo primi duo considerandi & curandi, demum tertius.

Postquam igitur Nobiliss. Nupta Viro juncta est, relictis propriis parentibus & familiaribus, ob hujusmodi status mutationem, aliquam animi apprehensionem pati cœpit, cui addita quoque victus mutatione & ciborum superingestionibus, ventriculi coctiones deteriores reddi cœperunt, unde cruditates genitæ & in mesenterio firmatæ, in eodemque à calore circumstantium viscerum, & jecoris potissimum exiccatæ, terreæque redditæ, melancholicam naturam contraxerunt, & circulanti sanguini viam interceperunt, qui diutius inibi stabulans, & ipse crassitiem à calore adeptus, hypochondriacæ & flatuosæ affectioni melancholicam quoque addidit: eoque facilius, cum sanguinis à toto pars crassior ad uterum transmissa, & in ejusdem venis retenta, reliquo sanguini transitum impediat, & menstrua consueta diminuta reddat: unde affectio melancholica non à solo mesenterio & epigastrica parte, verum & ab utero atque hypogastrica originem ducat. Verum quoniam antehac liberæ vivendi rationi indulsit, vicerum quoque, ventriculi nimirum & jecoris aliqua semper læsio emersit, atque ideo excrementorum quoque proventus necessario Nobilissimam Pat. molestavit, & potissimum cruditates in ventriculo, privative potius, quam positive affecto genitæ, quæ à jecoris calore fusæ atque liquatæ, ad venas transmissæ, inde per arterias ad uterum delatæ, per eundem utplurimum aquosæ & pituitosæ, quandoque etiam sed raro, bili mistæ excernuntur, & muliebre profluvium con-

stituunt, quod uterum humiditate irrigando, seminis retentionem impediendo, sensum exquisitum ipsius uteri obtundendo, facile sterilitatis quoque causa evadit, cum Vir ejus sanitate fruatur, nec in toto Nobilem & pulchram Adolescentem, ætate, atque colore florentem, adeo pravam dispositionem habere conjiciam, quæ sterilitatem inducere possit.

Quare ut eidem medicam opem præstemus, expiatis primis viis, obstructiones primum mesenterii, tandem & ipsius uteri reserandæ, Secundo Massa sanguinea ab excrementis depuranda. Tertio ventriculo robur addendum, & jecoris intemperies corrigenda, ut tandem uterus ab humiditatibus liberetur, & nonnullis quoque à proprietate juvantibus conceptio procuretur.

Quæ jam dicta omnia hoc anni tempore absolute exequi non poterunt, & ideo nec nostrum finem assequi; aliqua tamen sunt agenda, ut ipsius affectus diminuantur, & Vere venturo facilior evadat eorundem eradicatio.

Interim repetita sanguinis missio ex Chirurgia depromenda, primo ex venis superioribus, tempore æque distanti ab utraque menstrua purgatione: secunda vice ab inferioribus, desinentibus iisdem menstruis, hoc est, hiantibus adhuc uteri vasis.

Ex Pharmacia vero pro prima intentione.

♃. Pot. manna clarif. ℥ vi. aq. florum citri parum, m. pro potu. Inde per quinque dies assumat summo mane.

♃. Crem. tart. ℥ß. dissolvatur in jure corticibus citri alterato, sicque quotidie. Inde repetatur potio jam dicta. Mox ineunda præparatio ita.

♃. Tart. vitriol. gran. xii. & dissolvantur in jure alterato cichorio, boragine, endivia, malva & agrimonia, & ita per septem dies. Quibus transactis.

♃. Pot. ex man. clarif. ℥ v. addendo infusioni consuetæ rhabarb. opt. ʒ i ß. rad. mechoac. ʒ j. cinnam. integri ʒß. aq. florum citri parum, m. f. potio, & incepta evacuatione superbibat seri capr. depur. aut aq. nocer. ℔ ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. Post hæc ulteriores obstructiones aperiendæ ita.

Ita ♃. Aquæ stillat. capil. ven. malvarum an. ℥ iv. spirit. tart. rectif. ℈ j. m. pro una vice, & sic pro aliis; quod præparans alternis diebus est exhibendum: diebus vero intermediis.

♃. Flor. cass. rec. extr. ʒ i ß. rhabarb. ℈ j. m. f. boli, quos assumat summo mane, & hora transacta superbibat jus malva & endivia alteratum: sicque alternatim, viginti quatuor dierum spatio sanat & spiritum tartari, & rhabarbarum modo jam dicto. Quibus transactis, sumat potionem.

♃. Pot. ex manna clarif. ʒ v. addendo infusioni consuetæ rhabarb. opt. ʒ ij. spicæ gr. x. florum citri parum, m. f. potio, cui pariter, ut supra, superbibat aut serum, aut aquam nocerianam.

Interim quindecim hisce postremis diebus se conferat ad balnea Montis Falconis, sedeat in semicupio, & per tubulum recipiat aquas sulphureas illas & salgemmosas, quotidie bis in die, saltem ad semihoram.

Tandem aliqua ad profluvium muliebre conferentia erunt in usum ducenda, simulque nonnulla à proprietate conceptionem juvantia. Pro profluvio coërcendo, paretur pulvis ex turture & mastiche, hoc pacto. Turtur à plumis denudetur, exenteretur, vino nigro abluatur, granis mastich. impleatur, & acu consuatur; in furno reponatur; & ita assetur & in pulverem redigatur: cujus pulveris dosis erit ad ʒ j. singulo mane per mensem in cyatho aq. stillat. è tenerrimis quercus foliis.

Pro conceptione obtinenda, paretur pulvis ex matrice leporis, vino prius abluta, & pariter in fumo exiccata; cujus pulveris assumatur semidrach. in vino albo, parum ante cœnam. Pariter conduci pulvis seminum erucæ ad ℈ j. eodem modo & tempore. Item sal satyrionis à ℈ ß. usque ad ℈ j. in vino albo generoso.

Familiaris sit inunctio partium ad uterum attinentium, ex oleo lil. alb. cum aromat. in quo dissolvatur exigua portio coaguli leporini.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, potissimum in cibo & potu: cruditates enim & serositates sunt arcendæ; & ideo prandio & cœna Nobiliss. Adolescens sit contenta, nec de more extra tempus bibat, vinumque sit tenuis substantiæ, nec generosum, nec dulce, nec austerum. Corpus exerceat in negotiis domesticis agendis: Scythæ namque Dominæ propter otium steriles erant; sicut ancillæ, propter exercitium fœcundæ. Ab Illustrissimo Viro observandum, quod abstineat è coitu octo aut decem dies ante menstrua, in quorum fine coire opportunissimum erit: facilius enim semen ab utero modice menstruato retinetur: sicut ab iisdem abundantibus extingueretur. Animi passiones sunt arcendæ, & potissimum mœror & ira: quarum omnis occasio est removenda à Nobiliss. Viro suo & ab omnibus Domesticis ejus. Quæ scripta sat sint usque in venturum Ver, quo tempore ad alia transeundum, si opus fuerit. *Idem ibidem.*

Muliebre profluvium, & infœcunditas in hypochondriaca.

Illustrissima mulier annorum viginti septem, temperamenti calidi & humidi, mediocris habitus, quatuor abhinc annis fluxu muliebri, materiæ modo albæ, modo flavæ, modo alterius coloris torquetur; cui symptomati multis abhinc mensibus additur melancholia insueta, cum rugitibus & flatuositatibus, murmurationibus in hypochondriis; necnon cordis aliqua oppressione. His tamen non obstantibus duos peperit filios, masculum unum, & fœmellam alterum. Sexdecim tamen abhinc mensibus infœcunda reddita est, menstruis purgationibus bene fluentibus. Quare de agendis consulit.

Duplici affectu, melancholia scilicet & muliebri profluvio detineri mulierem Illustrissimam ab exacta & erudita relatione intelligo, quibus tertius, nimirum infœcunditas, superadditur;

Pro quibus expugnandis meum exigitur consilium. Et si melancholiam consideremus, hanc hypochondriacam invenimus, ex rugitibus, copiosis flatuositatibus, septum comprimentibus, ut propterea flatuosus affectus à Galeno dictus fuerit; qui licet solus sine melancholia dari possit, facile tamen & utplurimum in melancholiam migrat, dum à clausuris in lacteis & mesentericis venis existentibus, caloris illarum partium ventilatione impedita, phlogosis introducitur, crassefacto nimirum & arefacto ab eodem adaucto calore sanguine ipso, qui stagnans in illis venis, nec amplius circulans, vaporibus atris ab eodem elevatis spiritus inficit, qui tum in corde, tum in cerebro tenebrosiores redditi, timores atque mœrores sine causa manifesta incutiunt, melancholiæ characteres proprii, neque à toto venoso genere melancholiam consensum habere puto, cum temperamentum calidum & humidum, & habitus totius corporis mulieris Illustrissimæ carnosus & floridi facile coloris observetur. A toto tamen muliebre profluvium provenire minime dubito, quod etiam urina jumentorum similis, ab Hippocrat. asinina vocata, confirmare solet, ad differentiam uterini fluoris, qui non adeo copiosus esse solet, & præterea quoniam mulier Illustriss. jam concepit, utero gestavit, feliciter, peperit, signa evidentia, quod vitium in toto, non in utero reperiatur: profluvium enim muliebre est illud, in quo per uterum totum corpus expurgatur: hocque mulieribus frequens & familiare esse solet, & ideo muliebre profluvium dicitur: rarissimus autem fluor uterinus, quem ideo dari posse negarunt & Massaria, & Altimarus. A toto itaque effluunt humores diversi coloris & albi, & flavi, modo consistentis substantiæ, modo fluxibilioris, quæ diversitas plures quoque, ac diversas esse partes affectas, tales humores jugiter reproducentes, nobis significat, & istæ sunt concoctionibus destinatæ: à ventriculo namque Bradypepsiæ & imminutæ primæ coctiones, indeque cruditates procedunt: sicuti à jecore fervidiori reddito flava & biliosa materia; quandoque ab eodem calore nimis crassefacta, quandoque fusa atque liquata nimis, progignitur, qui humores utpote in massa sanguinea redundantes, copia & qualitate peccantes, & naturæ molesti à facultate expultrice irritata ad uterum extruduntur, & non per magna vasa in uteri corpore existentia; non enim concepisset, neque in utero gestasset: quæcunque enim uteros humidos habent, non concipiunt; sed per vasa cervicis, ubi quoque molestum percipit Illustrissima Mulier pruritum. Et quamvis modo infœcunda reddita sit, non in uterum, sed in improbum redditum sanguinem culpam referendam esse censeo: purus enim debet esse sanguis menstruus pro conceptione, cum tanquam tertium generationem ipsam concurrat.

Medica providentia eget status Illustrissimæ mulieris, non solum quia melancholico affectu præsente infelicem vitam ducit, verum etiam quia, si muliebre profluvium augmentum suscipiendo ulterius progrediatur, color totius vitiatur, & cachexia, aut atrophia postea succedunt. Verum tamen est, quod non adeò facile erit utrumque debellare affectum; & licet uno eodemque tempore, iisdemque remediis utrique providebimus, melancholiæ tamen incumbere est nostra potissima intensio, cum in ordine affectus melancholicus prior sit curandus, ut sine quo non alter affectus, nimirum muliebre profluvium tolli possit, quibus sublatis infœcunditas quoque recedet. Quare primæ viæ expiandæ. Secundò obstructiones mesenterii aperiendæ. Tertiò eædem reliquorum viscerum reserandæ. Quarto massa sanguinea ab humoribus excrementitiis vindicanda. Quinto fervor jecoris & renum contemperandus, non neglecta aliqua Ventriculi & uteri tutela.

Et ex Chirurgico fonte sanguinis missio non unica tantum est depromenda ex utroque brachio, & potius parcior: quamvis enim de hac Galenus in hoc affectu curando nullam mentionem fecerit, unde & Boëthi citra ullam sanguinis missionem curaverit, eandem tamen omisit, quoniam muliebre profluvium omnino serosum fuit, sicut frequenter esse solet: in nostro vero casu biliosum utplurimum, & à pituita forsan etiam salsa, unde pruritus; quorum ratione & jecoris fervor, & humoris calor, & acrimonia missione sanguinis eget, quam & ætas, temperamentum totius, habitus corporis, & anni tempus permittunt.

Ex Pharmaceutico fonte pro primarum viarum expiatione aptissime & optime administrata fuere lenientia ex manna clarif. & syr. rof. sol. vel ex cass. lenit. & tartaro. Pariter præparati fuerunt humores julapio acet. addito polline crem. tart. aq. florum citri dissoluto, repetitumque fuit alterutrum ex lenientibus propositis, ut inde ad primi gradus deobstruentia deveniri posset; quæ exsiccatis obstructionibus, humectantia esse debent, & ideo succi depur. & per arenam trajecti conveniunt cich. borag. sonchi ad ℥ iij. in decoct. jure pullæ parata cichorac. addita malva & violis, in qua dissolvantur gr. x. tart. vitriolati. Septem autem aut octo transactis diebus, præparati humoris purgandi potione ex manna clarif. addendo infus. consuetæ rhab. opt. ʒ ij. tribus vero horis ab assumpta potione superbibendum serum depur. ad ℔ ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. Inde ad ulteriora aperientia progrediendum, quæ tamen in activis qualitatibus sint moderata, & humectantia in passivis; præbeantur itaque succi, ut supra, depur. cichor. malv. ad ℥ iij. addendo ℈ ß. salis tartari fixi, in decoct. malv. viol. agrim. lupul. asparag. jure pullæ parata. Sequenti vero die parentur boli ita.

℞. Flor. cass. rec. extr. ʒ ij, rhab. opt. ℈ j. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. destillati libram, vel saltem ℥ x. tribus vero horis ab assumpto sero prandeat. Tertia vero die rursus assumat succos, ut supra, & quarta bolos cum sero: sicque alternatim perseveret ad xx. usque diem; quo tempore assumat.

℞. Decoct. epith. Mes. syr. rof. solut. an. ℥. iij. aq. flor. citri parum, m. f. potio, tribus horis ab assumpta potione superbibat ser. capr. depur. ℔. ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. Quod si sanguis jam extractus apparuerit valde impurus, repetenda erit duabus aliis vicibus eadem potio, eodemque modo, alioquin omittenda. Et pro reliquis intentionibus explendis alicujus

alicujus aquæ chalybeatæ usum erit instituendus, cujusmodi esse poterunt Villenses, vel si præsto non fuerint, saltem nostræ Apontanæ B V. tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio præbendæ, reliquis vero quindecim cum diuretico, diligentissime facta observatione, ut ex toto transeant; in quem finem vehiculum diureticum tale esse poterit.

♃. Aq. stillat. asparag. capill. Ven. malv. an ℔ ß. spiritus turt. ter rectif. ℥ ß. m. & summo mane præbeatur hæc potio, statim superbibendo cyathum aqua mineralis; transacta vero hora, reliquam aquam potare incipiat usque ad ℔. vij circiter, in cujus primis duobus cyathis exprimatur unius lim. succus; dosis vero ipsius aqua paulatim adaugeatur, usque ad x. vel xij. libras, retrocedendo usque ad vi. sed semper præmittendo vehiculum diureticum.

Terminato aquæ usu, lac asininum nullo modo omittendum, Melancholicis enim est singulare remedium, tum quia obstructiones secciores & contumaciores superare valet, dum tophos quoque emollire Gal. asserat, tum quia hypochondriorum & jecoris fervorem contemperare, sanguinis acrimoniam & salsedinem demulcere, sicque ejusdem vitium corrigere valet præbeatur autem, ut moris est, suo naturali tepore, nuper mulctum, incipiendo ab ℥. v. cum semicochleari sacch. albi, & ascendendo usque ad ℥. x. cum integro cochleari, cui tamen non superdormiat, & perseveret usque ad quadragesimum vel quinquagesimum diem.

Interim si ventriculo aliquod robur addere sit necesse, à cibo statim deglutiat gr. ij. mastich. integra aut ℈. j. salis absynth. aut pilul. ex succo absynth. densato. ita pro Uteri exicatione & roboratione insessiones à Viro Excellentissimo propositas laudo in aqua Montis Falconis quæ ut salgemmosa & sulphurea nostræ intentioni satisfacere poterit; caute tamen insessiones administrandæ, nimirum infra renes & reliqua viscera naturalia, in aqua sedendo cum tubulo, ne renum & hypochondriorum calor reaccendatur: imo ante Balnei ingressum jam dictæ partes sunt muniendæ, in frig. Gal. ung. ros. & santalino renes; rosato vero simpl. totum abdomen illiniendo.

Neque de majori astrictione soliciti esse debemus; profluvium enim hujusmodi ex seipso supprimi solet, deficientibus in venoso genere excrementitiis humoribus, qui deficiunt, intemperiebus partium remissis atque correctis; quod tamen omnino hac sola Purgatione nos consecuturos vix credere possum.

Restat igitur solum, ut jam dictis omnibus conveniens addatur vivendi ratio, quæ erit ab Excellentissimo Viro adstanti exacte atque diligenter præscribenda, ut fundamentum nostrarum omnium operationum, cui reliqua quoque omnia & executioni mandanda, & si opus fuerit, etiam alteranda atque mutanda libenter committo. *Idem ibidem.*

Observationes.

Pro Fluore albo.

Purgato decenter corpore, mane & vesperi ante pastum per decem dies utatur hoc balneo.

♃. Fol. Lauri, origan. calamenth. puleg. menthastr. Sabin an M. iij. artemiss. meliss. nepet. beton. majoran, an. M. iiij. rad. rub. tinct cyperi, an. ℥iij. rad. rusci, asparag. an. ℥ij. splie. nard. (exsiccat enim humiditatem) junci odori an ℥j. sem rutæ, dauci, anis fœnic. sesel. an. ʒß rad. valerian, ℥ij coquantur in aq. pro balneo. Si valde fluant humiditates albæ; ne concitatior fiat fluxus, styptica magis addantur. Si adhuc fluor non vincatur, semel in hebdomada accipiat has pilulas.

♃. Pil. mahich agar. troch. an. ʒij. cortic. myroball. cheb ℈ij. excipiantur melle ros ex ʒj. F. pil. vi. dentur iv. pro vice. Succini farina cum ovo sorbili detur. Hæc sunt quæ ad album fluorem prosunt, & præcipue hic pulvis, quo multæ mattronæ Nobiles post universalia remedia sanatæ sunt.

♃. Faucium Lucil piscis, capitis caponis in furno exsiccati, an. ʒß. ossium dactylorum ʒij coriandr. præpar. sem anis. torrefact. an. ʒj. rad. nymph ʒß. sacch. ros. ℥iij. datur ʒj. cum vino rubro. Petrus Forestus. obs. 23. lib. 28. *De morbis Mulierum.*

Ad evocenda ab utero ad alias partes recrementa, tria valde profutura præsidia occurrunt, diureticorum usus, repetita ex rhabarbaro purgatio, & ligni guaiac. decoctum. quod ita fit.

♃. Ligni guaiac. ℥j. rad sassaphras. ʒii. santal. om. omnium ʒj. infund. in aq. chalybeat. ℔iii. horis 12. deinde bulliant ad consumptionem tertiæ partis: sub finem ebullitionis adde. fol. planttag. menth. j. matricar. artemis. fœnicul. capill. ven. an. p. j. sumac. rad. petrosel. an. ʒ j. colati ℥ vij. vel viij. exhibe in aurora, & sudor molliuscule provocetur, idque viginti saltem diebus continuis præstandum: quo tempore cauterium cruris dextri parti interiori affixum, non possum non summopere laudare. *Io. Zecchius* consult 35.

Hujus mali maxima habenda est ratio, cum mulieres quas exercet, steriles ut plurimum reddere soleat, vel etiam gravidis abortum parere remediis usitatis peractis, si vitium adhuc pertinaciter persistat, Electuario mihi hoc in casu sæpe fœlici cum successu usurpato utatur.

♃. Gummi arabic. tragacanth. corall. utriusque, an. ʒij. ciner. putamin. ovor. C. C. sem

Pro revulsione laudo vomitum cum diasaro Fernelii ad ℥ß. detur ex aqua mulsa, vel.

♃. Rad. asari ʒß. detur cum oxymel.

Pro derivatione materiæ per alvum conveniens est medicamentum jalapa; in hunc modum.

♃. Jalap. pulv. ʒ j. cinnamom. pulv. ℈ß. m. & cum jure pulli. F. potio. Deinde pro præparandis humoribus sumat singulo quoque manè tria cochlear. oxymel. simpl. per v. aut vi. dies: deinde sumat. ʒß hydragog. min. Fernel. vel in bolo cum sacch. vel cum pauco vino: his ad exsiccandum corpus & roborandum ventriculum, decoctum salsaparill. cum pauco ligno guajac.

confectum sumat per 15. aut 20. dies, & procuret: sudorem semel in die, ut materia revellatur ad cutem; id quod Galen. procurabat facere in uxore Boethi lib. de Præcognitione, fricando corpus melle cocto, & etiam linteis primò lenibus, postea asperioribus: derivetur quoque materia ad urinam, quod fecit Galen. ex decocto rad. asari & apii: venter quoque si tumet & madet, arena calida exsiccari debet: id quod Gal. in uxore Boethi fecit victus, denique sit exsiccans, & quam minimum bibat. Rodericus à Fonseca. tom. 1. consult. 4.

Nonnunquam evenit mulieribus pituitosum profluvium, cum pituitæ per alias partes denegatur exitus, hæc per dorsum ad uterum defluit. Siccabimus in his caput & siccabimus illam pituitam decocto guajaci & syrupo Montagnanæ. Nam fotu & suffumigiis curationem recipitur, inquit *Hippoc. de morbis mulierum. Jo. Heurnius ad aphor. 56. sect. 5.*

℞. Fimi asinini m iv. macerentur aq. rosac. magna rejiciatur, & cum sacch. f. syr. cujus in hoc affectu admirabilis vis est. Paretur etiam Syrup. ex succo urticæ mollis. Pro suffitu plurimum valet rasura ebor. carbonibus injecta commendatur hoc facile paratu. Accipitur ebur tenuissime in lapide porphyrio pulverisatum, & propinatur ex aqua chalybeata Guil. Bullonius, comment. ad hist. 2. lib. 2. consil.

Nos sæpius hoc remedio hunc morbum sanavimus, nempe nucis pineæ decocto cum ligni visci quercini portione in potu administrato: mirabile remedium est huic morbo, sicuti nos pluries observavimus. Dominic. Panarolus, obs. 48. pentecost. 2.

Fluore albo mulier quædam mediæ ætatis laborans diuturno & copioso sic curata est.

℞. Pilul. assajaret & fœtid. an. ℈ j. cum succo artemis. F. pil. v.

℞. Pulv. aromat. rosat. ʒ j. ras. ebor. & C.C. an. ℈ j. cortic. citri. sic. diamargar. calid. an. ʒß. galang. cyper. an. ℈ j. ciner. spong. combust. & lota aq. pecul. rosac. ʒ ß. sacch. ʒ j. f. pulvis. Capiat cochl. j. mane ante ingressum balnei. Balneum tale ordinavi.

℞. Rad. bistort. lapath. an. ℔ j. gallat. malicorii an. m ij. fl. chamæm. melil. ros. rub. fol. absynth. an. m j. aluminis ʒ ij. sal. ʒ j. tartar. p. j. f. decoctio pro incessione in balneo. Utatur in dies hora una in hypocausto calido & sic fuit pulchrè sanata. *Felix Platerus obs. lib. 3. pag. 781.*

His pessis sæpe usus sum in fluore uterino ad expurgationem illuviei.

℞. Fell. vaccæ ʒ j. rad. asar. agar. cinnam. an. ʒ j. succ. mercurial. ʒ j. coq. cum melle pauco reliquisque permistis f. instar. unguenti ad sacculos implendos. *Felix Plat. obs. lib. 3. pag. 782.*

Menses albi præmissis universalibus quibusdam appropriatis emendantur, qualia sunt apud obstetricem gallicam, *pag.* 83. sem. citrulli, si singulis diebus numero xij. deglutiantur superbito haustu lactis vel.

℞. Camphor. ℈ß. scobis ebor. ℈ ij. aq. ros. nymphææ, an. ʒß. m. & repetatur sæpius pro dosi. *Wolfgangus Hoeferus cap. 1. lib. 7. Hercul. med.*

Mulier quæ integro biennio fluxu albo laboraverat, accepit nucem moscatum, ejusq; assatæ & divisæ partem ß. manè, alteram ß. vesperi adsumpsit; sicque continuando sanata est. Hoc ipso remedio utebatur quoque Tho. Erastus in sistendis mensibus nimis & fluore albo. Ceu singulari experimento. *Hieron. Reusnerus observ.* 101.

Quædam jam aliquot annis fluxu albo conflictata hac ratione convaluit, accipiebat cineres sarmentorum vitium, & aquæ injiciens pedes fomentabat vesperi immediate antequam cubitum iret, primoque die deglutiebat grana juniperi tria, altero v. tertio vii. semenque præterea urticæ adsumebat. *Idem obs.* 103.

Mulier quædam quadragenaria diuturno fluore albo laborans, post multa remedia frustra tentata, ptisana laxante per mensem integrum singulis diebus usurpata, protinus liberata est.

Ptisanæ compositio talis fuit.

℞. Sem. mundat. ʒj. sem. coriandr. præp. liquirit. ras, an. ʒiß. aq. fortis in qua tamarind. ʒiij. ligni lentiscini, ʒj. bullierint cyathum unum infundantur frigidè per noctem, & colaturam capiat manè duabus horis ante pastum. *Lazarus Riverius, obs.* 81. *cent.* 3.

Mulier quædam à septem mensibus fluxu muliebri seroso laborabat, quam curavi intra quinque septimanas exhibendo singulis octo diebus gr. viii. resin. jalapæ: educta scilicet serosa illuvie, à qua pendebat affectus. Deinde recidivæ occasio sublata est usu sequentis opiatæ.

℞. Conf. ros. antiq. ℥ij. conf. absynth. ℥ j. pulv. elect. triasant. & aromat. rosat. an ʒj. coral. rub. præp. ʒß. theriac. vet. ʒ ij. cum syr. de rosis siccis fiat opiata: de qua sumebat ad magnitudinem avellanæ singulis diebus hora somni per longum tempus. *Simeon Jacoz. obs.* 8.

Hic Syrupus bonus est & utilis in hoc affectu.

℞. Fl. artemis. matricat. meliss. beton. salv. origan. eupator. asari, an. m ij. cumini anis. ammeos: sem. rutæ, carvi, an. m j. enulæ siccæ m iv. cal. aromat. galang. zedoar. cindam. an. m ß. bistort. gall. mosch. doronic. viol. citrinar. an. ʒij. liquir. ʒß. bulliant omnia in ℔ xii. aq. usque ad medietatis consumptionem. Deinde cum forti expressione colentur, colaturæ addatur aceti ℔ ß. sacch. ℔ xv. coquantur ad debitam consistentiam ut f. Syrupus: cujus dentur manè ℥ij. cum aq. absynth. bet. & meliss. an. ʒj. & tardetur cibus post ipsum horis 4. *Barthol. Montagnana cons.* 214.

Puella quædam octodecim annorum fluore albo diu laborans post multa & varia remedia quibus per annum integrum usa est, hoc uno sanata est. Sorbebat jejuno stomacho ovi vitellum recentem aq. rosacea exceptum, & intra quindecim dies sana evasit: cæterum album ovi prædicta aq. rosac. concussum, & jejuno stomacho ebibitum non solum ad album fluorem facere, sed gonorrhœam sanare satis sumus experti. *Amatus Lusitanus curat.* 12. *cent.* 4.

De Puella octenni fluore albo laborante.

Puella nobilis octennis, habitus corporis gracilioris, corripiebatur per tres menses fluore muliebri, s. albo mensium fluxu; (qui, referente *Hoecbstettero*, Augustanis puellis, etiam parvulis virginib. familiaris esse solet,) ex nimio atq: continuo sacchari usu, quo à pueritia asueta erat, & somno, cui indulsit hactenus contracto, cum pallore faciei & labiorum, cephalalgia gravi, respiratione anhelosa, palpitatione cordis, lassitudine gravativa, appetitu penitus prostrato, ac metu ne malum hoc in cachexiā aut atrophiam degeneret

neret, idque ob depravationem nutrimenti sanguinis. Parentes de salute filiolæ non parum solliciti, consilium implorabant meum. Ordinavi varia, quæ alias cum felici successu in hoc affectu adhiberi sciebam, imprimis ad ad humores crudos præparandos, obstructiones reserandas, ac intemperiem corrigendam optima tandem observata diæta, præscripsi vinum medicatum, ac postea tincturam corallorum cum spiritu lignorum præparatam aliquoties exhibui, & ægram præter parentum opinionem divina benedictione optimæ sanitati restitui, quæ adhuc superstes atque incolumis vivit. *D. Joh. Matth. Nerteri.*

De fluore albo in puella sex annorum.

Filia Civis cujusdam honesti sex annos nata, corpore erat cachectico, inquirenti in causam hujus cachexias, narratum mihi fuit emanare ex pudendis hujus filiæ materiam albicantem, quæ fluori muliebri simillima erat; ulcus enim adesse nulla signa denotabant: purgavi ergo illam per epicrasin infuso rhabarbari, & deinde tincturam coralliorum in liquore aliquo convenienti per aliquot dies exhibui, & sic Deo benedicente, feliciter fuit restituta. *D. Casp. Kolichen.*

De fluore muliebri croceo.

Nota mihi est Matrona Nobilis, quæ singulis mensibus ordinario non sanguine; sed materia serosa crocea purgatur, hæc materia linteamina si tangit, nulla lotura delebilis existit: cæterum bene valet, nec ullum incommodum sentit, nisi quod sterilis existat; lochia alias flava esse rarum non est, præsertim si puerperæ crebrius in cibis & condimentis croco utantur; exinde enim lochia semper flavescere observavi. *Dom. Alardi Hermanni Cummeni.*

De fluore albo curato.

Scorbuticæ matronæ, fluore mensium albo fatigatæ, cum variis ex arte præscriptis remediis non satis ex voto procederet sanitas, consilio amici electuarium præparari jussit quod ex Abbate Italo acceperat, non huic tantum malo sed stomacho roborando, ruborique faciei profuturum, me tamen prius consulto. Dissuadere usum non potui, cum, præmissis quæ ex methodo præcedere debebant, electuarium hoc ex aperientibus ventriculumque roborantibus compositum viderem. Nonnihil tamen à me immutatum fuit, cum à manu medicarum rerum non adeo perita scriptum esset.

℞. Limaturæ chalyb. pæp. & nutritæ in aceto commun. per novem dies ℥ ij. myrobalan. chebulor. indor. belliric. emblic. nucis moschatæ an. ʒ v. sem. nasturt. ind. ameos herb. origani piperis oliban. zinziber. pulp. tamarind. spic. nard. squinanth. rad. ciper. an. ʒ iij.

Contude contundenda, tere terenda, inprimis mirobalana, contundantur cum ol. amygd. dulc. quod deinde prorsus abstrahatur ut sicca sint, exinde in pulverem terantur. M. f. l. a. electuarium.

In mulso, vel vino, alternis diebus exhibendum quantitate nucis. Multorum experientia probatum, non malè cessit Matronæ honestissimæ, usitatis antea medicamentis præparatæ.

Alias non unam fluore albo afflictam restitui vino medicato ex aperientibus & uterinis, denique decocto rad. chinæ. Inter rara experimenta, & sæpenumero feliciter probat adversus albas mulierem fluxiones, hoc accepi in Italia; cremorem nempe seminis lactucæ prius macerati in aqua extinctionis chalybis, addito pulvere eboris in tenuissimum pollinem reduct. *D. Thom. Bartholini.*

Smegma uterinum.

Catharina Frevvde, post sterile conjugium, ab obitu mariti ad secundas transiens nuptias prægnans tandem redditur circa annum ætatis prope quadragesimum, infelici eventu. Postquam enim primis gestationis mensibus causo afflicta pœnissime in rationes Libitinæ venisset, ultimo sanè mense de doloribus uteri, febre vaga, torminibus horrendis conquesta Celeb. Vir, D. D. Simonem Paulli mecum (ut quorum ante fructuose usa fuisset consiliis) advocavit; qui excretorum novitate, & gravitate symptomatum impediti serius accersitos nos ostendebamus, nec jam immedicabili malo posse occurri. Duravere parturientis dolores per plures omninò dies, omnem movente lapidem obstetrice Regia, ut infans, quem exstinctum certis signis docebat, protraheretur in lucem. Sed conatus parientis succubuerat, Prodibat autem ex utero interea plurimum liquoris crassi, densique, colore ita albo, ut nivem provocaret, odore nullo. Dixisses vel Smegma Venetum albissimum modico humore subactum, vel delicatissimi generis pomatum, quod vocant. Admovimus candelæ inusitatum hoc spissamentum, quod tantum abest ut arderet, ut strepitu etiam candelam exstingueret. Tandem mors peregit mandata, & nos de crassamenti hujus natalibus ambiguos reliquit. *D. Olai Borrichii Profess. Regii Hafniens.*

Lympha uterina acris salsa & subinde caustica.

Dici vix potest, quàm varius sæpe humor per inferna & naturalia feminarum destillet, sive colorem seu acrimoniam spectes. De colore mensium variegato res feminis quàm Medicis notior, non enim omnia effutiunt, & ne hoc faciant putant se religione prohiberi. Acrimonia verò adeò sæpe invalescit, ut instar cauterii lentè proserpentis vicina depascatur fibrarumque carnearum, quibus ipsis magis est inimica quàm solidioribus particulis, solvat contextum, atque hoc à levibus & vix cognoscendis principiis. Primum enim, quæ sanguinem fundit colliquatque acrimonia muriatica salsa, nisi maturè reprimatur, auctis deinde gradibus lixivam causticamque induit naturam, & post hæmorrhagias fluoresque versicolores texturam corripit solidi, inque tabum liquidum subinde resolvit; imprimis quando à fermento venereo naturalis acrimonia

nia contagium accepit. Hic autem velim observent naturæ custodes, quàm huic plerunque loco acrimonia sit vernacula & velut in fermentum seu pignus generationis concessa. Distillat nimirum ab internâ uteri superficie vaginæque rugis tubulatis ros quidam nitrosus, generationis seminarium, qui junctis tandem particulis in humorem se colligat salsum muriaticum, tam copiosè aliquando fluentem, ut menstrua mentiatur alba. De hoc vidi conquerentes feminas, tamen Virgines, quod ordinarium sæpe mensium fluxum copiâ exsuperet totoque inde tempore duret, non mutato propterea sanguinis menstrui ordine, prodire autem non fluoris tantum sed & grumorum gelatinosorum specie. Narravit mihi femina fidei probatissimæ sibi, cum virgo esset, menstruis cum Lunâ euntibus fluorem plerunque successisse album, frustulis crassioribus & instar albuminis ovi cocti comitatum, neque ante desiisse hoc vitium (si ita vocandum est, quod sine ulla valetudinis labe corpus succulentum occupabat) quàm cum Viro consuesceret, tum enim suppresso illo fluxu menstrua sola ordine profluxisse. Illa tamen ipsa, cum aliquando rei novitatem stuperet, ex grumulis, qui naturam atque inter femineum inquinare solebant, unum manibus oculisque exploravit, reperitque materiam albo ovi cocto planè similem, cumque curiositate ducta digitum ori admovisset, tam perditè acrem, ut quovis lixivio certare posset, infectumque os frigida diluere necesse haberet. Ego quoque, cum Juvenis Anatomica sequerer experimenta, lympham ejusmodi viscosam crassitudine urticæ marinæ æmulam in vaccarum uteris, præsertim circa osculum internum & vaginam deprehendi; excussa uteri vaginæque superficie interna tubuli oculis obvii erant, qui ad cultelli stricturam humorem sudarent viscosum, non aliter ac rajæ cutis post pressionem solet. Atque illum humorem esse arbitror, qui degeneri & ferina acrimonia contextum tandem destruat solidorum viscerumque crasin immutet, *Joh. Nicol. Pechlinus in observ. Physico-Medic.*

Anatomica Inspectiones.

Elizabethæ Anglæ quinquagesimum jam agenti ætatis annum menstrua octennio ante finere cessarunt, nunc inde ab annno redeuntia, sed inordinate: per tres menses eodem fluore corripitur albo, copioso, summaque cum virium debilitate: sensim aucto, adeo ut stanti ambulantique semper invitæ quid destillet: acrimonia humoris abditi naturæ loci multum erodebantur, urinaque juxta supprimebatur: inde grumi sanguinis prodierunt, ingenti cum dolore præsertim in hypochondriis: alvus per quinque continuos adstricta erat: adhibita autem incassum fuerunt à Medicis excellentiss. pharmaca tandem supervenientibus intolerabilibus circa pubem & anum cruciatibus, & vomitu materiæ biliosæ mortua est.

Dissecto post mortem cadavere sequentia notavimus, 1. Omentum tenue, sine pinguedine. 2. Ventriculum magnum ac valde capacem, biliosi humoris plenum, internè rubentem, & multis quoque glandulis conspicuum. 3. Intestina tenuia in inguine sinistro contracta penitus, & crassa tum flatibus tum duris excrementis distenta, præterea variis in locis veluti occlusa. 4. Pancreas cinerei coloris, durum tactu. 5. Lienem coloris nigricantis & 6. Hepar pallidum, ad flavedinem biliosam vergens, nec sanguineo rubore tinctum: 7. Hujus vesiculæ copiosa bilis inerat: 8. Glandulæ in regione lumborum plures, conglobatæ, atque aliæ prope uterum, valde duræ erant, humorem crassum, sebaceum, flavescentem & puri analogum ex se fundentes quo & vasa lymphatica distenta turgebant. 9. Venarum sanguis tenuissimus fuit, sero multo dilutus, 10. Cordi polypus erat. 11. Pulmones sani; 12. Ren sinister duplici cavitate, pelvim efformante, præditus. 13. Vesica urinaria lotio adhuc turgebat. 14. Uterus arcte undique partibus vicinis adhæsit, sundo ejus cum recto intestino, vesicaque urinaria unito. 15 Circa testiculos, utroque in latere, hydatides sat magnæ conspiciebantur, lympha turgentes insipida: Ipsi testiculi purulenti & ulcerati fuerunt, nec tubarum processus rite apparuit: liquor in arteriam spermaticam injectus, omnia uteri & vaginæ vasa implevit, indeque levi compressione, cum ex utero, tum è vagina manavit: uterus magnus erat, intrinsecus rubens, exulceratus, excoriatus, pure farctus, inque sinistrum magis latus inclinans; ulcus extra uteri pomœria, in vicinam quoque vaginam serpsit, nam ista, quasi gangræna tacta, prorsus nigricare visa est: vasa uteri omnia cruore turgebant, *Ex literis à Clar. Joh. de Muralto, Tigur. Medico & Chirurgo die 27. Augusti 1677. ad Nobil. D. J. Conradum Peyer, Medicum Schafhus.*

In Angla muliere quæ Leucorrhoea per plures annos decubuit, & tandem corrosivis matricis ulceribus misere obit, unà cum Clariss. Sylvio 14. Maii 1668. Lugduni Batavorum, glandulas totius corporis omnes lymphaticas, seu conglobatas, duriores flavasque extitisse, & humorem crassum, sebaceum, luteum, puri analogum continuisse: vasa vero lymphatica valde repleta & distenta fuisse deprehendimus: insuper ad testes, in tubarum extremitate hydatides utrinque magnæ aderant. *Joan. de Muralto Exercit. de Lympha & Saliva, in Annexis §. 11.*

Mulier 40. ann. ex partu laborioso fluore albo se laborare conquerebatur: dolorificus valde hic fluxus, nec uniformis hic semper, cum tenuis modo, modo viscida magis magis exiret materia, diversi coloris odorisve: injectiones hic adstringentes variæ à Chirurgis variis adhibitæ, ast sine ullo successu: postquam enim per 14. septimanas misere sic vitam egit, abiit tandem, exhibuitque corpus dissecanti uterum omnimodo purulentum, non uno loco materiam etiam ex fundo ipso, abdominis cavo communicantem: dissectio hæc instituta 22. Febr, 1675. *G. Blasius p. 50. observ. med. 3.*

Dec. 2. 1675. aperui cadaver mulieris 30. annorum fluxu hæc laboraverat albo jam per 7. menses, qui ultimis temporibus gravis admodum & dolorificus, materiæ fœtidissimæ: Urinam parce admodum excernebat, nec unquam sine dolore; dissectus venter

vesicam

vesicam urinariam offerebat mirum in modum distentam, urinæ insigni quantitate repletam, capitis humani magnitudini fere accedebat, ad umbilicalem regionem se extendens: ossium pubis margini firmiter undique adnata, incumbebat hæc uteri non solum vaginæ, sed & fundo, imo pondere suo partem utramque graviter adeo comprimebat, ut non rotunda, aut saltem leviter protuberans, sed complanata, imo potius sinuosa observata fuerit: fundus ipse substantiæ licet debitæ, vix à statu naturali recedentis, parte antica atque postica digiti transversi laterali utraque duplicis digiti crassitiem habebat: hinc ampla valde quamvis ipsi incumbens vesica, extensio ejus tanta ut utriusque manus digitis vix tegi valeret: vagina ab extremo pudendi usque ad orificium internum ulcere sordido affecta notabatur, scatebat hæc materia purulenta, summe fœtida, cujus etiam aliqua portio ipso in ventris cavo loco eo ubi vagina dicta intestino recto cohærebat, reperiebatur, eo quod consumpta substantiæ uteri particula materiæ illi concessus fuerit exitus, omnibus locis gravis æque hujus vaginæ exulceratio; levior quæ vicina magis orificio externo, gravis quæ interna: nec tamen ab ulcere quamvis liberæ magis pars antica vaginæ dictæ, alienæ constitutionis omnino expers reperiebatur, duritiem enim insignem hic reperiebamus, imo & crassitiem, utraque tanta ut substantia vix minimi digiti crassitiem habens naturaliter constituta, duorum pollicum crassitiem superaret, cartilaginosæ fere constitutionis: atque huic substantiæ hujus, cum crassitie, conjunctæ duritici excedenti, urinæ suppressionem, aut saltem, parciorem excretionem, hinc vesicæ urinariæ extensionem summam, unice adscribendam ducebamus, angustato scilicet ab uteri substantia dictâ meatu urinario eidem continuo. In latere dextro tuba uterina, circa extremitatem eam quæ ab utero est remotior & amplior, inflaminata valde, toto reliquo corpore purulenta omnino, omni cavitate destituta, purulentus itidem testiculus: In sinistro utraque pars à statu legitimo notabiliter haud recedebat: in utroque testibus vicino, cornubus uteri adhærebat vesica, quarum dextra ovi gallinacei magnitudinem habebat: liquore gelatinoso, pellucido, subflavo, repleta; sinistra vix juglandis, aquosa magis: ren uterque sero mire extendebatur, forsan quod urinæ excretio aliquamdiu parcior fuerit: ureteres ampli itidem, vesica fellis insignis quoque magnitudinis, bile turgida, hepar bonæ notæ, pancreas quoque lienis mira structura, numerum sive spectes sive figuram: ille duos exhibebat lienes intime connexos, sic ut nonnisi singulari adhibita circumspectione separari potuerint: hæc locis variis incisam substantiam, adeoque quasi in lobos quosdam parte ea quæ ventris anteriora respiciebat, divisam: imo in liene hoc, duplici ex corpore dicto modo composito, appendicula singularis etiam observabatur, quam lobum ejus vere nominare licebat; circa renem sinistrum nucis moschatæ magnitudinem habens globosa occurrebat substantia, vasis mire irretita, dissecta hæc lienis substantiæ similis observabatur. Cordis ventriculum dextrum insignis admodum occupabat polypus, tenax valde, albus, fibrosus, extendebat se ad plurium digitorum longitudinem in arteriæ pulmonalis interiora: mediastino circa pericardium utroque latere, vesiculæ variæ statu turgidæ adstabant: in inguine sinistro glandulæ quæ aderant, naturali in statu inveniebantur, quæ in dextro duplicis juglandis similitudinem referebant externam faciem spectantibus, licet valde essent inæquales: dissectæ plurimis ex particulis, albissimis, facile digitis resolubilibus, singulari tunica investitis compositæ videbantur: cor, renes, partesve aliæ variæ maculas habebant, in tunicis se manifestantes, subnigras, linea albicante circumscriptas.

Ulcus dictum uteri, hinc fluor purulentus vesiculæ circa vasa pampiniformia, glandularum in inguine intumescentia, quæque alia huc facientia adduximus, quam causam habuerint meum non est determinare, eo quod nonnisi viribus diuturnitate afflictionis omnino destructis, adeo ut etiam vix verbum proferre valeret, in Nosocomium delata fuerit defuncta nostra, lymphæ singulari vitio, simili omnino illi quale luis venereæ, præcipuam, si non unicam causam, variis rationibus moti habemus, plurimum hic tribuamus multa ex dictis suadent: Hac an correpta fuerit defuncta dicere non possumus, hoc hic monuisse satis sit, vel sanguinem suis à causis corruptum, (etiam non raro à malignis, quas inter seminium palmam ducit) lymphæ dispositioni pravæ, ac speciatim magis coagulationi singulari, hinc circa glandulas, aliaque loca, ubi ductuum ejus motui destinatorum copia collectioni, aliisque inde productis vitiis occasionem præbuisse, licet nec ipse partibus aliis humoribusque pepercerit, sic ut non solum vitia alia in muliere hac observata, verum & uteri ulcus ipsum ex sanguinis lymphæve constitutione præternat. originem duxerint, vel ex impuro congressu, seminisve pravi in utero detenti corrosiva vi ulcus uteri primo, hinc ex hoc sanguinis lymphæve vitia, quæque ab iis produci posse diximus, dependere. *Gerardus Blasius part. 5. Observation. medic. 9.*

Sæpius vidimus in dissectis cadaveribus puellarum seu virginum, & aliarum mulierum profluvio uteri albo, dum viverent, laborantium, quæ ob alium aliquem morbum gravem extinctæ fuerant, in utero enim earum humorem limpidissimum invenimus, qui è cavitate ejusdem guttatim stillabat per verum collum in sinum pudoris, in quo candorem tantum acquirebat, ut cretam aut calcem dissolutam in aqua dixisses, & ejusdem mixtionis crassitiem quoque, in aliis majorem: an verò id fiat, id est, ista albedo & inspissatio humoris ante a tenuis & limpidissimi, acquiratur coctione aliqua, vel aëris externi appulsu, frigidi potius ut videtur, aliis judicandum proponimus. *Severinus Pinæus de Notis virginitatis lib. 1. problem. 3.*

FLUXUS HEATICUS.

De Fluxu Hepatico jam quidem suprà capite de Diarhœa aliquid attulimus, verum materiam non exhausimus, de eo itaque rursus in præsentiarum quædam restant adducenda, ac pri-

primò *Considerationem Medicorum super Hépatico Fluxu à Martinô Carceô, Cumanô-Hungaro Lugduni Batavorum intentam An. 1672. ac virtute, eruditione, experientia, Nobilissimo, Excellentissimo, Clarissimoque Viro D. D. Carolo Drelincurtio Philos. & Medic. Doctori, antehac in Galliis Consiliario & Medico Regio ordinario, nunc Lugdnui Batavor. Professori Practico & Anatomico, Praeceptori publice & privatim, de suggestu, & in Theatro Anatomico, sanare & secare monstranti, cum Suada & Apolline dicenti & docenti, subtiliter curioso, & solide Docto, Promotori Magno, de studiis suis benemerito, & idcirco plus ex praecepto Dei, quàm juramento Hippocratis suspiciendo. Oblatam, Dicatam, Consecratam.*

Adò neglectus est, quòd ad cognitionem & & curam Fluxus Hepaticus, ut clanculum Medicorum aulæa subintret, culcitrasque ægrotantium sordibus fœdet, & tamen quasi larvatus foret non cognoscatur. Ita siculus ille Medicus, de quo Galenus v. de locis affectis cap. ultimo mentionem habet, cum ignoto sibi hoc hoste pugnabat; nec eum prius agnovit, quàm à Galeno larvâ ei detractâ. Idque hâc occasione: Glauco Philosophus, Vir insignis, compellat Galenum hunc in modum. Quoniam heri & Gorgias & Apelas mihi nunciarunt, notiones, præsagiaque edidisse te, quæ ad Divinationem potius, quàm ad medicinam pertinere videbantur, cupio equidem periculum facere, non adeò, ut tuam experiar doctrinam, quàm ut sciam: num tanta sit in Arte Medica, tum cognoscendi, tum prædicendi facultas? &c. Sicque ad clinicum Medicum deducit. Fatum felix! Contigit Galeno primo ingressu, videre illuviem alvi saniosam, unde animo erectior factus spondam accedit, decumbentis arteriam ad carpum tangit, morbum detegit. Et dum forte fortunâ lumina ad fenestras converteret, hyssopum ex aqua mulsâ decoctum considerat, ac de erroneâ opinione circâ morbum pronunciat. Dii boni! quantum se medicum probat? Medicis & Philosopho admirabilem, Arti Medicæ gloriosum.

Utinam sagacitas Galeni bonis medicis imitanda animis omnium insideret! Utinam siculus medicus solus, hostem hunc larvatum non cognovisset! Non doleremus inscitiam juniorum quatuor medicorum Parisiis commorantium è quibus commensalis unus suum morbum nec cognovit, nec in principio magnifecit; supremum nihilominus fati diem cum oculis, (ob fluxum hepaticum clausi.) socii interim ejus, serius cum phrygib. sapientes, & in mortis causas inquirentes, ab oraculo Galen. quod consultum est, certiores de morbi naturâ redditi sunt. Nulli quidem cæcitas aliena visem restituit; aliena tamen pericula quosdam cautos reddunt, ex quorum numero ut sim, nec vitia excretorum contemplari medico iddignum putem, ac officiorum aph. 1. Sect. 1. præscriptorum memorem me præstem, monitoria hæc schediasmata erunt.

Fluxus hepaticus est dejectio indolens, humoris cruenti, ichorosi, hostiarum recens mactatarum ablutioni similis, & fœtidi, ab hepatis corruptione ortum ducens. Quâ conflictati, appetitu sunt prostrato, carnes oderunt, vino delectantur, febriculam aut febrem quandoque patiuntur, siti nonnunquam urgentur, sanguinolenta aliquando per os, nares, uterum, hæmorrhoides, aut poros emittunt, cachexiâ, pruritu, hydrope abdominis aut tumore pedum seroso, infestantur.

Fluxus) à fluidorum in corpore nostro motu, denominationes variæ medicâ civitate donantur. Hinc ῥεῦσις, fluxio, id est, ipsi fluendi actio: ῥεῦμα, fluxus: ῥευματισμὸς fluxio fluxus, κατάῤῥους defluxus, destillatio: ἀπόῤῥοη, defluxus, defluvium, humor effluens: ἐπιῤῥοὴ influxio, influxus. Διάῤῥοια, fluxus, fluentum, alvi fluor, profluvium. Sanguis ipse effluxu suo variis nominibus occasionem dedit: αἱμόῤῥοια sanguinis profluvium, αἱμοῤῥαγία sanguinis eruptio è naribus, αἱμοῤῥοΐσις ex ani vasis. Δυσεντερία cruenta alvi dejectio cum dolore & ventris torminibus. Cùm verò fluxus hepaticus indolens sit, Δυσεντερία dici nequit.

Hepaticum dicitur hoc fluentum, à parte affectâ, seu scaturigine unde manat. Hepatici enim dicuntur in genere, quicunque morbo aliquo hepar obsidente laborant: in specie veteribus, quibuscum loquitur Fernelius, qui hepatide, hoc est, jecoris inflammatione tentantur; neotericis verò hepatici, jecinorosi, & jecoritici cluent, quorum hepar vietum, & imbecille evasit, citra alium morbum, unde affectus noster, Ἥπατος ἀτονία, hepatis imbecillitas apud multos audit. At hepar malè affectum esse ex sanguinis effluentis, qualem notavimus, colore, notat Galenus, v. de locis affectis. Affirmat Forestus, non tantùm cruenta & aquosa; sed ipsam quasi hepatis substantiam dejecisse eos qui ex hoc affectu morerentur lib. 21. Obs. 22. in scholiis. Id comprobat experientia, conjecturis & ratiociniis potentior, cui refragari nulli, nisi qui peponem loco cerebri habuerit, licet, Contigit enim Viro Excellentissimo, Anatomico curiosissimo, Practico etiam ad minima attendenti, Præceptori in Anatomicis & Praxi fido, in sui admirationem quoties loquitur me rapienti D. Carolo Drelincurtio, (quem disserentem de hâc materiâ, publicè anno 1671. dieb. 20. 22. 23. Octobris, & privatim circa initium Martii anni currentis audivi] fluxu hepatico denatos aliquot aperuisse quorum jecur ad instar pomi putris corruptum, contrectantibus digitorum apicib. cessit & ad contactum levem diffluxit. Haud me fugit, nequaquam me assensum eorum cogere posse, (quod etiam non contendo) qui nomen hepatici fluxus ex præjudicio notum dictitant, & hepate nequaquam morboso similem fluxum aliunde ortum habere posse judicant. Ast longum otium disputandi de possibilibus, relinquo iis, qui in utramlibet partem disputare parati sunt; bombos tamen verborum experientiæ flabello discuti, veritatis aurâ difflati spectatorem me exhibeo. Notat Platerus tract. 3. lib. 2. de vitiis excretorum cap. 11. Fluxum cruentum, dilutum, copiosum Dysenteriæ aliquando supervenientem, sed idem in causis tinctura à fluxu hepatico eundem distinguit.

Corruptio hepatis.) Hepar malè affici dictum est, sed modorum doctrina accessu difficilis, hîc quoque acclivia habet, præcipuè, quòd formæ substantialis vices compleat. Corruptionem nominavi, quam Philosophi mutationem ab esse, ad non esse dicunt. At non ad non esse impli-

simpliciter, materia enim in materiam mutatur, unde ab annihilatione destinguitur, verum ab esse hepatis, ad non esse hepatis, quod fit sola modorum variatione. Tollitur quies partium & particularum juxta partes, partiumque particulas, hoc est, textum arteriarum, venarum cavæ, portarum, lymphaticorum vasorum, pororum bilariorum, nervulorum. Retexitur majori defraudatione partium, quam procorum penelopes, telæ hujus divini textoris ope contextæ, stamen & subtegmen. Mutatur locus glandulosorum acinorum, & fit ῥοῦς seu ῥυάς, id est, defluvium acinorum ἀκράτεια vera, id est, incontinentia. Figura variationem subit. Motus ei congruens ligamentorum ope, aut fibrarum in vasis existentium, per hepatis substantiam sparsorum eluditur, unde vera ἀτονία & ἀδυναμία. Magnitudo si non increscit, quid mirum? Pomum enim putre raro (nisi ζύμωσις accedat,) incorrupto tumidius fit. Decrescere autem si purgat, rationi consentaneum; quia profluit aliquid ejus substantiæ, præcipuè ubi mali labes diutiùs serpsit. Pori vitiantur, evertuntur, unde naturalis sanguinis εὔροια impeditur, εὐχυλία depravatur, & καχεξία accenit. Quid dicam de humore vegetativo, & calore vitali à quibus vita? νέκρωσις adest, & σφακελισμὸς partem habet hoc est mortificatio & morticinium partis est, non ergo his magis opus, quàm mortuo dapibus opimis.

Causæ corrumpentes internæ quatenus in ipsum hepar agunt) Sed, quia nihil à se corrumpitur, nec tamen quicquam extra sphæram activitatis suæ agit, causæ proximæ in ipso hepate perquirendæ. Alluit verò hepar sanguis arteriosus, qui arteriæ cœliacæ ramum dextrum affluit; aliunde verò, uti venæ portarum surduli concava jecoris irrigent, ita venæ laræ radices ejus concava perreptant. Accedunt spiritus animales, quos si succum nervosum vocas non litigo per nervulos à plexu costalium singulares, sanguis hic filtratur & transcolatur ad truncum cavæ ascendentem. Bilis derivatur per poros bilarios ductus hepatios, & confluit in intestinum. Lympha receptaculum commune pellitur. Fluxus vero hic, quoniam per gyros intestinorum fit, viarum ad intestina perviarum ductum sequitur. sanguis serosior solito laxat poros vasorum, aut etiam capillaribus paululum dilatatis exit in substantiam, ubi imbibitur, & infiltratur, ceu spongia liquores imbibit; ceu spiritus ammoniaci, ceu alcohol vini parti affusus per eam serpit. Postea sero sanguinis tenuiore copiosius allabente, sanguis paulo crassior filtratur quidem, tenuius vero serum in loca uliginosa effusum cum aliqua sanguinis portione, dum poros, sanguini transcolando alias pervios, impervios offendit. bilis motum adi poros bilarios sequitur, sicque fluxum hepaticum constituit. ast quoniam pars infiltrata, non exprimitur (vel compressione partium vicinarum puta diaphragmatis motu superne deorsum, vel contentarum in abdomine inferne sursum; vel constrictione illa, quæ sit partim per nervulos, partim per fibras textum hepatis constituentes, partim etiam per membranam hepatis non tantum ejus extima sed & intima pervadentem, ac vasa comitantem) uligine vitiata diluit acinulos, & cohæsionem illorum disnectit, sicque à communi vita separat, Uti videmus carnes etiam recentes, in aquam putissimam & nulla ratione vitiatam immissas sensim corrumpi, & quidem æstate citius, quam quam hyeme. Ita motu partium naturali sublato, acinuli decidunt καταπτωσις ruina seu casus fit; quam partis morticinium consequitur, seu jecoris διαφθορά.

Qui magis inclinant ad hunc affectum) raro hunc affectum etiam oculatissimi medici observant, unde qui sint ad hunc affectum procliviores quod ab experientia dependet, non facile determinatur; tamen rationi consentaneum videtur, tales, in quibus copiosum serum, pori bilarii patentiores, pori in vasis adducentibus laxiores, in abducentibus exilliores angusti huic affectui magis obnoxios.

Res hunc affectum inducere valentes) aër frigidus quia interiora calefacit, & sanguinem fluidiorem reddit ut Hippocrates dicit ventres hyeme calidissimi aph. 15. sect. 1. Exteriora vero frigore constringit, affluenti sanguini copiosiori occasionem dat, transitu o eidem ac percolando obicem ponit. Vasorum advehentium poros laxando, avehentium arctando fluxum producit, & reliqua parte acinorum corpusculis infiltrata corruptionem ingenerat. Transpiratio enim impedita recte inter causas putredinis recensetur. Calidus, sanguinem liquat & fundit, calorem ejus vitalem turbat, non tamen prorsus incendit: spiritus consumit à quibus robur hepatis. Hæc est ratio, cur homines ardente syrio ad laborem segniores deprehendantur. Humidus aer, poros corporis penetrat, salem liquat, qui liquefactus defluxiones adjuvat. Alimenta admodum refrigerantia, ut sunt olera frigida, potus glacialis importune haustus, ventriculo immissa, suam circa portas vim exerunt, frigore penetrante. Quod, minus mirabitur, quicunque expenderit, ad auram frigidam, totum corpus calore exæstuans subito refici: ad medicamentorum testiculis aut plantis pedum admotorum vim, æstuantem febrium fervorem, restringui; ad halituum & vaporum motum horrores, rigores, excitari. Frigore etiam afficitur mesenterium, in quo venæ portarum viriæ propagines, quæ sanguinem à frigore male alteratum in jecur infundunt. Et quicquid chyli per venas lacteas, aut lymphæ per vasa lymphatica in receptaculum commune convehitur, ab indole nativa degenerat. Mutatur etiam chylus & lympha, in in ipso ductu thoracico unde ratio patet, cur æstuantes potum frigidum hauriendo, in ipso potandi actu reficiantur; alterationem quippe subit sanguis ipse descendens. Sic varias mutationes, à quibus abhorret natura, dum patitur sanguis, illius filtratio vitio se peragitur. Opiatorum & relaxantium abusus motum tollit, citra quem nulla actio, Motus corporis nimius, motum humorum versus intestina festinat. Evacuatio sanguinis in congerendo sero, plurimum valet, seminis vero crereqiot exhaurit. Decubitus in plumeis cultris sanguinem calefaciens, procliviorem reddit, ut in intestina corrivetur. Ira Humores movet, Mœror meatus obstruit. Et sic plurima, quæ alias innoxia, in hujus visceris perniciem conjurant,

Morbi qui hunc producunt) succedit hoc ma-

lum aliquando febribus colliquantibus, in quibus non tantum pinguedo, à bile sanguinem ad nutritionem ineptum reddente, liquescit; sed corrupto prius nutrimento, ipsa pars, succi nutritii indolem sequitur. Quod facilius in hepate, quam aliis partibus contingere potest, eo quod filtrum & colatorium sit bilis. Idem contingit nonnunquam in febribus malignis, pestilentialibus, & peste ipsa, in quibus sal acre malignum, & volatile, malignitatis suæ stigma profunde inurit, & virus per ductum communem in intestina evomit. Idem in morbillis & variolis, ubi sunt adeo vehementes, ut non tantum sæviant in exteriora; sed etiam viscera occupent & corrumpanr. Ita perfectè Vener. Præc. Meus plurimas variolas vidit, quæ suppurantes intus & extra fluxum epaticum invexerunt, illumque perpetuò intra paucos dies lethalem.

Indolens.) Contrecta, ure, seca manum illam, quæ hinc ab anno tormenti bellici volante globo abrepta est, atque curiositatis gratia apud chirurgum asservatur nec molestiam ullam manco facies, nec tristem ullam sensationem eidem excitabis. Quid enim cadaveri cum viro? cadaver esse corruptum Hepar, h. e. vitâ sensuque destitutum supra dictum: neminem itaque mirari subeat si tale hepar nullo afficiatur dolore. Non enim putandum est hepar comminutâ toti conjunctum sensu destitui, id quippe luculenter refutat experientia eorum, qui hepatitidem h. e. inflammationem hepatisperpetiuntur. Negari tamen nequit eos qui hoc fluxu corripiuntur aliquando torminibus vexari; vel propter lumbricos in intestinis catullientes vel ob medicamenta aut acriora aut etiam adstringentia, sed præpostere exhibita, ab his enim humor in cavernus hepatis moram facit, & acrimoniam acquirit, dumque per intestina devolvitur dolorem invehit.

Cruenti, & hostiarum recens mactatarum ablutioni similis) sic e. g. videmus, & in artificiosâ parenchymatis hepatici separatione: & in spongiæ sanguine infectæ acaquis immersæ secunda aut tertiâ compressione, sanguinem aquosum exprimi: atquæ demum in ipso sanguinis venæ sectione emissi seri, quod ubi vel leviuscule cremorem, & caseum ejusdem moveris, illico plus minusve rubescit. Ichorosi,) ἰχὼρ græcis dicitur sanies serosa & tenuis, qualis prodit vel ab ulceribus capitis manantibus, vel à capitis furfuribus violentius abrosis, vel demum ex cadaveribus diutius quam per est inhumatis dum solaris æstus in illa agit. Aristoteli ἰχὼρ ille sanguis est crudus, qui vel nondum coctus vel in serum versus est. Allusit procul dubio vir magnus ad sanguificationem in hepate, quam medicina prisca docuit: sanguinem vero in serum converti, si benigne exponimus, profitebimur à sanguine lympham separari, quam si quis saniem nuncupat forte vapulabit: saniem quoque græci vocant τὸ πύον. & τὸ πυῶδες quod albicat: unde sanguineus ichor commodius quam sanies dicitur. Fit nonnunquam ut sedimentum crassum, vel fæces vini rubri, vel amurcam repræsentans dejiciatur, quod à substantiæ colliquatione fieri solet, ubi subtiliore liquore effluente crassius sedimentum in jecoris cavernulis ceu lacunis stagnat.

Tale quid in collegio Anatomici clariss. D. Drel. videre mihi contigit, in liene tabido ex lienoso extracto, qui juxta caput permagnam cavitatem lutulenta cœnosa & limosa materia refertam; parte vero reliqua scirrhosam duritiem habebat. Lien autem substantiæ similitudine ab hepate non multum abhorret. Idem igitur in jecore concipio ac hisce oculis in illo liene deprehendit:

Fœtidi) fætorem adesse in omni carnium corruptione ubi aliquid partium volatilium effluvia emittentium adest, ipsa docet experientia, cujus subjectum aliquid sulphurei esse, probat solutio sulphuris lixivio calcis vivæ facta, & aceto non fœtido præcipitata, fœtorem abominandum excitans. Ita sulphur accensum, & candelæ recenter extinctæ fumus pinguis & sulphureus fœtet. Ita omnia suffitibus & suffumigiis materiam præbentia, quantum quidem novi, ignem concipiunt, aut concipere apta sunt, sicque gratum odorem quem fragrantiam nominant, aut ingratum & tetrum, quem fœtorem vocant, ex se mittunt. At oleum sanguini inest qui copiosus per hepar à partibus internis remeat, & dum corrumpitur fœtidissimus evadit; uti etiam destillatione oleum summe fœtens ex sanguine prolicitur.

Appetitus prosternitur) halitus teter, & execranda mephitis janitoris ostia transit & penu naturæ, ventriculum scilicet subit: ubi ζύμωσιν corrumpit. Hac autem corruptâ stimulus ad alituram animalium datus appetitus nempe hebescit idque partim quia spiritu acido non imprægnatur lympha salivalis, quæ fermento originem suppeditat; partim vero quia deglutita non potest manere incorrupta, verum succo peregrino imbuitur atque dilutus.

Carnes oderunt.) suppetit ergo ratiocur hi carnem vehementissime odetint & aversentur. Ascendit enim ad ventriculum continuus ex hoc lacu vapor, qui condensatus in superiori ventriculi orificio ad nervos stomachicos fami præfectos penetrat, & aversationem carnium producit. Hujusmodi exempla passim prostant. Sic dantur, qui supplicia spectant dum latro securi subdere collum cogitur & aciem adeps sequitur, spectaculi dant pœnas pinguium aversatione. Sic ex improviso offendentes cadaver vermibus luxurians, exinde caseos veteres vermiculis scatentes abominantur. At hîc abominationis causa continue adest perpetuo enim renovatur, ut esca vulturis infernalis immortale scilicet Titii jecur.

Vino delectantur) ast quantum hi à carne abhorrent; tantum vino delectantur deliciæ enim quas vinum habet in sui amorem hecticos imo & icteros pelliciunt. Documentum dedit hujus rei mercator anglus prædives per biennium ictericus, qui toto morbi decursu vini summo desiderio tenebatur. Is valetudinis recuperandæ causa ad excellentissimum doctorem D. Carolum drelincurtium, in hanc urbem transfretaverat; sed post aliquot dies, itineris tædium, & salutis spem, cum morte commutavit, cujus jecur scirrhosum anatome docuit. Sapit vinum, quatenus glandulæ σιαλοχόοι, sporades, basilares, hypoglottides, proglottides, uvulares, palatinæ, cacochymo sanguine irriguæ, subtili ejus spiritu reficiuntur. Ventriculus

culus ipse, ab ingrata illuvie, quæ illum subiit liberetur; venæ lacteæ irrorantur, & spiritibus animalibus in cerebro secernendis materia subministratur. Sed ohe malum! illecebris hisce blanditur hostis infensissimus, & suiamantissimis clam jugulum petit. inquit Fernel Path. lib. vi. cap. vi. de substantiæ hepatis corruptela. Fundit enim sanguinem, calefaciendo intestina & mesenterium, in quibus radices portarum, uti rami in ipso hepate j calorem vitalem æstu peregrino inficit, sanguini motum concitatiorem conciliat: fluxum & corruptionem ipsam auget.

Febris aliquando adest.) Quod si fluento sanguineo rivulorum, venæ Portarum & cavæ, inquinamentum tenuius & parcius paludis cœnosæ hepaticæ, ad mare mrcrocosmi abripiatur, febris fit occulta, qualem forestus lib. cit. obs. 23. in dysenteria hepatica, ex intemperie frigida notat. Si copiosius, tunc se magis patefaciet, accedente præcipue notabili diæta vitio. Quod si frustum tetræ corruptela adducatur frequenter, non taman continuo, insequetur animi languor & defectio, ac tandem cum sudore frigido mortis prænuncia Syncope.

Sitis urget) calori febrili comes ut plurimum solet esse sitis, quia fauces ab halitibus ascendentibus arescunt. Accedit altara causa, seri sanguinis effluvium, unde sanguinis circulatio tardior, ejusdemque ad glandulas oris, salivam eructantes allapsus parcior. Sic sanguis vitæ thesaurus vehiculo ex parte destitutus linguam, & os universum rore suo defraudat.

Sanguinolenta excretio per nares, os, vterum hæmorrhoidas, corporis poros) naturam providam quæ à nemine docta, conservationi totius intenta noxia fugit, seculum hoc compellare non sinit. Sanguis ergo cordis contractione in partes pellitur, & instatu naturali reperit poros ad mensuram suæ magnitudinis accomodatos, qui præter naturem constringuntur aut dilatantur. Imo his illæsis, si sanguis tenuior existat, subtiliores etiam meatus, quam naturaliter habet, pererrat, ostiola horum cutanea, propter recursum naturalem impeditum, & continue influentis sanguinis impetum, effringit ut.

Vnda impelliturunda,

Vrgeturque eadem venies, urgétqepri orem.

Quidn enim, si.

Gutta cavat lapidem non vi; sed sæpe cadendo.

Sanguis copia suo tenuem cuticulam distendens, & noviter pulsus, novis ictibus arietans, eandem perrumpet.

Imprudenter cohibito cachexia, prurituss hydrops, p dum tumor sero succedit) naturam bene agentem spectare, adjutare, & imitari decet medicum. At scire, quando? quan? &c. bene agat? hoc opus, hic labor est. Et non abs re fluxuum cura, C os ingenii medici & judicii ac prudentiæ, practicæ lydius lapis audit. Ruenti cum impetu aquæ ostia opponito, murmur habebit, & frustra prohibente obice exundabit. Ita dum imperitorum error, molimen naturæ eludit, & quod prodire sinendum erat, sistit, operam perdit. Tunc enim immutato cursu, in varias partes ruit. Suffundantur hoc ichore acriore glãdularum subcutanearũ myriades, aderit pruritus perfundãtur interstitia subcutanea & cuticula à cute plurimis in locis sejungatur fiet scabies. Rumpantur vasa lympathica & serum sudet in abdomen, exorietur hydrops; in Pede tumor serosus. Si verò hoc serum per corporis poros eat atque redeat, variam pro sui varietate introducit cachexiam.

Prognosis 1. Exitus.) Salutis, non illico desperandum hepatico fluxu conflictatis, si in principio peritum medicum nacti sint: non etiam ubi malum aliquamdiu duravit sensim procedens, & lento gressu, nisi præveniatur ad exitium deducens: potest enim docta manus hoc malum debellate. Mortis At ubi partus est febrium malignorum, pestis, variolarum morbillorum & sanguis atque fluens fuscus est & splendidus cum fœto e intolerabili, tum doctaplus valet arte malum. 2 Durationis. Nec multum durare novit, ubi pernicibus & acutis affectibus successit, aut eosdem comitatus est: diu tamen aliquando fraudulenter hospitatur. Idque vitio patientum, qui parum de hoc malo conqueruntur, eo quod indolenter degant, sicque malum ceu latentem anguem sub herba relinquunt: aut etiam vitio delicatorum medicorum, quibus hoc unicum natum, *fluit mihi alvus*, sufficit, & vitium excretorum examinare dedignantur. 3. Modi eventus & mutationis ubi vero æger sui exactam rationem habere cupit, & medicus diligentem & arti congruam adhibet medelam sanat sæpe, atp ulatim. Interdum vero morti ægrum eripere non potest, sed mors patientem ab amicis subito aut lente divellit.

Θεραπευτικὴ) suo hic munere recte fungetur medicus ubi 1. sanguinis serum copiosum diminuendo, justam sanguini consistentiam conciliarit. 2. Hepar nondum corruptum roboraverit. 3. Idem à corruptione præservaverit, & cadaver hepaticum condierit. 4. Naturam in regeneratione corrupti jeverit. 5. Patientem convenienter cibaverit.

Purgantia) indicationi primæ satisfacient rhabarbarum, myrobalani citrinæ, aloe; non quasi hæc hydragoga forent, sed quia chologoga, & per poros bilarios evacuant, qui sanguini seroso ad intestina fluenti, canaliculi exitunt: & quia parti eidem, teste experientia opitulari deprehenduntur: tum etiam quia duo priora, vim adstringendi, huic affectui convenientem habent; tertium vero, inter ea quæ corruptionem arcent, optime audit. Exhiberi vero hoc modo possunt.

Accipe Rhabarbari tosti. Drach, ß. Nucis Moschath tostæ. Mastiches ana Scrup. j. Sacchari clarificati Drach. j. F. Pulvis. aut Accipe. Myrobalanorum Citrinarum conditarum. Drach. ii. vel accipe. Aloes, succo absint hii & Centaurii uutritæ. Scrup. ii. olei Myrrhæ per deliquium. Drach. ß. conservæ absinthii. Drach. iß. M. F. bolus. hæc Serum educent, sanguinem magis consistentem reddent, hepar roborabunt, & Poros aperient.

Τονωτικοῖς) Altera Indicatio complebitur extractis. Absinthii, Cardui bened. Aristolochiæ rotundæ, centaurii minoris. conservis. Rosarum rubrarum, acetosæ, trifolii acetosi. conditis. Enulæ campanæ, cydoniorum, nuci juglandis.

Condientibus.) Balsamica virtus requiritur ad tertiam indicationem, quam, quia celebrat bernardus penotus à portu, iu balsamo præclaro ad cadavera inungenda, & à corruptione præservanda, quo Veteres in senio sublevando usos dicit: habe.

Ex descriptione petri aponensis conciliatoris.

♃, Myrrhæ, aloes hepaticæ, spicæ nardi sanguinis draconis, thuris, Mumiæ, opopanacis, bdellii., carpobalsami, ammoniaci, sarcocollæ, croci, Masticis, gummi arabici, stiraci liquidæ ana ℥ij. labdani electi, succi castorei ana ℥iiß. Musci ℥ß. Terebinthinæ ad pondus omnium, pulverizanda pulverizentur & cum terebinthina probe misceantur: pone totum in alembicum & ingeniose destilla, liquorem destillatum accipe, & in vas vitreum reconde. Dosis guttæ iii. extrinsece vero hoc ipso, at aqua rosarum temporato, regio hepatis inungatur. Felicem successum ex hujus balsami usu sperare licet.

Hepar regenerantibus) forte hoc absurdum videbitur posse hepar regenerari; quod concessero ubi totum corruptum est; ubi vero, pars ejus duntaxat. nequaquam. Rarum in hanc rem exemplum & oculis charius habeo excellentissimi promotoris D. caroli drelincurtii observationibus & curationibus vero heroicum & regio medico dignum. Historiam Anglus quidem lutetiæ parisiorum conquerefidus nerrabo. batur de gravitate hypochondrii, Decubitu molesto, respiratione difficili, pars affecta mollis deprehendebatur, Maturantia juverunt, Signa puris apparuerunt, apostemate aperto pus cruentum copiose per dies octo prodiit, pronunciante D. drelincurtio: pus à partibus internis manare; chirurgus risit; at digiti immisii in ipsum iecur penetrabant, quod in ambitu vulneris costis adhæserat, ita ut nihil in abdomen delaberetur. Sicq; Enunciati veritatem non tantum chirurgo verum aliis cum thoma incredulis digiti immissi firmiter probarunt. Adhibitis vulnerariis Dei & artis ope restitutus est. Ergo idem contingere posse in fluxu hepatico, imo sæpe contingere, concludere quid vetat? Vulneraria ergo hic convenient, uti sunt radices symphyti, angelicæ, aristolochiæ rotundæ, Imperatoriæ, bistortæ, caryophyllatæ. Herkæ & folia equiseti, centaurii minoris, Plantaginis, millefoliis, pentaphylli, hyperici, verbenæ. Cortices & lanugo florum salicis, &c. Sanguis draconis, sarcocolla., & hæmatites. Hæc s. a. administrata, ita sanguinem depurant, ut ex eo, quod perditum est reponi possit; hæc tenuem ichora carnis generationi nocentem removent., & naturæ subsidium ferunt. Observandum etiam, corruptis & defluentibus acinis glandulosis, non illico vasa corrumpi; nam separatione glandularum facta, vasorum divaricationes integræ servantur.

Ultima indicatio. Diata duabus vocibus enunciari solita, Cave, cape, absolvi potest. Abstinendum ergo ab iis quæ, supra notavimus huic morbo occasionem præbere. Usurpanda vero ea, quæ juvant. Ut sunt alimenta morbo decrementum, ægro virium augmentnm adferentia. Amygdalata & hordeata consistentiæ spissioris quam Emulsiones. Pasta regi analeptica ex carne Testudinum nemoralium, cancrorum fluviatilium, caponis, perdicis, cochlearum, ex hepate Luporum, Perdicum, Gallinarum, Anserum. Thyrsuli asparagorum teneriores decocti, capita cardui altilis, acetosa rite præparata, aceto & butyro condita. Olus ex Seride seu intybo multos restituisse dicitur. Passulæ magnis laudibus extolluntur. Cerasa, pyra, mespila decocta magis quam cruda, sorba bene matura. Observandum tamen: Nec simpliciter aperientibus, nec etiam solis adstringentibus utendum esse; ne illis sanguinem copiosius proliciamus; his sero copioso viam præcludamus. Intervalla ergo circumstantiæ docebunt. Potio fiat, ex decoctis & destillatis herbarum hepar roborantium. Chalybeata sua laude non carent.

Non libet ad causas eas, quas ex affectuum numero citavimus, ut: febres malignas, pestem, variolas, & morbillos excurrere: uti etiam symmptomata omnia, hæmorrhagias, cachexiam, scabiem, &c. pertractare. Sublatâ enim corruptione effectus tolluntur, & causis venturis præcautione nullum commodius remedium. Atque sic considerationibus nostris de hepatico fluxu, cum fucis, cum apibus, & cum araneis concinnatis, non sine numine, quod venerandum in secula, finam imponimus.

Hactenus præmemoratam consideraitonem Medicam attulimus. Jam ad alia transimus.

Serosum fluxum & hepaticum dictum, qui viderint, pauci sunt: Curandum autem, sibi persuadent per antidysenteriea admista cum hepaticis; quæ scilicet roborent, & calefaciant. Hepati lupi plerique magnam vim in hoc affectu tribuunt, illudque varié præparatum exhibent. Sunt qui aquam ex illô cum aliis, simplicibus commistô per alembicum eliciant: alii electarium, alii pulverem. At aromata quâcunque modô exhibeantur, optima erunt: cinnamomum, galanga, piper, zinziber, caryophylli, cubebæ, horumque essentiæ, spiritus, aquæ. Vinum absinthites, aliudve, è ligno gavaiacô, cinnamomô, & pipere conditum: conditura & electaria è baccis lauri, uvis passis, nuce odoratâ, cæterisque etiam proficient. Hydrotica moderatè sumpta à nonnullis commendantur ad superabandantis seri evacuationem. Tutiora verò videntur diuretica, & sudorifica, quæque alkalia plurimo constant. Vitanda autem sunt humectantia, cathartica valentiora, acida, pinguia, oleosa. Narcotica, si moderata fuerint, & cum roborantibus mista, pro ratâ suâ quoque proderunt. *Lucas Tozzi Medicin. Pract. lib. 2.*

Consultationes.

Fluxus hepaticus legitimus.

JUvenis præstantissimi senatoris œconomus, 30. annos natus, temperamenti iecoris & cordis, calidi & sicci, habitus gracilioris, vinis meracioribus semper delectatus, & nive refrigeratis, motibus corporis & animi continuo agitatus, & diarrhœis biliosis frequenter obnoxius, tandem declinante æstate diarrhœa biliosa correptus, eam neglexit consueta vivendi ratione semper usus, ea opinione quod præteritarum more hæc duobus vel tribus diebus cum levamine supprimenda foret. Spes tamen illum frustrata est, plures enim dies perduravit, cum siti vehementi, & tandem ciborum fastidio, excrementis, quæ primis diebus biliosa erant, in rubida, & quandoque tenui sanie cruenta mista mutatis. Nihil tamen abrasionis medicus dome-

domesticus observavit, sed pinguem potius & oleosam substantiam innatantem, postremo vero bilem crassam, graveolentem, valde coloratam, & quandoque veluti vini fæcem. Hujusmodi autem evacuationes duobus aliquando, vel tribus diebus intermittunt, adeo ut pat. melius habere videatur, sed mox deterioris conditionis recrudescunt. Accedit quoque febricula, vespertinis horis invalescens. Quoniam autem senatori excell. Iuvenis hujus sanitas admodum cordi est, ideo illius jussu, ad te, tanquam ad artis medicæ fontem confugimus, ut quamprimum scriptis agenda committas, exactissime à nobis administranda.

Quoniam diarrhœis, vel crudis vel biliosis totum venosum genus nonnunquam expurgatur, ideo homines à quamplurimis malis præservare solent, vnde observabat Gal. quod accidunt aliquando certis temporum intervallis, dum omnis corporum redundantia per ipsas educitur, prout commodum inveni isti contigit superioribus annis, quibus à copioso & consueto vini meracioris potu, nec non ab animi corporisque vehementibus motibus, calida cordis & jecoris naturali intemperie magis magisque adaucta, copiosa bilis coacervata est, à valida tamen venarum expultrice ad intestina detrusa, & per alvum evacuata trium aut quatuor dierum spatio, non sine patientis levamine. Verum, quoniam tum ratione ætatis, tum copiosioris meri potus, necnon invalescentibus corporis motibus, atque animi curis, ob domestica negotia jecoris potissimum intemperies eo provecta est, ut bilis à vehementi calore crassefactæ copiosus proventus, non amplius ab expultrice deturbari potuerit, hæc proinde in jecoris venis subsistens tantum æstum in hoc viscere accendit, ut (accedente quinetiam consueto gelido potu) ejusdem tono lafectato, sanguificatrix facultas debilitari cæperit, vnde ab initio sitis vehemens cum ciborum fastidio, intemperiei calida indicio, inde crassæ bilis graveolentis & valde coloratæ excretiones observatæ, necnon postremo innatantes pinguedines, colliquationis soboles quæ omnia fervidissima jecoris intemperiem produnt (prout frigidam demonstrant assiduæ excretiones, nec multæ, nec graveolentes, sed veluti limus & niger sanguis) hepaticum fluxum imminentem prænunciantes, qui postea luculentius se exeruit], rubida proluvie apparente, quam, ingravescente malo, tenuis sanguinis sanies secuta est, & nonnunquam veluti vini fæx, semper tamen sine erosione, quorum evacuatio duos aut tres dies aliquando intermittit, mox deterius recrudescit. Quoniam autem sanguis in ipso viscere corrumpi cœpit, febris quoque accessit, quandoque medicis imperitis ignota. Omnia equidem symptomata fluxum hepaticum legitimum, ex sanguificatricis facultatis scil. læsione atque imbecillitate, à calida intemperie provenientem manifestissime significantia, ait enim Galen. quod à qualibet octo intemperierum sanguificatrix facultas noxam pati potest, unde hepatico appellavit illos, quibus citra manifestum in hepate vitium, in propriis actionibus illud debilitatur.

Ut igitur huic patienti opem feramus, biliosi atque corrupti humores sunt evacuandi. Secundo calida jecoris intemperies corrigeda. Tertio tonus ejusdem pristino statui restituendus. Et tandem jecur ipsum propriis adstringentibus roborandum.

Et licet non adeo facile sit sanitatem consequi, cum affectus firmis innitatur radicibus, calidæ nimirum jecoris & cordis naturali intemperiei, erroribus in vivendi ratione magnopere adauctæ, cujus ratione jecoris robur exolvi perniciosissimum est, nihilominus, quoniam iuvenis præceptis medicis obtemperans, & ab initio propria à viro excellentiss. opportune administrata fuere remedia, ideo spem salutis concipimus, remediis à tribus fontibus desumendis & administrandis.

Et primo quidem in chirurgico, peropportune fuit ab initio sanguis ex jecoraria vena detractus, post imminutam & medicamentis evacuatam bilis copiam, ad contemperendum jecoris & sanguinis fervorem, quod remedii genus in progressu non adeo facile admitti potest, ob ejusdem visceris imbecillitatem, biliosique humoris redundantiam. Hepatis regioni refrigerantia & subadstringentia apposita fuisse suppono, epithemata scil. ex succo cich. Spec. Trionsant. & aceto, parata. sicut & illitus ex ung. Ros. mes. cui, sub finem morbi, santalinum quoque addendum fuerit.

Ex. pharmaceutico promo desumenda bilem imminuentia atque excernentia: quæ quoniam jam à viri excellentiss. prudentia iterum atque iterum præscripta & administrata fuere, ideò repetita cassia, cum rhab, Seroque asinino depur. superhausto, ad secundam explendam intentionem deveniri poterit, in quem finem, succus cich. depur. sicut & intybi, sonci commendari solent. Verum nobis experientia compertum aquas thermales & Villenses potissimum egregie huic morbo mederi: facultate enim pollent, ratione ferri & aluminis, quibus constat, & jecur refrigendi & subadstrictione roborandi præterquamquod, in diuturno hujusmodi fluxu, diureticorum usus magnopere conferre solet. Præbeantur itaque primis diebus dejectoriæ, reliquis autem diureticæ, primo scil. præmisso. syr. ros. sol. cum decoct. pulpæ tamarind. postea succo lim. vel. spiritu vitrioli, qui præter diureticam vim, substantiam jecoris densare & cogere, necnon sanguinem quodammodo sistere poterit: in quorum usu ad 15. imo 20. dies pergendum fuerit.

His peractis eadem intentio continvanda, siquidem ex Gal. habemus, quod, scopus curationis præcipuus est intemperiei contrarietas Hinc Aetius & Trall. uno ore prodiderunt, quod, primus curationis scopus, est, ut intemperiem ad contrariam deducamus, & non, ut vulgares medici, qui nihil soliciti de intemperie, statim ad adstringentia & hepatica deveniunt. Quare eadem intentione adhiberi poterit vel succus cich. & sonci in decoct. End. acet Plantag. Portul. & hepaticæ, vel bibatur quotidie, summo mane, cyathus ex aqua stillatitia de succo cich. End. & planteg. addito lim. succo.

Interim tertia quoque intentio expleri potarit, exhibita hora una ante prandium & cœnam, tinct. Corall. chymica, ad gutt. v. aut vi. in semicyatho aqua Plantag. vel auro potabili, in aqua destill. ex tenerrimis Quercu foliis.

Tandem à proprietate juvare, & prærogativam obtinere hepar. Lupinum gal. asseruit, cujus dosis apud ipsum fuit ad ʒ i. quod ab ipso Aetius quoque desumpsit. Reformetur igitur pulvis ejusdem Lupini hepatis, cum conf. Rosarum, & summo mane exhibeatur, cui succedat haustus ejusdem aquæ plantag. aut quercus. vel præbeatur cum gal. Eupatorio mistum, hoc enim insigni jecoris roborandi facultate præditum est. Hoc etiam tempore, una cum carnibus in aqua, de more bulliat lignum cydonii, à schenchio magnopere commendatum.

His addimus, quod si cruentus alvi fluxus contumax fuerit, ut præstantissimum remedium à Galen. proponitur phil. Roman. iterum, vel etiam tertio per intervalla exhibendum, licet ipse eodem semel tantum exhibito hepaticam ante imperiem se sanasse profiteatur.

Victus ratio jam à viro excell. præscripta diligenter servanda, cui addimus, quod materia alimentorum sit hepatis substantiæ similis, quale proinde erit jecur omnium animalium, potius vero sit aqua nocera, utpote refrigerans & quodammodo adstringens, cum terram famiam ejus alveus contineat. Quando vero vino uti licuerit, sit album tenue & subausterum. Quæ omnia confirmant ea, quæ à viro doctissimo, tum administrata, tum administranda, pro pat. salute proposita fuere. *Raym. Joh. Fortis Consult. et Resp. Midic. T. j. cent. 3.*

Fluxus hepaticus spurius.

Excell. Marchio, 30. annorum, temperamenti calidi & humidi, habituas ad obesum vergentis, vitam otiosam ducens, & cibis, potibus atque veneri magnopere indulgens, frequentibus diarrhœis superioribus annis obnoxius, anno tamen abhinc suppressis, ventris doloribus correptus est, simulque ephemeris febribus, à quibus evacuatione à medico solicita sæpe liberatus est, licet de quodam ponderis sensu in abdomine conquestus fuerit semper, tamen neglecto. Tandem 40. abhinc diebus, alvus præter consuetudinem, iterum, ac tertio, quolibet die cruda & liquida, potius quam solida egerere cœpit, non sine aliqua macie, & totius corporis lassitudine ac virium lapsu. Quibus deterritus pat. Excell. me domesticum medicum accivit, qui præter hæc omnia mihi relata, evacuationes non semel inspexi, easque liquidas ut plurimum, quandoque etiam compactas, sed & chylosas potius observavi. Decolor insuper patiens redditus est, atque consueto gracilior, & Mesenterium obstructionibus, prout tactu deprehendi, occlusum habet. Ideo curatione illi maxime est opus, quam quoniam lenienti medicamento inchoare decreveram, invenis excell. illud renuens, respondit, se nolle currenti addere calcar equo simulque jussit statim sui status historiam tibi præstantissimo viro transmitti, ut de hujus affectus natura certiores nos facias, & pro Marchionis excell. salute agenda proponas.

Quod alvi fluxu 40. abhinc diebus marchionem excell excrucians, maciem totius inducat, viresque atterat. quid mirum? cum chylosus observetur, ac proinde quotidianum corporis alimentum, vel omnino, vel saltem magna parte subducat. Consideratione autem dignum, & cognitu necessarium, quænam sit pars in hoc fluxu principaliter læsa; & num ventriculus, an potius mesenterium, vel jecur ipsum, vel intestina sint incusanda, ut scil. & affectus idea, & illius causa innotescant. Et primo quidem ventriculus excludendus nobis videtur, quod ejusdem male affecti nulla querela præcesserit, & licet frequentes cruditates superioribus annis in eodem genitæ fuerint, unde frequentes pariter diarrhϾ, & ab iisdem suppressis, ephemeræ quoque febres, quæ earumdem excretione solvebantur, id tamen non ventriculi vitio, sed potius improportionatis objectis, quantitate & qualitate peccentibus imputandum fuit, quo etiam obstructiones mesenterii referendas censemus. ventriculo autem secluso, ipsa lienteria proinde ableganda, & quidem potissimum cum desit celer ciborum non mutatorum transitus. Neque intestina hic locum habere credimus, quoniam licet chylosa observetur excretio, non tamen qualitas ciborum impermutata discernitur, præterquamquod tempore ab assumpto cibo valde distanti alvus movetur, & chylosa materia excernitur, cujus effluxus, lasis intestinis, non adeo cunctatur, quare de cœliaca passione non est cogitandum Superest igitur, ut mesenterium, vel Iecur, vel utrumque afficiantur. Atque sicut de mesenterio dubitari non potest, cum sit obstructionibus infarctum, tactu à viro excell. & ab excell. Pat. gravitatis sensu perceptis, ita de iecore dubium esse potest, licet nobis pars affirmativa præferenda videatur, siquidem à promiscua assumptiorum qualitate jecur ipsum imbecillitatem contraxisse suspicandum, accedente præsertim immoderato veneris usu, necnon vita otiosa, intermissio enim corporis motu, alimenta diutius in visceribus hærent, & tardius distribuuntur, unde calor nativus agendo repatitur, & à diuturna mora gravatur, atque in suis operationibus debilitatur. Quoniam vero calidum & humidum ipsius jecoris temperamentum non adeo facile altaratricis, sive sanguificatricis facultatis læsionem admittere potuit ideo atractricem lædi non adeodifficile fuerit, cujus noxa facilius intemperiem humidam sequitur, prout sanguificatricis calidam. Quamobrem ob mesenterium obstructum, chyli transfluxu intercepto adhepar, ob ejusdem vero attracticis imbecillitatem, eodem non attracto, duplici nomine in mesenterio tandiu moratur, donec corrumpatur, corruptusque, varia specie coloris & consistentiæ, per alvum excernatur, unde hepaticus fluxus illegitimus constituitur, quam perperam Fernel. procœliaca passione usurpavit.

Ut autem auferatur, ventriculus primo expiandus. Secundo obstructiones in mesenterio, & forsan in cava jecoris aperiendæ. Tertio jecur adstringentibus & à proprietate juvantibus roborandum.

Hoc autem assequi non adeo facile existimamus, cum obstructiones auferre arduum sit. Nihilominus si pat. Excell. Medico obtemperaverit, cum obstructiones exsiccatæ non sint, optatæ salutis, tuto & cito consequendæ illi spem facimus; multo namque facilius est

attra-

attractricem jecoris facultatem, quam sanguificatricem læsam corrigere.

Ex Chirurgico itaque fonte primo consideratur sanguinis missio, quam quidem affectus ipse non exigit, tum quia nullum jecori robur addere potest, tum quia venæ sectio non expurgat obstructiones, sed id faciunt incisiones & detersiones, ideo vel o mittenda, vel in aliud tempus differenda, dum conjiciamus ab aliquo jecoris calore coindicari. Quare remedia sunt à fonte pharmaceutio petenda.

Et primo quidem ventriculi expiatio cass. cum tart. vel syr. rof. sol. perficienda, ut inde ad mensenterii obstructiones aperiendas statim deveniamus, levioribus primo, mox validioribus. Paretur igitur oxymel. ex quatuor radicibus aperientibus, in aq. agrim, & aceto maceratis, ut addito melle hispanico, & frustulo integri cinnam. fiat oxymel. suave, sed dilutum, cujus quolibet mane tres unciæ præbeantur, epoto ab iis jure tenui cich. borrah. melissa, pentaph. & agrim alterato. Sex vero præteritis diebus assumat. flor. cass. & lenit. an. ℥ſ. Deinde repetantur deobstruentia validiora, additis præscripto juri alterato tart. vitriol. gr. xii. & exhibito alternis diebus rhab. non torrefacto, ex Avic. & Hipp. in ventris fluxionibus, quoniam in præsens non agitur de rettentricis imbecillitate. Præbeatur itaque ad semidrachmam, ruditer pulveriz. & cum flore cass. refor. ut fiant bol. ii. aut.

℞. Extr. rhab. ℈ i. tart. vitriol. ℈ſ. m. refor. b. & aut. His autem superbibat Excell. Pat. decoctionem præscriptam, & ita alternatim procedat assumendo oxymel cum decoct. & tart. vitriol. altera vero die rhab. jam præscriptum, cum eadem decoctione. Quod si 15. dierum spatio obstructiones magna parte non oblituerint, ad validiora pergendum, crocum scil. Martis aperitivum, cum acido sulphuris paratum ut.

℞. Croci martis aperit. gr. iii. Succi Eupat. condens. ʒi. m. f. b. & aur. à quo bibat aq. agrim. ℥vi. plures dies, sed quarto quoque sumat. ʒſ. pil. de trib. cum ℥ſ. Elect. lenit.

Ablatis, aut magna parte obstructionibus imminutis, aquæ tettucianæ locum habebunt quatuor aut quinque diebus assumendæ, cum mell. ros. & syr. ros. sol. ad peficiendam primarum viarum ablutionem ac detersionem.

Deinde tertiæ explendæ intentioni, mirificè conducet absint. ut quod & jecur roborare, & ejusdem meatus expedire possit, nitrosa enim & amara, cum subadstrictione, id præstant. Nonnulla quoque addenda â proprietate juvantia, in quibus troch. ex aniso, amygd. amar. & oymel. proponit Galenus ut & alios hujusmodi.

℞. Amygd. amar. ʒſ. anis. ʒii. absinth. sem. apii ʒii. cumini ʒii. vini albi generosi. q. s. m. f. pastilli, quorũ unus cum exiguo vino absinth. assumatur. Nos autem libenter aliis compositionibus utimur, ut.

℞. Pulv. hep. succi absinth. condens. Succi agrim. condens. succi cich. condens. an. ʒi. m. & cum vino albo aromatico refor. b. vi. quorum unus præbeatur, superhansto cyatho aq. agrim. & cich. chalybeatæ. Vel paretur tale elect.

℞. Passul. mund. vino lotar. & per setac transmiss. ℔ i. rhab. elect. ʒii. sacch. opt. ℥iii. m. ad ignem, sub finem adde pulv. caryoph. ʒi. ſ. m. refor. elect. cujus dosis erit ad ℥ i. epoto ab hoc haustu vini absinth. Tandem jecori & visceribus omnibus robur conciliare poterit theriaca antiqua, sequentibus tamen mensibus hyemalibus usurpanda.

His addatur congrua victus ratio. Parcius, sed optimis alimentis vescatur, & moderate bibat. Corpus exerceat. Venerem hoc tempore ableget, & alacriter vivat. Quibus ut D. O. M. aspiret, enixè obsecro. *Idem ibidem.*

Dysenteria Hepatica.

Uir Iuvenis 22. annorum, Joh. Dan. Struppius ad belnhausen, Ann. superiori 1620. sub initium Martii, consilii causa me visitat, de cruentis dejectionibus quotidianis, carnis loturam ut plurimum repræsentantibus, absque dolore, conqueritur: adest etiam sitis frequenter urgens, urina subaurea tenuis, appetitus dejectus, & nausea a carne.

Quamvis Dysenteæ vocabulum proprie tantùm illas alvi dejectiones cruentas includat, quæ cum intestinorum exulceratione dolorifica fiunt abusivè tamen, juxta Hippocr. & galen. interdum etiam pro aliis dejectionibus cruentis sumitur, qua ratione dysenteria quædam hepatica dicitur, ubi intestinis illæsis, propter jecoris imbecillitatem cruenta fit dejectio. Talis affectus etiam in hoc ægro propoponitur, ubi cruentæ sunt dejectiones, non dolorificæ cum pure permixtæ, quales hactenus in dysenteria propriè dicta descripsimus, nec etiam puri sanguinis, quod vena quadam rupta vel aperta fieri solet; quotidiana, per intervalla scilicet, non tanta crebritate, sicut in dysenteria propriè dicta fieri solet accidentes, carnis loturam, ut plurimum repræsentantes, quatenus jecur imbecillius sanguinem, nondum perfecte elaboratum, sibi non retinet, sed per meseraicas ad alvum transmittit, unde dejectiones ejusmodi similes aqua redduntur in qua nuper mactatæ carnes animalium abluuntur; absque dolore, tali scilicet, qui dysentericis alias accidere solet, ob intestina p. n. affecta. Non enim negandum, quin hic etiam gravativus dolor, ob jecoris imbecillitatem, levide causa sæpius observari soleat. Adest sitis frequentes urgens, tam propter absumtionem humida substantia, respectu fluxionis præter naturam, quam quod etiam hepar ad intemperiem calidam inclinet, quod urina suborea, tenuis, cum appetitu dejecto nauseaque carnis magis confirmabant.

Est vero propterea, quod primis mensibus non admodum affligat hoc malum, ægrotantes interdum non admodum solliciti sint, nihilominus affectus hic periculo non caret; cum pars affecta princeps sit, totique singulis horis prospicere debeat, unde negligentia patientis facilime cachexiam, hydropem, totius consumtionem, &c. producere potest.

Quocirca, cum affectus in hoc ægrotante adhuc in principio esse videretur, ante omnia 1. Jecoris intemperiam calidam, obstructioni minimarum venarum occasionem præbentem, corrigendam. 2. Ejus robur dissolutum conve-

nientibus adstringentibus reducendum. 3. Primam coctionem corroborandam esse statuebam.

Quoad primam indicationem optimè conveniebat conserva radic. cichor. modicè refrigerans & aperiens, respectu jecoris, cui juxta secundam indicationem aliquid adstringentium admiscuimus, ut sunt conserv. rosar. antiq. cum appropriata jecori carne, vel pulpassularum corinthiacarum, & aliis hoc modo.

℞. Cons. rad. cichor. ℥i. rasar. antiq. ℥ß. pulp. passul. corinth. ʒvi. limat. chalyb. ppt. ʒi. coral. rubr. ppt. C. C. usti ppt. ana ʒiß. syr. de endivia s. q. f. F. Electuar. molle; cui adde sp. vitr. ex marte ppt. ℈ß. M. Hujus electuarii usus ℥ß. frequens sit vacuo stomacho, quotidie bis, tribus horis ante cibum cujus loco, variationis gratia, sumantur etiam interdum rotulæ, quæ.

℞. Specier. diarrhod. abbat. ʒiß. diatrion. santalon. ʒi. cons. rap. cichor. ℥ß. semin. melan. ʒiii. sacch. in aq. rosʃ. & endiv. solut. ℥vi. F. confectio in ritulis.

Porro majoris corroborationis gratia, juxta secundum canonem, interdum etiam usum rhabarbari parumper. tosti concessimus, quantitate ʒiß. cum pulpa passularum minor. permixtum, hausti vini medicati superaddito, quod.

℞. Rad. cichor. ℥ii. herbar. agrimon. marrub. alb. ana miß. absint. m. ß. sem. fænic. ℥ß. macis, nucis mosch. ana ʒi. incisa & contusa infund. in ℔. viii. vini Rheuni. tenuioris de quo tempore prandii quoque corroborationis ergo primus haustus bibatur.

Exterius inunctionem ordinavimus mane vesperique.

℞. Olei absint. cydon. amygdal. amar. ana ℥iß. flor. chamæmel. summ. absint. agrimon. ana p. i. mastich. nucis mosch. caryophyll. ana. ʒi. aq. absint. aceti sambuc. ana q. s. F. Decoctio & coletur pro linimento.

Præter dicta, quod tertium scopum attinet, victum facilis coctionis, modice refrigerantem & adstringentem ordinavimus, inprimisque crapulam angue prius fugiendam esse diximus, quibus monitis, ad vernum usque tempus servatis, pristina sanitati patiens vicissim restitutus fuit, ita ut æstivis mensibus militiæ causa ad Bohemos abiret. *Gregor. Hostius observ. & Epistol. Medic. n. lib. 4.*

A diarrhœa contumaci in lientericum, cortiacum & Dysentericum fluxum non infrequens transitus, & ab Hippocrate pluries notatus, sed in Hepaticum fluorem insolens plane aut saltem rarissima metastæsis. Rarius etiam quod scribi hepaticæ colliquationi sociam adesse febrem conspicuam; Utrumque tamen in nobiliss. Domino Vuillet morbi genus agnoscis & proprio charactere suisque coloribus ita graphice depingis, ut nullus superesse, videatur dubitationi locus; sed ut clarius causarum quæ tantæ calamitatis parentes sunt æquivocatio detegatur & innotescat, nonne propius vasorum mesentericorum atoniam & imbecillitatem à nimio & diuturno fluxu oriundam quam ipsum hepatis tonum saxatum accusare liceat? An fortassis præcessit occultus licet phlegmonodes mesenterii dolorum incapacis, abscessus quo incalescente febris & diarrhoea fuerint suscitatæ, eodem rupto & expurante febris remissio & dejectiones suberuentæ contigerint? In hepatico fluxu sincera solent esse alvi rejectanea & loturis carnium sanguine adhuc madentium simillima; at in hocci fluxu non sunt impermixtæ dejectiones sed ex hepaticis, stomachicis intestinalibus, imo ex toto corporis habitu deciduæ & consociatæ, ut tu ipsemet observasti sed ulterius quæso attendi? an quid purulenti vel puriformis admixtum habeant, quod si desit nec ullæ præcesserint de mesenterio querelæ, tunc vel hepatis vel saltem venarum atonia, succorumque helleborina & deleteria malignitate impragnatorum cacochimia multiplex incusandæ venient; Ex quibus tanti mali dubium, imò funestum eventum ominari licebit, eo presertim nomine quod nullis cedat præsidiis, licet technicè & ex methodo præscriptis. Ego verò quid addam vix video, cum astringentia & roborantia incassum jam & pluries usurpatæ fuerint, ut & narcotica quibus suppressa per aliquot horas effluvii copia, majori postmodum fluxus ubertate compensatur. Attamen ut aliquid etiam è mea supellectile conferam illud imprimis assero omni fluxui hepatico & visceris vasorumque atoniæ ac præsertim illi diarrhoeæ πολυμόρφῳ ϗ πολυχρονίῳ abscessu vel corruptela oriundæ nihil esse conducibilius lacte bubulo ustulato vel sufficienter evaporato (etiam raclamenti fibre) cum julepo alexandrino dulcorato; illud pro ratione opportunitatis & ægri idiosyncrasia ac Euphoria propinari poterit, bis terve in die aut si bene fiat pro omni potu offerendum julepo alexandrino interdum admisceri poterit semuncia syrupi papaverini ut diutius moravi & vim suam cydure valeat; si tamen peculiaris quædam cacochymia adhuc luxuriare ad fermentari videatur, eliminandæ erit confitione universali quadruplicato abeo, vel pillulis ex mecgoacannæ adeo & confectione hyacinthima, vel ex tinctura rhei & rosarum rubrarum vitriolatæ ac saccharata; hic etiam locum habent elysmi nutrientes stringentes, & roborantes Gelatina è solo cornu. cervi mirobalæxi conditi trgæa grænorum astis, Quercelam pulvis è spongis cynosbati intestinorum lævitati maxime conducibilis; & si ulcus subesse conjicias alkool saturni crudi ad ʒi. alimenta omnia cichoreo atterentur, ac tandem si horum præsidiorum vim eludat δυσλύτος affectus diarroretica & hydrotica in subsidium vocentur puta cornu cervi, terra sigillata tormentilla, bistortæ pentaphyll. filipendul. & bezoard. Nec deesse debet suus diureticis locus, ut serum superfluum ab intestinis ad vasa urinalia derivetur, & siccescant alvini ductus; saliva cynorrhodi & fructuum ejus decoctum pro potu offeratur, ac tandem ad lac humanum velut ad sacram anchoram, cæteris pene deuidis, confugiendum; vulgata astringentia & corroborrantia hic non transcuribo ne actum agere videat. Non negligenda topica interim moneo, tum fotus tum cataplasmatis tum emplastri forma ea præsertim quos ex sentalio, menta, & cichoreis mastichæ terra sigillata cydoniis paræi consueverunt. Longe plura conscriberem si magis proficua arbitrarer.

è thomis. Aquentibus 4. Kal. Septemb. 1666. *Ex literis Manuscriptis Domini de Villefranche D. M. ad D. num. Serpolier Medicum camberiacensem.*

Observationes.

Cuidam Fluxu Hepatico laboranti.

Omnium primo dedimus infusum rhei, myrobalan. citrin. & chebul. Postea hoc decoctum propinavimus.

♃. Marrhub. absieth. rom. fl. rof. rub. menth. sicc. & rubr. an. Mi. sem. sanguinar. plantag. coriandr. præp. an. ℥i. myrobal. citrin. ℥ ß. rhab. el. ʒiß. schænanth. ℈ß. rad. cichor. apii. petrosel. an. ℥ß. cal. aromat. incis. santa. rubr. an. ʒi. coq. in aq. chalyb. ab ℔i in colat. adde syr. de menth. de cichor. cum rheo an. ℥ß. M. pro quatuor dosibus.

Deinde dedi semel ʒß. rhei pulv. in modum pilul. cum syr. de rosis siccis: postmodum imperavit, ut bis in die ex hoc condito sumeret ad magnitudinem castaneæ.

♃. Cons. ros. antiq. ʒii. spec. aromat. rosat. sine moscho. ℈iß. myrobal. citrin. parum assat. & palv. mastich. an. ℈i. cum syr. myrtino. F. conditum. Cum fluxus nondum cessaret, & jam ultra quatuor menses durasset, & valde æger debilitaretur, sequens apozema præscriptum est.

♃. Marrub. absinth. rom. menth. sic. fl. ros. rub. an. Mi. sem. myrtill. plantag. an. ʒiß. cinnam. el. santal. rubr. cal. arom. an. ʒi. coq. in vino rubro styptito, aq. equiset. & meliss. ad ℔ii. colat. adde syr. de menth. myrtill. cotoneor. an. ʒii. M. sumebat bis in die: quia circa stomachum dolebat, ceratum stomachicum apposui, & hepatis regionem inunxi unguento santalino & ol. absinth. Postea cum neque his adhuc fluxus remitteretur, omni manè per tres dies hunc pulverem dedimus cum ovo sorbili, qui multum juvabat.

♃. Sem. plantag. nucis mosch. mastich. pulv. C.C. un. an. ℈ß. cinnam. el. gr. v. F. pulvis subtilissimus sed cum fluxus in totum non cessaret myrobal. cheb. parum tostos, cum rheo tosto ad ℈iiß. cum aq. plantag. & syr. de ros. rub. sicc. propinavi. & omni manè capiebat ad magnitudinem castaneæ ex elect. sequenti.

♃. Cons. ros. antiq. diacidon. sine speciebus, an. ℥ß. nuc. mosch. mastich. an. ℈i. troch. de Carabe, de spodio, an. ℈ß. C.C. usti. pulv. fl. ros. rub. cortic. granat. balaust. an. ℈ß. corall. rubr. gr. iii. seric. combust. gr. ii. cum syr. myrtill. menth. an. q. s. F. elect. moderatè. liquidum, cujus usu fluxus cœpit cessare. *Petrus Forestus obs. 21. lib. 22. De Profluvius alvi.*

Vir quidem consistentis ætatis, temperamenti sanguineo cholerici, capillis ruffis, crispisque præditus gracilis, siticulosus & negotiosus, ad iram promptus, nuptiarum & conviviorum creber assecla, biliosis dejectionibus, & ventris osionibus plurimum afflictus, ante hos decem annos inflammatione hepatis correptus est cum febrili horrore & calore circa vesperam indies invalescente, cum tussicula sicca, colore lurido vel citrino, respiratione difficili & quasi intercepta vel singultuosa, cum dolore & nonnulla intumescentia lateris dextri, nausea viriumque summa debilitate; sed tum ab hoc periculoso morbi genere convenientibus medicamentis menstruo, & quod excurrit, spatio, per dei gratiam fuit liberatus. Paulo vero post in eosdem diætæ errores delapsus, iterum ejusmodi rosiones ventris, & dejectiones biliosas experitur, præsertim à somno & prandio cum nonnulla cardialgia, urinæ acrimonia, siti, appetituque ferè nullo, quin & fluxus hic quandoque triduum ipsum intorquiescit, sed postea largius fertur, cum flatibus, rugitibus & tenesmo. Excrementa modo crassiora sunt & grumosa, sæpius autem liquida dilutè rubea instar loturæ carnis, modo cinerea sine febri, sine dolore, cum lassitudine spontanea; omnium rerum adest tædium & somnolentia plurima. Cùm autem malum hoc sæpius inducias daret, à crariis quoque Medicis, variisque medicamentis adstringentibus pariter, & corroborantibus & tonicis, e. g. hepate lupi, mastiche, theriac. tinet. corall. rhabarb. diu multumque per aliquot annos fatigatus parum levaminis inde sentiret, tandem tamen præter omnium spem crebro agrimoniæ vulgaris dioscoridis usu, cum prædictis aliisque exhibitis plenariè restitutus est, sumto in pulver. conserv. mixtura, decoctione, infusis & hisce rotulis.

♃. Pulveris agrimon. per setaceum transmissi ʒiij. rhab. hepat. lupi ppt. an. ʒi. cass. lign. veræ ℈ii. confection. alkerm. compl. ℈i cum sacch. in aq. agrim. sol. q. s. f. rotulæ inspergendæ oleo cinnam.

Cujus simplicis virtutes in ulceribus vesicæ consolidandis Forest. lib. 7. obs. Chirurg. ac in involuntaria urinæ emissione horstius l. 1. p. 2. de morb. mulier. obs. 1. præ cæteris fælici cum effectu comprobarunt. *D. Ioh. Michaelis Fehr. Academ. natur. Curios. Præsidis.*

Anatomicas Inspectiones.

Vide supræ Capite de *Dysenteriæ.*

FOETUS

De eo ut & de Partionis termino aliisque multis vide capite de partu. Hic tantum verbulum de dentibus fætibus jam inexistentibus contra vulgarem opinionem, ex peramica communicatione D. Guiot D. M. ac rursus propter materiæ affinitatem de serotinis dentibolo aliisque circa dentes ex eadem communicatione. Sic itaque ille,

Dentes per aliquot menses in infantibus latitant secus ac in animantibus brutis fit, nam statim ac vitali aura fruuntur dentibus instructas esse in vulgus quoque notissimum est. Dum autem in pueris per tempus adhuc in mandibulis ita conclusi manent, non id circo tum demum, *quando jam natus est infans*, rudimenta illorum poni credendum est, hoc enim qui sibi persuadent magnum cum Anatomes imperito vulgo errant errorem; nam utero contentis fætibus illos ad esse αὐτοψία docet. Vidi ipse sæpius antehac & haud ita pridem plurimos curio-

curiose servatos embrionum dentes apud clariss. D. Car. Drelincurtium ubi simul etiam notabam parvula isthæc ossicula in superna potissimum parte sua non carere duritie, & in primis colore suaviter albicante jam tum posse distingui à radiculis suis quæ instar extremitatum in unguibus nostris, visui se offerebant. Numerantur autem ut plurimum septem menses antequam fiant conspicui, prout jam olim *Hippocrates*, *Aristoteles*, *Plinius*, *Galenus*, aliique annotarunt. Inter rarissima enim merito numeramus, quod *Plinius Laurentius* & cum illis etiam alii testantur, se nonnullos haud infimæ sortis mox ab ipso ortu dentibus instructos vidisse.

Serotinos dentes in sexagenario latuisse, viro autem quadragenario eruupisse.

Dentes circa septimum ætatis annum si non omnes plerique tamen in conspectum veniunt. Ultimo loco tandem genuini protruduntur, qui vulgo dentes sapientiæ, serotini, Græcum σωφρονιστῆρες, ite. ὀψίγονοι & κραντῆρες dicuntur. Hos anno vigisimo viris parite. atque fœminis prodire *Aristot*: scribit. Sed apud eundem, ut & *Plinium* legere est aliis octuagesimo demum anno erupisse. Nonnulli decimo octavo, vigesimo sexto, vigisimo octavo, trigesimo demum anno provenire statuunt. Et sic nec Autores ipsi hac de re inter se conveniunt, nec unus solus experientiam habet sibi suffragantem. Uti enim reliqui dentes, ita & hi huic citius illi serius obtingunt. Reperit eosdem adhuc intra gingivas latitantes in *sexagenarii* cadavere, quod publicè cum admiratione omnium dissecuit *Excellentissimus D. Promotor meus*; Qui ipse aliquando medicinam faciens causidico parisino, (*quadragenario majori quem ὀδονταλγία dementabat*) observavit omnibus in cassum adhibitis remediis tandem sapientiæ dentem dextrum superiorem prodiisse.

Idem 1675. De dentium ordine multiplici.

Mirum est, (*quod* plinius c. 37. lib. 11. narrat) timarchum Nicœlis filium paphii *duos* habuisse maxillarium dentium *ordines*, quod etiam de Mithridatis filia idem affirmat; imo Herculem *triplici* Dentium *serie*, ut & Pœbum, Realdi columbi filium, nec-non Ludovicum. XIII. Galliarum Regem, annotante *Bartholino*, eadem ornatos dicam an deformatos fuisse legimus. Sic nuper, *Clariss. Promotor meus*, infantis cadaver publicis oculis subjecit, è cujus maxillis integram dentium seriem, *scapelli cuspide*, revulsit, altera adhuc dum intra maxillas latitante: sed illam gingivis nudatam & expositam omnium oculis *pari methodo* sigillatim decussit.

Idem 1675. In odontalgia rabida arteriolam antitragi urandam esse.

In atroci dolore solent etiam aliquando arteriotomiam instituere inque illis locis ubi usus obtinet feliciter sæpe administratur constat mihi per sœpius laudatum *Dn. Promotorem meum* desurculo carotidis exterioris perreptante auris antitragum, quem sœpius (dum apud Principem de Turenna g. m. Castrensium Medicorum comes esset) à principis sui Chirurgo vidit caustico actuali (*adeos usus crescentis lunæ in modum affabre facto*) felicissimo cum successu deuri.

FOETOR.

De Fœtore narium vid. in narium Affectibus De Fœtore oris in oris Affectibus de Fœtore pedum in pedum Affectibus &c.

FRACTVR.

Ac primò De Fracturis in genere.

I. Sed quum de affectibus, qui carnosis mollibusque partibus accidere solent, quique pro curatione manuum opera indigent, abunde nunc dictum sit: modo restat, ut de iis vitiis quoque agamus, quæ ossa invadere possunt. Enim vero quod in parte molli est vulnus, id id dura & ossea est Fractura; propriè Græcis ἄγμα & κάταγμα, quæ est ossis divisio seu ruptura à causa externa violenter irruente. In Fracturæ definitione omnes ferè auctores sunt concordes, quod sit continui solutio in osse facta: in hoc vero differunt, quod Galenus, Paulus Ægineta, & alii græci, per fracturam intelligant quamcunque unitatis sive continuitatis solutionem in osse, à re extrinseca violenta factam, tam ab instrumento incidente, quam contundente, vel rumpente. At vero cum de fracturis tantum simus dicturi, quæ à re contundente vel rumpente fiunt; ideo cum guidone de cauliaco fracturam definiemus: quod sit, ossis continui solutio, absque incisione, violenter extrinsecus à re rumpendi, vel contundendi vim habente facta: vel potius dicamus, fracturam esse continuatis ossium solutionem, à violentia quadam extrinsecus irruente accidentem.

II. Sunt autem variæ fracturam differentiæ, quas tradit Galenus lib. 6. Meth. Med. cap. 5. franguntur namque ossa vel simpliciter, vel cum adjuncto vulnere, extremitatibus acuminatis fracti ossis musculos, cutemque perforantibus Idem contingit, cum à glande plumbea vulneratur caro, & subjectum os frangitur. Simplex fractura tribus modis contingit: vel enim franguntur ossa transversim, quæ in primis & propriè fractura dicitur. Et quidem si ita franguntur, ut nullo pacto extrema cohæreant, atque è directo non jaceant; in specie hujusmodi fractura καυληδὸν à fracti caulis similitudine appellatur. Dicitur etiam ῥαφανηδὸν & σικυηδὸν, à similitudine fractæ radiculæ & cucumeris. Vel franguntur ossa secundum longitudinem instar alicujus asseris; atque hoc fracturæ genus fissura vulgo, Galeno σχιδακηδὸν nuncupatur. Vel franguntur cum contritione in plures partes, & talis fractura σύντριμμα, comminutio appellatur quæ & καρυηδὸν nucatim à quibusdam dicitur, quod sit facta in modum contusarum nucis testatum.

Dein à parte affecta variæ petuntur fracturum Differentiæ. Alia enim est cranii fractura, alia

alia humeri, alia brachii, alia femoris, alia alius partis. Insuper alia fractura magna est, alia parva, alia simplex, alia multiplex, alia sola, alia cum carnis cum luxatione, inflammatione, gangræna, &c.

III Causæ autem fracturam internæ nullæ sunt; Externæ vero ea omnia, quæ contundendi, vel ossa rumpendi, ac dividendi vim habent: sive sit casus, sive ictus quidam violentus, qui sua vi & violentia os frangit & comminuit, ac continuitatis solutionem, quam fracturam appellamus, efficit. Facit tamen ad faciliorem ossium fracturam eorundem constitutio fragilis, ut etiam leviorem impetum sustinere non possit; sive ea sit naturalis, sive à carie (imprimis luem veneream, ac inunctiones mercuriales subsequentes) acquiratur. Enim vero ex lue venerea, arthritide, aut inveterato scorbo cariosum os, levissima accedente causa externa, fractum fuisse aliquoties notatum est. Memorandæ & raræ fragilitatis historiæ exstant apud Marcellum donatum de hist. Med. Mirabil. lib. 4. cap. 5. Schenkium lib. 5. obs. 8. Hildanum cent. 2. obs. 66. 68. Qualem & nos observavimus in muliere scorbuto graviter afflicta: cujus historiam adferre haud gravabor. Mulier septuagesimum septimum agens annum scorbutica, postquam tum brachiorum tum crurum doloribus lancinantibus ac rodentibus diu fuisset afflicta, vasculum quoddam è pavimento attollens, mox vehementissimum in crure sinistro sentiit dolorem, ob quem deponere vasculum, & proximo in loco sedere fuit coacta. Dolor hic indies augebatur, variaque ei sedando per quinque hebdomadas imposita fuerunt remedia: quæ cum nullum adferrent levamen, ecce 2. Junii 1688. per gradus descendens eadem in parte ossium crepitum persentiebat, ab eoque momento omnis incedendi potentia cessabat. 14. Junii vocatus cum gerardo Dompselaar, medicinæ doctore, & Chirurgo N. Schut, crus omnino diffrractum observavimus. Fracturam composuimus, & diligavimus, linteaminibus madefactis epithemate ex æqualibus partibus aquæ puræ, aceti Rosacei, & spiritus vini, addito tantillo salis communis. Sed penitus emaciata quum esset ægra, nulla succrescentis calli indicia unquam apparuerunt: quin potius, labescentibus indies viribus, tandem ad plures abjerit.

IV. Ad dignoscendas fracturas jubet Hippocrates, partem sanam cum ægra conferre, ut discrimen, si quod sit, facilius intelligatur. Nam si partis affectæ figura fuerit inæqualis, utpote in loco percusso cava, & in opposito tumida, fracturam suspicari licet. Insuper transversim vel oblique facta fractura facile cogno scitur, quia ossis fracti extremitatates separatæ tactu deprehenduntur: si membrum fractum contrectetur ac varie dimoveatur, crepitus ac fragor in affecto loco, ob ossium mutuam collisionem, ac affrictionem, auditur; dolor vehemens adest, ob divulsionem ac distorsionem partium nervosarum, aut ob puncturam eminentis ossis in periosteo. Adhæc fractura femoris, tibiæ, aut pedis, omnem incessum tollit, quem aliqualem, admodum licet dolorificum, luxatio concedit: Et hoc certum signum distinguens fracturam & luxationem. Adest quoque interdum membri tortuositas, & brevitas, dum inferiorem ossis partem musculi convulsi sursum trahunt: sed non semper.

Si vero fracturæ vulnus sit conjunctum, non solum dictis signis ea cognoscitur, sed etiam tactu; digito vel specillo intra vulnus immisso, quibus fractura vel ossis asperitas persentitur.

Fracturæ autem secundum longitudinem factæ difficilius cognoscuntur; deprehenduntur tamen ex membri præternaturali crassitie, inæqualitate, dolore. At comminutio tactu explorari facile potest: variis enim in locis os digitis cedit, exasperatum valde.

V. Cæterum ossa fracta nunquam vere reuniuntur, & sicut caro non coalescunt secundum intimas partes; sed, ob ossium siccitatem ac durium, duntaxat secundum exteriorem superficiem mediante callo, circa oras ipsorum oborto, consolidantur. Facilius autem curatur fractura ossis transversim facta, quam quæ oblique contingit, quæve inæqualitatibus prædita est; quia neque facile committuntur & nullo retuso innituntur, carnemque, interdum & nervum quoque, & tendinem vulnerant: sunt namque illæ fracturæ, in quibus capita fractorum ossium sunt retusa, minus periculosæ.

Difficilius item curatur fractura, ubi os in multa fragmenta divisum est, quoque plura sunt fragmenta. Etiam quo fractura major, & ossa fracta majora, eo difficilius & tardius consolidatur.

In illis partibus, ubi bina sunt ossa, ut in brachio & crure, si alterum tantum frangatur, facilius fractura curatur, quam si ambo sint fracta, cum minus musculi contrahantur, sed ab altero osse integro tensi serventur, atque integrum os fracto sit veluti sustentaculum. Facilius item consolidantur fracta ossa, quæ suis sedibus mota non sunt.

„ Ossa autem minus periculose in medio franguntur, „ & facilius curantur, & quo propior fractura capiti, vel „ superiori vel inferiori ossis est, eo pejor est. Celsus lib. 8. cap. 10. Enimverò & majores adfert dolores ob nervosarum, tendinosarumque partium læsionem, & difficilius curatur. Quæ vero fracturæ articulis spatio trium vel quatuor digitorum proximæ sunt, non solum periculosæ, sed & curatu difficiles, cum commode ligari nequeant ac ut plurimum tale difficilem juncturæ motum relinquunt; viz. ob callosam inter tendines, articulorumque ligamenta concrescentem substantiam.

In genere recens fractura ad consolidationem aptissima est. Si vero tempus protrahatur, curatio difficilior redditur. Arabum princeps Avicenna inquit: „ quanto serius fracturæ restaurantur, tanto pejores „ sunt; cum spatium illud aliena substantia repleatur, & „ in restauratione majore extensione egeant, magnæque „ extensioni sæpe spasmus seu convulsio accidat.

Quæ porro fracturæ cum vulnere sunt conjunctæ, periculosæ sunt, & eo periculosiores, quo majora fuerint vulnera, ac sensibiliores partes tetigerint; cum in hujusmodi fracturis dolores, inflammationes, ac gangrænæ supervenire soleant, & ferulis, aliisque sustentaculis uti vix queamus.

Demum de tempore consolidationis fracturæ nihil certi prædici potest, cum id variet secundum ætatem, habitum corporis, anni tempus, alias circumstantias. Ut plurimum vero nasi, maxillæ, juguli, pectoris, scapularum ossa, costæ, ossa spinæ, tali, calcis, manus, & plantæ pedis, intra vigesimum, vel vigesimum quartum diem consolidantur. At crurum & brachiorum intra trigesimum quintum & quadragesimum diem, &c.

Circa tempus vero, quo ossa fracta confirmari, ac firmo soleant obduci callo, observavit Fabritius Hildanus cent. 6. obs. 68. tibias gravidarum fractas, quamdius uterum gerunt, mediante callo coalescere non posse. „ Tota enim „ natura, inquit, cum circa formationem fœ„ tus occupata sit, materiam pro calli gene„ ratione destinatam ad uterum mittit, & ossa fracta negligit. Cujus rei memorabile exemplum refert cent. 5. obs. 87. de matrona gravida, quæ tibiam fregerat; ubi tantas circa generationem calli habuerunt difficultates & labores, adeo etiam, ut tertia & vigesima habdomada, post contractam fracturam, movendo & circumagendo pedem, ossa confracta adhuc vacillarent. Tandem tamen, scilicet à tertia & vigesima ad trigesimam septimanam, fractura fuit confirmata. Causam autem tardioris generationis calli in fœtu quærendam esse judicat. Quamdiu enim in utero fuit fœtus, alimentum pro calli generatione destinatum, ad sui nutritionem per vasa umbilicalia attraxisse putat.

De Generali Fracturarum Curatione.

I. At fracturarum curatio tum in rupti, fractique ossis adunatione ac reductione; tum in illius consolidasione & conglutinatione consistit. Ossis vero adunatio Chirurgi opera & dexteritate efficitur: consolidatio autem & agglutinatio virtute ac viribus naturæ, cumque Balsamo suo naturali; glutinoso nempe humore, ad coadunanda & consolidanda ossa accommodatissimo, efficacissimo. Enimverò cum fractura sit ossis continui solutio, pro ejus curatione finis ac prima intentio erit unitio. Hanc tamen unitionem medicus facere nequit, sed solius naturæ opus est; quæ in junioribus nonnunquam per intrinsecam & omnimodam partium disjunctarum unionem; in adultis vero, interveniente πώρῳ seu callo, tanquam glutine, conjungere fractas extremitates solet. Est autem callus idoneum ac proprium facti ossis alimentum, quod ibidem effervescit dum concoquitur, & in tumorem attollit substantiam ossis haud secus ac in toleolis arborum per insitionem adaptatis contingere solet. Acque hic porus seu callus licet non sit os, ita tamen durus est, ut si idem membrum denuo frangi contingat, potius alia in parte frangatur, quam ubi callus genitus est.

II. Verumenimvero Unitio illa etsi uaturæ opus sit; tamen ut Ea scopum suum assequatur, plura adhuc necessaria sunt. Nimirum cum ossa fracta plerumque suo loco dimoveantur, si id accidat, ea restituenda, & ad amussim coaptanda. Deinde hoc modo conjuncta servanda. Quæ si dextrè Chirurgo fiant, unitio postea ossium seu calli generatio opus naturæ est. Medicus tamen & hic naturæ opem ferre debet: quod fit, si partis naturalem temperiem conservet, & Inflammationem, ac omnia symptomata, quæ naturam in opere suo turbare possent, avertat.

III. Primo itaque, ut corn. celsus lib. 8. cap. 7. docet, animadvertum & considerandum est, utrum ossa fracta proprio loco exciderint, nec ne, cum non semper, ubi transversim franguntur ossa, sua naturali sede excidant. Cognoscitur autem ossa, suo loco dimota non esse, si in fracturæ loco nulla cavitas percipitur, nec punctionis sensus adest, nec membrum brevius apparet. In hac ergo fracturæ specie non opus est, ut membrum extendatur, & de ossium repositione ac coaptatione laboretur.

At vero ossa fracta si loco suo exciderint, ita ut unum supra alterum efferatur, prima cura esse debet, ut restituantur. Fit autem hoc duabus operationibus, quarum altera extensio; altera conformatio sed ossium in suum locum repositio appellatur.

IV. Igitur in fractorum ossium restitutione opus est membri extensione: cum enim musculorum fibræ, ossis robore destitutæ sequantur naturalem suam determinationem, & in se contrahantur, necessum est per vim eos, simul cum osse fracto, tantum elongare, quantum à naturali statu recesserint. Alioquin, si non recta fiat extensio in fracturis, ex attritione rumperentur ossium eminentiæ, quæ dein suas in cavitates reponi non possent; sed vel exterius ad ossium latera hærerent, vel inter ossa fracta remanerent, ossisque fracti coaptationem impedirent.

Ut autem justa fiat Extensio, danda opera ut fiat minimo cum dolore. Fiet vero hoc, si membrum extendendum ea figura collocetur, in qua musculi non agant, sed otiosi, & omnes laxati sint, hoc est, membri talis sit situs, qui omnium familiarissimus, quive nullam ipsi adferat lassitudinem: quo modo & minore extensione opus est, & minore cum dolore opus perficitur. Extensio interim fiat neque validior neque debilior, quam requiritur; sed moderata: quoniam ex validiore extensione insignis oritur dolor, ex quo postea febres, cõvulsiones sequuntur: in debiliore vero ossium capita commiti nequeunt; sed eorum eminentiæ simul confricantur, vel franguntur, vel in proprias cavitates recondi ac reponi non possunt.

Cæterum fit extensio hæc aut solis manibus, idque unius vel plurium; vel habenis, sive linteis, fasciisve circumpositis; vel per Trochleam trajecto fune, quale exemplum habet Fabrit. Hildanus cent. 5. obs. 86. & ex eodem Scultetus Armam. Chir. Tab. 22. Fig. 1. Extensio namque major vel minor requiritur pro diversitate temporis, ætatis, magnitudinis ossis. Fractura recens, æger debilior, os exile, leviorem exigent extensionem; vehementiorem vero fractura inueterata, æger robustus, os magnum. Sic minimam postulat extensionem radius; majorem ossa, quæ in summa manu & summo pede sunt; adhuc majorem ossa cubiti; validiorem humerus & tibia; validissimam femur.

In genere autem cognita fractura mox instituatur extensio; si namque id non fiat, magnus

ob

ob dolorem vehementem fit humorum affluxus, & musculi versus sua principia trahuntur, hinc extensio difficilis evadit, & si instituatur, ossa fracta adjacentes partes carnosas pungunt, ac sequuntur inflammationes, convulsiones, aliaque mala accidentia. „Quicquid suo loco motum est, ante inflammationem reponendum. „Si vero convulsio oriatur, ossibus in suam sedem restitutis, rursus ea (si commode fieri „possit) suis locis propulsabimus. Chalmet. in Enchir. Chirurg. lib. 4. cap. 2. Quod idem docet Hippocrates lib. de fracturis §. 36.

Si cum fractura Luxatio incidit, primum luxatio, modo fieri possit, dein fractura erit curanda; quod majorem vim in restaurando postulet luxatio, quam fractura. Tagaultius lib. 5. cap. 4. *Anton. Chalmetæus Enchir. Chirurg. lib. 4. cap. 2. Oribasius lib. de Machinamentis, Vido Vido Interprete pag. 498.*

V. Extensioni succedere debet Conformatio, quæ est ossis fracti in suum locum repositio, & extremitatum recta coaptatio; quam musculorum legitima figuratio optime determinat, sic ut nulla in illis contorsio notetur. Ea fit, si postquam membrum eatenus extensum est, ut in reponendo ossa se tangere nequeant, Chirurgus membrum, utraque manu comprehensum, studeat ad pristinam figuram reducere, impellendo hinc, inde, ante, retro, ad latera, donec extantes particulæ in suas cavitates & pristinas sedes fuerint reductæ. Non sunt autem eminentiæ ossium cum impulsu vehementi in suas cavitates intrudendæ, ne rumpantur, sed potius sponte sua, extensione laxata, manibus Chirurgi leniter directæ in suas sedes recedant. Repositionem vero probe factam esse, ex doloris cessatione, ossis fracti in superficie æqualitate, & comparatione cum sano membro facta, elucescit: sique membrum reductum post fracturam longius appareat, id violentæ extensioni tribuendum est.

VI. Ossa sic probe coaptata exacte conjuncta sunt tenenda, quod præstabit Deligatio, quæ ita fieri debet, ut & partes commissas servet, & inflammationem arceat. Sed priusquam Fascia membro fracto injiciatur, ad humorum affluxum & inflammationem prohibendam, atque partem affectam roborandam, linteum reduplicatum, Oxycrato aut Vino Rubro Adstringente madidum (omissis Oleis, Emplastris, & similibus, utpote inutilibus, ac non raro admodum noxiis) imponantur; dein Deligatio instituatur, quæ nec nimis laxa sit, ne ossa suo loco iterum dimoveri possint; nec nimis arcta, ne alimenti affluxum prohibeat, & dolorem excitet. Perficiatur vero duabus Fasciis, paratis ex linteis vetustis, aliisque usibus ex parte attritis, ut sint tractabiliores, validis tamen, ne extentæ lacerentur; nullas consutiones, aut extantias habentibus, ut æqualiter, ac sine dolore constringant. Prior Fascia supra fracturam injicienda, & circa eam modice comprimendo ter involvenda, dein sursum versus ducenda, usque dum ad sanam membri partem, quatuor, quinque, vel pluribus circumvolutionibus perveniat, paulatim imminuta compressione. Ubi autem satis de sana parte fuerit comprehensum, ibi deligationem terminare oportet. Dein altera Fascia, priore duplo longior contrario modo involvenda: si enim prior versus dextram, hæc versus sinistram obvolvatur; ut si forsan musculus aliquis per primam fasciam nimium ad alteram partem sit attractus, restituatur in partem contrariam, per secundam fasciam, quæ primum fracturæ injicienda, & una vel altera circumvolutione facta ab ea incipiens deorsum aliquoties cicumvolvenda; similiter paulatim compressionem minuendo, iterumque supra fracturam ducenda, ita ut ultra primam fasciam in parte sana terminetur.

Maxima igitur diligentia opus est in fasciis arctandis, cumque eæ injiciuntur, patientem interrogare oportet, qualem circumjectam fasciam sentiat, & si premi se dixerit, laxari debet; sin vero fasciam ita laxam affirmet, ut minime fractum membrum sustineat; adstringere est opus. Moderate ergo fasciæ adstringi debent, magisque in parte fracta stringi ac coarctari, quam alibi, ut ab humorum defluxu ea defendatur.

VII. Quoniam vero hæ duæ fasciæ, jam circumvolutæ, ad fracturam continendam debiliores sunt, adhibenda insuper Splenia, seu panni linei sæpius complicati, oblongi, crassi, splenis brutorum instar. (Compressæ barbaro vocabulo, latino Pulvilli vocantur.) Hæc circa fracturam, & totum membrum, per ejus longitudinem adhibenda, ut unum alteri non superponatur, sed inter ea digiti transversi spatium circiter intercedat: quæ firmentur appositis Ferulis, ex ligno tenui lævigato, aut potius charta crassiore paratis. Etenim cum fasciæ & splenia inflexibilia non sint, fracturam firmam & directam servare nequeunt; sed facile fieri potest, ut tum vigilantibus, tum dormientibus membrum moveatur. Ut igitur in motibus membrum firmum teneatur, opus est iis, quæ rigida sunt, & non flectuntur; & tamen minus ponderosa. Quem in finem Hipp. elegit Ferulas, quæ & rigidæ sunt, ac inflexiles, sed leves. Quod si ob membri inæqualitatem ferulæ aptari non possint, partes cavæ spleniis implendæ sunt, ac membrum æquale reddendum, ut ferulæ commode applicari queant. Desuper Vincula alliganda admodum laxa, sic ut appositæ ferulæ cum spleniis contineantur, nec quicquam parte adstringant, ac comprimant sed ut tutum, immobile, ac in debita figura membrum servent. At vero in ferularum appositione cavenda sunt ossa prominentia & excarnia; illis namque appositæ dolorem, nec non alia inferent graviora symptomata.

VIII. Signum autem congruæ deligationis potissimum ipse Æger indicare solet, ubi, num premarur, rogaveris, atque is respondeat, se premi quidem, sed leviter, idque præsertim, qua fractura est. Sin vero patiens fasciis nimis prematur, eæ celerrime solvendæ & aptius deligandæ, ne ex arctiori vinculo prava eveniant symptomata. Sin fasciarum circuitus justo laxiores, & nihil se premi respondeat patiens, arctius vinciendæ, cum laxa vincula non prohibeant membrum, quo minus, quà fractura est, depravetur.

IX. Congruæ deligationi succedit bona membri Repositio, quæ sit, mollis, æqualis, sursum vergens, sic ut nec protuberantia, nec sinus in loco fracto notetur, neque dolorem & inflammationem excitet. Præterea in repositione oportet congruam membri figurationem considerare; quæ scilicet dolore vacat, & musculos ex utraque parte integros servat: hæc autem est figura media, in qua dum otiamur singula mem-

bra continere consuevimus, ut in cubito figura angularis, in carpo recta, &c. Ea nimirum, quæ inter extremos cujusque membri motus intermedia est. Hæc figura nisi observetur, exiguo post tempore membrum dolere solet.

Pars igitur deligata in Capsula Lignea, qualem depingit Hildanus lib. de Ichore & Melicer. cap. 29. & Scultetus Armam. Chir. tab. 56. fig. 1. 2. 3. stupa linteo involuta repleta, sive in pulvinari molliusculo deponatur, atque ita in tertium usque diem relinquatur, si Patiens eo, quo deligatus est die, & sequenti nocte sentiat se valentius stringi; postero vero die minus, nec non in parte extrema tumor laxus, mollis, & parvus appareat: si vero aut sit nullus tumor, aut magnus & durus postridie in manu vel pede, prava est deligatura; quia illa non continet; hæc nimis arcta est, & inflammationem movet, atque gangrænam non raro minatur; unde nulla interposita mora Æger solvendus; ac denuo, sed moderate, diligandus est.

X. Igitur si probæ deligationis signa adsint, nullusque dolor insignis, nullave inflammatio suspecta sit, reliquum opus, quod est callum, per quem fracta ossa conjunguntur, gignere, naturæ committendum, & deligatio ante tertium diem non solvenda. Tertio autem, post primam deligationem, die quum laxiores videntur fasciæ, solvantur; cumque fuliginibus ac vaporibus ob deligationem exhalare prohibitis, & per moram ac stagnationem acrioribus redditis, ita intolerabilis non raro excitetur pruritus, ut in dolorosam excoriationem, ac inflammationem terminetur; hinc pruriens pars Aqua Tepida aliquoties perfundatur, ut apertis poris detentæ subcute fuligines evaporari queant: dein membrum ligatura, quæ moderata paulo arctior sit, contringatur, ac porro ut prius deligetur, inque capsula seu mollisculo pulvinari deponatur in septimum usque diem; nisi pruritus, vel inflamatio, vel dolor, vel quid aliud infestet. Septimo die fasciæ iterum solvendæ, membrum Aqua Tepida perfundendum, & deligandum, arctius adductis fasciis; ita tamen, ne sanguinis circulatio, spirituumque vitalium ac animalium radiatio prohibeatur.

Membrum ita deligatum detineatur immotum ad duodecimum circiter diem, quo fasciæ denuò solvendæ, & membrum deligandum. Si namque tardius solvatur deligatio, magna sæpè incommoda (qualia sunt, partis exulceratio, putredo, gangræna, &c.) inde oriuntur; quorum exempla notavit Fabritius Hildanus cent. 2. obs. 91. qui propterea monet, ut secundo aut saltem tertio die semper deligatio solvatur: & quanquam post septimum non sit adeo necessarium toties fracturam solvere, se tamen de quarto in quartum fascias solvere, partemq; affectam inspicere solere, scribit. Atq; hæc Deligatio continuanda, (paulo laxius tamen fasciis & ferulis indies adstrictis, ut nutrimentum ad ossa fracta magis confluere, & callus gigni, firmusque reddi possit) donec callus genitus, & fractura sanata sit; quod triginta aut quadraginta intra dies plus minus fieri solet.

XI. Interim ad Calli Generationem alii exhibent Juscula, in quibus bullierunt Folia Agrimoneæ, & Radices Consolidæ Majoris. Nonnulli tiscidiores Cibos præbent. Alii Lapidem Osyocollam pulverisatum & cum Jusculo exhibent, & cum Cerato extrinsecus applicant. Sed cum calli Generatio, adeoque fractorum ossium mediante callo unitio, solius Naturæ opus sit, hæc omnia, ut inutilia ac plane inepta, meritò rejicimus. Nihilominus tamen, ut omnia quæ Naturam in opere suo turbare possent removeantur, bona Diæta Ægrotanti præscribenda, venæ sectio aliquando instituenda & sanguis nonnunquam depurandus: In partium inferiorum fracturis Purgantia rarius, fere sola Suppositoria usurpentur: in superiorum autem partium fracturis Purgantium atque Enematum usus necessarius admodum est.

XII. Quod si Fractura per longitudinem ossis facta sit, fasciæ arctius stringendæ, quam in reliquis, ut ossa fracta, quæ secundum latitudinem à se invicem recesserunt, ad mutuum contactum ducantur, & removeri nequeant. Cæterum ea omnia agenda, quæ in transversæ fracturæ curatione dicta sunt.

De Affectibus præter naturam, qui Fracturis accidunt.

I. Quoniam vero Fracturis non raro quædam accidere solent, quæ curationem remorantur, aut post curatam fracturam remanent; ut sunt dolor, inflammatio, pruritus, excoriatio, membri debilitas & gracilitas, figura depravata, &c. quæ idcirco Medici operam requirunt, de iis etiam paucis dicendum.

Dolor igitur si adsit, ne in causa sit, ut humores in partem affectam confluant, & inflammationem vel quid aliud excitent, omninò leniendus ac tollendus. Ut vero tollatur, considerandum, à qua causa proveniat; quæ statim tollenda. Perpendendum ergò, an ab osse aliquo pungente Dolor sit, an à fasciis nimium adstrictis, an ex pravo membri situ, an ex humorum affluxu.

Si ex osse pungente Dolor sit, (id quod ex levi partis contrectatione, & pungente dolore cognoscitur) fasciæ solvendæ, & os pungens vel in locum suum reponendum, vel, si fieri possit, eximendum, aut præcidendum. Sin ex fasciarum nimia adstrictione Dolor oriatur, deprehenditur id ex tumore, qui in membri extremitate apparet, Ægerque se vehementer premi conqueritur: tunc quamprimum fasciæ solvendæ, & laxior deligatio instituenda. Sed ob malam membri situationem si Dolor fiat, id Æger facile indicat, & situs mutationem postulat, quæ ita instituenda, ut jam sine dolore se esse fateatur.

II. Verum ex humorum defluxu quum pars doleat, Tumor, & Inflammationis signa apparere incipiunt. In hoc casu si membrum devinctum sit, quamprimum solvendum, & cum linteo duplicato vel quadruplicato calidè imponendum Oxycratum, vel Vinum Rubrum Adstringens: vel applicetur fomentum anodynum, Resolvens, leviterque repellens, ex Malva, Althæa, Violaria, Scordio, Floribus Sambuci, Camomilæ, Rosarum Rubrarum, &c. in Lacte Dulci, vel Cerevisia tenui decoctis. At priusquam sedata fuerit inflammatio, pars affecta non deliganda, saltem arcte non stringenda.

III. Pruritus cum partem infestet, & Ægrotantem torqueat, cessabit si Aqua Tepida pars inter diligandum foveatur, ut apertis poris materia pruritum efficiens difflari possit. Quod si locus affectus Aquæ Tepidæ affusionem commode

modo non admittat, ejus vapori satis utiliter apponitur: prohibenda interim Ægris scalptura, eo quod pessima, & præter excoriationem dolores excitet graves. Si tamen ex imprudenti scalptura, vel ex fasciarum resolutione diutius quam par est protracta, dolorosa oriatur Excoriatio, sanatur affusione Aquæ Tepidæ, uti pruritus; & Litu ex Unguento de Cerusa, Albo Camphrorato, Nutrito, vel simili.

IV. Non raro quoque Fracturis, ex attritu, vel ex arctioribus vinculis, qualibet alia de causa Gangræna accidit. Quæ qua ratione tractanda sit, libr. 1. cap. 17. abunde dictum fuit.

V. Sed & nonnunquam post Fracturam membrum gracile & debile manet: quod fit ob alimenti penuriam, dum à nimia fasciarum strictura partis affectæ vasa & porositates admodum constringuntur, adeo ut sufficiens alimentum affluere nequeat. Id quando fit, pars Aqua moderatè Calida fovenda, donec rubescat, eaque laxius deinceps vincienda. Insuper commendatur à nonnullis Picatio, quæ fit Nigra Pice supra linteum ducta, parti multoties applicata, & violenter, velociterque ablata, ut ratione adhærentiæ, pilorumque evulsionis ac doloris, alimentum alliciatur, cavendo postmodum strictam fasciarum circumductionem, quæ affluens alimentum iterum repelleret.

VI. Etiam contingit, ut postquam Ossa Fracta iterum coaluerunt, pristinam & convenientem figuram non recipiant, sed Distorta sint, unde membri motus impeditur, & claudicatio in pede oritur, vel in brachio apprehensio læditur. Fit autem hoc, vel ob Chirurgi ossa componentis & fracturam deligantis imperitiam aut negligentiam; vel ob Ægrotantis vitium, quandò membrum fractum ante calli confirmationem movet, aut ipsi innititur: vel ob ipsius Fracturæ culpam, quum ossis frustulum inter ossa fracta continetur, quod mutuum eorum contactum impedit.

Ememendatur autem hoc vitium, si quidem læsio membri sit magna, continuòque punctiones, ob acuitatem capitum ossium non rectè compositorum, persentiantur, Patiens sit juvenis & robustus, callus recens, & non diu concretus, os fractum non adeò magnum; si callus iterum frangatur & ossa rectè coaptentur & componantur. Uerum ut tutius fiat hæc calli fractio, is emolliatur multos dies Fomentis, Balneis & Linimentis. Callo satis emollito, Chirurgus membrum fractum genu suo imponat, & os utrinque utraque manu deprimat, ac denuò frangat; deinde ossis fracti partes manuum palmis coaptet, & fracturæ novæ convenientem curam instituat. At vero si Patiens sit senex vel debilis, callus vetustus & induratus, os magnum, quale est femoris vel humeri; optimum est illi manum non admovere, ob periculosa, quæ hanc curationem subsequi solent symptomata: satius enim est vel deformem vel claudum multos adhuc annos vivere quam crudeli cura læthalia provocare symptomata. Etiam si læsio membri in suis functionibus non sit admodum magna, Æger sorte suâ sit contentus.

Atqui si ossis frustulum membrum totum distorqueat, Incisio fiat ad os fractum usque, & Volsella ossis portio glutinationem impediens extrahatur, dein Fractura per extensionem coaptetur, deligetur, & deponatur, eodem modo quo recens fractura.

De Fracturis cum Vulnere.

I. Sed Fracturis non rarô conjungitur vulnus, quando ossium fractorum eminentiæ acutæ incumbentem carnem perforant. Atque in hisce interdum os fractum nudatum est, interdum non est nudatum; Quumque denudatum est, nunc extra vulnus non eminet nunc vero eminet: deinde interdum os, seu fragmentum aliquod abscessurum esse metuimus, interdum nihil abscessurum speramus. Quæ omnes Differentiæ cum variæ sint, variam sanè expostulant Curationem.

II. Fractura cum Vulnere Simplici, hoc est, in qua nec os à suis tegumentis denudatum est, nec aliqua ossis portio abscessura, duas habet pro sui curatione Indicationes. Prima est, ut Ossa Fracta loco suo restituantur, & conjungantur. Altera, ut Vulneris Labia simul reuniantur. „ Quod si os frangatur, & unà cum ossis „ fractura etiam musculi & corpora adjacentia „ vulnerata sint, tunc curationis intentio oritur „ duplex, quarum altera quidem circa ossa fra„cta, altera vero circa corpora adjacentia vulnerata versatur. Galenus lib. de Arte Medica cap. 91.

Primum ergo, cruore sordibusque detersis, membrum congrue extendendum, & ossium fractorum capita debite coaptanda, haud secus ac in fractura sine vulnere. Hic tamen notandum, ne Extensio sit adeo valida, quod partes carnosæ ac membranosæ admodum laceræ, contusæ, & attritæ plerumque sint; alioquin dolores ingentes, nec non convulsiones excitarentur, non raro cum vitæ discrimine. Et quidem Extensio hæc, Ossiumque Repositio statim, & primo aut ad summum secundo die fiat, priusquam parti gravis superveniat inflammatio.

Extensione peractâ, Osseque Reposito, Vulneris Labia ad mutuum contactum adducenda, adductaque servanda per Linteola Emplastica cruciatim imposita, & Fasciam. Dein Vulneri ea applicentur, quæ conglutinandi ac vulnera consolidandi vim habere suo loco docuimus.

Post hæc fractura Deliganda est, perinde ac si ossa citra vulnus essent fracta. Fasciæ tamen hic sint molliores & latiores, ut oras vulneris utrinque comprehendant, & sic labia ejus constringant, non comprimant; angustiores namque si essent fasciæ, tunc vulnus cinctum tenerent, & dolorem inferrent. Cæterum minus etiam stringendæ sunt, quam si vulnus non adesset, ne compresso vulnere dolor & inflammatio oriatur: unde Hipp. & Celsus plures faciunt circumvolutiones, cum melius sit sæpius circumvolvere quam adstringere. Nonnulli autem hujusmodi fracturæ deligationem instituunt per Ascialem Fasciationem, (de qua Scultetus Armament. Chirurg. tab. 27. fig. 1. & tab. 28. fig. 8. 10.) ut crebrior fieri possit partis affectæ inspectio.

Tertio, nonnunquam secundo, à prima deligatione die pars solvatur, iterumque deligetur; ita tamen, ut deligatio paulo magis comprimat, quamdiu durat timor inflammationis, nisi dolor prohibeat. In secunda vero, & tertia solutione laxior semper fiat deligatio, ut libera omnino sit sanguinis, pro futuri calli materia, circula-

tio. Reliqua curatio eadem erit, ac fracturæ sine vulnere; nisi quod ferulæ non sint ad vulnus apponendæ, ne id comprimant: si vero apponendæ, adhibeantur ad vulneris latera & partem oppositam donec sanatum sit vulnus. Raro autem contingit, simplex vulnus, si fracturæ conjungitur, secundo vel tertio apparatu cicatrice non obduci, vel saltem carne non repleri. Sanato vulnere si nondum confirmatum sit os, eadem agantur, quæ in fractura simplici.

III. Interdum tamen accidit in fractura cum vulnere, ut os nudatum non sit; ossis tamen frustulum abscessurum metuamus. Id quod fit, cum ob fracturæ impetum aliquod ossis fragmentum ita à reliquo osse separatum sit, ut cum eo denuo conjungi nequeat. Tum enim natura id quod sibi molestum est, aliisque ossibus uniri non potest, foras protrudere conatur, neque finem facit, donec expulsum sit; id quod longior demum tempore non raro perficere solet.

At vero abscessurum os indicat sanies, quæ copiosior, quam pro magnitudine & constitutione vulneris, effluit. Deinde labia vulneris non coëunt, & si coiverint, iterum dehisci, & ad excretionem stimulari videntur, & laxa quasi ac spongiosa evadunt; nec non tacita quædam motio in parte vulnerata percipitur. Neque enim natura vulnus integre sanat, ubi aliquid intus hæret, quod reliquis agglutinari non potest. Adhæc ossa abscessura indicantur, si in plures particulas os comminutum sit: neque enim tunc omnes facile conglutinantur.

Cito autem futuram abscessionem suspicatur, si caro laudabilis in parietibus ossis sani generetur. Enimvero non alio modo os recedit, quam dum natura carnem in labiis ossis sani creat, quæ os superpositum attollit, atque propellit. „ „ maturum ossis exitum, præter probabiles „ quasdam conjecturas, inde cognoscere licet; si „ os semel, iterum, atque tertio quis pulset: per„ cussum enim si clangorem, & vacui resonitum „ reddit, appertum de maturitate testimonium „ dabit. M.A. Severinus efficac. Chir. part. 2. de „ iis quæ ad ossa spectant, cap. 11.

Tempus vero, quo ossa recedere soleant, varium est. Enimvero ætatæ tenera, tempore æstivo sique os non adeo magnum sit, viginti, triginta, aut quadraginta dierum spatio abscedit. Si vero sit magnum, ætate adulta, tempore hyemali, vix sexagesimo die, aut etiam tardius, os separatur. In magnis ossium contritionibus, etiam post multos annos fragmenta ossium prorumpere, exemplo demonstrat Hildanus cent. 4. obs. 97. Quod & in Praxi frequenter observari solet.

Si igitur os abscessurum suo loco motum sit, & in vulnere consistat, statim volsella extrahendum. Similiter si ossis frustulum per rimam undique à reliquo osse sit separatum, in suo tamen adhuc loco detineatur, nihilominus quoniam nunquam cum reliquo osse glutinari potest, apprehendendum & extrahendum; siquidem sine dolore & violentia extrahi possit: atqui absque magna vi si id fieri nequeat, non debet extrahi, quia facile excitantur dolor, inflammatio ulcusque fistulosum redditur, cum extracto osse cavitas illa sanie repletur, quæ corrodendo carnis generationem impedit. Hinc potius naturæ negotium tunc committendum, quæ sensim id, quod agglutinari nequit, separat. Interim tame opus naturæ à Medico juvandum, & propterea deligatio laxior instituenda, sæpiusque (de tertio sc. in tertium) solvenda, ne pus detineatur, sed facile effluat. Ferulæ etiam eo loco, quo os abscessurum, non imponendæ, ne dolorem comprimendo pariant. Insuper Medicamenta vulneri admovent, quæ ossa & omne alienum è vulnere expellant. Quem in finem Barbette Chir. part. 1. cap. 5. sequentia proponit,

℞. Cineri Lumbricor. Terrstr. ℥iii. mellis virginei ℥iß M.F. Unguentum.

Vel; ℞ Aloës, Myrrhæ an. ʒß. P. Rad. consolid. Mai. Aristoloch. rot. an. ʒii. euphorbii ʒi. Therebinthinæ, & ceræ q.s. ol. liliorum albor. parum. M. F. unguentum.

Officulo tandem omnino separato, ac citra violentiam extracto, Ferulæ adhibeantur ad latera vulneris, donec id consolidetur. Si autem, vulnere ad cicatricem perducto, fractura nondum fuerit confirmata, Ferulæ undique erunt apponendæ, ut in fractura simplici.

Verumenimvero si ossium fragmenta, quanquam à suo toto separata, periosteo tamen adhæreant & affixa sint, nullo modo sunt educenda, sed potius in suum locum, situmque naturalem apte reducenda, cum coalescere & conglutinari queant.

Attamen insignis ossis portio si sit abscessura, ideo, quod ossis fracti partes non potuerint cum aliis componi; tales partes vulneratæ omnino leniter tractandæ sunt. Enimvero propter motum & compressionem dolores accidunt vehementes, pungentibus ossis diffracti particulis non rite compositis partes vicinas.

Si vero non statim, sed demum postea, os abscessurum appareat, Deligatio hæc (ut membrum quotidie deligari & solvi commodius queat, absque eo quod fractura moveatur) mutetur in Ascialem fasciationem, donec os abscederit. Osse autem abscesso, ac in conspectum detruso, vulnus consolidandum. Quo ad cicatricem perducto, membrum in quiete conservandum, donec fractura confirmetur, appositis undique ferulis.

IV. Cæterum in fractura cum Vulnere si os periosteo suo denudatum appareat, videndum, utrum extra vulnus emineat, nec ne. Extra vulnus si non emineat, Curatur moderata membri Extensione, convenienti Coaptatione, Labiorum Vulneris ad mutuum contactum Adductione, apta Deligatione, & congrua Depositione. In Deligatione tamen denudatum os cute, musculisque quamprimum cooperiendum, sicque ab aere externo, quantum fieri possit, defendendum, ne alteretur, & postea abscedere necesse sit; hinc considerandum, an aliqua ossis portio sit recessura, vel nulla? nulla abscedet, si os nudatum statim cutis operculo fuerit retectum: aliqua recedet, si os diutius aëri fuerit expositum; quanquam & hæc regula non ita universalis, quin sæpius observatum sit, ossa propter causas tum externas tum internas denudata, non fuisse alterata, nec squammam abjecisse, uti variis exemplis ostendit Fabritius Hildanus cent 4. obs. 95. & 96.

Si igitur nullum aut parvum os abscessurum sit, Deligatio peragenda, velut in fractura cum vulnere simplici, & in qua parvi ossis expectatur separatio: sin magnum sit abscessurum, Ascia-

Fasciali Deligatione pars vincienda, uti in fractura cum osse magno abscessuro.

At vero os fractum, nudatumque si extra vulnus emineat, perpendendum, an in propriam cavitatem, beneficio debitæ extensionis, citra violentiam & convulsionis periculum, restitui possit, nec ne? si possit, restituatur; sin minus, non restituatur. Periculosam restitutionem indicant, prominentia magna, inflammatio, & pars ob musculorum contractionem dura: facilem vero, os eminens parvum, absentia inflammationis, & partis mollities.

Cum igitur os eminens citra violentiam & periculum convulsionis reponi possit, primo membrum moderate exteendatur, deinde fractura componatur. Quod si ossa extensione difficulter coaptari queant, ob timorem magni doloris, & periculosæ convulsionis, validior ne fiat extensio, sed vecte seu scalpro quodam incisorio inter ossa fracta immisso (vid. Scultet. tab. 27. fig. 9.) extensio juvetur, donec ossa è directo collocata videantur: deinde paulatim extensio relaxetur, & vectis extrahatur. Verumenimvero si os, cui innititur vectis, in superiore parte, multa fragmenta, vel aliquod acutum habeat ossiculum, ut vecti non detur commodus locus, illa scalpro rasorio auferenda, hoc autem forfice præcedendum, ut vecti tuta comparetur sedes. Osse dosito, considerandum, an fragmentum aliquod abscessurum sit, nec ne? si nihil sit recessurum, pars affecta (vulneri apposito conveniente digestivo) deligetur, ut fractura cum vulnere simplici; sin vero aliquid recessurum, deligatio instituatur, ut in fractura cum magni ossis sepratione.

V. Quod si eminentia denudati ossis ita foras protuberet, ut sine violentia in locum suum reponi nequeat, tunc è duobus malis minus eligendum, osque eminens & nudum forfice præcidendum, vel potius subtili serra amputandum, & postea fractura per modicam extensionem coaptanda: hoc enim melius est quam hujusmodi ossa non coaptata relinquere, vel extensione violenta Ægrum in periculosam præcipitare convulsionem, & ad mortem deducere. Fractura coaptata, membrum deligetur, ut in fractura cum vulnere simplici, ita tamen, ut vulnus quotidie sine cruris commotione inspici possit: atque hinc suadet Scultetus, ut fasciis & emplastris foramen supra vulnus incidatur, ad medicamenta vulneri magno quotidie applicanda. Rationem porro fasciarum perforationis addit: „ quia vulnus magnum, & ideo per secundam „ intentionem curandum, copiosam generat sa„ niem, indeque crebram requirit inspectionem „ os autem comminutum, ob metum novæ mus„ culorum contractionis, frequentionem mem„ bri elevationem, fasciarumque resolutionem „ prohibet, unde media via, ut vulneri & frac„ turæ satisfiat, incedendum.

Veruntamen cum eminens os resecatur, ita ut os brevius fiat, multi Ægro prædicendum volunt partes fractas futuras esse breviores: quæ prædictio ex Hippocrate & Galeno vera est, quando femur vel humerus fractus particulam assis amiserit; sed cum tibiæ vel cubito portio quædam abscindatur, brevitas membri semper timenda non est: os enim sanum conservat membrum distentum, donec natura defectum abscissæ portionis callo compensaverit. Cujus rei memorabile in nobili viro vidimus exemplum. Is è curru, equis in furorem incitatis penitus diffracto decidens, tibiam cum fibula circiter in medio diffregit, tanta cum violentia, ut superior tibiæ pars cutem ad duorum digitorum latitudinem perforaret, atque omni periosteo privaretur: vocatus cum Cornelio van Beest Medicinæ Doctore, & Chirurgis Herberto à Ravesvvay, N. du Prée, suasimus unanimiter eminentis istius ossis, periosteo penitus denudati, ablationem: dictum factum; & altero die os illud subtili Serra amputavimus, crus ad pristinam longitudinem extendimus, & in molli pulvinari æqualiter deposuimus, vulnus quotidie inspiciendo; atque sic ex utroque ossis fine paulatim succrescens callus tandem coivit, sensimque in osseam duritiem firmatus est, ita ut crus pristinam longitudinem retinuerit, & ubi ablatum sit nunc videri vix possit. Haud absimilem historiam recenset Cl. Diemerbrokius Anatom. lib. 9. cap. 1. nec non Scultetus Armament. Chirurg. tab. 28. ex quibus insuper patet, Ægrum è duplici fractura cum vulnere & deperditione ossis, restitutum nonnunquam non claudicare. Imo femur licet, vel humerus fractus particulam ossis admiserit, non tamen semper sequitur, partem illam futuram fore breviorem: ita videtur observasse Doctissimus Lindanus, qui Physiolog. cap. 16. artic. 21. hæc habet: „ memoria dignum „ est, quod meus pater vidit Enchusæ. Puero „ comminutum est os femoris: fragmentis arte & natura sequestratis, medio osse exos spatium „ erat quatuor pollicum. Id visum est ex reliquis „ partibus ossis sensim adauctis & tandem coë„ untibus ita impleri, ut dicere non licet, ubi „ abfuisset, aut quod incommodum haberet ex fractura.

De Fracturis in specie.

I. Igitur de fracturis in genere cum satis nunc dictum sit, cumque ossa quæ franguntur varia sint, & secundum ossium fracturum varietatem curatio nonnihil variet, haud abs re erit, de iis in specie quædam superaddere; saltem proponendo differentias, quæ à subjecto, & ossium fractorum diversitate sumuntur. Et quia frequentissime franguntur humerus, brachium, manus, femur, crus, patella, ossa pedis, de iis primo dicemus; postea & reliquorum ossium fracturas subjungemus.

II. Enimvero Humerus, cum externis injuriis expositus sit, sæpius frangi solet. Appellatur autem humeri os id, quod inter cubitum & summum humerum interjacet, & superiore ejus capite cum scapula committitur, inferiore vero ulnæ & radio articulatur.

Cognoscitur ossis hujus fractura non solum ex partis dolore & actione læsa, cum cubitus amplius sustineri & elevari nequeat; sed etiam tactu, cum, si pars hæc prematur, ossium frago ac strepitus audiatur, & inequalitas persentiatur.

Humeri os, ut Hippocrates lib. de fracturis. §. 9. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 100. & Celsus lib. 8. cap. 7. inquiunt, quadraginta diebus coalescit. Cum autem sit glandius, longiore tempore ad callum generandum opus habet.

Fractum vero os humeri ut restituatur, bra-

chium incurvetur, sic ut incumbat pectori, mox humerus circa articulationem inferiorem comprehensus deorsum ducatur: facta hac extensione, ossa convenienter manuum opera componantur; quod haud ita difficulter fieri potest. Sedulo tamen hic curandum, ut semper in hoc hoc situ servetur, ne iterum, quod levis mutatio efficere valet, eo excidat. Chirurgus interim, post secundam præter propter deligationem, quavis vice brachium in rectum prudenter extendat, ne tendines ab humero ad cubitum excurrentes diuturna ea quiete contrahantur, sicque rigiditas accidat brachio. Si vero hæc tendinum contractura relinquatur, haud difficile est eam curare, si quotidie ingens pondus gestet æger, Chirurgus autem rigidum membrum frequenter illinat Unguento Emolliente relaxante.

Hippocrates lib. de fracturis §.8. alium proponit modum, quo humeri os fractum extendi & componi debeat, de quo inspiciatur Sculteri armamentarium Chirurgicum tab.23.fig.1. Vult enim sapientissimus senex, ut rotundum lignum cubiti longitudinis, vel paulo brevius ab utroque capite habenulis alligetur, quæ trabi, vel alicui sublimi adhæreant, sicque æqualiter ac firmiter lignum suspendatur, ne sursum vel deorsum ferri possit: Deinde æger brachium super dictum lignum imponat, id est, ut transversum lignum alæ subjiciatur; tum patiens sedeat ita sublimis, ut parum absit, quin suspendatur: interim aliquod aliud paretur, cui brachium inhæreat, pulvinari uno vel pluribus brachio suppositis, ita ut ad eam altitudinem perveniat, ut cubitus ad rectum angulum collocetur, vel à ministerio ita detineatur. Deinde cubito valida, mollis, & lata habena circumdetur, cui magnum pondus appendatur, quod extendere convenienter possit; aut robustus aliquis partem inferiorem, cubito cum humero ad rectum angulum figurato, cogat, ac trahat. His factis, Chirurgus stans, altero pede super re quapiam sublimiori collocato, prominentioribus palmarum partibus fractum os componere debet. Alii autem scalarum gradu suspensi ligni vice utuntur.

At vero manubus non raro fieri potest hæc extensio, præsertim in pueris: resupinato enim ægrotante, ne molestia aliqua afficiatur, & alligata ac suspensa ipsius manu ex cervice, ita ut angulosa figura servetur, alter ex ministris ambabus manubus humeri superius caput apprehendo, alter inferius in diversa extendendo. Quod si manuũ opera expediri nõ possit in adultioribus, ob musculorum crassitiem & robur, laqueis extensio fiat, quorum alterum supra, alterum infra fracturam brachio circumligare debemus, iique duobus ministris (quorum alter ad caput, alter ad pedes ægrotantis consistat) ut in diversa æqualiter & simul extendant, præbeantur.

Facta quovis modo extensione, ossibusque convenienter compositis, fasciæ injiciendæ, incipiendo à fractura, attendendumque ut semper in ea figura ligetur membrum, in qua manere debet, id est, ut cubitus cum humero rectum angulum constituat. Cætera porro agantur, ut in generali fracturarum curatione superius diximus.

III. Brachium propriè dicitur illa pars, quæ est à cubito ad carpum. Constat duobus ossibus, quorum alterum radius, alterum ulna dicitur. Atque frangitur nunc utrumque, nunc alterutrum tantum.

Fractura brachii, ubi unum saltem os fractum est, facilius curatur; at utrumque si fractum sit, pessima est, & difficilius curatur: majore namque extensione tunc opus est, cum ossa fracta nullum fulcrum & sustentaculum habeant atque adeo musculorum fibræ, ossis robore penitus destitutæ, naturalem suam determinationem omnino sequantur, & in se contrahantur. Ut plurimum tamen brachii ossa intra triginta præter propter dies coalescunt; quanquam ætas ab ætate, natura à natura differat. Veruntamen si alterum saltem brachii os fractum sit, facilior est curatio, cum subjectum habeat alterum, in quo plus opis est, quam in fasciis, ferulisque. Et si radius tantum frangatur, faciliorem admittit curationem; sin ulna, difficilius curatur.

In Curanda brachii fractura haud secus procedendum, ac in aliarum partium fracturis curandis. Ad extensionem vero minore vi opus est, ubi radius fractus fuerit; majore, ubi cubitus seu ulna; maxima, ubi utrumque os. Et quidem si ambo ossa sint fracta, æqualis extensio facienda: si alterutrum solummodo fractum sit, ea in parte, ubi fractura est, fortior extensio instituenda. Atque hæc actio ex sententia Pauli Æginetæ lib. 6. cap. 101. fieri debet inflexa manu ad angulum rectum, sic ut pollex omnium digitorum altissimus, contra minimus digitus omnium infimus habeatur. Fieri autem potest extensio manubus, à duobus ministris in diversa extendentibus; & si vehementiore extensione opus est, utrisque præsertim ossibus fractis, & in valde carnoso, Habenis facienda, alligando unam supra fracturam, alteram infra. Extensione facta, admotis prominentibus palmarum partibus os fractum dirigendum & componendum, atque in pristinam sedem restituendæ si quæ ossium adsint eminentiæ. Osse fracto reposito, fractura fasciis circundanda, & alia, quæ in genere de fracturæ curatione dicta sunt, peragenda, tandemque brachium recte collocandum ac situandum: quod fit, si incurvatum imponatur pectori, sic ut manus paulo altiorem occupet locum, quam brachium ipsum, nec non mitella commodissime excipiatur è cervice suspensum in ea figura, hoc est, quæ rectum angulum referat in cubiti curvatura, ut conjuncta ossa nullo modo dimoveantur. Post hæc singulo biduo aut triduo leniter brachium extendatur, quo affluentes humores non nimis diu in articulis detineantur, adeoque non efficiant harum partium coalitum & hinc membri rigiditatem. Similiter si superius ulnæ tuberculum, olecranon dictum in ipsa cubiti flexura fractum sit, qualibet vice, inter deligendum, leniter brachium extendatur, & iterum cubitus incurvetur, ne in ipso articulo, viz inter ejus tendines & ligamenta, callosa concrescens substantia juncturæ difficilem motum vel omnimodam rigiditatem relinquat.

IV. Manus ossa sunt octo carpi, quatuor metacarpi seu palmæ manus, & quindecim digitorum. Hæc ossa, Digitorum viz. & præsertim metacarpi, fracturam nonnunquam patiuntur; at vero carpi ossa conduntur magis, quam franguntur.

Co-

Cognoscitur autem fractura in hisce ossibus facilè, visu & tactu; cum hæc ossa fracta vel ad exteriora, vel ad interiora ut plurimum declinent. Non difficulter tamen, & quidem intra viginti præter propter dies, perfecte coalescunt, & sanantur.

Quando ergo quoddam manus os frangitur, patiens læsam manum super æqualem & lævem tabulam deponat. Deinde minister ossa fracta extendat: Chirurgus vero manu in suam sedem ea restituat; hinc conveniente facia partem obvolvat. Et quidem si digiti fracti sint, excepto pollice, vicinis sanis alligendi, ut ab iis in suo loco, quasi à ferula apposita, contineantur. Tandem glomo ex linteo convoluto manus vola complenda, ut hoc modo ossa composita facilius contineantur, & digiti in media figura conserventur. Manus quoque cum brachio à collo idonea fascia suspendatur, ac in quiete detineatur, quousque fracta ossa consolidentur; dein tertio vel quarto quoque die vincula solvenda, & pars multa aqua calida fovenda ac perfundenda, cum dixerit Hippocrates lib. de fracturis, „ In omnibus autem, qui juxta articulos sunt, affectibus, liberaliter calida aqua perfundenda est, deinde medicamenta applicanda, & rursus pars deligenda. Et sane multum „ hoc modo præcavebitur, ne digitis vel extensis vel contractis callus tam facile generetur, adeoque ne manus officium in comprehendendo lædatur. Hipp. lib. 6. Epidem. nautæ cujusdam historiam refert, cui ob fracturam medii digiti, exortæ inflammationi gangræna successit, tandemque spasmo episthotono corruptus interiit.

V. Femoris os, licet cæterorum ossium, quæ in corpore humano sunt, maximum, crassissimum, & longissimum si, nonnunquam tamen frangitur, vel in medio, vel in extremis, locisque vicinis.

De femoris fractura Hippocrates lib. de fracturis, ex edit. Lindanis, §. 23. ita scribit: „ at „ vero si femoris os fractum fuerit, extensionem præ omnibus facere oportet, ita ut ne „ defectuosius fiat. Amplior enim facta nihil læserit. Neque enim si quis distantia ex vehementia extensionis ossa deligaverit, fieri poterit, ut deligatio ipsa teneat, ut ita distent: „ sed coëunt inter se ossa quam citissime, ubi intendentes ipsa remiserunt. Crassissimæ enim „ ac fortissiæ quum sint hac parte carnes, deligaionem superabunt, non ab ipsa superabuntur. Hoc confirmare videtur C. Celsus, dum „ lib. 8. c. 10. id scriptum relinquit „ si femur fractum est, fieri brevius oportet; quia nunquam „ in antiquam sedem revertitur, summisque digitis postea ejus cruris insistit. Sed multa tamen femori debilitas est, ubi fortunæ negligentia quoque accessit. Et Avicenna lib. 4. Fen. 5 tradit raram admodum esse femoris fracti integram curationem. Quibus verbis nos monent, ut integram femoris fracti curationem nunquam promittamus, sed omnem potius diligentiam adhibituri claudicationem dubiam prædicamus, ne ex fracturæ natura, aut ex Ægrorum impatientia superveniens, nostro adscribi errori, & præmii loco famam minuere possit. Scribit quoque Fabritius Hildanus cent. 5. obs. 86. se neminem unquam vidisse, qui ex hujusmodi fractura sine claudicatione evaserit, præter unicam puellam, cui novam & peculiarem curandi rationem adhibuit, quæ ibidem videri potest. Id autem præcipue accidit, si femur in loco superiore juxta coxam frangatur. Sin vero genu versus, aut in medio femoris os frangatur, & diligens cura adhibeatur, non adeo difficulter, & sine claudicatione fractura sanari potest.

Ubi igitur femoris os fractum est, valenter omnino extendi debet, & recto tramitte, ita ut in neutram partem convertatur: violenta extensio convenit, quoniam maximi sunt musculi, qui femur circumdant, & magnam versus suum principium contractionem faciunt.

Resupinato ergo Ægrotante, & extensis cruribus, valida Extensio fieri debet, vel manibus, vel habenis, ut videre est apud Scultetum Armam. Chirurg. tab. 26. fig. 1. vel Instrumentis sive machinamentis, glossocomo puta, vel trochlea trajecto fune, qualem depingit Fabritius Hildanus cent. 5. obs. 86. nec non Scultetus tab. 22. fig. 1. Extensione sufficiente facta, musculi, utpote validissimi, facile fracti ossis partem inferiorem ad superiora adducunt. Id tamen ut rite & decenter fiat, prominentibus palmarum partibus, ut in aliis fracturis, os dirigatur & comprimatur, adeoque ossis fracti capit[illegible] co[illegible]ptentur. Interim meminerit Chirurgus priusquam operi se accingat, femur anteriore & exteriore parte gibbum esse, interiore & posteriore curvum, ut ad eam figuram femur reducat, ne superveniat, claudicatio. Hipp. de Fract. §. 24.

Reductum femur apta & conveniente ligara deligetur, qualis est fascia ascialis, quæ simul & in orbem circa coxam & alia, ut inguina etiam, & quod inter anum & genitale est, involvatur; cum ob alias causas, tum ne externæ ferulæ nudam partem offendant.

Insuper fractum femur conveniente fascia obligatum longo canali, qui poplitem excedit, imponatur. Nam si canalis femori adaptetur, qui poplitem non excedit, is noxam potius, quam opem adfert: prohiberi enim non poterit, quin corpore aut crure moto fumur quoque moveatur. Popliti etiam molestus erit, & genu curvavi permittet: si vero quis genu quodammodo flectat, femoris quoque vincula moveri necesse est, & musculos alio modo figurari, adeoque & ossa fracta dimoveri. Ideoque utilissimum videatur, femur in canalem conjici, qui à coxa ad pedem usque pertingat; & præcipuè, si ad poplitem cum canali fascia laxa circumjiciatur, velut infantes in cunis fasciari solent. Enimvero ubi femur in partem superiorem, aut ad latus distorquebitur, ita cum canali melius continebitur. Canalis igitur à summo ad imum usque, aut nullus adhibendus.

Cæterum imo calci magna habenda cura, ut tum in femoris, tum in tibiæ fracturis apte collocetur: etenim si pes dependeat, tibia reliqua obfirmata, ossa in anteriore cruris parte gibba apparere necesse est, idque eo magis, si hominis calx suapte natura grandior fuerit. *Hipp. l. de Fracturis §. 26.*

Sed distorsio femoris præcavebitur, si membrum in, ante, & post deligationem instrumento Glossocomo (vide Sculretum Armam. Chir. tab. 21. fig. 4.) conservetur ex tentum, usque ad perfectam fracturæ confirmationem. Ne autem instrumentum hoc partem sua duritie atterendo lædat, ideo aliquid molle subjiciendum, uti est lana capta, mollis stupa, vel simile.

VI. Patella etiam interdum frangitur, & quidem nunc secundum longitudinem, respectu totius femoris, nunc in transversum, nunc in obliquum; & nunc in duas, nunc in plures partes comminuitur; insuper nunc cum vulnere, nunc sine vulnere.

Hujus autem ossis fractura facilè innotescit ex tactu, cum partes divisæ persentiantur, cavitas appareat, & crepitus in contrectatione audiatur, nec non omnimoda adsit incedendi impotentia.

Patella equidem, ut alia ossa rara, facilè coalescit, modo recte conjungatur, & conjuncta servetur. Et si secundum longitudinem facta sit fractura, sine manuum opera, sola musculorum tibiam extendentium contractione, ossa conjunguntur, & conjuncta pulvillis, spleniis, fasciisque non difficulter in suo loco retinentur, ac uniuntur viginti circiter dierum spatio; atque ità nulla calli extuberantia, & hanc subsequens claudicatio, facile metuenda. Ambrosius Paræus tamen Chirug. lib. 14. cap. 22. neminem sibi visum fuisse scribit, cui os hoc fractum esset, qui non per vitæ reliquum claudicaverit: idque ideo, quod facta calli concretione consolidatio liberam genu flexionem impediat. Verum etsi hæc de transversa fractura facile concedi possint: tamen recte statuit Fabritius Hildanus Cent. 5. & observ. 88. non semper, præcipue in fractura patellæ secundum longitudinem facta, id esse necessarium; cum non semper callus ità protuberans nascatur, ut motus impedimentum in genu, & claudicationem afferat videamusque in aliorum ossium fracturis, naturam tam eleganter callum generare, ut sæpe vix fracturæ appareat vestigium; quod in primis accedit, ubi periosteum integrum est, quod materiam calli retinet, ne nimis excrescere, & protuberare queat.

Si verò fractura transversim vel oblique facta sit, difficulter admodum curari potest, ut incedendi impotentia, vel saltem claudicatio non relinquatur. Enimvero cum musculi tibiam extendentes sursum versus, & pedem moventes deorsum trahant patellam, ossa fractæ patellæ ita disjunguntur, ut haud facile conjungi, aut conjuncta retineri queant, unde callus extuberat, qui cavitatem inter femur & tibiæ os adeò adimplet, ut articuli istius motus impediatur. Nihilominus symptoma hoc prudens Chirurgus non raro prohibere solet, si qualibet vice, inter deligandum, fractam patellam digitis (ne fragmenta composita denuo dimoveantur) firmiter apprehendat, & undique loco prudenter moveat.

Itaque in hujus ossis restauratione, crus primo extendendum est; dein à Chirurgo Patella seu in duas, seu in plures partes fracta conjungenda, & secundum naturalem figuram æquanda nec non convenienter ligatura continenda. Torulis verò impositis stramineis, ut in fractura cruris fieri solet, membrum immobile tenendum, & omninò cavendum, ne crus flectatur. Hoc enim si fieret, fragmenta composita suo loco iterum dimoverentur; quem in finem poplitis cavitas rotundis spleniis exacte implenda, ut genu curvatura impediatur. Religiosè interim observet Chirurgus, ut inter deligandum fractam patellam prudenter ultrò citroque moveat, ne inter tendines & ligamenta, quibus continetur patella, callus concrescat; hinc & articuli istius motus difficilis, vel omnimodo rigiditas, atque adeo incedendi fere impotentia, aut saltem claudicatio relinquatur.

VII. Crus illa pars appellatur, quæ à Genu ad pedem extenditur. Constat duobus ossibus. quorum quod crassius est, & internam cruris regionem occupat Tibia; quod tenuius & exterius, Fibula nominatur. Franguntur hæc ossa interdum ambo simul, interdum unum tantum; & fractura accidit vel in medio, vel in superiore, aut inferiore parte.

Si utrumque os fractum sit, facillimè id cognoscitur; cum totum crus inflecti possit. Nec difficulter cognoscitur Tibiæ fractura, si ea tota fracta sit; quoniam totum hoc os in conspectum, utpote in loco excarni, facile venit. Si vero Fibula sola frangatur, id non ità facilè cognoscitur; quoniam multa carne tegitur: fracta tamen pars ad interiora inclinare solet.

Si ex ossibus hisce alterum fuerit fractum, facilior curatio est: præsertim si fibula tantum sit fracta, curatur facilius, & Æger citius pedi insistere potest; cum facilius crus extenditur, & tibia maximam oneris corporis partem sustinet. Tibia vero si fracta sit, curatur difficilius, quia crassior, & vice fundamenti totum corpus sustentat; hinc & majore extinsione opus est, & homo tardius incedere audet. At utraque ossa si fracta sint, difficilis admodum est curatio, tum quia validior requiritur extensio, tum quia omni ulcro destituta est pars affecta.

Sive ergo utrumque, sive unum os frangatur, crus, quantum opus est, extendendum, ut sine læsione ossa suo loco restitui & conjungi queant. Quod plerumque duo viri robusti (si alter in partem inferiorem, alter in superiorem crus trahat) manubus præstare possunt. Quod si id exsequi nequeant, Habenis vel Machinamentis utendum. Et ubi satis extensum crus fuerit, ossa fracta reponenda. Deinde Fasciis crus involvendum; quæ & latiores & longiores esse debent, quam in brachio. & omninò ità situandum ac componendum, ne in ullam partem perverti posit, neque ossa fracta depravari queant. Tandem crus rectum & extensum super pulvinari, aut re molli & plana collocandum, & Ferulæ, ac Canales adhibendi, ut cap. 2. de generali fracturarum curatione diximus. Qua in re observandum, ne super eminentes ossium extremitates applicentur, vel super magnum musculorum Gasterocnemii ac Solei tendinem, qui calcaneo inseritur. Hæ namque partes, cum sensum habeant exquisitum, compressionem non ferunt, sed compressæ dolent, ac inflammantur. De situ autem tibiæ fractæ hæc habet Fabritius Hildanus cent. 1. observ. 93. „In fracturis tibiarum curandis, nonnulli Chirurgi non levem committunt errorem, quum „volunt tibiam erectam insistere talo, ex qua „situatione hæc sequunutr incommoda. Primò „quidem fit, ut Æger temporis progressu majorem dolorem patiatur in talo, quam in ipsa „fractura, idque propter tendines magnos & „nervosos, qui talo inseruntur. Dolor autem „ille multos ad se trahit humores, qui in ipsa „junctura, & spatiis inter ossa pedis fracta, at„que ligamenta retinentur. Et quia ex hac si-

„ tuatione venæ & arteriæ comprimuntur, & „ proinde pars affecta suo calore quodammo- „ do destituitur, necessario condensantur & „ refrigescunt hi humores in ipsa junctura, & „ spatiis inter ossa pedis. Inde curatâ fracturâ, „ pes novam adfert molestiam: ægre enim & „ difficulter movetur junctura, sequuntur & „ nonnunquam alia quam pessima symptomata. „ Id quod idem Hildanus memorabili exemplo „ confirmat, quando subjungit: „ prospiciant „ igitur chirurgi, ne nimis curiose situationem „ hanc in fracturis tibiarum observent. Involutâ „ autem tibiâ fasciis, spleniis, & stupis, & in „ capsula idonea collocatâ; ea eligengenda est „ situatio. quæ minime sit dolorosa. Itaque „ modo in hanc, modo in alteram partem col- „ locanda est tibia, ut æger nunc in hoc, nunc „ in illud latus decumbere possit: sic enim mul- „ ta accidentia evitabuntur. Hæc ille.

VII. Hominis Pes, sicuti manus, ex multis minutisque, nec non duris constat ossibus, magnitudine & figurâ diversis. Sunt autem ea, septem tarsi ossa, quinque metatarsi, quatuordecim digitorum. Ossa vero pedis & manus non frangi scribit Hippocrates lib. de fracturis. §. 10. nisi acutâ vel gravi quapiam re carnosæ partes vulnerentur. Sunt enim duriora: & quæ acuta sunt, & gravia, si ossa hæc frangant, cutem incumbentem salvam non relinquunt. Et Paulus Ægineta lib. 6. cap. 106. scribit, talum nullo modo frangi, non tantum ob duritiem, sed quia undequaque ab ossibus eminentibus est munitus. Similiter Albucasis lib. 3. cap. 18. inquit; ossi calcis nullo modo accidere fracturam, aliis vero pedis ossibus fracturam accidere posse, ac etiam ossibus digitorum; sed raro hoc evenit, potiusque hæc ossa atteruntur, quamfranguntur.

Si autem pedis ossa frangantur, visu & tactu id deprehenditur; cum hæ partes excarnes sint.

Horum ossium fractura per se periculosa non est; sed quia non nisi à valida admodum & violenta causa franguntur, partes incumbentes, & vicinæ carnosæ ac tendinosæ simul contunduntur & vulnerantur, unde dolores gravissimi, inflammationes, aliaque superveniunt accidentia. Diebus tamen præter viginti conservent & coalescunt; nisi quæ cruri vicina sunt. Ea enim cum sint majora, longius tempus requirunt.

Curatio fere eadem est, quæ ossium manus fractorum. Commoda nimirum facienda extensio, & ossa, sive in superiorem sive inferiorem partem emineant, in naturalem sedem compellenda: quod commodius fit, si æger pede fracto tabulæ planæ panno obductæ insistat. Deinde fasciis pes involvendus. Et cum pedi ferulæ ob loci inæqualitatem commode admoveri non possint, splenia oxycrato, vel vino rubro adstringente madida loco affecto imponenda, fasciisque locus vinciendus, ut ossa composita in sua sede contineantur. Situatio tamen & collocatio aliter hic instituenda, quam in manu. Enimvero cum manus datæ sint ad apprehensionem, curva figura digiti collocandi sunt. Pedes vero cum ad ambulandum & standum dati, recta figura situandi, non curva, ne eorum actio depravetur.

IX. Insuper & alia nonnunquam franguntur ossa, inter quæ nasi primo loco occurrunt. Conflatur autem nasus ex ossibus & cartilaginibus: ossa ejus proprie franguntur; cartilagines contunduntur, deprimuntur, distorquentur.

Fracta vero hæc ossa ex signis manifestis innotescunt, quoniam si adversa fracta sint, nares desidunt, & simus nasus apparet, difficulterque spiritus trahitur: si à latere os sit fractum, is locus cavus apparet: Sin cartilagines contusæ sint, earum distorsio, & in alteram partem inclinatio adest.

Commodissime ex sententia Hippocratis lib. de articulis, ex edit. Lindan. §. 31. restituitur nasus fractus eodem die, vel certe paulo post, nec differenda curatio, quia in naribus callus cito generatur, intra decem dies, nisi corrumpatur. Subjungit tandem sapientissimus Senex: „ Nasus ex omnibus corporis partibus facilli- „ mè componitur, & nisi protinus dirigatur, „ dirigi posteà non potest, sed pervertitur.

Itaque si nasus fractus in inferiorem partem æqualiter dimittatur, simusque reddatur, quamprimum quicquid in cartilaginem incidit, leniter excitandum ac sublevandum, ut sublatum postea decenter coalescat; viz. in nares aliquid intromittatur, quod dirigat, ut specillum ad digiti formam febricatum, ex buxo, vel ebore, vel ferro: aut quod fractum est, elevetur digito in nares immisso, atque in naturalem sedem restituatur. Extrinsecus etiam ab utraque parte nasus apprehendatur, ac sursum ducatur. Ubi autem probe conformatus fuerit nasus, ut naturalem figuram conservet, longa linamenta contorta in nares immittenda sunt, quæ narium cavitatem implent, vel perforata cannula, aut penna introducatur, superimposito exterius Emplastro defensivo, vel simili.

Si vero in uno tantum latere nasus fractus sit, dirigere etiam convenienter ab ea parte, quæ declinat, & in naturalem sedem restituere oportet, tum Digitum vel Instrumentum commodum in nasum, qua parte læsus est, immittendo, tum extrinsecus dirigendo. Et ne quod compositum est, iterum depravetur, in singulas nares (at crassius in narem læsam) Linamentum, vel penna anserina grandior molli pellicvla obducta, vel fistula aut cannula è plumbo vel argento, itidem pellicula obducta, immittatur, ac tam diu intus relinquatur, donec os aut cartilago satis roboretur. Neque multum refert, quid immittatur, modo præstet, ne fractum nasi os subsideat, & molle sit, odorisque gravis expers. Monet tamen Hippocrates, nullo pacto spongiam esse immittendam, quoniam humorem imbibit, atque sic turgendo, partem distendit, cunctaque dissolvit. Etiam deligationem improbat, quam C. Celsus proponit, quia magis nocet quam confert, cum simitatem, & majorem ampliorem que distorsionem adferat. At de necessitate ligaturæ in narium fractura curanda disputat Guido de cauliaco in sua chirurgia, qui videri potest.

Si juxta curtilaginem nasus fractus sit, & in obliquum distortus, post congruam conformationem, habenula digitum lata, glutine aliquo illita, naso ea parte, in quam inclinat, agglutinanda; posteà intendenda, quantum expedit, ut nasus recte dirigatur. Longa autem sit hæc habena, ut circà aurem obducta circum caput obdu-

obducatur. Hæc juste dirigit nasum, & remitti ac intendi potest. Et si intra nares impositæ turundæ dolorem excitent, tollendæ, & tamdiu nares habena directæ servandæ. Post quartum decimum diem habenæ demendæ, & emplastrum aliquod Catagmaticum imponendum.

Si autem nasi ossa minutim fuerint confracta, quantum licet, singula in suam sedem reponenda, vel idoneis Instrumentis compellenda, neque facile, & nisi nullo modo agglutinari possit os aliquod eximendum, cum semper deformitatem pariat. Postea ceratum vel emplastrum ad ossa confirmanda imponendum. Plura de narium Fractura videantur apud Hippocratem libr. de Articulis, articul. 30. 31. 32. 33. 34.

X. Interdum & inferior maxilla frangitur, vel transversim, vel in plurima fragmenta, ossibus semper inter se aliqua ex parte cohærentibus, raro penitus disjunctis, & dissolutis, ut in aliis.

Facile autem fracta maxilla cognoscitur, quoniam si tantum extrinsecus ossa fracta sint, tactu apparet, & in interiore oris parte aliqua gibbositas digito persentitur. Sin vero transversim fracta fuerit, introrsum manifesta cavitas fit, & in interiore oris parte fere dens super proximum dentem, excedit.

Maxillæ ossa, si primis diebus inflammatio non accedat, intra viginti præter propter dies consolidantur, & dentes integri remanent. Sin vero cura diutius protrahatur, dentes vitiantur, & inutiles redduntur, auctore Hippocrate lib. de articulis articul. 29.

Si igitur maxilla ita per transversum fracta sit, ut ossa inter se aliqua ex parte equidem cohæreant, digitis utrinque, tam ori immissis, quam extra applicatis, os comprimere & in suam sedem compellere oportet: interius namque tuberculum foras propellendum, & altera manu ossa inæqualia complananda. Maxillam vero in suam sedem esse restitutam, ex ejusdem, nec non dentium æqualitate apparet.

Si vero maxilla tota transversim fracta sit, quod tamen raro accidit, sic ut os super os emineat, & dens super proximum dentem excedat, digitis ori immissis, & extra manu adhibita, ossa fracta componenda: & nisi simplici compressione id fieri possit, primum extensio, ministro retro continente & chirurgo ante extendente, fieri debet, hinc & ossa inter se componenda. Deinde dentes qui sunt ad fracturam, non tantum bini, verum & plures inter se colligandi, donec ossa ferruminata sint. Hipp. filo aureo utitur: cujus defectu vel filum sericeum, vel seta equina usurpari poterit. Si maxilla in mento fracta fuerit, qua parte ambo colligantur ossa, ambabus manibus inter se coaptari & dirigi debet.

Ubi autem fracta ossa fuerint reposita, quod ex æqualitate dentium cognoscitur, ut suo loco conserventur, extrinsecus ferula, ex corio seu alia conveniente materia, maxillæ longitudini correspondens, apponenda, hinc conveniens Deligatura instituenda; quæ fiat fascia duabus extremitatibus fissa, duos digitos lata, media quoque sui parte in longitudinem incisa, ut utrinque mentum complectatur. Cum ergo fasciæ in extremitatibus fissæ quatuor sint capita, duo inferiora ad summum caput deducantur, ibidemque deligentur, vel pileolo nocturno assuantur; duo superiora transversim traducta ad imum occiput deligentur, vel eidem pileo assuantur.

Sin tali fracturæ vulnus sit conjunctum, specillo explorandum, an minutim, & in plures partes diffracta sint ossa; & si ossis fragmenta separata inveniantur, aliisque conferruminari nequeant, idoneo Instrumento eximenda; sique vulneris orificium angustum sit, ampliandum; deinde vulneris labia ad mutuum contactum adducenda, & appositis linteis Emplasticis adducta conservanda, atque dicatum cruentis vulneribus Medicamentum superponendum, donec consolidentur. Interim ne decumbat æger in partem maxillæ fractam, sed in sanam; at non huic, sed capiti innixus, ne ossa composita iterum distorqueantur. Maxilla quoque immobilis servetur; ideoque æger non multum loquatur, nec duriores cibos masticet, sed mollioribus & liquidis nutriatur, donec callus obduret. Et si aliquid denuo suo loco motum fuisse observetur, tertio præter propter die deligatio solvenda, & si quid exciderit in suum locum reponendum.

XI. Clavicula acromio & sterno articulata movetur; qua parte autem jungitur sterno manifestius agitatur, obscurius & fere insensibiliter cum acromio, quia scapulæ motum sequitur. Idcirco fractæ claviculæ pars acromio juncta situm mutat, in anteriorem, vel posteriorem, vel inferiorem locum conversa, altera ejusdem parte semper immota.

Frangitur vero clavicula vel transversim, vel oblique, vel per longitudinem. Si per transversum id accidat, vel prope humeri articulum, vel magis versus articulationem cum sterno diffringitur.

Cognoscitur ossis hujus fractura tactu potius, quam visu; ut & ex dolore.

Si per transversum frangatur clavicula, facilius curatur; difficilius autem, si per longitudinem. Nam quod transversim fractum est, facile extensione, & digitorum compressione in naturalem sedem revertitur: reliqua fractura semper quid eminentiæ habet, quod ægre coaptari potest. Perficitur tamen claviculæ fractæ curatio quatuor & viginti circiter diebus.

Igitur ut hæc Fractura curetur, ministri duo ad extensionem requiruntur, quorum unus utraque manu humerum, qui claviculæ fractæ adjacet, ad posteriora, alter caput in latus oppositum ducat; interea chirurgus digitis id quod prominet propellendo, imo foras attrahendo, & quæ deorsum tendunt, sursum, & quæ sursum sunt, deorsum compellendo, fracturam componat. Aliqui autem, ut facilior fiat restitutio, Glomum Lineum alæ subjiciunt, hinc brachium ad costas comprimunt, atque ita os suæ sedi restituunt. Si vero ossis fracti extremitates ita depressæ sint, ut sursum reduci hoc modo nequeant, Æger resupinandus est in pulvinari duriore, spinæ inter scapulas subjecto; humeri interim manubus sic deprimendi, ut ossis fracti extrema depressa eleventur eousque, ut in naturalem sedem restitui possint.

Compositis fractæ Claviculæ ossibus, Plagulæ tres convenientis crassitiei & longitudinis, ut cavitatem, quæ supra & infra claviculam est, repleant, parandæ, quarum duæ lateribus, tertia crassior

prominenti fracturæ imponenda. Ita enim & os fractum eminens deprimetur, & nec sursum, nec deorsum, nec ad latera è suis sedibus ossa fracta composita dimoveri poterunt. Hinc Deligatio instituenda; quæ fiat Fascia palmum lata, debitæ, longitudinis, duplex caput habente, decussatim injecta, quæ sæpius circumducenda, & obvolvenda, ut brachium ad posteriora deducat: Interim cavitas sub axilla linteaminibus convolutis replenda; sic namque facilius deligationem sustinet Patiens.

XII. Scapula etiam qualibet sui parte frangi potest, rarius tamen in processu illo, qui Acromium dicitur; sæpius juxta spinam, & in aliis extremitatibus. At si acromium frangatur, visu & tactu percipitur, præsertim si pars ægra cum sana comparetur: sin vero latior ejus pars, & in extremitatibus frangatur, tactu cavitas quædam deprehenditur, & punctorius dolor in parte percipitur.

Fractura quæ in Summo Humero seu Acromio est, difficilius curatur, quam in aliis scapulæ partibus. At in cervice Scapulæ, aut circa articulationem ejus cum humero, quæ est Fractura, fere incurabilis est.

Si ergo os fractum Scapulæ adhuc cohæreat, manu Chirurgi in suum locum restituendum. Quod si non facile fiat, & majore vi opus sit, pila ex linteo sub axilla ponatur, & minister deorsum humerum trahat, cubitum ad costas adducendo, Chirurgus vero manu Fracturam comprimat & componat. Sin os fractum Scapulæ non cohæreat, modo ligamentis & periosteo quodammodo adhæreat, & pungendo admodum molestum non sit, etiam suo loco restituendum. At si penitus & ab osse, & à periosteo ac ligamentis separata sint fragmenta, sic ut carnes pungant, cute incisa, eximenda. Sin vere non pungant, relinquenda: natura namque, quod reliquis non cohæret, tandem sponte expellit, etsi interdum post longum tempus id fiat; sic refert Ambrosius Paræus lib. 14. cap. 9. cuidam Marchioni è scapula vulnerata ossium quædam fragmenta post annos septem, cicatrice reserata, erupisse.

Ossibus rite compositis, Deligatio conveniens instituenda, sique summum Humeri fractum sit, Pila sub ala vincienda, & deligatio non frequenter solvenda: Æger interim in opposito latere cubet, & partem in quiete detineat.

XIII. Interdum costæ ex causis violentis quoque franguntur; casu viz. aut contusione. Et quidem fractæ Costæ interdum intro declinant; interdum extra eminent; intedum, etsi totæ franguntur, proprio loco non dimoventur; nonnunquam & caro circa costas colliditur.

Si costa & tota fracta, & extremitates loco motæ, quædam inæqualitas & cavitas tum visu, tum tactu deprehenditur, & strepitus auditur. Quibus accedunt & alia symptomata; adest viz. dolor gravis, pleuriticum dolorem æmulans, respiratio difficilis, tussis molesta, & non raro quoque sanguinis sputum, dum ex vasis ruptis effluentem sanguinem pulmo imbibit, nec non febris. Si tamen Costa quidem fracta sit, at fractæ extremitates neque intro cesserint, neque in exteriorem partem compellantur, pauci febricitant, aut sanguinem spuunt.

Costarum Fractura si simplex sit, absque partium vicinarum gravi contusione, aut inflammatione, periculo vacat, & intra vigesimum diem non raro curatur. Sin vero caro circa costas atteratur, periculosum malum est, & non raro lethale, teste Hippocrate lib. de Articulis. Etiam periculosa est Fractura, si Costa intro compellatur, & pleuram pungat vel vulneret, tuncque eadem fere symptomata, quæ pleuriticos infestare solent, superveniunt, ac longius protrahitur curatio.

Si ergo Costa fracta sit, proprio tamen loco non dimota, nec incumbentium, vicinarumque partium contusio adsit, per se facile consolidatur. Sin extra promineat, manu comprimenda, & in propriam sedem reducenda, ac æquanda. Si intro vergat, Æger tussi, ac spiritus, ore clauso, retentione eam exterius compellat; Chirurgus vero Ægrotanti manibus, quantum fieri potest, succurrat. Quod si non succedat, nonnulli Emplastrum cuti valide adhærens censent imponendum, idque aliquoties cum impetu auferendum, donec in locum suum Costa sit restitura. At quando Costæ fragmentum membranam pungat, atque acerbissimi inde dolores, aliaque prava symptomata oriantur, cutis incidenda, ac pungentia fragmenta vel eximenda, vel præcidenda. Plura de Costarum Fractura videantur apud Hippocratem lib. de Articulis. §. 51. 52. 53. 54. Insuper de felicissima curatione fracturæ costarum, in qua nonnulla notatu digna occurrunt, videatur Fabritius Hildanus cent. 5. Obs. 85.

XIV. Dorsi spina est Vertebrarum omnium contextus, & sicut quædam corporis carina, quæ constat septem Cervicis Vertebris, duodecim Dorsi, & quinque Lumborum, nec non osse Sacro, & Coccygis. Vertebrarum Corpora raro admodum Fracturam patiuntur; earundem tamen Processus à causis externis & violentis nonnunquam franguntur. Id autem tactu facile deprehenditur, cum huc atque illuc moveri persentiantur diffractæ Apophyses.

Vertebrarum processuum simplex Fractura simplici lenique manuum opera restituitur, ac consolidatur viginti circiter dierum spatio: sunt namque Processus hi ossa spongiosa & rara. Sin vero per vim admodum violentam totæ Vertebræ frangantur, adeo ut medulla spinalis simul patiatur, dehinc Paralysi afficiantur brachia, pedesve ægrotantur, ac urina fæcesque alvi retineri nequeant, mors in propinquo est. Interim tamen ne æger sine auxilio deseratur, nil faciendorum negligendum, & facto prognostico cutis incidenda, ac libera fragmenta eximenda, hinc vulnus curandum.

Ad Fracturas spinæ pertinet ossis Sacri & Coccygis fractura; quæ si ita sit, ut & spinalis Medulla lædatur, lethalis est. Sin ea non lædatur, adeoque salutis spes sit, immisso in anum digito usque ad locum affectum, os fractum expellendum; extrinsecus vero altera manu ossa æquanda, & in suum locum reponenda. Et si aliquod ossis frustulum abruptum persentiatur, facta apertione, id eximendum, ac porro vulnus ex arte curandum.

XV. Os ignominatum, quod ossibus tribus, Ilio, Coxendicis, & Pubis, simul unitis constat, frangitur ut scapula, vel in extremitatibus, vel secundum longitudinem, vel in medio.

Cognos-

Cognoscitur fractura hæc ex dolore, qui tactu, & compressione inprimis exasperatur; nec non cavitate, inæqualitate, punctura, & nonnunquam stupore in crure ejusdem lateris.

Exigit autem fractura hæc celerem restitutionem, perficiturque consolidatio quatuor & viginti præter propter diebus. Interim si sit in ossis innominati extremitatibus, digitis vel manu ossa fracta componenda ac æquanda.

Si vero frangatur os per longitudinem, vel ad interiora declinet, ita situetur patiens, uti super ventrem decumbat, Chirurgusque manibus, uti potest, fracta ossa componat.

Sin os fractum comminutum sit, apertio facienda, sicque & fragmenta libera auferenda, & alia reponenda. Verum cum vix sub cute solum, sed sub ipsis musculis talia fragmenta plerumque lateant, sine periculo hic sectio non instituitur: hinc omnino cavendum ne in facienda hac apertione, tendines, vel vasa quæpiam majora lædantur, sicque graviora excitentur symptomata. *Joh. Munnicks in Chirurgia ad hodiernam praxim adornata.*

De fracturis ossium, nulla accedente coalitione.

Contingere non raro observamus, ossium extrema in fracturis haud reuniri, quæcunque etiam externa æque ac interna adhibeantur medicamenta.

Exemplum huc faciens considerabile, non nisi semel (quod in Chirurgo adeò exercitato admiramur) visum proponit Fab. Hildanus obs. 91. cent. 3. his verbis: Ante duos menses ex Germania redux, Basileæ fracturam observatione dignam in quadraginario uidi. Hujus viri brachium sinistrum cum ante annos decem rota molendina apprehenderet inter cubitum & carpum ossa in transversum adeo confregit ut omnino inter se disjungerentur, cutis quinetiam & musculi mirum in modum dilacerarentur. Dolor supervenit maximus inflammatio & intumefactio totius brachii, non solum ob magnitudinem morbi, verum etiam quod ossa in suum locum reposita non fuerant, carnemque continuo compungerent. Multum puris per menses aliquot effluxit, multaque ossicula à Chirurgo extracta fuere; tandem remiserunt symptomata, & consolidata fuerunt vulnera, sed ossa disjuncta remanserunt, & ita quidem ut eo in loco veluti alterum articulum constituerent. Manum enim dextram si adhibet, sinistrum brachium antrorsum & retrorsum ducit, non secus ac si naturalis priore in loco articulus esset, idque sine ullo dolore. Ossa se invicem non attingunt, sunt enim extremitates ipsorum callo obducta brachium aliquo modo extenuatum est. Cubitum quidem movet, sed difficulter, quapropter brachium fere inutile est. Cæterum quid causæ sit cur ossa in hoc viro per callum connexa non fuerint, profecto me latet; nisi forsan improprium nutrimentum ossis, ex quo, teste Galeno callus procreatur, in pus conversum una cum pure effluxerit, aut caro & membrana aliqua inter utramque extremitatem ossis intercederit. Adeoque natura adeo est diligens atque provida, ut extremitates ossium confractorum licet levissime se contingant statim conglutinet, atque conjungat.

Exulcerationes fracturis supervenientes quacunque à causa, primitiva sive fuerit, sive antecedens, sive etiam conjuncta, impedimento esse posse, quo minus ossium detur coalitus, maxime cum alimentum ossium suffocationi, consumptioni, corruptioni, aut cum pure evacuationi ansam præbent, haud impossibile nobis videtur; atquis rationem dabit unde eveniat quod ossa fracta haud reuniantur, ubi exulceratio nulla adest, imo nulla vel in cute vel in musculo continui observatur solutio? Notare etenim nobis locuit, non solum in ulna & radio, ossibus adjutoriis, tibia & fibula, sed & (in duobus licet subjectis) ossibus femoris, per infortunium fractis, quæcunque etiam usurparentur media, interna æque, inter quæ considerabilis Ichtyocola, ac externa, emplastra, splenia, ligamenta, nullam secutam extremitatum unionem, etiam omni exulceratione absente.

Causa hujus rei quæ sit cum prædicto Hildano, me ignorare fateor, nisi dicamus, deligationem in fracturis usualem, non urgente dolore, tumöre, inflammatione, aut gangræna, frequentius justo fuisse solutam, vel etiam humores ad calli concretionem promovendam necessarios plus debito attenuatos; splenia brevia nimis aut molliora applicata, imo fractam partem, ad arcendam incalescentiam quandoque supervenientem, nimium humectatam. Et harum ultimam calli generationem impedire satis constat. Spleniorum nimis brevium, molliorumque applicationem, hinc deligationem minus arctam efficere posse, quo minus extremitates ossium fractorum coëant, in nauta quodam, cui ex itinere reduci os humeri dextrum diffractum, in quo quod splenia mollia nimis usurpata, nec manus extrema cum ulna ex debito sursum flexæ, nulla extremorum coalitio secuta.

Externis impedimentis sic consideratis, Chirurgo in arte exercitato interna adhuc varia occurrunt, quæ ad id ut extrema ossium fractorum callo nullo obducantur plurimum facere possunt. Tales humores nutritii os accedentes minus pingues, aquosiores, corrupti, imo etiam nonnunquam omnino maligni, habita tamen ubi vis consideratione structuræ corporis & ossium.

Observare nobis licuit in aliquo, morbo gallico quasi tabefacto, ossa adeo fuisse exsiccata imo aresacta, ut ad quemvis attactum frangerentur, sic enim claviculam in partes varias confractam in eo vidimus dum thorace pectus vestire conabatur.

In tali casu ubi ossium extrema uniri recusant, nil convenientius, quam, instrumento quodam apto, ex ferro confecto, utrinque membrum comprehendere, extremaque conjungere, ne in motu, vel incessu incommodum aliquod ægrotanti adveniat. *Job. à Makren in observat. Medico Chirurgicis.*

Observationes

Pro Fractura Brachii in Sene decrepito.

Curationem hoc modo institui, clementer expurgato corpore, illam victus rationem, quæ multum nutrit (omissis tamen cibis viscosis, qui mihi in fracturis mirum in modum suspecti) sangui-

sanguinemque optimumque procreat, calidum nativum & humidum radicale instaurat, præscripsi. Singulis quoque diebus jejuno stomacho, ad ℥ ij. sequentis pulveris ex jusculo carnis recentis exhibui.

♃. Lapidis, osteocoll. diligenter præpar. ℥j. cinnam. el. ʒ iij. sacch. ℥ ij. M. F. pulvis tenuissimus. Brachium usque ad scapulam sequenti linimento quotidie bis inunxi.

♃. Ol. lumbric. ℥ ij. ol. gran. junip. ʒij. succi lumbric. ℥ j. M. F. linimentum. Sed ante omnia primò ossa in locum situm, ea qua fieri potuit diligentia reposui. Post inunctionem sequens applicui emplastrum.

♃. Empl. Vigonis ad fractur. ℥ ij. empl. oxycroc. ℥ß. lapid. osteocoll. præpar. ℥iß. lumbric. præpar. & in subtilissimum pulverem redactor. ʒ j. cum q. s. ol. lumbric. f. emplastr. fracturam de tertio in tertium, aut de quarto in quartum diem solvi, & medicamenta renovavi, reliquum vero brachium quotidie semel aut bis, ut dictum est, ad scapulam & nucham usque inunxi: hisce adhibitis remediis, callus intra paucos dies, usque adeo procreatus fuit, ut collisio ossium non amplius perciperetur, & brachium intra quatuor septimanis restitutum fuerit: & sic natura in hoc decrepito veluti assopita expergefacta, & calor nativus ferè extinctus in ista parte iterum beneficio prædictorum medicamentorum accensus fuerit; quantum valeat in fracturis ossium osteocolla seu lapis ossifragus non rarò expertus sum: reperitur in campo quodam arenoso prope Darmstadium. Eligitur qui sub terra absconditus, extra terram prominens est invalidus nulliusque momenti *Guil. Fabrit. Hildanus. Observ. 90. Cent. 3.*

Lapis osteocolla, qui & Sabulosus dicitur, singulari quadam virtute & proprietate occulta generandi callum præditus est: idque ego cum in aliis tum præcipuè in quadragenario quodam observavi, is quum utraque focilia ad malleolum sibi transversim confregisset, me advocandum jussit. Ossa in situm naturalem reposita, singulis matutinis horis jejuno stomacho ʒ j. hujus lapidis in marmore cum aq. rad. symphit. præpar. exhibui, primis diebus cum ptisana, aut jusculo carnis recentis, postmodum verò cum vino: iis quæ fracturæ applicui eundem lapidem pulverisatum & præparatum admiscui: inde factum est, ut spatio triginta dierum plenissimè restituta sit tibia, ut sine adminiculo incedere potuerit. *Guil. Fabrit. Hildanus. Observ. 90. Cent. 1.*

Lapis hic cautè & in senibus tantùm, aut extenuatis, & quibus languet calidum nativum adhibendus est, ne aliàs callus superfluus generetur multo labore diminuendus. *Guil. Fabritius Hildanus. Obs. 91. Cent. 1.*

Ego jam à multis annis magno cum successu sequenti utor emplastro in fracturis.

♃. Emplastri Slotani ℥ vi. ceræ nov. ℥ ij. coloph. gummi elemi pinguissimi an. ℥ j. dissolv. lento igne. Postea insperge sequentes pulveres, rad. consolid. maj. balaust. nuc. cupress. rosan ʒ j. mastic. thuris, an. ʒ ij. M. addendo ol. rosac. q. s. ut F. ceratum. In adultis & extenuatis ad ℥j. hujus emplastri, tantundem osteocollæ præp. admisceo. Singulis quoque diebus mane tribus ante pastum horis, de eodem lapide cum jusculo carnis vel vino albo exhibeo: multum enim curationem lapis ille accelerat. In juvenibus verò, & qui optima corporis sanitate fruuntur, lapis ille sive per os datus, sive exterius adhibitus minimè convenit: non autem statim ab initio, neque primis diebus applicandum est prædictum emplastr. multò minus oxycroceum, ne effluxus humorum ad partem læsam sequatur: ab initio itaque postquam os fractum in situm suum repositum est, sequens applico cataplasma.

♃. Rad. consolid. maj. tormentill. bistort. an. ℥ ß. boli alb. ℥ j. balaust. ʒ j. nuc. cupress. gallarum, ros. rubr. an. ℥ ij. F. omnium pulvis tenuiss. cui admisce farinæ hordei ℥ vi. hujus pulveris accipe quantum opus est pro membri fracti magnitudine, ex quo cum posca formetur cataplasma in mortario vel alio vase sine calore ignis, addendo vitellum ovi cum albumine, parumque olei rosac. applicetur membro fracto & renovetur ab initio tertio vel ad summum quarto quoque die, donec symptomata non amplius sint metuenda. Vunc emplastr. Vigonis, vel meum applicari poterit, & de sexto vel decimo in decimum diem reiterari. *Guil. Fabritius Hildanus. Cista militar. classe 15.*

Emplastri palmei sive Slotani qui primus ejus author fuit, hæc est descriptio.

♃. Adipis porcin. rec. & fragrantis, minii, an. ℥ xii. chalcitid. ust. sed non ad rubedinem, aluminis usti, an. ℥ ij. adipis cervini ℥ iv. mastich. thuris in tenuiss. pulver. redacti, an. ℥ ij. fiat emplastr. S. A. agitando bacillis saliceis & suculentis. Guil. Fabrit. Hildanus, in consilio de conserv. valetudine, in epistola ad Croquerum.

Curationes illas ossium confractorum per lapidem, quem Erastus sabulosum vocat, quis non penè fabulas esse indicet? Multo etiam magis unguentum illud, quo telorum inunctione, vulnerati sanantur, ridiculum videatur: & tamen fide digni amici nostri utrumque sanctè affirmant. Sunt alia sexcenta, quæ fidem omnem superant, non tamen ideo falsa sunt quare vehementer in iis ἐπέχω, & ubi ratio repugnat, experientiæ, cum admiratione subscribo Andreas Dudithius, epist. 25. lib. 6. consil. & epist. Cratonis & aliorum à Scholtzio editorum.

Pro fractura humeri.

Osse per Chirurgum reposito, emplastrum hoc adhibitum est.

♃. Farin. fabar. farin. ciceris, hordei, farin. volatil. molendini, an. ℥ß. mastich. tragacanth. gummi arab. mummiæ, bol. armen. myrtill. pulveris. an. ʒ iij. album. ovor. v. conquassata in vino styptico nigro: succi plantag. aut vini styptici q. s. ad incorporandum. f. emplastrum. Hoc constringit, repercutit, roborat, & firmat. Deinde stupas longas, latas, aqua prius balneatas & expressas toti brachio circumvolvebat, & fascia latitudine quatuor digitorum, aut quandoque duabus præparatis alligentur dicta, adjectis ferulis quatuor aut sex, interim facta restauratione, etiam pannus lineus infusus in ol. ros. prius apponatur. Deinde aliqua jam dicta, ut emplast. stupæ & ferulæ injectis fasciis ut moris est: non solvebatur ad quinque dies. Interim brachium

inungebat, nec non & spatulam & loca vicina aliquo detersivo; & sanguis detractus est ex brachio opposito: atque ita Chirurgo procedente, ut in reliquis fracturis, hic tandem curatus est. *Petrus Forestus. obs. 8. lib 8. obs. Chirurg.*

In principio fracturæ dislocationis & torsionis juxta Jo. de Vigo hoc medicamentum apponi potest.

℞. Album. ovor. nu. 3. ol rosac. omphac. ol. ros. compl. an. ℥x. ol. myrtilli ℥iß. farin volat. farin. hord. an. ℥vi. bol. armen. subtiliss. triti, sang. drac. an. ℥iij. M. F. Emplastr. Est mirabile primis diebus. Transacto autem nono aut decimo die; nullo contradicente symptomate, ut est dolor, apostema, pruritus, tunc supra fracturam & dislocationem utilissimum est hoc infrascriptum apponere.

℞. Albumin. ovor. nu. 4. ol. myrtin. ol. rosac. an ℥i. tereb. claræ ℥iß. myrrh aloes, an. ℥ij. sang. drac. bol. armen. an ℥ß. far. volatil. ℥iij. m. & utere, in fractura & dislocatione est singulare remedium. *Petr. Forest. obs. 3. lib. 8. Obs. Chirurgic.*

Ubi callus justæ magnitudinis generatus fuerit, medicamentis roborantibus confirmandus est. Ideo tale emplastrum imponendum est.

℞. Ol. rosac. ℥ij. ceræ ℥iij ß. resinæ pulveris. ℥iij. colophon. mastich. thuris, an. ℥ß. nuc. cupressi rad. erythrod. an. id est rubiæ tinctor. an. ℥ j. croci ℥ß. M. F. ceratum quod super linteum vel alutam extendatur, & applicetur. *Daniel Sennertus, practic. lib. 5. part. 5. cap. 1.*

De situ tibiarum fractarum.

In fracturis tibiarum curandis, nonnulli Chirurgi non levem committunt errorem, cùm volunt tibiam erectam insistere talo, ex qua situatione hæc sequuntur incommoda. Primò quidem fit ut æger, temporis progressu majore dolorem patiatur in talo quam in ipsa fractura, idq; propter tendines magnos & nervosos qui talo inseruntur. Dolor autem ille multos ad se trahit humores, qui in ipsa junctura, & spatiis inter ossa pedis fracta atque ligamenta retinentur. Et quia ex hac situatione venæ & arteriæ comprimuntur & proinde pars affecta suo calore quodammodo destituitur; necessariò condensantur & refrigescunt hi humores in ipsâ juncturâ, & spatiis inter ossa pedis. Inde curata fractura, pes novam adfert molestiam Ægre enim & difficulter movetur junctura, sequuntur & nonnunquam alia quàm pessima symptomata.

Ante annos aliquot cum D. Janô Ant. Sarracenô, Marcô Offredi, Andreâ Bonetô Medic. Doct. curandum habui Nobil. Henricum Balbanum. Is ulceribus nonnullis in tibiâ laborans ex erectâ illâ situatione pedis, gangræna ad talum correptus fuit, quæ ipsi & nobis non parvas attulit molestias, ita ut tibiam abscindere coacti fuerimus. Erecta autem situatio pedis primaria hujus mali causa fuit. Primò enim dolorem tali excitavit, qui ad se humorem & sanguinem attraxit, unde consequuta est inflammatio. Secundò contusus & quassatus fuit talus ex erectâ illâ pedis situatione. Tertiò arctatæ & compressæ fuerunt ex eadem situatione venæ & arteriæ quæ per ipsum crus & tibiæ pulpam descendunt; ita ut sanguis & spiritus ad talum liberè descendere non potuerint. Assidua quoque tibiæ extensio, non parum huc fecit; distentis enim vasis, innatum calidum & sanguis non possunt descendere in partem affectam, unde tandem ea frigescit & interit. Ea porrò extensione vasorum, posse frigescere partem affectam, ex eô intelligitur, quòd equitando per frigidam tempestatem, pedes si diutius intra fulcra equestria contineantur, frigeant impensissimè, si extra fulcra propendeant, per se ocyus incalescant. Sanguis enim & calor, patentibus ipsis vasis, illico ad pedes recurrunt.

Prospiciant igitur Chirurgi, ne nimis curiosè (ut hujus artis imperiti solent) situationem hanc in fracturis tibiarum observent. Involuta autem tibia fasciis & stupis, & in capsula ad id apta collocata: (ut Galenus docet Meth. Med. l. 6.) eligenda est situatio, quæ minime sit dolorosa. Itaque modo in hanc, modo in alteram partem collocanda est tibia, ut æger aliàs in hoc, aliàs in alterum latus decumbere possit. Sic enim multa accidentia evitabuntur. *Fabricius Hildanus Observ. Chirurgic. Cent. 1.*

Brachii Fractura admiranda.

Vir quidam Lugdunensis sexagenarius ex arthritide pituitosâ in articulis humeri & cubiti dexteri, jam fere bimestre spatium obtusô dolore torquebatur: nullis utitur remediis, solam sibi partis illius quietem imperat, dum brachium affectum fascia obvolutum, & pectori innixum continuò haberet. Is alioquin sanus & valens, in publicum horâ circiter diei octavâ progressurus, dum chirothecam in manum affectæ partis induere levissimo conatu adnititur brachii os quatuor aut quinque digitis infra humerum transversim effregit.

Vocatus ego confestim, rem non sine admiratione conspicio, exploro & per Chirurgum os ipsum restituo, quæ conveniebant remedia jubeo admoveri. Elapso triduo ægrotum reviso, num appositè restituta essent omnia exploraturus, remotis fasciis & assulis, naturalem ossis situm rediisse vidimus, & appressis digitis persensimus. Sed ecce paulo inferius circa cubiti articulum, nova se & nondum conspecta obtulit ossis ejusdem fractura, dolores urgent clamosi, restitutioni itidem sedulo incumbimus. Inde placata omnia, & nunc bellè quiescit, nondum tamen ab eo tempore explicatæ fasciæ, nec visum, uti se habeat pars ea. Miratus sum diu tantam ossium fragilitatem in eo homine, qui se ullis ossium affectibus, vel à lue venereâ, vel aliunde contractis, laborasse pernegavit. Percurri tum animo meo, quæcunque à veteribus medicis circa fracturas adnotata fuerant, sed nihil quod longè absimile esset, mihi occurrebat, unâ exceptâ historiâ, quæ apud doctissimum Johan. Schenckium, observationum rararum & admirabilium lib. 5. observ. 7. huic non valdè dispar recensetur. Hanc ab ipso authore tibi petendam relinquo. De hoc inaudito casu quid tui judicii sit, velim si placeat, audire. *Idem Cent. 3. Observat. Chirurgic. ex communicatione D. Saraceni Medici Lugdunensis.*

Reverendus Dominus Wolffbrandus apud Dusburgenses Cliviorum Verbi Divini Minister fidelissimus ac primarius, homo pietate, virtute & doctrina præstantissimus, ætatis consistentis, robustus & obesus, cum anno 1582. (si rectè memini

memini) tempore hiemali, terra congelata in proximum pagum ad ægrum quendam invisendum & consolandum ipsi abeundum, domumque redeundo ex aggere quodam tres circiter pedes alto, desiliendum esset, dextrum pedem adeò sibi torsit ac fregit, ut integrum os tali aut astragali, non solum ex suo loco dimoveretur; verum etiam abruptis & abstractis ligamentis, quorum beneficio, reliquis ossibus alligatur, sub interno malleolo per cutem ipsam erumperet, & foris propenderet. Ad ædes suas deportatus, Chirurgus accersitur, is videns os omnino separatum, & fibris nonnullis tantummodo adhærescens, ipsum abscidit, & ea quæ sanguinis fluxum impediunt, applicuit.

Alterâ die Clarissimi Viri, Domin. Galenus Wierus, Illustriss. Cliviacensum Julia~~censi Mon~~tensium &c. Principis Medicus ordinarius atque primario, & D. Comasslotanus piæ memoriæ ejusdem Principis Chirurgus, præstantissimus, Præceptor meus plurimùm honorandus, in consilium vocati fuere. Qui victum tenuem præscripserunt, corpus à pravis humoribus evacuaverunt, venam inciderunt, vulneri anodyna & pus moventia applicuerunt. Repellentibus item seu detensivis, ut vocant, affluxum humorum prohibuerunt. Curatio difficilis fuit, dolorosa atque longa. Interim tamen amici & quidem viri docti ipsi non defuerunt. Etsi enim proprium suum Chirurgum Dusburgensem, nunc & in arte non mediocriter versatum haberet, attamen nunc Johan. Wierus, nunc Galenus Wierus, nunc Reinerus Solenander, omnes prædicti Principis Doctores Medici longè celeberrimi, ipsum inviserunt, omniaque quæ necessaria videbantur præscripserunt. Ego quoque non rarò unà cum præstantissimo Dom. Cosmô Slotanô Dusseldorpio, ad ipsum profectus fui. Sic divino solo numine tandem ita convaluit, ut & sine Scipione in cedere posset, uti ego eum incedentem anno 1599. cum Colonia Dusburgum ad pium & honestum virum D. Simonem Engelgraff, à cane graviter morsum, vocatus essem, ipsemet vidi. *Idem ibidem.*

Quidam ex domesticis D. Samuelis Moratelli, civis Paterniacensis, vir robustus & optimo corporis habitu præditus, æstatis tempore brachium sibi ad cubitum fregit. Et quia tum temporis Basileam profectus eram, rusticum quendam, (qui in hoc tractu præ aliis etiam exercitatis Chirurgis in fracturis ac dislocationibus reponendis extollitur] ex pago proximo accersiverunt, Conjux quoque mea, quia, non rarò, me absente fracturas ac dislocationes reposuerat, & sanitati restituerat, simul vocata fuit, ad meum quoque finem, ut domestici mei vulnus, quod fracturam comitabatur (cujus curam rusticus ille Empiricus aggredi nolebat) curarent. In locum suum fracturâ repositâ, emplastrum ex pice flavâ applicuit, fasciisque, & spleniis omnia deligavit, (relicto tamen foramine pro vulneris mundificatione & ne ante decimum tertium diem solverentur fasciæ, splenia, & emplastrum amoveretur, jussit, domumque se contulit. Quid fit? Alterâ die post denuo dolor supervenit qui paulatim auctus erat. interim domestici mei, qui vulnus quotidie curabant, ægrum & adstantes, ut emplastrum amoveretur, admonuerunt, sed frustrà: Maluerunt enim impostorum quam in arte versatorum consilium sequi, dolore tamen magis magisque aucto, tandem parere coacti fuerunt. Præsentibus itaque D. Moratello, aliisque fide dignis hominibus, fracturæ à domesticis meis soluta emplastroque ablato, brachium non solùm tribus in locis exulceratum offenderunt, verum etiam fœtens, ut hinc inde vermes, quales in carne putrida generari solent, conspicerentur: Imposito itaque unguento nostro Ægyptiaco, & catapiasmate aliquo, putredini resistente, applicato, curationem feliciter absoluerunt, brachiumque pristinæ sanitati domestici mei restituerunt. *Idem ibidem.*

Sabaudus quidam, Vir Senex ac decrepitus, Genevæ in ponte Rhodani ex equo delapsus, tibiam sibi paulo supra malleolum fregit. D. Joh. Griffonio mecum advocato, fracturam feliciter reposuimus, omnisque dolor protinus sedatus fuit. Tertio die post, cùm fracturam solvere vellemus, æger recusabat: aiebat enim, sibi à quodam amico, & in arte versato (erat autem is empiricus) significatum, fracturam ante septimam diem non esse solvendam. Quinto tamen de morbi, dolore exorto & propter serias admonitiones D. Griffonii, in præsentiâ D. Jani Antonii Sarazeni Medici Regii, soluta fractura, pustulæ multæ ac lividæ, quæ gangrænam proximam significabant, conspectæ fuerunt. Scarificata tamen tibia, & medicamentis gangrænæ adversantibus applicatis, tandem convaluit.

Rusticus ex pago quodam in agro Paterniacensi, sub plaustro lignis onusto, pedem adeò sibi fregit, ut à juncturâ separatus, & mirum in modum contractus esset. Advocatus ego, antequam manum adhiberem, utque opprobrium omne præcaverem, adstantibus sequentia significare visum fuit. Primò etiamsi summa adhiberetur diligentia, curationem nihilominus, propter magnitudinem morbi, ante menses sex vix absolvi posse. Secundo quia fractura ingens, claudicationem impediri non posse. Tertiò, quia ego tum temporis cum aliis quoque ægris occupatus, necesse esse, ut ægrum ad me adducerent; Ad hæc cùm parentes & adstantes consentissent, fracturam reposui, & demum redii, expectavique donec ægrum adducerent, sed frustrà. Tanta enim fuit apud eos negligentia; ut ægrum apud se retinerent, neque quenquam alium qui fascias medicamentaque mutasset, advocarent. Post itaque dies aliquot, rursus dolore acerbissimo, inflammatione item ac fœtore subortis, miser ille extinctus est.

Ego quoque quum in solutione fracturæ cujusdam Nobilis Belgæ non satis diligens essem, ac à decimo quarto usque ad vigesimum primum diem, medicamenta minimè mutassem, callus adeò magnus procreatus est, ut inde maxima deformitas tibiæ sequuta fuisset, nisi protinus callum pressissem. Quâ verò methodo id factum sit, lector ex Observat. 91. Cent. 1. colligere poterit.

Ut itaque cautè ac securè agamus, secundo aut ad minimum tertio quoque die, Hyppocrate & Galeno docente, fractura solvenda est, idque in eum finem, ne in membro, præter solitum cooperto, dolor aut pruritus uboriatur, neque ejus humoris qui jam parti

affectæ infixus est, perspiratio prohibeatur. Post septimum, etiamsi, non usque adeò necesse sit toties fracturas solvere, partemque affectam inspicere solitus sum. *Idem ibidem.*

Fracturæ costarum felicissima curatio.

Porrò casus, quem in præcedentibus meis ad te litteris promisi, talis est. Decimo nono mensis Decembris, superioris anni, interim dum ego Soloduri apud Dom. Kallenbergium ægrotantem hæsi, quadragenarius quidam hujus urbis, Michael Dilberger nomine, Vir robustus & plethoricus, cum in propugnaculo extra urbem noctu excubias perlustrasset, & fortè fortuna super congelata terra, retrò in capulum gladii cecidisset, nonam decimamque costam lateri sinistri prope spinam confregit, ita ut partes confractæ ad exteriora vergerent. Deportatur à commilitionibus ad ædes suas, quæ extra mænia sunt: ubi noctem in maximis doloribus contrivit. Summo mane cum uxor mea accersita esset, hominem in maximis angustiis invenit.

Dolor enim & pungitivus & maximus erat, cum pectoris angustia & respirandi difficultate. Præparatis omnibus quæ ad operationem necessaria erant, confracta ossa feliciter in sinum naturalem reposuit. Totum latus oleo rosaceo inunxit, & cataplasma ex farina hordei, pulvere rosarum, balaustiorum, nucum cupressi, gallarum & tormentillæ, cum posca & ovo integro confectum applicuit; ferulas quinetiam & pulvillos prout ad ossa continenda necesse esse videbantur, apposuit, omniaque convenienti ligatura constrinxit; leviter tamen. Arcta enim ligatura quàm sit periculosa in fracturis costarum alias coram ex me intellexisti. Costis confractis sic repositis dolores reliquaque symptomata protinus ex parte remiserunt. Statim quoque post repositionem costarum confractarum, haustum aquæ prunellæ & sionis, partibus æqualibus commixtis exibuit. Victum quinetiam tenuissimum præscripsit. Sequenti die venam secari jussit, & de tertio in tertium diem fracturam deligavit, & curauit. Interim bis in die haustum de prædictis aquis in octavum usque diem bibendum dedit. Post decimum cum ego domum reversus fuissem, ægrum ab omni periculo liberatum reperi. Tum curationem prædictis remediis & emplastro ad fracturas ossium, spatio quatuor hebdomadarum plenessimè & feliciter absolvimus.

Cæterum in hac curatione annotatione dignum fuit, quod in cute ne minimum quidē judicium, ut fieri solet, contusionis apparuerit, sed sanguis ille contusus per alvum effluxerit & quidem in copia. Testatur enim æger, testantur & adstantes, uti quoque domestici mei, ad aliquot libras sanguinis contusi & grumosi per secessum effluxisse; idque hoc modo.

Tertio die cum suppositorio ducenda esset alvus, insurgit natura, & per se alvum illa ter quaterve ducit, ac ultra libras tres humoris viscosi sanguinisque concreti, & excrementis mixti, rejicit. Fluxus iste ad sex fermè dies continuavit, ita tamen ut priori biduo, numero sedium ac quantitate excrementorum viscosorum & sanguinis grumosi paulatim adauctus fuerit.

Biduo autem intermedio fluxus neque auctus neque imminutus fuit, sed in eadem quantitate & numero permansit. Ultimo tandem biduo sensim iterum decrevit, donec ad naturalem excernendi modum rursus pervenisset, viribus interim satis semper constantibus, neque unquam admodum imminutis, uti nec ægro ab ulla febri infestato.

Hæc omnia domestici mei mecum, videlicet. Dn. Joh. Burgovverus, & Dn. Franciscus Monhemius, qui & operationi interfuerunt, diligenter observarunt. Vides clarissime mi Domine Doctor quàm provida & sagax sic natura in conservatione sui individui, quæ meo quidem judicio per venas & arterias lumbares, ad intestinum colon, ea in parte, ubi e regione renis sinistri peritonæo annectitur, viam sibi quæsivit.

Secus procul omni dubio advenisset si in dextro latere fuisset contusio, id enim ante duos annos hic in cive quodam, *Hans Rust* nomine, vidi. Huic enim ex minori contusione, quam non fuerat hæc, lateris dextri, & sine ulla fractura costarum, talis sequuta est Ecchymosis, ut totum latus ab axilla ad clunem, umbilicum & spinam dorsi occuparit, & multa gravissima symptomata excitarit.

De quibus tamen tandem maxima adhibita diligentia, Deo benedicente remediis, curatus fuit & satis commodè vixit, usque ad nonum hujus mensis: tum inter pocula accepto colapho, cum retro in pavimentum hypocausti cecidisset, & posteriorem partem capitis cum nucha contudisset, aliquantisper veluti exanimis remansit: ad se tamen cum redisset, surgit & ad ædes suas se confert, ubi cibum indigestum evomuit. Circa primam noctis apoplexia corripitur, & sequenti die debitum naturæ persolvit. Post obitum multum sanguinis & pituitæ viscidæ per os rejecit. *Idem Centur. 5. Observat. Chirurgic.*

Quadragenarius quidam, vir robustus & optimo corporis habitu præditus, domesticus perillustris Principissæ ac Dominæ, *Dom.* Annæ Landgrauiæ Hassiæ, &c. Comitissæ in Solens, Labach; ex casu sibi patellam in transversum fregit, cum maxima contusione genu. sine vulnere tamen. Ab initio etsi ex arte curatus fuisset æger, nihilominus tamen dolores acutissimi aliaque symptomata supervenerunt. Tandem dolore, reliquisque sedatis symptomatibus convaluit quidem, sed claudicatio ac summa imbecillitas totius cruris sequuta est, ita ut nonnisi maxima cum difficultate ambulare & tibiam ascendendo, vix sublevare possit. Ego ante paucos dies ex Hassia rediens; cum Fridbergæ in Wetteravia apud Dom. Georgium Fabrum, Landgraviæ Hassiæ, & castri Fridbergensis Imperialis Doctorem Medicum ordinarium; ac longè celeberrimum; amicum meum singularem; per dies aliquot detentus essem; ad prædictam Dominam Comitissam consilii causa simul vocati fuimus; ubi virum istum vidimus; & quæ ipsi acciderant, ex ipso coram collegimus. Præscripsimus & nonnulla ad partes nervosas roborandas: sed verebar, ne frustrà omnia adhiberen-

berentur. Occurrebant tunc ea, quæ tua Exc. l. de ossibus parte 4. cap. 4. ex Amb. Paræo recenset, qui l. 15. cap. 22. testatur, se neminem cui patella fracta fuisset, vidisse, qui non claudicasset. Tu cum Domino Baræo existimas, causam claudicationis ad callum, cujus beneficio patella fracta connectitur, referendam esse; cum videlicet capacitatem articuli subter patellam implet, motumque articuli impedit. Etsi verò opinionem hancce rationi consentaneam esse, in dubium revocare minime conabor; unus tamen restat scrupulus, videlicet, an fracta patella, extuberantia colli talis esse possit, ut cavitatem hancce (quæ inter femur & os tibia magna est) adeò adimpleat; ut motum actionemque genu impedire possit? videmus enim ut plurimum in reliquis ossium fracturis; (nisi contusio ossis & periostii fuerit maxima) naturam tam decenter & eleganter connectere ossa, ut rarò relinquatur vestigium fracturæ. Periostium enim, quandiu integrum est, materiam calli retinet, quo minus in extuberantiam accrescere possit, nisi ea adhibueris, quæ ex proprietate quadam specifica generationem calli promovent, uti ego adhuc juvenis in Belgio feci, & quidem pauco cum successu; quemadmodum videre poteris centur. primæ Observat. 91. Deinde in hoc nostro ægro, callum non fuisse causam claudicationis ex sequentibus apparebit; quapropter distinctione hic opus est. De quibus plura vide apud *Hildanus Observat. Chirurgic. Cent. 5. p. m. 485.*

Mira ossium fragilitas.

Sæpissime cum admiratione legi, Vir Ampliss. ea quæ de mira & ferè incredibili fragilitate ossium, cùm apud Marcellum Donatum mihi lib. 5. cap. 1. scribuntur, tum etiam à temetipso, & à Dom. Joh. de Burgo observata, mihique communicata, necnon Cent. 2. Observationum mearum inserta fuere. Cùm enim ossa partes sint corporis omnium solidissimæ, ex substantia quin etiam crassa & terrestri ita compactæ, ut etiam per multos annos illæsæ in ipsa terra remaneant, impossibile mihi videbatur, tam facilè ea disrumpi ac frangi posse: sed experientia aliter edoctus, adscribam exemplum unum aut alterum.

Superiore anno 1620. Matrona quædam honesta & robusta, quæ nondum 30. annum ætatis attigerat, Dom. Philippi Thomæ, hujus urbis Senatoris filia, cum quodam die circa rem familiarem occupata esset, & in ipso hypocausto forté fortuna in pavimentum cecidisset, tibiam dextram circa poplitem sibi fregit. Vocantur Barbitonsores duo, qui quidem fracturam se rectè reposuisse asseruerunt, interim tamen insecutus est dolor adeò magnus, aliaque symptomata adeò sæva, ut quum ego septima mense post acceptam fracturam, in consilium adhibitus essem, ipsam veluti in agone reperirem. Quapropter manum adhibere recusavi, corroborantia tamen quædam præscripsi, & astantibus significavi, ipsam brevi finem vitæ facturam. Post paucos dies paulatim, & veluti lumen cui deficit fomes, extincta fuit adeo consumpta atque extenuata, ut ossa vix cute obtegerentur. Nec mirum: propter gravissimos enim, continuos ac longos dolores & cruciatus, quos ex inepta deligatione & situatione tibiæ perpessa fuerat; propter diuturnum item decubitum, quam de universalibus toto isto tempore morbi, ne semel quidem fieret mentio, calor nativus labefactus, & humidum radicale absumptum, obstructiones quinetiam quam gravissimæ hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum sequutæ fuerunt.

Ante annum sexagenarius quidam Solodurensis, ex Senatorio ordine, Dn. Ursus Rouchti nomine, ab aliquot annis catarrhis adeo obnoxius fuerat, ut maxima inde virium, totiusque corporis labefactatio, etiam externarum partium, sequuta sit. Die quodam lectum egrediens, cum per cubiculum deambularet, vestesque indueret, nec non inopinato pedem dextrum non satis apte deduceret, protinus in pavimentum decidit, non sine maximo dolore, aliisque signis, quæ os fractum esse arguebant. Advocato Empirico quodam, cujus consilio & remediis in fracturis ossium plerique isto in loco utuntur, femur seu femoris os, ad quatuor circiter digitos, in latitudinem positos supra genu in transversum fractum esse, repertum fuit. Reposuit quidem fracturam, si Empiricis jactantiis credendum: dolor enim verissimum signum, os non satis rectè fuisse repositum, non remisit, sed potius auctus fuit, donec tandem, quum universalia planè neglecta fuissent, exorta esset phlegmone, & ex inde ulcus circa fracturam, quapropter ad menses aliquot decumbere coactus fuit. Tandem cùm utcunque restitutus videretur, & innixus suffulcris per cubiculum deambulare posset, paralysi aliisque gravissimis symptomatibus (de quibus posthac data occasione ad te scribam) correptus fuisset, naturæ debitum solvit. Os autem verissimè fractum fuisse, testis sum ocularis. In postremis enim morbo suo, non diu ante obitum ulcus ipsum adhuc ad os usque apertum, inspexi, osque fractum fuisse, manifeste cognovi. De causis hujus fragilitatis ossium inter se non conveniunt Medici: ego libentius tuam intelligam mentem, quàm quicquam hac de re in præsentiarum proferam. Vale Vir Amplissime & cum tuis omnibus æternumque fœlicissimè vive. Raptim Bernæ Helvetiorum, 28. Februar. 1621. *Idem ibidem.*

Mira femoris fractura.

Petrus Kerler Ulmensis, artificii Murarii, mense Novembris, anno 8624. Argentinæ per lapsum femur sinistrum dupliciter transversum fregit, ut postea patebit. Adhibitis adhibendis, per semestre ferè penes Chirurgum decumbit, donec fractura consolidata, nec femore breviore reddito respectu alterius, huc Ulmam pedes sese conferret; ac de abscessu circa locum affectum, nec non ulcere fistuloso conquereretur: adveniens itaque medicam implorat opem, ubi particulam aliquam ossis fracti diuturnioris istius abscessus causam statuimus. Hinc igitur ulcus fistulosum ampliandum, & naturæ, quò citiùs ab aliena materia liberetur, succurrendum esse putavimus. His itaque continuatis tandem

femoris fracti partem insignem trium digitorum transversorum longitudinem æquantem, Chirurgus noster Boulerus, 18. Augustus 1625. extraxit, non absque singularis naturæ miraculo, quæ callo tanto spatium istud intermedium in femore fracto repleverat, ut etiamnum absque claudicatione, benè restitutus, dictus juvenis ambulet, & in longitudine huic femori nihil quicquam decedat. Hoc pedetentim diuturno isto tempore factum fuisse reor, quo femur ad longitudinem alterius solerter à Chirurgo semper extensum fuit, particula separata interim ad intermedia musculorum spatia per naturam remota quæ postmodum abscessui fistulosisque ulceribus ansam præbuit. *Gregorius Horstius operum medicorum tom. 2.*

Patellæ fractura à causa notatu digna.

Patellam propter duritiem suam hanc frangi posse nonnulli perversè asserunt. Nos verò, eandem non solùm à casu grandiori in genu frangi, experti sumus; verum etiam sine casu; cujus rei historiam recensere animus est. Ante tres præter, propter annos visitavi cum Magistro Petr. Adriani filio, virum satis robustum, qui è ponte descendens in terram ferè ceciderat, imò pede lubrico, resistens, tamen quantum potuit in terram non fuerat prolapsus, sed ab illa resistentia transversim fracta ejus patella, & adeo quidem evidenter, ut inter utramque partem locari potuerit manus, una enim supra altera infra genu sentiebatur Fracturam, ut artis est, deligavit dictus Magister peritissimus. Quid fit? Patiens, rectiùs dixerim impatiens, contulit sese secundò die Igispam, unde incurabilis, post aliquot septimanas rediit, claudicans in hunc usque diem. Mirabar olim patellæ mollitiem in cadavere, & duritiem ejus in sceleto, & quantum hæ ab invicem differant, sat accuratè cum Doctiss. Viro Matthæo Slado, Medicinæ Doctore Celeberrim. investigavimus, reperimusque eas duritie toto cœlo inter differre. Ansa ergo erroris, quo uonnulli patellam frangi posse negarunt, exinde orta videtur, quod patellas scelatorum solum inspexerint. Quippe per exsiccationem ita indurantur, ut difficile sit eas frangere, recentes non item; quicunque enim utrasque ritè examinavit, reperiet recentes extrinsecè tantùm duriori lamina obductas, intrinsece vero substantia osseo-spongiosa præditas, instar diploës in cranio *Freder. Ruysch. in Observat. Anatomico Chirurgic.*

Fractura ossium duorum carpi post tres annos nondum coalita.

Fracturam magnorum ossium, puta brachii femoris & c. aliquando talem esse, quæ nunquam ferruminetur, quantumvis in arte tractetur, noto notius est. Ast mirandum, ossa carpi, quæ admodum sunt exilia, fracta ex casu ab alto non iterum coaluisse. Ann. 1681. nebulonem quendam (nomine *Slagertie*) ob furtum ad suspensionem condemnatum, in carcere visitavi, & an ullo morbi genere antehac fuisset vexatus interrogavi.

Vixi, inquit, sat pancreatice, & nullus fere morbus me unquam infestavit, præter febrem, quam ante aliquot annos perpessus fui: Præterea dextram, aiebat, in mensa planam reddere haud unquam potui, postquam semel cecidi ab alto. In hujus suspensi cadavere reperi membranam lienem ambientem (quæ in naturali constitutione tenerrima) in sui medico, duobus in locis, ita incrassatam, ut maximi scriptorii calami crassitiem adæquaret. Hanc crassitiem à prægressa inflammatione ortam fuisse, dubitandum non est, quia sæpissime ab ea ita incrassari membranas observamus. An vero inflammatio isthæc à febre supradicta aut febris ab inflammatione provenerit, me latet. Posthac manum ejus cultro anatomico subjeci, & ex anterioribus carpi ossibus duo fracta inveni, quorum fragmenta, juncturam manus violentia, obstaculo fuerant ut manum in mania planam reddere non potuerit: ut quod magis mirum est, esse dicta à triennio fracta, nondum erant ferrum nata aut conjuncta nec callo obsessa, quemadmodum adhuc videre est in nostro museo.

De fractura tibiæ.

Vir triginta annorum è curru desiliens fracturam passus est obliquam in medio fere ossis tibiæ, aderatque cruris inæqualitas, crepitus ossis, dolor & motus imbecillitas.

Una nempe tibiæ extremitas ob fracturam acuta in hanc, altera in illam partem vergebat, unde cruris inæqualitas, & dum illæ extremitates ad se invicem allidebantur, ossis crepitus exortus est, ac dum periosteum, partesque vicinas acie sua premebant, prima doloris causa prodibat, secunda autem tunc, quando extremitates ossis disrupti pressione sua cogebant humores, ut in tubulis partium vicinarum stagnarent, acescerent ac fibrillas irritarent.

Dum autem fibrillæ hoc pacto ab ossium acie & humoribus acidis vellicabantur, spiritus animales non poterant potius in hunc quam in illum musculum dererminari, sed sine discrimine proruebant ad omnes partes vellicatas, & si qui adhuc in parva quantitate ad certos musculos accedebant, eosdem tamen intrare & inflare nequibant ob tubulos ipsorum musculorum ab humoribus stagnantibus obstructos, & si qui spiritus eosdem musculos adhuc intrarent & inflarent, tamen nihil agebant aliud, quam ut unam ossis disrupti extremitatem scindentem in hanc, aliam in illam partem moverent, unde nil nisi vellicatio, pressio, novusque dolor proveniebat, atque ex his satis manifestum redditur, quæ causa extiterit imbecillitatis motus.

Ego accersitus ossa fracta statim reposui, atque tum temporis hoc agere præcipuè volui, ut restituerem impeditam circulationem humorum & sanguinis, cui absque dubio hic atque illic etiam stagnavit, ideoque ad acidam peccans temperandum partem affectam lavi spiritu vini, in quo aliquid gummi ammoniaci dissolutum erat, ac in eundem finem imposui emplastrum ex diapalma, bolo, spiritu vini ac oleo camomillæ compositum, tandemque ad ossa reposita retinenda ligaturas, aliaque idonea applicui, atque hæc per intervalla quædam

reno-

renovavi, atque ita patiens intra sex septimanas iterum incessit.

Non dicam hoc in loco, quod fractura per transversum facta facilius posit retineri, quam obliqua, nec etiam, quod pro signo bonæ restitutionis in fracto tibiæ osse plerumque habeatur, si pollex pedis directe respiciat genu, quandoquidem hæc nimis nota sunt; nec magis causam reddere conabor, cur dolor post os repositum mitigetur, quoniam liquidum est, hoc fieri, quia prima doloris causa, de qua modo locutus sum, aufertur tum temporis, sed antequam finiam explicare decrevi, quo pacto callus producatur, qui ossa fracta conglutinat.

Quando sanguinis & humorum circulatio restituitur iterum tam in osse fracto, quam alibi, tunc particulæ quædam ex poris arteriarum egressæ transeunt per tubulos ossis, &, cum perveniunt ad extremitatem ossis diffracti, amplius pergere nequeunt per lineam rectam ob tubulos à fractura interruptos, ideoque deflectunt ad latera, ubi ossi & sibi invicem adhærentes constituunt tandem callum, qui ossa iterum conjungit.

Callus hic in senibus & debilibus tardius generatur ob sanguinem viscosum & crassum, qui per angustos ossium tubulos transire non potest, atque ideo in tali casu crassiores sanguinis particulæ debent attenuari per lapidem osteocollam dragmæ pondere quotidie sumtum, imo nocere non posset; si lapidis ejusdem pulvis commisceretur etiam cum emplastro, quod externè imponitur.

Sed in ægroto nostro res longe aliter se habuit nam callus indecoram molem excrescebat, quamobrem imposui emplastrum de ranis cum mercurio & strictam ligaturam, ut scilicet emplastrum hoc particulas quasdam calli ita attenuaret, ut avolarent, & ligatura callum ita comprimeret, ut nova apponi non possent.

Atque ita finem imponam huic observationi, postquam dixero, quod crus ægroti semper extensum jacere jussi, & curam gessi, ut calx pedis inniteretur pulvinari parvulo, in cujus medio foramen erat, nam alias contingere posset, sicut experientia testatur, ut gangræna invaderet calcem, quia vasa & tubuli partium à longo decubitu vehementer comprimuntur.

Reperiuntur nonnulli, qui in fractura tibiæ commendant viscosa, quæ ego, ut noxia, rejicio, quandoquidem in corpore se non exercencio, quandoquidem obstructiones non parum augent, quæ è contra potius diminuendæ forent. *Johan. Muy- in prax. Chirurg. rationali.*

De Fractura tibiæ cum vulnere.

Virgo 20. annor. ictu sclopeti parvis globulis plumbeis onerati & cominus inopinato ac nescio quo infortunio explosi in interiore cruris parte paulò infra genu vulnus accepit, quod longè lateque egregiè patebat, imo in tantum ut palmæ spatium superaret; aderatque ingens ossis tibiæ in valde parva fragmenta diffracti contritio & comminutio, quæ se per totam vulneris longitudinem atque ossis tibiæ crassitiem extendebat; hinc dolor atrocissimus affligebat ægrotam quæ ideo multas noctes insomnes transigebat, aut si per exiguum temporis intervallum aliquando dormiret, mox evigilabat non sine summo terrore, ac quasi cum convulsione cruris vulnerati, unde ossa diffracta non raro distorquebantur.

Ossa confracta absque magna extensione reponebantur, & fragmenta quæ ab aliis partibus prorsus erant separata, soluta & libera, è vestigio blande eximebantur, reliquis adhuc aliquatenus adhærentibus relictis, donec progressu temporis separentur.

Tunc digestivum confectum ex therebinthina vitello ovi, pulvere radicis iridis aristolochiæ, myrrha, alisque imponebatur cum emplastro ac lavamento acidum temperante; deinde adhibeatur communis ligatura, tandemque crus affectum capsulæ ligneæ inclusum concinnè collocabatur in lecto, supra quem funis suspendebatur, quo ægra corpus aliquatenus, ubi necessitas exigebat, posset exigere; ac ad pedes ægrotæ in lecto ponebatur erectus semicirculus ligneus, ne scilicet stragulorum gravitas cruri affecto aliquam crearet molestiam.

Venæ-sectio, quam plures commendare solent in tali casu, omnino omissa fuit, quandoquidem nihil utilitatis inde promanare potest, nec magis secundum methodum vulgarem hic in usum revocata sunt purgantia, quia hoc in malo quiete nihil optabilius, atque nihil perniciosius quam motus, sed ubi ægra nonnunquam alvum exonerare tenebatur, linteum quadruplex supponebatur naribus, quod alvi excrementa excipiebat.

Patiens interea temporis comedebat cibum concoctu haud difficilem, bibebat cerevisiam recentem ac primis singulis vesperis assumebat blandum aliquod anodinum ad mitigandum dolorem ac tollendum illum terrorem, de quo dixi.

Ossa reponebantur, quotiescunque post terrorem nocturnum reperiebantur distorta.

Vulnus ob magnam puris copiam quotidie bis religabatur, atque ita progressu temporis complura fragmenta separata sunt, tuncque calli generationem ac accretionem quotidie conspeximus propullulantem non ex medulla, sed ex ossis tubulis valdè angustis, per duos humores nutrientes ex arteriolis egressi deferuntur.

Vulnus hoc, periculosum adeò, intra semestre spatium coaluit, ac patiens fere iterum tam belle incessit ac obambulavit, quam fecerat, priusquam hoc vulnus infligeretur.

Simili cum successu aliam fœminam eodem malo decumbentem à patre meo sanatam esse recordor; sed hæc duo exempla aliquem adeo securum reddere non oportet, ut fracturam cum vulnere parvifaciat, nam illam plurimis necem intulisse compertum habeo; sic ubi in nosocomio Rotterodamensi aderam cum aliis quotidie per totos fermè dies curandis plurimis vulneratis, qui ex obsidione urbis de Graaf appulerant, omnes, qui fractura tibiæ cum vulnere laborabant, è vita abreptos esse novi, ac inter alios unus affligebatur fractura tibiæ cum vulnere, in quo plurimos vermes latos, crassos & albicantes non sine admiratione conspexi; sed unde hi vermes suã traxerunt originem? scil. ab ovis ex aëre in vulnus delapsis, ex quibus exclusi sunt vermes, ubi quædam in humori-

bus stagnantibus exorta fuit fermentatio. Sic ova non pauca ex aëre decidunt in lac, ex quo postea conficitur caseus, & quandiu hic recens est, ova non excluduntur, sed ubi caseus putrescit, hoc est, ubi fermentatio quædam progressu temporis producitur in caseo tum demum vermes prorepunt ex ovis.

Sic in valde magna ossis contritione fracturam cum vulnere eo comitante crus paulo infra genu extirpatum esse memini.

In fractura tibiæ cum vulnere quidam adhibere consueverunt ligaturam octodecim capitum, quæ Belgicè nominatur *een boexvvitse ligatuur*, sed nos feliciter usi sumus communi, quam bis quotidie mutavimus ob ingentem puris profluentis multitudinem.

Novi chirurgum, qui loco capsulæ ligneæ, de qua dixi, in usum revocat instrumentum quoddam ferreum, cui crus affectum imponitur, & conservatur ita extensum & immobile, sed illud instrumentum hic, verbis exprimere non possum.

In simplici fractura tibiæ apponuntur plerunque ferulæ ex charta crassa confectæ; illæ verò in nostra ægrota prorsus omittebantur, quia in vulnere tam vasto minime videbantur convenire.

Digestivo nostro, quod vulneri imponebatur, nulla admiscebatur pinguedo ob ossa denudata, nam quod pinguedo noceat ossibus experientia abunde testatur, ejusque rationem reddidimus antea.

Paræus de praxi chirurgica bene meritus est, multumque habuit experientiæ, attamen perperam in fractura cum vulnere commendat astringentia, quæ quare & quantum noceant, sæpius diximus. Non puto autem aliquem in malam partem interpretaturum, quod tantum virum audeam reprehendere, nam quò clarior est aliquis, eô periculosiores sunt ejusdem errores, quia plurimi sola auctoritate tanti viri permoti cæco quodam impetu eundem sequuntur, euntes qua itum est, non qua eundum.

Notandum est callum difficillime produci in fracturis gravidarum & lactantium, quia materia idonea à fœtu aut infante callo subducitur. Sic Fabritius Hildanus refert in Cent. 5. Observat. 87. quod hac de causa in fractura tibiæ cum vulnere vigesima tertia septimana ossa adhuc vacillarint.

In fractura tam simplici quam composita, ubi callus ossa confracta iterum conjunxit, ægri plerumque molestiam quandam persentiscunt in motu, quod contingit, quia callus recenter generatus occupat locum musculorum hanc aut illam partem moventium.

Antequam huic observationi finem imponam, duo problemata valde intricata extricanda superesse mihi videntur; primum est, quare ossa, dum hiems est serena, facilius ac citius diffringantur, quam alio quovis tempore; alterum verò, unde proveniat terror post somnum brevem ægros tam simplici quam composita fractura laborantes plerunque invadens.

Ad primum aliqui fortasse responderent, glabritiem glaciei efficere, ut homines sæpius prolabantur in terram atque hoc pacto facile venire, ut ossa disrumpantur, verumenim vero hoc nodum non solvit, hoc difficultatem nondum tollit, nam ossa non tantum sed & ferrum, lignum aliaque dura corpora brumali quam alio; quovis tempore facilius disrumpuntur. Unde igitur hoc contingit? dicam, ausculta paulisper; Quo partes corporum durorum pertinacius & firmius conjunguntur inter se, eo difficilius diffringuntur; hoc certum est: sed quodnam est illud, quod in partibus durorum corporum efficit cohærentiam? non quies, ut quidam opinantur, quoniam illa non est aliquid positivum in corpore, sed tantum privatio motus, ideoque hoc effectum non producit quies, sed aër comprimendo partes durorum corporum conjungit ac cohærere facit, ut patet ex experimento in observatione septima tertiæ decadis citato; aër autem, dum æstas est, magis premit quam media hieme, partim quia tum temporis à calore solis validius agitatur, partim quia tunc gravior existit ob admissos plurimos vapores ab ardente sole sursum propulsos; atque hic jam manifestum evadit, quare ossa aliaque dura corpora hiemali tempore facilius frangantur quam æstate; hinc etiam facile colligi potest, quare ligna in foco multo citius comburantur, cum rigida premimur hieme, quam dum amœna fruimur æstate; nimirum aër brumalis debiliori sua pressione non valde pertinaciter particulas ligni conjungere potis est, unde hæ particulæ à ligni corpore facile separantur, dum vim patiuntur à particulis quibusdam terrestribus soli materiæ mundi subtilissimæ innatantibus, ideoque rapidissime agitatis. Huc accedit, quod aër hiemalis, utpote minus premens & pauciores continens, flammam liberius divagari permittat.

Veniamus jam ad alterum problema, quo quæritur, unde oriatur terror in somno, non autem in vigilia ægros ossis fracturam patientes invadens, ac ossa disrupta non raro iterum distorquens.

Paræus magna experientia in arte chirurgica locupletatus, qui ipse aliquando fracturam tibiæ ac fibulæ cum vulnere passus est, ac in proprio corpore hunc terrorem vivide satis persensit, ut ait, hujus phænomeni rationem reddere conatur in capite vigesimo sexto libri agentis de fracturis, sed misere philosophatur ibidem, non nisi nugas ac chimæras in medium proferens.

Videamus igitur, num nos rationem magis vero-similem afferre valeamus; tentabimus saltem. Ubi vigilant ægroti, vident, audiunt, edunt, bibunt, agitant brachia atque hoc modo multum succi nervei consumunt, sic ut ille haud adeo magna copia profluat in partes irritatas ex cerebro, sed cum somno sua membra demulcent ægri, longe aliter se res habet. Aures non audiunt tum temporis, oculi occlusi sunt, nares consueto negotio non vacant, lingua silet, brachia quiescunt; ubi igitur illo tempore humores circa fracturam tibiæ stagnantes ac acescentes distensione sua fibrillis afferunt molestiam, ac easdem scissione sua irritant, tunc inquam, succus nerveus, qui jam ad negotia in vigilia peragenda non impenditur, magnâ copia prolabitur in musculos irritatos, qui hoc pacto inflati crus vehementer movent, ac unam ossis diffracti extremitatem in hanc, alteram in illam partem miserè distorquent, unde dolor satis atrox

atrox exoritur, & sic patiens post brevem somnum non sine terrore expergiscitur. Ut autem hujus phænomeni rationi, quam reddidi, facilius fidem adhibeas, consultum judico, ut ad paucula verba sequentia attendas. Dum viges & vigilas, dum vesiculæ tuæ seminariæ multum fœcundi seminis continent, imaginare, quam vividè poteris, pulcherrimam quandam puellam, hoc pacto tamen te semen ejaculaturum non opinor, nisi alia moliaris; verum si tibi somno placido fruenti ante imaginationem obversetur haud inelegantis formæ puella, & si interea temporis vesiculæ tuæ semine satis distentæ sint, semen non rarò summa cum voluptate hoc pacto prolabetur, quia scilicet vesiculæ seminariæ valde contrahuntur à succo nerveo, qui magnâ copia, dum dormis, à cerebro in vesiculas seminarias à semine distentas & valde irritatas defertur, quia jam non impenditur ad alia permulta negotia, dum vigilas, peragenda.

Sic novi duos Epilepticos, qui nunquam, dum vigilant, sed semper, ubi somno sepulti jacent, paroxismo corripiuntur, quod sententiam meam non parum confirmat. *Idem ibidem.*

Fractura tibiæ & fistulæ cum vulnere.

Filius Domini N. N. quatuordecim annorum, cum sociis ludens, tibiam & fibulam dextram confregit, ita ut prostantia hæc ossa musculum Castrocnemium & suralem cum venis quibusdam pertuderint; pes extensus per ministros fortes & in æquilibrio detentus erat, usquedum utraque manu Chirurgus membrum comprehensum ad pristinam figuram reduxit, & impellendo hinc inde, ante, retro, ad latera extantes partes, in suas concavitates, & pristinas sedes reduxit; quo dolor magna ex parte cessavit, osque fractum in superficie æqualitatem adeptum, & sano membro simile redditum est: vulneri tum imposuit Cerotum Galeni, & desuper emplastrum adstringens, deligavit pedem fascia tres ferme ulnas nostrates longa, ter fracturæ circumvolvendo, & versus genu finiendo aliam dein fasciam affecto pedi bis circumduxit, versus malleolum finiendo; Hisce fasciis imposuit compressas per transversum & juxta membri longitudinem, ut inæqualitas omnis caveatur, & deligatio super fracturam firmetur: propterea compressas has epidesmo retinuit, & Syndesmo theca chartacea munivit; tandem pedem directum, ut calcaneus ab omni compressione liber fuerit, capsulæ ligneæ imposuit. Modus hic deligationis per duas hebdomadas continuatus fuit; post instituta ascialis fasciatio octodecim capitum dicta, ob copiam puris, & crebram partis inspectionem: post tertiam hebdomadam in melius profectus est æger, calloque fractura conglutinata, & persanata.

In fracturis ritè sanandis Chirurgus officio suo neutiqvam satisfecisse dicendus est, si ossa ab invicem disjuncta rite iterum coaptaverit, cum & eadem debite ligando ac reponendo, ut concrescere denuo queant, apta reddere teneatur, non solum coalescentiam alias impediturus, sed pluribus etiam aliis incommoda ægrum expositurus; quæ inter sphacelus crudelissime eundem e vita tollere valet, cujus exemplum, præter Ephemeridum nostr. curios. dec. 1. ann. 2. obs. 248. Phil. Hochstetterus decad. 5. observ. med. cas. 7. exhibuit, ubi cruris fracti ab imprudenter facta arctiori ligatura sphacelum descripsit; qualem etiam in alio calcaneus non rite collocatus concitaverat, quem sistit Joh. Hellwigius observ. med. 154. Prout vicissim à laxaminis ligatura coalescentiam ossium impediri, Joh. Mekeramns cap. 68. observ. chirurg. non immerito admonet. Scilicet fasciæ membri partes diffractas iterumque in naturalem situm locatas, conservare in eodem debent, quo ita particulæ glutinosæ exsudantes, ossium alimento alias inservituræ, se invicem contingere atque coagulatæ, callum constituere queant; unde laxiori ligatura extremitates ossium fractorum è loco suo moveri facile cum possint, unio sperata impeditur: & è contra si strictiori ligatura, aut inconcinna repositione spiritibus animalibus ac sanguini aditus reditusque; compressis scilicet nervis & arteriis, denegetur, partem tandem amori necesse est, Glutten vero illud nutritium è sanguine deponi, particulæ illæ viscosæ, in ejus sero abundantes probabile reddunt, ut ita à nervis illud sperare, cum aliis, haud opus habeamus. *D. Joh. de Muralto.*

Fractura costæ & cruris in gravida.

Anno Christi 1681. die 29. Decembr. honesta matrona, *Dn. Nauratho*, t.t. Præfecti in *Dirmstein* trans Rhenum. Uxor, in glacie cecidit adeo periculosè, ut in dextro latere frangeret costam, in sinistro utrumque focile cruris paullo supra malleolum; nihilominus (utut jam à semestri esset gravida] rite curabatur utraque fractura intra tres menses; donec tandem feliciter enixa esset fœtum, qui adhuc tum ultra triennium superstes est. *D. Georgii Franci.*

De miro effectu tabaci in fractura femoris cum vulnere.

Chirurgus mihi notissimus, & à mea directione dependens, curationem suscepit cujusdam juvenis Rustici, cui in terram lapso femur dextrum à rota currus onusti ita contusum & contritum fuit, ut caro musculosa denudata ab ossibus quasi divulsa cerneretur. Diu actum fuit mundificantibus, siccantibus, sarcoticis, epuloticis, sed continuus humorum affluxus omnem operam & vim medicamentorum elusit. Pulverem tabaci, utpote herbæ vulnerariæ aspersit parti læsæ, sed vix hoc facto, patiens ad enormem vomitum fuit concitatus. Retulit mihi inopinatum hoc symptoma prædictus Chirurgus, quod ex naturali causa forsan ortum suspicatus, jussi ut inspersionem hujus pulveris repeteret; Dictum factum, sen per inspersionem immediate sequebatur vomitio. An vellicando nervosum genus, & stomachum in consensum trahendo, vel communicando vapores, hæc anacatharsis excit. ta? utrumque videtur

tur probabile; totum enim corpus, ex doctrina Hippocratis, & ab experientia unguentorum Mercurialium, est conspirabile & confluxile.

Fateor equidem & mihi stomachum moveri, si odorem fumi tabaci naribus etiam à longe excipiam. Eliminarem sanè & proscriberem ex foro medico hanc herbam; si in mea potestate foret, propter tot nocumenta, quæ à Simone Pauli Commentar, de abusu tabaci allata sunt; sed nolo offendere Clarissimos Viros, Thomam Bartholinum & Diemerbrœkium, quos esse tabacophilos testantur, illius Consilium de anatom. pract. fol. 18. hujus vero tract. de peste Cuique placeat fumus odorque suus. *D. Adami à Lebenwald.*

Herba Ossifraga.

Fertur in Norvvegia nostra plantæ cujusdam ossifragæ vis singularis emolliendi ossa Jumentorum, quæ illa vescuntur. Et quod mirum ex eadem incolæ unguentum conficiunt pro ossibus glutinandis. Suspicatur D. Simon Pauli noster, mercurii vel plumbi subesse mineram, deditque id negotii peritis loci Sereniss. Rex noster, ut de veritate rei inquirant, & quid terra illa, ubi planta nascitur, sinu suo occulti condat. Quicquid rescivero posthac scribam. Vidi plantam siccam apud Clar. Borrichium Collegam, quæ proprius ad juncum accedere mihi visa est D. Barthol. in litter. ad D. Sachsum missis.

Herbam hanc à nemine Botanicorum descriptam vocat Gramen Norvveg. πολύρριζον, ossifragum. Ex D. Simon. Pauli Prof. Regius. Hafnens. in quadripart. novæ edit. clas. 4. pag. 529. Norvvegis dicitur *Beengras*. Herbam istam secum anno 1641. è Norvvegia primum adduxit D. Jacob. Fabricius Med. R. Christiani IV. narravitque eidem Generos. D. Janus Bielke Regn. Dorvveg. Cancellarius compertum esse ejusdem herbæ efficaciam, ut si boves eo vescerentur, ipsos usque ad ambulandum fieri ineptos, ut elumbes videantur nec vestigium facere possint. Imo ut *Georg. Arichvvein* Generalis Major Philobotanicus, retulit in litteris ad D. Simon. Pauli, adeo ossa mollescunt, & conteruntur, ut baculo possit quasi circumvolvi animal, non tamen moritur, sed curari potest si ipsi ossa exhibeantur alterius animalis, hujus herbæ esu perempti. Conjecturam facit D. Simon Pauli pag. 532. delitescere forte ibi, ubi crescit herba hæc, in intimis terræ visceribus mineram saturni vel mercur. currentis, quia secundum Kircher. art. magnet. l. 3. p. 5. c. 3. omnes plantæ alimentum vere magneticè ex terra trahant & naturam metalli supra quod creverunt assumant. Contra meminit Jacob Bontius J. V. med Indor. cap. 33. f. 86. herbulæ, quæ semen fert instar hordei, sed nigrius & hirsutius in Malacca & Continentis quibusdam Indiæ locis crescentis, quæ ossa adeo firmat & roborat, ut si ejus succo solummodo dentes imbuantur, silicem in pollinem redigere possint. *Thom. Bartholini.*

De gramine ossifrago.

Graminis hujus originem Norvvegiæ debemus, quod ea virtute vel malignitate præditum dicitur, ut jumenta, quæ vescuntur, enervet, ad motum inepta reddat, ut velut exossata videantur. Hinc conjectura ingeniosa suspicatur Celeberrimus noster D. Simon Pauli, magnum illud floræ & anatomes decus, subesse illis locis, ubi germinat herba, fodinas vel plumbi vel argenti vivi, unde vitium hoc ossifraga herba trahat. De quo argumento eruditam epistolam ad me publice laudatus magno suo merito Senex exaravit, ex qua excerpam qua ad hoc negocium spectant, ut Lectoribus curiosis satisfiat: Ita vero ille:

Porro, Celebratissime Bartholine, vitio minime mihi vortes si insuper gnaviter ac obstinate te exorare contendam, consilio, studio, opera tuis, mihi non desis, sed ut defesso Atlanti, impiger successit Hercules? ita tu mihi in statione mea successor, patriæ in honorem & commodum, suppetias foras; & pluribus te rogarem hæc omnia, ni scires, Ciceronem à Platone præclare scriptum putare in officiis: quod non nobis solum nati simus, sed ortus nostri partem patria sibi vendicet, hinc eundem quoque statuere, quod omneis omnium caritates patria una complectatur, pro qua quis bonus dubitaret mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quæ cum ita se habeant, egoque complusculis abhinc annis in eam devenerim sententiam, & adhuc in ea permaneam, certo quodam in tractu Norvvagiæ, novo & inaudito exemplo, delitescere fodinas vel plumbi vel argenti vivi; æque ac pridem Dei gratia omni populo innotuit, argentum aliaque metalla in ea reperiri ac effodi; quæ omnia Celeberrimus Joh. Laurenbergius, popularis meus, qua Poëta ad Maronis, qua Mathematicus ad Euclidis famam pergens, suo Heroico, meo honori dicato, cum floram meam Danico idiomate 1648. publici juris facerem, universo orbi asseverare studuit. Atque interim non immerito, meæ conjecturæ, de inveniendis plumbo ac argento vivo, in Norvvagia & occasionem & rationem prudenter exigis? Nisi ergo grave molestumque tibi, perdocte Bartholine fuerit, quartam partem quadripartiti mei botanici posterioris editionis, & quidem in ea historiam graminis evolvere (helluo alias librorum qui es, si tam honesta in re, hoc loquendi modo cum Cicerone uti mihi liceat) utique nullus dubito, quin istic loci exacto & perpolito judicio tuo abunde satisfaciam, præsertim cum Nobilissimæ Europæ Nationes (quas inter Gallicam & Britannicam recenseo) studium hoc meum sive collaudent sive tacitè approbent; Sed in fidem priorum omnium Nobilissimi ac maxime strenui Domini Georgii Reichvvein, natione Catti, chiliarchæ literas, Germanico Idiomate ad me datas, ex meo quadripartito huc accersam: quem meritissimo, cum adhuc superesset, redivivum appellasses Dioscoridem, adeo subactus erat, non solum in militari disciplina, sed quoque Botanico studio, ita ut si nonnullis Medicinæ Candidatis, negotium facessere ipsi placuisset, herbam illi ultro ei porrexissent, & quidem presso pollice. Sed linquam hæc illius vero ad me datarum literarum verba ita habent (Latine versa in gratiam externorum.)

Honoratissime Dom. D. Simon Paulli. Quandoquidem editum herbarium tuum pervolvi, intellexique Te D. Doctorem, Herbarum apprime esse partium, & ex Te ipso audivi plura meditari hæc

hæc illius vero ad me datarum literarum verba de eis in publicam lucem proferendis: reticere non possum multas in hoc regno elegantes & mirandas species inveniri, quarum quædam quidem cum aliis conveniunt, sed singulari figura & colore, aliquæ vero prorsus raræ, & me conscio (qui tamen in juventute mea istius studii maximus cultor fui, plurimisque cum Medicis præclaris familiaritatem contraxi, meque ex parte in iis exercui, & adhuc data occasione & temporis opportunitate summopere oblector & recreo) à nullo descriptæ unquam. Inter alias, duas species tibi enarrabo, & quoad fieri potest describam, & futuro anno, si Deus vitam prorogaverit, & valetudinem indulserit, ad vivum depictas & compactas, vel etiam, si possibile, recentes & vivas me missurum promitto, quia hoc tempore haberi non possunt, cum dissitis abhinc locis crescant, sexaginta circiter leucis, meque alia negotia impediant, quominus illas afferri ad me jubeam nec enim libenter unicuique revelarem.

Prima species similis est apio risus, sed radices habet crassas & nodosas, instar radicum seu raparum rothfeldianarum. Si bestia, ut equus, vacca, bos, ovis, vel porcus illam devoret, (cujus tamen appetunt esum, unde rustici ubi hæc herba crescit, ista loca circum sepiunt in quibus copiose luxuriat) statim moritur, & disrumpitur, venenum ejus quoque tam vehemens, ut avis si cadaver involet, pariter concidat confestim, & si inde repellatur, statim ex aëre decidat moriaturque hanc plantam incolæ hujus regioni appellant, *Sylleuvebber.*

Alterius speciei hæc est historia gramen est, longis acutisque foliis instar iridis. Si eo pecudes vescantur, sicut de priori dictum, confringit & conterit illis statim omnia ossa, ita ut ossa fracta intra pellem circa bacillum circumvolvi possint, non statim tamen expirant, sed curari possunt, si illis exhibeamus ossa contusa alterius alicujus bestiæ ex usu hujus herbæ mortuæ. Hinc etiam incolæ sedulo provident, ut semper in promptu habeant hanc medicinam. Sæpe hanc plantam beatus Dn. Cancellarius Jan. Bielcke & ego habuimus, qui nomen ossifragi illi dedit & imposuit. Quando ad manus tuas pervenerit ipsa planta, de ea ulterius inquires, ejusque decentem anatomen ipse suscipies. Christianæ 24. Augusti anno 1661.

Posthabita ergo ranunculi venenata specie; contra illa graminis maxime meretur ejus ut hic loci habeatur ratio, quam Perillustri ac Generoso Heroi ac Dn. D. Jano Bielcke, Norvagiæ Regni quondam Cancellario dignissimo, eleganti mecastor, ingenioso & effectui illius convenienti vocabulo, Gramen ossifragum appellare allubuit: ceu qui peritissimus non literarum solum, sed insuper quoq; rei herbariæ ac medicæ erat: quin & ille, in utrisq; his septem trionibus subjectis regnis, suam senectutem iisdem studiis hoc seculo æque oblectavit, ac multis retro actis seculis Orientales sive Reges sive Reginas se oblectasse accepimus; hinc ego sequutus incomparabilis rerum naturalium indagatoris Athanasii Kircheri, é societate Jesu Concionatoris, aliorumque eruditorum vestigia, aut potius illorum rationes & observationes, scisco; in terræ visceribus profundis in Norvvagia delitescere vel plumbum vel argentum vivum, ceu quorum minerales exhalationes, cum utræque intensissimæ nervis sint, jumenta veluti enervant, dum pascuntur hoc gramine ossifrago eo in tractu, ubi alma mater terra, veluti ex gremio suo, hoc genus graminis, in jugis uti hariolor, profert, ne ergo te, eruditissime Polyhistor, te compello Bartholine, amicorum intime, æque ac me ipsum pro re nata male habet, quod Nob. D. Georgius Reichvvein, verbulo non meminerit tractus istius Norvagici, ubi hoc graminis genus pubescit aut pullulat, sed solum ad me scribat loca illa circiter 60. milliaribus Christiana distare Dolendum sanè ob publica commoda, hunc prisca virtute & fide Virum, ocyus vitæ pausam fecisse suæ, quam in rem ea conferre posset, quæ in suis ad me datis literis mihi pollicitus est; adeo verum illud nostri Hippoc. occasionem præcipitem, ac pindari quoque illud; homines cotidie ceu arborum folia cadere. Quæ cum ita se habeant, jam nostrum est, ut pro re nata Christophorum Columbum imitemur. Qui sic inquies? ut enim ille ratione & sagaci conjectura, æterna sui laude Americam sive primus invenit, sive detexit, ita adderet graminis ossifragi subsidio, nondum detectas, sive plumbi, sive argenti vivi fodinas, in musæis nostris lucubrantes, conjectura, ratione non cassa, indagare ac assequi, mox calamis nostris, Deo fortunante, dicta metalla veluti effodere. Etenim nullus dubito, cum aliquot exēplaria typis expressa hujus meæ epist. nomini ac honori tuo dicatæ, Christianiam, Bergas, Stavangriam, Nidrosiam aut Dronthemium, data in rem oportunitate, mittere mediter; ut in Norvvagia & præsertim celeberrimis his emporiis, distrahantur & divulgentur; Quin Reverendi Dn. Episcopi, Pastores, Verbi Divini Ministri, ac alii honesti Viri, passim in Nob. Septentrionali hoc Regno habitantes, ubi intellexerint, quam pervicaci studio ac opera contendam, alteri huic patriæ, in qua quidem educatus, tu vero Celeberrime Bartholine, natus es, prodesse, nobiscum sagaciter loca illa indagare, aut requirere in istos tractus occipiant, ubi gramen ossifragum germinet; tibi vero amicissime Bartholine, Domine Collega, Affinis ac Compater honoratissime, cum plures eorum præ me, vel noti vel affinitate juncti sint, proin quæso te, publico hoc in negotio, tradamus operas mutuas, ego publicis his ad te datis literis, tu ad eos privatim dandis. Ego interim hic loci, priscum aut more majorum, acclamo feliciter! &c.

Plura senis diserti & eruditi D. Simoni Paulli verba, in epistola parænetica publica legi possunt, quo Lectorem amando, ut ad ipsam rem veniam quam nos curare per amicitiam intimam pro publico bono publici amantissimi sategit.

Ne votis tanti Viri deessem, cum ille ad Episcopos Christianiensem & Nidrosiensem literas cum sua parænetica epistola mitteret, ego ad Episcopos Stavagriensem & Bergensem commissum negocium cum officiosis literis detuli, ut & per singulas Regni Norvvegiæ diœceses exquiri sedulo posset, an in locis, ubi gramen ossifragum provenit, minera aliqua plumbi vel argenti vivi eruatur. Rei veritatē temp⁹ aperiet, quo suspicio Magni Viri roboretur. Certe probabilitate non levi se tuetur, cum plerumq; herbæ locorum suorum vim redoleant, & qualem ex terra succum trahunt

trahunt, talem vescentibus præbeant, sibique associent, apud Achillem Tatium elegans locus occurrit lib. 4. de Clitoph. & Leucip. Amor. de Elephante bene olente quia vescitur nigra rosa. Autoris verba hæc sunt latio donata: Indorum flos est, quem nigram rosam vocant. Hac elephantes vescuntur, quemadmodum, gramine apud nos boves. Igitur à primo fere ortu pabulo ejusmodi enutrita bellua cibo similem odorem reddit, halitumque odoratissimum ab imo, ubi ei spiritus fons est, efflat τὸ καρυόφυλλα hic designari Salmasius in notis docet per rosam nigram, quæ in India ex Græco nomine, folia sunt, in Græcia flores nigri. Quale igitur alimentum, talis corporis habitus. Allio vescentes Orientales, hircum olent. Venenatis herbis pasta puella, Alexandrum inficere potuit. Purgantibus usa nutrix, lac purgativum exhibet. Rolmarino, thymo, aliisque odoratis herbis pastæ oves in Provincia Narbonensi sapidissimas carnes nobis exhibuerunt. Infinita in eam rem exempla suppetunt. Herbas denique ex terræ visceribus impræguari tam notum, quam olim Martis lucus. Hinc uvæ Aurelianenses ex sulphureo solo infames cum succo suo ex mensa Regia exsulant. Vinum quoque alsaticum glebæ suæ gravitate noxium calculosos efficit. Ne plura exempla afferam, sufficit, quia de mineralibus sermo est, Pechlini, nuperi de purgantibus scriptoris facundi, observatio, qui ex relatione Nicolai du Pont Medici Coloniensis, scribit ostentatam fuisse Lugduni Batavorum arboris particulam vivo obsitam mercurio: posse quoque pestilentem afflari auram à metallicis partibus ex eo constat, quod in Polonia in graminum radices irrepere vivum mercurium testetur Beguinus, & in Dalmatia arborum truncis instillatum mobile metallum oculorum se judicio agnovisse testentur Chymici. Simile quid in Norvvagia metallis fœcunda pati potest gramen Ossifragum, ut non tam ossa pecudum, quam nervi, quibus mercurius vivus inimicus est, afficiantur, tendinesque contrahantur. Sunt, fateor, etiam ex vegetabilium classe, quæ ossa emolliunt, folia nempe cicutæ vescentibus eapropter exitiosæ, hinc pro callo ossis emolliendo tale remedium proponit Chalmeteus l. 4. Enchirid. Chirurg. c.

♃. Fol. cicut. m. iv. f. decoct. pro fotu. Folia terantur cum axungia suilla vel gallinacea, f. cataplasma post fotum applicandum. An vero ossa pecudum ab esu graminis ossifragi ita emolliantur ut fragilia sint, sicut narrat Reichvveinius, vel potius nervi debilitentur, quod vero fit mihi similius, & suspicatur quoque experientissimus noster D. Simon Paulli, accuratiorum relationes, quas ex Norvvegia exspectamus edocebunt. De his aliisque ad ossifragum gramen spectantibus dum sollicitè cogitaremus, ecce veriorem graminis historiam Bergis Norvvegorum ad Amplissimum Virum D. Rotlinum, in Collegio Commerciorum assessorem bene meritum, Hafniam transmisit Excellentissimus Medicus D. Joh. Frid. Treublerus, amicus noster, cujus Viri in Re Medica versatissimi, adeoque fide pleni relationem hic subjungam, ut ab omnibus intelligatur, latina consuetudine donatam.

Mitto una caulem graminis desiderati in frusta quod dissectum, ut angustia epistolæ capetur, quod rustici nostri (quorum non paucos hac de re examinavi) *Storregros*, flores flaves jam amisit, plenum seminibus adhuc tamen immaturis. Locis paludosis & humidis crescit inter alia dumeta prope omnes villas colonorum, Primum gramen est, quod vere prodit, unde avida sunt pecora ad decerpendum, quam primum vero alia gramina copiosius prodierint, hoc gramen aversantur, forsan propter caulem duriusculum. Ex esu hujus pecora male habent; macie confecta, spina dorsi extra protruberante, (unde rustici dicunt, quod dorsum sit factum,) pedibus ossibusque debilibus, ut ægerrimè incedere queant. Quod autem prorsus mollis fiant ossa, vix fieri potest, alioquin omnia animalia perirent, & humi posternerentur. Pro antidoto rustici semper habent exsiccata ossa in promtu, quæ quotannis conservant adhuc usum, quando carne prius abrasa usi sunt, eadem quoque ossa in plateis & ædibus colligunt, quæ exsiccata in parva frusta confringunt, & mox ab animalibus magno appetitu in minima dentibus comminuta devorantur, unde quasi salivatio subsequitur, multumque aquæ ex ore profluit, ut statim melius habeant pecora, & prorsus convalescant. Aliqui pro remedio in pharmacopolis emunt radicem tormentillæ; plerique tamen & pene omnes ossibus acquiescunt. Videtur (quia rustici rationem nullam dare sciunt) quod pecora plerumque primo vere terra adhuc humoribus nimiis fœta, ex hoc gramine præcoci tantam in se humiditatem superfluam sorbeant & devorent, quæ deinde per ossa exsiccari debet. Unicuique tamen suum relinquo judicium. Ad satisfaciendum curiosorum animo, gramen hoc in particula terræ, in qua crescit, servavi, & in vase collocari jussi, idque juveni cuidam Pastori Jano Danielis tradidi, cujus navicula in portu medio milliari hinc dissito hæret Hafniam cogitans, adjunxique particulam graminis ipsius in charta consignatam, ut petitioni satisfacerem.

Tandem de gramine ad amicum laudatum perscripsit Dn. Treublerus, magna cum fama medicam Artem Bergis exercens, ut plenam ex illo graminis ossifragi historiam jam habeamus, cui nihil addi potest, nisi uberior subterraneorum investigatio, ut de mercurio vel plumbo forsan latente, certiores simus. Ex salivatione subsequente suspicionem suam de mercurio confirmari credit Dn. Simon Paulli. Quam tamen nimiæ graminis devorati humiditati ascribit D. Treublerus, per ossa exsiccatæ. Sola quidem humiditas herbæ ista symptomata inducere non videtur, quæ patiuntur pecora, nisi alia maligna qualitas adjungatur ex quocunque principio derivanda, quod dies docebit. Figuram graminis integram confeci ex frustis à Treublero missis, & ex aliis non ita pridem mihi à Cl. D. Borrichio communicatis, accuratiorem daturus cum ex condicto D. Treublerus vas miserit integra herba terræ suæ immersa conspicuum.

Idem D. Treublerus 14. Octobr. 1677. hæc porro ad amicum laudatum scripsit: de gramine hoc tantum restat ut dicam, copiosum in omnibus villis reperiri, mihique assuisse duos Chirurgos cum plantam hanc in mensa mea reposuissem

fuissem, qui existimabant esse Centaurium minus, affirmabantque diu pro ista herba se in usum suum traxisse nec exinde quidquam mali profluxisse. Unde non video ex gramine vel herba provenire damnum, sed ex humiditate, sicut antea dictum. *Idem ibidem.*

De Gramine Ossifrago.

Quæcunque de Gramine Ossifrago dici poterant in Actorum nostrorum Volum. II. absolvimus. Pauca hic residua commemorabimus. Comperimus exinde non in Norvegia tantum istam plantam provenire, sed in Cimbria quoque nostra luxuriare in locis paludosis, & sine ullo damno à jumentis consumi, ut credere fas sit plantæ hujus naturam, sicut aliarum, variare pro locorum diversitate & climatum conditione. Ingentem copiam exsiccatæ plantæ ad nos ex Cimbria nuper attulit Pharmacopæus Urbis peritissimus Christophorus Herford Senior, ut omnibus curiosis satisfaceret. Forma florum elegantissimorum eadem est, quam figura expressimus ad Observ. 43. Volum. II. nisi quod in acumen magis desinant, & densiores sint. Centaurium non malè referunt colore saturato. Experimentum decantatæ virtutis emolliendorum ossium frustra in brutis nostris tentativimus. Forsan in exsiccata planta, qualis ad nos delata fuit, cum sale volatili, vis exspiravit, quemadmodum in nonnullis aliis, ut ruta similibusque exsiccatis evenit.

Meminerunt Curiosi Parisienses in Diario Eruditorum, quod *Journal des Scavans* vocant, Anni 1675. hujus plantæ ex nostris Actis, sed non satis mentem nostram videntur assecuti, digni tamen omni laude, quod tanto judicio seligant ex variorum scriptis quæ & prodesse possint & delectare curiosum Lectorem.

Ita vero illi pag. 192. §. 3. de nostra herba ex nostris Actis scribunt.

Ce qu'il dit (*asç.* Bartholin) *d'une autre espece d'herbe qui vient aussi de la Norvvegue, & qu'il appelle ossifragum est encore particulier. Car il assure que quand les chats en ont mangé les os de leurs jambes semblent sortir de leur peau & ils ne sçauroient marcher en cet état. Pour les guerir on leur donne des os secs & broyez; ce qui leur excite une grande salivation qui les gueri enfin. Et il croit qu'aprez cette guerison une vapeur mercurielle ou quelque autre vapeur maligne passe dans cette herbe.*

H. e. Id quod narrat (*Bartholinus*) de alia specie herbæ ex Norvvegia advectæ quam Ossifragam appellat, singulare quoque est. Nam ille affirmat si feles eam comedant, ossa pedis videri extra pellem prodire, ut nequeant tali statu incedere. Pro curatione illis exhiberi ossa siccata contrita, quibus salivatio succedit ingens qua tandem curentur. Creditque peracta hac curatione vaporem quendam mercurialem vel alium vaporem malignum transire in herbam hanc.

Feles] De felibus quæ herbis non vescuntur, nihil dixi, sed aliis pecoribus animalibusque in pascuis herbas decerpere suetis.

Ossa extra pellem] Ossa tantum debilitari usu herbæ scripsi, ut ad incessum inhabiliora reddantur.

Vaporem mercurialem] suspicio ingeniosa est D. Simonis Pauli, Viri summi, exhalationes minerales seu plumbi seu argenti vivi in terræ visceribus profundis Norvvegiæ forte delitescentis, jumenta enervare. Quam salivatio confirmare videtur. Ante curationem hæc fiunt, neutiquam peracta curatione. An vero talis minera lateat in Norvvegia ubi hæc herba crescit, necdum experientia constat. In Cimbria, ubi quoque uberior est ejus proventus, nulla minera observata, nec eapropter illis symptomatibus infestantur pecora innoxie isto gramine vescentia.

In cæteris Eruditi Parisienses rem acu tetigerunt.

De Gramine Ossifrago Appendix Ex Epistola Illustris & Magnifici Cancellarii Norvvegiæ Ioh. Friderici Marschalch, Bergis scripta ad D. Simonem Paulli Medicum Regium.

Quandoquidem intellexi Te adhuc sollicitum esse de herba vel gramine, quod ex relatione beati Generalis Majoris Reichvvin, ossa confringit animalium quæ eo vescuntur; inquisivi diligenter in illam rem, & tandem inveni gramen illud, quod in his regionibus appellatur Stur, cujus specimen mitto, forsan minus, quam pro naturali magnitudine, quod hujus anni frigori imputandum. Quando æstas calore suo graminis hujus flores protruserit, vivis coloribus delineari curabo, captaboque occasionem commodam perfectiorem plantam Dn. Doctori transmittendi. Alias intellexi fœminas quæ pecus custodiunt & curant narrare bestias ossium dolores experiri quando eo gramine vescuntur, sanarique exhibitis ossibus contritis aliorum animalium, non enim audivi exhiberi illis ossa animalium eodem gramine occumbentium, sicut Reichvvinus beatus scribit. Vale. *Idem ibidem.*

Anatomicæ inspectiones.

Vincentius Balduinus, Vir infractæ ætatis, vixit aliquandiu miserandum in modum, ob humeri os intra annos quindecim quater effractum, quod paulatim increscens, sive ex viscido contusi ossis succo, sive sanguine eo uberius affluente, in eam tandem devenit molem, ut nec pectus nec scapula immodicum ipsius pondus fuerit amplius ferendo, excitatis non solum maximis nervorum doloribus, verum etiam summa spiritus difficultate, ob luxurians pondus thoracis motum continenter impediens, cum indefatigabili vigilia. Quibus è salebris quo evaderet, usus fuit consilio variorum Chirurgorum, quorum alii tumorem emollire atque in pus convertere: alii contra luxuriem ipsius arctiore fascia coercere: ac nonnulli vitiatum os serrula præcidere adnixi fuere, sed omnes successu infelici: Venæ enim ac arteriæ hujus tumoris latiores erant quam ut pollice humano potuissent obturari, ac proinde magis impedimento quam auxilio fuere fasciæ: mortemque adeo non distulisset, quam maturasset amputatio improvide instituta.

Facto autem vivendi fine, docuit anatome

omnia sub cute visci crassitiem ac steatomatis induisse naturam, parumque discrepasse à materia veri cancri, cujus nomen fortassis propterea huic ossis vitio haud male impositum ab industrio Celso. Ipsa vero ossa erant non modo à se invicem sejungata, verum quasi malleo minutatim confracta, ac præ irriguo madore adeo tenera, flaccida ac mollia, ut instar ceræ scalpello facillime conciderentur. *Tulpius obsvat. lib. 4. cap. 12.*

Strenuo militiæ duci globulus plumbeus à bombarda hostili emissus utrumque os brachii sinistri prope carpum perfregit, & vulnere penetrante sauciavit brachium: Antequam pugna excederet, statim intolerabiles sentit dolores, qui frigore hyberno exaucti sunt, cum quatuor horas equitando in via impenderet, antequam in proximam civitatem delatus Chirurgi manui subjiceretur Sedula opera in hujusmodi casu difficili adhiberi solita, non impediit gangrænam parti læsæ imminentem, quæ in externa manu & brachio se non prodit sanorū similis, Sed cum intolerabili cruciatu interno interiora pervagabatur, & dolores sensim ad totum brachium & scapulam sinistram diffundebat, cum tumore, sed striis quibusdam lividis sanguinis secundum brachii longitudinem ascendentibus: Ampliato demum vulnere, immissaque manu Chirurgus observavit interiora frigida & sphacelatam manum assistentes vidimus: cumque nihil in medicamentis spei amplius superesset, de manuum operatione cogitatum mature fuit, ipso etiam viro generoso urgente, ne serperet ulterius malum, quod interne latius protensum videbatur: Quanquam vero parum profuturam membri læsi amputationem judicaremus, anceps tamen remedium cum prognostico dubio experiri statuimus.

Brachium medium serra resectum prognosticon ominosum confirmavit: Primo quippe copiosus ichor flavus effluxit ex musculorum interstitiis, cui tandem sanguis successit ex vasis suis, qui facile aqua styptica constitit: Septimo hæc die peragebantur, & eodem circa vesperam exspiravit æger.

In amputato brachio vulneris conditionem interius rimati, vidimus ulnam fractam, & læsum quoque radium, fragmenta ossium tendinibus musculorum manus incumbentia & vellicantia, amplum hiatum fœtentem, sphacelata omnia.

Dolorum magnitudo ex tendinum punctura ab osse fracto & aculeatis ejus frustulis, necnon pilis in vulnere latentibus, à tunica pellicea sine dubio abrasis, repetenda est: Sphacelus vero à venenati globuli ictu ortus, sive veneficam qualitatem naturæ suæ debeat globulus à nitrato pulvere protrusus, sicut plurimis persuasum: sive globulus iste fatalis veneno per artem fuerit imbutus. Hisce sane vulneribus, præsertim in nervosis partibus, malignitas fere semper conjungitur, quod ex partium affectarum decoloratione, mortificatione, leipothymiis, & celeri fato colligimus: imo febris in nostro ægro vel nulla vel exigua, mente sibi semper ad extremum spiritum constante: Ex observatione *Plazzoni* l. de Vulner. sclop. cap. 30 Vulnus à sclopeto una cum ossis fractura illatum, si minutum sit, certissimum genus fracturæ exiitit: Nam carnosa & nervosa substantia non solum à qualitate venefica, ustione, contusione & attritione læditur, sed etiam propter ossis fracturam partes magnopere alterantur, hinc & vehementes inflammationes, dolores, convulsiones & gangræna oriuntur, quæ omnia ut plurimum mortem ipsam inducunt: à convulsione tamen noster æger immunis fuit. Cæterum de globulo veneno imbuto magna nobis oborta suspicio, quia statim ab ictu accepto de immodico dolore conquestus fuerat, strenuus Dux & miles, & cito ad cor penetravit mali vis: Variis tingi solet, etiam succo allii, ne vulnera admittant curationem. Globulus nobis visus, infortunii causa, aliquod monstri videbatur alere: Incisuris enim multis distinguebatur, arte factis, quo fine nescio, certe non bono: uni incisuræ adhærebat frustulum ossis, ab ulna fracta fragmentum. Ichor vero ille flavus copiose ex brachii amputati trunco stillans infectarum partium argumentum erat & putredini vicinarum: digito compescere voluit Chirurgus, sed eo remoto fontis instar prorupit serum; Et tale quoque ex vulnere sclopeti, puris loco, stillabat; Quicquid sit, ex levi, ut videbatur vulnere, sed lethali, magna tragœdia excitata: Lethalissima verò hæc vulnera globulorum pronuntiant artis periti, quod non solum nervosæ partes soluantur sed & lacerentur, & affectio non tantum cerebro communicetur, ratione vulneris, sed quod magis est, ratione nervorum venefica qualitas immediate cerebro communicari potest & ægrum subito interficere: Non vero per nervos solos cerebrum inficitur, sed per vasa sanguinea, hic quoque affecta, cor ipsum infestatur. Hinc in nostro ægro leipothymiæ anxietatesque frequentes, & ad ultimum halitum recurrentes observatæ, nec cerebrum læsum ex actionibus apparuit. Forsan nisi fatum præcipitasset cor affectum, etiam ad cerebrum serpendo penetrasset venenatus vapor. *Th. Bartholinus in Actis Medicis annor.* 1674.75.76.

Anno 1629. sub finem Martii, visitavimus mortuum ex vulnere femoris cum omnimoda ossis fractura. Invenimus os etsi pessime repositum, ex parte tamen coaluisse: Maxima & acutissima ossium fragmina in vulnere relicta, ad minimum corporis motum dolores læso summos concitabant, novamque movebant hæmorrhagiam, unde post longam atrophiam, gangræna totum crus occupante, septimo à vulnere mense mortuus est. *H. ab Heers observ. Medec. xxii.*

Lites sequutæ ingentes, Chirurgi enim ex vulnere mortuum testabantur: Negabant Medici dicentes à perito artis curari potuisse, nec ullum vitæ, sed claudicationis periculum adire potuisse: Ego arbiter à Dom. Scabinis adhibitus, misi ex tempore qui Hippocr. meum afferret, statimque exhibui textum qui est l. 1. de morb. sect. 5. Hæc autem cum fiunt ex necessitate contingunt, In vulneribus quidem si crassi nervi, & musculorum capita in femoribus præsertim vulnus acceperint, necessaria est claudicatio: Moritur etiam si quis vulneratum habet cerebrum, aut spinalem medullam, aut jecur, aut septum transversum, aut vesicam, au Venam multum sanguinem effundentem,

aut Cor, Ex vulneribus autem minime mori contingit, si his partibus vulnus acceptum non fuerit. Hæc verba omni luce clariora quonam Leguleí literarum aucupes torturi sunt, tempus nos docebit. *Idem ibidem.*

Obiit puer annorum 12. in Xenodochio Basileensi 20. Augusti 1673. qui saltando fregerat femur, in quo fissura, facta, Per biduum magno tamen dolore, scalas descendit & ascendit: Non observata fractura, à quodam Mago male curatus: Tandem Chirurgo accersito, omnia semper in pejus ivere, ut pure collecto febris accesserit lenta; hinc cacochymia, defluxiones ad partem debilem, os ischii & caput femoris, non sine magno dolore; Tandem luxato osse femoris ex acetabulo, & facto ulcere paulo infra trochanterem majorem, dolor mitigatus est: febre non cessante, & materia purulenta in femore multiplicata, tandem obiit.

Sectus fuit à D. D. Glasero, qui ulcus sordidum deprehendit, & secundum ductum vasorum & interstitia musculorum cavitatem magnam, ut & musculos ab osse femoris omnino separatos; In hac cavitate ingens puris copia visa est, quæ a genu, ubi primo tumorem fecit, premendo, ad ulcus ascendit, nec substitit prope genu, sed protraxit se secundum ductum nervorum, & musculorum interstitia ad talum usque, ubi etiam humor & pus observabatur: Separatis à femoris osse cute & musculis, fissuram ossis deprehendimus, secundum longitudinē simul & transversum, ut in margine patet: musculi omnes laxi ex humoribus madefacti erant, imprimis nates constituentes: in acetabulo erat mucosa substantia indurescens: prope genu sub patella similis mucus erat: In imo ventre nullum ingens malum inventum est, nisi quod à cacochymia viscera essent debilitata & pallidiora, alias in statu naturali plane consistebant. *Ex communicatione D. D. Io. Georgii Mangoldt Basiliensis. in D. Boneti Sepulchreto.*

Hinc ratio datur totius morbi, hic puer hinc inde petulenter saltans fregit os unde derepente ingens dolor oboriebatur; domum redux intolerabilem dolorem sentit, reticens saltem, per biduum tamen adhuc (quoniam erat fissura, & dimidia pars ossis consistebat) per scalas ascendit & descendit, sed tantum extremis digitis pedis (qui dexter fuit) innixus; Modo decumbebat modo non, dolore interim continuante, tertioque die adeo intensus est, ut fere amplius consistere non posset, propter solutam unitatem periostii & tendinum puncturam ab osse fracto: Ob istum motum autem fissura se magis dilatavit, & musculos pressit punxitque, unde motus læsio & genu incurvatio, quod musculi genu flectentes affecti essent ab osse fracto. Quoniam autem fractura non esset nota, & parentes putassent puero à saga mali quid accidisse, accusarunt sagum, qui talia sanare profitebatur, sed hic nil profecit cum malum ignoret: adhibuit suæ sortis remedia & malum auxit, si quidem intumuit genu & totum femur usque ad caput femoris, nec dolor mitigatus est. Tandem frustra accersito Chirurgo perito, nomine Schvvartz, pure jam presente, dolore aliquatenus mitigato, (nam pure facto omnia mitiora fiunt) & præsente febre lenta, à materia purulenta excitata, ulcus factum est à natura paulo infra trochanterem majorem, unde puris copia quotidie evacuabatur hinc tumor prope genu, & dolor plane incepit evanescere, sed diuturnitate temporis, & imbecilitate corporis secundum musculos & vasa, pes infra genu ad talum usque intumescere cæpit; propter copiam puris ulcus toto reliquo tempore apertum servabatur; à pure musculi ab osse separabantur & semiputridi erant, quod femur esset fractum, ideo exterius tangendo apparuit duplex os esse, aut instar ossis quædam materia juxta tendines musculosque orta; Interim cacochymia orta fluxiones ad partem debilem fiebant, hinc musculi laxi, & tandem luxatum est caput femoris ex acetabulo; Interim febre omnino consumptus & emaciatus tandem obiit. *Idem ibidem.*

Dominus Marchandus, Jurisconsultus Parisiensis, passus est defluxionem in genu articulum toto octimestri ipsi molestam, qua de causa usus est opera plurimorum tum Medicorum tum Chirurgorum, at sine fructu, quod malum ab osse duceret originem: Dum quadam die in lecto de latere in latus se convolveret effractum illi est os tibiæ juxta genu, morte paulo post subsequuta.

Apertum fuit Femur, repertaque fuit fractura & separatio apophysis ossis illius, quod carie & putredine infectum erat, quanquam lue nunquam laborasset. Ideoque recte ab antiquis traditum ossa triplici morborum genere affici posse, Intemperiei, compositionis & solutæ unitatis.

Notent Tyrones ossium apophyses sæpe divelli, quod luxationis quoddam genus est vix sanabilis, teste Columbo Anat. cap. 2. quod ejusmode ossium conjunctio & σύμφυσις non fiat ossis unico capite acetabulum subeunte, sed pluribus tuberculis totidem sinus subintrantibus, cujusmodi reductio difficillima est, à causa interna vel externa: externa, quandoque Chirurgi errore; interna humoribus quibusdam illapsis in quempiam atticulum, inibique retentis; quod in lue Venerea & Variolis sæpenumero accidere videmus, vel ob alium aliquem humorem lue non inquinatum, quod accidit prædicto Jurisconsulto, *Pareus Operum lib. 15. cap. 21.*

In Fracturis ut aliorum ossium, ita & femoris curandis sæpe vitia advertuntur, primo in figura, deinde in callo: In figura, dum non rite extenditur, conformatur, deligatur, deponitur. In Callo, dum ille fit nodosus, ubi conjungitur, & monstroso callo, qui insigni eminentia nodis in arborum ramis subinde comparentibus respondet; similis est. Talis monstrosus callus apparebat in utroque femore Pilæ magistri aulici lusoriæ.

Eo forte suffocato, & post anatomen cocto ad sceleti structuram, uterque ab invicem abscedebat callus. *Rolfinktus Dissertat. Anat. lib. 2. cap. 49.*

Scriba rusticanus cum Norvvagiam, sylvis asperrimis collibus & montibus horridam, equo circumiret, procul Bergis lapsu graviore Fracturam tibiæ sinistræ passus dolores sentit gravissimos: Vicini rustici hominem miserum hospitio exceperunt, & pedem fractum sine ex-

tensione instrumento ligneo excavato firmiter incluserunt, summaque cum diligentia oleo ex cineribus inunxerunt; Hunc in modum lecto affixus inter rusticos annum complevit, & tandem magna cum difficultate ex Septentrione Bergas delatus fuit, Ad consilium vocatus Medicus, deprehendit os tibiæ cum fibula esse fractum, quinque digitorum latitudine supra malleolum, ita ut pars tibiæ inferior fractæ, cum parte superiori callo ad latus firmissime connexa fuerit, latitudine trium digitorum, fibula autem fracta inferior nusquam firmata in musculis oberraret, ut moto pede exacte sentiri posset: ob callum firmiorem extensionem nullam fieri prædixi, at rogatu amicorum instrumentum efformavit, quo utrumque os in diversa trahebatur, sed frustraneo conatu, cum cutis sola eo usque extenderetur, ut jam disrumpi videretur, illa præsertim in parte, cui extuberantia ossis superioris fracti adnectebatur, Ideoque & hoc in loco, & alibi, vulnus metuendum esse adstantibus monstravit, jussitque ut Chirurgi instrumentum remitterent, quia nec æger amplius perferre posset: Inflammatio statim oborta, cui sedandæ externa applicabantur, & ad doloris mitigationem interna propinabantur: Igitur abscissionem pedis suasit Medicus, ut ad officium è lecto rediret; Sed æger acerbius credens mutilari quam extingui, maluit, persuasus quorundam agyrtarum blanditiis, ut instar ossis fracti, jamque in suum locum repositi, pars deligaretur fortioribus adstringentibus, atque emplastro catagmatico, quod absque ulla ratione, aut consensu Medici, approbarunt Chirurgi, unde dolores fere intolerabiles cum tumore novo surrexere: Quibus nihil proficientibus, sero æger à doloris acerbitate & longo decubitu fere insanus, tibiæ magis amissionem optabat quam cruciatus diuturniores: Die itaque 5. Martii 1655. operatio commissa est Chirurgo peritissimo, qui, carne prius ad os incisa, nudatum os feliciter abscidit.

Peractis deinde peragendis, Dissecti membri cutem cum musculis aperuit Medicus, calli formam lustraturus: Ossa tibiæ fractæ tanta firmitudine connexa erant, ut parvo cultello dissolvere nequiverit: Ossiculum autem acutissimum cuticula adhærebat tenuissima ossi inferiori: Fibulæ ossa fracta nullo modo conjungebantur, id quod ex commotione persentiebatur antequam essent rescissa; Inferior pars ossis tibiæ, ubi quædam cavitas conspiciebatur, nigricabat & sphacelum minitabatur: Optime inde convaluit æger & artificioso pede amissi damnum compensat. *Th. Bartholinus cent. 3. Histor. 85.*

Nob. quidam Pomeranus annos 44. natus, circa solstitium hybernum anni 1593. gravissimis in dextro humero, nullo vel tumore vel qualitate p. n. affecto, doloribus, nocturno potissimum tempore torquebatur: Quorum leniendorum causa primum Tonsoris cujusdam opera usus est, qui neglecta morbi causa, parti affectæ multis septimanis medicamenta calida attrahentia & exulcerantia applicavit: Sed magis subinde auctis doloribus, & succedente insuper femoris dextri dolore, à me consilium petiit: Urinæ tum erant aquosæ & crudæ, appetitus mediocris, mens integra, vires tantæ ut interdiu cum dolores remitterent, in area domus obambulare posset, Et si vero ipsi convenientia quædam remedia adhibebam, tamen parum aut nihil profeci. Cum post me aliorum quoque Medicorum auxilium frustra expertus esset, omnem deinceps recuperandæ valetudinis spem abjecit: Porro Dominica Exaudi anni 1594. matutino tempore è lecto in sellam sublatus, maximo tremore & concussione totius corporis oppressus, eoque simulac lectum repeteret iterum relevatus est: Eadem die circa vesperam doloribus Femoris ingravescentibus, contenta voce exclamare cœpit halt! halt! halt! Uxor itaque ipsius ad eum in lecto decumbentem accurrens, femur affectum utraque manu comprehendit; idque media parte introrsum, versus sinistrum pedem subito inflecti atque incurvari sensit, sic ut genu dextri pedis inguen sinistrum respiceret: Visa tum est ægro arbor in pedem decidere, ejusque casu, in quo se manifestum fragorem percepisse ajebat, confringi. Cumque uxor & alii eadem cum ægro opinione essent, ac femur plane confractum esse arbitrarentur, sequenti die Chirurgum pro curatione accersiverunt, qui affectum locum diligentissime inspiciens atque contrectans, præter inflexionem, quæ postmodum in dies magis magisque aucta est, nullum vel fracturæ vel tumoris p. n. indicium in eo deprehendere potuit. Hanc femoris inflexionem octo diebus antecesserunt, & totidem etiam consequutæ sunt urinæ cruentæ, quæ tamen postea ad naturalem statutum redierunt: Ratio quoque circa illud tempus ut plurimum turbata fuit, vires prostatæ, dejectio appertius: Facta inflexione, æger cruciatus in femore sensit intolerabiles ut se loco dimoveri non pateretur, sed quinque septimanis continuis in loco immotus jaceret, donec tandem ipsa solstitii æstivi die vitam cum morte commutaret.

Mortuo ægro femur incurvatum nullo negotio extendi atque in pristinum statum reduci potuit, ac tum demum fractura, media ipsius regione, se conspiciendam exhibuit, commissura partium fracti ossis adeo æquali ac si serra esset incisum: Similis fractura mortuo jam ægro, in medio quoque ossis humeri dextri deprehensa est, cujus tamen nullum ipso adhuc vivente vestigium animadverti potuit, & semihora ante obitum amici adstantes utrumque brachium citra omnem difficultatem ab ægro elevari atque extendi videbant. *Jacobus Seidelius observat. Medec. vi.*

Ossis femoris caries ac fractura.

Jurisconsultus de tumore dextri genu querebatur cum dolore ingenti: hocce morbo octa mensibus affligitur. Ad se interim doctissimos Medicos ac Chirurgos uocat, sed nihil auxilii attulerunt. Postea cum lecto decumbebat, ac de latere in latus se vertebat, os femoris in duas partes prope genu diffractum est, & brevi post obiit.

Post mortem femur aperiebatur, ejusque os in duas partes, circa genuum apophyses diruptum cum carie inventum fuit.

Pruden-

Prudentissimus vir circa genu ex obstructione vasculorum quorundam tumorem habuit; liquor obstruens acidus factus periosteum corrosit, unde gravissimus dolor; corrodendo tandem ipsum os invasit, idemque totum carie usque ad intima consumpsit; cum jam consultissimus vir se de latere in latus volvebat, non difficile fuit concipere, id præ corporis onere, quod sæpe femori innititur, in partes duas rupisse. *Stephanus Blancard. in Anatom. Pract.*

Fractura brachii à globulo sclopetari.

Nobilis quidam per os brachii sclopetari globulo ictus. Vulnere accommodato, sine dolore tumore aut inflammatione se primis viginti diebus bene habuit. Postea febre vehementissima correptus: trigesimo die obiit.

Exenterato cadavere pulmones putridi, & schirrositatibus duris pleni Ren dexter ulceratus cujus purulenta in vesicam deposita.

Liquet in hoc nobili morbi causam lincæis oculis latitare; non enim vulnere obiit, sed à malo interno. Multa sacro involucro tecta jacent, neque ullis mortalibus omnia scire fas est. Inest namque sæpe in incredibili verum, & in verisimili mendacium. *Idem ibidem.*

TRENVM PENIS BREVIVS
Vid.
PENIS MORBI.

FVLMINE ICTI.
Vid.
COMBVSTIO.

FUNGUS.

Fungus est mollis excrescentia, sensim incrementum capiens ex dilatatione aut laceratione membranarum, & circa has collectis & evasatis succis, imprimis nutritio, & ut plurimum circa articulos oborta.

Ut plurimum circa articulos apparent fungi, & membranis radicitus inhærere solent. In genu sæpissime apparent ejusmodi tumores, & dum hæc scribo infans trium annorum & juvenis 20. annorum iisdem affecti mihi curandi offerebantur.

Per se patet hujusce morbi diagnosis, nam excrescentiæ fungosæ facile in visum nostrum incurrunt, & ex tractu ab aliis haud difficulter dignosci possunt, cum substantiam habeant spongiosam; mollem atque albicantem & impresso digito nulla remaneat fovea, nec ægri magnum inde percipiant dolorem. Ut plurimum verò incrementum capiunt, & circa articulos observantur, imprimis circa genu, & molam seu patellam, hinc genu loco suo sæpe adeo dimovetur, ut extensioni seu deambulationi obsit pedemque ad ambulandum faciat ineptum. Cùm tamen & aliæ partes carnosiores non sint ab iis immunes, sed membranis quibuscunque inhærere queant, & à vulneratione membranæ cranii fungum enatum non ita pridem in milite observavimus. Fungosi hi tumores similes sunt strumis glandularum.

Fungi ut plurimum circa articulos oborti fiunt ex violenta distensione, dilatatione ac laceratione membranarum, vel ex luxatione violenta fibrarum tendinosarum, hincque effluit succus nutritius & quidem in maxima copia, ex quo caro mollis, rara & luxurians squamosa generatur, quæ dicitur fungus, qui ut plurimum post vulnera membranarum emergere solet; quod si accedat acescentia & corrosio, fungi exoriuntur cancrosi.

Prognosin quod concernit, fungi sæpe etiam per plures annos afficiunt homines, sed præter incommodum & dolorem: nisi si contingant in articulis, motum ac sensum, premendo nervos, aliquo modo tollunt. Ob stagnationem vero diuturnam succus acrior redditur, qui facile tumorem cancrosum producere potest. Corpus quoque ad tabem disponunt omni succo nutritio in fungo deperdito. Aliquando malum hoc lethale est.

Quod diætam refert, ista eo dirigenda, ut succi rite constituti absque ruptione tubulorum circulentur, in quem finem aër eligatur calidus ac temperatus. Frigidus vero admodum nocet, quoniam incrassat succos nostros, transpirationemque impedit. Alimenta sint facilis digestionis, exulent acida, acria, salina, muriatica, corrosiva, exinde enim succus nutritius pessimus partibus affertur, & sic ruptio tubulorum, & evasatio succi nutritii facile produci potest. Potus sit calidus, imprimis potus theæ, vel coffeæ, vel succolad. vel vinum Gallic. Hispan. aliudque non acidum. Vinum enim Rhenanum, Franconicum, imo ipsum sæpe Mosellarum, quatenus acido & tartaro abundant, coagulando succos maxime nocent; eligatur potius cerevisia tenuis rite defæcata, & herbis volatilibus ac aromaticis maritata. Vigiliæ & somnus, item motus & quies sint moderata, & modum solennem haud excedant, motus enim nimius, si mox à pastu fit, chylum crudum & cum impuritatibus per alvum expellendis, permistum, in sanguinem pellitur, quies vero immodica, ut est vita sedentaria, quam experiuntur sartores, nocet, quibus propterea verrucæ fungosique tumores familiares sunt. Animus sit hilaris nullis passionibus obnoxius. Animi enim passiones vehementiores, ad affectus hos excitandos ansam dare possunt, quæ fulminum instar sanguinem percutiunt, & inter ea potissimum quæ spiritus figunt, debitam eorum ex cerebro in partes subjectas emanationem sanguinis ac succorum circulationem impediunt, & per consequens succis crassis ac acidis, imprimis nutritio, corrigendis ansam præbent; cujusmodi sunt tristitia, mæror, curæ immodicæ, odium, terror &c.

Fungi curatio difficilis est, eo autem strenue incumbendum, ut obstructiones reserentur & evasatio succi nutritii ante omnia impediatur; quod obtinere possumus, si particulæ acres, scindentes, ac corrodentes, è succo nutritio eliminentur, in quem finem conducunt interna sudorifera, & pro re nata interna laxantia mercurialia. v. g.

℞. Rad. scabios. enulæ camp. ana ℥ß. sarsæpar. ℥iij. herb. scord. fumar. nummular. veron. scolopendr. ceterach ana M. ß. flor. sambu-

buci p. ij. hyperic. p. 1. rasur. santal. citr. ʒvi. sassafr. ℥ß. guaiac ʒij. cortic. ejusdem ʒiij. vitr. mart. ʒij. sal. tart. ʒiß. sem. dauci ℥ß. M. pro mensura iß. vini. Dein exhibeantur Tinct. antimon. tartaris. essent. viperar. essent. lignorum, aliaque. Chalybeata hic præcipue egregia sunt, nodulo propterea includenda, & potui ordinario indenda.

Cura autem præsertim externis peragitur topicis. Thermæ præ aliis conducunt, in quem finem artificiales facile parari possunt. Sæpe etiam ad ferrum est accedendum & exscindendus est fungus in casu ubi inclinat ad cancrum, & cùm hoc sit periculosum, pro partis affectæ ratione, pulveribus acidum temperantibus incrementum ejus quantum possibile impediendum, in quem scopum conducunt omnes pulveres ex sale saturni, camphor. calce viva, tuthia, lapide calaminari, myrrh. succin. thure, C. C. usto parati. Spongiosis his tumoribus item inspergi possunt, vitriol. alum. ustum, vel pulvis ex aristoloch. rotund. calam. aromat. caryoph. concinnatus. Applicetur etiam spir. matricalis, oliban. cum calce viva, imò instituantur varia suffumigia ex succino, sabin. oliban. mastiche &c. Vel ex herbis sale volatili gaudentibus parentur fotus, cataplasmata, & calidè fungosis imponantur tumoribus. Nec negligenda sunt emplastra optime resolventia, ut sunt emplastrum de thea, divin. de labdan. de ran. cum mercur. & vitriol. albô parat. vel cataplasma egregium ex cucumere asinino, limac. rubr. coctis in vin. gallic. addendo pulver. rad. jalapp. & bryon. s. q. Emplastr. de cicuta & de cumino itidem conducunt. Frequenter tumores hi non deligandi, nec, quod Chirurgis notandum, aperiendi sunt, hinc etiam à cauteriis abstinendum est, quare ex hujusmodi tumore improvide aperito mors sequuta est. *Ioh. Dolæus in Encyclopædia Chirurgic. rationali.*

Quemadmodum in stirpibus arborum humores semiputridi per corticem extuberantes in fungos coalescunt: Sic fracta exemptaque portione aliqua cranii, ac dura matre læsa, statim humores cerebri circa plagam affluunt, qui sive ossis (ut Alexander Aphrodisæus voluit) sive aëris frigiditate condensati instar fungi concrescunt, atque interdum adeò intumescunt, ut extra cranium per foramen terebra factum emineant. Affectus autem ille Galen. lib. 1. de loc. affect. & 3. epidem. fungus ex similitudine nuncupatur: est enim caro mollis, levis, pallida & spongiosa, quæ quidem citò excrescit, lento vero pede retrocedit. Potest & ex flatu procreari. Si enim calor cerebri imbecillus factus in materiam quæ circa vulnus collecta est, aliquid agere intendit, flatum procreat, qui cum per tenuem meningem expirare nequeat, eam in altum elevat. Observavi enim hactenus in his qui fungis affecti mihi occurrerunt, tenuem meningem, ut plurimum integram, crassam autem disruptam fuisse. Crassa enim disrupta, factaque digestione vulneris, natura statim incipit carnem supra tenuem meningem generare, quæ loco tegumenti incumbit, ne ex aëris injuria nocumentum contrahat. Si namque humores copiosi, aut flatus circa plagam colliguntur tenuem membranam simul cum adnata carne facile, instar fungi, in altum elevant quia caro est mollis, & radix subnixa, fungi instar, superne latior, inferne tenuior. Augetur vero & decrescit pro materiæ affluentis copia, & chirurgi arte incrementum intercipientis. Fœtet valde hæc caro: vulgo ficum sancti Fiacrii nuncupant, qui Galeni sententia partium quibus adnascitur naturam & conditionem redolet; quanquam in genere; sit de natura verrucarum malignarum.

Ad ejusmodi fungorum profligationem admovenda sunt remedia quibus specifica facultas insit absumendæ carnis superfluæ, qualia sunt quæ validius exsiccant, & blandius atterunt & exedunt, quale est quod sequitur.

℞. Sabin. ʒij. ochræ ʒj. pulverisentur simul & aspergatur caro excrescens.

Vel, ℞. hermodact. combust. ℥ß. fiat pulvis in eundem usum.

Vel, ℞. Fol. & flor. beton. & chamæm. melil. rosar. summit. major. rorismar. ana Mj. sem. anis. & fænugr. ana ℥j. incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. s. indatur sacculo ejus magnitudinis, ut mediam fere partem capitis cooperiat, qui filo intertextus coquatur in vini & aq. comm. partibus æqualibus, & applicetur calidé. Post fotum abstergendum est caput linteis calidis, deinde sequentem pulverem insperge fungo, atque toti vulneri.

℞. Rad. caryoph. angel. calam. arom. ana ʒß. rad. aristol. rot. ireos Flor. lign. guajaci an. ʒij. flor. salv. summit. major. & ror. mar. ana p. 1. f. omnium pulvis subtilissimus.

℞. Emplastr. de beton. ℥iij. gumm. elemn. dissol. in aceto rosac. ℥j. pulver. ros. rubr. myrtill. ana ʒj. mastich. calam. aromat. ana ʒiß. olei rosar. q. s. F. emplastrum. Quod si ejusmodi caro fungosa, eò ut sæpe fit incrementi veniat, ut ovi magnitudinem æquet, quam proxime radicem serico filo ligabis & constringes arctius, cumque vi contrictionis deciderit, commemoratis pulvisculis asperges. Sic enim certius quàm acrioribus cathæreticis profligatur. *Ioh. Vigierius in Chirurgia sua magna.*

Observationes.

Ex fungo cranii mors.

Cosmus Slotanus, Chirurgus præstantissimus Juvenem nobili familia natum, cui cranium fractum, portioque ejus quædam exempta fuit, unde fungus exortus, curandum habuit. Ille ab omni propemodum periculo levato ægro, & sedatis symptomatibus à curatione continuanda desistere coactus fuit, quod aulam Principis sui sequeretur. Barbitonsor cui erat demandata, contempto consilio & medicamentis *Slotani*, nullaq; habita ratione loci affecti pulverem aluminis & vitrioli usti inspersit fungo. Inde exortis statim dolore vehementissimo, febre accutissima, delirio & inflammatione, paucis post diebus mors subsequuta est. *Hildanus in Observ. Chirurgicis.*

Legitima fungi curatio.

Anno 1601. 9. februar. Dom. Francisci Croserani Lustriacensis Patricii ac tribuni filius, Petrus nomine, 14. annos natus, vulnus ex casu lapidis, ex alto diruti (cujus pondo librarum duodecim cum unciis decem) in dextro bregmate cum insigni cranii fractione accepit. Ego ad curationem vocatus, puerum invenio sine loque-

loquela, visu, auditu, & ut breviter, dicam, semianimem. Vomitus aderat vehemens & continuus, & sanguinem ejiciebat, tum per os, & nares, tum etiam per aures. Abrasis crinibus, dilatatoque vulnere, impressum cranium altius in substantiam cerebri & duram matrem disruptam, conspiciebamus. Exemptis eadem nocte cranii fragmentis, curationem aggredior, prout necessitas urgebat. Et quamvis gravissima essent symptomata, ita ut de recuperanda sanitate parum superesset spei, tandem nihilominus paulatim & ante vigesimum diem, morbi ex toto fere remiserunt. Pars quoque duræ matris ab impresso cranio disrupta, sensim naturæ & medicamentorum beneficio frustratim excidit, ita ut sperabamus jam procul abesse a periculo. Sed elapso vigesimo die morbi, ecce novum malum, exortus enim est è vulnere fungus insignis qui intra viginti quatuor horas ita excrevit ut magnitudine oui gallinacei extra cranium emineret, quem divino favore infra scriptis medicamentis feliciter persanavi.

In principio, deinde alternis, ac tandem tertio quoq; die, sequens enema injeci.

℞. Radicum & foliorum altheæ, malvarum, Parietariæ, mercurialis, florum Chamomill. Meliloti, florum & foliorum betonicæ ana m. ſ. semin. fænigræci, lini, anisi ana ℥ſ.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, in ℔. j. colaturæ dissolue benedictæ laxat. & hieræ picræ compositæ an. ʒiij. Vitellum ovi, salis p. 1. Ol. chamomillæ ℥ij. misce fiat enema. Bis vero in die fomentationem sequentem vulneri applicui.

℞. Foliorum & florum betonicæ, salviæ, chamomill. mæmiloti, rosarum, summitatum majoranæ, rosmarini ana m. j. sem. anisi & fænigræci ana ℥i. Incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. s. indatur sacculo ejus magnitudinis ut mediam fere partem capitis cooperiat, qui filo intertextus, coquatur in vini & aquæ communis partibus æqualibus, & applicetur calide, post fotum diligenter abstergendum est caput linteis calidis, deinde sequentem pulverem insperſi fungo atque toti vulneri.

℞. Radicum gariophillat, Angelicæ, calami aromatici an. ʒs. Rad. arist. rotund. Iridis florent. ligni guajaci ana ʒij. florum salviæ, summitatum majoran. rosmarini ana p. 1. fiat omnium pulvis tenuissimus; deinde sequens emplastrum applicui.

℞. Emplastri de betonica ℥iiij. Gummi elemi dissolut. in oleo rosaceo ℥i. pulver. rosarum, myrtillorum ana ʒj. masticis, calami aromatici ana ʒiſ. cum ſ. q. ol. rosacei fiat emplastrum.

Hic fungus paulatim & intra quatuordecim dies subsidit. Ossicula quoque quæ cum aliis prima nocte extrahi non potuerant exierunt, ita ut intra hebdomadas decem plenissime convalesceret. *Fabric. Hildanus in observ. Chirurgi.*

Facis in observationibus tuis Chirurgicis mentionem fungorum, & læsis membranis cerebri, ex humoribus ad locum affectum affluentibus eos nasci doces. Quæ & aliorum Chirurgorum est sententia, ubi in mentem mihi hoc incidit dubium: An solum membranis cerebri affectis generentur fungi? Faciunt quidem, ut vides, Medici solum fungorum in vulneribus capitis mentionem: sed in aliis quoque partibus fungos nasci posse, hæ duæ persuadere videntur historiæ, quæ superioribus annis, dum hic Wittebergæ Medicinæ operam darem, acciderunt. Prior hæc est. Puer quidam annos natus circiter decem, ex saltu pedem sinistrum ad terram vehementius allisit, atque in planta è regione minimi digiti, læsit. Hinc tumor primo supra malleolum externum conspectus fuit, qui à Rustico quodam imperito (forsan luxationis alicujus reponendæ gratia adhibito) postea deorsum pulsus fuit. Hinc tumor paulatim incrementum sumsit, ita ut totum pedem prehenderet cutimque insigniter distenderet, & pedes digitorum magno interuallo ob tumorem interjectum distarent. Cutis tamen colore sanæ parti plane fuit similis. Tentata, ut fieri solet, à variis varia, sed omnia frustra. Tandem ad Chirurgum perventum: qui cum suppurationem ob insignem loci mollitiem factam esse crederet, & dolores increscerent, aperuit locum. Parum sanguinis, puris vero nihil effluxit: mox vero prosiluit quasi pinguedo quædam quæ vulnus claudebat. Sequentibus diebus spongiæ, nigro seroso sanguine plenæ copiosius erumpere cæperunt: & in planta pedis versus digitum minorem una nocte quasi νέκρωσις incidit tanta, quæ dimidium thalerum æquaret. Aperta illa nihil tamen putridi decidit, & nihil mortuæ carnis separari potuit, sed fuit caro quasi spongia adusta, cruenta, sanguine turgens & stillans. Cæperunt & aliis in locis, ad latera, & supra talos fungi se efferre fædo & horrendo aspectu, ut pars illa pedis magnitudinem capitis superaret. Tandem ad sectionem ventum, & præcisum est pedium usque ad os naviculare & calcis: quod abscissum est, caro fuit tota fungosa, partim putrida & corrupta, partim coagulata, densa & viscidæ pinguedini porosæ similis, pondere fere ℔. iiij. Verum sequentibus diebus spongiosa caro, iterum magna vi prorupit, & quantum interdiu auferebatur, tantum noctu iterum succrevit. Denique tumor magnus ad sinistrum inguen loco, quo glandulæ sunt, in femore exortus est, specie plane similis ei, qui in pedio ab initio conspiciebatur, qui & ipse postea, sua sponte ruptus est, ex quo magna spongiosæ carnis copia excrevit. Non ita multo post puer in vivis esse desiit.

Altera historia hæc est: Puer duodecim annorum, dentium dolore graviter vexatus est. Deventum tamen ad extractionem: extractus est unus ex dentibus superioribus. Oritur postea tuberculum in palato prope illum dentem, magnitudine nuclei pruni. Isthinc cum esset molle, nec sponte aperiretur, pus subesse creditur: aperitur, sed nihil effluit, nisi aliquot sanguinis guttæ. Postea vero caro spongiosa, nigricans prorumpit; quæ usque adeo increvit, ut non solum per os promineret, sed & per nares excresceret, pueroq; tandem mortem afferret. Parentes primam mali causam suspicantur hanc fuisse. Puer ictus fuit pila nivea cui lapillus inclusus fuerat, ad interiorem oculi angulum. Eo loci post menses tres ortum fuit tuberculum, quod postea præsente illa carne spongiosa in fistulam quasi degeneraret. Hæc eo fine ad te vir Clariss. scribo, ut ex te audiam, quid tibi de generatione fungorum videatur. Faciunt

quidem antiqui Chirurgi, Guido, Theodoricus, & alii mentionem excrescentiarum, natarum, seu naptarum, ut appellant, quæ apostemata magna, carnosa & mollia sunt, esse dicunt: fungorum tamen, quantum quidem memini, mentionem faciunt tantum in vulneribus capitis. Itaque ad me perscribas velim, an hi, quos in suis duabus historiis descripsi, veri fungi fuerint si non pro fungis habes, ad quod genus tumoris pertineant. Si vero pro fungis agnoscis: qui fit, quod authores, saltem in capitis vulneribus de iis mentionem faciant? Verum itaque fungorum subjectum scire velim. Quid si illud sit membrana in genere aut quodcumque corpus membranosum? Sed nihil definire volo: verum tuum ea de re, & aliquid etiam de vera fungorum curatione (si quid præter illa, quæ in observationib. sunt, habes) expecto. *Idem ibidem.*

Fungus ex capitis vulnere pulveribus ex spica, Et schœnantho inspersis sanatus.

In consilium vocatus, vidi patientem vulneratum in syncipite, cujus vulnus ad cranium usque & duram menyngem pertingebat; cum vero ægrum aliquot post dies à vulnere inflicto reviserem, observavi fungum avellanæ magnitudine. Consului ut inspergerent pulveres ex spica, & schœnantho, quorum usu, sequenti die attritus est, & brevi etiam propriis remediis vulnus sanatum. Quo remedio sæpius fungos sanavi, ac proinde tanquam arcanum vobis propono. *Domin. de Machettis observ. Medico Chirurgic. Sylloge.*

Fungus Palati cum carie, scalpello & cauteriis feliciter extirpatus.

Multi magni morbi sæpius à nobis curarentur, si magis fiderent Medico, minusque meticulosi forent afflicti. Nobiliss. Dominus Colin, Jurisconsultus, dum viveret apud Amstelodamenses meritissimus (cujus nomen propter raram & inauditam animositatem in admittendis & sufferendis remediis, licet durissimis, præter morem appono) ante aliquot annos me convenit, dicens sese aliquid incommodi in postica & laterali parte palati sentire; quo viso & bene explorato, hisce usus sum verbis; Noli Spectatiss. Domine hoc malum flocci facere, & multo minus unicuique revelare; verebar enim ne in manus incideret eorum, qui omnis generis remedia nil profutura illi præscriberent, imò periculum, quod erat præ foribus, interim augerent. Hisce auditis, rogavit me Dn. Patiens, qualis esset affectus, quomodo & quibus remediis morbo occurrere vellem? Respondi malum consistere in carie posticæ & lateralis partis ossis palati cum carnea excrescentia fungosa eandemque excrescentiam esse extirpandam, & ossis cariem inurendam. Patiens generosissimus hanc curam diu non distulit, ast vero quamprimum vocari jussit Allardum Cyprianum, Petrumque Adriani filium, Chirurgos dexterrimos; qui eandem a nobis propositam commendarunt curationem. Itaque confectis cauteriis loco affecto appropriatis, universalibus præmissis ut & dentibus aliquot molaribus qui nobis in ipsa operatione obstitissent, evulsis, aggrediebamur curam ut sequitur. Omnibus prospectis & ritè præparatis, monuimus patientem, ut digitum elevaret simul ac inustio suffocationis periculum afferret, & diutius non esset ferendo, ipseque respirare vellet; nam experientia eramus edocti tantum fumum oriturum, quantus in renovandis soleis equinis excitatur: Hisce monitis frustrum ligneum digiti crassitie inter utramque maxillam immisimus, ne in operatione os clauderet; posthac scalpello acuto, recurvato, & secundum palatum accommodato, abstulit alter Chirur. totum tumorem, alter interim buccarum partem interiorem spatula admodum lata muniebat ne à cauteriis nimis læderentur, in quem finem etiam spleniis è linteo carpto confectis & aqua frigida madefactis buccis prospiciebat. Ablato tumore cauteria candentia successive fortiter unum post alterum adacta sunt, donec videretur sufficere: cum interim patiens digitum attolleret, eduximus dicta cauteria candentia. Hisce peractis composuimus ægrum in lectum, non sine facetis verbis, quibus subsidens nos alloquebatur. Interim præscripsimus hordeatum ad ardorem compescendum, ut & oris collutionem dolorem leniendi causa. Sequenti die invenimus afflictum nemini magis esse dissimilem, quàm sibi ipsi, ita intumuerat ejus caput, propter inflammationem immanem, unde etiam à febre haud manserat immunis. Hæc omnia remediis inflammationi resistentibus oppugnantes, brevi inde cessaverunt & inflammatio & febris. Interim ad escharæ casum promovendum, decoctum maluæ, ficuum &c. usurpavimus, addendo sufficientem quantitatem mellis rosacei, quod pro re nata mutavimus. Post escharæ separationem omnibus rubicunds apparentibus, videbamur in portu navigare. Paulo vero post exigua particula carnis fungosæ in conspectum sese dedit, quod nobis ansam dedit cogitandi malum non esse in totum eradicatum; Itaque novam inustionem commendavimus, quam æger neutiquam renuebat, dicens: facite quod artis est. Proximo die instituimus novas inustiones cum simili fere eventu, caput enim rursus vehementer intumuit, comite febricula, quæ iisdem profligavimus remediis, brevique post in totum convaluit patiens, qui postea per plures annos incolumis vixit. *Ruysch. observ. Anatomico Chirurgic. Centuria.*

Similis casus, dissimilis vero eventus ob Medicastrorum inscitiam.

Eodem fere tempore quidam contra fungosum palati sui sarcoma, junctamque ei cariem, remedia quæsivit apud Pharmacopeos, & audaces medicastros, quorum cæca & stolida temeritate malum eo ducebatur, ut propemodum esset inexpugnabile. Tandem frivolorum istorum nugatoriis remediolis fatigatus me aliosque accersivit; Audito vero, sine inustione nil boni esse sperandum, recusavit nobis obedire, eo magis quod non deessent, qui enim spe recuperandæ valetudinis inescabant, solis scilicet

cet medicamentis loco affecto applicandis, quæ tamquam secreta nec ulli revelanda servabant. Post aliquod tempus me de novo consulvere consanguinei, dicentes ægrum inustionem admissurum: quid fit? Chirurgus, qui curationi preærat, inurere partem affectam volens, eum in finem cauteriolum, quo dentes cariosos inurere solemus, attulerat: Rogatus quid facere vellet, respondit, palati cariem inurere. Quum vero audivisset qualibus cauteriis indigeret ad opus illud perficiendum, animus fere illi defecit; & sic patiens defectu requisitorum remediorum miserrimè per aliquot hebdomadas adhuc vixit, donec vitam cum morte commutaret. *Idem ibidem.*

Fungus ex vulua excisus.

Fungum primum indolentem vident Medici; Sed mox non sine alicujus doloris sensu. Qui eò plerumque fit gravior: quo plus æstu & à præassata bile; Cujus uberior affluxus, excitat in ipso non modo dolorem, pruritum, ac inflammationem, sed interdum utique livorem, & post illum, veram carcinomatis naturam. Uti evidenter demonstrant mammæ, lingua, labia, guttur, vulua; aliæve partes, vel raræ ac teretes; vel glandulis ita refertæ; ut facilè degenerent in fungos: proximum carcinomatis subjectum.

Ex cancroso oris fungo, sequitur præter ardoris, ac doloris sensum, frequens ac molestum illud sputum: quod Hipocrates in coacis prænotionibus, cap. 16. aph. 36. πτυελισμὸν vocat cujus naturam asserit in eo consistere: quod præcedat pus, ex thorace eruptum. Sed in uliginosa nostra Hollandia, terminat plerumque, ceu fidissima crisis, febres etiam vehementissimas. Utique variolas internas, & interdum contumacissimos, obstructi lienis, affectus. In quibus nonnumquam ejusmodi ptyelismus excurrit, ultra mensis curriculum.

Quod si verò fungus aliquis valuam occupet: irritat illam continenter, & effundit menstrua ipsius non minus copiose, ac si instaret verus partus: à quo tamen fixus hic tumor minimè quum expellatur; necesse est tandem confugere ad scalpellum & ejus ope radicitus evellere: quod nequiit exstirpare irritus ejuscemodi partus.

Sed artis est talem sectionem vel audere, ritè perficere, in tam obscuris tenebris. In quibus tamen illam bis vidi, non minus secure justitutam: & fungum ejus loci à Bernardo Ollulario, Chirurgo dexterrimo: sine ullius partis offensa, non secus ex vulua excisum ac si subdio & in loco maximè obuio scalpellum suum direxisset.

Matrona pia ac verecunda, lacessita aliquandiu ab immodico menstruorum profluvio, incidit tamen in urgentem urinæ difficultatem: & ex illa, quasi in veri partus conamina, à quibus licet nihil expelleretur solidi; dilatabatur tamen inde usque eo angustum vuluæ os: ut obstetrix in auxilium vocata, potuerit illic sentire fungum vuluæ tam firmiter basi sua, adnatum; ut nulla vi inde dimoveretur.

Qua propterea desperata, itum fuit ad Chirurgum, jam nominatum qui (explorata convenienter tumoris natura) scalpellum suum nec timide dimisit in sinum pudoris; nec infeliciter excidit fungum hunc uteri, æquantem magnitudine sua ovum gallinaceum. Mirabantur amici præsentes, hinc fiduciam ægræ, alias maxime verecundæ: illinc vero, non minus audaciam secantis; aggredientis tanta animi præsentia, tam inauditum, ac insolens opus.

Cujus ope ubi exemisset fungosam hanc excrescentiam, cessabant illico dolores, menstrua inordinata, sed præcipue indefatigabiles illi conatus, quibus continenter stimulabatur uterus ad expellendum onus, plus æquo sibi molestum; quod tamen post anni curriculum sensit iterum illic increscere. Sed mutabatur brevi in pus; quo cum, frustulatim ibi excideret; liberavit ipsam à repetenda sectione, sed nequaquam à continuo fœtore; vehementibus angustiis, & frequentibus animi deliquiis. Quorum symptomatum ergo, necesse habuit deinceps integrum decennium, immundam hancce valuæ illuviem, aliquoties abluere per insequentem clysterem.

♃. Herbarum, plantaginis, boni Henrici, singularum manipulum. Solani, pyrolæ, veronicæ singularum manipulum medium. Seminum lactucæ, cidoniorum, singulorum dragmas duas. Decoquantur ex aqua hordei, admiscendo novem ipsius uncus, succi semper vivi majoris unciam unam, mellis rosac. uncias duas myrrhæ dragmam mediam, misce, fiat clyster uterinus. *Nicolaus Tulpius observ. Medico Chir.*

Fungus cancrosus in interiori matricis colli parte.

Honesta quædam Vidua hic Hagæ habitans quadraginta circiter annos habens, temperamentique calidi, ac sicci, nec non atra (quam jam olim dixere) infestabile de tumore quodam extra corpus propendente mihi quæsta est, quem non parum incommodi sibi adferre, quoque velut stimulis assidue se pungi dixit; fœtore insuper ingenti illum abundare, ac instantibus catameniis, extendi, multoque ampliorem fieri, asservit.

Quamobrem non parum solicita meam imploravit opem. Ipse autem suasi, uti, præparato, prout deceret, corpore, quicquid hoc esset tumoris (malignum namque perspexeram) Manuali Chirurgi opera tolli juberet. Cum itaque (nec enim alium mali finem videbat) consentiret, rem cum fratre *Ioh. Stalpartio vander Wiel*, nec non cum tunc quidem Chirurgo, nunc autem & Medico *Cornelio Solingio* communicavi.

Tumorem itaque hunc exacte perspectum fungum sive colli matricis excrescentiam cancrosam esse comperimus, anteriori quidem parte latiorem, posteriori vero angustiorem. Statuimus idcirio basin hujus excrescentiæ, si contingere daretur, valido cingere filo, ac quotidie paulo arctius vincire, ut siquidem fieri posset, tumor à sana parte separaretur. Rem itaque agressi duplici fili circuitu anteriorem, crassioremque excrescentiæ cinximus partem; Chirurgus autem, quod utramque manum eodem tempore vagina non admitteret, digitis sensim eo usque promovit filum, ut basin attigisse crederet: tum vero ob viæ angustias præpedi-

pediebatur vinculum contrahendi facultas. Id tamen ut perficeretur, nihil consultius duximus, quam si utramque fili extremitatem crassiori firmiorique alligaremus specillo, ut hoc contorso, illud contraheretur, coarctaretque excrescentiam; hoc autem ita successit, ut illa intra quatuor, vel quinque dies alimento destituta protinus decideret. *Stalpartius Vandor Wiel in observ. Medico Chirurgic.*

Casum huic nostro admodum similem refert *G. Segerus miscell. med. phys. Germ. dec. 1. an. 2. obs. 21. fol.* 200. de honesta & pia vidua, atque temperamento melancholico prædita, annorum circiter 47. cui excrescentia fungosa, fœtens, & sphacelo postmodo correpta, uterique prolapsum mentiens propendebat è vagina, post cujus extirpationem ægra è vita decessit, cujus cadevere aperto sphacelosam illam substantiam nihil aliud fuisse compertum est, quam excrescentiam fungosam ex uteri collo majori prope vesicæ orificium enatam, ac à mensium & corruptorum humorum affluxu procul dubio ampliatam, atque dilatatam. Ejusmodi ferè excrescentiæ mentionem faciunt dictæ *Ephemerides German. dec. 2. an. 2. obs.* 186. *fol.* 413. *&c.*

De maligno fungo scribit. *N. Tulpius in obs. Med.* qui è vagina excisus gallinaceum æquaret magnitudine ouum; ex hoc autem proximè sequenti anno eodem apparente loco temporis tractu malignum, fœtidumque ulcus natum, cui purgando, abluendoque mulieri assidue syphone aqua repleto opus fuerit, addit, cap. 34. agens de maxima uteri excrescentia, quæ excisa pugno magnitudine par esset; hanc autem crassa, firmaque exterius cinctam membrana, at interius albescentem, ac glandulosam fuisse scribit, at postea non rediisse.

Theod. Kerckringius obs. anat. 53. de muliere quâdam memorat Coloniæ Agrippinæ habitante, cui in interno uteri ore carnosa fuerit excrescentia, quæ per totam sese diffundens vaginam, atque extra corpus propendens multis uteri procidentia credita sit.

Plura ejusmodi habent *Victor. Trincavellus lib. 9. cap. 15. Aretæus acut. lib. 2. cap. 11. Hieron. Fabr. ab Aquapendente oper. Chirurgici cap. 85. &c.* Idem in Scholio observationis mox allatæ.

De Fungis Microcosmicis.

Juvenis XVII. annorum in sinistro hypochondrio primum, post circa genu illius lateris leves quosdam ultra mensem incurrit dolores, quos, cum negligeret, à tumore circa genu oborto claudicare incepit, donec dolor & tumor totum femur occuparet, & omnimodum pedis istius usum auferret. Ad parentes suos Chemmicium delatus, & acerbissimis doloribus affectus, chirurgi nostri Theophili Voigtii opem implorabat, qui, ut dolori occurreret urgenti, varia cataplasmata, vesicatoria tandem, & potentiale cauterium femori applicuit. His nil juvantibus, ubi & ego vocor, ægrum à continuis doloribus tantum non exanimatum invenio. E sinistro hypochondrio materiam calidam & acrem ad genu defluere querebatur: tactu locum affectum exploranti humor supra genu fluctuans occurrit.

Præmissis igitur præmittendis, sequenti die, ut aperiatur tumor, jubeo. Effluit cum impetu ad tres fere uncias materia serosa crocei coloris, qua evacuata, & turunda molli vulnuscvlo occluso, ultra horam quiescebat æger. Redit doloris acerbitas, materia tamen ista evacuata remittit, & exhibitis anodynis patiens placidam transigit noctem. Dolore sequenti die recrudescente turundam iterum removere jubeo, & serum loturam carnis referens, circa vesperam autem portiunculæ fungosæ sero isti junctæ evacuabuntur, ex quo caussam illius doloris singularem, & vix curabilem affectum, cum à fungis intra cavitates musculorum latitantibus dependere videatur, enuncio. Nec fefellit prognosticum; non tantum enim singulis diebus notabiles fungos extrahebat Chirurgus; sed & cum post obitum femur illud & genu ipsis Cal. Maii 1673. dissecaremus, musculos omnes emaciatos, & fere tendinosos invenimus, intra eorundem autem cavitates varios fungos, tumoris & doloris autores: Consumtum præterea in osse femoris conspiciebamus periosteum, nec ossis superficiei pepercerat humoris acrimonia, absque tamen nigredinis aut putredinis alicujus notis: ubi caput seu pars femoris inferior cum tibia per γιγγλυμὸν articulatur, cartilago luxurians tumoris in genu causa deprehendebatur, quæ molam sive patellam genu loco moverat, & extensioni & ambulationi pedem fecerat ineptum. Infimum ventrem aperire erat animus, sed parentes id piaculum reputabant, quocirca mali fontem rimari non licuit.

Occurrunt hic quædam, quæ considerationem utique merentur. Materia, è qua fungi generantur, aliquando è loco, in quo propullulant, aliquando è locis remotioribus scaturit, illaque haud raro acris existit & corrosiva, quod non solum dolor evincit, verum etiam ossium, solidissimarum corporis nostri partium, absumtio. Favet huic pronunciato etiam subsequens historiarum biga.

Fœmina quædam fungum in pollice pedis dextri gestabat, qui à linimentis & emplastris à balneatore quodam illitis & applicatis irritatus, & sensibilia sumebat incrementa, & dolores inferebat intolerabiles. Hic unciam pendens, una cum pollicis anteriore articulo, amputatus, non solum unguem, sed & ipsum os in sui substantiam converterat, immo in osse radices egisse, aut ex osse in mucorem resoluto, aut tabescente, haut secus ac ex C. C. rasi sanie (vid. Verulam. Syl. Sylvar. cent. vi. n. 546. p. 864.) prognatus videbatur, eo, quod radix illius cartilaginosam præ se ferebat duritiem.

Idem mihi videre ante triennium fere contigit in quodam hujus loci pannifice, quem etiam fungus in pollice pedis dextri mirum affligebat in modum, qui una cum pollicis articulo dextre ablatus, eandem totius ossis propalabat consumptionem, ut adeo mirum non sit, si ipsi fungorum substantiæ aliquando officula impacta compareant. Infelicior erat pannifex illa fœmina, quod facta articuli diminutione non tantum non minuebantur dolores, sed & è vulnere alii nascebantur fungi: illius vero vulnus post duarum septimanarum decursum perfecte consolidebatur. Caussa fuit non alia, quam

quod materia fungorum in fœmina in loco affecto delitescebat; in viro in inguinis dextri glandulis, quas duras tumidasque instar bubonum ostendebat; perinde ac juvenis istius in parte abdominis interna. Referebat Chirurgus se in alio, cui in digito sinistri pedis excreverat fungus, inguinis glandulas similiter tumidas observasse, quo una cum fungo pedis digito ablato vulnus quidem ad cicatricem perducebatur, è suppuratis autem postmodum glandulis erupisse fungulos, mortis lentæ, acerbissimæ tamen, præcursores autoresque. Agyrtarum præterea, barbitonsorum & balneatorum gloriatio est, se curasse, aut curare posse, si fomenta non juvent aut emplastra è cauteriis, immo ipsa sectione illos, quos vocant *die Glidt-Schvvamme*, genuum tumores. Ego vero in his tumoribus semper cartilagineam excrescentiam adverti, qua & patellam loco movet, & pedum usum sufflaminat, & proinde illis, qui curari nequeunt, annumeravi. Quadriennium est, cum in vicinia nasutulus quidam mulieri cauterio potentiali circa genu applicatio consulere conaretur; sed non multum aberat, quin inflammatione, tumore & doloribus excitatis gangræna superveniente in vitæ discrimen conjecisset alias miserrimam. Interim tumores genuum à flatibus & humoribus ortos curationem admittere neutiquam nego. *à Christophor. Frider. Garmanni.*

FVRFVRES
Vid.
PILORVM VITIA.

FUROR UTERINUS.

PLato duas maniæ species celebrat, unam ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων ab humanis morbis alteram ὑπὸ θείας ἐξαλλαγῆς à divina alienatione; hujus iterum quatuor constituit partes, quibus totidem Deos præponit; ac μαντικὴν ἐπίπνοιαν tribuit Apollini, τελεστικὴν Dionysio, ποιητικὴν Musis ἐρωτικὴν Veneri & Amori, hancque omnium optimam esse docet.

De furore Venereo seu Amatorio non Platonice, sed Medice hic disserimus, quatenus morbi fœtura est. Eiusmodi furor à membro principaliter affecto, scilicet vtero, vterinus, Græcis μητρομανία dicitur. Sunt qui νυμφομανίαν vocitent; sed improprie, quod cutacea illa pudendi muliebris epiphysis quam νύμφην & τὸ μύρτον appellant, verum non sit huius passionis subiectum: attamen Nymphomaniæ vocabulum admitti potest, eo sensu quo veteres Anatomici clitoridem Nymphæ nomine donabant. clitoris enim, veneris aculeus, in hoc affectu manifeste tumet atque incalescit.

Definitur Delirium ferinum sine febre effrænem ac inexpletam veneris appetentiam inducens. Cum maniâ conuenit conturbatæ mentis sævitie, & ἀπυρεξία: sed ab illâ seiungitur quod non ab atrâ bile, sed à seminis feruentioris plethorâ ducat originem; quodque desipientia pro halituum è semine euectorum ac imaginationem pulsantium conditione, circa rem veneream peculiariter versetur, ita ut petulcæ ægrotantes nihil aliud vel loquantur, vel cogitent.

Causa proxima non est putridum semen ut in hysterico pathemate, sed genituræ incorruptæ quidem, at uberioris & acrioris, in vasis uterinis orgasmus; hinc enim uterus, partesque ipsi annexæ cum internæ tum externæ, & præcipue clitoris φλόγωσιν concipiunt, ac cerebro per medios vapores in συντιμωρίαν tracto, fœmina dementatur, & furiosarum libidinum æstu percellitur.

Cur sola mulier hocce furore crucietur, virque ab illo immunis viuat, quanquam semine præditus multo activiore, duplex est ratio: prior ex parte τοῦ ἐπιδεκτικοῦ, id est causæ suscipientis, quod vir sui potentior sit; fœmina vero, iudice Hippocrate, sit ἀθυμοτέρη καὶ ὀλιγωτέρη, pusilli demissique animi: posterior ac præcipua ex parte τοῦ ποιητικοῦ, hoc est efficientis causæ, quod virile semen in vesiculis seminariis ac prostatis glandulosis ad utriculi urinarii ceruicem sitis, tanquam in penu ac promptuario asservatum, inde ad caput non commode vaporet, nec istis particulis res sit cum cerebro: Mulieres autem eiusmodi vesiculis ac prostatis destituantur, quarum quippe vascula ejaculatoria non ad vesicæ collum tendant, ut in maribus, sed ad vulvam cuius præsigne est consortium cum cerebro. Quemadmodum sonus secundum trabis ductum procul & rectà excurrit, ac fumus iuxta pali erecti longitudinem alte effertur; sic per continuitatem spinalis medullæ, cui uterus robustis connectitur ligaminibus, expedita est fuliginum ex arvis muliebribus ad cerebrum ἀναφορία.

Hippocrates, si vulgo credatur, hunc morbum oriri ait à sanguine menstruo, qui in virginibus viro maturis effluvio carens, ad cor & diaphragma præ multitudine regurgitat: vnde cor primum infatuatur, indeque torpor, & ex torpore dementia inuadit. Satius tamen videtur textum istum de matricis strangulatu vel de melancholico delirio, vel de vtriusque affectus συμπλοκῇ interpretari, quam de insania uterina; ut reuera Hippocrates timoris à caligine nati eo loci meminit, qui melancholiam non furorem testatur.

Arbitrantur nonnulli in maniâ hystericâ, Veneris thyrso mentem percuti, ob errorem externum, à nimiâ videlicet obiecti vehementiâ, ut fit in ira, amore, cæterisque animi passionibus; quo pacto etiam animantes quibus toto anni cursu in Veneris conflictum prorumpere negatum est, accedente statâ iugandi tempestate, maxima seminis ebullientis plenitudine turgent quæ ipsas furiare solet: proindeque nullas anathymiases è seminis minerâ ad μέρος ἡγεμονικὸν importari autumant; sed appetitum veneris naturalem qui in utero positus est, ubi à spermatis copiosi atque præferuidi stimulo ultra modum pungitur, appetitum animalem in cerebro tantopere commouere, ut hic immoderatior factus, excusso rationis à qua compesci deberet, dominio, eam secum abripiat.

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Indeque in pudicis fœminis luctam fieri obseruant appetitus sensitiui & rationalis qui illius procellas pacare nititur, ac mulieres nimium coëundi desiderium præ pudore aliquandiu

diu occultare, donec tandem ratione subuersâ, propudiosæ euadant.

Aliquis etiam opinari posset, ipsummet animalem veneris appetitum non cerebro inhabitare, sed utero, quem ideo Plato ζῶον ἐπιθυμητικὸν vocavit, haud secus ac animalis cibi potusque appetentia in superiore ventriculi orificio collocata est; adeo ut metromania respondeat bulimiæ, vel siti immoderatæ à quibus delirationem longe abesse constat.

Veruntamen in hoc affectu τὸ φανταστικὸν καὶ τὸν διανοητικὸν perturbari ex cogitationum, dictorum factorumque absurditate liquido colligitur; Nec idcirco furor uterinus, sed simplex lascivia fami caninæ meretur comparari. Certum est etiam istas facultates teneri desipientiâ proprie sic nuncupatâ, potius quam ob errorem externum solummodo deprauari; secus vix vllum unquam dabitur deliramentum, ipsaque mania nihil aliud erit quam prægrandis incandescentia rationem inun ans. Igitur in furore uterino ægrotatio imaginatricis ac ratiocinatricis potentiæ causa est effrænati appetitus animalis, non è contrario; aliterque se res habet, quam in effusis animi pathematis; hæc enim licet mentem extra quadrum, ut loquuntur, promoueant; per se tamen & proxime non insunt τῷ λογιστικῷ, sed τῷ ἀλόγῳ animæ, neque ideo cadunt in Virum sapientem quem Philosophia moralis appetitus sensitiui violentiam refrænare docuit; cum morbosa deliria ne fortissimis quidem, Stoicisque hominibus parcant, quoniam à cerebri valetudine dependent, quæ rationis imperio non subjicitur; hancque ob causam in animi passionibus sentiunt homines se vitiose agere, nec in foro ciuili, ac multo minus in foro conscientiæ excusatione digni sunt: delirantes vero, ac speciatim fœminæ ex vtero insanientes se transuersas raptari ignorant, insontesque merito habentur.

Domicilium appetitus venerei quod attinet, an illud in cerebro, an in membris procreationi dicatis assignari debeat, controversia est Physiologica non Pathologica, nec proinde huius arenæ.

Causa interna caloris & acrimoniæ in semine gemina est, partium seminis fabricationi destinatarum, testium nempe & vasorum spermaticorum exuperans caliditas; ac sanguinis è quo semen conficitur, feruor immodicus vel per se, vel propter mordacium, salsorumque humorum mixturam. Menstrua quoque non ex voto irrumpentia ad hancce insaniam conferunt; ab his enim præsertim si calidiora fuerint, vterus una cum suis vasis ac semine in ipsis contento efferuescit: quamobrem appetente fluore menstruali, mulieres magis subant ob voluptuosum pruritum ex pleniore sanguinis ac spirituum aduentu.

Causæ procatarcticæ furoris hysterici multiplices sunt ἀπὸ τῶν διαιτημάτων sive sex rebus non naturalibus mutuandæ. Primo cœlum æstuosum atque squalidum, ut κυνοκαύματος tempore, cum ingenti Sirius æstu terras adurit: Nam sicuti, autore Philosopho, viri æstate minus quam hyeme ruunt in venerem, quod intensus eorum calor dissoluatur à caliditate ambientis: ita ex aduerso mulieres per æstatem magis quam per hyemen ad clinopalen instigantur, quia frigidius ac ignauius illarum semen ab æstiuo calore redditur actuosum, ac per compensationem contrariæ qualitatis refouetur; ideoque Ægyptiacas fœminas, veneris in tantum famelicas esse narrat Herodotus, ut cum hircis rem habeant: produnt quoque historiarum Indicarum Scriptores Americum Vesputium ad quamdam noui Orbis oram appulisse, ubi mulieres libidini adeo erant deuinctæ, ut Bacchantum more in nautas furerent.

Sed potissimum victus ratio est ἀφροδισιαστική uniuersim quidem dapes saliares & opiparæ, dapsiles ac Sybariticæ mensæ, fercula ganeata iuxta Archestrati opsodædali, vel Apicij, quem Plinius nepotum omnium altissimum gurgitem appellat, artem culinariam parata: mirumque philtra tam graviter interdici, dum interim coquis permittitur, inquit Plutarchus, alimenta μαγγανεύειν καὶ φαρμάττειν. Priuatim vero inter irritamenta veneris languentis & acres diuitis urticas numerantur, aromata omnia; embammata, pulpamenta, tortiua iura quibus succulentæ ac polytrophæ carnes infriantur; gallorum cristæ atque testiculi; oua recentia ac tremula; præterea panes azymi (si Didymo credendum) ἐνεργητικώτατοι εἰσὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια efficacissima sunt veneris incitabula; item asparagorum turiones; echinatæ scolymorum pineæ, eorumque thyrsuli; nuclei pistaciorum; pinei strobyli, boleti; tubera, ac pleraque legumina, ut pisa, fabæ, cicera admissariis equis exhiberi olim consueta In genere quodcunque cupediarum genus, omnisque ventris saturitas, seminarium est venerei amoris; Nihil sic inflammat corpora ac titillat genitalia membra, sicut indigestus cibus, ructusque conuulsus, inquit B. Hieronymus. Venter etiam meracopr æ ertimque dentato ac καυστικῷ exæstuans cito despumat in libidines: Non Ætnæi ignes, ait idem Hieronymus, non Vulcania tellus, non Vesevus & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ: nec immerito lasciniæ iumentum frænis inediæ subiugandum esse alibi suadet. Quædam mulieres in ἔκστασιν uterinam illapsæ sunt propter usum vini Hippocratici, cui aliquid boracis fuerat dissolutum.

An inter venerea illectamenta sal veniat recensendus ambigitur. Non pauci contendunt, ut à rutâ atque menthâ, sic à sale ope caloris atque siccitatis genitalem succum consumi.

Vrunt res salsæ visum, semenque minorant.

Ita Abimelech Sichemorum urbem expugnatam soloque adæquatam conspersit sale, in perpetuæ infœcunditatis notam: ad cuius forsan exemplum hodierni Magistratus reorum læsæ Maiestatis ædes demolitas sale aspergunt. Aliis placet quemadmodum sal adeso sanguine per se emaciat; sed per accidens pinguefacit, alimentum ad partes deuehendo (nam Apollonius, Herophili discipulus macros ægros ac inuberes cibariis salitis recorporabat, ac Hippiatri equos impinguant, pauco sale escæ admixto) sic moderatam salis usuram esse prolificam, quatenus sanguinem ad seminis officinam deducit. Nonnulli denique à sale semen quidem incendi; sed eius copiam detrahi existimant.

Nos plurimis documentis nixi, veneris ardorem sale proritari, virtutemque fœcundam ei

inesse

inesse iudicamus, ita ut Grammatici vocem salax à sale non inepte deriuasse videantur. Nam lymphæ minerales sale impregnatæ à sterosi vindicant: aqua Nilotica quæ nitrosa est, multarum fœminarum viscera longiore præclusa sterilitate, ad conceptum relaxauit: vena spermatica sinistra ab emulgente exoritur, ut seminis materia, salsuginis seri redderetur particeps, ac illi salaciores sunt, quibus utraque spermatica ab emulgentibus emergit: naues sale onustæ sunt murium feraces; imo non desunt Physiographi, qui mures absque masculi opera solo salis linctu impleri affirment: dato sale, canes ad generationem inertes catuliunt: oues aquam salsam bibentes maturius coëunt ex Aristotele: ac Sacerdotes Memphitici libidinem fugaturi à sale abstinebant, autore Plutarcho: populosissima est piscium salum incolentium Respublica: nec sine ratione Marini apud Ethnicos Dii omnium petulantissimi fingebantur, & Venus dicebatur ἁλιγενὴς saligena: stirpibus quoque propagandis sal conducit; hinc θάλασσιν ὕει opud Græcos dici solitum de summa fertilitate, ac plantæ maritimæ præ cæteris luxuriant: aquæ quoque ἀστραπαῖαι & κεραύνιαι, quia nitro imbutæ, irrigandis plantis sunt magis accommodatæ, docente Plutarcho; & Hippocrates ὕδωρ βρονταῖον commendat: notum est in Liuonia succensarum syluarum cineres solere tritico conseri, lætasque meti messes: nix suo nitro terris benefacit: agri stercorati fœcunditas sali quo fimus scatet, accepta fertur: Elisæus fontem Jericonis sale fœcundauit: & Virgilius;

Semina vidi equidem multos medicare serentes
Et nitro prius & nigrâ perfundere terrâ.

Denique totis corporibus nihil est vtilius, inquit Plinius, sole & sale: quasi ad humanam procreationem, simul cum sole & homine, sal tanquam tertius collega deberet admitti. Sed nimium à littore recessimus, reducantur vela.

præter aërem & alimenta, veneris illicium præbent somnus longior: supinus decubitus in culcitra plumea renes calefaciens, quod etiam præstant arctiora lumborum cingula: otium corporis & animi: θερμολουσίαι: familiaritas cum adolescentibus: unde B. Hieronymus: Cincinnatulos pueros & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas vocat pestes ac venena pudicitiæ: Obscœna etiam spectacula ac Fescennini versus, sunt Veneris poppysmata, sopitamque amoris flammam ventilant: uno verbo vita mollicula, deses ac luxuriosa: venus tandem præcox & immatura quæ nondum confirmato iudicio cupiditati habenas laxauit; qua de causa ut ex Aristotele colligitur, puellæ temporius viro copulatæ vitam degunt incontinentiorem: quædam etiam hoc malo tactæ fuerunt ex concubitu cum viris qui maiorem illaturi voluptatem; oleis calidioribus ac suaueolentibus veretrum inunxerant.

His omnibus addi debet fœminarum διάθεσις ac primo quidem temperies non sanguinea quæ semen copiosum, sed qualitatibus moderatum coaceruat; multo minus pituitosa, sed vel melancholica, vel biliosa: Mulieres namque melancholicæ & serosæ sunt & flatuosæ, unde seminalis humor à salsedine seri acuitur, & à flatibus turgescit: biliosis autem etsi ratione siccitatis, illiberalior insit seminis abundantia, bilis tamen flammescens geniales igniculos accendit; unde Poëtæ Marti Venerem coniunxerunt ob irascendi & concupiscendi germanas vires, & quod Martiales viri plerumque simul Venerei sint. Moderatam autem caliditatem siccitatemque intelligimus: secus si qualitates istæ plurimum exuperent, urinam genitalem, ut cum Plinio loquar, depopulantur. Ita leo quia calidissimus atque siccissimus, minime libidinosus est; cumque seminis & medullæ assimilis sit materia; ille quoque tenuem & exiguam habet, & quidem in paucis ossibus medullam, ac pleraque eius ossa non solum corneola sunt, verum etiam adeo dura, ut ex iis collisis quasi è silice ignis elidatur, autore Aristotele.

Secundo habitus considerandus est: nam ut carnosæ pinguibus, sic graciles carnosis magis uruntur.

Tertio statura; in proceris siquidem minus quam in paruis bulliunt libidinum incendia, quoniam in his & calor unitus vegetior est, & propter parciorem nutricatum plus restitat sanguinis in semen abituri: ita claudæ libidini magis indulgent, quod ad membrorum debilium ac decurtatorum nutritionem paucus sanguis sufficiat; narrantque Amazonas solitas fuisse infantes masculos exarticulare, non modo ut claudi nequirent insidiari; sed etiam ut in venere magis valerent. Idem dicendum de gibberosis quæ camelis idcirco comparantur coitum toto die exercentibus, referente Aristotele.

Qarto colorem cutis, & pilorum maxime in partibus pudendis cruribusque luxuriem oportet attendere: In illis enim quæ ex albo flavescunt, aut propter sanguinis adustionem nigricant, ac pilosiores sunt, scintillant magis ignes cupidinei quam in lacteis atque depilibus.

Tandem aphrodisia lymphatione sæpius tentantur puellæ viripotentes ὅσῃσιν, ut ait Hippocrates, ὥραι γάμου παρανδρούμεναι quibus instant nubendi tempus, cum mammæ sororiari, pecten iulis siue tenera lanugine vestiri, mensesque primum erumpere incipiunt; quapropter Aristoteles adeolescentulas eo tempore diligenter custodiendas esse monet: attamen iuuenibus, utut plenis annis nubiiles sint, hac insania frequentius vexantur maritæ ἄφοροι, dummodo nihil aliud adiunctum sit, quod venereæ procliuitati aduersetur: item mulieres coniugatæ quarum exardescens libido ab ignauiore marito haud satis restinguitur: ac postremo juvenes viduæ durissima sustinentes castimoniæ prælia; nam oblectamenti anteacti memoria, calcar est amoris, reique notæ ac expertæ appetitione premuntur magis; quocirca virgines instar brutorum, molestiæ vitandæ causa, Veneris contubernium optant; mulieres insuper μίξεως illecebris pellectæ, eius flagrant desiderio; quantumque in negotio veneris polleat retroactæ voluptatis recordatio, patet ex equo Dariano qui ad eumdem locum ductus, ubi pridie equam inierat, memor nuperrimi gaudii hinnitum statim edidit. Huc accessit assuetudo; nam crebro coëundi exercitio, præsertim in illis quæ ætatem consistentum nondum attigere, amplificantur seminalia vasa, eorumque simul ac testium vis attractrix usu roboratur: quare, cæteris paribus, fœminas viri consuetudine quondam potitas, nec in Amoris

palæstra amplius velitantes semine magis turgere necesse est, quam puellas ἀνοχεύτους quæ sub Veneris vexillis nondum militauere: recteque Tertullianus minus arduam esse virginitatis quam castitatis conseruationem probauit, & B. Hieronymus: Virginitas, inquit, in eo facilior est, quia carnis incentiua non nouit, & viduitas in eo sollicitior, quia præteritas animo recolit voluptates. Quanquam fortassis contingere queat ut quædam virgo venereos amplexus impendio magis iucundos concipiens quam reuera sint, illorum mulcedine acerbius angatur; Vnde idem Hieronymus alibi dicebat: Ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne quod nesciunt.

Differt furor uterinus à simplici verendarum partium prurigine, quod ille juniores, hæc annosas potissimum infestet, in illo contrectata genitalia sine dolore demulceantur, in hac scalptu magis inflammentur, & cum aliquo delectamento doleant; deinde quod pruritus aut coitus prolubia non conciat, si nempe illam pudendi particulam quæ venerei appetitus primaria sedes est, non occupet; aut fœminas vernis passerculis libidinosiores reddat sed sine delirio & furore; qua gallinacea ac indomita salacitate famosæ olim fuerunt; Semiramis Assyriorum Regina; Iulia Augusti filia; Messalina Claudii vxor quæ Venere lassabatur sed non satiabatur; Agrippina Neronis mater; & Faustina Marci Aurelii coniux.

Distinguitur à suffocatione hysterica, quia in hac mulieres manent attonitæ citra loquelam, respirationem & motum: In furore vero linguam habent infrænem ac prodigam, anhelant, & instar Furiarum agitantur.

Ut periti est Botanici, ait Galenus herbas internoscere, recenter φυομένας, proindeque inefsigiatas adhuc ac informes; sic nascens affectio, necdum numeris omnibus absoluta, nonnisi à Medico perspicacissimo detegitur, ac idiotæ quorum hebetiorem obtutum fugit morbus neophytus, huius diagnosin habent pro prognosi.

In prima igitur huius maniæ, ut ita dicam, ἐκβολῇ, inuictæ perennant vigiliæ, fœminæ jejunio deditæ sunt, taciturnæ.

Voluuntque curarum tristes in pectore fluctus.

Iactantur corporis inquie; frequenti sed clandestina locorum muliebrium prurientium, ardentium, atque intumescentium confricatione lætantur; oculos institores exactoresque libidinis hinc inde lasciviis evibrant; veneris vel audito nomine, eius cupiditate ardescentes erubescunt; pulsus concitatior est quo Erasistratus Antiochi in nouercam Stratonicem, & Galenus Romanæ mulieris in Pyladem histrionem, amorem deprehenderunt.

Adolescente iam morbo, ac ratione penitus prostrata, emotæ mentis seditio feruet in oculis, facies saturato perfunditur rubore. Nam quemadmodum quæ in civitate peraguntur, solent apud emporium promulgari; sic interiores hominis tumultus in vultus platea perspicue relucent: ægræ incessu furiali ambulant: iracundia παραλόγως capiuntur; rerum inhonestarum narratione gaudent, ac blando sermone, gratis gestibus, mellitis oculis, oreque beneuolo, virorum gratiam indecenter aucupantur; donec sæuiente furoris impetu, frontem commasculent, & sequestrata fœminea verecunda quasi œstro percitæ, non modo prætextata loquacitate proteruiant; sed audacissima quoque licentia viros propalam insectentur. Historia refertur nobilis cuiusdam matronæ cæteroquin honestissimæ, quæ & homines & canes ipsos ad congressum rabiose prouocabat.

Pax sequestra est placati huiusce morbi, qui postquam valedixit, quasi postliminió revertitur. Verum quia dimissionis intercapedine, ac per amica paroxysmi silentia, datur locus præsidiis quæ μανικὰς, θυιάς, φοιβάς, λυσσάς ægrotans alias respuebat, affectio infamis potius censenda est quam exitiosa, nisi cohibitum semen deleteriam corruptelam contrahat. Res enim præstantiores haud solum celeriore, verum deteriore quoque putredine dilabunt, ac tanto magis infestæ ac hostiles fiunt, quanto magis utiles affinesque fuerant, sicuti capitale est ac Vatinianum inter consanguineos odium. Lapides ac metalla non modo propter siccitatem atque densitatem; sed etiam quia simpliciora sunt, nec tot pugnantibus elementis conflata, diutissime imputria seruantur, ac dum computrescunt, minime fœda est eorum corruptio. At mixta ex plurium contrariorum συγκρίσει perfectius elaborata, ut lac, sanguis, semen, citius putrent, non modo ratione humiditatis quæ mixtio prompte dissuitur; sed potissimum quia plurimis particulis heterogeneis constant calore veluti ferrumine colligatis, quæ vi simul irretitæ, amore libertatis sese extricare assidue conantur, quo modo scripsit Hippocrates aquam pluvialem, omnium præstantissimam citissime putrere, quod ex plurimis congregata sit ac permixta. Nec tantum facilior, sed sordidior præterea ac putidior est eorumdem corporum ruina, ubi tam diuersæ quibus componuntur partes, rescisso communi quo tenebantur vinculo scilicet calore, velut solutis compedibus dissoluuntur, & quæ prius sese inuicem contemperabant, per ἀφέκεσιν sui iuris factæ, intensas recuperant qualitates. Cum igitur major mixtio, majoris putredinis occasio fit, semen ut est perfectissimæ naturæ, ita putrefactum ac ἐξιτήδιμον, veneni malignitatem induit, mephitimque pestiferam ad cor, cerebrum, & cæteras partes exhalat, unde interitus, perinde ac epoto malefico pharmaco, inopinatus, dirisque & insolitis symptomatis stipatus consequitur; atque unde vita, hinc etiam summa excitatur pernicies.

Quod si semen à venenata eiusmodi putrilagine sese tueatur; furor tamen perseuerans ex sympathico idiopathicus, ac ex hospite civis fit, lenta tabitudine miseras depascens. Inio ni diligens insanientium habeatur cura, tragœdia ad catastrophen brevius traducitur; Nonnullæ enim laqueo vitam sibi eripiunt, ut virgines illæ Milesiæ, quas sine ulla euidenti causa sese catervatim suspendisse refert Plutarchus: cuius euentus causa quærenda est ab Hipp. ὑπὸ πνιγὸς, inquit, ὑπὸ τῆς καρδίης πιέζιος ἀγχόνας κραίνουσιν, ab oppressione quæ circa cor est, sese strangulant: corde namque multitudine vaporum compresso, istius compressionis idea, imaginationi morbidæ jugiter oblata, hanc ad fauces sæpe constringenda

oblata, hanc ad fauces reste constringendas latenter impellit: quædam vero in fluuios puteosve desilire visæ sunt aquæ perfrigerium exoptantes; sic non ita pridem Lugdunenses mulieres tam atrox, tamque absurda incessit animi perturbatio, ut in flumina gregatim sese pronas deiecerint: quomodo olim in decantatissima illa peste Attica, ægri.

In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in vndas:
Multi præcipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente.

Aliæ tot ærumnarum mole oppressæ, quasque tandem tædet cœli conuexa tueri, diuerso spontaneæ necis genere pereunt. Ac profecto hunc affectum valde horrendum esse necesse est, quandoquidem Melampus, referente Herodoto, ob restinctum Argiuarum mulierum furorem, pacta prius cum Argiuis mercede, maiorem regni eorum portionem, sibi & fratri suo Bianti obtinuerit. *Antonius Meniotius Dissertation. Patbo.logicar. part.I.*

Curationes.

Phlebotomia sæpius, prout vires ferre poterunt, celebranda est, ut tota humorum massa, & ipse uterus refrigerentur, & sanguis fervidus ab uteri venis revellatur Postmodum purgatio instituenda est benignioribus composita, bilem aut melancholiam educentibus, prout alteruter humor redundaverit. Purgationi succedent julepi præparantes humorem peccantem, refrigerantes scillicet & leviter aperientes, per triduum usurpandi. Mox purgans validius exhibendum erit ad humores illos penitus infixos evellendos, cui usui conferre poterunt illa medicamenta purgantia, quæ in maniæ curatione fuere descripta, quæ per intervalla erunt repetenda.

Iterata purgatione ad uterum, & universum corpus refrigerandum, humorisque fervorem temperandum, sequens balneum erit utilissimum, idque pluries in morbi decursu erit repetendum.

♃. Fol lactuc salic. nymphææ, vitis, portulac, umbilic. ven. an fascj. fl. viol. nymphææ & rof. an. M. ji. coq. omnia pro balneo, quod ingrediatur tepide, sine sudore, bis in die longe à pastu.

Ad ulteriorem corporis refrigerationem serum lactis per multos dies exhibeatur. Proprietate specifica semen extinguunt sequentia.

♃. Fol. nymph. salic viticis, an. M. vi. fol lactuc portulac umbil. vener an. M. j. sem quatuor frig. mai lactue. & papav. alb. an. ℥ß. aneth. ʒij. fl nymph & viol. an. M.j. contunde omnia recentia, & irrorentur succo limon. & destillentur in B. M. ac singulis atquæ libris adde camphoræ ʒj. Capiat ℥j. frequenter. Vel ex prædictis simplicibus fiat decoctio & saccharo dulcoretur ad plures doses addendo camphoræ parum, vel fiat emulsio ex sem. frig. maj. lactuc. & papav. alb extracta cum aqua nymph. lactue. & salicis. cum syrupo violaceo. Opiata in hunc modum præscribi poterit.

♃. Conserv. fl nympsi. viol. & viticis, an ℥ß conserv. rof. ℥ß. caulium lactuc. condit. ℥. corall. & smaragd. præp.an. ʒj. cum syr. viol & nymph. F. Opiata.

In summa delirii vehementia somnum conciliantia utilissima sunt tam interna quam externa. In toto morbi decursu clysteres refrigerantes & blande purgantes usurpandi sunt, cavendo ab acrioribus & vehementer purgantibus.

Injectiones etiam fieri possunt in uterum ex decoctis herbarum pro balneo alisque remediis præscriptarum, quibus utiliter Sal Saturni addi poterit. Clysteres frequentes ex oxycrato ad hoc quoque conferre poterunt Exterius linimenta refrigerantia, lumbis, pubi & perinæo admovenda sunt. ex ol. nymph. unguento rosac vel albo refrigerante cum succis solani, hyoscyami nymphææ dissolutis, addendo parum camphoræ; tum lamina plumbea perforata supra renes continuo gestanda. Ratione causæ hujusmodi virgines viro juveni *ac valido jungantur. Lazarus Rverius, prax, medic. lib. 15. cap. 5.*

Curatio furoris uterini absolvitur primo venæ sectione, si sanguis abundet secundo purgatione, si humores adusti calidi permisceantur; ubi imprimis prosunt alterantia, quæ vim habent serum simul educendi.

♃. Mass. pilul. de fumar. ℈i. scammon. sulphur. gr. sacch. saturni gr. iiii. M. F. pilulæ pro una dosi.

♃. Aq. nymph. ℥iß. syr. de nymph. ʒiii. pulv. cathol. purg. ℈i. M. pro una dosi.

♃. Syr. cichor. cum rhabarb ℥i. aq. nymph. ℥ß. scamm. sulphur. rof. gr. viii. M. pro una dosi Tertio alterantia refrigerantia, ut sunt lactuca, portulaca & occulta qualitate agentia, v. g. ruta vitex, cannabis, camphora, cicuta, quæ in monialibus potius usurpanda.

♃. Aq. castitat. ℥iiii. syr. de nymph. ℥iß. sacch. saturn. chrystall. ℈i. M. Dosis 2. vel 3. cochlearia.

♃. Sem. cannab. ℥ii. lactuc. portulac. ana. ʒii. cum s. q. aq. nymph. f. e. a. emulsio. adulcoretur cum syr. de nymph.

♃. Essent. castitat. ʒiii. utatur ad guttur.

♃. Olei nymph. ℥i. rutæ ʒiii. sacch. saturn. ℈i. M. F. litur. quo inungantur renes & partes genitales.

♃, Emplastr. cicuta q. s. malaxetur renes cum oleo de nymph. inducatur super alutam, & obducatur syndone. rubra in forma usitata emplastri uterini *Ioh. Michael. Praxeos Clynic. general. part. I.*

Observationes.

Illustris Comitissa Sterilis, certis temporibus per mensem unam atque alterum incidit in delirium sine febri, cum audacia & risu: sermo multus & frequens uni obiecto diutius inhærens frequentissime de rebus venereis adest; oculos habet vagabundos huc illuc nutantes; dolor nullus, nisi quod remittente furore tormina ventris infimi sentiantur: sæpius ligamentis quibus continetur seipsam strangulare conatur. Tandem mentis vicissim compos reddita, sæpius anno spacio, plus minus, à miserabili hoc affectu libera vivit, cujus tamen recidivam expectare cogitur.

Casum hunc sub finem ann. 1613. Vir reverend. & clariss. Joh. Weberus, Sacrosantæ Theologiæ Doctor, & Ecclesiastes illustris Aulæ Gleichen-

sis, ad mandatum Illustris sui, per literas proponebat meumque consilium expetebat, nimirum ut primo determinem, quid de morbo sentiam, dein qua ratione curari, vel saltem mitigari queat.

Ad utrumque temporis ratione breviter hoc modo respondi.

Morbum quod attinet, cum propriè melancholiam vocari non posse, sive primaria, sive hypochondriaca intelligatur; idque propterea quod omnis melancholia sit mentis desipientia sine febri cum metu, tristitia & odio hominum ita ut ægrotantes non admodum furiosi sint, & potius solitudinem quam hominum conversationem expetant. Hinc Hippocr. 6. Aph. 23. Si timor & tristitia diu perseverant, ex eo atra bilis significatur. Ergo potius iis subscribendum esse judico qui statuunt affectionem Illustris Comitissæ speciem quandam esse furoris cum sit insania sine febri, cum quadam audacia, timore & mæstitia minimè præsentibus.

Furorem hunc non per πρωτοπάθειαν cerebro accidere, sed potius per consensum, inde colligo, quod suas intermissiones habeat, nec etiam tempore paroxysmi semper eodem modo delirium intensum sit. Quæ autem pars læsa ad ejusmodi furorem facere possit inquirendum.

Potissimum ad uterum respiciendum esse judico, cum certior factus sim, conjugium Illustris Comitissæ esse sterile, quam ob causam corruptionem seminalis materiæ fortassis adesse suspicor, una cum intemperie uteri calida & sicca plurimum excedente & exurente, quam præcedere solent procatarcticæ tales, ad iram scil. prompta inclinatio, terror ac facilis consternatio, amoris affectus vehementior, menstruorum inordinata effervescentia, tempus anni calidius, &c. Vocatur autem ejusmodi morbus *furor uterinus*, & cognoscitur non solum ex iis quæ sunt de essentia morbi, sicut nimirum ex delirio sine febri absque tumore, cum quadam audacia, sed præterea ex subsequentibus etiam, sermo videlicet multus adest; inprimis de rebus Venereis, quas vehementius appetunt hujusmodi patientes: Oculi vagabundi, huc illuc nutantes conspiciuntur, quod alias etiam iis convenit, qui Veneris habenas remissius tractant, & affectu amoris diutius cruciantur. Hinc manus quoque non raro naturalibus applicare solent, præsertim dum cogitatio venerea diutius protenditur. De dolore tempore fervoris nullo conqueruntur: qui enim dolent & dolorem non sentiunt; iis juxta Hipp. mens laborare dicitur: in remissione tamen, potissimum ante furoris exacerbati initium, non raro ad infimi ventris dolore & gravitate conquestæ sunt. Accidit quod familiare quoque hic sit ægrotantibus, ut intentionem sese strangulandi frequenter habeant, quemadmodum experientia notum est, forte quod uteri strangulatus facilimè incidere posit, quam ob causam suffocationis species frequentius phantasiæ perturbatæ sese offert; sic enim quod Hipp. de morb. Virg. innuit, circa cor & diaphragma propter compressionem strangulationes oriuntur, ut laqueo mortem, veluti bonum quoddam expetant.

Sit hoc modo determinata morbi species, cum suis causis atque signis; ad curationem progredimur, hoc primum prognostici loco notato; morbum hunc eo curatu difficiliorem esse, quo magis est inveteratus.

In curatione tam ad causas antecedenter, quam conjunctas respiciendum est, ideoque juxta subsequentes indicationes operationes Medicæ dirigendæ veniunt.

I. Uteri intemperies calida & sicca satis excedens, refrigerantia & humectantia requirit. II. seminalis materia ut & sanguis adultus; circa regionem uteri collectus ablationem sui indicat. III. sanguis venosus in toto calidior & siccior effervescentia sua paroxysmum facilime producens, propterea quod una cum eodem malignitas citius ad caput evaporet, ante mensium commotionem alterandus ac temperandus est. IV. Halitus corrupti cerebrum petentes discutiendi, & alio, ad partes ignobiliores ducendi sunt ubi potissimum cauteria non omittenda. V. Inflammatio seu fervor spirituum in cerebro refrigerandum & humectandum esse indicat. VI. Vehementia delirii sæpius topicorum usum requiritur, ubi, ab in ordinario curationis processu quiescere cogimur.

Pro excipiendis his indicationibus triplex auxiliorum materia consideranda venit, nimir. Chirurgia, Pharmaceutica, & Diætetica. Quoad Chirurgiam venæ sectio primum locum habet qua sola sæpius Empirici maniacos & furore percitos curare conantur, ut videre licet apud Plater. lib. 1. observationum; quæ pro alteratione totius in brachio adhibetur, mediana vel cephalica incisa, sed hac cautione, ne circa tempus menstruorum hoc accidat, quia convenientius est paulo antequam fluxus menstruus expectatur, ut saphæna pedis incidatur, quo promptius sanguis deorsum moveatur. Scarificationes quoque in consuetis non improbantur modo hoc ipsum fiat instantibus mensibus, ac tantum in cruribus, non in superiore corpore, ne magis ad caput materia derivetur. Cauteriorum usus etiam hic pertinet, nimir. ut primo cauteria fiant in cruribus, quo corrupta materia, potissimumque malignæ evaporationes caput afficientes deorsum vergant, post affluente materia revulsa ad partem oppositam, optime vero attrahentibus pedum fonticulis commode quoque cervici setaceum applicaretur, remedium omni ex parte tutissimum, & in gravissimis capitis affectibus præsentissimum, de cujus vero usu legatur, *Guil. Fabricius Cent. 1. observ. Chir.*

Quoad Pharmaceutica juvantia citius in hoc casu medicamenta præscribuntur quàm adhibentur, propter quod ægrotantes discretione destituantur. Eligenda tamen alterantia, & corroborantia.

Quod alterantia, conveniunt interius syrupus Acetosus citri, de succo granatorum, additis his, quæ uterum peculiariter respiciunt, ut sunt syrupus de Artemisia, aqua melissæ, castoreum & similia quæ ratione indicantium commiscentur, & mane vesperique tribus cochlearibus exhibentur.

♃. Syrup. de s. acetosæ, Endiviæ, ana ℥iß. Granat. duc. ℥ii. Artemis. ℥ß. aquam Melinæ ℥i. m.

Huc etiam pertinent condita quæ ex conserva

va rosar. violar. Borraginis; pauxillo pulveris castorei addito, cum syrupo pomorum dulc. conficiuntur: his enim, uti prioribus quoque vis modice refrigerandi, humectandique merito tribuitur. Exteriusque inunctionem pubis & infimi ventris commode fieri posse, statuimus, cum unguento santalino, Infrigidante Galeni, admisto s. q. olei violarum, Nenupharis & similium. Imo & balnea aquæ dulcis (minerales & sulphureæ thermæ minus hic conveniunt) post evacuationem conceduntur, insessus videlicet in decocto herbarum refrigerantium ut sunt violaria, fol. salicis, lactucæ, endiviæ & similes, quibus commode flores chamæmeli mediocri quatitate miscentur,

Quoad evacuantia, frequenter lenientia exhibentur, imprimis hic serum caprinum infusionis folior. Senæ commendari posset. Lenientibus præmissis peccans materia digeratur per syrupum de prunis dulcibus, de Artemisia, cremone tartari, spiritu salis & similibus, subsequente mox evacuatione magis appropriata, sive forma potionis vel aliter hoc fiat, ubi plurimum per Magisterium Tartari (quod ex spiritu vitrioli & oleo tartari conficitur) Medicum præstare posse, non dubito.

Nec tantum universalia purgantia sufficiunt, sed opus est ut ad appropriata quoque pergamus, respectu particularium evacuationum, ubi deliberandum de injectionibus seu clysteribus, ac pessis uterinis. Varand. de morb. Mulier. l. 1. cap. 5. hujusmodi laborantibus extra conjugium constitutis mature prospiciendum esse jubet, ut viro eoq; valido jungantur, quia satiato sic utero & vacuata materia & effusa, quæ in vasis illis continetur, aliquando eas sanari contingat. Imo & illa quæ per habitum corporis evacuant, ut sunt sudorifera medicamenta, suum locum habere possunt, si præmissis universalibus adhibeantur; cum non tantùm vim habeant attenuandi resolvendique respectu latitantis corruptæ materiæ, sed simul quoque malignas evaporationes ad cerebrum ascendentes dissipent ut per poros cutis evaporent.

Quoad corroborantia, potissimùm caput respiciendum, aliaque membra principalia cum utero, quam ob causam tuto præscribuntur rotulæ capitales ex margaritis præparat. smaragdo præp. cum ol. nucis moschatæ, sacchard in aq. Lavendulæ soluto, quantum sufficit, addito. Item citri conditum, Confectio Diarrhod. Abbatis, sine saccharo Rosat. novellæ, Dimarg. pigid. Electuar. lætificantis Almansoris, ex quibus cum conservis appropriatis Electuaria corroborantia, vel cum saccharo in aq. meliss. & Rosar. dissoluto, morsuli confici possunt.

Tandem in summa delirii vehementia, pro leniendo symptomate totis viribus eò allaborandum ut est, ægrotanti quietem somnum procuremus: Hinc potus loco decoctum hordei & cap. papaveris vel aqua lactuc. cum syrupo papav. permista præscribitur, & externè capiti Epithemata somnifera ex aqua Rosar. Lactucæ solani, Nympheæ, verbenæ, & similibus applicantur, facta simul inunctione per unguentum populeonis, cum parte quadam olei Nymphææ ac Rosar. pauxillo opii atque croci commistum, imò ad laudani opiati usum interdum quoque, sed cum cautione accedendum.

Quoad diætam, aër ambiens frigidiusculus sit, vel arte, vel mutatione soli: Victus nec nimis sit tenuis nec plenus, sed mediocris ideoque juscula fiant hordacea cum amygdalis dulcibus & sem. papav. permixta: Caro sit hædina, vitulina, avium montanarum, perdicum, pisces saxatiles, percæ, lucii, auratæ, &c. Ova quoque sorbilia non improbantur: exoleribus Asparagi, Endivi. Spinachia, lactuca, beta &c. commendantur.

Exercitationes corporis sint moderatæ, conjugali congressu frequentiori non excluso cum ad corruptæ materiæ seminalis evacuationem servire queat. Hæc sunt, quæ absens ad casum hunc propositum respondere potui, cætera præsentibus Medicis relinquens. *Gregorius Horstius Oper. Medicor. T. II.*

Virgo nobilis 30. annum agens, boni habitus carnosa sanguinea, rosei coloris, formæ elegantis, alioquin verecundissima, & potius Musicis quam Venereis oblectationibus dedita, deliciisque cibi & potus meracioris indulgens, singulo mense bene expurgata, duobus abhinc mensibus taciturna primo & tristris fieri cæpit, librisque veneris oblectari, mox viriles potius quam femineos congressus appetere, & de re aliqua venerea facta mentione, rubore faciei statim suffundi, suspiria edere, dein lascivam, inconstantem, modo garrulam, modo iracundam se ipsam exhibere, modo in fletum, modo in risum solui, tandem tumultuosa reddita, exuto pudore, de rebus venereis in virorum potissimum consortio, cum gaudio & voluptate verba facit, & quod pejus eosdem sollicitat, atque invitat, quibus & se ipsam huc usque prostituisset nisi afflicti parentes eam custodissent, etenim ab accersito Medico juvene clam manum optavit, ut illam ad propria pudenda admoveret. Quærit autem Medicus, cum parentibus, quid opus sit facto.

Nobiliss. Virgo, spontaneæ castitati cum se ipsam dicasset, res venereas semper abhorruit & animum impollutum conservavit, quousque ætatis progressu acriori, fervidiori ac copiosiori sanguine producto, semen quoque copiosius & acre progenuit, quod tandem veluti turgens & naturam ad sui expulsionem stimulans, Veneris appetitum, primo naturalem excitavit, qui per medullam spinalem cerebro communicatus animalem quoque corrumpens, turbans atque immoderatus, imaginationem circa illud objectum immo & rationem ipsam depravatam reddidit, unde à turgentia, concitata incontinentia, depravata imaginatio omnia venerea licere sibi persuadet ac pudendi contrectationes & cucurbitum ipsum honestam Virginem expetere, citra pudorem cogit, quod non adeo facile contigisset absque uteri calida intemperie nec solius quidem clitoridis, in quo veneris oestrum, sed reliquarum etiam partium in quibus semen generatur, testium scil. ac vasorum spermaticorum, quam intemperiem uteri sanguinis ac seminis, facile in corpore plethorico inducerunt cibi calidiores, vina meraciora, vita antehac otiosa, deliciis ac voluptatibus dedita, auxerunt vero lectio de rebus venereis & cum viris quæsita conver-

satio. Hunc autem excessum præmonstravit ab initio taciturnitas atque mæstitia illa, cum præ pudore insolens illud veneris desiderium prodere non ausa est, misera patiens, quæ tandem omnia patefacere coacta est subuersa ratione, victoque pudore, & morboso veneris appetitu percita, qui definitur ab Aetio, quod sit uteri calida intemperies, cerebrum in consensum trahens, ad quam rabiosum delirium consequitur. Sed forsan melior fuerit ejusdem descriptio, quod scil. sit veneris immoderatus appetitus, feminas in insaniam sine febre ducens à seminis copia & acrimonia non sine uteri calida intemperie ortum habens. Differt autem à salacitate, in qua intra limites honestatis sese continent mulieres. Pariter à fervore uteri, in quo dolor aliquis ac displicentia in utero percipitur, cum aliqua horripilatione. Ab uteri quoque pruritu, quia iste datur etiam sine libidine, ut contingit Semiramidi & Messalinæ, quæ uteri pruritum & libidinem, satyriasi in viris similem, patiebantur, sine delirio tamen ac furore.

Turpis iste affectus qui totam familiam macula & labe aspergere potest, durissima namque prælia castitatis, & ubi quotidiana pugna ratissima victoria, ut ait, D. Augustinus. In principio tamen non adeo difficulter tollitur, at si negligatur, in Moniam degenerare poterit. Itaque curatio aggredienda. Et primo quidem sanguis calidus contemperandus. Secundo uterus refrigerandus. Tertio humores acres evacuandi. Quarto semen aut educendum, aut extinguendum. Quinto tandem caput præservandum.

In Chirurgico fonte, nullum præstantius prostat ramedium, repetita sanguinis missione, ut ejusdem copia minuatur & acrimonia contemperetur. Secundum locum tenet balneum aqua dulcis, alteratum foliis lactucæ, salicis, vitis, nymphææ, viol. portul. rosar. cum aliis externis, de quibus infra.

Ex Pharmaceutico & diætetico fonte reliqua desumenda auxilia. Sic primo præbeatur leniens, potu.

♃. Syr. rof. sol. unc. iv. decoct. pulpæ tamarind. q. s. m. f. p. vel bolo.

♃. Floris cass. rec. extr. unc. i. extracti. mechocan. gr. x. m. f. bol. quibus superbibat serum asin. aut caprin. depur. ad lib. ii. Quod si ob mentis oberrationem medicamenta respuat, præbeatur extractum mechoac. ad scrup. i. & ref. pil. Præparatio ita fiat.

♃. Quatuor sem. frig. an. unc. s. papaver. drach. . asi. nymphææ, lib. i. m. fiat emuls. & præbeatur. Hanc si aversetur, offeratur seri asinini destill. lib. i. tincturæ chorall. chymicæ gutt. vi. m. pro syr. & sic pro aliis, matutino tempore exhibendis. Purgentur deinde humores hoc modo.

♃. Elect. de succo rosar. drach. ii. diagrydii extracti mechoac. an. gr. v. m. f. bol. quibus transacta hora superbibat seri asinini aut capr. depur. lib. ii.

His peractis facile melius habuerit ipsa virgo tunc vero utatur xv. aut xx. diebus tali potione.

♃. Succi endiviæ depur. unc. iii. decoct. lactucæ portulacæ, nymphææ, agni casti. unc. v. m. pro una, & sic pro aliis. Et interim dum hæc præbentur descendat in balneum herbis præscriptis alteratum.

Capiti pariter prospiciatur oyrrhod. ex suc. lactucæ, al. rof. & viol. ac succo citri parato, & suturæ coronali applicito.

Seminis interim in hoc casu, non emissio. Sed extinctio procuranda decoct. rutæ, anethi, coriandri, viticis mentham commendat Plinius, sed camphora præ alis potentissime venereos ardores extinguit, hæc enim ter potu sumpta quendam luxuria tentatum penitus liberavit, ut narat Avic. cujus dosin præponit Rhasis ad scrup. iv. sed detur à scrup. i. ad drach. s. Extrinsecus quoque renes illinantur infrigid. Gal. cum camphora reformato.

Amuleta quoque à quibusdam proponuntur & peculiariter smaragdus gestatus venereum actum impedire, imo & in coitu frangi dicunt. corallia quoque collaudant, tamquam eximium remedium.

Proponuntur item folia cicutæ ruditer contusa, & utero accommodata, hac enim testibus applicata utebatur B. Basilius, ad venerem arcendam.

Victus rationem quod attinet, sobria sit, nec nimis nutriens. Vitet aromata, salsa, flatulenta, acria, vina meraciora. Aæti usus optimus. Acetaria in cœna, ex foliis lactucæ, portulacæ, menthæ. Aquæ frigidæ potus communis venerem extinguit, prout à proprietate vinum, potu consueto, in quo multus piscis extinctus fuerit. Vitet otium; namque.

Otia si tollas periere arcus-amoris.

Somnus sit parcior, nisi adsint vigiliæ, & delirium immineat. Meditationes opportunæ erunt. Sic Religiosa colloquia. Virorum vero conversatio vitanda. Sed jam dictis omnibus non conferentibus, marito juveni atque robusto ejus cura committatur. *Raymundus Iohannus Fortis, libro de morbis Mulierum.*

Virgo Gallica, nobilis jamque nubilis, vitam otiosam ducens, calida diæta utens, postquam amorem clandestinum cum ignobili quodam contraxerat, cui tamen annuere recusabant Parentes, insomniis fatigatur; jam aliquot dies incipit vociferari, locum qui nos ab altero sexu distinguit ostendere, lasciva cantare, torvum tueri, & Bacchæ bacchanti si velit quis adversarier, ex insana insaniorem reddit. Imo nisi à robustissimis vinculis & duobus imo tribus viris in lecto retinetur, totis artubus ignem concipit, nuda prosilit, & si quis masculus ipsi obviam factus, in illum ferociter ruit, utque veneri sacra faciat, lasciva petit; perpetuo ferme vigilat.

Scintillant oculi, mala mens, oratio blanda;

Facies in totum ignescit & tumet: humor mucosus, acris, viscidus, lintea fere corrodens, per sinum pudoris, per inordinata temporis intervalla effluit:

Et teter sese halitus atris
Faucibus effundens nares contingit odore.

Pulsus præterea vehemens, Lingua exsucca, Macies in corpore toto. Medicus vocatus virginem hanc in carnificinam Gallico-Medicam inducit, ubi post iteratam trigesimam, intra sex-

sextum diem, Venæsectionem cum sanguine simul insanam Mentem, vesanum amorem, chearam vitam, caramque simul & ferè divinam virginis pulchritudinem exhausit, cadaver vero Anatomicis subjectum manibus quam stupenda exhibuerit, Coronis nostræ Disputationis inferet.

Morbus, qui ægram affligit, est intemperies acris calida, Cerebri, uteri, ac partium generationi dicatarum, cum delirio, audacia & immoderato Veneris appetitu, ortus à sanguinis & spirituum animalium propter vehementiorem amasii impressionem orgasmo, atque ferocia quasi ignea, acrimoniam irritativam conjunctam habente. Vocatur vulgo Nymphomania, item Furor uterinus, uteri deliramentum, ex anili Famula uterum cum Platone tanquam Animal furibundum concipiente, à Gallis vocatur le Fureur de la matrice. Belgis Moeder-Raseiny. Germ. *Mutter-Wahnsucht.* Estque is morbus, quo Virgines affectæ leguntur Milesiacæ, de quibus Plutarchus, quæ se suspenderunt, quod improbæ Veneri non offerre possent sacra; & Lugdunenses Fœminæ ex alto sese præcipitarunt in fluvios, ex nimio coeundi desiderio. Datur quoque Lacus in Bœotia Furialis, quo si quis biberit, ardore libidinis exardescit & in Furorem agitur.

Differt vero hic morbus ab aliis delirii generibus, quia Nymphomania tota in venere versatur, & nihil aliud affectæ imaginantur aut loquuntur, quam de συνουσία, corporeisque deliciis A suffocatione uteri, quod morbo tentatæ sint garrulæ, iracundæ & inquietæ; in suffocatione vero uteri mulieres manent attonitæ sine motu & loquela ac cum exigua respiratione.

Pars Affecta est cerebrum, cum quo per consensum afficiuntur partes generationi vacantes. Cerebrum vero affici patet ex functionum principum læsione; uterum, ex humore acri è sinu pudoris affluente. Afficitur quoque totum corpus, quod ex macie aliisque phænomenis patet.

Causa Procatarctica morbi est calida diæta, qua ægra usa est, i.e. Cibis multo sale volatili & Sulphure scatentibus, qui tantam effervescentiam in corpore effecerunt, ut particulas quasdam crassiusculas & nonnihil viscosas pori arteriarum transmiserint, quæ alias non fuissent egressæ. Possunt enim pori arteriarum peccare, (1) cum nimis patuli sunt, ita ut crassiores quam solebant particulæ extravasentur, quæ in partibus hærendo producant obstructiones, postea dolores, denique. Inflammationes. (2) Cum pori contorsione aliam figuram acquirunt, ita ut partes acres à se dimittant, quæ sua acredine dolores excitant. (3) Etiam pori peccare possunt nimia angustia, ita ut non transmittant particulas, quas admittere debebant, hinc si sistantur particulæ illæ acres, lancinando quaquaversù dolores insignes pariunt. Videmus jam nostro in casu poros Cerebri & uteri peccasse, primo & secundo modo. Primo dum crassiores viscosæ in cerebro particulæ extravasatæ fuerunt, quæ obstructionem, postea inflammationem produxerunt, & antecedentem hujus morbi causam præbuerunt. Secundo dum pori aliam figuram nacti particulas acres salinas à se dimiserunt, quæ in partibus venereis actionionibus dicatis hærendo, suaque acredine vellicando pruritum, titillationem, denique dolorem pepererunt.

Causa antecedens est dispositio inde enata sanguinis & spirituum animalium fervida, seu ignea sulphureosalina acris, quæ ad Cerebrum dehinc ad uterum delata, atque utrinque in orgasmum acta, proxima ac immediata Affectus nostri causa facta est. Hic vero ad concipiendum clarius modum, quo Cerebrum & uterus in dicto casu afficitur, de Cerebro & utero nonnulla inserenda erunt.

Cerebrum itaque concipio, tanquam contextum innumerabilium fibrillarum tenuissimarum, sibi mutuo intertextarum, plus minusve rotundarum, non quidem Mathematice, cum natura tanta ἀκρίβειαν opera sua non exsequatur, sed utcunque teretium & multis in locis figurarum irregularium. Quapropter ob figuram hanc non tam arctè sibi incumbere possunt, quin aliquos ductus relinquant intermedios, non secus ac inter aliquot cylindros sibi mutuo impositos, remanere videmus per totum decursum spatium aliquod triangulare. Et hæc spatia fere referunt figuram talem, qualis ex contactu trium pluriumve circulorum oritur, sed inordinatius figuratam, adeo ut in quibusdam locis vix ullum tale intermedium spatium relinquatur. Istos autem canales exiguos secundum fibrarum longitudinem extensos cujuscunque figuræ vocabimus tubulos.

Uterus contextus est inumerabilium vasculorum tam Venosorum quam arteriosorum, imo Lymphaticorum quoque & nerveorum, id quod videre licet in uteri vasculis cera repletis, qualem philiatrorum oculis publice Lugd. Batav. exhibuit Dn. Nuckius Anatomicus Arausoniensis Principis, in quo minima etiam vascula quæ alias visum fugiunt, & non nisi armatis oculis cerni possunt, ad instar minimorum ramusculorum arborum, cera rubra, viridi, & Mercurio suo præparato subtilissimo repleta, in conspectum venere. Textura autem illa remosa non potuit non tam arcte sibi incumbere, ut non relinqueret spatiola, quæ pororum intro foras & foris intro nomine veniunt

Nunc in viam redeamus, cum extra oleas hic migraverimus, statuimus, particulas crassas viscidas, in jam dictos Cerebri tubulos adactas, vel totaliter illos obstruxisse, vel partialiter. Totaliter, quando corpus obstruens ejusdem figuræ fuit cum obstructis poris, e gr. si porus fuerit triangularis & particula obstruens etiam triangularis. Partialiter vero, quando corpus obstruens non fuit ejusdem figuræ cum obstructis poris, adeoque necessario reliquiæ quædam pororum remanserunt. Ut cum pori rotundi obstruuntur à corporibus triangularibus aliisque angulosis, qui itaque non totaliter opplentur, sed reliquiæ quædam pororum remanent per quos non nisi Materia Primi Elementi Cartesii sive subtilissimus (qui æther primus ille motor nostri corporis, ut & aliarum omnium rerum in macrocosmo existentium est teste Cartes. Tom. I. Eq. 45. 48.) fluere potest, ob parvitatem indefinitam, (cum vacuum in rerum natura non detur) multum istius igneæ materiæ indesinenter illac fluere cogitur, quæ materia ex sua natura celerrimo motu per hasce angustias, cum determinatione quadam magis

versus hanc quam illam partem Cerebri, torrentis, imo fulminis instar ruat, prout nempe illi pori aliter atque aliter sunt dispositi, atque æquilibrium spirituum animalium in Cerebro tollunt. Nam cum spiritus in statu naturali in æquilibrio positi sint, minima vis superaccedens hoc æquilibrium tollere valet; quare non mirum est quod Materia Primi Elementi ab una parte magis quam ab alia mota, hoc æquilibrium tollat; æquilibrio jam sublato non placide & æquis viribus ut ante per Nervos in corpus distribuuntur, sed inordinatis motibus huc atque illuc discurrentes per Cerebrum, & ejus vestigia, Delirium producunt.

Nunc ordo jubet, ut ex causis prædictis inflammatione nempe, & ignea ferocia, tum acrimonia sanguinis & spirituum propter calidam diætam contracta Phoenomena in casu nostro proposita deducam. Et quidem lasciva est memorata Virgo, ut locum scil. ostenderet, qui nos ab altero sexu distinguit, lasciva cantaret, nuda prosiliret, in viros obviam factos rueret, linguam micantem intra labia aliorum vesana vibraret; non aliunde vero hæc oriebantur, quam quod per vitam otiosam & contractum cum igno bili Juvene amorem, sanguinis & spirituum, tum in Cerebro, tum in partibus generationi destinatis, excitatus fuerit orgasmus, hincque nulla alia Cerebro impressa fuerint vestigia, quam de ineundo conjugio, celebrandaque lascivis istis gestibus Venere. Nam quotiescunque talia vestigia repræsentantur menti, oritur etiam cogitatio de eisdem objectis, spiritus enim animales dum motu feruntur immodico, neque Anima amplius in eos obtinet imperium, Phaëtontis ad instar solares equos flectere impotentis, in illa vestigia irruunt, quæ cum nihil nisi lascivi contineant, nihil nisi lasciva quoque menti repræsentant, adeo ut Mens, quatenus in cogitatione consistat, minimè deliret, (æque namque sana est in stultissimis quam in sapientissimis) sed in eo tantum vitium sit, quod non distinguat bene objecta simul sibi oblata, quæ cum in ægra nostra nulla alia sint, quam lasciva, oriuntur miræ illæ compositiones & sermones huic ægræ nostræ familiares. In hoc igitur erat mens, dum putat ideas excitari in sese à causa externa præsenti cum excitentur revera tantum à vestigiis Cerebro impressis. Sic etiam præter rationem moribundi dicuntur ratione destitui, eo quod nesciant cogitationes suas proferre, ad interrogata apposite respondere, unde non est, quod mulierculæ tantopere clamitent, eorumque misereantur, quasi omnem rationem perdidissent, cum tamen illis in casibus, Mens tanquam suo ergastulo soluta, multò felicius agat & longe diviniora speculetur. Interea otiosam vitam, quæ prægressa est in nostra ægra, implevisse talibus vestigiis quoque Cerebrum, Ovidius Amoris ille Proto-Notarius jam olim testatus est:

> Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
> Contemptæque jacent, & sine Luce faces
> Quam Platanus rivo gaudet quam populus
> Tam Venus otia amat, finem qui quæris Amori.
> Cedit amor rebus, res age tutus eris.

> Accedit, quod Virgo fuerit, nam
> Fœmineo magis est usu Venus effera sexu.
> Mitior illa Viris.

Imo nubilis, juxta Ovidium enim

> Prima cupidineis ætas manet apta triumphis.
> Non gaudet veteri sanguine mollis Amor.

Porrò etiam natale solum ad hunc Affectum quicquam contulisse dici posset, est enim Virgo Gallica,

> Pronumque genus regionibus illis.
> In Venerem est, flagrat vitio gentisque suoque.

Imo quod lasciva nimis fuerit ante hunc affectum, ex gestibus facile colligere erat, præprimis ab abominando, dum micantem linguam intra labia aliorum vibraverit, qui mos Gallis, talis, Hipanisque frequentissimus, attamen periculosissimus. (Galli vocant baiser a la Florentine, eo quod maxime sint consueta hæc oscula Florentinis fœminis.) Dn. D. *Ioh. Mauritius Hoffmannus* quondam mihi retulit, sibi Patavii notum fuisse Baronem Suecicum, qui ex osculis à fœmina Lue Venerea infecta, labiis impressis, & saliva per linguam communicata, uvullam suam amiserit. Idem quoque Amico meo contingit, qui cum Gallinas magis quam Gallos Lutetiæ quæsivisset, ex osculo tali Lue Venerea correptus, misere animulam suam exspiravit. Tales jam lascivæ impressiones in Cerebro factæ cum spirituum ope Animæ repræsententur, lege conjunctionis Mentis cum corpore, (quæ consistit in eo solo, quod Mentis cogitationes certas sequantur certi motus in corpore, & quod certos motus in corpore, sequantur certæ perceptiones & cogitationes in Mente;) sic mox quoque in dicta ægra indecoros corporis motus introduxerunt, atque effecerunt, hinc ut vociferaretur lasciva, cantaret.

> Non peccare putans quod sæpius oscula jungat.

Quemadmodum vice versa quando partes genitales pruriunt, ab acribus sanguinis particulis, ita ut particulæ nerveæ vellicentur, & periculum incurrant ruptionis, tunc in Anima oritur idea titillationis Venereæ & influxus fit spirituum; Jam vero cum spiritus inordinatis motibus hinc illinc discurrant & justo copiosiores influant, facile patet, cur ægra nostra interdum à tribus viris, & fortissimis vinculis in Lecto retineri nequiverit.

Vigiliæ perpetuæ in ægra dein notabantur, excitatæ propter spirituum animalium motum nimium, ex imaginatione impressisque phantasiæ vestigiis subsecutum.

Facies in totum ignescit & tumet, quia Materia Primi Elementi seu æther subtilissimus copiosius per humores & sanguinem prope partem inflammatam cum transfluat, hinc omnes humores cum sanguine movet & rarefacit, unde Tumor oritur & inflatio faciei ejusque rubor, unde etiam dependet Pulsus vehemens.

Lingua exsucca est, ob duplicem rationem, aut (1) quia dum serum & partes aqueæ sanguinis habitum corporis, vel per alias vias magna copia extra corpus protruduntur, Lympha vix aliqua pro necessaria humectatione fluit ad os, linguam & gulam, quod alias tunc sensum ariditis in nobis, & tunc sitim efficit, quæ

sitis potu sedari potest, cum tantum proveniat à defectu humidi; aut (3) glandulæ salivales sunt obstructæ, ut nihil vel parum salivæ secretæ ad os mittatur, & hinc à dicta causa si cœteroquin fiat sitis, potu, licet immodico, non tollitur, sed ventriculi coctio & appetitus destruitur; quare potius opera danda erit, ut gargarismatis & internis Medicamentis obstructio reseretur.

Adhæc Spiritus acres magno impetu in ægra dicta dum ad arvum seminale quippe salacitatis partem propulsi, acrimonia sua titillant & convellunt quasi vaginam Uterinam, glandulis undique & undique repletam, ad modum mali Citrii compressi liquorem exhibentis, vel spongiæ aqua repletæ, manuque fortiter compressæ, inde pariter Liquorem profluere faciunt, adeo acrem, ut lintea corrodat, pruritum pudendorum inducat, teterrimum quoque de se spargat odorem. Eadem demum acrimonia spirituum horumque celerrimus motus, in causa est, quod macies sit in corpore toto. Cum enim pinguedo nihil aliud sit, quam racemi minimi substantiæ oleosæ minimis vesiculis contentæ, à quibus ductus peculiares primum prodire Malpighius observavit, qui similem succum oleosum venis advehunt, (uti id graphice demonstravit in Cursu Anatomico Dn. du Verney. Anatomicus Regius Parisius) ut acrimoniam sanguine temperet, quia particulæ vero illæ pingues, ob sanguinis acrimoniam hic nimium sunt abrasæ, nihil aliud sequi potest, quam ut sanguis indies deficientibus hisce oleosis particulis, acrior reddatur, particulæ nutrientes abradantur, & macies sic inducatur.

En Phœnomenorum hoc in Casu occurrentium origines, nunc ad Prognosin accedamus. Miserabilis igitur hic Affectus turpisque, & macula honestioribus familiis, uti lente tantum & sensim curari, ita denique in Maniam consummatam degenerare potest.

Curationem quod attinet, ante omnia illa inchoanda est à regimine rerum non-naralium, adeoque aër est eligendus temperatus, quod si enim frigidus corpus nostrum intrat aut ambit, poros constringit Cutaneos, contringendo claudit, obstructionibusque ansam præbet. Calidus vero nimiam in corpore effervescentiam auget, particulasque crassas extrudendo inflammationi materiam præbet. Alimenta usurpanda sunt tenuia, aquea, insipida, cavendum à salsis, calidioribus multo sale volatili & sulphure constantibus, cum ad Venerem stimulandum maxime sal conducat, ut hinc non adeo insana & vana sit Poëtarum fabula, Venerem ex Saturni testibus in mare projectis & ipsius spuma salina ortam, fictitans, hinc Ausonius cecinit,

Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo,

Æneadum genitrix--Venus. Vinum si concedi debeat, sit oligophorum, Cerevisia tenuia aquosa, præsertim hordeacea, particulis suis mollibus particulas pungentes acres vaginularum instar recondentibus, Somnus procurandus, quiesque imperanda, imo hypnoticis conciliandа, à nimia tamen dosi cavendum; nam ubi ægri à nimiis vigiliis sunt defatigati, si semel dormiant, vix iterum expergefiunt, id quod ante aliquot septimanas observare licuit Furthi in Patria mea, in obstetrice, quæ ex parva tincturæ opii dosi, vigiliis antea defatigata, fatis cessit Excretiones quantum possibile promoveantur; Ocium vitetur, (monente Ovidio.

Fac monitis fugias otia prima meis,
Hæc ut ames faciunt,)

& laboribus continuis exerceatur. Exhortetur semper talis ægra ad honestatem, & opprobrium ei proponatur ni resipiscat, sic Milesias virgines curatas legimus Lege promulgata, ut quæcunque sese, hoc affectu percitæ, necarent, per forum nudæ traherentur. Venere litent cui thura sunt, nam & in maritatis interdum hic Affectus, præsertim illis, quarum mariti ferendis talibus oneribus impares obvenit,

In non maritatis his nihil proficientibus, triplici indicatione curatio instituatur. (1) Sanguinis nimius motus imminuatur; (2) Obstructiones reserentur; (3) Acrimonia sanguinis corrigatur. Incipiemus itaque juxta primam indicationem à Venæsectione tanquam sacra anchora quæ bis vel ter eodem die erit, modice reiteranda, ut vasis sanguineis notabiliter depletis, & non ita distentis, pori illorum magis coarctentur & subsidant, unde tanta copia spirituum in Cerebro deponi non potest, & omnia in corpore fiunt tranquilliora. Locum quod attinet Rodericus à Castro Saphænam constituit; nobis sufficit quævis patentior Vena, cum propter sanguinis circulationem in Medicam artem nostram introductam, omnes illæ veterum controversiæ de Venis eligendis, corruant. Unam tamen admittimus distinctionem, nempe si sanguis subtilis uti in hoc casu peccet, Venæsectio in brachio, si crassus terrestris in pede est instituenda; & quidem in Affectibus, illis ubi sanguinis magnus impetus est, & vires adhuc constantes, melius est affatim illum extrahere, ad levissimum Animi deliquium; in reliquis Casibus ut in morbis frigidis; non tutò nos tam liberales esse possumus, quam Veteres fuerunt in illa administranda, eo quod homo facilius in Lypothomiam deturbari quam inde revocari queat.

Rodericus à Castro Cucurbitulas commendat, sed quid quæso illæ præstare possunt? nonne sanæ rationi, & circulo sanguinis repugnat hoc dolorificum remedii genus? Videamus quomodo illæ apponentur, & quem usum præbeant. Candelam ceream primum iisdem supponunt, unde aër intra eas rarefit, hoc facto eas cuti apponunt & aër rarefactus iterum condensatur, ac minorē locum replet, undè fit ut cutis attollatur intra cucurbitulas, ad locum ab aëre relictum replendum. Has uno atque altero momento temporis ita applicatas, & in quiete relictas, removent à cute, illamque ab aëre illo sublatam & attractam (uti loquuntur) incidunt lancetta, sic iterum candelam accensam illis supponunt, & tenuiorem ex læsis vasis capillaribus sanguinem extrahunt, obstructionesque in vicinia aliquo modo tollunt, sed successus non semper eorum votis respondet: quia sæpe accidit, ut humores ita sint indurati, ut quamvis tubuli majores sint facti, isti propter viscositatem non possint egredi. Imo subtiliori sanguine per cucurbitulas extracto, crassæ remanent, & terrestres particulæ, in corpore, tanquam instrumenta novas obstructio

nes producentia, (quæ jam in nostro Affectu sunt,) an igitur hoc in casu conducant cucurbitulæ, considerandum illis relinquo, quibus.

De meliori luto finxit præcordia Titan.

Veteres Autores curationem absolvere student frigidis, sed nunquam innuunt, quid sint frigida. Et quidem frigida sunt, quæ particulis crassis & immobilibus constant, hisce obstructiones in corpore facere apta nata sunt, jam vero nonne in nostro casu accusavimus obstructiones sane redderent pertinaciores. Prosunt tamen ex frigidis nitrata, quæ ex salium sunt natura, quibus deobstruunt potius, quam obstruunt, nullum sal volatile in corpus ingerunt, imo denique parum Materiæ subtilissimæ secum vehunt; accidit enim idem cum nitro quod cum marmore aut glacie, quibus si manus imponatur, friget: nimirum cum calor alias in nostro corpore sentiatur, quod certa ætheris copia fluat per ejus poros, unde Tremor inducatur in texturam ejus fibrarum, jam si extrinsecus ponatur impedimentum, quo minus solita illa ætheris copia affluere possit, statim ille Tremoris gradus, qui erat in fibrillis minuitur, atque inde sentitur frigus. Sic e. g. Glacies, marmore, poros habet, per quos parum materiæ P.E. fluit, jam si manus imponatur, impeditur æther, quo minus solita copia in illam partem irruere queat atque hinc coloris oritur imminutio seu frigus. Fiat itaque pulvis refrigerans talis.

℞. Lap.Prunell.gr.xv.l.℈i.Camph Sacch. Saturn.an.gr.iii.iv. Laud.op.gr.i.M.F.Pulvis.Camphora enim & Laud. op. leniter incrassando faciunt, ut sua spicula salina acria non adeo exserere possit Massa sanguinea.

Confert potissimum serum lactis, præcipue si chalybs in eo sit extinctus, nam volatile in sanguine aliquatenus remoratur, ob metallicam gravitatem. Nitrum in aqua dissolutum (vel ejus loco Sal prunell.) propinatum, summe quoque prodest in omnibus morbis, ubi sanguinis nimius peccat æstus,& is nimis volatilis est,ut& sp.nitri qui aperit,&coagulando motū sanguinis retardat,&denique diutiuscule in sāguine hæret

Prosunt quoque omnia, quæ sanguinis motum compescunt,ut oc.cancr.Corall.Terra sigill. omnia martiata Sol. auri. & lunæ,sed hæc omnia subtilissime debent teri, ne ubi alias aperiunt, nunc potius obstructionem pariant.

Inter externa sequens Oxyrrhodinum (ut levis somnus excitetur) conducit.

℞. Ol.Rosar.℥iiß.Succ.portulac.Lactuc.Sola. an.℥i.aq.papav.Rosar.an.℥iii. Aceti rosacei ℥i. M.F.Oxyrrhodinum.

Cum linteis duplicibus capiti tepide applicandum. Possent vero etiam insuper ad æstum sanguinis coërcendum maxime mihi commendatæ emunctoriorum inunctiones nitrosæ, & sinapismi umbilicales hic insignis usus esse.

Accedimus ad secundam & tertiam indicationem,quæ consistit,in obstructionum reseratione & acrimonia sanguinis temperanda; ad quas obstructiones in cerebro & meningibus reserandas conducit potens sudoriferum, si vires constiterint,particulæ enim sudoriferi,particulas acres secum attollunt,easque volatiles reddendo, extra corpus protrudunt.

℞. Sal.Carduib.gr.xviii.Bezoard. miner. gr. vii.Camph.gr.ii. Laud.op. gr.i.sp. vitriol.gtt.vi. aq.Carduib.℥ii.Syr.papav.℥iii. M.F. Potio.

Viva animalia dissecta & capiti applicata porro prosunt,quia calor & vapor blandus,qui ex iis exhalat maxime amicus est nostris poris,&conveniens aliquo modo ad obstructiones reserandas in iis

Pedes quoque contineantur in balneo tepido, in quo cocta fuerunt Capita papav. & Fl. Chamomill.& reliquæ herbæ emolientes, ut vapores placide ad caput ascendant, quæ minorem motum sanguini concilient, & particulis suis mollibus instar lanæ, hastas acusque pungentes, i.e. particulas acres involuunt,& sic quieté inducūt

Confert quoque ob particulas molles, acres, temperantes, sequens Emulsio.

℞. Amygd. dulc. excorticat. ℥i. contunde in mortario, adde aq.decoct.hord.℥viii.Sem.iv.frigid.maj. an.℈ii. papav.℥ii. Sacch. alb.℥iß. Syrup.de papav.℥ß. M. F. Emulsio.

Omnia præterea lenientia prosunt, ut Gelatina C.C.hordeata, amylum, & omnia gummata, quia particulæ eorum molles,& ductiles, acrimoniam sanguinis involuunt, & sanguinis motum nimium inhibent.

His omnibus nihil conducentibus, matrimonium,si possibile est,fiat,idque cum Iuvene, aut viro robusto, & qui strenuum in hoc ludo athletam agere possit.

Nunc promissis meis memor,quam infelicissime res gesta sit cum hac nostra ægra, paululum annectere lubet. Accersitus quippe Medicus, vix explorato morbo,institutis intra vi dies triginta per V.S revulsionibus & derivationibus, injecto quidem primo clystere aeri, cum tamen sanguis acrimonia peccaret, posteaque exhibita purgatione,ad putrefactum semen evacuendum, (juxta methodum Gallicam, quam ad oculum delineavit Medicorum gallicorum Momus Dn. Moliere,in ludo scenico,inscripto:*Le malade imaginaire*:scilicet clysterium donare,postea seignare ensuita purgare) in ultima instituta phlebotomia,quæ erat trigesima,ita curavit scil.ægram,ut cum sanguine impurum simul spiritum efflaverit, incasto illi amatori nupturū, quem immundissimum vocare solent spiritum,dum ultimus adhuc de rebus venereis halitus increbuisset, nam casta Venus cygnis vehitur,Venus improba Corvis.

Postquam vero jussi parentum in viscera defunctæ inquirere licuerat, præter clitoridem mira magnitudine prominentem, ulterius postquam curiosas manus admovimus, ovarium sive testes muliebres deprehendimus,maximæ magnitudinis, ovulaque inspersa pisum, si non superantia, certe adæquantia; obstupuimus horum aspectu, cum vix credam tale quid annotatum fuisse in libris Practicorum, excepto *Cl.Blancardo im Hollandschen Tyden Iahr-Register Ann.35.* qui simile exemplum recensuit; sed quænam Phænomeni hujus admirandi causa? ex superioribus jam constat insignem adfuisse sanguinis & spirituum orgasmum,quid mirum,igitur similem in humore ovulorum factum,ipsa in tantam magnitudinem distendisse?

Observationes.

Furor uterinus in puella.

Puella. 15. annos nata, quæ cum menstrua nondum passa esset, illa vero instabant, ob motum ejus fluxus sequiori sexui familiaris, impeditum

peditum furore uterino & convulsionibus per intervalla misere torquebatur; Saphænam ergo dextri pedis incidendam curavi, ex qua cum sanguis liberaliter fluxisset, paulò remissiora fuerunt symptomata. Præscriptis insuper pilulis menagogis & cæteris non neglectis quæ sana ratio & experientia ad profliganda symptomata suadebant, promotus fuit sanguinis ille fluxus & cum eo Deo benedicente, fuit restituta. *D. Caspari Collichen.*

Ex Pleuritide notha Furor uterinus.

Virgo nobilis ex pleuritide spuria decumbebat; quæsitum à venæsectione & carminantibus aliisque remedium. Et bene se habebant omnia cum intervenit ju enis parentem virgunculæ invisens; in quem illa fixos coniiciens oculos ita è vestigio immutata est, ut mali pleuritici oblita, in cantiones & gestus à matorios affectum suum profunderet. Desiit itaque malum primum, sed recruduit ita violenter secundum, ut in delirium acta de nulla re vel cogitaret vel loqueretur, nisi de nuptiis & fescenninis, certa in gremium juvenis irruere quoties rediret, non sine insigni pudore honestissimæ, unde orta erat familiæ. Neque aliter obviam iri potuit in majorem quotidie flammam erumpenti desiderio, quam removendo ex oculis ejus objectum illud amoris. Tandem allato in hanc rem ficto nuncio, mortem juvenis denunciante, illa post deploratam satis diu orbitatem suam, helleboro per vices expurgata ad sanam mentem rediit. *D. Olai Borrichii.*

Convulsiones & Furor uterinus in Nobili Muliere ex mariti anaphrodisia.

Furoris uterini subjectum non tantum reperire est in virginibus sanguine vegetiori præditis ac bene habitis, vel in viduis junioribus ac ætate florentibus; sed etiam in nuptis iisque mo. destioribus quarum mariti impotentia ad venerem afficiuntur. Sic non ita pridem consulebar pro muliere nobili ac formosa, 30. ad summum annos nata, quæ cum jam à sex annis conjugis sui amplexibus minime frueretur, propterea quod ignavior in hac palæstra, seu potius inutilis athleta, factus esset, manibusque interea sæpius ab ipso una cum illa cubante in vulva pruriente attrectaretur, in furorem deducebatur cum motibus convulsivis, ac frequentibus animi deliquiis funestum quid in dies minitantibus. Cui autor fui ut præter specifica, turgescentiam seminis compescentia, abstinentiam à mariti lecto in sui medelam adhiberet, seorsimque ab ipso cubaret; unde sane bene habet.

Quia scilicet cum nondum morbus ad summum suæ exaltationis gradum evectus esset, ratioque ac minus pudor ab eo pessundati, vires suas ultra partem aliquam generis nervosi non exerebat, idque tantum occasione data, scilicet dum maritus imprudens, propriæ debilitatis oblitus attrectationibus in motus efferos ciebat spiritus quos ratio ac pudor alias compescere noverat. Quæritur à quibusdam cur sola mulier hocce crucietur furore, vir que ab illo immunis vivat? Cui quæstioni responsurus celeberrimus Meniotius, duplicem rationom adfert. Primo quidem quod vir sui potentior sit; secundo quod non tam facile sit virilis seminis ac muliebris cum cerebro commercium. Verum ne in ejusmodi rationum futilitate retegenda immorer; quis nescit pryapismum seu satyriasim quo affliguntur viri, sui generis furorem esse, quo ratio sæpe ita proculcatur, ut non tantum in obvias incurrant fæminas, sed etiam in sui sexus homines, ipsaque etiam animalia bruta, ut scilicet revera brutam suam expleant aviditatem. Imo ad cujusvis mulieris aspectum, membrum norbosum aut saltem in quod præcipuum impetum facit humorum ac spirituum orgasmus, evulvant, illudque sub omnium adspectu tractando semen centies de die effundant. Talem prorsus hic habemus virum, qui non sic tamen minus ad octogesimum tertium, & quod excurrit, ætatis annum devenit, quique etiamnum hodie in hac provectiori ætate, tot pollutionibus ac amplexibus minimi fractus, plena fruitur sanitate. Ita non contigit mulieri viduæ quæ cum novissime in furorem hunc incidisset, affecta que etiam durius imaginatione se diabolo nuptam crederet, nihil obscænum omittebat, sed inde brevi enecta est. Utinam corpus aperire datum fuisset.

De Furore uterino unicam *Inspectionem Anatomicam* breviusculum ex Clar, *Stph. Blancard. Anatom. Practic.* adducendam habemus quæ hæc est.

Virgo furore uterino tacta, tanta mania fuit correpta, ut catenis vinciri deberet. Interim ex improviso obiit.

Aperto cadavere, ovarium dextrum pugni magnitudinem æquabat, succique plenum erat.

FURUNCULUS.

Furunculus Latinis, δοθιὴν Græcis, Nostratibus *Een Bloet-bin*, est Tuberculum in acumen protuberans, cum inflammatione, duritie, rubore, ac summo dolore, ovum columbinum magnitudine non excedens. Similiter C. Celsus lib, 5. cap. 28. Furunculum definit, quod sit, tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximeque ubi jam in pus vertitur.

II. Species autem Furunculi plures sunt: Alius enim benignus est, ac mitis: Alius malignus, ac vehementius dolens. Idem observavit Paulus Ægineta lib. 4. cap. 23. sic inquiens: „Furunculorum alius est clemens, alius maleficus: Clemens quidem cum in sola cute coierit; Maleficus autem, curatuque difficilis, „cum altius radicibus actis in cutem erumpat.

III. Fit vero Furunculus è crasso, impuro, acido-acri, aliisve modis depravato sanguine, quem natura à reliquo puriore secernens, tanquam infensum & inutilem in corporis habitum critice expellit.

IV. Signa quibus cognoscitur hic affectus sunt exigua inflammatio cum pustula, & vesicula sensim increscens, cum dolore, duritie, & rubore cum Statum attigerit, qui paucos intra dies absolvitur. Porro tuberculum in acutum tendit, & columbini ovi magnitudinem non excedit. C. Celsus aliud signum adjungit, dicens: „ Qui ubi adapertus est, & exit, super apparet „ pars carnis in pus versa, pars corrupta subal- „ bida, subrubra, quem ventriculum quidam „ furunculi nominant.

V. Idem Celsus loco citato docet, in furunculo nullum esse periculum, etiam si nulla Curatio adhibeatur. Maturescere enim per se, atque erumpere. Sed dolorem efficere, ut potior Medicina sit, quæ maturius liberet.

Dicendum ergo furunculum periculo vacare, nisi morbo grassante maligno in Anthracem degeneret. Sed quoniam Cacochymiæ soboles est furunculus, hinc raro fit, quod solitarius erumpat, sed fere multis corpus scateat, atque inquinetur.

VI. In curatione furunculi, quum humor hujusmodi tumorem efficiens crassus sit, impurus, acido-acris, & aliquando malignus, nunquam Repellentibus utendum est, sed ex sententia Galeni, & Pauli Æginetæ, furunculus coquendus apposito Pane masticato, & in Cataplasmatis formam redacto; vel Diachylo cum gallinaceo adipe; vel ex C. Celsi præscripto, Gummi Galbano.

VII. Igitur applicandum mox emplastrum diachylum cum gummi; vel quid simile facile confici potest, ut Puris generatio promoveatur & acceleretur. v. gr.

♃. Picis navalis, liquidæ an. ʒij. Gummi Sagapœni ʒiß. emplastri diachyli cum gummi ℥ß. M. F. S. A. emplastrum.

Vel ♃. Rad. lilior. alb. rec. ℥ij. cæparum sub cineribus assatar. ℥iß. fol. althææ, flor. camomillæ, meliloti an. Mj. Coctis in aqua pura, vel cerevisia tenui ad mollitiem, & in mortario contusis adde Farinæ Secaliginis mellis virginei an. ℥ij. unguenti Basiliconis ℥iß. vitellos duorum ovorum M. F. S. A. Cataplasma. Furunculo aperto, & expresso omni Pure, vix ulla ultra Curatio necessaria est. Equidem Puris eductio ut facilius fiat, imponendum porro emplastrum diachylum cum gummi, cum unguento basilicone, aut alio quodam mundificativo: postea emplastrum diachylum simplex, vel diapalma.

VIII. Sed malignus si sit furunculus, & ex venenata materia excitatus, malignitas illa, priusquam applicentur remedia, foras trahatur admota cucurbitula cum multa flamma.

IX. Cæterum ut præcaveatur ne sæpius ejusmodi tubercula infestent, præcipiunt multi ut nux moschata mas vestibus insuatur. Sed qua vi & proprietate amuletum hoc ab istis satellitibus immune corpus reddere queat, sagacioribus expendendum relinquo. *Joh. Munniks in Praxi Chirurgica.*

Finis Libri Sexti.

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER SEPTIMUS.

De Affectibus à Litera G incipientibus.

GALLICA LVES
Vid.
LVES VENEREA.

GANGLIUM.

DE eo videatur caput de Atheromate. Hic tantùm observationem adducemus de Ganglio Nemausi mense Novembri ann. 1682. morsu viperæ curato quam benigne nobis communicavit Clarissimus D. Rivalier, qui illic per plures annos Medicam Artem cum magna celebritate exercuit, nunc verò Patria sua Religionis ergo exul, Lausannæ pro tempore commoratur.

Ganglium in sinistro carpo gerens Pharmacopola Nemausensis, Farie nomine, nullius non generis remedia, ad fastidium usque, per sex aut septem annos, importuno tumori adhibuerat. Fermenta, purgationes, thermas, emplastra, gummi, hydrargirum, omnia frustrà. Mactandas aliquando viperas incautè tractans, in pollice sinistræ manus commorsus est: sed ita leviter ut nullo affectus dolore, oculatorum testium fidem vix sequutus, ictum se fuisse crediderit. Sed cùm inceptum opus intentiori animo prosequeretur, nocentissimum, tamen pollicis & brachii, innotescens venenum, sero satis sibi consulendum esse docuit. Jam interiora pervadens, humoribus pestifero fermento coinquinatis, vitales partes adoriebatur, spiritibusque, præ animi terrore, aut ob humorum depravationem, in confusionem actis, apertum mortis periculum impendebat. Permultis igitur Medicis certatim Pharmacopolæ saluti studentibus, multaque promiscuè antidota propinantibus, ipse unam aut alteram viperam super craticula tostam devorabat, inciso sæpius vulnerato pollice, haustisque cardiacis, inprimis verò sale viperarum volatili; ganglio penitus evanescente, terribili periculo persungebatur.

GANGRÆNA.

GAngræna & Sphacelus nec tumores sunt, nec ulcera: imo nec morbus Sphacelus est, sed partis affectæ νέκρωσις & mortificatio: gangræna verò ad mortificationem tendens, quæ nonnunquam sine tumore invadit: quia tamen frequentissimè tumores subsequitur, inflammationes præsertim graviores, plerique inter tumores de affectibus hisce agere consueverunt: quorum ductum nos sequentes de iis hoc loco etiam sumus dicturi.

II. Gangræna igitur, quam vulgò *het hette Duer, ofte den Heissen-brand*, & ignem S. Antonii vel Marcelli nominant, incipiens est partis mortificatio aut corruptio, ad νέκρωσιν seu mortificationem tendens, cui nisi celerrimè succurratur, membrum plane emoritur, omnemque sensum & vitam amittit, nihilque seu secetur seu uratur percipit: quæ νέκρωσις ita perfecta Latinis Sideratio, Græcis σφάκελος, nostratibus *het tzoude-Duer* nuncupatur, adeo ut duo hi affectus non nisi gradu differant. In sphacelo namque pars omni sensu & vita destituta est, planeque emortua in gangræna verò perfecta partis corruptio nondum adest. Et cum in gangræna nondum sit tanta corruptio, neque perfecta mortificatio, molliores partes solummodo invadit: sphacelus verò, utpote qui est perfecta ac integra partis corruptio non solum partes molliores, cutem puta, carnem, venas, arterias, nervos invadit, sed & ipsa ossa intacta non relinquit.

III. Hinc multi gangrænam definiunt, quod sit incipiens mortificatio partium corporis mollium, ferè inflammationem gravem, aut malè curatam insequens. Galenus lib. de tumoribus præter naturam videtur definire, quod sit initium mortificationis in partis ægræ, quæ paulatim sic invadit & occupat partes vicinas & adjacentes, ut nisi adferatur remedium, perfecta subsequatur mortificatio. Et alibi inquit, gan-

grænam esse dispositionem mediam inter summas inflammationes & sphacelum, eamque inflammationibus esse tanto deteriorem, quo major est gangræna sphacelo. Alii aliam dant gangrænæ definitionem. Sed omnes omnium definitiones aut descriptiones adferre infinitum foret: sufficit si dicamus, gangrænam esse incipientem & imperfectam partium mollium, cutis scilicet musculorum, venarum, arteriarum, nervorumque mortificationem sphacelum verò plenam, perfectam, & absolutam mortificationem, non solum supradictarum partium, sed & ossium quoque, aliarumque plus minus solidarum. Vel gangrænam esse partis fientem mortificationem; sphacelum verò jam factam & deploratam.

IV. Cum itaque uterque affectus, gangræna nempe & sphacelus, sit mortificatio, hic quidem perfecta, illa autem imperfecta, adeoque nec differant nisi gradu, ideo utriusque eadem erunt causæ.

V. Gangrænæ & sphaceli causa est, quum pars spiritibus, quibus foveri & vivificari solebat, destituitur. Spiritibus pars destituitur, vel quia in ista parte suffocantur, vel quia in eam transferri non possunt. Suffocantur & opprimuntur spiritus aut nimia inflammatione; aut frigore externo; aut aquoso humore in partibus collecto; aut nutrimenti defectu; aut animalis venenati punctione seu morsu; aut nimio æstu externo ex ambustione; aut magna partis contusione; aut scorbuto. In partem perferri nequeunt Spiritus, quum nimia vasorum & pororum obstructione via interclusa & obturata est.

VI. Namque Gangræna haud raro oritur, quando naturalis vivificans calor ex impedita transpiratione suffocatur, uti evenit in magnis inflammationibus; præsertim ubi temere iis adhibentur frigida, adstringentia, & emplastica medicamenta, bolus viz. Armenus cum ovi albumine, similiave, quibus spiritus influentes, ipsumque nutrimentum arcentur, & repelluntur quasi à parte affecta: ipsisque adeo vasculis capillaribus, porisque cutaneis eorundem medicamentorum usu constrictis, empyreumata per insensibilem transpirationem evacuari solita parti impinguntur valdè, ac veluti inculcantur; atque ita obruitur, suffocaturque quantulumcunque inest calidi innati, hoc est, spiritus radiantis ac partem vivificantis.

VII. Insuper ab ingenti frigore externo sæpè oritur gangræna, atque non raro observatur hyeme per nives & glaciem iter facientibus extrema pedum, manuum, aures, nasum emori ob externi frigoris vehementiam. Sed priusquam extremæ hæ partes planè emoriantur, primò acutus & pungens oritur dolor, quo cessante gangræna, hinc & sphacelus adest. Enimvero quum tardius in extremitatibus sanguis circulatur, facilè, vasculis capillaribus porositatibusque externis vehementi frigore constrictis, ibidem stagnat & condensatur; interim affluens cruor ultra moveri nequiens itidem subsistit, concrescitque: qui, postquam spirituosæ & salinæ volatiles particulæ evanuere, per fluorem salinarum particularum acrior factus nervosas, tendinosas, aliasve membranosas fibrillas vehementius rodit & lancinat, adeoque acutum pungentemque dolorem excitat. Atqui corrupto magis sanguine, vasculisque capillaribus exesis, cessat dolor, cessat spiritus vivificantis radiatio, suffocatur nativus calor, hinc incipiens primo, dein perfecta accedit partis mortificatio; cujus color rubicundus in lividum ac nigricantem protinus mutatur.

VIII. Etiam gangrænæ causa quandoque est humor aquosus in partibus inferioribus, cruribus puta, pedibus, ac scroto collectus; quo partes hæ nimis distenduntur, porositates obstruuntur, insensibilis impeditur transpiratio, hinc (recrementis per eam exhalare consuetis in partibus retentis] vivificantium spirituum radians motus imminuitur, tandemque aboletur, atque adeo innatus calor extinguitur, oriturque gangræna.

IX. Cæterum alimenti, sanguinis scilicet, spiritusque influentis defectu nonnunquam oritur gangræna. Cum enim radians vivificansque spiritus perpetuo nutrimento, ceu flamma oleo, indigeat; si id denegetur, suffocatur & extinguitur, ut flamma in lampade deficiente oleo. Et hoc modo extremis corporis partibus accidit interdum gangræna in atrophia, Tabe, similibusve affectibus Chronicis; præsertim in sedibus, in quibus, quæ siccitate plus debito occlusis corporis poris, motus humorum retardatur nimis, tandemque sistitur, ut adeo nativus calor suffocetur, parsque hæc vel illa emoriatur. Eadem de causa, si luxatus articulus non bene reponatur, luxatum os vicina comprimit vasa, sanguinisque ac spirituum transitum impedit, unde partis extenuatio, ac nonnunquam mortificatio accedit. Simili planè modo fit gangræna, si pars quæpiam nimis arctè & diu vinculis constringatur: atque gangrænam paralyticorum ex interceptione spirituum animalium ita oriri nonnulli volunt.

X. Adhæc è mala febrium, præsertim malignarum, crisi aliquando gangræna & sphacelus; viz. cum humores acri-salini ad partem quampiam debilem, per quam evacuari nequeunt, ruunt, atque ibidem aggesti sanguinis spiritusque motum intercipiunt, nec non vitalem radiationem, id est, innatum calidum suffocant, extinguunt. Sic refert Hildanus de Puella Peste afflicta, cui, cum sanata videretur, & liberata ab omnibus symptomatibus, subitò tantus exortus est dolor in utriusque pedis digitis, ut siderati illico fuerint, adeoque ad ultimam usque articulationem amputandi: quo facto, & adhibitis remediis tandem convaluit. Memini quoque, me simile quid vidisse ante octodecim annos, cum in hoc Athenæo sub auspiciis Cl. Diemerbroeckii studiis Medicis operam darem, in virgine triginta præter propter annorum, decumbente in Xenodochio nostro, atque mensium supressione laborante; cui nasi, auricularum, vulvæ labiorum, denique & manuum ac pedum digitorum extremitates emoriebantur, quibus omnibus separatis pristinam illa recuperavit sanitatem. Alterum succurrit exemplum, quod nobis videre contigit ante sexdecim circiter annos in quodam Medicinæ Doctore, cui, cum curatus

ratus omninò videretur à febre tunc temporis in hac urbe epidemica, ecce inopinato mane evigilanti crus sinistrum jacebat planè immotum ac torpidum, doloribus tamen acutis & pungentibus per intervalla genu infra supráque affligentibus; id quod paucos cis dies planè corruptum & emortuum observavimus. Et quoniam indies deficiebat magis natura, partiumque corruptio & mortificatio longius proserpebat, etsi variis in locis magnæ separatæ fuerint portiones, ivit unde redire negant quenquam.

XI. Porrò ex ictu aut morsu animalis venenati fit aliquando gangræna, quatenus acri-salinum valde, ex saliva istiusmodi animalis, venenum læsæ vel per morsum contusæ parti communicatur, in qua humores & spiritus condensando ac corrumpendo, illorumque motum & radiationem inhibendo, innatum calidum extinguit. Idem præstant medicamenta septica, quæ carnem exedendi & corrumpendi vim habent, non satis prudenter adhibita in locis præsertim calidis & humidis, uti in emunctoriis, pudendis, similibusve.

XII. Enormes ustiones interdum excipit gangræna, vel etiam sphacelus; quoniam ustione vasa corrugantur & constringuntur, sic ut tum sanguis affluens, tum spiritus influentes liberè permeare, ac per partem affectam radiare, eamque vivificare nequeant; hinc suffocato, extinctoque nativo calore pars emoritur, corrumpitur. Præterea tum empyreuma, tum cutis corrugatio summum accendit dolorem, ac proinde humorum excitat affluxum, quibus in parte ægra incalescentibus, & inflammationem concipientibus, extinguitur spiritus vitalis radiatio, ipsumque adeo innatum partis calidum suffocatur.

XIII. Denique ex partis alicujus magna contusione nonnunquam oritur gangræna, quandoquidem læsis apertisque per contusionem vasculis humores effluunt; qui extravasati, condensati, & in parte contusa aggesti porositates obstruunt, insensibilemque impediunt transpirationem, ac proinde incalescentes inflammationemque concipientes, suffocant tandem, extinguuntque vivificantium spirituum radiationem.

XIV. Scorbutus quoque non raro gangrænæ causa est, & partes quasdam emori facit, crura præsertim, nec non gingivas, aliasve oris internas; ex eo scilicet, quod sanguis acri-salinis, lixivis, ac austeris particulis abundans tardius per vasa moveatur, atque alicubi aggestus & stagnans, nec non insensibilem transpirationem prohibens, exulcerationes primum excitet, ac dein vivificantium spirituum radiantem motum perimat, extinguat.

XV. Cognoscitur verò gangræna ex eo, quod pars affecta livescere ac pallere, & color illius verè naturalis imminui incipiat, tanquam si proximum sui interitum persentisceret: floridi namque coloris extinctio denotat, alteratum esse spirituum sanguinisque in partem affluxum, estque floridi coloris causa radians per partes sanguis. Dein ægra pars mollescit, flaccescit, marcescit, ac cuticula non raro separatur. Tandem magis magisque sedatur dolor, pulsus cessat, febrisque accedit continua, maligna.

XVI. Variant tamen gangrænæ signa pro causarum varietate. Quæ namque ingentes sequitur inflammationes inde dignoscitur, quod color ille floridus, qui solet adesse inflammationibus, in pallidum & lividum mutatur; dolor pulsans, qui prius infestabat, cessat; partis affectæ sensus hebetatur; pustulæ oriuntur grandiores, ichore carnium loturæ simili plenæ.

Eadem hæc signa plerumque apparent, ubi ab enormi constitutione ortum habet gangræna.

XVII. In gangræna, quæ à frigore externo ortum ducit, subito acutus & pungens oritur dolor, rubor in parte affecta apparet, qui paulò post in lividum & nigrum mutatur colorem, calor partis extinguitur, ac frigus & stupor cum horrore percipitur.

XVIII. Sin ictum aut morsum venenati animalis excipiat gangræna, dolores & febres continuo affligunt, syncopes adsunt frequentes, quandoque deliria; pustula hic oritur, sub qua nigra est macula, quæ dein partem dispergitur. Talis namque gangræna in partibus sese manifestat extremis, ut manus pedisve digito, atque in totum brachium, totamve tibiam subito sæpè derivatur.

XIX. Ob defectum vero alimenti si partem gangræna corripiat, nullus adest dolor, nullus tumor, nulla inflammatio; sed macies potius, corpusque statim refrigeratur, & accidit plerumque in extremitatibus, ubi pustulæ tandem oriuntur, ac naturalis color in lividum mutatur.

XX. Si autem ex constrictione ac ligatura eveniat gangræna, pars ægra tumet & distenditur, exoriunturque pustulæ majores, ichore carnis loturæ simili plenæ. Præterea pars ingravescit, fitque immobilis atque impressi digiti vestigium in ipsa remanet, & cutis è partibus subjectis deduci videtur.

XXI. Ex scorbuto si oriatur gangræna ferè à pollice pedis initium sumit, maculisve ac lineis subnigris exterius sese manifestat, quæ in crustam siccam degenerant, quam sequitur partis affectæ stupor, & tandem ipsa mortificatio, sine ullo fœtore. Dolor quandoque nullus adest, aliquando intensissimus. Causas equidem evidentes ab ægris facilè expiscari possumus, ex iisque intelligere, è quonam præcedente affectu eveniat gangræna.

XXII. Ad sphacelum vero quod attinet, signa ejus intensiora sunt signis gangrænæ: cum enim uterque affectus sit mortificatio, neque differant nisi gradu, ideo utriusque eædem sunt causæ, & eadem signa. Partis sideratæ color niger est, eaque si pungatur aut secetur, non sentit. Membrum insuper cadaverosum spirat fœtorem, fitque molle & putridum, atque impressi digiti vestigium in eo remanet. Cutis si attollatur, facile à carne subjecta separatur, quia adest spirituum per partem radiatio. Sed hoc potissimum signo affectus hi distingui possunt: si pars ægra secetur, pungatur, vel aduratur, nihilque prorsus sentiat, dicitur sphacelus: quia sphacelus seu sideratio est omnimoda sanguinis circulantis, spirituumque radiantium extinctio, tum partis corruptio: sin vero sensus aliquis adest, gangræna nuncupatur.

XXIII. Probè cognitis gangræna & sphacelo, priusquam curam suscipiat Cheirurgus, prospicere debet quis morbi futurus sit eventus, utrumne sanabilis sit, nec ne? gangrænam namque periculosum esse affectum, cuivis facilè patet. Enimvero nisi citissime adferatur auxilium, in sphacelum brevi degenerat, parsque affecta planè emoritur. Qua de causa nullus hic cunctationi locus, sed statim suppetiæ ferendæ; quod non ita difficulter fiet in Vegeto adhuc & juvenili corpore, ubi spiritus sunt robustiores, eorumque radiatio nondum magnopere læsa est.

XXIV. Sed gangræna quæ fit ex humorum affluxu, multo difficilius curatur, quam quæ fit sine eo. Difficulter quoque hic affectus curatur in ore, palato, pudendis, aliisve partibus humidis; uti & in hydropicis. Perniciosa quoque est gangræna partium nervosarum & tendinosarum.

Gangræna à pede aut tibia orta, indeque genu transcendens, in sphacelum sæpius mutatur, & lethalis est.

Ex defectu nutrimenti quæ oritur gangræna, ut plurimum lethalis.

Sed gangræna ex prohibitis ac interceptis spiritibus, ac potissimum quæ à luxationibus malè restitutis provenit, ut & quæ à vasis transversim dissectis proficiscitur, difficillimè sanatur; in sphacelum vero degenerans lethalis.

Ex scorbuto quæ est gangræna ad multos menses protrahi potest, & raro perfectè curatur.

At vero sphacelus longè periculosius malum est. Nec enim pars sphacelo correpta restitui potest; sed mox exscindenda, & a viva separanda est.

XXV. Atqui gangræna ut curatur, prudenter prognosticatione facta, nec purgatio, nec venæsectio locum habet. Sudorifera alexipharmaca apprime conducunt, ut æquabilis sanguinis motus, spirituumque per partes radiatio, quantum quidem possibile, servari possint. Itaque.

℞. Rad. scorzoneræ rec. ℥ij. contraiervæ ʒiij. fol. scordii m i ß. rasuræ cornu cervini ℥ß. coq. S. A. in aqua pura ad ℥xxiv.
Ex hoc decocto bibat Patiens ter quaterve de die haustum: & interim quotidie bis sumat pulverem ex ʒß. oculorum cancrorum. Horum loco etiam cochleatim exhiberi potest mixtura ex. gr.

℞. Aq. carduibened. ℥ij. melissæ ℥iß. theriacalis simpl. ʒvi. confect. hyacinthor. ʒj. pulv. oculor. cancror. ℈ij. syrup. limonum ʒvi. misceantur.
Utile quoque est vesperi sub hora somni exhibere ʒj. theriaces aut mithridatii, cum haustu vini. Etenim febris, si adsit, ut maligna curari debet.

XXVI. Igitur generalibus hisce non neglectis, ipsius membri affecti cura aggredienda, quæ consistit in spirituum, qui ei desunt, restauratione: nec non stagnantis ac putrescentis in parte ægra humoris correctione, ejusdemque motus imminuti aut pene aboliti restitutione.

XXVII. Hæc Spirituum ad partem revocatio, atque stagnantis & putrescentis in ea humoris correctio, ejusque motus propomodum aboliti restitutio, absolvitur per Topica Medicamenta Calefacientia, Incitantia, Detergentia, & putredinem tollentia; quæ tamen varianda sunt pro causarum, è quibus oritur Gangræna, diversitate.

XXVIII. Et ad Specialem Gangrænæ Curationem ut accedamus, primo qua ratione Gangræna, quæ magnas Inflammationes subsequitur, curari debeat indagabimus. Quo in casu Affecta Pars Scarificanda multis incisuris, iisque satis profundis, ut stagnantes & in parte ægra corrupti humores evacuari queant, hinc & applicita medicamenta penitius penetrare. Sed in magnitudine & profunditate Scarificationum respiciendum ad ipsius affectus magnitudinem; viz. intusne Gangræna, & in membri fundo inceperit, an vero tantum foris sit, & in exteriore ejus parte. Enimvero partem externam si duntaxat comprehenderit, levibus ac superficiariis Scarificationibus cutis incidenda. Sin autem profundas atque internas membri partes occupet, indeque sensus aut amissus plane, aut multum saltem fuerit imminutus, pars profundioribus incisuris Scarificanda, usque dum sanguis effluat, & vitæ sensusque indicia sese prodant.

XXIX. Facta Scarificatione pars abluatur Spiritu vini in quo theriaca dissoluta est, vel aqua contra gangrænam cum theriaca.

Thomas Bartholinus in miscellaneis curiosis Medico-physicis, seu Ephemerid. Germanor. Anni secundi observat. 2. admodum extollit aquam marinam, cui absynthium incoctum est.

Alii scarificatam partem abluunt spiritu vini in quo dissolutus lapis alchymiæ, vel spiritu vini cum unguento ægyptiaco: eique ægyptiacum cum unguento Apostolorum & Basilicone postmodum imponunt. Cui tamen methodo non subscribimus, quoniam austera & vehementer exsiccentia (qualia sunt lapis alchymiæ & unguentum ægyptiacum) poros nimium constringendo suppurationem, hinc & separationem prohibent.

XXX. Facta ablutione parti circumjiciatur fermentum calefaciens & aperiens, quod sæpius renovetur.

℞. Herb. malvæ, scordii, absynthii, rutæ, artemisiæ an. m ß. fol. dictamni cretici, flor. camomillæ, sambuci an. m j. coq. in s. q. cerevisiæ tenuis ad ℔iij. pro fomento.

Vel ℞. Herb. scordii, absynthii, rutæ, artemisiæ, fol. dictamni cretici, an. m j. vini albi Gallici ℔iij. coq. S. A. in diplomate, dein coletur, & colaturæ addendo theriaces ʒiij. misceantur pro fomento.

Jobus Meekeranus observ. chirurg. cap. 62. Fomenti loco hoc imponit cataplasma.

℞. Micæ panis albi inveterati ℔ij. fol. scordii, rutæ an. ℥iß. summ. absynthii ℥j. fiat omnium pulvis, qui misceatur cum vino albo gallico, & past levem ebullitionem fit cataplasma, quod calide applicetur.

Barbette Chirurgiæ part. 2. lib. 1. cap. 14. id, quod sequitur, commendat,

℞. Summ. absynthii, flor. camomillæ, sambuci an. m ß. herb. scordii m i ß. rutæ m ß. miscæ panis similaginei ℥vii. fimi caballini ℥ii. coq. in aqua muriatica, & sub finem addendo. atramenti

Atramenti ℥ij. Spiritus Vini ℥iij. F. S. A. Cataplasma. Etiam laudibus suis meretur famosum illud.

℞. Cicutariæ Aquaticæ, hoc est, Phellandrii Mu. Absynthii, Scordii, Salviæ an. Mi. Micæ Panis Albi. q. s. Fiat omnium pulvis, qui coq. s. a. in s. q. Vini Albi, & addendo Spiritus Vini quantum admisceri potest, F. S. A. Cataplasma.

Alii Cataplasmatis aut Fomenti loco applicant Flores Cerevisiæ, Nostratibus *Gijl.*

Haud inutile quoque erit medicamentis Gangrænæ applicandis, sive Cataplasmatibus, sive Fomentis, admiscere Tincturam Castorei, aut Asæ Fœtidæ, aut Camphoræ, aliave Balsamica, & Sale Volatili Oleoso Abundantia; quibus porositates aperiantur, stagnantes putrescentesque humores corrigantur, hinc & spirituum per partem radiatio imminuta valde, & propemodum abolita restituatur.

XXXI. Sed priusquam circumjiciatur Fomentum, aut applicetur Cataplasma, parti Scarificatæ cum petiis imponatur Unguentum Basilicon, vel Basilicon cum Theriaca & Unguento Apostolorum, vel Digestivum vulgare cum Basilicone, vel id quod sequitur.

℞ Mellis Cumm. ℥iv. Therebint Venet. ℥ij. Farinæ Hordei ʒx. Pulv. Aloes, Myrrhæ an. ʒiiß. Croci ℈j. Vitellos duorum Ovorum, spiritus Vini ℥ij. Mel & Therebinthina simul coquantur continuo agitando, addendoque in fine Farinam Hordei, & post levem ebulitionem remove ab igne, ac adde Aloen & Myrrham, cumque aliquantulum refrixerit Ovorum Vitellos, tandem Crocum Spiritui Vine permixtum, & F. S. A. Digestivum. Jobus Meekeranus in Observationibus Chirurgicis, loco citato, hoc commendat Separatorium.

℞. Digestivi comm. ℥iij. Unguenti Basiliconis ℥iß. Pulv. Myrrhæ ʒij. Mercurii præcipitati ʒ i ß. spiritus Absynthii gutt. xxii. M. S. A. Cheirurgus vero quoties ad Ægrum accedit, remediis hisce factæ Escaræ summam partem tollere conetur, aut Scalpelli acie incidat ad partem usque sanam, ut imposita penetrare queant medicamenta ad corrigendum quicquid corruptum est; nec alia procedat methodo, donec videat morbum superatum.

XXXII. Insuper ad serpentem Gangrænam sistendam summopere conducit Butyrum Antimonii in circumferentiæ circulo inter partem sanam & ægram illitum, ut de Carbunculo dictum fuit.

XXXIII. Factam esse Separationem partis ægræ à sana ex eo cognoscitur, quod latius Malum non serpat, atque appareat circulus exacte rubens, exquisitique sensus, in quo spissa & alba reperitur materia.

Inducta vero quovis modo Crusta tollatur iisdem medicamentis, quæ de Anthrace eum in finem proposuimus.

XXXIV. Atqui à Nimio Frigore Externo aut Congelatione si fiat Gangræna, accurate perpendendum, incipiatne affectus, an jam aliquantisper adfuerit; id quod ab Ægro, & Adstantibus, nec non ex indiciis hisce promptum erit intelligere. Namque Morbus duntaxat Incipiens est, si eximio rubore affecta pars scintillet, dolor sit vehementissimus, punctorius, exurens. Sin vero Inveteratus sit, pars livida erit, & frigida.

XXXV. Igitur si Incipiens sit Morbus, non statim Pars Affecta Igni admovenda, aut Calida qualibet Ei apponenda; quin potius Aqua Frigidissima membrum irrigandum, aut Nive perfricandum, unde sensim incalescere, & pristinum calorem recuperare solet. Hoc ipsum quilibet facile hyeme experitur, si manus frigore propemodum congelatas fricet Nive aut aqua gelida: sic enim subito incalescunt; at igni admotæ magnum sentiunt dolorem, eumque pungitivum. Enimvero cum præ nimio frigore tardius in extremis corporis partibus sanguis circuletur, & ferme subsistat, si Patiens propius igni admoveatur, particulæ igneæ poros vehementer intrantes rapidissimo suo motu stagnantes, condensatosque humores dissolvere ulterius, hinc & corrumpere, partiumque interitum & mortificationem causare facile possunt. Sed nivesi Membra ex nimio frigore Congelata fricentur, aut Frigidissima aqua irrigentur, subtilis materia leniter ac placide admodum per poros intrans congelatos humores, nec non suffocatos fere vitales spiritus excitat blande, eorundemque radiationem, adeoque & nativum calorem plerumque restituit. Et hæc ratio est, quod Regionum Septentrionalium Incolæ homines valde refrigeratos, rigidos, & pene emortuos aquæ Frigidæ primo soleant immergere, & manus, pedes, nasum, aliaque refrigerare membra, priusquam hospitium ingrediantur, nive fricare, & Gelida aqua abluere. Cujus rei memorabile exemplum refert Fabritius Hildanus, libr. de Gangræna & sphacelo cap. 13. quod ita habet;

„ Vir Generosus & Pius narravit, se cum „ Regiones Septentrionales peragraret, in„ cidisse in Viatorem frigore rigidum, ac pe„ ne emortuum; quem plaustro suo impositum, „ cum deduxisset in diversorium, Hospes illico „ demersit in Frigidam: quo facto undiquaque „ erupit gelu, ut ipsius corpus glacie conte„ ctum conspiceretur, Tum quoque propina„ tum illi, ajebat, cyathum ampliorem hy„ dromelitis, addito pulvere cinamomi, car„ yophillorum, & macis, unde sudor in lecto „ provocatus est; atque ita ægrum ad se rediisse, & convaluisse, amissis duntaxat manuum, pedumque extremis articulis,

XXXVI. Conjiciens autem Cheirurgus ex sedato pungente dolore, ipsam quoque Congelationem magna ex parte mitigatam & correctam, missam faciat aquam Frigidam, aut Nivem; at lenes adhibeat Frictiones; dein fotus ex Lacte Dulci, cui Baccæ Lauri, Folia Rorismarini, Salviæ, Flores Lavendulæ, & similia Calida incocta fuerint, applicetur. Raparum decoctio, aut Rapæ coctæ, & cum recenti Butyro, Oleo Rosaceo, & ovi vitello in mortario contusæ, plurimum juvant, teste Johanne de Vigo chirurg. libr. 4. cap. 5.

Vel pars affecta (non neglecta interim, si necesse sit, Scarificatione) fricetur hoc vel simili,

℞. Spiritus juniperini ℥j. Tincturæ Castorei ʒß. Olei Therebinthinæ ℥ij. Camphoræ ℈ij. Misceantur S. A.

e in calide applicetur Fomentum, quod identidem renovetur,

℞. Herb. Rutæ, Salviæ, Rosmarini, Absynthii an. Mj. Fol. nicotianæ ℥iß. sem. Sinapi, Cumini, rad. Bryoniæ an. ℥j. coq. in Vini Gallici, & & vrinæ hominis adulti an. p. æq. ad ℥xxx. pro Fomento; cui & spiritus vini addi potest. Barbette in Curatione Gangrænæ ex nimio frigore, sequens præscribit,

℞. Herbar. Scordii Miß. Vincetoxici Mj. rutæ Mß. Sem Nasturtii, urticæ Rom. an. ʒiij. coq. in s. q. vini Gallici ad ℔iij. colat. addendo, spir. vini ℥ij. M. pro Fotu.

Insuper conducunt, tum Fomenta, tum Cataplasmata, tum alia medicamenta superius præscripta.

XXXVII. Hisce peractis componatur Æger in lecto, probeque tegatur, eique exhibeatur cum vino calido Theriaca, Mithridatium, vel simile Sudoriferum & Alexipharmacum; quo Diaphoresis promoveatur, atque adeo æquabilis humorum motus, ac spirituum corpus vivificantium ordinata radiatio servetur.

XXXVIII. Sin ex Humore seroso in partibus extremis, cruribus puta & scroto, collecto eveniat Gangræna, Universalibus haud neglectis, pars affecta scarificanda, sive altius, sive superficietenus, prout Malum magis minusve altas radices egerit; dein sequenti Fotu abluenda & fovenda,

℞. Rad. Bryoniæ siccat. ℥ij. Herb. scordii, Rutæ, absynthii an. Mj. Pulpæ Colocynthidis, Salis Tartari an. ʒij. Muriæ Limonum ℥xv. aquæ Putæ ℥xxvi. Coquantur S. A. & Colaturæ addendo spiritus vini, in quo ʒiß. Camphoræ sit soluta, ℥iij. Pulv. Aloes, Myrrhæ an. ʒij. Misceantur pro Lavamento & Fomento, quod fervide parti applicetur.

Potest quoque parti affectæ imponi Cataplasma. v. gr.

℞. Rad, Vincetoxici, Angelicæ an. ℥iß. Herb. Phellandrii Miij. absynthii, Rutæ, scordii an. Mj. baccar juniperi ℥ij. Sem. sinapi ℥j. Coq. in vino Albo & urina hominis adulti ad mollitiem, dein in mortario contund. & addendo Farinæ fabarum ℥iij. Salis Armoniaci ʒiij. M. F. S. A. Cataplasma.

Pars sic curata in lecto est continenda, nec non arena probe calefacta sacculisque inclusa ei circumponenda, ut in perpetuo calore membrum servetur.

XXXIX. Cheirurgus interim dum removet Fomentum vel Cataplasma, conetur acie scalpelli Escaram separare; dein abluat denuo partem affectam præscripto Fotu, admoveatque idem vel Fomentum, vel Cataplasma: nec aliter se gerat, donec sisti Malum animadvertat. Tandem separare nitatur Escaram Pharmacis ante commemoratis: imponendumque interea vel Fomentum, vel Cataplasma, quod putrefactioni resistit.

XL. In Gangræna, quæ ex Alimenti defectu, & atrophia evenire solet, atque ut plurimum in partibus excitari extremis, quavis ratione corpus humectandum & reficiendum, tum commodo victu, tum quibusvis, quæ pro Præsenti Causa convenire videntur, rite usurpatis.

XLI. Quoad partem Affectam; indagandum prius, num atrophia velut Causa Futuræ Gangræna solummodo adsit; an ver o Gangrænæ ipsa jam invaserit? Si nihil præter metum Gangrænæ ex Atrophia adsit, quavis ratione humectanda ac reficienda pars affecta, pori aperiendi, sanguinis spirituumque in ea motus restituendus, hinc & alimentum alliciendum. Quem in finem pars fovenda jure tepido Intestinorum, Capitis, & pedum Vervecis; cui nonnunquam Lumbrici incoqui solent Postquam vero aliquamdiu fota fuit Ægra Pars, Ventosæ applicentur cucurbitulæ, usque dum rubescere incipiat; tunc autem den endæ, & sequenti Linimento pars ungenda, diuque fricanda,

℞. Olei Laurini ℥j. guajaci ʒiij. Aluminis Plumosi ℈j. Misceantur exacte pro Litu

Alii laudant Partem Affectam inungere Succo Lumbricorum Terrestrium, qui potenter calefacit, humectat, nec non pororum ac vasculorum obstructiones aperit, ut spiritus, aliique humores liberius permeare queant; atque ex præscripto Johannis Wieri, in tractatu de Scorbuto, ita præparatur.

„ Sumit ille Lumbricos cœmeterii pinguissimos, quos aqua primum, deinde Vino „ exacte lotos minutim incidit, & phialæ „ im nittit pasta obvolutæ: hanc furno inserit „ cum alio pane, hocque cocto phialam pasta obvolutam quoque eximit, ac ubi re„ frixerit mergit in aqua, hinc, pasta mol„ lescente ac phialam deserente, Lumbrici in „ liquorem resoluti sese offerunt. percolatus „ liquor servetur usui; sed alterno quoque die „ renovandus, cito namque corrumpitur, tem„ pore præsertim æstivo.

XLII. At vero si jam invaserit Gangræna, Scarificatio hic non facienda, nisi urgente necessitate. Sed Pars Affecta foveatur tali Fotu,

℞. Rad. Bryoniæ Sicc. ℥ij. herb. phellandrii, Nasturtii aquat. an. Mij. rutæ, Scordii, Salviæ an. Mj. baccar. Lauri ℥iß. Sem. sinapi ℥j. stercoris Columbini ℥iij. coq. S. A. in Vino albo & urina hominis adulti, ad ℔iij. pro Fomento.

Postquam aliquamdiu pars ita fota est, ad luculentum ignem moderate fricetur, & fricando inungatur sequens; quo porositates aperiantur, & sanguinis spirituumque radians motus restituatur,

℞. Spiritus Cochleariæ ℥iß. juniperini ℥j. Tinct. Castorei ʒiij. Camphor. ℈ij. Misceantur.

Post Frictionem & inunctionem imponendum denuo Fomentum, vel ejus loco Cataplasma pag. 93. præscriptum; vel.

℞. Herb. salviæ, Rutæ, Sabinæ an Miß. Sem. sinapi, bacc. Lauri an ℥iß. coq. S. A. in vino albo & urina hominis adulti ad mollitiem, dein in mortario contundantur, & addendo Stercoris bubuli rec. ℥iij. Camphoræ in ℥iij. spiritus vini solutæ ʒiß. F. S. A. Cataplasma.

Sedata Gangræna, mundificandum & incarnandum est ulcus, hinc cicatrice obducendum. atqui ubi nulla spes apparet, membrum conservari posse, amputandum id est. Sed antequam

quam hic amputetur pars emortua, necesse est, ut Cheirurgus ventura pericula prædicat, eaque palam commemoret apud Ægri amicos & adstantes. Nam etsi amputetur altius pars affecta, in ipsa quoque carne viva, malum equidem ut plurimum truncum iterum invadit, atque occupat, estque omnis Gangræna ex Alimenti Defectu plerumque lethalis.

XLIII. Ad hanc Gangrænæ speciem curandam proxime & illa accedit Gangræna, quæ ex Mala Febrium, præsertim Malignarum, Crisi ortum ducit. Et quoniam illa magnam cum Anthrace habet similitudinem, eodem fere modo ac Carbunculus curari debet.

XLIV. Cum vero Gangræna oriatur ex ictu aut Morsu Animalis Venenati, periculum in mora est, atque ideo affecta pars Cauterio actuali mox inurenda, & absumendum subito, quicquid ejus malignitatis particeps est. aut ejus loco pars alte Scarificetur & abluatur spir. vini vel simplici, vel aromatico, vel aqua contra Gangrænam in qua dissoluta Camphora & Theriaca. Dein hoc vel simile imponatur Cataplasma,

♃. Herb. Rutæ, Salviæ, Rosmarini an. M j. Sem, cumini ℥ j. nucis moschatæ ʒ iij. coq. in s. q. vini Gallici ad mollitiem, dein in mortario minutim contund. & addendo farinæ lupinorum ℥ ij. theriaci ʒ vi. pulv. croci ℈ ij. spir. vini in quo ʒ j. caphuræ sit soluta ℥ i ß. F. S. A. Cataplasma, fervidè imponendum. Vigierius Chir. lib. 1. cap. 11. hoc proponit emplastrum ex Hildano,

♃. Fermènti acris, farinæ lupinorum alliorum sub prunis coctor. an. ℥ ij. fol. rutæ, scordii, dictamni cretici an. M ß. pulv. rad. angelicæ, Vincetoxici an. ℥ ß. Theriaces, mithridatii an. ℥ j. M. cum s. q. Decocti scordii, & F. S. A. emplastrum vel cataplasma.

XLV. Interea exhibeatur Theriaca cum vino calido, vel cochleatim utatur Patiens sequenti mixtura diaphoretica & alexipharmaca.

♃. Aq. carduibened. melissæ an. ℥ i ß. theriacal. simpl. ʒ vi. theriaces ʒ j. salis absynthii ℈ ij. camphoræ gran. 4. syrupi limonum ℥ ß. misceantur.

Sedata gangræna mundificetur, incarnetur, & cicatrisetur ulcus, ut in carbunculo.

Gangræna, quæ è medicamento septico corpori admoto evenit, eodem ferè modo curetur.

XLVI. Non prætereunda hic gangræna, quæ è scorbuto originem ducit, & plerumque partes extremas, crura præsertim, afficit, nec non partes oris internas, gingivas puta, palatum, genas, linguam, aut fauces non rarò occupat, imprimis in infantibus. In istiusmodi gangræna curanda remedia interna omnia, quæ in scorbuti curatione conducunt, minimè sunt omittenda: quæ tamen non enumerabimus, quoniam alterius sunt loci.

Equidem Patiens continuò utatur tali mixtura.

♃. Aq. melissæ, antiscorbuticæ ana ℥ iij. spir. cochleariæ per se destillat. ʒ iij. salis volatilis cornu cervi gran. 15. Syrupi limonum ʒ vi. misceantur.

Interim crus affectum, præmissis scarificatione & ablutione cum spiritu vini, &c. foveatur hoc vel simili fomento.

♃. Rasuræ ligni guajaci, sassaphras an. ℥ j. rad. angelicæ, chelidonii maj. an. ʒ vi. fol. cochleariæ, nasturtii aquat. an. m i ß. Seminis fœniculi ʒ vi. incisa & contusa digerantur per noctem calidè in vase clauso in spirit. vini ℥ xxviii. mane fiat colatura, quæ sit pro fotu. Vel loco fomenti applicetur cataplasma.

♃. Herb. phellandrii m ij. rutæ, salviæ, absynthii an. M j. baccar. lauri, juniperi an. ℥ j. seminis fœniculi ʒ x. coq. in vino Gallico ad mollitiem, dein minutim contund. & add. farinæ fabarum ℥ ij. pulv. aloës, myrrhæ an. ʒ ij. spiritus cochleariæ cum spir. vini destill. ℥ ij. F. S. A. Cataplasma calidè applicandum, & identidem renovandum.

Cæterum ulterius procedendum, ut de gangrænæ, quæ magnas sequitur inflammationes, curatione dictum fuit.

XLVII. Sed hujusmodi gangræna si in partibus oris internis, gingivis viz Palato, Genis, Lingua, Faucibus, fiat; atque affectæ partes corruptæ, nigricantes, ac omnino putridæ sint, pessimumque emittant fœtorem, generalibus haud neglectis, conducit mixtura, qua partes hæ labe scorbutica infectæ, hinc & corruptæ, frequenter laventur & fricentur, v. gr.

♃. Muriæ limonum, aquæ antiscorbuticæ an. ʒ vi. spir. vini ℥ i ß. theriaces ʒ j. salis absynthii ℈ ij. pulv. myrrhæ ʒ j ß. aluminis crudi ℈ iv. mellis rosacei ℥ i ß. misceantur pro oris collutione.

Interim tamen si durities quædam in Gena appareat, foris pplicetur cataplasma ad tumorem emolliendum, & citiorem promovendam separationem.

♃. Herb. Salviæ m i ß rutæ, absynthii an. m ß. nucis moschatæ ʒ iij. aloës, myrrhæ an ʒ ij. farinæ fabarum tostar. ℥ ij. pulver. & cum s. q. Spiritus uini leviter ebulliunt in formam pultis, eique addendo gum. ammoniaci in aceto soluti ℥ ß. F. S. A. Cataplasma calide applicandum, & sæpius permutandum.

Cum vero curari incipiat affectus, oris collutio mitigetur, donec perfecta sequatur sanatio, verbi gratia.

♃. Aq. antiscorbuticæ, plantaginis, salviæ an. ℥ i ß. vini albi Gallici ℥ ij. elixir. proprietatis sine acido ʒ ij. salis absinthii ʒ j. aluminis crudi ℈ iv. mellis rosacei ℥ j. misceantur.

XLVIII. Succedit hinc quæ ex Combustione oritur Gangrana, ad cujus Curationem tradendam haud abs re foret, prolixam de Ambustionis Cura materiam hic exponere; sed quoniam de ea lib. 3. fusius sumus dicturi, sufficiet hoc loco tantum monere, quod si magna Combustio Curam rite non suscipiat, quin potius in Gangrænam vergere incipiat, conducere sequens Medicamentum, quod Parti affectæ, prius Scarificatæ, cum linteo carpto calide applicetur, ac identidem renovetur.

♃. Spir. vini ℥ ij. Tinct. Castorei ʒ iij. Camphoræ ℈ ij. M. S. A.

Dein superponatur Cataplasma,

℞. Herb. Phellandrii Mij. Rutæ, Scordii, Salviæ an. Mj. Cœparum crudar. ℥ij. Baccar. juniperi ℥iß. coq. in vino Albo ad mollitiem, dein minutim contund. & addendo Farinæ Fabarum ℥iij. pulu. nucisмoschatæ ʒiij. aloes, Myrrhæ in spiritu vini solut. an. ʒij. unguenti Basiliconis ℥ii. F. S. A. Cataplasma, fervide applicandum, & sæpius renovandum.

Hinc ulterius procedendum pro re nata, ut superius exposuimus.

XLIX. A. spirituum in Partem interceptione si eueniat Gangræna, pro morbi ratione & Ægrotantis viribus, diligenter indaganda causa, ob quam spiritus arcentur à parte affecta, eaque si fieri possit statim tollenda. Hinc si arctior sit ligatura, laxanda est. Dien admovenda Pharmaca calefacientia, aperientia, Resolventia Eum in finem Hildanus proponit hoc Cataplasma,

℞. Farinæ Lupinorum, Fabarum, Lentium an. ℥ij. pulu. scordii, absynthii, florum Camomillæ an. ℥ß. cum oxymelite, aut Syrupo de acetosa, F. S. A. Cataplasma.

Sin invalescat nihilominus Malum, Locus affectus scarificandus, & abluendus spiritu vini simplici, vel cum Theriaca; ac porro in Curatione procedendum, uti in Gangræna ex nimia Inflammatione.

L. Verumenimvero quum Gangræna, remediis nunc satis propositis licet commode adhibitis, ulterius proserpat, magisque ac magis invalescat, non amplius Gangræna est, sed sideratio, hoc est, spirituum Radiantium Omnimoda Extinctio, Totaque partis corruptio & Mortificatio, hinc & curari non potest, cum pars plane emortua ad vitam revocari neqveat. Sed unicum tunc, ut Patiens servetur, restat remedium; viz. Membrum corruptum rescindere & extirpare, quo quamvis dubio, gravi, & violento utendum tamen, moxque sideratum Membrum amputandum, ne pars sincera trahatur, Crudelem siquidem Medicum necessitas facit; nam crudele malum crudeli remedio expugnandum, atque nihil interest, an. satis tutum sit præsidium, quod est unicum: satius est anceps auxilium experire, quam nullum: melior est dubia spes, quam desperata salus: satius est motum alicujus partis perire, quam totum hominem. Nam, ut ait Hippocrates, extremis morbis extrema conducunt remedia: item, quod non sanat medicamentum, sanat ignis; quod non sanat ignis, sanat ferrum; nec illa dura videtur curatio, cujus est salutaris effectus.

LI. Cum igitur sphacelus sit Perfecta Partis Mortificatio, ideo cura ejus non consistit in Medicamentorum facultatibus; sed in unico, eoque ultimo & extremo remedio, quod est Partis sphacelo affectæ, Infectæ, & Corruptæ Extirpatio; nam quod à naturæ regimine non amplius pendet, exscindendum & amputandum est. Atque ita omnibus diligenter consideratis, ubi Cheirurgo de Ægrotantis voluntate, deque ejus viribus plane constiterit, tum ad munus suum rite præstandum sese accingat, omnibusque ante operationem, in operatione, & post operationem necessariis instructus Patientem in opposito, commodoque situ collocet, extirpationemque aggrediatur, sed cum partis corruptæ extirpatio variis modis à variis Auctoribus tradi soleat, haud gravabor quorumdam de ea proferre sententias.

LII. Nonnulli Scarificationi profundiori, inter partem sanam & mortuam, inspergunt pulverem ex Arsenico, vel imponunt Unguentum Ægyptiacum, cui admixtum Arsenicum.

Alter modus extirpandi quod corruptum est, fit actuali Cauterio, dum uritur quicquid infectum & emortuum, ac removetur escara.

Tertius modus est, Novacula simul resecare quicquid corruptum & emortuum; dein actuali Cauterio vulnus inurere, tum ut sanguinis fluxus sistatur, tum ut reliquiæ corruptæ carnis porro absumantur. sed operationes hæ quanquam exerceri possint, cum sphacelus sit in corporis parte, quam non est necesse aut possibile totam extirpare, clunibus puta, simulibusve. Si tamen membrum sit corruptum, adeoque amputandum, neque Cauterio actuali, neque Potentiali, neque Novacula id expediri potest, sed integri membri, manus sc. pedisve amputatione opus est. Verum qua ratione, & quo in loco Operatio hæc tutius & commodius institui possit, non una est Auctorum sententia.

LIII. Multi ex Recentioribus statuunt satis commodum locum esse in ipso articulo, quamvis in praxi contrarium vulgo observetur, tum ob difficultatem, quæ in ipsa sectione occurrit, quod non tam prompte inveniri possit locus conjunctionis duorum ossium; tum quod cicatrix tarde admodum, & difficulter inducatur.

LIV. Sed cum non semper Malum sit prope Articulum, at sæpe circa Medium aut finem Membri, nunc porro quæritur, sitne facienda Membri amputatio in parte emortua, an in parte sana? Qui in parte corrupta atque emortua Sectionem instituendam autumant, his nituntur rationibus; tum quia sic minorem dolorem sentiet Patiens; tum quia in magnam non incidet hæmorrhagiam, ob quam nonnunquam animi defectio oritur, & in ipsa operatione Ægri moriuntur. atque hujus sententiæ videtur fuisse Galenus lib. 2. de curandi ratione ad Glauconem cap. 9. ubi sic scribit: „ Membrum emortuum statim rescindere oportet, quo sanam partem vicinam attingit. Et paulo post: Satius est ob majorem securitatem, quando abscindis & circumcidis id, quod jam putruit, eam, quæ velut radix est, sanæ parti adjunctam adurere. Hanc quoque sententiam defendit „ Johannes de Vigo lib. 4. chir. cap. 7. sic inquiens: Incidendum est membrum prope sanum, ita ut aliquid remaneat corrupti. Et hoc de tribus causis. 1. ut incisio sine dolore fiat. 2. Ut sanguinis fluxus evitetur. 3. Ut post remotionem ossis fiat cauterisatio cum pauco dolore. Inter recentiores idem sentit Fallopius tr. de tumor. pr. nat. cap. 26. ubi docet, aliquid relinquendum esse potius de parte corrupta, quam ut sanam incidamus, ob easdem fermè, quas de Vigo habet, rationes. Hier. Fabritius ab Aquapendente Chir. lib. 1. c. 19. & de oper. Chirurg. titulo de Sphaceli Chirurgia, tantam corruptæ carnis partem relinqui vult, quanta est crassities unius aut sesqui digiti: idq; ideo, quod,

si in vivente parte instituatur sectio, duo inevitabilia sequantur symptomata: viz. sanguinis profusio ex præcisione magnorum vasorum: & dolor intolerabilis, cui nonnunquam convulsio accedit. Quæ incommoda evitari posse putat, in parte emortua si instituatur sectio. Ne autem sideratio ulterius extendatur, abscisso osse, ferramentis candentibus relictam partem putridam undique inurit, donec vim ignis persentiat ægrotans, & aliquem patiatur dolorem. Ita enim partem emortuam in crustam degenerare, quæ vasis est operculum, & partem vivam ita per ustionem corroborari testatur, ut spatio tridui aut quatridui appareat separatio mortui à vivo, & ita sistatur mortificatio sine dolore, & sine sanguinis profusione. Sed consilium hoc periculosæ plenum aleæ nobis videtur, quia certi non sumus, malum illud, quod relinquitur, non sese multiplicaturum, & qu s fidem nobis faciet, os ipsum, quod carni subest, non esse altiori in loco corruptum.

LV. Contrarium igitur merito sentiunt alii, quos inter est C. Celsus, qui lib. 7. cap. 33. inter sanam vitiatamque partem carnem scalpello incidere usque ad os jubet, sic ut potius ex parte sana aliquid excidatur, quam ex ægra relinquatur. Haud secus Guido de cauliaco jubet membrum incidere supra corruptum aliquantulum in loco, in quo cum stilo immisso invenitur dolor & firmitudo. Hos alii sequuntur, inter quos Ambrosius Paræus Chir. lib. 11. cap. 18. qui Celsi consilio minimum ejus quod sanam est amputare jubet: sic tamen ut ex parte sana potius aliquid excidatur Fabritius Hildanus lib. de Gangræna & Sphacelo cap. 17. ubi plures adducit Cheirurgos, plane idem sentientes. Quapropter concludimus tandem, in parte sana faciendam esse sectionem, proxime tamen ad ægram, spatio unius circiter digiti transversi. Equidem hæc regula exceptionem patitur in tibia: in qua si sphacelus sit supra malleolos, prope genu extirpatio est facienda: quod enim relinquitur, nullum præstat usum, imo magnum incommodum ægro adfert, cum ligneo crure ipsi utendum sit, parsque otiosa in posteriora vergat: adde quod in tendinosa musculorum, & excarni tibiæ parte instituta sectio consolidationem faciat longe difficilem. In brachio vero tantum conservetur, quintum commode alligandæ & aptandæ manui ferreæ sufficiat.

LVI. Cæterum amputationis locum in manuum pedumve digitis quod spectat; rectissime in ipso articulo fit sectio. Nam in digiti articulo minore cum periculo fit amputatio, ac minore cum dolore; nervi enim & tendines incisi sursum contrahuntur, carne conteguntur, & vix ullum accedit incommodum.

LVII. Explorato & designato amputationis loco, ad membri corrupti extirpationem veniendum est. Sed ut operatio hæc rite instituatur, quæ ad eam necessaria sunt instrumenta in promptu sunt, eaque ita collocanda, & ordine disponenda, ut in operatione unum alteri minime sit impedimento, uti accidit Cheirurgo, cujus meminit Hildanus; qui cum crus emortuum abscinderet, & in medio esset operæ, serra fasciæ (quia cutem & carnem sursum reduxerat) ita involuta fuit, ut ab opera aliquamdiu desistere cogeretur, dum serram è fascia iterum excitaret.

LVIII. Sunt vero Instrumenta ad hanc Operationem necessaria, Culter propemodum Falcatus, Serra, interdum sed raro Scalper Excisoria forfex, cauteria actualia, pulvis ad sistendum sanguinem, Tenacula ad liganda vasa, defensiva, fasciæ oxycrato madefactæ, Pulvilli, stuppæ ovi albumine intinctæ & pulvere ad sanguinem sistendum adspersæ, vesicæ bovinæ, & si quæ alia.

LIX. Igitur corpore, omnibusque necessariis ad operationem præparatis, & ordine dispositis, id quod agendum inchoetur. Atque si tibia verbi gratia, amputanda sit, implorato prius supremi numinis auxilio, oportet ægrotantem haustum largiorem vini, aut cardiacum aliquod assumere, ne inter operandum deficiat. Nonnulli opiatæ alicujus confectionis, vel laudani opiati aliquid exhibent ad sensum sopiendum. Quos tamen merito reprehendit Fallopius, atque levia soporifera nihil prodesse existimat, valida autem periculosa, quoniam spiritus inde profligantur, hinc vires prosternuntur magis.

LX. Patiens verò pro natura, situ, & varietate partis affectæ convenienter & commode collocetur, atque ne pars in operatione vacillet, aut æger eam movere possit, firmissime vinculis & ministris comprehendatur, detineaturque. Deinde à viro robusto cutis & caro sana (quantum fieri potest) sursum attrahenda, ut eadem postmodum relaxata denudato ossi melius obduci queat. Tum supra sectionis locum valida fiat ligatura vinculo non ita lato, sed forti, idque ut æger minus dolorem percipiat; tum ut, ob vasorum constrictionem, sanguinis fluxus melius compesci possit. Guido vult, vinculum alterum adhiberi parti emortuæ, ut inter duo illa vincula fiat incisio: nec male fortassis. Cum enim adstantes terreantur sanguinis eruptione, hujusmodi ligatura coërcetur sanguis intra venas partis emortuæ, ne effundatur.

LXI. Hisce peractis, ubi locus conveniens fuerit electus, Cheirurgus cultro propemodum falcato totam circumquaque carnem musculosam quam potest festinanter resecet. Hinc serram acutissimam adhibeat prius ad fibulam, deinde ad tibiam, sicque os præcidat.

LXII. Si geminum sit os, ut in crure aut cubito, nonnulli cultellum ancipitem inter duo ossa à ministrante Cheirurgo inseri volunt, tum ut auferatur periostium, tum ut vasa majora ibidem delitescentia discindantur; sed perperam, quoniam in vivis hæc duo Focilia, tum in crure, tum in cubito, tam prope sibi conjuncta cernuntur, ut impossibile sit, vel minimum cultellum inter illa inserere. Insuper mora ista sanguis copiosè nimis proflueret, unde & ægrotanti facile animus deficeret.

LXIII. Facta amputatione, si magna & immodica sanguinis adfuerit profusio (nam ut mediocriter sanguis fluat sinendum) sistenda est; raro tamen id fit, modo fortis instituatur ligatura: adeo ut nonnunquam ad aliquot cochlearia non profundatur cruor, aut ad tres quatuorve

tuorve uncias ad summum. Igitur ad sanguinis immoderatum profluvium sistendum, aliqui cauterio utuntur actuali ad vasa inurenda & crustam carni inducendam: quod remedii genus à multis tutissimum judicatur, cum ignis non solum fluentem sanguinem sistat, at etiam reliquias putredinis, & mali radicem, si quæ supersit, absumat; & quo citius ossis fragmenta excidant, etiam ipsum os inurendum præcipiunt. Sed metuendum est, inquit Cl. van Horne in Microtechne, ne eadem illa, quæ ab inustione actualis cauterii inducitur, crusta decidente novus fiat sanguinis fluxus, &, antequam ad eum sistendum advocetur Cheirurgus, jam æger ad plures abierit. Addit Paræus Cheirurg. lib. 12. c. 35. crudele id esse, cum summum dolorem adferat, si in viva carne, uti debet, sectio facta fuerit; unde partibus nervosis prava sæpè superveniunt accidentia. Quapropter idem cap. 31. 32. 33. suadet, ut tenacula vel volsella vasa apprehendantur, & acu transfigantur, atque adducto filo deligentur.

Constrictis autem vasis, seu ligatura, seu actuali cauterio, vincula solvenda, & membro stuppæ albumini ovi imbutæ, & pulvere sanguinem sistente conspersæ, imponendæ.

Pulvis sanguinem sistens, qui valdè laudatur ab Hildano lib. de Gangræna & sphacelo cap. 17.

℞. Farinæ volatilis ℥vi. thuris, sanguinis draconis an. ℥j. boli armeni, terræ sigillatæ an. ℥ß. gypsi ℥iß. musci cranii hum. ℥j. ranarum aquatil. præp. ℥ij. pilorum leporis minutissimè incisor. ʒ ij. pulv. album. ovorum Sole exsiccat. spumæ maris, spongiæ torrefactæ an. ℥j. M. F. pulvis subtilissimus. Plerumque etiam sine cauterio actuali & ligatura sanguinis profusio cohiberi potest, si fungum, quem crepitum lupi, vulgo *Bovyst* appellant, in usum ducamus; viz. ut in spatio inter duo ossa medio, portiunculas ejusdem, pulvere sanguinem sistente plenas, & ovorum albumine madefactas, applicemus: aut si ex eodem fungo excavato veluti scutellam conficiamus, pulvere stegnotico repletam, cui tunc membri extremitas imittatur.

Alii liquorem stipticum ex calcantho & similibus præparatum cum linteo discerpto, aut stuppa cannabina imponunt, sicque sanguinis fluxum protinus suppriment, ex. gr.

℞. Vitrioli Ungarici, aluminis crudi an. ℥vi. phlegmatis vitrioli ℔ iv. coq. tamdiu donec omnia fuerint dissoluta: liquorem refrigeratum fibra, & à crystallis subinde concretis separa, ac addendo singulis libris, olei vitrioli ℥ j. M. & servetur usui.

Hoc liquore lintea quintuplicia humectata vulneri, vel orificio arteriæ, vel trunco membri extirpati superimponantur, adhibita convenienteligatura, & observatur sanguinem protinus esse coagulatum. Plura de stiptico hoc liquore addit Jo. Corn. Weber, in Anchora Sauciatorum pag. 124. 125. Aliam porrò methodum, qua hæmorrhagia post amputatas manus subitò fuerit sedata, proponit Felix Platerus lib. 3. observ. pag. mihi 772.

LXIV. Coërcito autem nimio sanguinis fluxu, & cæteris ita constitutis, membri extremitas, ejusque apparatus ita in situ detineatur beneficio emplastri defensivi & glutinantis, quibus omnibus vesica bubula superinducatur, donec hæmorrhagiæ metus transiverit; tandem cruciata fasciatio instituatur.

LXV. Atque hic primus apparatus est, seu prima deligatio, quæ ante secundum aut tertium diem æstate, hyeme ante quartum non est solvenda, nisi quid valde urgeat; interim membrum figura media collocandum in pulvinari. Soluta vero ligatura, & ablato primo apparatu, aliquot pulvillos ex stupis aut gossypio paratos nec non albumine ovi madefactos, & pulvere stegnotico adspersos, in promptu habeat Cheirurgus; qui omnia prudenter admoveat: pulvilli tamen, qui in primo apparatu vasis impositi fuere, si aliquo modo, quantumvis levissimè adhæserint, propter hæmorrhagiæ metum, in proximam usque deligationem relinquendi sunt. Sin vero facile, & velut per se deciderint, recentes vasis imponere convenit; at reliquo vulneri applicetur digestivum commune, vel mundificativum de apio, vel

℞. Therebinthinæ Venetæ vino lotæ ℥iij. mellis rosacei ℥ i ß. pulv. rad. aristol. rot. iridis florent. farinæ hordei an. ʒ i ß. spir. vin. ℥ ß. M. F. S. A. mundificativum.

LXVI. Interea tamen postquam ligatura soluta, detractaque fuerit, cutis jam leviter reducenda est ad vulnus tegendum, quo tempore fieri id poterit: quem in finem Paræus & alii cutis extremitates quatuor in locis acu & filo traducto ad se invicem adducunt, & nudatum os obtegere satagunt, ne ab aëre lædatur. Sed quorsum opus est ægrum non profuturis carnificinis excruciare? cum enim truncus post operationem intumescat, sutura hæc mirum in modum dolores auget; filum quoque, intumescente carne, cutem abrumpit, unde sutura relaxatur, & planè inutilis evadit. Hinc commodior videtur ea, quam siccam vocant, quæque per emplastra conglutinantia satis aptè peragitur.

LXVII. Tandem dum curatur hoc modo vulnus, procurandus est casus extremorum ossium, quæ aëris & serræ contactu alterata fuere. Eum in finem Cheirurgi pulveres catagmaticos inspergere perperam solent; quoniam iis os conservatur, hinc nec squammæ separatio promovetur: sed pinguia potius, & oleaginosa ossium extremis imponantur; quæ ossa corrumpere, adeoque illorum separationem, festinare solent. Accelerat quoque casum ossis, si peracta amputatione cauterium actuale leniter leviterque ossi applicatum fuerit.

LXVIII. Sed ipso in trunco luxurians spongiosaque caro sæpius excrescit, quæ coërcenda est insperso pulvere radicis iridis Florentinæ, aut aluminis usti, aut sequente, quem Hildanus proponit.

℞. Aluminis usti ʒij. vitr. calcin. ʒß. cerussæ, lapid. calaminaris, plumbi usti an. ʒ j. m. f. pulvis. hinc inducenda cicatrix emplastro diapalma, de cerussa, unguento desiccativo rubro, diapompholigos, similibusve.

Post curationem verò quomodo tibia lignea aut integrum ex ligno factum crus sit adaptandum, exponit Ambrosius Paræus Chirurg. lib. 23. *Joh. Munnicks. in Cheirurgia ad hodiernam Praxin adornata.*

Consultationes.

Gangræna pollicis sinistræ manus lethalis.

Filia Josuæ Hessi Ecclesiæ Megagestinensis Pasto-

Pastoris ex inflammatione pollicis manus sinistræ gangrænam contraxerat, quam quum negligentius haberet in sphacelum degeneravit; accersitus Chirurgus quidam Castrensis Paullus Polt digitum uno vehementique ictu paullo infra articulum amputavit, usque sanguinis profluvium sisteretur, ferro candenti adussit: hinc dolores acutissimi, vigiliæ perpetuæ, animi deliquia, convulsiones, aliaque suborta symptomata, quæ etsi adhibitis idoneis remediis quandoque mitigarentur, subinde tamen recrudurent, donec tandem è vita decederet ægra.

Inflammationes partium insolentes, quandoque in gangrænam abire & sphacelum, vulgo notum est, quatenus à copiâ sanguinis & humorum calor nativus partis affectæ suffocatur: qua via autem quibusque remediis præcaveri, possit ne in gangrænam degeneret inflammatio, apud authores passim obvium est.

Curationem verò quantùm attinet & in specie quidem sphaceli, nullâ aliâ ratione perfici ea potest quàm amputatione, siquidem quod planè jam corruptum est vitam amplius recuperare non potest ac propterea. *Ense rescidendum est ne pars sincera trahatur.*

Quibus autem modis & instrumentis hoc fieri debeat, alii aliter sentiunt: quidam carnem mortuam prope sanam multis sectionibus rectis & obliquis scarificans, idque satis profundè usque ad os, postea vulneribus pulverem ex arsenico & sublimato inspergunt, ut pars mortua à sana separetur. Alii cauterio quod corruptum est, adurunt usque dum dolor percipitur in parte: alii sectione amputant corrupta. idque vel novacula, vel serra, aut modiolo vel securi.

Verùm quàm noxia sit arsenici sublimatique vulneribus scarificatis inspersio, docet Paræus; quàm pernitiosa cauterisatio demonstrat Fallopius; quàm periculosa per modiolum aut securim amputatio, exemplis evincit Fabricius, quibus meritò accensetur hoc nostrum, in quo triplex error commissus videtur.

Primus quidem in eo quod pollicem infra articulum resecuit Chirurgus, cum rectius & cum minori periculo & dolore in ipso articulo fiat amputatio: nervi enim & tendines incisi sursum contrahuntur, carne conteguntur, neque ulla sequitur convulsio.

Alter vero, quod ictu adeo vehementi & per modiolum pollicem amputavit, id quod novacula melius expediri poterat. Fieri enim non potest quin percussionis violentia nervi & tendines contundantur, rumpantur, ossaque conterantur & immanissimi cruciatus, inflammationes, tumores, convulsiones, aliaque prava symptomata excitentur, ut in tractatu suo de gangræna & sphacelo cap. 17. annotavit Guilielmus Fabricius.

Tertius denique in sistendo per ferrum candens sanguine, siquidem ut Paræus movet, ustiones non tantum summum dolorem inferunt, sed & partibus nervosis prava accidentia inducunt, multumque sanæ carnis absumunt, unde ossa denudantur, & caro ac cicatrix summa cum difficultate vel planè non obducitur.

Quæ cùm observare ex usu sit, in gratiam Tyronum hoc loco inserenda duxi, ut cautius de corio humano ludere discant, & sic ubi ferro aut igni agendum est, diligenti cum præmeditatione, & circumspectè hoc faciant. Arduæ enim & difficiles sunt hæ operationes, & quandoque etiam peritorum eludunt conatus, adeoque temere non tentandæ, nisi ubi nullum aliud est præsidium, tunc enim satis tutum est, ut Celsus loquitur, quod unicum est, modo exquisitè sit comparatum. *Balthassar Timæus in casibus Medicinalibus.*

Gangræna brachii & sphacelus ex ulcere pedis intempestivè occluso.

Vir quidam Consularis ulcere Rheumatico pedis sinistri per multos annos affectus, tandem consolidato ulcere, in vehementissimos capitis dolores incidit, quibus cùm per integram hyemem conflictatus, circa æquinoctium vernum anni 1652. subito vehementique dolore brachii ejusdem lateris prehensus est, cum insigni ardore & inflammatione, quæ cum à Chirurgo ejus loci initio negligentius haberetur, in gangrænam & paulo post in sphacelum desiit, amputato brachio, æger quadriennio post apoplexia forti extinctus est.

Quàm periculosa sit ulcerum fluentium maximè inveteratorum occlusio, supra lib. 2. casu 26. & lib. 6. casu 24. dictum est, ubi enim natura longo tempore assuevit humores noxios ad partes ignobiliores detrudere & per ulcus apertum subinde evacuare, fieri non potest, quin præclusa via in partes principales regurgitent, ægroque certissimam pernitiem, aliqvando interitum adferant, nisi tempestive sufficienterque evacuentur & exsiccentur, quod cùm in præsenti casu neglectum sit, mirum non est quòd à multis annis per ulcus pedis effluens humor exitu denegato, ad cerebrum delatus, capitis dolores, postmodum cum impetu in brachium decumbens, gangrænam & sphacelum excitaverit. Humores enim pravos à natura in membrum aliquod detrusos subitò id mortificare posse multiplici experientia constat & supra lib. 5. casu 8. demonstratum est. Accessit & culpa Chirurgi, qui initio malum hoc planè neglexit, nihilque applicandum sed pannis calidis solummodo fricandum, tegendumque suasit, unde proculdubio attractis per frictiones & calorem humoribus exasperatum est, quanquam & in eo peccatum, quòd postmodum suasu Balneatoris vehementer repellentia, refrigerantia & adstringentia, ut succus sempervivi, acetum vini & id genus alia imposita, quibus pori constipati calorque nativus suffocatus est, ut in responsis nostris prolixius docuimus. *Idem ibidem.*

Gangræna scroti.

Nobiliss. D. Petrus *Von Sovenhausen* cognatus meus ex dysenteria in hydropem ascitem incidit, cui cùm scrotum supra modum intumesceret, apertionem ursit. Ego dubii eventus auxilium, quòd paucis, benè, multis malè cesserat animo volvens, tandem ex arbitrio Celsi, melius esse anceps quam nullum remedium, ratus, ministrante lithotomo, scrotum uno vulnere, eoque satis amplo aperui & primò quidem die serosi humoris libras circiter duas per cannam argen-

argenteam vulneri impositam, partitis vicibus, eduxi; secundo tres, tertio quatuor, quarto supervenit gangræna; suasi scrotum illico sectionibus multis undique scarificaretur & postmodum decocto sequenti probè ablueretur.

♃. Rad. uncetoxic. ireos aristoloch. rotund. an. ℥ß. scordii absinth. flor. sambuc. lupinor. ana m. ß. acet. vini & lixivii fortiss. an. ℔ ij. coq. ad tertias in colatur. dissolv theriac. andromach. ℥ß. aloës, myrrh. an. ʒ iij. mell. rosat. colat. ℥j. spir. vin. opt. ℥ iij. m.

Facta ablutione unguentum Ægyptiacum & supra id cataplasma ex scordio, absinthio, lolio, junipero, myrrha, aloë, farina lupinor. aliisq; putredini resistentibus, applicuimus, simulq; convenientem victus rationem præscripsimus, corpus per intervalla hydragogis convenientibus blandè purgavimus, nihilque eorum quæ ad viscerum roborationem facerent, intermisimus. Scrotum sphacelatum partim naturæ beneficio sponte decidit, partim novacula resectum est, ut testiculi nudi conspicerentur, qui tamen medicamentis resiccantibus & incarnantibus, carne ex inguinibus succrescente quasi novo involucro obducti sunt.

Interea natura multum humoris serosi per hanc viam deposuit, ut brevi tempore totum abdomen detumesceret, nec exigua reconvalescentia spes affulgeret, ægro jam ad consueta munia redeunte.

Verùm major erat viscerum labes, ut in cadaveris apertione deprehendimus, quam ut superari posset, nnde cumulato iterum sero & superveniente alvi profluvio, æger fatis concessit; cum paullo ante, multa cruenta ἄνω ϗ κάτω rejecisset. *Idem ibidem.*

Gangræna faciei, palpebrarum & utriusque oculi.

Vir quidam Nobilis & de Patria optime meritus, erisipelate faciei affectus, postquam ad restinguendum ardorem, aqua frigidissima totam faciem repetitim perfuderet, gangrænam primò in genis, postmodum etiam in palpebris, ipsisque oculis contraxit, adhibita varia & exquisite comparata remedia, Medicis & Chirurgis dies noctesq; excubantibus, sed frustra, malo in dies augescente, donec sphacelatis faciei & palpebrarum musculis, totaque oculorum substantia, misere, pie tamen & constanti in Deum fiducia, interiret æger.

Discant ex hoc Tyrones, quàm periculosum sit humores, quos natura à partibus interioribus ad exteriores protulit, rursùm ad interiora repellere, naturamqne rectè agentem in munere suo impedire, imprimis vero in erysipelate, ubi materia quam natura expellit, per refrigerantia & repercutientia plerumq; in ipsa parte affecta concluditur, unde putredo & suppuratio, non rarò gangræna & membri νέκρωσις oritur, ut docet Hipp. 7. Aph. 2. in rustico quodam observavit Guilielmus Fabricius Cent. I. obs. 82. *Baltassar Timæus in casibus medicis.*

Gangræna pedis.

Vir 40. annorum robustus, post cænam, bene potus, media hieme, in stabulo, cujus fenestræ erant apertæ, se ad dormiendum composuit. A somno surgens, pedes vix poterat movere, in iisque exiguus erat sensus, ac calor in iis apparebat lividus.

Partes affectæ in hoc ægro sunt pedes; quod eorum stupor, movendi difficultas & livor probant.

Morbus quo laborat, est intemperies frigida & putrida atque contagiosa pedum, quæ sensus stuporem, & movendi difficultatem ac livorem, ex caloris nativi extinctione inchoata: inducens, & ad vicina facile prorepens, gangræna appellari solet.

Causa hujus morbi externa est aëris frigus, in quo æger noctu, corpore non satis adversus aërem frigidiorem munito, dormivit. Frigoris enim vehementia calor nativus in pedibus valde fuit extinctus; quo fibrillæ nervorum pedibus insertorum, ita fuerunt vitiatæ, ut motum pedibus impressum, ad cerebrum, sensationis excitandæ causa, satis valide transmittere nequeant; partesque insensibiles cutis & vicinarum partium, propter ingentem putredinem & corruptelam, ex frigore illo inductam, ita fuerunt corruptæ, ut pedes jam liveant & stupeant.

Morbus hic est periculosissimus, cum sit magnus à naturali statu recessus, & magna adsint symptomata: malumque hoc valde prorepere, & brevi in sphacelum converti soleat.

Celerrima itaque & prudentissima curatione mox erit aggrediendus eaque in corruptelæ partium oblatione, & intemperiei correctione, & denique in partium, quæ aperientur, consolidatione consistet.

Statim itaque pedibus applicetur tale emplastrum, calefaciens & corruptelam sistens.

♃. Rad. raph. hort. rapi ana n- ij. contund. in mortar. addendo sem. sinap. ℥j. pulver. caryophll. ʒiij. olei sem. lini, jugland. veter. ana q. s. M. & fiat emplastr. calide applicandum pedibus per unum diem, ægerque in calido loco decumbat.

Si contingat malum ad internas partes extendi, illico scarificationes satis profundæ, usque ad vivam carnem sunt adhibendæ ita ut sanguis egrediatur.

Deinde partes laventur aqua salsa, vel spiritu vini in quo unguentum ægyptiacum est dissolutum; & lotio sit valde calida. Postea adhibeatur tale unguentum, quod præstantissimum est ad omnem putredinem, & ulceris malignitatem sistendam & tollendam.

♃. Flor. æris, alum. rochæ, mell. comm. ana ʒiij. aceti acerrimi ℥v. sal. comm. ℥j. vitriol. rom. ℥ß. sublim pulver. ʒij. Bulliant & fiat unguentum.

Si ita putredo superetur, eschara separanda est apposito emplastro ex quinque farinis, fabar. scilic. lini, fænugræci, hordei, lupinorum, vel alio simili.

Quod si neque per hæc sistatur corruptela, igne utendum.

Eosque nihil etiam proficiente pedes exscindendi: ex Paræi sententia, in carne viva: ex Fallopii, in parte mortua, in confinio vivæ; quæ deinde post sectionem cauteriis actualibus adurenda, donec æger dolorem cauteriorum sentiat. *Henric. Regius apud Theod. Medicatian. lib. 4.*

Observatio

Observationes

De Gangræna ex contusione, quæ totum crus, scrotum & inguen, spatio 29. horarum mira cum celeritate invasit, atque ægrum è medio sustulit.

Die 21. superioris mensis Julii, Stephanus Stoppinus, civis Fassaciensis, Oppidi hic in vicinia ad lacum Neocomensem siti, quinquagenarius robustus, & optimo corporis habitu præditus, cum in maximis messis occupationibus, ipsemet plaustrum vacuum ducere tentasset, ac currendo in terram procidisset, rota internam partem sui sinistri cruris dilaceravit, cum tibiæ ossis, à periostio suo ad longitudinem Spithamœ, denudatione; neutrum tamen os fractum aut fissum fuerat, ita ut pedes domum, a qua iter dimidiæ horæ abfuerat, se conferret.

Ego eodem die vocatus, illico totum crus coxamque oleo rosar. ℥iß. inunxi. Vulneri prius vino rubello & aqua tepida, à sordibus & arena abluto, digestivum sequens imposui.

℞. Terebint. lotæ ℥j. ceræ ʒß. gummi elemi ʒij. ol. de vitell. ovor. ℥j. dissolue lentissimo igne, postea admisce croci ℈ß. vitell. ovor. n. ii.

Ut autem affluxum humorum impedirem, fascia intincta posca, totum crus involui, victumque optimum ac tenuem præscripsi, & pro potu ordinario decoctum agrimoniæ & veronicæ ordinavi. Hinc dolor plurimum remisit, noctem tamen eam, utrumque inquietam transegit. Circa scapulam quoque & humerum sinistrum (licet nullum manifestum contusionis indicium apparuerit) quia tamen eo loci de dolore conquerebatur, eodem oleo rosar. inibi bis illum in die inunxi, adeo ut dolor scapulæ intra biduum cessaverit. Die 22. Julii sequens medicamenum ei exhibui.

℞. Syr. rof. solut. compos. cum rhabarbaro, Agarico, & senna ℥jß. pulver. sennæ præpar. ℈ij.

Cum decocto agrimoniæ & veronicæ fiat potiuncula, qua corpus leniter purgatum fuit. Paulo post deligatione soluta, optima futuræ digestionis signa apparuerunt. Denuo itaque præscriptum digestivum imposui, totumque crus oleo rosar, inunxi, & fascia posca imbuta, omnia colligavi. Circa vesperam eadem reiteravi, qua nocte optime quievit.

Die 23. Julii summo mane basilicam dextram (sinistra enim propter cicatrices ad cubitum nullo modo in conspectum sese dabat) incidi, sanguinisque ad ℥vi, extraxi. soluta deligatione vulnere partem illam suræ dilaceratæ & à subjecta carne disjunctæ, quia livescebat, ac ad gangrænam tendebat, abscindere visum fuit. Qua parte in præsentia reverendi D. Johan. du Moulin ejus loci præsbiteri, abscisa, eaque aceto & sale abluta, Ægytiaticum nostrum ad radicem putredinis, reliquæ vero parti vulneris digestivum imposui. Postea sequens cataplasma, quod putredini resistit, applicui.

℞. Farinæ fabar. ℥iij. salis marini ℥j. pulver. summitat, absynth. vulg, scordii utriusque rutæ ana ℥i.

Coquantur in oxymelite simplici, fiatque cataplasma addendo sub finem myrrhæ, aloes, an. ʒß. fiat cataplasma.

Circa vesperam rursus eadem methodo processi, sed quia nox subsequens ei non admodum quieta futura videbatur, grana aliquot laudani ei exhibui. Qua nocte nullos dolores persensit, sed quiete & secure dormivit.

Die 24. Julii mane soluta deligatione, putredinem inhibitam, neque gangrænam amplius proserpere, certis signis conspicere licuit. Ad majorem tamen securitatem, unguentum Ægyptiacum, ut antea filamentis complicatis, & ad radicem putredinis, totamque partem læsam, supradicto cataplasmate cooperui. Intemperies nulla neque inflatio aut dolor aderat. Domum itaque me confero; circa tertiam pomeridianam illico & quidem me absente, in altera tibiæ, nimirum externa parte suræ dolore accutissimo corripitur.

Ergo circa nonam noctis horam ad ipsum veniens, maximis quidem doloribus ipsum vexari facile conjicere potui, absque ulla tamen intemperie manifesta, aut inflatione conspicua. Unde Hippocratis sententiam, libro de vulneribus capitis animo voluens, videlicet, carnem contusam necesse esse putrefieri, & in pus converti, ab incæptis desistere nolui, sed denuo digestivum imposui, tibiam oleo rosar. inunxi, ac rursus tempore somni nonnihil laudani ei exhibui. Verum tantum abfuit, ut somnum capessere potuerit, qui potius circa tertiam horam noctis me accersivit, si forte aliquo modo dolorem lenire possem. Deligatione ita rursus soluta, externam partem suræ, & quidem ipsum locum dolentem ex parte lividum deprehendi. At quia dolor magnus, nihilque aliud in promptu erat, illico cataplasma ex mica panis in lacte cocta, additis vitellis ovorum, parumque butyri recentis, calide applicui. Hinc dolor aliquo modo sedatus fuit, parumque æger quievit.

Die 25. circa septimam horam matutinam solutis fasciis, partem externam suræ palmæ latitudine nigram & sphacelatam offendi. Subito ergo Paterniacum me recepi, ut ea, quæ pro morbi magnitudine necessaria, videbantur, præpararem. Circa meridiem instructus omnibus necessariis ad ægrum rediens, statim sic exclamat: ô utinam attulisses serram, tibia enim hæc est amputanda, quo dolore & cruciatu possim allevari.

Solutis ergo denuo fasciis, totam externam partem suræ, & ipsum pedem sphacelatum, vesicis etiam nigris & maximis, nec non aqua loturæ carnis similis, repletis, animadverti. Interim tamen nonnullis in locis, dolores & maximi & continui aderant. Efflagitantibus itaque tum amicis, tum imprimis ægroto ipso, ut tibiam amputarem denuo me domum contuli, & instrumenta cum omnibus ad hanc rem necessariis mecum attuli, atque circa horam secundam pomeridianam ad ægrotum redivi, tumque totam tibiam, præter illam partem vulneris cui præcedentibus diebus Ægyptiacum applicueram, syderatam & in loco sano non amplius abscindi posse comperi. Supra genu item ad externam partem in quodam loco, crines novacula abradens, sonum quasi vacuum aliquod subfuisset, percipere potui. Inde malum inibi subesse conjiciens, adstantibus ag-

que amicis, significare cæpi, amputationem plane infructuosam & inutilem fore, & ut alios Medicos atque Chirurgos in consilium advocarent, suasi. Post duas horas iterum soluta deligatione, locus iste, in quo antea sonum audiveramus, prorsus sphacelatus deprehensus est. Circa decimam horam noctis in inguine ad scrotum, vesica oui magnitudine nigra, & aqua loturæ carnis & sphacelata conspiciebatur. Intra horas duas scrotum in magnitudinem capitis intumuit & syderatum est. Tum æger sudoribus primo calidis, postea frigidis correptus, circa tertiam post mediam noctem horam, quæ quarta dies sui morbi cum undecim horis erat, ab incæpta vero gangræna, hora vigesima quarta, placide, & inter loquendum fere expiravit.

Post mortem totum latus & caput paulatim ita intumuerunt, ut sequenti die, cum cadaver inhumare vellent, capulam ampliare necesse esset. Sub hypocondrio sinistro vesica, quæ magnitudinem capitis adæquabat, nigra & aqua sanguinolenta plena, exorta est. Ex ore quoque & naribus aqua ista sanguinolenta tam copiose emanavit, ut per cubiculum instar rivuli deflueret. Ex cadavere item talis fætor expiravit, ut adstantes in fugam converteret. Ab initio morbi usque ad finem vitæ, vix ulla febris in illo cognosci potuit, nullumq; symptoma febrile, veluti dolor capitis & renum, sitis, siccitas & ariditas linguæ, aut pulsus à naturali statu recessus, apparuerunt. Urinæ tamen statim ab initio morbi ad finem usque vitæ sanguinolentæ erant.

In ista autem recitata historia, nonnullæ occurrunt difficultates quarum aliquæ, quamvis ex Doctissimo tuo Tractatu facile discuti possunt, cupio tamen hac de re Excell. T. judicium atque sententiam si quando sibi per ocium licuerit ulterius intelligere.

Primo quidem, an gangræna hæc tam furiosa, tamque dira & immanis, ut vix unquam similis conspecta, ex contusione sola, vel ex causa aliqua interna & oculta, orta sit necne?

Ego ex sola illa contusione tibiæ, tam horrendum malum oriri non potuisse, plane sentio.

Primo enim contusio in tibia etsi magna pro magnitudine tamen gangrænæ non respondebat: erat enim cutis tantum modo cum carnea membrana à subjecto musculo separata: ita quidem, ut ne ramus ille insignis qui per musculum, suræ partem internam constituentem (qui crus moventium in ordine primus) & integer conspiciebatur. Hanc quoque ob causam pars illa cutis dilacerata & a subjectis partibus separata, nutrimento suo destituta, necessario gangræna & sphacelo correpta fuerat. Hac vero parte abcissa, gangræna protinus inhibita fuit, quemadmodum antea dixi, neque postea ullum indicium gangrænæ apparuit, usque dum totum crus invaserat. Secundo, si gangræna ex interna parte suræ ad externam serpendo penetrasset, vulnus prius labe ista infectum fuisse, quam vicinas partes invadere potuisse, luce meridiana clarius existit: at penetratio illa, quomodo sine dolore, inflammatione & inflatione maxima fieri poterat, nondum video. Post primam autem noctem usque ad 24. mensis diem, quæ fuit tertia morbi dies, nullum (pro magnitudine vulneris) dolorem, nullamque præterea inflammationem adfuisse, sed optima signa digestionis apparuisse, testabuntur & fidem facient adstantes, quorum ex numero erant Rever. Ioh. D. du Moulins, ejus loci Presbiter; uti & D. Emanuel Vistitius Philosoph. mag. & Medicinæ Canditatus, convictor meus suavissimus. Adde quod extrema suræ parte nullum unquam indicium contusionis apparuerit. Tertio non potuit gangræna hæc ab externa parte ad coxam nisi serpendo, ac in transitu partes, unam post alteram inficiendo, pervenire. Ac in hoc casu gangrænam cum tibiam, tum etiam femur, inguen & scrotum, quasi uno eodem momento (interim tamen hinc inde partes nonnullas illæsas relictas) invasisse, ex præcedenti historia elicere licet. Potuit itaque contusio hæc in crure, meo quidem judicio, esse causa adjuvans, præcipuum autem materiam aliquam venenatam ex corpore eo propulsam fuisse plane sentio. Quamvis enim antea morbis non adeo obnoxius homo iste, quia tamen rota, totum latus transgressa fuerat (id quod dolor circa scapulam indicat) potuit facillime sanguis, aliquo in loco concretus ac putrefactus, in pestiferum hocce venenum conversus, postea vero à natura expulsus hocce crudele malum generare. Gravissima enim quandoque ex sanguine coagulato, Fernelio de abditis rerum causis lib. 2. cap. 15. teste, symptomata oriuntur. Idem testatur Fernelius aliquando se partem sphacelari vidisse sine causa externa, sine tumore aut rubore conspicuo, oborto primum dolore immanissimo, tandemque ægrum extinctum fuisse, sine febre, sine symptomatis admodum gravibus, idque in hoc ægro belle obseruare licuit.

Ex modo dictis autem oritur secundum dubium, nempe, quomodo natura hancce pestiferam materiam absque symptomatis conspicuis, puta febre, syncope, deliriis & similibus, tam diu retinere, multo magis ad extimas partes corporis propellere potuerit? Tertio quomodo factum fuerit, quod caput & totum cadaver, excepta tibia dextra, post obitum in monstrosam hancce magnitudinem intumuerit: Cum animæ facultates, animale extincto, omnes abolitæ sint ac cessent.

Prolixe & ordine hancce historiam recensere placuit, propter varias & ineptas, quæ hac de re apud vulgus habentur opiniones *Guilelmus Fabricius Hildanus in Observ. Chirurg.*

De gangræna gravissima ex morsu equi progenita.

Casum de gangræna, ex morsu equi cujus in via Mildunum versus, mentionem fecimus nunc T. Excell. penitus adumbrare statui, dum tamen de uenenositate vulnerum à feris inflictorum prius verbum unum aut alterum præfatus fuero. Percrebuit apud vulgus Chirurgorum opinio morsus equorum, canum, ursorum, leonum, ac similium belluarum, maxi-

mum ac exitiosum in se continere venenum. Hujus opinionis in causa sunt symptomata gravissima, quæ hujus vulnera sequuntur, & præcipue quod sæpissime in gangrænam terminantur. Chirurgum non mediocriter in operibus artis chirurgicæ uersatum, familiariter novi, qui hac imbutus opinione, omnes morsus animalium, etiam uon venenatorum, aut ferro candenti, aut oleo ferventi, protinus inurebat, atque hac occasione plerumque sibi nomen crudelis parabat. Ego etsi hujusmodi vulnera nonnihil malignitatis in se continere profitear, quemadmodum postea dicam, attamen quomodo eorum opinio qui ipsa absolute venenosa esse sentiunt, fulciri possit, nondum video. Si enim morsus horum animalium, per se & absolute venenosi essent, tunc profecto parvum quandoque vulnus, ab ipsis inflictum, non minus ac magnum, malignæ qualitatis particeps esset, quemadmodum videmus in morsu canis rabidi, ubi minimum quidem vulnus, si neglectum fuerit, mortem inferre, potens est. Contrarium in prædictorum animalium, (nisi rabie infecta fuerint) morsibus observatur. Ingentia enim ac magna ab ipsis inflicta vulnera imprimis ubi ossa simul sunt fracta periculosa exitiosaque esse, necnon aliquando in gangrænam terminari experientia fidem facit: præcipue si fracturæ arcte nimis ligatæ aut error aliquis in curatione commissus fuerit. Unde igitur, inquies, pessima illa symptomata? Profecto ego plane sentio, ipsa magis ex contusione quam ex uenenosa aliqua qualitate horum animalium accidere. Cum enim sint robustissima, vi sua contundunt, & conterunt musculos, venas, arterias, imo & ossa ipsa. Hinc dolor, hinc inflammatio, humorum affluxus, tandemque spirituum suffocatio & gangræna. Cujus rei exemplum memorabile mihi videre contigit, quod tibi viro doctissimo & chirurgicarum operationum avidissimo, prout promiseram, communicare non gravabor.

Anno 1579. quum Novisiæ Cheirurgiæ operam darem, civis quidam in oppido Zoons ad Rhenum, ab equo in brachio graviter morsu vulneratus fuit, cum carnis dilaceratione & ossis fractione. Advocatus Barbitonsor, ossa fracta in sedem naturalem reposuit: vulneri digestivum, fracturæ vero medicamentum ex bolo armeno, farina & albuminibus ovorum confectum, applicuit. Fascias item ferulasque apposuit, & fenestellam, quo vulnus quotidie absque fasciarum solutione curari posset, reliquit. Sed quia fascias ferulasq; nimis arcte constrinxerat, auctus est dolor, auctus est & affluxus humorum. Et quia corpus neque à pravis humoribus, neque ab abundantia sanguinis exoneratum fuerat, sequuta est inflammatio, tandemque gangræna. Magister Joh. Dumgens, apud Novisienses Cheirurgus exercitatus, præceptor meus plurimum honorandus, in consilium adhibitus, brachium scarificavit, unguentum ægyptiacum, reliquaque medicamenta, quæ ad curationem gangrænæ requiruntur, applicuit; ita ut gangræna remiserit, tandemque brachium sanitati restitutum fuerit: sed curatio fuit & longa & laboriosa, non quod qualitas aliqua admodum maligna animadverteretur, sed quia os fractum fuerat, & gangræna supervenerat.

Ante paucos annos mulier quædam Bernæ cum ursis, qui continuo ibi in propriis fossis asseruantur, escam obtulisset, ac ursus ipsius manum, ni fallor dextram, per cancellos arripuisset, adeo manum & brachium momordit; ut illud abscindere necesse esset. Non quod medici venosam aliquam qualitatem in morsu isto agnoscerent: sed quia caro simul & ossa penitus contusa, contritaque fuerant.

Cæterum etsi in morsu animalium prædictorum & per se non venenatorum, illam quam vulgus Cheirurgorum ipsis adscribit venenositatem, ut antea quoq; dixi non inveniam; non negarem tamen, ab ipsis inflicta vulnera ab aliis, ense & cultro incisis, non nihil differre, imo etiam nonnihil in se continere posse malignitatis, atq; proinde peculiarem curandi methodum requirere. Itaque ut omnia recte, & ut artis est administrentur, morsus beluarum sive equorum, sive ursorum, canum, leonum, aprorum (ut & de hominis morsu observ. 84. cent. 1. scripsimus) sic distinguo. Aut enim animal rabiosum est, aut solummodo commotum, & simpliciter iratum, cum morsu violat: (donec enim mansuetum, & minime ira percitum, neminem mordebit, ut quidam morsum canis distinguit.) Unde affectus quilibet, peculiarem requirit curandi methodum. Si enim animal rabiosum fuerit, vulnus sive inurere expedit, reliquaque media, quæ observatione 87. cent. 1. & observ. 98. hujus centuriæ recensentur, applicanda erunt In morsu vero ab animali non rabioso facto, inustione opus non est, ea tamen remedia quæ ab alto ad superficiem trahunt, usurpanda sunt idque in eum finem, ut si quid maligni subesset, paulatim educeretur. Primo itaque vulnus aceto, in quo theriaca dissoluta est, abluo; postea si vulnus parvum fuerit, spiritum vini cum theriaca, filamentis impono, & emplastrum Basiliconis applico.

Aut ℞ Pulveris radic. Angelicæ aristoloch. rotundæ, vincetoxici, caryophillatæ an. ʒ1. folior. scordii, rutæ an. ℈ß. theriacæ, extract. card. benedicti an. ʒij.

Cum f. q. mellis rosacei fiat mixtura in forma unguentum hoc in omnibus vulneribus ac ulceribus malignis & venenosis, anthrace & similibus præstantissimum est. Sin uulnus magnum & contusio ingens fuerit, ut quamprimum digeratur, affluxus humorum evitetur, necesse est, alioquin inflammatio, dolor ingens, aliaque pessima symptomata ferenda erunt. Statim itaque victus tenuis instituendus, corpus à pravis humoribus evacuandum, & vena, si nihil est quod obstat, tundenda erit. Membrum vero male affectum oleo myrtino & rosaceo inungere convenit. Defensivum quoque ut affluxus humorum impediatur, applicandum. Vulneri vero sequens digestivum imponendum.

℞. Ceræ novæ, colophoniæ, gummi elemi an. ℥ß. terebinth. lotæ in aqua cardui ben. ℥j, olei rosacei, Amygdalar. dulcium, de vitellis ovorum an. ℥j. liquefiant lento igne & percolentur, deinde admisce croci ℈j. theriacæ, extract. cardui bened. an. ʒij. vitellos ovorum

ii. misce fiat unguentum.

Vulnere hoc modo satis digesto, imponatur antea descriptum unguentum ex pulvere radicum Angelicæ, Aristolochiæ rotundæ tandemque emplastro diapalmeo, aut de cerusa, vel simili aliquo medicamemto inducatur cicatrix. Si dolor supervenerit nimius; applicetur cataplasma aliquod annodynum, ex tractatu nostro de gangræna, uel de combustionibus, excerptum. Si fractura adfuerit dementer & absque violentia reponantur ossa, diligenterque in sede naturali retineantur, absque ferularum tamen nimis arcta ligatione, ne fiat humorum attractio, calorisque & spirituum suffocatio, quemadmodum in viro illo, cujus antea memini, accidit. Pura astringentia, uti etiam emplastica hic, propter insignem contusionem non conveniunt: sed quæ simul digerunt. Inuncto itaque toto membro oleo rosaceo & mirtyno, sequens applicetur cataplasma.

℞. Farinæ hordei ℥ij. pulv. rosar. rubear. myrtillor. fænigræci an. ℥ß. pulv. scordii folior. rutæ an. ʒij. coquantur cum vino rubro, ad formam cataplasmatis: tum admisce. Croci pulverisati ℈j. ol. rosacei myrtillor. an. ℥j. de vitellis ovorum ℥ß. vitellos ovor. n. ii. applicetur tepide singulis diebus semel, præcipue si contusio magna fuerit, idque usque ad decimum quartum diem, donec vulnus optime digestum sit, & graviora symptomata non amplius sint timenda. Tum in faciis & tincteaminis quæ fracturæ circumponuntur, fenestella, ut vocant per quam vulnus singulis diebus mundetur, relinquatur, fractura vero quarto aut etiam sexto quovis die tantummodo deliganda erit. *Idem ibidem.*

De gangræna ex frigore, ac congelatione.

Anno 1600. peregrinus Britannus Roma rediens, & in monte S. Bernardi à via recta deflectens, ac inter nives pernoctans, tantum frigus passus fuit, ut extremitates omnium digitorum dextræ manus, extincto in ipsis calore nativo, gangræna correptæ sint. Exorto statim dolore vehementissimo viriumque prostratione, maxima nonnisi cum difficultate Sedunum Vallesiorum pervenit, ejusque loci Chirurgum quendam diligenter satis in consilium adhibuit. Is videns gangrenam jam in sphacelum degeneratam, apicesque digitorum plane emortuos esse, carnem digitorum circum circa ossa, prope carpum incidit, nec non ad proximum articulum usque separavit: digitos quin etiam in ipsis articulis novacula abscidit. Idque tali artificio & dexteritate perfecit ut postea gangræna ulterius & partes sanas invadere non potuerit. Sed quia serra ad hujusmodi operationes apta, bonus iste vir minime instructus, forcipe vero aut scalpro (ut plerique Chirurgorum facere consuevere) ossa abrumpere, rem nefariam, ac artifice indignam esse censuit, miserum huncce peregrinum Lausannam ad me misit: ubi præsente viro clariss. ac doctiss. Du. Alberto Roscio, ejus Reipubl. Doctore, Medico ordinario atque celeberr. Reverendo item viro Dn. Johan. Retherio ibidem linguæ sanctæ professore dignissimo, multisque aliis, ossa omnium digitorum dextræ manus ad metacarpum serra abscidi, quo facto brevi convaluit, & in patriam rediit *Idem ibid.*

Gangræna ex intemperie frigida & sicca cum defectu alimenti curata.

Cum senectus (Gal. Teste) intemperies quædam sit, ad frigiditatem & ad siccitatem declinans, mirum nemini videri debet, morbos ex hac itemperie ortos, in senibus vix curari posse: Deficit enim in iis calor nativus, qui omnia vivificat, concoquit & restaurat, deficit & humidum radicale, quod omnes partes corporis inhumectat, atque calori nativo pabulum submistrat. E contra abundat hæc ætas humoribus excrementitiis, quorum illiuvie sæpe numero calidum innatum paulatim suffocatur, aut ad minimum debilitatur; inde diminuuntur vires, ita ut morbi minime resistere possint. Hinc fit ut gangræna ex intemperie frigida & sicca omnium sit periculosissima præcipuè autem in senibus, & quibus partes principes male afficiuntur: Incipitque hac species gangrænæ circa extremitates, quum partes illæ prius nutrimento destituantur. Non immerito itaque Benivenius scriptum reliquit, gangrænam à digito pedis (id quod de hæc species gangrænæ intelligendum) incipientem mortalem esse. Ego (ut ingenue fatear) inter omnes quotquot hactenus gangræna ex intemperie frigida & sicca, vel alimenti penuria laborantes vidi, unus tantummodo evasit. Quam historiam hic in gratiam juniorum Chirurgorum subjungere placuit, ut semper in morbis, quantumvis desperatis, de sanitate bene sperent. atque ad eam recuperandam summam diligentiam adhibeant.

Anno 1582. die 20. Augusti, cum essemus apud Illustrissimum principem Cliviacensium, & Iuliacensium, Montensium &c. in arce Beneburgensi, Presbiter quidam homo septuagenarius & decrepitus, Gangræna ex intemperie frigida & sicca, vel (ut rectius dicam) defectu caloris nativi & alimenti, in dextra tibia correptus fuit sine causa aliqua externa. Nullus in principio morbi dolor aderat, nullumque inflammationis indicium, sed potius frigus in crure persentiebatur unde statim ad se accersivit Clariss. D. D. Galenum Wierum Archiatrum Principis, ac Cosmumslotanum, ejusdem principis Chirurgum primarium Præceptorem meum summe honorandum. Invenimus autem paulo supra talum pustulam nigram nucis avellanæ magnitudinem vix excedentem, & (ut dictum) sine dolore, inflāmatione, & tumore. Qua pustula incisa, non nihil jechoris, coloris flavi effluxit, subjecta vero caro livida, & sensus expers erat. Pustula in fætidissimum ulcus deguneravit quod intra paucos dies tanta sævitia crus invaserat, ut una ex parte semimortuum conspiceretur. Unde ex consilio Clariss. ac Doctiss. Wieri crus ubi cunque suspicio âliqua gangrænæ aderat, scarificavimus, cataplasmata item, unguento, aliaque plurima, quæ putredini adversantur, & nativum calorem simul & nutrimentum attrahunt, applicuimus. Cæterum Clariss. D. Doctor Wierus particularibus quibusdam internis medicamentis calorem nativum refocillavit & continuo bonis ac euchymis alimentis instauravit.

sic dei beneficio & Medici hujus ac Chirurgi diligentiâ summâ, atque industriâ, revocato tandem colore nativo, & humido radicali, putredo remisit, reliqua quin etiam symptomata paulatim cessarunt. Mundificato dein ulcere & penè sanato, Clyviam reversus est æger, ubi domi suæ adhuc ad tempus aliquod supervixerat. *Idem ibidem.*

Quidam cum supra modum incaluisset, & ipsius corpus aqua frigida perfusum fuisset, gangræna & sphacelo in tibia corripitur.

Cæterum antequam ad problemata tua respondeam, affectum gravissimum tibi communicare visum est. Superiori æstate cum Basileæ apud serenissimum Principem ac Dn. Dn. Janutium Radzivilium Lituaniæ &c. Ducem, per menses aliquot (ut ex præcedentibus meis ad te litteris intellexisti) moram traherem, accidit noctu ut in platea quæ porti proxima est, domus quædam incenderetur.

Cum verò cives accurrerent, ac quidam juvenis, viginti circiter annor. ætatis, robustus, plethoricus, & optimo corporis habitu præditus, tectum proximum conscendisset, ibique cum propter caloris ab incendio vehementiam tum etiam propter labores, supra modum incaluisset, rogavit socios ut aqua frigida sibi corpus perfunderent: hoc enim nisi facerent, æstum maximum non amplius se sufferre posse, sed de vitâ periclitari, ajebat. Affundunt aquam eamque copiosè, ita ut vestimenta omnia ipsumque corpus undique madefactum esset. Quid fit? corripitur horrore, ita ut vix eo tecto descendere & ad ædes suas pervenire posset. Postero die, ac deinceps etsi graviter laboraret & maximum incendium internorum viscerum persentiret morbum tamen ne lexit. Circa quartum natura cum per criticam expulsionem sese exoneraret, crus dextrum quoque intumuit, & inflammatione correptum fuit. Ad Xenodochium itaque deducitur, ubi clariss. ac æterna laude digniss. Viro Dn. Dn. *Jacobo Zwingero*, piæ memoriæ, & Chirurgis commissus fuit. Post dies aliquot, cum inflammationem in tibiâ ad gangrænam tendere videret Dn *Zwingerus*, rogavit me, ut miserum quoque inviserem, ad ægrum itaque me confero, tibiamque ad poplitem fere usque, gangrænâ corruptam animadverto.

Porro etsi vires prostratas, febrim maximam tibiam quin etiam ad coxam fere usque supra modum tumefactam ac proinde rem istam in angustiis positam esse, satis superque videremus, attamen quia sæpissimè, etiam in desperatis, divina clementia atque Potentia, præter spem atque opinionem Medicorum sese patefacere solet, & semper (ut divinus Hippoc. lib. 2. Aphor. 25. nos monet) omnia secundum rationem sint facienda, ejus undique scarificavimus unguentum Ægyptiacum, aliaque medicamenta quæ putredini adversantur, applicuimus, sed frustra, sequenti enim die, ad coxam regionemque hepatis usque livida reperta fuit. Lipothymiæ, frigus extremitatum & sudor frigidus aderant, & eadem die vitam cum morte commutavit. *Idem ibidem.*

De gangræna & retentione urinæ, historia singularis, in quâ rara nonnulla recensentur.

Cæterum quia statum generosi nostri ægri scire cupis, ipsius usu pauci, sed ordine ipsum tibi aperiam. Reversus hic ex magna Britannia sæpissimè de ardore urinæ, nonnunquam quoque de ipsius retentione conquestus est, sed sumptis emulsionibus à te præscriptis Enematibusque, adhibitis quoque candelulis facile restituebatur. Ex sinistrâ tamen parte peritonæi à duabus aut tribus mensibus ante morbum usque dum ruptus fuit abscessus in perineo, ut postea intelliges, dolorem pungitivum, non usque adeo acutum tamen, continuò persensit. Circa principium verò mensis Aprilis hujus anni, cum præscriptam victus rationem non satis exacte observasset, in exercitiis quinetiam corporis, modum excessisset, fœtorem quendam in urinâ percipere cœpit. Fœtor ille paulatim adeo auctus fuit, ut mirum sit, quomodo talis putredo absque febre, nauseâ, aliisque gravissimis symptomatibus in corpore tam diu delitescere potuerit. Eodem quoque tempore in fundo urinæ, materia quædam viscida, spermati ranarum non absimilis conspiciebatur. Præterito mense Majo cum ad Alpes prædia sua invisendi gratiâ, profectus esset & scopulos pedes ascenderet descenderetque, & proinde præter modum ac consuetudinem suam incaluisset, longè vehementius quam antea ipsum invaserunt symptomata. Reversus Bernam cum esset, Emulsiones exhibui, Enema ex lacte quod præscripsisti, injeci aliquoties; Renes unguentis & oleis refrigerantibus inunxi, post dies quoque aliquot corpus medicamento cholagogo leniter expurgavi, venamque in brachio incidi. Et quia materiam illam fœtidam & viscosam cum urinâ copiose ipsum excernere videbam; suasi, ut per dies aliquot sero lactis cum saccharo uteretur. His per dies quatuordecim adhibitis medicamentis, & exquisitissimâ observatâ victus ratione, cum omnia salva esse videbantur; fœtor quin etiam urinæ nonnihil remittere videretur, Solodurum ad Illustrem Dn. Meronium Christianiss. Regis legatum vocor. Non diu post meum abitum, malum & longe acerbius & crudelius quam unquam antea, ipsum invasit, non solum enim febris ardentissima & continua, cum urinæ retentione, verùm etiam phlegmone in ipso perinæo exorta est. Quapropter me absente, Dominum Davidem Regem, hujus Reipubl. Doctor. medicum ordinar. & doctiss. appellare coactus fuit. Insistit & ille Emulsionibus Enematibusque & locum affectum oleis convenientibus inungit; semicupio quoque propter doloris vehementiam, uti coactus fuit. Interim ego accersitus adeo ægrumque veluti in agone reperio. Febri enim vehemens, syncopæ frequentes, nausea cibi fastidium, urinæ ardor & retentio, omniaque fere signa, quæ mortem præsentem præcedere solent, aderant. Phlegmone in perinæo magnitudine ovum anserinum adæquabat cum maximo dolore pungitivo, tumore & duritie scroti & virgæ. Dn. Dn. Rex ante meum adventum anodynis, & quæ discutiunt ac resolvunt

simul usus fuerat, sed frustra quapropter ad pus moventia nobis transeundum fuit: Sequens itaque cataplasma applicuimus.

℞. Radicum & folior. altheæ. maluæ. an. m. i. coquantur & pistentur, ut artis est, quibus admisce farinæ tritici, ℥.ii. farin. sem. fœnigræci, & lini. an. butyri recentis, Olei liliorum albor. & unguent. de althæa an. ℥. i. ſ. croci. ℨ. ß. vitell. ovor. num. ii. misce, fiat cataplasma, quod calide applicuimus bis terve in die. Vigesima nona maji cum in medio perinæo & quidem in ipso tauro ruptus fuit abscessus, pus adeò putridum & fœtens in copia effluxit, ut totum conclave, incredibili & plusquam cadaveroso suo fœtore adimpleret. Fœtor ille per dies aliquot continuavit; talis enim erat sphacelosa putredo, ut totum perinæum emortuum excideret, & ulcus ingens post se relinqueret. Interim ego quæ putridini resistunt, applico, ulceri unguentum Ægyptiacum meum in tractatu meo de gangrænâ descriptum, cum filamentis & duabus turundis, quarum una versus scrotum ascendebat, altera deorsum versus podicem descendebat, imposui; postea sequens cataplasma applicui.

℞. Farin. lupinor. fabarum an. ℥ i ß. Puluer summitat. absynthii. scordii. rutæ, an. ℨ i i. coquantur in oxymelite simplici, fiatque cataplasma: adhuc calenti admisce. Aloes, myrrhæ, an. ℨ i ß. carnem autem emortuam quotiescumque ulcus deligavi, forfice & scapellis ad id aptis, quantum fieri potuit, excidi pus cum penicillis ex spongiis in decocto scordii, rutæ, absinthii, & lupinorum, addito sale, madefactis abstersi. Sic per singularem Dei misericordiam putredo paulatim, & quidem intra triduum cessavit, nec ulterius serpsit: quapropter usum unguenti Ægyptiaci intermissi, & linimentum ex pulveribus radicum Aristolochiæ rotundæ, Iridis florentinæ, Angelicæ: Aloes item & myrrhæ, cum Extracto scordii, parumque vitelli ovi mixtus, ulceri imposui Cataplasmate tamen præscripto ultra hebdomadas tres usus fui. In perinæo autem non solum cutis & caro à putridine erosa fuit, Verum etiam membranæ multæ putridæ, ductus urinarii, procul dubio tunicæ, exscindendæ atque extrahendæ nobis fuerunt: quapropter omnis fere urina per ulcus effluxit, idque in longum, ut postea dicam.

Circa initium junii in medio virgæ, & quidem in ipso latere dextro tuberculum, quod ab initio ferè morbi duriusculum fuerat, in abscessum abiit, qui paulo post ruptus quoque est, non tamen ad ipsum ductum urinarium penetravit: quapropter adhibitis emollientibus, digerentibus, & mundificantibus haud difficile coaluit. Triduo à nupto in virga tuberculo, humor qui antea per totum scrotum expansus erat, in imam ipsius partem, versus ulcus in perinæo decubuit, ibique extuberantiam quandam duram effecit.

Postquam verò applicuissemus sacculos emollientes, unguentum item de althæâ, & Emplastrum ex meliloto; materia ibidem collecta, per ulcus in perinæo paulatim evacuata fuit.

A carne putridâ & membranis sphacelatis satis mundificato ulcere, decocto Traumatico ex pyrolâ, alchimilla, sanicula, consolida saracenica, artemisia, & beta rubra, cum vino rubro styptico usi fuimus, hoc modo: bibit æger haustum tribus horis ante prandium & totidem post cænam: cum siphone quoque ulceri illud bis in die calide injecimus, duabus quinetiam cum turundis eodem decocto madefactis ulceri immisimus, unâ videlicet sursum, alterâ deorsum versus prostata. Tandem linteum reduplicatum in eodem imbutum calide applicuimus. Non tantum autem ulceri cum siphone decoctum, verum & ipsi ductui urinario, tam sursum quam deorsum infudimus. Id verò ut commodè fieret, rostrum siphonis incurvatum fieri curavimus.

Non autem admiratione caret, in hac gravissima maximaque putredine sphincterem semper saluum & incolumen extitisse. Apparet id inde, quod æger etiam in morbi ipsius vigore urinam semper retinere potuerit, nec unquam illa involuntarie effluxerit. Ulcus nihilominus quod deorsum versus vesicam tendebat profundum erat, & ad ipsas Prostatas, quas ego à longo tempore male affectas fuisse existimo tendebat. Quotiescunque autem urinam excernebat, partim quoque per ulcus effluebat, absque ulla tamen difficultate & dolore. Prædicto decocto Traumatico, eo modo ut dixi, in tertium mensem usus est, ita ut paulatim ulcus plenissime consolidatum fuerit, nec fistula ulla remanserit. Faxit Deus Opt. Max. ut recuperata valetudine diu ad Dei gloriam frui possit. Porro præter Topica enumerata etiam in universalibus nihil prætermissum fuit. Ab initio vires præter modum labefactates cibis optimi succi, cordialibus item medicamentis, quantum fieri potuit, instauravimus. Deinde paululùm recuperatis viribus, de triduò in triduum, aut etiam alternis diebus, nonnihil. Terebinthinæ optimæ exhibuimus, cujus beneficio aluum lubricam fecimus, & vias urinarias simul expurgavimus. Renes unguento rosaceo cum camphora inunximus, & laminam plumbeam ejus magnitudinis ut lumbos & os sacrum cooperiret, applicuimus. Nunc optimâ valetudine, laus sit Deo, fruitur generosus ille, nec ullum incommodum hujus mali gravissimi persentit. Urinam absque ullâ difficultate & impedimento excernit, præterquam quod cum post cænam ipsam reddit, pruritum quendam dolorosum, eo in loco, ubi antea fuit ulcus, persentiat. In urinâ præter ea nonnunquam furfures conspiciuntur. Præterea quotiescumque vult ipsam excernere, guttula una materiæ viscidæ, albæ & glutinosæ in extremitate ductus urinarii ante excretionem urinæ apparet. Qualis illa sit materia, & unde proveniat, ex Te scire, cupit generosus? Ego materiam illam ex labefactatis & non dum satis corroboratis prostatis pervenire existimo, esseque veluti excrementum seminis, beneficio naturæ ad extremitatem virgæ projectum. Deinde etiam quærit, cur pruritus ille dolorosus in urinæ excretione, post cænam, cum cubitum iturus est, solummodo, non autem mane aut interdiu persentiatur? Arbitror ego, naturam locum illum membranâ suâ destitutum, noctu, cum naturales operationes præcipue fiunt, viscosa quædam & glutinosa materiâ in eum finem, ne ab acrimonia urinæ lædatur, munire; Interdiu

vero

vero urinam, quia aliquoties excernitur, materiam illam abluere, partemque adhuc debilem vellicare. Hæc si non probabilia, verisimilia tamen mihi esse videntur. Sed ampliorem declarationem, & quomodo hisce symptomatibus imposterum occurrendum sit ex Te nobilissime vir, avidè expectamus.

Generosum ægrum porro quod attinet, etiam nunc optimam exquisitissimamque observat victus rationem. Per intervala quin etiam utitur Terebinthinâ. Præterito quoque autumno Apozemate laxativo corpus expurgavimus & venam in brachio sinistro secuimus. *Idem ibidem.*

De admirandâ curatione scroti post gangrenam delapsi.

Anno Domini 1616. mense Junio, vir quidam honestus, annorum circiter quadraginta vino obrutus, cum repentè in scroti tumorem cum febre acuta, & virium subita dejectione incidisset, à Chirurgo vocato remedium petiit, qui cum livorem istius partis cum exulceratione penis totius, imo periculum, quod manifestam gangrænam deprehenderet, notaret, de cura solicitus, petiit consilium Medici. Ego vocatus injecto prius clystere, quoniam aluus à biduo non responderat, præscripsi cataplasma ex scordio, rutâ, farina lupinorum, orobi cum oxymelite, vino & similibus. Per os exhibui diasenam Hieron. Fracastorii, subinde aquam Theriacalem, quod malignitatem cordi communicatam observarem, sine hac enim vix respirare potuit. Die sequenti deposito cataplasmate super cuticulam, quam Epidermidem vocant, separatam vidimus: tertio die scrotum sponte opertum, circa vesperam vel libras aquæ decem effluxisse. Quarto die testes ex toto nudatos conspeximus, deciderat enim scrotum à pectine usque ad perinæum. Hic quod facto opus deliberavimus, resiccantibus & incarnantibus remediis, quatuordecim dierum spacio tantum profecimus, ut non tantum testes scroto muniverimus, sed & natura scrotum novis pilis vestiverit, glans peni redierit integra, omnia ulcera penis consolidata fuerint, & officium viri deinceps patiens præstare potuerit. Ego nec quisquam Medicorum nostrorum similem nec vidit, nec audivit: luis venereæ nulla suspicio: nunc inculpata fruitur valetudine.

Ego naturam potius in conservatione speciei quam individui solicitam esse dixi: studet enim perpetuitati, ut cum individuum servare non possit servet speciem, quod præstat partibus, quibus sobolescimus. Si molestum non fuerit, & negotia ferant, judicium Cl. T. officiose peto. *Idem ibidem.*

De Gangrana Perinai & scroti admirandâ curatione.

Monstra in morbis fieri, Vir nobilis, Amplissime, Averroëm, summum illum Philosophum rectè scriptum reliquisse, indies experimur. Testis est admirandus & fere inauditus ille casus, quem Clarissimus vir mecum communicavit. Ego infinitos propemodum vidi ægros, gangrænâ scroti laborantes, sed, ut ingenus fatear, ne unus quidem restitutus fuit. Pudenda enim cum partes corporis sint humidissimæ, raræ & spongiosæ, facile excrementitios humores ex corpore descendentes recipiunt, sequiturque gangræna, uti sæpisimè in hydropicis observamus, in quibus gangrænam pudendorum, propter cachexiam corporis, & labefactationem viscerum, nec non caloris nativi partis affectæ imbecillitatem, plane insanabilem esse existimo.

Ægrum autem de quo Clariss. vir scribit, non fuisse diuturno aliquo morbo affectum, ex litteris clarissimi viri colligo: scribit enim, ipsum vino obrutum repente tumore scroti cum febre acutâ correptum fuisse. Vires itaque non fuerunt à diuturno aliquo morbo, quemadmodum fit in hydropicis, consumptæ, sed adhuc integræ: quapropter morbum facilius debellare potuerunt. Simile quid videre mihi licuit.

Generosus quidam Bernensis, quadraginta circiter annorum ætatis, à multis annis caruncula laboraverat, quæ ipsi multum negotii facessebat. Ante annum, circa principium Aprilis, cum præscriptam à Medicis victus rationem non satis exacte observasset & in corporis exercitiis modum excessisset, primo fœtorem cadaverosum in urina (quæ sedimentum viscidum, spermati ranarum non absimile habebat) percipere cœpit. Ego quæ renes, viasque urinarias abstergunt & mundificant, præscripsi interim tamen fœtor ad septimanas aliquot continuavit. Tandem penitus supressa urina, & exorta inflammatione in ipso perinæo gangræna sequuta est, ita quidem ut totum illud interstitium, quod est inter podicem & scrotum, ductus item urinarius partim exciderit, partim quoque excindendus fuerit. Longa esset ratio, si omnia quæ annotatione digna in hoc ægro occurrerunt, recensere vellem. Clariss. Vir omnia ordine videbit in v. Centuria Observationum mearum, observ. 64. in qua paulatim progredior. Tandem omnibus admirantibus veluti ex cymba charontis evasit, & nunc integrâ fruitur valetudine, neque ullam molestiam in reddenda urinâ sentit. Carunculæ enim omnes, quæ antea ductum urinarium coarctabant erosæ & ablatæ fuerunt. Exigua præterea fistula in perinæo remansit, & maximo quidem cum ipsius commodo; Viscidi enim atque excrementitii humores, qui ex superioribus & labefactatis partibus veluti renibus, vesica & vasis spermaticis, descendunt, libere per ipsam effluunt, non tamen involuntarie sed cum ipsa urina, quam pelvicula, ad id ex industria fabricata, excipit. Observatione autem dignum est, ante menses aliquot cum ulcus illud in perinæo, ita volente & jubente ægro, me vero dissuadente, maximâ adhibitâ diligentiâ, cicatrice obductum fuisset, ægrum retentione urinæ aliisque incommodis, quæ carunculas comitari solent, de novo tantisper afflictum fuisse, donec fistula iterum rupta fuerit. Porro ut redeam, unde digressus fui, nisi juvenis adhuc esset generosus hic æger, robustus, optimo quin etiam corporis habitu præditus, vix evasisset. Natura enim ut Clariss. Vir rectè quoque sentit, semper sollicita est in conservatione individui sui,

morbisque sese opponit; sed prout valida aut imbecillis fuerit, aut victrix evadit, aut victa succumbit. Memini aliquoties ex Dn. Cosim. Slotano, p. m. Chirurgo præstantiss. intellex sse curationem admirandam, nec obsimilem illi, cujus Cleritas tua mentionem facit, cujus etiam memini centur. 1. observ. 48. Est autem talis.

Quadragenarius quidam Coloniensis, robustus, optimo corporis habitu prædictus, cum ætatis tempore supra modum incalvisset, & maximum haustum frigidæ bibisset, post dies aliquot febre continua correptus fuit. Ex qua potius naturæ beneficio & industria, quam arte & medicamentis Medicorum curatus fuit; interim tamen intemperies & vitium in hepate remansit, quapropter paulo post in cachexiam incidit. Et ita quidem, ut primo Icteritia, postea quoque Ascite prehenderetur. Advocatus Dominus Doctor Bernardus Cronenburgius, si recte recordor Medicus coloniensis longe celeberrimus, omnia quæ ad morbum debellandum necessaria esse videbantur adhibuit. Tandem veluti per criticam expulsionem in scrotum delapso humore Dom. Slotanum quoque vocarunt in consilium. Ambo omnem adhibent diligentiam atque industriam. Interim tumor scroti non cedit, sed paulatim eo in loco, extincto calore nativo, in gangrænam desinit. Scrotum itaque undique phlebotomo scarificant, sale marino & theriacâ aceto dissoluta abluunt: Unguentum Ægyptiacum & cataplasma ex farina Juniperorum, lolii, aloë, myrrha, scordio, aliisque putredini resistibus applicant, nec quidquam eorum quæ ad universalia spectant, prætermitunt. Optimam victus rationem præscribunt, corpus per intervala leniter, leviterque expurgant: Corroborantia & obstructiones aperientia, cum intus exhibent, tum carpis, hypochondriis, & ventri applicant. Interim dum aqua copiose per scrotum effluit, æger meliuscule habere, viresque recolligere cœpit. Demum scrotum sphacelatum partim naturæ & medicamentorum beneficio decidit, partim quoque quod sphacelatum erat, à Dn. Slotano novacula resectum fuit, ita quidem ut testiculi nudi conspicerentur; Ulcus per menses aliquot apertum mansit, Interim natura quidquid humoris excrementitii visceribus inhærebat, per hanc viam ita evacuavit, ut partes nobiles in integrum restituerentur, & à morbo plane liberaretur æger, Circumcirca autem testiculos quod notandum; natura cicatricem duram, adeoque callosam procreavit, ut ipsos vice scroti, ab externis injuriis vindicare sufficiens esset. Sic Dei beneficio omnino restitutus fuit æger, & ad multos annos in matrimonio vixit, liberosque aliquot progenuit.

Ante annos aliquot cum Lausannæ Medicinam facerem, venit ad me sabaudus quidam. 14. circiter annor. ætatis, cujus nomini de industriâ parco, huic ulcus ex lue venerea ortum plusquam dimidiam partem scroti & testiculorum eroserat. Adhibitis à me medicamentis, Deo benedicente restitutus fuit, & liberos ex uxore sua suscepit. Hanc coronidis loco addo historiam, etsi à præcedentibus diversa sit. *Gulielmus Fabricius Hildanus in observationibus Chirurgic.*

Gangræna Universalis.

Seni fatuo, neque heri, atque hodie, sed diutissime debili fatiscebant tandem usque eo, cum languidum cor; tum effectus partium calor: ut à nimia corporis offensa, sequeretur protinus perniciosissima gangræna. Dispergens se per iners hocce corpus, tam libere, ac late ut id intra paucos dios, consumpserit universum.

Non licebat illi, vel natibus insidere; vel cubito incumbere; nedum calcem pavimento imponere, vel scapulam in parietem inclinare quin protinus extingueretur calor: & à gangrænâ obsideretur non minus pars premens, quam pressa. Quæ labes, tam præpete penna, corpus universum, ubi pervolaret: vidimus brevi, vix ullam partem intactam; quin omnia jam emortua, antequam vere emoreretur, miserrimum hocco, lascivientis mortis ludibrium. *Nicol. Tulpius Observationum Medico-Chirurgic. lib. 3.*

Gangræna pedis.

Lucas Sircus, geometer Amstelredamensis, contraxit ex penuria coloris innati, gangrænam pedis sinistri. Cujus digitis à parte sana jam avulsis, obtulit nonnumquam, homo natura jocabundus, Chirurgo suo; ubi jam meliuscule ipsi foret, pedem dextrum; quasi recreandi causa.

Sed eo, eadem labe paulo post, itidem infecto; deservit illum illicò intempestiva hæcce hilaritas, & quasi desperata, jam tum omni salute, credidit firmiter, pœnam hanc cælitus sibi immitti; quod tamen intempestive joculatus fuisset. Quæ certe tristitia non deservit ipsum, antequam desereret ipsa vita. Adeò periculosum in seriis nugari.

In fortunium autem, quod ipsum oppressit, circum venit plerumque, quoscunque à simili gangræna detentos. Neque fuit fortassis, ipsius conditio, eo deploratior: quod peccatum hoc peccasset; sed quia cordis robur fuit imbecilius, quam ut convenienter ab interitu vindicaret pedes; ceu longissime, à se remotos. Quorum partium exitium, propterea indicium facit circum spectis medicis, brevi utique pessum iturum, & totum hominem. *Idem ibidem.*

Gangræna partium naturalium.

Innumera in fœminas cadere incommoda, menstruis post partum, minus prospere succedentibus, vel Tyroni notum. at cui cognitum, exploratumve? Omnem expurgationis uterinæ impetum confertim propelli, in partes naturales, illasque inde, non tantum extrinsecus protuberare, Verum gangræna etiam obsideri, quorum infælicissimorum eventuum duo nobis oblata fuere Exempla, & utrumque puerperis æque exitiale.

Matrona locuples difficillimè enixa, cui nihil post partum, ex naturæ lege, à vulvâ secederet, doluit impense circa naturalia, præ insigni illorum tumore, quem tamen invitissima quum ostenderet, sategimus quidem cum per clyste-

clysteres ac potiones; tum per fomenta ac olea opem adferre. sed oleo ac opera deperditis, maloque in dies invalescente evicit tandem pudorem, facta copia illius tumoris, quem necessitas non sinebat ulterius celare.

At fluxus uterinus tam libere, tantoque impetu jam tum, se effuderat, in declives hasce partes, ut erosæ ac distentæ ab ani ac feruido hoc uteri excremento, jam induissent naturam gangrænæ; cum cute nigra, febre ardente, crebro animi deliquio, imi ventris dolore, ac summis præcordiorum angustiis, quorum gravissima symptomatum vehementia, adactus Chirurgus, aperuit non solum scalpello locum eximitque inde plurimum concreti ac grumosi sanguinis, seu veras infusorum menstruorum reliquias. Verum sategit quoque loca sincera defendere, & quod induruerat, in pus convertere cujus voti propemodum compos, conceperat certe non exiguam sanitatis spem.

Sed heu vanas hominum spes & incerta conceptæ valetudinis argumenta. Vix animos fecerat sperata victoria, quin protinùs in pejus ruere, atque ante duodevigesimum intervenire puerperæ inexpectatum vitæ exitium, secundum illud Celsi: Adeò in medicina, ubi etiam perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id quod sequi convenit. *Idem ibid.*

Vulvæ Rectique Intestini gangræna & perforatio feliciter curatæ.

In gravioribus affectibus haud decet Medicum facile desperare; sæpius enim fiunt, quæ fieri posse pernegares. Reperiuntur ardeliones qui non verentur mox exclamare: *Non curabitur non eluctabitur. Moriendum est ægro &c.* Attamen si nomini & famæ suæ cuperent consulere, cautius certe prognosticari deberent. Uxor cujusdam Pistoris Amstelodamensis, ob partum difficilem, incidit ante aliquot annos in vulvæ intestinique recti gangrænam adeo enormem, ut multi existimarent afflictam brevi è vivis excessuram. Post gangrænæ separationem foramen vulvæ à nobis repertum fuit tantum esse, ut facilimè nux juglans viridi cortice obducta per illud ad intestini recti cavitatem inseri potuisset: unde fœcibus alvinis dabatur locus, ut ex intestino recto ad vulvam nullo negotio transirent; id quod in tali casu admodum familiare, Vulua enim tam arcte cohæret intestino recto, ut quasi continuum sit corpus Itaque si alterutra pars afficiatur, altera nequit remanere immunis. Chirurgus qui mecum curationem suscipiebat, excogitabat instrumentum è bracteâ confectum, in forma pessarii excavati, cujus superficiem exteriorem obduxerat sarcotico medicamento: quale juxta Theoriam Chirurgicam equidem non erat improbandum, sed tamen in praxi præsenti inutile fuit repertum, neque enim illud perferre potuit ægra. Itaque dictis medicamentis, plumaceolis exceptis, aperturæ dictarum partium prospeximus, quibus brevi in totum reconvaluit hæc puerpera. Ubinam jam sunt scioli, qui effutiunt ejusmodi malum esse incurabile & sine fistula remanente nunquam curam posse absolui? sciant non solum hanc puerperam in totum fuisse restitutam, ita ut nulla superesset labes, verum etiam diversas ex eodem affectu à nobis esse curatas. Hoc vero discrimen in gangrænis partium animadverto: Scilicet, si partes posteriores, nempe, quæ os sacrum respiciunt, tali afficiuntur morbo, facilius curantur, propter intestini recti carnositatem, vulvæque dispositionem, quæ versus intestinum rectum non gaudet tot rugis transversis, nerveis & duris, curationi obstaculum inferentibus, sed quod omnia ibidem molliora, curationique magis prona. Præterea in parte anteriore, nempe, quæ meatum urinarium respicit, propter continuum urinæ stillicidium sanatio præpeditur, unde tum sæpissimè fistula relinquitur incurabilis. *Freder. Ruysch. obsv. Anatomico Chirurgic. Centuria.*

Sphacelus strictiorem ligaturam sequutus.

Patitur puer quidam rusticus IX. annorum in agro Gorlicensi fracturam sinistræ manus in medio cubiti & radii: Ligatur ab imperito ædituô istus loci nimis arcte vnde subsequente aurora rubore nigricante in manu subortô, cum sanguinis eruptione circa apices digitorum manus cœpit gangrænescere cum infelici ejusdem sphacelo, factaque hinc amputatione. *D. Ebrenfrid Hagendorn.*

Gangræna brachii ab incautâ venæsectione.

Nobiliss. & magni nominis Jure-Consultus D. Oe. à s. Patricius Norimbergensis, tum juvenis, ex Hispania redux, Monspelii in galliis ex præcipitantia, Chirurgi alias percelebris, sanguinis missionem procurantis, in extremum fere vitæ discrimum inciderat. Nam iste, conspecta quadam in medio brachii flexu cicatrice, profundiorem venæ situm conjecturans, cutelli (*Lancette* galli vocant) cuspide justô longius arreptâ, non venam tantum infelici ictu pertuderat sed simul nervum quoque sub vena latenti gravissime læsit. Alt Oe. infelicis hujus sectionis ignarus, cum subsequente die horrorem febrilem sentiret, in emittendo sanguine ex altero brachio, ejusdem Chirurgi opera, sed feliciore ausu, usus est. Sequentibus diebus, inprimis septimo, brachium dextrum supra modum extumescebat, inflammabatur, ac tandem in sphacelum converti videbatur, tanto cum patientis exquisitissimo cruciatu & dolore, ut plurima sanguinis & laniei copia excreta, ad interitum fere decumberet; variis quidem medicinis intus & extrinsecus, frustra tamen applicatis. Et quamvis singularis fomentationis beneficio ex catellis & felibus recentissime editis, atque summo studio ad id requisitis dolores aliquantulum mitigarentur atque calor brachii naturalis nonnihil redintegraretur; ipsum tamen malum à gangræna conceptum non nisi cum brachii abscissione, vel funesta totius corporis pernicie, curari, aut deponi posse credebatur. Quapropter totum Medicorum Collegium inclytæ inibi Academiæ in consilium convocatum, præmissa inspectione oculari, unum ex istis tribus ægrô eligendum pronunciabat, vel brachium ob incidens gangrænæ malum incurabile, amputandum; vel nervum cum amortizatione totius brachii dissecandum; vel vitæ subsidi-

subsidium quodcunque. Is reputans seu sub toga, seu sub sago, se brachio indigere; ultimum eligens, maluit vitam cum brachio amittere, quam sine brachio eandem misere & otiose producere. Ob id in tam desperato casu Medici & Chirurgi abeuntes ægrum misere reliquerunt. Postero vero die ordinis Medicorum illius loci supremus, D. Joh. Hucherus de Bellovac, ac ægrum jam quasi conclamatum accessit, narrans in simili plane casu, olim Carolum IX. Galliarum Regem provida cujusdam Medici ope & arte curatum fuisse, & si æger dubio artis eventui se committere, & tam ad gravissimos dolores obduratum, quam ad sumptuum plurium erogationem lubenter paratum præstare vellet, suum quoque scientiæ & operæ studium ahibiturum se fidenter promisit. Annuente ægro Hucherus novacula arrepta, in affecto brachii loco novum vulnus cruciatim incidit, & ægrô ipso vulneris incisi partes forcipe tenente & dilatante, fruticula quadam inserta, vulnereque rursus colligato, paucis diebus id effecit, ut vena perforata & nervus læsus conspicerentur. Cum vero fomentationibus præmissis, fervido & bulliente oleo locum affectum Medicus crebro perfunderet, eo ipso patienti tantum cruciatum causavit, ut viribus plane consumptis denuo in mortis vicinia versaretur. Tandem immensis doloribus paulatim remissis, ligatura aperta, notabiliter apparuit, quomodo nervus præscissus infusi bullientis olei beneficio coaluerit, ac quasi conglutinatius fuerit; quo & peracto, vulnereque persanato, ipsum brachium pristinas vires indies recipere, & patiens præter omnem expectationem in integrum restitui cœpit. *D. Thom. Bartolini.*

An gangræna pedis ex Sp. C. C. rectificati inunctione processerit?

Amplissimi Viri amicæ petitioni satisfacturi, perlegimus justa diligentia transmissum Casum Medicum, & ad quæstiones propositas brevissimè respondimus. De facto tamen judicium nostrum suspendere debuimus, quia deficiente Medici Sempronii relatione, circumstantiæ variæ desiderantur ex ægræ Viduæ statu, malo præcedente, remediis adhibitis &c.

Interea ad Quæstionem Primam officiose respondetur, videri pustulam in pede excitatam, fuisse mali moris ante farinarum Medicarum applicationem, alioquin enim cessisset, ad minimum ex parte, post admotas farinas, quin & pravitatis ejus indicium esse, quod totus ille prior dolor, & cordis, & aliarum partium superiorum, deserit velut inpunctum aut centrum pustulæ, adeoque ibidem tanto vehementiorem in angusto spatio excitarit, dolorem. Putamus autem minus convenienter illitum postea Spiritum Cornu Cervi rectificatum, præsertim si purus ille fuit, & non temperatus misturis aliis, qualem scilicet mitiorem nostri pharmacopœi divendunt. Opportunius adhibuisset Sempronius diaphoretica interna, quam externum illum vehementem liquorem, qui non potest non, præcipue in affectu non frigido, causari tandem dolores & alia incommoda. Neque spiritus ille in hoc casu salutari potest *Sehmerz stillender* spiritus, si accute loqui placeat. Solent tamen Medici in Inscriptionibus medicamentorum propter diversas intentiones ludere quandoque vocabulis, atque id innoxie.

Deinde, postquam ex superioribus constat, pustulam fuisse pravi & mali moris, non credimus inflammationem illam, & supervenientem gangrænam, in totum Spir. illi Cornu Cervini adscribendam esse, cum etiam sine illo medicamento potuerit sensim ex pustula illa ceu fonte infecto manasse, præsertim si corpus fuerit Cacochymicum, & ætas in senium declinans. Potuisse tamen dolores accelerare, & aggravare non negamus. In sana autem carne gangrænam ab aliquot guttarum illitu, terque quaterve repetito, excitatam fuisse, hactenus non observavimus.

Tandem, quanquam Theriaca diatessaron succo Sambuci permista cum fructu applicari possit erysipelati incipienti, adultæ tamen inflammationi sistendæ quomodo servire poterit, non videmus, Solum rob. Sambuci applicitum fuisset innoxium.

Conclusum in Collegio nostro Medico, Hafniæ. 26. Martii CIↃ. IↃC. LXXIX. Th. Bartholin. Fr. Bartholin. W. Worm. Ol. Borrichius. Gasp. Bartholini Th. F. *E. clar. Thom. Barthol. Act. Hafn.*

Remedium εὐπόριστον ad Gangrænam.

Acceptis Miscellaneis Academiæ vestræ Curiosæ gratias ago. quod me inter Principes Achivos primum in Scenam producere voluerit. Instituto præclaro Deus annuat, ut tantum opus quod molimini in Reipubl. Medicæ emolumentum cedat. Alias Observationes superadderem, sed Vulcanus omnes turbavit meos calculos. Quia aliis subsidiis jam destituor, prona voluntas inserviendi æqui bonique consulenda, donec ad me ipsum rediero; interea tantum unam alteramve mitto historiam, quæ scribenti occurit. Grassabantur nuper apud nos Morbilli maligni: facies exinde puellæ gangræna adeo defœdata, ut labia pene fuerint consumpta. Sedavi statim serpentem gangrænam aqua marina, cui absinthium incoxeram, quod experimentum in aliis quoque gangrænis opposui felici cum successu Dn. Th. Bartholini *in Lit. Haffnia Danorum ad D. Sachsium datis.*

Scholion.] Remediorum simplicium maximam esse varietatem, nemo est qui dubitet, habuerunt Græci sua remedia, suppeditarunt Mauritani maximam eorum sylvam, sed ut Rombæus ait Ep. 28. p. 98. Videmus adhuc alia in usum cessisse, quæ illi ne attigerint aut viderint unquam. Quanto non Remediorum cornucopia inaudita priscis seculis emergit inde ex utraque India, & ejus adjacentibus Insulis, adeò recte dixit Comicus.

Vsus, ætas, tempus aliquid apportat novi.
Vt quæ te modo scire credas, nescias.

In Gargarea tali messe plurimi non sine certa ratione Remedia apud nos nata Exoticis præstantiora judicant, ut pote tum ob familiaritatem cum nostræ naturæ constitutione, tum quod frustra foris petantur auxilia, quibus domi abundamus, ut censet Andr. Libav. Ep. ad Schniz. 44. p. 135. in cista Hornung. Agnovit hoc inprimis Exc. Ioh. Beverovicius Med. Dordrecht. qui Lugd. Bat. Anno 1614. edidit elegantem

tra-

tractatum αὐτάρκεια Batavia s. introductionem ad Medicinam indigenam, in qua demonstrat cuilibet Populo satis apud se esse ad necessitatem, cuique proinde morbo sua ubivis remedia, & cum Natura μήτε μηδὲν, ποιεῖ μάτην μήτε ἀπολείπει τῶν ἀναγκαίων nec frustra quicquam faciat, nec deficiat in necessariis), cur Orientis illa solum sit mater fœcunda in superfluis largiendis; reliquarum vero terrarum injusta noverca, quæ cogeret ex alieno orbe advehere remedia. Indigena remedia sane quoad certitudinem, vigorem, puritatem, impensas, convenientiam cum natura incolarum (Beverovic. l. a. cap. 2. pag. 65.) majorem habent quamvis longe petita plerumque æstimentur. Eandem simplicium defensionem suscepit Primoros. de Error. in Medic. lib. 4. cap. 7. jam suo tempore Plin.) quanquam fere nimis acerbe) L. 24 cap. 1. exoticis indigena prætulit, quando inquit Ex terra nascentibus Medicina: hæc sola Naturæ placuerat esse remedia, parata vulgo, inventu facilia, & sine impendio, ex quibus vivimus: postea fraudes hominum & ingeniorum capturæ Officinas invenere, in quibus sua cuique homini venalis proponitur vita. Statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimentur, ulcerique parvo Medicina à rubro mari imponitur, cum remedia vera pauperrimus quisque cœnet. Id l. 22. cap. 24. non placent remedia tam longe nascentia, non nobis gignuntur, imo ne illis quidem, alias non venderent Hæc plinius. Eundem in finem Excell. Thom. Bartholin. conscripserat libellum, cui titulus: Medicina Danica inquilinis remediis proprios morbos sanans, sed in miserando illo elapsi anni Incendio cum reliquorum librorum incomparabili jactura periit. De eodem hæc ipsemet scribit in de Incend. Biblioth. pag. 69. vulgo inservire placui, non doctis, quanquam malam gratiam inire videar à Pharmacopæis: Dedit Deus inquilina remedia pro curatione morborum domesticorum, quibus uti potest quisquis ab officinis Pharmaceuticis remotior, nec Medicos habet, quos consultat, nec marsupium, quod peregrinis remediis impendat. Sic Paralisin lateris sinistri curavi Spiritu frumenti cui herba paralysis incocta, Pleuritides populariter grassentes solo decocto hordei sanavi; Scorbuticos folio aquatico in Cerevisia veteri decocto: hydropicos purgavi foliis tenerioribus Sambuci. *Hac Bartholinus.*

De malo Gangrænoso totius corporis.

Describit tale fere malum à scorbuto Eugalenus de Scorbuto pag. 191. quale non ita pridem in Xenodochio S. Crucis Goslariensi observavimus, in quodam cœlibe XL. annorum. Hic ab aliquot mensibus rigidior incessit, & quasi immobilis, ut pedes & crura, immo ipsum dorsum non satis ex animi sententia flectere valuerit. Ante aliquot hebdomadas fit clinicus, & in lumbis oritur primo intuitu quasi excoriatio, quæ à diuturno decubitu alias oriri consuevit. Hæc primis diebus ab ipso ægro negligitur, post paucos tamen dies advocatur, qui manum Chirurgicam admoveret. Ille pro viribus rem tentat; sed perperam, quippe malum ipsos lumbos & dorsum adeo infecerat, ut ad interiora serpendo ipsas vertebras lumborum & os sacrum denudasset, cum insigni & intolerabili putredine: & ipsa caro lumborum plane indolens apparebat, &, quasi canes dilacerassent ipsam hanc musculosam carnem. Accedebat ἀναισθησία inferiorum partium & abdominis, quippe injussa & excrementa & urina, modo corpus moveretur, effluebant. In pedibus & brachiis utcunque apparet macula nigricans, altera die tumor, tertio die subsidebat tumor, & apparebat ulcus gangrænosum fœtidum, uti & uterque calcaneus brevi spatio & sensum vitam exuit. Hunc, rogatus, miserrimum die ante suum obitum, desperato molo, visebam, ubi vix intoleralerabilem fœtorem cum aliis perferre poteram. *D. Ioh. Georg. Trumphii.*

Sphacelus fracti cruris.

Ratisbonæ observavi in Viro quodam, ac juvene alio, quod, cum in cura & deligatura fracti cruris, calcaneus non ritè & subtus concave ponebatur, hunc brevi sphacelo infestari. *D. C. B. Winoleri.*

Scholion Schrockii.

Calcaneus cum in parte posteriori magis præ crure exstet ac promineat, adeoque in supino decubitu concavitatem aliquam efficiat, si illa suppositis pulvillis non expleatur, cruris ossa, ob fracturam tono suo & robore orbata, pondere quasi concidunt, adeoque partes circumjacentes molliores comprimendo, vel etiam distendēdo, inflammationem facile atque sphacelum inducere valent. Siquidem ut Hippocrates in lib. de Officina Medic. scribit, jacere eo habitu convenit, qui secundum naturam sit; & dolorem minime faciat; quod paulo post calcaneo in specie adplicans, in prominentibus, inquit, corporis positus mollis, æquabilis esse debet, & qui sursum tendat, velut in calcaneo & coxendice, ita ut neque reflectantur, neque evertantur. Et lib. de fract. hæc habet: Ubi devinxeris, supra molle aliquod & æquabile deponere, ut ne in hanc vel in illam partem pervertatur, aut in anteriorem aut posteriorem partem inflectatur. Ad id vero plurimum confert pulvinum lineum, mollem non durum, medium in longitudinem, aut aliud quid tale cruri supponere.

Gangræna sanata.

Nobis à *Grutschreiber* laborabat Gangræna, Chirurgus imposuit jus sive muriam de Brassicâ acida feliciter.

Brassicam acidam egregiam vim refrigerandi habere, nemo est qui negat. Memini Dominum Capitaneum à Weixel mihi enarrasse, quod aliquando pulvere pyrio adustus felicissime seipsum sanaverit, imponendo Brassicam acidam Sic *D. D. Sim. Pauli* 4. part. Bot. p. 16. refert: Gangrænam in femore sola applicatione pomorum putridorum contusorum, sine affusione ullius liquoris coctorum sanatam. De Brassica Gal. l. 2. simpl. med. dicit; Brassica esculenta

ta desiccandi vim habet, tam esa quam foris imposita. Quantum Brassicæ acidæ ad usum usque tribuat *Hippol. Guarimonius ita Grevel der Bernustumg Menschschen Geschechlts. p. 570.* videri potest. *D. C. Wincleri.*

De Natibus sphacelatis.

Glutæos spacelatos videre frequentissimum mihi fuit in febribus malignis & chrinicis multis à diuturniori decubitu supino. Licet autem ex illis amplæ habenæ atque lamellæ desectæ sint, atque optima quæque antiphagædenica tam intus, quam extra fuerint adhibita, mortis tamen præda fuerunt, uno duntaxat excepto, vegetiore viro, belli duce, purpurata febre correpto, de quo mihi toties à Chirurgis inclamatum, *tuere vitæ præsidia, nos externis prospecturi sumus.* Et revera quisque nostrum suas partes feliciter peregit, instaurando salutem Numinis afflatu. *E. Clar. viri Carol. Drelincurtii Collegiis communicante Excell. D. Guyot. Med. D.*

Gangræna ex Elleboro lethalis.

Rustica mulier juvenis, doloribus ventriculi molestata, infusum, è cortice radicum ellebori albi cum vino paratum assumpsit. Hausto pharmaco incidit in Dyspnæam cum strangulationis sensu, cardialgia, pulsu debili & frequente, sudatiuncula, extremorum frigore, tussi, sputoque cruento. Ter aut quater alvum deposuit, postridieque cum tribus aut quatuor sedibus, lumbricos dejecit, cum intenso frigore universum corpus obsidente, dolor in dextro crure oboriebatur. Non fomenta ex vino rubro cum herbis nervalibus parata, non spiritus vini applicatio, membri mox emorituri frigus sustulerunt. Sensim evanescente dolore, qui per biduum misellam cruciaverat, nativus cruris color in purpureum lividumque mutatus fuit, membrumque sensu & vita carere compertum est. Nulli fuere auxilio scarificationes, permultaque alia Medicinæ præsidia. Amputata infra genu tibia, nullus manavit sanguis. Interim serpens & interiora pervadens gangræna ægrotantem è vivis abstulit. *Ex communicatione Clar. D. Rivalier Medic. Doct. Celeberrimi.*

GIBBOSITAS.

Ne in frontispicio statim propositi nostri mæandris implicemur, sed succincto & solido tramite procedamus, more recepto à vocis significatu initium facturi sumus. Nomina enim sunt εἰκόνες sive imagines rerum, quibus intellectui propositis ipsæ res, uti sunt, exprimuntur, & concipiuntur prout par est. Hinc eleganter Plato in Gorgiâ: ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, nominum gnarus, gnarus rerum. Consistit autem illa nominum cognitio in tribus: *Etymologia, Homonymia, & Synonymia.*

Gibbus itaque, si *Etymologiam* spectemus, nomen græcum est & latinitate donatum, descendit enim à κύπτειν inflectere incurvare, à cujus præterito medio κέκυφα, abjecto augmento κε, & mutato α. in ος, dicitur κυφὸς incurvus. Alii hoc nomen derivare allaborant ab ὑβὸς curvus, inflexus. Hinc ὕβωσις, ὕβωμα, curvamen, tanquam ab ὑβὸν curvo, quod illi, qui hoc affectus afficiuntur, non erecto sed magis depresso & inflexo incedant tergo; quæ tamen derivatio cum priori eadem est. Videri de hac Philologia inprimis meretur Pergamenus l. 6. aphor. comm. 46. Ex quo ipso loco & rei ipsius fundamentis potissimum arguere licet, quidnam sentiendum sit quoad

Homonymiam, magni momenti quæ est, ut rite procedamus hinc in dicendis. Notandum enim est, sumi gibbi vocem 1. latissime pro omni convexo & extuberante, etiam naturali, unde notum est, non solum montes ab Helmontio & aliis dici gibbos terræ; verum speciatim hepar dividi in partem gibbam & simam, convexam & cavam. Referri huc meretur, quod ipse Cous spinam scribit à sacro osse usque ad magnum verticulum κυφὴν gibbosam esse, lib. de ossium natura c. 2 t. 6. Quod repetit lib. de articul. c. 41. t. 8.

2. Late & improprie paulo gibbus notat omne vitium ossium circa ipsam cratem sive spinam, à statu recto in curvum abeuntium, & eminentiam inde consequentem, qualis tum in aliis ex consuetudine observatur, tum frequenter in senibus jam decrepitis, potissimum procerum corpus habentibus, quibus corpus præ siccitate aut imbecillitate nimia in anteriora incurvescit ac inflectitur, quæ tamen potius curvitas, quam gibbositas nominanda, ut quæ nullo pectoris aut spinæ vitio accidat.

3. Stricte magis gibbi dicuntur in universum, quibus luxatæ suoque loco dimotæ prominent spinæ vertebræ. Hæc autem luxatio varia est, & deprehendimus illius quatuor vel quinque potissimum annotari differentias, quas communi & recepto ordine recensebimus. Una fit extrorsum, quum foras sive in posteriorem spinæ partem, vertebræ convertuntur, Græcis κύρτωσις, sive κύφωσις Latinis gibber gibbositas dicta. Altera fit introrsum, quum in partem interiorem vertebræ luxantur, ita ut in dorso sit cavitas, in pectore circa sternum præcipue tumor, Græcis λόρδωσις, Latinis repanditas, recurvitas. Tertia ad spinæ latera, quando nempe vertebræ neque ante, neque retro recurvantur, sed in obliquum sive ad latus declinant, Græcis σκολίωσις. Latinis obstipitas, divaricatio; est autem sic dicta, quod tortuosum velut lumbricum terræ reptantem referat spirarum similitudine. Refert etiam Hieronymus Cardanus in Comm. de causis, Signis & Locis morborum part. 3. §. 56. id quod etiam obtigit citanti id M. A. Severino, l. de gibb. c. 1. p. 324. & D. D. Præsidi, visam sibi puellam, flexâ ita spina, ut literam S. referret. Quarta est, quum vertebræ in loco quidem suo manent, earundem tamen compages laxatur, cum æquali magis in sedendo incurvatione, quod in tenellis infantum corporibus speciatim visitur, non item in senibus, exceptis, quibus id vitium incuratum remansit, qualem sartorem novit D. D. Præses, qui continuo incurvato & prono fere corpore incedit, non aliter ac si aliquid amissum studio curioso semper quæreret. Græcis dicitur σεῖσις Latinis commotio sive concussio, quasi

satio-

ſatio vertebrarum. De ſingulis his ſpeciebus videri poteſt Galenus l. 4. de loc. aff. c. 3. & comment. 3. de artic. t. 2. Quinta eſt, quando tum vertebris dorſi, tum lato oſſi pectoris, quod ſternum dicitur, ut incurventur intus & extus, accidit, fœdaque corporis exiſtiſtat figura cum depreſſione colli & elevatione humerorum, atque exſiccatione coxarum. Et iſta corporis tortura vocatur ante & retro gibboſitas.

Ex quibus patet, tum ſingulas ſpecies probe diſcernendas, tum unamquamque illarum ſtrictiſſima acceptione venire poſſe, cumprimis vero, & magis κατ' ἐξοχὴν gibbi nomine venit, quando, quod frequentiſſimum eſt, extrorſum fit ſpinæ protuberantia, qua de etiam inpræſentiarum agemus potiſſium, ita tamen ut reliquarum hæc ipſa ſit velut quædam norma, juxta quam illis opem ferre queamus.

Si Synonymiam ſpectemus, variis hic affectus gaudet nominibus. Dicitur enim Græcis, præter dicta, κῦφος, κύβος, κύφωσις, κύβωσις, κύρτωσις. Latinis gibbus, gibber, gibboſitas, gibberoſitas, & qui hoc affectu laborant, vocantur gibbi vel gibberoſi. Germanis *der hoker ode der puckel*. Et hæc de definitione nominali. Plura hac de re ſcire ſi quis deſiderat, Philologorum conſulat oracula. Nos hac vice de nomine non ulterius ſolliciti, progreſſum facimus ſine ambagibus ad ipſam definitionem realem.

Jam inveſtigavimus Gibberis nomen, ejus denique nominis ſignificationem examinavimus nunc ipſam quoque ejuſdem definitionem producimus.

Definitur autem gibber, quod ſit eminentia præter naturam, in dorſo cumprimis, vel thorace, cum deformitate & motus impedimentis, ſine febre, dependens à ſpinæ dorſi luxatione vel contorſione.

Genus eſt eminentia ſeu tumor, in hoc enim gibberis eſſentia & formalis ratio conſiſtit, ut ſenſu teſte, id deprehendatur, in omni proprie dicto gibbo eſſe extuberantiam, etiam quando cavitatem extrinſecus videatur exhibere. Omne ſiquidem convexum corpus ſua gaudet cavitate.

Qui vero per contorſionem ſpinæ morbum hunc definiunt, cauſalem definitionem offerunt neque nobis hinc contrariantur. Præter hinc vitium eſſe ſtructuræ tum inconformatione, quoad figuram, quandoquidem quæ recta vel recti æmula debebat eſſe ſpina dorſalis, & in longum magis excurrere incurvatur, & actionem naturalem in motu lædit, ac ſymptomatum diverſorum cauſa exiſtit; tum in compoſitione, ſitu & connexione mutata.

Differentiam ſpecificam conſtituunt reliqua definitionis verba, ut facile γενικὸν τὸ εἶναι tumoris pateat; eſſe nimirum tumorem ob partes ſolidas ſede ſuo dimotas. Ut enim oſſa loco ſuo excidentia partes ad quod contorquentur, intumeſcere faciunt, illo vero loco, ubi exciderunt, cavitatem efformant, quod luxationis nomine in ſcholis Medicis venit; ita ad hujus latitudinem etiam gibbus pertinet, & ſimili contento ſolido eſt conſpicuus.

Limitatum id ſpeciatim fuit ad dorſum & thoracem, tanquam partes ad hunc affectum recipiendum quam maxime convenientes. Reliquæ enim partes corporis, præter dorſum, non facile & ferme in totum non ſuſtinent gibbum, ut mox dicemus pluribus. Limitatum etiam ab adjunctis velut individuis comitibus primariis, deformitate & motus impedimentis, aliiſque verbis, ut iis conjunctim ſpectatis facilis oriatur diſtinctio ab aliis tumorum generibus in dorſo evenientibus, ſiquidem partibus ejus muſculoſis, ſeu mollibus in genere, affectis enormes ſæpe tumores, imo nonnunquam ſcirrhoſos quoque & rebelles, ibidem oriri & geſtari experientia rerum magiſtra loquitur.

Sede morbi prius bene perſpecta atque perpenſa, felicius hinc in ejus notitiam & curationem pervenire quemque poſſe, monet Celſus l. 4. de re medic. c. 1. Cujus monitum ut nos quoque ſequamur, in gibberis ſubjectum ſeu partem affectam jam inquiremus.

Subjectum Principale gibberis ſunt vertebræ ſpinæ dorſalis enim præcipue affici ſenſu & ratione patet; Adæquatum vero conſtituunt vicinæ & connexæ cum iiſdem partes oſſeæ aliæ thorax, ſternum, coſtæ, ſcapulæ. Neque enim niſi gradibus læſionis & ſpeciali loco different tumores circa ſcapulas, dorſum, humeros gibboſi. Remotius ſubjectum eſt totum corpus. Unde oſſium horum conſideratio, quomodo affici poſſint, multum ad inveſtigationem cauſarum penitiorem faciet.

Certum enim eſt 1, effatum generale Hippocraticum, præcipue huic parti conveniens, l. de oſſium natura c. 17. t. 1, & 2. (qui de venis in edit. Linden. inſcribitur) τὰ ὀστέα τῷ σώματι στάσιν, καὶ ὀρθότητα, καὶ εἶδος παρέχειν, τὰ δὲ νεῦρα κάμψιν καὶ ξύντασιν, καὶ ἔκτασιν, oſſa corpori ſtabilitatem, & rectitudinem, ac formam exhibere, nervos flexionem & contractionem ac extenſionem.

2, Conſtat vero per Anatomen, ſpinam non uno oſſe continuo gaudere, ſed pluribus, quæ ſpondyli ſive vertebræ audiunt, à vertendo dictæ, quod harum beneficio ſpina in omnia motus genera aptari & verti poſſit, flectendo corpus antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum.

3. Vertebras haſce ſibi invicem ſuperponi, foventes in centro ſuo medullam à cerebro prolongatam, ut velut columna quædam ſit, mobilis tamen, ut & conjunctis iis corporis ſuſtinere moles queat, & iidem conjunctim & æqualiter inflexis & curvatis motus peragi.

4. Ipſam ſpinam ſecundum longitudinem εὐθυσκόλιον, rectobliquam, & in quatuor velut ſectiones exporrectam eſſe, collum, dorſum, lumbos & os ſacrum. Ex his vero dorſi vertebræ quod antica parte thoracem conſtituit, frequentiſſime, hinc lumbi afficiuntur cumprimis & gibbum pariunt.

5. Ut motus flexionis & extenſionis poſſit confici, γιγγλυμῶσθαι τοὺς σπονδύλους, copulari ſibi invicem vertebras per γίγγλυμον & motum conſpicuum edere; circumfuſas cartilagine inſigni utriuſque extremis, quibus ſe excipiunt; connexas præter συγχόνδρωσιν nexu firmiſſimo per ligamenta & vincula craſſa valida ac dura, implicari proceſſibus, & præcipue vinculum membranis validis intextum univerſam ſpinam extrinſecus obvolvere, à quo robur & firmitudinem acquirit. Connexæ ſunt vertebræ (ut loquamur cum B. Rolfincio diſſert. anat. l. 2. c. 35. p. 378.) dura extrinſecus membrana: intus vero ligamento membranoſa, duro & robuſto, à ſumma cervicis vertebra ad os ſacrum producto. Elegans conne-

xionis hujus exemplum per speciale membraneum vinculum, à suprema contignatione spinæ protensum, curiosa speculatione videri potest in halecibus, modo certa ἐγχείρησις adhibeatur, ut à carnibus separatum oculis pateat, ad cujus flexionem & spineam cratem curvari oportet. Id vero non nisi in coctis apparet. Neque obstat, non perfectum attribuere alios ossibus hisce γίγγλυμον, quod non fiat hoc loco mutua duorum ossium insertio, sed moveri potius eadem per ἀρθρωδίαν. Sufficit enim, concedendum omnino esse motum quendam & articulationem, ac eundem in finem & vertebras sibi invicem incumbere, flecti aptas, & articulari earundem apophyses ascendentes & descendentes inter se.

6. Speciatim etiam vertebras dorsi, sive thoracicas, costas excipere, firmare, & hinc inde ad vicinas partes nervos emittere, ubivis annexas inflectentibus musculis.

Qua viscera spectant, vertebras rotundas esse cum substantia tenera magis & rarâ; extrorsum vero processibus eminere, per σύμφυσιν connexis, & æquali positu rectitudinem proportionatam servantibus. De quibus evolvi præter alios possunt. *Archangel. Piccolhom.. prælect. Anat. l. 8. lect. 8. p. 367. seqq. Rolfinc. l. c. 7. & 37.*

Ex hisce, ut alias mittamus, clarum esse potest, illi principaliter morbum esse assignandum, ubi læsio contingit, & consequens vitiosa conformatio. Fitque id ipsum modo per essentiam, proprio & domestico vitio, quod frequentius est modo per consensum aliunde morbo inducto, ita tamen, ut successu temporis essentialis labes fiat.

Ut ut vero sint, qui subjectum hoc latius extendere velint, & præter spinam dorsalem gibbum pati etiam alias partes extra hoc clima medium uti Severinus l. de recond. abscess. nat. manus & pedes quoq; huc refert, cum hæ partes æque distorqueri queant, adducitque exemplum in adolescente, quod videri potest l. c. p. m. 342. Propriè tamen loquendo reliquæ dictæ partes corporis sustinere quidem possunt luxationem perfectam vel imperfectam, curvitatem, eminentiam, at gibbum non item, aliam ergo solum competit spinæ & præcipue quidem, quoad dorsum frequentissime, cum annexis thoraci partibus, hinc & lumbos.

Cum itaque plurimum referat causam nosse, & in morbis his conformationis ad oculum pateat, non cognitam eandem nec auferri posse, merito ad hujus inquisitionem provehimur.

Causa immediata est vertebrarum spinæ dorsalis luxatio, laxatio, subluxatio vel διαστροφὴ distorsio, seu contorsio nominata Hippocrati l. de art. c. 45. t. 5. ut μετάστασις τῶν σπονδύλων Galeno l. 4. de loc. aff. c. 3. quibus innuitur articulationem earundem esse læsam, συγχόνδρωσιν, συνδέσμωσιν & συσσάρκωσιν non pristino naturali deprehendi in statu, sed vel laxata vincula, quod in σείσει potissimum visitur, vel luxatos penitus verticulos. Hisce enim luxatis & non mature repositis, statim aliqua eminentia, aliqua protuberantia conspicitur

Notari vero meretur, laxationem hic accipi paulo latius non pro dislocatione omnino perfectâ, violenta, & simul ac semel contingente, quæ majorem vim causarum externarum sequitur, &, si vera sit, ob spinalis medullæ compressionem, præviâ communiter paralysi nervos inde accipientium partium, & aliis symptomatibus, ut plurimum lethalis esse consuevit, vel alia facie saltem visenda; qua de videri potest Celsus l. 8. c. 14. p. 580. sed imperfecta, minus respective violenta, & successiva, unde è sede sua sensim sensimque dimotis verticulis nutritiva & auctrix vis à limite suo aberrat.

Causarum Mediatarum Proximiorum vicem substinet quæcunque ἕλκειν τὰ νευρώδη σώματα trahere vel distendere nervosa corpora vertebrarum possunt, quas commode in externas & internas dividere licet. Internæ, quoad essentiam, sunt vel vaporosæ, vel humorosæ. Vapores quidem concurrunt, quod videantur debiliores ex ordine suo dimovendis vertebris; si tamen impetum horum respiciamus, etiam suo loco aliquid conferre poterunt, exemplo illorum, qui juxta 6. aphor. 46. ex tussi & asthmate gibbi evadunt, quatenus coactiva expansione thoracis in anxiâ illâ respiratione etiam vertebræ in dispositis extrorsum coguntur cedere, successive impressa debilitatis nota, licet magis videatur loqui aphorismus de asthmate & tussi, tubercula latitentia comitante.

Hinc si retento anhelitu comprimatur abdomen, sæpe manifestus hujus rei sensus in dorso se exerit.

Humores vero potissimam absolvunt paginam si peccent, quoad essentiam, serosi cumprimis, luxare & laxare præ reliquis apti nati. Quoad essendi modum vero considerati, si delinquant quantitate, qualitate, & motu.

Quantitate, partim in excessu, tum primario interdum, tum secundario & dispositive, facilitantes dimotionem illam, si male sint dispositi, si humores in articulis & juncturis acerventur, qui articulationis ipsius ligamenta primum madefaciunt, dein laxiora reddunt & tandem ob copiam os ipsum è sede sua protrudunt; partim in defectu, si sufficiens humiditas desit, ipsaque ligamenta velut magis nuda, minusque investita partibus carnosis & adiposis contractioni facilius auscultent.

Qualitate peccant, si vel alimentarem blandam, roscidam oleosam deponant naturam, & acidis vel alcalinis particulis scateant, unde aridius corpus consurgit, & tenerius, vel ichorescant, concepta facili labe ab extravasatione vel σήψει.

Maxime ergo accusandus venit eorundem motus, tum generationis, tum localis. Generantur sæpe in parte affecta ipsa per συναθροισμὸν seu congestionem paulatinam, inductam ob debilitatem nativam vel acquisitam, ob intemperiem humidiorem, vel errores externos, unde non legitime nutriuntur partes teneræ, molles, cartilaginosæ, nec debitam acquirere possunt consistentiam.

Idque ut paulatim magis fit, ita majori cum ἐνεργείᾳ & impetu, si extra locum affectum generati vitiosi humores, seu latex vitiatus ad spinalem medullam ejusque vertebras per ῥευματισμὸν appellat, unde considerabimus partem mandantem, recipientem, vias & modum.

Partis mandantis vicem obtinet totum aliquando corpus, ob cacochymiam serosam, acetosam, nervisq; & ossibus minus benignam, unde ut ex hoc fonte seri vitiati ἰχῶρι, sæpe consurgit; ita speciatim quoque hæc gibbum conjunctum frequenter habet. Plethoricos vero minus videa

gibbosos, quod in iis totosiores musculi minus læsionibus sint obnexii. Interdum viscerum δυσκρασίαι concurrunt particulares, ventriculi, hepatis, lienis, cerebri, depuratione & cohobatione sanguinis minus rite peracta, unde promptus laticis decubitus, & spiritus animales minus vegeti in nervis decurrunt.

Pars recipiens est spina dorsalis, sustinendo corpori dicata. Cum ergo pars hæc sit spermatica, à sero incrementum sibi capiens, mollis natura sua & frigidior, adeoque ibi jam tum glutinosus humor existat, si huic ipsi alius & quidem in excessu peccans superveniat, haud difficulter vitium & tuberculum aliquod excitari potest.

Viæ sunt arteriæ advehendo, venæ & vasa lymphatica non recipiendo superfluum.

Modus fit ὠθήσει & ἕλξει. Pellit continuo spirituosi sanguinis & succedentium sibi undarum impetus; obice ergo posito, sive concepto calore pori magis rarefiant, seu dolore velut spina infigatur στάσις prompta est; verbo, circulatione sanguinis vel lymphæ impedita, hoc vel illo speciali loco, promptus affluxus & ῥευματισμὸς consurgit, hujusque hinc affectus, tubercula seu abscessus. Sane summi Medicorum proceres Hippocrates & Galenus, binas has præcipuas & unas fere causas gibberis laudant, quas verbis Galeni proferemus ex 6. aph. comm. 46. ὑβοῦται ῥαχὶς, inquit, ὅτε μὲν διά τινα πληγὴν ἢ καταπτῶσιν, ὑβοῦται δὲ διά τινα φύματα σκληρὰ συστάντα κατὰ τὴν πρόσω χώραν. Gibbositas spinæ fit aliquando propter ictum aut casum, fit etiam propter quædam tubercula dura, quæ in parte anteriore consistunt. Et paulo post asserit, omnes qui sponte seu citra externam aliquam causam, sine ictu vel casu gibbosi fiunt, propter dura & concoqui difficilia tubercula tales fieri, ἐπὶ φύμασι σκληροῖς ἢ δυσπέπτοις τοιούτους γίνεσθαι. Quæ ipsa mens quoque est, imo verba eadem, divini senis lib. de artic. c. 37. t. 11 nisi quod ἀπέπτων loco δυσπέπτων meminit, additque plerisque propter tales συστροφὰς, collectiones, morbum fieri.

Quomodo vero à tuberculis hisce tractio, tensio & consequenter contorsio vertebrarum fiat, indeque modo introrsum, si una saltim parte resideant, modo extrorsum, si utrinque, modo laterosum vertebrarum exturbatio contingat, pluribus l. c. it *l. 4. c. 3. de loc. aff. & comm 3. l. de artic. t. 2. Galenus* explanat elegantissimè, ibidem videndus. Suffecerit nobis, exemplo tumorum extrinsecus oculis occurrentium idem concipi & illustrari posse. Constat enim v. g. in colli tumoribus inflammatoriis, ea, qua resider malum parte, tensione fibrarum inæquali & laterali magis inflecti caput & curvari velut ad latus, & si in oppositum reclinetur, dolorem mirum quãtum augeri, quod hoc pacto major fiat tensio & consequenter dolor; ab æquali vero & majori in oppositum magis verti. Eadem ratio est, si tumor in inguine consederit, aliisque locis, ubi flexura inprimis opus est Tacemus exemplum mechanicum corporum flexibilium, bacillorum recentium, & calamorum scriptorum, itidem Galeno & ex eo Severino laudatum, Ut in aliis quoque luxationum generibus, quando tendines & ligamenta extenduntur nimis laxantur, flaccidiora evadunt & hinc dimittunt ex acetabulo suo ossa; ita & in affectu hoc nostro plurimum ipsi ligamentorum & nervorum vitio adscribendum est. Facta horum tensione, necessum est vertebras etiam una nunc dextrorsum nunc sinistrorsum, alias introrsum rapi, sicque sua sede dimoveri & luxari Et hac ratione tubercula quicquid præstant, quod non exiguum sed plurimum est, præstant vitium affricando illis corporibus, quibus vertebræ alligantur.

Hinc cum molem superpositam ferre non sustineant vertebræ, non firmatæ nec ferruminatæ, uti prius, sensim fatiscunt, cedunt, & anomalias in figura patiuntur, dimotæ magisque è loco suo. Pro varietate ergo loci, ex quo dicto modo ligamentis & vertebris disloca tionis intentatur vitium, etiam modo hic, modo illic, idque iterum variè, conspicuum concitat malum consectarium. Confer M.yovv. *lib. de rhachit. pag.* 124.

Præter internas has proximiores etiam causa externa consideranda venit, cujus vicem obire potest omne illud, quod corpus grave durumque quassat, allidit, percutit, qualia sunt ictus, casus violentus in scapulas vel coxas, nimiæ com pressiones, inflexio nimia & similes causæ violentæ, αἱ κυφώσιες αἱ ἐν τοῖσι πτώμασιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνονται, ἢν ἢ τοῖσιν ἰσχίοισιν ἐρείσῃ, ἢ ἐπὶ τοὺς ὤμους πέσῃ Gibbositates ex casibus contingentes plerique fiunt, si aut in costas innitatur, ac impingat, aut in humores cadat, inquit Cous l. c. 45. t. 2. Quo pertinet etiam nutricum imprudentia, quando infant es fasciis nimis arctè aut inæqualiter constringunt, (quod Hildanus in multis observavit, ob strictiorem scil. involutionem gibbum infantibus frequenter accidere: siquidem ossa adhuc tenera, mollia, cerea quasi & cartilaginosa facile retorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excrescentia indurescunt) aut in brachiis gestant prius, quam spina tam firmata est, ut erecti sedere possint; ut si dum infantes è cunis elevant, dorsum manus altera non fulciunt. Huc referenda est & vestimentorum nimia constrictio & angustia, dum puellas stultæ matres junceo corpore esse student, tenella enim ista ætate mollia nimium & mucosa spinæ dorsi ligamenta eam recto & constanti casu continere nequeunt, sed sequacia nimium ejus vertebras in interiorem, exteriorem aut lateralem partem proruere & projicere se facile permittunt.

Est & ex causis externis memoranda consvetudo, corpus quoquoversum inflectendi. atque inflexum continendi. Quæmadmodum enim virgultis & viridibus lignis pondere pressis, assidueque contortis; ita & dorso nostri corporis curvitas accidit sub opificiis diversarum artium & sub institutis vitæ diversis. Ad hanc consuetudinem referendus videtur & indecorus juvenilium & mollium adhuc corporum situs & positus in stando, ambulando, saltando, gesticulando, aut simile quid agendo, de quibus omnibus plura legi merentur apud *Severin. l. c. c. 3. p. 327.*

Prædictis causarum generibus obstetricantur tum προηγούμεναι seu antecedentes, tum προκαταρκτικαὶ seu occasionales, quas sub naturalium, nonnaturalium & præternaturalium notione complectemur.

Ex Naturalium causarum censu est dispositio corporum, si non hæreditaria, tamen individualis, qua alii præ aliis procliviores sunt ad hujus mali fomitem recipiendum, nam

omnes agens requerit patiens dispositum ad agentis energiam recipiendam.

Quoad Dispositionem Hæreditariam, licet gibbus non sit morbus æque seminalis proprie sic dictus, nihilominus tamen multum ad illum producendum conferre valet vitiosa in utero conformatio. Hæc autem facile contingere potest ibidem vel interno humorum vitio a matre traductorum, tum quoque, ut colligere non ineptum aliquando est, ex situ fœtus mutato, & exantlatis gravioribus in partu angustiis, præcipue in primiparis. Hinc recte Helmont. libro Retenta inscripto p. 497. Ad continentis morbos, ait, spectant quoque spontaneæ excrescentiæ, gibbositates, luxationes & exarthroses; Quæ quia innatam roboris inæqualitatem sequuntur, semini parentum plerumque vel nutricum defectibus acceptum ferunt.

Temperamentum frigidum & humidum, ut & frigidum & siccum maximopere ad hanc proclives reddit labem. Nec solum totius temperamentum corporis, sed etiam & quidem præcipue reliquorum corporis nostri viscerum attendendum venit. Ventriculus si non recte dispositus, non recte concoquit cibum sed corrumpit, ex quo haud laudabilis fit sanguis, sed cruditatibus cumulatur corpus, quod vitium coctionis primæ non corrigitur in secunda, multo minus in tertia Cor si non bene sese habet, non bonus elaboratur sanguis, & mala fit nutritio, cor enim est primaria sanguis officina.

Ætas unice huc facit & præ aliis quadrat infantilis & puerilis 3.a.26. Illa quidem, quando considere incipiunt, σεῖσιν frequentius patiur, hinc & κύρτωσιν quale exemplum XVII. mensium infantis recenset Theodos. ep. 42. p. 250. & similia in praxi sæpe occurrunt; hæc quando jam ambulare cœperunt, anno cumprimis quarto, quinto & sequentibus, donec ex ephebis excesserint. Rarius paulo ultra septimum annum provecti gibbosi, ab interna maxime causa, redditi observantur, vel saltem quo serius malum hinc impetit corpus, eo minus incrementum vitiat.

Inprimis vero id fit, si accedat habitus corporis gracilior & textura tenerior ac serosior, unde spina debilior, ex cartilaginibus magis quam ossibus adhuc constans, pro sustentanda capitis mole fulcrum minus firmum præbet, prompteq; si præsertim ictus vel casus superveniat graviori oneri cedit, & rectitudinem suam non sine insigni costarum sternique contorsione amittit. Hinc Hippocr. lib. de articul. c. 6. carnosis minus contingere luxationes, scribit, & si fiant, difficilius restitui, contrarium vero λεπτοτέροις & ἀσαρκοτέροις tenuioribus & magis ex carnibus accidere

Juvenilis vero, crescendi terminum supergressa, ut & media consistens ætas libera ab hoc malo fere est, nec hujus insultum facile experiri cogitur, si quidem de gibbositate proprie dicta sermo sit. Talis enim incurvatio æqualis magis etiam in ætate senili & decrepita visitur, seu quod vires sint debiliores, unde imbecillitas corporis in genere multum huc confert, seu nimis exsiccata vincula & contracta, unde minus onus corporis substinere norunt, quin spina nutet & incurvetur; hæc autem imbecillitas fit partim ex copia pravorum humorum, partim ex penuria succi alimentitii. Sin illud accidat, id magis extraordinarie & à causa graviori fieri putandum est, uti exemplum de coquo recenset lib 5. epidem c. 22. §. 4. Hippocra. de quo inferius agemus mox.

Quoad sexum, apprehendit hoc malum frequentius fœminas, & quidem magis urbanas præ ruricolis, quam viros, fœminæ enim majorem præ viris habent mollitiem, teneritudinem & serositatem sive fœminæ serosiores sunt viris, unde ipsarum corpora deprehenduntur laxiora, & citius adolescunt quam viri.

Nec causæ non naturales suis destituuntur viribus penitus ad gibbositatem juvandam & producendam.

Aer qui inevitabile & perpetuum corporis velut integumentum est, crebris suis mutationibus cum partium anni, tum ventorum vaporumque putridorum admistorum respectu, in alterando saltim sero maximarum est virium, idque tanto magis, quanto corpora sunt teneriora. Sic frigidus & humidus huc facit, quatenus colorem nativum obtundit, humoresque in corpore auget. Calidior vero æstivus, ob exsiccationẽ majorem

Cibus & potus si peccent substantia, quantitate & qualitate multum ad hujus affectus γένεσιν cõferre queunt. Sic commune puerorum vitium ἀδδηφαγία corpus vitiosis repiere succis apta nata est inprimis si assumantur, quæ minus laudabile præbent nutrimentum, sed tantum generant pravos humores, ut sunt lacticinia, piscium largior esus, fructus quoque nimis frigidi & humidi ὡραῖα ut cerasa, pruna cerea, melones, cucumeres, fungi & similia terræ ulcera, aliaque pituitam cumulantia. Tacemus aquas crudiores, nivosas, usu suo continuato multum conferentes. Cervisiæ minus defecatæ ex aquis palustribus & putridis coctæ nec lupulo bene conditæ usus huc facit, vini item intempestivus usus tenellis corporibus infantum summe nocet, efferando humores & exsiccando nimis.

Motus summa vis est ad distorquenda ossa tenella, quocunque demum modo excedat, sive tendatur nimis corpus, seu contrahatur, seu tensum & contractum teneatur, unde ligamenta articulorum facile fatiscunt, & ex ordine dimoventur.

Nec quies omnino culpa vacat, cum videamus etiam adultos sedendo & incurvendo dorsum hinc positum corporis obstipum reportare. Multo magis in infantibus id valet, quando erecto corpore superiori immature desidere coguntur, plusque ipsis, ut solet, virium tribuitur, quam substinere corpus queat.

Par ratio est somni & vigiliarum in accumulandis vel dissipandis humoribus. Excreta & retenta magni etiam sunt momenti non solum quando crassiora excrementa per alvum & urinam reddenda restitant, unde vitiosi humores cumulantur, & exinde semina pro morbo hoc excludendo sparguntur in reliquum corpus; verum etiam & potissimum tenuia per habitum corporis exhalari solita. Hinc retentis humoribus & transpiratione prohibita facillime febres & tubercula interna enasci solent. Sin nimiis sudoribus fatigentur succosa corpora & depauperetur serum alimentarium ultra sphæram ætatis, tum nutrimenti tum augmenti defectus oboriuntur necessario.

Tandem Animi Pathemata ad hunc affectum producendum sua etiam non carent virtute, quo loco saltim memorabimus iram, si, cõtra Aposto-

li

li monitum, irritentur ad excandescentiam infantes & pueri, atque inde in inconditos ploratus, cum pectoris singultuosa quasi concussione, adigantur, facile noxa ad ossium & ligamentorum stimulum redundante.

Nec causæ Præternaturales silentio sunt prætereundæ. Intemperies & humida & sicca hic occurrit accusanda; illa quatenus ligamenta vertebrarum laxat, distendit & tandem è suo loco dimovet; hæc quatenus ariditate vincula vertebrarum spinæ in anteriora protrahuntur, sicut in ardente potissimum febre visitur.

Pertinet huc exemplum ab Hippocrate visum l. c. τῷ μαγείρῳ, *inquit*, ἐν ἀκάνθῃ τὸ κύφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο. Coquo in spina gibbositas facta est ex phrenitide.

Quod angina ad gibbum facere possit, legi meretur Cous l. 2. epid. s. 2. t. 66. seqq. quod dolores, idem l. de artic. c. 45. t. 1. Gibbositatem ex longo ventris dolore observavit Epiph. Ferdinand. hist. 84. p. 279. seu ob conjunctam frequentem, longam & diuturnam ventris compressionem, & consequentem vertebrarum dimotionem, sive decubitum humorum ad spinam, uti notum est πάρεσιν alias ex colica non raro oboriri, & tanto quidem magis, quia tumore hoc apparente dolore evanuit.

A palpitatione cordis costas è suo loco motas esse post Fernelium l. 5. pathol. c. 12. observavit Horstius l. 3. obs. 17. p. 139.

Ex dysenteria prægressa gibbum factum in puello quinque annorum notavit D. D. Præses, ubi gravissimo malo succis vitalibus depauperatis cutis vix ossibus hæsit, & hinc vertebræ ex sede sua sensim excreverunt. De aliis externis injuriis jam satis diximus superius, hæ vero frequentissima sunt causa.

Si Res Supernaturales addere lubeat, certum est, per veneficia quoque & incantationes ut contracturas & convulsiones horrendas, ita quoque gibbos oboriri posse. Neque opus fuerit immediato damno, satis est per diabolicas artes casus, ictusque in partes osseas hasce & consequenter gibbum concitari posse. Alias vero ope Diaboli in αὐτοχείροις talia contingere luxationum stupenda exempla notum est, & tale refert *Hildanus Centur. 5. observat. 68. pag. 458.*

Cognitis nunc causis, differentias ut proponamus, ordo postulat. Præter differentias itaque gibberis essentiales, quas repetere denuo non opus est, alias quoque considerare operæ pretium fuerit, quandoquidem hæ & diagnosin & prognosin, adeoque ipsam quoque curationem limitant & modificant.

Ratione Generis, alius gibbus est major, alius minor, unde & minor vel major deformitas; alius in acutum magis, alius in orbem magis versis vertebris.

Refertur huc, & nominatim ad σιϊσιν, etiam à Sennerto l. 2 p. 2. prax. c. 21. p. 294. affectus, quem Germani *das Gehthun* appellant, a tensione membrarorum & ligamentorum circa vertebras itidem ordus.

Ratione subjecti, gibbus alius est in cervice, alius in thorace; alius supra, alius infra septum; alius in lumbis. Quemadmodum enim vertebræ sunt inter se distinctæ pro vario situ, quem in spina obtinent; ita gibbositas, quæ vertebrarum spinæ vitium est, quoque variat, pro earundem inducta læsione, unde & diversitas symptomatum, quæ singulæ secum invehunt.

Ratione Causarum tot sunt differentiæ, quot causæ, ex recensitis petendæ. Alius fit a causa interna alius ab externa; alius a repletione, alius ab inanitione; alius ex intemperie frigida & humida, alius ex intẽperie calida & sicca. Alius ab humorum influxu citatiori; & inflammatione; alius à congestione; alius cum fractura, cum ulcere, alius sine his.

His omnibus missis, advertimus vertebras rarissime, exterius frequentissime, ad latus vero frequentea obliquari.

Si ullis in morbis diagnosi opus est, sane in gibbosis quam maxime id valet; adeoque & hic quæ Coi verba sunt, solus is, qui signorum horum cognitionem habuerit, rite curationem aggreditur.

Duplicia vero signa Diagnostica sunt ratione Generis alia imminentis, alia præsentis. Indicia incipientis gibbositatis, verba sunt Rolfinc. epit affect. part. l. 4. c. 2. p. 350. adeo interdum latent musculosis in spatiis occultata, ut etiam peritos fugiant. Augescens omnium exposita est oculis. Illa vero metuere oportet, quando ex jam dicendis minori gradu se φαινόμενα exhibibeant.

Spectabimus ergo ordine fontes consvetos, ut demonstrative hinc concludere liceat, gibbum adesse, vel non.

Ex Essentialiter inhærentibus, quæ quidem hoc in casu ipsos in sensus incurrunt, vitium adest in situ, in figura, & rectitudine, cum magnitudine aucta, quoad locum affectum, ita ut non instar carinæ in navi decurrat ὀρθότητος ac στάσιν præbeat spina dorsalis, sed modo extuberent ante & retro vertebræ, ut in gibbere propriè dictomodo velut excavato dorso intro spectent, ut in λορδώσει modo sinuentur in latus, modo viminis in modum incurventur universæ, ut in relquis speciebus. Juxtim vero reliquæ quoque partes figuram vitiatam exhibent, sternum magis acuminatur, scapulæ, costæ magis protuberant, prout varia præcessit læsio, caput thoraci arctius insidet, breviori collo.

Ex Essentialiter consequentibus symptomata gibbum patefaciunt varii generis; in actionibus læsis animalibus cumprimis motus imminutio evidens fit. Neque enim ὀρθοστάδιοι stricto sensu possunt, stare diu nequeunt, neque sedere, nisi corpus vel mentum fulciatur manu, donec confirmato vitio aliud consuetudo & adultior ætas induxerint. Inflecti dorsum renuit versus inferiora, ut si terram contingere manu velint demissis poplitibus id facere cogantur. In sternutando molestiam sentiunt, magis ob angustiam concussis partibus. In vitalibus pulsus celerior, respiratio difficilis, defluxiones frequentes, asthma & tussis succedunt, idque tanto magis angustatur spatium thoracis, & vice versa. Cum enim in thorace cor & pulmo resideant, horum actiones potissimum lædi necessum est. Variant ergo hæc ratione loci, seu partis affectæ specialis, si enim infra septum transversum malum contingat, minus hæc observantur. In naturalibus actionibus nutritio & actio mirum quantum fatiscunt corporis succedit macies & incrementi penuria, ut ad solitam proceritatem non extendatur corpus æqualiter, neque incrementum sumant una carnes

Haurire hæc ex fontibus Hippocraticis operæ pretium est, exquibus quippe alii fere hæc sua fecere. Quibus inquit divinus senex, gibba fit spina, du pueri sunt, prius, quam corpus ad augmentum plenum perfectum fuerit, his corpus juxta spinam ξυναύξεσθαι coaugeri non amat, sed crura quidem ac manus perficiuntur, illæ uero partes defectuosiores fiunt. Et quibus supra septum transversum gibbositas est, his & costæ in amplitudine augeri non solent, sed in anteriorem partem, & pectus acutum fit, sed non latum ipsique & difficulter spirant & stridulam faucium asperitatem habent l. de artic. cap. 37. t. 4. seqq. Causæ maciei potissimum debentur cum rectitudini vitiatæ, unde in latum magis quam in longum fit extensio; tum sero nutribili magis rarefacto. Aliæ videri possunt apud *Helmōt. l. vita brevis p.588. Barthol. de lact. thorac. c.14. p.107.*

Notatu dignum vero est & hoc phænomenon peculiare in gibbosis, quoad thoracem occurrens, quod nempe abdomen superiori parte circa epigastrium contrahatur, & cincturam quasi patiatur, durante exspirationis actu, quod sine dubio contingit ob diaphragmatis vitiatum una situm & tractionem. Constat enim per Anatomen, testante Galeno l. 4. de loc. aff. c.3. septi transversi nervos sub quartâ vertebra emergere. His igitur patientibus necessario motus hujus, uti decet, expediri non potest, sed magis versus superiora trahitur, unde non sola angustationis culpa libera spiratio impeditur, verum etiam plurimum, ut ad respirationem alias, confert diaphargmatis consensus hic, ut & musculorum pectoralium & intercostalium ipsorum.

Quandoque & paralysis succedit, sed rarius, quale exemplum notavit D. D. Præses Ann. 2. Ephemer. Germ. observ. 230. p. 333. & Hildan. cent. 5. obs. 7. ea tamen differentia, quod posteriori casu dolor & affluxus præcesserint, à cujus decubitu & μεταστάσει successit crurum resolutio; in priori non item. Licet enim non subitanea æque vertebrarum dislocatio in gibbere fiat, ipsa tamen paulatim hæc & pedetentim facta nonnunquam obstructiones pororum nerveorum causari potest.

In excretis sæpe tentantur hæmorrhagia narium, quod & angustiori spatio decurrere cogatur sanguis, & ob respirationem difficiliorem moveatur velocius, unde quocunque errore externo, vel aliunde rarefactione majori inducta, prompte stillant nares, illic exitum affectante sanguine.

Causæ Prægressæ quoque patefaciunt affectum, sive externæ, si præcesserit ictus, lapsus, contorsio violenta, vel alia injuria evidens; sive internæ, quando nil tale deprehendi potest, dolores, pectoris angustia, febris & similia.

Hæc ipsa etiam ad signa causarum lustranda faciunt. Si læsæ fuerint æqualiter magis vertebræ, quoad ἁρμονίαν, per quam sibi connectuntur secundum corpora, mediante cartilagine non pauca, fit σεῖσις, seu incurvatio æqualis; si versus interiora fiat extentio fit λόρδωσις: si versus exteriora, qua processus, ubi per σύμφυσιν fit connexio. fit gibbus, & κύρτωσις ἡ κατ' ἐξοχὴν dicta. Par ratio est costarum, scapularum, versus exteriora protensarum; sin ad alterutrum latus σκολίωσις.

Nec Similitudo abludit, sed hæc omnia confirmat magis, sive ægri spina cum alterius sani hominis comparetur, sive ad priorem sanum statum ipsiusmet cogitatione recurratur.

Signa subjecti specialis, ex visu & sensu patent. Si superiori parte malum hæreat, caput humeris contiguum, cervix & collum brevius deprehenduntur, humeri non depressi, sed velut alati; in inferiori non item.

In morbis etiam externis hisce multum interest, ut munimentum famæ Medici prognosis observetur, ne vel temerario promisso desperato malo promittatur salus, vel prognostico relinquatur, cui adhuc mederi licuerit.

Eventus prædictionem quod concernit, illa in salutis & mortis, curationis item possibilis vel impossibilis signa concinne dividi potest. Quoad priorem quidem distinguendum merito & hoc loco est inter luxationem perfectam ac repentinam, quæ à solo casu externo graviori accidere potest; & imperfectam, successivam, propulsoriam. Illa ut vel lethalis est, vel satis gravis; quando scil. angulosa fit spinalis medulæ luxatio, cum non paulatim sed affatim, perinde ac si frangeretur pars aliqua curvatur, subjectas partes omnes lædi necesse est, paulatim vero facta luxatione atque in orbem magis, nihil notatu dignum patiuntur partes teste Galeno l. 4. de loc. affect. c. 3. Ita secundario magis huc spectat. In gibbere vero videnda in se lethalis minus est, licet satis molesta, nam juxta Hippocratem l. c. de artic. c. 45. t. 5. spinalis medulla ejusmodi distorsiones facile fert, eo quod circularis ipsi distorsio contingit, non angularis, sive in acutum.

Id ipsum tamen quoque intelligendum est de violenta magis in angularem seu acutam figuram propulsione. Dari enim casus possunt, ubi, citra illam prægressam, id minus periculum infert. Ita serulis teretibus, ligneis, cavis itidem spinam lumborum in acutum gibbum una aut altera vertebra prominentem in infantibus quinque, sex, septem mensium, quod sæpe contingit, aliquoties correxit *B. Rolfincius l. 4. epit. affect. part. c.2. p.381.*

Quoad posteriorem, ratione Essentialiter inhærentium λορδώσις omnium difficillime curatur, imo fere incurabilis est, ob inaccessam opem medicam, ut extrudi possint & exporrigi vertebræ. Post hanc κῦφος à casu non facile etiam cedere consvevit, nisi læsio fuerit levior & recens. σκολίωσις vero & σεῖσις cumprimis facilius fere auscultant medicæ arti. Omnibus vero commune est, quod non nisi recenti malo & imminente nondum facto & confirmato, eoque minori & in corpore adhuc molliori, cereo & succulento, ubi flexilis adhuc spina commodius tractari & pro lubitu decenter flecti potest, æque curabile sit malum; sed satis grave, tantoque gravius, quo magis à statu naturali, & δυσφορία naturæ facta est mutatio.

Quo magis itaque æqualis fuerit & pluribus vertebris communis distensio, eo levius & facilius curatu est malum judicandum, & contra In lumbis si extiterit prominentia, facilior curatu est, imo quo magis versus inferiora declinat, eo etiam promtius cedit; quo magis versus superiora pectoris, eo difficilius, tum ob alias causas, tum quod ibidem commodior & con-

constantior fieri potest deligatio & compressio, hic vero minus.

In essentialiter consequentibus, quo facilius fertur malum in respiratione, motu, incremento aliisque; eo etjam mitius est, & contra. Intuitu causarum, si malum fuerit hæreditarum, diu duraverit, & callum jam contraxerit, desperatum est. Ab externa exortus gibbus curationem magis admittit, tanquam magis evidente & obvia; non item ab interna, nisi mature obviam eatur, per discutientia & roborantia.

Quoad tempus eventus, seu longitudinem & brevitatem, variat id ipsum pro læsionis, pectoris angustia majori vel minori, adeoque tolerantia & respiratione facili vel difficili. Hinc assertum Hippocraticum 6. aphorism. 46: Qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, moriuntur; non alio quam hoc intuitu videtur intelligendum, quatenus producta sunt hæc duo à tuberculis latitantibus, ut suppurentur, & in bronchia pulmonum effundantur, unde vel suffocationem, vel phtisin post se trahunt, utramvis vitæ insidiantem mature, idque ut plurimum. Confer Galenum in comment. Neque opus est, quod Severinus contendit, ut in græco textu loco ἐξ legatur ἔξω, cum, quod sciamus, unanimis sit illa lectio.

Et sane anni pubertatis de salute & morte in posterum definiunt fere prognosin in gibbosis quandoquidem vel incrementum tunc aliquod capiunt mutatione illa sollenni ætatis, quod eo usque dilatum fuerat, ut hinc ætatem reliquam facilius assequantur; vel sensim ad mortem fit transitus, exacerbatis symptomatibus. Hinc diuturnum est malum gibbus, ad plures annos ductus & συναποθνήσκων, ita tamen, ut præter dicta, etiam εὔφόρως & ὑγιεινῶς, facile ac sanorum more degant maxime illi, quibus ad carnositatem ac pinguedinem promotum fuerit corpus. Pauci vero talium sexaginta annos superarunt, plerumque brevioris vitæ, teste Coo l. de artic. cap. 38. t. 5.

Quin & omnis quæ sperari potest curatio, si νηπίοις exceperis in parvulis, lento & paulatino fere gressu fit, non cita manu.

Modus eventus ad salutem fit repositione vel perfecta, vel quasi tali, ut saletm tolerabilius sit malum & ad naturalem modum magis pertingens, cavendo hoc ipso, ne nimis excrescat, majoremque deformitatem acquirat. Inferiorem finitam in nonnullis dysenteria & varicibus memorat Hippocrates l. cap. 37. t. 4. Ad mortem suffocatione, asthmate, phthisi, omnibus fere pulmonum morbis expositis hisce ægris, nonnunquam & apoplexiâ, quod D. D. Præsidi visum est in juvene, terminari consuevit.

Cum Gibbus ex illorum morborum censu sit ubi natura cedit arti, ejusque opem & auxiliares manus unice exposcit, ad curationem devolvimur. Absolvitur hæc ipsa, ex Medendi Methodi regulis, indicationibus, morbis figuræ & situs aliis communibus, & indicatis seu materiis præsidiorum huic fini aptatis.

Curatoria morbum ipsum respicit per repositionem, adæquationem & complanationem partis affectæ eminentis, ut figura naturali conformis, quantum omnino possibile est, consurgat, quorsum solitæ illæ luxatorum indicationes subordinatæ, extensio, repositio, deligatio & collocatio spectant. Ut enim videmus in vegetabilium genere, quæ curvitatem crescendo affectant, facta ad rectos comites deligatione; inflexione blanda vitium corrigi; ita etiam in corpore se res habet. Totum enim & præcipuum artificium curandi gibbi in hoc consistit, ut extuberantia vertebrarum reprimatur retrorsum, seu in locum pristinum, alioquin omnia frustra tentantur.

Præservatoria causas vel internas affluxu suo malum foventes, vel externas, morbum deteriorem indies reddentes, removet, & reposita firmare jubet.

Vitalis denique viribus subvenit, & symptomatibus urgentibus, atrophiæ, respirationi difficili & aliis occurrit.

Materiæ Præsidiorum ex Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico fontibus desumuntur.

Maxima spes in Chirurgia sita est, quæ sola suppetias & genuinum juvamen ferre apta est, vel primario saltem, reliquis ministrantibus, tum revera, tum palliative, prout conditio obvenientis mali variat. Cum ergo ἀρθρεμβόλῳ, seu reductione vertebrarum læsarum & contortarum in suum locum, opus sit, triplex etiam hic modus usitatus locum obtinet: palæstrites, methodicus, & organicus, pro apparatu scilicet minori vel majori ita dictus, pro ratione subjectorum, malique majoris vel minoris accommodando.

Primus Palæstrites dictu, præ aliis est ἀπέριεργος, sola manus Compressione, vel Extensione proprie dicta instituendus. Illa in tubere ipso & in plerisque gibbi speciebus, hæc in vicinis quoque locum habet, in λορδώσει, item & luxatione recenti leviori & graviori. Extensiò hæc, quorsum & conjuncta concussio pertinet, mature facienda, quod unice prosit, in locum reducendis quoquo modo vertebris. Solent id & vulgo frequenter cum successu instituere in quassatione aliquali vertebrarum, de quo consuli potest Sennertus l. c. qui modum vulgi describit, licet ad superstitionem sæpe & accusetur illa & curetur, præsertim in infantibus. Cum vero rarò statim in ipso principio factæ læsionis extrinsecæ advocetur Medicus ubi extensio primario instituenda fuerit; facta jam extuberantia, compressio in ejus locum cedit. Τὰ μὲν γὰρ ἐξεστεῶτα, ἐς τὴν χώρην ἀναγκάζει ἡ ὕπτωσις ἰέναι, nam ea, quæ extant, ad locum suum redire cogit depressio.

Modus nempe hic est; fota prius parte affecta vel solo vino calefacto, vel cum nervinis mixto, ut cedere facilius & emolliri partes ligamentosæ queant, sinistra manu sterno apposita, dextra, interjecto linteamine, vel in pugnum conformata fit intrusio, continuo velut semicirculo per motum ejus facto, vel, quod Hippocrates l. c. 45. vult, imposita manus vola supra gibbum, & altera manu insuper alteri superimposita deorsum cogitur, habita ratione loci affecti & status p. n. diversi.

Et hæc coagulatio maxime innoxia & tuta est, cui affinis & altera, cujus meminere etiam laudati medicinæ proceres, quando insidere vel pede inambulare gibbo jubent, quod tamen minus fere usitatum est. Inde vero empla-

stris ungventis, fotibus subjunctis, & ex fonte pharmaceutico repetendis, deligatio instituitur, quo magis magisque & intro adigatur tumor, ut decet, & firmentur repositæ partes Tali usus est *Epiphan. Ferdinand. hist. 84. p. 280. seqq.*

Ministrant hinc deligationi fasciæ, splenia & alia, in situ suo detinentia vertebras affectas, adminicula. Et convenit maxime hæc operatio in tenellis & aliis personis, solaque fere sufficit in σιφῶ, hinc & in reliquis, si cœtera consentiant; Præcipue vero in lumbis, ubi fortius comprimere licet. Utiliter adhibetur eadem in σκολιώσει in scapulæ & aliis lateralibus eminentiis, in sterni acuminatione ipsâ, redigens in ordinem thoracem.

In cervicis vero gibbere & λορδώσει extensio magis administranda, quæ ipsa & conjuncta concussio etiam in reliquis in principio statim, recenti adhuc malo, spem restitutionis in integrum facit.

Alter Methodicus modus eidem fini dicatus, sed mediis diversis, locum habet magis pro successiva impulsione. Referemus huc primo Ferulas, quas teretes, cavas seu imbricatas adhibere consultum est, seu ligneas quales l. c. B. Rolfincius utiliter adhibuit, seu æneas, quæ in σκολιώσει sub axillis commode gestantur, erigentes corpus & rectum tenentes. Suffi iunt illæ sola cum deligatione in climate lumbari, cui paria faciunt etiam alibi, æque ac ferulæ pro re nata applicandæ, laminæ ferreæ plumbeæ itidem imbricatæ, magnitudini gibbi conformatæ, aliaque spleniorum in modum compressioni velificantia. Sic M. Antoninus Imperator, cum esset longus & senex, adeoque exacta ætate nimiam ob proceritatem incurvesceret, tiliaceis tabulis infasciabatur ut rectus incederet, quod refert Julius Capitolinus in ejus vita. Vid. etiam Scaliger lib. 1. de plantis p. 286. qui thoracem, ait, tiliaceis assulis illum corrigere solitum, potius quàm aliis, propterea quod calore suo foverent senem. Ipse tamen non tam ob calorem expetitam ad Imperatoris fomentum tiliam addit, quam quod mediocris est inter rigiditatem ac lentitudinem. Valet id quoque in λορδώσει cum primis ipsa.

Deinde in dorsali & thoracis regione eximius est thorax, seu coriaceus uti ex cute humana, præcipue ejus parte crassissima in dorso gestatum costas à gibbo distortas intra limites fidelissime coercere asserit Rolfinc. l. c. p. 381. Seu lineus, firmus tamen & ossibus seu setis balenarum interstinctus, ut firmetur rectitudo & erectum teneatur corpus; seu ferreus quoque, sive postica parte firmandus, si antica compressio magis requiratur, seu antica, si contra. Singuli hi iterum vel minoris vel majoris sunt apparatus, qui posteriores ad tertium magis modum referendi.

Notabile tamen est: 1. thoracem talismodi magis convenire emollitis prius cartilaginibus & ligamentis.

2. Obduci posse commode corio, & leviores cum sint laminæ, per se gestari, vel quoque, quo leviores sint & perspirabiles magis multis & crebris foraminulis pertusæ, corpori aptæ.

3. Continuandum esse usum thoracis hujus per bene multum tempus, donec imbecillitas membrorum & mollities plenarie cessaverit.

4. Pro corporis increscentis & mali remittentis modulo novum fabricari & aptari posse, exactis aliquot mensibus.

5. Constrictione interim probe facta, ad ὠφέλειαν tamen, & juncto, si opus fuerit pro extensione cervicis, in thorace postice firmato, capitis elevatorio, gradibus additis, pro majori vel minori intensione vel remissione variandis,

6. Thoraces hi in iis magis usum habent, qui incrementi adhuc magis sunt compotes, qui enim incrementi sui modum maximam partem acquisiverunt, minus ab iis ipsis quoque juvantur, nisi forsan, ut firmetur magis debilior ossium crates, suadendi illi & tunc videantur. Confer Hildan. cent. 5. observ. 67. pag. 458. Paræum l. 22. c. 8. qui thoraces tales depingit, & alios.

Pertinet huc quoque ὑπομόχλιον Fabritii ab Aquapendente, cujus icon antica & postica parte videnda in operibus ejusdem depicta visitur. Consulendus etiam seorsim idem pag. 187. operat. Chirurg.

Porro huc etiam pertinet suspensio artificialis quando firmatum sub axillis corpus, capite sub mento seorsim fascia excepto, ansisque geminis aptatis manibus, libero in aëre libratur agitaturve corpus pendulum, una alteraque hora de die, ut hoc pacto pondere suomet extendat & exporrigat curvaturam, id quod non minus, ac reliqua plura, cumprimis succedit ex voto quando inferius paulo declinat gibbus, non æque quando superiori loco residet. Meminit hujus etiam MayoW. l. c. p. 148. Cujus succedaneum est, si capite manibus utrinque prehenso sustollatur corpus per vices.

Tertius denique mechanicus compressionem extensionemque; expetitam absolvit, vel intendit potius, scalarum, scamnorum, torcularium comprimentium & laqueorum beneficio, de quibus Hippocrates, Galenus, Oribasius aliique legi possunt. Memorandum hic quoque est instrumentum mechanicum, quo aurigæ utuntur ad attollendas rotas & ponderosiora, cujus mediante impulsu gibbositatem curatam refert River. obs. commun. p. 668.

Genuinum tamen & probe attendendum monitum est Hippocraticum aureo libro de articul. c. 39. t. 1. parum sæpe his effici extensionibus, adde & compressionibus, quin sæpe optimum remedium est, graviori malo & frustra tentatis reliquis, remedio non uti, nisi nempe in principio statim adhibeantur, prius quam callo obducto, vel ossibus etiam coalitis, malum desperatum sit. ita luxationem ipsam vertebrarum dorsi introrsum factam hoc modo curatam legere licet Ann. 4. Ephemer. Germ. obs 77. p. 64.

Pertinet huc extremum illud spinæ reponendæ, in λορδώσει puta, remedium quod prævijs incisionibus manu in ventrem injecta perficitur, ex interna parte ad externam manu facta retrusione, quod mirum est Hildanum, tam insignem Chirurgum, centur 5. observ. 69. p. 460 admittere & commendare, imo tenacula manus loco adhibere velle, quod latius ibidem videri potest, cum tamen divinus Senex l. c. c. 43. t. 6. id in mortuo quidem fieri posse, in vivo autem non item, expressis verbis edixerit. Quin visus

fuit

fuit aliquando abscessus in dorso ortus, spontaneo naturæ conatu, citra tamen mali ablationem.

Hæc vero proposita hactenus ut propria quasi sunt parti hic affectæ; ita communia præsidia chirurgica huc arcessi quoque possunt, si eadem indicata ex usu esse videantur, quod tamen rarius paulo fit. Ita venæsectio non habet locum, nisi forsan lapsu vel ictu graviore facto statim in principio ad revulsionem.

Sin affluxu seri major & copiosior ad spinam dorsalem fiat, consentientibus reliquis, cauterium potentiale vel fonticulus admoveri potest, quale exemplum recenset Poterius cent. observ. c. 38. p. 136.

Cum chirurgia ipsa ex fonte pharmaceutico sibi mutuatur remedia, etiam ad gibberis curationem, tum ipsa pharmacia non minimam de suo addit momentum, potissimum si ab interna causa ortum suum trahat, si cacochymia conjuncta eundem foveat, si laticis vitium sit extantius, quæ præsidia ordine brevi videbimus.

Ex universalium penu lenientia serosiorem & laxiorem habitum corporis, eductis è primis viis quisquiliis, & omnino respiciunt, ipsaque pro re nata proprie dicta purgantia. Notum quippe est, non solum optime ferre purgantia infantes, contra ac nonnullis usum est, verùm etiam non minus ac alias ætates admittere, imo opus habere iisdem, & indicare, siquidem ob ἀδδηφαγίαν facile cumulant recrementa, & corpus infarciendo vitia in nutritione & auctione accersunt. Tacemus mature sese exerere salium scorbuticorum vel hæreditariam labem, unde expurgari postulant corpora nonnunquam & ut præserventur à morbis, & ut facilius curentur gibberis fientis vitia.

Notabile quin etiam est, in abscessibus internis latitantibus sæpenumero purgantium insignem fuisse virtutem observatam. Cavendum solum, ne hypercatharsin patiantur tenella corpora, & hinc exhausto & depauperato nutritio succo nutare occipiant corporis sustentacula, partes osseæ, robur omne suum à spina dorsi velut basi quadam derivantes.

Hunc in finem dari possunt seligenda & individuis aptanda purgantia ex gialapa, mechoacanna alba, manna, rhabarbaro, aloe, sena Alex. & exin præparatis, sir. ros. solut. de cich. c. rhab. elect. lenit. resin. scammon. aliisque abunde notis.

Præter hæc, ut potiora saltim libemus, plurimum opis situm est in usu Diaphoreticorum. Cum enim hæc ipsa omnem στάσιν seri & sanguinis, ubi fientem & factam, disjiciant, affluxum arceant, & circulum humorum vitalium in ordinem redigant, merito suo à Severino l. c. c. 4. p. 35. habentur præcipuum & primarium ad morbi hujus causas aut eximendas & minuendas. Laudari hunc in finem merentur antim. diaph. C.C. phil. bez. martiale cachect. ens veneris Boylei, seu flor. sal. armon. vitriol. seu ex terra vitrioli dulci sublimati, M.S. sp. tart. tinct. bez. Exterius vero æstuaria, balnea laconica, tepidaria, thermæ, ad tolerantiam habitus corporis, ætatis, naturæ instituenda.

Par ratio Diureticorum, quæ aperiendi & resolvendi virtute serum superfluum partim imminuunt, partim in ordinem cogunt, ex succin. alb. ppt. magist. oc. cancri arnan. duplic. cujus insignis vis in atrophia ab obstructione glandularum mesentericarum, si à martialibus abierimus, accuratioribus practicis dudum notata est; arcano tartari & similibus.

Alterantia specifica interna licet non adeo prostent, vel ad gibberis curationem venditentur; summo tamen jure huc referri possunt & pro his haberi (1.) Resolventia ex lap. cancr. antim. diaph. sperm. cet. matr. perlar. ppt. pulv. absorbente Wedel. pulv. contr. casum cerefolio, scabiosa, cinnabari nativa, quod divinum ad omnia seri stagnantis vitia remedium laudes omnes superat, & aliis. Non sine causa etiam horum censum subeunt laudata jam diaphoretica & anodina ipsa, singula uni eidemque intentioni debita.

(2.) Aperientia, quorum nomine complectimur, quæ glandulas intestinales obstructas reserant, amurcam venarum extergunt, humores acetosos saturant, edulcant, absorbent quin & diluendo temperant, sicubi deficiat humor debitus. Talia cumprimis martialia esse queunt, quæ instar omnium sunt, modo humectantia & roborantia in sicciori statu magis eligantur, ut tinct. mart. pomata, cydoniata mart. solar. cum arcano tartari tincta, tartari balsamica, Zwelfferi; essentia mart. antim. tartar. anima rhabarbari, elixir antiscorbuticum, ut alia antiscorbutica taceamus.

(3.) Nervina & Cephalica, illa præcipue quæ & vincula roborant balsamica virtute, & seri ichorescentiam & fluxilitatem peregrinam salinam corrigunt, ex chamædr. chamæpit. rosmar. salv. major. stœchad. arab. castor. rad. chin. sarsæparill. essent. succin. lignor. specif. cephal. cinnabarino, pulv. epil. March. & similibus.

(4.) Traumatica, quæ characterem suum alcalinum vel balsamicum sanguineæ massæ, & latici præcipue impertiunt, ut impedimentis γλισχρότητος convenientis ablatis, solidescere magis in cartilaginosam & osseam duritiem possit; ut decocta, aquæ & infusa ex plantis vulnerariis, facile cum resolventibus & nervinis miscendis, essent. traumat. Rolf. Wedel. quæ omne absolvit punctum, seu per se, seu cum tinct. bez. elix. pector. essent. succin. anod. prout indicantia variant, miscenda; ut lapides cancr. illorumque infusum vel decoctum cum vino non denuo laudemus.

Inter roborantia hæc (5.) reponi merentur & Pectoralia, tussi, respirationi difficili, phtisi, seu mitigandis, seu præservandis, appropriata, non omissis, quæ calorem hecticum, si quis obrepat, attendunt. Hinc pulv. pector. D.D. Præs. uterque, elix. pector. spec. diamarg. fr. pulv. Haly contra phthisin rec. disp. hic nominari merentur. Quin imo ipsa quoque pinguedo canina recens jusculis non inutiliter inferri potest, ad oleosiorem reddendum laticem.

Tandem & alterantia externa seu topica recensenda veniunt, quæ vi traumatica, nervina, analeptica, emolliente, vel roborante sunt conspicua. Sic fieri possunt Fotus ex cephalicis & roborantibus cum vino vel sp. vin. infusis & digestis; ex aq. anhaltina, essent. rosmar. castor. ejusque spiritu, sp. lumbric. junip. &c. Unguenta

ex

ex oleo momord. laurino lumbric. lil. alb. ophioglosſ. euphorb. n. m. petrol. medull. crur. vitul. ſev. hircin. pingu. human. taxi, unguent diaſth. agripp. martiat. nervin. popul. reſumptiv. additis quoque oleis deſtillatis pro lubitu. Sunt qui pinguedinem anſeris muribus juvenibus pluribus impleti & aſlati, pro ſecreto remedio habent. Quod tamen præſtat, ſine dubio arceſſendum eſt ab emolliendi virtute, cum aliis communi. Compoſitum tale unguentum ad gibboſitatem infantum deſcribit Stroberg. tr. de aff. puer. p. 61. Emplaſtra ex cerato citrino, ſandal. empl. ad fracturas & ruptur. uſit. oxycroc. emplaſtr. ad gibber. Hildan. deſcripto cent. 5. obſervat. 67. pag. 458. de rad. althææ, opoteldoch. Rolſ. &c. additis adſtringentibus, roborantibus & diſcutientibus, pulv. lumbric. terr. g. tacamah. carann. &c. Tale quoquo eſt à Foreſt o commendatum l. 29. obſ. 23. in ſchol. p. 824. ſimplicius quidem ex gummi ammon. & ladano, pro pueris, & compoſitum magis, ſi deſideretur.

Ex his vero non difficile fuerit medico rationali & experto ſeligere pro cauſarum & ſubjectorum diverſitate, quod magis ex uſu putet. Alia enim ratio eſt ſicciorum, alia laxiorum vinculorum habenda, unde & emollientia & odſtringentia, ſed diverſo tempore & reſpectu proſunt, cujus rei exemplum videri poteſt apud *Amat. Luſit. cent. 5. cur. 47. p. 143.*

Feliciotem tandem curationem præſtat victus ratio, ſeu vivendi regimen, Diæta, quæ in genere ita comparata eſſe debet, ut ætatis & corporis temperiei ſit conveniens.

In naturali cibus præbeatur εὔχυλος ϗ πολύτροφος, inprimis ſi ſiccitas conjuncta ſit major & aridura. Vitentur vero nimis viſcoſa, ſalita, infumata, frixa, aromatiſata, obſtructionibus generandis vel rarefaciendo ſanguini magis apta.

Potus ſit cereviſia defecata; recens & vetuſta nimis noxia. Vinum parca præbeatur manu, imprimis generoſum.

In vitali aër eligendus temperatus. Frigidus cum nervoſis partibus inimicus ſit, & tuſſi ac catarrhis generandis aptior, à corpore arceatur. Nocet vero & calidus nimis, ſanguinem ad motum magis ciens ac ſudorem.

In animali quies cordi habeatur præ motu. Infirma illa corpora omnia laſſantur & læduntur motu, qui jamdum difficilis ſuccedit, & reſpirationem aduget magis.

Somnus cum humectet, & humidum, quo nutrimur, magis ad lentorem debitum diſponat, convenit præ Vigiliis. Opus ſæpe eſt & de die & noctu ſimul geſtare thoraces & ligamenta, ut conſtantius & reprimantur & repoſita firmentur ex ordine dimota. Supinus decubitus, capite tamen paulo acclivi, hîc reliquis modis fere præferendus. Vitandæ & in lecto, quas vocant, jectigationes.

Alvus & veſica recrementoſas ſpiſſas & tenues alimentorem partes juſto reddant tempore, ne deſidia vel exiccatione nimia indurata ſcybala conatum in egerendo majorem inferant, unaque oſſibus laborem fœnerent.

Animi Pathemata ad rationis juſtæ normam moderari fas eſt. Gaudium moderatum infantum & creſcentium ætatum reliquarum temperiei eſt aptiſſimum. Ita, terror, metus & triſtitia, quæ exiccant oſſa, abſint. Lachrymandi & plorandi occaſiones, quantum licet, vitentur. *Excell. Fridericus Kaſeberg in Diſſertat. Medic. ſelect. Clar. Wedelii.*

Gibboſitatis ab humorum affluxu incipientis cura propria, quam maximo cum ſucceſſu ſæpius adhibuimus, hæc eſt.

1. ℞. Turbith. gummoſi, fol. ſonn. mundat. radic. mechoacann. herncodacty. cremor. tart. diagrid. cranii hum. extract. liquirit. ana ʒß. M. F. pulvis dividendus in doſes 12. totidem ſeptimanis aſſumendas.

2. ℞. Baccar. juniperi ℔ß. caſtor. camphor. ana ʒvj. rad. imperator. ℥j. flor. chamom. lavendul. ana ℥iß. conſcindantur & contundant. omnia atque immittantur lagenæ vitræ, ſuperaffuſis ſp. vini ℔. v. inſolentur, aut igne arenæ digerantur per dies 14. poſt deſtillentur organis vitreis.

Spiritu hocce, ſingulis diebus, bis aut ſemel gibbus incipiens prope ignem per horæ quadrantis ſpacium perfricetur.

3. ℞. Fol. ſalv. recent. major menth. criſp. rutæ, lavendul. paralys. hyperic. chamomill. ſummit. ana Mj. baccar. lauı. & junip. ana ℥j. rad. pyretr. ʒ.i. Conſcindantur & contundant poſt infund. per ſeptimanas tres loco calido, in olei lumbricor. hyper. roſar. anethi ana ℥iij. additis axungiæ human. catellorum cati ſylveſtr. ana ℥j. inſolatione, aut infuſione in loco calido peracta, coquantur omnia vaſe clauſo ad humidi abſumptionem; poſt colatis, & fortiter expreſſis, adde blei terebinth. ℥j. maſtich. pulver. ℥ß. terebinth. Cypr. ℥iiij. tinctur benzoini ℥j. ceræ albæ ℥iij. Coquantur rurſus horulæ ſpacio, materias continuo agitando, ut fiat balſamus, ſeu unguentum.

Eo inungatur Gibbus poſt per frictionem factam ex ſpiritu mox deſcripto.

4. ℞. Emplaſtr. de gratia Dei, de pelle arietin. & conſol. maj. ana ℥j. balſami ſulphur. tantundem, M. in emplaſtrum, quod toti gibbo poſt inunctionem applicetur. Removendo & reapplicando bis de die, ſcilic. in ſingulis perfrictionibus & inunctionibus.

Potus ſit decoctum radic. chinæ pauco cinnamomo aromatiſatum, & ſaccharô ad gratiam conditum, illudque vel ſolum, vel pauco vino admiſtum.

Conſultatio

Gibboſitas cum torpore partium infernarum.

Nob. Adoleſcens vigeſimum primum annum agens, temperamenti & habitus melancholici, à nativitate caput Morphæa ſive lactumine affectum habuit, quæ affectio progreſſu in Tineam migravit, quæ decimo ſexto ſuæ ætatis anno Topicis remediis abſque diligenti totius expurgatione omnino ceſſit; ſed quinque abhinc annis ſucceſſit deſtillatio quædam capite per dorſum, quæ circa mediam ſpinalis medullæ partem

tem firmata dolorem quemdam gravativum & obtusum excitabat, ad pectus & costas mendosas sese extendentem, & exiguo temporis spatio curvatum eidem spinæ induxit, figuram ad instar S. repræsentantem, sicque non exiguam gibbositatem; neque toto jam dicto præterito tempore ullum internum fuit administratum medicum præsidium. Æstate autem proxime præterita remitti cœpit in illa spinæ parte atque costis jam dicta molestia, sed supervenit difficultas quædam deambulandi, cum pedum & crurum imbecillitate, & dolor gravativus atque obtusus qui antea mediam spinæ partem occupabat, lumbos molestare cœpit cum quadam musculorum atque tendonum sub genibus contractione. Tunc convocati fuerunt Excellentiss. Viri Urbis primates & consultum fuit Nob. Adolescentem generosis remediis fore curandum, cujus curatio mense Septembri proximè præterito incepta fuit, redundantiam excrementorum melancholicorum atque pituitosorum deponendam. In quem finem primis viis expiatis, eductus fuit sanguis, primo ex brachio, deinde ex hæmorrhoidibus; præterea reseratæ fuere obstructiones quædam in visceribus existentes, inde totum venosum genus fuit diligenter expurgatum, mox caput ipsum, tandem institutum fuit Decoctum ex China, salsa, visco querc. santalis, necnon cichoraceis & capitalibus herbis paratum, & sudor moderatus in lecto fuit excitatus. Præterea inunctiones partibus læsis administratæ. Conservæ capitales cum cranio humano & ungula Alcis atque succino in usum ductæ fuere. Progressu jam dicti decocti melius habere videbatur; verum ambientis invalescente frigore, in deteriorem statum quam antea lapsus est; siquidem impotentia ad ambulandum adeo adaucta est, ut fere ex toto motus progressivus ablatus sit cum torpore & stupore in cruribus & pedibus ipsis, quinimo quandoque motus aliquis convulsivus qui contrahit crura ipsa, observatur. Interim de capite nulla adest querela, licet prægressi fuerint timores, animi agitationes ob varia contingentia accidentia. modo de agendis & quando pro salute consulit.

Mirandum quidem, quod Nob. Viri parentes statum ejusdem morbosum tandiu neglexerint; siquidem licet lactumen seu Morphæa in infantia, progressu in Alopeciam sive Tineam conversa, bona fuerit, ut causa, mala tamen, ut signum procul dubio semper fuit. Etenim aut totius venosi generis impuritatem, aut capitis insignem intemperiem, aut utrumque nobis significabat, & ideo radicitus extirpanda; quod cum fuerit omissum, ætatis progressu capitis cute cum membrana carnosa crassiori atque densiori reddita, & ideo excrementorum egressum impediente; factum est ut ipsa Tinea evanuerit, sive potius non amplius apparuerit, superstite tamen humore excrementitio, ejusque reproductione vigente, quem à prædominio pituitosum fuisse in capite genitum, subdominio vero melancholicum atque serosum, à toto ad caput transmissum credendum, qui vias ad egressum sibi impeditas inveniens, quinque abhinc annis per spinam ad vertebras dorsales decumbere incipit, & sua acrimonia, seu potius aciditate partes nervosas vellicans atque pungens, dolorem quendam excitavit, sicut multo magis vertebrarum ligamenta madefaciendo atque laxando, ejusdem spinæ in illa parte contortionem, neque gibbositatem induxit, postremo vero, aut magis compressis nervis ab adaucta gibbositate, aut quia humor redundans inferius ad vertebras quoque lumbares pervenerit, compressione potius, quam obstructione infernarum partium motum diminuit, imo tandem fere ex toto ademit, præter torporem stupore etiam inducto, diminuto nimirum etiam sensu cum ipso motu. Nec mirum motum convulsivum etiam quandoque observari, qui tamen vera convulsio non est, quoniam non ex nervosæ substantiæ repletione, sed ex irritamento, vel ab aciditate melancholici humoris, vel ab aliqua molestia, à vertebris malè suo situ dispositis, eidem illata provenire speramus, nisi forsan portio aliqua melancholicæ serositatis à nervorum principio per medullam quoq; spinalem sese insinuaverit, ut non semel in praxi à nobis observatum fuit, quod Deus avertat. Deus, inquam, hoc avertat, quoniam non solum infernæ partis, verum & supernæ, futuræ Paralysis raro curabilis periculum imminet: sicut si extra nervosam substantiam reperiatur jam dictus humor mistus, non adeo difficilis evadet curatio: & si causa morbifica immediate adaugeatur, compressio nimirum vel à vertebris ipsis, vel ab humore multiplicato, motum quoque naturalem infernarum partium abolere, & præter naturam, convulsivum scilicet, frequentiorem ac molestiorem reddere valebit.

Quoniam vero ex adducta relatione comprehendimus malum hoc quotidie magis ruere in deterius; idcirco quamvis anni tempus vernum exigat ipsa curatio, ad eandem tamen festinandum esse credimus: duorum enim mensium spatio tantam posset vim assumere morbus ipse, ut difficilem curationem non sine vitæ discrimine admitteret. Quare statim repetenda curatio, primas vias mundando. Secundo totum venosum genus depurando. Tertio caput expurgando. Quarto materiam ad vertebras jam fluxam resolvendo. Quinto intemperies partium mandantium corrigendo Sexto caput nervosumque genus roborando, & tandem vires totius conservando.

Tribus autem prioribus intentionibus iisdem jam administratis remediis erit satisfaciendum, omissa tantum ex hæmorrhoidibus sanguinis eductione. Quarta quoque intentioni adimplendæ, decoctum sudorificum erit instituendum, præscripto non dissimile: quod parari poterit in aq. stillat. cich. atque beton. addendo pulv. viperini gr. xv. aut xx. Sed quod omnino necessarium censemus, est sudoris provocatio in hypocausto, ultra horæ dimidium nunquam moretur Nob. Patiens; & in hoc remedii genere supra trigesimum perveniat; ideoque non adeo tenui victu utendum, licet à vino eo tempore sit semper abstinendum.

Terminato sudore, in viperini pulveris usu erit perseverandum, ut diaphoresis adaperta servetur de quo dicebat Gal. quod extenuantis est facultatis, valde enim exiccat ac digerit, & ad cutem properat; & interim non interposita mora ad Thermas sulphureas Aponitanas sese conferre debet, ut luta prius emollientia, si opus fuerit, deinde certo resolventia spinali medullæ administrari possint: & forsan etiam Balnea sulphurea,

ut

ut facilius sulphurea vis emolliens atque resoluens penetrare valeat; quo tempore & capitis stillicidium non parum profuturum credimus; tuncque & de aliquo ferreo instrumento adaptando cogitari poterit, sicut forsan & in præsens: quod excellentiss. præsentibus atque videntibus committere debemus. Interim ne humor magis incrassetur atque exiccetur, quotidie exterso sudore tota spina inungenda usque ad os sacrum, inunctione parata ex oleo lil. alb. de lumbricis, vulpino & viperino: non autem crura ubi deficit motus, exemplo Pausaniæ: sub genibus tantum ratione motus convulsivi, oleum lil. alb. cum amygdalino conveniens erit.

Quibus jam dictis omnibus congrua victus ratio erit addenda; à vaporosis omnibus, tum calidis, tum humidis abstinendo, vinumque medicatum pro mensa parando, ligno roris mar. visco querc. lentisco & santalis alteratum; cæteraque observando quæ Viris Excellentiss. præscribenda, sicut reliqua omnia dijudicanda atque corrigenda relinquimus. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medic. T. 1. Cent. 1.*

Observationes

Gibboso cuidam Puero nobili, cui spina dorsi extrorsum admodum extuberabat, thoracem ferream qualem armati ferre solent, ex tenuissimis laminis fabricatum, atque intus forisque nè nimium illum premeret, pannis suffultum, indutum ut gestaret docui, quo facto, cum eum integri anni spatio, dies noctesque gestasset, eique sic assuevisset ut non magnam inde sentiret molestiam, sensim pressa illa curvatura, spina rectitudinem iterum suam naturalem est adepta, posteaque semper recto corpore incedens, procerus admodum est factus. Felix Platerus. observat. lib. 1. pag. 164.

Puellula quædam octodecim mensium excrescentia vertebrarum dorsi laborare cœpit. Ad eam vocatus, tertiam & quartam vertebras lumborum extuberantes inveni ad oui Anatis magnitudinem, quas secunda & quinta nonnihil sequebantur, ita ut in maximum gibbum excreverit spina, præcipue versus sinistrum latus: quapropter sinistrum crus dextro longe imbecillius fuit. In curatione sequenti modo processi.

Primo dorsum totumque crus sequenti aqua ad nervos corroborandos inunxi.

♃. Aquæ gran. juniperi sine vino destillat. aq. salviæ, betonicæ, lavendulæ, an. ℥ij. pulveris radicis bistortæ, tormentillæ. rosarum an. ʒij. M. fiatque infusio in ampulla magna per dies octo vel decem. Dein per inclinationem à pulveribus separata aqua ad usum reservetur. Post inunctionem, sequens. Emplastr. quo etiam in fracturis ossium utor, applicui.

℞. Emplastr. Slotani ℥v. ceræ novæ ℥ij. lapidis osteocoll. ℥j. pulveris radicis consolid. majorem terræ sigillæ an. ʒiij. pulveris balaust. nucis cupressi rosarum odoriferarum an. ʒj. misceantur lentissimo igne, fiatque emplastrum addendo ol. rosac. aut mastich. quantum satis, totum autem præcipuumque artificium in curatione gibbi, in hoc consistit, ut extuberantia vertebrarum reprimatur retrorsum, alioquin omnia frustra tentantur. In hunc itaque finem laminam ferream, aliquantum incurvatam, & ejus quidem longitudinis & latitudinis, ut totum gibbum cooperiret, in thoracem ex reduplicata ella ita adaptavi ut exturberantes vertebras reprimere posset, Laminam tamen carbaso obtexi, ut puellæ minus esset molesta, thorax nudo corpori induatur & ita quidem adaptandus est, ut totum ventrem ad muliebria usque comprehendat: Per medium ventrem ligula oblonga constringatur: circa pectus quidem mediocriter, ne metaphrenum & costæ constringantur; post costas vero mendosas usque ad imum ventris arctissime, quo lamina ferrea extuberantes vertebras reprimere possit. Ne autem thorax à scapulis sursum trahatur, fasciæ duæ transversum digitum latæ, in utroque inguine annectendæ erunt thoraci, quæ descendentes subter nates, in utroque latere thoraci ligulis annectendæ. Emplastrum autem & inunctiones de quarto in quartum, aut etiam de sexto in sextum diem renovavi, coxam vero totumque crus singulis diebus præscripta aqua inungere jussi, sic divino favore, intra menses sex, gibbus depressus fuit, thoracem vero, laminamque propter imbecillitatem & mollitiem membrorum in secundum usque annum gestavit. Nunc cum annum ætatis tertium attingit, quàm belle se habet. *Guillielmus Fabritius Hild. obs. 67. cent. 5*

Anatomicæ Inspectiones.

Gibbositas ob sinistrum Pulmonem & Pericardium firma cicatrice costis adnata.

Quidam purulenta tussiens, circa diaphragma sinistrum vehentissime doluit, tandem ascitide obiit. Aperto cadavere, parenchyma sinistri pulmonis fere totum consumptum; bronchia vero relicta cum pauco parenchymate, & ipso pericardio firmissima cicatrice, ceu callo, costis adnata coaluere, ita ut propter diuturnum dolorem, hoc latere compresso depressoque, gibbosus altero latere factus fuerit miser. *Sal. Reiselius in miscell. cur anni 1673. Observ. 191.*

Gibbositatis causa in capite reperta, ob vitiosam ossis Ethmoidis conformationem.

Adolescens à pueritia Gibbo & asthmate vexatus, tandem ex phthisi obiit, circa annum ætatis 16. Hujus cranium aperui, & inveni processum sive interstitium aut septum illud quod eminet in medio ossis ethmoidis, seu cribrosi (qui processus crassitiem papyri excedere vix solet) in latitudinem & altitudinem ita auctum, ut fere totum os cribrosum obtegeret, adeo ut foramina hujus ossis, per quæ pituita ex cerebro ad nares solebat effluere, plane oppleta viderentur, & quamvis percocto cranio, vix eorum ullum pateret. Denique ossicula superioris maxillæ, quæ in magno oculi cantho conspiciuntur, adeo excreverant, ut septum nasi hinc inde propemodum attingerent: Hanc præcipuam fuisse gibbositatis causam versimile est: nam cum pituita per nares minime posset expurgari, versus spinalem medullam tendebat, sicque vertebræ, earumque cartilagines, assidue irroratæ pituita viscida & relaxata, tandem excreverunt in gibbum maximum. Nec solum pars illa Dorsi ex hac defluxione & irroratione pituitæ relaxata fuit, verum etiam omnia ossa à collo usque ad pedes, præcipue vertebræ, os sacrum, os pubis, ossa pedis, denique

nique omnes epiphyses sive appendices, præter consuetudinem molles ac tenellæ erant, ita ut fere instar ceræ tractari possent. Illud præterea in hoc cadavere notandum visebatur, quod 6. 7. 8. 9. & 10. vertebræ metaphrani, quæ Gibbum efficiebant, exesæ erant carie, præcipue autem 7. 8. & 9. quarum nihil præter exteriores semicirculos, & eorum processus conspiciebantur. Interiores autem partes harum vertebrarum, in quatuor aut quinque fractas partes, non sine admiratione, in ipsa pulmonis substantia invenimus; Pulmo enim in parte, quæ dorsum respiciebat, ulcere magno & calloso laborabat, per quod ea fragmenta, ex continuo pulmonis motu attracta fuisse, dubium non est: Tanta enim est pulmonis ad se attrahendi facultas, ut nonnunquam turundas ex vulneribus pectoris penetrantibus ad se traxerit. Fabritius Hildanus cent. 1. Obseru. xlu. Diximus in Gibbo illo 7, 8. & 9. vertebram metaphreni ita exesas fuisse, ut nihil præter exterioris semicirculos & eorum processus repertum sit; ubi admiratione non caret quomodo spinalis medulla conservata fuerit, Erat enim plane denudata, & nonnisi membrana sua cooperta: interim tamen insigni illa putredine ossium cariosorum, & ulceris pulmonis sordidi circumdata, neque tamen sequutum ullum symptoma ex iis quæ spinali medullæ læsæ accidunt. *Idem cent. 5. Observ. 66.*

Gibbositas Pectoris & Dorsi à magnitudine Hepatis extraordinaria, Rachitis Anglis dicta, Tabes Pectorea.

Pectoream Tabem appellamus, non quæ intra Pectus sedem habeat, quo facto Phthisis Pulmonia eo nomine comprehenderetur, sed in qua ipsa Pectoris crates vitietur - id quod fit in morbo quem describendum suscipimus, Est autem hic Puerilis duntaxat seu infantiis, & vulgatissimus in Anglia, uti & in Hibernia ab aliquot annis, ubi antea solebat rarissimus esse ac vix cognitus. Invadit autem non grandiusculos tantum infantes, sed & valde teneros ac recens natos, Sicuti contra rarissime trimis majores adoritur, & ut plurimum intra bimatum se continet: Multæ corporis partes in hoc morbo afficiuntur, pectus, caput, artus, aliæ, sed præ omnibus ac ante omnia pectus, cujus pars anterior, quæ lata esse debebat ac plana, angustior fit, & utrinque acclivis in medio, seu sterni regione, altius assurgit, tandem prorsus carinatur: Costæ inferiores, ad latus foveæ ventriculi, introrsum retrahuntur, ac quandam utrinque velut scrobem faciunt, totoque sui ductu, quibusdam velut nodis asperantur ac inæquales fiunt: vitiata pectoris figura respirationem facit impeditiorem ac crebriorem, quam etiam tussicula plerumque sicca, comitatur: Caput grandescit ultra debitum modum, ac portione inferiores corporis partes, coxæ, femora, crura, extenuantur & debilescunt; unde infantes incessui inepti redduntur; non modo illi qui nonquam adhuc eo usi fuerant, sed & qui firmiter admodum agiliterque incedere ac discurrere cœperant, diu antequam hoc morbo prehenderentur: Dorsi spina in multis curvatur, atque arcus instar in exteriora flectitur: Ossa articulorum in brachiis & cruribus, non omnium, sed carporum ac talorum augentur, ac tantopere protuberant ac si duplicata esset fere eorum moles; unde etiam Doubling of the joints, i. e. juncturarum duplicationem id vitium nominant Angli, qui morbum ipsum, hoc symptomate stipatum Tent indigitant: quum alioquin eum generaliori vocabulo, omnemque ejus speciem includente The Rickets appellent; Præter hæc omnia dextrum hypochondrium intumescit totum, tumore æquali, magno ac renitente, sic ut digitos sub costas nothas adigere non possis; Et sane omnis mali vel origo vel fomes latet hoc in loco: Tumor iste cum pectoris aliqua angustia, statim initio morbi apparent, sic ut interdum quidem ambo ista simul, eodemque tempore se prodant, alias vero vel hoc vel illud altero nonnihil anterius sit; Nodi in costis, ac scrobes istæ in imis oris pectoris postea accedent: quando etiam pectus fit magis magisque angustum: Capitis incrementum istis posterius est, nisi quod pectus toto morbi decursu arctius redditur, donec ad summam angustiam deventum sit, sic ut carinæ instar acutum fiat, ac promineat, quod fere non fit nisi paucis ante mortem diebus; Et enim lethalis hic morbus, si vel negligatur penitus, vel sero aut prave curetur, plurimosque quotidie absumit, neque ullus est annus quo non aliquot millia infantium pereant; Articulorum granditas fere nonnisi ultimo loco supervenire solet; quanquam multi sunt qui eam nunquam patiuntur, ac moriuntur prius quam ad eam deveniatur; sicuti rursus ex iis, quibus illa accidit, permulti evadunt, etiamsi incuriosius habeantur, quippe haud ita periculosa est illa Tabis Pectoreæ specie quæ hoc symptoma trahit, quam quæ eo caret.

Origo hujus labis à Jecore est, persæpe non vitiato ullamve noxam passo, sed supra modum adaucto, ita ut plerumque duplo, imo ferme triplo maius sit quam par erat, totamque anteriorem epigastrii partem occupet, & ipsum quoque sinistrum hypochondrium atingat, interdum quoque impleat Jecur sic adauctum, cum in ipso ventre non inveniat spatii satis ubi se commode explicet, à thorace mutuatur quod ipsi deest, ac versus superiora assurgens, diaphragma longe impellit, adeo ut interdum pectoris cavo vix dimidam partem spatiis ipsi debiti relinquat: Pulmones sic in arctum redacti, contrahunt sese ac in sese colligunt, unde fit ut pectoris quoque crates, ipsorum causa facta, iis se accommodet ac angustior evadat; Quandoque ab ipso pectore & pulmonibus incipit malum, hectica quadam siccitate, cum nonnullo etiam caloris excessu, obsessis, qua sensim marcescentes illæ partes, ac sese contrahentes, quum vix ullum nutrimentum tunc capiant, sanguinem quem in statu naturali valde copiosum ad se trahere ac absumere solent, Jecori refundunt; quod eo circumfluens, plus justo increscit, atque in omnem partem sese adauget: cujusmodi nimium Jecoris incrementum principalis hujus morbi causa est, ita in hoc quoque non parum ad eundem fovendum confert, atque in progressu eadem omnia mala importat, quæ modo memoravimus; atque sic morbum, quanquam non ab ipso cœptum, fovet tamen & magnopere adauget.

Neque in hac Pectoreæ Tabis specie ullum magnopere periculum est, donec ista à Jecore noxa supervenerit: quæ & supervenit semper si diutius trahatur malum, neque statim initio curetur, aut ab alia causa præmortuus infans fuerit, Ego sane, quum plurima corpora, utravis hujus morbi specie extincta secuerim; autopsia deprehendi rem ita se habere; neque unquam mihi adhuc infantis, isto morbo defuncti, corpus aperire contigit, in quo non prægrande ejusmodi Hepar repererim.

Mali hujus originem infantes sæpe in utero matris contrahunt, idque vel mox in ipso conceptu vel gestationis tempore: Prius evenire solet ubi vel pater, vel uterque parens calida & sicca utriusque visceris, Iecoris & Pulmonum, vel alterutrius intemperie laborat, Alterum à sola matre proficiscitur, quando ea in victu multum peccat, interea dum uterum gerit, atque vinum, cerevisiam fortem, aquam vitæ crebrius ac largius ingurgitat: Eodemque vel matris, vel adscititiæ nutricis vitio, hæc labes accersitur etiam infanti, qui alioquin ei ab ortu obnoxius nequaquam fuerit, si liberaliori cujuscunque Siceræ potui crebrius ac largius indulgeant, istoque pacto lac suum inficiant, ac naturalem ejus bonitatem corrumpant: Quandoque cœcæ huic malo causæ subsunt, infantesque ejus initia secum ex matris utero deferunt, vel postmodum id contrahunt, absque eo ut ullus ejusmodi defectus vel in parentibus vel nutrice compareat, Sane ut in aliis permultis humani corporis affectibus, ita in hoc quoque astra plurimum pollent, certorumque siderum ictus isti vel procreando vel fovendo magnopere inserviunt: Morbus iste ægrius tollitur si à jecore cœpit, quam si à pectore. magisque etiam si à primo ortu infans ei obnoxius fuerit: Quando in pectore ipso originem habet, curatio ejus satis facilis est; quum siccitas, etiam hectica, quæ in corporibus adultis fere immedicabilis, in copore infantili cum minori difficultate emendetur: Curatur autem balneis unguentisque emollientibus atque chalasticis, aliisque ad humectanda pectoris ossa pulmonesque accommodatis: inter quæ pellis ovi aut agno recens detracta, & adhuc calens admota, atque aliquot horis relicta, mirifice multis profuit: Quod si jam in progressu est morbus, atque jecur super augeri cœpit, aut si ab ipso jecore processit malum, isti quoque medicatio adhibenda est, omnibusque modis conandum ut incremento ejus obsistatur, atque intra naturalem modum coerceatur: quam in rem, non linimenta modo & unguenta, aliaque topica, sed interna quoque in usum trahenda: sic tamen ut non salubritatis tantum ratio habeatur, sed & teneræ isti ætati effectus ac sapor medicamentorum attemperetur: Pari quoque prudentia cavendum ne dum refrigerare ac contrahere Jecur nitimur, obstructiones aliaque mala in eo generemus, nimio adstringentium, aut intempestivo emplasticorum usu, atque sic geminam pro simplici labem accersamus, morbumque penitus incurabilem reddamus: Super autem omnia sciendum pro internis externis medicamentis, ea hic deligenda, quæ & Jecori privatim amica sint, & præter communes cum aliis multis Refrigerandi & Adstringendi facultates, peculiarem aptitudinem huic operi necessariam, sortita sint: Purgatio hic nullum locum habet, ne sanguinis quidem missio, nisi morbo longius progresso, ac capite jam nimium aucto; quando sanguisugæ venis post aures, atque in fronte & temporibus utiliter admoventur, multumque ad universam curationem conducunt; ideoque si res ita ferat secundo ac tertio iterandæ sunt: Victus ratio longe alia in hoc morbo instituenda est quam imprudentioribus, ac naturam ejus non satis perspectam habentibus, videri posset: Non enim Atrophiæ, qua infantes contabescunt, per se attendendum est, neque conandum ei occurrere pleniore cibatu ac validius nutriente, quod esset oleum addere camino, sed contra omnis opera in id adhibenda est, ut exuperans sanguinis copia compescatur, ac nimius ejus fervor, nimiaque tenuitas & acrimonia coerceantur; quod quibus potissimum rebus effici debeat neminem doctum Medicum latere debet: Quod si ita teneri sunt infantes, ut nihil dum præter lac nutritium assumant, matri vel nutrici ea danda sunt quæ prædictis scopis inserviant, ac lac earum debito modo attemperare valeant: In iis vero infantibus qui grandiusculi jam, nondum tamen ablactati, & ubera sugunt, & alios præterea cibos ac potus assumunt, utroque modo agendum est, & tum ipsorum, tum nutricum victus ita ut diximus ordinandus. Hæc curationis via solicite admodum observata, & diu admodum continuata (nihil enim hic parvo temporis spatio effici potest, præsertim ubi altius hæsit malum) feliciter curatur iste morbus.

Morbum istum non in Anglia duntaxat & Hibernia, sed & in aliis quoque regionibus grassari verisimile est, & de Gallia quidem mihi certissime constat: diversos enim Parisiis infantes vidi eo laborantes. *Arnoldus Bootius de affectibus omissis cap. 12.*

GINGIVARUM MORBI.

Gingivarum caro spongiosa ac glandulosa pluribus morbidis affectionibus sedem præbet quarum præcipuæ sunt earundem cruentatio corrosio, ulceratio, (etiam in fistulam abiens, imo & gangrænam] flacciditas, tumefactio ac excrescentia, abscessio à dentibus pruritus, ac parvulis. De gingivis cruentis, corrosis, ulceratis flaccidis tumefactis vide quæ capite de scorbuto; de fistula & gangræna, vide quæ propriis capitibus; de abscessione à dentibus, vide in dentium morbis; de pruritu, vide de morbis infantium; de parotide, vide de morbis infantium; de paralide, vipe in epulide. Hic itaque tantum parvula.

Consultationes.

Pro egregio quodam viro scirro canceroso cum ulcere circa gingivam in inferiori mandibula ad dextras existente detento.

Tumor præter naturam, qui gingiuam in inferiori mandibula ad dexteras occupat, scirrus existit; nam ibidem cum duritie, atque renixu

renixu aucta magnitudo reperitur, & quoniam nullus dolor, nullusque sensus, saltem secundum dextram partem adest; ideo scirrus secundum hanc legitimus est habendus, vereque scirrus, ut habetur à Galen. 14. Meth. & 2. ad Glauconem, præterea est immobilis ad Strumæ, & glandulæ differentiam, quæ etsi scirri dicantur, mobiles tamen existunt; Cœterum hunc non esse simplicem scirrum, sed complicatum cum rudimento quodam cancri, ita ut scirrus cancerosus dici possit, facile est ex inæqualitate, & liuore in ore ad partem illam perceptis ostendere; atque adest & ulcus, quia continuo ichor fœtidus graueque olens emanat ab eminentiis quibusdam erosis dolentibus ad tactum aliquo m odo secundum partes internas; rursus quoniam ex Paulo, Cancer ulceratus vel est sordidus, vel purus, hic, de quo agitur, purus profecto est, quoniam cum liuore cruor quidam, & materia tenuis excernitur.

Causam scirri immediatum humorem constituo pituitosum crassum, & lentum per congestionem, non autem per defluxionem à capite (de quo nulla querela à patiente nostro habita fuit) ibidem collectum, item humorem melancholicum naturalem simul mixtos, de humore melancholico fidem faciunt prægressa quartana, necnon sub dominium melancholicum in proprio patientis temperamento. Concedo equidem antea tumorem à simplici pituita ortum duxisse, nam veluti meliceris fuit, uti à suppuratione substantiam similem melli reddente colligere potuit unusquisque; sed nunc ob colorem fuscum partis internæ humorem melancholicum admisceri pro certo habeo, ab his autem duobus humoribus & seorsim diuisis, & coniunctim unitis scirros fieri posse scribitur lib. de Atra bile, & 14. Meth. Cœterum duritiem acquisiuit scirrus prædictus tum à repletione partis ob copiam humoris, tum à concretione à frigiditate ossis mandibulæ facta, immo & ab ipsa siccatione, qua nimirum celebrata suppuratione, disruptoque apostemate pars tenuior est excreta, & quicquid crassum est remansit. Verum quoniam cancer fit ex melancholia genita per adustionem, vel melancholiæ naturalis, vel flavæ bilis lib. de Atra bile cap. 5. dico, præsens cancri rudimentum suam habere occasionem ex Atra bile genita per adustionem bilis, quod ætas juventutis confirmat, necnon habitus, ac ægri temperies biliosa, quam pili flaui in toto fere corpore enascentes ostendunt.

Sed & causa remotæ eiusdem tumoris tum externæ, tum internæ non sunt contemnendæ, priores in errata externa, in quæ iuvenes incurrunt, referuntur omnes, posteriores vero, & mouentes esse, & generantes non hæreo, mouentes ad facultatem expulstricem totius, partisque laborantis imbecillitatem refero, nam partes oris laxæ, admodum sunt, & humidæ, ob idque ad suscipiendum aptæ, merito quarum causarum humores per transmissionem, coagentibus his, quæ sanguinem acuunt, usu nempe alimentorum calidorum, motuque corporeo, quibus patiens usus fuit, ad locum confluunt affectum; causæ demum generantes in alimenta ad generandos humores dictos idonea, in jecorisque caliditatem meo iudicio referuntur.

Hinc scopos Medicos facile est elicere tum præservativos, tum curativos, præservativi in causarum ablatione consistunt, primo scilicet in totius euacuatione. Secundo in prohibenda humorum dictorum per sublationem causarum mouentium, & generantium, fluxione, atque generatione, proindeque refrigerandum iecur, ventriculus calefaciendus, & pars affecta attemperanda, roboranda, & constringenda, quibus scopis Morbi tantum augmentum prohibebitur; Scopi vero curatiui in unicam partis affectæ euacuationem reducuntur.

De prognostico ita sentio, quod liceat. s. scopos præservativos obtinere, quoniam patiens est ætatis iuventutis aliqua occurret difficultas, quoniam magnus observatur recessus à naturæ statu, causæ valenter agunt, præsertimque in temperies calida iecoris est in habitu: At scopos curativos absolvere per ea, quæ discutiunt, apud me est impossibile nam facultas partis est abolita, medicamentaqua actuari minime possunt.

An vero possit per recisionem, quæ fit & ferro candenti, & medicamentis corrodentibus malum hoc deleri, merito dubitari potest: nom ex una parte id fieri posse videtur, quoniam pars est ignobilis, cui nulla vasa insignia, alicuiusve momenti assistunt; præterea, ibidem alias est facta sectio, cuius occasione nil mali fuit subsequutum, & iure quidem: quia contra verum cancrum haud agebatur, hinc non obstat Aphorismus ille sextæ sectionis trigesimus octavus ut pote qui de veris cancris, intimis, & non ulceratis, adhuc ægros fatigantibus, & magnis existentibus, 2. ad Glauconem, loquatur; non autem (vt notat Gal. ibidem) de his, qui in summa cute exulcerati, & in parte, quæ rescindi possit existunt. Et si aliquis obiiceret ex Gal. ulcera ab Atra bile esse prorsus insanabilia, responderi posset pro hac parte, quod Galeni sententia de ulceribus ab Atra bile sincera genitis venit intelligenda. Ex altera vero parte (quod erat principale institutum) recisio nullo pacto videtur convenire, non quidem per ferrum candens, quoniam alias absque fructu tentata fuerit, & summa cum ratione in similibus namqua tumoribus dubio procul vasa materiam continuo suppeditant; adhibito autem igne, insignis à vasis fieri solet attractio; hinc augmento tumoris perbelle datur occasio; præterea, corrosiva partes præmitiores non petunt, quocirca frustra adhiberentur; demum incisio scalpello non probatur, non enim est tuta propter vasa externa.

At quid ego sentiam nunc, ubi de materiis chirurgicis loquar brevibus aperiam, quas materias respicio, primum ut disponentes, quæ sunt sectio venæ in cubito dextro, & hirudines ano applicitæ. Secundo ut curantes, inter quas ego seligo ferrum candens; Ad propositam autem difficultatem respondeo, quod tametsi non possit ita perfecte sanari vitium huiusmodi, potest tamen ea ratione præcaveri, qua saltem ne augeatur, paohibetur, nam alias posset ad tantam pervenire molem, quæ omnino intolerabilis existeret; tandem materias chirurgicas ut præservantes intueor, ac inter has unam instar omnium propono cauterium in brachio dextro.

Medicamenta, quæ totum respiciunt, primum occurrunt, hinc pro lenienda aluo casia

cum electuario lenitivo probatur, pro præparandis humoribus decoctum cicoreaceorum, lupulorum, & fumariæ cum suis sirupis, proquibus humoribus educendis infusum Rhab. & senæ cum manna, pilulæque aggregativæ conueniunt, quinimmo statutis quibusdam interuallis non desisterem ab usu syrupi de polypodio Magist. cum syrupo rof. solvente, vel ab infuso Epitimi, ac myrab. citro. Et pro evacuatione insensibili Chinæ decoctum cum sandalis, cicoraceis, ac liquiritia arbitror præstantissimum.

Atque pro alteratione iecoris thermæ frigidæ Lucenses, vel Beatæ Virginis Pataui vel Calderianæ, serum, & lac caprinum bibita, balneumque aquæ dulcis sunt admodum accommodata.

De topicis medicamentis ita statuo, ut alterum horum affectæ parti admoveatur; primum est unguentum, quod ex virgæ aureæ, seu tabacci succo, cum oleo rosato, & cera ductis in mortario plumbeo conficitur; alterum est aqua ex mercurio, & antimonio stillatitia. Tertium est Cinis Antimonii, postremum pulvis ex duabus partibus tutiæ, una Arsenici sublimati, pluries lotes, & in aqua plantaginis ebullitis, verum & aquam stillatitiam ex ranis viridibus, vel pulverem ab humano stercore, & anetho crematis, tanquam à proprietate agentia non damno.

Et dum hæcadministrantur, studendum est, ut patiens probe, & apposite viuat, utatur inquam probis alimentis, cibis cum simplicibus refrigerantibus medicatis, vescatur ptisana hordeacea, ferculis ex cucurbita, endivia, lactuca, ac similibus utatur vino oligophoro aqua hepaticæ, & boraginis diluto, in reliquisq; omnibus modum servet jam dictis respondentem, sic etenim, Deo favente, melius in dies se habebit. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinalibus.*

Gingivarum Gangræna unde mors.

Gangrænam gingivarum & oris præcipuè in pueris raró sanabilem, in sphacelum autem degenerantem, insanabilem esse, quibusdam jam observationibus confirmare operæ pretium existimavi.

Puella 4. annos nata ex morbô acutô sanata catarrho vehementi ad gingivas cum nausea & capitis dolore correpta fuit. Tota facies in tumorem œdematosum elevata fuit. In sinistrâ malâ tumor rotundus, durus & lividus, non adeo tamen magnus apparebat: gingivæ verò & sinistra pars oris gangræna correpta fuit. Multa sed frustrà ipsi adhibuimus remedia. Itaque tandem exesis, gingivis, labiisque ad nasum usque, è vita discessit.

Genevæ cum Clar. Jano Anton. Saraceno M. D. & Joh. Griffonio Chirurgô præstantissimô in duabus puellis similem pene casum observavi. In curatione, nihil quod necessarium videbatur prætermissum fuit: nihilominus eæ laborantes febre, deliriis, syncope, vomitu & spirandi difficultate tandem è vita decesserunt.

Filius avunculi mei erosione gingivarum propter scorbutum vehementer laborabat, tandem in gangrænam degeneravit erosio illa, & ut priores è vita decessit cum doloribus maximis aliisque pessimis symptomatibus. Summa igitur adhibenda est diligentia in hujusmodi morbis oris: præsertim in junioribus qui putredini obnoxii sunt: tum quia pars oris per se calida est & humida, tum etiam quod constitutio puerorum talis sit. Ideoque prospiciant tyrones chirurgi ne temere policeantur ægris, quæ præstare nequeant, & quæ queant fideliter præstent. *Guilielm. Fabric. Hildanus observat. Chirurgic. Cent.* 1.

De Epulide insignis magnitudinis feliciter ablata.

Ut molestum, inquit Nobiliss. Tulpius Observ. 49. lib. 1. sic quoque periculosum sanguinem profluere ex oculis, auribus ac dentibus, sive quoad venas arteriasve, ex quibus facilè plus effluit, quàm partes quibus destinantur sint ferendo. Sive quod remedia hujusmodi profluvio necessaria, ægerrimè perducantur ad loca diversorum vasorum, sanguinis ex hac illâve parte affluxus præternaturalis graviter sæpius commovet homines, sic ut deliquium non raró superveniat.

Netrici cuidam, *Emmetie Gerrits*, virgini floridæ ætatis, dens extractus maxillaris cariosus, sequuta maxillæ, dentibusque adnatæ carnis gingivalis ex exulceratione consumptio, illius imprimis, quæ oculari maxillariumque primo adæret.

Ex loco læso fungosa quædam caro, eaque satis magna, propullulabat, hanc, quod sanguinem copiosè funderet, loquendique difficultatem induceret, præterquam quod in cancrum commutari posse sibi persuaderet ægra, instrumento apto exstirpari conveniens videbatur.

Primum hoc in casu à nobis usurpatum, medium illud erat, cujus meminit Aëtius sermon. 8. cap. 25. At sine successu adhibitum. Consultum adeoque visum, atram bilem præparans expurgansque decoctum, per vices assumendum præscribere.

♃. Rad. cichor. cum toto m j. petroselin. fœniculi an. ℥ j. polypod. quercin. ℥ ß. herbar. scolopendr. betonicæ, scabiosæ an. m j. becabungæ buglossæ an. m ß flor. borragin. bugloss. beton. an. p. ij. fol. sennæ el. mund. ʒ vj. semin. anis. fœnic. au. ʒ ij ß. passular. corinth. ℥ ß. decoq. in s. q. aquæ comm. in colat. ℔ j. dissolve syrup. scolopendr. fumar. an. ℥ j. diacnicu ʒ i ß. f. aposema.

Per quatriduum Apozemate hoc usa fuit, singulisque diebus moderate per alvum dejecit. Eo consumpto instituta à nobis Venæ brachii sinistri, hinc etiam pedis sinistri, ad malleolum, sectio, extractæque quavis vice sanguinis unciæ octo.

Hisce sic usurpatis, peractisve, quod sanguinis fluxio ex ore continuaret, molesta valde ægrotanti, ad operationem Chirurgicam devenire necessarium duximus; quam vbi aggredi constitutum, Cauteria quædam, igni imposuimus, ne, si forsan vasa quædam abscissa sanguinis nimium effunderent, pulvereque nostro styptico usuali adstrictio debita perfici non posset, omni medio sanguinis fluxum sistendi destitueremur.

Hoc præmisso ægrotantem sedili commodo impositam luci, quo ex debito fungum tractare nobis liceret, oppositam, bono animo esse jussimus-

mus, brevi molestam hanc carnem nos ablaturos. Instrumentum ad ejus exstirpationem convenientissimum nobis videbatur, quod parte 5. obs. 27. delineavit *Hildanus*.

Instrumenti hujus ope, celeri manu, ablato fungo, sanginis, rivulosè admodum, eo imprimis loco, qui denti oculari ac maxillari interjectus, effluentis impetum sistere coacti; hic multum effecimus pulvere nostro styptico beneficio lintei combusti vulneratæ parti applicato, descriptio ejus hæc est:

♃. Nuc. Gall. immatur. ℥ ij. Boli Armen. ʒ ij. Terræ Lemniæ ʒ iij. Vitriol. Cypr. ʒ ß. Alumin. Crud. ʒ j. M. F. Pulv. subtiliss.

Pulveris hujus usus in eo consistebat, ut primo conficiatur mixtura quædam ex albo ovi conquassato & spir. vitriol. gtt. aliquot, huic imponatur linteum combustum, hinc linteo hoc excipiatur pulvis loco vulnerato applicandus debitè & per fasciam externam, & per manum ægrotantis in suo situ detinendus.

Cauteriis in hujus fungi ablatione haud indiguimus. Sequenti die adstringentia hæc vulneri applicata auferri curavimus eorumve in locum substituimus decoctum hordei cui aliquid unguenti Ægyptiaci mixtum, pro collutione usurpandum.

Tandem ad omnimodam consolidationem mel rosar. præscripsimus, cui gut. v. aut vi. sp. vitrioli mixtæ, pro linimento. *Joh. à Meekren in Observation. Medico-Chirurgic.*

Gingivarum erosio incurabilis à vermium abundantia in intestinis.

Puer quidam Dusseldorpiensis erosione gingivarum à longò tempore gravissimè divexabatur; multa remedia frustra adhibita; tandem vitam cum morte commutavit. Apertò corpore tanta iuventa est abundantia vermium, ut aliquibus in locis intestina eroserint, multique in vacuò ventris reperti fuerint. *Guilielmus Fabric. Hildan. observat. Chirurgic. cent. 1.*

GLAUCOMA
Vid.
HUMORUM OCULI VITIA
Titulo Oculorum Morbi

GONAGRA,
Vid.
ARTHRITIS.

GONORRHOEA.

Gonorrhœam melioris doctrinæ ergò duplicem facimus, *veram* scilicet & notham. *Vera* est, quando vera materia seminalis, aut ipsi saltim proximè similis in testibus tamen elaborata, crebrò nimis excernitur. *Nova gonorrgœa* verò est, quando alia materia vitiosa loca seminis excernitur.

Gonorrhœa vera, est triplex. Fit nempe 1. à nimia copia & abundantia seminis; unde non tantùm uberior veneris stimulus: Sed etiam ubi serum paulatim turgescere incipit, impetu facto ex vesiculis seminalibus prorumpit; id quod contingit præprimis nocturnò tempore, dum supini jacent, ubi scilicet propter sanguinis circa partes dorsi inferiores & posteriores, & istarum partium inferiorum incalescentiam, semen abundans calefactum turgere & erumpere solet; Id quod fit non tantùm in juvenibus, sed etiam in viduis, qui à venero solità abstinere coguntur. Dico fieri in primis nocturnò tempore; in verò cum hàc seminis abundantia conjuncta sit laxatio quædam vesicularum seminalium, aut certè quod harum ipsarum meatus in urethram sint paulò patentiores facti; in talibus etiam interdiu seminis fit effluxus, accedente membri tensione, & aliquali venereo pruritu; quòd excernitur semen est copiosum, crassum, spissum & naturaliter coctum. 2. Fit gonorrhœa vera à seminis acrimonia præternaturali. Unde & irritantur partes continuo pruritu venereo, & præterea ista irritatione vesiculæ stimulatæ vicinæque musculosæ partes se contrahere & ita semen stimulans exprimere incipiunt. Præcesserunt inprimis causæ quæ semen acrius generare valent, ut sunt aromata copiosius assumpta, in specie piperata: Sic enim Schenck. Observationum lib. 4. refert de quodam qui semper quoties voluit, sisimbrio seu nasturtio gonorrhæam provocare valuit; ex acrimonia scil. sal. volatil. assumpti nasturtii, quæ stimulando semen copiosum genitum talem producit gonorrhæam Imo & purgantia acria assumpta venerem stimulare & interdum gonorrhæam provocare solent. Exempla vid. in Plater, & Timæo; quin & cantharridum abusus hoc ipsum malum, acuendo semen, inducit. Facit & huc constitutio massæ sanguineæ, paulò acrior, aut serò salsiore temperata: quod ipsum serum acrius imminuens chylosam materiam semen reddit acrius & stimulans: & tales continuò stimulò venereò, ac tentigine, sæpius urgente fortiori titillatione excernere solent, idque non absque voluptate venerea, die ac nocte. 3. Fit gonorrhœa ex nimiâ tenuitate & flacciditate seminis, concurrente tunc simul laxitate nimia vesiculorum seminalium, non secus ac prostatarum glandulosarum; Unde & aquosum semen effluit; & hinc laxatis ac atonia, seu nimia relaxatione affectis vesiculis istud continere, aut retinere nequeunt: unde sine voluptatis insignioris & tentiginis acutioris sensu interdum non advertentibus effluit tale semen, aut statim ad levem imaginationem veneream, vel ad levem fœminæ contactum hoc ipsum sponte quasi prolabitur, & est tenue admodum & fluidum plus solito. Vitium in primis hæret in testibus in hoc casu eorumque fermento debilitato, quod ineptum est elaborando semini, & hinc vitium est in vesiculis seminalibus nimium laxatis; si nempe illud citò elaboratum, & hinc non convenientem naturam seminis induxerit. Hæc posterior gonorrhœæ species sæpissimè à damnata oritur mastupratione, quà sæpius reiterata, & testes laxantur, & fermentum eorum debilitatur. Exemplum hujus rei habet Timæus cas. 49. lib. 3. de studioso juris, qui tali damnato modo gonorrhœam sibi contraxit.

Species gonorrhœæ veræ sunt variæ, sed ex modò dictis facilè possunt dignosci. Hoc tan-

Fff 3

tùm adeò, quòd dum loco seminis effluentis continui novum supplementum ex massa sanguinea suppeditatur, oriatur denique ut defraudata massa sanguinea succo suo chiloso corpus tabescat, & in primis tales ægri debiles & pallidi fiunt, oculorum orbitæ excavatæ apparent, & fulgor oculorum deficit, quin potius oculi cornei, & minus lucidi videri videntur, cùm semper cum semine aliquid spiritus animalis simul effluere soleat.

Tales gonorrhœæ ex se quidem non adeò insignis sunt momenti: verùm si diutius continuentur hominem contabescere & succumbere lethaliter cogunt. Superaverit inprimis febris hectica similis cum tali atrophiæ specie qualis est tabes dorsalis noviter nuptorum. Qualis hectica tunc difficillimæ est curationis. Ulterius: Gonorrhœa diuturna subitò nimis non est supprimenda, imprimis ubi nonnihil inclinat ad virulentiam veneream: metus enim est, ne suppressa subito materia antea copiosius affluente, hæc ipsa stagnando in testibus occasionem tumori suppeditet; unde postmodum periculosius malum superveniat.

In hoc in primis sunt causæ movendæ, & ita semen imminuendum, aut ejus fervor temperandus, aut denique testium fermento roborato partium tonus legitimus restituendus, laxusque nimis adstringentibus firmandus.

His scopis quæ satis faciunt remedia, in primis quæ semen, aut copiosum turgescens, aut acrius stimulans compescunt. sunt, præ cæteris radix nymph. albæ & flor. nymph. item sem. agni casti, seu vitieis, uti etiam semen malorum, papaver. alb. lactuc. plantag. in specie semen cannabis ad inveteratas etiam, & tantùm non desperatas gonorrhœas contundatur; si ex eodem, non secus ac ex reliquis seminibus narcoticam: Convenit præterea urtica mortua, seu galeopsis flore albo, quæ ex signatura commendatur Carrichtero, egregio in hoc puncto botanico, si decoctam propinatur in vino. Præterea res nota est de mentha, item de ruta, de portulaca & similibus. Millefolium item laudatur, si nempe succus millefolii ad ℥iij. exhibeatur cum lacte dulci gonorrhœam totaliter sistere referunt, inprimis ubi simul succus lactucæ cum camphora externè testibus applicetur. Præterea succus limonum & succus citi præ cæteris sunt remedia, licet simplicia, ad gonorrhœas sistendas, sive sint ex acri semine, sive ex abundante, quæ ab omnibus autoribus mirè laudantur. Unde experimentum Sylvatici cent. 4. consf. 1. est hæc non inefficax compositio; nempe.

℞. Aq. rosar. ℥iij. succ. limonum ℥j. album ovi crud. nu. 1. Et hanc misturam quarta qualibet die propinat non sine sperato successu. Petrus Joh. Faber ad curandam gonorrhœam propinat succum limonum cui instillavit spir. terebinth. unà cum tantillo camphoræ.

Porrò de essent. castit. de essent. absinth. de ejus vino & essent. menthæ &c. nihil dico, quia sunt satis clara & cognita. Terebinthina inprimis conducit, ac in specie spir. terebinthinæ si ipsi addatur sacchar. saturni: hinc enim evadit mistura elegantissimè rubicunda, quæ crebrius usurpata mirè compescit gonorrhœas.

Deinde etiam succinata sunt commendata gonorrhœam, scil. pulvis succin. in alb. quotidie propinatus in jusculo calido jejuno stomacho mirè ad gonorrhœam valet, quin & oleum succin. in tali casu usurpari potest, quod tamen est paulò fortius ita ut tutius solus pulvis usurpetur. Trochisci etiam de carabe possunt usurpari, ulterius, assa sæpiæ piscis admodum conducunt; præparata specificum fuerunt Harthmanni, ut & etiam D. Michaël qui sæpissimè ad gonorrhœas compescendas adhibuit pulverem ossis sepiæ præparat. unà cum antimon. diaphoretico, quæ mista à ℈ß. ad ℈j. propinavit; nam & antimon. diaphoretic. in aq. plantagin. haustum gonorrhœas sistit, sicuti etiam bezoarticum martiale, item bezoarticum venereum usurpari solent.

Pertinet huc electuarium sequens quod à quibusdam laudatur.

℞. Conserv. rosar. & menth. crisp. an. ℥j. vel ℥iß. ossis sepiæ præpar. ʒij. borrac. calcin. ʒj. nucis moschat. ʒß. syr. de rof. sicc. q. s. M. F. electuarium, quod quotidie bis vel ter usurpetur. Obiter nota de borrace calcinata, quod instar aluminis adstringat, præcipitet, sistat gonorrhœas, coërceat venerem, dum crudus insigniter venerem in stimulat, Ulterius chrystal. mont. præp. etiam compescunt gonorrhœas nimias, Quidam præscribunt pilulas contra gonorrhœam hoc modo.

℞. Extract. rad. torment. ℈ij. sperniol. croll. ℈j. (hoc etiam admodum laudatur ad gonorrhœam) pulver. sem. agni casti, plantag. an. ℈ß. terebint. coctæ, camphor. an. gr. 1. M. F. pilulæ.

Vel ℞. Extract. tormentill. ℥j. sacch. saturn. camph. an. ʒß. M. F pil. quæ subinde usurpentur,

Corallia, in primis eorundem tinctura, cum spir. ignor. aut etiam tinctur. coralior. sassafrata egregii est usus in gonorrhæis. Sic etiam martialia, ac in primis tincturam martis adstringentem laudare solent.

Modernorum experimentum est balsamus de Copaiva ex Indiis allatus, cujus 4. aut 5. guttæ haustæ mirum sunt experimentum ad gonorrhœas sistendas, propinatur cum vino Hispanico vel alio liquore appropriato, & pro mirabili habetur remedio. Ex modò dictis, misturæ, emulsiones, & aliæ formulæ pro usu prædestinato fieri possunt.

Essentiarum quas vocant castitatis compositio est varia; præ cæteris efficax est, idque propter terebinthinam admistam, aqua ad gonorrh. Riverii, cujus descriptio extat in ejusdem cent. 1. obs. 25. item in cent. 2. obs. 30. Prostat etiam aqua castitatis Mynsicht. sed admodum inepta, multa enim continet quæ nihil per alembicum transmittunt: potiùs loco ejusdem è seminibus ingredientibus fiat emulsio, cui postmodum adduntur pulveres reliqui appropriati. Dabo exemplum talis emulsionis contra gonorrhœam, in specie si simul fervor quidam adjunctus sit in inguinæ circa perinæum, & hinc usque ad lumborum principem.

℞. Sem. melon. agn. casti an. ʒij. papav. alb. cannab. an. ʒiß. cum s. q. aq. nymph. & portulac. f. l. a. emulf. cui adde ossis sepiæ præp. ʒj. antim. diaphor. succin. alb. præp. an. ʒß. sperniol. croll. ʒj edulcoret. cum s. q. rotular. man. Christi perlatæ.

Præterea sunt etiam qui insigniter ad has gonorrhœas commendant sequent. pulv. scilicet.

℞. Folior rut. sicc. semin. agn. casth. menth. gallar. pulveris an. q. v. cujus pulver. ʒij. hauriantur

tur in vino chalybeato, repetendo quotidie: Αὐτίκα hoc est Hælidei Paduani, qui non tantummodo ad gonorrh. sed præterea ad fluorem album mulierum commendat; ubi simul tanquam expertum specificum extolit succum ceterach, seu scolopendrii, si ad cochleare j. repetitis vicibus adsumatur; idque habet obs. 170. & 171. Quod si vero præter dictas causas semen aquosum, ac vesicularum laxitas inducat gonorrh. in tali casu internè, ex mentha, absintio, succino, thure, & similibus conferunt, in specie corall. alb. & thus, essentia item lignor. & essent. lign. sassafr. tinct. coral. cum sp. lignor. item tinct. mart. adstringens admodum laudantur in specie succus menth. cum melle coctus & ad consistentiam syr. inspissatus, si ad ℥ i ß. usurpetur, commendatur à Foresto. Item thus pulverisat. in aq. plantag propinatum feliciter has gonorrhœas sistit: sed non est tam sæpe hoc ipsum repetendum, quoniam aliàs etiam urinæ fluxum cohibet.

In genere conveniunt internè omnia quæ inspissant, & fluxilia coagulant, ut sunt martialia adstringentia, corall. & similia. Externè fiunt fomenta adstringentia cum vina austeriore in quô decoquuntur cortic. granat. balaust. & rosæ; item radix consolid. major. plantago & similia: aut fiat inunctio perinæi ac radic. penis cum oleo myrtillor. scilic.

℞. Olei myrtill. ℥iij. mastich. destill. ʒj. caryophyll. destill. nucis mosch. an. ʒß. cum pauca cera fiat linimentum quod vesiculas seminales nimis laxas nonnihil roborabit atque adstringet.

Quòd si recessum fuerit ut etiam interdum purgatione instituantur, præ cæteris in usu erunt terebinthinata, v. g. pilul. de terebinth. Mynsicht. vel etiam pilul. factæ ex sola terebinth. cum rhabarb. pulver. Item pilul. factæ ex mass. pilular. de fumar. & terebint. cum mercur dulc. ubi suspicio subest luis vener. Sic namque D. Michaël curavit aliquando militem quendam diuturna gonorrh. afflictum per solas pilulas de terebinth. Cypr. cum croco mart. adstring. nullis aliis adhibitis remediis. In genere terebinthinata, cùm laxent blandè, & simul vias urinarias ac spermaticas detergant, hic sunt convenientissima.

Hæ fuerunt species Gonorrhœæ veræ; quod attinet gonorrhœas nothas, in quibus loco seminis aliud quoddam liquamen vitiosum excernatur; hæc ipsa denuò est duplex, vel benigna, vel maligna, seu, ut alias vocatur, virulenta. Benigna est quando citra causam manifestam. v. g. citra prægressum actum venereum suspectum, effluit continuò liquamen, seu materia tenuia aquosa & copiosa, idque citra pruritum venereum, aut citra membri tentiginem: fluxus talis die nocteq; diu satis continuatur, adeò ut observatum fuerit etiam ad aliquot annos durasse citra ullam intermissionem, & absque insigniori, & tali fluxui (si semen verum esset) proportionata virium prostratione.

Fluxus talis gonorrhœæ nothæ virorum respondet fluori albo mulierum: alia à quibusdam, utut pauci fuerint Autores qui ejusdem fecerunt mentionem, gonorrhœa catarrhalis appellari solet. Autores pauci, uti dico, qui de tali gonorrhœa agnoscunt Langius in suis epist. lib. 2. epist. 5. item Laurentius in suis consil. p. 60. ac denique Marcellus Donatus, Histor. Medic. mirab. lib. 4. c. 18.

Si pressius examinemus hanc gonorrhœam notham inveniemus quod subjectum seu pars affecta in eadem sint prostatæ glandulosæ, seu spongiosæ in radice urethræ circa cervicem vesicæ sitæ, quas ipsas esse subiectum talis gonorrhœa sufficienter declarat & confirmat Graeffius in novissimo suo tract. de organ. viror. generat. inservient. Sicuti hæ ipsæ prostatæ glandulosæ mirabilium morborum proinde sunt subjectum. Scio enim ex iisdem infarctis & insigniter tumefactis; Ischuriam seu suppressionem urinæ lethalem Romæ in quodam Principe fuisse inductam; sicuti è contra hæ ipsæ prostatæ glandulosæ nimis laxæ, aut alio modo vitiatæ sunt subjectum hujus gonorrhœæ nothæ dicendum. Naturaliter enim præparant & secernunt quandam lympham tenuem & lubricantem, quæ inservit pro vehiculo seminis ex vesiculis in anthram expressi; quod semen, cùm fuerit glutinosum, hujus lymphæ indiget vehiculo ad fortiorem ejaculationem. Quod si ergo fiat ut laxatis his ipsis substantiis glandulosis, nimium copiosè, ac frequentiùs talis lympha in urethram excernatur, quæ tunc simul à naturali statu ad quandam viscositatem inclinat, exinde oritur hæc gonorrhœa. Fit hoc quando ipsa mass. sanguin. tali humore aquoso superfluo saturata qua data porta sese exonerat. Ubi ergo hæc ipsa corpuscula, aut ex equitatione nimia, aut ex lapsa, aut ex alia quacunque ratione, erant lacerata, aut distenta, aut alio modo vitiata, tunc talis latex mass. sanguin. superfluus per has ipsas prostatas glandulosas, tanquam colatorium excernitur, & ita gonorrhœam talem notham constituit.

Remotior causa hæret in primis in stomacho, qui non ritè digerens alimenta sed hæc ipsa in cremorem aquosum pervertens, exinde vitiosum sanguinem etiam generare facit unde & talia subjecta ad cachexiam sunt disposita. Aut si non mox in principio resolvatur talis gonorrhœa, postmodum cachexia supervenit.

Ex modò dictis signa tam diagnostica quàm prognostica per se patent. Quòd attinet curam; in hoc affectu, scilicet ad hanc gonorrhœam, ceu superveniens quoddam symptoma minùs est dirigenda cura, sed potius prima ratio habenda est stomachi, reficienda ejusdem digestio, & mass. sanguineæ cruditates emendandæ ac corrigendæ, idque quod superest laticis aquosi per vias urinarias est expurgandum: tunc tandem externis adstringentibus prostatæ glandulosæ firmandæ & in tonum naturalem sunt restituendæ. Remedia quæ his satisfaciunt scopis ex illis quæ superiùs de cachexia diximus petenda: præ cæteris conducunt ex ligno sassafras parata remedia ejusque essentia cum spiritu serpilli parata crebrius & in majori dosi assumpta. Huc & ea quæ ex mentha & absinthio parantur, quæ & stomacho & gonorrhœæ satisfaciunt. Item succinata, in specie Sal. volat. quod cachexiam imminentem subinde prævertit, ciendo potenter urinam.

Immò observatum fuit acidularum potum, uti in aliis morbis chronicis, ita & in hac gonorrhœa diuturna contulisse; in primis si post bibitas acidulas thermarum externus usus circa partes genitales exhibeatur, pro restaurando tono prostatarum læsarum: aut etiam balnea alumi-

nosa artificialia, aut similia adstringentia externè erunt commodè in usum vocanda.

Non citò nimis supprimenda est hæc gonorrhœa, quoniam natura abutitur his viis ad evacuandam massam sanguineam; emendetur saltim prius imminens cachexia & vitium stomachi, & ferè semper sponte cessabit gonorrhœa.

Quod attinet gonorrhœam notam malignam: hæc est ea quæ ex coitu cum fœmina impura, ac Lue venerea infecta contrahitur. Effluit in hac ipsâ liquamen aquosum liquidum absque dolore, hinc successive flavescit, tandem viridescit, insigniter acescit, adeò ut tandem non acerbissimo dolore effluat, imo non raro pus ac purulenta sanies simul excernitur, & ipsum semen odore fœtido & singulari fœtet: nonnunquam talis gonorrhœa accidit istis qui visitant Galliam & Italiam, interdum fit ut nimia aciditate seminis, seu materiæ profluentis, corrodatur ac exulceretur meatus urinarius, ex quibus ulcusculis tandem excrescunt carnes sylvestres, ut sic dicam, seu verrucæ, quæ hinc canalem urinarium obstruunt, & vulgò carunculæ meatus urinarii appellantur. Affligit hæc gonorrhœa continuò, inprimis, secundum indolem luis venereæ, vespertino aut nocturno tempore cruciat, , adeo ut eodem tempore acerbissimi dolores crucient penem, iique eo acerbiores, si forsan se erigat ac extendat membrum: sin malum ulterius procedat, superveniunt crudeles ardores nocturni lumborum.

Causa hujus gonorrhææ est contagium Gallicum fermentativum, per coitum ex muliere infectatâ attractum, ex tali scil. quæ ulcuscula gallica in vagina uteri na habet. Malum enim prolificum est hæc ipsa gonorrhæa gallica; adeo ut referat Ballonius Consilior. lib. 1. cons. 92. de quodam viro qui ex coitu impuro gonorrhæam virulentam contraxit. Unde postmodum non tantum propriam uxorem inquinavit, sed cum eadem filium quoque generavit mox à primo ortu eodem malo affectum.

Subjectum hujus gonorrhœæ sunt eædem prostatæ glandulosæ quas modo nominavimus: id quod experimenta anatomica confirmatam dedit Bartholinus Cent. 12. Histor. anatom. 36. ubi, aliquot memorantur hac gonorrhœa affecti, & exinde mortui, in quibus prostatæ glandulosæ fuerunt repertæ ulceratæ. Nam dum hæ ipsæ jam excalefactæ in coitu intensius incalescunt, tunc ulcera gallica vaginæ uteri exhalant & exspirant miasmata fermentativa, quæ post excretionem seminis virilis se insinuant in urethram penis ibique se affigunt, & permeatus à modò excreto semine patentes se insinuant in prostatas glandulosas & sua fermentativa vi corrumpunt successivè lympham in istis prostatis elaborandam, ut degeneret in aciditatem corrosivam & virulentam seu malignam; sicuti notum est, quod in lue venerea abundet acidum virulentum corrosivum. Unde postmodum talis succus acris & acidus fluens, non tantum corrodit proprias prostatas, easque exulcerat, sed etiam meatum urinariam excoriat, & exinde tam dira, & atrocia & dolorifica symptomata post se trahit.

Promotum ulterius & altius serpens contagium, ita ut per vasa deferentia testes ingrediatur horum tumorem & dolorificam inflammationem infert.

Diagnosis hujus gonorrhœæ ex primo dictis symptomatis patet. Quoad prognosin, quò citius ei occurritur, eò facilius curatur. In senibus ut plurimum ad mortem terminatur. Nisi brevi ipsi occurratur in perfectam luem Gallicam, inquin ta massa sanguinea degenerat: ut hic est modus communissimus quo lues venerea contrahitur.

Quod curam attinet, in hac virus Gallicum acidum appropriatis partim mercurialibus, partim acidum destruentibus corrigendum, & qua data porta evacuandum. Quod si cui libeat præservare se ab hac gonorrhœa, quem nempe vexat appetitus venereus, nec tamen interim certus esse potest, an cum infecta coëat? Is præservationis loco, mox ante, aut post coitum, assumat spir. seu olei terebint. volatilis gut. 6. 7. vel 8. in haustu vini generosi. Hujus enim abstersoria vis meatum urinarium abstergit, ac corrigit contagium virulentum forsitan haustum. Quod si vero quis jam infectus sit hoc malo & laboret gonorrhœa, ante omnia præmittendo universalia purgantia mercurialibus mista, succurrendum v. g. Fiant pilulæ ex extracto ellebor. nigri, aut ex extracto catholico Andernaci cum ana mercurii dulcis his pro stimulo addantur aliquot grana extract. trochiscor. alandhal. Colocynthidis enim efficacia mirè commendata est ab Helmontio in cura luis venereæ, prælata usibus lignorum; eti m loco mercurii dulcis, mercurius præcipitatus viridis venereus cujus descriptio videatur apud Schroderum cap. de mercurio, commodè usurpatur. Aut pilulis de terebinthina misceatur mercurius: vel fiat bolus ex terebinthina Cypria cum rhabarbaro, ac mercuriali remedio dulci, vel alio. Nam licet mercurialia talia in principio videantur augere malum, iisdem tamen audacter insistendum; cùm non detur magis appropriatum remedium contra virulentiam Gallicam. His ipsis commodè subjungatur aqua Quercetani contra gonorrhœam circulent m, quam se centies expertum esse gloriatur, Vid. etiam Scultetus in Armamentar. Chirurg. obs. 79. qui ipse etiam inclitat hujus aquæ experientiam. Loco hujus aquæ etiam spir. terebint. mistus cum saccharo saturni egregie conducit in hac gonorrhœa, non absumendo semen, ut vulgò putatur, sed absorbendo acidum vitiosum in hac gonorrhœa peccans; qua ratione etiam camphora conducit, non quod castret per nares, ut putant, sed tanquam sal volatile oleosum detergit & corrigit acidum venereum Ex hoc ipso fonte infusum cantharidum in vino expertum est remedium cujusdam medici Belgæ: quatenus cantharides acerrimo sale volatili abundant. Vid. Bartholinus Cent. 4. Epist. pag. 343.

Decocta lignorum, essentias lignorum ceu per se notas, & ad luem veneream, & ejus prodromum gonorrhœam commendatissimas, sicco pede prætereo. Fractura corallior. cum spir. lignorum parata est egregia, sed crebrius usurpanda gummi guajacum appropriatissimum est remedium ad hanc gonorrhœam. Commendatur sal ammoniacum, essent. aut extract. gumm. guajac. parat. cum sp. vini tartarisato & in aqua plantag. propinat. Nam in gummi guajac. hoc perfecta consistit cura gonorrhœæ malignæ. Aliàs etiam balsamum de Cobayva ex fida Belgarum

experien-

experientia ad gut. 5. vel 6. propinatum singularitas laudatur. Antimon. diaphoretic. bezoartic. miner. ac similia etiam laudantur; item succum limonum cum spir. terebinth. & camphora ex Fabro jam proposui? uti succin. experimentum videre est in Sculteto obs. 79. Armament. Chirurg. Bartholinus loco citato refert curam gonorrhœæ virulentæ per pulverem sympatheticum, id quod eatenus verum est quatenus eò processit exulceratio prostatarum, ut corrosis vasis sanguis quoque effluat.

Quòd si fiat, ut sæpius etiam fit, exulceratio meatus urinarii, tunc etiam conducunt injectiones in panem, quæ fiunt ex succo plantaginis cum melle rosato, quæ diluantur aqua appropriata, ipsisque pro re nata additur mercurius dulcis & aloë rosata: aut si altius processerit malum, injectiones aloëticæ cum modico, mercurii præcipitati, aut etiam ubi ferocius fuerit malum, cum mercurio sublimato erunt instituendæ. Singulare experimentum cujusdam Medici est aqua mercurialis hermetica; scilicet accipit mercurium vivum, coquit in aqua communi per sex horas, decantat aquam & remanet mercurius in eodem planè pondere quo fuerat ante ebullitionem, & aquæ hujus singulo mane proponat bonam haustum: Unde successive sedatur gonorrhœa virulenta. *Michaël Ettmullerus in Collegio Practica.*

In gonorrhœa ℞. Resin. jalapp. scamm. an. gr. vi. mercur. dulc. gr. xii. succ. liquir. ℈j. olei lign. guajac. rectif. gutt. 2. M. F. pilulæ numer. vii.

Vel ℞. Extract. diacathol. ʒ ß. mercur. dulc. gr. xv. olei lign. sassafr. gut. iij. & F. pilulæ num. vii.

Seu ℞. Confect. Hamech. ʒ j. pulver. rhabarb. ʒß. oculor. cancri ℈ j. M. F. bolus.

Vel ℞. Pulp. cassiæ ℥ j. resin. turbith. gran. viii. terebinth. Venetæ ʒ ij. M. F. bolus.

In India. ℞. Conserv. flor. cassiæ, tamarindor. an. ʒj. resin. turbith. gr. xii. mercur. dulc. gr. x. olei ligni ebeni rectificati gutt. 3. M. F. bolus.

Vel ℞. Pulp. cassiæ conserv. flor. cassiæ an. ℥ß. resinæ scammon. turbith. an. gr. v. gumm. elem. liquid. ʒ j. mercur. dulc, gr. xii. M. F. bolus. Qui boli quælibet septimana semel exhibeantur. Interim ex sequentibus unum his per diem in emulsione quadam, vel appropriato vehiculo, usurpatur.

℞. Bals. sulph. simpl. ʒj. dos. à gut. x. ad xii.

℞. Bals. sulphur. succin. ʒ ß. dos. à gutt. v. ad viii.

℞. Bals. sulphur. juniperini ʒ ß. dos. à gut. vi. ad gut. xii.

℞. Spir. vini terebinthinati ʒ j. dos. à gut. x. ad xii.

℞. Spir. vini succinati ʒ j. Dos. à gutt. xv. ad xx.

℞. Tinctur. succini & tinctur. tartar. antimoniatæ an. ʒß. M. dos. à gut. x. ad xx. Ad ardorem urinæ ab ejus acrimoniæ, spiritus salis per diem bis usurpatus, ægrotum felicissimè adjuvat. In India.

℞. Olei still. gumm. elemni ʒ j. dos. à gut. x. ad xii.

℞. Olei baccar. cinnam. ʒ j. dos. à gutt. v. ad x.

℞. Bals. sulph. elemniati ʒj. dos. à gut. 8. ad 12.

℞. Spir. vini elemniati ʒj. essent. juniper. ʒß. M. dosis à gut. x. ad xv. cui boli magis placent potest usurpare sequentes.

℞. Conserv. rosar. ℥j. flor. hyperic. ℥ß. pulp. cassiæ ʒiij. terebinth. Venetæ ʒij. tart. vitriol. ʒß. oculor. cancr. ʒj. tinctur. succin. ʒß. M. F. bolus dos. ʒj. mane & vesperi. In India.

℞. Conserv. flor. cassiæ ℥j. pulp. cassiæ ℥ß. lapid. pessar. præp. matris perlar. præpar. an. ʒj. pulver. liquirit. ʒ i ß. olei gumm. elemni ʒß. M. F. bolus dos. ʒj. emulsiones fiant tales.

℞. Sem. 4. frig. maj. an. ʒ j. amygdalarum dulcium ℥ j. aq. hord. rosar. an. ℥ iv. f. emulsio; huic adde aquæ petroselin. portul. an. ℥ ij. sal. oculor. cancr. ʒß. syr. liquirit. q. s. m. Ægroto juxta præscriptum modum tractato, curationi tandem finis per sequentes pilulas, pro valetudine plenario restituenda, imponendus est.

℞. Terebinth. Venetæ in aq. rosar. lotæ & in eadem ad justam consistentiam coctæ ℥ j. balsa. Peruvian. ʒß. pulver. rad. tormentil. consolid. an. ʒj. oculor. cancr. præp. mercur. dulc. an. ʒß. M. F. massa pilularis. Dosis mane & vesperi ℈ß.

℞. Terebinth. Cypriæ in aq. plantag. lotæ & ad justam consistentiam coctæ ʒj. bals. copaiva ʒ i ß. resin. guajaci ʒß. pulver. liquir. torment. rhabarb. an. ʒ j. cortic. guajac. pulver. sangu. dracon. lapid. hæmat. an. ʒß. M. F. massa pilularis dos. ℈ j. in die.

℞. Specier. diamartis ʒij. conservæ rosar. ℥j. m. dos. ʒj. ad ʒij. manè & vesperi.

Vel ℞. Conserv. rosar. flor. cassiæ an. ℥j. pulv. ad gonorrhœam ʒij. m. dos. ʒij. mane & vesper i. Si autem defluens materia coagulatione indurata dolores creat in viis, & ulcerum atque caruncularum causa est: illa frequenti decoctorum, quæ ex abstergentibus & emollientibus, sine adstringentibus consistunt, injectione abluatur *Herman. Nicol. Grimm. compendii Med. Chym. lib. 3.*

In principio Gonorrhœæ laborandum ut fermentum illud peregrinum, acre corrosivum, per contagium contractum, expellatur vel suffocetur, antequam sanguinis materiam aggredi, eamque malignitate suâ inficere queat. Quòd potissimùm fit per purgantia sudorifica diuretica & acre fermentum enervantia.

℞. Extract. cathol. ℈ j. mercurii dulcis gr. viii. Trochisc. alhandal. gr. iv. olei juniperi, gut. v. m. f. pilulæ num. vii.

Vel, ℞. Pulp. crassæ recent. extract. ℥ j. terebint. venet. lotæ, ℥ ij. mercurii dulcis, salis prunellæ, ocul. cancr. præparat. an. ʒ j. salis vol. succin. ℈ iv. syr. de althæa Fernel. q. s. ad form. conditi. m. f. conditum, multi curantur hoc condito in principio, & hujus capiat æger ad magnitudinem nucis moschatæ, bis terve de die.

Corpore purgato, ad diuretica festinandum, ut venenum per easdem expellatur, per quas admissum est vias, ut

℞. Tinct. vermium majalium cum alkali tartari præparatæ, à gut. x. ad xv. in aq. petroselina, vel vino propinentur. m. f. haustus diureticus, quod si vero post exhibitionem hujus tincturæ, æger conquæratur de intolerabili stranguria, hanc facile superaveris, exhibendo patienti, lac tepidum saccharatum, vel emulsionem ex seminibus frigidis, addito sem. papaveri

paveris, temperatoque cum syr. de althea Fernel.

Ad venenum expellendum multum conducit aqua quercetorii in gonorrhæa.

Vel; ♃. Olei succini, gut. x. terebint. lucid. gut. v. balsami peruviani, gut. ȝ. dentur ex vino calido saccharato, m. f. haustus diureticus.

Balsamum cobaiba non tantum educit venenum, sed postmodum consolidat, & adstringit, hujus balsami dosis à gut. x. ad xv. exhibeantur cum potu calido.

Præ cæteris balsamum sulphuris antimonii therebintinatum quod sequenti modo sulphure antimonii impregnatur.

♃. Scoriarum antimonii in confectione reguli simplici provenientium q. p. his affunde olei terebinthinæ lucidi ad emin. trium digit. transversor, stent in digestione, donec oleum terebinthinæ sanguineum extraxerit tincturam, cujus dosis est à gut. v. ad x. in vehiculo convenienti.

Ad evitandum, ne contagium aliquam materiæ nostri sanguinis imprimat labem, & ulterius serpendo glandulas inguinales inficiat, præscribatur sequens sudoriferum,

♃. Resin. ligni guajaci, aut ejus loci gummi ℈ j. dissolvatur in s.q. sp. vini. m. f. haustus præservans una dosi exhibendus.

Vel, ♃. Theriac. venet. ʒ j. ocul. cancr. præparat. ℈ j. salis volatilis succin. gr. xv. camphoræ, gr. ȝ. olei juniperi gut. v. m. f. bolus præservans.

Si vero malum vel diuturna mora, vel activitate sui veneni testes, vel glandulas inguinales prehenderit, vel urethram eroserit, vel ulcera maligna circum glandem excitaverit, pro ratione loci & veneni, medicamenta sequentia applicentur.

In inflammatione testium.

Si testes inflammentur & tumeant, præparatur sequens fotus ad inflammationem auferendam.

♃. Lithargiri auri, ℥ iv. flor. sambuci, rosar. pallidor. m. ij. coq. ex s. q. aq. & vini & aceti, an. m. f. Fotus, calideque applicetur. Majoris discussionis gratia, si opus fuerit, nobilitari hic fotus poterit cum spiritu vini camphorato.

Inflammatione sedata, postmodum tumori & duritiei obviam eatur partem affectam balsami sulphuris succinato calide inungendo, applicando postmodum, emplastrum diasulphuris Rulandi, cujus præparationem vide in empyrica Rulandi.

Vel, ♃. Scoriarum reguli antimonii simpl. q. p. terantur in pulverem antequam humido aëris insinuantur, iisque affunde olei succini, terebint. an. q. s. ad eminentiam duorum digitorum transversorum, digerantur ut artis est. Fiatque balsamum magnarum virium, in tumoribus duris emolliendis.

In Bubonibus.

Bubones si in inguine appareant, explorandum primo, utrum discuti queant absque superatione, illis applicando.

Emplastrum de ranis cum triplicato vel quadruplicato mercurio.

Quod si æger conqueratur de pustulis cutis, hoc cum emplastro misceatur pauxillum sacchari saturni, quo mediante prædictum hoc incommodum evitabis.

Vel, ♃. Mercurii vivi cum aq. fort. ℥ viii. soluti, ℥ iv. axung. porcinæ, ℥ viii. coq. simul in fictili vase, continuo spatula lignea movendo, donec inspissari incipiant, massamque obtinebis mollem, adde cer. flavæ, ℥ ij. mastich. olibani, an. ʒ vi. m. f. emplastrum discutiens.

Vel, ♃. Lithargiri auri subt pulv. q. p. huic affundo aceti stillatic. q. s. coq. simul, donec acetum de acrimonia sua remiserit, & dulcedinem saccharinam acquesiverit, filtra.

♃. Hujus solutionis, ℥ vi. mercurii præparati albi vulg. ℥ ij. lento igne evaporentur ad siccitatem pulveris.

♃. Hujus pulvi ʒ j m. f. unguentum discutiens tophis, glandulisque induratis applicandum.

Quod si bubonum discussio ex voto non succedat, ad maturationem festinandum cataplasmatis ordinariis, vel emplastro diachulo simplici, ulcus porro aperiendo, mundificando & emplastro opodeldo consolidando.

In ulcere urethræ.

Urethra si ab acri & corrosivo sale corrodatur, intollerabilis oritur dolor, ubi urinæ reddendæ sunt; acre enim sal urinæ transeuns, locum erosum, hunc infestissime mordicat, & pungit, per seringam itaque fit injectio talis

♃. Lactis tepidæ, vel aquæ rosarum ℥ ij. sacchar. saturni, ʒ i ß. m. f. injectio anodina.

Vel, ♃. Balsami saturni rubicund. gut. xx. aquæ ros. vel lactis tepidæ, ℥ ß. m. f. injectio anodina, quæ continuatur, donec pars erosa consolidata fuerit, sed cum à præterfluente urina curatio valde retardetur, patiens, dum ipsi inungendum erit, fistulam argenteam, oleo olivarum illitam, in urethram introducat, ut hujus beneficio præcaveatur, quo minus urina locum affectum attingere queat.

Ulcus, si se manifestaverit, mundificetur sequenti

♃. Vitelli ovi, ad duritiem cocti, nu. i. mell. optimi, ℥ j. misceantur exacte terend. cum pistillo, donec obtineas colorem spadicium, adde mercurii sublim. ℈ ij. vel ʒ j. m. f. mundificativum.

Sæpius ulcus tangatur oleo ligni guajaci mediante candela cærea.

Quod si summe pertinax fuerit, neque ordinariis cedat remediis, tangatur oleo uriginis, de quo vide Hartmannum in praxi sua chymica, capite de gonorrhea, vel aqua forti, & postmodum aqua tepida eluatur, & cicatrisetur, cum prædicta oleo guajaco.

Virus ubi expurgatum est, fluxus seminis sponte sedari solet, quod si vero ex debilitate vasorum, vel erosione nimia, ex voto medici hoc non succedat, adstringentia, & confortantia sunt utenda, ut.

♃. Trochisc. de terra sigill. ʒj. corall. rubr.

præ-

præparat. ℥ß. Terebint. cum aq. plant. latæ, ℥vi. M. F. pilulæ instar pisorum, quarum pro dosi v. vel vi. dentur mane & vesperi.

Vel, ℞. Vini rubelli, aq. sulphiti, vel consolid. major. ana ℥v. In quibus infunde per noctem fol. schordei, m j. cort. granatorum, Bacc. juniperi, ana ℨiß Boli armen. ℥ß. Mane leviter ebulliant, & colentur, & post urinam redditam, fiat injectio per seringam

Vel. ℞. Sem. alkekengi, ℨij. quatuor frig. major. papau. alb. lactucæ, plantaginis, ana ℨj. agni casti, ℨj. Rhabarb. electi, ℥ß. mastiches, ℨij. boli armeni, Gummi arabici, Succini albi, Gummi tragacant. Amyli, ana ℨij. rof. rub ℨj. Terebint. q. s. pro materia pilularum. M. F. pilulæ, dosis à ℈i. ad ℈ij.

In ulceribus malignis glandis.

Ulcuscula maligna si glandam infestent, ordinariamque medendi methodum respuant, medeunt aqua sequenti,

℞. aq vulgar. q. p. ebulliat in lebete ærio, in ea dissolve. calcis vivæ parum, adde vitriol. hungar. tantum, ut cœrulescat solutio, filtretur. M. F. fotus, & tepide applicandus. ad hoc suum codfert aqua divina Fernelii, vel

℞. Lactis virgin. q. p. in eaque solvatur, Mercurii sublimati pauxillum M. F. liquor, quocum tangantur ulcera maligna sæpius.

Vel Axung. porcin q. p. quocum misce olei tartari per deliq. tantum, donec obtineas unguentum acre, cui si tandem non auscultent Loco olei tartari per deliq. misceatur oleum vitrioli. M. F. linimentum mundificativum.

Mercurius dulcis, ut & turbith minerale, mixta cum unguento convenienti non inferiores hic obtinent. *Anonymus Praxeos chymiaticæ rationalis cap. 25.*

Consultationes.

Pro Iuvene Perilustri, & Nobilissimo Gonorrhæam patiente.

Quòd perillustris, & Nobilissimus Juvenis detineatur gonorrhœa, jam omnibus est perspectum, quæ nil aliud est quam involuntarius seminis exitus. Verum quoniam quandoque semen purum, quandoque mixtum cum aliis humoribus excernitur, in casu nostro mixtum cum bile semen exire, color flavus exeuntis indicat sed an huic fluori conjuncta sit aliqua malities venerea merito dubitari potest, & pro utraque parte rationes non desunt. Primum quidem pro parte affirmativa est ratio desumpta ex commercio quod habuit cum pluribus fœminis suspectis, pro parte verò negativa est ratio desumpta ex consequentibus hunc fluorem solent enim alia symptomata, ubi est adjuncta malities venerea, fluorem subsequi, quorum nullum observatur in Iuvene Nobilissimo. Ex quibus utraque pars sustineri posse videtur.

Verum quamquam symptomata alia non appareant, dicerem hoc evenire posse, quia malum est in principio, & utinam non superveniunt, nam ut verum fatear ego quasi certus sum de infectione, & eo magis quia novi patientem ultimo rem habuisse cum muliere lue illa venerea obruta & infecta.

Jam igitur causæ hujus fluoris sunt ad emendæ, qui fluor quoniam est symptoma secundarium necessario in aliquam actionem læsam refertur, hæc autem nulla alia esse potest, nisi retensio vasorum seminalium, quæ cum possint lædi, vel per se, vel ex accidenti per se quidem vitiatis vasis seminariis, ex accidenti vero irritata facultate expultrice ob seminis acredinem, quam accedere puto ex dicta bilis cum semine admixtione, atque forsan à lue illa venerea sanguinem, & semen inficientibus.

Sed utrum seminalium vasorum dilatatio aliqua conjugatur, jure quæreret aliquis, cui ego responderem, in hujusmodi vitio fere semper aliquam vasorum dilatationem conjungi, vix enim fieri potest, ut fluor prædictus aliquot diebus perduret, nisi aliqua vasorum relaxatio, ac aperto suboriantur.

Quare ex dictis patet ad medicum attinere seminis acredinem removere per evacuantia, & attemperantia, atque etiam materiam prædictam retrahere, & si aliqua adsit qualitas venefica, eandem proprii alexipharmacis domare; Amplius oportebit vasa nimis dilatata constringere, maximeque viribus prospicere.

Quare omnia ardua erunt, ac difficilia, quoniam effectus est satis progressus, & suspicio non levis occurrit venereæ infectionis, ut ex hac immineat etiam defluvium capillorum. Danda tamen erit opera, ut quamprimum affectui præsenti, & huic imminenti, & aliis quamplurimum hunc subsequi solitis occurratur.

Ideo lenita alvo venam cubiti secare, & si opus fuerit cucurbitulas natibus cum scarificatione adhibere oportebit.

De pharmacis ita decerno, ut quam citò leniatur alvus cum Diasebesten lenitivo, vel Diacassia cum manna, deinde præparentur humores decocto endiviæ, sonchi, acetosæ, plantaginis, & coriandrorum præparatorum cum syrupis accommadatis, postea deturbentur, cum diapruno lenitivo, & ab hac purgatione uterer ego sero calybeato cum succo acetosæ, vel thermis frigidis, post quarum usum saccharum rosatum antiquum cum pulvere coralli rubri seminum cannabis, coriandrorum præparatorum, plantaginis, & similium propinarem, Sed præter hæc si suspicio luis venereæ præsens erit, nil præstantius decocto salsæ, & chinæ esse poterit.

Externis autem convenit unguentum Comitissæ, infrigidans Galeni, Renibus adhibitum.

Quibus tandem addendus est victus accommodatus, qui erit, ut patiens degat in aëre temperato, vescatur ptisana, lacte seminum melonis, & cannabis, carnibus optimis in aqua calybeata decoctis, ovis, piscibus petrosis, oleribus refrigerantibus, & utatur vino paucifero, vel aqua diluto, quod magis expediet, si sandalis, salsa, itemque china medicabitur, somnus sit longior vigilia, alvus proprium officium exerceat adjuta, si opus fuerit, clysteribus emollientibus, ac refrigerantibus, demumque animi, & corporis quies imperetur, in quibus omnibus ad majorem efficaciam à D.O.M auxilium implorandum est. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinal.*

Gonorr

Gonorrhœa ex frequenti manstupratione.

Juvenis quidam Jurium studiosus, constitutionis sanguineæ, & per naturam in venerem proclivis œstra libidinis & coëundis appetentia sæpius tentabatur, quam ut compesceret, titillante virilia manu semen eliciebat, idque frequenter, ut ipsa fatebatur bis, ter & ampliùs de die: tandem in gonorrhœam incidit cum insigni virium & totius corporis debilitate.

Causam istius gonorrhœæ laxitatem vasorum seminalium esse judico quatenus ex frequenti manstupratione vesiculæ semen continentes toties inanitæ iterumque repletæ laxitatem contraxerunt, id quod etiam ab humorum affluxu fieri quandoque solet.

Corporis totius debilitas ab intempestiva & nimia seminis profusione proficiscitur. Quemadmodum enim semen intempestivè retentum corporis totius gravitatem inducit, & si corrumpitur gravissima symptomata excitat: Ita nimium excretum calorem nativum dissipat, cruditates cumulat, nervos lædit, mentem hebetat, & universum corpus debilitat.

Ut itaque facultas retentrix labefactata roboraretur & vasorum seminalium laxitas emendaretur, adstringentia quædam interna & externa præscripsi.

℞. Rad. torment. fragar. bistort. an. ℥ ß. flor. rosar. rubrar. m. j. balaust. cortic. granat. an. ʒ iij. succi acaciæ ℥ß. sem. berber. ʒ ij. cassiæ lign. ʒ iij. mixta infunde in vini rubr. styptic. ℔ iv. adde sp. vitriol. gut. xxi. extrahe tinctur. lento calore MB. Colatur. adde syr. corallin. Quercetani ℥ vi. M. De hac tinctur. bibat singulis matutinis ℥ vi. cum jejunio trium horarum. Vesperi decumbens confectionem stypticam Mynsichti, vel subsequens electuarium delibet.

℞. Conserv. rosar. veter. ℥ iv. carn. cydon. condit. ʒ vi. nucis Indic. condit. ʒ ij. pulver. tormentillæ, balaustior. an. ℈ ij. terr. sigill. corall. rubr. præparat. an. ℈j. C.C. præparat. ℈iß. cum syr. granat. acido f. electuarium. Extra usurpatur tale unguentum.

℞. Olei rosar. myrth. mastich. an. ʒ vi. bol. armen. terr. sigill. balaustior. an. ℈ i ß. ceræ albæ parum, M. F. unguentum molle.

His per integrum mensem adhibitis à turpi hoc malo liberatus est æger; monui in posterum à tam nefanda libidine abstineret, memor Divinæ comminationis, quâ ab hæreditate regni Dei excluduntur molles, Epist. Paul. ad Corinth. 1. cap. 6.

Abominandum sanè & homine Christiano indignum scelus, quod etiam Ethnici saniores detestati sunt, ut videre est apud Martialem, qui hoc nomine acriter reprehendit Ponticum.

Pontice quod nunquam futuis sed pollice lævâ
Uteris & veneri servit amica manus.
Hoc nihil esse putas, scelus est, mihi crede, sed ingens
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit generaret Horatius, ut tres,
Mars semel ut geminos ilia casta daret.
Omnia perdiderat si masturbatus uterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam, credo, tibi naturam dicere verum:
Illud quod digitis, Pontice perdis, homo est.

Baltassar Timæus in Casibus Medicin.

De gonorrhœa simplici

Vir triginta quinque annorum, temperamento pituitosus, diu alimentis humectantibus usus, jam à longo tempore ex urethra inscius, & sine sensu frequenter emittit liquorem aquosum, crudum, viscidum. Toto corpore gracilescit: oculi sunt concavi. Vires ejus in dies magis magisque imminuuntur. Cum impura fœmina non consuevit.

Afficitur in hoc ægro totum corpus; quod ex gracilitate, & ejus debilitate innotescit. Sed præcipue afficiuntur prostatæ & aliæ partes, quæ seminis generationi inserviunt; quod testatur involuntarium illud ac inperceptum liquoris istius aquosi crudi & viscidi effluvium.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies frigida, ac humida & nimis laxa & rara testium, eorumque prostatarum & parastatarum, quæ frequentem liquoris aquosi, crudi & viscidi, ac sine sensu ex urethra effluentis excretionem, magnamque totius corporis extenuationem inducens Gonorrhæa simplex appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus alimentorum humectantium usus. Inde vero, adjuvante temperamento ægri pituitoso, aqui in corpore copiose geniti humores, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars vero ad parastatas, parenchyma testium, & prostatas delata, iisque partibus intemperiem frigidam ac nimis laxam raramque impartiens, continens hujus morbi, & aquosi crudi & viscidi humoris, per urethram sine sensu copioso effluentis, symtomatumque hinc sequentium, est causa.

Dum enim sanguis à corde in illas partes, intemperie ista laborantes, impellitur, propter ipsarum intemperiem frigidam & humidam relinquitur crudus, ac convertitur in materiam aqueam & viscidam, quæ, cum nullos aut paucos habeat spiritus, e partibus istis, ob laxitatem & raritatem, earum nimiam, sine ullo voluptatis sensu copiose emittitur. Et quoniam ille fluxus est perpetuus, quo succus alimentarius subducitur toti corpori, hinc totius corporis est extenuatio, oculorum excavatio, viriumque quotidie sese augens debilitatio.

Affectus hic, quia diu duravit, & est in partibus genitalibus interioribus & à ventriculo remotis, ad quas vis medicamentorum difficulter deferri potest; satis difficilis ejus erit Curatio.

Quæ in causa procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei correctione, consistet.

Primo itaque ad causæ antecedentis, nempe pituitosorum humorum evacuationem, præscribatur hoc purgans.

℞. El. diacathol. ℥ ß. turbith. pulv. ʒß Rabarb. ℈ß. cinamom. gr. iv. Dissolve in aq. card. benedict. ℥ij. ß. aq. fœnicul. ℥ß. Misce F. Haustus aliquoties repetendus.

Interim utatur hoc decocto ad intemperiei alterationem.

℞. Fol. menth. absinthii rom. an m. j. Sem. agni casti, rutæ, myrthi, Cupular. gland, sem. rosar. rubr. an. ʒiß. F. decoctio in vino

rubro

rubro gallico ad lib. j. cum sacchar. q. s. Et fiat Apozema, de quo sumat haustum. ℥vi. omni mane & vespera.

Et inungatur regio lumborum & perinæi, inter scrotum & anum, hoc unguento.

℞. Ol. mastichini ℥j. rutacei, menthacei an. ℥ii. Sem. agni casti, urticæ, rutæ an. ℈j. Menthæ, cariophyll. an. ℈ß. cera q. s. Pulverisatis pulverisandis. F. Unguentum.

Postea utatur dragma una sequentis pulveris, cum haustu vini rubri, vel cum lacte, cubitum iturus.

℞. Gland. quercus in furno exsiccatarum ʒvi. Sacch. ros. tabellati ʒi. mastiches, rhuris an. ʒi. Sem. coriand. ʒiß. succini ʒj. Viticis, fol. menth. an. ℈i. Oculor. cancri ʒi. F. Pulvis subtilissimus.

Si hæc & similia parum juvent, poterit per cauterium potentiale fonticulus excitari in utraque tibia, paulo infra poplitem, in paribus internis, ad humores pituitosos, cum materia seminis ad genitales partes fluentes, easque nimis laxantes, alia deducendum.

In diæta alimenta sint exsiccantia & calefacientia, & frequens orizæ usus. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib. 3.*

De Gonorrheâ virulentâ, & Vlcere præputii meatusque urinarii.

Juvenis 30. annorum, jam à quatuordecim diebus patitur fluxum materiæ cujusdam purulentæ & fœtidæ, ex meatu ejus urinario perpetuo fere effluentis, & indusium ipsius commaculantis. Ardor in fine mictionis adest immensus, præputiumque ipsius extrinsecus est exulceratum. Hæc omnia præcessit coitus, cum fœmina non satis pudica aliquoties peractus.

Morbus, quo æger hic laborat est intemperies prostatarum, & forsan etiam vicinarum partium, maligna contagiosa, acris, & nimis laxa & rara; cum urethræ ulcere & præputii externa exulceratione conjuncta: quæ perpetuum fere materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra effluxum, urinæque, ab ejus excretione, ardorem producens, vulgo Gonorrhæa virulenta appellari solet.

Morbus hic originem duxit à coitu, cum fœmina impudica & impura aliquoties instituto. Inde enim, per contactum partium genitalium, maligna intemperie laborantium, partes genitales hujus ægri, & in iis præcipuè prostatæ, similem intemperiem pravam contraxerunt Eaque humores, ad alituram & semini generationem eo propulsos, in materiam purulentam & fœtidam convertit. Hi vero prostatas laxantes & acrimonia sua vellicantes, urethramque cum præputio erodentes & exulcerantes, partesque illas ad excretionem perpetuo stimulantes, perpetuum materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra profluvium, urinæque magnum, ab ejus excretione, ardoris, vel potius acrimoniæ, sensum producunt.

Morbus hic periculosus est: cum luem veneream & carunculam in meatu urinario, producere possit.

Curatio itaque prudenter instituenda: quæ in intemperiei per contraria correctione, & ulcerum mundatione, consolidatione, consistet.

Primo itaque talibus purgetur bolis.

℞. Rabarbari pulv. ʒi. Terebintinæ venetæ ʒiii. Cassiæ recens extractæ ℥ß. Misce f. Boli mane à jejuno sumendi cum nebulis; qui subinde reiterari poterunt.

Postea mane, & vesperi circa horam 4. sumat cum lacte trochiscorum alkekengi pulv. ʒi. continuando per aliquot dies.

Si malum perseveret, utatur bis in die, de hoc decocto, haustu ℥iiii.

℞. Rad. petroselini ℥i. althææ ℥i. ß. Liquiritiæ, consolidæ an. ℥ii. Bistortæ ℥ß. Herb. plantag. alchimillæ an. m. i. Flor. malv. arborescentis p. i. Sem. lini, cydonior. an ʒii. glandium ℥i. Nucleor. persicor. ℥ß. Decoq. in aq. hord. q. s. ad lib. ii. & Colentur ad usum.

Dum his utitur, in penem primo talis fiat injectio detergens, syringa injicienda.

℞. Lithargyr. argent. cerussæ, tutiæ præpar. an. ʒi. Sacchari candi ℥ß. camphoræ, ℈ß. aluminis ʒi. Aq. rosar. plantag. an. ℥iv. Misce.

Postea ad cicatricem inducendam, tali injectione utendum.

℞. Trochiscor. alb. Rhasis ℥ß. Boli armen. ʒß. Aq. rosar. plantag. an. ℥iv.

Ulceri in glande adhibeatur hoc Unguentum

℞. Cadmiæ fossilis, sive lepid. calaminaris. ʒiß. Sulphuris, argenti vivi an. ʒi. Cum terebinthina misceantur in formam. Unguenti, addendo parum exungiæ porci.

Si malum pertinacius perseveraret, ʒi. vel ʒß sumatur quotidie de hoc pulvere cum lacte.

℞. Rabarbari opt. myrobalanor. citrin. Mercurii dulcis an. ʒi. F. Pulvis.

℞. Coralli rubri præp. succini an. ʒiß. camphoræ gr. v. Terræ lemniæ veræ ʒii. nucis muscatæ ʒi. F. s. art. Pulvis subtilis.

Victus ratio hic instituenda humorum acrimoniam obtundat. Propterea utilis est ptis. hordeacea cum amygdalis dulcibus & 4. sem. frig. majoribus. Utatur frequenter oryza & lacte. Vitentur acria, salsa, acida, & diuretica. *Idem ibidem.*

De Hypersarcosi.

Juvenis 27. annorum, postquam per aliquot menses gonorrheâ virulenta, admodum acri & mordaci, ex coitu cum impuro scorto peracto nata, laborasset; ab ea liberatus cœpit laborare magna urinæ difficultate, ita ut ea aliquando penitus supprimatur, nonnunquam paulatim & guttatim magno cum urethæ ardore & dolore emittatur. Immissa in eam candela cerea libere non transit, sed in medio meatus urinarii impedimentum invenit, quod tamen paulo fortiore ejus pressione cedit.

Afficitur in hoc ægro media pars meatus urinarii in pene; quod ex urinæ & candelæ ceræ immissæ impedimento, & magno urinæ excretionis ardore ac dolore, in eo ibi percepto, patet.

Morbus, quo hic æger laborat, est obstructio meatus urinarii, orta à caruncula in media urethra nata; urinæ justam excretionem impediens; magnamque dysuriam inferens.

Hæc cum à gonorræa virulenta, ex impura Venere contracta, & carunculam in urethra

penis producente, sit profecta, græce Hypersarcosis Urethræ Venerea, & latine Caruncula in meatu urinario, à causa proxima & parte affecta, appellari solet.

Causa procatartica hujus morbi est coitus, cum impuro scorto ab hoc juvene aliquando peractus; quo ejus partes genitales per contactum pravam intemperiem contraxerunt, indeque succus seminalis & alimentarius in iis corruptus antecedentem huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus ad prostatas delata, ibique in liquorem virulentum acrem & mordacem conversa, antehac suo profluvio gonorrhæam virulentam aliquot menses durantem, & postea acrimonia sua urethram erodens, primo ibi ulcus, & deinde poros ibidem vitians, & nimis laxans, carnem nimis laxam & copiosam sive hypersarcosin, meatum urinam obstruentem, in urethra genuit; eaque ibi ita genita proxima & continens hujus obstructionis Urethræ, symptomatumque, inde sequentium, nempe urinæ modo suppressæ, modo guttatim cum magno dolore & ardore effluentis, est causa.

Morbus hic periculosissimus est, difficillimæque curationis: propterea quod sit in loco valde angusto, acutissimoque sensu prædito; ad quem remedia difficillime applicari, & applicata ægerrime ferri possint; atque ideo sæpe per totam vitam durare solet. Sæpe etiam, urinam penitus sufflaminando, mortem inducit. Non tamen de sanatione desperandum censeo; quia hoc malum est recens, caruncula est mollis, non callosa, sed pressioni fortiori candelæ immissæ cedens.

Curatio itaque diligentissima hic est adhibenda. Eaque primo in carunculæ extirpatione & consumptione, & deinde in ulceris, post carunculam ablatam reliqui, exiccatione & cicatrizatione consistet.

Quæ ut recte peragantur primo æger noster blando hoc medicamento purgetur.

♃. Electuarii lenitivi, Cassiæ recent. extractæ an. ℥ß. Dissolve in s. q. aq. hordei, & f. Haustus brevis.

Postridie venæsectio instituatur ad uncias sex.

His peractis, adhibeatur carunculæ in meatu urinario cannula lintea, intus cera alba & foris sequenti erodente linimento oblita, transversum digitum longa, & justa cavitatis latitudine prædita, longoque filo appendente transfixa. Medicamentum illud tale erit ex. gr.

♃. Mellis in cineres usti, Tuthiæ præp. Butyri recent. in aq. plantag. loti, Terebinth. similiter lotæ, Ceræ flavæ. an. ℥ß. Aluminis usti ʒß Misce F. Linimentum.

Hoc crebrâ experientia teste, carunculas meatus urinarii, absque dolore, & sanarum partium excoriatione, consumit.

Quidam hoc experimentum summis laudibus extollunt.

♃. Pulv. argenti viv. Merc. præcipit. Viridis æris Antimonii crudi an. ʒiii. Ceræ albæ ℥i. Misce s. a. in mortario plumbeo ad formam unguenti.

Cannula igitur, cujus jam memini, ubi uno ex his medicamentis foris fuerit oblita, stylo, extra fistulam argenteam ad digiti transversi longitudinem prominenti, adaptetur, atque una cum argentea fistula & stylo inserto, in urinarium canalem immittatur, donec occurrat carunculæ, & cum jam est in loco carunculæ, primum stylus & deinde argentea fistula retrahatur; quo fiet ut cannula, ex linteo cera inducto parata & immissa, relinquatur in meatu urinario, ut per eam urina excernatur, eaque simul prohibeat, ne medicamentum, carunculæ admotum, ab urina elui possit.

Cum volumus renovare medicamentum post unum vel alterum diem, tum ope affixi & propendentis fili cannula extrahenda est, aliaque modo jam explicato adhibenda.

Vel exstirpatio carunculæ institui potest sequente unguento, quo extremitas candelæ cereæ inungitur, eaque ad partem affectam per urethram immittitur, ibique noctu diuque relinquitur; &, cum mejendi est pruritus, extrahitur, & postea rursus adhibetur.

♃. Præcipitati ʒii. unguenti de cerussa ℥iß. Misce. quibus pro magnitudine affectus aliquid olei vitrioli addi potest.

Consumtâ carunculâ, quod ex facili & libera urinæ excretione deprehenditur, ulcus erit exsiccandum, & cicatrice obducendum tali medicamento.

♃. Butyri recentis ℥ii. cerussæ lotæ in aq. ros. ℥i. Camphoræ ℈i. ceræ parum F. Unguentum, quod candela cerea immissa loco affecto adhibitur.

Vel ♃. Aq fabrilis lib. ß. Nucum cupressi, Gallæ, Cort. mali granati an. ʒiß. Alumin. rochæ ʒß. Bulliant omnia.

Ex hoc decocto tepido fiant injectiones in meatum urinarium syringa, donec ulcera sanentur.

Victus ratio hic exsiccet, & humorum acrimoniam etiam obtundat: propterea convenit ptisana hordeaca cum amygdalis dulcibus & 4. sem. frig. major. Utatur quoque frequenter oriza & lacte. Vitentur acria, salsa, & acida, atque etiam diuretica. *Idem ibidem*

Observationes.

Gonorrhæa Virulenta.

Nobilis mulier à marito inita, qui cum prostibulo impuro concubuerat, inquinatur: hinc gonorrhœa virulenta male fluorem muliebrem repræsentans. Quæ excernuntur, cum virore pallescunt. Iam fluxus ille per annos perseveraverat, illam à variis morbis vindicans. Tamen propter contagionem massæque sanguinis labem valetudinaria est; quoniam credo, non satis largiter virulentus ille humor decurrit. Menses plene subsistunt. Atque hinc illinc metus ingruit quidam. Num si supprimatur illud θερμῶδες & virulentum, pernicies consequetur? sin fluat tametsi suo exitu commoditatem affert, siquidem in maciem ita laborantem conjiciet? Quod plerisque usu venit; siquidem non potest non afficere partes per quas traducitur ineunte vere quo præsertim tempore omnia repuerascunt, summam in renibus gravitatem sensit. Dejicitur appetentia: languet: munia non obit sua: Dolores in ventro excitantur toto. Quo medicamento ex orheo & syrupo laxativo sæpe adju-

ta fuerat, eodem occurritur: malum recrudescit. Tandem diu noctuque ita vexatur, ut ferendo non sit. Pulsus languidus & sepultus: facultatum omnium fere concussio, ac maxime vitalis. Sursum deorsum fertur materia. Quæritur quid sit opus. Sensim atque sensim crescunt dolores pungentes & ferientes, divellentesque membranas. Dolor turgens est, & qualem Galenus describit lib. 3. de locis aff. i. e. in partibus quibusdam sentitur dolor veluti à remota alia parte velut radice derivatus; quod notandum est, falso credunt colicum esse dolorem; propterea que, ut fere fit, liberales nos esse debere in usu rerum calidarum: imo tali usu ægrescebat magis; in eam sententiam ventum est, ut crederemus in provocando illo fluore incumbendum esse alioqui frustra operam deturos. Atque ita provisum est. Primum is clister injectus.

℞. Maluæ bismal. artemisiæ, an. m. j. sem. pœoniæ rubeniæ rubentis ℥j. agripalmæ p. i. rad. petrosel. asparagi an. ℥j. sem. lini, fœnugr. an. ℥ ß fiat decoct. In colat. dissol. terebinth. ʒij. sacchar. rub. ℥j. olei liliorum Eodem die excitatus vomitus materiei virulentæ & ejus quæ olim per inferiora ferebatur: Non à ventriculo erat, sed ab jecinore & regione Renum, ut conjecturis deprehendebatur. Quæstio an esset sistendus an juvandus. Non placuit juvare, ne materiam quæ per inferiora moveri deberet, aliorsum revelleremus. Vrgentibus doloribus coacti sumus adhibere balneum, uti succo amygdalar. dulc. cum vino Hippocrat. Cessabant statim dolores: è balneo egressæ redibant. Secta vena in malleolo, adhibiti pessi ex hiera dicolocynt. Pulvere hieræ & galyops addita styrace liquida: & involuti sunt santalo. Deinde pilulis de hiera cum agarico & rheo consultum est. Tandem repetiti clysteres primo similes. Et præscriptus bolus sequens post balnea.

℞. Therebinth. venatæ ʒiii. rheih. ℈i. cum syrup. capill. ven. capiat. Secta vena in brachio ob turgentem in lumbis dolorem. Applicatæ cruribus cucurbitulæ. Tandem ad decoctum sarsæparillæ ventum est ad proliciendos sudores. Provocati sunt atque ii admodum fætentes. utcumque convaluit. *Ballonius Consilior. medior. lib.* 1.

Mercator quidam una muliere non contentus, quantum licuit libidinose vixit: & cum prostibulis versatus, inquinatus est, unde & gonorrhæa & ulcuscula cacoëthea in pudendo manaverunt: Tamen sibi præcavens advocato Medicorum consilio, in luem non incidit. Sed cum rem leviculam putaret, semine illius virulentæ gonorrhææ intempestivius suppressæ redivivo, sensit dolorem acerbum in spina, & lumborum regione imo in pene ulcuscula repullulant, statimque evanescunt difficultatem spirandi nonnullam habet ἀνερεκτος est, macrescit in dies, dolet totam spinam, & lumbos. Inito consilio dictum est id totum esse â reliquiis istius virulentiæ quæ sensim vires acquirit: immo & rudimentum esse illius affectionis quam Hyppocrates in libris de morbis tabem ex dorso vocavit. Itaque tametsi ad oppugnandam vim morbi valeret usus guajaci, tamen de macie erat verendum. Itaque creditur satius corpus reficere, & interea non esse alienum ut interponeretur usus hydroticorum temperatorium ut non proliciantur sudores, sed ut potius sensim humores desiccentur, & maligna qualita emendetur. Consilii hæc sunt capita.

Bis hebdomade injiciatur clyster emolliens & detergens. Primo quoque tempere utatur bolo cum rheobarbaro. Aperiatur basilica dextri brachii ad tria vascula.

Utatur semel pauca terebinth. cum syrupo de althæa. Pauca autem sit quantitas, ne hinc aluus solvatur, sed tantum ut vasa munda fiant.

Linatur frequenter spina oleo mastiches, cytonio, rosato cum aceto. Deinde utatur lacte asinino per dies viginti continuos.

In partibus decocto sarseparillæ diluto satis, idque cum passulis. Tandem cum renutritus fuerit, ad decoctum chinæ, & sarsæpariliæ minime dilutum adducetur, si semen mali longius disseminetur. Et cum perseveraret dolor, & calor summus in renibus, hoc quod sequitur fuit institutum.

℞. Sapæ lib. 5. mucaginis decoctionis malvæ bismal. violarum, seminis psyllii, melonum: adde opii ℈ii. & applicetur instar cataplasmatis regioni renum. *Idem ibidem.*

Mulier quædam cum Gonorrhœa laboraret, hoc uno decocto, à profluvio seminis, & urinæ ardore, post universalia remedia adhibito, ex incontinenti per me curata fuit.

℞. Liquirit. ʒvi. sem. myrtillor. coriandr. præpar. plantag. agn. cast. an. ʒi. sem. papav. alb. ℈ii. sem. hioscyam ℈ß. hord. mund. M. j. acaciæ, sumac. an. ℈i. semina contund. crasso modo & bulliant omnia in aq. chalybeata pro ℔iß. colat. adde troch. alkikeng. ʒi. M. Sumebat cyathum bis in die, neque aliis medicamentis opus habuit.

Benedictus Faventinus, Præceptor meus hoc in simili casu magno cum successu & experientia utebatur. Si & Gonorrhœæ adesset dolor & ardor, dabat tepide septem diebus lactis ovilli ʒiii. aq. plantag. vel succi ejus ℥j. boli. armen. ʒi. M. *Petrus Forestus. observ.* 15. *lib.* 26. *De Penis Vitiis.*

D. Bontius in Gonorrhœa, ut J. Heurnius inter secretoria remedia sua, annotavit, usus fuit his Pilulis.

℞. Sem. lactuc. papav. an. ʒiii. rad. nymphææ ʒiii. ros. rub. ʒi. corall. rab. ʒii. camphoræ ʒß. sem. agn. cast. ʒi. cum muccagine tragacanth. F. massa ex ʒi. fiant Pilulæ vii. In Notis ad cap. 13. lib. 6. *Pathologiæ Ioann. Fernelii.*

Vir quidam Gonorrœa antiqua laborans, à me consilium petiit: cui primum præscripsi purgationem ex Mercurii dulcis ℈i. cum pil. coch. min. eadem quantitate, & sequenti die venæ sectionem. Deinde Bolum ex rhab. pulv. ʒi. cum terebinth. ʒiii. quem continuavit per quinque dies, eoque purgabatur ter aut quater in die: iterum sumpsit Pilul. Mercuriales, & prædictum bolum per alios quinque dies: ac tandem aquam sequentem per octo dies.

℞. Menth. sicc. ʒiii. sem. lactuc. rutæ agn. cast. an. ℥iiß. ireos fl. ʒii. dictamn. cretic. ʒx. sacch. albiss. ℔ii. omnia pulverentur addendo terebinth. venet. ʒv. vini albi generosi ℥xxx. F. destillatio in balneo M. capiat cochlearia duo mane duabus horis ante cibum. His remediis

à contumaci illo affectu liberatus est. *Lazarus Riverius obsev.25.cent.1.*

Juris quidam utriusque Doctor Gonorrhœa laborans à me consilium petiit: illi bolum præscripsi ex rheo & terebinth. per quinque dies sumendum: & cum nondum fluxus cessaret, postea usus est aqua ad Gonorrhœam Quercetam in illius Pharmacopœa descripta: prima exhibitione omnino sublatus est fluxus, & ideo per tres aut quatuor dies tantum illius usum continuavit, neque amplius rediit affectus. *Lazarus Riverius observ. 36.cent.1.*

Vir quadraginta annorum ex impuro concubitu Gonorrhœam contraxit, cui ab initio præscripsi bolum ex cassiæ ℥i. rhei pulv. & crystall. tartar. an.ʒi. Sequenti die volebam sanguinem mittere ex pede, quod ipse æger renuit. Emulsiones præscriptæ sunt ad tres aut quatuor dies quibus urinæ acrimonia temperata est fluxu eodem modo perseverante. Postmodum ptisana laxante usus est per septem dies continuos, in hunc modum præscripta.

℞. Tamarind. ℥ii. aq. fontis ℔iv. coq. ad ℔iii. in colat. infund. frigide per noctem sen mund. sem. coriand. liquirit. & ros. rub.an. ʒii. capiat cyathum unum mane hora una ante pastum. Hoc remedio fluxus valde imminutus est, ad quem omnino delendum bolum sequentem præscripsi.

℞. Terebinth. venet. ʒiii. rhei pulv. ʒi. F. bolus quem capiat mane per quinque dies deinde aqua superius descripta usus est per septem dies. Hoc modo Gonorrhæa curata est: quia tamen exigua quædam humiditas in extremitate glandis frequenter apparebat, ut in fine hujus morbi plerumque fieri consuevit: ad eam prorsus cohibendam & exsiccandum sequentes pilulæ præscriptæ sunt.

℞. Gummi arabic, tragacanth. carab. nummiæ, bol. armen. an. ʒi. pulverentur, & cum syr de rosis sicc. F. pilul. massa de qua capiat ℈i. singulis diebus mane, duabus horis ante pastum per octo vel novem dies, & ita fluxus omnino cohibitus est. *Lazarus Riverius. obsev. 74. cent. 4.*

Conserva fructus brusci à ʒii. ad ℥ß. per aliquot dies exhibita Gonorrhœas multas curavi.

Idem præstat aqua ejusdem fructus distillat. *Samuel Forminus observ.47.*

In Gonorrœa commendatur pulvis sequens.

℞, Fol. menth. mumiæ, corall. rub. agn.casti, carabes, an. ʒi. M. F. Pulvis: de quo accipiat æger aliquid mane jejuno ventriculo cum ovo tremulo. Vehementius sistit profluvium seminis pulveris ossis Sepiæ ℈i. cum conservæ rof. ʒii. bis vel ter sumptus, Excellentissimum est Magisterium ejusdem cum conserv. ros. antiqua à gr. vi. ad ℈ß. sumptum. Tinctura etiam corall. mirabiliter prodest.

In Gonorrhœa virulenta intetdum inflammantur testes cum maximo tumore: in eo casu præsentissimum remedium est Cataplasma ex foliis rutæ & ebuli aceto coctum & applicatum *Io. Hartmannus. Practic. chimiatr.pag.265.*

Juvenis viginti quatuor annorum, mirus formarum spectator ac verus Veneris alumnus, post coitum cum impura meretrice peractum patiebatur continuum ferme materiæ albicantis ac viscidæ ex urethra profluvium non tantum absque voluptate, sed præterea etiam cum dolore scindente, qui quoque aderat, cum æger reddebat urinam.

Fermentum nempe acido corrosivum in partibus genitalibus hujus scorti delitescens per penem hujus juvenis in poros prostatarum ac vesicularum seminalium à coitu plus solito apertos, sicque acredine sua & semen & humores nutritios alluentes infecit ac ulcuscula excitavit in illis partibus; hinc itaque vellicatio & continua fere contractio prostatarum ac vesicularum seminalium semen ac humores nutritios corruptos modo prædicto assidue propemodum cum dolore fundentium.

Malum hoc gonorrhæa plerunque nuncupatur, estque satis periculosum, quandoquidem sæpius degenerat in luem veneream, si differatur ejusdem medela, tunc etenim fermentum acido-corrosivum abripitur & cum massa permiscetur sanguinea.

Nulla itaque mora interjecta ad curam properavi, ac ad acidum corrosivum temperandum & evacuandum, ut & ad ulcusculorum sanationem sequentia præscripsi.

℞. Extr. cathl. Gr. xxiv. Mercur. dulc. Gr. vi. Sal. prun. antimoniat Gr. v. M. F. pil. N°. vii. Has pilulas tempore matutino assumsit patiens, ac sequentibus quinque diebus semel quotidie jejunus devoravit bolum hunc.

℞. Thereb. ven ʒii. Rhab. ʒi. M. S. Post iterum mox præscripta purgatione & bolis usus est ut ante, atque hocpocto pristinam sanitatem adeptus est æger.

Therebinthina à quibusdam tam diu coquitur, donec pilulæ inde formari queant, sed male, quoniam coctio oleum spirituosum in aëre propellit, cum tamen in eodem præcipua therebinthinæ virtus consistere reperiatur.

In hoc malo iterum acidum criminor, sed mira fortasse alicui videbitur mea opinio, acidum scilicet in animali vivente adeo noxium existere ac inimicum sanitati, cum interim acetum carnem mactatam conservet integram per longum temporis intervallum; sed ut & hunc amoveam scrupulum, respondeo rem longe aliter se habere in vivo animali ac in mortuo.

In vivo animali ad vitæ ac sanitatis conservationem apprime necessaria est sanguinis ac humorum libera per vasa tubulosque satis patulos circulatio, quæ tamen haud parum impeditur ab aceto aliisque acidis sanguinem ac humores coagulantibus. In mortuo autem animali ad mactatæ carnis conservationem prædicta non requiritur circulatio, sed tantummodo opus est, ut præcaveatur, ne valde parvæ carnis mactatæ particulæ ab aëre nimium agitentur, fermententur, ac è statione propellantur; acetum autem particulis suis crassis ac gravibus ab hunc effectum producendum idoneum est.

Quod autem caro mactata maneat incorrupta, si motus particularum valde parvarum, alias futurus, hac aut illa de causa sistatur vel hinc manifestum evadit, quod caro mactata brumali tempore per multos dies integra servetur, cum tamen eadem æstivo tempore citissime corrumpatur ab aëre tum temporis, in motu valde celeri constituto.

Quod vero acetum constet particulis, crassis ac gravibus, liquet ex destillatione, quæ docet, spiritum vini citius ac prius quam aquam, & aquam adhuc citius ac prius in alembicum elevari quam acetum.

Præterea dici posset, quod carnis mactatæ sal volatile cum aceto coaguletur, ac ita immotum conservetur & impediatur, ne fermentescat cum aëre, figuram suam mutet, ac avolet in aera, sicut cernimus sal volatile cornu cervi aut aliud quodvis cum spiritu acido coagulatum non avolare, ut alias facere consuevit.

Dum ago hic loci de gonorrhæa, in memoriam mihi redit haud illepidum alicujus medici responsum; inrerrogabatur hic aliquando inter pocula, quid foret in causa, quod homines tam facile supplicium paterentur in pene; ubi cum hac aut illa meretrice concubuerant, dum interim canes masculi cum canibus alterius sexus in numeris coeunt impune, ad quod medicus subridens reposuit, hoc contingere, quia canes, hac in re hominibus longe prudentiores, statim post coitum peractum cultellos suos lingendo bene purgare solent a sordibus, quæ forte adhærescunt; ex quo responso interrogator illud adhuc didicit, ut postea mox à coitu peracto membrum virile propria semper abluerit urina. *Iohann Mays in Praxi Chirurg. rationali.*

Gonorrhœa periodica.

In sexum sequiorem num cadat seminis profluvium jam non disputabimus: Paratæ utrinque rationes: Silentio autem præterire minime decet laborasse apud nos Juvenem Gonorrhœa periodica: Reditum hujus hospitis nunquam non nuntiabant dolorifica labiorum disruptio, nec non prævius universi corporis rigor: Prostratis inde notabiliter viribus ad nos accessit petitum Medicinam, qua facile impetrata, brevi convaluit: Præsentaneum auxilium præstitit sal corallorum ac Magisterium Saturni cum aceto nitrato paratum. *Ioh. Petri Truckelii.*

In Gonorrhœa affecto balano, insectulum limaciforme fuit inventum. *Petrus Borellus observ. 53.*

Gonorrhœa virulenta cum excrescentiis.

Juvenis quidam temperie biliosus, opulentus & salax, ab impuro & impudico prostibulo numisma venereum pro aureo permutaverat, ut de seminis profluvio dolorifico eoque flavo querellas haberet, monstrando insimul excrescentias verrucosas ad fibulam, unicam principio quidem, postquam vero eandem acu aperuisset, proliferam, nam quousque sanguis infectus fluxerat, eousque novarum notaverat exortum, ut etiam numerum tandem sexagenarium transcenderent. Huic in antecessum nodulum ex lignis, rhabarbaro &c. cum vino ordinavi, deinde Pilul. de Terebinthina cum pauco mercurio dulci præscripsi, tandemque decoct. nigrum Mynsichti composui, exterius applicandum, qui nunc aliquot liberorum pater vivit sanus. *D. Christophori Seligeri.*

Anatomicæ inspectiones

Gonorrhæa diuturna laborantis Glandosum corpus Semine repletum inventum est, cum Testibus eodem refertis.

In involuntario seminis fluxu laborante, quem Patavii dissecuimus, corpus Glandosum cum divideretur, non minus quam testes ipsos semine oppletum conspeximus: Et si verum fatendum est, inter dissecandum nulla penitus corporis parte tanta seminis vis usquam atque in hoc glandoso corpore invenitur, quantumvis id a testium substantia, mollitie, æquabilitate differat. *Vesalius de Hum. corp. Fabrica lib. 5. cap. 13.*

Gonorrhæa affecti cadaver vasa semen deferentia in penem maxime dilatata exhibuit.

Vasis semen in penem deferentis insertio conspectum quodammodo fugit, Et coitus, aut alias excretionis seminis tantum tempore aperitur: Quod Patavii quidam dissectus facile edocuit, qui ante suspendium involuntario seminis fluxu laborans, hos meatus omnes apertos laxosque habuit; eos potissimum qui ex testibus in Deferentis semen vasis revolutiones gyrosve pertingunt, & quibus dextrum & sinistrum deferentia semen vasa in vesicæ cervicem terminantur. *Vesalius de humani Corp. fabrica lib. 5. cap. 13.*

Gonorrhæa excitata ab ulceribus orificii vesicæ vicinarumque partium.

Mercatore febre exigua laboraret, ut fere decumbendi necessitas non esset, & flueret Gonorrhæa ut propterea sectio venæ differretur, tertio post die exacerbatus est dolor, & continua febris tenuit, &c. Nono mors.

Qui sectioni cadaveris interfuit Chirurgus, retulit reperta esse ulcera in orificio vesicæ & partibus, Et tamen de his non querebatur. *Ballonius Epid. lib. 2 pag. 160.*

Glandosum corpus (Prostatæ,) Gonorrhææ virulentæ sedes est.

Gonorrhææ virulentæ protrahuntur interdum ad decem annos, quale exemplum Patavii videmus in viro Bergomense, cetera sano sed vix ossibus hærente: unde in Gonorrhæa hujuscemodi non excernis semen, sed pus ulceri, ex prostatis vero videtur proximum: Certe in omnibus Gonorrhæa laborantibus in Nosodochio dissectis, ulcera reperimus, seu callum, ulceris præteriti: Impossibile alioqui foret tanto tempore effluvium seminis vita superstite perstitisse: Severinus Neapoli in dissectis invenit inflammationem & abscessum in parastatis: *Bartholinus cent. ii. Observ. 36.*

Gonorrhæa muliebris Glandoso corpore affecto excitatur.

Fluor muliebris, si continuus, & Gonorhæa, ita inter se conveniunt, ut nisi mentem adhibeat Medicus præ similitudine facile in errorem abeat, quanquam à diversis partibus procedant & per destinata loca excernantur, quidem Fluor iisdem quibus menstrua fluunt, ductibus ejicitur, quod vel ideo judicamus, quia menstruum cruorem ita subinde immutari cernimus, ut qui primo veluti à victima, referente Hippocrate, prodibat, nunc minus floridus, postea pallidus ac sensim albus appareat, Fluoremque muliebrem, Album dictum efficiat: Gonorrhæam vero ex Glandoso corpore provenire, & per lacunas circum, & in meatus urinarii exitu collocatas erumpere, Cadaveris cujusdam mulieris hoc vitio infecti palam fecit, Nam utero ejusque vagina innoxiis corpus glandosum sive Prostatas, urethræ circumpositas solum male affectas offendimus.

Dicet aliquis, Quomodo illa Medicus internoscere valebit, si mulier affecta se castam & ab omni virili consortio alienam profiteatur? ut cunque dijudicare poterit si ad prolabentem materiam, ægræque querelas diligenter attendat? materia namque Fluoris alteram in Gonorrhæa manantem longe quantitate superat. Querellas si consideret, Fluore fœdatas lumbari dolore cruciari, alias vero Gonorrhæa laborantes de oborta circa pudendas partes acerbitate lamentari audiet: Sin minus his contentus certior esse velit, genitalia inspiciat, siquidem meatus urinarii exitum circumsistentes partes (in quibus lacunarum exitus terminantur) mucosa quadam materia obsessas, ac interdum ulceratas reperiet, reliquis vaginæ partibus decenter sese habentibus, cujus contrarium in Fluxu albo fieri assolet: Sed hæc vulvæ inspectio non semper necessaria est, cum Medicus haud sit culpandus si medicamenta secundum ægrotantis querimonias præscribat: Si vero illum eludat, nec optatum præscripto medicamine successum contumax mulier consequatur, id sibi imputet; *Regn. Graaf. de mulierum organis cap. 9.*

GRAVEDO
Vid.
CATARRUS

GRANDO
Vid.
HORDEOLUM

GRAVIDARUM MORBI
Vid.
PRAGNANTIUM MORBI,

GURGULIONIS MORBI.

Gurgulio seu Uvula est corpus glandulosum supra laryngem è regione foraminum interiorum narium inter tonsilas situm, stiriæ instar rotundæ è palati limbo posteriore dependens. Contegitur involucris ori quidem & faucibus communibus, sed paulo crassioribus. Quidam asserunt binis suspendi musculis interno scilicet & externo pari, ut antrorsum & retrorsum moveatur in deglutione, sive ut humores contenti sic continuò exprimantur. Alii vero volunt in hoc musculorum apparatu rarissime ornari, id interdum ab involucro processus ossis sphænoidis ad ejus latera musculosas dimitti fibras, unde etiam quandoque totum ipsius integumentum carneum appareat. Aperto involucro glandulosa partis retegitur constructio fibris membranosis ac vasculis variis cohærens, quorum vasculorum extremitates inter papillulas ex interiori membrana ipsam investiente assurgentes, hiant, ac segregando cibi liquori cuidam salivali, sicut & aliæ omnes glandosæ palati & oris partes, inserviunt. Non tamen in hoc totus uvulæ restringitur usus, siquidem etiam inservit impediendo cibi & potus in nares ascensui; præterea, secundum aliquot, modulando aëri à pulmonibus propulso pro voce articulanda non parum facit, ut & reprimendo aëris ad pulmones in inspiratione tendentis impetu, ne scilicet in illos liberius irruens suffocationem inducat.

Variis pars hæc tentatur morbis, qui partim ex congestione in ipsa facta partim ab acrimonia aliunde adveniente enascuntur: Si enim humor salivalis in illa secretus, ac per vasa in faucibus hiantia evacuandus, per orificiorum suorum obstructionem in propria scaturigine diutius continuatur, illicque moras longiores trahat, non tantum partem tumefaciet & prolongabit, sed etiam in acrius quid ac corrosivum evectus inflammationes & ulcerationes non parum molestas, procreabit, imò in cancrum abibit. Rursus si virus in sanguine nidulans vel ex scorbutica constitutione vel ex venerea lue illic copiosius depluat, sine mora inflammationes & ulcerationes aliis non absimiles, progignet sed quæ curatâ morbi radice, per se, aut saltem paucis adhibitis aut particularibus ac topicis, evanescent. Ast quid hisce diutius insistimus quum de Curationibus, Consultationibus, observationibus, varia è variis huc adducenda sese offerunt.

Curationes.

In uvulâ exulcerata commode usurpatur hoc remedium, quod in aliis etiam affectibus oris & anginâ est præstans,

♃. Herb. malv. hort. m. i. filor. rosar. rubr. prunell. veronic. salv. an. m. ß. radic. pollypod. querc. ℥i. coq. in aq. portulac. ℔. iv. aceti vin. ℥vi. usque ad casum transversi pollicis, postea colentur & colatura leniter exprimatur Pro uvulæ relaxatæ ac nimis tumentis abscissione singulare describit instrumentum Barthol. Hist. 88. Cent. 2 Alias recentem uvulæ prolapsum, ac relaxationem curat fermentum cum spir. vini humectatum & vertici impositum, una cum gargarism. & decocto florum ligustri cum sale prunellæ, aut nitro. Item sal. decrepitatum cum pauco pipere applicari potest uvulæ ita prolapsæ. Loco salis communis optimum est sal. armoniacum subinde uvulæ applicatum, spiritum

ſpiritum aluminis cōmendant allii. Quod ſi ſimul uvulæ inflammatio adſit optimum eſt decoctum herbæ aut radicis taraxaci; ſuccini ſuffitus ore exceptus ſpecificum eſt Rulandi. Vel ſemen cannabis in poſcâ parum coctum & colatum, pro gargariſmate adhibitum, eſt unum ex optimis remediis. Vel radix tormentill. & uvulariæ an. coquantur in cerevicia ſecunda, & cum modico mellis edulcorata exhibeantur pro gargariſmate. *Michaël Ettmullerus Collegii Practici l. 1.*

Laxatur ſæpiſſime gurgulio, & linguæ ſuperin umbens vocis modulationi incommodat, ut in catarrhis; atque adſtringentibus ſiccantibusque remediis in priſtinum ſitum reſtituitur, præſertim gargariſmo ex decocto roriſmarini, roſarum punicearum, plantaginis, uvularia baccarum myrtearum cum dianuco, vel diamoro; itemque pulvere ex pipere longô, corticibus myrobalanorum, tormentilla, alumine uſtô, bolo Armena, & ſimilibus. Fermentum capiti adhibitum cum ſuccino & ſpir. vini purus, optime confert ex Frider. Hoffmann. Suffitus etiam ex maſtiche, gumm. animæ, balſamo Peruvianô & Tolutano, pulvere nicotianæ, roriſmarini, betonicæ. Piperis contactus quoque prodeſt ex Borello. De inflammatione uvulæ, vide ubi de Tonſillarum affectibus. *Lucas Tozzi Medic. Practicæ parte 1.*

Conſultationes.

Inflammatio Tonſillarum & gurgulionis laxatio.

Sereniſſimæ Reginæ Secciæ Conſiliarius, Sedini Pomeranorum in ſolenni quodam convivio præter intenſionem; vir alioquin temperatiſſimus meracioris vini potu inebriatus, poſtero die moleſtiam quandam & dolorem circa radicem linguæ ſentiebat cum ardore, ſiti, & quadam deglutionis & reſpirationis difficultate.

Tonſillas, aut columellam, vel utrumque aliquid præternaturale pati ſuſpicabar, ac proinde depreſſa lingua fauces inſpexi, ubi primo intuitu amygdalas, uti vocant, ſive tonſilas ex utroque latere tumidas, rubentes & inflammatas, mox & gurgulionem relaxatum & propendentem deprehendi.

Occaſionem malo, procul dubio dedit largior vini generoſioris potatio, quatenus ſanguis ab ea incaleſcens & tenuior redditus, ad partes has ſua natura molles & laxas defluens, tumorem ac inflammationem excitavit.

Confeſtim itaque aperta baſilica dextri brachii ſanguinem detraxi; mox ad fervorem ſanguinis reſtinguendum julapium refrigerans præſcripſi.

℞. Aq. fragor. acetoſell. endiv. an. ℥vi rob. ribium ſyr. berbr. rubi idæ, an ℥ii. ſucc. citri ℥iß. M.

Ex topicis gargariſmum, vel potius collutionem oris ex repellentibus & aſtringentibus exhibui.

℞. Fol plantag. prunell. an. m. i. flor. roſ. rubr. m. ß. cortic. granator. ℥iß. coque ex ſ. q. aq. ſimpl. pro ℔iß. Colatur. adde rob ribium ℥ii. diamoron ℥i. ſyr. de agreſta ℥ß. m. Mixtura hæc reſupinato capite in ore contineatur tepide; inflammata enim nec frigus ferunt nec calorem, & valida gargariſatione plus materiæ ad locum affectum attrahitur.

Columellam elongatam ſequenti pulviſculo undique conſperſi, beneficio inſtrumenti à Gulielmo Fabricio Cent. 2. obſ. 21. depicti.

℞. Flor. ſcabioſ. balauſtior. roſ. rubr. cortic granat. ℨß. rad. biſtort. torment. gallar. immatur. an. ℈ii. alumin. uſti ℨiß. M. F. pulvis.

Sedata pauliſper inflammatione, repellentibus moderate diſcutientia admiſcui; extra etiam guttur oleo amygdalarum dulcium & liliorum alborum inunxi.

Tandem corpus bilioſis humoribus refertum extracto caſiæ & pulvere meo cholagogo purgavi, ſicque virum integerrimum, meique amiciſſimum Dei gratia, bonæ valetudini reſtitui. *Baldaſſar Timæus in Caſibus Medicinalibus.*

Uvulæ Relaxatio.

Juvenis viginti ſex annorum, plethoricus, poſtquam aliquot dies liberaliori vini & cerviſiæ potui indulſiſſet, incidit in magnum dolorem faucium, quo non niſi cum dolore & difficultate quicquam deglutire poteſt. In faucibus etiam aliquid, inſtar boli degluciendi tumens, ab ipſo perpetuo percipitur. In ore ejus cum linguæ depreſſione aperto, apparet uvula valde tumida & laxata, vicinæque partes valde tumentes rubentes.

Afficitur in hoc ægro uvula, ac præterea fauces, quod ex dolore, deglutiendi difficultate, & tumore, inſtar boli fauces prementis, in illis partibus percepto; item, ex ipſa fauces ejus inſpicientium autopſia, eſt manifeſtum.

Morbus, qui ipſum affligit, eſt faucium, & præcipue uvulæ, à ſanguine calidiore & pituitoſo ortus; qui partes illas vicinaſque ſua copia diſtendens, uvulamque nimium relaxans, atque hic dolorem & deglutiendi perpetuam difficultatem, ſuffocationiſque ſubinde invaſuræ metum, inducens, uvulæ relaxatio, à præcipuo hujus tumoris ſymtomate, reliqua alia ſymtomata potiſſimum producente, vulgo appellari ſolet.

Procatarctica hujus morbi cauſa eſt potus ille generoſus & liberalis, cui hic juvenis per dies aliquot plus juſto indulſit; inde enim multi humores ſanguinei & pituitoſi, in ejus corpore geniti, antecedentem huic morbo præbuerunt cauſam. Pars vero eorum in corpore incaleſcens, & poros vaſorum circa fauces, uvulam, vicinaſque partes plus juſto, ex præcedenti potione illas partes præ cæteris magis laxante, appertos inveniens, & per eos ſe in partes illas copioſe effundens, continentem hujus morbi, ejuſque ſymtomatum, conſtituit cauſam.

Dum enim per illum humorum ſanguineorum & pituitoſorum, in partes illas copioſe illabentium, ibique vehementius incaleſcentium, influxum, tumor in faucibus viciniſque partibus & uvula naſcitur, gula & guttur ita arctantur, ut ea, non niſi magna vi, magnum dolorem neceſſario inferente, in deglutiendo aperiri queant. Uvula vero hinc juſto longior & latior evadens, & fauces ſua nimia mole replens facit in iis perpetuum, tanquam boli ibi hærentis, ſenſum. Interdum vero illa plus ſolito intumeſcens, & humores quoſdam in aſperam arteriam per rimas epiglottidis copioſius immittens, tantam ſubinde inducit reſpirandi difficultatem ut æger ſuffocationem metuat. Hæc autem om-

nia in ore tam sunt evidentia, ut inspicientium oculis cerni possint.

Morbus hic cum deglutitionem & respirationem tollere, & uvulæ corruptelam inducere possit, satis est periculosus.

Diligenti itaque Curatione erit impugnandus. Eaque in causæ antecedentis, & continentis, item in tumoris & intemperiei, per contraria ablatione consistet.

E venâ igitur in brachio dextro apertâ mox educatur sanguis ad uncias decem. Idque etiam postea repeti potest.

Paulo post talis injiciatur clyster

℞. Decoct. emollientis lib. 1. Elect. diaprunici an. ℥vi. Ol. violar. lilior. an. ℥i. salis ʒi. Misce, F. Clyster.

Curcubitulæ etiam scapulis & humeris sunt adhibendæ. Et utatur tali gargarismo;

℞. Hordei mundati p. 1. Fol. violariæ, portulacæ, plantag. an. m. 1. myrti m. ß. Cort. malor. granat. ℥iß. Flor. rosf. rubr. malvæ arbor. an. m. ß. Sem. cydon. malvæ an. ʒj. Auricular. judæ ʒi. Decoq. in aq. com. ad lib. iß. in colatura dissolve diamori, dianuci, mell. rosf. an. ℥ß. Misce pro gargarismo, quo sæpius in die gargariset.

Et sæpe lambat de hoc linctu.

℞. Diamori, dianuci, Sir. violacei an. ℥ß. Misce.

In ingenti dolore, interdum gargarisandum cum lacte recenti.

Postridie purgetur tali haustu, si tum deglutire possit; nam alioqui repetendus esset præcedens clyster.

℞. Sennæ ℥ß. Sem. anisi ʒi. Decoq. in aq. hordei q. s. ad ℥iv. In quibus dissolve el. diapruni ʒii. Misce. F. potio, mane exhibenda: & subinde, malo perseverante, iteranda.

Corpore bene purgato, uvula cum pulvere sequenti, cochlearis, ab Hidano centur. 2. obs. 21. descripti, vel alterius convenientis ope, sæpius in die erit sublevanda.

℞. Rosar. rubr. balaustior. cort. granat. an. ʒß. Rad. bistortæ, tormentill. gallar. immatur. irid. florent. an. ʒi. aluminis usti ℈ii. M. F. pulvis.

In diæta aër sit temperatus; cibus ex jusculis & ovis sorbilibus: vitentur omnia aromata: potus sit tenuis cerevisia: corpus quiescat: somnus sit moderatus: fugiantur animi affectus. *Henricus Regius apud Theodorum Craanen Meditationum lib. 1.*

Vlcus in gargarcone cum exesione tonsillarum & uvulæ.

Vir Illustrissimus, quadragesimum tertium annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, jecoris calidioris, boni & carnosi habitus jam quintus decimus currit mensis, ex quo præcipiti & copiosa destillatione in fauces correptus fuit cum febre & insigni deglutiendi difficultate. Medicus autem domesticus accersitus sanguinis missionem jussit, gargarismos præscripsit, clysteribus ventrem exoneravit, & victus rationem congruam instituit quibus equidem melius habere visus est Nob. Patiens. verum duobus transactis diebus, rursus invaluit affectus & præsertim in tonsilla sinistra cum ejusdem exulceratione: idcirco sanguis rursus extractus fuit & gargarismi detersorii instituti; quibus licet febris, inflammatio, deglutiendi difficultas fuerint omnia remissa exulceratio tamen progrediebatur uvulam versus, & non obstantibus medicamentis quoque refrigerantibus, & humoris acrimoniam atque aciditatem demulcentibus assumptis, ulcus tamen quotidie serpens, non solum uvulam, sed & dexteram quoque tonsillam occupavit, tuncque lue celtica humores infectos fuisse Medici adstantes suspicari cœperunt: cùm inceptam destillationem Gonorrhæas, & caries passus fuerit; propterea ad alexipharmaca gallica devenire decreuerunt, & Decoctum ex salsa, guajaco, ligno cydioniorum & santalo in aqua fumariæ atque chichorii præscripserunt, quod solutiuum reddiderunt sennâ polypod. & tartaro superadditis; pro potu verò consueto aqua ex salsa parata utebatur: interim melle ros. & syr. de rosis siccis cum spiritu sulphuris partes affectæ tangebantur. His per mensem adhibitis, non solum levatus sed ex toto sanatus, videbatur; verum transacto mense, recruduit affectus & ulcus in iisdem partibus apparuit. Causam autem retulerunt in novum commercium cum infecta muliere. Quamobrem repetita fuere quadraginta continuis diebus jam administrata remedia, omnia tamen in cassum tentata, siquidem ulcus serpendo semper magis unde quaque sese dilatavit; ob idque Medici decoctum sudorificum instituerunt per plures dies, capite tamē extra sudatorium servato, veriti ne nimium illud incalesceret, sed frustra omnia & irrita fuerunt; etenim & uvulam, & ambas tonsillas destillatio corrosit vocemque & deglutitionem adeo læsit, ut loquendo vocem etiam per nares emittat, atque potus præsertim, nonnumquam etiam potulenta alimenta ad nares regurgitaverint atque prodierint, corpore toto interim valde emaciato. Hoc infausto eventu perterriti medici aëris mutationem consulverunt, & ad locum quendam suburbanum tanquam ad Tabias Virum Illustrissimum dimiserunt, à qua loci mutatione juvamen majus, quam a medicamentorum administratione Nob. Par. cognovit. Attamen ad nos perveniens, accuratissime locum affectum exploravimus, & tonsillas, necnon Uvulam ex toto ablatam atque corrosam invenimus; præterea ulcus tum superius ad os sphenoide, & inferius per œsophagum repere cum callositate atque non exigua sorditie observavimus. Et quoniam à nobis auxilium petit, ideo de agendis, ut infra consulimus.

Ad quadragesimum usque annum, vitam incolumem duxit Vir Illustrissimus iste totius temperamento calido & humido præditus, boni & carnosi habitus, cum capitis caliditate & humiditate non valde excedente, & ideo sine sensibili molesta capitis destilatione, quæ ex tempore præceps ad gulam irruere cœpit, postquam Gallicam Gonorrœnam cum Carie contraxit, sicut eodem tempore totius corporis macies incipit; cuius veritatis ratio facile adduci potest, namque si à calore temperamenti propter ætatem acutiori reddito, sanguis calidior & acrior factus fuisset, qui ut ineptus ad nutritionem, maciem introduxisset, & postea per venam

cavam

cavam ad cor; indeque per arterias carotidas ad cerebrum circulando perveniens per jugulares venas internas ad fauces atque tonsillas, ut inutilis à natura transmissus affectum anginosum produxisset; id contigisset eo tempore quo magis calor ipse temperamenti viget, nimirum circa trigesimum aut quintum annum; quod non evenit nisi post quadrægesimum; postquam scilicet à Lue Gallica, non solum vasa sperermatica, sed & hepar una cum massa sanguinea inquinatum fuit, cujus Celticæ qualitatis imprssio & characterismus cum sit exustio, idcirco visceribus & ipsi sanguini gradus calotis p. n. superaddidit, ipsumque sanguinem ad nutriendum ineptum reddidit, unde macies: naturæ autem molestus extra venas detrusus inflammationem in faucibus excitavit, ubi diutius remorans sua prava & exurente qualitate tonsillas primo corrosit, & serpens exedendo Uvulam quoque consumpsit. Non igitur mirum, si prioribus medicamentis minime cesserit affectus, & parum quoque alexipharmacis gallicis: etenim cum calida & humida capitis naturalis intemperies non valde excedens, à Lue Gallica magnopere adaucta fuerit, caputque ipsum valde excrementosum redditum, hæc corrigi non potuerat sine sudore, nec sine ipso Gallica qualitas in humiditatibus excrementitiis & partibus solidis fundata extirpari; & propterea nonnihil quidem remissa, at nunquam ablata fuit causa fluxionis & exulcerationis; imo fusi tandem humores in toto à Decocto sudorifico in hypocausto sicco ad caput impetum fecerunt, quod extra hypocaustum existens, nec ideo satis exudans, eosdem infectos humores in seipso retinuit, sicque fluxio necessario ad tonsillas & gargareon adaucta fuit, simulque adauctum ulcus. Ut autem Uvula impedit quominus alimenta, & potulenta præsertim ad superiora ascendere possint, & eorumdem descensum atque deglutitionem adjuvat, ita eadem dempta atque consumpta in causa est, ut ad superiora regurgitent & ad nares ferantur, præsertim quia ab ulcere dolorem inferente impediebatur iisdem alimentis descensus: quod impedimentum tandem cessavit, quoniam ob callositatem vlceri obductam non amplius percipitur dolor; vox tamen ob columellæ defectum fertur ad nares, & non tota per os emittitur. Utinam vero in præsens ulcus non amplius depasceretur; in parte namque inferiori vix terminus conspici potest, sicut nullo modo in superiori, adeo ut ad os sphenoide facile pervenire possit, & prætererea cum palatum quoque calorem mutare inceperit, ideo & proximas partes brevi infici posse dubitandum: viget enim & abundat, copiosa Gallica destillatio, cujus aliqua portio in pulmones noctu delabens tussiculam excitat, copia vero major per œsophagum in ventriculum descendens subversionem axcitat, ciborum amplexum & concoctionem impedit, ac chylosæ, & forsan etiam saniosæ materiæ catarrho immistæ regurgitationem inducit.

His autem ita se habentibus, facile videre est statum Illustrissimi Viri adhuc esse periculi plenum, primo quoniam ulceris dilatationem & propagationem prohibere difficile erit, cum ejusdem termini non satis oculis patebant; & præterea quoniam macies inualuit, & à perseverante in pulmones destillatione, & simul ab aeris frigiditate ob Uvulæ defectum pulmones immediate feriente, Phthisis facile introduci posset.

Quare sedulo agendum etiam hoc incongruo anni tempore, ne ulcus ulterius progrediatur, Topica adhibendo primo, & potissimum Cachectica, mox Sarcotica, atque tandem Epulotica, dum interim expiato ventriculo, acrimoniam humorum demulcentia, & Gallicam qualitatem respicientia, (non tamen fundentia) sunt in usum ducenda. Proximo autem ineunte Vere ineunda quoque erit regularis Purgatio, causarum extirpatio & ulceris perfecta Curatio, sine tamen deperditæ partis restitutione; tunc enim primis mundatis viis, massa sanguinea erit depuranda. Caput purgandum. Celtica lues penitus debellanda, simulque humida capitis intemperies jecoris calida remittenda, Sanguis temperandus & totum corpus renutriendum; Topicis vero ulceri incumbendum.

In præsens igitur ulceri totis viribus prospiciendum, primo detergentibus & cachecticis quoque, non solum saniem, sed etiam callositatem auferentibus, deinde exiccantibus, ideo gargarismi frequentes instituantur ex aqua Tettuciana, cum melle rosato simpl. cui aqva hordei potest etiam commisceri; verum quoniam jam dictis collositas non adeo facile tolli poterit, ideo etiam ad Escharotica & adurentia, ad ignem scilicet erit deveniendum, idoneo instrumento applicandum; vel saltem valde exiccante gargarismo erit utendum (quod tamen tolerabile sit) ut tinct. rosarum, spiritu vitrioli extracta & aqua plantaginis, vel aqua Villensi parata.

Interim ventriculus à præsenti infarctu est vindicandus, præbendo primo mel. ros. sol. cum manna, cui superbibat mulsæ dilutæ lib. ij. ii. Mox die sequenti assumat.

℞. Oxymel. simpl. ℥.iii. aquæ flor. citri ℥.i. m. pro syrupo. Tertio vero die assumat crem. tart. ad ℥. ß. in jure pullæ, aut vituli, cort. citri alterato. Die postea sequenti rursus assumat oxym. deinde cremorem tartari, & ita alternatim perseveret x. aut xii. diebus; ut ventriculus cum œsophago mundificetur & primæ viæ exinaniantur, repetito superius præscripto Leniente. Qua paracta primarum viarum expiatione, in usum ducat lac hujusmodi artificiale.

℞. Sem. melon. mundat. ℥. j. sem. cucurb mundat. ℥. ß. amygd. dulc. mundat. n. xv. nucleorum pineorum n. xxv. m. contundantur omnia, & cum jure carnis pro cibo consueto extrahatur Emulsio ad ℥. vii. aut viii. cui adde sacch. albi cochlear, & irroretur hujusmodi emulsio ad suavitatem guttulis aquæ ros. aut è flor. citri, & summo mane præbeatur quatuor aut quinque horis ante cibum. Ius autem carpium, tum pro hac emulsione conficienda, tum pro ferculis omnibus parandis, sit semper optima china alteratum. In usu jam dictæ emulsionis

nis perseveret tota Quadragesima, usque ad tempus futuræ eradicativæ Purgationis: poterit enim inservire, tum ad demulcendam humorum mordacitatem, tum ad totum corpus nonnihil enutriendum: Interim decimo quoque die assumat cremorem tart. ad ʒj. cum sacch. in jure, ut supra dissolutum. Et congrua utatur victus ratione, evitando aeris inclementiam & nimis frigidam, & in cubiculo nimis calidam. Vitet quoque alimenta excrementosa, coctu difficilia, calida, vaporosa, sitque cœna parca. Vinum sit album, tenue, aquosum china & santalo albo medicatum, ita ut pro singula situla ingrediantur ℥.ii. dictorum lignorum. Somnus nocturnus, diuturnus quoque proderit. Exercitium fiat ante prandium. Venus omnino ableganda, & alvus lubrica servanda passulis aut prunis coctis in prima mensa cum sacch. assumendis. Tandem ab applicationibus & studiis abstinendum, animique alterationes & perturbationes arcendæ. Et hac pro nunc.

Purgatio autem eradicativa sub finem mensis Martii ineunda, tunc erit à nobis præscribenda, si de statu Illustrissimi Viri tunc temporis certiores facti fuerimus: consilium enim erit in arena capiendum, & supra propositis indicationibus pro viribus erit satisfaciendum, sanguinis missione, primarum viarum expiatione, humorum præparatione succis depur. cich. borag. betonicæ pluribus diebus assumendis; & non semel elective purgantibus Cacochymia erit tollenda. Caput pilulis capital. Paracelsi expurgandum. Lues Gallica Alexipharmacis extirpanda, nimirum Decocto sudorifico, medulla guajaci, salsa, visco quercino & santalis albis in aqua cich. & beton. parato, quo humida quoque capitis intemperies corrigetur. Quibus peracti, ad jecoris atque sanguinis caloris moderationem & totius corporis renutritionem, intrinsecus facile convenire poterit lactis asin. usus, & extrinsecus balneum aquæ dulcis herbis refrigerantibus alteratæ, non omissis Conservis capitalibus, & habita semper ulceris providentia, si opus fuerit. Quæ omnia Illustrissimo Viro à summo Deo salutaria precamur. *Raym. Ioh. Fortis Consult. & Respons. Medicin. Cent. I.*

Observationes

De uvulæ relaxatæ curatione.

Nunc quomodo ego raro maximas quidem & ingentes relaxatas columellas sanaverim, paucis addam. Relaxatur autem ut Hippocr. docet libr. 2. de morbis, quotiescunque pituita à capite ad fauces deffluens, à columalla excipitur. Id quod facile fieri potest, cum sit pars admodum rara, mollis & spongiosa. Estque affectus hic periculosus: Aliquando enim columella cum tonsillis adeo inflammatur, ut æger neque cibum, neque potum deglutire, imo vix spirare possit. Horum ego nonnullos vidi, ac etiam feliciter curavi. Transit & interdum in gangrænam, ut ex præallegato loco. Hippocratis elicere licet. Quod & forestus lib. 15. Observat. 5. annotavit, mihi tamen videre non dum contingit. Potest & in anginam terminari, ut tu ipsemet mecum hic in Dno. Joanne Merula, sene omnimodo reverendo vidisti, & procul dubio annotasti. Is enim cùm inflammatione columellæ laboraret, me absente, Empirico & homini plane ignaro se curandum commisit. Hic per dies aliquot pulverem calidissimum atque adurentem faucibus inflavit unde mox inflammatione & angina sequuta, de vita periclitabatur. Curationem non addo, cum tu ipsemet inter fueris. Itaque ut Chirurgus in hoc affectu caute & præmeditate procedat, est necesse. Inprimis autem explorandum, an affectus sanabilis sit, nec ne, ne ægro temere quicquam polliceatur. Deinde etiam, an sit cum, vel citra inflammationem: si enim scirrhosa fuerit columella, & cancro proxima, quemadmodum illæ quarum in præcedentibus observationibus meminimus, prudentis erit Chirurgi, manum non admovere aut si ægri, amicorum aut adstantium precibus obtemperare cogatur, nihil quicquam tamen, nisi de eventu morbi prius facta prognosticatione tentet, ne nomen imperiti Chirurgi sibi acquirat, suadeo. Porro ex quacunque orsum duxerit causa, statim ab initio victus ratio tenuis instituenda est, corpus clysteribus, sæpiusque iteratis, Areteo præcipiente, evacuandum, & materia, quæ ad fauces defluit, deorsum trahenda, ligaturis item extremitatum, sectione venæ in brachio cucurbitulisque scapulis adhibitis, defluxus aliorsum revellendus est. Gargarisma ab initio sit repellens, quale hoc quo ego uti soleo.

℞. Folior. plantag. Mespilor. Caudæ equinæ, Rosar. rubr. an. m. folior. scabiosæ m. ſ. gallar. ℥. ß. Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In lib. II. colatura dissolve mellii. rosati, aut diamori ℥.ii. aceti rosac. parum. misce, & fiat gargarismus. Loco decocti possunt sumi aquæ distillatæ cum melle ros. & diamoran. Aliquando & sola posca feliciter usus sum. Nonnulli statim ab initio pulvere piperis longi gulæ inflato, Uvulæ relaxatæ auxiliari conantur quod quidem periculo non vacare, tu ipsemet in reverendo Dn. Merula observare potuisti. Collum quoque oleo rosac. inungere solitus sum. Et si affluxus vehemens, sequens applico cataplasma.

℞. Farinæ hordei. ℥ii. Pulu. rosar. Mystillor. nucum capress. an. ℥ii. Coquantur posca, fiatq; cataplasma, addendo sub fine olei rosac. parum & vitellum cum albumine ovi.

Os singulis ferme momentis, superiori gargarismate abluendum. Si dolor ingens adsit, gargarismati addo parum seminis fænigræci cydoniorum & florum chamomillæ. Nonnunquam quoq; ut loco gargariematis lac. recens sumat æger, jubeo, videndum tamen, ut quum semel os lacte deinceps quinquies, aut sexies gargarismate abluat: lac enim magis lenit dolores, quam vere affluxum repellat, quod tamen in hoc affectu circa initia præcipuum. Cæterum quotiescunque æger aliquâ de causa per se fauces non satis recte abluere & gargarizare potest, soleo gargarisma ut lac ægro, syphone clementer in gulam injicere. Corpus præterea à pravis humoribus expurgandum: Si bilis abundat, conveniunt electuarium diacatholic. de

succo rosar. lenitivum, syrup. rosac. solut. compos. cum Rhabarbaro, Agarico, & & senn. Diaphœnicum. Si vero pituita, Pilulæ cochiæ, aureæ, & de Hierâ cum Agarico, ex usu esse possunt. Si æger pilulas deglutire non possit, potio ex electuario indo majori aut minori, vel ex diacarthamo cum decocto betonicæ, scabiosæ semine anisi & fœniculi dissoluto, est; Phlebotomiam (si nihil adsit quod impediat) in brachio, tum revulsionis gratia, tum quod humores omnes simul evacuet, tam in deffluxione frigida, (si vehemens & suffocationis periculum fuerit) quam calida administrare soleo. Cucurbitulas item scapulis, & musculis bicipitibus, cum fructu applico, Hippocrat. lib. de affectionibus, vult ut capiti raso in postica parte applicentur; indeque plurimum detrahatur sanguinis.

Id tamen extra laconium, ut fiat, suadeo. Fabianus scheurerus lib. de catarrhis, capite de catarrho oculorum, cucurbitulas in Podagricis improbat, ne materia ad spinam, indeque ad articulos trahatur, Recte quidem, sed quia Podagrici sæpissime hoc affectu corripiantur, morbus item sit gravissimus, suffocationis quin etiam periculum nonnunquam adsit, ad id quod magis urget, Chirurgo præcipue respiciendum est. Interim etsi aliquid ad articulos defluxerit, minus tamen periculosum erit, quam si ad gulam, & facile postea corrigi poterit. Affluxus autem impetu sedato, ad ea quæ magis discutiunt, transeundum. Unde sequenti gargarismate magno cum successu utor.

℞. Folior. & flor. betonicæ, salviæ, scabiosæ an m. ſ. Rosar. m. j. summitat. rosmarini & florum chamomel. an. p. i. Coquantur in ℔ iii. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde mellis rosac. ℥iii. etiam aluminis ʒii. misce fiat gargarisma nonnunquam etiam prædicta simplicia vino rubro in coque. Exterius collum oleo chamomillæ aut oleo ex floribus solani inungo, & lanam succidam applico.

Aliquando columella propter continuum affluxum materiæ, intumescit adeo, atque relaxatur, ut non minimum negotii, tam ægro quam Chirurgo, facessat, sicuti mihi, tum in multis aliis, tum præcipue, in viro quodam honesto, ac cive Paterniacensi videre contigit.

Huic uvula ad magnitudinem fere nucis jugulandis excreverat. Quare impetu affluxus sedato, corporeque semel atque iterum purgato, applicatis item cucurbitulis, sequentem pulverem, bis aut ter in die inflavi.

℞. Pulv. ros rubr. balaustior. cortic. granator. an. ʒ. ſ. fol. & flor. scabiosæ & ligustri ana ʒii. aluminis usti ʒi. ſ. misce, & fiat pulvis. aut.

℞. Radicum bistortæ, Iridis florent. tormentillæ, gallar. immatur. an. ʒii. ros. rubr. & flor. scabiosæ an. ʒi. lapidis calam. præparati ʒi. ſ. aluminis usti ʒii. misce & fiat pulvis subtilissimus. Modus autem ejusmodi pulveres inflandi, talis est. Lingua speculo oris depressa, mox spatula aut cochleari parvo, & ad id apto, pulvis uvulæ admoveatur. Ut autem pulvis undique uvulæ aspergi atque inflari possit, sequens excogitavi instrumentum, quo multoties usus sum.

Est autem cochleare ex capro cujus manubrium fistulosum, octo pollices longum, & inferiori cochlearis parti annexum, Ex altera parte folliculum (ex corio, eo modo, quo auceps fistulis suis ad fallendas coturnices, allig. re solet, factum) annexum habet, cochle. ri itaque impleto pulvere, uvulæque admoto follis corrugandus est, quo aer pulverem in altum pellat, sicque uvula ac palatum eo undique aspergantur. Sed quia necesse est, ut ministter speculo linguam deprimat, interim dum Chirurgus hoc instrumento pulverem admovet, ac proinde sic unus alterum impedit, hanc ob causam, aliud instrumentum longe ad hanc rem commodius effinxi, quo Chirurgus interim dum sinistra speculo oris linguam deprimit, dextra pulverem admoveat.

Follis hic similiter alligatum habet cochleare cupreum cum sua fistula, longitudine pollices octo continens. Follis vero longitudo quinque, uti latitudo trium pollicum existit. Ut autem follis depressus per se in altum relevaretur, atque unica manu inflatio fieri posset, in interiore parte sua instrumentum veluti plectrum sive elevatorium ex chalybe fabricatum, continet, beneficio cujus, superior pars follis in altum relevatur. Nonnunquam adeo contumacem uvulæ inflammationem, aut relaxationem vidi, ut ultra mensem ejusmodi pulverem quotidie inflare, necessum fuerit. Hæc ideo moneo ut de salute ægri semper bene speres, etiamsi ab initio res per se difficilis appareat. Quod si levioribus hisce remediis morbus non cedit, ad fortiora progrediendum est. Nonnulli aquam fortem per se aut aquæ Plantaginis vel rosarum dilutam, aliaque medicamenta caustica admovent: prudenter tamen & caute hac in re agendum est, ne malum ingravescat. Quotiescunque enim malignitas aliaqua adest, facillime malum ab ejusmodi medicamentis acrioribus irritatur: si quis tamen iis uti voluerit, ea quæ à Paulo Æginethâ lib. 6. cap. 31. hac de re traduntur, observet.

Sæpenumero quoque uvulam forficibus abscindere aut filo ligare, vel cauterio inurere coacti sumus. Videat tamen Chirurgus ante omnia, ne aliqua subsit malignitas, vel dispositio ad cancrum, quod facile cum ex duobus proxime præcedentibus observationibus; tum ex Paulo Æginethâ loco præallegato, elicere licet, ubi monet contractas, rotundas, sanguinolentas & subnigras, Chirurgiâ agrediendas minime esse. Quæ vero contrario modo se habent, nimirum quæ ut idem Paulus docet, tenues sunt, oblongæ, & in supremâ parte imminutæ, neque nigræ aut sanguinolentæ sed subalbicantes Chirurgiam admittere. Tantum autem de uvulâ quantum naturalem excedit modum, auferendum convenit; est enim veluti plectrum rocis, qui ea carent, raro distincte ac clare vocem loquelamque proferre possunt, Raro inquam, quandoquidem mihi unum aut alterum videre contigit, quibus licet uvula erosa fuerit, adeo tamen distincte & articulate proferebant sermonem, ac si instrumenta omnia integra ac illæsa adfuissent. Alter eorum Ozenicus fuerat noster, cui per annum integrum ozænâ laboraret, uvula plane erosa conspiciebatur ut suo loco dicemus. sed hæc rara sunt atque infrequentia.

Porro

Porro abscissio hoc modo perficitur. Cuspidem uvulæ rostro ciconiæ Chirurgus apprehendat, deinde quod superfluum, forficibus abscindat, parumque sanguinem effluere permittat. Si autem plus æquo effluxerit pulvis noster ad sanguinem sistendum cochleari parvo, aplicandus est. Postea gargarismis ejusmodi, quales antea præscripsimus, utendum. Quod si æger incisionem abhorrheat, aut sanguinis profluvium vereatur tum sequenti instrumento, à nobis primo invento uvulam absque omni difficultate atque periculo ligare, & abscindere soleo.

Est autem stilus fistularis, longus pollices octo, mihi ex ære fabricatus, cui ex una parte annullus, adaptatur est. Is vero ex inferiore sui parte tantùm excavatus, quantum ad recipiendum filum opus. Postea seminodus, faciendus.

Fili deinde una pars per foramen, quod in superiori parte annuli est, similiter traducenda. Tum deorsum angustissimum foramen quod in externa parte annuli existit traducto filô, parti inferiori alligare oportet. Si autem externa pars annulli, similiter non nihil excavatæ, quo filum, ne hinc inde vacillet, continere possit. Quò factò minister speculo oris linguam deprimat, Chirurgus vero partem uvulæ abscindendam, annullo apprehendat, dextraque filum, vehementer attrahat, ac uvulam stringat. Sic enim nodus efficietur. Facto nodo ad uvulam, filum, abscindatur: & extracto instrumento, ut extra dentes propendeat, relinquatur, si enim in ipsa constrictione uvulam non absciderit, eadem tamen, aut sequenti nocte, id præstabit.

Sin vero immodicus sanguinis fluxus supervenerit, cauterium actuale admovendum est, hunc in modum. Habeat Chirurgus duos ministros, quorum unus caput firmiter teneat, & ægroto oculos velet: alter linguam oris speculo deprimat.

Chirurgus viro fistulam æneam, octo pollices longam, linteoque madido, undique excepto foramine excipiat. Postea stylo ferreo ignito fistulæ intromisso, uvulam cauterizet, vicinis tamen partibus illæsis. Tandem gargarismis idoneis, melleque rosaceo curatio absoluenda est.

Putrefactio aliqua si adfuerit, efficacissimum erit cauterium. Sed quia ægri vehementer ab eo abhorrent, & totam, si res ad votum non succedat, Chirurgo adscribunt, ideo prius medicamenta hæc, quæ sequuntur experiri soleo, quibus magno cum successu utor. Institutâ igitur optimâ victus ratione, purgato corpore reliquisque adhibitis universalibus, ut antea monui, sequenti gargarismate os continuo abluere jubeo.

♃ Hordei integri m.i. Radicum plantag. ℥i. Folio. Scabiosæ, geranii, scordii an.m.ſ. Rosarum & folior. plantag an.m.i. Coquantur in ℔ iiii. aquæ ad hordei crepaturam, tum admisæ mellis rosacei, & diamori, an. ℥ii. misce, fiat gargarisma Ter quoque aut quater in die unguento nostro Ægyptiaco, cujus descriptionem pete ex tractatu de gangrænâ) affectam partem penicillo inungo, idque eo usque continuo donec putredo, ac morbi sævia remiserit, tum ea quæ superius in relaxatatione uvulæ tradidi adhibeo, iisque curationem absoluo. *Gulielmus Fabricius Hildanus observat. Chirurgic. Cent. iii.*

De ulceribus oris, ex lue venereâ contractis: Item de uvulæ relaxatæ periculosâ curatione.

Nobilis ac strenui viri, Dn. Ioh. Held. inclytæ Reipublic. Freyburgensis Helvetiorum consulis prudentiss. uxor, cum quadam die sub ardentissimo sole equitasset, caputque plus, quam pro conservanda valetudine licebat, excalefactum fuisset, catharrho ad uvulam & fauces correpta fuit. Advocatus Barbitonsor, cum uvulam intumefactam esse deprehenderet, pulverem summe calidum & acrem quotidie ter quaterve inflavit Hinc exorta inflammatione & abscessu periculosissimo, non tantum uvulæ, verùm etiam cartilagines narium erosæ fuerunt, ulceraque hinc inde in facie eruperunt. Tandem miseram calamitosamque hancce vitam, misera illa ægra (quæ nulla arte sanari potuit) misere, sed constanter & pie finivit, melioremque vitam sibi elegit. Hæc ex ore genere, & virtute nobilissimæ matronæ Dn. prænominatæ ægræ filiæ, Anno 1616. Martii. præsente clarissimo V. Do. Sebastiano Mejero, Reip. Solodurensis, Do. medico ordinario excepi.

Anno 1612. ex Belgio rediens, una cum viro clariss. atque doctiss. *Dn. Georgio Fabro*, Castri imperialis Fridbergensis doctore Medico ordinario atque celeberr. matronam piam & singulari virtute præditam, nec non Dn. Fabro sanguine junctam vidi: cui cum propter catharrum uvula relaxata inflammataque fuisset, & Barbitonsor aquam quam Regis vocant, nimis indiscrete applicuisset, talis sequuta est inflammatio, & humorum affluxus, ut per dies aliquot de vita periclitaretur ægra. Tandem, cum Dn. D. Faber. (qui peregre profectus fuerat) advenisset summa suâ & indefessa diligentia restituta quidem fuit: sed uvula & portio aliqua ossis palati & cartilaginum narium exciderunt, maximo cum ipsius incommodo & loquelæ depravatione.

Ex pulvere piperis longi & croci, gulæ faucibusque insperso atque insufflato anginam periculosissimam sequutam fuisse, in reverendo viro, Dn. *Iohanne Merula* p.m. Ecclesiæ Paterniacensis pastore fidelissimo, observavi anno 1607. uti in 3. centuria observationum mearum fusius videre poteri.

Quapropter curandum est, ne corpore existente impuro, aut inflammatione & affluxu humorum tentatâ parte affectâ hujusmodi. Medicamentis calidioribus & erodentibus facile utamur, uti etiamsi maligna aliqua qualitas, ex humore atrabilario progenita, quæque cancrum sapit, adfuerit. Cancrosa enim ulcera à medicamentis erodentibus exasperantur irritanturque. In his potius medicamentum ex cineribus gammarorum & ranarum, cum eorum menstruo confectum applicarem. Illud quanto cum successu in egregio isto sene *Dn. Claudio Monteilleto* ante annum fecerim te non *latet*. *Idem Cent.* vi.

Pro-

Pro Columelæ inflammatione.

Præmissis Clystere & venæ sectione, hoc gargarisma (cum essemus in principio) ad fluxionem reprimendam præscripsi.

♃. Aqua plantag. ℔iß. aqua equiseti. ℔ß. fl. rof. rubr. p. j. ß ß. gallarum contritarum numero iij. ebulliant unica forti ebullitione colat. adde diamori ℥iij. M. Postea venas sub lingua secari, & vuulam etiamnum inflammatam, & propendentem pulvere aluminis usti & boli armeni simul mixtis sublevavi. Hoc deinde gargarismo utens convaluit.

♃. Plantag. bellid. min. fl. rof. rubr. an. an. p. j. balaust ℥iij. coq. in aqua ad ℔. adde aqua plantag. ℔j. sem. Cydon ʒj. sem. malu. ʒß. rursus bulliant. addendo diamori ℥ij.ß. Mell rosat colat ℥. M. pro gargarismo jubebam quoque ut ex dianuco lamberet, quo utebatur Galenus in Hortulano. Petrus Forrestus obs. 1. lib 15. de faucium, guttur. gulæ, & asperæ arteriæ affectibus.

Mulieri cuidam tonsillæ vehementer tumebant, columella inflammata & valde laxata erat, ut deglutire & respirare posset, illam curavi in hunc modum.

♃. Aqua font ℥ij. olei vitrioli tot guttas quo acidam multum reddant. In hac aqua intinctam pennam ad fauces tumentes immittebat aliquoties in horas singulas: cujus usu ore permulta phlegmata continuo emittebat & expuebat. Post aquæ immissionem ex præcepto meo Succinum album carbonibus imposuit, & per infundibulum ore fumum excepit, & sic cum multorum stupore intra diei spatium sanitatem obtinuit Nam mox sine molestia deglutivit, facile respiravit, bene dormivit, tumor & inflammatio protinus sublata fuit *Martinus Ralandus*, cent. 2. cur. 97.

Pro Vvulæ elongatione.

Fiat rasio capitis super commissura sagittali, & applicetur ibidem ventosa habens orificium satis amplum & oblongum, & teneatur saltem per unam horam, vel mediam, ter vel quater in die reiterando ipsam: violenter etiam sursum attrahantur capilli ejus ita ut cutis capitis exfolietur à cranio suo: per tale enim ingenium statim uvula mirabiliter sublevatur. Vidi ipsum fieri & instanter profuit: sed non debet fieri nisi in casu arduo magnæ suffocationis. *Barthol. Montagnana conf.* 88.

♃. Gummi gott. gr. vi. tartar. vitriol. g. vi. ol. succin. gt. iij. cum syr. rof. solut. F. pil. v. ante vesperam scarificatione cum cucurbitulis utebatur: & paulo post isto gargarismate usus est.

♃. Aqua verben. plantag. equiset. an ℥iij. fl. rof. rub. cortic. granat. an p. j. sem. cydon. ʒiß. ebulliant omnia simul. in colat. dissolv. diamor. dianuc. an. ʒvi. syr. papav. mell. rof. colat an ʒß vini granat ʒj. syr. de granat acid. ʒß. sal. prunell. ʒj. spirit. vitriol. q. s. ad grat. aciditatem coletur denuo ut F. gargarismus pellucidus.

Tale circa collum inducatur cataplasma.

♃. Rad. alth. ʒj. fl. scabiof. sambuc. rof. rub. melil. chamæm. an. M. j. sem. alth. ʒiß. coq. in vini albi q. s. ad mollitudinem & pistentur: adde farin. sem lini & fænugræc an. ʒß. Pulu. nidi hirundin. ʒj. mell. rof. ʒiß. theriac. el. ʒij. ol. salu ℈ß. ol. chamæm. amygd. d. rec. an q. s. M. pro cataplasmate.

Contra Uvulæ elongationem hoc etiam proposui.

♃. Rad. bistort. irid. tormentillar. immaturar. an. ʒij. fl. rof. rub. scabiof. an. ʒj. lap. calamin. præp. ʒiß. alumin. usti ʒij. M. F. pulvis subtiliss. lingua speculo oris depressa, cochleari parvulo ad id facto, pulvis vuulæ admoveatur, imo si fieri potest undique insuffletur Petrus Lotichius. obs. 1. & 2. cap. 3. lib. 2.

Ad. faucium glandulas tumentes. *Io. Heurnus* hoc in secretis habuit.

♃. Argentinam coq. ex cerevisia, & fiat gargarismus, notis ad cap. 9. lib. 5. *patholog. I. Fernelii.*

Columella duplex, vel divisa.

Columellam duplicem, imo potius divisam, vidi in puello, qui Labio Leporino ita deformatus erat ut simul palatum ad imas usque fauces fissum conspiceretur. *Henr Vollgnadii.*

De Vvula Gemina.

Uvulam ad bene loquendum esse necessariam, ideoque non adeo inepte vocis plectrum audire, à plurimis Anatomicorum creditur; id quod absentia etiam ejusdem, & prava, eaque vel connata, vel à morbo inducta, constitutio evincit; ceu inprimis ab Excell. D. Carolo Raygero in discursu, aglossostomographiæ; Jacobi Rolandi, Anno tertio Ephemeridum curiosarum German. adjuncto, præclare illud ostenditur: ubi adpositum exemplum gargareonis duplicis, in memoriam revocat, quæ ti mihi in materia observare mihi bis licuit.

Prima vice, dum annis duobus abhinc juvenis 24. annorum, curæ meæ subjectus, singularem in Columella naturæ lusum exhibendo, duplicem eam concessisse ostenderet, non quidem immadiate palato juncta, tanquam è basi quadam propendentem, cæterum naturali plane situ locatum, ac figura & magnitudine justa præditam.

Alterum exemplum hoc demum anno ancilla annorum 22. præbuit, cujus palatum duæ pariter uvulæ unitæ occupant, quoad figuram insoliti ostendentes, magnitudine saltem naturalem illam haud æquantes, ita ut ambarum quantitas juncta, si cum hac conferatur, non nisi parum eam sit superatura.

Revera autem binas in utroque subjecto uvulas adesse, non saltem divisas, quales tum præfatus D. Raygerus l. c. pag. 568. tum D. Henric. Vollgnad in Schol. ad obs. 239. Anni II. Ephem. laudatarum sibi occurrisse, testantur, ipsa earum conformatio docet, cum ex latiori basi in obtuse acutum mucronem singulæ terminentur. Cæterum rara hæc aberratio in istis personis nullum aliud incommodum afferr, quam quod vocem non ea gratia, qua fieri alias solet, edere possint, sed raucam nonnihil, & obscuram, è naribus quasi descendentem, eandem emittant.

Similem plane affectum in pluribus utriusque sexus hominibus, quas lues venerea particula hac mulctavit, vel saltem ex parte mutilavit, in nostro nosocomio Gallico, cujus curam jam per unde viginti annos ago medicam, obsevavi, ita ut omnes rauca quadantenus voce deturpati fuerint; hinc me illorum in partes abire permoverunt, qui experimentis edocti, Gabr. Fallopio, nullum vocis detrimentum exesæ uvulæ supervenire, in Obseru. Antom. adfirmanti, contradicunt, sicque ampla Riolano fides sit habenda, dum lib. 4. Enchirid. Anat. cap. 11. de gargareone agens, quibus deest, inquit, vox rauca evadit. Cujus veritatem etiam nuper à Nobil. D. Nicol. Guil. Beckers, observatione Anno 4. Ephem. Germ. Observ. 66. inserta fuisse confirmatam vide. Lucæ Schrœckii.

Columella absens à nativitate sine noxa.

Beatiss. Dn. D. Johan. Hagendorn patruelis meus, in praxi amplissima observavit absentiam Columellæ in puella quadam à nativitate, quæ nihil inde incommodi passa est, cæterum sana. Ehrenfirid Hagendorn.

De Vvulæ Abbatione

Perillustris eques Romanus, temperamenti sanguineo melancholici, pluribus anis defluxionibus statis tem poribus super fauces ruentibus in Italia laborare solitus, Principum dum negotia Cæsarea in Aula pertractaturus, Viennæ moraretur, acri ac ferina circa solstitium hyemale anno præterito super fauces & circumsitas partes distillatione corripitur, quæ tantæ erat acrimoniæ, ut (quanquam medicamentis tam totum, quam partes affectas respicientibus, ex Pharmacia & Chirurgia desumsitis abunde ægro prospectum fuerit) Uvulam cum Tonsilla dexrra corroserit, ac ex integro sustulerit. Quo facto Perillustris eques, non loquelæ, neque respirationis difficultatem, ut varii opinabantur; Verum cum uvula sit asperatum ac levium arteriarum tanquam operculum, aliam, præter levem vocis raucedinem, nullam sensit molestiam.

(Simillimum exemplum apud nos. h. l. videre est in fœmina primaria, quæ ob defluxiones salinas corrosivas ante aliquot annos plectro hoc vocis orbata effari quidem omnes literas, & loqui, sed tantum rauca & submissa voce non clara potest. *G. W. Wedelii.*)

De hiatu Palati & Vvulæ.

Anno 1674. die 4. Aprilis evocatus sum rus ad quendam Nobilem, cujus Generosa uxor tum ante 21. septimanas fætum masculum pulchre formatum peperit, qui in oris palato quædam insolita ostendit. 1. magnum hiatum ab anteriori oris parte ad locum uvulæ vergentem, ibi qua (2.) Uvula duplex & in medio divisa videbatur, ita ut quis uvulam geminam diceret. 3. Labia hujus hiatus in palato ab invicem digitum lata distant, ibique (4.) palatum spurium maxime rubescere in locum naturalis productum cernitur, (5.) liquida bene deglutit, nisi quando importune ingeruntur, tum per nares effluunt, si autem placide comedat minime, quomodo autem solidiora deglutiet, tempus docebit: 6. in ploratu per nares nihil revolvitur, & si quis juxta ploratum judicaret, nihil vitii ori inesse diceret.

Causam hujus affectus ipsa Generosa Matrona reiicit in hunc casum: contigit aliquando ut quidam Nobilis ephebus cum ancillis nugaretur, strophiolumque ad eas mitteret, quo cum forte advenirct generosa Matrona, in ejus os invasit; hæc idcirco terrore affecta, linguam in ore retrahens, hinc missili strophiolo hæc insolita accepta refert. An ergo imaginatio hic locum habeat, dicant Naturæ [illegible]masii. Paulus Zacchias hanc vim adimit imaginationi, & cum eo alii. Verum meo judicio difficile & arduum erit contra tam receptam, totque seculis assertam, tamque innumerabilibus observationibus confirmatam sententiam, &c. *Joh. Ludov. Hannemanni.*

Exsecta propè uvulam carnea excrescentia.

Præsens excrescentia carnea nuper ex collo Conjugis civis nostri Argentinensis prope uvulam antrorsum à Chirurgo fuit excisa, & feliciter, Deo nobis favente, peracta ita operatio, ut nunc fœmina ista nil detrimenti exinde sentiat. *Seb. Schefferi.*

De ablatione Vvulæ forfice peractâ.

Uvulæ laxitatem ex decubitu mucosi humoris à capite oriri Hippocrates docet l. 2. de morbis.

Affectus hic, per se satis gravis, deterioris sæpius notæ efficitur ab iis, quibus vel morbi, causæque ejus condi io ignota est, vel adhibitorum medicamentorum virtus, qua de materiâ legi possunt quæ Fabritius Hildanus de Angina cap. 5. parte 6. obs. 15. parte 2. obs. 21. proponit. Hoc faciunt illi qui in uvulæ laxitate & elongatione, accedente illius cum partibus vicinis, amygdalis, palato, alisque, inflammatione ex sanguinis affluxu, medicamentis utuntur summe calidis, qualia solent esse, eo in casu usualia, piper, zinsiber, sal ustum similiaque. Quæ improbat magnus Galenus 6. de sanit. tuenda & 6. de comp. med.

Placet variis in uvulæ prolongatione pilos quosdam verticis sursum attrahere, adeo ut sonitum quendam (quem se audire referunt) edant, sic enim eorum opera elevari censent pericranium, cujus ex elevatione locum concedi uvulæ sibi persuadent.

Uvula hæc non raro ex sanguine & pituita eam ad magnitudinem increscit, imprimis ubi pituita malum producit, ut Nuci juglandi æquiparari queat, Hac de re videri possunt quæ adferunt Hipp. lib. de affect. Aetius serm. 8. cap. 41. Hildanus part. 2. obs. 21. Quod si longe majorem corpulentiam ipsam quandoque assumpsisse dicamus, vera nos proferre scias.

Paulus ab Uchelen, Mercator celebris, vir temperamenti pituitosi, cui tamen cacochymia biliosa aliquomodo accedebat, Vvulæ tumore ex affluxu humorum copiosiore sæpius afficiebatur. Accidit ut ejus magnitudinis evaderet, ut coactus fuerit medicum domesticum, nobiscum, advocare. Primo omnium ad evacua-

cuationem humorum biliosorum, pituitosorum que exhibuimus Purgans conveniens, imo etiam ad sublationem materiæ p. n. in uvula collectæ gargarismum hunc.

℞. Fol. Rosar. rubr. Plantag. caudæ equin. an. M j. agrimon. vincæ Pervincæ an. P. ij. Cortic. Granator. ʒ j. ß. nuc. gallar. ʒ j. flor. balaust. ʒ ß. coquantur in aq. puræ & chalyb. an. part. æqual. ad consumptionem tertiæ partis. colaturæ ℔ ij. adde syrup. Diamoron. granator. an. ℥ ij. ol. Vitrioli gutt. v. M. F. gargarismus.

Collo applicabatur linum præparatum (vlas) quod ex thure accenso fumum exceperat; Cervici imponebantur cucurbitulæ præmissa scarificatione debita.

Uvulæ admovebatur pulvis sequens cochlearis commodi ope.

℞. Gallar. immat. ʒ j. ß. cort granator. ʒ j. flor. Rosar. rubr. Fol. caudæ equin. an. ʒ ij. alum. usti ʒ ß. Terræ Lemniæ ℈ j. M. C. pulvis subtilissimus.

Instrumenta alia quorum opera pulvis hic aut similis uvulæ applicari queat, qui desiderat, inspiciat quæ delineari curarunt Fabr. Hildenus, & Ioannes Schultetus part. 2. cap. 21. Tab. 9. fig. 8. commodius licet nobis nullum occurrat cochleari nobis usuali. Medicamentorum dictorum usu, & affectus ipse & tristitia ægrotantis plurimum remiserunt.

Tempore aliquo elapso, convivio cuidam quod adfuisset æger, ex immoderato vino rhenani generosioris usu, subito uvulæ in tumescentia ipsum de novo invasit, pituita plus justo aucta, humiditatibusque superfluis denegato loco satis capaci, consternatos hæc fecit consanguineos, maxime ubi sine ullo levamine incrementum sumebat enorme, adeo ut gangrænam minari videretur, colorem sub nigricantem assumens, qualem uvulam describit Forestus lib. 15. obseru. 5.

At usu dextro medicamentorum, prægressis magis calidorum, id effecimus, ut, colore purpureo remittente, flavus inductus fuerit, at ex affluxu flavescentis hujus humoris in eam longitudinem increvit uvula, ut supra linguam ad labia ipsa se extenderit, unde & linguæ motus, ipsaque adeo loquela, deglutitio etiam, & respiratio ipsa, fere fuerint abolitæ.

Symptomata hæc tollere (nostro judicio) impossibile, nisi per exstirpationem; hanc quo convenienter institueremus, luci oppositi ægrotantis linguam sinistra manu ope glossocatochi depressimus, dextra forficem admovimus acutissimum manubrio longiore præditum; videri possunt quæ hac de operatione habet Ægineta lib. 6. cap. 31.

Thomas Bartholinus cent. 2. hist. 88. delineationem exhibet instrumenti alicujus pro uvula abscindenda à rustico quodam Norvvego Canuto Thorberno, ingenio minime plebeo excogitati, at omnibus aliis, etiam acutissimis, merito forficem præfero, secutus hac in re magnum Hier. Fabr. ab Aquapendente, qui part. 1. operat. chirur. cap. 37. volsellam Celsi reiicit, & forfice uvulam male constitutam corruptamve aufert.

Ut redeamus ad ægrotantem nostrum, uvula abscissa exspuebatur, quo facto cochlearis ope applicabatur cataplasma ex linteo tosto (Tondel) farina volatili, & Spir. Vitrioli tantillo, utile ad id ut sanguinis fluxus, qui tamen parcus admodum, inhiberetur. Hinc melle Rosaceo absolvebatur curatio.

Modum hunc uvulam auferendi nil periculi habere certum est nec est quod cum Chirurgis rerum Chirurgicarum minus peritis sanguinis fluxum metuamus, facillimum enim, cochlearis dicti ope, rei necessitate id exigente, ubi calefactum, minime ignitum, parti affectæ applicatur, eum sistere, quale quid fieri posse Hildanus loco citato docet.

Materiæ huic antequam finem imponamus, in gratiam Chirurgicæ artis cultorum, quibus haud grave fuit observationem hanc perlegere, redhottinienti loco medicamentum aliquod communicare placet, cujus vires insignes experti sumus in non uno, quoties exulceratio adfuit uvulæ, imo ubi exulcerationi conjuncta ulceratio Amygdalarum, pharangisque, siquidem penicelli ope parti affectæ applicetur, præmisso usu gargarismatis ex Decocto Ligni guajacini, Rad. sassaparill. similibusque parati.

℞. Mell. Rosar ℥ ij. chelidon. ℥ ß. aqua. Mercuriall. ʒ ß. mercur. præcipit. ℈ ij. Liquor. Ægypt. ʒ ij M. F. litus.

Aqua Mercurialis cujus hic datur mentio, descripta est à Carolo Batto Tract. 2. cap. 13. estque Aqua Fallopii. *Job. à Mexren in observat. Medico Chirurgic.*

GUSTUS MORBI.

Quibus organis perficiatur Gustus in Linguæ morbis videbimus dum scilicet tum partem uno describemus verbo. Hic itaque tantùm ejusdem ipsius morbidas affectiones per Consultationes & Observationes, adnotabimus.

Consultationes.

Gustus depravatus.

D. Joacinus Navin Episcopatus Caminensis Cancellarius optimè meritus, intemperie calidâ hepatis affectus, insignem oris & linguæ patiebatur amaritudinem, adeò ut suavissima etiam, seu esculenta, seu potulenta, gusta admodum amara & ingrata penitus aversaretur, cum notabili virium dejectione.

Gustus depravatur ab humore bilioso, linguam profundente, inprimis tunicam sive membranam quæ os & palatum succingit.

Bilis, vitio hepatis intemperie calida affecti, producitur.

Vires dejiciuntur ob alimenti defectum, quatenus æger cibos propter saporis amaritiem aversatur.

Humor itaque biliosus evacuandus, intemperies calida hepatis alterando; & vires reficiendæ.

Ad bilis evacuationem, præmissa conveniente præparatione præscripsi potiunculam.

℞. Rhabarb. electi ʒ ij. tart. vitriol. gr. v. infund. per noctem in aq. endiv. & calendul. an. ℥ j. mane colent. adde syr. de cichor. cum

rhabarb. ℨvi. specier. electuar. de succo rosar. gr. x. M. F. potiuncula.

Pro alteranda intemperie epatis calida ordinavi electuarium.

℞. Conserv. rad. cichor. ℥ij. cons. ros. vitriol. ℥iij. spec. diatrion santal. ʒiß. spec. diarrhod. ʒj. condit. lactuc. Hispan. ℨvi. syr. berberor. q. s. M. F. electuarium.

Cum nondum remitteret oris illa seu linguæ amaritudo repetii potiunculam laxativam modò descriptam additis resin. scammon. gr. iij. unde sufficientissime purgatus est.

Pro alteratione serum lactis caprini cum rad. cichor. & succo acetosæ præparatum exhibui.

Oris collutiones ex aceto rosaceo & aqua endiviæ institui, interdum etiam lapide prunellæ in aq. plantag. soluto, gargarismi loco usus est.

Ad virium refectionem aquam meam cordialem frigidam & subacidam, emulsionem item perlarum Cratonis tinctur. rosar. & alia cordialia commendavi, non minùs ac cibos bene nutrientes, juscula in primis con ummata ex carnibus vitulinis, vervecinis, caponum &c. cum acetosa & cichorio alterata, quibus tandem à molestissimo hoc malo plenè liberatus est. *Baltassar Timæus in Casibus Medicinalibus.*

Gustus, & Olfactus Depravatio, cum Inappetentia, & totius spontanea Lassitudine.

Proponitur nobis Matrona Nobiliss. quinquagenaria, cui tribus abhinc mensibus cœpit depravari Olfactus & Gustus; quæ quidem depravatio jugis est, & tunc præsertim se prodit, quando assumit alimenta, & speciatim potulenta; percipit enim tetrum quendam halitum, qui potissimum alimenti tempore molestior est. His accedit inappetentia, & spontanea totius lassitudo; de quibus tamen non constat num præcesserint odoratus & gustus depravationem, an vero post apparuerint; addendum quinetiam uno abhinc anno destitutam fuisse purgationibus menstruis. Quare supponendum in primis, affici organa sensus odoratus, & gustus; quia eorũ facultas depravata est Quærendum autem, an primo & per se lædantur, an vero per consensum ab infernis partibus. Et primo quidem essentialem esse affectum inde colligi posse videtur, quod diuturnus sit; siquidem ante tres menses incepit; secundo quia continuus; tertio quoniam de aliis partibus male affectis nullæ adsunt querelæ, quarto quia mentem quodammodo esse perturbatam referunt, quamvis quod spectat ad hanc perturbationem. rationi potius consentaneum videatur, quandam displicentiam, quam veram depravationem esse; cum referatur nunc suboriri, quia ab esculentis & potulentis exasperatur affectio. Nihilominus organa dicta per sympathiam pati, multis & potioribus argumentis convincitur. Primo quidem, quod laborat inappetentia, ex quo apparet male habere Ventriculum: à quo facile affluere possunt aliquæ materiæ, harum affectionum causæ, Secundo quia totum corpus lassitudine afficitur, quæ cum oriatur ex materia aliqua malæ conditionis, facile potest organis gustus & olfactus impertiri. Tertio quia jam per annum suppressi sunt menses; quod certe materiam has affectiones inducentem, ex alterutro horum locorum promanare convincit. Præterea, si olfactus essentialiter afficeretur, aut propter ulcus hæret, aut propter objectum improportionatum. Vlcus vero, vel extimas partes, vel internas, nimirum supra os ethmoides obsideret, si externas, inconspectu esset; si supra colatorium os, indicarent excreta, sanies scil. præterquam quod perciperet etiam ex hac materia morsum, & difficultate respirationis per nares laboraret, ex materia foraminulis ossis impacta Quamobrem statuendum fieri malum per consensum, elevata scilicet à subjectis partibus tetra quadam exhalatione, ex qua tamen sensoria alterationem quamdam essentialem contraxerint.

Causam hujus affectionis quod spectat. Vir Præclariss. qui ad nos scribit, existimat esse materiam in capite hærentem, quæ halitu suo utrumque sensorium afficiat; hancque non quidem putridam esse, aut ex ulcere manete, sed in capite nancisci corruptionem quandam; interim vero fieri posse ut à Ventriculo & ab utero vapores expirentur, affectionem foventes. Hinc priori sententiæ assentiri non possum; si enim supra os cribrosum hæreret, coryzam induceret obstructis ossis illius foraminibus. Præterea nullo prorsus modo affici posset sensus gustus ab hac materia; sicut facillime sensus odoratus, ab illo enim loco ad palatum nulla alia patet via meteriæ, nisi tertius cerebri ventriculus, & extimæ palati orisque partes; at si tertium ventriculum permearet materia, graviores excitarentur affectiones, puta Vertigines, Epilepsia, & hujusmodi; Si vero extimas partes pervaderet, ab assistentibus perciperetur. Rationi ergo consentaneum magis videtur, pendere malum ex tetra quadam exhalatione in caput, à subjectis partibus effumante, ut dictum est; quæ nihil aliud sit quam nidorulentus fumus cum aliquo fœtore, vel vapor inexplicabilis cujusdam odoris, ex corruptione materiæ ad extraneam qualitatem, aliquando contingere monet Avic. licet hoc parum faciat ad curationem; prout certum est gustum ab eo affici specie saporis, quatenus est acris; olfactum vero specie mali odoris.

Cæterum cum hic fumus à triplici loco efferri possit, à toto Venoso genere, à Ventriculo, aliisque visceribus naturalibus, & ab utero; atque cognitu facile sit ab omnibus his locis aliquid affectis organis impertiri, diligentiori inquisitione illud dignum videtur, à quanam scil. parti potior ac immediata mali causa proveniat. Etenim præcipua causa ab Utero pendere videtur; primo quidem, quia fortasse suppressi sunt menses, ante statum tempus, quamvis enim quinquagenaria sit, & ex Arist. habeamus, hanc ætatem menstruis purgationibus naturaliter destitui; hoc tamen non est perpetuum, neque ita facile est statuere determinatum tempus in omnibus, iis præsertim quæ sunt boni habitus, & sanguine abundant. Hoc etiam confirmare videtur spontanea totius corporis lassitudo, ortum fortasse ducens à sanguine ab utero refluente ad totum venosum genus. Neque obstat; quod spatio novem mensium à suppressis purgationibus, immunis à dictis accidentibus vixerit; probabile siquidem est, materiam eo tempore non contraxisse corruptionem, ad hanc depravationem necessariam;

cessariam; cujus rei certius quinetiam haberetur indicium, si menses non sensim ac sensim defecissent, ita ut prius imminuti, mox suppressi fuissent, fieri solet; verum ex scheda hoc non constat. Quæ si vera esset mali causa, posset inappetentia ab eadem originem habere, collecta enim hujus sanguinis copia circa venas superni orificii ventriculi, aliquam adipiscitur corruptionem, cujus causa sit ut appetitus tollatur, præterquam quod repletis illis, venis, nulla sit suctio, nullaque cibi attractio; hinc alimentis assumptis agitatur illa materia & molestior fit affectio. Causa vero suppressi sanguinis circa uterum, vel est crassamentum aliquod, ob adustionem à Jecore fervido congestum; vel crudi humores, à debili ventriculo suggesti; vel tandem uteri ipsius imbecillitas; de quibus tam ex scheda nihil conjectura colligere licet. Pro alia vero parte præcipuam mali causam ventriculum suppeditare, multa indicare videntur; primo quidem, quia frequentissimum est has depravationes, præsertim olfactus, oriri ex ventriculi affectione. Secundo quia ventriculus evidenter læditur, laborat enim inappetentia. Tertio quia ex ventriculo utrumque sensorium commode afficit potest. Læditur autem ventriculus, tum per essentiam, quia intemperatus tum per consensum ab utero & aliis visceribus naturalibus. intemperatus vero est, quia jam diu laborat; quæ intemperies est caliditas præter naturam, juncta uberiori humiditati; unde fit ut alimenta non probe coquantur, sed corruptionem quamdam extraneam patiantur, nidorulentæ fortasse similem, dependentem ab interno calore, qui tamen insignis non est, ejusdem acrimonia ab humiditam retusa & refracta. Verisimilius itaq; videtur immediatam mali causam à ventriculo subministrari, & potissimum, quod mensibus suppressis proprios non videmus suscitari affectus, cum vapores ab utero ad ventriculum & septum transversum elevati pariant suffocationem, præsertim dum Diaphragma impetunt, præterea rarissime accidit hac ætate menses fluere; adde quod si à suppressione mensium hoc contingeret, affectus multo prius sese prodidisset, cum anno abhinc inceperit. Verum quicquid tandem statuamus in casu, quo divinatione potius opus, credere fas est partes dictas sibi invicem consentire, adeo ut quæcunque demum fuerit pars magis affecta, vel uterus, vel ventriculus, concedendus sit mutuus non solum comensus harum partium, sed etiam Hepatis & Mesenterii quibus quodammodo obstructis materia ad ventriculum, & ab eo ad organa odoratus & gustus transfunditur. Doctiss. autem Viri, qui curæ præest, partes erunt ex propriis singularum harum partium affectionibus perpendere, quænam ex dictis potiorem mali causam præbeat.

Malum hoc ex se non quidem periculosum; signum tamen est dispositionis in corpore, non omni periculo vacantis; si enim materia, quæ nunc ad organa odoratus & gustus fertur, in cerebrum aliasque præcipuas partes puta cor, impetum faceret, posset inducere vertigines epilepsias, convulsiones motus, palpitationem, syncopen, & id genus morbos, maxima parte lethales; ut idcirco optimum sit consilium, tum ad præsentes molestias auferendas, tum ad imminentes præcavendas, uti quibusdam remediis, licet ab iis non facilis sanatio sit futura præsertim si in utero mali causa resideat; sperandum tamen, diligenti adhibita curatione Pat. liberandam esse, quia affectus nondum est confirmatus, neque validioribus remediis tentatus.

Ut itaque liberetur, revellenda terra illa evaporatio a supernis ad infernas partes; prospiciendum causæ, materiæ scilicet in ventriculo & utero stabulanti; viscerum & uteri obstructiones tollendæ; tandem iisdem, & affectis organis conciliandum robur. Hæc autem fient remediis Chirurgicis Pharmaceuticis & Diæteticis.

Chirurgiam quod spectat, necessaria est sanguinis missio, non solum ob suspicionem suppressorum mensium, ante statum tempus sed ad revellendam materiam petentem supernas partes, quæ, potissimum si lassitudo ex plenitudine fuerit, & viscera sint obstructa, omnibus numeris juvabit. Quare aperiantur venæ inferiores, utriusque pedis, & detrahatur sanguis ad eam quantitatem, quam videbitur ferre virium conditio, & corporis plenitudo. Quod si ob venarum exilitatem non possit ex illis educi sanguis, substituantur scarificationes in suris veterum more; aut admoveantur Cucurbitulæ cum scarificatione, internis coxarum partibus; deinde vero ad derivationem ab utero, reserandæ sunt hæmorrhoides. Neque obstat, quod fiat ab utero derivatio; quia si ea evacuatio nondum substiterit, statim omnino subsistet. Si fonticulos in cruribus gestet, eos conservet; secus, inuratur unus brachio dextero; & si graviores corporis affectiones invaluerint, alter etiam sinistro, utcunque enim magis affectæ sunt infernæ quam supernæ partes. Si tandem insignis aliquis materiæ impetus ad caput observaretur, non prorsus inutilia forent duo vesicantia, partibus itidem infernis applicita; quæ tamen hoc statu parum juvare possunt; quia vapor, sursum petens, habet antiquatum & habituatum impetum, & vesicantibus non revocandum. In hoc etiam fonte, lotiones, frictiones cucurbitulæ siccæ & ligaturæ, ad materiæ diversionem utiles erunt.

Reliqua remediis à Pharmacia desumptis perficienda. In primis vero purgandum corpus universum, præmissis præparantibus idoneis, & ante horum usum, exhibito leniente, ad primarum viarum expiationem, quod constare poterit, ex mel. ros. sol. & syr. de Polyp. si placeat potio, si bolus Elect. lenit. & spec. hieræ. Præparantia, erunt attenuantia, incidentia & deobstruentia, paranda ex diluto Capil. Ven. Pentaph. Borag. cich. meliss. Viol. Fumiter. & Lupul. additis syr. de Pom. de capil. Ven. de Lupul. de Artem. de Cortic. citri. Inde purgentur humores, aut elect. lenit. Diacat. cum confect. H mech. aut infus. agar. cum portiuncula helleb. nigri. Verum quia corpus valde est impurum, & excrementis redundans, ideo repetenda purgatio, præparatis humoribus syr. de pom. & Fumiter. comp. addito syr. de duabus & quinque rad. diluto vero adjectis puleg. Artem. Orig. & Agrim. Tandem petatur eadem purgatio ex Confect. Hamech. cui addatur, si placet portiuncula extracti hellec. nig. His expiato diligenter corpore; placet Aquar. Tettucian. per triduum aut quatriduum usus; detergent enim, roborant, aperiunt, quæ

usus; detergent enim, roborant, aperiunt, quæ hoc casu sunt necessaria. Mox ad obstructiones expediendas, & ad roboranda viscera, nil præstantius fuerit decocto in jure columbæ turricolæ parato, ex portione sassafras, quod fragantis odoris est, & deobstruit, China, & ligno indico, aut lentisci, quæ aperiunt & roborant omnia viscera, additis Melissa, borrag. Fumar. Puleg. Capil. Ven. Mentha, Absinth. cicer. rubris, portione Sabinæ, rad. Asparag. & Fœnic. Pimpin. Fragr. & Cich. in cujus usu pergat 15. aut 20. dies, vel prout videbitur exigi à morbo, & à viribus tolerari; ejusdem tamen quotidianum usum præcedat bolus, ex Troch. aperientibus, puta de Absint. de cappar. & de myrrha, cum succo cichor. & borrag. condens. Familiariter etiam utatur spec. hieræ, & aliquando Triphera sine opio; quandoque & magnis Antidot. speciatim vero, frigidioribus temporibus, quibus & Castoreum erit adinstar omnium. Ex quorum ope luculentum quidem speramus emolumentum; verum pro continua quadam revulsione, & derivatione ad alvum, laudamus quam maxime Elect. ex spec. hieræ & Rhab. paratum, cum mel. Ros. addita interim portione Diamoschi & Ambræ, cujus Elect. familiaris & frequens sit usus Placent quinetiam inter cætera Pil. de Aloe, quæ hoc casu sunt accomodatissimæ; nam ratione Aloes, detergent & evacuant ac derivant, quod maxime optamus.

Extrinsecus conveniunt Fomenta, Balnea & insessus, ut laxentur viæ, calorque contemperetur; quorum materias omittimus, utpote clariss. Viro notissimas. His omnibus peractis, non erit inutilis usus Conser. roborantium, qualis erit Conser. de Absint. & Rorismar. quibus addatur portiuncula spec. diam. vel diamb. Juvabit quinetiam Vinum Absintithes, cum portione rorismar. & meliss. interim ad ingratum odore extinguendum & obtundendum, præstabit pila odorata ex aromatibus, Ladano scil. puro, asa odorata, rad. ireos, cum pulu. Viol. & ros. & portione moschi & ambræ griseæ. Et naribus tandem indi potest quinta essen tia rorism. cujus spiritus, si suppeteret, omnium præstantissimus esset.

Tandem ad roborandum Ventriculum nil præstantius stillicidiis, aut ex aqua marina addito vino, absint. Mentha, Puleg. & chamæmel. aut ex oleis, iisdem additis herbis.

His omnibus tandem addatur congrua & accurata victus ratio, quæ ejus sit conditionis ut caput non repleat, & excrementa non augeat. aquæ Aponenses, si possent haberi, post Tettucianas exhibitæ, utilissimæ forent.

Hæc in casu admodum perplexo dixisse volumus. Faxit Deus, ut singula proficiant, ac optatis curatio respondeat. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons Medicin. Tom. 1. Cent. 1.*

Observationes.

Gustus privatio, ob vitiosum nervorum situm

Maxima admiratione me affecit inspectio Lazari vitrivoracis vulgo dicti: Hic nullo prorsus gustu dum viveret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum persentiebat, insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, acria non distinguebat; vitrum, saxa, lapides, ligna, viva, animalia, carbones, pisces è vivario extractos adhuc salientes vorabat, item lutum, lineos laneosque pannos, fœnum, stipulam, & ut brevi omnia complectar quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid edendum, seu deglutiendum potius offerebatur, proposita mercede, dictum ac factum, ingurgitabat.

Cum igitur hoc naturæ monstrum mihi dissecandum esset Patavii, cœpi hujusce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, causam venari, quam me tandem Deo duce ex particulari illius structura assequutum esse confido: Nam quarto nervorum conjugatio, quæ Gustus gratia in aliis hominibus à natura producta est, in hoc Lazaro neque ad palatum, neque ad linguam, sed ad occipitium reflectebatur. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Similem naturæ παρέκβασιν in sartore naturali morte extincto notavimus. *Rolfinccius. Dissertat. Anat. l. 4. c. 35.*

Gustus privatio à læsione nervi illi sensui destinato.

Cur in Laryngibus vulnerati sæpe sermonem, sæpe quoque saporem amittunt; equidem non sine admiratione spectavi Wilelmum Aurasiorum Principem, accepto in collo vulnere sensum Gustus amisisse? est enim nervus duplex à tertia conjugatione manans qui in laryngens inseritur; altero quidem ramo lingua sermoni apta redditur, altero sapores percipiuntur; hoc quidem resecto Gustus, illo sermonis usus amittitur: Quod cum Aristoteles, (l. de histor. anim. & l. de sensu,) non prospiceret, pro decreto posuit nullum animal sine Gustu vivere posse: At Princeps Aurasius amisso Gustu tam diu vixit quoad occideretur: ac tametsi cibos condimentis acribus, acidis, salsis, parari juberet, nihil tamen gustu percipiebat, ut quidem ab illo accepimus: Minus quidem mirum est Gustum amisisse, sed amitti sermonem ab eo qui audiat Lingua integra, incredibile antea mihi vidbatur nisi experientia compertum haberemus. *Bodinus Theatri Naturæ lib. 4. p. 460.*

GUTTA SERENA.

Gutta serena est oculorum affectus ubi visus propter obstructionem nervorum opticorum aboletur dum interim nihil vitii in oculis animadverti potest, nisi quod pupilla & nigrior & amplior apparet.

Pro hoc affectu explicando tota mali fabrica, ac visionis historia nobis describenda foret; verum præterquam quòd hoc jam quamvis compendiose, non minus tamen accuraté perfectum est à Clariss. Gulielmo Briggs, cujus elaboratissimus tractatus Bibliothecæ nostræ Anatomicæ Tom. 2. insertus videri potest; aliquid etiam hâc in re ubi de Oculorum morbis suo loco adducemus. Hic tantum pauca per Curationes & Consultationes, tradimus.

Curationes.

Cum guttæ serenæ causa sæpissime quidem sit Nervorum opticorum obstructio ab humore pituitoso à cerebro in Nervos istos illabente; aliquando autem eorundem adstrictio seu compressio ab eodem humore vel alia materia circa illos cumulata: materia obstruens, vel comprimens sedulo evacuanda, est, primo universalib., postea particularibus; tum demum topica locum habent, visumque acuentia.

Incipiatur evacuatio cum pil. seq.

♃. mass. pil. coch. minor. ℈j. aggregativ. ʒß. ol. stillat. anis. gut. ii. mf. f. pil. n 5. deauratæ, quas deglutiat post primum somnum, levi cœna præcedente, cum debita custodia, dilato ad 4. horas jusculo.

Vel ♃ Mass. pil. purgant. chamæpit. (p. 5. præscript.) ʒii. pil. macri ʒi. pulv. subtiliss. fol. helleb. nigri siccator. post præparatione in pane calente ʒiij. folia terantur in alkool, omniaque mixta cum s. q. syrupi de spina cervina & pantagogi nostri amari redigantur ad consistent. pilular. Dosis ℈j. in ingressu lecti ad minus hor. 3. post levem cœnam quotidie per 4. dies consequentes, deinde plures pro ratione operationis.

In robustioribus dentur extracti seq. gr. xv. septimo vel octavo quoque die, purgantibus debilioribus frustra exhibitis.

♃ scammon. ℥iß. fibrar. rad. hellab. nigr. veri ℥ß. pulp. colocynth. ℥j. cinam. opt. ʒvj. zinzib. ʒj. Extrahe cum optimo sp. vini in frigido per 2. dies, cola & festinanter exhala, continuo agitando circa finem coagulationis, in extractum satis solidum, ut ex eo possint formari pilulæ.

Quibus medicamenta forma liquida magis arriserint, potio vel apozema seqq. maxime conveniunt.

♃ Sarsæparill. ʒiii. bacc. junip. recent. ʒii. cremor. tart. ℈iiij. fol. senn. mundat. minutim incis. ʒv. turbith gummos. ℈iiij. zinzib. ℈ß. f. omnium decoctio & colatura, in qua reducta ad dosin dissolv. syr. ros. pallid. comp. cum agaric. & syr. de spin. cervin. ana ℥ß. mf. f. potio danda mane in aurora hor. 3. ante jusculum cum debita custodia.

Vel. ♃. Rad. oxylapath. ℥iiij. rad. fragar. filic. fœm. ana ℥ii. fal. agrimon. hepatic. fumar. cetarach ana m. m. j. fl. hyperic. sambuc. herb. paralys. euphrasiæ totius ana p. ij. passul. mund. jujub. ana ℥j. poma redolent. per frusta secta cum corticibus n. 3. omnium decoctio in. s. q. aqua fontan. in qua prius maceratæ fuerint per hoc. 6. fol. senn. mundat. ℥ii. turbith gummos. ℥j. tart. alb. ʒx. f. colatura sæpius per manicam, quæ levi coctura reducatur ad ℥xx. In quibus dissolu. syr. de fumaria & de cichor. simpl. ana ℥j. syr. magistralis ad melancholiam ℥ij. m ß. f. apozema pro 4. dos. matutinis, sumend. diebus consequentibus vel alternis pro ratione operationis & virium.

Potus ordinarius sit talis.

♃. Rasur. buxi ℥v. rasur. lign. sanct. ℥iv. sarsæparill. ℥vi. lign. sassafr. ℥ij. rad. cyperi ℥ i ß. cornu cervi, ebor. ana ʒxii. summit. salv. & rorismar. an. m. j. beton. euphras. an. m. ij. chamæpit. ceterach tamarisc. mythrid. an. m i ß. flor. calendul. herb. paralys. pœon. hyperic. sambuci an. p. iv. sem. fœnic. dulc. & nigellæ Roman. an. ℥ j. nuc. moscat. ʒvi. omnium decoctio in galonibus v. cerevis. non lupulatæ & tribus alæ recentis ad duorum consumption. Adde eorundem liquorum galones tres, sinatur fieri fermentatio per noctem vase probè tecto; mane f. per setaceum colatura, quæ indita doliolo justæ capacitatis (addito pauco cerevisiæ non lupulatæ fermento recenti) sinatur fermentari ad perfectam depurationem. Liquor limpidus ad medias usque depromatur ex dolio, deinde excipiatur lagenis lapideis probè obturatis recondendis loco subterraneo, unde depromantur ad usum pro potu ordinar.

Post evacuationes generales, ad particulares deveniendum est, quæ videlicet fiunt errhinis, fontanel. gargarismis, cucurbit. &c. post hæc ad discutientia & roborantia.

♃. Major. ʒiij. salviæ minutæ, rorismar. an. ʒj. flor. lavend. & stœckad. Arab. an. ʒß. elleb. alb. ℈j. agar. albiss. ℈iv. dictamni Cretici ℈ij ß. tabaci Indici ad pondus omnium, m ß. f. pulvis subtiliss. hauriendus in minima quantitate per tubum sive fistulam pyxidis. Post hujus pulveris operationem attrahatur aqua tepida ex vola manus ad narium collutionem: si nimia sic acrimonia aquæ, poterit commisceri lac in æquali quantitate.

Vel si mitius Errhinum velis,

♃. Fol. asari, quæ siccentur optimè in assere in furno longe ab exemptione panis; redige in pulverem, qui paulo ante ingressum lecti attrahatur in nares, in quibus relinquatur per totam noctem. Mane id quod ex naribus effluet, diligenter emungendo & sternutando extrahatur.

Applicentur pyrotica tria, duo pone utramque autem, unum inter primam & secundam colli vertebram; & ab iis excitata ulcera aperta teneantur immissis majoribus pisis, & superponatur emplastrum tenax.

♃. Rad. pyrethr. & staphidis agriæ an. ℥ß. summit. major. p. ij. fol. laur. minutim concil. m. ß. cubebat. granor. paradis. cardam. an. ʒ ij. f. omnium decoct. in vino alb. generos. ℔iß. aceti sambuc. ℔ß. ad medietatis consumption. f. colatura, de qua cape ℥iv. cerevis. lupulat. fortior. ℥viii. mellis ℥ j. sinap. ad condimentum præparati ℥ß. m ß. pro gargarism. usurpand. quotidie mane, sumend. cochleatim calid. donec hujus mixturæ ℥iv. absumptæ fuerint, sedulo excreando id quod à capite attractum fuerit. Ante gargarisma caput diu multumque pectatur retrorsum, & fricetur panno aspero, vel sacculis in cap. 1. de frigida cerebri intemperie descriptis.

Parari autem potest gargarisma minori sumptu & labore, viz. ex cerevis. acida, aceto, melle, & sinapi. Post gargarism. colluantur fauces frigida.

Paulo ante ingressum lecti affigantur cucurbitæ siccæ humeris cum multa flamma per hor. quadrant. quibus remotis dum tradet se somno, applicetur oculis clausis catapl. seq. per totam noctem desuper continendum; mane autem oculi (clausi) abluantur calid. propria urina cum æquali portione vini Canarini mixta.

♃. Pulp. passular. ab arillis mundat. ℥j. sem. anis. fœnic. fœnugr. an. ℥j. terantur terenda subtilissime, & incorporentur cum pulpa, addit. pauc. aq. verben. & chelidon. maj. f. veluti cata-

plasma extendendum in stuppis lineis mollibus pexis; applicetur moderate calid. additis gr. 4. croci.

Excipiatur fumus seq. per tubum instar tabaci mane & sero.

♃. Major. salv. rorism. an. ℥ß. flor. stœchad. & lavend. an ʒiij. sem. anis. fœnic. sileris montan. an. ʒij. tabaci Indici quartam partem ponderis reliquorum, f. pulvis crassiusculus, cujus quantitas sufficiens indatur tubo, & instillentur guttæ 2. vel 3. ol. stillatit. succini.

Vel ♃. Rad. siccar. raphan. rustic an. ℥ß. fibr. rad. elleb. utriusque an. ʒij. rad. pyrethi. & staphidis agr. an. ʒiß. fol. siccor. major. sal. lavend. rorism. serpyl. an. ℈v. capsici, piperis albi & longi an. ℈ij. corticis vvinteran. ℈iv. salis ammon. depurat. ʒiiß. (pro quo, si habeatur, utiliter sumetur sal volat. succini) tabaci Indici ad pondus omnium, m ß. f. pulvis crassiusculus pro suffitu excipiendo per tubum, reddendo fumum ore attractum per nares, mane præcipue. Add. usus tempore gutta ol. succini.

Ad materiam obstruentem vel comprimentem discutiendam, visumque acuendum, exhib. apozema seq.

♃. Sem. pœon. mar baccar. juniper. recent. an. ℥ß. rasur. buxi re.. ℥ j. fol. beton. chamæpit. euphras. verben. vulgar. an. m. j. flor. sambuci p. iij. sem nigell. Roman. ʒiij. sem. myrthid. & fœnic. dulc. an. ʒiiß. f. omnium decoct. & colat. quæ clarificata coletur ad ℔ j. adde vini alb. tenuis ℔ j. sp. vitr. ʒij. agita, mox adde liquaminis salis tartari q. s. ad extinctionem aciditatis: adde syr. pœon. & syr. veton. rubr. an. ℥iij. aq. cinam. cochlear. j. m ß. cap. bis in die ℥v. longe à pastibus, superambulando.

♃. Rad. chelid. major. concis. ℥iß. elleb. nigri veri ℥j. beton. m j. m jor. rorism. stœchad utriusque an. m ß. summit. abrotani utriusque, flor. lavend. an. p. ij. sem. anisi & fœnic. an. ℥ß. rasur. lign. sanct. ℥vi. lign. Rhod. & sass. fr. an. ʒiij. Ex omnibus comminutis f. sacculi plures istius magnitudinis quæ sufficiet saltem ad tegendos oculos. Eorum quatuor stent continuo in infusione in aq. stillatit. fœnic. verben. rutæ an. ℥iv. vini Canarini generosiss. ℥xii. Mane calefiat liquor, & sacculis vicissim applicatis foveantur oculi per hor. dimid. deinde optime deterso madore excipiatur fumus suprà præscriptus per tubum instar tabaci.

Horâ item unâ ante cœnam foveantur oculi liquore sequenti.

♃. Aq. stillat. chelid. maj. verben. rut. an. ℥viii. vini Canarini generosiss. ℥xvi. croci metall. subtilissime pulverizat. ℥ij. vitri antim. ℥ß. Bulliant simul aquæ cum pulveribus donec ℥ viii. liquoris consumptæ fuerint, mox detracto ab igne vase vinum addatur, & sinatur fieri infusio. Usus tempore calefiat liquor limpidus pro fotu faciendo è spongiis mollibus intinctis & leviter expressis vicissim applicandis paulo plus quàm tepide palpebris clausis.

♃. Paleæ avenæ concis. ℔ß fol. mal. parietar. violar. sambuc. beton. an. m. ij. rutæ, chelid. maj. verbenæ, fœnic. lauri, pœon. maris an. p. iij. flor. chamæm. nobilis, melil. summitat. thymi an. p. ij. sem. anis. fœnic. baccar. junip. nigel. Rom. an. ℥j. furfuris macri m i ß. Incidantur omnia, & totius istius quantitatis pars dimidia coquatur in galon. j. aquæ, quart. j. vini, & pint. j. aceti pro suffumigio seu vaporario usurpando per hor. dimid. mane, vaporem viz. excipiendo inclinato & velato capite, & oculis apertis.

Si ex horum usu Nervi optici non deobstruentur, ita ut libera spiritib. ad oculos tendentibus via concedatur, visioque renovetur, vide de salivatione ad colliquationem pituitæ & cerebri strenuam depletionem. *Theod. de Mayerne Prax. Medic. lib. 1.*

Consultationes.

De Amaurosi, seu Gutta serena. Pro Nobili Viro Francisco de Alexandris.

Dum attentius considero, quæ statutis temporibus passus est in oculis Perillustris D. Franciscus de Alexandris, annos natus 57. diligentissime relata ab Excellentissimo Viro, quam maximè hæreo, numquid præsens cæcitas ipsi supervenerit ex suffusione proposita, an potius ex Gutta serena, à Græcis Amaurosi dicta. Refertur enim quatuor abhinc mensibus circiter oculum sinistrum derepente obcæcatum fuisse, eandemque affectionem in oculum dextrum sensim irrepsisse, ita ut in præsentia nihil videat. Propterea dubitari potest, numquid hoc ex suffusione proveniat. Ad suffusionem namq; producendam necesse est confluere humorem, vel vaporem crassum ad oculum, atque vel reddere crassiorem humorem albugineum, & sic suffusionem spuriam inferre; vel contineri inter corneam, & albugineum, ibiq; ita densari, ut in membranam quandam convertatur, impedientem spirituum emissionem, & objectorum visibilium receptionem. Quorum utrumque difficillime confertim fieri potest, non dixerim impossibile, si verum est, quod à Fernelio proditum, se vidisse suffusionem in uno oculo confertim factam. Et certe difficile admodum est, cùm quia materia confluens non adeò crassa est, ut illico specierum receptionem, & irradiationem facilitatis prorsus intercipi t; ac propterea fit primò imminutio, deinde, & visus privatio: tum etiam, quoniam suffusionem factam à vaporib. densatis, præcedere solent imagines illæ volitantes ante oculos, quorum tamen neutrum contingit in oculo sinistro. Cæterum à Viri doctissimi sententia recedendum mihi non est, quando jam fuit observata materia crassa in ipsomet oculo sinistro, ut scribitur. Quod si verum esset, non locum haberet, quod mihi relatum fuit, sc. noxam extrinsecus in oculis non apparere, ipsos intuentibus, sed videri sanis persimiles.

Quare in eam propendeo sententiam, quod cœcitas hæc proveniat ab obstructione nervorum opticorum, vel potius densatione ipsorum, cùm præcesserit continua scriptio, & errores in victu materiam congerentes, & ad oculos allicientes. Habemus enim ex Gal. 4. de L. Aff. inter signa Guttæ serenæ hoc esse præcipuum, quod sc. affectus confertim fiat, cujus adhuc certius haberemus indicium, si nil exterius appareret, ut refertur: neq; omnino hæsitandum esset, si dolor quidam, seu gravitas perciperetur ad oculorum radices. Duo tamen sunt quæ huic nostræ opinioni repugnare possunt; primum est, quod in Amaurosi talis affectus in utroque oculo eodem tempore suboritur: alterum, quod patientes lumen non vident: neutrum tamen eam planè oppugnet,

oppugnat; non primum, si vera est Vesalii, & Columbi sententia, ex Anatome confirmata, nervos opticos non esse prosus unitos, sed per intersectionem, ac propterea in alterius oculi cæcitate inventum fuisse nervum minorem altero; non secundum, quia densitas seu obstructio poteit esse magis vel minus intensa, & sic lumen magis, vel minus impediri. Omnia tamen subjiciantur judicio Viri Doctissimi occulata fide rem ipsam certius comprobaturi.

Quicquid sit, certissimum est affectum hunc curatu fore difficillimum, ne dicam impossibilem, prout anno elepso observatum fuit in Illustrissimo & Excellentissimo Comite de Soura Regis Catholici Legato, in simili affectu, aliquandiu a me curato. Quòd si adesset suffusio, cura facilior esset, quia sperari posset ipsius saltem depositio; quam vidi fœliciter successisse etiam in ætate longe provectiori: qua de re lithotomos peritissimos consulendos censeo.

Non tamen omittam illa quæ opportune censuero, si fuerit Amaurosis. Si enim statutum fuerit esse suffusionem laudo ut quibuslibet medicamentis supersedeat æger, sed ea perfectè maturata ad operationem manualem deveniatur. Si verò de Gutta serena sit suspicio, laudo setaceum occipiti inustum; aliquam item levem sanguinis missionem ex vena frontis, præmisso fermento eidem parti. Vesicantia retro aures apponenda; & peculiarem capitis expurgationem cum fœniculi radice dentibus attrita, & coriandris. Validioribus etiam errhinis non omissis, post diligentem capitis expiationem per os. Conatus enim ille sternutationis materiam deturbare poterit, non omissis collyriis ex sief de fellibus, cum aqua panis cocti jam fœniculo calentis, inter duas patinas reconditi in cella vinaria: quò vapor ille concrescat, & in aquam convertatur. Et hæc opportuna censeo, præter ea quæ à Viro Doctiss. summa cum ratione fuere præscripta. Faxit D. O. M. ut cedant in utilitatem Perillustri nostri patientis.

De eodem affectu pro eodem patiente Responsum ad Perillustrem & Excellentissimum Iulium Recaleum.

Quas ad me dedisti literas legi de cæcitate Illustriss. D. Francisci de Alexandris, quæ meam confirmant opinionem, affectum scilicet hunc alium non esse, quàm Guttam serenam, à Græcis Amaurosin dictam, ex obstructione nervorum opticorum ab humoribus pituitosis & melancholicis. Quam propterea remediorum beneficio superari posse, vel saltem summa cum difficultate levamen aliquod suscepturam censeo: atque facilè mihi persuadeo, eadem te mecum sentire, quanquam ex tuis litteris nihil hac de re statutum videam. Ideo illa tantùm remedia in usum revocanda censui, quæ circa partem affectam applicata, materiam peccantem sensibiliter, & insensibiliter evacuare sunt apta, impossibile existimans ipsam evacuare per partes magis distantes.

Propterea præmissa universali totius evacuatione, ab Excellentissimo Caprilio præscripta, laudani sectionem venæ frontis, præmisso fomento, quo facilius turgent, propter angustiam venarum jugularium, & per concitatum illum motum sanguinis educti, fiat, vel saltem tentetur aliqua agitatio humoris jam firmati in nervis opticis: eo prorsus modo, quo ab Hipp. dictum fuit 7. Aphor. 5. Quod maniæ ecstasis superveniens bonum. Per ecstasin cum balano intelligendo vehementem insaniam, quam dixit idem in Commento liberare ab insania leviori, propter validum causarum motum: qui non est sperandus ab applicatione hirudinum venis temporum, aut angulorum oculorum: cùm alio fine sanguinis detractione ex venis capitis non sit opus, nulla existente inflammatione: aut insigni incalescentia capitis; in quibus casibus utilissima foret sectio venarum temporum, vel angulorum oculorum; quas venas alias secandas curavi phlebotome, & non hirudinum applicatione. Quod statuendum est de vesicantibus cauteriis & inustionibus propositis. Setaceum in occipite proderit, non solùm ad revulsionem à parte anteriori, verum etiam, & longe magis, ad derivationem materiæ fluxæ; si locum habet Laurentii & aliorum opinio, septem illa nervorum paria quæ in cerebro sunt originem habere à spinalis medullæ interiori portione, à qua longe minus distabit occiput cui setaceum inurendum scripsi, quàm sutura coronalis: quemadmodum & vesicantia retro aures apposita, tanquam loco proximo, & majorem consensum habente cum opticis, quam omoplatæ. Vasorum temporum inustiones proponi solent, ad intercipiendam fluxionem in ophthalmia, in casu tamen nostro non fluit materia per venas temporum, propterea non erit adeo necessaria prædicta operatio.

Sternutatoria quidem & errhina erunt utilissima, facta prius imminutione materiæ per masticatoria. Qua ratione scripsi errhina quinetiam validiora administranda esse, post diligentem capitis expurgationem per os. Collyrium à Galeno Proteus dictum, descriptum 4. de Compos. Medicamentor. per loca, 7. est sanè validissimum ad digerendos humores, dummodo inflammationis periculum non immineat: illud diacentetum ex Demosthene, ab Ætio descriptum in lippitudine sicca, dura & scabra, commendatur ab ipso, nec inutile futurum censeo in præsenti affectu. De pisciculo autem à Foresto commendato in visus obscuritate lib. observat. 35. quid sim dicturus ignoro, cùm mihi sit ignotus, scribatque piscem hunc in Hollandia prope Delphensem urbem reperiri. Quod si fortè Ferrariæ haberi posset ejus periculum Vir Doctiss. faciat, liquorem ex jecore ipsius defluentem in usum revocando, ut consulit Forestus. Ego enim illa tantùm collyria præscribenda duxi, quæ si non juvant saltem, neque nocumentum afferre poterunt. Decoctum ex radice Chinæ, ligno sassafr. Visco quercino, & similibus, cum herbis floribus, & seminibus odoratis, & propriis, opportunissimum judicio, cujus formulam non est meum præscribere Viro in Arte versatissimo, ne sus Minervam doceat; ideò cuncta subjicio prudentissimo judicio Viri sapientissimi. Faxit Deus ut ex voto succedant. *Benedict. Silvaticus Consil. & Resp. Med. Cent. 2.*

Amaurosis, sive Gutta Serena.

Fœmina 38. annorum, postquam ab ulceribus multis, per totum corpus diffusis, tandem

dem esset curata, incidit in hebetudinem visus utriusque oculi, qua ad longinqua & propinqua cœcutiebat. Malum ab aliquot septimanis ita est auctum, ut altero jam oculo vix quicquam videre queat. Oculi inspicientibus apparent clari: nihilque vitii in iis animadvertitur; nisi quod pupillæ justo ampliores & nigriores videantur. Alii sensus sunt integri. Materia pituitosa ex naribus copiose excernitur. Gravitatem sentit in syncipite, circa frontem, & supercilia.

Afficiuntur in hac ægra potissimum nervi optici; quod patet ex tali visus nostræ ægræ hebetudine, in qua ipsa ad propinqua & longinqua ita cæcutit, ut oculos ipsius inspicienti nihil vitii in iis appareat. Afficitur etiam interior anterioris cerebri pars; quod gravitas, in syncipite circa frontem & supercilia percepta, & materiæ pituitosæ copiosa e naribus excretio evidenter docet. Reliquum cerebrum non afficitur: quia reliqui sensus vitio carent.

Morbus quo ægra hæc affligitur, est amaurosis sive gutta serena; quæ est obstructio & compressio nervorum opticorum, hebetudinem visus in longinquis & propinquis conspiciendis in uno oculo, & in altero fere plenam cæcitatem, citra conspicuum in iis vitium, inducens.

Causa procatarctica hujus morbi fuit humorum pituitosorum, per ulcera è corpore egredi solitorum, post eorum curationem retentio. Humores vero pituitosi, inde per totum corpus collecti, constituunt ejus causam antecedentem. Pars eorum ad anteriores inferioris cerebri partes, & nervos opticos delata, eosque in una parte magis, in altera minus comprimens & obstruens, existit continens eorum obstructionis & compressionis nec non istius jam descriptæ visus hebetudinis, & cæcitatis, causa.

Cum enim causa continens tam profunde in oculorum nervis lateat, nec aliæ eorum partes sint affectæ, nihil vitii in iis inspicienti apparet; & tamen hic adest in uno hebetudo visus, & in altero oculo cæcitas; propterea sc. quod quamvis imagines rerum objectarum in fundis oculorum pingantur; earum tamen, sive propinquarum, sive longinquarum motus, ob nervorum illam obstructionem & compressionem, ad cerebrum, & hinc ad sensorium commune, ubi à mente fit sensatio, deferri non potest.

Pupillæ autem oculorum sunt justo ampliores & nigriores; quod, propter nervorum opticorum obstrustructionem & compressionem, perceptio objectorum, qua mens ad spiritus ad pupillam arctandam & crystallinum humorem justo modo ad anteriora movendum, excitari solent, partim nulla, partim exigua hic fiat; spiritusque etiam, propter idem obstructionis impedimentum, ex cerebro in fibras pupillarum, & ductum ciliarium, quibus hæ partes moveri solent, fluere satis copiose non possint.

Morbus hic difficillimæ est curationis; propterea quod humor nervo optico infixus non nisi maxima cum difficultate inde tolli soleat. Quia tamen hoc malum magnam partem à compressione externa humorum, inferiorem anterioris cerebri partem, circa nervorum opticorum originem, obsidentium, oritur: & observationes medicorum testantur, nonnullos, hoc affectu laborantes, sanatos fuisse; non penitus desperandum, sed Curationem tentandam censeo.

Eaque in causarum, & obstructionis, per contraria ablatione consistet.

Primo itaque, ad totius corporis evacuationem, tale præscribatur purgans.

℞. Fol. sennæ ℥ß. vel ʒvj. Sem. anisi. fœniculi an. ʒß. euphrasiæ m. j.

Decoq. in aq. hordei q. s. ad ℥iiij. Colaturæ adde diaphœnic. ʒij. misce. F. Haustus.

Post triduum eadem repetatur purgatio, vel hæ exhibeantur pilulæ.

℞. Pil. cochiarum ʒß. Scammonii gr. x vel xij. Cum syr. rof. sol. F. Pilulæ N. vii.

Ubi purgatio prima peracta, fuerit quandoquidem hoc malum ab ulcerum consolidatione originem duxit, non tantum posteriori cervicis parti vesicatorium est adhibendum, & eo exsiccato fonticulus, circa tertiam & quartam cervicis vertebram, per causticum est excitandus; sed fonticuli in utroque etiam brachio, circa musculum humeri bicipitem, imo etiam in utroque crure, excitari debent.

Fonticulis excitatis, & corpore aliquoties purgato, palpebris & extremis oculorum ciliis bis in die illinatur liquor, qui ex hepate piscis, *papt ael* à batavis dicti, tegulæ alligato & radiis solaribus exposito, in vitreum scyphum subjectum exstillat. Ille enim summæ efficaciæ in hoc affectu à nonnullis prædicatur.

Si malum his non cedat, ad diætam sudoriferam, purgatione præmissa, tali decocto toto mense instituendam, est accedendum:

℞. Scobis ligni à guaiaci ℥iij. Corte. ejusdem ℥j. Lign. sassaphras Rad. salsæparillæ an. ℥i. s. Infund. per noctem in aq. comm. lib 6. deinde decoquantur ad mediæ partis consumtionem. addendo, sub finem decoctionis. Herb. chelidoniæ major. euphrasiæ, verbenæ, fœniculi an. De colatura per manicam Hippocratis trajecta exhibeantur ℥vj. vel viij. calidæ, & prolicientur sudores corpus bene tegendo.

Sunt etiam, qui per salivationem mercurio & mercurialibus factam, hunc affectum curari volunt.

Corpore aliquoties per purgantia & sudorifera recte evacuato, saliva tali masticatorio, mane, & vespertina hora quarta, erit evocanda:

℞. Rad. pyrethri, ireos flor. an. ʒj. s. nucis moscatæ; fol. sennæ, Sem. staphid. agriæ, synapi an. ʒß. Pulverisatis adde mastiches dragm. j. ceræ q. s. & formentur globuli masticetur unus mane, & vesperi, prono capite, frequenter exspuendo.

Quidam etiam sternutatoriis hic, post justas purgationes, utuntur, quale hoc est.

℞. Pulv. hellebori albi, tabaci an. ℈ij piperis albi, ℈j. euphorbii gr. vi. F. pulvis sternutatorius, qui vehementius per nares inspiretur.

In diæta aer sit calidus & siccus. Cibi boni succi; conditi hyssopo, fœniculo, majorana, euphrasia, salvia, & imprimis nuce moscata. Potus cerevisia mediocris. Somnus mediocris, & quantum fieri potest, supinus. Exercitia moderata, Alvus laxa. Affectus animi moderati. *Henne. Regius apud. Thedor. Craanen Midication. lib.* 1.

Obser-

Observationes.

Pro Amaurosi seu visus imbecillitate.

Comes quidam Lotharingus de visionis imbecillitate conquerebatur, quod res exactè, sive propinquas, sive distantes, dijudicare non posset, obstare dicens veluti fumum, seu nubeculam quendam, quæ sibi visum obscuraret. Cùm omnia diligenter inquirerem, nihilque in pupilla obscuri appareret, & non semper in eodem statu permaneret: hic visionis defectus, sed nunc major, nunc minor esset, à vaporibus potius, quam vitio in oculo hoc evenire judicavi, atque ostendi vapores non oculum subire, uti credebat, sed cerebrum, juxta nervorum opticorum exortum, impetere. Usus jam erat multis evacuationibus & diversionibus, & inter reliqua etiam setaceum in cervice gestabat.

Præscripsi illi pilulas sequentes.

♃. Fol. sen. (oculis appropriata esse creditur) ʒ ij. sem. fœnicul. ʒij. pil. sine quibus, & lucis, an. ʒ ij. cum Syr. de fumaria, quæ & ipsa oxydorsica est. F. Massa. Capiat ʒ j. singulis mensibus ter sine custodia, cùm leviores sint.

Cucurbitulas applicet menstruatim, duas collo, duas scapulis sine scarificatione, continuando per triduum.

Paretur vinum hoc Euphragiatum visioni convenientissimum, de quo nonnunquam haustum in mensæ principio, vel manè bibat jejunus: sic enim ejus vis, per vapores cum vino rectius ad caput ascendit.

♃. Fol. euphrag. sicc. ℥ j. rad. fœnicul. ℥ ij. fol. caryophyllatæ ʒvi. beton. verben. majoran. an. ʒß. flor. rosmar. ʒij. sem. fœnicul. ℥ß. gran. juniper. ℥ j. incidantur, & in doliolo, collocentur, affunde vini albi generos. mensuras 10. vel 12. serventur ad usum vel vindemiarum tempore affunde mustum recens, & finito effervescere. Poterit & cinnamomum ad gratiam addi.

Pulverem sequentem mensura unius cochlearis, noctu cubitum iturus, præcedenti lævi cœna, sumat, superbibendo parum vini, vel projectum in vinum cum eo bibat.

♃. Sem. Coriand. præp. ʒ ij. sem. fœnicul. anis. an. ʒj. carvi, Sileris mont. an. ʒß. Sinapi ℈ j. fol. Euphrag. majoran. an. ʒ ß. Cinamom. ʒij. maceris ʒß. Caryophill. ℈. sacchar. rosf. tabell. ℥ iij. fiat pulvis subtilissimus.

+ Sinapi

Sal in mensa ad manum habeat, quo ova recentia, vel etiam alios cibos quandoque saliat.

♃. Salis puri ℥ij. sem. Carvi ʒj. fol. Euphrag. majoran. an. nuc. mosch. ʒß. F. pulvis.

Comedat frequenter jecora caprarum juniorum assa, confrixa caryophillis & Cinnamomo, Hæc & illi & alteri cuidam, admodum profuerunt. *Felix Platerus obs. lib. 1. pag. 106.*

Pro Amaurosi ad principem quendam.

In victus genere, inter alia hæc celebria habentur.

Raparum in cibo usus acutiores reddit oculos. Passerum & columbarum esum visum mirificè tueri ferunt, nucis moschata in cibis pro condimento, & extra cibum, manè mediocris usus seminis fœnicul. herba in jusculis inter olera, & semen frequenter à cibo inter bellaria diu mansum, & deglutitum juvant, in cibis & cum cibo uti hoc sale committo licebit, quo observatum est oculos caligantes & hebetiores mirificè recreari.

♃. Nucis mosch. macis, cinamom. opt. cardamom. an. ℈ j. fol. & fl. Euphrag. sicc. ʒij. vel ʒiij. salis communis ℥j. F. omnium pulvis ad usum, vino mediocri, non admodum fumoso, aut generoso, non dulci, neque crasso non musto, uti juvat.

Euphragiati vini continuus usus plurimos restituit hoc vitio laborantes, etiam senes, qui ocularium ope diu antea vix difficulter viderant.

Arnoldus de Villa nova Medicus celeberrimus, mirum in modum laudat, & ego aliquoties in operibus artis verum comperi. Non temerè hæc herbula in floribus, oculorum characterem, & signaculum à natura impressum habet.

Euphrasis benè asservata sicca pro magnitudine vasis quantitate convenirent musto injicitur dum effervescit, cum defœcatum expurgatumque vinum est, asservatur remedio probatissimo.

Si ventriculus ferre potest, nec concoctio labefactatur, cum simplicis puri puti vini in mensa usus fuit, magno commodo haustus aquæ fontis puræ prandium & cœnam claudat, nam ita minus vaporum è cibo in cerebrum fertur. Aristoteles in Probl. scribit, eos acutius videre qui aquam bibunt.

Præparanda quoque ex flosculis Euphrasiæ recentibus, & saccharo, conserva æstate, cùm frequens Euphrasia floret, eo modo quo rosacea conserva apparatur, ex florum parte una, sacchari duabus, & si haberi tum possunt rorismarini flores, etiam istorum partem addere licebit; ista conserva mane & vesperi sumenda juglandis quantitate potissimum vesperi, cùm decumbendum erit: ita juvatur contractio tolluntur viscerum obstructiones; visus hebes non solum instauratur, verum & cæteri sensus vegetiores fiunt, & memoria confirmant.

Ad corporis quoque & capitis ab excrementis purgationem laudo, ut Celsit. tua subscriptis pilulis utatur, subinde noctu cum decumbendum erit, deglutienda una atque altera pilula, ternis aut quaternis quibusque diebus, ita semper aliquid excrementitium paulatim, & quasi insensibiliter à capite abducitur, & si quando in oculos major humorum influxio urgeat, illarum pilularum, statim ℈ iv. plus minus, i.e. xi. pilulæ post mediam noctem, vel summo mane deglutiantur. Pilulæ hæ esse possunt.

♃. Massæ pil. hier. cum agar. ʒij. aloës rosac. ʒj. pil. lucis, asajeret an. ℈ij. rhab. opt. aq. Cinam. irrorandi ℈j. cum syr. rosf. solut. F. pasta mollis instillando ol. fœnic. gt. 5. F. pil. molles ex qualibet ʒj. pil. nu. 8. super pulvere nucis moscatæ.

Oculis quæ insequuntur tutissimè, & cum singulari juvamento admoveri possunt mane, cùm nullum efficacis medicamentum ad manum est, masticentur grana aliquot fœniculi, item aliquando tantillum chamomil. istis jam infecta saliva tingantur & illinantur leviter oculi summo digito. Item fœnic. & cumini semen pinsatur in pane, is calens è furno extractus, & discissus admoveatur: ita ut oculi vapore madescant. Vel hordeaceus panis calens è furno extractus divida-

dividatur medius, & asperso ad interius latus, fœniculi & carvi seminum pulvere, adhibeatur in oculis, ut fixi in panem intuitu oculi vapore ipsius humectentur, ita absumpta in oculis excrementitia humiditate, lentoreque ipsius & crassitie tenuata & abstersa vaporibus crassis discussis, visus mirum in modum facili remedio recreatur & reficitur.

Verùm quia hæc etiamsi parata facilia sunt, non tamen semper haberi possunt, præscribam hic ordine tria, quæ apparari in tempore, & in usus ad servari possunt primum hoc esto.

♃. Succ. rutæ per residentiam, depurati ℥iß. succi euphras. ℥j. succ. fœnicul. defæca, ℥vi. mell. virgin. puriss. ℥iiß. mista ponuntur in ampulla vitrea menses tres ad solem secus parietem, deinde coletur succus, instilletur quotidie, si res ferat, digito una gutta in oculum quemque. Alterum hoc sit.

♃. Chelidon. maj. verben. rutæ, fœnicul. euphras. tot. an. M j. vel ij. herbas recenter mane cum rore lectas & selectas minutim conscinde & impone in vitream cucurbitam, & lento igne per Bal. M. destilletur aqua pro oculis humectandis.

Tertium quod etiam Antonius Vallerius in Hollerium, sed paulò aliter adnotavit, erit sequens, quod ego etiam antea à Bairo munitus, jam dudum in simili casu comperi efficax fuisse.

♃. Ovum recens, coqu. sub cineribus ad duritiem, tum dividatur medium, & ejecto vitello impleatur tribus partibus vitrioli Romani, & una parte lapidis calaminaris, exacte pulveratis & mixtis, deinde ambabus partibus ovi apte colligatis, maceretur in aq. rosac. partibus duabus, & aq. fœnicul. & euphras. utriusque parte una, ex quantitate, qua mergi largè ovum possit, idque dies tres vel quatuor, deinde per tenue linteum mundum exprimatur liquor cum affusa aqua, & servetur in vitreo vasculo pro collirio, ex eo quotidie oculis cum digito aut penna instillando.

Si forte aliquando ex novo sanguinei humoris influxu malum exacerbatum fuerit, ita ut rubore, calore, dolore oculi infestentur, juvabunt sequentia. Veris tempore cum salis floret, inciso cortice fluit liquor quidam, vel detracto cortice abstergitur, is oculis instillatus aut illitus, mirum quam superfluam humiditatem absumendo lachrymas oculorum sistat, & hebetem visum exsuscitet, recreetque, deinde hoc collyrio uti licebit, quod dolores lenit, ruborem discutit, calorem & humores acrimoniam temperat, & influxum exsiccat, & arcet, visumque recreat.

♃. Gum. arabic. tragacanth. ceruss. lot. an. ℈ ij. lap. calamin. rutæ præp. an. ℈j. vitriol. rom. ℈ß. camphor. gr. 3. Sarcocoll. nutritæ ʒß. amyli, cortic. ovorum pulver. an. ℈j. thur. alb. gr. 8. cum album. ovi F. trochisci exigui.

♃. Horum trochiscorum 4. aut 5. includantur puro tenui linteo, & injiciantur in vitrum affusis aquis rosac. partibus, fœnicul. pt. una quartum visum fuerit, cum adde tantillum sacchar. candidi & bene recta asserva; ista aqua laventur sæpe oculi noctis & interdiu.

Hic monere Celsitudinem tuam volo, ut primo vere imperet, ut fol. cydoniorum integra, illæsa, colligant, eaque diligenter adservent, ne situ pulvere, aliisve inquinamentis oblædantur, horum foliorum licebit subinde manipulum integrum accipere coquere purissima aqua: ea sæpe numero oculi hebetes laventur; mirum quam istos præservant, ruborem discutiunt, & influentem humorem arcent, quod sine ullo incommodo fieri potest. Ad humorem etiam capitis absumendum, cerebrumque & ipsius partes roborandum, vesperi inspergantur sincipiti tria aut 4. grana pulvisculi Caryophil. vel rorismarini foliorum, nam mirum quantæ sit hoc leve remedium efficaciæ. *Rinerus Solenander, consil. 8. sect. 2.*

Pro Amaurosi in puero.

Hoc malo cum premeretur puer quidam, & illæso apparente oculo, videndi actione prorsus careret, & distillatione è capite per multos annos, per oculos excreta copiosa materia, crassa, & sordida, laboraret, hunc obstructione instrumenti, hoc est visualium nervorum, per quos vis visiva ad crystallo idem fertur, esse affectum deprehendimus. Vitium hoc ab omnibus putatur incurabile. Nos hoc ordine curationem sumus exorsi, instituto regimine recto, celebratisque auxiliis universalibus, quorum ope mucosa excrementa sunt evacuata per 30. dies sudationes imperavimus ex radice Chinæ. Deinde cucufis exiccantibus, & lavacris supra caput admotis, rasis prius pilis, usi sumus. Masticatoria & errhina medicamenta non prætermisimus, quorum ope, tenax per os & nares excernebatur humor. Ut aures spirarent, quæ cum oculis maximè consentiunt, causticum retro ipsas affiximus, & simul setonem nuchæ indidimus, ut per has partes vacuaretur humor in oculos delapsurus, toto, & capite belle repurgatis à levioribus collyriis incepimus? primum fuit verbenæ decoctum, pulvis ossis sepæ, succus rutæ, & fœniculi depuratus, aq. stillatitia ex raphanis & eorum foliis, mel cum marrhubii succo, decoctum euphrasiæ chelidoniæ. His factis inditum est testitudinis fel, cum saccharo candido commistum, vinum album in quo aurum quinquies erat ignitum, at cùm lucem jam aliquantisper videret, hoc deinceps auxilio, quod licet videtur contemptibile, est tamen mirabilis efficaciæ, visum recuperavit.

♃. Frustula porcinæ carnis vetustæ, ea in minutissimas taleolas seca, serva in ollula parva adjecto sale & odorifero vino albo, post 10. dies aqua stillabit, quam ad recuperandum visum, roborandos nervos visuales, auferendam obstructionem, mirificam opem fidissimo experimento adinveni. *Zacutus Lusitanus, observ. 56. lib. 1. prax. admirand.*

De Amaurosi à tumore globoso nervos apticos premente.

Gallus quidam jurium studiosus Basileæ versans, dolore capitis correptus est, mox secuta febris, qui cessante cephalalgiæ reliquiæ aliquæ nihil minus remanserunt, cum vigiliis & capitis imbecillitate, tandem in oculo sinistro, viso obscurari cœpit, & post mensem etiam in dextro oculo, secutaque est paulo post in utraque oculo omnimodi amaurosis, seu cœcitas, nulle

nullo vitio in oculo apparente. Postmodum etiam cæcus ille, convulsionibus laboravit, quæ illum per vices, tota hyeme affligebant; quibus initio veris cessantibus, supervenit tussis, febris hectica, expulsio purulenta, & tabes, quâ diu molestatus & consumptus, tandem expiravit. Corpore per anatomen aperto, pulmonum vitium deprehendimus: verum cum causam cæcitatis, aperta calvaria in cerebro perquireremus, invenimus cerebrum, aqueo copioso humore irriguum, partemque illius anteriorem, sinistra præsertim in sede, tumidiorem, à quâ cum portio adimeretur, inventus est tumor seu globus quidam glandulæ seu strumæ instar, inclusus in cerebri substantia, ab ea tamen separatus, propriaque membrana dura contentus, per quam venæ aliquæ capillares dispersæ erant, ovi gallinacei magnitudinem superans, inæqualis & formam pineæ nucis exprimens, cujus interior substantia, albida & æqualis ovi albumen coctione induratum, referebat, sed durior illo erat. Hic, cono obtusiore, nonnihil sursum prominebat, basi vero latiore, ventriculo cerebri, anteriore sede innitebatur, & pondere suo, quod erat ℥xiiij. nervorum opticorum exortui in cerebro, incumbebat, eosque comprimebat. Quam causam fuisse cæcitatis, quod spiritus animalis transitus ad oculos fuerit impeditus, conclusimus; cùm alioquin in nervis obticis, nulla obstructio, aut aliud vitium, uti nec in oculo apparuerit. Hinc conjicere licet, graves & diuturnos cerebri vitio accedentes & incurabiles morbos, ab ejusmodi, occultis in cerebro latentibus tumoribus, aut vitiis, frequenter accidere, & cum rarissime hæc sectione indagentur, Medicos qui causam, cerebri intemperiei, aut humoribus attribuunt, atque hisce remedia accomodando, oleum & operam perdunt, latere. *Fœlix Platerus. obs. 1. pag. 108.*

GUTTA ROSACEA.

De ea admodum scripsit nunquam satis laudandus, accuratissimus Marcus Aurelius Severinus, suo de recondita Abscessuum natura vere aureo tractatu. Nos hic nihil hic iis addimus quæ jam supra in cutis affectibus attulimus sed tantum observationem unam atque alteram dabimus quas collegit *Clariss. Burnetus in suo Medicinæ Practicæ Thesauro.*

Gutta Rosacea, rubedo est Faciei maculosa, seu potius rubor cum tuberculis, quibus tota Facies defœdatur, ac si guttis roseis conspersa esset cognoscitur visu. Ortum dat sanguis crassus & fervidus, ad faciem delatus. Hoc malum sæpe contrahunt, qui poculis & ebrietati nimium dediti sunt: quibusdam vitio naturæ obtingit.

Pro Gutta Rosacea.

℞. Lithargyr. auri ʒj. ceruss. ℥ij. axung. anser. & gallin. an. ℥ß. argenti vivi cum saliva extincti ʒij. F. unguentum, cum quo sero inungatur facies, & mane lavetur cum aq. furfuris. Item pineæ nuces recentes pistæ cum cremo lactis in modum unguenti coeant, quo inungatur Gutta rosacea. Mirabile habetur.

Vel. ℞. Lithargyr. bene triti & pulveris. ℔j. aceti fortis ℔iiij. M. Stent. per duos dies. Postea coq. ad consumptionem tertiæ partis: deinde adde aq. fl. fabarum ℔ij. & simul ponantur in alembico & destillentur. Postea istæ aq. destillatæ adde gummi tragacanth. & arabic. q. s. ut F. unguentum quo facies ungatur. *Petrus Forestus. schol. observ. 9. lib. 2. obs. Chirurg.*

Pro Gutta Rosacea.

Puellæ nubili facies admodum defœdata erat jam multos annos pustulis siccis flavescentibus serpentibus, accedente rubore, ita ut de lepra suspecta esset. Vocatus ego veris tempore, primo venam aperui brachii. Scarificatione postea adhibitis curcurbitulis in scapulis, jussi uti singulis mensibus. Vesicatorium quoque nuchæ applicui, quod magnum illic vesicam excitavit, & quod admirandum, ut aliquandiu sanguinem minxerit, fecit: Bibit aliquoties hoc decoctum.

℞. Summitat. lupul. rec. fumar. rec. an. Mj. fol. sen. ʒiij. coque in sero caprino, colaturam bibat uno haustu, & aliquoties repetat.

Unguentum pro facie sequens præscripsi.

℞. Lithargyr. auri, ceruss. an. ʒij. unguenti citrini ℥iß. thuris alb. mastich. an. ʒiß. rad. serpentar. ossis sepiæ, an. ʒj. ol. tartari ℥ß. succi limonum ℥j. M. Inungat faciem. Mane abluat aqua flor. fabarum; recesserunt hac ratione pustulæ, sed iterum de novo obortæ sunt. Denuo itaque eam phlebotomia uti jussi, alteroque mox die scarificationibus. Purgavique de novo sic.

℞. Fol. lupul. fumar. an. Mj. fl. cordial pj. sem. anis. ʒij. fol. sen. anis. ʒij. fol. sen. ℥j. epithymi ℥ß. decoq. in sero lactis. bibat duabus vicibus: sed in posteriore dissolvat conf. Hamec. ʒij.

Electuario deinde hoc utatur.

℞. Conserv. fl. cichor. viol. an. ℥j. conserv. fl. bugl. nympheæ, an. ℥ß. pulv. triosantal. duplicato rheo ʒij. diarrhod. abbat. diamarg. frigid. an. ʒß. medull. sem. melon. ʒij. Syr. conserv. cortic. citri q. s. F. Electuar. capiat alternis diebus bolum.

Postea illinat faciem singulis noctibus hoc unguento.

℞. Spec. unguenti citrin. ℥iß. camphor. ʒß. ʒß. boracis usti ʒi. ossis sepiæ ʒß. rad. serpentar. ʒi. lactis virginal. parati ex lithargyr. cum aceto & aq. fabarum ℥iij. succi limon vel arantior. ol. de tartaro, de frumento. an. ℥ß. fugitivi ʒi. (plus addidissem, sed valde denigrabat) misceantur bene, siccabatur sæpe, sed rursum succis molle reddebatur: mane abluat hac aq.

℞. Cuspid. rosar. p. j. fl. viol. Mj. furfur. ℥ij. cicerrub. conquass. p. ß. rad. ireos, ℥i. rad. lilior. ℥ii. rad. serpentar. cyclamin. an. ℥ß. add. aquæ mensur. ß. eliciatur aqua, quam cum faciem ea lavat, aqua fabarum diluat: absumpto semel unguento & denuo parando addidi li-

thargyri & borac. an. ℥i. & hac ratione curata fuit. *Felix Platerus obs. lib. 3. pag. 619.*

In gutta rosacea faciei sananda cuidam Doctissimo viro, qui jam fuerat purgatus & sanguinem detraxerat, Sequentia jam usurpenda, & autumni tempore repetenda præscripsi.

Hoc mense Maio frequenter lac caprinum mane bibat. in quo decoq. rad. lapath. fol. Mercurial. fumar. teneritates sambuci & Lupulorum. Ungat faciem unguento sequenti.

℞. Lithargyr. quart. i. infund. in aceto fortiss. sæpe moveatur, & acetum effundatur: residentia sumatur, cui adde camphor. dissolut. in aceto ℥ß. promatæ q. s. F. linimentum. Mane hoc decocto abluat.

℞. Fabar. conquassat. parum, & orizæ an. p. i. decoq. in sero lactis, & eo abluat faciem: quod si non sit satis efficax unguentum: succum granatorum illi permisceat. Reversus ex Italia, cum inspicerem, vix amplius apparebat rubedo, dicebatque imprimis profuisse unguentum ex Lithargyro. Felix Platerus observ. lib. 3. pag. 617.

GUTTURIS AFFECTUS.

GUtturis affectus varii sunt; verum de illis jam abunde diximus, capitibus de Angina, de Deglutitionis vitiis de gurgulionis morbis, ac in sequentibus ubi de Tonsillarum effectibus. Hic unicum nobis incumbit explicandum, scilic. quomodo variæ res extraneæ gutturi infixæ, commode extrahi queant; quod per observationes aliquot jam perficiemus.

Pro gulæ dolore ab ossiculo illic hærente.

Scriba quidam cum in artocreate pullos columbinos, corfractis ut solent prius ossiculis, coctos comedens, ossiculum simul ex parte deglutivisset, illic ubi abruptum fuit, acutum, æsophago infixum hæsit; unde tantus dolor subortus, ut misere excruciaretur, mox sequuta inflammatione & tumore qui etiam foris in collo apparebat. Cum variis instrumentis illud eximere Chirurgus studeret, apprehendere tamen cum non esset conspicuum, minime potuit, deorsum propellere longe minus, cum tunc dolor admodum exacerbaretur. Vocatus jussi eum jusculis & lacte nutrire, crassiora enim deglutire minime poterat, tumori extrinsecus, cum mollis esset, cataplasma maturans apposui, quo, exactis diebus aliquot, maturari, & in abcessum converti cæpit, quo aperto, una cum pure ossiculum quoque prodiit & exemptum est. Postea sanato ulcere, nihil mali amplius passus est. *Fælix Platerus observation. lib. 2. pag. 413.*

Similem prope casum in Ebrio vide suprà ex Clariss. Drelincurtio in fine capit. de Ebrietate.

Quidam per imprudentiam devorans frustrum corii, propemodum suffocatus, tandem convaluit.

Anno 1694. Mense Majo, civis & sutor quidam Coloniensis è regione divi Laurentii, inter confabulandum ore continebat corii frustrum, quod illo præ risu hianti gutturi se insinuavit & infixit. Provocavit statim vomitum sed neque regerere, neque deglutire potuit: quapropter homo ille propemodum suffocatus est. Vocatus unà cum clariss. Viro, Domino Johanne Kuenio Bridembachio Med. D. protinus injeci gutturi decoctum emolliens ex radicibus Altheæ, seminis lini, fœnigræci, cum oleo amygdalarum dulcium: deinde stylo argenteo incurvo corium ad capacitatem stomachi depuli: quod post semestre spatium per alvum egessit, Operationi præter alios quamplurimos interfuit Reu. D. Dn. Sebastianus, Seydelvis, verbi Dei minister fidelissimus, qui & sanationis testis est. *Guilielmus Fabricius Hildanus observ. Chirurgic. cent. I.*

Mulier ossiculum devoratum, quo pene suffocabatur, septimo tandem die egessit.

An. 1592. *Metzgen auff den Walber* Hildenæ ossiculum undique peracutũ deglutivit. Primo secundo & tertio diebus provocato vomitu, neque egerere, neque transglutire potuit. Vocatus tandem quarto die, inveni collum intus & extra inflammatum, ita ut vix inspirare aut expirare, vel etiam juscula sorbere posset. Urgebant dolor vehemens, febris, delirium & convulsiones. Quum ossiculum neque vomitu, neque instrumentis ullis depelli, nedum extrahi posset, sed jam in ipso gutture abscessum procreasset, anodynis quantum potui dolores sedavi: & supurationem provocavi. Intus decoctum ex radicibus Altheæ, semine lini, fœnigræci, & cydoniorum, cum oleo amygdalarum dulcium per syphonem injeci. Exterius autem collum inunxi oleo anethino, liliorum alborum, & amygdalarum dulcium: & cataplasmata ex farina fabarum, floribus Camomeli, meliloti, semine lini, foënigræci, coctum in hydræleo adhibui. Interim etiam aliquoties enemata injeci, & vires jusculis conservavi usque ad diem septimum. Tum per os rejecit plurimum puris, simulque ossiculum sicque liberata, & brevi curata fuit, & per multos annos à curarione feliciter vivit. *Idem ibid.*

Spina piscis gutturi, biennio post excitato abscessu, in externa colli parte extracta.

Anno 1594. Coloniæ accessit me mulier, laborans tumore insigni ad maxillæ inferioris partem dextram, qui tumor sese ad asperam usque arteriam, aurem, & furculam extendebat, repræsentabatque steatoma: mollis erat sine inflamma-

flammatione. In imprimis emollientia & discutientia per aliquot dies aplicui: sed cum viderim his nihil profici, causam penitius inquisivi Illa respondit se ante biennium inter edendum spinam piscis devorasse, quæ æsophago adhæsisset, indeque statim exortum dolorem maximum ita ut difficile cibum & potum deglutire posset: tandem dolore sedato, collum paulatim intumuisse. Ex hac declaratione cognovi spinam aut ipsius portionem adhuc remanere, hinc ad suppurantia confugi. Suppuratus tumor à Ludovico Glandorpio, tum temporis Chirurgiæ studioso, cui alio proficiscens curationes commiseram, incisus est. Manauit materies plurima: spina post apparuit, quam ipse integram & incorruptam extraxit. Ulcus post paucos dies coaluit. *Idem ibid.*

Ex deglutita acicula horrenda symptomata.

Anno 1591. Hildenæ in arce Host. ancilla nobiliss. viri Otton. Schenck von Nideck. 18. annos nata, aciculam grandiusculam forte deglutivit. Hinc tamen quia triduo nullum sensit dolorem, aciculam jam dudum per secessum dejectam fuisse sperabat: sed decepta fuit misera illa. Quarto enim die, primo in fundo, mox quoque circa pylorum exortus dolor & cruciatus, adeo vehemens & acerbus, ut dies noctesque exclamare & ululare coacta fuerit. Ego sexto die à morbo incepto vocatus, inveni ipsam phreneticam cum ardentissima febre, lingua arida, vultu inflammato, mente adeo captam adeoque furiosam, ut neminem agnosceret, nec cibum & potum exposceret. Convulsiones colli, brachiorum & crurum, maximæ & horrendæ aderant. Aliquando sese ex una in alteram partem lecti, tali impetu projiciebat, ut tres viri quantumvis robusti, vix illam tenere possent. Exclamabat, ululabat, & manibus ventrem, non aliter quam si ipsum dilacerare voluisset, tractabat: & (ut verbo dicam) videbatur potius à Dæmone obsessa, quam morbo laborare. Quum vero aliquando per horam integram, aut circiter, ita vexata & convulsionibus horribilibus, cum incredibili cruciatu, ex una in alteram agitata & fatigata esset, conquiescebat paulisper, & tanquam semimortua jacebat: rursus & repente priora symptomata invadebant eam. Ego interim juscolis pinguibus castratorum, item crematura hordei mundati, quibus admiscebam butyrum recens, & oleum amygdalarum dulcium, ptissana quoque & lacte amygdalato, corpus continuo nutriri curavi. Præterea ne excrementa, in parte aliqua intestinorum indurata, aciculæ impedimento essent leniter illam purgavi. Sic divino favore aciculam in illo cruciatu tandem decimo quarto die egessit. Postea sedati sunt dolores, reliquaque symptomata, ita ut brevi pristinæ sanitati restituta fuerit. *Idem ibid.*

Ex rebus extraneis, gutturi infixis mors.

Inter comedendum sæpius accidit, osficulum, spinæ piscis, aut simile quid gutturi inhæreat: inde compressa tracheia arteria, quæ gutturi incumbit, protinus suffocatur animal: quod sequentibus confirmo exemplis.

Anno 1595. Coloniæ Agrippinæ, Mercatori cuidam frustum cutis pernæ assatæ, ac mica panis sale & pipere aspersæ, infixum est gutturi: unde protinus dolor vehemens convulsiones, rigor, ac tandem suffocatio, orta sunt.

Eodem anno Coloniæ mulier pertransiens pistoris officinam, ac manu ducens puellum, laganum emit, quod puellus in manum sibi datum eundo comedebat: hujus frustum quum adhæsisset gutturi, statim suffocatus est puer, antequam mater ad ædes suas perveniret. Hoc quoque anno puer erat coloniæ, *auff dem Bullbender Schildergassen*, cui globulus plumbeus deglutitus, tracheiæ arteriæ se insinavit. Vocatus fui, sed puer ante meum adventum suffocatus decessit. *Idem ibid.*

Modus eximendi ossicula, & alias res gutturi infixas.

Quam periculosa sit mora hac in re, ex superioribus satis constat. Subito igitur diligentia adhibenda, ut quidquid gutturi infixum est, quamprimum extrahatur. Ideoque statim oleum amygdalarum dulcium, aut olivarum (cave tamen ne substituas butyrum) in æsophagum infundendum. Deinde digito, penna, aut simili aliquo instrumento in os immisso, vomitus provocandus: his enim sæpius secum expellit, quicquid gutturi inhæret. Postea speculo oris lingua depressa (si ossiculum visui sese præbeat nostro corvino incurbato apprehendendum atque extrahendum est. Si vero profondius fuerit, nec rostro apprehendi possit: Nonnulli spongiam novam, avellanæ magnitudine, eamque compactam, filo longo & forti alligatam, & oleo amygdalarum dulc. inunctam, ægro deglutiendam suadent, filum digitis tenente Chirurgo: fieri enim sic potest, ut deglutita ægro spongia secum simul in ventriculum depellat, id quod gutturi inhærebat, aut retracta filo eadem, simul nonnunquam extrahatur, vomitùve rejiciatur. Aut potest globulus plumbeus filo alligari & deglutiri, atque denuo extrahi: ut de spongia jam dictum est.

Nihil vero præstantius aut aptius ad extrahenda ossicula, & spinas piscium è gutture, hoc sequenti instrumento, quo ego feliciter usus sum, tum alias, tum præcipue anno 1603. 16. Augustini Ludovico Tissor Lustriacensi, qui inter cænandum ossiculum, triangularis figuræ, sed crassum deglutivit.

Hac profondius Æsophago, è regione scil. inter ultimam vertebram colli, & primam metaphreni, se adeo insinuarat, ut id neque deglutire, neque rejicere posset. Adstantes statim porrum profundius in ipsius gulam intromiserunt, & vomitum provocarunt, sed frustra: ita quidam ut noctem in magno dolore & suffocationis metu transigeret. Sequenti die pene suffocatus ad me ducitur. Ego oleum amygdalarum dulcium Æsophago satis copiose infudi, & undique exterius collum eodem oleo inunxi. Postea jussi, ut ei tenerentur manus & caput, interim ego, depressa prius lingua speculo oris,

instrumentum meum in gulam intromisi, usque ad ossiculum, sensimque & modice circumducto ex una in alteram partem instrumento, donec id paulatim ad latus ossiculi, profundius depulerim. Deinde retrahendo, ossiculum simul suo loco amotum & extractum fuit. Atque brevi convaluit. Hujus operationis & curationis testes sunt, Daniel Tavellus & Samuel Galliardus, ambo Ludimagistri in schola Paterniacensi.

Est autem hoc instrumentum fistula argentea aut ænea incurvata, crassitie pennæ oloris, longitudine vero unius pedis cum dimidio aut circiter. Est & undique perforata. In sua extremitate vero habet spongiolam novam, avellanæ magnitudine, firmiter alligatam. Hac fistustula in Æsophagum immissa & circumducta, quemadmodum antea diximus, postea extracta, ossiculum aut quicquid simile fuerit extrahimus. Si enim accedit, ut foramen aliquod fistulæ ossiculum aut spinam excipiat, tum simul cum fistula extrahitur: sin minus asperitas ossis spongiæ adhærebit, & suo loco amovebitur: quod & ego experientia comprobavi, antequam haberem fistulam perforatam. Non tamen ossiculum aut spinam prima vice, dum intromittimus fistulam, extrahitur, nec propterea ab incepto opere desistendum: aliquoties enim quinquies aut sexies fistulam intromittere coactus fui, donec tandem ossiculum suo loco amotum & extractum, vel (si aliter fieri non potuit) in ventriculum depulsum fuerit: quod & periculo vacat: præstat tamen per os extrahere, si fieri possit.

In hac operatione autem circumspecte agendum, ne instrumentum in asperam arteriam loco æsophagi, immittatur, quod valde periculosum esset. Itaque ut Chirurgus harum partium anatomiam sciat, necesse est. Incumbit autem æsophagus vertebris colli: aspera verò arteria anteriorem partem occupat. Itaque quamprimum Chirurgus linguam speculo depresserit extremitatem instrumenti sui, ubi spongia (quæ oleo amygdalarum dulcium, aut olivarum prius inungenda) alligata est, vertebris imponat, ac leviter leniterque deorsum immittat. Sic enim ratione spongiæ instrumento alligatæ, epiglottis (hoc est, operculum laryngis) deprimitur, & aspera arteria clauditur usque dum instrumentum immissum sit profundius.

Quantum ad spongiam filo alligatam de qua mentionem fecimus, non usque adeo illi est fidendum. Contrarium enim enarrata operatione expertus sum. Et quomodo fieri possit, ut spongia levissima, vel simile quid transeat in os infixum in æsophago? Hujus monitum volui lectorem, ne rei inutili confidat: at interim æger periclitetur. Habeat igitur Chirurgus semper in promptu instrumenta, ad hanc operationem necessaria: cunctari enim hac in re non licet. Si in asperam arteriam quidpiam illapsum fuerit, sternutatorium admovendum est naribus: ueluti aliquid piperis, aut Euphorbii vel ellebori albi: ab acidis & tussim provocantibus, contra opinionem quorundam, omnino abstinendum. Tussis enim sua sponte satis accidit: acida vero & æsophagum & asperam arteriam & quicquid attingunt, coarctant, constringunt & angustiora efficiunt. Qapropter ore continuo teneat syrupum de liquiritio, de polytricho, violarum aut (quod ego expertus sum) oleum amygdalarum dulcium, sacchàro ad partes æquales commistum.

Post extractionem ossis, guttur sæpe abluendum est decocto hordeaceo, aut æqua plantaginis, cum melle rosaceo & diamorone. Si dolor adest, sumat ter aut quater interdiu cochleare ol. amxgdal. dulcius vel rosacei, aut utatur sequenti Electuario lambendo.

℞. Specierum diatragacant. Frigi, Diairidis ana ℥ij. ol amygdalarum dulcium ℥ß. syrupi violarum sine spiritu vitrioli q. s. misceantur fiatque electarium mediocris consistentiæ.

A vino, & ab eis omnibus quæ calefaciunt, abstineat, ne inflammatio & dolor excitentur. Utatur jusculis, panatellis, crematura hordei, lacte amygdalarum dulcium, emulsione seminum frigidorum majorum, iisque omnibus, quæ deglutiri & concoqui facile possunt si æger juvenis fuerit, & sit inflammationis suspicio, electuario de succo rosarum evacuandus est. Et vena basilica brachii dextri incidenda. Exterius inungendum est collum oleo rosaceo & myrtino & unguentum de bolo applicandum.

Descripti autem instrumenti inventorem Dm. D. Gualterum Ryffium, apud Argentoratenses Medico Chirurgum longè celeberrimum fuisse arbitror; qui & delineationem in magna sua Chirurgia, mihi pagina 38. habet. Antequam verò ego prædictum instrumentum & Dno. Ryffio mutuatus essem, cathetere, quo utimur in affectibus vesicæ (cui spongiam annexi) Cum successu usus sum; præsertim in sutore quodam Coloniensi, Mag. Casparo, de quo vide supra observat. 31. si catheter ad manus quoque non fuerit, filo ferreo nonnihil incurvato, spongiolam firmiter annecte & utere. Hæc in eum finem scribo ne Chirurgus propter penuriam instrumenti operationem (quæ moram non admittit) procrastinet.

Etsi autem prædictum instrumentum à D. Gualtero Ryffio acceperim, nonnulla tamen perquam necessaria, in ipso correxi atque emendavi, mancum enim atque imperfectum esse Ryffii instrumentum, lector haud difficulter cognoscet, Si Dn. Ryffii instrumentum cum meo conferre volverit. Primo enim quia aliquomodo in acutum desinit, facile in operatione ac incredibili corporis ægri agitatione, in asperam arteriam intrudi, ægrumque suffocare poterit, obtusum enim ut sit necesse est. Deinde spongia tam utilis tamque necessaria, in ipso desideratur, triplicem enim usum habet in hoc instrumento, Primo impedit, ne in operatione & maxima corporis agitatione, instrumentum in asperam arteriam intrudatur, idque facilè fieret, si instrumentum nudum esset. Spongia Epiglottidem deprimit, asperamque arteriam claudit. Hic tamen monendus est Chirurgus, circa Epiglottidem moram non adhibendam, ossiculumque diu quærendum non esse, ne spongia asperam arteriam obturet, respirationemque impediat. Secundo impedit spongia, ne Æsophagus ab asperitate instrumenti lædatur, excorieturque, quæ excoriatio periculo non vacat: plerumque enim dolores, inflam-

flammationes, & gangræna sequuntur, uti lector exemplum annotatione dignum observ. 35. cent. 5. videre poterit. Tertio nudum & aliquomodo in acutum desinens instrumentum, facilè juxta os gulæ infixum, descendere, & nihilominus illud relinquere poterit. Si vero annexa est spongia, os vel ad ventriculum detrudit, vel sursum secum extrahit; uti ego cum alias, tum 18. Aprilis 1633. in Juvene Bernensi, Johannis Bietermanni filio expertus sum. Hæc mihi, candide lector, non contradicendi studio, quin potius, ut te in hac operatione, tum magni momenti, erudire possem, tuum erit, omnia benignè interpretari.

Viro clarissimo ac Doctiss. Dn. D. Petro Offenbachio, Illustrissimi Landgraffii Hassiæ &c. necnon Inclytæ Reip. Francofurtensis medico ordinario ac celeberr. Amico meo singulari studio observando.

Fabricando nos fabros fieri, vir clarissime, juxta ac Doctiss. ante menses aliquot, in juvene isto viro cujus mentionem feci circa finem observationis 36. cent. 1. reipsa expertus sum. Tam vehementes etenim in ipso erant convulsiones, & corporis concussiones jam antrorsum jam retrorsum ac sinistrotsum, ut tres viri, quantumvis robusti, ipsum, ne membra disrumperet vix continere possent, donec tandem ossiculum, Æsophago infixum ad ventriculum detruderem, per os enim educi non potuit. Quod fit? In maximis istis convulsionibus, & dentium constrictionibus, instrumentum meum sat forte, & ex aurichalco fabricatum, sub dentibus adeo confregit ut plane inutile factum sit. Sed in quem finem, inquies, proverbium? Dicam sincere in hac operatione me edoctum esse, instrumentum ut à Domino Ryffio inventum, & mihi aliquoties usui fuit, non semper tutum esse. Si enim in ipsa operatione inter dentes ægri frangeretu, & fragmentum ad ventriculum descenderet, quotnam, bone Deus mala? Quotnam symptomata periculosa atque mortalia sequerentur? In prædicta itaque operatione edoctus fui, prædictum instrumentum (quod omnium quæcumque in hoc affectu excogitari poterunt, aptissimum est) quia propter multitudinem foraminum per se nimis imbecille est, corroborativo aliquo indigere. Idque facile fieri potest si stylus ex cupro vel aurichalco, prædicto instrumento ab artifice infixus & ex utraque parte, videlicet manubrium & spongiam versus firmiter annexus plumbatusque fuerit? Crassus ut sit stylus ille, necesse quidem est, ita tamen adaptari debet, ut in medio fistulæ collocatus, foramina ne obturentur, & usus instrumenti imminuatur, non attingat.

Porrò quia gravissimus & periculosus, imò mortalis est affectus, uti ex observatione 35. cent. 1. apparet, suadeo; ut fidelis ac diligens Chirurgus, prædicto instrumento semper instructus sit, moram enim nequaquam admittit affectus iste, ut in prædicto juvene & aliis observavi. Nisi enim ego instrumentum, quod nullibi in hac verbe, nisi apud me reperitur, in promptu habuissem, de ipso actum fuisset, propter doloris enim vehementiam, statim affluunt humores, intumescit collum, sequiturque suffocatio, plerumque etiam inflammatio & gangræna, uti ex observatione 35. cent. 5. videre poteris. De his, clarissime mi Dn. Doctor, qui a lectorem admonitum esse cupio, tuam excellentiam etiam atque etiam rogo, ut epistolium hocce observat. 36. cent. 1. antequam apud vos excudatur, ad calcem annectere velit. *Idem ibidem.*

De modo frusta carnis, casei, panis, aliaque corpora faucibus inhærentia auferendi.

Quàm difficilis eorum sit respiratio, quibus ex Catharro œsophagus angustatus, experientia quotidiana abunde docet. At difficilior longe iis obvenit, qui ex corpore aliquo duriore, pane, carne similibusque angustiam ejus incurrunt. Quandoquidem enim œsophagus asperæ arteriæ firmiter cohæreat, incumbatque, impossibile est, quoties frustum aliquod ei inhæret, aërem pulmones respirationi dicatos accedere posse, aut contra pulmonibus contenta exire.

Quæ de nummis, aciculis, similibusque authores referunt, non est quod à proposito nos divertant, frusta carnis, casei, panis, aliaque his similia, ex gula auferendi hic est modus.

Ad manus Chirurgo sit stylus ferreus flexilis, cujus extremitas una manubrio gaudeat debito, altera instructa sit spongiæ particula, strictissime alligata, spongiam hanc oleo olivarum madidam, ad faucium posteriora atque inferiora, ubi œsophagi ingressus, dimittat, hinc sensim, ne respiratio magis lædatur, in œsophagum ipsum, in hoc ubi ad frustum aut corpus aliud ei inhærens instrumento dicto devenit, spongiam, ad postica premendo, studeat supponere corpori contento, quo simul cum ea sursum retracta id extrahere liceat. Sæpius hæc operatio non raro iterari debet. Quod si corpus gulæ inhærens hac arte extrahi nequeat, & quidem magis si à ventriculo digeri queat, detrusione blanda ei offeratur.

Ne hic errorem committat Chirurgus, stylum suum in asperam arteriam, non vero gulam dimittendo, quod Chirurgo cuidam contigisse novi, sciat lector gulam à parte postica, vertebris dorsi atque cervicis incumbere, asperam vero arteriam ab antica incumbere gulæ.

Hildanus obs. 36. part. 1. instrumentum delineat circa extremitatem foramibus plurimis præditum, cujus ope spinas, ossicula, ejusque generis alia gulæ inhærentia extrahi posse scribit: Est hæc ex descriptione authoris fistula argentea aut ænea incurvata, crassitie pennæ oloris, longitudine vero unius pedis cum dimidio aut circiter; est & undique perforata, in sua extremitate vero habet spongiolam novam, avellanæ magnitudine, firmiter alligatam. Hac fistula in œsophagum immissa & sensim mediceque circumducta, postea extracta, ossiculum aut quicquid simile fuerit extrahitur. Si enim accidit, ut foramen aliquod fistulæ spinam aut ossiculum excipiat, tum simul cum fistula extrahitur: sin minus asperitas ossis spongiæ adhærebit, & suo loco amovebitur.

Qualiter gula tractanda materia inhærente

vel extracta, vel in ventriculum detrusa, notum satis Chirurgis. Vel hic usurpari potest gargarismus ex aqua hordei cum Syr. Violar. paratus, cujus etiam portio deglutiri potest, vel litus deglutiendus Oles Amygdal. dulc. cum syr. viol.

Non est quod hoc loco prætereamus ea quæ in tali casu solius naturæ ope peracta observavimus.

Filius 5. aut 6. annorum Huberti petri, casu particulam bracteæ ore receptam deglutit. Media nulla, quæcunque etiam adhiberentur, hic profuere, tandem particula dicta ex deglutitione fortiore in ventriculum ipsum delata. Hic non nisi continuum usum decocti hordei cui commixtus syrup. viol. & Alth. commendabam; interim exerementorum alvinorum haud neglecta inspectio, nec tamen deglutitum corpus unquam in iis observatum; nulla puerulo ullo tempore gravis cardiaglia, nulla iliaca passio. *Job. à Meeckren in observat. Medico Chirargic.*

Finis Libri Septimus.



BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER OCTAVUS.

De Morbis à Litera H incipientibus.

HEMATOCELE.
Vid.
HERNIA.

HÆMODIA.

SUnt qui hoc nomine omnem prorsus dentium dolorem intelligunt: verùm propriè sic denotatur stupor ille qui in dentibus gingivisque cum dolore percipitur, vel pel propter manducatos fructus, aliaque edulia austeriora ac acida, vel propter succorum salivalium per vasa glandulis eorundem secretioni destinatis, appensa, in os derivatorum qualitatem etiam austeriorem. De hisce vide in Dentium morbis.

HÆMOPTYSIS.

SAnguinis è pulmone sputum & per tussim modo leviorem & fere nullam, modo fortiorem ejectio, affectus satis frequens (& mirum est quidem, quod non froquentior) existit. Quippe cum vasa sanguifera in surculos & propagines innumeras, & perquam exiles dividantur; cumque per illos omnes, inter se multifariam complicatos, & varie intortos, sanguis usque immaniter æstuans rapidissime deferatur; vix concipere licet, quomodo circulatio ejus, adeo perplexa & tortuosa, simulque impetuosa, absque impedimento aut interruptione quavis peragatur. Et quidem in viventibus hanc difficillimam esse concludimus, quoniam in defunctis per in jectiones ægre succedit: quippe liquor, Arteriæ pneumonicæ per embolum immissus, haud promte statim & facile per venas redibit; quin diutius in transitu hæreus, & ductus usitatos transiliens, in vesiculas aliosque tracheæ canales, inque lobulorum interstitia aliosque hiatus varie excurret.

Circa Hæmoptoen considerare oportet primo è quibus vasis, & quali eorundem affectione, sanguis erumpat; secundo in quibus locis sæpissime deponatur, dein tertio quot modis, ut per os excernatur, sursum duci, aut ejici soleat.

Quoad prius, ex circulationis lege supponendum erit, sanguinem, sponte erumpentem, omnino ex arteriis prodire: nam venæ, donec integræ manent, cum versus cor reducunt, ac minime effundunt; quamvis inficias non eamus illas interdum, à vulnere, casu, contusione, alioque accidente violento, quoad unitatem solutas, sanguinem extra sinus suos dimittere. Veruntamen sæpissime sanguis, Hæmoptoen faciens, ab arteriarum osculis reseratis, aut disruptis procedit; & tunc in culpa esse solet, aut ipsius sanguinis dyscrasia, aut vasorum mala conformatio.

Utriusque horum variæ sunt species, ac differentiæ; quæ item ad sanguinis sputum excitandum diversimode concurrunt. Enimvero sanguis quandoque tenuior, simulque acris existens, arteriolarum oscula reserat, aut exedit; quandoque item crassior, & ad coagulandum aptus, cum à venis satis promte excipi nequeat extravasatur. Propter hujusmodi sanguinis vitia, Scorbuto aute febre pestilente laborantes, etiam qui venena quædam biberunt, frequenter in Hæmoptoen cadunt. Nec minus ex vasorum culpa hic affectus exoriri solet, quatenus nimirum ista vel tenera nimis vel gracilia, nonnunquam à motu violentiore, uti à tussi, vociferatione, saltu, alioque exercitio vehementi disrumpuntur; vel in quantum ea laxa nimis & humida quoad oscula sua dehiscunt, & sanguinem è circuitu erumpere sinunt: porro interdum quatenus venæ à frigore constrictæ & corrugatæ cruorem non promte trajiciunt, iste restagnans arteriolas distendit, & ex earum osculis erumpit.

Circa arterias, è quibus sanguis Hæmoptoen faciens erumpit, multum interest cujusmodi illæ, ac ubinam loci consitæ fuerint; præterquam enim quod sputi cruenti differentiæ insignes ori-

antur, juxta quod cruor vase perexili, aut magno; ac alterutro aut pulmonis summitate prope laryngem, aut in regione ejus media inter vasorum ramos majores, aut denique in extrema inter vesiculas orbiculares consito erumpit: insuper advertimus arterias sanguinem expuere solitas, vel ex earum numero esse, quæ è stirpe pulmonari oriundæ tracheæ ramos ubique comitantur; vel quasdam ex illis esse, quæ, originem suam Aortæ debentes, tracheæ tunicam densa ramificatione obducunt.

Quippe manifesto liquet (prout supra declaravimus) ex harum, uti & glandularum, osculis, humorem unctuosum ad tracheæ superficiem interiorem lubricandam exudare: porro, quatenus ex iisdem humor serosus affatim in asperæ arteriæ cavitatem destillat, catarrhum exoriri. Quapropter minime dubitamus asserere, etiam ex harum osculis reseratis, merum cruorem in ductus tracheales quandoque exudantem, in perexigua licet quantitate sputum cruentum parere. Observavi plures sine tussi, aut pulmonum indispositione quavis, semel aut bis in die sputum unum forsan aut alterum cruentum excrevisse: quod quoties ingruit, patientes in imo gutture, aut summitate pectoris, quandam quasi destillationem persentiunt; unde statim mera fibrarum trachealium contractione, sive motu velut cochleari, parum sanguinis fluidi pituita permixti, ac minime spumosi, expuitur: cumque interdum per plures menses talis affectio perdurasset, exinde nihil incommodi, aut quod Phthisin inferret aut minaretur, insequutum est: quod minime fieret, si quædam ex vasis pneumonicis aperta fuissent.

2. Hæc de vasis Hæmoptoïcis, eorumque in sputo cruento affectione diversimoda. Quod spectat ad loca in quibus sanguis extravasatus deponitur, hæc præcipue, & fere tantum sunt asperæ arteriæ, ejusque partium cavitas interna. Quippe in hanc, velut in cloacam, ductuum quorumque cæterorum racrementa quæque, aut superfluitates, per ultimos, qua licet, naturæ nixus, foras statim amandanda derivantur. Quod si in lobulorum interstitia sanguis extravasatus impingetur, vel membrana extima exudans in thoracis cavitatem decidet, hic empyema, & illic frequenter abscessum creat. Ut plurimum vero cruor, à circuitu pulmonari, deciduus, varias sputi cruenti species producit; juxta quod nidum suum, vel superius intra laryngis cavitatem, vel paulo inferius circa intermedios ductus tracheales, vel denique ulterius intra vesiculas orbiculares nanciscitur. Prior affectus solummodo procedit ab arteriæ cujusdam, quæ tracheæ truncum obducit, osculis reseratis; proximus quandoque forsan ab hac causa, sæpius tamen ab ipsis arteriis pneumonicis apertis, aut disruptis; quæ vasa, cum majora fuerint, sanguinis quantitatem sæpe horrendam profundunt; cujus item expuitio, & totius pectoris musculis, simulque ipsius tracheæ fibris multum irritatis, & valde contractis, copiosa & violenta existit. Sin vero sputi cruenti scaturigo in ultimis vesiculis consistat, sanguis in minore quidem copia, sed cum tussi profunda, sæpius iterata, & valde molesta rejicitur.

3. Atque hinc, (quod tertio erat propositum) excretionis è pulmonibus sanguineæ differentiæ, & multiplices sputi cruenti ritus, sive modi innotescant. Nam cruor in laryngem exudans, post levem in gutture titillationem, sine tussi aut screatu, facile & fere insensibiliter in os ascendit: &, si hujusmodi cruoris extravasatio in somnis continget, evigilantibus Hæmoptoës vix consciis statim ore effluit; quatenus nimirum tracheæ fibræ motrices, etiam inter dormiendum contractæ, sanguinem recens extillatum jamjam in fauces exantlarunt. Sin vero è vase majori, circa medios pulmones dehiscente, aut disrupto, sanguis (qui semper spumosus est) affatim in ductus tracheales erumpat, iste mox tussi concitata exinde sursum cum impetu & copia ingenti ejicitur; ut videantur affecti cruorem evomere potius quam extussire. Quod si denique cruor ex vasorum plexibus, quibus vesiculæ orbiculares cinguntur, erumpens in cellulas istas deciderit, inde per vices in quantitate minore, nonnisi per tussim profundam & sæpius repetitam, excernitur.

Hæc de Hæmoptoseos ratione formali, causis conjunctis, & differentiis: quod ad causas procatarcticas & evidentes spectat, utræque harum multiplices & variæ existunt. In priore censu habentur, imprimis pulmonum indispositio hæreditaria, uti cum ipsi debiles & teneri cum pectoris angustia originaliter fuerint. Porro illorum à tussi, empyemate, aut pleuritide prægressis mala affectio, & præsertim obstructio, aut mala conformatio, ad Hæmoptoen valde disponunt; ac ita potius, si tali Diathesi sanguinis acrimonia, sive dyscrasia, à mala victus ratione, aëre insalubri, aut aliis modis contracte accesserit. Fluxus menstrualis, Hæmorrhoïdalis, aut è naribus effluentis suppressio, quosvis fere ad sputum sanguineum inclinat. Secundo inter causas evidentes referri debent, imprimis caloris aut frigoris excessus: quippe cum sanguis supra modum æstuat, aut transpiratio ejus per poros cutis impeditur; immaniter exinde turgescens, frequenter è vasis pneumonicis erumpit. Hinc notavit olim Hippocrates, & etiamnum vulgi observatio est, αἱμοπτόσεις sæpissime in hyeme flante Borea accidere. Nec minus raro Thermarum usus multis, antea satis sanis, hoc malum intulit. Quinimo hoc plures à vini, aut aquarum ardentium potu, ab ictu, lapsu exclamatione, vomitu, tussi, aliaque violenta totius corporis aut pulmonum agitatione passim contrahunt. Porro venena quædam, & juxta Heurnium radii lunares, (cujus ratio non facile patet, neque fides constat) hunc affectum excitare perhibentur.

Morbi hujus prognosis satis vulgò nota est; cum nullus fere è plebe sit, qui non sanguinis sputum protenus susceptum & periculo plenum habeat. Attamen cum variæ hujus species existant, alia quidem alia plus, aut minus periculosa deprehenditur. Sanguis è tracheæ vasis exudans, malo sæpe vacat: porro è vasis pulmonaribus extremis & minoribus erumpens, curationem sæpenumero admittit; saltem multo tutior est, quam Hæmoptoe copiosa ab arteriæ ramis majoribus, in tracheam apertis, contingens. Cæterum patientis prædispositio magnam circa morbi hujus prognosin differentiam facit

facit: nam si Hæmoptoe propter causam evidentem solitariam excitabitur, atque corpori prius sano & quadrato accidet, longe major salutis spes erit, quam si affectus sponte exoriens, cachectico, phisico, scorbutico, aut alias valetudinario contigerit. Utcumque hunc morbum minus tutum, & semper curatu difficilem existere communis observatio est: cujus item ratio liquido patet, in quantum scil. pulmonum munus, in motu perpetuo consistens, continui soluti therapeiæ, ad quam imprimis sedatio & quies requiruntur, omnino contrarium est. Cui etiam medelæ impedimentum hoc majus accedit, quod moles pulmonaria non (uti putabatur) parenchyma est, sed vasorum innumerabilium textura, sive tela admodum subtilis; cujus unitas si quando solvatur, impossibile prorsus erit vasculorum disjunctorum fines rursus coïre, aut spatium, uti in aliis partibus, carne aut callo adimpleri. At vero unicum hoc superest, ut, dum vasorum extremitates incongrue semper & imperforate coalescant, sanguinis circulatio, in parte affecta cessans, per aliam vicinam suppleatur: quod quidem raro sine totius pulmonis noxa, aut incommodo, succedit.

Quod spectat ad Hæmoptoes Therapeiam, indicationes curativæ erunt potissimum hæ duæ viz. primo sanguinis effluxum protenus sistere & cohibere; dein secundo continui solutionem absque tabe in pulmonibus relicta sanare.

I. Circa priorem hæc duo erint imprimis procuranda, primo nempe ut sanguis ad partem affectam non confluat; secundo atque interea ut vasis apertura quoque modo claudatur.

1. Ut sanguis ad partem affectam non confluat, plures medendi intentiones simul in usum veniunt; viz. sanguinis copiam minuere, æstuationem ejus compescere, intemperiem alterare atque motum deprimere, aut alio divertere oportebit: in quos fines phlebotomia, ligaturæ, & frictiones sæpissime conveniunt: porro julapia, decocta, emulsiones, & succulentæ herbarum expressiones propinari debent. Quinetiam Hypnotica moderata, & imprimis Diacodiata, cum fructu exhiberi solent: hæc enim, cordis motum sufflaminando, sanguinem defervescere cogunt.

2. Ut vasis apertura claudatur, remedia astringentia & agglutinantia imprimis conveniunt. Horum præcipua in forma linctus exhiberi solent, ita ut inter deglutiendum, quædam ex iis particulæ, asperæ arteriæ illapsæ virtutem suam parti affectæ immediatius communicent. Verum hæc συνεργείας ratio haud magni momenti esse videtur; quia medicaminum ipsorum efficacia potissimum, ac fere tantum, sanguinis commeatu ad morbi sedem pertingit. Quare non solum eclegmata, sed etiam decocta, pulveres, & pilulæ ex traumaticis & balsamicis, cum fructu præscribuntur. Horum formulas infra subdemus.

II. Indicatio secunda, quæ & Præservatoria continui solutionem, absque residua pulmonum noxa, sonandam respiciens, duo malorum genera præcavere debet, viz. ne hæmoptoe (in quam affecti postea fere semper erunt proclives) subinde repetat; & ne Phthisis, quæ hæmoptoïcos quosque minatur, succedat. Propter hos fines circa morbi hujus prophylaxin, & sanguini & pulmonibus cura assidua, sive medendi ratio constans, adhiberi debet.

1. Quoad sanguinem, massa ejus in debita semper quantitate, recta temperie, motu leni & æquabili, contineri debet. Hinc ne superabundet, aut, dyscrasia affectus, turgescentias ineat, aut impuras fæculentias in pectore deponat: phlebotomiam, & blandam catharsin interdum celebrare oportet. Exacta victus ratio semper necessaria est. Porro ad cruorem depurandum & edulcorandum, lactis Asinini, aut acidularum potus nonnunquam egregie conferunt. Cæterum decocta, aquæ distillatæ, herbarum succi, quæ sanguinis dyscrasias tollunt, atque serum, aliasque impuritates à pulmonibus derivant, & per diapnoen aut urinam foras deducunt, sedulo erunt propinanda. Præterea in hanc rem fontanellæ summe conducunt.

2. Nec minus ipsius pulmonis ratio haberi debet, quo nimirum tota ejus compages, & imprimis locus affectus, in debita confirmatione, & recto tenore, præservari queant. Hinc motus quisque violentus, à quo unitas magis dissolvatur, aut restitutio ejus impediatur, sedulo vitetur. In aëre nitido & perflato, attamen haud aspero nimis & acuto, degatur: à cibis crassioribus, somno meridiano, cœna lautiore, aliisque in victu erratis, quæ præcordiis repletionem, aut obstructionem inducant, abstineatur. Cæterum remedia, quæ vi peculiari, seu virtute quadam specifica pulmones curari perhibentur, in crebro sint usu.

Adumbrata ad hunc modum medendi methodo ad Hæmoptoen requisita, restat adhuc quoad singulas indicationes therapeuticas, & juxta varias, quæ ad eas pertinent, medendi intentiones, remediorum formulas quasdam selectiores subjicere, quarum agmen merito ducant, quæ symptomati plurimum urgenti occurrentes, sanguinis per tussim, aut alias è pulmonibus ejecti effluxum, subito cohibeant.

In hujusmodi Medicamentorum primipilo habeantur ista, quæ impediunt, ne sanguis ad partem affectam confluat, simulque virtute quadam astrictiva, simulque agglutinativa, qua vasis apertura claudatur, pollent; atque; post alvum per enema subductum, & Phlebotomiam (nisi per pulsum debilem & caloris defectum prohibeatur) celebratam, protenus exhiberi solent in forma julapii, decocti, emulsionis, succulentæ expressionis, pulveris, pilularum, aut eclegmatis. Singulorum ex his, uti etiam Hypnoticorum, præscripta quædam elegantiora; & maxime efficacia subiiciemus; quæ tamen non passim & indifferenter, sed juxta prudentis Medici consilium unaquæque methodice & tempestive, pro varia patientis constitutione, & morbi conditione usurpari debent.

I. *Iulapia, & Aqua destillata.*

♃. Aq. portulacæ, papaveris Rhæados, ana ℥vi. sanguinis Draconis tenuissime lavigat. ℥ß. syrup. papaveris rhæad. ℥ij. spirit. vitrioli Martis ℈ß. misc. Dosis ℥iij. repetendo intra v. vel vj. horas.

♃. Aq.

♃. Aqua plantaginis lib. j. gum. tragacanth. Arabic. pulv. ana ʒß. miſce & diſſolve; dein adde Syrup. è Roſis ſiccis ℥iſſ. julapium. Doſis ℥iij. vel iiij. hora quaque tertia vel quarta.

♃. Aqua gemmularum quercus, roſarum rubrarum, Nymphææ, ana ℥iiij. lapidis hæmatit. tenuiſſime lævigat. Bol. armon. pulv. ana ʒß. ſyrupi de Nymphæa ℥ij. miſce. Doſis ℥iij. vel. iiij. ter aut quater in die.

♃. Roris vitrioli, ſive phlegmatis fere inſipidi lib. j. ſyrup. Myrtini ℥ij. miſce. Doſis ℥ij. aut iiij. ſæpius in die vel nocte.

♃. Summitatis cupreſſi M. viij. folior. aut florum ſalicis M. vj. radic. Symphiti majoris, Nymphææ, an. lib. ß. balauſt. M. ij. omnibus ſimul conciſis, affunde lactis recentis lib. viij. deſtillentur organis communibus. Doſis ℥iij. vel iiij. ter aut ſæpius in die.

♃. Hujus aquæ deſtillatæ, & aqua plantaginis, ana lib. ß. gum. tragacanth. Arabici, ana ʒij. diſſolve. Doſis ℥iij. tertiia quaque hora.

Sequens mixtura in Hæmoptoe cochleatim à Frederic. Derkero præſcribitur, & remedium utile videtur.

♃. Aqua plantaginis ℥ij. cinnamomi ʒii. confect. de hyacintho ʒiſſ. acet. ſtillat. ℥ſſ. coralii rubr. præpar. ʒſſ. florum Balauſt. ſang. Draconis, ana ℈ß. laud. opiat. gr. iij. ſyrupi Myrtini ℥j. miſce.

♃. Aqua plantaginis, roſarum rubr. portulacæ, ana ℥iiij. lapidis hæmatitis, & ſanguinis draconis in pollinem redacti, ana ʒſſ. ſacchari candi ʒvi. f. julapium.

Solutio vitrioli communis, vel vitrioli Martis in aqua fontana facta, & cum pecia vulneri applicata, hæmorrhagias quaſcumque egregie ſiſtit: eam vero intus exhibere haud convenit.

2. Decocta, tincturæ, & Emulſiones.

♃. Folior. ſanguinariæ, pervincæ, piloſellæ, plantaginis, lujulæ, bellidis utriuſqueana M. i. florum roſarum rubr. M. ß. hordei ℥ſſ. paſſularum ℥ij. coque in aquæ extinctionis ferri lib. iij. ad ij. colaturæ adde ſyrup. è ſucco hyperici, ℥ij. vel de piloſellæ f. Apozema. Doſis ℥iiij. ad vi. ter in die.

♃. Foliorum hyperici, tormentillæ totius, Pimpinellæ majoris, ulmariæ, ana M. j. ſem. portulacæ, plantaginis, acetoſæ, ana ʒj. conſerv. roſarum rubr. lib. ß. aqua fontan. lib. iiij. ebulliant clauſe in B. M. per horas xii. colaturæ adde ſpir. vitrioli Martis ℈ſſ. Sumatur eodem modo.

♃. Aqua hordei, cum radicibus rubiæ tinctorum incoctis, lib. iſſ. affunde tepide florum roſar. rubr. M. i. adde ſpiritus vitrioli ℈i. f. infuſio clauſa & calida per horas iij. f. tinctura; colaturæ adde ſyrupi è ſucco hyperici ℥is. ſumatur ℥iii. vel iiij. ter vel quater in die.

℞. Decocti radicum urticæ recentis lib. iſſ. ſem. papaveris alb. hypoſcyami, ana ʒij. ſem. melonum excorticat. ʒvi. ſ. a. f. emulſio edulcorat. cum ſaccharo penidiato. Doſis ℥iij. ter vel quater indie.

3. Herbarum ſucci, & expreſſiones ſucculentæ.

♃. Succi folior. plantaginis iib. ſſ. ſume ad ʒii. vel iii. ter in die cum aq. deſtillata ſuperius præſcript. ℥iiii edulcorand. ad placitum.

♃. Foliorum urticæ recentis, plantaginis, bellidis minoris, ana M. iii. ſimul contuſis affunde aq. portulacæ ʒvi. f. expreſſio fortis: ſumatur eodem modo.

4. Pulveres & Pilulæ.

℞. Pulv. lapid. hæmatit. ſanguinis draconis, cum aq. roſar. in marmore triti, margarit. ana ʒi. bol. armen. terræ Lemniæ, ana ʒſſ. trochiſc. de Alchekeng. ʒij. f. pulv. divide in xii. partes, capiat i. ter in die cum aq. deſtillata ſuperius præſcript.

℞. Sim. hioſcyami, papaveris albi, ana ʒx. terræ ſigillat. corallii rubr. ana ʒv. idoneo in conſtantiam mollem redacta, Electuarium Helidæi olim in Germania percelebre vocatur.

Prædicti pulveres etiam poſſunt in pilulas & Tabulas idoneas, adiiciendo ſolutionem tragacanth. vel ſyrupum idoneum redigi.

Excreſcentia ſpongioſa cynorrhodii fructibus adnaſci ſolita, in pulverem redacta, ad ʒſſ. bis in die exhibita in Hæmoptoe remedium valde proficuum eſt.

℞. Millefolii contuſi & aſtivo ſole ſiccat. q.v. redigatur in pulverem ſubtilem, & in vitro ſervetur ad uſum. Doſis ʒſſ. ad ʒj. bis in die in vehiculo idoneo.

Pulvis Iulii Cæſaris Scaligeri, ſeu potius Serapionis, valde commendatur. Doſis ℥iiij. bis vel ter in die.

Eclegmata & Electuaria.

♃. Conſerv. roſar. rubr. cynorrhodii, ana ℥ij. pulv. Sem. papaveris albi, hyoſcyami. ana ʒii. ſpec. diatragacanth. frigid. ʒis. lapid. hæmatit. ſang. draconis præparat. ana ʒſſ. Syrup. papaveris Rhæad. q. ſ. f. electuarium. Capiat qu. nncis caſtaneæ veſperi & mane; aliis temporibus lambat cum bacillo liquiritiæ.

♃. Conſerv. florum ſymphiti majoris, nymphææ, ana ℥iſſ. trochiſc. de Alchekengi, diatragacanth. frigid. ana ʒiſſ. ſyrupi Iuiubin. q. ſ. f. eclegma molle, de quo ſæpe lambatur.

♃. Albuminis ovi fortiter agitati ʒii. ſacchari roſacei ʒi. amyli ʒiii. f. lohoch. ſumend. ſæpe ex cochleari.

♃. Conſerv. roſar. rubr. ℥iii. balſami Lucatellæ ʒſſ. trochiſc. de Alchekeng. ʒii. ſyrupi papaveris rhæad. q. ſ. fiat eclegma molle. Qu. nucis caſtaneæ mane & veſperi ſumatur.

II. Secunda indicatio præſervatoria, ejuſmodi remedia ſuggeret, quæ ſanguinem in recta temperie, & pulmones in debita conformatione continendo, & hæmoptoes recidivam, & phtiſeos ſucceſſionem præcaveant. Talia quæ reſpiciunt ſanguinem, vel, ſunt blande evacuantia per ſedem, urinas, & diapnoen; vel mere alterantia Unaquæque horum præſcribi ſolent, vel in forma

ma

ma Potus Pulveris, Electuarii, aut Pilularum: quorundam ex iis præcipuorum typos selectiores hic subjiciemus.

1. Quoad evacuantia, lenis purgatio ad hunc modum quandoque instituatur.

℞. Senn. opt. ℥iij. cassiæ cum fistula contus. ℥j. tamerind. ℥iij. sem. coriandri ℥ss. coquantur in aquæ fontan. s. q. ad ℥vj. colaturæ adde syrup. de cichorio cum Rhabarbaro ℥i. clarific. cum ovi albumine vel.

℞. Decocti sennæ Gereonis ℥iiij. syrup. de pomis purgant. ℥j. misce, f. portio.

2. Ut sanguinis εὐκρασία præservetur, ejusque recrementa, à pulmonibus derivata, continuo per diapnoen & urinas amandentur, alterantia sequentia aut quædam ex iis, fere in constanti sint usu; quæ item virtute sanativa pollentia pulmonibus infirmis, aut quoad unitatem solutis, succurrunt.

Pro potu ordinario, aqua simplex, præsertim in constitutione calida, aut aq. vino clareto parum tincta bibatur. Quibus hic potus haud congruit, Bochetum ex china, sarsa, cum rasura eboris; C. C. & santalo albo; vel cervisia sive alba tenuis, cum foliis linguæ cervinæ, botryos, ac similibus infusis bono cum fructu usurpari solet.

Decocta pectoralia, aut hydromelita cum herbis traumaticis temperatis sumantur bis, aut ter in die, ad ℥vj. vel vij.

℞. Radicum urticæ recentis, cherefolii, ana ℥j. foliorum linguæ cervinæ, veronicæ, pilosellæ hederæ terrestris, hyperici, ana M. j. coque in aq. fontan. lib. iij. ad ij. addendo passularum exacinat. ℥iss. liquiritiæ ℥ij. colaturæ adde syrupi Byzantini ℥ij. clarificentur cum ovi albumine, f. Apozema sumend. ad ℥iiij. vel vj. bis aut ter in die per mensem.

In constitutione frigidiore, aut phlegmatica, omissis liquiritia & passulis cum syrupo, adde circa finem mellis optime despumat. ℥ij. coletur, & usui servetur. Dosis eadem.

Horum usus interdum intercaletur cum aq. destillata in eundem finem apptopriata, quæ item in nonnullis, quibus apozemata nauseæ & tædio esse solent, crebrius usurpetur.

℞. Summitatum Cupressi, foliorum hederæ terrestris, ana M. vj. limacum semicoct. lib. iss. santalor. omnium contus. ana ℥j. incisis & contusis affunde lactis recentis, lib. viij. destilla organis communibus. Dosis ℥iij. vel iiij. cum cochlear. j. Syr. è succo hederæ terrestris bis in die.

2. Respectu pulmonibus, nempe ut sine vasorum obstructione, vel apertione, partium unio, & totius debita conformatio præserventur, Balsamica temperata imprimis conducunt. In hunc finem balsam. Lucatellæ hæmoptoicis quibusdam assiduo & longo tempore sumendus etiam vulgo præscribitur. Chymici & feminæ quædam illustres oleum balsamicum destillatione prolicitum, Balsami matrem ab iis dictum, summis laudibus prædicant.

Facile hic esset alia complura remedia hæmoptoica, tum ab antiquis, tum à Neotericis plurimum celebrata huc referre; attamen hoc plurimum messis modo congesta jamjam satis locuples videtur. Superest vero hujus morbi tum Theoriam, tum Therapeiam supra traditam, per Ægrotantis historiam unam aut alteram illustrare.

Juvenis insignis, cum post Cachexiam scorbuticam paralysi afficeretur, atque pro hoc morbo sanando, remedia non solum magna, sed & sanguini & spiritus improportionata, viz. Salivationem & Thermarum usus expertus esset, Hæmoptoen contraxit, cujus paroxysmi (omnium quos unquam novi non statim lethales) atrocissimi fuerunt.

Statim à prima hujus morbi apparentia, pulveris Husiani operationem (à qua scil. oris fluorem aliquandiu passus, sine paralysi curata ad magnum languorem redigebatur) Hæmoptoe insequuta est: tunc catarrho & tussi perquam molesta afflictus, sputum discolor & sanguine modo tinctum, modo interspersum excernere incepit. Verum hic morbus ab initio mitis, remediorum usu cito evanuit, & deinceps rus profectus, & aërem puriorem hauriens, melius habuit, & propediem in pectore satis sanus visus, Bathoniam paralyseos sanandæ gratia adiit; ubi per sesquimensem in aquis calidis quotidie balneatus, denuo tussim, & paulo postea hæmotoen horrendam contraxit, adeo ut Nycthemeri spatio sanguinem, creberrimo & copiose extussiens, in vasta quantitate effunderet.

In hoc statu eum primo invisens, facta totius provisione, statim revulsionis gratia phlebotomiam præscripsi: à qua tamen administratione (& tunc & postea semper) sputum sanguineum aut repetebat, aut exacerbabatur. Porro julapia, eclegmata, decocta, quinetiam Hypnotica exhibui; quibus parum aut nihil juvantibus, ligaturæ circa brachia & crura adhibitæ, primo hujus morbi Tyrannidem coercebant. Cumque subinde malum recrudesceret, suasi demum, ut potu cervisiali relicto, constanter biberet decoctum chinæ, & sarsæ, cum pectoralibus. Hujus usu fere continuo, insuper exactam victus rationem observans, atque vino, alimentis calidioribus, & sale & saccharo omnino abstinens, supra biennium satis recte valuit.

Postmodum vero cum in cætu forensi stipatus valde incalesceret, rursus in hæmoptoen terribilem incidit. Medico ascito statim phlebotomia in brachio celebratur; unde sanguinis sputum atrocius factum est; cumque die secundo ac tertio sanguinis missio repeteretur, quaque vice malum exacerbabatur: tandem ligaturis (uti primo) adhibitis, atque decocto pectorali, & linctu sedulo assumptis, morbus illico remisit, & brevi penitus cessavit; nihilominus decocti pectoralis usum, atque diætam tenuem, scil. prorsus excarnem, supra sesquimensem continuabat; indeque per tres annos ab hoste suo inducias obtinuit; cumque postea interdum à vini potu, aut victu lautiori sanguis turgescens è pulmonibus erumpere cepisset, statim à ligaturis, ac insimul decocti, & linctus usu & diæta tenui impetus ejus reprimi solebat.

At vero non ita securus evasit, quin necesse habuit contra morbum istum usque insidiantem, excubias fere perpetuas agere. Etenim haud diu abhinc propter intemperiem anni catarrhum valde molestum,

cum tussi, sputo copioso & subinde cruento contraxit; & tunc medicamenta priora minus effecere. Quare ex proprio consilio, ad nova se contulit; atque imprimis cepit vesperi & manu cochlear. j. syrupi è succo hederæ terrestris, indeque juvamen insigne consequutus est. Sed cum syrupus iste ob saccharum brevi tædio fuerit, sumpsit herbæ istius pulverem bene præparatum ad ʒß. vel ʒj. bis in die in cochleari cujuslibet liquoris; quo remedio diu usurpato quoad catharrhum & tussim multo melius habuit. Sed cum sanguinis sputum etsi in perexigua quantitate subinde erumperet, medicamentum rursus mutavit, cepitque bis in die pulverem è summitatibus & præsertim è pilosis excrescentiis Cynosbati; quo totidem unico fere remedio, medicus quidam propter curationem Hæmoptoes olim insignis magno cum successu usus fuerat. Nec minus secundum ab isto pharmaco effectum patiens noster retulit; nam exinde statim tussi, catarrho, & sputo cruento prorsus immunis evasit, adeoque perquam diu perstitit: donec tandem hunc pectoris morbum penitus subjugatum, proindeque contemnendum existimans, contra alterum antiquiorem, viz. Paralysin arma sumeret. Itaque dum Hæmoptoe neglecta ad affectum istum debellandum medicamenta calidiora, scil. aquas Magistrales cum vino destillatas, spiritum C. Cervi, salis Armoniaci, & pulveres ac confectiones Aromaticas, in dosi larga quotidie sumeret insuper victui lautiori cum Allæ & vino potu moderato indulgeret, Leo Rugiens prius sopiri visus denuo excitatur: Viz. methodo isti Antiparalyticæ haud diu insistebatur, quin sputum sanguinis cum maxima atrocia rediret, adeo ut nycthemeri spatio supra tres lib. sanguinis spumosi extussiret. Deinde vero cum medicus accersitus illico phlebotomiam præscriberet, à sanguine misso Hæmoptoe remitti incipiens (uti prius semper assolebat) rursus exacerbabatur: quæ tamen à ligaturis adhibitis, atque linctu, & decocto pectorali sedulo assumptis, statim mitigabatur, & propediem penitus cessabat. Cumque exinde supra tres menses decocto pectorali & diæta prorsus tenui, nimirum excarni, & ex meris herbaceis, frumentaceis, & lacticiniis, uteretur, brevi pristinam valetudinem recuperabat; jamque in eo statu vivit, contra morbum istum crudelem adeo triumphans, ut plures Hæmoptoici hunc velut oraculum consultant, & curationis gratia hujus methodum & vivendi genus, posthabitis medicorum consiliis, imitanda proponant,

In hoc casu mirari subest, quod post magnas continui solutiones in pulmones toties habitas, vir egregius per intervalla non tussi afficeretur, nec demum in phthisin incideret, cum plurimi post vasa quævis minutula in præcordiis aperta, deinceps aliquandiu tussi cum sputo copioso & crasso laborent, & tandem sæpe tabidi fiant. Quod autem secus Hæmoptoico nostro contigit, imprimis attribuendum censeo sanguinis ejus constitutioni balsamicæ, viz. in cujus massa recrementa serosa aut minus congeruntur, aut adeo stricta immiscentur, inde ut rursus non facile abscedant; quare post vasa disrupta, sive unitatem solutam, ichor copiosus (tussim & sputum procreare solitus) non uti in plerisque aliis exudat. Porro quod observavit ille, contra ac in plurimis aliis, Hæmoptoen sibi nunquam in hyeme, sed tantum in æstate contigisse, etiam ob hanc rationem ita habuit: quippe cum sanguis recrementis vaporosis minus scateret, pororum apertio aut constipatio ei nec commodo vel incommodo cessere; attamen cruor plus debito incalescens cum minus exhalaret, necesse habuit è vasis erumpere; cumque iste rursus in quantitate diminutus, ichorem serosum è vasis orificio parum aut minime ablegaret, Hæmoptoe absque tussi residua cessabat. Ratio eadem tenet de plerisque aliis hæmoptoicis, quare nimis alii plus aliis in phthisin proclives reperiantur. Decocti pectoralis usum vir insignis semper sibi proficuum invenit: quare cum alia Medicamenta subinde variaret, eandem istius compositionem semper retinuit: quin & eam multis aliis hæmoptoicis cum fructu commendavit. Præscriptionis formula hæc erat.

♃. Santalorum omnium ana ʒvj. infundantur per horas xij. in aq. fontan. ℔vij. deinde coque ad tertiæ partis consumptionem, postea adde foliorum Tussilaginis, Cap. veneris, pilosellæ, veronicæ, florum hyperici, ana M. ij. sem. dulc. ʒvj. liquiritiæ rasæ ℥ß. passularum exacinat. ℔ß. coquantur ad ℔iiij. diu f. colatura, usurpanda pro potu ordinario.

Porro sanguinis sputo urgente vel imminente cepit ter aut sæpius in die electuarii sequentis quantitatem nucis moschatæ, superbibendo julapii cochlearia septem.

♃. Conserv. rosar. rubr. ℥iij. cynosbat. symphyt. ana ℥iß. sang. dracon. ʒj. speciec. de hyacintht. ℈ij. coral. rubr. ʒj. cum s. q. syrup. papav. Rhœad. misce, f. electuarium molle. Sumat vesperi & mane primo circiter ʒiß. superbibendo haustum julap. sequentis Aliis temporibus lambat cum bacillo liquiritiæ.

♃. Aq, plantag. sperm. ranar. ana ʒvj. syrup. è coral. è ros. sicc. ana ℥j. sang. dracon. ℈ij. misce, f. julap.

Inter hæmoptoicorum exempla præteriri non debet casus viri Reverendi D. D. Bervick S. T. P. & nuper Ecclesiæ Divi Pauli Decani, quem partim ab ipso patiente olim didici, partimque frater ejus D. D. Bervvik Medicus peritissimus mihi amicissimus communicavit.

Insignissimus ille Theologus ante quindecim priusquam obiret annos, tussi pertinacissima, & subinde sputo cruento & salso cum gravi anhelitus fœtore cocyten propemodum æmulante laborabat; unde maximo corporis marcore emaciatus, parum aberat quin plane tabidus extingueretur. Quoties hæmoptoe aliquandiu intermitteret, etiam sputi & anhelitus graveolentia cessabat; dein hujus reditus alterum istum affectum mox affore constanter pronunciabat. In languido hoc statu cum vir egregius, regiis partibus tunc temporis gravi tyrannide oppressis favisse deprehensus esset, ac in arctissimum carcerem conjectus loco potus ordinarii meram aquam biberet, præter omnium spem & expectationem revaluit, adeoque supra decennium mediocriter sanus perstitit. Postea tamen, nescio propter quam occasionem, nisi forsan ob hiemis frigidioris inclementiam non solū prædicta mala per

scil. tussis cum sputo cruento, salso, & graveolenti recrudescebant, sed insuper superpondii loco, ventriculi debilitas, inappetentia, & febris nocturna accedebant. Deinde vero haud multum temporis præteribat, quin symptomatis hisce paululum remittentibus sudum denuo affulgere videretur; donec quodam die cœlo derepente in frigidissimum mutato, sub noctem magna pectoris angustia. cum respiratione difficillima, pulsu celeri & imbecilli, cumque spirituum omnium (quasi jam moribundus fuisset) fatiscentia incesseretur. Attamen ex hoc discrimine, per diacrises, scil. primo Hæmoptoen copiosam, & mox diaphoresin satis uberem, cito evasit; verum ex eo tempore sputum ejus multum de solito fœtore, & nonnihil de salsugine remittebat; cumque brevi postea ultimus & gravissimus immineret Hæmoptoes insultus, solitum istum ab anhelitus graveolentia præsagium omnino deerat; subsequens vero sanguinis sputum valde copiosum vires adeo deprimebat, ut exinde sensim declinans, intra mensis spatium expiraret: cumque paulo ante obitum, propter acutum lateris dolorem vena tunderetur, cruor adeo deficere videbatur, ut fere nullus efflueret sanguis. Porro in cadavere post obitum dissecto sanguinis quantitas perquam minima reperiebatur: nec quidem ulla symptomatum aliorum maxime notabilium, viz. Hæmoptoes, atque sputi & anhelitus fœtidissimi vestigia comparebant; quippe nulla fuit in pulmonibus aut cavitas ab ulcere aut solutione continui facta, nulla uspiam puris, aut materiæ putidæ vel fœtentis collectio; sed tantum visceris hujus lobus, ceu potius totum latus sinistrum, à tumore scirrhoso adeo obriguerat, ut sanguis molem istam ita constrictam, & quasi lapideam, non facile, aut minime pertransierit, quare non mirum est, si cruor rapidissime per pulmones traiiciendus, alicubi è vasis, quæ ob scirrhositatem minime cohærebant, aut circulationem sustinebant, subdinde erumperet.

Attamen hic major difficultas oritur, nempe cum pulmones ulcere quovis, aut notabili solutione continui prorsus immunes reperirentur, undenam iste sputi, & anhelitus odor teterrimus, sputi cruenti semper præcursor & comes (exceptis tantum ultimis hujus morbi insultibus) procederet. Super his alibi advertimus, Phthisicorum ulcera pulmonaria, & sputa purulenta, raro aut nunquam, materiem vero è pulmonis vomica ejectam sæpius fœtere: quod autem in ægrotante Domino pulmones utroque affectu immunes anhelitum adeo tetrum expirarent, ratio optime constabit, si inquiramus de causa & productionis modo fœtoris in genere. Hunc autem excitari observamus, quando sulphur impurum, à sale lixiviali, aut acido, scil. alterutro dissolvitur, ac ab altero præcipitarur. Sulphur commune, aut Antimonii ab oleo Tartari, aut ab aqua Stygia dissolvitur; dein si huic solutioni, salis fixi deliquium, ac isti acetum infundas, fœtor teterrimus emanabit. Pariter in casu proposito opinari subest, sanguinis valde impuri particulas sulphureas, è sale fixo, quo latex ejus abunde scatet, corrodi; dein quando humor acidus fluorem passus, è partibus nerveis in massam sanguineam redundat, sulphur solutum præcipitat, proindeque è pulmonibus fœtorem istum exhalari facit, ac insimul dùm sanguinem in turgescentiam adigit, paulo postea Hæmoptoen accieri cogit. Novi quosdam pectore satis firmo præditos, atque tussi omni ac diathesi tabida liberos, anhelitum valde tetrum fere semper expirare: quod equidem à nulla alia causa, præter eam quam modo notavimus, procedere possit. Sanguis impurus & sulphure à salibus dissoluto scatens, si forsan dum intra pulmones rarefit ac in compage laxatur, humori acido occurret, inter expirandum effluvia putida & tetra exhalabit. Propter consimilem sanguinis alias dispositi rationem, accidit, quod uti quorundam anhelitus valdè putens, ita aliorum suaveolentus existit. Revera spiritus si ve aer per respirationem reciprocatus, quatenus sanguinis intra præcordia, maximè rarefacti effluvia secura foràs evehit, vaporem modò gratum, modò summè ingratum dispergit. *Thom. Willis. Pharmaceut. ration. Part. 2.*

" Antequam praxin in hoc symptomate mayernianam describam, præmittendam duxi (Lector) Epistolam doctissimi Doctoris Bate, consilium ab Authore nostro petentis de quodam hæmoptoico cui remedia communia parum profuere; una cum Authoris nostri responsione. In his enim quæcunque fere symptomati huic opem potissimam ferunt, deprehendes.

Amico suo honoratissimo

Theod. Mayerne, *Eq. Aur.*

Excellentissime Vir, Nobilis eques cui anno novissimo tua fœliciter subvenit ἰατρεία, ad idem novis constitutus angustiis confugit asylum. Præcedentibus (quos tuum consilium & nuncius in memoriam refricabunt) eluctatus est affectibus. Diu ne catarrhi vel tussis vestigium extitit: Sola per circuitus erraticos lacessebat hæmoptoia; leviuscula tamen & quæ sua sponte intra biduum sisti solebat. Longior ero historia præsentium retexenda.

Circa duos retro menses ab equestri cursu per octo milliaria concitatissimo consueta supervenit hæmoptoia, quæ moras trahebat solito longiores, & nullis oppugnata pharmacis per clandestinos progressus ingruit rapaci adeo torrente, ut parum absuerit quin extremo funderet cum sanguine vitam. Ipse in consilium accersitus, repetita medianæ; nec non saphœnarum phlebotomia, ligaturis & frictionibas extremorum dolorificis, cucurbitulis lienis hepatisque regioni, suris plantisque pedum adhibitis; julapiis ex tinctura rosarum rub. & santali rub. cum aq. ros. & sp. vitrioli, latice fontano cum album. ovi, cretæ alkool & syr. nymphææ transvasat. stillatitiis aquis sperm. ranarum, & portulacæ cum magisterio corall. & syr. consolida; eclegmatibus ex conseru. ros. & consolid. cum lap. hæmatit. & terra sigillat. & bolo syrupoque ros. sicc.; mucilaginibus ex sem. cydon. & gum. tragacanth.; pulveribus ex amylo, bolo, &c. non intermissis urticæ succo, musco de cranio humano, sanguine arefacto, laudani grano non semel adjecto, ma-

teriæ torrentis minuendæ, convertendæ, incrassandæ, nec non illius orgasmo compescendo, indesinenter incubui. Sed frustra diu, donec post tres dies indefessis victi conatibus, alveis recondi propriis hi fluctus inceperunt. Deinde spirit. vitrioli aliquantulo, pauculisque aceti rof. guttis syr. jujub. nec non consolidæ immistis θρόμβους exciere spiritalibus studui. Postremo quietem imperavi; victum refrig. & viscosum & analepticum ex gelatinis de pedibus ovinis & vitul. cum rasura C. C. eborisque coctis, cum sem. frigid. majoribus & auricula muris, panatallis hordeaceis, cum radice consolidæ coctis præscripsi. Ponionem ordinavi traumaticam, & levem succivam ex hydragogis cathartic. Ceratum santalinum regioni pectoris & hepatis adhibui. Quibus stimulo sanguinem privare, venam ferruminare, vires resarcire habitumque fas erat. istis dum diligenter incubuerit, belle se videbatur habere; ne specimen sanguinis intra sex vel septem septimanas vetitum affectabat iter, habitu viribusque pristinis eo spatio redeuntibus.

Circa octo novemve dies retro ab hoc tempore, ex violentiori brachii motu (frigore tunc temporis ingruente) fluctuabatur denuo sanguis, leniter tamen adeo ut levissimis compesci medicamentis simularet per. 3. vel 4 dies. Postliminio tamen subitaneam fecit eruptionem, & magis quam prius effrænem, nec minori molimine potuit in ordinem redigi. Jam fractus per 3. dies succubuit impetus; sed nulla fiducia pacis. Tumultus in sinistro latere (quod mali minera) sæpe sentiuntur; lachrymatur adhuc frequenter vena, & sanguine sputum inficit. Vires tanto Nectaris dispendio vitales fatiscunt, habitus inedia defraudatoque genio extenuatus, ut facies parum ab Hippocratica distare videatur. Macies in corpore toto. Tussis instat (mitis autem adhuc) ---- & persæpe quædam spiritus angustia premit. Fugaces infestant genarum rubores, & aliquando phlogosis universalis. Hæmoptoia semper prænuntium habuit rosorium lateris sinistri dolorem.------ Affectus ipse fatetur ideam; & de differentiis, causis aut affecta parte parum scrupuli. Cura vero negotium domitori facescit Herculi. Tu ergo, nostri gloria chori (petunt obnixe quotquot amici Nobilis præsentes sunt) in istam hydram stringas hygeiæ tuæ tela. Qua ratione vires resarciendæ, & Patiens Phthiseos faucibus excipiendus: Annon asinini lactis usus quadraret istis; vel decoctum limacum in lacte vaccino? Qua ratione vena potest obsignari & præcaveri reditus? ut & quid agendum, si canalibus iterum erumpat sanguis? Hi angunt nodi: de his precor impartire sententiam; & præter gratitudinem Patienti, injicies nexus officii Gordianos.

Novemb. 8. 1641.

Servo tuo

Georgio Bate.

Responsum.

Vir Doctissime. Utinam in præsentis affectus (quem inexpugnabilem fore metuo) depulsione tam propitium artificiosis & accuratis tuis conatibus velit esse Numen, quam cordate & gnaviter medicam instruis aciem ad debellandam hanc hydram, quæ ægrotantis, non Medici, culpa, nova subinde fœtura, cum ingenti discrimine repullulat. Doleo morosum forsan ægrum & nimis delicatum non annuisse consilio dato de latere aperiendo, dum post pleuritidem stagnans in thoracis cortina sanies purulenta molle pulmonum parenchyma infeliciter allueret. Quippe licet naturalis via sit per ἀνακάθαρσιν, fieri tamen non potest quin subtus à pulmone multo sale tartareo prægnans humor, dum viscus perlabitur, & in asperæ arteriæ tubos lento progressu sese insinuat, partem corrumpat, & vasorum membranas attenuet, eaque magis obnoxias reddat disruptioni. Sed siquidem quod factum est, infectum esse nequit, id quod nunc instat agamus.

Ancipitis & funesti, immo præcipitis eventus generosum ægrum fatigat hæmoptoe, ad quod formidabile symptoma merito poscit consilium æger, quoniam ut plurimum divulsis aggeribus & hiantibus vivinci nectaris canalibus, qui graviter conflictantur hoc affectu, purpuream animam vomere consueverunt. Vitanda hic quædam, alia facienda.

Alterum caput est in rebus nonnaturalibus, in quarum censu maximi est momenti quies, tam animi quam corporis, quæ potissimum imperanda est pulmoni, cujus flabellatio indesinens plurimum officit curationi fracti vasis, male in motus ad vitam necessarii continuitate, fidam admissuri ferruminationem. In cæteris satis abs te prospectum ex literis tuis colligo, & peritiæ tuæ confido.

Circa agenda, præcautioni diræ tempestatis per sanguinis inspissationem, ejusque plus æquo fervidi contemperationem, & vasis aperti constrictionem incumbendum. Paroxysmi autem præsentis furori usque & usque resistendum, donec sedato æstu tranquillitas denuo illucescat. Præter diætam abs te jam præscriptam, ad προφύλαξιν & θεραπείαν facient lactis asinini, saccharo rosarum perlato & corallato conditi, usus; Lac illud abs te exhibitum bubulum coctum cum limacibus & eodem saccharo dulcoratum, cui aquam spermatis ranarum adjici velim; Ferculum ex lacte asinino, vel vaccino chalybeato, cui incoctæ fuerint symphyti majoris radices; Imprimis vero assumptio lapidis hæmatitis in omnibus exhibitionibus, circa quem consule Alexand. Trallianum, lib. 7. cap. 1. cui titulum fecit, de sanguinis rejectione. In mineralibus magis quam in vegetabilibus fixæ sunt virtutes, illæ præsertim quæ à substantiæ secundis qualitatibus pendent. In ferro (mirum dictu) æqualiter triumphant vis aperiens & astrictoria, quæ licet adversis frontibus inter se pugnare videantur qualitates, attamen forsitan simul & semel in hoc subjecto sunt profuturæ, præsertim siquæ sit (ut proculdubio est) debilitas, si quæ obstructio in partibus naturalibus, earumque principe hepate, cui in omni hæmorrhagia unice est consulendum. Ex syrupo corallorum exacte, syr. de sympyhto, & saccharo Martis in tinctura Rosarum dissoluto concinnetur medicamentum potens, cujus cochleare j. ex aqua plantaginis bis in die longe à pastibus propinetur. Deinceps pro re nata &

& ægri ἀφελεία magis specificus liquor chalybeatus poterit institui, Corallo rubro particularis vis inest ad hepar roborandum & sanguinem rectificandum. Proderit quocunque modo, sive magisterium per alumen præcipitatum aut vitrioli spiritum, seu sal edulcoratus, sive tinctura per acidum quercus spiritum extracta propinetur. Purgetur aliquando corpus cassia & Manna in potione; aut electuarium diacassiæ cum manna deglutiendum præbeatur. Sæpius (etiam non erumpente per os sanguine) tundantur venæ brachiorum & malleolorum successive ad 3. vel 4. uncias pro vice. Fiant frictiones partium inferiorum quotidie. Denique constanter pergat in iis quæ abs te hactenus fuere præscripta. At si ingruat infortunium ex latebris veluti prosiliens, fiant revulsiones jam factæ. Propinetur decoctum pimpinellæ totius & radicis tormentillæ, præparatum in oxycrato ex aq. plantaginis & spermatis ranarum & aceto rosaceo. Pectori applicetur cataplasma ex santalis, albo & rubro, cortice quercus, subere, radicibus symphyti, bistortæ, tormentillæ, sanguine bubulo siccato, ossibus humanis & C. C. ad summam albedinem calcinatis, succino, seminibus plantaginis & sophiæ chirurgorum, rosis rubris & myrtillis in subtil. pulverem reductis & exceptis melle despumato cum succis sempervivi maj. plantaginis & decocto tenui ichthyocollæ: applicetur è stuppis lineis pexis linteo duplici adutis ante & retro. Bufo siccatus sacculo ex syndone tenui inclusus suspendatur è collo, ita ut nudam attingat cutem. Si quæ expectari vel sperari possint suppetiæ, per selecta ista medicamina præstabuntur σὺν θεῷ. At super omnia. lapidem hæmatitem tibi commendatum esse velim Ægrum meo nomine saluta, ipsique agito gratias ob collatum in me munus. De omnium eventu (quem fœlicem vix possum portendere) fac me certiorem. Vale & me nomini tuo addictissimum esse crede.

Datum Londini Novem. 10 1641.

Th. Mayerne.

Intentiones curativæ ex antedictis satis innotescunt, viz sanguinis à pulmonibus revulsio, ejusdem acrimoniæ & fervoris correctio, impetus domatio, & vasorum hiantium constrictio & ferruminatio.

Revellunt sanguinem, præcipue quidem venesectio, vel è brachiis vel tibiis, sed & cucurbitulæ regioni hepatis & sub mammis applicatæ, ac frictiones deorsum coxarum & tibiarum.

Sanguinem attemperant tinctura Rosarum præparata cum sp. vitrioli & rosis rubris in aq. plantag. portulac. oxalid. tormentil. è sperm. ranar. &c. lapis prunellæ in ptisana, saccharum Saturni à gr. v. ad x. cum conf. rof. rub. Emulsiones ex sem. frig, in aq. prædictis, vel hordei; cerevis. medicata cum C. C. ebore, plantagine, pilosella, pimpinella, seminibus oxalidis, portulacæ, oxylapathi, santalis, brasilio, &c. Abstineat æger ab omni generoso potu, præsertim vino. victus sit ex pedibus vervecinis, vitulinis; capitibus animalium eorumque partibus nervosis; gelatina carnium, ossium bubulorum, eboris, chinæ, præsertim. C. C. parata cum aq. plantag. & fol. tenell. quercus. Victus ejusmodi acrimoniam humorum obtundit, sanguinemque incrassat.

Sanguinis impetum domant & sistunt, præsertim somnum conciliantia, v. g. Laudanum & diacodium; item incrassantia, & attemperantia supradicta; ligaturæ denique in brachiis & cruribus factæ.

In hæmoptoes autem curatione cum intentio præcipua sit vasorum ruptorum vel hiantium consolidatio & constrictio, ad hunc scopum materia medica utplurimum dirigenda est, quæ in variis formis, ad Patientis placitum, exhiberi possunt.

Notandum vero, cum hujus generis medicamenta alvum adstringendo dejectiones debitas impediant, alvum sæpius movendam esse vel enemate injecto, vel mitioribus purgantibus per os exhibitis, viz. præp. ex rheo, cassia, tamarindis, manna, &c.

Decoctum sequens pro Arcano habetur.

℞ rad. tormentill. millefol. totius ana ℥iij. pimpinell. sanguisorb. m. ii. aut iii. Coq. in aq. f. ℔vi. ad med. Colaturæ adde conserv. rof. rub. antiq. ℥j. pro quaque libra. Dos. ℥vi. aut ℥viii. bis in die.

Vel ℞ Scabiof. pimpinel. ulmar. plantag. veron. utriusque bugul. sanicul. burs. pastor. ana m. j. sem bombac. ʒij. aut iij. cancr. fluviatil. furno exsiccat. ℥ß. coq. in aq. f. ℔iiij. ad med. Colaturæ adde sacchar. rof. ℥iiij Mf. Dosis ℥vj. aut ℥viij. bis in die. Decoctum hoc vulnerarium, si metus sit phthiseos, nulli secundum est.

Rad. symphyt. maj. tormentill. ana. ℥j. plantag. totius m. ii. portulac. sanguinar. centinod pilosell. pimpinell. totius ana m. j. summit. archang. alb. p. iv. rof. rub. p. ii. tamarind. rec. ʒx. prunor. brignolens. par. 12. sumach ʒvj. coq. in aq. hord. ℔iv. ad med. Ex colatura cum sacchar. rof. q. f. f. Syrupus. Aromatizetur ʒij. santal. citrin. & ʒii. sem. coriand. nodulo inclus. & aciduletur gutta una aut altera, exhibitionis tempore, spirit. vitr. corall. aut succo ber. Dosis ʒvi. sensim deglutiendo, mane & hor. 5. p. m.

Syrupus quoque ex album. ovi multum præstat, viz.

℞ Album. ovi fortiter agitat. ℥ij. sac. har. rof. ℥iij. amyl ʒij Incorporentur ut f. Lohoch. addi potest lap. hæmatit. ad ʒj.

℞ Syr. è corall. ℥vj. syr. mororum rub. Idæi, rob de rib. syr. ex succ. tormentil. totius & plantag. præparat. ana ℥ij. syr. nostr. martial. seq. ʒxii. m. s. cap. hujus mixturæ ℥j. primo, dein paulatim augendo usque ad ℥ij ex aquæ. tormentil. & plantag. quotidie mane.

℞. Syr. Martialis. ℞. Animæ hepatis ʒvß. dissolv. in ℥iv. aq. tormentill. vel plantag. aut portulac. Adde sacchari rosat. tabulat. ℥ij. syr. ex succ. tormentill. vel plantag. vel portulac. ℥iv. vel v. ut f. justum pondus animæ hepatis gr. 24. ad singulas uncias syrupi. Omnia ad levem balnei vaporosi calorem misceantur, & f. syrupus servandus sedulo in ampullâ vitreâ probè obturatâ.

Julapia f. ex tinctura rosarum cum aq. plantag. & sp. vitrioli extracta, vel cum aceto for-

tissimo, addit. syr. moror. rub. Idæi aut de corall.

Utiliter sumi potest brodium seq. post singulas doses syrupi supra præscript.

♃. Hord. mund. p. ij. passul. non exacinat. ℥ j. rad. symphyt. maj. tormentill. ana ℥ ß. Includantur omnia ventri junioris galli, qui consutus elixetur cum frusto poplitis vitulin. addend. sub finem coctionis portulac. plantag. an. m. j. pimpinel. pilosel. pulmonar. an. m ß. flor. borag. buglos. archangel. alb. beton. an. p. ij. macis florem unum aut alterum: redige ad quantitat. ℔ ij. pro 4. dos. in quarum singulis dissolv. marg. rit. corall. rub. cum succo limon. præp. an gr. x. ad usum prædictum.

Tabellæ seq. sæpissime in ore teneantur, sensim deglutiendo id quod dissolvetur.

♃. Lapid. hæmatit. rubicundiss. in tenuiss. alkool reducti ℥ j. C. C. ad summam albed. usti & præp. cum aq. tormentil. plantag. & ros. r. ʒ ij. sang. drac. boli Armen. finiss. loti iisdem aquis, ros. rub. an. ʒ j. sacchar. rosat. triplum pondus omnium M ß. & cum s. q gumm. tragacanth. dissoluti in decoct. limpidiss. glycyrrhiz. Hispan. f. pasta, ex qua trochisci hypoglottidas. N. B. Totum artificium est in subtilitate pulverum.

Vel ♃. Lap. hæmatit. præp. ℥ ß. croci Martis corallin. ʒ ij. C. C. vitriolat. (spodii ex ebore itidem vitriolat.) ossium humanor. aut cervi vitriolator. an. ʒ j. rad. tormentil. bistort. an. ℈ ij. cinamom. crassioris ℈ iv. alum. roch. crud. ad pondus omnium, f. omnium alkool excipiend. mucag. gum. tragacanth. extract. in aq. ros. rub. vel spermat. ranarum, f. pasta addito si opus sit, pauco emylo triticeo ex qua formentur globuli in hypocausto siccandi, ad usum continuo donec substiterit sanguis.

Ex eodem pulvere cum gumm. tragacant. sive ovi albumine siccato ad solem & syrupo ex aq. spermat. ranar. & sacchar. rosar. f. Loboch.

Cerevisia medicata seq. sit pro potu ordinario.

♃. Rad. sarsæpar. chinæ per taleolas sect. an. ℥ viii. rad. tormentill. lapath. sanguinei, pimpinell. an. ℥ iv. santal. alb. rubr. ras. eboris, C. C. ossium bubulor. major. an. ℥ ij. sem. portulac. plantag. sophiæ chirurgor. an. ʒ x. nuc. moschat. ℥ j. gum. Arabic. ℥ iv. ferri frustulatim divisi ℔ j. Pendeant omnia in sacculo ex tela rara in galon. 6. cerevis. non lupulat. post sufficientem defæcationem promend.

In vase ex quo bibatur liquor, sit nodulus seq. quotidie renovandus, & ante potum cochleari versandus.

♃. Lap. hæmatit. prius in porphyrite cum aq. tormentill. plantag. spermat. ranar. lævigat. ℥ i ß. C. C. calcinati, spodii ex ebore, ossium pedum vervecin. calcinat. an. ʒ ij. m ß. f. pulvis impalpabilis: hujus ℥ ß. sit pro uno nodulo ex sindone coccinea rara parato.

Si medicamenta parabiliora & simpliciora vel ægro, vel Medico magis arrideant, hæc sunt haud infimæ notæ. Succus vincæ pervincæ ad ℥ ij. in vin. rub. Succus urticæ rubræ (urentis) potatus fluxus sanguinis ex quacunque causa, sive per os, sive per nares, sive per menstrua, sive per hæmorrhoid. sive per plagas optimè restringit. Item pulv. virg. pastoris ad ʒ j. in brodio, vel istius herbæ decoctum. Linteum ineunte vere imbutum spermate ranarum, ut a. e. totum anteriorum thoracem tegat, idque vel siccum, vel oxycrato ex aq. sperm. ranar. & aceto rosaceo imbutum, præsertim sanguine profusius, qua data porta, ruente. Centinodia in ore contenta, aut linguæ supposita. Frustum aluminis in ore contentum sensim deglutiendo. Lapis scissilis Hibernicus cum conserva rosarum rub. antiqua eodem modo.

Quidam Miles in bello Anglico inter Regem & Parlamentum 1644. Windsoriæ glande plumbea transfossus fuit à pectore in dorsum. Vulnerati pulmones primis diebus satis largam sanguinis fudere copiam. Perrexit animosè Chirurgus Langley in applicatione omnium remediorum vulneri & periculoso symptomati debitorum. Hâc methodo utcunque lenitum malum. Cùm autem aliqua certior affulgeret salutis spes, ecce nocte intempesta vocatus Chirurgus invenit ægrum continuo cruorem exspuentem tam profusè, ut rejectâ una & altera pelvi, planè deploratus æger videretur. Chirurgus consilii inops, remediis fere destitutus ad obvia & parabilia confugit. Erat in camini conclavis inferioris angulo calx viva in cumulo, hujus bonæ quantitati in medium conclave tractæ affudit aquam cum aceto; & lapidem hæmatitem calcinatum, quem fortuito gestabat tunc in pera, inspersit. Fumus à calce humectata pro more evaporans totum replevit locum, & vapore isto plenus aër plenis buccis inter respirandum haustus pulmonibus, unde sanguis illico substitit. Qui effectus, postea recurrente bis eodem hæmorrhagiæ symptomate, certitudinem experimenti felici successu comprobavit. Æger hic reddidit etiam urinas cruentas, quæ etiam post illum vaporem ad pristinum statum redierunt, Tandem perfectè convaluit æger. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. 2.*

Recentia sanguinea sputa, undecumque proveniant, curando adoriuntur nonnulli iteratis phlebotomiis, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, catharticis etiam lenibus, in diæresi, & diabrosi ad purgandum sanguinis vitium: mox verò refrigerantia, & glutinantia exhibent ex farre, limacibus, testudinibus, aliisque parata; itemque lac, ejusque serum.

At alii his parum vel nihil fidentes solùm cohibentibus utuntur, quibus etiam vitia sanguini adimere conantur, ut sunt succi depurati urticæ, polygoni, plantaginis, verbasci: pulveres terræ armeniæ, & sigillatæ coralliorum, sanguinis draconis corticum myrobalanorum, hæmatites, croci martis colchotaris vitrioli, sperniolæ, C. C. usti: gummi tragacanthum, & Arabicum, thus, stirax mastiche, succinum: syrupi de rosis siccis, de papavere albo, & rubro, de baccis myrteis, de cydoniis, de portulaca; de nymphæa: trochisci de succino, de terra sigillata: theriaca recens, philonium persicum requies, magna, pilulæ de cynoglosso, & de styrace, laudanum opiatum, & id genus alia.

Curari dicitur Harmanno sputum sanguinis é pulmonibus semine hyoscyami; ex quo tabellas conficit. Platerus, additis gummi Arabico, corallis rubris, violis recentibus, succo

succo berberis, & saccharo. Helidæus verò De-Paduanis ex seminibus Hyoscyami, & papaverum alborum, terra sigillata, coralliis rubris, & saccharo rof. parat electuarium, quod ad sputum sanguinis mirabile dicit esse. Apud Du-hamel memoratur aliud à Boyle confectum ex seminibus hyoscyami, & papaveris albi contusis, & cum conditura rosarum rubrarum mistis. At Cardilucius monitu Carrichteri semen hyoscyami infundendum vult per noctem, in tribus partibus aquæ fontis, duabus acri, & una parte vini albi veteris, mox exiccatum in usum adhibet.

Idem Hartmannus feliciter cohiberi ait sanguinis sputum usu aquæ stillatitiæ radicum urticæ majoris ad ℥ iv. cum oleo vitrioli ad gratum acorem. Ab aqua plantaginis ad ℥ iv. cum ℈ß. spiritus vitrioli subitò etiam fluentem ex pulmone sanguinem sisti affirmat: quod & Riverius quoque fatetur. Præter aquam plantaginis, & spiritum vitrioli addit Cardilucius pulverem hæmatit. præparatum ad ℈ j. & granum j. laudani opiati. Interea vero potandam præcipit aquam solani, in qua hydropiper, seu persicaria urens decocta sit, ea postmodum defossa in loco humidiori ad putrescendum.

Quercetanus in sua Pharmacopœa describit aquam summopere efficacem ad Hæmoptysim. Et Serapio tract. 2. cap. 25. atque ex eo Antonius Valerius, pulverem valde utilem, qui sub nomine Julii Cæsaris Scaligeri circumfertur, & passim ab Authoribus memoratur.

Riverius amylo sine calce parato, in aqua decocto, & per mensem integrum assumpto, sputum sanguinis omninò desiisse scribit. Alii looch inde conficiunt cum albumine ovi vehementer agitato, & saccharo rosaceo, apud Willisium.

Amatus Lusitanus succum urticæ mirabilem dicit, si eo utatur æger per sex dies ad ℥ iv. jejuno stomacho: quin & urticam ipsam jure pulli incoctam comedendam consulit. De hujus vi notabilem quoque historiam scribit P. Borellus, quamvis nonnulli suspectam illam habeant in principio Hæmoptysis, quòd tenuium sit partium, & menses, urinamque promovere dicatur à Dioscoride.

Præscribit ad quemcumque sanguinis exitum Leboë Sylvius misturam, quam pluries efficacissimam ego comperi, addendo succum urticæ, & polygoni, seu sanguinariæ ad ℥ j. in aquæ plantaginis unciis duabus, semisse aceti stillatitii, ac tantumdem aquæ cinnamomi, cum syrupo baccarum myrtearum miscet corralliorum rubrorum præparatorum semidrachmam, & sanguinis draconis sextam drachmæ partem laudani demum opiati grana ii. Alibi Apozema memorat æstuanti sanguini compescendo valde accommodum.

Quanta autem sit vis Polygoni seu sanguinariæ vulgo centinodiæ non solum in sistendo sanguine, verum etiam in omnibus immodicis egestionibus, experientia testis fida est, ut plane dixerim me nunquam fefellisse, sicut pariter de plantagine, & verbasco testari possum: ex dupla enim foliorum plantaginis parte, & una radicum recentium consolidæ majoris simul tritis addita sufficienti quantitate sacchari purissimi conficitur syrupus ad cruentum sputum efficacissimus. Pulvis etiam ex foliis verbasci arefactis, cum pari portione terræ damnatæ vitrioli optimus est ad dosim semidrachmæ. Idipsum affirmant alii de bursa pastoris.

Maximi facit Pulverem sperniolæ Crollius in omnibus Hæmorrhagiis. Laudant alii pulveres vel extracta tormentillæ, bistortæ, & millefolii. Alii Crocum Martis, lapidem hæmatitem & tincturam sulphuris vitrioli. Pulverem, è summitatibus, & spongiolis Cynosbati elicitum efficax remedium esse inquit Willisius, si bis in die ad ʒß. exhibeatur.

Quoniam verò sanguis è suis vasis egressus illico concrescit, ac mox in pus vertitur; unde Empyema, & Phthisis, propterea grumi illi omnino dissolvendi, ne præter Pulmonis corruptionem, glutinamentum vasorum impediant, ut scite advertit Sennertus, & Fridericus Hofmannus. Veteres utebantur oxycrato, seu posca, quam Galenus 5. meth. cap. 8. jucundam, neque multo aceto saturatam præcipit, ne tussim excitet, & nos camphoræ modicum addere solemus, ac tepidam pro gargarismo præscribimus: quamquam nonnulli potandam quoque exhibent; interea verò Misturam Sylvianam ad cochleare unum per intervalla propinamus additis pulvere oculorum Cancer, Antimon. diaphoretico, & spermate ceti, monitu ejusdem Authoris. Specialius etiam commendat misturam aquæ hyssopi, & fœniculi singularum uncium unam, vitæ Matthioli ʒ ij. aceti stillatitii ℥ß. oculor. Cancer. ʒß. Antimon. diaphoretici ℈ j. syrupi Capillorum veneris ℥ j. At Paulus, Ætius, & Oribasius coagulo hædi, vel leporis utuntur: & Forestus mumia, & spermate Ceti. Exhibent alii rhabarbarum [ex quo pulvis Mesues contra casum) cum modico mumiæ, & tibiæ tinctorum in vino rubro, vel aqua plantaginis.

Ante horum exhibitionem, utile existimant levi aliquo cathartico vitiosos humores à sanguine secernere. Verum caute procedendum, ne sanguis à purgante medicamento citatior fiat, & ad exitum magis promoveatur. Locum idcirco solum habebunt quæ potius corrigunt, & blandè admodum acres succos per epicrasin educunt, ut est rhabarbarum, pulpa tamarindorum, cassia recens, cavendo ab his quæ Aloëm admittunt, sicut à cæteris purgantibus validioribus.

Cæterum victus ratio eo vergat, ut fluentem sanguinem quoque cohibeat, illiusque vitium pro rata sua emendet, & mediocritatem non excedat. Vitentur acria, salsa, flatus excitantia acida. Vinum leve, & rubrum præsertim consuetis concedi potest, atque eo magis si fuerit dilutum aqua consolidæ majoris, plantaginis, aliusve. Motus, clamor ira, cantus etiam prohibeantur; admissis solùm, quæ sanguinis motum retardare, & gluten adaugere valent.

Inter externa, Fridericus Hofmannus Bufonem transfossum, sole existente in Leone, exiccatum, & manibus detentum, vel suspensum è pectore, certo experimento sanguinem spuenti mederi ait: pariterque bursam pastoris re-

centem pulſibus applicitam. A decocto etiam centinodiæ axillis, aut genibus impoſito id ipſum præſtari addit. At ipſe memini hæmorrhagiam è naribus aliquando ſtetiſſe ſanguinaria, & plantagine contuſis plantiſque pedum adhibitis. *Lucas Tozzi. Medicin. Practic. part. 1.*

In Hæmoptyſi. ♃. Aq. plantag. burſ. paſtor. an. ℥ iij. tinctur. ſulph. vitriol. gut. xv. ſyr. ſtiptici ℥ j. M. utatur ex cochlear.

Vel ♃. Aq. portul. roſar. an. ℥ j. ſucci plantag. ℥ j. tinctur. martis gut. xii. ſyr. ſtiptici ℥ j. eſſentiæ vulnerariæ ʒ ß. uſurpetur cochleatim.

♃. Decoct. radic. torment. biſtort. an. ℥ ij. tinctur. lapid. hæmatit. gut. xv. ſyr. corallior. ℥ ij. M. perdius interdum exhiberi poteſt.

In India. ♃. Aq. plantag. roſar. an. ℥ ij. ſucci portulac. ℥ j. tinctur. lign. calitur. ʒ iß. tinct. martis gut. x. M.

Adjunctis Febribus. ♃. Sem. 4. frig. maj. an. ʒ ij. aq. portul. roſar. plantag. an. ℥ ij. F. emulſio. Huic adde ſyr. perlar. corallior. an. ʒ ij. tinctur. martis gut. xii. ſantal. rubr. ʒ ß. M. utere hoc ſicut præcedenti.

Sive. ♃. Conſerv. roſar. flor. conſolid. maj. ſyr. ſtiptici an. ℥ j. tinctur. martis ℈ j. ſal. perlar. ʒ ß. C. C. pphicè præpar. M. F. bolus. Doſis ʒ j. manè & veſperi.

Vel ♃. Tinct. roſar. ſant. rubr. corall. an. ʒ j. eſſent. vulnerar. ʒ ß. M. Exhiberi poteſt in decocto ligni quercini, radic. ſymphyti, torment. aut aliò appropriatò.

Ad Empyema ſi ſuccedat.

♃. Eſſent. vulnerar. ʒ j. ſal. oculor. cancr. ʒ ß. tinctur. croci ℈ j antim. diaphor. ʒ j. aq. hyper. ℥ iij. ſyr. pector. ℥ j. M. detur cochleatim,

Pro ordinario habeatur potu decoctum hordei compoſitum ex herbis ſaniculâ, alchimillâ, veronicâ, hypericô, centauriô, pulmonaria, ligno quercino radic. polypodii, ireos, liquiritiæ & uvis paſſis.

Eſſentiæ vulnerariæ, de qua hic paſſim, hæc eſt compoſitio.

♃. Tempore illo quo vegetabilia multum balſamici continent, flor. hyperici, centaurei, an. m j. conſolid. major. tapſi barbati an. m ß. radic. torment. ℥ j. extrahe tincturam cum ſpir. vini terebinthinati. Quando nulla amplius tinctura ſequitur, alios infunde flores & radices, fiat extractio, poſtea effunde, & ad uſum ſerva. *Hermann. Nicolaus Grimm. Compend. Medico-Chimici lib. 2.*

Conſultationes.

Pro Nobili Viro ſputo ſanguinis cum punctione ad partem exteriorem thoracis circa mammam dextram, anhelandi difficultate, febreque detento.

Inter caſus formidabiles, qui Medico curandi occurrunt, omnium potiſſimus eſt ſputum ſanguinis, quoniam ſub eo non tamen Medicus, verum & Aeger vitæ periculum imminens præcognoſcit quandoquidem ſputo ſanguinis ſputum puris, ſputo puris phthiſis, cui demum mors ipſa ſubſequitur, hinc Areteus occaſione ægri hoc vitio laborantis dicere ſolebat, ecquis eſt videns inſtar victimæ nuper mactatæ ſe jugulari, qui non expaveſcat? Et eo magis, quia plura ſeſe offerunt, quæ jam dicto vitæ periculo ſolent atteſtari, quod ſcilicet fere nunquam hujuſmodi malum accedit, quin alia ſecum adjungat, & quod præcipuum eſſe conſuevit, ulcus pulmonum exiſtit, quod propter illorum irrequietum motum, & quoniam continuo deſtillationibus ſunt obnoxii medicamentaque non ita commode, ac ſubito ad ipſos perveniunt, nullo pacto ſanatur; Ut non ſit mirum, ſi patiens noſter prædicto malo detentus ob haſce ac ſimiles rationes in maximo verſetur animi angore, vitæque diſcrimine, quocirca illi citò ſuccurrendum eſſe cenſeo, ut ſaltem à majori ruina præſervetur.

In ſputo itaque ſanguineo, quod à multis diebus per incerta quædam intervalla patitur vir præſens, affici thoracem, duo præter tuſſim præſertim ſuadent, primum eſt Sanguis nigricans, alterum eſt punctio ad anteriorem thoracis partem circa mammam dextram percepta ut facile ſit intelligere, nullo modo ſanguinem à pulmonibus prodire quoniam, ubi pulmones emittunt ſanguinem, hic ipſe floridus eſt, & ſpumoſus, nullus dolor, nullaque punctio ad thoracem ſentitur: ſed neque ab aſpera arteria, quoniam poſitus doloris extra regionem ipſius obſervatur; præterea ſanguis non ita modicus excernitur, ut fieri ſolet ab aſpera arteria; verum nec à gingivis, quoniam non ſimplici expuitione, ſed tuſſi ejicitur, propter quam ſanè cauſam nec a palato prodire poteſt, quoniam tunc excreatus requiritur neceſſario; adhuc & ad palatum titillatio percipitur, quæ interim non proponitur, immo vero neque à capite prodit interea ſanguis, quia per aſperam arteriam ſolet in pulmones decumbere, ac poſtmodum niſi excerni, quoniam tunc præter id, quod nullus dolor in pectore percipitur, Sanguis tantum ſecundum ſuperficiem ſpumat, non autem ſecundum partes intimas, ut nunc obſervatur, ſed pulmones etiam affici ſecundum bronchia, facile comprobari poteſt ex aliqua anhelandi difficultate conjuncta; quæ diſpnœa, difficiliſque ſpiratio ſimpliciter dici poterit, quia ſonitus adhuc in aſpera arteria, ut in aſtmate ſolet evenire, non eſt præſens patienſque reſpirat, & ſi maneat cervice non erecta, ex quo nequaquam ortopnœa laborat; Atqui poſtremo ſecundum totum corpus, unaque cor ipſum, occaſione febris, male ſe habet, ut patet.

Quorum omnium vitiorum generatio inde colligitur, quod ſputum ſanguinis eſt Symptoma ſecundarium neceſſario à retentione venarum læſa dependens, retentio autem cum lædatur ob morbum vel in mala compoſitione, vel ſoluta unitate, hic in hanc vitium refero factam non per fractionem, quia non præceſſit cauſa externa ad id idonea, non adfuit plethora, aut ſaltem cacochimia materiei flatulentæ conjuncta, neque per inciſionem, nam quod potuerit incidere, non adfuiſſe referunt, ergo quia patiens à pluribus annis paſſus eſt deſtillationem à capite ſalſam, quæ facultatem habet exedendi, puto ſanguinem hunc per eroſionem potius rejectari, cui tuſſis vehemens plurimum favet, huc accidit & illud, quod ſanguis paucus & ſenſim egreditur, quod non in

in fractione non in incisione, immo vero neq; in mala compositione per anastomosim solet accidere, nec aliquis diapedesim morbum pariter malæ compositionis proponat, quoniam tametsi in hac sanguis modicus excernatur, hic ipse tamen tenuis existit, & aquosus.

De spiratione verò difficili ita sentio, eam scilicet accidere propter materiam catarrhalem bronchia pulmonum occupantem, aerisque ingressum, ac fuliginum egressum liberum prohibentem, nam sic lucta veluti quadam excitata inter id quod ingreditur, & egreditur necessarium est, ut difficilis fiat respiratio.

Tandem febris occasionem ego maximè adscribo alicui putredini, quæ destillationem in pulmonibus & quoquo pacto sanguinem etiam à venis effusum apprehendit, quandoquidem postremis hisce diebus, in quibus hic æger sanguinem expuit, inflammationem quandam subortam fuisse suspicor, ut sputa putredinis notam aliquam præ se ferentia suadent, ex quo quin imposterum eadem omnino purulenta, saniosaque sint evasura, nullus datur meæ judicio dubitandi locus; Sed febrem esse putridam docent leves illæ accessiones, quas ad vesperas circa noctem patiens experitur symptomaticam tamen cujus meminit Galenus primo Aphorismo. 12. cui febris hectica quoque superadjungetur, nam febris, quæ hujusmodi pulmonum vitia sequitur solet demum esse mixtæ naturæ, partim inquam putrida, partimque hectica: Cæterum & causas hujusmodi vitia generantes quas coadjuvantes dicunt (præter capitis intemperiem humidam cum excessu, & calorem aliquem illius) addere licet, quarum alteram internam, alteram externam arbitror, illa ichor est biliosus in jecore fervidiori genitus, & capitis communicatus, hæc verò ad malum aeris usum pertinet, nam omnibus aeris injuriis indifferenter sese exposuit vir propositus, merito quarum tusses, gravedines, aliaque similia mala suboriri scripserunt Hipp. & Galenus.

Quocirca, ut ille quantum fieri potest ab hisce malis sublevetur, à majoribus præcaveatur, necessarium est contra causas omnes prædictas pugnam inire, per removentia, aut saltem corrigentia destillationem, jecur attemperantia, bronchia pulmonum ab infarcta vindicantia, & quicquid in illis continetur præter naturam absumentia, verum prius sanguinis grumis, si qui erunt in thorace dissipatis, sanguis omni studio, & diligentia erit cohibendus.

Curatio itaque, & primum per Chirurgiam sic instituenda, ut modo ex uno, modo ex altero brachio sanguis extrahatur, nam hic motu quidem magis peccat, sed etiam copia subpeccat, morbus imminet magnus, vires validæ sunt, ætasque florens existit, hyrudines quoq; ano applicitæ, sicuti & juges frictiones, deligationes, ventosationesque partium extremarum conveniunt; cauterium etiam in sincipite inustum videtur esse maxime opportunum, atque ut una quoque pars in morbo tam verendo suis non destituatur remediis, putarem satius esse cauterium, vel setaceum in nuca excitare, vesicantiaque sincipiti adhibere, ac in progressu antequam Medicus de sanando cauterio nucæ cogitet, Cauteria in brachiis excitet.

Medicamenta quæ hoc tempore mihi videntur opportuna ad sanguinis grumos, dissipandos, ejusque vitiosum motum emendandum dirigantur oportet, quibus & quæ distillationem ad intestina retrahunt sunt conjungenda, idcirco continua oris collutio ex posca, ejusdemque potus, veluti pitissando factus, itemq; coagulum leporinum ex eadem poscha cum saccharo ad lambendum exhibitum pro grumis dissipandis probantur, simulque eodem tempore rhabarbarum cum aq. violarum irroratum, & postea dilutum cum decocto myrobalanorum citrinorum, seminum plantaginis, acetosæ, tamarindorum, ac passularum propinatum mihi maximè placet, & ubi destillatio huic non cesserit medicamento, à pilulis Galeni quinto Meth. pro illa Matrona Romana præscriptis non abhorrerem; Deinde pro supprimendo sanguine præter Philonium Persicum cum violarum conserva, præter diaspermaton Galeni, mihi sunt in usu primò pulvis testæ ovi, a qua pullus exierit, ex aq. plantaginis datus secundo succus plantaginis, vel per se, vel cum sero calibeato bibitus, tertio medicamentum, quod fit ex duabus unciis sacchari violacei, & dimidia uncia sem. hiosciami albi datum ad dragm. j. vel alteram, quarto trocisci de carta combusta qui

℞. cartæ vstæ drag. ij. suberis corticis interni ilicis caudæ equinæ pilorum leporis combustorum boli Armenæ orient. linguæ serpentinæ sem. hioscami albi ana ℈j. Philonij. persici scrup. iv.

M. & cum succo plantaginis, & saccharo fiant trocisci, quorum drag. i. vel duæ dari poterunt. Verum ante cibum per horam mane, & vesperi immo vero & ad lambendum singulis horis poterit patiens uti syrupo myrtino (qui non nocet pectori) cum puluere sanguinis draconi in lacrimis, lapides hematites & boli Armenæ, ac ubi difficilis spiratio urgebit, ab his conueniens erit haustus aquæ farfaræ, vel scabiosæ: Atque plurimum etiam ad supprimendum sanguinem conducet immergere scrotum in gelidam, maximus enim est consensus inter spiritualia, & genitalia membra.

Suppresso sanguine, ad destillationem est descendendum, quocirca præmissa leui præparatione totius corporis per medicamenta primum concoquentia ex cicoraceis, lingua serpentina, pulmonaria, farfara, hordeo, & sem. melonum cum syrupo myrtino de cicoreo simplici, & de capillo veneris, deinceps per purgantia ex trociscis de violis absque sciammonio, infuso Rhabarbaro, & manna, dilutis decocto rerum pectorarium, & myrobolanorum, citrinorum, oleo amygdalino dulci fricatorum, de aliquo medicamento siccante, dissipanteque destillationem est cogitandum; nullum autem præstantius meo judicio excogitari potest jure pulli, in cuius ventre sit incocta copiosa china cum simplicibus superius commemoratis, eo tamen constituto, ut ante syrupum matutinum exhibeatur pillula facta ex therebintina cocta, vel Ammoniacom cum puluere cornu cerui usti & pulmonis vulpis, his enim si quid in pulmonibus præter naturam continebitur, detergetur, siccabiturque, hora somni saccharum rosatum cum bolo Armena, vel corallis rubeis, vel puluere baccarum myrti offeratur, quæ spectat theriaca recens, atque

hoc eodem tempore capiti adhibendum est cataplasma ex sinapi, tapsia, fimo columbino, cum aceto scillino paratum, ceratum quoque ex puluere limaciarum in clibano siccatarum, succo tabasci excepto, & secundum artem factum probo, tempore vero oppotuno stillicidium ex aqua Villensi, vel Porrectana veteri, vel alia simili, in qua coquantur oliua, rosæ, grana myrti, balaustia, camomelum, stœchas, cariophylli, sandali, & modicum aluminis, quod si capitis lotionibus erit assuetus æger utatur lixiuio dulci, & valde temperato decoctionis sandalorum. Ante hæc tamen oportet caput herrinis expurgare, in quem usum esse potest ex usu decoctum hordei, hederæ terrestris, ac maluarum, cum melle violato solutiuo, verno etiam tempore aduentante, si, quod timorem ulceris in pulmonibus incutiat, adfuerit, nil præstantius lacte Asinino per plures dies assumpto, quod etiam iecoris feruorem compescet; nec febris ubi tunc temporis aderit, quæ nunc adest, huiusmodi lactis genus prohibebit, quoniam solum febris putrida, quæ est venarum passio lac prohibet, febris autem, de qua agitur est putrida secundum quid, quæ eo tempore ulcere existente, hecticæ naturam sapiet, quamquam etiam sperem futurum, ut diligentia excellentissimi curantis tunc febris imminuatur, saccharum quoque rosa tum recens tempore usus lactis mihi maxime opportunum videbitur, deinde ad emendandam omnino Iecoris calidam intemperiem sua tempestate ab usu aquæ Villensis non abhorreo, quemadmodum neque ab usu balnei aquæ dulcis, à quo regionem Iecoris inungere unguento facto ex oleo rosato completo in posca loto, & ex succo endiuiæ, ac hepaticæ adiectis cera, aceto, tandemque speciebus cerati sandalini maxime præstabit.

Cœterum (quod ad vivendi modum attinet) hoc præsenti tempore puto insistendum esse victui attemperanti, ac inviscanti, cavendum ideo est ab aere calidiori, à cibis acribus, dulcibus, salsis, ac utendum oriza, farre, millio cum hordeo decoctis in jure pedum vituli, vel porci cum carne aliqua laudabili coctorum in aqua calybeata, pedesque dicti, atque carnes etiam comedi poterunt, sublataque omni suspicione hæmorragiæ ova haud erunt denegande; Cibariis omnibus nunc etiam inspergatur pulvis ex amilo, coriandris præparatis, & saccharo, quinimmo & carnibus incoqui poterit ophioglossum, cidoniaque sub cineribus cocta, item poma ac pira subaustera, dactili, & uvæ pastæ concedi poteruut. Verum ob difficilem spirationem victum mutare, & ab adstringentibus abstinere oportebat, quare ptisana, & panis, vel ova ex jure patienti offerre non erit inutile. Pro potu nunc conveniens est aqua calybeata, in qua saccharum rosatum fuerit dissolutum, vel in qua tamarindi, ac sebesten sint incocta, vel vinum granatorum medium saporis cum eadem aqua dilutum; imposterum verò vinum album tenue, non valdè austerum aq. cocta cum china mixtum conveniet; Dormiat tamen eger capite humili, & ubi somnum voluerit adire, cochlearium affirmat mixturæ, quæ ex duabus partibus pulpæ sebesten, un. sem. melon. mundatorum, atque dimidia seminum papaveris albi exceptis cum juleb. violato componitur, quiescat animo & corpore, vitet motus omnes corporeos, clamores, & vociferationes, alvum lubricam servet usu potissimum caricarum ante mensam comestarum, Deusque sit illi propitius. & adjutor. *Jul. Cæs. Claudinus in Consult. Medici.*

De Sanguinis sputo. Pro Perillustri, & Adm. R. Patiente

Perillustris & admodum Rev. patiens, temperamenti calidioris quoad jecur, & totum corpus, cum aliqua humiditate, Anno 1637, dum esset Goritiæ, sanguinem exspuere cœpit, non tamen multa copia; anno vero sequenti 1638. hiberno tempore multa copia eum rursus excrevit, & magno cum impetu, atque huiusmodi sanguinis excretio Vere subsequente bis aut ter contigit; frequentius iterum postmodum, & quidem spumosi aliqua copia, cùm in agro Vicentino, tum in Bergomensi, cum tussi valdè molesta, & excretione catarrhi aliquando salsi, gravitate capitis, & molestia circa thoracem ex tussi violenta. Nunc vero cum nulla adsit sanguinis expuitio, horis tamen matutinis excernitur copia catarrhi, ut refert patiens, crassi, non tamen viscidi, qui sicuti ante hac coloris erat flavi, & viridis, ita nunc albicans est. A cibo incalescit, febrilem tamen annotationem non observat.

Ex his facile colligere est, affectum præcipuum esse in partibus spiritualibus. Tussis enim, sensus erosionis, & excretio cum tussi materiæ heterogeneæ, ut plurimum cruentæ, id confirmant. Et cum multæ partes in thorace affici possint in præsenti casu vasa pulmonum laborare statuendum est. Facta enim fuit ipsorum anastomosis, mox & forsan diæresis à catarrho salso, hincque sputum cruentum. Cœterum fieri quidem potuit, ut sanguis hic aliqua sui portione in thorace detentus, computruerit, erosionemque induxerit, ut hinc fit excretio materiæ purulentæ aquam tamen cum non observaverim; neque de ipsius qualitate possum certum ferre judicium; quanquam frequens illa sanguinis excretio cum tussi plures annos observata, non levem suspicionem inferat, propter sententiam Hipp. à sanguinis sputo &c. hincque & febris illa symptomatica, nulla habens, accessiones, à cibo invalescens facile supervenire potest.

Unde non immerito præsens affectus est plurimi æstimandus, medica præsidia pro ipsius debellatione sunt præscribenda, ex triplici fonte desumpta, Chirurgico, scilicet Pharmaceutico, & diætetico.

Inter Chirurgica, sanguinis missio primas habet, tunc potissimum repetita, quum apparet sputum cruentum, mittaturque ex salvatella alterutrius manus, partitis vicibus, & pauca copia. Atque duo sunt inurendi fonticuli, nisi forsan hactenus factum fuerit, sinistro scil. brachio, & dextro femori.

Alvus lubrica est servanda frequenti usu flor. cas. rec. ext. & pulpa tamarind. parato interim electuario polychresto ex oleo amygd. dulcium sine, igne, pulpa passularum. manna flore cassiæ, liquir. rasa, & syrup. de ponis, quo familiariter utatur. Præparentur, & purgentur humo-

humores blandis medicamentis, abstinendo ab illis, quæ recipiunt accetum, ne excitent sanguinis excretionem; & à validis purgantibus, ne calefaciant magis quam par sit. Facta purgatione totius, caput peculiariter purgabitur blandis nasalibus, puta succo maluæ, aqua hordei, & similibus. Eclegmatibus blandis iuvabitur expectoratio materiæ, confectis ex syr. de farfara, de liquiritia, & capil. ven. cum looch de pulmone vulpis, & modico saccharo cand. Hisque paractis, tria remediorum genera nunc ex usu futura censeo; primo quidem aquæ vellenses, vel B. Virginis, vel Noceræ. Poterunt enim refrigerare, cum detersione, exsiccatione & evacuatione, hisque ut potus utatur duodecim dies saltem lib. 8. 9. & plures, etiam, seruando normam consuetam in harum usu. Horis autem nocturnis sumat saccharum rof. antiquum, cum modico terræ sigill. Postquam vero aliquot dies supersederit prædictarum aquarum potu, præscribetur decoctum ex radice chinæ, & santalis, 25. & 30. dies, cum victu quidem tenui, non tamen valde attenuante. Quare concedentur auiculæ, & pulli; quo tempore ante horam decubitus sumet cochlear sacchari ros. antiqui, cum eadem terra sigillata. Tertium remedium erit autumni tempore, lac scil. asininum pauca copia, & diu assumptum, cum saccharo modico, seruata congrua victus ratione, præscribenda à viro Excellentiss. ipsius curæ præfecto. *Benedicti Sylvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. 2.*

De Tussi, & Sputo cruento, cum Febre, Pro Nobili Viro.

Affectus Nobilis patientis sunt duplices; alii scilicet continuo fere infestantes, alii per longiora interualla recurrentes. Conflictatur fere continue febre, singulis diebus exacerbationes habente, cum artuum refrigeratione, utplurimum circa vespertinas horas: à qua tamen immunis obseruatur, idque quatuor abhinc mensibus circiter; quo toto tempore defluxum patitur pituitæ viscidæ, modo subdulcis, modo salsæ, ad partes spiritales, cum quodam dolore earum partium, dum spiritum cohibet, accedente grauitate quadam, cum capitis, tum partium prædictarum, tunc primum remittente, vel etiam delitescente, quando tussi excernit aliqua copia; quæ tussis est frequentissima, non sine aliqua spirandi difficultate. Per longiora autem intervalla superuenit ipsi sputum cruentum, tribus abhinc annis subortum, cum tussi, post exercitium validum ex ludo pilæ ipsi familiarissimo, quod licet intra paucos dies tunc cessaverit, singulis tamen annis statuto quodam tempore recurrit, pauca tamen copia, & breui tempore durans.

Horum affectuum causam duplicem censeo, diuturnorum quidem, copiam pituitosæ materiæ in capite calidiore congestæ, cum per modum generationis, tum attractionis, & receptionis, à subiectis partibus; cum præsertim incompositissime vixerit. Hæc itaque materia in thorace collecta, febrem, aliaque symptomata permanentia fouet & conseruat: adeoque ubi primum tussi extunditur, à prædictis affectibus vel liberatur, vel minus molestatur. Sputi autem cruenti per intervalla recurrentis singulis annis causam esse existimo, cum sanguinis calidioris copiam in toto venoso genere, tum vero laxitatem in pulmonibus, contractam à continua fluxione, non sine aliqua excedenti ipsorum incalescentia ex immodico exercitio. Et hæc de essentia, & caussis prædictorum affectuum.

Qui sane sicuti sunt curatu difficiles, ita sedulo, & accurate sunt tractandi, ne hinc sequatur aliqua pulmonum erosio, febrisque fixa, cum macie corporis. A quibus Nob. patientem nunc immanem esse mihi, persuadeo; quandoquidem nec febris est continua, nec macies corporis, nec ullam virium labem patitur.

Agendum igitur & quæ materia in pulmones influxit, est attenuanda, incidenda, & euacuanda; fluens autem diuertenda; caput exsiccandum absque calefactione, pulmones exsiccandi, & roborandi, præmissa diligenti totius, & capitis expiatione. Hæcque præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Remedia igitur Chirurgica quod spectat, non solum educendus erit sanguis adueniente vere, ex jecoraria dextri brachii, sed frequenter hæmorrhoides sunt aperiendæ, fonticulusque sinistro brachio erit inurendus.

Ac interim lenienda aluus, præparendique, & purgandi homores in toto redundantes, remediis opportunis, Viris doctissimis abunde notis. Caput, & thorax peculiaribus remediis sunt & ipsa expurganda: illud quidem errhinis, non masticatoriis, ne materia labatur ad pulmones; Thorax quinetiam eclegmatibus paratis ex syr. de farsara, de liquiritia, de hyssopo, oxymel, ccompos. cum diacodio. A quibus, duo genera remediorum apprim eprofutura censeo, quorum alterum erit jus galli junioris, optime flagellati, & exenterati, paratum ex medulla ligni derasi, visco quercino, & santalis citrinis, cum radice enulæ campanæ, pulmonaria, & radice iridis illyricæ præmisso bolo ex terebinthina laricina, cum lapide hæmatite; cuius usus erit 30. dies circiter. Neque negotium facessat febris. Si enim prodest lignum Indicum in phtisi, ut plures medicinæ Scriptores, & ego quoque experientia comperi, quanto tutior erit ipsius usus in hac febre, dependente à catarrho; in cuius curatione magis incumbendum est causæ quam febri. Alind remedium valde accommodatum erit conserva ex radicibus enulæ campanæ, cum conserua ex flor. maluæ, & saccharo ros. antiquo; cuius cochlear sumere poterit hora decubitus; detinendo deinde in ore tempore somni diacodium ipsum. Quod si tussis esset infensa, uti quinetiam posset aliquando Theriaca recenti, sex scil. mensium. Atque hæc erunt interna potiora; exsiccando interim caput externis, pulveribus scilicet ex agarico corticibus ostreorum ustis, ossibus sepiarum, betonica, & rosis siccis. *Idem ibidem.*

De Sputo cruento. Pro Iuuene studiosissimo.

De cruenta expuitione conqueritur patiens studiosissimus. 10. abhinc diebus, modo magis, modo minus copiosa. ac diuersis diei & noctis horis

horis molesta. Quæ sane symptoma est in excretis toto genere præter naturam, dependens à soluta venarum continuitate: quæ quidem cum solui possint, vel per transudationem, & rarefactionem, vel per reserationem orificiorum ipsarum: vel per rupturam; vel per erosionem. In præsentia hanc non patiuntur; quia non præcessit causa erodens, salsa sc. pituita, aut alia causa acris, & mordax. Non per transudationem, quia tunc sanguis pauca copia effluxisset. Verum per apertionem quidem primo, mox & disruptionem, ob quam sanguis nunc effluit per os. Ex quo autem loco manet, facile ni fallor ex colore sanguinis, ex modo rejectionis ipsius, aliisque, talem affectum comitantibus, colligi potest. Cum enim per tussim excernatur, non ex faucibus, quia tunc per solum screatum excerneretur, & minori copia: neque ex ventriculo, aliisque partibus naturalibus manat: sed vel è cerebro, primo tamen destillans ad asperam arteriam, vel ex partibus spiritalibus, vel ex pectore. Verum cum non præcesserit grauitas, & dolor capitis, non insolatus alicuius rei, atque cum leui tussi excretus fuerit, ut plurimum spumosus, floridus, referens colorem, & substantiam pulmonum, cum aliqua præcedenti grauitate in partibus spiritalibus, statuendum est ipsum ex pulmonibus effluere, & quidem ex ipsorum substantia, quæ euidentissime hesterna die se exhibuit. Neque contrarium suadent sputa nigricantia. Hoc enim fit ob aliquam sanguinis moram extra propria vasa. Cur autem vasa ipsa primo fuerint aperta, mox & disrupta, à quibus effluit sanguis, triplicem causam censeo; vitium ipsius in substantia, quia scil. sit crassus & flatulentus, extensionem insignem vasorum inducens, item naturæ calidus ob iecur præcalidum, accedente tempore anni calido, & itinere satis longo, & laborioso; quæ omnia sanguinem calefacere potuerunt: qui & copiosus est, cum exercitio, otio, & victu pleniori sit usus, iecore præsertim calido, à quo sanguinis proventus.

Cum ergo hæc sint sanguinis vitia, atque patiens sit opportunus eius expuitioni, ob naturalem pulmonum, & partium spiritalium imbecillitatem; quid mirum si sanguis copiosus expuatur frequentius, & plures dies: quin potius mirum, si patiens præseruari possit ab imminente phthisi. Si enim verum est Hipp. effatum 6. aph. à sanguine pus, à pure tabes, à tabe interitus, prout verissimum est; ab huiusmodi expuitione exulcerantur pulmones, ulcerati pus generant: quod dum fit, inducitur huiusmodi febris hectica quæ insanabilis cum sit, ob difficilem, ne dicam impossibilem curationem ulceris pulmonum, comitatur ad interitum patientes. Attamen cum simus in principio, quo ulcus nondum adest, vel saltem superficiale, pes aliqua affulget fore, ut patiens præservetur à tabe, si sanguis statim sistetur; vel saltem longius trahatur morbus.

Quod ut fiat, necessarium est sanguinem ad pulmones fluentem diuertere ad alias partes, fluxum refrigerare. & incrassare. Quamquam enim crassities potuerit augere disruptionem, quando sanguis erat copiosus, nunc tamen ex usu erit incrassatio, quo impediatur motus ipsius; fluxus, & extra venas hærens, jam grumosus, est attenuandus, & expurgandus, venæ sunt obducendæ astringentibus, & glutinantibus præsidiis; demulcenda est tussis, à cuius impetu rejectus est sanguis: quod si adest ulcus exsiccandum, viresque conseruandæ. His intentionibus satisfacere conabimur cum hoc tempore, tum alio opportuno magis Chirurgia, Pharmacia, & diæta.

Quantum ad Chirurgiam, sanguis quinquies hactenus missus fuit ex utroque brachio, ex utraque manu, & lumbis, ac coxis, per cucurbitulas: & quidem primo ad unc. viiij. postea vero minori copia, sed quolibet fere die, ex Galen. consilio præcipientis, pro reuulsione sanguinem sæpe mittendum esse pauca tamen quantitate. Frictiones, & ligaturæ partibus extremis; lotiones aqua calente non fuerunt usurpatæ, ne sanguis plus satis attenuaretur. Nunc erat animus repetere sanguinis euacuationem per hæmorrhoides: & durante morbo, non mihi improbantur hirudines applicitæ retro aures; vel venæ frontis sectio; cum censeam magnam copiam sanguinis fluere à cerebro calido ad pulmones, cum præsertim antehac laborarit hæmorrhagia, quæ non multis abhinc annis est suppressa. Neque displicet, si am partes extremæ in aqua actu frigida detineantur, atque linteo hac imbuto scrotum, & testes refrigerentur, ad refrigerationem scilicet totius corporis. Vtrum vero conueniant acria medicamenta, rubificantia nempe suturæ coronali, indicio Viri clarissimi committo.

Quantum ad medicamenta lenita fuit aluus syr. rosarum solut. cum pulpa tamarindorum; postea exhibita iura refrigerantia, & astringentia ex plantagine, cichorio, & sonc ho: addita demum magis astringentia. Atque exhibui primo syrupum myrtinum, & de rosis siccis, cum acetolo simpl. ad dissoluendos grumos: cumque abhorreret ab usu syrupi dulcis, nec dulcia, nec dulcia sint adeo tuta præscripsi aquas plantaginis, portulacæ, polygoni, cum puluere sanguinis draconis, lapidis hæmatitis & portiuncula muniæ; qui pulueres boli forma exhibentur cum syrupo myrtino, quibus aquas superbibit. Lambitiuum quinetiam præscripsi ex syr. de myrto, de rosis, siccis, cum sangum. draconis, terra sigillatâ, & corallis rubris; conseruam item ex rosis antiquam sumit bis in die, parum ante cibum, admixto puluere corallorum rubrorum, & terræ sigillatæ, pauci tamen quantitate. His addo & incrassantia ad intercipiendam fluxionem: in quam rem utitur diatragacantho. Externa intercipientia non fuerunt administrata, ne repelleretur magis materia ad pulmones: sed si perseveraret affectus, indicium erit penes Virum Clarissimum, an ad hæc externa refrigerantia, & astringentia deueniendum sit: qualia sunt oleum cydoniorum rosarum cum posca, penetrationis causa Cogitabit pariter, an ad opiata debeamus progredi, ac unica vice exhibere, vel drachmam unam Philonij, Persici, vel drachm. sem. Theriacæ recentis. Postea vero persistendum in emulsione semin. papau. albi, cum amygdalis dulcibus; vel etiam quandoque exhibendus syrup. de papavere, cum syr. violato lambitiui forma. Quod si persistet affectus, non improbarem rhabarbarum immaturum masticatum, cum passulis dulcibus; vel alia proposita à Viro clarissimo.

Victus

Victus hactenus fuit primo tenuis valde, mox & habita ratione virium mediocris: semper tamen refrigerans, deinde & incrassans Ideo usus est hordeo primo, mox farina, pedibus, & capite vituli, atque hesterna cœna panatella ex farina amyli. A vino abstinet, cuius loco parata fuit aqua hordei: utitur & quandoque aqua Virginis. *Idem ibidem.*

Hæmoptysis.

Hæmoptoicus Vir hic Illustriss. à capitis destillatione, biliosis serositatibus immistis, tandem evasit, sicut enim caput excrementorum ferax, ita jecur præcalidum natura sortitus fuit, quæ destillatio jandiu ad pulmones delabens, tussim molestam excitavit, quam non parva & frequens sequuta fuit sanguinis excretio. Et licet per anastomosin à pulmonum vasis profluxisse creditum fuerit, attamen circa bronchia pulmonum diæresin aliquam factam fuisse jure suspicamur, quod anhelitus difficultas, cum quadam raucedine huic successerit, dum scil. materia catarrhalis delabens, antequam pulmones attingat in asperæ arteriæ & bronchiorum confinio impedimentum & obicem nacta, hæret, incrassatur & aeris meatum intercipit, qua ratione observatur, quod eadem materia quandoque levissima tussi extruditur, prout tussi violentiori eget pulmonum cavitati inhærescens, quæ dum ad motum corporis, & potissimum per loca acclivia, commovetur & effertur ad bronchia, auget spirandi difficultatem.

Vt autem & caput & pulmones exsiccarentur, decoctum simplex primo, mox cum sudore fuit illi præscriptum, ut ab eo Patiens, non solum ad pulmonum exsiccationem, verum, & ad jecoris venarumque refrigerationem, necnon sanguinis perfectam supressionem, aquas acidulas, imo vitriolatas, in valle Solis enascentes assumerat, at neutram intentionem consequuti fuimus. Et primo quidem non capitis exsiccationem, quia sudor paucis diebus & parce fuit exsiccatus. Nec secundo jecoris & sanguinis contemperationem, quoniam aquæ vitriolatæ, licet in omnibus permanere ac præterfluere soleant, in hoc tamen Nob. nostro Pat. substiterunt ut propterea aut tertia die earum secunda usum intermittere fuerit coactus, cujus infortunii causam quoque omnino ignorans, quam tamen, postquam ad manus nostras pervenit, solo tactu statim deprehendimus, hepar enim inveteratis obstructionibus implicitum nobis occurrit, eo quinetiam progressis, ut ipsius tensio tumoris potius quam obstructionis naturam, repræsentet, quæ si nobis literis significatæ fuissent, aquarum certe usu dimisso omnino, decoctum potius nonnihil deobstruens præscriptum foret.

Modo tussis persistit molestissima, nondum remissa immoderata capitis essentiali humida intemperie, & spirandi difficultas invalescit, à materia copiosiori ad pulmones irruente, & forsan quoque ab ulcere adaucto. Color totius corruptus est, & pedes quandoque intumescunt, affecto jecore non solum ex morbo instrumentali, obstructionibus sc. contractis, verum & à propria intemperie, necnon debilitato ob calorem influentem, qui languidus à corde non pro usu ventilato ad ipsum transfunditur. Quibus perpensis, non est qui non prævideat imminentem vel tabem vel cachexiam.

Quare nihil cunctandum, quinimo omnia agenda, ut jam dicta mala à tanto Viro arceantur. Nec nos deterreat agendorum difficultas. Satius enim est etiam anceps remedium experiri, quam ægrum certæ morti relinquere. Et quoniam morbo magno convenit remedium magnum, ideo levioribus neque insistendum, neque ndendum est. Quamobrem destillationi est præ omnibus aliis incumbendum, ut quæ fons & soboles omnium morborum sit, & ut causa sine qua non reliqui affectus curari possunt. Verum id nos assequuturos nullo modo speramus sine sudore, ope accommodati decocti, utpote qui caput exsiccare, & utpræsens remdium, à pulmonibus fluxionem divertere possit, non tamen id usurpandum censeo, nisi imminutis prius jecoris obstructionibus. Quare hoc tempore statim cura jecoris est suscipienda.

Omnium itaque primo potio ex manna clarif. præbenda, cui superbibat aq. hord. saccharatæ, aut mulsæ dilutæ, ex eadem paratæ ℔ ii. inde quinque diebus, matutinis horis, sumat. ℥iij. oxymel. s. diluti, cum tribus drachmis crem. tart. omnibus dissolutis in pauca aqua flor. citri. Quinque autem post diebus, eandem repetat pot. ex manna clarif. epotis ab ea, ut supra, vel aq. hord vel mulsa diluta. Deinde ad deobstruentia deveniendum, ac propterea die sequenti, assumat rhab. opt. ʒ ſ. cum ℥ii. flor. cass. bol. reform. à quibus hora post, bibat ser. destil. ℔ i. & tribus horis ab eo prandeat, in cujus usu persistat decem continuos dies. Deinde integra hebdomada, quotidie sumat syrup. Fernel. ex nostra descriptione, ad ℥ ii. in pauca aqua de succo cich. destillat. dissolutum, à quo hora post, bibat cyathum aq. cich. & agrim. syr. de succo lim. addito.

Dum jam dicta fiunt, caput solis erhinis erit expurgandum, metu scil. ne à purgantium validiorum usu, sputum sanguinis denuo concitetur. Paretur autem errhinum leve, ne materiam multum exagitet, neve sternutamentum moveat, expul. majoranæ, & radicis iridis florent.

Quibus præmissis ad sudorem, in quo omnis spes nostra sita est, deveniendum decocto prius assumpto, ita parando.

♃. salsæ electæ ℥ i. ſ. visci querc. ℥ i. medullæ guaiac. rec. radic. enulæ camp. an. ℥ ſ. aq. still. cich. ℔ ii. beton. sarf. an. ℔ i. m. f. inf. pes hoc. 24. deinde bull. ad consumpt. dimidij, & colat. serv. pro tribus vicibus, mane ante ingressum hypocausti exhibenda. Propotu autem.

♃. Residuum lignor. aq. comm, opt. ℔ xii. fol. end. malv. pulmonariæ, si haberi poterit. an. m. i. pullam juniorem integram, sed incisam, m. bull. omnia ad consumpt. tertiæ, deinde B. M. destil. colat. addendo sacch. fin. ad libitum Pat.

Victus interim non sit tenuis, sed mediocris, adeo ut quotidie comedat, modo carnem pulli junioris, modo columbæ turricolæ, modo

modo ptysanam hordeac. modo ova sorbilia recentia semper autem nucleos pineos, saccharo incrustatos, sicut & amygdalas, nec panis sit biscoctus, cum omni industria vires & humiditates substantificæ sint conservandæ, etiam cum minori capitis exsiccatione. Utatur de more conservis, à prandio rosarum, sub ingressum vero lecti beton. sit quoque in usu aliquod intercipiens, noctu ore detinendum, ut diatragacanth. frigid. cum bolo. Alvus lubrica servetur Clysteribus ex lacte, butyro, & sacch. paratis, vel flore cassiæ, potiones enim validè nimis evacuantes, prout púrgantia nimis exsiccantia, hoc casu valdè suspecta. Quæ angustis his rebus in medium adducenda nobis suppetunt, meliora à Viris Excellent. præsentibus expectantibus. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Resp. Medic. Tom. 1. Cent. 2.*

Sputum Sanguinis.

Licet Juvenis Nob. hæmorrhagiis è naribus obnoxius tribus abhinc annis sanguinem per os excreverit, externa præcedente causa caput ipsum calefaciente, quem propterea ab eodem per infundibulum ad os defluxisse sit omnino credendum, nihilominus, cum rursus non semel, sed iterum & pluries, per os fuerit ejectus, sive solo screatu, sive levi quadam tussi. ideo negligendam non esse hujusmodi excretionem censemus, sed considerandam, si non ut causam, saltem ut signum malum. Etenim Sanguis quidem supra, qualiscunque fuerit semper malus, non solum quia pravo motu peccat, verum etiam qualitate, dum ab expultrice venarum irritata, ob ejusdem acrimoniam, ad earum orificia prius, inde foras extruditur, & quidem per superiora potius quam per inferiora, quia utpote calidus atque fervidus, sursum potius petit, prout niger ad inferiora proclivis est.

Hic autem malus ab Hippocrat. existimatus est, licet à capitis venis, quoniam eadem occasione, eodemque impetu quo in illius venas irruit & aperit, eodem etiam ad pulmonum venas influeres, inflate ac reserare posset, imo, quod pejus, ut acris & mordax, easdem erodere, atque ita non solum anastomasin malam, verum & diæresin pessimam temporis spatio inducere posset.

Quare ut Juvenis Nob. ab imminentibus affectibus tutus præstetur, qui præsentes sæpe curationem respuunt, medicam opem implorat, atque ideo nostrum erit sanguinis aliquam redundantiam minuere, eandem à superioribus partibus divertere, & omnium maximè fervorem ejusdem atque acrimoniam contemperare. Quibus intentionibus, hoc anni tempore, Paschatis nimirum, peracto, erit satisfaciendum, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis.

Et ex Chirurgico fonte repetita depromenda sanguinis missio, primo ex jecoraria dextera, secundo ex saphena pariter ejusdem lateris. Præterea quam maximè conferre poterunt frequentes pedum lotiones, atque calente ante cœnam, prægressa potissimum aliqua causa, caput & totum corpus valdè excalefaciente.

Ex Pharmaceutico desumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Alterantia. Leniens esse poterit syr. ros. solut. rec. aut cass. cum lenit. & tart. Præparans per hebdomadam julap. acet. ad ℥ ß. cum viol. ad ℥ j. sine diluto. Inde repetendum præscriptum leniens. Mox ulterior adhibenda humorum præparatio, succis depurat.

Ut ♃. Succ. depur. cich. endiv. sonchi an. ℥ j. decoct. cich. borrag. end. viol. plantag. hepaticæ ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis. Decem vero post diebus præbeatur purgans hujusmodi.

♃. Flor. cass. rec. extr. elect. dia cathol. elect. de succo rosar. an. ʒ iij. m. f. b. & hora post, bibat seri capr. depur. ℔ ij.

Vel ♃. Rhab. opt. cortic. myrob. chebul. an. ʒ ij. spicæ gr. vi. aq. end. q. s. m. f. inf. per horas 12. & facta express. colat. adde syr. ros. solut. ℥ v. m. f. p. & tribus ab ea horis hauriat serum, duabus vero horis ab eo prandeat.

Hac peracta purgatione, jecur, potissimum erit quam maximè refrigerandum, & hypochondriorum æstus contemperandus, in quem finem aqua Noceriana, aut B. V. M. Montis Ortonis foret utilissima, primis quidem diebus dejectoria, reliquis vero diuretica præbenda. Quod si Pat. has respuerit, instituatur refrigeratio hoc modo. Bibat. tribus diebus continuis serum capr. ad ℔ iij. vel iv. præmisso vehiculo syr. ros. solut. ad ℥ v. deinde posteris diebus, integro mense, quotidie summo mane bibat cyathum de succo cich. destill. præmissa ℥ j. conser. ros. Verum decimo quoque die assumat ℥ ß. cass. additis ʒ iij. elect. de succo rosar. & gr. vi. magist. mechoac. reformatis bol. à quib. hora post, bibat ℔ ij. aut seri capr. depur. aut aquæ Noceræ, & tribus ab ea horis prandeat, sequentibus vero diebus aquæ cich. usum repetat, transacto autem mense, prima mensa, hauriat jusculum acetosa alteratum.

Quibus congrua addatur vivendi ratio, qua potissimum radiis solaribus non adeo facilè se submittat. Secundo abstineat à cibis salitis, acribus, vaporosis, ab aromatibus, vinis generosis, & à cibo conservam rosarum de more sumat. Tertio capite elevato dormiat. Quarto vitet violenta exercitia, nimiosque labores. Quinto moderata sit Venus. Et ultimo alacriter vivat, sed computationes & comestationes fugat. *Idem ibidem.*

Præservatio à frequenti sanguinis ex pectore excretione.

Reverendiss. Abbas annum agens quinquagesimum primum, temperamenti totius subsanguinei, hepatis calidioris & humidi capitis, mediocris habitus, podagricis & nephriticis doloribus jam obnoxius; ex Matre quæ tabida periit, & Patre podagrico & nephritico natus; in adolescentiæ ætate impetigini, mox frequentibus febribus, necnon podagricis & nephriticis insultibus fuit obnoxius, & hypochondriacus redditus. Tandem anno quinquagesimo suæ ætatis, dum Venetiis hyberno tempore morabatur, in Rheuma lapsus est cum tussi molesta, à qua & domum reversus excruciabatur, de nullo errore conquestus. Sputa ejiciebat modo cruda, modo crassa, flavescentia, viridia quandoque salsa, semel vel bis cruore infecta: à quibus

paucos

paucos post dies, nocte quadam initio Veris, dolore, copiosum ad libram circiter, repetita vice, per os magna tussi sanguinem rejecit biliosum, in superficie spumantem, partim liquidum, partim concretum: comitante quinetiam febri, quæ in primis symptomatica videbatur, dein periodica, ex biliosarum specie, & postea catarrhalium judicata fuit. Quibus opportune prospectum fuit evacuantibus, alterantibus, & præsertim Hæmophthisi cita ex cubito & pede sanguinis detractione, priusquam inflammatio suboriretur: adhibitis cæteris revulsionum generibus, intusque administratis astringentibus, ac modice incrassantibus, ut rosarum tinctura, ac syr. coraliorum: quibus statim cohibitus est sanguis fluens, fluxusque vero & jam concretus, optime posca eductus fuit. Peracta curatione, nostrum erat prophilaxim Patienti parare, quam ab uberrimo tuæ doctrinæ fonte accipere licuit; aderas tunc enim Vincentiæ, qui inter cætera succos depurato refrigerantes, aquas quinetiam B. M. destillatas refrigerantes, postremo loco lac Asininum & Caprinum jussisti, habita etiam ratione hypochondriacæ affectionis cui Pater obnoxius est. At majus emolumentum sperabas ad præcavendam sanguinis rejectionem, si hæmorrhides excitarentur, ex Principum Medicinæ consilio, ad quod præstandum duas vel tres hirudines singulis mensibus apponendas docebas, quo auxilio natura evacuationi assuesceret, sanguinisque cursus revelleretur; quod tamen per plures menses incassum tentatum fuit, licet paucis diebus ante sanguinis sputum ex hæmorrhoidibus sponte nonnihil stillasset. Convaluit attamen Pater Reverendiss. usque ad Augusti mensem, quo in tertianam simplicem lapsus est, à qua paucis auxiliis levatus recidivavit, ab eaque erratice postremo invadente liber evasit. Cum tamen Octobri mense ruri degeret, gravidine pressus in tussiculam incidit cum sputis crassis, lividis, ponderosis bisque cruentis; insuper cum febricula, quæ circa vesperas invadebat catarrhalium more, non sine metu initiantis Tabis, ne dicam factæ, ut Vir Præstantiss. Collega asserebat, pro quibus consultum fuit, Patri prospicere universali ac particulari expiatione, necnon Decocto ex china, santal. rub. ligno roseo & eboris rasura in jure pullæ cichoraceis, pectoralibus, cephalicis ac hepaticis alterato, præmisso bolo ex terebinth. aqua farfaræ lot. cum sale tart. fixo; imperata pro ferculo ptisana hordeacea, ac pro potu aqua è santalis ac lentisco M. B. destillata, cui lapis hæmatites infundendus, si denuo sanguis excitaretur. Bene interim valebat Pater, cum statim ab assumpta potione ex Caphe, Turcarum more, die quinta præteriti Januarii iterum excitata tussis ac sanguis ejectus, sed minori copia, qui sequenti nocte oborta tussi ex deglutita rosarum Conserva iterum rediit, qui tamen cito repressus restitit: Tussis minor & febris minor hac vice observata fuit; Utraque paucis remediis evanuit. Attamen tertia vice sanguis excretus est die 24. nuper elapsi Augusti absque febre ad uncias circiter sex, cum pauca tussicula, à quibus ut alias Pater evasit, viribus bene constans, satis appetens, de quadam tantum hypochondriorum angustia conquestus, si cingulum arctius constrinxerit, ob flatulentam fortasse affectionem quam patitur. Quia vero paucis mensibus ter sanguinem rejecit, necnon levi destillatione torquetur, licet utplurimum saporis experte; ideo ut præservari valeat, maxime a repetita sanguinis excretione, à qua cum Hippocr. Tabes, in Senibus lethalis ex Aretæo, cum sit sanguis omnium alimentum, omnium calor, omnium color, quo effuso, Senes facilius in Tabem labuntur, à qua eorum interitus. Necessarium ergo ducerem sanguinis sputo occurrere, quod debilioribus redditis venarum osiiolis, tum hæreditaria dispositione, tum irrigua destillatione qua pulmones facilius mollescunt, iterum iterumque recurrit, pro quo igitur prohibendo, præscripta inviolabili optime vivendi lege, quæ ab omnibus calefacientibus Patientem arceat, opportunum censerem, si Vere juxta Galeni monitum Purgationem iniret, sanguinem demendo ex cubito & pede; Autumno vero adventante loco pedis, ex hæmorrhoidibus, duplex Pharmacum accipiendo, & per aliquot dies succos depuratos refrigerantes, quibus rosarum Conserva pro coronide familiaris succederet. Quæ tamen infallibili tuo consilio, Sapientissime Vir, subiicio, cui obsequium interim meum perenne devotumque humiliter dico.

Præclarissime Vir. Tibi, qui Patrem Reverendiss. toties hæmoptoicum, Eruditissime Antoni, curasti, & ab Orco ad vitam revocasti, eundem ab hujusmodi pravo symptomate præservare, haud difficile fuerit; sed ut propriam prudentiam modestiæ associatam magis patefacias, consilia petis & amas. Et quoniam ex eleganti sola relatione jam dicti repetiti symptomatis idea, causæ, prognostica, indicationes præservativæ, præservandique modus innotescunt; idcirco pauca mihi pro confirmatione dicenda restant. Siquidem ex iis quæ à Te relata sunt, facile conjici potest Patrem Reverendiss. pectoris & pulmonum imbecillitatem ab ortu primo hæreditariam contraxisse, & ab adolescentia pravos succos sanguinem inficientes habuisse; quæ probatione non egent, cum tabida Mater objerit, & ipse adolescens pruriginem & impetiginem passus fuerit: mox frequenter febricitaverit, & podagrica atque nephritica affectione laboraverit, non sine capitis consensu, dum pravus sanguis circulando, à carotidibus arteriis ad venas jugulares in capite transitum faciens, pravorum succorum portionem aliquam deposuit, capiti nutriendo parum aptam: quod factum est ut rheumatismo frequenter obnoxium redditum fuerit, cum tractu temporis essentialem quoque labem acquisiverit, & ab eodem plura mala prodierint; dum enim catarrhalis materia redundans, per musculorum spatia ad articulos defluxerat, arthriticas passiones inducebat; dum in ventriculum, cruditates, obstructiones, indeque hypochondriacas & nephriticas affectiones; dum ad pectus tussim, cum ejusdem catarrhalis materiæ, modo tenuis, modo crassæ, modo insipidæ, modo salsæ & varii coloris, atque tandem cum cruenta sputorum excretione, imo cum copiosi sanguinis ad libras per intervalla iterata rejectione semper comitante febre, excepto postremo in-

sultu; quæ tamen febris non symptomatica, sed essentialis cum suis periodis observata fuit, alteratis nimirum atque fermentatis pravis humoribus jam in sanguine ipso collectis. Ex quibus certo statuendum sanguinem non per diæresin, sed per anastomosin semper excretum fuisse: cum post plures iteratas sanguinis excretiones Reverendissim. Pater omnino convaluerit, quod rarissime permittit ipsa diæresis.

Verum quoniam ab humiditatibus à capite defluentibus, tractu temporis, præsertim senectute ineunte pulmones laxitatem & flacciditatem, atque tandem fraciditatem pati solent, unde secunda Phthisis ab Hipp. in Epidem. descripta exoritur; & præterea quoniam humiditates jam dictas ex catarrhali materia, in capite genita, & ex serosa, acri & acida à toto capiti communicata, constare non est dubitandum, quæ erodendo diæresin, hucusque non secutam, sicque Phthisin primam cum ulcere excitare posset, ideo omnino præservatione eger Reverendiss. Abbas, partibus mandantibus, nec non recipientibus prospiciendo. Quare etiam hoc Autumnali tempore, licet Verno minus proprio, est ineunda Purgatio, cum sanguis & mense Octobri, & Ianuario alias ab ipso fuerit excretus. Primæ igitur viæ expediendæ; deinde destructiones nonnihil minorandæ. Tertiò Massa sanguinea quoquo pacto depuranda & edulcoranda. Quartò Jecoris & sanguinis calor contemperandus; atque tandem humida capitis intemperies & pulmonum laxitas corrigenda. Quibus intentionibus quamvis prorsus hac vice satisfieri non possit, speranda tamen erit præservatio usque in Ver venturum: quo tempore de opere perficiendo consilium in arena erit capiendum.

Pro prima intentione duo Lenientia; quinque diebus intermediis Præparantia sine di'uto, non est quod Tibi Viro in Arte versato proponam; sicut pro secunda sat erit uti decoctionibus ex cichoraceis post ebullitionem ex linteo expressis, ut jus alteratum efficacius evadat. His addi poterit sal tartari fixus, vel sal prunellæ ad scrupulum. In his x. diebus insistere licebit, in quorum medio & fine medicamentum ex Cassia, & rhabarb. exhiberi poterit, cui superbibat seri aut aquæ Nocer. lib. ii. Interim sanguis ante primum Purgans erit educendus, parce tamen ex Jecoraria dextera, & Cauterium, si non gestet, sinistro brachio inurendum. Pro tertia & quarta intentione, lac arte factum in hunc modum parari poterit.

℞. Semin. melon. mandat. ℥. i. semin. cucurb. & angur. mundat. an. ℥. ß. juris pullæ ℥. vii contundantur semina, & cum jure f. emulsio, cui adde syr. de pom. aut viol. ℥. i. m. pro potu matut, in cujus usu perseveret triginta aut quadraginta diebus; substituitur enim lacti naturali Asinino, tum quia hoc tempore non adeo proba & efficax est lactis naturalis conditio, tum maxime quia ratione capitis impune propinari non posset. Interim venæ sedales erunt aperiendæ, & rursus parce sanguis educendus. Postremæ intentioni ut satisfaciamus Decoctum exiccans proponitur, cui ego assentiri non possum, primo quoniam Decoctum humores liquans atque fundens, sine sudore, capiti obesse, non prodesse censeo. Secundo quoniam eidem perexiguam fidem habeo ut nimirum, viribus integris & adeo valentibus ad caput pervenire, & humidam intemperiem sine sudore superare valeat. Idcirco multo efficacius foret vinum medicatum tota hyeme in mensa potandum; cum ipsius quantitas & qualitas facilius ad caput feratur, & diuturno usu ejusdem capitis humiditates absumere, & intemperiem corrigere possit: ut propterea Hippocr. asserverit Medicamentum in cibo esse valde bonum; Poretur igitur vinum in doliolo, ita ut pro unoquoque syclo sive situla ingrediatur Chinæ opt. incisæ, & santali rubr. rasp. an. ℥. i. ligni ror. mar. & lentisc. an. ℥. ß. quod transacta hebdomada bibere incipiat, sitque potus pro mensa consuetus, vinum que eligatur non dulce, non austerum, non generosum, sed tenue & substypticum. Pro pulmonibus roborandis, rursus in usum ducat Conservam rosarum statim ab assumpto cibo, pulvere pulmonis vulpis præpar. & lapidis hæmatitis reformatam: sicut, noctu tempore somni ut rotulam ex Diatragacantho cum bolo de more in ore detineat suadeo, & ferculum hordeaceum Excell. Saxoniæ frequens pro cœna consulo.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, à Te, Præclarissime Vir, instituenda, cui cætera quoque omnia, non solum melius dirigenda, verum & alteranda & mutanda libenter remitto. *Idem T. ii. Cent. ii.*

Iuvenis fortis nullam diætæ rationem habens cibis salsis, duris & acribus vesci solitus, postquam hiberni aëris frigori nudatum caput multoties exposuisset, atque hinc primo magnam gravedinē cum aliquo gravativo capitis dolore contraxisset, & postea validissima tussi, ab acrib. catarrhis in thoracem delabentibus, aliquamdiu exagitatus fuisset, tandem incidit in sanguinis sputationem qua copiosum sanguinem, per intervalla tussiendo, rejicit, idque sine dolore Medicus in principio advocatus venam in brachio secuit, & mediocrem sanguinis quantitatem detraxit, qui refrigeratus, admodum tenuis & male coloratus apparuit, ut vix pauxillum coagulabatur. A venæsectione sputum sanguinis per biduum subsistit, sed postea rediit. Appetitus dejicitur & vires debilitantur, sed nulla febris adest.

i. Hujus ægri primaria affectio, quæ per se satis cognoscitur Græce αἱμόπτυσις, Latinis sanguinis sputum, & rejectio nuncupatur. Quæ nomina licet quamcunque sanguinis evacuationem per os significent, specifice tamen apud Medicos per αἱμόπτυσιν intelligitur illud sanguinis sputum, quando cum tussi, ex partibus respirationi dicatis, sanguis rejicitur, sine illarum inflammatione.

ii. Est igitur symptoma in genere excretorum, præter naturam è pulmone & vasis profluentium Morbus autem, quem symptoma illud sequitur est solutio continui.

iii. Pars primario affecta est pulmo cum suis vasis, quod patet ex tussi, & ex sanguine cum tussi rejecto; qui sine dolore prodit, quia pulmo est valde obtusi sensus. Præterea caput quoque affici, docent gravedo & catarrhorum descensus Secundario etiam nonnihil patiuntur aliæ partes, quatenus à valida tussi delassantur, ab eaque & sanguinis evacuatione debilitantur.

IV. Causa antecedens sunt humores acres & crudi in capite collecti, qui inde ad pulmones delapsi, acrimonia sua respiratorias illas partes, partim vellicando gravissimam tussim, partim erodendo solutionem continui inducunt, ejusque causa proxima evadunt. Procatarcticæ causæ sunt frigus externum, obstructio pororum capitis, aliæve, quæcunque crudos humores colligi faciunt, aut collectos ex eo deturbant.

V. Ab inordinato victu, multorumque salsorum & acrium usu, copia pravorum & acrium humorum in corpore fuit genita, ac ipse etiam sanguis tenuis & acris evasit, hinc in valida illa calidaque juvenili ætate multæ acres evaporationes ad caput elatæ sunt, quæ per ordinarios ethmoideos meatus evacuari, ac per ipsos quoque poros discuti solitæ, cum postea à frigore externo condensatæ, per eodem frigore constrictas ordinarias vias transire amplius non potuerint, primo majore copia in cerebro cumulatæ, sua crassitie & viscididate spongiosa narium ossa obstruxerunt, sicque gravedinem excitarunt, quam à copia retentorum humorum, membranas cerebri distendentium, subsecutus est gravativus aliquis capitis dolor. Postea per alienas & insolitas vias ad asperam arteriam & pulmones defluxerunt, in quibus acri vellicatione, viarumque respiratoriarum obstructione, validam tussim, ac vasorum erosionem induxerunt, ex quibus duobus concurrentibus solutio continui subsecuta est, quippe erosa vasa à validissimo tussis impetu facile disrupta & aperta fuerunt.

VI. In sanguine multos pravos & acres humores redundare, ex eo patet, quod qui venæsectione detractus est, sit male coloratus & tenuis, ac vix tantillum coaguletur.

VII. Per intervalla redit hoc sanguinis sputum, quia ubi aperta vasa semel evacuata sunt, tunc nonnihil concidunt, ita ut rursus aliquo tempore opus sit, antequam tantâ sanguinis copia turgeant, quæ cum impetu ex iis erumpere possit, ea autem data, & vasis nonnihil intumescentibus, iterum profluit sanguis.

VIII. Quod à venæsectione per biduum substiterit hæmoptysis, inde evenit, quia per illam sanguinis eductionem cor nonnihil debilitum fuit, hinc pulsus ejus minores evaserunt, sicque minus sanguinis è dextro ejus ventriculo in pulmones fuit impulsum, qui minori copia in iis redundans, & per ordinarios meatus levi negotio ad sinistrum ventriculum properans, non minus tam facile leviter apertas venulas potuit effluere, sed post duos dies, corde rursus fortius pulsante, in pulmonum vasculis turgescens, facile effluxit, imprimis validiore tussis agitatione impulsus. Ad hæc, eandem ob causam, minus quoque acris sanguinis ad cerebrum impulsum est, & pauciores acres exhalationes sursum elevatæ sunt, sicque pauciores acres humores in capite colligi, & ex eo ad thoracem delabi potuerunt.

IX. Appetitus dejicitur, propter continuam inquietudinem & agitationem à tussi, nec non debilitatem, à sanguinis per sputa evacuatione inductam: quibus de causis etiam totum corpus delassatur, omniaque viscera una cum ventriculo debilitantur. Adde, quod procul dubio etiam multi crudi humores in ventriculo, propter inordinatam diætam, generentur & colligantur vel aliunde in eum defluant, qui appetitus stimulum obtundunt, & coctionē debilitant.

X. Vires dejiciuntur, partim à sanguinis copiosa evacuatione, partim à delassatione, per tussim inducta. Febris tamen abest, quia humores non putrescunt.

XI. Hæc affectio admodum periculosa existit. 1. Ratione partis affectæ, quæ ad vitam maxime necessaria est, cum nemo respiratione carere possit. 2. Ratione magnæ causæ; quia hæc continui solutio non fit ab aliqua vasis anastomosi, sed à diæresi, seu vasis partim erosione, partim ruptione. 3. Ratione difficilioris curationis; quod solutio hæc in curando quiete opus habeat, quæ in parte respiratoria impetrari nequit: quod etiam solutio seorsim tolli nequeat, verum etiam catarrhorum acrium defluxus & valida tussis simul curanda veniant. His pensius consideratis, magna cum ratione a Benedicto Vict. Faventino hæc duo prognostica de tali hæmoptysi, prax. tom. 2. cap. 6. conscripta sunt. 1. Rejectato sanguine e pulmone tussi, disrupta vena ipsa non solidabitur, nisi magna cum difficultate, & Medici providentiâ ac sollicitudine. II. Ubi ex vena pulmonis vel pectoris rupta sanguis cum tussi exilierit, ab humore quidem erodente salso procedente, curationem moliri non parum difficile est. Ratio est, quia aperto aliquo vasculo facile oboritur ulcus, ulcus sequitur phthisis, phthisim mors: teste Hipp. 7. aph. 15. 16. Interim tamen, quia nostro ægro juveni virium robur mediocriter constat, febris nondum accessit, & malum in principio est, non omnino de felici sanatione desperandum est, cum alias etiam plures à tali affectione optime curatos fuisse constet.

XII. Curatio igitur quamprimum incipienda, in eaque multis indicationibus satisfaciendum. 1. Tussis sedanda. 2. Sanguis à pulmone revellendus & avertendus. 3. Vasa aperta constringenda & consolidanda. 4. Catharrhorum delapsus ad pulmones præveniendus. 5. Prospiciendum ne crudi & acres humores in capite colligantur. 6. Sanguinis & humorum prava constitutio emendanda.

XIII. Præmisso igitur clystere aliove lenitivo per os exhibito, ad venæsectionē deveniendum, quæ postmodum subinde reiteranda est, prout necessitas illam urgere videtur, urget autem cum æger gravitatem aliquam in imo pectore incipit sentire, tunc enim mox instituta venæsectio vasorum pulmonis nimiam repletionem, novamque apertionem prævenit & impedit.

XIV. Ad sanguinis & catarrhi incrassationem, atque tussis sedationē præscribendus talis haustus.

℞. Pulveris Haly contra tabem scrup. ii. ſ. coralli rubri præparati scrup. i. decocti plantaginis ℥. i. syrupi de symphyto ℥. ſ. misce, fiat haustus mane & vesperi exhibendus. Æger etiam sæpius de die utatur sequenti linctu, ut & amygdalato.

℞. Syrupi de symphyto, de rosis siccis, de tussilagine, an. drach. vi. de papavere. drach. iii. misce, fiat linctus.

℞. Amygdalarum dulcium mund. ℥. ii. ſ. seminum lactucæ drach. i. ſ. papaveris albi ℥. ſ. decocti hordei q. ſ. fiat ſ. art. emulsio ad lib. i. cui admisce sacchari albi q. ſ. fiat amygdalatum.

XV. Interea etiam ad catarrhi diversionē fonticulus in brachio, aut potius in cervice excitetur

& cucurbitulæ scapulis ac dorso applicentur. Præterea, ad crudorum humorum in capite collectionem præveniendam, cucupha cephalica calefaciens, corroborans, siccans, & poros aperiens, capiti imponatur. Utque via per nares rursus pateat, clemens aliquis sternutatorius pulvis iis aliquoties immittendus.

XVI. Ubi his mediis tussis sublata est, & sanguinis sputum subsistit, nondum desistendum, sed malum illud diu suspectum habendum est, ac proinde ad ulteriorum erosæ aut ruptæ venæ consolidationem, acriumque humorum sublationem pergendum; in quem finem æger per intervalla clementer purgandus est, ut acres humores per epicrasin paulatim evacuentur. Intermedio tempore ter de die exhibendus haustus apozematis.

℞. Hordei mundati unc. i. rad. consolidæ, majoris, tormentillæ, bistortæ. glycyrrizæ rasæ, an. drach. vi. herb. saniculæ, veronicæ, pyrolæ; tussilaginis, agrimoniæ, alchymillæ plantaginis, an. m. j. rosarum rubrar. m. i. capitum papaveris albi unc. ii. ſ. passularum cum arillis unc iii. ficus num. v. aqua q. ſ. fiat. ſ. art. apozema ad lib. i. ſ. Hujus loco potest æger subinde sumere ex hoc condito particulam magnitudinis nucis moscatæ.

℞. Pulveris Haly contra tabem drach. i. ſ. coralli rubri præparati, lapidis hæmatitis, cornu cervi usti, an. scrup. i. ſ. conservæ rosarum rubrarum unc. ii. syrupi de symphyto q. ſ. misce, fiat conditum.

XVII. In victu abstinendum ægro ab omnibus acidis: & licet Galenus oxycratum epotum in hoc affectu commendet quam maxime, nos tamen illud nocentissimum existimamus; propterea quod talia acida acrem tussim irritent, qua nihil pejus in hoc casu, in quo summa quies maxime requiritur. Abstinendum etiam à salsis & quibuslibet acribus eduliis & potibus. Aër convenit modice frigidiusculus. Cibi sint facilis digestionis & subdulces ac boni nutrimenti, & succi viscidioris, quales sunt carnes vitulinæ, agninæ, vervecinæ, pulli gallinacei, & ex his juscula, cum hordeo mundato, oryza, passulis, aliisque similibus. Maxime autem conveniens est lac dulce, imprimis caprillum. Potus sit cerevisia subdulcis, mediocris notæ. A vino abstinendum longo tempore: vel si forte ratione ventriculi, aut alterius cujusdam debilitatis, necessarium vini usum judicet, utendum erit rubro sub astringente, eoque subdulci, aut alio vino subdulci, sed admodum pauco. Somnus solito longior existat. Corpus quiescat. Abstineat æger à cantu, alta locutione, vociferatione, & loquatur quam minimùm fieri potetit. Alvus liquida servetur, ut sine multa compressione facile dejiciat. Animus omnino quietus sit, à gravioribus pathematibus, quantum fieri potest, immunis. *Isbr. de Diemerbroeck Medicationum libro.*

Dominus Ioannes, Sacerdos Craneburgensis, anno 1636. 16. Februarii has ad me Litteras misit.

Expertissimue Domine Doctor, maxima scientiæ & experientiæ tuæ fama me impulit, ut vestrum in meo morbo consilium experiri desiderem, sperans V. R. Ram aliquod salutare auxilium mihi allaturam: Diu valida tussis me infestavit, vix unquam requiem permittens: præterea ante mensis circiter spatium ad tussim adhuc accessit sputum sanguinis spumosi, quem exinde continenter (interdum majore, interdum minore quantite) rejicere soleo, quæ expuitio mihi valde molesta est. Ad hæc appetitum plane perdidi, ita ut nihil edere possim, nihi patum, cui acetum vel aliud quid acidi admixtum sit. Totus emacior, & vires jam ad extremum dejectæ sunt. Multa aliorum consilia nihil mihi profuerunt. Quæso si V.R tiam adhuc aliquid remedii adhibere posse existimet, illud nobis impartiri velit. Vale, 16. Februarii. 1636.

V. R. tiæ Dedìtissimus,
Ioannes Sacerdos.

Huic eadem die sequenti modo Respondi.

Reverende Vir, Litteræ tuæ mihi datæ sunt, quibus breviter pro temporis brevitate respondeo. Acri & salso catharro ad pulmones decidente diu te vexatum fuisse, atque hinc vehementem illam & continuam tussim originem traxisse percipio. Tandem autem humorum distillantium copiâ pulmonis aliqua vena aperta, vel tussis vi disrupta sanguinem profundit, qui è pulmone spumosus plerumque ejicitur. Malum hoc non curabitur, nisi catharri descensus impediatur, & tussis sedata fuerit. Ad has intentiones quatuor tibi mitto medicamenta. Primum, sunt septem pilulæ, quas cras mane assumes, atque his clementer purgaberis. Secundum est conditum, de quo peracta purgatione singulis diebus ter, nempe mane, meridie, & vesperi, assumes particulam magnitudinis avellanæ vel nucis mnscatæ. Tertium, est, linctus, de quo, cum tussis maxime infestat, interdum linges. Quartum, est tabellatum, de quo sæpius diu noctuque particulam in ore liquescere sines. His quatuor adhuc addidi sacculum, cui quod inest, effundes in ollam novam fictilem, & super ignem calefacies sine ulla humiditate, crebro movendo spatulâ, ne herbæ comburantur, deinde sacculo iterum infundes, atque ita calide capiti impones, imo quam calidissime ferre poteris, atque per unam duasve horas inhærere sines, idque bis terve de die reiterabis, eoque ablato, statim capitum laneum, fumo mastichis & gariophyllorum bene perfumatum, calide capiti impones, eique mantile calidum adhuc circumligabis, ut hoc modo refrigeratum & debilitatum cerebrum rursus calefieri, corroborari, exsiccari, atque ita catharri descensus impediri posit, quo facto, reliqua curatio facilius succedet. Satis nobis constat vos propter bellorum turbas & milites hospitio excipiendos minus commo-

commode vivere posse, interea tamen, quantum fieri potest, aliqua etiam diætæ ratio habenda est. Itaque continebis te loco calido, imprimis autem caput ab omni externo frigore præservabis. In victu abstinebis ab omnibus cibis salatis & fumo induratis, ut & ab omnibus quæ sunt difficilis concoctionis aut mali nutrimenti, maxime autem ab omnibus acidis (licet te his maxime delectari scribas) ut aceto, succo limonum, pomis acidis, vino acido, omnibus denique, quibus aliqua aciditas admixta est, quia acida pulmones maxime lædunt. Conveniunt juscula carnis ovillæ, agninæ, vitulinæ, hœdinæ, gallinarum, ut & ipsæ carnes, cum rosmarino, majorana, hordeo mundato, vel passulis cocta; ova quoque sorbilia; & lac caprillum: ut breviter dicam, pleraque dulcia conveniunt. Si his non cessaverit malum, morbi statum post aliquot dies rescribito, Interim V.R. tiam Deo Opt. Max commendatum volens, ero

Tuus in omnibus,

I. de Diemerbroeck

Medicamenta quæ præscripseram, hæc erant.

1. ℞. Massæ pil. cochiarum, scrup. i. s. diagridii gr. v. fiant pilulæ vii. deaurentur.

2. ℞. Coralli rubri præparati, lapidis hæmatitis, trochiorum de terra sigillata, ana scrup. ii. florum sulphuris, drach. i. olibani, tragacanthæ, spodii, cornu cervi usti, an. scrup. i. conservæ rosarum rubrarum, unc. ii. myvæ cydoniorum, ℥ i. s. requiei Nicolai, drach. i. s. syrupi de papavere q. s. misce, fiat conditum.

3. ℞. Syrupi de jujubis, de tussilagine, de glycyrriza, an. ℥ i. de papavere, loch. sani, an. ℥ i s. misce, fiat linctus.

4. ℞. Capitum papaveris albi, n. v. conscindantur minutim, & coquantur per semi-horam in aquæ communis q. s. deinde colentur cum forti expressione colatura coquatur cum sacchari albi, ℥ iiii. ad tabellati consistentiam, addendo sub finem: pulveris radic. althæa scrup. i. s. glycyrrizæ rosæ, drach. i. florum sulphuris, scrup. ii. coralli rubri præparati, boli arm. veræ ana scrup. i. fiant s. art tabellæ.

℞. Herb. majoranæ, M i. rosmarini, betonicæ, flor. rosarum rubr. meliloti. an. m. s. gariophyllorum, drach. i. nucis moscatæ, sem. cumini, an. drach ii. grosso modo contusis adde, sem. milii m. iiii. salis communis m. iii. misceantur simul, & dentur in sacculo lineo satis largo.

Cum his remediis per octiduum usus fuisset, transcripsit, tussim & sanguinis sputum non quidem curata, sed multum tamen fuisse imminuta. Ut malum prorsus sanaretur, rursus sequentia præscripta sunt. Reiterentur pilulæ, linctus, & conditum, antea præscripta.

℞. Radicum consolidæ majoris, bistortæ, tormentillæ, fœniculi, an. ℥ s. glycyrrizæ rasæ, drach. vi. herbarum hyssopi, tussilaginis, scabiosæ, veronicæ, plantaginis, betonicæ, rosmarini, an m. i. salviæ, florum rosar. rubr. an. m. i. capitum papav. albi minutim concisorum, n. iiii. pessularum cum arillis, ℥ iiii. dactylorum. n. ix. decocti hordei, q. s. coquantur s. art. & fiat apozema ad lib. 3.

Primo purgetur dictis pilulis, linctu utatur ad tussim, mane & vesperi post assumptum conditum bibat haustum apozematis. Circa finem Martii scripsitse à sputo sanguinis & tussi plane liberatum esse, optime quoque dormire & edere posse, mihique pro meis consiliis maximas gratias egit. *Idem in Observationibus Medicis.*

Juvenis xxiv. annorum, constitutione corporis sanguineâ præditus, postquam dolore capitis pulsante per aliquot tempus laboraverat, noctu tussi molesta correptus, libram fere floridi & spumosi sanguinis sine dolore, brevi interjecto temporis intervalo ἀθρόως per os excernit, tandemque etiam nares stillant sanguine unde non solum de virium debilitate, sed etiam dolore pectoris gravativo, tussi & respiratione difficili conqueritur, absente quidem febri, cumque nondum plane cesset sanguinis, concreti licet, rejectio, anxius de salute sua ægrotus noster Medici anhelat consilium.

Quisquis paulo attentius omnia atque singula in modo recensita Historia perpenderit simptomata, ei haud difficile erit, affectum, quo cum noster æger conflictatur; æque ac ejusdem causas determinare. Quod enim navigantibus est pyxis nautica, & in illa inclusa acus magnetica, aut etiam cœlo sereno tempore nocturno stella Polaris; Quod per terram iter facientibus statuæ Mercuriales; Medicis sunt in sensus vel Medici, vel ægrotantis, vel adstantium incurrentia Symptomata aliave signa. Hæc enim Medicum alias de ipso affectu ejusque causis dubium existentem certum reddunt, non aliter ac Illa peregrinantibus in bivio constitutis, aut in vasto Pelago errantibus, expeditum atque securum ostendunt iter. Hinc non tantum ipsa sanguinis per os eruptio, sed & ejusdem sanguinis rejecti spumosa atque florida consistentia, nec non excedens quantitatis, motus præterea excretionis tussi descriptus, gravitatis porro in pectore sensus, tandemque difficilis respiratio satis produnt Hæmoptysin præsentem, De cujus Natura ac Essentia generalia quædam præmittere animo constituimus, antequam individualis hujus affectus resolutionem aggrediamur.

Dicitur Hæmoptysis, quo rem à primo, quod dicitur, ovo ordiamur, Græcis quibus sua incunabula debet, ὑπὸ τὸ αἷμα sanguis ἐπτύσις spuitio. Latinis sputum sanguinis, sputum cruentum, rejectio sanguinolenta. Germanis *Blutspeyen*. Accipitur vel generaliter vel Specialiter. Generaliter sumitur Hæmoptysis, sive sanguinis sputum, pro quavis sanguinolenta per os rejectione, sive critica illa sit sive Symptomatica, sive per screatum, sive per simplicem expuitionem, sive per vomitum excernatur, sive ex capite juxta veterum sententiam, gurgulione aliisve etiam partibus accidat. Sic Galenus se sanguinem è cerebro & gurgulionis partibus internis ad fauces affatim descendentem rejectum tussiendo, conspexisse 4. de loc. aff. cap. 1. Ex ventriculo Riverius cent. 3. observ. 12. Ex Hepate Fontanus in observ. rarior. cap. 23. p. 68. testatur. Specialiter autem pro ea sanguinis per os rejectione quæ fit cum tussi ex vasis

pulmonum, de qua utpote propria acceptione hoc loco sumus acturi.

Definimus eandem, quod sit sanguinis per os cum tussi citra inflammationem rejectio, à vasorum pulmonalium apertione ortum habens.

Generis loco ponitur rejectio sanguinis quæ ipsis sensibus patet; quo ipso refertur ad classem symptomatum, nimirum quæ est Excretorum & retentorum, in quantum illa toto genere peccare dicuntur. Reliqua in definitione verba præter causæ proximæ, & partis affectæ determinationem differentiam constituunt specificam.

Hinc rejectio dicitur per os ad differentiam illarum sanguinis excretionum, ubi per alia loca, qualia sunt; nares, alvus, uterus, meatus urinarius, viæque minus solitæ; ut oculi, aures, papillæ mamillarum, cutis pori &c. sanguis exit.

Additur ulterius, hanc sanguinis rejectionem fieri cum tussi ex pulmonibus, atque sic discretam eam volumus à vomitu cruento sanguinem undecunque in ventriculum transmisso.

Sequitur porro citra inflammationem, ut excludatur Pleuritis & peripneumonia, utpote in quibus sanguinis illa expuitio hisce affectibus etiam familiaris, Hæmoptyseos nomine ob inflammationem præsentem neutiquam salutanda.

Ultima verba à vasorum pulmonalium apertione p. n. ortum habens, causam hujus symptomatis proximam una cum parte affecta innuunt.

Etenim cum Affectum Præsentem symptomatibus annumerandum superius censuerimus, hæc vero in ordine ad causas à Morbis dependeant, ut à corpore umbra, secundùm ea quæ tradidit Galenus; atque uniuersa Ejus Interpretum caterva. Sanguis præterea secundum naturæ leges in vasis detentus ejici p. n. nequeat; nisi eadem vasa præter naturam aperiantur. Hinc consequens est causam Hæmoptoes Proximam esse vasorum pulmonalium morbum organicum, quem apertionem eorundem præternaturalem dicunt. Et quandoquidem tria sint apertionis vasorum genera, Anastomosis puta, Diæresis atque Diapedesis, priora duo magis erunt inculpanda; insonte relicta diapedesi, eo quod transudatio non sufficiens videatur sanguini confertim erumpenti. Causarum remotiorum nomine veniunt omnia illa, quæ valis vel ἀναστόμωσιν vel διαίρεσιν inducere apta sunt, quæ quamvis sint innumera, commode tamen in Internas & Externas dispescuntur, illæ potissimum sanguinis, in quantum ille vel copia vel acrimonia peccat, generationi inserviunt, ita tamen ut non planè excludantur quæ sanguini in motum præternaturalem concitare possunt, & fere tribus poterunt includi Clasibus; Rerum nimirum Nonnaturalium & Præternaturalium.

Inter res naturales occurrit 1. Temperamentum calidum & humidum, calidum & siccum, quoniam illud sanguinem quantitate; hoc eundem qualitate peccantem producere potest.

2. Ætas præcipue Juvenilis tum ratione sui tum ob commissos in diæta errores in hac ætate frequentiores iisdem vitiis contaminatum sanguinem generans.

3. Idiosyncrasia in peculiari partium affectarum debilitate, vel jure hæreditario vel aliunde contracta consistens.

Rerum nonnaturalium agmen ducit aër caliditate excedens, sive ipsi ajuncta sit humiditas, unde sanguis copiosior, sive siccitas, unde acrior idem evadens, vasis dilatandis aptus redditur. Spectat huc quoque Anni tempus Vernum pariter atque æstivum, quæ si sint constantia, prout loquitur Hipp. l. 3. Aph. 8. id est, si statum naturalem retineant, itidem sanguinem vel augebunt, vel acuent, adque motum impetuosiorem propensionem conciliabunt. De Juvene Alcmariano quotannis tempore verno Hæmoptysin passo, exemplum habet P. Forest. l. 16. obs. 11. itemque aliud in alio instante vere periodice sanguinolentum sputum ejiciente. Obs. 22. ejusdem lib. ubi similem casum ex Amat. Lusitan. Cent. 2. Curat. 13. Angeli cujusdam de Prato dicti, viri singularis eruditionis allegat. Succedit cibus & potus qui si vel copiosius assumantur, aut vero tales, qui acredinem & huic affines qualitates junctas habent. Et cibi quidem acres, multis aromatibus ac sale nec non muria conditi, aceto macerati, carnes ac pisces fumo indurati; Nimium generosioris potus usus, aquæ item salsæ, nitrosæ similibusque impuritatibus scatentis. Spectant huc ratione assumptorum medicamenta acria, imprimis crebrior aloeticorum usus, nec non vomitoria fortiora adhibita.

Sequitur jam Motus corporis vehementior, vim vasis aliquando inferens, ut, sunt clamor validus, efflatio immodica illorum, qui tubæ canunt, vel lituô aut cornu, saltus, cursus, equitatio, gravioris ponderis elevatio, nimius conatus in excernendis alvi fecibus, fœtuve excludendo.

Ex Animi affectibus illi potissimum hic incusandi; qui vel sanguinem cum spiritibus nimis exagitant, vel vero circa cor eundem detinent nimirum iracundia præprimis, tristitia item ac mœror.

Supressæ demum consuetæ evacuationes sanguinis per nares, hæmorrhoides, uterum; intermisse solennis venæsectio, causam & occasionem huic evacuationi præbere, & Historiæ Medicæ atque quotidiana experientia sufficienter edocent.

Ex Rebus præternaturalibus huc faciunt Intemperies calida vel totius, vel viscerum principaliorum, plethora, sanguinisque copiosa, nec non ejusdem effervescentia immoderatior, defluxiones ad pulmones, humorum præcipue acrium, salinorum, vomitus vehementiores palpitationes cordis &c.

Causis succincte quidem ad sufficientiam tamen ni fallor in medium adductis; Proximum nunc est, partem affectam determinare. Illud vero adeo difficile non erit, quin ex superioribus jam dum innotescere potuit. Pulmonum nempe hic laborare vasa sanguinea non est ut quis dubitet.

Cum autem duo, ut in aliis membris, ita & hic, sint vasorum sanguinem vehentium genera, venæ nimirum & arteriæ, haud injuria ambigeret quis, num utraque hæc vasa in Hæmoptisi

tysi veniant incusanda? sane officium venarum, pariter ac ipsum sanguinis motum consideranti non deerunt argumenta, quibus venæ in hoc quidem delicto possent exculpari, si per solius ἀναστομώσεως modum apertio acciderit. Ast vero cum διαιρέσιν hic etiam nonnunquam obvenire superius innuimus, huic vero non immunes sint venæ, consequens est nec has omni omnino vacare culpa. Ita quoque sanguis excretus floridus, fervens ac tenuis, arteriam potius pati non obscure posset colligi; attamen cum etiam nonnunquam sanguis cum tussi excretus, dictis qualitatibus destituatur, nec venæ ab arteriarum consortio partium affectarum, in sputo sanguinis rationem habentium, erunt excludendæ.

Signa Diagnostica Pathognomonica suppeditant, Essentialiter inhærentia, Ipsum videlicet sanguinis sputum in sensus incurrit, quibus ex consequentibus se associat tussis, discriminans hoc symptoma à vomitu sanguineo. rectione ejusdem sanguinis per os, ex faucibus gingivis Palato &c.

Hisce ceu generalioribus præmissis, specialior casus propositi Resolutio nunc aggrediendа erit, ubi quæ de Prognosticis atque Therapia dicenda restant, simul adjiciemus.

Præsentem ergo ægrum Hæmoptysi laborare proprie & specialiter ita dicta, non saltem ipsa rejectio, sed & huic adjuncta tussis, sufficienter evincunt.

Ortum autem eam duxisse plenitudine sanguinis in ὀργασμὸν rapti, atque sic arteriarum pulmonalium non tantum orificia aperientis, sed & fortassis oscillis arteriarum dictarum diæresin induxisse, non tantum ætas, sed & temperamentum & reliqua signa, ab antecedentibus essentialiter inhærentibus, nec non consequentibus desumpta, evidenter satis demonstrant.

Hinc in ætate Juvenili constitutione corporis sanguinea præcessit dolor capitis pulsans in ὀργασμὸν conciat o sanguine, in arteriis utriusque meningis. Rejicitur post per os libra sanguinis, ob vasa majuscula aperta.

Sanguinis *Floridi*, qualis est ille maximè, qui per arterias fertur. Spumosi, ob per mixtum, propter agitationem ejus à pulmonibus factam, aërem.

Sine dolore, sunt enim pulmones sensus admodum obtusi, quo vasa plenariè destituuntur.

Breve interjicitur temporis intervallum, ob læsionem arteriarum lævium non exiguam ob eandem causam.

Nares stilant sanguine, ob turgescentem sanguinem copiosum ad ad superiora raptum, atque vasorum sanguineorum, in narium interiora. membranasque pituitarias anteriores terminantium, orificia aperientem.

Subsequitur virium debilitas, spiritibus vitalibus, in quibus robur, cum rejecto sanguine deperditis.

Dolor pectoris gravativus à distensione, & hunc post factam rejectionem sanguinis subsequente subsidentia substantiæ pulmonum.

Tussis, à sanguine extravasato, respirationis organa molestante, adque hanc expulsionem irritante.

Difficilis respiratio, ob angustiam bronchiorum asperæ arteriæ, quam idem sanguis extravasatus illis incumbens efficit.

Abest febris propter inflammationem pulmonum massæve sanguineæ turgescentis effervescentiam absentem.

Quandoquidem ergo æger de salute sua sollicitus, eventum morbi desiderat. Generale ipsi vel potius adstantibus erit communicandum prognosticon, quod tradit Hipp. noster sect. 4. aph 25. ubi sanguinem, inquit, superne, qualiscunque sit, efferre malum. Periculo enim nunquam vacat hæc per os facta sanguinis expuitio, quippe cum ob vasa pulmonum læsa & difficulter curabilia. ulcus fere immedicabile, & hoc insequentem tabem, aut vero dissipatis, cum sanguine copiosius rejecto, spiritibus, mortem inducere possit. Non tamen omnis plane abjicienda spes erit, tunc enim demum res pene conclamata est, Authore eodem Hippocr. si prout habet Aphoris. 3. sect. 5. copioso sanguinis fluxui convulsio aut singultus supervenerit. Adhuc vero majus imminet periculum, ex mente ejusdem Medicinæ Parentis sect. 7. Aphor. 15. si sanguinis sputum exceperit puris sputum. Ex puris enim sputo subjicit aph. sequente Idem, tabes & fluxus, postquam autem sputum retentum fuerit, moriuntur. Quibus funestis symptomatibus cum æger noster hactenus fuerit immunis, neque enim aut singultus aut convulsio huc usque fuit observata supervenisse, nec etiam inter rejecta aliquod purulentæ materiæ vestigium conspectum. Hinc aliquid adhuc residuum est, quo dejectum ex mortis metû animum aliquo adhuc modo erigere valemus. Quod si his superaddere quis velit sect. 7. Aph. 37. per nos utique licebit, quanquam hic Aphorismus secundum literam solamen potius afferat iis, qui sanguinem evomentes à febre sint liberi.

Ad curationem nunc ut accedamus animi fert sententia. Illa vero maturanda est, authore Tralliano, qui σπουδάζειν, inquit, δεῖ τὴν θεραπείαν ne ægro eximia profusione sanguinis alia graviora symptomata superveniant. Sed ne, remedia præscribentes, imitemur Empiricos, qui uno collyrio, ut habet proverbium, omnes oculorum ægritudines curare satagunt, justa Medicorum Dogmaticorum cynosura, medendi inquam methodo, utemur, & juxta Indicationes curam instituemus.

Cœterum cum Hæmoptysin superius inter symptomata referendam dixerimus, hæc vero accuratè loquendo neutiquam indicent, sed omnis remotio eorum in morborum, quorum Symptomata sunt, & quos ceu umbra corpus sequuntur, remotione consistat. Morbum autem, præsentem hunc nostrum affectum producentem, apertionem p. n. vasorum pulmonalium supra quoque innuerimus, hinc Curatio eo dirigenda erit, & juxta triplicem Indicationem, curatoriam scilicet, præservatoriam & vitalem. Quarum ista morbum, illa causam, hæc vires respicit, procedendum, nisi fortassis symptoma nimis urgens, à sueta aliâ via recedendum esse suadeat.

Curatoria ergo indicatio, id quod p. n. apertum, claudendum & obturandum esse jubet.

Præservatoria, causarum remotionem postulat, atque adeo sanguinem copiâ & motu

peccantem corrigendum, hinc non tantum sanguis minuendus, atque ad pulmones ruens alio invitandus, sed & omnia, quæ nimis fluxilem reddere, aut ad ὀργασμὸν disponere poterant illum, removenda, nec negligenda, quæ parti recipienti, robur conciliando, affluentes humores excludunt.

Vitalis indicatio vires, quæ in hoc affectu non levem sentiunt jacturam, spectat, quarum resturatio, ne æger dubii eventus exponatur periculo, maturè procuranda.

Hæ autem convenientes cum sibi poscant auxiliorum materias, è consuetis tribus Fontibus, Chirurgico videlicet, Pharmaceutico ac Diætetico erunt illæ depromendæ.

Ex Chirurgico Fonte præsto est generosum illud ac omni Hæmoptysi conveniens remedium, Venæsectio, statim in principio administranda. Permittunt eandem Ægri constitutio, vires non plane dejectæ, ætas, idque generis alia. Secetur ergo Mediana vel Basilica dextri lateris, & quidem partitis vicibus, ne vires præter spem nimium dissolvantur, & ravulsio sit efficacior. Sanguis autem ad ℥ii. vel iii. singulis vicibus emittatur. Venarum in talo quoque sectionem multùm levaminis afferre posse testantur Practici, ast magis præservationis quam curationis gratiâ illa instituatur.

Nec negligenda insimul, ubi opus fuerit cucurbitularum, vel cum vel sine scarificatione, in cervice, scapulis ac pedibus, affixio, extremorumque tum Frictiones, tum Ligaturæ. Expediet tamen venesectionis prius successum circumspectè expectare, quam ut naturam officiosè turbemus.

Ex Fonte Pharmaceutico sese nobis sistunt (1) alvum leniter subducentia; Qualia sunt, Manna cassia recenter extracta, Syrup. rosar. violar. solut: pruna laxativa, aliaque id generis mitiora. Ex quibus & aliis varia formularum genera concinnari possunt. Præ aliis insignem meretur laudem Syrupus Magistralis Riverii, quippe ex moderate refrigerantibus, qualia hic requiruntur, paratur, aliquoties exhibitus.

℞. Syrup. magistral. Riverii cap. de sputo sanguinis descripti ℥ii. S. *Zarier-Gafft auf einmal.*

Nec inutile fuerit Enemate ali taut. simili evacuationem simul & alterationem humorum intendere aut moliri.

℞. Rad. Nymph. ℥ß. Fol. polygon. branc. ursin. violar. an. Mi. Sem. papav. alb. portulac. ana.ʒi. anis. fœnicul. an. ʒiß. Fol. sen. Alexandr. s. s. ʒvi. Coq. in s. q. Aq. fontan. collat.

℞. ℥x. Add. Cass. extract. pro clyster. ℥iß. ol. violac. ℥i. Sal. nitr. ʒß. M. F. Clyster.

S. Clyster laulich. in appliciren. Hinc ad fervidioris accriorisque sanguinis alterationem, Tinctura flor. papav. thead. de consil. Timæi à Guldenklee l. 2. Obs. medicinal. cas. 15. p. 104. miva cydonior. & syrup. myrtino dulcorata, cum fructu exhiberi poterit, aut præscribi sequens aut simile Julapium.

℞. Aq. portul. papav. rhæad. an. ℥vi. Sanguin. Dracon. tenuiss. lævigat. ʒß. Syrup. papav. rhæad. ℥ii. de ros. ℥iß. m. f. l. a. Julepus. *Iulep offt darvon tu trincten.* Tempore somni non inconveniens fuerit ægroto nostro Emulsionem ejusmodi propinare.

℞. Sem. 4. frigid. major. an. ʒß. Amyd. dulc. excordicat. ℥ß. Aq. Alkekeng. papav. alb. plantag. portul. an. ℥. F. Emul. cui add. Magist. ocul. cancer ℈i. corall. rubr. Margarit. ppt. an. ℈ß. Julep. rosar. & violar an. ʒii. M. S. *Keuhlende Kraff. Milch aut zmeymal.*

His ita præmissis totis viribus eo allaboremus, quo vasa, antequam inflammatio, difficilem & periculosam relinquens medelam, accedat, statim occludantur. Testis est Galenus qui, 5. Method. Med. c. 13. & 14. scribit, se omnes curasse, qui è pulmone sanguinem expuentes, mox primo die ipsius opera usi fuerant, qui vero post biduum aut triduum Eô usi essent, horum aliquos sanatos esse, quos autem phlegmone occupaverat, ut febricitarent, eorum sane nullum perfectè restitutum fuisse. Medicamenta vero illud præstantia, sunt & recensentur varia apud varios, selectiora sunt: Rad. Symphyt. major. tormentill. pimpinell. plantag. Herb. sanicul. symphyt. plantag. portulac. heder. terrest. & omnia præparata ex plantag. portulac. heder. terrest. quæ palmam reliquis præripiunt. Flores hyperio. rosar. bellid. violar. bugloss. Gummosa, ut Gummi arabic. tragacanth. hederæ arboreæ, thus pro consolidatione valde conveniens. Semina quoque quædam, quæ simul anodynam vim habent, ut semen papav. alb. & hyoscyam, sed cum insigni polleant vi stupefaciendi, non nimis frequenter, nec majori etiam in copia sunt usurpanda. Ex Mineralibus, lapis hæmatites, illiusque Tinctura, nec non medicamenta legitime ex sulphure parata, terra item sigillata, bolus armen. & ex his parata vel Officinalia vel Magistralia, possunt enim ex hisce & similibus sequentes aut aliæ fieri formulæ.

℞. Conserv. rosar. antiq. pimpinell. symphyt. an. ℥i. Rad. consol. major. condit. Cichor. condit. an. ℥ß. Croc. mart. adstringent. ʒß. Tinct. mumiæ. ʒi. Syrup. de hispidul. q. s. M. f. F. Electuarium. *Katmerge, einer Castanien grob tu essen* Non inutiles quoque erunt hæ Rotulæ, quæ præparentur.

℞. Lapid. hæmatit. ppt. ʒiß. Croc. mart. adstringent. Bol. armen. an ʒi Ocul. Cancr. ppt. ℈i. f. c. s. q. sacch. aq. portul. & papav. alb. solut. Rotulæ. *S. Kuchlein gegen das Blut. Aus messen offters tu gebrauchen.*

Vel ℞. Pulv. Heurn. ad. sput. sanguin. anonym. an. ʒiß. ocul. Cancr. ʒi. Sem. cerefol. ʒß. cum rotulis diacodii f. pulv. *S. Aulver alle 6. Stund. 2. oder 3. gute Messerspis voll mit Rosel Basser tu gebrauchen.* Sequens etiam succus cum fructu adhiberi poterit.

℞. Aq. Plantag. equiset. burs. postor. an. ℥i. Syrup. portul symphyt. Fern. an ℥i. Tinctur. Sulph. vitriol. ʒiß. *M. S. Safft, gegen das Blut-Ausmerf-fel voll. auf einmal.* Nec non Emulsio partem affectam corroborans viresque instaurans, hunc in modum fieri conveniet.

℞. Amygd. dulc. excort. ℥iß. sem. 4. frigid. ana. ʒi. papav. alb. ʒiii. cum Aq. decoct. hord. q. s. f. Emulsio ad ℔. 1. sacch. perlat. q. s. edulc. *S. Starckende Mandel-Misch nach und nach tu trincten* Cancri vivi una cum putaminibus, sed novellis mollinsculis, in mortario cum ejusculo carnis contusi, & percolati, succum præbent, & viribus, restaurandis & affectui Hæmoptyco idoneum, si nimirum

nimirum sæpius ad ℥ii. ægro propinetur. Sic Gelatina C.C. qua confortandi qua glutinandi virtute prædita, in hoc affectu summæ est efficaciæ.

Quod si autem hæc, quæ hactenus sunt proposita aliaque, quæ addi adhuc possent, præter spem omnem paginam non sint absolutura, in casu necessitatis, Authore Rolfinciô l. 3. cons. consultat. 2. p. 341. ad narcotica, utpote sputum sanguinis miraculosè sistentia, transire licebit, sed illa cum ratione tanquam æquissimâ lance sunt perpendenda, ne inpestive & viribus pene sepultis in usum trahantur.

Quo autem vasa eo promtius obturantur, insimulque impediatur, ne alia denuo ingruant graviora symptomata, de sanguine grumoso dissolvendo solicitus sit Medicus. Quapropter in præsenti Ægro cum sanguinis impeditus aliquâ ex parte cessat, ejusque tamen portiones concretæ adhuc rejiciunturur, omnis nostra cogitatio eo dirigenda est, ut reliquiæ illæ vasa pulmonis relictæ primum resolvantur, cum sanguine misceantur, vel per expectorationem educantur. Necessum itaque talia in usum vocare, quæ sanguinem coagulatum & concretum dissolvere valent. Qualia imprimis sunt: Aq. chærefol. Alkekeng. flor. hyperic bellid. utriusque, burs. pastor succus urticæ, qui summe proficuus censetur ita, ut etiam pro deploratis habiti, hujus usu curati fuerint, vel in ipso paroxysmo, vel post, cessante fluxu, exhibitus, test. Amat. Lusitan. Cent. 6. spermo ceti, rhabarb. sanguis hirci, Mumia, diaphoret. Ex quibus ut & aliis, huic scopo inservientibus, pro desiderio ægrotantis varia possunt parari formularum genera. Unam vel alteram patientis nostri constitutioni convenientem apponere placet. Ad dissolvendum itaque sanguinem grumosum.

♃. Syrup. papav. errat. flor. bell. rubr. an. ʒ. iii. Aq. Alkekengi. plantag. Chærefol. an. ℥ß. Essent. ocul. Cancr. ℈iß. Misc. pro duabus dosibus.

Vel ♃. Ocul. Cancr. Corall. rubr. an. ppt. ʒß. Sperm. cet. non rancid. Mumiæ, rhabarb. an. ℈i. m. f. p. pro tribus dosibus in seq. Aq. sumendus.

♃. Aq. Chærefol. scabios. card. bened. an. ℥i. Syrup. flor. bell. papav. an. ℥ß. Dum hæc fiunt, poterit æger ad materiæ uberiorem expectorationem sequentia usurpare.

♃. Oxymel. pectoral. Horst. ℥iß. Essent. hypericon. ʒiß. aq. chamædryos, hyperic. plantag. chærefol. an. ℥ß. m.

Vel ♃. syr. de jujubis portulacæ an. ʒi. è succo scabios. violar. an. ʒvi. sperm. ceti non rancidi ʒß. aq. aq. hæmopt. Dorncrell. ℥ii. m.

Diæta tandem his omnibus succedit, & agmen claudens salutarem vitæ ciborumque præscribit normam quam merito æger noster observare debet, ni sæpissime hocce malo affligi velit. Ratione *vitalis*, aërem suadenus ægro nostro temperatum, aut moderate ad siccum & frigidum inclinantē. Ratione *naturalis*, cibos initio tenues, frigidiores & vi emplastica, seu glutinandi pollentes, ut pote cremorem hordei, orysam lacti incoctam, pulmenta ex milio, avenâ amilo &c. lentes fabas, pruna Hungarica acida juscula, & pultes amygdalinas admixtis pineis nucibus, pyra, cydonia mala, mespila, lactucam, portulacam, in diviam, cicorium, carnes agninas, vitulinas, vervecinas, imprimis exta pedes, aures, & capita horum animalium. Potus ordinarius sit cerevisia tenuis rite excocta. Extraordinarius vinum aquosum rubellum, hydromel aqua hordei, lac amygdalatum, lac vaccinum ebutyratum caprilum; quo solo se curasse refert Trallianus sanguinis sputum.

In *animali*, somnus & vigiliæ non excedant mediocritatis limites. Motus nimius præcipue pectoris, per clamores & cantus, fugiatur. Ab affectibus animi vehementioribus abstineat. *Ioh. Michaelis Praxi Clinic. speciali.*

Observationes.

Vir quidam Patritius hyeme media, derepente in copiosissimam sanguinis floridi è pulmonibus rejectionem incidit, ita ut una nocte, sanguinis heminas plusquam quatuor ore excreverit, unde pallidus & prope sine viribus redditus, pulsu exiguo & interfecto voce tremula, deliquis crebris oppressus, moriturus in horas sperabatur. Ad hunc nos vocati, quum graviter urgeret affectus, huic protinus ac celeri manu succurrendum duximus: itaque protinus è cubiculo turbam omnem, quæ multa officii causa affinium & sanguine conjunctorum aderat, locum dare jussi, forasque prodire, præter eos qui ægro necessarii erant: ignemque qui tum ob frigoris inclementiam succensus multus in cubiculo erat, extingui jussi. Mox vero quū adstricta esset alvus ægro, mollem clysterem indere jubeo: atque interea dum apparatur clyster, poscam devorandam atque gargarisandam do. Silentium ægro impero, ut ne quicquam loqueretur: sed nutibus quæ sibi opus essent significaret, atque etiam ut ne magno respiratu uteretur: nam & loquutio & respiratio vehemens, thoracem atque pulmones exagitant & ob id sanguinem promovent. Protinus vero clystere soluta alvo, sanguinem è vena media dextri brachii auferri venæ sectione jubeo, non affatim, sed bis eodem die, quatuor inter unam & alteram sectionem interpositis horis. Sic namque jubet Galenus, & eo pacto melius avertitur sanguis, servaturque virtus: quin & crastino ejus diei iterum, sed leviter sanguinem detraximus, quod & æger viribus valeret, florenti ætate esset & copioso sanguine abundaret. Ubi hæc peracta sunt, mox vinculis fortioribus crura, brachiaque deligavimus, & multa posca os colluere, ac portionem etiam devorare jussimus: ut si quid intro concreti sanguinis esset, dissolveretur: multos namque thrombos deorsum clysteris usu dejecit sanguine in ventriculum per gulam delabente: frictionibus etiam crurum ad diversionem usi sumus: quum vero sanguis nimium proflueret, sistere eum ante omnia potionibus datis adstringentibus glutinantibus & refrigerantibus coacti sumus. Hac itaque potione bis, ter etiam in die data, usi fuimus.

♃. Lapid. hæmatit. cum aqua plantag. lot. corall. rubr. similiter loti. an. ℈iiii. terr. sigillat. ʒii. margarit. splendid. ʒiß. sem. plantag. arillorum uvar. exsiccat. an. ʒi. m. redigantur omnia in tenuissimum pollinem, adde troch. de carabe ʒi. atque ex hoc pulvere ad sistendum sanguinem efficacissimo ʒiß. ex aq. plantag. & peculi rosar. & ℥ii. syr de ribes dari jussi: quum adhuc sanguinis ingens profusio perstaret, compescendam validiore præsidio censuimus. Dedi igitur sequentem potionem.

♃. Philon

bam Conditum hujumodi ad virium robur præscripsi.

℞. Conserv. rosar. antiq. ℥ii. conserv. symphit. mai. margarit. select. corall. rubr. loti cum aq. ros. & subtiliss. pulver. an. ʒi. man.ch. perl. ℥i. conserv. bugl. ℥i. M. cum sacch. opt. F. conditum auri foliis contectum. Interdum Electuario ex margaritis confecto utebar.

Extra vero ad sanguinis motum compescendum cervici & collo, tum & pectori linimenta admovi, & unguento hoc sum fœliciter usus.

℞. Ol. mastich. cotoneo. & myrtill. an. ℥i. sevi hircini aq. rosar. diluti ℥iß. pulv. pilor. leporis minutissime incisorum, corall. rubr. bol. armen. sang. drach. oliban. mastich. an. ʒi. ceræ alb. q. s. M. F. unguentum, quo thoracem illiniri & colli atque cervicis partes jubebam: clysteres lenes ad excrementorum subductionem (imbecillus namque viribus erat) parari hujusmodi jubebam.

℞. Decocti caponis ℔i. in quo bulliat hord. p. sem. melon. cum cortice contus. ℥. colatura dissolv. mell. rosat. colat. ℥ii. vitell. ovor. numero ii. sacch. rubr. ℥i. M. F. Clyster. interdum catholici ℥i. nonnunquam vero cassiam cum saccharo admiscebam. Quoniam vero bilis multa sanguini mista fervorem & profusionem non parum augebat, hanc confestim nulla expectata mora evacuandam duximus; hac data potione.

℞. Rhei. elect. subtiliss. pulver. ʒi. rhei elect. in aq. endiv. cum tantillo cinnamom. per noctem infusi & mane fortiter expressi ℈iiii. (quia obstructa hic vir viscera habebat, infusum etiam rhei dare visum est, ad obstructiones aperiendas) syr. ex infus. rosar. ℥ii. decocti pectoralis.q s.fiat potio.

Interdum etiam ad sistendum sanguinem confectione de styrace usus sum, cujus hæc est descriptio.

℞. Passular. exacinatar. & cribro setaceo transmissarum ℥i. liquirit. ras. & subtiliter pulveræ ʒvi. xyloaloes, nucis myristicæ. an. ℈ii. gr. xv. cumini tantundem. styrac. calamit ʒi. bol. arm. præp. ʒiß. sacchar. in aq. beton. dissolut.q.s.F. Electuarium in tabulis.

Hac methodo, hisque cum paucis aliis ejusdem generis præsidiis, magna cura & sedula opera abhibitis curatus est hic vir præter nostram & omnium opinionem, nutu Dei opt. max. qui sanat languores nostros. *Franciscus Valeriola.obs.2.lib.2.*

Virgo quædam quadraginta annorum à sex circiter annis valetudinaria, sæpiusque sanguinis exiguum cum pituita expuere solita, tandem circa secundam noctis horam dum lateri dextro incumberet, ob maximâ copia in os & asperam arteriam, affluentem sanguinem, à somno excitata, de suffocatione repentina periclitabatur, tussi & vomitu quasi, copiosissimum sanguinem excreavit. Accedens summo mane ex relatis & rejectis, venam pulmonum reseratam à fluxione forte salsa, quam referebat in ore sensisse, vel ob plethoram, è qua tanta sanguinis copia prodierit, cognovi, quapropter præscripsi ei pulverem sequentem, de quo cum brodio statim coch. i.& postmodum cum syrupis portiunculam sumat. cin.sem.hyosciam.an.℈i.m.f.pulvis tenuissimus.

℞. Sacch. ros. tabul. ʒii. corall. rubr. ʒß. succ. Item. ℞. Syr. jujubin. & myrtill. an. ℥iß. m.

Circa octavam matutinam, me præsente, dum lateri dextro incumbere conabatur, sanguinis copiosa profusio, cum tussi, vomitu, horrore, & virium prostratione, eodem plane modo rediit, ut prius nocte ei accidebat: repræsentabat sanguinem è pulmonibus elapsum, spumosum & rubicundum, unciarum circiter quinque, postmodum expuebat cruenta. Circa tertiam exhibui ei julepum ex syr præscriptis cum aq. plantag. & portul. q. s. Post cœnam sumpsit julepum ex syr. de plantag. cum aq. plantag. rosarum parum & portulac. gargarisavit prius os aceto rosac.& aq. pura, sicuti & postmodum frequente, loco potus bibit lac amygdalinum. Post mediam noctem hora secunda eodem modo rediit expuitio, cum tussi & conatu vomendi dixit se sentire semper ardorem in guture præcedere, subsequente statim copioso sanguine salso. Sumpsit de pulvere præscripto, sed nihilominus horis duabus elapsis, rediit cruenta illa expuitio, cum horrore & virium prostratione: illo die mane ebibit potiunculam ex syrup. plantag.& portulac.an.℥ß. syrup.myrtill: ʒiii. terr.lemniæ veræ ʒi.aq.plantag.& burs.pastoris, an.q.s. Postea jecori adhibita fuit cucurbita magna sine scarificatione bis reitera, ante somnum bibit hunc julep.

℞. Aq. plantag. & portul. an. ℥iß. syr. plantag.& portulac. an.ʒii. syr. papav. alb. ʒiß.terr. lemniæ veræ ʒi. m. Illa nocte fœliciter satis dormivit, nec expuitio illa sanguinis copiosa rediit, mire medicamentum hoc prædicabat, mane bibit coch. i. pulv. præscripti cum syr. de plantag. & portulac. reiterata fuit cucurbita sine scarificatione in regione hepatis. Sub noctem bibit julepum priorem cum syr. papav. placide quievit, nec amplius excreavit sanguinem, ut grumi sanguinis è corpore expurgarentur, & dissolverentur, præcripsi potionem hanc.

℞. Rhei subtiliss. pulveriss. ʒß. syr. ros. solut. cum infus. rhabarb. & mannæ elect. an.ʒvi. cum aq. plantag. & portulac.q. s. f.Portio, addendo aq.cinnam.ʒii.ter copiose dejecit,

Tandem ut sanguis si quis in pulmonibus remansisset facilius excreari posset, præscriptum fuit hoc Lohoch.

℞. Syr. de portul. ℥i. de plantag. ℥ß. tab. diamar. frigid. ʒi. terr. sigill. lemniæ veræ & pulv. supra præscript. an. ʒß. F. Lohoch. de quo lambat frequenter cum baculo liquirit. Postea præscripsi tabulas sequentes, de quibus singulis noctibus unam vel duas in ore, ut sponte diffluerent, continuit.

℞. Sem. hyosciam. alb. subtiliss. pulveris. ℈ii. gummi arabic. ℈i. corall. rub. ʒß. viol. rec. numero x. succ. berber. ʒii. aq. ros. & plantag. an. q. s. sacch. ℥ii. F. tabulæ. Hisce omnino restituta est: nec ab aliquot septimanis quicquam cruenti in sputo apparuit. *Felix Platerus.observ.lib.3.pag.789.*

Quidam profusè sanguinem purum aliquot dies cum tussi per os effundebat, idque sequente mox summa imbecillitate cum vitæ discrimine. Dedi illi troch. de alkikengi cum opio, ut aliquot noctes cum lacte caprino dissolutos biberet. Profuerunt plurimum, sicque

que à mortis imminentis periculo, vel subsequentis phthisis, uti fere ea sequi solet, & à lethali morbo sanus evasit. *Felix Platerus obs. lib. 3. pag. 792.*

Quædam tussiendo excreabat sanguinem satis copiosè, catarrho simul affecta, alvusque ei constipata erat: valde phthisin metuebat, quam venam ruptam in pulmonibus sequi solere, ex lectione practici cujusdam Germani didicerat, adeo ut vix eam consolari potuerim: exhibui ei mannæ ℥iß. cum jusculo, quam & pectori prodesse dixi; excrevit placide & copiose. Sanguinem postea detraxi è mediana; jussi mane & vesperi sumere tabulas in hæmoptoica passione utiles ex semine hyosciami: in præcedente subsectione descriptas. Desiit sanguinis excretio, sed mox rediit; jussi tabulas repetere, idque factum est tertio: sed post tabularum usum continuatum nihil amplius cruenti apparvit *Felix Platerus observ. lib. 3. pag. 793.*

Mane & vesperi si sanguinem expueret, capiat ʒi. phion. persic. aut tantumdem nostri electuarii ad sputum sanguinis quod est mirabile.

℞. Sem. Hyosciam. alb. papav. alb. an. ʒx. terr. sigill. corall. rubr. an. ʒv. sacch. rosar. antiquiss. q. s. F. Electuar. Helidæus de Paduanis. consil. 7. lib. 3. consil. Cratonis & aliorum medicorum à Scholtzio editorum.

Novi nostratem quendam Lemovicum Hæmoptoicum, qui cum alternis temporibus multum rejectasset sanguinem nec ullis potuisset remediis sanescere, ad Julium Cæsarem Scaligerum, Medicorum suæ tempestatis facile Principem, confugit, ex quo pulverem accepit; hujus formulam, quia mihi communicavit, libet hic adscribere.

℞. Spodii, ros. rubr. bol. arm. terr. sigil. hæmatit. an. ʒv. corall. rubr. carab. margarit. non perforat. an. ʒiiß. gummi arabic. tragacanth. an. ʒii. sem. papav. portulac. sem. ros. rub. sem. arnogloss. C. C. combust. an. ʒiii. acaciæ, succi barb. hircin. succ. liquirit. an. ʒii. amyli torrefacti ʒiii. terantur, misceantur, & fiat pulvis, cujus dosis sint ʒiii. Datur cum aqua pluviali.

Hoc remedium tandem descriptum reperi apud *Serapionem cap. 25. tract. 2. Antonius Valerius, ad cap. 27. lib. 1. De morbis intern. Iac. Hollerii.*

Consiliarius quidam Monspeliensis circa noctem incidit in sputum sanguinis spumosi cum tussi, & magnam illius quantitatem excrevit tota nocte. Sequenti die mane vocatus, venæ sectionem præscribo ad ℥viii. Deinde julepum ex aq. plantag. syr. de ros. sicc. & sale prunellæ postea injectus fuit clyster cucurbitula admota regioni hepatis, lohoch. incrassans & adstringens usurpatum: hora decima iterata fuit venæsectio ad ℥vi. syrupus ex succo portulac. etiam præscriptus: post meridiem rediit sanguinis sputum, magna copia scilicet ad ℔i. iteratus fuit julepus, oxycratum admotum testibus, epithema refrigerans hepati, linimentum refrigerans eidem parti, lumborum regioni, cucurbitula hipochondriis frequenter iterata, & circa vesperam sanguis denuo missus ad ℥vii. præscripti julepi ex infusione millefolii &c. qui magnæ sunt efficaciæ in hunc modum.

℞. Millefol. fl. albo & luteo an. Mii. rad. tormentill. rec. & cum fol. si haberi possit, sin minus siccæ ℥i. pimpinell. maj. M. i. conserv. ros. rub. ℔ß. aq. fontis ℔xvi. ponantur in olla vitreata quæ cum suo operculo diligenter lutetur ut vapores non expirent. coq. postea in balneo M. bulliente per horas xvi. colatura servetur in vase vitreo; de qua capiat ℥vi. mane, meridie & vesperi.

Pro potu utebatur conserva ros. cum decocto hord. & liquirit, ad noctem præscriptus est hic syrupus sequens.

℞. Syr. de ros. sicc. de succo portulac. & papav. alb. an. ℥i. M. capiat cochl. i. Singulis duabus horis, ita ut intra noctem tres illæ absumantur, mirum in modum profuit hic syrupus, & sequenti die fuit iteratus, ut per longiora intervalla sumeret cochl. i. Sequentibus vero diebus nihil amplius sanguinis excrevit, & omnino covaluit *Lazarus Riverius, obs. 53. cent. 1.*

Vir quidam militaris temperamento sanguineo & bilioso præditus, triginta annos natus, ab octo mensibus incidit in sanguinis excretionem per os, quem vomitu rejecit prima vice ad ℔viii. à quo affectu frequenti phlebotomia liberatus, est. Idem tamen vomitus sanguinis post aliquod tempus semel atque iterum recurrit, sed minori copia, & jam per intervalla sputa cruenta, & sincerum sanguinem per sputum rejicit. Huic sequentia præscripta fuere remedia, injecto clystere laxante aperiatur primum vena basilica cubiti dextri, deinde die sequenti vena malleoli sinistri & mittantur singulis vicibus sanguinis ℥vi. vel vii.

℞. Fol. plantag. M. i. tamarind. ℥ß. coq. ad ℥vi. in colat. infunde rhab. elect. ʒi. myrobalan. citrin ʒß. santil. citrin ℈ß. in express. dissolv. mann. & syr. rosac. an. ℥i, rhei. ℈i. F. potio, quæ detur postridie ultimæ venæ sectionis, die sequenti applicentur duo caustica posteriori parti cervicis inter tertiam & quartam vertebram.

℞. Rad. bistort. tormentill. symphyt. mai. an. ℥i. fol. plantag. pimpinell. pilosell. vinc. pervinc. an. M. i. santal. rubr. ʒii coq. ad ℔iß. in colat. dissolv. syr. de ros sicc. ℥iv. F. julep. pro quatuor dosibus matutinis, addendo unicuique dosi salis prunellæ ℈i.

Finitis julepis, reiteretur portio purgans prædicta: addendo pulv. julapæ ℈i. & totum rhab. infundendo.

℞. Rad. consolid. mai. ℥i. fol. plantag. pimpinell. bugul. prunell. & pilosell. an. M. ß. coq. cum jusculo colli vervecini, & colaturam capiat mane tribus horis ante prandium continuando per duodecim dies.

Post quartum quodlibet jusculum, capiat potionem purgantem prædictam.

Finitis jusculis, utatur opiata sequenti.

℞. Conserv. rosar. & rad. symphyt. an. ℥i. troch. de carabe, & terr. sigill. an. ʒß. corall. præp. margarit. præp. lapid. hæmatit. an. ʒi. gummi arabic. & tragacanth. an. ℈i. cum syr. de rosis sicc. F. opiata: de qua capiat magnitudinem avellanæ duabus horis ante pastum, superbibendo parum aquæ potus ordinarii, quæ erit ptisana confecta ex decocto hord. & liquirit. vel aqua ferrata in qua pimpinella vel pilosella infundatur.

Utatur per quindecim dies lacte caprillo vel ovillo leviter chalybeato.

Quam primum aggressus est horum remediorum usum sanguis sputum cessavit, neque unquam amplius in toto eorum decursu comparvit neque deinceps. *Lazar. Riverius obs. 12. cent. 3.*

Præmissis venæ sectione & debita purgatione soleo maximo cum fructu singulo mane ʒß. plus minusque seminis papav. alb. cum ℥ß. sacch. rosat. antiquiss. quod remedii genus compluribus insigne juvamentum attulisse scio. *Hier. Mercurialis. consult. 15. tom. 1.*

In hoc casu sæpissime expertus sum magnopere profuisse semen hyosciami alb. cujus pulvis acceptus cum sacch. rosac. antiq & syr. de portulac. solet mirum in modum fluores sanguinis compescere. *Hieron. Mercurialis. cons. 42. tom. 2.*

Civis quidam Monspeliensis Hæmoptoe laboraverat per triennium, qua sanguinem rejiciebat per intervalla satis magna copia: tandem post multa remedia, per mensem integrum mane sumpsit amylum in aqua decoctum (& sine calce paratum) instar panatellæ; & ab eo tempore sanguinis sputo nunquam correptus est. *Lazarus Riverius observ. 11. cent. 4.*

Andreæ Baillæo consulis regii filio annorum viginti, magna sanguinis per os rejectio: valde pulmonibus metuitur: omni arte pulmonibus studetur: forte fortuna dum hypochondria manu blande continguntur, pulsus percipitur, ac veluti παλμός: nec non ab hypochondriis decurrentis sanguinis ac partes superiores affectantis cursus percipiebatur, ac si manus sanguis duceretur: prout partes superiores petebat, horror quidam excitabatur: at tum confertim rejiciebatur è pulmonibus: talis rejectio erat hæmorrhagiæ loco, quæ juvenibus erat familiaris. Relictis tum præsidiis quæ pulmoni dicabant, conversum est ad hypochondria studium. Expurgata innumera colluvie prærepta est ei rejectioni sanguinis occasio: quod notandum valde est *Guil. Ballonius lib. 1. Epid. & Ephem. pag. 62.*

Syrupus ex stercore asinino in omni rejectione sanguinis plurimum confert, Lavatur primum aqua rosac. in eadem incoquitur cum sach. rosac. & fit Syrupus *Guil. Bollonius consi'. 22. lib. 1.*

Quater in anno corpus purgandum erit sequenti bolo.

♃. Cassiæ rec. extract. ʒvi. rhei el. pulveris. ʒiß. elect. diatragac. frigid. aut sacch. alb. q. s. F. bolus.

Sæpe etiam sub noctem ad lecti ingressum uti conserva rosacea expediet. Si tamen accideret sputum hoc sanguinis repere, commodum videretur post blandam alvi mollitionem mittere sanguinem è basilica dextra, quæ est lateris fluxioni magis opportuna. Die sequenti haustulum rhab. torrefacti potare in hunc modum.

♃. Rhei el. torrefact. ʒiß. syr. ros. sicc. ʒvi. ac plantag.

Utatur quoque frequenter, atque odeo omnibus horis hac familiari opiata, donec sanguis consistat.

℞. Conserv. ros. sicc. ℥i. bol. arm. ʒiiß. terr. sigillat corall. rubr. carab. C. C. usti an. ʒß. syr. myrtill. q. s. F. opiata. Ad præcautionem, etiam si sanguis non erumpat, hoc condito sæpe utendum.

♃. Conserv. ros. & symphiti an. ℥ß. troch. de carabe & de terr. sigill. an. ℈i. corall. rabr. margar. elect. an. ℈ß. sacch. rosat. q. s. F. conditum. Capiat cochleare unum hora una ante pastum. Usus boli arm. perutilis erit si sanguis rursus erumpat.

Deinde ipso supresso sequenti syrupo pulmones corroborandi, lemendi, & detergendi.

♃. Passul. mundat. ℥i. polipod. q. liquirit, ras. ʒii. tussilag. scabios. pimpinel. centinod. an. M i. sem. altheæ & bombacis, an. ʒi. F. decoct. ad ℔. in express. dissolv. sacc. alb. quartaria tria. F. Syrupus mediocriter coctus: utatur omni hora ex cochleari sine aquis: pulmones roborat & deterget. *Io. Fernelius. consil. 22.*

Ioannes Hugo, tubicen Domini de Persil, cum nimiâ violentia cantilenas aliquot tubâ cecinisset, atque inde valde incaluisset, paulo post obscurum in pectore sentiit dolorem, & simul etiam cum tussicula sanguinem spumosum, sed paucum, exspuere cœpit, adeoque debilis evasit ut anhelitum vix trahere, imo ne stare quidem nec loqui posset, sed continuo supinus in lecto jacere cogeretur. Erat à medicamentis admodum aversus, ac proinde nullius Medici cõsilio uti statuerat. Verum cum usque ad sextam septimanam in tali statu jacuisset, neque morbus in melius mutaretur, tandem 10. Martii n eum consilium imploravit. Inveni ægrum absque febri, sed valde debilem, quæ debilitas ab anhelitus defectu aliquo proveniebat, nam thoracem ad lubitum extendere & contrahere nequiebat, cujus mali hæc causa erat, quod fortissima illa tubæ inflatione musculos thoracis magna & nimia violentia intendisset, atque hinc adeo debilitasset, ut postea rursus contrahi nequiverint. Sanguinis autem sputum, quod non erat copiosum, ab exili aliqua in pulmone disrupta originem habebat. Curationem aggressurus, primo convenientem diætam præscripsi: secundo alvum medicamento leniente subduxi: tertio è mediana dextri brachii sanguinis lib. s. extraxi. Denique hoc sequens ceratum toti pectori applicandum præscripsi.

℞. Castorei, croci orient. an. scrup. ii. mastiches olibani styracis cal. an. drach. i. benzoini, drach. i. s gummi taccamaccæ, galbani aceto dissoluti, emplastri de meliloto, oxycrocei, an. ℥. i fiat s. art. ceratum quod extandatur in corio rubro tantæ magnitudinis, ut totum pectus à cartilagine ensiformi, usque ad asperam arteriam, atque etiam latera sub brachiis utrinque investire possit. Inungatur olei nucis moscatæ, scrup. ii.

Præterea cingulum ex corio alcis molliore, latitudinis manus, cum lata fibula parari jussi. Ceratum primo pectori impositum fuit: deinde pectus proxime sub axillis hoc cingulo circundatum & quantum ferre poterat æger contractum, ac fibula firmatum fuit. Hoc facto, statim maximum levamen sentiit æger, atque anhelitum multo liberius & fortius attraxit, 14. Martii sanguinis sputum una cum tussi prorsus desiit. Adhæsit hoc ceratum per integrum mensem, quo tempore musculi thoracis adeo firmati sunt, ut æger nullis aliis medicamentis opus habuerit, atque etiam sine prædicto cingulo rursus optime tuba caneret. Monui tamen ut hunc cingulum semper gestaret, præcipue cum eo circumdatus, se multo levius, facilius & melius tubam inflare diceret

Æger hic præter medicamentum laxativum nullum aliud per os assumere voluit, quapropter summopere metuebam ipsum in phthisin prolapsurum, nam præter periculosam sanguinis sputationem, tanta etiam aderat virium dejectio, ut in lecto erectus sedere non posset, at semper supinus jacere cogeretur. Verum cum animadverterem hanc debilitatem totaliter dependere à defectu motus instrumentorum spirationi inservientium, ipsum mirabiliter præter omnium expectationem dicto cerato & cingulo restitui: cingulo tamen non minima curationis pars adscribenda erat, nam simulac pectus eodem contrinxissem, statim erectus sedere, & anhelitum multo liberius trahere potuit.

Tubicines sæpe nimis superbi, honoris acquirendi gratia, omnes vires in tubæ inflatione & cantu adeo intendunt, ut non raro herniosi fiant, vel sanguinem spuant, imo sibi ipsis vitæ filum ex improviso sæpe præcidant, quemadmodum id anno 1641. mense Novembri, vidimus evenisse tubicini Capitanei Bax, qui cum inter alios tubicines tuba cantando maxime excellere vellet, disrupta magna in pulmone vena, & sanguine copiosissime effluente. intra duas horas exspiravit. *Isbr. de Diemerbr. in Observat. Medic.*

Miri sunt illi affectus, qui sine signis suis Pathognomonicis & essentialibus nihilominus quandoque dantur. Contradictio in adjectio esse apparet, Dysenteria & pleuritis indolens, Hæmoptysis sine tussi, attamen revera dari interdum talia observare novum non est illis qui praxin solicite exercent. Anno 1669. fœmina 54. ann. hic loci Hæmoptysin patiebatur, ἀθρόως excernens sanguinem spumosum, & floridum, sine dolore, cum respiratione aliquo modo difficili, sed, quod singulare est, semper absque tussi. Eadem ante decennium eodem modo aliquoties excrevit sanguinem ad aliquot uncias, tunc à Medicis Ordinariis, qui miro hoc affectu moti vix credere sustinuerunt, posse absque tussi è Pulmone ita sanguinem mitti, donec αὐτοψία frequentior eos convicit Curata a me est binis Medicamentis 1 Sem. Hyosc. cum Lap. 69. aliisquæ resolventibus & altringentibus mixto. 2. Tinctura Catechu ad 60. gtt. pro dosi propinata.

Eodem anno vidua 48. ann. in Musæum meum veniebat, consilium petitura, cumque, quid pateretur, ex ea quærerem, loco responsi floridum excernebat per os sanguinem & spumosum sine tussi. Sentiebat cum impetu quasi sanguinem urgere exitum & ascendere; curabatur tinctura antiphthisica Michaelis, Opiatis, aliisque, semper interpositis illis, quæ sanguinem coagulatum dissolvunt.

Circa curationem enim methodicam hujus morbi notanda est cautela Pergameni 4. m. m. & 7. de comp. medic. κατὰ τόπ. scilicet, sanguinem exspuentibus, quæ adhibentur, Medicamentis, miscenda esse tum calida, tum tenuium partium existentia, ut Medicamenta astringentia distribui melius possint hinc v. g. mel. admiscendum monet. Innuere vult, non adhibenda esse pro sistenda hac excretione terrestris crassioris substantiæ Medicamina, quæ solum constipant, anxietatem præcordiorum & respirationem difficilem pariunt, sed quæ simul liberum aeri relinquant motum, & nihilominus sanguinem effervescentem refrenent. Deinde illud maxime obseruandum, ut vel misceantur vel interponantur provide sanguinem coagulatum dissolventia, ne ex intempestivo & solo astringentium usu sanguis retineatur, putrescat, & in ulcus Phthisicum degeneret Hæmoptysis, de quo conqueritur Rondelet. Meth. curand. morb.

Ad observationem superiorem addi potest distinctio: Hæmoptysis duplici contingit modo, vel simul & semel, unica irruptione extravagante & quasi effervescente sanguine, ubi sæpe ad uncias aliquot, vel libram excerni potest, & in hac specie rarior observatur tussis, tanta enim non adest irritatio, sed sanguis lubricat sibi ipsi viam per superius guttur affectans exitum; Vel excernitur, & quasi extussitur, pedetentim, ab erosis in Pulmone vasis, & ob salinas particulas teneras Pulmonum vesiculas simulat, & inde irritatione facta tussim produci cruentam. Georg. Wolfgang. Wedelii

Hæmoptysis periodica innoxia

Hæmoptysin non semper in lethalem desinere Phthisin observare mihi licuit, Hildesia in Dom. Tilmen, hospite diversorii publici ad insigne aurei Leonis, qui bis ut plurimum in anno tam enormem patiebatur hæmoptysin ut sanguinem floridum aliquot librarum mensura levi ictu ejiceret, nullo alio insequuto incommodo, nisi quod pallidior inde, cætera sanissimus fieret, adhibitus in consilium sanguinis acrimoniam contemperantia, ejusque immodicam effervescentiam cohibentia, ut & laxa vasorum oscula modice adstringentia præscribo, ut que bis in anno venam secaret injungo, quibus rite peractis per integrum biennium a meo discessu ab hæmoptysi liber vixit, quid postea ipsi factum nondum rescivi. Joh. Henr. Brechtfeld.

De Sanguinis sputo tertia vice apparente percurato.

Cum Doctissimus juvenis G. S. C. SS. theolog. & Philosoph. cultor indefessus, aliquot supra viginti annos natus, primum in Academia Groningensi post vehementem corporis commotionem sanguinis sputum pateretur, eoque sedato, itineri se accingens, recidivam expertus esset iterumque naturæ robore ab eo liberaretur; tandem cum jam Thorunii in paternis ædibus subsisteret, & feria tertia Nativitatis Christi sermonem prolixiorem è cathedra in templo Divi Georgii publice haberet, paulo post, die scilicet prima Januarii anni 1672. summo mane tertia vice affectu isto oppressus est, ejectis tum cum tussi sanguinis spumosi libris fere quatuor. ego hora octava matutina vocatus, offendi ipsum satis debilitatum: nihilominus, quoniam sanguinis sputum nondum cessaret, jussi mox, accessito chirurgo e mediana dextri brachii revulsionis gratia aliquot uncias sanguinis partitis vicibus optimo cum successu detrahere; quod remedium etiam olim Excel. p.m. Dn. Johanni Beckhero Phil. & Med. Doctori, Phy-

sico Thorunensi Ordinario & Gymnasii Professori, cum similem affectum pateretur, multum profuisse recordor. Ne autem terribilis & periculi plenus hic affectus reverteretur, præscripsi eidem ad vasa pulmonum lacerata consolidanda & roboranda, tam curationis quam præservationis gratia, sequentia remedia. Primo quidem illud conditum.

♃. Conseru. ros. antiqu. ℥ij. flor. nymph. violar. papau. errat. consolid. maj. ana ℥ß. flor. cichor. veronic. salviæ, enulæ ana. ʒiii. spec. diatrag. frig. diamarg. fr. ana. ℈ij. corall. rubr. præp. fl. Sulph. alb. ana. ʒß. cum s. qu. sir. de symphyt. Fern. F. l. art. Conditum molle, de quo nucis juglandis quantitatem sæpius sumebat. Secundo hunc syruptum.

♃. sir. de symphyto Fern. succ. plantag. ros. sicc. ana. ℥iij. M. D. ad vitrum, de quo singulis matutinis bina cochlearia cum haustu cerevisiæ calidæ usurpabat. Tertio talem emulsionem.

♃. Amygdal. dulc. extort. ʒ x. sem. 4. frig. maj. excort. ana. ʒii. papav. alb. ℥iij. cum aqu. plantag. nymph. portulac. rosar. ana. ℥iiiß. F. l. art. Emulsio, cui adde sir. de portulaca, papau. s. ana. ℥iß. M. Tandem hocce epithema collo & epati applicandum.

♃. Aqu. plantag. portulac. rosar. ana. ℥iiß. acet. rosac. ℥ii. pulu. rosar. r. myrtill. boli Armen. ana. ʒii. M. D. Quibus ad præscriptum usurpatis, per Altissimi gratiam pristinæ sanitati restitutus, in hanc usque diem, elapso jam annuo curriculo, bene valet: ut tamen à nimio & violento motu, calidis cibis & sermone longo atque sonore sibi ad tempus caveret, serio injunxi. D. Simonis Schultzii.

De Hæmoptoe Periodica Menstrua.

Illam in sexu fœmineo naturam tam accuratam temporumque observantem, ut nisi vitio corporis, nec properet se nec retardet, quis est qui satis mirari possit, adeo omnia ille secretum atomorum illapsum, figuratos Planetarum motus, aut quid nescio spirant divini: nam sanguinem menstruum à nutrimentis tantum residuum esse, illa ut plurimum parcior diæta. & incrementa sæpe, quam in viris, copiosiora prohibent, ut credamus. Quæ deinde illa diætæ toties à sese discrepantis ratio, ut tamen menstrua periodo certum Lunæ sanguinem velut in tributum reddat? Sive autem occulta sit Archei Lunaris potestas, seu muliebris sexus proprium specificumque fermentum, ubique est, quod & novum & difficile appareat. id unum certum est, novitque ipse sexus, tam inevitabili necessitate in hac plaga sanguinem illum proripere sese, ut, ubi uteri viæ sunt occlusæ, modo perspirabile sit & laxum corpus, in illas sæpe partes erumpat, qua duci alias sanguinem posse haud facile tibi persuadeas. Plurimas reperias ejusmodi observationes in Medicorum monimentis, quas nisi in singulis videre juvat, in magno Schenkii opere requiras, oportet: & ut plures ejusdem naturæ historiæ sint animadversæ, tamen, ne nostra quoque & hodierni ævi observata conferamus quisque pro ingenio suo, vetare illa vel frequentia aut similitudo nequit; semper enim aliquid invenias à singulis diversum, quodque priorem historiam confirmet vel illustret. Joannes Rhodius, Vir meliore fato dignus, Centur. 2. obs. 30. Mulieris meminit Patavinæ singulis aut alternis mensibus sine pectoris offensa sanguinem exspuentis, mensium per hoc pensato deliquio: in quo id tamen reperi dubium, an sine tussi prodierit, cum sequentis historiæ lemma tussim adfuisse haud obscure testetur. In kerkringii spicilegio observ. 25. minus id quoque explicatum video, nam, etsi index, sputum sanguinis præterat, idque periodicum, & in ipso deinde historiæ recensu, modo violentam sanguinis ejectionem, modo vomitum Auctor repetat, tamen ut credam, illam sputi speciem fuisse, quæ Tussim complectitur, vel hoc persuaserit, quod in Phthisin desiisse sputum illud ipse textus ostendat, & plerumque, qui tussi rejicitur sanguis, sputo prodire dicatur: certissimum autem est, qui cum saliva erumpat sanguis, infrequentem esse & rarum, sed qui screatu, vomitu aut tussi provocetur, quos tamen etiam modos ad sanguinis sputum Galenus libro de loc. affectis retulit, quotidie videri. Non potui autem sputi tussiculosi periodici observationem, quæ mihi hic obtigit, silentio præterire. Nempe mulier triginta duos annos nata, aliquot olim liberorum mater, nunc infœcunda, vultu pallido macilento & quasi tabinco, ad labores tamen domesticos alacri & expedito animo, postquam sui negligentior frigidam aliquandiu tractasset, in hæmoptoen incidit vehementi tussi comitatam, illo ipso tempore, quo menses fluere jam incipiebant. Illa, quod olim virgo similem affectum sæpius experta esset, & propediem desiturum hoc malum crederet nihil tum vel ab operibus domesticis aut curis remisit, minus etiam de remediis sollicita. Præterierat hæc tempestas quinque dierum sine magno incommodo; at cum proxima Luna cum menstruo sanguine rediret idem ille impetus,, dolorem lateris gravativum & titillationem magis de nocte molestam persensit, sic tamen sui secura, donec tertio mense in eadem incideret symptomata, sed paulo deteriora, nam & dolor vehementius ingravescere, & sanguis tussisque copiosius urgere videbantur; magis ergo suspicione morbi, quam morbo exterrita ad me accedit, narratque rem sibi olim Virgini familiarem, nunc autem diu intermissam; quid deinde adversus malum hoc præciperem, serio exquirit. Cum itaque ex querelis intelligerem, menses non deficere, sed simul fluere, abundare etiamnum in illa corporis macie plurimo sanguine menstruo, & tamen, quæ ab utero prodiret, copiam multo esse minorem, quam olim erat; ad singulas tusses, neque eas adeo difficiles, & velut prurigine aut ebulliente lateris fermento, *als wen et kechte*, excitatas, sanguinem reiici purum, cum dolore tamen nonnihil molesto; non adeo per se morbum esse periculosum dixi, sed errore & vitio rerum nonnaturalium, negligentiaque reddi non tantum deteriorem, verum, etiam funestum posse, caveret sibi suasi ab aere horrido, ab acidorum usu animique imprimis affectibus, sed & à motu corporis intempestivo, operisque domesticis, quibus nimium alias incumbebat diligens

bat diligens materfamilias: deinde laborandum esse medicamentis, ut sanguis ad uterum justa copia revocetur, idque non alio facilius præstari posse, quam sectione saphænæ, ita enim revulsi sanguinis pondere arctatis osculis veterem tonum rediturum esse: quibus accessit commendatio internorum, aquarum attenuantium, uterinarum, tinctur. f. hyperici, bellidis, papau. erratici, partim, ut pori uterini rarescerent, partim, ne sanguis in pulmonibus grumum stagnatione conciperet; ut ne autem à nimia tenuitate periculum esset, curavi adjici, quæ præcipitandi aut absorbendi vim haberent, Antimonium diaphoreticum, oculos cancri &c. quamvis frigus illud, lentaque pulsus temperies satis essent argumento, fermentationem illam sanguinis nullam aut certe exiguam fuisse. Hæc quidem ego consului, verum ipsa, cum denuo simul mensibus cessare fluxum observaret, remedii usum distulit, differetque, nihil monitiones meas morata, sed quod vereor, olim luitura, nisi grauidationis successerit beneficium. Joh. Nicolai Pechlini.

De Oleo Lini in Hæmoptysi.

Magnarum virtutum alias oleum lini commendatur in peripneumonia, phthisi, doloribus colicis, maxime autem celebratur in pleuritide, adstipulante Gesnero, qui l. 2. epist. 46. inquit: ego multoties in istis pleuriticis doloribus, nihil melius expertus sum, quam oleum lini propinatum, hocque statim respirationem facilitavit, sputumque promovit. Proinde studiose apud nos asservatur ad solem depuratum, qui modus optimus & tutissimus mihi videtur, nam clarificatio, quæ fit per lixivium ad mentem Hœfferi in Herc. med. l. 2. c. 2. intuta, & quam Reusnerus cum cepa assata Obs. 67. proponit, ingrata, vix enim non aliquid de lixivii acrimonia aut cepæ graveolentia retinebit. Hungari recenter expresso delectantur, cum dulce omnisque ingrati saporis expers, verum minus salubre est, a recrementis & fœcibus nondum purgatum. Nonnulli etiam extrinsecus adhibent, ventrem eodem inungendo, aut linteo imbuto tegendo, ad solvendam alvum in constipatione, quod & quandoque cum successu factum recordor, cum oleum lini laxandi vim habeat, teste eodem Gesnero. At nuspiam adhuc memini me legisse, aut observasse, quod conducat in hæmoptysi, forte à nemine adhuc tentatum. Referam ergo quod à me observatum.

Sub initium anni elapsi 1675. visitavi sæpius fœminam quandam honestam, quinquagenariam, quæ fluxum patiebatur menstruum jam à longo tempore, non quidem adeo largum continuum tamen. Jam vero catarrho satis molesto divexabatur, cui ex meo consilio medebatur jusculo ex hedera terrestri, chær. sol. pulmon. matrisylu. liquirit. &c. facto. Aliquando summo mane ad illam vocatus inveni cum stupore ultra mensuram excreti sanguinis floridi, qualis è pulmonibus solet egredi, hunc inter quartam & quintam matutinam sputo rejecerat. Statim curavi aperiri venam in brachio, & dedi, quamvis invitæ tinct. lap. hæmat. aliquot guttas in syr. de symph. Fern. sed exiguo cum fructu. Nam circa vesperam iterum rediit sputum, & ultra triduum mane & vesperi continuavit. Refractaria erat patiens, & omnia remedia respuens, obstinate mortis cupida. Ita anxius, cum ab adstantibus in absentia mariti summopere rogatus, libenter auxilium tulissem, nescio quomodo inter loquendum mentionem feci olei lini, quod ipsi placuit. Suasi illa statim cochleare unum sumsit, ejusque usum continuando per aliquot dies penitus convaluit. Credidi ex ruptione vasis in pulmonibus ortam hæmoptysin, oleum lini vero vi sua balsamica iterum consolidasse. Non sine successu postmodum in aliis tentavi. Nam valde tum temporis grassabantur catarrhi, & apud plurimos credo, a defluxionibus acribus & mordacibus subsecuta hæmoptysi, quibus pro sistendo sputo sanguinis, tincturam primo lapidis hæmatitæ, mox pro consolidatione oleum dedi lini; unus tamen ex iis factus phthisicus & mortuus. Pharmaceuticæ is erat deditus, qui ex esu nucum tam recentium, quam postea aridarum in catarrhum, mox in hæmoptysin incidit, quam excepit, licet omnia, quæ poterant, adhibita, phthisis & mors. Asserebat is mihi se jam semel passum fuisse hæmoptysin in Suecia, cum Holmiæ theriacam dispensasset, & catinum non admodum gravem sine violentia ab igne removere voluisset, sed remisisse post usum convenientium medicamentorum, jam vero quinque elapsis annis hic iterum theriacam dispensaturum eodem denuo correptum affectu. Non penetravi, an huic dispensationi quidquam tribui potuerit, cum parva nec multis indiguerit viribus, potius autem, ut dixi, ex esu nucum contractam tussim, & ex ea propter validam pectoris commotionem, prius consolidatam venam ruptam arbitror. *D. Caroli Raygeri.*

Anatomicæ Inspectiones.

Hæmoptysis à Pulmonibus Sanguine nigro, liquido, cum sanie refertis.

Illustr. Comes sanguinem tussiendo exspuerat; Dissecto corpore, ut an recte de abscessu sensissem judicium fieret, Inventi sunt pulmones sanguine nigerrimo, liquido, cum aliqua sanie, citra propriam suppurationem redundantes. *Hier. Cardanus Art. Curat. p. 294.*

Hæmoptysis ab inflammatione Pulmonum & Lateris dependens.

Vir sanguineæ & biliosæ temperationis in febrem assiduam delabitur, cujus cum diuturno rigore fuit initium, tussi, dolore pungente, Sputis cruentis &c. 7. die alba ea visa sunt, qua transacta rursus febris invadit cum rigore & Spuitione cruenta nigricante uberrima &c. Mortui xiv. die secto cadavere, pars dextra pulmonum fuit inventa corrupta, nigricans, tanquam sanguis concretus, & ejusdem lateris etiam pleura male affecta. *L. à Fonte consult. 9.*

Sectio Cadaveris Hæmoptoici. A Clar Sylvio in Nosocomio Leidensi administrata 1664.

cujus pulmones multum sanguinis nigri & concreti continebant &c.

Nou. ii. die ante sex circiter hebdomadas cœpit male habere Jacobus de Vala: Tussi correptus est & sanguinem spuit, maxime lecto decumbens: Conqueritur de difficili respiratione: Quando plus potat magis etiam sanguinem spuit: Urina cruda; Sedimentum pituitosum: heri sensit dolorem circa lumbos, qui adhuc adeo continuat ut erigere corpus non possit: Cumprimum inciperet male habere, per totum diem à laboribus incaluerat, noctu vero domum rediens à frigore læsus fuerat, unde primum tussis, quam post duas hebdomadas sanguinis sputum consequutum est: Jam tabescit & debilis fit: pro consolidatione vulneris, quæ promovenda cito, ne in ulcus evadat, utatur sequenti medicamento.

℞. Aqua plantag. ℥iß. fœnic. ℥j. acet. stillat. ʒij. sangu. drac ℈j laud. opiat. gr. ij. syr. myrth. ℥j. assumet subinde cochlear: Nou. 12. melius in omnibus habet: dolores enim lumbares non sentit & paucum quoque sanguinis dejecit: Perget ulterius eo ut: Nou. 13. heri vesperi edit lac dulce, unde noctu summis anxietatibus fuit pressus: Secunda nocturna sensit frigus; forsan paroxysmum febrilem habuit: Tum vehementissime (durante frigore) sitivit, cerevisiamque frigidam bibit, quam tamen præ nimia linguæ & faucium siccium siccitate non gustare, neque sitim illa extinguere potuit: A frigido sumpto adhuc magis anxius factus, vehementem cordis palpitationem passus est: Malum hoc, unaque frigus fere per 5. horas duravit. Die 14. sitis non tanta fuit, ob usum posterioris misturæ, (vide infra scholia) Pauciorem sanguinem exspuit: Die 17. melius habet; iteretur mistura 13. Nou. præscripta: Nou. 19. Hodie hora tertia pomeridiana assidens foco luculento habuit paroxysmum febrilem: Somnolentus tum fuit, sensitque gravitatem per universum corpus: & frigus, simulque tremorem, nec frigus, nec dolorem speciatim sentit in lumbis, sed tantum in ventre circa umbilicum, partibusque extremis inferioribus: duravit circiter per horam, nullusque calor subsequutus: Multum jam sitit, sumpsit misturæ aliquid, Non quiescit, semel dejecit: Die 20. iterum habuit paroxysmum post prandium: Frigus iterum in abdomine & artubus, sed & in regione lumbari, vehementius quoque fuit hesterno, perque duas horas duravit: insequutus calor per horam permanens: Valde sitivit, utque sitim levaret comedit integrum malum citrium: Nondum alvus hodie suo munere functa.

℞. massæ pil. cochiar. ℈ß. troch. alhand. gr. v. resin. Gial. gr. 4. ol. gargyoph. gtt. ii. m. f. Pil. n. 5. assumet cras summo mane: iteretur simul mistura 13. Nou præscripta; adde laud. op. gr. 1. Die 21. pessime habet, doloresque habet in hypochondrio sinistro, Non potest respirare graviterque anhelat: Nullum frigus sentit: à pilulis hodie mane assumptis, à meridie tantum semel sed parum dejecit.

℞. Aqua hyssop. petrosf. fœnic. ana. ℥j. tinct. cinnam. ʒß. spir. salcom. gtt. 5v. syr. fœnic. ℥j. m. assumet subinde coclear. Die 24. Nou. valde statim ab usu misturæ ab angustiis & anhelationibus, à quibus videbatur suffocari, levatus est; continuabit usum ejusdem misturæ: Die 25. conqueritur de tussi sicca, quæ per biduum illum jam afflixit, unde non quiescit, item crura tument & quasi distenduntur, Non dejicit; habet adhuc misturam, Pro Tussi.

℞. Massæ pil. de Cynogl. ℈j. f. Pil. n. 2v sumat æger subinde unam: Die 26. Ante octo annos erysipelate laboravit in utraque tibia, à qua quidem nullam huc usque amplius molestiam sensit, rubor tamen permansit: Occupaverat rubor ille pedem quoque, sed i e colorem & cutim mutavit: Nunc iterum pes dolet, supraque & infra ruborem illum pedes v. l. de tument & splendidi fiunt: Non dolores tantos in pectore expertus est minusque tussivit, commodius quoque quievit: continuabit in usu misturæ & pilul. de cynogl. Pro Erysipelate.

℞. Aqua plantag. fumar. ana ℥iv. acet. sambuc. spir. vini vulg. ana. ʒij. m. lintea liquore illo tepido madefacta circumponet pedibus & loco affecto. Die 27. heri vesperi lac dulce comedit, & hodie mane, à quo & noctu & hodie pessime habuit: Non dejecit, unde abdomen valde tenditur, Rubor ille pedum sensim minuitur & in livorem abit; Perget uti medicamentis præscriptis: Die 28. Novembr. iterum pessime habet, difficulter respirat & graviter anhelat, inprimis si incurvet corpus, tum videntur ipsi partes interiores quasi infringi: Ter dejecit crassa excrementa cum torminibus in parte superiore abdominis: sanguinem rursus excrevit, hodie octies, sed parum singulis vicibus: Abdomen jam non distentum neque flatus emisit: Conqueritur se jam nihil commodi à mistura sentire: iteretur mistura 21. d. præscripta, adde sangu. draconis ℈ß. Obiit.

In Cadavere ejus dissecto 2. Dec. Liquor tenuis & serosus repebat in corporis habitu sub cute inter musculos & pinguedinem, unde ipsa pinguedo mollior & laxior erat: Omentum non tegebat intestina, sed ad latera deflectebat: Intestinum crassum inflexum infra umbilicum erat: Color Intestinorum carneus & solito rubicundior: Intestina crassa flatibus turgebant, tenuia non item: Tenuium tamen vascula turgebant, quod fieri solet à doloribus Aqua abdominis cavitate continebatur subflava & subsalsa; initium nempe hydropis; cui aliqua purulenta meteria juncta erat: Jecinoris color subpallidus, qui color fere ab aquis præsentibus provenit; folliculus fellis externe instar membranæ albicabat, nihilque omnino fellis continere ob tenuitatem videbatur: Lien satis grandis, & parti posticæ & vicinis annexus; color ejus pallidior justo, substantia firmior erat: Pancreatis substantia satis elegans: Ductus illius magnus: immissus in ductum liquor variis in locis pancreas non tingebat; ex Thoracis cavitate aqua copiosa valde effluebat, clara, limpida, nec tam salsa quam quæ in abdomine erat: Pulmones costis annexi, imprimis sinister; Aqua illa ex dextro pectore promanabat; In sinistro pectore aliqua quidem aqua, sed pauca conspicienda erat; Color Pulmonum solito erat obscurior, lividior, substantia firmior & à flatibus distenta, Multum sanguinis in ipsa Pulmonum substantia hærebat interiore, qui nigricans &

cans & coagulatus illam distendebat, occurrentibus passim particulis durioribus, quæ sensim in apostema abire solent: Die 3. Dec. aperto capite cerebrum vidimus copiosum ac firmum, quod Cl. Sylvius post meridiem accuratissime demonstravit: Die 4. Dec. cum absente Cl. Sylvio, ipsius permissu ulterius scrutaremur cadaver, deprehendimus in utroque cordis ventriculo materiam crassam, fibrosam, quasi carneam-Polypum vulgo dicunt, quæ in omnia vasa extendebatur in cor exeuntia: præcipue vero ex jugulari sinistra eduximus tres spithamas longitudine superantem: Erat autem illa materia in ipsis cordis ventriculis crassitie insigni, cui multum grumosi sanguinis adhærebat, annexa cordis carneis fibris, easque suis fibrillis amplectens: in medio continebat sanguinem grumosum, videbaturque minuscula vasa habere: in aspera arteria aperta materiam spumosam, pituitosam, cumque pauco sanguine mixtam, qualem vivens sæpe excrevit, Humorem in pericardio copiosum similem illi qui in abdomine repertus fuerat: In folliculo fellis bilem & substantia & colore vere vitellinam, paucissimam, eamdemque aperto per incisionem variam ipso hepatis parenchymate, in plurimis ductus Hepatici ramis hærentem vidimus: Renis sinistri pelvis erat magna, extra ipsum renem propendens, ureter naturali longe amplior: Facta incisione in tibia Erysipelate affecta, vidimus substratam carnem integram, cute tantum læsa, à qua cuticula facillime separabatur: Matthias Paisenius in miscell. cur ann. 4. & 5. observ. 193.

Sanguinis sputum à Pulmone sphacelo infecto manans.

Cum tussi sanguinem excerni, modo pulchre rubentem, alias pituitæ, puri aut sputo permixtum haud infrequens est: Nigrum vero atque spumosum ejici, ut concretus & undequaque porosus spongiam aut pumicem referre videatur, rarissimum, hujusmodi autem à nonnullis cum tussi rejectum, non ex vase aliquo rupto, huc ex pulmonis ulcere, sed ab ipsa pulmonis substantia ac parenchymate profusum suspicati fuimus, nec fefellit nos conjectura: Nam pictoris cujusdam, qui cum valida tussi hujusmodi sanguinem rejecerat, pulmonis pars quædam nigricans reperta sphacelo correpta, in qua magnus & profundus sinus, nulla interim sanie, nullo pure vel hanc vel reliquam partem occupante: atque ex hoc sinu sanguis corruptus, nigricans, atque cum eo siderata parenchymatis pars cum tussi rejecta: Similem & ichtyopola quidam sanguinem exspuit, cujus & pulmo eodem modo affectus fuit. Cerevisiæ coctor ejusmodi sanguinem cum valida tussi ter reddidit: in hujus autem Pulmone, plurima parte nigro, tres patuerunt sinus: Semper autem talem affectum incurabilem judicavimus, vitam tamen produci ad aliquod tempus posse, bona beneque instituta victus ratione, haud alienum est: Pictor plusquam mensem supervixit; Cerevisiæ coctor bis evaserat, sed & in tertia exspuitione subito periit' veluti & ichthyopola qui & in sanguinis sputo defecit: *Dodonæus observ. medic. cap.* 24.

Hæmoptysis ab aneurismate in Pectore, aperto per exesionem.

Joh. Pauli homo ebriosus, circa 50. ætatis annum in aneurisma incurabile incidit: anno 1640. circa Autumnum, cum supra modum inebriatus fuisset, postridie anxietate quadam pectoris correptus fuit, quam primo negligebat consueto more vivens: Circa initium sequens anni, Tumor cum valida pulsatione, circa claviculæ sinistræ & sterni conjunctionem subortus est, qui ab omnibus judicatum est anevrisma insanabile, eo quod ab internis initium sumpserat: Medicina ea tantum adhibita fuit quæ sanguinis calorem mitigaret, & quantum possibile tumoris augmentum prohiberet: Sed omnia frustra, nam tumor in tantum increvit, ut exterius pugni magnitudinem multum superaret, & interius respirationi non leve impedimentum afferret: 12. Novembr. circa vesperam, per tussim incepit rejicere grumos nigri & concreti sanguinis, unde tumor multum imminutus fuit: Sed cum continua ea esset sanguinis excretio, summo mane vitam finiit.

Cadavere aperto, in Thorace statim sese conspectui dedit dilatata aorta arteria descendens, cujus paulo supra divaricationem tanta erat amplitudo, ut duas libras sanguinis & ultra capere posset adeoque iste tumor ad latus asperæ arteriæ increver atantrorsum, ut cuti proxima esset ipsa arteria: Sed ea ipsa in loco sub aspera arteria exesa esse videbatur, simul & postica pars asperæ arteriæ, unde suprema ipsi nocte ea sanguinis evacuatio: Quæ tamen non confertim processit, uti plerumque in ruptione anevrismatis fieri consuevit: ideoque videtur verisimile ob summam ægri debilitatem, sanguinem in tumore contentum refrigeratum atque concretum fuisse. *Otho Heurnius observat.* 27.

Hæmoptysis à percussione Pectoris & contusione interna.

Rusticum eques quidam ebrius in campo adortus, in thorace sclopeto percussit, & in terram dejectum equo calcavit; unde dolorem protinus in latere sentiens, sanguinemque excreans, post septimanas aliquot exspiravit. Judice criminali Medicorum judicium, an ab hac vi illata mortuus sit, inquirenti? Corpore aperto, internisque diligenter inspectis atque examinatis, talis ab illis sententia lata est.

Cum prius ante hunc casum minime ægrotarit, sed tunc primum cum læsus fuit, dolorem vehementem & perseverantem in illo latere senserit, sanguinemque exspuerit; atque post apertionem pectoris intrinsecus contusionis signa eo in loco apparuerint, sine dubio percussionem illam atque ictum ex calce equi, mortis causam fuisse. *F. Platerus obs. p. m.* 785.

Anatome Hæmoptici, cujus Pulmones summa parte obsidebat tuberculum crudum, è quo acris materia prodibat eos erodens.

Christ. Hallerus, homo proceræ staturæ, æta-

tis 45. cholericus, laborabat destillatione tenui, aliquando salsa ad pectus & ad fauces, ita ut cum fluxus ille inciperet, aliquando per os ad pondus dimidiæ libræ effluebat, tandem incidit in sputum sanguinis copiosum cum tussi: Habebat etiam à multis annis Tuberculum circa furculam, in latere dextro pectoris, quod aliquando crescebat, aliquando decrescebat, & mutabat interdum colorem: interdum enim album, interdum rubrum apparebat: Tandem tussiens in momento aperta denuo vena, vel potius rupta, in momento suffocatus est:

Secto ejus corpore, invenimus tuberculum crudum spongiæ haud dissimile, adnatum pulmoni circa furculam, in latere dextro, quod ex materia tam acri erat natum, ut fere adjacentis costæ mediam partem consumpserat, omnis etiam sanguis redibat in pulmone collectus, cum cæteræ partes viderentur exangues. *Ex Joh. Hessi observ.*

Hæmoptoici dexter Pulmo tumidus à sanguine illic subsistente repertus.

Post sanguinis sputum in φθινώδει corpore, ad duarum librarum mensuram, ingentis in dextro Pulmone sensus ponderis aliquot septimanarum decursu animadversus: rejecta materia flava, crassa, viscida, tenax, frustillatim tenui aqueæ copiosæ innatans: adaperto iterum vasculo hæmoptysis urgebat: Ea sine negototio sedata, continuabat excretio priori similis: Aderant indicia Hecticæ non levia, putridæ intermista, & Dyspnœa, dextro potissimum in latere: Sanguis nullus excreabatur, sed alba solum, tenax, viscida materia viribus exhaustis anni quadrante elapso, suffocatus abibat ad plures:

Aperto thorace, dexter pulmo tumidus, adeo ut totam illam impleret cavitatem: inciso Pulmone, in circumferentia sanguis spumosus crassus effluebat: incisis & divisis bronchiis, alba ut materia fere tota referta erat, ita illa effluebat puris speciem præ se ferens planissimam, qualem multis ante septimanis ejecerat: quam si extussire potuisset, nondum vitæ terminus adpropinquasset.

Alius Hæmoptysi correptus, & ab ea sine negotio liberatus, statim gravitatem pectoris sensit, & tensionem in brachio dextro, circa axillas molestam: Aliquoties sputo sanguinis suppresso, de eadem gravitate conquerebatur: Tandem illa gravitate pectoris vires sumente, dyspnœa febrique hectica superveniente, suffocatus ultimum mundo vale dixit: Nullum dubium si cadaver apertum fuisset, eundem deprehensum fuisse statum. *Rolfinckius Dissertat. Anat. lib. 1. cap. 13.*

Hæmoptysis à fluxione acri, tracheæ partem cum Pulmonibus erodente & lævem arteriam.

Lobum pulmonis sinistrum cujusdam erodebat ulcus, è tussi inveterata & fluxione salina Hæmoptysin inducente oriundum; quod levis arteriæ divaricationem lobo insertam una pereserat; Dissecto cadavere tracheæ pars erosa, cui cicatrix inducta fuerat varicosa: lobo vero pars adnata callosa conspiciebatur. *Bennettus Theatri Tabid. p. 95.*

Exsputio cruenta Vomicæ in Pulmone disruptionem fere præcedit.

Non pauci subito è vivis erepti sunt, in quibus non alia mortis causa comparuit quam repentina Vomicæ disruptio in Pulmonibus: Omnibus sic affectis, multo tempore antequam vomicæ rumperetur, cruenta excreatio præcessit è Pulmonibus, eaque cum tussi &c. *Fernelius Pathol. l. 5. cap. 10.*

Anatome Hæmoptoici, qui Phthisicus interiit.

Henricus N. Phthisicus obiit: in dextro thoracis latere, ubi majorem dolorem senserat, inventa sunt fragmenta bronchiorum à substantia Pulmonum avulsa, cum sanie copiosa: Laboraverat longo tempore antea sputo sanguinis, unde hujus miserandi mali principium. Bronchiorum fragmenta & saniem copiosam, dum viveret, in magna quantitate ejicere consueverat. *Vide tit. de Phthisi.*

Sanguinis & puris sputum sine Pulmonum offensa aliquando contingit.

Exspuunt non semel statis temporibus quidam cum pure sanguinem nec tamen Phthisici sunt, nec ulcus ullum in Pulmonibus habent: Hujus census tres novit Sala, quorum duo exspuerunt statis vicibus pus & sanguinem sine pulmonis ulcere, quippe sanati sunt & bene valuerunt, tertius adhuc vivit sanus: nam ex rupto abscessu inter thoracem per Pulmones quidem expurgata est materia, sed sine ejus læsione; quod in cadaveribus duorum dissectis eidem apparuit: adest quidem in hujusmodi impedita respiratio, febrisque lenta, sed absterso pure & exsiccato ista signa disparent. *Bartholinus cent. 4 histor. 17.*

Hæmoptysis à cordis ulcere orta

Die 3 Januar. 1634. vocatus sum ad filiam D. N. annos. 14. natam, quæ antea per multos dies laboravarat vomitu pituitoso semel aut bis in die invadente, horis præcipue matutinis, cum cardialgia per intervalla affligente: item patiebatur dolorem in summa scapula sinistra & summitate brachii qua humero committitur; Nocte insequente, quæ erat quinta à prima invasione, correpta est alvi fluxu & febre quæ tota die eam detinuerunt. 6. Sumpsit rhei pulveris. ʒj. cum jusculo, & pluries dejecit, febris perserverat, nocte bis tantum dejecit, per duas horas dormivit 7. alvi fluxus perseverat, sed minus frequens, ut locum dederit venæ sectioni, qua missus fuit sanguis ad ℥iv.: Hæc duo peculiariter à febris invasione notavimus, quod Pulsus fere semper erat intermittens, Et cum dolor prædictus in eadem parte fixus permaneret, neque ad thoracem ullo modo pertingeret, ægra tamen non poterat in illud latus, quod erat sinistrum, decumbere, quin statim cardialgia & tussi corriperetur; ita ut perpetuo super latus dextrum decumbere cogeretur: Tussis sicca eam infestabat per intervalla; flatus emittebat interdum superne & inferne: 8. Eadem sympto-

dem symptomata perseverant, præcipue cardialgia per intervalla recurrens, & pulsus intermittens inæqualiter: Somnus paucus: continuabantur cardiaca, sumpta & admota, tum vermes enecantia ac ventriculum roborantia: Urgente admodum cardialgia, exhibitus est Salis absynthii ℈j. cum succi limon. cochleari, unde optime habuit per horas aliquot, sed symptomata redierunt, noctu urinæ erant crassæ & satis pallidæ. 9. Admotum fuit vesicans cervici, quo tussis cessavit: antea dolor humeri imminutus fuerat, & supra latus sinistrum melius decumbebat: Eadem die sumpsit medicamentum ex infusione ʒj. Rhei cum hieræ picræ ʒj. & syrup. de cichor. comp. ℥j. quo valde purgata est cum fructu, & alvi fluxus perseveravit per aliquot dies, unde prorsus convalescere visa est, cum tamen pulsus continuo intermitteret in 3. 4. vel 5. pulsatione: Postquam à lecto surrexit, intermissio pulsus desiit, manente tamen frequentia & ægra tussi premebatur, noctu præcipue cum difficultate spirandi: Quæ symptomata per longum tempus perseverarunt, ac præter difficultatem spirandi aderat per intervalla dolor lateris pungens, qui magis urgebat cum ægra in latus sanum decumberet, & contra gravior erat difficulas spirandi quando supra latus dolens decumbebat: febris perpetuo erat intensa, quæ omnia magnam suspicionem faciebant abscessus in sinistra pulmonis parte latitantis. Tandem die 34. morbi subito correpta est sanguinis sputo, quem per tussim excrevit ad ℥viij. circa meridiem; is autem sanguis erat satis crassus & non spumosus, quam ægra ipsa dicebat à capite descendisse: seque ante illius exclusionem, in faucibus percepisse titillationem, tum aliquid ejus mungendo per nares eductum fuerat: Attamen vespertinis horis sanguinis sputo redeunte, satis apparuit eum e pulmone ferri, erat enim totus spumosus, ejusque quantitas fuit ad ℔, Tum missus fuit de basilica sinistra, exhibitus julepus ex aqua plantaginis & papau. rhoead. cum sale prunellæ & syrupo de rosis siccis: utebatur tota nocte syrupis violaceo, de rosis siccis & de papavere simul mixtis, quibus Tussis sedabatur, excretionis reditus impediebatur & per intervalla dormiebat: Postridie mane iterata fuit s. m. ex brachio dextro, itaratus julepus, & multa alia remedia in hæmoptysi usitata, præscripta fuere in communi consilio habito cum D. D. Ranchino & de Lort: Sptum sanguinis rediit ad ℥viij. circa horam 11. ante meridiem, continvabant remedia & V. S. malleoli usurpata: Hora 4. vespertina redeunte sputo sanguinis copioso subito extincta est.

Dissecto cadavere, inventus est Pulmo colore albicante, costis undique & diaphragmati adhærens, tum etiam pericardio undique adhærebat, ut unum corpus continuum efficeret: Cor vero albicans visum est, & media sui parte fere, qua diaphragma respicit, exesum atque exulceratum, ut fibræ carnosæ semiputridæ summis digitis avellerentur: Et animadversum fuerat frustula quædam carnea, hujusmodi fibris simillima cum sanguine per sputum rejecta fuisse: ita ut verissimum sit istam ægram cordis substantiam sputum rejecisse, quod est valde mirum, cum autem in capsula cordis nullus humor repertus fuerit existimandum est materiam hujusmodi abscessum, seu ulcus, efficientem cum sanguine permixtam fuisse & per tussim excretam. *Lazarus Riverius centur. 1. observ. 67.*

Hæmoptysis ab inflammatis Pulmonibus, subsequente abscessu.

Pleuritis à Peripneumonia hac præsertim nota distinguitur quod in hac sputum cruentum primis statim diebus & largius diffluit, si salubris præsertim futurus sit morbus, sed diutius & 40. etiam dies, ut observavi in Nob. A. de Gatinois, qui à pulmonia & pleuritide complicatis convaluit beneficio tam copiosæ excreationis cruentæ, ut quotidie linteum unum & alterum lecto instratum tabo rejecto conplueret: Præterquamquod enim è pleura tanta cruenti sputi copia rejectari nequit, abscessus in Pulmone relictus, sed detectus quadriennio post in cadavere magni viri, à simili affectu recrudescente interempti, repertus satis docuit. *C. Piso de morbis à colluvie serosa sect. 3. c. ultimo.*

Hæmoptysis à sanguine melancholico è Liene & vasis mesaraicis transmisso

Vir 19. annorum constitutionis melancholicæ, hypochondriaca affectione per aliquot annos mire divexabatur, maxime tamen de dolore hypochondrii sinistri conquestus est, tandem prægressa suppressione fluxus hæmorrhoidalis, quo alias cum levamine fovebatur, hæmoptysi bis intra semestre spatium corripitur, qua etiam tertium redeunte purpuream *cum sanguine vomit animam.*

Impetrata licentia aperiendi cadaver, infimus venter in ad examen vocatus, in quo Lien quidem sat magnus, colore lividus & flaccidus: mesarajcæ, tam venæ quam arteriæ, tum & vasa gastro epiploica, atro sanguine turgescentia & quasi varicosa conspiciebantur: Ad Renes vero cum deventum erat, eorum sinister flaccidior multo & magnitudine inferior dextro reperiebatur: hic vero dexter in parte superiori extrorsum, cysti donabatur ad magnitudinem pilæ usoriæ, sero subflavescente turgida, qua dissecta, ac cum impetu proruente humore, nulla via conspicua erat perquam vel excretio vel ingressus sero pateret: quantum conjectura assequi licuit, videbatur dicta cystis ex membrana communi Renis conflata. Ad medium ventrem ubi deventum, in eo Pulmones sanguine nigro fermentescente turgescentes ac inflati comparebant: Talis etiam sanguis in Liene, & confinio venæ portæ ec dextro cordis ventriculo conspiciebatur.

Hinc conjectari licuit ex fermentatione nimia humoris melancholici, massam sanguineam orgasmo concitatam, cum per consuetas vias evacuatio non pateret, per ramum splenicum in Hepar, inde in cavam ac dextrum cordis ventriculum, exindeque per venam arteriosam seu arteriam pulmonalem facta vel anastomosi, vel ruptura ad superiora regurgitasse, ibique ob copiam & viarum angustiam circulationem sanguinis impeditam, indeque huic viro flammam vitalem extinctam fuisse. ex observ. Laur. Wolf.

strigel Medici Viennensis, in miscellan. curiosis anni 1970.

Hæmoptysis à Iecore per fibras costis nothis annexo.

Vidi in hac Civitate Senatorem Clarissimum, qui cum ardenti febre correptus spumantem sanguinem spueret, falso judicatus est Pleuriticus, quia non à thorace sed ab hepate inflammato sanguinem spuebat, cum hypochondrii dextri dolore, & sine dolore lateris, tandem interiit: Dissecto hujus cadavere, inventum est fibris quibusdam connexum hepar cum nothis costis, ut inde vix avelli potuerit: *Duretus annot. in Hollerii lib. 1. cap. 26. de morbis Int.*

Hæmoptysis ob Sanguinem è Iecore in Pulmones transfusum, eo per totum distentos.

R. P. Hieronymus Griffius, ordinis Prædicatorum, Juvenis optimo habitu præditus, in sanguinis sputum copiosum incidit, spumosum valde secundum totam substantiam, ita ut post concretionem totus cavernosus instar spongiæ appareret, ad differentiam sanguinis cum spuma, quam in superficie tantummodo conservat, una cum hypochondrii dextri dolore, Et dum sputi sanguinis curationi incumberetur, idem fluxus repetit sæpius, concomitabatur etiam tussis vehemens, cum sputi pituitosi copia non mediocri, ita ut dum alii Medici huic curationi adhibiti, timentes tabem, humectare corpus, jam sanguinis fluxu sedato, tentarent, à sputi copia suffocaretur: Quapropter ego Coacæ 360. sect. 2. authoritate permotus, ad Hepatis curationem me contuli remediis communibus, quæ hepatica medicamenta dicuntur, & inter ea Trochiscis cypheos, quos singulo mane exhibui, à qua curatione adeo sublevatus est ut sibi sanus videretur: Quia tamen ante perfectam sanitatem frigidiori vento se exponens à febre magna correptus est, eaque continua cum siti, spirandi difficultate, tussi, aliisque symptamatis gravioribus, à qua 25. dierum spatio extinctus est.

Cumque aperto cadavere partes læsas inspicere procurarem, unum primo occurrit mirabile, quia ventriculus omnino vacuus est inventus, etiamsi antequam moreretur, spatio non ultra 4. horarum plurimum commedisset, videlicet ferculum ex pane contrito, tria ova, panem & carnes [erat enim per totum morbum vorax multi cibi, nec ab eo se continere poterat) sed & intestina fere penitus inanita erant: Hepar satis magnum erat, alioqui sanum; Pulmo totus sanguine repletus mirum in modum tumidus apparuit, ita ut non vasa tantummodo turgerent, sed per totam substantiam sanguis conglobatus scirrhi duritiem æmularetur, Nulla tamen alia læsio in eo apparebat: Cor & circumsitæ venæ sanguine mirum in modum repletæ inventæ sunt, & in latitudinem immodicam distentæ, imo & sinister cordis ventriculus sanguine repletus erat: Turgebant pariter venæ omnes, quæ per costas disseminantur; *Prosper Martianus comm. in aph. 11. sect. 5.*

Hæmoptoe, Tussis, Pleuritis, & Empyema, à duobus Claviculis fortuito in Pulmones delapsis.

Vir quidem ex occupatione Cæmentarius, cum pro more in munere fungendo claviculos in ore detineret, ex forti cachinno dum sursum aspicit duos in Pulmones fortuito demisit. Illico ingenti tussi correptus est, & hæmoptoe; & ab illo tempore molestiam circa pectus sensit, nihilominus fungebatur munere solito, & post elapsum annum uxorem duxit. A. celebratis vero nuptiis Tussis magis sæviebat, an à Baccho, Venere, tripudiis vel à suscepto frigore me latet. Post 4. dies ingenti dolore dextri lateris, anhelosa respiratione & febre detentus, Dominum Morton, ut ipsi medicinam faceret, accersit. A. datis medicamentis dolor iste Pleuriticus evanuit; Febris vero, vigiliæ & importuna tussis usque perseverabant. In tantum vero quandoque sæviebat, ut erecto corpore per longum spatium cum maxima violentia miserum defatigaret. In cassum vero tentatis vel optimis medicaminibus, & habito jam Prognostico, exspirans fere tandem Medicum admonuit, de deglutitis (ut ipsi visum est) clavis. Dissecto corpore, dextri lateris Thoracis cavitatem materia purulenta repletam offendimus. Pleura hic insigniter crassa, alba & putrida fuit, & membrana dextrum Pulmonis lobum investiens ejusdem indolis. In eodem lobo Cystidem observavimus pure valde foetente & instar Meliceridis repletam. Pulmones discolores fuerunt, & fere nigricantes, utrique lateri adhærebant, & sanguine & pituitosa purulentia multum infarcti. Juxta Trachæam ubique glandulas frequentes advertimus, viscida nigricante materia obsitas; & in ipsis Pulmonibus alias insignes materia steatomatosa turgidas. In cavitate vero Tracheæ intra Pulmones ubi se in bronchias seu ramificationes suas diffundit, clavos istos duos juxta sitos, purulentia quadam obsitos & rubigine obductos, miseri hominis fati misericordes invenimus. *D. Ednard. Tyson. Medic. Anglic.*

Exenteratio Ancillæ Hæmoptysi extinctæ.

Hæmoptoicam passionem, uti videre est in Ephem. Ann. 2. observ. 45. cum sanguine spumoso & florido sine dolore, tussique excreto curavit Excell. ac Experientissimus Dom. Dom. Georg. Wolfgang. Wedelius P. P. Medicus Ducalis Saxonicus, Vir certe de Arte nostra multum meritus. Ejusmodi hæmoptysin in ancilla 18. annorum temperamenti cholerici hac in civitate Hanoviensi servitiis addicta observavi, quæ tempore matutino surgens, patre familias adhuc dormiente, valvulas fenestrarum aperit, hoc peracto, illa ad hypocaustum alta voce, ejulans accurrit, à quo clamore ejulatuque herus domus expergefactus ancillam in terra prostratam, sanguineq; fere obrutam stupens aspexit; Ego vocatus

vocatus puellam in sanguine quasi natantem, exanimatamque offendi. Cadaver ad secandum ab hospite petii, hospes annuit: aperto cadavere sequentia notatu digna; multis viris spectatissimis præsentibus, reperi. Abdomen dissectum exhibebat cuncta viscera optimè constituta ovarium multis ovis tenuissimis membranulis præditis refertum, siphone intruso, lacteque per ductum Fallopianum emisso, evanuere o a, quæ illustrant nostram conceptam opinionem, quam de conceptu fovemus. Hepar justæ erat magnitudinis sine vitio, folliculus fellis totus bile vacuus reperiebatur, nullam enim (vera dico) guttulam bilis exprimere poteram: thorax pulmones exhibebat ad nigredinem vergentes, inflammatosque in iisdem venam cavam diruptam, sanguineque multo spumoso refertam. Cor sanguinis albescebat, ventriculi cordis, arteriaque magna grumescentem continebant sanguinem, & vix uncia sanguinis in toto restitabat cadavere. Hisce perpensis, si causam mortis in bilem in sanguinem effusam eundemque nimis fermentantem conjiciat, fortasse haud à scopo aberrabis. *Johannis Dolæi.*

Hæmoptoici post obitum dissecti.

Advocatus longo tempore sæpe sanguinolenta, deinde purulenta expuit. Quæritur de magno dextri lateris dolore. Tandem è vivis excessit.

Libuit post mortem pulmones indagare, Utrinque costis firmiter non tantum adnati sed & interius diaphragmati.

In l tere dextro fragmenta quædam bronchiorum, cum pulmonum membranosa substantia erant avulsa & putrida: pus cruentum copiosum. Vox clangosa fuit.

A sanguinis sputo puris sputum malum: atq; hoc in nostro causarum patrono manifestum; ab incunabulis ei pulmones diaphragmati connexos fuisse facilè fidem meretur. A quavis occasione; idque à longo tempore, forte nimio corporis motu, aut alias, sanguis, quàm potuit celeriter, per pulmones ruebat, unde vasorum pulmones perreptantium ῥῆξις, sanguinisque effusio; cu us putredine adjacentes partes corruptæ, imò & tracheæ ramulus unus aut alter, qua via materia sanguinolenta extussiri debuit. Interim cùm plaga in principio neglecta fuit, tandem & purulenta ejecit; quia vascula lymphatica à sanguinis effusi compressione obstructa lympham effundebant, quæ post aliquid temporis moram in pus versa est.

Haud mirum eum de dextri lateris dolore conqueri, cum ob diaphragmatis & pulmonum connexionem respiratio libera & denegata fuerit, nam respirando membrana connectens jugi fibrarum elongatione læsa fuit.

Porrò cùm pulmones perforati sint, aut alio modo læsi, vox ipsa variatur hinc clangosa facta est. Pro varia enim pulmonis & laryngis dispositione, etiam vocum efflatio mutatur, quod unicuique obvium. *Stephan. Blancardus in Anatomia Practica.*

Unde quadraginta annos natus vir, ut dicitur, melancholicus, & hypochondriacus, per aliquot annos de dolore sinistri hypochondrii vexatus, incidit post prægressam fluxus hæmorrhoidalis suppressionem in sanguinis sputum singulis tribus mensibus repetens, ast tertio rediens animam evomuit cum sanguine.

Lien non tantùm magnus, sed & lividus & flaccidus. Vasa mesenterii & omenti atro sanguine turgebant & varicosa videbantur. Ren sinister solito flaccidior & magnitudine inferior dextro: dexter vero in parte superiore extrorsum vesiculam ad magnitudinem pilæ lusoriæ, latice subflavescente turgidam habuit. Pulmones sanguine nigro referti ac inflati.

Quorum cruor aciditatibus abundat inspissata sanguine gaudent; non quòd sanguis ad saporem usque acidus fit, sed cujus particulæ saliuæ volatiles instar salis armoniaci sint, quod in officinis venditur; illud quippe constat quidem ex particulis volatilibus, verùm ab acidis particulis ita donatum, ut vix sui juris sit, nisi addantur aliæ quædam particulæ plane alcalicæ, tunc acidum domatur, & quod volatile erat, jus pristinum, in statu volatilitatis existens, possidet. Ad eandem plane normam res se habet in ægro nostro, cujus sanguis ita est inspissatus, ut inde obstructiones patiatur. Revera quantum acida nocent norunt ii qui acetariis quotidie vescuntur, vel in morbos vagos, vel chronicos, cùm adoleverint, incidunt; nisi exercitiis inutile acidum (rustici enim, præsertim in Frisia serosa lacte, nec non sero acido multa copia utuntur) per diaphoreseos vias evaporare cogant. Verùm desides ac studiis continuis dediti, nullo exercitio corpus suum & sanguinem commoventes, non multum transpirant, acidumque in sanguine servant; & hinc, proh dolor! illæ lachrymæ.

Sanguis ita inspissatus & in liene à particulis tenuibus (lien enim multum lymphæ à sanguine segregat, inque chyli cisternam ablegat) liberatus magis densatur, adeò ut ipse lien obstruatur, hinc hypochondriaca passio sive lienis intumescentia. Ob eandem causam, sanguis per arterias hæmorrhoidales in venas eiusdem nominis transire impotens partes ani distendit, & aneurismata concitat, quib. ruptis sanguis effluens fluxus hæmorrhoidalis dicitur. Sæpe tamen varices eodem in loco concitantur, sed hoc plerumque fit à prægressa alvi constipatione, qua sanguinis regressus impeditur ita ut venæ magnopere distendantur, tandemque rumpantur.

Incidit quoque æger noster in sputum cruentum, seu hæmoptysim; quod non mirum, quoniam sanguis etiam per pulmonum vascula sanguinea liberum transitum non habens, & ab adveniente per arteriam pulmonalem, sanguine propulsus, tenera vascula ita dilatavit, ut tandem rupta sint, unde sanguinis extravasatio, & per tracheæ ductus excretio. *Idem ibidem.*

Mulier apud nos obstetricatoriam exercens artem & jam 73. annos nata, jam dudum hæmoptysi obnoxia vixerat, cui ultimis vitæ temporibus tantus se adjunxerat dolor radices mammæ dextræ occupans, ut ibi cancri malignioris seminia delitescere crederent quidam; Baccho interim non parum litabat ac merum paulò largius ebibebat, unde tandem, in inflammatorium quid incidens, ac sanguinem pleno quasi alvo tussi rejiciens, animam efflavit.

Aperto thorace pulmones in universum malè affecti visebantur ac præcipuè dexter major lobus

bus, is enim per totam suam investientem membranam costis adhærebat, ad latera scilicet, anterius & posterius; imò cùm aperiretur cochlearia aliquot puris fœtidioris ex abscessu contento fundebat. Notandum autem quod pars pleuræ abscessui memorato apposita, non parum livebat, unde procul dubio dolor ille qui cùm in ima persentiretur dextra mamma, cancri suspicionem faciebat. Scilicet ichor ex hoc foco continuo transudans, pleuram salinis suis aculeis, causticum quid redolentibus, perterebrans, ejusque texturam sensim destruens, gangrænosam induxerat dispositionem, unde non mediocris dolor enatus fuerat, in parte exquisito prædita sensu; cujus cùm sedes non ita accuratè perciperetur, non mirum si ipsi musculi pectorales mammis suppositi accusarentur. Cor erat flaccidum, in ventriculo suo sinistro polypum duos transversos digitos cum dimidio longum, octo vero lineas crassum complectens.

Reserato dein abdomine vidimus ventriculum omnino flaccidum ac rugis prorsus destitutum; magnitudinis naturalem non parum excedentis. Jecur erat albidum ac siccum intus & exitus, non absimile jectori quod aquæ per aliquod tempus incoctum fuisset. Lien aderat naturali duplo major ac per sui substantiam & membranas prorsus dissolubilis, ita ut sub digitis ad instar luti tenuioris difflueret. Renes reperiebantur flaccidi, sed minimè ulcerati, quamvis in eorundem pelvi sanguinolentum contineretur lotium &c.

Hinc inhæsitanter asserimus serum acrius tot malorum causam extitisse, ac non tantum pulmonum vasa erosisse, sicque sanguini impetuosius per illa exilienti, viam aperuisse; sed etiam fibroso ac ex parte glanduloso renum corpori vim fecisse, & cum cruore admisto in ejus pelvim visum esse, imò totam lienis compagem ac texturam destruxisse & in purulentum quid convertisse.

HÆMORRHAGIA.

Curationes.

Sicut ars naturam imitatur, sanguinem copia, aut crasi, aut etiam motu peccantem, per phlebotomiam emittendo, ita huic laboranti, aut perperam agenti eadem succurrit, sanguinis effluxum, si quando immodicus, aut noxius fuerit, sistendo. Cùm variæ, & multiplices sint hæmorhagiæ species, ad eas omnes medicina non opus est. Si forsan continui solutione, per accidens externum, uti vulnus, aut plagam excitata, cruoris effusio magna contingit, Chirurgia administrationum modos, quibus cohibeatur illa, suggerit. Porrò hæmorrhagia dum critica fuerit, mero naturæ (dum sui juris est) regimini relinquenda, nulla medicina inturbari debet; quin ad symptomaticam, donec parva, ac minus incommoda est, ιατρικὴ minimè requiritur: attamem tum præcipuè, & ferè tantùm hac opus est, si quando sanguinis fluxus aut immodicus sit, aut per loca incongrua erumpat.

Eruptiones sanguineæ posterioris generis medelam imprimis exigunt, si forsan cruor tussi, aut vomitu sursum ejicitur, vel deorsum per sedem, aut vias urinarias excernitur. Enimvero in his casibus, licet sanguinis excreti quantitas sæpissime haud multum timetur: att men quia continui solutionem ita in pulmone, vel in stomacho, aut intestinis, vel in vena factam, non raro ulcus periculosum, aut exitiale sequitur; idcirco hæmorrhagiis istis à prima statim apparentia sedulo occurrendum est. Idcirco inter morbos illarum partium, tales excretiones sanguinolentæ recensentur; atque nos jam jam Hæmoptoes, & affectionis dysentericæ Theorias, & medendi rationes alibi tradidimus; ut non opus sit eas hoc in loco repetere: nec etiam urinæ cruentæ, siquidem ad pathologiam nephriticam pertinet, medelam hic proponere: quin vero ad pathemata ista, à quibus ob sanguinis effluxum immodicum, remediis ἰσχαίμοις præcipuè opus est, transibimus.

Hujusmodi affectuum species potissimæ sunt hæ tres, viz. hæmorrhagia narium, mensium, & hæmorrhoidum fluxus immoderati. Ultimi hujus curatio ad Chirurgiam magis quam ad Medicinam spectat, atque alterius consideratio nem ad pathologiam hystericam referre visum est. Αἱματόχυσις è naribus generalissima istiusmodi pathematum species, utpote à cujus diagnosi & Therapeia rite designatis, medicamentorum ἰσχαίμων usus, & efficacia optime elucescant: nam quæ ad hujus eruptionis sanguineæ causas, & curationem explicandas proferimus, ad ceteras quasque hæmorrhagias immanes accommodari possunt.

Observatio satis vulgaris est, sanguinis é naribus effluxum plerisque hominibus propter magnas occasiones passim evenire; nam quoties sanguis vel ob propriam turgescentiam, vel ob vasorum laxitatem, erupturus, alicubi viam facere, aut invenire aptus est, naturæ instinctu quodam sæpissime ad nares, quasi partem facillime aperiendam dirigitur. Vasa è quibus ibidem effluit, sunt propagines rami Arterialis à Carotide, postquam Cranio superato cerebri basin attigit, profecti; hæc enim juxta processus mamillares procedens, plures surculos quaquaversus à se dimittit, quorum aliqui notabiles, cum nervis olfactoriis foramina ossis cribrosi transientes, per membranam glandulosam summi naris antractus investientem distribuuntur. Arteriæ hæ nasales, à carotidis trunco, intra cranium primo abscedentes, sanguinis partem maxime serosam à cerebro anticipant, atque serum ipsum, & recrementa alia aquosa, in naris glandulas, velut propria istius regionis emunctoria deponunt, unde in cavitatem ejus destillant. Quapropter siquidem Arteriolarum istarum oscula propter seri exudationem seu per paululum dehiscunt, nihil mirum est, si ipse sanguis turgidior factus, eadem [quæ non raro ex se nimis laxa sunt) paulo amplius reserans foras erumpat. Profecto hoc tum seri, tum sanguinis emissarium ordinarie, aut pro data occasione recludi aptum, cerebri, aut præcordiorum, imo nonnunquam totius corporis magnas incommoditates præcavet aut curat.

Namque imprimis hac via serum (prout dixi) à capite derivatur, cumque vasorum istorum ora à Pharmaco nari immisso vellicantur ac irritan-

irritantur, serum exinde copiosius elicitur; quod tamen non à cerebro descendit, (uti vulgo putatur) sed ne ipsum petat, per arterias hasce nasales anticipatur; è quibus cum errhinorum usu uberius exprimitur ac emulgetur, propterea cerebrum magis serenum, & nebulis immune evadit. Dein secundo ne cerebrum à sanguine impetuosius inundante obruatur uspiam, portio hujus per hæc vasa abscedens, & foras erumpens facile impedit.

At vero interdum accidit, hujusmodi hæmorrhagiam in morbum, potius quam remedium cedere. Si quando enim sanguis a nare crebrius, & copiosius quam par est effluet, si non vita illico ob nimia ejus impendia periclitabitur, exinde tamen reliqua cruoris massa depauperata, & crasin suam amittens, diathesin Cachecticam, & non raro hydropicam acquiret; quemadmodum in superioribus satis clare innuimus: ubi insuper ostendimus hujusce affectus Ætiologiam, cum aliis hæmorrhagiis nimis communem, aut in sanguinis, aut in vasorum, aut simul in utriusque horum vitio consistere.

1. Sanguis per se hæmorrhagiam inducens, aut quantitate, aut qualitate peccat; proindeque dum occasionaliter effervescit, intra vasa contineri nequit, quin eorundem ora aut distendendo aperiens, aut acrimonia sua reserans, foras exilit: quibus accedit, quod sanguis interdum in compage solutus & quasi venenatus, circulationis filo continuando impar evadit, quatenus nimirum portiones ejus ab invicem decedentes, partim in carne aut cute defigantur necrosin passæ; partimque erumpentes, hæmorrhagias immanes & non raro lethales cient; uti passim in febribus malignis, & aliquatenus nonnunquam in scorbuto cernitur. Attamen sanguis mera quantitate, aut acrimonia peccans nisi vasorum culpa etiam superveniens effluxum ejus proritet, aut facile nimis permittat, raro in hæmorrhagiam immanem erumpit.

2. Itaque vasa sanguifera, quoties ad affectum istum producendum conspirant, in vitio esse solent, vel primo quatenus ob fibras nimis laxas, & debiles, oscula illorum dehiscentia, sanguinem ex arteriis in venas non expedite transvasant; quod vitium in scorbuticis, & cachecticis passim contingit; vel secundo quatenus ob easdem fibras motrices spasmodice affectas, & convulsas, sanguis huc illuc, & imprimis versus caput impetuose correptus, propter continuandum circulationis filum erumpere cogitatur; prout ex Ægrotantis casu (quem infra subdemus) plane apparebit.

Quoad Prognosin, etsi primo immoderatus sanguinis fluxus, in variolis, morbillis, febribus malignis, ac in peste semper malum portendat, eumque sisti expediat; attamen non meris refrigerantibus, aut revulsoriis cohiberi, sed per hydrotica temperata in diaphoresin commutari debet.

2. Hæmorrhagia narium haud immanis, in cachecticis cum pulsu debili, & sudore frigido, multo periculosior est, quam valde copiosa in hominibus sanguine præfervido, & pulsu satis forti præditis.

3. Morbo huic propter sanguinis dyscrasiam, simulque vasorum laxitatem obnoxii, si insuper fibrarum Arteriolarum diathesis spasmodica accedat, longe difficilius curantur; & non raro, propter magna sanguinis impendia, ad extremos languores rediguntur.

4. Quibus febricitantibus sanguis multus è naribus effluet, & morbum non judicabit, sæpe loco criseos, affectio delira aut soporosa succedit. Restant plurima alia circa hæmorrhagiam prognostica, olim ab Hippocrate accurate notata: quæ tamen ad πυρετολογίαν proprie spectantia hoc in loco præterimus, siquidem fere tantum affectus hujus in genere Therapeia hic intenditur.

Circa quam tres erunt primariæ indicationes, scilicet Curatoria, vitalis, & præservatoria. Duæ priores symptoma quoties urgebit illico sistendum respiciunt; ac ultima morbi causam, quo minus, aut minimæ hæmorrhagiæ insultus redeant, tollendam satagit. Præterea hæmorrhagia alio modo sine febre, & nonnihil diverso si cum illa urgebit, tractari debet.

Si quando igitur circa febrem, sanguis multus è nare effluxerit, illico ut remediis ἰσχαίμοις opus fuerit, tres erunt præcipuæ medendi intentiones, simul omnes in praxin sumendæ Viz. sanguinis turgescentia, quo minus in ῥοπαῖς inordinatas aptus fuerit, compescatur. Porro itidem detur opera, tum ut fluxio ejus à naribus avocata, alio divertatur, tum ut vasorum ora intra nares dehiscentia occludantur: in quos fines remedia, tum externa, tum interna quam plurima ac diversimoda adhiberi solent; de prioribus ordine ac breviter dicemus.

Primo igitur Ægrotans cum situ capitis erecto quietus maneat, dein brachiorum, & crurum artus una plures, sed non omnes ligaturis arctis constringantur; qua tamen subinde solvi, & in alias partes transferri debent; namque omnibus simul, & diu ligatis, propter sanguinem in externis detentum, & à corde nimis exulantem, leypothymias terribiles accidisse novi; secus autem hoc remedium prudenter adhibitum non raro juvat. Quippe cum hac ratione sanguis in membra per arterias excurrens, inhibetur ne statim per venas redeat, impetuosior ejus in caput latio impeditur. Porro per artuum ligaturas dolorificas, arteriarum carotidum fibræ musculares à spasmis, quos sæpe ineunt, avocantur.

2. Ad sanguinis ῥοπὴν à naribus devocandam, quandoque expedit venam in brachio, aut pede aperire. Quippe quo plus sanguinis per arterias ad venæ sectionis locum feratur, eo minus erit affluxus ejus ad nares. Attamen hæc administratio non usque adeo semper juvat, quin effectus ejus contrarius nonnunquam accidit; prout supra in Hæmoptoe notavimus. Cujus ratio est, quod vasa subito & non satis depleta, humores incongruos prius ejectos, & intra poros stagnantes, denuo resorbent; à quibus sanguis, illico in majorem turgescentiam eruptivam accietur.

3. Frigida fronti, ac temporibus, etiam nuchæ, ubi arteriæ vertebrales ascendunt, applicata, vasa constringi, & sanguinis affluxum nonnihil reprimi, aut repelli faciunt. Attamen male est, quod nonnulli venis jugularibus Topica infrigidantia adhibenda consulant; ita namque sanguis in recursu tardatus, uberius è naribus effluet. Porro quod usitatum est lintea, aut spongiam

giam aceto madefactam, pubi & genitalibus applicare, haud alia ratione, quam ligatio membrorum juvat; in quantum scilicet sanguinis venosi refluxus impeditur. Aquæ frigidæ in faciem subita ac inopinata aspersio, quatenus terrorem incutit, hæmorrhagiam non raro sistit.

4. Cucurbitæ hypochondriis, illis, internis femoribus, imo & pedum plantis applicandæ, apud medicos tum veteres, tum recentiores propter sanguinis ῥοπὴν à naribus devocandam, celebre remedium habentur. Et quidem hujus ratio facile constat; quia scilicet ventosâ impositâ, per orificii spatium, aëris impulsu prohibito, & circumcirca aucto; illico sanguis & humores, imo & vapores, & partes solidæ, ab alia quavis tendentia avocati, versus inane cucurbitæ substratum pellentur.

5. Frictiones extremorum à quibusdam practicis in hoc affectu commendantur, quas tamen non usque adeo utiles, imo vix tutas censemus; quia licet sanguinis ad pedes aut manus appulsum majorem sollicitant, adeo nihilominus reditum ejus accelerant, ut tota cruoris massa in effervescentiam concitata, de ῥοπῇ ejus ad nares violentiore periclitetur.

6. Zacutus Lusitanus, inter revulsoria remedia, proponit cauterium actuale utrique plantæ pedum applicandum; & Crato digiti minimi ex eodem latere incurvationem, quod siquidem nullo cum negotio fiet, experiri oportet; non ita de remedio altero consulimus, nisi juvandi ratio esset certior, quæ dolorem & claudicationem insequuturam compensaret.

7. Leipothymia quocunque modo excitata, hæmorrhagiam ut ut contumaciam illico ut plurimum sistit; quare cum αἱμαῤῥοῦντες languidi e lecto eximuntur, aut Phlebotomiam etsi parciorem timidi admittunt, vel membra habent diutius ligata, vel rumore quolibet ficto subito perterrentur aliam quamvis occasionem, in syncopen sive animi deliquium incidunt, sanguinis è naribus effluxus è vestigio cessat. Cujus ratio satis evidens est; quia quamprimum cordis motus fatiscit, illuc statim & sanguis, & spiritus ruunt proinde ut effluxus omnis exterior derepente sistatur, & qui immodicus antea fuit non denuo repetat.

8. Ultimo in loco, ad reprimendum sanguinis e naribus effluxum, recenseri debent remedia quæ modo occulto, & per sympathiam, aut antipathiam operari perhibentur; cujusmodi imprimis sunt, pulvis sympatheticus, ex vitriolo Romano per solem æstivum ad albedinem calcinato; item ligni è fraxino virgineo sive primum arborescente, & circa momentum, quo sol Tauri signum ingreditur, incisi portio: cujus remedii efficaciam, in nupero bello civili, pro sistendis militum vulneratorum hæmorrhagiis, plures fide digni probatam testantur. Quin etiam adhuc nonnulli hoc cum multa fiducia, in quibusvis sanguinis eruptionibus præscribunt. Hujusmodi effectuum, si modo sæpius eveniant rationes me latere fateor. Porro nec minus empiricum, & remedium ἄλογον videtur, quod sacculus è serico, cui bufo siccatus includitur, supra ventriculi scorbem gestatus, hæmorrhagiam qu mcunque sistat, ejusque reditum præcaveat: nisi forsan (juxta Helmontii Ætiologiam) applicatura ista Archæum terrefaciens, sanguinem illico perculsum, ab excursu suo inordinato recedere aut desistere cogat.

Restant multa alia ἴσχαιμα celebria, quorum operatio ad causas occultas, & virtutem quandam secretam referri solet: uti sunt monilia ex lapide hæmatite collo suspensa, item usnea, sive muscus cranii humani, manu gestata; epithemata ex foliis urticæ contusis, & plantis pedum ac volis manuum applicata; cujusmodi administrationes empiricas cum citra molestiam aut sumtum adhiberi possint, non est ut recusemus; præcipue siquidem in casu periculoso fere nihil non agendum sit, cumque ejusmodi applicationes eo respectu interdum juvent, quod ægrotantis imaginationem corroborant.

Dum hujusmodi administrationes externæ, ad sanguinis effluxum à naribus reprimendum, aut devocandum usurpantur, etiam topica alia naribus inditantur, quæ vasorum ora dehiscentia occludant; in quem usum liquidorum injectiones turundæ, pulveres insufflandi, & suffitus præscribi solent, quibus non juvantibus, ultimo ad escharotica devenitur.

9. Inter liquida, non modo prima, sed instar omnium habetur, solutio vitrioli in aqua fontana facta, Quidnam hanc pro magno secreto & certissime ἰσχαίμῳ venditant. Profecto eadem vulneri recenti applicata, quatenus vasorum decissorum extremitates corrugando occludit, sanguinis fluxum cohibet, ac potenter sistit. Verum applicatio ista in hæmorrhagia narium, ubi sanguis ad arteriolarum oscula dehiscentia delatus, excipi debet à venis, quatenus his æque, ac potius quam illas occludit, minus, ac sæpe non omnino prodest, prout sæpius expertum novi. Paratur medicamentum hoc, ex vitriolo viridi, viz. Hungarico, aut Nostrate etiam ex vitriolo Martis factitio, in s. q. aq. fontan. dissoluto. Scio nonnullos commendare vitrioli Romani solutionem, quam non tantum injiciendo, adhibere solent. Quin & aquam ex infusione vitrioli albi, cum bolo & camphora paratam, tum ad vulnera, tum ad alias hæmorrhagias frequenter, & quidem utiliter usurpatam novi.

10. At vero siquidem aqua nari injecta vasorum osculis non satis adhæret, sed à sanguine erumpente eluitur, priusquam virtutem suam exerere possit; idcirco potius expedit, vel pulverem stypticum insufflari, turundam aquæ vitriolicæ intinctam, aut per se, aut pulvere astringente imbutam, ad naris summitatem intrudi. In hanc rem pulveres styptici plures ac diversimodi præscribi solent; ego sæpissime utor aut croco martis ad summam rubedinem calcinato, aut pulvere vitrioli camphorati, aut fuligine vitriolica de fundo cacabi ænei veteris derasa, cujus pulverem in hoc casu sæpe cum successu expertus sum. In obstinatis hæmorrhagiis aliisque remediis non cedentibus, turunda, cujus summitas colcothare caustico imbuitur, naribus altissime immittatur, ut vasorum osculis inustis, & eschara obductis sanguinis effluxus omnis illico sistatur. Errhina multa alia ἴσχαιμα apud practicos celebria habentur, cujusmodi sunt stercus porcinum naribus intrusum, quod mero odore terro sanguinem effluxurum repellere putatur: item fumus sanguinis in ferrum candens extillantis, in narem

rem repercussus, cujus etiam ita combusti pulvis intus exhibetur. Usnea sive muscus cranii humani inhumati naribus inditus, ad hunc effectum à nonnullis valde commendatur: sed hujusmodi applicationes posteriores si quicquam omnino valent, ad Ætiologia n sympatheticam referri debent.

Hæc de remediis ἰσχαίμοις externis, quorum virtus, & efficacia insimul ab internis tempestive exhibitis & cooperantibus promoveri debet.

Itaque victu tenui instituto, & Ægrotante in situ erecto, aut non multum supino se continere jusso, dum administrationes prædictæ ordinatim adhibentur, medicamenta in eundem finem appropriata etiam intus sumenda præscribantur. Hujusmodi remediorum duo præcipui erunt scopi, viz. primo ut sanguinis effervescentia sive incensive fermentativa suppressa, liquor ejus intra vasa coercitus, placide circuletur. Secundo, ut cordis motus impetuosior, sanguinem nimis rapide circumpellentis per sufflamina idonea deprimatur.

1. Intentio prima ejusmodi medicamenta requirit, quæ sanguinis accensionem nimiam suppriment, ejusque fermentationem indebitam sedant, in quos usus sequentia præscribere soleo.

♃. Aq. plantaginis, papaveris Rhead. portulac. spermatis ranarum, ana ℥iiij. syrupi nymphææ ℥ij. salis prunel. ʒ j. m. f. julap. dosis ℥iij. ter aut quater in die.

♃. Aq. hordei lib. ij. flor. rosar. rubr. Mj. spir. vitrioli q. s. ad gratum acorem, sive circiter ℥ß. f. infusio tepida, ad tincturæ extractionem, adde syrupi de succo hyperici ℥ij. dosis ℥iij. vel iiij. ad libitum sæpius in die vel noctu.

♃. Folior. urticæ urentis, plantaginis, ana M iij. contusis affunde aq. plantaginis ℥vi. f. expressio fortis, sumatur.

2. Propter secundam intentionem, viz. ad cor vehementer nimis pulsans sufflaminandum hypn otica & opiata conveniunt.

♃ Aq. papaveris Rhead. ℥iij. syrupi Diacod. ℥ß. misce, f. haustus sumendus hora somni, vel.

♃. Conserv. rosar. rubr. ℥j. ß. pulu. sem. hyoscyami, papaveris albi, ana ʒ. ii. syrup. papaveris q. s. f. opiat. dosis qu. nucis moschat. sexta vel octava quaque hora Vel,

♃. Laudani Cydoniati ʒ j. dosis gut. xv. bis in die in vehiculo idoneo.

Hæc de Hæmorrhagia immodica, ejusque remedio quando sine febre contingit: quæ vero in febre eveniens, propter nimia sanguinis impendia sisti debet, vel est Critica, propter accidens quoddam in immoderationem excurrens, ad quam methodus, & medicamenta modo præscripta, cum cautione quadam, & respectu ad febris statum habito, accommodari possunt; vel est mere symptomatica, quæ in febre maligna, petechiali, variolis, morbillis, aut peste excitata, remediis supra dictis repelli, aut sisti vix potest, aut debet. Sanguinis enim emissio non convenit; Topica repellentia, item iulapia vel decocta refrigerantia, aut narcotica, locum non habent: præcipua medendi intentio erit, ut hæmorrhagia in diaphoresin commutetur; nam sudore blando excitato, fluxus sanguinis, si non admodum sit periculosus, frequenter sponte cessat.

♃. Aq. ulmariæ, tormentillæ, ana ℥iij. cordialis frigid. saxon. ℥ij. Theriacalis ℥iß. Aceti ʒ. iij. syrup. è Corallis ℥iß. confect. de hyacinth. ʒ. ij. f. Julapium, dosis cochl. vi. tertia quaque hora.

♃. Pulu. Bufonum præp. ʒ ß. camphoræ gr. ij. sumatur cum Julapio prædicto sexta quaque hora, vel.

♃. Confect. de hyacinth. ʒ iij. pulu Pannonici rubr. ℥j. syrup. è Corallis q. s. f. Confect. dosis qu. nucis moschat. alternis horis.

♃. Radic. Bistortæ tormentillæ, ana ℥j. folior. ulmariæ, pimpinel. lujulæ, ana Mj. C. cervi usti ʒ ij. rasur. eboris, C. cervi, ana ʒ ij. coquan. in aq. fontan. lib. iij. ad ij. adde circa finem con. rosar. rubr. ℥iij. f. colat. dosis ℥iij. sæpius in die.

2. Hactenus de Indicatione prima Curatoria, una cum medendi scopis, & Remediorum formulis ad Hæmorrhagiam è nare, cum, vel sine febre contingentem destinatis. Indicatio secunda vitalis solummodo victum tenuem, Cardiaca temperata, & Ægrotantis tractationem idoneam præscribit, Priorum apparatus adeo parvus, & facilis est, ut non opus videatur ad ea modum, & regulas particulatim designare. Circa posteriorem præcipua quæstio est, utrum αἱμοῤῥοοῦντας in, vel extra lectum detinere oporteat. Extra dubium est languidos, & crebræ leipothymiæ obnoxios, nisi forsan tentaminis curativi (prout supra innuimus) gratia, excitandos non esse: quoad alios minus imbecilles ita statuendum videtur. Quorum sanguis ob poros constipatos non facile transpirat, atque à lecti calore incitatus iste in turgescentias majores, & eruptivas aptior est; expediet eos non tantum extra lectum donec sanguis effluet manere, verum insuper nonnunquam, per applicationes externas, in toto corporis habitu, aut saltem in plerisque membris infrigidandos esse. Quamobrem Fabricius Hildanus narrat se quendam maxima narium hæmorrhagia correptum, post multa præsidia ordinaria incassum tentata, labro aqua frigida impleto immersisse, & subito curasse. Cum pari item successu, Riverius alium simili modo affectum, lecto exemptum, & super mattam laneam in pavimento recumbere jussum, linteis oxycrato madidis per totum corpus fovebat. Attamen hæc methodus non passim omnibus, aut omni tempore convenit; verum è contra quorum sanguis halituosus & poris apertioribus potitus, facile evaporat, & à calore moderato ambiente in sudorem exolvi, & proinde sedatius habere solet, eos intra lectum manere convenit, non modo dum sanguis erumpit, sed quamdiu eruptio ejus subinde redire periclitatur. Profecto ob hanc rationem est, quod plures hæmorrhagiis immanioribus obnoxii, durante æstate, quando liberius transpirant, eo morbo immunes degunt, ut gente vero frigore brumali, ob poros constrictos, insultus eos magis crebros, ac diros patiuntur.

3. Indicatio tertia præservatoria, quæ morbi istius causam tollendam respiciens, sanguinis eruptiones aut inhibet, vel easdam rariores

aut minores reddit, binas hasce præcipuas medendi intentiones suggerit; viz Primo ut sanguis ad temperiem & mixtionem debitam restitutus; intra vasa absque turgescentiis, & eruptionibus placide circuletur. Dein secundo ut vasa sanguifera, quoad osculorum conformationes, & fibrarum muscularium tenores, usque in statu legitimo contineantur; ita ut neque sanguinis in caput ῥόπας inordinatas illa efficiant, aut è nare effluxus sinant. In utrosque hos fines imprimis sanguinis nimia copia, & magna impuritas, per phlebotomiam & catharsin tempestive celebratas, sedulo præcaveantur; dein propter εὐκρασίαν ejus procurandam & conservandam, alterantia sequentia, aptis medendi temporibus exhibeantur.

℞. Conserv. rubr. Cynorrhodii, ana ℥iij, pulv. santalorum omnium, ana ʒ ß. corallii præp, ʒj. croci martis rubicundissimi ʒii. salis prunel. ℈iiij. cum s. q. syrupi è coralliis, f. electuarium, capiat primo mane, & hora somni qu. nucis castaneæ vel per se, vel superbibendo aq. destillat. sequentis ℥iij.

℞. Summitatum cupressi, Tamarisci, ana Mviij. summitat. hyperici, Tamarisci, equiseti, ana Miiij. santalorum omnium contus. ana ℥j. micæ panis albi lib. ij. Minutim concisis, affunde lactis recentis lib. viij. destillentur organis communibus; edulcoretur quæque dosis inter sumendum, cum s. q. syrupi è succo plantaginis.

℞ Folior. plantaginis, beccabungæ, urtiæ urentis, ana Miiij. contusis affunde aq. præscript. lib. f. Aq. cinnamomi tenuioris ℥ij. f. expressio fortis dosis ℥iij. ad iiij. mane hora nona & quinta p. m.

Hujusmodi medicamenta sumantur vere ac autumno per xx. aut xxx. dies. quandoque lene catharticum intercalando. In æstate vero bibantur Acidulæ chalybeatæ per mensem, quibus in hoc casu non datur præstantius remedium. E multis quæ præsto sunt hæmorrhagia laborantium ac curatorum exempls, libet modo unicum, sed rariorem, hic proponere.

Nuper ad distans consulebar, pro generoso quodam sanguinis eruptiones crebras, & immanes, modo ex naribus, modo vasis sedalibus aliquamdiu passo. Huic Phelebotomiæ ex amicorum suasu frequenter celebratæ, nihil profuere; imo sæpissime post venæ sectionem in sudores frigidos, ac leipothymias incidens, at que sanguinis eruptionibus nihilominus obnoxius, multo deterius habere solebat. Huic ego nondum viso julapia, & decocta refrigerantia, & Anodyna, item herbarum expressiones succulentas, aliaq. sanguinem refrigerantia præscripsi; verum etiam his (quasi omnia adhuc essent à scopo eliena) nihilo melior adfuit successus. Tandem rus ad eum invisendum accersitus, reperi affectionem, qua laborabat iste mere aut potissimum spasmodicam fuisse; quippe cum sanguis quotidie erumperet, pulsus erat debilis, extrema frigebant, & vasa omnia quasi nimis inanita conciderunt; porro Ægrotans vertigine fere continua, ac cordis tremore, & subinde leypothymia, aut metu ejus afficiebatur. Profecto tantum aberat ut sanguis ob plenitudinem, aut turgescentiam nimiam è vasis erumperet, ut potius è contra rivus ejus admodum depressus, & tenuis, vix circulationis fluento sustinendo par videretur. Attamen quod res fuit, sæpius in die persentiscebat in corpore suo aliquid modo sursum, modo deorsum sub flatus specie confestim obrepere, & plerunque motus istius tendentiam, sanguinis e naribus, aut hæmorrhoidibus effluxus sequebatur; hinc ut facile concludere esset, vasorum sanguiferorum fibras, quibus contrahuntur illa, motrices spasmo affectas, sanguinis fluvium, ut ut tenuem, & dimissum, huc, illuc inorripuisse, & subinde in eruptiones compulisse; quod item facilius evenit, in quantum vasorum ora laxa, & dehiscentia, cruorem ad ea compulsum absque remora debita effluere sinebant. Ætiologiam hanc medendi methodus instituta, quatenus tali supposito innitens feliciter successit, plane comprobat; nam Phlebotomia; & medicaminum ἰσχαίμων usu deinceps omisso præpscripsi usum pulveris sequentis, cujus dosin sexa quaque hora, cum julapio idoneo sumebat.

℞. Pulv. radic. pœoniæ maris corallii rubr. margaritarum, ana ʒj. eboris, oculorum Cancri, Lapidis hæmatit. ana ʒss. lapidis prunel. ʒj f. Pulvis dosis ʒss.

℞. Aq. ceras. nigr. ℥viij. meliss. cinnamomi hordeati, ana ℥ij. Theriacalis ℥j. syrup. è coralliis. ℥iss.

Ceterum præcepi, ut ligaturæ quibusdam locis ex ritu constanti, & subinde aliis pro data occasione, tum ad sistendos, tum ad intercipiendos vasorum spasmos adhiberentur; atque husmodi remediis, & administrationum modis sine ulla morbi recidiva brevi convaluit. *Thomas Willis. Pharmaceutices Rationalis Part. 2.*

Trifariam sanguinem è suis vasis effluere posse Medici communiter arbitrati sunt, nimirum per Anastomosim, Dieresim aut diapedesim. Anastomosis à vasorum mollitie, & sanguinis plenitudine. Dieresis ab humore acri, vehementi medicamento, ictu, casu, vulnere, Diapedesis à venarum raritate, & sanguine tenuiori, serosiorique fieri dicitur. at plerumque prodit sanguis à suis conceptaculis, aut ab acido in se contracto, aliundeve suggesto; aut ab alkali abundantiori, acido convenienti non coercito. Utrumq; enim cum moderationem non servant, fluxum sanguinis promovent: ut in scorbutocis, hecticis, ictericis, sæpe sæpius experimur.

Quocumque modo sanguis è naribus effluat, nisi virium imbecillitatem, ex pulsu languido, visus, & auditus hebetudine, capitis l.nguore, tactus tepore; aliisque symptomatis, indicatam minetur, non statim sistendus est, præsertim cum critice erumpit, & cum manifesto levamine patientis. Sic capitis dolores, febres ardentes, phrenitides hystericas affectiones ex mensium suppressionibus, spirandi difficultates: aliasque ægritudines per narium hæmorrhagiam non raro curatas vidimus. Quin & plerosque novi, qui à redeunte per certa intervalla ejusmodi profusione nedum salubriter vixerint, verum etiam à gravibus morbis immunes, in quos facile laberentur, suppresso sanguinis exitu. Quare solum cum insuetus est, vel immoderatus, aut etiam grave damnum inferens, puta singultum, aut convulsionem, ut dicitur 5. aph 3. quo citius fieri

citius fieri poterit sisti debebit. Consueverunt autem vulgares Medici in hanc rem, venas, & quidem è remotioribus partibus, incidere, putantes hac ratione sanguinem fluentem in oppositum cursum derivatum iri; deinceps tri ctiones, ligaturas, cucurbitulas, etiam sub hypochondriis adhibendo: imo si dieresi, & vitio acrium humorum sanguinem profluere decernant, purgantia quoque medicamenta propinant; indicta interim diæta ex cibis refrigerantibus, & adstringentibus potibus. Nonnulli præterea gelida aqua, quin & nive ipsa frontem, & collum perfundunt: naribus acetum fugendum præcipiunt, aliosque liquores refrigerantes, succum sempervivii, solani, plantaginis: iisdemque testes pariter madefaciunt, & hepatis regionem uuguento rosarum, aut santalorum inungunt.

At tutius, & facilius cohiberi ab aliis visus est sanguinis fluxus sola bursa pastoris contrita cum ovi albumine, & aceto commista, ac fronti applicata. Quibusdam nari stillanti ferrum ignitum admotum profuit, vapore sanguinis torrefacti naribus suscepto Caro bubula recens acerrimo aceto conspersa, & occipitio imposita contulisse scribit Hoeferus. Pulverem bufonis exiccati in nares inditum, idem præstare notat Hartmannus. Vrtica contusa sisti hæmorrhagias refert Borellus. Et Boyle, musco cranii humani in manu detento. In Ephemeridibus Germanis ann. 1670. obs. 24. refertus pulvis mirificus, qui componitur ex alumine crudo, & lacca Pictorum: admoveri autem is debet naribus, vel etiam immitti. Solo aluminis contactu fluentem sanguinem ex vena secta cohiberi testatur Borellus: putorque idipsum haberi à Vitriolo, ejusque colchotare; unde atramentum ad idem utile quoque esse subdit. Curatum similiter ab hæmorrhagia alium memorat oxycrato, pannis scilicet eo madidis toti spinæ admotis, sæpeque renovatis: testaturque Riverius hoc remedii genus aliis feliciter cessisse, itemque oxycrato naribus attracto stillantem inde sanguinem stetisse. Acetum quoque rosauri è directo naris sanguinem fundentis inditum ad guttas aliquot sistere hæmorrahagiam meminit in observationibus communicatis. Cinere chartarum albarum combustarum naribus excepto, & frusto cretæ albæ digito annulari detento, è regione naris unde sanguis extillat, donec incalescat, illum supprimi pluries se observasse confitetur Forestus. Fimus porcinus olfactus proclamatur ab eodem, itemque à Rulando, Mizaldo, Riverio, & Hoefero: sicut pariter stercus asininum à Roderico à Castro: atque ab aliis vitriolum ustum Galenus 5. meth. cap. 5. cum ovi albumine miscet thuris partes duas, aloes partem unam, additis pilis leporinis ex ventre excerptis, & minutissime concisis. At cæteris præstantiorem experientia sæpius testata est pulverem sympaticum dictum ex Vitriolo ad solem æstivum in pulverem album ad formam calcis redacto; cujus vires, & usum declaravit Kinelmus Dygbæus peculiari libello de pulvere sympathetico, & post ipsum alii plures, quos legere est in Theatro sympathetico.

Intrinsecus vero assumenda commendantur alia complura. Apud Robertum Boyle deutilitate naturalis Philosophiæ mentio fit de quodam electuario composito ex seminibus hyoscyami, & papaveris albi singul. ad ℨii. & cons. ros. ℥j. quo ad dosim nucis myristicæ Medicum quendam enormes hæmorrhagias narium, uteri, & aliarum partium brevi sanasse testatur. Succus urticæ mirabilis quoque dicitur Riverio, tum per os exhibitus ab ℥ iv. tum naribus exceptus, & fronti, ac temporibus applicitus. aque etiam spermatis Ranarum, plantaginis, & nymphea optima creditur Hoefero cinis Ranarum, & sperniola Crollii, efficax ab eodem, & ab aliis fertur; atque à Petræo Nitrum fixum. nihil præstantius esse, inquit Fr. d. Hofmannus, radice zizaniæ: & thomas bartholinus faba rubra in vino decocta. aquam bursæ pastoris ad ℥j. cum guttis x. olei martis, sanguinis per nares effluxum perfectissime sistere tradit Jo. Petrus Faber. Præparat que Hartmannus crocum Martis, quem ad gr. iv. cum aqua plantaginis exhibet. Laudanum opiatum, assumptum, vel naribus intrusum commendatur ab eodem, præter alia plurima apud relatos authores videnda.

Enarrata hæc medicameta convenire quoque possunt hæmorrhagiis vulnere contingentibus. At vero speciatim ad sistendum sanguinem ex vulneribus experimento comprobatum edocet Borellus alumen esse in venarum orificiis intrusum. Heurnius ad Fernelii Pathologias recipit caphuræ ℨj. radici tormentillæ, & boli armeniæ veræ singul. ℨ. ij. in pulverem redigit, huncque stupa aceto madefacta excipit, & vulneri immittit. Acetum etiam asperrimum cum æqua portione croci Martis, & semisse colchotaris, pari ratione permiscet, & cum stupa adhibet. Apud Weckerum certo quoque experimento comprobatum refertur ex Rantzovio sanguinis profluvium ex vulneribus supprimi imposito cataplasmatis instar panno lineo, quo ranarum ova, ineunte vere, excepta fuerint, ad solem exiccato. unguento Paracelsi Herculeo dicto magna vis tribuitur in cohibendo ex vulnere fluentem sanguinem, de quo Crollius, Goglenius, Helmontius, aliique. Anselmus Boetius de jaspide testatur eam collo gestatam sanguinis fluxum illico sisti: in quam rem historiam narrat cujusdam fœminæ, quæ sex annos hæmorrhagia laboraverat, à Jaspide sanatæ: inquit autem Jaspidem fuisse rubrum. *Lucas Tozzi Medicinæ Practicæ lib. 1.*

Consultationes

Pro perillustri, ac Excellentissimo Iur. Pekaliminense fluorem sanguinis ab ore patiente.

Perillustrem & excellentissimum virum solicitari à fluore sanguinis ex ore, referunt excellentissimi curantes; Cœterum quoniam sanguis ab ore prodiens potest vel à capite, vel thorace, vel à partibus oris prosilire, ea propter locum affectum distinguere interim oportet; quoniam igitur tussi non excernitur, à thorace non potest exire, verum quod à capite, aliqua potest esse suspicio propter hæmorrhagiam, quam alias passus fuit vir perillustris, ac ut quod ingenue sentio libere fatear, puto ego per palatum sanguinem hunc à capite emanare quan

do sanguis usque adeo copiosus excretus ab ore, à thorace minime proveniens, nulla ratione possit à gingiuis tantum, vel alia qualibet oris parte prodire, atque hoc eo magis, quoniam arbitror nobilem patientem absque sputationis occasione, sponte inquam; sanguinem excernere, quem ideo à capite non est dubitandum provenire, sed quod à gingivis idem prodeat, indicio est, præter sensus testimonium, simplex expuitio sanguinolenta.

Quam ob rem ad causas descendens dico, quod cum symptoma hoc sit secundarium in genere excretorum præter naturam, necessario dependet ab actione aliqua læsa, quæ nulla alia interea esse potest, nisi quæ facultatis est retentricis, cumque actio quælibet ex Galeno tertio de sympt. causis, primo lædatur vel facultate læsa, vel propter errorem externum, utrumque in casu nostro locum habet, primum enim læditur facultas retentrix vasorum capitis ob anastomosim illorum ut patet ex copioso affatim, atque periodice sanguine excreto, læditur pariter & facultas retentrix gingivarum propter diapedesim, quoniam cum nulla fiat in illis corosio, atque sensu iudice exiguus admodum, calidus, & mordax sanguis excernatur, necessario hunc ipsum pertranscolationem exire, est necessarium, quamquam & apertis exiguarum venarum ad illas pertingentium osculis, non sit impossibile sanguinem prodire modo dicto Error aute externus est vitium sanguinis tum in quanto, unde nascitur Anastomosis, tum in quali, unde diapedesis, nasci etenim illam à copioso sanguine fatetur unusquisque, sicuti & hanc ex calidiori, atque tenviori, defluit sanguis hic propter iecur a toto corpore in partes prædictas per transmissionem, uti ad locum imbecillum, quemadmodum hæmorrhagia prægressa videtur attestari propter iecur quidem, quoniam ut calidum, & humidum plurimum sanguinem gignit, ut vero calidius factum ab erroribus externis, & in victu proprietatis sanguinem secundum qualitatem culpatum gignere potest. Quibus ita constitutis, quoniam à qualibet sanguinis e acuatione immodica, spiritus dissipantur. calorque natiuus maximan jacturam patitur, non est mirum, si ciborum inconcoctio, flatulentia, cœteraque huiusmodi ventriculi symptomata, & animalis facultatis imbecillitas fiant; Ad hæc quoniam in qualibet sanguinis evacuatione agitatio maxima in ejusdem massa succedit, non mirum si in proposito casu bilis commota in os ventriculi decumbens Cardialgiam, & pro inde lipotimiam inducat.

Quare universa medendi ratio tum in præservationem, tum in veram curationem dirigatur oportet, merito itaque illius copia sanguinis est minvenda, bilis ipsi commixta præpræparanda, ac inde detur banda, tandemque iecur temperandum, caputque, ac gingivæ roborandæ merito vero huius sanguinis impetus in caput est coercendus, per revellentia, & per adstringentia, sanguinemque incrassantia.

Quos scopos assequi, etsi haud impossibile putem, rem tamen operosam valde, atque difficilem arbitror, necnon sine periculo, nam malum est quasi, in habitu, causæ morbificæ sunt adeo intensæ, plura symptomata, eaque non contemnenda complicantur, plures partes, eæque principes afficiuntur, & denique vires propter morbi activitatem, ætatemque declinantem non resistunt, ut jure graviora longe mala superimmineant, sicuti, totius refrigeratio, ac phtisis ipsa, sed non ob id ad materias Medicas non est ut descendam.

Et quantum ad Chirurgicas spectat, ad præservationem laudo, ut bis in anno secetur basilica dextra perquatvor dies ante tempus illud, quo symptoma huiusmodi prorumpere consuevit; præterea si studendum sit curationi, probo venæ sectionem in talo, apertionem venarum sedis per hyrudines, siccas cucurbitulas infernis partibus appositas, ac demum lotiones, frictiones, & vincula dolorifica crurum.

Inter medicamenta præservatoria, pro lenienda alvo laudo cassiam cum diacathoco, vel syruptum ros. sol. pro bilis præparatione arridet mihi decoctum in aqua calybeata sonchio, cicorii, acetosæ, hepaticæ cum syrupis de succo cicorii, & acetosæ; purgans vero ex Rhabar, diacatholico, & cassia poterit institui, quibus ad usum deductis cogitandum de secunda præparatione, quæ commode fiet medicamento proposito, additis plantagine, portulaca, atque syrupis ex iisdem simplicibus, & rosis siccis paratis, pro catartico non displicebit Rhab. cum eodem diacatholico cum decocto myrob. citrin, tamarindorum, sem. plantaginis, portulacæ, & acetosæ in aqua calybeata parato dilutum.

Atque ad alterationem jecoris intus probo serum caprinum, vel vaccinum depuratum, & calybeatum, cum succo acetosæ, & cicorii exhibitum, quo pertinent thermæ frigidæ tempore debito epotæ, potissimum autem Villenses, Porrectaneæ veteres Beatæ Virginis Patavii, ac tandem Brandulenses, quæ etsi nullum habeant frigoris excessum, summam tamen vim obtinent adstringendi; Exterius commendo jecoris perfusionem cum succo cicorii, hepaticæ, additis speciebus confectionis ex tribus sandalis.

Verum ad capitis robur theriaca recens, saccharum ros. antiquum cum bolo Armena, corallis, & pu luere ophioglossi hora somni decoratá plurimi facio sicuti & embrocam sincipiti admotam ex thermis prædictis vel aliquo decocto ex arte parato, quod eandem cum thermis facultatem obtineat.

Deinde ad gingivas roborandas convenit frequens oris ablutio cum iisdem thermis, vel cum decocto equiseti ophioglossi, nucum cupressi, gallarum, & malicorii in aqua calybeata facto, huc pertinet & succus plantaginis, in quo liquetur alumen, vinum etiam cydoniorum, extinctionisque laminæ aureæ erit opportunum.

Pro curatione laudo diatragagantum cum bolo in ore detentum, sic & succum plantaginis non solum in ore detentum, verum etiam & epotum, in quem usum pariter facit theriaca recens cum seminibus hosciami albi

Quibus omnibus compar victus ratio est addenda, quare excellentissimus patiens vitet omnem aeris calidioris, atque ventosi inclementiam, abstineat à gestatione granium supra caput, atque demum omnes causas externas caput ipsum calefacientes effugiat, cibum

sibi parari

ſibi parari curet ad frigidum inclinantem, qui adhuc ſit inviſcans, unde carnes in aqua calybeata cum pedibus vituli decoctæ maxime probantur, ſicuti & oriza, millium, ac fructus auſteri; Condiantur autem cibaria cum ſucco Aranciorum, coralliſque rubris, & alterentur ſeminibus plantaginis, portulacæ, acetoſæ, radice conſolidæ maioris, & hujuſmodi, Potus ſit vini nigri ſubauſteris, pauciferi, quod poterit etiam alterari cum ſandalis, corpus exerceatur, modeſte tamen, ac ſine ſudoris evacuatione, non ſtatim a cibo, ſed ventriculo jeiuno, ſomnus devitetur meridiannus, fiatque capite humili ſuper pulvinar, non plumeum, ſed laneum cum floribus roſarum,& nenufaris, Alvus ſervetur mollis clyſteribus emollientibus, ac poſtremo ſtudium poſt cibum, curas, negocia, ſolicitudineſque quantum fieri poterit, ſicuti iram, ac excandeſcentiam evitare proficuum erit, quibus omnibus ut fœlicem ſucceſſum D. O. M. benigne largiri velit, exopto. *Julius Cæſar Claudinus in conſultationibus Medicis.*

Hæmorrhagia Narium.

Juvenis robuſtus, viginti duos annos natus, ex intemperantiore diæta incidit in febrim ſynocham, ardore febrili continuo, ſed blandiore, ſeſe manifeſtantem. Hic poſtquam aliquoties poſt venæ ſectionem eſſet purgatus, & julapiis convenientibus alteratus, ex mulierculartum conſilio ſumſit medicamentum, neſcio quod, vomitum ingentem, cum roſione ventriculi, excitans; quem inſecuta eſt tanta narium hæmorrhagia, ut plus quam 4. libræ ſanguinis ex iis jam ſit evacuatum; eaque vires ita ſunt debilitatæ, ut jam animam agere videatur.

Præterquam quod in hoc ægro à febri afficitur cor & totum corpus, afficiuntur etiam ejus ventriculus & nares; quod ex vomitu, & ſanguine à naribus tam copioſe fluente, eſt manifeſtum.

Morbus præcipuus, qui ipſum jam potiſſimum affligit, eſt diæreſis & diapedeſis vaſorum narium; quæ, copioſum ſanguinem ex iis emittentes, Hæmorrhagia narium appellantur.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt intemperantior illa diæta, qua copioſus ſanguis in corpore genitus corruptelamque certam febrilem contrahens, ac ſynocham febrim producens, antecedentem hujus morbi conſtituit cauſam. Is vero vomitorio aſſumto vehementius agitatus, & in naribus vaſorum diæreſin & diapedeſin excitans, copioſiſſimumque illum ſanguinem ex iis effundens, eoque vires ægri ſummopere proſternens, continens hujus morbi & ſymtomatum eſt cauſa.

Morbus hic, propter proſtratas ægri vires, eſt periculoſiſſimus. Ideoque neglecta ad tempus febri ſynocha, quæ forſan hoc ſanguinis fluxu ceſſabit, Curatio ejus protinus eſt aggredienda,

Eaque in humorum ventriculi acrium attemperatione, ſolutionis continui vaſorum narium unione, & nimii ſanguinis fervoris & motus temperatione & moderatione, conſiſtet.

Itaque primo ſumat dragm. j ſ. ſalis prunellæ, quod in unc. ij. aq. plantaginis ſit diſſolutum.

Porro præſcribatur tale lac amigdalatum, ad acrimoniam humorum temperandam; & vires reſtaurandas.

℞. Amigdalar. dulc. ℥j. ſ. Sem. 4. frig. major. an. ʒj. Papaveris albi ʒiij. Cum aqua decoct. hord. q. ſ. F. lac amigdalatum ad lib. j. de quo ſubinde ſumat ℥ij. vel ℥iv. Quantitatem.

Et mox in nares inſerantur turundæ ex cotone factæ, & atramento, fuligine fumarii, & aceto roſaceo, imbutæ.

Ac præterea acetum roſaceum in aures inſtilletur.

Item linteum, in aceto madefactum collo frigide erit obvolvendum, & teſtibus adhibendum aliud linteum, aqua plantaginis frigidiſſima imbutum.

Ac ligaturæ arctiores brachiis & cruribus erunt injiciendæ.

Cucurbitæ quoque hypochrondriis & ſcapulis ſunt adhibendæ; venæ ſectio vero, ob magnam ſanguinis emiſſi copiam, hic prætermittenda.

Victus ſit reſumtivus ex ovis ſorbilibus, juſculis gallinaceis & vervecinis, cum pane candido, & vino tenui oligophoro. Motus corporis, & vehementiora vitentur animi pathemata. Somnus ſit paulo longior. Alvus ſit arte vel natura laxior. *Henricus Regius apud Theodorum Craanen Medicationum lib.* 1.

Narium Hæmorrhagia immoderata.

Secretarius Illuſtriſſimi Baronis de Funfkirchem *Iohannes Rieder* Auſtrius, ſanguineæ conſtitutionis & plethoricus, poſtquam in nuptiarum ſolennibus vino generoſo largius ſe invitaſſet, & totam fermè noctem tripudiis & ſaltationibus conſumpſiſſet, manè domum repetens in narium hæmorrhagiam incidit adeò profuſam, ut de vitâ periclitaretur.

Reſolutio) Hæmorrhagiam narium fieri per vaſorum vel ἀναστόμωσιν, vel διαίρησιν, vel διαπήδησιν vulgô notum eſt. Præſens hoc ſanguinis copia, nullâ præcedente cauſâ externâ violentâ per quam διαίρεσις fieri poterat. In διαπήδησει verò ſanguis in exiguâ tantùm quantitate, & ſenſim guttatimque quaſi tranſudat.

Occaſionem apertioni dedit vini potentis uſus largior & immoderata corporis agitatio, quibus ſupra modum incaluit ſanguis, fervidusque redditus, concepto ὀργάσμος exitum per oſculorum in vaſis paulò majoribus reſerationem ſibi paravit.

Fervor itaque ſanguinis ante omnia reſtinguendus: præſcriptum eſt hoc nomine julapium.

℞. Aq. fragor. ℥iv. burſ. paſtor. endiviæ, cichor. roſar. an. ℥ iij. ſyr. de coralliis Quercet. ℥ iij. ſyr. flor. papaver. rhœad. & fragor. an. ʒiſs. ſucci citri acidi ℥ ij. M. Hinc revulſiones inſtitutæ per ligaturas extremorum dolorificas damnatis frictionibus, quibus ut rectè monet Gulielmus Fabritius Hildanus Cent. 2. Obſ. 15. ſanguis magis incaleſcit, & fluidior ac ſubtilior efficitur eodem fine & cucurbitulæ, primò abſque, deinde cum ſcarificatione, ſcapulis & cervici applicatæ: Mox etiam topica refrigerantia

& adstringentia adhibita. Fronti quidem epithema inductum.

℞. Aq. rosar. optim. ℥ iij. folior. quercus ℥ j. aceti rosacei ℥ j. boli armenæ terræ sigillatæ, lapid. hæmathit. an. ʒß. album ovi unius M. Epati verò emplastrum appositum, quod

℞. Cerat. santal. ℥ ß. unguenti infrigidant. Galeni ʒ ij. specier. diatrion santalor. diarrhodon. Abbatis, trochiscor. de spodio an. ʒß. lapid. hæmathit. ℈ ij. ceræ parum. M. F. emplastrum.

Interea etiam & naribus quædam indita ad osculorum in vasis nasi occlusionem facientia, additis appropriatis & specificis sanguinem sistentibus.

℞, Lanugin. cydonior tragachant. mastiches, sangu dracon. boli armen. lapid. hæmat. aloës, farin. volat, an. ℈ j. M. F. pulvis subtilissimus ex quô cum albumine ovi & gossypio, vel carbaso fiant turundæ naribus immittendæ, quod dum fit os aqua frigida repletum, teneatur, ne sanguis in fauces irruat.

Pro virium refectione, quæ interdum planè deficere videbantur, aquam nostram cordialem frigidam cum confectione alkermes & tinctura coralliorum exhibuimus, simulque & cordi & pulsibus epithemata convenientia applicuimus.

Sedatâ tandem periculosâ narium hæmorrhagiâ, altero die, resumptis quodammodo viribus, præcautionis gratia plethoram imminuimus venæ sectione in brachio instituta, victumque tenuem & refrigerantem commendavimus, prescripto vini potentioris usu, ac vehementiore cùm animi, tum corporis motu. *Baltassar Timæus in Casibus & Observationibus Practicis.*

Observationes.

Hæmorrhagia Gingivarum in prægnante, lethalis, cum supervenientibus maculis rubris & sudore sanguineo.

Honesta fœmina juvencula, Pastoris in viciniâ conjux, in septimum mensem prægnans, mense Maio ann. 1624. incidit in hæmorrhagiam subitaneam gingivarum, sanguine confertim effluente, die noctuque per septimanas tres continuas, tantâ copiâ, ut aliquot mensuras implere potuisset, unde non tantùm matri, sed fatui quoque periculum præsentissimum imminebat. Tandem à capite ad calcem usque maculæ succudunt sanguineæ, quas cum sudorifero balneo discutere conaretur, sudores supervenit sanguineus, potissimum circa superiorem corporis partem, iis in locis, ubi ante maculæ sanguineæ sese manifestaverant, quem sudorem postea tanta virium omnium dejectio fuit subsecuta, ut paucis diebus post vitam cum morte commutaret.

Cum 17. Junii 1624. casus hic singularis, à marito prædictæ fœminæ per literas determinaretur, protinus recordabatur lethalis hæmoarhagiæ cujusdam honestæ matronæ, conjugis professoris Giesseni, quæ anno 1622. sub initium Martii febrim continuam patiebatur, ex qua convenientibus remediis adhibitis liberato, circa tempus mensium instans, sub initium Aprilis, incidebat in gravissimam hæmorrhagiam per nares, quam excipiebat sanguinis continua secretio per gingivas, idque tantâ copia per quatriduum continuabatur, ut tandem præeunte alvi quoque fluxu sanguineo viribus exhaustis, 8. Aprilis naturæ debitum solveret. Aderat autem hic constitutio corporis macilenta, sua natura ad acrioris sanguinis collectionem disposita, quam præcedens febris, adustione plurimum auxerat, unde propter imbecillitatem ex præcedenti morbo relictam, loco menstrualis evacuationis per uterum, fortè viis ibidem reliquiis peccantis materiæ infarctis, sursum vergebat sanguis acris, sero plurimo dilutus & symptomaticè per nares ac gingivas profluebat. Quanquam verò Dodonæus observ. cap. 15. Virgini cuidam 18. anno mensibus non succedentibus, superfluum sanguinem per oculorum angulos sanguineis lachrymis continuis, aliique per gingivas expulsionem sanguinis moliente natura, segregatum fuisse scribit, eventu salutari quemadmodum superius etiam sub finem observ. 3. varios alios modos annotavimus: distinguendum tamen ubi tale quid accidit naturæ robore concurrente, quod in hoc subjecto laborante deerat, ob morbum præcedentem naturæ viribus labefactatis. Similis verò casus nobis videbatur prægnantis illius in qua rectè quidem, propterea quod utero gestaret, mensium defectus aderat, sed symptomaticè tanta sanguinis hæmorrhagia per gingivas superveniebat, idque propter sanguinis acrioris, serosi & aquosi constitutionem præter naturam, cujus ratione non tantùm ob denegatam adæquatam nutritionem & refectionem, debilitas omnium virium introducebatur, sed insuper etiam reseratis ab acri humiditate serosa sanguinis venarum osculis, præternaturalis, excretio fiebat in gingivis, tanquam partibus mollioribus, aliàs ad sanguinolentiam dispositis, cujus rei exemplum refert Marcellus Donatus lib. 4. hist. Mirab. c. 9. ex Matth. de Grado, qui in Moniali quadam, non ex abundantia humorum, nec propter causam aliquam violentam undequaque per sputum, per nares, per urinam sanguinis eductionem ad 18. libras, vidit, licet natura exilis, macilenta & phlegmatica fuerit, quam tamen ab interitu per narcoticum liberatam fuisse dicit. Imò lienoso cuidam Fabro Ferrario per venulam gingivæ spacio diei naturalis ultro octo libras sanguinis evacuatas fuisse Marcellus ipse testatur, ut pote in quibus etiam sanguis acri sero dilutus abundat. Hinc ego in periculo prædicto, frustrà suasimus illa quæ sanguinis effervescentis ὀργασμὸν lenirent, acrimoniam ejusdem temperarent, & naturam corroborarent, præsertim cùm symptoma rarissimum, nimirum sudor sanguineus, cum maxima virium debilitate superveniret. Ut autem Rondeletius lib. de dignosc. morb. c. 11. sudoris sanguinei observati causam in studioso quodam, ad venarum raritatem, illarumque osculorum laxitatem & sanguinis tenuitatem refert; Aristoteles vero lib. 3. de part. anim. cap. 5. & lib. 3. hist. animal. cap. 19. nonnullis ἱδρῶτα αἱματώδη accidere dicit, propter vitiatum corporis habitum, scilicet ubi corpus laxum, fluxumque; nec non quòd sanguis propter crudi-

cruditatem imbecillitate caloris humescit, & ut posterior locus habet γυναι ἰχωροειδὲς, crescit: ita hic etiam accidens istud periculosum primum à sanguinis tenuitate & aquositate, caloris imbecillitate producti, nec non à cutis ejusque pororum laxitate; tandemque retentricis facultatis languore deducimus, unde neglectis ab initio convenientibus mediis, imò adhibitis iis, quæ morbi vehementiam augebant, inter quæ balneum erat sudoriferum, eventus lethalis subsequebatur. *Gregorius Horstius libro de morbis mulierum.*

Pro Hæmorrhagia Narium.

Vidimus Pithueris anno 1545. puellam annorum octodecim pauperulam per quatuor integros dies sanguinis fluxum è naribus adeo enormem habuisse, viribus prostratis, mensibus ad longum tempus retentis, humi prolapsam, ut nulla spes salutis superesse videretur. Ad quam vicini cum omnia tentassent remedia, me tandem ad eam perduxerunt: statim arrepto utroq; brachio circa carpum, ubi pulsus tangitur, aqu. frigidissimam ex poculo stricti orificii embrocha instar continuo stillavi, fimumque porcinum naribus objeci, & ut ore repleto aqua frigidissima, succum urticæ per nares attraheret, mandavi: nucham autem aq. plantag. frigida lavari permisi, quanquam hoc remedium febricitantibus sit suspectum; hæc autem non febricitabat. His remediis fluxus cessavit: viribus postea paulatim recreatis ut venam saphænam secaret consului ad menses revocandos.

Alteri puellæ cui & menstrua purgantes ad quatuor menses restrictæ non procedebant, & sanguis è naribus per tres continuos dies fluxerat, saphæna ejusdem lacteis incisa non proficiente, irritisq; omnibus aliis auxiliis uti solitis, tandem ut venosa magna absque scarificatu sub mamilla dextra ad hepatis regionem (è dextra enim nare fluebat sanguis) applicaretur, mandavi: quo protinus fluxus enormis cessavit, cum pro mortua & deplorata prius haberetur.

Alia etiam mulier cum profluvio sanguinis narium admodum vehementi & diu perdurante detineretur, neque aliis remediis restringeretur, tandem cinere chartarum albanum combustarum naribus demisso, præter spem sanata est. Addam & indubitatum experimentum ad sanguinem è naribus fluentem exhibendum, quod ipsimet vidimus sæpius expertum in Nobili matrona. Hæc cum sanguis è naribus supra modum flueret, frustum cretæ albæ digito annulari continebat è regione naris fundentis sanguinem, donec incalesceret, & statim sanguis supprimebatur: ut diversis vicibus in eadem Domina spectavimus. *Petrus Forestus obs. 10. lib. 13. De Nasi Affect.*

Vir quidam cum mustum in cœna largius bibisset in multam satis noctem, & in fine etiam vinum Hispanicum, die subsequenti manè in fluxum sanguinis narium enormem incidit, ita ut ultra sex libras ferè sanguinis è nare sinistra profuderit: cum debilior fieret, me vocavit; ut de vena incidenda mentionem feci, id protinus amici ægro dissuadebant, cum sanguis è naribus largius profusus esset; à nobis tamen persuasus, cum sanguine repletus esset, & pulsus satis constaret, eo præsidio ad diversionem usus est. Secta ergo vena brachii sinistri cum hoc anacolema fronti circumligassem, & stercus porcinum (asininum si reperiri potest magis laudatur) recens cum bolo armena mixtum, ne perciperetur quid esset ad alfaciendum naribus objecissem ab enormi sanguinis fluxu præter astantium opinionem curatus est.

Anacolema tale erat.

℞. Aq. rof. ℥ iv. aceti rosac. ℥ i ß. bol. armen. ʒj. M. frigidè cum panno lineo inculcato fronti alligabatur: & ubi incalesceret, novum denuo idque frigide apponebatur, neque aliis remediis uti necessum fuit. *Petrus Forestus, obs. 12. lib. 5.*

Cavendum ne ventosam umbilico applicemus, ne nobis accidat quod mulieri acciderat, Gatinaria referente, quæ obiit ventosa pinguedine repleta. *Id. Schol. obs. 12. lib. 13.*

Vir quidam Generosus sanguinis narium profluvio cum extremè laboraret, neque remedia commode adhibita juvarent, circiter ℔ xii. sanguinis ex utraque nare per vices effluxere. Cum ad eum accitus essem, ut duas arenosas absque scarificatione, unam supra hepatis regionem, alteram supra lienis locum poneret, mandavi; quibus parum videtur fluxus subsistere. Verum post meum discessum, uxor cum videret sanguinem iterum ex utraq; nare cum impetu erumpere, & quod venosæ hypochondriis, impositæ, nullo modo juvarent, alias duas, unam supra pedem dextrum, alteram supra sinistrum affigi jussit, & dictu mirum, sanguis præter spem subito restrictus est: verum cum aliquanto tempore venosæ cum adhærerent, æger in animi deliquium incidit, quare iisdem detractis, aqua in faciem conspersæ excitatus est, & odore vini recreatus, ad se rediit: & à fluxu sanguinis mirum per venosas miraculi aut incantamenti instar; præter omnium opinionem restitutus est. *Petr. Forest. obs. 24. li. 13.*

Primò digitum annularem cum auriculari constringo. Postea admoveo fronti, cervicique hoc cataplasma.

℞. Argill. ust. & contus. M vi. aceti acris q. s. M. pro cataplasmate, quod duplici linteo inductum fronti atque cervici crebro admovebam actu frigidum: & sic intra paucas horas ingentem, diuturnum, continuumque sanguinis fluorem per Dei gratiam compescui. Fumum etiam ex electro albo accenso per nares clauso ore excipiebat æger manè ac vesperi per dies aliquot: quo sanguis quoque cohibitus, ac vires animales & vitales roboratæ valde fuere. Victus rationem observabat frigefacientem & siccantem: potus erat aqua chalybeata. *Martinus Rulandus curat. 27. cent. 2.*

Vir quidam in sanguinis per nares fluxum valde copiosum, incidit, ita ut intra diem circiter decem sanguinis libræ profluxerunt. Consultus mox fluxum repressi sequentibus remediis. Olfaciebat stercus suillum, quo olfactorio statim remissus factum est profluvium: præterea lintea aqua chalybeata frigidissima imbuta applicabam fronti, collo, toti cervici & scapulis, item ad hepatis regionem: his factis fluxus desiit & recte habere cœpit. *Martinus Rulandus. curat. 57. cent. 10.*

Cum præter naturam sanguis immodicè fluit, revulsionibus, diversionibus per sanguinis missionem, cucurbitulas & ligaturas, reme-

diis item astringentibus & à proprietate quadam sanguinem reprimentibus sistitur. Quidam compressione quæ fit in incurvatione vehementi digiti minimi in dextra manu si ex dextra nare fluat, vel in sinistra, reprimi sensent. aliqui arctius digitum istum seroco rubro ligat; sed hoc remedii genus, ubi vel magna est intemperies in sanguine, vel venarum mala compositio parum profuturum videtur inter medicamenta à proprietate sanguinem reprimentia, lapis qui in capite carpionum reperitur, tritus, & in pollinem redactus, præsertim si cum lanugine, quæ in malis cydoniis hæret, applicetur, imprimis commendatur, item herba atque radix fragorum axillis subjecta, vel collo appensa, radix etiam ista & lapillus in ore teneatur. Sed in fervore sanguinis aquam fragorum bibere & genitales partes aquæ frigidæ, cui acetum admistum sit, imponere, & cum aqua fragorum sanguinem, qui effluit lamina ferri candente exceptum, & pulverisatum assumere, vel pulverem istum cum pulvere lapidis carpionum mixtum ut dixi, imponere rectius est. *Joannes Crato consilio. 7. lib. 5.*

Hæmorrhagia narium si moderata; & per intervalla advenerit, ad tuendam sanitatem conducit, & à dolore capitis, aliisque morbis gravissimis liberat, ideoque non illico sistenda est. Sin vero immoderata fuerit, protinus cohibenda, ne vires simul cum sanguine dissolvantur, partesque nobiles refrigerentur ac debilitentur, inde enim sequitur cachexia, icteritia, hydrops, & hujusmodi morbi curatu difficiles, statim igitur turundæ ex carbaso paratæ, albumine ovi imbutæ, ac pulvere nostro ad sanguinem sistendum (cujus descriptionem vide supra lib. 6. sect. 9.) conspersæ, naribus immittantur lapis quoque qui in capite carpionum reperitur, in pulverem redactus, & turundis inspersus à nonnullis commendatur. Muscum tamen, qui craniis hominum aeri expositis, adnascitur, in subtilissimum pollinem redactum, multo præstantiorem esse, non raro expertus sum. Postea linteum replicatum, & posca imbutum, aut defensivum aliquod fronti & naso applicandum, quale hoc est quod sequitur.

♃. Farin. hord. ℥iij. sang. drac. bol. arm. terr. sigill. croci martis, cortic. granat. an. ʒj. succ. prunor. sylvestr. inspissat. & aceto dissolut. ℥ß. & cum album. ovi, aceto, parumq; aquæ aut omphacio, in imortario fiat defensivum, quod supra linteum extensum, fronti & naso frigide applicetur, sæpiusque posca irroretur,, ne exsiccetur, & incalescat.

Si vero hisce fluoris impetus non sistatur, cucurbitulæ cum magna flamma, scapulis, cervici, natibus, & coxis primo absque, deinde vero cum scarificatione erunt applicandæ, maximo quoque cum fructu musculo anteriori cubitum flectenti, qui à nonnullis biceps appellatur, cucurbitulas cum flamma admovi, brachia & crura fortiter liganda, ut sanguis ad longinqua trahatur.

Juveni cuidam Lausannensi, propter maximam hemorrhagiam de vita periclitanti, non solum genitalia linteis aqua & aceto madefactis, verum etiam totum fere corpus involvi, brachia & crura arcte ligavi, pulveremque nostrum ad sanguinem sistendum naribus imposui: hinc sanguinis fluor remisit, & breviconvaluit.

Est & vena poplitis aut malleoli è regione naris sanguinem fundentis incidenda, dummodo id absque usu aquæ calidæ fieri possit.

Sequenti quoque potione fœliciter utor: temperat enim fervorem sanguinis, fluoremq; sistit.

♃. Aqua. fragor. & centinod. an ℥j. syrup. granat. aut de acetosit. citri ℥j. succus berber ℥ß. terr. sigillat. boi. armen. veræ & præp. an. ʒ. M. fiat potio, frigide exhibenda. Vel,

♃. Aqua. plantag. & rosar. an. ℥iß. troch. de terr. sigill. ʒj. syr. de ros. sicc. & de succo acetos. an. ℥ß. M. F. potio.

A vino, & ab eo, quod actu aut potentia calidum est, item à tussi, vociferatione, colloquiis, ambulationibus, & quavis motione corporis, æger abstineat, hac methodo multos fœliciter sanitati restitui. *Guil. Fabritius Hildanus. obs. 15. cent. 2.*

Est usnea cranii humani in pulverem redacta (ut ego multoties expertus sum) in hæmorrhagia narium præstantissima, per se, aut nonnullis aliis, veluti terra sigillata, pulvere ranarum præpar. & similibus mixta, applicata. Craniis suspensorum usnea non adnascitur Guil. Fabritius Hildanus. *Epist. 27.*

Sanguinem restringit muscus cranii humani in manu retentus. *D. Robert. Boyle, tr. de Utilitate Philosoph. Natural. part. 2. sect 5. cap. 14.*

Juvenis quidam robustus ac plethoricus, cum sub sole tempore dierum canicularium supra modum incaluisset, posteaque sponsam suam, quam noviter duxerat, ardentius, quam sibi pro conservanda bona valetudine conveniebat, amplexus fuisset, hæmorrhagia maxima narium correptus est. Vocatus ego, omnia, quæ profutura existimabam præsidia, præscripsi & admovi, sed frustra, quam ob rem cum hominem propter ingentem ebullitionem ac fervorem sanguinis, in maximo versari periculo, probe cognovissem, extremo huic affectui, extremum potius remedium (in quo tamen spes aliqua) adhibendum esse, quam immaturam mortem expectare, adstantibus & amicis suasi, labrum itaque frigida impleri jussi, in quod totum corpus immersi. Sic frigefacto ac inspissato sanguine, fluxus paulatim restrictus fuit. Postea per dies aliquot sequens julapium bis in de exhibui.

♃. Aquæ bugl. & acetos. an. ℥ii. syr. de succo limon. ℥j. M. F. julep. victus regimen tenue & refrigerans observavit, & sic brevi convaluit. *Guil. Fabritius Hildaaus obs. 17. 2.*

Quidam hæmorrhagia correptus est adeo immodica ut vires dejiceret, ad eam cohibendam cum multa usurparentur remedia, hoc unicum profuit, nempe oxycratum per nares frequenter attractum, quo statim cohibitus est sanguinis fluxus, eoque post biduum denuo prorumpente, oxycratum iterum simili modo usurpatum confestim cohibuit. *Lazarus Riverius, obs. 23. cent. 1.*

Vir quidam robustus contumaci hæmorrhagia ad extrema redactus fuerat, post multa remedia frustra tentata, tandem cujusdam medici consilio, è lecto in pavimentum delatus est supra mattam laneam, & totum corpus contectum linteis oxycrato madidis per longum tempus, donec rigore correptus est, tunc etim ad lectum

tum deportatus & rigorem febris subsecuta est, quam sudor excepit, à quo curatus est, collum etiam iisdem linteis obducebatur. *Laz. Riverius obs. 3. cent. 4.*

Episcopo cuidam quinquagenario circa vesperam oborta est hæmorrhagia, quæ per quatuor horas perseverans, sanguinis fere ℔ ij. æquavit, adhuc affatim fluebat, & vires concidebant, igitur cogitandum fuit de cohibenda hæmorrhagia, & præscripta fuit venæ sectio revellens in brachio dextro, sal prunellæ in aqua frigida dissolutum, frontale adstringens, acetum in aurem instillandum, succus urticæ sumendus, cucurbitula regioni hepatis admovenda, linteum in aceto madefactum, quo frigide cervix erat obvolvenda & ligaturæ extremorum: quibus nihil proficientibus æger se alvum deponere velle dixit, nec potuit cogi, ut in lecto dejiceret; præmonuimus si è lecto surgeret cum tanta exolutione virium, fore ut in syncopem rueret, attamen eam cohibendo sanguini fore perutilem, ita fere successit, nam postquam surrexisset animi deliquium passus est, à quo statim excitatus est vino exhibito, & aqua frigida in faciem projecta. postea copiosè dejecit, & postquam in lectum delatus fuisset, sanguis multo minore impetu fluebat, postquam vero paululum quievisset, exhibitum est sal prunellæ ad ʒß. in aqua frigida dissolutum, quo assumpto, statim sanguinis fluxus omnino fuit cohibitus, nec aliis remediis opus fuit. *Lazarus Riverius obs. 48. cent. 1.*

Revulsionibus quæ in usum vocari solent, aliquandiu usurpatis, si fluxus nihilominus perseveraret, ad repellentia veniendum remedia, qualia sunt ea quæ anacollemata vulgò nominantur, fronti & temporibus applicanda, quæ ita componi poterunt.

♃. Bol. armeniac. terr. sigill. sang. drac. thur. mastich. aloës, an. ʒj. farin. volatilis, & pilor. lepor. minutim incis. an. ʒß. album. ovi nu. 1. succ. plantag. & solan. an. q. s. f. cataplasma fronti & temporibus applicandum.

In casu urgente promptissimè parari potest cataplasma ex bolo arm. sola, cum, ovi & aceto subacta, fronti ac temporibus apponendum.

Efficacissimum etiam paratur cataplasma ex gypso cum aceto subacto, & ad crassitiem duorum digitorum fronti & temporibus admoto & si prima applicatio non succedat, iterabitur, & certo curare creditur.

Faba aut numisma argenteum radici narium inter cilia admotum & fascia arctè alligatum, ut fortiter partem comprimat, eundem fluxum cohibet, animadvertendum est, an in temporibus, aut fronte venæ aut arteriæ tumeant; tum enim eas numismate aliquo, aut faba sicca per medium in longitudinem secta comprimere, fascia interveniente, optimum & supremum remedium est.

Præter repellentia dicta, in usum revocanda sunt, quæ ipsas venas apertas occludere & conglutinare solent, in quem finem multa remedia in nares immitti consueverunt. Galenus thus & aloem in pulverem redacta albumine ovi excipit, & cum linteolo, aspersis prius pilis leporinis, in nares immittit.

Vel turunda in hunc modum parari potest.

♃. Thuris, aloes, sang. drac. farin. volatil. telæ aranear. & pilor. leporin. minutim incisor. an. ʒß. excipiantur succo plantag. & gossipio, fiantque turundæ in nares frequenter immittendæ.

Potenter etiam sanguinem fluentem cohibet gossipium atramento infectum, quod in thecis scriptoris asservari solet, si aliquantulum expressum, & in turundæ figuram efformatum in nares immittatur.

Tandem hæmorrhagia omnibus remediis pertinaciter obsidente, ad escharotica veniendum est, quæ venarum extremitates apertas comburendo crustam inducunt, & sanguinem inhibent. In iis tamen magna cautio adhibenda est, quia dum eschara decidit, vasorum apertio plerumque renovatur, & sic fluxus redintegrari solet. Inter escharotica autem principem locum obtinet vitriolum ustum, quod præterquam quod escharam inducit, ad quemvis sanguinis fluxum cohibendum est efficacissimum, si mitius remedium habere desideres, vitriol. aliis permiscendum est in hunc modum.

♃. Bol. arm. sang. drac. thur. aloës. gypsi. vitriol. ust. sarcocoll. mastich. an. ʒj. f. pulvis subtiliss. vitriolum ustum, neque escharoticum est; hæmorrhagiam tamen potenter cohibet orificia venarum constringendo, si in nares cum turunda ex gossipio facta immittatur.

Optimum est hepar & lienem epithemate refrigerante, vel etiam oxycrato tepido fovere, ad sanguinis ebullientis fervorem temperandum.

Denique in contumacissimo affectu & aliis remediis non cedente, ad narcotica est veniendum, & inter cætera laudatum ad gr. 3. exhibitum. principem locum obtinet. Cavendum tamen est, ne ægro valde debili exhibeatur, periculum enim est ne calor nativus admodum debilis, narcotica vi omnino suffocetur.

Inter specifica succus urticæ miris laudibus effertur ad quemlibet sanguinis fluxum ex quacunq; parte prodeuntem, maxima efficacia cohibendum: & ideo tum per os exhibetur ad ℥ iv. semel atque iterum, tum per per nares attrahitur; tum fronti & temporibus admovetur in formam cataplasmatis cum farina subactus, vel tota urtica contusa dictis partibus admovetur; nonnulli alterum radicem urticæ in ore detentam sanguinis fluxum statim constringere. Fimus porcinus inter præstantissima specifica etiam recensetur, si adhuc calens fronti & temporibus admoveatur, vel olfaciendus præbeatur; siccus in nares immittat. Posterioris formula talis esse poterit.

♃. Stercoris porcini exsiccat. ℥ ij. pulv. rosar. ad fœtorem auferendum ʒ ß. excipiantur succo plantag. in eoque intingatur bombax in nares immittendus.

Finkius testatur bufonem exsiccatum & pulverisatum in syndone rubra axillis suppositum, val manibus retentum, ut incalescat, sanguinem statim figere, eumque veluti Gorgonis conspecto capite, statim frigescere, alii bufonem subdio suspendunt, donec caro universa absumpta sit, os femoris denudatum servant, idque nari inditum, hæmorrhagiam in instanti cohibere asserunt. Dum remedia prædicta in usum revocantur, de omnimoda causæ ablatione cogitandum est, quæ ut plurimum solet esse humor tenuis, serosus aut biliosus in sanguine redundans, eique motum præposterum concilians, naturamque ad illius

illius excretionem irritas; unde fit in humore illo evacuato, & sanguine expurgato, natura eum tanquam amicissimum & familiarissimum, ac vitæ thesaurum retineat, neque amplius excernat, ideo purgatio instituenda est, bis terve iterata, si opus fuerit expurgantibus adstrictione præditis, & refrigerantibus composita, in hunc aut similem modum.

♃. Fol. Tamar nd. ℥ß. fol. plantag Mj. coq. ad ℥ iv. in colat. infund. rhei el. ʒ j. rhei pulv. ℈ j. f. potio.

In affectu inveterato & frequenter recurrente, talis purgatio semel in septimana repetita erit efficacissima; interim julepi adstringentes post singulas purgationes exhiberi poterunt.

Cibi sint incrassantes & pauci nutrimenti, & sub forma liquida exhibeantur, ut sunt juscula refrigerantia, hordeata, avenata, & oryzata, cum aqua non jusculo parata.

Medicatio enim hæmorrhagiam promovet.

Si vires sint debiles, juscula carnium & panatellas exhibere oportet in quibus amylum sine calce paratum, aut gummi arabicum dissolvantur. *Lazarus Riverius prax. med. lib. 4. cap. 7.*

Memini expertissimum Virum Emanuelem Vaezium Avunculum meum quatuor Lusitaniæ Regum Medicum cubicularium, quique sanguinis fluore per nares jam septuagenarius sæpe divexabatur, stercus asininum modicè exsiccatum in capsula semper ad manus habuisse, cui medicamento nullum aliud simile reperisse, sæpissimè referebat, præsertim si succo urticæ commixtum, cum siccum jam erat, aut recens per se naribus adhiberetur. *Rodericus à Castro. lib. 1. De Morbis Mulieribus cap. 5.*

Memini me virginem Pragæ curasse, quæ sex annis hæmorrhagia laboraverat ita vehementer, ut vix unquam hebdomada præteriret, quin aliquoties illi sanguis efflueret. Hæc cum nullis remediis juvari posset, à me consilium petiit, qui prætermissis aliis omnibus, quæ à Medicis præscribi solent, utpote quibus ad nauseam jam diu usa fuerat, Jaspidem, cujus facultas ad hujusmodi symptomata mihi experientia nota erat, illi commodato do, ut collo appensam gerat, paret illa, sanguinisque fluxus ilico sistitur, gestat per aliquod hebdomadas, nec rediit fluxus. Cum itaque se prorsus curatam opinaretur, deponit gemmam: post paucos dies redit fluxus; iterum appendit Jaspidem, cujus beneficio mox liberatur. Cum vero singularem hujusmodi facultatem & divinam miraretur (ut mihi retulit) experiundi gratia aliquoties à collo deposuit gemmam, ac semper animadvertit redire fluxum, nec curari, quin iterum appenderet. Observavit tamen, non statim seposita Jaspide redire, sed post multas prius elapsas hebdomadas; appensa tamen, statim sisti, ita ut nulli aliæ causæ fluxus inhibitio ascribi ab illa potuerit quam Jaspidi, tandem cum per aliquot menses à corpore gemmam deposuisset, nec unquam hæmorrhagia rediisset, mihi illam reddidit. Postea cum illam sæpius conuenirem, affirmavit non redire amplius fluxum, ac se omnino curatam esse. Erat Jaspis rubra. *Anselmus Boetius lib. 2. De Lapid. & Gemmis. cap. 102.*

♃. Sem. hyosciami albi, & papav. alb. an. ʒij. conserv. rosac. ℥ j. F. S. A. Electuarium, dosis, quantitas nucis moscatæ vel juglandis. Hoc simplici remedio Medicus quidam præclarus enormes hæmorrhagias narium, uteri etiam, & aliarum partium sæpissimè curabat. *D. Robertus Boyle, tract. de utilitate naturalis Philosophiæ. part. 2. sect. 5. cap. 6.*

Aperiam quod mihi cum maxima languentium utilitate semper adhibere profuit. Bursa pastoris contrita si cum ovi albumine & aceto commista fuerit, & fronti applicetur, confestim sanguis constringetur, ut mihi non semel in infirmorum cura contigit. *Julius Cæsar Baricellus Hortul. Genial. pag. 160.*

Cuidam febricitanti, die septimo hæmorrhagia copiosissima accidit, ita ut præ immenso sanguinis dispendio æger fere viribus exolveretur, atque opis medicæ pro sanguine sistendo maximè incumbere necessitas: in hunc finem cum venæ sectio in brachio, ligaturæ, epithemata tum capiti, tum imo ventri adhibita, & quamplurima alia remedia incassum tentabantur: tandem mulieris illuc casu occurrentis suasu, nari stillanti ferrum ignitum, admovebatur, & derepente à vapore sanguinis torrefacti in nares suscepto, istius fluxus sistebatur; hoc remedium postea in plerisque bono cum successu usurpatum novi. *Thom. Willis lib. de Febribus cap. 11.*

A proprietate hæmorrhagiam sistit stercus suillum pro odore naribus objectum. Parens meus admiscuit fragmenta ollæ veteris pulverisata, & sic ad miraculum stitit sanguinem.

Medicus quidam celeberrimus hæmorrhagiam narium sic curavit.

♃. Pulv. astringent. ʒj. album ovi conquass. q. s. aceti parum M. applicetur fronti & circa collum.

♃. Aq. spermatis ranarum, plantag. nymphææ, syr. corall. an. ℥j M bibat frigide.

♃. Carnis bubulæ recentis, asperge aceto forti, & impone nuchæ capitis. *Wolgangus Hoeferus. Hercul. Medic. lib. 1. cap. 10.*

Vir quidam hæmorrhagia insigni cruciatus, cum curari non posset, tandem relatum ei fuit, quendam virum secretum admirandum ad hæmorrhagias insigniores statim sistendas habere, sola herbæ contusæ applicatione, eoque remedio innumeros curatos fuisse; remedium igitur hoc habendum curavit æger noster, missa ergo fuit herba contusa & aqua in phiala, herbam plantis pedum & volis manuum applicandam esse, neque viginti & quatuor horis amovendam scribebat secreti possessor, & mantile aqua frigida madefactum testiculis involvendum, naribusque indendas interioris cepæ partis turundas in aqua supradicta medefactas, naribus primò eadem aqua mundatis: hoc omnia facta fuerunt tanto cum successu, ut nihil melius exoptari posset. Ego vero remedii addiscendi desiderio flagrans portionem herbæ asservaveram, qua diligenter explorata, manifestissime secretu agnovi, folium enim herbæ male contusum & fere integrum inveni, aquamque ex eadem herba esse percepi, ut autem miseris ægris prodesse possim, libenter eam nominabo. Urtica communis hæc herba tantæ virtutis est, hæc enim ut sæpe ab illo tempore expertus sum miros ad hoc produxit effectus, imo in vulnere equi magni prætii hæmorrhagia pereuntis, quod etiam præstat si fronti admoveatur. *Petrus Borellus cent. 1. obs. 95.*

Otho Heurnius stupam sequenti aqua madefactam

factum naribus inditam potenter hæmorrhagiam compescere tradit.

℞. Aceti fortiss. ℥ j. croci martis ℥ j. colcotharis ℥ß. M. In Notis ad cap. 6. lib. 5. Pathologiæ *Joan. Fernelii*.

Pro Hæmorrhagia ex dente avulso.

Domina quædam cum sibi dentem avulsisset, tam copiosa hæmorrhagia successit, ut fermè moreretur, irritis omnibus remediis. Vocatus jussi ut emplastr. contra rupturam satis magnam tempori denti avulso respondenti admoveretur, item ut alveolo è quo dens extractus erat, parum colcotharis pulverisati adhiberetur cum cotono & digito contineretur. His factis intra horulam substitit sanguis. *Petrus Pachequus. observat. 28.*

Pro Hæmorrhagia ex Vulnere.

Cum miles quidam vulnus accepisset in brachio, quo radius & cubitus transversim secabantur, tanta secuta est hæmorrhagia, ut post varia astringentia admota, tum etiam caustica & escharotica, fluxus tamen sanguinis per intervalla recurreret, ita ut Medici & Chirurgi de brachio penitus amputando cogitarent. Ego vero cui æger commissus fuerat, linteum complicavi in formam cylindri, longitudinis trium digitorum transversorum, & crassitiei pollicis, quod perpendiculariter in vulnus demisi: deinde plumaceolis reliquum vulneris spatium implevi, & quia cylindri extremum extra brachii superficiem pollicis crassitie eminebat, splenia quatuor admovi, quæ cylindrum æquabant firmabantque: ipsi vero cylindro quintum splenium, idque quadratum apposui, ac denique fascia arcte ligavi: & ab eo tempore sanguis amplius non effluxit, vulnus autem non detexi per quatuor aut quinque dies, donec caro intus enata venæ orificium impleverit. *Samuel Formius observat. 1.*

Cum equus commendatori cuidam mordicus digitum abstulisset, sanguinisque fluor, multis frustra tentatis, non sisteretur, jussi eum in pulli gallinacei vulnus, recenter jures podicem sectum, intrudere, & sic quam diu caleret retinere, fluorque statim substitit. *Felix Platerus obs. lib. 3 pag. 772.*

Hæmorrhagia à vena secta quam nemo sistere valuerat, solo aluminis tactu curata est. *Petrus Borellus cent. 4. obs. 7.*

Rusticus quidam vulneratus in manu, arteriæ læsæ solutionem patiebatur, ubi hæmorrhagia sanguinis arterialis cum saltu frequenter invadebat, nullisque remediis communibus corrigi potuit, hic tandem ad collegam meum. D. Stromajerum accedens, auxilium in hac periculosa hæmorrhagia desiderat cui pauxillum magisterii opii ad arteriam vulneratam opponitur, quo ad miraculum usque contumax hæmorrhagia mox restingitur: vulnere post emplastro stictico Crolliano facillimè consolidato. *Gregorius Horstius. obs. 12. lib. 9.*

De periculosa hæmorrhagia narium in sene, quomodo cohibita fuerit.

Reverendus Dominus Johannes de L'Osea, apud Muratenses Gallicanæ Ecclesiæ, Verbi Divini Minister fidelissimus, homo ad sexagesimum ætatis annum appropinquans, varicibus in cruribus laborabat, qui certis anni temporibus sponte erumpere, sanguinemque profundere solebant. Quum vero anno 1605. diutius solito retenti fuissent hæmorrhagia narium, eaque periculosa, correptus est: viginti enim quatuor circitnr horarum spatio, sanguis continuo fere effluebat. Ego quarta Aprilis advocatus hominem pene mortuum inveni, sanguis per nares & os copiose pro[illegible]anabat, & (quod mirandum) lachrymæ sanguinolentæ, simul exstillabant: pulsus fere nullus & syncope frequens. Protinus itaque crura sub genu, & brachia ad cubitum arcte ligavi: naribus turundas, albumine ovi madefactas, & pulvere nostro ad sanguinem sistendum aspersas, imposui. Fronti vero sequens defensivum applicui.

℞. Farinæ hordei ℥ iij. Sanguinis draconis boli armeni terræ sigillatæ croci martis corticum granator. an. ʒ j. succi prunor. sylvestr. inspissati & aceto dissoluti ℥ß.

Et cum albumine ovi, aceto, parumque aquæ aut omphacio, in mortario fiat defensivum, quod supra linteum extensum, fronti & raso, frigide applicetur, sæpiusque posca irroretur, ne exiccetur, & incalescat. Renes & hypochondria, oleo & unguento rosaceo, parumque aceti rosacei simul mixti inunxi, scapulisque cucurbitulas siccas admovi. Sequentem quoque potiunculam exhibui.

℞. Aquæ plantag. & rosar. an. ℥ i ß. terræ sigillatæ ʒ j. Succi granor. berber. ʒij. Sacchari q. s. ad saporis suavitatem: confect. alkermes (propter virium lapsum) ʒ j. Misce, fiat potio, quam per intervalla iteravi.

His remediis adhibitis, fluor paulatim cessavit, per menses tamen aliquot valdè imbecillis fuit, quo tempore eum cibis euchymis, veluti jusculis carnium recentium, caponum, hordei decorticati, & similibus, nutriri jussi. Vinum decoct. agrim. veron. parumque cinnam. diluebat. Hepar linimentis corroborantibus, obstructionesque impedientibus inunximus. Per intervalla quoque confectione alkermes, dissoluta aq. cinamomi absque vino destillata, utebatur. Sic divino favore, ad hunc usque annum 1608. laus Deo bona valetudine fruitur, nec ab eo tempore unquam amplius ejusmodi fluxum passus est. Tandem 16. Februar. prædicti anni pleuresi correptus, pie, placideque in Christo obdormivit. *Gulielm. Fabric. Hildan. Observ. Chirurg. Cent. 2.*

Alia hæmorrhagiæ periculosæ, curatis.

Anno 1696. Juvenis quidam Lausannensis robustus ac plethoricus, cum sub sole tempore dierum cunicularium supra modum incaluisset, posteaque sponsam suam, quam noviter duxerat, ardentius, quam vero sibi pro conservanda bona valetudine conveniebat, amplexu fuisset, hæmorrhagia maxima narium correptus est. Huic à Pharmacopola varia, cum interna, tum externa, sed sine successu, adhibita fuere remedia. Ego vocatus, omnia, quæ profutura existimabam præsidia, præscripsi, & admovi, sed frustra quoque. Quamobrem cum hominem propter ingentem ebullitionem ac fervorem sangui-

nis, in maximo versari periculo, probe cognovissem, extremo huicce affectui, extremum potius remedium (in quo tamen spes aliqua) adhibendum esse, quam immaturam mortem expectare, adstantibus & amicis suasi. Labrum itaque frigida impleri jussi, in quod totum corpus immersi. Sic frigefacto ac inspissato sanguine, fluxus paulatim restrictus fuit. Postea per dies aliquot sequens Julapium bis in die exhibui.

℞. Aquar. buglos. & acetosæ an. ℥ij. Syr. de succo limon. ℥ j. Misce, fiat Julapium. Victus regimen tenue ac refrigerans observavit. Et sic brevi convaluit, adeo ut ad hunc usque annum 1609. bona valetudine fruatur. *Idem ibidem.*

Et maxima hæmorrhagia, cachexia, tandemque mors sequuta.

Anno 1607. die 22. Novemb. Reverendus D. Isaias Monninus, Verbi Divini Minister in Mery ad Muratum, Vir pius; & sexagesimum circiter ætatis annum habens, maxima hæmorrhagia correptus fuit. Quin vero de pulvere meo ad sanguinem sistendum à D. de L'Osea (qui illum, ut rem pretiosam penes, se semper conservabat) petiisset, & sibi à barbitonsore cum nonnullis aliis medicamentis, veluti defensivo & refrigerantibus, (uti paulo ante in curatione D. de L'Osea à me viderant, applicandum curavisset, hæmorrhagia cohibita ac restricta fuit. Ego eadem die opportune Soloduro, ex aula Illustris D. Eustatii Reffugii, Legati Regis Gallarum Muratum veniens, accersitus fui, ipsumque propter sanguinis effluxi copiam, pene exanimatum offendi. Suasi, ut jusculis carnium recentium, caponum, gallinarum, lacte item amygdalarum dulcium, ovis sorbilibus, & ejusmodi cibis multum nutrientibus vesceretur, quin etiam ut medicamentis nonnullis viscera corroborantibus, uteretur. Consilio meo ad dies aliquot paruerunt, postea vero cum in victus ratione æger deliquisset, neque medicamenta idonea adhibuisset, paulatim in cachexiam incidit. Tandem ascite correptus, sequenti anno 1608. mense Februario, animam Deo placide pieque reddidit.

Mirabilis Umbilici Hæmorrhagia.

Sanguinem ex umbilico infantulorum recenter natorum aliquando nimis copiosè profluere, multoties observavi, ut ex observat. 52. cent. 1. videre poteris. Vasa enim umbilicalia si post partum ab obstetrice nimis negligenter ligata fuerint, sanguinem maximo cum infantulorum damno & vitæ periculo profundunt, uti loco præallegato ostendimus. In adultis vero, quia vena umbilicalis contrahitur & in ligamentum transit, sanguinem non amplius per eam naturaliter profluere posse, rationi consentaneum est. Verum naturam materia aliqua morbifica oneratam, aliquando iterum venam illam reserare, per eamque serosos humores copiosè projicere, nonnunquam in hydropicis observavimus, qua de re vide obser. 47. cent. 1. Sanguinem vero in adultis ex hepate per umbilicum adeo copiosè, ut in sequenti historia acciderit, profluxisse, hactenus an observatum fuerit, nunquam me legere memini: ideoque casum ordine recensere non gravabor.

Dn. Daniel Schertler, Apothecarius Solodurensis Helvetiorum, experientissimus, homo pituitosus, obesus & trigesimum sextum annum ætatis agens, amicus meus singularis, cum superiori anno 161.. circa festum Divi Johannis Baptistæ ad Nundinas Argentinenses, negotiorum suorum causa profectus, ibique occupatissimus esset, ac quodam die supra modum incaluisset, apertus sibi fuit umbilicus, ita ut ad libram unam & semis sanguinis efflueret, per se tamen & nullo adhibito medicamento substitit. Miratus simul & perturbatus hac de re cum esset. Medicos eruditos, simul & Chirurgum advocari jussit; qui hujusmodi medicamenta, quæ sanguinis fervorem refrenare solent, exhibuerunt, & exterius applicarunt; sed exiguo cum fructu. Altero enim die & subsequentibus, usque ad undecimum, ex umbilico quotidie bis sanguis, non quidem guttatim neq; in parva quantitate, sed cum impetu & copiosè erupit. Foramen adeo erat angustum, ut vix lentem excipere posset. Certis autem horis (quod probè notandum) nimirum præcisè inter septimam & octavam matutinam, & inter secundam & tertiam pomeridianam, hæmorrhagia illa accidebat. Ut plurimum quoque hoc tempore singulis diebus semel hæmorrhagiam narium patiebatur. Medici simul & Chirurgi, etiamsi omnem adhiberent diligentiam, sanguinem tamen medicamentorum beneficio sistere nunquam potuisse, æger ipsemet mihi affirmavit; sed sponte & per se substitisse. Hoc modo, nimirum quotidie bis, totos undecim dies sanguinem profluxisse, & interim ad libras usque viginti septem emanasse, à Medicis & ipso ægro observatum fuit. Elapsa undecima die, ulcus umbilici accrevit, ex quo loco sanguinis materia purulenta per menses aliquot extillavit, paulatim tamen iterum coaluit.

Cæterum quia quantitas illa sanguis, qui undecim dierum spatio tam ex umbilico quàm ex naribus effluxit, modum excedere videtur, & vix hominem tanta sanguinis copia præditum esse, credibile sit; adeoque rem fabulosam esse aliquis æstimare possit, quæstio suboritur: nimirum sangnis an purus fuerit, nec ne? Ego ipsum non purum, sed aliis humoribus, inprimis serosis ichoribus permixtum fuisse, existimo.

Constitutio corporis phlegmatica & obstructiones viscerum, quibus antea per annos aliquos laboraverat, fidem faciunt. Serosi enim humores isti, beneficio naturæ exitum petendus, venam umbilicalem paulatim dilatarunt: tandemque unà cum portione aliqua sanguinis per umbilicum eruperunt.

Ex maxima porrò evacuatione ista vires adeò prostratæ fuerunt, ut nonnisi summa cum difficultate Solodurum reduci potuerit. Ego 12. Novembris in anno 1612. ex patria rediens, cum ipsum inviserem, omnia illa quæ recensui, ex ipsius relatione annotavi. Umbilicum extensum, rotundum & aliquantum elevatum, & instar vesicæ aqua impletæ, molem inveni, nec non fluctuationem quandam in ipso percepi. Dolorem præterea per intervalla, imprimis vero tussiendo & noctu decumbendo, ambulando vero nullum aut exiguum saltem adesse, referebat. Venter extensus, durus, appetitus prostratus

stratus, & sitis maxima aderant, parumque dormiebat. Posteà vero quid cum ipso accideerit, ad meos redeundo, & Solodurum transeundo, si intellexero, tibi volente Deo, per occasionem communicabo. Nunc propter festinationem plura abscribere non possum. *Idem Centur. iij.*

Ex mictione sanguinolenta repentina mors.

Anno 1623. Mense Julio, nobilis quidam Lausannensis, Dn. Ferdinandus Lovisius, Dominus de Chesau, & Chandans, quem honoris gratia & propter eam, quæ inter nos fuit, familiaritatem, nomino: Vir pietate, & Virtute excellens, cum quadam diem iu publicum prodiret, & cum subditis suis sermonem haberet, in deliquium animi incidit. Ex Pago suo Chandans Lausannam in lectica deportatus, animam Deo piè placideque reddidit. Causa mortis fuit mictio sanguinis, quam per tres integras septimanas studiose celaverat, & Uxori suæ vix, Medicis vero nunquam indicare voluerat. Verecundia, quæ sanitati adversatur, plerumque necem afferre solet. *Idem. Cent. vj.*

De admiranda Hæmorrhagia per Penem.

Aliquoties mihi, vir clarissime, Amice Colendissime, cum Lithotomis, rerum Anatomicarum imperitis, negotium fuit: Vesicam enim ipsiusque collum, venis, quæ alicujus momenti censeri possint, præditam esse, in dubium vocare ausi fuerunt. Atque hanc acceptam esse opinionem Lithotomorum Empiricorum in Germania existimo. Ex isto porro errore multa incommoda, & quidem gravissima sequuntur; In extractione enim calculi, dum hæmorrhagiæ & sanguinis, qui in vesicam confluit, ibidemque in grumos concrescit, rationem non habent, & ut effluat, subsidia non adhibent, putrescit, & gravissima excitat symptomata; videlicet dolores gravissimos, inquietudines, febres, inflammationes, Gangrænas, tandemque mortem ipsam. Verùm enim verò rem aliter se habere, tibi, Vir Clarissime, omnibusque, qui fabricam humani corporis intelligunt, notum est. Ut autem ignorantiam horum hominum exemplo quoque refellerem, rationesque Chirurgos cautiores redderem, statui Historiam illam observatione dignissimam, de Affectu Dn. Anthonii Marionis, Centuriæ meæ inserere. Nequaquam tamen illam publici Juris facere volui, nisi prius ad Virum Clarissimum, ut qui ante me ad ægrum accersitus fuit, referrem ea, quæ Ego hac de re consignavi, quod & nunc facio, submisse rogans, ut omnia perlegere, castigare, & si quid à me prætermissum fuerit, id abscribere non gravetur: inprimis autem obnixe rogo, ut excellentia T. quantitatem sanguinis, ab ipso rejecti, à Dn. Capitaneo *Meister*, communi nostro Amico, qui etiam curationi interfuit, aliisque astantibus expiscari, mihique significare velit. His Vale, Vir Clarissime, Consultissime, & cum tuis æternum feliciter vive. Dabam Bernæ 18. Septemb. 1626.

Anno 1623. cùm viri nonnulli juvenes Friburgenses saltando ac currendo sese exercerent, accidit, ut quidam ex eis, Antonius Marion nomine, homo viginti circiter annorum, robustus, & plethoricus, inter saltandum Perinæum contra extremum scamni angulum allideret, sine ulla tamen cutis vulneratione: quapropter etsi dolor protinus superveniret maximus, nulla tamen secuta est Hæmorrhagia, inde factum est, ut de affectu non usque adeo solicitus fuerit: sed aliquo modo sedato dolore, cum reliquis suis Sodalibus hilaris esset. Sequente vero nocte adaucto dolore, cùm sanguinem copiose emingere cæpisset, & intra paucos dies ad libras aliquot sanguinis per penem eminxisset, ac ita quidem, ut vires mirum in modum imminuerentur, haud parum perturbatus fuit. Quapropter nobilem & clarissimum virum Dn. Franciscum Prosperum Gottrovvium Reipubl. Friburgensis Medicum ordinarium atque celeberrimum, in consilium vocare jussit. Is considerato periculo, in quo versabatur æger, autor fuit, ut ego quoque accerserer. Quarta itaque Martii, 1623. cum ad S. Albinum, in agro Aventico situm, ad ægrum pervenirem, vires, propter copiam sanguinis, per penem rejecti, mirum in modum prostratas inveni: ea quoque die, & subsequente nocte, ad libras circiter duas excrevit. De urina, quæ jam separatim cum sanguine permixta erat, non loquor. Sed quod admiratione non vacat, vidi his meis oculis, etiam præsente Dom. Doct. Gottrovvio, ægrum grumos sanguinis, qui magnitudinem ovi gallinæ excedebant, sine insigni molestia & conatu per ductum urinarium excruvisse, tam valida erat in ipso facultas expultrix. Inter effluendum autem veluti gelatina erat, è momento tamen in grumos spissos concrevit. Vix credibile est, quantum sanguinis per penem eminxerit. Interim tamen, divino aspirante numine, feliciter à nobis Sanitati restitutus fuit, & pristinas vires ita recuperavit, ut sequente anno in Galliam profectus sit, ubi in hunc usque annum 1626. hæc scribo, castra regia sequitur.

Curationem autem ut sequitur, instituimus. Primo victus rationem, quæ refrigerat, humectat, nutrit, & corroborat præscripsimus 2. Sequentem potiunculam bis in die, videlicet mane & vesperi propinavimus.

℞. Aquæ Fragariæ, Prunell. Plantag. ana ℥. j. ß. syrup. de papavere, Althea Fernel. ana ℥. j. Tripheræ magnæ cum Opio, ʒ. ij. Misce fiat potio, pro sex dosibus, matutinis, & vespertinis.

Frequenter quoque interdiu nonnihil de sequente potione ex cochleare sumebat.

℞. Aqua plantag. Bursæ Pastor. Centumnon. ana ℥. j. Boli oriental. veri ʒ. j. confect. Alkerm. ℈iiij. syrup. de papavere, ℥j. ß. misce. Perineo sequens cataplasma applicuimus:

℞. Farin. hordei ℥j. ß. pulv. Balaustior Nucum cupress. Rad. Bistortæ, tormentill. an. ʒ. j. Rosar. ʒ. ß. Cum decocto rad. & foliorum plantag. parumque acet. rosac. fiat cataplasma, applicetur tepide. Imo ventri, quia de dolore extensivo, propter copiam sanguinis in vesica collecti, conquerebatur, hoc applicuimus cataplasma.

℞. Parietar. malvæ, altheæ, an. m. j. flor. chamomill. melilot. sambuc. an. m. ß. sem. lini, fœnigræc. anisi, ana ℥. ß. misce, fiat omnium pulvis tenuissimus. Hujus pulveris.

♃. Ana ℥j. ß. farin. fabar. ℥iij. coquantur cum lacte vaccino, fiatque cataplasma, addendo vitellos ovorum num. ij. Butyr. recent. ℥j. applicetur tepide. Regionem Renum sequente unguento inunximus:

♃. Unguenti refrigerant. Galeni ℥iij. ol. nymphææ, ℥j. Camphoræ dissol. in acet. rosac. ℈j. Misceantur in mortario, fiatque linimentum.

Cæterum, quum propter maximam, & fere incredibilem sanguinis deperditionem, & proinde hepatis refrigerationem atque labefactionem, secuta fuisset viscerum obstructio, & cachexia, visum nobis fuit, ut sequente uteretur Syrupo Magistrali, qui non tantum viscera reserat, sed & internum ulcus circa collum vesicæ, propter casum factum, consolidat;

♃. Rad. fœniculi, petroselini, asparag. ana ℥. ß. herb. betonic. scabios. agrimon. veronic. Alchymill. Pyrol. sanicul. ana m. j. sem. anis. fœniculi, Urtic. an ʒ. ij. flor. trium cordial. Genist. Hispanicæ, an. p. j. liquirit. mundat. uvarum exacinat. ana ℥j. Fiat s. an. decoctio in aqua fontan. ad consumptionam tertiæ partis: Colaturæ adde Mellis despumat. & sacchari miscellanei an. ℔j. fiat syrupus s. an. aromatizetur speciebus aromatici rosat. & Diarrhodon. Abbatis, an. q. s. de hoc syrupo sumebat æger singulis diebus per tres horas ante prandium cochleare unum aut alterum. Sumebat quoque per intervalla ad ʒj. aut ʒj. ß. terebinth. claræ, cum pulvere liquiritiæ. His non sine admiratione multorum feliciter & perfecte sanitati restitutus fuit. Quid non potest Juventus in corpore integris visceribus prædito? *Idem ibidem.*

De periculosa Hæmorrhagia per pudenda, in Puella.

Casum illum gravissimum, quem vidimus una in Dn. Antonio Marione, Vir nobbilissime, Amice plurimum honorande, non ita pridem consignavi, & ad T.excellent.misi. Ab eo porro tempore, cum quadam die adversaria mea revolverem, en incido in casum non longe absimilem quem tibi communicare volui.

Anno 1522. 5. Decembris, puella quædam ex nobilissima familia Bernensi orta, quinque circiter annorum, cochleare oblongo manubrio, qualibus in Culina utuntur, in manu gerens, cum ex scamno in pavimentum hypocausti decidisset & mucrone manubrii infimam partem colli matricis, versus intestinum rectum vulnerasset, tanta secuta est sanguinis profusio, ut parens ipsa, & adstantes, non semel ad me dixerint, se nunquam credidisse, corpus tam exile ac juvenile, tanta copia sanguinis præditum. Ad libras enim aliquot effluxisse, ausus sum affirmare. Restricto tamen sanguine pulvere nostro ad sistendum sanguinem, & refocillatis atque instauratis viribus, vulnus, quod ad intestinum rectum fere usque penetrabat, brevi feliciter curavimus, & in hunc usque diem vivit.

Ex hac porro historia, nobilissime & clarissime vir, apparet imprudentia Lithotomorum quorundam, qui Hæmorrhagiam istis in locis esse pertimescendam, negare conantur. Videmus quoque, pueris urgente necessitate, & præsertim in morbis acutis, venæsectionem, quam vulgus tamen Germanorum tantopere rejicit, sine ullo periculo administrari posse. Si enim in hac puella ad libras aliquot sanguinis, sine vitæ discrimine, effluxerint, quid, quæso, obstat, cur Medicus rationalis ad paucas uncias non extrahat? *Idem ibidem.*

Hæmorrhagia Narium.

Theodorus Biil, vir circiter 55. annorum, mense Augusto hora quarta matutina hæmorrhagia naris dextri correptus fuit. Ego post tres horas ad ipsum vocatus, ad revulsionem statim per Cirurgum venam in dextro brachio satis largo vulnere aperiri, & sanguinis unc. x. extrahi curavi: quo facto, & aqua etiam frigida fronti ac cervici admota, sanguinis fluxus substitit. Post triduum, cum vespertino tempore ad convivium vocatus, vinum paulo liberalius bibisset, domum reversus eodem malo iterum correptus fuit, fluxitque sanguis tota nocte antequam me vocarent. Postridie ipsum invisens venæsectionem rursus institui, ut ante, sed nihil profuit, neque ob ætatem & vires jam dejectas eandem reiterare licuit. Turundas in nares immitti primo non permisit, quapropter hanc mixturam cum stupa cannabina fronti applicavimus.

♃. Boli armenæ drach ij. s. lapidis hæmatitis, mastiches, thuris, coralli rubri, an. scrup. ij. albumen unius ovi, aceti rosacei, q. s. misceantur. Præterea oxycratum actu frigidum cervici, fronti, & testibus admotum fuit, revulsiones per ligaturas & frictiones dolorificas extremarum partium ac per cucurbitulas scapulis applicatas, factæ sunt, quæ tamen omnia nihil profuerunt. Tandem cum hæmorrhagia jam ultra 36. horas duraret, & ægri vires ob copiosum sanguinis fluxum admodum exhaurirentur, ac de vita periculum foret, tunc sibi metuens, astringentia in nares admittere coactus fuit. pulverem itaque ex trochiscis de terra sigillata, bolo armena, mastiche, & thure compositum cum penna scriptoria utrinque pertusa (expurgata prius nare à sanguinis thrombis) quam altissime in narem insufflari curavimus, simulque turundam crassiusculam, ex tenui linteo ad digiti fere longitudinem paratam, aceto & albumine ovi madefactam, eodemque pulvere conspersam, superimmisimus: atque eo pacto hæmorrhagia per duas tresve horas subsistere videbatur, sed postea sanguis per palatum ad os descendere cœpit, & excidente turunda etiam rursus per narem. Tunc iterum expurgata nare, eundem pulverem inflavimus, & turundam ex frusto cretæ confectam, tante magnitudinis ut totam narem obturaret, immisimus, atque sic hæmorrhagia statim substitit, ad majorem tamen certitudinem, turundam istam tribus diebus inhærere permisimus: ita hac vice ab imminenti periculo servatus fuit æger. Sequenti tamen anno in autumno eadem hæmorrhagia rursus invasit, in qua cohibenda cum anilibus quibusdam consiliis tota die & nocte frustra usus fuisset, tandem viribus pene exhaustis rursus ad me concursum est: hanc ego eadem ex creta turunda iterum citissime cohibui. Verum non diu post, hepate à nimia ista sanguinis evacuatione admodum refrigerato & debilitato, hydrope simul et asthmate correptus, extremũ diem clausit.

Narium hæmorrhagia immoderata (symptomatica nempe, non critica) cum hydropem, cachexiam, aliaque gravia mala inducat, quam citissime est cohibenda. Hæc autem (præmissa sex rerum non naturalium convenienti regimine) imprimis curatur his modis: revulsione sanguinis ad nares affluentis; ejusdemque à naribus repulsione: sanguinis incrassatione: & venarum apertarum occlusione.

Revulsio optime & citissime fit sanguinis missione in brachio lateris affecti, qua Galenus, lib. de sang. miss. asserit se validas narium hæmorrhagias repente cohibuisse. Plurimi Medici exiguo facto foramine, & parva quantitate, sed iteratis vicibus, sanguinem detrahendum esse arbitrantur; verum magis nobis arridet opinio illorum, qui è largo foramine sanguinem confertum effluere sinunt, nam tali modo citior & melior fit revulsio. Præter venæsectionem etiam cucurbitulæ sanguinem potenter aliorsum revellunt. Sic Galenus, lib. de præcog. ad Post. maximam hæmorrhagiam in juvene curavit, cucurbitula magna hypochondrio admota. Forestus lib. 13. observat 14. hæmorrhagiam desperatam, quam nullis mediis sistere potuerat, tandem cucurbitulis pedi impositis, miraculi & incantamenti instar substitisse refert: quod experimentum etiam nobis aliquoties felicissime cessit. Cucurbitulæ scapulis impositæ, quamvis multum revellant, multis tamen non sine ratione suspectæ sunt; propterea quod etiam ab inferioribus partibus sanguinem ad superiores potenter trahant. Crato inter revulsoria commendat minimi digiti in latere affecto incurvationem cum dolore: cujus generis etiam sunt, extremarum partium frictiones & ligaturæ dolorificæ, ut & cauterium actuale plantis pedum ad motum, quo Zacutus Lusitanus gloriatur se desperatam hæmorrhagiam curasse.

Repellitur sanguis à naribus (nempe præmissa revulsione) aceto, aqua frigida actu, vel oxycrato, fronti, temporibus & cervici admoto, vel cataplasmatibus ex bolo, terra sigillata, mastiche, thure, albumine ovi, aceto, & similibus paratis, ac fronti admotis, quibus plantago, pimpinella, aliæque herbæ astringentes & refrigerantes, recentes contusæ addi possunt. Cochleæ cum suis domiciliis tritæ, admixto thure & aceto, atque sic fronti & naribus impositæ multum commendantur. Riverius tanquam efficacissimum laudat gypsum cum aceto subactum, & ad crassitiem duorum digitorum fronti & temporibus admotum. Acetum solum, vel oxycratum naribus sæpe attractum idem præstat ut & aqua frigida majore copia ex improviso in faciem projecta. Aëtius tanquam expertum laudat vaporem ex aceto lapidi ignito infuso, si naribus excipiatur. Pachequus (in observationibus Riverio communicatis, obs. 16) aliud experimentum describit: Rusticus (inquit) ex hæmorrhagia liberali jam vicinus morti me accersivit: sed cum nulla remedia contulissent, instillavi in aurem è directo naris sanguinem fundentis, guttas aliquot aceti rosati, & sanguinis fluxus statim subsistit. Didiceram hoc à D. Pontuado, qui viderat hoc remedium à Belga Medico factitatum: legi apud Scribonium Largum cap de hæmorrhagia.

Sanguinis incrassatio peragitur medicamentis refrigerantibus, astringentibus & incrassantibus per os exhibitis, iisdemque etiam foris admotis, quo in casu foris conveniunt jam dicta repellentia, imprimis vero oxycratum & aqua frigida. Sic Hildanus cent. 2. obs. 15. in desperato casu totum corpus linteis oxycrato immersis involvens, hæmorrhagiam compescuit. Idem cent 3. obs. 2. totum corpus aqua frigida immergit, eodemque loco de hujus remedii utilitate latius disserit.

Venas reseratas occludunt & conglutinant astringentia naribus immissa. Galenus lib. de medic. paratu facilibus & aloën in pulverem redacta albumine ovi excipit, & cum linteolo, aspersis prius pilis leporinis, in nares immittit. Turundæ astringentibus pulveribus aspersæ utilissime naribus induntur. Muscus crescens in craniis humanis aëri expositis, pulverisatus & quocunque modo in nares immissus, potentissimum censetur medicamentum. Ego turundam longam ex frusto cretæ confectam, efficacissimam esse aliquoties expertus sum. Gossypium thecæ scriptoriæ atramento diu infectum, aliquantum expressum, & instar turundæ in nares immissum, valde efficax est. Fimus porcinus inter præstantissima & specifica recensetur, si adhuc calens solus, vel cum bolo armena & aceto calefactus, fronti & temporibus admoveatur, & olfaciendus præbeatur, aut in nares immittatur: hujus usu desperatam hæmorrhagiam in nobili Germano me curasse memini. Rodericus à Castro & Zacutus Lusitanus maxime extollunt stercus asininum, eodem modo usurpatum; quod etiam Zacutum non pudet per os exhibere & omnibus cibis admiscere. Pulvis sanguinis humani exsiccati, ut & limacum cum cochleis combustarum, & ranarum combustarum, in nares immissus efficax censetur. Refert Pereda vetulam quandam immanem hæmorrhagiam tribus diebus durantem, curasse sola mentha naribus imposita. Succus urticæ per os exhibitus & naribus attractus, ut & urtica contusa ac fronti admota, specifica vi hunc sanguinis fluxum efficacissime cohibere traditur. Riverius tanquam præstantissimum remedium à se multoties probatum, commendat spicam nardi subtilissime pulverisatam & ad drachmam cum jusculo, aqua plantaginis, aliove liquore exhibitam, hancque non solum specifica vi, sed hepar roborando sanguinis fluxum cohibere tradit. *Isbrand De Diemerbroeck in observat. & curationib. Medicis.*

De sanguinis Narium fluxu per oculum sinistrum.

Teste Aristotele solus homo inter omnia animalia hæmorrhagiæ narium subjectus.

Sollicitos hæc non raro facit non solum ea laborantes, sed & adstantes, imo medicos ipsos, media quibus fluxum hunc inhibere studemus guttarum sanguinis exstillantis numero sæpius respondent, fere sine ullo successu adhibita.

Heraclides Tarent. Galeno authore ablato prius cruore naribus inhærente, ad fluxum hunc cohibendum, turundam lycio contuso immissam naribus intrudere solitus fuit.

Chirurgi Germani, qui castra sequuntur, frustra adhibitis carpionum lapidibus, vel moscho craniis defunctorum innato, vel etiam bufone præparato, ad verba quædam quibus virtutem occultam inesse certo sibi persuadent, plurimumque tribuunt, ipso Borello Cent. 1. obs. 94. asserente, quæ tacite (quod si enim aliquis ad-

diret, vana omnia habent) mussitant: sunt hæc idiomate germanico.

Gelijck Christus stil bleef staan im Iordaan, Also must ook dien bloede staan.

Pro secreto habent alii ex guttis sanguinis ex stillantis quatuor aut quinque vitriolo cyprio pulverisato mixtis conficere unguentum axillæ illi quæ estejus lateris, cujus nares fluunt, illiniendum.

Missis his similibusque aliis, nullius considerationis & efficaciæ merito habendis, haud inutile quantum omni tempore negotii veteribus æque ac recentioribus, medicis, chirurgisve sanguinis hic per nares fluxus creaverit, exponere, cognoscereque.

Hæmorrhagia narium quævis, docente Hildano, parte 2.obs.14.si moderata fuerit, cum salutaris, subito supprimi non debet, à dolore etenim capitis, variisque aliis morbis gravioribus hominem liberat; confirmat hæc exemplo *Simonis Clerkii aurifabri parte* 3. *obs.* 11.

Critica solutio morborum, salutaris sæpius, variis perficitur causæ morbificæ evacuationibus, per alvum, sudorem, urinam sanguinis fluxum varium, etiam illum qui per nares fit; qua de re legi possunt quæ lib. 22. cap. 28. de *Fontan refert Ambros. Paræus.*

Animus haud est, ea, quæ medicæ considerationis sunt, ut chirurgica proponere, faciunt tamen hæc eo, ut chirurgiæ tyrones attendere discant, quam arduum malum narium hæmorrhagia gravis, quanque necessarium, remediis certis huc conferentibus instructum esse.

Haud ita pridem ex inordinato sanguinis motu non solum largior ejus fluxus per nares, in Wilhelmo ab Erpecom, mercatore hujus loci, à nobis observatus, sed &(quod nunquam antehac notare mihi in praxi chirurgica licuit, ab aliis, ut Barthol. cap. 1. Hist. 2. Schenk lib. 1. fol. 197. &c. propositum) per oculos ipsos, sinistrum imprimis, sic ut linteo quoties tolleretur oculo collectus, toties noves eundem illico repleret.

Hildano minus notam sanguinis fuisse per oculos excretionem vel ex eo colligere licet quod *part.* 2. *obs.*16 *de Rever. D. Ioanne de l'Osea agens hæc proponat verba: Et quod mirandum, lachrymæ sanguinolentæ ex oculis prorumpebant.*

Hujus conditionis inordinata de ebullitione sanguinis Hild. part. 6. obs. 77. exemplum adfert, in Rever. Doctissimoq; Viro, D. Iacobo Blaunero, juvene robusto, observat. hæc verba præponens.

Huic viro sanguis non tantum ex naribus cum impetu promanabat, verum etiam ex gingivis & quidem sanis & incontaminatis exsudabat: ita ut sanguinem non solum responderet, sed & hinc inde circa gingivam, sub lingua & intra dentes in grumos concretum cogeretur digitis extrahere.

Mercator noster consilio Medici domestici venæsectionem admisit, imo potiones varias refrigerandi, sanguinisque motum inhibendi vipollentes, quin & styptica quædam naribus recepit, ast frustra adhibita omnia, suasu hinc Amici cujusdam lapides sanguinis effluxum cohibere valentes manibus detinuit, etiamsi aliqua jam coagulatio in naso observaretur, & horum usu levaminis aliquid percepit.

Media hæc similiave alia cum successu licet sæpius usurpata, in gratiam nihilominus juniorum placet nobis, antequam huic discursui finem imponamus, quædam eorum, quæ usui nobis fuere, nec unquam fere nisi cum optato successu adhibita, quoties gravis ejusmodi narium hæmorrhagia ex sanguinis excedente ebullitione causata, homini fuit molesta, hoc loco proponere, quod exemplo uno alterove illustrabimus.

Ante aliquot annos Rusticus quidam, juvenis, validus atque carnosus hæmorrhagia tentabatur gravi admodum, venæsectione brachii dextri instituta sanguinis libram integram eduximus, moxi succum plantaginis commixtum succo limonũ naribus recipi curavimus. Vincula itidem brachiis, pedibusque injecimus, lintea frigida madefacta fronti, testibusque apposuimus, adstringentia nostris in locis usualia applicavimus, at nihil his omnibus effecimus frumenti pro cerevisia, aut Sp. vini cocti reliquias, quibus saginantur porci, quibus multum in hoc casu tribuunt varii, cum succo plantaginis mixtas assumeret suasimus; at frustraneus omnis labor, continuabat fluxio, nec ullo modo imminuebatur. Incidebat obs. 17. part. 2. Hildani haberi, sponsum quendam periculosa imo ut videbatur, lethali hæmorrhagia narium laborantem suasu Hild. refrigeratione universi corporis, in aqua frigida facta fuisse curatum; hujus ad exemplum etiam author fui nostro ægrotanti ut fluvio vicino se committeret nudum, quod etiam fecit, natationique satis diuturna corpus suum adeo refrigeaverat, ut tremulus prodiret, at nec hoc medio fluxus sedatus.

Hisce sic frustra usurpatis Limonis recentis particulas teretes, linteo combusto, pulvereque gallarum, incrustatas naribus imponi jussimus, & quidem ad eam altitudinem, ut vasorum sanguiferorum extremitates, si quæ essent læsæ, attingerent.

Intus assumebat quantum cochlearibus tribus contineri poterat, singulis tribus horis, mixturæ hujus, & quidem frigide.

℞. Aq. plantag. ℥vj. sal. prunell. ʒij. laud. opiat. gr. iiij. camphor. gr. iij. syr. papav. errat. ℥. ß. spir. vitriol. gutt. x. misce & detur usui.

Assumpta prima dosi, illico fluxus imminutus, imo sine ulteriore hæmorrhagia nox fuit quieta.

Joannes ab Heemstede, juvenis 18. circiter annorum, macilentus valde, & ex diuturno morbo debilis admodum, ex casu incidit in narium hæmorrhagiam largam; vocatus ego, quo laboranti succurrerem, venam secare haud audebam, quod vires impedirent.

Remedia hinc alia in usum ducere necessarium, styptica nempe naribus imponere ordinaria, vincula pedibus manibusque imponere, lintea frigida madefacta fronti, pudendisve applicare; at iritus omnis labor; coacti adeoque etiam in hoc ægrotante ad usum mixturæ modo præscriptæ, & limonum modo dicto naribus imponendorum devenire, applicato insuper frõti emplastro nobis in tali casu usuali, cujus descriptio hæc est.

℞. Succ. caud. equin. portulac. Solani, plantag. an. ℥j. ol. rosar. myrtill. cydonior. an. ℥iij. coquantur olea & succi ad consumptionem succorum dein adde ceræ flavæ q. s. lapid. hæmatit. boli veri, nucis gallar. cortic. granator. an. ℥iß. F. e. a. emplastrum.

Et horum mediorum usu brevi sanguinis fluxio dicta sedata licet in deliquium animi grave satis

satis jam bis inciderit æger. *Ioh. a Mekren in obs. Medico Chirurgicis.*

Hæmorrhagia Narium.

Decus illud Anglicum, inuentionibus egregiis & scrutiniis naturæ latebrarum pollens Cl. Harvæus in Tr. de motu Cord. p. m. 48. ita exclamat: ecce jam duo sunt genera mortis, extinctio ob defectum, & suffocatio ob copiam (scil. sanguinis in corde.) Hujus defectus causa sæpissime existit hæmorrhagia enormis à quacunque parte proveniens. Quantum negotii frequentissime Medicis in praxi facessat hæmorrhagia narium, unicuique patet. Itaque medicinæ proceres egregie desudant, remediis approbatissimis congrue huic resistere, & thesaurum vitæ sartum tectum conservare; & hoc non tantum seculis præteritis, sed & hoc nostro, & præcipue in collegio nostro curiosorum. Videatur in Anno I. Ephemerid. pulvis egregius Dn. D. Hertodii. obs. 24. Inspiciatur decoctum præsentaneum in anno secundo Dn. D. Volkmeri obs. 223. considerentur experimenta ad astra ferenda Dn. D. Bernhardi à Bernitz. anno secundo obs. 52. & sequ. revolvantur, quæ Dn. D. Wedelius anno 3. obs. 106. protulit; nec vitio vertetur, quod meam hic spartam condecorando, ipsorum vestigia sequi & quicquid mihi in praxi mea hoc in malo experiri contigerit, annectere haud pigeat.

Domina quædam generoso stemmate nata, vidua annorum 59. intermissa ætatis decrescentis ratione, qua assueta erat, venæsectione, subito enormi sanguinis fluxu è naribus infestabatur. Sanguis non guttatim, sed quasi vena tusa confertim emanabat. Auxilium à me efflagitanti, à mitioribus incipiens, saltem ad inhibendum aliquo modo tantum, præscripsi epithemata refrigerantia & repellenda pro fonte & collo, verumtamen fluxus concitatior factus, ut priusquam redire potuerim, sanguis ad ℔. vj. effluxerit. Chirurgus in propinquo habitans interim accersitus turundis, pulveribus sanguinem sistentibus impprægnatis, nares implevit. Me supervenientem ægrota anxie rogabat, ut removerentur, alias sibi suffocationis periculum imminere. Removi, actutum sanguis effluxit enormiter. Deliquia animi venæsectionem dissuadebant. Itaque ventosam magnam prius hepatis regioni, mox & alteram nuchæ adhibeo, & confestim fluxus retractus & sublatus est. Non satis laudari potest harum usus, non enim saltem in hac domina id remedii genus proficuum expertus sum, sed etiam alia vice in fœmina, ubi nec T.S. sæpius iterata, nec sexcenta alia ab alio Medico adhibita, quicquam emolumenti adferret, & omnia desperata & conclamata erant, quæ tamen ventosa unica nuchæ apposita sanata est. Non ignoro huic experimento opponi posse Fabr. Hild. obs. 47. C. 2. ubi inflammatio hepatis à ventosa ejus regioni apposita secuta. Sed ut in principio hæmorrhagiæ periculosum, ita in progressu, ubi magna sanguinis quantitas effluxerit, vel corpori venæsectione prospectum sit, haud inflammatio metuenda, satis superque refrigerato hepate.

Hæmorrhagia Menstrua critica.

Vocabulum Hæmorrhagiæ apud Hippocratem sæpe quodvis sanguinis profluvium copiosum indicat: interdum autem non addito partis nomine exprimit eam sanguinis eruptionem, quæ per nares fit, ut testatur Gal. 1. Epid. Comment. 1. Aphor. 9. item 6. Epid. Comment. 3. Aphor. 25. quo sensu etiam hic usurpatur, & significat fluxum illum criticum, per quem natura e venis & arteriis cerebri in ejus præsertim basi existentibus, sibi noxia & molesta certo tempore expellit. Clariss. Rolfincius in Epit. Method. cognosc. & curand. particul. corp. affect. lib. 1. part. 2. c. 4. hæmorrhagiæ narium arterias magis in culpa esse, quam venas autumat, ibidemque sinum tertium crassæ meningis per longitudinem falcis ad os cribrosum excurrentis in hæmorrhagiis aperiri, easque contumacissimas excitare statuit: quarum causa est sanguis calidus, acris, copiosus, serosus ad modum aptus. Talem ego hæmorrhagiam in juventute ab anno decimo nono ætatis per longum tempus in me ipso expertus sum, ubi singulis fere mensibus è nare dextre sanguis copiosus mihi cum euphoria effluere solebat. Hujus fluxus continuationem, at non menstruam, sed rariorem, adhuc hodie patior, & quidem cum valetudinis commodo, quam semper capitis gravitas, dolor, & faciei inflammatio præcedit, quæ incommodo fluxus ille statim solvit. Si vero sanguis sponte sua haud fluxerit, soleo sæpe cum penna anserina venulas in nare dextra irritare, post quam irritationem sanguis cum alleviatione effluit. Sic mentionem facit Oetheus lib. obs. propr. juvenis cujusdam Canonici Eichstadiani cui diæta largiori utenti, & à venæsectionibus abhorrenti hæmorrhagia narium tam familiaris fuit, ut singulis septimanis recurreret, ac jam quasi ordinaria ac naturæ consueta esse uideretur, & quidem citra valetudinis vel vitæ dispendium. Historiam juvenis cui Gal. sanguinem critice è nare dextra profluxurum & nonnullis præcedentibus signis prædixerat, videat Lector benevolus *apud eundem lib. de præcognit. ad posthum. c. 13. Simoni-Schultzii.*

Hæmorrhagia rebellis.

Strenuus quidam miles infelicius in castris acidaliæ quam gradivi militaverat, hinc ex Lue inde reportata & male curata varia ipsi relicta sunt symptomata; inter alia & hæmorrhagia narium longa, frequens & rebellis: omnia tentavimus, quæ industria nostra excogitare potuit, sed prohibere potuimus, quin illa tanto sæpe cum impetu rediret, ut de vita periclitari videretur æger noster. Interim confortantibus, sanguinem sistentibus & acrimoniam ejus mitigantibus tam diu pugnatum fuit, usque dum ipse natura medelam attulit: ossiculum enim oblongum & satis acuminatum, quod benevolus lector hic delineatum videt, à natura ex parte sana separatum & sensim ad nares protrusum, inde tandem chirurgi manu fuit extractum, quod facto, non amplius rediit enormis ille narium sanguineus fluxus. Ita sublata causa, tollitur effectus. *Thoma Bartholini.*

Hæmorrhagia narium à frigore lethalis.

Puella quædam septennis, Senatoris cujusdam Ratisponensium filiola, tempore brumali sub aura frigidissima nimis libere obambulans, unica saltem sternutatione noctu quassata, tantam hæmorrhagiam per os & nares passa est, ut subsequente die, omni medicina tam interne quam externe frustra exhibita, convulsione gravi infestata mortem obierit. Sine dubio, quod vase quodam venoso magno in capite sub cranio è sanguinis à frigore brumali moti impetu rupto, hæmorrhagia hæc oborto fuerit, ac meninges à sangui-

nis à acrimonia vellicata,& cerebrum sanguinis extravasati copia oppressum, convulsionem necemque induxerint. *Helvvigius.*

Scholion Schrockii. Sanguinem à calore agitatum & justo magis rarefactum,quod in longiori sub solis radiis mora, vehementiori à corporis motu, vini generosi liberaliori ingurgitatione, &c.sæpius accidit,majori spatio indigere, quo denegato,arteriarum oscilla penetrare,reserare, sicq;ingenti sæpe rivo effluere, frequenti admodum constat observatione. Ast à frigore hæmorrhagiam maximam oriri,rarius licet sit,impossibile tamen haud esse,& ratio &experientia confirmat;idque præsenti ex auctoris nostri observatione abunde patescit. Silicet non ipsum frigus exitum illum primario inducit, cujus potius est constipare, & vasorum extremitates occludere, ipsam etiam sanguinis turgescentiam refrenare; ut adeo illis,quæ frigidiori natura sua ac virtute adstrictoria contractionem dehiscentium in vasculis sanguiferis oscillorum promovere valent, nec non quæ variorum epithematum frigidorum fronti,cervici,hypochondriis,testibus, &c. impositorum forma, aliisve modis fervorem atque concitatiorem sanguinis motum compescunt, feliciter sæpe ingentes hæmorrhagias sisti videamus.Sed qua ratione præstare id valeat, paucis dispiciamus: Si frigoris natura in sale aliquo volatili urinoso consisteret, quod quidem non nemini statuere nuper libuit,ratio in promptu foret, cum similium salium in sanguine rarefaciendo,fluxilli reddendo,& ad celeriorem decursum concitando, (non figendo, quod nuper cuidam imperito empirico placebat.)quin & humoribus serosis,adapertis in cute poris, per sudorem expellendis virtus sit perspectissima.Tale tamen solitarium adesse,ipse frigoris effectus haud admittit,quo nempe sanguinis ac spirituum naturalis in corpore motus inhibetur,& somnolentia,ipsaque tandem mors subsequitur, nisi concitatiori corporis motitatione,sanguinis & spirituum liberior per corpus pervagatio & circulatio promoveatur Unde altissimas alpes hiberno tempore transeuntes,si in via quiescant,à somno, rigore,& morte confestim opprimi,Martinus Zeillerus cent. 2. epist. 52.ex Jo. Simleri comment. de Alpib.nec non Exc.D.D. Joh. Jacob. Wepferus Exercit.de loc.affect.in apopl.p.m. 260. memorant. Pariter si ab alio alioque sale qualitas ista deducenda foret,quale est ammoniacum dictum gemmeum,commune, &c. dum acredine sua interiora narium stimulare, vasorum oscula reserare,& sanguinem fluidiorem reddere valent, causam hæmorrhagiæ hujus reddere, itidem foret perfacile;quamvis enim illa,si in aqua solvantur, insigniter eandem frigefacere comperiantur, consimilem tamen aliquam regidissimo in brumali frigore fingere salium,vel particularum salinarum frigorificarum solutionem, excitationem vel extricationem quo modo liceat, equidem haud video;quinimo tale aliquod in aëre per naturam sal hospitari,& incertissimum est, & nullis hactenus experimentis demonstratum.Nitrosum autem,quale in aëre latere (licet & hi non una premantur difficultate)plures majori probabilitate statuunt, cum frigiditatem potius corpori inducere,ideoque in topicis refrigerantibus utiliter adhiberi,sanguinem item in febribus, anginis,&c. æstuantem compescere nitrum observetur, eandemque ob causam in vulnerum hæmorrhagiis internum ejus usum Joh. Agricola tract. 2.chirurg.parv.pag.190. commendet, huc nihil contulisse,verosimile videri potest; nisi forte aëreum istud nitrum plane alterius alicujus naturæ fingatur. Si vero substantia aliqua spirituosa frigus sit dicendum,quod Clar. Sebast. Wirdigius lib.1.deMedic.sp.c.9.defendit,atque igne suo frigido spiritus calidos ejiciat, exturbet, extinguat, suffocet, neque hac ratione, ad propositi nostri explicationem conferre quid posse, videtur. Sed frustra diutius his insisto, qui etiam hoc in negotio,de frigoris natura,illud:quantum est, quod nescimus ! & cum Poëta 2. Georg. exclamare cogor.

Sceleratum exquirere frigus,
difficile est.

In hoc igitur casu nostro poros cutis à frigore, quomodocumque jam id factum fuerit,densatos occlusosque,effluviis illis,per insensibilem transpirationem naturaliter alias è corpore continuo eliminandis, exitum præclusisse, credibile est; quæ dein sanguini remixta & conjuncta,eundem exagitare,calorem ejus intendere,atque ad fervorem concitare valuerunt, ita ut Archæus hic in furorem quasi actus, teneriori isto in narium loco, accedente in primis à commixtis acrioribus halitibus,qui præterea &sternutationis,hæmorrhagiam prægressæ, & convulsionis eandem consecutæ auctores fuerunt, fibrarum arteriosarum motricium spasmo,veresimiliter satis à Cl. Willisio proposito, tandem perrumpere sicque ab onere liberare se conatus fuerit; licet vehementiorem ob conceptam turgescentiam,majori in copia, quam ad salutem conferre poterat, tam per nares,quam ex his, mediante foramine illo,quod ab ipsis ad palatum tendit, per os effluxerit,simulque purpuream secum animam exterminaverit,sive jam,quod Magnus Fr.Baconus de Verulamio in hist.vit.& mort.statuit,ob meram vacui fugam,cita mors profluvium istud ingens & repentinum,omnibus nimirum, sanguine cum spiritu,affatim se ad spatia,quæ exinaniuntur,implenda moventibus,insequuta fuerit; sive quod (vacui illa fuga ut commentitia à doctoribus rejecta,)probabilius,vis aëris elastica mortis causam attulerit,quatenus spiræ ejusdem, ut ita vocare uonnullis libuit,arctioribus antea terminis coarctatæ,majus,ob sanguinis per vasa aperta effluxum, nactæ spatium, in majorem sese molem successive expandere, sicque sanguinem magis magisq; premere, & per reserarata oscula exprimere atque expellere potuerint.Licet alias tam fuga vacui,quam aëris elaster remotior tantum mortis causa dici debeat,illoq;solum respectu,quo ab utroq;sanguinis spirituosi vivifici, & cum eo animæ ipsius è corpore fuga,expulsio,vel exitus adceleratur. Et hanc sanguinis excretionem,non è venis, sed ex arteriis,quæ à carotidis ramo interno ad nares feruntur, fuisse factam, certum est,postquam sanguinis naturalis motus, arteriis rubeum istum liquorem à centro ad circumferentiam derivandi, uti venis ab hac ad centrum reducendi,munus vindicans,extra omnem dubitationem positus est.Ut adeo tertio etiam crassioris in capite meningis,supra falsiformem hujus processum longiori ductu sub calvaria ob osse ejus,crista galli communiter dicto, versus posteriora repenti sinui, vel hac ratione hæmor-

hæmorrhagia narium vehementior, secus ac nonnullis placuit, adscribi forte nequeat; cum & idem venæ officio fungatur, & sanguinem à cerebri substantia copiose (siquidem si non dimidiam, saltem tertiam sanguinis partem, si cum universo fiat comparatio, ad cerebrum deferri, celeberr. D. Marcelli Malpighii est sententia Epist. de cerebr. ad Carol. Fracassatum,) refluum suscipiat, inq; sinus duos laterales derivet, ipsis dein venis jugularibus infusum ad cor transferendum; quo intuitu eundem Nathan. Highmorus venæ cavæ comparat, quæ ut in regionibus inferioribus, sic iste in superiori, receptacula quædam sint & quasi mare magnum, quod minores rivulos, venulas scil. sanguinem ab arteriis adducentes recipiat; id quod præcipue in illo sinum omnium concursu, qui alias torcular quibusdam dicitur, conspicuum redditur. Præterea Exc. D. D. Conr. Vict. Schneiderus in lib. de osse cribriform. p. 412. finem sinus istius falciformis, ossi, quod crista galli audit, adnatum, non amplius formam meatus, sed ligamenti naturam usumq; habere, ostendit. Recordor equidem, non ignobilem alias anatomicum in demonstrationibus publicis sinui huic in parte capitis anteriore valvulam quandam adsignasse, qua laxata aut erosa, hæmorrhagia letalis insequatur; sed præterquam valvulam istam à nemine alias unquam observatam, oculis, quorum sensu, hic utique res decidenda, sistere quod prætermiserit, non video etiam, quem ibi usum habere queat., & cur idcirco adesse debeat. Quanquam effusi per nares sanguinis causam ab isto sanguiductu interdum provenire posse, haud præfracte negaverim, si, quod Exc. D. Dominicus de Marchettis c. 14. anatom. habet, eo obstructo sanguinis transmissio impediatur. Licet enim satis ampla ei sit cavitas, quæ non adeo facile obstrui queat, à sanguine tamen crassiori, concreto & grumefacto (qui ut in aliis majoribus vasis, ita in hoc quoque venoso ductu talis evadere potest) obstrui, impossibile haud est; unde arteriæ, cum locus deficiat, in quem sanguinem deponant, novo subinde à corde suppeditato implentæ, eundem qua possunt via exterminare violenter laborant, faciliorique ea in narium concauo inventa, sese ibidem exonerant perq; semel adaperta ostia adventantem etiam reliquum exire permittunt. Simili sane ratione Willisius part. 2. pharmaceut. ration. sect. 3. c. 2. topica infrigidantia venis jugularibus, ad sanguinis effluxum è naribus reprimendum, male adhiberi judicat, cum sanguis ita in recursu tardatus uberius effluat. Cur uero facilis adeo per nares sanguini concedatur egressio, idem doctissimus auctor l. c. eleganter demonstrat, dum arteriolas à carotide cranium ingressa, primo abscedentes sanguinis partem serosiorem, vel sanguinem sero commixtum, ad membranam glandulosam, summi naris anfractus investientem deferre, inq; illas glandulas, veluti propria istius regionis emunctoria, serum superfluum, in cavitatem narium postea destillandum, deponere scribit, addens: quapropter siquidem arteriolarum istarum oscula propter seri exudationem semper paululum dehiscunt, nihil mirum est, si ipse sanguis turgidior factus, eadem (quæ non raro ex nimis laxa sunt) paulo amplius reserans foras erumpat. Plura non, præter unicum hoc coronidis loco addo, veritatem in hac puella effatum Hippocratis fuisse adeptum, quod sect. 7. aphor. 9. desipientiam aut convulsionem à sanguinis profluvio malum quid esse, edocet; & veluti sect. 5. aphor. 3. habet, ex copioso sanguinis fluxu convulsio contingens, malum denunciat, quæ sententia etiam Coac. prænot. §. 3. 8. Cod. Foës. continetur. Id quod prosp. Martianus ea ratione fieri, qua succi in corpore ex nimia evacuatione acriores redditi, nervosum genus stimulantes, convulsivos motus efficiant, comm. in sect. 6. aph. 39. interpretatur, ubi divinus Senex convulsionem à repletione aut ab inanitione oriri, dixerat. An vero hoc nostro in casu illa quoque Hippocr. sententia, quæ 1. Prorrhet. § 145. legitur: ἐκ ῥινῶν σαφέα, βίαια, πολλὰ ῥυέντα, ἔθιμον, εἰς σπασμὸν ἀφεστήκασι, larga, vehemens, & multa sanguinis à naribus eruptio interdum ad convulsiones deducit, locum invenerit, incertum quidem, sed verosimile satis est: ibi namq; ex Martiani decisione, dictio hæc: βίαια, violenta, non ad ipsam hæmorrhagiam violentia inductam, sed ad medicos aliosve, vi quadam sanguinis fluxum sistere tentantes, referri debet; quod etiam confirmat Hippocr. dum Coacarum Prænot. §. 3. 6. largas sanguinis è naribus eruptiones accersere testatur; & Gal. com. 3. in 1. Porrhet. §. 53. sæpius vidisse se tales hæmorrhagia affectos fatetur cõvulsos non solum ob exuperantem vacuationem, sed & propter refrigerationem, si caput medici refrigeraverint, profusionem retinere volentes.

Vermis ex Nare sinistra cum longa Hæmorrhagia adductus.

Studiosus quidam ætatis circiter annorum viginti, constitutionis phlegmaticæ sanguineæ à teneris unguiculis catarrhis admodum obnoxius, per biennium & quod excurrit, hæmorrhagia narium haud infrequenter exercebatur, sine ullo virium lapsu, quam subinde Cephalagia excipiebat. Morbo temporis tractu adaucto septies de die à nare sinistra copiosissime profundere cœpit sanguinem: hinc variarum pronata symptomatum congeries, dolor & imbecillitas capitis, virium prostratio, sternutationes frequentes, & tristis ac convulsiva quasi nasi circa appendicem sensatio. Non ita pridem iterum in largam narium incidit hæmorrhagiam, quæ per quatriduum sævire non desinebat; accedente denique quinto, cum sanguis affatim effluxisse, in sinistro naris spiramine aliquid exitum impediens hærere sentit: quod dum fortiter emungit, vermis hirudinis ad instar sanguine turgens, qui depictus conspiciendus erit, in terram decidit, vixitque per triduum.

Scholion plura vermium, post vigilias perpessas, cephalalgias, & mentis aberrationes è naribus excretorum exempla habentur in Anno. II. Eph. N. C. obs. 147. apud D. Conr. Vict. Schneiderum de oss. cribr. p. 440. & c. D. Joh. Michael Fehr. N. Cur in sua Hiera Picra p. 79. D. Th. Barth. cent. 2 epist. 74. D Nicol. de Blegny Ann. I. Zod. Med. Gall. Mens. April. obs. 3. Theod. Kerkringium obs. anat. 43. Nic. Tulpium l. 4. c. 1. Petr. Borellum cent. 3. hist. 45. Jac. Hollerium l. 1. de morb. int. c. 54. in Schol. Guil. Fabr. Hild. cent 1, obs. 8. & cent. 5. obs. 1. Nic. Monardem hist. med. simpl. cap. 14. Joh. Georg. Schenekium l. 1. obs. med. Marc Donatum l. 4. de hist. med. mir. c. 26. nec non Vinc. Alsarium Crucium de quæs. per Epist. cent. 3 Nec indictum abire debet, quod excell. D. D. Jo. Jac. Harderus non ita pridem per literas mihi retulit, de maleg

feriata quadam, nuper scilicet vermes quatuor, præcedente atrocissima cephalalgia, per nares eam excrevisse, albicantes, oblongos, minimeq; hirsutos. Ipse etiam Ebnsina lib.3.fen.1.tr.2.c.3. ex medicorum quorundam indorum fide, cephalalgiam quandoque generari jam edocuit à vermibus in capite generatis, motu suo, tensione & rosione lædentibus, addens: nam vermes multoties nascuntur in anteriore capite & super locum, qui est in strictura narium; & possibile est, ut nascantur apud velamina, etsi raro contingit. Locum generationis non semper eundem esse, verisimile videtur; interdum enim, licet rarius, à partibus inferioribus, utpote ventriculo, &c. ascendisse, perq; palati foramina sic in nares perrepsisse, interdum vero in ipsa nares investiente membrana, aut anfractuosa earum cavitate, quandoque in caverna ossis frontis ad radicem nasi sita, quandoque etiam in ipsis ossis ethmoidis spongiosis cavernis stabulari posse, autumo; quin & si cerebrum ipsum per nares excretum aliquando fuisse perpendamus, quod celeb. D. Georg. Wolffg. Wedelius Physiolog. med. lect.3. c.24. se vidisse testatur, cur non ex ipso cerebro, in quo vermes quandoque inventos fuisse D. Th. Barth. cent.1. hist. anat.64. aliiq; memorant, eosdem aliquando prodiisse, dicere liceat, haud video. Utrum vero ex ovulis insectorum cum cibis, &c. adsumtis atque ad partes illas delatis: an vero ex singulari humorum putredine oriantur, eruditoribus dijudicandum relinquo; uti enim ovula insectorum ejusmodi, præcipue minima cum sint, in remotam illam corporis partem cum massa sanguinea deferri posse, nemo dubitabit: ita tamen argumenta, quæ generationem absque seminio isto arguunt, & à Franc. Redi in libello de insect. proferuntur, qua ratione omnimode enervari queant, non perspicio. *L. Schrock. L.F.*

Venæ Sectio spontanea & naturalis.

Helmontius sanguinis evacuationes acerbissime insectatur propemodum omnes. Rationem inter alias adducit hanc: ejusmodi remedii genus à natura nunquam intendi, nec approbari divinitus, sed potius improbari per legem Mosaicam Gen. 9. v. 6.

Ut hoc ridiculum, ita illud experientiæ contrarium. Opponuntur hæmorrhagiæ criticæ narium, fluxus hæmorrhoidales, ut multis Hypochondriacis consueti, ita maxime proficui; nec non & aliarum venarum diæreses spontaneæ, quæ satis probant naturam nonnunquam intendere sanguinis imminutionem.

Venam Malleoli in fœmina cruribus varicosis onerata vidi sponte apertam cum tanto sanguinis profluvio, ut adhibenda esset manus chirurgica.

Matronam novi affinitate mihi junctam, quæ Cephalalgia urgente aliquoties venarum sublingualium sectione quæsivit lenimen. Hæc aliquando sub furente Sirio faciens iter, dolore capitis ob æstum correpta est recidivo. Domum reversa sub cibi masticatione sublingualem sensit apertam, quæ pro more fluens, feliciter mitigavit dolorem. *L. Sigismundi Grassii.*

Hæmorrhagia cohibita sanguine in Araneum vivum derivato.

Vir quidam militaris, qui adjutant dicitur hæmorrhagia narium contumacissima laborans, cum omne à Chirurgo adhibitum hunc fluxum non sisteret, cujusdam Colonelli uxor hoc dedit consilium, vivam araneam caperent, atq; in eam vivam cruorem derivarent, huic consilio cum obedirent, statim hic fluxus sanguinis desiit, non sine adstantium admiratione: & hac observatione medicina transplantatoria stabilitur: contigit id hoc anno 1674. die Septembr. Buxtehudæ. *D. Hannemanni.*

Hæmorrhagia feliciter curata.

Quantum periculi immineat sanguinem, ceu unicum vitæ thesaurum, & quacunq; corporis parte nimis copiose effundentibus, non est loci hujus longa verborum serie diducere. Quid vero in tam veloci & dubio casu extremum metuenti vale, auxilii supersit, norunt illi, qui præcipitem talem ausi sunt sufflaminare fluxum, quamvis irrito sæpius ausu. Decubuit ad bimestre temporis spatium quidam è mercatoribus nostris, nomine Anschicker, continua quidem, sed non vehementi narium hæmorrhagia laborans: Hic sedula licet cura à suo tractatu medico, opem tamen nullam sensit. Accitus & ego, aquosiori sanguine, nec non totius corporis habitu conspirante scorbuticum judicavi patientem. De qua re monitus corporis hujus medicus, varia quidem huicq; fini accommodata usurpavit remedia, nil tamen effectum. Tandem usu syrupi scelotyrbici nostri dispensatorii, cum aq. Scolopendr. capill. vener. & lupuli, ad mentem Sal. Alberti, de Scorb. §.253. ana dissoluti, intra biduum fluxus ille remisit.

Alius, Antonius Gtoz, nimis largo tantum non occubuit sanguinis per nares fluxu. Huic cum, præterquam quod in frigidiore cubiculo moraretur, etiam nucham aqua è fonte allata liberius perfunderent domestici non attendentes nervorum inibi principium, ob actuale frigus extremo objectum iri discrimini, sperniolam quoque propinarent, extrema absurdo ausu ligarent, venam secarent, naribus utrinque turundis ex fungis obturatis, & nullo non ad eripiendum è faucibus orci decumbentem tentato remedio; nihil tamen auxilii allatum est, nisi quod maximam interea cruoris per guttur ad Oesophagum delapsi partem deglutiit æger, adeo ut non saltem sanguinem vomeret, sed & nigræ dejectiones sequerentur, quæ plerisq; hepar vel lienem diffluxisse, (*die Leber oder Miltz sey ihme zerfahren*) opinionem induxit Medicis Anatomiæ penitus ignaris, quicquid ignarum asserit vulgus, ignorante suo consensu comprobare festinantibus. In tanta rerum perturbatione, cum ubertatem sanguinis per screatum excerni animadverterem, ex capite hanc judicavi cataractam delabi, & injecto per Siphonem in ambas nares decocto aliquo astringente, venularum laxitatem coarctavi, unde ocyus fluxus fuit restinctus ac liber annum bene se habuit Æger. Nimia ista frigidioris in nucham aspersio, quod metuebam, & futurum ominabar, (plethoricus autem fuit) paralysin dextri lateris sequenti anno adduxit, & redeunte, elapsis aliquot mensibus, eodem in sinistra regione consimili affectu occubuit. Decoctum in nares immissum.

℞. Rad. Symphyti, Bistortæ, Filipendulæ, tormentill. ana ℥ß. Fol. acetos. Scordii, Beton. Saniculæ, ana mß. Consar. Hyperic. mj. Ras. Santal. rubr. ʒj. Fl. Ros. finiss. mj. F. decoctio in ℥ß.

s. q. aq. cornm. ad ℥vj. votæ, adde ol. ovorum ℥ß. MS. *In die Nasen zu spruzen. Joh. Georg. Volcameri.*

Annotatio ad Caput præcedens.

De cohibenda Hæmorrhagia.

Ad hanc historiam Ipsemet Exc. Dn. D. Joh. Georg. Volcamerus Noriberg. Reip. Æsculapius in adjunctis Litteris sequentem subjungit notam: hæmorrhagiæ curatæ exempla adducere animus fuit, quod Scorbuticis frequenter contingat, quibus Topica non conducent. Mentio insimul facta in anno primo rar. obs. f. 89. 90. curatæ feliciter narium hæmorrhagiæ beneficio pulv. Excell. Hertodii; fuere & alii consiliorum authores celeberrimi, qui longa & rationum & experimentorum serie curationem hæmorrhagiæ narium fuere polliciti, cum brevissimam eam censuerint methodum, quæ in adstringenda vel obturandia venula laxiore occupatur. Multi pedibus manibusq; frigidæ immissis velox experti fuere auxilium, tenuiore & calidiore sanguine in extremis contemperato & incrassato. Certius vero subsidium non vidi, nisi injectionem decocti adstringentis per siphonem in nasum calidiuscule usurpatam, cujus etiam beneficio non saltem largiorem fluxum uteri cohibui, sed etiam sterilibus plerisque fœcunditatem restitui.

Hæmorrhagia Difficilis sanata.

Sanguinem esse vitæ nostræ thesaurum, animæ sedem, ac spiritus vitalis vehiculum, quo diffluente omnia in corpore pereunt, & homo cadaverosus relinquitur esca vermium, quotidiana nos docet experientia. Hoc idem restari debuisset Amicus mihi sincerissimus 36. circiter annorum, plethoricus & satis robustus, qui dum paulo largiori more radiis Solaribus se exposuisset, improviso hæmorrhagia utriusque naris hora secunda pomeridiana correptus, eaque non intermittente, me circa septimam vocari jubet. Sanguis qui fluebat copiosus erat, cum saltu rubicundissimus, testis furiosi & ab atomis solaribus irritati Archei, excitantis turgentem particularum sanguinearum fermentationem, quam subsecuta est osculorum arteriarum apertio. Hic constantibus adhuc viribus illico sanguinem, tam in dextro quam sinistro brachio partitis vicibus mittendum præcepi, non neglectis cucurbitulis tam scarificatis ipsius scapulis, quam siccis ipsis suris ad revulsionem appositis. Ad concontemperandum sanguinis fervorem julap. exhibitum ex aq. plantag. burs. pastor. Syr. de rosis sicc. lap. prunell. &c. Ad sanguinis fermentativi motus inhibitionem ab intra propinata mixtura ax aq. equiset. portulac. syr. corallor. lap. hæmat. & croco Mart. adstr. Ab extra vero epithema ipsi fronti & testibus applicatum ex aq. fol. quercus, spermat. Ranar. acet. ros. & lapit. hæmatit. Ad constrictionem osculorum inflatus pulu. ex stercore porcino, & ad fœtorem discutiendum distemperatus pulv. rosar. & balaustor. Ore masticata & deglutita radix cichor. flor. albo in signo virgin. collecta, ad hæmorrhagiam alias specifica. Imo ipse pulvis ranarum calcinar. & usnea cran. hum. usurpata fuerunt: ast frustraneo effectu & spe plena periculi, nisi pulverem seq. in nares insufflassem, cujus authorem nomino exc. virum D. D. Matth. Francis. Hertod. Inclyt. Stat. Marchionatus moraviæ medicum dignissimum, qui primus eundem communicavit. & Tartaro-Mastigi meo Moraviæ. cap. 4. p. 27. inserendum tradidit.

℞. Alumin. crud. q. pl. adde Laccæ pictorum, Germ. *Rugel-Lack*, q. s. ad pulv. incarnato colore saturandum. Hoc pulvere sæpius repetito, hunc ægrum ut & alios plurimos (nisi hæmorrhagia ab erosione valvulæ tertii sinus cerebri contigisset) ab orci faucibus, Deo benedicente, liberavi. Hujus quoque pulveris admirandas & eximias virtutes sat dilaudare nequit civis quidam Brunensis Ephippiarius, qui dum dentem per Chirurgum sibi & evelli curaret, & subjacentia vasa læderet, subsequente hæmorrhagia copiosissima, & vix non lethali, nullo medicamento licet efficacissimo quam hocce solo pulvere curari potuit. Plures hujus pulveris observationes, ubi etiam ad ferrum candens erat descendendum, adducere possem, ni tempus inaniter tererem, & B. L. tædio afficerem. Merito itaque sit Benedictus Deus, ex cujus in exhausta munificentia hocce nobis innotuit medicamentum. *Joh. Ferd. Hertodi.*

Hæmorrhagia narium critica.

Idem post biennium in febrem incedit, supervenit hæmorrhagia narium immodica, fluxit sanguis indesinenter, adeo ut æger ad summam virium debilitatem & mortis periculum devenerit, vocor in consilium, genitalibus epithema, interne corroborans & astringens præscribo; sistitur mox fluxus hic sanguinis.

Scholion. hæmorrhagia fuit critica & febrim procul dubio solvit, cum vero natura in excretionis quantitate exorbitaret, illam inter limites retrahere necessum etat. Genitalibus refrigerantia applicavit, ideo quod morbi prægressi memor, seminis retentionem & fervorem haud parum ad fervorem sanguini conciliandum facere putaret. Civis fuit Bregæ, qui à retentione seminis fatuus erat, durante viduitate, uxorem nactus statim ad mentem saniorem redibat. *Danielis Wincleri.*

Hæmorrhagia Scorbutica Spiritu Vitrioli curata.

Inter alia symptomata, quæ ab effectu Hypachondriaco & scorbuto ceu ex equo Trojano producuntur, non minimum est hæmorrhagia narium crebrior. Utut enim frequentius lutosus & feculentus sanguis, ut communiter habetur, ipsis per hæmorrhoides potius exsolvatur, nihilominus ut volatilis sæpe & serosior ipsorum est cruor, ita non raro ἄνω affectat viam, & exitum per nares quærit, ea interdum copia, ut ægrorum vires maxime inde vacillent, & corpus jamdum cachecticum pleno passu ad hydropicam dispositionem ruat. Contingit hæc hæmorrhagia, ut alia immoderata sanguinis effluvia, præcipue duabus de causis in scorbuticis, primum ob enormes & ingentes viscerum, hepatis potissimum & lienie, obstructiones, quorum anfractus & mæandros cum libere

libere perrumpere non possit sanguis, angustatus quasi, qua data porta ruit, & in tali casu tantum abest ut ulla prosint adstringentia, ut potius summe noceant, cardialgias, anxietates & dolores variarum partium excitantia; contra ea obstructiones reserantia, aperientia & calida facilius longe exeuntis sanguinis impetum refrenant. Quo nomine præter alia omnium optime se gerunt Martialia. Deinde fibræ debilitatæ & tonus partium nimis laxatus symptomati huic amplam sternunt viam. Cum enim plurimo abundent sero salso, acri scorbutici & hypochondriaci, à Sale hoc stimulante oscula vasorum laxantur & reserantur, unde proditurus tunc sanguis titillationem quandam ceu prodromum certum adventus sui excitat. Quod si postea aliquoties iterata hac insolita via dehiscant hæc repagula, quippe debilitata, sustinere cruorem renuunt & frequens illius profluvium certo contingit. Scorbuticus vir 55. annorum, cum autumno 1669. tumore & maculis lichenosis pedum dolore hypochondriorum, capitis, articulorum, æstu vago seu φλογώσει aliisque symptomatibus scorbuticis afflictus per aliquot septimanas esset, tandem & insigni hæmorrhagia narium corripiebatur, quæ frequentius redeundo vires admodum frangebat. Adhibebantur interne & externe laudata aliasque probatissima Medicamenta, anticollemata, frontalia, styptica, ex Marte præsertim parata, ipsaque opiata, sed omnia frustra. Tantum abfit ut ullum secutum fuerit commodum quod præsertim ab aperientibus prius adhibitis variis, quam hoc symptoma emergeret sperari potuisset, ut potius alvus inde obstrueretur, malo interim non ablato, nova minata mala. Ut igitur serum sanguinis nimis fluidum & acre temperaretur, ejusdemque è reliquo sanguine διαχώρησις impediretur, propinavi spirit. nitrioli, cum essentia violarum pro aciditate moderanda mixtum. Dictum, factum, hactenus per duos & amplius annos perfecte malum emansit. Alii bini hypochondriaci, cum alter singulo mane, cum ἀναῤῥοπῇ humorum ex ventriculo, alter vale hæmorrhagiam narium pateretur, ab eodem Medicamento auxilium sensere. In quartana vero, ad hydropem inclinante, duplici, conjuncta narium hæmorrhagia, novis indies Paroxysmis ebulliente sanguine, non ita feliciter adhibitum medicamen, nihilominus sensim & sensim fluxus cruentus narium destitit. Adeo laus hæc debetur acidis, quod & sanguinem coagulent nimis fluidum, & attenuent grumescentem quo de posteriori alias plura. *Georg. Wolfg. Wedelii.*

Hæmorrhagia Nyctalopiam subsequens.

Josephus Veronelli Italus Parmensis, Affinis meus, in ædibus meis à decennio jam commorans, dum annum ætatis ageret 21. optimaque alias frueretur valetudine, hoc sibi semel in vita contigisse narrat: Uno integro Mense lunari occidente Sole notabiliter visu privabatur, etsi lumen candelæ intensissimum adesset, oriente denuo sole visum integre recuperabat: finito illo Mense tota illa affectio cessavit. Quæsitum est ab adstantibus de Mense, Refertur Lunam Martii fuisse; ab illo tempore nusquam illi quid simile contigit, cum tamen 15. anni sint elapsi. Hoc tamen subsecutum est, frequens & copiosa narium hæmorrhagia, ut quandoque exanguis dici mereatur, neque ullis remediis sisti potest, postquam incipit, quam frequentes sternutationes præcedere solent. Nuper dum spatio 6. septimanarum continue sanguinasset, ita ut non amplius sanguis sed liquor subflavescens aquosus gustasset, præque virium debilitate de eodem conclamatum esset, usus lactis caprini & Sal Corallorum ægrum restituerunt. *Jacobi Dobrzensky.*

De Aqua Styptica.

Hamburgi à Cl. Viro D. *Michaele Kirstenio* nostri amantissimo accepi, missa esse Florentia à Fr. Redi ad Fogelium varia experimenta ad Aqua stiptica facta: præterea observatum interdum aqua communi vulnera arteriarum sanata, de quibus per literas idem *Kirstenius* posthac erit amice consulendus. Alioquin nuper Hamburgi egregie, ut accepi, probata est aqua stiptica in Nobilissimo quodam viro, cui sub brachio sinistro arteria gladio transfixa interitum profluvio sanguinis minitabatur. Mihi etiam ibi relatum est cochlear unum ejus liquoris ipsi a Medico Hamburgensi propinatum.

A laudato *Kirstenio* exinde rem uberius expositam 7. Augusti, accepit filius Caspar Bartholinus, & exercitationi septimæ Miscellan. Leiden 1675. editæ inseruit, unde huc transferam quæ compendio adducunt: Exhibitum est vasculum, plenum aqua clara limpida, quæ sistit omnem sanguinem ex quocunque loco profluentem, modo tam subito & certo ut nulla opus sit fascia: sufficiat tantum madefacere, aut imponere gossypium aut pulvillum ex panno lineo, aqua madefactum.

Et relatum est etiam ita canem sanatum, cui vena jugularis cum arteria fuit præcisa, & duos vitulos, quorum uni crus abscissum, atque mulierem, cui mamma resecta, denique viros duos, quibus crura amputata.

Franciscus Redi, jussu M. Ducis experimenta fecit, quæ tamen expectationi non respondebant. Anno 1673. d. 10. m. Julii & seqq.

Ovi detecta est vena, cum arteria, jugularis, sive læsione musculorum aut nervorum, deinde arteria cum vena plane dissecta per transversum, & statim adplicitum gossypium, madefactum liquore, & superimpositus pulvillus manibus firmiter tenerentur & apprimerentur loco sauciato, nullo modo sisti potuerit, ovisque sit mortua intra quadrantem horæ.

Idem evenit cani, cui præcisa erat arteria jugularis, sine læsione venæ.

d. XI. Julii. Rursus arteria jugularis detecta & separata est in ove, eaque phlebotomo secta per longum, eo modo quo aperiuntur à quibusdam venæ. Non permissum est exire sanguini, quoniam arteria digitis compressa tenebatur. Statimque applicatum gossypium, & pulvillus liquore madidus, per quadrantem horæ. Nihil exiit sanguinis. Hinc ligatum est vulnus fasciis, ovisque demissa. Verum post alterum horæ quadrantem, cum violento cursu ovis fatigata esset, & in sepem incidisset, fascia à collo decidit, & sanguinis copia profluxit, ut mortua sit.

d. eod. Iterum ovi jugularis arteria, & alii vena

vena eo modo aperta est obligataque ut ante. Nihil sanguinis exiit, dimissæ oves ad pascendum ita durarunt spatio hor. 41. Post id tempus vulnus arteriæ incisæ detectum est, & subito erumpente sanguine animal mortuum est. Idem alteri, cui vena secta, evenit. Conspectumque est venam nullo modo consolidatam.

d. XV. Julii. Tres oves captæ, quibus arteriæ jugulares detectæ. Unius arteria dissecta per transversum, digitis comprehensa, ut nihil sanguinis emanaret. Aqua vulnus rigatum & digitis constrictum, per 10. minuta temporis. Retractis digitis statim sanguis exiit. Reditum est ad madefactionem & compressionem eam per 10. minuta alia, retractisque digitis similiter secuta hæmorrhagia. Ergo rursus irrigato vulnere & superim posito pulvillo, manu compressum est spatio 20. minutorum. Quo tempore cum exiissent sanguinis unciæ quinque vel sex, tandem ille constitit. Obligataque plaga, ovis dimissa statim cœpit comedere. Eodem plane modo tractata est altera, eventu quoque eodem, nisi quod loco aquæ stipticæ accepta sit aqua fontana pura, & octo vel decem unciæ sanguinis exierint antequam sisteretur. Tertiæ ovi arteria dissecta est non per transversum, sed per longum, imposito pulvillo madente aqua stiptica, & detento firmiter per min. 20. Nihil fere sanguinis exiit. Obligata plaga in pratum missa est, in quod etiam priores duæ. Omnes hæ tres recte se habuerunt d. 15. Julii, quo in iis periculum factum, ut & seq. 16. sed circa hujus vesperam primæ caput intumescere cœpit, crevitque tumor usque ad d. 19. mane, quando mortua est. Alteri caput similiter tumere cœpit d. 17. & d. 20. mane, illa quoque mortua est. Tertia ovis se semper bene habuit octo diebus, & tum fascia dempta est. Arteria consolidata inveniebatur, multa carne generata. Vulneri impositus pulvillus ex linteo sicco & rursus fascia constrictum. Post d. 10. deprehendebatur vulnus plane consolidatum cicatrice inducta.

d. XVII. Julii. Secta est in ove arteria cruralis, & eadem aqua stiptica adhibita: sed post triduum mortua est reperta.

Eodem die in alia ove arteria jugularis per longum est aperta, & aqua stiptica adhibita sine ulla sanguinis effusione. Plaga fasciis constricta per continuos d. 8. detenta est, ut ne tangeretur quidem. Quibus elapsis inspectum vulnus est: optimeque habere se deprehensum, ut in aliis d. 10. sit prorsus consolidatum.

d. XVIII. Jul. Secta est arteria cruralis in ove & eodem modo ipsi medicina facta. Reperta est mortua post triduum.

Eodem d. in alia ove aperta est secundum longitudinem arteria jugularis & aqua adhibita eodem modo, ut nihil sanguinis effunderetur. Vulnus obligatum servatum est per octiduum, ut ne attingeretur quidem. Elapso eo se habuit, & intra X. dies prorsus convaluit.

d. XIX. Julii. Arteria jugularis per longum aperta in duobus hoedis. Abhibita est pro medicina aqua fontana, & nihil fere sanguinis exiit. Unus mortuus est intra quinque dies. Alter perfecte curabatur d. XV. absque fasciis, quibus vulnus obligaretur.

d. XX. Julii. In ove arteria jugularis secundum longitudinem incisa & vulnere satis longo: in alia eadem aperta angusto foramine. Priori adhibebatur pulvillus madens albumine ovi, & nihil sanguinis emisit; alteri pulvillus madens aqua fontana. Utraque penitus convaluit sine fasciarum solutione aut mundisicatione vulneris.

d. XXI. Julii. Arteria jugularis in duobus agnis secundum longitudinem secta. Statim pulvillus super impositus ex gossypio imbutus aqua fontano, & appressus manibus per 10. min. hor. Nihil fere exiit sanguinis. Intra d. 18. deprehensum est vulnera perfecte consolidata sine ulla alia providentia. Non vero hi agni tantum, sed omnes oves prædictæ, sub dio relictæ sunt dies noctesque sine ulla custodia.

d. XXII. Aug. Truncata ala dextra in duobus caponibus, in medio ossis superioris, obligatumque vulnus gossypio imbuto aqua puteali, & evaserunt.

Similiter ii evaserunt pulli gallinacei in quibus omnibus truncata alarum una: quorum sex Medicina facta, adplicito gossypio aqua communi madente: sed aliis appositum gossypium siccum, sex reliquis nihil adhibitum, Naturæ providentiæ relictis. *Caspar. Bartholini Thomæ Filii.*

Aqua Stiptica ex quibus constet.

Cum de aqua stiptica nuper incidisset sermo in pharmacopolio Johannis Gotfridi Becker, ipse, qua est rerum Chymicarum sagacitate, non dubitavit similem aliam aquam sanguini sistendo appropiatam posse componi, quod alios quoque attentasse accepimus. An vero paria cum aqua illa, quam Philippus Hacquart Hafniæ jam componit, & usibus mortalium destinat, facere possit, non ausim dicere. Quanquam enim sapor eandem indicet, potest tamen latere alia simplicis alicujus virtus, quam ignorant qui vera descriptione carent, quæ jam clementia Augustissimi Regis nostri Chirurgo dexterrimo Hacquardio innotuit, cujus etiam aquæ efficaciam experti sumus non semel, & omnibus quantum possumus commendamus; supicatur vero Beckerus noster ad hujus imitationem posse componi aquam stypticam aliam, de qua, uti & de Vitriolo ipse ad acta nostra hanc dissertationem misit, quam ex mente illius hic subjungam:

Aliquam partem aquæ stypticæ Gallicanæ nactus sum, eamque diligenti examine deprhendi constare ex vitriolo & alumine, quanquam hic commune vitriolum, non intelligam, sed ex Metallico vitriolo. Licet commune vitriolum, quod vel nativum vel ex terra extrahitur, etiam ex metallis accidenteliter exsurgat, nam si nullum metallum in terræ visceribus repeniretur, nunquam vitriolum exinde produceretur. Sane cogitavi hic locum habere Juris-Consultorum axioma: quo quidque modo ligatum est, eo dissoluitur. Quod axioma ad Chemiam Hermeticam applicari potest, & ab alio hoc modo translatum est, sed alio sensu, quippe ille de vera solutione auri illo loco cum illius homogeneo primo eunte sive vero solvente explicandum judicat; scilicet, aurum debere radicaliter reserari, ut nova regeneratio & plus quam

perfectio

perfectio producatur, ita ut imperfecta metalla etiam tingat, & in istam formam commutet. Ego vero hoc modo applicabo, quo commodissime potest explicari: quandocunque quis se læserit, sive vulneraverit, quod solo fere ferro sive ferreis instrumentis ordininarie; (quanquam etiam vitro aliisque rebus vulnerari possimus, sed ratione vulneris inflicti res eadem est) tum optime curabitur eadem materia. Aquæ stypticæ id concedo, plus tum valere, quando in forma liquida adhibetur, quia facilius datur illi ingressus quam formæ emplastri aut unguenti in vulneribus, sympatheticum tale emplastrum ante plusculos annos confeci. At unguenta & emplastra, quæ plerumque ex oleo & cera conficiuntur, prohibent accessum, ut omnes vulneris partes attingi nequeant, & quanquam unguenta mollia omnes particulas attingant, non potest tamen materia ex marte & alumine ita composita, quia aquosa, propter pinguedinem aggredi illas. Hinc, ut dixi, aquæ formam præfero, ita tamen ut vulnera bene claudantur, ne accedant impuritates. Ego meam aquam ita confeci. Recepi partem Limaturæ Martis, additis spiritus vitrioli rectificati tribus partibus. Blando calore quia per se calefit, imposui donec corpus dissolutum & spiritus coagulatus esset. Deinde tantum phlegmatis vitrioli (quod nihil aliud est, quam aqua communis, nisi spiritus aliquis in prima distillatione una adscenderit) additum ut bene solvi potuerit, & philtrari. Mox alumen crudum in sufficienti, pro lubitu, aquæ destillatæ pluvialis quantitate solvi, ne aquam Gallicanam acrimonia superaret, utramque aquas simul miscui, & per duos dies ita reliqui mistam, ut subsideret. Quanquam antea fuerit filtrata, tamen aliquæ faces remanserunt, per subsidentiam separandæ, quæ nihil aliud sunt quam Sulphur vitrioli. Causa, cur sanguinem sistat & sanet sine eschara, mira non est, quia simile metallum dissolutum majoris longe est efficaciæ, quam si alio modo destruatur, quando solum aceto, quo non bene omnia dissolvuntur, vel etiam sulphure destruitur, qui spiritus in labore evaporat, & ita Mars sicut caput mortuum seu scoriæ remanet, quod ulteriorem nullum vel certe exiguum ingressum habet, quia periit ipsi spiritus, qui ipsum dissolvere debebat.

Existimo etiam aquam istiusmodi vitriolatam solam sufficere sanguini sistendo & curando, sed quia alumen priori aquæ admistum in examine deprehendi, etiam illud addidi, alioquin aqua vitriolata dulci foret sapore, & à priori differenti. Quia memoriæ meæ jam occurrit narrabo quid nuper mihi evenerit. D. D. Simon Paulli senior noster medicus, præteritis diebus ad me revisens, allatoque secum vitro aquæ flavæ, quod à Matrona quadam primæ notæ acceperat, quæsivit, anne constare possit qualis sit aqua & ex qua materia composita? Ego quamprimum gustu explorassem, statim divinare potui in his diu exercitatus quid illi subesset, inde duplici processu instituto, inveni primam aquam purpureo rubram eodem pene sapore, quam credo eandem habere virtutem, sed quia fæces per destillationem separatæ non sunt, colorem flavum accipere non potuit aqua, verum purpureo rubentem. Hinc mecum ratiocinari cœpi: si eo modo aquam fiveris non credent illi, qui ea usuri sunt, eandem esse. Igitur secundam operationem tentavi, & ita destillatam aquam observari eodem sapore præditam & colore, adeoque eadem virtute. His finitis ex condicto reversus D.D. Simon Paulli visum quomodo successerit operatio mea qui gustata utraque aqua, meam prorsus eandem esse judicavit, ideoque earundem quoque virium: idcirco utrumque vitrum secum tulit exploraturus eventus veritatem, de quo nullus dubito. Est vero aqua cosmetica ad faciei rubedinem tollendam, cutemque levigandam, composita ex fixo & volatili sale unius subjecti. Igitur nisi similem hanc aquam cum altera mihi ellata effecissem, non habita fuisset pro eadem vel ejusdem virtutis, quanquam nescius non sim, ipsum authorem hujus aquæ ignorare salem fixum & volatilem ex uno corpore esse. Quia vero hominem non novi; nec Chemiæ peritum credo, hæc relinquo: Sunt enim qui quidem componunt aliquid, idque recte, sed quia fundamenta rerum ignorant, sint licet periti, ulterius non inquirunt: Non facio cum illis, nec ita ego acquiesco.

De Liquore Styptico Experimenta.

Percrebuit hujus aquæ fama inter Gallos Anglosque naturæ curiosos, autore & inventore Gallo Dn. Vivient Colonello, & variis experimentis in Anglia confirmata fuit eo successu ut secretum hoc 5000. Imperialibus in usum classis suæ comparaverit Seren. Magnæ Britanniæ Rex, Hafniam nuper idem secretum advexit Dn. Boudet, de quo hoc Progrāma in vulgus disseminavit.

La veritable & infaillible Essence Styptique, pour arrêter le sang dans toutes les Playes en un moment.

On doit convenir de bonne foy, que tous les siecles passez ont ignoré la nature & les qualitez merveilleuses de nôtre Essence Styptique; & que jamais on n'a trouvé un remede infaillible, prompt & sans crainte de retour, qui arrêtat le sang sortant de toutes sortes de vaisseaux, grands & petits, Arteres & Veines ouvertes, picquées, déchirées ou entierement coupées; comme le fait cette liqueur, le bonheur & le prodige de nôtre siecle, le tresor abregé de la vie & de la santé publique: Elle à une qualité tres-particuliere pour le seignemēt du nez pour le flux des hemorrides immoderé, & pour le déreglement des ordinaires des filles ou femmes. Dans les playes on ne sçauroit trouver un plus excellent remede; son effet se fait tout sur l'heure, & presque en un moment. Elle ne se corrompt jamais, & ceux qui la sçavent à fonds & d'original, la boivent comme de l'eau commune, en font l'essay sur leurs personnes; ce que les Copistes ou Contrefaiseurs de cette eau n'oseroient jamais entreprendre.

La maniere de se servir de cette Essence, est de tremper un tampon de linge dedans. & l'appliquer sur la playe avec une compresse par dessus, trempée dans ladite liqueur; tenant les doigts par dessus.

Ladite Essence se fait par le Sr. Boudet, & on la vend avec permission des Superieurs.

Ut ab omnibus legatur, eruditorum lingua faciet. Hic igitur verborum Gallicorum sensus est.

Vera & infacillibilis Essentia Styptica ad sistendum sanguinem momento temporis in omnibus vulneribus.

Bona fide fatendum est, omnibus seculis præteritis ignoratam esse naturam & miraculosas qualitates Essentiæ nostræ Stipticæ, nec unquam juventum esse remedium infaillibile, promptum & sine recidivæ metu quod sistat sanguinē exeuntem ex variis vasis magnis parvisque, Arteriis & venis

Venis apertis, incisis, ruptis aut prorsus discissis, sicut liquor hic facit felicitas & prodigium nostri æ uli, thesaurus compendiosus vitæ & sanitatis publicæ. Habet singularem qualitatem id narium hæmorrhagiam, ad fluxum hæmorroidum immoderatum, & ad inordinatos menses puellarum & mulierum. Ad vulnera excellentius inveniri non potest remedium. Ipso quasi momento effectum suum prodit. Nunquam corrumpitur, & qui principia ejus & originem norunt, bibunt aquæ instar communis, in seipso periculum facientes, id quod nunquam ausint tentare qui ad imitationem hujus similem aquam præparare præsumunt.

Modus utendi hic est, ut linea petia eo liquore imbuta applicetur vulneri, super imposito comprimente eadem liquore tincto, digitisque impositis.

Laudatam Essentiam conficit Dn. Boudet, venditque cum Superiorum licentia.

Quanquam efficaciam Essentiæ suæ passim probatum à se fuisse affirmaret Boudet, veritatem tamen ejus experimenti ad oculum nobis quoque Hafniæ probare voluit. Igitur ab Illustrissimo Legato Gallico Dn. Terlon Equite invitati complures Medici convenimus cum aliis Magnis parvisque spectatoribus curiosis, certissimi experimenti testes. Cani majori femur amputatur serra, mox petiam suam liquore stiptico imbutam applicat Boudetus, & manu imposita vulnus velut velamine comprimente stringit. Nullus amplius cruor manare visus, nec ulla convulsionum indicia apparebant. Post mediam horam remota manu comprimente & petia, sine eschara visum vulnus nullo sanguine profluente, consolidatum, arteriis quanquam sub membrana tenerrima pulsantibus. Ut porro vulnus crudum curaretur, repetita petia vinculisque, & ligaturis injectis, canis in lecto stramineo quieti repositus, sed pede uno mutilus; laudantibus spectatoribus medicamenti astringentis insolitam virtutem. Ex vitriolo confectam esse aquam, gustu divinare potuimus, sed singulari modo præparato, quia sine vomitu bibitur. Narrat ipse Boudet ex senis ingredientibus compositam, & ex illis unum esse venenum, ita tamen attemperatum ut nocere non possit. Credendum illi sine testibus loquenti, quanquam rectius conscientiæ consuleret & publicæ utilitati, si sine questu arcanum hoc propalaret, quod aliquando factum non dubitamus si Magnatum indulgentiam fuerit expertus. Jam enim in Anglia Serenissimo Britanniæ Magnæ Monarchæ revelatum esse secretum, & ab aliis quoque Medicis in Regia Societate Londinensi experimentum factum nobis narravit Illustris Legatus Anglicus, Hafniæ residens, Dn. Thomas Henshavv, Vir civilis prudentiæ & rerum Naturalium peritissimus, ut cæteras animi dotes, quibus fulget, prætercam.

De liquore isto astringente dubia non pauca occurrunt, quorum solutio facilior foret si arcanus non esset. An Chirurgorum nostrorum pharmaca sanguinem supprimentia ex aceto, ovi albumine, vitello, pulveribusque adstringentibus, quibus magnas hæmorrhagias in amputatione artuum, mammarum &c. repressas vidimus non semel, paria facere possint, expendendum illis qui ignota in usum trahere dubitant. In eo tamen nota remedia liquor hic post se relinquit, quod citius vim suam exserat. Vix enim ante tertium diem vulgatæ aliæ aquæ removentur à vulnere, cum liquor iste secretus non quidem momento sed post semihorulæ moram vasa astringat & membranula obducat sine eschara. Deinde magicam artem subesse, affirmare non audemus. Cardano si credimus, si ter super vulnus recitentur hæc verba, statim omnis sanguinis eruptio compescatur:

Sanguis mane in te, sicut Christus fecit in se.
Sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua pœna.
Sanguis mane fixus sicut Christus cum fuit crucifixus.

Nomen Christi morborum esse terriculamentum non ignoramus, sed an bona Dei venia fiat, quod nomine sancto ad hæc abutamur, merito ambigimus. Novi amicum, qui ter repetito nomine Jesu, hæmorrhagiam narium quasi miraculo suppresserit, sine ulla alia, ut fatebatur, superstitione. opposui oraculum: Non sumes non en dei in vanum. Reposuit, vanam non esse sanitatem. Respondi cum Theologis, solos illos recte usurpare nomen Dei, qui illud eo fine usurpant, quo ipse Deus illud usurpari mandavit. Ille vero quotidianas preces urgebat, quibus nos ab omni malo, etiam corporali, munimus, nomine Dei. Sed quo fuco illi factum suum tegent qui ignotis verbis hæmorrhagiam sistunt? Ex Schedis Rhodii, olim Prævotii secretum accepi ab illo quidem, non me, probatum. Si re quacunque inventa inscribas parti viciniori unde fluxu manat, in Viri Ophilon, in mulieribus Ophila, hæmorrhagiam cujuscunque partis sedari. Quicquid de his sit, pro magica curatione non pauci traduxerant unguentum armarium, & pulverem Sympatheticum, quo & vulnera curantur feliciter, & sanguis supprimitur; cum per naturam, quamvis nobis occultam, succedat quotidie operatio sperata. Hujus pulveris sympathetici virtus jam tot experimentis confirmata à vitriolo dependet, quod primas teneré partes in liquore hoc styptico, nulli dubitamus, quanquam de veneno aliquo, aliisque ingredientibus, nebulæ quædam oculis nostris obiiciantur. Illud sapore quasi sorex suo indicio se prodit. Mera solutio vel coctio vitrioli videtur. Difficultas augetur unica, quod innoxie assumi dicatur. Et hic totum artificium latet, ut vitriolo emetica vis adimatur. Quod ubi successerit, in sanguinis vomitu cohibendo præclarum remedium inventum est.

Aliud experimentum ejusdem aquæ stypticæ Bonderi postea factum est in Arce Regia, me in prædio meo absente, de quo ita ad me perscripsit conjunctissimus Affinis & Collega *D. Henricus à Moinichen.*

Præsente Serenissima Regia Majestate feliciter heri successit experimentum aquæ stypticæ in cane molosso, cui post acre cum Urso certamen postquam à motu & ira satis effervescere sanguinem constaret, circa horam decimam arteria carotis sinistra transversim dissecta est. Sanguinem ut in arteriarum vulneribus fieri solet, affatim & saltuatim prosilientem ex voto suppressit Aqua Styptica. In ea namque tincta linamenta præcisæ arteriæ imposuit Philippus Hacquardt ac manu super compressit, ita ut nihil sanguinis amplius ex vulnere elabi visum sit, Quo autem de Experimenti veritate certius constaret, placuit post horulam vulnus detegere, quia vero amotis linamentis novum sanguinem præfecta

arteria evomuit, aliis eadem aqua stiptica imbutis vulnus denuo impletum est, ac fascia super injecta apte deligatum est, ac canem ad tertiam cum dimidia à meridie reliquimus, At tum vulnere detecto omnibusq; linteamentis amotis, nudam sine tegmine conspeximus dictam carotidem arteriam, nec guttulam quidem sanguinis amplius fundentem, unde & simplex tantum linea fascia vulneri injecta, & Canis, ne quiescentem jam sanguinem aliorum incuria iterum commoveret, ligatus ad Dominum suum Leonum custodem defertur, ubi & hodie ipsum vidi solutum & comedentem, & quod magis, ne guttula quidem sanguinis hac nocte è vulnere stillaverat nec adhuc stillat. Expeditior posthac erit magnorum vulnerum curatio, quia post aptam stipticæ hujus aquæ admotionem sanguis statim conquiescit nec amplius è læsa vena vel Arteria fluit, & quod palmarium, nulla ab hoc medicamento crusta inducitur, sed solo ruentis sanguinis impetu inhibito, vulneri statim prospici potest digestivis ac consolidantibus. Et si ulterior fides adhibenda Boudetto (à quo Serenissimus Rex noster compositionem stipticæ hujus aquæ obtinuit) post ejus admotionem nullus inflammationis, gangrænæ vel convulsionis metus erit: unde cordatiores in posterum habebimus Chirurgos in arteriotomiis in magnorum vulnerum ac affectuum curationibus, in artuum & cancrosarum partium amputationibus, quas ob certissima ingentis hæmorrhagiæ pericula (alia ut sileam) permulti hactenus subterfugere Chirurgi. Jussu Regio propria manu aquam hanc confecit Philippus Hacquart, ejusque copiam promisit se daturum urbis nostræ Chirurgis, ut ejus vires data occasione ipsimet experiantur, ita ut non opus sit ad alia peregrina & conquisita & composita medicamenta confugere. *Th. Bartholini.*

Aquæ stipticæ vis quousque se porrigat.

Notissimus hodie liquoris illius styptici usus, quem Gallus ante triennium per Europam circumtulit, ubere ob divenditum hinc inde secretum marsupii proventu. Est sane cur inventum laudemus in vulneribus cæsim inflictis, sed in punctim, non perinde experimur utilem. Quin & in hæmorrhagia narium compescenda sæpe inutilem deprehendi. Scilicet quoties ora vulneris ubique attingere licet, est suus ipsi honos, cæteroquin hebescere vel, quod sequitur exemplum, clare docuerit: Joachimus Nichel civis noster, in duello saucius ictum gladii excepit interna brachii dextri parte, paulo supra cubitum; penetraverat autem ferrum largo & profundo vulnere ad ipsam usque alam, fissa quoque quemadmodum postea constitit, arteria. Vocatus chirurgus familiaris G. Urstedius arte vulnus tractavit ad undecimum usque diem, ambiguus tamen futuri ob ichorem tenuem & sanguinolentum quotidie profluentem, nullo puris laudabilis indicio. Sed ecce undecimo die improviso tanta vis arteriosi sanguinis subito prorupit, ut æger in deliquia ageretur, & in metum chirurgus. Scilicet grumus sanguinis, qui jam ante hiatum arteriæ malefido obice clauserat, nunc demum in pus conversus laxaverat januam exituro cruori. Accersitus ego tentatis jam frustra aliis, quæ ratio & consuetudo in simili casu suggesserant; propono aperturam vulneris ad usque locum male affectæ arteriæ; sed renitente ægro, ventum ad aquam stypticam; qua per aliquot dies subinde injecta, licet bis reverterentur immensæ illæ sanguinis profusiones, novissime tamen stetit rivus in articulos omnes artis exeunte, qui una adfuit Ph. Hacquardo, cui artificium conficiendæ aquæ illius stypticæ jussu Regio crediderat Gallus. Visus sibi tum defunctus periculo æger, me omnia alia suspicante tum ob superventum ardentissimæ febris, tum ob respirandi iter angustius. Quid plura? succedunt spasmi, tumores brachii & in manu summi dolores: decimo octavo die obit æger, laudatur nihilominus aqua styptica, quod egregie fecisset officiū. Aperitur jussu Magistratus cadaver, ut de causa mortis constet: mirum dictu, deprehenditur arteria adhuc quidem aperta, sed via quam gladius fecerat, circa arteriam grumis ab aqua styptica generatis obsidetur quo minus cruorem profundat. Interea postquam arteria per vulnus obstrictum nihil posset effundere, memor tamē sui officii alio derivarat sanguinem, scilic. vicinorum musculorum interstitia oppleverat omnia, nec eo contentus liquor proserpserat ad usque medium pectoris; namque inter costas, sternum & pectoralem musculum dextrum inventæ nobis vel tres libræ corrupti & fœtentis jam sanguinis, unde asthma, febris; & denique mors ipsa pependerunt. *D. Olai Borrichii.*

Circa Hafniensem Stypticum liquorem observationes particulares.

Accepimus Hafniæ sub præcedentis anni 1678. principium, data sic occasione per Serenissimi nostri Legatum Dn. Prüeschenck à Lindenhofen, famigeratum illum P. Hocquarti nunc liquorem stypticum. Et cum de effectu, externo scilicet, satis constaret, quodque promissis, licet experientes nonnunquam deseruerit, aut aqua saltem simplice, albumineve (referentibus in Actis Hafniensibus miscellaneisque Exercitationibus Magnis illis Bartholinis,) suppletus aliquando fuerit, de cætero tamen ut plurimum, sub competenti adhibitione satisfecerit; proinde potius ulteriori ingredientium, minus adhuc tunc secundum numerum proportionemque determinatorum perquisitioni dicare voluimus; in commune postmodum collaturi, quæ mihi forte specialius obvenissent: de interna vero exhibitione tantisper securi; non tam ob intermixtæ venenositatis cujusdam traditionem, quam opiatorum securiorumque adstringentium in ventris pectorisque, (quo modo laudati Dn. G. Bartholini observatio de Hæmoptoica pertinet,) affectibus præsentiorem (præ hujuscemodi strangulatoriis,) sufficientiam. Nam quod quidpiam, seu cochlear ejus, aliquando citra notabiliores interaneorum turbas datum foret, præterquam quod oppido sic minueret venenositatis suspicionem, id propter inhærentis vitrioli (mage forte martialis remissiorisque) paucitatem, aluminisque restrictionem, in robustiori forsan simul ventriculo, contingere potuisse conjiciebamus. Senarius autem numerus in liquore adeo limpido, eaque stypticorum diaphanorum, aut perspicuitatem mixturarum saltim postliminio non pervertentium paucitate, haut parum hinc fiebat dubius, Paehium in memoriam revocantibus, qui occultationis gratia longe plura, quam Hiera ejus requireret olim contudisse dicitur. Unde perreximus in suscepta perquisitione; donec aliquanto post D. D. Weherum, Med. Cæsar. librū de

liquore styptico, sub Anchoræ sauciatorum inscriptione edidisse, in Germanicarum Ephemeridum Anno octavo legeremus. Et cum eodem tempore habitæ passim super ingredientia conjecturæ indies magis simul confirmarentur; insuper etiam per semestre, Serenissimos secuti, domo abesse teneremur, seposuimus collectas tunc observationes; usque dum ægre tandem tamdiu desideratum libellum nuper nancisceremur, per sanguinis naturam ac generationem, ad ejus chirurgicam quoque conservationem, (medium cum applicatione sua perspicue tradendo) ducentem. Quod si compendio factum hic retulerimus, cum liber hodieque hisce in locis sit rarior, operæ pretium videmur facturi.

Constat itaque Viri Excellentiss. liquor vitrioli Ung aluminisque cujusq; libra dimidia: solvuntur per ebullitionem in phlegmatis vitr. libris quatuor, remotisque in fundo concrescentibus crystallis, reliquoque filtrato, singulis ejus libris drachma una olei vitrioli permiscetur. Applicatur autem quintuplicatis spleniis, probe eo madefactis, & sub competente deligatione per dies aliquot, ne sanguinis (statim quidem coagulati) crusta perperam detrahatur, sic relinquitur, vulnere perfecte subtus curato. Intus autem una, si placuerit, pro facilitando effectu, exhiberi posse putat prælaudatus Author, solutionem Terre sigill. cum vitrioli, vel etiam aluminis atque vitrioli conjunctim destilatorum spiritu paratam; utpote tinctura terræ catechu, similibus longe præsentiorem. Hæc ibi Vir experientissimus. Quibus & forsan aliis nobis nondum visis, an nostras quoque super Hafniensem seorsim habitas observationes nunc demum superaddere queamus, equidem diu hæsitavimus: tandem tamen nihilominus particulariore potiorum hic circumstantiarum considerationem iis saltem, ad quos, remotioribus præcipue in districtibus, iis in specie vix vel nondum pervenit, futuram putavimus hanc plane inacceptam.

Calor proin erat diaphanus, sed aqua simplici aliquanto obtusior; præcipue si vitrum simile viliusque foret: non aperte viridis aut cœrulescens vitrioli cujusdam præsertim nativi, in saturata hinc aqua solitarii vel supereminentis index.

Odor nec ut recentiorum vel per asservationem minus alteratarum solutionum vitriolicarũ; nec tamen etiam phlegmatis vitrioli vel aluminis (vehementiori denuo calori hanc expositi,) instar: sed ut duorum triumve dierum pulvialis. An ulterius rosaceis quid mistionis initio affrictum fuerit, (ut occultanda odoriferorum tingentium ve pauxillo quoque obnubere solemus,) ex emortui jam, & è longinquo quasi perceptione conjecturali saltem, nunc quidem determinare nolumus.

Sapor deprehendebatur nec pure vitriolicus, (martialis aut adversior venereus;) nihilominus nec pure solum aluminosus, stypticus interea, & sub qualicumque vitriolici illius dulcoris nota, mox in austeritatem acoremque talium metallicum desinens.

Pondus, ni lagenula (de meliori luto adeo fere non ficta) aliquid improportionalius, (quod tamen vel externæ efflorescentiæ defectu tantisper non existimavimus, (absorbuerit, erat collata aqua simplici in tantum gravior, ut vitrum quinque ejus uncias capiens, dimidiam insuper liquoris admitteret.

Quod, quibus & quantis è contentis fieret, amplius investigaturi, evaporationem primitus tentavimus, sex (pro faciliori computatione) ejus uncia in patella vitrea successive, vegetiore tamẽ sub finem (cum ægrius nec sine acidi cujusdam perceptione ultima expiret humiditas,) colore exhalantes, ad eam, quæ in ejuscemodi concrementis haberi potest, siccitatem. Provenerunt que inde adstringentis & (inter quasi cœrulei nonnullibi aliquid) viridescentis coaguli drachmæ quatuor, fere cum scrupulo dimidio.

Exsiccatum è guttis, lateribus vitri fortuito adhærentibus, sal ochrei coloris; aliud prætere albicantius, in repletioris adhuc vitri orificio interius concrescens, (utrobique primo quidem subdulce, hinc tamen statim stypticum; demumque quasi ferrugineum,) hic tantum inter accessoria sunt: quemadmodum etiam instillati cultro tantilli liquoris concrementum; super mediocrem ignem, post brevem & fere aluminiformem ebullitionem remanens; gustanti ab initio crocum mart. saccharinum; inde satis quid adstringens metallizansque referens.

Quo proin circa pondus constitutivorum essemus certiores, Præcipitationem insuper adscivimus: atque hinc sex dicti liquoris unciis, instillabamus unam Alcali (ex ana nitri atque tartari invicem detonatis,) in aqua simplici dissolutam, & filtratione à terrestri sua materia separatam: quo scilicet per alcalium prædominium eo certius securiusque pessundarentur omnia. Exoriebatur sic, si confertim id fieret, ebullitio sat valida, cum fatiscentis quasi aquæ regiæ cujusdam odore: fundum verò petebat massa, pingue quidpiam, aut aluminis per dictum oleum tartari præcipitati, liquorisve silicum Cl. conglomeratum crassamentum exprimens; albicans primitus, hinc affusa copiosiori aqua, concussisque inter se omnibus, saturate, (inter tenues quosdam tunc cœrulei gyros) virens; separata demum (per edulcorationem quoque accedente) humiditate, post exsiccationem pulverem relinquens croceum, ipso tamen vitrioli Martis factitii croco longe vividiorem, mole diffusiorem quam pondere, quod drachmarum duarum & scrupulorum duorum cum dimidio erat.

Collectam vero prædictam (salinas tam ipsius liquoris, quam præcipitantis quoque alcali particulas continentem) aquam postmodo lente exhalantibus, proveniebant sicci, & tartaro vitr. longe magis lixiviosi coaguli desuper spicei, de cætero ex albo virescentis drachmæ novem cum dimidia; adeoque detractis alcali drachmis septem, duobusque scrupulis, (quia terrestris ejus substantia filtro separata, cum ibidem absorpti salis tantillo, facile scrupulum unum excedit;) particularum salinarum liquori styptico propriarum drachmæ duæ, scrupuli duo.

Quod autem v. g. guttis octo vel decem aquæ simplici tribus unciis instillatis, invicemque (cum istæ prius in fundo conglomerentur,) concussis, totum lactescentem colorem induerit, parum huc fortasse conferet: singularius erat; quod post semestre demum domum redeuntes, in residuis adhuc quinq; præter propter unciis invenerimus ad vitri fundum expansum aliquod, liberè natans, crassioribus aranearum telis in molendinis simile, colore griseum: atque post idem pene

tempus, (quieto in angulo vitro aquositateque mage consumpta,) simile denuo, in superficie primo collectum, hinc sidens, scrupulorum duorum (cum conjunctim filtro separata & eduldata essent,) pondere, odore in prunis fatis sulphureo; pondus residui liquoris de cætero potius, quam saporem, nostra quidem opinione, mutantia.

Atque hæ quidem tum temporis successive notavimus. Quo vero eundem, quoad ejus fieri posset, aut æquivalentem saltem liquorem hinc erueremus, post varias ponderum ac putatorum ingredientium, præcipue vitriolorum permutationes, sapore tandé atque pondere (tam separatorum quam conjunctorum) eo ducente, in anaticam incidebamus proportionem aluminis atque vitrioli; non præcise martialis factitii, laboriosi ac præter rem carioris, (licet eadem inde eadem ratione oriantur producta;) vel è venalibus speciebus eo titulo, seorsim selecti; sed Goslariensis tantum alteriusve boni sat virentis. Solvebamus proin utriusque unciam dimidiam contusam moderato calore, & (cum operosum, necessitatisque tempore vix requisita quantitate suppetens vitrioli phlegma, in sulphureitate sua, alias facile dissipabili, forte nil, in exigua vero vulgaris destillationis acetositate parum conferre videretur, (saltem in aquæ simplicis (cui tamen ferrata quoque seu fabrorum sua substitui posset) unciis quinque: in sex enim color pene fiebat dilutior, sapor remissior, pondus duobus scrupulis minus: in minore autem quantitate, præter proportionis in sapore, pondere atque colore intensionem, tractu temporis salini quid piam,) quod etiam in proportione quadrupla supra laudatus D. D. Weherus notavit,) quasi concrescere, (& quidem magis alumini formiter,) incipiebat. Filtrabamus hinc totum, quo ob vitriolum obscurior prius, limpidus nunc prodiret liquor; secedente simul ochræ impuritatumque vitriolicarum, (cum alumen raro quid piam deponat,) grano uno ad alterum interdum: variant enim ista ibi exoterica. Hæc erat nostra tum imitatio.

Ut autem effectus in oblatis tantisper tunc fortuito vulneribus, &c. (nam ulterius progredi nec debatur nec vacabat,) similiter quoque statim erat evidens; in hæmorrhagia narium Serenissimi cujusdam, prius incompescibili, per siphunculum aliis aquis dilutum,) injiciendo præsentaneus, adito, secundum D. D. Weheri animadversionem, vitrioli spiritu, adstringentior: ita color quoque atque sapor,) de odore enim etiam affricto dicere supervacuum foret,) cum Hafniensi, (nostra quidem opinione,) apparebat idem, aut saltem vix distinguendus. Pondus eodem recidebat; & liquor in vero quinque aquæ simplicis unciarum capaci, ut intermixtas aquositati minerales particulas,) uncia dimidia ad lancem pariter existebat gravior altera dimidia uncia, (quod pristinæ sex provenierent,) restitante, pro drachmis quidem tribus, in vitro mixturam illam antea continente; pro residua drachma in filtro, utut exiguo & satis expresso.

Dum autem simplex unciarum sex coagulum, eadem methodo collectum, similiter superiori in colore pondere responderet; nec separatus per alcalinam præcipitationem crocus, aut productum postmodum salinum coagulum ab istis differre videtur; colore croci ob candicantis aluminis terræ accessum æque diluto; odore vero sub præcipitatione talium pariter instar aquæ cujusdam Regiæ, ob nitrosas adhuc in alcali isto latentes particulas, urinosique in alumine tantillum, de quo alibi,) exurgente: majorem proin potius imitamenti nostri illustrationem experimentorum, circa vitriolum atque alumen, eorumque constitutiva, seorsim ac diversimode (per præcipitationes aliasque separationes, coagulationes, proportionales ponderationes, lentas evaporationes, &c.) habitorum collatione, indeque instituta supputatione tum quæsivimus; sed tamen (quod petimus,) sub unius alteriusve grani forte latitudine, & salvo, quod ajunt, (in ea constitutivorum variatione, extranearum dispersionum facilitate, &c.) errore calculi.

Insint itaque vitrioli, (pro modulo suo sicci, nec impuritatibus externis affluentioris,) unciæ dimidiæ, (secundum prædictorum experimentorum modos atque proportionem,) terræ sat edulcatæ & siccæ drachma una, scrupuli duo cum dimidio; utpote nondum per ignem quid, (ut in coscotare) passæ, eoque minutæ. Salinarum, hic quasi concentratarum, aquosisque minus (ac in vitriolicis salificationibus artificialisque confectionibus,) complicatarum particularum ad minimum scrupuli duo. Aluminis porro unciæ pariter dimidiæ terræ saturninæ albissimæ & molis, antequam in tragacanthinum fere quidpiam coëat, diffusissima, communiter scrupuli duo, grana quatuor; salinæ substantiæ drachma una præter propter: (utroque enim, quod uni parti, pro puritatis siccitatisque ratione, ac metallicarum ab ocido absorptarum particullicarum variante quantitate decedit, accedit alteri.) Si terræ jam, ut dicuntur utriusque,) aluminosæ scilicet ac vitriolicæ) invicem miscentur, prodeunt denuo, eodemque colore, supta notatæ binæ drachmæ, scrupulique duo cum dimidio. Sin salinæ: habentur pariter iidem, ejusdem saporis ac coloris quinque scrupuli. Si denique utræque conjungantur, & exurgentes hinc, præter grana quatuor, scrupuli tredecim istis aquæ simplicis quinque unciis, aquosarum (natura sibi adhærentium, & ut simplex ibi phlegma constituunt, ita aquæ simplicis loco pondereque venientium) particularum medio) ceu in crudorum istorum duorum ingredientium dissolutione fit,) copulentur; è dimidia earum uncia (seu scrupulis duodecim) protinus id vitri quincuncialis superpondium, quod semunciæ secundum proportionem erat, provenit; residuis granis viginti quatuor in restante liquoris styptici semuncia hærentibus sive natantibus: uti ex adverso absolutæ illæ sex ejus unciæ facile habentur, si, (simplici solum additione,) aquæ simplicis unciæ quinque, mineralium (inibi gravitantium, & ex alumine vitrioloque profectorum) scrupuli, cum granis quatuor, tredecim, ac utriusque phlegmatis) spontanei quasi nec violento igue, etiam à salina substãtia penitus expressi) scrupuli septé, grana sexdecim, (ponamus è vitrioli semuncia drachmam. unam semis, ex aluminis eadem quantitate drach. unam, præter propter cum sex granis,) invicem com-

computentur, sed tantum de liquore hoc. Si interea logistica conjecturaque nostræ circa ingredientia eorumque præcipue proportionem non fefellerint; (verum telæ simile quidpiam in vitro negligentius obturato, sicque per menses aliquot reposito concrescere occipit;) negotiosiori saltem curiositati, (quod speramus & rogamus,) ignoscet benevolus feliciorque circa talia Lector. Sane licet interea, cum duo faciunt idem, non protinus fit idem: si tamen alius, saltem aliquantum variato ingredientium, v.g. pulveris laxativi pondere, eundem nihilominus effectum in catharsi adsecutus fuerit, peccasse propterea non creditur. De cætero de renitentissimo, inter salina coagula, alumine, alibi forte agemus: ut & de vitrioli vitriolatorumque (etiam in chirurgi) singulari, (ceu inter recentiores quidem, præcipuè quoque notavit in Physica sua subterranea Experientissimus D. Kircherus) vulgo interea minus in usum tracta, efficacia. *Dan. Ludovici.*

Medicamenta Secretiora ex Spermate Ranarum D.D.A.C.

Sperma ranarum (Germ. *Iroschleich.*) à Paracelso sperniolum, sperma aquaticum, & gluten aquaticum, à Cl. Cnœffelio in observationibus mucago aquatica dictum, est illa mucilago instar albuminis ovi, quæ ineunte vere hinc inde circa lacus, paludes & stagna invenitur, unde postea beneficio Solis viva animalia, seu ranæ, generantur quamque medici & chirurgi hujus seculi in summo pretio habent.

Colligitur à pharmocopolis brevi ante novilunium vel in ipso novilunio, quo tempore collecta, teste Hartmanno in not. ad Croll. ad annos triginta durare potest, è contra ea quæ in plenilunio colligitur, facile putredinem concipit & maxime fœtet.

Conservatur autem beneficio aluminis istud sperma, in doliolo è ligno querno recenter fabrefacto, quem modum Cl. Dn. D. Cnœffelius cum D. D. Zvvefero observavit in hac proportione, nempe ad liquoris sperm. ran. per sacc. clarificati ℥xi. adjecit aluminis usti ʒi. tantum, aliquando ʒii. & sic sine ulteriore destillatione in loco frigido repositum hoc sperma ranarum in virtute & efficacia conservatur, citra periculum corruptionis per totum annum, ac diutius. Virtutes à *Cl. Hartmanno in l. 2. enumerantur.*

Sperniolum siccum ordinarium D.D.A.C.

♃. Sperm. ranar. mense Martio & in ipso novil. coll. q. v. (*Not.* in nostro climate vix ante mense Aprilem sese prodit) ponatur in saccum: quæ sponte defluit Aqua interim seorsim asservanda.

Jam ♃. Oculorum nigrorum in sacco relictorum, q. v. in patella cuprea supra ignem spatula lignea continuo movendo, donec in pulverem subtilissimum redigi queant; vel quod melius, in calore solis, vel post fornacem sponte exiccentur.

Pulvis ex oculis sperm. ranar. tali modo paratus, imprægnetur sæpius cum proprio spermate, superius per saccum transcolato & denuo exiccetur: pulvis tandem asservandus.

Alius modus.

♃. Sperm. ran. justò tempore, i. è. circa novill. collecti, q. v. immittatur in cucurb. vitream, ac apposito alembico cœco, bene munito, leni carbonum igne in cineribus digeratur & continuo detineatur, donec omne hoc sperma prius in liquidam & postea in crassiorem substantiam abeat. Continuata digestione materia coagulatur, & fit instar pinguedinis & tandem totaliter exiccari incipit, ut facile in pulverem redigi possit. Pulvis demum ita laboriose confectus aliis medicamentis admiscetur, de quibus postea & suo loco.

Citius absolvitur negotium, si liquor prius per destillationem abstrahatur usque ad siccitatem, materia in fundo vitri relicta pulverisetur, & postea irroretur sæpius, cum liquore suo recenti & sponte resoluto, atque iterum iterumque exiccetur.

Sperniolum siccum ordinarium ex Ranis. D. D. A. C.

♃. Ranar aquaticar. in aquis puris & circa fontes mense Martio & Aprili captarum & adhuc viventium numero xl. vel q. v. immittantur cucurb. vitr. appositoque capitello, in MB. igne lento destillatio instituatur, liquor egregius interim ad suos usus reponendus est. Destillatio adhuc continuanda est, donec ranæ totaliter exiccatæ sint, ut facile in pulverem teri possint, qui tandem ita paratus cum proprio spermate (per saccum recenter transcolato) sæpius imprægnandus & rursum exiccandus est.

Vires magnæ sunt in quacunque hæmorrhagia & effervescentia sanguinis; datur à ℈i. ad ii. in propria aqua destillata; externe inspergitur vulneribus.

Sperniolum siccum compositum D.D.A.C.

♃. Spermat. ceti ℥iv. thuris; mastich. an. ℥ii. crot. ℥ß. terantur singula in pulverem; postea misceantur, & cum spermate ranar. (in sacco resoluto) irrigentur pulveres ter, quater & sæpius, & dein sponte exiccentur. Quo facto hic labor etiam toties cum spermate juniperino & flore cœli instituendus est, tandem add. camphor. ʒiii. misc. fiatque pulvis in vitro puro asservandus.

Vires sunt æquales cum sperniola Crollii; in hæmorrhagia sc. narium, gutturis, uteri, hæmorrhoidum, sanguinem quippe frigiditate & virtute specifica coagulat. Dos. à ℈ß. ad gr. xv.

Exterius idem pulvis inflammationes omnes mitigat, dolores podagricos lenit, (cum vino calide applicatus) insuper omnia ulcera antiqua, inflammata, dolorifica, & cancrosa curat.

Sperniolum mucaginosum compositum.

I.

♃. Spermatis ranar. spõte resoluti & beneficio

aluminis seu nitri asservati, ℥xLviii. myrrha commun. aloes sociot. à ℥ii. Mixta asserventur in lagenis vitreis bene clausis locoque frigido, pro nostro topico externo.

II.

℞. Spermat. cet. mastich. an. ℔ß. myrrh. camphor. an. ℔i. phlegmat. Vitrioli, spermat. ranar. transcolat. an. q.s. Misce. & sign. mixtura nostra localis externa.

III.

Sperniolum pro Illustriss. Principe van Eggenberg. in Styria, compositum.

℞. Spermat. ranar. & colati ℔vi. ceti ℔ß. juniper. ℔. cœlifolii, quantum haberi potest, myrrhæ el. thuris, mastich. an. ℥j. croc. pulv. ʒß. camphor. ʒiii. Misc. & in vitro bene clauso insolentur ad omnimodam resolutionem.

In chirurgia ejus usus est insignis, ideo ad sananda ulcera antiqua, fœtida, chironea, cancrosa & maligna, præsertim ad cancrum mammillarum & faciei, remedium est magni solatii. Applicetur cum plumaceolis seu floccis mollioribus circa semen cardui benedicti collectis, & in lac mixtura intinctis, superposito etiam emplastro spermatis ranarum; tollit etiam omnes dolores inflammationes partium externarum, ideo in doloribus podagricis cum linteis (sc. eo imbutis) singulari cum successu applicatur.

Non dissimilis mixtura sequens à Paracelso, in libro von offenen Schæden p. 434. (operum latin. Tom. III. sect. 2. tr. de Apostem. &c. cap. 5. p. 42.) descripta, quæ.

℞. Serm. ceti sperm. ran. sperm. juniper. cœlifolii an. p. æqu. Fiat destillatio in sole; ad erysipelatis exulcerati curam ab authore commendatur.

Hic adjungo etiam ex ipsius D. D. Cnœffelii M. S. quæ de mutagine juniperina sibi annotaverat, quid sit, & ubi colligatur.

Gelatina, sive gluten hoc juniperinum (teste experientia rusticorum in Syria) nunquam toto anno magis repetitur quam mense Majo, imprimis horam unam aut duas post imbres nimbosve, ubi circa nodos seu juncturas stolonum juniperi instar candidæ, interdum flavescentis gelatinæ ex interna, diis exudat, quemadmodum Synovia ex articulis hominis, sibique concreta adhærescit, non tamen ita firmiter, quin vento vehementiore concussa decidat, aut à solis radiis liquata defluat, Quod si contingat, ut gelatinam hanc nec venti nec imbres nec solis radii lædant, in fungos concedit, qui vitro inclusi, solique expositi in limpidum liquorem resolvuntur. Liquor iste virtute ea præditus est, ut membris paralyticis applicatus (juncturis quotidie bis inunctis) omnem contracturam perfecte sanet, quod certe summum arcanum est, ipsa etiam signatura præbente argumentum. Quare etiam ab arthritide confectos articulos eundem liquorem restaurare & corroborare necesse est. Experimentum dictis faciet fidem. Huc usque Cnœffelius, qui in allegato M. S. Germanico, quid sit & ubi inveniatur cœli folium, quod & flos cœli dicitur, sequenti sensu hæcce annotaverat.

Cœliflos seu cœlifolium, nonnunquam in æstate autumno in ripis maris Balthici, quandoque etiam in viis, instar gelatinæ coagulatum invenitur, sed frequentius matutino tempore ante ortum solis; nam quamprimum solis illud radii attingunt, in aquam mox resolvitur, ideoque ultra horam post exortum solem non durat, nec uspiam tota die reperiri. Vulgus huminum vocat istam gelatinam *das Sterngeschos oder Sternnuben*, quasi dicas, stellarum jaculum seu stellarum purgamentum. Tantum ille. Ipsemet ego in juventute mea peregrinando & postmodum hinc inde iter faciendo, gelatinam istam multoties in viis & juxta eas vidi, sed semper ante solis ortum, uti laudatus modo Autor noster annotaverat. Ruricolæ ea utuntur ad comæ productionem.

Observationi Cnoffelianæ subjungo & hoc de Cœli Flore, quod in Joh. Ernesti M.D tractatu de oleis p. 500. legi; hic flos, inquit mense Majo circa Pentecosten temporeque nocturno instar mucoris narium in prata incidit, idque trepidantur & quasi in circulo; hæc aqua lente destillata (alias enim nimis cito ascendit) est corrosivum dulce, omnes dolores cum admiratione sedat, ulcera quotcunque rebellia curat & sanationi obedientia reddit, cum emplastris ad puncturas mixta: in cancro & fistulis est valde admirabilis, cum pannis laneis applicata, vermemque interficit.

Helvetus quidam ex eo fecit pulverem album & cum ejus granis duobus vel tribus sistebat omnes dolores internos intensissimos, eoque ut exterius in ulceribus, ita etiam intra corpus summa felicitate utebatur.

Paracelsus hujus cœlifolii etiam meminit aliquoties, & ab illo Nostoch. & Cerefolium nuncupatur; videlicet Tr. de vita longa l. 4. c. 2. & 8. (Tom. II. p. 65. & 67. edit. Lat. noviss. Genev.) item de Signat. rer. natur. l. 9. p. 920. (Tom. II. p. 115.) porro l. 2. Berthon. c. 7. (Tom. III. II. sect. p. 32.) & Tr. *von offenen Blaetern.* c. 5. (Tom. III. sect. II. p. 42. b.) denique loco jam supra citato.

Nostoch in Lexico chimico Jonstonii, est jaculum alicujus stellæ, vel potius ejus repurgatione dejectum quid in terram, Invenitur potissimum Junio, Julio & Augusto super latos campos vel in pratis instar fungi magni vel spongiæ, foraminosum quid & leve, tendens in fulvum & ravum colorem, & ut coagulatum jus tactum contremiscit.

Petrus Borellus Obs. 41. c. III. Histor. rarior Medicophysicar. Vidi, inquit, nostoch. sive rorem cœli, speciem musci, terræ friabili & monticulosæ incumbentem, tanquam glutem, post pluvias à quibusdam Chimicis decantatum illum enim pro universi speritu capiunt & ex eo spiritum dulcem, sed maximis præditum viribus aurumque solventem educunt.

Emplastrum spermatis ranarum D.D.C.

℞. Oleum isperm. ranar. lumbricor. cancror. an. ℥viii. ceruss. pulverisat. ℔iß. Coquantur igne leni in sartagine ampla, spatula continuo agitando ad consistentiam amplastri mollioris, cui

cui ab igne remoto, & parum refrigerato adde ceræ albæ, (seorsim liquef.) ℥iii. pulv. mastich. thuris opt. an. ℥ß. ran. cum propr. sperm. insucc. ℥i. camphor. in oleo ovor. dissol. ʒiii. Misc. accurate, empl. debitæ consistentiæ, quod multum conducit in inflammationibus & doloribus coercendis, & ad ulcera contumacia fluida & antiqua in tibiis curanda; insuper salutare topicum externum est in omni fluxu sanguineo, ac speciatim hæmorrhoidum, menstruorumque dorso solum applicatum.

De usnea seu musco cranii humani, item de ejus virtute, usu & comparatione.

Sub usnea humana intelligitur hic ille Muscus, qui in capitibus seu calvariis suspensorum rota contusorum, vel alio modo morte violenta peremptorum, liberoque aëri, expositorum adnascitur, & in illis adhærescere solet; nam capita talia sub libero Cœlo, ventis, pluviis, radiis solaribus lunaribusque continue exposita, tempore tandem mollescunt, ac ita disponuntur, ut muscum de se protrudant, quem Paracelsici usneam, Libavius autem in Alch. pag. 185. Florem cranii appellant. Hildanus in cent. 3. observ. 38. in ultima Cent. Epistolarum p. 975. (qui Usneam sibi ipsemet ex ossibus humanis in angulo quodam Cæmeterii collegerat) dubitat Usneam hanc in Craniis suspensorum inveniri: quia eam nunquam in illis reperire potuerit, neque credit, quod in istis craniis, quæ ventis, pluviis, grandinibusque impetuitosis in patibulo objiciuntur, Usnea nasci possit. Sed Clar. D.D. Daniel Beckerus in Microcos. Med. lib. 2. c. 5. scribit, id quod ipse non observarit, alios Clariss. Med. observasse: ait, quod venti grandines, pluviæ magis disponant solidam Cranii partem, quo solis radii in caput totum agentes, facilius florem hunc ex ipso cerebro elicere & evocare possint: hinc teste Tabern. lib. 2. p. 488. nonnulli Medici aut Pharmacopæi cranium aëri locoque humidiori exponunt, ut sic facilius Muscus proveniat: nec impetus eorundem Meteororum generationem hanc impediunt, cum & è locis minus dispositis, imo saxeis, & illis tempestatibus æque expositis, herbulas egregias enasci videamus, etiam exemplo probat cum aliquo cranio ex patibulo desumpto & Usnea decorato, quod apud Clariss. Celsissimi Ducis Borussiæ Regiomonti Pharmacopæum D. Caspatum Pancerum vidit, exoticis & raris quoque gaudentem.

Clariss. D. Joh. Chemnitius in Indice Plantarum circa Brunsuigam scribit, se vidisse ante annos aliquot octo simul crania militum in prælio Cæsareo Danico occisorum, quæ annos septendecim in sylva vicina delituerant, Usnea undique obducta.

Ego ipsemet aliquando in venatione cum Ser. Rege Joh. Casimiro, Domino meo Clementissimo; similem calvariam, Usnea in diversis locis incrustatam, casu inveni. Cranium hominis suspensi musco seu usnea in aliquibus locis obductum, vidi Anno 1642. apud piæ memoriæ Ser. Caroli Ferdinandi, Principis Pol. & Svec. Apotekarium, Dn. Sebastianum Englertum, is prope patibulum Varsaviense, olim muratum, sub muro in capella antiqua id invenerat, in quo adhuc nidus passerculorum conspiciebatur. Sed hoc notandum, quod usnea humana sit duplex, scil. vegetata, villicosa & herbacea, quoniam ex parvis filamentis herbaceis constat, in forma quasi illius musci, qui in tegulis crescere solet, & qui à Taber. lib. 2. p. 488. in figura ibi delineata inspicitur; & iste muscus maxime in illis capitibus seu craniis invenitur, quæ in terra locisque humidioribus seposita sunt. Altera est crustacea, in ipso capite tanquam crusta adhærescens, simili modo illi, quæ in saxis & lapidibus campestribus, ordinariè in multis locis non cultis apparet, & à Botanicis lichen saxatilis, seu lichen petreanim. (Germ. *Steinflechten*) appellatur, de cujus specie hic nobis sermo est, quia & illa est usnea, quæ ab authoribus eligitur, quæ peculiari quadam virtute, ad diversos morbos depellendos & curandos, dotata est.

Virtutes & usus usneæ cranii humani ab authoribus attributi sunt mirabiles, & primo.

In Epilepsia & affectibus Cephalicis tanquam expertissimum & sæpe probatum remedium à multis habetur: cujus usum & affectum ego ipsemet in fœmina quadam à multis annis Epileptica, (& per piè defunctum D. D. Andr. Cnoffelicum Archiatr. S. R. M. curata) vidi, ubi usnea humana tanquam basis & fundamenti Antepileptici erat. Quoniam vero prænominatus D. D. Cnoffelius usneam istam non semper in copia ad manus habere potuit, loco ejus postea in aliis similibus curationibus ipsum cranium humanum suspensorum substituit, & maxime illud Ossiculum triangulare seu triquetrum accepit, quod aliquando in craniis circa principium suturæ Lambdoidis manifeste apparet, quod cum summa diligentia avide quærere solebat, sed raro, nec in omnibus reperitur, ideo diversa capita inquirenda fuere. Hild. in Cent. 1. Epist. 6. scribit, se habuisse semen horum ossiculorum ultra centum. Cranium cum osse triangulari in confinio Sagittalis & Lambdoideæ, variisque in hac ossiculis spectatur in Musæo Cl. D. Th. Bartholini. Sunt alii, qui scribunt, hoc esse illud Ossiculum Lutz, de quo moderni Hebræi mirabilia somniant, in illo latere radicem vegetantem, cujus vivifica facultate corpora humana in novissimo die sint surrectura, de quibus vide Robertum Fludt de Fluctibus in Philosophia Mosaica, qui vult osiculum hoc habere formam crucis, & solum in craniis recens trucidatorum inveniri. Alii scribunt in dorso reperiri vertebram, cui Luz nomen imposuerunt, Cornelius Agrippa & Vesalius in pede collocant.

Sed iterum ad usneam nostram.

In Hæmorrhagia narium præstantissimum usnea cranii human i est remedium, quod omnibus Medicinam profitentibus est notum. Hildanus Cent. 2. p. 54. insistenda Hæmorrhagia ejus præstantiam non raro expertus est. Paracelsus in Manual. pag. 49. Tabermontan. l. c. & aliiquam plurimi Medici idem hoc de Usnea scribunt. Cl. Daniel Beckerus lib. 2. p. 133. Miscrocos. Medici dicit, se exoptatum ejusdem vidisse effectum, desperatamque correxisse Hæmorrhagiam, in juvene quodam, jam pro agonisante habito. Ego ipsemet in sistenda Hæmorrhagia narium desperata, ex usnea & fimo porcino, cum mu-

cilagine Tragacanthi (per aq. spermat. ranarum fact.) turundas paravi, quæ prius exsiccantur, & postea in loco sicco servatæ, tempore necessitatis naribus intruduntur, incantamenti instar sanguinem retinere solent. Circa frontem Anacollema, ex Bolo, sang. Draconis Pulvere sperniol. nostr. (ex nigr. Oculis ppt.) & usnea an. q. s. cum albumine ovi & modico aceti paratum applicet. In defectu vero usneæ ex capitibus suspensorum eligitur illa, quæ in cæmeterio aliquando in ossibus demortuorum, vel etiam illa, quæ in tegulis crescit, item usnea, quæ in ramis seu truncis antiquis prunorum sylvest. & acidorum adhærescere solet. Et ex illa prius pulverisata, cum adjecto albumine ovi, fiat dicto modo frontale.

Unzerus in lib. 3. de Pest. p. 267. vult, quod Usnea humana, solum manibus retenta, omnem hæmorrhagiam è vestigio supprimere & restringere valeat. Sennertus lib. 1. Pract. p. 977. eandem in Syndone rubra de collo suspensam, in simili casu commendat, ubi & sequens Amuletum concinnat.

♃. Cinerem bufonis unius. Lap. Hæmatit. ℥ß. Musci cranii humani pulver. Umbilici marini, coral. rub. ppt. an. ℈i. radic. Tormentillæ Bistortæ an. ʒß. bursæ pastoris, flor. Bellid. minor. Anagal. rub. an. p. i. f. pulvis, qui in sericum rubrum includatur, f. sacculus collo appendendus.

Amuletum aliud ex Usnea Microcosmi nostro more sic componitur.

♃. Usneæ microcosmi, seu musci cranii humani (vel loco illius musci ex ossibus humanis defunctorum, in cæmeteriis collect.) Pulveris bufonis, Spermatis ranarum cum propria macagine aquat. per creberrimam imbibitionem præparat.) part. æquales. misce & cum mucilagine Tragacanthi, per aquam spermat. ranarum fact. fiat massa, ex qua postea formentur Amuleta, cordis vel alia forma collo apendenda. Vel duo poma, quæ manibus tam diu tenenda sunt, donec incalescant.

In omni Hæmorrhagia tam narium, quam uteri, hæmorrhoidum & vulnerum miræ virtutis. Armillæ elegantissimæ & corrallia circa manus & collum pro fæminis parantur modo sequenti.

♃. Specierum præcedent. ex Usnea, bufone & Pulv. Sperniol ppt. part. unam vel q. v. Ossium human. ex cæmeterio ad nigredinem ustorum (melius crudorum) & subtilissime pulverisatorum tantundem ad pondus omnium.

Et cum mucilagine Tragacanthi per aquam sperm. Ranarum fact. q. s. f. massa, ex qua postea formentur globuli vel tabulæ ad placitum, inter formandum vero inungantur digiti & massa ipsa cum Ichthiocolla, prius in aq. spermatis ranarum super ignem dissoluta, qui tandem acicula crassa vel alio stylo ferreo perforari, & in loco umbroso excicari debent, & postea in scamno tornatorio ab aliquo tornario explanari & poliri possunt.

Not. Vidi & olim ad hanc operationem perficiendam apud Dominum Gothofredum N. N. Apothecarium Thorunensem, dum Warsaviæ adhuc esset, instrumenta singularia ex ferro, quibus ex Ebore nigredinem prius calcinato pulverisatoque, admixtis variis Gummatibus & speciebus odoriferis, varia similia corallia efformare & elaborare solebat.

Sunt & alii, qui ex Usnea in cranio hominis suspensi inventa, vitriolo Veneris (prius in Sole phil. calcinat.) & Nitro fixo p. æq. mediante Ichthyocolla in Aq. Spermat. ranarum, prius dissoluta, Lapides & Tabulas formare solent. Lapides tenentur in omni Hæmorrhagia (ex quacunque parte etiam illa proveniat) manibus, donec incalescant. Tabula in majori forma applicetur dorso in fluxu Hæmorrhoidum & mensium mulierum, in fluxu vero sanguinis è naribus, fronte, in febribus calidis, pulsibus: item vulneribus cæsis & aliis partibus, ubi sanguinis impetus cohibendus est. Alias in desperato fluxu nimio menstruorum & hæmorrhoidum sæpissime & nunquam absque juvamine & solatio infirmarum & infirmorum, Usneam Microcosmi in forma Pulveris ℈i. per se, vel cum additione coral. rub. cum spermate ranarum (rec. collect.) præparatorum exhibui, etiam pro meliori usu & commoditate Pilulas sequentes paravi.

♃. Usneæ pulverisatæ. Eboris fossilis, seu corallorum, prædicto modo potorum an. ℈i. Opii nostri correcti gr. i. Cum Syr. Idoneo f. Pilulæ parvæ, foliato auro obductæ, quæ semper die (in Emulsione aliqua ex Seminibus 4. frig. cum aq. spermat. ranarum prius rec. parat.) circa decubitum sumuntur. Cl. Daniel Beckerus in Medico Microcos. cap. V. in simili affectu tales habet Pilulas.

♃. Musci Cranii Humani. Magist. Corallor. Perlarum. an ℈ß. Boli Orient. gr. vii. Misce f. Pil. & Usnea, linteolo obvoluta, interiori immittitur parti.

Ego in fluxu nimio menstruorum, ordinavi pessarium sequens ex eadem Usnea (vel etiam in defectu hujus Muscum ex corticibus sylvest. collect. Germ. *Schlehen Moeb.*) cum fimo porcino & sperniola nostra ex oculis nigris, propria mucagine per iteratam insuccationem prius parat an. part. æqual. misce. f. pulvis. Ex hoc pulvere postea cum materia idonea, scil. gossypio, lana concerpta, stupa purgata, vel materia syndonea sive Zendalo, f. Pessarium, vel Pulvis incorporetur Cera, vel cum mucilagine Tragacanthi per aquam Sperm. Ranar. fact. vel alio succo conveniente, scil. acatiar. Sylvest. bursæ pastoris. f. & Pessarium in forma consueta, alligatur filo, ut pro libitu singulis 6. horis extrahi, & sinui pudoris novum inserere possis.

Fabricius Hildanus in Cent. Epistol. ad amicos Epist. 39. pag. 987. sequens, ex Usnea composita composita commendat pessarium.

♃. Farinæ volatilis ℥ii. Terræ Sigillatæ. Sang. Draconis, gypsi, Cinerum aquat. ranarum an. ʒiii. musci cranii humani ʒi. m. f. pulvis subtilissimus, in quo turunda seu pessarium (ex stupis suavibus, justæ magnitudinis prius formata, & decocto fol. prunor. sylvestr. vel alio liquore conveniente humefacta) involvenda est.

Hinc Weikard. p. 356. & c. 1. D. D. Beckerus ex illo p. 133. in uterum sequens Decoct. injiciendum efficax esse scribunt, quod & in procidentia ipsius Uteri & intestini recti etiam adhiberi potest, quod.

♃. Gland. exsiccat. ℥iii. Usneæ cranii ℥i. Rad

conso'.

consol.bistort.tormentil.an.℥ß.Terræ Sigil.ʒiii. Lap. Calaminar.Ciner.Sarment. Herniariæ siccæ an.ʒii.Absynthii ʒi.coq.in aq.fol.Quercus,& tertia parte vini rubri ad mens.i.pro injectione, quæ efficacior erit,si parùm aluminis addatur.

In dysenteria & aliis profluviis ventris & Intestinorum Poppius lib.2.Thesaur. p.410. ℈i. Usneæ exhibet.

Ad sistendum sanguinis profluvium è vulneribus , vix invenitur Chirurgus exercitatus , qui Usneam in Ossibus humanis mortuorum collectam non pro certo & infallibili experimento habeat.

Hildanus in lib. de Lithotomia vesicæ c. x. p. 724.& in Tract.de Gangræna & Sphacelo c.19.p. 814.item in Cista Militari Class. xviii. p. 1041. pulverem cum Usnea commixtum à multis annis jam probatum sequentem habet.

℞. Farinæ volatilis.℥vi. Sang.Dracon.Thuris an.℥i.Boli Arm. Terræ sigil.an. ℥ß. Gypsi℥iß. Ranarum aquatilium præparatum ℥ii. Musci Cranii humani℥i. Pilorum leporum minutissime incisorum ʒii.Pul.albuminum ovorum,Sole caniculari exciccatorum Spumæ maris, spongiæ novæ torrefactæ an.℥i.

Misce fiatque pulvis subtilissimus,quo in omnibus vulneribus etiam capitis, & detectis membranis, uti & in Hæmorrhagia narium, cum fructu uti poteris. Weickard.p.566.hanc habet formulam, & Cl.D.D.Beckerus ex ipso.

℞. Thuris,Aloës,an.p. æq. pulverisa subtilissime,& cum albumine ovi incorporentur, addendo Muscum de cranio hominis defuncti ; excipiantur lanugine panni veteris,& utere.

In Synovia.Chirurgus quidam Usneam(in cæmeterio ex ossibus& capitibus humanis collect.) cum æquali parte Laccæ rubræ globulosæ commiscebat,etiam aliquando in defectu Usneæ pulverem ex ipsis ossibus humanis seu calvaria admiscebat , & vulneribus,linteo concerpto,applicare solebat:& hoc apud illum pro summo secreto in isto affectu tenebatur.

Helmontius ex Usnea, sale marino & ente Veneris,cum Ichthiocolla soluta , suum parat Periapton Salutis Magneticum (Driff) seu Lapidem Butlerianum,quo solo attactu extremo linguæ apice salutem afferre vult.

Usnea in cranio humano suspensorum inventa, ingreditur quoque unguentum Armarium,quod alias Martiale & Magneticum dicitur , quod ut magnes ferrum, abscondita & occulta facultate trahit , ita simili modo occulta vi vulnus inflictum per hoc unguentum sanatur. Armarium & martiale vocatur , quod unguentum hoc non vulneri,prout ordinarie fieri solet , sed armis, (quibus vulnus inflictum est & iis adhuc cruor adhærescit) applicatur , cumque eo affricatur. Alii solum , quando illud telum seu arma habere nequeunt , aliud telum seu lignum , sanguine prius ex vulnere imbutum, & exsiccatum,in hoc unguentum imponunt,& vulnus singulis diebus, fascia nova,urina vulnerati madefacta,obtegunt Hujus unguenti primum inventorem dicunt fuisse Paracelsum; sed Keckermannus lib.1. System. Phys.c.9. Authorem vult Italum quendam Parmensem.Post ipsum à diversis authoribus diversæ compositiones & descriptiones compositæ sunt, scil.à Crollio,Colero,Weckero,Goclenio, Helmontio,Cornario, Weikardo, aliisque pluribus Authoribus,qui de hoc unguento scripserunt , & in quibus omnibus Usnea microcosmi tanquam basis & fundamentum est. Qui de hujus unguenti effectu ; virtute , usu , & præparatione plura desiderat , is adeat Theatrum Sympatheticum, Norimbergæ impressum, ubi omnes Authores,qui pro & contra huc usque scripserunt, Ben.Lect. quasi in uno fasciculo inveniet. Hoc saltem hic admonendum , quod Usneam non solum pro confectione unguenti , sed & aliis usibus, tam internis , qam externis colligi volunt, Luna crescente, & in bona Domo existente,scil. veneris,si fieri possit , (non Martis aut Saturni) cur vero ex strangulati potius,quam alterius cujusdam capite, Usnea eligatur,rationes dat Goclenius in Tract.de confectione hujus unguenti, & Helmontius de Magn. Vulnerum curatione, quos B.L.inspicere potest.

Sunt & aliqui qui credunt,sed superstitiosè Usneam cum Zenith virguncularum , & radice victoriali simul sacculo virgineo inclusam sub axilla sinistra vesti insutam , portatamque contra omnia arma & tela valere & defendere , hominemque inviolabilem reddere. Quod & Cl. Sennertus lib.5.Part 4.c.24.Med.Pract.ex libello publicè impresso scribit , quod Usnea die Veneris ante Solis exortum, ex hominis suspensi vel rota necati Cranio,Muscus cum certis precibus(quæ ibi non ponuntur,nec poni debent) deradendus sit,qui si in veste sub sinistra axilla insutus gestetur, hominem eodem modo inviolabilem præstet.Sed uti hoc illicitum est , sese impenetrabilem reddere,ita & Christianum hominem non decet similia superstitiosa tractare. Et ego tale artificium conjuratione acquisitum malo credere quam cum periculo corporis & animæ tentare, quia superstitiosa sunt,& nullius in hac re efficaciæ.

Alii iterum sunt, qui Usneam ex cranio hominis suspensi,cum eodem Zenith seu linteo maculato primi menstrui,plumbo commiscent,quando sphærulas seu Pilulas fundunt , & sic sibi certum ictum ex bombarda promittunt , sed & ista sunt vana,nec ad nostrum propositum spectant.

Jam restat, ut , cum Usnea Microcosmi tanquam remedium in multis morbis excellentissimum , alias ut supra dictum , raro & in exigua quantitate inveniatur , quomodo facilius & in majori copia acquirenda sit,hic ostendatur. Non pauci fuere , quos ipsemet nosco, qui diversis modis hoc tentaverunt,& crania similia,scil.hominum violenta morte peremptorum , in loca humida super terram (ubi alias muscus copiosè crescere solet) reponebant. Alii ponebant caput supra rupes in locis altioribus montium, ubi alias muscus similis,quasi crusta lapidibus & saxis adnascens,copiosè conspicitur. Alii etiam ut rem promoverent,caput seu cranium circumcirca similibus lapidibus (musco crustaceo,contagii instar infecto) tegebant , & suo tempore muscum seu florem , simili modo in cranio crescentem , sperabant. Meliorem adhuc successum credebant & aliqui, qui muscum ipsum in tegulis & lapidibus collectum , cum aqua pluviali, seu rore Solis commiscebant,& calvariæ instillabant , ac postea supra murum in loco altiori & quietiori ad annos 3. vel plures reponebant.Qui modus defuncto & superius præmemorato Domino D.Cnoeffelio non displicuit ; nam ille ipse

qui

qui adhuc meliorem successum sperabat, commiscebat muscum terrestrem minimum (qui in terris locisque humidioribus, item in tegulis tectorum umbrosorum invenitur) prius manibus contritum, cum vino optimo Hispanico, mixtura postea ungebat cranium circumcirca, & reponebat illud in superiori loco domus, ad crescendum super murum & sub aperto cælo, interim irrupit bellum cum Suevis, caput seu cranium ita confectum, in absentia hospitis, remotum & rejectum fuit, & nemo postea scire potuit ubi remanserit. Jam est septimus annus, ubi de hac materia cum amico aliquo curioso in discursum incidi, qui mihi jurando quasi confirmabat, se habere inventionem ad acquirendum hunc muscum brevi tempore, & quidem in copia, nullo alio modo, nisi quod calvariam hominis prius oleo olivarum bene inunctam, in loco remoto & sylvestri super lapides antiquos, tali musco crustaceo infectos, poneret, (qui in campis desertis aliquando in unum cumulum collecti inveniuntur) & per annum in illis quiescere relinqueret, sic acquisivisse certum muscum in cranio, quod sæpius probarit. *Martini Berhardi.*

Magna dentis hæmorrhagia.

Anno Christ 1655. Civis quidam Ratisponensis nocturno tempore in subitam hæmorrhagiam è dente quodam intimo, ac carioso superioris maxillæ in latere dextro inciderat, ubi sanguis subniger, serosus, per horas septem continuas, tanquam ex siphone prosiliit; post multa alia medicinalia, adhibitis ventosis siccis sine scarificatione, sæpiusque deorsum in dorso ad lumbos usque deductis, & assumpta oris collutione ex decocto astringentium, sanguis quidem destitit, sed ad horam & ultra serum plane clarum, subalbidum ac salsum adhuc sequebatur. Inde conjecturari licet, quod sanguinis acrimonia cum abundante sero salso hæmorrhagiæ tantæ ansam dederit. *Helvvigii.*

Scholion Schrockii. Magnas ex dentibus, vel gingivis potius, hæmorrhagias alii etiam adnotarunt; potius quales in Scorbuticis non raro observantur, vix aliam ob causam, quam quæ ab Auctore nostro in Casu præsenti à seri acris in sanguine abundantia desumitur. Unde Clar. Gualt. Charleton libr. de sorb. cap. 14. art. 5. diri hujus in scorbuto symptomatis causam in sanguinem, luxuriante supra modum sero dilutum, vel sale volatili acri, à quo debita ejus consistentia pereat, abundantem, sicque orgasmo exagitatum, per arteriolarum oscilla erumpētem, rejiciendam arbitrabatur. Quo etiam referre liceat fabri illius ferrarii lienosi historiam, cui è venula (ut quidem Donatus vocat, cui tamen rectius fortasse arteria substituenda erit, quæ in superiori maxilla à carotide interiore, in iferiori autem ab exteriore ad dentes propagari solet,) gingivæ, ichorosi sanguinis libras amplius octo effluxisse, Marcell Donatus lib. 4. hist. med. mirab c. 9. refert. Et Alex. Benedictus lib. 5. de curand. morb. c. 3. ex gingivis profluvia sanguinis incredibilia, supra modum salsa, vidisse se testatur. Tanta nonnunquam illa exoritur, ut ipsam etiam mortem comitem inveniat. Talem Hollerius Comm. 2. ad Aphor. 18. lib. 2. sect. 2. Coac. Hipp. memoravit, scribens. Nos vidimus è loculo dentis longo tempore sanguinem profluxisse, qui nullis remediis cessit ægrumque tandem substitit. Idem accidit juvenculæ in septimum mensem gravidæ, apud Gregor. Horstium par. 2. lib. 1. observ. med. 25. quæ in hæmorrhagiam subitaneam gingivarum, sanguine confertim & magna copia per tres septimanas continuas effluente, inciderat, maculis sanguineis, ac sudore sanguineo, tandemque morte ipsa subsequutis. In cujus observationis resolutione aliud porro exemplum magnæ sanguinis per gingivas excretionis lethiferæ profertur. Feliciorem vidit successum Illustr. D. D. Paulus de Sorbait in Murario, cui sanguis post diuturnam tertianam ad 24. libras ex gingiva effluxerat, pulvere tamen chalcanthi & cauterio actuali personato, ut ipse obs. 48. Anni 11. Ephem. Germ. Cur. recensuit. Et femina illa apud Nic. Tulpium lib. 1. obser. med. cap. 49. plus æquo poculis dedita, plurimum sanguinis quotidie ex gingivis effundens, difficulter quamvis, sanata perhibetur. Nonnunquam carnosa gingivas excrescentia defœdans, magnum ibi sanguinis fluxum efficit, qui excisione illius feliciter curatur; ceu ejus specimina apud Joh. Mekerarum c. 16. & 25. observ. chirurg. occurunt. A dentibus etiam evulsis immodicas sanguinis evacuationes contigisse scimus; qualem Valleriola lib. 5. obs. 3. à dente putrido sine ulla vi ac sine ferro, sola digitorum lenissima apprehensione educto, ex arteria subdita, rivuli instar e fonte per triduum manantem, brevi tamen curatam, descripsit. Hæmorrhagia quoque ingens à dente evulso, curata habetur in obs. Laz. Riverio communic à D. Petro Pachequo obs. 28. nec non obs. 22. Achill. Gasseri apud Geor. Hieron. Welschium in Syllog. curat. & obs. ut & obs. 72. Joh Udalr. Rumleri apud Eundem. Egregius ille Ulmensium Chirurgus Joan. Sculterus tria remedia part. 1. Armament. Chirurg. tab. 29. §. 11. adnotat, quæ varias hæmorrhagias & deploratam quoque illam gingivarum, extractiones dentium violentas excipientem, infallibiter compescant, illudque, multa inter alia, exemplo Bractearii cujusdam confirmat, qui ob violentam à Circumforaneo dentis molaris evulsionem, incompescibilem fere in gingivæ hæmorrhagiam delapsus fuerat. Sed neque in hisce sanguinolentis fluxionibus semper exspectanda est salus, dum vel ob sinistrū remediorum usum, vel aliam ob causam, sanguinis impetus sisti nequit, & mors atra una cum humore illo vivifico ipsam effundit animam: Sic duos eruto dente, ob multitudinem sanguinis obiisse Cardanus de caus. sign. & morb. ab Felix Platerus lib. 3. obs. fabrum ferrarium, ab extracto dente canino, quem sanguinis saltu quodam eysilientis, subtilis, rubri, & fervidi per triduum eruptio, nullis remediis compescenda, insecuta fuerat, exspirasse notarunt. Qua occasione magnam Agyrtarum imperitiam, fraudem & audaciam obiter perstringere licebit, dentium extractionem sæpe non necessariam, inconsideratius, argenti scilicet una extrahendi causa urgentium; quorum inutile officium ut Magistratus auctoritate inhiberetur, multoties necessum foret, ad Turcas potius ablegendum; Famosa enim illa humanitatis monstra, referente Menavio, scriptore Italo lib. 3. c. 22. Chirurgis suis olim interdicebant, ne sine impetrata Regis licentia dentes extraherent, dubio procul non negligendum sanitatis damnum declinaturi, uti Exc. Goth. Mœbcius c. 6. Medic. physiol. loquitur.

Notabilis Gingivarum hæmorrhagia.

Murarius Italus Viennæ, ad aureum Cervum ex gingiva ad 24. libras sanguinis post diuturnam Tertianam emisit, & tandem sanguinem pulvere chalcanthi & cauterio actuali sedato, ex toto convaluit, nec minimo hydropis remanente vestigio. *Pauli de Sorbait.*

De hæmorrhagia universali, ex ictero nigro lethali.

Sanguis, vivificum flumen, aliquando coacte, nonnunquam velut pertæsus exitum affectat è corpore, & tanquam profugus ad internecionem fœdere rupto conspirat. Vidimus plus simplici vice in febribus ardentibus lethales hæmorrhagias narium, nulla arte compescendas, (quamvis in quibusdam cesserint ordinariis præsidiis,) donec extremum frigus, sanissima mente vitam exolveret. Ast non una via excidere eundem, & consimilem tamen νωσώσεω, vel exilium spontaneum, sequenti observavimus historia. Vir primarius, lxx. annorum per plures annos cardialgia, hinc calculo laboraverat, per vices repetitis insultibus, remittente tamen dolore illo, postquam in calculum successive cojerat tartarea mucilago, ob hypochondriacum πάθ☉ consummatum præ se ferebat corpus cachecticum. Non raro tumere pedes, inprimis sinister, consensu laterali solenni, commoda tamen diæta cavere sibi, non minus ac medicamentis. Prædixerat Astrologus, ex infausto Saturn. aspectu mortis genus ex ictero nigro futurum, quod seu conjecturam probabilem casus firmavit, seu archeus ex conceptis ideis morbosis sibi exitium hoc struxerit, eveniebat tandem.

Oculi, icteri præcones, flavedinem concipere, urina cum sedimento tartareo rubro copioso croceo colore linteamina tingere, corpus totum concolor reddi, alvi scybala non tingi. Visus alias morbus facile cedere vel unico purganti cholagogo, experimento Galeni & aliorum, imo nostro quoque, visus aperientibus generosis martialibus, infusis, nitrosis vinci, hic rebellis restitit. Per duos propemenses duräte fabula, color è flavo in fuscũ tendens minitari mortem dudum quasi prævisam terrore tanto majori incusso, quò certior credebatur eventus jam jam respondens prædictionis, Tandem, cum obstructa intimius vasa, & sine dubio cœmento tartareo bilis concreta negaret effundi consuetis loculis, licet vomitu amaricante os inficeretur nonnunquam leviter, sanguis screatu merus per os excretus mox excipiebatur hæmorrhagia narium, per alvum quoque concretus multus exibat, & urina cruore tincta ubivis patulas portas seu perruptas potius ostendebat. Ita per omnes vias effusus, nequicquam præstante arte omni, corpus morti tradebat Denegata anatome nihilominus certum est, hepatis glandosos acinos æque ac papillas biliosas, induratas, obstructas & tantum non scirrho occupatas fuisse, lympham sanguini incoctam omnem successive, bilem granulatam in folliculo suo, sanguinem vero inspissatum, rarefactum tamen biliosa amurca citatum in motum, &, præcluso debito spatio pro absolvendo circulo, illapsum laxioribus poris viarum ordinariarum erupisse, nulla humana arte corrigendum. Eodem propemodum tempore relationes publicæ narrabant, strenuum quendam virum militarem sanguine per os, aures, oculos, nares seditiose erumpente vita functum, *D. Georg. Wolffgang Wedelii,*

De Vrticæ usu in hæmorrhagia narium,

Fœminæ cuidam narium hæmorrhagia laboranti exsiccatas urticas in nares immiserunt, & desiit fluere sanguis.

Scholium.) Urticæ vim hæmostaticam à multis commendatam novimus, diversimode corpori applicitam. Sic Dioscorides lib. 4. cap. 89. Urticæ, scribit, faciunt ad profluvia narium cum succo tritæ, & naribus inditæ. Æmilius Macer hunc in modum lib. de herb. virtut. de ea canit.

Quod si manantem cupias retinere cruorem,
Vrtica succo frontem line, reppримit illum.

Ant Mizaldus Alexinep. camp. 6. art. 4. candem virtutem maxime radici tribuit; quam etiam experientia comprobatam Gasserus in observat. à Welschio edit. 6. laudat. Herbam contusam plantis pedum & volis manuum adplicitam miros produxisse effectus, Borellus cent. 1. hist. 95. testatur, quod etiam de ea in manu detenta, aut collo adpensa, vel axillæ supposita alii proferunt; imo Clar. Sylvaticum succo urticæ ab unc. ii. ad unc. iii. propinato, desperatas curasse narium hæmorrhagias, inter MSS. Welschiana notatum reperio. Quam virtutem adstrictoriæ facultati forte adjudicabunt, qui cum Galeno lib. 4. de medic. comp. s. l. cap. 8. inter medicamenta adstringentia urticam referunt, aut insigni refrigerandi potentiæ, à Joh. Langio lib. 2. epist. med. 33. eidem adjudicatæ. Scio equidem esse, qui succum hujus plantæ causticum, acrem admodum, & venenosum vendirant, vim ejus urendi eapropter eidem imputantes; quam recentior per microscopia observatio confirmare nititur, succum istum in cutem, à spiculorum impulsu læsam, per eorundem in extremitate videndum foramen instillari perhibens; ceu etiam Clariss. Cas. Hoffmannus lib. 2. de med. offi. cap. 240. § 3. succum illum acerrimum à spinis vix sensibilibus emitti, jam olim edixerat; unde sanguinem potius elicere è naribus, quam fluentem compescere posse, verosimile videtur; quo citatus Macer respexit, scribens.

Naribus impositus succus, foliumve, cruorem.
Elicit, innata est illi vis tanta caloris.

Verum uti urticæ urendi vim spinulis acutissimis in planta ista occurrentibus, post Celeb D. Casp. Bauhinum, [vid. notæ ejus in Matthioli Commentarium Dioscorideum] Exc. D. Chistianus Langius in Diff. de Morbill. egregie adseruit: ita flaccescentibus istis aut tritura fractis & conquassatis pungendi vim adimi, itaque tuto ad compescendas narium hæmorrhagias adhiberi, non est mirum; succus enim ille, linguam si judicem admittamus, ad imputata acredinis culpa immunis omnino deprehenditur, lenemque potius aliqualem adstringendi, non corrodendi facultatem obtinet, in spiculis autem dictis licet microscopiorum ope cavitas revera occurat, succum tamen in eis, qui quidem in basi eorum, vesiculæ in modum ampliatæ stagnat, reperire non potui, uti neque foramen illud extremitati innatum microscopia mea, licet alioquin non contemnenda, detegere valuerunt, à melioribus forte manifestandum. *D. Ioh. Ludov. Hannemanni.*

De præsentaneo Hæmorrhagiæ Remedio.

Fabri ferrarii filius 18. annorum, scorbuticus. corripiebatur fluxu narium tali, qui minabatur mortem. Post adhibitionem plurimorum remediorum vulgarium incassum, me tandem accedunt, jubeo sectionem medianæ cum julepo, & pulverem aluminis crudi cum lacc. D. D. Hertodii Ann. I. Ephemerid. Germ. observ. 24. notatum, & sanguis statim substitit cum ægroti reconvalescentia & adstantium admiratione summa. Eodem modo curabam Affinem meum Soræ felicissime, cum ob motum vehementiorem sanguis impetuosissime per nares flueret. Idem remedium sensit efficacissimum Joh. Fr. Vogel, Pharmacopola noster. Hic tolerare vix poterat dolores dentium acutissimos ideo jubebat extractionem molaris, succedente tanto fluxu sanguinis per alveolum dentis, ut plane debilitaretur, Adhibebat Chirurgorum, barbitonsorum, balneatoris remedia, & fluxus interdum subsistebat, ut eo impetuosiore motu dein flueret. Quatriduum abiit, indies ægroto debiliore existente fluxuque continuante. Tandem meum expetit consilium morti vicinus, (putarat enim hanc curam pertinere tantum ad Chirurgos, non Medicum) & statim impero hunc pulverem: sanguis per 12. horas emanet, tandem redit, jubeo iterationem; & levem venæ sectionem cum julepo ad sanguinis æstum contemperandum, statimque sanguis emansit cum plenaria restitutione. *D. Samueli Stedelii.*

De Hæmorrhagia narium curata.

Quidam studiosus Tondera-Holsatus, meorum filiorum præceptor in tam contumacem hæmorrhagiam narium incidit, quam nullis medicamentis sedare licuit, euporista varia (excepto decocto Excell. Dn. D. Volkameri, cujus efficaciam in enormi fluxu sanguinis ex intempestiva venarum sub lingua sectione expertus) adhibita, sed omnia carebant optato successu. Tandem propinavi succi ex urticis recens expressi cochlearia tria, & urticis contusis involvi membrum virile, sic miraculi instar illico subsistit contumacissimus nectaris vitalis fluor, qui procul dubio hominem è mortalium societate exemisset. *D. Ioh. Ludov Hannemanni.*

De Hæmorrhagia narium in Hydrope salutari.

Hydropem non raro largiorem sanguinis evacuationem sequi, ab omnis ævi Medicis crebro observatum est, passimque ea de re historiæ in scriptis eorum consignatæ leguntur. At vero, eundem hæmorrhagia largiore sanatum fuisse, à nemine, quantum ego quidem scio, annotatum est. Quare cum mihi in praxi mea paucis ab hinc annis insigne quoddam exemplum obtigerit, rem non ingratam curioso lectori me facturum esse arbitror, si illud hic recensuero.

Christophorus Slatz Lignicensis, opificio, quod in tondendis pannis laneis occupatur, addictus, Anno 678. æstate febre ardente corripiebatur, à qua iteratis venæ sectionibus

aliisque

aliisque remediis, post trium septimanarum decubitum tandem liberatus, utcunque valuit, donec autumno adulto Quartana ipsum febris invaderet. Hanc, qui curam ejus gessit, rursus venæ sectione ac sæpius repetitis purgationibus fugare conatus est; sed ex simplice duplicem, immo triplicem effecit, paroxysmis quotidie ægrum exagitantibus. Hinc primo pedes, mox etiam venter intumuerunt, ita quidem, ut tandem spes salutis vitæque omnis evanesceret. Mortis itaque candidatum se videns æger, ex Moravia, ubi tum commorabatur, in patriam se recipere constituit utut ob morbi magnitudinem ipse frigori, quod tum temporis experiebatur. Viæ itaque circa Calendas Januarias anni 1679. se committit, fatisque sic volentibus die 7. Januarii Uratislaviam, vix animum adhuc trahens, venit, & penes Adamum *hendenreich* consanguineum suum divertitur. Ab hoc ego mox in auxilium vocatus, hominem toto quidem corpore tumidum, sed ventre imprimis ad summum usque pectus, maxime distentum invenio, febrili horrore concussum, ita, ut qui cæteroquin ægerrime propter distentos musculos respirabat, tunc saltim non animam agere videtur. Exhibui ipsi statim Spiritus Sal. Armon. aromatici cujusdam dosin; sequenti vero die, postquam in causam morbi statumque ægri paulo curatius per quisiveram (utut vix aliquam reconvalescentiæ spem superesse viderem, nihilominus aliquid potius tentandum, quam ægrum prognostico relinquendum esse dixi,) leni quodam purgante primum corpus lustravi; deinde mane & vesperi quotidie Tartari Martialis dimidiam drachmam exhibui, paroxysmo vero febrili ingruente spiritum Sal. Armon. aromaticum propinandum dedi; quibus medicamentis altera statim septimana effectum est, ut multiplex ista quotidie affligens febris, in simplicem rursus quartanam commutaretur.

Hoc viso, viæ isti porro insistendum esse duxi, & Tartaro Martiali quidem Croci Martis aperitivi portionem remiscui, Spiritum vero Sal. Armon. cum Elixir Propr. Paracelsi maritavi singulis septimanis aloës lotæ ℈ß. ad alvum laxandam exhibui. Exinde, quamvis febris quarto quovis die non interrupto ordine repeteret, ventris intumescentia remittere, respiratio pedetentim facilior fieri, appetitus hactenus penitus prostratus, utcunque redire, sitis fera sedari, viresque æger paullatim recipere cœpit. Cumque posthæc Antimonium martiale cachecticum, quod tum recens-paratum marte saturatissimum ad manus erat, aliis medicamentis subinde intercalarem, ut naturæ conanti in sudore ciendo auxiliares manus porrigerem, en miram ea crisin molita, sanguinis stillicidio per nares à maxima oneris sibi molesti parte se liberare tentat, optimo cum successu. Siquidem in tertiam usque septimanam quotidie bis, interdum etiam ter sanguinis serosi, vel potius seri cruenti copiam excrevit, singulis vicibus facile dimidiam libram pondere æquantem. Hæsitabam primo; deque sistenda hæmorrhagia mecum consilium agitare incipiebam; sed cum videbam ægrum ab ea non saltim non lædi; sed etiam levamen accipere, atque indies melius habere, naturæ opus minime turbandum esse statui, quin potius methodo hactenus adhibita porro insisti. Cessavit inde febris, venterque magis magisque detumuit: postquam vero hæmorrhagia sponte desiit, decocto sudorifero, diureticisque, quod reliquum erat hydropis ex voto è corpore exterminatum est. Sicque tandem spatio trimestri, Deo sit laus! æger præter omnium spem & expectationem integræ sanitati restitutus est, & adhucdum Olsnæ Silesiorum, maritus ac Pater factus, superstes vivit. *D. Gotsofr. Schultzii.*

Sanguis humanus curat fluxum sanguinis humani.

Anno 2. Decur. 2. Ephemerid. exhibui observationem 38. quæ habet, quod ossa humana profuerint dysentericis. Dum perlegi, inveni additamentum Ingeniosissimi & Excellentissimi Domini Schockii F. Amici olim Jenæ non vulgaris, vidique quod malit abstinere, certo respectu talia dare medicamenta, ne læsæ humanitatis, non dicam crudelitatis notam incurrat. Ingenue ut fatear, mihi ipsi non sapiunt, ast ægrotis interdum exhibeo, præprimis iis qui sunt durioris commatis. Interim tamen cranium humanum multoties à Practicis præscribitur, ut notum, & res in idem recidit punctum. Quid non facimus dum ægrotamus, quid non, dum curamus? Esset hic amplissima discurrendi materies. Quod subnecto, videtur magis nauseabun dum remedium. In districtu nostro Grunbergensi erat nobilis ab V. cui post partum difficilem sanguis copiosissime fluebat per uterum cum periculo vitæ. Matronæ astantes exsiccabant aliquid sanguinis profluentis; & insciæ sub forma pulveris exhibebant cum juvamine.

Dum accedebam, clanculum exponebam quid dedissent, ego dicebam: est abominabile, Interim regerebant, ho! multoties profuit. Habet equidem rationes ob sal fixum, sed si rescivisset puerpera, vix dubito quin non præsentaneum vitæ periculum incurrisset ob nauseam inde conceptam. Novimus sanguinem leporis Martio enecti, linteo exceptum recommendari in dysenteria & profluvio cœliacorum, si potui indatur aliquid, item si assetur, ut vult Schroderus Pharmacopœæ l. 5. p. m. 300. Quomodo conciliabimus hoc cum Excellentissimi D. Ludovici relatione, contrarium effectum habente, Anno 9. & 10. Ephemerid. Decur. 1 sub finem observ. 35. Annon sit æquiparandus noster sanguis assatus & exsiccatus Croco martis adstringenti: Excellentiss. D. Ludovici vero linteo exceptus & in aëre lente exsiccatus Croco Martis apetitivo, hæreo. Diversitas etiam quærenda veniret inter sanguinem humanum & leporinum, præprimis leporis tenerioris. Sed quid nodum in scirpo quærimus.

Scholion.] Sanguinem in sistendis hæmorrhagiis utilem præstare operam, si in pulverem redactus parti fluxum sanguinis patienti inspergatur, plurimorum constat experimentis. Id quod glutinositati ejus, qua erumpenti alteri occurrens eundem demulceat & vasa conglutinet, adscribit Nobil. noster Wedelius tract. de medicam facult. lib. 2. sect. 2. cap. 15. Idem etiam præstare

in hæmorrhagia narium vaporem sanguinis, in ferrum candens elabentis, naribus haustum; quod odore tetro, sanguinem effluxurum repellente, ceu Cl. Thom. Willis Pharm. ration. part. 2. sect. 3. cap. 2. de stercore porcino disserit, num efficiat, prudentiores judicent. Ut plura alia quæ adduci hic possent, taceam. De ipso sanguine menstruo siccato & propinato in alium sanguinem menstruum agente tractat Joh. Baptist. Sitonus Jatrosoph. miscellam. tract. 28. sistere scilicet fluxum ejus qualitatibus manifestis, terrestribus, exsiccantibus & obstruentibus, ad modum boli. Armen. terræ sigill. & similium. Quomodo tamen in aliis idem sanguis moras nectentem alium expellere queat, ceu in citata Ludoviciana observatione habetur, salvo doctiorum judicio, imo præsupposito, experimenta hæc non fallere, videndum. Si in utero peculiare fermentum hærere, quod certo tempore in sanguinem agat, illum agitet, inque fluorem istum menstruum adigat, dicere mihi liceat, causam hujus forte invenire dabitur. Colligi autem tales in utero fermentantes particulas, Francisc. Bayle. in diss. de caus. flux. menst. mul. rationibus non prorsus contemnendis evincere videtur; nec ipsa structura uteri, glandularum haud expers, de quibus conjecturas in Dec. 2. Anno 1. observ. 41. scholio dedi, repugnat; imo sicut fermentum in partibus genitalibus, præsertim testiculis, virilibus admittere debemus, quod vel seminis ibi elaborati singularis odor demonstrat: ita cur mulierum organis genitalibus simile quid denegari queat, haud video, præcipue si, quod in appendice cent. 3. observ. Riverianar. pag. m. 271. habetur, sanguis menstruus calendulæ odorem spiret; quinimo principium aliquod in sanguine necessario statuendum erit, à quo menstrua illa ejus agitatio suscitatur; quod cum nec à Lunæ sit influxu, quisdam hic absero, neque in sanguinea masse per totum corpus circumflua, neque alia aliqua corporis parte hactenus deprehensum fuerit, ipso utero commodius quid effingere haud licet. Hujus itaque fermenti particulæ, dum una cum sanguine prodeunte una evacuantur, & in linteo exsiccantur, si in ventriculum femellæ mensium obstructione, quam sanguis v. g. minus temperatus, & viscidis multis particulis refertus & hinc vel ad subeundam illam fermentationem, vel per arteriolas uterinas minima transitum non ita aptus, aut ipsa etiam uteri dispositio morbosa ac fermenti in eo vitiati torpor induxerit, ingerantur, ac postea cum sanguine permisceantur, solitam illam in eo turgescentiam concitare, crudiores sanguinis partes attenuare, & uterinam una labem emendare, ac consequenter sanguinem expellere poterunt. Quam sanguinis agitationem noxa illa, à menstrui istius humoris, loco philtri, propinatione inducta, mania & amentia, pariter quodammodo ostendit. Quod si tamen cruor hic longo tempore adservetur, & fermentans illa potentia in eo evanescat, tunc adsumtus non tam menstruum sanguinis fluxum promovere, quam potius alterius alicujus cruoris ad modum cohibere valebit. Illud quoque fermentum cum graviditatis tempore, immutata tunc multum uteri constitutione, utplurimum aliter se habere videatur, sanguis etiam ex utero puerperæ profluens fermentantibus istis particulis minus erit imbutus, ut ita reliqui sanguinis in corpore circumflui naturam magis æmuletur, sicque etiam glutinosis suis particulis sanguinem demulcere, inviscare, atque ab excretione hoc pacto, si propinetur, vindicare queat. Quidquid tamen fuerit, sordidum hoc remedii genus, ut à laudato D. Ludovici vocatur, Medicus non facilè suadebit, qui delicias has mulierculis dispensandas merito relinquit. Cæteroquin remediis e Microcosmi partibus, aut ipsis etiam excrementis pro usu interno petitis frui per me cuilibet sit integrum; quamvis, si carere Medicinam eis commodè posse, nec ægris meis aut ista aut alia à me præscribi solere dixero, nemo vicissim culpare id jure valeat. *D. Samuelis Ledelii.*

Hæmorrhagia penis spontanea.

Longius foret differre de multiplici usu, quem corpori nostro fœnerat nectar illud vitale, sanguis, qui motu indefesso machinæ nostræ circulat mæandros. Nec levius nobis facesseret negotium, si eundem esset per omnes vias, quibus diffluere potest tam pretiosus latex. Non tamen æque tritæ sunt hæ semitæ, cum hac eatur frequentius illac rarenter. Tristius, hercle, omen habetur, si profluentem viderimus, ubi ne rivum expectassemus. Quamvis interdum, qui sponte reserantur fontes, obserentur gratuito, ipsa se corrigente natura, ne videatur errasse. Cum non ita pridem, per me, post Deum, in gratiam cum sanitate rediisset aliquis cruenta mictione quam gravissime laborans; accidit, ut alius è vicinia meam contra Ophthalmiam efflagitaret operam medicam. Dum autem varios invicem sermones cædimus, narrat sibi, ante aliquot annos, ex insperato largum profluxisse sanguinis imbrem, per membrum illud, quo viri sumus. Nesciebat planissimè quid de Thyrso fieret, alia omnia exspectans potius, quam sanguinem; qui observatus maximum incussit terrorem. Ubi vero per sesquihoram durasset hic æstus sanguineus, inarescens commodum, eadem, qua proruperat, sistebatur indolentia, nullo, ne quidem levissimo, tristioris cujusdam relicto symptomatis vestigio. Ego varia quæsivi huc spectantia; interrogans, numne causas quasdam scire potuisset hujus hæmorrhagiæ? an non, vel calculus ipse, vel equitatio succussans, vel gestatio gravioris oneris, aut aliquis in diæta error præcessisset, vel usus Aloëticorum quorundam medicamentorum, quæ oscula reserassent venarum, hanc rupissent cataractam? Verum omnia hæc negavit constanter. Hinc patet ipsam naturam, quasi provido consilio, imminens amoliri gestientem periculum, per hanc sentinam, superfluum tantummodo eructasse sanguinem. Atque ita hæc fidem celeberrimo conciliant Kozakio, dicenti Tract. de Hæmorrhagia, lib. 1. cap. 11. pag. m. 302. Simplex sanguinis mictio non omnis est æque vel molesta, vel noxia; sed interdum & quædam utilis patientes à multis gravioribus tum liberans, tum præservans affectibus. *D. Georgii Hannai.*

Ex ulcere penis hæmorrhagia enormis orta facili quidam, at singulari cohibita.

Chirurgus quidam in affectibus venereis curandis satis bene versatus me noctu ad ægrum accersivit, qui ex apertâ arteriolâ in ulcere inter glandem & præputium penis tantum sanguinis illa nocte profuderat, ut ipse ex sanguis propemodum videretur. Imò ausim dicere, me dimidiam cupam linteaminibus cruentis oppletam in cubiculo, ubi ille decumbebat, invenisse; non aliter ac si fœmina quædam in procinctu puerperii fuisset. Diversi generis styptica applicuerat Chirurgus ante meum adventum, sine ullo tamen levamine, compressioni vix ullus quoque ibi locus erat, propter membri constitutionem: itaque in summis angustiis erant & Chirurgus & æger, quam tamen momenti temporis spatio ab hoc periculo, Dei auxilio, liberavi, idque remedio simplicissimo: scilicet glandem penis præputio strinxi, & sic præputium arcte digitis compressi, unde ne gutta quidem amplius effluere potuit. sicque mihi fuit restitutus. *Frideric Ruyschius in Observationum Anatomico-Medicorum centuria.*

Alia in eodem argumento Observatio.

Non ita pridem cum Henrico Annema peritissimo in hoc civitate Chirurgo vocati sumus ad ægrum, ex cujus membro virili per urethram 14. circiter sanguinis libræ effluere, idque interdum tanta vi, ut majori urinam excernere non posset. Quod cùm sit hujus partis vitium dignum ut posteritati tradatur ejus historiam hic annectemus.

Jam Huybreckz annos 52. natus, vir robustus atque vegetus, habitans in vicô dictô Vocquestert, ultimô Januarii 1668. onustus sacco tritici, dum per asserem super aquam positam transiret, pedemque versus marginem figeret, alter invertebatur eâ ratione, ut inter ipsius pedes asseris acies existeret, in quam pondere tritici ita comprimebatur, ut peritonæi atque testiculorum mira contusio adesset, absque vulnere externo aut hæmorrhagia donec dimidia post casum elapsa hora urinam emitetert, tunc enim primò tria circiter sanguinis cochlearia effluxere, urina clata & sine sanguine mixta subsequente, quæ acrimonia sua summos in urethra excitabat dolores, nunquam tamen sanguinem effluxisse nobis retulit, nisi dum rursus urinam redderet. Cùm itaque per horas 4. dies non nisi exigua quantitas sanguinis per urethram effluxeret, operæ prætium non existimabat Medici cujusdam auxilium implorare. Quid contingit? Quinto à casu die, cùm supra sedem sese ponens, partes contusas aliquantulum durius agitant, sanguis cum pulsatione tanto impetu per urethram effluxit, ut adstantes ipsum jam jam moriturum crederent. Ne tam omnis sanguis uno impetu effluxeret, aliquis consanguineorum penis partem anteriorem tamdiu comprimebat, donec nostrum auxilium implorassent. Domum intrantes, inter uxoris, filiorum filiarumque ejulatum, imbutum, & sanguineorum suspiria, ægrum in miserrimo illo statu invisimus. Lecti tegumenta & reliqua ipsi vicina non aliter sanguine erant conspurcata, ac si tubos in loco illo, ubi æger decumbebat, ingulatus fuisset. Intelligentes modum quo cecidisset, & quod per 4. dies consequenter exigua semper sanguinis quantitas, solummodo ante urinæ emissionem effluxisset, judicavimus spongiosam urethræ substantiam, ejusque arterias læsas esse, licet tam impetuosi illius sanguinis effluxus causas non sufficienter conciperemus. Præterea explorantes in inferiore abdominis parte, immediate supra pubis ossa, tumorem instar capitis infantis magnum, asseruimus illum propter dictam penis constrictionem à regurgitante in vesicam sanguine originem habere, quemadmodum dictum nostrum eventus confirmavit: & explorantes ægrotantis pulsum, eum debilem ac languidum, propter tantæ copiæ sanguinis effusionem, invenimus; quapropter hærebamus dubii, quibus inter tot ac tanta huic primò occurreremus, cogitantes præsertim, quod à sanguinem sistentibus, sanguis in vesica nimium incrassantur, & ab attenuantibus contra sanguis in corpore fluidior evadens, majori etiam copia per arterias, ob casum interne dilaceratus, effluxeret. Tandem aliquando re, ut decebat examinata, ex arena cepimus consilium, & diximus invicem potiori malo succurrendum esse, quod cum à nimia virium debilitate, propter sanguinis effluxum immineret, similem mixturam qualem magnus Professor noster Franciscus De le Boë Sylvius in praxi sua, nuper edi cæpta lib. 1. cap. 3. proposuit, ægrotanti nostro ad virium corroborationem & sanguinis fluxum sistendum præscripsimus: quandoquidem propter summam virium debilitatem venæ sectioni non daretur locus, & præterea perinæo, cùm partis affectæ compressionem per ligaturas non possemus instituere, medicamentum astringens applicuimus, atque sic ægrotantis vitam per illam noctem conservavimus; sequenti die reversi, cùm sanguinis fluxus necdum in totum cessaret, & vires paulo melius constarent, venam ipsi in brachio aperuimus, atque decoctum vulnerarium præscripsimus. Tertio die ægrum nostrum, quem mediocriter pro tempore constitutum derelinqueramus, in pessimo statu invenimus; nam præterquam quòd ex nimia inanitione singultus, etiam à sanguine in vesica & aliis partibus corrupto, ingens febris excitabatur. Gravissima hæc symptomata, cùm post iteratam enematum ex lacte dulci & electuarii diacatholici uncia cum dimidia injectione minuerentur, decocto vulnerario quædam diuretica addidimus, quæ sanguinis grumos jam semicorruptos feliciter ex vesica propellebant, cessante sensim cum febre singultu. Paucis, præter ea quæ enarravimus, medicamentis ægrum nostrum in mortis bilance versantem. Deo benignè annuente, parvo temporis spatio feliciter restituimus. *Regnerus de Graaf libro de Virorum organis &c.*

Vena cruralis spontanea apertio.

Rustica quadrata triginta & quod excurrit annorum, plurium liberorum mater, enim denuo concepisset, sub ultimum circiter gestationis mensem ann. 1685. quotidiano labori vacans, in femore sinistro, non procul ab

inguine

inguine, è vena crurali turgescente, sed sponte aperta, hæmorrhagiam insignem patitur, cui ligaturis, aliisque vulgaribus album ovi cum aceto rosac. applicatis vicini occurrerunt: quatuordecim ab hinc diebus, cùm pratis verrendis sola incumberet, vulnusculum nuperum enormiter recrudit, cui misella aqua frigida, qua corpus tantisper potuit medelam quæsivit, postquam binis hisce vicibus ultra quatuor libras sanguinis perdidisset, quarta septimana ægra mirum quantum intumescere cæpit, inprimis collum versus, quod instar aquæ lympidæ pellucebat. Die 2. August. cùm nos convenirent, actaque narrarent, sinistrum eventum prædiximus, in primis si dolores partus ipsam non corriperent, huncque ob finem misturam convenientem præscripsimus, quæ ex parte hausta, ab ipso mane infantulum feliciter enixa est. Sub vesper. cùm ipsam inviserimus cum D. Schorhopff, de partu gratulati fuimus, juxta vero ægram pallere deprehendimus, tumore colli quamvis remittente, & circa præcordia per intervalla opprimi; exhibita hinc una alterave dosi diaphor. jovial. cum mixtura cordiali additis blandis volatilibus porreximus, commendatis juxta jusculis & prohibito vino; quibus cùm ipsa sedulo obtemperasset, licet paroxysmus graviores quandoque intercurrerint, attamen, Deo benedicente, pristinam sanitatem feliciter recuperavit. *Joh. Jacob. Harderus in observationibus Anatomico-Practicis.*

De hæmorrhagia ex ulcere tibiæ varicoso.

Fœminæ quadraginta annorum ulcus in tibia dextra exortum est a causa interna supra varicem satis amplum, quod nullis remediis obtemperabat, aderatque tumor & erysipelas satis grave nullis medicamentis morem gerens.

Post aliquot dies inopinato ab humore acido, corrosivo illic hærente apertus est varix, ex quo adminimum duæ libræ sanguinis nigricantis ac (ut astantes asseverabant) in effluxu valde fætentis promanaverunt.

Ego placentam illam duriusculam ex medicamentis acidum temperantibus conflatam, quam in Observatione sexta primæ Decadis laudavi, à Chirurgo imponi curavi, & sic varicem non tantum obturavi, verum etiam acidum illud in ulcere hærens temperavi, quod alias corrosione sua varicem facile iterum aperuisset, ac præterea ulceris curationnm impedivisset.

Erat visu mirabile, quod, postquam varix inexpectato apertus tantum sanguinis copiam profuderat, erysipelas, aliaque symptomata mox evanuerint, & ulcus, de die indiem melius habens, intra tres septimanas solius prædictæ placentulæ ope prorsus coaluerit.

Ego jam temporis minime mihi proposui originem ac medelam varicis, ulceris, ac erysipelatis tradere, quandoquidem illud in observatione sexta primæ Decadis satis accurate executus sum, & mihi semper, si cuiquam alii, crambe bis cocta mors est.

Sed animus mihi est hic loci per experientiam confirmare, quod dixi & egi in primæ Decadis observatione sexta, quam indubitatum nempe si erysipelas ac ulcus originem suam trahere ab acido, & quam opportune instituerim sectionem varicis in ulcere illo tibiæ varicoso.

Hæc autem sine ullo negotio ex allato exemplo deducuntur, nam nec erysipelas nec ulcus ullis remediis cedebat, quamdiu varix ille tanta nigricantis & absque dubio mora sua acescentis sanguinis copia repletus erat, & quam primum sanguis ille peccans effluxerat, erysipelas evanuit, ulcusque non longo post coaluit. *Johan. Muys Praxeos Chirurgicæ rationalis Decade.*

HÆMORRHOIDES.

Curationes.

Quamquàm sanguinis omnis fluxus periculosissimus sit, is tamen, qui ab hæmorrhoidibus est, si modum servare videatur, consuevit sæpenumero prodesse. Advertit insuper Hippocrates a diuturnis sanato hæmorrhoidibus, nisi una servetur, aquam intercutem vel tabem imminere: hæc autem certo superveniunt, cùm immoderatè fluunt, aut ichores inde exudant, ut pluries experientia comprobavit.

Tument autem & rubent nonnumquam hæmorrhoides, & dolorem acerbissimum afferunt, imò & capiti gravamen cordi, & pectori oppressionem, stomacho nauseam, & alvo duritiem pariunt. Huic incommodo variis occurrere consueverunt Medici: conferentiora verò putantur linimenta ex oleo vitellorum ovorum, seminum lini, buxi, balsaminæ, balsamo sulphuris Rulandi, lacte aureo sambuceo, unguento linariæ, populeo, & malorum insanorum. Scribit Henricus ab Heers, seipsum à Castrensi Pastore edoctum, expertum esse, minimum quid scrofulariæ, sive radicis, sive foliorum cum cibo aut potu assumptæ, statim dolorem hæmorrhoidum sedare. Hartmannus, & Horstius maximi faciunt linariam, quam in linimentum redigunt cum vitello ovi. Et apud Riverium Pacqueus ex Arnaldo Villanov. summè commendat infusum millefoli in aqua fervente, & per mensem integrum epotum. Chelidonium minus mirabile prædicat in omnibus hæmorrhoidum vitiis Solenander, Millepedes effert Quercetanus, & Hœferus, in oleo nucum excoctos. Aliter ex illis oleum conficit Borellus, illudque sæpius in die frigidum admovet dolentibus tumentibusque hæmorrhoidibus. Hartmannus utitur decocto scarabeorum rotundorum in oleo lini; itemque cinere suberis cum axungia cati, vel oleo myrtino. Decoctum tapsi barbati, malvæ, althææ, parietariæ, & quatuor anodynorum efficax aliis dicitur; itemque cœpa alba sub cineribus cocta, & cum butyro recenti subacta instar cataplasmatis. Helmontio commendantur annulus dentis equi marini, & morientium sudor, quo hæmorrhoides, & extuberationes quascumque solo contactu comprimi, & complanari scribit. Oleum ex floribus sambuci, vel ex cortice ejusdem interiori in oleo seminum lini, vel nu-

cum incocto cum modico croci ex voto aliquando feliciter profecit. Cardilucius in Hartmannum, excellentissimum se expertum dicit emplastrum Apostolicum, quod dolorem sedet, & sanguinem effluere sinat.

His præterea immodice fluentibus medentur millefolium infusum; radix scrofulariæ, tormentilla, bistorta, C. C. ustum, ut & suber essentia mart. in aqua sempervivi stillatitia, & alia sistendo sanguini opportuna superius relata. Conficit Solenander pilulas ex bdellio, trochiscis terræ sigillatæ, & carabe, cum liquore è seminibus cotoneorum ex aq. rosar. expresso; quas mirabiles fatetur: scribit etiam, tribus seminibus genistæ mane quotidie sumptis, hæmorrhoidum, & cujusvis sanguinis profluvium sisti; itemque epota aq. stillatitia chelidonii, aut etiam (quod tutius ait) vino, in quo chelidonium ipsum fuerit maceratum. Externe vero fluentem sanguinem cohibere referuntur fumigationes ex thure, aloë, mastiche, pice, carabe, verbasco, foliis quercus, crepitu lupi, qui solus siccatus, & venis sanguinem fundentibus admotus, remedio est: fluxum quoque inhiberi ex croco mart. inspersoa testantur alii; & Heurnius pulvere colchotaris, seu vitrioli usti. Si tangantur inquit, Frid. Hofmannus, hæmorrhoides tuberosa radice chondrillæ, siccantur, si chondrilla siccatur, corrumpuntur, si corrumpatur; quare sub camino exiccandam consulit. Cingulum conficit Hartmannus ex foliis hellebori nigri recentibus, quo nudum corpus circumdari ait successu felicissimo; atque hoc etiam cohiberi etiam menses immoderate fluentes. Succus plantaginis injectus cæcas quoque hæmorrhoides sanare fertur. Lotio ex urina propria, mox fumus sulphuris per tritorium exceptus dolori, & fluxui aliquando medela fuit, ex Velschio. Cætera alibi ad sistendum sanguinem descripta ex vitriolo, alumine marte, opio, hic etiam adhiberi possunt.

Si denique à suppressis hæmorrhoidibus mala in corpus universum proficiscantur, ac propterea opus sit illas reserare, indeque sanguinem elicere, præcipuum erit elixir proprietatis Paracelsi simplici etiam infusione paratum. Conferunt pariter pilulæ Aloëphanginæ, Rufi, Rhasis, Aloë, croco, & succo absinthii subacta, & quidquid ex Aloë est compositum. Interim adhibenda quæ venas ipsas emolliant, ac relaxent, uti potissimum sunt balnea ex decoctura laxantium herbarum, malvæ, althææ, anethi, violarum, quatuor anodynorum, & similium. Post hæc solent nonnulli foliis ficus, aut frondibus parietariæ illas perfricare, ut sanguinem deponant. Idipsum alii tentant succo cœparum aloë misto. At cavendum ne nimio affrictu partes illæ exasperentur, & inflammationem contrahant quam non raro gangræna comitatur; quamobrem satius erit medicamentis internis sanguinis exitum promovere, vel ejusdem vitium moderari; exterius verò blandioribus uti. *Lucas Tozzi Medic. Pract. lib. 2.*

De Hæmorrhoidum fluxu.

N. B. Hæmorrhoides diuturnæ non sunt statim supprimendæ, metu refluxus ad nobiliores partes; unde phthiseos, hydropis, cancri maniæ, epilepsiæ, aliorumque gravissimorum morborum impenderet periculum. Fluxus itaque non astringentibus illico sistendus est, sed potius revulsione, sanguinis acrimoniæ correctione, toni partium corroboratione, &c. sensim minuendus.

Victus sit refrigerans & humectans. Vescatur utplurimum carnibus elixis juniorum animalium. Alterentur autem juscula boragine, buglosso, portulaca, agrimon. plantag. pimpinell. pomis, trifolio, acetosa, sylv. fruct. berber. addit, C. C. ebore, dente equi marini, rad. chin. tormentill. Fiant aut in aqua sæpissime chalybeata, vel saltem in lebete ferreo. Colatura acidula reddatur cum sp. vitrioli corallat.

Notandum, ea esse in cibo danda quæ non sunt duræ substantiæ, sed quæ facile pertranseant, & mollia reddant excrementa; siquidem durities fœcum maximè noxia in hoc affectu. Ova sorbilia, succus carnium, sorbitiones crebræ maximè conveniunt. Abstineat ab omnibus acribus, salsis, præcalidis.

Potus sit ptisana cum china, rasura dentis hippopot. ebor. C. C. rad. tormentill. glycyrrhiz. Pomaceum cum iisdem & rad. filipendul. scrofular. major. &c. paratam, ita ut cum iis f. fermentatio. Amygdalata, & emulsiones ex quatuor frig. sem. maj. in aqua chalybeata, addit. sem. plantag. sophiæ chirurg. & portulac. Julapiæ item v. g.

℞. Rof. rub. p. iij. flor. veton. rub. p. iv. violar. borag. bugloss. an. p. ij. rad. tormentill. ℥ iij. sant. citrin. ℥ j. aq. fontan. purissim. ℔ iv. cum sp. vitrioli corallat. q. s. f. tinctura. Colaturæ adde tertiam vel mediam partem pomacei, & saccharo edulcoretur.

Somnus convenit visceribus, ut labor articulis: propterea cavendum à vigiliis & lucubrationibus quæ sanguinem acuunt & fluxum augent. Somnus omnes fluxiones sistit, excepto sudore & seminis fluore.

Exercendum moderatè corpus ante pastus, & abstinendum à vita nimis sedentaria.

Ad fæces ex primis viis eliminandas injiciatur clyster leniens cum cassia vel elect. lenitiv. Decocto autem admiscenda sunt roborantia & astringentia quædam, ut dum liquor enematis fæces educit, qualitas intestino impressa remaneat, verbi gratia, rof. plantag. sophia, alchymil. &c.

Validiora purgantia noxia: Conveniunt syr. ex cassia, violarum solutiv. de pomis solutiv. cum tamarind. polypod. cass. senn. sem. & rad. violar. Prima laxantia cum manna. Horum ope (si alias alvus non respondeat) toto curationis decursu fæces, antequam nimis induruerint, subducendæ sunt.

Revulsio, præsertim in plethoricis, tentanda est per phlebotomiam brachiorum sæpius iteratam in parva quantitate: in aliis per cucurbitulas sæpissimè regioni hepatis applicatas.

Chalybs sive ferrum, specificum in hoc affectu remedium est, obstructiones viscerum tollens, atram bilem (nam hoc morbo laborantes plerumque sunt hypochondriaci) domans & plurimum dulcificans, viscera roborans. Incipiendum à syrupo de scoria ferri vel alio chalybeato cum cichor. tormentil. scrofular. filipend portulac. plantag. prunell. vinc. per vinc.

vinc. alchymill. &c. Inde veniendum ad vinum vel cerevisiam chalybeatam. Parentur autem ex croco Martis aperient. parato ex ferro, non ex chalybe; vel ex battitura ferri. Tandem f. progressus ad substantiam Martis, inter cujus præparata maximè in hoc casu convenit ferrum cum aceto præp. Ex hoc fieri possunt Electuarium vel pilulæ, addit. margarit. corall. &c. sumend. mane per longum tempus. Horum medicamentorum formulæ sint hujuscemodi.

Scoria ferri decies ignita & extincta sit in succo plantag. & portulac. addita vin. alb. Rhenan. tertia parte. Pulveris hujus postea exsiccati.

℞. ℥ vi. rad. sicc. scrofular. maj. filipend. tormentill. an. ℥ j. rad. cichor. tapf. barbat. an. ℥ i ß. sem. sophiæ chirurgor. plantag. an. ℥ ß. rasur. dent. hippopot. C. C. ebor. an. ʒ iij. santal. citrin. ʒ ij. Omnia præparata macerentur in q. s. succ. depurat. bugloss. acetosell. sylv. granator. ceras. cydon. & vin. alb. supereminentiam VIII. digitor. Postea coletur, & cum sacchar. rosar. q. s. f. syrupus. Sumat cochlear. ij. unoquoque mane ad dies plures ex aqua tapsi barbati, portulac. plantag. & ros. rubr.

Cerevisia medicata ferrata pro potu ordinario in hac forma instituatur.

℞. Rad. chinæ ℔ j. rad. verbasci sicc. ℥ VI. rad. fœniculi, asparagi, rusci an. ℥ IV. rad. scrofular. major. ℥ iij. rasuræ dentis equi marini ℥ v. battituræ, ferri in vino Hispanico sexies extinctæ, atque in porphyrite cum aqua rosarum pulverizatæ, sacculo inclusæ seorsim ℔ j. nuc. moschat. num. VI. cerevis. lupulat. galon. VI. fiat, ut artis est. Bibatur per mensem unum vel alterum.

Si vinum magis arriserit, eadem in vini q. s. infundantur; Colaturæ bibat ℥ IV. bis in die.

Electuarium tale sit.

℞. Conserv. ros. rubr. & flor. tapf. barbat. an. ℥ i ß. flor. papav. rhœad. ℥ j. pulv. rad. symphyt. major. tormentill. an. ʒ iij. scrofular. maj. rasur. dent. hippopot. an. ℥ ß. C. C. ℥ ii ß. magister. perlar. corall. an. ʒ iij ß. tinctur. corall. chalybeat. & sap. cydon. an. q. s. f. Electuarium. Dosis ʒ j. cum chalyb. vel ferr. per acetum præp. ℈ j. m ß. f. bolus mane sumendus per dies plures sensim augendo chalyb. aut ferr. ad ℈ ij.

Vel ℞. Magister. corall. & perlar. dulcis (forsan satius esset ad dulcificationem ista communi modo præparata sumere) croci Martis corallini, gumm. arabic. an. ℈ j. Excipiantur pauca conf. mororum rubi idæi. f. bolus mane sumendus, & sæpe repetendus.

Vel Pilulæ chalybeat. formari possunt ad hunc modum.

℞. Salis tart. crystallini ℈ j. corall. rubr. triti in alkool cum aq. menth. & absinth. gran. XV. succin. alb. præp. bol. Armen. præp. croci Martis corallin. alb. an. gran. XII. gum. Arab. gran. IX. cum succo liquido sive extracto glycyrrhizæ mellagineo f. massa, ex qua form. pilul. VIII. deglutiendæ mane hor. 4. ante prandium.

Aquæ spadenses & minerales acidulæ multum valent in hoc affectu.

Coralli syrupus sic fit.

Coralliata item magnæ sunt efficaciæ, ut syrupus, magisterium dulce, & tinctura coralli.

℞. Corall. rub. opt. lævigat. ℥ IV. acet. acerrim. succ. limon. an. ℥ VI. macerentur in fimo per dies XV. ad tincturæ extractionem, coletur, colaturæ adde succi depurat. cydon. ℥ IV. succ. fragor. moror. rub. Idæi sylvest. an. ℥ ij. sacchar. ros. dimid. ponderis, f. s. a. syrupus, cui indatur nodulus continens nuc. moschat. ʒ ij. santal. citrin. ℥ iij. Dosis cochl. ij. mane & vesperi.

Tinctura rosarum rubr. opem haud levem confert, præcipuè si extrahatur in aqua duodecies chalybeata & filtrata, & acidula reddatur cum spiritu vitrioli, addito syrupo rib. berber. moror. corallor. aut julap. Alexand.

Julapium item seq. haud contemnendum est medicamentum.

℞. Succ. urtic. alb. ℔ j. aq. ros. ℥ IV. sacchari ℔ j. f. julap. utendum bis in die cum aqua hordei.

Hæc sunt medicamina præcipua quæ internè exhibere soleo, & in quibus curationis symptomatis hujus spem summam colloco. Neutiquam verò omittenda sunt *Topica*, quæ vel inflatas hæmorrhoidas externas discutiant & earum dolorem tollant, vel earundem fluxum nimium sistant; vel hæmorrhoidum internarum (cæcarum dictarum) dolorem leniant.

Inflatas hæmorrhoidas externas discutiunt & earum dolorem tollunt sequentia.

℞. Unguent. popul. (quod potentius præparabitur cum succis hyoscyami, cicutæ, mandragoræ, solani, stramonii spinosi Indici) ℥ ij. cochinellæ (quam specificam in hoc morbo asserit Rhedus) in alkool lævigatæ in porphyrite ʒ ij. plumbum ex mercurios facti, sive mercurii per plumbum odorem coagulati in tenuissimum pulverem reducti ℥ ß. m ß. & diuturna agitatione f. unguentum applicand. è bombace, & continuo gestandum.

Vel ℞. Ol. lini puriss. & limpidiss. q. v. radic. bulbos. Telephii (Anglice *Orum* dicti) quantitatem convenientem: Hæ recentes detersæ non lotæ incidantur & terantur in mortar. marmor. mox ollæ parvulæ fictili inditæ cum oleo, vel potius lapideo vasi opprimè tecto vel obturato immittantur cacabo aquæ ferventis pleno, & bulliant per sex horas continuas; f. fortis expressio olei servandi ad usum, qui erit intincta pluma tubercula lidendo, & sumendo floccos lanæ nigræ circa ovis nates sive podicem crescentes, ex qua lana formetur pulvillus, qui tinctus & imbutus oleo prædicto applicetur.

Si sanguis discuti nequeat, venas opplens, rumpentur, & effluet sanguis; sin minus, detumescent venæ, & cessabit dolor.

Efficacius autem unguentum erit, si aut succum exprimas ex radicibus; & cum oleo mixtum coquas ad succi consumptionem; aut radices novas contusas eidem oleo ter quaterve indas, coquas & exprimas.

Vernix, qua pictores utuntur, est remedium singulare in curandis hæmorrhoidibus tam apertis, quàm latentibus: at si apertæ fuerint, & nimis tenaciter vernix cuti adhæreat, addi-

tur ol. rosatum. In ista autem vernice tingatur pannus lineus & admoveatur. Hujus usu sanatus est Carolus quintus à muliere, cùm nulla ope curari posset.

♃. Unguent. popul. ℥j. cass. fistul. recenter è canna extract. ʒiij. mucilag. sem. psyll. & cydon. extract. in aq. tapsi barbati ℥ß. albi Græci ʒ ij. m ß. & agitentur diu multumque in mortario plumbeo, f. linimentum applicandum è bombace.

Vel ♃. Unguent. popul. ℥iiij. vernic. liquid. ex ol. sem. lini & gumm. juniper. fact. ℥ij. sacchari Saturni, albi Græci ana ʒvj. opii in aq. scrofular. vel tapsi barbati dissolut. & inspissat. ad mellag. ʒv. ms. & adde usus tempore vitellum ovi crudum.

Fol. scrofular. maj. cum butyro in forma cataplasmatis ano applicata hæmorrhoidas externas purgant & dolorem sedant.

Denique oleum seq. ad hæmorrhoidas est specificum.

♃. Scarabæos in stercore bovis repertos numero 50. asellos vivos numero 200. rad. scrofular. majoran. succulent. per taleolas sect. rad. chelidon. minor. ana ℥ iv. succi tapsi barbati, solani hortensis an. ℥ vi. succi cicutæ, mandragor. baccar. solan. somnif. an. ℥ iij. olei lini recentis ℔ j. medull. crurum bovis ℥ iv. sperm. ceti ℥ iij. Bulliant. simul ad succorum consumptionem & ingredientium putrilaginem, deinde f. expressio fortis, & servetur pinguedo, quæ cum æquali portione unguent. popul. mixta servetur in pyxide plumbea ad usum. Applicetur ex bombace. Ex isto litu addita cera poterunt formari suppositoria ad necessitatem.

Ad fluxum immoderatum sistendum utiliter externè admoveri possunt sequentia.

♃. Unguenti populei ℥ ij. mucilag. sem. psyll. & cydon. extract. in aqua plantagin. & spermat. ranarum ℥ ij ß. ossium humanorum ad summam albedinem calcinat. ʒ vi. bol. Armen. croci Martis astringent. sang. draconis, sang. human. vel bubul. desiccati & subtil. pulverizat. an. ℥ ß. vitell. ovorum numero 2. sacchari Saturni ʒ iij. m ß. & longa agitatione f. *Nutritum* applicandum ano cum bombace molli. Vel.

♃. Plumbi albi (vide de sumenda residentia præcipitata in parando lacte virginali) ℥ ß. cretæ ʒ ij. croci Martis astringentis, lap. scissilis (*ardoise*) an. ʒ j. f. omnium alkool excipiend. unguent. popul. agit. diu in mortario plumbeo, & f. linimentum satis durum applicandum bis in die ex linimento carpto. Posset excipi partibus duabus vernicis pictorum, & una unguenti populei. Vernix autem præparetur ex ol. lini ℥ xii. terebinth. Venet. ℥ iv. sandarac. puriss. sive gum. juniperi ℥ iij Liquentur simul lento igne.

♃. Cochlear. limac. in viribus collect. mundat. & in clibano exsiccat. ℥ j. cum ℥ j. butyr. recentis agitetur tamdiu in mortario plumbeo donec f. linimentum.

Item aselli, vel æs ustum cum ol. rosar. agitatum in mortario plumbeum unguenti instar.

♃. Suberis q.v. uratur, & in pulverem redigatur, qui mixtus cum ovi albumine applicetur.

♃. Terr. Sigillat. boli Armen. trochisc. spod. de carabe an. ℥ j. succi urtic. alb. ℔ ß. alb. ovorum q. s. f. litus quo ungatur anus ter in die.

♃. Rof. rubr. summit. rubi, verbasci, caudæ equinæ an. manip. j. cort. granator. balaust. nuc. cupress. aluminis ana ℥ ij. aqua plantag. ℔ ij. f. decoctio ad ℔ j. Colaturæ adde mell. rosac. ℥ j. f. fotus.

Experimentum Patris Ottonai. Pulvis quidam instar furfuris qui adhæret filici, ceterach, osmundæ regali; vino alb. vel aqua Rosar. locus humectatur, mox pulvere aspergitur.

Balneario in aqua fabrorum multum juvat.

Anus abluatur decoct. virg. aut. sanguinar. vinc. pervinc. sanguisorb. &c. parat. in aqua chalybeat. & conspergatur Cornu Cervi calcinato.

Suffitus fiat ex eodem decocto cum dimidia parte aceti projectis in scoriam ferri candent. excipiend. in sella perforata.

Cataplasma lumbis potest applicari ex argilla emollita succis plantag. portulac. sophiæ & acet. rof.

Si ab hisce fluxus immoderatus sisti nequeat, tunc rebus desperatis veniendum ad ferrum candens quo venæ sunt urendæ & cauterizandæ: quo casu venam unam intactam relinquere sæpe necesse erit, ne fluxu omnimodè simul suppresso pars aliqua ex nobilioribus pœnas luat.

Si sanguis ab hæmorrhoidibus internis immoderatè fluat, quæcunque ex prædictis commodè ano injici vel indi possunt, similem his ac externis opem conferunt.

N. B. Ubi aliquid indendum est ano quod partes affectas tangat, sumatur tantùm sebum cervinum, damæ, vervecinum, &c. ex quo, ut statim docebitur, præparato poterunt projici in modulos suppositoria variæ magnitudinis, quæ unguento populeo aut vernice liquida delibata immittantur ano.

Sebum sic præparetur.

♃. Tapsi barbati florem album gerentis totius minutim concisi man. ij. foliorum hederæ terrestris, chelidon. majoran. totius ana man. j. rad. scrofular. majoran. & chelidon. minor. an. ℥ ij. rad. hyoscyam. concis. ℥ iij. capita papav. albi majoran. numero quarto aqua vel succ. rosar. plantag. solan. ana ℔ß. axungiæ suillæ recent. ℔ j. sibi cervin. ℥ iv. Coq. ad herbarum putrilagin. & liquorum consumptionem, f. expressio fortis pinguedinis ad usum dictum.

Quoniam autem hoc genus hæmorrhoides cæcæ dictæ, cùm non fluunt, sunt admodum dolorificæ, sedari potest dolor à seq.

♃. Emulf. sem. papav. alb. fact. cum decocto fol. tapf. barbat. ℥ iv. mucilag. sem. fœnugræc. & psyll. extract. in aqua solan. ℥. unguentum popul. cum vitel. ovi dissolut. ℥ ß. m ß. pro injectione facienda, quæ quamdiu fieri poterit, continuabitur, bis in die tepide.

♃. Sebi hircini, vel, si desit, alterius q. s. ad formandum suppositorium; huic adde opii ℈ ß. Alliga filo; immitte ano, dolorem tollit

tollit, somnum consequenter conciliat, qui, si sit nimius, extrahatur.

Unguentum anodynum potens fit ex succo stramonii & axungia, formantur veluti suppositoria quæ induntur ano. Compescunt dolorem hæmorrhoidum quasi miraculo. Stramonium autem sumatur spinosum Peruvianum. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medicæ lib. 3.*

Hæmorrhoides narium, de quibus Marcus Aurelius Severinus aureo tractatus de recondita abscessuum natura; ut & hæmorrhoides uteri de quibus alii, hîc non describimus, quia si quid in ejusmodi morbis agendum veniat, ejus materia in curationibus, consultationibus &c. ad ani hæmorrhoides facientibus, abundè sufficitur. Jam itaque continuo ad

Consultationes

Hæmorrhoides sine dolore fluentes.

Quæ sine dolore describuntur manantes hæmorrhoides, cæcæ sunt & interiores; quarum nihil putem foras prominere.

Hæ autem cùm jamdiu & supra annos duodecim abundantius fluere consueverint, omnino supprimi non debent, ne tandem incommoda sequantur quæ Hippocr. commemorat & metuit. At vero cum immoderatus illarum fluxus jam vires obterit, & jecur impendio refrigerat, ex quo icterus, & fortasse cachexia jam apparet, & impendet: illas certe cohibere non modo utile, verum in primis necessarium videtur. Sic tamen ut tertio, quartove mense quiddam profluere sinatur.

Cohibuntur utiliter in hac descripta corporis constitutione, non revulsione per venæsectionem è cubito, aut per cucurbitas hypochondriis affixas, non pulveribus, conditis, aut potionibus adstringentibus, sed hisce levissimis remediis, quæ profutura non dubito. Itaque si quæ purgatio necessaria videbitur non alia conveniat quàm quæ ex rheo constat.

℞. Aquar. rosar. & arnogloss. ana ℥ i ß. in quibus infunde rhei elect. ℈ iv. cinnam. elect. ℈ j. in expressione dissolve rheubarbari elect. pulverisat. ℈ ij. syrup. ros. siccor. ℥ ß. fiat dosis.

℞. Plantag. centinod. rosar. rubr. balaustior. an. pug. j. fiat decoctio in lacte ad ℔ j. in colat. dissolve bol. armen. farin. fabar. an. ℨ i ß. f. clyster in forma pultis, quem diu teneat, & iteretur bis, ter aut quater, si non satis primus cohibuerit: si miscella major placebit, addetur sanguis draconis. Juvabit etiam cataplasma extrinsecus podici adhibere ex bol. armen. optim. quæ in aceto, & arnogloss, & ovi candido sit dissoluta, aut in succo plantagin. & centinod. qui etiam in clystere conveniet.

In victus ratione vitanda sunt vina vinosa, admodum tenuia, & quæcunque alimenta sanguinem inflammant. Parcè vivendum, ne vires: jam imminutæ nimio cibo premantur, neve sanguis supra modum increscat. Vitanda exercitatio vehemens, & quæcunque sanguinem ac spiritus inflammant ac exagitant. *Joh. Fernelius in Consiliis Medicis.*

Fluxus hæmorrhoidalis præter naturam. Dolor vehementissimus in pectore cum hypochondriaca affectione.

Reverendissimus Abbas, annum agens quinquagesimum primum, temperamenti totius, & potissimum jecoris calidi & sicci, ex Parentibus hypochondriacis natus, & ipse multis abhinc annis eadem affectione hypochondriaca molestatus, & quandoque moderata sanguinis per hæmorrhoidas evacuatione cum sui levamine tentatus, quinque jam mensibus elapsis, post graves atque molestissimas animi perturbationes, fluxu sanguinis ex hæmorrhoidibus abundantissimo atque superfluo correptus fuit quo in animi deliquia incidebat, eoque suppresso, statim supervenit intensissimus lævæ partis thoracis dolor, difficilem reddens anhelitum ipsum, cum ejusdem pectoris fervore maximo; quo tempore urinam copiosum, crudam & aquosam mingebat, & sedato dolore, febricula levis insurgebat, quæ primo aut altero die solvebatur. Hæc autem omnia symptomata & affectiones ter hucusque reperierunt, semper præcedente aliqua molesta animi motione, & præterea quodam pondere in podice ad perinæum quoque sese extendente, non sine aliquo dorsi dolore & ventriculi imbecillitate. Modo quamvis ad finem mensis Junii jam perveneriums, Patavium tamen se contulit, ut à gravissimis jam dictis symptomatibus ope medica præservari possit.

Abbatem Reverendissimum multis abhinc annis hypochondriacum fuisse & esse ex relatione tum à Viro Excellentissimo in scriptis adducta, tum ab eodem Reverendissimo ore tenus exposita necessario deduci potest, præsertim addita totius & jecoris calidæ intemperiei, ætatis, & naturalis ac hæreditariæ dispositionis consideratione; quinimo cætera graviora symptomata de quibus nonnullis abhinc mensibus conqueri cœpit, non aliunde quàm ab hypochondriaca affectione ortum duxisse decerno, & præsertim superabundantem sanguinis per venas sedales effusionem, necnon dolores in læva pectoris parte cum ardore & cordis oppressione, præcedentibus rugitibus abdominis, non sine aliquo dolorifico sensu ad dorsum quoque perveniente, iisdem tamen etiam citra thoracis dolorem frequenter repetentibus; cum enim jecoris fervor naturalis à clausuris etiam & impedita ventilatione adauctus, propter mesenterii obstructiones, à quibus flatuosa orta fuit affectio, & inde dolor ad dorsum usque pertingit, ubi scilicet ejusdem mesenterii duplicatura alligatur; cum, inquam, jecoris fervor sanguinem fervidum necessario producat, nec ipse à corde calidiori existente corrigi possit, in vasis ita justo calidior & acrior congestus, utpote ad carnium generationem & totius nutritionem ineptus, dum circulando ad mesentericas arterias pervenit, naturæ molestus, ab eadem irritata per eadem vasa, indeque per hæmorrhoi-

dalia ad sedem detruditur, quibus vasis repletis sequitur pondus, quod perinæo quoque communicatur; imo quandoque monet Gal. quod lumborum & stomachi dolores antecedere solent, sicque hæmorrhoidalis sequitur ipsius sanguinis per sedem excretio, quæ tunc toto genere præter naturam non est, quotiescunque tempestive fiat: tempestive autem fit, quando id quod contristat excernitur. Cum autem in casu nostro probus quoque sanguis copiosus post improbi evacuationem excernatur, t. g. p. n. evadit hujusmodi evacuatio, eoque magis, cum niger non appareat, tunc enim Malancholicis magnopere prodesse solet, dum natura atrum humorem sanguini permistum ad vasa sedis excernit, ut ad crura varices: at sanguis profluens talis non est, & copia peccat, robur, idcirco viscerum naturalium totiusque vires prosternit. Quoniam vero ab eodem jecoris & hypochondriorum fervore ventriculi quoque concoctio labefactatur, dum fermentatio ciborum, quæ est via & præparatio ad chylificationem absolvendam, à nimio illo calore probe perfici nequit, hinc fit ut frequenter cruditates inde sobolescant, quæ antiquis & exiccatis obstructionibus in mesenterio existentibus superadditæ atque commistæ, eo loci stagnantes plures molestos & perniciosos effectus pariunt: primo namque ab eodem calorem in halitus crassos & exhalationes magna ex parte conversæ, sinistri lateris cruciosos pariunt dolores; dum vero aut per porositates, aut per vasa ad musculorum intercostalium interstitia sese insinuant, distentione ac morsu illarum partium continuum solvunt, & dolores excitant, quo eodem tempore & febriculæ, & crudæ urinæ copiosæ excretiones observantur, dum earundem cruditatum portio relicta, partim in eodem ignobili loco fermentatur atque putrescit, & febriculas accendit, partim à fervore liquatur atque funditur, & per copiosas urinas ejicitur, quæ omnia tunc exacerbari videntur, quando animi passiones motusque vehementes præcesserint, cum perpetuo verum sit quod non solum corporis, sed multo magis animi motus sit causa caloris; ut propterea mirum non sit quod molestiarum tempore circa præcordia de æstu & insigni fervore conqueratur Reverendiss. Abbas.

Cui ut opem medicam feramus, vitium sanguinis potissimum, deinde & vasorum sedalium est corrigendum; jecoris & hypochondriorum calida intemperies est emendanda; antiquæ terreæ & melancholicæ obstructiones sunt alterandæ & imminuendæ, & ante jam dicta omnia, ventriculus & primæ viæ à recentioribus cruditatibus sunt vindicandæ, adeo ut quod primum fuit in intentione, postremen evadat in executione.

Et quamvis fons malorum, nempe hychondriaca affectio antiqua & confirmata sit, salus tamen desperanda non est, cum hucusque nonnisi ad primos gradus Melancholiæ pervenerit, & ideo nonnisi perexiguam melancholici sanguinis portionem circa viscere naturalia stagnantem supponamus; præterquamquod superabundans sanguinis evacuatio, si non ex toto supprimenda, saltem magna ex parte cohibenda est, alioquin calore nativo progressu temporis valde imminuto, Cachexia succedere posset: hanc enim per hæmorrhoidas evacuationem tantopere formidavit ipse Gal. ut nulli ex consuetudine convenire existimaverit, ac propterea dixerit non esse assuefaciendum hominem evacuationi per hæmorrhoidas, quoniam uterque excessus periculosus evadit, sive sanguinis nimium effluat, sive nihil.

Quamprimum igitur Reverendiss. succurrendum; nec obstat anni tempus calidum, siquidem post prima administrata remedia, hoc tempore nondum existente, reliqua, utpote alterantia & refrigerantia, fervidissimo quoque exequi poterunt. Expientur itaque primæ viæ potione ex manna clarificata. Quinque deinde sequentibus diebus cruditates in iisdem viis commorantes præparandæ erunt Julapio acet. ad ℥. iij. corticibus citri alterato, addita uncia aq. flor. citri, ut dilutior, & suavior evadat. Mox repetatur potio ex manna clarif. ad ℥. vi. cui duabus aut tribus transactis horis, superbibat seri capr. depur. ℔. j. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. inde ad antiquas obstructiones imminuendas devenendum, quæ quoniam jam exiccatæ sunt, ideo humectantibus & moderatis incidentibus egent; in hunc igitur finem succi depur. aptissimi erunt.

Ut ♃. Succi depur. & per aren. trajecti cich. borag. endiu. an. ℥. j. salis tartari fixi gr. x. decoct. in jure pullæ paratæ folior. malvar. viol. sonchi ℥. v. m. pro syr. & sic pro aliis. Et si fortasse decoctio à ventriculo non toleretur, cum aliquam concoctionem, & consequenter moram requirat, succi jam dicti diluantur cyatho aq. stillat. borag. & malvarum: citius enim è ventriculo ad mesaraicas pervenient. Sequenti vero die præbeantur summo mane flor. cass. ℥. iij. additis gr. x. salis tart. & post horam superbibat cyathum seri capr. aut asin. depur tribus vero horis ab assumpto sero prandeat. Tertio vere die rursus succos depur. assumat, ut supra, & ita perseveret alternatim, succos & cassiam assumendo, ad xx. vel xxv. dies Rhabarbari autem usum omitto, tum propter hypochondriorum fervorem, tum vero maxime propter sanguinis fluorem, quod alioquin cassiæ commistum ad obstructiones reserandas aptissimum foret. Interim secunda succorum die Jecoraria dextra erit aprienda, & sanguis moderate, prout Excellentissimo Assistenti visum fuerit, erit educendus, quotidie toto Purgationis tempore unguento rof. Mes. totum abdomen illiniendum.

Terminato succorum & cassiæ usu, serum capr. aut asin. depur. ad ℔. iv vel v. ter saltem tertio quoque die erit propinandum, præmisso vehiculo syr. rof. solutivi: idque eo fine, ut hypochondriorum partes humectentur, viæque laxentur, & apertæ reddantur ad aquæ nocer. transitum expediendum, siquidem calorem, & inde siccitatem primarum viarum interceptionis aquæ thermalis alias tentatæ, causam fuisse censeo. Nocerianas autem dixi propinandas esse, quoniam cum minerales non sint, nec adeo exiccantes, facilius permeare & pervadere poterunt;

terunt; & si earum aliqua protio forte detineretur, nocere non posset, ut nocent thermales, quæ nunquam, teste Hippocr. à natura nostra actuantur & superantur. Ut autem facilior eisdem reddatur transitus, tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio sunt exhibendæ; reliquis vero diebus cum vehiculo diuretico, quale tutius esse poterit spiritus tart. ter rectif. ad semidrachmam in primis tribus cyathis, cui addatur quoque syr. de succo limonum, ut potus quoque suavior evadat.

Tandem lactis asin. xx. diebus, totidemque capr. usus de more mane assumendi opportunissimus erit; quod tempore pro balneo aquæ dulcis, aut insessione administranda opportuno existente convenire poterit; sin minus, in annum venturum, dum reliqua quoque omnia repetenda erunt, differri poterit, ut ex toto obstructiones extirpentur, jecoris feruida intemperies emendetur, & sanguinis vitium omnino corrigatur, sicque à natura toleretur, imo in vasis ad usum detineatur. Sed quoniam vasorum quoque sedalium vitium, sive laxitatem nonnihil concurrere dixi, ideo opportune aliqua iisdem roboratio est afferenda, spongiola aqua rosacea cum albumine ovi madefacta, qua pulvis astringens tangatur, & post fæcum depositionem atque consuetam abstersionem podici iterum atque iterum apponatur, ut pulvis ipse adhæreat, & iteratis vicibus vasa ipsa roborentur; pulvis autem erit constrictivus magistralis consuetus, eidem gypsi vulgaris portione addita.

Jam dictis vero omnibus congruam victus rationem addere debet, & calidiora alimenta præsertim evitare, prout salita omnia, condimenta aromatum, allii, cæparum, usum aceti & vina generosa, memor quod suimetipsius status insigni humectatione & moderata refrigeratione indiget; & ideo familiaris sit & quotidianus usus juris tenuis herba aliqua refrigerante alterati, in prima mensa hauriendi; herba autem poterit esse æstivo tempore oxalis, acetosa vulgo dicta, cæteris vero temporibus intybus, endivia vocata. Somnus diuturniori semper conveniet. Exercitium vero moderatum esse debet, & nonnisi jejuno ventriculo. Consueta alvi evacuatio, nisi sufficiens fuerit, adjuvanda, prima mensa assumendo flor. cass. ℥. ij. aut iii. quam disponere quoque poterit jus prima mensa, ut supra, quotidie sumptum. Tandem animi motus vehementes, qualescunque sint, avertendi, sed præsertim molestæ perturbationes, quæ si casu occurrant, non sunt fovendæ, sed forti animo repellendæ. Quæ omnia Reverendissimo Abbati à Deo opt. max. salutaria precor. *Raym. Joh. Fortis Consilio & respons. Medicin. Tom. 2. Cent. 3.*

Fluxus hæmorrhoidalis num supprimendus?

Illustrissimus Co. annorum quadraginta, temperamenti à primordiis usque ætatis calidi & sicci, feruidioris & sanguis, & hepatis, habitus potius gracilis, varia semper passus est excedentis caloris incommoda & symptomata, nam decimo quinto anno, dum Romæ degeret, repentino dolore sub planta pedis sinistri in media parte, metatarsi elevatione, correptus est, postquam fere momento secuta est elevatio cuticulæ, cutisque ipsius ad instar vesicæ nigrescentis violaceique coloris; qua ferro adaperta, magna effluxit corruptorum humorum illuvies, quæ semper & per partem præscriptam perseveravit non solum, sed & per externum talum ejusdem pedis & cruris per duos circiter menses, cum vasorum insuper per totum crus percurrentium extensione & inflatione, cum evidenti & manifesto periculo omnimodæ mortificationis totius cruris, adeo ut proposita fuerit non semel ipsius cruris recisio; attamen adjuvante valida virtute, unaque fervente juventa, & remediorum usu, post quartum circiter mensem convaluit, remanente solum in cicatrice obducta, restricta parte, aliqua motus difficultate. Cumque jam prospera frueretur valetudine, circa annum vigesimum incidit in naris sinistræ frequentem hæmorrhagiam, quæ etiam perseveravit ad trigesimum usque annum, cum qua in vigesimo octavo, tempore Autumnali, dum in paludosis locis versaretur, febri tertiana duplici correptus est, qua licet curata ex Arte, non tamen convaluit, sed in duplicem conversa est quartanam, cum qua cicatrix jam obducta, & tanto temporis intervallo in affecto talo confirmata, iterum sponte adaperta est, emanante ex ipsa pellucido, ad instar crystalli, acri mordacique liquore, qui & febrem per sex menses toto cursu comitatus est non solum, sed prosecutus. Post per aliquod tempus ex quo integre liber evasit, & abolita, ut dictum est trigesimo suæ ætatis anno descripta naris hæmorrhagia, cœpit trigesimo sexto, nullo ante præcedente vel sensibili dolore, vel quavis alia offensa ac molestia in exoneranda alvo statim in principio sanguinem, & rubicundum quidem & satis consistentem, affatim & cursim, modo per binos, interdum per plures veluti rivulos effundere, dum scil. in primo impulsu redduntur fæces alvinæ; quo tempore aliquo delapsu intestini, protuberant foras cum ipso intestino oscilla vasorum, cessatque statim ipsa fluxio ut plurimum per se post primam initiatam expressionem, vixque in continuanda exoneratione fæcum stilla aliqua educitur. Cogitur tamen Patiens Illustriss. partem intestini aliquo pacto foras expressam auxilio quodam intromittere, & illico finitur effluxio. Semper itaque in principio exonerationis sarcinæ præcurrit sanguis, emungitur in progressu, ex toto cessat in fine; hoc tamen modo prosecuta est talis sanguinis effusio solum toto tempore æstivo, nec contingebat, accidebatque hyemali tempore, etiamsi violentioribus motibus immoderatoque exercitu, ut pote Venationibus, summe indulgeret vir illustrissimus. Verum proxime præterita hyeme non dissimiliter ab æstate, passus est fluxionem ipsam sanguineam; unde visus est sensibiliter detrimentum recepisse, & quoad vires ipsas, & quoad corporis totius nutritionem: cum vitiato colore, non naturali & solito, videatur infici totum corpus. Jure itaque majora extimescens pericula, medica exposcit auxilia;

Hæret,

Hæmorrhoidalis affectus apprime à Præstantissimo Viro in relatione delineat, fluxum sanguinis præter naturam, quia copia peccat, necnon earumdem hæmorrhoidum excedentem, incommodam atque molestam molem cum intestini descensu sub se continet. Et primo fluxus sanguinis quod sit t. g. p. n. non est dubitandum, quoniam non solum quod contristat, excernitur, ut considerabat Gal. sed quod excernitur, contristat, cum universo corpori congruum & necessarium nutrimentum detrahat, vires prosternat, & viscerum naturalium calorem debilitet, adeo ut cum postremo præterito hoc anno, non solum æstate, ut antea, sed præter consuetudinem etiam hyeme perseverare inceperit, cum evidenti totius corporis detrimento, summa cum ratione inde deducendum sit, Comitem Illustrissimum imposterum semper in pejus lapsurum, & progressu ad atrophiam & Tabem, vel ad Cachexiam & Hydropem deventurum, nisi ope medica succurratur: eoque facilius, cum hæmorrhoides, tumentes, laxa ac ponderosæ factæ fuerint. Verum quoniam ad sanguinis suppressionem & ad hæmorrhoidum exiccationem devenire non licet, nisi maturo judicio considerata & ablata causa, ne mala succedant, ab Hippocr. prænunciata, nempe quod A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, nisi una servetur aperta, periculum sit Hydropis, aut Tabis; idcirco radices altissimas plantam hujusmodi habuisse & conservare, prudentissime innuit in relatione Sapientissimus Vir; cacochymum etenim sanguinem, & biliosis serositatibus refertum fuisse etiam in tenella ætate manifestum indicium præbuit abscessus in pede, diu perdurans cum copioso & pravo humorum affluxu, Gangrænam minante: quo ablato, paucis post annis narium hæmorrhagia successit, annis decem per intervalla perseverans, ut causa, bona, ut signum vero mala, dum sanguinis pravitatem quæ à natura tolerari non poterat, nobis significabat; sed cum calor in sanguine ultro processerit, & ad exustionem pervenerit, ideo febrem duplicem tertianam primo excitavit, quæ in duplicem quartanam spuriam, ut pote ab exustione productam, degeneravit; cujus exustionis signum præbuit serum acidum, & ut aqua pellucidum, quod ad pedem jam primis annis affectum pervenit, & cicatricem tunc temporis obductam & confirmatam, propria acrimonia & aciditate rursus reserare valuit, quod eo usque ab eadem cicatrice effluere & emanare perseravit, quousque Quartana ipsa perduravit. At quoniam hujus cacochymi sanguinis radices nunquam extirpatæ fuerunt, hinc factum est quod natura tandem pro totius massæ sanguineæ depuratione, ad venas hæmorrhoidales aperiendas conversa fuerit, per quas sanguinem adustum ac fæculentum, utpote à vasis alvinariæ regionis defluentem deponere & extraducere solet; quæ quidem naturæ intentio optima est, at effectus sæpe malus, cum temporis progressu viis lubricis, & venarum osculis laxatis, imo quandoque callosis redditis, post exitum pravi sanguinis, probus quoque sequatur, ut modo contigit Viro Illustr. quem ætatis ratione, jecoris & cordis calore adaucto & intensiori reddito, acriori quoque & adustiori sanguine scatere necesse est, & idcirco magis stimulata & irritata natura non solum æstate, sed hyeme quoque, & quovis anni tempore sanguinem pravum ad illam partem detrudere non cessat.

Quid igitur in hoc ancipiti casu nobis agendum? dum Comitem Illustriss. inter Scyllam & Charybdim vitam ducere videmus; uterque enim excessus, dicebat Gal. Hippocratem secutus, periculosus est, sive sanguis nimis, sive nihil effluat. Ex una parte habemus Hippocratem asserentem, unam hæmorrhoidam esse apertam servandam: insuper nos monet, quod sanguifluis venis laborantibus medela intempestive adhibita, multa mala producat: Ex altera habemus experientiam, quæ multoties demonstravit nobis, sanguinis ab una tantum hæmorrhoida aperta provenire profluvium. Præterea difficultatem quoque non exiguam expertus sum in occludendis aliquarum venarum orificiis, ita ut unum tantum apertum servaretur, & sæpe in vanum laboratum est, Ægris interim ad exitium tendentibus. Quare ego in casu præsenti, omnino supprimendam esse hujusmodi hæmorrhoidalem evacuationem, si possibile fuerit, censeo, ut quæ ex consuetudine corporibus non debeatur, & quæ tandem Virum Illustriss. in perniciem ducere possit; & idcirco in hujusdi statu consulit idem Hipp. Ferramentis candentibus urendas esse, donec resiccatæ fuerint: urere enim oportet, subdit, & nullam hæmorrhoidam sine ustione sinere, sed omnes exurere. Et ratio quæ movit Hippocratem ad sibimetipsi contradicendum, fuit, quod superflua & abundans sanguinis effluxio certe Patientes interimit, suppressa vero ex toto, hydropis, aut tabis periculum inducit; quod periculum ut præcaveatur & evitetur, docet modum ipse Gal. in illo com. dicens, Medela importune adhibetur, quotiescunque neque vena per circuitus aperiatur, nec purgationibus & exercitiis utantur, aut una aperta non relinquatur; quæ eadem præservatio accuratissime & summa cum prudentia præscripta fuit etiam ab Aetio, Medicos illos irridente, qui sanguinis profluvium ab hæmorrhoidibus salubre asseverabant, usque ad Patientum interitum.

Dixi tamen superius, ex toto supprimendas esse, si possibile fuerit, quoniam difficilis sæpe & operosa semper evadit hujus intentionis executio, siquidem quod primum est in intentione, ultimum debet esse in executione; prius enim primæ viæ sunt expiandæ, Secundo Massa sanguinea ab impuritatibus vindicanda. Tertio sanguis ab hæmorrhoidibus revellendus. Quarto Jecoris intemperies calida corrigenda, Quinto ipsius sanguinis, acris & acida qualitas edulcoranda; atq; tandem vasa hæmorrhoidalia occludenda & roboranda, nimiaque moles exiccanda.

Quibus intentionibus ut satisfiat, bis saltem sanguis à superioribus venis parce educendus, & duobus Lenientibus congruisque Præparantibus primis viis expurgatis, ad usum succorum refrigerantium sanguinemque depu-

depurantium erit deveniendum, nimirum cich. borag. acetosæ, & in fine etiam plantag. in decoct. cichorac. additis foliis plantag. violarum, portulacæ & hepaticæ. Quinto vero aut sexto quoque die elective purgans medicamentum erit exhibendum, ex infusione rhabarb. senæ, & myrobalan. cum syr. rosato; aut ex Cassia cum electuario lenit. de succo rosarum, & granis magist. Mechoac. paratum; quibus serum aut aquam Nocerianam copiosam superbibat. inde de aquis thermalibus acidulis cogitandum; inter quas vitriolatæ, aut aluminosæ hic principem locum habect: Chalcanthum enim in sanguine sistendo prætogativam obtinet, & ideo in Valle Solis nascentes optimæ forent. Sed si itineris incommodum evitare cupiat, aut domestica negotia non permittant, substitui poterunt aluminosæ Brandulenses, quæ à fonte delatæ vim & facultatem propriam conservant. Aquis autem assumptis, succedat lactis primo asinini, mox etiam caprini usus ad quintam intentionem explendam. Et interim postremæ in tentioni incumbendum, astringentibus, roborantibus, & molem resiccantibus. Igitur post fæces exoneratas, præsto sit albumen ovi quo spongiola imbuta illiniantur, hæmorrhoides, & præsertim orificia vasorum, deinde statim pulvere astringente aspergantur, ita parando, nempe ex pulvere magistrali constrictivo, addito quoque pulvere gypsi, idque quotidie repetendum; eodemque tempore reliqua hæmorrhoidum massa alia spongiosa madefacienda, imbuta aqua, ita parandi.

♃. Vitrioli Rom. calcinati ℥. ii. aq. rosar. plantag. an. ℔ j ß. m. infund. per xxiv. horas, deinde fiat colatura, quæ servetur ad usum suprascriptum.

Jam dictis vera omnibus congrua & cauta erit addenda vivendi ratio, quam super omnia commendat cum Gal & ipse Aetius; hæc autem à Præstantissimo viro Adstanti erit præscribenda, simulque bis saltem in anno, Phlebotomia præcipienda, & cætera jam dicta ab eodemmet corrigenda. *Idem ibidem.*

Hæmorrhoidalis moles cum Vlcere.

Consultationes I.

Illustrissimus atque Reverendissimus Antistes quadragesimum octavum annum agens, temperamenti totius ad calidum & siccum vergentis, feruidi jecoris atque cordis, habitus gracilioris & fusci coloris, arduis semper negotiis implicitus, & longis itineribus deditus, multis abhinc annis hypochondriacus fuit, eodemque tempore usque in præsentem diem hæmorrhoidalibus affectionibus obnoxius, quæ prioribus annis adolescentiæ dolores eidem Illustriss. inferebant, quia cæcæ tunc temporis erant hæmorrhoides ipsæ, sicut iisdem adapertis itinerum occasione, dolores infestare cessarunt, semper tamen paulatim earum moles tantum augmentum suscepit, ut modo acini uvæ figuram repræsentent, & quatuor abhinc annis censuetæ fæcalis evacuationis occasione, omnes extra mittantur, nec adeo facile mox intromiti possint; quæ interim præterito tempore quandoque etiam sanguinem effuderunt. Verum postquam mense Augusti proxime præterito duplici Tertiana fuit correptus, jam tumefactis hæmorrhoidibus dolor accessit, qui exacerbatur semper post fæcum depositionem, & plures horas, quandoque integrum diem perseverat; qui dolor utpote acutissimus, Virum Illustriss. Patavium ad me impulit, qui, facta loci diligenti inspectione, primo vidi hæmorrhoidas ad prædictam molem perductas, sed lividas & fere nigras, nempe atro sanguine repletas, sicut niger et crassus ex vena antea missus observatus quoque fuerat. Prærerea in superiori parte versus coccygem, corrosionem, ulcus præseferentem & alias inferius leviores excoriationes observavi.

Quod ab ineunte ætate Præsul iste Illustriss. melancholicam dispositionem nactus fuerit, mirum non est: cum à nativitate cor ipsum feruidum, & jecur præcalidum sortitus fuerit, nec mirum pariter quod hujusmodi dispositio majus in dies augmentum susceperit, & ab immodicis exercitiis atque itineribus peractis, & à perpetuis animi applicationibus, quæ omnia viscerum dolorem intendere, sicque sanguinem exustum reddere potuerunt.

Quoniam vero pròvida natura totius massam sanguineam depurare totis viribus conata fuit, hinc factum est ut nigri & adusti sanguinis portionem ad vasa hæmorrhoidalia deposuerit, quibus repletis, hæmorrhoidales dolores distensivos immature excitaverit, qui erumpente sanguine, quodammodo cessarunt. Verum quoniam Curatio, nimirum totius massæ sanguineæ depuratio, feruidæ viscerum intemperiei correctio, & vasorum hæmorrhoidalium roboratio neglecta fuere, idcirco invalverunt semper quotidie magis & causæ morbificæ, & pravi effectus, quandoquidem & sanguis niger, atque crassus, in vasis mesentericis stabulans, Melancholiam hypochondriacam firmavit, & ab eodem conspurcata massa sanguinea vitiatam reddidit totius nutritionem, naturaque stimulata, ejusdem atri sanguinis portionem ad hæmorrhoidas perpetuo, non solum per intervalla sanguinis excretiones tentare coacta fuit, verum superioribus postremis annis tanto cum impetu atque copia fuit sanguis effusus ut deficiente nutritione, fere ad Atrophiam vir Illustriss. ductus fuerit, qui tamen utpote robustam naturam alioquin sortitus, suppresso sanguine, pristinum habitum recuperavit, se per interim hæmorrhoidum malo quotidie magis augescente

Tandem postquam mense Augusti proxime præterito biliosa febre correptus fuit, ab ipso febrili calore visceribus ipsis una cum sanguine super excalefactis, irritata natura ejusdem acriorem & magis acidam portionem per modum crisis ad hæmorrhoidas deposuit, quæ sua activitate vasa ipsa erodere valuit, & ulcusculum in superiori parte versus coccygem, aliasque leves excoriationes extrinsecus excitare: unde dolores atroces procedunt, qui exacerbantur à fæcum depositione, dum à fæcibus ipsis compri[illegible]

vasa, & exprimitur ichorosa, acris & acida materia, quæ labia ulceris attingens, dolores infert, & ad cæteras hæmorrhoidas extrinsecus expansa, alias, sed leviores, excoriationes inducit.

Est quidem gravissima hæc hæmorrhoidalis affectio, non solum ratione causæ conjunctæ, verum etiam ratione antecedentium: naturales enim sunt viscerum intemperies, tota massa sanguinea atro sanguine infecta, & moles hæmorrhoidalis insignis & pravo colore affecta, quæ omnia ulcus jam contractum & excoriationes fovere valent, imo necessario fovent. Quare Curatione eradicativa opus habet, quam anni tempus non permittit, & ideo ad Ver venturum est differenda. Interim urgent dolores, qui attrahendi novos humores vim obtinent, & præterea vigilias inducendo, corpus extenuandi: ut propterea Hippocrat. Vigilias veraces appellarit; & quod magis ac pejus est, si moles hujusmodi hæmorrhoidalis adhuc à doloribus augeatur, calor naturalis partis, adeo a fronte remotæ, non adeo facile humores ipsos, multos & pravos regere & custodire poterit; ideo usque ad illud tempus diligenti cura & prudenti custodia opus est, ut dolores quidem leniantur, sed calor nativus partis conservetur, & exiccantibus pars ipsa à putredine & corruptione custodiatur.

Pro leniendis doloribus, materia illa ichorosa quæ à fæcum compressione foras exprimitur omnium primo detersionem expostulat, ut citius & facilius & ulcus, & erosiones demulceri possint; id autem procuretur spongiola madefacta vino tepido dulci, in quo capita papaveris ebullierint; vel aqua hordeacea, in qua pariter papaveris capita & rosæ ebullierint, addita mellis ros. simpl. portione. Illiniri quoque poterit unguento populeo, additis gut. ol. Jusquiami; quod si præsto non fuerit, reformetur unguentum cum ol. nenupharino. Sed in usum quotidianum ducatur balsamus Saturni, ut qui refrigerandi (exiccandi, roborandi & uniendi quoque, imo & demulcendi facultates obtineat. At nullo modo erit omittendus ignis usus, admovendo prope partem laminam ferream omnino ignitam, adeo ut pars ipsa citra dolorem atque molestiam excalefiat & exiccetur. Duæ igitur parentur laminæ ferreæ, ut altera admoveri, altera interim igniri & repeti possit.

Quibus jam dictis congrua erit addenda victus ratio, humectans atque refrigerans, alimentorum boni succi, facilis coctionis & distributionis, ut facilius proximo verno tempore mesenterii obstructiones reserari, massa sanguinea purificari, intemperies viscerum corrigi, & tandem moles hæmorrhoidalis, aut valde imminui, aut ex toto deleri possit. Interim tamen non erit inutilis usus emulsionis ex amygdalis & seminibus melonum, frequenter, vel summo mane, vel prima mensa assumendæ, ut humorum prava qualitas quodammodo emendetur, eorum nimirum acrimonia & aciditas edulcoretur, sicque minus acute hæmorrhoidas ipsas feriant. *Idem ibidem.*

Ab Hæmorrhoidibus Præservatio.

Consultationes II.

Quamvis Melancholiam hypochondriacam tot annis confirmatam & consummatam superare velle vanum videatur, eoque magis, cum tota massa sanguinea eodem humore melancholico sit infecta, adeo ut & hypochondria cum toto, & totum cum hypochondriis communicationem habeant, sibique invicem materiam suppeditent; nihilominus hanc & illam non parum diminui posse pro certo habeo, ita ut facultas expultrix ab atro sanguine minus molestata, minus quoque imposterum ad hæmorrhoidas expellat atque deponat, sicque Illustr. Vir non parum ab hæmorrhoidali affectu saltem levari, si non omnino vindicari possit; præterquam quod ab aliis quoque plurimis Melancholiæ hypochondriacæ symptomatibus multo minus divexabitur.

In hunc igitur finem primæ viæ à crudis humoribus sunt mundandæ. Secundo Mesenterij obstructiones aperiendæ. Tertio Massa sanguinea purificanda. Quarto Jecoris & hypochondriorum fervor contemperandus; atque tandem hæmorrhoidum cura est habenda.

Pro prima intentione, primum Leniens erit potio ex syr. ros. solut. rec. & ex manna clarif. vel flos cassiæ cum lenitivo. Primum præparans erit hujusmodi.

♃. Julap. acet. ℥. iij. aq. florum citri ℥. j. m. pro syr. & sic pro aliis quinque. Quibus succedat hujusmodi Leniens.

♃. Syr. ros. solut. de polypod. an. ℥. iij. aq. florum citri parum, m. f. p. vel præbeatur elect. lenit. cum tartaro, quibus superbibat jus hordei.

Pro secunda intentione, medicamenta aperientia debent esse humectantia, non exiccantia, non calorifica; siquidem & cruditates jam exiccatæ, & sanguis ipse à calore crassior est factus; & in horum usu diutius persistendum: multo enim difficilius est humectare siccum, quam exiccare humidum; quare succi herbarum depur. humectantes & aperientes sunt in usum ducendi ita.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, cich borag. pom. dulc. an. ℥. j. decoct. in jure pullæ paratæ malvarum, violarum, lupulorum, sonchi ℥. v. m. pro syrupo. Sequenti vero die assumat summo mane flor. cass. ʒ. ij. & post horam superbibat jus pullæ foliis malvarum, borag. & sonchi alteratum, tribus vero horis ab assumpto jure prandeat. Tertia vero die repetat succos, ut supra, & quarta florem cassiæ cum jure, sicque alternatim perseveret ad decimum quintum usque diem. Quo tempore assumat potionem hujusmodi.

♃. Rhabarb. opt. ʒ. j. fol. senæ mundat. ℥. iij. cinnam. integri. ʒ. j. aq. cich. q. f. m. f. inf. per hor. xii. deinde f. fortis expressio, & expressioni adde syrup. ros. solut. ℥. v. m. f. potio, cui, tribus transactis horis, superbibat seri capr.. depur. aut aq. Nocer. ℔. ij. duabus vero horis ab assumpto sero prandeat. Die autem sequenti repetat usum succorum aperientium ita.

♃. Succi

℞. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. borag. agrim. an. ℥. j. sal. tart. fixi gr. x. decoct. in jure pullæ factæ, malvæ, lupulorum, asparag. capill. Ven. ℥. v. m. pro syr. & sic per integra hebdomada. Interim hoc tempore jecoraria dextera erit aperienda, & sanguis modice educendus. Transacta autem hebdomada, succedat talis expurgatio.

℞. Flor. cass. rec. extr, elect. lenit. an. ℥. ß. Extracti rhab. ʒ. ß. m. f. boli, vel repetatur infusum supra descriptum, quibus pariter superbibat serum aut aquam. inde repetat eorumdem succorum usum integra altera hebdomada, & tandem quoque idem medicamentum purgans, modo descripto; & toto jam dicto tempore illiniatur quotidie totum abdomen unguento rosf. maluino.

Pro tertia intentione explenda, rursus aliorum succorum usus erit opportunus ita

℞. Succi depur. fumariæ, borag. pomorum dulc. an. ℥. j. salis tart. volat. g. x. decoct. in jure pullæ cich. endiu. agrim. fumariæ, lupulorum ℥. v. m. pro syr. & sic pro aliis quindecim; in quorum intermedio assumat hujusmodi medicamentum.

℞. flor cass. rec. extr. ℥. v. elect. de succo rosf. ʒ. i. extracti senæ, polypod. an. ʒ. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. depur. aut aquæ Nocer. ℔. ii. quod idem medicamentum repetatur in fine. interim primis diebus dictorum succorum aperiatur vena magis apparens brachii sinistri, & sanguis parce, prout Excell. Adstanti videbitur, educatur.

Quartæ intentioni satisfaciendum aquis stillatitiis potius, quam thermalibus, tum quia exiccantes esse solent, tum quia ab illarum copia facile calor nativus obrui posset; quare sat fuerit,

℞. Aquæ stillat. de succo cich. ℥. x. julap. viol. rosf. an. ℥. j. m. pro potu matutino quindecim diebus summo mane assumendo; cui præmitti quoque poterit Conservæ rosarum cochlear unum. Post hæc nullo vero modo omittendus est usus lactis asinini, ut quod & obstructionum reliquias valde exiccatas humectare & superare possit, & præterea jecur refrigerare, totamque massam sanguineam edulcorare valeat; in cujus usu quadraginta saltem diebus insistendum,

Tandem hæmorrhoidum cura est habenda, quæ, præsente dolore, Anodyna requirunt, jam à me in altera Consultatione satis proposita: absente autem dolore, exigunt exiccantia, non tamen adeo valida ut nimis astringendo & corrugando dolores suscitare possint; sat sit igitur, quod dum fæces deposuerit, abluantur hæmorrhoides vino nigro tepido, in quo ebullierint folia verbasci, rosf. rub. myrti & plantaginis; valebit enim earumdem molem imminuere citra serositatum suppressionem.

Hisque jam dictis omnibus congrua victus ratio, intentionibus medicis atque medicamentis jam propositis proportionata, necessario addenda erit, ab excellentissimo viro adstanti singillatim præscribenda, ut ad multo meliorem statum redigatur vir Illustrissimus atque Reverendissimus, quem eidem optimum à Deo ex corde precor. *Idem ibidem.*

Hæmorrhoides tumentes, & magnopere dolentes.

Nobilissima Mulier annum agens quadragesimum quintum, temperamenti subsanguinei biliosi, habitus potius gracilis, anno decimo septimo suæ ætatis Viro nupta, statim concipit, & in partu tuberculum quoddam circa venas sedales externas contraxit, non tamen valde molestum; sed, succedentibus annis quibus pluries enixa, decem & novem edidit partus, tuberculum jam dictum non modo majus atque molestum sibi redditum observavit, verum & plura alia proxima enata fuisse, cum intensis doloribus percepit; quorum occasione intumuerunt hæmorrhoides, tum externæ, tum internæ, vehementes dolores inferentes, neque sanguinem fundentes. Convenerunt Medici pro sedandis doloribus, & hæmorrhoidibus ipsis extirpandis & desiccandis, non tantum localibus medicamentis, sed humores divertendo, repetitis sanguinis ex superioribus partibus eductionibus; quandoque massam sanguineam à biliosis humoribus vindicando medicamentis electis ve educentibus; quandoque acrimoniam eorundem demulcendo, refrigerantibus & Anodynis, aquis nimirum, herbarum decoctionibus & diuturno lactis asinini usu, verum omnia incassum administrata; perdurant enim tumores, perseverant dolores, & præsertim in exitu fæcum, sive compressione, si duriores fuerint, sive acrimonia & morsu, si liquidiores. Quare pro tanto malo inveterato, si non ex toto auferendo, saltem paulatim imminuendo, medicum auxilium implorat.

Matronam Nob. quoniam in tenella ætate concepit & peperit, non sine valido nixu partum edidisse credendum, cujus occasione portio feruidioris sanguinis ad partes sedales transmissa tuberculum primum excitavit: quod forsan neglectum, in sequentibus partibus magis intumuit, & alios humores ad sedem evocavit, concurrentibus quoque in edendis fœtibus conatibus atque laboribus: unde alia quoque tubercula emerserunt, cum venarum sedalium intumescentia cæcas hæmorrhoidas constituente. Et quia calor & dolor sunt duæ potissimæ causæ attrahentes, Mulier vero nobiliss. cum ob proprium temperamentum, & forsan etiam non adeo caute vivens, feruido, bilioso, & tandem etiam crasso & adusto sanguine abundet, idcirco facilis fuit ejusdem sanguinis attractio & ad venas sedales transmissio, qui exitum quærens, & non inveniens, in iisdem vasis diutius stagnans, crassus adeo jam factus fuerit, & ad motum ineptus, ut Arte quoque adapertis vasis, prodire non potuerit, sed intus manens, sui copia vasa distendens, & acri, & acida qualitate mordicans, perennes dolores conservat: qui majores & minores redduntur, prout magis, vel minus mordicat humorem confluxus, & quotidiana fæcalium instrumentorum depositio; magnopere autem foveri & augeri solet ejusmodi fluxio in illis Mulieribus, quibus Menstrua immatura suppressa aut imminuta fuerint; de quibus in relatione nulla fit mentio.

Ab hoc malo adeo confirmato nob. Mulie-

rem liberari posse, non solum difficile, sed impossibile arbitror, præsertim in hac ætate in qua Menstrua deficere solent, & natura sæpe redundantem sanguinem pravum ad venas hæmorrhoidales deponit. Augetur difficultas quoque, spesque imminuitur, quoniam ex relatione generosiora & propria administrata fuisse remedia percipio. Nihilominus auxilium nunquam ægris est denegandum; & idcirco nonnulla agenda, à me alias non inutiliter experta, infrascripto ordine executioni mandanda præscribam. ut scil. primæ viæ ab excrementis liberentur. Secundo Humorum acrimonia demulceatur. Tertio Jecoris & sanguinis calor contemperetur. Quarto Dolores remittantur; atque tandem, si possibile fuerit, ut tumentes hæmorrhoides resiccentur.

Pro prima igitur intentione, primum Leniens erit syr. ros. & violat. solut. vel flos cassiæ, quibus superbibat jus copiosum hordeo vel malva alteratum. Præparans erit Julap. acet. syrupo de pomis temperatum, & transacta hebdomada, Leniens suprascriptum erit repetendum, cui superbibat serum caprinum aut asin. depurat. ad libras.

Pro secunda intentione, alterans hujusmodi erit in usum ducendum.

℞. Succi depur. malu. ℥. ii. pom. dulc. ℥. j. decoct. in jure pullæ paratæ endiu sonchi. viol. plantag. passularum, jujub. ℥. iv. m. pro syrupo, & sic pro aliis; & quarto quoque die hora una ante dictum syrupum assumat flor. cass. ℥. iij. & tribus horis ab assumpto syrupo prandeat; in hujus usu insistat xv. diebus. Mox vesperi hora 1. ante cœnam assumat semiunciam floris cassiæ; sequenti vero summo mane bibat lac asininum ad heminas, nimirum ad ℔. iij. quinque horis ante prandium, & hoc idem ter repetat tertio quoque die, vesperi Cassiam assumendo, & summo sequenti mane lac bibendo.

Inde pro tertia intentione explenda, lac arte factum erit ita parandum.

℞. Semin. melon. mundat. unc. j. semin. cucurb. angur. mundat an. unc. ß. juris pullæ unc. vii. m. extrahatur emulsio, cui adde syr. de pom. vel de violis ℥. j. m. pro potu quotidiano quatuor aut quinque horis ante prandium assumendo; in cujus usu integro mense persistat: sed tertio aut quarto quoque die sub cœnam devoret florem cass. ad ʒ. ii. vel iii. & interim hisce iisdem diebus aperiri poterit Jecoraria dextera, educendo sanguinem in ea quantitate quam Medico assistenti indicabit major, vel minor crassities, & nigredo ipsius exeuntis sanguinis.

Pro quarta intentione, plura in usum duci solent anodyna & Narcotica remedia, quoniam quæ uni prosunt, sæpe in altero nihil præstant; & propterea uni tantum remedio fidendum non est, sed mutanda, & experientia etiam consulenda. Ego igitur sæpissime utilissimum expertus sum sequens linimentum, quod & dolores demulcere, & hæmorrhoidas deficcare valet.

℞. Unguenti albi Pauli ℥. j. Popul. ℥. ij. ol. nenuph. ℥. ß. viol. ʒ. ii. opii. Thebaici, camphoræ an. ℈. iv. Lithargyri pulver. ʒ. j. m. & in mortario plumbeo diu agitando reformetur unguentum. Unguentum autem Pauli ita paratur.

℞. Ceræ dealb. ℥. j. ol. ros. compl. ℥. iii. Litharg. Cerussæ an. ʒ. v. ol. amygd. dulc. ℥. ß. albumin. ovorum n. j. m. S. A. f. unguentum. efficacissima quoque & præsentanea est talis inunctio.

℞. Ol. nenuph. ℥. ii. ol. Hyoscyami ex seminib. alb. expressi unc. ß. m. pro illinitione hæmorrhoidum; cujus portio, diligenti adhibita industria, poterit etiam ad hæmorrhoidas internas injici Quæ omnia erunt quoque in usum ducenda toto tempore curationis jam præscriptæ.

Postremæ intentione non adeo facile satisfieri poterit præsentibus cruciatibus ipsis: sed tempore minoris afflictionis. Paretur itaque vinum exiccans hunc in modum.

℞. Baccarum cupressi, baccar. Myrti an. manip j. radic. plantag. aquaticæ, radic consolidæ an. unc. i. aluminis crudi, camphoræ an. unc. ß contundantur contund. incidantur incid. & adde vini albi generosi, non dulcis ℔. iij. m. bull. ad consumpt. tertiæ ipsius vini, & colatura servatur ad usum, apponendo hæmorrhoidibus ipsis spongiolam eadem decoctione. imbutam. mirabilis quoque est aqua ita paranda.

℞. Vitrioli Rom. calcinati unc. ij. infusionis rosar. solutivæ, aquæ plantag. an. ℔. j. ß. m. infundantur per horas xxiv. deinde fiat colatura, & servetur ad usum, eodem modo, ut supra; applicanda; qua tamen utendum non est, nisi sedatis doloribus, & absente ab hæmorrhoidibus inflammatione.

Jam dictis omnibus congrua erit addenda victus ratio, præscriptis intentionibus proportionata; cavendo ab acribus, acidis, salitis; ab aromatibus; à vinis generosis; à motibus violentis & corporis, & animi. Provocetur quotidiana alvi excretio, & fæces humidiores serventur usu frequenti floris cass. ad ʒ. ij. vel iij. sub prandium vel cœnam: necnon potu consueto juris malva alterati. Quæ, sicut cætera omnia, à Viris excellentiss. adstantibus melius suggeri poterunt, ut nobil. ista Mulier minus molestam, imo & alacrem vitam imposterum ducere possit. *Idem ibidem.*

Hæmorrhoidalis sanguinis fluxus cum Dyspepsia in Hypochondriaco.

Quales fuerint prægressi Morborum labores, quibus anno elapso Excell. summus Venetæ classis Proconsul conquestus fuit, jam tuæ expositum est Sapientiæ, Rei Medicæ Præstantissime Pater, iisdem fere insultibus proximo Autumno rursus Amplissimus cœpit conflictari Senator, à venulis nimirum sedis hæmorrhagia sed longe minori: in abdomine doloribus, cum liquidorum dejectione aliquantisper crebra, vigiliis, ingenti cibi fastidio, siti molesta; quibus omnibus conjuncta non tam levis fuit virium labes.

Flatus copiosi, rugitus molesti, cibi fastidium, sitis, vigiliæ, sunt omnia symptomata hypochondriacum affectum concomitantia, qui à venarum sedalium hæmorrhagia confirmatur, dum à clausuris adaucto jecoris & hypochondriorum

driorum calore, etiam à nativitate fervidiori existente, in cruditates exiccatas agente, exhalationes inde elevantur, ventriculum infestantes, hypochondria distentes, caput exiccantes, & spiritus animales agitantes, unde vigiliæ, inflationes, dolores emergunt: & excalefacto quoque sanguine, utpote naturæ quodammodo molesto, ad vasa hæmorrhoidalia detruso, hæmorrhagia quoque sequuta est. Verum jam dictis omnibus associari deberet alvi stypticitas, cum tamen præter ordinem & supra necessitatem lubrica nimis observetur; quæ mihi suspicionem præbet non solius Bradypepsiæ, nempe imminutæ concoctionis ab imbecillitate privativa, sed etiam Dyspepsiæ, alicujus nimirum portionis alimenti corruptionis ab excedente caliditate corruptiva. Quæ omnia ab intensis & continuatis applicationibus, tanquam à causa externa, originem primo, mox recidivam habere potuerunt; ut propterea non sine ratione existimaverit Plato morbos omnes in nobis ab animo provenire posse, dum ab applicationibus distrahuntur spiritus à ventriculo, unde cruditates & obstructiones, & magis magisque incalescunt viscera naturalia, calidæque intemperies augentur, quibus duobus cruribus innititur & incedit hypochondriaca affectio, cæterorum aliorum quoque symptomatum fons atque soboles.

Hujus autem affectionis & causarum cognitio apud Virum Excellentiss. Assistentem multo majora & pejora mala præcavere potuit; Væ namque Illustriss. & Excellentiss. Classis imperatori Patienti, si ignorata idea & causis hujus affectus, perperam curatus fuisset. Id autem spem mihi præbet salutis recuperandæ, cum præmissis legitimis intentionibus, præter administrata, administranda quoque ab eodem medica proponantur congrua auxilia, ut obstructiones reserari, calida intemperies remitti, sicque venæ sedales etiam sponte occludi possint.

Quæ ut assequamur, expiatis primis viis levi Leniente, magnopere arridet mihi cassiæ usus ad ℥. ij. addito scrupulo rhabari, cui post horam superbibat Excellentia Sua cyathum seri capr. aut asinini destillati, tribus vero horis ab epoto sero prandeat. Sequenti vero die succos depur. assumat cich. endiu. & pom. dulc. ad unc. iii per arenam trajectos, in decoct. cichoraceorum, additis lupulis. Tertia vero die reassumat cassiam cum rhabarbaro, & quarta succos, ita alternatim perseverando ad decimum quintum usque diem absque ullo alio purgante medicamento, præsertim aloetico, cum orificia venarum aperiendi vim habeant. Quibus transactis diebus, si venarum sedalium hæmorrhagia importuna esset, de aliqua parca missione sanguinis è venis superioribus cogitandum esset, tum ad revulsionem, tum ad caloris remissionem. Inde ad usum copiosi seri depurati, cum vehiculo syr. rof. solutivi, & decoct. pulpæ tamarindorum deveniri poterit, quatuor aut quinque vicibus, alternis diebus propinandi; vel ad copiosum lactis asinini usum, ad heminas more Hippocratico, quod non solum refrigerandi & humectandi, verum & solvendi facultatem obtinebit, ut postea, valde iminuta dosi, præmissa hujusmodi refrigeratione & humectatione, ad novem vel decem uncias in usum duci possit, ad hoc, ut non solum nutrire, verum & sanguinis acrimoniam & aciditatem moderare atque edulcorare valeat. Verum perseverante ab hæmorrhoïdibus sanguinis eruptione & alvi superflua humectatione, ante lactis alimentalis usum acidulæ aquæ ferreæ propinari poterunt, primis duobus aut tribus diebus cum vehiculo dejectorio syr. rof. solutivi & decoctione pulpæ tamarindorum, reliquis vero cum diuretico spiritus vitrioli in primis cyathis; eligendæ autem sunt Villenses, quæ à fonte sine ullo præjudicio devehuntur; quod si hæ præsto non essent, substituantur Nocerianæ, quæ cum terram samiam pro fundamento habeant, præter refrigerationem astrictionem quandam & corroborationem in se continent, eoque magis cum vehiculo spiritus vitrioli; suapte namque natura sanguinem sistit. Mox, absoluto aquarum potu, lactis usus omnino instituendus erit, addito aquæ dulcis Balneo, refrigerantibus herbis alteratæ. Et dum jam dicta omnia fiunt, abdomen totum unguento rof. Mes. erit quotidie illiniendum.

Quibus addenda est congrua, non solum victus, sed vivendi ratio, à Viro Excellentiss. Adstanti præscribenda, cujus prudentiæ etiam cætera omnia rite & recte administranda committo; illud unum addendo, quod in ista Regione & laboriosa Administratione venturo Autumno Excellentia Sua nullo modo immorari debeat: evidens enim ego prævideo ejusdem vitæ discrimen, cum hæc gravia mala atque symptomata Autumni tempore recidivare soleant. *Idem ibidem.*

Hæmorrhoidum Dolor.

Iuvenis triginta quatuor annorum, temperamento melancholicus, poculis largioribus sæpe indulgens; jam à longo tempore, magno dolore, calore, & tumore, per intervalla recurrente, circa anum laborat. Interdum sanguinem ex podice emittit, qui dolorem illum magnopere levat. Potissimum autem, ubi alvum dejicit, durioremque illam habet, dolor ipsum torquet.

Afficitur in hoc ægro podex, sive inferior intestini recti pars; & præcipue secundum vasa hæmorrhoidalia ibi existentia: quod ex dolore & tumore ibi conspicuo, est manifestum.

Morbus, quo hic æger laborat, est tumor ani, cum intemperie acri & calida conjunctus; qui ingentem dolorem in eo per intervalla, & præcipue dum alvus durior deponitur, excitans, Hæmorrhoidum dolor, sive Hæmorrhoidum suppressio appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est potus intemperantia, qua, adjuvante melancholico ægri nostri temperamento, crassi fæculenti & acres humores in corpore ejus sunt geniti; qui antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum per poros arteriarum & venarum hæmorrhoidalium, ob certam suarum insensibilium particularum adaptationem, in partes podici vicinas propulsa, ibiq; hærens, sua quantitate & acrimonia tumoris ac doloris, & ca-

liditate caloris ani est causa continens.

Affligit autem hic affectus per intervalla: quod materia nova, non perpetuo, sed certis intervallis in corpore satis copiose gignatur & aptitudinem talem acquirat, ut in partes ano vicinas propelli satis copiose possit, ea autem materia, quæ in podicem jam ante fuit propulsa, paulatim dissipetur: atque ita inducias hic affectus facit. Dolor autem podicis ab excrementis alvi duris intenditur, quod dura illa excrementa dum excernuntur, tumentem podicem quam maxime distendant & premant. ab excretione sanguinis ex podice levatur dolor, quod, ea imminuat doloris & tumoris causam continentem.

Metus est, ne hic dolor ingentem faciat tumorem, qui in ani fistulam degenerare, & sanguinis totius corporis corruptelam ac hydropem inducere possit.

Curatio itaque est tempestive aggredienda; quæ in pravorum humorum eductione & correctione, atque in tumoris & doloris ablatione consistet.

Primo itaque, præmisso clystere emolliente, educetur sanguis ex brachio dextro ad ℥viij.

Diende utatur hoc apozemate;

♃. Fol lactucæ, buglossæ, malvæ an M. j. Liquiritiæ rasæ, passular. mundat. an. ℥ß. Flor. borrag. bugloss. violar. an. p. ij.

Coquantur in aq. comm. ad lib. j. In colatura dissolvue cassiæ recent. extractæ, syr. violacei an, ℥j. Misce, F. Apozema, de quo sumat ℥iij. bis in die.

Dum his utitur, adhibeatur podici hoc linimentum:

♃. Cineris combusti suberis ℥j. Vitellum ovi no. j. olei rosacei q. s. F. Linimentum.

Summopere etiam hic commendatur hoc linimentum:

♃. Herb. linariæ cum floribus M. ij. decoquantur ad mollitiem, iisque, contusis & cum adipe porcino q. s. coctis, addatur vitellus ovi, ac fiat Linimentum, quod cum gossypio podici dolenti adhibeatur.

Ad doloris levamen hirudines etiam podici adhiberi possunt, iisque sanguis ad ℥iij. vel iv. educi.

Ad curationem & præservationem summopere hic conducit aquæ, in qua, dum fervet, millefolium est infusum sive maceratum, usus, per mensem continuatus;

Item sacculus, ex radicibus chelidonii minoris, cum gossypio in linteo contusis. confectus, & circa os sacrum perpetuo gestatus;

Item tubercula, vel globuli, carduis silvestribus adnascentes, qui vermiculum continent, si in marsupio gestentur, magnopere hic commendari solent.

Diæta hic sit tenuis, ad humidum declinans, & alvum laxans. cum cibis itaque sumantur borrago, blitum, spinachia, malva, passulæ. Aromata & acria vitentur. Potus sit tenuis cerevisia, & vinum oligophorum. Alvus si durior fuerit, ea clystere, ex jure pingui vel ex decocto emolliente, emolliatur. *Henricus Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib. 4.*

Consultationes.

Pro Hæmorrhoidum dolore.

Nobilis quædam Matrona in puerperio doloribus hæmorrhoidum fere semper valde affici solebat, quæ cum multis frustra tentatis remediis, à dolore minime libarari posset, tandem consultum fuit, ut suberem lignum combureret, & cinerem ejusdem cum vitello ovi, & oleo rosaceo linimenti instar simul commisceret, quo remedio ut nobis retulit, dolores hæmorrhoidum miraculo quodam semper sedabat. ego autem in hæmorrhoidibus in quibus cruciat dolor, commode sæpe oleo ovorum solo usus sum, aliquando vitellum ovi cum rosaceo aut viol oleo subegi: atque iis tantum utebat. *Tetrius Forestus. observat. 5. lib. 25. De Ani affectibus.*

Tria adhuc remedia mihi valde familiaria & probata hæmorrhoidum dolori mitigando destinata proponenda duxi, oleum ex vitell. ovor. rec. extractum, oleum balsaminæ. & unguentum populeonis cum opii modico ac ovorum vitello: quibus digito exceptis anus liniatur. *Io Zecchius consult 37.*

Pro hoc malo tollendo balsamum sulphuris ad ℥ß exhibeo: quo calido hæmorrhoidas sæpe maxime post excretionem perunxit, actutum ab acerbissimo & odioso isto dolore liber sanusque factus est nam valet hoc balsamum certo in hoc vitio, nec unquam fallit, ut experimenta innumera docuerunt. *Martinus Rulandus. curat. 87. cent 1.*

♃. Unguenti popul ℥j. opii. torrefact. pulu. ℈j. M. applicetur parti. Ad sedandos dolores secretum est oleum sem. lini; item medulla cruris vituli. Unum tamen præ cæteris tanquam secretum propono, & experientia comprobatum est & est balsamum sulphuris, in quo pessulæ intingantur, & applicetur tepide loco affecto, fit balsamum sulphuris ex floribus illius cum terebinthinæ spiritu. in eandem intentionem oleum buxi non minorem efficaciam haben in hunc modum,

♃. Ol. sem. lini ℥ß. ol. buxi ℈j. M. illinantur eo hæmorrhoides.

Si balsamum sulphuris non reperiatur, misceantur flores sulph. cum terebinth. multoties in aqua rosac. lota, & loco balsam sulph. imponatur, habent enim hæc vim dissolvendi. & aperiendi hæmorrhoides cæcas ut effundant sanguinem, quod præcipue procurari solet in hoc affectu in quem usum etiam aliquando applicantur hirudines: aperit quoque hæmorrhoides lac ficulneum, si contricentur folia ad invicem & apponantur. *Rodericus à Fonseca tomo 1. consult 27.*

Hic non celabo quod à Castrensi quodam pastore edoctus sæpissime expertus sum. quis hæmorrhoidum cæcarum insano dolore torqueatur minimum quid Scrophulariæ, vel radicis, vel foliorum, cum cibo aut potu capiendo, statim dolore liberatur, sive ipsam plantæ substantiam siccam aut viridem, sive decoctum ejus adsumat *Henricus ab Heers. obs. 10.*

Refert Otho Heurnius radolphum Secundum imperatorem cum immani hæmorrhoidum dolore

lore cruciaretur, vapore Casei Hollandici Edamensis prunis impositi ab empirico quodam curatum. in Notis ad cap. 11. lib. 6. Patholog. Jo. Fernelii.

Cum aliis multis & selectis medicamentis non juvabatur, ad balanum ex sero hircino cum opio confectum confugimus, quo dolor evanuit, nec postea rediit, *Amatus Lusitanus curat. 61. cent. 2.*

Post multa & varia à medicis tentata præsidia, hoc remedio à nobis præsentato usus fuit, & brevi illo infestissimo dolore liber evasit. Habuit autem hoc topicum sic.

♃. Arantium pomum, id cultro excava, in quo oleum rosac. & lavendulæ semina infunde, & ad cineres calidos admove, & calidum applica & sæpe innova, est enim mirum *Amatus Lusitanus. curat. 6. cent. 3.*

Protinus herbæ linariæ cum floribus M j. aut ij. conquisivi: quibus contusis, & cum adipe porcina coctis linimentum fieri curavi: cui expresso & parumper refrigerato vitellum ovi permiscui, quo postea cum gossipio vel parti dolenti applicetur; quod hujusmodi dolores ad miraculum usque confestim sistit, hoc tanti fecit bene meritus & celebris in Hassia Medicus Dio. Wolfius ut (quemadmodum ex ore ipsius habeo) tanquam secretum aliquod illustrissimo suo Principi Ludovico seniori Hassiæ Lantgravio toties rogatus, non revelare vellet priusquam ipsi annuatim bovem saginatum promitteret, qua promissione facta, non tantum herbam linariam ei monstravit, sed etiam addendo versiculum consuetum, differentiam hujus ab esula patefecit: nimirum quod esula lactescat. sine lacte Linaria crescat. alter per jocum versiculum invertit hoc modo.

Esula nil nobis, sed dat Linaria Taurum. Gregorius Horstius. obs. 50. lib 4.

Religiosus quidam mense Augusti correptus est dolore hæmorrhoidum acerbissimo cum tumore insigni, atque inflammatione. Vocatus ad eum, venæ sectionem præscribo ex brachio sinistro, præmisso clystere, postea fotum anodynum cum cataplasmate de micapanis, quod ferre non poterat propter exquisitissimum partis sensum. Secundo die iteratur phlebotomia ex brachio dextro, sumpsit julepos emollientes, & aliquantulum laxantes, ut alvus liquida servaretur, siquidem fæces induratæ doloremadmodum exacerbare solent, julepi erant hujusmodi.

♃. Fol. lactuc bugloss. & summitat. malu. an. M. j. liquirit, ras. & passul. mundat. an. ℥ß. fl. bugloss. borrag. viol. an. p. j. coquantur ad. ℥viii in colatura infunde cassiæ rec. extract. ℥j. colentur iterum & clarificentur addendo syr viol. ℥j. capiat bis in die.

Parti vero sequens unguentum admotum est.

♃. Ol. rosac & viol. an. ℥j. ungenti popul. ℥ß. F. Linimentum.

Cum autem tumor & dolor perseverarent, admotæ sunt duæ hirudines hæmorrhoidibus extractusque sanguis ad ℥iiij. & tensio atque inflammatio aliquantulum remissa est. Postea suffumigium sequens præscriptum est.

♃. Sempervivi maj. M. j. vini alb. ℔ij. bulliant, hujus decocti fumum recipiat in cathedra perforata. Deinde sequens unguentum parti admoveatur.

♃. Unguenti rosac. ℥j. mercur. crudi ʒij. M. fiat unguentum: quamvis Mercurius eximiam vim habeat emolliendi, & tumorem discutiendi, durities tamen in parte permanebat, ideo ad molliendum, ac discutiendum tumorem, duo remedia præscripta; primum fuit suffumigium aceti in quo silices igniti extinguebantur, quo scirrhosos tumores emolliri Gal. docuit. Alterum fuit sequens liniment. post suffitum admovendum,

♃. Ol. amygd. amar ℥ij bdell. & styrac. liquid an. ʒij. M. F. linimentum.

His dolor & tumor singulis diebus multum imminuebatur, cui rei etiam multum contulit decoctum millefolii, quod per biduum sumpsit pro potu ordinario cum pauco vino.

Quia vero alvus continuo adstricta erat, ad eam laxandam, & simul causam antecedentem per epicrasin auferendam pilulæ præscriptæ sunt sequentes.

♃. Mass pilul. de bdellio ʒii. sen mundat. rhei el. & agar. rec. trochisc an. ʒj. cum syrup. rosat. solut. F. massa pilull. de qua capiat ʒj. Singulis diebus mane, donec massa assumpta fuerit: & hisce per aliquot dies continuatis omnino convaluit. Suffitus ex aceto ad tumorem discutiendum mire profuit. *Lazarus Riverius. obs. 7. cent. 3.*

Vir quidem sexagenarius dolore hæmorhoidum molesto conflictabatur, cum tumore & inflammatione partis, qui multis remediis non cessaret. Præscripsi fotum ex aq. rosar. in cujus ℥vi. sal. Saturni ʒj. dissolvebatur: qui fotus pluries in die iterabatur. Postmodum cataplasma admotum est ex cepa alba sub cineribus cocta, & cum butyro subacta partibus æqualibus: intra biduum inflammatio sedata est, & tumor magna ex parte resolutus. *Lazarius. observ. 58. cent. 4.*

Ego à muliere stipem emendicante didici infundere millefolium in aqua fervente, & bibere infusionem illam per mensem integrum, aut diutius, & omnes tali affectu laborantes sanati sunt. Tandem hoc ipsum remedium reperimus apud Arnoldum De Villa Nova. cap. de Hæmorrhoidum doloribus. id ipsum remedium ad fluxum illarum immoderatum valde confert, si prædicto Arnoldo credendum, & ratio etiam suadet. *Petrus Pachequus. obs. 5.*

Succus vermicularis (sedum minus intelligo) linteolis sæpius madefectis applicatus bene facit: mitius est, si cum hoc succo unguentum populeum misceatur, appliceturque ita dolorem sedat & pruritum tollit.

Elegans est remedium si crassulæ majores (cotyledonis speciem arbitror) radix turgentibus primo vere foliis contundatur in pila teraturque cum oleo rosac. seponaturque in loco subterraneo aliquandium, tum coquatur in duplici vase ad lentorem, isque illinatur & apponatur. Scrophulariæ etiam radicem verno tempore tundo, & cum recenti butyro subactam, sepone aliquot septimanas, tectam in subterraneo loco, deinde coquo & reservo ut unguentum istis doloribus aptum. Soleo etiam æstate, flores verbasci recentes legere & indere in ampullam vitream, eamq; seclusam exponere Soli, ita paucis diebus solvuntur in liquorem: hic illitus calide dolentibus hæmorrhoidibus, item

fluentibus, mirifice utilis est; quod comperi ipso usu probatissimum. Si vero sine insigni calore aut acrimonia pressæ aut tensæ doleant, tum non utile est refrigerantia adhibere: ea enim difflatum impediunt, & impactum sanguinem magis compingunt: sed tum prodest laxantia discutientiaque admovere, quæ si præter istas facultates, etiam habeant quod dolorem sopiant, profutura sunt magis. Hic convenit semi. upium in aqua mediocriter calida, quæ incoxit rad. & fol. althææ, malvæ, rad. scrophular. fl. aneth. meliloti, chamæmeli, & sem. lini: inde abstersus locus dolens illinatur oleo momordicæ quod efficacissimum est vel oleo ex floribus arboris persicæ, quo ego sum in isto casu usus magna cum laude. si desunt, commodissimum erit oleum ex fl. sambuci. sic medius cortex Sambuci oleo simplici, vel lini, vel nucum incoctus efficit oleum ad illisionem in tumore & dolore hæmorrhoidum salutare. Si memini *Alexius Pedemontanus, id idem quoque annotavit.*

Ego accepi lardum vetus rasum, cum cera recenti aut propoli, ubi habere potuit, & pauco oleo lini, addidi corticem Sambuci interiorem tusum, inde simul cocta, & colata in aquam frigidam, assumpsi ad ungendum dolentes hæmorrhoides, non inutile, ubi efficacius defuit: paratu etiam facile est & commodum, cepa alba cocta vel porrum, & butyro subacta, vel vitellus ovi cum rosac. utilia etiam sunt, quibus si tantillum croci addatur, efficaciora fiunt medicamenta.

Facit aliquando doloris acerbitas, ut stupefacientia adhibere sit necessarium, sic opium aliquando admiscemus linimentis: tamen id agendum, ne podex narcoticis refrigeratus non præstet officium. Avicenna Philonium quod Tarsense describit, applicat. Ego sæpenumero recentibus theriaca vel mithridatio admotis & dolorem compescui, & siccata discussaque influxa materia tumorem sustuli. Sunt præterea alia medicamenta quæ & nimium fluentibus, & quia astrictæ sunt, dolentibus utilia sunt. Ego adhuc adolescens, vidi Tarquinium Schnellenbergium Medicum Empiricum omne vitium hæmorrhoidum curantem chelidonio minore, is secrete integram herbam siccatam in manipulos collectam cerevisiæ macerabat, eamque propinabat, & aquam ejus destillatam adhibebat lotione & fotu exterius per eminenta. Postea illa herba ego multis modis ad hunc effectum fœliciter sum usus: succus frequenter illitus juvat, quam aqua; herba etiam tusa apposita medetur; flores quidam, alii herbam commiscent, ovi vitello coquunt, & in placentula mane edunt: huic herbæ ego ad hæmorhoidum vitium mirabilem efficaciam tribuo.

Novi Chirurgum apud nos, qui in hæmorrhoidum dolore, tumore, & fluxu, crassulam maj. nec non scrophulariam herbas integras cum rad. utriusque part. æq. puta M j. concisas macerat cerevisia, eamque offert mane & vesperi bibendam: his si chelidonii minoris tantumdem adderetur, potio redderetur efficacior: in harum enim trium herbarum radicibus, characterismum affectus huius evidenter natura impressit.

Adscribam medicamenta duo, oleum & unguentum, quibus ego usus sum antehac, & utor fœliciter, utrumque implicitæ rationis, in altero tamen scientiæ evidentia major. Conficitur oleum ex bruchis stercorariis autumno hoc modo, quod oleum scarabæorum vulgari nomine voco.

♃. Ol. lini ℔j. bruchos stercorarios vivos, bene pastos, numero 56. eos ordine comprimo conteroque inter duos politos lapides, atque contritos, injectosque in oleum coquo lento igne in vase terreo tecto, ad tertiæ partis olei aut medietatis consumptionem: inde colatum oleum asservo, in eoque tutiæ optime lævigata, aut pompholigos aliquid dissolvo, quo inungo hæmorrhoides si in conspectum veniunt, sin intus in ano latent, jubeo guttatim per ansermam pennam instillari, dolores sedat, & hæmorrhoides mirum in modum persanat.

Unguentum ad eundem affectum hoc modo conficio.

♃. Ol. viol. ℥ii. asellor. in subterraneis & humidis locis degentium ℥j. (si mediocres sunt 100. aselli ut plurimum ℥j. pendent) illos inde oleo, atque in vase terreo leviter coquo, tum addo ceræ albæ rec. ℥ß deinde colo, & exprimo in aquam frigidam, atque subactum bene, refrigeratumque recondo in usus. Si latent, linamentum in formam glandis involutum isto oblitum suppono, atque splenium eodem inductum superaddo. Si exterius prominent, unguentum in splenio superdare satis est. Desiccat hoc idem, discutitque magis. Si una aut altera radix serpentariæ vel ari decorticati & tusi oleo simul incoquatur: his ego magno ægrorum commodo uti soleo, quæ omnia lubens tibi communicare volui *Reinerus Solenander. consil. 20. sect. 4.*

Ad hujus affectus curationem, primo sanguis detrahendus est ex venis brachii, ut fiat revulsio à parte affecta: qua sufficienter celebrata, derivationis gratia vena malleoli etiam aperienda est.

Interdum ad humoris acrimoniam demulcendam, emulsiones quatuor semin. frigid. exhiberi poterunt.

Inter topica Quercetanus valde commendat oleum nucum expressum, in quo bullierint millepedes in oleo communi, eoque dulci, possunt etiam aselli decoqui, & dolorem mirabiliter sedant. vel,

♃. Mucilag. sem. psyll. ℥ii. ol. viol. ℥iij. F. linimentum. vel,

♃. Mucilag. sem. psyll. & fænugræc. cum vino extract. an. ʒii. butyr. rec. ℥ii. sevi hædini ℥j. agitentur simul in mortario plumbeo. F. linimentum: vel butyrum solum in mortario plumbeo ductum ad Solem donec nigrescat, est egregium remedium. Pomata etiam recens parti admota est valde anodyna.

Cataplasma etiam ex medulla panis albi in lacte decocti, addendo oleum rosac. & vitellos ovorum commode usurpatur.

Portulaca contusa & admota dolorem sedat, tumorem imminuit, ulcera consolidat, & excrescentias carneas absumit.

Cepa alba sub cineribus cocta, & cum butyro rec. subacta instar Cataplasmatis, dolorem sedat, & tumorem discutit,

Fotus admoventur eidem parti, ad dolorem sedandum, ex decocto tapsi barbati, malu. bismalu. parietar. sem. lini. fænugræc. althææ, fl. chamæm & anethi in lacte parato: vel in hydrælæo,

vel jusculo intestinorum vervecis: insessus ex eodem decocto, aucta quantitate simplicium, parari potest: aqua frigida pro fotu utilissima.

Ad tumorem discutiendum convenit. fotus ex alumine in vino rubro decocto. Aquapendens admovet spongiam ex aqua calcis expressam, & supra partem alligat.

Ad hæmorrhoides absumendas & exsiccandas convenit suffumigium ex pulveribus lolii, tapsi barbati, scrophulariæ, super prunas conjectis: at efficacius fiet suffumigium, si sulphur simul uratur: imo vero ex sulphure solo suffumigium paratur, & per tubulum exceptum hæmorrhoides cæcas, & latentes potenter exsiccat: mirum in modum confert injectio sequens frequenter usurpata.

℞. Succi plantag. ol. viol. an. ℥iij. balsami naturalis ℥ß. M. F. injectio in anum.

In communi usu est pulmo hædinus ex animal adhuc calens parti appositus.

In iis qui huic affectui valde obnoxii sunt causticum tibiæ utilissime admovetur. *Lazar. Riverius prax med. lib. 10. cap. 11.*

Succus ceparum cum aloe mistus & panno asperiore fricando applicatus aperit hæmorrhoides. *Jo Hartmannus. Practic. chimiatr.*

Habet sudor morientium mirificas vires mortificandi hæmorrhoides & excrescentias. *Jo. Helmontius. tract. cui tit. Latex humor neglectus.*

Ad cæcas hæmorrhoides, quibus affligebatur avus meus, hoc pulv. experimento suo utebatur.

℞. Antimonii pulver. ʒij. hemodactyl. ℥ß. bol. arm. ʒj. M. F. pulvis: applicetur cum cottone quoties egeritur. *Achilles Gasserus. obs. 42.*

Obstetrix Gallica lib. 3. pag. 24. medetur dolori hæmorrhoidum etiam gravidis & parturientibus molesto, hoc unguento:

℞. Milleped. q. s. contund. & probe misc. cum pulpa pomorum acidorum cocta, & applica cum linteo bis in die mane & vesperi. *Wolfgangus Hæforus lib. 3. Hercul. med. cap. 5.*

Pro Horrhoidibus nimium fluentibus.

Si profluvium grave est, internam venam in brachio secare poterit, quod id remedium expeditum est, & efficax. Si profluvium diu duravit, viresq; attrivit, ne spirituum fiat subita eductio, partiri sectionem in vices decet, ita & viribus minus incommodi inferetur, & revulsio fiet iteratis retractionibus evidentior: sin nec ita impediatur profluvium cucurbitulæ sine vel cum scarificatione affigendæ; affixæ hypochondriis potissimum sinistro, profluvium egregie retinent, illud præcipue quod ex portæ venæ ramo derivatur; & scapulis primum, deinde lumbis admotæ efficaciter fluxum retinent, qui ex cavæ venæ propaginibus derivatur: exhibeatur demum potio purgans ex iis, quæ fæculentum, crassumque, item biliosum humorem & ichorem melancholicum ducunt, & membra interim ab obstructione vindicata corroborant: inter alia author sum ut rhabarb. usum sibi familiarem faciat. Si profluvium diutius protrahi incipiat ex floribus verbasci & ovo placentulas confectas quotidie edat: & vesperi cum decumbendum est, suffitum ano excipiat è sella perforata à concisi verbasci foliis molari ignito lapidi injectis, excitatum: tum plantaginem & verbascum simul tusas ano admoveat, vel calendula tusa succo pororum incocta imponatur, quod est singulare: hoc modo sæpe firmantur nullo efficaciori adhibito. Si gravior urgeat sanguinis profusio, utatur istis pilulis, quibus in hoc affectu efficaciter soleo.

℞. Pilul. è bdellio ʒi. troch. è terr. sigill. troch. è carabe, an. ℈j. cum mucilagine sem. cotoneor. ex aq. ros. extract. F. massa, & ex qualibet ʒ. pilulæ ix. ex his diglutiendæ iij. mane ante prandium, & vesperi ante cœnam totidem: non est quod quem terreat in harum pilul. exhibitione Rondeletii censura, Vulgare nostrum bdellium myrrham esse arbitrantis: nam hic fidem facere possum, me in usu istorum ut sunt præscriptæ, atque cum usitato bdellio compositæ, effectum quem promittunt tam evidentem deprænendisse, ut de compositione dubitare vix queam; nisi quis putet ab adjectis siccantibus & adstringentibus hoc qualecunque quod recipiunt myrrhæ obtusum superatumque esse. Exhibui in hoc casu aliquando troch. è carabe solos cum decocto sumach. Cum alias profluvium fuit instantius, & humor eo delatus calorem induxit: applicui ad anum quod sequitur.

℞. Succ. plantag. ℥iiß. aq. ros. ʒvi pulv. sumat part. iiß. fl. verbasc. rosmarin. siccat. an. part. j. redige S A. in emplastar. si postulat necessitas, licebit sanguinem drac. bolum armen. malicorium & id genus alia addere. Ista enim foris adhibita minus nocent, licet intus frigidiora omnia sunt suspecta: atque omnia ista utilia sunt, undicumque sanguis profluat; quod si constet ex cavæ venæ propaginibus prodire, jam licebit inferiorem lumborum & dorsi partem unguento comitissæ vel simili astringente & refrigerante illinire.

Memini me in M. S. antiquo libro legisse quod tria semina genistæ quotidie mane sumpta, & hæmorrhoidum & sanguinis è naribus profluvium sistant, cui licet nulla manifesta ratio subsit, nisi quis putet, ideo hoc fieri quod ad urinæ vias avertant, indicare tamen id tibi volui, quod experimentum sit facile & sine ullo periculo. Novi qui sanarunt quos nimium profluvium fere confecerat, ut hydropis periculum adesse videretur, exhibita herbæ chelidonii aqua destillata, sed quia acris est admodum, libentius utor herba ista cerevisia vel etiam vino macerata. Reinerus Solenander, consil. 20. sect. 4.

Pulvis bufonis combusti vel ranæ terrestris positus supra hæmorrhoides, dicitur eas stringere à proprietate. *Petrus Forestus. schol. observ. 6. lib. 23. De Sedis & Ani vitiis.*

Cuidam mediæ ætatis nimia præcipitatione fundebatur hemorrhoides cum Medici & Chimici cuncta tentassent nec successissent, jussi ut una intacta reliquæ tangerentur colcothare; ita appellant crassamentum illud à vitrioli olei destillatione relictum; ilico constitit, vivit; præstitisset tamen sensim aliquaque die id actum fuisse. *Jo. Heurnius ad aph. 11. sect. 6.*

A proprietate quadam valet cingulum ex foliis recentibus hellebori nigri conquassatis, nudo corpori circumdatum: hoc fœliciter usus sum; præstat idem in immoderatis fluxibus mensium, & sanguinis arteriosi post partum gravissimum sæpe magno conamine profluentis. Laudatur etiam hic essentia croci Martis. *Jo. Hart-*

mannus. pract. chimiatr.

Cum sæpenumero permultos dies, imo etiam menses gravi hæmorrhoidum fluore opprimor, adeo ut vires vacuationis hujus copia dejiciat, & pro sanguine nigro ac crasso, ruber jam fluat, hunc fluxum sisto adaptando crebro alternos sacculos calidos ex rubro panno & contusis glandibus, vel quercinis foliis in forti aceto multum decoctis factos, quibus ocyus fluor consistit *Martinus Rulandus. cent. 1. curat. 7.*

Pinguedo anguillæ quæ dum torretur exudat unguentis addita proprietate quadam agens, ipsa efficaciora reddit.

Fungus qui crepitus lupi nominatur, siccatus levissimus & subtilissimus in podicem insertus, admodum fluorem sistit: uti & telæ aranearum, & leporis pili subtilissimi.

Sanguis humanus, vel aliorum animalium fervidus adhuc injectus, mirabiliter sanguinem ex alvo profluentem cohibet. Pulmo etiam arietis modo exemptus, tepens adhuc & cruentus podici subjectus, magnam in sanguine sistendo habet efficaciam: oleo vitrioli venam tangere efficax est remedium, vel in extremo periculo aqua forti appellata: cauterium actuale extremum erit remedium: uti & si vena volsella apprehensa, atque elevata, & filo sericeo vel seta cum acu subducto ea vinciri possit.

Hæmorrhoidum, ut & mensium, & post partum sanguinis immoderatum fluxum, proprietate quadam occulta sistunt folia hellebori nigri recentia conquassata, & cum fascia corpori, ut nudum corpus tangant, cinguli instar circumligata, reiteranda toties quoties priora siccata fuerint. *Felix Platerus, prax. tom. 3. pag. 646.*

Consiliarius quidam immodico hæmorrhoidum fluxu laborabat à quinque vel sex diebus, quo sanguinis ℥viij. vel. x. singulis diebus profundebat: post venæ sectionem, julepos refrigerantes & incrassantes, aliaque remedia interna & externa frustra exhibita cum res urgeret, & æger admodum debilitaretur, præscripsi succum urticæ levi ebullitione depuratum ad ℥ii. cum pauco fluxus omnino cohibitus est Lazarus Riverius. observ. 81. cent. 4.

Purgatio blanda humores biliosos sanguini impetum conciliantes ad intestina derivat; eaque fieri debet expurgantibus adstringendi vi præditis, ut rhabaro, myrobalanis, & tamarindis. Docet Mercurialis tamarindos præcipue, ad compescendum hujusmodi sanguinem fluentem, miram quandam potestatem habere, tam decoctos, quam in substantia usurpatos.

Inter topica fotus ex verbasci decocto in aqua ferrata vel vino astringente parato convenientissimus est: hæc siquidem planta hæmorrhoidum fluori & dolori appropriata est: in usu fomenti diligenter observandum, ut frigide vel saltem tepide admoveatur: magis composita decoctio in hunc modum præ scribipotest.

℞. Rad. bistort. ℔ß. fol. plantag. verbasc. summitat. rubi & quercus, an. M. iiß. granor. sumach. balaust. gal. virid. & malicorii, an. Mi. myrtill. ℥ß. rosar. rubr. p. ij. alumin. ℥i. coquantur in tribus partibus aquæ ferratæ, & una vini rubri austeri pro fotu: ex hoc decocto, aucta dosi simplicium, potest fieri insessus, quo utatur æger subfrigide.

Unguentum comitissæ ad fluxum cohibendum utilissimum est, eoque inungi debet dorsum & hæmorrhoides, vel in rem præsentem tale componi poterit.

℞. Ol. rosat. omphacin. & myrtill. an. ℥ii. succi plantag. & tapsi barbat. an. ℥iß. acetivini rubr. ℥j. bulliant ad succorum consumptionem, deinde adde bol. arm. sang. drac. thuris & scoriæ ferri subtiliss. pulv. an. ℥j. ceræ q.s. F. unguentum.

Rondeletius magis probat unguenta quæ sine oleis parantur, quia magis astringunt, eaque e in hunc modum parat.

℞. Succ. plantag. bursæ pastor. & tapsi. barbati, an. ℥ii. syr. acetos. simpl. ℥iii. coq. simul leviter. postea misce sang. drac. ℥j. bol. armen. terr. sigill. & radic. bistort. subtiliss. pulu. an. ʒiß. ceruss. lotæ ℈ii. M. ad formam linimenti.

Si hæmorrhoides sint exulceratæ, sequens parari poterit.

℞. Ol. rosac. ℥ii. thuris & aloes, an. ℥j. sarcocoll. sang. drac. bol. arm. an. ʒß. spodii, carabes, an. ℈j. amyli ʒiij. succ. plantag. ℥j. F. unguentum.

Cataplasma dictis partibus utiliter admoveatur in hunc modum.

℞. Bol. armen. aloes, mastich. thuris sang. drac. an. ʒß. ossi myrobalan. indor. & gallar. an. ʒj. subigantur cum albumine ovi & succo plantag. F. Cataplasma.

Suppositoria huic usui sunt valde idonea, quia penitius in partem demittuntur. Horum forma talis est.

℞. Colophon. thuris, an. ʒiij. bol. armen. ʒß. ceruss. plumbi usti, an. ʒj acaciæ. ʒß. subtiliss. trita excipiantur sevo hircino pro formandis suppositoriis.

Injectiones per syringam in anum fiunt ex succo plantag. aliisve supradictis ad fotum propositis. Suffitus etiam in eundem finem utiliter usurpantur ex decoctis fotuum prædictorum parati: quibus addi potest sequens.

℞. Thuris, aloes, mastich. rosar. rubr. myrtill. & absynth. an. ʒß. troch. de carab. ʒj. F. pulvis crassior carbonibus injiciendus: cujus fumus recipiendus est in cathedra perforata per infundibulum amplum, cujus angusto orificio aptetur tubulus ex ligno, vel argento, in anum demissus. Suffitus ex decocto tapsi barbati omnium fere utilissimus est.

Toto curationis tempore utatur æger potu ordinario aqua ferrata vel decocto millefolii.

Curato fluxu de præcautione cogitandum est ne iterum redeat: quod fiet victus ratione convenienti, phlebotomia bis aut ter in anno usurpata: purgatione usuali cum caustico tibiæ admoto, alisque hujusmodi, quæ varianda sunt, juxta varias corporum dispositiones. Præterea aquæ minerales vitriolatæ, aluminosæ, & ferratæ, erunt convenientissimæ.

Fonseca commendat ad præcautionem hujus affectus decoctum lentisci, vel ejusdem infusionem in vino, paratum in hoc modo.

℞. Rasur. lentisci ℥ ij. infundantur in ℔ xii vini per viginti quatuor horas in loco tepido. Deinde colentur, & de hoc vino bibat pro potu ordinario per mensem integrum. Habet enim vires sistendi hæmorrhoides, tum etiam ventriculum roborandi. *Lazarus Riverius, prax. med. lib. 10. cap. 9.*

Ex

Ex suppressis hæmorrhoidibus mictio sanguinis, & paralysis sequuta, ejusdemque paralysis curatio.

Nobilis Dominus de Glane, Dominus in Cugy, Vir prius & probus, per annos multos hæmorrhoidibus singulis mensibus absque ullo incommodo, imò maximo cum fructu, laboraverat. Ineunte vero anno 1605, & ætatis suæ septuagesimo circiter, hæmorrhoides substiterunt. Hinc lassitudo & gravitas totius corporis orta, & post menses duos nimirum principio mensis Martii, sanguinem purissimum per triduum absque dolore eminxit. Corpore leviter purgato, mictio sanguinis sponte cessavit, uti & lassitudo corporis, hæmorrhoidibus tamen nihilominus adhuc suppressis. Sequenti deinde mense Junio Paterniacum venit, meque cum in consilium ejus rei gratia adhibuisset, suasi, ut sibi hæmorrhoides aperire curaret. Id cum neglexisset, denuò se malè habere cœpit. Trigesima itaque die Julii, cum à prandio ex fenestra cursum Broiæ fluminis, & circumvolutionem rotæ molaris inspiceret, dolore capitis & vertigine, prius, mox in terram procidens, paralysi sinistri lateris correptus est. Ego eadem die sub vesperam unà cum D. Emanuele Urstisio liberal. artium Magistro, convictore meo suavissimo accersitus, curationem sic institui.

Illico sequentem potiunculam ei exhibuimus.

℞. Theriacæ optimæ ʒ j. Aq. cinamo. destillatæ sine vino ℥ ij. Misce, & fiat potio. Deinde totum latus affect. & spinam dorsi sequenti linimento inunximus.

℞. Ol. chamomel. lumbricor. rosar. an. ℥ j. Misce. Non cœnavit ea vespera: & nocte subsequenti, quæ ei aliquo modo gravis erat, bene sudavit. Altera die, prius exhibito clystere aliquo leniente, sanguifugas venis hæmorrhoidibus applicuimus, sanguinisque ad ℥ vi. vel vii. extraximus. Postridie, prima scilicet Augusti, sequentem potionem sumpsit.

℞. Flor. & folior. betonicæ Salviæ Rosmarini an. M. ß. Sem. anisi & folior. senæ mundat. ana ʒ ij.

Coquantur in sufficiente quantitate aquæ, ut colatura redeat ad ℥ iv. In quibus dissolve electuar. diaphœnici cum rhabarb. & Diacatholician. ʒ j. Syr. rosat. solutivi ℥ j. Misce. Fiat potio. Ex qua clementer purgatus fuit, sexies aut septies. Latus affectum totum præcedenti linimento quotidie bis innuimus. Purgato corpore, sequenti usus est apozemate.

℞. Radicum fœniculi petroselini polypodii an. ʒ j. Flor. & folior. betonicæ primulæ veris Summitat. majoranæ an. m. j. Sem. anisi & fœniculi an. ʒ ij. liquiritiæ rasæ ℥ j. Coquantur in aqua. ut colatura redeat ad ℔ j. in qua dissolve, Syrupi de betonica ℥ ij. Sacchari & mellis despumati, quantum satis, ad saporis suavitatem. Exhibeatur quatuor matutinis cum tabellis Diarrhodon Abbatis. Absoluto præscripto apozemate, sequentes sumsit pilulas.

℞. Massæ pilular. cochiar. & aggregativar. an. ʒ ß. Cum syrupo, de betonica, formentur pilulæ septem, involvantur pulvere cinamomi.

Interim præcedenti linimento totum latus quotidie bis casidè inunctum fuerat.

Sumptis pilulis, aliud linimentorum, quo quotidie bis inungebatur, præscripsimus.

℞. Ol. lumbricor. Vulpini Costini an. ℥ j. ol. granor. Junipari ʒ ij. aquæ vitæ ʒ j. Misce, fiat linimentum.

Hisce sic usus medicamentis, cum spatio decem dierum nullum sumsisset postea medicamentum, sequentes pilulas ipsi ordinavimus.

℞. Pilular. cochiar. & de hermodactyl. an. ℈ j. pilular. de agarico ℈ j. ß. Cum syrupo rosar. solut. formentur pilulæ 7. & involvantur pulvere cinamomi. Pro corroboratione membrorum nobilium sequenti utebatur electuario.

℞. Conservæ flor. betonicæ Salviæ primulæ veris rosmarini majoranæ an. ℥ ß. Specier. aromat. rosati ʒ j. ß. Cinamomi ppt. ʒ j. Cum syrupo conservationis corticum citri fiat electuarium, de quo singulis diebus, tribus horis ante prandium sumebat ad magnitudinem castaneæ.

Ab initio morbi statim optimam victus rationem observabat. A vino, spatio viginti dierum omninò abstinuit, sed ejus loco hydromelita, in quo flores betonicæ, salviæ, primulæ veris, agrimonia, & veronica coxerant, utebatur.

His divino favore à paralysi liberatus, atque feliciter sanitati restitutus fuit, & deinceps adhuc annos aliquot sanus & incolumis vixit, anno vero 1608. planè decrepitus, pie in Christo obdormivit. *Gulielm. Fabrit. Hildan. Observat. Chirurg. Cent. 2,*

Hæmorrhoidum fluxus arte suppressus alios morbos funestos accersens.

Gabriel ab Hund, Præfectus Grorgaviensis, diu vexatus est fluxu hæmorrhoidum, & sanari a nemine potuit. D. Sebizius curavit eum unguento de tabaco, ut non amplius fluerent. Sed quartana & scorbutus sequebantur & extinctus est.

Scholion.) Intempestivè hoc malo curati, quibus morbis corripiantur, videatur Hippoc. l. 6. Epid. Sect. 7. Intempestive vero secundum Galenum curati sunt: quorum corporibus nec venæ sectione, nec purgatione &c. prospectum sit. Intempestive hunc ægrotum, ut Galenus sentit, curatum fuisse, non præsumendum; diu enim hoc malo vexatus & à rationali & methodico Medico sublevatus fuit. Intempestive vero ratione constitutionis ejus perversæ, cujus causa humores melancholici & scorbutica labe infecti regenerati, & denegato isis exitu pristino morbos & mortem attulerunt. Memini Illustrem quandam personam à scelestissima Medicastra in fluxu albo Balneis vitriolatis curatam, Scrophulæ statim exinde collum occupaverunt, Phthisi subsequente insanabili, cum fluxus erat irrevocabilis. Itaque ut circumspectus sit Medicus necessum est, nec se statim exorari sinat pollicitationibus & efflagitationibus Ægrotorum, in fluxibus istis consuetis & inveteratis sistendis.

De Hæmorrhoidibus fluxu à prima juventute ad decrepitam usque ætatem durante.

Connotavi in præcedentibus observationem de fluxu hæmorrhoidum in viro quodam Claris-

ſimo à juventute uſque ad virilem ætatem durante: Sed j m propoſitum noſtrum eſt, eundem fluxum in duobus decrepitis, uno ſene & altero ſilicernio, hoc ſocero, illo genero, demonſtrare. Habitat ſcil. in horto meo extra civitatem ſenex quidam octogenario major, ſed robuſtus & ſalaciſſimus, ex corbium ſit pandorum opificio victum quærens, qui à prima ſtatim juventute ad prædictam ætatem fluxum hæmorrhoidum patitur, & quidem quovis menſe cum maximis dorſi doloribus & ventris torminibus ordinarie & uberrimè redeuntem. Apud ipſum ſocer ejus commoratur mendicando vitam ſuſtentans, nonagenario major, & cui idem ab ipſa quoque juvente hucuſque menſtruatim contingit. Mirum certe, cum mulieribus ordinaria naturæ lege fluxus menſtruus tantum ad quadrageſimum vel quadrageſimum quintum annum ad ſummum prorogetur (quanquam novi mulieres quinquageſimo, imò & quinquaſimo primo ætatis anno eundem fluxum patientes) quomodo in hiſce viris hæmorrhoides tamdiu aperiantur; ego credo fluxum iſtum longævitatis vitæ utriuſque cauſam eſſe, natura ſcilicet ſe à ſuperfluo & impuro ſanguine non ſine fructu liberante. *Simonis Schultzii.*

De Hæmorrhoidibus in Fœminis.

Paucis mulieribus accidere hæmorrhoides vel varices, vel hæmorrhagiam narium, & ſi quid eorum acciderit, detrimentum immenſes decumbere, Philoſophi l. 3. H. A. c. 19. eſt elogium, quo loco & cauſam earundem inveſtigat. Et obſervatus quidem eſt ſæpius reſtitantium menſium loco hæmorrhoidum fluor, cujus inter alios teſtis Heurnius comm. in 6. Aph. 11. ſe mulieres noſſe, ſcribit, quæ menſium vice hæmorrhoides fundebant, quemadmodum & venæ hæmorrhoidales quandoque à lochiis vel menſibus detentis ſolum intumeſcere viſæ ſunt; Verùm illud non frequens adeò eſt, quod conſtante Lunaris tributi penſione, nihilominus nonnullis hæmorrhoides ad ſenilem uſque ætatem fluunt.

Ita anno hoc 1671. die 19. Jun. conſuluit me rhedarii Aulici conjux 64. annorum, faciei colore ad viriditatem inclinante (quod experimento Foreſti Pathognomonicum ſignum eſt hæmorrhoidibus laborantium. Hæc mihi retulit, ſe & olim, menſibus non minus fluentibus, hæmorrhoidum fluxum paſſum eſſe, & etiamnum eodem laborare, licet naturalis menſium terminus dudum ceſſaverit, cum dorſi & hypochondrii ſiniſtri dolore, ſanguinem utplurimum eſſe atrum, & cum ſaltu non raro exire, inſtar Siphunculi, quo factum eſt, ut ſæpe nimium eundem experta ſit, & vires labantes adſtrictionem urſerint. Hunc verò nimium fluxum, ante hac aliis non facile auſcultantem, Euporiſto egregio hactenus compeſcere ſolet, ſolo nempe polygono ſub axillis poſito.

Adeoque quod ceu Poriſma inde elicimus, purgatio hæmorrhoidalis utrique ſolemnis eſt ſexui, & mulieres quoque hæmorrhoidalem fluxum quædam patiuntur, verbis Caroli Piſonis de morb. à ſeroſ. collav. ort. p. 409. ſect. 4. Quale exemplum etiam videri poteſt apud Hippocr. ipſum l. 4. Epid. c. 14. t. 8.

Confectarium alterum eſt, hæmorrhoides maximam cognationem habere cum affectu hypochondriaco, unde & cacochymiæ & imperfectæ ſanitatis indicium præbent, & conſequenter in horum Symptomatum curatione maximè invigilandum eſſe obſtructionibus viſcerum, præſertim Lienis. Ita vir Magnificus aliquoties fluxum hæmorrhoidalem expertus, cum per aliquod tempus uteretur tinctura Mart. aperitiva, illum non ſentit amplius in hunc diem. *Georg. Wolfgang. Wedelii.*

Appendix ad caput præcedens.

Quæ hæmorrhoidibus in fœminis, amicus noſter, Dn. D. Wedelius, Miſcellaneis curioſis inſervit, memoriam refricant gemellarum aliquot hiſtoriarum, quarum bigam ſaltem addere placet. Hæmorrhoidibus cœcis tumentibus & ſummè dolorificis, quæ tandem etiam ſuppuratæ, cognata quædam mea ante decennium affligebatur; & hoc anno, nobilis fœmina, gracilioris habitus, gibboſa, ad quinquageſimum vergens, deceſſit, quæ ante mortem mihi narravit, ſe quovis plenilunio menſtrua, novilunio autem hæmorrhoidali fluxu laboraſſe, ſine notabili virium dejectione, cumque mater fuerit multorum liberorum, ingravidatione facta, etiam cum menſtruis hæmorrhoides ceſſaſſe.

De menſtruo Hæmorrhoidum fluxu eoque nimio, in fœmina.

Honeſta matrona quinquagenaria affligebatur febre continua maligna, ad quam ego vocatus curavi ipſam methodice, ab eaque poſt recuperatam, Deo benedicente, ſanitatem, honorificè dimiſſus iterum poſt aliquot dies revocor, invenio ipſam maximè debilem, convulſionibus tentatam, quærenti mihi de cauſa hujus tam ſubitæ imbecillitatis, reſpondent adſtantes, honeſtam iſtam Matronam; poſtquam menſtruus ille fluxus, ſequiori ſexui alioquin familiaris, ipſam defeciſſet, ſingulis menſibus per aliquot dies & quidem ſine ulla debilitate, aut ſanitatis diſpendio laborare fluxu hæmorrhoidali, jam vero conſueto quidem tempore ſed copioſè admodum ipſi fluere hæmorrhoides ut de vita periclitaretur, præſcripſi decoctum ſanguiſorbæ pro potu ordinario & ſic, Deo benedicente, ſtitimus fluxum illum enormem: non neglectis inſuper quæ ad cætera ſymptomata tollenda & ad reſtaurandas vires neceſſaria videbantur. Ita in ſimpliciſſimis ſæpe magna latent arcana. *D. Caſp. Kolichen.*

De fluxu hæmorrhoidali puellorum.

Cum ante aliquot annos Sororis meæ Germanæ & Bartholomæi Schaden. Civis & Dulciarii Thorunenſis, filius unicus annorum octo præter propter, aliquoties ſanguinem per alvum dejeciſſet, quum tamen neque tormina ventris, nec ullum dolorem ſive in inteſtinis, ſive circa inteſtinum rectum aut in podice perciperet, vegetuſque adeo eſſet, & circa res non naturales optimè ſe haberet, niſi quod interdum ſudore copioſo corriperetur & hæmorrhagiam narium frequenter pateretur, cum calore præternaturali, ſed non immodico, qui tamen ſedato fluxu etiam mox ſedabatur. Soror perterrita mihique caſum exponens, juſſa à me partem affectam inda-

nd agare, venulas tumentes & sanguinem rubicundum stillantes circa orificium ani deprehendit. Duravit symptoma hoc per aliquot septimanas æstivo tempore: sed jam puer 12. annorum vegetus munia sua in ludo literario diligenter obit. Alterum pullum minorem natu præterito an. 1676. mensibus Novembri & Decemb. Michaelis Teschken senioris, civis & mercatoris Thorunensis, eundem affectum, sed discrimine sanitatis aliquo, passum fuisse, mihi nuper relatum est: qualia ego exempla huc usque me legisse vix recordor, cum hoc symptoma tantum aliquando fœminas, plerumque mares in virili ætate constitutos afficere consueverit. Simonis Schultzii.

Hæmorrhoides in Puellis

Hic puelli duo, trennis unus alter quadriennis, laborarunt gravi morbo Hæmorrhoidum, & quidem postremum fungi specie extantium summo dolore; quibus præsens remedium fuit Oleum olivarum infusionis baccarum Solani illius, italis. *Belladona. Caroli Offredi.*

De Hæmorrhoidum menstruorum & ordinario fluxu in Viro.

Excellent. Dn. Simon Schulzius de Republica Asclepiadea, nostra Societate Leopoldina præclari meritus, de fluxu hæmorrhoidum menstruo in viro oppido raram observationem communicat Tomo 6. & 7. obs. eiu. p. 39. cui sociam similem observationem de quodam pastore in ducatu Bremensi volumini tertio actorum Hafniensium insertam dedi. Accedit nunc alia. Hic Tukiliæ Holsatiorum est quidam Vulcani vel Tubalcaini minister, qui quolibet Mense & Luna, non secus, ac fœminæ suum pendit vectigal de rosa, eodemque modo sese præparat, quo fœminæ has lunulas habituræ, & terminum istius fluxus instare præsentire potest.

Scholion.) De hujus sanguinis motus causis hic nihil dicam, fiet forte alibi, interim nos sumus in hac hæresi, nostræ vitæ rosam sive illud nectar vitale ad Lunæ phasium mutationem quamlibet parti aliquam in suo motu vicissitudinem, citius tardiusve fluat, isteque fluxus variat juxta quatuor anni partium seriem; multa sunt quæ hoc nostrum assertum evidentissime probant, neque desunt authores idem asseverantes, inter quos est nobilissimus Kozack Medicus Bremensis famigeratissimus. Sed subsistimus, discursum hunc in aliam occasionem rejicientes. *Joh. Ludovici Hanneman.*

Hæmorrhoides in viro singulis stillantes mensibus.

Novi fabrum Murarium, nunc demortuum, quem ab anno ætatis vigesimo ad 60. usque, fluxus hæmorrhoidalis singulis fatigavit mensibus, perinde ac catamenia apud fœmellam stato redire consueverunt tempore: Retulit etiam se iisdem affligit symptomatibus quibus menstruatæ, retentas vel nimium fluentes iisdem quoque promoveri, vel sisti, quibus fœmellarum, remediis. *Ehrenfrid Hagendorn.*

Vir quidam Hæmorrhoidum fluori obnoxius eadem symptomata quæ mulieres pati solitus si sisterentur.

Pastor quidam in hoc Ducatu Bremensi iisdem hæmorrhoidibus laboravit, & si non fluerent stato tempore ea symptomata pati solebat quæ patiuntur mulieres in mensium suppressione. *Hannmanni.*

De Hæmorrhoidum menstruo & ordinario fluxu in viro.

Cum nuper Ephemerides Medico-Physicas Germanicas anni secundi percurrerem, & sub titulo observationis 192. Hæmorrhoides in viro singulis mensibus stillantes Dn. D. *Ehrenfried* Hagendorns, Gorlicensis, perlegerem, revocavi mihi in memoriam similem casum in Viro Clarissimo Haymone Rigio Hamburgense tum Phil. Magistro, postea Med. Doctore & Practico Rostochiensi Experientissimo, Amico & Consalino meo Lugduni Batavorum dilectissimo, jam ἐν ἁγίοις, cui ab annos ætatis decimo octavo hæmorrhoides ordinarie singulis mensibus per aliquot dies fluere solebant, non sine magno valetudinis commodo: siquidem cum interdum fluxus ille vel desiisset, vel non sufficienter processisset, se malere conquestus est. Fuit alias vir iste coloris fusci, & capillitii nigri ingeniosus & judicii acerrimi. Similes casus consignaverunt Amatus Lusitanus cent. 5. cur. 5. Vesalius de Corp. hum. Fabr. lib. 5. c. 15. Ant. Zinara Comment. ad cap. 10. lib. Somn. Arist. atque Oetheus lib. observ. propr. *Simonis Schultzii.*

Hæmorrhoidum fluxus albus.

Viro cuidam 49. annorum perpetuo valetudinario, post purgationem majalem hæmorrhoides, ut aperire curaret, consultum fuit, quibus apertis exivit materia instar spermatis ranarum ad lib. 10. cum jactura tamen virium, convaluit ab hoc momento, liberatusque fuit à suo diuturno morbo & millenis aliis accidentibus. *Joh. Georg. Greiseli.*

Vlcus fistulosum post hæmorrhoides suppressas.

Vir Nobilissimæ prosapiæ superfluitate fluxus debilitatus ab empirico radicem inter utramque scapulam suspendendam, radici cichorii simillimam, accepit, qui adhibita, totus sanguinis fluxus desiit. Post semestre spacium tuberculum in perinæo oriebatur, quod postquam proprio motu rumperetur, inter gravissimos dolores per duos annos effluxit sanguis cum serosa purulentia. Horum dolorum frequentia & materiæ profluentis constantia medicamentis externis & internis levabatur quidem, apertura autem nullo modo mutabatur, per hæmorrhoidum fluxus medicamentis excitari poterat; demum usu thermarum Pirmontensium ulcus coaluit & dein hæmorrhoides sensim redierunt, quamvis non raro superfluæ.

Scholion.) Quod Celsus lib. 6. cap. 18. generalius

ralius, parum tuto in quibusdam hæmorrhoidum fluxum supprimi, scribit, in iis nempe qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, dum purg. tionem hanc, non morbum habent, ideoque curari quidam cum sanguis excitum non haberet, inclinata in præcordia ac viscera materia, subtilis & gravissimis morbis correpti sint, id Hippocrat. sect. 6. aphor. 22. specialiter de hydropis & phthiseos periculo edixerat, atque lib. 4. Epid. in fine Alcippum insania, & lib. 6. sect. aph. 28. multos pleuritide, peripneumonia, phagedæna, furunculis, terminthis, lepra &c. correptos fuisse scripserat. Prout & Galenus hydropis lib. 2. de Natur. facult. cap. 8. melancholiæ, insaniæ, intercostalis inflammationis, morbi renalis, vomitus sanguinei, hæmoptyseos, paraplegiæ & hydropis lethalis cap. 6. de V. S. advers. Erasistr. mentionem fecit. Sic etiam lassitudinem, sanguinis, & tandem paralysin ab hæmorrhoidibus, quæ maximo cum fructu singulis mensibus fluxerant, subsistentibus, fuisse insecuta, Guil. Fabricius Hildanus cent. 2. observ. 11. recensuit; exemplum etiam mictus sanguinei à fluxus hujus cessatione Th. Reinesius Epist. 44. ad Nest. protulit; hydropis autem Joh. Rhodius cent. 3. obser. 5. hydropis atque mensium obstructionis Frid. Lossius lib. 5. obs. med. 26. & arthritidis obs. 24. insaniæ Zacutus Lusit. Prax. med. admir. lib. 1. obs. 51. hæmoptyseos Amatus Lusit. cent. 2. cur. 13. & cent. 5. cur. 3. Cùm enim sanguis ille per hæmorrhoides evacuari solitus vel quantitate, vel qualitate etiam peccet, violentiori illa suppressione in corpore coacervatus & turgescens, quacunque data porta, exitum molitur, aut etiam impuritatibus suis viscera inficit. Fuisse autem radicem illam, ab Empirico commendatam, ex Cichorii familia, facile credi potest, quam nempe hæmorrhagias sistere ab aliquibus credi, alii jam notarunt; quos inter D. Joh. Schroderus Pharm. Med. Chim. lib. 4. class. 1. cap. 96. & D. Frid. Hoffmannus in animadvers. Quod verò in ipso nativitatis B. Mariæ festo colligenda esse præcipitur, si quis diem illum simpliciter inculcare voluerit, vix à superstitione immunis erit censendus: secus verò, si virium tantum vigorem, qui sanè in isto auctumni principio non omnino deesse deprehenditur; id quod Schroderus voluisse dici fortè debet, cum in sua exaltatione collectionem designat; licet idem lib. 1. cap. 23 cichorii radicem eas inter, quæ vere colligendæ, reposuerit, Poppius autem, sole cor Leonis ingresso, integram cichorii plantam acervo formicarum impositam, in quo flores rubicundi evadant, pro miraculo ideo habiti à Jo. Bodæo à Stapel, quod tamen eximere studuit D. Sim. Paulli class. 3. quadrip. botan. cap. de cichor. & spiritui formicarum acri, juxta cum Poppio, adscripsit, commendat. Aliis tamen virtutem illam non simpliciter cichorii radici, sed cujus flores albi sunt, & quidem certo tempore collectæ, tribuere tantùm libuit; hinc varia, merè tamen superstitiosa, in collectione observanda, in Practica MS. Petri à Castro præcipiuntur, mediam nimirum horam ante solis ortum eligi debere, unico tractu integram plantam evellendam, idemque circumcirca terram novo cultro, cujus manubrium sit nigrum, prius esse excavandam. Aliud pro superfluo illo fluxu admirabile, uti vocat; inque seipso expertum secretum Dominic. Auda in Secret. libello, radicem scilicet Caryophyllatæ montanæ maj. rotundifoliæ in vere collectam & adpensam commendat. Quorum Amuletorum virtutem in casibus & debita cum cautela adhibitam non prorsus negaverim; quo tamen modo operationem suam perficiant, non omni caret obscuritate; Licet enim Cichorio insint particulæ, præternaturales biliosi sanguinis motus compescentes, aut etiam alios impuros, crassos, acore vel acredine infestos humores, qui liberum sanguinis motum impediendo, ejusdem per loca illa effluxum fovere possunt, quæ à Galeno sub nomine sanguinis crassi feculenti proponuntur, alterantes; & licet porrò in Caryophyllata virtutem vasa nimium hiantia adstringentem, serosioremque sanguinem balsamico suo sulphure & sale emendantem agnoscere agnoscere teneamur, hasque etiam per poros corporis intromissas, & cum sanguine totum corpus permeantes, operationem suam peragere posse, vix quisquam diffiteatur, tantum tamen effectum exin subsequi merito admiramur, si, paulatina exhalatione sic suadente, intromissarum atomorum paucitatem consideremus, cùm tamen ipsa in substantia, & quidem largè satis similia in corpus adsumpta eandem vix non exserant. Nisi fortè hic digestio in ventriculo subeunda nativas, virtutes multùm immutet, antequam sanguini commisceantur; id quod, præcipue cùm tenuiores, subtiliores & certo respectu præstantiores solum per cutis poros ingrediantur, at; immediate cum sanguine uniantur, imò & quandoque per fortiorem in periapta similia fiduciam, à tot observandis in collectione & præparatione ceremoniis non parum excitatam, in actione roborentur, ab externè adpensis non adeo erit pertimescendum. *Joh. Georgii Sommeri.*

An fluentibus liberaliter hæmorrhoidibus liceat uti cathartico?

Dubitandi ratio inde proficiscitur, quod purgantia turbent. aperiantque, & hoc pacto ampliorem profusioni sanguinis videantur aperire fenestram. Contra, humorum acrimonia interea suadet catharticum, nè illi incubitu longiori hæmorrhoidas patefaciant largiùs. In hoc bivio, tutius purgari, quàm abstinere, docuere me experimenta. Fuere enim ex ægris meæ fidei commissis, qui menstruis ejusmodi evacuationibus vexati, cùm viderent se tandem deliberari non criticis, sed symptomaticis his excretionibus, opem flagitavere, quibus ego frequenter infuso rhabarbari succurri; observans ternis alvi solutionibus, inter purgandum vix tantum cruoris effundi, quantum una vice extra purgationis tempus externi solet, immo sæpe in ipsa purgatione nè guttam sanguinis profluere, aversa alio humorum rodentium acrimonia. Sed quid audendum, si evacuatio menstrua fœminis propria ultra debitum perseverat? Nec hìc formidandus rhabarbari usus, quanquam providentius incedendum. Nam alia purgantia plerumque hic infida sunt, & ab eloëticis certum periculum. Quoties autem gravidæ supervenit fluxus hæmorrhoidum, ut fit quando-

que

que, & is nec quiete, nec leniter adstringentibus sistitur, ægra interim quotidie languidiore, ambiguum est, utrum rhabarbaro sit; sed certum, potius istuc veniendum, quam cum evidenti periculo vel fœtus, vel puerperæ, vel utriusque rem naturæ beneficio permittendam. Qui fortioribus hic insistit, raro ita circumspecte rem transiget, ut non alterutri immineat exitium. *Ol. Borrichii.*

Hæmorrhoidum cæcarum & apertarum remedium

Illustri cuidam Viro, cui ante moderatius ad Uncias sanguis ex hæmorrhoidibus fluxerat, jam nescio qua sanguinis acrimonia vel viarum laxitate ad libras manat ad animi fere deliquium. Tentata ad revulsionem venæsectio, aliaq; remedia solita advocata, sed frustra. Tandem præsens auxilium grana Granatorum succulenta subministrarunt, quibus masticatis succoque deglutito cessavit periculosus sanguinis fluxus, cujus idcirco remedii certitudinem, sæpius in se factis experimentis, deprehendit Hafniæ.

Ad hæmorroidas cæcas amuletum suum mihi per literas revelavit Gothæ Medicus Doctissimus D. Georg. Wolffgang. Wedel. Est fabariæ radix recens, dorso intra scapulas appensa, nodulorum numero tuberculis mariscarum respondente, sive ulla alias superstitione, varia circumstantia. Vidit inde effectus stupendos & mirabiles, neque unquam illum frustratus est eventus, nisi ubi inveteratum malum in verrucosum jam fistulosumque declinavit In cristis tentare volui. Non successit. Forsan moræ impatientes sunt nonnulli. Statim remedii vim poscunt.

Amuletum contra Hæmorrhoides cœcas, mariscas, condylomata certissimum.

Quæ de Amuletis vulgo scribuntur, raro admodum explent authorum effata, si ad experientiæ amussim judicentur, ut fere omni exciderint præconio. Laudetur Hartm. in Epilepsia Sambucus in salice crescens; extollat radicem Rheumaticam Dodonæus, maneant Dioscoridi & Scaligero vermes Dipsaci in Quartana: stet sua laus in Hæmorrhoidum dolore Linariæ, Scrophulariæ, aliisq; in peste & variis morbis Periaptis. Hoc Amuletum firmo stat talo, & sine ulla superstitione, temporisq; vel loci observatione Medicum juxta ægrumque exhilarat. Quoties à partu difficili Mariscæ infelices vexant & torquent puerperas? Quàm urgent sæpe dolore etiam fluentes hæmorrhoides? Quot dantur Hypochondriaci, quibus eo derivatur mali sentina? Omnes in hoc inveniunt auxilium. Linariæ pinguedine non raro exasperati dolores, (neque enim pinguia semper patiuntur tubercula hæc) Crocus Metall. Magist. Saturni, Antimon. diaph. album Græcum, cum aliis remixta pigre se utplurimum gerunt. Soli tot seculis ignorato huic amuleto manum dat molestissimum malum. Neque enim ullus author vel gry quidem de illo meminit. Et ne lectorem curioso hoc medicamento excludam diutius, Fabariam seu Telephium illud esse, publice jam propono. Sin observationes desiderentur, ut fides fiat laudibus, ex plurimis hæc sint loco pignoris. Serenissima persona, matronæ plurimæ illud expertæ, post exantlatum partum novos dolores ab his tuberculis passæ. Vir primarius, cum hypochondriacis plsrimis conflictaretur Symptomatibus, fluentibus Hæmorrhoidibus tubercula experiebatur summe dolorifica, reliquis omnibus, ipsaque linaria incassum tentata, unica nocte ab appenso amuleto nil de illis sensit reliquum. Vir Reverendus iisdem devexatus, ad stuporem levamen percepit. Taceo plures, qui sedere nequiverunt, nec stare frustra macerati à variis unguentis, linimentis & aliis externis. Appenditur vero radix Telephii recens, (vel aliquot saltim nodi; prout nodi ipsi plures vel pauciores in ano protuberant) cum filo in dorso inter Scapulas. Simul cum marcescente radice, tabescit & evanescit omne tuberculum. Usus alias externus hujus plantæ ab officinis hactenus fere exclusus, tum à maculis à lue venerea relictis, teste Solenandro in Consil. tum in venenis extrahendis non est contemnendus. *Georg. Wolfgang. Wedelii.*

Consilium pro Sereniss. Rege Poloniæ diuturna Ani Hæmorrhagia laborante.

Ad consilium de syndrome morbosa S.R. Majestatis, à 15. annis jam quasi habituali facta & à Serenissimo propter continuas peregrinationes neglecta, & sic derelicta, deque cura in præsenti periclitanda, postliminio ego, cum Domino Collega, accedens, quasi post vulneratam causam remedium facturus, ad paucas septimanas, pro fide mea in S. Majestatem nihil supra naturæ vires spondeo; sed ne propendentia hæc mala, in illa fistularum, spongiosarumque exulcerationum utplurimum incurabilium pericula cum tempore erant, vel matrimonii ratione, robur partium relaxatarum & exsolutarum reparandum intendo, munitus Dictatura Hippocratis: Quæ longo tempore afflicta sunt corpora, sensim & longo tempore reficere oportet; protestando, ne plus, quam suffecerint vires, quæ solæ sunt medicatrices à nobis earum ministris medentibus exigatur. Præsens enim virium inventarium & parcum curationis nostræ beneficium exhibet, quos effectus post se reliquerit effusissima & inordinata ani hæmorrhagia, anno 35. ad 36. finem impetuose ruens, quæ nectaris vivifici syrrhoen (quæ est spiritus, sanguinis & caloris naturalis communio) solutis repagulis, solvendo omnium actionum vitalium & naturalium promptuarium & liberalem arcam, cor, hepar, & compaginem venosam & arteriosam exhausit immodice. Cum natura certe omnem hujus sui thesauri profusionem, tanto magis, tam impetuosam & deleteriam, horreat, eique nihil esse possit ἀνιατότερον præter copulam sanguinis & spiritus, quem ducendo vivimus.

Causam hujus profusionis cruentæ αἱμορρῶν, nescio, quo Dei vel amanuensis naturæ supplicio, è labe hæreditaria & quasi congeniali acerrimi & terebrantis fermenti, sive salis anastomotici universo sanguini, & officinis sanguificantibus ita congenitam, ut non tamen fixa & in mortem durabilis sit, esse puto, ea de causa, quod tres ad unum omnes Regiæ Familiæ Serenissimos Fratres, quos ego novi, hæc

cruentatione laborasse, & tamen tandem cum tempore suæ maturitatis, etiamsi non penitus liberatos, tamen maxime alleviatos fideli observatione cognoverim. Quam causam insimul esse puto, cur sanguis per se & quatenus sanguis, nondum sit factus corrosivus; alias immutabilis in vitam sic permaneret; sed quod cognata & prona in talis acrimoniæ genituram, viscerum confermentatione, nutricationi destinati, & sanguificandi liquores dulces, & non paucæ illarum partes immutentur in hostilia & exosa delicatissimo sanguini fermenta, & quasi novæ quædam superfœturæ superaddantur, sanguinem sua paroxysmi periodo, nempe nova subinde ebullientis hujus & confusi fermenti occasione, in spumas dilatando, prout in omni fermentatione fieri solet; & sua sic ebullitione in corpore & venis alias exhaustis plethoram mentiente, unà cum suo vehiculo acri ad infima hæc & ignobilia per naturæ impatientis orgasmon deturbato, longa annorum familiaritate hospitando in his partibus, & furente impetu venarum januas perrumpendo.

Huic virulentiæ suas vires addunt ingesta; siquidem hæ coctionum officinæ, hæreditaria, annis tamen mitescente labe, pronæ in talem acetosam acrimoniam, more antiquæ ollæ acetosæ, cui quicquid infundis, acescit, quæcunque è dulcium vel meracioris vini potu; vel cupediarum, vel aromatum (quæ omnia male fermentata & digesta in spiritus & salia acerrime resolventur) voluptuario, aut reliquorum calidiorum & acriorum proportionem caloris nativi excessive superantium frequentiori usu incipiunt, quia congenialia, degenerare ea magis faciunt in hanc acrimoniam, nutrimenti zizaniam, sanguinis incendium, venarum terebram. Unde tandem secundæ nostræ positionis, & illorum symptomatum ibi recensitorum, effectus; nempe tumoris, doloris, incalescentiæ, pruritus, tenesmi, & ex illo insolentiori, relaxatio & elongatio per continuos hos stimulos protrusi intestini, apertiones venarum hæmorrhodalium enascuntur, quibus facile succedit, pro sanguinis, per fermenti insolentioris vel remissioris occasionem, majori vel minori tumultu, insolentior vel benignior hæmorrhagia. Ea vero, quod jam ab aliquot annis, maxima ex parte evanida, parca & fere nulla sit hucusque, nec per vitam perennet, id caussæ esse puto; quod potestates seminales morbosæ per traducem in liberos translatæ, in parentibus aliquando illum gradum suæ exaltationis & nequitiæ morbosæ non sint assecutæ, ut fixum suæ pertinaciæ & in vitam durabilem characterismum signare queant, potius veluti horarii fructus, maturitatis tempora non expectantes in successoribus filiis per optimum ætatis & naturæ vigorem, quasi excusso jugo devictæ & interemptæ mitescant, & Medico spem curationis haud pœnitendæ faciant: vel sanguinis profusione usque in virium & vasorum deliquium depauperati, quod non defuerit quidem hactenus causa ad hunc tumultum arma & ignem conferens, sed vim natura priscam negaverit hactenus. Absque hoc si esset, utique sanguine sic & sedato, & composito non perseverarent tertiæ & quartæ positionis nostræ, nempe in hunc usque diem recidivantia levi occasione symptomata: Aurium pruritus, stillicidium ex earum & intestini recti venulis; acrimoniæ erodentis & prurientis hucusque sanguini cohabitantis satis fido argumento. Quæ acrimoniæ in aures, & maxime in anum proscriptæ, ejusdem semper importuni incolæ vellicando pruriunt membranas & vicinas musculosas intestini partes, ad frequentem, & vehementiorem, sed frustratum semper dejiciendi conatum, & hac stimuli frequentia, affluentis simul seri actu humectantis, ut & balneorum actu humidorum irrigatione motuque insolenti & indecenti ab Anno 43. non tantum laxatum & sequax intestinum rectum elongari cœpit, sed violentia illa excessiva, à membrana mesenterii, à qua intestina suspensa tenentur, nonnihil avulsum & extrorsum delatum hucusque propendet, nec sua sponte amplius facile in locum naturalem remeat. Nam etsi musculi, partibus genitalibus communes, intestino appositi sint, anum leniter retragentes paulatim, tamen soli non sufficiunt, eoque minus, quando per prædictas insolentias jam relaxati procidunt quasi resoluti. Cujus relaxationis & resolutionis commune malum (siquidem communes sibi & subsidiariæ sunt musculosæ genitalium & intestini recti partes ut & sphincteris) compatiuntur genitalia, & una cum aliis occasionibus ideo quasi resoluta & imbellia, & alia fiunt positionis nostræ sextæ indigitata symptomata.

Inter quæ & reliqua omnia, equidem suspicor causam quandam corrosivam ad intimiora sanguinis penetralia habitualem fore, uno eodemque sero, sive lixivio acri, similiter graveolente tam per venas Hæmorrhoidales, quam aurium terebrante, eoque confidentius, quo minus per tot medendum tentatas curas, ne recrudesceret hoc malum per annos, in hunc usque diem quicquam fuit expeditum. Nam etsi non nesciam aurium illas fœtentes & prurientes stillas sæpenumero degenerante aurium stercore (habent enim illæ & quælibet partes sua privata & peculiaria stercora è domestica sua digestione) in fœtidum liquamen, digestiva facultate auris errante, excerni: attamen digestione auris stercoraria per convenientia medicamenta semel & solide rectificata, postmodum raro aut nunquam recrudusse in tam fœtidas & acres sordes, observatione certa constat; quæ ideo in contrarium suspicionem bene fundatam facit illius pertinacioris miasmatis è sanguine, quod famosis decoctis & aliis generosioribus medicamentis (sanguine in hunc diem impuro, ut ex fructibus apparet, subsistente) malum hoc per annos alleviatum quidem, sed in hunc diem nunquam totaliter sublatum fuerit; quæ omnia simul & semel Hæmorrhoidalis stillicidii una cum aliis occasionibus causæ sufficientissimæ, eæque constantes in mortem esse possunt, præsertim sibi invicem indissolubili tot annorum connubio sic nuptæ firmiter.

Unde prognosis mea (faxit Deus sit falsa) enascitur sub fronte consilii mei prolata. Nempe corpus & robur hujus sanitatis esse neutrum, cachecticum, exsolutum, ut merito huic valetudini à divina misericordia apprecari debeamus, ut hæ, incremento ætatis, decremento virium, partes relaxatæ (quibus sinum aliquem fistulosum etiamsi non amplum, ob stillicidium

licidum illud constans; in cannis exilium venarum subesse metuo) in illam soliditatem cogi & muniri possint; ne, quod in his partibus tali occasione fieri non insolens est, majores, latiores, erosiones & cavernæ fistulosæ, unà cum spongiis ex impuro semine & sanguine hæmorrhoidali aduascentibus; in loca hæc impervia, & ideo male medicabilia, annorum decursu, tandem putrilaginem gangrænosam & lethalia pericula inducant.

Prognosin hanc meam excipit curatio, quæ cum malo ultra 15. annos inveterato debeatur, chronica etiam, & per tempora repetenda & continuanda necessario erit, nos præservativam pauco harum septimanarum spacio intendimus, eamque ob inveterati mali pertinaciam omnes medicinas deludentem; annuatim bis vel ter, si possibile erit repetendam.

Et siquidem negari non potest universum horum affectuum effluvium è sanguinis vehiculo sive latice (ὀχήματι τῆς τροφῆς) in salinum lixivium causis supra dictis confermentato, & quasi habituato, promanare; naturæque metastasi, hujus lixivii partes acriores sequestratas & proscriptas bina hæc & auris & Hæmorrhoidalium venarum emunctoria elegisse, & ex antiquo familiaria & fere quotidiana sibi fecisse, mala eaque cum δυσφορίᾳ potius, & periculo ægri conjuncta crisi; ideoque sui vel minorationem vel omnimodam ablationē significare & indicare. Quapropter quibus modis & mediis harum indicationum cura expedienda sit tuto & jucunde (siquidem in affectu hoc inveterato cito id præstare impossibile est) sincere inquirendum & decernendum est.

Meam mentem salvo cujuscunque judicio, pro conscientia sine affectu hic explicare debeo scriptotenus. Urget enim Serenissimi Regis, Domini nostri Clementissimi obsequium & necessitas, tot medicinis apud exteros exercitati, antiquum nihilominus obtinente morbo, circa quem nostræ curationis solo hoc fine fit Consultatio.

Indolui certe sæpe mecum, quoties infausta molimina & medicationes factas vidi morbis & causis morbificis intimius in ipso sanguinis thoro hospitantibus, per illa δραστικὰ præsertim pharmaca; quæ alvum & intestina turbando; naturæ constitutivos & bonos liquores, vitæ furto in fœtidum; variegatum & cadaverosum liquamen æque in sanis ac ægris indifferenter solvunt; & tale quid in corpore non inveniunt, sed faciunt & abradunt, nulla ægri, vel saltem perfida & momentanea alleviatione; quamvis lenitiva illa ἐκκοπρωτικὰ præsertim balsamica; eaque specifica, quibus ipse utor, quotiescunque ignava est alvus, & specifice purgandum est; è civitate & administratione medica, hac mea cautela minime proscripta esse velim: cum tamen altiores medicaminum potestates; non purgantes, sed mundantes sanguinem desiderent hi penitiores in universo corporis & sanguinis habitu affectus, eo modo, quo maculæ linteo nec lacerato nec destructo; sed mundato & integro illo per saponem eluuntur, vel illo modo; quo lues venerea; mundantibus sanguinem per sua cohobia repetitis, tandem sanguinis suoque vehiculo eluitur, quo nomine cæteris nihil proficientibus, nec attentis, generoso suo specifico mundativo Dominum Berigardum plus profecisse constat, quam cæteros omnes cauterisantes, phlebotomantes, purgantes, urentes, secantes, curando eo minori ægri damno & periculo, quo majori, non tantum generosa acria, stimulantia, aperientia cathartica irritando intestina, venas Hæmorrhoidales aperiendo, earum fluxum promovendo, sed & leviora, laxativa (monente Platero p. 717.) nonnunquam intempestive adhibita, subdole talia damna augent, ideo, quod cum saltem alvum laxando movere credantur, cum etiam abstergente vi aliquâ & adversa naturam ad excretionem sollicitent; nec tanta in illis sit humiditas, vel aliqua unctuositas, ut sic alvum vehementius laxando, solvere possint, superpurgationes, ut in cassiæ & mannæ exhibitione sæpe fieri solet, nonnunquam pariunt.

Dubium hic mihi moveri video. Ergo, siquidem penitius illa integris viribus non pertingunt brevi quatuor horarum spacio; quibus alvum laxant, & sic se penitus expediunt Purgantia, turbantia; Itaque sanguinis vitium & crimen, sanguine piandum est.

Homicidis hæc lex, etiam ante legem Decalogi, statim post diluvium, ob summam sanguinis & vitæ reverentiam scripta est, non Medicis. Dominus Deus enim creavit non phlebotomiam, sed medicinam; & sapiens non abhorrebit ab ea; ab illa vero natura ipsa, ut supra scriptum, horret, in corpore inprimis & alias exhausto, exsangui & exsucco.

Innocens quippe semper sanguis (nisi in gangræna & lepra morbis incurabilibus) est, & quatenus sanguis per se nunquam peccat, ideoque sui ablationem non indicat; quin potius necessarius æque ac humor in oculo crystallinus, constitutivus & primarius integritatis vitalis liquor & vitæ sedes est; sed aliena & peregrina fermenta ipsius vehiculum vivum seu partem coëssentialem, individuam ab ipso, nisi per morbum & mortem; laticem nempe sanguinis contaminantia parva quantitate; tales acores & acrimonias de sua indole, & earum postea effectus fabricant, cum teste scriptura & experientia quotidiana parum fermenti totam massam fermentare possit, quorum fermentorum vis & potestas in natura & tam generandis; quàm curandis morbis fundata, ad seculum usque fratris Basilii Valentini & Paracelsi stetit neglecta: Olfecisse illam videtur Hippocrates suo tempore; qui non calidum, neque frigidum (quæ potius effectus & producta symptomata non causæ sunt) sed Acre, amarum, & salsum & alia innumera (videlicet fermenta incognita) morborum causas, easque non phlebotomandas aut purgandas, sed Commoderandas & Concoquendas dicit sect. 1. de prisca medicina pag. mihi 22. & Claudius Theodatus, insignis Helvetiæ Medicus, lib. 3. Panthei sui hygiastici cap. 2. pag. 11. Neque demum sanguinis vitium, venæsectionem indicat. Si enim intemperies sit facta, alteratione in contrarium curabitur, si putredo,

quatenus talis, non curatur venæsectione, sed suis idoneis remediis, putredinis causam & generationem tollentibus.

Specioso, ideoque Græco, verbo plethoras, quod nimietatem sanguinis denotat, prætexunt phlebotomi, sanguinem nimium esse profundendum, ne ipsius moles retenta, spiritum vitalem opprimens, apoplexiam, vel subitaneam vitæ præfocationem, vel alia similia, non sine metu periculi inducat, maxime cum Sua Majestas habeat hepar justo majus, & ideo copiosiorem justo sanguinem generans. Insuper siquidem hæreditaria familiaritate natura erraret nimis, & sanguinem hospitio suo per incompetentes scalas, nempe ignobilia hæmorrhoidum loca præcipitaret, per phlebotomiam revulsoriam eundem amice revocandum & postliminio invitandum esse in pristinum hospitium.

Bona hæc essent, si, prout satis speciosa sunt, æque satis fida essent. Quam speciose mentiatur nimietatem sanguinis sive plethoram dictam, & Medicis sic imponat illius ebullitio, è diversis fermentis exterius sanguini advenientibus, pluribus causis occasionalibus externis (etiamsi per aliquot interstitium sedata quiescat) denuo in spumam & rarefactionem majus quærentem spatium irritata, non tantum ex supra dictis patebit; sed & è scripto meo nuper publicæ censuræ, & securitati valetudinis Regiæ dato, à nemine quidem refutato, sed oppresso. Ne longus sim, consultationem hanc non commentarium scribens, peto me dextre intelligi exemplo ollæ non plethoricæ, sed ad dimidium cum cerevisia nondum fermentata repletæ. Injice particulam fermenti, quæ antea semivacua erat, plethorica jam facta supereminet; Venam ipsi seca, laterem lavabis; aufer, vel non da fermentum, non erit plethorica amplius, & parum illud, quod habet cerevisiæ nondum fermentatæ suis terminis facile detinebit.

Et quomodo Sua Majestas potest esse plethorica, quæ à juvene fere continuo stillicidio Hæmorrhoidali in tantum laboravit, ut tot annis inopiam illius sanguinis tandem etiam uxoratæ Suæ Majestati, per sedulam prophylaxin, Dei extraordinaria benedictione, intra servitiorum nostrorum sexennium, cohibendo illius diluvium, hucusque vix reparare potuerimus? Cui accedit fluxus denuo modernus excessivus ab octo his mensibus præteritis, fere 16. septimanis indies continuans, non sine notabili & præsentissima virium vitæque depauperatione. Certius itaque est, hanc depauperationem realem magis esse cum vitæ furto conjunctam, quàm illam imaginariam plenitudinem, oppressuram tandem spiritum vitalem superius prætextam.

Venæ sectionibus itaque semper prætexta illa plethora, sive nimietas sanguinis, cum nimis magno Suæ Majestatis hepate petit principium, id est, in quæstione adhuc est, An sit? Ridiculus forem, qui retinendi illius nectaris vivifici Sanguinis ergo, & in favorem meum, qui ab ejus perditione semper sum alienissimus, mihi prætexerem Serenissimum habere è contrario hepar nimis parvum. Pari enim fiducia id asserere possem hoc argumento: Quis nostrum hepar Suæ Majestatis vidit? an nimis magnum pro phlebotomis, an vero nimis parvum pro me, sanguinis abstemio, sit. Blasphemus forem in Deum æquissimum conditorem, & ejus amanuensem naturam, quæ, nisi ideis erroneis, sub plasmate deviaverit in monstrum, nihil facit nihil minus, nec in quanto aut quali abundat, nec deficit, nisi, ut dictum, errans in monstrosis.

Revulsionem speciose prætensam quidem, sed è nugis Galeni loquaciter delirantis natam, non tantum irritam, sed & damnosam, & frequentius repetitam periculosam, æstimo. Certe curiose & officiosissime prætexta cautela venæsectionis revulsoriæ his annis non neglecta; sed ad minimum annuatim quater celebrata, & à Sua Majestate, me toties contradicente, fideliter fuit admissa. At certe non satis bene in hunc diem liberat suam fidem, quam de commoderando tandem & continendo sanguine luxuriante & exorbitante toties magnis promissis fecit. Ex post facto irritam se esse, satis in contrarium docet.

Et quomodo sanguini ad peremptoriam Medicæ revulsionis citationem, dicam & locum scribere possumus, qui privilegio speciali vitalitatis in circulum & seipsum rediens, cum spiritu suo hospite nullius loci & temporis leges respicit, neque locum standi ullum in universo corporis foro agnoscit?

Revulsio insuper quam damnosa sit in viris æque ac mulieribus, gravidis præsertim, una eademque ratione constabit sequenti: Non est negandum ex hac aliquando momentaneam fieri alleviationem symptomaticam, dum scilicet natura studiosa sui thesauri conservatrix, hanc meram sanguinis & virium extractionem exhorrescens, & hanc ruinam sibi procuratam præsentiens atque formidans, non raro præfatorum symptomatum mitigationem tremula molitur; sed pacatio ista momentanea vires è causa radicali permanente resumens, persolvenda est crudelioribus subsequentibus symptomatibus. Nam etsi vena cubiti tota posset evacuari (quod impossibile) tamen mox iterum totus cruor, in se & circulum rediens, æquaretur per totum venarum contextum. Unde vanitas revulsionis & derivationis famosæ cuivis liquido apparebit.

Quàm damnosa sit in fluxu vere Hæmorrhoidali excrementitio, citra necessitatem facta, inde liquet. Quo natura vergit, eo ducere convenit sequacem medicum. At natura sub fluxu solito Hæmorrhoidali excrementitio, studio sanguinem Hæmorrhoidalem excrementi loco, è consortio venarum vitali proscripsit & damnavit, recte agens, & cum tolerantia ægri. Depletæ ergo per phlebotomum superiores venæ, vacui impatientes; in momento, undecunque, qualemcunque etiam excrementitium jam, & mortuum cruorem ad se revocant, & proscriptum semel cadaver in totum retrahunt, bonoque & vitali denuo confundunt. Prout & menstruum suo tempore & ordine digesto in exitum dicatum, & sic cadaveratum eodem modo in venas inanitas, fuga vacui allicitur. Quæ communio sit vivis cum mortuis, vel in rejectamentum semel & plene à natura provida destinatis, ille

ille referet, qui excrementa denuo delibando, ventriculo refectionem & gratiam se facturum inepte sibi pollicebitur. E tam frequenti ergo confusione heterogeneorum cum homogeneis, excrementorum cum vitalibus suis, quid boni sperandum tandem, illi norunt, qui tales sordes purum putum sanguinem inquinare, eundem turbatum & contaminatum, in viris pro indole deturpati nutrimenti nil nisi malum corporis habitum; in mulieribus præsertim gravidis & lactantibus, nutriendæ soboli infectum & deleterium nutrimentum minitari, & sic vivacitati præjudicare sat fido ratiocinantur argumento.

Quæ omnia æquis rationibus deducta, cum futilitatem, damna & pericula futura ex insolentiori abusu talium magnorum & generosorum subsidiorum nobis non tantum minitentur in futurum; sed & impræsentiarum, pro sperata melioratione deteriorationem, nec minima reparationis incommoda & remoras faciant; talium usus liberalior, extra urgentem necessitatem, restringendus esse videtur ad mitiora; & sanguini mundando, non simul & semel cum fermento morbifico ejiciendo, specificaque dote per naturam destinata; nec ideo ad quasvis animo obrepentes indicationes virium vitæque exsolutiones, per electiva illa purgantia & phlebotomias, sæpius ac par est repetitas, sensim sensimque cum tempore cumulentur; suspecto & inviso epilogismo Hippocratis ad Democritum: Omne solutivum deprædari de viribus & substantia corporis nostri. Sitque eodem Hippocrate Dictatore, (in fragm. d. purgat. remed.) fœda calamitas à pharmaco purgatorio hominem interiisse. Ne, quod Deus avertat, in eosdem nostros errores, eadem tandem, sed infelix plangat nænia, quam in memoriam facti, & præmaturum obitum Serenissimi Principis Ferdinandi, Hispaniarum Regis Fratris in Belgio, versu sacravit Janus Walhornius D. Regis Hispaniarum Consiliarius:

Quid multis fidis Medicis, Dux optime? multum est
Si fidas uni, cætera turba nocet.
Nonne vides toto vacuari corpore venas.
Hic secat, hic urit; crescit ab arte malum:
Imperatorem medicorum turba peremit;
An medicos medicam credis habere manum?
Pauca dabo tumulo: Iacet hic, Dux optimus, in quem
Nil potuit Mars, dum corpore sanguis erat.
Quod Mars non potuit, Medici potuere secando:
Sic Mavors ipso fit minor Hippocrate.

Spero nemo bonus pio huic zelo indignabitur, si, (quod solemniter protestor me dicere de tiis, parcere personis) pro scientia & conscientia mea, de sanguine & inquilina huic vita suæ Majestatis liberius & fidelius dixerim, scripserim.

APPENDIX.

Consultationes Generalis Pro speciali & moderna affectione Majestatis Regiæ.

Explicatis sic affectionibus suæ Majestati familiaribus, nempe solito hæmorrhoidali eoque sæpe excessivo fluxu, pruritu & stimulo intestini recti, cutis universæ, aurium, si quidem uno ore Dominorum collegarum in confesso est, propter hæreditariam hanc affectionem hæmorrhoidalem totum quasi hominem esse morbosum, necessarium itaque videtur, totum hominem immutandum & quasi renovandum à spurcitie illa salsa, sanguinem in tales tantasque ebullitiones, & quasi profluvium ruptis venarum aggeribus; in tales pruritus scabiosos universi corporis, aurium, intestini recti; & stimulos ejiciendi & excernendi continuas irritante. Quod per modum insensibilis restaurationis & mundationis per vices pro singula nova ebullitione me clandestina & pia quasi fraude Serenissimi impatientiam præveniendo; integro quinquennio fecisse nuper in apotheca confessus sum, prout & est res facti. Ita certe ille modus hactenus (Deus novit cujus impedimento) ab anno cum dimidio posthabitus, morbo & causæ huic morbificæ licentiam & tandem insolentiam fecit: quam tantopere habituatam, vix eodem temporis spatio in pristinam æqualitatem & continentiam, quam sic connivendo excessit, lente & cum securitate suæ Majestatis reducendam, postea verò obtentam Dei gratia sancte in posterum & sic sanitatem custodiendam esse existimo.

Qua methodo & quibus mediis Dei benedictione imprimis hic finis obtinendus sit, siquidem nostra medicorum consilia (charta ideo consignata, ut certa & immutabilia in uno eodemque hoc casu sint & maneant) singula ab invicem cum discrepent? Quam sanitatis & valetudinis curandæ securitatem nunc & in posterum è tali tantaque discrepantia sua Majestas habebit? Dicam pro captu meo & fide in suam Majestatem, salvo meliori cujuscunque judicio, pace & veniâ singulorum.

Cum prout in bello, ita in curanda valetudine, verba non spectanda sint (medicina enim est ars, quæ facere, non dicere docet,) necesse est, ut sua Majestas & omnes benevoli suæ Majestatis, In id summo rigore incumbant; ut ne in posterum sanitas pluribus plurium medicorum, iisque diversis & verbosis consiliis detineatur dubia & anceps negligatur. Sed post consilium cujuscunque singulum, medico per illud suam promittenti curationem, sua Majestas serio demandet, ut viam illam, quam semel elegit in consilio, ambulet. (2.) ut tempus, quod sibi medicaturus eliget pro cura, & modū curationis illius interturbari non permittat, ne medicus habeat, quod excuset, sed facienda faciat. Secius si fiet, inter consultationes multas multorum medicorum aliter fieri non potest, quam quod dictum & factum est, multitudo medicorum perdidit Imperatorem. Quo nomine suæ Majestati fideliter hoc suaderem, ut nec mihi, nec ulli suorum medicorum amplius credat, in quacunque etiam morbi specie peroranti aut discurrenti; sed in posterum medicos suos singulos mutos esse velit, & solum factores tales, qui, ne verbum mussitantes curatione reali positiva diversorum morborum reales in aliis prius præstent curationes, de quibus realiter & feliciter præstitis sua Majestas nunc & in posterum assecurata esse possit (quod tamen Deus avertat) cui medicorum, & in quibus affectibus tuto & cordate citra ambitum talium consilio-

rum & disceptationum vitam & sanitatem concredere possit.

Si quidem autem in hac familiari suæ Majestatis affectione duabus vicibus fidem meam intra duo decennii decursum, per Dei in primis singularem benedictionem probasse me eousque puto, quo, me non audito, illa suæ Majestati facta est dubia; itaque pro illa reparanda lubens meritoque hanc curationis provinciam ad duos menses, quos suffecturos puto, pro insultu hoc hæmorrhoidali Clarissimo Domino Doctori Davissonio trado, & illam, quam communibus votis apprecamur suæ Majestati felicitatem curationis fundatam in reali & prædicta demonstratione pro securitate suæ Majestatis futura, nec modo, nec in posterum invideo, reputando pro honore & felicitate mea; meum Evergeten (per quemcumque etiam fiat) constanter bene valere & feciliter agere. Qua libertate concessa, si quidem ea, nil nisi sanitatem & severitatem suæ Majestatis intendit, peto, ut, si res aliter, ac in votis esset, cederet, ut eandem & ego, & reliqui Domini Collegæ, quibus injuncta esset curatio, secundum tempus, modum & media curationis habeamus mutuam & communem, ne in proposita bono, quibuscunque etiam artibus, impediamur in posterum, imo hanc libertatem jure merito pro peculiari mea medendi ratione exigo.

Quibus præsuppositis, cum unica & sufficiens causa sit, sal illud corrosivum, plumosum, pruriens incola universi sanguinis, ex quo generatur postmodum frequens cutis pruritus, scabies vaga, cum pustulis hinc inde emergentibus, pruritus auris & anis, & in illis extremitatibus, venarum hæmorrhoidalium, & inde natus perpetuus excernendi, sed sæpe irritus, stimulus. Ego vero sanguinis & virium, vitæque diminutione curare non didicerim, sed medicamentis, quæ Dominus Deus creavit, & suis morbis destinavit; illum, qui adhuc superest, & quem in thesaurum vitæ reverenter adhuc custodit natura, ejus observantissimus minister, ego medicus studebo integrum conservare, & solummodo liberare ab importuno illo hospite, & hoste suo peregre adveniente fermento salso corrosivo: patrante effectus modo dictos & Suæ Majestati familiares, è quibus ultimo illa apertio venarnm hæmorrhoidalium, & excessiva illa sanguinis, virium, vitæque profusio. Consistet itaq; mea curatio in totali sanguinis universi immutatione & renovatione, per unicum internum medicamentum eradicans sanguinis illius fermenta salsa, acria, uno verbo, vitæ ærugine m & zizania. Quibus liberatus non amplius ita ferociens, sed pacificus suis cancellis & officio debito se continebit. Illa tamen lege, prædicta sanguinis depuratio instituenda, ut si quidem fere biennio neglecta fuit, sub singula exaltatione sanguinis in novam ebullitionem paroxysmantis, quocunque tempore ea contingat, ad paucos dies ea repetatur eo usque, donec ea sanguinis & constans contingat continentia, quæ annuatim in posterum vernali & autumnali renovatione ad dies non multos facienda, contenta esse possit.

Hæc methodus medendi mea correctior ad Galenicorum regulas minime quadrans (cum illa non currat neque curet; quà gentiliter itum hactenus, sed qua fideliter eundum fuit) illud meum arcanum est, nunquam & nemini, nisi meliora discere recusantibus, per me absconditum; invisum equidem multis; sed orando, laborando, divina gratia, vigiliis, laboribus, itineribus, molestiis, persecutionibus tandem impetratum; nullius monarchiæ studio, sed solum juvandi proximum ergo quæsitum, de quo dator hujus luminis Deus in conscientia solus est testis; maxime cum tot annis praxeos meæ medicæ non tantum abominabilis illa paganorum medendi methodus, per tot & tanta martyria, à quibus benigna mater natura abhorret, sed & suspecta tandem fieri cœpit, cum per illam tot miseros ægros derelictos incurabilitatis subterfugio & excusatione frivola à medicis vexatos, tandem proscriptos & ablegatos ad balnea sulphurata, fontes acidos, salubres, vel prognosi vel diætæ tandem mancipatos viderim, & sæpe mecum ingemuerim; satius fuisse & non recepisse curandos ægros tali methodo, quæ tantum catalogum incurabilium morborum suæ incertitudini prætexit, quam tandem miseros & deceptos ægros gementes abdicasse ad talia subterfugia Christiana charitate indignissima.

Qui itaque hoc arcanum vult, orando, laborando, quærat & inveniet; quærens enim inveniet, & pulsanti aperietur, sed fideliter, & non nisi apud Deum, illo, quem mendavit, modo: per laborem & sudorem. *An. d. Cnoffelii.*

Medicamenta Hæmorrhoidalia.

Etsi fluxus hæmorrhoidum multoties salutaris esse, & à multis gravissimis morbis hominem liberare & præservare soleat, ob eamque utilitatem non cohiberi debeat; aliter tamen se res habet, ubi fluxus iste nimia frequentia & copia peccat. Quo malo cum S. Reg. Maj. Joh. Casimirus, ob copiam & acrimoniam feculenti sanguinis non raro, & aliquando sex vel septem septimanis, omni die vexata fuerit, fluxu vulgaria medicorum remedia spernente; nihilominus tandem adhibitis Cl. Dn. D. Cnoffelii medicamentis S. M. sæpius curata fuit, qualia sunt sequentia:

Emulsio coralliata Cl. D. D. C. in fluxu immodico hæmorrhoidum, pro S. R. Maj.

℞. Decocti hordei, aquæ spermatis ranar. destil. an. ℥ij. sem. melonum & cucumer. aa. ʒij. amygdal. dulc. excort. n. viii. F. l. artis emulsio simplex. Adde manus Christi coralliat. ℥ß. coral. rub. cum sperniola insuccator. ℈j. ocul. canc. præpar. ℈j. M. F. Emulsio coralliata. Hanc emulsionem S. Reg. Maj. per 10. dies continuavit, & ex solo usu hujus medicamenti convaluit.

Emulsio styptica S. R. Maj. in fluxu magno hæmorrhoidum, & menstruorum, cum metu dysenteriæ, ex præscriptione Cl. Dn. D. And. Cnoffelii.

℞. Decoct. hordei cum rad. serpentar. s. q. parati, aqua still. spermatis ranarum an. ℥ij. sem. papaveris albi & nigri an. ʒij. gland. immatur. n. ij. amygd. dulc. excort. n. vj. F. Emulsio. Cui adhuc

adhuc adde gelatinæ C. C. ℥ß. miv. cydoniatæ ʒvj. magist. corall. butyr. ℈j. cornu mineral. fossil. gr. xv. extr. nost. sedativi gr. j. Misce. Semel hanc emulsionem S. R. Majestas eundo cubitum bibit, unde fluxus uterque cessavit, ut Medico amplius auxilio non indiguerit.

Oleum hæmorrhoidale.

♃. Rad. scrophulariæ ℥ij. chelidon. ℥j. herb. linariæ c. floribus m. ij. fol. hyoscyami, flor. verbasci an. m. j. spong. cynorrhod. n. iv. scarabæorum pilular. n. xij. olei spermatis ranar. ℔iß. lini in Sole albificati ℔ß. Facta maceratione adde succi cancrorum ℥iij. Bulliant lento igne, ad consumptionem humiditatis, fiatque fortis expressio, insolentur adhuc per aliquot dies. Mirum in modum lenit pertinacem tumidarum hæmorrhoidum dolorem, si calide applicetur.

Vnguentum hæmorrhoidale D. D. C.

♃. Olei sperm. ranarum, hyoscyami, in quo rad. scrophulariæ sint coctæ, lini, (in quo prius scarabæi & porcelliones bullierint) à. ℥vj.

Quibus infundantur usneæ in ossibus humanis collectæ, vel loco hujus musci in tegulis domorum invent. ℥jß. æris viridis. ʒij. Insolentur per mensem, in vitro bene clauso, postea coquantur per mediam horam, oleum fortissima expressione separatum, interim asservetur. Jam.

♃. Aceti anodyni (ex acet. distil. flor. hyoscyami & verbasci, per infus. more consueto confecti) ℔iiß. lithargyrii opt. pulverisati. ℔iß. Stent in vasu terreo vitreato, per octiduum, quotidie bis vel ter, spatula lignea agitando. Hoc facto.

♃. Hujus infusionis lithargyrii q. s. & cum olei superius asservati an p. æq. Fiat unguentum, sub continua agitatione, nempe, donec ambo concrescant, in butyrum quasi viridissimum.

Ad hujus unguenti jam parati ℥iij. adde axung. ursi ℥j. pulv. sperniol. nost. ʒij. opii gr. ij. Misceantur pro S. R. Maj. in doloribus & tumoribus hæmorrhoidum.

Vnguentum hæmorrhoidale aliud S. R. Maj. à Cl. Dn. D. Cnoffelio præscriptum.

♃. Butyri hæmorrhoid. præced. absque axungia ursi & opio parati ℥iij. rebis suillæ seu porci ʒvj. croci Martis nost. styptici, sacch. Saturni, sperm. ranar. nost. coagul. an. ʒij. M. F. unguentum. Memini etiam S. R. Maj. à gravissimo hæmorrhoidum fluxu quondam in Italia curatam fuisse, beneficio frustul. spongiæ in atramento (ex vitriolo & galla parato) intinctæ, & in orificium consuetum intrusæ. Pro interno remedio præscripta fuit & infusio ligni lentisci, de qua ter in die bibit, scil. mane, à meridie & vesperi, aliquando & in prandio, loco potus ordinarii. Ex relatione ipsius Reg. Majestatis, Domini mei tunc temporis clementissimi.

Mirabile remedium est illud, de quo Francisc. Osvv. Grembs M. Doct. (in lib. 2. c. 1. §. 5. n. 74. Arbor. scil. integr. & ruinosæ) scribit, quod sudor morientium intra linteolum collectus, & hæmorrhoidibus applicitus, fluxum sistat, quod remedium Archeum timidum reddit, qui ex natura sua mortem timet, ut propterea à furore remittat.

Pulvis externus hæmorrhoidalis niger.

♃. Sperniolæ simpl. nost. (ex oculis nigris præp.) cornu fossilis an. ℥ß. ʒij. aluminis crudi, vitrioli ad rubed. calc. an ʒiij. gallar. immaturar. pulveris. ℈vj. M. F. Pulvis. Usus ejus externus est, non solum in fluxu nimio hæmorrhoidum, sed & in quavis hæmorrhagia, maxime vulnerum, si gossypio exceptus, osculis venarum stillantium imponatur.

Pulvis alius hæmorrhoidalis ruber.

♃. Cornu mineral. fossilis, & labiis adhærescentis, lacc. rub. globulos. pictorum, musci crustacei ossium human. an. ℥ß. aluminis crudi, sperniolæ siccæ nost. ex ipsis ranis cum propr. sperm. parat. an. ʒij. M. F. Pulvis. Eandem habet virtutem & usum cum præcedenti, nempe externum, etiam in desperatissimis hæmorrhagiis cæteris remediis nihil juvantibus.

Pulvis hæmorrhoidalis internus, pro Illust. Princip. Razivvil.

♃. Coral. rub. præpar. unicornu mineralis seu fossilis, sperniol. sicc. simpl. n. descript. an. ʒij. sedativi nost. citrati simpl. gr. iij. essent. rosar. ver. odorif. gtt. vj. Misceantur in mortario lapideo, post dividantur in 6. æquales partes ad 6. chartas. In emulsione specifica seu aq. sperm. ranarum sumendas. Omnem hæmorrhagiam sistunt.

Amuleta in fluxu hæmorrhoidum.

Omnia illa amuleta quæ in hæmorrhagia narium & fluxu nimio menstruorum recensita sunt, & collo appendentur, atque manibus tractantur, & hic locum habent.

Præ aliis à proprietate valet cingulum ex linteo urticæ crudo, (seu loco hujus cannabino) spermate ranarum insuccato. Item cingulum ex herb. bursæ pastoris recent. collecta. Muliercula in Russia, ad hoc negotium muscum terrestrem clavatum C. B. (quem & ibi plicariam vocant) sibi eligunt. Hartmannus in prax. chym. vult cingulum ex foliis hellebori nigri conquassitis recentibus, nudo corpori circumdatum, quo ipsemet feliciter usus est. Pelle leonis, si ei insideatur, hæmorrhoidum dolores efficaciter leniri, autor est *Jonston. de quadruped. hist. nat. p.* 117. Laudatur etiam.

Annulus stellatus Helmontii.

Quem Clariss. Dn. D. Christianus à Paulitz. S. R. Maj. p. m. medicus, amicus & collega meus charissimus, ab Illustriss. Principe van Eggenberg dono acceperat, & S. R. Maj. Joh. Casimiro p. m. (me præsente) iterum obtulit, quæ R. Maj. annulum, exterius auro, absque igne ornari jussit, & per multos annos digito manus sinistræ gestavit. Annulus stellatus describitur *ab Helm. in libro de Lithiasi cap. 2. & in tract. super verba, in herbis, verbis & lapidibus magna est virtus.*

Quod cæteris nihil juvantibus (inquit Autor) si gestetur annulus, subito & in ipso spatio orationis Dominicæ omnes hæmorrhoides, tam cæcas, quam apertas, & illarum dolores, uti etiam matricis affectus sistere solet. Memini & hujus annuli *Vnzerus de epilepsia lib. 2. c.* 13.

Hæmorrhoides sunt (ut multi volunt) nonnullis hæreditariæ, præsertim apud Judæos, qui graviter iis infestantur; & si hoc fortasse non male ad maledictionem divinam referunt, quippe qui clamaverunt, sanguis ejus super nos & filios nostros. Quod probare videtur Psaltes, dicens, quod percusserit Deus eos in posterioribus dorsi, opprobriumque illis dederit sempiternum.

Hæmorrhoides in viro jam per quadraginta annos periodo menstrua redeuntes.

Vir Amplissimus, Dn. Felix Hannibal Rauschart, Dominus in Heyna, nuper Præfectus Duc. Saxonicus, Amicus meus Honoratissimus, temperamento sanguineo-melancholico, anno ætatis suæ vigesimo, quo Ratisbonæ studiis incumbebat, primum passus est fluxum hæmorrhoidum, quem natura ex eo tempore usque in præsens quolibet mense, stato tempore repetiit, quamvis hoc naturæ beneficio, (uti illud ab Hippoc. aphor. 25. lib. 4. aphor. 11. & 21. lib. 6. cum Galeno commentante merito extollitur,) nunc sexagenarius paulo parcius fruatur. Ubi notandum, quod quoties hæmorrhoides tributum suum ratione quantitatis aut temporis moræ non rite persolvunt, toties actiones naturæ principes huic inde turbatæ labascunt, nimirum sub hoc sanguinis ὀργασμῷ calor quidam præter naturam, alvi obstructio, cordis angustia, hypochondriorum inflatio cum totius corporis & animi languore oritur: quoties autem hic fluxus restituitur, toties etiam disparent omnia symptomata.

Cæteroquin hos 40. annos Vir supra laudatus per Dei gratiam in tolerabili sanitatis statu transegit. Nominat etiam alium Virum maximi nominis, qui eandem cum ipso fortunam hoc in passu fuerit expertus, vegeta senectute felicem. Quibus confirmatur, quod talismodi à natura ipsa institutæ evacuationes sanguinis aliorumque humorum, quantitate aut qualitate peccantium, zizaniam in prima, quod dicitur, herba evertere, adeoque per Dei gratiam vitæ salubritatem & diuturnitatem promovere valeant. *D. Joh. Georg. Sommeri.*

De arbitraria Hæmorrhoidum per solos odores resinosos suppressione.

Theologus quidam, temperamenti serosi, eruditione, Ingenio, Lingua præstans, sed Memoriæ labilis, quam fugacitati spirituum in Sero subtiliter dilutorum, & minus constantes in cerebro undulationes habentium, tribuo, ferente Discursu, queritur se à leviculo zelo, vini haustulo, voce aut motu corporis concitatiore, confestim pati fluxum aliquem Hæmorrhoidum, qui ipsum aliquandiu post fatiget. Cui coërcendo interne nunquam non utiliter Sperniola Crollii usus fuerit: sed metuens, ne natura medicamento adsueta, in posterum eidem minus auscultatura sit, parcius eodem uti statuit; & memor, myrrham inter alia ingredi compositionem ejus, à solo hujus suffitu, Naribus percepto, quærit subsidium; qui etiam conduxit. Experitur hoc sæpius, atque à Myrrhæ odore quoque abstinet, ut videlicet habeat probatum quid, quod in usus urgentiores servet. Eidem itaque suffitum Thuris & Mastichis substituit, eodemque iterum successu. Verisimile arbitror, nervos odoratorios oleoso Nidore Resinarum, & Aura plane Balsamica, peculiariter refici; unde circa radicem eorum, aut basin cerebri, motus spirituum efferus in ordinem redigatur, quo minus impetuose ad partem affectam proruant. Quam speciem motus mutati, Galenice forsan, revulsionem diceremus. Præterquam in Riverio (lib. 10. Med. Pract. c. 10. p. m. 513.) non aliter ibi, invenio, fluxum hæmorrhoidum per odorifera sedatum. Imo pulvis ille ex Thure, Aloë, Mastiche &c. quem Autor carbonibus inspergendum præcipit, non libero suffitu in nares, sed laboriose per infundibulum proxime fontem cruoris in posterioritate corporis est adhibendus. Neque etiam existimo, odores acetosos, & Salia mere fugacia, occasione carbonum elevata, nasoque excepta æque præsens auxilium præstitura. *D. Joh. Danielis Majoris.*

Anatomicæ Inspectiones.

Hæmorrhoidum fluori obnoxius ramum Portæ, sub recto intestino decurrentem, pollicis crassitiem superantem habuit.

Ramum venæ Portæ, quem sub recto intestino declivem ac mesenterio suffultum porrigi scripsimus, nonnunquam ad fæculenti sanguinis per ani venulas, sanguine interdum manantes, expurgationem plurimum conducere arbitror: Quandoquidem dum, aut ob lienis obstructionem, aut aliud quodcunque ipsius vitium, fæculentus sanguis non universus, vel nullus plane in lienem absumitur, vel lien eundem ad ventriculum eructare nequit, hujus rami beneficio, certis quibusdam intervallis, uti mulierum menstruæ purgationes solent, per anum excerni credo: Rarius enim ex universo corpore, hæmorrhoidum vitio laborantibus, ad venæ cavæ ramulos in sedem pertinentes, lutosum ejusmodi sanguinem regurgitare verisimile nobis videtur, dum veram venæ portæ distributionem perspectam habemus: Quippe ex hac conjectari est promptissimum, qui is sanguis à liene non attractus, aut ob meatuum obturationem non admissus, unde fluebat rursus regurgitet, atque sua gravitate per ramum ad intestinum rectum pertinentem, deorsum procumbat, ibique tantisper reservetur colligaturque, donec nimium turgentes venæ, osculis reseratis, per anum manare illum sinant: Huic meæ sententiæ magnum robur adjecit is, quem hoc sanguinis defluxu per intervalla laborantem, non ita pridem resecuimus: Huic enim minor, sed durior lien fuit, & vena sub recto intestino excurrens pollicis quasi crassitiem superavit, eoque modo sanguine turgebat, quo jam parturientium animalium venas uterum amplexantes, insigniter amplas distentasque cernimus. *Vesalius lib. 3. cap. 5. de Fabr. corp. hum.*

In Hæmorrhoidibus periodicis obnoxio venæ Portæ ramus, sub coli intestini fine, & tota recti longitudine sanguine turgens adnimadversus.

Quidam ordinatis vicibus, ut mulieres suis mensibus, sanguinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari consueverat, Et cum ex nigro arquato, jecorisque mira duritie periisset, Num portæ rami, an cavæ hunc sanguinem evacuarent, judicaturus, illum dissecui, atque venæ portæ ramum, sub coli intestini fine, & tota recti longitudine in mesenterio ductum, pollicis fere crassitiem æquare & sanguine turgere animadverti, conterminis venæ cavæ ramis nihil prorsus immutatis. *Vesalius l. 5. c. 15. de Hum. corp. Fabrica.*

Hæmorrhoidum inflammatio ob mesaræum Gangræna vitiatum.

Obiit uxor Rondeletii intra paucos dies ex hæmorrhoidum inflammatione, quam maritum celare voluit: Dum affecta sedes investigatur, extrema Mesaræi pars à gangræna occupata occurrit. *Ioubertus in Vita Rondeletii.*

HEMICRANIA
Vid.
CAPITIS DOLOR

HEMIPLEGIA
Vid.
PARALYSIS.

HEMITRITEOS
Vid.
FEBRIS SEMITERTIANA.

HEPATIS MORBI.

HEpar est magna glandula de genere conglomeratarum, ex cujus vasis excretoriis in truncum abeuntibus enascitur vas illud amplum nomine pori bilarii insignitum, imo & vasa alia minora, radices cystidis bilariæ dicta: quæ omnia inserviunt abducendæ bili, per viam fermentationis, aut percolationis, vel per utramq; etiam simul, in hoc viscere, efformatæ; vel tantum à sanguine, per varias arteriæ hepaticæ ac venæ Portæ ramificationes, in glandulas ex quibus tota ipsius assurgit moles, accedente, secretæ. Ex hac compendiariâ admodum descriptione, quis non videt, si vel secretio bilis impediatur vitio glandularum viscus componentium, vel vitio fermenti, si aliquod tale in hac operatione naturæ detur, ut plurimis non mediocris nominis perplacet: vel eadem bilis secreta propter obstructum porum bilarium aut ejus præcipuos ramos, in intestina delabi non valeat. vel viscidior reddita imperfecte tantum illuc defluat: vel acrior, fluidior, ac serosior facta colatoria sua canalesque inde assurgentes vellicans, imo etiam corrodens, abundantius decurrat: Quis, inquam, non videt inde procreatum iri multiplices morbos, inflammationes, tumores, ulcerationes, fluxus biliosos imo fluxus hepaticos &c? de quibus hic particularius quid non adjiciemus, sed continuo ad ea quæ de hepatis morbis eorumque remediis, in genere adducit Clariss. Thomas Willisius descendemus, illique adjungemus pro more Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicas Inspectiones ex variis. Sic autem Clar. Willis.

Hepar siquidem colatorii, & juxta nonnullos, visceris mixtorii munus obit, raro aut nunquam atrophiæ, aut extenuationi obnoxium reperitur; quin è contra plures ob causas & occasiones quoad molem augeri, & diversimodis ingestis, & concretionibus infarciri, ac intumescere periclitatur. Hinc sanitatis ratio haud levis in hoc consistit, ut jecur rite conformatum, sanguinem usque libere absque tributo, seu vectigali nimio sibimet arrepto, trajiciat.

Profecto multa huic visceri, uti & lieni, & quidem haud prorsus immerito vitia imputantur; quorum genera præcipua attingemus. Hepar sæpe, ac potissimum, in his duobus; uno scilicet aut altero solet delinquere: viz.

Primo quod succum nutritium aliis partibus destinatum intercipiens proprio impertit usui. Hoc passim cernitur in pueris Rachitide affectis; quin & multis aliis vitam desidem & otiosam agentibus. Olim apud Romanos ars fuit anserem ita pascere, ut hepar in immensum accrescens totum præterea corpus præponderet.

Secundo aliud hepatis vitium est, quod sanguinis depravati fœculentias & recrementa quæque oblata in recessus suos intimos, facile nimis suscipit, eaque retinendo non modo grandescit, sed quoad ductus suos obstruitur; unde sæpenumero icterus, aut hydrops, quin etiam tumores & concretiones præternaturales varii generis contrahit.

Ad geminum hunc censum plures & diversimodi jecinoris affectus referri debent: de quibus singulis pathologias particulares instituere haud nostri propositi est. Quod spectat ad generalem hujus visceris pharmaciam, unus erit principalis medendi scopus, nimirum ut fiscus ejus, quantum fieri possit, diminuatur, aut omnino præscindatur. Itaque hæc duo procurare oportebit, viz. ne jecur succum nutritium sibi nimis accipiendo supra modum accrescat & ne sanguinis fœculentias retinendo, obstructionibus & tumoribus præternaturalibus afficiatur.

Utraque hæc visceris hujus delicta, multo facilius erit præcavere quam curare. Enimvero prius efficietur, habita tantum ratione ut sanguis in crasi sua bene constitutus, & circulatione libera potitus & succum nutritium ad partes & præsertim extimas dispenset, & recrementa quæque sua ad particularia cujusque emissaria propellens, ibidem deponat. Et quidem medicamina hepatica vulgo dicta, virtutem suam per sanguinis lustrationem, potius quam hepatis emendationem prius & immediatius exerunt: ista nimirum ejusmodi particulis constant, quæ cruorem subingressæ, cumq; eo non miscibiles, massam ejus adeo exagitant, inque minutias frangunt, ut coagulationibus & concretionibus quibusque inhibitis fœculentiæ & impuritates omnes facile abscedant, inque propriis emunctoriis depositæ foras convehantur.

Remedia enim vero omnia quæ dicuntur splanchnica, primo in sanguinem operantur, ejusque partes constitutivas in effervescentiam quandam incitant, adeoque comminuunt, dividunt, & huc illuc rapidius adigunt, ut effluvia vaporosa in habitum corporis, recrementa serosa in renes, biliosa in hepar, atrabilaria in lienem, aliaque in alia emissaria quibusque adaptata, sine impedimento aut adhæsione secludantur.

Quapropter eadem Pharmata quæ hepar, etiam lienem, renes, pulmones, & reliqua viscera in secretionibus suis juvant, & plerumque diaphoresin & diuresin movent. Siqua unam aliquam præ aliis partem virtute quadam specifica respicere deprehendatur, ideo est, quia eorum particulæ, recrementis intra viscus illud secernendis magis affine, & proinde associatæ, una cum ipsis illuc ferantur. Propter hanc rationem, Rhabarb. curcuma, chelidonia major, cum multis aliis humoris biliosi adjuncta, facilius ductus felleos petunt, & in ictero prodesse solent. Hujusmodi medicamentorum energias, & operandi modos supra notavimus. Quod ad reliqua hepatica vulgo dicta spectat, primo eorum quæ hepatis accretionem nonnaturalem, dein quæ obstructionem & tumores ejus præternaturales præcavere, aut tollere perhibentur, formulas quasdam breviter subdemus.

1. Contra hepatis, accretionem nimiam sive nutritionem improportionatam, imprimis diæta parcior & tenuior, somnus brevior, & exercitia crebra & moderata conveniunt: quare infantibus & pueris, si quando huic affectioni, uti & Rachitidi obnoxii deprehenduntur ut lac tenue & serosum sugant, nutricum brachiis quotidie agitentur, & huc illuc ocius rotentur, aut in curru aut cathedra rapide vehantur, & quamprimum pedibus uti ac incedere discant, præscribimus.

♃. Aq. limacum, lumbricorum, an. ℥iii. syrupi è cichoreo cum Rhabarbaro ℥ii. spir. salis Armoniac. cum gum. Ammoniaco ℈i. misce, sumatur coch. i. vesperi, & primo mane.

♃. Radicum filicis maris, cherefolii, eryngii condit. an. ℥i. fol. agrim. linguæ cervinæ, veronciæ maris, an. Mi. ras. eboris C C. an. ʒii. santali albi li citrin. an. ʒi. passul. exacinat. ℥iß. hordei ʒiij. coquantur in aq. fontan. lib. iii. ad ii. colaturæ adde aq. limacum, lumbricorum, an. ʒiß. syrupi de cichorio ℥ii. f. apozema, sumatur ad ℥ii. vel iii. in die.

♃. Pul. santal. alb. citrin oculor. cancri, ligni aloes, an. ʒß. salis absinthii. ℈i. f. pulvis, dosis ℈ß. ad ℈i. bis in die.

♃. Emplastri diasaponis, cerati sentalini, ana q. s. f. emplastrum hypochondrio dextro applicandum.

℞. Unguent. splanchnici ℥ii. olei absinthii ℥i. misce, f. linimentum pro regione hepatis.

Possint hic plura alia medicamenta tum methodica, tum empirica ad Rachitidem usitata referri; verum ad alia festinamus.

2. Remedia ad plerosque alios hepatis affectus dicata, simplicia sunt vel composita. Prioris generis quamplurima, ab authoribus quasi in hunc usum peculiarem procreata recensentur. Dicit Heurnius summum Deum hujusmodi remediorum magnam copiam, ob insignem eorum necessitatem mundo intulisse. Ad hunc censum referri solent, imprimis cichoracea omnia, oxalides, oxylapathi, & vegetabilia fere cuncta amarore, & nonnihil acredine (in quibus virtus deoppilativa consistere perhibetur) prædita, uti sunt absinthium, chamædrys, chamæpytis, fumaria, tanacetum, agrimonia, hepatica, lignum aloes, santala omnia, cortex tamarisci, fraxini, radices capparum, cum pluribus aliis quæ Boranices maximam fere partem constituunt; adeo cum hepar quasi diva quædam hæmatosei præficeretur, quamplurima in ejus satellitium aut subsidium pharmaca conscribi solebant.

Sales herbarum fixi, & spiritus mineralium acidi per destillationem prolicici, jure optimo ad hunc censum pertinent, utpote massam sanguineam summe exagitant, concretiones ejus dissolvunt, infarctiones expediunt, ipsamque quoad omnes ejus partes ubique permeabilem faciunt.

Chalybeata si hic prætercam, chymici plerique me hepati valde iniquum censebunt: nam siquidē veneris prærogativa, ita ut amare cogat, huic visceri vulgo attribuitur, huic certe expectare licet. Martem ei semper benignum fore, quin vero tum ratione, tum experientia constat ferri præparata in affectibus hepaticis, uti imprimis ictero, & hydrope sæpius convenire; quare hæc & veterum & modernorum recepta, & compositiones pharmaceuticas ingrediuntur. Qua ratione chalybis præparata, uti etiam acidulæ ferratæ, tum naturales, tum artificiales massam sanguineam purificant, & per consequens affectibus plerisque hepaticis vulgo dictis succurrunt, alibi à nobis satis fuse ostensum est, ut non opus sit hic repetere.

Pharmaca ab authoribus medicis jecinori destinata, in varias classes, imprimis vero in calida & frigida, insuper in humectantia & exiccantia dividuntur; juxta quod visceris istius temperies variis modis habere supponitur: cum revera sanguinis tantum dyscrasia est, quæ ita diversimode peccans ita variam medicaminis energiam desiderat. Nec minus error vulgaris est, quod in æstimandis hominum constitutionibus varium cujusque temperamentum sanguini debitum, hepati imprimis, uti calido aut frigido, aut alias disposito ascribitur.

II. Veterum Antidotariis plures extant compositiones officinales in solius hepatis gratiam designari visæ, cujusmodi sunt electuarium e scoria ferri Rhasis, crocus ferri. Balchusis, qui Theriaca mixtus ad affectus hepaticos commendabatur; species Diatrion santalon, Diarrhodon Abbatis, Trochisc. de Rhabarbaro, de eupatorio, de capparibus, Diacurcumæ, Dialaccæ, syrupus de absinthio, de cichorio, de v. radicibus, Byzantinus, cum multis aliis, quorum omnium formulis, virtutum pro curandis quibusque jecinoris catalogus ingens subjicitur. His autem posthabitis, libet modo juxta recentiorum praxin, pharmacorum quæ deoppilativa habentur, species & exempla quædam proponere.

Itaque pro decocto aperiente.

♃. Radicum filicis, cherefolii, urticæ majoris, Taraxici, ana ℥j. foliorum Agrimoniæ, linguæ cervinæ, veronicæ, Botryos, hepaticæ, ana Mj. santali albi, citrini, ana ʒiii. rasur. eboris, ℥ß. cicerum rubr. ℥j. sem. coriandri ʒiii. passul. ℥ij. coq. in aq. fontan. lib. iiij. ad ii. addendo sub finem vini albi ℥iiij. f. colatura per manicam Hippocratis, cui impone spec. diarrhod. Abbatis ʒj. chalybis nostri præp. ʒij. colaturæ adde syrupi de cichorio cum Rhabarbaro ℥ij. Aq. limacum, lumbricorum, ana ℥j. dosis ℥vj. bis in die post dosin electuarii sequentis.

℞. Conserv. flavedinis Aurantii, limonii, an. ʒii. absinthii, fumariæ, ana ℥j. pulv. radicum Ari simplicis, santali citrini, ligni aloes, radic. capparis an ʒiß. oculor. cancri ʒj. salis absinthii ʒii. Syrupi de fumaria q. s. f. electuarium, dosis qu. nucis juglandis bis in die superbibendo haustum Apozematis modo descripti, vel aq. destillat. sequentis.

♃. Folior.

℞. Folior. absinthii, centaurii, Tanaceti, Abrotani utriusque, comarum tamarisci, ana Miiii. Iuglandium virid. lib. iiii. linguæ avis sive sem. fraxini viridis lib. ii. cortices exteriores 10. Aurantiorum: iiii. limoniorum, limacum, lumbricorum præp. ana lib. j. incisis omnibus affunde vini albi lib. viii. destil. organis communibus, liquor totus misceatur. Dosis ℥ii. edulcorando cum saccharo, vel syrupo idoneo.

Si formula pilularum magis arridebit, extractum sequens ecphracticum in officinis dictum, utile videtur.

℞. Tartari albi pellucid. & limaturæ ferri recentis, ana ℥iiij. simul terantur in pulverem, dein coq. in aq. fontan. lib. iiii. ad ij. (nonnulli vino albo utuntur.) Colaturæ adde summitatem centaurii, absinthii pontici, cardui, ana Mj. rad. gentian. ℥ß. spec. diacurcum. ʒiß. effervesiant clause per horas iii. vel iiii. f. colatura, quæ leni balnei calore evaporet ad consistentiam pilularum, addendo si libet Trochisc. de Rhabarb. vel specierum hieræ picræ ʒii. dosis. ℈i. ad ʒß. in pilulas redact. vesperi cum vehiculo idoneo.

Propter eandem intentionem, viz. ad præcavendas, vel tollendas hepatis obstructiones, cervisia medicata purgans, vere & autumno per plures dies sumenda, à nonnullis valde prædicatur, & à quibusdam quotannis per totam vitam religiose observatur.

℞. Radic. lapathi acuti præp. polypodii qu. ana ℥iii. Rubiæ Tinctorum ℥ii. Rhabarbari Anglicani ℥ii. folior. sennæ ℥iiii. epithymi ℥ii. santali citrini ℥i. sem. carthami, coriandri, an. ℥iß. incis. & contus. f. a. f. sacculus pro iiij. congiis cervisiæ, post vi. dies sumatur ad ℥xij. plus minus mane; expectando iv. vel v. sedes sine regimine.

Curationes.

Partium universæ corporis humani œconomiæ studentium maxima est habenda ratio; earum præsertim in quibus fixere sedem facultates principes, unde veluti ex uberrimo penu ignobiliora membra sustentantur, & in eadem spiritus & humores functionum prima instrumenta tanquam ex scaturigine derivantur. Hepar sanguinis corpori alendo destinati promum condum viscus, benigni succi naturam foventis officina, maximam Medici curam præ nobilitate sua totum corpus in affectuum suorum parilitatem trahente exigit; & sicubi principiis obstandum, id in hepatis morbis pernecessarium, qui eo gravius & periculosius provecti instant, quo lentius & minus perceptibiles sub obscuris principiis sese in intima parenchymatis sensus obtusissimi insinuant. Porro frequentissime Intemperie omni, quæ sanguini aliquam præternaturalem qualitatem impertit, conflictatur Hepar: non minus frequenter obfarctu laborat, ob exiles venarum ex ipsius corpore in caudicem crescentium radices. Nonnunquam corruptelam in propria substantia patitur; sæpe imbecillitatem experitur, ejusque vitiatur tonus; ex quibus ejusdem visceris tumores, abscessus, ulcera, magna symptomatum caterva stipata enascuntur.

Medicamentis quibus hepatis affectibus variis obviam eatur, præmittendum duxi universale Specificum Hepaticum quod vel per se usurpetur vel aliis plerisque sit pro vehiculo. Quippe remedia partes formali qualitate vel similitudine substantiæ respicientia, in easdem possunt etiam contrarias quasvis qualitates facile inducere.

Jecur sumatur ex recenter occiso animali, vitulo, nefrende, lupo, lepore, cervo, cujus hepar sicut & columbæ felle caret; fel ex aliis eximatur diligentissime. Hepar per tenues taleolas secetur, atque in clibano post exemptum panem blandissimo calore siccetur & servetur usui. Eodem modo poterit præparari hepar hominis juvenis sani laqueo interempti.

Sanguis cervi mense Maio exceptus post coagulationem manibus rumpatur, multumque agitetur, distillatur in B. & excipiatur stillatitius liquor. Massa vero sang. in assere aut disco argenteo extendatur, atque exactissime in clibano siccetur ut supra.

Menstruum hepaticum optimum parabitur ex veronica, agrimonia, eupator. Avicen. plantag. cichor. scabios. card. bened. ulmar. absinth. plurimo, nasturtio aquatico, anagallide aquat. pist. vasis lapideis optime obturatis inclusis & post aliquot menses distillatis. Si aliquid fermenti addatur, melius fiet fermentatio, & aqua potentior erit, extillabitque cum spiritu ardente.

℞. Jecoris cervi præsertim, vel si desit, alterius animalis ut supra præparat. siccissim. ℔i. sanguin. ut dict. est siccat. ℔ß. rad. siccar. (quemadmodum omnia reliqua simplicia debent esse siccissima) enul. gentian. ana ℥ii. rad. chelidon. maj. ℥iiii. rad. filic. fœm. cyper. rub. tinctor. petroselin. fœnicul. apii ana ℥iiß. rad. cichor. eupator. Avicen. plantag. ana ℥iij. fol. absinth. utriusque, eupator. Mesu. summit. centaur. min. ana ℥ii. fol. chamædr. chamæpit. veronic. mar. ana ℥i. fol. hepatic. salv. vit. alias rut. murar. herb. Robert. scabios. brunell. bugl. ophiogloss. fl. lupul. ana ℥ii. sem. Aquileg. & securidacæ ana ʒvi. cortic. exter. citr. sicc. rad. tormentil. sant. citrin. rhabarb. elect. ana ʒx. selectissima omnia & siccissima incidantur minutissime, redigantur in pulverem, iisque affund. phlegmat. vitriol. cum proprio spiritu volatil. acidul. ℔iiii. aq. ex sanguin. extract. ℔i. hydromelit. malvatic. vin. Canarin. an. ℔iii. vin. Alicant. ℔ii. succor. per resident. depur. baccar. dulcamar. & alkekeng. ana ℔i. succ. lupul. plantag. fumar. cichor. ana ℔iß. succ. limon. & berber. an. ℔ii. f. digestio in fimo equino vase probe clauso per octiduum, deinde expressio, liquoris in B. depuratio, & per chartam bibulam colatura, tandem ejusdem ad mellaginem coagulatio in B. vaporis.

℞. Istius mellaginis ℥viii. crem. tart. alb. ʒij. trochisc. Mart. aper. ℥iß. tinctur. corall. cum acid. quercus ℥i. magister. eorund. & perlar. dulcis, ocul. cancr. præp. an. ʒx. C. C. usti, succin. alb. præparati an. ʒvi. spodii ex ebore & C. C. an. ʒiii. ambr. gris. ʒi. moschi oriental, ℈i. pulp. passul. cum decoct. cichorii & agrimon. extract. ℥iiii. ms. & lentissimo calore f. Elect. reservand. vase vitreo vel fictili vitreato probe clauso.

Poterit in morbis hepatis per se exhiberi istud specificum, superhaust. jusculo hepatico; vel etiam aliis admisceri pro vehiculo. V. g. si exhibeatur potio purgans hepar, dissalvatur ʒi. istius Electuarii. Si dentur pilulæ, sic præparentur.

℞. Mass. pil. de ammoniac. & de rhabarb. an. ℈i. specific. hepatic. ℈ß. ms.

Ad Bolum. ℞. Cass. fistul. rec. è cann. extract. ℥ß. diaprun. solut. ʒij. rhabarb. elect. ʒj. specific. hepat. ʒß. sp. vitriol. gutt. iiij. Ms. f. Bolus.

Eodem

Eodem modo admisceatur alterantibus: v. g. si paretur Opiata chalybeata hepatica, ad ejus ℥iiij. addatur ℥ß. specific. & sic de cæteris.

♃. Rad. cichor. tarax. fragar. oxylapath. ana ℥j. fol. hepat. fumar. pimpinell. agrimon. chamædr. ana m. j. flor. lupul. p. ij. santal. citrin. ʒiijß. lign. rhod. ℥j. f. decoct. in qua omnia hepatica poterunt dissolvi; sicut in aq. hepatic. sequente.

♃. Rad. siccar. cichor. tarax. fragar. pentaphyl. oxalid. oxylapath. ana ℔ß. rad. chelidon. major. ℔j. rad. asari, fœnicul. asparag. petrof. eryng. lign. rhodii, sant. citrin. ana ℥iiij. fol. sicc. agrim. fumar. pimpinell. chamædr. chamæpit. eupator. Mesu. ana ℥iii. absinth. utriusque ana ℥iijß. succor. per resident. depurator. cichor. endiv. acetos. plantag. ana ℔ij succor. ribes, berber. limon. ana ℔iij. succ. bacc. solan. lignos. sive dulcamar. &c. bacc. alkekeng. ana ℔iiij. pomacei defæcatissimi non vappidi ℔xx. omnia debito modo præparata in uno vel pluribus vasis probe obturatis macerentur per octiduum in fimo equino, deinde f. distillatio.

Aqua quæ extillarit vel servetur per se, vel cum floribus cichor. veton. rub. rof. rub. & spir. vitriol. corallat. rubedine tingatur & servetur ad usum.

Aqua ista poterit exhiberi vel per se ubi simplici alteratione opus est, vel esse aliis potentioribus pro vehiculo. Quidquid sit, quoties partis alicujus curatio suscipitur, satius est specifica sumere, eaque juxta indicationes accommodare; quàm vulgaribus vel obviis quibusvis promiscue uti, sine ulla solidi alicujus effectus vel expectatione vel certitudine.

Hæc de Hepatis affectibus eorumque curatione in genere: Pauca subnectam de correctione intemperiei hepatis calidæ indeque exæstuantis sanguinis, ptisan. præsertim aliorumque liquorum consimilium frigidorum ope.

Ptisana erat hordei ad putrilaginem cocti pulmentum, ei haud absimile quod nunc præparatur ex hordeo mundato in olla fictili cocto, affuso jure capi aut gallinæ donec hordeum tenerescat; jus vero inspissetur. Sumitur vel pars liquidior seorsim, & pauxillo salis condita propinatur; vel teritur ipsum hordeum, & per setaceum pannumve trajicitur, affusa portione liquidiore ad faciliorem transcolationem; colaturæ additur pro condimento (habita dispositionis ventriculi & affectuum corpus exercentium ratione) aq. rosar. sacchar. sal, macis, cinamomum. Huc referendum Hordeatum proprie dictum sive hordei cremor, ex hordeo eodem modo in aq. cocto in mortar. marmor. contus. & traject. cui, aq; decoctionis permisto, adduntur aq. rosar. & inter terendum nonnunquam amygdala, sem. frig. majora mundata, pineol. pistach. mica panis alb. pulpa capi aut perdicis, sem. papav. alb. &c. juxta varias intentiones. In principiis morborum acutorum convenit istud alimentum, quod satis sustentat naturam, eamque nullo modo onerat, vel ab humorum morbificorum coctione avertit, neque pravorum succorum incendio ansam subministrat; immo mustum refrigerat & humectat.

Nunc ptisanam vocant, præsertim Galli, decoctum glycyrrhizæ, vel simplex, vel quod addito hordeo, passulis, prunis, ficubus, rasura C. C. vel eboris, radicibus aut herbis hepaticis, pectoralibus, aliisve ad varias affectiones cócinnatur; ita tamen ut glycyrrhiza cæterorum basis habeatur. Radix ista ἄδιψος est, & gratum præbet potum ad restinguendos febrium æstus, cujus quantitatem venis alioquin gravem & præcordiis noxiam, diuretica facultate blande eliminat, & per urinæ vias educit.

Ptisana sicca, sic vocata quod ejus species in sacculo ex aluta, vel pyxide circumferri possint, ut in rem præsentem, citra decoctionis incommodum, sola aquæ supra pulverem trajectione iterata, ad hunc modum fit.

♃. Pulv. subtil. glycyrrhiz. Hispan. ℥iiij. sem. anis. & coriand. ana ʒij. cinam. inter. ʒj. sacchar. crystallin. ℥vj. f. omnium pulvis. Tota hæc quantitas est pro ℔xvj. aq. quæ per manicam super pulverem toties trajiciatur donec ejus virtutem attraxerit.

Ex solo pulvere glycyrrhiz. in aq. citra calorem externum macerato ad tincturæ extractionem fit ptisana grata; eximie sitim sedans & refrigerans: huic autem species quædam ventriculo roborando dicatæ plerumque adduntur. Ubi vero impensius refrigerare, ardorem extinguere; & sitim sedare est animus, lapis prunellæ addi potest in ea quantitate, ut pars una lap. prunel. partibus 4. pulv. glycyrrhiz. respondeat.

Aq. hordei item ptisanæ accensenda est, ægris æstuantibus æque utilis ac grata. Eam solent præparare mulieres ipsæ clinicæ hoc modo: Hordei mundati parti 1. affundunt aq. partes 12. coquunt per dimidium horæ quadrantem, aquam effundūt affunduntq; aliam vicissim ad tertiā usque vicem: tandem quarta vice percoquunt, donec hordeum coctione emollitum digitis facile attritum diffluat. Aquam per residentiam sinunt depurari.

Aqua, primum frigidum, simplicissimus potus, bene dispositis, validis & perviis naturalibus visceribus non inconveniens: debili ventriculo, venis obstructis noxia, & tardæ distributionis. Levissima & maxime insipida optima. Hujus imaginariam cruditatem dum coctione longa plerique etiam Medici corrigere satagunt, abeunte in auras tenuiori & magis aërea ipsius portione, à refrigerandi scopo longissime aberrant. Equidem satis corrigi aquæ cruditatem arbitror, si crusta panis optime torrefacta, calens indatur, & per aliquot horas in ea maceretur. Aqua fit coloris flavescentis.

Permiscentur etiam aquæ succi vinosi fragorum, cerasorum, ribes, & quæ ex iis concinnantur sapæ sive Rob; syrupi item aciduli, acetos. simpl. de limon. de acetosit. citr. & alii, violac. pomor. &c. spiritus denique acidi, vitriol. sulph. salis. Ipse sæpius febricitans sitim fœliciter restinguo aq. cruda saccharata, in quam taleolæ integræ limonum projectæ longa agitatione, & liquoris de vase in vas transfusione, acidulum simul saporem, & corticis aromaticam qualitatem magno ventriculi cordisque commodo in aquam deponunt.

Locum hic habet Turcarum Sherbet, quo Mahumetis lex abstemios vivere jubet. Illi in calidissimis regionibus viventes acidos succos ribes, berberis, aurantior. citri, & similes cum saccharo coquunt in conservam solidam, cujus portionem aqua dilutam hauriunt. Hujus condituræ

diturae præparandæ hæc sint paradigmata. Succus (v. g. Citri) per residentiam depuratus decoquatur lentissimo calore (in B. M.) ad mellaginem; saccharum purissimum pulverizatum in patina argentea caleffat semper movendo spatula: Et bene exsiccato, paulatim irrorando, affundatur mellago dicta in parva quantitate, continuò agitando, donec tandem tantu saltem sit humidi quantum opus est ad ligandam & formandam pastam, ex qua adhuc calente fiant morselli reponendi loco sicco, & si fieri possit aliquantum calido. Id quod in omnibus confectionibus saccharatis solidis observandum, quæ aliquid acidi recipiunt; quippe dum acidi sive spiritus sive succi sese in sacchari corpus (quod plurimo acido abundat) insinuant, solvitur corporis unio, & fit dissolutio salis qui abit in liquamen. Aliter ex Aurantiorum succo: Saccharum pulverizatum in paropside vel concha argentea plurimùm caleffat, affundatur paulatim succus recenter expressus, continuo agitando donec fiat pasta, ex qua pene resiccata formentur morselli penitus siccandi & reponendi in pyxide loco sicco. Eidem usui inserviet in aqua dissolutum rob de rib. & rob de berber. in quo debitè præparando est operæ pretium.

♃. Aq. fontan. q. v. superponatur igni, cúmque erit ebullitioni proxima, non tamen bulliet, (id quod in tota hac operatione est summopere cavendum, si enim vel tantillum bulliat materia, denigratur instar atramenti.) Injiciantur fructus berber. maturi in ea quam voluerit quantitate; post dimidium horæ quadrantem eximantur, & pulpa trajiciatur per setaceum; mox additâ pari sacchari quantitate in ampla patina fictili vitreata, semper agitando, levissimo igne sine ebullitione coquatur ad debitam consistentiam, (saccharum autem priùs clarificetur) & fiet rubicundissima conserva.

Prædicta omnia Aquæ vel cruditatem corrigunt vel promovent distributionem: utramque verò intentionem omnium optimè perficit Vinum, cujus vel minima quantitas aquæ permista eam in penitissimas venulas deducit, & facit ut multo potentiùs refrigeret. Neque metuenda est vini noxa in quibusdam morbis etiam calidis, cum spiritus ipsius inflammabiles per aquam retusi evanidi reddantur.

Ab hepatis obstructione mala plurima enascuntur; quapropter sedulo obfarctus ejus amovendi sunt; quod à sequentibus optime fiet.

♃. Mass. pil. stomach. cum gum. ℈j. extracti colocynth. cum spir. vini parat. gr. ii. vel iii. ol. anis. gutt. ii. ms. f. Pil. numero 3. quas deglutiat alternis diebus horâ dimidiâ ante cœnam.

♃. Rad. cichor. tarax. oxylap. an. ʒiii. polypod. rec. fol. senn. mund. an. ℥ß. fol. hepat. & fumar. an. m. ß. flor. cordial. p. ii. sem. anis. & fœnic. an. ʒß. glycyr. ʒi. crem. tartari ʒiß. f. omnium decoctio & colat. cui adde infus. ʒii. rhabarb. seorsim factæ in aq. pomor. redol. cum ℈ii. santal. citr. Reduc. omnia ad parvam dosin in qua dissolve syr. ros. pallid. comp. cum agar. ℥i. man. Calabr. ℥ß. Ms. F. Potio danda in aurora cum debita custodia horis tribus ante jusculum.

♃. Rad. cichor. tarax. oxylap. oxalid. an. ℥i. fol. agrimon. hepat. fumar. scabios. ulmar. capill. omnium an. m. i. flor. cord. p. iiii sem. alkek. & milii solis an. ʒiii. prunor. Brignolens. jujub. sebest. an. par. v. pom. redol. per frusta sect. cum cortic. numero 4. fomnium decoctio in s. q. aq. hord. add. tartari alb. subtil. pulv. ℥j. Colatura clarific. leni coctura, reduc. ad ℔iiß. in qua dissolve syr. viol. de cichor. simpl. & acetos. citri an. ℥iß. julap. rosat. ℥i. Ms. f. Apozema aromatizand. ℈iii. sant. . citr. pro iv. dosibus bis in die sumendis longe à pastibus.

♃. Rad. graminis, fœnic. petrosel. an. ℥i. cicer. rubr. cappar. à sale mund. an. ℥ß. sem. alkek. & milii solis an. ʒiii. sem. melon. rec. ʒv. sem. carthami rec. in aqua subsid. ʒvi. includ. ventre pulli, qui consutus elixetur cum frusto carnis vitulinæ, addendo sub finem coctionis fol. agrimon. pimpin. borrag. bugloss. oxalid. oxylap. an. p. i. calend. chærefol. hyssop. an. p. iß. reduc. ad quantit. jusculi unius, in quo per pannum stamineum colato dissolv. crem. tartari albi chalybeat. ʒi. exhib. mane horâ dimidiâ post fotum.

♃. Cons. flor. genistæ, calend. summitat. meliss. absint. pont. vel vulgar. an. ℥i. conf. Alkerm. ℥ß. rad. chelidon. maj. sicc. verm. terrest. præp. C. C. præp. cum aq. cinam. ocul. cancr. præp. an. ʒvi. flaved. citri & aurant. sicc. an. ʒiiiß. magist. perl. corall. lap. gagatis præp. an. ʒiii. cinam. C. C. ad albed. usti an. ʒii. diacurcum. ʒiß. troch. dialacc. de eupator. & de absinth. an. ℈iiii. ambr. gris. ʒi. crem. tartari chalybeat. nigri ℥iß. croci Martis aperient. ℥iii. Ms. & cum syr. veton. rubr. & caryoph. arom. f. Elect. instar opiatæ, de quo capiat quotidie mane ℥ß. superhausto vini albi tantillo, superambulando horis 4. ante prandium quod differendum est donec ventriculus ab omni pondere liber percipiatur. Si quod autem incommodum sentiatur in ventriculo, octavo vel decimo quoque die capiat ℈i. Pil. coch. min.

♃. Rad. cichor. ab interiori parte lignosâ mundat. & diligenter sicc. ℔ß. rad. oxalid. gram. fœnic. cort. rad. cappar. & tamarisc. an. ℥iiii. santal. citr. ℥ii. rasur. C. C. rec. ʒiii. rasur. ebor. ℥iß fol. sicc. agrimon. scabios. veron. fœm. an. m. ii. fol. ceterach. m. iii. sem. coriandr. ℥iii. nuc. mosch. numero iiij. cerevis. fortior. gallon. viii. post debitam fermentationem propinetur cyathus magnus mane & vesperi horis duabus ante pastus. Poterit etiam in pastibus usurpari.

Rad. althææ ℥iiii. rad. ebuli, Iridis, enulæ, bryon. an. ℥iii. polypod. ℥v. fol. chamædr. chamæpit. ceterach. calend. chelidon. totius, absinth. centaur. min. chamæm. melilot. an. m. ii. flor. sambuci & genistæ an. p. iiii. sem. anis. fœnic. coriand. an. ℥i. lign. rhodii ℥ii. cort. citri & aurant. an. ℥. iii. f. omnium decoctio in tribus partibus aq. fabror. & unâ vini albi, addendo sub finem unc. vi. aceti scillit. pro fotu spongiis latis intinctis & expressis vicissim applicando per horam integram mane & vesperi.

Liniatur etiam Hepar litu sequenti.

♃. Butyri rec. ol. amigd. dulc. & viol. an. ℥i. ol. rosat. complet. ℥ii. succ. cichor. agrim. oxylap. an. ℥iiß. aq. ros. & plantag. an. ℥iß. aceti vini albi ℥iii. Bulliant ad liquorum aqueorum consumpt. mox f. per pannum lineum colatura, cui adde pinguedinis gallinæ rec. sperm. ceti rec. an. ℥ß. Ms. f. Linimentum usurpandum ad regionem Hepatis mane & vesperi superposito linteo.

♃. Massæ empl. diachyl. ireat. ℥i. diacalcit. ℥ii. cerati santal. ℥ß. picis Burgund. in oxycrato;

coct. ℥iß. liquentur simul & f. Emplastrum cujus portio extendatur in alutâ debitæ formæ, tegatur syndone & applic. *Theodor. de Mayerne Prax. Medicæ lib.* 5.

Non dissimiliter accidunt obstructiones, inflammationes, tumores, & abscessus jecori, ac lieni, qui tamen faciliùs dignoscuntur ex situ tumidæ regionis ad dextrum vel sinistrum hypochondrium. Obstructo namque, tumefactoque Hepate, præter duritiem, & inflationem, in dextro hypochondrio, percipitur sensus ponderis, præsertim in ampliori respiratione, & motu post assumptum cibum, quoniam Diaphragmati Hepar alligatur. Si verò inflammatione corripitur, etiam febris cum arida tussi comitatur, & respiratio difficilior, cum pulsu celeriori, frequentiorique, Unde deceptus Medicus ille Siculus 5. de loc. aff. cap. 7. arbitrabatur se pleuriticum esse, cum jecoris affectu laboraret. Memorat pariter Galenus eodem loco alia signa, quibus affectiones Iecinoris ab illis vicinarum partium internoscantur, ut & à Musculorum Abdominis tumore, vel inflammatione, quemadmodum refert evenisse Stesiano Abscessum inter musculos abdominis passo, quem Hepati reliqui Medici adscripserant.

Cæterum lieni accidit frequentius scirrho, hoc est tumore duro, & indolente, gravari: aitque Hippocrates lib. de Aëre, aquis, & locis à potibus aquarum palustrium, & immobilium, magnos lienes, & plenos effici, ventresque duros. Inde autem universum corpus macrescere contingit, ac decolorari, ut notavit idem Hippocrates lib. de loc. in hom. & Galen. 2. de natural. fac. cap. 9.

Quod ad obstructiones pertinet cum Iecoris, tum Lienis, eadem proderunt, quæ in Mesenterii ejusque ductuum obstructionibus memorata sunt. Speciatim verò in scirrho adhibentur emollientia, & leviter dissolventia ex gummi præsertim ammoniaco parata, qualia sunt pilulæ tartareæ Bontii, & de ammoniaco Quercetani, atque emplastrum, ejusdem. Quæ item ex chalybe conficiuntur, salubriter conferunt, cum & incidendo obstructas vias reserant, & acidum corrigendo sanguinem repurgent. Ab Hartmanno conficitur aqua æquivalens spiritui aperitivo Penoti; itemque alia philosophica dicta, seu spiritus vini tartarisatus. Apud nostrates est in usu vinum medicatum ex chalybe & vitriolo ad subrufum colorem igne pulveratis ope sulphuris & nitri. Efficacius est vitriolum ferrum Vinum etiam absinthites optimum, ut & aqua absinthii stillatitia, & ferraria. In cibum prosunt nasturtium, eruca, asparagus, fœniculum, petroselinum, siler, capparis; itemque crocus, cinnamomum, zinziber. Sæpenumero tamen scirrhus cum ægrotante consenescit, præcipuè si diutiùs opportunis remediis obstiterit; quin imo ex Hippocr. lib. de affect. in hydropem mutari solet.

Minime verò prætereundum ab obstructo tumidoque jecore, aut liene sæpissimè hæmorrhagias oriri: quod etiam animadversum à Volchero Coitero. Etenim ab horum viscerum obstructionibus, cùm non bene secernatur, repurgeturque sanguis, in causa est, ut acrem, acidamque conditionem nactus, oscilla arteriarum, & venarum aperiat, sibique viam faciat. Unde ejusmodi sanguinis fluxum nonnisi obstruentes humores inde deducentibus, acidumque temperantibus potissimum ex chalybe medicamentis brevissime cohiberi contingit, non sine vulgi admiratione.

His præterea curatum scirrhum narrat Forestus: Radicis filicis ℥. i. & radic. Cuscutæ ʒ. ii. ebullire jubet in ℥. viii. vini albi veteris ad tertiæ partis consumptionem. decoctum autem colatum patienti exhibet. Hoc etiam cerato lienis regionem inungendam mandat: ol. cappar. ℥. i. lilior. alb. amygdal. dulc. chamæmel. & butyri recent. singul. ℥. ß. succ. bryoniæ, & cyclam. ℥. i. bull. ad consumpt. succor. deinde add. gumm. ammon. aceto sol. ʒ. ii. ß. pingued. gall. medull. crur. vitul. œsyp. humid. singul. ℥. ß. pulver. cort. rad. tamar. capp. ceterach. rad. filic. singul. ʒ. i. pulver. sem. agn. cast. & genist. singul. ℈. i. ceræ parum f. cer. Testatur insuper minui lienem fotu aceti acerrimi, in quo lapis pyrites candens extinctus sit, cum spongia in regione lienis. Et Benivenius utitur capparibus pro cibo, & aquâ ferrariorum pro potu: & quidem illis capras, hac verò canes lienibus diminui compertum est. Apud Heurnium mirabile dicitur emplastrum ex Cicuta, & ammoniaco aceto dissoluto ad duritiē quamcumque emolliendam. Et ab Hildano conficitur, commendaturque unguentum de Cicuta dictum. Aliud proponitur ab Aquapendente compositum ex duabus partibus ammoniaci aceto dissoluti una succi nicotianæ, terebinth. & succi ebuli altera, dimidia resinæ pini cum ol. cappar. & ceræ novæ q. s. Plerisque splen peracuta securi iteratis ictibus scinditur, cute non dissecta; mox verò cataplasma apponitur ex verbena, sinapi, capparibus, & farina hordei, quo per alvum magna atri sanguinis quantitas exturbatur, & lien in suam naturalem molem restituitur: quod remedii genus Rusticis est familiare; idque vidi aliquando tam dextrè actum, ut certè admirationi esset. Hanc etiam medendi duri lienis rationem commemorat Cardanus de Rer. variet. De cætero purgantia validiora, vehementerque exagitantia, & obstructos ductus commoventia monitu Hartmanni vitanda sunt.

Postremò ad inflammationem Jecinoris, cautiones à Galeno traditas summoperè observandas velim ab illis potissimùm qui credunt nimium refrigerantibus, & acidis potionibus, & lituris relaxantibus, facilè citoque illam sanatam iri: cum cæteroqui ab his mors certò expectanda sit, scilicet recrudescentibus humoribus, aut promota suppuratione, quæ huic visceri infensissima est: nam ex suppurato Jecore ii solum evadere dicuntur Hippocrati 7. Aphor. 45. quibus in tunica pus continetur; omninò verò pereunt, cùm ad parenchyma usque corruptio pertingit, ex Gal. ibidem. Interdum etiam singultus, aut alvi fluxus indè subortus, est uterque lethalis, alter ex Hipp. alter ex Avicenna.

Ea igitur conducibilia duntaxat putanda sunt, quæ hærentes humores dissolvant, & per sudorem, vel urinam educant: quamquam, inquit Galenus, diuretica potiùs convenire in affecta parte

Iecoris gibba. Cum cibis commisceantur herbæ detentos succos ad vias urinæ deducentes. Victus autem tenuis sit, neque glutinosa, neque acida, neque dulcia, & constipantia admittat.

Quamvis autem dissolventia cæteris præferenda videantur, ea tamen acria nimis haud sint; quamobrem sedulo iis tantummodo incumbendum, quæ blande congestos succos diluant, & in proprios ductus promoveant. Sic quoque danda opera est, ne suppuratio insequatur. Quare ab initio suadet Petræus adhibenda esse epithemata ex saccharo saturni dissoluto in aquis, vel succis depuratis solani, plantaginis, rosarum fragariæ, quibus utile erit addere succum absinthii ex documento Galeni. At ab his parum vel nihil emolumenti sperare licebit.

Quod si suppuratio inhiberi nequeat; videaturque congestus sanguis in pus abire: quod dignoscetur ex superveniente insolito rigore, cum febris incremento, doloris reditu, & sensu fluctuationis sub dextro hypchondrio; ac patentius ex urina, vel dejectione purulenta, aut etiam ex anacatharsi, quod rarius, tunc quoad fieri poterit, promovebitur puris evacuatio per eam viam quam Natura indigitaverit, exhibitis quoque quæ roborent, & abstergant, ut & potionibus vulnerariis cum balsamo sulphuris anis. vel terebinth. Vinum medicatum ex medulla ligni guajaci, floribus rorismarini, & hyperici mire aliquando contulit; sicut pariter extractum hyperici irroratum oleo macis, vel cinnamomi. At in hoc Naturæ solertia præ cæteris valentior erit quæ ex Hipp. prima Morborum Medicatrix dicitur; &, ut inquit Galenus, mille sibi parat vias; regenerandæque carnis præcipuus opifex existit. *Lucas Tozzi Medicin. Practic. lib. 2.*

De Tumore Iecoris, Rugitu ventris, & Spirandi Difficultate. Pro Nobiliss. Raguseo.

Cum Perilustris, & Nobilissimus Iuvenis ab anno 14. ætatis ad 19. usque hæmorrhagiam ex naribus copiosissimam, & frequentem passus fuisset, hac imminuta 18. anno incidit in febrem acutissimam, & mali moris, cum exanthematibus, & carbunculo circa os sacrum; à qua immunis evasit, superveniente copiosa sanguinis excretione per nares; ita tamen convalescere visus est, ut in hanc usque diem de variis affectionibus conquestus fuerit, vertiginosa videlicet passione, capitis incalescentia, quam inflammationem capitis vocat; dolore ventriculi, cum læsa coctione, palpitatione, rugitu ventris inferioris, & difficili respiratione. Quæ quidem affectiones convalescunt æstuante Syrio, & vigente hieme; quarum cura tentata fuit hactenus variis præsidiis cum internis tum externis: imprimis vero inustus fuit fóticulus coxæ dextræ maximo cum fructu, ita ut earum plurimæ cesserint, aliæ vero remiserint. Verum quia respirationis difficultas adhuc molesta est, cum ventris aliquando rugitu, & capitis inflammatione, quandoque vero absque aliis affectionibus, videndum quid facto sit opus, quo ab hoc affectu liberetur. Quod ut ex methodo fiat, præmittenda est eius essentia, cum causis. Sic enim elicitur methodus curativa.

Affectus autem hic alius non est; quam motus imminutus musculorum thoracis, ac proinde symptoma in actione animali læsa; rugitus vero inferioris ventris, vel symptoma in excretis immodice retentis, cum cohibeantur flatus: vel actio sensitiva depravata hoc symptoma consequens; ob murmur illud insolens quod percipitur. Capitis autem inflammatio est qualitas mutata, ex primis quidem; non tamen est morbus, quia non est affectus permanens; neque luculenter lædens operationes, sed symptoma tantum. Quorum quidem omnium symptomatum causam antequam proponamus, quædam præmittemus, totius, & partium temperamentum spectantia, quæ nobis præluceant ad cognitionem morborum, & causarum à quibus ortum ducunt. Cum autem ex actionibus partium, colore, & juvantibus ac lædentibus potissimum depromantur indicia temperamenti ipsarum; censemus universale, & particulare partium principum, & ventriculi temperamentum utcunque excellere in caliditate; ita tamen ut cerebrum sit etiam humidius; aliæ vero partes parum excedant in passivis qualitatibus, & potius ad siccum vergant. Caliditas totius patet ex fusco colore, jecoris caliditate; à qua sæpe dependet temperamentum totius corporis, ex Lib. Art. Medicinalis Gal. Iecoris autem caliditatem prodit venarum amplitudo, redundantia sanguinis per nares excreti, febris acutissima, qua laboravit & excreta biliosa, & melancholica per alvum; caliditatem autem cerebri cum humiditate, color niger capillorum, crisporum utcunque, facilis capitis incalescentia, excrementa furfuracea, somni profunditas, & venarum in oculis conspicua turgentia. De ventriculi vero caliditate; vel frigiditate nondum satis constat, cùm coctionis vitia utramque causam agnoscant. Licet autem major sit flatuum proventus à frigido; quam à calido; attamen cùm vitiata concoctio in patiente Nobilissimo fuerit corruptio ciborum ad nidorem, quæ caliditati non verò frigiditati adscribenda, atque dolores; quos passus est; fuerint acuti, pungitivi, & veluti erodentes, susceperitque juvamentum à refrigerantibus, usu scilicet seri lactis caprilli, nocumentum verò à calefacientibus, inunctionibus, fomentis, & pannis calidis applicitis, determinandum censemus ventriculum excedere in caliditate; à qua etiam intemperie flatus coacervari possunt, quando loco perfectæ chylificationis fit ciborum exustio in ipso: quæ tamen caliditas non est morbosa, nec valde præpollet: hujusmodi enim non solum flatus generaret, sed & resolveret. Quemadmodum enim ab excedente frigiditate non generantur flatus, quia non fit actio; ab intensa caliditate vicissim excitantur, & resolvuntur ob vehementem actionem: ita ab ea non valde excedente produci poterunt, non tame resolvi; non secus ac anni tempore calidissimo, & frigidissimo silent venti, non autem mediis temporibus. Verum quidem est; quod affectionum propositarum aliquæ fieri possunt etiam sine intemperie calida ventriculi, corruptio videlicet ad nidorem, dolores, & flatuum copia, ex sola nempe materia biliosa à jecore trasmissa ad ventriculum; ut propterea inæqualis intemperies constituatur, calida scil. ratione materiæ; frigida verò, ratione solidarum partium. Attamen in casu præsenti non fiunt hæc accidentia à

materiæ præsentia, sed ab intemperie solidarum partium, quandoquidem ante seri usum ventriculus vacuus esse debuit à materia biliosa; ut ideo ratione partis solidæ frigida seri potio noxæ esse deberet: quod non contigit omninò, præterquam quod aliquando saltem adfuisset cruditas ad acidum, ob frigiditatem solidarum partium, cum non semper confluat bilis à jecore ad ventriculum; quæ tamen cruditas nunquam se prodidit. Ratum itaque sit, cerebrum ad calidum & humidum, ventriculum, jecur, & totum corpus ad calidum vergere, cum levi excessu siccitatis.

Quibus sic statutis, non est difficile reddere rationem symptomatum propositorum. Caliditas enim capitis, quam pro inflammatione habet dependet à vaporibus calidis ex venoso genere exhalantibus: rugitus in abdomine, & vitiata coctio ventriculi, à caliditate ipsius, & jecoris cibos assantibus, & in flatus convertentibus. Obscurior autem & abstrusa magis est causa difficilis respirationis, cuius essentia in eo sita est, ut non possit libere attollere thoracem, quo totum aërem commode admittat, sed in media dilatatione cogatur quiescere. Hæc autem multas agnoscit causas, omnes tamen ad morbum in via reducendas, qui cum possit esse subsidentia, obstructio, compressio, coalescentia, & adstrictio; triplex erit in præsenti causa, subsidentia videlicet pulmonum: obstructio nervorum ad musculos perreptantium; & compressio diaphragmatis à jecore facta; quod ideo comprimit diaphragma, quia laborat insigni obstructione, quæ potius tumor ad scirrhum vergens nuncupanda venit, quam simplex obstructio Quæ autem sit vis tumorum, cum lienis ad intercipiendam respirationem, fidem faciunt qui iis laborant, non solum inflammatoriis, quorum est indicium præ cæteris difficultas respirationis, sed etiam scirrhosis & scirrhis exquisitis, quum à graviori pondere harum partium comprimitur diaphragma, ac proinde intercipitur respiratio. Accedit & secundo levis quædam obstructio, vel semi obstructio potius nervorum ad musculos thoracis dispersorum; cujus ratione non confluit ad eos ea virtutis, & facultatis vis, quæ illis movendis omninò, & thoracis commode perfectè diducendo par sit. Locum etiam habet aliqua pulmonum subsidentia, ex copia materiæ in ipsis contentæ. Quanquam enim de tussi non conqueratur, quæ solet indicare materiæ copiam in pulmonibus, hoc tamen non est signum demonstratiuum eos vacare materia; quia quando hæc non irritat, tussim non excitat, qualis ista est, ut patebit. Atque ita constat symptoma propositum à tribus morbis dependere, subsidentia scil. obstructione & compressione, ac proinde à morbo in via. Nunc causas horum morborum inquirentes, dicamus, subsidentiam, & obstructionem ab una eademque causa dependere, destillatione scilicet materiæ pituitosæ à capite. Quotiescunque enim caput est calidum & humidum, est semper opportunum destillationi, [illegible] multis excrementis redundat, collectis per attractionem, & generationem, quæ decumbunt ad partes inferiores, & potissimum ad nervos musculis thoracis dicatos, ad pulmones, tanquam partes imbecilliores; tempore calidissimo imprimis, quia ab insigni caliditate liquantur humores; frigidissimo vero, quia & excedens externa frigiditas per compressionem destillationes inducit, ut propterea affectiones propositæ his temporibus conualescant, Verùm præter has causas statuere quinetiam possumus; quod ad venas pulmonum confluat copia illius sanguinis, qui olim per nares excernebatur, qui cum sit & crassior, & copiosus, potest gravare pulmones, & sic impedire ipsorum dilatationem, non vero irritare facultatem expultricem, excitate tussim. Quia vero affectionem propositam auget jecoris tumor, hujus etiam causam censemus materiam cùm pituitosam, tum melancholicam; pituitosam quidem, non genitam ob intemperiem frigidam ventriculi, sed potius ob excessum caliditatis jecoris attrahentis chylum à ventriculo non elaboratum, & crudum, atque ita coacervantis copiam humoris crudi, & pituitosi; accedente etiam inordinata vivendi ratione in sex rebus non naturalibus, quæ accumulare potest excremẽta. Melancholica vero genita est ex sanguinis assatione à jecore fervido; cui intemperiei naturali accedit & morbosa calida & ipsa, à virulentia Gallica, qua alias laboravit, cum non semel, sed sæpius gonorrhœam passus sit. Quantum autem polleat lues hæc ad iecoris noxam, palam faciunt, qui censent subiectum huius esse ipsummet iecur. Unde etiamsi non existimaverim superesse adhuc aliqua huius vestigia, cum multos annos nullo se symptomate proderit, suspicione tamen prorsus non vacat, à lue præterita iecur intemperatum magis redditum fuisse. Atque hæc de causis præsentium affectuum. De præteritis enim frustra est consilium; ut propterea neque de vertigine, neque de ventriculi dolore, aut aliis symptomatibus agendi locus sit.

Ex His colligere est, patientem Perillustrem pristinæ sanitati restitutum iri, cum quia iuvenis est, tum quia affectus propositi non sunt adeo graves qui respuant medicam opem. Quod tamen adeo in proclivi non est, propter iecoris obstructiones, quæ difficulter removebuntur, & partium intemperies naturales, quæ novam materiam iugiter subministrare poterunt.

Quo autem voti compotes simus, materia in pulmonibus, nervis thoracis, & iecore collecta, necnon quæ in capite, & ventriculo, ut pote quæ potest affectiones propositas fovere, est evacuãda sensibiliter & insensibiliter; primo autem attenuanda, & incienda; intemperies partium quidem corrigenda, exsiccantibus humidam capitis, refrigerantibus vero cum eiusdem, tum calidiorem iecoris, ventriculi, & totius corporis intemperiam; præmissa tamen totius cura. Quæ præstabuntur præsidiis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæta.

Quoad Chirurgica, venæ iecorariæ sectio est apprimè necessaria, habita quinetiam ratione hæmorrhagiæ præteritæ iam supressæ; statutisque temporibus educetur ex venis aut hæmorrhoidalibus, aut saphena, quando illæ non intumescunt.

Pharmaceutica sint primas vias lenientia, syr. ros. sol. & manna electa, cum decoctione flor. & fr. seminibus citri additis. Humorum fiat præparatio syr. de acetositate citri, de succo acetosæ, & de cichorio cum aquis cichorii, borraginis, acetos. Purgabuntur iidem rhabarbaro infuso in aqua acetosæ, adito syrupo rosato solutivo; ac statim hausta libra una seri lactis caprini optime depura-

depurati. Deostruentibus demum locus erit, syr. de eupatorio, de quinque radicibus, & de cichorio composito cum aquis agrimoniæ, cetrach, tamarisci additis seminibus quatuor frigidis maioribus: cuius usus erit 15. dies infundendo tertia quaque die drach. I. rhabarbari noctem in prædictis aquis, ad Balneum Mariæ, & facta valida expressione: atque octiduo post præmittatur bolus ex ammoniaco, & trochiscis cypheos; horisque vespertinis exhibeatur drach. I. pil. de tribus cum rhabarbaro, hora ante cœnam; facta interim inunctione jecoris aleo amyd. amararum, de capparibus, & de absinthio, apposito cerato oxycroceo. Hic enim cum congrua victus ratione cedet hypochondrii dextri tensio & durities. Ad flatus autem discutiendos, stillicidium ex Aquis thermalibus calidis toti ventri opportunum erit. A quibus ad contemperandam viscerum intemperiem, cum ventriculum roborandum, summopere ex usu erit potus aquæ B. Virginis in agro nostro Patavino, cum Patavium venerit. Præscribetur autem ex more cum vehiculo, quo per urinam ducatur 12. vel 15. dies. Roborabit enim ventriculum, & iecur, præscripta congrua victus ratione prædictis respondente. *Bened. Silvaticus Consil. & Resp. Med. Cent. 3.*

Iecoris Inflammatio.

Clarissimus Vir quadragenarius, temperamenti totius & jecoris calidi & humidi, mediocris habitus, libere vivens, sed præsertim strenuus vini meracioris & dulcis potor, hac ineunte æstate, postridie statim à copioso potu, circa meridiem febre correptus est, cum horripilationibus inæqualibus invadente, cui tarde, & nonnisi vespertinis horis calor successit. Interim vomitus contigit materiæ tenuis & amaræ, cum siti molestissima, nocnon dolore gravante in latere dextero, levi tussi, sine ulla materiæ excreatione. Dolor autem sub costis mendosis potissimum urgebat, verum usque ad jugulum protensus, cum spirandi difficultate, quo tota nocte adeo conflictatus est Pat. ut in latus affectum decumbere minime poterit, præsertim ob agitationem à non levi febrili calore. Quare sequenti mane Medicus domesticus accersitus, Pleuritidem adesse existimans, injecto statim clystere, venam medianam affecti lateris aperiri, atque hora post Flor. Cass. cum pulv. liquiritiæ exhiberi jussit, pectori quoque inunctione ex Oleo Amygd. & Viol. adhibita. Expectorantia pariter ex Iulap. acet. & Syr. de Ibisco, vespertinis horis præscripsit, & Aquam hordeaceam Iujubis & Siliquis alteratam, cum Saccharo, ad potum parari præcepit. Hisce tamen, licet accuratè administratis, dolor non cessit, neque febris, quinimo hæc tota nocte eodem statu perduravit, sicut & dolor quoque iisdem symptomatibus comitatus, quibus insuper, accessit ingens cibi fastidium, & frequens paucæ bilis vomitus cum tussicula, at sine sputis. Quamobrem, summo mane sequenti, ego quoq; una cum medico domestico in Consilium advocatus omnibus enarratis diligenter expensis, partem dolentem contrectans, in hepatis regionem durum, nec adeo exiguum deprehendi. Quare in hanc sententiã sermonem exorsus sum.

Tanta intercedit similitudo Pleuritidi cum Iecoris inflammatione, ut sæpe alteram alterius loco habeant decepti medici, ut contigit, Siculo Medico se Pleuriticum existimanti quem tamen Iecoris inflammatione laborare primo intuitu, cum Glauconis admiratione agnovit ipse Gal. ex pulsu, spirandi difficultate, pauca tussi & arida, sensu, gravitatis & dolore ad jugulum diffuso. Quare nil mirum nos etiam circa artem conjecturalem versantes aliquando decipi, jecoris siquidem, non pleuræ inflammatione Clarissimus iste Patiens divexatur. Neque nos fallere potest inflammatio inter transversales & obliquos musculos aliquando suborta, quæ contigit Stefano, & Medicos illius temporis decepit etenim tumor hoc casu satis immersus, & sub musculis tactu observatur, præterquamquod nec febris adeo vehemens esset, nec cætera symptomata adeo gravia, quæ jecoris inflammationem certo significant, præter durum quippe tumorem, tangenti manifestum, dolor adest gravans potius quam pungens, pro partis conditione, obscuro præditæ sensu, qui usque ad iugulum propagatur, cum difficili respiratione, quoniam septo jecur per ligamentum appensum est, quinimo quandoque contigit ut costæ nothæ etiam doleant, si, ut in quibusdam, iecur ope membranæ iisdem annectatur. Exigua quoque tussis excitatur, à calore quodãmodo irritante ad septum & spirituales partes diffuso, quæ propterea arida est & sine sputis. Bilis vero vomitus fit ex portione sanguinis ab inflammato iecore corrupti, atque in bilem conversi, ab expultrice in ventriculum transmissi, & ab eo vomitu electi. Nec mirum urgere sitim & appetentiam deiici, calore à iecore in ventriculum propagato, præsertim à vehementi febre, quæ utpote ab inflammatione dependens, hepatica & symptomatica ab Antiquioribus dicta est.

Affectus igitur idea deprehensa, difficile non fuerit causas eiusdem indagare, inflammatio enim à sanguine dubio procul genita est, qui purus quidem foret, & legitimam inflammationem excitaret, ratione totius & iecoris temperamenti, at quoniam consuetus vini meracioris usus, conspirante nonnihil etiam ætate, iecoris sanguinisque fervorem auxit, ideo potius à sanguine bilioso productam esse credendum, qui quantitate & qualitate naturæ molestus, cum ab arteriis in iucur effusus, rursus in venas non remearit, in hepatis non solum vasa, sed parenchyma quinetiam transfusus & cohibitus jecur ipsum in tumorem inflammatorium, elevavit. Et quamvis nulla inflammatio, aut cavam aut gibbam tantum partem obsidere soleat, multo major tamen manifestè apparet in gibba, ut ex tactu, dolore inter respirandum ad iugulum usque protenso, cum tussi molesta, sed arida facillime coniici potest.

Inflammatio hæc, ut incipiens, fluentis sanguinis revulsionem indicat, atque hic, prout copia peccans, evacuationem. Mox repellentia conveniunt, inde repellentibus aliqua degerentia addenda postea repellẽtia & digerenti æquis partibus commiscenda postremo digerentia sola usurpanda. Febris vero, licet symptomatica, refrigerationem & humectationem postulat.

Quibus intentionibus satisfacere aptissimè iam incepit Excell. Vir, licet admodum incertum sit in reliqua æque explere possimus, cum dubius adeo sit acuti huius morbi eventus, ut huiusmodi inflammationes, etiam in valentioribus lethiferæ esse soleant, & potissimum præsenti casu, quo convexa magis, quam concava pars inflammata est. Attamen quoniam tum propria

rum opportune adhibita fuere medica auxilia, & præterea quia virium robur constat, in quo salutis spem reponebat Gal. neque corpus calidum & siccum est, tunc enim ut plurimum ægri moriuntur, ideo præsenti animo in curatione progrediendum.

Atque in fonte Chirurgico, cum statim Sanguis extractus fuerit revulsionis gratia, modo id repetendum revulsionis & derivationis causa. Et quamvis in maximis inflammationibus mensura evacuationis sit animi deliquium, nihilominus, nostris temporibus, cum Avic. multiplicationem potius numeri quam quantitatis eligimus, partitis vicibus, ut major fiat Antispasis, sanguine educto. Quare jecoraria affecti lateris aperiatur, & sanguis ad libram educatur, etenim per venæ sectionem inflammationes celeberrime evacuantur. Statim autem repellentia sunt applicanda. quibus semper aliquod odorum & aromaticum commiscendum. Sic Absinth. in Oleo Rosac. maceratum apposuit Gal. quinimo ponticum, ut magis astringens elegit, qui etiam Rosam, ut medelam increscentium inflammationum usurpavit, præterea Emplastrum parari jussit ex pulpa Cydon. Myrob. & pulv. Ireos. Nos autem uti solemus succo Cich. depur. additis speciebus Trionsant. & aceto Ros. pro Epith. Vel Ung. Santal. Oleo Rof. & pauco Absinth. succo refor. quæ omnia semper tepida, nunquam frigida adhibenda. In progressu vero succi absinth. copia augetur, & species trionsant. removentur, & Olea adduntur laxantia, ut Amygd. Chamæm. Liliac. sed prope finem, semper tamen omnibus laxantibus & resolventibus astringentia aliqua commiscenda, ne in Attali Thessalici errorem incidamus, qui Theagenem Philosophum Cynicum, jecoris inflammatione laborantem, solis laxantibus enecavit.

A fonte Pharmaceutico reliqua depromenda remedia. Et quoniam cassia assumta jam primæ viæ expeditæ fuerunt, alterantia exhiberi possunt, ut Serum Asininum, vel depur. vel destillatum, decoct. Cich. End. Acet.. Sonci. Hepaticæ succi depur. atque filtrati Cich. sonci, End. in decoct. præscripta. Verum ego Aquas potius stillatitias, de succo Cich. End. & Acet. exhibere soleo, ad ℔i.ſ. vel. ii. cum vehiculo diuretico Sy. de succo Lim. Etenim decoctiones & succi diutius in ventriculo morantur, cum aliqua coctione egeant, sicque refractis viribus refrigerantia ad hepar parveniunt. Serum vero depur. non adeo facile permeat, & destillatum igneam quandam qualitatem in destillatione acquirit, quæ Aquis, utpote impensius refrigerantibus, non inuritur, nec conservatur. Observanda autem Gal. cautio, ne quicquam actu frigidum exhibeatur, frigida enim partem densant & crudos reddunt humores.

Clysteres interim molles atque refrigerantes injiciendi ex Lacte, Butyro, & Sacch. Vel ex decoct. Malv. Viol. addito flore Cass. vel Syr. Rof. sol. cum Oleo Amygd. aut Violac. Jam dictis vero medicamentis appositis, & refrigerantibus per os assumptis, observandum quo natura, vergat, materia enim, inflammationis causa, non solum insensibiler digeritur, verum & sensibiliter per alvum, si cava, per urinam, si convexa hepatis pars laboret, expurgari solet, & si utraque, utraque etiam observatur evacuatio. Nos itaque naturæ imitatores, & ejusdem recte operantis ministros esse oportet. Quare, si alvum petat. Clysteres acriores sufficere solent, ad ejusdem naturæ motum adjuvandum, ex decoct. Malv. Bet. Mercurial. cum Syr. Rof. solut. vel Elect. de succo Rosar. Si vero ad urinæ vias tendat materia, quod facilius fieri poterit casu nostro, quo convexa magis quam concava pars læsa observatur, tunc Aqua hujusmodi præscribi & exhiberi poterit.

℞. Seri Asin. depur. ℔v. quatuor Sem. frigid. an. ℥i. Rad. Gram. Pentaph. an. ℥i. Folior. Capill. Ven. Agrim. an. m. contund. incidenda incidant. & macerentur in Sero per noctem, & sequenti die destillentur, ut fiat Aqua ad ℔i. exhibenda addito Syr. de Succo Lim. Hoc etiam tempore applicetur Emplast. de Melil. utpote emolliens ac digerens. Quæ vera atque legitima hujus inflammationis cura, ejusdem suppurationem omnino prohibens, etenim si ad suppurationem transeat, neque curatio proponenda, dum enim pus in jecoris substantia conficitur, actum est de salute ac vita Patientis, quod malum ominari possemus casu præsenti. tunc enim tantummodo spes salutis superest in suppurato jecore. quando pus confectum inter jecoris tunicam & ejusdem substantiam congestum est secti namque, aut usti Patientes evadunt, unde dicebat Hipp. Quando hepar suppuratum aduritur si pus purum fluxerit, & album, evadunt; in tunicæ enim his pus continetur, si vero qualis amurca, pereunt. Addamus nos, quia pus in parenchymate concluditur.

Quibus omnibus congrua erit victus ratio addenda, cibos & potus dulces vitando. Quare cibos tenuis substantiæ, non acres, non dulces non adstringentes exhibet ipse Gal. qui commendat quoque ptisanam in cibis, quia sine morsu detergit, sicut in medicamentis Oxymel Aqua mistum, cujus loco, vigente inflammatione nos Arabum exemplo, succo acido Cit. & Lim. cum Sacch. uti solemus, prout in declinatione, Acetum cum Sacch. Iulapium scil. acetosum permitti potest. Quod vidit quoque idemmet Gal. dum Mulsam inutilem esse asseruit, quia in bilem vertatur. Hæcque tanto malo expugnando dicta sufficiant. *Raym. Ioh. Fortis Consult. & Resp. Medic. T. i. Cent. 3.*

Iecoris tumor scirrhosus.

Illustrissimus Comes & Eques quadragesimum quintum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & sicci, humidi cerebri ac ventriculi frigidi, jam diu destillationibus obnoxius, antehac liberam vitam ducens, anno 1669. febre correptus fuit cum copiosa à capite destillatione, raucedinem, tussim, & anhelitus difficultatem producente; febris autem integrum annum perseverans ad maciem insignem deduxit Comitem Illustrissimum, adeo ut in hecticam migrasse Medici suspicati fuerint licet & accessiones (quamvis obscuræ) & declinationes observarentur, pro cujus Curatione chinæ Decoctum, & alia adhibita fuere remedia, quibus tandem adjutus fuit. Sed mense Decembri proxime præterito rursus febris invasit cum accessionibus circa vesperas, & cum extremarum partium refrigeratione incipientibus,

bus, cujus progressu non mediocris calor accendebatur in capite, catarrhalem materiam ita colliquans, ut copiosiori evadente destillatione, raucedo & tussis adaugerentur, cum excretione viscidæ & lentæ materiæ, insipidæ tamen & cruori commistæ, quam à capite derivari creditum fuit, cum quandoque guttatim è naribus sanguis defluxerit usque ad seminunciam, & ideo noctu quoque in somno effluebat nonnunquam catarrhalis materia sanguini mista. Sitis in febris accessionibus urgebat, & ab initio tumor cum dolore in hepatis regione apparebat, cum urinis ictericis linteum album flavo calore tingentibus. Curata autem fuit febris Alterantibus & blandioribus Cholagogis evacuantibus & omnia remissa fuerunt, excepto jecoris tumore, qui adeo excrevit, ut ejus moles fere totum abdomen occupaverit; huic successerunt coxarum & crurum œdematosæ intumescentiæ, dum è lecto surgit, quæ tamen, eodem decumbente, evanescunt: nec decumbens de spirandi difficultate conqueritur, sed solum dum erigitur & è lecto surgit. Pro Curatione varia deobstruentia adhibita fuere; atque tandem antimonium diaphoreticum; sed incassum omnia Modo singulo mane rhab. sumit ad ℈.i. in convenienti victus ratione insistit, modico potu ex vino albo aqua diluto utitur. De agendis pro salute consulit.

Jure merito omnium morborum fontem & sobolem esse posse Catharrhum proferebat Galenus, adeo ut Hipp. quoque divinus asseruerit, fluxionem à capite in carnes Hydropem anasarcam nonnunquam excitare, quod idem præstare posse non dubito, si intrinsecus ad partes naturales decumbat, ventriculi & jecoris robur exoluat, sicque coctiones vitiet, sanguinem totum cruditatibus inficiat, & Cachexiam, indeque Hydropem inducat. In iisdem autem visceribus naturalibus detentus obstructiones cumulat, febres putridas quidem, sed catarrhales excitat; quod si ad partes spiritales sese convertat, & raucedines, & tusses, & spirandi difficultates inducere quotidie videmus; hæque contigerunt Illustriss. Comiti, qui tandem mense Decembri proxime præterito acuta febre correptus fuit, à cujus calore liquata magis magisque in capite catarrhalis materia raucedinem & tussim adauxit, imo & osculis vasorum adapertis, non solum fluxio cruore tincta apparuit, sed puri sanguinis quoque aliqua portio inde emanavit, & quod pejus est, statim ad initio ictericæ urinæ apparuerunt cum jecoris doloroso tumore; ut propterea dubitari potuerit de jecoris inflammatione spuria, nimirum à sanguine exusto ob jecoris calidam intemperiem, & pituitoso tum ob ventriculi frigiditatem, tum vero maxima ob perennem à capite destillationem massam sanguineam inquinantem, qui tandem tumor inflammatorius non resolutus in insignem tumorem scirrhosum degeneravit à cujus pondere deorsum tracto diaphragmate, difficilis redditur anhelitus, & ab eodem hæmatosi ipsa vitiata, œdematosæ intumescentiæ tum in coxis, tum in cruribus apparere cœperunt, quæ Cachexiam & pravum totius corporis habitum prænunciantes, Hydropem quoque minantur.

Omnia igitur agenda, ne in hujusmodi infortunium imminens incurrat Illustrissimus Comes; & quamvis prima causa in capitis destillationem referri possit, quia tamen remota est, proximiori incumbendum esse censeo, jecoris nimirum tumori jam facto, idque præstare tentandum Attenuantibus, Emollientibus Aperientibus, & sensibiliter atque insensibiliter Evacuantibus. Quibus intentionibus ut satisfaciamus, remedia sunt petenda à fonte Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico.

Et primo ex Chirurgico parca erit desumenda sanguinis missio ex Jecoraria dextra, ut exploretur totius sanguinis qualitas, & nonnihil jecoris feruor humores adurens remittatur. Reliqua vero remedia ex hoc fonte depromenda, ordine executivo inferius describentur.

Ex Pharmacia desumenda essent medicamenta ventriculum & primas vias expiantia, quæ à me in præsens omittuntur, cum jam adhibita fuisse supponam. Expiatis igitur primis viis, ad jecoris tumorem curandum erit deveniendum, primo attenuantibus & humectantibus, secundo aperientibus, tertio aperientibus & evacuantibus.

Et primo pro attenuante parari poterit oxymel dilutum, aqua agrim. & aceto paratum, ad ℥.iii. exhibendum, cui superbibat Comes Illustriss. jus pulli junioris, cichorio, borag. malva & cuscuta alteratum, huicque addantur succi depurati cichorii & agrim. ad ℥.ii. in cujus usu integra hebdomada perseveret. Inde præbeatur elect. lenit. cum ʒ.i. pil. de tribus cum rhabarb. Mox ad ulteriora aperientia erit ascendendum, cujusmodi esse poterit decoctio in iure pulli cichorii, borag. agrim. cuscutæ, pentaphylli petroselini & fœniculi rec. in qua dissolvantur gr. xv. aut xx. tart. vitriol. & in huius usu insistat decem a ut duodeim diebus; in quorum intermidio assumat pilulam iam propositam de tribus cum rhab. electuario diacath. reformatam, cui post horam superbibat ius malva alteratum.

Post hæc an syrupi Fernel. usum ducendus erit Vir illustriss. cuius descriptio nostris Consultationibus reperitur; hic autem alternis diebus, duodecim saltem vicibus, erit exibendus ad ℥.ii. in vino albo tenui, nec dulci, nec austero, quatuor horis ante prandium: diebus vero intermediis assumat decoct. iure pulli paratam ex suprascriptis herbis, addita portione radicis althææ, aut lil. alb. cui decoct. addatur spiritus tartari ter retif. ad ℈.i. sicque alternatim assumat syr. Fernel. & descriptum Aperiens; quorum terminato usu præberi poterit Purgans, ex lenit. confectione Hamech, & pil. de tribus cum rhab. paratum, cui pariter superbibat ius malva vel hordeo alteratum.

Tandem ad validissimum Attenuans atque Deobstruens devenire opus erit, ita parandum ℞ Salsæ parillæ electæ ℥.i. radicis Chinæ, radic. althææ an. ℥.ß. aq. stillat. cichor. agrim. an. ℔.ii. ß. m. fiat infusio per horas xxiv. deinde adde dimidium pulli junioris, & bulliant ad consumptionem dimidii, postea fiat colatura pro duabus vicibus, summo mane Viro Illustr. exhibenda, in qua dissolvantur gr. vi. salis ammoniaci sexies sublimati: est enim præstantissimum & efficacissimum Aperiens, & in huius usu perseverandum erit integro mense, singula hebdomada

præbendo pil. de tribus, electuario lenit. aut flore cass. reformatam.

Dum iam dicta omnia intrinsecus administrantur, extrinsecus quoque emollientia & resolventia non sunt omitenda; sic œsypus humidus regioni hepatis applicari poterit; adhuc efficacius erit stillicidium ex alto cadens, lotura lanarum paratum, pauco aceto ad penetrationem superaddito; à stillicidio vero quotidie per horam administrando, succedat appositio Cerati diachilonis magni cum pinguedinibus reformati, addito anseris adipe & exiguo absynthii succo, ut tonus visceris conservetur. Interdum apponatur cucurbitula magna hinc inde regioni hepatis, sed cito removeatur & reponatur.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, mediocris quoad quantitatem, attenuans & emolliens quod aqualitatem, quæ tamen viscera non inflet, à Viro Excell. diligenter præscribenda, cuius prudentiæ iam dicta quoque omnia disponenda libenter remitto. *Idem T. 2. Cen. 3.*

Iecoris obstructio post Lienis tumorem scirrhosum.

Lienosus superioribus annis fuit Illustrissimus Comes modo ad virilitatem inclinans; tumidum enim adeo Lienem gestabat, ut mediam abdomini regionem, & ultra, occuparet, adeoque durum, ut verum, & legitimum Scirrhum æmularetur, quinimo talis à pluribus Medicis judicatus fuerit. Et quamvis ejus Curationem difficilem reddiderit temperamentum jecoris calidum, pariterque totius: nihilominus iteratis Purgationibus, & P. Illustrissimi exacta in vivendi ratione custodia, paulatim imminutus, & annorum spatio ad molem fere naturalem redactus est.

Verum quoniam tumidus Lien tractu temporis per venas mesaraicas jecur quoque in consensum trahere solet, hoc ipsum evenit Illustriss. Viro, cuius hypochondriorum dexterum non quidem tumore, sed obstructionibus abundare manibus percepi, quarum partem maiorem in cava iecoris reperiri credendum: id enim non modo ratio suadet, verum & Icteritia universalis, & in facie, atque oculis præsertim quandoque apparens confirmat; Obstructiones enim aut in poro felleo, aut in ramo cholidoco reperiri, aut saltem adaugeri significat. At non soli Lieni iecoris malum est imputandum; verum vivendi quoque libertati tribuendum Sicut enim Comes Illustriss. dum Lien valde tumescebat, exacta & rigida vivendi ratione libenter utebatur, ita eodem viscere imminuto, liberæ vitæ se dedit, tum in cibis & potibus, tum maxime in importunis exercitiis & equitationibus. Quare multiplicatæ cruditates à delicatiori ventriculo ad iecur sese insinuarunt, & secundum crassiorem portionem in eodem stabulantes, forsan, cum Fernel. crassæ bili quoque immistæ, obstructiones produxerunt, quarum portio crassior ad renes transmissa, diuque ob eorundem naturalem angustiam retenta, à calore in tophos conversa fuit, sicque elapso anno nephritici dolores super venerunt: pars vero tenuior una cum biliosis humoribus ad venas delata, circulando per venam cavam ad cor, indeque per carotidas ad caput elevata, dum ab arteriis in caput evomitur, nec à venis ressumitur, ut una cum sanguine per venas jugulares circulationem perficeret, redundans in spatiis ad synciput defertur, & gravitatis sensum inducit, donec ad aurem dexteram tanquam ab imbecilliorem partem olim à folle perculsam transmittatur, & per eandem saniosa, pravi coloris & odoris, emittatur.

Dum igitur Illustr. Comes ab his malis vindicari se desiderat, & in hunc finem ad omnia diligenter agenda seipsum accingit, præsens anni tempus, ut Purgationibus proprium est eligendum, antequam obstructiones in tumorem vertantur, tunc enim à jecore multo facilius, quam à Liene Hydrops provenire posset, transfusiones enim à Liene ad jecur periculosas, sicut à jecore ad Lienem utiles existimabat Gal. ut propterea Avicennas jecoris obstructionem matrem omnium malorum juremerito appellaverit. Sed præterea calculosus etiam reddi posset Illustr. Patiens.

Antequam autem aliquod aliud ex hac malum emergat, & altiores radices sibi figat, evellenda à nobis & radicitus extirpanda, si non unica, saltem iterata vice, hujusmodi prava & venefica radix, primo primas vias expiando. Secundo Cavam partem jecoris, nimirum ramos venæ portæ aperiendo. Tertio Partem gibbam, nempe ramos venæ cavæ ab obstructionibus expediendo. Quarto Venosum genus depurando; atque tandem ipsius jecoris & renum calorem contemperando, viasque patentiores reddendo; ita enim & capiti non parum prodesse poterimus, cujus vera Curatio in aliud erit tempus differenda: non enim possumus Vere præsenti duobus Dominis ita distantibus inservire. Et à Chirurgico fonte omnium primo est depromenda sanguinis missio ex Jecoraria dexrera, præsente Medico, ut si niger & crassus appareat, ad vii. usque uncias exire permittatur; sin minus, supprimatur. Hirudines quoque venis sedalibus applicitæ, & ramis venæ portæ, & capitis prodesse possent, modice tamen sanguinem educendo. Sicut nisi Vir Illustr. abhorreret, Cauterium in brachio ad materiam ex aure defluentem divertendam & educendam, remedium esset insignis profectus.

Reliqua remedia à fonte Pharmaceutico sunt desumenda. Et Lenientia erunt potio ex manna clarif. aut syr. rof. sol. vel elect. lenit. cum tartaro. Quinque autem aut sex diebus intermediis Præparans erit Julapium acet. cinnamomo aromatizatum, & aqua florum citri dissolutum.

Pro secunda intentione explenda succi depurati & per arenam trajecti, cich. borag. ad ℥. ii. erunt præscribendi, in tenui jure pullæ cich. & præterea lupulis & malva alterato, in quo dissolvatur scrupulus salis prunellæ. Sequenti vero die offeratur rhabarbarum ad ℈. i. flori cassiæ immistum, ita ut formentur boli duo summo mane assumendi, quibus post horam superbibat ius malvarum vel hordei, sicque alternatim procedat, succos & rhab. assumendo ad decimum usque diem. Mox hauriat portionem clarif. addendo infus. consuetæ rhab. & agarici portionem, cui post tres horas superbibat aut

seri

seri asinini depur. aut aq. hordeat. ℔. i. ß. Quod si de læsione ab aquis conqueratur Illustrissimus P. substituatur jus pullæ malva aut hordeo alteratū.

Tertiæ intentioni, imo simul & quartæ satisfacere poterit syrupus Fernel. cum rhab. secundum discriptionem in nostris Consultationibus traditam, ad ℥. ii. in jure pullæ endivia aut cichorio alterato. Sequenti vero mane bibat cyathum aq. stillat. cichor. & agrim. in quo dissolvatur semidrachma Aperientis nostri circulati, quo efficacius adhuc erit sal ammoniacum septies sublimatum, & semel per chalybis limaturam trajectum ad gr. vii. exhibendum; ita alternatim erit procedendum, syrupum Fernel. altera die, altera vero Aperiens exhibendo, ad vigesimum usque diem: tuncque potio à superiori non dissimilis erit præbenda, cui superbibat seri asinini depur. ℔. ii. in eum finem, ut ad lactis usum ventriculus & hypochondria disponantur.

Et quamvis quintæ & postremæ intentioni satisfacere posset lactis asinini usus, nihilominus quoniam præstantissimum sese mihi offert medicamentum pro reliquiis obstructionum extirpandis renibusque mundandis atque patefaciendis, ideo consulo ut Illustriss. Comes ad aquas vitriolatas in Valle Solis nascentes assumendas se ipsum conferat, quæ quoniam exiccandi quoque facultatem quandam obtinent, idcirco xv. diebus ante earundem assumptionem, ut præcedat lactis asinini usus humectans, optimum fore censeo, cujus usus post assumptas aquas erit reassumendus ad triginta saltem dies, & decimo quoque die elect. lenit. ad ʒ. vi. aut ad summum ad unciam assumere sit contentus. Pro materia vero ab aure emanante nihil in præsens, nisi ut auris aperta conservetur; Decubitus in primo somno in latus affectum procuretur; per nares blande divertatur & evacuetur, pulverem radic. Ireos Florent. mane attrahendo, & pro nunc nil aliud agendo.

Congrua autem victus ratio est ad usum revocanda, abstinendo ab eduliis crassæ substantiæ & difficilis concoctionis, imo & ab aperientibus omnibus, ut quæ facile atque celeriter incocta & ad jecur, & ad renes ferantur, & reliquos cibos crudos ad partes easdem secum ducant. A vinis dulcibus pariter prorsus abstinendum, ab exercitiis post prandium, à vigiliis, à coitu frequenti & à nimiis applicationibus. Interim alacri & confidenti animo vivat. *Idē. ibidē.*

Inflammatio Hepaticis.

Vir 36. annorum crapulæ passim indulgens, incidit in dolorem gravativum, hypochondrium dextrum, cum inani tussicula, & respirationis difficultate, occupantem. Dolor ab hypochondrio ad claviculam sese extendit. Facilius æger supinus, quam in latere jacet. Pulsus est valde celer, ac creber, & inæqualis. Lingua arida rubensque. Sitis adest inexhausta, cum nauceâ, cibi fastidio, & singultu. Urina observatur rubicunda.

Afficitur in hoc ægro hepar; quod ex dolore gravi, hypochondrium dextrum occupante, & tussicula inani, ac respirationis difficultate, nec non nauseâ, cibi fastidioi, & singultus commitatâ potissimum patet. Afficitur etiam cor, quod ex pulsus illis vitiis; item ex siti inexhausta, & lingua arida, & urina rubicunda, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est Inflammatio hepatis: eaque ex dolore hypochondrii dextri, siti perpetua, febri continua, aliisque symptomatis in historia commemoratis, innotescit.

Causa procatarctica hujus morbi est crapula, cui æger passim indulsit. Hinc enim multi sanguinei & fervidiores in corpore ejus geniti humores antecedentem huic morbo præbuere causam. Pars vero eorum sese extra vasa in substantiam hepatis effundens, ibique putrescens, & vehementer incalescens, continens hujus morbi & symptomatum est causa.

A copiâ enim istorum humorum, hepar occupantium, & in eo vehementer incalescentium, oritur in eo tumor inflammationis, indeque gravis sive gravativus hypochondrii dolor; qui propter pondus visceris, & viciniam, connexionemque cum diaphragmate & pleura, ad claviculam sese extendit, & respirationis difficultatem inducit: & quia ardor hepatis & ejus humores per evaporationem, propter viciniam, ventriculo & pulmonibus perpetuo & copiose communicantur, hinc oritur in nostro ægro singultus, nausea & cibi fastidium, & sitis inexhausta, ac inanis tussicula. Parte vero istorum accensorum humorum perpetuo ab hepate ad cor per venam cavam ascendente, vehementiusque ac malignius ibi incalescente, & in os ex pulmonibus exhalante. Hinc in nostro ægro, febris est continua symptomatica, sese per pulsum celerem & crebrum & inequalem, & sitim illam inexhaustam, nec non linguâ aridâ, rubenteque se prodens

Morbus hic, propter magnitudinem suam, ac partem affectam, graviaque, quæ inducit, symptomata; ac etiam ob metum atrophiæ, hydropis, aliorumque gravissimorum morborum, est periculosissimus.

Curatio itaque diligens adhibenda est: eaque in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, per contraria ablatione, consistet.

Primo itaque mox vena in dextro brachio aperiatur, sanguisque ad ℥viii. vel x. pro ratione viriū, educatur. Venæ sectioque reiterari poterit Sequenti die tali lenitivo medicamēto purgetur:

℞. Cassiæ recens extractæ ℥i. Rhabarb. pulverisati ℈i. Aq. cichorei q. s. m. f. Haustus brevis.

Expurgato corpore, inungatur regio hepatis unguento santalino, & pannum lineum eodem unguento inunctum apponatur. citra calefactionem. Interea etiam sequenti utatur decocto:

℞. Rad cichor. endiv. an ℥i. Taraxaci, petroselini, fœnicul. an. ℥ß. Herb. endiv. cichor. taraxaci, acetos. violar. Lactuc. an. m. i. fumariæ, agrimoniæ capill. ven. Borrag. bugloss. chamæpitis; an. m. ß. Sem. 4. frigid. major. an. ʒii. anisi ʒi. Tamarind. ℥i. pruna. acida. No. vi. Uvar. pass. ʒx. hord. mund. p. i. liquirit. rasæ ʒiii. Decoq. in aq. com. ad ℔i. ß. Colat. adde Syr. de limonib. ℥ii. F. Apozema, de quo sumat æger subinde haustum, ter quaterve in die.

Morbo magis inclinante, pro dolore utatur sequenti epithemate, regioni hepatis pannis lineis adhibendo.

℞. Herb. endiv. cichor. viridis, an. m. i. Florum camomill. melilot. Rosar. rubr. an. m. i ß. Summit. absinth. p. i. Coq. in aq. communi ad ℔i ß. in fine addendo Aceti opt. ℥ii. spec. diatriumsant. ʒiß. Iterum ebulliant, & postea colentur pro Epithemate. Post Epithematis adhibitionem inungatur locus tali linimento:

℞. Ol.

℞. Ol. amygd. amarar. camomill. an. ℥ſ. Ol. rosacei, unguenti santalini an. ʒii. M. pro Linimento.

Porro si inflammatio invalescit, atque ejus suppuratio, (quæ tamen omni studio præcavenda, ne ulcus immedicabile sequatur) prohibere nequeat, natura mollientibus & maturantibus juvanda est; itaq; tale tum adhibeatur cataplasma

℞. Rad. althææ ℥ſ. Fol. malvæ. flor. camomill. Farinæ hord. an. m. i. Sem. lini ℥ſ. Coctis iis & contusis adde pinguedinis gallinæ q. ſ. F. Cataplasma.

Cognoscitur inflammatio ad suppurationem tendens ex febri, dolore, aliisque symptomatibus ingravescentibus; confecto pure omnia illa mitescunt, vires tamen debiliores relinquuntur.

Pus genitum vel in vasa per hepar diffusa, se insinuat, & per sanguinis circulationem fertur illud ad cor, & inde vel in ventriculum, vel intestina, vel renes propellitur; vel pus genitum, disrupto, hepate, se infundit vel in cavitatem abdominis, quod sectione vel ustione ventris est educendum, vel illud peritonæo, cum musculis abdominis & cute exeso, ex eo foras expellitur, tumque ulcus per vulneraria intro assumpta & foris adhibita, est sanandum.

Victus, pro ratione virium sit tenuis, ex ptisanâ & jusculis carnium, endivia & cichorio alteratis. Utendum hic abstergentibus, citra acrimoniam. Aromata & vinum vitentur. Potus sit cerevisia tenuis. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medication. lib. 3.*

Obstructio Hepatis.

Fœmina 22. annorum, temperamento pituitosa, victu crasso & humido longo tempore usa, faciem & omnia fere membra pallore habet squallentia, genua & pedes, præsertim sub vesperam, ipsi tument. Urina ejus alba est & clara. Gravitas & distentio cum obtuso dolore, dextro insidet hypochondrio; quæ ubi mox se à cibo nonnihil exercet, ipsi potissimum est perceptibilis. Spiritum impedite ducit, ubi altiora ascendit loca. Nulla adest febris vel sitis Os saliva madet: nec ullus in hypochondrio ha-ctenus observatur tumor.

Afficitur in hac ægra facies & reliqua externi corporis moles, quod ex earum pallore; afficiuntur etiam genæ & pedes, quod ex eorum tumore: afficitur quoque, & quidem primario, hepar, quod ex gravitate, distensione, & dolore obtuso, dextrum hypochondrium potissimum à cibo occupante, item ex urina alba & clara, nec non respiratione à corporis motu difficilius ducta est manifestum.

Morbus, quo hæc ægra affligitur, est intemperies pituitosa & viscida hepatis, quæ poros ejus & meatus obstruens & chymosin vitians, reliquaque in historia commemorata symptomata inducens, à potiori suo effectu, reliqua producente, Obstructio hepatis vulgo appellatur.

Procatarctica hujus morbi causa est diutinus crassorum & humidorum alimentorum usus, quo adjuvante temperamento ejus pituitoso, multi crassi, viscidi & tenaces & frigidi in ejus corpore geniti humores, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum, partim ad hepar delata, ibique ejus meatus angustans & oppilans intemperiemque ejus vitians, partim ad genas, pedesque, totumque corporis habitum perveniens, continens hujus morbi, symptomatumque jam enarratorum, est causa.

Dum enim humor ille pituitosus, viscidus & tenax poros & meatus hepatis multis in locis occludit, ibique hæret, parit in eo intemperiem pituitosam & viscidam, ac præterea obstructionem qua humores hepar postea transituri, in eo retinentur, illique retenti, ac suâ copia & pondere, hepatis, in dextro hypochondrio siti, parenchyma gravantes, & distendentes, pariunt in dextro hypochondrio gravitatis & distensionis, obtuso dolore citra tumorem comitatæ, sensum. Hic, post cibum assumptum, & corporis exercitationem, altiorumque loborum ascensum, magis est perceptibilis, difficilemque respirationem gignit; propterea quod humores copiosiores eo ferantur, iique tum plus solito ibidem distendantur, & quod diaphragma quod est præcipuum respirationis instrumentũ, vehementius premant.

Et quoniam, ex hac hepatis intemperie pituitosa, cum obstructione conjuncta, chymus gignitur crudus & aquosus, qui deinde in aquosum in corde convertitur sanguinem, per totum corpus ad alituram diffundendum; hinc facies totaque corporis externa moles, quæ tali pituitoso sanguine nutriuntur, squallido pallore perfunditur.

Et quia hic sanguis ad nutritionem est ineptior calorque nativus ex eo debilitatus, justâ excrementi vaporosi discussionem in habitu corporis efficere non potest; hinc oritur ex sanguine illo eo propulso, sed non bene agglutinato, & ex vaporoso excremento retento, genarum & pedum, vasis in nostra ægra porosioribus instructorum, tumor; qui sub vesperam magis est observabilis, quod ob corporis diurnum motum & erectionẽ, humores eo tum paulatim copiosius fuerint propulsi, nec per sanguinis circulationem in alias partes satis copiose referri potuerint. Pituitosus vero ille sanguis, ad tonsillas oris delatus, ibique aquosiores suas partes in os, per ductus salivales aliosque deponens, facit sitis absentiam, salivæq; in ore abundantiam. Ad cor vero citra putredinem, & deinde ad renes, ex viscidis illis humoribus obstructos vel angustatos, perveniẽs, producit febris absentiam, urinamque albam & claram.

Morbus hic, ob magnam hepatis affectionem, periculosissimus est. Metus enim est, ne in hydropem, vel scirrhum, vel alium gravem affectum, degeneret.

Diligentissima itaque Curatione erit impugnãdus; quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, ac obstructionis, per contraria, ablatione consistet.

Primo itaque utatur tali apozemate alterante & purgante.

℞. Rad. apii, petroselin. fœnicul. an. ℥i. chelidonii major. ℥iſ. Filicis, enulæ campanæ, cort. rad. capparum, fraxini, Tamarisci an. ℥. ß. Fol. absinthii, agrimoniæ, capill. vener. chamædrios an. m. i. Flor. centaur. minor. hyperici an. p. i. Sem. apii, petroselini, anisi, fœniculi, an. ʒii. Fol. sennæ ʒii. rad. polypod. q. ℥ß. Decoq. in aq. hord. ad ℔iß. In Colatura dissolve syr. de cichor. cum rhabarb. ℥iß. M. F. Apozema, de quo sumantur ℥iii. bis in die vel semel, pro ratione operationis. Dum hoc utitur apozemate, hypochondrium dextrum hoc foveatur fomento, mane & vesperi, ante usum decocti.

℞. Rad. bryoniæ, althææ an. ℥iß. Ebuli, cyperi, eryngii, capparis, fraxini an. ℥i. Fol. malvæ, althææ, violariæ, agrimoniæ, chamæd, Menthæ, absinth. an. m. i. Sem. lini, fœnugræci, baccar. Junip. coriandri an. ʒii. Flor. genist. sambuci, chamomill. meliloti, an. p. i. Ligni santali citrini, ℥ſ. Fiat omnium

nium decoctio in duabus partibus aq. chalibeatæ, & una vini albi sub finem additi; colat. adde aceti ℔ß. & fiat Fomentum cum pannis lineis eo imbutis adhibendum, ut fuit dictum.

Post fotum inungatur locus tali unguento:

℞. Ol. lilior, de capparib. an. ℥ii. succ. bryoniæ, apii an. ℥i. Bulliant ad succorum consumptionem Addendo ung. de althæa, gumm. ammon. acet. dissol. & Extracti an. ʒi. Sem. dauci, spicæ nardi, an. ʒiß. Ceræ flavæ q. s. F. Unguentum; cui tempore usus, addatur aceti rosacei parum.

Post horum usum, ad obstructionum reliquias tollendas; & partem affectam roborandam, conveniet sequens opiata.

℞. Conserv. flor. absinth. Flor. tamarisci, capill. ven. an. ℥i. Rad enulæ campanæ, cort. citri cond. an. ℥ß. Myrobalan. cond. No. i. Nuc. moschat. cond. ʒiii. Spec. diarhod. abbatis ʒi. Chalibis præp. ʒii. Salis absinthii, tamarisci an. ℈ß. Croci ℈i. ambræ gryseæ ℈ß. Cum syr. cond. cort. citri F. Opiata, de qua capiat singulis diebus magnitudinem castaneæ majoris, duabus horis ante pastum; superbibendo vini Hippocratici parum.

Plurimum etiam conducent balnea tepida, in quibus emollientia & aperientia ebullierint.

Obstructiones si contumaces fuerint, utatur sequentibus pilulis:

℞. Aloës optimæ, succo absinthii diligenter nutritæ ℥ß. Gumm. ammon. aceto dissoluti & trajecti ʒiii. Myrrhæ electæ in vino calido solutæ & trajectæ ʒii. Pulv. diatrium santal. cristall. tartari an. ℈i Agarici recenter trochisc. rhabarb. electi an. ʒii. Salis absinthii, tamarisci, an. ʒß. croci ℈ß. Cum syr. ros. sol. F. massa pilularum, de qua capiat ʒß. bis in septimana, duabus horis ante pastum.

Ad obstructiones pertinaces tollendas præ cæteris conducunt remedia ex tartaro; vitriolo chalybe coflata, quæ apud practicos occurunt; & ideo hic etiam adhiberi possunt.

In diæta, Aër sit purus, calidus, tranquillus. Cibus attenuans & calidus ex pane bene fermentato, & carnibus gallinaceis, vervecinis, ovis sorbilibus, capparibus, asparagis, hyssopo, petroselino. Potus sit cerevisia & vinum mediocrium virium. Alvus respondeat arte vel natura. Gaudio det operam: moderatè se exerceat. *Idem. ibidem.*

Scirrhus Hepatis.

Vir 40. annorum, pituitosus, alimentis frigidioribus & humidioribus diu usus, diutinamque ac contumacem obstructionem hepatis passus, paulatim incidit in durum tumorem, dextrum hypochondrium occupantem; qui ipso erecto vel decumbente & in sinistrum latus inclinato, tactu facile percipitur. Situ & figurâ jecoris circumscribitur. Decubitus ipsius dexter est facilis, sinister verò adeo gravis, ut ægro; sinistro lateri incumbenti moles quædam, velut suffocans, ventriculo & præcordiis inniti videatur.

Afficitur in hoc ægro hepar; quod ex præcedentibus ejus obstructionibus, & subsecuto tumore duro, qui in hypochondrio dextro percipitur; difficilemque in sinistro latere decubitum paret, est manifestum.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies crassa & viscida hepatis; quæ tumore duro & obtuso sensu prædito, comitata, Scirrhus hepatis vulgò appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus ille frigidorum, crassorum & humidorum alimentorum usus, quo adjuvante temperamento nostri ægri pituitoso, humores frigidi, crassi & tenaces, in ejus corpore geniti, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorũ ad hepar delata, & deinde poros ejus obstruens, & postea suâ copiâ & crassitie illud distendens; & in tumorem attollens, duritiemque sua partium firma cohæsione concilians, continens hujus morbi & ejus symtomatum est causa.

Hinc enim nata est intemperies illa hepatis, tumore duro, & stupido sensu, comitata, cujus pondere, cum per sinistrum decubitum ventriculus & præcordia premantur, quæ per dextrum decubitum à pressione sunt libera; hinc fit ut decubitus dexter ægro sit facilis, sinister vero adeo difficilis, ut difficilem respirationem suffocationisque metum inducat.

Quia, autem, per corporis erectionem & in dextras partes inclinationem, tumidum hepar magis versus exteriora à vicinis partibus propellitur, idcirco tumor ejus, figuram & situm hepatis habens; corpore erecto & in dextrum latus inclinato, facile est perceptibilis.

Morbi hujus magna solet esse pertinacia & periculum: cum viscus hepatis meatus habeat angustos, qui præcedente obstructione valde sint obstipati; & à subsecuto hoc scirrho fere omnes sunt occlusi, ita ut vis medicamentorum eo difficulter sit perventura; unde vel hydrops vel atrophia hic est metuenda.

Curatio itaque diligens instituenda est, quæ, in causarum, & intemperiei, ac tumoris, per contraria ablatione, consistet; Primo itaque purgetur tali medicamento cathartico:

℞. Syr. rosati sol. cum fol. sennæ, & rhabarb. ℥iß. Elect. diaphæn. ʒii. aq. decoct. hord. q. s. m. f. Haustus Deinde utatur tali apozemate alterante & purgante. ℞. Rad. fænic. petros. gramin. asparag. in aceto maceratar. an. ℥i. Herb. marrubii, ceteracli, cuscutæ, capill. veneris, Scolopendrii, chamædryos an. m. i. Sem. anisi, fæniculi, an. ʒiß. Fol. sennæ ℥iß agarici, mechoacanni. an. ʒi. Passul. ℥i. ficus sicc. N°. v. Decoq. in aq. hord. ad lib. i ß. Colaturæ adde syr. de cichor. cum rheo ℥iß. M. F. Apozema, de quo sumat semel, vel bis in die, haustum trium vel quatuor unciarum. Reiterari subinde simile apozema debet, omissis vel additis purgantibus, prout res hic desiderabit. Purgari etiam subinde poterit tali haustu.

℞. Fol. sennæ ʒiii. agaric. trochisc. rhabarb. an. ʒi. Sem. anisi ℈ii. infunde in aq. hord. ℥iii. Colaturæ adde diaphœnic. ʒiii. M. F. Haustus. Intereà dum his utitur, admoveantur fomenta, unguenta & emplastra sequentia. ℞. Rad. bryoniæ, liliorũ alth. an. ℥i. Cucumeris silvest. ℥ß. Fol. malv. violar. parietar. absinth. agrimon. an. m. ß. flor. camomill. melil. rosar. an. p. i. Coq. in tribus partib. aq. com. & unâ vini sub finem additi. Colaturâ foveatur, cum pannis laneis, hypochondrium dextrum.

Post fotum adhibeatur tale linimentum.

℞. Ol. lilior. camomill. melilot. amygdal. dulc. an ℥i. Rosar. absinthii an. ℥ß. Gumm. ammon. in aceto dissolut. ʒiii. cera. ʒii. M. F. Linimentum. Postquam pars affecta linimento illo inuncta fuerit; tale ei imponatur emplastrum. ℞. Mass. emplast. de mucilag. ℥i. De melilot. ℥ß. Gumm. ammon. liquati in succo absinth. ʒiii. Malaxentur cum ol. absinth. & liliorum q. s. F. Emplastrum, extendendum super aluta. Si vero durities contumax nondum his cederet, sequentes pilulæ per plures dies erunt usurpandæ.

℞. Gumm.

℞. Gumm. ammon. in aceto dissolut & trajecti & iterum inspissati ʒii. Bdellii, styracis, an. ℈iiii. M.F. Pilulæ justæ magnitudinis, capiat ʒi. alternis diebus.

Intermediis diebus utatur opiatâ roborante & aperiente, in obstructione hepatis præscriptâ.

Usus etiam chalybis præparati, superius & inferius a nobis descripti, hic magnopere conducit

In Victus ratione, Cibus sit attenuans, ut in obstructione hepatis, moderata quantitate exhibitus. Item incidens & detergens. Vitentur dulcia. Vinum sit tenue, odoratum, vel cerevisia clara, mediocrium virium. Cappares sint in frequent usu. Alvus moderatè fluat. Exercitia sint moderata Vitet tristitiam. *Idem ibidem.*

Observationes.

Pro Hepate calido.

Inter omnia remedia quæ hactenus ars invenire potuit ad hepar præcalidum refrigerandum atque roborandum, primas obtinet tinctura coralliorum: cujus cochlearia duo æger sumere poterit singulis diebus manè duabus horis ante pastum. Ita præparatur.

℞. Corall. rubr. crassiuscule triti ℥vi. reponantur in vase vitreo, quod matracium vocant, iisque affundatur succus limonum, ut supra materiam quatuor digitis emineat; (in penuria succi limonum, substitui poterit succus berberorum) vase bene clauso ponantur in B. M. per quatuor aut quinque dies continuos, & tincturam separa à fæce, & in alio vase serva ad usum dictum, gustui gratior fiet tinctura, si cum sacchari candi pari quantitate reducatur in syrupum; sed multò inefficacior evadet, at melius addetur saccharum cuilibet dosi exhibitionis tempore. Ad eundem usum valde commendatur conserva ex fructu cynorrhodii confecta, cujus sumat singulis diebus ad nucis magnitudinem. Uti etiam poterit Electuario sequenti.

℞. Elect. triasantal. quadruplicato rheo in tabell. redacti ℥iiii. capiat tabellam unam ponderis ʒii. superbibendo parum potus ordinarii.

Tinctura etiam rosarum ad usum prædictum utilissima erit.

Hæc quatuor remedia in usu continuo ita habenda sunt, ut manè alterutrum sumatur horis duabus ante pastum, vesperi vero alterum, in introitu lecti, postridie vero alia duo iisdem horis, ita frequenter remedia immutando, ne natura nimium iisdẽ assuescat. *Laz. Riverius. obs. 49. cẽt 1.*

Si reperiri posset aliquod pharmacum, quod uno eodemque tempore stomachum foveret, jecurque refrigeraret, maximum esset inventum, cichorium sylvestre duas hasce facultates possidet in cibis administratum, nam amaritudine qua pollet ventriculum roborat, sicut reliqua amara, & bilis fervorem compescendo immensos æstus ipsius hepatis coercet. Hoc remedio plurimos sanatos vidimus, *Dominicus Panarolus. obs. 47. pentecoste. 3.*

Quia hepar habes natura calidum, contemperatione aliqua interdum indiget, utque ea hepatis refrigeratio sine ventriculi incommodo instituatur, suadeo; ut utrique membro, etsi dissimiliter affecta sint, sic consulas, ut saccharo rosato aliquot grana piperis per medium incisi indas, & simul deglutias, ita piper calefaciet ventriculum frigidum, nec ultra progredietur, & sacch. rosacei frigiditatem inhibebit; saccharum vero ros. sac. postea hepar contemperabit. Caspar Hoffmanus consil. 9. lib. 3. consil. Cratonis & aliorum Medicorum à Scholtzio editorum.

Pro Hepatis dolore.

Dominum Sangermanum dolor ad gibbas hepatis vexabat: irrita omnia fuerunt remedia ex arte comparata, & cum naturæ totum negotium relinqueretur, rusticus advocatus est, hic similem affectum se aliquando curasse asseveravit, æger confidenter ei sese credit: accipit radicis hederæ pulverisatæ ʒi. aut ʒii. potui dat cum decocto capi aut pulli, non longe post juvatur plurimùm: ejusmodi remedia à veteribus sunt præscripta, à nobis neglecta; & eadem magno nostro vituperio cum summa laude usurpant Rustici. Ætius caput scripsit de iis quæ purgant cavas & gibbas partes jecoris. Guil. Ballonius. lib. 1. Epid. & Ephem. pag. 41.

Vidi pistorem quendam qui cum in itinere se fatigasset, ac in gramine dormuisset, querebatur de aliquo at non valido dolore hepatis: febricitabat non ardenter: interdum Leipothymia tentabatur: cum obiisset hepatis parenchyma, intacta ac integra membrana, in pus merum degeneraverat. *Io. Heurnius. ad aphor. 45. sect. 7.*

Pro Hepatis Inflammatione.

Vir quidam crapulæ deditus inflammatione jecoris correptus est. Huic febris continua aderat, & dolor valde gravis in hypochondrio dextro, cum tussicula quadam inani: dolor ad claviculam ascendebat. Habebat etiam sitim inexhaustam, nauseam, cibifastidium & singultum, cum lingua arida in principio, postea nigra & aspera, & lotio rubro, quæ omnia inflammationem hepatis indicabant: ad hunc accitus, venam illicò tundere feci ad ℥viii. Sequenti die cum non satis alvus responderet, lenitivum sequens ut exhiberetur mandavi.

℞. Cassiæ rec. extract. ℥i. rhei pulv. ℈i fiat bolus quo quatuor sedes biliosas habuit, ita ut ex hac levi purgatione & sanguinis detractione febris mitior evaserit, dolore parum diminuto: inunximus etiam regionem hepatis unguento santalino; & pannum lineum eodem unguento inunctum apposuimus sine calefactione: interea & hoc decocto utebatur.

℞. Endiv. Cichor. cum toto, dentis leonis cum toto, acetos. viol. lactuc. novell. an. M. i. fumar. agrimon. cap. ven. borrag. bugl. an. Mß. chamæpit. chamædr. (cum esset etiam quædam obstructio) an. M. ß rad. gram. petrosel. an. ℥ß. sem. quatuor frigid. maj. & min. an. ʒi. sem. anis. ʒß. tamarind. ℥i. prunor. damasc. numero xiii. uvar. pass. exacinat. ℥i. liquirit. ras. ʒii. hord. mundat. p. i. F. decoctio in aq. pro ℔iß. colat. adde syr. de cichor. cum rheo ℥iß. syr. viol. de limon. de endiv. ex infusione ros. communium, an. ℥ß. M. quo apozemate cum usus esset, febris valde diminuta est, & alvum quotidie deponebat. Morbo magis inclinante, pro dolore usus est sequenti epithemate bis aut ter in die, atque ita dolor omnis evanuit, neque ad apostema devenit, de quo metuebat, sed sanus cum nostra laude, ab astantibus pro deplorato habitus evasit.

℞. En-

℞. Endiv. virid. cichor. an. Mj. fl. chamæm. melilot. & rosf. rubr. an. M. ß. summitat. absynth. p. j. coq. in aq. communi pro ℔jß. in fine adde aq. absynth. endiu. an. ℥j. aceti opt. ℥ij. spec. triosantal. ʒiß. iterum bulliant, & F. epithema pro hepatis regione: eo peracto, inungatur linimento infrascripto.

℞. Ol. amygd. amar. chamæm. an. ℥ß. ol. rosf. unguent. santal. an. ʒii. M.

Quod ad victum attinet, tenuissimum adhibuimus, in principio nil nisi cremorem ptisanæ, & poma cocte administrando, abstinendu à dulcibus, quibus tum jecur, tum lien intumescunt: à valde etiam astringentibus abstinendum *Petrus forestus. obs. 7. lib 19. de hepatis Affectibus.*

Quidam febre acuta corripitur: dolor ad hypochondrium dextrum: satis colligebamus non esse pleuretim: tamen summa erat difficultas ducendæ animæ, & quæ in horas increscet. spes erat eam sedatam iri uno medicamento: contra aucta est: metus suffocationis: revera phlogosis erat pituitosa circa eas partes, & nisi terna sectione venæ provisum fuisset, metus erat abscessus. *Guil ballontus consil 91. lib. 1.*

Indubitatum auxilium in hepatis inflammationem corruptione adfert hepar galli nigri vivi exemptum & adhuc calens in ℥v. aceti rosac. vel aceti simpl. minutissime contritum, resolutumque, & à fibris colatum, tepidemque exhibitum. *Franciscus Joel. pract sect. 1. lib.*

Senator quidam Paterermacensis quadragenarius, constitutione corporis gracilis, & natura biliosus, ob exercitia nimis violenta, cum supra modum incaluisset, inflammatione hepatis cum dolore ventris correptus fuit. Advocatus ego, ægrum febre acuta, cum linguæ ariditate, tussicula sicca, respirandi difficultate, cibi fastidio, siti maxima, nauseo, vomitu, inquietudinibusque laborantem offendi: duritiem quoque è regione hepatis manifestam persano: inflammatio enim præcipue gibbum hepatis occupabat, in curatione itaque processi, victus rationem refrigerantem & humectantem præscripsi, loco vini, decocto agrimoniæ & veronicæ, admixto nonnihil syr. de suco citri & acetosæ, utendum jussi, mox sequens enema ordinavi.

℞. Rad. & fol. alth. malu. viol. pariet. agrimon. & veron. an. M. j. fl. chamæm. melilot. an. M.ß. sem. anis. fœnic. an. ℥j. lini & fænugræc. an. ℥ß. F. decoctio in colat. ℔j. dissolu. sacch. ℥ij. vitell. ovi. ol. viol. & ros. an. ℥i. sal. p. j. M. F. enema, quo rejecto, venam in brachio dextro incidi, & ad ℥vii. sanguinis extraxi. exterius totum latus sequenti linimento tepide inunxi.

℞. Ol ros. & viol. cerati santal. an. ℥j. ol. absynth. ℥ß. M. F. Linimentum. Post duas à cœna horas, ad inflammationem internam arcendam, & somnum provocandum, nonnihil, laudani ipsi exhibui, adeo ut ea nocte, & sequenti die meliuscule habere cœperit: symptomata enim multum, ut & vires aliquo modo refocillatæ, fuerunt, quapropter sequentem potiunculam ordinavi

℞. Fol agrimon. veronic. cuscut. scabios. an. M. ß. sem. anis. fœnic an. ʒii. liquirit. ras. ℥j. coq. in colat ℥iiij. dissolue elect. diacathol. pvi. syr. rps. solut. compos. cum rhab. agar. & sena. ℥iß. M. F. potio, qua clementer expurgatus fuit.

Victus rationem interim optimam observabat: pro potu ordinario utebatur decocto agrimon. & veronic. lacte amygdalino, & emulsionibus sem. 4. frigid. mai. oleis convenientibus quotidie inungebatur, clysteres quinetiam urgente necessitate injecimus, corpusque per intervalla infusione rhei, cum syr. ros. solut compos. purgavimus, & sic divino favore dolor, reliquaque symptomata remiserunt, tandem hepar, partesque nobiles sequentibus tabellis corroboravimus.

℞. Spec. diarrhod abbat ʒij. aromat. rosat. troch. è rhab. an. ℥j. sacch. dissolut. in decocto agrimon. & veron. ℥iiij. M. F. S. A. tabellæ, de quibus sumantur ʒiij. horis tribus ante prandium. His plenissime convaluit. *Guil Fabritius hildanus. obs. 4. cent. 2.*

Hominem intemperie frigida ventriculi, & calida intemperie hepatis laborantem cognovi, cui ab empirico quodam plurima tam emplastra quam unguenta, eaque præcalida, veluti è pipere, cardamomo, oleo caryophyll. cinnam. & similibus præscripta, atque cartilagini xyphoidi admota fuerunt; inde inflammatione hepatis correptus, vix ab eadem liberari potuit, tandem vero Dei beneficio, iis quæ hepar refrigerant & corroborant, veluti juelpo ex aq. cichor. endiu. agrimon. veronicæ cum syrupo de succo limonum acetosæ & unguento santalorum exterius applicato, sanitati eum restitui. *Guillelmus Fabritius hildanus. observat. 46. cent. 2.*

Memini me apud Suetonium & Plinium legisse Augustum vitiato jecore laborantem, fomentis calidis sine fructu à Medicis tractatum esse, accito autem Antonio Musa, eum frigidis remedis fuisse sanatum; quam rem libenter commemoravi, quod cum viderim à solertissimis Medicis remedia calorifica huc usque administrata, aut nullam aut exiguam Medicinam contulisse, in ea sum sententia, ea medendi ratione paulisper omissa, ad refrigerantia modarate potius omnem curam esse convertendam, ita tamen ne calore nativo hebetato, ulla vis inferatur. Hieronymus Mercurialis tomo 2. consult. 59.

Pro Hepatis intemperie frigida hydropem minitante.

Præscribenda victus ratio, quæ calefaciat, moderate siccet, incidat, attenuet, ex iis quæ facile concoquantur & subigantur, ex usu erit hoc conditum, quod ex condit cort. arantiorum, rad. enulæ, rad cichor. spec. arom. rosat. diarrhoid. &c. confectum est item maxime probo electuarium hoc quod Arabes de vino, græci Cyphoides vocant, hoc modo secundum Hollerium præparatum.

℞. Passul. coriath. ℔ß. coq in vino veteri generoso ad pultis consistentia, tusas excernere per setaceum, tum admisce conserv. anth. cortic. condit. cinnam an. ℥j. spec. arom. rosat. diamargar. calid. diacinnam. an. ℈ij. lign. aloes odor. ʒß. croc ℈ß. M. dosis. ℥iß. Reinerus Solenander. cons. 2. sect. 3.

Pro Hepatis obstructione.

Digestione facta, semel atque iterum pulverem hunc purgantem cum fructu præscripsimus.

℞. Sepec. diaturb. cum rheo ʒj. tartar. vitriol. ℈j. M. F. pulvis, in brodio pisorum assumendus Gregorius Horstius. obs. 30. lib. 4.

Rusticis & agrestibus hominibus hepatis & lienis obstructionibus laborantibus, epotandum dedi proprium lotium magno successu, illud enim extergit & incidit, illud etiam calidum cum canabina stupa applicare juvat. Hepar etiam vulpis comestum à quadam proprietate convenit, ut & corallium valde tritum. Prodest etiam urtica mortua quæ lamium dicitur, ea quomodocunque assumpta, induratos & obstructos liberat. Ego soleo eam exhibere mane incoctam ovo in formam placentulæ. Hoc medicamentum didici à Monacho Hetrusco, qui solum singulis diebus hujus herbæ aliquot folia contrita & ovo incocta exhibebat edenda, & permultos curabat. Ego postea solos ipsius pulvere feliciter in vino albo in eodem affectu exhibui, debet in usum vocari illa duntaxat lamiæ species, quæ in foliis maculam habet albicantem. Est etiam filicis decoctum efficacissimum in hoc casu, id quod antiquis cognitum Gal. lib. 8. De comp. med. S. loca, feliciter exhibet in hepatis obstructione, & optimum pharmacum vocat *Reinerus Solenander. consil. 12. 13. sect. 1.*

Studiosus quidam ex intempestivis lucubrationibus in gravissimas obstructiones hepatis & lienis incidens, quæ eum ad extremam maciem perduxerunt, cum potiones purgantes, apozemata aperientia aliaque remedia parum contulissent, sequentibus à me præscriptis intra mensem restitutus est.

℞. Aloes opt. & gummi ammoniac. in aceto soluti & per setaceum trajecti atque iterum inspissati, an. ʒiij. sen mundat & myrrhæ el. an. ʒiß. croci ℈ß. cum oxymel. scillit. F. massa. pilul. de qua capiat ℈ij. alternis diebus duabus horis ante pastum. Lazarus Riverius. observ. 34. cent. 1.

In omnibus hepatis obstructionibus dextre demoliendis principes partes obtinet Mars seu ferrum, cujus scobs cruda (à ℈ß.) sæpius ingesta, mirum quantum valeat in talibus affectibus. Martis præparationes excogitatæ sunt multæ: quo meliores: simpliciores vero quo fuerint, eo meliores: simplicitate ipsa natura gaudet, est pulvis cacheticus simplex elegantis virtutis in omnibus obstructionibus internis. Ille sic fit.

℞. Chalyb præp. part. j. cass. lignææ, part iij. sacch. albiss. part. iiij. M. F. pulvis (chalybs in bracteas tusas tantisper tunditur super incudem donec prorsus in scoriam abeat, postea subtiliter pulverisetur; incus bene mundetur undique) ejus tantum, quantum mucrone cultri arripi potest, seu à ℈ß ad ℈j detur ter quotidie, mane jejuno ventriculo, hora tertia vespertina, & ituro cubitum; tandiu donec omnis obstructio fuerit expedita, etiam ad aliquot septimanas.

Essentia croci Martis quoque laudabilis est. Jo. *Hartmannus. pract. Chimiatr.*

Pro Hepatis Scirrho.

Cum ex mensibus retentis hoc malum provenerit, tota cura consistere videtur in eorum evacuatione: per octo ergo dies ante tempus mensium purganda erit bis aut ter per ponum coctum in quo radix hellebori nigri ad ʒß. affigatur (ut infra Sectione De podagra videre est) singulo quoque mense repetat eandem purgationem. Solet enim hoc medicamentum præ cæteris movere menses, sed continuare oportet per tres aut quatuor menses juxta tempus consuetæ purgationis: Præ cæteris vero efficacissimum remedium est ad omnes viscerum scirrhos usus chalybis in hunc modum.

℞. Chalyb. præp. pulv. ℥ß. rhei, agar. an. ʒij. spec. hier. simpl. ʒj. diarrhod. abbat. ℥ij. mall. despumat. q. s. F. electuarium: cujus sumat singulo quoque mane ʒij. per quindecim dies. Rodericus à Fonseca. tomo 1. consult. 61.

Pro topicis in usu erunt emplastr. diachyl. de meliloto & ceratum à me sæpe cum successu usurpatum: quod,

℞. Empl. de mucilag. ℥iij. bdell. ℥j. ammoniac. ʒx. (gummi solvantur in aceto acerrimo) bulliant in ol. absynth. ℥ij. cum vini alb ℥iiij. adde spic. nard. ʒij. cum cera alb. q. s. F. ceratum emolliens & digerens obstructiones & tumores scirrhosos ac præsertim jecoris. Jo. Zecchius. consult. 11.

Domina quædam Cachexia laborans, cum duritie hepatis, palpabilis, sequentibus pilulis per viginti dies usa perfecte restituta est.

℞. Chalyb. præp. cum sulph. ʒß. aloes opt. sennæ mund. agar troch. & rhei el. an. ʒj. pulv. el. diarrhod. abbat. ʒß. croci ℈ß. cum syr. rosat. solut. F. massa pilul. de qua capiat ʒj. singulis diebus mane leviter deambulando: post tres horas capiat jusculum in quo folia & rad. petrosel. bullierint. quia hæ pilulæ non purgabant, bis aut ter addita sunt uni dosi diagridii gr. iiij. *Lazarus Riverius. obs. 68. cent. 10.*

Hepatis tumore scirrhoso diuturno premebatur Nobilis vir, cui nullum auxilium prodesse potuit, licet præter providentiam totius ex ebeno sudorifica tantasset, uteretur medicamentis chalybeatis, balnea naturalia admitteret, & varia unguenta & emplastra parti apponeret: hic solum conserva ex marrhubii floribus cum melle parata quadraginta diebus ad ℥j. diluculo assumpta, & desuper aqua ebibita, quæ è foliis & radicibus ipsis, vitreis organis stillat, sanitati integræ fuit restitutus: nam sensim ac sine sensu emollitus & resolutus est tumor. *Zacutus Lusitanus. lib. 2. prax. med. admirand. observ. 48.*

Hepatis abscessu.

Cùm anno 1675. Parisiis Chirurgiæ operam daremus, curæ nostræ commissus fuit Vir consistentis ætatis faciei colore flavescente, pilis subrufis, sed minus lautæ conditionis, qui vulnere à gladii ictu profundiore intra costas nothas inflicto, abscessum hepatis incurrit, ita ut per sex septimanas materia purulenta copiosè manavit, eò majori cum periculô, quô in hepatis parenchyma stylus profundius adigi potuit. Hic octo circiter septimanarum spatio ab affectu fune-

funesto liberatus fuit, medicamentis balsamicis ac vulnerariis, detergentibus ac consolidantibus, internè & externè usurpatis; Nobili alio, quem simili malô laborantem eodem tempore curæ suæ creditum, D. Marcellus Chirurgus peritissimus ter de die invisebat, paucorum dierum intervallô è vivis excedente; adeò abjectioris sortis homines quandoque præ divitibus natura favere dicitur. *Joh. Jacob. Harderus in Observat. Anatomico-Medicis.*

Hepatis durities & suppuratio feliciter finitæ.

Quantum sufficere possit pars adeò nobilis prout est hepar, Medicorum monumenta testantur. Hic quoque recensebimus exemplum non inauditum attamen rarum, quod in eadem parte accidit. Juvenis quidam Amsteledamensis qui Chirurgiæ operam dabat, ante tres ferè annos nobis querebatur de epigastrii tensione, cum dolore gravativo ad hypochondrium sinistrum sese extendente, tandem tumor durus ibidem ortus, cum aliquali difficultate respirandi & febriculâ. Hisce exploratis, hepar esse induratum judicavi diversisq; emplastris emollientibus applicitis, tandem cataplasmatis maturantis adminiculô tumor mollior redditus ad suppurationem pervenit, quô post cauterii potentialis applicationem, phlebotomô apertô, multum puris effluxit, & brevis post, ulcere purgato, sanatus est. In hoc casu non est dubitandum quæ à prægressa inflammatione, gibba hepatis pars fuerit connata peritonæo, unde ulcere aperto, puri deneg tus fuit in abdominis cavum decubitus. Ejusmodi exempla reperiuntur quoque in observationibus curiosis Nobiliss. Viri D. De Marchettis, Professoris Patavini, pag. mihi 120. *Frideric. Ruyschius in Observation. Anatomico-Chirurgicarum centuria.*

Hepatis vomitu curatæ.

Mulier quintum completura elimactericum, inflammatione hepatis cum tussicula sicca, spirandi difficultate & purgativo in hypochondrio dextro laborans dolore, phlebotomi s aliisve non obstantibus remediis, juxta effatum Hippocrat. 4. acutor. eodem in latere suppurata est, atque XL. die puris crassioris sanguine striati libras sex sponte evomuit & convaluit. *D. Nicolai Gulielmi Beckers.*

Calculi ex Abscessu circa hepar.

Pauci elapsi sunt anni, quod hic Uratislaviæ vixerit, Johannes Groschius, Oeconomus Xenodochii ad Spiritum Sanctum, Vir robustus ac validæ Constitutionis, temperamenti Sanguineo-cholerici. Hunc quondam mense Junio, anno ætatis 60. desubito Rigor vehemens invasit, cui postliminio dolores in Hypochondrio dextro ad regionem Hepatis una cum Tumore, nucem juglandem æquante, accesserunt. Tumoris, doloribus persistentibus, intra semestre spatium adeo increvit, ut tandem panem silligineum Uratislaviensem quantitate tantum non superaret, sicque induruit, ut scirrhum referret. Quanquam vero Affectui huic diligentior adhibenda fuisset, ægrotus tamen nec Medico nec Chirurgo usus, sed sui ipse curam suscipere ausus est: interne quidem Balsamum Sulphuris, aliquandiu singulis diebus deinceps bis terve in Septimana, ut & nonunquam pulverem cardui benedicti adhibuit, & pro Evacuatione quandoque, velut pro libitu, Rhabarbarum; Externe vero ab initio ad finem morbi nil nisi Emplastrum Jensigneri Norinbergense Tumore applicuit. Tandem aliquando contigit, ut circa Festum Nativitatis Christi, dum noctu ægrotus dormiret se haut sentiente, Tumor rumperetur, unde magna quantitas materiæ, pultis instar crassæ, cinericei coloris, integris 4. septimanis profluxit, donec Tumor quasi omnino desideret.

Posthæc ex vulnere, quod interea in fistulam degeneraverat, atque in nonum usque annum, indito in id instrumento argenteo, apertum servabatur, juxta cum humore ichoroso, successive plurimi lapilli provenerunt, diversæ magnitudinis, formæ & figuræ, sic ut alii triangulares, alii quadrangulares, alii sexangulares, deprehensi sint, inter quos majores, glandibus fagi his, minores vero, granis ericæ similes erant. Iidem Coloris sunt extrinsecus sub-punicei, instar Castanearum nondum omnino maturarum, inducti tenui quodam cortice, intrinsecus lutei instar Rhabarbari, quo ægrotus sæpius utebatur. De cætero lapilli dicti sunt friabiles, pondere admodum leves, ac numerum eorum novem annorum spatio excretorum, quingentenarium aut sexcentenarium æquare, hæredes ægroti affirmant. Eorumdem etiam lapillorum numerum ad 80. apud me asservo. Quamdiu vulnus apertum conservatum est,& lapilli excreti sunt, cætera vir ille bene valuit, & ad quævis sua munia obeunda, sepra morem ætatis, expeditus & alacer; quam primum vero vulnus sua sponte coaluit, in alios Morbos incidit, præcipue vero interdum in Asthma, interdum in Icterum, sæpius in Diarrhœam, quorum morborum unus tandem quoque ipsi vitam extinxit, postquam 72. ætatis annum accessisset. Godofr. Thilesii.

Anatomicæ Inspectiones.

De Hepate insolitæ magnitudinis, pendente quatuordecim libras civiles.

Vxor Johannis Kippleri, textoris Uracensis ætatis 45. ann. temperamenti biliosi, per aliquot mensium spatium sub dextra axilla, facta à natura quasi fontanella, ulcus aluit, ex quo materia quædam alba cum flavedine permixta interdum copiose fluebat & ruebat. Hoc cum à chirurgo (quod hujus pertæsa amplius ipsi exitum concedere nollet) imprudenter nimis meo judicio consolidatum esset, paulo post dolorem circa hepatis regionem sentire cœpit gravativum, cum ciborum fastidio, vomitu interdum bilioso, nec non siti, qua premebatur, intensa, cum insigni tumore; quem digitis tangere licebat, dextri hypochondrii, ea potissimum parte, qua hepar ventriculum ambit.

Ego in consilium vocatus, postquam prognostico ancipitis & exiguæ spei me præmunivissem

artis præsidia arripui, remediisque tam internis quam externis curationem auspicatus sum; sed sine fructu, & exiguo cum levamine.

Nam cum symptomata indies graviora fierent, dolores non remitterent, præprimis autem tumor, à topicis nec emolliri nec discuti posset, icterusque totum corpus subito invaderet & occuparet, medicamentorum usum porro sibi salutarem fore dubitabat; proinde ab iisdem plane abstinuit, sola aqua confortativa, qua per vices ex cochleari utebatur, contenta.

Interim in sella dextro latere versus terram, declinato (à pondere & mole tumoris istius hac miseram retrahente, & ferme opprimente) dies noctesque sedens, crebris & reiteratis gemitibus blandam animæ à corpore ἀνάλυσιν à deo exoptavit, quam etiam ab ipso impetravit.

In tumoris hujus ad aspectum & tactum protuberantis causam cum inquirere animus esset, apertionem cadaveris à marito & amicis, precibus & persuasionibus (quanquam initio omnes reclamarent,) tandem extorsi.

Cum itaque opus aggrederer, & circa parenchyma hepatis, tumoris indagandi gratia, occuparer, illud cum stupore & admiratione tam vastum ac mole ponderosum videns adstantibus monstro, qui perterriti vix oculis fidem habebant.

De pondere autem certior fieri volens, monebam chirurgum ut extraheret, & totum scirrhosum repertum, ponderabat libras quatuordecim civiles. Cæterum in mesenterio adhuc carnosa excrescentia, magnitudine caput infantis æquans, conspecta & detecta fuit.

Reliqua viscera à nativa bonitate nil defecerunt.

Sequentia in viro quodam honesto hujus urbis, cujus nomen erat Urbanus Walcker, notavi.

Hic ex vitio hepatis per annos duos, maximos dolores perpessus est, nisi quicquam proficientibus medicamentis. Ex hujus umbilico sæpe materia alba & serosa stillabat; qui tandem fatis concessit.

Post mortem aperto cadavere hepar induratum grande & in gibba parte ultra triginta diversæ magnitudinis ulcuscula habens, inventum est; quæ aperta & dissecta, similem, prout ex umbilico fluxerat, materiam, cum fœtore tamen aliquali conjunctam, fundebant; in parte autem cava, abscessus, vesicula propria inclusis, magnitudine ovi gallinacei deprehensus est.

Lien solito minor. Renes, quoad substantiam carnosam in totum consumpti erant; relictis tantummodo involucris seu integumentis illorum. *Joh. Friderici Fuldenreichii.*

Hepar insignis magnitudinis in puella.

Puella octodecim circiter annorum recens nupta juniori M. mortua ex continua Tertiana, Dissecto cadevere exhibuit Jecur tantæ molis ut ad quintam pectoris costam ex osseis pertigerit, ubi usque adeo pulmones arctabat ut respirationi liberæ fuerint impedimento, florida alioquin substantia & omnis labis experte. *Caroli Offredi.*

Hapar maximum in v. lobos divisum.

Inveni Hepar divisum in quinque lobos, una cum Splene, figura referens serram insolitæ magnitudinis. *Jac. Grandi Anat. Veneti; In Actis Phil. 1670.*

De Hepate insolitæ magnitudinis, & variis aliis in anatome infantis observatis.

Ano 1672. mens. Oct. nata G. W. civi. ac mercatori Thoruniensi è primariis haud postremo, filiola egregia, optimæque, ut videbatur, constitutionis, quam etiam per medium annum integram servaverat. At hoc elapso, varia infantem affligere cœperant accidentia, quæ tamen, quia levia, facile superabantur. Usque dum sub medium Julium anni præteriti 1675. ingravescentibus malis in subsidium me vocavit parens. Apparebat tumor totius abdominis durus, qui in hypogastrio tantus erat, tamque dolorificus ac plumbeus, ut ibidem magnum latitare ulcus nemo ambigere potuerit, & quia puella omnem medicamentorum usum cum summo aversabatur horrore, pro deplorata habebatur ab omnibus.

Pugnatum interim est inunctionibus atque cataplasmatibus, emollientibus digerentibusque, quibus id tandem, Deo benedicente, obtentum, ut sub Augusti incrementum, magna puris copia per aliquot dies cum lotio ejecta, melius se habere cœperit puella, & abdomen detumverit. Unde omni adhibito astu id tandem obtinuimus, ut syr. de tribus insus. cochleare unum absumpserit illa.. Cœterum vix elapsis aliquot septimanis rediere pristinæ infirmitates, quæ tamen, ubi maculæ quædam ad instar scorbuticorum. in pedibus imprimis & collo, eruperunt, denuo remiserunt, ita ut rursum restituta crederetur puella. Idem post tres septimanas iterum accidit.

Et licet postmodum quædam medicamenta assumpserit, accedente tamen diarrhœa, viribusque prostratis, die. 18. Decembr. naturæ debitum solvit, erumpentibus denuo in pedibus dictis maculis. Post mortem, aperto à chirurgo Petro puls, me præsente, corpusculo, omentum cum mesenterii magna parte putridine consumptum apparebat. Hepar vero insolitæ magnitudinis pallidique coloris totam fere cavitatam abdominis repleverat. Quod excissum, pondere suo sesquilibram civilem fere æquabat. Vesicula fellis satis magna bile subpallida scatebat. Lien nigricans, quadratus & scirrhosus, vix triuncialis erat magnitudinis. Ventriculus cum vesica urinaria, nihil peculiare fovebant. Pancreas putridum erat; Intestina flatibus distenta videbantur. Ren uterque eam magnitudinem, quæ in adultis occurrit, obtinebat. Horum dexter satis naturaliter erat constitutus, sinister vero discissus copiosam fundebat saniem, in quam tota renis substantia ita mutata erat ut diffluente pure sola vasorum concurrentium interstitia, quæ apum loculamentis haud absurde comparat Highmorus, remanserunt. Pulmones flaccidi & subnigricantes, inque plurimos lobos divisi, cor justo exiguum & pallidum stipabant. Plura scrutari non licuit. Hoc quoque addo. Infantem

fantem hunc per totum vitæ suæ curricelum nunquam sudasse, etiam assumpto sudorifero. *Georgii Sageri.*

Hepar magnum, cum lapide in Cysti fellea.

Princeps Hassovicus Hadamarensis ante mensem Catarrho suffocotivo defunctus est; In cujus cadavere præter alia reperta fuere sequentia, Hepar erat immensæ molis octodecim librarum, In folliculo fellis repertus fuit calculus, unciæ unius ponderis, quem Principissa adhuc sibi reservat inter rara tanquam non κοτινον. *Johannis Dolæi.*

Anatome pulli septennis scirrho hepatis exstincti.

Natatui indulgens puellus, dum undis marinis nimium credit, ab iisdem per infortunium abripitur, mersusque profundo ægrè à sociis inventus, defertur in littus, & inter frequentes rotantium manus oborta vomitione salsam aquam copiose reiiciens eripitur quidem morti subitæ, sed æger tamen domum refertur, & anicularum suasu ut est illa ratio molestè officiosa, & ad consilia longe paratissima, succulis arena marina plenis, calentibusque obruitur; potissimum, qua parte hepar delitescit, quod de illius partis regione conquereretur. Sed cum jam diu sacculorum nullus finis esse, ille quidem lectum deserit, obambulatque cubiculum languidus & pallens, verum ignoto amicis morbi genere paulatim contabescit. Tandem huc translatus mihi committitur, animam ægre trahens, Ego re expensa ostendo conclamatum esse, hepar ferventibus arenis perustum, sanguinis motum illa parte non parum sufflaminasse, eoque ex coacervatis ibi humoribus scirrhum hepatis natum, meo quidem judicio jam immedicabilem. Quid sit? biduo post exspirat puellus, & quidem viginti quatuor horis ante convulsus. Rogor ab amicis, salvum hepar suspicantibus, ut aperto cadavere mortis causam indagarem, profuturum id fratribus reliquis, etiam temperamenti imbecillioris, ut sibi rectius prospiciant. Itaque rejectis integumentis dum hepar intentius contemplor, naturali longe majus, duriusque offendo, atque ostendo adstantibus non tantum viscus durissimum, sed & parenchyma ejus mille abscessibus minutis refertum. Erant autem abscessus illi non fluido pure distenti, sed duro, alboque, quale fere in elephantiacarum suum Carne quandoque videmus, & abominamur. Nec immunis ab eodem malo Lien, circulatione sanguinis luem in diversa transferente. Pulmo superna parte maculis nigris, flavisque hinc inde versicolor, sive aqua marina illuc quoque novam calamitatem deportante, sive catarrhis ex capite sensim in pulmones destillantibus: notavi enim sæpe alias in pulmonibus mortuorum, quos catarrhi infestaverant; nigrantes illas pulmonum maculas, vera vel præsentis, vel brevi secuturæ corruptiones argumenta. *Olai Borrichii.*

Anatome Mulieris, suppuratione, sive abscessu Hepatis mortuæ

Honesta honesti apud nos Civis uxor, cujus nomen dicere nihil attinet, 42. circiter annorum, bilioso-sanguine temperamenti, annuo jam abhinc spatio, utero tum gerens, de gravi dolore, tumoreque circa hepatis regionem, & calore præternaturali per intervalla redeunte, conquesta, me primum vocavit Medicum? ubi ego, præscriptis paucis remediis dicta symptomata vix ac ne vix quidem prius mitigatum iri prædixi, quam fœtus exclusus fuerit; quo facto, dum eadem symptomata adhuc persisterent, advocatus est & alius Medicus, Excellentiss. D. D. Joh. Christian. Halbach, præscriptaque tum ea medicamina, quæ contra abscessum, quam subesse ex signis suis collegimus, optima visa sunt. Sed omnia frustra. Tantum enim abest ut remiserit dolor, ut potius indies magis magisque invaluerit, augescente insuper & tumore & vomitu superveniente molestissimo, Verbo: obiit patiens fœmina; cumque sic volentibus Marito & proximis Agnatis Anatomico cultro secaretur, en ablatis communibus abdominis integumentis, facta eo loci sectione, quo dolorosum tuber, duorum circiter pugnorum magnitudinem æquans, se obtulit, tanta puris tenuis copia effluxit, quam vix integra mensura capere potuisset. Unde hujus originem curatius scrutati permagnam hepatis inferiorem partem absumptam, & inspurcissimam fœtidissimamque putrilaginem versam invenimus, cui pauca tantum ejus frustula candicantia, mollia & exesa parvisque glandulis similia innatabant; ut hinc ea quoque peritonæi portio, quæ tumore contexit, adeo infecta fuerit, ut plumbeum, æruginosum, lividumque colorem altissime inde contraxerit, & omnino putrida atque squalida apparuerit. Hepar sima sui parte prope felleæ vesiculæ fundum duas oblongas quasi appendices gallinacei ovi magnitudine, velut duo jecinora succenturiata exhibuit, & gibbere suo adeo excrevit, ut præter naturam valde intumuisse videretur, intus marcidum & lurido colore deturpatum. Mesenterium universum, quod mireris, nil nisi dura atque densa pinguedo erat & intestinorum tenuium exrremitati glandulæ: itidem pingues, citrinæque, concinno ordine velut quædam in partes divisæ læcidiæ superficietenus eleganter appensæ conspiciebantur. Et omentum, non, ut naturaliter solet, super intestina se expandebat, sed ventriculum versus contractum corrugatumque, quin & satis densum ac multa pinguedine intertextum deprehendimus. Cætera viscera intaminata vidimus, præter pulmones, qui subrancidi ac purulenti nonnihil erant. *Georg. Abrah. Merclini.*

De Abscessu hepatis in Gravida morte repentina terminato.

Nobilissima Matrona annorum 38. temperamenti calidi & humidi, habitus carnosi, coloris rosei & floridi acris ingenii, fixæque imaginationis, postquam sexdecim partus feliciter in lucem edidisset, tandem decima septima vice concepit, quam conceptum, cum ultra tempus consuetum gestasset, sibi præsagium fecit, ultimam hanc uteri gestationem fore fatalem. Dictum factum. Cum enim tempus pariendi ipsi fuisset præterlapsum, nullaque appare-

rent partus indicia, œconomicis operam dabat, ita ut vix unica die, antequam naturæ debitum persolveret, lecto affixa hæreret, & obstetrici se submitteret, quo tempore subinde tormina, & doloris in diversis abdominis & lumborum partibus percipiebat, qui tamen, proportionatis adhibitis remediis, cessabant, ita ut desuper se melius habere mulierculis indicaret. Quid fit? sumpta cœna, ex improviso convulsione epileptica corripitur, accurrunt omnes, sed frustra, jam enim natura succumbente, animam suo reddebat Creatori. Circumstantes terrore perculsi, apertionem cadaveris urgebant, ut fœtus, si adhuc vitalis, salvari posset. Vocatus Chirurgus properanti manu uterum discindit, sed nihil vitale in fœtus sed potius eum jam ante biduum fuisse extinctum, experientia edoctus confirmat, erat enim totus lividus, & gangrænæ indicia præ se ferebat. Secundinæ etiam putrefactæ. uteri cornubus firmissime annexæ, & nonnisi summa cum violentia poterant avelli. His perspectis, hepatis constitutionem explorare fuit desideratum; tractatur cultro anatomico Hepar, sed totum corruptum, & manu Chirurgi in centum particulas, instar Lanæ, discerptibile, in cujus cava parte ingens se monstrabat Abscessus, quo disrupto materia heterogenea copiosissime prorumpebat, cum sanguine grumoso diu extra venas fuso & refrigerato, non exigue calidum innatum extinguendi occasio.

Scholion.) In hac Historia offerunt se nonnulla inquisitione digna: primo, qua ratione nobilissima Marona cum tanta Hepatis corruptela colorem faciei tam floridum, album & rubicundum habere potuerit, cum Color bonus sit character illæsi Hepatis, color vero malus viscerum latens vitium ostendat. Secundo, utrum hic casus non confirmet, quod pulchriores, & colore vividiores citius intereant. Intemperans est natura pulchriorum celerius aliis morientium. Pulchriores citius intereunt, ajebat Cardanus, quia plurimum hebent calidi innati, quod sua activitate facilius depopulatur humidum radicale; licet enim color vividus optimos supponat humores, intellige de humoribus in superficie, non autem in centro existentibus: hinc Alexander Petronius dixit, ideo Homines magis coloratos citius interire, quio humor deterior in centro consistit, Recte Celsus: qui nitidiores sunt sua bona suspecta habere debent. Tertio indagandum est, cum Hepar totaliter corruptum fuerit inventum, & præcipuum sanguificationis organum credatur. quænam pars vices hepatis egerit, & sufficientem pro nutritione sanguinem & matri & fœtui suppeditare potuerit? Nonne hic dicendum cum Hipp. lib. 4. de morb. Sanguinis fons est Cor? Idem vult Aristoteles, & cum his sentit tota virorum doctissimorum hujus seculi Corona, uti per Anatomiam omnibus notum esse potest. Verum hæc omnia non otio, & sordidæ pigritiæ immersis, sed doctrinæ cupidis Philiatris relinquo ruminanda. *Tobiæ Czaschilii.*

Hepatis prolapsus Tumorem circa umbilicum inducens.

In Nosocomii nostri civici Pædotrophio Viennæ, ante menses plusculos infans natus cum tumore circa umbilicum ad pugni magnitudinem coloris lividi: Chirurgus, loci omphalocelen græna tactum ratus, medicamenta calidiora gangrænam & tandem sphacelum compescentia applicuit: inde aucta adhuc inflammatione misellus expiravit. Medicus Ordinarius, Excell. D. D. Ursinus, collega plurimum honorandus, vocato chirurgo civico, Rachardo nomine, alias sat dextro, aperire cadaverculum jussit, & inchoata sectione ad tumorem dictum, vixque cuspide cultelli adacto, jam hepatis substantia conspectum prodiit: inde patebat, tumorem ex prolapso hepate (forsan à conformationis vitio) & non ex umbilici protuberantia ortum traxisse, divulsa linea candida, quæ inter rectos musculos constituitur. Cum vero mihi à prædicto Domino Ordinario cadaverculum pro confectione sceleti, quod nostrum etiamnum exornat Theatrum Anatomicum, concessum esset, præter inflammationem hepatis, ac dispositionem gangrænosam in mesenterio, observare mihi nil licuit quod insoliti ac curiosi quidpiam in se contineret. *Laurent Wolfstrigel.*

Lapis in Abscessu hepatis.

Domina quædam 35, Annor. Temperamenti sanguinei, gravida jam dum decimo mense, Catarrho suffocativo repente extinguitur: & cum tempus Partus jam dum imminebat. Fœtum excidi; extracto fotu matricem iterum componebam, matrisque cadaver consuere incipiebant, cum ultra aperiendi mihi non data fuerit licentia. Inter consuendum cum Musculi Abdominis extracto fœtu consederant, tetigi massam quandam oblongam unius spithamæ, duram aliquomodo in dextro hypochondrio, quam cum etiam tangendam darem Dominabus & Mulierculis adstantibus, omnes clamarunt esse alium fœtum, putantes se pedem infantis tetigisse; impossibilem talem imprægnationem extra matricem licet illis deprædicaverim, sed aliquid aliud esse prædixerim, nihilominus incredula hæc gens, quæ nullis rationibus, sed tantum palpabilibus autopsiis ducitur, & ne vis quidem, hunc pedem, ut putabat, & per consequens totum fœtum videre & habere desiderabat. Cui petitioni quam lubentissime annuens aperui factam suturam, incisionemque feci, & inveni in inferiori parte Lobi hepatis accratam cystidem longam unius palmi, duriusculam, parumper plenam & bene infarctamquam à substantia hepatis modeste liberavi, & absque ulla venula, aut alio canale intrante reperto, ad tabulam extraxi. Hujus membrana ita densa & fortis erat, ut forfice eam scindere vix potuerim, cultro vero minime, aut certe cum summa difficultate, cujus concavitas erat repleta humore aliquo glutinosissimo, ex nigro resplendente & rubricante instar visci nigri, quo capiuntur aves, qui humor tam glutinosus fuit, ut eum vix cultro, à manu plane non, nisi ea sevo inuncta, uti fit cum Terebinth. abradere potuerim. In hujus humoris meditullis repertus fuit Lapis paulo minor ovo gallinæ, qui per medium securi confractus resplendebat, ac si nitro plenus fuisset, cortex erat durior meditullio,

meditullio, alias insipidus & nullius odoris, Mirum est, quod in illa parte nunquam ullum dolorem, aut saltem gravitatem persenserit, licet de calore Hepatis Domina hæc semper conquesta fuerit. D. Greisel. è vienna ad D. Sachsium Vratislaviam.

Scholion.) Pars hujus Lapidis Vratislaviam transmissi pondere Drach. iiß. æquat, si itaque reliquæ duæ partes addantur, totum erit Unc. j. & gr. 18. coloris est subgrysei interius, exterior cortex durior subfuscus cum aliquot punctis albis. Si manibus contractetur interius & exterius semper unctuosus apparet instar saponis: microscopio ubi subjectus, interiores splendentes particulæ quasi mercurium vivum exhibuerunt hinc inde aspersum. Quia porosior est, pro magnitudine levius est ipsius pondus.

Marc. Aurelius Severinus in de aAscess. Natur. L. iv. cap. 28. p. 260. Tubercula Lapidiconda, seu Lapides in Abscessibus duplices facit; alios qui immergantur quasi & innatent propemodum in sinu cystive anomalorum sub infarctu pultaceo, qui totum sinus ambitum complet; & talis fuit hic Viennensis quoque: alios vero cum sinus arcte materiam comprehendunt & hi vicissim comprehenduntur ab eadem cum mutuo adhæsu perfecto, habentque simplicitatem materiæ. Talem idem Suverin. l. a. p. 259, Neapoli Anno1640. è tuberculo circa jugularia vasa exscuit castaneæ forma & magnitudine, inæqualem, semisepultis quasi botris undique discretum, Lapidea densitate, qui aquæ injectus rubellus perstitit. Tales lapideos humores interdum Chirurgos fatigare notavit. Tulp. l. iv. obs. c. 21. Vidit D. Christoph. Tinctorius Electoral. Medicus Regiomonti, in fœmina dissecta duos Tumores saxeos dependentes à suspensorio hepatis, quorum unus 16. alter 1 pond. libravit apud D. Barthol. Cent. iv. obs. 28. Chirurgus Albigensis ab ulcere antiquo tibiæ lapidem tophaceum, nigrum, durissimumque extraxit. Borell. Cent. 1. obs. 4. & alium ex abscessu in humero ovi magnitudine 16. obs. 87. ex Umbilici abscessu prosilientem Andregetti de Andregettis Prof. Patav. observavit lapidem apud Joh. Rhodium cent t. II. obs. 99. Concludo cum recenti exemplo. D. Petri à Castro, quod consignavit in Observat. ms. observ. 18. Mense Aprili, inquit, Anno M. dc. xlv. Veronæ Cæsp. Caponis uxor. quæ habitabat ad Portam Episcopi, abscessum supra os Ischii passa, qui dum suppuratur ingentibus cruciatur doloribus, qui parum cessarunt rupto abscessu. Tandem applicato Cerato Castrensi Lapillos produxit magnitudine pisorum coloris subcrocei, intra 3. dies plusquam 40. I. Georgi Greiselii.

Lapis in Hepate.

Excellentissima Comitissa de Nadasti, cum esset in procinctu partus, derepente extincta fuit; Aperto ut fœtus baptisaretur ventre, repertus fuit Lapis magnitudinem ovi anserini referens, ponderis levissimi, intus candicans, ac si ex contritis diadematibus coagmentatus fuisset: Lapis autem hic adhærebat tunicis hepatis; Similem fere historiam narrat Benivenius l. de Abditis morb. causis, *Pauli de Sorbait.*

De Sacculo membranaceo calculis referto, hepati annexo.

Plena calculorum in corpore humano esse omnia, sufficienter testantur observationes, satisque quotidiana loquitur experientia: hinc nulla fere corporis nostri pars à Gorgonicis istis spiritibus, immunis existit, frequenterque miserabiles instituuntur tragœdiæ. Exemplum præter alia nobis præbet vir quidam hujus urbis primarius & cosulari quondam dignitate conspicuus, νῦν ἐν ἁγίοις. A plurimis annis hic calculo vehementissime laboravit, & in tanta copia lapides, lapillosq; cum urina excrevit, ut hodiernum à relictis liberis aliquot scatulæ calculi, variis, coloris figuræque diversæ refertæ, tanquam portio paternæ hæreditatis, ostendantur. Sub gravissimis tandem doloribus, atrocissimisque cruciatibus ante aliquot annos succcumbere fuit coactus, prægressa totali lotii suppressione per novem dies perdurante, quam calculus dactyli formis sat grandis excitaverat, remediis multis frustra tentatis. Post beatam ἀνάλυσιν exanime corpus cultri aciei subjectum, & exenteratio instituta: ad renes ubi deventum, nulli fere vel parvuli saltem inventi lapilli: in uretere vero dextro non procul à vesica calculus, uti jam dictum, se conspiciendum præbuit, dactyli formam repræsentans, nonnihil friabilis, & instar pumicis spongiosus ac candidus, hic ischuriæ lethalis causa extitit unica, ista vero fatalem introduxit horam.

Præcipuum autem quod admirationem subiit, fuit sacculus quidam sive involucrum membranaceum in perlustratione hepatis & vesiculæ felleæ oculis sese offerens: rotundus hic fuit & oblongus, non procul à cystide fellea sinistram versus, adnexus parte sui medie hepatis substantiæ per fibras quasdam exiles, extremitatibus utrinq; pendulis & minime adfixi: inferne ex medio sacculi hujus ductus quidam, instar ureteris, conspicuus fuit ad & in vesicam usque tendens, quo dubio procul prædictus lapillorum proventus receptaculo urinarum suppeditatus fuit. Inferior sacculi pars & ultra quidem dimidium, referta fuit innumeris calculis concinne impactis ad formam seminum tritici Turcici: in superiori vero parte liquor quidam coloris spadicei & nonnihil spissus, lapillis superfusus, quem puto materiam generandorum calculorum subinde suppeditasse, spiritu lapidifico turgidum, Ex vesicula fellea ad folliculum hunc nullus observatus ductus, ita per dictas fibrillas liquor in sacculum ex hepate videatur effusus, de quo tamen nihil certi definiam, sed curiosis Naturæ scrutatoribus decidendum illud relinquam. *Gottofredi Samuelis Polisii.*

De Caculo in Vesicula Fellis.

Mulier quædam ætatis lxi. annorum, uxor sutoris Vracensis, à multis annis de atrocissimis, quos per intervalla sentiebat in abdomine doloribus conquesta, cum quodam die maritum comitem habens, negotiorum causa proximum pagum peteret, inter eundum iisdem correpta doloribus, alvi exonerandæ gratia, ad arborem multis virgultis circumseptam, non procul à ripa fluvii stantem, considere coacta fuit.

Interea maritum viam prosequentem, subito

magno clamore vocat, seque viperam per alvum rejecisse constanter affirmat; qui accurens, facto strepitu inter virgulta, viperamque (quæ procul dubio ibidem loci delituerat, prout exitus historiæ docebit) in fluvium sese immergentem videns, mulieri postmodum majorem fidem habuit, præsertim cum jurato omnibus rem ita se habere, affirmaret.

Cùm autem ventris tormina etiam post exclusam, uti opinabatur, viperam non remitterent, sed per intervalla iisdem ut antea passionibus recurrerent, aliam adhuc vivam viperæ prolem in ventre domicilium habere firmiter sibi persuasum habebat; hancque farciminis instar sæpe per intestinorum contubernium circumgyrari ajebat; quam licet interdum manibus apprehenderet, statim tamen rursus iisdem sese subduceret, & evanesceret: nec ullis rationibus, ut contrarium statuerit, flecti potuit.

Affectus iste, cum miseram (quod aliquoties vidi & observavi) invaderet, ambabus manibus ventrem comprimendo, pedibusque tremendo tanto clamore & ejulatu ædes replebat, ut etiam extra easdem in vicinia longè exaudiri potuerit: firmiter credendo, dolorem hunc immanissimum & jancinationem intestinorum à vipera veneno emisso excitari; fidemque adstantibus hoc ipso conciliabat majorem, dum diceret, se sæpius vexari his tormentis, cum jejuna esset; quamprimum autem lac tepidum hauriret, vel jusculum sorbillaret, aut panis frustulum comederet, venenatam in ipsius ventre hospitantem bestiam placari, doloremque exinde mitigari; præsertim cum sedato illo munia domestica rursus obire posset.

Multi super hac re variis opinionibus distracti; quidam uteri symptomata, alii lienis affectum, nonnulli colicam biliosam accusare solebant: Reliqui, nescio quid morbosi apparatus in abdomine delitescere arbitrari, singuli suo, tam Medici (à quibus passim consilia & auxilia emendicata & efflagitata fuere) quàm empirici, ut & alii in consilium adhibiti viventes, judicio, non exclusis, ut sæpe fieri solet, ex hoc medicantium consortio, aniculis; quæ malum dæmoni & sagis adscribebant; aliæ, certo vesperam adesse, quam sibilare & cantillare audirent, hariolabantur.

Durante vero per triginta annorum curriculum hoc atrocissimo affectu, multa (quamvis interdum etiam inepta) à multis pro exturbando hoc peregrino, uti opinio ferebat, hospite, adhibita fuere remedia: sed tot assumptorum, quibus ferme enecta, pertæsa, (cum etiam omni argentario destitueretur præsidio ægrota) rem totam Deo & naturæ commisit; nil quicquam medicaminis porrò assumendo.

Tandem sub finem vitæ hydrope correpta fuit unde dolorem pristinum jam in totum sopitum esse, nec quicquam de viperæ motu se amplius persentire ajebat.

Cum autem affectum hydropicum naturalem, & interdum etiam curabilem ex fœmina quadam (à me & chirurgo per paracentesin in umbilico factam eductisque 12. circiter in hujus abdomine restagnantis laticis mensuris feliciter curata adhuc sospite) intelligeret, me rursus in consilium vocavit, ventrisque apertionem ursit.

Renui propter virium imbecillitatem, & quod umbilicus ipsius, non ut præfatæ mulieris aqua plenus tumeret: itaque medicamentis hydragogis & vesicatoriis pedibus applicandis, nec non aliis, rem moliendam & experiendam esse prædixi.

Ultro citroque habito sic sermone, opinionemque confirmante chirurgo, rem omnem meo arbitrio commisit.

Hinc curationem medicamentis, affectum hunc propriè respicientibus aggressus, ventrem successive omni aqua exoneravi, detumescentibus etiam, vesicatoriorum ope, pedibus: sed brevi ægrotæ gaudio, quæ jam perfectè curatam se putabat, & prædicabat.

Recrudescente enim malo abdomineque aquarum copia aucto, tandem exantlatis tot annis, incredibilibus dictu doloribus mortalitatem exuere coacta est.

Facto sic dolorum vehementium, & calamitatum ingentium fine, amici & cognati de certitudine hujus affectus solliciti, ut cadever aperirem, obnixè rogarunt, quod etiam pie defuncta, adhuc in vivis, me monendo, ne intermitterem ursit; quorum precibus ne deesse viderer, cum & ipse summo desiderio causam tam diuturni & chronici affectus rescire tenerer, rem statim ministrantibus duobus chirurgis expedivi; & cum venter aqua plenus tumesceret, eandem per canalem ad sex mensurarum complementum eduximus.

Postmodum aperto decenter cadavere, inspectisque visceribus, omnium primò pulmones utrinque costis adhærentes totos purulentos & plenos tuberculis nigris & cœruleis, invenimus. Hepar grande & multis in locis durum apparebat.

Vesicula fellis autem (hîc latebat anguis in herba) hoc, quem depictum vides calculo, infarcta erat; in cujus superiore ductu versus hepar supra præfiguratum calculum reliqui minores tanquam proles matris alvo exclusa quiescebant.

Etenim grandior calculus tam arcte & tenaciter vesiculæ bilis adhærebat, ut vix digitorum meorum ope separari & detrahi potuerit.

Perlustrato deinceps mesenterio hoc planè ab acrimonia bilis erosum, & ejusmodi calculosa materia (causa proculdubio hydropis) refertum vidimus.

Reliquis visceribus naturalis erat constitutio, neque in intestinorum contubernio vipera inventa; quamvis maxima pars adstantium hanc ibidem contentam crederet.

Itaque calculo hoc è cystide fellea à me exempto ad oculum demonstravi adstantibus & amicis causam dolorum & mortis, non viperæ, sed primario huic (scilicet calculo) adscribendam ac imputandam esse: neque ullam aliam me agnoscere posse nec velle: hoc permotus fundamento, quia vesicula bilis obstructa à novo isto possessore bilem nec recipere, nec emittere potuit; hinc natura aliam quærendo viam hanc in mesenterii substantiam deposuit; unde ingentes istos dolores & cruciatus subortos esse nullus dubito.

Id quod etiam apparebat in muliere ista adhuc vivente; quamprimum enim (postquam dolores aliquamdiu duraverant) per vomitum sese

sese expurgaret, brevi sublevata est, dolore omni penitus remittente, donec nova bilis generatio, eadem inferens symptomata, eundem quæreret exitum.

Similes fermè duas historias ex eadem causa præter immunissimos dolores cancrosam etiam partibus dispositionem inferre valentibus, lector benivolus, in Armamentorio chirurgico D. Johannis Sculteti inveniet. *Vid. Observ.* 148. *p. m.* 102. 103. *Joh. Frid. Huldenreschii.*

De hepate magno & Lapide Cystis fellea.

Princeps Nassovicus Hadamarensis ante mensem catarrho suffocativo defunctus est, in cujus cadavere præter alia reperta fuere sequentia; Hepar erat immensæ molis: octodecim librarum: In Folliculo fellis repertus fuit calculus unciæ unius ponderis, quam Principissa adhuc sibi reservat inter rata tanquam μνημόσυνον *Johannis Dolai.*

Ex Cystide fellea 99. *lapides eductis.*

Fuit quidam in Prussia Ducali Nobilis nomine Sakk, ex cujus cystide fellea 99. lapides, pisorum magnitudinem æquantes educti sunt: Is Ictero nigro subactus cecidit. *Andreæ Cnoffelii.*

Vesica fellea ad examen vocata.

Democritus olim in felle considerando versabatur, ego & in fellis vesica: quam cùm attentius intueor in genere bubulo, deprehendo quatuor constare tunicis membranaceis. Sub extima sive prima delitescit copiosa pinguedo, & serpunt vasa sanguinea; consequitur secunda & tertia, inter quas nullum sanguinei vasis indicium oculis meis patuit, ut neque inter tertiam & quartam sive intimam, & bili excipiendæ natam. Quarta hæc cæteris densior, crassiorque, & illa nullis vasis conspicuis interstincta, eo forsan magni artificis consilio, ne ab acerrima bile eroderentur, & morbos statim ab ortu inducerent. Et hæ quidem tunicæ quatuor sola manuum ope, nulla coctione prævia in conspectum venere. Post levem autem in aqua salsa coctionem extima tunica eodem vultu perduravit sine incremento, similis tunicæ allantoideæ; proxima illi non admodum dissimilis, nisi quod fibris quibusdam torosioribus distincta appareret. Tertia & quarta, ut bili vicinissimæ, triplo evasere crassiores, imitatæ non amplius membranas, sed densum, firmumque & non pellucens corium, ut puncturas bilis, opinor, facilius sustinerent. Neque vero hæ tunicæ intimæ patiebantur se post cocturam in plures tenuari laminas, sed propter inexplicabile, ut conjicio, fibrarum textum attenuantis scalpelli industriam eludebant, quod idem corio accidere observavi. *Olai Borrichii.*

Vesicula fellis in equo,

Novi hic parum, Cl. Blasius in Anatome equi observavit falsum esse quod vulgò refertur, illum vesicula fellis carere, quippe invenit ad pugni magnitudinem, sed in ipsa hepatis substantia insculptam, unde forsan frustra ab aliis quæsita est.

Certè neque vesiculam fellis in Equo Regio invenit Hafniæ senex venerandus & Anatomicus emeticus D. Simon Paulli, cujus verba digna sunt, velut ex tripode profecta, quæ relegantur ex Discursu eruditissimo Anatomico & Medico de Equi Regii per Anatomen dissecti Hafn. 11. Dec. 1671. morbo, ibidem typis impresso 1672. & 1674. Ita vero Magnus ille Anatomicus de hapate loquitur; Hepar ingens erat, & in concava parte, quæ ventriculum tegit, coloris plumbeo-grisei. Convexa pars mediocris coloris, & ita semisana, semimorbida inventa. Interea in medio relinquere cogor, an cum omni equorum genere ita comparatum sit, ut vesiculam felleam non habeat. Certum est, quod in hoc individuo, de quo mihi sermo est, prorsus nulla vesicula fellis inveniri potuerit, quanquam maxima diligentia quæsiverim, & hoc sine hepar in frustula dissecari jusserim.

Variare igitur in subjectis oportet, ut modo adsit, modo absit: Absentiam verò suppleat analogon aliquod. (*ass. Bartholini, Thomæ filii.*

Lapilli à Vesica fellea.

Magnificus ac Excellentissimus Dn. Rumoldus Wander Borcht, Augustissimi Romanorum Imperatoris Leopoldi, nec non Serenissimi quoddam Archiducis Leopoldi Guilielmi Protho Medicus Ætat. Anno 54. postquam annis quam plurimis atrocissimo Ischatico dolore cruciatus, Asthmate ac Orthopnœa, ut nonnisi erecta cervice spirare posset, defatigato, aurigino so corripitur morbo, quorum morborum, diversorumque symptomatum vehementia (appropriatissimis medicamentis non neglectis) Natura devicta 24. Octob. 1668. fatis cessit.

Cadavere per S. Cæs. Majestatis Chirurgum Dn. Pilas, me præsente, exenterato, præter bina in pulmonibus tubercula, 7. Lapilli caloris flavi subnigri fabarum minorum ac pisorum magnitudinem adæquantes in vesica fellea, ac poris cholidoetis reperti fuerunt, & S. Cæs. Maj. ostensi. *D. Beckers Litter. è Vienna Uratislav. datis ad D. Rachsium.*

Scholion.) Lapides in vesicula fellea reperiri plurima prostant apud Practicos hinc inde exempla, non minus quàm apud Schenck. in Lithegenesia, & Kentmann. l. de Calcul. His recentia quædam nostri seculi exempla subjungi possunt. Fabritio Hildano monstrati fuere Lapides in vesicula fellea Coloniæ 1612. in septuagenarii Comitis cadavere reperti, excisi, quorum major Drach. XIV. minor Drach. IV. ponderavit, quamvis pondus minus videatur propter insignem magnitudinem, quod factum, quia spongiosi fuerunt. Hildan. Cent. 2. obs. 44. fol. 320. qui etiam illos depictos exhibet. In fœmina 63. ann. vesica cholidoctos prægnans pluribus calculis fabæ molem excedentibus, iisque viridantibus. Carol. Piso Sect. 2. de morb. ex Sero p. 2. c. 4. observ. 17. Ann. 1628. Mantuæ in fœmina Fabricius Bartoletus 300. Lapides magnitudine Ciceris in folliculo fellis invenit, non minus in principe Mantuano Ferdinando Gonzaga, ad orificium ipsius vesicæ calculum triangularem Sectores repeterunt. Joh. Rhod. cent. 3. observ. 2. in Clemente VIII. Vesicula fellea monstravit Calculos, Hornung. Cist. med. Ep. 48.

58. & ex Urbani VIII. vesicula quinque calculos, singulos magnitudine nucis avellanæ extraxit Joh. Trullus Anatomicus. Barthol. Cent. 2. Hist. 45. sic calculos friabiles in Illustrissimi Comitis Thomæ Arundelii Angli Anno 1646. Patavii demortui vesicula fellea repertos fuisse describit & depingit G. Hieron Welschius in Episaym. observ. 65. p. 40. Cæcilius Folius egregius Anatomicus in Cent. 1. epist. 62. Bartholino narrat se diversis in Anatomiis diversi colores multicipesque albos citrinos, nigros, atque rubros calculos ex folliculo felleo eduxisse.

D. Olaus Borrichius vidit Anno 1661. Leidæ in Nosocomio, secante Exc. Sylvio Muliérculam, in vesicula fellea plus quam 90. calculos magnitudine fabarum, angulosos, sed figurarum irregularium, tactu molles, & qui in aqua calida pene toti colliquescerent, in Cent. 3. Epist. 85. Barthol. ubi in respons. Epist. 86. p. 472. Exc. Barthol. concedit eos in liquore calido facilè frangi potuisse, quia leves sint, nec facilè merguntur in aqua, à bile exsiccata vel assata originem ducente tanquam à causa calida; nam & in Regis Daniæ Christiani II. corpore, à Cornelio Amsfort Archiatro parvos rubros lapillos inventos, quod in carcere Regio, præcipue circa vitæ finem frequentius usus fuerit generosis vinis imprimis Malvatico. Tandem unicum adhuc addo exemplum, ab Illustribus aliquot personis mihi pro certissimo tum temporis narratum, cum Celsissim. Princeps Averspergii Conjux Comitissa de Lovenstain anno 1666. obiisset, in ejus corde & vesicula fellea varios lapides visos fuisse. D. Osvvald Grembs, ex mente Helmontii, felles hujus calculi seu Duelech originem putat fieri in Arbor. Hom. l. 1. cap. 7. sect. 3. §. 9. quando Spiritus urinæ deviarit ex suo utero in fellis vicinum cruorem, tunc confestim lapides in felle obnasci.

In brutis pariter interdum tales inveniuntur felles lapilli, quos alios natales habere quam calculum humanum asserit Helmont. de Lithiasi. cap. 8. §. 23. anomaloque modo produci ab excrementis ipsis, non per modum aliis infirmitatibus consuetum. In bove communiter eos in forma cicerum inveniri notat Exc. Joh. Dan. Major. Prof. P. Kiloniensis, in Anatom. Chilon. f. 9. major tamen est ab eodem ibid. descriptus, colore cereo ferrugineo ac splendente, magnitudine ovi gallinacei, ponder. drach. vi. Medic. quem possidet D. Henric. Vollgnadius Collega curiosus. Ipsemet Uratislaviæ ante biennium diversis temporibus binos à Lanioribus nostris accepi lapides è vesicula fellea è duobus bobus excissos, quorum major colore & figura pomum aurantium ordinariæ magnitudinis æmulatur, & pondere ℥ j. drach. ij. Medic. excedit, licet jam optimè sit siccatus; alter minor drach. vi. qui ex parte fructus varios exhibet cortices & in meditullio rotundum quasi nucleum inclusum pruni magnitudine, ex flavo rubescente colore. Alii è porcorum domesticorum felle oblati ex viridi nigricantes, plurimi, sed minores fabas magnitudine non excedentes, maximè friabiles sunt, *Nicolai Guliel. Beckers.*

Calculi cystidis felleæ & meatus Hepatici.

Anno Dom. 1662. Illustrissima Domina Baronissa Przehorzouskiana hic in Bœmia à longo tempore de tumore & duritie dextri hypochondrii conquerebatur, unde variis adhibitis remediis nihilque proficientibus tandem ictero correpta, intra aliquos dies fato cessit. Aperto cadavere hepar ipsius repertum est magnitudinis insolitæ, pondere æquantis circiter 12. libr. quod discissum durum, flavum, & hinc inde calculis flavis respersum oculis patescebat. Dum ad vesiculam fellis perventum esset, eadem humore bilioso vacua, sed loco ejus flavis arenulis onusta deprehensa est, inter quas eminebant calculi duo rotundi flavi, scabrosi, glandem sclopeti ferè æquantes, præter hos paulò minoris rotunditas calculus meatum hepaticum ad vesiculam felleam tam arctè & scabrosè obsidebat, ut discisso meatu difficulter erui posset. Ex hac observatione colligitur.

1. Vesiculam felleam esse receptaculum humoris biliosi.

2. Hepar continere materiam aptam pro humore bilioso deponendo in vesiculam.

3. Si eandem deponere non potest propter obstructionem vesiculæ felleæ, eandem collocare in ipsum Parenchyma hepatis tam diu, quam diu illud est capax extensionis.

4. Ubi non est amplius capax, tandem iterum in massam sanguinis remittere, & in habitum corporis propellere, ut ex hoc casu patet; Sequitur igitur ex his bilem prius inesse sanguini quam in vesiculam felle deponatur: ubi autem illa generetur, an in hepate, aut corde, aut primam suam origine accipiat, in ventriculo, ubi idem bilis ex vesicula per porum choledochum ventriculo se insinuans per modum fermenti se commiscet cibis, chylificationemque adjuvat, & tandem reliquo corpori communicatur, hoc dubium felicissimo aliorum Medicorum ingenio consecro. *Joh. Jacob. Dobrzenski de Nigroponte.*

De Ingenti Calculorum in fellea Cystide copia.

Jacobus Nagy de Harsany, natione Ungarus, vir antiqua nobili prosapia oriundus, eruditos, & qui diu cum Turcis Constantinopoli ratione sui status honorificè vixerat, tandem ex ditissimis suis territoriis à Turcis ejectus, à Serenissimo Electore Brandeburgico in numerum Consiliariorum suorum receptus est. In hoc dignitatis suæ gradu cùm per aliquot annos vixisset, meque interea temporis familiarissimè usus esset, incidit tandem in renum suppurationem cum purulentis mictionibus, dysuria, & id genus symptomatibus affectum jam enarratum consequentibus. Post multos medicamentorum usus, & à me & ab aliis Medicis præscriptorum, fato tandem functus decessit Senex annum sexagesimum sextum agens, pridie ultimi Decemb. anni jam elapsi 1679.

Medicus, D. Paulus Tarczali, natione quoque Ungarus, qui illum ad ultimum usque morbi conflictum curaret, diuque ipsius notitia & familiaritate usus erat, cadaver ejus à Chirurgo aperiri curavit, ut causam morbi cognosceret. Inveniebant itaque ambo renes suppurati, pauco eorum parenchymate superstite, unde colluvies puris in vesicam, & ejus excretio cu-

strati-

ſtranguria, quandoque dyſuria, tanquam mala neceſſario concomitantia. Inteſtina erant exulcerationibus hinc inde exeſa. Cyſtis fellea calculis refertiſſima, adeo ut ne guttula quidem humoris bilioſi in ea reperiretur, ſed tanquam ex uno lapide concreta, vel tota lapidea appareret. Exemti lapides (quorum multi in inteſtinis putridis, dum eximebantur, hinc inde diſperſi perditi ſunt,) à me numerati, illi tantum, quorum maximus nuclei caſtaneæ majoris; (cujus figuram quoque præſentabat, medii autem piſi, phaſeolique, minimi denique lentis magnitudinem æquabant, ſupra centum & quinquaginta inveniebantur. Relinquam calculorum ſaburram (quorum quidam erant ſuperiores globulo acus, quidam inferiores,) à famulo meo ultra quingentos calculos continuiſſe repertum eſt, ſicut in univerſum plures quam ſeptingentos calculos veſicula illa fellea, omnes conſueti nigricantis, viridis coloris concluſerit. Quod licet pluries humanis imbecillitatibus acciderit, operæ tamen pretium duxi, in favorem eorum quibus caſus tot calculorum bilioſorum inauditus eſt, miſerandam humanam ſortem hac in parte prodere. Scripſit vir ille p. m. ante quadrennnium librum eruditiſſimum, Turcicum ſtatum hodiernum ad unguem exhibentem, cujus titulum curioſis fautoribus hic apponere viſum fuit, qui talis eſt: Colloquia familiaria Turcico-latina, ſeu ſtatus Turcicus loquens, in quo omnes fere Turcici imperii ordines, miniſtrorum cujuſcunque conditionis extra vel intra aulam regiam dignitas, qualitas, officia; regimen gentis, robur terreſtre & maritimum, item natura, mores, ritus, conſuetudines variæ, religio, ſectæ & religioſi, &c. per colloquia veluti in ſpeculo quodam ad vivum repræſentantur, ac notis neceſſariis illuſtrantur per Jacobum Nagy de Harſany, nob. Ungar. Sereniſſ. & Potentiſſ. Electoris Brandenb. Conſiliarium. Subnexum eſt Teſtamentum ſeu fœdus Mahomedis cum Chriſtianis initum. Coloniæ Brandenburgicæ anno 1672. in 8. Obſervandum ultimo Medicis, quod Vir per quinquennium iſthoc morbi genere laborarit, nec tamen continue, ſed per intervalla ſtatis anni temporibus, autumni præſertim, ubi cum cœli tempeſtatibus in ægro quoque ſtranguria, mictio purulenta, dyſuria, &c. ingruebant. *Chriſtiani Menzki.*

De Lapidibus Felleis.

Deyſſoius Prof. Groninganus An. 1661. in folliculo fellis invenit calculos nu. 92. quorum alii pentaëdri, alii tetaëdri alii aliarum figurarum, referente D. Deuſingio in Examin. Pulv. Sympat. p. 447. In Brutorum complurium Epate calculi, cum ſicco veſcuntur nutrimento & pabulo, & oriuntur, à quo affectu ex graminis, (dilutioris nutrimenti) in paſcuis liberari ſolent. Par medela quibuſdam contingit ex lactis aſinini potu, vel à Cereviſiæ tenuis, & aquæ ante comedendum ingurgitatione, imo ſolis herbarum infrigidantium ſuccis fœmina quædam nobilis à mucagine tartarea alborumque calculorum infeſtatione una cum urina excretorum ſanata eſt. Qui in veſica fellis generantur, calculi læves & friabiles ſunt, oriuntur, cum pars ſucci terreſtris caſeoſi ſero commixta in muccaginem degenerat & unà cum bile in veſicam felleam delata eſt; unde Hipppocrat. in Infantibus calculum fieri aſſerit ex lacte valido & bilioſo, uti diſſerit Joh. Bettus Anglus in de nat. Sangu. cap. III. ſect. 3. §. 14. p. 275. Medici Amſtelodamenſes in privato Collegio anatomic. à Caſp. Commelin. edito p. 18. obſervarunt Anno 1664. 8. Dec. in Hæpatis Bubuli ramo ductus Hepatici quidusdam in locis varios lapides, imo ipſos canales lapidea cruſta obtectos, & ſubinde lapideus canaliculus in Canali membranoſo hæſit, cujus partem D. Abraham Quina Medic. Amſtelodam. ſervat. *Ph. Jacob. Sachs.*

Calculus in Veſica Fellea.

Sartoris cujuſdam ad montem Arcis Regiæ hic Polonii habitantis Uxor, poſtquam triduum parturiendo conſumpſiſſet, nulliſque medicamentis fœtus jamjam mortuus exturbari potuiſſet, ſuper venientibus Lipothymiis moritur. Petitu mariti & obſtetricis apertum fuit corpus, exemptuſque infans jacens ſupino quaſi corpore per tranſverſum Uteri, capite ſiniſtrum, pedibus dextrum attingens os Ilion, brachio vero ſiniſtro extra uterum pendulo. Scrutando deinde una cum D. D. Zolicoffero, nunc Archiatro Brehenſi affine meo longe dilectiſſimo, & D. D. J. Georgio Elſnero, amico meo integerrimo, qui forte fortuna Vienna huc conceſſerat, reliqua viſcera, ex veſica fellea præter morem magna, bile lenta & ex viridi nigricante repleta extraxi calculum olivæ majoris (quas Regias vel Hiſpanicas appellant) magnitudine, nec colore & figura ipſi abſimilem, cæterum æqualem, & Drachmam unam civilis ponderis pendentem, quem adhuc obformæ raritatem & elegantiam domi inter alia curioſa ſervo integrum. Hæc enim ſola obſtitit quominus fregerim, & quid valeat, probaverim; annon forte eandem vim & facultatem habeat, qualis forte Lapidi in Cyſti fellea bouis nigri ad curandum Icterum, aut Lapidi Porcino, qui in felle porcorum, aut etiam ventriculo Hyſtricum in India reperitur, & Luſitanis Piedra di Puerco dicitur, in profligandis febribus tribuitur. Lapides enim id cavitatibus & ventribus brutorum repertos uſui eſſe, humanos vero illo deſtitui, cum homo omnium animalium ſit nobiliſſimum, & inter omnia delicatiſſimis utatur cibis, mihi cum Jac. Bontio animadv. ad Garc. ab orto p. 48. non credibile videtur. Sed quod, dum non adeo infrequenter, quin teſte Joh. Rhod. Cent. III. Obſ. 2. & ſæpius inveniant, & fuere inventi, nunquam & à nemine adhuc in uſum deducti aut probati, merito miror; Licebit hic ingeminare illud Satyrici, Externa neſci quo fuco ſe adornant, & plerumque Patriæ rebus (quin & illis quæ intra nos & è nobis naſcuntur) beatiora videntur. Cæterum, quia incidenter mentio facta Lapidum ex felle bovis nigri & Lapidis porcini, non ingratum aut incongruum erit de hiſce aliquot experimenta addere, Contigit mihi primo videre lapidem porcinum in Muſæo Illuſtriſſ. Equitis & Medici Corvini, Romæ qui vires ejus in ſe ipſo probaſſe quidem, ſed an bonum eventum, & à febri

bris quidam (ni fallor) continua liberationem ipsi, an aliis Medicamentis debeat adscribere, adhuc se dubium esse affirmavit. Certe sororem a Viennæ post obitum Mariti Anno M. dc. Lxii. febri maligna laborans, & ab omnibus Medicis pro deplorata habita, bibens de infusione Lapidis hujus (quem è Serenissimo Archi-duce Austriæ Guilielmo Leopoldo feliciss. memor. dono acceptum Magnif. D. D. Managetta S. C. M. Proto-Medicus b. m. ipsi concesserat) in aqua simplici facta, brevi fuit restituta. Accidit forte, ut quidam ex Domesticis febri tertiana detentus residuum, quod illa reliquerat; sumserit, & blando excitato sudore ab illa liberatus etiam convaluerit. De lapide autem vesicæ biliariæ Bovis nigri bina experimenta mutuabo ex D. D. Pauli Spindleri Practici quondam Poloniensis, post Ratispon. felicissimi, Cognati mei multis nominibus colendi, observationibus manuscriptis (quarum centum insigniores & rariores cum scholiis luci destinavi propediem publicæ:) Caupo quidam hic Polonii ad Aquilam Nigram, ictericus, assumpto pulvere talis Lapidis cum Salibus Absinthii & Centaur. minoris, quibus solis antea diu, sed sine fructu usus, insigniter fuit adjutus, & accepto postea uno vel altero Laxativo, penitus à fœdo faciei colore liberatus. Item: Mater prælaudati D. Doctoris, Matrona Nobiliss. laborans ictero pertinaci totius corporis, fere ad nigredinem declinante, à solius vini, in quo talis calculus infusus & liquefactus, potu, urina crassa prope nigra copiose excreta, fuit curata. *Caroli Raygeri.*

Lapilli in vesicula fellea.

Cum Anno 1620. studii medici gratia Monspelii in Gallia versabar, Dn. Georgius Scharpius, Scotus, tunc temporis in Academia professor Medicus Regius, in disputatione quadam publice narravit, se aliquando Monspelii dissecto corpore lictoris cujusdam, in cystide fellea triginta lapillos carbunculi instar pellucidos invenisse.

Cum Eminentissimi Cardinalis, Francisci Guilelmi, ex familia Comitum de Wartenberg, A. 1661. demortui cadaver ad sepulturam sectione & conditura præparatur, inventi fuerunt, præter craniis partem deperditam, (de quo superius Observatione 18. plura,) cæteris corporis partibus ac visceribus sanis in vesicula fellea, cum pauca bile, lapilli 67. forma partim triangulari, in medio plani, coloris prasini, quorum novem avellanæ parvæ magnitudinem, reliqui pisa adæquabant. Helvigii.

Ann. 1628. in apertione cadaveris cujusdam Senatoris & Septem viralis, repetiti in vesica fellea 27. calculi, quorum quatuor figuræ quadrangularis magnitudinem nucis moschatæ æquabant, reliquorum magnitudo paulatim imminuebatur, ad pisi majoris, sed inæqualem rotunditatem. Nullum ab illis vivente homine, hepati, aut ejus, quod mireris, officio damnum inferebatur, nulla noxa. Vesicæ alterius ulcus, quod totam ferme ejus cavitatem; in qua sex quippe continebantur calculi, occuparat, illum extinxerat. Quam observationem, dignam notatu confer cum iis quæ amor & deliciæ nostræ, Riolanus, refert lib. 2. anthropograph. cap. 22. Ex schedis D. Gregor. Queccii.

Scholion Schrockii.) Quamvis verum utique sit, quod de biliariis calculis amicissimus meus D. D. Joh. Georg. Volckamerus in schol ad observ. 71. Anni vi. Ephem. Germ. cur. dedit judicium, infinita nempe & eorum exempla Anatomicorum oculis esse objecta, ut pro miraculo amplius haberi nequeant. Quod & Nobil. D. Andr. Cnoffelius Ann. III. observ. 206. monuerat, multos scilicet rerum naturalium Historicos ad satietatem usque horum fecisse mentionem, adeo ut sibi adquiescendum fuisse reputaret, nisi admodum rarus casus eum ad enarrandum adegisset. Id quod sane etiam præsenti inprimis Auctoris observationi primæ adcommodare licet, ubi sese Lapilli fellei pelluciditate, carbunculi ad instar se habere, commendant, numero etiam memorabiles redduntur. Ad quorum illustrationem, notabiliores aliquot nuper indicasse non abs re fuerit. Sic durissimum ad nucis jugulandis molem accedentem profert Guil. Fabricius Hildanus cent. 1. observ. chirur. 60. & duos alios, oblongum unum, alterum fere rotundum, una cum delineatione cent. 4. observ. 44. illum quatuordecim drachmas, hunc quatuor tantum & dimidiam ponderantem, quamvis ab initio multo ponderosiores fuerint. Magnitudine quoque insignis fuit quem describit Excel. D. D. Sebast. Schefferus in Analect. ad an. III. dd. Eph. observ. 206. & 283. vel ex pondere æstimandus, unciam semis fere exæquante, postea vero ad medietatem propemodum imminuto: Humidi enim satisque molles esse utplurimum solent ingrati illi hospites, ideoque quo molliores & humidiores sunt, eo etiam leviores cum tempore redduntur, exhalante sensim immixto illo humido; id quod inprimis in eximio rotundo vesicæ felleæ calculo bubulo, ex meris laminulis facile fatiscentibus compacto, observavi, qui recenter inde extractus novem drachmarum pondus suggerebat, cæterum mollis adeo, ut comprimi quadantenus absque magna difficultate potuerit; nunc vero exsiccatus & durior factus, vix tres cum dimidia drachmas pondere exhibet. Duo etiam ovi fere magitudine spectabiles in lib. 2. c. 1. 4. Gammarolog. beati Sachsii nostri, & alii duo juglandis quantitate in Append. ad h. l. recensentur. Magnum, quatuor drachmarum pondere, vacuæ biliariæ vesiculæ inclusum exhibet nob. D. Carol. Raygerus Ann. IV. Eph. Cur. observ. 11. Alium, totum fere receptaculum illud replentem Bald. Timæus lib. 3. Cas. medicin. 28. aliumque compactum, solidum, ea quantitate, quanta ipsius extensæ cystidis esse potest. Joh. Fernelius lib. 6. Patholog. cap. 5. his verbis: Decrepitus quidam Senex in iram mire propensus, post decessum sine felle ac sine cysti inventus est, in cujus sede calculus ingens concreverat. Admirandum vocat Marc. Donatus lib. 4. de hist. med. merab. cap. 50. & quod omnem propemodum fidem superat. Forte membraneus ille folliculus à calculo ingenti extensus admodum, attenuatus, eique adglutinatus, minus curiosis observatoribus, ac si abesset, imposuerat, vel una cum liquore suo bilioso in calculosam duritiem concreverat. Quam ipsam Fernelianam historiam celeb. quondam

Medicus,

Medicus, D. D. Gothofredus Mœbius cap 15. Fundam. medic. physiol. illustratus, in Polonia olim innumeros boves, exorta quasi peste quadam interiisse, refert, in quorum cadaveribus dissectis nil aliud notatu dignum fuerit repertum, quam vesicula fellea tota in lapidem conversa. Auro quasi micantes plus quam ducentos Bernhard. Stieberus apud Horstium l. c. lib. 2. sect. 5. Orbicularem, novem aliis triangularibus splendentibus constantem Cnoffelius l. c. nitentem etiam Petr. Borellus cent3. observ. 22. lucidum vel pellucidum Zodiacus Medico-Gall. Ann. 1. epist. 4. observ. 7. & epist. 5. obs. 8. Nicolai de Blegny exhibent. Beatus quoque Joh. Theodor. Schenckius crustatum possedit, qui effractus instar crystallorum tartari splendebat, uti refert in Epist. 2. ad Sachsium, ejusdem Gammarolog. adnexa. Alias non unius coloris exsistunt, dum modo pallidi & cineritii, modo flavescentes, crocei, rubicundi, viridescentes, nigricantes, variegati deprehenduntur; prout enim bilis hac in parte se habet, quæ præternaturali in statu varios induere solet colores, sic & calculi ex eadem à spiritu coagulatore, quem descripsit Petr. Joh. Faber lib. 3. Sapient. univers. cap. 2. producti, varie eodem imbuuntur. Numero denique memorabiles sunt, quos describit lib. 3. observat. Felix Platerus, trecentesimum nempe excedentes.

De Lapide vesicæ Felleæ mirabili & raro.

Multi rerum Medicinalium Historici etiam ad satietatem usque lapillorum in Vesica fellea inventorum fecerunt mentionem, propterea, & meum fuisset, acquiescente, nisi admodum rarus casus ad enarrandum me adegisset. Fuit magni nominis Vir Theologus Posnaniæ nomine Dunin, Canonicus & Decanus capituli venerabilis Posnaniensis. Is per bene longum tempus sensit graves lateris dextri dolores, post siti immodica pressus, & potu oppletus nimio, factus est hydropicus. Excellentissimus ac Experientissimus D. ibidem Medicus & Practicus Brotouuski, ludibrium hocce Medicorum pro perte sua averruncandum præsumpsit, & quidem non parvo successu, dum aqua intercutanea fere omnis per urinaria vasa deviabatur, & detumefactis abdomine & pedibus, spes sed vana restituendi patientis florescebat. Infixa namque hujus mali spina localem istum dolorem non poterat mentiri, quin de novo pedes & abdomen longe majori tumore extensi, mortis celeriori gradu accelerantis & ita misere anhelantem & suffocatum Dominum Patientem cultro Medico extradendi, exspirante anno 1671. causa fuissent. Facti Cadaveris apertione, nihil magis spectatores in admirationem rapuit, quam quod fere nullum membrum index tanti mali apparuerit. Tandem sorex se prodit, vesica fellea parum bilis, sed ejus in loco orbicularem ex novem, aliis figuræ triangularis, sibi invicem incumbentibus, faciliqne manu separabilibus lapillis, constantem lapidem, mole quam pondere grandiorem, subnigricantis, subviridantis & splendentis coloris exhibuit. Hæc sunt, quæ ex autoptica relatione Domini Jacobi Wessel Chirurgi Posnaniensis, mihi ibidem commoranti, patent. Ille mihi dono dedit unum ex istis lapillis, qui ℈ij. pendet, cujus forma pomi minoris sylvestris, per quincuncem dissecti partem unam exacte æquabat, quem pro majori fide Excellentiss. ac Experientiss. D. D. Martino Bernhardi à Berniz S. R. M. Pol. Personæ Medico, & D. D. Segero S. R. M. Med. & P. P. & Physico ordinario Thoruniensum dignissimo videndum tradidi.

Paratus etiam essem non solum hunc lapillum, sed multo majoris & maximi momenti Metalla mineralia Academiæ Curiosis tradere, modo constet domum raritatum esse confectam in qua more Anglicano possent reservari. *And. Cnoffelii.*

De Liquore bilioso corrosivo per cistidem felleam exsudante.

Anno 1670. Auriga ex febre continua ardente quasi furibundus, in via regia demortuus, jussu Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniæ secabatur. In exenterato cadavere inter cætera observari, viscera omnia bene constituta, excepto, quod in ventriculo neque cibus, neque chymus sese offerret, erat autem repletus materia viscosa fluidiore, ex viridi nigricante (*Schvvartzgrun*) gelatinæ spissiori, adhuc tamen fluidæ similis, quoad mensuram Cantharum Misnicum ferme excedente. E cystide fallea adhuc integra & illæsa, Ovo Columbino majore, exsudasse vidi tenuiorem bilis portiunculam, duorum vel trium transversorum digitorum spatio, circum circa superas, inferasque & adjacentes partes undiquaque croceo colore tingentem, irrigantem, itaque corrodentem, ut partes ea illinitas & attactas putredinem acquisivisse manifeste non solum apparuerit, verum & præter hepatis substantiam, magnam partem hypochondrii dextri tingendo, rodendoque putridam reddiderit, illæsa plane vesicula biliaria. Unde facile colligendum, erodentem vim bilis simul nervosum genus tetigisse, & ægrotum furiosum reddidisse. Venulæ insuper & arteriæ in Cerebro turgebant sanguine nigricante, eque Corde dissecto sanguis nigerrimus, picis ad instar liquidæ, dimanabat. *Melchioris Fribe.*

Hepar magna ex parte in hydatides degeneratum & ab imperito temerè confossum.

Hepatis substantiam glandulosam, aut è minimis glandulis esse compositam, variis observationibus jam ante comprobavi; glandulas in hydatides degeneres multoties quoque demonstravi. Hic vero historiam satis mirabilem recensere animus est de hepate magna ex parte in hydatides degenerato. Chirurgus quidam temerarius in loco quodam suburbano habitans, paracentesin in thorace institutrus, ob hydropem pectoris, ut sibi imaginabatur, me in consilium vocari jussit; quando tamen ob adversam valetudinem illuc pergere haud potui. Quid fit? Proprio marte, idque solus, non thoracem, sed in hypochondrio dextro abdomen perforat. E vestigio hydatides multæ successive erumpunt. Hisce visis obstupescens turundam indidit, & me convenit, ast incassum, brevi enim post obiit misera fœmina; unde nobis

rem penitius investigandi occasio relinquebatur. Aperto igitur thorace, nihil liquoris præternaturalis invenimus. Imo viscera bene ibi vidimus constituta. In abdomine vero hepar peritonæo connatum, & propriæ substantiæ loco ex hydatidibus magna ex parte coagmentatum se se obtulit. Hanc hepatis partem peritonæo connatam perforaverat iste audaculus, cùm apertionem in thorace institueret, & ex ea hydatides proruperant. Quod eo facilius contigit, quia tota substantia hepatis eo in loco in hydatides degeneraverat: ita ut inter cavitatem illam & peritonæum, sola membrana, hepar ambiens, peritonæo connexa, intercederet. *Frideric. Ruischius in Observat. Anatomico-Chirurgicarum Centuria.*

Vlceris hepatis dissectio.

Cerdo quidam inflammatione jecoris laborans taliter qualiter se habuit, incidit tandem in fluxum alvinum, quo sanguis concretus excernebatur. Languit sex menses, & emaciatus fuit usque ad mortem.

Cùm cadaver aperiebatur, mirum! locô hepatis sacculus crassus & membranosus inventus est, cui pus cruentum & aquosa quædam inerant.

Dixi sæpius chylum acidum sanguinem ita inspissare ut circulationi ineptus evadat, exinde obstructiones, sive in hepate, ut hic, vel in alio quovis viscere pariuntur. Particulæ caseosæ chyli in tenuioribus jecoris canaliculis sedem fixerunt, erant enim tam crassæ, ut eos permeare non potuerint: hinc primo obstructio. Succi porro, qui continua circumductione circa obstructionem restitare cogebantur, incalescere incipiebant: succi enim quodammodo stagnantes, occasionem majorem nancicuntur, quam cùm celerrimo itu vehuntur: atque hæc incalescentia à medicis inflammatio, seu phlegmone appellatur. Succi interim ibi tardius se moventes acorem contrahunt, unde pus. Pus enim nihil aliud est quàm succus chylosus leviter coagulatus; quod si diu in parte quavis remaneat, fœtet. In hoc cadavere omne pus in hepatis membrana remansit, & quicquid intus hepatis substantiam constituebat, continua rosione consumptum est: hinc pus non unius formæ, sed cruentum & aquosum, nam vascula erosa, sanguinem & lympham aliquatenus adhuc adferebant. Non mirum videri debet eum fuisse imbecillem & mortis instar emaciatum, cùm omnis succus nutritius continuo corrumpebatur. Imò corrupto chylo, latex serosus intestina erosit, adeo ut sanguinea vasa sanguinem effunderent, qui coagulatus per anum excernebatur; atque sic debuit extrema sua fata claudere. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica.*

HERMAPHRODITI.

Absit ab hoc capitulo lasciva petulantia, & procul hinc, procul estote aures profanæ & salaces. Medicis scribimus, quib. & tangere subinde permittit necessitas, quæ natura, sollicita pudicitiæ conservatrix, velanda curavit. Iis ergo non molestum erit audire, quid circa eas partes etiam extra ordinem aliquando ipsa illa omniparens mater moliatur. Obstupuit mecum Guilielmus de Penyn Amstelodamensi nosocomio præfectus Medicus, & aliquot celebres, qui aderant, Chirurgi, dum puellam septennem visitabamus, quæ anno ætatis suæ sexto fluxionem menstruam passa erat diuturnam & vehementem, atque ubi ea desierat, pleuritide correpta fuerat; ac diu colluctata cum febribus eam ordinariè comitantibus, & hic diu etiam sequacibus, tandem in regione pubis vehementissimos sensit dolores; parsque ea paulatim intumescens, anno ætatis septimo, quo hæc oculis nostris usurpavimus, non puerum, sed penem produxit, qui perfectus, & perforatus erat; ita ut urinam commode per eum redderet, testiculi jam etiam sui prodebant initia, nam in sinistro latere tangentibus occurrebat globulus, qui manui cedebat, omnium, qui aderant, judicio extra omnem controversiam, testiculi latitantis adhuc, sed se foras prorumpere conantis argumentum. Quamquam autem parte recenter adnate urinam redderet, non tamen eandem minus commode, qua antea solita erat via, emittebat. Mirabamur ista tam insolita naturæ molimina, & quo tandem evaderent inter nos quærebamus, quod succedentia docebunt tempora; vivit enim & valet hæc parva hermaphroditula, quæ non minus obstupuit, credo, quam famosa ista Anna Weylde Angla, quæ ne quidem per umbram suspicans se aliam fore, quam fæminam, sine ullo doloris sensu anno ætatis sexto sensit prodire testiculos, quibus decimo tertio adnatus est penis, ita ut utriusque sexus membra exhibeat, testiculis etiam, quam ordinarii virorum sunt, majoribus, titillabatur utriusque sexus libidine, sed quia penis non erat perforatus, semen, quod eum inflatum impleverat, siquidem id affirmanti fides potest haberi, deorsum per muliebria, deorsum per muliebria effluebat. Curiosa alia de hac perfectissima hermaphrodita referre possem, nisi illa per totam Europam pene vagata, penem & reliqua omnibus videnda, omnibus tangenda obtulisset.

Itaque aliud in hoc genere mirabile referam, quod etiam Amstelodami visendum fuit: puer est trium annorum, in quo nec testiculi, nec scrotum apparet, sed tantum virgæ cujusdam imperforatæ exiguus tubus, & infra eum foramen, quod caput majoris aciculæ magnitudine non excedit, per quod urinam reddit sine incommodo. Sed hisce stupendis naturæ exorbitationibus tantisper immoratum esse, sit satis, Legat, qui curiosior est hac super re, Ausonii carmen, non unum hujus rei exemplum adferens, quod hic tibi suis admetior numeris.

Vallebana res nota, & vix credenda Poetis;
Sed quæ de vera promitur historia.
Femineam in speciem convertit masculus ales.
Pavaque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum; sed mollior agna
Astitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ novitatis habetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Canea convertit proles Saturnia Consus,
Ambiguoque fuit corpore Tiresias:
Vidit semivirum fons Salmacis hermaphroditum,

Vidit

Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum quod Campana in Benevento.
Unus Epheborum virgo repente fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ.
Ecce ego sum factus femina de puero.

Legat Fortunium Licetum de Monstris, & Martinum Delrio in disquisitionibus magicis, ubi hermaphroditum genuisse & peperisse narrat, alios ex feminis subito in viros mutatos, alias ex aniculis in juvenculas, nec nugatur vir ille, tempus, locum, aliasque assignat circumstantias, quæ solent rebus fidem astruere. *Theodor. Kerckringius in Spicilegio Anatomico.*

Conceptio Hermaphroditica seu Androginea.

Fortunius Affaytatus, Physicus atque Theologus Italus insignis, in suis considerationibus Physicis atque Astronomicis, Paulo III. Pontif. Max. inscriptis, & Venetiis Anno 1549 impressis, de conceptu Androgyneo cap. 2. hæc habet. Merlinus Britannus, divinus vates, anno à Christo nato 446. ex ea matre natus est, quam constabat sine viro concepisse, cum forte, se cum viro jacere somniaret; id Sabellicus scriptor historiarum diligentissimus, aliique Historici & Chronologi, præsertim apud Anglos, literis prodiderunt. Averrhoes asserit hujusmodi casum suo tempore accidisse, hoc est; virginem sine virili concubitu concepisse & peperisse. Divus quoque Thomas ait, suo seculo idem evenisse. Nostrates etiam paucis abhinc annis testantur idem Cremonæ contigisse. Vivuntque adhuc tum obstetrices boni nominis, tum probatissimæ quædam matronæ, cum quibus hac de re sæpe longos ipse sermones feci, quæ jurant, se huic spectaculo interfuisse.

Allegatus Autor cap. 5. suam hac de re sententiam fert, dum dicit: Dari hermaphroditos utriusque sexus munus egregie absolventes, & alterum tantummodo sexum foris ostendentes: fœminea genitalia exterius conspicua esse, virilia intus latere, semine prolifico prædita, & per certum seminis ductum, quotiescunque opus sit, semen ad matricem deferre, vehementi aviditate illud excipientem: illudque penetrare illæsa etiam virginea membrana in loca ad generationem accommodata: illicque residere, & ita conceptionem fieri, eodem modo ac si cum viro rem habuisset: & hoc plerumque solere per somnum usu venire, quo tempore sagax natura ad venerem excitandam varia simulacra confingere facile potest. Servatis igitur naturæ legibus, satis constare arbitratur, mulierem sine viro foris adhibito concipere posse: qua in re providæ & almæ naturæ gratias ingentes agendas esse censet, quæ nullo pacto genus nostrum perdi aut exstingui voluerit; etiamsi viri non invenirentur, aut fœminas prorsus odissent. Immo omnia procurasse naturam statuit, ut humanum genus tueretur & conservaret, illudque homine etiam invito latius propagaret.

Rarus hic Tractatus plurima alia paradoxa in se continet non ubivis obvia: Speciosas etiam rationes complectitur, cur magnes se ad polum vertat, in quibus eruendis hactenus plurimi desudarunt. An autem Lectori curioso author hic in omnibus satisfaciat, in medio relinquitur.

Scholion.) Aristot. l. 4. de Gen. Anim. c. 4. judicat, de Hermaphroditis, quibus gemina sunt pudenda unum ratum, alterum irritum habent. Non verum hoc Aristot. decretum esse statuit Joh. Faber Lynceus in not. ad Hist. Mexic. f. 547. certorum, inquit, mihi fide testimoniorum constat fuisse egregia statura & venusta facie juvenem, qui modo gladium cingebat, modo colum tractabat, & agi patique posset. Nisi Aristotel. intelligat, qui fœcundum virile profundit semen concipere non posse, aut vice versa, quæ gravida sit in alia fœmina generare non posse. Contrarium, ait fere foveo, Aristot. sententiam. Exenteravit Theophil. Molitor Lynceus in Fabri æde murem majorem, Rattum, qui hermaphroditus erat & prægnans, novem masculos utero conclusos gessit, non majores quam aliqua magna formica, vivos omnes, & in quibus cor pulsare visum est: Erant huic omnia fœminam constituentia genitalia & semen præparantia, conficientia Testes ac deferentia vasa una cum matrice: Altera ex parte aderant omnia vasa semen facientia & jaculantia masculina, cum ipso utero, testibus, vesiculis semine denso & optime concocto onustis. Hactenus Faber. Memorat Wolphius in memorabil. com. 2. Camer. cent. 16. f. 510. fuisse Hermaphroditum Hieronymo Montano Gallo satis cognitum, qui sexus muliebris putabatur, viro nupserat, cui filias aliquot & filios pepererat, sed nihilominus ancillas compresserat, & in his generare solitus fuerat; licet itaque rarum ut Hermaphroditus utroque sexu & incubum & succubum cum aliis agere possit, & utroque fœcunditatem exhibere, ut tamen solus sibi ipsi utroque sexu sufficere possit, res videtur esse valde difficilis quæ & credi & probari satis possit. *Georgii Christ. Petri.*

De Duobus Hermaphroditis.

Inter praxim, quam in castris Brandenburgicis ad Anclamum Pomeranorum locatis, apud multos dysenteria & febre maligna decumbentes, hoc Anno 1676. Mense Augusto, exercui, oblatus mihi fuit infans masculus, vix tertium anni quadrantem ætate superans, dysentericus, ex plebeia stirpe minime oriundus. Puellus hic, cum ultra octiduum laborasset dysenteria, & ea muliercularum medicastricum ope jam esset sublata, accedenti videbatur mihi insultibus epilepticis iisque lethalibus decumbere. Cumque inter cætera indicantia Clyster esset applicandus, & nemo in castris adesset, qui manum operationi huic adhibere gnarus esset, ipsemet ego enema paravi, idque instrumento apto infantulo infudi, ne aliquid damni imprudentia alterius administrantis pateretur. Etenim non mihi aut alteri Medico candido turpitudini ducendum existimo, quandoque Pharmacopœi aut Chirurgi vices supplere, ubi id necessitas efflagitat. Cum itaq; cauliculum ol. amygd. dulc. oblitum cauta satis manu ano admovissem, ut sine noxa & dolore posset penetrare, Sphincterem ani (qui in dysentericis quidem relaxari solet) adeo amplum inveni, ut is primo statim intuitu mihi po-

tius membrum muliebre, quam anus videretur. Rima erat oblonga, ampla, labiis septa, quæ rugis quibusdam sed paucis erant plicata, anique partim sphincterem, partim vulvæ labra præsentare videbantur. Præterea cum syringam hinc inde in ano laxo agitassem, nec tamen illam penitus intrudere possem, cum semper aliquid obstare deprehenderem, quaquaversum canaliculum movebam, & liquor enematis etiam refflueret, paulo superius versus os coccygis reperi ingressum, quo syringa penetrabat & clyster plurimam partem infundi posset. Dubius igitur primo, an aliquid monstrosi & Hermaphroditici subesset in tenero hoc subjecto, an vero secus, &, (quod in his morbis familiarissimum est) ani sphincter nimis esset relaxatus, atque intestinum rectum acrimonia humorum dysentericorum exesum foramina acquisivisset, rogavi Parentes, ut infantulum cum muliere, quæ illum à partu curaverat, lectica ad tentorium meum, quod inde ultra dimidium milliare distabat, duci curarent, ut per integrum diem eo melius infantuli curam haberem, quoniam officii Electoralis causa longius abesse non possem. Id autem feci ea de causa, ut præter diligentem curam istas partes exactius perlustrare mihi simul copia daretur. Consensere Parentes, & subsequenti die miserunt ad me puellum cum vetula. Illum ego lethalibus laborantem symptomatibus, quantum opus erat, refeci medicaminibus necessariis, & posticas partes diducendo interiora ani perlustravimus ego & vetula quid lateret post rimam, quam natura loco sphincteris ani produxerat. Diductis itaque labiis externis, rugis quibusdam (ut superius innui) sphincterem ani mentientibus, inveni nymphas & carunculas versus abdomen, inter quas hiatus erat pro vaginula uteri: Paulo superius versus dorsum, sphincter erat intestini recti minime, ut alias, corrugatus, sed tanquam duabus membranis rubris ex adverso sibi correspondentibus, alvi excrementis exitum præbentibus; compositus: Hic valvularum more aperiebatur, quotiens infans ejularet, & (quod ob dolores internos fere continuo accidebat) vocem raucam minime sonoram ederet. At, quod assequi ego non poteram, supra hunc ani sphincterem internum aliud foraminulum parvum, ad formam meatus urinarii, in mulieribus alias versus abdomen, hic autem versus os coccygis, conspiciebatur. Notabile & hoc erat, quod Perinæum, forma sua suturam exactissime referens, ultra quatuor transversos digitos inter penem & hunc monstrosum anum distabat. Ita satis hisce partibus perspectis, infantulum hunc (Puellum ano-Puellam, vel quomodocunque eam appellare placuerit) cum vetula dimisi, qui etiam subsequenti die epilepticus moriebatur, statimque in proximi pagi templo sepeliebatur, cum Parentes exenterationem, quam sollicite implorabam ob internam partium structuram, penitus abnegarent. Mulier quæ infantis curam à partu usque gesserat, eandem mecum sententiam circa muliebre membrum fovebat, quæ (ut ajebat) semper observasset, Infantulum circa illas partes sese non bene habuisse, præsertim cum egesserit urinas & alvi excrementa.

Adjunxi hic Schema partium illarum infantis, mea quidem, sed rudi manu delineatum, cui etiam addidi aliam Hermaphroditi militis figuram, qui eodem ipso tempore occisus erat ad propugnacula Urbis Anclami. Hujus Cadaver denudatum inter aliquos occisos ita cum suis genitalibus utriusque Sexus fuit conspectum à plurimis, ubi membrum muliebre perinæi locum occupabat. Christiani Mentzelii.

De Hermaphrodito.

Die 12. Iulij. proxime elapsi, comparuit puella quædam rustica, non imberbis, in nostro Othiniensi Consistorio, cui nihil in votis erat, prius quam ut nuncio & sexui sequiori, & ejusdem sexus habitui, misso, sibi integrum esset à Gynæceis ad masculum & sexum & cultum transire. Erat autem.

Mercurio genitore satus, genitrice Cythera
Nominis ut mixti sic corporis, Hermaphroditus.

Androgynus hicce natus in pago Fionensi, *Espe*, cum salutari Regenerationis tingeretur lavacro, dictus est Petrus, teste ipso loci istius Pastore; postea autem, cum errorem Naturæ observassent Parentes, salutabatur Petronella, ultra annos unum & viginti, in hunc usque diem, quo captus vel tædio, vel odio sui generis, spreta nobilitate fœminei sexus & præcellentia, (quam solam laudavit qui omnia vituperabat Agrippa) ad castra Virorum redire optabat. Casum hunc & causam ad forum Medicum mox devolvebant Assessores, ideoque remittebatur ad utrumque Clarissimum meum Affinem Dn. D. Christianum Henricum Luja, Dn. D. Christophorum Balslavv, & me simul, ut nostra, qui una tum temporis aderamus, valeret existimatio. Nos varia primum huc spectantia rogantes, tandem ipsum hominem oculis subjicimus nostris, Ubi jam oculi nostri ad metam pervenissent, observavimus in perinæo, sive interfœmineo.

Pudendum muliebre, exiguum quidem, sed non plane clausum aut impervium, quod tamen otiosum judicavimus, nec omnibus, quod dicitur, absolutum numeris, cum nunquam vel lotium emiserit, vel tributum pependerit lunare. Prævaluit autem membrum illud quo Viri sumus, in quo defectus apparuit nullus, nisi quod Penis brevior videbatur, verum, præ pudore, ni fallor, brevitatem modo mentiebatur, confugiendo in viscera mille operta rugis. Testes adeo accreverant, ut non mereantur nomen Testiculorum, communem quippe supergressi magnitudinem, Vervecum pœne adæquant. Atque ita non modo bene testantur virilitatem, sed & salacitatem, cujus insimulatus dicitur (ut cum Plauto loquar,) præsentibus testibus petulcas adamare ruricolas. Percrebuit equidem rumor pamphilam quandam ex ipso gravidam esse, quod tamen ipse, à nobis interrogatus, negavit constanter, ideoque nec temere hoc affirmavero. Egregii hi Testes rarissimo teguntur scroto, non ad communem Naturæ legem formato, sed prorsus bifido, & in dextram sinistramque partem exacte diviso; quippe cum linea illa, in infima scroti parte secundum longitudinem communiter excurrens; quam suturam vocamus, heic sedem suam circa Penis elegerit radicem.

radicem. Atque sic iterato sæpius luserat in hoc nostro Natura, in longum sui ludibrium ipsum reservatura. Immo & varias vices ac vicissitudines experta sunt hæc membra, ipso teste possessore. Tempore quippe nativitatis, & primis statim annis, favit Natura potissimum Virilibus, progressu temporis videbatur ad alteram inclinare partem, quasi organo muliebri dedititia futura verum ubi pubescere cæpisset, rediit ad priorem locum, unde digressus fuerat, suetus Naturæ vigor, quasi eandem remensurus fabulam. Cum vero se heic sentiret diverti commodius, transtulit huc suas sedes masculo generi futuras hæreditarias. His omnibus rite pensitatis, ductum Naturæ sequuti, Virorum numero hunc adscripsimus; jubentes ut, qui hactenus sub muliebri palla mas delituerat larvatus, jam, complicato sipario, in scenam sine fuco prodiret, vesteque fœminea cum virili mutata; masculesceret, & faciendo opere rustico, jam tum Vir futurus, digno Viro, lacertos posthac exerceret suos. *Georgii Hannæi.*

Andria. Sive mulier Hermaphroditica.

Emasculatam fœminam, non caridum luxu aut desidia pronatam Andriam, non illam Terentii ex Insula Lesbo ortam, sed rustica gente in superiori Bavaria editam exhibeo, cujus lepidum exemplar Marius Grapaldus lib. 2. Lexic. cap. 5. voce ἀνὴρ in Latine reddito Epigrammate exhibet.

Cum mea me genitrix gravida gestaret in alvo
Quid pareret fertur consuluisse Deos.
Mas *est, Phœbus ait, Mars* fœmina, *Junoque* neutrum,
Cumque forem natus, Hermaphroditus *eram,*
Quærenti lethum, Juno sic ait, occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, sors rata quæque fuit
Arbor obumbrat aquas, ascendo, decidit ensis,
Quem tuleram casu, labor & ipse super;
Pes hæsit ramis, caput incidit omne, tulique
Fœmina, vir, neutrum: flumina, telo, crucem.

Andria autem nostræ rustica *Martha Lechna* nomine, patriam habuit pagum superioris Bavariæ peramœnum Ilmunster, quifere medium itineris inter Ingolstadium & Monachium peregrinantibus exhibet, à præterlabente fluvio Ilne, & Cœnobio, quod circa annum R. S. DCCLV. ibidem exstructum Bavariæ annales referunt, ita indigitatam, quam corrupto idiomate incolarum dialectus nunc I*delmunster* vocat. Parentem habet *Johannem Lechna* mercenarium, matrem vero, ob motum pedibus negatum ægerrime inque summa penuria decumbentem. Amor Judicis in egenam hanc decimum quartum annum ætatis nunc agentem literis hisce commendatitiis pro viri posse munivit:

Demnach Mir Vorvveiser dessen mein Unterthan Hans Lechna unterthænig zuvernehmen geben, dass er unter seinen funff Kindern ein muhesam und armseliges, vvelches in gleichen Mann und Weib, nicht vveniger dessen Chevvirrhin vvegen zugestandenen Unglucks an beyden Fussen contract. *Sintemal er aber vvehen grosser Wehemuth Zu Curirung dessen keine Mittel, auch mit seiner Hand Arbeit, als Tagvvohlen, jedlich zverhalten nicht vveiss, sondern ihnen kaum die Lebens Mittel schaffen kan, dahero gedrungen, gute, fromme, treuhertzige Christen umb das vvurdige Allmosen umb Gottes vvillen anZurffen und Zu bitten, hat er mich ihme dessen Attestation und Urkund Zuertheilen unterthænig gebeten und angelanget, vvelches Ich der Warheit Zu Steur, vvie es auch der Augenschein beZeugt, nicht vervveigern vvollen: demnach an alle und iede, vvas Dignitaten und Standes sie seyn, vvelche mit diesem Urkund ersuchet vverden, mein gebuhr-dienstvvilliges und freundliches Ersuchen, Sie vvollen gedachtem Lechna auss Christlichem Mitleiden die Barmhertzigkeit ervveisen, und ihme mit ihrer Gabe dem vvurdigen Almosen befohlen seyn lassen: Solches vvird Gott der Allmachtige seiner Verheissung nach hie Zeitlich und dort evvig belohnen, der arme Mensch auch mit seinem Gebet gegen Gott furbittend nicht in Vergessenheit stellen. Der Varheit zu Steur habe Ich auff beruhrten Hansen Lechna, sein gebuhrendes Ersuchen und Bitten ihme diesen Schein verfertiget, Zugestellet und geben.* Actum *Idlmunster* 20. Novembr. Anno 1670.

(L. S.) *ULRICH VIRDE* *Richter allda.*

Hac ratione ostiatim victum quæritante Martha anno hoc P. C. N. & Inc. MDCLXXI. 5. Iduum Iun. quo die Romæ antiquitus Vestalia celebrabantur, ædes meas adiit, pro obtinendo Viatico; lectis literis salvi commeatus, copiam videndi ut faceret hanc naturæ aberrationem petii, quæ antequam inspiciendam se præberet, una cum fratre suo Iacobo *Lechna* fassa est, se à primis unguiculis & dum sacra initi fœderis cum ea celebrarentur, Hermaphrodisias suspicione detentam à potiori membri genitalis efficaciori signo, evitari Caspari impositione fuisse indigitatam; succrescentib. vero annis cum & pudenda muliebris signaculi longiorem rimam evidentius ostenderent, circa decimum ætatis annum, alterum, quod in ipso S. Baptismatis fonte insimul Marthæ nomen acceperat, pro diluendo sexus dubio reassumere parentes anxie laborarunt: bavaro hinc Dialecto nostra *Marthel* vocata, Monachiumque deducta est, atque censuræ & inspectioni prudentissimæ sagacioris Experientiæ Gratiosi Ordinis Medici ibidem commissa fuit, horum suasu Marthæ nomen in hunc usque diem retinuit, atque virili exuto habitu, ob perpetuum urinæ stillicidium, muliebrem utpote laxiorem vestitum induit. Pendulos vero testes cum scroto vidimus juxta adumbratæ figuræ lit. A. A. quas justa figura & proportione efformatas deprehendimus, supra quas brevior ac natura in viris finxit, præputii ac penis effigies BB. imminebat, siquidem præputii involucrum medii glandis caput C. C. quadantenus obvelabat, nec omnino obtegebat: erat autem glans penis turbinata, ut in aliis viris, cujus basis reliquo membri virilis corpori, abbreviato nimium circuli instar, sive in modum coronæ adhærebat, molli admodum acutie prædita: nec deerat χαλινὸν κύων sive κυνόδεσμον in glandis inferiori parte, quod quidam ex nervorum extremitatibus conflatum, pro contractione præputii factum, frenum esse autumant D. Hoc suberat discriminis, quod eviratæ hujus penis in summæ glandis medio apice non fuerat pro more perforatus, ac in maritali sexu, sed in superna membri parte rimâ obtinuerat satis longam & profundam E. E. quæ se infra præputii partem pubi substratâ ad dimidii pollicis transversi longitudinem extendebat:

diducta rima alæ pudendorum muliebrium conspiciebantur, quin & bini meatus F. G. horum prior & superior styli mediocris magnitudinem admittebat, perpetuo urinæ stillicidio squalens, inferior & longe minor satis difficulter & cum dolore non ita exquisite pervestigari potuit: sticta rima, quæ mentulæ huic non in apicis medio, sed potius in superna parte sita conspiciebatur, diducto altius præputio, pollicis extimo articulo longior erat; tenellæ lanuginis vestigia in pube pubertatis imminentis indicia dabant. Penis dehinc male conformatæ ex brevitate nimia membri (quia præter glandis solius corpusculum tenellum nil de coli extensa parte residuum cernebatur, quamvis alias pro membrorum proportione conformatum deprehendamus, & parvi statura quandoque magno eoque pendulo membro conspiciantur) judicium, quibus alte in mente hærebat, hi corporis proceritatem, macilentiam, vocem & vires viriles, promissiores comas, mammas ad latera minutas, & pudenda, non tamen ut in viris promissa adeo, cum appensis testiculis scroto obductis intuebantur, rimam elongatam cum binis ductibus altius evolutis parum habentes: qui vero altius rem ad rationis trutinam examinabant Tribades cum Cœlio Aureliano, & ad nequitias attrectantes subigatrices comici referendam censebant. Hos curiosior Genitalium observatio in quæstionem intricatam satis adeo deduxit, ut de futuræ aut impraegnationis aut prolificationis munere sciscitarentur: alios movit Galeni authoritas Comm. in 7. Aphor. 44. γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται, mulierem non fieri æquimanum, cum eidem nil virile insit, ex Divi Senis authoritate: alii pro ratione roboris genitalium dimicantes, virili potius habitu incedendum duxerunt: inter utrorumque diverticula alij media incedentes via utrumque veneris exercitium Marthæ nostræ attribuerunt, quoniam juxta Suidam ὅτι αἰσχρῶς καὶ ποιοῦσα καὶ πάσχουσα, adeo ut merito quærendum.

Num Dea fœmineum jam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri sollicitata viri.

Favet horum sententiæ historia Keckermanni de milite Ungarico, qui in utrisque castris & Marti & Veneri litando assidue strenuum se gerebat tandem effeminatus puerperii vices subivit. Ut taceam binos Monachos, de quorum altero αὐτόγραμμα illud.

Mas, Mulier, Monachus, Mundi Mirabile Monstrum.

Sic Andriam Scoticam herilem filiam in uno lecto accumbentem stuprasse Anno. 1461. Boetius author est. Et hæc de Andria nostra dixisse sufficiant. *Jo. Sculteti.*

Annotatio ad observationem præcedentem De Andria.

Quam ex cl. Dom. D. Joh. Sculteti relatione exhibuimus Andriam, illius descriptionem fusius tradiderunt alii Duumviri Noribergenses, quorum narrationem nunc subjungo, ita exc. Dn. D. Joh. Georg. Volkamerus.

Puero cuidam Scrotum intra crura sub inguine convenientis formæ propendebat; exinde canalis quasi nullus sursum adhærebat cuti, sub cute glans prominebat nullo tecta præputio, antrorsum consimilis cum aliis figuræ, ventrem vero versus ubi adhæsit, diffissa, diduci potuit: extremum digiti apicem longitudine sua vix æquabat, connata deinceps pone præputium glandem vulgarem è quercu referebat.

Altera relatio communicata à Dn. D. Georg. Abrahamo Merchno Juniore Medico Norsbergensi explicat magis magisque Andriæ statum, sic autem ille.

Quam multifariam ac mirabiliter in minimis, in maximis sæpe ludat natura rebus, præter Medicorum annales quotidiana experientia passim abunde docet: ludit quoque haud raro in nobilissimis etiam nobilissimi ipsius humani corporis partibus, sed & vix unquam frequentius quam in generationi dicatis organis, adeo ut ejus arcanarum & occultarum virium ratio non semper subtilius quærenda, sed effectus solummodo cum admiratione spectandus, fatendumque sit cum incomparabili Thoma Bartholino, De insolitis partus humani viis, cap. ult. multa in corporibus humanis quotidie fieri, quorum vim naturamque perspicere non possumus: Hujusmodi Naturæ lusum, dicam an errorem, notare licuit anni hujus 1671. mense Iunii in genitalibus cujusdam vulgo, sed ut opinor, minus recte putati Hermaphroditi, quem puerum, si ita loqui licet fœmellatum aliqui vocaverunt, xiii. circiter annos natum, in pago prope Bavarorum Monachium sito, infimæ sortis patre Joh. Lechna, mercenario: Sacrum lavacrum nomen ei primum dedit Caspari; at quod mutarunt, qui de fœmineo sexu aliquid eum participare primitus observarunt, hincque nominarunt Martel, quo & Martham & Martinum subintelligere voluerunt, quo etiamnum audit nomine: muliebri incedit habitu, licet ad masculinum quam fœmininum longe manifestius inclinet sexum; an ut ex vesica continuo scaturientis urinæ molestiam facilius eo ferret, aut promptius declinaret? an ut in curiosorum animis majus se videndi excitaret desiderium? an quod parum curans qua indutus sit veste, quæcunque suppetit posthabito delectu assumat? Noribergam venit, non ob aliam quam ostiatim stipem quærendi causam, intercessionalibus literis ab illo illius pagi præfecto instructus, qui pietate erga pauperculum motus testimonium simul ejus infirmitatis ac indigentiæ impertivit; Mas est, maris enim generationi externa dicata exhibet organa omnia, Testes scroto inclusi ad naturalem alias eorum conditionem rite se habent, nisi quod minus quam par est propendeant, ac paulo latiores compressioresque sint, & pubis ossi arctius adhæreant: Penis præputio quidem, sed retroducto, & glande, sed denudata, instructus in hoc insuper discrepat, quod longitudine vix digiti manus articulum superet, supra cujus regionem pubes quoque sparsim pullulare jam incipit, Mammæ quoque tantum abest ut sororientur, ut potius admodum graciles & puerorum mammillis simillimæ conspiciantur, Fœmineum autem nil prorsus habet, nisi quod Penis foramen, per quod è vesica urina consueta Naturæ lege profluit, peramplum sit, sublongum, vulvæ ad instar, labiis, quæ diduci possunt, & internis quibusdam carunculis conspicuæ formatum, satis crassum admittens stylum, e quo urina subinde stillat, adeo ut ne momentum quidem continere eam queat: Proluitque hinc subuculam, & adsitam cutim ita irrigat ut sua acredine eam adurat, inspicientis nares graviter offendentem; Quam urinæ incon-

næ incontinentiam ex sola foraminis amplitudine, hincque rite ac stricte se constringentis ineptitudine deducerem.

De Hermaphrodita singulari.

Historiam (referam) de hermaphrodita, qualem nec Bauhinus, nec alii, qui hujusmodi meminerunt, admirabiliorem scripserunt; quamque egomet vidi Hagæ-Comitum, & examinavi: Est paupercula, quæ pro nummis lucrandis sese Medicis & Nobilibus quibuscunq; denudat, quare nuper in Hollandia fuit, jam, uti audio, ad Gallos ivit. Historia ipsa Regiæ Societati communicata est, ex qua sequentia transfero. Nomen illi est Hannah Wilde, nata mense Februarii A. D. 1647. in pago Agri Hamptoniensis Ringrood dicto. Sexto ætatis anno inter saltandum cum pueris coætaneis, extuberantiæ duæ, pro herniis bubonocelis habitæ, primum emicuere: quibus in ordinem redigendis, Chirurgi diu operam luserunt: Testiculi enim erant, qui jam prægrandes facti, scrotis duobus cutaneis, parum corrugatis, sed vix prominulis, pilisque obsitis visuntur, ex quibus divisis & elongatis confinguntur vulvæ labia: Adest sinus muliebris, in quo nymphæ, & caruncula una vel altera myrtiformium loco: Est & membranula, à perinæo sursum tendens, mediam rimæ partem tegens, unde non video, quomodo peni virili introitus esse queat. Clitoris non habetur, sed loco ejus penis imperforatus, nisi forsitan is Clitoris dici debeat: Usque ad decimum tertium ætatis annum pro fœmella habita est, cum forte pani subigendo strenuam navaret operam, derepente priapus hic, ad id temporis latens, magno cum impetu foris erupit, accedente non levi corporis metamorphosi. Penis hic aliquando erigitur, tum quatuor pollices pene æquat; præputio & frænulo, ut in viris fit, instruitur, sed ubi perforatio fieri debet, adest tenuis membranula foramen obducens, ut nihil inde excerni queat. Uteri vagina, quantum videre contigit, in cæteris à communi sequioris sexus lege non recedit; in quam non pauci digitos intruserunt; quare hymenem, si adfuisset unquam, corruperunt; sed nec hoc efficere potuerunt, sine flexura articulorum propter membranam mediam rimam obvelantem; ob quam etiam non satis explorari potest sive oculis, sive digitis, quomodo se habet uterus ipse, aut cervix ejus: hæc tamen adesse valde verisimile. Cum annorum esset sedecim, menstrua periodico & modo debito fluere cœperunt, & jam nunc fluunt, ut ipsa refert. Barba satis densa erupit, imò totum corpus est pilosum: Vox corporisque habitus viros æmulatur. Mammæ nullæ exurgunt, papillæ perquam exiguæ, pectus valdè latum. Dicit se ad utrumque sexum compatatam esse, cum fœminas concupiscit, penis erigitur, cum viros, flaccidus manet. Oculos aliquando conjiciens in virum formæ venustioris, illum deperibat adeo, ut insequenti die, præ amoris œstro, in passionem hystericam inciderit, quam comprobarunt elevatio abdominis, crepitus, risus, fletus, uti & juvantia: convaluit enim ex emplastro de Galbano regioni umbilicali applicato, & aliis remediis hystericis exhibitis. Tandem utrum vir vel fœmina sit, nescio; Testiculos adesse mobiles, satis largos, extuberantes, scrotis contentos, uti supra his oculis vidi: priapus, qui erigi & flaccescere capax est, adhuc clarius videtur: quare vir dicatur. Adsunt rima, uteri vagina, nymphæ, foramen intra pudendum pro urinæ exitu, quare ad alterum sexum relegetur, vel ad utrumque vel neutrum.

De Hermaphrodito.

Ludere in humanis rebus Divinam potentiam, ac inter creaturas non raro monstrosa, & contra solitas naturæ vias accidere, singulis, qui æqua rationis lance Physica ventilant, non est incognitum. Similibus extraordinariis contingentibus non immerito adnumerantur homines illi, hermaphroditorum nomine quos insignimus, dum scilicet & virile & muliebre genitalia, bonam tamen partem ut plurimum imperfecta, à natura ludente vel errante talibus insimul impertiuntur.

Cum horum historiæ in observationibus Medicorum non sint adeo passim obviæ, junioribus autem Medicis, aliisque intersit noscere circumstantias hujus erroris naturalis, ob divortium sæpe ideo quæsitum & alia diversa, lubet heic aliquam proponere; præprimis cum nonnulla ab aliis similibus diversa contineat, atque rariora: Civis quidam in vicino aliquo oppido honeste vivens, similii, id est honesto proposito matrimonium ingressurus, eligit sibi virginem, parentum honestorum filiam famæ itidem non inhonestæ. Dum conjugii debitum sponsæ suæ persolvere aggreditur, dapes hasce venereas neutiquam experitur ita dulces, veluti quidem easdem sibi promiserat; (prima autem vice, dum vixerat, coitum tunc exercebat.) Rem enim suam in novellæ uxoris rem immissurus, (ignoscant mihi casti oculi, castæ aures; Egomet castus Medicus hæc castis scribo; si quis Genius protervus scandalum inde accipiat, sibi ipsi habeat,) invenit portam hancce nimis angustam, & vix duos digitos transversos ampiam. Et quod majus adhuc fortunæ adversæ obtigit tragicum symptoma, mentula conatu violentiore intrusa sentit aliquid interius contra audentius ire audens, atque ita huic introitum summe dubium reddens.

Misellus iste cœci Cupidinis miles duellum hocce amatorium, præter opinionem ingratum, satis ægrè ferens, ex amicis calculum sciscitatur aphrodisiorum castrorum exercitia, consuetasque circumstantias, atque ita desiderata castelli hujus mirabilis atque miserabilis expugnatione desperat, propterea rem gestam Magistratui Ecclesiastico denuntians, divortium petit, & quod petit, obtinet.

Ocularis enim inspectio, Magistratus jussu à perito Chirurgo instituta, docuit, hominis hujus pudendum muliebre duos saltem digitos transversos esse amplum, atque intra hoc superiore in parte membrum apparere virile, primo intuitu duas ad tres digiti articulationes longum, inter leves autem contactus in æqualem magnitudinem adhuc excrescere, durius insimul redditum: Contrectatione accuratiore itidem edocente, sub carne adhuc latitare ejus portionem digitum longam: Penem istum glande esse præditum non perforata, ac sine præputio: Labiisque pudendi muliebris diductis solitas

non apparere nymphas; Collo item uteri anteriore existente quasi cartilaginose duro.

Cæterum sanguineæ illa erat complexionis, ac satis vegetæ, corpus obtinebat forte, vocem virilem, mammis carens, barbæ rudimentis & visum & tactum eludentibus, & quamvis tunc 26. ætatis suæ annum absolverat, menstruum tamen fluxum nunquam fuit experta. Modo dictis tamen non obstantibus, illa ipsa sese credebat fœminam, pluribus jam annis masculorum inhians amori ac contubernio; imo è congressu mariti matrimoniali desiderans & sentiens, modo monstrosa conformatio, & confusa partium genitalium structura hasce ipsi non invidisset. *D. Gabriel. Clauderi.*

Hermaphroditus.

In hermaphroditis Clitoris est quæ increscens virgam virilem effingit, ut ex eo patet quod nulla manifeste conspicua perforatio in ea observetur, quamvis testes ei foris inferius à lateribus adstent: Talem memini me prope Andegavum vidisse, ætatis 28. annorum, qui circum os, instar viri, totus barbatus erat, & tamen muliebri vestitu utebatur, suaque genitalia pro vili pretio conspicienda exhibebat: Huic superiore pudendi parte clitoris excreverat ad medii digiti longitudinem & mentulæ crassitiem, cum glande, frenulo, & præputio, ut in viris esse solet, excepto quod fissura glandis non esset manifeste pervia: Inferius meatus urinarius & vagina uteri adstabant, ut in muliebribus; In singulis pudendi labiis unus testis continebatur. *D. Dn. Diemerbroëck.*

HERNIA.

Non est quod humores tantum in causa esse imperiti credant ubi tumidam cutim conspicient; cùm circa umbilicum atque inguina ὄγκον haud raro contingat, idque quod vel omentum, vel intestina, vel utrumque simul illuc decidant: Dicitur autem Latinis morbus hic Ramex. Ruptura, Hernia à Græco ἔρνος quod ramum innuit, vel à Sabinorum voce Hernia quæ idem quod saxum est. Græcis κήλη, ἀπὸ τῦ κηλέω noceo: Quarum differentias demonstraturi, ab ea quidem initium sumimus, quæ & incompleta, inguinalis, βουβωνοκήλη dicitur, cùm intestinum, vel omentum, ruptô vel dilatatô tantum Peritonæô, in alterutrô inguine subsistant.

Initio ne quid sicco à nobis pede prætereatur, Partium infimi ventris structuram & usum, Peritonæum, vasa semen præparantia, Testes cum tunicis & scroto, quæ omnia hernias considerantibus explicanda præcipuè veniunt, paucis repetemus ex Anatomicis. Peritonæum membrana visceribus circumtensa, firmo eadem nexu continet, operit. Pervium subinde conspicitur, ut vasa transmittat, circa uterum imprimis ligamenta rotunda, vermiformia. In Viris Processus, spermaticis vasis exitum præbentes. In utrisque Vesalio teste. Venam cavam, ventriculum cum nervis, aortam cum aliquot sextæ conjugationis nervis, vasa ad umbilicum, podicem, & in fœminis ad uterum excurrentia, quæque ad musculos majores tendunt. Cohæret vero multis in locis musculis. Vertebris, septo transverso. Spermaticis vasis præparantes adnumerantur venæ, arteriæ, (quarum aliquando defectum vel absentiam observarunt Sebizius, Bartholinus, Kerckringius, & nuper admodum Alardus Hermannus Cummenus, Lunæburgensium Ducis Medicus, Carolus item Raygerus, Physicus Poloniensis, & Joan. Rhodius, cui Epididymides, quoque desideratæ visæ in Mantissa Anatomica) ex aorta à dextris, ex emulgente ab altera parte, originem petentes: quamvis ab utroq; nonnunquam latere arterias spermaticas ab arteriæ magnæ trunco exortas, Antonius Molinettus, Venetus, Medicinæ Theoricæ & Anatomiæ in Lycæo Patavino Professor Primarius Insignis atque Celeberrimus observaverit; quæ corpora efformantes pyramidalia, vel pampiniformia dicta glandulosæ inseruntur Epididymidum substantiæ, ut sensus contra testimonium Epididymides testium crediderit tunicas Geierus. Jam testes adsunt Epididymidibus conjuncti ac semini conficiendo destinati, sero nequaquam attrahendo, quæ eorum est temeritas, qui indoctam publicè sententiam in Theatris profiteri, inter partium generationi inservientium demonstrationes ausi sunt, vel argumento inconsiderate stabilire: Si testes non junguntur Epididymidibus, semen neque per testes transmittetur ad Parastatas variciformes. Hoc vero imprudentiam sapit, fortè ignorantiam. At si nostra illis tanti non videatur animadversio, Auctores habeant dissectionis peritia toto orbe Clarissimos. Veslingius.

---- Cujus solet eloquio florere Lyceum,

Incumbunt inquit Epididymides subjectis sibi testibus, quorum propriæ membranæ quam plurimis fibris meatibusque conjunguntur. Deprehenditur hic nexus circa utrumque testium extremum. Spigelius, Serum, ait, reperitur in testibus, sed alii usui dicatum, quia, juxta Galenum, serosa arteriarum substantia genitalis est, & ex sero à sanguine separato semen conficitur. Quid elegantius dici, quid clarius poterit? quid & hoc Glissonii paragrapho? Tunica testium nervorum ipsos adeuntium dilatatio quædam est & expansio, à qua nervuli undique emittuntur versus testiculi medium, ubi concurrentes vas nervosum oblongum constituunt, quod in epididymidis canalem manifestè exoneratur. Fernelii quoque habemus αὐτοψίαν. In Animante, dicit, quæ à venere diutius abstinuerat, dissecta, copiosissimum crassissimumque semen comperitur, quo & vasa, & testes, & epididymis turgent. Pergunt autem: si exsectis testiculis semen generatur fœcundum, testes nil conferunt. Epididymides eo interdum fungi munere non refragabor, immo semen in illis contineri παράδοξον non est, ut illud, meo quidem arbitrio: Eunuchi semen emittunt, ranæ absque utero, animalia exsecto liene, commode degunt, & canes voraciores redduntur, Politissimis Italo, Anglo adstipulantibus: Testes igitur, lien cultro removendi? Desperatum omninò consilium. At si ex filamentis constant, aloysii Trissini, Nobilis Vicentini, ingeniorum suo tempore phœnicis, ratio valet: Cur sanguis in vasis quibusdam albescit, similisque fit vasorum tunicis albis, in omnibus vero non item? an in quibus tantum diutius moratur, in illis albescit,

vasisque

vasisque similis sit? pars enim omnis alimentum sibi simile facit, ut in vasis seminis, quæ ob multiplices flexus sanguinem diu continent, in nullo autem alio vase accidit, quòd in nullo alio ita diu moretur: quanquam & vasis cujusque humidum nativum, a quo ipsorum tunicæ nutriuntur, est ejusmodi: Verum quomodo animalia quædam absque testibus generent, Severinus quoq; habet. Testes membranosa circumdantur cute, Scroti nomine insignita. Hujus non simplex structura est, nam præter ὄχεον, albugineam etiam propriam, δαρτὸς est, & ἐλυτροειδὴς sive ἐρυθροειδὴς, quam unam eandemque contra Thomam Bartholinum, Accuratissimum Anatomicum, & alios, notamus.

Accidit igitur, ut vel ex ictu, Celsi sententia, retento quoque diutius spiritu, vel ob læsam in genere facultatem, vel errorem externum, secundum Galenum, (neque prohibitum sperma inter herniæ causas cum Avicenna admittimus, Doctissimo notante Salio) illa abdominis membrana dilatata, ruptave interiori [duplex enim existit,) omentum, ex tenui extensa membrana, in sacculos & stirias propagata, intus contenta pinguedine, conflatum, Illustris Marcelli Malpighii, Professoris Bononiensis Primarii, observatione, vel intestina, cœcum imprimis aut ileon (præter rationem esse, ut velamen sive peritonæum descendat, Salius contra Avicennam disputat) circa inguina subsistant, & tumorem. βυβωνοκήλην dictum, primam Herniæ speciem ab Aquapendente constitutam, efforment. Hic cum sæpe impingant imperiti, signa proponenda erunt, quibus accurate ab aliis discerni queat. Bubonocele quidem ex eo cognoscitur, quod Tumor æqualis sit, rotundus, compressus etiam facile cedat, vel penitus evanescat ubi Bubo, tensio adsunt, renitentia, aliquando rubor, calor, nonnunquam febris: ut plagiarius merito censeri debeat barbitonsor, cum in tenuioris fortunæ homine Bubonocelen, venereum bubonem credens, sectionem, abnuente ægro, aggrederetur; qua perpetrata, protuberantibus fecibus in lipothymiam incidit pauperculus, sed brevi tamen temporis spatio à Petro Marchettis restitutus, ut habet in Observationum Chirurgicarum Sylloge. Hieronymus Senex Juvenis recenset Historiam, qui, cùm circumforaneo testium suam exposuisset elevationem difficili illum laborare hernia, & brevi, si opem respueret, fatis cessurum prædixit. Credulus homuncio, quo præsentissimum evaderet mortis periculum scilicet, sectionem, barbitonsoris suasu admisit. In eo jam erat carnifex, ut testem extraheret, ubi Pater attonitus cruentas retinuit manus agyrtæ accersito Medico, qui nulla puerum detineri hernia asserebat. Joannes Prævotius Professor Medicus Patavinus Celebris, rusticum vidit, intestino tenui dissecto à Curione, qui se bubonocelen curaturum profitebatur, ex inguine toto vitæ decursu alvi feces excipientem. Affectus prorsus similis aliam descriptionem Hildanus notavit, qualis etiam decumbentis rustici fuit in valetudinario D. Francisci Patavino, cui intestinum in inguen prolapsum unà cum scroto computruerat, ex Elegantissimis Rhodii Observationibus. Testiculus quoque in inguine latens herniæ fingit speciem, narrante ex Jacobo Ætheo, Joan. Schenckio, & in Spicilegio. Theodoro Kerckringio. Brechtfeldus testiculum circa annum ætatis octavum & decimum primum erupisse, in Hafniensium Actis Medicis recensuit. Alia igitur via tentanda Curatio, & prolapsum quidem intestinum digitis, quod si turgeat stercore accepto, vel aëre, balneo, fotu, lenientibus; vel imposito, ubi induratæ feces, cataplasmate quod recipit: radic. v.g. alth. & lilior. alb. an. ℥iv. folior. mercurial. malv. viol. an. m ij. sem. lin. fœnugr. an. ℥ß. flor. chamom. melilot. parietar. an. m ß. coct. contus. ac per setaceum trajectis add. farin. sem. lin. ℥ij. ol. lilior. q. s. vel corporis etiam concussione aut subagitatione, capite deorsum reflexo, id unice agendum, ut situi restituantur in abdomine contenta viscera. Quippe Michelotium quendam, quòd imperiti barbitonsoris curæ, qui inguen, intestino ad partes superiores nondum restituto, devinxerat, se commiserit, è vita discedentem idem introducit ex Benivenio Schenckius.

His pro virili peractis, novus intestinorum descensus facile prohibetur, si & diætæ, vitandis scilicet quæ flatus, borborygmos, ac humiditates nimias procreant, & exacta quietis & θεραπευτικῆς habeatur ratio. Purgantibus imprimis blandioribus opus est, clysmis, medicamentis adstringentibus, agglutinantibus, exsiccantibus, quæ hinc inde ab Auctoribus recensentur prolixius. Fernelius inguen decumbenti supinè fovet decoctione, quæ constat Pisidiæ, Balaustiorum, Nucum Cupressi, Gallarum an. ℥j. Aluminis ℥iij. cum aq. fabarum. Ambrosius Paræus, Primarius Francorum Regis Chirurgus, fotum habet ex corticibus granator. cupress. nucib. gall. alum. caud. equin. sumachio, berberibus, aq. fabror. incoctis, immo, amici fide, magnetem in pollinem redactum commendat, & limacum rubrorum pulverem. Crato, Trium Augustissimorum Imperatorum Medicus, in bubonocele derasis pilis, tumorem terebinthina inungit, tum pulverem inspergit, qui habet Sang. drac. mast. thur. myrrh. an. ʒj. sumach. balaust. an. ℈j. aloës, torment. mum. coloph. bol. arm. an. ʒiß xyloal. spic. an. ʒß Hieronymus propositis Avicennæ, Pauli, Celsi etiam medicamentis, & emplastro, quod ingrediuntur malicorii, boli armenæ. sang. drac. an. ℥j. tegul. pulverat. ℥ij. pulver. bislinguæ ʒiiß. cum ovi albumine, modico aceto & colophon. Ægrotantem quadraginta dies in lecto continet, risu, venere, balneo prohibitis, ac bis de die sequentis electuarii dimidiam unciam præscribit. Accipe rhabarb. assi, consol maj. nuc. mosch. nuc. cupress. cymini, tragacanth. gum. arab. mastich. bol. arm. sang. drac. mum. pic. græcæ an. p. æq. in alcohol contundantur, & cum melle despumato f. electuarium. Nonnulli pulverem leporis combusti addunt. Propinetur vinum austerum, vel aqua chalybeata, aut fluvialis cui folia cupressi, myrtique incoxerint. Schroderus, in Pharmacopœa, ad quamvis herniam excepta hydrocele, emplastrum posuit, cujus sunt, gluten ex anguillarum exuviis paratum, lapis hæmatitis, saccharum Saturni stann. ust. gum. ammoniac. in aceto rad. solut. & cum myrrh. ol. ℥ii. mist. reperiturve in gedanensium dispensatorio. Michaël Joannes Paschalius: mihi crede inquit, quod si juvenis triginta resupinus dies quiescat, & de die ʒj. pulveris consolidæ majoris vel minoris

minoris cum jure pedum arietis, vel vino adstringente, mane accipiat, recens curabitur hernia. Nec virtute, si Medico fides, inferior valerianæ radix, succus scabiosæ, pentaphyllonis radicis pulvis. Decoctum contra Herniam, Unguentum Herniosum, Emplastrum contra Herniam, Mynsichtus descripsit in Armamentario. Christoph. Roeslerus, Principis Lignicensis Medicus, Filio, cui intestinum dimidii digiti longitudine à Scroto prominebat, postquam digitis intro adegisset, sequentem pulverem præscribit: Acc. Fol. Consi. Sarac. Sem. & fol. Perfol. an. ℥jß. fol. Pilosell. rad. consi. maj. an. ʒß. Sacch. pen. ʒ. v. f. Pulv. quo indies usus in jusculo, & horas aliquot quievit. Insuper inguina inunxit oleo Momord. & Emplastrum contra rupturam cum subligaculo adhibuit, quibus feliciter restitutus, mortem evasit. Joannes Fridericus Allmacherus, Chirurgus Francofurtensis, desperatam Enterocelen in pago, præter alia hac potione restituit: Acc. Herb. Equis. Mj. rad. Liquir. Sem. anis. Car. an. ℥ß. Ebull. in aqua. Joannes Baptista Sitonius ad qualemcunque Herniam Emplastrum habet, quod accipit: Rad. Consol. utriusque an. ℥iij. Laventur optime, siccentur, pistentur, & in Pulverem redigantur, deinde per horas duas in vase ferreo bulliant, igne lento, & addendo Terebinth. ℥vj. optime misceantur, postea Mastich. ℥ij. Thur. ℥iij. pulver. & per setac. traj. semper agitando, donec bene misceantur, jam adjic. Gumm. Elem. in pollinem redact. & Tacamahac. ℥ii. remov. ab. igne, & usui serv. ut distendi urgente necessitate super corium possit. Nicolaus de Blegny hoc habet: Acc. Oliban. Thur. Masc. Gumm. Ammon. Opopan. an. ℥ii. diss. in acet. destil. tum acc. piper. alb. sem. sinap. fol. bux. an. ℥j. Ebull. omnia in aquæ Fabror. cotylis tribus ad 3. part. reman. Coletur Decoctum, & fervens adhuc aff. Gumm. dissol. mixta lento igni impon. & diger. per duas horas, demum aucto igne adde ol. Lumbr. ℥ii. & bull. quousque humiditas consumpta fuerit, jam, add. Pic. Nav. ℔ß. & serv. Bernardus Verrascha, Medicus & Scholarcha Basileensis, post Emplastri contra rupturam applicationem, vulnerariam Potionem mane & vesperi propinandam præscripsit: Acc. Rad. Torment. Consi. maj. Bistort. an. ℥ß. Herb. Sanic. Pyrol. Alchim. agrimon. an. Mj. Fl. rosi. rubr. pap. rh. Granat. an. p. ii. Sem. anis. ℥iß, incisa & contusa dentur ad sacculum, cui duæ mensuræ vini albi & una aq. font. affund.

At his non obstantibus, ubi neque medicamentis Tumor cedit, neque imminuitur papyro, in aqua quadam adstringendi vi prædita macerata, atque imposita ex Aetii & Paræi consiliis, paratove Aquapendentis Emplastro, quod recipit: Terebinth. ℥jß. Ceræ, Thuris, Myrrhæ, Ichthyocollæ, Carnis cochlear. an. ℥j. Quod si, inquam, adhuc conspiciatur, manu curari debet ex Celsi Sententia, atque effato Hippocratis Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται, ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet. Quidam locum inurunt cum Arabibus. Cum Guidone contra alii adductis Peritonæi portionibus Vasis Spermaticis, & cremastere musculo ad Ischium usq; reliquæ Apophyseos parti Pyroticon imponunt, ut contracto callo, omentum à prolapsu vel intestina cohibeantur: sed cum periculo non careant evidentissimo hæ Curationes, ideo haud facile à Chirurgo in Usum introducendæ, Paræo, Chirurgo in arte Exercitatissimo consentiente ac adstipulante. Incisionibus Curationem absolvunt Celsus cum reliquis, quarum methodum non attinet ex Auctoribus excerptam adjicere, cum nuper admodum prolixior & accuratior earundem Historia Lutetiæ, gallico Idiomate, Auct. Thevenino, Chirurgo Parisiense Claris. prodierit. Verum non possum, quin Exercitat. Aquap. consilium quod nobis & prudentiorib. omnibus, vel maxime arridet, hic annectam. Quod si dilatatio, inquit aut ruptura ingens sit, eo casu sit Chirurgia cum extractione testiculi, quæ ita periculosa ut quamvis plures evadant, plures tamen aut sub ea, aut paulo post moriantur: propter quam causam ego fui semper hujus opinionis, ut nullo modo ægrotantes hujusmodi periculum subeant, cum præsertim tota vita bracherium gestare possint, idque eo lubentius consulo, quod hisce dieb. Horatius de Noscia, cum ea de re loquerer mihi dixerit, se ante aliquot annos plus quam ducentos singulis annis incidisse, nunc neque viginti, & causam retulerit, quia bracherio & adstringente medicamento imposito, plerique sanantur. Fateor, leve quoddam esse supplicii genus fasciis uti, & bracherium gestare in tumulum usque, & novi aliquos, qui nescio quid præoptarent, cum & quam maxime corporis debeant evitare exercitia, Mercuriali præeunte: Quos Herniæ labor sollicitat, omnem aversari debent exercitationem, quæ majorem, quam ipsa ambulatio, defatigationem parit. Deinde, præter doloris sensum, quem in utroque latere impertiunt musculos comprimendo & cutim, pudoris quandam prætendere speciem ἐπιπλοκομάταις omenti gestatores, plerumque solent. At cum incerta penitus sit atque ambigua Curationis spes, Dodonæi accedente prognostico: Non omnes qui à ramice curantur, in vita servantur, plerique enim eorum moriuntur, cruciatus omittam & maximos dolores: nonnisi serio instituta deliberatione arripiendam esse censeo. Non me movent blandiora Aquapendentis verba; nec Hildani, celeberrimi Chirurgi, exoptatissimi latent eventus. Hic quidem Rupturæ quiete & decubitu in Sene Sexagenario curatæ exemplum habet in Observationibus Chirurgicis: Ille periculosiorem credit operationem & Empiricis usitatam, quæ cum testiculi ex sectione perficitur; alteram, cum testis relinquitur, Chirurgis summo decumbentium emolumento & sibi summopere probari asserit. Sed, Hieronymi venia, hanc ceu inutilem proscribo illam cum periculo vitæ conjunctam profiteor, ægri vero cum levamine institui: quod ejusdem plane opinionis Ἀρχιχειρουργὸν Celeberrimum & Experientissimũ deprehenderim, qui, post institutam, Hieronymi quoque præcepto ac jussu, hebdomadarum aliquot Curationem, adhibitis etiam, quæ conducere præsertim & è re videbantur, Emplastris, Ceratis, Pharmacis adstringentibus, tum post celebratam Sectionem Seni adeo commendatam nihil quidquam profecit; cum recidivam plerumque decumbentes senserint;

senserint; ab illa verò, quæ testem eximit, curatione multis revixisse, frequenter annotavit. Mercurialis, ut est Auctor Elegans & Doctissimus, reprehensionem incurrit severa nimis approbatione. Verba afferam ut examinentur: Advertendum, inquit, licet facilis sit Curatio, præsertim in puero, tamen non ita est relinquendum inveteratum malum, nec etiam facilè permittendum erit, quod facere amant isti Chirurgi, ut testes auferantur: ut castrati homines sapientissimi pene dimidium intellectus habeant. Jure Magnus ille Avenzoar scripsit, nullum fuisse unquam virum castratum qui esset optimi intellectus & bonorum morum, unde Vos considerate, qua ratione homines tardos & stupidos appelletis testiculos. Næ Eunuchos, Castratos, Spadones iratos sibi habeat Arabs, ob confictam fabulam, vel Sacra Philosophorum Decreta, propter translatam in testiculos animam. Incomparabili Cartesio, quod in pineali glandula animam quæsiverit, vitio vertitur, quæ tamen verisimilior longè, quàm vetus illa de Testibus sententia. Historias taceo, quibus ea, quæ diximus comprobari, Homines altero scilicet orbatos teste, virorum strenue obiisse officia, si locus requireret, nullo negotio possent. Sed & alium eadem dealbare fidelia parietem oportet. Novæ de ἐντεροκήλης Dissertationis Auctor ad Indos, qui castrant, ὀρχοτόμους temere relegat, nullis instructus argumentis, aut aliena, vel sua suffultus fide. Miror Hominis audaciam, qui ἐντεροκηλικῆς vulgarem sectionem, iteratis vicibus revocatam, vidit Parisiis, quod miser Perizomatum usum neglexisset. Sapiant tandem cum Phrygibus nasutuli, & exemplis discant, communem operationis methodum in junioribus, si unquam, locum obtinere, quod vicinæ partes facilius coalescant; at in provectioris ætatis Viris, quibus mederi chirurgus aut barbitonsor studet, testiculum eximat. Neque Paræi quidquam objectio infert à barbitonsorum desumpta inscitia: Castratores dum timent ne Curatione absoluta superstes sit relaxatio, violento tractu Peritonæi processum à partibus divellunt, unde dolor, Convulsio. At Chirurgorum imperitia operationi nil detrahit. Quod si neque stillicidium, inquit Crato, ex aquis Montis Orthonis, in quibus res adstringentes bullierint, contulerit, consulimus, ut ad extrahendum testiculum deveniatur, adeo enim dextre à nostris Ministris hoc munus obitur, ut omnes incolumes evadant. Fredericus Hoffmannus Emplastrum magneticum conficit, quod lumbis impositum intestina sursum trahit, & iliaca licet passio adsit (verba sic habent,) tormina juxta sopiendo Ventris atrocissima, intorta, dislocata (ossa rectius dislocata pronunciamus) & incarcerata in scroto intestina quàm primum incaluerit, ad pristinam abdominis transfert sedem, ipsis etiam ægrotis non quidem sine molestia vim ejus attractivam animadvertentibus: si habenda Auctori fides, qui in Clavi Pharmaceutica paginas nobis vitiorum plenissimas obtrudit dictatorie, ut depictæ graphice in frontispicio Tabulæ correspondeat volumen scilicet. Charrasius, Clarissimus in Galliis Serenissimi Regis Pharmacopœius, inscitiæ & Gallicæ levitatis memoriam Excellentissimo, si Diis placet, Germano refricabit. Processus facta nobis est copia, cujus tamen inventorem non ita multum à veterum recessisse formulis experimur. Agricola, Hartmannus, ejusdem naturæ malagma ad malignos humores alliciendos, præmisso vesicante, commendant.

Credula multorum superstitio latius serpit, ut, posthabitis Prudentum Consiliis aniles fabulas, Magos, Præstigiatores, imprudentissimum vulgi genus, consulant. Doleo vicem plebeculæ: quis enim sana mente præditus recta ratione orbatis credat mulierculis? ita me hercle est. Magos utplurimum non veneficos, non fascinatores, sed insanos, vel superstitiosos credimus. Demonstratione quid facilius? Paterfamilias rudis, nullis instructus Scientiis, credulus, vinoque sepultus, insomnes se transisse noctes inter spectra, larvas, immò flumina maria transjecisse, & quot nescio confecisse milliaria momento citius, lustratis pagis, Urbibus, Regionibus, Regnis, infelici sidere natis domesticis, ac pro veris obtrudit historiis. Misera gens, verbis gestisve senis perterrita, ne dubitare quidem audet: cum subsequenti mox nocte in eadem se versari navi existimet. Hac prorsus ratione incantatricum crescit numerus vel insipientium, & sola aliquando carminis violentia homines interemit apud Poëtas. Quod si cum melancholicis imposterum aut maniacis ad Anticyras ablegarent fascinantes, ubi ædepol' gentium conspiceretur præstigiatrix? Nemo tamen me adeo securum credat vel impium, ac si nihil posse præter vel supra naturam fieri, assererem: cùm potius Deum O. M. posse, quæ & ἀδύνατα humano apparent captui, ex S. Codice & D. Augustino didicerim: plerosque tamen ex Veneficis pro deliris habeo. Nec mea hæc est & nova sententia, sed Scripturæ S. & Philosophorum suffulta testimoniis. Quidni Regnum Satanæ destructum? Mundi Princeps in abyssum dejectus, & postquam Christus apparuit, nullam in nos habet Auctoritatem Cœli angelus? Coram Deo non inferis expavescimus. Bernierius, Doctor Medicus Monspeliensis, in contracta Gassendi Celeberrimi Philosophia idem sentit. Joannes Schefferus, Vir Eruditus, ac Regius Upsaliæ Professor, specioso fortè Religionis prætextu, contrarium adstruit: Non pauci, ait, qui, ut sapere cordatius quam vulgo alii videantur, Magica omnia pro veris habent somniis, & anicularum credularum nugis ac commentis. Cur negant tandem! an, quod Diabolus non possit talia efficere, an quod nolit? immò vult, regerimus, dummodo possit. Ad Permissionem enim Divinam, in his talibus, statim aut promiscue confugere, res est non simplicitatis tantùm pudendæ, sed & insignis impietatis, certè superstitionis. Quid igitur de Curationibus magica ope factis? Ad Hernias quercum perforant ut ἐντεροκήλος puer aliquoties excavatam subeat arborem: Sunt qui die viridium ovum Gallinaceum è nido adhuc calidum sorbent, & testam herniosi urina repletam in camino suspendent. In Pleuritide, dolore lateris, cultrum lanionis, qui cruore madet, vino imponunt aut potui, ut propinetur: Seri collectionibus sive Catharris indusiis medentur: Singultibus, inverso cultro: & quid attinet dementium somnia exponere: Theologum ferunt

quærenti

quærenti circumforaneo, & stolida sua facinora jactitanti, annon adstantium plerique vellent decipi, applausum dedisse. Idem nos facimus. Vulgus, quo est perverso animo, nullis subinde paret legibus; dissolutis moribus, quousque à scelestissimo seducatur, obtemperat. At quo feror! qui judicio pollent, eò non abripi se sinunt vecordiæ, ut magicis ac ineptis signaturis vim quandam inesse aut virtutem opinentur.

In ὄσχεον si quid decidat, (hinc ὀσχεοκήλη) vaginali tunica exitum præbente cujus studio supersedemus recensere causas, quod è Practicorum peti queant voluminibus, & levissima sæpe numero occasione eveniant. Naturæ illius calculo, cui, peritonæi processu ob factum naufragium atque aëris accepta incommoda in inguine relaxato, intestina in scrotum devoluta, perhibente Nicolao Tulpio, Amplissimo Amstelodamensium Consule, fungorum esu ex Hildano) duplex oritur Rupturæ species, intestinalis quidem ἐντεροκήλη, &, ubi omentum descendit, in mulieribus præcipuè, ἐπιπλοκήλη dicta. Omentum siquidem ita Vesalius vidit in testis tunica auctum, ut quatuor aut quinque librarum pondus excederet, ventriculumque deorsum ita traheret, ut deficiente munere, multisque obortis singultibus, id pondus mortis causa fuerit. Intestini prolapsi Signa Celsus habent & Mercurialis: Tumores facti ab omentis & intestinis ubi tanguntur, diversitatem quandam elationis & demissionis nec non levitatis habere videntur. Amplius, qui fit ex omento, prorsus est sine dolore, & sine multa rotunditate: iterum Tumores facti ab intestinis & omento, dum ægri balneo se lavant, vel fricantur, vel rebus emollientibus tractantur, vel corpora motu vehementi movent, incrementum insigne suscipiunt. Accedit postremo, quod qui fit Tumor ab omento prorsus digito absconditur, & cedit facilè sine rugitu: Factus vero ab intestinis, redit cum rugitu, cum intestina vel plena sint flatu vel fecibus. Hac quam gravia sequantur symptomata, Hildanus duobus demonstrat exemplis, & Meekeranus, quod Tumor ad genua usque prolapsus fuerit. Verum ut contineri aliquo modo possint sacculum idem præscribit Hildanus ex rof. rubr. absynth. fol. prunor. sylvestr. caud. equin. fol. salv. musc. querc. Cort. querc. sem. fœnic. anis. vino rubro incoctis. Quoad Curatricem, eadem utriusque quæ inguinalis ratio est, & si χειρουργικὴ morbi initio instituatur, felicem nobis spondere eventum licet: cùm hac imprimis ratione Parisiis quosdam in valetudinario à certissimo mortis periculo liberatos viderim. Senem Hernia laborantem, cui intestina ad scrotum delàpsa sævissima excitaverant symptomata emollientibus & relaxantibus intra paucas horas restitutum, ex Holtzachio Schenckius habet in Observationibus. Enterocelen in quadragenario absque sectione subligaculi solius ope evanuisse, Paræum, Meekeranum fidissimos habemus testes. Quid de Hollerii herba proferamus aut polygono minori, novem diebus rupturas consolidante, si Hollerio credimus, Fallopio, Matthiolo, Pisoni? quid de aqua ejusdem stillatitia, cujus haustu puer sanatus, & emplastro, quod accipit: Emplastro, contra rupturam, & de gratia Dei an. ℥j. Sanguin. dracon. osmund. regal. olib. an. ʒij. cum ol. myrtill. f. massa apud Vallesium? Si hariolari fas est, ac divinationi locus, temerarios aut plebeculam gentem Medicis sæpè imponere, suspicor. Quis enim rei peritus aquam credat destillatam simplicem, vel succum herbæ expressum, cum vino albo propinatum, uno eodemque impetu versus Peritonæum ferri, ut ramici medeatur, ubi Ceroti Virtus exulat? Morbus iste nullis mehercle in adultioribus cedit Medicamentis, nullis Medicorum formulis, omnia respuit, præter manuum operam. Ubi facta est per fracturam Hernia, Mercurialis dicit, in pueris quidem, ob corporis teneritudinem, posse per medicamenta curari; sed, ubi est in corporibus adultioribus, nequaquam nisi manuum opera. Nam, ut habet Hippocrates, Peritonæum discissum in durioribus corporibus non coalescit. Timæus puero Enterocele ex rupto in dextera parte, Peritonæo, laboranti sequens Electuarium & Emplastrum præscribit, post decoctum Herniariæ ex vino rubello cum syrupo de symphyto dulcoratum. Rec. Rad. consol. maj. ℥ß. fol. herniar. perfoliat. sanicul. millefol. an. ʒij. in pollinem redacta cum syr. de symphyto q. s. f. Electuarium. Rec. Pic. Naval. ℥ß. Aloes ʒij. lythargyr. colophon. galban. ammon. an. ℥iß. visc. quern. liquid. ʒvi. Aristol. rot. myrrh. thur. mastich. bol. armen. an. ʒiij. Consf. major. ʒvj. lumbricor. terrestr. gallar. an. ʒiij. sarcocoll ʒvj. Terebinth. & Ceræ q. s. f. Emplastrum. Joannes Uldaricus Rumlerus, Medicus Augustanus, in Observationibus, unguentum habet Medici cujusdam Viennensis quod in magno ipsi secreto fuit, eoque infantes plurimos, nullum autem adultiorem, restitutos, affirmavit: Acc. Consf. Maj. ℥iß. Consol. Saracen. Agrimon. Caryophyll. fœnic. ped. Peon. Millefol. prim. ver. p. ant. an. m iß. mastich. thur. cupul. gland. nuc. cupress. gallar. an. ʒvi. rad. tormentill. serpent. an. ℥j. butyr. majal. q. s. f. s. a. ungu. cui adm. vin. sublimat. ut fiat fluxile, instar linimentum. Hieronymus Reusnerus, Medicus Nordlingensis hanc Curam proponit. Acc. Beton. Auric. mur. veron. alchimill. pyrol. consf. Saracen. agrim. sanic. an. m ß. rad. caryophyll. ℥ß. incis. & confus. coq. in m ij. aq. ad consumpt. med. bibat manè & vesperi haustum. Postea acc. Lap. magnet. mastich. an. ʒ ij. lap. calam. sangu. drac. an. ʒj. ferri ℥ß. boli arm. ℥ß. vin. sublim. quart. mens. in hoc pannus duplicatus intinctus herniæ fortiter adligabatur bis quotidie, mane & vesperi cum subligaculo, ac brevi convaluit. Monachum Deggingensem in utroque latere ex casu hernia intestinali laborantem, præter alia Syrupo quoque vulnerario feliciter sanatum in iisdem habet observationibus. Ad Syrupum autem conficiendum acc. rad. Caryophyll. ℥ j. Dictamn. alb. consf. maj. an ℥ß. H. Leontopodii Sanic. pyrol. auric. mur. Solidag. Sarac. consol. med vinc pervinc. perfoliat. numular. agrim. an. m ß. rhapont. opt. acor. commun. an. ʒ iij. rof. rubr. p. iv. sant. rubr. ʒ iij ß. calam. arom. ʒj. mac, mosch. an. ℈ ij. aq. font. ℔ iij. stent. 24. hor. in loco calido vase bene obturato, & primum lento igne, post vehementiore ferveant ad consf. med. ubi refrixerint, col. & cum sacch. albiss. ℥ vij. coq. ad consist.

consist. syrup. Scultetus hoc sibi habet inter assumenda expertissimum: Accipe conserv. symph. ℥ij. ros. antiq. ℥ j. cort. citr. cond. arant. cond. an. ℥ß. pulv. herb. perfol. herniar. ling. serpent. rad. consol. maj. an. ʒiß. semin. plantag. ℈iv. cichor. fœnicul. an. ʒ j. corall. rubr. præp. ʒ iß. marg. præp. ʒß. lap. chrysol. præp. ℈ j. syrup. myrtin. vel corall. q. s. M. F. electuarium, quatuor ante prandium & tribus ante cœnam horis nucis juglandis quantitate deglutiendum, cui vini rubri austeri, suspensis nodulo, haustum superbibat. Acc. herb. fragar. consol. med. vinc. pervinc. equiset. ling. serpent. perfol. an. m j. rad. sigill. salom. ℥iß. consol. maj. ℥ j. sem. plantag. ℥ß. cichor. ʒ iij. fœnic. ʒij. cumin. ʒj. incis. & contus. misc. ad sacculum in trib. vin. rubr. vel alb. mens. suspend. Marcellus Cumanus medulla Citri herniæ intestinalis Curationem molitur: Acc. Medullam Citri subtiliter incisam, bulliat in axungia porci recenti, post coletur per petiam, & iterum ponatur ad ignem, in fine misceatur mastix, olibanum, cera alba, eritque optimum unguentum Citrinum.

Virum recordor Parisiis eruditum, operam S. Literis strenue navantem, qui, ut superbissimas quasdam Aulæ Solemnitates intueretur, equum conscendit, nullis credo instructus subligaculis, ac si corpusculi extenuati satis, & ruptura affecti, curam studio posthaberet. Postridie, si recordor, in scrotum devoluta erant intestina, devolutum ἐπίπλοον, cum rubore, inflammationis principio, ac gangrænæ metu, consitentibus, quibus demandata erat Viri egregii cura. Aderant ex præcipuis & fama inclytis, qui sectionem omnibus modis urgebant, econtra sinistrum atque lugubrem pollicebantur eventum, ac certo certius prædicebant: aliis alta voce reclamantibus, feces intestinorum induratas cataplasmate vel fotu posse emolliri, inflammationem facili negotio curari, neque extremis subito exponendum esse corpusculum remediis. His relinquebant ægrotantem prognosticis, hæc adstantium erat altercatio, immo, ut, quod res est, eloquar, quorundam in optimum Chirurgum invidia accersito siquidem, paucis interjectis diebus, novo Magistro, sectionem moliebatur funestam, quæ maximam artifici conciliare debuisset ignominiam. Rem, ut accidit, expono ac exitum, quod cadaver postea diligentius ipse inspexerim. Rhasis quoq; methodum in curatione rejicio, qui inguinis adurere locum, ubi intestina vel omentum descendunt, ad os usq; pubis ferris candentibus, vel caustico medicamento, ex sapone nigro, calce viva & tartaro, vel sapone nigro, auripigmento, sulfure & calcantho, quod potentiale communiter rudiores vocant, consuevit. De puncti aurei administratione, cùm facti super os incisione, speculum juxta Preitonæi processum immittitur, prehensisque cum cremastere musculo vasis spermaticis, acus fila aliquot ducens per reliquum processus ducitur, vel relictis vasis spermaticis, virgula, aut filum aureum, vel è plumbo, per processum adigitur, Paræum consulant, celebrem Auctorem. At vero accuratior nostris temporibus sectio inventa fuit à Chirurgis Parisiensibus, quorum fama & dexteritas multis superant reliquos parasangis, quam ne longior justo sim, ex Thevenino, Operationum Chirurgicarum Scriptore, cuilibet repetere facile admodum erit. De gangrænæ ex herniæ intestinalis ortæ curatione, gangræna itidem & subsequuta morte ex male curatis ἐπιπλοφόρους, Hildani evolvantur historiæ.

Non intestina tantum & epiploon, vel utraque in scrotum delapsa ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην, sed humores nonnunquam, aqua, flatus, caro, humoralem herniam, ὑδροκήλην πνευματοκήλην, σαρκοκήλην & κιρσοκήλην constituunt. Haud raro enim evenire solet, ut viscerum quorundam vitio, non hic tenues solum colligantur liquores, sed per universum corpus λευκοφλεγματία insignis conspiciatur. Sic sanguis in his vel biliosus magis, serosus aut melancholicus, affectus præternaturam varios & symptomata excitat, atque in tumores vel abscessus abit, vel lateralem morbum, ac pus in thorace, ἐμπύημα, producit. Horum eventuum causa evidens: accedunt vero subinde, προκαταρκτικαὶ, percussio, vasorum disruptio & quæ non? Nec infrequens est limpidam tunicas inter testiculos cooperientes reperire, quam & propriæ inclusam cuticulæ subinde vidimus in cadaveribus, & semel in Leydensium Nosocomio, annuente Illustrissimo Christianissimi Invictissimique Galliarum Imperatoris Consiliario & Medico, Praxeos atque Anatomiæ Professore Primario, Carolo Drelincurtio. Discrimen facile deprehenditur. Humoralis Ramex cum calore, tensione, immo inflammatione oboritur: πνευματοκήλη impositis digitis sonum edit, inæqualis est, lubrica, levis. Σαρκοκήλη calore, duritie, tumore dignoscitur: tumor enim manui resistit: secus in ἐντεροκήλῃ, gravis est, obscurus, Fernelio docente; ὑδροκήλη opposito lumine distinguitur, & à πνευματοκήλῃ, quia obscurior, nec ita levis, interdum ὄσχεον obsidet, ἐλυτροειδῆν subinde inter & δαρτὸν reperitur. Quamprimum curationi nos accingimus, evacuationes instituendæ humores ac serosam massam absorbentes, cui intentioni inserviunt purgantia, diuretica, diaphoretica, præmissis tamen ubique ferè clysmis & ad diminutionem ac derivationem, Celso judicante sanguinis detractione.

Digerentia scroto admovenda, quæ Ætius, Aquapendens, Paræus habent, vel illo suadente, unguentum Comitissæ, vel desiccativi rubri nomine donatum. Hydrocelen instar capitis brevi curatam refert Borellus. Lotichius, loco cum spongia fomentato, emplastrum præcipit: Acc. herb. origan. rut. absynth. chamom. an. m j. bacc. laur. j. sem. anis. fœnic. cumin. an. ʒ ß. coq. in s. q. aq. comm. & acet. pro fotu. A c. empl. de bac. laur. stercor. caprin. an. ℥iß. cochlear. contus. cum testis ℥ß. sem. cumin. sulfur. an. ʒij. malax. cum ol. rut. cham. an. q. s. f. emplastrum. Rondeletius, Professor Regius, & Cancellarius, fotum habet, qui accipit: lixiv. barbitonsor. ℔iv. coq. cum cumin. ℥ij. ceterach. vel petrosel. apii. an. ℥ ß. sal. com. ℔ j. Hieronymus Reusnerus Nobilem quendam hernia aquosa laborantem, bis liberatum remediis introduxit. Acc. vini sublimati quartar. sem. ol. chamæmel. cochl. j. Croci parum M. optimè in vitro, eoque calefacto ungatur quotidie hernia mane & vesperi. Postea fac sacculos ex geranio cocto in vino rubro, & inter duos orbes ligneos expressos calidissime applica, semper applicatos

relinque noctu & interdiu, donec humor omnis omnino absumatur. Ubi ad aquarum effusionem deveniendum, scalpello, vel acu absolvatur negotium. Arabes Caustica introduxere, ut vetus ferebat consuetudo, quæ à Posteris rejecta serio. In hydrocele medicamenta septica sive caustica non sunt tuta, quia gangrænam excitare possunt. Novacula itaque ima incidatur Scroti pars, & posteaquam omnis humor probe effluxerit, cicatrix inducatur. Setum si arriserit, aliquoties de die trahendum filum, ut aqua paulatim destillet, setaceum tamen non est ante parandum quàm aqua per foramen emissa. Dubium mihi prævideo illatum, iri quod à causa προηγουμένη proveniens aquosus ramex nonnisi sinistrum occupet testem, aut ab hac parte ὄσχεον, vel ἐλυθροειδῆ. Manifestum superius dedimus, sinistri lateris seminalem venam non ex magnæ venæ trunco, sed renis emulgente, originem ducere. Rene vero male habente, serum, quod excernitur, cùm per consueta demandari loca nequeat ἐρυθροειδῆ incurrit, & hydrocelen in scroto efformat, notante, in Anglo quodam, Dodonæo. Sexagenarium Besanthiis vidit Hildanus, cui ob ὑδροκήλην Chirurgus singulis annis ὄσχεον perforabat ex inferiori parte, postea ulceri cicatricem inducebat: id quod & mihi in Gallis videre contigit. Habet tamen & idem ille Historias, quibus lugubria multorum fata abunde satis cognoscuntur, Crotesii inprimis Senatoris exemplo. Aquapendens decocto salsæ, cum sudore copioso, aquæ exsiccationem in abdomine molitur & universo corpore. Salius calculum apponit: Tutior est Curatio, si impediatur aquarum generatio, ex viscerum mala dispositione ortum habens, ut hydrocelen, in XV. Dierum puero cum gangræna conjunctam curationem admisisse, testetur Binningerus in observationibus.

Φυσοκήλη & πνευματοκήλη Scrotum à flatibus in tumorem elevatum innuit. Affectus cum facile dignoscatur, quoad causas, signa & prognosin, formulas concinnare, χειρουργικὴν instituere, nobis etiam tacentibus, in promptu erit. Mercurialis arridet: Flatuosam dicunt herniam Medicinam non admittere, in qua re non satisfaciunt, quoniam si spectemus hujus rei materiam, cum sit flatus, medicamentis dissolvitur & dissipatur. Si spectemus etiam locum affectum, sive fiat relaxatione, seu fractura, non est ita alienum ipsum persanare. At si malum in arteriis, quæ per δαρτὸν repunt, curam respuit. Ceterum pulverem magnifacit Geierus: Acc. anis. fœnic. car. dauc. cumin. bacca. laur. contus. an. ℥ j. liquirit. ras. zing. alb. galang. an. ℥ ß. caryophyll. cubebar. piper. long. sem. rut an. ʒ ij. anis. sacch. obduct. ℥ iij. Sacch. ℥ vi. M. F. S. A. Tragea. acc. spec. arom. rosat. dianis. an. ʒ iß. ol. fœnic. ℈ ß. sacchar. in aq. aurantior. solut. ℥ iv. f. Tabellæ. Πνευματοκήλης ex vulnere mammæ dextræ Curationem Meekeranus proponit in observationibus Chirurgicis. Rondeletius ramicem fovet vino adstringente & lixivio in quo ebullierint cumin. bacc. laur. sesel. rut. an. ʒ j.

Σαρκοκήλη à carnea mole, vel fungosa carne dicta quatuor & triginta semunciarum in mercatore Samio annotante Borrichio, testes aut vasa afficit spermatica raro quamvis monente Celso accidat, Medicamentis vix cedit ac persanatur nisi amputatione Salius duram facit & cancerosam, à Medico nullatenus tractandam: Non cancerosam alteram, quæ simplicem admittit scirrhorum curationem; ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον· θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, μὴ θεραπευόμενοι δὲ πλείω χρόνον διατελοῦσι. Quibus Canceri occulti oriuntur, eos non curare præstat Curati namque cito pereunt, non curati vero diutius perdurant. Aquam virgæ aureæ destillatam præclare agere, ac nonnullis esse in pretio, Patavii accepi à Clarissimo Carolo Offredo. Rolfincius ad herniam carnosam suum, quod Rolfincianum vocat, Emplastrum commendat: Acc. succ. fenulæ galbani feræ resinosi, ammoniaci resinosi an. ℥ j. infund. per noct. in 4. scillitico solve super igne, & cola, ut à sordibus liberetur. Facta leni aceti exhalatione add. radic. aristolo. ireos Forent, an. p. 5. Marcasitæ saturni ʒ j. lapid. calaminar. myrrhæ an. ʒ iij. ol. laurin. & ceræ q. s. f. emplastrum. Scultetus pulvere radicum ononidis tumorem resolvit & emplastro, quod habet: Gumm. ammoniac. galban. bdell. an. ʒ ß. dissolutis in aceto add. adip. anat liquat. & col. ℥ i ß. ceræ citrin. ℥ ij. ol. lilior. albor. medull. crur. bovis an. ʒ x. M. F. Emplastrum. Herniam carnosam fotu testiculorum ex vino sublimato fomitis calore in vaporem resoluto, & imposito cataplasmate ex absynth. malv. chamæm. rad. alth. & sem. lin. an. part. æq. conscissis, & in lacte caprillo coctis, curatam, Joannes Uldaricus Rumlerus in observationibus habet. Georgius Hieronymus Velschius, Medicus & Polyhistor. Augustanus Celeberrimus ex Guilielmi Quarræi ad Joannem Prævotium, Professorem Patavinum, Literis adfert, visam à se curatam Sarcocelen tam contumacem, ut omnia frustra tentata fuerint, solo emplastro illo Paracelsi, quod in Tractat. de Cur. vulner. Chirurgiæ minori adnexo copiose describitur & fodicationis alterum appellatur, quo scirrhos etiam durissimos & diuturnos sanatos Prævotius quoque in secretis adnotavit. At, Borrichius, non satis providi rei æstimatores mihi videntur, inquit, qui confirmatam σαρκοκήλην vel Medicamentis discussisse se, vel discuti posse evulgant, quod nimirum occalleat massa illa, & mille plexibus nervosis, iisque solidis, contrahat invictam duritiem. Aquapendens in teste, carcinomate affecto, qui pileo major erat, vasis prius circa inguen forcipe prehensis, inde consutis, & vinculo constrictis, eadem transverse abscidit, & universum abjecit testem, postea ferramentis candentibus inussit, hac ratione intra viginti dies sanatus, qui alioquin parum superfuisset. Quidquid sit, periculo non vacat operatio. Studium itaq; ac cautionem adhibeat Chirurgus necesse est, ut observato herniæ sive tumoris loco, scrotum ad carnem usque incidat. Quod si firmiter cum annexis partib. coaluerit, vasa cum testibus præcidantur. Hîc in illos animadvertimus, qui, peracta sectione, σηπτικὰ & καυστικὰ temere præscribunt, ut superflua caro absumatur putredine, cum hac ratione nullã plane admittat curationem, sed symptomata frequentius excitet cane pejus & angue fugiẽda carnosa moles. Harvæus faciliorem suggerit methodũ: ad arteriarum, inquit, officiũ sive circulationem respiciens, ingentes aliquando hernias carnosa

ſas, præter omnem ſpem, perfectè curavi; id ſolum agens, ut præciſa, vel ligata arteriola, nihil nutrimenti ſpiritusve ad partem laborantem accederet, quo factum, ut tumor facile poſtea vel ferro vel igne exſtirparetur, Habuit quidam præ cæteris Sarcoſin in ſcroto ſeu herniam carnoſam humano capite majorem ad genu uſque deorſum pendulam: indeque ſurſum carnoſa moles ad carpi magnitudinem, ceu funis nauticus, abdomen ingrediebatur; adeoque malum increvit, ut nemo ferro, vel aliter curam aggredi auderet. Hanc tamen ingentem excreſcentiam ſcrotum tantopere diſtendentem, teſticulumque in medio obvolventem, quo dixi modo, plane abſtuli, & curatione perfectè defunctus ſum: relicto interea teſti vaſe ſuo præparante & deferente, reliquiſque in ſcroto per vaginalem tunicam deſcendentibus, ſalvis & intactis. Sarcoceles in milite Sectionem, cui teſticulus dexter ad capitis puerilis magnitudinem excreverat, Bartholinus deſcribit in actis Medicis Hafnienſibus. Pyroticis ſubinde caro abſumitur, & remediis convenientibus vulneris promovetur conſolidatio.

Simplices quaſdam herniarum ſpecies hucuſque in medium adduximus. Compoſitas, quas ſingularem non exigere Curationis methodum, in propatulo eſt, ſilentio involvere ſatius eſſet, quam ingenii imbecillitate deterere. At ne ſponte quidquam nobis excidat, vel lubentes quædam tranſire videamur, nomina dabimus, ad reliquas ramicum differentias progreſſuri. Dicuntur itaque ἐντεροεπιπλοκήλη, ὑδρεντεροκήλη, ὑδροπνευματοκήλη, ὑδροσαρκοκήλη, Poſtremum rupturæ genus in valetudinariis vidi in Niſocomiis, ſed Curationem cum ſiniſtro plerumque decumbentis fato adhibitam. Fabricius curam aggreditur & modum exponit, cui Rhodii prætero Doctiſſimi ex Fallopio monitum: Si cum hernia aquoſa caro circa teſticulum concreverit, operatio periculoſa, & in cancrum proclivis. Teſtis enim corruptus facile inficit, ὑδρεντεροκήλης, ni fallor, Lugduni ad Rhenum meo tempore conſpectæ, depictam tabulam, inter chartulas repoſuimus.

Zirbus, Velamen, Inteſtina, βουβωνοκήλην, ἐπιπλοκήλην, ἐντεροκήλην, cum venæ intumeſcunt, κιρσοκήλην Græci appellant. Hæ non dilatatæ tantum, sed intortæ quodammodo ac contractæ, Scrotum cum tunicis obſident. Inter cauſas [illegible] alimenta referunt, terreſtrem ſuccum ſuppeditantia: προηγουμένας, viſcerum pravam διάθεσιν ac diſpoſitionem; συνεκτικὰς demum ſanguinem humore melancholico abundantem aut copia peccantem, Galeni auctoritate: καὶ μὲν δὴ καὶ ὡς ἡ φύσις ἀπωθεῖται τὸ τοιοῦτον αἷμα πολλάκις εἰς τὰς κατὰ τὰ σκέλη φλέβας, ὑφ' οὗ διατεινόμεναι αὗται καὶ κιρσουμέναι κιρσώδεις ἀποτελοῦνται, καὶ μελαίνονται γε τῷ χρόνῳ τὸ δ' ἕρμα, τὸ κατὰ τὰς τοιαύτας φλέβας ἐφ' ὧν δ' αἵματος πλῆθος μόνον εἴτε ἐστὶν ἄνευ τοῦ μελαγχολικοῦ ὑπάρχειν, ἀσθενεστέρας οὔσας φύσει τὰς τῶν δὲ φλέβας, ἀνευρύνει, κατασκῆπτον, οὐδενὸς τοιούτου συμβαίνοντος, ὡς ἐφ' ὧν γε ἂν τὸ μελαγχολικὸν αἷμα τοὺς κιρσοὺς ἐργάσηται, κίνδυνος γοῦν οὐδεὶς τούτων ἐστίν, ἐὰν ἐκτέμνηται τὰς πεπονθυίας φλέβας, ἁλῶναι μελαγχολίᾳ. Accedunt procatarcticis, corporis concuſſio vehemens, curſus, ſaltus, pedeſtre iter. Διάγνωσιν indicare, operæ non eſt pretium. Quoad prognoſin, cum Paræo notandum: Inveteratos, vel in hominibus temperamenti ac habitus melancholici, præſtare, Curationem omnino relinquere, quia à Curatis, Cancri, mania, ſuffocatio, aſſentiente illo Hippocratis Genio, Joanne Forti Celeberrimo Praxeos Doctore atque Profeſſore Patavino: Quando Varices, inquit, immaturè & præproperè, Medicorum imperitia, prohibiti fuere, vidi ego atra bile & inſania vexatos, immo & intercoſtali inflammatione, & renali calore, ſanguinis ſputo, attonito morbo, & intercutanea aqua eoſdem detentos. Quod ſi vel à violenta provenerint Corporis exercitatione, geſtato pondere, & ſtando nimium, ſed eleganter & ad rem mercurialis: Marium ſcimus omnes, ex Plutarcho in ejus vita, laborioſum virum extitiſſe, ob quod, ſi quis, dicat, ei varices quibus afflictabatur, in ambobus cruribus ortos, ob nimios in ſtando labores, eum minus erraturum, exiſtimarem. Fortunatus vero Fidelis: Proditum, ait, memoriæ eſt, gignendi facultatem his tolli, qui à varicibus tenentur. Quod ſi, inquam, his de cauſis varices oriantur, auxiliares implorare manus convenit. Veterum mos erat, referente Celſo, ferramentis acutis candentibus ſcrotum adurere; tum farinam ex aq. frigida ſubactam ſuperinjicere; tertio die lenticulam cum melle imponebant; poſt ejectis cruſtulis, ulcera melle purgabant, roſis implebant, & ad cicatricem aridis linamentis perducebant. Similiter, tumentibus mediæ tunicæ venis, inguen incidebant, venas digitis ſeparabant, &, filo utrinque injecto, ſub vinculis præcidebant, repoſito teſticulo. Ubi vero inter imam membranam & teſticulum generatus varix, teſtem abſcindere veterum ductu oportet. Noſtra ætate, cùm gigantum humeris inſidentes pygmæi longius proſpiciant, Magno Angliæ Cancellario, Barone Verulamio, explicante, vix reperies, qui id perferre ſupplicii aut injungere auſus fuerit. Recentiores ramicis curam aggreſſuri, ab utraque varicis parte venam hamulo aut digitis elevatam conſtringunt, ut ſcalpello incidatur, ac ſanguis probè eximi poſſit. Aquapendens hoc loco, adſtringentia componit ex tragacantho cum vino granatorum, bolo armena, maſtiche, ſanguine draconis, juxta varicis longitudinem conformata.

De βουβωνοκήλη, ἐντεροκήλη, ἐπιπλοκήλη, ὑδροκήλη, πνευματοκήλη, σαρκοκήλη, rupturis in inguine, ſcroto, inferioribus partibus conſpicuis, verba fecimus, & ad nauſeam fortè. Superiora verſus herniæ contingunt, Græcis ἐξόμφαλος καὶ βρογχοκήλη, umbilici procidentia, & cervicis vitium.

Tumor qui umbilicum obſidet, umbilicus prominens, prociduus, umbilici eminentia, hernia umbilicalis, puerorum plerumque morbis accenſeri ſolet: quamvis fœminæ laborioſo quoque & difficili partu umbilici herniam incurrant. Mercurialis rupturam vel cum inflammatione facit, vel ſine inflammatione, φλεγμονώδη ὄγκον. Tumorem auctæ magnitudinis perhibet, cum dolore, & pulſu: ubi ſcilicet umbilicus in recens natis malè præſcinditur. In hernia vero umbilicali, propriè dicta, omentum, inteſtina, aqua, flatus, caro ſupercreſcit. Diagnoſtica, prognoſtica, ex Celſo ac ſuperius adductis repetenda. Quod ſi φλεγμονὴ Curationem exigat, injungantur refrigerantia, humectantia, anodyna, quæ ſcopo correſpondeant. Ad peritonæi vero conſolidationem, antequam manu, ferroque

utamur, subducta alvo, Celsus super umbilicum imponit: Cicutæ & fuliginis, singulorum P. I. Cerussæ elotæ P. IV. Plumbi eloti P. VIII. cum ovis duobus, quibus solani succus adjicitur, Auctores, repositis omento vel intestinis, id quod memoria perpetuo tenendum, pilulas, electuaria conficiunt & ceratum umbilico. Habeant tyrones formulas. Acc. limatur. ferr. ℥ j. Nuc. cupress. ʒiij. mum. sang. dracon. thur. corall. rubr. an. ʒ j. confic. cum melle. dos. ʒß. mane & vesperi, superbibendo medicum vini adstringentis. Acc. radic. consolid. maj. caud. equin. burs. pastor. rub. canin. an. m ß. coq. opt. vin. adstring. add. mastich. corall. rubr. bol. armen. nuc. cupress. an. ʒ i ß, cinamom. ℈j. cum melle f. electuarium cujus dos. dimid. cochlear. Acc. gumm. Arab. tragacanth. mastich. bol. armen. sang. dracon. corall. pisc. coll. de corio bovis an. ʒ ij. thur. ʒ iij. Pic. græc. ʒ j. Pic. nav. ℥ ij. liq. ad ign. f. Magdaleon. vel. acc. boli armen. sang. dracon. mastich. sarcocol. an. ʒ j. bisling. tegul. pulver. an. ℥ iij. resin. pin. ℥ i ß Ov. album. & ceræ q. s. puerum exomphalo seu umbilici exitu laborantem, facillimo remedio sanatum Hieronymus vide Reusnerus. H. nempe & rad. sanicul. in aq. cocta & calide applicata. Eodem cum inflammatione & humiditate adflicta filiola, seq. pulvere insperso convaluit acc. bol. arm. ver. ʒ j. myrrh. ℈ ij. pompholyg. ʒ i ß. f. pulvis. Aquapendens subligaculum ex linteis componit, in cujus medio globulus intestinum vel omentum protuberans reprimit, & herniæ umbilici fascia sublevatæ exempla afferunt Hildanus, Ulmensiumque olim Physicus Joannes Scultetus. Quod si vel in tenellis corporibus Medicinam respuat, vitium sectione curare incumbit. Hæc priusquam instituatur, repetenda quædam ex Celso erunt, & in limine quidem curationi neque infantem aptum, neque decrepitum exponendum. Quod superest, de χειρουργικῇ nihil adjicimus: cum nemini non, vel primis Artis rudimentis instructo, quam notissima esse debeat. *Ludovic. Van Hammen Dissertatione de Herniis.*

Curationes.

Etiamsi quævis hernia non facile Curam suscipit, in infantibus tamen facilius curatur; in senibus difficulter, aut nunquam. Quod si intestinum flatibus aut excrementis repletum sit, sequitur dolor, atque hunc, si non illico tollatur, inflammatio, gangræna; hinc passio iliaca, ac ipsa denique mors succedit. Rarum est, quod refert Fabritius Hildanus Cent. I. Observ. 55. fœminam septendecim annos hernia laborasse, & circa annum ætatis tertium & sexagesimum maximis vexatam fuisse torminibus, intestinumque in abdominis rupturam impulsum ac inibi retentum dolores non leves, simul & inflammationem, aliaque graviora excitasse symptomata. Vocatus ad Curam Hildanus invenit dextrum inguen gangræna affectum; Tumore itaque scarificato, & cæteris quæ ad gangrænæ curationem attinent adhibitis, caro putrida & callositas rupturæ exciderunt; unde dolor, inflammatio, febris, tormina, lipothymia, nausea, vomitus, omnia denique symptomata sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementitia, velut ilei & cæci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter duos menses. Ægra tamen admirantibus omnibus curata, & ruptura perfecte sanata fuit, nullâ relictâ fistulâ.

Atqui Ratio Curandi Herniam, in primis intestinalem, in hisce tribus consistit: viz. in intestini intra abdominis cavitatem repositione; in repositi conservatione, ne rursus descendat; in relaxati peritonæi constrictione.

Verum ante repositionem Chirurgus diligenter consideret, an hernia sit parva, vel magna? an recens, vel inflammatione correpta? an flaccidum adhuc, vel materia aliqua repletum sit intestinum?

Si hernia parva sit & recens, intestinumque vacuum, facillime reducetur si æger supinus in lecto collocetur, capite declivi, pedibusque elevatis, quoniam hac ratione intestina sursum ruentia secum trahunt id, quod prolapsum est.

Sin vero magna sit & recens hernia, oportet Chirurgum intestinum nulla materia distentum digitis tractare, idque, ægrotantis capite declivius posito, sensim tamdiu molliter circumagere, donec paulatim abdominis cavitatem ingrediatur.

Atqui herniæ quum associatur aut inflammatio, quam indicant dolor, calor, febris; aut flatus adsunt, qui cognoscuntur ex eo, quod æger percipiat totum abdomen à flatibus distendi, si flatus emittat, & rugitus in intestinis audiantur, dolorque extendens sit sine gravitate; aut fæces, alvusque supprimitur, tumor sensim increscit, & pondus majus, majorque durities percipitur: tunc à reductione intestini desistendum est, usque dum inflammatio abierit, fæces egressæ, & flatus dissipati fuerint.

Igitur inflammatio cum adsit herniæ, scroto vel inguini calide imponatur cataplasma emolliens, digerens, simulque roborans, ex farina hordei, furfuribus tritici, foliis malvæ, althææ, floribus sambuci, rosarum, vino rubro, &c. idque identidem renovetur. Etiam ex Fallopio, pars affecta foveri potest lixivio calido, in quo cineres ex ligno fagino ebullierint. Accipiantur itaque duæ fili crudi massæ, indantur cacabo, & coquantur cum m ß. seminis cumini in lixivio acri; deinde massarum una extrahatur, quæ inter duos discos exprimatur, atque expansa calide, quantum ferre potest æger, apponatur; verum tepescens removeatur, & alia substituatur, eaque repetatur, donec omnino sublata sit inflammatio.

Si cum inflammatione concurrant fæces, quæ repositionem intestini impediant, casus quidem est maxime desperatus: nihilominus tamen fæcum tentetur eductio clysteribus lenientibus, identidem injectis; nec non fomentis, aut cataplasmatibus distensionem relaxantibus. v. gr.

♃. Fol. parietariæ, malvæ, althææ an. m i ß. flor. camomillæ, meliloti, sambuci, sum. anethi an. m j. sem. cumini, fœniculi an. ℥ß. incisa & contusa coq. in s. q. lactis vaccini pro fotu.

♃. Rad. liliorum alborum rec. ℥ ij. fol. malvæ, violariæ, parietariæ, flor. camomillæ, meliloti an. m j. furfurum m ß. coctis in aqua pura ad mollitiem, & in mortario minutim contusis add. farinæ althææ, Hordei, lini an. ℥ ij. olei rosarum, liliorum alborum an. ℥ i ß. m. f. cataplasma

plasma. Vel Tumor continuo foveatur mappis calefactis, Oleo camomillæ & Anethino imbutis, atque subinde renovatis.

Sed & flatus non raro absque inflammatione Intestinum replent; quo in casu usurpanda sunt Fomenta ex emollientibus, calefacientibus & discutientibus composita; nec non Clyster calefaciens & carminativus injiciendus est, haud secus ac de Intestino Prolapso, & vel Inflammatione obsesso vel Fæcibus repleto, Reponendo nunc diximus.

Sublata vero Inflammatione, excretis Fæcibus, Flatibusque dissipatis, reponatur in propriam sedem Intestinum. Viz. collocetur Ægrotus capite plurimum demisso, affecta autem parte elevata, deinde manibus Tumor capiendus, tentandumque ut materies paulatim eo, unde exiit regrediatur; digitum nempe sub tumorem reponendo, repellendoque leniter in ventrem quod ex eo delapsum est, atque diligenter cavendo, ne contusio livorve intestino adferatur, quod ea pars Gangrænæ obvia sit, & opportuna.

Atqui è contrario cum, omnibus frustra tentatis remediis, intestinum prolapsum, & vel inflammatum, vel fæcibus flatibusve repletum, reponi nequeat, adeoque præsens Ægroto immineat periculum, extrema quoque tentanda sunt. Quo in casu Ambrosius Paræus Chirurg. lib. 7. cap. 15. ad Cheirurgiam accedere, & ductum illum, per quem intestina elapsa sunt, Sectione dilatare suadet, sic ut digito reponi queant. Sed ardua est Manualis hæc Operatio; quæ quomodo sit instituenda videre insuper est apud Pigræum prax. Chirurg. lib. 2. Cap. 41. & præsertim apud Jobum Meekeranum observ. Chirurg. Cap. 45. 46.

Ubi jam intestina reposita fuerint, proximum est cavere, ne iterum excidant. Quem in finem maximi sunt momenti fasciæ seu Subligacula, adeo ut in Herniis recentioribus tota fere Curationis spes in iis sita sit. Parandi autem fascias commodissima hæc videtur ratio. Fiat cingulum seu fascia ex corio, quæ lino molliori seu panno gossypino, atque etiam gossypio nonnihil suffulto inducatur, quæ ligula stringi possit. Atque hæc fascia ventri infra hypochondria supra coxendicem prope inguina applicetur; ita tamen, ne partes quæ sunt supra ilia & ossa lædat, & atterat. Huic autem fasciæ seu Cingulo alia fascia cum splenio seu pulvinari quodam ita adaptari debet, ut quantum opus est constringi possit, ipsumque pulvinar recta loco affecto, seu parti ubi intestina excidere solent, incumbat, suoque incubitu intestinorum prolapsum prohibeat. Quod ut rectius præstet, fasciæ, quæ ventrem ambit, nonnulli geminas habenas adaptant, quæ ad humeros ascendunt & collum ambiunt.

Fasciæ loco parari potest Cingulum ferreum cum Scuto ferreo, quod locum ubi Intestina procidunt arcte tangit, & Intestinorum Prolapsum prohibet. Rationem vero conficiendi omnia hæc instrumenta Praxis docet. Icones habentur apud Paræum Cheirurg. libr. 7. cap. 15. Scultetum Armament. Chirurg. Tab. 39, aliosque.

Equidem intestinum postquam repositum est, priusquam adhibetur Bracherium, Adstringens aliquod relaxato peritonæo applicari potest Emplastrum, quale est oxycroceum, seu Emplastrum ad Rupturas in corio extensum, vel simile v. gr. illud Pigræi,

℞. Gummi Elemni ℥j Mastichis. ʒij. olibani, Sarcocollæ an. ʒj. Emplastri contra Rupturam ℥iß. Pulv. Boli armeni ʒiß. Olei therebinthinæ. q. s. M. F. S. A. Emplastrum. Emplastri loco nonnulli laudant fotus Adstringentes, adeoque relaxatum peritonæum Roborantes, ex Corticibus Granatorum, balaustia, Sumach, nucibus cypressi, floribus camomillæ, alumine, similibusve, in aqua fabrorum, & vino rubro adstringente decoctis. Alii inungunt oleum ovorum. Sed inprimis Quies hic imperanda est, qua sola nonnunquam graves sanantur herniæ; cujus rei memorabile adfert exemplum Hildanus cent. 5. Observ. 54. cujusdam generosi Bernensis sexagenarii, qui viginti annos insigni Hernia Intestinali laboraverat; cui curandæ tum Hildanum, tum alios in Gallia & alibi expertissimos frustra adhibuerat Medicos & cheirurgos: tandem cum de recuperanda sanitate ne quidem cogitaret amplius, & subligaculis, ne malum ingravesceret uteretur, in morbum incidit, quo ultra sex menses lecto affixus fuit. Post morbum hunc ne minimum quidem herniæ, qua tamdiu laboraverat, indicium persensit, nec amplius spleniis aut subligaculis uti necesse habuit.

Igitur fascia intestina, ne rursus prolabantur, contineri possunt: quod ubi factum danda opera, ut excrementa potius mollia sint, quam dura, alvusque ne supprimatur; atque in egerendis fæcibus observandum; ut manu inguina & scrotum probe contineantur, ne fæces emittendo intestina extrudantur. Deinceps abstinendum à cibis flatulentis, ne flatus intestina distendentes producantur. Insuper omnis vehemens motus, saltus, cursus, oneris gravioris gestatio, vociferatio, aliaq; vehementiora viteutur exercitia. Denique in tussi & sternutatione idem observandum, quod modo in egerendis alvi fæcibus attendendum diximus.

Hisce alii addunt ad accelerandam relaxati peritonæi confirmationem varia intus sumenda medicamenta, & inter illa huic affectui curando specifica, qualia dicuntur Radix consolidæ, osmundæ reg. lis, herniaria, hypericum, &c, quorum formulæ plures habentur apud auctores.

Verumtamen si integram sanitatem iis æger consequi non possit, bracherio contentus sit; quo solo si recte contineantur intestina, omnibus vitæ actionibus sine magno impedimento vacare poterit. Atqui hisce qui contentus non est, semet ipsum Cheirurgiæ tradat, quæ per ablationem Didymi Herniam penitus curare potis est; de qua videantur Pigræus prax. Cheirurg. libr. 2. cap. 40. Scultetus Armam. Chirurg. Tab. 40. Cl. van Horne in Microtechne Sect. 2. part. 1. § 24.

Quæ autem hactenus de Cura herniæ intestinalis dicta sunt, quoque applicari possunt herniæ ex omenti prolapsu ortæ. Iidem enim in ejus curatione sunt scopi. Primo nimirum reducendum est Omentum manuum opera; deinde prohibendus elapsus, quod itidem bracherio fieri solet. Atqui si omenti prolapsus non exacte prohibeatur, adeo ut frequentius illud elabatur, facile peritonæi processui per fibras arctissime accrescit, hinc reduci in abdominis cavitatem nunquam potest, manetque immedicabilis epiplocele.

Hydrocele porro pro Causarum varietate nunc magis nunc minus periculosa est: quæ enim cum Hydrope conjungitur, non curatur, nisi sanato prius Hydrope, ejusdemque causa ablata. Nam licet aquosus humor vel discutiatur, vel Scroti apertione evacuetur, novus tamen rursus affluit. Si vero causa Aquam generans minus gravis sit, facilius curatur. Equidem inveterata hydrocele, ne Testes corrumpantur, haud immerito suspecta est.

In Curatione autem herniæ aquosæ, Universalibus ad tollendas Causas Antecedentes haud neglectis, ut de oedemate, nec non de Tumore tum flatulento, tum aquoso curandis dictum fuit; vel Topica Scroto prætumido applicentur calida, siccantia, resolventia, Digerentia, contentam adeo in eo aquositatem absumentia; vel Scroti quocunque modo apertione aquosa materies educatur.

Fallopius tom. 2. tract. de tumor. p. n. cap. 34. haud abs re duplicem statuit herniam aquosam; unam, in qua dilatato nimium peritonæi processu, aqua ex Abdominis cavitate in Scrotum descendit, adeoque fluere & refluere potest: hæc autem non curatur nisi prius ex Abdomine omnis educatur aqua.

Altera herniæ aquosæ species est, in qua nimium non aperto peritonæi processu, aquosa materies per extrema tum sanguineorum, tum lymphaticorum vasculorum oscula in Scrotum, vaginalem inter & albugineam testiculi tunicam, effunditur. Atque in hac specie Topica Medicamenta calida, Resolventia, & Digerentia adhibita multum prosunt, eaque semper experiri oportet, priusquam ad scroti apertionem veniamus. v. gr.

♃. Rad. cucumeris asinini ℥j. fol. calamenthæ, abrotoni, rutæ, Sum. Anethi, flor. Camomillæ, rosrubr. an. Mj. Sem. cumini ʒvj. coq. in aq. puræ & vini albi an. p. æq. ad ℥xxx. colatura sit pro Fomento. Magnæ quoque efficaciæ talia dicunrur medicamenta, si Aceto incoquantur.

♃. Rad. Cucumeris Asinini Bacc. Lauri, Sem. Cumini, Agni Casti an. ℥ß. fol. lauri, rutæ, rosmarini an. Mj. decoq. in aceto ad ℥xxx. colatura pars affecta cum spongia foveatur. Vel Fomentum fiat ex lixivio cinerum Sarmentorum vitis, in quo similia cocta sint, nec non sal, sulphur, aut alumen liquatum fuerit. Etiam Litus hic multum prosunt. ex. gr.

♃. Olei Cucumeris Asinini ℥j. Rutæ, Laurini an. ℥ß. Cumini stillat. gutt. x. Misceantur pro Linimento. Laudant. Alii cataplasma ex Stercore vaccino, mixtis cineribus Plantarum Digerentium, aut Seminibus Rutæ, viticis, cumini, baccis lauri, Juniperi, similibus.

Nonnulli imponi volunt Emplastrum de meliloto, de cumino, vel simile.

Scoltzius Consil. Medicin. 131. vehementer laudat id, quod sequitur,

♃. Rad. Cucumer. asin. rec. contus. & in Aceto scyl. macer. ℔j. Mellis despumati ℔ij. Misceantur, & bulliant in cerati consistentiam, addendo in fine Sem. Cumini subt. pulv. ℥iiij. M. F. S. A. Emplastrum.

Sin his, similibusve remediis Tumor resolvi nequeat, ad cheirurgiam, hoc est, Scroti apertionem veniendum. Quo modo autem & ordine Scroti Apertio instituenda sit, docent Paulus Ægineta lib. 6. cap. 62. & C. Celsus lib. 7. cap. 18.

Nonnulli Scalpello Scrotum aperire solent, cui tamen methodo vix assentimur, quoniam id ex collecta aqua distentum admodum, & flaccidum difficulter consolidatur; atque non raro ob partis affectæ porositates obstructas, spirituumque per eam radiationem valde imminutam Gangræna accedit.

Alii hanc apertionem Caustico, vel Ignitis ferramentis efficiunt, atque apertum diu servant foramen cannula immissa Argentea vel plumbea.

Quidam Scrotum aperiunt, Acum filum duplicatum vel quadruplicatum ducentem Setacei in modum trajiciendo, & quotidie bis terve protrahendo.

Avicenna in Inguinis regione candentibus ferramentis inurit, ut pars corrugetur, ne aqua iterum descendere possit.

Sed potius Scrotum aperiatur acu perforata Barbetiana, vel Blockiana, sicque aquosa educatur materies. Atque hac methodo sæpius hydrocelen curavimus, eduximusque aliquando ex Scroto tres, aliquando quatuor aquæ libras. Etiam nunc inter mortales versatur Vir septuagenarius, cui singulo præter propter biennio Scrotum perforata acu aperiri solet, ad collectam in eo aquam evacuandam. Similiter Fabritius Hildanus Cent. 4. obs. 66. scribit, se novisse virum Sexagenarium cui ob Herniam aquosam singulis annis Scrotum ex inferiore parte perforabatur, & serosus humor evacuabatur, ac postea ad cicatricem ulcus perducebatur: additque hominem illum ad summam pervenisse senectutem. Equidem circa Scroti apertionem utiles quasdam admonitiones & observationes proponit idem Hildanus *Centur.* 4. *observ.* 65. 66. 67. 68.

Adesse Sarcocelen cognoscitur ex eo, quod Tumor in Scroto durus sit, sine inguinis tumore, sensimque adauctus; quo signo distinguitur ab hernia Intestinali, quæ mollior est, & subito oritur: insuper mejor hic molestia est, quam dolor, nisi pravi humores confluant. Indagandum quoque diligenter, ne Hydrocele vel alius Testiculi Tumor pro Carnosa Hernia habeatur; quod interdum contingit, si aqua profundius lateat, & foris nulla sui signa exhibeat. Tale exemplum profert Forestus libr. 27. observ. 25. in scolio, de quodam, qui testem una cum scroto in modum scyrrhi, paulatim majorem in molem auctum, & durum per quinquennium habebat, ut omnes Sarcocelem putarent. Postea tamen cum emollientia & maturantia applicarentur, tumor mollis evasit, & facto abscessu magna aquæ copia, quæ intus latuerat, cum impetu erupit, unde scrotum & testiculus detumuit, ægerque penitus curatus fuit.

Equidem medicamentorum ope vix unquam curatur Sarcocele. Sed Cheirurgiæ opera tolli solet, ut plurimum cum didymo, cui adhæret, vel inhæret heterogenea hæc substantia. Ad inguina ubi se extenderit, fere incurabilis est.

Quoad Medendi Rationem; ea duplex est, scilicet ut vel tumoris incrementum prohibeatur, & porro tumor absumatur: vel substantia hæc carnosa cheirurgia tollatur. Primæ intentioni ut satisfiat, medicamenta interna ad tollendam Sarcocelen quoque commendantur. Et

scribit

Matthiolus in Dioscoridem libr. 3. cap. 18. se novisse quendam, qui ononidis radicis pulvere duntaxat plures menses sumpto, carnosum ramicem absumpsit, & sanatus est, licet à Medicis nullo allio remedio, quam sola sectione, ustioneque hunc curari posse esset statutum.

Inter Topica Medicamenta velde hic commendat Rulandus Cent. 9. Observ. 66. sum oleum Sulphuris, hoc est, Balsamum Sulphuris quotidie bis illitum. Alii imponere malunt hoc emplastrum.

♃. Gummi Ammoniaci in aceto soluti ℥iß Bdellii similiter soluti, pulv. seminis sinapi, urticæ an. ℥j Aristolochiæ rotundæ ℨvi. Sulphuris ℥ß. therebinthinæ, Lapidis spongiæ an. ℥j spiritus vini ℥iß. Ceræ ℨvj. olei olivarum ℥iiij. Ex hisce S. A. Fiat Emplastrum. Scultetus post armament. Chirurg. Observ. 74. scribit, plures se curasse, exhibito quotidie pulvere radicum Ononidis, & imposito hoc in Emplastro,

♃. Gummi Ammoniaci, Galbani, bdellii an ℥ß. dissolutis aceto adde adipis anatis ℥iß. Ceræ citrinæ ℥ij. Medullæ crurum bovis, olei Liliorum alborum an. ℨx. Misceantur in formam emplastri, quod linteo inductum Scroto applicetur, & quarto quoque die renovatur.

Sin hoc modo Carnosa Hernia non imminuatur, sed è contrario augeatur, sequenti methodo tentari potest Curatio. Fiat foramen exiguum in Scroti parte superiore: per hoc petiæ ope medicamenta applicentur suppurantia, quo sic carnosa hæc substantia tolli possit, quavis deligatione pus expurgando; verum non totum, ad meliorem reliquæ carnosæ substantiæ consumptionem.

Quod si nec hæc successerint, Testiculus extrahendus, & sectione tantum carnosæ excrescentiæ tollendum, quantum sine læsione fieri potest; hinc restituendus iterum in suum locum Didymus, & quod reliquum est carnosæ substantiæ suppuratione auferendum.

Quum vero nulla spes sit, dictis modis sarcocelen tollendi, Didymus, cum adnata ipsi carnosa substanta, vel tota sua substantia tumefactus exscindendus est.

Præterea Venæ spermaticæ in Scroto Varicum adinstar dilatantur nonnunquam, & Tumorem in Scroto efficiunt, qui Cirsocele seu Varicosa hernia nuncupatur. Ea namque nihil aliud est, quam circa Testiculos spermaticæ Venæ dilatatæ, & Varicum modo conglomeratæ, contortæque.

Hinc & eadem hujus affectus causa est, quæ Varicum; viz. sanguis crassus ac terrestris, circa valvulas venarum spermaticarum subsistens, atque Varicosum hujusmodi Tumorem in Scroto excitans.

Facile quoque manifestum fit hoc malum, quod in Scroto supra Testiculum circa Peritonæi Processum venæ turgidæ, conglomeratæ, & capreolorum modo intortæ tangantur; quodque deorsum magis descendat Testiculus.

Cura equidem hujus Affectus facilis non est. Ea tamen ut absolvatur, commodo aliquo subligaculo, aut fascia convenienter apposita Scrotum cum inclusis testibus sustentetur; hoc namque tam certum est remedium ut teste Fallopio, quidam eo solo curatus fuerit, quod testes per duos menses fascia suspensos gestaverit, & quotidie aquam è Nucibus cypressi destillatam adhibuerit, eaque Scrotum humectaverit, & per se exsiccari siverit.

Alii emollientibus & discutientibus Curam moliuntur, ideoque Balneum usurpant, seu semicupium ex Radicibus althææ, semine Lini, similibusve in aqua decoctis; ac deinceps oleo amygdalarum, vel quovis alio locum inungunt. Alii id quod sequitur, imponunt emplastrum,

♃. Picis navalis ℨvi Colophoniæ ℥iij. Gummi Ammoniaci, bdellii, opopanacis, Mastichis, lith rgir. terebinth. an. ℥j. bol. armen. thur. sanguin. dracon. sarcocoll. aloës, centaur. symphyti, gallarum, malicorii, nucum cupress. lumbricor. terrestr. an. ℨij. glutin pellis arietin. dissol. in aq. chalyb. & aceto q. s. M. F. s. a. Emplastr.

Quod si nec istis remediis morbus hic curetur, ad Cheirurgiam deveniendum; & vel, apertura in scroto facta, varicosæ testium venæ incidantur; vel simul cum didymo eædem exsciodantur. *Joh. Municks in Chirurgia ad Praxim Hodiernam adornata.*

Omnes illi qui Hernias gerunt, sive veras, sive falsas, si prudentes fuerint, sobrietatem colent, venere immoderate non utentur, ea omnia quæ harum invaletudinum causa esse possunt, vitabunt, & quandoquidem partes quas occupant debiliores evadunt, earum indulgendum imbecillitati, & ad diætam attendendum. Vitanda itaque veniunt omnia ipsis contraria, qualia sunt legumina, fructus recentes, omne artocreatis genus, vel panis butyro conditus, & non satis excoctus, carnes muria conditæ, pisces, & caseus; inter equitandum lorum Scandularium brevius faciendum, eo latere quod hernia afficitur, in sede humiliori non sedendum, nec brachia nimium elevanda, in extremos præterea assurgendo pedes, pro aliqua re in altiori collocata loco arripienda, caligarum zona non nimium constringetur, alvus servabitur libera, & si aliquando difficilius solvatur, in ipso nisu manus subligaculi pulvillo imponentur, violentiora devitabuntur exercitia, præcipue si herniis laborantes veris aptis & validioribus subligaculis chalybeis aut aliis à filo ferreo confectis, non fuerint instructi. De hisce subligaculis jam mihi verba veniunt facienda.

Subligaculum apud Gallos variis donatur nominibus, siquidem apud plurimos bandage, apud aliquos tamen vetustiori nomine brayer, apud Normannos ceint, apud alios retreintif, ceinture aliisque synonimis insignitur quorum primum est & decentius & convenientius.

Pro conficiendo subligaculo apto vel è chalybe, vel è filo ferreo, attendendum ad ea omnia quæ in superioribus de herniis curandis diximus, indeque indicationes veniunt deducendæ pro subligaculi forma: nam si corpus fuerit macilentum, alia debet subligaculum ratione confici, quam si obæsum foret.

Viri macilenti & obæsi duas constituunt generales differentias formarum subligaculorum, ut & eorumdem applicationis, sed aliæ eæque innumeræ particulares dantur, corpora siquidem omnia in sua variant forma, unde necessarium est etiam innumeris modis subligacula variare, ut superius adnotavi. Hoc non parum facit difficultatis ignaris, qui unius tantum generis

subligacula conficere norunt, arbitrari satis esse, si pro varia corporis crassitie validè constringant.

Non sic se gerit ille qui ad perfectionem tendit; quàm magna revera inter meam theoriam & praxim quam hic demonstrandam suscipio, intercedit differentia, & quamvis Guido dixerit peritum practicum, operari pro modulo theoriæ suæ, dantur tamen quædam facienda quæ scriptis explicari nequeunt, & quæ in demonstratione oculari potiſsimum sunt. Exempli gratia pro aptè flectendo subligaculo, illoque iis proportionibus donando quæ herniis maximè conveniant, necessario subjectum inspiciendum venit, aliàs in aliquibus semper deficit: Itaque multo commodius foret me operantem cernere, quàm docentem audire, sed quandoquidem in omnibus Ditionis Gallicæ regionibus præsens adesse non possum, ut inspiciar ab iis quos cupio doctos facere in cura Provincialium, qui tam sæpe ineptis afflicti subligaculis Lutetiam adveniunt. Hoc unicum mihi liberum est, scil. pro ea qua polleo accuratione scriptis edoceam methodum in subligaculis mihi familiarem, cui si adjungatur perspicacia iis necessaria qui Chirurgiæ se dicant, non dubito quin facillimè acquiratur quod summo plurium annorum labore conquisivi.

Primum quod faciendum venit examinatis indicationibus necessariis, positum est in mensura crassitiei, sive viri, sive mulieris, sive puelli; hæc autem mensura instituenda est cum iis materiis quæ nec elongari, nec abbreviari facilè valeant, v. g. cum charta pergamena, vel tenia limbo donata validiori, incipiendo ab eo loco, in quo hernia apparet, & toto circumducto corpore ad eandem redeundo partem: Illa autem circumductio variè institui debet, unde nō parva tironib. creabitur difficultas; alii quippe subligacula altius collocata; alii inferius, pro corporis forma, gerere debent. Quib. altius sunt applicāda subligacula, sunt illi qui crassiores habent nates, nam secundum earum majorem aut minorem crassitiem subligaculum variè flecti & ad superiora reflecti debet. Iis vero quibus subsident nares minus necessarium est subligacula ad superiora reflexa dare, imo aliquando omnino hac ad superiora flexione abstinendum est.

Subligaculum pro subjecti sui crassitie, debet ut plurimum ad duas suæ longitudinis tertias partes, aut paulo plus, è chalybe aut filo ferreo componi, reliquum verò debet ex corio robustiori confici, si subligaculum duplicem pulvillum lamina armatum ferrea habuerit, pro secundi pulvilli longitudine minuenda erit corii prædicti longitudo.

Chalybs autem debet esse melioris notæ & ejus generis quo effinguntur loricæ, ita ut illud subligaculum non possit abrumpi etiamsi frigidum cudatur, & interim ea flexibilitate & vi elastica polleat, quæ aptæ corporis circumductioni necessaria sit. Hæc Fabrum spectant Ferrarium, cui probe & accurate significandum quod ab ipso exquiritur, ut qui in Chirurgia instrumentum aliquod aliud adinvenit, illud operationibus suis instituendis aptum, cultrario cudendum exhibet.

Secundum quod in subligaculi fabrica attendi debet, est validitas necessaria.

Duabus de causis necessarium est subligacula satis robusta effingere, primò in herniis majoribus, atque fluxibilioribus, secundò in obæsioribus subjectis, quod tamen committo prudentiæ chirurgi qui malum attentius examinavit, unum admonendo, attendat scil. exercitio illius cui applicabitur subligaculum, nam si fuerit homo magni laboris, aut exercitiorum violentiorum, subligaculum debet esse validius, ne herniam patiatur elabi, aut inter utendum abrumpatur.

Tertium quod adnotari debet in eo positum est, quod chalybs aut filum ferreum è quibus effinguntur subligacula, à scuto sive pulvilli lamina, ad suæ longitudinis dimidium, una quarta parte validior & crassior fabricari velit, sensim minuendo ad finem usque, ut sic vis major adsit elastica. Si vero necessarium fuerit pro duabus herniis subligaculum conficere, oportet ut illud scutum quod zonæ seu cingulo continuum est ponatur super molestiori hernia, sive illæ à latere dextro, sive à sinistro fuerit. Observandum autem quod omnium subligaculorum laminæ sint suis pulvillis minores, nam hi illarum oras ad dimidii saltem digiti quantitatem excedere debent, & præterea quo magis elevare velis eosdem pulvillos, eo minores debeant esse laminæ, inguina enim quibus applicantur, nequeunt grandiores laminas pulvillis instructas elatioribus ferre, præterquam quod parum adferant commodi.

Quarta eaque notatu dignior subligaculorum pars, pulvillus est, qui compressæ vices gerere, atque partibus è quibus herniæ elabuntur imponi debet, ut sic impediatur quo minus vel intestinum, vel epiploum vel utrumque simul excidat.

Generalior regula exigit, ut quantum fieri poterit pulvilli effingantur minores, nam sic & utiliores & minus importuni evadunt, & præterea ad peritonæi annulos commodius perveniunt, nec ita facile de loco moventur ac grandiores. Interim necessarium est eos tam variè effingere, ut illud describere sit impossibile, in hoc judicium exercendum, advertendo ad herniarum exitum unde tam multiplices enascuntur effectus. Præcipuè vero observandum ut prædicti pulvilli proportionentur parti cui imponuntur, nam aliquando requiruntur depressi & molliores, ut in subjectis macilentis, in quibus hernia non fuerit grandior, nec in inguine cavitas; ubi verò cavitas adfuerit major minorve pulvillus exigitur plus minusve elatus ac turgens, itaut cavitas repleatur, nec tamen pars ad atrophiam deducatur, quod evenit quibusdam novis Sectatoribus qui instrumentis utuntur acuminatis, quib. præter dolorem, substantiæ deperditionem faciunt per impeditam spirituum irradiationem, & nutrimenti appulsum; sic etiam annulos apertos servant, & unioni ad curam quàm maxime necessariæ, obstant.

Omnes herniæ contineri debent in eo è quo egrediuntur loco, non vero in illo ad quem devolvuntur, itaque semper supra os pubis debent reprimi adque coxam propius, ubi annulorum sedes est, & ubi vasa vitantur spermatica; nam si subligaculi scutum propius ad penem adducatur dolor in prædictis pariter vasis, quæ inter pulvillum & os pubis sic arctius incarcerantur, præterea cum os pubis sit hic elatius quam

prope

prope coxam, impedimento est ne pulvillus cavitatem repleat, sicque hernia elabitur, præsertim inter sedendum, aut corpus curvandum, jam vero hoc attentius observandum ut devitentur mala quibus vix mederi valeas pro voto, cum sc. subligaculum elabi sinit intestinum, unde periculosissima enascitur strangulatio.

Regulam generalem flexionis subligaculorum quod spectat, attendendum ut circum totum corpus circumducta illi undique quam accuratissime & immediate applicentur, ne sc. facile de loco moveantur quod ipsorum operationi non parum officeret. Particulares flexionis differentias quod attinet, in variis subjectis, illæ nullatenus possunt edoceri, & etiam, subligaculum quantum ante applicationem possibile, ad perfectionem suam deductum, necessarium est ipso applicationis momento varie flectere, ut corpori aptius accommodetur, propterea è melioris notæ metallo constitui omnino debent.

Qui subligacula è filo ferreo conficere norunt hoc fruuntur privilegio, quod sc. filum ferreum minus facile in variis sui flexionibus abrumpatur, si fuerit melioris notæ; quod è Germania adfertur ineptum prorsus est.

Hæc Subligaculorum species inter præclarissima reponi meretur inventa, nam sic omnibus prope in locis, nulla fabri ferrarii adhibita opera, subligacula & apta & firmissima possunt effingi.

Pro condendo hoc è filo ferreo subligaculo eadem quæ in subligaculo chalybeo sunt adnotata observanda veniunt, & quoad mensuram sc. & quoad ferri longitudinem, validitatem vero quod attinet, siquidem variæ crassitiei dantur fila ferrea, illud pro prudentia sua seliget artifex, aptum illi firmitati suo subligaculo conciliandæ quam intendit. Observandum tantum quod cujuscunque demum crassitiei filo utaris ferreo semper duplicandum sit, ad utrumque sc. subligaculi ut & ejus scuti limbum, & quandoquidem filum ferreum ejusdem est per totam suam longitudinem crassitiei, igne temperandum est ut ab ea parte cui corium alligari debet minus firmum evadat.

Conficiendum subligaculum postquam ad corporis modulum exegeris, & ad indicationes necessarias attenderis; validitatis aptæ filum ferreum seliges, ejus longitudinis ut commode duplicari possit, & ab altera parte manuali aliquo instrumento flectes extremitatem rami ferrei superioris, ut ex ea constituas scutum, vel à dextris vel à sinistris, ejus figuræ quã aptam videbis pulvillo sustinendo herniæ tuæ continendæ accommodato Hocce peracto producetur mẽsura usq; ad fili ferrei partem igne temperatam, ubi subligaculi futura est extremitas, indeque illud duplicabis. Quando secundus iste ramus duplicatus paulo ultra scutum deductus fuerit, eum priori subjicies, & filo multipliciter complicato subligabis; tum ea extremitas quæ scutum excedet lima corradetur ut depressionem aliquam acquirat, postea eandem ad interiora contorquebis ad prædicti scuti figuram, ut illud è ferro duplicato construatur, ut ipsum cingulum. Continuabis validam ligaturam duarum extremitatum, quæ in unum scuti locum coibunt; postea subligaculum pro lubitu flectes duabus adhibitis manibus, flectere incipiendo quasi ovalem aut aliam aptiorem figuram conficere in animo esset, recurvabis postea cingulum prope aut longe à scuto, prout necessarium fuerit altius illud applicare; reliqua & perfectior flexio malleolo conciliabitur, ramum ferreum interius leviter tundendo ut ad mensuram corporis exquisite adaptetur.

Quando subligaculum pro voto efformatum habueris, duos ramos simul deligabis, eos invicem complicando, & tænia filea tres lineas lata circumducendo: Hæc ligatura duplici adhibetur usui, sc. validitatis æqualitatem ramis duobus conciliat, & præterea prima est subligaculi instructio, cui secunda è tela confecta, bombace, aut lana tenui & bene carpta repleta, per totam longitudinem interius adsuitur, ut sic ferrum minime lædat. Secunda hæc instructio non adsuetur quin prius extremitatem loro coriaceo, clavo adfixo, vel tela spissiori ad aliquam longitudinem producta, armaveris, postquam eandem illam extremitatem lima corrasam depressiorem feceris, ut sic minus crassa fiat atque minime lædat.

Pauci admodum cudendorum subligaculorum chalybeorum sunt periti, nullique in provinciis Gallicis tales reperiuntur, quantumvis aliis instrumentis cudendis; apti interim illud utilissimum foret, cui ego pro virili medebor dummodo urbium chirurgi attentiori animo & magno cum studio legere velint quæ hactenus à me hic fuere perscripta.

Verum quandoquidem mensura à me descripta fabro pro conficiendo subligaculo est insufficiens, consulo unicuique chirurgo paret sibi exemplar aptum ex unico filo ferreo ejus crassitiei quæ facile flecti possit, ut sic apte curvetur ad figuram corporis cui applicari debet, & postquam filum illud ferreum ad corporis mensuram exquisite exegerit, tum faber viso exemplari facillime subligaculum cudet, unicum supererit, scil. præscribatur & crassities latitudo cinguli, cui demonstrandæ cartaceum omnino aptum fuerit: Scutum quod attinet conficietur ad normam illius quod per flexionem fili in altera extremitate & quoad magnitudinem & quoad figuram necessariam, descriptum erit.

Habemus subligacula chalybea fracta miræ inventionis, quæ sæpissime Magnatibus exhibui Unico aut duplici armantur scuto, prout libuerit.

Quæ duplex scutum gerunt per scuta sua disjunguntur mediante cochlea à dextris vel sinistris posita, hoc est si è duabus herniis quas reprimere necessarium est major à dextris fuerit, cochlea in eodem latere poni debet, & à sinistris, si hernia præcipua in eo fuerit latere. Hæc cochlea insinuatur in striarium cavum in altero scuto efformatum. Subligacula hæc, præter scuta sua è quatuor aliis concinnantur partibus, quarum prima, eaque brevissima, cochleæ continuatur, hæc à secunda secunda à tertia, tertia à quarta, & quarta à quinta concluditur; quintæ autem debet adfigi lorum coriaceum validum pro subligaculo claudendo.

Subligacula fracta unico armata scuto, è quatuor tantum conficiuntur partibus quæ clavo ferreo ita compinguntur, ut ad interiora tantum

tum flecti queant, sic magnum subligaculum in pera gestari potest. Eadem ratione muniuntur ac alia simplicia è chalybe aut filo ferreo, & in eo tantum differunt quod pro flectendis partibus clavo compactis, necessarium sit tria foramina, seu potius aperturas, in instructione quæ ipsis adsuitur, conficere.

Subligacula hæc sunt ad modum commoda atque præcipue iis qui de die & nocte ea gerere necessarium habent.

Omnia subligacula chalybea quæ noctu gerere animus est, latitudine trium aut quatuor pollicum breviora esse dabent, quam ferant duæ tertiæ crassitiei corporis partes, ut quando super subligaculi extremitate cubatur, minime sic scutum aut ejusdem pulvillus de loco moveatur.

Pro infantulis fasciis suis adhuc dum circumvolutis, aut aliis excrementis se inquinantibus, componenda sunt subligacula quibus urina & sordes adhærere non possint, ut ea putrefaciant; ejus conditionis sunt quæ è duplici fili ferrei tenuis ramo concinnantur, ad modum quem supra in majorum descriptione enarravi, sed alia instruuntur ratione, rami sc. duo non simul colligantur ut in majoribus, sed inter eos cartaceum reponitur segmen, duas aut tres lineas latum, circum aluta valida è filo cannabino tænia, in totum cingulum producta, & etiam multo ulterius pro puerulı crassitie, quod ultra cingulum producitur ter replicatur ut sic ligulæ coriaceæ quæ hamulo aut productioni ferreæ è scuto ex linteo ad magnitudinem olivarem confecto, assurgit alligatur, vices gerat: mox memoratum scutum parvæ adsuitur lamellæ, quo peracto, intersuetur tænia ramos ferreos inter & cartaceum per totam cinguli longitudinem, post ceræ albæ fusæ per totam sui longitudinem exquisite immergetur, ut sic ab urina non corrumpatur; frigefacta cera cultello lævigabitur, atque ita subligaculum applicationi aptum habebis, quod de die & nocte gestum necessario hernias infantulorum intestinales, curabit, & iis minime molestum erit.

Pro umbilico conficitur etiam subligaculum ex chalybe aut filo ferreo, sed ad dimidias tantum; pro varia magnitudine corporis varie curvabitur ut in aliis dixi, in hoc tamen differt quod sc. partes quibus hocce in casu applicatur, sunt omnino dissimiles iis quibus alia admoventur. Lamina media fit grandior & ovalis figuræ, aliquando rotundæ; vastior conficitur hæc lamina, ut abdomen quod in obæsioribus semper prope acuminatur, contineatur.

Si subligaculum hoc fiat pro intestino, & intestinum integre reduci valeat in media hac lamina collocatur mollior globulus ad umbilici formam constitutus, ut cavitas eo repleri possit.

Si subligaculum è filo ferreo construatur necessarium fuerit postquam laminam mediam duplicata spissioris textus tela instruxeris, illi adsuas aliam laminam è tenuiori subere Hispanico, aut è duplici carta lusoria confectam, prius apposito atque alligato hamulo ferreo istius laminæ parti mediæ. Hujus subligaculi cingulum latius esse debet, per vaginam laneam aut xylinam, quæ propterea ab utraque cinguli parte frequentibus densabitur punctis.

Subligacula omnia quantum fieri potest levia sunt facienda, siquidem eorum majus pondus post aliquod tempus molestum est. Si materia è qua conficiuntur melioris fuerit notæ, frigide facile cuditur, & subligaculum exhibet leve, quodque eo validius est quo magis cuditur, sicut tenuior lorica malleo probe cusa, ictibus fortius resistit, quam quæ è pejoris notæ metallo & ponderosior fuerit.

Subligacula chalybea, ut & è filo ferreo triplici volunt vestiri instructu, tam quoad scuta, quam quoad cingula.

Primus instructus è spissioris textus tela cannabina confici debet, quæ adsuetur tum laminis scuto sustinendo destinatis, tum cingulis; sed super memoratis laminis semper duplicari debet, ut sic scutum sive pulvillus, validius colligari atque uniri possit, ut & hamulus ferreus ipsi commode inhærere valeat in subligaculis è filo ferreo constructis.

In omnibus subligaculis hamulus cui ligula coriacea connectitur in media lamina pulvillo subjecta semper collocabitur; hamulus vero cujus mucro ad inferiora vergit commodior erit, & indusium non lacerabit.

Ligula coriacea cui oscilla inseruntur pro claudendo subligaculo, è corio constituetur valido ne facile elongetur & oscilla confertim inseri possint, ut sic constrictio pro libitu fiat, & prædicta oscilla nullatenus lacerentur.

Secundus instructus cinguli vagina erit, de qua mox verba feci, & quæ componitur è fascia linea oblique scissa & gossypio aut lana repleta, post subtus cingulum chalybeum à pulvillo ad oscilla usque consuta. Hic instructus efficit ut ferrum minime lædat, utque rubiginem non contrahat; ejus loco potest etiam substitui limbus panni lanei tenuioris.

Pulvillorum secundum instructum quod attinet, multipliciter in forma & materia variant; forma pendet ab ipso artificis judicio; superius pronunciavi minimos esse optimos, quod non ita intelligendum, quasi omnes eadem ratione efformari deberent, penes opificem erit magnitudinem aptam seligere.

Si necessarium fuerit pulvillum paulo longiorem conficere; adeo ut usque super os pubis ascendat, quia sc. intestini eruptio juxta illud os reperitur, parsque macrior est, oportet pulvillus sit mollior, ut prædictum os in illum pulvillum inseri queat, alias vacuum fiet in loco unde intestinum elabitur, & præterea si durior foret pulvillus hoc in casu, partem cui applicatur læderet; ut autem mollior evadat pulvillus replebitur lana carpta, aut gossypio.

Quando agitur de duriore conficiendo pulvillo, adhibebitur tomentum panneum malleo contritum, & in sacculum è largioris textus tela cannabina immissum, qui sic melius super lamina ferrea collocabitur; pilus equinus ad id etiam assumitur, qui medias inter lanam & tomentum occupat. Aliquando subere utor Hispanico pro ea quam in pulvillo expeto duritie, semper satis lanæ superimponendo, ejusque bene carptæ; ut pars præ pulvilli applicati duritie non atrophietur aut marcescat.

Pulvillus pro Epiplocele, in iis qui magnum gerunt abdomen debet brevissimus fieri & obtusus, atque

lus, atque in sui superiore parte depressus, lævis, & inversionis commodæ, ut abdomen non lædat, nec effectum impediat quem ab arcta compressione exquiris, hæc autem compressio per partem pulvilli inferiorem perficitur, quæ propterea magis aut minus tumebit, pro cavitate partis; observandum præterea quod semper pulvillus à parte coxæ magis turgere debeat, nec durior effici. Jam vero ut qui subligaculum gerit illud inferius quam par est applicare non valeat, in quo error committitur satis ordinarius, oportet pulvillum magis in transversum deducere, ut immediate infra os pubis semper remaneat, oportet præterea eum & molliorem & depressiorem à parte vasorum & penis efformare.

Tempus mihi deficeret si tot pulvillorum genera, quot herniæ pro sua varietate conficere cogunt describere tentarem, in hoc exercebitur artificis judicium, nec mirum si qui chirurgiæ genium non satis possident, nihil boni conficere queunt.

Medium omnium pulvillorum, cujuscunque demum fuerint formæ, durius esse debet, quam ejusdem limbi, excepto eo qui pro testiculo retento adhibetur: Necessarium autem est pulvillos laminis suis probe assuere, & postea corio ovillo albo, aut potius caprino tegere; eadem ratione tegitur cingulum, hicque tertius & ultimus instructus est; sutura vero tum pulvillorum, tum cingulorum, debet quantum potest à limbis eorumdem removeri, ut sic minime lædat.

Aliquando fascia quæ coxam complectatur opponitur, cujus aliud extremum cingulo appenditur, aliud vero hamulo scuti alligatur; hæc autem fascia ante ligulam coriaceam hamulo debet inseri, ut sic solvi nullatenus possit.

Et quandoquidem sæpissime de vita proximi agitur qui subligaculis in suis herniis confidit, eorum faber per propriam tenetur conscientiam, se in hoc negotio peritum reddere, & omnes herniarum species nosse, propterea si artem cui se vovet dilexerit, in eaque delectetur peritus evadet, sin minus in difficultates multas impinget.

Debet præterea & prudens admodum esse, & in arcano tegendo religiosus, ne scilicet morbi ipsi commissi divulgentur. Inopibus etiam in charitate succurret, ut sic ab omni parte conscientiæ satisfaciat; sed potissimum quod ipsi impossibile est nunquam pollicebitur. *Nicolaus Le Quin Tractatu Gallico de Herniis.*

De Operatione in Herniis alias incurabilibus.

Herniarum causis cognitis facile intelligi potest in quo consistat curationis ratio. Nam sicut causa herniæ est illius meatus apertio, seu per relaxationem, seu per rupturam: Ita curatio è contra eiusdem est meatus constrictio. Illa constrictio aliquando conficitur per pharmaciam, nempe per medicamenta astrictiora, vel consolidativa intus exteriusque adhibita, & per Zonam simul gestatam, cujus constrictione impeditur, partium prædictarum exitus extra illum meatum: quo impedit, paulatim meatus consolidatur, præsertim cum tantum est dilatatio, & non ruptura; vel cum ruptura est exigua, & in ætate puerili. Interdum non potest per medicamenta, & Zonam curari, præcipue cum hernia est non à dilatatione, sed à ruptura, & quidem ruptura magna, ac jam antiqua, & inveterata, tunc enim debet curari per Chirurgiam, nempe, vel sectione, vel ustione. Quando ergo per chirurgiam curatio instituitur, tota ratio eius in eo consistit, ut illi meatus, seu dilatatione seu ruptura dilatati constringantur. Constrictio illa non fit per sectionem, sed sectio præcedere debet, ut postea constrictio fieri possit. Constringi enim meatus non potest, nisi prius sectio ad meatum usque fiat, & talis per quam Chirurgus ad meatum illum possit pervenire, ac eum possit contingere, non enim potest meatum constringere, nisi prius ad eum manibus pervenire possit. Cum ad meatu mpertingi potest, tunc ille vel sutara, vel ustione, vel strictura fili aurei aut plumbei circumducti coarctatur, de quo latius

Interim ex præcedentibus & ex eo quod sectiones hæ sint periculosæ colligere potestis, quod non facile, neq; temere ad eas sit progrediendum. Nam si tantum sit hernia inguinis, quia illa tantum est incipiens, & incompleta, & tantum à dilatatione peritonæi, & quia ibi omentum vel intestinum facile per Zonam retrudi potest; ideo sectio non est necessaria, sed tantum per pharmaciam cura est instituenda, nec propter parvum malum debet tam periculosum remedium sustineri. Si etiam sit hernia scroti, & sit parva; sic ut omentum tantum incidat, non est opus sectione; omentum enim quia superius est ligatum, non potest procul, & non nisi exigua sui portione in scrotum incidere, & sic illa hernia non est tam magna, ut tantum remedium exigat. Si sit maior, sic ut intestinum in scrotum incidat, sitque parva & recens, & in juvenili ætate, primum tentanda est cura per medicamenta: nam sæpe adhuc curatur, & ideo non est temere ad sectionem veniendum. Sin inveterata sit, & tumor maximus, & pharmacia omnis frustra adhibita, tum primum de sectione debet cogitari: debet autem ea fieri in ætate juvenili, senilis non sufficit tanto remedio ferendo. Est porro hæc sectio omnis valde periculosa.

Verum quia plures ejus differentiæ sunt, illa quæ fit modo ordinario, quo utuntur Empirici, & circumforanei, hernias seceantes, quæ scilicet cum exsectione testiculi fit, omnium est periculosissima: quæ vero fit per punctum aureum vocatum, etsi etiam sit valde periculosa, minus tamen est periculosa præcedente. Insuper quæ fit modo empirico, exponit hominem periculo sterilitatis, propterea quod fiat cum ablatione unius testiculi: imo, si hernia sit ab utroque latere, & ab utroque latere fiat sectio, facit hominem absolute sterilem, quia talis fit cum ablatione utriusque testis. Punctum vero aureum non aufert testiculos, ideoque hoc periculum sterilitatis non adducit. Sed in universum modus Chirurgicæ curationis est triplex. Vnus fit per ustionem. Secundus est ordinrius, & communis empiricorum, & fit cum extractione testiculi; Tertius vocatur

pun-

punctum aureum, propterea, quod fiat cum filo aureo, meatum per quem intestina labuntur, constringente.

Primum modum curandi per ustionem docent, Avicenna, Rhasus, Nicolaus, Theodoricus, Guido, & alii. Alii autem faciunt eam cum cauterio actuali; alii potentiali, qui istum modum docent, dicunt, quod æger debeat collocari supinus, cruribus elevatis, capite depresso, quodque intestina, si exciderint, debeant intra abdomen reponi. Inde, inquiunt, debet aduri, super inguen cum cauteriis ignitis, usque ad os pubis, eo scilicet loco, per quem descendere solebant intestina: & debent fieri ustiones plurimæ, incipiendo à sursum, & descendendo per totam regionem rupturæ. Tunc curandum est, ut escharis collapsis loca usta consolidentur, & cicatrisentur, & ut æger interim 40. diebus maneat supinus, nec moveatur, ut interim intestina non descendant. Cavendum autem est, ne intestinum aliquod vim ignis sentiat, nec vasa quoque spermatica; nam sic virtus generandi læderetur, quamvis, inquiunt, ægre fieri possit, ut illa non offendantur. Theodoricus, & Guido, docent, ustionem facere cum potentiali composito. Ergo, ut prius, ægro & intestinis intra abdomen repositis, laxiorem productionis peritonæi partem, unaque spermatica vasa, & cremasterem musculum ad ischii os adducunt: tum reliquam processus peritonæi partem caustico medicamento validiore, vel debiliore, pro ratione corporis inurunt cauterio recta ad ossis perpendicula affixo ea parte, qua intestinum procidebat, escharam, quæ inde producetur, ad vivum usque divellunt. Tum aliud iterum causticum, eidem loco, quod ad os usque exurat apponunt, ut sic processus ille peritonæi aduratur, & in escharam convertatur, tum faciunt medicamentis, ut illa quoque eschara cadat, & in locum escharæ caro, & dura cicatrix, ac quasi callus succrescat. Nam cum processus ille peritonæi, per quem intestina incidere solebant, sic dura ac solida, ac callosa cicatrice est obstructus, fit, ut omentum, & intestina non possint amplius per ipsum in scrotum procidere. Hæ ergo ustiones ea ratione curant herniam, quatenus faciunt talem constructionem, & coarctationem in loco, in quem intestina relabuntur, ut deinceps delabi per illum non possint. Cardanus Comment. ad Aphor. 27. l. 6. Hippocr. ait; quod ille modus sit facilior, & securior quam secundus modus, qui ordinarius, & empiricus dicitur, quique cum exsectione testis fit, idemque etiam Paræus. Verum tamen monet, ut ista curandi ratio tunc non tentetur, quando ipsum omentum, vel intestina ipsi processui peritonæi tam fortiter sunt agglutinata, ut inde divelli, & in locum suum compelli non possint: tum enim intestina adustione illa tangerentur & violarentur, unde gravissima mala sequerentur. Secundo etiam, ut non tentetur, cum illius processus dilatatio est valde magna, aut cum processus est ruptus, & intestina magna mole excidunt, tunc enim ustio ad curandum non sufficeret; quia satis callosa cicatrix non esset tunc satis fortis ad illam molem incumbentem retinendam; sed effringeretur & malum recideret. Tertio, ut etiam non tentetur, cum ægri adhuc in illa ætate sunt, in qua non possunt se immotos continere, & excrementa alvi ad arbitrium tenere.

Secundus modus, qui est ordinarius, & empiricus, & per sectionem fit, describitur à P. Ægineta c. 65. lib. 6. & fit hoc modo. Æger debet collocari supinus super scamnum, aut mensam, cruribus divaricatis, & extensis, non autem curvatis. Tunc intestina reponi intra abdomen, & retrudi diligenter debent: & porro palpandum scil. ut testiculus sit in bursa, an vero sursum retractus. Si sit in bursa, erit tum atramento faciendum signum, pro vulnere faciendo; vulnus debet fieri in inguine lateris, tam alte aut paulo altius, ac est origo seu radix penis. Obliquum debet esse vulnus, longitudinis fere duorum digitorum transversorum. Eius signo sic atramento notato, debet cutis in illo signo apprehendi, & secundum latitudinem transversam plicari, sic ut plicatura, cum linea notata, faciat crucem, & unum extremum plicaturæ tenebit, & attollet famulus assistens; alterum extremum, quod versus se est, attollet sinistra manu, ipse Chirurgus. Tunc secundum, & supra lineam ipsam, cum rasorio facienda est sectio profunda. In vulnus debent immitti duo digiti anteriores, & cum iis vasa spermatica, & processus peritonæi, illa vasa cingens, apprehendi, & à partibus, quibus adhæret, violenter separari, & separata uno cum testiculo, ipsis vasis annexo extrahi per vulnus factum. Cum extracta sunt, & extra vulnus pendent, debent vasa spermatica, & processus peritonæi illa vasa circumdans, altiori, quo possunt loco, ligari serico filo valde longo, & tunc sub locum ligaturæ amputari: alii amputant tantum, alii extrema insuper adurunt. Quod amputatum est, nempe testiculus cum portione ista vasorum spermaticorum, & processus peritonæi, terræ mandari potest; quod supra amputationem est, ei corpori interius adhæret, reponi per vulnus intra abdomen debet: sic tamen, ut fili oblonga particula extra vulnus pendula maneat, quo postea possit filum extrahi, ut in corpore non remaneat. Per foramen potest olei aliquid rosati immitti: penicillum cum oleo rosato, & vitello ovi imponatur, & desuper stuppa cannabina cum unguento stiptico, & repellente, quod sanguinem compescat, & inflammationem arceat, ex albumine ovi, aceto, oleo rosato, bolo, sanguine draconis, &c. Ad latus vulneris lintea multiplicata, quasi pulvinare quoddam ad comprimenda labra vulneris adhibeantur. Postquam intra corpus, quod sub ligatura est computruit, & filum decidit, filum extrahendum est: extracto, vulnus curandum, claudendumque. Interea dum illud quod sub filo est, putrescit, & decidit, generatur caro & callus durus in locum vinculi decidentis, qui callus extremum processus peritonæi abscissum, per quem intestina incidebant, & seminarium vasorum, qui in illo processu sunt, occludit & obturat: Illo extremo sic per callum occluso non possint deinceps per illum processum intestina delabi in scrotum, & illa hernia est curata. Si hernia sit ab utroque latere, quod jam de uno latere dictum ab utroque esset faciendum.

Tertius modus vocatur aureum punctum. Vocatur autem sic, quod fiat stringendo cum filo aureo. Verum est notandum, quod sub hoc puncto aureo comprehendantur varii modi operationis, qui omnes vere & proprie non deberent dici punctum aureum, cum non fiunt omnes cum filo aureo, nec omnia fiunt eo modo, quo punctum aureum proprie dictum, tamen improprie vocentur punctum aureum, & comprehenduntur sub eo per hoc, quod fere sic fiant, sicuti punctum aureum, & in eo cum puncto aureo, ab empirico, & ordinario secandi modo differant. Hac lata puncti aurei appellatione sunt plures aurei puncti modi.

Primus est; Ægro supra mensam collocato & repositis si exciderint intestinis in inguine, supra radicem virgæ, fiat oblonga; & obliqua sectio, tam profunde, quo usque perveniatur ad vaginalem peritonæi processum. Cum jam ille processus detectus est, debet blande digito à circumjectis partibus paululum separari, ut sub illo aureum filum duci posset. Cum ergo separatus est, tenue aureum filum, crassitudinis aciculæ majoris, subcurvum, sub illum processum duci debet, duplici circumductione, circumducti extrema debent conjungi, ne dissolvantur. Itaque debent per tenacula ferrea sibi mutuo intorqueri; Ab intortis, quod superest debet abscindi, & extrema abscissionis ita deorsum, & ipsi nodo implicari, ut ipsa circumjectas partes non pungant. Hoc est proprie punctum aureum, quo hernia curatur hac ratione, quatenus scilicet per illud filum aureum circum vaginalem peritonæi processum circumductum, ipse processus qui antea laxatus, vel ruptus, & per quam propterea omentum, & intestina in scrotum incidebant, ita constringitur, ac coarctatur, ut illa deinceps non amplius per illum dilabi possint. Verum sciendum est quod cum per illum processum debeant naturaliter spermatica, & deferentia vasa transire, ideo illa astrictio per filum aureum non debet esse nimis arcta; nam si esset arcta nimis, tunc illa vasa ita comprimerentur, quod per ea non posset esse materiæ seminalis transitus; & sic homines imprimis fierent steriles. Deinde, si nimis arcta esset, testes qui sub loco constrictionis sunt, putrescerent, quia privarentur fluxu sanguinis alimentarii, & spiritu vitalis, qui per illa vasa spermatica ad testes debent pervenire. Debet ergo strictio cum filo aureo esse moderata, sed ita arcta, ut nec omenta, & intestina per illum meatum & circulum aureum circumductum ei prolabi possint, & tam laxa, ut commode, & sine coarctatione possint spermatica, & deferentia vasa per eum transire.

Notandum propterea, quod in pueris strictio debeat minor esse, quam in adultis, propterea quod pueri adhuc debent crescere, & ille processus & vasa spermatica debent in iis cum ætate adhuc ingrossari, Itaque debet in iis strictura proportionari crassitudini, quam processus, & vasa illa sunt habitura in adulta ætate, ut illa nimirum tunc adhuc sit satis libera, & laxa in ætate provecta, quia illa vasa non amplius crescunt. Potest strictio proportionari crassitudini processus qui tunc est. Filum illud aureum debet ibi toti vita relinqui, & vulnus factum debet desuper uniri, ac consolidari, modo quo alia vulnera curantur. Postmodum debet æger adhuc 20. diebus in lecto contineri, capite demisso, & pedibus in altum elevatis ne intestina contra partem sauciatam, & à sectione & contractione debilitatam incumbendo, eam dolore, & inflammatione afficiant. Capitur vero ad hanc rem filum aureum potius quam alterius metalli; quia illud est imprimis valde flexile, & ideo apprime accommodatum, ad ita facile intorquendum. Secundo illud metallum in corpore remanens non corrumpitur, nec putrescit, nec æruginem contrahit, nec maligna qualitate afficit partes, quas attingit. Et hic modus est proprie dictum punctum aureum.

Secundus modus puncti aurei est, qui fit fere eodem modo, sed non omnino. Differt autem à priore, quod filum, quod circumducitur, processus illo peritonæi, ad eum constringendum, non relinquatur in corpore, sed postea educitur, qui modus à nonnullis ideo est excogitatus, quod putent, malum esse in corpore metallum aliquod, aut aliquod naturæ nostræ heterogeneum, in corpore relinqui. Incidunt ergo in inguine, ut prius, & processui peritonæi seu vaginali, eo modo, quo antea dixi, uno tantum circulo circumducunt, virgulam plumbeam, & quantum sufficit coarctando intorquent, & simul extrema virgulæ, quæ longiora esse debent, extra vulnus propendere simul, tum ægrum in lecto continendo expectant, donec naturam in loco coarctato jam callum duxisse verisimile sit. Cum hoc factum arbitrantur, eam virgulam plumbeam iterum evolvunt, & explicant, & blande extrahunt, & tunc vulnus consolidant, & tunc hernia est curata, hac nempe ratione, quatenus in loco illius processus vaginalis; ubi coarctatio à filo plumbeo facta fuit, est à natura productus callus, qui facit quod ille processus non amplius possit dilatari, & intestina non amplius possint per illum (ultra locum, in quo callus generatus est) procidere, qui callus non potuisset à natura produci, si processus ita laxus permansisset, & si locus per circumductum ejusmodi plumbeum, filum non fuisset sic coarctatum. Ideo autem hi capiunt filum plumbeum, & non aureum, quia plumbeum adhuc est mollius, & ideo postea facilius extricatur & educitur, quam filum aureum. Verum mihi non placet iste modus, quia imprimis per hoc, quod filum aureum in corpore remaneat, nihil mali potest corpori inferri. Videmus enim aliquos globos plumbeos multos tota vita in corpore sine noxa gestare. Secundo, quia non puto per ejusmodi callum inductum sufficienter herniam curari posse, præcipue, si magna sit nam incumbens denuo magnum illud intestinorum pondus supra calli locum, eum facile effringere potest, neque videtur, quod callus semper tam fortis generabitur, qui possit incumbentibus intestinis resistere.

Est & tertius modus fili aurei, quem ex Paræo vobis tradam, & est talis. Incisio fiat super os pubis, in vulnus imponatur specillum simile cannulæ. Illud specillum per foramen sub peritonæi processu, secundum ipsius processus longitudinem impellatur, tum surrigendo specillum, divellatur eo dictus peritonæi processus, à vicinis, & fibris, nervosisque partibus, quibus adhærescit; mox & spermatica vasa à cremastere, testiculi musculo, abstrahente. Quibus perfectis, Chirurgus ipsum processum seorsum adducet, ejusque quantum laxius est, exiguis, & laxis tenaculis, fo-

raminibus in medio præviis, comprehendet, atque acu duplex filum ducente transadiget, proxime, prope vasa spermatica, & cremasterem testiculi musculum, sed & iterum ducenda erit acus in ejus, quod ex processu peritonæi restat medium, una cum prehensis vulneris labris: tum arcto modo filum restringendum est, & postea persecandum: sed ipsius tantum relinquendum est, quantum satis est, ut extrorsum à vulnere pendeat, illud filum putredine sensim ex se dissolvente, nec vero ante abstrahendum, quam natura in ligaturæ locum carnem generaverit & reposuerit, alias frustra omnis labor. Inde vulnus detergendum, carne implendum, & cicatrice obducendum, cujus callosa durities delapsuro iterum intestino, vel omento obstabit. Hunc modum illis verbis describit Paræus, & ponit in modos puncti aurei, quamvis proprie non sit punctum aureum, sed ab eo multum divisum. Ideo tantum nomine puncti aurei appellatur, quod fit sine exemptione testis, sic ut punctum aureum, & quia in hoc cum puncto aureo convenit, quod sicut in puncto aureo processus ille peritonæi, seu meatus vaginalis, in quem ruptum, vel laxatum, intestina, vel omentum incidit, mediante filo aureo circumducto, constringitur, & moderata strictione coarctatur. Ita in hac operatione, idem processus primo mediante sutura, postmodum vero callo in suturæ locum succedente arctior fit, qua arctione fit, ut omentum & intestina non amplius per eum incidere possint. Verum Paræus hunc modum valde obscure describit, & multa sunt, quæ vix intelligi possunt, nec ipse intelligo. Interim tamen notandum, quod hæc sit summa operationis, nempe ut in inguine oblonga sectio fiat, donec processus vaginalis detegatur: cum est detectus aliquo specillo seu instrumento à vicinis fibrosis partibus blande abducitur: cum est abductus, videatur quantum processus ille excidat in laxitate, vel ubinam sit ruptus, & quanto sit meatus ille laxior quam debeat esse, aut quam pro transitu spermaticorum vasorum requiretur, in quanta parte laxitatis excedit, in tanta debet mediante sutura conjungi, sic ut sufficiens tantum portio cavitatis restet, per quam libere spermatica vasa possint deferri, sic ut non sit totus processus suendus, aut sutura occludendus, sed tantum aliqua portio unius lateris ipsius. Ut autem sutura illa commode fiat, debent vasa spermatica, quæ in isto processu sunt, ad unum latus illius processus seu meatus abduci, nempe ad latus, quod non debet sui, ne ab acu pungatur. Tunc portio ejus quæ superflua est in laxitate debet apprehendi, & attolli, & conjuncta una cum labris vulneris, aut cum ipsa cute sui, cum filo serico, cujus extrema extra vulnus pendeant. Sutura facta, tam diu æger in lecto detinendus est, donec filum putrescat, tunc in locum suturæ à natura generatur callus. Callus, in illa portione superflua laxitatis ipsius processus productus fit, ut ille processus sit strictior, & quia sic strictior factus est, fit, ut omentum, & intestina per ipsum non possint amplius decidere, callo nempe transitum impediente. Verum quia totus processus non est sic sutura, nec callo occlusus, sed tantum portio ejus, quæ erat superflua in laxitate, aliqua vero portio ejus est relicta, & non consuta, & consequenter, in ea callus non est factus, ideo per illam possunt vasa spermatica libere transire; Ergo per hanc operationem hoc efficitur, ut ille processus peritonæi pro tanta solum portione restringatur, pro quanta erit nimis laxus, quo fit, ut hernia curetur, & tamen seminariis vasis transitus non impediatur, atq; hi sunt aurei puncti, & omnium herniæ sectionum modi.

Modo quæritur, an hæ sectiones in viris tantum, an vero etiam in mulieribus locum habeant? Videtur enim, quod non habeant locum in mulieribus; quia hæ sectiones maxime sunt pro hernia scroti, ea autem mulieres non laborant. Secundo omnes hæ sectiones sunt pro hernia, quæ fit ab omento, & intestinis incidentibus per illa foramina peritonæi, quæ sunt in inguinibus, per quæ vasa spermatica extra peritonæum ad testes extra corpus pendentes feruntur, & sic tantum pro illa hernia, quæ fit ab omento & intestinis in processum illum peritonæi à dictis foraminibus ortum habentem, & usque in scrotum, per modum canalis pendentem, decidentibus: atque illa foramina peritonæi, & illi processus non videntur in mulieribus esse; Ergo illis hæ sectiones, quæ pro tali hernia fiunt, non videntur locum habere. Quod talis processus, & foramina in mulieribus non sint, docet Vesalius c. 2. l. 5. & ratio videtur suffragari; quia illi processus, & illa foramina tantum sunt facta, ut per eos deducantur vasa spermatica, extra corpus ad testes, quia testes earum interius latent, ergo non sunt in iis foramina illa aut illi processus. Verum respondeo Vesalium in eo errasse, ut Colimbus, Fallopius aliique notaverunt, quod mirum est, & ideo dico in mulieribus etiam illa foramina & illos processus peritonæi esse, verum per illos non deferuntur in eis nec spermatica, nec deferentia vasa ad testes, sed uteri musculi, cremasteres, & sic quia illos processus & foramina etiam habeat, ideo quoque in eis hernia illa, quæ ab omento & intestinis, in illos processus delabentibus, fit, contingit, quæ hernia in illis, tamen non est hernia scroti, cum scrotum non habeant, sed tantum hernia inguinis. Verum cum hernia inguinis eodem modo, & ab eadem causa fiat qua hernia scroti, & hæ sectiones etiam in hernia inguinis locum habeant, etiam hæ sectiones in curandis mulierum herniis locum habent. *Thom Frenus de præcipuis Artis Chirurg. controversiis.*

Consultationes.

De dolore colico & hernia Bubonocele. Pro Illustrissima Matrona Angla.

Dolor ille, quem à multis annis in ventre inferiori non raro recurrentem patitur Nobilis Matrona cum nausea, vomitu, & adstrictione alvi, quique aliquando annexum habet tumorem insignem in inguine dextro, eumque valdè dolorificum, & insensibiliter evanescentem, alius non est, quàm colicus, excitatus à flatibus in intestino colo conclusis, & præsertim in regione ejus dextra, ubi facta peritonæi dilatatione, ex prolapsu intestini ilei, illa herniæ spuriæ species suboritur, quam Græci bubonocelen vocant, quæque plurimum sponte subsidet, ubi primum flatu discusso, inopinate recurrit in naturalem situm. Flatulentaq; hæc materia elevatur ab humoribus crudis in ventriculo genitis, imbecilliore redditocum ob errores præteritos, tum & magis ob intemperiem frigidam, & humidam ejusdem ventriculi.

Affectus

Affectus equidem curatu difficillimus, cum sit antiquus, & confirmatus, qui propterea, nisi congruis remediis occurratur, vel in siccum hydropem desinet, ex Hippocrate 4. Aph. 11. vel in paralysin, populis Transmontanis familiarem: vel Iliacam saltem passionem, propter nauseam, & vomitum in dies graviores factos. Propterea medicis præsidiis tentandus est.

Ac proinde præmissa universali corporis expiatione blandioribus lenientibus, præparantibus, & purgantibus, attenuandi, incidendi, & evacuandi sunt humores peccantes, flatus discutiendi, ventriculusque & intestina calefacientibus sunt corroboranda variis præsidiorum materiis.

Propterea si nobilis Patiens hæserit Patavii, totum hoc negotium absolvetur aquis Thermalibus, primo Tettutianis, cum melle rof. sol. triduum assumptis. Hæ etenim sua salsedine attenuabunt, detergent, & evacuabunt materiam peccantem per alvum; deinde aquarum Aponitanarum intervo usu, & externo forma stillicidii administratis: discutient enim flatus, & intemperiem corrigent, calefaciendo, & exsiccando. Quod si alibi locorum curæ Medicorum se commiserit, tunc decoctum præscribi poterit, præmissa semper universali purgatione, quod parabitur ex sassafras, tamarisco, seminibus fœniculi, dauci, in jure Galli junioris saliti, præmisso bolo ex castoreo, & Theriaca antiqua, interpositis clysteribus attenuantibus, detergentibus, & discussoriis ex melle rof. sol. electuario de benedicta laxativa & de baccis lauri, cum oleo rutaceo, & decoctione cymini, fœniculi, utriusque centaurii, & florum chamæmeli. Conferet quoque summopere familiaris usus specierum Hieræ simplicis, & aliquando Hieræ Archigenis, cum castoreo, additis à proprietate juvantibus; qualia sunt intestinum lupi exsiccatum, avis Galerita usta, & in cinerem redacta, ad unc. 1. hac tamen lege, ut ligaturam sibi curet parari herniosis familiarem, cujus beneficio compressa continuo detineatur dextra pars, quæ intumescere solet, metu scil. volvuli, à quo præsens imminet periculum, si ea solutus fuerit. Pro ventriculi corroboratione vinum generosum absinthites, ex usu erit; vel aqua vitæ, cum cinnamomo, si buccella panis prædictis intincta summo mane singulis diebus sumatur, mensis circiter spatio, & alvus continue lubrica servetur pilulis de hiera cum agarico.

Cæterum congrua victus ratio instituatur, omissis placentis, lacticiniis, limacibus, piscibus palustribus, aliisque omnibus flatulentis, & crassi succi, ac difficilis coctionis. *Bened. Silvaticus Consil. & Respons. Med. Cent. iij.*

De Hernia Sarcocele, Tumore lienis, & Dolore ad os Coccygis. Pro spectabili Mercatore Vicentino.

Ingenuus juvenis, temperamenti calidi & sicci, gracilis, octo abhinc annis gonorhœa virulenta menses aliquot laboravit, qua alexipharmaco extincta, aliud nullum symptoma Gallicum ab eo tempore se prodidit. Nunc vero de tribus aliis potissimum affectibus sunt querelæ; tumore scil. insigni, duro, & doloris experte in hypochondrio sinistro, in totum fere interiorem ventrem diffuso; & quidem a pueritia, minori licet. Huic accessit ab anno tumor alius in inguine sinistro, propagatus ad sinistrum testiculum, qui sensim ad magnitudinem ovi anserini excrevit, dolorificus antehac, attollens se, & subsidens, nunc vero consistens, durus & doloris expers. Accedit & dolor ab eo tempore in articulo sinistri femoris, mox circa os coccygis, ubi nunc continuo eum torquet, licet non acutus, invalescens tamen per vices, cum potissimum equo vehi cogitur. Copiosa insuper illi fuit elapsis annis expuitio materiæ aquosæ, quæ nunc omnino fere nulla est.

Ex enarratis constat tres esse partes affectas, lienem scil. Testiculum sinistrum, & postremas dorsi vertebras; quarum & varii sunt affectus. Lien siquidem afficitur tumore scirrhoso, duro, doloris experte, ad inferiora declivi, amplo, totum fere abdomen obsidente; qui sicuti in pueritia ortum habuit ab heterogenea materia, crassa, & melancholica, à febre diuturna superstite, & cruditate puerilibus annis coacervata, ob errores in victu, ita nunc sensim adeo excrevit, & continuo hujusmodi materiæ pituitosæ & melancholicæ confluxu, ut in scirrhum verum, & legitimum obduruerit; ad inferiora declivem; ea mole, & amplitudine quaqua versum, cujus Hipp. meminit 2. in 6. Epid. 34. his verbis: Lien durus, non superius, sed inferius, latus crassus; ut propterea non comprimat diaphragma, ac proinde respirationem gravem non efficiat, sed decumbente saltem ægro in latus dextrum, pondere quodam sit molestus. Testem autem sinistrum tumor occupat carnosus, sarcocele à Græcis nuncupatus; vel potius scirrhosus, amplus, ad lividum vergens, ab hujusmodi materiæ heterogeneæ decubitu, per vasa spermatica ad partem affectam; præpollente tamen melancholia, ut ex colore patet. Dolor tandem primo ischiadicus, mox circa extremam spinam, seu os coccygis, causam habet catarrhum, à capite calido & humido ad partem affectam ex frequentibus equitationibus imbecilliorem decumbentem: qua prorsus ratione Hipp. ævo Scythis contigit, ischiadi opportunis ob equitationem continuam.

Quorum affectuum alii sunt incurabiles, alii difficillimæ curationis; quam alii admittere possunt. Incurabilis est scirrhus lienis; quippe antiquus, & confirmatus, ex Gal. 2. ad Glauc. 4. ubi de Scirrho; nec solum incurabilis, sed hydropem quinetiam minatur, ob consensum jecoris. Non tamen propterea medicis præsidiis supersedendum, præservationis saltem causa.

Præmissa itaque totius evacuatione, usurpanda erunt emollientia, attenuantia, & sensibiliter, ac insensibiliter evacuantia, quorum ope dolori quinetiam coccygis occurremus, ratione autem sarcoceles putrefacientibus, & sensibiliter evacuantibus utemur.

Leniatur autem alvus melle rof. sol. & syrup. de polypodio composito, cum decoct. cord. Præparentur humores oxymel. simpl. syr. de pomis, & melle rof. simplici, cum decoct. betonicæ, fumariæ, lupulorum, agrimoniæ, & cerrach.

cum decoct. betonicæ, fumariæ, lupulorum, agrimoniæ, & cetrach. Purgentur demum agarico, trochisc. & foliis sennæ, in decoct. cord. infusis, addito syr. de polyp. compos. & manna electa. Repetatur mox ipsorum præparatio validioribus attenuantibus, incidentibus, & emollientibus, puta syr. de fumaria composito, de pomis composito; & byzantino cum aceto, addita decoct. radicum fœniculi, asparagi, corticum radicum capparum, & althææ, præmissa drachm. 1. ammoniaci, boli forma, assumpto alternis diebus decocto epithymi Mesues loco prædictæ decoctionis: quorum usus erit novem dies. Repetatur tandem purgatio extracto hellebori nigri, confect. hamech. & elect. lenitivo. A quibus jus galli antiqui ex usu erit, sic paratum.

℞. Corticum radicum capparum, fraxini, asparagi, an. unc. sem. radicum enulæ campanæ, fœniculi, malvæ, an. unc. 1. seminum cardui sancti, cymini an unc. ij. incidantur incidenda, contundantur contundenda, & immittantur in ventrem galli antiqui, flagellati, deplumis, & evisceratі, atque decoquantut in libris xij. aquæ fontis, & tribus libris aceti, lento igne, ad perfectissimam carnis cocturam, addito splene bovis minutim conciso; factaque forti expressione, subsidentia, & colatura servetur ad usum; cujus singulis matutinis horis assumantur unc. v. cum decem guttulis chalybis potabilis, præmissa drach. 1. ammoniaci, viginti dierum spatio; usurpatis interim clysteribus ex crassiori juris parte, cum mel. ros. solut. oleo chamæmel. & decoct. carminativa; præscripto exercitio duabus horis ab epoto jure; atque applicato lieni cerato ex ammoniaco dissoluto cum aceto & succo herbæ reginæ. Cui parti apprime quinetiam conferrent luta emollientia Divi Bartholomæi in agro nostro; vel stillicidium ex oleis chamæmel. anethino, liliorum, rutaceo, & laurino. Ceratum Rhasis item 7. ad Almansorem, omnibus scirrhis accommodatissimum, sic paratum.

℞. Bdellii, ammoniaci, galbani an. partes æquales, oleo irino, vel liliorum alb. emolliantur in mortario calido; deinde adde mucilag. fœnugr. & sem. lini. ad pondus omnium; atque additis caricis pinguibus. fiat emplastrum, applicandum, præmisso fomento ex decocto malvæ, althææ, & fœnugræci. Sudor autem tunc temporis excitari poterit in aquis Thermalibus, vel in fovea, ad umbilicum, usquequo discutiatur materia in extrema spina impacta; applicato deinde cerato sacro, vel citrino. Sarcocele item difficillimæ est curationis; ad quam nihilominus commendatur quammaxime à Matthiolo radix ononidis pluribus mensibus assumpta: cui tamen præferrem curationem Hieron. Fabricii ab Aquapendente libro primo sui Pentateuchi Chirurgici cap. 29. ut nempe altius patefiat tumor in medio scroto dummodo herniæ carnosæ accedat aquosa, ac deinde immittatur turunda longior, medicamento pus movente oblita, puta Terebinthina, cum thure, ovi vitello, & butyro; superaddito emplastro de meliloto, vel diachylo, primo cum butyro, seu de pinguedinibus, mox ex gummi parato, idque plures dies, absque puris evacuatione. Hoc enim citabit pus, atque ita per partes putrescet tota caro superflua; exsiccata deinde, & cicatrice obducta parte. Quod si non observatur aqua, supersedendum erit operatione illa; siquidem sive sectio fiat, sive non, res periculi plena est, solaque perforatio gangrænam inducere posset. Atque hæc in medium attuli, patientis precibus potius satisfacturus, quàm de ægri valetudine ulla spe concepta. *Idem ibidem.*

De Hernia Enterocele. Pro Nobili Raguseo.

Tumor ille, quo laborat generosus patiens in inguine dextro sex abhinc mensibus, alius non est, quàm qui à Græcis κήλη, à Latinis vere Hernia nuncupatur. Cujus cum plures assignentur differentiæ, epiplocele scil. sarcocele, hydrocele, physocele, & enterocele; pro varia materia eam producente, omento scil. descendente; vel carne adnata, aqua, flatu, vel intestinis ipsis; hæc species enterocele censenda est, cujus utpote causa est intestinum extra peritonæum protuberans, in eam quandoque molem, quæ manum compressam æquet. Est tamen imperfecta; intestino non prolabente in testem, vel scrotum sed hærente in inguine: quo nomine à parte affecta, bubonocele nuncupanda venit.

Cujus causa est flatuum, & humorum pituitosorum copia; qui antehac in ventriculo coacervati, ejus dolorem, nauseam, & vomitum induxerunt; atque ad intestina, & peritonæum decumbentes, hoc potissimum dilatato, & laxato, illapsum intestinum ad inguina, tumorem in eo excitarunt, dolorificum, ac sensim increscentem ex incessu; quod sane non contingeret, ex rupto peritoneo; quinimo intestinum confertim protuberaret, nec tanto cum dolore. Causæ autem producentes hanc pituitæ copiam, sunt errores in victus ratione; cum decubitu materiæ catarrhalis à cerebro humido ad ventriculum: quæ vero eandem in ventriculo genitam ad intestina propellunt, sunt magno conamine concitatus vomitus, exercitia violenta, & equitationes, verbo, errores externi.

Quæ cum ita se habeant, quoad essentiam, & causas præsentis affectus, si de prognostico sermo sit; quanquam herniæ in adultis plerumque sint insanabiles; de hoc tamen in bona spe sumus; nec difficili forsan negotio, cum quia recens est, tum quia imperfecta, tum potissimum, quia levis, tumore vix conspicuo, compresso licet spiritu, tussi excitata, & adhibitis aliis conatibus, soluto cingulo; quanquam sensim excrescat, cum aliquandiu ambulavit discinctus patiens.

Curatio autem in eo sita est, ut exsiccetur, adstringatur, & roboretur pars affecta; prohibeatur generatio materiæ, quæ illuc confluit; vel saltem alio divertatur; præmissa totius cura, exigente usu: quod ideo monemus, quia fortè abunde fuerint externa, & quidem leviora præsidia.

Nunc itaque sufficiet, ex medicis præsidiis, ceratum adstringens magistrale, quod hic prostat, parti affectæ applicatum, obductum membranæ pergamenæ, aceto imbutæ, superaddito cingulo, continuo gestando, cum accommodata victus ratione, in qua abstineat ab omnibus cibis flatulentis, & crassi succi, quales sunt placentæ, legumina, brassicæ, lactaria, rapæ, castaneæ,

carnes bubulæ, liporinæ, suillæ recentes. Vina item crassæ substantiæ, & recentia, aliaque hujusmodi. Quorum loco pane utatur condito fœniculo, aniso; & carnibus avicularum, cum cydoniis, vel diacydonite vel saccharo rosaceo, aut aliis hujus census cibis facultate adstringente pollentibus; idque duos, aut tres menses. Quod si eo temporis spatio non cedat affectus, ad generosiora deveniendum erit, deprompta ex Chirurgia, & Pharmacia, una cum recta victus ratione præscripta.

In Chirurgicis convenit missio sanguinis ex vena communi dextri brachii; commendatur & fonticulus in brachio sinistro; & si postulet usus, inustio partis affectæ, ad validiorem ejus exsiccationem, & roborationem; quod tamen fiet irritis cæteris.

Ex Pharmacia, leniatur alvus electuario lenitivo, & speciebus hieræ; vel melle rosaceo solutivo, & manna. Præparentur humores syrupo de mentha, de betonica, & oxymelite simplici; cum decoctione betonicæ, menthæ, seminum citri, & cichorii Purgabitur demum corpus medicamento jam præscripto; addita portiuncula agarici, & rhabarbari. A quibus utatur quatuor dies aquis Tetutianis, ad libras quinque, cum melle rosaceo solutivo. His peractis, localibus internis & externis demum locus erit. Interna erunt decoctum ex radice chinæ, salsa, & visco quercino, addito polygono, consolida minore, baccis myrti, & cupressi, cum foliis plantaginis, rosarum, & portulacæ. cujus usus erit semel in die, horis matutinis, ad uncias sex; præmisso bolo ex pulvere radicis sigilli Salomonis, valerianæ, mumiæ, & chalybe, tenuissime pulverizato, exceptis syrupo de ribes, citato tunc sudore, cum tenui victus ratione, & continuo decubitu triginta & quadraginta dies. Extrinsecus parti affectæ applicabitur ceratum ex mastiche, olibano, sarcocolla, sanguine draconis, mumia, & limatura chalybis, cum aceto, & albumine ovorum, commendatque Ætius globulum ex charta pergamena in aceto macerata, supra partem affectam continuo gestatum, non neglectis caputpurgiis, & lotionibus capitis ex lixivio uulci alterato betonica, agarico, salsa, stæchade, roremarino, rosis, & corticibus granatorum.

Victus autem ratio sit superius præscripta. Quibus ad amussim observatis à Nobili Patiente, pristinam valetudinem ipsi spondere audemus. *Idem ibidem.*

Hernia ad Scrotum.

Adolescens XX. annorum, temperamenti sanguineo phlegmatici, habitus mollioris, cum ante biennium motu fortius agitatus & certatim fossam quandam transiliendo fatigatus esset, domum redux sentit in scroto præter gemellos testes tumorem quendam indolentem sinistro latere emergere, primum magnitudine castaneæ, hinc nucis, imo pomi majoris, cum movendi imminuta promptitudine; inde studiis diligentius operam navans rarius motu digessit torporem, cibis delectatus grossioribus, brassicæ, carnium infumatarum, suillarum, leguminum, esu, sola fere cerevisia contentus, neque corpus æque à frigore defendens, sentit à pastu ordinarie dolorem gravativum abdominis, ad locum affectum protensum, inde vero tumor magis inflatur, cum tensione & torminibus circa umbilicum, nec prius conquiescit, quam desidendi vel decumbendi quoque detur occasio. Dolores iidem à diutina sessione & corporis inclinatione ac motu continuato, tumor vero ab iracundia vel motu increscit. Decubitu longiori retrocedit & quasi nullus est tumor, extraverso vero & caput quandoque dolet. Petit Consilium.

Affectus, historia præsenti expressus hernia est, generali nomine, speciali ὀσχεοκήλη, seu hernia scroti dicta, quo ipso ab omnibus aliis speciebus, sub uno eodemque genere militantibus, distinguitur. Uti enim hernia, si latinam significationem, Sabinis debitam spectemus, durum, monticulosum & asperum notat, proprie hoc loco in abdomine, improprie paulo in gutture ubi bronchocele audit; sin originem græcam, ubi ramum significat, qui videtur quasi protrusus à trunco, res eodem recidit, Sic utrumque hic visitur, tumor durus idemque aliunde velut ramus protensus.

Omnis hernia nomē sortitur vel à subjecto, vel prædicato, quo ipso differentiæ specificæ consurgunt & internoscuntur statim. In nostro casu dum herniā scroti, seu enterocelen dicimus, ab hernia quacunque locali alia, non minus ac duritiei modis, ut hernia aquosa, carnosa flatulenta, varicosa, vel ipso nomine fit distinctio. Id vero ut ad diagnosin sic ad prognosin & curationem quoque multum facit. Ruptura adest, ut Latine alias vocatur ruptura vel in continuitate, vel in contiguitate, ruptura partis continentis. προαιρέσεως

Demonstrant id ex usitatis fontibus signorum I. Essentialiter Inhærens, seu παθογνωμονικόν, tumor mentiri nescius, isq; in se indolens & subitaneus, testibus gemellis contra in sinistro latere exortus, de quo & hic valet, ubi tumor, ubi dolor, ibi morbus.

II. Essentialiter Consequentia symptomata idem confirmant, potissimum ex actionibus læsis animalibus, seu imminutam movendi promptitudinem, seu dolorem gravativum ordinarie à pastu ad locum affectum protensum, seu abdominis circa umbilicum tensionem & tristem sensum seu hoc ipsum quoque circa meninges capitis expressum spectemus.

III. Causæ prægressæ subscribunt, & præ aliis quidem saltus intempestive institutus & frequentatus, cibi item grossiores & flatulenti, corporis infrigidatio & alia.

IV. Similitudo denique ultimum momentum addit, cum tali modo decumbentes hoc affectu laborare lippis quoque & tonsoribus notum sit.

Subjectum hujus morbi est scrotum, si quidem herniam ut tumorem reputemus, illud enim intumescit, sicque in dimensionibus suis augetur.

Est vero & scrotum de horum genere, quæ ut membranea contrahi & corrugari, hinc & dilatari possunt & solent pro modulo contentorum, qualia quidem in aliis varia occurrunt.

Sin subjectum causæ lustrare velimus, non aliud nisi peritoneum est, ejusque processus lateralis sinister. Proprie enim scrotum est subjectum recipiens, cum tumor præsertim hic non sit immanens, non substantiæ scroti proprius, sed transiens, pro illapsu ponderis vel egressu.

Subjectum Adæquatum sunt intestina, proxime huic loco accumbentia & ordinarie ab his thermopylis seclusa, uti per mechanicam quoque notum est, per minores canales concedi pos-

se transitum peculiarem, citra a dapertam portam pro aliis quibuscunque. Hic verò ampliori concesso spatio & pondere suo prolabuntur mox intestina, & eodem ampliant sibi spatium, cumprimis & ipsa magis expansa. Nominandum speciatim hinc Ileum, quod & longissimum omnium & lubricitate magis ad exitum pronum, &, quod palmarium est, accubans huic regioni; Illud enim excidit, citra ullam προφάσιν quod proximum est trudentibus vel cedentibus quoque superioribus.

Locus illapsus est processus peritonæi, quo mediante communicant cum reliquo corpore testes, extra mœnia quasi publica locati, latis illuc vasis spermaticis, & communi speciei usui & proprio testium dicatis. Processus concedit transitum his canalibus, & per accidens quoque intestinis, facta hic locorum læsione particulari, nam & plura alia dantur, & vicina inguina etiam in viris, ut ut minus constantem, ramicem sustinent non raro.

Causa Immediata est decubitus intestinorum laudatus. Omnes siquidem tumores materiale aliquod possident, quod velut causa continens eosdem fovet, quo ablato tolluntur & ipsi. Triplex talis cum esse possit materia, fluida, vaporosa & solida, posterior hoc loco accusanda est. Omnis enim tumor fovetur ab intestino huc delabente, idque immediate.

Causa mediata Proximior est extensio peritonæi inæqualis Extensionem vocamus, ut sic satis fiat, quibus vel ruptura, vel relaxatio saltim in causa videtur. Medium hoc aliquod est præcipue morbo conveniens, & utrumque complectens. Nunquam fieri potest hernia citra extensionem, eamque inæqualem. Inæqualitas hæc proprie herniam facit, seu protuberantiam; in statu enim naturali æqualiter obtensum undique visceribus infimi ventris visitur. Sique extensio fiat æqualis, sive per ætatem, exemplo adultorum, seu per morbum, exemplo hydropicorum, nulla fit hernia. Ubicunque vero inæqualitas talis manifesta in extensione observatur, ibi eadem sedem suam figit, seu in umbilico, seu inguine, seu scroto, seu aliis quoque his illis abdominis partibus.

Ita enim cessat munus hoc non infimum membranæ hujus, quo integumentum est proprium intestinorum, quod cum musculis cum habeat commune, nec illi extra omnem culpam sunt, tum aliis in spatiis definitis, relaxatis & inæqualiter tensis eorundem fibris membraneis, tum in nostro casu inferius ad pubem, quorsum & moles intestinorum reclinat magis, & ad exitum vasorum pro testibus perforatio datur.

Liceat speciatim & musculos laudare pyramidales, quorum usus inter alia est firmare basin musculorum reliquorum & una processus peritonæi, ne tam facile laxentur vel tendantur.

Inæqualis extensio est tum absolute & considerata in se, ibi facta, quorsum tendentium aliorum vis incubuit, tum respective. Consentiunt enim in hoc anatomici & medici, disrumpi in hernia hacce tunicam peritonæi interiorem, externam vero duntaxat relaxari Id omne extensio inæqualis supplet & comprehendit.

Mediatæ causæ Remotioris titulum subeunt omnia ea, quæ quocunque modo extensioni huic & consequenti prolapsui velificantur.

Temperamentum ægri est sanguineo phlegmaticum, cumulandis in corpore cruditatibus & impuritatibus serosis aptum natum, & ob id laxitati maxime conveniens; imo partium dispositio mollior & rarior, concurrente causa violenta, multum ad herniam confert.

Ætas consentit ipsa. Cum omnis ætas huic malo obnoxia esse potest, tum plerumque tamen infantes & pueri, ob texturam teneriorem, adolescentes & juvenes, ob licentiosam vitam & errores diatæ varios, frequentius sibi hoc malum accersunt, quod damno suo expertus non minus est æger.

Habitus corporis mollior fibrarum minus robur ac carnium denotat, unde facilior labes oboriri potest tam ab interna humorum indispositione, quam ab externis injuriis.

Ex non naturalibus accusandus venit Aër frigidus, qui & in genere calorem concentrando, poros cutis occludendo, insensibilem transpirationem prohibendo, sanguinem coagulando, ad varios morbos corpus nostrum disponere potest, & speciatim intestinorum tono infestus est. Inde flatuum proventus largissimus, ac exacerbatio ramicis. Videas sæpe quiete degere herniosos, simul vero aeri frigido exponunt corpus, accendi dolorum faces, tumorem augeri, indurari, incarcerari, & minitari symptomata horrenda alia. Idem longe magis fit in mollioribus, & tali temperamento, quali æger noster gaudet.

Cibus & Potus magnum morbo addidere momentum. Cibi grossiores negotium facessunt archeo, minus obsequi calori & menstruo, διάκρισιν & σύγκρισιν instituentibus, nec prompte evolvuntur inde alimentariæ particulæ, multum vero accumulantur recrementitiæ. Pinguia, oleracea, leguminosa ex hoc censu sunt præcipua, flatibus producendis & gravandis intestinis aptissima. Ex hoc vero inflata magis, non contenta spatio pristino, novum affectant, extuberant, prolabuntur magis, ut contra ea si tenuata subsidant, contrahi amant magis secumque habitare.

Intemperantia ergo in victu cum morborum genitrix, tum nutrix amplissima etiam herniosis onerosa evadit & lugubris. Excessus omnis talis cruditates, cruditates flatus, flatus tumores, tumores dolores, singula obstructiones & iliacam passionem facile inducunt herniosis. Accedit, quod non vini potu cruditates corrigere sategit roborando sic calore, & præpediendis flatibus. Tacemus inde quoque laxari magis debuisse vincula.

Motus gemino vitio accusandus venit, excessu & defectu. In promptu affectus causa est potissima, motus excessus, saltus citatus cum violentia conjunctus, quando certatim fossam transilivit plus vice simplici, Vix ex adultis centesimus corripitur hernia, citra hunc tyrannum, ut in tenellis quoque motus sui generis tensivi clamorum, & jectigationum malum hoc toto die producunt. Motus talis herniæ autor est, tum nisu illo summo & conatu ad impellendum, unde diaphragmatis socium & sororians peritonæum intenditur magis, facileque laxationem vel rupturam subit; tum pondere & mole corporis gravioris, quod ut non labatur, periculosam tamen quoad hoc concussionem patitur utrobiq; conjuncto violento impetu, quod sensus ipse testatur, si de loco in locum fossam transiliat quis, vel transilientem videat, abdomine non cincto vel munito

munito, nec corpore alias satis robusto, vel jam dum disposito.

In defectu peccavit vita illa desentaria, quæ affectui quadrat quidem, eo ipso vero excernenda congerit magis, unde nec alvus respondet debite, nec transpirant fuligines serosæ, sed in glandulis stagnant & cum massa sanguinea remiscentur.

Imo violentia hæc motui conjuncta ad Causarum Præternaturalium classem referri meretur, siquidem actu lædit magis, unde ut tussis, sternutationes vehementes, vomitus contumaces, alvi obstructiones pertinaces indeque orti nisus coactivi, ac plura alia hujus mali certissimi autores esse solent; sic & ipsa hæc exterior violentia.

A talismodi ac tantis causis productus affectus, non mirandum est, quod sequentia post se traxerit symptomata, quæ signorum loco habita explicanda nunc veniunt.

1. Tumor subitaneus scroti notat præternaturale contentum ibidem non natum, sed factum, & speciatim ab ingressu intestini per processum peritonæi.

2. Tumor sensim increscens primum castaneæ, hinc nucis juglandis, postmodum pomi majoris magnitudinem assequens, magis magisque dilatatum ductu ab incumbente volumine intestinorum, sicque perruptum magis parietem designat.

3. Tumor indolens est, ob æqualitatem læsionis majorem Dolor enim omnis inæqualitatem tensionis sequitur & conjunctam habet; quæ si adsit, minor vel nullus est, quod per solutionem continui in fieri & facto explicant communiter.

4. Imminuta movendi promptitudo adest, partim ob articulationem femoris per accidens ac consensum læsam, ob tumorem sensim sensimque adauctum, qui illam impedit; partim ob tensionem majorem, motu & decubitu gravium inductam, utrobique spiritibus magis fatigatis & impeditis.

5. Sentit ordinarie à pastu dolorem gravativum abdominis, ad locum affectum protensum, ob chyli evolutionem & διάκρισιν & σύγκρισιν impeditam, indeque consurgentes flatus dolorificos. Hi cum per intestinorum glomeramina volvantur, ad locum affectum tanquam debiliorem pertingunt quoque, ibidemque magis exprimuntur.

6. Tumoris inflatio major, cum tensione & torminibus circa umbilicum, debetur inflationi & obstructioni; flatus enim adaucti distendunt colon & reliqua intestina, distenta majus occupant spatium & pondere suo fibras intestinales velliant, sicque tanquam in centro tristem sensum exprimunt.

7. Desidenti vel decumbenti levamen contingit, cessante sic tendente pondere, & motu peristaltico seu circumpressorio liberius succedente. Imo tumor sic recedit omnino, concesso ob positum hunc corporis pristino spatio, quo pondus extraversum remeat.

8. Exacerbatio dolorum à diutina sessione, corporis inclinatione ac motu continuato, eidem adscribenda tensioni, ponderi ac communioni intestinorum minus æquabili.

9. Tumor à motu animi & corporis increscit. Illud ob spiritus efferatos, viis minus patulis facilius in motu ordinario turbatis; hoc ob pondus gravius laudatum intestinorum, cœteroqui lubricorum, successione illa magis delabentium.

10. Caput quandoque dolet, extraverso tumore, tum ob vapores illos peregrinos, inæqualiter membranas afficientes, tum consensum nervorum sexti paris.

Perlustrata nunc insigni hac symptomatum turma, ad Prognosin faciendus est accessus.

In se affectus hic nullum lethalitatis metum incutit, intestinis loco quidem alieno exceptis, ibidem tamen non extra archei forum & imperium penitus latis. Ast in adultis rebellis est, & sæpe incurabilis, ob indolentiam neglitiam neglectus, sicque productus utplurimum, præcipue vero ob interpositam hiatui remoram naturalem, ipsis vasis genitalibus ad testes euntibus, & intestino illic p.n. inhærente. Nulla vero solutio continui curari potest, nisi extranea quævis unitionem impedientia tollantur vel removeantur. Accedit diuturniore mora velut callus quidam, sive consuetudo potius. Nihilominus remoris illis ablatis, dicendis remediis, visi sunt etiam adulti curati, eademque spes ægro integra esse potest.

Ab altera vero parte metuendum est, ne vel ruptura negligentia reddatur major, sicque ad motum inconveniens dispositio, vel incarcerata, obstetricante frigore, obstructione aliisque cavendis. Incarceratam vero vocamus, quando intestina non tam quoad continentem suam tunicam includuntur huic malæ mansioni, quam quoad contenta scybala, ut provolvi nequeant penitus, occlusa ob tumorem & duritiem extraordinaria porta, qua eluctari eadem oportet, sicq; iliaca passione inducta Id enim si fiat, lethalis eventus accidere potest, quod tamen alius est loci.

Si, citra heroicam operationem ad remoram illam tollendam, curatio speranda fuerit, illud quoq; Longius temporis requirit spatium, unde δυσαποθνησκειν facile solet & ad mortem usque comitari. Id vero cum variet secundum præsidia proponenda, liberum fuerit ægro, salutis suæ cupido, eligere quod magis ex usu est. Est enim hic morbus ex genere illorum, qui dum facile feruntur, nec periculum intentant majus, servantur in statu tolerabili, cœteroquin parum sanitati vel vitæ officiunt.

Modus Eventus erit ad salutem, vel in totum, repositis in pristinum locum intestinis, inque eo detentis, per deligationem & applicationem emplastrorum fortiter agglutinantium, membranarum tunicarumve tono roborato; vel in tantum, ut cessent symptomata à malo exacerbato oriunda, ipsum vero conquiescat & inducias incolumitati reliquæ præbeat.

Curatio innixa methodo medendi ad indicationum modulum instituenda. Curatoria pro diverso respectu variat, mala enim, quæ molestiam non fœnerant, seu non lædunt, suo modo sanitati quasi æquiparantur. Si ergo læsionem hanc intueamur, ex hujus regula vel ablationem completam meditabimur, curando intestinorum prolapsu hocce, vel incompletam, seu quasi talem, repositione & gestatione tolerabili solum procurata.

Præservatoria, causis intenta, omnia illa attendere jubet, quæcunque vel tendere vel ampliare intestina possint, seu præcavendo, ne id fiat, seu auferendo fomitem imprimis flatus.

Vitalis vires attendit dejectas, & tonum viscerum sibi restituit ac conservat.

Hanc in rem si consulamus institutos fontes, Chirurgicus imprimis herniosis salutem, si aliqua reliqua, certissimam promittit.

Prima cura sit Repositionis, quæ facilis quidem est, ut in nostro hoc casu, nulla incarceratione præsente, sed ut constans sit, non æque. Altera, ut repositum maneat, longe potior.

Omnis igitur opera navanda, quo repositio intestini in abdominis cavitatem rite & legitime fiat, alias deligatio ex voto non contingit, nec motus perversus inde corrigitur.

Ut melius illud fiat, æger supinus in lecto vel alio loco conveniente ponendus est, capite quidem decliviori, cæteris vero partibus eminentioribus, unde clunibus pulvinar subjici potest. Hinc cruribus divaricatis locus affectus inspiciendus, sensim & molliter contrectandus, digitis & vola manus oleo amygd. dulc. momord. vel alio inunctis, donec intestinum prolapsum sensim sensimque in suum locum reducatur. Possunt etiam hoc fine linimenta emollientia, ex unguent. dialth. oleo ovor. aneth. bals. traumat. aliisque illini, ut lubricatis partibus & discussis flatibus facilior fiat intrusio.

Ut vero repositum maneat, suademus 1. Decubitum continuatum per aliquot hebdomadas, ut sic recubans pondere suo domi manere discat intestinum, & tempus concedatur coarctationi & consolidationi, quæ alias fieri minus potest. Facit hoc ad bene esse, si id æger velit & possit.

Observatum est idem non solum injuncto decubitu, verum quoque per accidens & præter expectationem, herniam, sed probe ligatam, curatam fuisse, cum ob fracturam ossis decumbendum esset longius, quod *Helmontius* meminit.

Opus est 2. Roborante emplastro, quale est empl. contr. ruptur. seu de pelle arietin. usit. & inprimis 3. Deligatione, quo per fascias tanquam vincula occludatur aditus, sicque ars levet naturam in firmando pariete debito.

Deligationem commendabimus duplicem, unam suspensivam, alteram stringentem. Illa duplex iterum est. Una cingulo constat latiori, ex panno xylino, cum bombace interpassato, solo, vel ferro simul ad id conformato, quo firmetur hypogastrium circa inguina. Huic vero iterum anterius splenium in pulvinaris modum compositum, lateri affecto respondens, adhæreat, & à perinæo ad lumbos ipsi cingulo illigetur.

Firmius idem reddit pro re nata culcitra adhuc alia, in medio perforata, ut dimitti penis cum testibus, unoque tegmine subligaculi melius sic deligari & coerceri vagina queat. Variandum hoc pro partium illarum in ægro modulo.

Altera ὑποζώματι, quæ ad modum humeralium, Germ. *ein Tragband*, humeris utrinque suspendatur, sicque gestando onus scroti levet, firmetque.

Ast cum probe quidem hæc se gerant, quando æger deambulat, flexo vero corpore vel ipsa sessione firmitudinis robur cédat, nec par sit occlusioni isti, cogitatum quoque est de alio modo, quem ob firmiorem detentionem stringentem nominavimus.

Stringens hæc deligatio sola fit fasciatione, quando fascia linea aliquot ulnarum, longiorem enim esse oportet, circa lumbos cingitur corpus, affecto vero latere artificiose circumvolvitur & decussatim traducitur extremum, sicque quasi nodum efformat, quo stringitur egregie vagina, repetendo hoc ipsum, ex lumbis ad perinæum utrinque progrediendo, quo pacto & deambulare potest æger sine molestia, aliaque præstare munia.

Proponimus hæc singula ægro, ut commodius eligat, & ex ὠφελείᾳ approbet. Ita enim, si consolidatio plenaria speranda non fuerit, præcavere tamen elapsum potest, & supplere illud damnum internum artis hac ope.

Cumque natura sit morborum medicatrix, quod nullo magis quam solutæ unitatis exemplo videri potest, expectandum est, quantum conferre suo loco possit hæc secundum ipsius intentionem administrantibus. Sin pertæsus mali, & tenax sanitatis desideratæ integræ, non contentus palliativa hacce, graviorem curam non adversetur, ablegandus fuerit ad ὀρχιτόμον peritum, qui cum exsectione testiculi, citra metum impotentiæ, id præstet.

Ex Pharmaceutico Fonte primo loco Lenientia se sistunt, magni usus in herniosis, quandoquidem alvo obstructa congeruntur & regurgitant flatus, sicque tumorem inflant & augmentant; unde alvum apertam esse in his consultum est.

Cordi sit ægro, talibus ἐκκοπροτικοῖς benedictis aliquando uti. Omnem vero obstructionem longiorem & dolorificam cumprimis habeat suspectam.

Promovebunt alvum ex lubricantibus butyri assumtio largior, ol. amygdalor. dulc. cum jusculo avenaceo, manna, & passulæ laxativæ. Ex stimulantibus & detergentibus aloetica, & alia.

♃. Aloes rosat. virgo tartarear. an. ℈j. croc. mart. aper. ℈ß. ol. anis. g. j. c. s. q. elix. prop. laxat. F. l. a. Pilulæ minimæ. S. Eroffnende Pillen.

♃. Crystall. tart. ℈ß. tart. vitriol. gr. viij. resscam. gr. iij, ol. mac, gt. j. M. F. Pulvis. D. ad chartam. S. Lind Pulver.

♃. ess. tol. senn. rhabarb. antim. an. ℈ij. M. D. in vitro. S. Lind-Essentz.

Ad hunc censum etiam spectant Clysteres sicubi obstructiones facessant negotium, vel aliquod minitentur periculum, sine ullo metu, imo certa cum spe promti auxilii adhibendi. Citra tumultum enim ullum ac molestiam emolliunt duras feces, demulcent tensa intestina ac eluttriant, unaque flatibus exitum pacatum monstrant, ut mirandum sit, intuta à nonnullis hæc in hernia præsidia haberi.

♃. Rad. althææ, lil. alb. malv. an. ℥ß. fol. rut. ror. marin. meliss. an. m. j. flor. chamom. verbasc. lil. alb. an. p. ij. bacc. laur. juniper. sem. anis. an. ʒj. fœn. græc. ʒiij. Coq. in s. q. aq. s. Col.

♃. ℔j. add. elect. de bacc. laur. ℥j. mell. rut. ℥ß. ol. lil. alb. ʒvj. vitell. ovor. n. j. M. F. l. a. clysma,

♃. Rad. apii, malv. gram. an. ʒiij. herb. 5. emoll. flor. verbasc. melilot. an. m. ß. sem. perfol. fœn. græc. bacc. laur. an. ʒij. caric. ping. n. vj. Coq. ex s. q. ser. lact.

♃. Col. ℥x. elect. diaphœn. ℥ß. ol. verbasc. ℥j. vitell. ovor. n. j. F. l. a. Enema.

Tacemus, in casu tumoris inducti & obstruentis, residuum decocti clysteris in cataplasma aptari posse emolliens, exterius scroto affecto imponendum non minimo cum successu, cum emollientia clysterum sint materia prima.

Respondent his in stimulanda alvo Suppositoria,

toria, quorum usus etiam hic locum aliquando habere potest, apparatus vero cum in officinis sufficiens extet, non opus est denuo præscriptionem fieri.

Purgantia tum præservandi fine, verno vel autumnali tempore, ex usu esse possunt, tum curandi, si fors ita ferat. Observatum quippe est, in ἐιλεώδη nihil magis prodesse quam opiata & purgantia, illa compescentia archeum, hæc in viam ducentia cum juvamine.

♃. Spec. diagalap. ℈j. scam. rosat. mag. g. g. an. gr. iij. crystall. tart. ℈ß. ol. anis gt. j. M F. Pulvis D. ad chartam. S. Purgier Puluer.

♃. Conserv. rosar. c. mann. rob passular. an. ʒj. pulv. laxativ. veget. ℈j. polychr. gr. iij. crem. tart. ℈ß. syr. de pom. laxativ. q. s. F. l. a. Bolus.

Cumque in laxitatibus ejusmodi membranarum lymphæ copia & qualitas plurimum momenti addat, tum ad ipsam lubricitatem, tum affluxum & στάσιν, huic sufficient Diaphoretica, vi sua halituosa lympham in motum cientia, rarefacientia, dissipantia & per poros cutis expellentia. Imo hoc pacto depurato sanguine & discussis, ob affinitatem operandi, fl[...]ibus, consolidatio non leviter promoveri, [sy]mptomata vero arceri possunt.

♃. Bez. martial. gr. xv. mag. C. C. ℈ß. cinnab. nativ. gr. vj. laud. opiat. gr. ß. M. F. Pulvis D. ad chartam. S. Schevveisz Pulver.

♃. Tinct. bezoard. essentif. M. S. an. ʒj. ess. carm. sp. sal. armon. vin. an. ʒß. M. D. in vitro. S. Zertheilende mixtur.

♃. Rob. ebul. ʒj. antimon. martial. cachect. g. xij. conch. ppt. ℈ß. cinnab. antim. gr. iij. sacchar. q. s. M. F. Bolus S. Schvveisz-Zucker.

Diureticis abstergi amat amurca venarum, fluxilitas vero & serositas superflua alendoque corpori inconveniens educi, quo facto, minor pituitæ proventus torporem minorem intestinorum relinquit, eligendo inprimis magis polychresta, v. g.

♃. Magist. oc. cancr. tart. vitriol. an. ℈j. sal. onon. ℈ß. ol. lign. sassafr. gt. j. M. F. pulv. D. ad chartam. S. zertheilendes Pulver.

R. ess. antim. tartarisat. succin. an. ʒj. ol. lign. sassafr. gt. iij. M. D. in vitro S. Eroffnende Essentz.

♃. mixtur. antiscorb. sp. aper. Penot. an. ʒj. M. in vitro. S. Eroffnende Mirtur.

Complementum addunt Alterantia & Roborantia, non tàm archeum universalem attendentia, qui cæteroquin bene habet, & si vacillet, aliunde repetenda, quàm intestinorum & processus affectorum. Specifica hinc, quæ puta indicationibus determinatis satisfaciunt, esse possunt duplicia, carminativa & traumatica, quibus nervina, paregorica, adstringentia aliaque ministrantia & secundaria includimus.

Carminativa saue omnem absolvunt paginam, quatenus & archeum irritatum placant, & discussis flatibus intestina, minori spatio contenta, domi manere discunt. Unde, Helmontiano experimento optimum est in reducendo tumore duro & inflato, vinum leviter bullitum cum sem. 4. carmin. & coriandri ana.

Traumatica verò lympham alimentarem aptant, ut γλισχρότητι sua gaudeat, sicque firmari magis laxæ membranæ & stringi possint.

♃. Ess. contr. hern. Mich. ʒij. tinct. mart. D. in vitro S. Geilende Tinctur.

♃. Ess. traumat. Wedel. carminat. an. ʒj. anodyn. ℈ß. M. in vitro. S. Mixtur.

℞. Aq. plantag. zedoar. gentian. traumat. an. ℥j. magist. corallior. ocul. canr. an. ʒß. extr. torment. antim. diaph. an. ℈j. syr. de symph. Fern. cort. citr. an. q. s. M. F. l. a Potio. S. Starck Trancklein.

♃. Rad. consolid. maj. aristol. rot. plantag. ulmar. an. ʒij. herb. hernjar. sanic. millefol. chamom. flor. hyper, balaust. an. p. ij. sem. 4. carmin coriandr. sand. omn. an. ℥j. oc. cancr. ℈iv. nucist. n. j. Concis. contus. g. m. D. in ch. S. hellende species.

♃. Rad. onon. ʒß. fol. herniar. ʒij. sem. 4. carmin. perfol. oc cancr. ana ʒj. macis ℈j. sacchar. ad pond. omn. M. F. Pulvis D. in scat. S. Starck. Pulver.

Externa, immediate loco affecto applicanda insignem ferunt opem, merito hinc commendanda, tum balsamica traumatica, quæ vigorem archeo addunt, bals. Hispanicum; tum oleosa, ut quæ repositionem adjuvant, ubi præ aliis ol. ovor. & momordicæ optime se gerit; tum emplastica, quæ firmant, conglutinant & roborant.

Facta sunt hinc Emplastra de pelle arietina, ad hernias Fernelii, Weckeri, Empl. ad ramices Agricolæ, Grülingii, Schroteri, Jessenii, contra rupturam Felicis Wurzii, & alia.

♃. Empl. contra hern. Myns. ℥ij. sem. perfol. cumin. an. ℈j. bacc. laur. ʒß. pulv. stypt. Croll. ʒj. gum. tacamahac. ʒij. ol. ovor. q. s. pic. naval. parum. M. F l. a. Empl. S. Bruchpflaster.

℞. Empl. contra rupt. ℥ij. magnet. A. S. ʒiij. ol. aneth. carv. chamom. destill. ana gt. iij. momord. q. s. M. F. Empl. S. Heilpflaster.

Agmen claudit Diæta, in rerum non naturalium legitimo usu comprehensa, quem merito æger noster attendere debet.

Ex Vitali aër vitandus est frigidus & humidus, nervis enim & membranis simul & intestinis inimicissimus est. Eligatur purus, amœnus, temperatus, nullis obsitus inquinamentis aut aliis miasmatibus impragnatus, qui facile sternutationem excitare potest, herniosis cane pejus & angue fugiendam.

In Naturali Cibus, cum suggerat succis vitalibus pabulum, sit εὔχυμος & εὔπεπτος, temperatus, boni succi pro optimi sanguinis generatione. Vitentur frigidi, flatulenti, crassi, leguminosi, incoctiles, oleracei, acres, salsi, panis non probe fermentatus, carnes fumo induratæ, fructus æstivi & omne genus ciborum, quod ventrem constipare & flatus inducere aptum natum.

Potus sit cerevisia, ab omni heterogeneitate feculenta libera, non recens, nec acescens; medicata etiam ex herbis traumaticis & roborantibus usum habebit egregium. Vinum, imprimis rubrum, tàm adstringendi, quàm roborandi fine, maxime erit conveniens & stomacho gratissimum.

In Animali motus quieti oppositus, moderatus & parcus suadendus: ut enim taceamus communes noxas, in nostro casu nil magis prolapsui intestinorum velificatur, quàm

motus. Quieti ergo potius indulgendum est, ita tamen ne obstructiones pariat, atque calorem nativum obruat. Hinc leniter & æqualiter omnes partes exerceat, & nullo tempore modum excedat. Equitatio, saltatio, cursus per loca declivia, eo, quod corporis viscera quassent, summo vitentur studio. Elevatio oneris gravioris, jaculatio & quicquid musculos & ligamenta extendere & rumpere valet, procul absit. A clamoribus & vociferationibus maxime sibi caveat, quæ omnia peritonæum tendunt & & exercent gravius.

Somnus cum animalium facultatum quies sit, vires restauret, & dolores mitiget, ægro commendatus esse debet, ut sufficiens sit, non immoderatus, ut sic alterna requies etiam intestinis quietem vel ipso decubitu concedat. Vigiliæ productæ exulare debent.

Excreta assumtis respondeant & curiose inprimis alvi munus cordi habeatur, ut non cesset, vel, si id fiat, admoneatur lenientibus laudatis.

In Animali, Animi Pathemata omnia dictamen sanæ mentis sequantur. Vitet æger iram, quæ sanguine circa cor effervescente humorum varias commotiones excitat. Animi sui sit compos & placidus. Pellat timorem, nec dolor adsit. *Ioh. Martinus Ehnlich in Dissertationibus Medicis selectis Clar. Wedelii.*

Observationes.

Gangræna ex hernia intestinali, cum intestini erosione curatio.

Nobilis matrona Margaretha à Gleresse, septendecim annis insigni hernia laboravit, qua circa annum ætatis sexagesimum tertium, mense Decembri Anno 1597. torminibus maximis vexata est. Intestinum in abdominis rupturam impulsum, ac inibi retentum dolores non leves, simul & inflammationem, aliaque graviora symptomata concivit. Vocatus demum K. Januarii 1598. inveni dextrum inguen gangrænâ affectum. Scarificato itaque tumore & cæteris, quæ ad gangrænæ curationem attinent, adhibitis, caro putrida & callositas rupturæ exciderunt: unde symptomata, dolores, inflammatio, febris, tormina, lipothymia, nausea & vomitus sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementosa, velut ilei & cœci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter menses duos. Ægra tamen, multum mirantibus adstantibus, favente Numine, sanata & à ruptura perfecte curata fuit, nulla relicta fistula, aut herniæ indicium.

Curationi sæpius interfuere, qui & sanationis testes sunt, Nob. Gabriel à Bloney, Baro en Chastelart, & Nob. Philippus Ceriatius, Dominus de Denesi, & Reverendus Claudius Merlinus, Villetanæ & Culicens. Eccles. pastor, Moyses Bettetus, & plurimi alii, quorum etiam mentio facta fuit in prima Observatione, vixit autem matrona illa usque ad finem fere anni 1613. obiitque peste. Ex his duabus jam recitatis Observationibus, palam fit, intestinorum vulnera non esse prorsus deplorata, *Guilielm. Fabric. Hildan. observation. Chirurgic. Cent.* 1.

Ex epiplocele & enterocele, gangræna & mors sequuta.

Anno 1585. mense Augusto, robustissimus quidam faber lignarius, quum Genevæ elevasset pondus ingens, omentum ei prolapsum est in scrotum; & quia reductum non fuit, intumuit, inde dolor acutissimus, inflammatio, febris, vomitus, aliaque graviora symptomata exorta, denique mors sequuta est septimo die. Ego una cum Joanne Griftonio, Chirurgo præstantissimo vocatus, scrotum præsente Jano Antonio Saraceno, Medico regio, incidimus, & invenimus omentum, imo etiam testes & vicinas partes plane corruptas & gangræna infectas.

Anno 1596. cuidam intestina in scrotum ceciderunt. Unde, quia reducta non fuerunt exortus est dolor aliaque symptomata graviora. Barbitonsorem in consilium advocat æger. Is fomentum ex absynthio & rosis, vino rubeo coctis applicari jussit: sed ut erant aliena à morbo, sic quoque ingravescebat morbus. Ego vocatus cum clarissimis doctissimisque D. Jano Antonio Saraceno, & Andrea Boneto, apud Genevenses Medic. Doctoribus, scrotum magnitudinem capitis excedens invenimus; febris erat vehemens, syncopæ, & vomitus frequentes.

Statim fomentum ex radicibus altheæ, semine lini, fœnigræci, seseleos, floribus chamomillæ, meliloti, foliis malvarum & violarum applicuimus. Deinde capite inclinato & pedibus in altum elevatis, reductum est intestinum. Sed quia propter inflammationem & compressionem, in ruptura abdominis jam cœperat corrumpi intestinum, paucis post horis è vita decessit. *idem ibid.*

Ex hernia gravissima symptomata & mors.

Nobilis quidam in Cuilly ad Lacum Lemanum, Daniel de Challon nomine, per annos aliquot Enterocele lateris dextri laborans, tandem 20. Octobr. anno 1606. cum violento nimis exercitio atque motu usus esset, intestinum in scrotum delapsum fuerat. Unde statim dolor ingens totius ventris exortus, eadem nocte quoque vomitus frequens, inquietudines, urinæ item, & excrementorum retentio supervenerant. Ille vero remediis neglectis, symptomatisque indies ingravescentibus, propter doloris vehementiam, die 2. 3. coactus fuit accersere D. Jacob. Marrionem, apud Lausannenses pharmacopolam exercitatissimum; Qui ægrum in summis angustiis constitutum videns, suasit ut me advocaret, verum ne interea temporis in mei absentia, ociosus ibi degeret, Fomentationes & Enemata emollientia, anodyna & flatus discutientia exhibuit & applicuit. Ego 24. mensis hujus die, qui quartus

quartus mihi erat, illum invisens, maximis doloribus & inquietudinibus, vomitu quinetiam continuo infestatum, retentione item excrementorum, & urinæ laborantem, offendi; id tamen, quicquid urinæ excerneret, subrubicundum erat. Atque illa retentio urinæ ad 25. diem usque persistebat qua sub crepusculum urinam maxime furfuraceam excernebat. Exinde vero absque omni difficultate, imo quod magis mirandum, ad ipsam horam mortis usq;, urinam tum colore, tum consistentia sanorum urinis plane similem reddebat. Scrotum porro inflatum ac durum adeo erat, ut tactui omnino reniteretur.

Statim itaque illi sequens Enema præscripsi:

♃. Radic. & fol. malvarum althææ fol. violarum betæ, parietariæ an. M.j. flor. chamomel, meliloti, sambuci an. M.ß. sem. fœnigræci, lini an. ℥ß. ansi, fœniculi an. ℥j. Coquantur ad tertias. Colaturæ sume ℥v. In quibus dissolve electuar. diacathol. ℥ß. vitellor. ovor. n. ij. ol. chamomel. anethini, butyri recent. an. ℥ij. Misce, fiat Enema.

Scroto vero sacculum ejusdem Enematis radicibus, herbis, floribus & seminibus confectum & aqua coctum, calide applicui.

Idem quoque Scrotum & ventrem oleo anethino & chamomelino inunxi.

Enemate rejecto, aliud denuo exhibui, sacculum præscriptum calide applicui, scrotumque & ventrem, ut priùs, inunxi.

Rejecto vero & hoc enemate, ægrum in lecto capite reclinato, pedibus vero elatioribus collocavi atque intestinum in locum suum reponere tentavi, sed frustra. Quamobrem ne quid forte mihi exprobraretur, si res ex animi sententia minus succederet, suasi, ut D. Abelem Roscium, apud Lausanenses Medicum celeberrimum ac doctissimum, accerserent, ille, cum advenisset, voluit, ut eadem die denuo de intestino reponendo periculum facerem, id si minus succederet, fomentationes, inunctiones & enemata continuarem, quinetiam, ut herbæ, radices, & residuum ex decoctione clysteris in mortario lapideo contunderentur, postea per cribrum cupreum pistillo ligneo traducerem, ex iisque cum mica panis, vitellis ovorum, oleo anethino & chamomelino fieret cataplasma, quod calide ac frequentius applicaretur. Idem quoque Medicus, ut æger sequenti nocte ter aut quater aliquid olei amygdalar. dulcium biberet, altera vero die tempore matutino potiunculam laxativam sumeret, imperavit. Circa vesperam itaque an intestinum reponi posset frustra cum tentassem. Enemata, fomentationes & inunctiones continuare cogebat. Oleum vero amygdalar. dulcium, quia sibi nauseam movebat, assumere non potuit.

Altera die Potiunculam hanc à Roscio præscriptam illi exhibui.

℞. Expressionem rhabarb. in aq. menthæ infusi ℥j. syr. rosar. solut. ℥j. syr. violac. ex infusionibus ℥ß. Misce, & dissolve in aqua menthæ & hyssopi, fiatque potio, quam horis quatuor ante prandium sumat.

Sed quum potiunculam hanc paulo post cum pituita multa, & nonnihil humoris biliosi evomuisset, denuo fomentationibus usus fui. Enemaque ex præscripta decoctione, in qua parum Electuarii Benedictæ laxat. & hieræ simplicis cum vitellis ovorum, sale & oleis præcedentium clysterum, dissolutum erat, infudi. Cujus beneficio nonnihil excrementorum induratorum ac fœtidorum excernere cœpit. Hinc dolores aliqua ex parte fuere diminuti, inflatio item & tumor nonnihil subsidit, ut scrotum manibus tractando, murmur intestini obaudiretur. Circa vesperam cum denuo simile Enema exhibuissem, multum reddidit excrementorum, intestinum quoq; levi compressione manus simul reductum fuit, scroto tamen adhuc vehementer intumefacto, indurato, ac dolore affecto, adstringentia applicare non licuit, sed sequens Cataplasma emolliens, & flatus discutiens admovi.

♃. Farinæ fabar. ℥iiij. Pulv. flor. chamom. meliloti, Sambuci an. ʒij. pulv. sem. anisi, Fœniculi, cumini an. ℥ß. pulv. bacear. lauri ℥j. Cum decocto radicum althææ, malvæ, parietariæ, florum chamomel. meliloti, sambuci, & seminis fœnigræci, fiat Cataplasma, quod bis aut ter in die calide applicetur.

Die 28. mensis hujus circa vesperam, jusculum quod paulo ante sumpserat, cum multa pituita fœtida evomuit; cum nihilominus tamen ea nocte sponte alvum, & quidem excrementum laudabile, beneque digestum exoneravisset.

Vigesima nona die, mane rursus sponte beneficium ventris habuit, sed excrementa livida, aut cinericei coloris instar, & fœtidissima erant. Eadem quoque die bis juscula illa, quæ absumpserat, mixta pituita fœtidissima revomuit. Nocte vero sequenti vomitus continuus & fœtidissimus cum lipothymia supervenit, unde cordi Epithema aliquod applicui.

Die trigesima mensis, quæ morbi dies decima erat, continuo, & quidem materiam fœtidissimam adeo copiose evomuit, ut mirum, ubi tanta in corpore copia materiæ retenta fuerit. Assiduo quoque egerendi conatu, cum modica tamen egestione vexabatur atque excrementa fœtida, nunc solida, sed cinericei coloris, nunc vero liquida, purulenta tamen, aut sanguinolenta excernebat, atque sic tota illa nocte, quæ principium erat undecimi, in eodem statu permanebat, ita ut juscula, vinum, & quæcunque offerebantur, recusaret: Sequenti enim die, quæ finis undecimi; circa meridiem placide ex hac ærumnosa vita ad beatorum sedes demigravit.

Porro nonnulla in hoc morbo observatione digna occurrunt. Imprimis enim urina à sexto morbi die usque ad extremam vitæ horam, sanorum urinæ similis plane conspiciebatur. Contra vero pulsus à quarta die morbi, qua primo ad ægrum vocatus, ad finem usque continuo tam debilis, tamque exilis & obscurus, ut hominis jam tum morituri pulsui similis omnino esset, reliquæ tamen facultates & actiones adeo validæ, ut interdum vestes indueret, & in conclavi ambularet. Materiam illam viscidam, pituitosam, ac fœtidissimam, quam evomuerat, non omnino ex intestinis, sed partim aliunde, ubi diu inclusa fuerat, processisse, inde apparet, quod ante morbum aliquandiu valetudinarius adeo fuerat; ut & à pastu anhelitus (qui gravis ac fœtidus, præcipue tempore matutino) aliqua difficultate laboraret, tussicula quoque sicca, ad mortem usque illum comitante, continuo vexaretur; de dolore item stomachi sæpissime conquereretur. Ex quibus perspicuum fit, ipsum non solum propter intestinum prolapsum, sed aliam quoque internorum

norum viscerum putredinem extinctum fuisse; facile tamen concessero, intestinum aliquam corruptionis notam præ se tulisse: Quandoquidem fieri non potuit, quin pars illa intestini, in ipsa abdominis ruptura, sex dierum spacio compressa atque coarctata, alimento suo privata, ac tandem corrupta fuerit, (sicut etiam ex Observ. 72. Centur. 1. colligere licet) ex qua tamen intestini putrefactione tantus fœtor, quantus hic aderat, promanare non potuit. Utinam igitur Amici post mortem ipsius cadaveris dissectionem concessissent, multa dubio procul rara & notatu dignissima nobis innotuissent. *idem Centur. ij.*

De nobili Enterocelico. Et Enterocele curata Divinitus.

Observatione transmissa, præstantissime Medice, amiceq; observande, verum te Hippocraticum exhibes, refersq; ἀκριβείᾳ singulari, divinum nostrum senem in epidemiis, describendo singula morborum Nobilis Enterocelici tempora.

Quantum vero istiusmodi conducant singulares, confirmandis medicinæ catholicis theorematis observ. testatur Galen. noster, argumento primi epidemiorum, verbis hisce notatu dignissimis. Singularia, inquit, autumant Empirici universalis constitutionis esse principium, illaq; tandem asserunt vera præcepta esse, quæ constituuntur ab experientia. Nobis multo aliter, adeoque numerosa præcepta inventa esse ratione videntur. quorum tamen de veritate judicium facimus, prout stabiliuntur ab experimentis, & fidem accipiunt. Nam sic quidem, etsi quæ inventa ratione, ac demonstrata sunt, de eo quid magnitudine Sol à Luna distet, his credamus tamen, cum à sensibilibus multis aliis, quæ Geometricæ docent rationes, & ab Ecclipsibus singularibus, confirmentur, fidem habemus majorem. Quando igitur ab experimentis singularibus comprobata quæ per Geometriam demonstrantur, accipiunt majorem fidem, stabiliuntur firmius: longe magis, quæ ex Medica disciplina sunt in universum inventa, singularibus sunt proprobationibus constituenda. Quæ nos observari in libris vulgarium morborum docebimus. Hactenus Gal. cum igitur, Præstantissime Fabr. quæ ex medica disciplina in universum sunt inventa, singularibus suis tamq; accuratis probationibus cōstituas atq; fulcias, profecto institutū hoc præclarissimum prosequi, tuumq; sic nomen, & publicam utilitatem amplificare constanter debebis.

Neque vero Pathologicæ tantum parti Medicinæ lumen affert observatio tua mihi communicata, verum etiam Therapeuticæ, dum remedia reponendo intestino feliciter, & ex arte adhibita Enemata, Fotus, cataplasmata, inunctiones, & reliqua commemoras. Quin & illud ex eadem patet, haud solo prolapsu intestini, sed alio quoque interiori affectu, nempe corruptela visceris alicujus extinctum ægrum. Qui viscidam illam, confertamq; odore tetram, vomitu rejectam materiam, mesenterii profecto sedibus diu conclusam aluisse videtur. Recte item urinæ illæ sanorum similes, observatæ abs te. Quæ declarant eorum de vulgo insipientiam, qui medicos (celato etiam ægroti nomine) ex sola urina de morbo ut pronuntient, cogere volunt (quales & mihi nonnunquam molesti sunt) cum urina nullius sæpe morbi vestigium præ se ferat, quemadmodum ex hac tua liquet observatione. Ego vero ingratissimus sane erga Deum Opt. Max. censeri possem, si duobus nobilibus Viris commemoratis, enterocele mortuis, ego eodem affectu demum, decimo nempe octavo anno, solo Dei nutu absque sectione liberatus, id beneficium tam memorabile silentio præterirem.

Anno superioris seculi octogesimo quarto, tempore belli Coloniensis, in peramplo Gymnasio, & cœtu amplius centum discipulorum, ideoq; contentiore voce docenti mihi, primum sola ruptione interioris membranæ peritonæi, prolapsuq; intestini tumor in solo inguine exortus est, non longo vero post tempore, cum dilatatio quoq; accessisset, ejus membranæ, quæ in scrotum devolvitur, hoc pariter distentum fuit. Adhibeo Emplastrum vulgatum ad rupturam, sed eo diu frustra usus, uno cingor perizomate, à dicto jam octogesimo quarto anno ad annum usq; hujus seculi secundum, meæ vero ætatis quadragesimum primum, hoc est, ad annum usq; morbi decimum octavum. Quo spacio toto cum nec quies curando necessaria concederetur, nec orchotomia mihi probaretur, graves perferendæ, nec molestiæ (per ventositates præsertim) elabente sæpius intestino, fuere. Gravissimus supremus mali dies extitit. Nam dum Einshemii, Alsatiæ Urbe, stipendiis Cæs. Majest. Rudolphi II. Curiæ Austriacæ medicinam facerem, celebri quoq; vicino Xenodochio, D Antonii Eisenheimensi ejusq; Administratori Reverendissimo Domino Suffraganeo, Francisco Bero, summo Viro, salario annuo obligatus fui. Itaque inde Gebvveilerium, Principis Murbacens. (qui opera quoq; utebatur mea) sedem, verno tempore proficiscenti, immani cum dolore, universum intestinum erupturum videbatur. Nunquam ante, totos octodecim annos tumor major. Revectus ab amicis domum, insessu quodam anodyno dolorem paulum lenivi, moxq; petito lecto, summo experrectus mane, & restituta concinne suo loco τῷ ἐντέρῳ, & peritonæum ita firmatum atq; consolidatum deprehendo, ac si nullo unquam tempore enterocele laborassem. Cumq; nullo unquam ante die perizomate carere ausus fuissem, jam abjicere illud, & absq; eo incedere minime dubitavi, nec in hunc usque diem eo egui, annosque amplius jam quinq; nec quicquam illius affectus (Conditori æternæ laudes ac gratiæ) percipio. Certe tam inveteratus affectus, in homine quadragenario, tempore præsertim, quo summum incrementum sumpserat, Physicis remediis, tamque brevi depelli non potuit. Quare verum ἀλεξίκακον & liberatorem meum D.O.M. agnoscam, laudaboque quandiu fuero, cujus proinde inusitati, & hactenus (mihi quidem) inauditi beneficii prædicandi gratia, ac gratitudinis ergo, loco ut arbitror, non incommodo, sub mentione scilicet duorum nobilium hoc malo sublatorum, hæc adscripta volui. Gravissimo sub id tempus, per summam manifestamque injuriam affectus rerum mearum damno fueram, quod Majestatem Divinam tanto beneficio (quod quidem multis prætulerim) compensare, farcireq; voluisse crediderim. Eademque ab aliorum quoq; me adversariorum machinationibus, quæ denuo paratæ mihi videntur, paterne tueatur, teq; diu incolumem servet & sospitet. Fryburgi Aventicor. Calend. Feb Anno 1607. Sebastianus Meyerus Med. Friburgens. ad Fabric. Hildan. observat. Chirurgic. Cent. ii.

Intestina in scrotum prolapsa, quomodo reposita?

Quam gravissima symptomata, ac tandem mors quoque, ex prolapsu intestinorum in scrotum sequuta fuerint, tum præcedenti observatione, tum etiam Observ. 72. primæ Centuriæ, satis superque demonstravimus Nunc quomodo iis in situm naturalem reductis, ægri convaluerint, exemplis tribus sequentibus declarare operæpretium erit.

Generoso cuidam ex familia Hatzfeldiorum, à multis annis hernia laboranti, cum quadam die intestina in scrotum prolapsa, flatuque protinus distenta essent, dolor maximus totius ventris, vomitus continuus, cibi fastidium, vigiliæ, inquietudines, præcordiorum angustia, & lipothymiæ exortæ sunt.

Ego altera die ad ipsum vocatus, quamvis graviter, & non absque mortis periculo ægrotantem offenderim, tamen aliquid tentandum suasi. Quocirca statim sequens exhibui Enema.

♃. Radicum altheæ, malvarum cum toto folior. violarum, parietariæ, flor. chamomil. meliloti, sambuci an. Mj. sem. fœnigræci & lini aliquantum contusi, an. ℥. ſ. sem. anisi, fœniculi, carvi, cumini an. ℥j. Incidantur & contundantur omnia, postea indantur sacculo, ejus magnitudinis, quo totum scrotum possit cooperiri, qui intersutus coquatur in ℔ 12. aquæ font. Hujus decoctionis.

♃. ℔j. In qua dissolve Electuar. diacathol. ℥j. vitellor. ovor. n. ij. butyri recent. non saliti, & ol. commun. an. ℥iij. Misce, fiat Enema, quod protinus injiciatur. Sacculus vero parum expressus calide applicetur scroto, & recalefiat in eodem decocto, & applicetur, quotiescunque opus fuerit.

Post mediam horam rejecto Enemate, rursus aliud ejusdem decocti Enematis, cum admixto Electuario, oleo, butyro, vitellis ovorum, parumque mellis infudi, & sacculum calide applicui. Quo enemate denuo rejecto, & sacculo calido intestino probe lubricato, ægrum in lecto capite declivi, pedibus vero in altum elevatis, collocavi. Postea manu sinistra scroto apprehenso, eoque ventrem versus sublevato, & aliquo modo compresso, dextra vero imo ventris admota, reliqua intestina sursum versus pectus retrusi, sicque intestinum prolapsum felici cum successu in locum suum naturalem reposui. Deinde ad intestinum suo in loco cohibendum, sacculum hunc adstringentem applicui.

♃. Rosar. rubr. absynthii vulgar. folior. prunor. sylvestr. caudæ equinæ fol. salviæ & musci quercini an. M. ſ. corticum querc. ℥ij. sem. fœnic. & anisi an. ℥j. Incidantur & contundantur, postea indantur sacculo, qui filo intersutus, & vino rubro incoctus, calide frequentius applicetur. Postera die, corpus sequenti potiuncula expurgavi.

♃ Radic. fœniculi. petrosel. gramin. polypod. querc. an. ℥ß. herbar. agrimon. veronicæ, cuscutæ an. Mſ. sem. anisi fœniculi an. ℥ij. folior. sen. mundat ℥ß. Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. In quibus dissolve Electuar. diacarthami & diaphœnic. an. ℥iij. aq. cinamom. destill. sine vino ℥ß. Misce. fiat potio.

Tandem Emplastrum aliquod adstringens applicui, & subligaculum adaptavi. Sic divino favore gravissimo hoc periculosoque affectu liberatus fuit.

Joannes Hoff. Grammateus Hildenæ, Compater meus plurimum honorandus, à multis annis Enterocele gravissime vexatus, cum anno 1593. in itinere aliquo modo defessus, in terram somni capessendi gratia decumbens, obdormivisset, intestinum ad magnitudinem fere capitis infantis in scrotum prolapsum est; quod quia illico repositum non fuerat, ab aere tum temporis satis frigido in ipso scroto frigefactum & inflatum est. Hinc dolore exorto, ipsoque à somno expergefacto, vix domum (a qua iter unius horæ aberat) præ maximo cruciatu redire potuit. Ego ad illum accersitus, ipsum quasi semianimem cum animi deliquiis, vomitionibus frequentibus, iisque fœtidis, offendi. Dolores item tam maximi, tamque frequentes aderant, ut subinde sese ex una in alteram lecti partem jactare, coactus esset. Statim itaque supra scriptum Enema exhibui, & sacculum loco affecto applicui. Postea pedibus elevatis capiteque declivi posito, intestinum feliciter reposui. Tandem expurgato corpore, & subligaculo applicato, plenissime convaluit, multosque dehinc annos sanus vixit.

Anno 1607. die 26. Augusti. Johannes Nadler, faber sclopetarius, civis Paterniacensis, homo septuagenarius & herniosus, dolore colico cum intestini descensu correptus fuit. Ego quarta die morbi vocatus, ipsum febricitantem, cum maximis doloribus inferioris ventris offendi. Intestinum cum nonnullis excrementis inibi contentis in dextrum inguen prolapsum erat, supraque modum durum percipiebatur. Quapropter cum illud vi reducere, consultum minus fore animadverterem, protinus ventrem, scrotum & inguen, oleo liliorum albor. pinguedine anser. & caponis inunxi, sacculumque ex emollientibus qualem supra descripsi, calide applicui, & enemata infudi. At quia in reductione intestini quæ citra violentiam maximam fieri non potuisset, timendum erat, ne intestinum læderetur, in usu medicamentorum prædictorum, per dies aliquot pergere visum fuit. Interim excrementis in intestino prolapso inclusis, emollitis, injectis quoque per intervalla enematibus emollientibus & attrahentibus, intestinum paulatim in locum suum naturalem retrocessit, ita ut ex maximo isto periculo Dei beneficio liberatus fuerit. *Idem ibidem.*

Sarcocelen ut plurimum dextras occupare partes probatur.

Generosus quidam juvenis, cum amasiam suam amplecteretur, atque cum ipsa in actu venereo esset, & jam semen ejaculare vellet, à quodam cubiculum ingrediente in actu ita deturbatus fuit, ut semen retrocesserit, retentumque fuerit, quapropter dolor in inguine exortus est, & testiculi intumuerunt. Cum vero morbum propter verecundiam celasset, dolor in sinistro inguine paulatim per se remisit, intumefactio evanuit, & testiculus ad naturalem statum re-

diit, circa dextrum vero tumor remansit, qui successu temporis in ingentem herniam carnosam excrevit. Ego cum aliis magni nominis Medicis in consilium tandem adhibitus, non solum carnem circa dextrum testiculum concretam, verum etiam scrotum serosis humoribus ita extensum reperi, ut magnitudinem capitis infantis fere adæquaret.

Ante annos aliquot patritium Coloniensem unà cum clarissimo viro Dn. D. Johanne Slotano Medico celeberrimo invisi: Laborabat & ille maxima hernia carnosa, eaque ex dextra parte.

Anni elapsi sunt tres, à quibus Bernam Helvetiorum ad virum quendam nobilem unà cum clarissimo viro Dom. D. Paulo Lentulo poliatro Bernensi vocatus fui. Laboraverat ille per annos aliquot hernia carnosa ex dextra parte, tandem quoque hydrocele accessit, ita ut scrotum in illam magnitudinem extenderetur, ut membrum virile plane absconderetur.

Ante menses quatuor Paterniacensis quidam Johannes Comes nomine, viginti quatuor circiter annorum ætatis, Lausannam ad me venit. Huic testiculus dexter in massam carneam durissimam, quæ magnitudinem pugni longe superabat, excreverat. Deliberavimus inter nos, ut ineunte Vere manum adhiberem. Verum cum aliquantisper diutius apud vos moram traherem, & affectus de die in diem mira celeritate accresceret, Freiburgum se contulit, ibique curationi cujusdam Chirurgi sese submisit. Quid vero cum ipso factum sit, nondum intellexi.

Cùm ante menses duos apud vos viverem, in pagum Vauxnallançon ad Reverendum Virum Dn. Casparum Perretum, ibidem presbyterum vocatus fui. Illi autem non solum testiculus dexter, verum etiam vasa spermatica veluti in lapidem induruerant, ita ut manu compresso abdomine, duritiem illam in ipso quoque hypochondrio dextro persentire possem. Malum autem ad ipsam originem usque vasorum spermaticorum ascendere, dolor ipse, quem è regione vasorum spermaticorum ad renem usque dextrum continuo persentiebat, indicabat. Aderat præterea vomitus, & appetitus prostratio, non tamen proptet herniam, ut quidam, qui ipsum ante me inviserat, statuit, sed ratione tumoris dolorosi & duri, è regione fundi ventriculi existentis, quique compresso abdomine, tactu facile percipi potuit. Quid plura? in tota praxi mea unicum solummodo, ex sinistra parte laborantem hernia carnosa (quæque tandem in cancrum exulceratum atque insanabilem degeneravit) me vidisse memini. Peculiaris itaque hujus rei ut aliqua sit causa, necesse est. Te, Vir doctissime, ut pro acumine ingenii tui, usu, atque experientia rerum medicarum, illam inquirere, mihique haud gravatim communicare velis, obnixe rogo. Ego quid sentiam hac de re, paucis annectam.

Hernia carnosa, quam Græci Sarcocelen vocant, teste Galeno, fit testiculo indurato, & utidem Galenus testatur, cum scirrho convenit. Caussam vero, humorum crassorum, ad testiculos decurrentium abundantiam, atque partis affectæ debilitatem esse, Guido & alii statuunt. Platerus ex contusione vasorum spermaticorum in scroto, item ex succo è vasis illis luxuriante: Petrus Pigray vero ex humore non naturali è venis exsudante, ac paulatim in carnis substantiam transeunte, fieri scribunt. At vero Vigo docet, per affluxum alicujus humoris fieri herniam carnosam, nempe cum hujus materiæ subtilior pars propter calorem testiculorum in halitum resolvatur: quicquid vero crassum & viscosum est, remaneat, in scirrhum tandem illam indurescere. Prædictæ porro caussæ, etsi minimè rejiciendæ, attamen cur potius in dextro, quam in sinistro testiculo locum habeant, nondum satis manifestum fit. Etenim potius circa sinistrum testem herniam carnosam gigni debere, non immerito cuipiam videri possit. Dexter enim testiculus cum propter vasa à magnis vasis eo delata, sit calidior sinistro, ipsum robustiorem quoque esse sequitur. Ad calidum enim & siccum temperamentum (Galeni verbis utor) quod actionum robur consequatur, omnibus in confesso est. Totus itaque circa sinistrum testiculum, qui dextro imbecillior est, sanguinemque impuriorem, ut idem Galenus testatur, ad se trahit, fluxum illum humorum delabi; ac proinde carnosam illam substantiam procreari posse, verisimile esse mihi videtur. Id vero cum rarissime observatum sit, caussam carnosæ herniæ obscuram esse, cum Paulo Ægineta statuo. Quod si tamen præter prædictas caussas, retentionem & alterationem, aut veluti corruptionem quandam seminis, hujus mali caussam quoque esse, concedere velis, non usque adeo difficile erit causam invenire, cur in dextro testiculo potius quam in sinistro gignatur. Et revera retentionem seminis in Generoso isto viro, cujus ab initio memini, caussam totius mali fuisse, certum est. Cum enim vasa omnia semine & spiritibus turgerent, & natura ut sese exoneraret, intenta esset, retentionem, ac veluti refluxum illum seminis absque ingenti periculo fieri non potuisse, dolor ille, qui in inguine subortus est, testis fuit. Idem fortassis & in reliquis, quorum facta fuit mentio (qui forsan caussam morbi propter verecundiam celarunt) accidit. Hujusmodi enim herniæ utplurimum in juvenibus, qui sanguine & semine abundant, & in cœlibatu vivunt, accidere solent. Raro autem fit ex sinistra parte) quandoquidem seminalis vena sinistra non à vena cava, quemadmodum dextra, sed ab emulgente sinistri renis exoritur. Itaque verisimile mihi plane esse videtur, cum semine ex vena emulgente nonnihil salsedinis & nitrositatis, quæ crassos viscososque humores incidat & resolvat, exsiccet, & putredini adversetur, ad sinistrum testem defluere. *Idem Cent.* 4.

De Hernia aquosa, in qua præter spem & opinionem carnosa quadam substantia, vasis spermaticis adnata, reperta fuit.

Argentina discedens, in Alsatio nobilissimum quendam juvenem, hernia aquosa laborantem invisi. Huic quia spacio quatuor annorum

rum varia medicamenta, cum à me ante annum, tum etiam ante ab aliis frustra præscripta & adhibita fuere, petierunt parentes, ut tentarem an aliqua alia via sanitati restitui possit filius, se quoque fore contentos, ut incideretur scrotum, dummodo conservaretur testiculus. Parui, intra 3. septimanas curationem me feliciter absolvere posse sperabam: quandoquidem exterius nihil aliud præter aquam, quæ sive ad radios solares, sive noctu ad candelam exponerem scrotum, limpidissima, & in vesicula veluti in ampulla inclusa, apparebat: tactu quin etiam nulla durities percipi potuit, ita quidem, ut nihil præter aquam subesse putarem, uti & ante me ab aliis Medicis & Chirurgis judicatum fuerat. Sed bone Deus, quàm me fefellit opinio! quàm verissimam esse divini Hippocratis sententiam, *Judicium difficile*, reipsa inveni? purgato enim & præparato prius corpore, cùm caustico meo, absque ullo tamen dolore, scrotum perforassem, & tertio die post applicationem escharam separassem, præter aquam etiam carneam quandam & induratam materiam circumcirca vasa spermatica inveni. Post excisionem itaque escharæ, cum nonnihil humoris serosi effluxisset, dolor ingens in infimo ventre, imprimis in inguine dextro (qui erat locus affectus) subito exoritur, sed momentaneus: antequam enim anodynum præparassem, per se, & nullo adhibito medicamento, remisit. Sequenti nocte scrotum aliquomodo intumuit, & tumor durissimus in superiori parte vaginæ, circumcirca vasa spermatica plenius percipiebatur. Tunc gravissima illa & periculosa symptomata, quæ ex hujusmodi apertionibus aliquando provenisse sciebam, mihi in mentem venerunt. Ante annos enim aliquot, cum præstantissimus ille atque Excellentissimus Medico-Chirurgus Dom. Johannes Griffonius, piæ memoriæ, Sabaudo cuidam Lausannæ scrotum aperuisset, & nihil aliud præterquam de hydrocele cogitasset, carnosa quoque substantia, testiculo & Vasis spermaticis adnata sed seroso humore velut submersa & tecta, reperta fuit, quæ & paulò post in cancrum malignum degeneravit: ubi medicamenta, ferrum simul & ignem, frustra adhibuit Griffonius.

Ante annos circiter tres Lausannæ idem ferè mihi in quadragenario accidit. Sed ambo isti viri, quod non omittendum, pravis humoribus referti erant. Nobilis verò noster æger sanus est corpore, interim tamen seriò apud me perpendens periculum, anxius fui, præcipuè eam ob caussam, quod de periculo ab initio nihil prædixeram. Ægri tamen ætas juvenilis, constitutio corporis optima & sana, & quod ad illud usque tempus ab omni dolore, inflammatione, & febre immunis fuerat, obediens præterea, cordatus & ad omnia, quæ agenda & patienda, paratissimus esset, animum meum à solicitudine abducebant. Iterum igitur expurgato corpore, quæ leviter emolliunt, simul & discutiunt, veluti emplastrum de mucilaginibus cum gummis, de meliloto, & de ranis, per dies aliquot applicui. Ex illis cùm malum minime ingravescere, quin potius duritiem decrescere, ac nihil maligni subesse (ab emollientibus enim medicamentis, inquit Galenus de simplicibus medic. lib. 5. cancrosi tumores exasperantur, uti quoque in prima centuria observationum mearum exemplis demonstravi) inde cognovissem, ad fortiora perveni. Ulceri itaque pulverem insigniter emollientem, & materiam ex profundo extrahentem quotidie semel insperii. Exterius linimenta, emplastra, cataplasmata, & similia emollientia applicui, quibus remediis Deus Opt. Max. ita benedixit, ut per singularem Dei misericordiam (cui in omne ævum laus sit & gloria) spacio quinque septimanarum, curatio feliciter ad optatum finem perducta sit. Vides clarissime mi Dom. Schlanovi, quanta in hisce affectibus sit difficultas, quantaque diligentia & vigilantia requiratur; quod si corpus cacochymicum extitisset, procul dubio propter accursum humorum de ipso actum fuisset. Hæc non sine caussa, quæ te non latet, ad te scribo, & ut literas nobilissimo viro, simili affectu laboranti, communicare velis suadeo. *Idem ibidem.*

De Herniæ aquosa felicissima sectione.

Hernia aquosa, si ex caussa interna ac latente originem habet, ut plurimum sinistram partem scroti occupat, serosusque ille humor in membrana testem involvente, Erythroidæa dicta colligitur; idque præcipuè sit rene sinistro, ut Dodonæus recte annotavit, male affecto: quapropter serosos humores non attrahens, & ad vesicam mittens, per venam seminariam, quæ isto in latere ex emulgente procedit, in membranam Erythroidæam delabitur. Sectio autem herniæ aquosæ, si ex hujusmodi caussa originem traxerit, & testiculus simul exemptus fuerit, periculo non vacat, ut idem Dodonæus observat, cap. 39. & 40. annotavit. Itaque ne temere quicquam hac in re tentet Chirurgus, suadeo. Ne tamen Tyrones cum meo in præcedenti observatione exemplo, tum exemplis à Dodonæo recitatis deterreantur, & ab officio atque instituto abducantur, sequenti exemplo illis animum erigam.

Jacobus Gerbetus, vir pius & illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Commissarius dignissimus, quadragenarius, robustus, & bono corporis habitu præditus (cui & in juventute calculus per incisionem ex vesica extractus fuerat) à multis annis hernia aquosa ex sinistra parte vexabatur. Multa ipsi cum à me, tum ab aliis Medicis doctis præscripta & adhibita, tum interna, tum externa fuere medicamenta, absque fructu tamen omnia; ita ut tandem in maximam molem excresceret scrotum. Cum vero æger tumorem indies augeri vidisset, denuo me advocandum jussit, petiitque, ut extremum sibi auxilium adhiberem; quod etiamsi periculo omnino non vacaret, experiri tamen potius maluit, quàm in hujusmodi miseriis vitam diutius trahere. Quamvis enim dolorem non adeo gravem inferret tumor ille, equitando tamen & ambulando ipsi maximo erat impedimento.

Præparato itaque satis corpore, tum optima victus ratione præscripta, tum purgationibus aliquoties reiteratis, & venæ sectione, septima die Maii Anno 1602. ægrum in sedem

collocavi, deinde in superiore parte usque ad tunicam Erythroidæam inciso scroto, ipsum ex anteriori parte ab ipsa membrana aliquantum separavi. At quia tota aqua in tunica illa continebatur, ita ut testiculus ei innataret, ne in posterum denuo descenderet aqua, acu incurvata, ac filo reduplicato universam hanc tunicam (præter vasa seminalia) apprehendi, & mediocriter constrinxi atque ligavi. Posteà ex inferiori parte ligaturæ, membranam jam ante dictam secundum longitudinem incidi, & aquam ad libras aliquot extraxi, paulatim tamen, ne vires deficerent: Deinde turundam satis longam crassamque, ex stupis factam, ex albumine ovi madefactam, ad latus testiculi & inferiorem partem scroti versus infixi. Inguina & imum ventris oleo rosaceo inunxi, & haspum cannabis vitello atque albumine ovi, cum pauca aqua rosacea conquassatum madefactum applicui. Postero die iterum ventre & inguine inuncto, sequens digestivum applicui,

℞. Terebint. lotæ ℥ ij. ceræ novæ ℥ß. gummi elemi ℥ j. ol. rosac. & amygdal. dulc. an. ℥ß. ol. de vitellis ovorum ℥ ij.

Dissolvatur gummi lentissimo igne cum oleis, terebinthina, & cera separatim cum & pauxillo olei liquefactis, & additis, fiatque unguentum: tum admisce vitelium ovi, croci ℈ß. Unguentum turundis longis & crassis vulneri imposui, & emplastrum Basiliconis applicui. Neque processum huncce, antequam vulnus probè esset digestum, mutavi. Tum pulverem mundificativum ulceri, & turundis quotidie semel aut bis inspersi, & ulcus per menses duos apertum retinui: interimque scrotum omni diligentia mundificavi, corpus item per intervalla purgavi. Tandem vulnus cicatrice obduxi, bona ægri cum valetudine, qua etiam ad hunc usque annum 1608. quo hæc scripsi, fruitur. Ab eo tamen tempore optimam victus rationem observat, & singulis annis aliquoties superfluos humores pharmacis expurgat.

Annotatio.

In hac operatione cautus ut sit Chirurgus atque circumspectus, propter pessima symptomata, quæ supervenire solent, necesse est. Inprimis autem nullo modo operationem hanc, nisi prius bene præparato corpore, incipiat. Quod si intemperiem aut vitium aliquod in rene subesse cognoverit, aut ab ipsa operatione omnino abstineat, aut scrotum in inferiori sua parte tantummodo incidat, ut serosus ille & inclusus humor effluat, via tamen nullo modò (ut fit cum testiculus abscinditur) obstipetur, & serosus humor, qui à rene attrahi non potest, in abdomine retineatur, sed si opus est, denuo illic defluere possit. Vidi ego Bisantiis sexagenarium virum pium ac probum cui Dom. Johannes Griffonius, Chirurgus præstantissimus propter herniam aquosam singulis annis scrotum ex inferiori parte perforabat, & serosum humorem evacuabat, postea ulcus ad cicatricem perducebat. Pervenit homo iste ad summam senectutem. Sin autem in rene vitium non fuerit, & defluxum planè impedire volueris, incisionem superiori parte scroti prope inguina fieri expedit, quandoquidem duplex Chirurgo est scopus, prior evacuare serosum humorem, posterior prohibere, ne rursus de novo aqua in scrotum defluat, coacerveturque. At cum aqua hæc ut plurimum ex corpore in tunicam illam erythroidæam dictam defluat, eamque extendat, necesse est ut incisio in superiori parte scroti fiat: sic enim tunicæ dilatatæ corrugantur, & cicatrix impedit, ne aqua postea facile in scrotum defluat. Ut autem hæc operatio rectè & majori cum facilitate administretur, non super scamnum ligandus est æger, nec supinus decumbere, sed in sella sedere debet, ut melius aqua deorsum descendat, & tunicæ in inguine facilius separari, & acu apprehendi possint. *Idem ibidem.*

De herniæ aquosæ periculosa sectione.

Hernia aquosa aut simplex est, aut composita. Simplicem appello, in qua sola aqua scrotum extenditur; Compositam, ubi circumcirca testiculum materia putrida collecta, aut denique varices ortæ fuerint. Accedit & nonnunquam, Camerario teste, aquosæ herniæ, prolapsus intestini in scrotum, quod & ego observavi. Caro item sæpissimè testiculis & eorum tunicis adnascitur, serosus enim humor iste nonnunquam acris factus, venas capillares, membranasque leviter erodit: hinc pars illa sanguinis, quæ paulatim exsudat, quæque optima & laudabilis est, beneficio caloris innati in carneam substantiam concrescit. Indurescit autem sensim, propterea quod calor nativus paulatim debilitatur: interim tamen in illam aliquando molem augetur atque accrescit, ut magnitudinem capitis humani, Montagnana consil. 227. Foresto lib. 27. scholio, observat. 23. attestantibus, accedat. Reliquum vero sanguinis, quod serosum est, paulatim membranas totumque scrotum adeo extendit, ut caro ista, quæ testiculo adhæret, digitis palpari non possit. Hujus rei exemplum memorabile clarissimo, ac longè celeberrimo Viro Dn. Johanni Griffonio, Præceptori meo perpetuo honorando observare contigit.

Quadragenarius quidam, natione Sabaudus, à multis annis hernia aquosa laborans, in Hispania à Medico quodam per scrotum trajecto setaceo, parvo cum negotio primo sanatus fuerat. Post annos vero aliquot, cum in victus ratione peccasset, & in Pharmacis sumendis negligens fuisset, denuo in scrotum delapsus est humor serosus, qui non solum membranas totumq; scrotum in maximam magnitudinem extendit; verumetiam carneam substantiam procreavit, quæ tractu temporis supra modum indurata, naturam cancri sapiebat, idq; eventus demonstravit clarius. Accedens enim Lausannam, ubi Dn. Griffonius tum temporis degebat, nulla in ipso cognosci potuit hernia carnosa, ita seroso humore extensum erat scrotum. Inciso scroto plurimum effluxit aquæ. Hinc scrotum primò subsedit: post paucos tamen dies sequutus est dolor vehemens, inflammatio & cancrosum ulcus maximeque malignum, quodque adeo impetuose adjacentes partes occupavit, ut ipsius malignitas nullo modo arceri posset. Itaque intra paucos dies maximo cum cruciatu è vita discessit.

Admonitio

Admonitio.

Diligenter itaque Chirurgus signa omnia, quæ de herniis à Celso, Paulo Ægineta, aliisque medicis & Chirurgis describuntur, examinet, essentiamque morbi accurate investiget, antequam manus operi adhibeat, ne malum in pejus ruat. Præterea videat, ne corpus multis humorib. pravis scateat, aut vitium aliquod insigne in renibus subsit, quemadmodum fuerunt in istis viris herniosis, quarum Dodonæus Observat. 39. & 40. mentionem facit. Quotiescunque vero Chirurgus una cum aqua carnem circumcirca testiculum concretam subesse cognoverit, præstat scrotum incidere, testiculum, & quicquid circa ipsum concretum, separare atque excindere, dummodo id radicitus fieri possit: Si enim scirrhosa illa materia processum sive didymum, ut vocant, jam occupat, & abdomini adhæret, frustra tentabitur incisio, & chirurgo infamiam, ægro vero immaturam mortem inferet. *Idem ibidem.*

Ex herniæ aquosæ inepta sectione immatura mors sequuta.

Dominus Petrus Crottesius, Paterniacensis Senator prudentissimus, Vir genere, virtute & pietate vere nobilis, quadragenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus cum anno 1606. ex equo in terram cecidisset, scrotum & testes sibi adeo contudit, ut inde exorto dolore, sequuta sit inflammatio, scrotum quinetiam & testes mox in tumorem magnum elevati sint. A principio propter verecundiam malum celavit. Tandem cum me in consilium adhibuisset, victus rationem tenuem præscripsi, corpus purgavi, & venam in cubito incidi. Loco vero affecto ab initio anodyna, discutientia & quæ simul aliquo modo repellunt, quale est seq. cataplasma, applicui.

℞. Farinæ hordei ℥ ij. farinæ fabarum ℥ j. Coquantur posca ad formam cataplasmatis, in fine admisce pulveris rosarum odoriferarum ℥ß. & post unicam ebullitionem remotis ab igne, admisce vitellum & albumen unius ovi, olei rosarum parum, fiatque cataplasma, quod scroto per dies tres tepide applicui, bis in die. Deinde quæ magis resolvunt adhibui: quale est sequens cataplasma.

℞. Farinæ fabarum ℥iij. hordei ℥j. Coquantur vino rubro ad formam cataplasmatis, postea admisce pulveris rosarum, Florum chamomill. meliloti ana ℥ß. Olei rosarum & chamomill. ana ℥j. Vitellum & albumen unius ovi. Misce, fiat cataplasma.

Horum medicamentorum beneficio dolor & inflammatio omnino remiserunt, inflatio quinetiam præcipue ex dextra parte scroti subsedit. Circumcirca vero testiculum sinistrum in membrana Erythroidæa, tumor quidam ex seroso humore remansit. Denuo itaque co pus per intervalla purgare visum fuit: loco affecto fomentationes & cataplasmata, quæ incidunt, resolvunt, & discutiunt, admovi. Verum enim vero cum frustra hæc omnia esse viderem, suasi ut scalpello aut novacula scrotum incidi permitteret: sic enim inclusum humorem facile & absque periculo evacuari posse, ipsi promittebam. Ille etsi non recusaret, quia tamen tunc præ aliis occupationibus ipsi non licebat totum negotium naturæ tantisper, donec tempus esset aptum, committere voluit. Porro etsi tumor scroti paulatim accresceret, & serosus humor magis magisque in membranam Erythroidæam deflueret eamque distenderet, exiguum tamen incommodum inde ipsi sequebatur. Quapropter cum hac de re non usque adeo sollicitus esset, res in annum usque 1608. prolata fuit. Tum me absente, plane imperiti in manus empirici incidit. Is nulla habita ratione corporis, neque quod hesterno die in magnifico quodam convivio fuerat, & proximam præcedentem noctem inter pocula cum amicis absumpserat, vigesima tertia Maji, postquam laute jentasset, & vino generoso atque mero iterum incaluisset, ipsum in scamnum callocavit, ac testem vi quadam extraxit. Post operationem mox supervenit & febris ardens atq; continua, vigiliæ, aliaque symptomata, qui pium ac optimum huncce virum, ad finem usque vitæ suæ continuo ac misere extorquebant. Et quia artis periti homines in consilium vocati minime fuere, lipothymia quoque & sudores frigidi tandem supervenerunt, ita ut vigesima die morbi animam Deo pie reddiderit, maximo cum luctu civium & reipublicæ dispendio. Post mortem scrotum totumque sinistrum latus supra modum intumuit, nigrum lividumque evasit. *Idem ibidem*

Pro Hernia Inguinis.

Puella quædam duodecim annorum per dimidium anni hernia inguinali laborans, quum à Medicis quantumvis doctis, quorum opera usa fuerat, sanari non potuerit, ad me accedens, in hunc modum cum ea processi: ut sequentem bolum omnium primo devoraret præcepi.

℞. Cass. rec. extract ʒvij. sem. dauci. pulv. ℈jß. sacch. asperso. F. bolus. Deinde hoc fotu usi sumus.

℞. Rad. alth. ℥ij. fol. malv. fl. chamæ. melilot. summit. aneth. an. M. j. sem. lini ℥ß. F. decoctio in aq. pro ℔ß. quo fotu sine magno negotio intestina in locum suum reducta fuere. Deinde jussimus, ut quotidie locus affectus inungeretur oleo ovorum, myrteo, & hyperici simul mixtis, & ut mox emplastr. contra rupturam applicaret per plures dies: & ut subligaculis ad hoc aptis utens, recte cincta semper procederet: præterea præcepi, ut interea perpetuo uteretur cerevisia in qua decocta esset radix consolid. maj. adjecto exiguo saccharo ad saporem: istis continuatis hæc tandem recte curata fuit. Petrus Forestus. obs. 11. lib. 17. *De Scroti & Testiculorum vitiis.*

Inter arcana Io. Tiengii. Medici quondam amstelrodamensis hoc erat, quod quidam potans tribus septimanis ex decocto rad. sigilli Mariæ in vino curatus sit à ruptura. Ego etiam fœlicissime utor rad. sigilli Mariæ vel Solomonis. *Petrus Forestus. obs. 15. lib. 27.*

Avenzoar refert de Juvene quodam qui hoc malo laborabat decubuitque duobus mensibus in dorso suo, & cum bono regimine sine

medicinarum applicatione liberatus est *Idem. obs.* 0. *lib.* 27.

Danda opera ut alvus sit lubrica: tumorem totum inungat terebinthina, sed prius foveatur decocto absynth. ex vino: sacculus etiam parvus ex foliis absynthii apponi poterit. *Jo. Crato. consil.* 17. *lib.* 7.

Oleum hyperici compositum, quo utor per se illitum subinde calidum, mirum in modum in hoc effectu efficax atque utile comperi, quemadmodum aliis ruptis, convulsis, recens vulneratis, maxime ubi membranæ aut nervosi generis aliquid oblæsum est. Oleum ita fiat.

℞. Ol. opt. ℔ijß. sem. & fl. hyperic. ℥ix. vini Hispan. vel malvat. ℥viij. rad. tormentill. ℥iij. myrrh. gummi elemi, sarcocoll. thur. aloes, an. ℥jß. lumbric. lotor. vino ℥iij. M. S. A. contusa bulliant ad dimidii consumptionem in duplici vase, deinde exprimendo coletur oleum: in eo dissolve croci ℈iij. ol. abietin. (resinam vel lachrimam abietis ita vocant) vel ejus loco terebinthin. puræ ℔ß. fl. maturor. hyperic. M. j. infunde mista per dies sex aut octo, ad Solem diligenter obturata, Solis calore deficiente, post panem extractum, imponantur furno, deinde diligenter prioribus floribus expressis infundantur secundo, tertio, quarto, alii recentes hyperici flores, prioribus exemptis; atque ita comparatum oleum servetur in usus.

Emplastrum sequens continuo geratur.

℞. Empl. contra ruptur. ℥j. mastich. glutin. piscium, sarcocoll. an. ℨij. pulv. rad. osmund. regal. sang. drac. an. ℨj. thur. alb. pulv. rad. consolid. maj. mumiæ, an. ℨß. gummi dissolvantur in aceto & cum olei hyperic. supradicti, q. s. F. empl. S. A. *Reinerus Solenander. consil.* 14. *sect.* 4.

Pro Hernia intestinali oscheocele.

Novimus Illustriss. principem, qui jam annos circiter viginti & tres intestinorum satis magnum ramicem perfert solius fasciæ aptæ beneficio, & tamen sine ullo valetudinis dispendio omnes principum actiones etiam vehementes & graves in venationibus, equitatione frequenti etiam in succussante equo, in longis & difficillimis peregrinationibus, in intenso frigore subire solet. Si quando tussiendum erit, item quotiescunque alvus egerenda, maxime si ea durior fuerit, inguen oblæsum retinendum, atque utraq; aut saltem altera manu adducendum comprimendumq;: in cibis cuncta, quæ ventrem flatibus implere nata sunt ac distendunt, vitanda: quod si accidat ut ileum intestinum vel quid aliud procidat & descendat in scrotum, & mora ibidem flatibus aut induratis fæcibus ita distendatur, ut difficulter reduci possit, ex usu erit (quod in ista necessitate subinde factum utile comperi) ut ex stercore ovillo dulci lacte incocto fotus adhibeatur, tum etiam idem cataplasmatis in modum apponatur, reitererturque ut postea blandis manibus contrectatum reducatur. Ego fidem facio me aliquoties isto fotu prædicto, cum res alioqui videretur in præcipiti esse, prolapsa & aliquandiu extra corpus existentia intestina reposuisse, antea tentatis frustra aliis remediis. quapropter hoc te celari nolui: quidam ab hernia sanatus fuit perfoliatæ usu, non tamen sine apta fascia. Ego non paucos hernia affectos juvenes in quiete degentes fasciæ commode ope percuravi; non admodum multis adhibitis medicamentis: ad hernias probantur symphytum majus, sanicula, jacea alba & nigra, sigillum Solom. quinquefolium, tormentilla, filix, pilosella, cujus integræ herbæ pulverem Maio collectæ, infantibus & pueris herniosis continuo in cibis, in lacticiniis, puerilibusque pultibus exhibitum comperi mirum in modum profuisse. Quidam perfoliata ad rupturas sanandas fœliciter utuntur. Novi qui hunc affectum novem ex ordine diebus cinere lactantis leporis in vino rubro vel decocto consolid. maj. exhibito sanarunt.

Caspar Peucerus, Vir & pietate & doctrina insignis narravit D. Adolpho Occonti medico & mihi, se puerorum hernias recentis coagulati & in caseum formati lactis impositione curasse. Scribit Hollerius se herniariæ herbulæ succo expresso affuso vino exhibito novem diebus perfecte hunc morbum curasse, & Antonius Ualetius, qui luculentis exercitationibus Hollerii praxin ornavit, testatur aquæ ejus herbæ stillatiçiæ unico haustu percuratum Parisiis adolescentem, cui citatior saltus insignem herniam induxerat; adhibito tamen, ut scribit, emplastro. Vocatur hæc herba Holleriana, quod Hollerius primus ejus in hoc affectu efficaciam observaverit. Præscripta hæc omnia ex simplici medicina desumpta remedia tam exterius admota, quam intro assumpta in proprie dictis herniis prodesse mirifice possunt: quæ tamen in præsenti casu maxime profutura arbitror, hæc insequentia ex prænominatis selecta notare placuit: itaque reducto intestino applicetur ceratum hoc triquetrum inguini superposito splenio (quod fasciæ annexum inguen ne dehiscat aut laxetur continere debet) ut totum inguen contegat, prius nudato loco pilis.

℞. Nuc. cupress. gallar. an. ℨj. balaust. hypocist. veri, an ℈ij. mastich. ℈iiij. rad. consolid. mai. pulv. perfoliat. herniar. an. ℈ijß. bdell. ℨjß. boli armen. ℨij. sang. drac. ℈iiij. pic. græc. ℥j. resin. pini, ℨvi. cum terebinth. cera & oleo, vitell. ovor. vel hyperic. magistr. q. s. F. ceratum: hoc fœliciter usus sum.

Verum usitatum illud commune Arnoldi de Villa Nova ex pelle arietina dictum mihi præ cæteris omnibus maximopere probatur.

Recordor me Medicum exercitatum vidisse, qui assumpto quantum volebat gummi elemi, affundebat acetum, eo macerabat donec acetum in superficie obduceretur, alba pinguedine, tum affusis olei paucis guttis (oleum è vitell. ovor. vel hyperic. magis probarem) coquebat gummi lento igne liquatum ad formam cerati. Quando ego ipsius usum commodnm scio, improbare haud queo. Ego hoc in pueris aliquoties fœliciter sum usus.

℞. Perfoliatæ viridia folia, & rad. consolid. maj. contero ut plane subacta simul sint & lævigata, addo ceræ novæ vel propolis tertiam partem, vel paulo plus: concorporata & bene commixta induco pittatio, ut inguini affecto sub splenio imponi possint: te autem suadeo, ut hoc quod sequitur simplicissimo utaris.

℞. Consolid. maj. radicem solam ab omni sorde

sorde ablutam, munda nihil interim abradens, istam exquisite tritam, & lævigatam, calefactam leviter induc pittatio aliquo lineo albo & impone emplastri modo inguini rupto sub splenio: mutetur bis in die, inducto alio. Observavi intra dies quindecim ista ratione coalescere: possunt consolid. maj. radices saccharo conditi, subindeque exhiberi, *Reinerus Solenander. cons.* 13. *sect.* 4.

Ætius jubet papyrum (nos charta emporetica uti poterimus) triduo in aqua macerari atque in globum coactum inguini apponi, reposito prius intestino: Solet enim triduana adhæsione à delapsu vindicare: sed erit efficacius si aqua astringenti ut puta rosac. myrtac. papyrus vel quarta maceretur: hoc remedio ait Paræus se multos sanasse. Rodericus *à Fonseca. tom* 2. *consult.* 36.

Filiolus cujusdam pharmacopœi hernia intestinali laborans hac ratione fœliciter curatus est,

℞. Beton. auric. muris, veronic. alchymill. pyrol. solidag. sarrac. agrimon. sanicul. an. M. ß. rad. caryophyllat. ℥ß. incis. & contus. coq. in M. ij. aquæ ad consumpt. medietatis: bibat mane & vesperi haustum. postea.

℞. Lapid. magnet. mastich. an. ℥ij. lap. calaminar: sang. drac. an. ℥j. ferri ℥ß. bol. armen. ℥ß. vini sublimat. quart. j. M. in hoc pannus duplicatus intinctus herniæ fortiter adligabatur bis quotidie, mane & vesperi cum fascia: brevi convaluit. *Hieronymus Reusnerus. observ.* 95.

Enterocelem adsumpta limatura ferri atque empl. magnetico apposito in seipso sanatam narrat Thom. Campanella. lib. 6. Medicin. cap. 20. art. 2. quam tamen curandi rationem frustraneam doctissime ostendit Athanasius Kircherus. lib. 3. De Magnete. part. 7. c. 2. & contra Paræum urget Uop. Fort. Plempius. schol. in Ebn. Sin. lib. 2. quanquam non magnetismi ratione, sed propter vim siccandi admittat author Enchiridii medic. pract. cap. De Enterocele. qua ratione hic quoque probari debet. Hieronym. Velschius. *notis ad obs.* 95. *Reusneri.*

Generosus quidam Bernensis sexagenarius spatio viginti annorum insigni ac maxima herni intestinali laboraverat, ad quam curandam, tum me, tum alios in Gallia & alibi expertissimos adhibuerat Medicos & Chirurgos, sed frustra, tandem cum de sanitate recuperanda ne quidem cogitaret amplius, & subligaculis, ne ingravesceret malum, uteretur, incidit in morbum, à quo ultra menses sex lecto affixus fuit. Post morbum hunc ne minimum quidem indicium præcedentis herniæ sensit, nec amplius utitur spleniis aut subligaculis. Ex his manifestum fit, quietem & decubitum in dorso, unicam esse panacæam herniarum. Guil. Fabricius Hildanus. obs. 54. cent. 5.

In Enterocele, Bubonocele & Epiplocele valet balsamus salis gemmæ; arcanum summum in rupturis, qui hoc modo fit.

℞. Salis gemmæ ℔j. fluat in igne (in sigillo) & postea solvatur in aqua pluviali destillata, filtretur, & vicissim coaguletur; has operationes colliquefactionis, solutionis, filtrationis, & coagulationis tantisper repete, donec sal gemmæ ad summam subtilitatem fuerit perductum, quod inde cognoscitur, quando ejus particula ad candelam admota, statim liquescit: serva in vitro bene clauso: cura sic fit.

Repositis, si opus est (ut in Enterocele & Epiplocele) partibus prolapsis, locus affectus lavetur cum aceto destillato acerrimo, vel cum spiritu vini quotidie bis post fomentationes statim inungatur locus cum arcano salis gemmæ: ad intra exhibe singulis diebus mane jejuno ventriculo essentiæ consolid. maj. cochlear unum cum guttis ij. balsami salis gemmæ.

Si intestina & reliqua prominentia difficulter reponi possint, etiamsi emollientia per insessiones & fomentationes fuerint adhibita, ut fœlicius absolvatur cura, cœteris non neglectis, sic procede. Post adhibitas fomentationes quotidianas patienti exhibe per tres aut quatuor dies cor talpæ exsiccatum & pulverisatum (quotidie cor unum) mense Maio collectum cum aq. cinnam. & fœlicem videbis operationem. inungatur locus cum balsamo sulphuris. *Jo. Hartmann. practic. chimiatr.*

Pro Hernia intestinali & omentali.

Post universalium & ordinariorum remediorum usum, exhibeatur cochlear insequentis pulveris, mane & vesperi, hora una ante cibum, continuando usque ad perfectam sanationem.

℞. Cortic. myrobal. indar. chebul. an. ℥jß. nasturt. portulac. plantag. sumach. an. ℥ß. corall. rub. lapid. hæmatit. carab. an. ℈j. cinnam. el. ℈iij. sacch. rosat. ℥iiij. F. pulvis. *Io. Fernelius consil.* 66.

Pro Hernia hydrocele.

Vir quidam herniam aquosam, ὑδροκήλην, vocant Græci, patiebatur, quam citissime removi oleo sulphuris: quo totum ramicem perungebat mane ac vesperi, & applicabat sacculum ex calentibus cineribus factum. Martinus *Rulandus. curat.* 82. *cent.* 8.

Paretur cataplasma ex stercore vaccino rec. & tertia parte pulv. bol. arm. ad idem maxime valet & mihi valde probatum est. Cataplasma nunc describendum.

℞. Stercor. capræ ℥jß. cochlear. cum suis testis contusis ℥j. cumin. pulv. sulph. an. ℥ij. M. F. cataplasma, parti affectæ applicandum; & sæpe renovandum: quod si hisce non cedat malum, punctione cum phlebotome vel sectione tandem utendum est. Io Zecchius. consult. 63.

Infans quidam undecim menses natus, laborabat hernia aquosa dextrum testem occupante, ita ut testis ovi exigui magnitudinem æquare videretur, vocatus ego, sequens præscribo cataplasma.

℞. Farin. ℔ß. decoq cum vino generoso ad pultis consistentiam, deinde adde oxymel. simpl. ℥iij. F. cataplasma, admovendum sero & mane: intra octo dies hoc solo remedio tumor omnino discussus est. *Lazarus Riverius obs.* 4. *cent.* 1.

℞. Fol. origan. rutæ, absynth. chamæm. an. M. j. bac. lauri, ℥j. sem. anis. fœnic. cumin. an. ℥ß. coq. in s. q. aq. & aceti pro fotu, quo foveatur scrotum ter in die cum spongia. Postea applicetur hoc emplastrum.

℞. Empl. de bacc. lauri, sterc. caprin. an. ℥iß; cochlear. contus. cum testis. ℥ß sem. cumin. sulph. an. ʒij. malaxentur cum olei rutac. chamæm. an. q. s. F. Emplastrum. Hisce puer convaluit. *Io. Petrus Lotichius. obs. 10. cap. 3. lib. 6.*

Vir quidam Nobilis hydrocele laborans, ita sanitatem obtinuit, primo, consilio D. Ferrandi peritissimi medici, & meo, jalapio purgatus fuit, postea fotus emollientes & discutientes admoti, & tandem lanceola perforatus, in parte decliviore scroti, vitando testiculum, & lineam interstitium inter testiculos facientem, ictus autem transversi digiti profunditatem attigit antequam aqua exiverit, quæ iteratis vicibus extracta fuit, clara & non fœtida, eaque ad libras duas, cura hæc satis rara fuit, cum paucis post diebus ad negotia iverit. *Petrus Borellus. obs. 4. cent. 1.*

In Generoso quodam Viro, quam omnis periculi plena sit scroti, & erythroidis membranæ in hydrocele per scalpellum apertio, teste non sublato, compertum est, ab aliquot annis sinistra parte hydrocele huic molesta fuerat: frustra cataplasmatis, ac aliis remediis crebro usus: tandem temerarii Cihrurgi consilio acquiescens, aperiri sibi scalpello tumorem permisit: effluxit cito omnis humor: tumor quoque subsedit; sed cum testis ipse omnino esset corruptus, vicinas partes facile infecit: subsecuta mox scroti universi, ac etiam penis cum tumore & ingenti dolore gangrana. Delirium cum vehementi febre propter doloris magnitudinem supervenit, ac non ita multo post mors accessit: ren hujus sinister corruptus fuit, & seminalis in erythroiden descendens valde ampla & multum patens. *Rember. Dodonæus. obs. 40. vide etiam obs. 39.*

De Hernia Omphalocele.

In oppidulo quodam mulierem inspexi, cui ex hernia omphalocele, universa pene intestinorum mole, è peritonæi cavitate procidente, tumor immensus ac velut novus venter, à vero ventre flaccido & depresso, & in hunc tanquam Saccum inanito appensus propendebat, quem & fascia circumducta, ut onus hoc sublevaret, collo suspensum gestabat. *Felix Platerus. obs. lib. 3. pag. 759.*

Pro Hernia sarcocele.

Iuvenem quendam hernia sarcocele laborantem absque incisione facile ita curavi.

℞. Pulv. sen. laxat. ℥ß vini absynth. ℔jß. macerentur pro infuso. De quotidie bibit ad ℥iij. colatas. Post sufficientem purgationem, utebatur ante & post meridiem balneo aquæ, in qua cogebatur tartarus ad ℥iij. ante & post balneum inungebatur tumor oleo sulphur. nostro, motus rarus erat, quies vero in lecto multa, atque his sine remediis tumor indies decrevit, & per Dei gratiam spatio quatuor hebdomadum ex toto evanuit. *Martinus Rulandus. curat. 66. cent. 9.*

Chirurgus quidam insignis contra herniam tam carnosam quam aquosam emplastro sequenti fœliciter utitur, quod singularis loco secreti mecum communicavit, eoque nobilius aliud in hoc affectu remedium se non habere diserte profitebatur.

℞. Gummi ammoniac. ℥jß. bdell. ℥j. farin. sem sinap. sem. urtic. lap. spong. an. ℥ j. aristol. rot. ʒvi. sulph. ℥ß. terebint. ℥j. sp. vini ℥jß. ol. olivar. ℥iiij. ceræ ʒvi. M. F. S. A. emplastrum. extend. super alutam, & loco affecto applicetur, continuo gestando. Si hoc non juverit substituatur ceratum de pelle arietina tam à Medicis Augustanis commendatum: intus vero de sequenti pulvere quo alias contra hernias prodesse soleo, aliquot mensibus assumat.

℞. Pulv. rad. consolid. maj. ℥ß. pulv. herniar. ℥j. perfoliat ʒvi spong. combust. spongiæ, cynosbat. adnascent. an. ʒiij. lap. spong. ʒij. spod. terr. sigill. an. ʒiß. cinnam. fœnic. d. an. ʒj. F. pulvis.

Aliquando etiam assumpsit de sequenti pulv. contra strumam, qui Arnoldo de Villa Nova *ascribitur.*

℞. Spong. combust. pilæ marin. tost. ossis sepiæ, piper. long. nigr. zinzib. cinnamom. salis gemmæ, pyrethr. gallar. lap. spongiæ, an. ℥j. M. F. pulvis. Io. Petrus *Lotichius. obs. 9. cap. 3. lib. 6.*

Vir quidam Sarcocele laborans quum cataplasma ex althæa, farina fabarum & lacte caprino frustra usurpasset, jussus à Gassero decocto lentium in aceto facto locum fovere, deinde suffire cum thure, & superponere emplastrum de meliloto cum ficubus contusis mixto; cumque non statim resolveretur tumor, thermas ferinas cogitare cœpit, quas ipsi Gasserus dissuadere noluit. Sed his ipsis quoque non satis operantibus, quod unicum supererat remedium, ad sectionem devenit, quam testiculi jactura, tandem admittere cogebatur. Io. *Vdalricus Rumlerus obsrv. 91.*

Alius quidam hernia carnosa laborans à Chirurgo quodam curatus fuit testiculorum ex vino sublimato, & imposito cataplasmate ex absynth. malo. chamæm. rad. alth. & sect. lini, an. part. æq. conscissis & in lacte caprillo coctis. Alius etiam eodem affectu laborans, sectionem postulavit, sed Chirurgi præsentia territus, mutavit sententiam, & emollientium ac resolventium usu continuato, ramice in abscessum transeunte, & suppurato, fœliciter tandem percuratus fuit. *Idem. obs. 92.*

Ileos ex Hernia curatus.

Septuagenarius in scroto vexabatur tumore valde magno ac dolorifico, ejusdem cum cute sana coloris; tormina sentiebat in abdomine ac evomebat quicquid assumebat; jam per viginti quatuor horas hoc in statu constitutus opem meam implorabat.

Æger inter examen à me institutum retulit, se jam per longam annorum seriem laborasse hernia, quæ sæpius eum, intestino in scrotum prolapso, mirum in modum molestabat, ac iterum nullum afferebat incommodum, cum intestinum in locum suum recessisset; intestinum autem hoc nunquam antehac tamdiu extra abdomen exulaverat, quam jam; & quicquid moliebatur æger, illud reponere non potuit.

Morbum hunc satis periculosum esse, amicis prædixi, quia tamdiu extra abdomen per-

permanserat intestinum; (Sic vir 40. annorum Ultrajecto Arenacum pedes profectus incidit in herniam scrotum infestantem, cui antea etiam obnoxius erat, sed tantum in inguine, & tamen adhuc per quatuor horas incessit pedibus, unde tumor valde excrevit, eratque valde durus & dolens; æger interim semper vomebat, ac frigori expositus in stramine per totam noctem jacebat apud rusticum; postero die curru advectus est Arenacum continuo vomens. Mixtura ægro propinabatur flatus discutiens, sed eadem mox vomitu rejiciebatur; tres præterea clysteres injecti sunt, sed sine fructu; æger in bono situ positus est, fotus humidi siccique imponebantur parti affectæ, sed his nihil juvantibus ægrotus quarto ægrotationis die è medio sublatus est pulsu sensim diminuto. Aperto cadavere intestinum ileum inventum fuit gangræna affectum spithamæ longitudine, ac situm in scroto cum flatibus & excrementis duris; præterea magna pars omenti continebatur in scroto convoluta instar pilæ cum vasis sanguiferis valde distentis.) Interea autem amicos ægri admonui, ne animum nimis despondèrent, ac eum in finem iis narravi observationem octavam Riverio communicatam à Domino Ozia Aimar Chirurgo Gratianopolitano, in qua post multa remedia per novem dies in cassum usurpata, intestinum per totidem luces in scroto commoratum, repositum fuit feliciter incisione facta usque ad productionem peritonæi quæ intestinum strangulabat.

Sed unde provenit, quod in hernia intestinum prolabatur in scrotum, aliasque partes? Ob relaxationem peritonæi, quæ exoritur ex eo, quod multi ejusdem tubuli obstruantur, inque illis stagnent ac coacerventur humores, qui progressu temporis se insinuant inter fibrillas peritonæi, illudque hoc pacto relaxant.

Cur jam intestinum in scrotum nostri patientis delapsum, non tam facile rediit in abdomen, quam inde egressum est, cum via sit eadem? Hoc præcipue contigit, quia intestinum tandiu extra abdomen permanserat, ubi minor est calor; nam pori intestini eo modo aliquatenus obturati impedivere quo minus vapores ob minorem calorem etiam aliqua ex parte condensati ex intestino in scroto decumbente libere quaquaversum egrederentur, quapropter illi coacervati sunt in intestino, illudque distenderunt flatibus vulgo nuncupatis.

Hinc igitur manifestum satis evadit, præcipuam hujus mali medelam consistere in eo ut pori intestini extra ventrem exulantis obstructi recludantur iterum, ac vapores aliquousque condensati, majore motus ac agitationis quantitate donentur, ut sic rursus concitato gradu circa propria sua centra rotentur.

Utrumque hunc effectum consequutus sum lino nendo recenter contorto ac nondum coctione depurgato, nam ubi hoc prius in lacte dulci coctum calide per quadrantem horæ fuisset impositum parti affectæ, intestinum blanda manus agitatione, in abdomen ægri in bono situ collocati remigravit.

Æger hoc pacto ex vicinis orci faucibus ereptus postea cum piscatore ictus sapuit, ac gestavit vinculum ferreum externe vestitum ad intestinum intus retinendum; nam homines provectæ ætatis à tali malo prorsus velle sanare, est oleum ac operam perdere; contingit enim admodum raro, quod Fabric. Hildanus refert in lib. suarum observation. nimirum sexagenarium per 20. annos hernia magna laborasse intestinali, quæ à nullo Chirurgorum aut Medicorum potuit sanari, eumque senem postea sine medicamentis in totum esse restitutum pristinæ sanitati, postquam morbo aliquo periculoso decubuerat in dorso per semestre spatium, ideoque optimum contra herniam remedium citatus Autor esse affirmat quietem & decubitum in dorso.

Hernias vero puerulorum sæpissime sanatas esse vidi, & quidem præsertim circa octavum ætatis annum, bona fascia ex linteo confecta ac emplastro carminante Sylvii extenso super corium, quod reperitur prax. lib. 1. cap. 12. tit. 58. in quo tamen unum errorem, quem neminem secuturum spero, annotare lubet, sc. quod gummi, galbanum, aliaque solvantur in aceto salem volatilem eorum non parum infringente.

Juramentum Medicorum in Academia Ultrajectina jubet, audita vel visa inter curandum, non enuntianda, involvere silentio, hocque stricte observandum puto in herniis juvenum, quandoquidem hoc malum puellis invisum magis esse solet quam par est, quod, antequam hanc observationem finiam, exemplo declarare mihi proposui.

Recenter nupta virgo, ubi prima vice lectum cum suo sponso esset ingressa intrepida manu mox illas mariti partes contrectat, quas Adamus sibi ficuum foliis statim post lapsum contexisse legitur, atque ita eundem hernia divexari ex vinculo quod gestabat animadvertit, unde fere in furorem acta, hæc in verba erupit: pudeat te conjux quod Amasiam tuam tam impiè deceperis; quid consilii mihi miseræ? Perii profecto; num tam malè conformatum corpus puellæ in flore ætatis constitutæ, ac annum decimum octavum nondum egressæ satisfacere potest. Minimè, actum est de me; emori mallem, quam tecum amplius habitare.

Maritus, hac superre interea temporis serio philosophatus, placido sermone tandem respondit; bono animo sis, anima mea, vanam ac supervacuam hanc, meum corculum, depelle solicitudinem, quoniam polliceor tibi, me pro virili conaturum efficere, ne unquam hac de re conquerаris amplius, ac novem mensibus vix elapsis experientia mariti verba confirmavit gemellis, quos enixa est uxor, postea mutire vix audens de imaginaria conjugis impotentia. *Joh. Muys in Prax. Chirurg. Rationali.*

Hernia inguinalis, cum gangræna.

Thomas Adeler, eques Anglus sexagenarius, herniam in inguine sinistro per multos annos habuerat. Anno 1657. mense Septembri inte-

intestinum, quod in herniam inciderat, nimiis flatibus distentum, atque hinc disruptum fuit, ita ut stercora in herniæ capacitatem prolaberentur. Hæc proluvies gangrænam cum fœtore intolerabili parti statim induxit, quæ inde cito putrefacta & disrupta fuit, atque ita fæces alvi ordinarie per herniam foras produxerunt, nunquam per anum. Ego vocatus prædixi ægrum evadere non posse: ne tamen incuria mea perire videretur, per Chirurgum applicare jussi spiritum vini cum melle rosato & unguento ægyptiaco, usque dum partes gangrænosæ à sanis separarentur & deciderent. Tunc intestinum non tantum ruptum, sed omnino transversim abruptum esse, ejusque partem superiorem foras propendere, hincque stercora producere animadvertimus. Hic intestini finis progressu temporis carnosior evasit, & quasi carneum annulum acquisivit, qui annulus cum vicina carne firmiter coaluit, ita ut postea intestinum hoc loco semper fixum & apertum remanserit, atque inde ægro præter voluntatem alvi fæces semper effluxerint. Huic parti postea cacabum parvum æneum, commode adaptatum, semper appensum gessit, sic reliqua sanus, quocunq; vellet deambulans. Nonus jam agitur annus quo huic molestissimo oneri assuetus nunquam ægrotavit.

Rarissimum hoc est & notatu dignum exemplum. Antehac nunquam credideram intestinum abruptum in inguine cum vicina carne coalescere posse, quod tamen in hoc ægro oculatus testis me vidisse testor, nunquam antea à me observatum, licet hujusmodi intestinorum rupturas in aliis aliquoties viderim. Si forte intestinum abruptum inter carnosos abdominis musculos foras erumpat, tale quid aliquando contingere posse verisimile videtur, cujus rei notabilem casum Platerus observat. lib. 3. sic describit. Capitaneus quidam ante annos multos in ventre vulneratus, stercus per fistulam, quæ sanato vulnere illic remanserat, multos annos incolumis alioquin & superstes, excrevit. Cujus causam investigans ex anatomicis observationibus, certis argumentis collegi, intestinorum vulnera, si illis in locis, ubi carneæ musculorum abdominis portiones existunt, ventrem penetrent, agglutinatis tunc utrinque, & intestinorum & musculosæ carnis, vulnerum in ambitu labiis, viam fieri posse, per quam stercus extra corpus educatur, & in abdominis cavum excidere prohibeatur, eaq; vulnera licet consolidari nequeant, minime tamen esse lethalia: quod etsi rarum sit, tamen & in aliis partibus, ut vesica, accidit. Idem Platerus proxime sequenti observatione adhuc alium similem casum enarrat. Joannes Hornung Medicus Heidenheimensis, epist. ad Gregorium Horstium, enarrat historiam rustici cui è vulnere abdominis intestinum rectum vulnere lato apertum exivit, neque à Chirurgo intus reductum est, sed sanato abdominis vulnere, toto vitæ tempore foras propendit, naturalem colorem retinens, sed paulatim crassius ac carnosius evadens, per quod propendens intestinum fæces alvi cum magno fœtore excernebantur, neque amplius ab ano prodibant. *Isbrand. de Diemerbroeck in Observat. & Curation. Medic.*

Epiplocele cum sarcocele conjuncta, ex erosione omenti complicati, enata carne in spithamæ longitudinem ex inguine propendente

Quidam Estensis in Patavino Xenodochio habuit prominentiam longam spithamam, instar priapi ex inguine luxuriantem, ubi processus peritonæi, crassam vero duos digitos transversos, adeo ut non inconcinne æmularetur formam alterius membri virilis. Cum vero ab ægro quærerem hujus morbi originem, atque negaret esse intestinum prolapsum, ex ejus verbis conjectura assecutus sum, esse omentum complicatum, cum prius Bubonocele laborasset, postmodum abscessu, quo disrupto, prorupit omentum, atque sensim ita convolutum fuit, illique propter erosionem caro quædam inter plicas accreverat in prædictam formam; quem hoc modo curavi. Primo expurgatis humoribus redundantibus, portiunculam dictæ prominentiæ secui, ampliato usque adeo vulnere, ut omentum implicatum se proderet; quod duobus, vel tribus post diebus secui ex toto ad inguina usque; tum digerentibus; demum consuetis exsiccantibus cicatricem obduxi, incolumi adhuc nunc ægro, & omni molestia vacuo. *Petrus de Marchettis in Observat. Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

Bubonocele loco bubonis Venerei ab imperito barbitonsore secta, prodeuntibus alvi fæcibus, brevi temporis spatio sanata.

Villicus quidam Bubonocele laborans, barbitonsorem accersit, qui Venereum bubonem cum existimaret, ejus proinde sectionem suadebat; quanquam æger cum nulla alia muliere, uxore propria excepta, rem se habuisse sancte affirmaret, honesta equidem, ac pudica; cum vero tonsor opinionem suam tueretur mordicus, atque omnino sectione opus esse, eam tandem miser villicus admisit, ex qua cum fæces erumperent, statim in lipothymiam prolapsus est, tonsore obstupescente. Ego vero cum casu illac transirem, vocatus, statim digito compuli intestinum in locum proprium, applicato ovi albumine, cum sanguine draconis, atque linteolo quadruplicato compressione facta arctius nonnihil constrinxi quatuor dies, à quibus cerato demum ad herniam ab Aquapendente usus, spatio decem dierum, sectæ partes coaluerunt. Tandem meo consilio totum vitæ tempus gestato cingulo, multos annos incolumis vixit. *Idem ibidem*

De Hernia intestinali.

Filiolus nondum bimulus prænobilis Viri S. P. herniosus, prolapsis per peritonæi processus intestinis, catarrhis & tussi molestissima gravissime adfectus, ægrotavit hyeme jam adulta. Adhibita in rem plurima. Concussio corporis à tussi intestina, quamvis reposita & fasciis ac subligaculis constricta, sede tamen sua contineri non est passa. Accessit Lithotomi uxor, adducta à peregrino Chemiatro, quæ ventri Cobitides barbatulas imposuit, ut nescio qua virtute intestina

testina prolapsa retraherentur, & loco suo firmarentur. Sed puer tamen obiit. Unde contentiones haud leves mixtis conviciis inter Medicos utrinque, parum decoræ; magnetismum hinc illo defendente, illinc autem altero mortis causam interminante, quæ quomodo tandem transactæ fuerint, non satis constat. Nos interim interrogati respondimus, curationem ejusmodi mere empiricam, non quidem lethiferam, sed tamen ineptam, & inutilem fuisse, ipso eventu attestante, dum nugis ejusmodi certiora præsidia intermitti oportebat. *Georg. Hieronymi Velschii.*

Herniæ intestinalis cura temeraria lethalis.

I. B. I. F. de K. hernia intestinali, seu bubonocele per multos annos laboraverat, cui sæpius intestinorum pars, neglectis fortasse fasciis & decente subligamine, in inguine aliquando valde prominens ac refrigerata dolores acerbos causavit, & nullo modo quam fomentis tepidis emollita in ventrem recessit. Sed cum sexagenario ob flatuum abundantiam iterum accideret hoc malum, intermissa deligatione socidelita, intestinum diu nimis propendens refrigeraretur & indurescerct, circumforaneus quidam perseveranter promiserat, se intestinum propendens facile intrusurum, & herniosum hunc affectum perfecte curaturum; verum ob renixum & contractionem cutis dilaceratæ, ac intestini inflati & indurati magnitudinem, scalpello cutem & peritonæi membranam prolixius dilatavit, intrusoque violenter intestino nec prius emollito nec tepefacto, cutis discissæ ora confibulavit, ab emplastro imposito fasciis deligavit, attamen brevi post patiens febrem ardentem cum animi deliquiis sentiens, & accedente sphacelo intestinorum, paucos intra dies vitam cum morte commutavit. *Helvvigii.*

Scholion Schrockii.) Ut Agyrtarum in decipiendo promptitudo temeritate ubique circumvallatur, sic & in herniis eandem multoties spectandam impune exhibent, quas duriter tractare, & absque necessitate crudeliter secando adgredi sunt paratissimi, necessaria partium, quas incidunt, cognitione vacui, nec symptomatum supervenientium medela instructi, sed unico experimentorum, quam morte aliorum sibi comparant, fulcro cœci incedentes, vilissimoque ut plurimum ab ortu ad opus hoc accedentes: qualem herniotomum Guil. Fabr. Hildanus præfat. Oper. chirurg. delineat, qui subulcus porcos castrare cum didicisset, in hominibus postea idem tentaverat. Sed præstat unum alterumque exemplum in curando & secando temerariorum hominum ac imperitorum nebulonum indigitasse: Herniæ omentalis in lanione, nec non intestinalis in alio perperam, & cum ægrorum interitu curatæ habet Malach. Geigerus Kelegraph. cap. 3. Adolescenti in præpostera herniæ inguinalis sectione, ab agyrta pennato cujus fallax anima sacco holoserico inclusa fuerat, intestinum vulneratum narrat Philipp. Hochstetterus dec. 10. obs. med. cas. 3. Intestinalem agyrta rusticus, sarcocelen forte reputans, suppuratione curaturus, in exitium deturbaverat ægrum, ceu refert Henr. Salmuth. cent. 1. obs. med. 10 Contra Gallum agyrtam, herniarum curam filo aureo certissimam pollicitum, Henricus ab Heer obs. med. 22. invehitur, quem filo ferreo mercurio crudo oblito, intestinum ileum una comprehendisse, & valida contorsione fecibus per inferiora exitum letaliter præclusisse, memorat. Barbitonsor imperitus villico bubonocele, quam venereum bubonem crediderat, laboranti, ejusdem sectionem persuadens, purulentæ materiæ loco, feces erumpentes obstupuit; ægroto tamen exercitatissimi Petri de Marchettis ope, restituto, quod ipse recenset observat. med. chirurg. 55. Cui consimile exemplum producit Hieron. Fabricius ab Aquapendente tract. de operat. chirurg. cap. de bubonocele. Sic etiam, quodam Naturæ lusu aut errore, testiculum in inguine reconditum habentes, aut tertio insuper præditos, pro herniosis miserrime frustraque diu vexatos scimus; quales vidisse se testatur citatus Geigerus, nec non Ambros. Paræus lib. 7. oper. chirurg. cap. 16. Notabilis quoque est historia, quam Aquapenden. cap. de intest. hern. exhibet, adolescentis nimirum, testiculorum naturalem in magnitudine diversitatem ignorantis, atque ex sinistri majore mole herniam pertimescentis; quam cum herniotomo ostendisset, & nisi testis extraheretur, mortem instare, persuaderi sibi passus fuisset, jam legatus castrationem exspectabat, nisi Fabritii consilio à carnificina ista liberatus fuisset. Scilicet quæstuosa cum sit illa sectionis crudelitas, quam præter dolores, testiculi jacturam, ipsiusque vitæ periculum, care satis redimere ægroti coguntur, herniotomi isti inhumani ad persuadendam cum ferro medelam sunt expeditissimi; quamvis plurimi, non pueri tantum, sed adultiores quoque, solo medicamentorum usu, sedulaque deligatione, vel omnino curari, sed saltem minori cum discrimine degere possent. Hinc Bartholinus cent. 4. Epist. med. 22. Herniam, scribit, inguinalem in adultis pro incurabili non habeo, si vel recens sit, non inveterata, vel imperfecta tantum sit, tunica vaginali nonnihil dilatata. Utrobi enim canica vaginali nonnihil dilatata. Utrobique enim tunsu non difficulter primo reponendum est intestinum, deinde pars emplastro adstringente & vinculo munienda. Sic Paulus Ægineta lib. 3. de re med. cap. 5?. multos pueros citra manus operam medicaminibus impositis, & convenienti deligatura persanatos refert. Joh. Sculterus innumeros, longo temporis progressu, magna adhibita cura, remediis, bracherio, victusque bona ratione pristinæ sanitati se restituisse; quos vero vel ob adfectus magnitudinem, vel ejusdem diuturnitatem integre sanare non potuerat, incrementum saltem enteroceles se prohibuisse, testatur part. 1. Armament. chirurg. tab. 39. Hinc male facere, part. 2. obs. 64. judicat, qui malunt à Castratoribus torqueri, quam Medicis mitiora bene consulentibus per mensem obedire; prout nec illos Medicos laudem mereri, qui ab ægro rogati Orchotomis adstant, & Circumforaneos male operantes non corrigunt. Quod etiam de inguinalibus puerorum herniis Ambros. Paræus l. c. cap. 15. fatetur, remediorum ope multos à se sanatos, & castratorum manibus, testiculorum puerilium avidis, ereptos scribens, quin & de adultioris ætatis homine exemplum proferens. Et præfatus Fabricius ab Aqua-

Aquapendente, Horatium de Norsia, operatorem hac in re maxime exercitatum, & qui plus quam ducentos quotannis castrando curaverat, postea nec etiam viginti sectioni huic subjecisse refert, cum bracherio & adstringente medicamento imposito plerosque sanari observasset. Quin & Nicol. Monardus de simpl. medic. ex Novo Orbe delat. cap. 72. solam ligaturam decentem sufficere posse existimans, nulla herba aliave re imposita, cujusdam Cordubensis mentionem facit, qui omnes herniosos eo modo curaverat. Atque Joh. Bapt. Helmontius herniæ bene ligatæ citra exspectationem sanatæ meminit tr. Pueril. humorist. vindict. p. m 323. cum patiens ex ossifragio diu lumbis decubuisset.

Hernia inveterata periculosa.

Dn. V. C. de W. Ann. 1663. die 29. Aprilis ventris constipationes flatulentas & dolores lancinantes sentiebat, & inquiete dormiverat, ideoque sequente diluculo Medicum accersiri jussit, de iis doloribus, præsertim in lumbis ad latus sinistrum ac in inguine dextro, calculum renalem fore putans, querebundus remedia petiit. Sed cum ex gressus & loquelæ difficultate Medicus jamdudum herniam quamdam suspicatus, quam æger per viginti septem jam annos tolerans, præ pudore celaverat, nulloque unquam medicamine, nec auxilio, nec ligatura ad sublevandum tam grande pondus usus erat, inde omnium medicamentorum successus difficiles fore hic aperte pronunciavit, nihilominus pro morbi statu & qualitate caute procedens ad ventrem leniendum, ac dolores flatulentos amoliendos, potionem brevem laxativam & carminativam, atque fomentationes externas, itemque alia interna, non omissis cordialibus, præscripsit, per quæ die 21. Aprilis evacuationes tres leves ille habuit, dolorum mitigationem quandam sensit, sine ulla urinæ difficultate, aut suppressione, quapropter patiens bonam revalescendi spem conceperat. Subsequente vero nocte diei 22. Aprilis morbus, seu dolores lancinantes cum corporis in lecto circumjectatione magna, recruduerunt, quocirca inter alia mitigantia, ad instantiam ipsius ægri, insessus balnei ex decocto emollientium & flatus discutientium, cum bono, quamdiu insederat, sublevamine, quod ipse prædicabat, concessus fuit, sed subinde adveniente ob longiorem moram in balneo, virium prostratione & spirandi difficultate, ventre rursus constipato, circa vesperam portionem quandam cassiæ extractæ in jusculo sumpsit, suppositorioque sub nocte applicato, quæ tamen præter spem nullam sedem moverant; nox quidem paululum quietior fuit. Mane autem, die videlicet 23. Aprilis circa horam quartam, coram Medico nihil pene quam anhelitum difficilem querens patiens, maturius levamen desideravit, & cum Medicus vix quicquam scriberet, & ad pharmacopolium mitteret, æger ad alvi secessum se propere commovens, administrantes advocavit, tunc subito illi spiratio deficere videbatur, & lente sic inter suorum brachia occubuit. Post obitum hernia inspecta, quam vivens ille valde pudibundus ab aliis conspici & contrectari unquam noluit, inventa est magnitudine caput viri robustissimi excedens, atque pondere aliquot librarum extra corpus dependens, vixit vero ille ad mortem usque in cælibatu. Helvvigii.

Scholion Schrocki.) Ex incuria, pudore & negligentia maximas tandem oriri posse hernias, non est dubium; intestina enim, via ad scrotum inventa, cum pondere gravia sint, sensim magis magisque eo devolvuntur. Tales amplissimas hernias Olaus Borrichius in centur. 4. epist. medic. Bartholini 92. Joh. Mekeranus cap. 5. observat. chirurg. Felix Platerus lib. 3. observat. pag. 756. & Johann. Freitagius apud Gregor. Horstium lib. 2. epistol. medic. sect. 19. &c. descripserunt. Quarum sane cura difficillima & utplurimum frustranea exsistit; præcipue si, quod facile accidit, inflammatione, & quæ eam insequitur, gangræna corripiantur intestina prolapsa, sive à frigore externo lædantur, flatibus fæcibusque distenta compressionem patiantur, adeoque sanguinis liberior ibi transitus inhibeatur; sive justo calidiora interna externave remedia in usum ducantur; aut etiam violentiori manu tractentur; qua ratione, alias inter animadversiones, in curatione enteroceles notandas Dominic. Panarolo cent. 2. observat. med. 49. primo loco monere placuit, à Chirurgo sæpius manum haud admovendam esse, cum alias dolor; & cum dolore attractio crescat.

Hernia Curata.

Filium meum Henricum, cum in Patriam meam misissem, ut fugeret pestem Brigæ grassantem, ibidem herniosus factus est, intestinum prominebat in Scroto dimidii digiti longitudine. Postquam id digitis intro adegissem, præscripsi pulverem, qui Rec. Fol. Consol. Sarac. Sem. & fol. perfol. ana. ℨiiß. Fol. Pilosell. rad. Consol. maj. ana. ℨß. Sach. penid. ℨv. M. F. Pulvis. De hoc indies mane usus est in jusculo & quievit aliquot horas. Inunxi etiam inguina Ol. momord. & imposui Emplastrum contra Rupturam. Subligaculo etiam usus est aliquandiu, quod tamen postea amovi, & ita integre Dei beneficio curatus est. Egit annum fere quintum.

Scholion.) Fuit Enteroceles, Curatio, quam eventus comprobavit, est egregia, & nullus dubito, quin in aliis eundem exitum & emolumentum præstitura sit. Æger fuit Avunculus meus, qui in senium & ad Mortem usque nunquam huic malo amplius fuit afflictus. Ita ut sane integre & perfecte restitutus fuerit. *Christoph. Roesleri.*

Enterocele desperata, curata.

Andreas *Nuck.* Gottlaviensis, anno 1661. d. 8. aug. hernia intestinali diu laborans, agros sulcandi ergo campum adit, sulcando autem, nimiumque se movendo, intestina in scrotum prolapsa sentit; domum itaque delatus, varia adhibuit remedia domestica. Parum autem istis proficientibus, quin potius symptomatis aliis pluribus irruentibus, in pejus ruit. Obortus enim deplorandus ille affectus Miserere mei, singultus insuper

insuper vehementisſimus, à vicinis ultra ſextam etiam domum auditus. Summo itaque in periculo conſtitutus æger meum implorat auxilium. Intuito autem miſero ægri ſtatu, ipſemet expavi, tum, quod remediis convenientibus non ſatis eſſem inſtructus, tum quod ſcirem fruſtraneos eſſe tali in caſu ſæpè conatus. Quo autem adſtantium, ægri imprimis, votis ſatisfacerem, de iis, quæ in pago ad manus erant, medicamentis, fui ſollicitus, ex horto itaque prope ædes ipſemet collegi ſeq. herbas pro clyſtere fomentoque v. g. herb. malv. alth. viol. alſin, chamom. an. M. ii. coq. in ℔. iii. lact. vacc & diſſol, butyr. rec. ℥ iii. mell. ℥ ii. diverſis vicibus injectus eſt clyſter &c. Species autem ſacculis duobus inditas, fomentationis ergo alternatim calidè impoſui, totumq; abdomen fovi. Coxi & inſuper potionem ſequentem, quam frequenter aſſumpſit.

℞. Herb. equiſ. M. i. rad. liquirit. ſem. aniſ. carvi. an. ℥ ß. Quamvis autem hæc omnia ritè facta ſint, de mortis tamen neceſſitate nemo non cogitabat. Convocatis itaque amicis, Parochoque Dn. Scheffero, voluntatem ſuam intimavit ultimam, viaticoque ſacro accepto, & mihi & adſtantibus cæteris porrecta manu, vale dixit. Continuantibus autem nobis medicamentorum applicationem, fomenta imprimis diligenter adhibendo, inſigni crepitu ac ſtrepitu, inteſtina in abdomen ſunt regreſſa. Hinc fœcum per ſuperiora ejectio, ſingultuſque inhibitus. Æger autem paulo poſt optimè exoptateque reſtitutus eſt. Vivunt autem hujus rei in Gotlavv. hodie num adhuc & æger, aliique adſtantium teſtes veridici plures. *D. Iohannis Friderici Ullmacheri.*

Enterocele enormis dextera manu reducta Recidivæ metu caſtratione poſt feliciter inſtituta.

Devolvebatur frequenter in ſcrotum inteſtinum Mag. N. B. Horologiopœo Genevenſi: Anno 1670. tam enormis ſupervenit illi delapſus ut omnia inteſtina illuc devoluta crediſſes; Scrotum ad capitis biennis pueri magnitudinem intumuerat; Advocati Chirurgi, iique non imperiti, operam inanem ludebant, nec enim reductionis ullum exordium apparebat: Inflammatio tantum progreſſum fecerat ut gangræna in procinctu eſſet, jamque ſpes omnis ſalutis ægro & aſſidentibus exciddiſſet. Notus mihi erat peritiſſimus Herniotomus in proximo diſtrictu oberrans, Coletius Filius; Fortuito & fauſte ea die in urbem advenerat; & quanquam de ſucceſſu dubius eſſem, ille tamen repoſitionem inteſtini aggreſſus, tam celeri manu eam abſolvit, ut duodecima horæ pars interim vix effluxerit: Cohibito gangrænæ progreſſu, ſedata inflammatione, ac ſpatio conceſſo ut æger vires collapſas reſumeret, Eunuchiſmus ab eodem Coletio ſuſceptus. cui non invite ſe ſubjecit miſer, eadem felicitate & celeritate perfecto, adeo ut intra octiduum plane convaluerit: Eandem Operationem, in non diſſimili Enterocele, ante biennium in conſanguineo cognomine, eadem induſtria eventuque æque felici præſtiterat: Ut hinc, aliiſque exemplis, colligere liceat affectum hunc hæreditariis adnumerandum eſſe: Neque tamen artis peritia (præ chirurgorum quorundam timore & κακοζήλια) jus civitatis comparare illi Herniotomo licuit, etſi apud nos endemium ſit id malum, *Th. Boneti.*

Hernia Curata.

Dominus Balthaſar à Rotkirch cum jam 50. & aliquot annorum eſſet, dicebat ſe curatum Subligaculo & crebro uſu Conſolidæ ſaracenicæ & perfoliatæ in juſculo cum axungia gallinæ, melle & butyro majali. Sed per annum his uſus eſt.

Scholion. In Pueris quidem cura herniarum non tantum difficultatis habet, quantum in Senibus, cum ipſorum Humidum radicale adhuc inexhauſtum, nec humores tanta acrimonia ſcateant, ut glutinationem impedire poſſint; tamen aliquando hanc curam etiam in ſenibus ſuccedere, ſi in uſu medicamentorum perſeverent, inter alia & hoc Exemplum teſtimonium ſatis luculentum exhibet. Sed in hoc voluptuoſo ſeculo neceſſum eſſet ut Medicus Patientiam, ſi vendibilis eſſet medicamentis admiſceret, nam delicatiſſimi homines, cum adhuc in primoribus labiis medicamentum verſatur, effectum & levamen deſiderant. Ad curam quod attinet, Conſolida ſaracenica vulneraria eſt, & aſtringit, ut & perfoliata: itaque diutiùs uſurpatæ optimum effectum dederunt. *Chriſt. Rœsleri.*

Enterocele per tiliam fiſſam ſanata.

Puellus annorum octo hernia inteſtinorum laborans cùm aliquandiu hic Chirurgi alioquin ſatis periti, opera fruſtra uſus eſſet, quod ſectionem non admitterent parentes, revocatur domum, conferunt conſilia vicinæ, exempla narrant felicis tiliæ ad urbem Halmeſtadium enatæ, cujus ope, plures ab ejuſmodi malis liberentur. Quid multis? perſuadetur ſollicita mater, & cum filio iſtuc excurrit; quæritur in nemore viribus incluta arbor, & tandem reperitur. Hic puellus exuere ſe omni veſtium apparatu, & in morem Dianæ nudæ (ita enim juſſerat arti huic præfecta neſcio quæ Canidia) per rimam tiliæ hujus junioris manibus duorum valentulorum juvenum eo ipſo temporis articulo diffiſſæ ter ſaltu celeri ſe proripere. Peracta fabula veſtitur iterum puer, rimæ arboris cera & terebinthina admiſtis coëunt, & nobilis effectus ſenſim promittitur ſecuturus. Nè longus ſim, convaleſcit paulatim ſaucia arbor, & cum arbore paulatim æger, utque frondere iterum illa incipit, ita firmari ſanitas puelli. Quo audito ſubiit animum conatus Maroniani illius amatoris Ecl. x.

Certum eſt in ſylvis inter ſpelæa ferarum
Malle pati, teneriſque meos incidere amores
Arboribus: creſcent illæ, creſcetis amores.

Similia memini ante paucos annos in Harlemenſi nemore attentata fuiſſe, & tum quidem in fiſſa quercu ſucceſſiſſe experimentum: Scrutentur hic alii occultas rerum abditarum cauſas, Ego nihil video præter ſuperſtitionem. *D. Olai Borrichii.*

Sarcocele ex operatione inſtituta lethalis.

Vir quidam honeſtus ſeptuaginta circiter an-

nos natus ad nos non ita pridem adveniebat. Is jam dudum Sarcocelem gestaverat, ejusque grandioris pondus, quantumvis molestum, tacito concluserat pectore; verùm dolores ultimò adjuncti, eum tandem ad opem chirurgicam implorandam compulerunt, idque sanè malô suô fatô; nam cum Chirurgus è nostris alias dexterrimus, ac in ministeriis suæ artis peritissimus, separationem sarcoceles moliretur, nec satis explorasset an hæc à separatio intactô testiculo fieri posset, incisione sufficienti factâ, arreptoque tumore per eam extrahendô, testiculus undique adhærens identidem subsequutus est, sicque castratio in decrepitô peragenda fuit à minus ad hanc operationem præparatô artifice, quæ quidem satis bene pro tempore cedere videbatur at tertiâ die derepente suborta est pessimi ominis raucedo, atque mors quinta subsequuta. Videant itaque quibus talia committuntur negotia ne temeriùs rem aggrediantur.

Anatome Sarcoceles.

Sarcocelen variè definiunt Auctores. Celsus l. VII. c. XVIII. Raro, inquit, sed aliquando caro quoque inter tunicas (testiculi) increscit σαρκοκήλην Græci vovant. Galenus l. de tumor. præt. nat. testiculos vocat induratos, & l. XIV. meth. med. eandem scirrhis non improvidè comparat. Hodie tamen Medicorum plerique, ut clarius rem exprimant, Sarcocelen interpretantur, quoties carnosum quiddã in scroto testibus adnascitur. Atque id quidem nonnunquam contingere, haud inficiandum, prostantque apud Hildanum, & Lotichium exempla; frequenter tamen sarcocele nõ tam adnascitur testibus, quam innascitur, hoc est, totum testem, ejusque vasa omnia materiæ novæ accessu ita infarcit, & porrigit, ut aliquando etiam vigecuplo se ipso gravior, amplior que evadat. Hoc ut sæpè alias, ita superiori quoque hyeme in mercatore Samio mihi observatum, cui ablatus ferro chirurgi ramicosus testis pendebat semuncias XXXIV. durus ille quidem toto corpore, & massæ carneæ nervosis hinc inde gyris distinctæ similis, sed neque ad latus, neque in gremio suo ullum alium testiculum naturalem complexus. Dissecta enim quaquaversum informi mole, ut testiculus verus, quem intus delitescere quidam suspicabantur, in conspectum veniret, deprehensum clarissimè fuit, totum illud enorme corpus testem fuisse, sed testem à sanguine, ut conjicere licet, admisso, verùm propter vel contusionem, vel frigus, vel pituitam nimiam ad superiores partes non remisso, eoque in carnem degenenem coagulato distẽtum. Proinde, non satis providi rei æstimatores mihi videntur, qui confirmatam σαρκοκήλην vel medicamentis discussisse se, vel discuti posse evulgant, quod nimium occalleat massa illa, & mille plexibus nervosis, iisque solidis cõtrahat invictam duritiem. Crediderit Matthiolus in Dioscoridem, crediderit Sculterus in Armam. chirurg. sese sarcocelen pulvere ononidis percurasse, nihi tamen mihi sit verisimilius, quam fuisse hydrocelen duriori cortice circum datam, atque ideo sarcocelen mentientem. Atque ut id credam, præter jam allata, persuadent tum similia passim exempla apud Forestum, Sennertum, alios, docentia artifices sæpe aqua profundius in testiculorum sinubus latente deceptos pro carnosis æstimasse herniis, quæ fuerint aquosæ; tum docet radix ononidis, quæ cum inter nobilissima diuretica sit, aquas haud dubiè in sinu testium intimo occultatas paulatim eduxit, atque ita concidentibus sensim in se involucris durioribus, sarcocelen æstimata fuit sustulisse. *D. Olai Borrichii.*

Usus Catechu in hernia varicosa.

L. L. Studiosus 24. ann. cum ante aliquot annos laborasset hæmorrhoidibus, Spleniticus, in sinistro latere in vasis spermaticis, ubi ex peritonei processu in scrotum inseruntur, tumorem varicosum mediocrem duos jam annos passus est, duriusculum & dolorificum, præsertim, si stare diutius cogitur. Adhibitis resolventibus & aperientibus, externis & internis, mollior redditus est tumor, à frigore jam recedens, contractis sc. vasis, quod etiam decumbenti contingit, tandem dato pulvere terræ Japonicæ præp. tam solo, quam cum Antimonio Martiali cachectico remixto, optimum præ reliquis sensit levamen, imminui scilicet eundem referens, & melius habere. Non dubito, si continuaverit, ut est affectus chronicus, & pars corporis remotior, plenariè propediem ipsum restitutum iri. *D. Georg. Wolfgang. Wedeli.*

De Enterocele abscessu inguinis spontaneo sanata.

Operarius quidam enterocele laborans sinistri inguinis, repositis intestinis, gestatoque trium mensium spatio subligaculo, per integrum postea triennium absque ulteriori incommodo vixerat. Quo tempore elapso, à motu vehementiori, laboribusque durioribus, denuo in herniam loci illius, maximis junctam ventris doloribus, inciderat, quos variorum calefacientium fomentorum, ex cumino &c. concinnatorum, adplicatione uxor ejus abigere diu, sed frustra tentaverat; tandem à Chirurgo intestinum quidem, difficili licet & multo cum labore repositum, atque subligaculi ope egressui via rursus occlusa fuerat. Paucis tamen post diebus, inguinis illius dolor & inflammatio supervenit, in abscessum denique terminata; quo brevi, ab imposito pharmaco, rupto, copiosum pus evacuatũ vulnusque amplum satis & profundum debite tractatum, labia inprimis ejusdem invicem adducta, & in cicatricem ut abirent, curata fuerunt; quæ partes subjectas duritie sua comprimens, ne delapsuro iterum intestino transitum concederet, præcaverunt. Adeoque, quod antea bracherii solius gestatione effecerat, jam callosa cutis duritie per iculum felicius avertit. *D. Lucæ Schroëckii Lucæ Filii.*

Sarcocele.

Sectioni Sarcoceles in milite in vico Aurigarum interfui cum D. Moinichenio & D. Kolichen, à Lithotomo Laurentio Nicolai feliciter & dextre administratæ. Aperta cute inguinis dextri, testiculus dexter, quid à capitis puerilis magnitudinem excreverat, separato τῷ δάρτῳ scroto, extractus & resectis vasis spermaticis, prorsus exemptus fuit, magno militis alias corda-

cordatissimi ejulatu. Ligatis vasis, consutum scrotum,& cætera, ut vulnus decet, curata. Dissectus hic testiculi dextri tumor, glandulosam substantiam ostendit ea magnitudine auctam, ut oneri esset militi satis valido. Infima vero parte vesiculas intra membranam continebat, sanguine plenas, qua parte de maximo semper dolore, ob distentionem tunicæ sensilis, conquestus fuerat. Tormentorum oblitus ad militares functiones postea rediit. *D. Iacob. Schmid.*

De ossiculis ex Sarcocele suppurata prodeuntibus.

Quam varia sæpe & insolita reperiantur in corpore humano, & subortis imprimis in eo abscessibus corpuscula, sive aliunde eo translata, sive in ipsis etiam genita, plurimis observationibus passim extantibus docemur: Inprimis vero Calculos in omnibus fere partibus genitos quis nesciat, qui etiam nec partes generationi dicatas immunes abire permittunt, velut in prostatis lapidem infixum fuisse deprehensum refert M. Donatus lib. 4. H. m. mir. cap. 30. Calculum magnitudine pisum fere superantem describit. I. R. Saltzmannus in observ. anat. u timis: Ex testiculo quoque ulcerato lapides exemtos habet Pachequus in observ. 1. Riverianis 44. Ipsum semen in vasis ejaculantibus petrificatū legitur in Zodiaco Med. Gall. Anni. m. Mart. Obs 4. Ast ossa etiam in abscessibus quod reperta fuerint, id revera inter rarissima est connumerandum, Cujus tamen fidem faciet sequens, quam communicare libet observatio. D. P. G. aurifaber, per plurimos annos dextri testiculi tumore ad capitis infantilis magnitudinem tandem adaucto, & ipsum inguen, ut hinc brachii crassitiem æquaret, simul occupante, à variis in consilium adhibitis Chirurgis primo Hydrocelen, postea cum testiculum equo insidens durius ephippio impegisset, Sarcocelen pati creditus; tandem frustra in usum ductis plurimis remediis, ante septennium à Natura ipsa, optima morborum medicatrice, auxilium invenerat; siquidem in eodem latere sponte aperto scroto, serum primo aliquandiu, tandem plurima, & vel ad quinque uncias quandoque, purulenta materia egressa fuerat, sicque usu mundificantium & traumaticorum per siphonem injectorum, tumore paulatim decrescente, durum quid in orificio ulceris Chirurgis, *Ioann. David Freitagiis*, patri & filio, quorum dexteritate tum curabatur, sese obtulerat; quod volsella extractum, esse ossiculum plurimis eminentiis asperum, & inæqualem cōparuerat; cui dein successive plura alia diversæ figuræ & magnitudinis insecuta fuerant; usque dum tandem alterum, etiam non sine magno labore exemtum fuerit, consolidatione vulneris mox sponte succedente, & integra cura intra novem septimanarum spatium ad finem perducta; ita ut nunc salvus adhuc, & senio licet pressus, sat tamen vegetus vivat, testiculumque morbosum benè jam constitutum circumferat.

Scholium. Adfectum hunc ad nullum alium commodius quam ad Hydrocelen cum Sarcocele conjunctam referri posse, mihi equidem haud est dubium. Quamvis enim (ut de hydrocele, à seroso stillicidio ex vulnere primo observato satis demonstrata, nihil dicam,) sarcocele testium & vasorum adnexorum in molem insignem à sanguine in eis subsistente & concrescente, factam extensionem, ac in massam quasi carnosam indurationem, ut plurimū denotet, quam ideo discutientibus posse curari negat Excell. D. Ol. Borrichius Vol. 1. Act. Med. Hafn. observ. 97. & si quæ hoc modo sanata perhibeatur, hydrocelen potius fuisse statuit; sicque etiam per suppurationem, salvo remanente testiculo, tolli haud posse, adserere liceat: hic non tam testiculum auctum, quam potius carnosam tantum quandam substantiam fuisse eidem adnatam, statui posset. Licet forsasse, sanguine extra vasa effuso & in eorum interstitiis subsistente, aut alio quocunque modo incrassato & indurato, per succedentem autem suppurationem evacuato, vascula illa & membranas sensim sic denuo contrahi, & naturalem, quam antea habebant, conformationem adipisci, dici posset. Unde vero ossicula illa in locum istum plane exossem pervenerint, magis intricatum esse videtur. Non enim ab osse aliquo per corruptionem abscedente, & in hunc locum depositas fuisse particulas, sanitas cæteroquin sat integra, juxta cum ossiculorum istorum multitudine, persuadet; nec per fascinationem, cujus nulla hic suspicio, injecta fuerunt; nec etiam externa saltem forma osseam substantiam referunt, cum solida admodū sint, rasura in osseam scobem abeant, & igni subjecta, præter odorem, ab ossibus crematis aut etiam congenere cervino cornu exhalanti similem, remanens corpus, ustis talismodi ossibus omnino respondens suppeditaverint. Unde à sero extra vasa effuso eorundem ortum deducere opus erit; quod uti in statu naturali consistens, membranæ, cartilaginis, ossisvè naturam adsumere aptum esse, sive particulas in ejusmodi corpora coagulari prona continere, nutritio istarum partium nos edocet: ita & hic gelatinosæ ejus particulæ, discussis aquosioribus, in ossea abire corpuscula potuerunt. *D. Lucæ Schroeckii Lucæ Filii.*

De Hydrocele à Catarrho orta.

Inveteratam hydrocelen medicamentis externè impositis uti raro & vix curari, celebriores Practici observant, ita recenter exortam iisdem aliquando cedere, notum est. Sic *Laz. Riverius cent. 2. Observat.* 4. in puerulo herniam aquosam per cataplasma ex farina fabarum cum vino generoso coctum, admixto etiam oxymelite simplici, intra octiduum fuisse discussam, memorat; Ingentem quoque testiculi sinistri tumorem aquosum, adhibito ex convenientibus cataplasmate, sanatum refert *Henr. Salmuth. centur. 3. Observ. 93.* Idem & mihi anno præterito observare contigit in Juvene 17. annos nato, qui dolore capitis insigni & tumore genæ sinistræ, ut & colli, circa mensis Augusti principium correptus, cum ab adhibitis 5. & 6. die dicti mensis, medicamentis serum blande per sudorem evacuantibus, externe vero adpositis discutientibus, levamen habuisset, remittente nempe dolore, & subsidēte paulatim tumore, eodem tamen tempore per latus sinistrum juxta dorsum descendere aliquid persensit, testiculumque sinistrum non sine dolore in molem ingentem attollere; quod cum vesperi d. 6. mihi anxius indicasset, hydrocelen esse deprehendens, Cataplasma ex mastiche, floribus chamæmeli, sambuci, salviæ, & rosarum rubrarum cum lacte paratum imponere jussi, quod non tantum sopiendo do-

lorem, sed tumorem etiam notabiliter imminuendo, optime conduxit, ut, cum insuper 7. die Aug. potiuncula ex resina jalappæ parata purgatus fuisset, paulo post planè convaluerit. Mira hæc serosi humoris, copia & stagnatione peccantis, & hinc tristem capiti sensationem inferentis, nec non tumorem genæ collo inducentis, μετάστασις majorem admirationem parit quod serum discutientibus interne & externe in usum ductis, ob copiam non promte cedere valens, non in vasa sanguinea readsumtum, sicque ad scrotum, sed rectiori via per latus sinistrum sensim eo derivatum fuerit. Quod si consideretur, catarrhosas defluxiones non simpliciter deliramenta in posterum esse dicenda, evidenter satis adstruitur. Vias tamen, per quas fluxio hæc processerit, satis obscuras nobis reliquit Natura; nisi forte nervorum, & quidem, si ordinem à Cl. Willisio nervis adsignatum sequamur, quinti paris, buccarum musculis surculos mittentis, & postea una cum sexti paris ramulis, nervum intercostalem, ad testes etiam abeuntem, producentis, id beneficio accidisse dicere liceat, intra quorum membranulas insinuans se lympha illa extravasata, per latera eorum sensim usque ad testiculum descenderit. *Idem.*

Monstrosa umbilici procidentia.

Superiori anno Bernæ matronam quinquagenariam, robustam, sanam, obesam & pinguem valde, invisi. Illa ante multos annos in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex qua relaxato peritonæo, paulatim exomphalos plane monstrosa facta fuerat, quandoquidem ad magnitudinem uteri, qui fœtum maturum gestat umbilicus propendebat, venter nihilominus suam servabat proportionem. Extuberantia verò illa umbilici, veluti ingens saccus ita propendebat, ut manum facile inter ventrem & saccum istum imponere possem. Porro tumorem huncce ex omento prolapso, & sensim in istam magnitudinem aucto, prognatum fuisse, verisimile mihi videtur: absque dolore enim tactuque, mollis & undique æqualis erat, à naturali colore non discrepabat, murmur nullum persentiebatur, ut in hernia fit intestinali: in ventrem retrocedebat nunquam, etiamsi alvum exoneraret, vel in dorsum ægra decumberet, sed semper in eodem permanebat statu. Ex quibus apparet, fuisse omentum, idque in illam molem & magnitudinem auctum, sed hæc obiter, quæ si non probabilia, verisimilia tamen esse videntur.

Cæterum etsi saccus ille ingens & ponderosus esset, ita tamen corpore erat valida atque sana fœmina illa, ut negotia sua domestica ipsamet administraret. De generatione verò tumoris omenti, cujus mentionem facis, nescio quam aliam adferre debeam causam, præterquam illam ipsam, quam tu quoque statuisti. Ludit enim aliquando natura, ut plus nutrimenti ad partem aliquam, quam pro sua nutritione opus, amandet. Hinc accrescentiæ præternaturales & aliquando monstrosæ fiunt. *Gulielm. Fabric Hildan. Obser. Chirurg. Cent 3.*

De ingenti umbilici procidentia, historia altera.

Ante aliquot annos de quadam monstrosa extuberantia umbilici ad te scripsi, fœminam illam etiamnunc superstitem esse arbitror. Ab eo tempore similem affectum in Germania, in nobilissima & singulari virtute prædita matrona vidi. In illa tamen non umbilicus ipse, sed paulò supra ipsum peritonæum, & pars quædam abdominis, veluti in saccum maximum dilatata propendit. In isto autem sacco non solum omentum, sed & intestinum aliquod continetur, aliquando enim murmur in ipso percipitur, & tunc quoque dolor adest, nunc vehemens, nunc verò remissior, pro flatuum copia. Affectum huncce in difficili partu se contraxisse, mihi affirmavit.

Cæterum quia hujusmodi procidentiæ umbilici aut abdominis, rarò in ventrem retrudi possunt, aut si retruduntur, difficulter tamen retinentur, maximasque molestias ægris pariunt, dum propter pondus superiores partes secum deorsum trahunt; fasciam quandam sacculatam excogitavi, qua extuberantia illa tam commodè sursum retrahitur atque sublevatur, ut nullam ferè molestiam aut incommodum pariat.

Primo autem ex tela reduplicata, parandus atque adaptandus est thorax; ita tamen ut ultra primam costam mendosam non descendat. Thoraci porrò isti in dorso, & quidem è regione homoplatarum, ex utroque latere fascia, duos digitos in latitudine positos lata, & undique perforata, annectenda est. Istis præterea fasciis parvis fascia magna & sacculata, beneficio lororum annectenda est. Elevatur autem & delabitur secundum necessitatem & voluntatem ægri, beneficio lororum & foraminum.

Fabricatur fascia illa, ex duabus particulis telæ, in exterior parte consutæ; ita ut in medio sacculus efficiatur. *Idem ibidem.*

Hernia umbilicalis monstrosa prorsus magnitudinis.

Nobiliss. Dom. annos circiter 40. nata, constitutionis ex naturâ admodum laudabilis ac obæsissima, Hernia laborabat umbilicali, cujus primordia inde enata fuere quod jam à 14. annis, dum lecticâ veheretur, fluviolumque extra ripas tum excurrentem transfretaret, non parum contentionis adhibuit ne in mediò subverteretur fluctu. Statim fabæ magnitudinis tumor visus est, qui subsequentibus annis, tum ob matronæ obæsitatem inde que productam totius habitus corporis mollitiem extensionibus admodum aptam, tum ob plures advenientes partus, in eam accrescebat molem, ut tandem capite humano duplô major foret; in hoc tantum ab eo quem mox ex Clar. attutimus Fabriciô Hildanô, diversus quod umbilicus supra illum esset, ac contra hujus mediû occuparet. Peritonæum, musculi abdominis, accutis ipsa, inde quasi lacera ac monstrosè expansa, facile permittebant ut contrectarentur omentum ac intestina contenta, imò etiam illorum motus peristalticus deprehenderetur. Strâgulationem tamen nullam patiebantur intestina in tam amplum devoluta saccum, quia ejus orificium non parum patebat, atque itui & reditui eorum non officiebat; nunquam interim ad dimidiam sui partem decrescebat tumor etiam post longum decubitum. nec omnino in propriû situm reponi valebant intestina, quin ex levi etiam compressione in deliquium animi incurrebat ægra. Continuo præterea dolorem non mediocre in lumbis persentiebat, quem nec suspensoria Herniam, prout licebat, reprimentia, aliaque artis præsidia, satis mitigare valebant, Propterea Lutetiam Parisiorum, egregios [illegible] subligaculorum confectores, Herniarios que celebres consultura ivit, sed nihil [illegible]de levaminis retulit. imò amplior ex itinere factus tumor, doloresque colici qui subinde

matronam

matronam nobilissimam excruciabant frequentiores facti, tandem in iliacam abiere passionem quâ trium dierum spatio, postquam per 12. horas alvinas evomuisset fæces, magnô nostrum, omniumque sanè proborum luctu, rari admodum exempli mulier sublata est. Taceo illa omnia quæ adhibuimus auxilia, hic que tantum consultationem adiicio quam Clar. quidam Medicus Germanus Lugduni Gallorum, dum Parisiis revertetur pro Nobilissima Ægra conicripsit.

I. B. Consilium Medicum.

De Nobilissimæ Dom. Morbo & raritate curioso, & curationis difficultate gravi hujusve causâ, amplum ut faciam discursum superfluû du co, de hisce quoniam Judicium illi haut erit difficile, qui vel primis saltem labris delicias degustavit anatomicas; Omisâ proin rari hujus Casus prolixiore delineatione, ad ipsam statim progredior curationem seu potius allevationem, totalis cum curæ omnis spes non sine ponderosa ratione ab Experientiss. Chirurgis sit præcisa, palliativa proin quæ restat Cura in hoc consistit ut quantum possibile & presens malum demulceatur, & incrementum modis omnibus impediatur ad quem scopum pervenire licebit, exquisitâ remediorum app ropriatorum selectione, eorumdem veritâ applicatione; Ordiar ab ipsa Venæsectione cujus usus non solùm proficuus sed & necessarius videtur vel ob solam mensium fluxus cessationem, addo Nobilissimæ Dom. Temperamentum sanguineum ut & corporis obesitatem, unde facillimè accidit ut Vasis sanguiferis à pinguedinis mole valdè coangustatis, motus sanguinis necessarius retardetur, qui hinc circa intestina contorta sensim sensimque majori copiâ collectus, stagnationeve acrior redditus facilè inflammationem causari in illis posset, accedit quod ex ipsâ hac ratione venulæ alicujus capillaris vel in Cerebro vel in Pulmonibus ruptura cum funesto exitu contingere queat, interveniente præprimis à vehementi quadam animi commotione, impetuosiore sanguinis motu, funestus proin hic ne accidat effectus singulis annis ad minimum bis, Vere nempe & Autumno largi Venæsectio celebranda est, ut ita detractâ quadam sanguinis portione sanguinis motus liberior reddatur, hæc verò ut salutaris esse possit, corporis præparatio perquam necessaria, quæ fit vel clystere solummodo, vel purgante leni si nempe primæ viæ succorum vitiosiorum saburrâ obsessæ sunt, quod fit vel syrup. de cichorio cum meo ad aliquot uncias in jusculo assumptô, vel si insufficiens fit, infusum rhabarbari convenientissimum erit paratum ex rhabarbaro electo herbi cardui benedicti, cortic. citri siccis, santalo rubro & nitro præparato cum Aqua ciehorei, addito sub finem syrup. de cichor. cum rheo, observatâ interim circumspecte rhabarbari dosi, exulent pulveres, extracta, pillulæ &c. utpote quæ sæpe tarde & non sine torminibus operantur, quæ hic omnibus modis evitanda sunt. hanc ob caussam manna, folia sennæ, jalapa &c. mihi sût suspecta, si verò Nobilissima Domina flatibus admodum divexata sit, non absre erit ante hujus usum clystere carminativo uti, parato ex radice althææ, fœniculi, Herb. malvæ, violariæ, mercurialis, absynth. floribus hyperici, chamomillæ, semin. lini; anisi, additis melle mercuriali & oleo anethino, omissis omnibus acribus. dissipatis ita flatibus sequentis diei assumptum purgans melius & minore cum dolore operabitur, cavendum tamen probe à frequenti purgantium usu, utpote à quibus Intestinorum tonus destruitur & tota Massa sanguinea acris redditur; Et quia totius hujus curæ palliativæ cardo primario in hoc vertitur ut alvus semper sit libera, hæc proin ut conservetur aperta omni studio allaborandum, quod obtinebitur diligenti Medici in dandis remediis circumspectione ut & exacta nobiliss. Dom. præscripti regiminis observatione. Medici eapropter ex presentia molesta & periculosa symptomata pro virili corrigere & mitigare Nobiliss. Dominæ verò exquisitâ Dietæ observatione impedire ne eadem mitigata recrudescant; Frequentissimum verò & periculosissimum quod in hocce affectu contingere potest symptoma est Colica passio, cujus præprimis contumacioris Pedissequa sæpe est utplurimum funesta Iliaca passio; Cùm verò Colica triplicem agnoscat originem, triplici etiam methodo tractanda venit, vel enim provenit à fæcibus induratis, vel ab acido viscido seu Pituita intestinorum tunicæ tenaciter adhærente, vel etiam ab acido acri vitriolico, à vitiosa bilis & succi pancreatici constitutione oborto ac tenellas intestinorum fibras vellicante; Illius signum evidens alvi pertinax obstructio; Istius copiosa flatuum insipidorum eruptio, ructus acidi, appetitus dejectus à ciborum viscidorum esu proveniẽs &c. Hujus verò ardor in intestinis insignis junctus cum exquisitissimo dolore à vitiosa succi Pancreatici cum bile fermen tatione, flatuum acrium ejectio, ructus saporis cuprei, oris siccitas, sitis magna, appetitus adauctus, prægressa vehemens animi emotio, ut & ciborum acrium & aromatibus nimis conditornm usus. Probe hic attendendum, quænam præsente insultu colico ex dictis tribus peccet species; si prima Fœces sc. induratæ remediis humectantibus & emollientibus internis & externis certandum, quæ inter primatum tenent clysteres emollientes parati ex radicibus lilior. alborum, altheæ, herbis 5. emollientibus, floribus chamæmel. summitat. anethi, seminibus, lini, fœnograeci, additis oleo lilior. albor. & butyro recenti non salito, quod si constipatio adeò pertinax, ut clysterum ejusmodi reiteratorum ut & interne assumptorum & externe applicatorum remediorum effectum eludat, & metus sit subsequentis passionis iliacæ, dictis clysteribus permiscenda fortiora, ut mell. mercurial. scyllitic. Electuar. lenitiv. simplex, de hiera picra Logadii, sal commune, gemmæ. syrup. emetic. Angeli sal vin. emeticum, cum hisce potremis summâ cum prudentia procedendum, quæ non usum in sunt vocanda, nisi urgente extremâ necessitate, ubi extremo morbo extremum adhibendum remedium; suppositoria hoc in casu experientia teste, sæpissimè magis obsunt quàm prosunt, etenim ab irritatione quam faciunt fibræ intestinorum lacessitæ vehementius constringuntur, fæcibus hinc devenientibus magis induratis, Per os quæ dantur remedia varia sunt, maximè jusculà emollientibus herbis alterata frequenter deglutita, Oleum amygdalar. dulc. recenter express. (Si Nobilissima Domina ejusmodi pinguia sufferre potest) ad uncias aliquot in jusculo propinatum, vel cum syrup. de althea Fernel. permixtum po-

tatum magni sæpe effectus est, sperma ceti recens & non rancidum ad ʒi. in jusculo dissolutum assumptum, item serum lactis caprill. cum cremore tartari præcipitatū & copiose haustum, sæpe acidularum largus haustus pertinacissimas solvit alvi obstructiones, conducit & butyrum recens assumptum, quoad purgantia, lenia nullius effectus, validiorum eventus dubius sæpe auxilio fuerunt sæpe etiam damno, ego omnibus aliis præferrem mannam Calabrinam elect. ad uncias aliquot in sero lactis caprill. dissolutam, assumptam; externe conducunt linimenta, Fomenta maxime verò Balnea medicata (Gallis demy Bain) hæc parari possunt ex dictis emollientibus, & discutientibus, pro fomentis dictæ herbæ lacti incoquendæ quo sæpe foveatur pars affecta tepidè imponendo sub finem inter lintea duplicata ipsum malagma; Illa verò parari possunt ex unguento de althæa, martiato, spermate ceti, pulvere florum chamomillæ & oleo lilior. alborum, quibus statim post fomentationes inungatur ventriculi regio calide: si hæc non sufficiant addi possunt unguentum Agrippæ, de arthanita ol. colocyntid: Si verò secunda colicæ species orta ab acido viscido seu pituita peccet, Discutientia & incidentia remedia locum habent, Clysteres carminativi magni sunt usus, paratis ex radicibus althææ, angelicæ, Herbis malv. parietar. origan. rutæ, floribus lavendulæ, sambuci, hyperici, Baccis lauri, seminibus fœnugr. fœnicul. oleis additis Electuar. de baccis lauri, oleis anethin. & hyperici adjectis, oleo destillato chamomillæ guttis aliquot, & si dolor valde urgeat theriacâ optimâ & castoreo, qui pro ratione durationis reiterari possunt; Per os exhibentur Potiones cordiales, Electuaria, Trageæ, Pulveres essentiæ &c. Potiones parari possunt ex Aq. menth. meliss. flor. tiliæ, pæoniæ cinamomi cum aqua destillat. syrupi cortic. arantior. spiritu nitri dulci confectiones de hyacint. &c. cochleatim sumendæ. Electuarium parabitur ex conservis betonic. menthæ, borragin. meliss. flor. pœoniæ, corticibus arantiorum conditis, radice helenii conditâ, speciebus diarrhodon. abbatis, Oculis cancr. præparatis, succin. albo præparato cum syrup. de cortic. citri, de quo manè & vesperi duabus horis post cænam magnitudine Nucis moscatæ deglutiendum superbibendo 3. cohlearia aquæ flor. tiliæ, Tragea stomachica fiat ex pulvere stomachico Birckmanni, herbâ melissæ, flor. arantior. semine pœon. Oculis cancr. præp. cinamom. & saccharo perlato, de quo sub finem prandii & cænæ cochleare unum pani tosto & vino madido inspersum assumat. Pulveres carminativi fiant ex Oculis concr. ppt. Ebore sine igne præp. Unicornu fossile, antimon. diaphoretic. recenter & bene præparato. corticibus arantiorum siccis, tartaro vitriolato, salibus juniperi, absynth. &c. adjiciendo guttulam unam vel alteram oleorum destillatorum citri vel chamomillæ, vel anis. &c. si materia adeo tenax ut horum remediorū vim respuat, deveniendum ad fortiùs penetrantia, qualia sunt Essent. corticum arantior. Zedoariæ, Tinctura Castorei cum spiritu salis armoniaci parata, Elixir Proprietatis Paracelsi cum spiritu tartari volatili paratum, spiritus salis armoniaci anisatus, maximam vero meretur laudem spiritus nitri anticolicus sequens, recipe flor. hyperici & chamomillæ recent. & dimidiâ ex parte siccatorum ana quantum vis affunde spiritus vini optimi ad eminentiam 2. digitorum stent in infusione in loco calido aliquot horas in vase probe tecto, postmodum eundem spiritum vini affunde aliis floribus repetendo ita tertiâ vice, hujus spiritus Vini & spiritus nitri recipe an. partes æquales destilla per alembicum lento igne ter repetendo & ita paratus erit spiritus anticolicus; Ejusmodi vero volatilia semper aliis liquoribus permiscenda & cum grano salis præscribenda, probe notandum ne hisce contraria acida scilicet addantur, sæpe enim talia volatilia sinistre exhibita in parva etiam dosi maximo fuere sæpe nocumento, purgantium loco esse possunt pilulæ de ammoniaco & de tartaro Quercetani; externè conveniunt Balsamum stomachicum flatus resolvens paratum ex ol. absynth. anethin. Nucestæ express. destillato cortic. arantior. anis. Balsamo peruviano & cera, item Fomentationes ex carminativis ut radic. pœon herb. menth. calaminth. meliss. summitatib. anethi, florib. hyperici, Baccis juniperi, Corticibus arãtior. sicc. & semin. anethi, quibus in aquâ & vino decoctis linteis quadruplicatis foveatur ventriculi regio tepidè, imponendo sub finē ipsas herbas; prosunt & Balnea ex iisdem herbis parata; Devenio tandem ad tertiam passionis colicæ speciem cujus natales sunt acidū acre vitriolicum, quod participat & de bile & de succo pancreatico acidiore, in hocce colico insultu eximium apportat solatium nitrum & omnia quæ nitrosæ sunt virtutis, quæ inter admirandi effectus clyster ex fimo equino adhuc calido paratus v. gr. ℥. Fimi equini adhuc calidi mij. flor. chamomill. m℥. affund. aquæ communis q. s. stent in infusione in loco calido 4. horarum spatio colatur. expressæ ℔i. admisce olei violacei & hyperici an. ʒiß. F. clyster, vel si fimus haberi non possit fiat clysma ex radic. lilior. albor. cichor. Herb. violar. malv. endiv. flor. papav. rhæados, chamomill. semin. melon. & fœniculi, fiat decoctio cum sero lactis caprilli, colaturæ admisce olei violac. & chamom. & si uterus compatiatur aliquid de trochiscis de camphora; Interne conducunt juscula alterata herb. violar. cichor. lactuc. flor. papav. rheados, cichor. ut & Iulepi parati ex Aquis cichor. violar. flor. tiliæ, cardui bened. syrup. violar. papav. rheados, Corn. cerv. philosophice pp. & nitro perlato per cochlearia sumendi, item Electuarium confectum ex conservis borragin. flor. violar. meliss. radice cichor. condita, corticibus citri conditis, Oculis cancr. pp. Corn. Cerv. philosophicè ppt. & syrup. papav. rheados, de quo manè & vesperi hora somni capiat magnitudine Nucestæ. prosunt & tincturæ violar. cichor. papav. rheados & præprimis si magnus æstus præsens sit, nec non serum lactis caprilli succo citri paratum. si Bilis abundat leni purgante supra indicato educi potest, imo si tota Massa sanguinea valdè æstuet venæ sectio modica negligi haut debet; Quoad remedia externa Balnea temperata lenimen afferre poterunt, sed cavendum ne nimis sint frigida, eapropter fomentationes ex frigidis paratæ haut magni æstimo, quia ab insitâ quadam virtute infrigidante fibræ constringuntur poris hinc

hinc strictioribus existentibus exhalationibus à cótinuâ effervescentiâ obortis exitus intercluditur,& ita æstus adaugetur,accedit quod ejusmodi Fomentationes sæpissimè, scirrhos post se relinquant. Si vero duæ ex dictis speciebus simul junctæ sint, malum judiciose examinandum & maximè cavendum,ne à remediis nimis violentis propinatis, excitata convulsio funestam post se trahat passionem Iliacam, Medium proin in tali casu tenuere beati; Ut vero Nobiliss.Dom.hujus passionis Colicæ frequentem invasionem evitare possit,ut exactissimum observet vitæ regimen,necessum est;Fugiat proin Aërē calido siccum ut & nimis frigidum, Tempestatem ventosam, abstineat ab omnibus cibis qui fermentum ventriculi enervare, bilem adaugere, succum pancreaticum corrumpere & flatus progignere valent,ut sunt omnia viscida, dulcia, saccharata, acida & pinguia, ex quorum censu sunt legumina omnia, fructus omnis generis, caseus, lac, pisces, acetaria, placentæ farinaceæ ut & cibi nimis saliti ac nimis aromatisati, panis nimium fermentatus nec satis coctus &c. econtra alimenta assumat boni succi & facilis digestionis ut sunt Carnes vitulina,ovina,caponum,gallinarum juscula alterentur cerefol,betonic. petrosel meliss. violar.&c.hordeata etiam prosunt brodio, carnis parata;conducunt & poma regia(Gallis Renettes) cocta præprimis si alvus adstrictior sit assumpta horâ unâ ante cænam, ut & pruna damascena cocta &c. Potus ordinarius sit Vinum album, vel rubellum tenue aquâ (in qua prius frustulum panis tosti fuerit extinctum) dilutum nec nimis frigide haustum,post pastum Nobiliss. Domina nõ statim seriis vacet negotiis, quia spiritibus animalibus alio vocatis,digestio in vẽtriculo non adeo feliciter peragitur. Ad stomachũ confortandum & flatus dissipandos ficuum nec ingratum remedium erit sequens.Recipe Malum aurantium dulce, quod cruciatim incisum indatur vasi terreo,affundendo vini rubri generosi aquâ parum diluti ad eminentiam unius digiti,in quo dissolve sacchari finissimi quantum placet, coquatur invicem lento igne vase probè cooperto ad consistentiam syrupi tenuis, de hocce pomo ita cocto Nobiliss.Domna.singulis diebus & horæ ante prandium & cænam assumat frustulum rotundum superbibendo duo Cochlearia liquoris admixti, quô remediô vero non semper sed certis solummodo temporibus utatur, si nempe flatibus se valde molestatam sentit; Omnes dein violentos Animi & corporis motus cane pejus & angue fugiat;Somnum nimiis vigiliis haut turbet;Alvus semper respondeat,si non,dicto modô sollicitetur;Hisce ita rigide observatis Nobiliss. à Domina non opus habebit,multis remediorum Præsidiis,nec approbarem frequentem horum usum,quæ tamen urgente necessitate non sunt negligenda;Remedia proin quæ in hocce meo Cõsilio medico consignata sunt pro lubitu & circumstantiarum varietate in usum vocari possunt, Verùm cum frustra plantet Paulus,& riget Apolo nisi Deus det 1. Benedicere, calidissimum eapropter meum est Votum ut Archiater Celestis ad cuncta, quibus Nobiliss. Dom.opus habebit, Remedia divinam suam Benedictionem largiri velit; Cujus Divinæ Protectioni Nobilissimam Dominam una cum Tota Nobilissima Familia recommendo.

Periculosa Hernia sanata.

Nihil herniæ intestinali perniciosius est, quam stercus per os reddi. Arguit quippe hæc regurgitatio manifestam motus peristaltici offensam. In quô cum consistat verum intestinorum stabilimentum,mirum non est,si eo labefactato, pessum eat homo. Licet interdum reperiantur nonnulli adeo validi, ut devictâ tam exitiali noxâ, adipiscantur iterum pristinam sanitatem. Quod tamen albo corvo rarius.

Nautæ ex hyberno naufragiô diu madido, ac frigido intendebatur tantopere à spiritu intestina, plus æquô refrigerata;ut dilatatô peritonæi processu,descenderint non modo in inguina,verum in ipsum scrotum. Unde difficulter retro compulsa; sive ob distendentem spiritum, sive ob induratum stercus, læsere non parum motum peristalticum, Et cum non possent se infra exonerare,ejecere supra per os,cum bilem flavam, tum sordida alvi excrementa.

Quæ præternaturalis excretio aliquandiu continuans,licet videretur habere certam desperationẽ:vidimus tamen die tertio decimo intestina hæc à Cornelio Sasboutio ritè in locum suum reducta, & ægrũ quantumvis summè debilem, imò morti jam vicinum, præter omnem spem, enavigasse feliciter periculosam hanc carybdim. *Nicolaus Tulpius observationum Medicarum lib.3.*

Similem sane casum vidimus in viro quinquagenario,is enim post quam ex Herniâ grandiori in Ileon miserè deductus, & continuis doloribus iisque atrocissimis, imo horrendis vomitibus per sex dies excarnificatus fuisset, tandem in totalem ἀσφυξίαν cum stercoraceæ materiæ per os regesti one, incurrebat. Cum advocabar jam à 24.horis in tam desperatô statu versabatur æger, nec erat quid consilii illi darem; Quãdoquidem tamen opem meam,mente omnino constans,voce admodum languidâ, avidissimè exposcebat, accersiri curavi Celebrem Chirurgum D.Stephanum Dentand,qui cum arte sibi sane singulari intestinum promptè ac sine violentiâ, reposuisset; cessavere symptomata, pulsusque & vita tum prorsus fugitiva, sensim reducebantur. Ex hisce addiscant Medici atque Chirurgi prognostico minime esse derelinquendos ægros etiam desperatissimos.

De Enterocele in viro sene, lethali.

Inter affectus omnes,qui magno numero hominibus molestiam adferre solent,haud infimæ notæ intestinales Herniæ, utpote quæ variis exitiales.

Tilemannus Niekerken,Pellio,senex,temperamento siccus,per multos annos Enterocele molestâ, insciis omnibus, laboraverat. Anno 1653. mense refrigeratis pedibus, imo totus frigidus,lectui se commisit,ventris hîc subito corripitur dolore, mox vomitu gravi, undè intestini inscrotum secutus prolapsus.

Vocatus Chirurgus arte nulla efficere potuit,ut in situm restituerentur intestina;in cõsilium adductus ego, summo mane, inveni hominem dolore ventris, febri, vomitu, suppressioneque excrementorum alvinorum & urinæ,decumbẽtem, consultum videbatur Enema hoc præscribere.

♃. Rad.Lilior.Alth.an.℥ii.Fol.Violar.Malv. Parietar.an. M.i. Flor. Chamomil.Melilot. Anethin.an.M.ß.Semin.Lini,Anis.Cumini, Fœnugr. an.℥ß. Coquantur in aq. pur. & cerevis.an.part.

æqual. q. s. in col. ℥viii. dissolve Elect. Diacarth. ʒv. Vitell. ovi n. i. Ol. chamomil. Verbasc. Aneth. an. ℥i. Anis. g. ii. F. Clyster. Pro fomento Tragæam hanc præscripsimus, in lacte dulci decoquendam ℞. Fol. Parietar. Malv. Verbasc. an. M. i. flor Chamomill. Melilot. Aneth. Sambuc. an. M. ß. Sem Anis. Fœnic. an. ℥ß. Præparata dentur usui in chartät. Fotus hic antequam applicaretur Litus hic usurpandus.

℞. Ol. Aneth. Melilot. Chamomill. an. ℥ß. Anis. gr. x. M. F. Linimētum. Mediis hisce exiguo tempore adhibitis, cum, in intestino sacculo, contento non tantum flatus, sed & alvinas fœces reservari, constaret, leniter intestinum ma nibus nostris tractare, secundum monitum Hieron. ab Aquapendente quod habetur parte 2. de tumor. præternaturalibus lib. 1. cap. 51. aggressi sumus, quod sic, fœcibus emollitis, sensimque ad interiora protrusis, etiam intestinum ipsum reponi suo loco posset. At irritus omnis labor, eo quod partes omnes, durius justo à Chirurgo nocte præcedente tractatas, inflammatas, & non parum cōtusas, sine dolore gravi apprehendere haut liceret.

In re ejusmodi gravi nobis jungere placuit consanguineis Virum Amplisl. D. Nicolaum Tulpium qui, ex tempore accedens, habita consideratione affectus perceptisque iis quæ prægresso tempore fuerant peracta, necessarium omnino duxit Enematis ad modum à nobis præscriptum præparati injectionem, hinc, pannorum ope Olei sequ. applicationem.

℞. Olei Anethin. Chamomill. an. ℔i. m. Usurpetur calide. Imò quo molliter intestinum reponere nobis liceret, consultum judicavit ægrum eo in situ ditinere, ut pedes sursum sint elevati, caput verò inferiora spectet. At ne quidē hoc tempore de novo ad intestinum prolapsum delatæ fœces ad interiora deduci à nobis potuerunt, quamcunque etiam diligentiam adhiberemus; imo ab opere desisteremus vomitus gravis materiæ pituitosæ, biliosæque, coëgit.

Ita sine ulla doloris in ægro anxietatisve remissione tempora nostra trivimus usque in diem tertium, qui, cum doloris equidem decremento, at vero febris incremento, vomitu fœcum fœtidissimarum gravis valde atque molestus fuit, quod ob angustiam intestini descendere inhiberentur. Considerabile enim in hoc ægro, intestina scroto detenta convoluta aliquomodo fuisse, unde impossibile stercora per anum evacuari, quin contra, ad gyrum intestini delata, retrogredi necesse habuerunt.

Ad hujus affectus curationem, quo & dolor & anxietas tollatur, medium aliud hactenus haud cognitum, periculosum licet, incertique exitus, quam quod lib. 2. cap. 40. describit: Chirurgus Regius Petrus Pigræus, nec est quod id rejiciat Marcus Aurelius Severinus; nostro sane, imo & Ampl. Dn. Tulpii judicio facilius longe operatio hæc instituitur quam sectio cæsarea.

Declarata operationis hujus utilitate, incerta licet, periculosaque, consensu ægrotantis, consanguineorumque, die quarto ægrotum accessimus, nil obstare sperantes quo minus eam institueremus. At opus hoc inhibuerunt varia, animi imprimis deliquia, deliria, sudores frigidiores. imo scroti ipsius gangræna, quæ omnia, ad mortem usque, circa meridiem supervenientem, continuarunt.

Quo vero junioribus constet, qualis operandi modus in desperato ejusmodi casu à Celeberr. Pigræo describatur, cum semper ex sententia Celsi, aliorumque in morbis gravioribus præstet remedium adhibere anceps quam nullum, & necessario ejusmodi herniosus mori debeat, si nullum adhibeatur medium. Verba Authoris hæc sunt.

Si, inquit Vir expertissimus, intestina contorta, fœcesque in iis conclusas esse contigerit nullatenus proderunt quæcunque manibus factæ contrectationes sive controrsiones, aut cujusvis generis exhibita medicamenta, ita ut ad ultimum remedium, peritonæi nempè sectionem confugere sit necesse.

Quæ quidem ut debito modo perficiatur, primum, secandus facie cœlum versus, sive supinus sternendus est, atque adhibenda scissura duorum circiter digitorum latitudine supra eum locum, qui arcte cōclusus est; quoniam ipso hoc loco sine manifesto læsionis discrimine jam peragi nequit.

Factâ ad peritonæum usque apertura, in adversum latus componetur secti corpus, quo facilius intestina ab eo loco, in quo peragenda sectio recedere valeant; immissoque in vulnus digito (qui butyro recenti aut oleo Amygdalarum Dulcium inungendus) intestinum molliter ac pedetentim loco naturali restituetur. At vero si tanta intestinorum copia erupisset, ut opus esset apertura latiori, ad conclusum locum usque ea perducenda foret, supposito interim ad intestinorum tutelam digito aut specillo apto, quod si intestina flatibus referta, unde operatio difficilior, acu (res etenim periculo caret) perforanda, quo eisdem exitus præbeatur. Postremo repositis loco suo intestinis, vulnus, si ita res exigat, consuendum, ea methodo quam nos in ventris vulneribus adhibendam præscripsimus, ac tandem vulneri consueta in aliis admovenda medicamenta.

Hactenus Pigræus, cujus accurata descriptio explicatione nullâ indiget, addemus tamen sequentia.

Locus operationi huic accommodus lucidus sit oportet, detineatur eo mensa pulvinaribus variis instructa, his imponatur æger, dorso incumbens, adhibitâ, vel, pro rei exigentiâ, neglectâ, artuum mensæque connexione. Hinc cutim abdominis, ad duorum digitorum transversorum à processibus peritonæi distantiam, pollice digitisque manus sinistræ elevet Chirurgus, altera vero dextrâ manu, loco eo, qui ad latus musculi recti, proximus est parti angustiori constrictæque, vulnus cuti partibusque subjectis infligat, de sanguinis fluxu, qui levior, haud sollicitus, sectione hac institutâ, hamo peritonæum elevet, quod manu levi, sensim dissecet, sedulo cavendo ne intestina subjecta cultello vulnerentur. Foramine in peritonæo facto, cultellū in extremo, ne partes subjectæ lædantur, globo donatum, per illud inserat, ejusque ope, sursum, deorsum, ad latus hoc, illudque, pro placitu, peritonæum dissecet. Pigræus loco cultelli dicti aliô instrumentô utitur per cujus sinum dum cultrum ducit, læsionis partium subditarum nullus metus.

Peritonæo dissecto indicem suum, imò, si possibile, cum eo pollicem, digitumvè alium, oleo lubricatos, dimittat in ventris cavum, ad usque peritonæi processum, ubi inveniet intestinum contortum, sæpius omento nexum, ad scrotum descen-

descendisse; hæc, digitorum incurvatorum ope, leviter trahendo, sursum in vētris cavitatem deducat. Operatio hæc felicius, citiusque absolvetur, si manu alterâ, planiore, scrotum leviter cōmoveatur, ventri quo appropinquetur, sic enim convolutio intestini melius solvetur.

Hisce peractis vulneris habenda ratio; intestina quod si extra vulnus prodierint, adeoque ab externo aëre alterata fuerint, flatu sæpius insuper dilatata, acu acutiore, locis variis, ad flatuū eruptionem promovendam, perforanda, ex doctrina Pigræi, hinc vulnus sutura ea claudendum, quæ Pigræo in vulnerum abdominis curâ usualis eit, tandem curatio ea obtinet quæ in vulneribus aliis locum habere solet.

Suturam in ventris vulneribus convenientem, quæ Gastroraphia dici solet his verbis describit *lib.3.cap.2.* citatus *Pigræus. Sutura hic instituenda incarnativa etiam est; hic peritonæum una parte acu perforandum est, altera manēte integra, mox hæc pars perforanda, relicta imperforata ei opposita, & sic procedendum, quo inter quamvis perforationem carnis particula protuberet, sicque incarnatio, interiorque cicatrisatio promoveatur.*

Explicatione prolixâ verba hæc haud indigent, per se satis clara; notari tamen necesse, acum, quæ hic ad vulneris consuitionem usurpatur, falcatam debere esse, filum itidem duplicatum requiri, cera incrustatum.

Carnis cum mentionem facit Pigræus lib. 6. meth. cap. 2. Musculos abdominis intelligit, sutura hic obtinet similis illi quam pelliones instituere solent, ubi alternatim utriusque lateris partes, exteriores, interioresvè, acu perforantur.

Audi quæ Galenus de vulneribus ventris imi proponit. *Ad id*, inquit, *ut intestina reponantur, vulnus amplietur necesse est, hinc sutura eo modo instituatur, ut modo musculi cum peritonæo modo iterum peritonæum cum musculis connectantur.*

Plura huc facientia qui desiderat legat quæ de gastroraphia habent, inter varios alios, C. Celsus, *Hier. Fabr. ab Aquapend. Iacob. Guillemeau*, aliique, que qui suturarum species varias, curiosas, facilesque, in vulnerum abdominis curatione summe necessarias describunt.

Superest, ubi, intestinis prolapsis repositis, gastroraphia hæc instituenda, utrinque ventris partes vulneri adsitæ manu molli ministri comprimantur; quo minori cum molestiâ sutura perficiatur, eaque fit certior.

Molestam hanc, licet dubiam, operationem ne fugiant Chirurgi, placet, observationem aliquam in canibus annotatam adductis addere. Cl. Henricus Blasii, Medicus, haud ita pridem in cane Lienem exscindere volens, peritonæo illius magnitudinis vulnus inflixit, similiter ac ventris integumentis communibus, ut intromissorum digitorum ope & intestina miris modis loco suo dimovere, & liené extra id extrahere, potuerit, hoc facto, instituta suturâ ea quæ pellionum est, vulnus clausum, brevique canis curatus, qui etiā postea sanus vixit, impossibile dixisses, si quidem vulnus dictum, miramque intestinorum agitationē manu operatoris peractam, cōsiderare licuisset, animal ullum, ita constitutum, vivere posse.

Capiti huic ut finem imponamus, Author sum, quoties occasio conveniens se offert, operationem hanc instituendi, nunquam eam fugiat Chirurgus, tanti periculi haud est quanti eam habēt varii, in morbo per se absolute lethali, præstatne instituere remedium dubium, quo salvari posse ægrotantes ratio & experientia docent, quam nullum. *Iob. à Meeckren in Observ. Medico-Chirurg. De Enterocele ex processus peritonæi laxitate in Viro.*

Nec intestina, nec scrotum Herniæ causa unquam dici haberique possunt, sed tenera constitutio processuum peritonæi, his enim, levi ex corporis motu, dilatatis, antrorsumque extensis, imo, ut volunt alii, omni modo ruptis, facilis intestinorum ad aliena loca prolapsus.

Civis quidam Amstelodamensis, siccioris constitutionis, ex inordinato pedum motu, dum ex sedili surgeret, subitò contraxit bubonocelem, mox, ex prolapsu intestini in scrotum, Enterocelem. Chirurgo se committere non audens, ex Herbario. *Remb. Dodonæi*, qui in promptu erat, herbas floresve dolores mitigandi vi pollentes collegit, ex pharmacopœâ petita hæc medicamenta in lacte decoqui curavit, tumorique applicari; benè cessit negotium, dolor remisit, tumor imminutus.

Hoc in statu, sine ullo vinculi s. bracherii usu; solâ oleorum inunctione contentus, aliquandiu vixit. Tandem cum in convivio quodam cibo potuvè ventriculum plus justo replevisset, in tumorem inguinis non solum sed & scroti incidit, periculosum non minus quam dolorificū, accedentè illico intestini in scrotum prolapsū, horrendo adeò, ut & scroto rupturam, & ægrotanti mortem minaretur.

Vocatus inveni hominem pedibus manibusque ædes perreptantem, quod dolores ex rupturâ dictâ intolerabiles, in scrotum prolapsa intestina manibus tractare permittebat; causarant hæc tumorem magnitudinis immensæ.

Misero nostro ægrotanti quo quantum possibile succurreremus, primo Enema aliquod ex emollientibus & anodynis paratum, ita tamen vt decocti minor adsumpta quantitas quam ordinario fieri solet, oleorum contra, ut Amygd. dulc. verbasci &c. major.

Ad inflammationem ex intestino, flatu fœcibusque causatam, quæ gravis his aderat, cataplasma hoc præscripsimus:

℞. Farin. Tritic. hord. an. ℔ ß. Furfur. Tritic. ℥ iiii. Flor. Chamomill. Sambuc. an. M i. Ol. Myrtill. Rosar. an. ℥ ii. Vini rubr. q. s. M. F. Cataplasma.

Hæc interea dum præparabantur, nostrum fuit molliori manu, adhibitis linteis calidioribus, intestinorum repositionem procurare, quæ etiam benè successit, magna enim intestini hujus portio jam suo loco restituta, antequam præscripta pharmacopœus adferret.

Injecto hinc Enemate, applicatoque Cataplasmate, (quod post horam, duplici quantitate renovari curavimus) repositio intestini longè facilior fuit, integreque absoluta.

Repositum suo loco quo reservetur, consultum vinculum processui peritonæi dilatato applicare ad eum modum formatum, quo parare ea solitus Nicolaus Minnebroeder, Chirurgus hujus loci, qui etiam varios simili malo afflictos curaverat. Vinculum hoc haud differt ab aliis, nisi quod duplex fascia, utrinque una, ad majorem firmitatem, ne deorsum decideret humero incumbat. *Idem ibidem.*

De Herniâ flatulentâ scroti, s. pneumatocele ex vulnere Thoracis.

Vulnus thoracis non penetrans, Fabr. ab Aquapendente *inquit, curatur ut vulnus simplex: In penetrante autem*

autem, præmissa corporis totius procuratione potissimũ in id incumbendum, ut evacuetur colluvies, & humiditas, quæ in thoracem è labiis vulneris descendit, ne putrescens mortem inferat. Evacuatur autem per tres vias, per vulneris orificium, per os. scil. tussiendo, & per urinæ viam.

Georgius Stouk, discipulus Notarii cujusdam à condiscipulo vulneratur cultello exiguo pectoris latere dextro. Propter exilitatem foraminis & aëri & sanguini transitus omnis denegabatur.

Vocatus febrem adesse reperiebam gravem, cum asthmate, pectorisque duritie. Ministrorum nostrorum aliquis per vulnus suctione notabilem sanguinis quantitatem extraxit, quo facto ad modum ab Aquapendente præscriptum processimus.

Die tertio quartovè scroti pars dextra eam in mole intumuerat, ut caput infantis minoris magnitudine referret. Flatulentus hic tumor, cujus causam cognoscere ut arduum, ita curationem instituere. Haud improbabile nobis videbatur flatus hic collectos ex cavitate pectoris descendere, adeoque diaphragma etiam perforatum esse; in ventre autem hærentes, ubi vario tumores in externis notabiles producere videbantur, per processus peritonæi ad latus vasorum spermaticorum testes accedere.

Curatio difficillima, atrophia aderat, indies magis magisq; notabilis, expectoratio materiæ fœdæ continua, cum tussi gravi, Febris continua cum sudore frigido, vomitus molestus, adsumptorum maximè, vigiliæ diurnæ nocturnæque valdè vexabant.

Tertia septimanâ tussi ejecit materiam quandam crassam, longam, rotundam, porosam, impuram, hanc particulam carnosam diaphragmatis habebamus, quod hic vulneratum conjiciebamus. Eâ excretâ febris, sudor, respirandi difficultas, debilitas plurimum remiserunt, undè consultum visum naturæ operanti succurrere; in locum adeoque aposematis ex Rad. Chinæ parati, quo hactenus usus, vulnerarium hoc substituere placuit. ℞. Herb. Tussilagin. Mij. Capill. Vener. hyssopi, Sanic. Verben. an. Mj. Vincæ perv. Mß. Rad. Petroselin. ℥.ii. Flor. Beton. Liquirit. Oculor. cancri an. ℥ ß. Coq. in aq. hord. par. iij. Mulsi parte. Utebatur hoc quotidiè bis terve. Syrupum etiam confici vulnerarium curavimus ex brassicæ rubræ & consolidæ succo.

Et horum usu id effecimus, quod vires corporis indies increverint, purulentæque materiæ per fistulosum pectoris foramen, evacuatio successerit; Hinc plumaceolum planum Oleo ceræ madefactum vulneri imposuimus, plumaceolo linteum quadratum, quadruplicatum, linteo verò ferrum ignitum, & hac ratione olei dicti virtus interioribus communicata. Ter quaterve hac methodo ubi in curatione nostrâ processimus, vulneris foramen claudi permisimus, & sanitati restitutum ægrum observavimus.

De aëris ex thorace per diaphragma apertum in scrotum motu in prægressis egimus, haud è re erit exemplo aliquo notabili dicta illustrare.

Petrus Jacobi, Diemensis, rusticus, ebrius cultro interfecit Cognatum, vulneratur interim à cognato. Vulnus erat abdominis inter costam spuriam secundam & tertiam per quod eo impetu aër extrorsum proruebat, ut vix detineri potuerit. Undè hic aër controversiam inter medicos Chirurgosvè movebat; erant enim qui non nisi in ventris imi cavum penetrare vulnus credebant, at horum opinioni accedere haud poteram, quod & ratio suaderet, & præcedens observatio docuisset, non nisi Diaphragmate læso aëri per vulnus viam concedi; undè oblique hoc vulnus sursum per diaphragma in thoracis cavitatem penetrare credibile mihi videbatur. Post diem tertium quartumvè aëris per vulnus dictum egressus haud amplius notabatur. Hic nova quærendi occasio, quid causæ subesset quod flatus haud diutius se exhiberet? ad hoc respodere nobis placuit, probabile omnino nobis haberi, vulnus intra costas & hepatis partem exteriorem penetrare in thoracis cavum, hoc autem ab hepate incumbente hoc tempore claudi.

In aperto cadavere (insidenti enim sellæ carnificis manu caput ablatum) suspicioni nostræ correspondere omnia, visum. Primò enim hepatis partem convexam sursum versus diaphragma elevatam notavimus, undè vulneris in eo obturatio. Secundò non solum vulnus diaphragma penetrasse, sed & pulmonis partem inferiorem fuisse ablatam, quam sero in thorace collecto innatantem vidimus.

In gratiam curiosorum hic loci addere placet, in Cordis ventriculo dextro sanguinis ne guttã à nobis fuisse repertam, in sinistro verò spumosum omninò sanguinem; quod sententiam scriptorum illorum confirmare videtur, qui volunt, in iis, qui violenta morte intereunt, sanguinem spumosum in venis contineri. *Idem ibidem.*

De Enterocele gravi.

Anno 1652. occurrit nobis vir satis annosus, qui Herniâ scroti laborabat enormi, erectus quoties incederet, tumor se extendebat ultra genua, evadebatque crassitiei satis notabilis; conferatur figura addita.

Tumor hic quoties in scroto appareret, venter adeò detumescebat, ut etiam manu planâ premendo vertebras lumborum attingere liceret. Hinc ubi tumorem hunc tollere animus, elevatione leni omnia intestina in scroto prolapsa, per peritonæi patentem valdè aperturam facillimo negotio ventrem repetebant, nec ullâ in hac restitutione molestia afficiebatur, nisi quod, ubi intestina reposita diaphragma attingebant, animi deliquium non leve incurreret.

Admirationem omnem superabat, hilari adeò ipsum animo fuisse, atque ad opera navalia promptum, ut etiam mal. conscendere, ea celeritate dexteritateque valuerit, qua nullus sociorum.

De quo præcipuè conquereretur hoc unum erat, quod urina ad latus scroti distenti stillaret, undè excoriatio gravis & dolor insignis, membrum etenim virile scroto ita arctè unitum erat, ut impossibile esset urinam ex debito emingere. De curatione hujus affectus videri possunt quæ in prægressis observatione duplici habentur. *Idem ibidem.*

Anatomicæ inspectiones.

Hernia à ruptura Peritonæi.

Anno 1613. Septembris 24. aperui corpus cujusdam decollati, in quo cum ruptura intestinali laboraret, affectum & peritonæum ruptũ ostendi, quomodo per eam rupturam intestina vel omentum decidunt Modum etiam incidendi & ligandi demonstravi. Plures idem in utroque latere habebat venas & arterias emulgentes. *Ioh. Rudolphus Saltzmannus Observ. Anat. p. 42.*

Entero-

Enterocele à dilatatione sola processus peritonæi citra rupturam dependens.

In Hernioso hydropico secto post mortẽ, ejusmodi foramen per quod intestinum in scrotum descendens transmittebatur, rotundo margine integrum, nec dum scissum vel ruptum ullo modo deprehẽdimus. Per quod intestini tenuioris portio illa, quæ supra cœcum est, in scroti, aqua pleni, infimam sedem usque ferebatur, totoque illo ductu huic processui peritonæi hujus aquæ causa, quæ tunicas has erodendo ut conglutinentur facit, firmiter accreverat & adnatum erat, nihilominus sine incommodo excrementa egerente, nec dum de dolore conquerente. *Platerus Prackic. lib. 3. cap. 2.*

Vasa Seminalia Peritonæo obvolvi ex sectione Anatomica Herniosorum patet.

Notandum quod quando musculi oblique descendentis tendo modice relaxatur, fit Herniæ illa species quæ Bubonocele vocatur: Quando vero valde dilatatur, tunc fiunt Herniarum duæ species, Intestinalis & Omentalis: Valent namq; corpora hæc in scrotum descendere, Neq; si alicui sit mirum si contra opinionem cujusdam Excell. Medici sententiam, qui cum Fernelio credebat vasa seminalia à Peritonæo non esse inducta, neque ita de facili tendinem hujus musculi perforari posse, cùm jam sæpe, ut vidi, & celeberrimis Medicis ostendi rem aliter se habere, nõ solum in cadaveribus, sed in vivis, præsertim anno 1596. in quo vidi puerũ qui Hernia intestinali afficiebatur, & cum à Chirurgo à Nursia per incisionem curaretur, Testiculo cum suis vasis avulso manifeste inspexi, atque ostendi vaginam, ut ita dicã, testiculo à peritonæo factam, quæ ita erat dilatata in suo exortu, usque ad finem & fundum, ut duo digiti manus meæ facile ingrederentur, quod credo omnibus facile esse visu. *Hippolitus Boscus de Facult. Anat. Lect. 1. p. 9.*

Mulieres Herniis esse obnoxias ostendit dissectio virginis, cui à relaxato Peritonæo Inguinalis accidit.

Ligamenta uteri Rotunda oriuntur à fundi uteri lateribus, iis præsertim in locis ubi Tubæ Fallopianæ utero committuntur, & inter duplicaturam Peritonæi versus inguina utrinque ascendũt, & ut vasa spermatica in maribus, ita hæc Ligamenta in mulieribus extra abdominis cavitatem prodeunt; hinc illæ eadem ratione ut viri Herniis sunt obnoxiæ, quatenus scil. Peritonæũ eo in loco, ubi ligamenta exeunt, præter modum dilatatur: Quemadmodum hisce diebus observavimus, dum Filiam Hernia laborantem post mortem dissecaremus, eo namque in loco, ubi rotunda uteri ligamenta abdomen deserunt, Peritonæum adeo relaxatum invenimus, ut integram foveam sive bursam efformaret, per quam intestina in inguen descendendo herniam intestinalem producebant. *Regnerus de Graaf de mulier. organis cap. 10.*

Herniæ ope subligaculi solius curatæ, natura hiatum materia adiposa offarciente.

Sacrificulus in ædibus S. Andreæ Artium sacris, nomine Ioan. Moretus, Hernia completa laborans me accessit, opem efflagitans, maximo enim se dolore affici dicens, præsertim ubi officii causa esset canendum: Viso loco laborante, à cantione abstinendum dixi, munere alteri concesso; hinc plurimis morbo congruis præscriptis, inter cætera subligaculo descensum cohibere jussi, quo & quinquennii vel sexennii spatio usus est; atque ex eo quærens qua valetudine frueretur, se sanum esse asseruit: Quo de rei veritate constaret, in ædes meas eum deduxi, examinatisq; genitalibus, nullum Herniæ vestigium comparuit.

Eô autem semestri post ex Pleuritide defunctô, cadaveris apertionis concessa, inquisivi sedulus quibus repagulis natura descensuris intestinis obviam ivisset: Fidem testor me circa foramen productionis peritonæi, invenisse substantiam adiposam, magnitudinis mediocris globuli sphæristerii, tam arcte dicto processui adnexã, ut vix sine dilaceratione adjacentium locorum divelli potuerit: Quæ sanationis causa fuerat: Multos præterea novi qui à pertinaci subligaculi gestatione, eaque sola citra aliud præsidium sanitatẽ consequuti sunt; quibus, prius macilentis, post obesis factis, circa intestina colligitur pinguedo, à qua intumescunt, unde nullus in scrotum patet transitus, relicto postmodum sine recidiva subligaculo. Ex quibus patet temere instituendam non esse castrationem. Res certe admiratione non caret, naturam morbos incurabiles creditos, superare, levi auxilio adjutam. *Pareus Operum lib. 8. cap. 15.*

Extraordinariæ Herniarum species per Anatomen deprehensæ.

Hæ sunt simplices Herniæ & compositæ, prout vulgo describuntur. sed nobis plures alias praxis demonstrat, & quæ apud Scriptores non reperiuntur: nam experientia me docuit Peritonæum etiam in parte posteriori versus Dorsum posse disrumpi, & ibi Herniam efficere: Inguina sunt locus Herniis consuetus, verum noli tibi persuadere Peritonæum in aliis locis etiam non posse dilatari aut disrumpi, & ibi Herniam efficere: Supra umbilicum contingit, sed rarissime: Infra umbilicum, & ad ejus Latera, & longe supra Inguina, non duntaxat ego, juxta alios Hernias vidi, sed cum illis tanquam cum abscessu agebatur, & Chirurgus non aliam sui erroris rationem in medium producebat, quam quod ibi Herniis consuetus locus non esset. *Barbette Chirur. parte 1. c. 7.*

Bubonocele à descensu Coli in inguen.

Occurrit ante aliquot annos mulier. 40. annor. quæ jam à sex annis hernia gravi ex casu laboraverat: sic ut subligaculo forti propendentia, detinere coacta fuerit.

Aperto in cadavere: Intestinum Colon, rupto peritonæo, dilatatis externis, cavitatem ventris magna parte reliquisse observabatur, loco eo ubi ad constituendũ Rectum flexuosum valde sinistro in latere detinetur. *Ger. Blasius observ. medic. 8.*

Hernia ab intestini Cæci descensu.

Cum Cæcum intestinum prope renem dextrũ peritonæo contumaciter adhæreat, non possum adduci ut credam cum Galeno solum hoc intestinum omni vinculo solutum esse, ob idque facile in scrotum decidere: Experientia docet solum Ileum pubi proximum Enterocelen facere; Inveni tamen in puerulis quibus tum ossi sacro incubat, in scrotum delapsum. Et nuper in Pharmacopœi cadavere juxta inguen provolutum observavi. *Riolanus Anthropogr. lib. 2. cap. 12.*

Hernia à descensu omenti.

In subjecto virili ob cusam monetam strangulato 1638. Parisiis, Omentum in inguen dextrum producebatur: Deinde vero musculo cremasteri ita adnatum visebatur ut naturalem nexum diceres: Epiplocele enim laboraverat: Uterque

quoque Testiculus Hydrocele infectus. *Bartholinus cent. 2. observ. 85.*

Hernia à descensu intestinorum inter cutim & musculos.

Experimur etiam processum peritonæi in Inguinibus ita posse disrumpi, ut intestina non in scrotum, sed inter cutim & musculos versus femur sese urgeant. *Barbette l.c.*

Hernia ab intestini & omenti prolapsu.

Pagano cuidam viro robusto cum duobus litiganti, & in terram dejecto, adversariorum alter pedem in inguinis dextri regionem adeò impetuose impegit, ut vehementem inde cruciatum mox sentiens, vix iterum potuerit assurgere: Inde in lectum collocato, statim tumor in eo loco amplus apparuit: Chirurgus & Lithotomus vocati, rupturam in peritonæo factam, atque procidentiam intestinorum sequutam judicabant, aliquotque die in reponendo intestino laborarunt, fomentis, inunctionibus & manuali operatione adhibitis: Quibus cum nihil proficeretur, dolorque in dies augeretur, & tumor admodum ruberet, ad nos advectus fuit: Cum vero cognovissem illum totos octo dies, ex quo læsus fuerat, nihil per alvum dejecisse, vomitumque ea nocte excrementorum alvi sequutum, & postmodum omnino intestina procidisse, uti & omenti portionem tumore in inguine persistente, nec in scrotum descendente, intestina ex læsione inflammata, uti & vicinas partes asseveravi: Et quia tumor mollis, plenus & lividus erat, sanguinem quoque illic collectum ex læsione, eumque ex diutina retensione corruptum esse judicavi. Quibus consideratis, cum nulla alia spes salutis esset, & gangrænæ indicia, excitatis jam nigris in inguine pustulis, exsudanteque ichore apparerent, per sectionem cutis viam patefaciendam, & per rupturam peritonæi tunc conspicuam, intestina reponenda, Ægro etiam hoc unice rogante, necessarium fuit existimatum. Itaque Chirurgus, cutem tumori instratam attollens digitis, ne dum secaretur, intestina forte læderet, eam novacula aliquousque discidit, ægro nullum inde dolorem sentiente, quod emortuæ carnis è gangræna signum erat, statimque flatus fœtidissimi & corruptus sanguis lividus, cadaverosi & abominandi odoris, per foramen peritonæi scissum, è vulnere erupit, tanta copia ut pelvim pene impleret: Inde sectionem longo vulnere continuans, omentum, quod omnino corruptum erat & prociderat cum intestinis, ab his, amplitudine duarum palmarum abrupit, atque hæc eadem admodum rubentia cruentaque per rupturam intrudere, rursumque erumpentia retinere studuit, quod dolorem ægro pariebat, ut omnino interdum deficeret: Postea pannis duplicatis & involutis, applicatisque cum emplastro, ne erumperent intestina cavit, mortem interim prædicens, uti & ego, cum pulsus in eo deficeret, extremaque frigerent, quare tres tantum horas in agone versatus exspiravit.

Abdomine sectione reserato, intestina intrinsecus livida aliquousque, uti & peritonæi inferior sedes, carnosaque vicina loca contusa apparuerunt, ex quibus ea inflammata gangrænataque fuisse satis apparuit. *F. Platerus observat. lib. 3. pag. 756.*

Ob Herniam castrati plerique intereunt, vi illata peritonæi processui, nervo sexti paris & vasis spermaticis.

Et si ea curandarum Herniarum via, quæ aureo puncto fit, dolore ac periculo non vacet, tutior tamen est quam illa quæ fit per castrationen, quæ ægros remedii crudelitate enectos manifesto mortis periculo exponit: Castratores enim dum timent ne curatione absoluta superstes sit relaxatio, violento tractu peritonæi processum à partibus quibus adhæret divellunt, unaque nervum à sexta conjugatione, qui ad testem pergit: eandem vim spermaticis vasis inferunt, quibus ex rebus dolor excitatur ingens, convulsio, hæmorrhagia, inflammatio, putredo, ac denique mors, ut ego in multis observavi, quos paucis post diebus quam execti fuerant, exsecui mortuos: Hæc pericula & damna, etsi nonnulli evadant, illi tamen generandi facultate per omnem dehinc vitam privantur. Quare nunquam exsectioni Testium subscribam, nisi forte sarcocele aut gangræna ipsos invaserit. *Pareus lib. 7. cap. 16.*

Entero-Epiplocele lethalis ob sequutam gangrænam 1. Ob Ilei & Epiploi, cum aqua & flatibus. 2. Ob Epiploon maximam partem devolutum. 3. Ob inflammationem Epiploi & intestinorum. 4.

Accersitus olim fui ad Senem quendam herniosum, cui intestina in scrotum prolapsa erant, & qui variis iisque gravibus ob id molestabatur symptomatibus: Apud quem Chirurgum reperi illa in suum redigere locum annitentem, applicatione fotuum & unctionum, ex rebus magna ex parte adstringentibus apparatarum: Ego animadvertens eorum usu impediri potius quam promoveri curationem, confestim ex emollientibus & relaxantibus curavi concinnanda remedia, quorum usu intra paucas horas suo loco fuerunt restituta intestina, & dolores quibus acriter infestabatur sublati: Post aliquod autem temporis spatium, quia fasciæ usum aversabatur, relapsa cum essent, denuo ad illum sum vocatus, ac eadem quæ antea per aliquot dies usurpans remedia, nihil profeci, nec ullo modo intestina potuerunt restitui, & sic me præsente bonus senex exspiravit.

Ego hærens qua ratione id potuerit accidere quod usu convenientium remediorum morbus, quemadmodum antea, non cesserit, petii ex uxore defuncti ut liceret dissecto cadavere ejus contumaciæ investigare causam: Illa non refragante, Ego & Chirurgus opus anatomicum mox aggredimur, & reperimus intestina, una cum epiploo, admodum livente, in scrotum decubuisse, & eo intestina adeo intricata, ut ob id impossibilis omnino fuerit eorum reductio, Et sic αὐτοψίᾳ in veram ejus contumaciæ pervenimus notitiam. *Ex Observationibus Cosmæ Holzachii.*

D. N. herniosus erat; In scrotum pars Ilei devoluta erat cum Epiploo, præter aquæ copiam: Colon flatibus turgidum. *Vide lib. 2. tit. de palpit. cordis.*

Dom.

3. Dom. du Lac, annos circiter quinquaginta natus, ab incunabulis Enteroepiplocele vexatus, cum Tumorem ad immensam magnitudinem devenisse observaret, Tierrio Arvernorum, patria, Lugdunum medelam quærens concessit: Convocati in consilium D. D. à Claustro, Grassius Ego, Mag. Panthotus & Benoist Chirurgi, exitum lethalem & calamitatis plenum prædiximus, qui sectioni soli cedere possit, evidenti periculo obnoxiæ, ob debilitatem partibus inductam, gangrænæ & sphacelo expositarum: Objecit æger se ab anno bis vel ter volvuloso affectu affectum fuisse, ob quem in exitium pene deductus esset: malle se remedii aleam subire, quum nihil morte funestius ipsi accidere posset, languoribus finem impositura: Masculus ægri animus assensum Medicorum & Chirurgorum obtinuit: præparato ergo corpore Celotomen peregi, atque Omenti uncias octodecim exsecui, membranis tenaciter annexi, immutato quadantenus illius colore: Operatione peracta curam juxta methodum institui: sed Anima ejusmodi domicilii pertæsa, id atrophia consumptum septima die deseruit:

Præsentibus dictis D. D. Medicis & M. Chirurgis cadaver aperui: Omenti vero tantum portiunculam, ovo columbino magnitudine parem intestino Ileo hærentis, reperi, cujus pars gangræna erat affecta, convulsionum & mortis causa:

Inde colligo in affectibus qui minus spei quam timoris præbent, non temere ad operationes accedendum esse, sed demum habito consilio, & petito à viris Artis peritis, quo præcedente matura deliberatione & prognostico, libera sit erga Deum & homines conscientia. *Iosephus Covilliard Operationum Iatro Chirurgic. Gallice editarum 17.*

4. Illust. J. H. Heslerus, ab octodecim annis Herniosus, vehementi correptus tussi, intestinis vi deorsum pulsis & quasi incuneatis, tandem inflammatione & ingentibus doloribus supervenientibus, bis vomuit nigra, cum præ anxietate non posset contineri lecto, & omnibus invitis sæpe surgeret, à loci mutatione remedium dolorum sibi promittens, tandem sedili locatus, lethali animi deliquio correptus placide expirabat.

Aperto cadavere scrotum dextrum omento & aliquibus intestinis plenum inventum, ita erant impacta, ut quamvis corpus adhuc caleret, vix extrahi sine ruptura potuerint. Inflammata erant, tensa erant quasi: inde biduo ante obitum è lecto surgens, erecto non poterat ambulare corpore: ventrem semper pronus curvare cogebatur. *Rolfinkius Epitomes meth. & cur. cap. 26. lib. 3.*

Hernia à prolapsu partis mesaræi & intestinorum in scrotum, cum putredine.

N. Hernia laborans suasu amicorum agyrtam conducit, qui ad suppurationem illam perducere ausus est, (Existimans, ut credo, esse sarcocelem) itaque ad eam stercore utebatur caprillo destillato: circa 14. diem oborta febre, vocor & ego tum propter febrem, tum propter urinæ difficultatem: Adveniens igitur & omnia diligenter perpendens, periculum existimo agyrtæ cura ægro illi allatum: nimirum ob febrem symptomaticam, itemque dysuriam ex consensu istarum partium ortam, & imprimis quod hernia esset intestinalis, quæ cresceret nonnihil & decresceret: adde decubitu vel ascensum: præterea membranosas illas partes ad suppurationem prorsus esse inhabiles, & rem nonnisi gravissimis intervenientibus symptomatibus in effectum posse deduci: Quin & ut effectus responderet, tamen corruptis illis membris functiones naturales necessario aboleri: Æger contra malle se periclitari quam cœptam curam intermittere, meque rogare ut febris tantum curam habere non gravarer: Pergit itaque adhuc per tres septimanas: tunc redit agyrta iste, rusticus qui erat, & cum phlebotomo incisuras instituit per fundum scroti satis altas, ad materiam exhauriendam, tertio vero die æger moritur.

Aperio cadaver, astante ipsius agnato, & mesaræi partes cum intestinis prolapsas putrescentes jam & corruptas invenio, Itemque in collo vesicæ abscessum quantitatis nucis avellanæ, ut non tantum ratione consensus, sed & abscessus difficultas illa urinæ exorta fuerit. *Phil. Salmuth. centur. 1. observat. 11.*

In consultatione referebat nobis I. Dom. Sala vidisse se mesenterium cum intestinis tenuibus omnibus in scrotum delapsum, abdomenque alterum præ se tulisse, qua mole compressio vesicæ collo, urinæque impedito transitu, necessitatem moriendi ægro esse accitam. *Th. Bartholinus cent. 2. histor. 95.*

Hernia vicennalis, solo pondere molesta, ex decubitu Ilei & Epiploi in scrotum.

Anno 1678. 18. Januar. dissectum est cadaver Caroli Ludovici, in Nosodochio Genevensi, à Mag. Bailly Chirurgo, me præsente & Dom. D. de Communis, Nosodochii Medico ac Mag. D. Dentand Chirurgo peritiss. Septuagenarius erat dictus Ludovicus, Vir procerus, vino & veneri, dum juvenis, addictus, qui totam Persiam peragraverat: Obiit autem ex Peripneumonia Ante 20. annos Hernia laborabat; quam præ pondere & magnitudine subligaculis sustentabat, cæterum immunis omnium affectum quos hernia comites sibi accersit:

Dissecto scroto, primo se obtulit Omentum eò devolutum, paucula pinguedine obductum, flavescente: hinc intestinum Ileum, cum annexo mesenterio, ad ulnæ nostratis longitudinem devolutum, citra ullas læsionis notas: Peritonæi productio adeo expansa & dilatata, ut nequaquam detractis intestinis & omento, quinque digitos conjunctos admitteret, manum integram, alias excepturum: Omentum autem peritonæo & intestina arcte invicem cohærebant, ut hinc conspicuum sit operationem sine dilaceratione impossibilem futuram fuisse: Testes exigui, compressi, flavescentes, nucis moschatæ magnitudinem vix æquantes: Stentorea voce erat præditus: Diversorium, cui pro insigni appendebat effigies viri sylvestris, in suburbio San Gervasiano, ejus fuerat: Coma autem & barba hirta, effigiei prototypus videbatur. *Thephus Bonetus in Sepulchreto.*

Enterocele nativa. 1. Incurabilis ob substratum scroto adipem, & Ileum vaginali tunicæ affixum. 2. Ob prolapsum Ilei intorti, cum dilatatione externæ tunicæ vaginæ, internæ ruptione. 3. 4. 5.

1. Joh. le Charron volvulo affectus evasit, exactisque aliquot annis alio morbo interiit: Aperto cadavere, observatum est mediam quandam partem intestinorum & mesenterii rupto peritonæo in scrotum amplissimum, & omni fide majus prolapsam, ut etiam inde retrahi nequiret: Et ista prolapsio erat illi naturalis, intestinaque tanquam in loco nativo & augebantur in scroto & nutriebantur: Iac. Thevart Annot. 2. in cons. 24. lib. 2. cons. Ballonii.

2. Cuti scroti naturaliter nullus intervenit adeps, retulit tamen mihi Christ. Riedinger se illum observasse in Dom. Martino Schatio, qui cum intestinali Hernia laborasset, nullus Chirurgorum unquam ea, quæ in scrotum prolapsa videbantur, ita reducere potuit, quin semper adhuc præter testem, tumor instar ovi gallinacei majoris remaneret:

Aperto mortui cadavere observarunt in scroti fundo multum pinguedinis excrevisse, & intestinum Ileum vaginali tunicæ plurimarum fibrarum interventu firmiter accrevisse: Regnerus de Graaf. lib. de *virorum organis pag.* 20.

3. Anno 1664. Dn. Christoph. Heidenius in Herniam intestinalem incarceratam in scroto, cum stercoris vomitibus, obstructionibus alvinis, torminibus ventris, singultibus &c. incidit: Elapso sextiduo in consilium vocor, examinatis ante à Dn. N. adhibitis clysteribus emollientibus & humectantibus, insessibus, inunctionibus & aliis remediis, testor nihil omissum fuisse quod ad restitutionem in integrum requireretur: Sed quam operosæ, imo impossibiles herniarum istarum in abdominis cavitatem per hæc media, ut & manualem operationem, sint repositiones, tot lugubria hactenus facta testantur exempla & in demortuis αὐτοψία: Quæ causa etiam est quod dicta præsidia suos sæpe deserant authores, ut ægros postmodum prognostico cogantur relinquere: Proximam curationis attingit metam qui dislocationem & prolapsum intestinorum in scrotum corrigere novit: Hoc me cum Deo meo & rei veritate gloriari possum me ope Emplastri mei magnetici (propria experientia à me inventi, inque pluribus diversæ ætatis, constitutionis & sexus subjectis, eodem etiam malo plures per vices ad desperationem usque aliorum recurrente, multoties non sine fructu probati, quod satis dilaudare nequeo, Lumbis applicati, tormina juxta sopiendo ventris atrocissima, intorta, dislocata, & incarcerata in scroto intestina, quamprimum incaluerit, ad proximam abdominis transfert sedem, ipsis etiam ægris, non quidem sine molestia, vim ejus tractricem animadvertentibus.) dicti Domini intestina convoluta, & in scroto incarcerata, in pristinum reposuisse locum: Nam quamprimum die 2. Januar. 1665. hocce Emplastrum ipsius lumbis circa horam noctis nonam fuit applicatum, vix dimidio horulæ elapso spatio tantum exercuit tractum, ut præ cordis angoribus & levibus leipothymiis, nisi adstantes qui tum excubias agerent generosam emplastri virtutem ipsis quasi manibus palpassent, vi abrumpere tantum non commoveretur, donec ipse salutarem extractione ἀνφοσίαν tandem percepisset, eo quod intestina sensim ac sensim in abdominis cavitatem serpendo retrocedere sentiret: Dum hæc ita peragerentur, loco vini meri, id quod Divinus Senex inculcat, internorum confortantium usus internus & externus cordialium non fuit posthabitus: hisce per aliquot horas continuatis, optima recuperandæ valetudinis spes affulsit, dum boni volvuli hujus insequuti fuere exitus, quos Hippocr. 2. Epid. s. 6 in comment. Vallesius recenset, scil. somnus, lassitudo & diarrhœa, quæ ex fæcibus constabat nigris, gangrænam minitantibus: Ad œsophagi tandem & faucium asperitatem, & læsionem ex stercoris & aliorum acrium humorum transitu causatam, profuere lenientia mucilaginosa & putredini resistentia: Sterno dolenti Empl. Oxycroceum levamen attulit, Et sic D. G. præter omnium expectationem tum temporis ex Acherusia quasi palude liberatus est æger: Sed quid fit; Ne de hujus Emplastri virtute ab aliis frivole ac temere impugnata, ullus dubitationis relinquatur locus, ecce Idem Herniosus cum anno 1665. 19. Junii, herniam suam sine subligaculo gestasset, in idem malum, sed aliis comitatum symptomatis incidit: Ille illico, idem etiam Emplastrum adferri è mea domo jussit, Lumbis ut denuo imponeret: hoc quidem iterum suam exercuit vim attractivam, sed irrito conatu: Ego elapso jam dum biduo domum revertens, illico ad ægrum accersitus, deveni, habito ultro citroque mentis discursu, ad impediti effectus causam, quæ fuit 1. vis emplastri veteris exantlata; 2. dozis ejus malo expugnando inæqualis, 3. nova symptomatum syndrome, qualia, præter obstructiones alvinas & urinarias, vomitus stercorum, ventris tormina, fuerunt, summa virium diminutio, dyspnœa, nephritis, emphysema ventriculi, cum incipiente tympanitide &c. Ego vero seposita omnium horum affectuum medela, iterum aggressus sum dislocationem & prolapsum intestinorum in scrotum; sine his enim reliqua non insequuta essent symptomata: Emplastro meo renovato, & dozi ejusdem aucta, pristinam instituì curam semestrem, quæ licet lente procederet, levibus tamen aliis juxta adhibitis, intestinorum distorsio & dislocatio probe fuit correcta, subligaculis tamen semper coercenda: Sed tandem anno 1666. 4. Maji dictus D. æger lethalem metam attigit, superveniente ex lapsu prono in terram vasis cujusdam ruptura in scroto eodem affectu defunctus.

Cum corpus ad inspectionem aperiretur, observavi prolapsum intestini Ilei intorti in scrotum cum dilatatione externæ tunicæ peritonæi, & internæ ruptæ & dilaceratæ: Intestina inflata cum peritonæo, omento & mesenterio erant inflammata, & tantum non gangrænosa, ob circulationem sanguinis impeditam & spiritus vitalis oppressionem: Vesicula fellis erat instar ovi anserini in magnitudine: Ad medioris: Ren dexter fuit minor sinistro: scroti sectionem mensura una & circiter seri cruenti effluxit: Constitutio Hepatis & Lienis

Ulteriorem

Ulteriorem cultri progressum adstantes prohibuerunt; Emplastri compositionem libens communicarem, nisi retraxisset quorundam objurgandi audacia, fiet tamen si benevolum aliquem offendero. *Fridericus Hofmannus meth. med. lib. 2. cap. 2.*

4. Mense Dec. 1676. obiit famulus Chirurgi Nosodochii Genevensis, Enterocelæ obnoxius; Ea tum temporis prehensus, præ vehementia doloris, accedente syncope, intra horas 24. extinctus est: Ante apertionem loci affecti, perpendit Mag. Bailly, Chirurgus peritissimus, vix trium digitorum spatium inter umbilicum & pubem intercessisse; Scrotum vero mire tumebat à fæcibus in intestino conclusis; facta autem hypogastrii dissectione, reperit Intestinum Ileum bis, in formam literæ s conduplicatum; adeo in via coarctatum ut neque hinc impellendo, neque inde trahendo, in sedem naturalem compelli potuerit, etiam ablatis in intestino contentis.

5. Anno 1674. Apparitor Genevensis, nomine Dominice, septuaginta quatuor natus annos, ab Enterocele extinctus est, post trium septimanarum languorem: In quo etiamnum Ileum intestinum eodem modo conduplicatum deprehensum, atque tam arcte incuneatum ut nulla vi, etiam remotis impedimentis, in abdomen compelli potuerit. *Theophilus Bonetus in Sepulchreto.*

Epiplocele lethalis ob corruptionem Omenti, Testium & vicinarum partium. 1. A maxima Omenti parte in scroto. 2. Epiplocele ab Omenti in Testis seminaliumque vasorum tunicam descensu. 3.

Anno 1585. robustissimus quidam Faber lignarius Genevensis, quum elevasset pondus ingens, Omentum ei prolapsum est in scrotum, & quia reductum non fuit, intumuit, Inde dolor acutissimus, inflammatio, aliaque gravissima symptomata, denique mors sequuta 7. die.

Ego scrotum incidi, & inveni Omentum, imo etiam Testes vicinasque partes plane corruptas & gangræna infectas: *Fabritius Hildanus cent. 1. observat. 72.*

2. Conspicatus sum Omenti selibram extra umbilicum; Et in scroto Omenti libram & amplius *Columbus de Re Anatom. lib. 15.*

3. Ego non semel sane Omentum in eam testis seminaliumque; ipsius vasorum tunicam (cui peritonæum originem præbet) devolutum, ac miris modis mediocrem omenti alias constitutionem adauctam deprehendi: Nam cum tota omenti pars alioquin intestinis incumbens in mediocriter pingui homine vix libræ aut sesquilibræ pondus excederet, Vidi tamen omentum ita p. n. in ea testis tunica auctum, ut quatuor aut quinque librarum pondo penderet, & ventriculum ex sua sede ita deorsum distraheret, ut ventriculi deficiente munere, variisque obortis singultibus id pondus mortis occasionem fuisse inter secandum collegerim, cum in morbo quodam laterali, qui alioquin bene expurgatus fuerat, scrotum ex more ab ægro adstantibusque subligari neglectum fuisset: Quin etiam quo exactius ramicum herniarumque, uti vocamus, rationem perquiro, eo etiam magis omnes illos molles ramices, quos carnosos vulgus appellitat, ac merito à varicosis affectibus distinguit, ex omenti prolapsu incrementoque progigni mihi persuadeo. *Vesalius Anat. lib. 5. cap. 4.*

Hernia triplex lethalis, ob putrefactionem intestinorum in scroto incipientem,

In quodam magni nominis Viro, vitam sedentariam agente, temperie humida prædito, & diu in viduitate vitam transigente, hernia tum aquosa, tum carnosa ac intestinalis (de qua ultima tamen semper fuit dubium, cum nullos dolores sentiret vehementes) excreverat in tantam magnitudinem ut ultra 40. libras penderet, & ipse amplius hoc pondus propemodum ferre non posset, propter difficultatem spirandi, cum omnia magna vi deorsum traherentur, semperque lecto affixus decumbere coactus fuit: Tandem cum nulli amplius remedio locus esset relictus, & mors illi brevi immineret, de consilio Medicorum & Chirurgorum, prius tamen prognostico indicato, cum omnibus copia aquæ adesse videretur, sectio fuit adhibita in loco inferiore, ubi undans aqua percipiebatur, Qua adhibita sine magno dolore, effluxit cum impetu illius ad libram 1, sed foramine obstructo tunc, Medici noluerunt plus excerni; Sequentibus diebus tribus plus illius evacuatum est, & æger non male se habuit; Verum quarto die febris supervenit cum erysipelate, quod alioqui illi fuit sæpe molestum, præsertim in pede altero, qui ob scirrhum œdematosum insuetatæ quoq; fuit magnitudinis, ac paulatim vires decreverunt: ut paucos post dies placidissime obierit.

Apertum scrotum, quod ex sectione alioqui satis detumuerat, & spem aliquam convalescentiæ præbuerat, Reperta intestina putrescentia, quæ proculdubio mortem accelerarunt. *Observatio Ioachimi Camerarii.*

Hernia ex Aquosa, Varicosa & Carnosa conflata.

Nobil. Ramsæus accepit in sinistræ natis partem superiorem & externam introrsum & deorsum leviter tendens vulnus, ex quo statim concidit: Huic accessit vulneri, inter alia symptomata, sinistri testiculi cum tumore & summo dolore inflammatio, quæ tamen post magnam partem sublata, remanente solum levi duritie, rubore & dolore; vocatus deprehendo herniam, non ventosam, ob defectum flatuum; nec simplicē aquosam, quia scrotum nec lucidum, nec aqua turgidum: nec Carnosam simplicem, ob dolorem: Sed Herniam ex Aquosa, Carnosa, & Varicosa conflatum: Aquosam quidem inculcat tumor instar ovi oblongus, cum testiculi occultatione quoad tactum & visum: Accedit & hoc quod sinistro lateri aquosæ herniæ valde sint familiares, quod nempe vena spermatica sinistra oriatur ab emulgente: Carnosæ vulnus ad sinistræ natis partem superiorem vergens ansam dare potuit & causam: generatur enim hæc hernia ex sanguine testes & scrotum obruente, ibique in molem carneam mutato: cui affluxui vulnus

potuit, ut dixi, ansam dare, ut non solum in principio statim testiculi sinistri inflammatio, sed & dolor sequutus fuerit: Suppetias fert sanguis adustus melancholicus à vitio lienis oriundus, renisque sinistri debilitas: Varicosam monstrat dolor, qui exacerbatur in distensione vasorum spermaticorum, unde erectionem penis cruciatus intensissimi comitantur: Omnia incassum remedia, nam sequenti mense moritur.

Aperto corpore, Renum loco portionem pinguem quasi, Lienis vero loco ovi gallinacei quantitate nigrum frustum, sanguinis coagulati facie, inveniebamus: Cavitas, (circa vesicam) abdominis, aqua erat repleta, ut & scrotum circa sinistrum testiculum potissimum, dextro longe minorem: Vasa testiculorum varicum modo consistebant; Dextri testiculi substantia spongiosa & putrida, tunicæque adnata erat, In dextra scroti parte caro adiposa. *I. D. Horstius observ. Anatom. 6.*

Herniosi calculosa vesica unam scroti partem implebat, Intestina tenuia alteram.

Venetiis quendam Herniosum novit I. Dom. Sala, cui omnia signa calculi vesicæ videbantur adesse, nec tamen cathetere aut candela potuit deprehendi: In mortui cadavere calculus cum ipsa vesica unam scroti partem impleverat, intestina omnia tenuia alteram: *Th. Bartholinus cap. 4. observ. 28.*

Hernia à descensu Ilei in scrotum, subsequente Iliaco affectu, irremeabilis ob excrescentiam circa meatum enatam.

Dom. à Charancon, Senator Camberiacensis, cum quodam die in Vinea aliquid magno cum nisu ageret, repente sibi imum ventrem crepari sensit; atque intestina in scrotum prolabi, quæ cum reponere conaretur, nec posset, in Iliacam passionem incidit, secunda enim die ructibus & vomitibus assiduis vexatus, alvum habuit penitus suppressam; difficultas etiam urinæ illum comitabatur: Sub vesperam febris, sitis, oris amaror ingens, vigiliæ, jactationes, ventriculi subversiones, dolores, seu potius cruciatus, clamorescontinui illum torquebant, adeo ut nihil per os admittere & retinere posset. Ego accersitus sub vesperam secundæ diei, ex pulsus inæqualitate, inordinatione, parvitate & celeritate etiam ex tot symptomatum vehementia & subitanea virium dejectione, morbum acutissimum & quartum diem non præteriturum pronuntiavi, Atque præscriptis quibusdam topicis, ne nihil fecisse viderer, cardiacis, anodynis, ad discessum me paravi: Sed victus precibus remansi, & protinus enema emolliens & anodynum parandum & injiciendum curavi, post tres horas iterandum: quæ ambo ante diluculum tertiæ diei per os reddidit: Tertium post meridiem injectum, sub vesperam adhuc sincerum evomuit, & ea nocte fæces ipsas fœtentes, & iterum bilis copiam cum violentia & cruciatu maximo per vomitum rejecit; sicque viribus & spiritibus exhaustis, corpore prorsus inanito, sub vesperam quartæ diei defecit.

Dissecto cadavere, Ileum intestinum, quod in scrotum descenderat, livens invenimus, & supra os pubis, in meatus initio (quod notatu dignum) spongiosam, seu potius fungosam carnositatem reperimus intestinum circa meatum involventem, membranisque vicinis adeo adhærentem, ut vix manibus & unguibus avelli posset: Eam excrescentiam primo statim die enatam, & à saguine ob dolorem & rupturam in plagam confluxo, & ad locum laceratum concurrente, genitum fuisse autumo, qua fungositate viam obstruente, facta fuit impossibilis intestini delapsi reductio. *Abel Roscius ad Fabritium Hildanum cent. 6. observ. 70.*

Hernia à vase deferente in scrotum delapso.

Præterea non semel tantum observavimus vas deferens corrugatum in scrotum descendisse & ibi Herniam effecisse, quæ manuum ope facillime reduci poterat: imo quæ, si corpus resupinaveris, sua sponte intro recedit, à qua tamen nihil mali expectandum aut metuendum est. Talis Hernia *Spermatocele improprie à me vocatur. Idem ibidem.*

Hernia ab aqua testiculum replente.

Quidam ex phthisi obiit: Illi Testiculorum alter in magnam molem excreverat, durus, qui aquam fundebat citrinam, ut in hernia aquosa: membrana, quæ aquam continebat, erat plane cartilaginea & quasi cornea: ipse enim testiculus sua propria ab hac diversa cingebatur. *Rumlerus observ. medic. 52.*

Hernia ab aqua inter testiculi tunicas.

Ego in testiculo dextro hydrocelem vidi: Aquosus humor inter nerveam tunicam & elitroidem continebatur: Evidentes erant tres aut quatuor propagines vasis deferentis intra testem vitiatum & sanguine sanioso refertum dispersæ. *Riolanus Anthropog. lib. 2. c. 29.*

Scroti apertio inutilis in hydrocele ob corruptum Testiculum.

In Generoso quodam viro, quam omnis periculi plena sit scroti & erythroidis membranæ in hydrocele per scalpellum apertio, teste non sublato, compertum est; Ab aliquot annis sinistra parte hydrocele huic molesta fuerat; frustra cataplasmatis ac aliis remediis usus crebro, tandem temerarii Chirurgi consilio acquiescens, aperiri sibi scalpello tumorem permisit: Effluxit cito omnis humor, tumor quoque subsedit: sed cum testis ipse omnino esset corruptus, vicinas partes facile infecit: Subsequuta mox scroti universi, ac etiam penis, cum tumore & ingenti dolore gangræna: delirium cum vehementi febre, propter doloris magnitudinem, supervenit, ac non ita multo post mors successit.

Ren hujus sinister corruptus fuit, & seminalis in erythrooidem descendens, valde ampla & multum patens. *Dodonæus observ. medicin. 40.*

Tumor

Tumor, seu Hernia Umbilicalis, lethalis ob Iecoris lobum alterum, extra Peritonæum prolapsum eidem accretum.

Beaverat Deus Illustr. Mariam Henly prole mascula, in hoc infantulo fausta Junone Lucina recens nato, observavit obstetrix quendam umbilici tumorem, nucis moschatæ magnitudinem æquantem: Uterque Parens Medicum & Chirurgum in consilium adhibent, & me quoque ad octo milliarium distantiam vocari curant: Convenimus omnes intra 30. horarum spatium, jamq; tumor ad pugni magnitudinem accreverat: Quo diligenter examinato, candela admota, conspicienda se præbebant intestina versicolora, in eum prolapsa, rupto peritonæo: desuper vero, à dextra tumoris parte, quæ sphacelo correpta erat, nescio quam carneam substantiam, intestina deprimentem deprehendimus: Chirurgus cum altero Medico spem unam in tumoris incisione collocatam esse affirmabant, fore, sic ut intestina in suum locum reponi queant: Ego contra dissuadebam, quod intestina sphacelo correpta viderentur, & infantulum, admodum debilem, moriturum dicebam, & præstare eum intactum relinquere, quàm artem apud plebem maleficam defamare: Parentes vero, filioli vitæ desideratissimi, iis auscultantes, anceps potius remedium experiundum constituerunt, quam infantulum sine auxilio, etsi dubio, Libitinæ absorbendum relinquere: Facta ergo incisione, cum Chirurgus immisso in vulnus digito, intestina in suum locum reponere anniteretur, renitente carnea substantia, ipsis incumbente, eademque deprimente frustra laborabat; infantulo mox vitalem auram, quam vix hauserat, immature effundente.

Aperto à morte corpusculo, ne vestigium quidem omenti conspiciendum erat: Lien præterea exiguus admodum apparebat, intestina tenuia, rupto peritonæo, in umbilicum prolapsa & sphacelo emortua: Hepar vero, quod continuum esse solet, nec in lobos, ut in quadrupedibus, divisum, in duos lobos profunde sectum erat, quorum alter in proprio loco, dextro scil. hypochondrio, sub diaphragmate & costis nothis conspiciebatur: alter vero extra peritonæum prolapsus, eidem adeo firmiter accreverat, ut novacula ab eo separari minime potuerit: Cætera sana. *Fridericus Lossius observat.* 30. *lib.* 2.

Omphalocele ab ortu contracta.

Puella modo nata, tumorem immensum in umbilico propendentem secum in lucem attulit. Quem cum vocatus inspicerem, deprehendi tenuia esse intestina per umbilicum prolapsa, globi magni instar convoluta, tenui membrana pellucida, qualis amnion fœtum involvens existit, investita, in quam chorda umbilicalis desinebat, & vesica ampla humore plena adhærebat: infans cætera bene habitus erat: Cùm autem intestina premendo reponere studeremus, videbantur nonnihil in abdominis cavum ex parte remeare, mox tamen rursum cum murmure egredi: Quæstio erat an vesica aperienda, digitoque immisso, foramen per quod egrediebantur investigandum esset, ut per illud intestina reponerentur? verum quia mox postea intestina inflammata esse conspiciebantur, atque infans stercora evomens, admodum debilis erat, nihil tentare voluimus.

Cum exspirasset, atque abdomen aperiretur, intestina quæ exciderant, membranæ amnio qua ambiebantur, adeo connexa invenimus, ut nulla ratione ab ea avelli potuerint.

An hoc situ in utero fœtu existente & crescente intestina collocata semper fuerint, vel postea antequam nasceretur prociderint, vel in partu, in dubium vocabatur: Ego procidisse diu antequam in lucem ederetur ex eo collegi, quod dum eum mater utero gestabat, ob excrementorum duritiem, conatibus magnis abdomen premere coacta fuit, & quod amnios membrana illi fuerit adnata: Potuisse autem fœtum, dum utero inclusus calore matris fovetur, citra incommoda hoc perferre, quæ postea cum à matre separaretur, supervenerunt, eumque è medio sustulerunt, censui. *Platerus Observ. lib.* 3. *pag.* 75.

Hernia cystica, cui ex terrore juncta bubonocele.

Herniam magis esse expansionem, aut extensionem peritonæi, quam rupturam, aut dilacerationem ejus, haud dubito, quin inter medicorum filios satis constet. Hic affectus nomen mutuatur à contento: sic hernia dicitur intestinalis ab intestino in ea contento, & omentalis ab omento, &c. Non minus etiam cum vesica urinaria prolabitur in scrotũ, hernia cystica dicenda foret, qualis mihi bis occurrit cum Andrea Boëkelmanno Chirurgo expertissimo. Amplissimus vir. Dom. N. N. Mercator Amstelodamensis, ab aliquot annis in tantam mingendi difficultatem incidit, ut urinam reddere nequiverit, nisi manu scrotum elevando comprimeret. Reticuit hoc malum tamdiu, donec simul, mirum dictu! in Bubonocelen solo terrore incideret: Dolium enim ingens vini de improviso rumpebatur in ejus cella, unde ita obstupuit præsens, ut ilico in bubonocelen incideret. Id quod semel mihi adhuc observare contigit in alio, qui solo terrore subito herniosus factus erat, retulitque mihi supra citatus Chirurgus in herniis sanandis versatissimus, se se hoc quoque pluries observasse. Hæc igitur bubonocele coëgit ægrum aliorum manus auxiliares implorare; vocabar ergo cum D. Bellangerio, Medicinæ Doctore eximio, Andr. Boëkelmanno, Petro la Nou, & Petro Adriani filio, Chirurgis dexterrimis. Verumenimvero bubonocele tam arctè comprimebatur à tendinibus musculorum adsitis, ut nullus nostrum opitulari ægro potuerit, ita ut brevi diem suum obiret. Multiplicis hujus herniæ apertionem concesserunt nobis consanguinei, in qua notavimus bubonocele dissecta, intestini ilei portionem inflammatam, & gangræna (ut sæpius contingit) obsessam, aperturamque (ut vulgò loquuntur) vel potius dilatationem adeo exilem aut arctam circa tendines musculorum abdominis, ut digitus pertransire vix potuerit; unde dicti intestini portio reponi neutiquam potuit. In scroto posthac totam vesicam urinariam prolap-

sam offendimus. *Fridericus Ruyschius in Observationibus Anatomico-Chirurgicis.*

Herniæ intestinalis curatæ post mortem dissecti.

Cantor quidam quadragenarius, sæpius cantando in herniam intestinalem incidit, non absque dolore, præsertim inter cantandum. Chirurgus advocatus illum à cantilunis abstinere jussit, & bracherium inguinibus accommodare, quod sex annis gessit, interea temporis se curatum confessus. Post illud tempus, sex mensibus elapsis à pleuritide tollitur.

Aperto cadavere invenit idem Chirurgus multum adipis in eo loci ubi peritonæum fuerat dilatatum, & per quod intestina deorsum premebantur, ad magnitudinem pilæ. Adeps dilatationi ita erat accretus ut nisi cum laceratione circumjacentium partium divelli quiverit.

Omnia ea quæ peritonæum nimis intumescere cogunt, ad herniam procurandam ansam præbent. Hernia nihil aliud sonat quàm dilatatio peritonæi, idque quovis in loco Bracherio postea ita constrictum est, ut dilatatum concreverit: vascula tamen adiposa ob summam dilatationem tantam adipis quantitatem in se collegerunt, ut locum antea dilatatum repleverint. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica.*

Bubonocele Ileosa.

Puerum curavi quadrimum, dire torminosum, acutè febricitantem & interdiu noctuque ejulantem, nec non susque deque omnia rejicientem alimenta, excrementa, remedia. Quarto die extinctus est. In inguine dextro ileon reperi ab agyrta, *bubonoceles curandæ specie*, scuto ita compressum ut gangræna & sphacelo fuerit occupatum. *E Collegiis Clarissimi Caroli Drelincurtii.*

Epiplocele mira.

Puero saltu inguen sinistrum intumuit. Judicatum est, *ileon* eò delapsum. Retrusum & contentum. Sed rursus ludibundo puero cursibus & saltu non unum inguen sed & scrotum tumidius evasit. Primis mensibus retrusum est denuo epiploon suas in sedes & scuto firmatum. Sed tandem neglectum est ligamen, specie curati morbi. Verum interjecto tempore præparco tumor majorem in molem surrexit, sed quoniam indolens, in cura fuit nulla per menses plurimos. Tandem vero tumor inguinalis dolorem peperit, & ad ligamen prius impulit. At industria nulla prior artifex omentum repellere potuit. Nihil igitur admotum, sed res naturæ commissa. Puer interim & adolevit & virilitatem attigit. Is vero febre synocha putri cadaver evasit, in quo summa cum voluptate omentum detexi intra scrotum tunicæ erytroideæ penitus accretum fibrillis scilicet veluti hederaceis in illam tunicam penitius infixis, singulas autem omenti arterias atque venas non modo crassiores detexi, sed elongatas omnino & per modum vegetationis intra scrotum ita radicatas, ut non nisi filamentis diruptis illud è crypta sua in apertam lucem protrahere valuerim. Quid miri igitur omentum istud reduci non potuisse. *Ex iisdem Collegiis.*

Enteromphalocele fæminina virilisque.

Mulieri ætat. 35. annor. in laborioso partu ob spiritus contentionem laxatus est umbilici circulus, & ileon leviter erupit. Retrusum est primò facilè & contentum per aliquot annos; sed deinceps conamine quodam altius prorupit ileon, nec amplius ita regestum, ut antea. Mansit ergo tumor, primis quidem mensibus æstivis indolens, sed autumno & hyeme sævus, præsertim borea flante. Deinde autem, non ad unius boreæ flatum, sed ad quemvis imbrem dolor repungebat acutior & acutior, donec tandem intercluso chylo tam enormiter tumuerit, ut nec digitis nec remediis cesserit. Toto demum ambitu livescente, febris, vomitus, convulsio, sudor frigidus & syncope ægram de medio sustulerunt. Repertum est ileon duplicatum laqueo veluti constrictum intra umbilicalem annulum, livens omnino & sanie olida fluxum.

Id ipsum in Causidico sexagenario vidi qui ventricosus admodum erat, & per multos annos tumorem illum levi scuto compresserat indemnis. Sed venit tandem suprema dies qua umbilicus dirè tortus est, donec accedente sphacelo febrili indolentia supervenerit cum animi deliquiis, sudoribus frigidis & ipsa morte vomitum occupante, aliàs in procinctu uti patuit è nausea & singultibus. *Ex iisdem Collegiis.*

De Sarcocele & Hydrocele quædam rursus ex iisdem Collegiis.

Lucripetas execror barbitonsores qui sarcomati testiculorum hydrargyrosin adhibent, quæ loculos emungit, sed de causa conjuncta nihil demit; imò majus exinde & dolentius surrectum vidi sarcoma.

In Hydrocele, tunicam inter elytroideam atque testiculi nervaceam, setaceum notavi utilius longè ad recursum morbi arcendum quàm simplex paracenthesis. In Physocele autem quam in recens natis millies vidi, neutrum convenit, sed cataplasma admotum è rosis rubris, balaustiis, caphura, & salis armoniaci tantillo.

HERPES

Vid.

CUTIS VITIA.

HORDEOLUM.

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

HYDROCELE

Vid.

HERNIA.

HYDRO-

HYDROCEPHALUS.

I. Hydrocephalus Aquosum Capitis Apostema, seu aquositas quæ in Capite reperitur „ dici consuevit. Congregatur autem interdum, inquit Manardus Epistol. Med. lib. 7. „ Epist. 2. in capitibus præsertim puerorum „ aqua in medio aut cutis, aut pericranii, aut hujus & ossis, quam ὑδροκέφαλον Græci vocant. Pariter Galenus Aquam in capite extra cranium interdum esse admittit, tuncque mollem apparere tumorem; aut quandoque sub cranio existere, neque tum foris conspici; vel nonnunquam utrobique inesse. Asserunt porro nonnulli, ejusmodi morbum nequaquam fieri, neque inchoari, nisi in recens natis puerulis, idque ex morbi hujus causis rite pensiculatis constare putant; nihilominus tamen observatum fuit, pueros septem, octo, decem, duodecim annorum hoc Affectu laborasse.

II. Est autem Hydrocephalus Tumor aquosus, vel totam exteriorem capitis partem, vel majorem ejus portionem occupans; hinc quibusdam haud immerito Hydrops Capitis appellatur.

3. Causa itaque hujus Affectus est Humor Aquosus in toto corpore redundans, hinc in capitis partes, exteriores plurimum, effusus, qui nonnunquam serosus, aliquando pituitosus & subcruentus, semper vero lentus ac subviscidus existit.

4. Cæterum quatuor hujus Affectus enumerari solent differentiæ, desumptæ ex sede diversa. Aliquando namque aquosus humor inter cutem consistit & pericranium, tuncque mollis est tumor, doloris expers; eique impressa digitorum inhærent vestigia. Nonnunquam pericranium inter & cranium humor colligitur, estque Tumor magno cum dolore, neque tam facile tactui cedit. Aut inter cranium & crassam menyngem; Vel sub menyngibus in ipsius cerebri ventriculis humor continetur, atque tum foris nulla tumoris mollities est; sed suturarum cranii dehiscentia sentitur; quemadmodum visum fuit in bienni puella, cujus meminit Andræas Vesalius, intra cujus cerebri ventriculos novem prope aquæ libræ deprehensæ fuerunt, uti refert. *Humani corpor. Fabric. lib. 1. cap. 5.*

5. Equidem Aquosus Humor si extra cranium hæreat, Hydrocephalus aliquando curatur, nisi ob tenellam patientis ætatem remedia adhiberi nequeant. Sed sub cranio, vel ipso in cerebro si humor collectus sit, lethalis est affectus: hinc recte ait J. C. Arantius lib. de Tumor. pr. nat. cap. 1. eorum qui ab interna „ causa Hydrocephalo corripiuntur, & præcipue altius latitante malo, neminem evasisse vidi. Si apoplexia aut Lethargus accedat, mors præ foribus est.

6. Ut autem tollatur hic Affectus, Antecedentes Causæ primo sunt removendæ. Quem in finem circa Victum, Resque cæteras Nonnaturales, & circa Remedia Universalia, si ægrotans adultus sit, eadem conveniunt, quæ pro Oedemate curando proposuimus. Sin vero infans sit, Nutrix parce tenuiterque vivat; & siccantibus utatur, humectantia fugiat, ac parum bibat; dein curandum ut tum Infanti tum Nutrici alvus semper libera sit.

7. Sed ad Continentem Causam ex parte læsa tollendam, duplex occurrit Curationis Methodus. Altera est, quæ Topicis convenientibus absque manuali operatione omnem humiditatem absumit. Altera vel unica incisione, vel pluribus scarificationibus aquosam materiem educit. Prima Curationis Methodus sane tutior est, in Puerulis præsertim natu minoribus; atque poros cutaneos Aperientibus, Materiamque Conjunctam Attenuantibus & resolventibus perficitur, sub quacunque forma Capiti applicentur. ex. gr.

℞. Rad. Calami aromat. ℥iij. Fol. betonicæ, majoranæ, Salviæ, rosmarini, Summ. Anethi an. Mj. flor. Stæchados Arab. Mß. bacc. Juniperi ℥ß. Sem. Cumini ℥iij. Cerevisiæ tenuis vel Vini albi Gallici ℔iiij. coq. S. A. in Diplomate pro fotu. Hoc fomentum cum pannis laneis Capiti calide admoveatur, ac identidem renovetur, exacte interim cavendo, ne unquam refrigeretur. Et quia sæpe id prohiberi nequit, hinc fomenti loco Capiti imponatur cucupha ex foliis majoranæ, Betonicæ, Salviæ, calamenthæ, floribus stæchados, Lavendulæ, rosis Rubris, Nuce moschata, &c. quæ sæpius permutetur.

8. Malunt alii totum caput linimento inungere,

℞. Olei cucumeris asinini ℥j. Rutæ, anethini an. ℥ß. Absynthii stillat. gutt. xv. M. F. Linimentum. eique inunctione facta mappam probe calefactam, vel modo laudatam Cucupham imponere.

In Adultioribus haud inutiliter Spiritu vini calido caput fricari solet, quod tamen non temere in Infantibus tentandum.

J. B. Cortesius laudat Unguentum à Foresto descriptum & probatum, quo spatio trium dierum, in puero quindecim dies nato Hydrocephalum se curasse refert,

℞. Pulv. Absynthii. flor. Camomillæ aut meliloti an. ℥ij. butyri recent. Olei camomillæ aut Anethini an. ℥iiij. Ceræ parum q. s. M. F. S. A. Unguentum. Alii Cataplasma ex Cephalicis in vino coctis compositum, & capiti applicatum multum laudant.

Cataplasma ex Cochleis cum Decocto Cephalico minutim contusis extollit Avicenna, eoque Ægram se sanasse refert Carolus Piso.

IX. Sed remediis hisce si morbus non cedat, ad alteram Curationis partem, Cheirurgiam puta, deveniendum est, quæ proponitur ab Aëtio & Paulo Ægineta, dicendo: " quod ubi " aquosa materia inter cutem & pericranium, " vel inter pericranium & cranium continetur, " & quando tumor parvus est, apex ipsius " unica incisione per diametron à parte po- " stica ad anteriorem ducta incidendus. Si ve- " ro materia inter pericranium & cranium " contineatur, & tumor major sit, duas per " medium se mutuo secantes, crucis instar " incisiones moliemur, vel triangularis for- " mæ. Sin grandior adhuc sit tumor, ter- " nas literæ H figuram æmulantes, aut etiam " plures juxta tumoris magnitudinis propor- " tionem,

10. Equidem Curatio hæc, quæ per Incisionem fit, quamvis à gravissimis descripta sit Auctoribus, cum vix tuta sit, mihi non probatur; atque de periculosa illa Hydrocephali apertione testatur Fabritius Hildanus Cent. 3. obs. 17. imprudenter illos agere, qui in Hydrocephalis multa promittunt, sectionemque tentant. Si tamen per imposita exsiccantia & resolventia medicamenta aquosus humor absumi nequeat, atque adeo Cheirurgia requiratur, præstat in pluribus capitis locis maxime tumidis (cavendo à musculis temporalibus) cum Phlebotomo parvas facere incisuras, quales in Venæsectione, aut partis post appositas cucurbitulas scarificatione fieri solent; Deinde mappæ siccæ ac probe calefactæ imponantur, quæ identidem, quoties à suscepto humore seroso madefactæ sunt, permutentur, usque dum omnis aquositas ablata, & Hydrocephalus sanatus sit.

11. Alii Causticis capitis cutem aperire, vel Actuali Cauterio inurere, quinque, sex, pluribusve in locis suadent: sed videtur talis Chirurgia merito suspecta, & ob Cerebri vicinitatem admodum periculosa. Atqui potius usu venirent Vesicatoria, fonticuli, Setacea.

12. Si sub cranio, viz. crassam menyngem inter & cranium, vel sub menyngibus ipso in cerebro hæreat aquosus humor, nulla tentandi Cheirurgica Operatio, sed per sola Topica est procedendum, & reliquum opus naturæ committendum: recte namque inquit Ambrosius Paræus Cheir. lib. 7. cap. 1. ex tumore & humore intus sub cranio contento neminem convaluisse vidi. At de variis, nec non monstrosis Hydrocephalis videantur Scenkius obs. Medic. libr. 1. p. m. 10. 11. 12. Fabritius Hildanus Cent. 1. obs. 10. Cent. 3. obs. 17. 18. 19. Cent. 4. obs. 10. *Joh. Munnicks in Chirurgia ad Praxin hodiernam adornata.*

Curationes.

In Hydrocephalo limaces cum suis testis pistentur & reducantur in formam emplastri, quod capiti applicatum & relictum, donec sponte cadat, mirabiliter resolvit. *Johann. Hartmann. in Prax. Chymiatric.*

Curatio hydrocephali in infantibus adhuc lactantibus admodum difficilis est, quòd infantes sint tenerrimi, & medicamenta purgantia non tolerent, quocirca cautè admodum & summa cum prudentia cum his procedendum est. Solis topicis fovendum est caput, ut roboretur calor eorum nativus & sic per insensibilem transpirationem materia hydrocephali evacuetur. Topicum autem medicamentum, quo solo tenellorum infantium caput refocillari, & materia hydrocephali evacuari potest, sic componi debet.

♃. Ess. rorismar. & salv. an. ℨ j. pulv. cinnam. & nuc. moschat. ana ℨß. caryophyll. ℈j. ceræ ℥ ij. picis navalis ℥ iij. fundatur & liquatur cera cum pice, quibus liquefactis adde pulveres, & ultimo infunde essentias, dum materia saltim tepet, ne essentiæ evanescant, & lege artis fac cerotum, quod deraso capillitio semel in die capiti infantium applicetur, donec caput omnino detumeat. Quod si vero infantes sint robusti, ut purgantia medicamenta sustinere possint mercurio dulci spagyricè præparato purgentur sequenti modo.

♃. Mercurii dulcis ℈ j. diagrid. è succo liquiritiæ dissoluti & rursus exsiccati gr. v. conserv. viol. ℨ j. m. f. bolus, detur mane cum regimine & custodia artis. Per capitispurgium nostrum ac sternutamenta etiam expurgari queunt, ut materia hydrocephali per nares educatur, sicuti pariter per sudores & urinas hæc affectio exterminari potest. Sudores sudorifico nostro cum jove & mercurio parato promoventur.

♃. Milii solis ℥j. saxifrag. & rest. bovis an. m. j. terebinth. Venet. ℥ iij. mell. opt. ℥ iv. spiritus acet. rectificat. ℔ j. f. omnium destillatio per alembicum vitreum in cineribus ad materiarum siccitatem, ita tamen ut caveas, ne materiæ comburantur: Hujus liquoris destillati ℨß. misceatur cum jusculo pulli, & detur mane semel in die. essent. etiam salv. gutt. 3. aut 4. in jusculo pulli propinatæ ad hydrocephali curationem valdè conferunt. *Joann. Petr. Faber in Patholog. Animat.*

Autor hic docet, quid solicito medico in cura hydrocephali cum primis agendum, ut scopum suum consequi feliciter valeat: Nimirum talia esse adhibenda dictitat, quæ calorem nativum specifica virtute (medicamenta cephalica, eaque calida dubio procul hic subaudit) exhilarare ac recreare ita queunt, ut refocillatus denuo functiones suas exserere, ac potissimum collectam aquosorum recrementorum copiam expellere auspicetur; Hoc enim nisi fiat prognosticum mali ominis instituit Autor, & infantulis hinc moriendi necessitatem imminere non immerito prædicit: Exinde enim non tantum calor nativus penitus demum extingui aut suffocari potest, verum etiam tenelli cerebri violenta ob pondus retenti copiosissimi seri compressio, vel lethalis ejusdem obstructio ac per consequens aut apoplexia aut lethargus pertimescendus erit. Duo sunt in Arte Medica juxta Epiphan. Ferdinandum ardua, quæ difficultatibus scatent non contemnendis, ac titubantem proinde Medicum, gravidis nempe & infantibus mederi. Infantes enim quod attinet, ipsi sanè secundum ipsius Galeni confessionem quàm maximè intractabiles existunt, præsertim quòd medicamenta convenientia, prout par est, insinuari ipsis nequeant; & quod tanto insuper robore non polleant, ut remedia illa & ex illis quidem purgantia, quæ tunc eaque fortiora medendi methodus requirit, tutò porrigi possint. Ergo ut in dubiam aliam hic utique, itur, & valde anceps propterea infantilium morborum curatio deprehenditur, quapropter cuncta prudenter & caute hic peragenda erunt; ne conscientiæ suæ Medicus injuriam faciat, hoc est neque temerarium nimis, neque formidolosiorem etiam se in hoc casu exhibeat: Hac ratione enim penitus vitanda non adhibebit & usurpanda non expavescet aut abhorrebit. Tutò autem hic tua progredi circa tenellorum lactentiumque hoc malo afflictorum curam se existimat Autor, si ad sola topica tunc refugiat; Unde etiam hujusmodi formulam remedii seu ceroti adposuit, quod tamen ut ut juxta componendi leges se recte omnino habeat, nostro quidem animo nisi univer-

universalia hoc est clysteres ad minimum ac sudorifica debite præmittantur, non tantum nequaquam secure, sed cum exitio potius applicabitur, quoniam eo ipso pori potius (qui nil aliud sunt, quàm quædam insensibilis transpirationis ac sensibilis pariter seu sudorum portæ) ob admotam undique cum pice ceram conglutinabuntur aut obstruentur, adeoque materiæ peccantis vitium quo minus excerni queat, citius retardabitur, verum etiam quum topicum illud vim calefaciendi ac fundendi habeat, sic confortato calore nativo aut spiritu, ac proinde exstimulata insimul expultrice colluvies serosa deorsum citius pelli, atque ad vitalia seu præcordia præcipitari poterit, ut vehementissima tussis, gravior anhelandi difficultas aut catarrhus suffocativus facilè hinc succrescere valeret. Nos itaque hujusmodi characteris topica nisi balsamica & secretè habenda virtute (sic namque efficaciam præstabunt aquosam seu serosam hanc colluviem quasi magnetè extrahendi) singulariter dotata sint, nisique in forma liquida præscribantur, nullo modo commendare possumus: Aut si nihilominus cuipiam hic curandi modus vel hoc ipsum Autoris topicum arriserit, suademus ut in antecessum clysteres supra à nobis designati & postmodum sudorifica nobiliora pariter superius laudata præmittantur: Hac enim ratione tutius quodammodo Authoris methodum sequi licebit. Quid faciendum cum robustioris constitutionis infantibus hydrocephali sarcina onustis nunc subjicitur, & propterea purgans iis porrigendum, utpote cujus vim sustinere sic valebunt, absq; hæsitatione ulla consuadetur. Verum nec forma cathartici illius nec dosis approbanda nobis videtur, siquidem tam in forma boli medicamenta infantibus vix ac ne vix quidem insinuari posse ex praxi constet, quam ipsam dosin mercurii dulcis videlicet ad ℈j. pro hac ætatula esse evidenter nimiam, vel quilibet statim conspiciat. Verum instabit fortassis quispiam primò, remedia ex mercurio præparata tutius exhiberi non posse, quàm in formula pilularum aut boli vel etiam electuarii, quod mercurialia exactius sic subigi ac commisceri queant, ut in deglutiendo faucibus vel œsophago non adhærere, adeoque salivationes aut hujusmodi incommoda alia exinde alioquin provenientia oppido sic præcaveri possint: Deinde in hujus mali cura mercurium dulc. nequaquam negligendum esse, quod is serositates & humores noxios præ reliquis omnibus purgantibus masculè sed sine perturbatione ulla ac blandè educat, & proinde infantibus etiam securè præbeatur. Respondemus his omnibus nos etiam nullatenus contradicere, sed tantummodo in dosi hujus mercurii primò desiderare, quod tunc gr. v. vel vi. ejusdem & diagrid. gran. 3. vel 4. (acuuntur enim mercurialia purgantia non absque ingenio cum fortioribus purgantibus, ut eo citius nacto hoc stimulo operationes suas perficiant, nec diutius in corpore permaneant) sufficere possint: Dein, de quod formam pharmaci concernit, rectius electuarium liquidiusculum hinc conficietur, addendo scilicet conserv. viol. ℈j. & parum insuper de syrupo viol. admiscendo, quo modo sicut nec minus vel cum syrupo solo purgans illud facilius insinuari posse infanti hydrocephalico non desperamus. De caputpurgiis seu sternutatoriis, quorum quidem usus præmissis itidem universalibus in hoc affectu plurimi valoris est, dum materia peccans per nares velut per propiorem viam & confertim sic educi potest, adnotamus, quod infantes valdè inepti existant ad applicandum sibi hoc remedii genus, dum fortiter id naribus attrahere, prout requiritur, non callent, nisi pulvis cannulæ beneficio naribus insuffletur, aut si liquidum sit ptarmicum per siphunculum immittatur. Ideoque tunc balsamus majoranæ commodius substituetur, qui narium interioribus inunctus suaviori modo ac pedetentim sternutationem concitabit. Deinde circa sudorificum maximum seu joviale nullum est dubium, quin id cum fausto successu tunc adhiberi poterit, præsertim si ad gran. 3. cum aqua sudorifica ac cephalica propinetur, sicuti etiam diuretica sed pariter præstantiora multum auxilii præstare id poterunt, quorum mentio & catalogus alibi plenius oblata occasione examinabitur. Illud verò diureticum, quod in præsenti ab Autore adscriptum concernimus, tenellorum constitutioni itidem valdè ingratum ac horridum erit, cùm primis in tanta dosi ad ℥ ß. nempe cum jusculo porrigendum: Cui accedit, si ingredientia nullo præoccupati affectu æstimare non vereamur, quod singularis aut nobilis tantoque Chymiatro digni remedii titulus huic diuretico nulla ratione attribui queat. Præstantiora ergo quum habeamus hodierno seculo hujusmodi efficaciæ medicamina, & quum ipse Autor & alibi in hoc tractatu suo excellentiora diuretica nobis communicaverit, quorum dosis ad quasdam guttas dumtaxat aut grana se extendit, non injuria levioris conditionis medicamenta proscribimus, aut sicco pede præterimus. Specifica cephalica, quorum numerum adornare etiam possunt essentiæ rorismar. & salv. spagyrice aut peculiari menstruo paratæ non pœnitendam operationem exserent, modo præmissis universalibus curæ hujus primordium fuerit institutum. Quod autem tam frigide hujus affectus curationem tractaverit Autor, forsan deficienti occasioni, & dum malum hoc (prout rarum id est, ac proinde Medicorum paucis hujusmodi observatio contigit,) ipsi curandum non occurrit, non male adscribemus: Unde & nobis consultius videtur, hic nostro quoque loco abstinere manum; quod sub scuto experientiæ de hydrocephalo testatum dare parum aut nihil valeamus. Interim tamen hoc saltim adjicimus, Medicos illos non aberraturos, qui ad nobilius emeticum aliquod in pauca dosi datum in principio mali, ubi vires adhuc constant, præmisso tamen convenienti enemate, confugiunt, utpote cujus beneficio ex capite (factam exinde concussionem compatiente) serosa hæc materia commodiuscule & moveri & promoveri, hoc est evacuari poterit: Deinde cum spiritum nostrum cephalicum in percurando hydrope tanquam singulare & probatissimum specificum fuerimus experti, quantò magis is & quidem duplici ut patet vel multiplici potius (viscera enim mirè confortat, calidum innatum recreat, sudorem & urinam suaviter provocat, imò cruditates digerit, ac superfluitates omnes potenter consumit,) nomine ad hydrocephalum

ex

ex sententia tollendum conducet, videlicet in aq. quadam cephalica v. g. salv. vel ceras. nigr. vel flor. tiliæ & c. ad gut. vi. vel vii. sedulo exhibitus: Ad extra tandem aquam nostram salutarem nunquam non feliciter in sublevandis omnis generis tumoribus calide adhibitam usurpavimus. *Christianus Langius in Animadversionibus ad Joh. Petri Fabri Pathologiam.*

Medicamentis ablumentibus aquosum humorem, simulque etiam affectam partem roborantibus utendum, qualia sunt sequentia.

♃. Rof. rub. furfur. melilot. an. m. j. flor. anth. chamæmel. salv. beton. stœch. an. p. j. bulliant in s. q. aq. addita vini austeri quarta parte, quo decocto modice calente, infantis caput singulis saltem octo horis irrigetur quinque vel septem diebus continuis. dein.

♃. Ol. chamæm. aneth. an. ℥j. pulv. absinth. rof. rub. an. ʒvi. sulphur. exacte pulverat. ℥ij. ceræ, q. s. f. linimentum, quo ter in die caput infantis liniatur, & lana succida obtegatur: interposito interdum præscribendi nunc cataplasmatis usu.

♃. Mell. ℔ß. origan. m. j. sal. ℥ß. cum modico vini austeri & croci gr. iv. vel v. F. cataplasma capiti infantis de more adhibendum. De Chirurgia nihil proponendum duco, quod tumorem hunc præsidiis præscriptis ex arte administratis omnino cessurum putem; verum si punctione seu incisione pro educenda aqua opus erit, aqua sensim ac paulatim, non autem tota simul evocetur, ne infantis vires dejiciantur. *Jo. Zecchius consult. 64.*

Hier. Fabrit. ab Aquapendente, in hydrocephalo infantium maximo, ut remedium efficacissimum, laudat aquam calcis vivæ, si ea calida spongia imbuatur, & capiti imponatur, ac hoc solo remedio se hydrocephalum curasse scribit. Idem commendat spiritum vini primæ destillationis, cum parte quarta aq. scabiof. cum spongia impositum. Monet autem hic spongiam novam esse recipiendam, & arctè fascia capiti alligandam, ac ne refrigeretur, calido linteo superposito moderate calefaciendam esse. Exsiccant & thermæ sulphureæ ubi earum est copia, si spongia in iis madefiat, & capiti imponatur; in defectu vero coquanrur in aqua sal. sulphur. & alumen, & eodem modo applicentur. Avicennas usurpat cochleas, quas coquit in decocto artemis. stœch. calamenth. vel ebul. easque ita coctas contundit, & calide capiti raso applicat. Sed ante usum discutientium & exsiccantium medicamentorum evacuanda est aqua è toto corpore (si per ætatem fieri possit) hydragogis, sudores & urinam moventibus. Adultioribus pil. coch. exhiberi possunt, vel succus iridis, vel gr. ij. elaterii cum pil. convenientibus: per sudorem serosum humorem evacuant decoctum lign. guajac. sarsaparill. sassafras, vel balneum laconicum, & sudatorium: per urinam evacuant decoct. betonic. rad. fœnicul. asparag. sem. anis. & alia. *Daniel Sennertus pract. lib. 1. part. 1. cap. 28.*

Consultatio.

Puello unius & dimidii anni, per sex menses ablactato, cùm à parentibus pauperioribus fere negligeretur, nec ei alimenta convenientia, sed lac pressum, crudum, fructus horarii crudi, aliaque similia darentur, & caput etiam hyberno tempore non satis tectum servaretur, caput in parte capillata & fronte usque ad oculos cœpit intumescere; qui tumor spatio unius mensis in tantum adauctus est, ut fere ad virilis capitis magnitudinem excreverit: facies tamen non intumuit. Et autem tumor ille mollis & albicans, eique alte impressa digitorum vestigia inhærent. Puer interea mediocriter edit & bibit, non febricitat, sed somniculosus est, & totius corporis membra languide movet. Nares præter consuetudinem sicciores sunt, & saliva paucior ab ore profluit. Urina & liquidæ alvi dejectiones satis copiosè procedunt.

Hujus pueri affectus Medicis hydrocephalus appellatur, qui est tumor capitis, quo, caput à serosi humoris collectione intumescit. Hic serosus & pituitosus humor collectus est extra cranium, & latet sub cute, quod tactu percipitur, quia nulla ossis durities sentitur sed tantùm mollis tumor. Serosum, pituitosum & copiosum, esse humorem qui colligitur, patet ex colore cutis albicante, & quod alte impressa digitorum vestigia capiti inhæreant sine dolore. Causa antecedens hujus mali sunt humores frigidi & humidi in toto corpore, & imprimis in cerebro collecti, qui extra cranium elati, & sub cute condensati, causam continentem constituunt. Humores hi generati sunt, tum ob pravum victum pituitam crudosque humores producentem, tum ob frigidam & humidam totius corporis constitutionem, quippe horum ratione viscerum coctiones debiliores evasere, unde multi pituitosi & serosi humores generati sunt: qui partim per urinas & alvi liquidas dejectiones evacuati, partim ad caput delati fuerunt, cumque per nares & palatum more solito non effluxerint, à cerebri calore in crassos vapores attenuati, cranii poros & suturas transierunt, atque sub cute rursus condensati, ibidem constiterunt & collecti sunt. Per nares & palatum evacuati non sunt, quia sua crassitie ductus eò tendentes obstruxerunt. Sub cute autem collecti sunt, quia ab externo frigore ejus pori angustiores & humores ipsi densiores evaserunt, ita ut ob crassitiem per constrictos poros permeare non potuerint. Cumque quotidie novi humores ad priores accesserint, & nulli vel admodum pauci per poros dissipati fuerint, hinc factum quod caput spatio unius mensis in tantam magnitudinem intumuerit. Æger alimenta adhuc assumit, quia ventriculi appetitus à cruditatum saburra non multum impeditur, cùm illa per copiosas urinas & liquidas alvi dejectiones satis evacuetur. Non febricitat, quia humores non putrescunt, nec caloris est nimius excessus aut malignitas. Somniculosus est ob frigidam & humidam cerebri intemperiem, cujus ratione non tantum nervi sensorii flaccidi, & ad spirituum animalium transitum, atque objectorum sensibilium receptionem minus apti sunt, verum etiam pauciores spiritus animales generantur, cùm à frigida humiditate angustiores seu strictiores factæ sint arteriolæ in plexu choroide, atque hinc pauciores spiritus vitales transmittantur, qui quandoquidem materia sunt è qua animales conficiuntur, sequitur si illa materia pauca sit, necessario quod inde

gene-

generatur paucum esse debere. Hæc spirituum animalium paucitas etiam in causa est, quod æger totius corporis membra languide moveat; cùm enim dicti spiritus pauci ad partes & musculos influant, necessario motus animalis languidus est. Alvus liquida est ob copiam serosorum & pituitosorum humorum, qui in corpore generantur, & magna parte ad intestina defluunt, quorum tenuior pars sanguini permista, & in renibus ab eo separata, urinas quoque facit copiosas.

Hic affectus admodum periculosus est; licet enim collectio seri sit extra cranium, atque hinc magnam sanationis spem promittere videatur, tamen periculo non vacat, cùm capitis intemperies, totiusque corporis cachexia magna sit, serosus humor copiosus, & ætas tenella, quæ fortia remedia non fert. Quia tamen in re dubia adhuc spes apparet, curatio quamprimum est instituenda, antequam affectio pejor fiat.

In curatione serosus & pituitosus qui in toto corpore redundat humor, in primis ille qui in capite colligitur, quocunque modo clementer evacuandus, & viscerum corroboratione ac intemperiei sublatione ejus copiosior generatio, & in capite collectio impedienda.

Primo cum cochleari exhibeatur syrupi de cichor. laxativ. ℥ ß. cum pulver. jalappæ gr. v. vel vi. vel passularum solutivarum ʒv. vel vi. comedendæ dentur. Postea subinde exhibeatur pauxillum theriacæ veteris, & si fieri possit, sudor provocetur. Offeratur etiam ter quaterve de die pauxillum conserv. anthos, melissæ, aut florum salviæ. His præmissis sequenti fomento tepido caput sæpe foveatur.

℞. Herb. betonic. rosmarin. origan. thymi, flor. chamomill. melilot. stœchad. an. m. j. fol. laur. m. ß. sem. anis. fœnicul. cumin. an. ʒij. vini alb. q. s. coquantur ad ℔ ij. pro fomento, cum magna spongia aut panno laneo admovendo, diligenter cavendo ne refrigeretur. Postquam usu hujus fomenti tumor capitis maxima ex parte dissipatus est, ad ulteriorem intemperiei sublationem, inungatur caput mane & vesperi hoc ungento calido.

℞. Olei chamæmel. unguent. alabastrin. an. ℥ j. olei nucis moschatæ express. ℈ iv. pulv. castor. styrac. calam. benzoin. an. ℈ j. misce, f. unguentum. Post inunctionem imponatur capiti tale capitium.

℞. Fol. rosmarin. majoran. flor. chamomill. melilot. an. m. ß. benzoini, gariophyllorum, nucis moschatæ, an. ℈iß. f. pulvis grossus, è quo in serico rubro conficiatur secundum artem capitium intersutum. Postea relicto etiam linimento, hoc solum capitium diu in capite gestare debebit. Interea etiam ad viscerum corroborationem bisterve de die exhibeatur cochleare hujusmodi mixturæ.

℞. Aq. flor. tiliæ, liliorum convallium, ana ℥ ij. aq. cinnam. ʒ vi. syrup. de stœchad. ℥ j. misceantur. Vel hujus loco detur subinde pauxillum melicrati. Regioni ventriculi, hepatis & lienis hoc linimentum inungatur.

℞. Olei laurini, chamæmelin. unguent. martial. an. ℥ ß. olei nucis moschatæ expressi ʒ i ß. misce, fiat linimentum. Si hæc non profuerint, in capitis tribus quatuorve locis maximè tumidis lanceola perforatio exigua per cutem facienda est, non major quàm in venæ sectione fieri solet, ut per illa foraminula serum paulatim exstillare possit, quod mappis calidis impositis excipiendum est, usque dum fluere desinat; postea antedictum capitium capiti imponendum est.

In victu sit aër calidus & siccus. Cibi offerantur paulò sicciores quàm ordinarie hujusmodi puellis exhiberi solent: ut panis biscoctus masticatus: offæ ex pane albo cum decocto passularum, aut jusculo gallinæ humectatæ, ac cinnamom. & sacchari pauxillo conspersæ: Pulticulæ etiam conficiantur ex farina tritici cum decocto passularum, iisque aliquantulum vini addatur. Bibat æger subinde lac amygdalatum cum pauxillo aquæ cinnamomi. Abstinendum ab usu lactis pressi acidi, seri lactis) cerevisiæ tenuissimæ, fructuum horariorum, & pomorum, licet coctorum. Somnus sit mediocris, non nimis longus. Excreta naturalia si non procedant arte provocentur. *Isbrand. de Diemerbroeck de morbis Capit. Medicat.* 25.

Observationes

Quamvis in ventre ut plurimum sese manifestat hydrops, eum tamen in omnibus fere corporis partibus nasci posse experimur. Præter abdominis enim hydropem, sive ascitem, pectoris etiam datur hydrops, capitisque ac testiculorum, tam virilium quàm muliebrium, nec internis tantum, sed & in externis corporis partibus, cujus veritatem demonstrabo obs. 28. hic loci saltem acturus de hydrocephalo, quem mihi videre licuit 4. Decembr. ann. 1685. in filiolo Chirurgi cujusdam Hagiensis bimulo, cujus caput latitudinem adulti capitis multum excedebat, hoc enim totum ambiens, à syncipite videlicet ad occiput, linteum tres spithamas, sive ulnam longitudine æquabat. Infans ille sano quamvis, & bene disposito corpore in lucem editus, sexto demum mense quodam correptus fuit morbo, à quo usque tempore caput primo increscere, visusque sensim imminui cœpit, tandem omnino sublatus.

Quemadmodum diversus admodum est abdominis hydrops, ita etiam hydrocephalus, qui tam partium capitis aqua distentatarum, quam causarum intuitu multiplex est. Collectio enim aquarum contingit, vel in toto capite vel in aliqua parte, siquidem nonnunquam in externis tantum advertatur partibus, inter cutem videlicet, & pericranium, vel inter pericranium, ac cranium, quandoque & internis tantum partibus inter cranium, & meninges, inter duplicaturam duræ meningis, falcisve, vel ipsas inter cerebri membranas, aut inter piam matrem, & cerebrum, imò aliquando in dimidia tantum capitis parte, interdumque simul tam in internis, quàm externis. Attestante Vesalio lib. 1. de humani corp. Fabrica cap. 5. Ut & Fabrit. Hildano cent. 1. observ. 10. in ipsa interdum cerebri cavitate reperitur aquæ quantitas, hydrocephali sæpius causa. Dionys. vander Sterre tract. de partu fol. 168. se duos hydropes in embryonum partibus capitum exterioribus vidisse narrat, è quibus, aperta tantum cute, aqua profluxerit. Similis rei mentionem facit Carolus Piso de morb. à serosa colluvie sect. 2. part. 1. c. 1. fol.

fol. 49. Puellæ, inquit, cuidam frons, palpebræque supra admirationem tumebant adeò depressæ, & conniventes, ut eas tollere, oculosque aperire nequaquam posset: sed & calanticam, sive redimiculum capitis abjicere à me jussa, universum pariter caput immaniter conspicatus, in eodem sæpiusculè manu contrectato mollitiem deprehendo insignem, & humorem sub cute fluctuantem, qui tactum subterfugiens quidem, sed mox refluens, recurrensq: evidenter se proderet. Hoc malum, cùm ad menstruam purgationem, hactenus omninò suppressam, tum ob assiduam sub sole moram, cui ejus loci incolæ maximam vitæ in hortorum, vitiumque cultu transigentes vivunt obnoxii, ortum fuisse autumno. Non multum differt quod habet Epiphan. Ferdinand. hist. 21. fol. 66. & Joh. Baptist. à Lamzuveerde append. obs. ad armament. Chirurg. obs. 33. fol. 253. Henricus Regius Prax. med. cap. 13. fol. 57. Pueri meminit trimuli, cujus caput contactum molle erat, & digitis pressum subsidebat in fossulas, radiisque solis, vel candelæ expositum pellucebat; quamvis ille judicaverit malum intus in cerebro latuisse, quia puer sensibus erat stupidioribus, & somnolentus, reliquo corpore, licet sufficienti cibo, potuque frueretur, macilentus, pallidusque. Credidit Riolanus humorem in externis hydrocephalis transire ad cerebri ventriculos, verum Joh. Jacob. Wepferus exercitat. de Apoplexia fol. 12. statuit ipsum non primò externe congregari, postea que versus interiora prorumpere, sed viceversa originem habere in cerebri ventriculis, interdumque versus exteriora adeo expelli, ut ibidem animadverti queat. Andr. Vesalius lib. 1. cap. 5. de non exiguo agens hydrocephalo humorem nonnisi in cerebri ventriculis reperiri ait. Humorem illum omnium primò in iis provenire ventriculis G. Fabrit. Hildan. etiam cent. 3. obs. 17. scribit: alias enim (inquit) nonnullæ post mortem viæ reperirentur, per quas ille è partibus externis deductus fuisset ad cerebri ventriculos, quas tamen, etiamsi diligenter indagaret, reperire non potuit. Zacutus Lusitanus prax. admir. lib. 1. obs. 5. humorem invenit inter duplicaturam duræ meningis. Theoph. Bonet. Anatom. pract. lib. 1. sect. 2. obs. 45. fol. 112. ejusmodi liquorem lymphaticum à Chirurgo Baylly non tantum inter duram meningem, & cranium, sed & in falce, & duræ meningis duplicatura, ad quinque circiter libras Medicas repertum fuisse refert. Expertiss. Steph. Blancardus collect. phys. med. cent. 1. obs. 73. fol. 65. se in septem mensium abortu inter duram, & piam matrem magnam aquæ sanguineæ latentem quantitatem animadvertisse memorat, cujus forsan causa, ut ait, fuerit præcedens matris lapsus: cerebrum autem ejus molle & aquosum erat. Johannes Jacobus Wepferus exercitat. de Apoplexia histor. 13. fol. 376. & histor. 14. fol. 398. se non cavitates tantum cerebri, sed & locum illum inter duas meninges plerunque vacuum sero repleta invenisse narrat

G. Fallopius obs. à Francisc. Michino edit. indicat se intra pueri cujusdam sexennis piam matrem, & cerebrum, ut & inter hujus gyros aquam conspexisse. Andr. Vesalius lib. 1. de hum. corp. fabrica, bimulæ puellæ meminit in cujus cerebri ventriculis septem mensium spatio novem aquæ libræ collectæ fuerint. Quamvis autem cerebrum ejus juxta verticem ita pressum, & in se contractum reperiretur, ut membranam aliquam crassiorem referret, & genuinæ cerebri membranæ sibi adeo essent contiguæ, ut unum, idemque corpus viderentur, cerebellum nihilo secius, ejusque basis, & nervorum processus naturaliter se habebant, quare puellæ ad finem usque vitæ mens sana fuit. G. Fabrit. Hildan. cent. 1. obs. 10. fol. 19. pueri cujusdam mentionem facit, cui caput in tantam excreverat molem, ut ejus rotunditas ulnam & quartam ejus partem, altitudo autem ab aure ad aurem totidem æquaret longitudine: is autem non ita natus fuerat; sed cum septimum ætatis mensem vix attigisset, caput mirum in modum ei tumescere cœperat. Intra triginta autem menses paulatim ad dictam magnitudinem excreverat, unde puer in lethargum inciderat, nec ita diu post obierat. Dissecto cranio in duobus anterioribus cerebri ventriculis aqua crystallo lucidior ad libras Colonienses 18. apparuit. Hæc autem non ventriculos tantum, sed & substantiam cerebri distendebat, ita ut totum cerebrum (cerebellum excipit Hildanus) in sacculum extenderetur, unde circumvolutiones, gyrive cerebri, turgentibus omnibus, non apparuere. Dura & pia matres integræ erant, atque ita dilatatæ, ut totum cerebrum cooperirent: cranium similiter dilatatum erat, sed passim membranosum potius, quam osseum, nec reperiebantur meatus, per quos serosus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumvis accurate dispicerentur. Omnia. Cur autem, dicet quispiam, hoc, quidquid est liquoris, in cerebri ventriculis apoplexiam non producit? Resp. Quia aliquo modo est spirituosa respectu aliarum aquarum, & coagulationis expers, adde quod sensim in cerebro colligatur, & non subito; sensim enim ibi collecta sensim quoque poros, tubulosque cerebri dilatat, & non comprimit, vel obstruit, ut quidem fieret, si uno impetu fuisset collecta. Idem Hildanus cent. 4. obs. 10. fol. 294. pueri cujusdam quintum ætatis annum nondum prætergressi meminit, cujus capitis circumferentia continebat pedes Geometricos duos, cum sesquipede, & pollice, altitudoque eadem erat: cranium utcunque durum erat, & nonnisi quibusdam locis membranosum; reliquæ vero corporis partes proportionem pueri ejus ætatis observabant, non ita, ut hydrocephalorum solent esse corpora, extenuata. Ingenio puer stupidus admodum erat, visu, audituque, necnon loquela destitutus: Id vero malum ex eo provenerat, quod circa annum ætatis suæ primum morbo laborasset gravissimo, & acuto. N. Tulp. obs. med. l. 1. c. 24. fol. 49 de puero memorat quinquenni è cujus capite post mortem eductæ fuerint quinque aquæ libræ, quibus effusis omnia adeò vacua apparuerint, ut plerique Medi orum præsentium, sed præpropere, hic caput sine cerebro conspici judicaverint. Tale autem hydrocephali exemplum affert. Theod. Kerckring. obs. Anat. 46. fol. 102. & Zacut. Lusitan. prax. Med. admir. lib. 1. At oculi acie illuc penitius directa satis perspicue liquebat non defuisse cerebrum,

cerebrum, sed amissa figura globosa, formam convexi fornicis induisse, ut instar membranæ crassioris undique arcuatæ dissolutorum ossium circumferentiæ adhæresceret; quali etiam modo se habuisse puellam Andr. Vesalii, de qua loco adducto, idem affirmat.

Demonstravit an. 1666. D. Joh. Hornius Anat. Professor Leydensis hydrocephalum pueri anni unius, è quo aq. ℥ 36. hauriebantur. Th. Bartholin. cent. 1. hist. 20, fol. 40. exemplum habet pueri quinquennis hydrocephalo laborantis, cui caput tantæ molis erat, ut tria adultorum superarit, circumferentia ulnam æquans cum quadrante, duasque spithamas altum, fronte ita elevata, ut oculorum orbitæ mediam faciei partem occupare viderentur. Suturæ laxatæ omnes à summo capite ad occiput, & in utroque capitis latere. Nulla verba articulata proferre, nec ciborum quicquam manducare potuit, quia superior dentium series longé ab inferiori propendebat. Os perpetuò madebat sero copioso affatim è capite profluente. Pedes sustinendo corpori impares erant. Hoc autem malum inde ortum arbitratur Barthol. quod matri pauperculæ, quæ undecim sine labe tali pepererat liberos, quum hunc utero gereret, præter consuetum morem gravia omnia evenissent, uterusque adeò intumuerit, ut prono in terram corpore progredi fuerit coacta. Plura hujusmodi habent M. Aurel. Severinus de noviss. obs. abscess. c. 9. Schenck. pag. 11. & 12. Paulus Æginet. lib. 6. c. 3. Ætius tetrab. 2. serm. 2. c. 1. Philip. Ingrass. lib. de tumor. præter naturam tr. 1. c. 1. fol. 380. Nonnunquam dimidiam tantum capitis partem occupat hic hydrops, cui rei bina profert N. Tulpius, obs. Med. lib. 1. c. 25. fol. 50, liquorum, vel in dextro, vel in sinistro cerebri ventriculo hærentium exempla: in quorum alterutro se ultra duas aquæ libras tam strictè uni isti parti inclusas vidisse ait, ut altera illæsa planè esset, & integra.

Differunt autem hydrocephali ratione temporis, vetustatis, & magnitudinis. Nonnulli se ante partum in utero materno manifestant, sive ex imaginatione, sive lapsu matris, aut ipsius fœtus incommodo intra uterum situ orti, vel etiã matre nimis crassis alimentis, aut fructibus, aliisve refrigerantibus utente, unde sanguis ejus nimis evadit crassus, & tardus, vel etiam, quando illa tempore gravidationis aliis obnoxia fuit morbis. Balduinus Ronssæus de extract. fœtus c. 23. Goudæ anno 1562. se puerum quendam vidisse hydrocephalo laborantem scribit, cui mortuo in lucem prodeunti caput toto corpore fuerit gravius; cujusmodi plura extant apud Helvvigiũ obs. phys. med. 3. fol. 9. Joh. Lechel. ephem. German. decur. 1. ann. 1. pag. 138. necnon Stephan. Blancard. collect. med. phys. ut & de morb. puer. fol. 208. Nonnulli post nativitatem demum serius, citiusve se manifestant hydrocephali, quamvis raro, vel non adeo magni conspiciantur in illis, quorum crania jam omnino clausa sunt, quia ossa tunc solidiora evasere, & per consequens intus contento liquori non facilè cedunt. Hujusmodi autem pueri prius obirent, quàm semel occlusa crania dehiscerent, quamvis G. Fabrit Hild. cent. 3. obs. 19. exemplum habeat juvenis cujusdam 18. annor. cui monstrosum valdé erat caput; rotunditas enim ejus duos pedes Geometricos, & pollices decem continebat, altitudo capitis ejusdem erat magnitudinis; reliquum corpus, imprimis pedes (qui contorti erant, & retracti) & crura extenuata erant; cranium autem non membranosum, ut plerumq; hydrocephalorum esse solet, sed durum; solidumq; Mente non usque adeo constabat: loquebatur tamen satis distinctè, comedebat avidè, & multum; sed mirum in modum ipsum à morbo epileptico vexari referebant Parentes. Caput verò accrescere inceperat tertio ætatis anno, cum morbo quodam liberatus esset acutiore. P. Borellus hist. & obs. rar. cent. 1. obs. 38. fol. 43. de puella quadam 12. ann. nata narrat, quæ maximo continuoq; verticis, suturæq; coronalis diu laboraverat dolore sine febri tamen, tumoreve, aut rubore, cuiq; remedia omnia utiliora incassum admovebantur, ita ut tandem mors finem miseriis, & doloribus ejus imposuerit. Aperto autem capite, abscessus repertus fuit natibus, & infundibulo cerebri inhærens, è quo aq. clarissima cum impetu ad libras duas exivit quasi è fonte scaturiens, & in altum prosiliens: causa verò hujus mali fuerat, quod quinque vel sex ante morbum mensibus scabiem capitis, sive achores passa à Monachis quibusdam malè curata fuisset remediis repellentibus, frigidisq; unguentis, unde caput refrigeratum, serositatesque in eo cumulatæ fuerint. Zacutus vidit hydrocephalum in puero decem annos nato. Roget quispiam cur magis affectus ille in infantibus quam adultis observetur? Ratio est, quia tunicæ arteriarum iis sunt molliores, atque pori, tubulique angustiores, nec motus sanguinis tam efficax. Interim quoq; arteriarum facilius dilatantur, & particulæ crassiores in cerebrum deponuntur. Quæritur autem, anne & in brutis reperiantur hydrocephali? Eos in vitulis, bobus vaccisque observavit Ioh. Iacob. Wepfer. exercita. de Apoplexia fol. mihi 69. & Thom. Barthol. act. Hafn. tom. 1. pag. 249. indicat quæ idem Wepferus, Colonos id animadvertere posse in brutis, quando in pratis vertigine corripiuntur, testaturque se audivisse apud Subsylvanos in Helvetia frequentem hunc boum esse morbum, ac se vertigine prodere. Addit & bubulcos esse, qui ipsi medeantur. Hi primo malleolo post cornua pulsant, ubi ex sono aliud vacuum spatium, ac vulgo sunt in craniis bubulis, percipiunt, eumque mox perterebrant, ac foramini pennam inducunt, & attracto spiritu vesicas hujusmodi extrahunt. Si in superficie existat prompte suctioni cedit; si autem profundior, & cerebro immersa sit, successu frustrantur. Ac tum quidem quantocyus bos mactandus est. Idem hoc modo multa animalia curata fuisse ait, memoratq; quum juvenca in pascuis crebrius vertigine corriperetur, se mactatæ caput, in quo causa mali latuerat, forte fortuna obtinuisse, quo aperto, ac cerebro denudato, sinistrum latus sub syncipite tumidius & mollius reperisse; quod cum durius attrectasset, prosiliisse aquam limpidissimam, faciemq; ei conspurcantem. Post quod, inquit, tumor subsedit. Divulso autem cerebro ad corpus usq; callosum, ventriculum sinistrum aperuit, invenitq; vesicam tenerrimam, totam anteriorem ejus partem occupantem, quam citra ulteriorem lacerationẽ integram extraxit, ovum gallinaceum magnitudine superãtem. In ventriculo, verticẽ versus superius, & infra, asperitas leviuscula ubi vesica annata erat, apparuit, ac si seminib. papaveris

albi aspersus fuisset; Ventriculus autem sinister duplo major erat dextro: in anteriore parte superior ejus pars, & lateralis tempora versus, propter extensionem, tenuis vix cultelli dorsum æquavit: cætera omnia in cerebro sana erant. Similem, at paulo minorem vesicam idem Wepferus in bovino cerebro, dextri ventriculi anteriori parti undique accretam se invenisse ait, in cujus fundo mucus instar sedimenti crassioris, atque candidi lapilli, tanquam creta friabiles, subsederant. Si quis quærat, quo pacto liquor ille in cerebri cavitates perveniat: dicendum est, varias circa illud phænomenon occurrere considerationes, litemque adhuc sub judice esse. Existimant Riolanus, Regiusque poros in dictis cavitatibus existere, humoremque illum à circumferentia cerebri ad punctum, hoc est, ad cerebri cavitates transire, hæc tamen opinio à Wepfero fol. 60. refutatur. Thom. Bartholinus lib. 3. cap. 6. anatom. reform. negat ibidem poros esse conspicuos, & etiamsi darentur, facillimè, utpote minimi, obstruerentur, unde hic illic defectus in sensibus, aut etiam apoplexia oriretur. Statuunt alii malum hoc internè ex debili cerebri calore originem ducere, quia hoc valdè refrigeratum, humectatumque nutrimentum suum debite præparare, humoresque ab infernis partibus allapsos sufficienter transpirare non potest. Quidam autem arbitrantur vitium hoc externè à quadam violentia, lapsu, allisione, contusione, dura, imperitaque obstetricum contrectatione in partu, vel alio quodam violentiori modo provenire, unde cerebrum puerorum lædatur rumpanturque lymphatica vascula, sicque magna tandem lymphæ colligatur copia, qua nondum occlusum, tenerumque cranium sensim extendatur; unde etiam fiat (uti aiunt) ut morbus iste in pueris magis, quàm adultis reperiatur. Nonnulli etiam, vasis lymphaticis obstructis, hydrocephalum produci autumant, unde lympha, cessante circulatione, aquosi causa sit tumoris. Nonnulli quoque opinantur aquam illam ex arteriolarum extremitatibus, vel etiam per modum transudationis ibidem colligi. Hydrocephalus autem externus meo quidem judicio, quod tamen meliori nihil derogare opinioni velim, à superfluo plerumque quodam humore provenit, qui ex arteriarum extremitatibus, vasisque lymphaticis procedit, vel propter illorum abundantiam, vel obstructionem, vel etiam tardiorem sanguinis intra arterias motum à viscoso, crassoque humore sanguini mixto ortum, unde hic necessario minori vi in vasa lymphatica propellitur: quamvis etiam fieri possit, ut tenerum necnon porosum valde infantis caput ab aëre frigido non bene defensum fuerit, unde humores in vasculis lymphaticis facilius condensantur, sicque ad motum evadunt ineptiores vasis ipsis magis, magisque intumescentibus. Hydrocephalum hujusmodi externum provenire posse ab arteriarum extremitatibus vel hinc magis patescit, quod tales hydrocephali non tantùm à violentia, aliave causa externa nascantur, sed & quod in iisdem limosa quædam, vel sanguinolenta, turbulentaque semper reperiatur lympha, cùm tamen in internis hydrocephalis ea clara semper, & limpida appareat, hanc sententiam confirmat præter alios Epiphan. Ferdinandus hist. 21. fol. 66. Si verò quisquam dubius roget, undenam contigerit, ut in cane Richardi Louveri tr. de corde c. 2. pag. 123. ligata vena jugulari, omnes supra eit; musculi, & glandulæ liquido, pellucidoque repleti fuerint sero? Id forsan contingit, quia sanguine per ligatam venam jugularem versus inferiora non retrogrediente, sed in ipsa arteria manente, per poros tunicarum arteriolarum, quæ in extremitatibus non duplices, sed simplices sunt, non nisi purum serum transcolatur; illarum enim arteriolarum textura transcolationi tenuis ejusmodi humoris satis idonea est. Quantum autem ad internum attinet hydrocephalum, lympha in cavitates cerebri, aliumve capitis locum eodem defertur modo, quo ille humor, qui in aliis corporis partibus producit hydropem, ut in tunicis viscera circumcingentibus, testiculis tam virilibus, quàm fœmineis, peritonæo &c. in quibus ultimis partib. multoties quidem centum, & quod excedit, aquæ libræ fuere repertæ. Verosimile est hoc, quidquid est lymphæ, per arteriolas in glandulas cerebri corticales delatum, ibidemque separatum, per canaliculos (eodem planè modo, ac in renibus aliisve corporis partibus humores sequestrantur) ad cerebrum deduci, estque hæc hydrocephali lympha ejusdem planè naturæ, cujus est illa, quæ in ventriculis cerebri sanorum hominum semper reperiri solet, quemadmodum abunde è sapore & colore colligitur; qui humor naturaliter semper à subsequente novo inde propelli solet. Verùm quorsum ille, cavitatibus cerebri irrigatis, in sanis deferatur, an scilicet ad nasum, sive oculos, auresve, aut oris cavitatem, non adeo exploratum est. Joh. Lechelius Ephem. Germ. decur. 2. an. 2. obs. 178. fol. 363. exemplum habet pueri masculi, cui recens nato caput hydrocephalo obsidebatur, cujusque non multo post mortui totus cerebri cortex non excedebat calami scriptorii crassitudinem, quo separato, loco ventriculorum offendisse se ait amplam quasi vesicam limpidissima, & insipida aqua repletam, quantitate uncias 50. excedente, neglecta ea, quam spongiæ, & linteamina imbiberant; effusa autem hac, collapsi cerebri ventriculi manifesto docuere illam in utrumque ventriculum per corticis quosdam tubulos, à recentioribus Anatomicis passim descriptos destillasse, ac undique sui copia cerebri substantiam, cranium, pericraniumque extendisse, atque capiti illam deformitatem produxisse. Fieri etiam potest, ut abscessus, sive vesiculæ aquosæ in cavitatibus cerebri tam brutorum quàm hominum repertæ primo ex aliis parvis vesiculis plexui choroideo annexis conflentur: quia glandulæ illæ tunc etiam tumidæ sunt & induratæ, quæ successu temporis ita accrescunt, dum superfluus humor propter obstructionem revehi nequit. Ita Willisius glandulas illius plexus sæpe se vidisse testatur tumidas. Scribit etiam Franc. Sylvius disput. 4. se glandulas illas in solis morbosis reperisse; forsan quia tunc temporis superfluo humore tumefactæ melius conspici potuerint. De glandulis hisce agit quoque Wharton. Adenogr. cap. 24. fol. 142. ut & Theodorus Kerckringius observ. 10. pag. 29. Testatur D. Fred. Ruysch. Medicus, & Anatomicus Amstelodamensis expertissimus se in dissectione cadaveris cujusdam fœminei glan-

glandulas copiosas magnitudine sem. milii repe-risse plexui illi annexas. Joh. Jacob. Wepferus pag. 375. se non cerebri tantum cavitates humore plenas, sed & ipsum plexum sanguinis fere expertem vidisse ait, in quo multæ conspectæ fuerint glandulæ, sed albicantes, limosæ, tactuque duræ; fol. autem 415. se observasse tradit varias hydatides tam in sinistro, quam dextro plexu chorideo, necnon fol. 410. se varias in plexu dextro hydatides animadvertisse scribit, quarum quædam piso majores fuerint, ut & pariter in sinistro, quarum una avellanæ nucis magnitudinem excesserit. Quando itaque liquor hic vasculorum lymphaticorum præter consuetudinem, & naturam viscosa quadam sanguinis materia incrassatus est, obstructionemque ibidem produxit, vasa lymphatica continua subsequentis lymphæ pressione tandem rumpuntur, sicque liquorem suum inter membranas effundunt, & receptaculum quoddam ibidem efficiunt, vel etiam inter vasorum lymphaticorum valvulas hydatides producunt. Contingit etiam, ut extremitates arteriarum à viscoso quodam humore sint obstructæ, vel vasculum quoddam alicubi tumore quodam prematur, unde sanguinis circulum suum per arterias absolvere non valentis tenuis, & aquosus liquor extra ipsas per poros transcolatur, qui ita hydrocephali interni causa est. Sunt qui dubitent, an in cerebro vascula dentur lymphatica, verum testatur epistola quadam Steno sæpius se vascula quædam lymphatica circa glandulam pinealem animadvertisse, quæ, ut ait, totidem forsan viæ fuere lymphaticæ humectationi ventriculorũ cerebri destinatæ. Et, siquidem eadem in pectore, abdomine, aliisq; externis membris reperiuntur, non ita erraverit forte an, qui nec caput ipsis destitui dixerit, hoc enim instar gazophylacei cujusdam humorum, utpote lymphatico liquore, arteriisq; liquorem istum advehentibus abunde ditatur. Ita ut dubitare non liceat, quin caput aquæ, ac thorax, venterve, aut alia corporis exteriora membra, suis scateat vasculis lymphaticis. Ac quamvis nulla adhuc cerebro reperta sint hujusmodi vascula, non tamen non existere dicendum erit. Sed quænam quæso, fuit causa, cur infimæ corporis partes illius, de quo retuli, ut & in aliis, quæ adduxi, exemplis, adeo fuerint macilentæ? Nos causam fuisse putamus, quod durante hydrocephali accretione, ille parco admodum, imo sæpe nullo usus fuerit alimento, solo matris lacte contentus. Accrescente itaque capite, reliquæ corporis partes decrescebant, quòd nutrimento destituerentur, quemadmodum aliis partibus, nutrimento alio delato, accidit. Conferatur obs. 49. tom. nostri primi, ubi de magno liene. Sic etiam refert Thom. Barthol. Act. Med. Hafn. vol. 1. obs. 92. Quomodo D. Borrichius duarum gallinarum, quas macrescere quotidie & sine manifesta causa, suppetente licet sagina largiori, oppido attenuari videbat, in conspectum prolata viscera omnia flaccida, & exsucca, præsertim quæ in abdomine continebantur, reperit. Solum ibi hepar præter morem immineus, adeo non videbatur imminutum ut plus, quam decuplo auctius cerneretur, &, quod accedit, pinguissimum: quale quid etiam observarunt. Joh. Læsel, in renum scrutinio, Olausque Rubecq. obs. anatom. Quod autem in gallinaceo genere vitium deprehendit, id in anseribus deliciarum loco in cænis antiquorum æstimatum fuit. Hinc *Martialis lib. 13. Epigram. 58.*

Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi?

Juvenalis Satyra v.

Anseris ante ipsum magni jecur anseribus par.

Certum autem est liquorem hydrocephali è succo quodammodo constare nutritio; idem enim satis lentor, qui post ejus evaporationem animadvertitur, demonstrat. Infimarum partium marcor forsitan inde quoq; ortus fuit, quod sanguis istarum partium crassior plerumq; minusque spirituosus existat quam supremarum, necnon quia ille per secretionem magnæ copiæ tenuis liquoris in capite aliquanto crassior factus, obstructione inde in vasculis suborta, infernas partes tam bene nutrire nequeat, vel denique, quia tubuli nervorum aliquomodo pressione lymphæ sunt obstructi, unde spiritus satis abunde in partes, pro circulatione humorum nutrientium propaganda influere nequeunt. Puer autem ille sensum visum amisit, quod tubuli nervorum opticorum paulatim magis, magisque materia viscosa intus contenta obstruerentur, vel etiam nimia ejus quantitate comprimerentur.

De signis, prognosique hydrocephalorum legi poterunt Paul. Ægineta lib. 6. cap. 3. D. Sennertus lib. 1. prax. part. 1. cap. 28. necnon Ambros. Paræus lib. 7. oper. Chirurg. cap. 1.

Dicendum restat an, hydrocephalus queat curari? externus quidem facilius curatur, sed internus, præsertimque locum habens in ipsis cerebri ventriculis, nulla est sanabilis arte, teste etiam Galeno lib. med. introduct. Quum autem medicatio consistat in medicamentorum internorum usu, longoq; tempore ea assumi debeant, difficile ad eorum assumptionem adducentur infantes. Balth. Timæus lib. 5. de morb. infant. cas. 5. fol. 144. dicit se puellam bimestrem sanasse, quæ tumore capitis insigni, & pellucido ejusdem undique coloris afficiebatur; tumor in altum elevatus tactui cedebat, rursusque assurgebat; compressus aquæ fluctuantis motum prodebat sine dolore. Ab humore autem seroso extra cranium, inter cutem, & pericranium collecto, tumorem hunc excitatum fuisse signa modo enumerata satis ostendisse ait, sensim autem, & in utero materno coacervatum esse serum exinde collegit, quod mater alioquin valetudinaria, & ad hydropem disposita, toto gestationis tempore potu cerevisiæ tenuis, sive secundariæ usa, multum aquosi, & serosi humoris cumulavisset. Quare nutricem sanam, & boni habitus substituendam suasit, cumque infanti tenello ex medicamentis internis nihil adhiberi posset, externis agendum esse censuit, imposito sequenti cataplasmate, cujus solius usu aliquandiu continuato sensim disparuit tumor. ♃. Pulv. rad. cucum. asinini, iridis an. ℥ß. sem. cumini ℥j. far. fab. ℥ij. mell. anthos. q. s. f. cataplasma capiti raso calide applicandum. Laz. Riverius obs. med. à Sam. Formio communicat. pag. 350. infantis recens in lucem editi, hydrocephaloque laborantis meminit, qui totum caput, cum magna suturarum dilatatione occupabat, dicitque sine ullo impedimento aut alio remedio hunc se curasse, sola scilicet fascia Guidonis in formam cucuphæ concinnata, qua totum caput obvolutum fuerit. Hæc autem fascia,

Gallis *Capeline de Guidon*, quotidie renovabatur, & intra 15. aut 20. dies tumorem prorsus evanuisse tradit. Circa hydrocephali curationem inquit Steph. Blancardus lib. de morb. puer. fol. 208. optimum esse existimo, ut caput valdè calidum servetur, sique infantes in cunis decumbant, calidus aliquis lapis, vel arena calida circa caput ponatur, unde obstructiones iterum reserantur, & lympha liberum acquirit transitum; sudorifera quoque, ut censet ille, hoc casu utilia sunt. Idem collectan. med. phys. cent. 3. obs. 47. fol. 248. exemplum habet hydrocephali cujusdam in sutura lambdoide siti, magnitudinem æquantis panis albi, quales binos argenteorum nummorum minimo nostrates emunt, qui fotu quodam ab eodem descripto, præmissa corporis debita evacuatione, sublatus fuit. H. Montuus Pueror. Pragmat. cap. 8. Opifici cuidam instar bovini caput intumuisse memorat, ita ut eo tota facies, nasusque contegeretur. Huic autem consuluere, uti ligneum in os immitteret frustum, quo facilius respiraret. Atque ita quidem porro avertentibus à capite remediis, sobriaque vivendi lege percuratus est. De puero sexenni sanato vide Ephem. Germ. ann. 1. pag. 137. Quæritur porro, an hydrocephalum, curandi gratia, incidere fas sit? N. Tulpius obs. med. lib. 1. cap. 25. fol. 51. binis hydrocephalis dimidii capitis, de quibus supra, Chirurgum varia inussisse ulcera, cutemque non uno dissecuisse loco, sed utrumque, æque improspere cessisse ait, exstillante humore magis guttatim, quàm tam effuse, ut levaret cerebrum, & exhauriret fontem, vitalem calorem alioquin certo extincturum. Deinde, etiamsi aq. majori copia ex cerebri cavitate simul effluxisset (quod tamen isto modo fieri nequit) alia tamen in effusæ locum successisset: adde, si malum diu duraverit, crania valde distenta, & aucta esse unde postea collabi nequeunt. Non minus infelicem eventum habuit infans quidam, de quo Schenk. obs. med. lib. de monstros. cap. conformat. ex Joh. Franc. phys. Camicensi fol. mihi 11. G. Fabrit. Hild. Cent. 3. obs. 17. fol. 198. exemplum habet infantis cujusdam, cui cum tertium ætatis mensem vix absolvisset, caput paulatim accrescere coëperit, ita ut infantuli caput antequam ipse octavum ætatis mensem attigisset, magnitudinem capitis cujusvis hominis longe excederet; usq; adeo namque aqua limpidissima extendebatur cranium, ut cutis, omnesque subjectæ partes pellucidæ redderentur, & posita ex adversa parte candela, aut ad radios solares collocato capite, aqua facillime conspiceretur; Interim Chirurgum juvenem, ingeniosum tamen satis, in consilium adhibuerant, qui, inciso bregmate dextro, aquæ claræ ad libram unam circiter, prima vice extraxit, mox turundam imposuit, & emplastro quodam vulnus obturavit, sed quia caput aqua valde turgebat, ita ut ea continue, & copiose efflueret, vires infanti adeo fuere debilitatæ, ut intra horas 36. è vita discesserit. Periculosa itaque valde est cranii apertio, & aquæ evacuatio, nec sine ratione; continetur enim, inquit ille, aqua ipsis cerebri ventriculis, ideoque si quis illam educere tentet meninges simul, & substantiam cerebri incidat, necesse est: cerebrum etiam, præsertimque partes ejus internæ, liquore isto, præcipue si diutius ibidem hæreat, adeo debilitantur, ut materia nutriens illuc deducta in laudabile mutari nequeat nutrimentum. Hanc quoq; ob rationem Cæs. Arant. lib. de tumor. sectionem in hydrocephalis internis non admittit; ut nec P. Ægineta lib. 6. c. 3. neq; M. Aurel. Severinus Chirurg. effic. part. 2. fol. 135. Nonnisi externi itaq; incidendi erunt hydrocephali, nec quicquam adhibitis exterioribus, interioribusq; remediis, approbante ipsomet Galen. lib. med. introduct. c. 18. dum dicit hydrocephali pericranium duabus, vel tribus, prout scil. id magnum fuerit, incisionibus aperiendum esse; quæ tres lineæ secundum Æginet. l. 6. c. 3. instituendæ sunt ad figuram literæ H. Idem Paræus affirmat lib. 7. c. 1. necnon Epiph. Ferdin. hist. med. 21. fol. 67. ut & M. Aurel. Sever. G. Placentinus, Forest. &c. Carol. Piso sect. 2. part. 1. de morb. cap. ext. ab illuvie serosa c. 1. fol. mihi 52. se ejusmodi hydrocephalum senis cujusdam multis tam internis quàm externis remediis incassum adhibitis, fonticulo occipiti inusto percurasse scribit. Joh. Bapt. de Lamzvverde obs. ad armament. Chirur. obs. 33. fol. 253. hydrocephalum quendam in muliere quadragenaria curatum fuisse ait, cui diu crudeli capitis dolore interno detentæ, tandem media hyeme caput extrinsecus tumore œdematoso in tantum excrevit, ut duplo fere majus videretur, & oculi amplius aperiri non possent, auresq; ad pollicis crassitiem intumescerent. Per quam humorum metastasin internus, acutusque dolor externus evasit, multoque levior. In curatione autem caput variis vulnusculis lanceola factis hic illic perforari se jussisse dicit è quibus serosus liquor copiose exstillavit, sicq; caput paucis diebus multum detumuit; adhibitæ etiam fuere fomentationes, & cucuphæ è cephalicis calidis, ac discutientibus confectæ, & sic ægram convaluisse affirmat. Hoc autem malum infantibus, inquit, raro, sed adultis rarissime accidit. *Cornel. Stalp. obs. raror. cent. 2.*

De periculosa hydrocephali apertione.

Aquileæ ad Rhodanum fluvium, in ditione Reip. Bernensis, superiori Anno 1608. puellus ex parentibus honestis, corpore quinetiam satis bene constitutis & temperatis natus fuit, nisi quod mater, quæ antea, si recte memini, bis utero gestaverat, etsi natura satis robusta, totum tamen gestationis tempus præter consuetudinem corpore aliquo modo imbecillior fuerat. Nihilominus nato infantulo, nulla deprehensa fuit in ipso deformitas, aut vitium in conformatione, omniaque ut videbantur, secundum naturam sese habebant, præter oculum sinistrum, qui aliquo modo depressior altero videbatur. Quum vero tertium mensem ætatis vix absolvisset, caput paulatim accrescere cœpit, ita ut antequam infantulus octavum mensem ætatis attigisset, magnitudinem capitis cujusvis hominis longe excederet, ita enim aqua limpidissima extendebatur cranium, ut cutis omnesque subjectæ partes pellucidæ redderentur, & posita ex adversa parte candela, aut ad radios solares collocato capite, aqua ista facillime conspiceretur in capite. Interim etsi infans continuo valde morosus esset, lactabat nihilominus, & alimenta infantium more sumebat, quibus tamen corpus minime nutriebatur; sed nutrimentum totum ad caput differebatur. Porro cum genere & virtute vere nobilissimus vir, Dn. Antonius ab Erlach, ejus

ejus loci nomine Reip. Bernensis pro tempore præfectus prudentissimus, fautor meus omnimode observandissimus, hujus rei inspectionem ocularem ipsemet habuisset, meque rerum rararum curiosum agnovisset, Mense Martio proxime elapso, ut ad se proficiscerer, per literas me monuit, idque ad eum finem, non solum ut infantulum suum hernia laborantem, quemque tunc sub curatione habebam, inviserem, verum etiam casum huncce infrequentem annotarem, ac consilium imo & auxilium meum adderem. Sed quia Burgum Segusianorum, Galliæ Provinciam, ad nobilem virum Dn. Jacobum Walley ictu Sclopeti graviter læsum, tum vocatus fueram, puerum huncce adire mihi non licuit.

Cæterum, interim dum per menses aliquot Burgi & Lugduni hæsi, Chirurgum juvenem, ingeniosum tamen satis, in consilium adhibuerunt. Is inciso bregmate dextro, aquæ claræ ad libram unam circiter pro prima vice extraxit; mox turundam imposuit, & emplastro quodam vulnus obturavit. Sed quia caput turgebat aqua, ita ut & continuo & copiose efflueret, vires adeo debilitatæ fuere, ut intra horas triginta sex è vita discederet, cum menses novem, & dies quatuor vixisset.

Hæc ex relatione ipsius parentis habeo. Quum enim vigesima die mensis Junii, Aquilejam ad prædictum generosum virum vocatus essem, parentem defuncti infantis, Jean Baptiste Petraux nomine, advocari jussit, qui coram generoso viro Dom. Præfecto, omnia quæ acciderant, narravit.

Vides itaque, vir clarissime, quam periculosa sit apertio cranii & evacuatio aquæ hydrocephali, idque non immerito. Continetur enim, ut ego bis in hydrocephalorum dissectionibus observavi, aqua in ipsis cerebri ventriculis, ideoque si quis illam evacuare tentat, meninges simul & substantiam cerebri ut incidat, necesse est. Hæc autem absque mortis discrimine fieri non posse, etiam tyrones norunt. Quid igitur, inquies, erit agendum? Profecto ut ingenue fatear, morbum hunc plane incurabilem esse, cum ratio tum etiam experientia mihi suadet. Quoad experientiam, scio clarissimum atque doctissimum Dn. Johan. Slotanum, apud Colonienses Doctorem Medicum longe celeberrimum, in infantulo suo, cujus ad calcem observat. 10. Cent. 1. fit mentio, non solum omnem curam, diligentiam, industriam, atque scientiam suam adhibuisse, verum etiam aliorum in re medica clarissimorum virorum per Germaniam, consilium auxiliumque implorasse, sed oleum, ut dici solet, & operam perdidit. In altero præterea infantulo, cujus in eadem observatione fit mentio, similiter multa variaque medicamenta à viris doctis frustra adhibita fuere. Quod ad rationes spectat, nullus negare potest, morbum hunc magnum esse, ideoque juxta Hippocratem extremis indigere remediis. Extrema autem remedia sunt sectio, ustio, evacuationes item fortes, & exquisita victus ratio. Sed quis quæso hujusmodi remedia in tenellis istis infantulis adhibere ausus esset? Adest præterea tanta cerebri labefactio atque imbecillitas, ut non solum major pars nutrimenti sui proprii in serum convertatur, verum etiam excrementa serosa ex infimis partibus corporis recipiat; solent enim membra fortiora continuo ad imbecilliora demandare. Hinc accidit, quod reliquum corpus hydrocephalorum minime nutriatur, etsi membra nutritioni inservientia, optime & secundum naturam sese habeant, ut in istis dissectionibus, quarum observ. 10. Cent. 1. fit mentio, observavimus. Imprudenter itaque agunt illi, qui in hydrocephalis multa promittunt, sectionemque tentant. Tibi quid videatur rescribe. *Gulielm. Fabric. Hildan. Obs. chirurg. Cent 3.*

Artificiosus Hydrocephalus.

Anno 1593. Lutetiæ Parisiorum puer quindecim aut octodecim circiter mensium ætatis visus est, cui capitis ita extensa erat cutis, ut magnitudinem capitum infantulorum, quorum observatione decima Centuriæ primæ fit mentio, excederet. Parentes autem hujus infantuli ipsum de oppido in oppidum circumvehebant, ac ut monstrum videndum exponebant, indeque maximum lucrum quæstumve recipiebant.

Tandem vero cum concursus hominum esset magnus, & magistratus Parisiensis pro singulari sua prudentia dolum malum & fraudem subesse suspicaretur, parentes in vincula conjecit. Quæstione adhibita, delictum crudele atque impium fassi sunt, nimirum se cutem capitis infantuli sui, circa verticem ad musculos usque incidisse foramine parvo, ac per illud ipsum (intra cutem & musculos immissa fistula) inflasse, ac paulatim, & intra menses aliquot (inflando singulis diebus aliquoties) cutem capitis infantuli in istam extendisse altitudinem, cunctisque hinc inde per Galliam, quæstus faciendi gratia, visendum exhibuisse.

Foramen autem ea industria fecerant, ut extracta fistula, cera aut simili aliqua materia illud facile obturare possint. Nefando ac immani scelere satis explorato ac cognito, parentes ambo morte mulctati fuerunt.

Historiam hanc nobilissimus Dn. Ludovicus Wallier, (qui se puerum huncce Parisiis vidisse affirmat) præsente nobilissimo Viro Domino Philippo Destauaye, Domino de Molondins, mihi anno 1609. 23. Maji communicavit, eamque hic adscribere visum est. *Idem ibidem.*

Hydrocephalus Incipiens Curatus.

Anno 1667. Hannoveræ curæ meæ submittebatur puer sex annos natus, huic in tantum caput auctum erat, ut mole vel Juvenis 18. annorum caput æquaret: totam vero cum naso faciem occultaret, artus è contra & venter tabescebant, Ego primo omnium suadeo, ut quantum fieri posset, baculo in os immisso illud apertum tenerent: hinc capite raso singulis diebus, bis aut ter, caput oleo chamemelino in quo stæchas Arabica, spica, lavendula &c. per aliquot dies infusa erant, inungo, inde aqua vitæ Anhaltina abluo. Nonnunquam quoque aquam St. Elisabetæ Reginæ Hungariæ applico, linteisque madefactis frequenter foveo. Utrique Cruri cauterium applico, corpus quater

singulis septimanis cum Syrupo diacnici purgo, in potu semper aliquid de oleo tartari per deliquium facti exhibeo, in cibo sæpiᵒ aniso, cumino, aneto ut utatur suadeo. Hoc modo, sensim caput detumuit, venter & artus nutritionem suam recipiunt, adeo ut intra duos menses puer integræ sanitati fuerit restitutus. *Alardi Herm. Cummii.*

Anatomicæ Inspectiones.

Bogislaa Nicolai, &c. Sexto mense gravida abortum rejecit, cætera non inelegantem, sed à temporibus & fronte nucham versus tumore ingenti deformem, qui mitræ Turcicæ similitudinem gerebat: Mox tamen sponte aperta propè sinistram aurem cute, evacuataque inde aqua loturæ carnium simili, concidit & flaccida cute quasi disparuit, nisi quod immisso flatu eandem figuram turbinatam & ovalem nancisceretur. Resecta ista in particulas membrana crassiore, calvaria ostendebatur naturali forma, sicut in puerulis solet: E jugularibus autem venis, intra processum ossis jugalis temporum, ambiens & suturas mendosas, ad os frontis usque sese ostendebat, proximeq; cum pericranio copulatus cernebatur, qui crassitie stilum ferreum intortum referebat: Iconem non addo, illi hydrocephalo similem, quam dedit M.A. Severinus de Abscess. cap. 9. ut ovum ovo similius non sit. Th. Bartholin. tract. de Cometa, pag. 97. ex communicatione Frideric. Hammeri i Med. Helsingorensis.

Augustæ Vindelicorum puellæ bienni caput in mensibus plus minus septem ita increverat, ut nullum viri unquam viderim quod non mole illi cederet: fuitq; is affectus quem veteres hydrocephalum vocarunt, ab aqua quæ in capite asservatur, sensimque colligitur: Quanquam ea non inter calvariam & exterius ipsam succingentem membranam, aut cutem, (ubi alias aquam reponi Medicorum libri docent) huic puellæ fuerit collecta, verum in ipsius cerebri cavitate, adeoque in dextro sinistroque illius ventriculis, quorum cavitas amplitudoque ita increverat, ut novem fere aquæ libras, aut tres Augustanas vini mensuras continuerint: Adhæc, ut cerebrum in capitis vertice, membranæ quasi modo erat & quodammodo continuum cum tenui sua membrana corpus, ita quoque calvaria fuit prorsus membranea, tantaq; duntaxat sede ossea, quanta calvariæ puellæ erat amplitudo, priusquam caput extra modum incresceret: ea fere ratione qua in nuper natis pueris frontis os & verticis ossa constare cernimus, ubi illa alioquin mutuo sunt contermina, & in admodum pueris insigni intervallo amplitudineque visuntur membranea: Cerebellum interim, cerebrique nniversa basis secundum naturam habebant, uti & nervorum productiones: dein nullis prorsus sedibus quàm in cerebri ventriculis, adeoque atque dixi adauctis, aquam reperi, & puella ad mortem usque sensibus omnibus integris est usa: Et quoties caput, quum illum paucis ante mortem diebus conspexi, ab adstantibus movebatur; & nonnihil, quantumvis etiam leviter, erigebatur, gravis illico tussis puellæ molesta fuit, cum difficili respiratione & totius faciei miro rubore, sanguinisque suffusione & lacrymarum proventu: Reliquo corpore mediocriter habuit, etsi laxis infirmisq; sed non resolutis tamen fuerit articulis, neque præsenti etiam insigni macie, aut etiam seroso in membris tumore, aut morbo comitiali, aut tremoris alicujus notis. Jecur cum paulo post mortem spectaretur, subpallidum, & nonnihil naturali alias jecore contractius duriusque occurrit: Liene interim maximo & molli conspicuo, perinde ac si jecoris vices aliquandiu obivisset: Adeo ut cum præsentibus Medicis nihil æquè admiratus fuerim ac tantam aquæ vim in cerebri ventriculis, absque majoribus symptomatibus tamdiu collectam fuisse. *Vesalius Fabr. corp. hum. lib. 1. cap. 5.*

Dissecabatur Lugduni Batavorum an. 1666. Infans unius anni, à puero hydrocephalus: Ex hujus capite D. Van Horne extrahebet uncias 36. aq. limpidæ subsalsa: quibus extractis adeo apparebant cuncta vacua, ut quis existimare potuisset cerebrum hic plane deficere: sed oculi acie eo penitus directa, apparebat cerebrum nequaquam deesse, sed amissa saltem figura globosa, induisse formam convexifornicis & ab exuperante aqua sequacem ejus medullam adeo fuisse distentam, ut instar alicujus crassioris membranæ, adhæresceret undique arcuatæ ossium circumferentiæ, ita tamen ut tam exterior cinereus cortex, quàm interior albicans medulla optime discerneretur. Præterea 1. sub cute nulla conspiciebatur pinguedo. 2. In thorace notabilis aquæ quantitas, illi quæ in capite continebatur similis. 3. renes adhuc inæquales 4. glandulæ pituitariæ & pinealis nullum vestigium, in pavimento tamen cerebri notabantur aliqua filamenta nervorum, materia quadam mucilaginosa obtecta; quæ credita sunt esse filamenta seu propagines nervorum sexti paris. Ex observationibus Alardi Hermanni Cummii, Archiatri Brunsvicensis in Miscell. curios. ann. 1670.

Infantis octimestris hydrocephalo affecti à Cl. Hornio dissecto capitis perimeter erat 1⅞. ulnæ: Tumor digito prementi cedebat non remanente vestigio; Cranii ossa, quamvis hiabant ab invicem, eo quo pueris solent loco, solito tamen ampliora erant, magis tenuia, ita ut cultro commode secari possent; non multum absimilia cornubus ex quib. lucernæ fiunt. Dura meninx cranio arctissime annexa, aqua, nec inter cutem & pericranium & cranium, nec inter hoc & duram meningem, nec, quantum observari poterat, inter meninges sed intra ventriculos cerebri laterales contineb tur; ejus quantitas octo pintas Leidenses, sive 160 uncias medicinales, h. e tredecim libras excedebat: aqua erat limpidissima, nullo notabili sapore prædita, nisi quod aliquantulum ore detenta, salsugine quadam linguam feriret: Cerebrum amplum, & pueri cerebro densius duriusq;. Ejus anfractus omnes penitus obliterati, contra cerebri laminæ egregie distinguebantur, Cerebellum totum cerebro minus affectum, vasa quædam per superficiem cerebri serpentia sanguine turgida, sinus falcis superior plane sanguine vacuus: Cerebri sinus laterales, quibus aqua continebatur, pro quantitate aquæ distenti, adeo ut totum cerebrum nonnisi saccus videretur. Glandula pituitaria flaccida & satis magna; glandula pinealis nulla inventa, nescio an errore dissecta ablatave: In plexu choroeide glandulæ nullæ observatæ: radix spinalis medullæ quasi in filamenta fissa, quod memini in cerebris ovium aliquando observasse. Omnes ferè corporis glandulæ solito majores, mesenterium totum

plurimis

plurimis glandulis rubentibus, lentesque parvas æquantibus consitum. *Mathias Paisenius in miscell. cur. ann. 4. & 5. obs. 197.*

Solutio continui contingit aliquando in cerebro à causis internis &c. Vera autem tanta est aliquando ut capitis juncturæ solvantur magno spatio: quod vidimus an. 1598. in filio Dom. Merindoli Aquensis, è cujus capite dissecto effluxit ingens copia serosi humoris, qui in ventriculis & tota cerebri substantia inclusus manebat: Distabant autem suturæ 4. fere digitis à se invicem. *Jacobus Fontanus pract. lib. 1. cap. 3.*

Vidi quatuor infantes hoc capitis affectu laborantes, è quo numero unum mortuum dissecui: Et sancte testor cerebrum me reperisse pilam palmariam vix mole æquans: neque sanatum vidi cui aquosus humor partibus internis conclusus est magna copia: si vero partes exteriores obsidet, sanationem non respuit: si ergo humor inter cutem musculosam & pericranium, aut inter hoc & cranium, si pauca insit quantitate, resolventibus tentanda ejus discussio. Si non succedat, ad incisionem transitus fiat, vitato musculo temporali, expresso inde humore loturæ carnium similiter aliquando sanguis concluditur: si contusionis soboles sit sanguinis grumi humori permisti aderunt: humore vacuato, linteis discerptis inflictum vulnus oppleatur, factaq; idonea ligatura, eaque arcta ad cicatricem deducatur. *Pareus oper. lib. 8. cap. 1.*

Decennis puer percussus est cum ense in parte superiore capitis; hic passus est vulnus satis magnum, cum incisione ossis, vel aminum, & deperditione substantiæ cerebri, nam hæc exivit quantitate nucis juglandis: curatus convaluit citra noxam. Hic post tres annos, confluentibus succis ad partem debilem, hydrocephalo correptus emoritur.

Apertum caput sine cerebro est inventum; dura meninx in conspectum apparuit duplicata, habebat tamen in se aquam limpidissimam, boniq; odoris, quæ ab adstantibus gustata, insipida videbatur: at in præsentia putrilaginis tantæ jucundum odorem persentiri monstrosum est, cùm ingens corruptio graveolentiam ex se prodat manifestam. *Zacutus prax. admir. lib. 1.*

Coloniæ multoties invisi puerum robustissimis parentibus natum, cui caput in incredibilem molem increverat, ita ut ipsius rotunditas ulnam & quartam partem ulnæ Coloniensis, ejusdemq; altitudo, ab una aure ad alteram, ulnam cum quarta parte excederet, non autem sic natus erat, sed cum septimum mensem ætatis vix attigisset, cœperat ei caput monstrose excrescere: nullus præcesserat morbus, reliquum tamen corpus vitiose nutriebatur: verum caput intra menses 30. paulatim in illam magnitudinem accrevit, ac tandem puer in soporem lethargicum incidit, nec ita multo post obiit.

Cranio dissecto, invenimus in duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam crystallo clariorem, ad libras Colonienses 18. illa autem non solùm ventriculos, sed & substantiam cerebri distendebat, ita ut totum cerebrum (cerebellum excipio) in sacculum extenderetur: hinc fiebat ut circumvolutiones & gyri cerebri non conspicerentur, sed turgerent omnia, dura & pia matres integræ, erant atque ita dilatatæ ut totum cerebrum operirent; cranium similiter dilatatum erat, sed passim membranosum, potius quam osseum: tertius ventriculus anterioribus confusus non apparebat: in quarto viscidam quandam materiam, parva tamen quantitate invenimus, reliqua in cerebri basi secundum naturam erant, nec reperiebantur meatus per quos serosus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumvis accurate dispiceremus omnia. Partes vitales & naturales perquam sanæ erant, unde earum functiones parum lædebantur, ita ut vix febre unquam laboraverit, quinimo edebat, bibebat, excernebat, & dormiebat ut sanus, ipsa tantum deerat nutricatio; totum enim corpus (excepto capite) perexiguum & extenuatum remansit; actionibus autem animalibus, quæ ex cerebro prodeunt, puta ingenio, loquela, visu, &c. destitutus fuit; brachia autem & tibias, labia, palpebras, oculos voluntarie vix movebat, at involuntarie sæpius h. e. contrahebantur & convellebantur continuo, absque tamen dolore. *Fabrit. Hildanus Cent. 1. Obs. 10.*

Humor capitis hydropem inducturus, inflat, & extendit interdum tam late nobile hoc mentis palatium: ut in ætate tenella, nonnunquam excedat magnitudinem virilem. Delitescente aqua, non minus extra, quàm intra calvariam: & utrobique, modo supra, modo infra membranas; obvolventes, vel cerebrum, vel calvariam ipsi circumpositam.

Puer quinquennis, dissectus in valetudinario publico, congesserat in capite tantum liquoris ut vitiata naturali figura, tantopere inter se desciscerent dissoluta ossa; ut dilatata ipsorum compages, haud parum discreparet à virili magnitudine. Cui oneri impar cum foret exile corpusculum, cogebatur, vel perpetuo desidere; vel assiduo incumbere cubili: saltem eousque, dum finem miseriæ imponeret mors.

Qua defunctus ostendit, in capite suo detineri, quinque aquæ libras; quibus effusis, fuere omnia adeo vacua, ac inania: ut plerique Medicorum præsentium, sed præpropere, judicaverint hic conspici, caput sine cerebro. At oculi acie, illuc penitius directa, vidimus satis perspicue, cerebrum non defuisse: sed amissa figura globosa, induisse formam convexi fornicis: & ab exuberante aqua, sequacem ipsius medullam adeò fuisse distentam: ut instar alicujus crassioris membranæ, adhæresceret undique, arcuatæ, dissolutorum ossium circumferentiæ. Mirabantur autem summopere, qui sectioni intererant Medici, qui, ex tam deformi cerebro, & medulla adeò extensa, ac irrigua, prodierint (quod tamen sancte adseverabat pueri pater) integra mentis munia. Quum in aliis, vel solius figuræ vitium, inducat, sive morbum attonitum, sive lethargum, vel fatuitatem vel insanabilem aliquam amentiam. Aliis vero suggessit, confusa hæc intricati cerebri, congeries, inexpugnabile argumentum, adversus distincta illa loca: quæ nonnulli adsignant, cuilibet animæ facultati. Alii vicissim credebant, hic confirmari dogma Aristotelis: asserentis cerebrum, non mentis ergo, sed refrigerandi cordis causa, constructum. Et prout quisque, vel amore, vel studio fuit, in hanc illamve partem, pro eo, etiam extulit, ejectve, vel hujus, vel illius sententiam. Sed exercitatiores, confugiebant ad ingenuum illud: Quantum est

quod nescimus! velut namque in aliis, sic certè credibile est, potissimum nos cæcutire, in genuino cerebri regimine: cujus opera multo fortallis sunt diviniora; quàm quispiam hactenus, suo comprehendit captu.

Sicuti autem priori puero, totum caput: ita protuberat aliis, duntaxat media ipsius pars; hærente liquore, vel in dextro, vel sinistro cerebri ventriculo. In quorum alterutro, memini me bis vidisse, ultra duas aquæ libras, inclusas tam strictè uni isti parti; ut altera foret planè illæsa ac integra. Inusserat quidem hisce capitibus, ulcera chirurgus; & dissecuerat non uno loco, cutem; sed utrumque, æque improspere; extillante humore, magis guttatim, quàm tam effuse, ut levaret cerebrum; & exhauriret fontem, vitalem calorem, alias certò extincturum. *Nicol. Tulp. Observ. Med. lib. 1.*

Anno 1676. Calendarum Januarii decimo septimo dissecui Leovardiæ septem mensium abortum. Mater gravida ac paupercula desiderabat comedere carnem vaccinam salitam, quam præ egestate ad lubitum habere non potuit; tandem à vicinis vel ab aliis civibus eandem nacta est. Cùm porro fere satiebatur, quidam cornice fores pulsat, quas ut aperiat, à mensa surgit & per gradus descendens, cecidit, frustum istius carnis adhuc bucca tenens. Postea abortivit. Abortum paulo post præsente Augustino Reilnaldo aliisque Chirurgis aperuimus. Caput permagnum, intra spatium crassæ & tenuis meningis duæ circiter libræ lymphæ cruentæ continebantur, glandula pinealis solito major & lympha turgida. Cerebrum aquosum & molle. In ore habebat vesicam lividam & carni salitæ, coctæque similem: primo intuitu carnosum quid esse putabam, sed incisione facta, lymphæ unciæ fere triginta ad laqueare vi quasi adactæ saliebant: hæc vesica totum os implebat ac linguam adeo premebat, ab interiore gingiva oriri videbatur, cùm alias ortum multo posterius habuit. Cystis aquosa videbatur mihi esse partem œsophagi posteriorem, & hinc liquet cur ventriculus adeo parvus erat, hujus vesiculæ constituendæ gratia, ventriculus sursum trahi debuit.

Porrò quoad hydrocephalon ex lapsu matris ortum, dicimus matrem unà cum fœtu eadem quasi vita frui, eodem modo ac surculus arbori insertus: omne enim quicquid patitur mater gravida, idem patitur embryon; matris terror fuit & embryonis; vascula lymphatica matris, satis rigida ac tenacia erant ne à terrore rumpantur, sed in fœtu nondum excluso mollia admodum, ac facile fragilia, unde vascula lymphatica, cerebro contenta, ruperunt; liquorque effusus, cranium necdum coalitum, immensum dilatarunt, hinc hydrocephalos seu capitis hydrops. Sed unde vesicula ori contenta? Experientia satis docuit, quid non possit matris imaginatio. Fibræ nempe œsophagi adeo à liquore ex ruptis lymphaticorum vasculis dilatatæ fuerunt, ut vesicula extra os quasi propendere coacta fuit: interim vascula quædam sanguinea, cruorem reducere impotentia, rubedinem & livorem vesiculæ induxerunt, eo modo ac si carnem salitam, voraciter à matre ingestam repræsentaret. *Steph. Blancard. Anatom. pract.*

Hydrocephalus cum vesica carnosa circa suturam sagittalem.

Anno Christi nati 1666. die 7. Martii, Noribergæ, uxor J. W. textoris serici, juvencula, & anno præterito nupta, filiolam peperit facie quidem formosam, sed capite monstrosam, in cujus apice, circa suturam sagittalem excrescentia vesicæ, instar aqua repletæ, multo major puellæ capite prominuit, rotunda, rubicunda, tactu mollis & pellucida, maculas aliquot habens nigricantes, putredinis accedentis indices; circa radicem cutis apparuit naturalis & pilosa; Tertio post die noctu vesica hæc multo quam ab initio minor, sponte per vesiculas hinc inde exortas & apertas multum humoris serosi & rubicundi instar loturæ carnis exsudavit: Ideo 10. Martii Fridericus Kuhne, Chirurgus celebris, accersitus statim hanc vesicam monstrosam in parte anteriore versus radicem aperuit, cumque multum humoris serosi instar loturæ carnis effluxisset, totam vesicam jam semiputridam, ad cutem usque naturalem abscidit, absque ullo puellæ ejulatu, Digito cavitatis superficiem explorans, ad magnitudinem ovi gallinacei, cranium nullum, sed loco illius cuticulam expansam reperit. Adhibitis postea emplastris suppurantibus aliisque remediis convenientibus, effecit ut cutis ad radicem vesicæ abscissæ posita sensim abscesserit. Infans inde lac quidem maternum sugens, & pultes pro more comedens, valde tamen debilis, die decima denique vitæ suæ mortem obiit. Posthinc accuratiori facta inspectione in loco concavo excrescentiæ abscissæ, subtus cranium nullum, sed meninges apparuere, nec intus in latere dextro cerebrum, sed loco hujus carnosa & glandulosa moles, in sinistro vero latere cerebri substantia naturalis inventa fuit Ex communicatione D. Pauli Freheri,

Scholion Hellwigianum, Practici communiter statuunt Hydrocephalum esse tumorem, seu collectionem humoris serosi, vel in toto capite, vel in parte aliqua capitis, scilicet nunc inter cutem & pericranium, nunc inter pericranium & cranium, nunc inter cranium & cerebri membranas, nunc inter membranas & cerebrum, itemque, Vesalio attestante lib. de corp. human. fabric. cap. 5. & Fabricio Hildano cent. 1. obs. 10. in ipsa interdum cavitate cerebri. Causam autem hujus morbi constituunt duplicem, internam, nempe cerebri calorem debilem, cum cerebrum nimis refrigeratum ac humectatum, alimentum recte elaborare, vel humores ab inferioribus partibus transmissos discutere nequit; vel cum vasa capitis rarescunt, & aquosam illam substantiam, quæ sanguini mista, in locum aliquem effundunt; Externam causam atque evidentem, plagam seu contusionem, quæ præsertim ab Obstetricibus fœtui in partu, vel alibi rudius contrectato & appresso capite infertur. Indè morbus hic in infantibus, quàm in adultis, ob calvariæ teneritatem, frequentior, periculosior, ac ut plurimum lethalis. De diagnosi, prognosi, & curatione hujus affectus satis scripserunt Daniel Sennertus lib. 1. Prax. part. 1. c. 28. & Ambrosius Paræus lib. 7. Oper.

chirurg. c. 1. Hydrocephalum nostrum in utero ex interna causa ortum suum habuisse, historiæ series demonstrat, ac paucos dies vixisse. Alioquin cognovi Ratisponæ uxorem cujusdam vigilum Præfecti, temperamenti frigidi & humidi, corporis obesi, fere quadragenariam, quæ sæpius singulis pene annis, accrescente Luna, calvariæ suturis se dilatantibus & adaucto capitis tumore, hydrocephalæam singularem patitur, sed malo huic mature hydragogis, præsertim gargarismate quodam certo occurrit. Duorum hydrocephalorum etiam meminit Thom. Bartholinus observat. anatomic. cent. 1, observ. 28. Curationem & anatomiam hydrocephali ab Alhardo Hermanno Cummio conscriptam lege in Miscellaneis Anni primi Academ. Naturæ Curiosor. obs. 46. & 47. Nicolaus Tulpius habet etiam lib. 1. observat. medicar. c. 25. historiam hydrocephali, ac ejus curationis infelicis. Jo. Petrus Lotichius lib. 2. consil. & observat. medic. capit. 1. obs. 7. refert, sibi Anno 1633. Mindæ puellum ejusmodi semestrem consilii causa oblatum fuisse, sed noluisse quicquam tentare, ac sub prognostico illum dimisisse.

Additamentum Schrockii. Omnis morbus monstrosi quid in se continet, cum præter Naturæ ordinem & intentionem generetur. An vero Hydrocephalus proprie sic dicta inter Monstra referri queat, merito dubitatur. Communiter non monstrorum, sed morborum in catalogo ponitur; & Illustr. Thom. Bartholinus in tract. de Con etis, abortum Helsingorensem hydrocephalum, quem pro monstro vulgus habuerat, morbis, non monstris, adnumerandum fuisse, decernit. Hydrocephalus utique, dum non nisi hydrops capitis exsistit, semper morbus est. Quandoque tamen revera monstrorum numerum augere probabile est. Id quod patebit, si monstri definitio ei adplicetur, quod, juxta Licetum aliosque, est Vivens subcœleste, membrorum constitutione enormi, videntibus horrorem cum admiratione incutiens, raro admodum nascens, ex secundario naturæ instituto genitum, propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis. Fœtus enim, cujus caput ab ingenti seri copia in immensam molem extensum est, deformi illo & improportionato capite, videntibus, non tantum vulgo, sed & Medicis horrorem cum admiratione facile incutere potest, inprimis cum rarus admodum sit, paucisque Medentibus videre tales contingat, ac fœtum magnopere deformet. Cæterum ex secundario Naturæ instituto semper generatur, varias ob causas, interdum etiam propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis. Hydrocephalum itaque & morbosum, & interdum quoque monstrosum dari, dici posset. Ille non tantum embryonem, sed & adultos invadere valet, collecto nimirum p. n. in capite aquoso humore; præterea intra cranium quandoque consistit, latetque, qualem Petr. Borellus cent. 1. histor. 8. describit: unde nec deformis nec horridus videntibus adparere potest; interdum in fœtu sine errore formatricis in utero, abundantis, & vel ibi sponte stagnantis, vel ob externam aliquam violentiam, uti percussionem, casum &c. cumprimis in partu contrectatam durius & compressam ab incauta vel imperita obstetricis manu tenellulam calvariam, collecti seri soboles esse potest. Hic autem, scilicet monstrosus Hydrocephalus quod detur, ipse Bartholinus laudatus non plane contradicit, dum à morboso illo Helsingorensi actionem sympatheticam excludi haud posse, cum Cl. Friderico Hammerico adfirmat; hæsisse enim, refert, mulieri hoc fœtu gravidæ in fixa memoria infortunium, quod pridem ejus culpa infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem ferventis aquæ demersus paulo post exspiraverat. Sic etiam Guil. Fabric. Hild. cent. 5. obs. 3. puellam ætatis undecim aut duodecim circiter annorum, ob intempestivam curiositatem, continuo circa infantulum hydrocephalicum fuisse versatam, caputque ejus tractasse commemorat, tam alte memoriæ ejus idea hydrocephali impressa, ut aliquot post annos viro cum nupsisset, toto gestationis tempore monstrosum illud caput continuo fere ante oculos ipsi obversaretur, fœtumque pariter hydrocephalicum enixa fuerit. Imaginationem itaque hujus mali præcipuam fuisse causam apud me, sic Hildanus subjungit, nullum est dubium. Idem confirmare posset historia à Levino Lemnio lib. 1. de occult. natur. miracul. cap. 4. descripta, si internam etiam capitis, stupenda magnitudine, à phantasia matris, ex conspecta hydrocephali pictura attonitæ, deformati constitutionem traderet; ubi quidem serum copiosum non defuisse, suspicari licet. Et cur phantasia carnosas, aliasque præternaturales excrescentias embryonis capiti sæpius adnectens, humoris serosi cursui uberiori ad partem illam pariter ansam præbere nequeat? Quidquid sit, præsens casus, ob miram, quæ post mortem comparuit, capitis constitutionem, monstra inter referri utique poterit. *Alhardi Hermanni Cummii.*

Hydrocephalus vitio spinæ bifidæ.

Anno 1683. d. 22. Febr. natus est infans masculus Parentibus quibusdam magni nominis, non sine magno gaudio. Sed ubi statim post partum tenelli infantis corpus paulo exactius examinatum, duos tumores, unum in occipite, alterum in spina dorsi offenderunt. Ille in medio occipitis juglandem magnitudine æquavit, tactu mollis, colore fusco, multis pilis obsitus, similibus murium pilis. Mater hujus tumoris causa fuit, uti postea dicetur. Alter tumor in spina dorsi, magnitudinem ovi anserini habuit, initium sumens ab ultima thoracis vertebra, tendens usque ad os coccygis, colore sanguineo, tactu mollis, instar fungosæ carnis. Ad latera vero tumoris spinæ dorsi divisæ, margines utrinque satis luculenter digitis tangi & distingui potuere. Medicos & Chirurgos consuluere, quid circa istum tumorem agendum? Chirurgorum intempestiva suppuratio rejecta, Medicorumque opinio admissa, nempe & naturam tumoris & conditionem corporis infantis requirere lenia exsiccantia ex variis herbis & floribus, quæ etiam adhibita, & sæpe quotidie tumori calide imposita.

Secundo à partu die apparuit totalis utriusque

que pedis paralysis à coxendice usque ad plantam, non sine suspicione illum morbum ortum vitio spinalis medullæ. Varii spiritus & aquæ spirituosæ membro affecto adhibitæ, sed incassum, uti etiam exiccantia pro curando tumore.

Interea caput sensim sensimque in molem præternaturalem extensum, ossa calvariæ nec dum ferruminata ad pollicis latitudinem & amplius ab invicem distare observata, pericranium pellucidum, & reliquum corpus macie consumi deprehensum. Lacte interea rite tenellus nutritus, excrementa debite reddidit, somno refectus & cæteræ medii & infimi ventris functiones integræ repertæ, nisi quod tussiret quandoque & difficulter respiraret, quæ tussis eo aucta, ut sub init. Maii usque ad finem vitæ cum stertore & sonitu clangosum duxerit spiritum.

Interea moles capitis adeo aucta, ut truncum corporis præponderaret, cum summa miseri infantis molestia.

Die 28. Maii placidissime hic infans absque motibus convulsivis animam efflavit.

Die 29. ejusdem, permissu Parentum, corpus exanime disquisitioni anatomicæ subjectum.

Aperto abdomine, nullum fere omentum, nisi tantillum, quod fundo ventriculi adhæsit; intestina vero laudabiliter constituta repetta. Ventriculus, hepar, lien, renes, optime; in pectore pulmones & cor absque omni culpa.

Exemptis his, spina dorsi ab altera parte tumorem supra descriptum, obtulit.

Quo dissecto duo cochlearia aquæ insipidæ & limpidissimæ, crystalli instar effluxere, nihil cruoris, nihil substantiæ fungosæ vel peregrinæ; nihil, quod magis, spinalis medullæ, repertum, filamenta quædam alba & tenuissima si excipias, rudera potius membranæ investientis spinalem medullam, quam nervorum.

Vertebræ vero ipsæ, ab ultima thoracis usque ad os coccygis supputando, in utramque partem dilatatæ, admodum deformes, quarum structura depravata spinæ bifidæ, quam Tulpius obs. 38. l. 3. exhibet, tam similis est, quam ovum ovo. Per foramen ultimæ thoracis vertebræ hians in apertum tumorem & explicatas lumborum vertebras, stylo Chirurgus penetravit, usque ad tertiam colli vertebram.

Medullæ spinalis in utrumque crus nulla divisio, quare tota in liquorem limpidum resoluta, cruribus nihil virium afferre potuit.

Porro caput in tantam molem cretum insolita promisit.

Pericranio facili negotio in crucem dissecto, ossa cranii infantum more nullibi conglutinata, in naturali statu omnia apparebant, nisi quod longius quam solent, & latum pollicem ab invicem sejungerentur.

In medio quoque occipitis osse, rotundum foramen, crassum digitum admittens, in conspectum veniebat, omnino præternaturale, pericranio eo in loco, ut principio dictum, in levem tumorem elevato, ac pilis consito.

Meninx dura piaque, ut & cortex cerebri, quoad externam faciem, erant sanissima. Cum vero in cerebri corticem ad ventriculos ejusdem explorandos culter fixus, viderunt corticem non excedere calami scriptorii crassitudinem, quo separato, loco ventriculorum offenderunt amplam, quasi vesicam, repletam limpidissima & insipida aqua, quantitate uncias quinquaginta excedente, neglecta ea quam spongiæ & linteamina inbiberunt.

Hac effusa collapsi cerebri ventriculi manifesto docuerunt, illam in utrumque ventriculum per corticem, mediantibus tubulis, à recentioribus Anatomicis passim descriptis, destillasse, undique sua copia cerebri substantiam, cranium, pericranium extendisse, atque capiti illam deformitatem conciliasse.

Reliquas cerebri partes, glandulam pinealem, nates, vulvam &c. examinare non permisit præceps aquarum affluxus, & hunc insecuta partium illarum confusio. Ex cerebello tamen adhuc integro, & naturaliter constituto pars in spinam dorsi pro medulla deferebatur, quæ solummodo unam & alteram thoracis vertebram assecuta in brachia dimittebatur pro motu illis conciliando. In reliquis thoracis vertebris medulla sensim deficiebat, & in prima lumborum erat plane nulla: Altera pars cerebelli in aquarum cerebri per occipitis ossis foramen insolitatum supra descriptum, propulsa, ibi tumorem illum pilis consitum formabat, qui signatura muriformis ante obitum credebatur.

Mater infantis quæsita, an tempore gestationis terrorem ex re aliqua adversa passa sit, unde signaturam illam muriformem fœtus acquisivisset? Respondit, se quidem à muribus ordinario non moveri, sed accidisse ante 4. menses, ut Maritus parvulum sacculum herbarum odoriferarum plenum, lusus ergo ipsi ex improviso in occiput jacuerit, quo perterrita sibi imaginatam esse, murem ab alto in occiput cecidisse, & partucitius locum affectum digitis parum fricuisse.

Cui vero tumorem spinæ adscribere deberet, nescivit, Nisi quod cecidisset aliquoties graviter, & semel cervi cujusdam vertebras ad usum œconomicum in longum diffindere paulo attentius intuita sit. *D. Joh. Lechelij.*

In Hydrocephalo, qui puerilis & jam pridem natorum, forte etiam nascentium, est morbus, serosa colluvies nunc cerebrum atque membranas, nunc membranas & Cranium, Periostiumque & cutim inter, sæpius tamen in Cerebri cavitatibus, ut quæ natura excipiendo sero sunt destinatæ, deprehenditur. Unam ego Hydrocephali anatomiam, quod rara sit minusque pro sui pretio descripta, curiosius exponam. Anno vertentis seculi sexagesimo sexto à B. D. van Horne, Anatomico celeberrimo, Infantem dissecari vidi fere septimestrem, cujus caput jam inde à nativitate ex Hydrocephalo tumescens tandem cæteri corporis staturam enormi magnitudine infamare & vitam copia inundantis seri obruere cœpit. Utrum Septenarius Criticus tantopere nonnullis & ipsi M. A. Severino, in Hydrocephalo Hildani & ipso septimestri, formidatus, an secretior impetus tempus hoc definiverit, superstitiosi ocii cultoribus interpretandum relinquo. Certe Infanti nostro statim à partu secundum omnes dimensiones caput in

majus augeri cœpit, invalescente tumore ad mortem usque, adeo ut peripheria capitis aquaret ulnam fere & dimidiam. Reliqui corpusculi & ipsius vultus proportio longe pro isto capitis ossei tumore minima; jurasses universo trunco vultuique detractam humiditatem in unum caput concessisse, adeo macra omnia atque strigosa. Tensa quam maxime capitis cutis, nec Periostium, ullis aquis rigabantur; ubi tum ossium compages alia apparuit, quam esse solet. Hiatus ille rhomboides, Fontanellam vocant, longe patentior quam oportet, continuato etiam per suturas, sagittalem & coronalem, plus quam digitali divortio, satis ostendebat subjectam Cerebri molem in dies auctiorem coalitum impedivisse, atque hinc in illo suturarum divulsarum spatio cutis ipsa cum dura menynge arctissime concreverat, adeo ut laboriose secerni potuerit. Tenuiora adhæc videbantur Bregmatis ossa & cornea fere, in oris etiam quæque suis cartilaginosa ad notabile intervallum; ubi radiantium fibrarum ossearum lusum pulchre animadvertere licuit. Nulla interim aqua, neque cranium inter & crassam membranam, neque hanc & tenuem, superficies duntaxat cerebri solito humidior; hic vero ingens cerebri tumor complanata undique superficie, mæandrorum, qui alias distinguere corticem solent, vestigia aboleverat, adeo & venæ, quæ copiose irrigare cerebrum debebant, paucæ apparuere, & in ampliata propulsaque Cerebri convexitate exiles. Itaque, cum intus ali monstrum videretur, acum admovit Anatomicus, qua in Paracentesi uti solemus, cerebrumque, cujus passim crassitudo vix digitum æquabat, pertudit. Fluere statim limpidissimi seri rivus cœpit, quem, quod deliquium metuendum non erat, ad Uncias Clxiii. non numerato, quod in anfractus cerebrique basin se diffuderat, excepit. Subsidebat interim Cerebrum pro ratione & modo fluentis aquæ, jamque formam & magnitudinem subsidendo amiserat, cum interiora ejus cultro rimari curiosa manus cœpit; reperit autem ipsam illam Cerebri substantiam tenuem admodum, intus etiam rarissimis sanguinis permeantis vestigiis perfusam. In Ventriculorum fundo lenta reliqua erat & pituitosa Lympha, quæ se glutinis instar parietibus cerebri medullaris & ventriculorum limbis applicaverat. Quid quod radix Cerebri à perpetuo illo diluvio & seri incubitu in fibras diffluxisse videbatur, quibus alias constare naturaliter solet. Loco suo quæsita Glandula Pinealis non apparuit, sive avulsa seu deliquio soluta. In plexu Chorioide nullæ etiam glandulæ conspectæ. Cerebellum autem plane integrum & nulla sui parte labefactatum, nulla etiam aqua in Ventriculo ejus, adeo &, quod mirandum, gyri anfractusque illæsi & lætiore sanguinis colore perfusi. Et hæc quidem erat Hydrocephali historia, cujus causam si altius repeto, non ambigendum, quin sæva Obstetricis manus intempestiva compressione ossium Bregmatis plurimum eo contulerit, & coarctato insimul venarum spatio lentæ Circulationi & hinc ortæ secretioni Aquosæ occasionem dederit, quæ deinde laxatis fibrarum medullarium intervallis se in Ventriculos, ordinarias humidi lymphatici officinas, stillando effuderit. Vulgato experimento jam olim cognovi, ligatis venis jugularibus internis in vitulo semimortuo cerebrum copiose à restagnante sero inundatum fuisse; adeo & à remissa circulatione lentiusque eunte sanguine idem fieri probabile est. *Joh. Nicol Pechlinus in Observat. Physico medic.*

Hydrocephalicus & hydropicus.

Sigmund Biermann adolescens 27. circiter annor. in tenella ætate, ut sciscitantibus nobis confessus est, motibus convulsivis valde obnoxius, à catarrhis toto reliquæ vitæ decursu nunquam immunis extitit. In Nosotrophium, propter summam imbecillitatem, sex circiter ante obitum septimanis advectus, præcipuè tum de diarrhœa querelas movit & appetitu prostrato, cum siti, quæ tantum non ad finem vitæ usque duravit: manus erant tremulæ, pulsus nunquam naturalis, sed tremulus & creber, tractu temporis, seri effusionibus magis magisque urgentibus, & infimo ventre plenius intumescente, æger Creatori spiritum reddidit.

Præsentibus Medicis aliquot, inter quos tum erat Clariss. D. D. Stokerus Scaphusianus, sub vesperam operi sectionis nos accinximus Ann. 1677. mens. April. Curæ præcipue fuit cerebrum, unde cranio ablato illud studiosius lustravimus. Dura mater densissima fuit, & Pia ipsi parum absimilis, si non densior, sanguine præterea corrupto ac putrido penitus spurcata. Cerebrum, quasi mera gelatina obductum esset, per hanc ipsam transparuit, ejus substantia tota flaccida fuit, & aqueis humoribus irrigua, qui pia meninge ablata copiosè in fugam dabantur. Ventriculi anteriores, una cum tertio & quarto, ichore aquoso erant referti; in plexu choroideo glandulam utrinque reperimus duriusculam, nisi magnitudine. Aperto abdomine, aliquot mensuræ seri putridi, summè fœtentis eruperunt. Epiploon putruit, pancreas albicans & durum, hepar parte cava inflammatum & corruptum fuit. Ex vesicula fellis, cujus facies exterior gelatinosa videbatur, discissa effluxit humor, qualis ex ovo putrido prodire consuevit. In Mesenterio lympham in vasculis stagnantem animadvertimus, in quam vero, uti nec in thoracem media urgente nocte, studiosius inquirere non licuit. *Joh. Jacob. Harderus in Observation. Anatomico-Practicis.*

Jacobi Calvas Mercatoris Namausensis filius, tertium ætatis annum agens, vegetus & elegans, sine causa manifesta soporatus & torpens, ἀπύρετος, post multa valida & confertim sine fructu adhibita remedia, pulsu & respiratione paulatim deficientibus, è vivis excessit.

Aperto capite cerebrum sero è vasis scaturiente inundabatur.

Filius Causidici Nemausensis primi nominis, in eadem ætate constitutus, acris ingenii, haud multum absimili, verum iniquiore fato functus est; etenim ophtalmia & Lippitudine frequenter laborans, per dies quindecim sustinuit convulsivos motus, quos excepere veternus & mors.

Apertum caput, fontanellam oppido hiantem, suturamque sagittalem os coronale inter-

terſcindentem, & ad naſi uſque radices protenſam, exhibuit. Dura meninx admodum denſa fuit, ejuſque vaſa, quæ ſub oſſe parietali ſiniſtro ſita ſunt, fuere turgida ſanguine, & inflammatione occupata. Pauciſſimus adfuit ſanguis in vaſis cerebri, quod ut & fiſtula ſpinalis, vaſto ſeri gurgite reſtagnabat. Dum viveret miſellus, meatulum infra ſiniſtram aurem ſitum, lympha perpetuo madentem, verum poſt mortem prorſus obliteratum, geſſit. Malè huic ſe habuere pancreas & meſenterium, magnaque fuit ipſi veſicula fellea, quam limpidus, ſed fuſci coloris ſuccus adimplebat. Ann. 1679. *Ex communicatione Clariſſimi Viri Domini Rivalier Medici Nemauſenſis &c.*

Sutoris Nemauſenſis filiolus ab ipſo ortu laboravit Hydrocephalo, ex quo caput in molem immenſam, & ſolita quadruplo majorem, creverat; cranii ſuturis quatuor fermè tranſverſorum digitorum ſpacio dehiſcentibus: Hebes & ſenſibus propemodum orbatus, oculiſque mire inverſis, ad omnia, præterquam ad exſiccandas nutricis mammas, male ſe habens, per ſeſquiannum victitavit. Tandem motibus convulſivis fractus fatalem diem clauſit. Ann. 1680. *Ex eadem communicatione.*

HYDROMPHALOS.

Vid.

HERNIA.

HYDROPHOBIA.

De hydrophobia fusè ſatis capite de Rabie agemus; Hic tantum diſſertationem à Præclariſſimo Domino Menjotio conſcriptam tradcmus. Sic autem ille.

Hydrophobia, &, ſi propter vacuitatem à febre, ac ferocitatem delirii, formam gerat maniæ, ab ea tamen multifariam diſcriminatur, videlicet venenata qualitate, contagio, pluribuſque ſymptomatis, ac imprimis portentoſo illo conjugio hiulcæ ſitis, cum aquæ & liquidorum omnium abominatione. Mania inſuper morbus eſt chronicus, hydrophobia vero affectus præceps; neque enim tempus illud computari debet quo virus diutiſſime aliquando in corpore diſſimulatur, quo ſparſa rabiei ſemina nondum germinaverint. Denique mania Hippocrati notiſſima fuit, at hydrophobiæ in ſcriptis Hippocraticis neque vola extat, neque veſtigium, ac inepte ad ipſam detorquetur locus Prorrhetici, ubi ſic præceptor, φρενιτικοὶ βραχυπόται ψόφου καθαπτόμενοι, τρομώδεες, Phrenitici parum & raro bibentes ſono quolibet pulſati, tandem tremuli fiunt. Nam ut cætera taceamus diſcrimina Phreniticis unda timori non eſt, ſed ſunt ſaltem, ſicuti latine reddidit Aurelianus, parvibibuli; hydrophobi autem aquam non modo non deguſtant, ſed maxime horreſcunt.

Legitur quidem aphoriſmus 10. lib. 8. Rabiens remiſſe, & non agnoſcens, neque audiens neque intelligens morti eſt proximus; ſed liber iſte Hippocratis lucerna dignus non eſt: at demus genuinum eſſe ejus fœtum, nec in ipſius familiam intruſum, tamen ut perſæpe mania, ita hocce loco meram ſonat deſipientiam.

Scribit ex mente Athenodori Plutarchus, ætate Aſclepiadis (qui ſub Pompeio Magno apud Romanos in arte Medica florebat) duorum morborum monſtris, hydrophobia & elephantiaſi, homines noviter eſſe infeſtatos, vel ſaltem probabile eſt, canes quidem ab omni ævo rabie tactos fuiſſe, hominesque ab iis ſemper potuiſſe conſpurcari; ſed inde ſubſequutam hydrophobiam à Veteribus Medicis fuiſſe inobſervatam, forte quod illico, ſed plerumque tardiſſime poſt acceptum morſum exurgat: ut reverà non ſolum Hippocrates, verum ſcriptores quoque omnes Aſclepiade ſuperiores, hominis hydrophobiam prætererunt, ac ipſemet Nicander (qui ante Pompeii tempora; ſub Attalo poſtremo Pergami Rege claruit) de hydrophobia οὐδὲ γρῦ, licet venena omnia homini lethalia concinnis verſibus expreſſerit. Democrito tamen Hippocratis coætaneo, imo ut quibuſdam lubet, ejus præceptori, nec non etiam Polybo Hippocratis diſcipulo, hanc affectionem cognitam fuiſſe, autor eſt Aurelianus; quin ipſi quoque Homero notam conjicit, cum ex Tantali fabula, tum ex Teucri verbis poſt octo viros occiſos, ita loquentis de Hectore.

Τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα.

Præterea, inquit idem Aurelianus, Comicus Menander, inducens ſenem iraſcentem, iſtius paſſionis imaginem vinolentis adſcripſit, dicens non poſſe bibere eos qui vinum vſque ad vexationem potant. Plinius quoque ex Epicharmo braſſicam ſylveſtrem laudat contra morſum canis rabidi: atqui Epicharmus Hippocrate ſenior fuit utpote Pythagoræ auditor, ejuſque meminere Cicero & Horatius. Sed miſſis controverſiis Chronologicis, toti ſimus in medicinali hujus ægritudinis hiſtoria.

Vocatur ὑγροφοβία ac uſitatius ὑδροφοβία à liquidorum & aquæ formidine: quibuſdam placet eo affectu correptum φεύγυδρον quaſi aquifugam appellare: item φοβόδιψον aquæ metu & ſitis ardore preſſum; vulgo hic morbus, Rabies dicitur, rectius tamen cum adjuncto Rabies Canina, ægerque κυνόλυσσος, quia rabidi canis morſu, malum iſtud perſæpe invehitur. Alias enim rabies ſimpliciter pro furore accipitur, eoque ſenſu intelligendi ſunt naturalis Hiſtoriæ Scriptores, dum à certis plantis ac ſerpentum morſu rabiem concitari tradiderunt. Imo rabies generaliſſime ſumpta quemlibet notat exceſſum, quomodo Hippoc. ab æruginoſis humoribus λύσσας & δήξιας σπλάγχνων & θώρακος oriri ſcripſit, hoc eſt ingentiſſimos & acerrimos viſcerum ac thoracis dolores, vulgo *des douleurs enragées*.

Curioſuli verborum aucupes hydrophobiam à rabie diſterminant, quod illa ampliſſimo ſignificatu ad quoſdam delirantes extendatur, qui falſo mota veneni ſuſpicione, liquores omnes renuunt, quantumvis ſiti teneantur.

Non deſunt etiam qui hunc affectum in brutis, Rabiem; in hominibus, hydrophobiam nuncupent, ſed male, conſtat enim & homines in rabiem, & bruta in hydrophobiam delabi.

Deſcribitur hydrophobia, Affectio primum cordis

cordis, deinde totius corporis contagiosa, à veneno rarius intus genito, sed frequentius aliunde transmisso procreata, per quam furens æger siti simul & aquæ timore crudeliter distorquetur.

Venenum istud cæterorum toxicorum more, clandestina quadam proprietate cordis substantiam appetit, deinde membratim insinuatur, ac præcipue ad cerebrum iter intendit ubi rationem pessundat. Hujus autam vires reconditas esse exinde colligitur, quod in dosi etiam minutissima supremam obtineat potentiam, nulli qualitati elementari concessam: deinde quod singularibus alexeteriis per ἰδιότητας τῶν οὐσιῶν operantibus ut pimpinella, alysso, astacis fluvialibus empirice curetur. Nam ut docet Galenus, quædam sunt totis substantiis inter se contraria, quædam solis qualitatibus: horum quædam est methodus, illorum vero nulla, sed omnia per experientiam inventa sunt: methodus enim est per indicationem, hæc autem supponit naturam indicantis cognitam; At eorum quæ tota substantia agunt, natura ignota est. Ideoque Pelops Galeni præcepto dum hydrophobiæ essentiam & curandi rationem per cinerem cancrorum fluviatilium ex causis manifestis se redditurum ambitiosius jactitaret, inextricabilibus contradictionibus sese implicuit, eoque nomine vapulat à Galeno. Cum ergo qualitas non agat nisi in qualitatem sibi contrariam, ac contraria dicantur quæ sub eodem genere maxime distant; si rabiei alexipharmaca abditis qualitatibus suam debeant efficaciam, hunc morbum in eodem qualitatum occultarum ordine locari necesse est. Et mehercle quicunque animalium jobolorum, verbi causa, aspidis occæcto vulnere tam agile, tamque rapidum venenum diffundentis, virtutem maleficam ex primis qualitatibus demonstrabit, ille etiam ex crasi elementorum, hydrophobici veneni naturam poterit pervestigare, è minimo seminario tam feracem horrendorum symptomatum segetem propagantis.

Hanc veritatem memorabili exemplo suffulcit Fernelius. Venatores, inquit, in lupum sæviorem irruerunt, trucidatum in varia obsoniorum genera appararunt & coxerunt. Omnes quicumque esitarunt non multo post rabie correpti, alii perierunt, alii, sociorum morte prudentes facti sibi prospexerunt, in ea carne tam diligenter apparata, quam tu restare putes caloris exuperantiam? At vis lethifera ac venenata permansit, quæ vix igne mitescit, quemadmodum nec cantharidum vis deleteria ustione tota perit. Hæc Fernelius. An igitur credibile est intensam putredinem quam crepant elementarii Medici, nullo odore vel sapore alieno, lupinam istam carnem edentibus sese manifestasse?

Porro & si humores venefica corruptela per se sordescentes huncce morbum humanis visceribus quandoque inseminent, ut Atticorum testium ac intemeratorum cum antiquorum, tum neotericorum fide constat; rarissime tamen αὐτοματισμῷ ortuque spontaneo in hominibus emergit; sed sæpe sæpius contagione velut inserto surculo proseminatur, & ut ita dicam, inoculatur.

Ac primo quidem hydrophobia missis ad distans quasi staminibus, fertur colore fuisse concepta. Nam Dioscorides iuxta aliorum renunciationem prodidit Themisonem dum amico suo hydrophobo officiose ministraret, quadam naturarum concordia, consimili calamitate fuisse percussum; & Aretæus hominem à cane rabioso, solius inspirationis interventu rabire scripsit; pariterque Aurelianus quosdam notat in hydrophobiam incidisse, adducto aëre quem rabientis canis odor venenaverat. Verum perrara sunt, ne dicam dubia, ejusmodi exempla, quia venenum hydrophobicum ut & venereum, fixius est atque terrestrius, quam ut morbida pene dixerim spicula eminus jaculari queat; Proindeque rabiei inquinamenta per fomitem potius transferuntur, unde degustatos ab infectis cibos assumere, eodemque poculo combibere periculosum est. Narrant equos atque boves stramine pastos, cui sues rabie perciti incubuerant, hydrophobiam contraxisse. Sartrix quædam, apud Aurelianum, cum clamydem scissam rabidis morsibus, sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, & lingua pannorum suturas lamberet assuendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem venisse memoratur. Imo ferunt à gladio, quo canis rabidus confossus fuerat, venenatum vulnus post plures annos inflictum fuisse.

Iterumque per contactum paratius quam per fomitem serpunt seminia ista morbosa, nempe per morsum rabidi animalis, cujus spuma eo est infensior, quo sanorum etiam animalium salivarius humor malignitate non destituitur: potissimum si jejuna fuerint, sitientia vel irata, quibus de causis humores efferati salivam coinquinant: hæc namque cum sit excrementum partim primæ coctionis quæ in ventriculo, partim tertiæ quæ in cerebro peragitur, in tonsillas, quasi castella paulatim corrivatum, horum quoque membrorum impuritatibus facillime fœdatur, ita ut omnium ferarum morsus tanquam virulentos Celsus infamaverit: sed cordis spiritu salivalis humiditas præsertim polluitur, cujus quippe miscella, naturaliter bullata redditur atque ampullosa.

Quinetiam sola spumæ aspergine, nullo interveniente vulnere, accenditur rabies, si lingua, labia, aliæve partes molliores ac rariores contingantur, adeo ut hydrophobos deosculari tutum non sit; Imo asseverant nonnulli, si quis rabioso accubet, tetra morbi μιάσματα per mediam cuticulam cutemque licet densiorem irrepere in corporis penetralia: quicquid sit, negari non potest aliter quam salivæ vehiculo hocce venenum traduci, nam cum per totum animalis corpus disseminatum sit nonnulli propter commanducatam rabidi animalis carnem, alii hujus duntaxat unguibus oblæsi, aut, si quibusdam credendum, cornubus petiti in rabiem devenere; urinam quoque canis rabiosi calcatam præcipue ulcus habentibus noxiam esse testatur Plinius.

Jam vero morbi malitia nunc ocyus nunc serius sese prodit: raro tamen mox ab immissa contage rabies enitet, cum propter veneni crassitiem ac hebetudinem, vel, ut loquuntur Chymici, lentam veneni minus volatilis fermentationem; tum propter salivam (consuetum ejus ὄχημα) naturaliter viscosam, nec di-

stribui facilem; sed plerumque circa quadragesimum diem ac interdum post plures menses vel annos incipit nefanda lues suos edere tumultus, vixque ultra septennium sopita degit in corpore; licet quidam per octodecim, alii per quadraginta annos, ipsam imis sedibus velut in statione oblituisse affirment.

Tantæ diversitatis ratio multiplex est: nimirum veneni activitas; ut enim primæ qualitates, ita etiam occultæ intenduntur atque remittuntur: Ejusdem major, minorve mensura: Tempestatis regionisque status, in cælo siquidem algido segniter magis malum sese exerit, quam in æstuoso: Profunditas vel sublimitas vulneris: Demorsæ partis conditio, nam nervo, vena, arteriave læsa, virus ad arces vitæ velocius perreptat, quam si particula ignobilior, nec cum principalibus membris sympathiæ jure sociata vulneretur: dubium etiam non est interius assumptam, quam exterius admotam virulentiam celerius multo insurgere Locorum principum & maxime cordis alacritas vel languor, unde generosius vel ignavius adventanti hosti renituntur: Cacochymiæ morbo analogæ, ut biliosæ ac melancholicæ uberior parciorve copia: Tandem vitæ ratio quæ si fuerit exquisita, veneni infringet conatus. Imo probabile est omnes istas causas vel earum præcipuas adeo fortunate nonnunquam consociari, ac potissimum tam propitiam reperiri posse corporis εὐκρασίαν & εὐχυμίαν, ut fugato vel exarmato, vi caloris nativi, hydrophobico quod transumptum est veneno, ab imminente alioquin rabie homo vindicetur; quomodo Perseæ arboris in Ægyptum translatæ fructus, ferunt soli fœlicitate veneniferam posuisse qualitatem.

------ quæ Barbara Persis
Miserat, ut fama est, patriis armata venenis
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.

Sic multi ad pestem imparati aerem pestilentem sorbent innoxie; causarum namque externarum virtus hebescit, ubi nihil auxiliatur domesticus apparatus, abestque corporis ἑτοιμότης ac passiva potentia ad morbum.

Quæres an silens tamdiu contagio, interim fixa stet atque otiosa, ad instar cineris illius quem in Laciniæ Iunonis ara subdio sita, immobilem fuisse, perflantibus undique procellis testatur Plinius. Nequaquam certe, sed furtim in humores sese multiplicat, partibusque intimatur, donec velut è latibulis desubito insiliat in naturam, quæ dum viriliter ac strenue sese tueri nititur, ex amborum acerrima μονομαχίᾳ ac colluctatione, perquam atrocia exuscitantur symptomata.

Tametsi ex hactenus dictis satis pateat ὕπαρξιν τοῦ λυσσήματος in caliditate atque siccitate minime esse positam; faventibus tamen istis qualitatibus expeditiorem esse hujus morbi generationem inficiari non licet. Vigere namque consuevit retorridis æstatibus ac latrante Canicula,

Dum Procyon furit.
Et stella vesani Leonis.
Sole dies referente siccos.

Item afflante acriore brumæ frigore, quo calor repercutitur ad viscera. Hinc Aristoteles populos in frigoris pariter ac caloris excessibus positos, exempli gratia, Sarmatas non minus quam Nigritas, & moribus & aspectu efferos esse scribit. Præterea sæviente ambientis ἀνωμαλίᾳ animantes rabie crebrius quatiuntur, quam per ingentes; sed constantes atque statos aeris sive æstus sive algores.

Causis procatarcticis illæ quoque annumerantur quæ sanguinem contaminant, & succi atrabilarii proventum faciunt; ut esus carnium rancidarum aut morticinarum ut pote marcidum sanguinem continentium (unde gravis illa τῶν πνικτῶν apud Iudæos interdictio) præsertim si hæ carnes animalium fuerint ἀστροβλήτων Jovis ignibus ictorum, testaturque Plinius rabire canes, potato menstruo sanguine. Cibi itidem acres, salsi & aromatici; ideoque matronæ cavere debent, ne Melitæos catulos alimentis nutriant, pipere vel zinzibere conditis. Aquæ palustres & stativæ. Famis sitisque diutina tolerantia. Mœror, ita canes ut herorum sunt amantissimi, sic eorum obitu non infrequenter in rabiem abiguntur. Terror, legimus enim historiam cujusdam fœminæ per noctem spectris pavefactæ quæ non solum in hydrophobiam, sed quodammodo etiam in aerophobiam lapsa, aerem tantisper commotum, vel auram leviter insibilantem, haud absque cruciatu persentiebat. Postremo videtur hæc passio etiam frequentare quibusdam temporibus vel locis, verba sunt Aureliani, ut apud Cariam atque Cretam, hæc enim insula aliorum animalium venenosorum raro altrix & procreatrix atque pene libera, sola canum rabie vexatur frequentissime. Idemque de Sicilia refert Scribonius Largus.

Ad causarum externarum classem eæ quoque pertinent, quæ venenosam camarinam movendo, paroxysmum concitant: seu manifesta qualitate, ut ira, motus immoderatus, admissi morsus recordatio (narrat namque Aurelianus Themisonem quemdam à rabido cane quondam vulneratum, quoties hujus morbi curationem scriptis mandare aggrederetur, statim relapsum esse, ac propterea à scribendo destitisse:) seu secreta virtute: fama enim circumfertur, si quis sub tegmine sorbi recumbat, aut cornum vel virgam sanguineam attrectet, donec in manibus incalescant, latitantis veneni vim efferam splendescere; referuntque lanificem quemdam rabie peremptum, quod corni arboris virgis lanam diu excussisset: qua de re experientia consulenda venit, ob fabellas ferme innumeras, quibus historia naturalis farta est.

Inter animantes canis sponte intimoque vitio promptissime agitur in hydrophobiam, non propter temperaturam melancholicam (plurimum enim absunt à canibus hujus temperamenti indicia, quippe qui dum gestiunt & mollibus ac inquietis tortiunculis, palpoque adulatorio blandiuntur, lætitiam potius præ se ferant) sed præsertim propter inexplicabilem istius animalis aptitudinem: nam subjecti rabiem recepturi legitima διάθεσις æque latet sub arcana naturæ Majestate, quam ipsa rabiei indoles. Neque vero unus canis primario & ex principiis internis hydrophobiam experitur, ut censent Aphrodiseus & Galenus, sed etiam camelus ex Aristotele, item mulus, equus, asinus, ursus, simia, mustela, viverra, felis,

gallus gallinaceus; & multa alia, ac ea præ cæteris quibus nonnulla intereft cum canibus similitudo, ut vulpes, lupi. Neque etiam pisces, & si juxta Aristotelem pestem ignorent, ab hoc morbo immunes sunt, quandoquidem testis est Columella murænas rabie efferari: quinimo in humanis quoque præcordiis, hocce virus interdum creari possibile est. Sunt qui anseres nunquam rabire scripserint, an propter servatum quondam Capitolium jure potiuntur adeo nobili; Sicut apud Melitenses omne serpentum genus traditur veneni expers ab eo tempore, quo vipera B. Paulo fuit innoxia.

Aristoteles observat ex morsu canis rabidi cuncta rabire & interire animantia, πλὼ ἀνθρώπε excepto homine. Quibus verbis confirmatur quod nuper dicebamus, nempe Aristotelis seculo nondum innotuisse, hominem fieri posse λυσσοδηκτον. Doctissimi tamen interpretes pro πλὼ ἀνθρώπε præter hominem, legunt πρὶν ἀνθρώπε prius homine, ut sensus sit animalia tali veneno prætestime magis vitiari atque interimi, quam hominem: scilicet propter incuriosam illorum providentiam, simulque majorem cum morbo affinitatem. Nam homo a feritate rabiosa plus distat quam cætera animalia; partim quia humidior est, ideoque minime omnium potat; partim etiam quia rationis ope, vesano rerum liquidarum timori potentius obnititur: posito tamen eodem affectionis gradu in homine & in bruto, ille periculosius laborabit; Morbi etenim dispares deteriores sunt, quod causæ morbificæ majorem ἐνέργειαν, ægrotantisque corporis longiorem a seipso recessum arguant. Demum alii πλὼ ἀνθρώπε exponunt præter hominem, ita ut is sit sensus non modo hominem, sed cætera quævis animalia rabire & interimi si à cane rabiente commorsa fuerint.

Quoniam vero ut plurimum hydrophobia morsicatim communicatur à cane rabido qui apud nos hospitatur, imo nobis contubernalis est, & cujus morsus, cum sani canis morsu ad sensum exacte convenit, nec ut cæterorum animalium venenatorum perniciale vulnus, dolorem egregium, ardorem, tumorem, aliaque accidentia extemplo infert, sed tum demum suam aperit κακοήθειαν, cum partes principes veneficam qualitatem ebiberunt; ideo signis opus est primo quæ canem rabiosum commonstrent; deinde quæ vulneris inflicti velatam nequitiam retegant, ut tempestive instituatur προφύλαξις, & ab ipsismet mali primordiis, qua porta aditus patuit veneno, eadem illico revocetur. Nam Baldus Iurisconsultus ille clarissimus ex rabientis catelli in labro inferiore morsiuncula, quam perniciem intus conderet, ignorans, quarto post die hydrophobia Tridenti sublatus est.

Internoscitur ergo canis rabido furore motus, si solito tristior appareat atque macilentior; si pigrius capite ad latus contorto & ad humum depresso, auribusque flaccidis ac prægravantibus incedat: fixe torveque contueatur: fulgores tanquam fulgetra vibret ex oculis: patente ore anhelet ut frigidum aerem pleno haustu foris ducat, vaporemque fuliginosum pleno afflatu foras effundat: si linguam croceam rubram, vel nigram emittat: largam spumam & rubiginosam ore ac naribus profundat: escæ negligens sit: potum tantopere aversetur, ut aqua conspecta, toto corpore contremiscat, surrectisque setis horreat: si voce rauca umbræ oblatret, alias vero à consueto latratu desinat: dominum suum ignoret: animantes hominesve etiam domesticos sine discrimine adoriatur: caudam sub alvum reflectat: intenta celeritate cursitet, rursumque gradum repente sistat: inter cursandum titubet, ac in obstacula quasi cæcus impingat, nec unam certamque teneat semitam, sed nunc dextrorsum, nunc lævorsum per transversa agatur itinera: denique si cæteri canes odora vi eminus præsagientes, ipsum fugitent, capti vero ei subblandiantur, ut captata fugæ opportunitate, clam sese subducant, proceriores licet atque fortiores.

Vulneris jam illati perversitas exploratur, si panis medullam sanguine vel ichore è sauciata particula recenter effluxo subactam, quilibet canis famelicus oblatam respuat, aut nequidem olfaciat. Nuces quoque juglandes lævissime contritæ per aliquot horas membro vulnerato imponuntur, vel ex cruore emanante cum farina conficiuntur offæ, ac gallinæ objiciuntur quas si devoraverit, postero die illa necabitur, rabioso existente cane, secus servabitur incolumis.

Oriente primum & velut gemmante rabie, homo incerta & flammantia huc illucque torquet lumina: faciem gestat rubicundam: frontem vultuosam exhibet atque caperatam, mœstitudinis & anxietatis indicem: præter rationem ac temere totus in fermento jacet, ut phrasi Plautina utar, hoc est irarum fluctuat æstu: παλινόφοβος est, si dicere liceat omnipavus, ac è strepitu vel levissimo repente trepidat: insueta cogitata ac polydædala pectore voluit & revolvit: solus apud se mussitat: adeo est μισάνθρωπος ut hominum congressu se excerpat, atque etiam amicorum qui antea fuerant in intimis, displiceant consortia: lucifugus est ac latebricola, vespertilionum instar atque hybridum, aliquando autem luce oblectatur, facesque alto etiam meridie accendi jubet: de aere inclementiore ac Austrino conqueritur, quantumvis temperatus sit, & liquide serenus. Deinceps æger suspiriosus est, ac præter consuetudinem ἄποτος, quasi diceres, impotus: ventriculi dolore stimulatur: plumbea gravatur corporis mole: somni immemor noctem querelis ducit, vel saltem somnum capit furialem ac suspensum. In parte olim vulnerata, etsi ulcus jam pridem fuerit obseratum, refricatur dolor, ac evecto inde ad cerebrum vapore, vertigo nonnunquam cietur.

Invalescente & velut hiante jam morbo, crebra adest pandiculatio & oscitatio: sudor partium superiorum: frequens mutonis arrectio, per quam ægrotans involuntarie

profundit

Seminis ingentes fluctus, vestemque cruentat.

Quæ pollutiones alias quidem somniantibus, minime vero vigilantibus contingunt: præterea spumat æger perinde ac ἐνεργούμενος sive arreptitius, exspuitque in eos qui præsto sunt: linguam exertat: manibus ora dilacerat: μανικὸν & τραγικὸν intuetur: omnes promiscue etiam necessarios mordicus impetit, & ad

cujuscumque hominis ingressum externatur. Observant nonnulli in consimilem rabiem cadere homines qua bruta divexabantur, à quibus contagium acceperunt, & quasi hausto poculo Circeo in ejusmodi animalia transformati essent, belluinos mores imitari: verbi causa, à lupo vulneratos ululare, & cadavera corrodere; à cane commorsos latrare, ossa dentibus conterere, eaque deglutire.

Porro diligenter notandum est, etsi ratio in hocce affectu summopere, ut plurimum depravetur, hanc tamen interdum haud penitus corrumpi. vel saltem furorem nonnihil intervallatum esse, atque intersectum, ut patet illorum exemplo qui ad novissimum usque vitæ diem, vicem suam conqueruntur, præsentesque peramanter ac perofficiose monent, ut morsum vitaturi procul recedant, aut nervo vinciri cupiunt, ne cogente morbi impetu in obvios irruant. Idem dicendum de Philosopho illo λυσσώδει apud Ætium qui γενναίῳ φρονήματι insano aquæ pavori tam prospere reluctatus est.

Ad hæc rabidorum alvus durior existit; lotia si non restitent, stranguriosa sunt ac ægre ducta: vox vel nulla editur, vel aspera, ob arteriam spiritalem nimia ariditate salebrosam: calore quoque ardent extraneo, verum sine febre, more maniacorum, hypochondriacorum, cholericorum ac irascentium; aut si febris concomitetur, hæc præstructo in visceribus febrili choragio, minime autem morbi ingenio adscribenda est. Sed quid ad Galenum statuentem acri febre ægros interius aduri, caloremque eorum naturalem in igneum converti? Respondemus πυρετὸν sumi quandoque simpliciter pro φλογισμῷ, ut apud Homerum de Sirio.

Φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Sic apud Hippocratem κοιλίη πυρετώδης ventrem præfervidum significat & alibi de lienis inflammatione disserens, febris acuta, inquit, initio supervenit, at progressu morbi desinit, præterquam circa splenem; hic autem calor semper residet. ubi clarum est febrem splenis accipi pro simplici ejus calore. Demum Author Definitionum Medicarum scripsit calculum in renibus coagmentari à febrili, hoc est magna ipsorum caliditate; quomodo etiam vulgus febrem capitis dicere consuevit pro ejus ardore.

Gliscente in dies ægritudine, superveniunt vomitus atrabilarii, singultus, animi deliquia, gelidæ sudatiunculæ, tremores, convulsiones; dentium vel concubitus incumbensque confixio, ut loquitur Aurelianus, Græcis συνερεισμὸς καὶ συναγωγή, vulgò *serrement de denis*, ubi nempe absque ullo fragore conseruntur, ac interdum tam arcte ut vectibus cuneisve divelli nequeant; vel stridor Græcis τρισμὸς communiter *grincement de dents*, dum mutua impolitarum τραπεζῶν confricatione asperum limæ morsum sono suo æmulantur; vel crebra collisio ut in rigentibus Græcis σύγκρουσις, Gallis *claquement de dents* quæ malleoli tuditantis strepitum refert. Denique natura tam denso dirorum symptomatum agmine oppressa, morbo quasi herbam porrigit, ægrique animam efflant.

Sed præsertim in hocce detestando affectionis genere, misellus ægrotans sitibundus est, nec tamen bibax; quin potius aquæ liquidorumque præsentia, ad tremorem, sudorem ac leipopsychiam usque fatigatur, ita ut ne lacrymas quidem sine tormento animadvertat ex amicorum commiserantium oculis stillantes.

Insoliti istius symptomatis causa controversa est, plenaque dissensionis inter artis Medicæ primores. Non desunt qui ab excellente putredine ac humiditate vim hydrophobiæ pendere autument, ideoque ægros aquam & liquida jure recusare, ne mador iste adaugeatur. Sed primo si sors hydrophobiæ primis qualitatibus esset metienda, siccitati haud dubie, potius quam humiditati astipularetur. Deinde cur non etiam leucophlegmaticis liquida omnia odiosa sunt? præterea aquæ frigus est putredinis ἀλεξίκακον tantum abest ut eam promoveat. Postremo multi liquores, ut spiritus vini, siccissimi sunt.

Agnoscunt alii clancularium veneni hydrophobici cum liquoribus omnibus simultatem, & quidem tantam ut, si vulnus etiam recens inflictum aqua non tantum frigida venenum intus compellente, sed calida quoque abluatur, vix unquam curatio succedat. Censent itaque, haustis liquoribus majore ferocia venenum exultare, quos proinde tanquam hostiles, ægri appetitus merito odio prosequitur. Sed contra rabiosi aquam metuunt, priusquam usu compertum habeant num detrimentum levamentumve sit allatura: Annon etiam ex contrarietatis lege, hydrophobiam liquidis edomari, potius quam acui oportet? ut revera haud affectio, sed illusa languentis phantasia, aquæ tactu aut potu exasperatur. Aureliano enim nequaquam assentiendum, scribenti hydrophobos lædi demersione in aquam, quia, inquit, eorum curatio non est ut bibant, sed ut bibere velint, quod fiet cum passio fuerit adjutoriis destructa. ipsa si quidem passio potando superatur, cum experimentis constans fixumque sit aquam præsertim marinam præstantissimum esse, ne dicam unicum, ἀντίλυσσον, ac improvisum ægrum in flumen aut mare faustissimo successu conjici, si invitus aqua satietur. Denique si liquidorum & luis hydrophobicæ antipathia, rabientes ad aquæ fugam impellit, quare ægri cancros fluviatiles ineffabili dissidio, huic veneno infensos pariter non abhorrent?

Accusant nonnulli habitualem partium solidarum ariditatem, quæ similibus delectatur, humidisq; adversis offenditur: quocirca ut gaudent ægri in pulvere volutari, sic ex opposito aquam abjudicant. Verum cur hydrophobi tam ardenter sitiunt, si modo consummata sit partium siccitas quæ similia non contraria dicitur requirere deinde non constat an intemperies in facto esse quam γεγονυῖαν Græci vocant, similia desideret. Nam, verbi causa, febris hectica postulat sui ablationem quæ non similibus, sed contrariis perficitur; & absolutum est atque ἄσειστον Galeni decretum à morbo indicationem sumi, ut auferatur per contraria. Sed demus factam intemperiem similia appetere, non est tamen quod viso contrario ægrotans consternetur ac exclamet. Præterea hectici

ctici omnes essent hydrophobi, & econverso. Nec tandem exsiccantes cancrorum cineres hunc morbum pellerent.

Melius igitur alii istum aquæ horrorem in vitium imaginationis mentisque rejiciunt; inter quos aliqui opinantur πάθος ὑδροφοβικὸν esse melancholiæ speciem, cumque omnium melancholicorum communis sit metus, alios quidem alia, ac rabientes aquam peculiariter extimescere. Verum hydrophobia nullum è melancholicis deliriis arctiore attingit cognatione quam maniam, à qua tamen pluribus modis distingui superius probatum est. Deinde timorum differentiæ ii melancholicis corporis dispositioni raro adversantur, imo hæc aberrantem animum ad hoc illudve privatum figmentum videtur potius tacite inducere; Exempli gratia, strigosi ægri atque μονόγραμμοι, quos Themistius infœlicibus lignis comparavit in arente terreno natis, se fragiles testas factos esse rati, collidi metuunt ab obviantibus: & melancholicus ille apud Ætium putans ἐτμήχθη κεφαλὴν se capite detersum, hoc est truncatum esse, fortassis ob levitatem id mali patiebatur, à flatu sursum lato. Etenim sicuti vinum est πολύμορφον variatque potatorum ebrietas, puta melancholicorum temulentia querula est, sanguineorum jocosa, biliosorum rixosa, venereorum amatoria, ac pituitosorum veternosa.

O nata mecum, Consule Manlio,
Seu tu querelas, seu tu geris jocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem pia testa somnum.

Ita succus ater desipientium naturis sese accommodat; hydrophobia autem, corporis affecti qualitatibus non modo non respondet, at semper ac è diametro dissentanea est: corpus namque exuctum, siti uritur [illegible], interimque eluxata ratio aquam perhorret.

Sunt qui doceant quemadmodum externæ figuræ, ut picta peristromata, desipiendi ansam præbent phreniticis, ac ut dici solet, Oleum addunt camino; ita in rabie oribus ægrorum multa spuma madescentibus, & corde liquescente, phantasma oriri liquidi exstinguentis, ac inde consequi liquorum omnium βδελυγμόν. Sed primo non omnes rabiosi spumescunt; deinde phrenitici sputatores, essent quoque hydrophobi, quod eventis refragatur.

Summates Medici nec proletarii, rationem reddunt istius symptomatis, quod rabidorum imaginationi species canis, à quo morsi sunt & quem reformidant, assidue objiciatur, itaut hunc ante oculos dies noctesque versari existiment, ac tum præsertim canes aquæ inesse suspicentur, cum in ea faciem suam rutilam, necnon oculos flammeos ac terribiles speculantur. Sic philosophus ille Ætianus jam citatus cum à bibendo deterreretur, erecta animi constantia sese colligens, diuque intra se meditatus quam absurdum sit canem in balneo delitescere, ecquid tandem, inquit, commune est cani cum balneo? ac in aquam animose immersus, siti expleta, simul cum hæresi malum exuit; unde manavit in proverbium, quid cani & balneo; Cui opinioni illud quoque videtur patrocinari, quod non tantum aquæ, sed etiam speculi ac rei cujusvis tersæ lævisque utpote objectorum imagines reverberantis intuitu, hydrophobi perangantur.

Verum hæc sententia à vero quoque abludit, eamque revincere facile est. Concedamus enim ex ægrorum confessione ratum firmumque esse, canes in aqua semper spectari, non tamen liquida omnia faciunt imagines; sed ea modo quæ pellucida sunt: nonne etiam vas aquam complectens linteo contegi, aut alio artificio potandus liquor abscondi, vel ægri vultus obnubi potest? Insuper à rabido homine, aut alio quovis animali præter canem demorsi, aut qui ἀπὸ τ͂ ἐνσόντων fiunt λυσσαλέοι, omnia potulenta nihilo secius exhorrescunt: præterea non solum ad liquoris omnis conspectum; sed & ad tactum; imo ad ejus etiam sonitum, atque adeo ipsam mentionem ægrotantes pavitant, sicuti rerum ingratarum commemoratio vel aspectus nauseam proritat ac vomitum; prudenterque commonet Aurelianus, ubi sanguis rabiosis detrahitur, non tantum avertenda esse à fluente sanguine ægrotantium ora, sed etiam manu sanguinem esse excipiendum, ne hujus fluentis murmure inquietentur.

Ultimo speculi non minus quam aquæ contuitu terrentur hydrophobi, quod lævigata quævis corpora potissimum imaginationi, delirio ac metu turbatæ oblata tanquam liquida appareant, ob planam claramque superficiei æquabilitatem: quapropter æquor, speculo pariter ac mari tribuitur; ac vicissim crystallus de aquis puris limpidisque dici solet, ut marmor de corpore polito etiamsi solidum non sit, sic poeta.

Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Itaque non vere dictum est hydrophobos ad præsentiam speculi torqueri, propter horridam faciem suam in eo conspectam, cum non leviore premantur angore, si ad speculi latera ita positi fuerint, ut in illo sese contueri ipsis non liceat.

Quidam forte istarum objectionum tela declinaturi, dicent aquam rabientibus esse formidolosam, non quod vultum suum canino similem in illa deprehendant; verum propter specificam proprietatem veneni hydrophobici, eamque superelementarem, nec à primis qualitatibus emendicatam, sed ἀναιτιολόγητον quæ imaginationem certo modo depravet; eique suadeat canes in liquidis omnibus contineri; talis erat ille apud Rhasem, qui siticulosus aquam expetebat, eamdemque propinatam fastidiose aspernabatur, canum interaneis ipsam refertam esse querens. At ponamus quempiam nunquam viso cane, quinimo nec audito ejus nomine, rabie arripi, an canes quorum spectra in mente non præhabuit, aquæ subesse imaginabitur? An infantium hydrophoborum matris ubera expaventium phantasiæ, simulacrum canis infixum esse, quis probabiliter affirmaverit?

Igitur in tot opinionum dubiosarum anfractibus ductor nobis sit & veluti lychnuchus Galenus, post Hippocratem (quem ut Achillem semper excipi par est) omnium bonorum

nobis autor. Is ita philosophatur: Non corpus, inquit, duntaxat ipsis inarescit, & convellitur interdum, febrique acri intus aduritur, sed animus etiam delirat & gravissimum ipsis affert symptoma; quippe aquam timent, & propter multam siccitatem, humidi capiuntur desiderio; à potu vero abstinent, quia mente alienati id quod auxiliari possit, non considerant: fugientes enim aquam paventesque miserrimo mortis genere intereunt. Hæ Galenus.

Qualis autem sit πολυδίψα illa sitis, hydrophobiæ comes, dissentitur. Vulgo asserunt hydrophobos propter membrorum ariditatem sitire appetitu naturali; sed ob mentis errorem non sitire appetitu animali; contra vero prior sitis per κατάχρησιν sic nominatur, ac vix aliud est quam ipsamet humidi egestas animalibus communis atque plantis Pluvio Iovi supplicantibus, necnon etiam terræ solibus perustæ, quæ amicum imbrem sitire communiter dicitur Dum igitur rabiosos tali siti premi aiunt, nil docent nisi eorum corpus super arefactum esse atque exuccum. Itaque hydrophobi siti vera & animali discruciantur, hujusque tyrannidem suis questubus luculenter exprimunt. Nec est ἀδύνατον ab una ac eadem appetitiva potentia idem objectum diverso respectu peroptari simul atque reprobari: adest enim effrænata aquæ aviditas, prout hæc sua frigiditate atque humiditate sitim οὐκ ἀσθενῶς non instrenue valet depellere, prout autem liquida est, odio habetur flagrantissimo; cumque liquorum ἀποστροφὴ urgentior sit atque imperiosior, quam frigoris humorisque cupiditas, non mirum si ægrotantes tanto furore aquam exhibitam detrectent: quod si τὸ ἄδιψον in forma solida concinnari posset, illud sine dubio ab ægris neutiquam repudiaretur. Quid pluribus? Annon melancholici quatenus meticulosi, mori pertimescunt, quatenus autem mœsti ac proni in desperationem, sunt αὐτοφόνται, monstrosoque animo mortem & expavescentes & exoptantes, mortis formidinem, morte pellunt.

Porro duo supersunt gravissima dubia exsolvenda. Primum cur hydrophobi tam enormiter sitiant, quamvis præsens sit causa sitifera; cum cæteri delirantes ob dispersam divagantemque imaginationem ad suctionis ἐν τῇ καρδίᾳ sensum obstupescant, ideoque perstent sitis expertes: non enim vim causæ sitim moventis ac phantasiam ad sentiendum revocantis criminari fas est, quia licet sitis intensissima sit atque διὰ βάθους, delirationi tamen ad extremum perductæ nullo pacto prævalet. Altera difficultas est, unde invicta illa liquidorum omnium βδελυγμία succrescat; cum phanatici atque maniaci, in quibus non minus quam in hydrophobis ἐκστάσεως ac immanium cœptorum summa sunt omnia, liquores non execrentur.

Geminum hunc nodum τῶν ἰατρῶν χαλεπώτατον expediendum relinquimus: aqua siquidem nobis hæret, ac naturæ ἀνυποδείκτου non tam rationem hic quærimus quam voluntatem. Ad quid enim rationes proferre ficulneas ac nullius æris quæ doctis auribus, & mordaci lotis aceto parum satisfaciant. Ita Galenus ἄριστος φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτής (ut de Democrito dicebat Hippocrates) & quem Trallianus θειοτάτου titulo dignatus est, cum ἄμεμπτον ἀπόδειξιν de mirabili corporis animalium opificio à nemine audivisset, nullam quoque apud se repertam publice testatum voluit, nec ipsum puduit sapientiores philosophorum hortari, ut solerter scrutentur, & si veritas sese obtulerit, hanc sine invidia palam faciant.

Vos isthoc Delia proles
Queis solium sedemque Jovis scandisse libido est.

Nos vero iis missis quæ captum nostrum superant, hydrophobiæ diagnosin προσκοπίᾳ absolvamus. Observavit Avicenna rabidorum lotia carunculis quibusdam catulorum effigies exprimentibus esse variegata, & Conciliator ait in pinguedinibus matulæ fundum petentibus, formas canum repræsentari, quæ quassata urina, ita dissolvantur, ut nihil resideat. Testificatur quoque Averrhoes catulorum natantium figuras in urina apparere, hacque colata, nulla ipsorum vestigia in panno relinqui; sed quiescente lotio, easdem canum imagines iterum conspiciendas dari, cujus eventus rationem sibi incompertam esse non dissimulat. At alii audaciores causam referunt, partim in diuturnam intra corpus hujus veneni moram, partim ac præcipue in δραστικὴν sive actuosam, ubi jam manifesto agere incepit, ejus potestatem quæ hominis constitutionem in caninam quodammodo demutat, ejusque humores ita adulterat, ut animalcula catellis similia in ipso procreentur; pariter ac è sputo canis rabiosi linteo aut vesti adhærescente, parvula animalia catellis haud absimilia pullulare pro certo nunciant; atque etiam per urinas, ventrem ac vomitum velut telas aranearum ab illis excerni qui venenatis phalangiis icti fuere.

Transeamus ad præsagitionem. Ampliora morsus rabidi vulnera, angustioribus minus formidabilia sunt, illis enim sanies exudat, his conclusa detinetur. Hydrophobici veneni sensim ac morate πεπλησιασμένου in corpore cunctatio exitialis est, majusque damnum usura quasi nautica rependit; nam quo diuturnior fuerit causarum morbificarum generatio, eo affectionum inde prodeuntium inopinata irruptio calamitosior esse solet; silenti namque pede repentes morbi non ante declarantur, quam una cum spiritibus atque humoribus partes etiam solidas, οἰκειότητα τῶν δυναμέων, labefactaverint, quæ tanto difficilius morbosa spoliantur tinctura, quanto tardius propter compactam substantiæ suæ densitatem & calidum nativum tenaciter ac profunde ipsis inditum, eadem imbuuntur: idem nempe membris spermaticis contingit ac lanis veneno Assyrio fucatis quæ sunt δευσοποιοί quod eousque imbiberint tingentem succum, ut nulla parte pristinum servent colorem. Quicunque ab internis causis in hanc ærumnam trahitur, pejore est loco quam traduce veneno tinctus; nam principia sunt fortiora principiatis (si cum scholis loqui liceat) virtusque veneni pestifera, transgressu victa redditur, viresque perdit eundo, nisi forte ob immundam suscipientis corporis illuviem novo reviresçat robore, ac fundus, ut ita dicam, fatali fœcunditate concreditum sibi semen liberaliter nimis refundat. Pauci eorum quibus post transfusam luem remediis opportune provisum est, hoc affectu periere: Imo inchoata rabies ante hydrophobiæ adventum

ventum non omni spe ægrotantes deponit, multosque cum à se, tum ab aliis persanatos scribit Dioscorides. Verum insanabilis ad hosce annos fuit, ait Plinius, rabidi canis morsus, pavorem aquæ, potusque omnis afferens odium: Nuper cujusdam militantis in prætorio mater vidit in quiete ut radicem sylvestris rosæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie in frutecto, mitteret filio bibendam: In Lusitania res gerebatur Hispaniæ proxima parte: casuque accidit ut milite à morsu canis incipiente aquas expavescere, superveniret epistola orantis ut pareret religioni, servatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit. Attamen ante Plinium Dioscorides, quippe Antonii & Cleopatræ familiaris, quosdam assurgente jam aquæ metu, sumpto elleborismo, simul atque primum morbi insultum senserunt, morti ereptos esse annotaverat; sicuti prorsus comprehensos nunquam salvos superfuisse. Venenum enim, expugnatis jam vitæ præsidiis, intra septem dies necessario jugulat.

Tollere nodosam nescit Medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Scribonius Largus qui sub Claudio Imperatore Medicinam Romæ profitebatur, Nemo adhuc, inquit, correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est: ita ut officiosa inhumanitate, ineluctabilis ægrotantium interitus suffocatione inter culcitras jure prævertatur. Quemdam tamen hydrophobum supervixisse assertor est Eudemus apud Dioscoridem: Themisonem etiam post multos annos tandem evasisse ex aliorum relatione notat ibidem Dioscorides. Nonnulli διορισμῷ utentes, eorum qui contagium ab homine sunt mutuati, res profligatas non esse asseveranter proferunt; quos vero aliquod animal momordit, conclamatos esse pronunciant. Non despondent denique de ὑδροφοβῶντος salute, si seipsum in speculo agnoverit, quod τὸ ἀλγονοητικὸν haud sit penitus collapsum, quodque interdum natura recollecto residuarum virium agmine conflictum repetat cum morbo; nec infeliciter, utpote animos irasque sumens a casu, præsertim si auxiliatrices idoneorum remediorum copiæ ipsam proxime assectentur. *Anton. Menjotius Dissertatio n. Pathologia. Parte prima.*

HYDROPS

ac Primò

HYDROPS in genere.

Omnis hominum ætas, sexus omnis ab Hydrope nonnunquam infestatur. Fœminæ tamen huic morbo magis sunt obnoxiæ quam Viri: verum hos ætate præsertim ingravescente adoritur, illas ubi jam parere desierint: Steriles autem quandoq; etiam juniores occupat. Foveæ a digitorum impressione in surarum parte inferiore, sub noctem imprimis conspicuæ, mane vero evanescentes, primum hujusce mali indicium dant; quod non perinde certum est Hydropis ingruentis signum in Fœminis atque est in Maribus; cum & prægnantes, & aliæ quibus Catamenia quavis de causa sistuntur, haud raro idem patiantur. Neque tamen in Viris ejusmodi tumor Hydropem certo indicat: etenim cum senex quispiam, habitu corporis paulo pleniori præditus, Asthmate jam à multis annis laborans, ab eodem derepente idque Hyemis tempore, fuerit liberatus, mox ingens tumor musculos tibiarum occupabit, Hydropicorum tumores æmulans, qui Hyeme etiam magis quam Æstate, tempestate magis pluvia quam serena, pariter invalescet; & tamen sine quovis incommodo insigniori, eundem ad Libitinam usque comitabitur. Quo non obstante, si generaliter loquamur, suræ & tibiæ intumescentes, etiam in Viris, pro signo supervenientis Hydropis habendæ sunt; maxime si ita affecti spiritum ægrius ducant: qui quidem tumor tam copia quam mole auctior indies redditur, donec pedibus majorem aquarum vim jam respuentibus, crura tentantur, ac postea Abdomen ipsum; quod quidem sero è sanguine jugiter decidente repletum, paulatim ad ultimum capacitatis suæ limen distenditur; adeo ut sæpe multos aquæ congios intus contineat, quæ in umbilicum, qua data porta, ruentes, quandoque exomphalon constituunt.

Tria interim hunc morbum stipant Symptomata, Dyspnœa, Urinæ paucitas, & Sitis intensa. Spirandi difficultas oritur ab aqua Diaphragma comprimente, unde naturalis ejus motus sufflaminatur. Urina idcirco parce redditur, quia sanguinis serum, quod per ductus urinarios ex lege naturæ excerni debuerat, jam in cavitatem abdominis deponitur, & in cæteras partes excipiendo aptas natas. Sitis est à putredine colluviei serosæ quæ à mora in corpore longiore & calorem & acredinem contrahit, unde æger & febre quadantenus semper laborat, & memorata siti.

Pro rata qua æger in partibus quas morbus obsidet, mole augetur, in reliquis magis magisque indies emaciatur, & gracilescit: tandemque cum tanta aquarum vis intra abdominis ambitum coerceri ulterius nequeat, impetu in Viscera nobiliora & vitalem arcem facto, cataclysmo quasi submersus perit.

Causa hujusce morbi in genere sanguinis debilitas est, unde alimento, quod forinsecus importatur, in substantiam suam convertendo non jam par, idem in extremitates & pendulas corporis partes explodere necesse habet, mox & in abdomen etiam, in quo, quamdiu in exigua quantitate hinc inde dispergitur, natura eidem continendo Vesiculas quasdam fabricat, donec tandem, modum jam superans, uno Peritonæo simul clauditur.

Senguini autem debilitando operam ut plurimum commodabant vel nimia ejus per Venæ-sectionem aut alio quovis modo evacuatio, vel morbus aliquis diuturnior, vel perditus ille liquores spirituosos ingurgitandi mos, unde & naturalia corporis fermenta destruuntur, & dissipantur spiritus. Hinc est quod bibacissimi quiq; Helluones sæpius cum hoc morbo, frigido licet, quam cæteri conflictentur. E contra etiam aquæ potatio in iis qui generosis liquoribus diu assueverant, sanguini eandem noxam infert.

In fœminis vero, quod notandum est, alia quædam & ab his longe diversa hydropis causa reperitur, inclusa nempe in testiculorum alterutro

saburra seu obstructio quæ sensim ejusdem crasin subvertit; unde in dicto testiculo reposita primum morbi minera, tunica ejusdem mirum in modum distenditur; qua jam tantum non crepante, natura humori excipiendo Vesiculas quasdam suggerit, quarum tandem sive una aliqua, sive etiam pluribus disruptis, & in abdominis cavitatem se exonerantibus, eadem occurrunt symptomata, quæ in Hydrope quam supra depinximus. Sed de hoc genere jam olim egi.

Sunt & aliæ duæ species tumorum abdominis Hydropem mentientes, fœminis utraque familiares. Prima est carnium in partibus intra abdomen excrescentia præternaturalis, quæ ventrem in molem haud minus conspicuam attollit, quam solet inclusa aqua. Altera species flatibus ortum debet; qui non tumorem tantum, sed & alia ingravidationis signa pariunt. Hæc Viduas ut plurimum exercet, vel etiam mulieres quæ non nisi provectiores ætate nupserant: atque hæ tam suo ipsarum, quam Obstetricum judicio, quarum Oracula hac ipsa de re consuluere; motum Infantis jam à tempore consueto usque ad legitimum tempus pariendi persentiscentes, quin & ad eundem modum quo gravidæ solent, subinde ægrotantes, sororiantibus insuper mamillis, & lacte extillante, de fasciis haud raro cæterisque ad excipiendum infantem necessariis sibi prospexerunt: donec tandem venter pari quo increverat gradu, sensim detumescens, spem vanam eluserit. Neutra vero harum ad eum de quo agimus morbum est referenda.

Indicationes Curativæ veræ ac genuinæ, utpote à prædictis Phænomenis naturaliter quasi exortæ, vel ad aquarum in abdomine cæterisque partibus contentarum evacuationem, vel ad instaurandum sanguinis robur quo novus earundem proventus præcaveri possit, omnino dirigendæ sunt.

Seri evacuationem quod spectat, magni refert ut diligenter observemus in omnibus Hydropicis ea Cathartica quæ vel segnius vel minus potenter operantur officere magis quam prodesse: cum enim Medicamenta Purgantia ad unum omnia naturæ sint inimica, quo nomine Catharseos munere funguntur, sanguinem aliquatenus debilitant læduntque; unde nisi corpus celeriter pervadant & citissime expellantur, Camerinam eam moventia quam secum abducere nequeunt, & sanguinem tumultuose exagitantia, tumorem magis adaugent: quod plus satis liquet in eorum pedibus quibus alvus ita leniter ac blande sollicitatur. Quamobrem ut cum bonis ægri rebus Purgatio instituatur, scire oporter utrum ægri corpus facile, an vero difficulter atque ægre Catharticis cedat, cum in hoc cardine Curationis omnis, sive nullo, sive non nisi magno labore peragendæ negotium vertatur.

Quoties itaque Hydragogis utendum est, sollicite ad facilitatem vel difficultatem qua ægri corpus Catharsin ferre solebat, respicere omnino convenit: quod non alia via ulla certius dignosci potest quam ex diligenti inquisitione quomodo alia Purgantia Remedia alio tempore aliquo usurpata, opus destinatum peregerint. Cum enim in corporibus Idiosyncrasia quædam inveniatur quoad facilem difficilemve Catharticorum operationem, ægrum sæpissime in vitæ discrimen conjiciet is qui sensibile corporis temperamentum modum sibi ac normam statuerit: quando non ita raro usu veniat ut qui habitu sunt ferme Athletico mediocribus Catharticis facile pareant; cum qui contrario plane habitu sunt præditi, vel fortissimis ægre cedant. Et profecto jam dicta cautio de ægri corporis ad Purgantia ferenda ineptitudine non in hydragogis tantum præscribendis, sed in aliis quibuslibet Catharticis locum habere debet. Etenim sæpenumero observavi Hypercatharses à Potionibus etiam Lenientibus adductas, ex eo quod ægrum Medicus non interrogaverit, prout oportuit, utrumne corpus facile, an vero difficulter expurgaretur. Attamen cum Hydrops, quod superius dixi, præ cæteris morbis quibuslibet catharsin & validissimam postulet & maxime celerem; cumque in hoc morbo Purgatio per ἐπίκρασιν, quæ in nonnullis aliis prodest, nullatenus admitti debeat: (cum hujus generis Catharsis non tantum non imminuat tumorem sed & adaugeat.) Hanc inquam ob causam, expurgatio paulo fortior & nimia, justo debiliori est præferenda; præcipue cum Laudano non destituamur, certissimo ad Hypercatharsin istiusmodi subito domandam fræno.

Ad hæc in Catharticis omnibus Hydropicorum sanationi dicatis, id diligenter est observandum, ut aquæ ea maxima celeritate exhauriantur quam ægri vires ferre queant; utpote qui singulis diebus expurgari debeat: nisi quod sive ob nimiam debilitatem corporis, sive propter Cathartici præcedentis operationem plus satis violentam dies unus aut alter nonnunquam intercalari possit. Etenim si nonnisi post longa intervalla repetatur Purgatio, quantumlibet copiosa Catharsis præcesserit, aquis denuo affatim colligendis ansam præbebimus; atque ex hac inductarum occasione, quasi victoria jam parta uti nescientes, tandem loco pulsi, re infecta turpiter fugabimur. Adde quod periculum est ne aquarum inter viscera mora diuturnior easdem putredine quadam sua inquinet ac inficiat. Atque insuper quod parvi ducendum non est illæ aquæ à prægressis Catharticis ita in motum concitæ ad noxam inferendam jam propensiores sunt quam ubi quiescerent. Tam ob hanc itaque causam quam ob alias supra memoratas, huic Intentioni quæ colluviem serosam intus clausam respicit quam velocissime satisfaciendum est; neque ab ea nisi urgente necessitate est absistendum aut cessandum, donec omnis aquarum moles omnino demum exantlata fuerit.

Hoc porro notandum venit, quod cum è Praxi constet Hydragoga fere omnia, genio quodam sibi peculiari, si sola exhibeantur, iis qui ægre purgantur parum admodum votis responde re; quin & largiorem eorundem Dosin, non tam Catharsin quam sanguinis tumultum promovere (unde qui imminui debuerat tumor, jam auctior cernitur:) Hæc itaque non alium obtinent usum, in hujusmodi corporibus, quam ut lenioribus Catharticis

cis stimulum addant. Quo non obstante in iis qui purgatu sunt faciles, Hydragoga ista & celeriter, & cum magno effectu operantur.

Quocirca in istis qui Catharsi prompte cedunt, Syrupus de Spina Cervina, etiam solus, Aquas sat copiose elicit. Quod quidem Remedium in his aquas fere solas, easque in magna quantitate educit, nec sanguinem perturbans, nec urinam reddens coloratiorem pro reliquorum Purgantium more: Id tantum habet incommodi Syrupus ille, quod inter operandum ingentem sitim provocet. Quod si idem vel in summa dosi aliis propinetur qui ægre expurgantur, neque multæ sequentur dejectiones, neque eæ multa aqua, ut debuerant refertæ.

Equidem probe memini, (cum tunc primum ad Hydropem curandum invitaret) me annis abhinc 27. aut circiter ad Matronam quandam piam & honestam nomine Salimarsih, Westmonasterii commorantem, fuisse accersitum; cujus abdomen Hydrops, quo atrociorem nondum vidi, in molem magnitudinis vix credendæ evexerat: huic ego Syrupi prædicti Unciam unam ante prandium, qui tunc mos obtinuit, exhibui: credi vix potest quam magnam aquarum vim per sedem deturbavit, idque nullo excitato tumultu, absque ulla virium ægræ jactura: Quod mihi animos addidit, ut eundem quotidie repeterem, nisi quod diem unum alterumve intercalari paterer, siquando paulo infirmior videretur. Atque ita aquis sensim eductis, venter indies detumuit, ipsaque prorsus convaluit. Ego fiducia plane juvenili atque hominis inexperti, credebam me ejusmodi, medicamen possidere, quo Hydropes quoscunque possem debellare: verum hujusmodi erroris intra paucas septimanas admonebar. Cum enim non ita diu post ad aliam Fœminam eodem morbo laborantem qui Febri Quartanæ diuturniori supervenerat, medicinam facturus accederem, eundem Syrupum propinavi; quo sæpius repetito, & dosi gradatim aucto morbum lacessebam; at cum aquarum evacuationem frustra tentarem, Catharsi non procedente, tumore autem ventris magis aucto, missum me fecit ægra, atque alterius Medici ope qui remedia efficaciora adhibuit, si bene memini, sanitatem recepit.

Ubi igitur constiterit ægrum eo esse corporis habitu ut Cathartica Leniora nec celeriter, nec cum bona euphoria opus suum peragant, Fortiora tentanda. Quo in casu, ut modo innui, notandum est, quod licet Hydragogorum pauca, si sola exhibeantur votis respondeant, lenioribus tamen, calcaris vice permista, efficacissima omnino sunt. In hujusmodi corporibus, exempli gratia, sequentem Potionem cum successu sæpenumero præscripsi.

℞. Tamarind. ℥ß. Fol. Senn. ʒij. Rhei ʒjß. Coq. in qu. s. Aq. fontan. ad ℥iij. In Colatur. dissolv. Mann. Syr. Rosar. solut. ana ℥j. Syr. de Spin. cervin. ℥ß. elect. è succ. rosar. ʒ ij. m. f. pot.

Quæ tamen potio non nisi Robustioribus exhibenda est, quibus alvum solvit, ubi cætera id præstare nequiverint; quod multiplici experientia ipse probavi.

Sequitur alia medicamenti formula, mihi haud infrequens; quo illi satis commode utuntur, qui à repetito aliorum purgantium usu abhorrent; quando ægrum calefaciat inter purgandum, tum etiam corroboret, ex. gr.

℞. Rad. Ialap. contus. Hermodactyl. ana ℥ß. Scammon. crud. ʒiij. Fol. Senn. ℥ij. Glycirrhiz. ras. sem. Anis. Carvi ana ℥ß. Summit. Absinth. fol. Salv. ana m. j. Infunde frigide in ℔. iij. Aq. vitæ vulgaris, & coletur tantummodo usus tempore. Cap. cochlear. j. hora somni, & ij. mane sequenti. Augendo vel minuendo dosin pro ratione operationis.

Restant vero Medicamenta duo, me judice, Palmaria, & in iis qui non nisi ægre purgantur, cæteris quæ vel supra enumeravi, vel adhuc comperta habeo δραστικώτερα; Elaterium intelligo; & Infusionem Croci Metallorum. Elaterium sive Fœcula cucumeris agrestis potenter in permodica quantitate vires suas exerit in conturbanda alvo, & fæcibus cum serosis & aquosis humoribus copiose egerendis, adeo ut ejus grana duo plerisque, in genere loquendo, corporibus dosis aptissima sunt. Ego permiscere soleo Pilular. Coch. maj. ℈ß. quas in Pilulas duas exiguas formandas, ac mane sumendas impero.

Infusionem Croci quod spectat; ejus ℥jß. (vel purgatu difficillimis ℥ ij.) mane exhibita, & quotidie pro ægri viribus reiterata, quamlibet prima facie haud aliud promittat quam colluviem in ventriculo stabulantem egerere, tandem tamen efficiet ut abdomen ab aquarum superincumbentium onere liberetur. Præterquam enim quod cessante Vomitione, in Catharsin τῶν κάτω solet desinere, necesse est omnino, ut cum tanta fuerit agitatio concussioque tam Ventriculi quam viscerum, à tam insigni aquarum corrivatione quasi circumseptorum, earundem evacuatio per ductus communi naturæ lege haud satis patentes, conatum ita vehementem insequatur. Verumtamen si prædictum Vomitorium inferiorem ventrem haud efficaciter expurgaverit, tam Electuarium de Succo Rosarum, quam Syrupum de Spina cervina soleo post tertiam aut quartam dosin meræ infusionis Croci Metallorum quandoque, licet rarius, adjicere. Ex. gr.

℞. Aq. Card. Ben. ℥iij. infus. croc. Metallor. ℥jß Syr de Spin. cervin. ℥ß. Elect. de Succ. rosar. ʒii. m. f. Potio.

Quod vero dentur ejusmodi cæci meatus per quos aquæ ex abdominis cavitate ad intestina transferantur, de facto liquet; cum quotidie observemus Hydragoga tantam aquarum in abdomine inclusarum vim per secessum educere, perinde ac si primitus in ipsis intestinis continerentur. Cui tam duro nodo cum parem cuneum haud facile inveniamus, in mentem mihi venit celebre illud dictum Medici omnium sæculorum judicio sapientissimi optimique, hippocratis scilicet, qui in libro de Prisca Medicina hæc habet. Λέγουσι δέ τινες καὶ ἰητροὶ, καὶ σοφισταὶ, ὡς οὐκ ἔνι δυνατὸν ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅστιν μὴ οἶδεν ὅ, τί ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον, καὶ ὅπως συνεπάγη ἐγὼ δὲ τουτέων μὲν ὅσα τινὶ εἴρηται σοφιστῇ, ἢ ἰητρῷ, ἢ γέγραπται περὶ φύσεως, ἧσσον νομίζω τῇ ἰητρικῇ τέχνῃ προσήκειν, ἢ τῇ γραφικῇ. ide est Medici quidam & Sophistæ dicunt, quod impossibile est eum medicinam cognoscere qui non novit quid sit Homo, & quomodo primum factus & compactus sit. Ego vero ea quæ ab aliquo sophista aut Medico de Natura dicta, aut scripta sunt,

sunt, minus censeo ad Artem Medicam spectare quam ad Pictoriam.

Attamen (ne vel divinus hic Author erroris ullatenus insimuletur, vel ex hoc loco Empirici ignorantiæ suæ patrocinium quærant) aperte dicam, me quantum attentissima cogitatione, eaque ad Praxin (quæ Medicinam profitentium Lapis Lydius haberi debet) relata assequi valeam, utcunque existimare, quod necesse omnino sit, ut Medicus structuram humani corporis probe calleat, quo rectius veras ideas & naturæ, & causarum quorundam morborum animo concipere ac formare queat. Neque enim fieri potest, ut qui Renum fabricam ignorat, ductuumque exinde ad Vesicam tendentium, conjicere possit unde oriantur Symptomata illa quæ à calculo vel in pelvim, vel in ureteres altius impacto pendent. Nec minus Chirurgum oportet eandem humani corporis structuram perdiscere, quo melius inter operandum ab iis vasis, sive aliis partibus abstineat, quæ si violentur, ægro exitium afferant. Sed nec ossa dislocata ad situm naturalem, recte poterit reducere, nisi eam ossium compagem, Sceleton dictam, curiose inspexerit, atque animo comprehenderit.

Hujusmodi itaque humani corporis notitia omnino necessaria est; quam qui non habet, cum quibusdam morbis Andabatarum, quod ajunt, more pugnabit, aut sine Nautica pyxide tentabit mare. Porro hæc scientia & cito & facile acquiritur, cum id præ cæteris difficilioribus habeat compendii, quod αὐτοψίᾳ in cadaveribus vel humanis vel animalium quorumlibet perdiscatur, idque nullo fere negotio, etiam ab iis qui mente ac judicio minus valent. Verumtamen in Acutis quibuslibet, quod genus plus quam duas tertias morborum partes comprehendit, atque porro in Chronicis plerisque, omnino fatendum est τὸ θεῖον inesse, sive specificam proprietatem aliquam, quam nulla unquam contemplatio à speculatione corporis humani deducta, queat indagare, atque in lucem protrahere. Quamobrem ne ita homines in cadaverum dissectione præcipuam locarent operam, tanquam exinde potius quam ex φαινομένων naturalium, ut & Iuvantium & Lædentium diligenti observatione, promoveri possit Ars Medica; id opinor, ut maxime caveri in loco prædicto voluit Divinus ille Senex, non autem generalem fabricæ humani corporis notitiam carpere ac sugillare.

Et profecto Virum tantum tamque sapientem nullo modo potuit latere humanam omnem investigationem ultra generalem ejusmodi notitiam pertingere non posse. Licet enim diligenti in secandis cadaveribus inquisitione ac scrutinio, majora organa, quibus natura in peragendis operationibus suis utitur, in conspectum veniant; vasaque itidem nonnulla per quæ succi ab his ad illas corporis partes transmittuntur; quæ tamen hujus motus sit origo & causa primaria, oculi docere nequeunt. Neque Microscopium quodvis vel exquisitissime elaboratum exiles istos meatus per quos Chylus, ex. gr. ex intestinis in vasa Chylifera transcoletur, vel per quos ductus sanguis per Arterias derivatus in venarum oscula reducendus transmittatur, potest detegere. Quinimo sunt & alii fere innumeri, iique magis adhuc affabre concinnati, meatus ac pori in hac miranda hominis compage, quos nemo hominum ne per somnium quidem vidit: cum rudis & indocta, (sit verbo venia) Cognitio nostra in rerum cortice omnis ferme versetur, ac ad τὸ ὅτι, sive quod res hoc modo se habeat, fere tantum assurgens, τὸ διότι, sive rerum causas nullatenus attingat. Utut se res habeat, haud difficili investigatione scire possumus quantum nobis dirigendis (prout fert rei natura) sufficit in eorum Curatione morborum qui hujusmodi peritiam, quod supra dixi, sibi vendicant: maxime vero quantum nos impellat ad Divinum Artificem summa animi demissione adorandum, dum stupendum ejus artificium contemplamur in iis quorum ratio nobis innotescit, tum illud longe excellentissimum in cæteris ad quæ prorsus cæcutimus.

Et sicuti Hippocrates eos reprehendit qui huic in humanis corporibus speculandis curiositati & ἀεργίᾳ plus dant quam observationibus practicis, ac proinde quam ipsius naturæ judicio; ita pari jure prudens vir quispiam in hoc nostro sæculo eos culpare possit, qui existimant, Artem Medicam nulla re alia magis promoveri posse quam novis Chymicorum inventis. Quanquam enim ingrati prorsus animi esset non libenter agnoscere id emolumenti quod Chymiæ acceptum debemus, eo quod utilia nonnulla medicamenta, & indicationibus satisfaciendis perquam accommoda (inter quæ vel hoc ipsum Emeticum, de quo jam agimus, haud infimum locum tenet) nobis suppeditaverit; atque eam ob causam si intra Pharmacopœæ limites contineatur, Ars est satis quidem laudabilis: attamen nec illi culpa, aut saltem errore vacant, qui cerebrum sibi eousque excalefaciunt ac torquent, ut tandem arbitrentur Artem Medicam in hoc præsertim deficere quod Remediis magnis atque efficacibus à sola Chimicorum præparatione atque opera nobis subministrandis indigeat. Cum ei qui rem recte perpenderit, satis liqueat præcipuum Medicinæ faciendæ defectum non in eo verti quod nesciamus quo pacto huic aut illi Intentioni satisfacere debeamus, sed quod non satis sciamus quænam sit illa Intentio cui satisfaciendum est. Cum vel rudissimus quispiam Pharmacopolæ servulus intra dimidium horæ quadrantem certum me faciet quo medicamento Vomitionem, Purgationem, vel Sudores provocabo, vel refrigerabo æstuantem; at vero in palæstra medica probe exercitatus sit oportet, qui pari certitudine me docere queat, ubi hoc vel illud remediorum genus in usum revocare debeam per omnem morborum ac Curationum circuitum.

Et quidem certissimus sum nihil æque ad judicium hac in re rite formandum conferre atque observationem exactissimam φαινομένων naturalium & morborum, & pariter eorum quæ in Praxi cernuntur à Iuvantibus & Lædentibus derivata, post ea sive Remedia usurpata, sive etiam Medendi methodum istam, quibus morbos depellere satagimus. Hæc si diligenter inter se collata fuerint mihi ostendent & morbi naturam, & insuper undenam Curativæ Indicationes desumendæ sint longe melius certiusque,

quam si ad speculationem naturæ hujus aut illius principii corporis concreti tanquam ad cynosuram cursum dirigam. Etenim vel exquisitissimæ hujus generis Dissertationes nihil aliud sunt quam Metaphora belle deducta exornataque: quæ etiam ad eorum instar omnium quæ in scena imaginationis, non vero in ipsa rerum natura fundamentum habent, dies delebit ac proteret; cum Naturæ judicia rerum veritati superstructa, non nisi cum ipsa natura interciderint.

Quamvis autem Hypotheses speculationibus Philosophicis innixæ futiles sint prorsus, cum nemo hominum scientia intuitiva prædictus sit, qua fretus Principia queat substernere, quibus mox superstruat: attamen si Hypotheses ab ipsis rebus factis fluant, ex eis tantum observationibus natæ, quas Phænomena Practica & Naturalia suggerunt, stabiles manent & inconcussæ: ita ut licet Praxis Medica, si scribendi ordinem respicias, ex Hypothesibus orta videatur; nihilominus ipsæ Hypotheses, si modo solidæ fuerint ac genuinæ, Praxi quadantenus originem debeant. Exempli gratia, in Affectione Hysterica non ideo Chalybeatis utor, cæterisque sanguinem invigorantibus; nec ideo ab evacuantibus me tempero (nisi scilicet in statis quibusdam circumstantiis) & Remedia potius Paregorica impero, quia primum pro concesso habui hunc morbum à debilitatis fractisque spiritibus Animalibus pendere: verum cum φαινομένων Practicorum constans observatio me docuisset Cathartica exhibita morbi symptomata semper auxisse, his vero contraria eadem symptomata consopire solere; ex hac, aliisque φαινομένων naturalium observationibus Hypothesin meam desumpsi, ita ut Philosophus Empirico hic famularetur. Quod si ab Hypothesi cœpissem, ea plane ratione insanirem atque ille qui tabulata tignaque domus superiora prius velit erigere quam fundamentum jecerit: quod quidem istis tantum convenit qui in Aere Castella, quod ajunt, solent extruere: his enim certo quodam privilegio ab alterutra extremitate licet ordiri.

Sed ut ad rem redeam. Quicunque demum sint meatus isti per quos aqua ex abdominis cavitate in intestina deducitur, certissimus sum Vomitionem à dicto Emetico excitatam easdem potenter evacuare, idque non solum deorsum per sedem, sed & sursum per ipsum Ventriculum atque os in vomendi actu. Etenim post duas vel tres evomendi vices, aquæ non tam medicamenti vi secretoria elici videntur, quam ruptis quasi repagulis & claustris reseratis, pleno alveo effundi: quod satis constat ex earundem eruptione atque impetu sæpe facto inter ipsa vomendi spatia, sive intervalla.

Mense Augusto postremum elapso, Paupercula quædam annos habens 55. aut circiter, opem meam imploravit. Febre intermittente diu laboraverat, dein carcere fuerat inclusa fere per triennium, à frigore multum passa erat, venter denique ad tantam molem increverat ut ei parem nunquam hactenus viderim: Ego ℥iß. Infusionis Croci Metallorum singulis diebus ad triduum exhibui, mox alternis diebus pro virium ægræ ratione, usque dum doses omnino sex hauserat. Primis aliquot vomendi vicibus urina penitus supprimebatur, quam postea quandoque per intervalla reddebat, sed raro admodum: quo frequentius Emeticum repetebat eo majorem aquæ copiam solebat rejicere, idque sub finem tam per os quam per sedem. Verum post tertiam dosin tumor subsidere atque imminui cœpit, & post quatuordecim dies filo, quo crassitiem corporis inflati jussu meo fuerat dimensa, judice ac teste, jam tribus pedibus gracilior comparuit, atque aliquot aquæ Congios, supputatione ex iis quæ mihi ipsa narravit facta, ἄνω ϗ κάτω egesserat. Ita ut quæ prius in lecto non nisi erecta dormiebat, ne decumbens ab aquarum pondere suffocaretur, jam capite in pulvinar reclinato secura jaceret, & de latere in latus pro arbitrio se movere potuerit. Cum vero dicta Emetica operandi violentia Vapores, quos dicunt, ad eum gradum excitarent, ut iisdem diutius morbum lacessere tutum non foret, & tamen tam ex residua adhuc ventris mole quam aquarum rotatione quam toties percipiebat quoties se in alterutrum latus convertebat, & vestigiis insuper rei cujuslibet prementis in tibiis etiam nunc manentibus, plus satis liqueret multum aquæ adhuc in corpore restare; ob causam jam dictam, reliquam Curationem Purgantibus proprie dictis cogebar absolvere. Posthac igitur vel Potionem Purgantem supra dictam, vel aliud quoddam Hydragogum præscripsi; idque vel rarius vel sæpius prout vires ejus ferrent, aut Vapores minus infestarent. Etenim & Catharsis per inferiora Affectus Hystericos aliquatenus invitabat, licet non ita graves & violentos ac solebant Emetica. Atque in hac methodo persistebam donec prorsus convaluisse videretur. Quæ dum fierent, hæc mihi præcipue observanda occurrebant: Primo quod iis diebus quibus purgatione feriabatur, nonnunquam magnam aquarum vim per sedem excernebat, atque etiam sub finem per meatus urinarios, vel ad Congii mensuram; quamlibet non ultra ℔jß. vel ℔ ij. Potus pro singulis diebus concederem; ita ut portæ omnes, atque canales undicunque patere viderentur. Secundo notatu dignum erat quod curatione fere absoluta si quando Vapores à Catharticis commoti tumultuarentur, venter, maxime versus superiora, intumescebat, tanquam novo aquarum proventu denuo repletus foret; quod tamen fieri non posse sciebam, cum ita parce bibisset; ac proinde tumorem illum à flatibus, quos peperit ἀταξία ista à Catharticis provocata, tantum oriri: quod meum judicium eventus comprobavit. Licet enim vel Congium aquæ eo die quo purgabatur ejecisset, mox tamen cœpit intumescere; nec remittebat tumor ille, ad guttur usque assurgens, & dyspnœa affligens, donec corpus à Purgantium molestiis liberatum, statum naturalem ac quietem reciperet; quo facto & tumor & cætera symptomata derepente evanescebant, donec a succedente Catharsi de novo irritarentur. Denique & hoc animadvertendum erat, quod cum præfata Fœmina annum agens quinquagesimum quintum, fluxum Menstruum jam ab annis aliquot non fuerat passa, attamen Menses magno quasi flumine erumpebant denuo; qui sanguinis fluxus debilitati & evacuationibus prægressis additus ingens Affectuum Hystericorum

ricorum agmen adducebat, dolorem scilicet in dorso & circa regionem Splenis vehementem, Cephalalgiam, & Tussim ferinam. Ad hæc tametsi post tam insignem Aquæ quantitatem per os, sedem, & urinas eliminatam omnino credibile esset non multum in corpore restare, attamen venter haud minus protuberabat quam nulla adhuc evacuatione tentata solebat. Quamobrem ad hos motus sedandos, qui etiam ad septimanam à postrema purgatione negotium facessebant, coactus sum ad quatuor noctes continuas Diacodii, ℥jß. propinare; quæ etiam Dosis erat repetenda nisi somnus intra horas tres insequeretur. Quo tandem pacata sunt omnia, & tumor disparuit.

Hoc interim observari velim, quod si leviculo aliquo ventris tumore tentetur æger, non ita prompte educuntur aquæ per Infusionem Croci Metallorum, ac in Ascite grandiore ubi ingens aquarum copia aggesta fuerit: etenim vel ipsa aquarum copia moles dum emetici operatione agitatur ac concutitur, ad earundem evacuationem mire confert; atque eam ob causam nisi venter in tumorem insignem attollatur, omnino convenit ut tota res evacuantibus per inferiora committatur.

Est & aliud Medicamentum satis vulgare ac simplex quod Hydropem pari ratione qua illud de quo modo egimus, expugnat. Nempe manipuli iij. Corticis interioris Sambuci à ligno derasi in ℔ ij. aquæ & lactis simul mistorum, ad ℔ j. incoquantur: Decocti hujus altera medietas mane, altera sero quotidie assumatur donec æger convalescat. Hoc remedium & vomitionem ciet & catharsin, pariter ac Crocus Metallorum, ac proinde eodem modo morbum depellit, non vi aliqua specifica: quocirca si neutram harum operationum præstet, vel si mediocriter ac parce, ne hilum prodest quidem: ubi vero alterutram producit efficaciter, maxime vero si utramque, mire ad hunc morbum debellandum confert.

At sane, quod serio animadvertendum est, haud raro accidit ut aqua non solum in crura ac tibias deturbetur, sed etiam in ipsam abdominis cavitatem depluat, quæ tamen Medicamentis Catharticis sive ἄνω sive κάτω ducentibus, omnino elicienda non est. Verbi gratia, quoties hujusmodi tumor vel Phthisin diuturnam excipit, vel à viscerum alicujus labe ac putredine nascitur, vel à sanguinis tono, si ita loqui fas est, non tantum relaxato sed & deperdito, ac spiritibus penitus exhaustis, vel à longa Fistularum in partibus carnosis mora quæ copiosam saniem egesserunt, vel à nimia debilitate atque evacuatione tam humorum quam spirituum quas advocavit sive salivatio, sive sudatio, sive etiam Purgatio justo intensior, & Diæta tenuis quæ in Luis Venereæ Curatione, etiam magis quam res postulabat, fuerant adhibitæ. In his atque aliis morbis ad hunc modum factis, æger non tantum non juvabitur à Catharsi, sed imminuto adhuc amplius sanguinis tono augebitur malum. Quamobrem rebus ita stantibus, omnis Curationis Cardo in sanguine ac visceribus omni ope corroborandis firmandisque omnino vertetur. Inter cætera hujus ordinis, præter Remedia Confortativa infra enumeranda, ego certissimo Experimento edoctus sum, aëris mutationem, & in aëre libero Exercitium, quale quale demum æger ferre potuerit, huic Indicationi apprime respondisse; spiritibus scilicet quasi nova vita hoc pacto afflatis, atque Organis Excretoriis ad pensum sibi debitum denuo revocatis.

Est etiam ubi absque omni istiusmodi ἀσφάλειαν Intentioni isti quæ aquas evacuandas respicit, nec Catharticis, nec Emeticis satisfaciendum est: quoties enim vel æger constitutione est infirmiore, vel Fœmina Vaporibus atque ataxiis spirituum animalium admodum obnoxia, fieri non potest ut Catharticis & multo minus ut Emeticis res geratur. Hic itaque aquarum evacuatio Diureticis committenda est. E quorum familia, licet quamplurima in Medicorum scriptis magni sint nominis, efficacissima tamen (ne dicam sola) mihi videntur ea quæ è Salibus Lixivialibus fiunt: neque quicquam refert è quorum vegetabilium genere cineres petantur. Quandoquidem vero vix aliud vegetabile Genista sit parabilius, & in hoc morbo bene audiat, ego ut plurimum cinerum ejus ℔ j. in Vini Rhenani ℔ iv. frigide infundi jubeo, addendo foliorum Absinthii vulgaris pugillum unum alterumve. Liquoris per filtrationem colati ℥ iv. mane, hora quinta pomeridiana, & sero, ægro jugiter hauriendas impero, usque dum tumor evanuerit. Quo solo Remedio Hydropes pro deploratis habitos curatos vidi, in iis quorum Crasis debilior Purgantibus ferendis non fuit.

Aquis autem, (ut ad secundam Intentionem properemus) quæ sunt proxima causa morbi, jam penitus evacuatis, non nisi ad dimidiam Curationis partem ut plurimum perventum est, nisi sanguinis etiam debilitati, quæ prima morbi origo fuit, occurratur longo & assiduo Medicamentorum Calefacientium & Corroborantium usu, unde novus aquarum proventus præcaveri possit. Quamvis enim in junioribus sæpe contingat, ut aquis rite expurgatis sine alio quovis præsidio convalescant, cum eorum calor naturalis jam ab aquarum onere ac pressura liberatus, dictorum Remediorum vices supplere valeat; tamen in ætate provectioribus, aut iis qui alias minus sano corporis habitu sunt præditi, omnino necesse est, ut statim ab aquarum eductione jam absoluta, ad eorum simplicium usum quæ sanguinem excalefaciunt invigorantque, protinus confugiant. Inter quæ ea quæ ego jam superius in Podagra curanda laudavi, sive ipsa Remedia spectent, sive sex Res non-naturales, præter illa quæ jam dicentur, locum habere possint: (nisi quod Vinum à quo in Podagra prorsus est abstinendum, non tantum non noceat Hydropicis, sed & prosit admodum, si pro potu ordinario usurpetur:) Cum hi duo morbi id habeant commune, quod eadem Remedia Corroborantia utriusque causæ originali adversentur. Fatendum est interim, quod cum tam ex manifestis Phœnomenis, quam à juvantibus & lædentibus edocti simus tum hos, tum alios plures morbos Chronicos sanguinis debilitati atque indigestioni ortum debere, nec ulterius progredi valeamus, adhuc in extimo morborum cortice hæremus; nec essentiales eorundem differentias, & specificas Humorum depravationes ab istiusmodi Indigestioni

digestionibus prognatas, (quæ quidem ἀιτιώδης communis omnium stirps est) quimus penetrare. Uti neque varias illas specificationes quæ in morbis Acutis ab una eademque causa, sanguinis nempe inflammatione, fluunt, ullatenus callemus. Quocirca tam in his quam in Chronicis morbis, cum Specificis careamus, Curationem non ad Essentialem morborum naturam, sed ad causam eorundem magis generalem dirigere cogimur; Curandi methodum subinde variantes, vel pro indicio naturæ spontaneo, quo in morborum eliminatione illa utitur; vel experientiæ, cui potissimum medicationis generi quilibet morbus facillime concedat dictantis, filum secuti.

Porro ad hanc, de qua jam agimus, Intentionem implendam, nempe ut sanguis corroboretur; sive aquarum evacuatio per hoc diureticum, sive per Catharsin vel etiam Vomitionem procuretur ut supra omnino necesse est ut æger, quantum res ferat, Vinum potare teneatur dum in curando est, (modo ne prius incipiat ὀινοποσίαν quam meatus quadantenus reclusi fuerint, & porta aquis data) vel saltem loco vini Cerevisiam aliquam è generosioribus: cum liquores tenues ac refrigerantes quilibet, utut ægri palato arrideant qui fere semper in hoc morbo siticulosus est, eum magis Phlegmaticum reddant, & aquis obstetricentur: raro itaque, aut nunquam hi sunt concedendi. Atque è diverso liquores generosi, modo non sint spiritus per distillationem eliciti, usque adeo sanitatem promovent, ut vel soli aliquando amissam revocaverint: utique in morbi initio nondum multa aqua distento abdomine; præsertim si Herbis calefacientibus & confortantibus fuerint impraegnati. In Pauperibus, verbi gratia, quorum res angusta domi meliora remedia non permittebat, Cerevisia fortis, in qua quantitas sufficiens Radic. Raphan. Rustic. fol. Absinth. vulgaris, Cochlear. hortens. Salviæ. Centaurii min. summitatum genistæ inclusa fuerit, meo consilio usurpata pro potu ordinario, ipsa fuit instar omnium. Pro ditioribus Vinum Canarinum eisdem herbis amaris potest similiter impraegnari, cujus haustu'us bis terve de die inter Medicamenta supra memorata deglutiendus est. Vel si id palato minus allubescat Vinum-Absinthites vice ejus substituatur de quo æger sumere possit cochlearia ix post Electuarii Digestivi (in Tractatu de Podagra descript.) ℥ ii. horis medicinalibus, id est, mane, quarta pomeridiana, & nocte, devorandas. Electuarium hoc huic intentioni faciendo satis, Corroborantia qualibet Medicamenta longo post se intervallo linquit alia. Hic vero magni momenti est quod æger parce admodum bibat liquores istos qui minus generosi sunt; quandoquidem omnes, qualescunque demum sint, aquis nonnihil incrementi dant; adeo ut vel omnimoda abstinentia à potu nonnullos sanaverit, atque ob eam causam si liquoribus istis quandoque indulgendum sit, æger tamen admodum parce eos bibat. Verumtamen cum sitis magna huic affectui comitem adjungere soleat, quam insuper à potu tenuiori abstinentia adaugeat, è re erit ut æger sæpiuscule aqua frigida Spiritu Vitrioli acidulata os colluat, aut Tamarindos in ore subinde teneat, aut Limonem manducet; neutrum vero deglutiens, præ eorum frigiditate quæ morbo minus convenit.

Verum inter Corroborantia, Chalybs in Hydropis incipientis curatione haud minimum locum sibi vendicat, sanguinem videlicet invigorando, calefaciendoque. Quam ob causam & Allium hic adeo conducit; cum eo solo, missis evacuantibus, Hydropem ex aliorum præscripto, non meo, depulsum noverim.

Est enim observandum, cum Hydropem qui vel pedes tantum inflavit, vel etiam ventrem, sed modice, non statim Curationem per Emetica & Cathartica sibi deposcere; sed hujusmodi liquoribus præfatis calefacientibus & corroborantibus haud raro cedere. At vero præ cæteris serio animadvertendum est, quod quoties hunc morbum solis corroborantibus, vel etiam Lixivialibus aggredimur, æger nullo modo expurgandus est sive mitiori, sive fortiori quocunque Pharmaco, tantisper dum sanguinis corroborationi navatur opera: evertet enim Catharticum quicquid Corroborans substruxerit; quod vel invitus agnoscat oportet qui observaverit tumorem, qui ab usu Corroborantium jam imminui cœperat, mox à Purgatione augeri. Etenim tametsi cum Intentioni isti aquas educendi satisfacere cupiamus, haud abs re fuerit etiam Corroborantia subinde exhibere? tamen cum tota res in isto solum cardine vertitur ut sanguis corroboretur; omnino necesse est ut à Catharticis abstineamus.

Notandum est autem ægrum non semper sanari, quamvis utrique Indicationi satisfecerimus, id est, tum Aquæ in abdomine congestæ omnino eductæ fuerint, tum etiam Calefacientia & Corroborantia postea ad præcavendum novum aquarum proventum fuerint exhibita. Etenim non raro contingit ut Ascites ad multos annos perdurans, diuturna aquarum in viscera incubatione eorum substantiam perverterit, & quasi semicoxerit; & tam ipsa viscera quam partes vicinas corruperit penitus, glandulas præternaturales & Vesiculas sanie turgidas generans, & omnia intra abdominis cavitatem contenta in putrilaginem quasi quandam convertens: prout in eorum cadaveribus, qui ab Ascite inveterato sunt interempti, Sectio patefecit. Morbus ad hunc gradum jam provectus, Artis subsidia, quantum video, contemnit. Nihilominus Medici est, cum certo scire nequeat quantum adhuc noxæ visceribus illatum fuerit, curationem omni ope moliri Remediis tam Evacuantibus quam Corroborantibus: & neque animo ipsus cadere, neque ægro ut cadat autor esse debet. Cui rei ob hanc potissimum causam danda est opera, quoniam in permultis Affectibus, morbi fomite jam penitus exantlato, Natura; quæ noctes atque dies nostris rebus invigilat consulitque, sponte sua mirum in modum machinatur quo ægrum à perniciosis morbi reliquiis muniat ac tueatur. Quamobrem omnis Ascites quantumlibet inveteratus, &

si nunc primum occœperit.

Topica sive Remedia Externa, quantum ego observare potui, nihil egregium in hoc morbo præstiter unquam. Ea minus saltem nocuere quæ in forma sive Cataplasmatis, quantumlibet funestam cladem visceribus intulerit, haud alio modo tractari potest, quam sive Linimenti abdomini ad tumorem discutiendum fuerint applicata: Neque tamen video quo pacto aquæ possint discuti. Verum & alia sunt à nonnullis Remediorum loco præscripta, quæ ita non prosunt, ut etiam obsint plurimum: Hujusmodi sunt Unguenta è Catharticis fortioribus confecta, atque abdomini adhibita. Vesicatoria item cruribus & tibiis superimposita, ubi cutis in magnam molem fuerit protensa, ad aquas scilicet hoc pacto educendas. Utrumque hoc genus Medicationis est periculosum; cum à primo vis simplicium Cathartica ita penitus nonnunquam musculis ac membranis impingatur, ut excitetur Hypercatharsis, nulla Remediorum ope unquam sistenda. Vesicatoria autem locis prædictis ab Empiricis applicari solita, calorem naturalem jam ferme aquis obrutum, deficientibus item spiritibus Animalibus, omnino extinguunt, & Gangrænam (plus satis in hoc casu familiarem) sæpenumero invitant. Etenim vulnus vel levissimum in Hydropicorum carnibus, maxime in membro pendente, sanatu difficillimum est; quoniam ipsa carnium substantia his in partibus usque adeo irrigua est & scatens latice, ut data quacunque porta, continuo cursu prorumpat humor, à quo vulneris conglutinatio impeditur. Neque aut feliciori cum eventu, aut minore discrimine administrantur, me judice, sive Paracentesis, sive Acu-puncturæ à nonnullis celebratæ quam Vesicatoria.

At vero cum in externis hujusmodi Remediis jam sim, omnino aliquid mihi dicendum est de Musco quodam Indico Moxam vocant, nuper magni nominis in Podagræ Curatione, si nempe pars affecta eadem accensa leviter ustuletur. Quamlibet hoc Remedii genus Indis Orientalibus acceptum referatur, atque Europæis universim omnibus pro incognito habeatur, attamen constabit antiquioris id esse ævi etiam apud nos, illi qui Hippocr. effata jam ante annos bis mille literis tradita voluerit consulere In præstantissimo illo de Affectionibus libro, Sectione quinta, pag. mihi 524. de Ischiade agens, hæc habet, ἢν δ' ἐς ἕν τι χωρίον, &c. j. e Quod si in uno aliquo loco firmiter constiterit dolor, neque Medicamentis expellatur, quocunque loco dolor forte extiterit eum lino crudo inurito. Et paulo post de Podagra verba faciens: ἢν δ' ἐς δακτύλιον &c. j. e. Huic eadem quæ Articulari morbo conferunt, & longus quidem hic morbus est & gravis, minime tamen lethalis, Quod si in digitis dolor remaneat, venas in digito paulo supra articulum inurito; ustio autem per linum crudum fiat. Opinor neminem posse existimare eam esse differentiam Specificam inter flammam vel à lino, vel ab hoc musco Indico excitatam, ut hæc illa in sanatione Podagræ plus valeat, non magis quam reputaverit ignem è Roboris Segmentis accensum majus aliquid præstare posse illo qui Fraxini ligno alitur. Hæc partis affectæ ustulatio aliquid pollicetur (quod & efficere quandoque possit) ad doloris commitigationem, evocata scilicet fomitis morbifici parte subtilissima ac maxime spirituosa, in articulum jam deposita. Attamen beneficium ab hoc remedio partum, cum Indigestionem, quæ Podagræ causa est Antecedens, nullo modo attingat, fugax esse oportet ac breve. Neque opus est ut dicam illud in Podagris tantum incipientibus locum habere; quando enim sive à morbi diuturnitate, sive ab importuno atque indebito Medicamentorum usu, Podagra, ut subinde fit, ad partes internas fuerit conversa, ac proinde ægritudine, torminibus ventris: atque longo hujusmodi symptomatum agmine, potius quam dolore ægrum multaverit, nemo sanus igne utendum esse arbitrabitur. Atque hæc sunt quæ hic de isto Remedii genere visum est disserere, quæ, nisi memoria mihi exciderant, loco magis suo fuerant dicenda.

Ut tandem finiam; quamvis hic Morbus ubi jam in verum Asciten evaserit, pro deplorato semper habitus fuerit; attamen constabit quod si dicto modo tractetur, æque certo potest subjugari (modo viscera à corruptione sint libera) ac alii permulti qui non ita funesti vulgo æstimantur.

At si quis forte arguerit hæc Remedia, utpote simplicissima & plane inartificialia, ego potiori jure ejus nequitiam arguam & improbos mores; si dum ringatur alios hujusmodi simplicibus Medicamentis juvari, se, uxorem, vel liberos suos, siquando ægrotaverint, vel vilissimis ad sanitatem reduci exoptet. Adde quod fucum sibi facit Morio, Equitans in arundine longa: etenim Artis Medicæ pompa & dignitas non tam in Formularum concinnitate & elegantia, quam in Morborum Curatione cernitur.

Atque hæc sunt quæ de his duobus dicenda habui; & nisi fallor alios haud attingam unquam. Verum ista quod spectat quæ hactenus in publicum dedi, si quis ea semel tantum perlegere dignetur, est quod doleam me huic eam perdendi temporis ansam præbuisse; Quod si eadem sæpius relegere voluerit, & alta mente reponere, nullus dubito quin eum fructum ex iis capiet, qui voto & magnis laboribus quos ego in istis observationibus faciendis componendisque locavi, aliquatenus respondeat. Quæ quidem quam bona fide fuerint traditæ, haud aliter sciet, quam si in earum Praxi fuerit versatus, ac perinde in observando diligens ac curiosus Explorator atque Ego prius fueram. At si in paucis iis quæ scripsi, Naturam me quasi manu ducentem, omnino secutus fuerim, nullius unquam Hominis quantuscunque is demum sit opinationibus me addicens, pro certo habeo sapientes, quotquot sunt, veniam mihi saltem daturos; quos & latere non potest duo esse hominum genera qui profectum omnem in Arte Medica ex æquo prohibent sufflaminautque: Primum ii sunt, qui nullum prorsus symbolum ad eam, quam profitentur Artem excolendam ipsi conferentes, illis succensent qui vel minimum conferre videantur; defectus interim

terim suos atque socordiam, Reverentiæ, quam Antiquioribus, à quibus ne latum unguem discedere audent, deberi contendunt, specie prætexentes. Quorsum vero reliquas artes omnes, quæ homines minus tangunt juvantque, magna incrementa sumpsisse fateamur, etiam sine ulla priscorum hominum injuria, solam autem Medicam undique perfectam existimemus? An non certioris istius quæ nunc obtinet navigandi Artis Repertores, eum Pyxidis Nauticæ usum, qui ita feliciter cessit, tentare potuerint, nisi primos ac rudiores illos qui non nisi ad stellarum conspectum, & littorum anfractus cursum suum dirigebant, prius contempserint? Aut accuratior illa ac magis perfecta, sive construendarum navium, sive earundem in pugna regendarum, Ars, qua hodie præ cæteris pollent Europæ magis Occidentales incolæ, istos sugillat Naupegos, qui classes eas fabricabant quæ olim Actii deprælliabantur? Aut Augustum & Marcum Antonium tanti belli Duces & classium Rectores ignominia afficit? Ad hæc innumera fere sunt exempla rerum à nuperis hominibus inventarum, quæ antiquioris seculi inventis longe antecellunt; quarum omnium Repertores haud potiori jure priscorum memoriæ vim inferre censendi sunt quam is filius patris famam lædere putandus est, qui rem familiarem à Parente acceptam industria ac solertia sua auctiorem ac cumulatiorem reddiderit. Est & aliud hominum genus, qui præ animi levitate, ingenii ac sapientiæ haud vulgaris titulum affectantes, Speculationes ad morborum Curationem ne hilum facientes moleste ingerunt; Medicis non tam viam præmonstrantes, quam Ignibus suis fatuis devios in errorem agentes. His Natura eum ingenii modum largita est, quo de illa docte nugari queant; at prudentiam non dedit, qua intelligant se eam haud aliter scire posse, nisi experientia Indice, atque ejus peplum revelante; quando abjectior humanæ naturæ conditio ad scientiam Intuitivam nullatenus assurgens, intra angustos cognitionis, quam à quinque sensibus haurire potest limites coarctetur. Unde nihilominus vir prudens, quantum fert sors humana, quis potest evadere; Philosophus vero saltem pro augustiori hujus Nominis Majestate, nemo mortalium evadet unquam. Medici autem Philosophia omnis in expiscandis Morborum Historiis, iisque Remediis adhibendis, quæ experientia Indice ac Magistra, eosdem valent depellere, tota stat; observata tamen, ut alibi dixi Medendi Methodo, quam recta ratio (non speculationum commentis, sed tilto & naturali cogitandi modo innixa) ei dictaverit. *Thomas Sydhenam Tractatu de Hydrope.*

Hydrops confirmatus difficulter curatur; incipiens facile.

Nobiliora tamen medicamenta, utendique ratio expedita, prætereaque subjectorum dispositio æquabiliter affecta, quandoque etiam hydropem confirmatissimum tollere visa sunt.

In singulis hydropis speciebus semper ab aperientibus & mundificantibus per alvum, nunquam à Diureticis cura incipienda: Secus nimirum colluvies ventris tota ad renes confertim quasi coacta summam difficultatem parit.

Purgantia universalia sunt.

1. Mercurius vitæ seu flores butyri Antimon. dosi sua ab initio à gr. iiii, in Extracto Ellebori vel Colocynthidis, postea, si vires ferant, auctiori usque ad 10. & 12. per aliquot dies continuatus; præsertim in hydrope confirmato, stante tamen adhuc virtute ventriculi maxime prodest. In hoc casu nullos generat vomitus, sed tantum per inferiora purgat.

Nota: In senioribus hæc purgatio Mercurius vitæ producit procidentiam ani, quæ postea raro seu potius difficulter sanatur & curatur.

2. Flores Antimonii albi in oleo destillato, (ut dictum est ad Crollium) & postea illo oleo in aqua frigida repercusso, & in pilulas pulvere dulcificato bene redacto, etiam per inferiora aquam intercutem expellit, si sæpius exhibeatur.

3. Extractum compositum Crollii ad specificum Hydropis.

Extractum Elaterii cum sp. V. factum. Dos. à gr. j. ad iii, ad summum.

Post purgantia universalia deveniendum est ad leniter aperientia & viscera interiora corroborantia, ita tamen, ut semper diuretica admisceantur, partim in cibo & potu, partim etiam cum medicamentis ipsis leniter aperientibus.

Principes hic partes tenet pulvis Cachecticus supra descriptus ad ℈i. vel ℈iv. in decocto centaurii minoris maceratus per noctem, & postea colatura in 2. æquales partes distributa, & duabus auroris sese subsequentibus invicem exhibita. Idem quod Essentia Alhandal efficit.

In Ascite laudatur etiam Extractum Esulæ. It. diaturbith, cum Rhabarbaro. It. gummi guttæ, sine omni mora enim materia in abdomine contenta evacuanda, præmissis tamen aperientibus & simul humorem crudum hepati impactum præparantibus. *Joh. Harthmann. in praxi Chymiatrica.*

Curationes.

Curatur omnis hydrops probè roborando hepar & ejusdem obstructiones cunctas tollendo. Roboratur autem illud summoperè ac reseratur obstructum. Essentia mercuriali: Mercurius enim in centro suo continet aquam, quæ cætera elementa continet; cujus ope omni ex parte hepar reficitur, ita ut si hæc habeatur aqua, alio medicamento non opus sit. Si autem hac aqua careas (admodum enim difficilis factu est) poteris uti antimonio nostro purgativo superius præparato, quo ter aut quater repetitis dosibus hujus antimonii corpus purgandum est. Essentia etiam stanni ad eosdem usus valet, ut & oleum martis; aperit enim omnes obstructiones, ac hydropicorum aquas in aq. communi laudati fontis assumptum oppido desiccat: oleum vitrioli quoque hepati roborando summoperè prodest, item aurum sudorificum valet multum, quin & mercurius laxativus hydropicorum aquas educit, easque siccat & he-

par reficit. Sal. absynth. sal corallor. & tinctura eorum, necnon omnes essentiæ metallicæ curando hepati læso valdoperè prosunt, ac proinde omnes hydropis species his essentiis metallicis curari queunt, quod basin & fundamentum mercuriale habeant, cujus solius virtute & energia hepar & lien omninò restauratur: Est enim essentia mercurialis vitæ nostræ fundamentum. *Joh. Petr. Faber Pathol. Animat.*

Ne in defectu aquæ hujus gloriosæ seu cœlificatæ Philosophorum, penitus deseratur hydropicus, alia remedia interim excogitanda & accersenda veniunt, ut Medicus ab hoc scandalo liberum se præstare, hoc est, hydropem sanare seu microcosmi hanc inundationem aut diluvium, quod si jam factum sit, plerumque interitum portendit, tollere vel avertere possit. Quod igitur antimonium illud præparatum seu purgativum Autoris nostri concernit, de illo toties jam dicta hic etiam nos saturare, & ad approbandum ejus in hoc casu usum excitare poterunt, modo hydropicus ad ultimam infirmitatis miseriam adhuc non sit redactus. Quid quod à Paracelso hic mercurius vitæ (quem Autor rectè antimonium præparatum vocat, quia revera antimonii partus est) omnia viscera & organa non secus clarificare asserat, atque stibium purificare aurum alioquin solet: sanguinis enim purpurea aura, cujus serenitas ac puritas omnia lætificat membra, non immeritò microcosmi vocabitur aurum atque solaris immunitas, quæ virtute hujus antimonialis prolis consimiliter puritatis restitutæ beneficium vel exaltationem potius accipit: ubi apprimè notandum, quod emeticum hoc hydropicis datum rarissimè vomitum concitet, quod sal copiosum in colluvie serosa, quâ hydropici tument, stabulans vim emeticam corrigat, sicuti alioquin notum est ratione salium ex emeticis & purgantibus optima diaphoretica fieri. Oleum seu essentiam tam jovis quàm martis à suis viribus in profligandis vehementioribus aut contumacibus valdé morbis jam sæpius decantavimus, ubi pariter adscribimus præsidia ex regno martis desumta palmam in reseratione obstructionum & corroboratione viscerum sanguificationi destinatorum cum applausu probatæ experientiæ sibi vendicare, & inter epatica atque aperitiva insignia regalem locum obtinere. Ad hanc ipsam quoque classem pertinet oleum vitrioli præsertim martis vel veneris, quod eò potentiùs aperiendi virtutes exhibet, quò magis ad dulcedinis suavitatem est perductum: Modus vero non unus id præstandi videatur apud Schroderum in Pharmacop. qui ex Autoribus probatioribus quasdam dulcificandi hoc oleum rationes solicita cura congessit. Aurum sudorificum à virtutis maximæ, quam in corroborando calido nativo ac convocando laudato sanguine obtinet, majestate aliquoties jam nobis commendatum fuit. Magis tamen in hoc casu specificum erit bezoardicum seu sudorificum martiale, cujus præparatio ex Crollio & Agricola aliisque jam nota est. Nobile & secretum selectissimumque Diaphoreticum denominavit quoque Helmontius his verbis, quæ adscriptu digna esse censemus: Observavi, nimirum inquit si antimonium in liquorem (hoc est, ut ego quidem interpretor, si butyrum exinde fiat) ac postmodum in pulverem vertatur (ita ut mercurius vitæ l. a. impetretur) qui tantùm per sudorem purget (quod beneficio nitri effici poterit, eo planè modo, quo antimonium diaphoreticum vel etiam bezoardicum minerale simplex communiter parari solet) tunc habebitur remedium, quod omnem hydropem modestè (suaviter puta atque insensibiliter) citra ullum recidivæ metum tollit: Et hoc medicamentum mercurius vitæ bezoardicus seu magisterium antimonii diaphoreticum nostro quidem judicio rectè nominabitur.

Sal absinth. afflictum hepar peculiariter solari, serique diluvium quasi insensibiliter ad minimum tamen vi sua diuretica per vias urinarias copiosè educere, ab Autoribus experiencia id juxtim comprobante adseritur; qua occasione etiam audivisse nos meminimus, quod non nemo solo sale absinth. frequentius exhibito (ubi notandum, quod eodem sale absinthiaco loco salis communis tam juscula atque edulia reliqua, quàm potulenta, quibus pascendus ac sustentandus est hydropicus, condiri atque impragnari debeant) hydropem exoptato successu se sanasse affirmaverit: Ad classem illam salia fraxini, stipitum fabarum, cichor. tiliæ, ebuli, sambuci, præsertim vero florum genist. ac hyperic. recenseri omnino merentur, quorum usus etiam cum & in vino quotidianus tunc esto. Tenuioris fortunæ hydropicis cineres dictarum specierum præscribuntur, quibus ut illos sacculis seu nodulis comprehendant, atque sic cerevisiæ immittant, postmodumque infusum hoc assiduo bibant (potus enim sic innocens non solum, sed & saluberrimus redditur, ut tuto tantum potare quantum allubescat, possint) imponendum est. Socer meus desideratissimus D.D. Paulus Macasius, magnæ famæ quondam chymiater, cineres summitatum juniperi prædicto modo in cerevisia pro egenis, ditiorib. vero in vino per infusionem usurpandos cum felicissimæ efficaciæ fructu commendavit. Cum prænominatis salibus vegetabilibus (unum vel alterum eligere aut jungere quædam penes Medicum vel ægrum erit) fieri poterit l. a. spiritus salis coagulatus & ad crystallinum splendorem perductus; sic enim nancisci illa salia cum gratiore sapore faciliorem penetrabilitatem queunt. Tartarus vitriolatus ut & sal armoniacum ter sublimatum vel flores ejusdem præsertim martiales consimilem operando felicitatem exhibebunt. Majoris autem virtutis excellentiam præstabit sal corallor. sicuti etiam tinctura seu vera essentia eorum, utpote quæ ambo non tantùm, nobiliorum diureticorum atque eorum, quæ obstructos ductus effectissimè aperiunt, familiam affatim adornant verùm etiam preterea balsamum nativum generosè exaltant, tantæque in mundificando depurandoque universo corporis sanguine coralliorum vires sunt, ut omnibus morbis ex corrupto sanguine prognatis mirificè ac præsentissimè medeantur: Ex perquam autem depravato sanguine oriri hydropem, hactenus sufficienti notitia percepimus. Tandem cur omnes essentiæ ex metallis hermetico artificio extractæ intentionem Medicorum in cura hydropis tantopere fortunent, ipse Autor dilucidè atque ex fundamento mercurialis astri tradidit, veluti uberiorem hujus negotii declarationem notæ seu scholia nostra ubertim subministrare poterunt.

runt. Restat saltem, ut quæ in hydropis curatione nos facienda existimemus, & quæ in praxi nostra deprehenderimus comprobata, paucissimis nunc quoq; adspergamus potius quàm apponamus. Nostri & supra aliquoties nominati clysteres ante omnia specifice hic conveniunt. Pilulæ catholicæ nostræ martiales semel in septimana usurpatæ salubritatem suam abundè hic nobis probarunt: sæpius hydropes etiam factos solo spiritu cephalico nostro quotidie aliquoties dato felici auspicio curavimus, sed etiam tamen ut pro una dosi 80. vel plures quoque guttas præbuerimus, & id quidem in die 3. vel quater, prout postularet necessitas: horis matutinis in jusculo carnis, in quo semper aliquid de radice irid. nostr. vel etiam Florentin. (quæ inter specifica antihydropica alioquin reputantur, sicut etiam radix bryon. quam Helmontius asserit optimum esse hydragogum modo virus solutivum ab ea auferatur) decoctum erat, laudatum hunc spiritum porreximus. Solo hoc spiritu ante hos 10. annos vir quidam desperato hydrope decumbens intra menstruum spatium sub sollicitudine nostra ex voto convaluit. Potio nostra panchresta, item tinctura nostra contra calculum, quæ excellenti urinam strenuè provocandi facultate pollet. Tinctura antimonii & martis utraq; nostra, spirit. noster philosophicus seu astralis, essentia pini vel summitatum juniperi, & alia non immerito hic quoque adhibentur, utpote quæ raro desiderium nostrum, modo natura paulisper saltem cooperari valuit, deseruerunt. *Ex Christiani Langii animadversionib. in Joh. Petri Fabri Patholog. Animat.*

Mirari hic subit plerosque Medicorum, qui sibi persuadent hydropem quemcumque felicissime tolli repetitis evacuationibus per alvum, cum interea ægrotos alant carnibus contusis, assis, & elixis, cum oleribus, victuque, quam par sit, pleniori. Laudandus sane Medicus ille Chrysippi discipulus, cujus idem Celsus meminit, qui notæ intemperantiæ quendam medioeriter hoc morbo implicitum negavit posse sanari, quem alter Medicus se sanatum pollicebatur; quia hic ad morbum ægri respexit, ille vero ad animum: & quidem æger nec famis, nec sitis patiens, malagmata sua devorando, bibendoque propriam urinam, in exitium se præcipitavit.

Admonet quoque Fridericus Hofmannus in Hydrope, Ascite, Tympanite, & Cachexia purgantia validiora non esse usurpanda, ex Galeno, quia corpus admodum debilitant, ut postea major aquarum, & flatuum proventus fiat; ideoque roborantia, & aperientia frequentius, quam purgantia erunt præscribenda, hydrops etiam leucophlegmatia per concoctionem, & non per evacuationem subigitur. Nec Cachecticis purgantia ullo modo danda, cum ab iis lædi Hepar, & bilis fermentum debilitari certissimum sit. Hæc, & alia Hofmannus.

Cæteri vero omnes purgantia præsertim hydragoga dicta in omni Hydrope absque ullo metu præscribunt imo & Willisius in Anasarca cathartica validiora commendat, tum Emetica, gummi guttæ, esulam, Herculem Bovij, pilulas lunares; tum alvum moventia, sambucum, & ebulum, soldanellam, Gratiolam, succum ireos, elaterium: quorum medicamentorum formulas, & præparationes latius ipse prosequitur: quamquam cautius in Ascite illis utitur, & in Tympanite à catharticis vehementibus ninò abstinet. Iisdem purgantibus insistit Sylvius Leboe; at solum per epicrasim evacuandum docet Barbette.

De Diureticis etiam summopere ambigendum in Ascite, & Tympanite. Nam qua via ex Abdominis cavo in Renes materia ibidem collecta deponi possit, non facile designare licet. Iuvabunt autem illa plurimum in Anasarca, sicut etiam diaphoretica sudorifica, cum ex glandulis per universam cutim dispersis, porisque partium, facile lympha superabundans è vasis sanguiferis, & lymphaticis resorberi possit, atque ad Renes deferri, vel per poros cutis in sudorem ablegari. Verum cum aliquando observatum sit Asciticos ab urinæ profluvio convaluisse, non abs re quoque fore arbitrandum, si illis interdum quis utatur, præcipue cum sponte sua aqua per eos ductus ferri videbitur. Ea autem tutiora semper erunt, quæ ex animalibus, & vegetalibus petuntur, modo sale volatili abundent. A nitro, quoque consulit Willisius perutile diureticum præstari; atque inter plura, quæ ex illo parantur, sal illud in crystalli formam redactum, quod ex iteratis ablutionibus cerussæ antim. emergit, opportunum est. In Anasarca vero diuretica è lixiviis elicita cæteris præfert idem Vuillisius, ac potissimum ex cineribus absinthij, vel genistæ cum vino albo ad ℥. vi. vel viij. bis vel ter in die. Servanda tamen inprimis cautela Wedelij, ut scilicet lixivia minime exhibeantur ventriculo debilibus, & emaciatis, urinam rubicundam, & quasi lixivio similem reddentibus: his enim deficit fermentum dissolvendis cibis addictum, & viscera cuncta laxantur; quare aromatica, & sale volatili prædita istis conferent.

Cæterum Narcotica, Cauteria, Vesicantia, Scarificationes, unguium ad vivum usque resectiones, sanguinis missiones, & similia periculosissima sunt. Ab his enim facile imminet Gangræna: quamvis non defuerint, qui ab istorum usu hydropisim curatam fateantur, At si ex Hipp. 6. Aph. 8. aqua inter cutem laborantibus ulcera in corpore facta difficulter sanantur; sine metu mali gravioris hæc in hydropicis nunquam erunt.

Superest consideranda Paracentesis, quam vetustissimam quisque ex eo potissimum conjiciet, quod illius meminerit Hipp. Monet autem cito faciendam esse, sed non affatim aquam esse educendam: cito quidem, antequam vires delabantur, & viscera languida sint reddita, à morbi diuturnitate, & à longiori mora lymphæ in abdomine; At non affatim, quippe omnis subita evacuatio non tam facile toleratur. Cum ferro candenti haudquaquam instituendam consulit Panarolus; inde enim Peritonæum inflammari reformidat. Neque caustico; ne ex latiori foramine, magno impetu aqua resiliat, atque subinde grande ulcus excitetur non sine noxa viscerum subjectorum. Tutissima methodus à Sylvio Leboe, Paulo Barbette, & Io Vanhorne præscribitur per acum argenteam cavam, quatuor circiter transversis infra umbilicum digitis, totidemque ad ejusdem latera in

abdomen immissam. Vult tamen Formius apud Riverium haudquaquam secandos Hydropicos, nisi exomphalos appareat, natura viam ad exclusionem aquarum affectante; alioqui omnes, qui aperiuntur, non prominente umbilico, interire ait. Suadet propterea in hunc finem admovendas esse umbilico cucurbitulas cum fomentis emollientibus, & ubi intumuerit, sectionem faciendam.

Quamvis autem Hippocrates dixerit Aquam non subito, neque totam simul educendam esse, non tamen adeo parce illi exitum concedi debere adnotat Fienus, ut irruens in adapertum foramen aqua gangrænæ causa fiat, ut aliquando accidisse memorat. Quamobrem ejus ipse voti est, ut mox ab apertione, ad aquæ dimidium, vel tertiam saltem partem evacuatio promoveatur, donec venter notabiliter detumuerit, refecto interea patiente oleo cariophyllorum, aqua cinnamomi, vel simili; deinceps vero minori, & minori quantitate: at postremam diu relinquendam ob contractam ex diuturno tempore in abdomine consuetudinem.

Loco Paracentesis, scroti sectionem nonnulli subrogant, ubi, etiamsi gangræna superveniat, minus periculosa esse solet, ut etiam observat Hildanus.

Clysteribus quoque & Emplastris ad Ascitem vim plurimam tribuit Villisius, quod illi commode aquas ex Asciticis educant absque totius massæ sanguineæ fusione, quam Cathartica fortiora cient. Præ cæteris vero hunc efficaciorem describit: In Vrinæ hominis sani, & vinum bibentis lib. j. dissol. terebinthinæ Venetæ vitello ovi solutæ ℥. j. ß. adjecta sesquidrachma salis prunellæ. Vult autem quotidie repetendum.

Emplastra vero proponit, quæ roborent viscera, & vasorum oscula, ne ichores stillent, constringant; in quem usum emplastrum diasaponis ipse commendat. Aliud efficacius affert Valleriola ex stercore bubulo, & caprino in aceto fervefactis, adjecto sulphure, alumine, sale, baccis lauri, succo ebuli, simulque subactis cum pice navali. Sylvius sal tostum adhibet; itemque ex cineribus clavellatis multoque sale præditis potentissime aquas allici subdit. Emplastrum è cochleis ab aliis paratur, quod ventri hydropicorum admotum creditur efficacissimum ex Dioscoride, & Galeno. At vult Platerus testas esse prius in cinerem redigendas, mox cum earundem carne esse permiscendas. Et Zecchius cochleas cum testis exacte contritas cum aqua ardente, oleo irino, & terebinthinæ stillatitio commiscet, & emplastrum conficit.

Præterea ad Asciten mirificæ traduntur à Iacchino pilulæ compositæ ex squama æris, vel ex ære usto cum melle, additis caryophyllis, aut cinnamomo. Efficacissima dicitur Rulando aqua terræ sanctæ ex bolo orient. & terra sigill. in aq. levistic. maceratis elicita. Amato Lusitano commendantur pilulæ ex nitro Alexandri, & trochiscis alhandal. Matthiolus optimum remedium dicit esse saccharum absinthij pontici. Et Fridericus Deckers conficit condituram ex absinthio, mentha, corticibus mali citrij, diacalamentho, sale sambuc. spiritu nitri, & oleo stillatitio cinnamomi, & macis. Pulvere bufonis usti curatum præter spem hydropicum narrat Uvierius; quin & bufonem discissum, & renibus impositum hydropicorum aquas per vias urinæ expellere ait. Usu Electarii passularum in vino albo decoctarum sanatam memorat puellam Riverius; atque alium solo vino è baccis juniperi singulo mane ad selibram epoto, Simeon Iacoz: & alios usu salis prunellæ per mensem, sale silicum, & millepedum. Describuntur à Roberto Boylæo pilulæ lunares, quæ unice commendantur ad Hydropem, tum quoque ad Paralysim etiam à Du-Hamel. Alias describit Schroderus Bontio Principis Auriaci Medico debitas, quibus aquam efficaciter educi testatur. A Riverio commendatur Mercurius vitæ correctus cum spiritu salis; itemque succus cherefolij ad ℥. ij. in vino albo, & decoctum radicis Brusci. A Cratone succus cochleariæ quotidie sumptus. Et à Borello succus saturejæ, petroselini, & aqua Veronicæ; ab aliis decoctum rad. vincetoxici, & urticæ. Apud eundem Riverium in observationibus hinc inde decerptis memorantur plerique Ascite curati usu vini, in quo silices candentes forent extincti. Laudatur quoque à multis lotium, ejusque spiritus, & sal volatile, quod diuresim efficaciter promoveat. Mirabile remedium fertur Epiphanio Ferdinando authoritate Plinii, & Galeni Triticum, si in illud solaribus radiis excalfactum æger toto corpore immergatur. Refert Forestus vetulam ab oleo, ubi ranæ vivæ incoctæ fuerant, ventre inuncto, intra triduum sanatam. Fumo tabaci per fistulam hausto Asciticum convaluisse testatur Bartholinus. Aquas ex abdomine insensibiliter inaniri asseverat Fabritius ab Aquapendente applicita spongia magna, quæ illud undequaque comprehendat, expressa primum in aqua calcis vivæ, & superligata. Lapis evomitus à colubro aquatico alligatus ventri hydropici aquam paulatim absumere dicitur Hollerio. Adjicit Helmontius ex anguium senecta per ventrem, & renes alligata Ascitem curari, itemque usu mercur. præcipitati, ut & stibii diaphoretici quemcumque hydropem tolli; pariterque bryoniæ albæ per ebullitionem in aceto correctæ; atque infuso ligni juniperi cum baccis ejusdem. A Cinnabari antim. cum elixire baccarum juniperi sanatum quendam ab Ascite ipse novi.

Transplantari quoque posse creditur Hydrops Ascites exhibito in cibum Cani, vel Sui, sanguine ægri ovi putamine incluso, mox foto, tandem carnibus admisto. Itemque fumo exposita urina patientis in vesica suilla: quo enim urina ipsa in halitus extenuatur, eo etiam venter hydropici sensim detumere fertur.

Ad Tympanitem, quæcumque flatus discutiunt, à Medicis commendantur, licet ista vana dicantur Helmontio. Hartmanno speciale remedium est liquor elicitus ex floribus tapsi barbati, atque ad ℈. j. exhibitus in decocto seminum, & radicis fœniculi; interea foto ventre urina pueri calida, in qua sal prunellæ fuerit dilutus. Ex cumino, & carvo medicamentum quoque paratur arcani loco. A Willisio magni fit fotus alter ex floribus salis ammoniaci, & crystalli fossilis dissolutis in vini spiritu multo phlegmate imbuto; postmodum adhibetur cataplasma ex fimo vaccino cum pulvere stercoris canini, vel emplastrum ex minio,

& sapone Veneto. Ab aliis commendatur emplastrum ex baccis lauri cum oleo nard. & rut. atque à Mynsicht unguentum carminativum dictum. Refert Helmontius Cabrollium Anatomicum Montispessulanum sanasse octogenarium fomento bis in die adhibito supra ventrem ex lixivio, quo sal, alumen, & sulphur incoxerat; superimposito deinde fimo vaccino. Mirifice etiam affert Mercurium diaphoreticum: & Paracelsus suum præcipiolum. Præscribitur ab Epiphanio Ferdinando vinum quoddam, quod mirabile sæpiusque expertum dicitur ad educendos flatus, esseque tutum, & saluberrimum remedium tam in Ascite, quam in Tympanite: id autem conficitur: Cucumer. agrestis, seu asinini, sambuc. ireos, & soldanellæ, singul. ℥. iij. incid. & infund. per horas xij. in lib. vi. vini albi, & clari; deinde bull. ad consumpt. tertiæ partis, mox add. cumin. anis. sem. fænicul. ammeos, dauc. seseleos, rut. aneth. singul. p. j. cortic. citr. ʒ. ij. cinnam. elect. ℥. ß. tragac. & mastich. singul. ʒ. j. iterum bull. tandem col. & serv. Dosis ℥. vj. vel. viij.

Vino etiam meraco usum legimus Hippocratem ad flatus discutiendos, & Galenum confectione ex tribus generibus piperis.

Alia plura decoctorum genera in vino ab aliis ad eundem usum conficiuntur; his tamen moderate utendum monet Fienus, ne venter à flatibus insigniter attollatur, & thoracis motu impedito, repente æger suffocetur. *Lucas Tozzi Medic. Pract. lib. 2.*

„ Autoris nostri Consilia duo ad hydropem, „ (alterum ad Tympanitem, ad ascitem alte„ rum) Medicamentorum formulis præmitten„ da duxi, quippe quæ curandi methodum, „ materiamque medicam præcipuam edo„ ceant.

Epistola Doctoris Bavii ad D. Doct. Th. Mayern. 1634.

Jam annus ferè est (vir celeberrime) à quo Domina Gastlet annum agens sextum supra quadragesimum se meæ commisit curæ. Laborarat enim tunc temporis ultra semestre Tympanitide, & affectus omnia tam Medicorum quam Empiricorum eluserat conamina, antequam vocarer in auxilium. Accersitus tandem circa initium Maii ultimo elapsi, varia tentavi ut ei succurrerem. sed venter nihilominus in miram excrevit molem à cartilagine mucronata usq; ad os pubis, cum continuis fere borborygmis, sine ulla inflatione crurum, manuum, aut faciei, quod speciem Hydropis, ni fallor, satis evincit. A flatus discutientibus levamen quidem percipit, sed momentaneum. Purgantia non admodum facile fert, & illis nimis fuit exercitata sedulitate nescio quorum Empiricorum. Emetica administrare non audeo tam ratione debilitatis ægræ quam timoris, veretur enim ne majora inde sibi sobolescant pericula: & alterantia potius leniunt symptomata, quam medentur morbo. In hoc tam periculoso affectu ad te confugimus, Vir Excellentissime, ut nobis viam sternas, qua huic jam dolorum acerbitate & symptomatum violentia fere attritæ succurrendum statuis, dum adhuc partes naturales mediocriter funguntur officio. Bene enim appetit, nec de ingestis conqueritur, sed parce admodum mejit, & lotium lixivii instar saturatum est. -----Novi quantum E. T. meis faveat studiis, ac proinde submisse rogo ut votis meis in gratiam hujus ægræ, de cujus salute alias conclamatum esse statuo, respondeas. Vale, Fautor plurimum colende, & meis studiis nunquam favere desine. Vale iterum.

Dabantur raptim Marspfeldiæ 19. Februar. 1634.

Tuæ Excell. observ.
Samuel Bave.

RESPONSUM.

Quid de ægra tua Tympanitica languente, & tam morbo quam remediis, viribus attritis fatiscente, vel sperandum, vel statuendum sit, nescio (Vir Ornatissime) nisi quod si non penitus relinquatur Prognostico, saltem eo in sinistram partem serio edito, dubie & caute tractanda sit, ne arti vel artifici inique imputetur id, quod soli morbo tribuendum brevi continget. Quamvis aquæ in hoc affectu flatus præpolleant, attamen sine humore, materialis causæ locum tenente, vix producitur aër, seu ventus iste Microcosmi, quem rugitus & borborygmi in abdomine excitati arguunt. Materia porro ista duplex est, vel frigida & viscida, in quam debilis calor agens quantulacunque ejus attenuatione flatus excitat; vel calida, acris, salium acumine turgens, quorum diversorum & inimicorum concurrentes & commixtæ substantiæ fermentationem faciunt, in qua excitati spiritus sub flatuum specie insolenter tumultuantur, dum vitiata partium naturalium œconomia & pessundato Hepatis tono, Natura tandem succumbat. Tuum est sedulo disquirere & exacte nosse veram præsentis mali causam, qua cognita facile erit tibi debita morbo assignare remedia, ea tamen lege ut deficiente Natura, vana omnia & irrita fore certo asseveres, ne propinqui præstita abs te officia pro more loquacis & injustæ plebis, calumnientur. Scio te à me aliquam remediorum assignationem expectare, id quod quam difficile sit in præsenti casu & moribundo subjecto tute cogita. Ne tamen plane sim ἀσύμβολος & ut te virum amicum, qui rebus tuis nunquam deerit, consuluisse ægra sciat, quid faciendum censeam, si quis restet aliquid agendi campus, paucis accipe. Hic purgandum, sed remediis specificis, qualia sunt quæ ex Mercurio, Croco metallorum & gutta Gummi desumuntur. Mercurium dulcem velim per os exhiberi, non per se, sed cum benigno aliquo Cathartico, quod audacem hospitem diu in corpore morari non sinat, sive purgans in forma solida, liquida, vel media aut molli, pro ventriculi dispositione propinetur. Infusio Croci Metallorum, ut & Cambog. in vino generoso dissolut. pro Clysteribus reservetur. Ista toties administrentur, quoties vel morbus suadebit, vel impune eorum admissionem vires laturæ sunt; id quod indagini tuæ & prudentiæ committatur. Secundo loco movendæ urinæ, cui intentioni satisfa-

cient lixivia ex cineribus Juniperi, Filicis fœminæ, Genistæ, Ericæ totius, Stipularum & siliquarum fabarum, affusâ aqua stillatitia Parietariæ & siliquarum viridium fabarum præparata, quorum acrimonia non retundatur modo sed penitus deleatur paulatim instillata sufficienti quantitate succi Limonum, addendo ad saporis gratiam sacchari Crystallini aut syrupi alicujus (ut ex floribus Ericæ) quantitatem sufficientem, cum tantillo aquæ Cinamomi. Non inutiliter etiam quarta pars vini Rhenani purissimi huic mixturæ adjicietur. Tertio discutiendi flatus, id quod potenter præstabunt Electuarium ex radice & cortice Sassafras cum speciebus Diacymini per os exhibitum, & stillatitium ejusdem ligni oleum, sicut & succini Clysteribus prædictis additum. Omne feret punctum virium conservatio, cui prospiciet victus ratio: vana quippe hic ea quæ vulgo indigitamus Cardiaca: In alimentis erigendorum spirituum & instaurandarum virium negotium totum consistit; sic tu Coquum simul & Medicum agito. Potum præbe medicatum cum succis antiscorbuticis, doliolo indito frusto Chalybis. Si hisce præsidiis vel non sanetur (quod vix credibile est) vel nullum ab eorum usu percipiat levamen ægra, conclamatum esse pronuntio. ----

Vale, & me nominis & studiorum tuorum quamdiu vixero, benevolum & amicum fautorem esse & fore certo scito.

Datum Londini die 2. Mart. 1655.

Consilium ad Hydropem Ascitem.

Hydropem, præsertim Ascitem, qui mox cedit, mox revertitur, siquidem incurabilem judicant medicinæ Proceres, curandum suscipere valde arduum est, nisi cum sinistri & funesti, ut plurimum, eventus præmisso prognostico; cui Medicus prudens, & nominis famæque amans generosam dominam ægram, quæ nostrum poscit consilium, forsan relinqueret, nisi foret satius anceps experiri remedium quam nullum. Si recenti malo difficillimum est efficacia assignare auxilia, quid quæso, sperandum nobis in subjecti compendium, quod à variis Medicis, iisque peritis, myriadem accepit præsidiorum, quorum ope infirmitatum feracissima hydra, aliqua ex parte castigata, si non absolute fuit edomita? Quid in prostratis viribus & corpore emaciato, in quo nihil plenum apparet præter aqualiculum, & inferiores partes quæ depluentem ex abdomine imbrem conditione situs excipiunt? Multa incassum tentata, quædam ex arte præscripta cum successu, attamen augetur indies malum symptomatum imminentium fons, qui non tam resiccatione, quam mandantes partes restauratione indigent. Observandum credo quid profuerit, quid nocuerit hactenus, & juxta istas indicationes procedendum arbitror. Meæ non est intentionis sigillatim remediorum persequi minutias, siquidem dies diem docet, & forsitan crastina lux ea producet accidentia, quæ statuta penitus immutare jubebunt. In sequentibus ambigua in attrito corpore curatio, vel saltem levamen consistit. Medici præsentes vel meliora proponant, vel si meæ acquiescant sententiæ, ejus capita prudenter seligant: & juxta temporum opportunitates administrent.

Præscripta convenienti diæta (quam hactenus usque & usque inculcatam, denuo imperare, veluti recoctam crambem apponere, importunum duco) vicissim juxta præsentes indicationes, & consuetum naturæ ordinem usurpanda sunt, alterantia, vacuantia, roborantia, procurando non tam ut aqua evacuetur, quæ satis fluida lubens facilisque sequitur exhibitorum ὑδραγωγῶν impulsum, aut ut dissipentur flatus cruditatum & fermentationis soboles; quam ut eorum perennis generatio præcaveatur.

Porro Alterantia ista sunto: præparans universale Crollii, cum tartaro vitriolato, vel liquamine salis tartari, & spiritu vitrioli præsertim philosophico. Quæcunque ex tartaro, cremor, spiritus, sal, tinctura. Quæ ex sale petræ, præsertim ejus stiriæ purissimæ multiplici dissolutione, filtratione, & crystallizatione correctæ. Salis spiritus conferens dissolutioni salis microcosmi, cujus coagulationi necessariæ confert etiam debite præparatum alumen, urinas potenter movens, sitim sedans, & innoxia astrictione viscerum tonum restituens. His addantur salvia bosci, & plantag. cujus insignem effectum describit Johannes de Gadesden in Hydrope, qui etiam à calore viscerum præternaturali sæpissime excitatur. Addantur etiam absorbentia serosam colluviem, ejusque acrimoniam retundentia, inter quæ primas tenent corallus & cancrorum lapilli, quos oculos appellant. Addatur etiam cerevisia medicata cum lig. Nephritic. part. ii. ligni sassafras cum cortice part. jß. ligni Juniper. nostratis, cortic. radic. Tamarisc. ana part. jiß. addendo ad singulos congios, sive gallon. squamæ ferri purissimæ ℥ij. Liquori pro potu ordinario præparando per exactam fermentationem limpidissimo usus tempore addendum saccharum, compositum ex part. iii. sacchar. dur. & part. j. stiriarum prædictarum nitri. Sed cæteris omnibus tanquam antesignani generosissimi prævalent Mars in salinam substantiam reductus, & vomica liquoris æterni, sive cruda, sive cocta, quibus nihil proficientibus, conclamatum esse absolute pronuntio.

Vacuationum diversæ sunt species, quæ singulæ successive in depulsione hydropis locum habere possunt per varia corporis emissaria. Aliquando exhibita vel intus genita indignatus ventriculus poscit vomitorium, quod nollem dare vehementius, depromptum è stibio, sed vel ex vitriolo, etiam Martiali, aut albo in gillam reducto, vel ex seminibus maturis cataputiæ majoris tritis cum paucis amygdalis in formam Emulsionis. In viam regiam sive cloacam alvi tam serum quam crassam blennam commode deducent Iris florent. cum pulvere interioris Jalap. à cortice liberati, semen ebuli, soldanella, baccarum spinæ cervin. syrupus, succago, pulvis; Rosarum muscatellinarum conditum, pulvis, decoctum: Imprimis vero Mercurius dulcis, quod remedium cæteris intactas quasvis causas morbificas aggreditur, & si superari possint prosternit. Sed dandus iste athleta in debita dosi. Scio aliquando huic succederep tyalismum, qui præcavebitur addito

cathartico

catharctico activo satis, non tamen scammoniato, quo nihil est hepati magis inimicum. Sed si nihilominus moveatur sputum, nihil est periculi, immo salivatio in hydrope, quamvis semper sit molesta, attamen sæpissime est salutaris. Nihil majus dat hydropicis levamen, quam larga urinarum profusio, idque minima cum virium dejectione. Sales omnes sunt diuretici, verum nitrum omnibus præfero, quod sitim, intolerabile in hoc morbo flagellum, extinguit, & calorem præternaturalem visceribus in hac muria mersis impressum egregie temperat. Pauca quærenda sunt & efficacia. Si exhibendi sudorifici sese offerat occasio, id quæratur in Jove, & ad ultimum fixato antimonio, cujus virtus lapides bezahar & contrayerv. multis superat parasangis.

Denique vero corroborantia accersenda sunt ex Marte, in quo summa est utique aperiendi vis, & constringendi; nec non ex corallo sive ejus tinctura, sive magisterium, sive sal exhibeatur. Valet etiam cornu cervi philosophice calcinatum, vel post vulgarem ustionem summam vitriolatum, quo modo etiam præparari poterunt spodium, sive ebur, & dens equi marini.

Hæc omnia perito medico nota esse debent. Vanum esset mihi particularem singulorum usum exponere. Miles fortis armis instructus pugnabit pro re nata: Equidem nec rerum metas, nec tempora pono. Deus omnipotens ægram restituat, & medico inspiret tam remediorum delectum, quam debitam eorum applicationem.

Datum Chelsei 26. Iunii. 1651.

Ex Consiliis prædictis liquet quænam sint, Indicationes curativæ, viz. Aquas educendas per secessum & per urinas; Flatus discutiendos assumptis & admotis; omnia viscera naturalia corroboranda, & obstructa aperienda.

Incipiatur à Clysteribus, postea transeatur ad Cathartica.

℞. urinæ pueri ℥viii. infus. croc. metall. ℥iiij. cambugæ in vino Hispanico solut. ʒi. terebith. Venet. in ovi vitello dissol. ʒvi. ol. sassafr. ʒß. Ms. f. Enema injiciend. mane, & contineat quamdiu potest.

Vel ℞. Rad. brion. irid. nostr. ana ℥jß. lign. sassafr. ℥ß. bacc. lauri & junip. ana ʒv. fol. laur, chamæm. tot. rutæ, costi hort. ana m. j. sambuci m. ii. sem. cumin. & fœnugr. ana ʒvi. f. decoct. & colat. ad ℔j. in qua dissolve mell. anthos ℥iii. vini infus. croc. metall. ℥iiii. cambugæ in vin. Canar. dissol. ʒß. Ms. f. Clyster injic. circa hor. 4. pomerid.

Suppositorum efficax. ℞ rad. cucum. asin. longam sex digit. oleo inunctam, ano inde. Mirabiliter aquam extrahit. Idem præstat rad. ebuli.

Hydragogon excellens est rad. Ireos flor. rec. & fragans in tenuiss. pulv. redacta. Ex vino albo à ʒi. ad ʒii. sumptæ copiosè operatur & blande. Sæpius dedi Hydropicis felici successu & per se, & cum Jalap. (cui permista egregie purgat) & cum mercur. dulci. Consumit materiam Cachexiæ & Hydropis, & Tumores œdematosos usu tollit.

℞ Ir. Flor. ℥iii. macis ʒii. zinzib. ʒiii. vel ℥ß. f. Pulvis. Detur quotidie mane cochl. j. cum sacch. in vino albo vel cerevisia. Vel.

℞. Ir. flor. ℈j. tartari vitriol. macis, cort. vvinter. cort. sassafr. an. gr. v. santal. citr. curcumæ an. gr. x. sacch. anisat. ʒ j. M ß. f. pulvis pro una dosi, detur ex vino quotidie.

Succi ex rad. irid. expressi & per residentiam depurati ℥ß. detur cum ℥ j. syr. ros. pallid. solutivo.

Succus è rad. ebuli vel sambuci cort. expressus; vel semen ebuli in aqua subsidens ad ʒj. datur cum ℈ j. cinam. & sacch. ex vino.

℞. Sem. ebuli pleni & subsidentis ʒ j. jalap. ʒß. spec. diatr. sant. ℈ß. f. pulv. subtiliss. excip. pauco syr. caryoph. M. f. Bolus. Capiat mane superhausto cerevis. aut vini rhenani momento.

Rosæ moscatellinæ simplices albæ condiantur ut acetaria solent oleo, & sale, & initio pastus comedantur ad m. j. magnum desuper pastum sumendo. Bona succedit, & satis copiosa, facilisque purgatio à grato remedio. Hydragogon ἀνώδυνον efficax.

Elaterium commodè & fœliciter cum merc. dulci jungitur: viz. ejus gr. ß. vel ad summum gr. j. cum gr. xii. xv. vel xx. mercurii dulc. calomel. Potenter purgat aquas & copiosè.

Ex lixivio fabarum tot extrahe salem, sume ʒ j. cum ana ocul. canc. mirabilia videbis.

Sal volat. C. C.

Vel sal junip. ex tota planta cum liquore convenienti.

A parines succus depuratus per residentiam utiliter propinatur Hydropicis incipientibus cum vino albo ad ℥ iij. bis in die. Ducit urinas, & insensibiliter consumit materiam.

Succus plantaginis eodem modo.

℞. Crem. tartari alb. ʒß. ℈ ij. ʒ j. sal. stipit. fabar. gr. x. vel xv. M ß. & paulatim affunde succ. depurat. limon. ℥j. vini alb. tenuis & generosi ℥iv. fiet ebullitio & tandem omnimoda dissolutio. Adde sacch. cand. ʒ ij. M ß. Propinetur mane & vesperi.

℞. Raphanos in taleolas sect. numero viii. sacch. cad. pulv. ℥vi. lap. prunell. ℥ij. Conspergantur salibus taleolæ inter duas patinas, & succus sive liquor seu syrupus qui effluet servetur, exhibendus per se vel cum sorbitionibus diureticis.

Decoctum Parthenii bibatur ad perfectam curationem usq; specificum est, per urinas purgans.

Ol. è bacc. Junip. cum vino sumptum.

Petroleum cum vino, urinam, sudorem & vomitum movet.

Ova formicarum in lacte ebutyrato cocta copiosè urinam movent.

℞. Ovor. formicar. cochl. j. Coq. in lacte ebutyrato, exprime, & dulcora pauco sacchoro: datur mane superambulando hor. 4. ante prandium per octiduum.

Mulier hydropica cui hæc ova præscripsi mirè commendavit, dixitque movisse ingentem flatuum copiam, & prolixos crepitus, magno cum levamine; dixit etiam frequens primò ortum meiendi desiderium, tandem se fudisse copiosas urinas, ita ut una vice totam repleverit matulam sæpius.

℞. Aq. still. chamæm. tot. parietar. infusion. lign. nephrit. & sassafr. vini alb. opt. an. ℔ j. ol. vitrioli ʒ ij. ol. tartari ex sale per deliq. facti q. s. ut pereat aciditas, dulcoretur saccharo, & f. Julep. de quo bibat bis in die longè à pastibus.

℞. Lap.

♃. Lap. prunell. ℥ j. sacch. cryſtall. ℥ iv. M. f. pulv. ſubtil. cujus cochl. j. diſſolv. in cyatho cereviſ. lupul. pro potu ordinar. quotieſcunque bibet, idque pro ſingulis hauſtibus.

Pro potu ordinario ſit cereviſia ſequens.

♃. Rad. chinæ ℔ j. ſarſæpar. ℔ ß. lign. ſaſſafr. ℥ iij. rad. fœnic. graminis, eryng. an. ℥ iv. cort. rad. amaræ dulc. ℥ iij. nuc. moſchat. num. viii. ſucc. cochlear. ℔ iv. ſucc. naſturt. & becabung. ana ℔ ij. cereviſiæ lupul. (poſt imbibitionem factam) gallon. viii. f. ut artis eſt, & poſt defœcationem bibatur etiam iu paſtibus.

Vel ♃. Sarſæpar. ℔ j. rad. anodin. petroſel. fœnic. rub. tinct. raphan. ruſt. an. ℥ iv. cort. rad. tamariſc. rec. cort. med. fraxini an. ℥ iij. lign. ſaſſafr. cum cort. ℥ ij. raſur. C. C. ebor. & dentis equi marini an. ℥ j. nuc. moſch. ʒ x. Coq. ut a. e. in gallon. iv. cereviſ. decem ſolidor. deinde f. per ſetaceum colatura, cui, poſtquam refrixerit, adde cereviſ. ejuſd. recent. coct. gallon. v. ſucc. cochlear. ℔ iv. ſucc. naſturt. ℔ iij. vin. rhenan. gallon. j. ciner. junip. filic. fœm. abſinth. geniſt. opt. calcinat. an. ℥ ij. ſinatur fieri fermentatio ad perfectam depurationem. Liquor limpidus recondatur lagenis lapideis exactiſſimè clauſis in uſum ordinarium.

N. B. Cùm nonnullis cinerum ingratus ſapor nauſeam moveat, ſatius eſt cum aqua diſtillata ex ſiliquis & ſtaminibus fabarum viridibus & cineribus lixivium parare, vinum rhenanum addere, & cum ſaccharo & pauco cinamomo facere Hippocraticum.

Vel ♃. raſur. ligni ebeni nigerrimi ℥ vi. raſur. lign. abietis rec. & fragrant. ℥ viii. raſur. guajac. interior. rad. althææ & urticæ ana ℥ iv. cort. median. fraxini, ulmi, rad. ruſci, anonid. caryophyllat. ana ℥ iij. rad. filicis fœmin. ℥ x. raſur. eboris, dentis equi marini ana ℥ iij ß. fol. agrimon. ceterach. tamariſc. cum cortice chamæpit. beton. veron. maris an. m. j. fl. hyperici, ſambuci, geniſtæ an. p. viii. ſem. cochlear. naſturt. hort. ling. avis. an. ℥ ij. nuc. myriſt. ℥ j. Omnia conciſa bulliant in gallon. viii. cereviſ. rec. ad ij. conſumpt. Adde ejuſd. cereviſ. gallon. vj. Sinatur fieri infuſio per noctem vaſe probe tecto. Mane f. colatura per ſetaceum, quæ indatur doliolo juſtæ capacitatis, addendo quartam unam fermenti alæ rec. ſinatur fieri fermentatio ad perfectam depurationem. Pendeat autem in doliolo ℔ j. rament. Jovis ſacculo incluſi ex tela rara vel panno ſtamineo.

Vel denique, ♃. Ligni nephrit. ℥ j. lign. ſaſſafr. ʒ vi. ſantal. citr. ℥ ß. hiſce conciſis affunde aq. font. fervent. ℔ viii. ſtent in infuſ. per horas 24. adde vin. rhenan. opt. ℔ ij ß. anim. hepat. ʒ iij. ſacch. cryſtall. ad libitum, utatur pro potu ordinario.

♃. Gum. Ammon. in acet. ſcill. ſolut. & inſpiſſ. ʒ iß. ſagap. præp. ℥ ß. pulv. ſtom. elect. de verm. ana ℥ j. troch. de cappar. & dialacc. ana ʒ ii ß. curcumæ, ſem. cochl. Batav. an. ʒ ij. ceruſſ. Antimonii & Jovis an. ʒ v. ſal. abſinth. card. ben. artemiſ. an. ʒ j. M ß. & cum ſyr. è cort. citr. f. electuar. inſtar opiatæ ſervandum ad uſum.

♃. Hujus elect. ʒ ij. anim. hepat. gran. xii. pulv. ſubtil. jalap. ℈ j. Mſ. & addito pauco ſyrupo f. Bolus ſumend. mane cum debito exercitio. Perſeveret in hujus uſu per plures dies augendo doſin Anim Hepat. ad gr. xvi.

Salvia boſci, agreſtis, montana (Angl. *Garlick Sage*) perhibetur multos hydropicos ſanaſſe. Præparatur ex ea Cereviſia medicata, quæ languentem appetitum erigit, & potenter purgat per urinas. Decoctum ejus idem facit.

Allium continuo comeſtum urinas ciet mirifice. At nota, quibuſdam viſcera præcalida habentibus Allium intolerabilem excitare capitis dolorem.

Nunquam in hydrope (præſertim humido, Anaſarca, vel ſolo vel eo qui cum Aſcite complicatur) omittenda per habitum evacuatio ſeri reſtibilis in partibus poſt tertiam concoctionem. Flores Jovis ex theriaca ad ℈ j. potenter ſudores movent. Item acetum aut vinum album tenue diuturnæ infuſionis ramentorum tenuiſſimorum Jovis Cornubiani.

♃. Part. æq. bezoar ramoſi, margaritæ mineralis Salæ, & margaritæ ſive ceruſſæ Jovis: Doſis eſt à ʒ ß. ſive gr. xxxvj. ad ʒ j. è theriaca, ſuperhauſta aqua Cardui bened. petaſit. valerian. addit cochl. uno vel altero ſp. acid. guajaci.

♃ rad. hirundinar. pondere ℔ ß. per noctem in vini albi ℔ j. maceretur, mane coq. ad tertias. Expreſſio calida potetur mane jejuno ſtomacho in lecto. Copioſus movetur ſudor, & valide expellitur hydrops.

Crocus Martis aperiens ad ℈ j. cum rhabarb. & conſ. abſinth. cum moderato exercitio, continuando per 20. vel plures dies, obſtructiones aperit & hepar roborat.

Roborantia præcipua quærantur in Marte, cujus cum ſint variæ præparationes, omnes non contemnendæ. Ubi tamen inſigniter ſunt confirmanda viſcera, croci Martis fermentati magna eſt virtus. Valet etiam is qui fit ſine igne & acidis, ſed tantum per aquam pluviam. Si major requiratur aſtrictio, conveniat crocus corallinus.

Roborant etiam ſyrupus & tinctura corallorum, ſp. vitriol. corallatus, lac perlarum & corallorum, diacurcuma, trochiſci de rhabarbaro, &c. Externe item frictio longa & aſpera totius ventris; fotus ex decocto diſcutientium, calefacientium, carminantium parato in vino aut lixivio, &c.

Si flatus ſint valde moleſti, capiat à ʒ j. ad ʒ ij. vel ʒ iii. Elect. ſeq. ſuperhauſto paſſulato junip. abſinthite mane horis quatuor ante prandium, ſuperambulando vel alio modo corpus exercendo.

♃. Bacc. junip. matur. ſucculent. ℔ ij. cort. citr. exter. cort. Aurant. an. ℥ ß. ſantal. citr. ʒ iii. rad. ſaſſafr. cum cort. ʒ vi. vin. alb. generoſiſſ. ℔ xij. Macerentur ſimul per quadriduum ad lenem calorem, mox f. ebullitio lenta ad dimidiæ partis conſumpt. tum f. liquoris colatura, & baccarum per canapatium denſum fortis expreſſio; jungantur omnia ſimul, & fiat lentiſſimo calore coagulatio ad conſiſtentiam pulpæ, de qua cape ℥ iiij. diaphoretici vulgaris fideliſſime præp. ℥ ß. cremor. tartari chalybeati opt. ℥ j. ocul. cancr. præp. ʒ vi. magiſt. corall. & perl. ana ʒ iij. ſuccini utriuſque præp. ana ʒ ij. cinam. inter. ʒ j ß. macis, caryophyll. ana ʒ i. Mſ. f. Elect.

♃. Uvar.

℞. Uvar. passar. commun. ℔viii. bacc. junip. matur. ℔iiij. absinth. utriusque ana ℥iiii. cort. fraxini, & cort. rad. tamarisci ana ℥v. sassafr. cum cort. ℥iii. vini albi Andegavens. vel Rupellens. pint. Parisiens. xii. aquæ cisternæ pin. xxv. Omnia in doliolo posita humectentur vino, mox affundatur aqua, tandem ℔i. tincturæ tartari, vel pinta una fermenti cerevisiæ, sinatur fieri fermentatio donec limpidus evaserit liquor, post defæcationem transvasetur, & servetur in lagenis terreis subere obturatis.

Si loco aliorum liquorum affundatur Hydromel, erit potentissimus potus.

♃. Mucilag. sem. psyll. & cydon. extract. in aq. ros. rubr. ℥ii. sacch. cand. ʒiii. spir. vitrioli gutt. iii. M. f. mucilag. cujus ʒi. pro vice in ore tenenda ad sitim fallendam.

♃. sterc. columbin. arid. ℥ii. troch. de thure ʒiiß. myrobal. Ind. & cheb. ana ʒß. corall. rubr. & alb. bacc. myrti, balaust. ana ʒiß. acet. rosat. q. s. f. Cataplasma ad partem tumidam.

♃. Nasturt. aquat. & hortens. nasturt. Indic. cardamines, cochlear. utriusque dracon. ana fascic. j. rad. brion. utriusque recent. ana ℔i. cortic. median. sambuc. ℔iß. radic. ebul. succulentar. ℥xvi. fol. mentastri, calaminth. salv. sabinæ, lavend. ana m. ii. Concisis omnibus atque cacabo immissis affunde vini Canarini optimi ℔iv. acet. scillit. ℔i. axung. suill. rec. ℔iv. Coquantur ad herbarum putrilaginem & liquorum consumptionem: postea exprimatur pinguedo, de qua cape ℔j. ol. laurin. & styrac. liquid. colatæ ana ℥ii. m. f. pro litu totius ventris tumentis, usurpando mane, sed præsertim in ingressu lecti diu multumque fricando manu calefacta, superposita lana succida, quæ eidem usui perpetuo inserviat.

♃. sterc. columb. acet. macerat. ℔i. sulphuris vivi ℥j. nitri ℥ß. pulv. rad. enulæ, bacc. lauri, anethi, flor. chamæm. ana ʒvi. sem. nasturt. ʒii. Coquantur omnia in vino ad spissitudinem, & adde mellis ℥ii. terebinth. ℥jß. succ. ebuli ℥ij. iridis ℥i. farinæ fabar. ℥jß. f. Emplastrum.

Chartam bibulam infunde in aceto & applica tibiis.

♃. Cinerum fagi & mororum bati ana f. Lixivium in quo pedes tumefacti teneantur.

Sacculi repleantur herbis carminantibus & discutientibus, ollæ indatur lapis ignitus, affundantur lapidi tria aut quatuor vini cochlearia, olla tegatur sacculo, ita ut nihil expiret, incalescit sufficienter pro fotu.

♃. Gum. sagapeni, sandarach ana ℥ii. thuris masc. ʒii. alcali bufonis vetustiss. ʒjß. alcali visc. quercin. ʒiii. f. Emplastrum pedibus tumentibus applicand. *Theodor. De Mayerne Prax Medic. lib. 3.*

Ad Indicationes transeo, circa quas cum fructu eliciendas, Practici unanimiter sentiunt, causas eo, quo se consequuntur ordine removendas esse, quoad fieri potest, adeoq; à prima earum inchoandum. Quæ cum ita sint, clare hinc elucere existimo, Indicationem utilem non desumi à sero, quod vel sit Catharticis per alvum exturbandum; vel per Paracentesin, perforato scilicet abdomine; vel per scarificationes detrahendum; vel per urinarios meatus evacuandum; vel per interna, externaque exsiccandum: quibus breviter trutinatis, Indicationem utilem subjungam.

Inprimis in Evacuatione seri per alvum fiducia non est ponenda. Ratio est, quia plerumque paucis post purgationem diebus venter nova seri colluvie in eandem molem reintumescit, & qui gravi Hydrope detinentur, purgantibus Hydragogis perquam raro restituuntur.

Deinde nec per Paracentesin serum educere convenit, primo, quia cum Deus ideo tres corporis humani ventres membranis, tanquam densis operimentis occluserit, ut naturalis calor & spiritus, qui sunt proximum vitæ instrumentum, coerceantur, & sic in sua virtute, veluti per reflexionem, intenderentur, fit ut, perforato abdomine spiritus, quà data porta evanescere, ac vires concidere necessum sit. Secundo, quia per experientiam constat, Paracentesin utplurimum infelicem sortiri exitum. Tertio, quia, quamvis etiam prudenter & caute instituta operatione mortis celeris causa non fieret, tamen morbi causam non tollit. Apertio tamen Umbilici, si eum Natura propria sponte in tumorem elevaverit, atque hac ratione hanc medelam postulaverit, repudianda minime est, modo Cautelæ requisitæ in ejus Chirurgia administrentur, atque interna simul exhibeantur.

Tertio nec in eductione seri per Scarificationes curatio consistit, primo, quia nihil præter inducias ad aliquod tempus spondere potest, sicuti ante annos undecim in muliere quinquagenaria expertus fui, quæ administratis primo Universalibus, expurgatoque per alvum sero flavo scarificationes admisit, factis quinque in interioribus surarum incisuris oblongis, cutim penetrantibus, nec non tribus aliis paulo brevioribus supra matatarsum utrinque, unde primum aliquid cruoris, mox vero purum serum in pavimentum destillavit. Ægra dein lecto commissa sensim ac sensim, absq; ullo virium hinc dispendio, insignem quantitatem trans lectum continua destillatione emisit, unde plurimum allevata, sibique restituta visa postea surrexit, obambulavitque. At vero sicut imperfecta erat curatio hæc, ita & sanitas curta, nam infra menses tres reintumescente abdomine & pedibus, scarificationes frequentare nolens, ad mortem, quam tali statu inevitabilem esse agnovit, se pie accinxit, nec enim ego tunc temporis plus poteram, Secundo, quia Scarificationes circumspectum requirunt Medicum ob metum gangrænæ. Si enim æger senex, vel natura debilis, vel corruptos admodum humores gestet, partes exteriores, utpote quæ à corde, ceu foco, remotiores sunt, calidi innati influxu quodam modo destituuntur, ac idcirco necrosin facile patiuntur, facilius adhuc à vesicatoriis; hæc enim carnem ad mortificationem disponunt.

Quarto, nec per urinarios meatus serum in abdomine stagnans educi potest, aut debet; Primo quia quod in capacitatem ejus effusum est per venarum oscula resorberi nequit. Secundo, si lien v. g. scirrhoso tumore laboret, aut vena cava descendens, aut emulgentes, aut renum ductus ab humoribus crassis obstruantur;

obstruantur: Diuretica illos amplius coacervant, & crassos etiam angustioribus meatibus impingunt; quod autem talis saburra in urinarios meatus invehatur, ex superioribus patet ægris, quorum duo convaluerunt, nullo usi diuretico.

Quinto serum nec per Suffumigia & balnea vaporaria, multo minus autem per Unguenta & Emplastra desiccantia exhauriri potest. Quia serum solummodo ex ambitu Corporis, h. e. ex musculosa carne potissimum, minus vero ex cavitatibus evacuant, obstructionibus non attactis. Si qua tamen externa peculiarem intima Corporis penetrandi potestatem haberent, ea non forent rejicienda: Hic vero de usitatis sermo est.

Indicationibus inutilibus à sero, tanquam ab effectu, desumi solitis huc usque immoratus fui, quod nihilominus, ubi causæ rationem induit, v. g. si excedens seri quantitas suffocationis periculum minetur, tunc ejus quantitatem esse imminuendam indicat, donec per alia opportuna remedia naturæ succurratur. Hanc imminutionem clystere congruo aliquoties repetito obtinui.

Conspiratio viscerum intercepta est Intumescentia, cum, (uti dictum,) ab obstructione tanquam effectus à sua causa pendeant, eamque involvant; superest unica, eaque utilissima indicatio, scilicet, obstructionem esse tollendam. Quod nihil æque præstat, ac remedia Aperitiva. Et hoc est omne, quod hoc scripto insinuare volui. Aperitiva enim, seu deobstruentia sola sufficiunt; hæc omnem paginam, ut dicitur, absolvunt. Hoc bene intellecto, Hydropicos quosdam desperatos persanabis, sublata quippe obstructione, viscus antea impeditum, ac veluti cœno immersum, postea sibi restitutum σύμπνοιαν & σύῤῥοιαν recuperat, Corde ceu Sole Microcosmico suam influentiam vivificantem iterum libere effundente.

Neque huic sententiæ repugnant Historiæ eorum, qui per abstinentiam à potu curati fuerunt; illorum quippe calor nativus sic roboratus morbificos humores concoxit, & digessit. Neque hic mihi adversatur, quod multi per purgantia restituti fuerint; Ast horum effectum præstitum conjicio tum in virtutem aperitivam, quam quædam purgantia insignem obtinent; tum in causam morbi leviorem, humorem facile mobilem, vel jam coctione devictum, & ad excretionem propensum.

Habet enim & Hydrops sua tempora, non minus ac alii morbi; habet inquam, suos cruditatis & coctionis decursus, tardiores aut celeriores pro Natura humoris putrescentis, pejoris aut mitioris. Quæ qui considerat, facile intelligit, Medici munus esse Naturam adjuvare, ut cruda concoquantur, crassa attenuentur, bonaque à malis separentur: non vero naturam à Cœpto avocare, aut interturbare, ut faciunt, qui varia intempestive præscribunt, Natura nullatenus consulta nec intellecta.

Neque tamen intelligi velim, ac si in curando Hydrope Ebulum & Sambucum, (quæ ob remissiorem calefaciendi vim quibusdam purgantibus longe præferenda esse, diuturnus terum usus docuit:) improbare: vel Cucumeris agrestis succum, radic. Elleb. nigr. Ileos, Turpeth. poma Colocynth. Gratiolam, &c. omnino rejicere cogitem; hoc absit, sed istud notari velim, debitam purgantium administrationem à dexteriore præparatione dependere, quam ii instituunt, qui Medicamentorum operationes sola qualiumcunque humorum eductorum copia metiuntur. Non quantum, sed quale hic attendendum, juxta aph. 25. sect. 1. si qualia oportet, purgentur; confert, & facile ferunt; sin minus; contra.

Conclusive denique dico, quod, qui Medicamentis deobstruentibus viscerum oppilationes tollere, eaque ad liberam humorum, spirituumque communicationem promovere sciverit, is totam Hydropis curationem feliciter absolverit. Neque est cur verbum his amplius addam, cum remediorum Catalogus in dispensatoriis abunde prostet, & mihi propositum non sit, aliorum scriptis hanc Methodum extendere. Hydropis cognitionem ampliorem suppeditabit Dissertatio sequens. *Ioh. Georg. Greulichius de curandi Hydropis vera methodo.*

In curatione respiciendum ad illa, quæ vel obstructiones vasorum lymphaticorum reserare valent, vel ad illa, quæ acrimoniam lymphæ corrigere & enervare possunt: insuper ad seri extravasati eductionem, vasorumque ruptorum constrictionem, & conglutinationem.

Inter phlegmagoga specifice commendatur hydragoga Angli Sale, cujus descriptionem vide in autoris recentioris spagirica septem planetarum terrestrium.

Vel, ℞. Pilul. cathol. nostr. desc. ℈ß. Mercurii præcip. solaris, gr. viii. Res. jalapp. gr. iij. Olei juniperi, gutt. iv. M. F. pilulæ purgantes N. v. deaurentur.

Vel, ♃. Elect. cario costini, ʒiii. Res. jalapp. gr. v. Tartari vitriolati, ℈ß. Dissolvantur in s. q. vini. enulati, M. F. haustus purgans.

Vel, ♃. Extract. cathol. ℈j. Mercurii vitæ correcti per tartarum & salem, gr. iii. Trochisc. alhandal, gr. ii. Olei cariophyl. gutt. 3. M. F. pilulæ purgantes N. vii.

Vel, ♃. Guttæ gambæ sulphur. vel maceratæ cum Oleo tartari per deliquium, gr. v. Rad. jalapp. pulv, gr. xv. Trochisc. alhandal. gr. iij. Sem. dauci pulv. ℈ß. Olei macis stillat. gutt. iv. M. F. pulvis purgans.

Vel, ♃. Extract. esulæ, ℈ij. Dissolvantur in sero lactis ℥v. M. F. haustus purgans. Quidam laudant extractum elaterii à gr. i, ad iii, in. sp. vini dissolutum.

Ad aperiendum & corroborandum sequens præscribatur decoctum.

♃. Ras. ligni guajaci, ℥iii. sassafras, ℥ii. Cort. tamarisci, rad. capparum, an. ℥ß aurant. citri an. ʒii. Rad. petroselini, apei, enulæ campanæ, fœniculi ana. ℥i. Coq. in s. q. aq. chalybeatæ, & vini, in quo silices candentes exstincti sunt sæpius an. ut artis est vel ℥100. col. adde Oxymell. scyllic. ℥iii. Salis genistæ, ʒii. Spiritus salis ammoniaci, ℈iv. Aq. vita Matthiol. ℥iii. M. F. decoctum aperiens & corroborans.

Conducunt hic chymica ex metallis præparata, & dentur tinctura metallorum à gutt. xii. ad xxx. in vini enulati haustu.

Suum hic conferunt flores lapidis hæmatites

cum

cum sale ammoniaci elevati à ℈ ß. ad ʒß.

Præscribatur mars potabilis Willisii, & hinc elaboratæ aquæ spadanæ sulphuratæ.

Pro diaphoretico inserviant sequentes formula.

℞. Theriac. venet. ʒ j. antimon. diaphor. solaris gr. 15. vel ℈ j. mercurii præcip. diaphor. jovialis gr. VIII. olei cariophyll. gut. 3. M. F. bolus in vino enulato dissolvendus.

Vel, ℞. Reg. antim. med. gr. 15. flor. lap. hæmatit. gr. x. confect. de hyacinth. ℈ ij. olei macis still. gut. 3. M. F. bolus ut supra solvendus.

Vel; ℞. Reg. antimonii med. ℈ j. croci optimi, gr. VIII. salis card. bened. gr. 15. olei fœniculi gut. 4. M F. pulvis.

Laudatur mixtura de tribus seu diaphoreticum in paracutis Paracelsi ex spiritu tartari volatili, sp. vitrioli volatili, & sp. vini theriacalis camphorato conflatum.

Vel, ℞. Tart. rhenani purissimi, alum. crud. an. q. p. terantur in pulverem tenuem & exacte misceantur, & ut artis est distillentur per retortam ex arena, spiritum volatilem hinc oriundum rectificatum usui reserva. Præstabit enim illud quod à sale tartari volatili sperare potest, nam potentissime vasa rupta constringet.

Tinctura martis adstringens ex capite mortuo in sublimatione florum lapidis hæmatites educta à gut. 3. ad 10.

In Tympanitide.

Pro fotu in tympanitide præscribatur, spiritus vini theriacalis camphoratus.

Vel, ℞. Herb. menthæ, origani, an. m ij. sem. cumini, carui, bacc. juniperi, lauri q. p. vel an. ʒ ij. coq. ex lixivii debilis & vini, an. M. F. fotus, quocum foveatur.

Vel ℞. Ungu. martiat. ℥ j. olei philosoph. terebinth. lucidæ an. q. s. ad formam linim. quibus addatur salis volatilis aromatici pauxillum: M. F. liniment. *Ex Anonymi Prax. Chymiatrica.*

HYDROPS ANASARCA.

Curationes.

In Anasarca, quia semper adjunctus est humor pituitosus, viscosus & crudus ad evacuationem ineptus, ante evacuantia medicamenta præmissis tamen lenientibus præparantia adhibenda sunt, alterantia, qualia sunt imprimis syrupus de eupatorio, de absinthio, oxymel compositum, dissolve in aqua agrimoniæ & absinthii.

Præparato humore evacuatio instituenda, interposita tamen præparatione & coctione humorum, ut & confortatione viscerum, imprimis hepatis & ventriculi: in primis viis vomitum excitare licet sale præparato, aut aqua benedicta, ut ventriculus à crudis humoribus liberetur; hinc ad ea, quæ urinam & sudores movent, accedendum, ubi maximè commendatur aqua Jacobi Weckeri tantopere in hydrope celebrata.

℞. Liquoris tartar. destillati, aq. gentianæ (cum aq. simplici per vesic. factæ) aq. theriacal. an. ℥j. sp. vitrioli, ol. sulphur. an. gr. x. capiat æger à ʒij. ad ℥ß. cum acet. ante ingressum Laconici. Maximum quoque arcanum in hoc morbo est gratiola, quæ semper in copia tum purgantibus, tum aliis medicamentis admiscenda: potest etiam ex ea fieri extractum vel sal, ex quibus componuntur pilulæ hydropicæ.

℞. Extract. gratiolæ, mechoacann. an. ℈ j. Sal. gratiol. gr. VI. F. pilulæ, purgant per alvum & urinam, si non satis purgant, adde extract. trochisc. alhandal cum spir. vin. malvatici factum, quandiu visum fuerit. Possunt etiam hic nonnunquam adhiberi scarificationes in pedibus, femoribus & naribus *Johann. Hartmann. Prax. Chymiatric.*

Circa therapeiam designandam duo præcipui hic medendi scopi occurrunt, viz. Primò ut aqua intercus quoquomodo evacuetur, & absumatur; dein secundò provideri debet ne nova continuè generetur & aggeratur; in quem finem danda erit opera medica; tum ut coctionis viscera recrementis inanita, & obstructionibus libera chylum usque laudabilem conficiant, ac in debita copia massæ sanguineæ suppeditent; tum insuper ut sanguis (principiis ejus ad δύναμιν ζυμωτικὴν restitutis) Chyli succum ei jugiter suffusum, rite fermentet, inque sanguinem assimilet. Indicatio vitalis minime in hoc morbo, uti in multis aliis, necessaria videtur; quoniam raro hic adsunt spirituum deliquia, aut vigiliæ, pro quibus cardiaca & hypnotica requiruntur: atque victu resumtivo parum opus est, quia jejunium, & abstinentia potius juvant, & sæpissimè in magnam curationis partem cedunt: cujus ratio est, quod vasa per inediam inanita, aquas intercutes, aut alibi stagnantes resorbent, easque partim per renes, poros cutis, aliaque emissaria foràs ablegant, partimque succo alibili adhuc turgidas corpori enutriendo utilissimè impendunt.

Primò, ut prima indicatio curatoria, materiæ morbificæ evacuationem intendens, perficiatur; adhiberi debent, pharmaca hydragoga omnia, tum simplicia tum composita; quin & medicamentorum formulæ, infrà in cap. de Ascite recensendæ & præscribendæ. Porrò huc pertinent non tantum cathartica, & diuretica, sed etiam diaphoretica, quæ licet in aliis hydropis speciebus ut plurimum interdicta, in curatione Anasarcæ sæpe locum habent. In simplici Anasarca fortiter purgare licet, & non raro multum juvat. Et quidem ab hoc morbo interdum per Catharsin sanato, empirici de medelis suis plurimum gloriari habent; eorumq; medicamina quædam pro curandis hydropicis multum decantata existunt, quippe si fortè unum aut alterum Anasarca laborantem, specificis hydragogis, aut elateriis, eos uspiam sanasse contigit, satis est de quo se & artem suam semper venditent, etsi eodem medicamento centum Asciticos jugularunt. Quapropter licet esulæ aut elaterii præparata, pilulæ lunares, Hercules Bovii, aliaque hydragoga in quibusdam casibus nonnunquam profuerunt; tamen si indifferenter hydropicis omnibus, aut omninò ulli constitutione debili & visceribus toni præfracti, aut conformationis læsæ, prædito exhibentur, sæpiùs necem, quam remedium afferunt. Itaque semper prudentis medici judicio committatur, quando, quousque, & quibus Catharticis utendum erit. Catharticorum cujusque generis hydragogῶν

scilicet tum ἄνω, tum κάτω vim suam exerentium, atque tum lenius tum fortius operantium, formulas suprà descripsimus, unde possunt huc referri, & medendi methodo jam propositæ accommodari. Quod si ratio inquiritur, quomodo cathartica in hoc morbo operantur, & quare felicius, & multo efficacius, quàm in aliis hydropis speciebus aquas educunt, dico in Anasarca materiem νοσερὴν (quæ lympha est) partim in massa sanguinea, partimque in habitu corporis, intra poros & vacuitates vasorum finibus interjectas, subsistere; quapropter catharticum fortius exhibitum, illico massam sanguineam exagitat, fundit; & ad superflui cujusvis, aut heterogenei excretionem ciet; simulque arteriarum oscula, versus intestinorum cavitates dehiscentia irritat, ut per hæc potius emissaria humor è sanguine rejectus exitum inveniat. Hinc inprimis aquæ intra sanguinem fluctuantes copiosè elutriantur, dein vasa inanita aquam mox intercutim resorbent, & partim illicò per sedem, partimque per urinas, aut diaphoresin foràs amandant; nullus interea metus est ne, ut in Ascite, materies morbifica à sanguine per medicamentum exagitata & fusa, in loca affecta, unde non facilè remeabilis est, amplius adigatur: item ne, ut in Tympanite, propter ventriculi, & intestinorum fibras, à pharmaco nimis irritatas, viscera ista in extumescentias τυμπανώδεις accieantur. Quippe donec viscera erunt firma, & benè constituta medicamenti particulæ nullam iis noxam infligunt: verum exinde in sanguinem traductæ, non modo aquas ex eo eliciunt, sed massam ejus exagitando, particulas activas prius obrutas exuscitant, & versus δύναμιν suam ζυμωτικὴν disponunt. Secundò, hydragoga per diuresin operantia, tum simplicia tum compositas, necnon medicamentorum ex utrisque paratorum formulas, & exhibendi modos etiam suprà descripsimus; quæ item (ut repetitione non opus sit) huc transferri possunt. Quoniam verò pharmaca hujus generis non omnia pariter in quibusque affectionibus juvant, advertere hìc subest, pro curanda Anasarca. Lixivialia cæteris diureticis longè præstare. Enim vero tritum & vulgare nunc remedium est, ut quispiam membra habens tumida, post purgationem præmissam, sumat bis vel ter in die lixivii ex cineribus absinthii, vel genistæ cum vino albo fact. ℥vi. ad viii. ejusque usum per aliquot dies continuet. Medicamentum hoc, uti in pluribus notavi, urinas potenter movet, imò nonnunquam in tanta copia, ut lotio supra sesquicongii mensuram, intra nycthemeri spatium profuso, Ægrotantes ferè ad miraculum usque brevi convaluerint. Quoritu, & qualis viscera, sanguinem, aliosque humores afficiendi modo, diuretica cujusque generis operantur, in priori tractatu explicavimus; quod verò in Anasarca laborantibus, medicamina sale fixo, & lixiviali, plusquam sale acido, alcali, aut volatili prædita, urinas expellunt, ratio ut opinor hæc est, viz. in morbo isto affectis postquàm deficiente sanguinis, ζυμώσει, & virtute sanguifica, humores aquosi, & crudi tum in ejus massa, tum intra corporis habitum aggesti, ibidem, ferè immobiles aliquandiu permanserunt, tandem illi (prout succorum aqueorum paulò stagnantium mos est) coacescunt; quapropter medicamenti particulæ lixiviales in sanguinem suffusæ, illico cum aquarum acidis effervescunt. quas insuper dum nea ζυμώσει insignem, & excretivam cient; proinde ut particulis omnibus in motum concitis, non tantum aquosæ ac recrementitiæ cæteris extrusæ, per renes amandentur, sed & ipsius cruoris insitæ & activæ crassioribus quibus obvolvuntur sese extricent, & denuo emergentes virtutem suam fermentativam resumere, & sanguificare incipiant.

℞. Cinerum genistæ, vel absinthii, vel sarmentorum vitis ad albedinem calcinat. & cribrat. ℥iv. ponantur in lagena vitrea cum vini alb. ℔ ij. digerantur clausè & calidè per iij. vel iv. horas, dein coletur dosis ℥vi. ad viii. bis in die.

℞. Tartar. alb. cum nitro calcinat. & dein in crucibulo ad cæruleitatem fus. ℥ iij. spiritus vini tenuioris lib. i ß. aq. limacum, lumbricorum an. ℥iv. digerantur clausè in furno arenæ per duos dies: dosis liquoris clari ℥ ij. ad iij. cum decoct. radicum Rusc. & Bardanæ, in cervisia fact. ℥iij. Pro potu ordinario.

℞. Cinerum genistæ alborum & mundat. ℔ ij. ponantur in sacculo cum ras. lign. sassafras ℥ iij. radicum galang. minor. ℥j. baccar. juniper. & sem. dauci, an. ℥ i ß. fiat sacculus pro iv. congiis cervisiæ, post 7. vel 8. dies hauriri incipiatur. Diaphoretica in leucophlegmatia (quæ scilicet Anasarcæ proœmium aut declinatio est) non raro egregie conferunt: Cæterum in hoc morbo confirmato, melius quam in aliis hydropis speciebus convenire solent. Et quamvis ab initio propter habitum corporis crassiori velut palude obsessum, sudores movere nequeant, utcunq; dum sanguinem exagitant, particulas ejus insitas activas, antea sopitas, & semiobrutas exuscitari, & versus ζυμῶσιν disponi, quin & recrementitias quasq; & præsertim aqueas in motum accieri faciunt, proinde statim ut illæ è receptaculis suis exundantes, promptius ac facilius per sedem, vel urinam, & sæpè aliquatenus per διαπνοὴν abscedant. At vero postquàm aquis per catharsin elutriatis, materies morbifica in tantum diminuitur, ut corporis moles & membrorum intumescentiæ remittere incipiant, humoris reliquiæ per ἐφίδρωσιν moderatam, & diaphoresin constantem optimè absumentur.

Pro curatione Anasarcæ, ea maxime conveniunt, quæ in dosi paulò largiori exhibentur; quorum enim quantitas perexigua est, particulæ eorum activæ aquis immersæ obruuntur, priusquàm in sanguinem diffusa, vires suas exerere possunt. Quamobrem spiritus sive armoniaci, sive vinosi, necnon tincturæ, & elixires, imò ac pulveres contra morbum istum rarius in usum veniunt: quia nimirum in dosi minori minus efficiunt, atque in perampla si exhibentur, efferatione sua viscera sæpè lædunt: quin ea potius seligantur, quæ haustu pleniori, & calidè assumta, [illegible] guinem totum illabata, permeare possunt; cujusmodi imprimis sunt decocta ex lignis & radicibus, quorum particulæ sanguini satis congruæ, ab eoque indomabiles, totam ejus massam pertranseunt, & vim elasticam, humores omnes commovendo, exerunt.

℞. Ras. lign. sanct. ℥vi. sassaphras ℥ij. santalor. omnium an. ʒvi. ras. eboris, C.C. an. ʒiij. f.a. infundan-

dantur, & coquantur in aq. font. ℔ VIII. ad medietatem, addendo radic. calam. Aromatic. Galang. minoris, Bardan. petasitidos an. ℥ j. foliorum salviæ acutæ, chamædryos siccat. an. m. ij. Colatura servetur ad usum, dosis ℥ VIII. ad x. calide bis in die, unicuique dosi addi possunt spir. sal. Armoniac. succinat. vel fuliginis gutt. 20. ad 25. vel tinctur. salis tartar. ʒß. ad ʒj. Hæc de medicamentis hydragogis internis, quæ lymphas, vel intus versus intestina eliciendo, vel extus ad renes, aut poros cutis pellendo, foras educi possunt: Præterea in usu sunt administrationes quædam externæ, quibus aquæ intra corporis habitum aggestæ commoventur adeoque vel generaliter ad egrediendum per diaphoresin, aut diuresin disponuntur, vel particulariter, exitu in privatis quibusdam locis facto, protinus emittuntur. In prima classe frictiones, linimenta, fotus, & balnea tum sicca tum humida ponuntur: dein aqu. educentia particularia sunt, vesicatoria, escharotice & per acum puncturæ. Super his singulis aut saltem præci puis quatenus ad hunc morbum spectat; breviter dicemus. Frictiones in leucophlegmatia; & Anasarca effectum sæpè utilem præstant: quippe cùm habitus corporis non tantum illuvie aquosa illic aggesta adeò impletur ut nihil evaporare possit; sed & partes externæ, propter sanguinis ad eas appulsum inhibitum frigescunt, frictiones crebræ ac validæ; aquas stagnantes commovent, & aliquatenus inde dissipant, quin & sanguinem, vias aperiendo in partes eas unde exularat; denuò accient, quare non solum membra intumefacta sed & totum corpus semel aut bis in die cum pannis asperis; aut cum verriculo in eum usum ordinarie nunc parato fricari expedit.

Inter, vel post frictiones, linimenta & fotus interdum conveniunt. Parantur vel ex salibus aliisque mineralibus dissolutis; vel ex vegetabilibus calidis, & discutientibus, cum vini fæcibus aquæ incoctis: quorum applicatio calida poros aperit; aquas aggestas amplius commovet, ac discutit, & jam circuitus sanguinei ambitum aggerie aquosa aliquatenus dissipata protendit. Linimenta constent ex sulphure, & salibus diversi generis vel ex calce viva, aliisque mineralibus; in unguenti formam redigantur: quibus ob meliorem consistentiam, olei scorpion quantitas; idonea adjiciatur: Porro oleum hoc (modò sit genuinum) per se adhibitum; opem non raro insignem præstat:

Balnea hydropi vix ulli præter Anasarcam, atque huic nonnisi in diathesi; aut declinatione conveniunt: Quippe cùm ab hujus calore totum corpus ambiente; sanguis effervefactus, & incitatus aquas prius stagnantes ubique commovet, & in se resorbens varie transfert; periculum est, ne (uti frequenter assolet) eas è corporis habitu, in massam sanguineam excipiens, è vestigio in præcordiis; aut cerebro deponat: quippe nihil usitatius est quàm partium istarum affectus viz. Asthma, vel Apoplexiam, hydropicis à balneatione intempestiva, supervenire: Attamen cùm morbi causa conjuncta; (viz. intumescentia) moderata; aut non multa fuerit, Balneum ex aqua salibus ac sulphure impregnata, aut etiam Laconicum; à quibus blanda ἐφιδρωσις promovetur, non raro cum fructu adhibetur: pro laconico plus expedit A insigniter sæpe prodest ut Ægrotantes in salariorum Ædibus, propè furnos in quib. aqua mineralis, in salem decoquitur, in cellis idoneis collocentur.

Vesicatoria aquas intercutes copiose, & non raro profuse nimis emittunt. De modo quo operantur infra speciatim dicemus; interim advertimus hæc caute admodum hydropicis adhibenda; quæ scilicet ejusmodi epispasticum locis tumidis applicatum, emissarium nimis patens facit, quo aperto, aqua primò erumpens, sæpe magnam post se illuviem è tota vicinia trahit, unde statim sequitur magna spirituum concidentia. Porro nonnunquam locus ita subito inanitus, siquidem caloris, & spirituum orbus, brevi in sphacelum labitur; quapropter medicamen hoc raro hydropicorum tibiis, aut pedibus, ubi calor debilis, & tumor maximus est, sed interdum femoribus, & brachiis secure (quoties opus erit) applicetur. Escharotica paulo tutius, quàm vesicatoria locis tumidis adhibentur: quoniam ex hoc emissario, aquarum fluxus non tam præceps, & copiosus statim ab initio contingit: verùm iste moderate incipiens, deinde paulatim ad fluentum ingens accrescit; quod natura (postquàm sensim ei assuefit) melius tolerat. Porro minor ab eschartico, quàm à vesicatorio, gangrenæ metus est; quoniam in ista applicatione pars cujus continuitas solvitur, contra caloris exolutionem, per escharam munitur. Novi olim empiricum indoctum & rudem, qui hydropicorum membra, ut tumida; sequenti modo per escharoticum non raro feliciter evacuabat; viz. Primò tibias fovebat vesperi & manè cum decocto ebuli, absinthii, chamomeli; aliarumque herbarum calidarum; cerevisiæ aut vini fæcibus adjectis; atque inter fotus tempora cataplasma ex decocti istius magmate cum furfure paratum applicabat; post hæc per triduum usurpata; utramque tibiam cum pede totam cum emplastro ex pice Burgundica, tegebat; relicto tantùm super utramque suram foramine exiguo, ad magnitudinem nucis avellanæ, quibus in locis escharoticum ex cinere corticis fraxini cuti nudæ imponebat: quo post 12. horas amoto eschara tenuis relinquebatur: è cujus poris, aqua primùm lentè exudare, dein in dies paulo uberius extillare; & postmodum (eschara decidua) tanquam è fonte aperto; copiosius emanare solebat; donec è toto infra & supra crure elutriaretur. Restat adhuc alius (prioribus non inferior, etsi minus usitatus) aquas intercutes educendi modus, scilicet per Acus puncturam: quæ itidem, ne præceps ac nimius accieatur aquarum effluxus; cautè admodum & minutim celebrari debet. Accipiatur Acus ordinaria (quali sartores utuntur,) & super locum maximè œdematosum, in cutim punctim adigatur, eousque tantum, ut sanguis non sequatur: adeoque fiant uno tempore vi. vel vii. foraminula; pollicem latum ab invicem distantia, ex unoquoque foraminulo; aqua guttatim erumpit adeoq; continuè extillabit, donec circumcirca loci puncta tumor omnis evanuerit: dein proxima vice post horas modo 12. modo 18. aut 24. ejusmodi punctura in alia cruris ejusdem; aut alterius parte celebretur, adeoque deinceps semel, aut bis in

die in membro hoc, aut illo unico vel duobus, vel simul in pluribus, talia aquarum intercutum emissaria excitentur. Enimvero hoc modo uberius ac tutius quàm ab alia quavis ἐγχειρήσει exteriori, illuvies hydropica exhauriri possit; cujus interea proventus novus, si per internam pharmaciam præcavetur, morbus facilius sanabitur. Porro in hydrope deplorato, optimè per administrationem istam vita prolongatur, in quantum scilicet aquis per emissaria isthæc externa continue elutriatis, inundatio interna vitalis diutius protelatur. Nuper senex septuagenarius toto corpore, hydrope immersus, nuci hujus remedii ope præter spem omnium per plures menses in vita perstitit, & caput super aquas extulit. Hactenus de remediorum genericis & formulis per indicationem primam scilicet curatoriam suggestis; quod ad alteram scilicet præservatoriam spectat, quæ nempe sanguinis crasin, & virtutem ζυμωτικὴν sive sanguificam restituendam procurat, ejusmodi illa medicamenta suggerit, quæ particulis calidioribus & elasticis prædita, massæ sanguineæ principia activa aut depressa resuscitat, aut absumta reparari facit, in quos fines remedia alterantia vulgo dicta, sub forma electuarii, pulveris, pilularum, aquæ destillatæ, julapii, apozematis, & diætæ præscribi solent, quibus etiam spiritus, tincturæ, elixires, interdum majoris efficaciæ ergo adjiciantur: Cujusque horum exemplar unum aut alterum proponemus.

℞. Conserv. absint. mar. cochleariæ, flavedinis aurantii, an. ℥ij. cortic. vvinteran. ℨ ij. spec. diacurcum. ℈iß. Chalybis præp. cum sulphure ℨ iij. sal. absinth. ℨ ij. syr. è corticibus citri q. s. f. electuarium, dosis ℨ ij. mane & hora quinta p. m. superbibendo haustum vel julapii, vel aq. destillatæ ad ℥ iij. vel iv.

Chalybeata in hoc morbo, uti in Pica virginum sæpenumero egregie prosunt; in tantum ut non raro totus aut saltem præcipuus medendi scopus, in hoc remedii genus devolvatur: attamen advertere est, hujusmodi medicamenta non omnia in istis casibus ex æquo convenire: nam quæ maxime in usu sunt, viz. sal. chalybis sive vitriolum martis, aliaque cum acidis præparata ac sulphure in totum spoliata, nequicquam juvant, utpote quæ sanguinis ζυμώσιν minime promovent, sed potius è contra eum nimis efferum, aut elasticum figunt. Attamen ad Anasarcam, & quamcunque in habitu corporis Cachexiam œdematosam, ejusmodi chalybeata adhibeantur, in quibus particulæ sulphureæ relinquuntur, & pollent; uti inprimis sunt ferri limatura, & squammæ in pollinem redactæ, item Chalybs cum sulphure liquatus, & pulverisatus. Horum pulveres assumti, illico à salibus intra corpus nostrum acidis dissolvuntur, unde particulæ sulphureæ metallicæ manumissæ, & in sanguinem traductæ, totam ejus massam fermentant, particulas ibidem symbolas, antea sopitas exuscitant, ipsisque adjunctæ sanguinem vigorant, ejusque vim ζυμωτικὴν sive sanguificam prius depressam redintegrant. Quapropter observare est ab hujusmodi chalybeatis, vel paulisper usurpatis faciei χλώρωσιν, in vultum floridum mutari.

℞. Pulv. rad. Ari compos. cortic Winterani an. ℈iij. radicum galang. minoris, cubebarum, an. ℈iß. chalyb. cum sulphure præp. ℥ß. sacchar anthosat. ℨvi. f. pulvis divide in 20. partes, dosis p. j. omni mane & hora quinta p. m. cum haustu decocti sudoriferi superius præscripti.

℞. Extract. gummos. residentis post destillationem, elixir vitæ Quercetan. ℨ ß. pulv. lumbricor. præp. ℨ ij. radic. galang. minoris, corticis Winterani an. ℨ i ß. salis absinth. ℨ ij. rubiginis ferri ℨ ii ß. balsam. Peruv. ℨ j. tinctur. sal. tartar. ℨ ij. balsam. Capivii q. s. f. massa, formetur in pilulas exiguas, dosis ℨ ß. vesperi & primo mane superbibendo julapii vel aq. destillat. sequentis ℥ iij.

℞. Aq. florum sambuci, è succo baccarum ejus fermentato, an. ℔ j. aq. lumbricorum magistral. raphan. compos. mirabilis an. ℥ ij. syrup. è succo baccarum sambuci ℥ ij. misc. f. julapium.

℞. Florum Cochleario hortensis, erucæi piperitidos, an. m. vi. radic. calam. aromatic. galangæ minoris, zedoariæ, iridis Florent. sambuci, Ari, an. ℥vi. cort. vvinterani, piperis Jamaicensis; an. ℥iij. baccar. juniper. ℥iv. Caryophillorum, zinzib. nuc. moschat. an. ℥j. incisis & contusis affunde vini Rhenani veteris ℔ viii. destill. organis communibus, liquor totus misceatur. Decoctum antihydropicum suprà inter diaphoretica describitur. Potus diæteticus loco Cervisiæ sumendus juxta formulam sequentem conficiatur.

℞. Rasur. lign. sancti, sassaphras, an. ℥ iv. radic. irid. Florentin. Calam. Aromatic. Galang. minoris, enulæ campanæ. an. ℥iß. baccar. juniper. lauri, an. ℥ ij. sem. anis. carui, fœnicul. dulcis, coriandr. anethi, an. ℥j. piperis. longi, cubebarum, an. ℥iß. caryophyllor. nucis moschat. zinzib. an. ℥ß. piperis Jamaicensis ℥ ij. folior. siccat. salv. acutæ, Scorodoniæ, Calamenthæ, Agrimoniæ, an. m. j. liquirit. ℥ iij. incisa & contusa coquantur in aq. fontan. congiis iv. ad medietatem. Colatura frigefacta servetur in lagenis vitreis ad usum: hujus potu constanti plures Anasarca ferè deplorata laborantes convaluisse novi. *Thom. Willis. Pharm. rational. part. 2.*

Consultationes.

Morbus quo vir Juvenis N. N. affligitur, nihil aliud est quàm Cachexia hydropica, ad Anasarcam proxime vergens, quod ex urina cruda colligitur, quatenus ventriculus quidem appetit, & concoctionem primam dextre tentat, ubi tamen concoctio, jecoris scilicet & lienis minus perfecte subsequitur, utpote quæ 80. viscera propter siccam intemperiem, cito nimis aquositates à ventriculo attrahunt, unde tota massa sanguinea aquea & serosa redditur: hinc urina copiosa, & accedente refrigeratione dysuria, sæpius etiam circa pubem atque partes genitales ob affluxum aquositatis, intumescentia generatur. Stomachi compressivus etiam dolor post cibum frequenter adest, quod à cruditatibus in ventriculo relictis oritur, unde post potum frequens est faciei intumescentia, quatenus hac ratione phlegmaticæ & aquosæ collectiones ebullire incipiunt maxime superfluitas illa serosa per tempus aliquot pedes occupare consuevit, ubi quotidie sudoris instar transcolatur, unde morbus levior redditur, cùm aliàs proculdubio totius corporis hydropicam intumescentiam produceret

duceret. Ut autem huic dispositioni præternaturam, per convenientia remedia obviam eamus, necessario eo respiciendum erit, 1. ventriculo, jecori & cæteris membris concoctioni prospicientibus illa convenient, quæ digestionem promovent, 2. collectio aquosæ serosæ materiæ dissipanda veniet, 3. tandem interna viscera, tanquam partes mandantes, & exterius parte ut partes recipientes corroborandi erunt.

Quoad primum, vinum, laxativum conveniet, tam ad primas vias evacuandas, quàm etiam ad aperiendas obstructiones in venis minoribus.

♃. Fl. persicor. genist. sambuc. an. p. j. centaur. min. p. ß. herb. agrimon. epatic. nobil. gratiol. soldanell. Card. bened. com. absinth. an. m. j. fol. senæ Alexandrin. S. S. ℥ j. mechoacann. turpeth. gummos. rhabarb. elect. an. ℥iij. rad. ebuli, hirundinar. ireos nostr. an. ʒ vi. cichor. ℥ß. cortic. sambuc. ʒvi. calam. aromatic. galang. an. ʒ ij. sem. cartham. ℥ ß. sem. cardui benedict. sem. anis. an. ʒ j. incisa & contusa dentur in sacculo ex serico albo, pro vino laxativo. Ubi per octiduum usus vini laxativi continuatus fuerit, necessarium erit, ut singulis diebus bis per quadriduum assumatur pulvis digestivus ʒß. pondere, cum vino absinthii vel cardui benedicti.

♃. Magisterii tartar. vitriolat. ʒ i ß. fœcul. bryoniæ ʒj. salis cardui bened. Sal. Genistæ an. ʒß. magister. corall. rub. ℈ ij. misce & divide in 8. partes. Hoc modo digestione facta sequens electuarium hydropicum aliquoties interpositis diebus, provocatione sumatur jejuno stomacho, quod.

♃. Mercurii dulcificati ritè præp. gr. xv. guttæ gamandræ gr. v. Conserv. rosar. ʒ ij. misce cum syr. rosat. solut. q. s. Quoad secundum, copia serositatum ulterius minuenda & discutienda venit, quod fieri potest tam per urinas, quo etiam sponte vergit, quàm per sudores. Per urinam promovebitur, ubi frequens erit usus spiritus salis vitriolati gut. v. vel vi. matutino tempore, cum brodio decoctionis rad. petroselin. sumti: permutationis ergo spiritus terebinthinæ recens paratus etiam usurpari poterit; ut & syrupus sequens, cochlearibus tribus.

♃. Syr. de althæa Fernelii ℥vi. Spir. tart. ʒij. misce. Ad sudorem promovendum plurimum inserviet decoctum sudoriferum, quod hoc modo paretur.

♃. Rad. Chinæ ℥ iv. sassaphras ℥ ij. Rad. cichor. rad. fœnicul. asparagi, eryngii an. ℥j. sem. Dauci, fœniculi, petrosel. an. ʒ iij. passul. minor. ℥ iij. tartar. alb. purificat. ℥j. Incisa dentur. De speciebus his dimidia pars in 6. ℔. aq. ferventis infundatur per noctem in loco calido, manè coq. ad 3. Hujus decoct. ℥ vi. matutino tempore sumantur, sudoris provocandi gratiâ, quod per octiduum repetatur. Nota vero quod ʒ iij. de rob. ebuli, cum ℈ j. mithridatii interdum præmitti possint, decocti ℥ iij. tantum superadditis, quo tanto felicior expulsio reddatur. Quoad tertium, interius pro corroboratione viscerum diligenter tragema sumatur, cum pane tosto ex malvatico, quod.

♃. Sp. diarrhod. abb. diatrion santal. an. ʒj. dialaccæ, diacurcumæ an. ʒß. magist. margar. ʒß. Corall. utriusq. an. ʒ j. tabul. manus Chr. perlat. ℥ j. sacchar. albiss. parum, ad saporem jucundum f. tragema. Exterius pedes etiam topica requirunt, ubi conveniunt balneum sudoriferum, partim aquositates eo translatas discutiens & resolvens, partim etiam corroborans, quod fiat ex decoct. nasturtii aq. beccabung. betonicæ, Chamæmeli, bacc. juniperi, laur. cort. ebuli, sambuci &c. sudor linteo, mastiche perfumato, detergatur, adhibito, simul pulvere pro fumo, qui.

♃. Mastich. succin. oliban. an. ʒiß. tacamahacæ ʒiij. lign. aloës ʒ ij. rosar. rub. m. j. f. pulvis pro fumo. Absterso sudore, pulvis, corroborationis ergo aspergatur.

♃. Absinth. vulg. heder. terrestr. scordii an. m. ij. Sabin. m. ß. fl. rosar. rubr. fl. anthos. flor. stœchad. salv. an. m. ß. farinæ fabar. farin. lentium, farin. lupinor. an. ℥ i ß. bacc. laur. juniper. myrtill. an. ℥ j. myrrh. mastich. an. ℥ß. m. f. pulvis per cribrum.

In victus ratione caveantur δύσπεπτα, quæ difficilis sunt coctionis: carnes potius assatæ quam elixæ sint: potus parcus sit, ubi vinum decocto sassaphr. diluatur. Sitis interdum passulis in vino maceratis, cerasis acidis condit. syr. citri, granatorum, berberorum & similibus fallatur. Hæc sunt, quæ pro tempore præscribere volumus, quibus Deus ex alto benedicat. Ulmæ, 14. Novemb. 1622. *Gregorius Horstius de Morbis infim. ventris.*

Abbatissa quædam septuagenaria, pallore totius faciei intumescentia, membrorum carnosorum flacciditate, pedum œdematode tumore, pectoris angustia, lipothymiis instantibus, subitanea lassitudine, dejecto appetitu, & similibus prehenditur.

Cum sub initium Febr. 1623. in consilium vocarer, protinus Anasarcam adesse dicebam, ex imbecillitate digestionis provenientem, quod non tantum externa signa testabantur, ut sunt pallor totius, sanguine phlegmatico & seroso cutis substantiæ imbibito, subitanea faciei intumescentia, propter crudum sanguinem in carnosa cute faciei minus ritè digestum, membrorum flacciditas, unà cum laudabili sanguine plurimis excrementis in ipsis carnosis partib. abundantibus; pedum tumor œdematodes, qualis ex abundantia pituitosi sanguinis oriri solet: Sed interna quoque symptomata satis hoc ipsum confirmabant, uti erat angustia pectoris, tam propter diaphragmatis compressionem, quàm etiam propter pituitam viscidam in bronchiis pulmonum, & congestione, & catarrho materiæ defluentis collectam: instans lipothymia, quatenus serum copiosius cordis capsulam quoque replebat, ibidemque ebulliens ejusmodi symptoma producebat: subitanea lassitudo totius, ob caloris nativi sæpius imminentem suffocationem: dejectus appetitus, ob copiam peccantis materiæ, vias primas etiam replentem, unde sitis etiam nulla admodum urgebat, In hoc casu leniendi affectus gratia, in tam decrepita ætate, eo respiciendum esse dicit: ut singulis mensibus, luna declinante lenitivum aliquod phlegmagogum exhiberetur, 2. concoctio ventriculi roboraretur, 3. jecur etiam ab obstructionibus liberaretur 4. tandem interius angustia pectoris, & exterius etiam tumori pedum, tanquam symptomatibus

urgentibus, succurreretur. Pro primo dilutum Agarici ordinavimus, quod.

℞. Agaric. ʒiiß. zz. ℈j. f. infusio per noctem vino & aq. veronic. q. s. mane colentur ℥iiß. adde syr. ros. solut. ℥j. extract. diacartham. ℈j. m. f. haustus. Pro secundo: corroborationis gratiâ sæpius usurpet trageam, quæ.

℞. Corall. rubr. præp. ʒiß. C.C. usti præp. ʒj. succin. alb. præp. ʒß. conf. arom. rosat. ʒj. manus Chr. perlat. ℥ i ß. m. f. tragea. Pro tertio: frequens sit usus conservæ radicum chicorei per se, vel cum brodio quodam decoctæ & extractæ. Pro quarto: angustiæ pectoris succurrendum; exterius inunctione, quæ.

℞. Ol. amygd. dulc. lil. alb. an. ℥ j. anethini ℥ß. terebinth al. ʒß. ceræ parum. f. linimentum. Interius. ℞. Oxymellis squill. ʒj. syr. de hyssopo, de glycyrrhiza an. ℥ß. aq. prasii, card. bened. an. ℥vi. misce f. potio pro 3. vicibus.

Item. ℞. Aq. asthmat. ℥vi. prasii, tussilag. an. ℥iß. conf. manus chr. perlatæ ℥vi. misc.

℞. Flor. sulphuris opt. ʒiß. sacchar. cand. ʒiij. m. fiat pulvis. tumori pedum, totiusque corporis ordinavimus electuarium sequens, quod.

℞. Rob. sambuc. ℥iß. mithridatii ʒß. syr. papav. errat. ℥ß. aq. aureæ langii q. s. f. electuarium, sumatur ℥ß. ante somnum. Exterius fiat fomentatio per decoctum sudoriferum hoc modo.

℞. Rad. ebuli ℥iv. herb. salviæ, betonicæ, rorismarini an. m. iij. bacc. laur. m. ß. juniper. m. iß. incisa & contusa coq. pro balneo sudorifero pedum. Hæc in gratiam ægrotantis, ab omni medicamentorum usu abhorrentis, paucissima fuerunt ordinata quibus aliquandiu fuit sustentata, donec morbo, senioque confecta, naturæ debitum solveret. *Idem ibidem.*

Vir quinquagesimum annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & humidi, habitus tamen potius obesi, & coloris ad album vergentis, & post vitam otiosam, ventri & veneri deditam proximo præterito autumno, incidit in febrem, primò acutam, mox in diuturnam transmutatam, in qua errores commisit in cibi & potus tum copia tum qualitate, neque ejus accuratam expurgationem admisit. Huic verò successit copiosa & exuberans hæmorrhagia, qua febris recessit, quo tempore tamen tussicula sicca eum exercuit, & statim cessante febre, sub initium hujus mensis, decolor omnino factus est, & albidior facies, manibus & pedibus sensim intumescentibus, necnon, paucis post diebus, tibiis quin etiam & femore, & tandem abdomine, & universo corpore, fovea à contactu relicta, tensio insuper in dextro hypochondrio tactu percipitur. De agendis consulit.

Leucophlegmatiam, hyposarcidium, Anasarcam licet aliqui distinguant, synonima tamen esse unumque, & idem significare voluit Gal. qui proinde ea distinguentes improbat, cùm tamen Hipp. leucophlegmatiam, id est pituitam albam non esse hydropem, sed in hydropem tandem desciscere censuerit, qui & incipientem, non albam sed vulgarem popularem pituitam appellavit. Uterque vero affectus est cachexiæ affinis, namque ex Avic. in Cachexiæ alimentum agglutinatur quidem, non assimilatur, in Anasarca nec agglutinatur, quod à Gal. desumpsit. Hoc igitur affectu laborat noster Pat. qui sicuti in sola aliqua particula œdema appellari solet, ita in toto hydrops Anasarca. Symptoma in actione sanguificatrice depravate læsa, quod vitium semper fit refrigerato jecore, & naturali calore destituto, præterea præsenti casu, organico quoque morbo affecto, ut patet extensione, ex tussicula sicca, qui calor licet sæpe ex suffocatione imbecillis reddatur, ob suppressam aliquam sanguinis evacuationem consuetam, hoc tamen casu, ejusdem pauperies & defectus supponenda, ex obeso habitu cum colore totius albicante, anteacta liberaliori vita, Veneri & gulæ dedita, ex febre, cum acuta, tum maxime diuturna, absque accurata corporis expurgatione, quæ omnia jecoris & totius calorem depopulari potuerunt, accedente externa pernicie, ex copiosa & longe uberiori hæmorrhagia, quæ jecur & totum refrigerans, febriculam quidem extinxit, verum præter naturæ scopum, ob sanguinem vitiatum non solum hepar, sed totius quoque venas cum arteriis, & omnes ejusdem partes refrigeravit, non parum opitulante hyeme, cujus causa jecur crudum & pituitosum sanguinem primo progenuit, qui in venoso genere perfrigerato perfectiori coctione non elaboratus, neque adhærere, minusque ob partes refrigeratas assimilari potuit, unde nil mirum, si decolor primò fuerit. Pat. & postmodum extrema, utpote magis à fonte caloris semota, ac proinde primò perfrigerata intumuerint, moxque totum corpus atque ideo hydrops Anasarca subortus, fuerit.

Morbus equidem magnus, ratione essentiæ, quia magna intemperies, ratione partis affectæ, quia læsum jecur, imò totum, ratione quinetiom symptomatum, quia læsa sanguificatio, ratione resistentiæ & pervicaciæ, quia difficilem sanationem admittit, imò ex Hipp. impossibilem cui consentire videtur & Aret. dicens, quod totum hominem permutare Medico opus est quod, neque Diis ipsis facile fuerit. At quoniam facta pericula inter species hydropis comparatione non conveniunt Auctores, Anasarcam enim periculosiorem existimavit Hippocr. & cum eo Amatus, Vega, Vidius, Tympaniten Altimarus, Valesius Mercatus, Pereda. Asciten Costæus, Valezius. Avic. Rhasis. Ideo aggredienda curatio, cum soli inveterati hydropes, qui totius habitum corruperint, Ab Ætio insanabiles censeantur, de quibus Hipp. 4. Acut. si tamen hic liber sit ejusdem, videtur autem Anasarca minus periculosus, cùm humor proprius ad naturam sanguinis accedat.

Medicæ itaque intentiones curando huic affectui erunt quinque, primò evacuandi humores in primis viis conclusi. Secundò auferendæ jecoris obstructiones. Tertio totum evacuandum. Quarto corrigenda frigida, tum jecoris tum totius intemperies. Et tandem jecur corroborandum, tostumque exsiccandum.

Et in Chirurgico fonte, inter hydropis species; solus hic sanguinis missionem admittit quando fit ex nativi caloris oppressione & suffocatione aut ex plethorica, dispositione, aut ex suppressione mensium, vel hæmorrhoidum. Si cum Hipp. & Gal. Avic. & Trall. verum in principio, alioquin, cùm sanguis in cacochymiam desciverit, medicamentis purgantibus utendum. Locus erit ex venis superioribus ple-

plethora vigente, ex inferioribus vero, suppressis mensibus aut hæmorrhoidibus. A Italorum vero scarificatione, quantum fieri potest, abstinendum, nec nisi toto tumente corpore adhibenda quæ mente, tum à Galen. tum à Celso proposita fuit. Antiqui Pat. ad Solem, tecto capite, inungebant oleo, multo sale admisto, & multa salsugine perfundebant. Alii arenis, potissimum marinis & acribus, hydropicos cooperiebant, detergere enim, detrahere, extenuare, digerere, colliquare, & violenter exiccare materiam sunt aptæ: addit Nicolaus & incinerationes, quorum tamen remediorum loco, nos hypocaustis & sudoribus uti solemus, ut infra dicetur: Interim frictiones manibus madefactis aqua vitæ, pipere alterata, administrari debent: quibus præmittendæ linteis calidis, sed asperioribus factæ. Circa vesicas, è crustas, vesicantia, cauteria, quæ facile à plerisque, & potissimum à Fernelio excitari solent, cautè agendum, namque copiosa attracta materia, facile calore particulæ suffocato, gangrænam inducunt.

Ad primæ itaque intentionis executionem deveniamus, lenientibus, præparantibus, & purgantibus. Primo itaque.

♃. Elect. lenit. ℥ vi. hieræ picræ Gal. ʒ j ß. magist. mechoac. gr. vi. m. f. bolus duabus horis ante cibum assumendus.

Vel ♃. Mel. rosat. colat. oxymel. s. aq. vitæ an. ℥j. m. pro syr. & sic pro aliis. Purgetur verè materia præparata hac ratione.

♃. Pilul. de hiera cum agaric. alephang. aggreg. an. ʒ ß. magist. mechoacan. m. reform. pilul. cum vino malvatico, & exhibeantur v. horis ante cibum. Repetatur demum præparatio tali pacto.

♃. Syr. de v. radicibus, byzant. cum aceto, oxymel an. ℥ß. decoct. menth. cuscutæ, pulegii, origani, calamenthi, spicæ ℥v. m. pro aliis, cui præmittatur bolus hujusmodi.

♃. Troch. cyphoidis, de eupatorio an. ℈ j. m. & cum vino malvatico reform. bolus & aur. efficaces quoque sunt pastilli Trall. Deinde repetatur purgans, hac formula.

♃. Pil. aggreg. de hiera cum agaric. an. ʒß. alephang. ℈ j. magist. jalap. gr. viii. vini malvat q. s. m. reform. pilul. & aur. sequenti vero die, assumat bolum ac theriaca, purgantium enim medicamentorum vim deleteriam corrigit. Sed quoniam, tum jecur obstructionibus magis expeditum & totum accuratius expurgatum esse par est; ideo utrumque præstare poterit syr. cachect. Fernelii constat enim ex flor. & radic. aperientibus & purgantibus, qui assumi debet ad ℥ ij. quotidie, in vino albo, xii. aut xv. dies. Et quoniam materia noxia in universum corpus redundat; ideo non solum per alvum, sed & per omnes corporis partes hæc evacuanda. Quare secundo loco urinam ducentia usurpanda, & bolus ita parandus.

♃. Tereb. Cypriæ, lotæ in aq. agrimon. ʒ j. sal. agrimon. gr. v. m reform. bolus, cui superbibat decoct. prassii, chamædryos, agrimon. ℥vi. spir. sal. gut. v. m. in cujus usu persistat 15. aut 20. diebus; & si res pro voto succedat, diutius quin etiam. Et tandem humor in ambitu corporis hærens, decocto, & sudoribus discuti, & evacuari debet. Paretur autem decoctum ita.

♃. Ligni Indi resp. ℥ij. rad. imperator. ℥ j. lign. sassaphras ℥ ß. aq. meliss. agrimon. an. ℔ ii. m. f. infus. per 24. horas, deinde bulliant ad consumptionem dimidii, in fine ebull. adde vin. alb. odorat. ℔ j. bul. & colatur. servetur pro tribus vicibus, præsumpto bolo hujusmodi.

♃. Sal theriac. ℈j. sal. absinth. gr. v. pulv. hepatis lupini ℈ ß. m. & cum vino malv. reform. bol. j. & aur. in hac vero intentione, præsentis sunt usus foveæ sulph. post hypocaustum usurpandæ; sicut & luta sulphurea, & balnea Aponensia poterunt etiam postremam intentionem implere; quæ si præsto non fuerint, substituantur balneum, ad pedum tumores, lixivio fervefacto cum ebulis & sale; facta postea inunctione hujusmodi.

♃. Ol. amygd. amarar. ℥vi. semin. anethi, cymini, baccarum juniper. an. ʒ iij. salis, aluminis an. ʒ ij. vini malvat. ℥ ij. aq. vitæ ℥ j. m. bull. ad consumpt. vini & aquæ pro inunctione. Interim in usum revocet absinthium, quolibet modo paratum, vel bibat aliquando cyathum lixivii, ex vino albo & cinere juniperino parati, vel utatur theriaca, cum cyphoide, de qua,

Invadat quoties hydrops mala corpora, livor
Inficit, hac fies liber ab Antidoto.

à qua exhibeatur potu asari decoctum. Quare parabitur bolus hujusmodi.

♃. Ther. veter. ʒß. confect. cyphoid. quam de vino vocant Arabes, ℈i. hepatis lupini ℈ß. m. refor. bol.

Circa victus rationem Trall. ambiens frigidum quam maximè damnat. Victus sit calefaciens, attenuans & exsiccans, & medicus inter crassum & tenuem. Panis biscoctus. Vinum sit paucum, tenue & antiquum: solo enim parco usu vini malvatici quidam est sanatus, ex Nicolo; quam minimum bibat, & quamplurimum laboret; multum ambulandum, currendum aliquando est. Ubi concaluerit, adhuc à venere abstineat. Ad alvum movendam, utatur pilulis alephang. cum magist. mechoac. Et hæc in casu præsenti satis. *Raymund. Joh. Fortis Consult. tom. 1.*

Observationes.

Puella quædam trium annorum anasarca totius corporis inflata, penitus abhorrens ab omni medicamento, per usum mercur. dulc. cum gr. aliquot magist. jalap. restituta fuit morti proxima: quæ repetitis vicibus sine molestia copiosè prædictis evacuata fuit, subsequente quoque quoque balnei medicati usu corroborationis gratia. *Gregorius Horstius Epist. 2. ad observ. 32. lib. 4.*

Vir quidam vexabatur vermibus longis, corpus præterea totum intumescebat, & humore circumfluebatur, aderat ciborum fastidium, sitis inexhausta, faciei tumor, & color albus, urinam reddebat rubeam & pauculam. Cœpi huic mederi in istum modum.

♃. Extract. esul. ℈ ij. juris pilorum ℥ v. mixta, colataque potioni dabam singulis tribus diebus, & cum aliquoties sumpsisset, vermes ore longos ejecit, alvo vero aquositates omnes dejecit: & intra mensem, Dei auxilio præter spem omnium integram sanitatem adeptus est. Victus ratio erat tenuis, vinum bibebat subtile & album, frequenter etiam hoc decoctum diureticum.

℞. Bacc. Juniper. contus. m. iij. decoquantur in aq. fontanæ q. s. ad tertias. *Martinus Rulandus. Cur. 64. cent. 2.*

Aqua intercutem cùm vehementius urgeretur puer, tantaque intus contracta esset, ut alvus nullam in partem movere posset omni auxilio medicorum destitutus, temerariam sic libertatem vindicavit: quare aquâ quantum poterat epotâ in ultimum sese mortis discrimen male sanus præcipitavit. Verum sive id aquæ contractæ impulsu, sive ope naturæ factum sit, soluta est umbilici unitas: indeque tanto impetu aqua profluere cœpit, ut supra ventrem cubitos tres ascenderet: quo sane vitam finisset, nisi circumassistentes opposita manu aquam fluere non permisissent: hinc medico accersito, & aqua paulatim educta, ac curioso victu, & cæteris quæ ad rem facerent injunctis, brevi tempore in pristinam redactus est sanitatem. *Antonius Benevenius cap. 12. lib. de abditis morborum & sanationum Causis.*

Vir quidam robustus, mediæ ætatis, postquàm febre quartana epidemice contracta, & ab initio male tractata supra annum laborasset, ac interim malâ victus ratione usus fuisset, in hydropem Anasarcam incidit, quæ deinceps, cum pro siti (quæ immanis erat) restinguenda potui liberalius indulgeret, brevi in immensum accrevit; adeo ut membris omnibus à capite ad calcem, ipsoque insuper abdomine intumefactis, se in lecto de latere in latus, sine ministrantium ope devolvere nequiret. Hunc primò invisens, & de curatione desperans (sicut Medicus apud Celsum lib. 3. cap. 21. qui Hydropicum quendam intemperatum sanari posse negabat) illico prognosticon hoc dixi, eum scilicet ni potu abstineret brevi interiturum. Ad quod respondens ille, profitebatur se, modo salvari possit, hebdomadæ spatio non omnino bibiturum. Et quidem dictum factum, admodum licet siticulosus per 6. aut 7. dies vix quidquam liquidi, nisi quod medicamentum fuit ore ingerebat; atque per id tempus, cùm interim hydragoga Cathartica, & diuretica, quin & alia quælibet præscripta sedulo assumeret, multo melius habuit: & postea methodo (qualis supra describitur) aliquandiu adhibita, ad sanitatem integram restituebatur, & etiamnum post 5. circiter annos vivit ac sanus degit. *Thom. Willis. Pharmaceut. rational. part. 2.*

Olim pro generoso quodam valdè cacochymo & doloribus nocturnis à lue venerea, male, aut minime curata, oriundis miserrime divexato consulebat Multa præscripsi, sed in cassum; quia medicamenta plurimum obhorrens, ferè nihil præter laudani dosin semel tantum aut bis in hebdomade pro sedandis doloribus ei concessam sumere voluit; brevi hydropicus factus, ab Ascite simulque Anasarca in tantum intumescebat, ut vix. à latere in latus, sine ministrantium auxilio se devolvere potuerit. In hoc statu ad eum denuo accersitus, & præceptis medicis obstinatum reperiens, quod supererat, mortis non longe abfuturæ, & pro certo expectandæ, propterea ut se. & res suas propter æternitatem componeret, prognosticon dedi. Ille non multum purturbatus, obnixe rogabat ut εὐθανασίας gratia Laudanum nostrum, parcius ante permissum ad libitum, aut saltem quoque vespere sumeret: hoc cum addixi, Postea pharmacum illud quotidie sumpsit ille, & quotidie dosin auxit, ita, ut brevi tempore quantitatem ejus vix credibilem absumsisset. Pharmaco hoc unico constanter usus in dies melius habuit, ac intra mensis spatium in tantum convaluit, ut, tumore omni, & doloribus immunis factus, stomacho valeret, & foras obambularet. Ab assiduo hujus opiatæ usu, sitis, antea multum urgens, cessabat; & quaque nocte in sudorem magnum dissolutus, insuper & urinam copiosam excernebat. *Idem part. 1. Pharmac. rational.*

Ingenuus annor. 20. adolescens, post inordinatam victus rationem, & largiorem aquæ potum, leucophlegmatia correptus, atque juxta Hipp. decretum, lib. de int. affect. hydragogis, diæta exsiccante & hepar roborantibus, quinq; mensibus tractatus est. Tandem natura à crudorum humorum saburra quadantenus sublevata, residuum causam morbificam à centro ad circumferentiam propellens, quinque magnos diversis in locis produxit abscessus, quibus suppuratis & ultra libras tredecim materiæ purulentæ effundentibus, Adolescens restitutus est. *Nicol. Guil. Beckers.*

C. I. S. à S. ab infantia aquæ simplicis potui assuetus, vini & cerevisiæ prorsus abstemius, octennis à Gonzaga, Principe quodam Italo, in Siciliam deductus, diætetice valde, Italorum more, educatus fuerat; octennio post Germaniam reversus, in R. & I. D. A. S. E. F. D. B. Epheborum nobilium numerum receptus est. Sed cum more aulico inordinate vivere, equitationi & venationibus dies noctesque indulgere, ac vigiliis multis sese defatigare oportuit, ex humorum crudorum collectione in leucophlegmatiam, & demum anasarcam, concomitante scabie valde molesta, inciderat, Monachii Proto-Medici Electoralis cujusdam percelebris curæ & medicationi se commiserat, qui illum priori sanitati quidem restituit, hac tamen injuncta cautela, ut in posterum ob stomachi debilitatem & jecinoris discrasiam, aquæ frigidæ & simplici desuesceret, omnia cruda, salsa, & acida vitaret, & placatiori vitæ generi studeret. Verum ad aulam Principis sui is rediens, ex juvenili licentia, ac posthabitis diætandi præscriptis, febre tertiana notha afflictus, in veterem mox tumorem hydropicum relapsus, Ratisbonam veniebat, atq; consilium meum implorabat: quem demum intra bimestre penitus omni hoc malo levavi, & inter alia vino quoque paulatim assuescere feci, dum primò decoctum aquæ simplicis, corticibus citri exterioribus & recentibus tinctum, in mensa potui porrigi, subsequenter aliis diebus succum carnis citreorum immisceri, paulatim vero, sed inscio illi, vinum postea aq. dilutum opponi jusseram ac ita fraus feliciter successit, ut posthinc se bene haberet, & vini amantissimus in Oenomachia alteri non facilè cederet. *Helvvigii.*

Anatomicæ Inspectiones.

Corpora sive pituitosa, sive fibrosa sæpius in cadaveribus Cachecticorum, diuque & frequenter ex morbis decubuorum inveni. Basileæ anno 1644. cum Clar. D. D. Felice Platero, fœminam ascite & Anasarca diu ægrotantem, tandemque fatis concedentem aperui. Invenimus cordis sinistrum ventriculum & aortam arteriam

teriam, in quibus corpora hæc contenta erant, tantum non duplo fuisse majores naturalibus. *Joh. Jac. Wepferus Exercit. de Apoplexia. pag.196. & 200.*

Juvenis Anasarcâ diu cùm laborasset, subitò incidit in icteritiam, deinde in hæmorrhagiam narium, post in subitam mortem. In cujus cadavere aperuit. Hepar subalbidum, cum magno abscessu in parenchymate, lien supra modum maximus, lapidibus albissimis plenus. *Nicol. Fontanus Respons. & curat. pag. 90.*

Sexagenarius qui mendicando vitam sustentaverat, postea valetudinarius in Nosocomium delatus est, ubi per tres septimanas commoratus obiit. Ante sex circiter menses ex victu pravo in leucophlegmatiam inciderat, quæ paulatim in hydropem Ascitem, & hydrocelen insignem Scroti degeneraverat aderat insignis pedum tumor, appetitus dejectus cum perpetuo alvi profluvio, ex dejecto viscerum tono.

Cadavere aperto, hæc p. n. erant præcipua. In abdomine aqua reperta mediocri copia, multum enim natura aut per secessum aut per diadosin exoneraverat: Hepar à naturali statu non multum aberat, nisi quod paulo pallidius; Sed lien tam exiguus ut dimidiam magnitudinem; quæ reni naturali est, vix haberet; similiter flaccidus valde & pallidus erat. Ipsiusque vasa, quæ ad Portæ truncum & ventriculi fundum feruntur, vix præ tenuitate conspicua; in folliculo fellis (qui tamen mediocrem bilis quantitatem tenebat) tres erant calculi miræ constitutionis, unusquisq; enim eorum mori fere figuram repræsentabat, nisi quod altius incisi erant, & partes ita sibi cohærebant ut uvæ rariores in uno racemo, cæterum leves, nigræ & friabiles, carbonis tenerioris instar. Renes à naturali magnitudine & situ ut non aberant, sic colore multum à naturali recesserant: nam lactis fere instar albicabant; in thoracis cavitate sinistra aquæ nonnihil inventum, quæ & in pericardio debito plus abundabat. Dextri autem lateris pulmo passim partibus continentibus erat adnatus, totusque fœdo ichore scatebat, cujus vitia etiam in sinistro apparebant, cordis autem cavitas, ut & magna ejus vasa humore viscido, albo & tenacissimo infarcta erant adeo ut credibile talem & sanguinem in ipso fuisse, *O. Heurnius obser. 19.*

Anno 1625. Religiosi cujusdam Anasarca defuncti cadavere aperto pulmones utrinque costis arcte adhærebant, cætera omnia vitii expertia: *Joh. Rhodius Manxissa obser. 10.*

Non immerito Hippocrates 2. Epidem. Sect. 1. occasiones considerare jubet ex quibus laborare quis incipit, sive ex capitis sive auris, sive lateris dolore. Etiamsi autem Galenus non uno loco asserat antecedentem causam neutiquam morbum gignere, nisi adsit præcedens dispositio, id tamen certum est eam esse quarundam causarum externarum efficaciam, ut vel corporibus optime constitutis effectum imprimant citra apparatum morbificum. Exemplum nuperrimum suppeditavit exiens September anni 1678. Pueri duo, spectatæ familiæ, laudabilis constitutionis, unus decennis, alter quatuor annos natus, puerili affectu, capitis scilicet scable, leviter infecti, à vetula inunguntur butyro, (ut asseruit) cocto & salito, alteri rei impermisto, vix exacto biduo major natu leucophlegmaticus evadit toto corpore, accedit difficilis respiratio & sitis intensa citra tussim: Porrigitur illi ptisana ex radic. fœnicul. & irid. recent. confecta, ex mulercularum consilio, ad alvum simulque lotium cienda, unde intendebatur tussis, triduo, horis matutinis, ante obitum accersor: in parato erat potio purgans, cujus exhibitioni annuo, ad serosi humoris eductionem, quam puer effudit, vomitu se haustam exclusisse dicens: ob affectus urgentiam mannam in jusculo dissolutam cum tartari cremore & pulvere mechoacann. præscribo, cujus haustum vomitum illico sequutus, vix enim continebat ventriculus, in angustias redactus à subditorum viscerum tumore, abdomen quippe (sicut in hydropico) admodum etat distentum. Exhibitum tandem mortulum ex mechoacanna non respuit ventriculus, a quo plures & numerosæ dejectiones, quanquam venter nehilum detumuerit. Paulo post suffocationis metus ingruit, respiratio fit μετέωρος, atque ut equus cursu fatigatus ilia ducit Puer: injecti clysteres (cui soli præsidio postmodum locus fuit, ob collapsas vires) ne momento morabantur, quanquam humorum copia & flatuum succederet. Alimentum, ne angustia major evaderet, exiguum & ex cochleari tantum dabatur, succus scilicet ex coxa vervecina expressus, addito ovi vitello. Respiratione tandem difficiliori facta, aucto tumore ventris & totius habitus, præsertim labii superioris, exacto tertio, à quo mihi commissus fuit, die interiit: exenterationem concessere parentes, quod frater ejus natu minor, toto corpore esset tumidus, quanquam ὀρθοπνοϊκός, iisdemque premeretur symptomatis, inter quæ impeditus in dorsum & latus sinistrum decubitus, cum ἀσφυξία, quod delitesceret arteria, nec se explicare illi liceret, obrutæ a madore carnium.

Reserato abdomine vastum jecur se obtulit, lienem altero extremo contingens, sed citra labem: ventriculus exhibitum paulo ante obitum succum carnis continebat, cui lumbricus semivivus innatabat. Intestina flatibus, fœcibus & lumbricis turgebant; Lien naturalis erat, quanquam in plures lobulos discretus: vesica lotio semiplena, quod paucissimum toto morbi decursu emisit: Renes fuere inculpati: mesenterium glandulis destitutum, videbatur, quanquam ansam tumori illarum, ob ἀδδηφαγίαν, dedisset puer veracissimus. In pectore mortis & affectus causa se exhibuit; quod hydrope laborabat, sero enim cruento, latere præsertim dextro, erat refertum: pulmones, sinistri costis versus dorsum arctè affixi erant: utrique vitiati, colore vario, viridi nigro: dissecti ubi candicabant, purulentam materiam effundebant. Cor erat magnum quale adulti hominis: aqua copiosa in pericardio, caput apertum non fuit quod causa mortis manifesta videretur *Christ. Guarinonius Consil. 378.*

In Cadavere fœminæ Anasarca laborantis, sequentia notanda erant: Ex abdomine aqua effluxit subflavi coloris in mediocri copia, odoris admodum fœtidi. Peritoneum, omentum, & intestina parvis cirofulis durioribus inquinata valdeque inflammata, muco undique obsita

diver

diversæ magnitudinis, quarum majores imperialem excedebant; hæ per incisionem apertæ & extractæ materiam continebant albicantem & quasi tophaceam. Lien parvus & subrotundus, colore tamen naturali. Pulmones lividi, lobusque dexter inflammatus, ex quo inciso sanguis stillabat nigricans. *Carolus Rayger. in Miscell. cur. anni 4. observ. 3.*

Nobilis fœmina vidua, per multos annos pedem graviter ulceratum & fontanellam etiam in altero pede habuit. Horum diuturna molestia defessa per Chirurgum consolidari curavit, quo facto, statim spirandi difficultas occupat, appetitu edendi non ejecto, imò, ipsa dicente, jam vegetiore reddito, ita ut desiderio indulgere, ab asthma, nunquam ausa fuerit. Tandem totum corpus intumuit, & asthmate aucto, viribusque diuturintate fractis & attritis, vitam reddidit.

In hujus post mortem latere sinistro, ad lienis situm, abscessus, quem omnium cum admiratione occultum habuerat, apertus inventus est, ex quo, defuncta jam ipsa, magna fœdissimæ saniei copia effluxit.

Sunt perplurimi, & nomine & superficie nasuti Medici, qui causam hujus asthmatis & ulceris occulti, fontanellæ aut ulceris consolidationi imputarent: quod reverâ non est, si quis solummodo consideret, fontanellam, esse aliud nihil, quam ulcus artificiosum, cujus puris evomitus, non ab omni parte corporis corrodatur, sed in ipso hoc ulcere produci, à succo nempe chyloso, ex vasculis in ulcere ruptis, emanante, & ob acoris contractionem, coagulante. Sunt certè cœci & talpis terram rostro evertentibus, qui hoc non animadvertunt. Unde ejus ulcus in altero pede ortum duxit? nisi ab humoribus eodem in loco restagnantibus, unde inflammatio & ulcus: vascula interim lymphatica, continuo lympham reddentia, ulcus, ne ad consolidationem duceretur, perpetuum produxerunt. Eandem ob restagnationem, ulcus in latere sinistro productum; eademque causa pulmones reddidit obstructos, aërique spirando minus permeabiles, unde respirandi difficultas & asthma. *Stephan. Blancard. in anatom. practic. rational.*

Judicis secundarii Nemausensis, Anasarcâ defuncti, cadaver tumultuariâ anatome dissectum & exenteratum, serô diffluebat. Viscera inculpata. Vesicam felleam lacteus humor distendebat. *Ex communicatione Clariss. Rivalier Medic. Nemausens.*

HYDROPS PECTORIS.

Pectoris regionem Hydrope nonnunquam affici, & certo & multiplici indicio plane constat: namque illud in viventibus aquarum fluctuantium sensus ac sonitus, inque defunctis αὐτοψία Anatomica evidentissime demonstrant. Attamen circa morbi hujus causam, & fiendi modum, quibus nempe viis, & quasi ritu dispositis, aquarum intra Thoracis specum aggestio primo incipiat, dein sensim augeatur, & sæpenumero insensim donec morbus deploratus evadit continuetur, res adhuc in abstruso latet. Siquando hydropis aut Anasarcæ affectus generalis existens, & carnes, & viscerum cavitates, ubique, aut plerisque in locis occupaverit, nihil mirum est, si aquarum istarum illuvies etiam pectoralia occupabit; attamen præterea interdum accidit regionem Thoracicam, aut primo, aut solummodo inundari, cæteris interim partibus ubique satis sanis, aut secundario tantum læsis.

Circa morbi hujus ortum & generationis modum valde ambigitur, undenam & per quos ductus, aquarum illuvies, uspiam intra Thoracis specum reperta illuc perveniat, Authores nonnulli eam desuper, viz. à capite per tracheam descendere, aliique scaturiginem ejus ab infra derivantes, à cavitate abdominis, quandoque item ab hepate vel liene, aquas istas in pectoris cavitate per vias nescio quas cæcas deferri statuunt. Verum neutra ex his sententiis aut assensum nostrum vendicat, aut elenchum meretur: nullus enim sanguinis, & humorum in corpore transitus perpendens, aut hanc, aut istam commeatus viam agnoscet; quin vero statuere oportet, humorem serosum hydropem pectoris excitantem, illuc pervenire, aut specie vaporis, qui à præcordiis & Thoracis parietibus exhalatus, in quam facile condensatur; vel 2. serum illuc deponitur sub propria forma, quatenus nempe è vasorum, sc. Arteriarum osculis reseratis, in cavitatem istam exudat. Utrum lymphæductus, aut chyliferi alicubi aperti, aut disrupti, morbum istum quandoque pariant, mox disquiretur.

Quoad prius, in tantum probabile est, Hydropem pectoris, à vaporibus intra specum ejus condensatis nonnumquam oriri, ut mirum videatur quomodo uspiam secus habeat, aut quispiam à tali affectu immunis degat. Quantum enim vaporis est, quod à sanguine ebulliente decedit? cumque in præcordiis iste insignius defervet, qui fieri potest, quin vapor copiosus in claustro hoc, velut sub Alembico conclusus in aquam condensetur? Et quidem non facile erit determinare, cum halitus vaporosi intra pectoris specum ita perpetim aggerantur, quid de iis fiat, quomodo absumantur, aut exinde foras ablegantur. Profecto dicendum erit, eos vel Thoracis parietes penetrare, vel (quod potius videtur) in pulmonum poros insinuari, adeoque inter expirandum avolare. Utraque sane via vapores Thoracici exhalare possunt: & forsan si alterutra deficiat aut præpediatur, propterea hydrops pectoris accietur.

2. Verum insuper opinari subest morbum hunc etiam modo altero, (viz. quatenus serum sub propria forma è vasis exudat) interdum contingere. Enimvero in constitutione corporis cacochymica, aut valde scorbutica, ubi sanguis aquosus & debilis serum superfluum è compage sua passim dimittit, & ab arteriarum osculis etiam laxis & patentibus ubique ejiciens circulationis filo excludit, nihil usitatius est, quam cavitates, nec viscerum, non & præcordia, imo & cerebrum ipsum illuvie aquosa inundari: porro in tam generali ad hydropen diathesi, regionem modo hanc, modo istam vel alteram, primo & nonnunquam fere tantum occupari: quandoque item penetralibus intactis, carneis exteriores, sc. musculos eorumque interstitia, ab illuvie serosa inundari.

3. Inter vasa materiem hydropicam in pectoris cavitatem infundentia, lymphæductus, &

Tubi chyliferi merito in suspicionem veniunt. Ad priores quod spectat, αὐτοψία Anatomica constat, ingens horum satellitium totos pulmones perreptare, atque ab exterioribus eorum oris citerius latos, versus ductus Thoracicos tendere, iisque laticem suum, quem à sanguine arterioso superfluum ubique absorbent, maxima ex parte infundere. Si quando igitur hæc vasa obstruantur aut quoquo modo à munere suo defungendo impediantur necesse erit aquarum in pulmone aggestionem fieri; quæ postea in pectoris cavitatem decidentes, regionis istius hydropem, excitabunt. Enimvero hac lympha in compagem pulmonarem restagnante sæpenumero accidit vesiculas hydatidas dictas, in extima hujus visceris superficie excitari, quæ postea disruptæ, & aquas in thoracis cavitatem dimittentes, ibidem Ascitem producunt. Hujusmodi affectio in ovibus, quando ob tempestatem humidiorem, & pascua aquosa ab hydrope gregatim intereunt, passim cernitur. Et quidem nonnunquam in homine, pectoris Asciten à tali causa procedere sequens Historia (cujus subjectum morbi hujus spirans exemplum existit) plane arguere videtur. Nuper Adolescens satis sanus & robustus venationi, equitationibus improbis, aliisque corporis exercitiis quantumvis immodicis, dudum impune assuetus, tandem in Thorace plenitudinem seu velut inflationem quandam persensit; in tantum ut pulmonis latus sinistrum intumescere, & cor extra locum suum dextrorsum protrudi videretur: ea namque ex parte pulsatio ejus maxime percipiebatur. Postquam in hoc statu aliquandiu perstiterat, quodam die cujusdam quasi vasis intra Thoracis cavitatem disrupti sensum habuit, indeque per semi horæ spatium in regione ista humoris velut ab alto in pectoris fundum cadentis, stillicidium non tantum ab eo percipi, sed etiam ab stantibus audiri potuit. Quanquam affectus hujus raritate primo attonitus esset, quia tamen exinde vires, appetitum, somnumque, aliaque naturalia satis recte valeret, mox denuo securus, & medicinæ negligens evasit: postmodum vero à corporis motu, inclinatione, aut agitatione quavis in latere sinistro aquæ intus aggestæ fluctuatio ab ipso persentiebatur; quin etiam ab aliis motus, & sonitus evidentissime, tum tractatu tum auditu percipiebatur. Hinc cum extra dubium fuerit Dominum insignem pectoris hydrope tunc affici, ita verisimillimum videbatur morbum istum ex eo originem duxisse, quod lymphæ ductus ad pulmonis latus sinistrum spectantes prope insertiones suas in ductum chyliferum primo obstructi, ad molem ingentem intumescerent, & postea disrupti humorem suum in Thoracis cavitatem extillarent.

Quando nunc præcordiorum arcisque adeo vitalis inundatio immineret, tandem vir egregius sibi prospiciendum ratus medicinam adiit, & curationis ergo pharmaca quædam ruri sumsit, sine ullo tamen fructu notabili. Deinde Londinum adveniens primo D. D. Louver sibi prius notum consuluit. Hic Thoracis apertionem quasi unicum remedium proponens D. D. Michlethuvait, meque in consilii partes adsciscì curavit. Dein communi statim omnium consensu lateris sectio decernitur, itaque post factam totius provisionem, chirurgus inter sextam & septimam vertebram cauterium applicuit, & postridie foramini in pectoris cavitatem secto canalem indidit, quo facto statim liquor crassus, ac instar chyli albescens, & quasi lacteus effluebat. Hujus prima vice tantum sex circiter unciæ detrahebantur, & postridie tantundem. Die tertio cum paulo major quantitas exire sineretur, magno statim languore affectus, & deinde febricitans per diem unum aut alterum male habuit. Quapropter donec temperiem & vires recuperaret, materiæ istius exitum inhibere, visum est: postea vero ejusdem evacuatione tantum parcæ quotidie facta, pectoris cavitas fere in totum manebatur: ad hæc vero canalem cum epistomio in foramine gerit, quo semel nycthemeri spatio aperto humoris usque tantillum emanat: interim, stomacho vultu & viribus valens, foras obambulat, equitat, aliaque exercitia prius assueta satis vegete obit. Pharmacia haud multa usus est aut opus habuit. Post sectionem cardiaca temperata, sc. pul. perlarum, Julapia, & quandoque hypnotica, & postea decoctum traumaticum quotidie bis sumendum præscripsimus.

Hac methodo, & medicamentorum formulis aliquandiu continuatis, vi insignis temperiem, vires, corporis habitum, imo & pectoris immunitatem recuperare visus erat, usque tamen cannam argenteam in lateris foramine (è quo ichor quotidie effluxit) gerebat: cumque post aliquot menses hac subtracta fontanella ista occluderetur, intra pectoris specum, ejusdem humoris, per sonitum & fluctuationem perceptibilis aggestio fiebat: deinde vero cum recurrente morbo idem recurreret remedium, proindeque lateris apertio decerneretur (forte natura hoc chirurgi munere defungente) ea sponte obveniens, materiæ ad erumpendum aptæ exitum præbebat. Jamque necesse incumbit ad præcavendam pectoris illuviem, foramen istud quasi lacunam constanter patefieri.

Ex his satis constare arbitror, pectoris Asciten quandoq; ob vasa lymphatica intra pulmonem disrupta exoriri; nec minus dubito quin idem affectus etiam à ductibus chyliferis intra thoracem diffractis excitari possit; attamen hic casus tam raro contingit, ut eum hactenus neque ex propria observatione, nec aliorum relatione cognoverim. Porro minime refert talis morbi Ætiologiam inquirere, quia non tantum incurabilis, sed brevi lethalis existit, quia sc. à chyli inundatione præcordia statim obruentur, simulque sanguis & spiritus animales succi nutritii vectigali solito defraudati illico exolventur.

Ex variis hujus morbi causis modo designatis, facile erit differentias ejus colligere: nem primo pectoris hydrops aut affectio simplex & primaria est, regioni huic peculiaris; aut secundaria, sc. hydropi generali superveniens ut in cachecticis crebo assolet. 2. hic morbus distinguitur quoad loca affecta nempe quatenus aqua vel in toto pectore colligitur, vel tantum in altero ejus latere. 3. quoad materiam in Ascite pectorali aggestum, quæ modo limpida & plane aquosa est, modo crassior, albicans & quasi lactea, qualis in præcedenti historia describitur.

Signa diagnostica satis manifeste hunc morbum

bum produnt: nimirum aquarum fluctuatio tractatione, & corpore inclinato sensu percipitur, ejusque sonitus plane auditur. Porro affecti tussi sicca & inani plurimum molestantur, nec non dyspnœa fere continua & gravi, præsertim dum loca acclivia ascendunt, afficiuntur: insuper adsunt sitis cum febricula, & noctu post primum somnum, propter vapores à calore tunc intensiori elevatos, magna inquietudo, & corporis jactatio. His interdum accedunt cordis palpitatio, pulsus intermittens, aut perturbatus, & crebra animi deliquia. Quoad prognosin, morbus hic sanatu semper difficilis exitit, & ex opinione vulgi incurabilis habetur. Et revera si abdominis Asciti aut Anasarcæ in toto corpore excitatæ superveniat, deploratus jure censetur; attamen si affectio sit primaria, & corpori alias sano contigerit, de curatione haud protinus desperetur.

Quod ad morbi hujus Therapeiam spectat, indicationes primariæ, juxta communem in plerisque aliis affectibus medendi methodum, erunt tres: sc. curatoria, præservatoria, & vitalis.

Prima aquas in pectoris cavitate aggestas quoquo modo evacuandas respicit. Secunda, Ne subinde nova ibidem illuvies; colligatur, præcavet. Tertia, vires instaurandas, & symptomata eas lædentia quamprimum tollenda procurat.

Ut primæ indicationi satisfiat, atque ut pectoris Ascites inaniatur, duæ tantum viæ seu evacuationis modi, quibus aquarum illuvies ista educatur, occurrunt: nimirum vel ut pectoris vasa & humorum ductus inaniti lympham istam rarefactam resorbeant, & dein aut sanguinis aut aeris commeatu foras convehant; vel secundo ut per lateris sectionem aquæ istæ in propria specie affatim educantur.

Prior iste modus etsi rarius, quandoque tamen succedit: quod equidem ex propria observatione testari possum. Enimvero pulmonum compages, intus spongiosa, & extus porosa admodum, aquis substratis dum quaque diastoles vice immergitur, eas in vaporem conversas nonnunquam imbibit; adeoque vel sanguini remandat, vel cum aere jugiter expirato ore exhalat. Hujusmodi effectus pro morbo isto sanando ut facilius contingat, subsidia medica hic in usum adhibentur: itaque propter intentionem istam sanguinis, aëris, & humorum ductus quantum licebit inaniti, & vacui servari debent. In hunc finem purgantia diuretica, & diaphoretica mitiora methodice, & per vices exhibeantur; item remedia Thoracica & expectorantia locum vendicant; victus sit tenuis & calfaciens, & ejusmodi quoad omnia regimen instituatur, quod sanguinem plus exhalare, & humores quosque superfluos evaporare faciat. Medicamentorum in hos usus accommodorum libet hic formulas quasdam subjicere.

℞. Radic. cherefolii, Rusci brusci, polypodii qu. ana ℥i. folior. eupatorii. Adianthi Botryos, hederæ terrestris, ana M. j. sem. carthami ℥i. radic. Ireos florentin. ℥ß. sem. ebuli ʒv. rad. calami Aromatici ℥ß. coquantur in aq. fontan. ℔. iiii. ad tertiæ partis consumtionem, dein colaturæ adde foliorum sennæ ℥iß. Agarici ʒii. mechoac. turbith, an. ℥ß. santal. citrin. ʒiß. rad. galang. minoris ʒi. ebullient clause per horas ii. dein coletur. adde mellis opt. ℥ii. & clarificetur cum ovi albumine, f. hydromel purgans, dosis ℥vi. ad viii. mane bis, vel ter in septimana.

Vel, ℞. Calamelanos ℈j. resin. Ialap. ℈ß. Balsam. peru. q. s. f. pilul. iiii. sumantur mane repetendo intra v. vel vi. dies.

℞. Tincturæ sulphuris ʒiii. capiat. gut. vii. ad x. hora somni & primo mane in cochl. j. mixturæ sequentis superbibendo cochl. iii.

℞. Aq. limacum, lumbricorum, Raphani composit. ana ℥iiii. Aq. è succo baccarum sambuci fermentat. ℔. j. syrup. è succo hederæ terrestris ℥ii. misce, f. Iulapium.

Vel, ℞. Tinctur. gum. Ammoniac. vel galbani; exhibe ad gut. xx. vesperi & primo mane cum eadem mixtura.

Vel, ℞. Millepedarum præparat. ʒii. flor. sulphuris ℈ii. florum Benzoin. ℈i. pul. sem. Dauci, bardanæ, an. ʒß. Terebinthinæ Venet. q. s. f. massa, formetur in pilulas, exiguas, sumantur iiii. vesperi, & primo mane superbibendo haustulum ejusdem Iulapii.

Hora nona matutina & 5. p. m, sumatur haustus aquæ calcis vivæ composit. ad ℥iiii. per se, vel cum alio medicamine appropriato.

Pro potu ordinario sumatur bochetum sequens.

℞. Radicum sarsaparil. ℥vi. chinæ ℥ii. lign. santal. albi, citrin. ana ʒvi. ras. eboris, C. Cervi an. ʒiii. rad. calam. arom. ℥ß. passul. exacinat. ℔. ß. liquir. ʒiii. s. a. infundantur & coquantur in aq. fontan. ℔. xii. ad vi. f. colatura.

Olim ante xxv. annos cum Oxonii degerem, ad Juvenem scholarem accersebar, qui per tres hebdomadas de dolore Thoracis, & dyspnœa gravissima vesperi constanter, insuper à corporis motu citatiori, aut gressu acclivi supra modum infestante, laborarat: in neutrum latus diu potuit discumbere, verum necesse habuit in lecto supinus usque jacere, & cum capite erecto; si forsan in latus alterutrum discumbere niteretur, corporis situm istum illico dolor assequebatur, & si forsan à latere uno in alterum se devolveret, etiam dolore statim translato, persensit velut aquas è loco in locum fluctuare. Hinc merito Ascitis pectoralis suspicio incidit, de quo ut certior fierem, præcepi ut supinus supra lectum jacens, caput à margine ejus usque ad pavimentum reclinari sineret; illico persensit aquæ versus claviculas decursum, simulque illuc doloris metastasin: insuper his si quando à motu, calore lecti aut foci corpus plus solito æstuaret, illico in Thorace tanquam aquæ supra ignem ebullientis sensum habuit, simulque de vertigine, & levi spirituum defectione conquestus est. Quandoquidem ex his rite perpensis colligere liceret, eum pectoris Hydrope affectum fuisse, methodum & medicamenta sequentia cum successu præscripsi.

℞. Calamelanos g. xv. resin. Ialap. ℈ß. syrup. rosar. solut. q. s. f. pilul. iii. cepit mane primo, & duodecim habuit sedes cum magno levamine, dein die tertio ab eodem medicamine tantum quater alvus dejiciebatur, sed cum majori adhuc fructu; cepit postea per plures dies Apozematis diuretici & pectoralis ℥vi. bis in die denique ultimo cathartico eodem repetito integre convaluit. *Thom. Willis. Pharmaceutic. Rationalis Parte 2.*

Pro perfectori hujus affectus Diagnosi pergratum Lectori Studioso fecerimus si quod communicavit Clarissimus & Accuratissimus D. Carolus Drelincurtius Medicinæ Lugduni Batavorum Professor Primarius, hic inseruerimus. Sic autem ille.

Morbus certè haud infrequens est hydrops pectoris, sed Medicorum ruditate vix detectus. Mihi ter accidit ignorasse: sed cadaver apertum uti pudore tacitum me suffudit, ita fidelissimè docuit. Ruminatus deinceps symptomata quibus æger conflictabatur, & eadem in aliis observans, morbum alias protinus agnovi, & dictis fidem fecere pectora reclusa.

Illos igitur dyspnoicos conspexi, præsertim stantes & occiduô sole; ægrius insuper in alterutrum latus decumbentes, idque licet in utroque latere hydrops foret: nam reperi nunquam molem aquarum eandem. Quô igitur in latere, vel plura, vel crassiora lymphatica crepuerunt, ibi majus gravamen. Ad cursum præterea, vel celerem motionem quamvis, pedibus, curru, equô &c. ad cantum, vocem altam, contentam & protractam, prorsus impares; imò citra causam manifestam animô sæpius linquentes.

Paucissimis latus intumuit, vel tussis adfuit: omnibus autem producto morbo, vultus decolor & serosus, (*un visage pâle & bouffi*) nec non pedes œdematosi; imo quibusdam scrotum intumuit, & brachium é directo vel doluit, vel torpuit, inertius saltem fuit ad motum, ob nervos scilicet intercostales communicantes cum testicularibus: à stomachico; & brachialibus: à cervice & dorso. Exinde frequenter vidi in castris pectore sauciatos quibus brachium è directo vulneris enormiter tumebat.

Paucos Asciticos secui hydrope exortes, vel in altero latere, vel in alterutro; imo quandoque reperi pericranium serô flavo, salsissimôque turgidulum, ℥. v. g. 5. 6. 7. vel 8. quod mihi pondus fuit summum.

Tales autem Dyspnæâ jugi laborabant, gravati pectore medio, quod sæpius palma vel pugno contundebant; Cardialgici, irrequieti, stare, vel decumbere nescii, nullo medicamento erectiores, nullisve bechicis quicquid expectorantes.

In iis insuper polypos sæpe reperi è ventriculis cordis in pulmonem ex passos utrinque; & isti (præter signa modò relata) pulsu fuerant frequenter intermittente. *Hactenus Vir Præclarissimus.*

Pectoris Hydropem plerumque comitantur, immo eidem præcedunt, partium nutritiarum omnium obstructio, spirandi difficultas & tussis inanis (quæ partim à compressione diaphragmatis quam invehunt naturales partes obfarctæ, partim & præcipue à vitio pulmonis ac ab aqua in thoracis cavitate fluctuante pendent) cordis palpitatio, vel valida pulsatio, facies obfusca, &c. Sed certissimum hujus diagnosticon est aquæ ab hoc latere in illud cum murmure fluitatio.

Obstructa reserato; succos peccantes attenuantibus præparato; præparatos per ἐκλοκοπ educito; aquam per urinas potius quam per sedes evacuato, item per sudores: pulmonem obfarctu liberato: omnia roborato.

♃. Rad. irid. nostr. brion. ebul. ana ℥i. fol. parietar. mercurial. nasturt. erysim. chamæmel. totius ana m. j. summit. sambuc. recent. p. iii. sem. anis. fœnicul. bacc. laur. ana ʒiii fol. senn. ℥i. ß. omnium decoctio & colatura, in qua reducta ad ℔i. dissolv. hier. picr. diaphœn. ana ʒvi. syr. rof. comp. cum agaric. ℥ii. vin. hyacinth. ℥iii. ms. f. clyster. Injic. vesperi levi cœna subsequente.

Seq. mane exhib. pulv. seq. ex vino albo generoso hor. 4. ante jusculum.

pulv. subtiliss. fol. senn. ℈ii. jalap. ʒß. cremor. tart. chalybeati ℈i. ms. f. pulvis irrorandus pauca aqua cinamomi.

♃. Rad. fœnicul. petrosel. summit. aspar. ana ℥i. cort. med. fraxin. ʒvi. sem. alkekeng. & milii solis ana ʒiii. sem. melon. rec. ʒß. cappar. à sale mund. ʒvi. passul. pur. par. 5. rasur. ebor. & C. C. ana ʒiiß. Includantur omnia ventre pulli; & f. decoctio cum carne vitulin. addendo sub finem coctionis fol. chærephyll. fœnicul. virid. agrimon. calend. ana m. ß. nasturtii aquat. m. j. macis ʒi. Cape de colatura ℥vi. in quibus dissolv. crystall. utriusque ana ʒß. Cap. mane hor. 4. ante prandium, corpus exercendo ambulatione; si fieri possit: sin minus, equitatione, aut vectione in rheda.

♃. Flor. irid. p. iiii. leucoii rubri, aquileg. cærul. veronic. mar. teucrii ana p. iii. flor. fumar. p. ii. rof. rubr. p. i. aquæ fontanæ infusionis batituræ ferri, vel sextæ extinctionis chalybis filtratæ ℔ii. vin. alb. tenuis ℔ß. macis ʒß. sp. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem, f. tincturæ extractio, & per chartam colatura, in cujus ℔iß. dissolve syrupi capillarium seq. ℥iiii. f. Iulap. pro 4. dos. sumendis eisdem diebus quibus æger utetur jusculo præscripto hor. 4 à prandio, duabus ante cœnam.

Syrupus capillarium. ♃. Rad. petrosel. fœnicul. asparag. eryng. mundat. ana ℥iiii. fol. recent. ling. cervin. polytric. adianti, rutæ murariæ ana m. iii. ceterach. m. iiii. Istis omnibus concisis in ampla pelvi affund. aq. font. n. calentis quantum supernatet 4. digit. f. infusio per hor. 24. deinde colatura, quam cum dimidio pondere sacchari reduc. in syrupum, addendo sub finem nodulum qui contineat santal. citrin. cinam. inter. ana ʒii. Serv. ad usum.

Potus fit decoctum chinæ dilutum, in quo maceretur continuo nodulus continens batituram ferri; cum hoc decocto diluatur vinum ultra medias.

Exacto quatriduo iterum purgetur æger apozemate seq. (præcipue si fit melancholicus, ut plerumque accidit.)

♃. Rad. gram. filic. fœm. ana ℥i. polypod. quercin. ℥ij. fol. chamædr. epithym. fumar. chamæpit. ceterach, scabios. ana m. j. flor. anth. p. iii. sem. card. bened. ʒß. cortic. citr. condit. sicc. ʒiij. f. omnium decoctio: In colatura infund. & decoq. fol. senn. mundat. vino albo odoro nutrit. ℥iß. cremor. tart. alb. ʒii. medull. sem. cartham. ʒii. Expressioni addatur infusio ʒß. rhabarb. seorsim facta in aq. cichor. cum ʒi. cinam. reducantur omnia ad ℥viii. in quibus dissolve syrupi rof. pallid. comp. cum agar. ℥iii. sp. vitrioli q. s. ad gratam aciditatem, ms. f. apozema pro 2. dos. matutin. sumendis diebus alternis horis tribus ante jusculum. Singulis dosibus addatur ʒß. jalap. in alkool subtiliss. reducti.

Postea vino chalybeato tali utatur.

℞. Rad. sicc. petrosel. fœnic. fragar. anonid. ana ℥i. fol. sicc. scabios. meliss. ana m. ii. sem. alkekeng. ʒii. rasur. dentis equi marini ℥iß. nuc. moschat. numero 4. cinam. ℥ß. caryoph. ʒii. chalyb. præp. ℥vi. vini albi ℔viii. f. infusio ut a. e. Utatur post bidui macerationem. Dosis ℥iv. summo mane hor. 4. ante prandium corpus exercendo serratione, vel deambulatione, si vires & spiritus ferant.

Tertio quartove quoque die addatur infusio ʒii. fol. senn. mundat. minutissime incis. & macerat. in frigido per noctem in vino pauco.

Quod si ab admixtione sennæ abhorreat, & pilulis uti malit, diebus alternis hora dimidia ante levem cœnam cap. pil. seq.

℞. mass. pil. stomach. cum gum. ℥ß. antimon. diaphoret. Hartmann. ℈iv. Mſ. f. massa de qua cap. ʒß. vel ℈ii. ut dictum est. Perstet in vini pilularumque usu per duas tresve septimanas.

Horis pomeridianis si magna sit sitis, sedetur bono haustu liquoris seq. qui frigidus exhibeatur.

℞. Vini albi Rhenani maturi non acidi aut crudi ℔ iv. reddatur acidissimum sp. vitrioli: mox instilletur tantum olei tartari ut aciditas omnis evanescat & denuo dulcescat liquor, in quo infunde florum bugloss. & borag. recentium ana p. iiii. ros. rub. p. ii. Post extractam tincturam rubicundissimam f. colatura, in cujus ℔ii. dissolv. syr. capillarium supra præscript. syr. violac. ana ʒii. Mſ. f. julap. ad usum.

Si spirandi difficultas urgeat, parentur tabellæ tales, quibus noctu præsertim utatur.

℞. Pulp. passul. extract. per decoctionem in ptisan. vulg. pulp. rad. althææ ana ℥ß. lactis sulph. optime præp. ʒii. pulv. subtiliss. glycyrrhiz. ʒiii. ireos florent. ʒiß. sacchar. albiss. ℥viii. mſ. & addita pauca aqua naphæ vel ros. f. pasta ex qua formentur tabellæ in ore tenendæ sensim deglutiendo id quod dissolvetur.

Urgente autem paroxysmo paretur syrupus acetosus talis sumend. è cochleari vel bacill. glycyrrhiz. contuso.

℞. Erysim. roris solis, scabios. ana m. ii. pulmonar. m. iiii. tussilag. totius m. iii. passul. jujub. ana ℥i. dactylor. mund. par. v. f. decoct. & colatura quæ cum dimidia parte sacchari reducatur in syrupum, ut a. e. Paretur oleum sacchari cum aqua vitæ debiliori, ut a. e.

℞. Syr. præscript. ℥iiii. ol. sacchar. ℥ii. olei sulph. q. s. ad gratam aciditatem. Utatur ut dictum est.

Si flatus, ut solent, ventriculum & hypochondria distendant, unde liber diaphragmati motus negatur, sum. ʒi. Electuarium seq. sub ingr. lect. vel alias.

℞. Baccar. junip. recent. maturat. ℔i. cortic. citr. exter. sicci ℥i. cortic. aurant. ℥ß. santal. citrin. ʒiii. macis ʒii. vini Canarini vel Malag. ℔ii. aq. fontan. puriss. ℔iiii. Coq. ad mediæ partis liquoris consumption. deinde f. per canapatium densum fortis expressio; pulpa lento calore reducatur ad consistentiam mediocriter spissam, de qua cape & elect. ex sassafr. an. ℥j. mithridatii, conf. alkerm. ana ℥ß. pulv. elect. diambr. & aromat. rosat. ana ʒii. mſ. f. Electuar.

N. B. Si mitioribus hydragogis non cedat morbus, nec ab his aquæ subducantur, ad validiora transeundum est, cujusmodi Lib. 3. cap. de Hydrope plura invenies. Quod si nec ab his latex serosus evacuari possit, ad Paracentesin deveniendum est, cujus operationis modus aptissimus supra in Cap. de Empyemate docetur. *Theodor. De Mayerne Prax. Medic. lib 2.*

Quocunque modo gignatur Hydrops Pectoris, semper vitæ periculum minatur, quamquam ad tempus aliquod protrahi possit. Nonnulli per vices repetunt hydragoga, & præsertim pulverem, extractum, aut resinam jalapæ, & Mechoacan, itemque agarici, & quod fortius, gummi Peruani, seu gummi guttæ: & Riverius magni facit usum calomelanos cum diagridio: Alii diuretica; & alii sudorem moventia. Etiam in hoc affectu Paracentesis institui consuevit. At si quod juvamen unquam huic morbo sit adfuturum, certe ex diæta exactissima illud solum sperare licebit, indicto nimirum victu attenuante, & exiccante; non neglectis tamen iis, quæ supra, de Empyemate memoravimus. Ab aere pariter maximum juvamentum, nedum in hoc, sed etiam in reliquis Pulmonis affectibus sperandum. *Lucas Tozzi Medicin. Practicæ lib. 1.*

De Paracentesi Thoracis vide quæ suprà Capite de Empyemate ex Thoma Fieno.

Consultationes.

Vir Amplissimus 46. annos natus, temperamenti melancolico-sanguinei, à pluribus annis varia à sero acriori redundante symptomata passus est, & præsertim urinæ ardores (cum sanguine etiam quandoque admistò) quam maximè molestos; à quibus cùm ex parte liberatus fuisset per usurpata præsidia, & præcipuè per aquas minerales pluries cum cautionibus necessariis epotas, nihil aliud patiebatur incommodi quàm quòd urinæ profluvio afficeretur.

Proximè præteritâ hyeme, cùm minueretur lotium, multum de eo sibi gratulabatur Vir Ampliss. secum reputans laxiores urinarias vias, lotiique secernicula sic firmari ac roborari. Languidus vivebat tamen, disiiciebatur appetitus, augebatur sitis, tumebat aliquatenus venter, tussisque, Viro Nobiliss. tempestate hyemali semper familiaris, crudelius cum anhelatione inter ambulandum, & febre lentâ comite, affligebat. Non sic tamen retrahi potuit à Curis Publicis, donec adventante vere, subito facto seri in vasis aggesti cataclysmo, admodum tumuerint partes imo ventri subjectæ, ipseque etiam venter; accedebat aliqua cubandi, ac præcipuè in alterutrum latus, impotentia, propter dyspnœam tunc affligentem, & perseverabat tussis ac febris. Urinæ quæ jam à septem annis, eo ipso quo excernebantur momento, fuerant turbidæ, in eodem permanserunt statu, imò phlegma tam viscidum iis admiscebatur, ut in ipsis viis vesicæque cavo in pelliculas concresceret, ipsoque egestionis momento sic concretum sero urinario innatans viseretur. A quinque septimanis, ex quo scilicet se curæ Medicæ subjecit Vir Ampl. varia adhibita sunt præsidia, scilicet antequam morbus se omnino explicaret, hirudinum venis sedalibus applicatio, antea jam ægro familiaris, facta est, posteaque purgantia, nunc mitiora, nunc validiora, pilulæ speci-

specificæ de Vermibus Clariss. Domini De Mayerne, asellorum emulsiones, herbarum appropriatarum succi, salia volatilia, tum è succino, tum è viperis, tum è tartaro, tum è bufonibus, tinctura tartari antimoniata, mixtura bezoartica misturæ simplici multum affinis, opiatæ martiales pluribus aperientibus & absorbentibus prægnantes, decocta lignorum & radicum aperientium, ac diureticarum cum pauco vino pro potu ordinario admiscenda, imò ipsa decocta desiccantia & sudorifera, clysteres non unius compositionis &c. in usum fuere revocata, non omissoque quandoq; propter somni difficultatem summam laudano opiato in parcissimâ dosi, & additâ etiam diætâ, quantum permisit Nob. Pat. inappetentia maxima. Sic tamen efficere non potuimus ut fugaretur malum remediis omnibus hactenus prope surdum, sed tantum obtinuimus ut tumor non ascenderet ultra id quod secundâ, postquam morbus integrè caput exeruit, septimanâ visum est, præterea & tussis, & cubandi impotentia, & ipsa anorexia, aliquatenus remiserunt; quamvis respectu decubitus supinus tantùm esse possit, minimeque ad latera. At perstat febris, tumorque œdematosus crurum, femorum, atque ipsius abdominis, ac dorsi, in quæ ex imis partibus per noctem præcipuè devolvitur, tument etiam aliquatenus manus &c. Lotium in quantitate satis respondet liquidis assumptis, sed semper confusum atque turbidum est, non tamen rubrum & sulphuribus recoctis saturatum.

Ex suprà enarratis satis constat hydropem Hyposarcidium hic adesse, verum non æquè clarum an jam aquæ in ipso abdominis cavo fluctuent, aut illuc confluere sint paratæ. Imò de pectoris hydrope, quamvis ex obscurioribus signis, suspicio non parva primis ægrotationis diebus injecta est, quæ jam minuitur quidem, discedente ex parte tussi, atque mitigatâ dyspnœa, sed integrè neqiaquam tollitur.

De cauteriis tibiis inurendis, aliisque remediis, iis, quæ jam memorata sunt, adjungendis, cogitavimus quidem, sed prius sententiam Doctissimorum aliquot, atque Famigeratissimorum Medicorum in re arduâ audire consultum duximus; nihil non tentandum rati pro Viri Ampl. producendâ vitâ, non suis tantum & familiaribus, sed etiam toti Reipublicæ pretiosissimâ.

Dabamus Genevæ die 1. Maii Ann. 1691.

Consilium Medicum Clarissimi ac Celeberrimi Viri Domini Ioh. Iac. VVepferi M. D. super casu proposito.

Nobilissimi & Amplissimi Domini affectum primarium existimo esse hydropem pectoris, nam à motu etiam leviore & ambulatorio difficulter respiravit, præ dyspnœâ non solito more decumbere, nec ad hanc usque diem alterutri lateri incumbere valuit, supinus decubitus eligendus fuit, & forte altior solito, deinde vehementer tussiit, nec dum tussis penitus evanuit. Ascitis principium & Anasarca quædam; sunt ejus ἐπιγενόμενα, dum serum, seu lympha extravasata subtus diaphragma sensim deorsum in cavum abdominis, indeque per cuniculos ad imos pedes, femora & ad lumbos stillavit; quod citius hydrope pectoris advenit, si præ respirandi difficultate, noctu in lecto permanere nec volunt nec possunt: tandem brachia & manus intumescunt, quia diu noctuque illis innituntur. Causam stagnationis & tandem extravasationis seri proculdubio est renum aliquod insigne vitium; quia primum passus est dysuriam, urinæ quandoque admisto cruore; sequebatur profluvium quoddam diabeticum, & tandem imminuebatur, verum cum damno valetudinis, nam brevi post supervenerunt lassitudo spontanea; pallor, & sensim difficultas respirandi, quæ in horas incrementa sumsit. Vitium in renibus superesse testatur urina statim in emissione turbida. An illud sit calculus sessilis; ejusque parenchymati intus accretus, an vero ulcus, an utrumque, non certo constat; aliquid tamen renes monstri alere febris lenta prodit. Quoniam apud Ampliss. Domin. urina potus quantitati adhuc respondet, & levamen non exiguum ab usu purgantium, diaphoreticorum jam expertus est, dum respiratio est facilior, tussis minus vehemens & tumores subsident, spes aliqua superest. Hanc ob causam vix alia medicamenta, præter illa quæ Excellentissimi Medici ordinarii prudentissimi suaserunt superaddere possem; si enim resorbitio seri per constitutionem glandularum interiorum possibilis esset, hæc viam illi sternerent, & extravasatum per loca congrua educerent. Unicum hic addo me hanc aquam utilem expertum in hydropicis esse.

℞. Rad. lapat. acuti recent. ℥ iv. herbar. recent. nasturt. aquat. cochlear. beccabung. cherefol. an. m. viij. marrub. alb. meliss. urticæ flore albo an. m. iv. summit. fœnic. recent. flor. sambuci an. m. iij. sem. anisi ℥ j. incisa & contusa, indantur cucurbitæ seu vesicæ stanno benè obductæ, affunde aquæ fervidissimæ lib. viij. & imposito alembico statim destillentur. Aquæ primum prodeuntis ℔ iv. statim adde spir. sal. armon. urinos. ℥ ß. aromatici, fuliginis, liquor. C. C. succinati an. ʒ ij. sal. volat. lumbricor. aut viperarum quod egregiè Genevæ paratur, ʒ j. sal. absinth. ʒ ij. M. Serventur in ampullâ bene opertâ vesicâ bubula, & post horas 24. in loco tepido repositâ colentur per chartam emporeticam. Hujus aquæ cochlearia duo, quandoque, si tolerare possunt, tres permisceo jusculi carnis calidi & non saliti ℥ iij. vel iv. propinoque mane hora 6. & vesperi horâ 5. Item quoties jusculum comedunt semper de hâc aquâ cochleare unum admisceo.

Dimidiâ horâ ante prandium & cœnam, propter inappetentiam elixyr. proprietat Claudini gr. x. cum pauxillo jusculi sumere posset: Autor illud describit in lib. de Balsamandis Cadaveribus, & nobis hic in frequenti usu est, præ elixyre vitriol. Mynsict. aut Paracelf. Purgantibus adulto hydrope pectoris nihil efficere potui, imò morbum exacerbavi. Clysteribus aliquid opis quandoque præstiti, quamvis etiam Practici sint qui illos in dubium vocent. Fonticulos, vel in tibiis, vel femoribus, seu foris, seu intus excitare planè non tutum existimo, vix evitabitur gangræna. In robustis, quibus viscera robusta, scarificationem superficiariam longo vulnere lancettâ facto aliquoties tentavi, quandoque cum fructu, quandoque vix gangrænam declinare valui. Tutius in utro-

que latere pectoris; quia non certò constat ubi aqua hospitetur, dum non semper aquæ fluctuatio auditur, ibi fonticuli excitantur ubi paracentesis fit, nam ex Willisii mente aliquid ichoris ex pectore emulgent; id ante plures annos apud Illustriss. Domin. Comitem de Zollern in Hottingen empyicum cum fructu ausus sum, nam adhuc superstes est Canonicus Argentoratensis. Paracentesin Thomas Fienus de Operat. Chirurgic. prope unicum remedium hydropis pectoris censet, quam tentare licebit, si natura viam ostenderit, & mihi quoque apud rusticum feliciter cessit: aliâ vice, primùm imposito cauterio potentiali, frustrà cutim pertudi cum pleurâ nullâ subsequente aquâ, quia procul dubio pulmo ibi pectori accretus erat: Id nuper vidi in juvene hydrope pectoris & vomicâ pulmonis sublato; nam pulmones in utroque latere firmissimè pleuræ adhæserunt, quamvis multum aquæ in pericardio & dorsum versus, aliisque spatiis adhuc liberis stagnavit. Et hæc sunt quæ mihi hac vice succurrebant, quæ Excellentiss. Domin. Medicor. ordinarior. censuræ subjicio D. T. O. M. hæc Nobiliss. & Ampliss. Domino Ægro salutaria esse jubeat Scaphusii die *19.* Maii ann. *1691.*

Quandoquidem serius paulo adveniebat Responsum Clariss. Dom. Wepfferi, cauteria interim tibiis ex ferro candente fuere admota, sicque copiosissima educta est aqua, unde primò enata sunt animi deliquia quod sanè familiare est copiosis omnibus ac promptis evacuationibus, qualis fuit hæc, quæ nullatenus reprimi poterat; sed mox tranquilliora omnia facta sunt, remisit prorsus febris, appetentia rediit, tumor abdominis aliarumque corporis partium subsedit, urinæ copiosiores multò factæ sunt; uno verbo æger noster liberatus quasi videbatur. Verum hæc non fuere durabilia, quandoquidem post tres ab applicatis cauteriis, septimanas, cum serum per illa emissaria minus abundanter profflueret, recrudurere symptomata, illaq; remediis omnibus rebellia Nobilissimum Ægrum sustulerunt die 19. Junii an. 1691. Obitum peraliquot dies præcedebat febris intermittentis quædam quasi species, quam animi deliquia frequentiora comitabantur, quamque continuo subsequebatur gangræna scroti præcipuè ac imi ventris, & femoris ac tibiæ dextræ: nam quod mirum! eo latere quo cauterium applicitum serum copiosius dimisit, scilicet latere sinistro nihil prorsus gangrænosi visum est.

Anatomicæ inspectiones.

Puero trimo, ferebatur, ab humido capite, tam frequens destillatio in subjectos pulmones, ut præter tussim, ac febriculam, contraxerit inde summam spiritus difficultatem, profundum soporem; & tam frequens animi deliquium, ut tandem repentè, migraverit è vita. Quâ defunctus, obtulit Medicorum oculis, pectus aqua refertum; & pulmones non tantum flaccidos; sed sinistram cordis auriculam, variis ulceribus exesam. A quorum eructante fœtore, defecit proculdubio; frequentius ipsi animus, cujus deliquium etiam aliis, ex simili causa, vidimus contigisse: sed præcipuè cuidam fueri, quem propterea, ceu pusillanimem vituperaverant, qui cum ipso versabantur, nebulones. Sed viderint hic eruditi. Utrum non oporteat, ad insensilem horum ulcerum diruptionem, referre repentinas illas mortes: de quibus loquitur Hippocrates, inquiens, qui exolvuntur sæpe, ac vehementer, sine evidenti causa, repente moriuntur lib. II. aph. 41. *Nicolas Tulp. Observ. medicat. lib. 2.*

Sexagenarius per quadriennium initio levi, post gravi pectoris angustia detinetur, is subito inopinatâ morte, quasi fulmine ictus corruit. Discissaque cartilagine costis annexa, mox lympha ex viridi citrina, cum impetu, prosilit, pulmones maculis nigris etiam diversicolores, instar spermatis ranarum occurrunt, ex quibus sanguis nigerrimus profluxit.

Apoplecticus obiit, nam in pectoris cavitate lympha erupit, ob cujus copiam pulmones se libere movere non potuerunt, atque sic per eos sanguinem amplius moveri concessum non fuit: cerebrum interim ab ejus irrigatione frustratum, corpus corruit. *Stephanus Blancardus in Anatomic. Practica.*

Vir quidam aliquando febricula & tussi infestatur: hæc omnia tempore in pejus ruere cœperunt, adeo ut suffocationis metum erectè sedere coactus fuit. Viribus interim deperditis, obiit, postquam à longo tempore ἀσφυξία laboraverat. Thorace aperto, ingens aquæ fœtentis copia effluxit, pulmo sinister putridus. Splen quoque multum puris continebat. In arteriæ magnæ initio, quidam sanguinis grumi aderant.

A corrupto pulmone, respirandi difficultas; cor si sanguinis quantitatem sufficientem ex pulmonibus obsessis non accipiat, sese debito modo non expandit, nec contrahit, unde & pulsus defectus, præsertim si arteriæ à sanguine grumoso obstruantur. Ob pulmonum quoque corruptelam, vasa lymphatica rupta sunt, ex quibus liquor emanavit, qui à fœtentibus pulmonibus, fœtidus redditus est. *Idem ibidem.*

Quidam repentinâ morte è vivis eripitur: Aperto thorace, inferior dextri pulmonis pars erat consumpta, superstite tamen exteriori membranâ, valde incrassata, intusque materia sebacea oblita: supra diaphragma ingentis molis hydatides succrevere: Sinister pulmo lividus erat. Cordis ventriculi atro sanguine turgidi.

Hujus repentinæ mortis causa fuit suffocatio, nam sanguis in corde ob crassitiem restagnans, pulmones aëre impleri non amplius potuerunt, unde quoque sanguinis circuitus desistentia. *Idem ibidem.*

Nuper in Ptochodochio adolescentem sedecennem pauperculum secui, & quidem, ceu ocularis docuit inspectio, ex hydrope pectoris & pericardii mortui. Hujus thalamos cardiacos, quum examinarem penitius, in dextro, mox à cavæ insertione, polypum insignissimum deprehendi, cujusmodi portentum hactenus nec vidi, nec ab aliis descriptum memini. Totam hic ventriculi peripheriam latitudine exæquabat; densitate vero septum carneum, de quo Clariss. Lowerus, seu parietem illum intergerinum; carnosum calamo dextro in sua actione suppetias ferentem, mentiebatur primo intuitu, pedibus suis multiplicibus fissuris thalami

lami inter carneas columnas infixus, & inde in arteriam pulmonalem se se extendens, atque secundum totidem hujus ramificationes in complures alios surculos se se diffundens &c. Servo hujus ipsius portionem quæ dextrum ventriculum occupavit, membranam densam duramque jam referentem. *Ex communicatione amica Clarissimi Doctissimique Viri Dom. Joh. Jac. Harderi Medicinæ in Academiâ Basiliensi Professoris longè Celeberrimi.*

Insignis Respirandi difficultas ab Hydrope singulari Pectoris, quod refertum liquore cremori simili, sacculo concluso.

Puella Rumburgo-Suffolciensis tredecim circiter annorum adhibitis Medicamentis Chalybeatis contra Leucophlegmatiam seu Chlorosin, Remissionem quidem morbi sensit, sed post multum laborabat obstructione flatuum. Ab an. 16. ad 22. semet summopere affligebat ob obitum Parentum, & corruptos mores Fratris; interea singulis annis uno, duobusve morbis acutis laborabat. An. ætatis 18. languida admodum erat obstructo thorace, & Melancholica. Domo forte egressa tempestate Ventosa, cogebatur domum properare; parum enim abesse, ajebat, quin vento strangularetur. Ægre admodum & lente ambulabat, magnaq; cum difficultate ascendebat in montes, vel per scalas in contignationes superiores. Tum observabatur magnopere premi siti, cum soleret bibere cubitum itura, nec non aliquando noctu; nisi vellet, ut ipsa ajebat, siccitate suffocata perire. Inter annum 21. & 22. ætatis suæ, descendens de scalis, sentiebat horribilem agitationem in pectore suo: quod tum aliis in eadem domo significabat, monstratoque illis modo agitationis illius motu corporis sui, secum omnes in admirationem istius accidentis pertrahebat, qui judicabant, (prout plerique omnes ex fremitu judicassent,) Pectus ejus fere totum aqua esse repletum. Utebatur variis medicamentis, consulente Doctore Brovvne aliisq; Norvici, sed circiter menses, sine sensu remissionis morbi. Dimidio post anno initio autumni; levi frigore affecta, tantam passa est obstipationem, ut nil nisi mussitare valeret; nec poterat prostrata cubare, sed sedebat ad angulum obliquum suffulta cervicalibus. Ego accersitus extemplo venam secari curabam, cum Phlebotomia sit remedium procurandæ liberiori circulationi, & spacio extricando, quo natura semet exoneret. Intra unius horæ intervallum spiritû recipiebat, pristinamq; conditionem recuperabat non multo post. Asserebat, se nunquam sudasse, neque ei sudorem elici potuisse per vulgaria sudorifica. Desiderio Remedii Empirici præscripsi pilulas Malthæi, quæ illi facile Sudorem eliciebant, ultra memoriam ejus. Singulæ quotidianæ doses Pilularum Lockieri quarternarum, agitationem illam in Pectore removebant, ut ajebat, deorsum magis Diaphragma versus; cum metuens Hypercatharsin, Pillularum usum ad duos, tresve dies omitteret, & deinde denuo reiteraret, nulla ulteriore alteratione per illas inducta. Nunquam sinistro latere prostrata jacere poterat. Anno 23. ætatis, tempore Brumali periculosa laborabat Febri comitata Diarrhœa, sed convalescebat. Ann. 24. hyeme rursus frigida gravedo illi totalem obstipationem inferebat: & post quinque, sexve dies convulsionem patiebatur, antequam vena ei secta fuisset, per negligentiam familiarum ejus; Sera nimis Phlebotomia statim passionem levabat; ipsa vero vesperi quidem hilaritate perfruebatur, ac postridie illius diei moriebatur.

Ipsa adhuc vivens ejusq; Consanguinei permiserant mihi corporis mortui sectionem; quam etiam perfeci.

Quamobrem primo Os pectoris seu Sternum diffindebam à Cartilagine Ensiformi usq; ad collum: ibi tum Cavitate Thoracis exposita evaporabat, primum fœtor olidus admodum, non obstante rigido gelu temporis illius, quod erat circa Natalitium diem Salvatoris nostri. Deinde ubi viam parabam exponendo utriq: lateri Sterni, cum stupore videbam (ut præsenseram) totam fere Cavitatem Thoracis superius vacuam, (cadavere supino jacente) & inferius nonnisi crasso lacte repletam. Sed ulterius investigando comperi tantum dextrum latus Thoracis integrum, & tertiam circiter sinistri partem, ita se habere. Extendebatur in parte Collum versus latitudine palmæ, & excurrebat in crassitiem trium digitorum ad dextrum latus Mediastini. Liquor Cremori similis erat, vel potius Glutini Alb. Hispanici, seu Cerussæ distinctæ flavo, instar Colostri. Inmisso enim Cochleari extrahebam ex fundo spissam, limosamque materiam, simillimam Cerussæ, quæ subsidit in fundo Glutinis. Quantitas erat circiter trium pintarum, continebaturque in Sacculo, qui illius duplum & amplius capiebat. Sacculus porrigebatur à sinistro humero ad extremum lateris dextri Diaphragmatis, non directe in longum nec firmiter extensus; sed ad Palmæ latitudinem ab ortu directe descendebat ad Diaphragma, cum quo in Longitudinem concurrebat. Cutis seu pellis ejus crassior erat pelle stomachi, ejusque capacitas amplior, quantum flexuræ Costarum illi adjacebant & componebant plusquam dimidium circumferentiæ. Ubi adhærebat Diaphragmati, digitum fere crassa erat: & in loco quodam, ubi separare eam conabar à Diaphragmate offendebam tenuiorem sacculum, unde effluebant duo, triave cochlearia aquæ puræ: quaqua via eo penetrasset, invenire haud poteram. Mediastinum vel totaliter fuerat assumptum, vel intextum in crassitudinem Sacculi, quod observabam accidisse in Pleura, quousque Sacculus pertinebat. Porro sacculus ille solutus & remissus jacebat ab Axillari sinistra ad Pectus, cum ante fuerit repletus aut distentus vel vento, vel liquore. Tota Cavitas erat inquinata circumcirca agitatione Liquoris, instar algæ limosæ, quæ æstui maris est subjecta. Lobus ille Pulmonum, qui debuerat extitisse in latere dextro, perierat totus, dexter autem tertia fere parte mutilus erat. In Ventre inferiore omnia se recte habebant.

Doctor Brovvn, ait, se offendisse similis quid in Authore Italico. Ipsi erat sententiam salivandi eam. Ego meditabar Paracentesin. Nam ex fremitu Liquoris, & eo quod non posset sinistro Latere cubare, concludebam, quod esset Cystis in dextro. Sed si id factum fuisset, sacculo nimis crasso existente, mors forsan insecuta fuisset. Agitatio simillima erat agitationi Aquæ vel Lactis Hæc fœmina plano pectore, instar

Maris, prædita erat. Quæstio est, an liquor processerit ex delapsu chyli ab axillaribus, quod videtur aliqua ratione probabile. Sed ab ulteriori reflectione abstineo.

Actor. Philosoph. Anglic. anni 1667. mensis Novemb.

Canis summa difficultate spirandi laborans ob Hydropem Thoracis, rarumque Pulmonis affectum.

Cum Oxonii olim studiis incumberem, quidam me admonuit de cane summa spirandi difficultate laborante, ita ut vix spatium viginti pedum motu citatiori emetiri potuit, quia illico in humum delapsus & anhelans rapidissime spiritum trahere necesse habuit, Cum data pecunia dissecandi mihi copiam fecerant, secto Thorace integram ejus cavitatem Aqua repletam inveni; Pulmones vero ita parvi, ac quasi sacculo inclusi, ut dimidio minus spatium præ solito occupabant, etsi Aere inflato ope follium ad maximam sui expansionem excitaveram. Tunica quippe communis Pulmonum (quæ hic crassior & albidior videbatur) ita coarctaverat ipsorum parenchyma, & constrinxerat, ut copiam aeris pro respirationis munere idoneam, non nisi repetitis nixibus admittere potuerint. Substantia Pulmonum alias satis integra videbatur, & id unum vitium, quod non satis libere sese explicare licuit. Aquam istam in Thorace contentam multum quoque Respirationi obesse facile crederem; sed an non à contractura illa Pulmonum originem suam traxerat, cum non alias viderim, unde efflueret, in medio relinquam. Canis hic venaticus fuit, & eo nomine domino suo valde gratus, sed à sex fere mensibus (si bene memini) morbo hoc detineri incepit. Eduard Tyson.

Respirandi difficultas ab Hydrope Thoracis.

De pectoris hydrope pauca apud Practicos reperimus; ita enim Laz. Riverius Pr. med. l. 7. C. 5. inquit, Practicorum Vulgus hunc morbum non describit: Carolus Piso tamen Tr. de morb. ex serosa colluvie & quidem de morbis Thoracis pag. 214. & jam nominatus River. cit. l. itemque nuperrime Sylvius in Praxi sua l. 1. C. 50. paulo fusius & satis accurate de eo scripserunt: frequens tamen est malum in oris, præsertim maritimis, ratione scorbuti, & cognitu difficile. Nuper cum ex officio cum duobus Chirurgis tum temporis mihi adjunctis, in Cadavere Fœmina alicujus causam mortis indagare deberem, cum in supremo ventre nulla mortis signa apparerent, aperto Thorace, tota pectoris cavitas aquis diffluebat, sterno enim remoto, velut ex fonte lympha cum impetu dimanabat; verùm ergo hydropem pectoris ibi reperi & ipsam mortis causam; (pulmones enim siderati erant & malè affecti) pergo tamen sectione ad infimum ventrem & ibi ventriculum tam pusillum, tam contractum vidimus, ut pugni magnitudinem non excederet, hepar vero justo grandius erat & scirrhosum, quamvis abdomen aquis necdum distentum esset: Sic in omni hydropis specie hepar laborare verum est, cum enim sit colatorium sanguinis, illo malè affecto etiam sanguis patitur ratione seri quod vehiculum est sanguinis, unde hydrops & alia mala, prout hepar affectum est. Ut cognitu difficilis est iste morbus, ita etiam curatu. Cognoscitur enim proprie difficultate spirandi, quod signum tamen ambiguum est: signum pathognomicum statuere oportet, inquit Carol. Piso loco supra citato pag. 239. eam inspirando difficultatem ac crebritatem, quæ de subito somni primo tempore invadat, & quiete defraudet, sed tamen procedente die sensim lentescat, quod signum cum ratio mihi dictavit, tum experimenta in omnibus comprobavit. Curatu difficilis est; pergit enim eodem loco Carol. Piso p. 220. & dicit: Vacuatio certe contentæ materiæ in thorace tentari quidem posset sive purgantibus, sive per tussim vacuantibus, sive discutientibus, sive aliis id genus, sed verendum ne ab eorum calore agitata materia, dyspnoea increbescat, suffocatioque suboriatur: quo sane consultius videtur, ut vacuetur illa sensibiliter thorace aperto Cauterio potentiali, in aliis autem masculi animi, cauterio actuali: ubi apud ipsum Pisonem, Riverium & Sylvium locis supra allegatis plura videantur de hoc affectu. *Gaspari Kollichen.*

Anatome virginis Scrofulis & hydrope pectoris laborantis.

Anno 1665. d. 22. Jun. Cl. Sylvius in nosocomio Leidensi secuit Saram Jansen, 20. circiter annorum virginem, in cujus cadavere seqq. notatu digna occurrebant.

Hepar in dextro latere loco admodum profundo situm erat, & infra umbilicum superioremque partem ossis coxendicis propendebat. Pallidiusculum erat, & quia satis grande, partes subjectæ inferius, quam secundum naturam debebant, sitæ erant.

Suspensorium hepatis, quod solet esse in dextro vel medio thoracis plane in sinistra parte situm erat, & tres digitos transversos minimum distabat à medio. Alter lobus hepatis occupabat totum sinistrum hypochondrium, quod eo totum replebatur.

Folliculus fellis in sinistro etiam conspiciebatur latere. Tinctura ipsi peritonæo à folliculo fellis erat inducta.

Ventriculus non continebatur in medio, sed totus in sinistro hypochondrio situs, erat, & quodammodo convolutus. Pylorus etiam erat in sinistro latere.

Ventriculi substantia inferior interius nigricabat, & vasa minima insigniter conspicua erant, & stellulas quasdam quasi repræsentabant, ex quibus alia vasa exibant.

Pancreatis substantia bene se habebat, sed glandulæ conglobatæ ipsi adhærentes grandiores & duriores erant.

Lien admodum exiguus erat, ut raro tam parvus appareat.

Intestinum Colon situm erat loco decliviore ob hepatis magnitudinem, & flatibus erat turgidulum, cumque communiter è dextro latere transversim versus sinistrum feratur, in hoc subjecto deorsum ferebatur. Vasa minima & capillaria

ria in eo variis in locis valde turgida erant, quod indicium esse putabat alicujus φλογώσεως, idque sibi nunquam in crassis intestinis visum. Tam tenuis etiam erat membrana hujus intestini, ut in nullo tenui esse solet, quod etiam rarum, & sibi non visum ajebat. Apparebat autem tenuitas illa eo potissimum in loco, ubi major ejus erat distensio.

Intestina tenuia aliqua sui parte distenta erant, & vasa illorum turgida & rubicunda, aliqua vero parte flaccida & pallida.

Glandulæ plures notabiles in Mesenterio apparebant.

Ren dexter pro constitutione reliquarum partium admodum grandis erat, sinister comprimebatur à partibus superioribus, quapropter etiam aliam à naturali conformatione habebat figuram.

Ductus pancreaticus satis grandis erat, ut duos stylos admitteret, ingressum ejus in intestinum cum ex pancreate non posset invenire, dissecto intestino, & immisso stylo in orificium ductus bilarii, manifeste in intestino protuberantis, stylus in ipsum ductum pancreaticum penetrabat.

Spatium insertionis ductuum in intestinum, quatuor circiter transversos digitos distabat à pyloro.

In cavitate Thoracis, potissimum, in dextra ejus parte, aqua fœtida copiosa continebatur, quæ aliquot catinos implebat.

Ab acrimonia illius aquæ pleura & tota superficies interior Diaphragmatis exulceratæ erant & erosæ, ut etam pus darent.

Membrana pulmonis dextri quadruplo fere crassior reddita erat ab aqua illa purulenta.

Pulmo dexter plane durus erat & corrugatus, coloris lividi & fœdi. In partibus superioribus interius corrumpi cœperat pulmo dexter, & aliquid puris continebat.

Pulmo sinister melius habebat, in sinistro latere aqua etiam cœperat colligi, sed limpidior, nec partes ita rubebant & excoriatæ erant, hinc inde in substantia sinistri pulmonis glandulæ parvæ erant.

Pericardium plenum erat aqua limpida, quæ 6. vel 7. cochlearia implebat, cum naturaliter vix duo cochlearia adesse debeant.

In orificio interno uteri materia viscida reperiebatur.

In parte interna colli uteri parvi quidem musculi eleganter apparebant, quos nunquam sibi tam eleganter apparuisse ajebat.

Ex glandulis Colli conglobatis dissectis & pressis albicans quædam materia pultacea, & veluti gypsea erumpebat. Conglomeratæ vero viciniæ nihil mali erant passæ. Ex glandulis Mesenterii dissectis plane similis materia exprimebatur.

Non nisi emollientibus singularibus gypseam illam glandularum materiam emolliri posse ajebat; quærenda putabat ejusmodi remedia, quæ non tantum emolliant, sed materiam magis fluxilem reddant, scrofulariam, squillam & ex ea parata medicamenta, ut & gummata, galbanum, sagapenum, ammoniacum &c. commendabat. D. Joh. Henr. Brechtfeld.

HYDROPS ASCITES.

Hydrops Ascites quoad materiem & rationem ejus formalem, vel sensuum simul plurium indicio manifesto dignoscitur; viz. abdominis tumor est, ab humore aquoso intra cavitatem ejus contento. Aqua tumorem hunc efficiens, interdum ad diluvium ingens, & quantitatem vix credibilem accrescit. Semel vidi doliolum xv. congiorum capax aquis fœminæ ab hydrope defunctæ abdomine exemtis impletum. Undenam vero iste humor provenit item quo ritu & quibus de causis aggestio ejus in ventre primò incipit, & dein sensim augetur; quibus denique viis, & quali remediorum hydragogorum virtute ac operatione inde rursus demi & evacuari interdum possit, explicatu difficillimum videtur.

Quoad prius, scilicet; aquæ proventum, quidam opinati sunt, eam ab hepate, alii que eam à liene malè affectis, in abdominis cavitatem descendere; adeoque viscus hoc, aut illud vitiatum, semper Ascitis causam esse. Veruntamen secus habere, plurium ab hoc morbo defunctorum anatomiæ manifesto declarant: cùm post ventrem inundatum, hepar & lien sæpe inculpata reperiuntur. Et quidem hæc viscera haudquaquam illuviei cujusvis scatebræ videntur, ut pote nullis quibus aquæ congerantur cavitatibus donata: quapropter Ascitis tanquam stagni, aut lacus originem ab humoris cujusdam rivo, aut saltem depluvio derivare oportebit.

Humores intra ductus aut vasa velut rivos, scatentes, sunt in primis hi tres, viz. sanguis, humor lacteus, & lymphicus. Aquæ depluvium, aut stillicidium fieri possit à liquore nerveo, qui interdum è fibris, & membranis lente & insensim exudat; atque à vaporibus intra corporis specum, aut cavitatem aliquam condensatis. Utrum ex his modis Ascites potius ac sæpius oriatur, modò disquiremus.

Et primò ad sanguinem quod spectat, extra dubium habetur, serum è massâ ejus dissolutâ nimis deciduum, uti fluxiones & catarrhos varii generis, ita nonnunquam majores aquarum illuvies, scilicet hydropicas excitare: quare cum Anasarca ab hoc causa omnino procedat, cumque isti morbo haud statim sanato sæpenumero Ascites superveniat, inferre licebit, utrumque affectum ab humore aquoso, arteriarum osculis ubique effuso induci. Porro non multum improbabile est, sanguinis dissoluti serum, ex arteriæ cæliacæ, & mesentericæ finibus quibusdam apertis, in abdominis cavitatem primo, & solitarie exudare, adeoque Asciten absque Anasarcâ prævià inferre; ac ita præsertim si forsan accidat, tumores scirrhosos, ganglia, rubercula, aut aliusmodi concretiones præternaturales circa mensenterium, lienem, hepar, uterum, aut alia quævis in ventris viscera prius excitari: nam quandoquidem in istis locis sanguinis circulatio præpeditur, ut cruor per arterias evectus quoquomodo

reduci queat, pars serosa è consortio ejus extrusa, in cavitatem decidit. Enimvero ita fieri, experimento hoc à nobis alibi citato evidentissime liquet; viz. si in vivo animali venis jugularibus filo exceptis, & ligatis, sanguinis reductio inhibetur, tota capitis regio aqua intercute, & plane hydropica brevi intumescet. Et quidem sæpius observavi, tumoribus privatis, & circumscriptis alicubi in imo ventre excitatis, Asciten supervenisse: quod certe ob rationem prædictam contigit. Quando sanguinis cursu præpedito, pars ejus aquosa brevi extravasatur, humor iste non mere serosus est, sed insuper liquor nutritius, solidis quibusque partibus alendis destinatus, in ventrem profunditur: quare dum hæc regio intumescit, membra extenuantur, & lympha Ascite exemta, instar ovi albuminis, à calore inspissatur & albescit.

2. Verisimile est etiam, vasa lactea disrupta, humorem suum in abdominis cavitatem effundere. Profecto Clarissimus Sylvius à tali causa, morbum hunc sæptissime progigni autumavit. Et quidem ex vasis lacteis, vel lymphicis, scilicet, aut alteris, aut simul utrisque divisis, aut apertis, aquæ aut chyli illuviem ventris imi viscera nonnunquam inundare, prout suspicari fas est, ita sequens observatio id ipsum confirmare videtur. Nuper quidam diu Ictericus, ac interea temperatus, ac à potu (ad quem siti minime premebatur) Abstinens, Ascitem in immensum brevi adauctam contraxit. Post medicamina incassum adhibita, paracentesis juxta Sylvii modum cum acu perforata tentatur; è foramine aqua non Icterica, sed limpida & tenuis copiose effluxit; unde liceat inferre, humorem istum hydropicum non è massa sanguinea profluxisse, tunc enim coloratus fuisset; sed è vasis lymphicis, aut lacteis in abdominis cavitatem extillasse. Vasorum lacteorum, & lymphicorum circa Asciten progignendam rationes, utpote affines, unà conjunximus, quia sc. utraque vasa chylum, aut quod ei analogum est, ad commune receptaculum deferunt, & plurimi utriusque generis rami, sive ductus circa viscera imi ventris distribuuntur; interim non improbabile est vasis alterutrius vitium solitarium quandoque Asciten producere.

Quoad alios Ascitis generandi modos ab initio propositos, vix opinari ducor, tale ventris diluvium, ab humoris nervei stillicidio, aut propter vapores illic condensatos facile exoriri posse: quanquam in Tympanitide forsan, ubi abdominis cavitas ampliatur, & transpiratio præpeditur, effluvia exhalare solita, intus coercita in lympham vertantur, quapropter morbo isti, Ascites fere semper conjunctus reperitur.

Designatis ad hunc modum Ascitis causis immediatis, sive conjunctis, quæ nimirum videntur esse, vel humor aquosus è vasis sanguiferis, vel lympha aut chylus è propriis utriusque ductibus effusus; jam proxime inquirendum erit, circa morbi hujus causas remotiores, viz. ob quas προφάσεις & quo ritu vasa cujusque generis affecta sarcinas suas in ventris cavitatem deponant.

Primo igitur quod sanguinis pars aquosa in aquaticulum exudat, aut ipse cruor, aut vasa continentia, aut simul utraque in culpa reperiantur, sanguinis vitium est, qui in crasi depravatus, partes constitutivas intra compagem suam haud rite continet, quin ad dissolvendum aptus, serositates suas à mixtione passim rejicit; quas vel foras per urinam aut sudores ablegat, vel intus residere permittens, in carnium poros, aut in viscerum cavitates detrudit. Vasa sanguifera sub secunda ratione peccant, quod nempe illorum fines sive oscula aut nimis laxa, aut prorsus occlusa existunt. In priori statu circulationis sanguineæ filum haud integre & firme continuatur, sed cruoris pars tenuior & crudior abscedere apta, juxta arteriarum & venarum intercapedines, aut inosculationes, effluere sinitur; pariter è contra, cum vasorum quorundam osculis propter tumorem, aut obstructionem penitus occlusis, sanguinis cursus præpeditur, huic ita coarctato ut transitus quoquo modo pateat, quod tenue & aquosum est extravasatur, inq; loca vicina amandatur, prout supra ostendimus.

2. 3. At vero Ascites solitarie incipiens, non raro ob vasa lactea, aut lymphica vitiata exoritur: quare cum morbi istius, hujusmodi causam sæpenumero conjunctam existere supponimus; inquirendum erit, quot modis, & propter quas occasiones, hæc vasa adeo aperiri aut disrumpi solent, ut liquorem suum in ventris cavitatem effundant.

Primo igitur lymphæductus quod spectat, vasa hæc diversimode in culpa esse possunt, potissimum vero, aut quod juxta origines suas obstructa, aut compressa, humorem non excipiant, aut circa medietates vel fines disrupta eum in aqualiculum profundant. Cujusque horum plures sunt causæ, & efficiendi rationes: fieri enim potest ut materies viscosa eorum principia obstruat, tumores glandulosi, scirrhosi, aliique præternaturales eos comprimant, nec non lymphæ exundantis diluvium ingens, quinetiam vehementes corporis motus, aut animi passiones eos disrumpant.

Secundo vasa lactea, haud minus quam lymphica, discindi, adeoque liquorem suum in ventris cavitatem effundendo, hydropem Asciten excitare periclitantur: & quidem pari ratione lædi solent, quatenus eorum ductus intermedii, aut fines, vel à chylo viscidiore iis impacto, aut pituita intestinali obstruuntur, vel à tumoribus in Mesenterio adnatis comprimuntur: nam proinde chylus vasorum initia subiens, & transitum non inveniens, imprimis ea plurimum distendit, & postea disrumpit. Plures sunt causæ & occasiones, propter quas humores crassiores & oppilativi in vasa lactea propelluntur; nam præter diætam irregularem, & plerunque ex cibis dyspeptis, malum hoc sæpe incurritur à potu nimio, aut exercitiis immoderatis statim à pastu habitis, etiam à potu frigido dum viscera summe æstuant; ita nempe vasorum ductus prius hiscentes subito constringuntur, & postea arctius connivent, propterea ut chylus intra rivos suos coarctatos hærens, eos brevi penitus oppleat, & obturet.

Quod spectat ad morbi hujus differentias, præter eas modo citatas, viz. quod Anasarcæ supervenit, vel solitaria accedat; quod etiam hæc multiplex, & diversimoda fuerit, juxta quod vasa sanguifera, aut lymphica, vel lactea, in culpa reperiantur; insuper advertimus quod

hydrops

hydrops Ascites, interdum à mero humore aquoso partes imi ventris implente & distendente procedit; quandoque vero huic diluvio membranarum extensiones, sive inflationes à spirituum incolarum inordinationibus factæ, accedant, adeoque abdominis intumescentiam adaugeant; atque in hoc casu Tympanites quadam Asciti supervenit, prout sæpius è contra hæc illius soboles existit.

Porro in Ascite mere aquosa, quandoque lympha intra cavitatem abdominis solummodo fluctuat, interim ut viscera ei immersa usque integra, & mole sua minime aut parum aucta persistent; interdum vero præter lymphæ in aqualiculo diluvium, sanguis ibidem tarde circulatus, & fere stagnans, aqua plurimum diluitur; insuper viscerum parenchymata, vasorum & membranarum parietes; ac imprimis glandulæ ubique numerosæ aqua irrigua madefactæ intumescunt; adeoque ventris tumor ex pluribus velut aquarum stagnis, & contentis paludosis consistens, in molem ingentem assurgit.

Morbi hujus prognosis suspecta semper & mali ominis habetur: nullus enim è plebe est, quin abdominis tumorem pertinacem, summe periculosum, & curatu perdifficilem pronuntiet. Si quispiam hydrope, vel phthisi affici videatur, apud vulgus statim proxima de hærede ejus quæstio est.

Ascites Anasarcæ superveniens (qui ut plurimum à tota massa sanguinea in serositates fusa, easque arteriarum osculis in cavitatem abdominis exudante procedit) facilioris curationis, aut saltem melioris spei habetur, quam morbus iste solitarius propter tumores circa viscera, vel propter vasa lymphatica, aut lactea disrupta eveniens: quippe prioris affectus tum causa conjuncta, tum procatarctica, sæpe in totum aut quoad partem tolli solent; verum in altero casu, utraque ut plurimum incurabilis existit. Urina in hydrope Ascite rubicunda, lixivialis, & pauca male significat, quippe indicio est sanguinis massam, sale & sulphure scorbuticis simul incoctis refertam, in compage sua nimis strictam esse; proinde ut fæculentias non bene secernat, & per cloacas idoneas amandet, quas tamen coacte in ventris cavitatem, quatenus ibidem in circulatione præpeditur, perperam deponit. Enimvero in Ascite, non semper cruor ut in Anasarca dissolutus, sed in crasi sua quandoque nimis compactus existit; ita tamen ut serum salsum poris cutis & viis urinariis denegatum, propter viscerum obstructiones intra abdomen exuere cogatur.

Si quando in ascite, à Cathartico exhibito, aquæ copiose cum εὐφορίᾳ per sedem evacuantur, indeque abdominis intumescentia quidpiam minuitur, de curatione non desperandum erit; sin vero purgantia parum aut nihil seri vel lymphæ educant, indeque ob fibras nerveas irritatas, inque extensiones sive inflationes viscerum & membranarum (uti crebro assolet) adactas, venter plus intumescet, & velut tympaniticus evadet, morbi eventum non nisi funestum expectare licebit.

Circa hydropis ascitis curationem, imprimis considerare oportet quibus viis, & quot modis, aquæ intra abdomen aggestæ, illinc educi, & evacuari possint, quippe per vias tantum possibiles talis evacuatio tentari debet. Atque hic statim occurrit, remedia juxta ordinariam medicinæ praxin pro hydragogis habita, finem istum intendere per catharsin, per diuresin, per diaphoresin, & per insensibilem transpirationem: in quibusdam Ægrotantium casibus hac via, inque aliis potius istac, vel alia procedatur, & si nulla ex his possibilis videbitur, aut bene succedit, de paracentesi mature deliberetur. Operæ prætium erit singula hæc pharmaciæ genera, & cujusque rationes, & operandi modum, quantaque virtute hydragoga pollent, expendere.

Primo igitur quod spectat ad Catharsin, alibi ostendimus à pharmaci irritatione, in ventriculo & intestinis habita, tum viscerum horum contenta & flatus, tum insuper humores tunicis, & glandulis eorum impactos, item in partium vicinarum vasis & ductibus aggestos, commoveri, & partim in ductus intestinales exprimi, partimq; in massam sanguineam relegari; proinde ut tumor abdominis, à partium ejusmodi infarctu, & affectatione velut paludosa oriundus, à catharticis tempestive exhibitis minuatur sæpe, & nonnunquam penitus tollatur; verum non ita succedit, si quando hic morbus à lympha intra abdominis cavitatem fluctuante, vel à membranarum inflatione, sive extensione Tympanitica procedit: quoniam hydragoga aquas istas parum aut minime educunt, & si fortiora sint, pathema hoc φυσῶδες exasperant, & augent.

Cathartica pro hydragogis habita, vel sunt Emetica vel Purgantia, illa in ventriculo, atque hæc virtutem suam potius in intestinis exerentia, quatenus fibras nerveas immaniter irritant & vellicant, simulq; sanguinem, & liquorem nerveum vi quadam velut septica plurimum fundunt, humores serosos ubilibet impactos succuti, & qua data via copiose amandari faciunt. Utraque varii generis, viz. vel simplicia, vel composita, vel leniora, vel fortiora, tum apud veteres, tum recentiores recensentur; quædam ex iis quæ præcipuæ notæ sunt hic breviter notabimus.

1. Hydragoga emetica maxime celebria, sunt gummi guttæ, esula sive cataputia, eorumque diversimoda præparata, nec non Herculis Bovii, & pilulæ lunares.

2. Purgantia sunt Sambucus, & Ebulus, Soldanella, Gratiola, Succus Ireos, Elaterium. Cujusque horum aut præparandi, aut componendi, aut exhibendi formulas quadam & modos breviter designabimus.

1. Gummi gutta pharmacum primo Indicum, dein apud nostrates à pictorum officinis ad pharmacopolia translatum, in usu esse cœpit; & ad serosos humores educendos valde prædicatur. Quatenus vero per se exhibitum, stomachum vehementer perturbat, & non raro debilitat, idcirco ut vis effera, & violenter emetica nonnihil retundetur; varii ejus præparandi modi excogitantur: omnium optime vero corrigitur, cum spiritu acido, aut cum sale Alchalisato, aut permiscendo & subigendo cum aromaticis.

Hadrianus à Mynsicht laudat magisterium ejus, quod fit dissolvendo cum spiritu vini, & dein abstrahendo, & præcipitando cum aqua fontana, item dissolvendo cum spiritu vini vitriolato cumque rosis, ac santalo rubro tincto, & dein

& dein evaporando, alii præparant, cum fumo sulphuris, ad modum scammonii sulphurati, alii in marmore lævigant, imbuendo cum oleo cinnamomi, aut caryophyllorum, aliisve chymicis aromaticis. Mihi potissimum in usu esse solet, solutione ejus cum Tinctura salis tartari facta, cujus dosis à gut. xv. ad. xx. vel xxx.

♃. Gum gut. gr. vi. mercurii dulcis gr. xv. conserv. violarum ℥iss. misce. f. Bolus.

♃. Cum. gut. gr. xii. salis absinth. gr. vi. olei macis gut. j. conserv. rosar. damasc. ʒi. f. bolus. Exhiberi etiam solet cum Tartaro vitriolat. vel cremore Tartar. & pul. Rhabarbari.

♃. Gum. gut. sulphurati aut vitriolati gr. xv. cremoris. Tartari ℈ß. extract. Rubarb. ℈i. olei cinnam. gut. iii. f. pilul. iiii.

Nuper femina Ascite gravissima, ac uti mihi videbatur deplorata laborans, medicamine sequenti per sex dies continuos assumto, multo melius habuit, & brevi postea integre convaluit.

♃. Gum. gut. pulv. gr. xii. olei cinnamomi gut. j. syrupi de spina cervina q. s. f. Bolus, dosis indies augeatur ascendendo à gr. xii. ad. xx.

♃. Tinctor. nostr. gum. gut. ℈i Aq. lumbricorum ℥i. syrupi de Rhabarbaro ℥ß. misce, detur cum regimine.

2. Esulæ, sive Tithymali, cum variæ sint species, omnesque propter insignem irritationem ab iis in visceribus factam, per vomitum, aut secessum violentius operentur, proindeque serosos humores copiose educunt; tamen ob plurium ex iis vim nimis efferam, Esula minor fere tantum nunc in usu est; ejusque præparata maxime celebria sunt, corticis radicum ejus pulvis, & extractum, nos etiam Tincturam ejus reliquis non inferiorem addimus.

♃. Esulæ cum radicibus mundat. Miiii. ligni Aloes, caryophyl. an. ʒi. contus. coqu. in aq. fantan. lib. iiii. ad medietatem, colatura depuretur per subsidentiam in vitro oblongo, dein liquor clarus evaporet Balnei calore ad consistentiam extracti, dosis ℈i.

♃. Hujus extracti ℥ß. affunde in matracio Tinctur. salis Tartari ℥vi. digerantur balneo arenæ ad tincturæ extractionem, dos. gut xx. ad xxx. cum vehiculo idoneo.

♃. Pul. radic esulæ gr. vii. ad x. cinnamomi ℈ß. salis tart. gr. 8. simul tere in mortario vitreo, detur per se, aut cum additione conserv. aut syrupi idonei, f. Bolus, aut Pilulæ.

2. Præcipitatum mercurii cum sole, sive Hercules Bovii, quod ab Authote pro sanandis hydropicis summopere prædicatur, à nobis in tractatu prioti, capite de vomitoriis describitur, ejusque ibidem parandi, & operandi modus, ac Ætiologia traduntur. Pharmacum hoc quatenus acrimonia sua fibras stomachicas insigniter vellicat, & ob particulas mercuriales & salinas saguinem fundit, vomitionem atrocem ciet, proindeque serosos humores in cavitates viscerum violenter expressos, ejici facit.

3. Pilulæ lunares dictæ, pariter ob particulas argenti vitriolicas cum aliis menstruis salinis aculeatus similem effectum producunt, sc. viscerum fibras plurimum corrugando, serosos humores in eorundem ductus fortiter exprimi, & evacuari cogunt.

Solutio Argenti in aqua stygia facta, & bene depurata, parum evaporando in Crystallos elegantes redigitur; qui per se (aut sale nitri ad ferociam vitrioli lunaris retundendam adjecto) cum mica panis in pilulas formantur: dosis pilula modo unica, modo duæ, aut tres pro ratione operationis, & virium tolerantia. Hujusmodi pharmaca in constitutione robusta, & visceribus adhuc firmis, & bene confirmatis, cum fructu interdum exhibentur, corporibus vero teneris, aut cachecticis, vix unquam commode, & raro impune sumuntur.

Hydragoga mere, aut potissime purgantia, vel sunt mitiora, uti sambucus, ebulus, soldanella, & succus Ireos nostratis, quæ rarius per se exhibita, acriorum stimulis indigent, eorumque vice versa ferociam nimiam retundunt, vel sunt fortiora, uti Gratiola, Ialapium, & elaterium.

Sambuci & Ebuli semina, sive grana siccata in pulverem rediguntur, qui ad ʒi. pondus exhibitus, serosos humores per sedem blande educit. E succo baccarum utriusque fermento, aqua & spiritus destillantur, item Rob, & Syrupus conficiuntur; quæ cum multis aliis vegetabilium istorum præparatis, ad affectus omnes Hydropicos valde prædicantur.

Soldanella, & gratiola in nostro seculo rarius per se in usu sunt, nec quidem medicamina ulla ex istis simplicibus elegantia, & valde efficacia parari solent; quorundam aliorum hydragogorum, ac imprimis Apozematum compositiones sæpe ingrediuntur.

Succus Ireos nostratis pharmacum utile est, & quia pro pauperibus facile parabile, pluris æstimandum: datur à ℥vi. ad ℥iß. vel ℥ii. aut per se vehiculo idoneo, aut cum aliis appropriatis. Ialapium contra omnem hydropem medicina notissima, & satis vulgaris est. Unusquisque è plebe morbo eo laborans, statim radicis Jalapii pulveris quantum denario constabit, cum parum Zinziberis vino albo permixtum assumit; idemque remedium aliquoties per intervalla repetitum effectus desideratus non raro sequitur.

Elaterium hydragogon potentissimum jure habetur, utpote quod fibras splanchnicas gravissime irritans, ac insimul sanguinem & humores virtute quadam velut septica fundens, quicquid viscerum membranarum, vasorum, tunicæ, nec non glandulæ, & carnes serositatum in se continent, in stomachi & intestinorum cavitates expui cogit: à quo pharmaco feliciter operante, abdominis detumescentia nonnunquam succedit. Profecto Armamentarii empirici hoc præcipuum contra Asciten quamcumque telum est: quo tamen passim utentes, sæpius ad patientis noxam, quam emolumentum exhibent: dosis à granis iii. ad x. vel xv. sumitur vel per se, additis duntaxat Armoniacis correctivis, vel cum aliis hydragogis; in forma pulveris, pilularum aut Electuarii. Tinctura & essentia ejus extrahuntur cum spiritu vini, aut cum tinctura salis Tartari.

Hæc sunt præcipua hydragoga simplicia, è quibus rite præparatis; cumque aliis adjectis composita multiplicia, tum officinalia, tum magistralia conficiuntur, & passim in usu sunt; quin & alia quamplurima, pro re nata extempore præscribi possint. Ex iis formulas quasdam paucas selectiores, ac imprimis quæ sub specie potus, pulveris, electuarii, ac pilul. sumantur, hic subdemus.

♃.

℞. Radic. ebuli, Ireos nostratis, an. ℥iß. folior. soldanellæ, gratiolæ, ana Mi. radicum. Asari, cucumeris Asinini, ana ℥i. radic. galangæ minoris ʒvi. Ialap. select. ʒß. elaterii ʒiii. cubebarum ʒii. incisis. & contusis affunde spiritus vini, tenuioris Tartarisati ℔. iii. digerantur clause in furno Arenæ per duos dies, f. colatura clara, quæ per subsidentiam depurata, detur è cochl. ii. ad. iii. cum vehiculo idoneo.

℞. Elaterii, soldanellæ, zinziberis, ana ℈i. galang. caryophyl. cinnamomi, an. ℈ß. salis Tartari gr. xv. f. pulvis pro duabus dosibus.

℞. Pul. radic. Ialap. select. ʒi. zinziberi ℈i. cremoris Tartari gr. xv. f. pulvis; detur in haustu vini albi.

℞. Rhabarb. pul. ℈i. elaterii gr. v. Tartari vitriolat. ℈ß. spicæ. ger. iii. cum syrupo de spina cervina, f. pilul. iv.

℞. Pilul. Alœphangin. ʒß. elaterii ℈ß. olei caryophyl. gut. iii. f. pilul. iiii.

Pilulæ Hydropicæ Bontii dentur à ℈ß. ad ʒß. Ad hunc modum parantur.

℞. Aloes opt. ʒiß. gum. gut. parat. ʒiß. diagridii correct. ʒi. gumm. Ammoniac. solut. ʒiß. tartari vitriolat. ʒß. f. massa quæ formetur in pilulas.

Electuaria quædam hydragoga nunc passim in usu apud practicos celebrantur; cujusmodi imprimis sunt unum à Cl. Sylvio, ac alterum à Zvvelfero descriptum. Nobis hoc sequens arridet.

℞. Resin. Ialap. ʒi. tartari vitriolat. ʒi. extract. rhabarb. ʒii. esulæ ʒiß. rad. galang. minori ʒi. iterum tere, ultimoque adde conserv. flor. Ireos nostratis ℥iii. & cum. s. q. syrupi è floribus persicorum f. electuarium, dosis ʒß. ad ʒiß. vel ii.

Possim hic multa alia hydragoga purgantia citare, aut describere, verum Cathartica Asciten non semper curant; imo sæpe exacerbant, & (si diutius eisdem insistitur) incurabilem reddunt; hinc ut necesse fuerit, pro hoc morbo sanando ad alia remediorum genera recursum habere. Itaque jam proxime inquiramus utrum diuretica hic prosint, nec ne?

Et quidem facile quispiam existimet, medicamenta urinas moventia, propter aquas è quocunque loco, aut corporis specu educendas, plurimum conferre. Revera hæc Anasarcam frequenter sanare, & præ aliis quibusque remediis juvamen præstare, experientia satis crebra liquet, videamus igitur quid pro abdominis cavitate elutrianda efficiant.

Super hoc imprmis constat, nullum ad renes à stagno Ascitico, quamvis vicino, ductum immediatum patere; sed quicquid aquarum hinc inde transfertur, necesse erit primo in massam sanguineam resorberi, & deinde è sinu ejus in cloacam urinariam effundi: at vero quantulum est, quod venarum oscula, circa viscerum superficies (si forsan omnino patent) dehiscentia, excipere possunt: tque hoc unicum diuretica efficere queunt, ut sanguinem fundendo: ejusque serositates ad renes copiosius pellendo, ipsum adeo inanitum aquas in ventre fluctuantes ad se allicere faciant; interim haud minus periculum est, ne diuretica intempestive exhibita, dum cruorem nimis fundunt, serum abscedere coactum, in Ascitis nidum, plusquam in renes adigant, adeoque ventris diluvium augeant potius quam tollant. Enim vero ita interdum evenire, observatione crebra mihi satis compertum est; quare cum diuretica ad Asciten curandam præscribuntur, à tali effectu contrario summopere cavendum erit. Profecto ob hanc rationem est, quo d remediis hydropicis (ex veterum Authoritate & praxi per experientiam inventa) adstringentia, & corroborantia semper admiscentur; non quod talia Hepatis Tonum (uti vulgo dicitur) confirmant, verum sanguinis crasin sive mixtionem, ne fusione nimia penitus dissolvatur, præservent. Itaque in Ascite quæ propter viscerum & vasorum compages, ac imprimis tunicas, glandulas, ipsasque fibras, earumque interstitia ab humore seroso infarctas, proindeque summe intumefactas, potissimum aut ex parte contingit, quemadmodum Cathartica, ita & diuretica conveniunt, & non raro cum fructu sumuntur; in quantum scrhorum usu; massa sanguinea (sero ad renes copiosius derivato) inanita, aquas istas juxta ipsorum oscula ubique stagnantes, facile in se recipit, & versus cloacam urinariam convehit: verum è contra in mera Ascite, ubi viscerum texturis à seroso infarctu immunibus, aquarum illuvies ventris cavitatem inundat, diuretica aut frustra, aut incommode exhibentur; quatenus nempe nihil è ventris stagno exprimunt, & sæpissimè cruorem fundendo, aquas illic instillari aptas impetuosius adigunt.

Diuretica in Ascite non omnia cujusque generis ex æquo conveniunt, neque indifferenter exhiberi debent, quippe observare est morbo isto affectos, plerunque urinam paucam, rubicundam, & quasi lixivialem reddere; quod equidem indicio est, sanguinis crasin à sale fixo & sulphureo exaltatis, & simul combinatis, nimis strictam in iis existere: proindeque serum ejus intra renes haud debite secerni; quod tamen circa viscerum obstructorum anfractus exuitur, adeoque in ventris cavitatem deponitur. Quapropter in hoc statu ad urinas ciendas ea tantummodo propinare oportebit, quæ sanguinis constitutionem ita restituunt & emendant, ut salis fixi & sulphuris enormitatibus sublatis, pars serosa intra renes separari, & uberius amandari possit; in quem finem, non acida, aut lixivialia, verum sale volatili prædita destinantur. Nam sæpius observavi in ejusmodi ægrotantibus, cum spiritus salis, aliaque mineralium stagmata acida, cumque salis Tartari, genistæ, aliorumque deliquia, aut solutiones, noxæ potius quam commodo extitere, succum plantaginis, Beccabungæ, aliarumque herbarum sale volatili abundantium, nec non Millepedarum expressiones plurimum juvasse: propter eandem rationem, sal nitri summe purificatus, sive Chrystallum minerale non raro insigniter prodest. Medicaminum in hunc usum accommodorum formulæ in tractatu priori nostro extant, ubi sc. Diureticorum, quibus tum sal volatilis, tum sal nitrosus, pro basi est, exempla describuntur. Porro huc referri debet experimentum notabile, quo Iohannes Anglus Asciten à causa calida sæpius curatam asserit, quod etiam medicamentum Medicus experientissimus D. Theodor. Mayerne in simili casu præscribere & magnifacere solebat: sc.

℞. Succum plantaginis & hepaticæ, & imple-

ple ollam terream usque ad summum, quæ cooperta & exacte clausa ponatur in furno calido, pane extracto, & fiat ignis in lateribus ollæ debilis, ad calorem furni sustinendum, post coctionem liquor coletur; & cum saccharo dulcoratus potetur mane & sero, & curat; ad hujus imitationem, sæpe cum successu, modo sequenti præscripsi.

℞. Folior. plantaginis virentium M. iiii. Hepaticæ, Beccabungæ, ana M. ii. simul contusis affunde aq. Raphani composit. tenuis, aut alterius magistralis appropriatæ ℔. ß. f. expressio fortis, dosis ℥iii. ter in die.

Diaphoretica licet in Anasarca potissime, in Ascite tamen, aut nullius, aut rarioris usus existunt: quippe intempestive adhibita, sine ullo juvamine magna in sæpe ægrotanti noxam afferunt, quatenus nimirum sanguinem excalfaciendo, aquas in ventris cavitate fluctuantes æstuare, & velut ebullire faciunt: propterea ut spiritus & humores à vaporibus exinde elevatis valde perturbentur: adeoque functionum omnium inordinatio consequatur, ipsaque viscera velut elixata plurimum lædantur. Porro à diaphoresi ita perperam instituta, cruor infusionem, & seri præcipitationem coactus, ipsum amplius in Ascitis nidum deponit. Quod igitur nonnulli fotus & linimenta ventris tumidi aqualiculo applicanda, & Balneationem præscribunt, laborantib. fere semper in deterius cedit; nam præter febricitationem cephalalgiam, vertiginem, spirituum deliquia, aliaque cerebri, & cordis mala symptomata ita sæpissime excitata, etiam venter exinde plus intumescit: in quantum sanguis agitatus & fusus, serum ibidem amplius deponit; quinimo & vasorum ora proinde magis laxantur, & aperiuntur, ut aquas è massa sanguinea abscedere aptas promtius extillent. Remedia autem quæ prope loca affecta (cum citra paracentesin morbi curatio intenditur) maxime cum fructu adhiberi solent, sunt Enemata ac Emplastra.

Priora absque totius massæ sanguineæ fusione (quam Cathartica fortiora cient) serum è vasis & glandulis intestinorum ac mesenterii prolliciunt; quæ proinde inanita lymphas extravalatas aliquantulum imbibunt. In hunc finem Clyster sequens, à nobis in hoc casu præscribi solitus, egregie convenit, quatenus nempe una fibras intestinales vellicat, atque serum à sanguine imbibitum, aut in eo prius contentum, versus renes projectat.

℞. Vrinæ hominis sani & vinum bibentis ℔. j. Terebinth. Venetæ cum vitello ovi solut. ℥iß. salis prunellæ ʒiß. f. enema, repetatur quotidie. Emplastra nonnunquam in Ascite juvamen conferunt: illa tamen ejusmodi sint quæ virtute quadam restrictiva, & confortativa viscera corroborant, & vasorum ora ne serositates expuant nimis, constringunt; in hunc finem Emplastrum Diasaponis sæpe cum fructu ventri tumido applicare soleo. Vel,

℞. Emplastri de minio, Paracelsi, ana q. s. f. emplastrum abdomini applicandum. Si quando hic morbus cum Tympanite complicatur, aliusmodi epithemata conveniunt, prout inferius declarabitur.

Magnum & præsentissimum Ascitis remedium est, ut Paracentesi facta aquæ extrahantur: quæ tamen administratio haud sæpius morbum curat, quam patientem interimit: quapropter summa cautione opus est cujusmodi affectis & quo morbi tempore adhiberi debet: cachecticis, & diu invaletudinariis, in quibus viscerum conformatio & temperies prorsus vitiantur, frustra erit ex Aqualiculo perforato lymphas elutriari; nam exinde statim spiritus fatiscunt, atque vires exolvuntur: quin & propediem humoris morbifici nova illuvies succedit. Porro quis prius ἐκσπλαγχνοι & quoad partes quasq; alias satis sani, à causa quadam magna evidenti in Asciten incidunt, uti paracentesin non primo statim tentare, ita nec diu nimis, si requisita fuerit, eam differre oportebit: etenim mora longiori viscerum, dum aquis immersa, & velut elixata diu perstant, vitiositas inemendabilis contrahitur.

Paracenteseos administrationem, sive modo ordinario, sive Sylviano per acum perforatum fiat, non opus, imo extra propositum nostrum erit hic describere: ἐγχειρεῖν hanc utpote periculosam cum medici raro præscribunt, his sæpissime inconsultis, agyrthæ ac empirici eam temerè ac infauste aggrediuntur: libet hic coronidis loco Ascitis veræ, ac immanis absque paracentesi nuper curatæ, historiam subjungere.

Femina Juvenis Mercatoris uxor, tenuis & procera, cum infantem suum lactaret, ad lac augendū interdiu & noctu cervisiam modo simplicem, modo lacteatam immodice ingerebat. Postquam hac mala victus ratione per sesquimensem usa fuerat, Asciten, cujus initia minime adverterat brevi, immanem contraxit: quippe abdomen aqua intus fluctuante gravidum, valde intumescebat, ejusque moles cum è latere uno in alterum se devolveret, extra ilia & reliqui corporis oram concideret: interea membrorum omnium carnes valde absumebantur, ut non minus tabida simul, ac hydropica videretur.

Infante ablactato, & meliori victus ratione instituta ad medicinam se contulit, cepitque imprimis hydragoga leniora, tum cathartica, tum diuretica, absque ullo tamen commodo; quin à purgatione omni semper deterius habuit: hanc postea curæ nostræ commissam, & pene deploratam methodo sequenti tractabam.

Cervisiæ & liquoris cujusque potulenti (pharmacis exceptis) usu fere in totum interdicto medicamenta hæc præscribo.

℞. Foliorum plantaginis, Beccabungæ, aparines, an. M. iiii. simul contusis affunde aq. lumbricorum & Raph composit. ana. ℥iii. f. expressio. cepit bis in die, viz. hora viii. matut. & v. post mer. Medicamenti hujus usum diu continuabat, sed compositionem subinde variabat, mutatis modo herbis, modo liquore iis contusis affundendo.

℞. Tincturæ salis Tartari rubicundissimæ ʒiß. cepit. gut. xx. hora somni & primo mane in cochlear. ii. Iulap. seq. superbibendo cochl. vii.

℞. Aq. flor. sambuci, saxifragiæ, ana ℥vi. aq. Limacum, Lumbricor. Raphani composit. an. ℥ij.

Super abdomen gestabat emplastrum ex emplastro de Minio & oxycroceo. Enema sequens adhibebatur primo quotidie, postea diebus alternis aut tertiis.

℞. Vrinæ hominis sani ℔. j. Terebinthinæ solutæ cum vitello ovi. ℥iß. sacchari ℥i. salis Prunellæ ʒi. f. enema.

Horum

Horum usu constanti, intra sesquimensem venter detumuit, sed carne indies contabescente Phthisis metuebatur. Quare hujus præcavendæ gratiâ rus profecta, lac asininum bibebat; cujus nutrimenti, & auræ purioris beneficio, medicamina usque prædicta assumens, intra tres aut quatuor septimanas integrè convaluit, & etiamnum vivit, valetque. *Thom. Willis Pharmaceutic. Rationalis Parte* II.

Curationes.

Propter materiæ ventriculo & hepati propinquæ tenuitatem, promptitudinem & copiam, non requiro longam multamve concoctionem; sed statim ad aquei humoris evacuationem festino & præter alia, hic mihi in usu est gratiola herba, quam licet valdè amaram, & propterea minùs delicatam, in substantia exhibere queunt alii ad ʒii. cum pulv. cinnamom. & sem. anis momento, saccharo & vini haustu; ego tamen in vino decoquo m. i. ejus parvum, seu ℥ß. cum uvis passis acinis exemptis, & à forti expressione admixta canella, aniso & sacchar. horâ matutinâ propino, vel hac ratione apparari potest.

℞. Gratiol. ℥ß. soldanell. ʒi. sem. anis. ʒii. passul. enucleat. ℥ß bulliant cum vino ad remanentiam ℥v. liquor expressus exhibeatur. Potens illud est pharmacum, quo serosarum & aquearum superfluitatum libræ non pauciores octo quandoque expurgantur, proximum potentia & bonitate catharticum succedit succus rad iridis depuratus qui cum ovi vitello diligenter commixtus, albumine prius effuso, ex testa tepide sorbeatur vel paretur sequens haustus.

℞. Succ. irid. per residentiam defæcati ʒiii. vel ℥ß. syr. rosat. solut. ℥i. cinnamom. elect. ℈i. m. Dantur item pil. aggregat. ℈ii. cum gr. ii. elaterii. Cortex sambuci & ebuli interior flavescens vulgò hic usurpatur, redigitur & ebuli cortex in pulverem, ejusque ʒi. cum aq. linar. ℥iiii. propinatur, unde per urinam, vel etiam sedem, aqua cutim subiens potenter expellitur, frágulæ à clariss. *Mathiolo* descriptæ utilitas non vulgaris: cujus interior cortex decoquitur cum eupator. absynth. Roman. cuscut. veron. rad. cichor. sem. apii & fœnicul. adjecto postea cinnamomo. Efficax hic item vitis sylvestris radix. Sunt qui olei vitrioli guttam in vini cyatho hydropicis propinant, idque magni arcani loco habent; porrò hoc observandum, singulis septimanis ad minimum semel tentandam esse evacuationis repetitionem ne venter mox denuò saburræ aqueæ affluxu exundet, quando autem paulatim ventrem & hepar exonerari desideramus, aut propter humoris delinquentis abundantiam, aut labefactatam viscerum virtutem aut plurium symptomatum concursum; tunc ex hoc condito quotidie vel alternis diebus hora matutina sumatur. ℥ß.

℞. Succ. irid. ℥ß. canell. galang. an ʒii. caryophyll. macis, an. ʒi. Zedoar. ℈ii. soldanell. elect. ℥ß. in pulver. trita, m. cum melle despumato ad elect. formam è baccis quoque sambuci & ebuli à semine expurgatis, & per colum trajectis, succus cum pauco melle despumato vel saccharo coctione inspissatus hic utilis, stillatitia item utriusque aqua artificiosè extracta ad ℥vi haustа commendatur. Prima ad hæc arborum harum germina vel fol. adhuc tenella leviter bullita in acetariis hic cum successu assumuntur, quæ in eundem usum etiam olerum more coquuntur. Urinam cientia hic unicè prodesse constat, inter quæ efficax est imprimis oleum è juniperi baccis purè extractum, & cum vino sumptum. Datur à plerisque petroleum cum vino, quod urinam, sudorem & vomitum movet. Memini adhæc quod *Romæ* marito ascite diutius excruciato, pulverem bufonis usti, ut veneno tolleretur, sumptuum pertæsa uxor exhibuerit, unde copiosum hic lotium reddidit, hinc ipsa denuo eundem propinat pulverem, ut citius ærumnosam sumptuosamque vitam cum subita commutaret morte; qui ab uberiore aqua confertim per vesicam exoneratus, præter conjugis expectationem convaluit. Sunt item qui propinant decoct. rad. aperient. ℥iiii. cui admixtæ fuerint sem. lini ʒiii. Correctoriæ scilicet, & cantharides duæ simul decoctæ, sed prius simul colantur, interim ad viscera roboranda hanc præscribo mixtionem.

℞. Conserv. rad. enulæ ℥iß. conserv. absynth. Rom. ℥i. spec. diacinnamom. ʒiß. dialacc. ʒi. ol. junip. ℈ii. cum syr. de eupator. q. s. F. conditum. In usu etiam sint zinzib. conditum, radices pimpinellæ conditæ conf. absynth. Rom. conf. rad. helenii, & rad. eædem conditæ, aliquoties vini sublimati usum permitto, maximè in hyposarca. Cæterùm duo etiamnum reliqua sunt præcipua totius curationis capita, quæ si ritè observentur, mirè conducunt. primum est in toleranda siti constantia, quam stricta adeo lege impero, ut ægris non ultra ℔iß. vini in quemlibet diem permittam: minori molestia hic obedire queunt, si ex angusti oris vitro bibant humectata etenim sæpius vini stillantis momento lingua promptiùs fallitur sitis, nec ejus copia gravatur ventriculus. Alterum & ferè maximum erit sudor; quem quomodocunque, quantum fieri poteri extorquere oportet. Theriaca postridie purgationis, cum vino calido propinata, huc facit extrinsecus sudoris profluvium multipliciter molior, idque pro ægrotorum diversa conditione, tenuioris siquidem fortunæ hominibus consulo, ut mensæ incubans corpus universum in clibanum, recenti pane extracto etiamnum tepentem, immittatur sic ut caput extra præfurnium pulvinari innixum liberè respiret, ne calidiori aëre suffocationis periculum subsequatur. Ut is quoque citius promoveatur & tibiarum inflatio simul discutiatur, arenam in lebete vel cacabo calefactam, sive etiam cineres quercinos eodem modo calentes in sacculum infundo, cui colligato imponuntur crura tumida mane & vesperi. Alius sudorum exprimendorum modus mirè utiltis & certior existit, si cupa idonea prius igne vasi imposito incalescat, tecta lodice, aut panno denso vel operculo ob tumidum corpus commodo, in hac super sedecula insideat æger, thorace & collo ita munito, ne quid vaporis exhalet: Deinde sequens decoctum in cacabo vel vasculo aptiore fervidũ intra tibias collocetur, in quo subinde igniti silices immittẽtur, ut novus copiosiorque denuò excitetur halitus, qui semper in ventre tumido quam fieri potest calidissimè excipiatur: ne tamen primi semper fervoris violentia urat cavendum sedulo: quo autem con-

stantius diutiusq; hoc sudoris effluvium toleraverit ægrotus, eò suæ valetudini consulet rectiùs. Postea linteo calido coopertus, in contiguum lectum calentem deponatur, ne præpediatur sudoris fluxus: interim exhibeatur quod vires roboret, vel reficiat: decocti jam dicti materia esto; rad. & folia sambuci & ebuli, raphanus, absynth. puleg. ruta, abrotan. marrub. heder. rosmarinus, majorana, origan. salvia, calamenth. laur. folia, thymus, hyssopus, centaur. minor. nasturtii species, bacc. juniper. anethum, chamæm. quæ admixtis sulphure potissimùm & sale, in lixivio & vino, aut in lixivio solo bulliant: vel suffitus hic excitetur solo acri lixivio, ex sarmentorum cineribus, vel quercinis parato. *Ex Ioh. Wieri observ.*

Inter medicamenta quæ aquam educunt, primum obtinet locum succus iridis depuratus à ʒii. usque ad ℥ß. bis in septimana cum mell. rosat. ʒii. in aurora datus: hac lege ut inter has evacuationes jecur corroboretur hoc medicamento.

℞. Spec. diarrhod. abb. trochisc. de rheo, hepat. lupi præparat. an. ℈i. cum syr. de absynth. F. bolus, in aurora dandus. Succus etiam cucum. sylvestr. siccatus (quem elaterium vocant) omnium efficacissimè purgat, atque cum minori molestia & violentia, si hujus tria vel quatuor grana cum pilul. alæphang. ʒß. in bolum cum syr. absynth. redigantur, & in aurora exhibeantur. Medicamentum autem ex cantharidibus paratum, licet ex *Galeni* placitis aquosum humorem hunc per urinam valenter expurget, mihi medicinam facienti semper fuit suspectum. Hydragogum quod sequitur egregiè aquas subducit.

℞. Soldanell. ℥ii. bulliant in aq. scolopendr. ℥ix. ad consumptionem tertiæ partis, in colat. adde pulv. sem. ebul. ʒiß. vel ʒii. vini alb. ℥iß. hæc potio alternis diebus maximo cum successu in aurora fælicissimè exhibetur. Subinde etiam injiciatur clyster sequens.

℞. Soldanell. m. i. mercurial. malv. flor. chamæm. an. m. ß. sem. anis. fænicul. carui, dauci, an. m. i. bulliant in aq. q. s. in colatur. ℔i. dissolve benedict. laxativ. ℥i. elect. è bacc. laur. ʒi. ol. rutac. ℥iii. sacchar. rubr. ℥iß. sal. comm. ʒiii. F. clyster. Hic clysmus non solum aquam corruptam expurgat, verum etiam & flatus, qui aquoso humori semper junguntur (unde ventris distentio & dolor) mirificè discutit; propterea & toto etiam curationis tempore alternis saltem diebus utiliter injici poterit, inter cataplasmata ventri adhibenda, quod sequitur maximè valet. Emplastrum videlicet ex cochleis cum testis suis exactè contritis cum aqua ardenti, oleo itimo & oleo ex terebinthina destillato paratum. De Chirurgicis auxiliis, nihil habeo quod proponam, quandoquidem venæsectio hydropicis omnibus nocentissima censetur, nisi inter morbi initia ex consueta aliqua sanguinis salubri excretione pendentis, neque etiam de perforatione, vel ustione cogitandum judico, quoniam præterquam quod opus hoc periculo maximo plenum est, nihil facit ad morbi fomitem tollendum, viscerum nempe tumorem *Ex Ioh. Zecchii. Consil.*

In Ascite, quæ omnium communissima, sinè omni mora materia in abdomine contenta evacuanda, præmissis tamen aperientibus & simul humorem crudum hepati impactum præparantibus. Fiat igitur statim decoctum, quo', ℞. Rad. Ellebor. nigri præp. mechoacann. an. ℥iß. galangæ ʒi. fol. sen. Alexandr. mund. ℥i. sem. anis. fænicul. an. ʒß. cartham. ʒß. infunde in s. q. decoct. aperitiv. per noctem manè coque ad ℥viii. addendo sub finem cocturæ Rhabarb. ʒiß. sacchar. ℥ii. Colentur. F. Apozema non clarificatum pro 3. aut 4. dosibus, addendo ad ultimam dosin specier. diaturbith. cum Rhabarb. ℈ß. aut ℈i. Post tres doses Apozematis, exhibeatur dosis Mercur. laxativ. aut præcipitat. cum sole, cum extracto Colocynthidos & scammonii, aut exhibeatur ℈i. ad ʒi. extract. Eluæ toties à Rulando ad hunc morbum decantati; præparationem vide in notis ad Crollium.

Huc referri etiam potest sp. vitæ aureus Rulandi, qui fit cum spir. vini Malvatic. ex trochiscis alandhal. extracta, tinctura, quæ pro quantitate trochiscorum & spir. vin. propinatur. Hinc exhibeatur per tres dies continuos diureticum sequens.

℞. Rad. Ebul. ℥ß. fœniculi, polypodii, petrosel. an. ʒiiß. rad. irid. m. i. Elleb. præp. mechoacann. an. ℈ii. fol. sen. ʒi Cort. interior. sambuc. ℥iß. flor. sambuc. genist. an. p. iiii. flor lavendul. p. ii. sem. fæniculi, dauci, an. ʒiß. zinziberis, galang. an. ℈iß. Infunde in s. q. aq. gratiol & florum sambuci per noctem manè leviter coque ad ℥viii. vel circiter exprimantur, Colaturæ adde syr. Eupatorii, syr. bysantin. an. ℥ii. aq. Cinnamom. ℥ß. adde semper si alvus non respondeat, extract. Trochiscorum Alandhal aut Sp. vitæ aurei, quod visum fuerit: aut addatur succi rad. iridis nostratis, nasturtii & corticis viridis sambuci ℥ß. ad ℥iiii. Apozematis dicti: imò si succi dicti ad ℥ii. vel ℥iß. propinentur cum aq. communi tantum, potenter aquam educunt. Debet etiam interdum, ne scilicet semper purgetur æger & vires labascant, exhiberi Cremor Tartari aut magisterium ejusdem aut syr. de Eupatorio, Corticibus citri, & oxymel scilliticum cum aq. meliss. fœnicul. agrimon. apii, Cinamomi dilutus. It. Tabellæ sequentes.

℞. Pulver. dialacc. diacurcum. an. ℈ii. sacchar. solut. in aq. halicacab. ℥iß. tinctur. martis ℈ii. ol. nuc. moschat. destillat. gr. iii. F. s. a. Rotulæ de quibus sumat ʒii hor. ante & post potum. It. Utatur Electuario sequēte, quod,

℞. Rob. sambuci ℥iii. mithridati ℥ß. spec. diarrhodon. Abbatis, solut. perlarum, solut. ocul. cancrorum præp. an. ℈i. syr. de Eupatorio q. s. sp. vitrioli ℈iß. F. Electuarium, de quo mane & vesperi 3. horis ante cibum sumat ad quantitatem avellanæ. Potest quoque venter foveri decocto, quod fit ex herba menthæ, origani an. m. ii. florum sambuci, meliloti an. p. iii. sem. carvi ℥iß. baccar. laur. ℥iii. stercoris capræ ad pondus omnium, coq. in lixivio & ex aq. simplici cum decoct. aut herbis ipsis calidis foveantur partes tumidæ, post fomētum applicetur emplastrum de baccis lauri. Hinc accedatur ad ea quæ proprietate occulta ad quemlibet hydropem faciunt. Est aqua lumbricorum terrestrium rubrorum. 2. aqua sequens.

℞. Uitriol.

℞. Vitriol.& Tartar.an. ℔i. rad. vincetoxici ℔ß. Spir.vin. pintam unam, stent in infusione per tres dies, postea destill. in arena per alembicum, aquæ destill. adde gutt. aliquot sp. vitrioli ad gratam aciditatem, detur singulis diebus tribus vicib. in decocto vincetoxici cochl. urinam properanter moveti intemperiem corrigit & obstructiones tollit, 3. Pulvis bufonum. 4. stercus anserinum. Pro potu utatur sequente julapio

℞ Aq. petrosel. halicacab. an. ℥v. aq. flor. sambuci ℥iii. spir. vitriol. ℈ß. aut sp. lap. prunell. ʒß. syr. de radicib. ℥iß. m. aut utatur vino absynthiaco chalybeato, &c. Tandem tumore sublato ad ea veniendum, quæ reliquias discutere, & partem affectam roborare valent, qualia sunt aqua Theriacalis, decoctum ligni guajaci, Sarsaparill. chinæ, Balnea sulphurea & aluminosa. aut.

♃. Rob. sambuci ℥ii. sal. card. benedict ℈i, mithridatii, ʒi, syr. de Card. bened. q. s. ad consistentiam Electuarii, quod assumat duabus vicibus & in lecto aut stupha duobus matutinis sudet, aut.

♃. Rad. sarsæparillæ, ras. guajaci, an. ℥ß. sassafras ℥ii. infund. in s. q. aq. comm. per hor. 24. postea coq. ad ℥vi. colaturæ adde syr. de Card. bened de scabios. an. ʒvi. sal. card. bened. ℈i. aq. cinnamom. ʒii. m. pro 2. dosibus ante introitum laconici, aut detur dosis bezoardici mineralis, aut antimonii fixi diaphoretic. cum gr. ii. lapidis bezoardici. Hepar roboratur Electuario de scoriis ferri, Electuario diambræ: ad ejus ℥ii. adde conserv. rosar. rubrarum antiquæ ℥iß. croci Martis ʒi. Quod si tumor pedum, ut plerumque fit, simul adsit, tunc fiat lixivium ex Cineribus quercus, & in lixivio dicto superius pro fomentatione herbæ adjiciantur, & coquatur usque ad consumptionem mediæ partis. In lixivio intingantur lintea cruda, quæ exprimantur & ita calidè applicentur cruribus. Aut si tumor adhuc aliquis ventris & tibiarum adsit, tunc panis niger in vino & modico aceto coquatur ad consistentiam pultis seu Cataplasmatis & extendatur super pannum lineum, atque superimponatur ventri toti, & relinquatur per 24. horas. Postquam detumuit, ponatur versus genua semper descendendo usque ad pedes. Quod si nec his tumor cedat, aut tanta adsit copia, ut resolvi non possit, convenientissimum est tibiis applicare cauteria potentialia, 4. digitis supra malleolum aut 4. digitis infra genua: quo solo remedio, qui ab aliis incurabiles censebantur, tumores crurum & ventris sanari vidimus. Alii applicant folia Bardanæ dictis partibus tumidis, sæpius mutant, & sic aquam contrahi & consumi dicunt. Sitis si adsit magna, ut tolerare nullo modo eam possit, tunc & sp. Sal. in vino granatorum exhiberi potest, vel sal absynth. à gr. iii ad viii. cujus exhibitionem si continuaveris aliquandiu, amplius non sitiet. (In hydrope quotidie detur ℈ii. vel ʒi. salis ex felle vitri cum vino albo, mirabiliter juvat.) *Iohann. Hartmannus in Pract. Chymiatric.*

De Paracenthesi Abdominis.

De Paracentesi Abdominis quandoque in Hydrope Ascite fructuosa, verbum habet Clar. Willisius; de ea hic jam distinctius agendum venit, adductis propriis hoc in argumento Accuratissimi Thomæ Fieni verbis. Sic autem ille. Exempla dantur non pauca in quibus natura sponte, rupto umbilico, sibi viam invenerit pro aquis ejiciendis. Quare ergo & nos, naturam imitantes, non audebimus idem in desperato casu facere? Interim tamen sectio est periculosa, & non debet à medico, nisi prædictione maximi periculi tentari, ut sic honori suo consulat. Periculum, quod circa eam est, non consistit in ipsa sectione, per se, quia illa sectio non est per se lethalis; nulla enim ibi venæ, aut arteriæ, aut nervi, aut partes magni momenti, sed tantum cutis, musculosa etiam caro, & quotidie videmus vulnera abdominis, etsi penetrantia sint, modo nihil internorum membrorum læsum sit, facile & sine magno periculo consolidata.

In hydropicis ergo nullum periculum est hæmorrhagiæ; nullum etiam periculum est, ut à sectione internæ aliquæ partes lædantur; illæ enim in imo jacent, & inter eas & carnem abdominis magnum interjacet spacium, aqua plenum: verum periculum consistit in his tribus. Primo, quia periculum est, ne post ustionem aut sectionem, sequatur gangræna. Venter enim ab aqua putrescente plurimum debilitatus, & refrigeratus est, ideo à minima accedente læsione, facilè omnem calorem nativum perdit, & mortificationem incurrit. Secundò, consistit in exitu aquæ: quia si aqua repente tota effluat, periculum est, ne æger statim moriatur, spiritibus multis cum ipsa erumpentibus. Si lente exit, etiam periculum mortis ex eo est, quod etiam lente spiritus & caro exhalent, & quod partes, quæ antea solidæ sunt in calida illa aqua natitarent, fluctuarentque nunc subsidant, situm mutent, nudæ sint, & aëri in vacuo loco contento expositæ. Tertio in molestia aquæ retinendæ, cum jam foramen factum est. In eo enim summa, ut experientia didici, difficultas consistit; & ut foramen bene claudatur, hic opus hic labor est. Magnum certò hic imminet periculum. Nam cum foramen factum est, aqua ea magno impetu fertur, ad exeundum. Si confertim affluat, periculum mortis est, ut Hipp. in aphor. testatur. Itaque debet retineri, ut per intervalla tantum exeat. Atque vix retineri potest, quia in foramine debet esse fistula, per quam aqua per intervalla emitti possit. Nam si fistula semel exiret, non posset iterum intromitti, propterea quod tunc cutis, peritoneum & musculi essent divulsi, & mutassent situm imum, & sic foramen unius non responderet foramini alterius. Itaque cum illa fistula non possit tam exactè foramen claudere, fit, ut aqua erumpat. Si vere eam ita, & fortiter intrudere vis, ut foramen exactè claudat, periculum est, ne gangræna sequatur, quod facillime fit, cum venter ab aqua tam refrigeratus est, & sectione insuper debilitatus: ad hoc impositis cum dolore tentis, vel fistula lacessitur. Nam quod dici possit, emplastra desuper inducenda esse, quæ valde tenacia sint, & adeo fortiter ventri hæreant, ut aquam includant; id equidem impossibile est. Nam aquæ impetus & ea excutit; & ipsa quoque, cum sint oleosa, ventri ab aqua humido existenti non adhærent, ut experientia didici, & sic cum factum est foramen, vel periculum est, ut non bene clauso foramine aqua confertim exeat, vel ut clauso gangræna, & utrinque mors insequatur.

Ut his incommodis obvietur commodus, perforandi locus modusque est inveniendus. Quoad locum, ita est sciendum, quod Ascitici pro aquæ eductione variis locis secentur. Interdum crura aqua tumida sunt, fiuntque sectiones, seu scarificationes plurimæ in cruribus, per quas aqua non è cruribus tantum, sed è toto sæpe ventre exit, & exire potest. Interdum cum natura aquæ copiam ex abdomine in scrotum exturbat, & scrotum aqua tumet, vel aperitur, vel ceto scrotum transfigitur, ut unde aqua tota elabi possit. Verum nos hic non loquimur de illis sectionibus, sed de illa tantum, quæ fit in ipso ventre usque ad cavitatem. Hæc secundum Paulum, & doctrinam omnium Medicorum hactenus usitatam, fit tribus aut quatuor digitis, sub umbilico, paululum à latere, modo uno modo alio. Verum nuper quidam à recentioribus doctissimus Medicus alium assignavit locum, & dicit, illam sectionem faciendam esse in ipso umbilico, & ibi fieri commodissime, & securissime. Hoc probat his rationibus. Primo, quia videmus, quod natura illam viam nobis quodãmodo digito mõstret, ex eo quod videamus, quod quoties natura critico quodam motu aquam aliquando ex corpore exturbat, id facit per umbilicum ruptione quadam facta, de quo leguntur apud authores plurima exempla, qui sic erumpente per umbilicum aqua, convaluere. Atqui quo natura vergit, eo ducere oportet. Itaque, cùm ipsa illum locum sæpe, & cum bono successu eligat, nos eum quoque præ aliis eligere debemus. Etenim *Antonius Benivenius. c. 12.* de abdominis morborum, & sanationum abditis causis scribit historiam de quodam puero, cui Ascitico jam existenti, cum præ siti nimiá copiosam aquam bibisset, ruptus fuit umbilicus, & aqua exiit, & convaluit. Amatus Lusitanus loco supra citato, scribit, de muliere quadam, quod ei umbilicus intumuisset, & cum forte fortuna eum scalperet, discerpserit, & aqua eruperit, & fuerit curata. Valeriola lib. 4. observat. c. 3. & Marcellus Donatus, Vidus Vidius, Laurentius, Schenckius, & alii adhuc alias historias habent, similis per umbilicum eruptionis, & convalescentiæ inde secutæ. Secundo probat ratione. Nam illa punctio fit multarum partium solutione, coeunt enim circa umbilicum vasa quatuor umbilicalia, quæ si dehiscant, ut solent in hydropicis propter vim aquarum, eò prorumpentium, tunc tantum ipsa cutis venit secanda. Dicat aliquis, quod circa umbilicum tendines musculorum omnium terminentur; & quod si illa scindantur, periculum sit convulsionis secuturæ. Sed respondet ille; musculorum omnium extrema in lineam albam terminari, sed hæc circa umbilicum perforata sunt, ut vasis umbilicalibus aditus pateret. Tertio, quia Ascite laborantes fere omnes ex omphalo, seu sarcinâ, & humore umbilici laborant, quem tumorem prorumpens ibi aqua creat. In iis a. jam via, & perforatio à natura facta est, neque aliud restat faciendum, quam quod tantum cuticula transpungatur, qua transpuncta mox sine molestia aqua effluet. Quarto, quia hæc sectio hanc habet commoditatem quod post eam ægri in utrumque latus incumbere possunt, cum alias in altero latere facta sectione non nisi in unum, id est oppositum latus cubare possint, quod ipsis sæpe aut impossibile aut molestissimum est. Modus hujus sectionis faciendæ talis est. Tota umbilici circumferentia filo primum trajicienda, ut arctari possit foramen, si majori impetu erumperent aquæ; Deinde acuto, & pungente ferro secanda cutis, qua parte vasa dehiscunt: mox argentea fistula in vulnus immitti debet, per quam effluere aqua potest. Verum quod ad hanc sectionem attinet, puto distinguendum esse. Nam, si Asciticus exomphalo laboret, sicut aliquando fit & videatur, quod aqua eo prorumpat, puto quod tunc commode in umbilico illa sectio fieri possit: imò qua tunc levi cutis transpunctione solum modo opus est: Secundo, quia, quo natura vergit, eo ducere oportet; Verum, si umbilicus non tumeat imo sit valde retractus, & profundus, sicut plerumque in Ascite fit, puto quod tunc talis sectio sit difficilis, & periculosa; Imprimis esset periculosa, quia ad umbilicum quatuor vasa umbilicalia proveniunt; una vena per quam hepar umbilico annectitur. duæ arteriæ, ourachus, quo vesica annectitur eidem. Facile autem contingeret in illa sectione aliquod istorum vasorum præscindi, quod est periculosum; legimus enim aliquos vulneribus in umbilico acceptis, quod illa vasa læderentur, subito mortuos esse: Nam illis tanquam ligamentis, partes illæ in ventre suspenduntur, quibus per vulnerationem disruptis concidunt, coarctantur, & alium acquirunt situm, suis operationibus non convenientem. Deinde esset etiam difficilis, primo quia tam profunde jacet umbilicus, & difficulter attingi potest. Secundo quia est durior, & difficulter transpungitur. Tertio quia fistula non posset commode imponi, nec ita facile quoddam ad aquæ retentionem adhiberi: Denique non video, quomodo umbilici circumferentia sic filo trajici & astringi possit. Nam etsi id fieri forte posset, cum umbilicus exomphalo laborat, posset tunc quidem sic filo trajici; sed quod filo illo sic constringi, & per modum bursæ tam arctè claudi possit, ut aqua non efflueret, id quoque mihi impossibile videtur. Locus ergo ordinarius ex communi doctrina Medicorum est, tribus digitis sub umbilico, quia si supra eum foramen fieret, non posset ultima aqua quæ in fundo ventris continetur, per ipsum evacuari. Dico à latere; quia recta in medio ventris est linea, quæ dicitur alba, quæ linea nihil aliud est, quam concursus tendonum musculorum abdominis Illas: autem tendones secare minimè licet. Imo, quia hoc esset periculosum, propterea quod convulsio inde sequi potest. Secundo, quia cum ibi locus non sit carnosus, non posset postea vulnus bene consolidari, ut autem sciatur, à quo latere sectio fieri debeat, considerandum est, in quod latus æger incumbere possit, & in quod non, nam si est aliquod latus, in quod æger incumbere non posest, tunc in illo latere, in quod tantum incumbere potest, & solet, nulla ratione fierit debet sectio, sed in opposito, seu in quod incumbere non potest. Nam si sectio fiat in latere decubitus, contingeret tunc ut in nullum latus exinde incumbere posset per sectionem enim sic etiam illud unum latus debilitaretur, quod forte etiam in illud incumbere non posset, quod intolerabile foret. Et ut posset, tamen nulla ratione deberet, quia periculum inde fieret, inflammationis, gangrænæ

ac

ac continui, & involuntarii aquæ effluvii. Si ab utroque latere æger æque commode jacere poterit, tunc videndum, cujus partis vitio hydrops orta sit, si hepatis in sinistra; si lienis in dextro latere est secandum; si neutrius potius in sinistro, propterea quod plerumque omnes homines in dextrum latus incumbere solent.

Quoad modum paracenteseos, dico, eam, sicut paracentesin thoracis, etiam vel ustione, vel sectione fieri posse. Ustiones antiqui hydropicis circa ventrem, & umbilicum superficiarias plurimas solent adhibere, quibus aqua exsiccaretur, & partes roborarentur. Sed de iis non loquimur, sed de ustione tantum penetrativâ. Ea fieri potest, vel cauterio actuali vel potentiali. Nonnulli quia partes ab aqua refrigeratæ humectatæ, & debilitatæ sunt, laudant cauterium actuale: propterea quod ipsum calefaciat, exsiccet, & roboret. Sed ego improbo, primo ob crudelitatem, secundo, quia periculosum est peritonæum sic uri, & ideo hodie ille perforandi modus exolevit. Verùm moderni Medici, & Chirurgi utuntur, vel simplici sectione per vivam carnem, vel primum adhibent cauterium potentiale, & tum per emortuam carnem secant. Ego experientia doctus, puto posteriorem modum esse secutiorem, neque probo simplicem sectionem. Nam in foramen debet imponi fistula. Ea, si arcte imponatur & relinquatur, tangens fibris carnes eas molestia & dolore afficit, & periculum affert gangrænæ, si laxe imponitur, aqua involuntarie effluit, si eximitur, foramen, utpote parvum existens, deperditur; sicut aquam aliquando non possit amplius, cum velimus evacuare. Si verò primo eschara inducatur, non fit dolor, neque à sectione, nec fistulæ impositione: melius aqua retinetur, & magnum fit foramen, quod ultro manet apertum ex quo potest aqua continuo usque ad finem evacuari. Interim tamen si indicetur, quod sectione paracentesis sit instituenda, sic fieri debebit. Iaceat æger in lecto corpore elevato, & à ministris cutis abdominis sursum prematur, tunc sub umbilico cum scalpello fiat perforatio, (cavendo tamen venas,) tam profunde, donec aqua exeat, quæ fere est profunditas digiti transversi. Foramen non sit majus, quam ut fistula crassitudinis calami tenuioris imponi posit.

Tum confestim fistula in foramen imponatur, sic ut aqua per eam effluat. Et cum effluxerit quantitas sufficiens, in fistulam epistomium ponatur, quo fistula aptetur, & desuper imponatur emplastrum astringens, quod quam firmissime ventri adhærere posit. Fistula illa debet esse ex argento longitudinis ferè trium digitorum transversorum, & anteriore parte debet habere labra exstantia, quæ impediant, ne ipsa in cavitatem ventris infortunio aliquo incidere posit. Labris debent ligacula annecti, quibus ipsa ad posteriora religetur ne volutione corporis ex foramine excidat. Debet enim fistula in foramine manere, quousque tota aqua sit evacuata: Nam, quando ipsa semel excidisset, non facile denuo imponi, nisi cum dolore & molestia, unde gangrænæ periculum esset: & forte etiam nulla ratione imponi posset, propterea quod cutis, & musculi, & peritoneum diversimode contrahantur, & divellantur, & mutua sibi foramina claudant, & sic foramina non maneant foraminibus opposita Alii tamen fistulam non relinquunt, sed eam postea extrahunt, & cutem ventris, quæ ante sectionem sursum trusa fuit, dimittunt, ac delabi sinunt: quæ cadens ante foramen, quod in peritonæo ipsum obturat, & sic facit, ut aqua non possit exire; & cum volunt aquam iterum emittere, nutc cutim illam itererum sursum trudunt, ut foramina foraminibus iterum possint respondere. Et hæc est causa, propter quam supra dixi, quod ante sectionem cutis ventris sursum attolli debeat. Certe, si aqua per istum modum sic reprimi, & emitti per intervalla posset, esset omnium commodissimus: quia fistulam, vel tentas in foramine relinquere parit difficultatem summam, in aqua retinenda, & periculum gangrænæ, per hoc, quod tale aliquid contra naturam inter labra partis vulneratæ & debilis, tam arctè intrudi & relinqui debeat. Credo equidem commodè aquam illâ ratione retineri posse; sed credo postea iterum per intervalla difficulter posse emitti. Nam etsi cutem i erum sic attollas, tamen quia fo amina parva sunt, & partes perforatæ plurimæ, vix credo fieri posse, ut foramina illa foraminibus respondeant, & aqua iterum exire possit. Ideo puto, adhuc melius, & securius fistulam in foramine relinqui Guilmerius ait, quod ad aquam secure retinendam aliqui soleant labra vulneris transversaliter acu transfigere profunde cum multæ carnis apprehensione, & circum ducto circa acum filo constringere, sicque facere, ut neque gutta quidem aquæ exire queat, cum autem aquam emittere volunt, filum solvere & relicta interim semper acu labra vulneris deducere, per quæ tum aqua effluat, & postea iterum filo, & prius, circumducto, astringere. Sed nescio, an ille modus non habeat periculum gangrænæ.

In emissione aquæ commune præceptum Medicorum est, ut aqua non tota simul, sed per intervalla emittatur. Hoc primus monuit Hipp. sect. 6. Aphor. 27. & aliis sæpissimè libris, his verbis: Si quibus empyicis, dum uruntur, aut secantur, aqua universim effluat, moriuntur. Ratio prima; quia etsi illa aqua sit contra naturam, tamen à corpore plurimum calorem nativum, & plurimos spiritus recipit, ideo, si tota simul exeat, natura simul, & confertim privatur plurimo calore, & spiritu, ex quo partib. refrigeratis & spiritib. subito effusis, mors sequitur. Secunda, quia illa aqua secundum quid, & aliquo modo, est facta naturalis, per diuturnam in corpore moram, & partes ei jam assuevere certo modo innatare, & ab eâ quodam calore, quasi foveri: si itaque ea subito tota evacuetur, partes quæ ante ab illa tegi solent, acquirunt alium situm, & super se mutuo decidunt, & denudantur, ex qua subita mutatione in tam debilibus corporibus facile mors sequitur.

Sed qua ergo proportione debet aqua illa evacuari? & quibus intervallis? Non memini Autores jam quantitatem exactè determinare,

Practici tamen moderni dicunt, manè & vesperi aliquid evacuandum esse: pro primo non ultra duas libras, vesperi tantundem: postridie paulo plus, & sic paulatim, ne scilicet æger debilitetur nimis subitâ spirituum effluxione. Verum illa ratio evacuandi videtur mihi esse pessima, & perniciosa, & postquam ego sic semel vidi aquam eductam, & ægrum intra biduum mortuum esse nunquam deinceps adstipulaturus sum, aut consensurus, ut aqua tali modo evacuetur. Puto enim, solam mortis causam fuisse, tam parcam aquæ eductionem. Etenim, cum aqua tam exigua quantitate educitur, ipsa via jam facta exitum tentans, ad foramen magno impetu prorumpit, & mole sua vulneri incumbens, partem jam sectione debilitatam, debilitat magis. Inde primò surgit maxima difficultas in aqua retinenda, & si vi detineatur, metus gangrænæ, quod in illo, de quo loquor, moriente contingebat. Secundo, quid utilitatis ex tam pauca evacuatione sequitur? solum aqua concitatur, unde vapores crebri sursum feruntur, quæ viscera feriunt, natura autem nihil alleviatur. Nam in ventre ascitici jam perfecti, 30. aut 40. pocula aquæ continentur, quam autem alleviationem potest æger tunc percipere, ex unius medii poculi evacuatione? quid aliud, nisi magnam alterationem ex aquæ, antea quietæ agitatione, & conatu ad exeundum? Meum ergo judicium, quidquid omnes dicant, primo magnam quantitatem esse educendam usque ad medietatem, vel tertiam saltem partem, ac donec venter notabiliter detumuerit. Interim, ne ab effluvio spirituum æger debilitetur, oleo garyophyllorum, aqua cinnamomi, vino Hippocratico, aqua rosata, aceto, & similibus esse refocillandum, postridie iterum quantitatem duorum, aut trium poculorum, tertia die iterum; sed deinceps minus & minus; sicut adhuc insignis aliqua aquæ quantitas in ventre possit remanere, quæ ibi diu relinquatur, & non nisi paulatim educatur. Quia enim in hydropicis partes jam tanto tempore præsentiæ aquæ assuevere ab eaque foveri, & in ea fluctuare tam diu solent, ideo puto postremam aquam non statim evacuandam, sed diu relinquendam. Primam autem puto confertim esse educendam, quo natura statim manifestam sentire posset alleviationem. Tunc n. imprimis non erit tanta difficultas in aqua retinenda; non n. erit tanta moles aquæ supra vulneratam & debilem partem: non erit necessarium tentas, aut fistulam tam arctè intrudere cum dolore, aut vulneratam partem adeo fortiter comprimere, quia propter ablatam aquæ quantitatem, non erit tanta tentio ventris, nec tantus conatus aquæ ad erumpendum, & sic non erit illud periculum gangrænæ, quod ab illis simul junctis alioqui esse potest. Nec internæ partes aliquam mutationem patientur, quam non sunt consuetæ habere: adhuc enim ab aqua residua tegentur, adhuc in aqua fluctuabunt, & calore ejus fovebuntur. Quod dici possit, cum magna illa æquæ evacuatione copiosissimos spiritus simul effluxuros, inde ægrum ita debilitatum iri, ut statim moriatur; non est adeo magni momenti. Fateor id quidem in valde debilibus fieri posse, & ideo scio totam hanc operationem, quomodocunque fiat, esse periculosam: sed tamen puto, periculum esse longe minus si sic fiat, quam si aliter. Et quia non fit tantum periculum simul, ac semel facta aquæ evacuatione, docent exempla plurimorum quibus ultro aliquando, vel casu aqua erupit, ut tota fere simul effluxerit, & tamen convaluere. Ita audivimus nuper hic Lovanii, mulieri asciticæ aquam brevissimo tempore, totam fere simul erupisse, & tamen convaluisse. Legimus autem supra nominatos idem. Dicet aliquis illas expulsiones à natura criticè expellente factas: quod autem à natura fit, bene fit, non vere ita ab arte.

Respondeo, illas eruptiones non esse criticas, sed carnales, & violentas: nihil enim differt, utrum venter casu sic dirumpatur ictu, aut alia aliqua violentia, an à sectione: Interim tamen, quomodocunque aqua exeat, seu criticè seu aliter, non propterea una vice plures, paucioresvè spiritus, & calor, quam alia exeunt. Si ergo mors sequeretur propter exitum spirituum, & caloris, tum bene mors sequeretur, quando aqua criticè à natura expelleretur, quum quando artificio Chirurgico educeretur.

Porro, hæc paracentesis non habet in omnibus corporibus locum, & imprimis non habet locum in valde debilibus. Ut ergo ex ea fructus expectetur, non est usque ad extremum expectādum, sed dum adhuc vires ægri cōsistunt est adhibenda. Et hæc est ratio, cur plurimi, post eam adhibitam, statim moriantur, quia hodie fere nemo audet ad eam devenire, nisi re desperatissima, & viribus jam consumptis. Tum autem ægri tam debiles sunt, ut minima spirituum evacuatione moriantur. Secundò, tum temporis, propter tam diuturnæ aquæ in corpore moram, ita viscera omnia interna sunt corrupta, & alterata, ut etiamsi aqua evacuetur, nihilominus æger adhuc moreretur. Hinc in iis, qui forti febre laborant, paracentesis non est tentanda: quia duplici violentiæ, causæ febri, & paracentesi resistere non posset. In corporibus etiam valde gracilibus, propter eandem causam, non est tentanda. Uti neque in senibus, nec in pueris. Pueros perforare dicit Celsus valde periculosum esse: & Galenus ait, se nunquam vidisse puerum perforatum, sanatum; præter unum, qui erat validissimus. Qui in hydropem incidere, ex alicujus partis corruptela, vel propter scirrhum hepatis, vel Lienis in iis omnibus paracentesis non est tentanda, propterea quod nihil juvaret, & æque bene, etsi aqua evacuaretur, adhuc postea morerentur; vel aqua rediret, & ratio prima. Ergo in his omnibus non liceat hanc operationem tentare: quia non sunt profananda remedia, quæ multis saluti fuerunt. *Hactenus Thom. Fianus.*

Consultationes

Pro Serenissimo Duce Parmensi, Alexandro Farmensio Hydrope Ascite occasione lienis laborante.

Quod Serenissimus Dux secundum lienem male se habeat, tactus judicium, quod à Medicis clarissimis, qui illius sanitati præsentes consulunt,

sunt, refertur, ac ea quæ præcessere, demonstrant: Audio enim ipsum, ut Podagræ hæreditariæ molestiam, ac immanitatem evitaret, diu à vini potu abstinuisse, & aquæ se totum tradidisse, quæ cum in humano corpore lienem tanquam proprium locum ex Hippocrate in 4. de Morbis, statim adeat, necessario etiam eundem à proprio temperaméto pervertit. Verumtamen, quoniam liene male se habente ventriculus, ac jecur facile ob viciniam, & colligantiam labem suscipiunt, vnio in sententiam ventriculum, atque jecur per essentiam, sed non primaria ratione in Serenissimo patiente laborare, per essentiam quidem, quia facultas utriusque alteratrix ob discrasiam sensim conceptam à proprio aberrat scopo, quemadmodum ex ventris, primum autem faciei cum fœdo colore subtumescentia constat, secundaria verò ratione, quoniam à liene primum affecto cladem propriam suscepere.

Cæterum, quid de eventu affectionum horum viscerum sit sperandum, non est difficilé cognitu per eas discurrenti. Si igitur lienem intueor, statuo eventum medium partim scil. salubrem & partim insalubrem expectandum esse, nam sicuti ægrotantes, sub eo non perduntur, & diu vivunt, ita nunquam sanantur, quoniam scirrhorum hæc natura (& eo magis, si legitimi fuerint) ut materiis medicis reluctentur, nam præter id, quod fiunt à materia pertinaci, pars affecta beneficio facultatis regitivæ destituitur, quæ in actum secundum medicamenta redigit, ut jure meritò periculum etiam immineat, quod ex præstantia partis, atque difficili tolerantia augetur; nam lien quamquam non sit principale viscus, principali tamen inservit immediatè, & quasi jecur ab Aristotele dicitur 3. de partibus animal. capite 7. pariter aucta magnitudo illius præter naturam, ob Symptomata aliquando supervenientia difficilè admodum toleratur.

Quod si ventriculum, & jecur præter naturæ leges affecta intueor, eventum salubrem futurum autumo; nam præterquamquod illorum vitia non sunt in habitu, primaria ratione prædicta viscera non exercent; Difficultas tamen curanti Medico obviam ibit, quoniam per essentiam laborant, eorum indispositionibus causa permanens, nempe lien malè affectus favet, atque jecur officina nutritionis totius corporis, & ventriculus alimenti promptuarium, non bene se habent, ut dictum est. Verum in hisce malis non nisi ad longum tempus eventus jam dictus est expectandus, non tantum quia horum aliqua sunt aliquo modo impossibilia, alia curatu difficilia, sed et jam quia omnia à causa frigida pendent. Quocirca ut Serenissimus Princeps præcaveatur ac (si possibile curetur) tum ideam, tum generationem horum vitiorum explicatius oportet aperire.

Primum igitur pro certo habendum ipsum Hydrope laborare, quod ex difficili anhelitu, siti, ventris inferioris & pedum tumore deducitur, nam ex secundo Prognost. 3. secundum Galenum, pedum tumor perpetuus est comes Hydropis, quæ cum triplex sit, Ascites, inquam, Tympanites, & Anasarca, Ascite laborare Serenissimum Ducem nulli dubium quando ipso (ut refertur) de latere in latus devoluto, manifesta fiat fluctuatio, præterea (nam divolutio illa ex 4. de Dignoscendis pulsibus 4. non sufficit) percusso abdomine sonus cum duritie, quæ sunt propria tympanitis argumenta, non observetur; Item nec à manu abdomini pressa fovea ab anasarca inseparabilis remaneat, ut ex his Ascite solum detineri sit inferendum; in cujus confirmationem & illud facit, quod 4. de Morbis traditur ab Hippocrate nempe superiorum partium in Serenissimo Duce contabescentia satis apparens. Verum Ascite non confirmato, sed initiato, & progresso tantum laborare, prædicta symptomata non valdè intensa demonstrant, ad hæc scrotum, ut audio, adhuc illi non tumet, tussi non corripitur, nec inappetens comedit. Et quoniam hoc malum ex secundo ad Glauconem, 5. & 2. Prognost. ac 5. Locor. affect. citato, fit vel tumescente jecore, vel citra ejusdem tumorem, rursusque jecore primario, vel secundario affecto quid in casu nostro sentiendum sit, patet ex dictis: nam sicuti nullus insidet jecori tumor, ita secundario jecur afficitur.

De generatione hujus mali sic statuo, ut à materia aquosa in spatio inter intestina, ac peritoneum contenta prodeat, hæc enim sui copia tum replet spatium illud, atque sic abdomen in tumorem elevatur, tum spiritualia premit, unde difficilis anhelitus, & ad pedes aliqua portio delata, eos tumefacit; amplius, quia frigida, infensa est calori nativo, quia tenuis, & putrida, calidos fumos ad os ventriculi transmittit, ac sitim infert; An vero etiam media qualitate recondita ex lue venerea lædat, ex relatis nil certi potest haberi.

Sed duo hic occurrunt Problemata discutienda; Primum, undenam sit, quod materia hæc in jecore genita (ut ab omnibus censetur, ab illo in cavitatem prædictam deponatur. Alterum per quas vias: quorum explicatio cum summopere conducat ad cognitionem regionis, per quam materia hæc possit evacuari, non est ullo pacto interim negligenda.

Quod igitur ad primum attinet cum Avicenna statuendum, ibi aquam colligi ob tres causas, Prima est loci imbecillitas ob laxitatem, & madorem, Secunda est loci propinquitas cum jecore, tertia causa est, quod cum minori incommodo, ac ægri molestia aqua ibi colligitur, & ibi collecta etiam copiosa ad longum tempus citra dolorem, & ægrotantis interitum asservatur.

Quantum ad secundum spectat, Aliqui ex Hippocrate & Galeno 2. Aph. 55. dicunt in Hydrope jecur scatere quibusdam vesiculis aquosis, à quibus disruptis aqua in cavitatem Abdominis perlabitur, quod in aliquibus locum habere, sed non in omnibus cadaverum dissectio demonstrat, & ubi id accidit, non videtur qua ratione vesiculæ illæ possint tantum aquæ perfundere, ut ventris tumor insignis adeo, qualis pluries in Hydropicis observatur possit attolli, & eo magis, quia vesiculæ illæ non penetrant ad jecoris usque substantiam, alias cum aqua sanguis etiam perfunderetur. Sed neque per vasorum umbilicalium disruptionem id fieri posse existimo, quoniam vasa hæc sunt usque adeo indurata, & callo obducta, ut disrumpi vix credi possit; Ad hæc, neque per

vas aliquod urinarium disruptum idem accidere potest, nam graviora suborirentur Symptomata, & patientes statim perderentur, cum tamen Hydropici diu superstites vivant.

Puto igitur ego, fieri quandam in membrana jecur investiente, ac venis Meseraicis Diapedesim, ob calorem extraneum rarefacientem, atque sic coagente etiam succi tenuitate à jecore in cavitatem dictam aquam jugiter colligi, quæ cũ non sit ibi, tanquam in naturali loco, à natura non regitur, & proinde putrescit, quod illi quoque ob externum calorem ab obstructionibus illis in locis concitatum evenire arbitror, hinc fœtor, hinc sitis.

Sed jam causas hujus aquæ perpendamus, tum generantes, tum colligentes; generantes sunt agens materia, agens est jecoris frigida discrasia, merito cujus non solum Ascites, sed etiam aliæ Hydropis differentiæ exquisitæ dicuntur; Verum in Ascite intemperies hæc est intensior, at in Tympanite, & Anasarca remissior 4. Aphor. 11.

Et si quis objiceret, ergo Tympanites, & Anasacra præcedent semper Ascitem quod experientiæ repugnat. Respondeo causas refrigerantes aliquando usque adeo, vehementes esse, ut statim Ascitem valeant excitare, aliis Hydropis speciebus non præcedentibus.

Materialis vero causa sunt alimenta aquea, chylus crudus.

Cæterum jecoris intemperies referenda in ea omnia, quæ calorem nativum lacessunt, ipsum tum dissolvendo, tum suffocando, cum Avicenna, qui hæc à Galeno loco citato, & 3. Aphor. 22. desumpsit, atque hæc potissimum refrigerant jecur, etiam à tumore liberum, nam si intumeat, à tumore, nempe scirro, suscipit frigiditatem. Quæ ergo dissolvunt, & imminunt calorem, sunt causæ internæ & externæ; Priores sunt insignis aliqua sanguinis evacuatio, morbi vel totius, ut febris, præcipuè tamen ardens, vel partis refrigeratæ, & jecori vicinæ, aut secundum cavam, uti ventriculus, mesenterium, intestina, lien, uterus; aut secundum gibbam, uti spiritualia, hinc Asthma hydropem infert.

Posteriores vero causæ, externæ nimirum sunt, & calefacientes, cujus census medicamenta calida importunè, atque immodicè usurpata censentur; & refrigerantes, quò pertinent cibi sua natura frigidi, & aqua gelida copiosè assumpta.

At quæ suffocant colorem, causæ sunt quamplurimæ, præcipuè tamen retenta quælibet solita evacuatio.

Causas tandem colligentes refero in facultatem, & objectum, in facultatem quidem, ad quam generatio, atque excretio serositatis, quæ ad jecur, renes, uretera, ac vesicam referuntur attinent.

Ad jecur inquam, frigidum, quod sicuti non sanguificat, ita non segregat, non expellit, unde nascitur Hydrops exquisita, quoniam simul coit causa generans, & colligens, sub qua urinæ rubræ ob vitium segregatricis meiuntur. Ad renes, si debiles non attrahant, unde spuria hydrops; Ad Uretera, & vesicam, si à materia copiosa, crassa, & lenta, à calculo, apostemate, & inflammatione angustentur.

Objectum est aqua frigida copiosa, & materia cruda non bene à jecore confecta; in quarum causarum multitudine potus frigidæ, intemperies lienis frigida ex tumore scirroso, segregatio jecoris labefactata, transitus succi serosi in hepate geniti ob viarum angustiam ex materia crassa obstruente fere impeditus (ut ex parvo lotio excreto colligitur) item & objectum illud duplex in Serenissimo patiente locum habent.

Quare primum in id incumbendum, ut lien per calefacientia, & discutientia tumorem illius in naturalem statum reducatur; deinde pariter ut jecur ad calidum alteretur, & ejusdem proportio servetur, quæ cum non possit Medicus obtinere, nisi succum aquosum jam genitum fluxum evacuet, fluentem retrahat, ideo ab his auspicanda curatio mediis illis medicis instrumentis, quæ vulgus Chirurgiam, Pharmaciam, & dietã vocat.

Et quod ad primum pertinet, Chirurgicæ materiæ, quæ pro hac curatione faciunt, omnes in unicam aquæ evacuationem dirigantur oportet; Inustiones præterea circa umbilicum ex Avicenna, & Albucasi, Vesicantia Abdomini, maximè vero regioni lienis, adhibita, item & fonticuli parti domesticæ femoris utriusque, magis verò sinistri inusti probantur. Alias chirurgicas materias non propono, quando hydrops hæc non sit consummata. Nec ab usu vesicantium me amovet, quod ulcera in hydropicis ob redundantem humorem 6. Aph. 8. non sanentur, quoniam hæc sententia de profundis; non autem cutaneis qualia à vesicantibus inducuntur, venit intelligenda.

Pharmaca materiam, & viscera respiciunt. Priora sunt evacuantia succos primũ hydropis, deinde scirri lienis. Verum ante horum usum non abhorrerem à communibus pharmacis, ut scil. leniretur alvus hieræ bolo, & melle rosa. solu. statim post bolum assumptum Viæ primæ, humoresque illis insidentes præparentur oxymelle simplici, melle rosato colato, & syrupo de eupatorio; tandem purgentur pilulis de hiera cum agarico Mes. vel ipsomet Agarico, exceptis hisce omnibus modico succi radicis Iridis; à quibus primum ad evacuantia humorem aquosum tum fluxum, tum fluxurum est deveniendum; fluxus igitur, & qui continetur in abdomine, non tantum sensibiliter per alvum, hydragogis medicamentis, verum & insensibiliter evacuabitur.

In coordinatione priorum, quæ vehementissima seligenda sunt, & ratio est, quoniam materia non existit in venis, ductusque commodi, per quos à cavitate abdominis ad intestina materia trahatur, non reperiuntur, ideo aut debemus uti iis, quæ propria natura fortia sunt, cujus census pilulæ de mezereo, confectio alchachengi, stybium præparatum ex vino odorato, & Elaterium ex pilulis Alephanginis datum habentur: aut usurpanda placidiora infra proponenda, sed in majori dosi. Clysteres quoque hydragogi non improbantur alternis diebus injecti, uti sunt, ex decocto brassicæ marinæ cum anisis, & artemisia ex succo ebuli, elaterio, oleo irino, benedicta, vel pilulis de opoponaco, vel fœtidis parantur.

Evacuant vero sensibiliter interna, & externa medicamenta.

Inter externa ego primum laudo fotum ventris per spongias madefactas in aqua aliqua thermali sulphurea, salsa, & nitrosa, in qua calx viva fuerit extincta, ea tamen ratione, ut spongiæ fasciis ventri arctè adligentur, & diu ibi detineantur,

subin-

subindeque permutentur. Præterea & perfusionem ex aqua ardente potente cum pipere medicata non improbo. Cataplasma quoque ex cochleis, vel ostreis cum testa ustis, vel ex stercore Accipitris, cum succo caulium, vel ex calcanto Aetij, pariterque & ceratum diadictamum cum nitro & & sulphure, ac succo nicotianæ reformatum, sunt miri usus.

Humor aquosus in pedibus exiccabitur fotu vel ex furfuribus crassis cum sale permixtis, & calefactis, vel lotione ex aliqua aqua thermali mineræ jam dictæ, vel illitu olei masticini saliti.

Interim tamen humor aquosus nondum defluxus est educendus, vel Hydroticis, vel Diureticis, vel Hydragogis. Sed Hydragoga mitia seligantur, nam materia in venis continetur, & educitur facilè; quocirca succus medianæ sambuci, vel radicis Iridis, vel palmæ Christi cum manna, & melle ros. sol. item & pulvis ex radice cucumeris agrestis, cum vino Cretico præparata, vel ex seminibus ebuli, cum aqua ardenti lotis, ac postea siccatis ex eodem vino Cretico datus, mihi summopere placent.

Pro movendis vero urinis tum sal absynthii chymicum, tum vinum cum granis Alchachengi medicatum omnibus præfero, succum tamen concretum ex iisdem granis expressum non damno; Atque quibusdam intervallis constitutis modò his, modò Hydragogis uti oportet. Quibus non sufficientibus, & sudorificis agendum, quare stufæ, & evaporatoria, suffumigiaque cum calorificis composita mihi arrident, & eò magis, si ante eorum usum, non decoctū dicam quod quidem maxime sua humiditate actuali noceret, sed extractum guajaci, aut ligni sassafras, carduique benedicti, vel antidotum magnam antiquam Serenissimus patiens assumat.

Educto aquoso humore, ad alterationem jecoris, ventriculique accedendum; quocirca, trochiscos cipheos, & de amygdalis amaris Tralliani, adjectis epate lupino, & tunica interna ventriculorum gallinæ, tanquam pharmacis proportionatis horum viscerum, summis laudibus extollo; Huc referantur Elixir Vitæ, Vinum Creticum cum carduo benedicto, vel aromatibus maxime vero nuce miristica conditum.

An vero thermæ aliquæ Serenissimo Duci conducere possint, inquisitione dignum occurrit: nam ex una parte nulla aqua opportuna videtur, cum sua humiditate, quam actu habet, maxime lædere valeat; ex altera verò, quia aqua thermalis valenter exiccat per alvum, & urinam quoque ducit, humores noxios, videtur convenire.

Ego autem in ea sum sententia, auctoritate Galeni primo Sympl. 7. ductus, aquas hasce plurimum conferre, dummodo calefaciant, uti sulphureæ, salsæ, nitrosæ, bituminosæ ibi à Galeno propositæ, quæ ubi redoleant naturam calcanti, tantò magis proderunt: Idcirco aquæ Spadanæ, seu de Spa in Belgio præstantissimæ sunt, nam omnibus hisce mineris afficiuntur: Accedit, quod quotquot hydropici aquas illas bibunt, omnes sanantur, hinc etiam atque etiam hortor Serenissimum patientem (quandoquidem in illis moratur locis) ut aquis illis utatur sub forma tum lavacri, tum potus, & eo magis quoniam omnes aquæ medicatæ sponte nascentes, sacræ ab Aristotele effectu dicuntur, quoniam inquam sacros, ac pene divinos effectus edunt, caute tamen eas bibendas esse suadeo, quod onus totum prudenti judicio Medici curantis committo.

His omnibus peractis, ad lienis tumorem pharmaca respicientia accedere necessarium est; quapropter, jus galli antiquioris, in cujus ventre coquantur China, lignum Indicum, quod sassafras dicitur, scolopendrium, tamariscus, cuscuta, prassium, absinthium, radices capparorum, radices aperientes, liquiritiæ, alteæ, & filicis maris, passulæ, & pulvis tartari albi, mirum in modum laudo, quod magis proderit, si ante Syrupum matutinum devorabitur bolus ex Ammoniaco, ac pulvere lienis equuli, vel asini. Medicamenta quoque chalybeata, præcipuè quod ab Aetio præscribitur, necnon sal theriacale ex aceto mulso, aut scillino destillato datum (ni fortè medicamentum nimis ingratum fuerit) opportuna videntur.

Sed tempore usus horum exhibenda catapotia de helleboro, atque masticina, singulis decem diebus: Clysteres quoque sunt injiciendi ex decocto colocyntidis hellebori nigri, simplicium communium, & spleneticorum, hiera logadii, melle helleborato, & oleo laurino parati.

Extra convenit embroca ex oleo amygdalino dulci, & amaro, à qua adhibendum emplastrum de meliloto, vel diachylon gummatum, vel saltem aliquod lutum bituminosum post quæ emollientia deveniendū ad extenuantia ac discutientia. Quare stillicidium ex aceto infusionis Dictami Cretici, ceratum sacrum, vel Cerine dictum, luta sulphurea, salsa, & nitrosa, suffumigiūque ex molari lapide, vel pyrite, ita ut super lapidem projiciatur acetum, in quo macerata sint primum tamariscus, deinde colocynthis atque uterque helleborus, item & emplastrum, quod 9. Localium cap. 2. proponitur, summopere conveniunt, & si luta haud haberi possint, substituantur olea ex illis chymice confecta, & ne ab hisce medicamentis robur, calorque partis nativus dissipetur, addatur omnibus jam propositis oleum masticinum, & absynthinum.

Quibus omnibus, victus accommodatus est addendus, ideo in aere calido, & sicco Serenissimus patiens versetur, utatur cibis calefacientibus, & siccantibus, attenuantibus, facilisque coctionis suapte natura, & præparatione, abstineat à dilutis, liquidis, crassis, viscidis, dulcibus, ac pinguibus, atque illi usui sit pulvis in cibariis ex hepate pullorum in furno siccatorum, cinnamomo, coriandris, ac saccharo; Comedat tum carnes optimas, & euchymas, aliquando eas, quæ propria natura sicciores, & potius assas, quam elixas, tum panem nonnunquam ex flore, farinæ, aliquando vero biscoctum vel qui ex tota farina cum sale, & anisis conficitur. Ova quoque sorbilia, itemque gallinarum pullorumque hepata erunt accommodatissima, Passulæ, etiam, fistici, amygdalæ, cappares, ac alices sale condita, adhuc, & intinctus ex cortice citri condito cum sinapi paratus concedi poterunt; Curandumque, ne cibi copia succi crudi coacerventur. Vinum bibat albnm, tenue, antiquum, odorum, non dulce, non austerum, quod parcè admodum est bibendum, (nonnulli etenim ab omni prorsus potione abstinentes ad longum tempus, tandem sanitati fuere restituti

tuti) opportune itaque parabitur vinum medicatum ex absynthio, floribus Anthos, carduo benedicto, guajaco, ligno sassafras, ex aromatibus, & seminibus odoratis. Alvus si non sponte fluat, irritetur usu prunorum dulcium, passularum præparatarum cum infusione Senuæ, in qua prius ferbuerint Cartamus, ac soldanella cum anisis, deinde facta colatura dissoluta fuerit manna electa; huc etiam panis ex tota farina, adjectis sale, anisis, & pulvere mechioachani confectus, in prima mensa commansus referatur. Corpus exerceatur tempore opportuno, ventriculo scilicet à cibo vacuo, & aliquando ad sudorem usque. Vigilia somnum superet, ac animi mœrores, tristitiæ, similesq; passiones, penitus auferantur. Quæ omnia habui pro salute Serenissimi Ducis, in gratiam Christianæ Reipublicæ incolumi, & longiori vita meritissimi, proponenda; quæ sicuti proficua illi à D. O. M. enixè precor, sic etiam illi

Medici Excellentissimi præsentes, ut addant & auferant, prout sibi ipsis opportunum videbitur, & occasio recta postulabit, vehementer exopto. *Iulius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicis.*

Pro Quodam Egregio Mercatore Bononiense hydrope Ascite spurio laborante.

Præter naturam affectus, à quo vir egregius vexatur, hydrops est Ascites, quoniam illi venter tumet, & fluctuationis in eo sensus exauditur, nec non excreta per alvum aquosa redduntur, Verum quia sonitus aliquis ab abdomine percusso eliditur, idcirco flatus admisceri, proindeque Ascitem spurium esse pro certo habeo, qui quidem eo quod color totius non est mutatus, nulla sitis, ac anhelandi difficultas nullaque tussis adest, dubio procul erit incipiens.

Fit autem hujusmodi vitium, sicuti & quilibet alius præter naturam à toto genere tumor ex materia secundum copiam, & qualitatem peccante quæ in præsenti est à prædominio aquosa, à subdominio flatuosa: sed quoniam utraque hæc est opus extra naturæ leges, necessario ideo supponit aliquam actionem læsam eorum viscerum quæ generationi succorum in corpore sunt destinata, hepatis inquam, atque ventriculi, quorum actio læditur, vel ob læsam facultatem, vel ob objectum improportionatum, vel ob vitium viatum facultati inservientium.

In subjecto autem patiente vitiari facultatem sanguificatricem jecoris, & chelificatricem ventriculi ob intemperiem frigidam puto, nam visceribus hisce vix ad frigidum immutatis, sicque eorum calore nativo refracto flatuum ortui occasio est suborta, deindè verò aucta, intensiorique reddita eadem frigiditate, succi aquosi generatio & collectio est inchoata, quarum utraque adaucta, venter intumuit ex quo malum, de quo agitur fuit suscitatum. Atqui caloris refractio, ac intemperies illa frigida sine dubio à causa per se, & ex accidenti pariter frigida suam generationem habuit. per se quidem occasione potus frigidæ; ex accidenti verò, quoniam præcessit causa resolvens, itemq; calorem dissipans, nempè sanguinis vomitus copiosus bis factus.

Ut ex his omnibus pateat, medendi rationem in id esse dirigendam, ut materia genita evacuetur, tum sensibiliter, tum insensibiliter sensibiliter quidem per alvum, si materia sit in abdomine, insensibiliter verò per alvum totium, & sudorem, si sit extra abdomen. Adhuc ejusdem materiæ nova generatio est cohibenda calefactis visceribus, eorumque proportione servata, necnon nativo calore reparato.

Ad quos pervenire scopos forsitan licebit, nam vitium hoc est in habitudine, ac veluti ad fores, docebat etenim D Hippocrates quarto aut tertio, hydropem initiatum curari, adde quod noster hic affectus ad aliquem morbum acutum non fuit subsequutus: Non negandum tamen Medicum curantem in scopulos aliquos incidere posse, ita ut ipsi provincia quoquopacto difficilis, ac periculosa offeratur, quoniam jecur primaria laborat affectione, & fœtor in excretis alvi persentitur, qui non solū ex Avicenna periculum minatur, verum, & difficultatem non levem inducit, indicio namque est virium languori, & succorum corruptioni, Utcumque tamen spe concepta ob rationes prædictas, de præsidiorium materiis est cogitandum.

Ac primum de chirurgicis. ita decernendum, ut scilicet hoc tempore abdomini sæpius apponantur cucurbitulæ cum multa flamma, & postquam audio, nec femora, nec crura intumescere; cauteria in eis inustaetiam atq; etiam pobo, in posterū um verò, progrediente morbo à vesicantib. super abdomen, & ejusdem inustionib. non abhorreo; intumescentib. autem cruribus scarificationes, & punctiones omnibus antepono, Paracentesim adhuc usu postulante (nam interim affectus est in principio) tamquam remedium adeo anceps, atque mortiferum non propono; ubi tamen ægroti eam sibi fieri exoptant, eos adhortari soleo, ut illam nulla ratione differant etenim alias vires à morbo confractæ diuturniori, id remedii genus non admittunt, & quantum ad locum, perforetur umbilicus, non abdomen propter musculos, nam ille à musculis est separatus, & eo magis, quia per umbilicum natura sæpius evacuationem molitur; nec obstat quod musculorum extrema in ipsum terminentur, quoniam in lineā albam terminantur, circaque umbilicum sunt perforata, ut pateat aditus vasis umbilicalibus

Et si quis interea quæreret, undenam sit, quod hydropici perforati moriantur, communis est responsio, quod una cum aqua spiritus dissipantur. Sed arbitror ego, & id addendum (nam alias quotquot insignes hæmorragias patiuntur, propter hujusmodi rationē perderentur) quod natura privata oblectatione illius aquæ, quā ob longam moram, suborta quadam familiaritate contraxerat, succumbit, quod eo magis naturæ accidit, quoniam aqua illa ad longum etiam tempus absque aliqua noxa, ac molestia in abdomine detinetur, sed hæc obiter.

Venio ad medicamenta, quæ sunt evacuantia, & alterantia: priora si materiam fluxam respiciant, tum per alvum, tum per insensibilem digestionem extra corpus educunt; Per alvum educunt ea, quæ valentiora sunt, cum nulla adsit via manifesta per quam materia in cavitate abdominis contenta ad intestina trahi possit: Cortex ideo radicis esulæ siccatus, ac tritus ad scrup. j. cum mastiche, & in bolo cum syrupo rosato solutivo redactus, item æris squama ex Hippocra-

pocrate ad drag. j. vel drag. j.s. cum cariophyllorum, vel Cinnamomi pulvere ex melle rosato solutivo excepta laudatur. Vinum etiam cum stybio medicatum apud Iesuitas, ac demum Elaterium cum pilulis masticinis exhibitum huc sunt referenda, & quod in simili casu (quamquam non sit in classe vehementium) mihi est in usu frequenti medicamentum, paratur ex pulvere mechiocani in dosi paulo majori solita dato ex jure columbi decoctionis, brassicæ marinæ, anisorum, & passularum; Clysteres quoque ex decocto carminantium, ebuli, atque similium ex melle cum radicibus cucumeris agrestis factitio, benedicta, oleo laurino, & elaterio parati apud me sunt ex usu. Insensibiliter autem flatus evacuant vinum Hippocr. diaciminum, diagalanga, & electuarium de baccis lauri per os assumptum Sed & applicita flatus, ac aquam in eo contentam discutiunt, atque siccant, quemadmodum in hunc finem unguentum Agrippæ, vel Artanitæ cum elaterio, vel quod secundum Mesuem ex ipsomet elaterio paratur, pariter & emplastrum quod fit vel ex stercore bubulo, aut Caprino in furno siccato cum nitro, alumine, sulphure, speciebus emplastri de baccis lauri, farina lolii, ac lupinorum exceptis cum oleo laurino, ac therebentina, vel ex calce secundum Actuarii descriptionem adjectis baccis lauri, atque juniperi, pariter fotus, qui fit per spongias madefactas in vino decoctionis Artemisiæ, anisorum, fœnicu orum, cimini, radicis ciclaminis, & salis, tandemque perfusio ex aqua ardenti, superasperso pulvere cimini, elaterii, & piperis, ac superdato panno lineo in eadem aqua macerato, mihi probantur.

Materia verò fluens evacuatur modò per alvum cum pulvere seminum ebuli ex vino Cretico, aut cum succo radicis ireos, adjecto syrupo rosato solutivo, aut cum manna dissoluta in vino decoctionis, & infusionis soldanellæ, cartami & radicis ireos recens feniculis, cinnamomo, ac passulis parato, modo per urinas cum therebentina, ac pulvere fœniculi, aut anisorum; vel cum pulvere rubeæ, tinctorum ex vino albo odoro, vel cum vino infusionis asari adjecto modico cinnamomi, vel demum cum sale Artemisiæ ex aqua florum genistæ exhibito.

Quod si sudorifica opportuna videbuntur, jus galli antiqui cum guajaco, & ligno Indico, quod sassafras vocatur, aliisque simplicibus accōmodatis medicatum offeratur, & ab assumpto syrupo matutino instrumentum ligneum in lue Venerea ad sudores movēdos paratum sit in usu.

Postremò medicamēta alterantia, occurrit cujus census existunt electuarii cyphoides, theriaca antiqua, trochisci de eupatorio, atque de Rhabarbaro, necnon diacalamentum. Verum quoniam patiens noster in hunc morbum incidit occasione sanguinis per vomitum rejecti, & periculum denuo vomitus imminet, idcirco medicamentis omnibus mastichem addere salubérrimum erit

Sed & victus accommodatus instituendus, qui mediocris inter tenuem, & crassum sit oportet, necnon extenuans propria natura, ideò cibi salubres erunt panis fermentatus, qui fœniculum, & salem receperit, carnes propria natura sicciores, & ova, quibus immiscendi sunt pulveres ex aromatibus confecti. Parcissimè patiens bibat, utaturque vino albo, odoro, atque factitio ex absynthio aut rhapontico, aut prassio, adjecto mastiche, reliqua vero omnia jam dictis respondeant, sic etenim Deo concedente, Vir egregius pristinæ sanitati restituetur. *Id. ibid.*

De Hydrope Ascite, & tympanite. Pro Spectabili Viro Bassanensi.

Iuxta divinum omnino Hipp. præsagium, Quarta Aphorism. xi. Quibus tormina adsunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum, qui neque medicamento, neque aliter solvatur, dolor in siccum hydropa firmatur, contigit spectabili nostro patienti, boni habitus, mediocriter carnosi, symposiis & comessationibus fere continuo addicto Hic etenim paucis abhinc mensibus, continuis ventris torminibus excruciatus, cum lumborum doloribus, nullis medicis præsidiis cedentibus, licet ex methodi lege à Viris Excellentiss. præscriptis, incidit tandem non solum in hydropem tympaniten ab Hippocr. prænunciatum, sed in Asciten quinetiam, cum febre lenta, siti inexhausta, macie corporis, inappetentia, adstrictione alvi, quæ antehac sponte respondebat; cum insigni adeo virium labe, ut decumbere continuo cogatur. Propterea nostram implorat opem.

Huic itaque morem gerentes, pronunciamus, multa quidem in promptu esse præsidia, cùm Chirurgica, tum Pharmaceutica; quæ tamen omnia in affectu nunc deplorato frustra sunt futura, cùm habeamus ex Galeno in Comment. Aphor. citati, Tympaniten hunc factum esse ab intemperie quadam in habitu prædictarum partium, cùm potissimum comitem habet Asciten, cujus causa est intensa frigiditas, ex eodem Galeno sub finem illius Commen: dum statuit, ex majori frigiditate aquosum humorem generari, Ascitis causam, à minore verò tympaniten, cùm in flatum humo facessere non possit sine aliquo calore.

Quare dum consulimur, utrum paracentesis ab Autoribus in Ascite proposita sit futura usui, statuimus omnino in hoc virium languore patientem in operatione extinctum iri; ac proinde abunde futurum, si pauca aquæ copia alternis vicibus per alvum expurgetur, puta mechoacan drach. ii. cum modico vino montano tenuis substantiæ; vel offa parata ex cacuminibus ebuli viridibus coctis: vel emplastro ventri apposito ex cochleis contusis, succo cyclaminis, & speciebus Aromatici rosati. Brassicæ quoque marinæ recens expressus succus ad drach. ii. exhibitus, cum scrupulo specierum aromatici rosati in vino Cretico, serositatem ipsam ducet. Radix quinetiam cucumeris agrestis in taleolas resecta, in umbra exsiccata, atque in pulverem redacta, affusa aqua vitæ iterum, ac tertio exsiccata, exhiberi potest ad drachm. xv. cum vino Cretico, quibus serositas per alvum educetur. Quod fiet quinetiam per urinam, seminibus fœniculi, anisi, & dauci, quorum ope discutientur etiam flatus. Electuaria item diacyminum, diacalamentum erunt accommodatissima utrique affectui, ut & saxifragia, apium, radices asparagi, & hujusmodi; omniumque maximè urinam ciere poterunt cantharides, exhibitæ integræ, pulverizatæ, cum pulvere ameos & rutæ, haustis statim ab ipsis lixivii ex cineribus floris genistæ unc. vi. cum guttis vi. salis absinthii Chymica arte parati, & unc. i. butyri recentis.

Atque

Atque hæc, & hujus generis præscribenda, addita victus ratione, quæ prædictis respondeat. *Bened. Silvaticus Consil. & Respons. Medic. Cent. 3.*

De Hydrope Ascite, Tympanite, & Anasarca. Pro Nobili Matrona Mediolanensi.

Licet quamplures sint affectus, qui variis temporibus divexarunt Nobilissimam Matronam, à Viro Clarissimo propositi in consultatione ad nos transmissa, potissimus tamen, de quo nunc sunt querelæ, est hydrops, primo quidem tympanites, tum & ascites, & leucophlegmatia, cum lenta febricula, & supernarum partium macie. Cujus propterea quæritur causa, & quibus remediis debellari possit.

Supponendum itaque tanquam verissimum in quolibet legitimo hydrope universali, jecur affectum esse, cum in eo læsa sit sanguificatio, cujus munus illi potissimum demandatum; ita tamen, ut aliquando afficiatur per se primo, quandoque vero affectis aliis partibus; ut propterea Leucophlegmatia aliquando ortum ducat à capite destillationibus opportuno, Tympanites à ventriculo, utero, iliis, & ipsis intestinis, Ascites à liene, mesenterio, pulmonibus, renibus, & aliis partibus; ita tamen ut semper jecur consortii lege afficiatur: cujus præcipua affectio est intemperies morbosa, labefactans calidum innatum ipsius. Quod cum à qualibet excedente fieri possit, non immerito dubitatum, utrum calida, vel frigida præsentis hydropis causa fuerit. Communi enim Medicorum sententia receptum est, hydropem cum universalem, leucophlegmatiam, tum particularem ventris inferioris, asciten, & tympaniten, fieri à frigiditate jecoris; nisi causam habeant, vel errores in assumptis, vel suppressionem urinæ, vel cum crisis instar fit decubitus materiæ ad ventrem inferiorem; cujus meminit Hippoctates 7. Aphor. 5. quod Ab insania, quam maniam vocant difficultas intestinorum, aut hydrops, aut cestasis, bonum. Quæ est Galeni sententia. Tertio de Causa Sympt. 2. 5. de L. Aff. 6. 6. Aph. 12. & alibi passim. Cui subscripserunt omnes Græci, Arabes, & Latini; qui propterea constituunt varias hydropis species, juxtà diversos frigiditatis gradus. Si namque nativus jecoris calor non multũ remissus fuerit, generabitur sanguis crudus, & pituitosus, qui diductus per totum corpus, nutritioni non idoneus, leucophlegmatiam inducit; si remissior, chylus in vapores facesset, qui non difflati, tympanitem producunt, quod si magis langueat, sanguinis loco fiet proventus serosæ materiæ, quæ transudans in cavitatem abdominis inter peritonæum, & omentum, asciten infert: atque ita hæ tres hydropis species differunt invicem magis & minus, ratione causæ scilicet intemperiei frigidæ jecoris. Hanc tamen sententiam hactenus receptam oppugnavit Hieronymus Cardanus suis in Secundum Progn. Hippoc. Commentariis statuens, Hydropem esse morbũ universalem frigidum, & humidum omnino febri contrarium; omnes tamen fieri à causa calida, vel saltem asciten, & tympaniten. Quod confirmat primo ex Textu prædicto ubi asserit Hipp. succedere utrunque morbis acutis. Secundo ex siti hydropicorum, quam dicit esse indicium caliditatis, vel siccitatis, vel utriusque. Tertio ex nocumento à calorificis. Quartò exemplo cauponũ, qui huic affectioni sunt opportuni ob meri potum. Quinto ex pinguedine crocea, flava, & æruginosa in jecoris superficie apparẽte, hydropicorum cadaveribus dissectis. Sexto quod facta magna sanguinis effusione, licet refrigeretur jecur, hydrops tamen non succedit, sed urinæ fluxus saltem, inappetentia, malus color & morbi frigidi. Quod si ex hæmorrhoidali sanguine aut immodice fluente, aut detento sit hydrops, id contingere asserit ex corruptione sanguinis, ac proinde causa calida. Quo verò difficultatẽ hanc brevibus elucidemus, statuimus hydropem sensim factum semper à causa frigida, per consensum autem, à causa calida produci posse. Excedens namque caliditas colliquans, cum massam sanguineam, tum etiam carnosam substantiam serositatum proventum efficit; quæ quandoque fluxum colliquativum, aliquando urinas colliquativas, quandoque hydropem, asciten in primis inferre potest; quinimo ex Aretæo anasarcam, quã Autor hic distinguit à leucophlegmatia. Neque hæc colliquatio fugit Galenum, qui ipsam expressissimis verbis descripsit, Tertio de Caus. Sympt. sub fine; de qua verba faciens Alexander Trallianus L. 9. Cap. 2. quando proposuit Hydropem à causa calida, cum Cap. primo statuisset Aquam intercutem, quæ Græce hydrops dicitur, esse affectum à jecore adeo refrigerato provenientem, ut non amplius cibum in sanguinem, sed in alienam qualitatem, ut in aquam, aut pituitam aut flatum transmutet. Cùm itaque in Nobilissima Matrona præcesserit febris acuta, sitque à naturæ primordiis temperamenti calidioris, quæ à calidorum hactenus usu huic affectui curando nocumentum cepit, non inconsulto decretum fuit à Viro Præclariss. præsentem hydropem provenire ab excedente calore jecoris, & viscerum naturalium; cum calidum innatum princeps instrumentum facultatum animæ naturalium, ab intensa frigiditate, & caliditate juxtà lædatur; quæ intemperies fovetur ab obstructionibus in hypochondrio dextro tactui obviis, cum manifesta pulsatione magnæ arteriæ circa regionem ventris inferioris, genitis ab humoribus crassis, à prædominio melancholicis, cum subdominio crudorum, & pituitosorum. Atque hæc de essentia, & causis hujus affectus satis.

Prognosticum quod attinet, difficilis quidem curationis fore suspicio est, cum sit diuturnus, nec adeo facile medicis præsidiis cedat: non deponenda tamen omnino spes est.

Tria autem præstanda veniunt: purgandum totum corpus, reserandæ viæ obstructæ, & viscerum intemperies contemperandæ; jecoris quidem & totius, refrigerantibus; ventriculi vero moderate calefacientibus: addita accommodata victus ratione.

Vniversalis purgatio fiet syr. de polyp. compos. & manna electa, cum cremore tartar. in decocto cordiali: præparatis humoribus syr. de cichorio simplici, acetoso simplici, & syr. de duab. radicibus, cum herbis accommodatis. Purgabuntur agarico, rhabarbaro, & foliis sennæ, addito deinde syr. rosf. sol. & de polypodio composito. Repetatur deinde secunda humorum præparatio validioribus, attenuantibus & aperientibus, puta syr. de cichorio cum rhabarb. byzantino cum aceto, & de quinque radicibus, addita decoctione cichorii, hepaticæ, radicum aspargi, graminis, eupatorii, & absinthii; alternis quatuor diebus infundatur drach. . rhabarb. per noctem, & repetatur dicta purgatio. A quibus rhabarbari usum suaderem ad deobstruendum, eo commanso cum passulis, singulis diebus, ad pondus unius drachmæ, hausto ab ipso decocto ex capillo veneris, mentha, absinthio, & unc. 1. succi cichorii optimè depurati Octavo vero, aut decimo post die, præmitti poterit syr. præscripto bolus ex ammoniaco, trochiscis cypheos, & succo eupatorii concreto: cujus usus erit 20. dies inter Atque hæc potiora in usum revocanda duxi, educta quolibet quarto die serositate redundante drach. . pil. masticinarum, cum granis duobus laterii, accedente recta victus ratione. *Idem ibidem.*

A potu

A potu omnino quantum fieri potest abstinendum. Novi enim ego non postremi nominis medicum Hispanum publice Bononiæ profitentem, qui solo esu alimentorum assorum & abstinentia potûs omnis per 40. dies continuata, curatus est, absque ullo prorsus medicamento: quod si à potu abstinere omnino non potest, bibat quantum siti remittendæ satis erit, id tamen parce. Porro bibendum vinum tenue quod urinam provocet, dulcia ac mustum perinde ac pestis fugienda, acetum mirifice hydropicorum sitim extinguit & compescit; expertus ego sum acetum aqua chalybeata dilutum, sola oris ablutione sitim fregisse. Cavendum tamen ne quid aquæ in viscera descendat, imo quorundam est opinio aquam hydropicis vel solo intuitu nocere. Prandium sit mediocre, cœna parcior; secundæ mensæ & fructus omnes vitentur, poterit tamen degustare juglandem, amygdala, mala punica, pyra cocta, & caricas interdum, non tamen quotidie, idque modice: lectus sit non admodum mollis, præsertim anasarca laborantibus, qui semper satis superque lecti secum circumferunt, puta molem illam œdematicam, & in toto corpore humorum colluviem. Si autem fieri posset ut ex herbis exsiccatis conficerentur lectuli, ut ex origano, puleg. calamenth. urtica, hyssopo, & similibus, incredibile dictu, quantopere prodessent per somnum; quod & medicorum declarant libri, qui multos in acervis frumenti obvolutos, vel arena absconditos, vel furfure calido obtectos, à somno firmos surrexisse narrant, tanta vis est in exsiccantibus medicamentis. Inter evacuantia salutare est quod sequitur.

℞. Hier. picr. ℥ß rhei elect. ℈ij. exhibeatur insuper rheum infusum in succo ireos hoc pacto paratum.

℞. Succ. ireos rec. per residentiam depurati ℥vi. rhei elect. ʒi. contund. parum rheum, & per noctem in prædictum succum infundatur, facta forti expressione, adde succi cyclamin. depur. ℥iß. syr. capill. veneris ʒi. aq. cuscut. ℥ij. M. F. potio, quæ cum valde abstergens est, non solum internos sed externos meatus aperit, & primum quidem per secessum copiosissime evacuat, deinde etiam sudores elicere consuevit. Postea ad paratu facile, & in talibus casibus mihi domesticum remedium devenirem, quo uno curata est mulier quædam, & cujus unius ejus vir tanquam miraculosi meminerit. Remedium tale est.

℞. Milii excortic. ℥ii. aq. font. clar. ℔ii. in mundo vase bulliant donec tantum ℥iii. vel ad summum quinque supersint, colentur, & cum aliquali vini meracioris portione misceantur, ut si potio exhibenda calide, copiosissime sudabit, F. texeris diligenter, ut illa mulier sudavit, cujus sudore permaduit totus lectus. Usa est hac potione per octo dies, & convaluit. Vocatur hæc potio syrup. S Ambrosii. Usus sum eodem syrup. in pueris hoc affectu loborantibus sæpe semperque cum successu. Inter externa laudatur epithema ex caprino fimo & urina pueri confectum. Laudat Galenus emplastr. ex cochleis cum suis testis contusis, ventri impositum, quod aquam exhaurit, hoc composito uti soleo.

℞. Limac. cum testis contusar. ℔i. cumin. torrefact. & subtiliter pulver. sem. carui, ammeos, salis usti, ana ʒi. pulv. rad. irid. farin. lupin. ana ℥i. M. F. emplastrum S. A. ventri apponendum donec sponte decidat, vel ceratum quod ego experientia non solum mea, verum etiam aliorum comprobata mirabile inveni.

℞. Ceræ, picis navalis, ana ℥ij. alumin. liquid. sulphur. vivi, bitumin. nitri rufi (si haberi queat) an. ℥ß. terebinth. ℥iß. ol. veter. ℥iiii. aceti q. s. ut fiat ceratum. Medicamentum rurale est quod sequitur, & ruri summo esse usui potest.

℞. Fimi vaccini arid. & tusi ℥ß. sulph. vel salis ʒi aceti q. s. M. & apponito ventri, cui ex Archigenis sententia addi possunt ova gallin. rec. cum suis testis contusa, ac brassicæ succus. Ubi autem fimum animalis in emplastro apponendum legis, ibi non recentem, sed aridum sumendum esse putabis. ubi in hydrope maximum juvamentum per urinæ evacuationem speratur, idque in natura imbecilli, tali uti poteris pharmaco, quod & alvum subducit & urinam ciet.

℞. Terebinth. claræ ℥ß. aq. adianth. ℔i. M. & bulliant ad totalem aquæ consumptionem, & adde cantharidum abscissis alis pedibusque & capitibus subtiliter pulver. ℈i. mastich. cinnam. an. ℈ß. rhei opt. pulv. ℈i. cum oleo amygdal. dulc. rec. F. massa, cujus ʒii. tuto dari possunt. Hoc experimentum bis hoc anno mihi occurrit: primum quidem in Xenodochio Delavita in puero decem annorum diu tympanitide laborante, qui tanquam à Medicis derelictus in lecto se continebat: cumque ad ea, quæ per os dantur, propter ætatem & longum morbum, & virium imbecillitatem non admodum aptus esset, tale jussi apponi emplastrum, quotidie affixis sine scarificatione cucurbitulis in abdomine, miraculoseque convaluit intra octo vel decem dies.

℞. Rad. cucum. asinin. optime contus. & in aceto scillitico per viginti quatuor horas macerat. ℔i. mell. despumat. ℔ii M & bulliant ad consistentiam cerati, in fine adde cumini subtiliter pulver. ℥iiii. singulis diebus amovebatur emplastrum, & abdomini optime terso cucurbitulæ affigebantur, dein rursus emplastrum apponebatur: quumque non sincerus esset tympanites, sed una cum flatu aqua adesset, immodica tamen quantitate, paulatim unà discussus est flatus, & in habitum digesta aqua, sanatusque est: cujus exemplo motus quidam non infimi gradus vir, cujus nepos ex filio simili morbo vexatus, à primario quodam Medico tanquam deploratus derelictus erat, jussit me accersiri, & simili modo curatus est. Alium in Hospitali Dellaviva hoc modo curavi.

℞. Brassic. marin. subtiliter pulver. ℥ß. rhei elect. subtil. pulver. ʒij. spec. dialacc. diacurcum. ana ʒi. hepat. lupi præpar. limatur tur. chalyb. cum aceto scillitic. sæpius lotæ an. ℥ß. mell. despum. q. s. M. F. electuarium cujus cochl. i. per horas duas ante prandium sumat, & similiter ante cænam tantumdem: alvus inde semel aut bis in die mota: quodque excernebatur aqueum erat. *Victor Trincavellius. Consil. 32. lib. 3. & Horatius Reserus consil. 74. lib. 6. Consil. Io. Cratonis, &c.*

Cum Illustris & generosa fæmina, jam annum

corporis debilitates anno currente, potum acidularum Suvalbacensium, cum subsequenti thermarum Wisbadensium usu frustra visitaret, parum vel nihil levaminis inde sensit, utpote increscente magis intumescentia ventris, pedum, ac dextri quoque brachii, cum intermedio horrore, sopore, vomitione salis phlegmatis, angustia respirationis & similibus. His consideratis, luce meridiana clarius est, adesse hydropem incipientem, cujus origo dependet à debilitate caloris nativi circa viscera concoctionis infimi ventris, ex quo fundamento non difficulter causæ symptomatum præcedentium deducerentur. Quanquam vero morbus hic chronicus, in ejusmodi declinantis ætatis subjecto minime nobis ad plenariam sanitatis restitutionem pervenire posse videatur: spem tamen aliquam concipimus, prædicta symptomata Dei benedictione, lenire posse, juxta scopos subsequentes diligenter observandos. Eò igitur respiciendum, ut 1. superflua ichorosa, serosaque collectio per diversa convenientia media vacuetur. 2. ut jecur, aliaque viscera concoctionibus inservientia confortentur: & 3. symptomata varia & gravia leniantur.

Pro primo non dissuademus usum enematis, quod fiat juxta consilium præsentium Dnn. Medicorum hoc modo.

♃. Brodii decoctionis gallinæ ℔i. adde herb. veronic. M. ij. Flor. chamæmeli, fol. malvæ, altheæ ana. M. i. sem. Anis ʒij. coque ad medietatem, coletur, & adde vitell. ovor. num. ii. sacchar. rub. ℥iß. ol. chamæmel. lilior. alb. an. ℥iß. m. Quo præmisso reiterentur evacuationes non admodùm nauseabundæ, quæ fiant Magist. Rad. jalap. gr. 14. vel 15. cum ℈i. extract. diacartham. Quibus aliquoties præscriptis, spem nobis faceret mediocris cura sudorifera, cujus beneficio serosæ superfluitates consumerentur, calor nativus confortaretur, membrorum tam internorum, quam externorum intemperies frigidior calefieret, & abundantes ichores tam per sudores, quàm etiam per alvum & urinas educerentur. Nec dubitamus quin generosa patiens, eo modo, quem determinabimus, sudoriferam hanc curam absque difficultate sustinere queat. Primo itaque fiat decoctum Rad. Chinæ hoc vel simili modo, juxta bene placitum præsentium. Dnn. Medicorum.

℞. Rad. chinæ ponderosæ ℥iij. sarsæparill. ℥i. lign. n. Lentiscin. ℥ß infund. per noctem in aq. ferventis ℔xij. mane tecto vase coq. ad tertias sub finē coct. adde passul. minor. ℥iß. cinam. sassafras an. ℥ij. post refrig. coletur. De hoc decocto matutino tempore sumatur haustus quatuor unciarum, & in sudatorio, quòd sit justæ altitudinis, sudor provocetur, ignitis silicibus affusa decoctione sequenti, quæ.

♃. Herb. Anagall. aquat. nasturtii aq. recent. an. m. iiij rad. ebuli cum toto m. vi. flor. chamæmel. Miß. Baccar. laur. juniper. an. m. i. F. decoct. in s. q. aq. Ejusmodi sudor, quo citius natura perferat, semel tantum quotidie provocetur: protinus à sudatorio patiens ad lectum sese conferat, quo reliquiæ sudoris in lecto per udam transpirationem ulterius consumantur. Quo facto, diebus alternis, duabus horis ante prandium haustum sumat laxativum, qui fiat hoc modo.

♃. Prædict. decoct. sudorifer. ℔iß. fol. senn. s. s. ℥iß. Agaric. in petia ligati ʒij. Mechoacæ nigræ ʒiiß. sem. cartham. ℥ß. crystall. tartar. ʒi. herb. soldanell. ʒvi. stent per noctem in loco calido per 24. horas, mane colentur per manicam Hipp. addito, pro lubitu, sacch. cand. al. ℥i. plus minus, dosis ℥iij. vel iiij. Hujus beneficio peccans attenuata materia simul per proximiores vias educeretur. Non negligatur interim conveniens victus ratio, potu quotidiano simul ordinato, qui.

♃. Rad. chinæ ℥iij. Lign. lentiscin. ℥iß. santal. citrin. ℥ß. F. infus. per noctem in s. q. aq. mane cocto tecto vase ad 4. partis consumptionem, sub finem coct. adde Passul. min. ℥iiij. cinam. sassafras an. ʒiij. colentur ℔xxiiij.

Pro secundo non repetimus corroborantia jam dudum ab aliis Generosæ Matronæ præscripta, quibus addi posset usus elect. passulat. sive de vino, ut vocat Solenander in consiliis medicis, item usus magist. corall. rub. cremor. tartar. cum margar. præp. sicut etiam confectio de extract. lign. Aloës, Zedoar. cum ol. macis, nucis mosch. Margar. præp. &c. Elixir propriet. Paracelsi ritè digestum sæpius ad gutt. vii. vel viii. vel ix. cum syrupis appropriatis, vel in brodio quodam decoctionis radicum aperientium, plurimum quoque concoctioni serviret.

Pro tertio, nimirum, quod symptomata lenienda concernit; non opus est pluribus hic agere, propterea quod pro re nata præsentium Dnn. Medicorum directioni id ipsum relinquatur, utpote ejusmodi remedia sæpius varianda veniant. Unicum addimus, ob urgentem sæpius difficilem respirationem usurpandum, mixturam videlicet hanc pectoralem. de qua sæpius cochlear unum lambendo sumatur, juxta determinationem præsentium Dnn. Medicorum, quæ.

♃. Spir. veronic. ℥iß. spir. anis. ℥ß. sp. sulphur. acid. ʒß. sacchar. cand. al. ʒvi. misce. Hæc sunt quæ absentes ad petitionem factam, communicare voluimus: faxit Deus ut omnia succedant ex voto. Dabantur Ulmæ. *Gregorius Horstius de morbis infimi ventris.*

Nobilissimus Vir sexagenarius, calidioris & siccioris temperaturæ, olim Podagricus, mox Ictericus, cui fluebant hæmorrhoides, non sine evidenti levamine, ac demum imminuta est sponte fluxio cum salutis incommodo: obstructum enim est utrumque hypochondrium, & præsertim dexterum circa jecoris cavam, quod videre erat in procedente Icteritia; diebus nuper elapsis cecidit, circa spinam dorsi ac renum regionem percussus doluit; hactenus molestus dolor perseverat; ab hæmorrhoidibus illico materia ichorosa, colore flava, jugiter emanat, pauco, vel nullo cruore tincta; utrumque hypochondrium tumidum apparet, tactui tamen obediens; abdomen elevatum tumet, à molestis flatibus infestatur, multa serositate inundat, tumorem in latus jacentis perpetuo sequi videmus, & recto stanti mediocris fit molec, ac tensio aquæ descensus cubanti venter sentitur mollior, pedes semel aut bis œdematosos observavimus. Febricula tempore vespertino sese offert, quæ periodicè, tertianario nempe modo exacerbatur, urinæ perpaucæ, ferè semper crassæ ac rubicundæ; respiratio hactenus illæsa servatur. Universum

antem

autem corpus (dempto ventre) extenuatur, ac veluti liquescit; sitis adest molesta, in dies vehementior, inappetentia & virium imbecillitas.

Antiquam hypochondriacam affectionem, adauctis in jecore obstructionibus, in Cachexiam degenerasse, sive melius, ad eandem pervenisse credo, quæ quoniam in Hydropicorum caput à Medicinæ principibus appellatur, ideo nil mirum, si hydropis quoque gradus fuerit in Nobiliss. Pat. isto introductus. Et sicuti hypochondriacam affectionem intensis applicationibus jam acquisitam copiosi flatus sat attestari poterant, ita Cachexiam totius macies, pedum intumescentia, & totius color vitiatus liquido demonstrare valent, & hydropis principium aquæ fluctuatio cum abdominis tumore, qui lateralem decubitum sequitur, & supino cubanti Viro Illustriss. abdominis mollitiem conciliat, & obstructionum viscera, & jecur potissimùm occupantium modo tactus judicium intercipit. Propterea fluctuationem illam abdominis, ut pote ab aqua in cavitate existente provenientem, diversam esse ab illa quæ in hypochondriacis ut plurimum observatur, ab exigua serositate melancholica, in omenti duplicatura procedente, existimo.

De affectu dorsi atque renum, ex casu contracto, nil certi neque concipere, neque scribere possum, si quidem mutilata valde de hoc ad me pervenit relatio: febricula enim quando supervenerit, prorsus me latet, quam sicuti ab humoribus, circa viscera naturalia fermentatis, procedere credo, ita forsan à contusione ad suppurationem tendente provenire posset; præterquam quod dolores num continui, vel intermittentes, & solum ad motum desævientes, num præterea lancinantes & pulsatiles, an contundentes sint, omnino me latet; sed ex medicamentis diureticis & calidis, fere statim à casu à viris excellentiss. administratis, humores ad renes ducentibus, conjicio, renum affectum ex casu prægresso Eximios Viros parvi fecisse, & ideo ejus curam externis remediis, ad contusionem appositis, Chirurgo relinquo.

Quare ad prioris affectus manifesti considerationem deveniens, de Ascitis causa dubitandum venit, quam licet utplurimum frigidam, imo semper statuerit cum plerisque Medicinæ scriptoribus & ipse Galenus, hanc tamen frigiditatem ab eximio & excedenti calore ut plurimum provenire, negligendum non est, ut magni viri Trallianus & Fernelius considerabant, dum calor temperamenti jecoris (vulgo intemperies calida dictus) adeo calorem innatum ejusdem labefactare valet, ut propriam operationem, nimirum hæmatosin, imperfecte solum obire possit, & ideo recte dicebat Gal. idem, quod quælibet intemperies valet dejicere robur & munus partium; quam quidem causam in Illustriss. Pat. isto ad Cachexiam & hydropem introducendam principaliter conspirasse credo, quod facile, imo necessario deducitur ex patientis Illustriss. temperamento, habitu corporis, præteritis icteritiis, antiqua hypochondriaca affectione, siti molesta, inappetentia, urinæ paucitate atque colore, & tandem ex suppressa consueta sanguinis hæmorrhoidali evacuatione, quæ non calidam solum & fervidam jecoris intemperiem, verum & ipsius sanguinis exustam qualitatem indicabat. Nec pro frigiditate positiva ullum mihi affectus signum considerandum in rebus naturalibus, nullum in nonnaturalibus, & exiguum atque valde dubium in rebus præter naturam: Podagra namque suppressa in hujusmodi temperamento, causam aut calidam, aut non sine calore facile agnoscebat.

Quare sicut neque ego inficior frigidam intemperiem ad hydropem, quatenus in facto esse, necessariam esse, & in casu nostro quoque reperiri, ita quatenus in fieri, ab intenso & exuberante hypochondriorum & jecoris fervore initium sumpsisse assero, & ideo aquam, si non immediate à colliquante calore, mediate tamen ab eodem effervescente, nativumque jecoris calorem destruente, provenire sentio.

Quibus ita se habentibus, difficilis evadit hujus affectus non solum ob ætatem sanatio, sed & ipsa curatio, & ideo mirum non mihi videtur, si inter eximios viros aliqua, licet levis, intercedat discrepantia: etenim morbus, quatenus in fieri, requirit refrigerantia: quatenus in facto esse, calefacientia: calor enim præter naturam excedens, continuo nativum devastat, atque depascitur, dum calor idem innatus labefactatus, restauratione & refocillatione indiget. Sed in hac rerum angustia utrique intentioni, at urgentiori magis, semper incumbendum: aqua enim primo omni arte & industria educenda: siquidem aquæ eductio Medicinæ locum facit, Dicebat Celsus. Secundo loco calida jecoris & hypochondriorum intemperies corrigenda: quæ quoniam per accidens ab obstructionibus fomentum recepit & recipit, ideo obstructiones reserandæ, & tandem jecoris calidum innatum corroborandum.

Quibus ut satisfaciamus, non est quod à fonte Chirurgico remedia multa petamus, aliquam tamen ex hæmorrhoidibus sanguinis missionem omnino profuturam spero, illamque parcam, & potius repetitam, si Hippocr. oracula consideremus, eoque magis, cum natura & in præsens ad illam partem convenientem vergat, serositates flavas & calidas extramittens.

Aquæ autem eductio per intervalla & per epicrasin procuranda; sed interima perienda, at non valde calorifica, administranda. Inter aquam educentia, eligenda quæ nativum calorem non valde labefactare, nec vires prosternere valeant, ut frequens possit esse eorum usus, & ideo sicut potio ex manna clariss. hic locum habet, ita & Magist. Mechoac. quod Venetiis paratur, ut multo minus quam, jalappæ ventriculo infensum, ad gr. xx. drachmis duabus elect. Lenit. vel pilulis de tribus cum rhabarb. immistum. Ita familiaris esse poterit Cremor ita parandus.

♃. Radic. ireos, ebuli, cucum. asinin. ana ℥iij. soldanellæ, gratiolæ, mercurialis ana nip. manip. ij. contundend. incidend. & adde aq. comm. opt. ℔v. m. maceret-

liant ad consumpt. quartæ, & fiat torcularis expressio. Expressioni adde tartar. albi, prius loti, & depur. in infus. rof. solut. ℔i. omnia reponantur in vase cooperto, bene lutato, & bulliant usque ad consumptionem totius humiditatis. Tandem colligatur fumus sub cooperculo, cremor à lateribus, & sal in fundo, & m. inde.

℞. Hujus cremoris ℈i. vini alb. ℥iij. aq. cinnam. vel flor. citr ℥ß. misce pro una vice.

Vel ℞. Hujus cremoris ℈i. conserv. à flor. perf. ℥ß. m. pro una vice, quinto aut sexto quoque die repetendi.

Interim aperientia erunt jecori insinuanda, & esse poterunt succi cichor. & agrimon. non solum depur. verum & filtrati, vel per arenam trajecti, ut subtiliores evadant, magisque permeent, quibus vehiculum esse poterit sal tart. volatiliz. ad gr. x. quibus habita nativi caloris illius visceris ratione, addi quoque possunt totidem grana salis viper. sicque concinnari poterit quotidianum Aperiens.

℞. Succ. cichor. agrimon. ana ℥iß. sal. tart. volatiliz. viper. ana gr. x. aq. still. cichor. agrimon. an. ℥iß. m. pro syr. & sic pro aliis quatuor; quibus succedat vel cremore proposito, vel Magisterio Mechoac. cum pilul. de tribus aquæ evacuatio.

Et licet hæc oportuna mihi videantur, observatione tamen egent, ut ab iisdem quoque discedamus, nisi res pro voto succedat, & ad syrupum cachecticum Fernelii mentem convertimus ad ℥ij. juxta nostram descriptionem, alternis diebus exhibendum in vino albo, si febricula discesserit, sin minus, in exigua aqua de succo cichorii; & licet rhabarb. contineatur, & Hipp. jusserit, aquam purgato, & bilem non moveto, quod repetit postea & ipse Galenus, de Hydrope frigido & jam perfecto atque absoluto locuti fuerunt. Rhabarbarum autem in casu nostro, cum causam Hydropem foventem, imo facientem respiciat, quæ in fieri reperitur, admitti debet. Diebus vero intermediis aperiens aliquod non exigui valoris erit præbendum, quod non solùm obstructiones reserandi, verum & urinam ciendi facultatem obtineat, quod ita parari poterit.

℞. Fol. cichor. agrimon. pentaph. cuscutæ. malvæ, an. manip. ii. absinth. manip. i. rad. chi-, petrosel. gram. asparag. an. ℥iij. rad. apij. fœnic. an. ℥ij. liquiritiæ ℥i. lign. sassafras ℥ß. sem. melon. ℔ß. contund. contund. incid. incid. m. adde aq. Nocer. lib. xx. macerentur omnia per duos dies, deinde fiat torcularis expressio & expressioni eadem nova ingredientia addantur, ut rursus fiat maceratio in vase clauso ad duos dies, & fiat rursus torcularis expressio. Fœces omnes deinde calcinentur, cineres reponantur in colatorio, quibus ter & quater superaffundatur expressio fervens, ut fiat lixivium, quod reponatur in vase vitreo, & B. M. destilletur, aqua autem servetur ad usum. Spissamentum autem in fundo relictum, reponatur in vase terreo, cui superaffundatur succi absinth. depur. & agrimon opt. depur. an. ℔ß. bulliant usque ad consumptionem totius humiditatis, & sal colligatur in fundo.

℞. Aquæ jam dictæ ℥vii. sal. jam dicti ℈i. spir. tart. ter rectificat. gutt. x. aut spir. sal. gutt. vi. m. pro syrupo alternis diebus assumendo. In horum alternato usu perseverari poterit ad triginta, & plures dies, & interim nisi aqua fortasse per urinam expurgari cœperit, quinto aut sexto quoque die hydragogum erit porrigendum: quod si validius expetatur extractum esulæ Rulandi, additis eidem gr. x. aut xii. Magister. Mechoac.

Plura scribere non licet, nisi de statu Pat. Illustriss. tunc temporis certior fiam, sicuti quoque jam proposita Præclarissimorum Virorum Assistentium diligenti observatione atque custodia egebunt, ut in arena meliora consilia capere possint: facile namque lacte aliquo, si non naturali, arte facto, corpus totum renutriente opus erit.

De victus ratione quid scribam non habeo, cum recte ab eximiis viris fuerit instituta, optimi succi, facilis coctionis & distributionis, nec valde refrigerans, nec omnino calefaciens, ut propositis intentionibus nostris correspondeat. Nec de vino exhibendo nigro, vel albo multum curandum: sicut enim album aperire & urinas movere, ita nigrum, calorem nativum magis roborare valet. Utra igitur harum intentionum magis necessaria sit, pro vino vel albo, vel nigro exhibendo considerandum. Sal in mensa poterit esse absinthii & roris marini. Et hæc omnia sapientibus Viris, potius consideranda, quam executioni mandanda descripsi. *Raymund. Ioh. Fortis Consil. Tom. 6. Centuria 3.*

Historia & Consultationes super hydrope Ascite, variis symptomatibus stipato.

Viro Amplissimo & Nobilissimo D. Joh. Jacobo Wepffero Medicinæ Doctori Famigeratissimo J. J. Manget. Med. D.

Jam dudum respondissem, Vir Ampliss. Tuis ad me 14. decembr. anni 1691. datis, verum non suppetebat quid significarem de Nob. Matrona *** Jam enim illa prægnans, imo partui vicina, omnia recusat remedia, & cum satis bene se se habeat, consilia medica minus avide exquirit. Interim, redeunte morbo, cum quo procul dubio actum prorsus non est, sed tantum induciæ datæ, adhibebimus quæ commendasti medicamenta, quæ omnino consona sunt intentionibus & indicationibus quas hoc in morbo nobis proposueramus. Occasionem in præsentiarum ad Te rescribendi præbuit Vir ætate ad minimum quinquagenarius, temperamenti sicci & biliosi, cujus historia hæc est.

Nobiliss. D. ***. jam ab annis 18. in affectum incidit asthmaticum, quo sæpius ad absolutam prope suffocationem deductus fuit; imo per plures annos sic afflictus, & per venæsectiones frequentius & largius quam par fuisset, in præsens solatium, celebratas, viribus sic exhaustus ut pulmones debilitati, ac oneri impares, sanguinem materiis aliis parce admistum, imo postea purulentum quid satis larga copia evomuerint. Illius autem puris multum semper in viscere restitit, quod & tussim vehementem cieret, & febrem accenderet lentam per annum integrum quandoq; sine intermissione perdurantem; unde nullus fuit qui, cum tabe præterea confectum Nob. Ægrum videret, eum Phthisi consummata correptum non crederet. Interim tamen jam

à pluribus annis, remediis petitis ex lacte, variis sulphuris præparationibus, decoctis pectoralibus & vulnerariis, viperinis jusculis, saleque viperarum volatili, item florum Mei Regii sumo, adjectis per intervalla levioribus purgantibus, quia facillime alvus solvebatur, semperque aderat ad diarrhæam propensio, morbus ita fuit expugnatus, ut postmodum, & peregrinationes longas, & negotia satis molesta perficere valuerit; nulla recrudescente febre, nisi cum per pulmonum debilitatem à morbo præcedaneo inductam aliquid aggereretur quod turbas moveret; verum illud facile egerebatur. Uno verbo ita restitutus fuit, ut si modo valetudine delicatula probe usus esset, satis sanus vivere potuerit. Verum cùm varios in diæta errores commisisset, imo frequentius multo plus quam vires ferebant corpus defatigasset, in febrem continuam, jam à 4. prope annis, incurrit, quâ postquam ad orci fauces deductus esset, liberabatur quidem, sed sanguis debilior dispositionem quandam leucophlegmaticam, per septimanas aliquot in partibus extremis, manibus scilicet & pedibus, reliquit; qua demum profligata satis bene habuit, donec sub finem julii anni proxime præteriti, subito in novam dyspnæam cum adjuncta febri, tantaque virium exsolutione ut pedibus stare minime valuerit, incidit. Tum abdomen integrum mihi tensum visum est, & jecoris corpus se se durum obtulit, continuo præterea successerunt, & urinarum imminutio atque rubor cum sedimento lateritio, & femorum atque tibiarum tumor grandis, eaque prope omnia quæ ascitem perfectum facere consueverunt, adjecta, quod sæpe in hoc morbo evenit, dispositione totius leucophlegmatica. Eo ipso tempore quo tumuit abdomen partesque inferiores, liberum fuit pectus, & ab omni tussi aut oppressione immune; sed febris pergebat donec semicupio per 4. dies celebrato, & aquis calidis, bituminosis, nitrosis, ac perbelle purgantibus, loci dicti *la Mothe* prope Grationopolim in Delphinatu, per totidem dies exhibitis, succis è plantis appropriatis, dosibusque aliquot purgantium medicamentorum paulo validiorum, quæ tum sane ferre commode potuit, propinatis, urinæ revocatæ sunt, & febris una cum abdominis ac partium inferiorum tumore, diminuta, imo postea omnino profligata per iteratas emulsionum ex semine, seu potius arillis ebuli præparatarum, exhibitiones. Interim crura exsiccata quidem per humoris ipsa replentis eliminationem, visa sunt, sed ita dura remanserunt ut carnes fumo induratas dixisses; unde merito erat quod arbitraremur petrificans quid in salibus ab aquis exhalantibus relictum quod tantam induceret duritiem, illudque præterea ita acre, ut corrosionis sensum importunum perpetuo faceret, quo somnus ita per noctem arcebatur, ut ne quidem exquisitiora anodyna illum conciliare possent. In illo ipso statu pestitit Nobil. D. Donec sub medium mensis januarii imminutis rursus multum urinis, momento rediit tumor cum febri satis intensa. Tum morbo statim opposuimus eadem remedia, quæ prius bene cesserant, nempe semen ebuli, succos è plantis, tum temporis reperibilibus, parabiles, decocta aperientia varia nec non purgantia omnis prope generis, exceptis tantum iis quæ drasticum quid habent, elaterium scil. &c. ne interanea illis ferendis non sufficerent; at hæc omnia per tres septimanas sine fructu peracta sunt, quandoquidem nec per diuretica, quorum hic enumerationem non tradimus, urinæ largiores factæ sunt, nec per purgantia, præterquam à paucissimis tantum diebus, multum obtinuimus. Jam autem inter cætera semen ebuli, cui hactenus salutem suam assignavit Nob. D. officium suum repetens, satis bene illum expurgat, cumque hoc sine torminibus aut appetitus dejectione, imo sine ulla patientis defatigatione, peragatur, propositum habemus per dies aliquot continuos illi insistere, adjectis subinde diureticis, aliisque serum per varias eliminantibus vias, ac viscera confortantibus. Iam autem, Vir Ampliss. ac Medicinæ verum decus, ad te confugimus ut quod habebis in ulterius Viri Nob. auxilium nobis concedere per tuam humanitatem non dedigneris. Procul dubio sic apud omnes honestos quibus magno in pretio est patiens noster bene mereberis, & mihi doctissimorum tuorum consiliorum avidissimo pergratum facies. Vale Vir Ampliss. & me tui cultorem observantissimum &c. *Datum Genevæ die 9. Februarii ann. 1692.*

Responsum Medicum.

Salve plurimum Nobilissime & Excellentissime Domine.

Ex literis tuis Excell. D. patet apud Nobiliss. Dnum. ***. in curatione ad duo præcipue attendendum, scil. ad pulmonum inveteratam quandam debilitatem & sanguinis vitium. Ratione pulmonum potissimum cavendum ne refricetur antiquum ulcus, nam post hæmoptoen Nob. D. vere phthisicum fuisse probant purulentorum ejectio per tussim per annum cum febri lenta perpetuo comite. Eluctatus quidem est vestra industria periculosum morbum; attamen porro ejus curam habendam existimo, quia subinde mucosa in bronchiis colligit, sine tamen febri; & mense julio 1691. cum febri rursus dyspnæam expertus est. Non equidem puto multis pulmonicis Nob. D. Ægrum onerandum, attamen cavendum sollicite erit, dum sanguinis vitium emendabitur, ne illi lædantur. Sanguinis vitium consistere puto in nimia ejus aquositate, forte etiam in lentore quodam & salsugine nimia. Persuasus sum sanguinem ipsum sanguificare, quia chylus ipsius massæ omnis confunditur, ipse calet actu, aliæ partes ejus beneficio calent, & ipse spiritibus abundat. Officio suo non fungitur, si crudis obruitur, si spiritus ejus nimis prodige crebris V. S. profundatur, si aquosior pars non rite eliminetur, glandulis excretoriis obstructis, aut induratis; quod conjicere licet ex urina pauciore & jam prope lixiviosa cum sedimento farinæ laterum simili sæpe intensiùs instar cinnabaris rubente. Febres frequentes & diuturnæ depauperant sanguinem, ejusque spiritus absumunt, & non parum ad indurationem glandularum contribuunt; unde forsan Excell. D. jam hepar durum tetigisti. Notum est hepar ab elixatione valde indurari, quod idem aliis glandulis evenit. Forte febricitans multum aquæ ingurgitavit, ut plerumque fieri solet. Acrimoniam adscribendam in sangui-

ne putoi temperamento connato, eamque à tot febribus, forte etiam obstructionibus in glandulis, auctam puto. Serum stagnans peperit leucophlegmatiam, ascitem, & nunc tumorem extremorum. Acrimonia & lentor is effectus sunt crustæ & pruritus tibiarum. Jam præcipue studendum arbitror ut viæ referentur per quas natura superflua aquosa excernere solet, quandoque & calcar addendum, ut largius illa exturbet, unaque opera lentor & acrimonia sanguinis emendanda sunt. Quibus præsidiis id faciendum sit vix alia superaddere novi, cum vos vel eadem, vel æque efficacia adhibuisse ex doctissimis literis perspiciam; ne tamen asymbolus abeam illa recensebo quæ quoque quandoque proficua expertus sum apud illos quorum viscera nondum penitus depravata & scirrhosa erant: suntque primo pilulæ.

♃. Diaphor. mart. ʒij. oculor. cancr. præp. milleped. præp. an. ʒj. flor. sal. armon. cum lap. hæmat. sublim. ℈i. sal. volat. lumbric. aut viper. ℈ß. extract. trifolii fibrini ʒij. vel ejus loco extracti gentianæ ʒi. olei terebinth. gtt. iiij. cum mucil. g. tragac. q. s. fiant pilulæ ex ʒi. n. xl. conspergantur pulver. glycyrrh. Dosis mane hora 6. & vesper. hora 5. n. x. cum tantillo syrupi capillor. veneris. Post quadrantem horæ bibat jusculi carnis non saliti ℥iiij. cui adde cochleare unum hujus liquoris eperit. calide.

♃. Aq. gramin. petrosſ. an. ℥iij. spir. aperitiv. ʒij. M. spirit. aperitiv. sic paratur.

℞. Limatur. chalyb. puri ℥j. ei in vase vitreo robusto affunde sp. sal. armon. urinosi ℥iij. sp. sal. dulc. ℥i. sal. absinth. ʒij. sal. tartati ʒi. M. Vas quod amplum sit oportet, bene tegatur; reponantur in locum temperatum & subinde agitentur: post horas 48. liquor decantetur: coletur per chartam emporeticam. Spiritus iste servetur in vase vitreo, robusto, bene clauso. Si forte jusculum ab uno cochleari acrius fiat, addatur solum cochlear dimidium. Hac ratione, benedicente Deo, urinam copiosiorem tenuiorem, minusque tinctam evasisse, & sedimentum rubrum sæpius evanuisse, observavi.

Secundo. Quadrante horæ ante quemlibet pastum cum jusculo, dentur elixyr. propriet. Clauderi sine acido gtt. xx. aliquando dedi cum jusculi cochlear. iiij. ad gtt. xl. sine ulla molestia.

Tertio. Quin citra molestiam hactenus pertulit emulsion. sem. ebuli, in illa audacter pergendum arbitror, subinde tamen mercurium dulcem hydropicis utilem comperi: ne tamen moras nectat in corpore & salivationem excitet, addidi aliquid de extracto panchymag. Crollii, aut simili. v. g.

♃. Mercur. dulc. gr. xv. ad gr. xx. extract. panchymag. ℈ß. cum mucilag. tragac. f. pilul. n. x. vel. xij. Ab hoc mercurio vidi in canibus minus ventriculum & intestina læsa fuisse, quàm à gumm. gott. aut magister. gialapp. Emendat iste quoque acrimoniam sanguinis. Subinde jusculis in primis mane, sal viperar. addi posset; quod à Te Excellentiss. D. egregium parari Neocomi intellexi.

Si detumuerit, maneantque crustæ in tibiis cum pruritu, audacter fotum impraegnatum aqua calcis in cujus ℔iij. ebullierint solummodo gr. vj. mercur. sublim. tibiis circumponerem, vel illas mane & vesperi involverem calide, probe liquore expresso.

Fonticuli in utroque brachio excitati tunc quoque prodessent: nullo modo in tibiis parandi.

De diæta non multa memoro: huc solum addo vinum non denegandum nisi febris adsit: attamen in ℔. iij. aquæ fontan. coque lign. visc. querni ʒiij. qua vinum diluatur.

His Excellent. D. cum tota familia optime vale &c.

Aliud in eodem argumento responsum Medicum ex Gallico.

Asthma quo jam à pluribus annis afflictus fuit D. Ægrotans, cum degenerarit in exscreationem sanguineam & purulentam propter fluxiones quas primus hic morbus in pulmones advocavit: suspicor sane hæc funesta symptomata vomicæ pulmonaris fuisse productum quid, potius quam veræ phthiseos; quandoquidem ab iis liberatus est viresque restauratæ. Iam verò serum acre & quasi ardens quod de novo in ipsius sanguine è malis dispositionibus inibi restitantibus procreatum est; ut & debilitas ac obstructio viscerum, illum in hydropem deduxere, qui manifestus factus est per abdominis, tibiarum, aliarumque corporis partium tumorem. Timeo sane ne quæ in hoc morbo consequentur, funesta sint, agitur enim de subjecto à pluribus malis fracto, sicque in languorem dejecto. Interea tentanda veniunt quæ magis efficacia credi possunt & pro evacuandis aquis, & pro deobstruendis visceribus, & pro corrigendâ humorum acrimonia; seligendo in eas intentiones remedia benigniora, atque magis temperata; ne scilicet alias nimium excalescat sanguis, ac supprimatur urinarum cursus, quod non semel ab usu validiorum hydragogorum evenisse expertus sum.

Non video quod D. Pat. V. S. sustinere possit, quandoquidem jam à longo morbo, remediisque in ejus expugnationem adhibitis, viribus prorsus exhaustus est; satis fuerit igitur si primo purgetur medicamento sequenti, post applicitum clysterium emolliens refrigerans & purgans, cum electuario lenitivo & melle rosato.

℞. Senn. elect. ℥ij. rhabarb. elect. in nodulo suspensi ʒi. sal. tart. ℈ß summit. absinth. minor. p ß. infundantur ad ℥viij. in colat. dissolve mann. elect. ℥i. fiat potio quæ detur mane.

Post purgationem per duodecim dies matutinis horis assumet hoc jusculum.

♃. Limat. ferr. rubigin. in nodulo suspens. ℥i. radic. fragar. & brusci an. ℥ß. f. dentis leonis cum toto, agrimon, capillo. vener. ac pimpinell. ana m. ß. rhabarb. electi in nodulo ligati ʒß. cum pullo gallinaceo fiat jusculum quod copiat mane.

Purgabitur ut supra in medio & fine jusculorum.

Postquam assumpserit juscula præscripta, vorabit tertio quoque die, per mensem integrum 45. aut 50. grana pulveris subsequentis jusculo ex carne vitulina cum cichoreo ac agrimon. parato, admisti.

♃. Limat. ferr. rubigin. ℥ß. senn. mund. & rhabarb. elect. an. ʒii. jalapp. & aquil. alb. an. ʒi M. F. pulvis.

Pro

Pro potu ordinario adhibebit decoctum radic. buglossi, taraxaci, & fragariæ, addita vini rubri quarta parte.

Si somnus per se non accedat, circa decimam vespertinam assumet laudani opiati gr. j. Barbeyrac D. M. *Datum Monspelii Martii xxv. Ann.* 1692.

Aliud rursus in eodem argumento Responsum Medicum. Ex Gallico.

Ægre admodum fero quod non videam quid amici nostri valetudine restituenda fructuose adhibendum veniat; nam cum attendo ad ea omnia quae prudentissime administrata fuere pro præcavendo morbo, qui jam prorsus caput exeruit, non est quod cum Galeno non pronunciem spirationes quæ nonnisi erecta cervice ducuntur hydropem siccum faciunt per extinctionem scilicet ac destructionem caloris naturalis, à cujus privatione tandem ad habitum non datur regressus: Imo cum Hippocrate in Coacis. Hydrops curationi concedens & recidivans desperatus est. Idque præsertim quod hic partes œconomiæ naturali principaliter inservientes jam dejectæ ac fractæ sint per complicationes quas antea novi, quarumque in tuis docta ac brevis perhibetur historia. Interim tamen amor quo Ægrum prosequor cogit me aliquid adducere in ipsius solatium, aut saltem ut aliquatenus prolongari queat vita, tot oppugnationibus jam quasi prostrata; Ea propter ad te mitto descriptionem prisanæ, cujus effectus non semel votis meis responderunt, in ciendis præcipue urinis.

♃. Cinerum genistæ ℔. ß. senn. lectiss. ℥ij. summit. absinth. m. iß. Itent. infusa vase diligenter operto per biduum integrum in vini albi poculo, infusio servetur ad usum sequentem.

℞. Soldanell. m. j. (seu folior. vel radic. optime conquass.) infunde in alio dimidio poculo vini albi, etiam per integrum biduum. Postea misceantur hæ compositiones, per hippocratis manicam deinde colandæ, sumantur ℥iv. singulis diebus matutinis tribus ante cibum horis. victus ratione convenienti posthac observata. *Datum Vesuntii Aprilis 6. ann.* 1692. *Bouchard D. M.*

Aliud rursus in eodem argumento Responsum Medicum. Ex Gallico.

Accuratius describi non possunt affectiones D. ***. prementes, quam illud fit in historia Gratianopolim ad nos transmissa. Quod evaserit à tot morbis qui ipsum hactenus afflixerunt, debetur proculdubio peritiæ Medici ordinarii; quamvis enim sustinuerit mala omnium maxima, ea tamen semper eluctatus est, cum salutis nulla eluceret spes. Postquam scientiam atque solertiam sic probavit Medicus, non est sane quod alia adhibeantur remedia quam quæ ipsi omnino arriserint: Jam enim consumpsit quicquid solet in similibus consumi casibus. Ægre interim non feret si rursus quædam proponantur medicamenta quæ, si ipsi probata fuerint, usurpabit.

Potest adhiberi resina jalappæ cum mercurio dulci, scil. mercur. ad ℈i. & resina jalapp. ad gr. x. in conserva rosarum, pro dosi. Proficua itidem erit prisana è cineribus ligni chynorrhodon in aqua fontana, ut & cataplasma è cochleis terrestribus in sartagine excalfactum. Vinum minime prohiberi debet, quandoquidem ventriculo vires addit, ac propterea medicamenta è cineribus genistæ ac juniperi in vino parata apta sunt futura, si de iis bis de die cochlearia duo ebibat. Syrupus de Rhamno cathartico in remedio purgante composito ex tamarind. senn. rheo, manna, & electuario de succo rosarum, è re futurus est; verum eo tantum alternis utetur, adhibitis intermediis spatiis roborantibus medicamentis, quale fuerit Diascordium Fracastorii, aliaque; sanguis enim firmandus semper venit dum aliquid seri evacuatur. Ne nimium ebibat patiens, subinde sitis venit fallenda. Si scroti tumor multum augeatur, aquaque inibi reperiatur, punctio est adhibenda. Sobrie debet comedere, ac alimenta bonæ notæ. Potu utatur parco, sed in id adhibeat vinum, aqua enim minus est apta restaurandis fermentis naturalibus & sanguini. Verum quidem est quod temperamentum D. Ægri omnino videtur aliud exquirere, sed ex iis omnibus quos passus est morbis satis superque manifestum fit in ipso semper lympham crassiorem, salibusque fixioribus impraegnatam, cumulatam fuisse. *Datum Gratianopoli Maii 8. ann.* 1692. Chastelain D. M.

Omnia quæ præscripserat Clariss. Wepferus, aliique magni nominis Medici minimo cum fructu cum adhibita fuissent, tandem sub initium Junii aliquid levaminis habuit D. Æger ab usu opiatæ confectæ ex cortice Peruviano, viperina sive serpentaria Virginiana, floribus sal. armoniaci, aliisque volatilibus ac mistura bezoartica, rob juniperi suo sale fixo, oleo æthereo, spirituque ardente impræegnato, exceptis. Unde sic subsequentibus mensibus rursus ad Clariss. D. Wepfferum.

Antequam hasce claudam, superest paucis de Nob. D. **. Tecum agam, Vir Ampliss. Ille restitutus quasi videbatur, post assumpta remedia, tum qualia consulueras, tum etiam alia, quorum præcipuam vim semper fecerunt volatilia; sed abeunte æstate, cum iter in viciniam, me invito ac reluctante, haberet, febricitans redit, ac continuo totius tumor revocatus est, & ille hactenus omnibus remediis surdus fuit, eoque magis, quod jam medicamenta purgantia, extractum scilic. panchymagogum admisto mercurio dulci, aut aliud quid e validioribus, imo ne quidem semen ebili ipsi hactenus in tanto pretio habitum, ferre possit. Unice ab aliquot mensibus ipsi proficua est opiata concinnata ex cortice Peruviano, viperina Virginiana, cum volatilibus &c. illa enim semper alvum solvit, urinas ciet, & febrem, ex quo caput exerit, reprimit: verum timeo ne quamprimum istud præsidii genus etiam infructuosum evadat, ut de aliis omnibus evenit, quorum sane non minimam consumpsimus copiam, ita ut hic sit unde & æger & Medicus non parum defatigentur. Interim morbus augmento continuo est paratus, ni obviam illi eatur, & exoptat Nob. Pat. in sui solatium, tum sudores (quandoquidem tumor jam potius est leucophlegmaticus quàm asciticus, cum maximo to-

tius pruritu; urinæ minus rubræ, ac copiosiores, sitis moderata, febrisque satis parva) tum alia quæ Viro Amplisl. nobis indicare placuerit. *Datum Genevæ Ianuar. 12. ann. 1693.*

Responsum Medicum

Nobil. D. quod attinet non possum certum quid tradere, quia nescio quali febri cum leuco phlegmatia efficiatur: Si esset ex numero intermittentium, sive quartana simplex, sive duplex, quod ex morbi diuturnitate conjicio, hanc observare soleo methodum. Diebus quietis, mane hora sexta, & duabus horis ante cænam exhibeo nucis juglandis magnitudine de hoc electuario.

♃. Conserv. rosar. rubr. ℥ii. cons. flor. centaur. min. ℥i. pulver. cortic. Quinæ quinæ ℥i. sal. absinth. ʒi pulp. pom. citr. n. i. jubeoque ut ad minimum horis duabus à cibo & à potu abstineant, maneantque semper in loco temperato. Quoties jusculum comedunt semper addo cochleare unum de liquore aperitivo, pro quo.

℞. Sp. sal. armon. urin ʒi. sp. sal. dulc. ʒß sp. C. C. rectific. ℈i. sal. absinth. ℈ß. aq. gramin. ℥vii. M. Die paroxysmi, horam circiter ante Paroxysmum, do infusum febrifugum, postquam illos quinque horis ante insultum parce cibavi.

♃. Pulver. Quinæ quin. ℈ii. antimon. diaphor. cum triplo nitri detonati ℈i. sal. absinth. ℈ß. aq. cardui benedict. ℥ii. M Post sumptum febrifugum nihil comedant ad finem paroxysmi, nec bibant donec calor efferserit.

Ratione leucophlegmatiæ, die quietis mane hora quinta utatur scamno sudorifero; hac methodo. Scamnum calefiat batillis pruna ardente plenis. Scamno imponatur jacens, palea infarctus; tegatur linteo mundo: operculum cameratum tegatur culcitris. Anterius versus cervical appendantur lintea munda multiplicata, velut octodupla, ne calor exeat, aut caput nimis feriat. Cervicali imponatur pulvinus; ut sacco & pulvinari incumbere ceu lecto possit. Antequam scamno incumbat detur haustus decocti sudoriferi ad ℥v. vel vi. calide, quale lubuerit. E. g. unum addam.

♃. Rad. salsæparill. ℥iij. gramin. ℥j. incisa & contusa infundantur in aq. calid. ℔. iiij. horis 12. postea coquant. lento calore ad dimidias. Sub finem coctionis adde passular. major. exacinat. ℥ii. post ebullition. colentur & exprimantur. Dum scamno incumbit sæpe reficiatur julepo diaphoretico, pro quo.

℞. Aq. flor. acaciæ ℥v. antimon. diaphor. ʒß. syr. de rubo idæo ℥ß. M. Post elapsum tempus detergatur linteis calidis, & in lectum calidum reponatur, ac subinde cochleari uno vel altero julap. refocilletur. Prima vice non relinquatur ultra horam dimidiam super scamno. Hac ratione sine ulla virium prostratione sudorem movi: præstat tamen sudorem movere mane; nec, etiamsi vires constent, diu super scamno licet relinquere. Verum quid agendum sit præsens melius præstabis, quàm si in scribendo prolixior fuero. Vale Excell. D. cum tuis omnibus optime, faveque &c. *Scaphusii raptim die 25. Ianuar. 1693. Ioh. Iac. Wepfer. M. D. In sequentibus Clar. D. Wepfero hæc rursus significavi.*

Nob. D. quod attinet, febris qua detinetur est proprie de genere lentarum, sed quam tamen non parum reprimit opiata, seu electuarium nostrum, de quo suprà. Sudores tolerare nequit, quandoquidem sarcina leucophlegmatica in illo major fuit, quàm quæ facile & tuto hoc remedii genere dimoveri potuerit, hac præcipue tempestate, admodum importuna, qua impossibile est ab Ægro obtineamus ut in cubiculo calido clausus maneat. Gratias interim maximas tibi agimus, Vir Ampliss. pro prototypo scamni sudatorii ad nos trāsmisso, quod sane perquam commodum, etiam pro debilioribus mihi videtur; jam vero laconicum, ad formam prope illius quod apud Harthmannum describitur, confici curaveram: at hæc omnia in tempestatem oportuniorem remittemus; substituto tantum succedaneo, scilicet decoctionibus, ex china, sarsa, lign. lentiscin. &c. quibus utcunque attenuabitur humor in gelatinam undique concretus, paratiorque egressui per var vias sassibi aperiendo, fiet. Vereor tamen ne collabentibus in dies viribus, cumulatoque semper ulterius sero facile concrescibili, in toto corporis habitu, ipsisque etiam visceribus, quæ admodum infarcta se præbent, adventante vere Vir Probus, nihil aut parum proficientibus auxiliis, ad plures emigret. *Februar. 6. ann. 1693.*

Ad hæc sic respondebat Vir Ampliss. Februar. 7. ann. 1693.

Utinam Nob. D. vel per quadrantem horæ scamnum experiretur, si omnino per febrem lentam liceret. Certe gelatinam solveret.

Atque hactenus varia consilia pro Nob. D. pro tempore ascitico, mox leucophlegmatico, attulimus, jam superest ut aliquid de iis quæ ultimò evenere dicamus. Cum postremis vitæ mensibus, imo per annum integrum, nihil proprie levaminis, quam ab opiata supra descripta, ac à me ipsi parata, haberet, nec inde tamen sanus omnino evaderet. Vir alias præcedaneis suis ægritudinibus prorsus labefactatus, in consilium tandem adhibuit Medicum quendam Gallum, qui, me renuente, suasit pilulas lunares à Nob. D. Boile in sua Philosophia experimentali descriptas; inde autem enata est sitis inexplicabilis, inappetentia totalis, ac nigror linguæ quasi gangrænosus; brevique subsequuta est mors, quam proxime præcedebat sopor, maximaque abdominis tensio. *Mortuus est Martii 11. Ann. 1693*

Consilium Medicum pro Nobil. Matrona Bononiensi Ascitica.

Ex iis omnibus quæ à Viro Præclariss. D. Levizagno Medicinæ Doctore Celeberrimo, de Nob. Matronæ Bononiensis D. N. N. statu compendio perscribitur, satis superq; constat hydropem hic reperiri ascitem; nam flatus adjuncti, ut & tumor femorum ac tibiarum in spinam per lectuli quietem subinde devolutus, morbi ideam non variant, aut de tympanitide atq; anasarca tanquam complicatis, aliquid pronunciare cogunt, sunt siquidem ascitis comites propeperpetui, non minus quam urinæ rubicundiores, quales à Nob excernuntur Ægra. Si minus neglectus fuisset morbus in suis principiis, nec graviditatis opinio medelæ necessariæ per menses obstitisset, facili

cilius multo proculdubio præsidiis auscultasset. At confirmatus jam, labem visceribus imi ventris, per salia sero stagnanti combinata, inussit, unde multo rebellior, laboriosiorisque curæ fuerit. Interim omni nisu expugnandus venit, ut si possibile ulteriores non acquirat eundo vires. In hunc finem varia tentari debent auxilia, sero accumulato evacuando, obstructionibus reserandis, visceribus corroborandis, sanguinisque tono redintegrando, dicata itaq; præter purgantia paulo generosiora, ac Ægræ viribus magis accommodata, quorum selectus Medicis assidentibus merito relinquitur, omnino autor essem ut frequentius, scil. bis de die, uteretur oleo tartari purgante Sennerti, seu liquore terræ foliatæ tartari ad gtt. xxx. vel xl. in jusculis tenuioribus nasturtio aquatico & radice petroselini alteratis; imo, si febris non adsit, de qua ne verbulum quidem in morbi descriptione, consulerem singulis potus sui ordinarii haustibus paux illum admisceretur, sive salis volatilis succini vere urinosi, qualem hic conficimus, sive salis volatilis tartari, sive, horum defectu, salis volatilis bufonum, aut lumbricorum terrestrium. De asellorum pulvere opiatis appropriatis immiscendo, de medicamentis martialibus suo tempore exhibendis, de succis è beccabunga, nasturtio aquatico, lichene seu hepatica saxatili, ac plantagine, de decoctis ex rad. chinæ, ligno sassafr. &c. pro potu parandis, de clysteris ex urina terebinthina & nitro vitriolato impregnata, aliisque confectis, sæpius injiciendis, de topicis variis, imo de paracentesi in casu alias desperato per acum tubulatam peragenda, ut & de diæta, hic nihil addo, ne falcem in messem Celeberrimorum virorum lectissim. Matronæ medicinam facientium, quorumque nominibus assurgo, temerius immittere videar; sufficiat pauca hæc, mihi in similibus casibus probata, verbo indicasse. *Datum Genevæ Maii 4. ann. 1689. Manget. D. M.*

Observationes.

Colonus quidam hydrope diu laborans, cum nihil opis à medicis aliis sentiret, me consilii causa accersit, cui imperavi, cum non febricitaret, ut continuo allium comederet, quo factum est, ut multum aquositatis per urinam profuderit, atque ex insperato eo remedio sanus evasit: alii etiam plurimi ita curati sunt: possunt contundi allii capita viridia, succusque per pannum cum jure vervecis aut pulli colatus bibatur. Novi & alios hoc solutivo subinde exhibito, multum aquæ per intervalla per alvum reddidisse, & sanos factos esse.

℞. Fol. sen. ℥ß. sem. anis. ʒi. fol. Mezereon. ʒiß. rad. irid. virid. parum contus. ʒiiß. soldanell. ʒß. infund. per noctem in ℥ix. seri lactis. Facta ebullitione mane hujus fort. express.

℞. ℥vi. mell. rosat. colat. syr. de eupatorio an. ℥i. M. pro duabus dosibus. Ego cum video urinam supra modum tinctam esse, loco mezereon pono ℥iß. rhei opt. addendo spicæ ℈i. quo sæpe cum magna fœlicitate usus sum in nosocomio Delphensi. Elidæus præceptor meus hoc utebatur.

℞. Rhabarb. elect. pulv. ʒi. pulv. soldanell. ʒij. m. exhibeat unica vice cum decocto aut aqua convenienti. *Petrus Forestus obs. 27. lib. 19. de morbis hepatis.*

Cuidam hydrope laboranti inter reliqua pharmaca nullum magis juvabat, quam sequens medicamentum.

℞. Succi ireos ℥ß. aq. casei ʒiiß. mell. crud. ʒij. F. levis ebullitio, & coletur, in colat. dissolve spic. nard. ℈ß. cinnam. ℈i. diagrid. gr. iij. m. detur in aurora, ex eo semper habebat ad minus octo sedes valde aquosas. *Petrus Forestus obs. 30. lib. 19.*

Quidam hydropicus inflatus ventre, manibus, pedibusque & facie, à medicis destitutus, & tanquam desperatus, adiit littus marinum, & navicula per aliquot milliaria ascendit in altum maris: & provocato vomitu, post vomitum exercitio utens, sanitati restitutus est. *Idem Schol. ad obs. 32. lib. 19.*

Mirabilis est historia vetulæ mulieris ab hydrope curatæ, quæ talis est. Vetula quædam hydropica à Medicis destituta, ab altera vetula edocta capiebat ranas rubetas dictas, easque vivas in ollam novam conjiciebat, superinfuso oleo olivarum illisque sic decoct. eo oleo ventrem inungebat, deducendo manus versus inferiora à stomacho incipiens versus inguina, idque calide; & secundo die tumor descendit ad inferiora, ita ut mirum in modum intumuerunt pedes, sed quum prosequeretur inunctionem, tertio die penitus delituit tumor cum nulla sensibili evacuatione. Laudat Gradus, si in balneis arte paratis imponantur ranæ vivæ, mirabiliter enim ad se attrahunt aquositatem. Sed topica non administranda nisi præcesserint universales purgationes. *Idem Schol. ad obs. 35. lib. 19.*

Matronæ cuidam hydropicæ prius bene per pil. tres exiguas ex mezereo descriptionis Donati ab Altomari, repurgatæ, post aliquos fotus convenientes pro cruribus inflatis, sequens etiam cataplasma cruribus supra modum inflatis apposuimus.

℞. Rad. ebuli rec. m. vi. rad. bryon. ℔i. cortic. exterior. sambuc. m. iiij. fol. cucum. asinin. m. ij. caulium rub. M. vi. fol. malv. m. ij. fol. althææ m. iij. furfur. macr. m. v. flor. chamæm. m. iij. flor. melilot. m. ij. absinth. exsiccat. m. iij. decoq. in aq. fontan. q. s. pistentur, addendo unguent. Agrippæ ʒiij. farin. hord. ℔ß. F. cataplasma ut artis est; hoc cataplasmate crura involvebamus usque ad genu, quo multa aqua effluxit absque corrosione. Est egregium & pro arcano retinendum. *Petrus Forestus obs. 39. lib. 19.*

Vidi Venetiis religiosum quendam hydropicum ex ascite & tympanite, qui fuit curatus, adfuerunt mecum excellentissimi medici plurimi, scilicet, Papiensis, Eugubinus, Trincavella, & alii. Habebat is, ut dixi, asciten cum tympanite, & tabem cum febre hectica, oportebat tunc exsiccare & humectare, quare eramus in maxima discordia, ego volebam ut multum biberet, sed quæ aperirent, quia habebat plurimas obstructiones, præterea ut humectaretur, quia ad tabem pervenerat; ordinabam ergo syrupum acetosum cum omnibus quæ provocant urinam. Eugubinus nolebat quicquam esse bibendum & narrabat de quodam historiam, qui per sicca fuit curatus. Papiensis ut litem dirimeret, conclusit neque liberaliter, neque omnino nihil esse bibendum, res extrahebatur usque

usque ad noctem, deducebant nobiles unumquemque medicum ad suam cymbam, ibi tum Papiensis quod antea dissimulaverat, conversus ad magnificum quendam dixit, si vultis curare hunc Dominum, profecto non aliud erit faciendum quàm quod consuluit *Baptista Montanus. Io. Baptista Montanus. Cons.* 863.

In Hospitali ventre tumente & pedibus ægrotabat pauper, cui hoc vino medicato subvenimus.

℞. Rad. irid. ℥iß. cort. rad. sambuc. & ebul. ana ℥i. absynth. sicc. ʒij. fol. senn. ℥i. sem. carui ʒi. vini mens. i. coque leviter in duplici vase, bibat mane haustum aliquoties: multum & frequenter inde minxit, sensimque tumor ventris & pedum subsedit sanitatique restitutus est. *Felix Platerus obs. lib.* 3. *p.* 633.

Hydropico cuidam sartori propinavi succum ireos ut biberet ad ℥ij. addito melle, unde plurimum & sæpius minxit & dejecit, & postquam repetiisset bis vel ter detumuit venter, pedesque subsederunt, ipseque sanatus est. *Fœlix Platerus obs. lib.* 3. *pag.* 634.

Cum seni cuidam hydrope laboranti, pedes mire intumescerent, & vix spirare nisi erectus posset, scarificatio cruribus fuit adhibita, unde mensuræ aliquot seri, pedetentim effluxerunt, liberiusque spiritum duxit: sed rursus recrudescente malo, & repetita scarificatione, fluente aqua, semper melius habebat, donec gangræna in pedibus suborta (uti frequenter fieri solet) eum confecit. Felix Platerus. obs. lib. 3. pag. 649.

E pedibus in hydrope ascite tumentibus, sponte aquam è phlictænis, seu vesiculis illic natis, quæ disruptæ aquam profundebant, vel scarificatione facta, è plagis ad multas sæpe mensuras sensim effluxisse, aliquosque sic liberatos fuisse, licet in aliis, mortis imminentis sit indicium, multoties observavimus. Sed quod magis rarum, in quodam hydropico, ex scroto mire tumefacto, aquaque pleno, nulla apertura facta, supra mensuras tres vel quatuor sensim exstillasse vidimus, qui tamen minime mortem evasit, quod paracentesin in scroto ubi tutius fieret, plurimum profuturorum in illis, qui curari possunt, nobis ostendit. *Felix Platerus. obs. lib.* 3. *pag.* 650.

In Xenodochium Basiliense adducta fuit puella pauper annorum decem ascitica, ventre in immensum tumente, pedibus item inflatis, reliquo corpore penitus absumpta, summaque dyspnæa laborans, ita ut pene suffocaretur, prominebat illi umbilicus vesicæ instar pelliculæ, quam Chirurgus scalpello leviter discindens, me jubente, aperuit, unde magno impetu aqua prosiliit, quam cum sensim aliquot dies emitteremus, ipsaque statim ubi venter parum subsedisset, spiritum facile duceret, eamque tanquam bene habentem Chirurgus negligeret, factum ut aqua rursum se colligente, venter denuo intumuerit, vesicaque apparuerit, qua rursus dissecta, cum denuo aquæ effluxus pateret, & turunda immissa foramen ne coalesceret apertum retineretur, atque in dies aquæ aliquantum educeretur, tandem ventre in pristinam formam remeante, pedumque tumore evanescente, marcoreque corporis per cibum & potum emendato, ex Xeno in nosodochium translata, ibique aliquot septimanas, permanens, integre sana cum matre discessit. *Felix Platerus obs. lib.* 3. *pag.* 651.

Viro cuidam hydropico singulis quatuor diebus exhibui sequentem haustum, qui miraculose depellit hydropes.

℞. Aq. absinth. ℥v. extract. diacolocynthid. ℈ij. ad ignem dissolvantur, hæc potio multas aquositates, multos flatus, multos quoque alios vitioso- humores quavis vice sine dolore & molestia eduxit, ac mirum in modum profuit. *Martinus Rulandus curat.* 3. *cent.* 3.

Puerum quendam novem annorum (ut & alios multos hydropicos) sanavi per solam potiunculam hanc.

℞. Extract. esul. quantitatem nucis mosch. aq. ℥iij. m. facta simul ebullitione. Macerentur per noctem. Mane colatum bibit frigide, quo per alvum plurima pituitosa & aquosa excrementa expulit. Pro residuis aquositatibus propellendis exhibui die sequenti iterum eandem potionem, cujus operatio bona & multa contestim sanitatem integram reddidit. *Martinus Rulandus curat.* 63. *cent.* 3.

Mulier quædam ascitica à me optime & brevi curata est taliter.

℞. Seri lactis ℥v. extract. esul. ʒij. m. pro haustu, quem bibit mane, & tertio post die repetiit, & hoc sane omnes aquositates ex toto corpore exturbavit, adeo ut paucis elapsis diebus sanitatem iterum obtinuerit. Potus erat serum lactis, sed sitim, meo jussu, perferebat quantum potuit *Martinus Rulandus. cur.* 94. *cent.* 3.

Virum quendam hydropicum ita curavi.

℞. Aq. terr. sanct. ℥vi. F. potio, quam in lecto bene contectus bibit calide, ac sudor emanavit è toto corpore per tres horas, & post sudationem, egessit quoque multoties multas per alvum aquositates, & intra biduum annuente Deo, omnibus admirantibus, tumor abdominis, crurum & pedum, & reliqua omnia symptomata evanuerunt. Hæc aqua est optimum medicamentum hydroticum & hydragogon. Martinus Rulandus. cur. 88. cent. 3. Aqua terræ sanct. descriptio talis est.

℞. Boli orient. ʒviii. terr. sigill. ℥iij. aq. Levistic. ℔v. macerentur per dies novem in loco calido. Postea destill,

Quidam ex domesticis Nobilis viri Johan. Francisci de Martines, Domini de Bouriod Jean Vaschaut nomine, natione Sabaudus, septuagenarius, sed robustissimus, morbisque raro obnoxius, anno 1597. tertiana febre mirum in modum arefactus & extenuatus fuerat ita ut post menses sex ab eadem curatus in ascitem asciderit. Quocirca corpore prius purgato, ex consilio prædicti Domini Bouriod; singulis matutinis in aurora, unum vel alterum haustum propriæ urinæ ebibebat. Id cum spatio quatuor mensium continuasset, & interim hydragogis aliquoties purgatus fuisset, quin etiam optimam victus rationem observasset, tumor ventris & tibiarum paulatim subsidit, tandemq; plenissime convaluit, qui cum ad annum 1604. prospera valetudine usus fuisset, tandem mense Decembri ejusdem anni, propter catarrhum decumbentem, in phtisin incidens, extinctus fuit. *Guilhelm. Fabrit. Hildan. obs.* 51. *cent.* 3.

Cosmus Slotanus Chirurgus præstantissimus virum ascite laborantem curandum habuit, medicamenta permulta tum interna, tum externa, ei absque fructu adhibita fuerunt; tandem vero adeo copiose in scrotum delapsus est humor serosus, ut extincto calore nativo, secuta sit gangræna, adhibitis quæ ad gangrænæ curationem spectant, decidit scrotum, ita ut testiculi nudi conspicerentur. Hinc tantum effluxit humoris serosi, ut à morbo liberatus sit æger, & diu supervixerit sanus, atque liberos aliquot procrearit. Testes autem natura obduxerat callosa quadam substantia, quæ eos vice scroti obtegebat. & ab externis injuriis vindicabat. *Guil. Fabritius Hildanus observ.* 8. *cent.* 1.

In Urbe nostra juvenis quidam Hydrope laborans, sponte natura binis vomitibus excitatis, ingentem aquæ copiam evomuit, quo facto venter detumuit & Hydrope liberatus fuit. Avicenna in cura hydropis vomitum maxime laudat; qui tamen si copiosus sponte natura viribus imbecillioribus existentibus supervenerit, mortem accelerare consuevit, quemadmodum colligimus ex historia à Nicolo descripta. Meminit enim cujusdam hydropici, qui continuo evomens aquam, exstinctus est.

Piscator; cuidam læsio hepatis non esset insignis, tumore tamen ingenti venter intumesceret; ex assiduo labore soluta hydrops, & detumefactus venter, perfecteque sanatus, nullis Medicis adhibitis auxiliis. *Marcellus Donatus cap.* 21. *lib.* 4. *histor. medic. mirab.*

A fide digno medico mihi relatum est, canonicum quendam ex hydrope periculose decumbentem, à Medico suo petiisse, ut halecis esum sibi indulgeret, annuit medicus sed hac conditione, ne intra duarum horarum spatium, quicquam potulenti post esum halecis assumeret, & integrum halecem, si posset, assumeret, ægrotus paret. Quid fit? æger tandem ad urinæ emissionem stimulatus, tam largè ipsam profudit, ut per horæ ferè quadrantem nulla mictionis quies interveniret, ipsumque abdomen sensibiliter magis magisque subsidere deprehenderetur. *Daniel Sennertus pract. lib.* 3. *part.* 6. *sect.* 2. *cap.* 3.

Novi Comitissam de Falaix, quæ dum juvencula hydrope timeret, suasu cujusdam medici, abstinuit fere per solidum annum à potu, solidiore cibo & jusculis contenta: & evasit sana vivitque modo septuagenaria. Authores aliquot commendant bufones vivos utrinque renibus alligatos, solvere hydropem per lotium: Saltem vidi rusticum hydropicum sanatum alligata anguium senecta per ventrem & renes. Mercur. præcipit. curat omnem hydropem. Observavi si antimonium in liquorem vertatur, ac postmodum in pulverem, qui tantum per sudorem purget, haberi remedium, quod omnem hydropem modeste tollit, non frustra commendat fimos Paracelsus, cùm sint salia ciborum putridorum, quibus datum est resolvere materiam occasionalem hydropis. *Io. Helmontius tractat. cui titul. Ignotus Hydrops.*

Hydropica mulier cum nullis remediis levari potuisset, sola ptisana herbæ ceterach curata fuit; ejus autem ptisanæ valde coloratæ præ copia plantæ tres haustus mane quotidie sumebat; sic enim jecur, ubi sæpe fons & origo hydropis est corroboratum, & ad pristinam temperiem deductum fuit, adeo ut non aquosum amplius sed bonum sanguinem produxerit: alios epoto succo satureiæ curatos fuisse pro certo mihi relatum fuit. Veronicæ aqua mane epota ad ℥vi. per tres dies, ad hydropicos curandos valde etiam utilis est. *Petrus Borellus. obs.* 53. *cent.* 2.

Virgo sexagenaria per aliquod tempus ascite laborarat, cui medicus post medicamenta plurima & varia, cruri demum cauterium potentiale imposuit. Excitata ac decidente eschara, in dies serum copiosum, salsum, acre emanabat, tumor ventris & crurum totus desidebat, sicque brevi restituta ægra, quadriennium & ultra satis sanæ vitam suam protraxerat. *Helvvigii.*

Vidua quædam, pene septuagenaria, Noribergæ ascite & Tympanitide per plures annos graviter laborans, ac ob corporis molem, & deambulandi impotentiam, lecto plerumque affixa, demum ex consilio villicæ cujusdam amystidem muriæ seu brodii brassicæ conditæ calide in lecto decumbens biberat, atq; culcitris plumeis bene operta incalescens, per vices postmodum urinam copiosam reddiderat, tumor omnis inde paulatim evanuit, & biennium adhuc satis firma supervixit. *Helvvigii.*

Figulus quidam juvenis post febrem incidit in asciten, variisque utebatur remediis, sed frustra; ita ut tandem desperarit de curatione, præsertim interveniente dysenteria. Tumor post hanc non cessavit, sed erat maximus, urgebat dyspnæa. Jussi uti absinthio, & usus est decem dies succo absynth. & postea ex suasus Ducisse axungia canis in jusculis; & pedetentim remisit tumor. *CL. DD. Febr. p.* 11. *d. C. Chr. Winckleri.*

Novi puellam sexennem ascite aut verius Anasarca, præ tumido quidem ventre, sed & facie artubusque præ tumore translucidis, correptam, post biennium rediit affectus cum orthopnæa desperata: huic adhibui hydragoga, diuretica, & diaphoretica, tandem, ex alieno consilio cum per paucos dies urinam hirci bibisset, magno juvamine vidi Hydropem declinasse anno M. D. C. L. V. Hinc patet excreta quoque naturæ benignitate fæcunda esse, & Hircinam sale suo copioso simul ac urinam humanam serosos & excrementitios humor8s educere, quæ simpliciora interdum tutiora, quam quæ vel Indus vel Arabs corrupta & effœta mittit. *Salomonis Reiselii.*

Minabatur ascites zythopoeo Hafniensi extrema omnia: venter in immensam molem intumuerat, reliquum corpus inane & flaccidum, urina parcissima, & guttatim tantum erumpens, appetitus exsul, alvus nigra, noctes insomnes, facies Hippocratica, pulmones, quod malum cæteris accesserat, erosi; ex quibus non raro integræ sanguinis floridi libræ in subjectam pelvim rejiciebantur; ætas in præcipiti, & formidatus ille senibus annus sexagesimus tertius præ foribus. Evasit nihilominus Libitinam, & salvus hodieque per plateas obambulat, etiam nuptias secundas cogitans. Eam vero sanitatem ante omnia Deo immortali, deinde frequentibus lignorum exoticorum decoctis

refert acceptam. Postquàm enim viderem acria & acida, utcunque vias urinæ aperientia, hic non convenire ob debilissima pulmonum vasa, desiccantibus instituti, & fibras intestinorum roborantibus. Ante quidem jalappa cum gummi gotte frequenter propinata evacuavit mascule humores noxios, sed novis identidem per patulas vias succedentibus parum recreavit ægrum: ante martialia frequenter adhibita, lumbricorum pulvis in usum vocatus, tinctura salis tartari frequentata, sudores proliciti, morbo obstinate edurante: itaque persistendum monui in decocto guajaci, sassafras, lentisci, chinæ, fore enim ut hac via fontes liquoris hydropici exsiccarentur, & laxior intestinorum mesenteriique tunica fibras suas strictius colligeret, adeoque irruenti quotidie novo humori vitioso reluctaretur. Ne autem jam tum hærens in cavitate abdominis aqua perpetuò ibi hæreret, ex intervallo ad jalappam, ad balnea laconica deventum, quibus demum cessit pertinax malum, & reseratis iterum urinæ viis sanitas sperata reversa est, admonens, in certa desperatione certam quandoque spem, obediente ægro, superesse. *Olai Borrichii.*

Gregers Dorffiana vidua tumorem sedavit decocto cotulæ fœtidæ & raporum aridorum, quo in dies usa est.

Cotulam fœtidam commendat Tabernæmontanus in ictero inveterato; pollet enim vi calefaciendi & siccandi in gradu secundo, ac insuper desiccandi. Narravit mihi nobilis è Ducatu Nissensi puerum hydropicum unico decocto cotulæ sanatum. Experiri volui anno præterito in hydropica annosa, sed nullo emolumento. Interim tamen in junioribus, ubi viscera salva, vi discutiendi aliquid præstare non dubito. *Christiani Wincleri.*

Augustus Schaper figulus Hildesiensis ex fictilium per lithargyrium calida incrustatione factus, ut plerumque hoc hominum genus solet, cachecticus, in subitaneum incidit hydropem ut intra paucos dies toto corpore scroto præsertim & cruribus immane quantum intumesceret, curatur à me methodo ordinaria per aperientia, hydragoga, diuretica successive sine tamen successu exhibita, suadetur ipsi tandem a nescio quo superveniente scarificatio crurum, quam tamen ego, eventum in corpore extreme cachectico prævidens, omnibus modis dissuadeo, ille tamen quidvis potius quam nihil experiri cupiens illam acrius urget, & nisi permittatur se sibi ipsi cultro crura perfossurum minitatur. Hic ego facto prius de subsecuturo eventu prognostico chirurgum crura phlebotome leniter scarificare jubeo, unde intra duos dies in suppositas patellas omnis destillavit morbidus latex, & aquosus albo corpore languor paulatim ita decessit ut se omni periculo perfunctum integrè sanum existimaret, Breve fuit gaudium; cum enim ancilla ejus infantem recens natum ex incuria in terram præcipitem daret, ille terrore & iracundia subito percitus crura sibi statim inflammari sentit, quæ inflammatio tantum abfuit ut, quæsitissimis licet adhibitis remediis, sedari potuerit, ut potius in lethalem desineret sphacelum. Ita sæpe ubi morbi quærimus remedium mortis reperimus compendium. *D. Ioh. Henr. Brechtfeld.*

Vidua quædam 60. annorum hic loci sedem rerum ac fortunarum suarum habens, post varios in diæta commissos errores septem abhinc annis hydrope ascite corripiebatur: quo in dies ingravescente, accersitus medidicus nullo ad sanandum apposito remedio neglecto curationem tentabat: Sed quodvis incassum adhibebatur, neque medicamentorum virtute vires morbi frangere ejusque radices evellere licitum erat. Superfuit Paracentesis, cujus tamen administrationem omnimodè recusavit, nulliusque persuasionibus eò impelli potuit, ut dicto medio locum daret, quin potius mortem appetiit. Ast præter omnium opinionem morbus ad exoptatiorem longè eventum provectus est. Ægrota namque vi morbi ferè consumpta sensit aquam ex utriusque lateris hypochondriis, ubi pori cutis mirum in modum aperti conspiciebantur, promanare: Cui fluxui, quod mirum! natura quasi non nescia una vice hydropicorum aquam non educendam esse, præclusis poris moram interdum imperabat, quæ tamen aliis temporibus remotis obstaculis sponte solvebatur. Fluxu igitur hoc per intervalla aliquot menses durante, abdomineque sensim detumescente, ægrota morbi gravitate magisque levabatur, donec tandem aqua præternaturali ex corpore ejus ejecta integritatem pristinæ valetudinis recuperaret, qua etiam, dum hæc scribo, satis belle atque commode fruitur. *Ioh. Petri Albrechti.*

Fæmina Juvenis Mercatoris uxor, tenuis & procera, cum infantem suum lactaret, ad lac augendum interdiu & noctu cervisiam modo simplicem, modo lacteatam immodice ingerebat. Postquam hac mala victus ratione per sesquimensem usa fuerit, asciten, cujus initia minime adverterat brevi, immanem contraxit; quippe abdomen aqua intus fluctuante gravidum, valde intumescebat, ejusque moles cum è latere uno in alterum se devolveret, extra ilia & reliqui corporis oram concideret: interea membrorum omnium carnes valde absumebantur, ut non minus tabida simul, ac hydropica videretur.

Infante ablactato, & meliori victus ratione instituta ad medicinam se contulit, cepitque imprimis hydragoga leniora tum Cathartica tum diuretica, absque ullo tamen commodo; quin à purgatione omni semper deterius habuit; hanc postea curæ nostræ commissam, & pene deploratam methodo sequenti tractabam.

Cerevisiæ & liquoris cujusque potulenti (pharmacis exceptis) usu fere in totum interdicto medicamenta hæc præscribo.

℞. Fol. plantaginis, Beccabungæ, Aparines, ana M. iiij. simul contusis affunde aquam lumbricorum & Raphan. composit. ana ℥iij. f. expressio. cepit bis in die, viz hora viij. matut. & v. post mer. Medicamenti hujus usum diu continuabat, sed compositionem subinde variabat, mutatis modo

mutatis modò herbis, modò liquore iis contusis affundendo.

♃. Tinctur. salis tartari rubicundissimæ ℥iß. cepit gut. xx. hora somni & primo mane in cochlear ij. Julapii sequentis, superbibendo cochl. vii.

♃. Aq. flor. sambuci, saxifragiæ, an. ℥vi. aq. limacum, lumbricorum, raphan. composit. an. ℥ij. super abdomen gestabat emplastrum ex emplastro de minio, & oxycroceo. Enema sequens adhibebatur primo quotidie, postea diebus alternis aut tertiis.

♃. Urinæ hominis sani ℔j. terebinthinæ solut. cum vitell. ovi ℥iß. sacchar. ℥j. sal. prunel. ʒj. f. enema. Horum usu constanti, intra sesquimensem venter detumuit, sed carne in dies contabescente Phthisis metuebatur. Quare hujus præcavendæ gratiâ rus profecta, lac asininum bibebat, cujus nutrimenti, & auræ purioris beneficio, medicamina usque prædicta assumens, intra tres aut quatuor septimanas integrè convaluit. & etiamnum vivit, valetque. *Thom. Willis. Pharmaceut. rational. part. 2.*

Sudorificis suas laudes in sanando hydrope nequaquam denegandas esse, exemplum hoc ante paucos annos nobis observatum oppido confirmabit: Rusticus quidam isque pauperculus hydropico malo gravissimè & quasi desperatè laborabat, adeo ut nunquam non suffocatio hinc ingrueret; Is autem cùm unice hoc in desiderio haberet, ut vehementius duntaxat sudare liceret. exinde non incertum pollicendo levamen, fortè fortuna animadvertebat vicinum panibus pinsitandis occupatum, & propterea in hoc probè calefacto clibano se constitutum avidè exoptabat. Postquàm itaque negotium hoc furnarium tunc expediverat vicinus atque hinc discesserat, ille ex casa sua prorependo se totum furno illi tolerabiliter sed satis adhuc fervido cum vestibus immisit, capite duntaxat exserto & foramine clibani linteis bene munito, ne aëris frigus irruere & furnarium calorem tam cito dispellere posset. Indulgens per trihorium sudori effusissimo, ita ut animi deliquium hinc immineret, semimortuus quasi sed onere aquoso tamen liberatus fuit extractus, lectoque exutis vestimentis, quæ hydropica quasi & undiquaque madidissima facta erant, impositus, intra paucos dies cum prospera valetudine plenarie in gratiam rediit, & adhuc in vivis sine ullo vestigio hydropis existit. Ut itaque per sudorem confertim provocatum causa materialis hujus ærumnæ oppido sic sublata & infausta aqua hæc desiccata fuit, ita etiam suffitus ille confortativus, quem panes in furno cocti relinquant, hic sicco pede nullo prætereundus est modo, utpote qui apertis per sudorem poris ad interiora corporis libero possit se penetrare, spiritus vitales (cum quibus immediatum concoctum servant odores) egregie confortare, ac per consequens famelica membra reficere aut balsamico velut nutrimento suo præstabiliter recreare, hoc est vitam citò attingere, & in ea puritatem suavitatemque præpagare si potuit. Verissimum adeo est, quod Helmontius dicit, altiora esse suffituum præsidia, quàm ut hoc vulgo æstimari soleat: odoramentis enim plurimorum fiunt morborum sanationes, quod ex illis vires & robur masculum scaturiat: Et quamvis pauci fidem adhibeant Helmontio, aut intelligant ejus effatum, quo odorem esse fermenti symbolum & seminarium transmutationis causam continere illum statuit, tameu si penitus id consideremus, hoc verissimum & ex ipso naturæ sinu depromtum est. *Chrisi. Lang. in Animadvers. ad Joh. Petri Fabr. Patholog. Animatam.*

Hydrops Ascites cum Anasarcâ opii usu sanatus.

Olim pro generoso quodam valde cacochymo & doloribus nocturnis à lue venereâ, malè, aut minimè curatâ, oriundis miserrimè divexato consulebat. Multa præscripsi, sed incassum; quia medicamenta plurimum abhorrens, ferre nihil præter laudani dosin, semel tantùm aut bis in hebdomade pro sedandis doloribus ei concessam sumere voluit. Brevi hydropicus factus, ab ascite, simulque ab anasarcâ in tantum intumescebat, ut viz. à latere in latus, sine ministrantium auxilio, se devolvere potuerit. In hoc statu ad eum denuo accersitus, & præceptis medicis obstinatum reperiens, quod superessent, mortis non longè absuturæ, & pro certo expectandæ, propterea ut se, & res suas propter æternitatem componeret, prognosticon dedi. Ille, non multum turbatus, obnixe rogabat ut εὐθανασίας gratia laudanum nostrum, parcius ante permissum, ad libitum, aut saltem quoque vespere sumeret: hoc cum admonitione quâdam concedens discessi, ac uti putarem, supremum vale dixi. Postea pharmacum illud quotidie sumsit ille, & quotidie dosin auxit, ita ut brevi tempore quantitatem ejus vix credibilem absumsisset. Pharmaco hoc unico constanter usus indies melius habuit, ac intra mensis spatium in tantum convaluit, ut, tumore omni, & doloribus immunis factus, stomacho valeret, & foràs obambularet. Ab assiduo hujus opiatæ usu, sitis, antea multum urgens, cessabat, & quâque nocte in sudorem magnum dissolutus, insuper & urinam copiosam excernebat. *Thomas Willis, Pharmaceut. ration. part. 1.*

De Tanaceti pro Absinthio usurpati felici effectu.

Quam communico observationem hanc à singulari amico meo Jacobo Poirierio de la Ramee Ambœsiano Med. Doct. è Monte Pessulano Kal. Aug. Mdclxxx. àccepi: Miles quidam præsidiarius in arce Monspeliensi postquam per improbos Martis labores, & malesuadam famem in febrem lentam incidisset, hydrope tandem obsessus est, adeo ut æqualiculus sesquipede ampli exstaret, tumefactis una cruribus. Luridi vultus æger cum medicinam Rosseletii Medici ordinarii fastidiret, & militare stipendium sumtibus impar esse videret, ad absinthium, stomacho ejus gratum, tanquam ad certam salutis anchoram se conferre decrevit. Verum specie delusus pro absinthio obvium tanacetum arripuit, & radicitus evulsit; quo in aqua decocto ad mediæ partis consumtionem, cum cyathos duos exhausisset calide, sitim auspicato sedari

sensit, qua dirè torquebatur, fassus potione ista sibi nihil unquam obtigisse gratius. Horis tribus post copiose minxit. Sic dum pellebatur causa morbi, fugit venis & aquosus albo corpore languor. *D. Joh. Conr. Peyeri.*

De Hydropis desperati cura empirica

Paupercula Fabri lignarii uxor 36. circiter annorum ascitico-tympanitica, graviter anno superiore per totum semestre decubuit; precibus adeo publicis per 3. menses & ulterius Deo commendata. Medicinæ nil quidquam hausit; quidam enim vicinus meus ab initio consultus, maritum dimisit cum prognostico certissimi interitus, & ordinare pharmaca non sustinuit. Tandem me miser accedit; Caussatur se non habere domi, unde vel murem pascat, & Medicum se quærere gratiosum. (Talem fere quilibet desiderat, cum tamen ubi æger moritur, nihil obstante πινα merces à pastore ad vespillonem usque strenue exigatur.) Consideratis probe circumstantiis omnibus, cum & ipse pro desperata haberem, è Rulandi curationibus empiricis, haut equidem temere sic dictis, extractum esulæ in sero lactis caprini solutum pro evacuatione; hinc decoctum baccarum juniperi, ex eodem sero pro potu ordinario impero. Annuit maritus cum domi haberet capram, alioqui & hos sumtus forte declinaturus: Vix binæ præterfluunt septimanæ, cum in templo preces pro hac fundi desinunt; Mortuam arbitrabar, sed cum contrarium experirer, hominem accerso, & nunquid aliud, præter meum præscriptum, usurpasset, studiose vestigo; ille ne hilum se meis addidisse pejerat. Ergo tunc ventris promontorium detumuit, ægra hodienum incolumi. *D. Rosini Lentii* 1.

Hydrops marasmo finitus.

Non posse consistere contraria simul in uno eodemque subjecto, vulgata quidem est parœmia; ast in humano corpore non raro videas affectus oppositos ac adversantes sibi conjungi, quod inæqualiter dispensentur humores vitales, à natura sua deflectentes. Phthisi conjungitur sæpenumero tumor pedum hydropicus; hydropi tabes, superioribus partibus arescentibus, inferioribus tumefactis. Ita fiscum lieni comparabat Imperator, quo tumefacto, partes reliquæ exareant. Ast hydropem finiri marasmo rarum est, nec nisi letho obsignandum, non enim ab uno extremo ad alterum citra summum periculum tendit natura. Vir xl. annorum juris consultissimus, scorbuticus, ventriculi debilissimi, ut ad paucissima v. g. vi. vii. grana pulveris gialapæ fortiter purgaretur, ante triennium prævia cachexia scorbutica, & ulcere cumprimis circa brachii sinistri articulum dolorifico, molesto & mali moris, incidebat in hydropem ascitem, tumentibus pedibus scroto & abdomine: illis tandem multum ichorem stillantibus, cum ob viscerum infirmitatem remedia generosa minus voto proficerent, à vetula empirica purgans ex laureola, inscio medico, assumit. Inde passus hypercatharsin, & noto ventriculi penitus dejecto, sedibus utcunque adstrictis, brevi post vomere cœpit cibos & aquosa. Mirum dictu! per sex integras hebdomadas vomitus quotidie repetebat, semel, bis ter, frustra adhibitis theriacalibus, anodynis, emplastris, balsamis, roborantibus & quæ iis in casibus ex arte fieri addecet. Inde sanari cœpit ulcus hactenus tam rebelle in brachio, detumere scrotum, pedes & abdomen decrescere, imo tandem omnes partes arescere tabe, marasmo consumi, donec exhaustis viribus corporis cum humoribus aquosis, rara μεθάστασει fatis cederet. *D. Georg. Wolfgang. Wedel.* 2.

D. Mich. Bernhardi Valentini hydrops ex crebra Venæsectione.

Foemina quædam Giessensis non infimæ sortis, habitusque adeo corpulenti, ut per multos annos in publicum prodire nequiverit, ob molestam respirandi difficultatem, quæ hominibus illis pinguedine tanta suffarcinatis (sua de causa communis esse solet, sanguinis missione subinde, pro more vulgi ventilationem quærebat, sperans insimul fore, ut insignis illa & ei molesta corporis moles eo ipso quoque vel imminuatur vel saltem in augmento suo præpediatur. Crebro igitur venam sibi tundi curabat, præsente primum Medico Ordinario D. M. H. Cum vero hic, ut Virum conscientiosum decet, sanguinis quantitatem extrahendam non libris sed unciis metiretur, tandem solum Balneatorem, idque clanculum, sæpe vocare solebat, qui in mittendo sanguine non ita parcus & meticulosus, constitutionique suæ magis consulere visus, plurimum una vice cruoris continuo profundebat, cui ipsa Mulier (ex Domesticorum relatione) his subinde verbis animum addere non dubitavit *So recht, so recht, Meister* Melchior, *last es nur braff lauffen, jetzt sind vvir fein allein, vvas sollen doch die* Doctors! Ast ah! quam funesta catastrophe! Vix enim aliquot annis hæc scena ludebatur, & exhaustis spiritibus tam crassam molem & insanam substructionem hactenus ægre sustinentibus lethalis hydrops accedens, non tantum Tragœdiæ hujus, sed ipsius quoque vitæ Epilogum egit. Et similem quoque eventum observavi olim in Viro quondam integerrimo D. Hieronymo Grebenero, Redituum Principalium præfecto, qui eodem nimiæ corpulentiæ onere pressus, adhibitis pariter crebrioribus justo Venæ sect. in periculosum hydropem se iterato præcipitem dedit, quo & tandem penitus sublatus est. Quicunque propterea vitam suam in pretio habent, neque fata sibi suisque ægris ante diem accersere volunt, cane pejus & angue fugiant crebram nimis venæsectionem, quæ Parcarum instar, si quam maxime blandiri videtur, filum rescindere solet, prout fuse id demonstrat Helmontius, Grembsius, Holterhofius & alii, qui de Vita longa & sana commentati sunt. *D. Michael. Bernhard. Valentini.*

Ascites Cerevisiæ potu sanatus

Negari non potest ipsam sæpe Naturam in remedium poscere, quæ sentit profutura; adeo si Naturæ impetum Medicus novit, non temere obluctari debet, ut qui ejus se profitetur ministrum. At sæpe tam absurda & in speciem peregrina

regrina peti videas, ut indulgere religio sit. Habent hoc morbi desperati, ut conjectis in δυσθανασίαν sensibus alienissima quæque ab ægris sollicitentur non temere concedenda; in nonnullis etiam Phantasia laborat, & duntaxat pro mobilis versatilisq; appetitus ingenio petuntur, quæ vel ipsi postea rejiciunt ægri oblata, aut concessa nocent; Verum etiam ab aliquibus certo & querulo appetitu ad ea properari videas, quæ, etsi nocitura initio videntur, tamen, quod ab importuno Naturæ sibi consulentis stimulo proficiscantur, in illo experimentorum lusu concedi cum judicio debent. Docuit id nos multiplex observatio, & ostendit à Medicis negata, pertinaci laborantium appetitui indulta ab aliis, & ægrorum querimonias & morbi vim compescuisse. Referre pudet, quoties Vinum à Medicis severe prohibitum in Ardentibus, ægros jamjam conclamatos & de appetitu perinde ac febre querulos, ab Orci faucibus, si ita lubet, revocaverit; plane autem singulare erat, quod Virgini mihi consanguineæ accidit. Laborabat hæc omnium Medicorum judicio ex Ascite confirmato, cui, quod jam inde à teneris valetudinaria fuisset & cum Asthmate scorbutico semper & usque conflictata, nulla admodum remedia profuere; relinquitur ergo prognostico, & mortis beneficium patienter exspectat. Interea ad sprocurandam ἴκσασιν

Cardiaca multis elogiis commendantur, quæ illa plane aversabatur. Inter alia vetabant Medici Cerevisiæ usum, quod illa aquas augere ventriculumq; nimium debilem labefactare videretur. Sed hæc nihil morata ægra nostra impendio quærebat, quo sitim intolerabilem leniret. Poscebat ergo identidem Cerevisiæ haustus, quæ cum non sufficeret, ut solet per varia ambulare ægrotantium libido, ad novum & periculosum Zythi genus, quod in Batavia Bottel Bier vocant, incredibili appetitu fertur. Negant Amici se parere roganti posse, quod cerevisia illa spumosa esset atque flatulenta; illa tamen instat & vetitam potionem maxima obstinatione poscit, etiam, ni protinus adsit, mori satius putat. Quæritur ergo novum liquoris genus, &, ne in conclamatam inofficiosi videantur, conceditur. Illa se largo spumantis Cerevisiæ flumine beat, neque mora, quin statim animi deliquia & pulsus difformis mortis periculum portenderent; sed pauxillum intererat temporis, cum effuso vomitu alviquæ fluxu enormi ad fermentationem spumantis Zythi animam agere videretur; itaque supremum illum esse Naturæ conatum omnes credidere, sed opportune accidit, ut facta seri evacuatione aqualiculus nimium quantum tensus subsideret mortique, cui jam Medicis & omnibus adjudicata, delinitis omnibus symptomatis eriperetur, eventu sane rarissimo, & quem vel in naturæ aut Fortunæ, si qua est, potestate fuisse unice credas. Decem nunc anni sunt, ex quo hoc morbo laboravit nunc quadragenaria, sed anniversariis morbis periculisque exposita. *Joh. Nicol. Pechlinus in Observation. Physico. Medicis.*

Anatomicæ Inspectiones.

In Ascitico quôdam, ultra decim menses, institutam vidi paracentesin Lutetiæ Parisiorum in Nosodochio l'Hotel Dieu vocato, ab illius Chirurgo jurato, *Monsieur Petit*, sequenti modo & successu, facta in umbillicum incisione, & immisso canali ferreo, binis transversis digitis longo, aquam extraxit prima vice ad libram unam, canaliculum immisso epistomio ante claudit; Ita primò die bis, altera ter, aqua in convenienti copia detracta; Nocte quæ tertium præcessit diem, de ingentibus intestinorum doloribus conquestus, & inquietus dormiens, recluso epistomio sibi ipsi aquam educere cœpit, quod cum rite loco suo reponere nequiret, fluxit aqua ad auroram usque & adventum Chirurgi: unde pessime se habuit, & unius vel alterius horæ interjecta mora vitam cum morte commutavit, juxta Hippocr. sect. 6. aphor. 27.

Apertum ejus cadaver talia exhibuit: Abdomen ante sectionem ita erat tumidum ac distentum ac sine ne gutta humoris emissa fuisset, quo incisione recta aperto, serosus humor subflavi coloris in magna quantitate effluxit, hac educta, & sectione ulterius continuata, inter peritonæum & musculos abdominis aqua apparebat nulla: peritonæum autem infra umbilicum conspiciebatur valde inflammatum ac rubescens, supra vero, & circa situm hepatis, quasi gangrænosum, mucosa quadam viscidaque materia alba circumcirca obductum, cui insuper sanguis nigricans in grumos concretus adhæsit: Intestina inflammatione ingenti quasi erysipelate erant correpta (unde forte isti cruciatus de quibus conquerebatur] similemque materiam mucosam adjunctam habebant: Hepar genuino præditum colore ac duritie, nec nisi circa vesicam felleam albicantius conspiciebatur: Lien à statu naturali non recesserat, nisi quod vicinam habuerat vesicam aqua plenam, quamvis tunc ruptam: Pulmones boni erant & naturales: vesica urinaria admodum parva, contracta, omnique urina destituta. *Carolus Rayger. Observat. 3. Miscellan. curios. annor. 4.*

Nicolaus Sueiger, adolescens xvi. annorum, Basileæ probis natus parentibus, sed paupercculis, atque adeo viliori à teneris victui & laboribus assuetus, timidus, ac eo temperamento quod veteres sanguineo-pituitosum appellarent, præditus, spiritum à puero difficiliorem trahebat, præsertim cursu exercitatus. Igitur anno ætatis xv. ingravescente spiritus difficultate inguinum dolorem sentit, tensivum pungentemque, incessu exasperatum; Una & altera septimana post sequutus abdominis tumor, initio parvus & neglectus, in dies vero altius assurgens: Scrotum etiam ipsum jam intumescere, imo & femora, quoque & pedes: quorum tumor cuti concolor impressa digitorum vestigia aliquandiu servarat: In summo quinetiam femore, prope scrotum, serum ex ipsis cutis poris largiter stillare: Successu temporis brachium itidem sinistrum intumescere visum est, iterumque

ſponte detumeſcere abſque manifeſta evacuatione: Venæ abdominis cutaneæ ac epigaſtricæ, plurimo ſanguine diſtentæ perpetuo turgebant, jamque inſignes & valde conſpicuæ evadebant: Umbilicus antea reconditus, nunc ad tranſverſi altitudinem pollicis extruſus prominere ac pellucere: Denique ultimo menſe aqua ex ſcroto, factis ſuapte cuniculis, effluere, ſed nihil imminuto hinc ventris tumore. Qui tantus quadrimeſtri ſpatio evaſerat, ut præ immani ejus diſtentione æger nihil magis quàm diſruptionem metuerit. Toto morbi decurſu pulſus debilis & parvus erat, tremulus aliquando, ultimiſque duobus menſibus intermittens, uſque ad extremum plane myurus & formicans. Reſpiratio ſemper difficillima, cum maxima pectoris anxietate & inani tuſſi, negotii plurimum uſque faceſſebat; Appetitus fere dejectus erat, lotium nunc parcius, nunc reddebatur copioſius, flaveſcens turbidum quandoque cum multo ſedimento, aliquando lixivii inſtar filtrati pellucidum: Mingebat autem plerumque cum dolore & moleſtia, nam genitale membrum ſimul tumebat, ac ſtringente frænulo intorquebatur: Senſuum omnium, & mentis etiam functiones, ad vitæ finem uſque illibatæ manſerunt, moveri tamen corpus, propter immenſum ſarcinæ pondus, difficulter potuit, inceſſu jam inde à tribus menſibus plane abolito: Pleraque medicamenta incaſſum adhibebantur: Topicis autem imminens ſcroto & inguinibus gangræna ſummota fuit, tandem vero tot tantiſque miſeriis fractus victuſque adoleſcens, die 14. Maii 1674. expiravit.

Noctu cadaver ab Excellentiſſ. Henrico Glaſero, Anatomes tunc Profeſſore, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις diſſecabatur, me præſente & auxiliatrices ſubinde manus præbente. Detracta primum abdominis cute, ſerum hanc inter & muſculos obſervabatur, potiſſimum autem verſus lumbos, ubi & frequentes aderant hydatides, ſeu membranacei aqua ſcatentes folliculi: Serum etiam inter pubis cutem & muſculorum abdominis tendines, necnon inter ſcrotum & propria teſtium involucra ſtagnabat: alicubi crebris membranulis interceptum, inque ſubſtantiam gelatinæ haud abſimilem ſic quodammodo denſatum: Intra elitroidem tunicaſque nihil ejus inventum: Muſculi abdominis à peritonæo facile ſeparabantur, intercurrentibus aquis. Jam patefacto abdomine, maxima ſeri vis tanquam è fonte prorupit, quo non menſuræ duntaxat aliquot, ſed etiamnum integra amphora impleta: urinam colore referebat, quamvis deguſtatum neque tam acre, neque ſalſum ſentiretur: Exhauſtis aquis, infimi ventris viſcera, præter omnem expectationem, haud multum corrupta vel vitiata deprehendimus, epiploon equidem labem, ſed fere unice contraxerat: nam & omni ſpoliatum pinguedine ac inſuper putridum erat, verſus dorſum præcipue atque ventriculum: Peritonæi quoque interna ſuperficies aſperiuſcula, poroſa tamen, creberrimiſque ſanguineis vaſis diſtincta & rubens apparuit: Hepar foriſecus atrorubicundum, intus ex pallido flaveſcebat, abſque ſcirrhis tamen aliove vitio: Lien & renes aliquantum flaccidi, cætera ſani ac illæſi: Ventriculus & inteſtina cum pancreate, omnium calculo integra ac illibata judicabantur, excepto meſenterio, cujus glandulæ alicubi putrefactæ in atherom levi digitorum attritu convertebantur: Thoraci potiſſimum inerat lerna malorum: Amoto enim ſterno, pulmo dextri lateris pertinaciter & pleuræ, & diaphragmati, & pericardio adhæſit, ut inde nec manibus avelli, nec integre cultro ſeparari potuerit: In ſiniſtro latere liber à pleura erat, ſed pericardio tamen ac ſepto tranſverſo affixus: Hunc inundavit aqua ſubcruenta in ſiniſtro thoracis cavo, ad uncias octo ſtagnans, nullum in pulmonibus pus, ſed crebri cruoris grumi, in ipſorum vaſis contenti: Pericardium valde craſſum penituſque carnoſum apparuit, extrinſecus diaphragmati, uti ſolet, ſed & pulmonibus inſueto nexu, adnatum; intrinſecus autem ſuperficiei cordis undique adeo arcte adaptatum adglutinatumve, ut multo demum negotio inde avelli ſepararique potuerit: Spatium itaque nullum inter pericardium & cor inde relinquebatur, in quo ſeſe hoc libere motitaret: Cor ipſum pallidum & flaccidum, multoque cruore diſtentum erat, & polypo gemino, quorum major ſiniſtrum, minor dextrum ventriculum occupavit: Subſtantia utrique compacta, alba, inque filamenta ductilis; pedes, ſive proceſſus eorum, ſed tam in aortam quàm in venam cavam & pulmonum vaſa extendebant: Carunculæ denique & columnæ, quibus thalami cordis, & auriculæ intrinſecus cancellatæ ac veluti fornicatæ alias eſſe ſolent, hic ferè penitus detritæ atque obliteratæ evanuerant, ut nonniſi pauca earum veſtigia ſupereſſent. A cerebri examine nos temporis anguſtia excluſit, in quo tamen parum aut nihil adfuiſſe labis, conſtans ſenſuum & rationis integritas fidem facit. *Joannes Conradus Peyer methodi hiſtoriar. Anatomic. Medic. cap. 6.*

Non poſſum ſilentio involvere inſignem illam ab Olao Borrichio, in Actor. Medic. Hafnienſium Thom. Bartholin. Tom. I. obſervat. 89. traditam de Valentino Boccatio, centurione triplici hydrope confecto, cujus pericardium ita ampliatum diſtentumque fuit, ut tres libras, & quod ſuperat, acris turbidique liquoris, ſinu ſuo complecteretur: Ipſum autem cor non modo membrana propria ſpoliatum, acrimonia humoris eam abſumente, ſed & ita profunde exeſum, ut exterior ipſius ſubſtantia in lacinias & villos carneos putreſcentes abierit, reliqua interiore contracta, flaccida & marceſcente.

Quam quidem hiſtoriam ideo etiam adducere placuit, quoniam illi haud abſimilem anno 1673. Baſileæ in adoleſcente phthiſico hydropico, cui nomen erat Niolaus Sotler, ab Henrico Glaſero b. m. diſſecto, Pericardium illi triplo, imo quadruplo craſſius quam pro naturæ norma, & aqua farctum, loturæ carnium ſimili, cor autem permagnum & inæquali ſuperficie horridum: nam carnei velut lemniſci plurimi illud externe jungebant, in aqua pericardii natitantes, & branchias piſcium

cium quodammodo mentientes, quin & rubicundi erant, & à basi latiuscula in acutum apicem fastigiati, serie multiplici: Propriam cordis tunicam alicubi quidem corrosam, soluta fibrarum compage vidimus, sed alibi caruncula istæ, tanquam excrescentiæ, integræ superficiei adnatæ hærebant, aliquando semiunciam altæ, totumque adeo cor fungi speciem exprimens visum est, quem cavernosum appellant, mentis multorum, etiam principum expertum. *Idem ibidem.*

Obliterationem eminentium intrinsecus in cordis ventriculis columnarum & monticulorum carneorum, superstitibus duntaxat paucis vestigiis, adeo ut penitus ferme evanuerint, in quodam phthisico, sed ad hydropem vergente, antehac etiam observavi: Cui cor adeo fuit extenuatum, ut sinister ejus thalamus vix mediocre corium, dexter vero simplicem tunicam parietum crassitie æquaret. *Idem ibidem.*

Anno 1591. secui fœminam octogenariam hydropicam: Huic mirum in modum turgebat abdomen. Existimabantque è vulgo non pauci eam fascino laborasse: Simulac cutis separata esset, copiosa serosa materia in latere dextro emanavit, quæ præ nimia copia à natura eo deposita fuerat: Pertusis abdominis musculis protinus copiosa erupsit aqua, quæ universum repleerat abdominis spatium: Quin & in thorace omnia vitalia viscera aquosæ materiæ largiter innatabant, ablata quoque calvaria ventriculi aqua repleti erant, affatimque cerebrum aquam profundebat. Peritonæum huic cum omento prorsus absumptum cernere erat, nam simulac musculi abdominis dissecti erant, cernere erat in inferva abdominis capacitate copiosa filamenta nervea, eodem fere modo uti in ventriculis cordis, ast copiosiora, hæc erant, & hinc inde vesiculas fecerant, quibus pertusis aqua effluebat: hæc corpora nil nisi reliquias peritonæi & omenti notabant: Omnia hinc fere viscera non naturali erant statu, vesica reperiebatur nusquam: Intestina omnia in unum conglomerata & veluti in globum acta, qui globus exterius undiquaque peculiari eaque satis crassa cingebatur membrana, uti videbatur ex excrementis aquosæ substantiæ nata: Jecur solito multo durius, nihil tamen lapidei intus continebat, nec ei color naturalis, ast albidus seu pallidus: Lien durus admodum, & solito multo major ponderosusque figuram mutarat suam, dum & in longitudine & latitudine accreverat. Renes solito multo flaccidiores, tum & versus dorsi vertebres retracti: In cordis dextro ventriculo substantiam quandam pituitosam viscidamque reperi, vitellum ovi colore & substantia referentem, ex pituita lenta & viscida ibi concretam: Aqua quæ effluxit vix duabus urnis capi poterat *P. Pauvius Obser. Anat.* 5.

Filius parci Typographi adolescens, ascíticus factus est. Cùm mortuum aperirem; Præter reliqua, hepatis, lienis, renumque vitia, asciticis consueta, etiam in medio cordis dissecto, os tribus articulis constans, cavumque & arenosa quadam materia repletum inveni. *Felix Platerus observation. lib.* 3. *pag.* 636.

Fœmina quædam cùm impregnationis suspicione intumesceret. spe delusa in hydropem incidit, quo etiam juvencula adhuc laboravit, variis interea symptomatis exagitata, post triennii decubitum vitam finivit.

Suscepta sectione, apparuerunt sequentia notatu digna. 1. Exhausta colluvie aquarum, denudata fuere intestina & viscera infimi ventris omnia, exceptis renibus testibusque, sevaceo adipe, steatomatis instar incrustata, ut visum effugerent: 2. Ex adipis crassitie intestinorum cavitates, angiportus in morem coarctatæ erant. 3. Stomachus cataphracta eadem vestitus se coarctare nequit. 4. Hepar diaphragmati mediante sevo illo arctè adhærebat: parenchyma exangue, semiputridum, contractum ac subnigrum apparebat. 5. Thorax apertus, omni aqua destitutus erat: Pulmones verò undique costis ac diaphragmati adnati, & per superficiem externam grandinibus albis atque sevaceis, tanquam margaritis, consiti, plus tamen hic sanguinis quàm in jecore aut liene inventum. 6. Cor pericardio planè denudatum, quod & semel Columbo observatum. Dextra auricula, circa venæ arteriosæ orificium, aneurismatis modo ultra juglandis magnitudinem erat, distenta: Sinister thalamus durior, crassior tumentiorque sanguinem grumosum, subnigrum ac paucum continebat, secus quàm in dextro, qui adhuc purpureus erat: frustulum quoque adiposum, subluteum, molle ac lentum in duos ramos, tanquam digitos longiusculos abiens, inque truncorum cavitatem se insinuans, ipsis arteriæ venosæ aortæque ostiis arctè adhærebat, eaque occludendo sanguinis affluxum vel omnino impediverat vel plurimum retardaverat, hinc 7. Arteriæ grumefactum eumque paucissimum sanguinem continebant. 8. Venæ succo pleniores, præcipuè vena arteriosa & arteria venosa: venæ etiam cordis coronariæ ac superficiariæ sanguine adhuc turgebant. *Th. Bartholinus cent.* 4. *histor.* 20.

Nepos Georgii Illustrissim. Hassiæ Principis hydrope anno 1655. vix annum natus decessit. In examine viscerum Cl. Horstius sequentia notavit. 1. Cutis circa regionem ventriculi, umbilici & inguinum, maculis atropurpureis, instar ecchymomatum picta erat. Ex abdomine, per sectionem umbilici leniter factam, humores serosi, biliosi, Curescentes & fœtidi, instar aquæ per canaliculum ductæ ad libras Medic. xx. prosiliebant: Quibus subductis, & aperto abdomine, omentum penitus putrefactum notabatur: Intestina cum ventriculo aliquo modo inflata: Pancreas vero ita consumptum, ut ejus nullum fere vestigium animadvertere liceret: Venæ mesaraicæ glutinosa materia refertæ. Lien monstrosus tribus appendicibus instructus, sinistroque reni arctissime annatus, ut sine sectione digitis avelli non posset: Renes ipsi satis grandes: Hepar sanguineo colore coruscabat: Pericardium ejusdem coloris & fœtoris aqua distentum erat, cui cor innatabat; ipsum cor plane exsuccum & ne guttulam quidem sanguinis intra se continebat, quod in aliis etiam visceribus observabatur: nusquam

enim sanguis notari poterat, etiam in venæ cavæ & arteriæ magnæ incisione, sed tantum aqua loturæ carnium non absimilis: Pulmones flaccidi & ex una parte purulenti. *Bartholinus cent. 3. observ.* 81.

Illustriss. Princeps Fridericus Tertius, Elector Palatinus ad Rhenum, quamvis obeso admodum corpore, vergenteque esset ætate, puta sexagenario major, rarissime tamen ægrotabat, præterquam bis aut ter in anno ex catarrho tenui ad pectus fluente, & orthopnœam cum suffocationis periculo, ad breve tempus generante, quod post pauculos dies cessabat: Nonnunquam & cordis palpitatione vexabatur, rarius tamen, & quum contemnebat, utpote vetus vitium nec adeo molestum: Tandem 5. Octobris 1576. à venatione reversus domum, asthmate suo corripiebatur, & hæmorrhoidum fluxu, ichore quodam instar loturæ carnis recens mactatæ succedente: 8. ejusdem, utrumque crus ab œdemate invadebatur, tenso & subduro, quod ad femora ascendebat: accedebat, & tumor planus asseris instar, durus in imo ventre, inter umbilicum & pubem, cum pulsu inæquali, inordinato & intermittente, tumescebat sensim totum abdomen: 12. die ex male feriatorum quorundam consilio, acidulam Birckfeldianam, ut hydropem pelleret, Princeps senex, autumno jam adulto, tempestate frigida, morboque rigido gravatus aquæ frigidæ minime assuetus, sed vinis generosissimis, moderato tamen semper, nunquam ad ebrietatem utens: acidulam, inquam, & quidem in otio, domi quietus, modiceque tantum cum largissime illam adjunctoque exercitio, quo citius in venas & per corpus distribuatur, perque urinas & sudores evacuetur, ingurgitari moris & necesse sit) bibere occœpit, & ad 20. usque mensis diem continuabat: Quam cum nec sudores, nec urinas, nec alvum ciere videret, puta propter dosim nimis modicam, & quidem in otio cubiculari, idcirco à 20. per dies aliquot, affatim largiterque illam hauriebat, persuasus ab illis aquæ potoribus hac via rem felicius successuram, adeoque erysipelati profuturam, quod cruri dextro 20. mensis acciderat ac exulcerari cœperat, verum longe aliter accidit; Nam 24. die ab hora 2. pomeridiana ad 5. vespertinam, Principem frigus horridum occupabat, calore febrili subsequente, qui in sudorem noctu solvebatur, cum summa virium prostratione: cum qua febri postridie pedis crurisque erysipelas vehementer accrevit in noctem, totoque 25 die Sopore detinebatur: 26. Continuabat in Electore Sopor & somnolentia, ut eodem illo vesperi, paulo ante 4. horam, ex hac vita placidissime, dormienti similis, sed tamen ad interrogata annuens, decederet, anno ætatis 62. Notandum quod per totum hunc annum dum filius ejus Dux Joh. Casimirus in Gallia belligeraretur, per varios de rebus Gallicis rumores; Paternus animus infinitis curis; molestiis & anxietatibus excruciatus fuerit.

Postridie obitus, dissecto ad exenterationem cadavere, abdominis cavitas aqua plena; Intestina flatu turgida apparent: Interior ventriculi tunica, circa stomachum, versus dorsum subnigricans. Hepar, Lien, Renes, nil mali habebant: In thorace, omnes pulmonum lobi intus atque extra, nigricabant, sanguine quoque nigro turgebant, substantia visceris æquabili, dextro tamen lobo pleuræ adnato: cor in utroque suo sinu, substantiam quandam continebat, oblongam, teretem, mollem, ex albo flavescentem, lentam, medullæ ossium calefactæ persimilem, sed appendicibus aliquot præditam: in dextro quidem longam digitos septem, in sinistro tamen sinu minorem multo, crassitie digitali: Substantiam hanc talibus locis contentam, verosimile est inæqualium, inordinatorum, intermittentium pulsuum, fortassis etiam palpitationis cordis, qua sæpe laborabat, sicut in mercatore illo de quo alibi dictum, causam fuisse: Urinæ per totum morbi decursum crocescebant, crassiusculæ quoque, attamen perspicuæ erant: Admiratione dignum est vultum exanimati hujus corporis, quod insepultum totos dies 16. servabatur; non flaccidum, non pallidum aut luridum, quales mortuorum facies esse solent, sed plenum atque roseum fuisse & permansisse, qualis decumbenti & morienti fuerat. *Smetius miscell. lib. 10. pag.* 576.

Magister Philibertus Micaud Catapultarius, annos 35. circa finem Julii anni 1641. dum Calibone rediret siti inexplebili, itinere longo & æstu magno fatigatus, lacum inveniens totum corpus demersit in ipso, hausto Germanico & sitim, & æstum, & itineris molestias per aliquod tempus tantum sedavit, ab hausta aquæ stagnantis immoderato iterum siti primaria pressus, hospitio receptus meri libras tres iterum hausit, & paulo post viam pergens in altero hospitio totidem mori sumpsit: Domum reversus febre corripitur eaque continua, siti primaria comitata: Dolor lateris sinistri sub mamma urget, triduum perseverans: Cubiti sinistri vena basilica tunditur ad ℥ viii. à celebrata phlebotomia tumor totius ventris & inflatio apparuit: febris in pulsu non agnoscebatur, urinæ pro morbi decursu rubræ & igneæ apparuerunt; Tunc temporis tantùm accitus ad ægrum ut rebus consulerem, & ipsi medicinam facerem, utrumque hypochondrium durum & tensum deprehendi, sed dextrum potissimum: per octiduum remedia sumenda morbo contraria alternis tantum diebus, bene se habuit, ita ut ipsi vale non ultimum dixerim: nam genio indulgens & mero, iterum in hydropem incidit, eumque ascitem, pro quo curando vocatus fuit nebulo quidam pharmacopœus imperitus & ignarus, nomine Royes, qui sermonibus fumivendulis pristinam sanitatem promisit: Imaginatus specificum remedium, ægrum torsit sudorificis, existimans è silice sudorem prolicere, hecticus enim erat, umbilico tenus: Iterum autus ut ægri malis rebus consulerem, & errores; gravissimos nebulonis corrigerem, deploratum hominem inveni, venter enim in immensum excreverat; scrotum aqua plenum, crura & tibiæ tumore œdematoso tentabantur, sitis non exigua, lingua nigricans & aspera cernebatur, utrumque viscus palpari non poterat: appetitus eduliorum omnium pravus, meri tantum avidus: His autem ita examinatis, & in consilium

lium vocatis duobus aliis Medicis, & Chirurgo familiari Jacobo Pilerino, artis perito; denunciato ægro, uxori & amicis prognostico, anceps & extremum propositum fuit remedium, paracentesis scilicet, quam quidem in umbilico faciendam censui, propter vitiatum utrumque viscus: quæ quidem me præsente & præsidente, cito, tuto, & jucunde facta est, circa 9. matutinam: primo quoque impetu hausimus aquas ad uncias 25. quæ non limpidæ erant, sed naturam aquæ primo haustæ stagnantis redolebant: Nonnihil levaminis æger persensit: Iterum sub vesperam tantundem aquæ hausimus ejusdem furfuris & farinæ, & sic ad septimum usque bis in die aquas evacuavimus; Venter sensim detumescebat, noctes non erant juges nec insomnes, spes salutis non exigua affulgebat: Tibiarum, crurum & scroti tumor & aquæ evanuerunt; nox ad septimum gravis: circa finem septimi, interiit: Suppuratione facta intra sex dies, bis scilicet in die, hausimus 168. uncias aquæ, naturam primæ haustæ redolentis.

Aperto cadavere venter medius satis laudabilis, tum in temperie, tum in situ, tum in conformatione apparuit: Hepar in imo ventre ita induratum erat, ut ligni naturam imitaretur: In liene nonnihil immutatum apparebat: Syderatio omnia occupabat intestina: nihil novi in renibus: In capacitate ventris inferioris tantum aquæ repertum est quantum XVIII. cyathi mediocres continerent: Hoc notatu dignum, VII. ab operatione die, 7. Lunæ die, 7. mensis die interiit, ætatis 35. Matisconi degebat: *Observatio Dom. Pellét Medici Matisconensis.*

Helluo qui quotidie inter potationes & comessationes vitam degebat, hydropicus periit, mirandum dictu, hepar in tantam molem excreverat ut universam fere diaphragmatis cavitatem repleret, tam in dextra quam sinistra parte, totus durus & in magnitudine monstrosus. *Dom. Panarolus Pentec. 4. Observ. 24.*

Vir Nobiliss. per triennium circiter ictero laborans, quotidianis alvi suppressionibus, bile stimulante per habitum corporis dispersa, vexatus, ætatis ann. 26. medicam implorat opem: Quibusdam remediis per menstruum spatium usurpatis, affectus ictericus antiquum obtinebat, qua de causa naturæ negotium aliquandiu fuit commissum; donec autumnali tempore peregrinationis contracta, quam suspicionem augebant tubercula, verrucarum instar, in genubus, in extremitate ulnarum, & circa regionem ossis sacri in dorso copiose germinantia; quorum color ex albo flavescens, superficies lævis & consistentia dura percipiebatur: Cum autem ob induratum jecur, quod tactus confirmabat, non tantùm tenuis, (quam vesica bilaria separat,) sed etiam crassa bilis, quæ alias immediate per porum bilarium ad intestinum duodenum ablegatur, in sanguine remaneret, idque tanto temporis spatio, protinus statui tuberculorum istorum materiam esse bilem crassiorem, cum sanguine tenaciori, quem partes tendinosæ pro nutrimento trahant, conjunctam; Hinc de ligni decocto cogitare cœpimus, utpote cujus beneficio mesenterii & jecoris contumaces obstructiones, incidendo, attenuando, detergendo & evacuando, procedente tempore corrigantur, non sine viscerum corroboratione, quam adstringens, amica qualitas, in cortice plurimum abundans, præstat: Usu decocti, remittentibus hypochondriorum doloribus, color ictericus etiam eo usque discussus fuit, ut extuberantiæ circa genua & alias partes emollirentur, & plurimum minuerentur: ita ut spes restitutionis affulgeret: Sed circa finem Novembris rescribit æger de novo colorem ictericum totum corpus invasisse, qui balnei sudoriferi usu magis auctus est, invadente simul calore p. n. affligente, protinus statuimus non à reliquiis in habitu corporis remanentibus, sed ex nova bilis effusione recidivam vehementem adesse, præsertim cum insuper etiam certiores fieremus ægrum genio per septimanas aliquot indulsisse: quocirca ad intemperiem calidam alterandam nos convertimus: At quanquam usurpatis remediis calor & sitis ad martium usque sequentem perseverarent: forte quod sanguis penitus à bile vicissim copiose genita, non per vias ordinarias secreta, fervens fieret, unde circa 1. Martii vehemens hæmorrhagia narium patientem prehendit, sanguine copiose, maximam partem bilioso, per intervalla non admodum magna usque in tertium diem profluente: Cum autem partim acrimonia sanguinis, partim retentricis imbecillitate symptoma hoc fieret, hoc emisi prognosticum, vel viribus resolutis ægrum brevi periturum, vel hydropem subsequuturum: Revera parum vel nihil remediis adjuvantibus, hydrops successit, pedetentim ichoribus biliosis, in cavitate ventris infimi collectis: Malumque radicatum in mesenterio & vicinis partibus antiquum obtinebat, ita ut nec enemata, nec fortia purgantia quicquam educerent, nisi tantum ea quæ circa primas vias per congestionem quotidie ex prima concoctione redundabant: hinc non mirum quod diuretica etiam efficacia nihil quicquam efficerent, interclusis scilicet viis intermediis: Hinc semper omnia in pejus vergebant, non tantum abdomine, sed ipso quoque scroto pedibusque plurimum intumescentibus: Scroti tamen apertionem suasimus, etsi restitutionem in integrum, ob viscerum corruptelam, impossibilem futuram crederemus: Ea igitur parte inferiore, in dextro latere, per scalpellum instituta, subsequutus est fluxus aquæ, instar loturæ carnis, ad mensuras duas: hinc flatus ingentes, dolor tensivus immanis & alia accidentia mox remittebant, ut æger orci faucibus ereptus sibi videretur: Quanquam vero ventris tumor hydropicus non remitteret, nihilominus vires aliquo modo vicissim colligebantur; appetitus ad cibum constans permanebat, cibos varii generis, laudabiles, copiose æger ingerebat, necnon serum lactis caprini ad satietatem bibebat, & hoc modo laborans per Julium, Augustum, Septembrem, Octobrem, Novembrem & maximam partem Decembris vivebat, donec tandem sub finem anni 1626. subito vitam cum morte permutaret.

Ejus aperto abdomine, serosi humoris biliosi mensuræ Virtembergicæ decem extractæ fuerunt ubi postea jecur scirrhosum & induratum in conspectum venit, necnon exsuccum, instar

ligni putredine consumpti: Lien vero mollior fuit, cujus beneficio sanguificationem, loco jecoris, qualemcunque adhuc per istud temporis spatium factam fuisse reor, adeo ut hæc lienis constitutio, non p. n. talis inventa fuerit. Venæ mesaraicæ quasi glutinosa materia repletæ, circa quas thrombi sanguinis concreti quos ad ulnam unam & dimidiam extrahere licuit. *Greg. Horstius obs. 3. lib. 9.*

Anno 1601. aperui Cl. Raphelengium: Aperto abdomine reperimus magnam se effundentis ac corruptæ flavæ aquæ copiam: Omentum absumtum, jecur scirrhosum ac induratum valde, & cujus parenchyma plane croceum: Vesicula bilis turgida, qua dissecta, ater ac cœnosus effluxit crassus fœculentusque sanguis. Intestina, mesenterium, livido ac adusto colore tincta, Venæ mesaraicæ crassa obducta membrana, adeo ut earum nulla conspici posset. *Pavius obs. 28.*

Mulier gravida, etiam hydrope laborans, paupercula, tumore scirrhoso hepatis præcedente, ad me venit consultandi gratia, cùm diu hoc malo laborasset, quare curationem irritam fore judicabam, quamvis ad solamen quædam remedia paratu facilia, sed frustra præscripsissem, quæ tamen, cum pariendi tempus adesset, feliciter peperit prolem, at 14. die à partu obiit, ventre autem matris post partum non detumescente, licet à partu utrumque purgaretur, tamen illam morituram prædiximus, & ita 14. die à partu è vita migravit.

Mortuæ autem corpus incidendum curavimus, eo quod obstetrix certo affirmabat secundum adhuc partum ob ventris molem, in utero hærere, cùm ego eandem ex scirrho hepatis, quem hydrops subsequutus fuisset, mortem incurrisse pronuntiabam, quod & incisio mox indicaret, incisione itaque peracta præsente obstetrice, integra cupa, qua muliere, pannum lavant, aquæ citrinæ é ventre fluxit plus quàm 20. heminas effluxisse conjectabam: Omentum vero plane erat absumptum & glandulæ mesenterii induratæ: Hepar vero non solum in scirrhum mutatum, sed in lapideam quasi duritiem conversum, nam sparsim in ipsa substantia hepatis fabæ instar lapilli concreverant: Uterus bene se habebat, unde divino quodam miraculo, & Dei providentia fœtus in utero ad maturitatem justo tempore pariendi est servatus, neque secundus inventus fœtus. *P. Forestus obs. 14. lib. 19.*

Matrona Martini Bierwolffi Senatoris uxor, semper conquesta de difficili respiratione, abdominis mole, suppressis uteri purgamentis ante decennium, fit ascitica: nil profuerunt medicamenta, moritur. Matrona exenteratur; 15. Stoffæ aquarum detrahuntur, inventumque hepar 23. libras pendens, scirrhosum: Præterea duos tumores saxeos dependentes à suspensorio hepatis, alter librabat 16. alter 12. pondo: In utero lapidem 6. librarum multis eminentiis lapideis, coloris fusci deprehendit dissector. *Th. Bartholinus cent. 4. histor. 64.*

Docente Heurnio, pag. 552. aqua in hypochondriis cohibita eo motu prohibita, putrescit & corrumpitur, hinc calida & sicca redditur: Omnis enim putrefactio, in qua nulla fit partium secretio, necessario naturam igneam acquirit, ac proinde adscendentes vapores sitim invehunt, humiditatem roridam absumunt, præsertim oris ventriculi: Demum humor vasis conceptus ineptus est qui deinceps in aliam humiditatem roridam abeat. Aqua quidem innatantia intestina madefacit, nequicquam autem humectat: Aqua enim situlas duas, quæ aquæ libras plusquam 60. continent, ab hydropica & simul quartana detenta muliere eduxi, mense Junio 1634. per umbilicum stylo pertusum, unde situla repleta; aperto vero abdomine altera situla impleta fuit eadem aqua, magno cochleari exempta, inter viscera collecta; Intestinorum autem superficies omnino nigricabat, quæ quasi torrefacta erant, ante enim aliquot menses intensum calorem in visceribus persenserat, quem illico erysipelatis nomine donavi, & remedia illi accommodata præscripsi: de qua erysipelatis specie Hippocr. aphor. 25. 6. In corpore vero ne gutta sanguinis reperta, imo ne in corde & venis, ut nec fel in cystis, sed tantum pauca aqua limpida cum tribus lapillis, friabilibus, rutilantibus, moro non absimilibus, avellanæ magnitudine cum cortice, quorum unum medium cultro, malleo percusso, divisi, qui scintillans & fulvus fuit, partibus dissectis, saliva humectatis, facile coalescentibus: &c. Huic prius hydropem prædixeram ob venæ sectionis abusum, à qua jecur refrigeratum & debile redditum est. *David Laigneau de sanguinis missione p. m. 411.*

Conjux Anton. Leicht cùm ex valde inordinata victus ratione jam per septem hebdomadas hydrope laborasset, & variis remediis sine ullo ordine exhibitis usa fuisset, in majorem tamen subinde molem venter excrevit cum tibiis & femoribus, ita ut majorem non viderim: Illa medicamentorum pertæsa nullo uti voluit: Cui 12. August. crura scarificari curavi, & aliquot vulnuscula fuerunt inflicta, ex quibus egressus fuit primo sanguis serosus, deinde lucida & pura aqua satis copiose: Et quia etiam circa umbilicum vesicæ apparebant, ob id eas quoque aperiri curavi, ex quibus pariter aqua fluxit, qua evacuata vulnuscula subsederunt, nec quicquam ulterius prodiit: Inde cùm vesica satis lucida, instar fabæ majoris in ipso umbilico appareret, cum phlebotomo illam aperiri curavi, ex qua mox aqua flava exiliit, non secus ac si vena aperta fuisset, quæ fuit salsissima: Prima itaque vice morsuram dimidiam Wittenbergicam tantum eduxi. Post clausum vulnusculum de ardore intenso conquesta fuit, sic consequenter singulis diebus per quatuor vices aqua fuit educta, ad minimum dimidiæ mensuræ quantitate: XVII. August. aqua non amplius effluxi, pedes tamen & abdomen admodum gracilia reddita fuerunt facies vero cum toto corpore extenuata sunt: Cumque Chirurgus vulnus ampliare vellet, nihil præter pauxillum serosi sanguinis eduxit; insignem tamen rotunditatem abdomen obtinuit, cum venis satis inflatis & conspicuis, & per trideum nullam amplius motionem fœtus in corpore sensit, unde pro ejiciendo fœtu potionem præscripsi.

♃. Ammoniac. opopanac. rad. ellebor. nigr. saxifrag. aristol. rotund. & longo, colocynthid. an. q. s. f. pessar. medii digiti longitudine, terantur omnia, præter ammoniacum, quod cum aq. artemis. dissolvatur, cum quo aggregentur cætera, ex quibus postea cum succo rutæ, vel decocto colocynthid. fiat Pessar. cum filo, somni tempore incipiendum in uterum. Cùm potionem hanc bibere recusasset, post biduum denuo vocatus fui, & inveni ventrem rursus insigniter intumuisse, & fœtum putrescere, indeque oriri gangrænam, quæ totum abdomen cum insigni ardore infestabat; unde iratus quod consilio parere noluisset, nihil agere volui, cùm tamen summopere rogaret, lac virginis præscripsi 23. August. cum fœtus per integrum diem in ostio uteri constitutus esset, nequaquam tamen in lucem prodire posset, illaque vehementissimis doloribus afficeretur, qui tamen statim recedebant, exhibui præscriptam potionem, à cujus usu intra mediam horam fœtum exiguum peperit, Paulo post correpta fuit insignibus torminibus matricis, cum motu ejusdem ad superiora, adeo ut existimaverit alium adesse fœtum, vel aliud quid p. n. Eandem ergo potionem recepit cum pessario, quod tamen licet sæpius fuerit injectum in matrice permanere uoluit, sed semper exiliit: Ab illa hora non amplius consultus: Illa vero cùm semper deterius haberet, nec quicquam solidi per plures dies, præter brodia, pruna viridia, lac & alia quibus delectabatur, admisisset, dissipato vitali robore, 27. August. sub noctem obiit, cum ultra septem septimanas hydrope laborasset.

Sequenti mane per tonsorem aperiri curavi, ubi primum ex abdomine affluxit copia maxima aquæ flavæ, fœtidissimæ ultra decem mensuras: Deinde prodierunt partes omenti putrefactæ & saniosæ, fœtidissimæ: Musculi omnes abdominis erant absumpti una cum perinonæo: Intestina fuerunt valdè inflammata: Ventriculus, postquam apertus fuit, præter aquam fœtidam nihil in se continuit, cujus interna tunica erat sphacelata & nigerrima. unde factum est ut mortificato sensu ventriculi prorsus nihil comedere potuerit: jecur vero erat admodum durum & papulis refertum, variolis non absimilibus, & pustulis quas Hippocrat. ὑδατίδας vocat: Tale erat per totam ejus substantiam: Vesicula fellis bilem vitellinam, crassam & fœtidam continebat: Lien erat admodum conglobatus & crassus: Uterus nonnihil contractus & pomum aurantium vix superabat, fereque urinale referebat per omnia, in quo Medici urinas dijudicare solent; in quo nihil aliud p. n. invenimus quam sanguinem nigrum, crassum & conglobatum: Pulmones erant paulo nigriores, nec admodum male affecti. Cor vero non erat male constitutum, expers omnis pinguedinis in cujus ventriculo sanguinem quoque crassiorem invenimus: ob cujus robur factum esse puto quod tamdiu vitam producere potuerit: Moribunda usque ad extremum vitæ spiritum satis bene omnia percepit quæ dicebantur, etiam ablata loquela, ita ut nutibus signa daret se omnia probe animadvertere. *Wolfgangus Gabelchoverus cent. 5. curat. 56.*

Mulier Alcmariana ex hydrope decumbebat. Sed hæc ipsa gravida simul, postquam peperisset, paucis deinde diebus à partu mortua est, ventre æquè distentu permanente: Hinc suborta opinio eorum qui artis Medicæ ignari non sunt, arborem in corpore adhuc permansisse: Alii vero ut & obstetrix, secundum partum adhuc in corpore subesse constanter pronuntiabant: Aliæ vero mulierculæ molam esse suspicabantur aderat & sacrificulus Empiricus qui vesiculas hepati adhærere somniabat, ex quibus aqua in ventrem destillabat Ego vero cùm sustinerem neque secundum partum esse, neque molam, sed veutrem distentum esse hydrope, & cum precibus quibusdam divitis matronæ Vir eo perductus est, ut in uxore mortua fieret incisio, quam cum admisisset, effluxit è ventre tanta aquæ copia, ut octo congios Hollandicos pluresve vas cadaveri suppositum receperit.

Erant autem interna viscere præsertim intestina fere omnia, præter uterum ac renes, corrupta & livida, ne que mola reperta: Peritonæum vero undique disruptum erat ex aquæ mole ut arbitror: Omentum plane consumptum, ut ejus partes putridæ & disruptæ cernerentur: Hepar vero in scirrhum erat mutatum, ac lienem quasi lapidosum conspeximus. *Forestus lib. 2. de incert. uric. vid. p. 199.*

Anno 1595. Virum publice secui in Nosodochio Amsterodamensi: Lien huic adeo intumuerat ac nduratus erat, ut tres libras lance libratus penderet: Pulmo ferme centum locis costis ac pleuræ arctissime annexus hærebat: Hydropicus obierat: fluctuabant namque, ac aquæ innatabant omnia quæ in abdomine erant, erat aqua flavi coloris, fœtoris pessimi. *Pet. Pauvius obs. 13.*

Nobilis sumptuose & lautissime vivens, vina generosa bibere solitus, morbis quibusdam infestabatur, nunc colicis nunc nephriticis, nunc arthriticis; unde sæpe graviter affectus, ingruente senectute manus contractas digitosque astrictos reliquo vitæ tempore habuit: quotannis fere ad thermas aliquas profectus, non solum lavans, sed etiam bibens, imprimis acidulas, quas sibi eo nomine conducere credebat, quod ardorem & calorem hepatis, ex vini generosi continuo & ferculorum aromatizatorum quotidiano usu conceptum, non nihil restinguerent: Tandem annum ætatis agens septuagesimum cœpit illi venter subito quandoque intumescere, cum summa dispnœa, quæ tamen postea iterum remiserunt. Anno sequenti 1603. circa finem Aprilis, ætatis superans 71. à convivio domum bene potus, sub noctis medium; Cœlo sero, leviter vestitus rheda reversus, pectoris angustia cœpit angi, tussisque vehementissima eum invasit, per quam licet copiosa excrearit, nihilo tamen melius habuit: Vocatus illico Medicus, defluxionem à capite supra pectus factam judicans, varia præscripsit, quibus usus ad 7. Maii usque, nihil interim remittente tussi & dyspnœa, vocatus frater meus, communicatis mecum consiliis, sequentia illi administravit remedia; cum crassa & tenacia difficulter expueret. utebatur oxymelite ex hydrom. malvatico, acetoso reddito, miscendo syrup. de liquir. de jujub. & tantis-

tillum spir. vini: lavit quoque pedes lotione divertente ex herbis capitalibus, pectus inunctum fuit resumpt. Paulo quietiorem noctem quam priores transegit, at hora 2. post mediam noctem difficultas spirandi illum invasit denuo, ut sedendo reliquum noctis transigere coactus fuerit, quod prioribus noctibus sibi accidisse narrabat, de quo monitus, cœpi statim de hydropis initio suspicari, cujus hoc nocturna dispnœa prænuntia esse solet: verum cum tunc & stertor & excreatio pulmones quoque infarctos denuntiarent, factum est ut asthmatis potius quam hydropis ab initio ratio habita sit, donec ventris & pedum sensim increscente tumore de hydrope certi essemus: Antequam autem illud omnino innotesceret, pleraque remedia non solum ad præcautionem hydropis, sed & pectoris angustiam fuerunt accommodata: Circa finem Junii tussis & stertor remiserunt hydropisque jam manifesta aderant indicia, tumor nempe tibiarum & ventris, ac dispnœa nocturna, ipse, cujusdam consilio, semper acidularum potu delectatus, Griesbachum proficisci cogitat. 1. Ergo Julii iter ingressus, quarto die eo non sine difficultate pervenit, & sequenti die chirgra correptus est, quam sequuta est podagra: nihilominus interim acidulas ad pocula duo quotidie bibenti, omoplatæque simul dolorem passo, statim scrotum cum pene intumescere cœpit, acidulas ad XI. usque Augusti bibit: Supervenerunt illi hæmorrhoides, quæ tamen non diu durarunt: Dyspnœa & imbecillitate mirè angebatur, & quia urina pauca tantum fluebat, signum erat aquarum illarum acidarum magnam partem in abdomine retineri: Cùm itaque earum potu morbus factus fuisset deterior, ad alia remedia transiit. Mense Septembri consultatum fuit an Paracentesis, quod solum restabat tentandum remedium, facienda? aliis in ventre eam fieri posse, aliis in cruribus levem scarificationem faciendam censentibus: eam ob causam pedes inspecturi, statim sponte vesiculas excitatas & disruptas serum profundentes vidimus, per quas fluxit successive ad dies aliquot magna aquæ copia, adeo ut venter nonnihil subsideret, liberiusque spirare & decumbere diutius posset; Ab eo tempore quo ichor è cruribus juxta malleolum fluere incipiebat, ad præcavendam inflammationem & gangrænam, quam plerumque sequi prædixeram, potissima cura dirigebatur, quam tamen vitare non potuit: Interea viribus omnibus labascentibus sensim, & superveniente febricula, postremo diarrhœa, die ultimo Octobris placide exspiravit.

Corpore dissecto sequentia deprehensa fuere: 1. Cor erat magnum, illæsum sed flaccidum & collapsum. 2. Hepar, lien, forma & magnitudine decenti salvaque: 3. Bilis vesicula ampla admodum, distenta, cum sua cervice, & turgens bile & aqua. 4. Aqua in spatio abdominis retenta, magno impetu, fontis salientis instar, vulnere primum in abdomine inflicto, erumpebat limpida, sed cadaveroso odore prædita, 60. libras circiter ponderans, cujus non minor quantitas per pedes, longo illo septimanarum spatio prius effluxerat: 5. Ren uterque erosus & ulceratus erat, ulceribus multis ab interioribus illorum substantiam ad exteriora usque perforantibus, & se extrinsecus aperientibus, é quibus serum vel urinam in abdomen distillasse hoc ostendebat, quod adhuc vesicæ aqua plenæ aliqua renum corpori adnatæ essent: quibus dissectis aqua profluebat, foraminaque patebant, sine dubio illius aquæ in abdomine collectæ causa fuere, uti & hepatis lienisque ejusmodi substantiæ divisionem se vesicasque illis affigentes, disruptas post, aquamque profundentes in abdomen, causam frequentiorem hydropis ascitis esse annotavi, Færneliusque idem asseruit. 6. Mesenterium, omentum, renum pinguis tunica, omnia veluti arefacta, contracta & convoluta erant, adipe adhærente, veluti in globulos toto intestinorum ductu, uti & circa rectum intestinum, conglomerato, ab aqua quæ continuo has sedes colorati alluebat: 7. Intestina inania, uti & ventriculus erant. 8. Pulmones inæqualiter colorati & ex parte otiosi apparebant, integri tamen è quibus sectis cruor ater & pituita prodibant, qui fibris costis, sinistro præsertim latere, adnexi erant 9. Thoracis cavo aqua quoque inerat. *Platerus observ. lib. 3. pag. 640.*

Fœmina lautioris conditionis 40. ætatis anno, ex hydrope pectoris atque ascite lenta periit morte: Tenerioris ea fuit constitutionis ab ineunte ætate, gracilis, macra, alba rubescens, debilis: præter variolas tamen & morbillos in juventute nullum pene morbum effatu dignum est experta. Menses diutius cunctantes variis (sponsa etenim nondum nubilibus annis) sollicitati fuere remediis: comparuere tandem & quoniam sanguis ejus serosior, sensim crebriores & copiosiores evasere: In matrimonio per 29. annos vixit, duodecim peperit liberos, ut plurimum debiles, quorum sex adhuc supersunt tres valentes, tres cachectici: Bis vel ter obortiit: Quovis puerperio lochia mox à partu copiose adeo profluxere, ut huic adstantes mortem sæpius metuerint, ac opem meam ad enormem illum fluxum compescendum anxie implorarint: Hysterica sensim evasit, ita ut vel levissima de causa irritata matrix dira moverit symptomata, quæ & ipsam lectum petere coegerunt: Passa fuit frequentes capitis dolores & destillationes ad dentes, utpote corrrosos, putridos, nigricantes; Ultimis vitæ suæ annis subinde correpta fuit pustulis copiosis in lingua, ore, gingivis, ac genis internis, erumpentibus ex sero acri per ductus salivares, critico quasi motu uberius affluente: Menses nihilominus ordinati, imo anticipantes & copiosi: Serum per purgantia imminutum, quoties per imprægnationem vel lactationem licuit; Ad idem serum à sanguine secernendum, mitigandum, tertio ante obitum anno domi acidulas, aliis Matronis sociis bibit, & ut retulit, cum εὐφορίᾳ. Æstate anni 1670. Goppingenses sitiens acidulas, me refragante, fontem ipsa adiit non purgata (quoniam ipse peregre tum temporis aberam) eas bibitum ac in iis lavatura: Utrumq; peregit ἀλόγως & ἀμεθόδως: Domum redux abdomen notavit tumidius, ponderosus, in regione præcipue hypogastrica, cum lassitudine corporis, appetitus imminutione, respiratione difficiliori, tussi sicca, sicca potius, acri, rodente color

facies

faciei naturalis perstitit. Me absente alii in auxilium vocati Medici, Celeberrimus nimirum noster Archiater D. J. Jac. Wepferus & Clar. D. Emanuel Hurterus; Ipse tandem 20. Septembris adveniens, percipi cum Clariss. istis viris Dominam istam viduam per bimestre conquestam fuisse de Abdominis intumescentia, tacto ventre, deprehendimus in regione umbilicali corpus scirrhosum, incipiens à latere dextro, supra umbilicum, extendens sese ad regionem hypogastricam, palmæ latitudine & longitudine majus, in profundo situm, globosum quadantenus, durissimum, indolens, cum motu aquæ resonantis ex abdominis impulsione ac concussione corporis sequentis: Aquam pectus quoque opplere ostendit tussis summè ferina, inanis, acerrima diu noctuque ipsam fatigans, cum dolore, asthmate, sputo copioso, difficili, cruento, vigiliis, inappetentia, febricula, decumbendi impotentia, imprimis tempore anadosis cibi, quo vel decubitum mutare, vel è lecto plane surgere cogebatur: à vino læditur, deliris agitatur insomniis; Hoc tempore ipsi menses jam per tres septimanas copiose fluxere, antea vero ordinati, ac copiosi semper extiterunt: Hinc persuasi ediximus corpus prædictum scirrhosum à glandulis potius mesenterii, vel testiculis uterinis, quam ipso uteri corpore dependere: Tussi, febri, vigiliis, asthmati, inappetentiæ, omni ingenio occurrimus; purgantia, rebus sic stantibus, vix tuta reputantes 8. Octobris melius habere videtur, alacrius comedit, liberius respirat, incedit rursus, color faciei floridior, abdomen imminuitur &c. At tuber circa umbilicum & hypogastrium, durum adhucdum & magnum, imo majus quàm pridem persentitur. Ad id dissolvendum, & viscera roboranda varia in usum ducta remedia: 19. Octobris venter denuo intumescit, urina imminuitur: tuber item majus & durius videtur esse in testiculo dextro, necdum dolet. Tussis iterum exasperat ut & asthma. alvus est durior, menses singulis ferè 14. diebus redeunt copiosi, aquosi. Sudor frequens circa collum & caput. 22. Novembris quoniam abdomen & tumor augescunt, ad purgantia accessimus, à mitioribus ad fortiora ascendendo, interpolatim ea exhibendo, per epicrasin potius quàm ἀθρόως aquas educere volentes, quæ primò proficua, dein molesta, tandem noxia animadvertimus. 20. Decembris sub vesperam gravissimo, fuit obruta asthmate, ac si jamjam suffocatura esset: Revellentibus & thoracicis incidentibus è mortis erepta periculo, abdomen monstravit tumidius, tensius, gravius; Procedente sputo copioso, ac suborta diarrhœa mitius habuit: Bechica, quibus gummi ammon. additum continuantur cum fructu; Regio lienis & abdomen valdè tument ac dolent: Subinde à sumpta vesperi conserva rosarum cum theriaca, versus diluculum sudavit. A. g. Ammoniacus alvus fluidior evasit. Interposuit usum diureticorum, confortantibus mixtorum: Immensi abdominis dolores leniuntur ab inunctione oleis anodynis: Mense Januarii copiosa licet excernatur urina abdomen tamen durum, magis tensum & plenum tangitur, cum dolore in hypochondriis & circa umbilicum: Tubera silent, ardor stomachi molestus, chalybeata communi consilio, cum corrigentibus ac confortantibus in usum ducta, ad vasa & glandulas obstructas induratas reserandas, emolliendas, quo serum resorbere queant. 5. Januarii pleuritis notha superveniens curam ad se traxit. Dolor demum circa hepatis regionem fixior, fomento ex pomis fracidis, succo senecionis, & clysteribus evacuato colo intestino disparuit: Abdomen intenditur, purgantibus identidem parva dosi repetitis, relaxatur; non admodum imminuitur; urina pauca, crassa, lixiviosa: repetita diuretica; conqueritur inprimis de dolore ardente sub diapfragmate, ex sero acri, ut rebatur, rodente intestinum colon, eo loci situm; qui dolor videbatur insinitari tandem funestam hæmorrhagiam, sicuti sex ante menses accidisse memini Celsiss. Principissæ de Arschott. Abrogatis, vel frigidè saltem continuatis hydragogis, omnia in deterius ruere visa sunt, vitiosa magis urina ac pauciore, amisso vivido faciei colore; Suasu tandem quorundam (nobis de valetudine desperantibus) aliorum consilia & remedia experiri voluit: quibus per alvum licet & vesicam multum fuerit inanita, auctum nihilominus abdomen & pedes, haud ita pridem naturales, summè intumuere. Abjecto appetitu, aucta seti, aridis faucibus, adustis, lurido labiorum colore, fractis viribus, ad extremam reducta maciem 12. Martii obiit.

In cadaveris nocturna ac privata evisceratione sequentia comparuere αὐτοπτικῶς [?], oculis observata fidelibus, paracenteseos in modum pertusis abdominis involucris, protinus mensuras plus minus viginti aquæ flavescentis ac lixiviosæ eduxi; qua avacuata aperui abdomen, crucis in formam discissis communibus integumentis, & festinanti manu ac intentis oculis inquirens in tuber toties à me atque prænominatis Clariss. Viris observatum, inveni tuber magnum, obviam quasi mihi prosiliens, instar renis fere efformatum, pendens laccæ libratum libras decem civiles, ortum sumens ex dextro uteri testiculo, carnosum extrinsecus, intus pure cruento refertum, non admodum fœtido, forinsecus cute crassa obductum, venis respersa copiosissimis, cui suberat caro solidiuscula: tuber hoc abdomen versus fuit durius, at versus intestina mollius, duobus tribusve locis exesum, unde pus, at parva quãtitate affudit in cavũ abdominis tuber fuit liberum, nulli parti annexum, exceptro testiculo (dextro qui totus fuit extẽsus, cavus, pure expletus, adeo vix ut agnosci amplius potuerit) tuba Fallopii, & vespertilionũ ala ejusdem lateris dextri, quæ omnia tuber ingressa, sunt non recto sed intorto ductu, ac si tuber in magno vel violento corporis motu, circa principium hoc studio fuisset in gyrum actum, superstite etiamnum illa involutione; Tuber istud magnitudine caput humanum superavit: viventi nullos excitavit dolores, excepto pondere quo fuit molestum, imò ne à purgantibus irritatum: Durante morbo increvit potius quàm decrevit, etiamsi chalybeatis diminuere decreverimus sæpe. Quando inceperit, & quamdiu creverit tuber nec ipsa ægra effari scivit; Nullas unquam de eo movit querelas, vel coram aliis, vel me per 20. annos ejus

Medico ordinario. Tuber aliud & secundum deprehendo in medio mesenterii, remoto omento & intestino primo, pugni majoris magnitudine albissimum; (reputavi magnam esse glandulam mesenterii) tenui pellicula vestitum: leviter sauciatum materiam profudit albo flavescentem, mediocris consistentiæ, ac si chylus esset, quam tamen pus, subcruentum quadantenus, ac sine fœtore, accuratius perpendens animadverti. Juxta spinam dorsi duo alia notavi tubera in mesenterio, alterum pugni, alterum ovi magnitudine, ut & alia adhuc tria minora, unumquodque juglandis magnitudine, unum quinetiam ad latus dextrum vesicæ urinariæ, pugnum minorem adæquans. Imprimis vero versus dextrum renem, inter utrumque videlicet renem, immediate fere supra spinam; eo ipso loci ubi glandula, quæ chyli receptaculi vicem sustinet, alias reperitur, alium offendi abscessum, seu tuber, ad duorum simul junctorum pugnorum magnitudinem accedens supra musculos psoas, copioso pure fœtido infarctum, ex quo ductus tendebat ad ramum iliacum dextrum, ex membranis vicinis coagmentatus, pure itidem plenus: atque ita novem nominavi tubera. Ventriculus fuit admodum tumidus, flatibus turgidus, sat carnosus: Intestina solito crassiora, in proprias tunicas, imprimis crustam lacteam, copiosè transumpto sero, conrctata angipartus in morem, parva quibus appensi propendebant globuli oblongi, ex parte rugosi instar papillarum, ex pinguedine indurata, in quam vasa lymphatica terminantur, ex quibus, qui veluti rimis dehiscebant mihi verosimile aquam exstillasse in cavum abdominis spatium. Venæ & arteriæ ad intestina excurrentes admodum fuere conspicuæ velut inflammatæ: Rami venæ portæ cœliaci & mesenterici solito dilatati magis videbatur ob impeditum circularem sanguinis motum: In reliquis mesenterii glandulis nihil p.n. occurrit: Hæcce viscera exigua vel nulla fuere incrustata pinguedine: Hepar fuit quidem flavius naturali, at molle non durum, non exangue, nec vasa ejus apparuerunt oppilata, à diaphragmate sat liberum: Circa hepatis regionem, ubi vivens conquesta semper fuit de acri, pungenti, urente dolore, nil præter levem exesionem phlegmonodem vidi, musculos abdominis hujus loci invadentem, prægressæ forsan inflammationis indicem: Vesicula fellis magna, exterius albicans, intus parum continuit bilis: egregiè enim ultimis ante obitum septimanis purgantib⁹, ac urinas vi pellentib. fuit exagitata, lien naturalis colore, consistentia & magnitudine: Pancreas durissimum, ac si ex granis siccis esset conflatum, flaccidius, ejus ductus planè vacuus. Renes satis quidem magni, at flaccidiores, molles, debiles, ea propter pauxillum, ni valido ac vehementi irritati medicamento, traxerunt seri, meatus ipsorum & ureteres sat patuli: Vesica sat naturalis, excepto tuberculo glanduloso, quod lateri, ut dictum, affixum habuit: Uterus in dextro testiculo produxit, ut innui, tuber magnum; Sinister verò testiculus naturalis, excepto quod ipsi accreverit vesicula aqua plena, avellanæ majoris magnitudine; Corpus uteri non fuit solito majus, licet duodecies pepererit, at ejus cavitatem majorem quàm in aliis observavi: Omentum majori ex parte fuit corruptum, ex parte inflammatum, sese firmiter agglutinans peritonæo & musculis, versus hepatis regionem peritonæum & abdominis musculi, interiora versus, fuere ex parte quoq; inflammati, exesi, venulis sat conspicuis, ab acrimonia seri in abdomine bullientis, unde dirus ille dolor circa hepatis peripheriam, cujus quotidianæ querelæ: in utroque pectoris latere magna vis aquæ, inprimis sinistro, tres forsitan mensuras, seu ℔ ix. excessit: pulmones fuere cineritii coloris, plurimis conspersi maculis, nigris, parvis, spumoso repleti sanguine: inferiores lobi ex inflammatione fusio rubebant: cor ipsum nativam molem excedebat, ac flaccidum: vena cava & dexter cordis thalamus foverunt corpus pituitosum, subluteum, spithama longius, ipsis arcte adhærens, sanguinis motum vel impediens vel retardans: venæ etenim sanguine pleniores, arteriæ vero eo magis vacuæ apparuerunt: pericardii aqua consuetam quantitatem vix excessit, & caput aperuissem ni adstantes prohibuissent. *Christophorus Harderus in miscell. curiosis anni 1672. obs. 180.*

Cuidam mulieri quinquagenariæ obortus in ventre tumor hydropis opinionem faciebat: ante morbo gravi afflicta fuerat, victa ars malo grave symptoma non arcuit. Has tumentis aqualiculi molestias menses aliquot tulit, donec in hydropem confirmarentur: fœditas coloris, carnis ac molis collapsus, marcor & eminens abdominis tumor ascitem significabant: afflicta annos aliquot morbo ac symptomate victa, excessit.

Apertum cadaver, aqua intercus copiose erupit, lien ac jecur vitium fecerat: intestina velut tabo infecta conspiciuntur: nec alia occultior diuturnæ calamitatis & mortis occasio quæsita est, donec in latrocinantis, & penitus scrutantis Chirurgi, conspectum se mesenterium dedit: occurrit aliquid insolens, cujus novitas non tam admirationem peperit, quàm admiratio expectationem superavit, omnibus stupor fuit, inventum est mesenteriū ab intestinis separatum & absolutum: pondere, qualitate, abscessuum insolentium, tanquam latentium scaturiginum ubertate, supra quam credi potest, fuit prodigiosum; dena pondo pependit, densum, corpulentum, succulentum plus justo, longius, latius & altius quàm natura ferret; Sed abscessuum perennitas majori admirationi fuit, nam & meliceridès & steatomata pullularant; tumores ex iis quidam adeo increverant & satiati fuerant, ut exigua punctione ingens humoris melli; copia æstu quodam exundaret; multiplices tumores & lacunas humoris varietate, aut prudens aut inconsulta natura quasi cellulis distinxerat; alias coacta ac conglobata materies atheroma potius exprimebat; alias ob solutum, sed aliquantulum viscosum, quem continebat humorem, in meliceridum familiam tumor erat potius natus coaptari. Chœrades non apparebat, sed hic humor in naturam strumosam fortè degeneratus erat, sic omnia monstrosa. Digladiabantur etiam anatomes ignari, & ancipites erant an esse mesenterium id quod appatebat, an aliquid alius. Stupore quodam, nutu, renutu, hæsitatione potius rem definiebant ac dijudicabant (aut se fingebant dijudicare) quam gravi aliqua ratione Ex mutuo ore alii mutuo pudibundi ac dubitabundi pendebāt. Ita hercle hæc pars tanquam deformata, & in aliam naturam μεταπλασθεῖσα naturam propriam ac for-

formam exuerat Ballonius paradigm. iv.

Inter affectus mulierum non raro occurrunt tumores ventris, qui primis mensibus impraegnationem mentiuntur, & vel molæ, vel flatibus, vel colluviei sanguineæ aut aquosæ in utero contentæ adscribi solent. Materiam autem ventrem distendentem, interdum etiam extra uterum peculiaribus membranis inclusam contineri, sequens facit palam historia. Uxor juvencula, altero post nuptias anno, cœpit variis torqueri doloribus in imo ventre & hypochondriis, qui interdum omnino delituerunt, interdum ad leipothymias usque sævierunt, facies pallore suffundebatur, venter in tumorem surgebat, sed inæqualem, qui quidem ab ineunte ætate paulo turgidior fuerat, menses tamen justo fluebant tempore: Consilio usa est primum Empiricorum, quorum unus rem totam veneficio adscripsit, cum autem dolores urgerent, nec ineptiis illorum juvaretur, etiam me in consilium adhibuit, præter universalia, tum temporis oleum quoddam carminativum ei adhibuimus, ex cujus usu dolores circa matricem adeo intensos, parturientium instar, sensit, ut obstetrix vel molam, vel similequid in uteroa proditurum expectaret, sed præter aquea quæd m effluvia nil apparuit, & dolores paulatim omnino remiserunt: quoniam autem interpositis aliquot diebus & tumor ventris & dolores iterum aucti sunt, vocatus etiam fuit D. Ulianus, qui purgantibus denuo rem aggressus est, dein cataplasmate & insessionibus dolores lenire studuit, nec sine fructu, nam non solum tumor insigniter inde fuit diminutus, sed & dolores ita sublati videbantur, ut in ædibus munia domestica rursus perficere inciperet, infelici tamen omine, cum enim sub dio frigidiore lanio suem mactanti adstaret, subito epileptica concidit, & ea ipsa die obiit.

Cadaver altera die apertum fuit, in quo ventriculus, hepar, lien & intestina naturaliter se habentia: Matrix etiam integra sana & loco naturali reperta. Loco vero glandulæ Mesenterii, vesicæ venulis ejusdem implicitæ & tectæ, uti & toti mesenterio hinc inde adnatæ, ultra xx. vesicæ, diversæ magnitudinis, aqua limpidissima turgentes apparuerunt: quarum una omnium maxima (capitis infantis alicujus mole) mox in dissectione conspiciendam se præbuit, & totam matricem conspexit, ut Chirurgus hydropem matricis adesse primo intuitu pronunciarit. Re vero penitus perspecta, uterus subtus latuit. Ab hac maxima, sex adhuc paulo minores pugnum æquabant, reliquæ ova gallinacea & columbina, quæ omnes inter se connexæ, ova gallinacea, partim ad maturitatem perducta, partim adhuc varia magnitudine succrescentia egregie repræsentabant. Ex quibus apparet nos frustra purgantib. laborasse, cum materia peccans suis membranis vel vesiculis, nullibi perviis, inclusa, medicamentorum vim facile eluserit. Quin ob diuturnam moram, malignitatem forte concipiens, venenatos ad cerebrum vapores emiserit, unde epilepsia & mors consequi potuerunt. *Gr. Horstius lib. v. observ. xxxiii.*

Filio Calandrini excrevit abdomen, intra biennium, in eam molem ut crederetur firmiter laborare aqua intercutem: Sed sectio cadaveris deinceps adhibita invenit tamen illic nihil liquoris, verum ingens solummodo steatoma, quod ex mesenterii glandulis excrescens devenerat in eam magnitudinem ut bilanci impositum ponderaret ultra libras xxviii. Jecinore interim, liene ac ventriculo integris ac illæsis: sed Pancreas erat pingue ac ponderosum, & alterutrum latus rene suo destitutum; cujus vicem cum gereret mesenterium, effusum fuit illuc tantum liquoris, ut glandulæ ipsius à redundante illo sero plus æquo intumescentes, repleverint tandem ventrem universum, sed sine ullis collectæ aquæ notis. *Tulpius lib. ii. cap. xxxii.*

Cuidam ex plebe pauperculæ, triennio multis doloribus in abdomine vexatæ, hoc anno in molem venter assurrexit, qui distinctas extuberantias seu tumores monstravit: mulieres plures in utero latitare fœtus imaginabantur sibi, maxime cum mater motum infantis in utero sentiret. Partui vicinæ exacerbati sunt in abdomine dolores, qui post enixum infantem debilem, paulo post exspirantem, non desiere: medium tamen abdominis in se concidit, inæquali remanente ventre, cum latera turgida, & in tumorem sublata extuberarent: A partu lochia nulla, dolor ventris ingens adhuc, tumor imminime decrescens, sed adcrescens in dies. Nescio quæ ipsi medicamenta oblata sunt ad molam ejiciendam, at defecit misera tandem, cedente anima doloribus & extincto calore, privato suo humido, tota utpote emaciata: singultibus crebris efflagitavit corporis sui apertionem, ut causa suæ acerbitatis in apricum veniret latens.

Mos geritur, secatur cadaveris abdomen, nec difficile erat, cum musculorum caro contabuerit exsiccata: aperta itaque cute cum peritonæo quod lacerum & erosum ab ichore bilioso apparuit, serum effluxit bile tinctum, & duæ moles globosæ in conspectum veniebant, quæ pec uliari investiebantur tunica, adhærentes mesen terio, à quo mutuarunt cingentem membranam, quæ subdura erat, & hinc inde pustulosis vesicis luxuriabat, plenis sero: Discissis his molibus, serum effluxit primo multum, quo distentæ fuerant duplices membranæ & infarctæ, ut in tantas moles assurgerent: deinde glandulæ apparebant multo ac copioso cum adipe, materiæ steatomatis non absimilis: Cavitates quas in ventre hæ moles non replevere, eas serum occupavit: Madebant eo omnia quasi in ventre contenta inferiori, quæ etiam ita corrupit, ut fœtor diligentiorem inhiberet indagationem: Exiguus uterus, hepar flaccidum, luridum, ejus cystis turgida & infarcta crassiore felle, lien exiguus. Pulmones sicci & lituris gangrænosis maculati. Sanguis paucus & nonnisi in magnis circa cor vasis ater prodiit: Cadaver totum exangue videbatur, & caro musculorum omnium consumpta, contabuit enim misera, & cutis ossa & nervosas partes tegebat. Glandularum extuberantias facile erat sectione à mesenterio removere, ideoque eas separatim secuimus. *Hæcshtetterus Casu vi. centur. vi.*

Anno 1666. Mercator Gedanensis à multis annis Ingluviei deditus, variisque modis in victus ratione peccans, incidit in varios corporis affectus, qui quidem curati, nunquam tamen in totum sublati sunt, quia æger præceptis medicis parum obediens fuerat, tandem totius inferioris ventris inæqualem tumorem percipiens, hinc

que sensim languore corporis universali, afflictus, de dolore in regione lumbali gravativo, eoque sinistri hypochondrii obtuso, ac vinculo sub ventriculo transversali conquestus est. Vocatus, deprehendi ex signis pertinaces latere in corpore obstructiones, quare omnem movi lapidem ut ipsi pristinam restituerem sanitatem. Cùm alvus subinde adstrictior esset, exhibui blandè evacuantia, quibus tantùm profecimus ut videretur sibi æger aliquoties ab illorum usu fere restitutus, quoniam scybala excernebat grandia summeque dura, adeo ut in excretione ad pelvim sonum ederent, lapidum instar ab alto delapsorum. Quod cum fortè indicasset, jussi ut adstantes excrementa mihi monstrarent, in quibus aliquot frustula caseorum induratorum, sicut illa, uti ipse æger fassus est, ante aliquot septimanas ruri tum degens pro jentaculo, pravo suo more deglutierat, invenimus: Talia quamvis sæpius cum successu educerentur, tamen longitudine morbi contabuit & naturæ satisfecit.

Aperto cadavere, observavi omnes glandulas infimi ventris, tam internas mesenterii quàm externas abdominis induratas, imprimis illas copiosissime regioni lumbari incumbentes, unde dolorem lumborum deduxi gravativum: Lustratis intestinis reperi, cellulas intestini coli per transversum corporis sub ventriculo siti, scybalis frustisque caseorum ingestorum fere omnes infarctas: hinc excretiones præmemoratas ortum suum deduxisse indicavi: reliqua intestina erant omnino vacua: Remotis iis examinavi hepar, quod miratu dignum, omnibus sui partibus inveni sanum, etiamsi æger dum viveret crapulæ nimium indulsisset: ultimo perquisivi lienem, & dum illum circumcirca vellem blandè liberare, animadverti duritiem haud levem: quare novitate rei perculsus, totum lienem excidi, eumque dimidia fere sui parte ossea cartilagine incrustatum vidi, adeo dura, ut acutissimo quamvis cultro vix discindi, sineque læsione parenchymatis separari potuerit: Exinde haud difficulter dolor sinistri hypochondrii obtusus patere potuit. *Christianus R. dnicius in Miscell. curiosis anni 1673. observ. 159.*

Nob. Andreas Estken ann. 46. cùm usque extra civitatem, utut opulentus, cœlebs, admodum parce & frugaliter vivens, ex vitio diætæ primum ventriculi dolorem cum siti, dein hypochondriorum intumescentiam percepit, quæ tandem hydrops ascites sequebatur. Hic anno 1660. in autumno Thorunium venit, morbumque suum mihi exposuit, cujus signa erant urina tincta & rubicunda, sitis magna; appetitus cibi nullus, constipatio alvina, urinæ retentio frequens, noctes insomnes, tumor totius infimi ventris & hypochondriorum intensus, atrophia artuum superiorum & inferiorum, viriumque maxima debilitas. Institutæ fuerunt purgationes per epicrasin, adhibita tam externa quam interna alterantia & corroborantia, sed sine ullo fructu. Tum anno 1661. adjuncto mihi D. D. Meisnero, instituta est paracentesis sub ipso umbilico versus partem sinistram, natura ipsa per vesiculam umbilicalem viam commonstrante, per Antonium Stattlender Chirurgum. Talem paracentesin Gal. 14. meth. 13. & comm. ad aphor. 27. 8. hydropicis & herniosis adhiberi suadet. Paulus autem non omnibus aquæ intercutis generibus, sed ascitæ tantum convenire scripsit, ejusque tres in universum differentias statuit: unam sectione facta directe sub umbilico, tribus digitis interpositis, si ab intestinis origo fuerit: Aliam etiam facta à sinisteriore umbilici parte, si primario jecoris affectui malum feratur acceptum. Tertiam autem à dextra ejusdem parte, si à liene vitium originem duxerit, scalpello ejusmodi sectio fieri debet, aut aculeo intra peritonæum adacto, deinde in foramen immissa ænea fistula, per eam humor sensim effundendus, pro cujusque virium ratione, cavendo ubique subitam cumulatamque vacuationem: Hæc Paulus: Idem nos quoque hac in parte observavimus, facta incisione, impositoque canaliculo argenteo, eduximus aquam in abdomine stagnantem pedetentim, à semilibra incipiendo, tum ad libram devenimus; quotidie bis, aliquando etiam ter, pro re nata, ad multarum usque librarum quantitatem: Aqua educta fuit citrini coloris, odorisque fœtidi, videbaturque patiens aliquantum sibi vegetior; Verum omnia in pristino statu permanebant, indicantia scilicet dyscrasiam & corruptionem viscerum imi ventris, quam anatome corporis extincti postea aperuit, Quare vires indies debiliores, ægrotum ut animæ curam adhiberet admonuerunt, quæ cùm peracta, ille ultimis Januarii diebus, placide animam Salvatori suo reddidit. Instituta autem paracentesis altera à circumcisione Christi Salvatoris die.

A morte cadavere aperto, nullum viscus sanum & integrum repertum est, Peritoneum, mesenterium, pancreas, singula consumpta, intestina livida, hepatis & lienis aliquot frustula tantum veluti lacerata dependebant. Renes vix conspicui, uno verbo, & ante mortem pie defunctus vivum cadaver erat, apud quem post mortem adstantes præ fœtore maximo non diu subsistere potuerunt. *Simon Schultzius in miscell. curiosis ann. 1674. 1675. & 76. p. 229.*

Juvenis vir Religiosæ familiæ incidit in hydropem Asciten, à medicastro pluribus etiam agitatus mediis, ex urbe in qua degebat, cùm remotior locus foret, hicque illius familiæ ordo vigeret, huc deportatur, quem ubi accessi, malum incurabile superioribus detexi, partibus internis jam sideratis: Præsto nihilominus adfuit qui vultu superciliosa & fastu, velut fere fit, plusquam ampulloso ausus fuerit curam perbrevem polliceri, & promissis vere intra paucos dies stetit. Domum forte ingredior, febri tertiana laborantem invisurus, ad hunc hydropicum à sanitatis præfecto deducor, cui de necessariis moribundo nulla data mora providendum urgeo.

Ipse ut fatis mox cessit, accitum ego operationi peritum lithotomum ad paracentesin celebrandam, ut aquis daretur exitus, applico. Inde ulterius progredior, ut prognostici veritas innotesceret, pateretque ignari medicastri judicium: Omentum telæ ad instar tenuis se offerebat: Intestina livida primo tactui consumpta diffluebant. Glandulæ mesenterii omnes purulentæ, In parenchymate hepatis 18. apostemata visebantur, sua cysti inclusa; pulmonum bronchia membrana livida spissa referebat, Renes putridi: Lien induratus scatebat, crassa gypsi ad

instar

instar materia, nec ultra castaneæ magnitudinem restabat intacta: Unicum cordis parenchyma sanum erat: Ex quibus patet impostoris temeritas, & in judicando ignorantia, in una admirer vires in juvene, partibus adeo corruptis tamdiu in vivis perstitisse. *Alardus Hermannus Cummenus in Miscell. curiosis anni 1677. obs. 186.*

Mulieris hydropicæ abdomen in tantum excrevit, ut ulnæ nostratis cum quadrante altitudinem æquarit; maximè ad sinistrum latus vergente tumore, ex aperto post mortem abdomine sanguineum serum fœtens mediam tonnam implevit, quam cadaveri subjiceramus, quo exhausto detumuit; omentum & peritonæum putridum frustillatim excerpebantur: Intestina omnia ad dextrum hypochôdrium erant detrusa, ut initio intestinis caruisse apparuerit, sinistrum vero aqua ubertim repletum: Hepar à nativa bonitate nihil defecit, at Lien minor. Chirurgus paracentesin instituerat, sed abdominis musculos non pertransiit vulnus: *Bartholi. cent. 1. observ. 11.*

Petrus Kickup quadragenarius ex febre tertiana, eaque diuturna, curatus, in Ascitem incidit: Ego advocatus, ventrem in monstrosam fere magnitudinem elevatum invenio: umbilicus ad ovi anserini magnitudinem aqua plenus propendebat, quem ut phlebotomo aperirem obnixè rogabat: Quum vero in tam gravi morbo temere & absque consilio nihil tentare vellem, atque de Medico accersendo, ut de umbilici incisione consultaremus, cogitarem, umbilicus sua sponte ruptus est: inde per trimestre magna copia serosi humoris effluxit: Is autem humor ut paulatim flueret operam dedi, imposito ipsi umbilico linteamine reduplicato & fascia involuto, ne ex intempestiva evacuatione aquæ, vires ægri, jam ob morbi vehementiam invalidæ, labefactarentur & plane prosternerentur: Sic Divino favore venter paulatim subsedit, ut tandem plenissime convaluerit, & per annos aliquot sanus vixerit: Demum vero Pleurensi correptus, ac nullis adhibitis remediis, obiit. Post mortem cùm cadaver ipsius aperirem, inveni venam umbilicalem, quæ in adultis in ligamentum solebat coalescere, adeo dilatatam ut facillimè pennam anseris per eam immisissem. *Fabritius Hildanus cent. 1. Obs. 47.*

Anno 1658. dissecuimus in nostro nosocomio juvenculam 24. annorum, quæ per 16. annos Ascite detenta, indeque tandem mortua fuerat, in qua nullius visceris manifestum vitium invenire potuimus, sola aliqua vascula lymphatica disrupta mali diuturni causa fuisse videbantur: crudeliter enim à parentibus in pueritia fuerat tractata, & ictibus pedum manuumque sæpissime excepta à quibus proculdubio aliqua vasa lymphatica dudum disrupta fuerant: Hanc suspicionem humores ipsi in abdomine collecti non parum confirmabant, nam in cadavere jam refrigerato aliquantum coagulati, apparebant, sicut lympha per frigus coagulari solet: & si ad tantam gelatinæ consistentiam non pervenissent, quantam consequitur lympha ex ipsis vasis lymphaticis in cochleari collecta: Vitam autem per tot annos produxerat misella, propter, viscerum integritatem, atque etiam quia per juvenilem corporis calorem quotidie multum serosæ humiditatis in abdominis cavitatem sensim influentis dissipatum fuit. *De Diemerbroeck. Anat. lib. 1. cap. 12.*

Decembr. 30. anni 1675. offerebatur nobis cadaver mulieris 24. annorum; in aperto corpore D. Gerardus de Pericin, Medicus, & D. Petrus Adriani Chirurgus, nobiscum observarunt sequentia, 1. occurrebat venter imus insigniter distentus, uno loco mollis, altero durus atque renitens, quamprimum integumentis externis lenta manu leviter dissectis, ad ejus interiora pervenire concedebatur, aquæ sanguinolentæ magna effluebat quantitas, quam non tantum ventris cavitates replere inveniebamus, sed & ad externorum extensionem plurimum contulisse: lenta satis erat, illa imprimis quæ circa lumbos & in pelvi detinebatur, fœtoris non levis particeps: Hac vasculo spongiisque ablata, reclinatis integumentis dictis, ad considerandorum exactius examen profundius justo dissectis, tumor enormis in hypogastrio, atque umbilicalis regionis parte superiore hærens, animum, oculos, imo manus ipsas sui ad considerationem commovebat: variæ hic figuræ duritieique, quandiu beneficio omenti (cujus vix reliquiæ aderant) diversæ partes sibi hic jungebantur, hoc enim leviter locis variis soluto, ventriculi magnam partem, intestini aliquam portionem, ipsamq; excrescentiam præternaturalem ad constitutionem ejus concurrere observabatur: ventriculus ab assumptis satis turgidus, similiter ac intestinum chylo repletum: licet mollitie singulari, materiaque contenta, quoties premeretur, mobilitate, non parum se manifestarent: quale tamen intestinum hoc haberi debeat dubii valde hærebamus, eo quod an & ubi ventriculus ei jungeretur notare haud liceret; duodenum autem hic pronuntiare, sublimis valde situs, atque omnino præternaturalis contra varietur: quod enim justo naturæ ordine intestinis aliis suo modo succumbit, lumborum vertebras oblique accedens, adeoque in occulto latens, hic se primum oculis nostris manibusque offerebat; Anceps hæc res certior evasit, postquam per foramen in intestino dicto, circa renem dextrum factum immissus flatus, & sursum ad ventriculum, & oblique deorsum, vel transverso potius ductu ad intestina reliqua excurrens, & continuationem ventriculi cum intestino excrescentiæ dictæ inhærente, imò hujus cum intestinis aliis, & quale hoc intestinum haberi debeat, patefaceret: excrescentia ipsa, quæ præcipuam molis hujus partem constituebat, insignis adeo magnitudinis erat, ut etiam extra corpus librarum quinque pondus exhiberet: firmiter hæc undique vicinis partibus cohærebat, hepati imprimis, ventriculo, intestino duodeno, ipsique continuato jejuno, ex latere dextro ad sinistrum se extendente, imò & lateralibus abdominis partibus mollibus, quæ inania dici solent, necnon ipsi colo intestino transverso ductu eidem accumbenti, ut nonnisi violentia, cultri maxime ope, separari debuerint: omnium autem arctissima unio eo loco observabatur, ubi mesenterii principium constitui solet circa lumborum vertebras superiores hac parte, quasi collo dissecta, separatis connexis aliis modo indicatis, massam totam cum annexo pancreate è corpore auferre licebat: partibus dictis quandiu adhuc unita massa hæc, curiosum valde qualiter vesica bilaria se exoneraret, notare, quandoqui-

dem ea in dies augmentum sumens, antrorsum versus umbilicum se extendens & intestinum duodenum, & cum eo ductum bilarium è loco suo naturali deturbaverat: non tantum intestinum, sed & ductum in majorem longitudinem extendi necessarium omnino fuit, observabamusque adeoque flatu in vesicæ fundum, postquàm bilis per foramen factum expressa, immisso, bilarium hunc porum miræ longitudinis, imo & capacitatis: Extendebat se anfractuoso quodammodo ductu ab hepatis parte concava ad sinistram massæ partem, ubi pancreas massæ ipsi uniebatur extremo eo quod in statu naturali intestino unitum, ubique firmo nexu eidem cohærens, hinc oblique ad intestinum jejunum quod massæ parti anteriori, ast simul inferiori connexum diximus, properare videbatur, quod licet oculis nostris se haud subjiceret, ob dissectum ductum eo loco ubi pancreas massæ jungebatur, maximà tamen ea copia bilis, quam in aperto intestini jejuni principio massæ connexo reperiebamus, imo & ductus ipsius, eo loco ubi abscissus, capacitas ea quæ vel digiti minimo apicem exciperet, id demonstrare videbatur: alba scilicet & satis dura, quasi ex plurimis variæ figuræ corpusculis concretis composita, sic ut pro steatomate vero, est scirrhoso magis, omnibus habita fuerit: Durus licet hic abscessus, pars tamen ejus dextra mollis satis, adipis veram formam ubique fere referens: fere diximus, cum non uno loco puris notæ se proderent; vasa sanguinea haud quidem in eo notabilia, satis tamen sanguinis fluxus, massa ubi dissecabatur, observabilis, ea adesse indicabat.

Abscessui huic similes illi qui in hepate ipso occurrebant, si non mole, saltem substantiæ conditione, haud notabilis hic protuberantia, licet aliqua, parenchyma ipsum in alienam ejusmodi substantiam locis variis degeneratum videbatur: Abscessus se exhibebat simplex, ast satis magnus, in parte hepatis dextra, à convexo se extendens ad sinum, duplex in parte sinistra, sic ut unus in gibbo, alter in cavo: Lien in hoc subjecto exiguus admodum; parenchymate bono præditus, tunica vero ejus, ea parte qua spectabat latus, cui etiam arctè cohærebat insignem crassitiem adsumpserat, imo callositatem, sic ut consistentia æque ac colore, arteriæ aortæ truncum in bove referre videretur: Ren dexter bene se habebat, ast in sinu sinistri, valde parvi, præter arenularum copiam insignem, occurrebat calculus durus admodum, satis magnus, extremo uno obtuso, ureteris pelvi: quatuor aliis acuminatis, totidem fere tubulis infixus: Testiculus uterque exiguus valde, rubicundus admodum, ac si inflammatione gravi correptus: In vaginæ uterinæ principio, parte ea quæ intestino incumbit, excrescentia aderat, eo loco ubi utero cohærebat, fibrosa, alias gangrænata, condyloma verum merito habebatur: Jam à 4. annis malè se habuerat mulier hæc, conquesta semper de præcordiorum dolore & summa gravitate, imprimis ab assumpto cibo potuve *Gerardus Blasius obs. medic.* II.

Urinam vesica perforata in ventris cavitatem profluere aliquando à me annotatum: sed & alvi excrementa vulneratis intestinis eo quoque deferri possunt: Uxor fuit Medici formosa & vivido colore prædita, carnosa quoque & satis pinguis; hæc concepit, peperit, sed fœtum nec plene gestatum, nec vitalem: Post partum venter non modo non subsedit, sed & paulo post auctior factus est, ampliusque quam prius intumuit: Suspicio nata est collectos esse in ventre aquosos humores, tametsi faciei color non mutatus sanitatem viscerum præ se ferret, nec pedes, quod sæpe hydropicis accidit, tumerent, & urinæ sanorum similes: Exhibita quandoque initio hydragoga, verum ab his nulla aquosi humoris successit purgatio, sed torsiones admodum molestæ. In hac miseria duos annos vixit, ventre interea in tantam molem & altitudinem distento, ut vix partes genitales manu contingeret: mirabantur omnes ventris tantum tumorem facie optimè colorata & nullis morbis notis in urina apparentibus: accessit successu temporis respirandi difficultas, quæ in dies increscens, ac molestior facta, tandem vitæ imposuit finem.

Dissecto ventre: non aquosus humor, sed sordes nigræ, quales in cloacis, effluxerunt, crassæ, fœtidæ: quibus frustillatim omentum permistum, quod solum à tantis sordibus computruerat: Sordium autem tanta fuit quantitas, ut quatuor urnas vel amplius implere potuissent, quarum singulæ 40. libras mensurales continent: Distentio autem ventris tam quoque magna, ut peritonæum, cum amplius distendi non potuerit, aliquot locis à superioribus partibus ad inferiores usque fissum fuerat, & jecur cum liene ac ventriculo, relicta propria sede, cedente septo transverso, intra pectoris spatium ascenderit, pulmone cum corde sursum collum versus in angustias coacto: quæ viscera integra, nec ulla parte vitiata fuere: Non licuit in tantis sordibus intestina eximere, & diligentius perquirere, sed dubium non est sordes istas non aliunde quam ex intestinis vulneratis ac læsis profluxisse: nec enim alia via aut modo in hunc locum pervenire potuerint: *Dodonæus cap. 35. obs. medicin.*

Vidua Nobilis N. ad secundas accessit nuptias, & mox à complexu conjugali, menses, (qui statis temporibus à morte primi mariti, ad alterum usque conjugium copiosè satis fluxerant) ad 16. & plures hebdomadas jam desiisse sentiens, gravidam se firmiter credidit; Sed postea novus mensium fluxus, parcus tamen, est exortus, qui sic constitutis temporibus, ut ne dies quidem deficeret, suum observavit circuitum: Dubitantem itaque ægrotam gravidane esset annon? (nam fluentibus mensibus abdomen in dies increverat) fœminarum quarundam assertio, quæ se similia gestationis expertas fuisse tempore affirmabant, in concepta graviditatis opinione detinuit: finitis vero mensibus septem, cum nullum infantis in utero motum perciperet, abdomen tamen in dies accresceret, non gravidam se amplius, sed aut molam in utero portare, aut hydrope se affectam credidit: quare variorum expetiit consilia, qui frustra hydropem expugnare tentavere: Quare se Hafniam contulit, ubi D. D. Simon Pauli fuit vocatus, & huic post fui adjunctus collega; Nos historia morbi præsentis cognita, & inspecto abdomine, adeo tumidum illud invenimus & inflatum, ut mulieris gemellos gestantis abdomen sua magnitudine non solum æquaret, sed etiam longe superaret.

Ideo

Ideo consensimus ut ascitim tympanitidem morbum appellaremus: non solum enim abdomen tumebat, sed & femora atque crura adeo erant inflata, ut ad digitorum levem impressionem relinquerent fovearum vestigia: Ad has igitur morborum species directa fuere remedia, & mitioribus catharticis ultra 20. pottæ aquæ puræ, sine ullo Nobil. ægræ incommodo brevi fuerunt eductæ, exceptis excrementis, quæ serosam sæpe materiam exigua comitabantur quantitate: quæ tamen aquarum educta copia, non solum non levavit ægram, sed ne abdomen quidem potuit detumescere, in dies majora excipiens incrementa: quam ob causam relictis tum catharticis tum flatus discutientibus, urinæ propter paucitatem, cujus horarum 24. spatio vix ℥viii. reddebantur, diuretica variis sub formis præscripsimus, sed sine fructu, majorem enim solito urinæ copiam non excrevit, ferreum itaque cum hunc morbum non solum medicamine non mitigari, sed magis abdomen, femora, crura, pedesque magis quotidie tumescere cerneremus, ne quod remedii genus à nobis intermissum videretur, tres Lanceola profundas satis & aliquantum ab invicem distantes scarificationes, supra malleolum pedis dextri administrari curavimus, ex quibus serum magna copia per aliquot effluens hebdomadas, ut tali remedio & femora & crura pedesque detumescerent, non exiguam nobis præbuit salutis spem: Verum gaudium non erat diuturnum, nam ad inferiores partes ex abdomine serum ulterius descendere, inde vulnuscula facta, una cum novo, quod in pedis superficie erat inflictum, fluere sponte desierunt, brevique cicatrice fuere obducta: omnibus hisce evacuationibus abdomen nihil minuebatur, sed quotidie accrescebat: Ideoque internis per os onerare ægram amplius noluimus, sed clysmatum commodiorum usu frequenti, satis bono cum successu continuavimus curam: In absentia postea D. Collegæ, cum continuo à me ægra nova remedia efflagitaret, balneum ipsi siccum ex sabulo marino calido commendavi, ex quo cum maxime levaretur, exque abdomine, lumbis cruribusque calore sabuli, magna seri extraheretur copia, illud tandiu, spe restitutionis, continuavit, donec vires quotidie magis deficientes, ulteriorem ipsi ejus usum denegarent: ab hoc igitur etiam abstinui, atque ægræ duo remedia generosa, Paracentesin abdominis, è regione umbilici, & perforationem paulum sub umbilico proposui, ex quibus perforationem illa se melius laturam putans: illam elegit, quam Chirurgus feliciter expedivit; Sed ex intrusa, fere sine dolore in abdomen cannula, quod ne gutta quidem prodiret aquæ mirum nobis est visum, quamvis Chirurgus oris primo suctu, deinde syphone eam extrahere tentaret: quare, re quasi infecta, cannulam iterum extraxit, statimque adeo arcte istud foraminulum in abdomine factum, clausit, ut ejus postea vestigium nec cognosci, nec profluens humiditas à nobis posset observari: nec ægra de ullo facti foraminis dolore conquereretur: Cannula extracta erat quadam repleta materia, quam immisso cannulæ stylo adaptato, albam & glutinosam, sed in parva quantitate, inde expulimus, factoque experimento num in lympham caloris posset resolvi beneficio in cochleari super lenti caloris ignem, tanta adepta est spissitatem, ut glutinum verum albo colore dixisses & fragile, quæ glutinosa substantia, aquæ frigidæ affusione resoluta, ad priorem rediit visciditatem: Hæc jam postquam extrema remedia, sine ullo fructu adhibita, cùm cerneret ægra, ulteriorem Deo curam commendavit totam, clysteribus interim, quoties urgebat necessitas, proritans alvum ad excernendū, & tanta gestavit facilitate abdominis pondus, ut post occlusam ejus puncturam, carpento extra urbem vehi se aliquoties sit passa: Cùm vero ad eam invisendam circa nonarum Augusti octavam matutinam adessem, nocte præcedenti bene quievisse se & (appetitus enim toto morbi tempore non fuerat dejectus, neque sitim patiebatur) jentaculum more sumpsisse solito mihi retulit, reliqua etiam omnia mediocriter habere cognovi; circa vero sextam ejusdem diei vespertinam iterum advocatus, adeo immutata vidi omnia, ut jam nihil, nisi mox parturientis ex ægra clamores exaudirentur, retulit etiam mihi, remissa planè & pene deficiente voce, se majores circa uterum, pudenda vicinasque partes, jam parturiendi perferre cruciatus quam antea nuquam: Et quoniam hosce dolores, dixit, meas superare vires longè sentio, aut abdomen jamjam rupturum, aut me fatis hoc momento concessuram credo, hique dolores toto noctis fere intervallo persistebant, nec ullum mitigandis illis aptum remedium potuit applicari, donec tandem post matutinam sextam ultima ad Deum transferret suspiria.

Quoniam vero Nobil. hæc, tenerrimæ alias conformationis, abdomen p.n. tumidumque habebat maximum, maritus, metu rupturæ, postulavit, ut lanceola facta pertusione leni, quandam copiosæ in abdomine contentæ materiæ portionem educeret, quod factum: Verum non ut in hydropicis consuevit, magno impetu prosiliit aquæ profluvium, sed ejus loco materia talis viscosa & crassa, qualem ex vivente syphone extraxeramus, hoc támen discrimine, quod hæc priori minus albicans ad puniceum vergeret colorem: Tum, quod largior hujus materiæ copia per puncturam factam egredi non posset, illam Chirurgus paulum fecit majorem: Tum materiæ dictæ quinque ad minimum pottæ nostræ mensuræ cum impetu effluxere, & una cum hac frustum aliquod peculiare materiæ glutinosæ, quod mirabili magnitudine & figura, uvam racemiferam, aut conum pineum referebat, colore ex albo flavescente, quod à materiæ glutinosæ reliqua saburra facillimo separabatur negotio, sed basi sua uteri rupti parti interiori per venulas & membranarum fibrillas adeo adhærebat arctè, ut propter raram extensionem sine ejusdem læsione ab utero non separaretur: Illud vero in rupti uteri parte prodeunti, materia quædam glutinosa, distincta, rotundam exhibens figuram, firmiter adhæreret: Venæ itaque istæ, earumque variæ ramificationes, quibus singulis pro magnitudine talis glutinosa figura erat superposita, admirabile hoc glutinosum corpus efficiebant: Exempto tandem cum materia hac racemifera, simul & ipso utero (quem in fundo & ad latera nimia ipsius ruperat extensio & raritas) in ejus latere dextro, corpus membranosum, rotundum, capitis virilis æquans magnitudinem, fibris

partim & membranis robustioribus uteri parti inferiori, partim ilio ossi firmiter annectebatur, exceptis his ligamentis partem reliquam liberum: quod cum & Chirurgus aperiret, nihil in eo aliud præter similem in abdomine contentæ meteriam, sed albidiorem aliquanto invenimus: Tum ad reliquas abdominis partes facta digressione, absconditas illas tegumento quodam membranoso, crasso satis, & robusto, superius utriusque lateris costis spuriis, in medio toto tractu peritonæo, inferius pubis ossi, inter uterum & rectum intestinum adeo firmiter annexo reperimus, ut divelli inde facile non posset: Et inter hanc & peritonæum, omnis supra toties nominata materia crassa & glutinosa, simul cum rupto utero, & corpore rotundo membranoso cum sua materia continebatur: quæ materia collecta omnis 28. mensuræ nostræ pottas æquavit: Postea membranam illam robustam dissecuit Chirurgus, & Hepar, lien, reliquæque in abdomine contentæ partes oculis se nostris prodidere, quas sanas omnes, præter cœcum & rectum deprehendimus: Intestinum illud infantis trium annorum brachium supra cubitum æquans crassitie, & opertum materia glutinosa, reliqua abdominis multum candidiore, scatens: hoc, tumorem palma circiter ab ano distantem, ovi magnitudine ferens, quem fœtoris metu Chirurgus non aperuit, conjectura tamen elicere potuimus abscessum ibi latuisse, & ex hos purulentā illam effluxisse materiam, quæ quoties suppositorio ex melle tantum & saccharo, Nob. fœmina ad huc vivens sollicita batalvum, cum reliquo sequebatur profluvio, quod tum temporis in rratione (licet puris redditi causa daretur nulla sæpissime observavimus. *Paulus Moth in Actis Medicis Thom. Bartholini ann. 1671. & 1672. observat. 8.*

Figuli uxor vivebat nobiscum anno 1608. sed satis misere, cum ejusmodi ventris tumore ut ascitem ingentem quantitate mentiretur: Molem hanc ventris per annos aliquot foverat, & pedetentim auxerat, frustra præscriptis & adhibitis variis remediis ad resolutionem & dissipationem tumoris à pluribus ordinatis, eo usque ut ponderis illius extensione non solum doloribus variarum partium cousumeretur, sed insuper compressione pectoris ac diaphragmatis, ob depravatam sanguificationem ἀτροφία reliqui corporis præcedente, tandem extingueretur: Hæc paucis ante mortem septimanis anxiè petiit ut tumor aperiretur.

Post cutis & musculorum abdominis incisionem, 1. intestina juxta dextrum latus ascendentia occurrebant, quibus remotis, loco secundo, tumor ingens, propria tunica satis crassa, totam capacitatem infimi ventris complens, in conspectum veniebat, qui parte inferiori, ut & in lateribus facili negotio, sine reliquarum partium læsione, separabatur: At superius à fundo ventriculi, partibusque circumjacentibus, non sine laceratione divellebatur. Exemptus hic tumor tantæ magnitudinis erat, ut libras 56. penderet cum omnium admiratione, exterius undique satis crassa robustaque membrana constabat, qua dissecta, primum adiposa substantia, postea scirrhosus & glandulosus tumor observabatur, donec in medio cavitas fœtida sordidaque sanie repleta se offerret. *Gregorius Horstius Problem. 10. Decade 6. observ. lib. 10. obs. 4.*

Dominus Vitalis Stadier. Illustris Comitis J. Fuggeri Quæstor, plurimis annis ex veneficio, ut putabat, non sine symptomatibus melancholicis, & quidem illis de quibus G. I. Nasi enim sui metuebat casum, & suadabat semper, nec consumebatur, quin corporis moles videbatur augeri, crassus & corpulentus, abdomine tubero, cum vomitu pituitæ, quod anno 1617. observavi; Comes in acidulas Ebenhusanas, sic suadentibus Medicis. Audivi tunc hujus mali causam hanc: Sibi, dum apud rusticanos præfectos passim in exigendis rationibus occupatus esset nomine Generosi, oblatum fuisse poculum vino plenum ab uxore cujusdam præfecti, cum precibus, ut antequam properaret in urbem, hoc sibi soli reservatum poculum exhauriret: Medium non traxit ex cyatho, fœminæ reddit, quæ ulterius urget, at nescio quis horror nauseosum fecerat: Eques igitur dum est in itinere Augustam, sentit alterationem totius cum mentis quadam consternatione ac melancholicis cogitationibus. Domimolem sui corporis accusat ac vastitatem cum aliis imaginationibus, quas conticuit dicere, aut ob pudorem, aut non reminiscentiam: Primo vere hoc accidit, itaque afflictus sic demum in autumno, me comite à Medico domestico adjuncto in acidulas profectus est: Maximus metus erat ne decideret nasus, manus, digitus, aut articulus aliquis. In fonte eructationes, inflationes ventris ac hypochondriaca observavi: Tractaverunt hunc morbum D. Rumlerus & Paulus Jenischius. Post illius mortem Dn. Cneulinus, qui 1626. cacochymicum & hydropicum pronuntians, ob abdominis & pedum tumores, multis evacuationibus purgando & sudando curavit. Sequenti anno, die Jovis, Aprilis 8. exspiravit symptomatibus apoplecticis.

Ejus cadaver sectum fuit præsentibus Medicis Curæ, à Chirurgis Anatomiæ parum gnaris: Observavi ego sequentia, viscerum omnium ea fuit cum vicinis partibus communio, connexio ac quasi conglutinatio, ac si vinculis alligata, annexa ac juncta essent, ut vi avellenda & dissecanda essent: Pulmones magni, flaccidi, lobis indistincti, colore lividi, jaspidis instar variegati & quasi gangrænosi, diaphragmati arctissime connexi & adnati, ut acutie ferri separandi essent, sic & pleuræ, quæ causa Dyspnœæ. Cor magnum, prout totum corpus erat: Hæc in thorace. In abdomine hæc observavimus, cystis fellis substantia fuit crassa & densa, cavitatis ampla, cum pauca pinguedine, in qua lapilli duo atri coloris, major capitulum rutæ quadrangulare referebat, cujus radix triangularis, qualis est dentis molaris forma, magnitudinis capituli rutæ: alter triangularis forma glandis, coloris subcineritii: Tunica vestiens hepar pinguis corpus hepatis magnam, duriusculum, coloris pallidioris parte sua gibba, diaphragmati annexum & quasi alligatum: Sima seu cavi ventriculo succumbens, ac multa pinguedine & tunicis cohærens, seu ei agglutinata: Ventriculus medius inter hepar & lienem, quibus adeo stricte cohærebat ut ferro separandus esset non sine dilaceratione, obsitus pinguedine, exiguus & inanis. Corpus lienis planè latitabat sub pinguedine, ut præ ea videri non potuerit, grande seu magnum & crassum, figuræ

figuræ oblongæ, nec instar linguæ bubulæ, sed aliquomodo globosum, coloris diversi, in cujus medio, digiti latitudine, atra linea, substantia compacta, densa ut hepatis, in cujus convexo venæ varicosæ, crasso sanguine farctæ in imo, cellulas coli, vel potius pilulas conglomerans, sic vocante D. Cneulino, referentes, varices non magnæ erant, alligatum ventriculo: Mesenterii corpus crassum, pingue, adiposum ubi Colo ac ileo jungitur, cum paucissimis glandulis arctè vinciens intestina, veteri stercore turgida, quæ & cultro separanda fuerunt. Renes carebant vitio, copioso adipe tecti, vesica urinaria lotio turgida: Pinguedo & adeps sua copia vestiebant omnia, occultabant & viscera, ob quod pondus Stadlero spiritus impeditus fuit. Sic ventriculi exiguitas non admittebat multum cibi. Caput intactum reliquimus. *Hæchstetterus casu 6. Decad.* 10.

Honesta erat fœmina, pudica, & sexum suum decentibus virtutibus ornatissima. Hæc ante hos sedecim circiter annos, anno nempe præter propter 1666. tum annorum ætatis suæ 26. sensit, abdomen nonnihil intumescere, ignara, unde hæc abdominis intumescentia ortum ducat: quæ etsi nec dolorem, nec ambulandi impotentiam, nec aliud quodvis symptoma actionem aliquam lædens comitem haberet; tamen super ea Medicus consultus est, qui flatulentiam subesse radicus, contra eam aliàs proficua remedia præstitus, praescripsit & adhibere jussit. Sed frustra. Abdomen sensim magis magisque attollitur, fluentibus interim rectissime mensibus, cæterisque sanitatis indiciis plerisque apparentibus, præterquam quod artus eo magis subinde gracilescere viderentur, quo majorem in molem æqualiter excrescebat. Abdomen totum.; Anno 1672. conjugium init Nobilissima virgo, spe, fore, ut fortassis prolium enixu illa una subsideret abdominis intumescentia. Sed & hæc decollavit spes. Facta quidem est trium liberorum mater; at tantum abest, ut detumuerit abdomen, ut potius subinde majus sumpserit incrementum; quo factum, ut alia præterea supervenerint graviora symptomata, nempe ambulandi difficultas, dextræ coxæ dolor, & præcordiorum anxietas; præter illa gestationis fœtus tempore, ultimis imprimis mensibus, familiaria, ut stranguria acerbissima animique crebriora deliquia. Diris his sanitatis hostibus per aliquot annorum decursum conflictata, tandem sub finem Novembr. 1682. inopinate incidit patientissima patiens in spontaneum alvi defluvium, quo abdominis moles ita re sedit, ut non levis spes, urina etiam imprimis indies ad aliquot mensuras secedente, affulgeret redintegrandæ valetudinis: sed quam paulo post superveniente summa respirandi difficultate, tristis eventus, placidissimus nempe obitus. D. 14. Octobris 1682. excepit. Post quem cum instituta extispicina extra lustrarentur, en! oculis nostris se stitit tantæ capacitatis saccus membranaceus, ut 40. circiter mensuras tenuerit, qui innoxiè omnibus visceribus incubuit, inque tantam molem extulit abdomen, urinoso liquore ultra dimidium ejus repletus, cæteris visceribus reliqs; intaminatis repertis: præterquam quod uteri fundo inhæserit semirotundus globulus cartilagineus, & tuba uteri dextra, ex qua saccus ille, ceu radice, prodiit, obliterata apparuerit: atque omentum non super saccum & viscera expansum, sed corrugatum prope diaphragma inventum fuerit. *Georg. Abrahami Merklini.*

Mulieris se gravidam putantis abdomen sensim intumuit. Gestationis tempore elapso, hydrope laborare judicatur, per triennium venter ita accrevit, ut oneri ferendo vix sufficeret. Tandem febri continua, dyspnœa, siti immani & inquietudine emaciata animam reddidit. In vivis multo potu frigido & fructibus crudis usa fuit.

Continebat abdomen lymphæ nonaginta libras. Peritonæum parti anticæ ventriculi tam firmiter adhærebat, ut nonnisi cultello separari potuerit, adeo ut vulnus, per quod lympha educta fuerat, in ipsum ventriculum penetrabat. Ambo ventriculi orificia eundem situm fere obtinebant, seque invicem tangebant: Omentum superiorem partem occupabat. Jecur è loco valde elevatum. ventriculus per medium dissectus ulnam vulgarem superabat, fibris, quæ membranam interiorem contexerant,. à se invicem latè dissitis. Cystis aquosa de pylori menio pendebat, interior ventriculi membrana hydatidibus scatebat.

Quantum frigida & fructus acidi nocent, cuivis notum: frigida sanguinem instar gelatinæ concrescere faciunt, acida vero eundem coagulant: atque hæc duo mulierem hanc vexarunt.

Rarum certè hydropis ventriculi exemplum est, novimus hydropem esse vel generaliter per universum corpus, in partibus particularibus tantum residere, atque illa sors nostræ mulieri in ventriculi membranis contigit. Vasculis lympham, per universam texturam, vehentibus, dilatis, primo hydatides seu aquulæ ortæ sunt, & deinde post eorum rupturam, lymphæ intra ventriculi tunicas effusio, hinc quoque laterum ingens dilatatio, intra cujus intercapedinem immensa liquoris copia, dissecantibus inventa. Ob sanguinem aliquando refrigeratum & deinde incalescentem, febri laboravit: ex diæta liquet multum cruditatis & aciditatis in sanguine reliquisque succis accumulasse. Ex febri, ob salivæ defectum oriebatur sitis ingens. Inquietudine fatigata est, quia acidi & viscidi humores, particulas acutas habentes, membra omnia vellicabant, unde quasi totius corporis dolor. Sitim patientes, cibos vix capere aut deglutire queunt, imo abhorrent, accedit appetitus prostratus & ventriculi ab aqua ad interiora coarctatio, unde vix cibum, nisi cum summa difficultate sumere quivit: non mirum igitur illam ad extremam maciem fuisse redactam. Facilè mihi persuaderem, ex potu frigido, quem æstate largiter ingessit, lympham, ventriculi parietes percurrentem, fuisse constipatam, unde vasculorum dilatatio & ruptio: unde venter post annum unum & alterum immensum usque extensus fuit. *Steph. Blancard. in Anatom. Pract. rational.*

Virgo quinquagenaria cacochymica, in uteri hydropem incidit, qui ad triennium duravit. Tandem post obitum dissecto cadavere, non tantum uterus pustulis, aqua refertis, inventus, sed in ipso etiam abdomine saniosa colluvies fœtida subpurulenta ad aliquot heminas deprehensa fuit.

Cacochymia est corruptio sanguinis & humorum, unde obstructiones, & vasculorum lym-

phaticorum eruptiones, hac de causa aqua facile intra membranas effluit, Hydatidesque elevat. *Idem ibidem.*

Fœmina quædam ante obitum per duos menses continuo febre quadam afficitur; questa est de gravi pondere, (quod liberè pendebat, ut putabat) in abdomine. Urinæ ejectio non respondebat, alvus quoque dura, ac respiratio difficilis. Medici divinabant de mola in utero; alii vero de hydrope & tumorem istum abdominis octo annos gessit. Post mortem abdomen aperiebatur. Mesenterium ac pancreas immensæ molis erant, decem libris cum dimidia æquabant. Externè scirrhosa videbantur, connexa tantum erant cum lumborum vertebris posterius; anterius vero cum peritonæo etiam planè scirrhoso, adeo incrassato, ut cartilaginis speciem referebat: ab intestinis, quod mirum est, planè libera erat. Varia ulcera in mesenterio inveniebantur, quorum singula singulari quasi pellicula continebantur, quædam pure plena, olei instar, alia mellis consistentia erant, alia vero adipis liquefacti vel pultis, albuminis ovi aut lymphæ liquorem continebant: & ut brevi dicam quot ulcera, tot materiæ diversitates. Aquæ aliquot libræ effluebant, jecur planè induratum, ac ulceribus plenum: Intra octo annos, quibus iste abdominis tumor sensim accrescebat, se quod menstrua & cœtera sanitati convenientia, bene habuit, exceptis postremis ante obitum mensibus, tum enim præ gravitate abdominis & febre continua decumbere cogebatur.

Omnes abdominis glandulæ atheromate, meliceride, steatomate aut scirrho obsessæ fuerunt, præsertim pancreas & mesenterii glandulæ; atque pro varia glandularum obstructione, fuit etiam materia ab invicem varia. Ob ingentem pancreatis molem, rectum intestinum & vesica compressa, adeo ut, nihil stercoris aut urinæ excerni potuit. Sic quoque, ob elevatum, à tumoribus & aqua, diaphragma, musculisquæ abdominis distentis, respirandi actus libere fiere non potuit, ideoque in difficilem incidit respirationem. Quod ante mortem febri laborabat, mirum non est, nam obstructis visceribus, sanguis tandem saburra inficitur, ita ut tandem inspissatus, incalescat. Ex ruptis in abdomine lymphaticis, aqua extillavit, unde hydrops ascites, sive venter aquosus. Mirum videtur, pancreas & mesenterium intestinis ut solet, non adhæsisse. Sed præ nimia ponderis gravitate, omnes membranæ, cæteraque viscerum retinacula à pancreate & mesenterio dirupta sunt, adeoque ut ipsa fatebatur viva, liberè pendebant. *Idem ibidem.*

Hydrops in quo tumor pilosus in omento repertus est.

Anno 1683. aperuimus cadaver cujusdam mulieris, jam à 15. annis hydropicæ, unde per abdomen ejus, trium ulnarum spatio distentum, vasa sanguinea crassitie & capacitate calamum scriptorium maximum superantia, dispersa invenimus. Tandem post multos, & quidem intolerabiles dolores, incidit in gangrænam supra umbilicum, qua separata, magno cum impetu, humor in abdomine contentus erupit, sine notabili fœtore. Magister Abel Vander Horst de arte chirurgica bene meritus, spleniorum, & emplastrorum glutinantium usu ulteriorem inhibuit fluxum: utq; partitis vicibus daretur exitus huic liquori, singulis quadrihoriis quantitatem sufficientem eduxit. Hic humor, paucis post eruptionem horis, tantum concepit fœtorem, ut nemo perferre potuerit. Quarto, quintove post apertionem die, obiit misera patiens. Cadaveris aperienda copiam nobis suppetebant consanguinei. In omento, digitum crasso & carnoso, fixeque peritonæo adhærescente invenimus tumorem pugni magnitudine, quo secundum longitudinem aperto, primo paululum materiæ pultaceæ, albæ, nullo fœtore præditæ, erumpebat. Hac emissa, nihil præter glomum durum, è capillis intricatis & crispis constantem; invenimus. Hi capilli diversæ erant longitudinis; nonnulli magnitudinem digiti, alii spithamam superabant. Hosce capillos microscopio subjectos planè convenire cum aliis capitis capillis reperi, excepto quod nullis gauderent radicibus. In cæteris visceribus nil notatu dignum observabam. *Fridericus Ruyschius in Observationibus Anatomico-Chirurgicis.*

Hydrops in quo hepatis glandulæ admodum tumefactæ.

Hepar humanum magna ex parte è glandulosis corporibus constare, jam à longo tempore deprehendimus. An. 1686. vetulæ, ex hydrope ascite mortuæ, cadaver in usum discipulorum aperui, Primo cuspide cultelli exitum paravi tenuiori sero, in abdomine contento. Post grandiori facta incisione, visui se se obtulit humor flavus, & limosus, satis indicans in hydrope ascite non tanti esse momenti paracentesin: nec adeo temere instituẽdam, prout nonnulli voluere auctores: pauci enim evadunt, nisi ichor intra musculos & peritonæum (alii dicunt inter duplicaturam peritonæi) hæreat. Tubis Fallopianis compressis, materia quædam, spermati humano analoga effluebat. Ovaria comparebant admodum exilia: quemadmodum in vetulis ut plurimum visuntur. Intestina non solum undiquaque peritonæo, verum etiam sibi invicem connata. Hepatis superficies inæqualis propter glandulosa corpora tumefacta. Ejusmodi corpora glãdulosa, aut glandulas hepatis magnitudine auctas, nuper quoque publice demonstravi, & aliquoties conspexi, nunquam tamen adeo copiosa, quam in supradictæ vetulæ hepate: totum enim hepar è meris glandulis magnis constare videbatur, unde perquam inæqualis existebat ejus superficies. *Idem ibidem.*

Hydrops ascites ex hydatidibus.

Incurabilibus affectibus nobis sæpius occurrentibus, haud sine ratione dicitur, non esse in Medico semper relevetur ut æger. Quis Medicorum curare potest hydropem ascitem limosum, membranis inclusum? cujus varia quidem vidimus & apud autores legimus exempla: nunquam tamen mirabiliorem hujus rei historiam me intellexisse memini: quàm eam, quæ mihi ante aliquot annos in platea Sancti Johannis occurrit: ubi præsente Magistro Petro Adriani filio aperui cujusdam virginis ætate provectioris cadaver, cujus admodum distenti abdominis totam cavitatem repletam conspeximus innumera

merabilib. vesicis aut sacculis, humore tenaciori & glutinoso refertis. Nonnullæ earum vesicarum erant magnitudine pugni minoris, aliæ magnitudinem nucis juglandis non superabant, non paucæ æquabant nucem avellanam. Utrum harum vesicarum subjectum glandulæ fuerint mesenterii in vesicas, aut, si mavis dicere, hydatides, degeneratæ, (quod crediderim) aut vasa lymphatica præter naturam expansa, non ausim certo affirmare. temporis enim penuria, & morosorum consanguineorum præsentia ulteriorem investigationem denegavit. *Idem ibidem.*

Partium quarundam induratio in hydropica.

Ab atrophia & corporis marcore partes nonnullas indurescere, imò ossescere, vel lippis atque tonsoribus notum. Id autem etiam in hydropicis contingere posse sequens probat exemplum. Mulier quædam utero gerens, & hydrope ascite simul laborans syndromen malorum tempore gestationis perpessa est. Enixo fœtu maturo, non desiere illam vexare ascites, præcordiorum anxietates, dolores intolerabiles & multa alia mala; donec Deo ter Opt. Max. placuit, miseriis ejus finem morte imponere. Cadaveris apertione latici aquoso exitum paravi. Quo facto peritonæum variis in locis duris particulis, arenulas mentientibus, conspersum, venamque portæ ex parte osseam factam, reperi. Venam ipsam domi reservo. Cætera viscera satis bene erant constituta, omento excepto, quod in totum erat consumptum. *Idem ibidem.*

In hydropici cadavere hepar malè & quomodo affectum.

Quantumvis in hydropicis glandulas præsertim hepatis indurari, sæpius accidat, attamen non semper ad amussim sibi invicem respondere ejusmodi casus reperio. Nonnullorum hydropicorum jecinora in totum indurantur, superficie manente æquali, glandulisque insensibilibus. Aliquando ita augentur glandulæ, ut per universam hepatis superficiem expullulent. Nonnunqnam hæ glandulæ sunt magnitudine nucis avellanæ. Nuper cadaver cujusdam hydropici (cujus pedes à tribus fere annis œdematosi facti, unde tandem, in mari naufragio facto & multum frigoris perpessus in verum ascitem inciderat) dissecui præsentibus Viro Doctissimo Petro Bernage, Medicinæ Doctore expertissimo [qui mihi cadaver aperiendi copiam fecerat) ut & Chirurgo Vogelesangh, in arte sua bene versato. In thorace, quantumvis summis & maximis anxietatibus fuerat afflictus, nil mali invenimus; omnia abdominis viscera optimè erant constituta, solo hepate excepto: totum enim deprehendimus induratum, cujus superficies ubique inæqualis erat, propter glandulas induratas & magnitudine auctas. Harum nonnullæ erant magnitudine capitis aciculæ, aliæ semen lentis æquabant. In abdominis cavitate magnam aquæ copiam deteximus absque ulla notabili graveolentia. *Idem ibidem.*

In simili alio hepar iidem malè affectum unà cum calculo in ductu cystico.

Vir quidam cum à longo tempore ascite laborasset, tandem multis remediis incassum adhibitis, animam efflavit. Cadaveris ejusdem aperiendi ansam mihi suggessit Joachimus Schraderus Chirurgus minime ineptus, qui dissectioni quoque interfuit. Nulla, præter hepar induratum, viscera male erant constituta: vesicam in felleam admodum magnam, aquoso, (at nullo modo amaro aut bilioso) humore refertam conspeximus, in cujus ductu cystico calculus occurrebat ciceris majoris magnitudine, qui meatum in totum obstruebat. *Idem ibidem.*

Hydrops tubæ uterinæ monstrosus.

Corneliæ Nicolai Virgini paupercula adversa valetudine aliquandiu usæ cœpit abdomen intumescere anno 1660. à quo tempore tumor paulatim & ita increvit, ut præ pondere 18. ann. molestissime vixerit, antequam miseriarum suarum invenerit finem: quem tamen circa annum ætatis suæ 43. adepta, fecit nobis copiam inspiciendi miserrimum suum cadaver, in quo ann. 1678. 17. Junii, St. vet. coram aliquot Medicis & Chirurgis, nec non spectatissima studiosorum corona, sequentia demonstravimus. Totum corpus quodam modo erat emaciatum, sed abdomen in tantam molem excreverat, ut reliquæ partes vix conspicerentur, & ferè a nemine, qui demonstrationi non adfuit, concipi queat. Aperto abdomine nulla aqua affluxit, sed omnis continebatur in dextra uteri tuba, & quidem solummodo in ejus parte juxta testiculum, necnon in ligamento isto lato, quod ab Anatomicis alæ vespertilionis vulgo assimilatur: eaque ab aquarum copia ita erat dilatata, ut inflicto parvo vulnusculo 112. libræ effluxerint. Aqua hæc erat limpida, fontanæ ad instar. saporis subsalsi. Substantia in qua continebatur crassitiem habebat semidigiti. Externæ superficiei multæ vesiculæ aquosæ: necnon portiones adiposæ plurimæ adhærebant. In latere opposito eodem in loco tumor conspiciebatur tenax, continens in se purulentam, fungosam, cartilagineã, viscidam, & nescio quam putridam materiam, necnon plurimas vesiculas limpido humore repletas ultra 10. libras pendens: cujus extremæ parti adhærebat alius tumor, magnitudine duarum manuum sibi invicem complicatarum, flavus: mollis friabilis, materiam continens purulentam casei putrefacti adinstar. Testiculus erat mediocris magnitudinis, at dimidia ex parte corruptus. Uterus naturaliter erat constitut9, & decentem habebat magnitudinem, atque in ejus cavitate ne guttula quidem aquæ conspiciebatur. Meatus ex utero tubas spectantes erant aperti, ita ut libere & sine ullo impedimento ex utero in tubas utrasque stylus penetraret usque ad tubarum medietatem, ultra quam ulterior progressus nequaquam concedebatur. Hepar extrinsecus erat fœdi coloris, & multis hydatidibus obsitum, quarum aliæ ovi columbini, aliæ ferè ovi gallinacei, aliæ minoris erant magnitudinis, quibus tamen non solum hepar, sed etiam aliæ in abdomine partes scatebant: interior hepatis substantia satis sani & rubicundi coloris conspiciebantur. Lien similiter bene erat constitutus. Ventriculus ad minimum apparebat naturali quadruplo major, quem non aperuimus, ob magnum fœtorem, qui modo ex apertione aliarum partium per cubiculum erat dispersus: putamus tamen humore aquoso & bilioso fuisse repletum, quoniam Medicus ipsius ordinarius nobis narravit,

illam

illam aliquot ante obitum diebus similem humorem sæpius vomitu rejecisse. Intestina omnia erant atri coloris & fere sphacelata. Cùm cultro perforatum esset diaphragma, magna rubicundi humoris copia cum impetu effluxit. Cætera ob magnum fœtorem non inquisivimus. *Autores Bibliotheca Anatomicæ ex communicatione Clariss. atque Celeberr. Viri Joh. Munnicks Medicinæ Doctoris ac ejusdem Trajecti ad Rhenum Professoris Dignissimi.*

Hydrops cum Schirro Ovarii sinistri tuberoso.

Nobilis Matrona annos 35. nata, quæque anno ætatis 20. nupserat, quatuor filios, totidemque filias enixa semper magnam aquæ copiam rejecit, idque præsertim in ultimo partu quo tribus abhinc annis quintum edidit filium, qui adhucdum benè sanus vivit. Crediderunt tunc temporis eam gemellum parituram, quia dolores persistebant, post editum prædictum filium, ac eapropter me in re difficili accersiri curarunt. Cùm adveni uterum quidem onere omnino liberum deprehendi, verum tumorem admodum grandem, durum & inæqualem in inguine sinistro tetigi: Unde ex situ partis, præcedaneisque meis experimentis, facile judicavi ovarii sinistri schirrum subesse tuberosum per tubæ uterinæ longitudinem excurrentem, eaque propter malum esse incurabile. Et sanè ab ipsis primis diebus tam prodigiose intumuit abdomen, ut eam magnitudinem quam graviditatis tempore adeptum erat etiam superaret, atque abhinc ita sensibiliter auctum fuit per tres annos continuos, ut tandem ægram suffocarit. Familiam iis quæ jam dixi imbueram, unde exquisitum est ut defunctæ cadaver aperiretur, sicque rei veritas in mei laudem vel opprobrium pateret. Ex quo cadavere potitus sum, ex eo per paracentesim, aliasque etiam vias quinquaginta aquæ libras civiles eduxi, quæ faciunt pintas Parisienses 25. Hoc peracto viscera nutritiva ad examen vocavi, eaque prorsus integra reperi. Postea tumorem meum monstrosum ab uteri tuba sinistra aliisque quibus adhærebat partibus separavi, qui libras civiles decem ponderavit, cujusque figura ovalis pluribus tuberibus atque sulcis erat inæqualis. Undique apparebant globi quasi in acervum aggesti, & substantia, & rotunditate, & colore & consistentia varii. Ab instituto plenius examine omnino vidi, tam confusam aggeriem nihil aliud prorsus exhibere quàm ipsum ovarii corpus præter naturam mire auctum; nam totus ille tumor à vesiculis seminalibus earumque cellulis & multiplicatis & alteratis procedebat. In quibusdam ex illis globulis aqua & limpidissima & liquidissima, in aliis serum subflavum ad minimum attactum perquàm facilè effluens, in aliis humor viscidus, ad instar mellis crassus atque parum pellucidus, in aliis viscida quidem materia, sed ad instar albuminis ovorum pellucida, in aliis gypseum quid opacum ac pluribus spiculis de se assurgentibus asperum & inæquale, in aliis tandem coriaceum quid ac schirrosum ad instar cornu ad ignem emollitum, continebatur. Illiq; omnes invicem firmissime copulabantur per callosa ac nervea quædam ligaméta. Fibras præterea de se emittebant numerosas & peritonæum & musculum abdominis transversum, & inguen ipsumq; umbilicum ita penetrantes, ut inde quasi è fornice firmo dependerent. Globorum prædictorum magnitudinem quod attinet, alii nuces avellanas, alii ova columbina, alii ova gallinacea æquabant. Verum ex iis tres erant præcipui quorum quisque pugni magnitudini accedebat, ac non multum abscedebant ab illis decem tumoribus monstrosis à Vesalio capite de liene descriptis. Mihi prorsus impossibile fuit omnes alios numerare, nam ea qua Ingrassias solertia non præditus fui, qui in mesenterio solo 70. ejusdem cum meis conditionis subtiliter computavit. Cùm itaque minores ab implicationibus suis expedire ac extricare minimè valuerim, contentus fui eos cum cotyledonibus vituli, termino suo nati, comparare, tunc enim & grandiores & numerosiores reperiuntur, magisque ad meum accedunt subjectum, tum propter magnitudinis inæqualitatem, tum propter numerum minus certum. Tota tuba uterina ac morsus diaboli, monstroso huic assidentes ovario, cum suis parvulis musculis contabuerant; interim immisso in cavitatem spiritu eam expandebam. Ovarium dextrum, uterusque cum adjunctis sibi partibus intemerata ac inculpata erant. Verum monstrosæ illæ omnes vesiculæ, ac præcipue quæ ad minimum diffluebant attactum apud me confirmarunt hydropis causam qualem illam Hippocr. libro de morbis internis retegit ac explicat, ibi enim producit aqueas vesiculas disruptas, sicque fatale facientes diluvium unde calidum innatum ac vitæ lampas extinguatur: Hic sanè duo singularissima demiror, quorum alterum est, quod matrrona hæc per tres quibus hydropica fuit annos semper menstruata vixerit, imò appetentiam & in potu & in cibo satis integram conservarit: alterum vero, quod in interaneis suis onus ponderis 60. librarum gerere valuerit &c. *Ex Epistola gallice conscripta quam nobis communicavit. Clarissimus atque Celeberrimus D. Carolus Drelincurtius Leidensis Universitatis Professor Senior.*

Hydrops ingens in duplicato peritonæo.

Evenit quandoque, ut aqua non in cavitate abdominis stagnet; sed aut vesicis quibusdam, hydatidibus dictis, & visceribus adnatis includatur, ut Schenkius habet; & Zacutus Lusitanus duas invenit aqua fœtida, lividaque mucoso humori permixta repletas, quarum una libras aquæ xxx. excepit, ac Mauritius Cordæus plusquam 800. in infimo, & medio ventre offendit: aut inter duplex peritonæum coacervetur, quemadmodum fidem mihi fecerunt Clarissimi viri Medici, primum quidem Simon van Zyl Cognatus mihi charissimus, qui è duplici peritonæo Fœminæ staturæ brevioris 24. seri stopas exhaustas vidit; cum illa in principio recte functiones citra tumorem pedum obiverit, affectu tamen procedente ac viribus pedetentim attritis tumor, pedum quidem subortus est, & abdominis usque adeo increvit; ut ægram suffocaverit. Consimilem historiam à Carolo Drelincurtio Phil. ac Med. Doct. Pract. prudentissimo, ac in Alma Lugdunobatava acad. ejusdem Facultatis Practicæ, & Anatomes Professore experientissimo dignissimoque, præceptore meo multis nominibus venerando, meis auribus hausi, quam utpote rarissimam nolim involvisse silentio, cum præsertim parilis eventus, nec vola,

nec vestigium exstet vel apud Veteres, vel apud Neotericos, uno excepo Cl. Viro D. D. Nicolao Tulpio; sed profecto vir ille tantus in re tanti ponderis & usque adeo insolentis concisa nimis verborum brevitate usus est. Mihi igitur volupe est orationem dilatare & fusa verborum serie ab ovo usque ad mala, ut ajunt, rem totam enucleatim enarrare; isthæc enim auditio uti mihi nusquam insrunita fuit, ita me hercule, nec meæ narrationis lectio meis Condiscipulis erit infrugifera. Si quippe rerum à me narrandarum in singula momenta; tamquam in speculum intuentur, tanti casus idea illis ante oculos usque adeo fideliter obversabitur ut deinceps suæ mentis obtutu parem abstrusissimum morbum introspicere, atque etiam impendentia fata suprema istis ab ægris avertere queant. Decennium est cum ineunte veris amœnitate ad Clar. Drelincurtium adivit 17. annorum virgo, facie florida, habitu carnoso, temperie sanguineo-biliosa, periodice menstruata, bene appetens & ingerens, atque etiam digerens ac egerens, non cephalalgica, non somnolenta, non dyspnoica, non siticulosa, nec ullis pressa symptomatis quæ vulgares hydropicas fatigant.

Interim trimestre est cum primum ingenti totius abdominis tumore deturpatur, quasi passa sit virgineum sibi delibari florem, quem illibatum jurejurat diris sese devovens si cum viro rem habuit. Meus interim præceptor à virgineo vel sanctiori jurejurando totus diffidit, probe conscius fœmineum versipelle genus miras comminisci technas, quibus suo consultat honori, teste illa infami atque ptopudiosa, quæ mentita est sese gravidatam in balneo ob ejectum & residuum eo loci virile semen, quod uterus genituræ rapacissimus allexisset atque vorasset. Fidem igitur virgini sese periodis statis menstruatam esse asserenti meus Pr. detrahit, dum quippe florentem illam ventriosam contuetur, facie rosea ac purpurea, artubus torosis, appetitu vigente, & inculpatis vitæ functionibus adhuc locorum obeundis peridoneam, aliud nihil quam virginis compressæ fraudes animo revolvit; quidni enim illam suspicaretur utero gravem, licet innubam cum experientiæ sit consonum utero gerentes à male menstruatis inter alia multa in eo potissimum discrepare, quod utero gestans nihil nisi salubria spiret, aut si quid insalubre sub prægnationis initia prodat, id sensim atque pedetentim minuatur donec plenius atque plenius conceptus ejus alescat & augescat; at menses moratos gravia symptomata consequuntur, quæ nova in dies incrementa capessunt. Ne diutius itaque res tota vacillet, nec jam animi pendeat Meus Pr. abdomen consulit, quo contrectato atque compulso magis ac magis & æstuat dubitatione, & versat sese inter utramque partem, prægnationem nempe atque hydropem. Virginis enim compressum animo præsumpserat, sed en signa quæ ipsum ab illa mente penitus avocant; non est quippe tumor abdominis prominens & acuminatus nec tiam subrotundus, conglobatusque circa altetutrum inguen, aut epigastricam versus regionem, nec contrectatu, & compressu hypogastrium versus sese subducens, nec denique monticulis exasperatus & prominulus inæqualiter, uti solet dum infans sese volutat, & cubitos, vel pedes, vel nates huc & illuc devolvit, atque protendit. Accedit magnum pondus ad dubitationem de graviditate tollendam; urina siquidem immutata perstat excretionis tempore, consistentia, colore & hypostasi; at frequentior est in gravidatis ob compressam vesicam ab uteri mole sese in dies ampliante. Coloratior item atque crassior est, & vel fabarum decoctum, vel jumentorum urinam similitudine refert, à suppressis enim lunaribus effluviis quidpiam albentis crassique mictuales in ductus decurrit. Hic insuper alvus nuspiam astrictior sicut obtingit dum infantile pondus Uterum aggravat, & princeps intestinum premit atque coarctat. Aliunde vero Hydropem culpare nequit, meus idem Pr. quia nulla symptomata sese produnt, nullæ ventriculi, jecoris, lienis, aut renum querelæ, nullum œdema vel in lumbis vel in artubus infernis, nulla macies vel in trunco, vel in artubus supernis, nullæ mammæ aut detumentes, aut flaccidæ, aut decolores; sed omnia isthæc sese habent ex naturæ præscripo prorsus inculpanda. Solus aqualiculus exstat sesquipede turpiter prominulus & virginem deformat atque deturpat; imo præter infamiam, quam protuberantia sua infert, insonti ægræ ita onerosus est ut ipsa stare loco nesciat: Nihilosecius mei Pr. animo (in tantum valet anticipata rerum opinio) jugiter illud incubat, mendacium esse virginis turpissimum sese intaminatam profitentis; atq; adeo virginem illam, opinione tenus, desloratam dimittit, nullis ipsi Pæoniis remediis ex arte præscriptis; satius enim ducit ab illis supersedere, quam ausu temerario in re tam lubrica, tam ancipiti, tam abstrusa, tam fallaci operam ludere Medicam, Artemque suam, seque Artificem infamare; alienis præsertim Medicorum damnis cautior factus, qui virginibus, falso sese tales esse asserentibus, non aquas ex alvo deturbarunt, sed embryonem, vel fœtum, ex utero decusserunt. Meus itaque Pr. virgini subridet ipsique memoriam refricat Divini illius Salvatoris dicti, qui valent, Medico non egent: sed qui ægrotant: ac proinde, idem meus Pr. addit) mi virgo, frustraneam à me exigis operam, tuiq; ficti morbi fictam curam incassum exposcis: cuinam enim vel morbo, vel symptomati sim bellum indicturus, me fugit, alienissimus enim sum ab agyrtarum subdola gente nequam, quæ luctatur cum larvis, & phantasmata sibi debellanda fingit quo milvinis unguiculis argentarias opes hominibus male credulis exenteret. Acrior instat illa & voce supplice Medicam opem ita rogat ut majore studio rogare non potis sit, sed Medici mens occupata supplicem non audit. Nihilominus constans illa quotidiano suo convicio efflagitat, ut Phœbi potentibus herbis id quicquid est, sibi perinde odiosi ac infamis cum tumoris, tum oneris, fœliciter subsidat, nec cunctanter tollatur. Rebus itaque singulis periculate perpensis Medici ad consilium adhibentur: Duplicem & illi distracti sunt in sententiam, Graviditatem alii subodorantur, Hydropem altius alii sonant & hydragogis numerosis serum uberrimum quidem proliciunt, sed ne pilum transversum deturget abdomen, imo hydragoga quo plus sunt data, plus damnosa sunt. Semestre interim exigitur in apozematis, jusculis, bolis & pilulis hydragogis: sed omnia incassum: non

modo enim irrita fuerunt leviora ex foliis Alexandrinis cum radice Barbara & sale tartari; vel manna Calabrina & syrup. modo diarrhodonis, modo de florib. mali Persicæ, modo tandem de rhamno cathartico frequens exhibita, sed & sambuccina & ebulina sapa fortiter diagrydiata sæpius oggesta est. Dati sunt & boli ex Electuario de palmularum & seminis cnici pulpamento cum Mercurio dulci, & antimonio diaphoretico. Ipse Mercurius vitæ & crystalli lunæ, atque etiam agarici & colocynth: extracta è S. V. adjecto algarothi pulvere, aliquoties exhibita sunt, & subinde reditum est ad minora mochlica ex gutta gummi & resinoso scammonii succo, nec non radice jalappæ cum in pulvere, tum in resina, vel per se, vel cum granis regiis minoribus, seu lathyridis minoris semine contuso. Conservæ, condita & opiatæ aperientia & roborantia, diætetica insuper calefacientia, siccantia, hydroticis purgantibus intercalantur, sed exitu male fortunato. Ubi igitur satias illam cepit tam tædiosæ tamque infelicis Medicinæ, à genuinis Medicorum filiis defecit ad agyrtas, qui virgini protinus sanitatem spondent, illamque annum integrum & argento emungunt & remediis cassis atterunt. Postquam itaque tot empiricis adhæsit, (quos singulos pollicitis quidem divites, sed re & effectis egenos comperit) totum negotium naturæ commisit, atque sic integrum aliud semestre transegit. Verum audita fama alterius hydropicæ (non obfirmatæ tamen) à Meo Pr. sanatæ, illam defectionis suæ pœnituit, atque adeo gemitus imo de pectore ducens, Meum Pr. revocari suis lacrymis suas Amicas est deprecata. Accedit ille, & misellum nunc demiratur corpusculum monogammum, exsuccum, exsangue, suspiriosum, anhelosum, temporibus collapsis, naribus acutis, oculis concavis, cute arida, squalente, furfurosa & intenta, colore lurido & nusquam vivaci, unguibus aduncis, viribus cassum & elumbe, respiratione frequenti, parva, molesta, pulsu crebro, duro, exili, formicanti contermino, appetitu prostrato, siti inexhausta, lingua sicca, parva, scabra, voce vel faucibus hærente, vel gracili & intercisa; sudorib. & saliva nullis, urina parca, alvo nulla, sed insimul tamen alvo tota. Sceletum esse Meus Pr. exclamat pelle contectum cabra, seu machinam vocat ad humanam similitudinem effictam & arte motam, sed cui sit abdomen vel stamine vel tomento diram in amplitudinem suffertum atq; distentum, adeo quippe moles ejus increvit, ut horrendum omnique fide majus spectaculum præbeat, reliquum vero corpus tot diureticis, tot hydragogis exhaustum colliquescit, subsidet atq; ut ita dicam in nihilum redigitur.

Convocat Meus Pr. Apollinis Mystas ut vastum illud abdomen contemplentur, contrectent atque compulsent prodigialiter contentum, nulli compressui cedens, subrotundum, æquale, non acuminatum, nullisque hinc inde monticulis extuberans, umbilico projecto, venis passim turgidulis, amplis nigricantibus, cute subrubra, tenui, perlucente & crepandæ mediæ proxima. Tantis profecto rerum in angustiis, tamque deplorato rerum in statu, licet conclamatum esse judicaret Meus Pr. nihilominus satius esse duxit anceps experiri remedium, quam nullum, & incertam salutem certa desperatione potiorem habuit, atque adeo ad extremum morbum extremum remedium proposuit παρακέντησιν nempe, qua ceu anchora sacra & ultimo salutis perfugio liceret uti. Tot certe Pedarios Senatores isthæc sententia, quot Apollinis Symmystas in consilium evocatos habuit: sed ægra imbelli Martem exhorrescente illicitum fuit ad isthæc arma confugisse. Re igitur infecta, suo relicta est fato misella dypnoica, & sæpius orthopnoica, ab omnibus tum eduliis, tum potulentis abhorrens, dulciori tamen Cerere recocta & generosiori Baccho madente, ceu vitæ propediem desituræ fomitibus usa est, atque sic querula, curtamque sibi Pæoniam, Artem traducens, trimestre complevit, sed extrema tandem ærumnarum clausula, quæ toties labiis ejus oberraverat, lamentabilem illum clausit affectum, totique Asclepiadarum familiæ, ut æternam ignotæ partis affectæ notam inussit, ita & universo Medicorum choro memorabile dedit rari Hydropis specimen, de quo conticescere nolim priusquam illud plenius adhuc atque plenius dederunt. Me igitur ad Cadaver accingo, ille aperto obstupuere cuncti, re sibi prius invisa & inaudita perculsi. Incisis siquidem abdominis integumentis quinque communibus, & adacta scalpelli cuspide in intimum albæ lineæ decursum, flatus primum eruperunt, una cum salientibus aquis. Mox incisione altera decussatim facta, & sectarum partium angulis modice revulsis sese dat in conspectum ingens lacuna, seu lacus immanis qui longe lateque se pandit & alte penetrat, stagnanteque muria, sive sero salso, ubique scatet. Visus est prima fronte vulgaris Ascites esse, ab aquis in abdominis alveo desidibus atque statariis. Quæsitum est hepar, utpote in quod totius damni culpa regereretur, sed nusquam comparuit; atque adeo in illud nusquam animadversum est. Mox interanea, mesenterium, pancreas, lienem & renes sese comprehensuros sibi spondent, sed illorum nec vola nec vestigium exstat. Mirabundis singulis ad unum, stant comæ, lingua hæret: sed novis animis assumtis & propius admota mentis, corporisque face omnis discutitur caligo atque luculenter id latentis vitii detegitur, suisque Cimmeriis è tenebris eruitur. In apertam quippe lucem protrahitur peritonæum intra se duplicatum concludens atque coercens (tanquam coriaceus uter immanis) tantum illud stagnantis aquæ pondus. Singulis igitur attentius exploratis certo certius scitum est ingens illud stagnum, (quantum quantum est) totum esse à peritonæo duplici, cujus interior membrana ab externa sibi naturaliter contigua & musculis epigastrii transversis firmiter connexa atque connata longe secesserat, atque adeo saccum illum ingentem coriaceum effinxerat, quo, (velut utre ex densissimo corio recocto, nullisque pervio & meabilis poris) dira isthæc totius inundantis seri colluvies ita coercebatur, suisque limitibus atque metis usque adeo concludebatur, ut ejus omnis ne guttula quidem una in abdominis alveum aut stillare aut irrepere potuerit.

Res tota ut aperta & conspicua foret, serum fuit Cleanthino exantlandum labore, tuncque vitium alterum atque alterum atens patefactum est.

Pri

Primum quidem id ipsum est quod jam attigi sed luculentius patuit quam antea totius enim ambitus ille labri, sive pelvis, formatus erat à peritonæo duplici, cujus interior membrana ab altera stillantibus aquis sensim compulsa fuerat introrsum, in abdominis scilicet cavum, atque adeo ex convexa concava facta fuerat ad instar vel marsupii, vel lanei pilei nocturni duplicis, cujus pars interior dum invertitur & extrorsum pellitur, superficiem suam concavam mutat in convexam. Ambitus autem ille protendebatur à pube ad diaphragmatis fornicem universum, cui adhæsione stricta peritonæum copulatur, & à regione lumbari sinistra ad lumbarem dextram. Istud deinceps observare fuit, nimirum quod sicut uterus gravidatus, quo plus increscit eo plus inspissescit atque crassescit; quoniam ejus substantia tota porosa est atque bibula & majorem tunc sanguinis & spirituum copiam admittit, quibus turgescat & intumeat, spissiorque & crassior paulatim evadat, donec post partum repetitis vicibus, quasi totidem eructationibus omnem illam, qua affluebat atque tumebat, sanguinis molem per lochia expurget & exhauriat, sicque paulatim ad pristinam exiguitatem recurrat: Ita etiam peritonæum hic cernere fuit, non quidem porosum (saltem poris sero perviis) sed spississimum densissimumque instar corii bubali, nullis unguibus, nulloque digitorum tractu lacerabile.

Dignissimum foret Medica disquisitione problema, unde spissitudinem tantam nactum sit peritonæum, cum ex naturæ præscripto serica tela sit tenuius, hic autem quovis bubalino corio densius & spissius existit, ut in Hydrope Tulpiano lib. 4. obs. 43. crassitudinem digiti annularis induerant duplices illæ peritonæi tunicæ.

Adlubesceret præterea in aquarum illarum tanti συςήματ☉, tantæque congeriei primævos ortus inquirere: sed quia fusiores jam sumus, quam modus exigit, lubet unice viscerum reliquorum αὐτοψίαν hoc eodem in cadavere insequi pede presso. Resecto igitur & remoto vastissimo illo & capacissimo peritonæi sacco qui instar fideliæ, aut hydriæ, explebatur, sese obtulerunt contemplanda viscera, quæ profecto nec saburrata nec tophacea, nec tartarea, nec gypsea, nec calcaria, nec saxea) uti sæpe visuntur in hydropicis) conspecta sunt, sed duntaxat vieta & vivacis expertia coloris, utpote marasmum passa extremis præsertim vitæ diebus, quibus ab edulsis fere omnigenis abstinuit ægra, ne præfocationis metum sibi accerseret; nam statim ac ventriculum vel minime distendebat cibo, vel potu levioribus gravissimam dyspnœam perpetiebatur, ob majorem scilicet diaphragmatis compressum, ventriculo sese sub diaphragmatis fornice distendente, atque adeo liberæ respirationis organum istud molestante, & suis in motibus conturbante & remorante; ne igitur gravaretur ventriculus vitellos ovorum sorbiles, & panem dulciarium bis coctum vino madidum assumsit, id enim tenuioris alimenti ventriculum nusquam premit, sed confestim lacteos in tubulos compellitur. Viscera deinde & ab ipsis tot assumtis medicaminibus non levem noxam passa erant, nec leviter tot stiis hydrapogis suo orbata rore; unde nihil mirum si color illorum maxime deflexerit à naturali, nam, haud secus ac hydragoga mochlica morbosis & nimio sero turgidulis partibus peramica atque salutaria sunt, ita profecto partibus sanis, nec luxuriante sero gravatis damnosa atque deleteria sunt, juxta quotidianam experientiam Hippocratis oraculo consonam. Virginem autem illam sana habuisse viscera, antequam moles aquarum ita increverit ut dyspnœam & orthopnœam ipsi pepererit, vel ex eo liquet, quod incunte morbo facie florente fuerit atque rosea, quod vitæ munia obiverit inculpate, quod statis lunis menstrua passa sit, quod nullis fuerit vexata symptomatis, uti supra notavimus. Atque adeo consequens est aquarum congeriem natura & industria paracentesi exhauriendam fuisse, antequam lethalis Orthopnœa, funestusque viscerum ille marcor fuerint invecta. In illam quippe solertiorem ἐγχείρησιν unam ægrotantis salus inclinata recumbebat; nulla enim potiori machina, nullisque potioribus hydraulicis organis festinam tantam licuisset exsiccasse: sed sic in fatis fuit ut saluberrimum illud Artis Machaoniæ præsidium citam, tutam & jucundam opem alias allaturum, pertinax & morosa atque refractaria virgo repudiaverit. *ex eadem communicatione.*

Hydrops à scirrho partium glandulosarum.

Anna Buosingerin annorum circiter 17. misella & paupercula, pravaque hinc victus ratione usa, in orphanotrophio labori quotidiano vacans, sæpius nostram imploravit operam, conquesta tum de dolore circa fundum ventriculi, & fœtore narium, adstantibus valde molesto: Suasi usum pulver. aperitiv. præpar. cum purgante ex fol. sen. cum prunis decoct. Rediit hinc ad pristinam operam. D. 20. Jan. 1681. quum visitatione hebdomadaria fungeremur, ægra in lecto decubuit, de ventris intumescentia renitente, appetitu prostrato & artuum inferiorum tumore qualicunque conquesta: præscripta fuit mixtura per cochlear. sumenda. Viribus deficientibus, maloque in pejus ruente, cardiaca propinata sunt, usquedum ægra d. 11. Februar. An. ejusd. spiritum Creatori reddidit.

D. insequ. Cadaver aperuimus præsentib. Viris Clariss. D. D. Konig, D. Licent. Speckero & Dn. Ritzio Pharmacopola. Musculis abdominis ex altero latere incisis, ad usque mensuras duas ichoris flavi, subfœtidi, ex cavitate abdominis vacuavimus, prorumpente magna copia ichoris purulenti ex ore simul & naribus: hinc iisdem ex opposito latere remotis, epiploon putridum non tamen plane absumptum comparuit: intestina quoque non admodum inflata erant, colon tamen colore flavo maxime tinctum: Hepar prægrande satis, & parte cava lividum omnino ostendit vesiculam felleam, bile crocea subviscida distentam, intra cujus membranarum duplicaturam, prope ductum choledochum, corpus notavimus albicans, scirrhosum, quod discissum cum inflaremus, tunica exterior, quasi melle spumoso turgida esset, videbatur: Eidem hepatis cavo

arcte satis connectebatur scirrhus insignis, à parte inferiore pancreatis, ubi hoc intestinum tenue lambit, enatus; parte vero gibba hepatis glandulæ accuratissime notari potuerunt, liquore rutilo parce admodum, & reticulariter loca intermedia perreptante: Parte sui superiore pancreas magis erat incolume. Ventriculus totus conciderat, propeque hujus orificium superius, & abhinc secundum œsophagi & spinæ longitudinem glandulæ scirrhosæ, & ex parte nigricantes, majores & minores, (scrophulas dixisses internas) copiosæ deprehensæ sunt: Mesenterium gelatinæ simile, & vasis sanguiferis albidis magis, quam rutilis donatum: Gelatina circa intestina crassa manifestissime distingui potuit, ut & glandulæ per eorundem tunicam transparentes: Prope spinam mesenterii glandulæ mirum in modum excreverant, scirrhosissimæ, pugnum majorem adæquantes; Incisione autem facta, prodiit substantia albicans instar sebi concreti: Lien magnus satis, totusque corruptus: Renes succenturiati ad ℥iii longi & ℥i lati, intus cavi fuerunt: Ren sinister in medio fissuram habuit insignem, qualem etiam in aliis jam observavimus: vasa emulgentia in hunc inserebantur duplicata: non item in dextrum. Cæterum uterq; fuit flaccidus: Ovarium pauca ovula habuit: Venter medius ichore suprad. refertus erat: Mediastinum autem sterno & diaphragmati ita adnatum, ut scirrhos in ipso diaphragmate accusasses: thymus itidem totus erat scirrhosus: Pericardium crassum, multo sero turguit, Auriculæ cordis maximæ: Cor tamen minus pro ratione ætatis & staturæ: Pulmones adnati costis, non tamen purulenti. *Joh. Jacob Harderus in Observationibus Anatomico-Practicis.*

Hydrops ex Rene dextro, materia calculosa oppleto &c.

Jacob Schvveitzer Ludi Magister, cum ex casu in spinam dorsi, ad munia ordinaria obeunda, paulo ineptior redditus esset, à Dn. Curatoribus Nosotrophii susceptus, & per aliquod temporis intervallum in isto sustentatus fuit, vino cum potuit plus satis indulgens: primum de quo apud nos conquestus est erat faucium ardor cum oris amore, quibus cum remediis convenientibus satisfecissemus, post de tumore Ventris sensim ingruente, querelas movit: Ex loco pristino in Eleemosynarium receptus, heic remediis idoneis vacavit: Præscriptum fuit Apozema diureticum, quo satis bene habuit ab initio: tumore autem magis magisque ingravescente, viribusque juxta prosterni incipientibus, apozemati aquas cardiacas adjunximus, quorum Virtutem nihilominus morbi ferocia elusit.
Miseri hujus Cadaver cultro subjecimus d. 18. Decembr. 1678. præsentibus Vir. Clariss. & Præstantiss. D. Jacobo Hardero, Scaf. & D. Hieron. Zollicofero Sangall. Med. D. & D. M. Speckero Bas. Med. Licent. Integumentis qua propriis, qua communibus, cultro discissis, copia prorupit aquarum ingens, colore materiæ chylosæ turbidæ, ad mensuras usque octo: Epiploon hinc se obtulit. putredine consumptum: Lien scirrhosus plane cum pancreate durissimo. Hepar à statu naturali & ipsum desciverat, non autem tantopere ut Lien: Vesicula fellis bile porracea admodum distenta. Mesenterium non admodum corruptum: ast in Renibus lærna malorum: Hi sub hepate & Liene arctissime detenti & involuti, spinæ adeo pertinaciter adhærescebant, ut multa opera vix divelli potuerint: Dexter ad attactum duriusculus, incisione facta, mirum quantum materiæ gypseæ spumavit, quæ pressis papillis copiosissime erupit: (copiam hujus non paucam etiamnum inter curiosa nostra servamus.) Alter autem sinister, satis magnus, tumidus, ea qua vasa ingrediebantur parte, hydatidem prominulam habebat insignem: Hic incisione facta, papillas conspicere licuit amplo ore hiantes, pauloque profundius cultro adacto, copia multa prorupit humoris turbidi. In medio Ventre pulmones vidimus putridos & corruptos, quorum dexter costis & sterno firmissime annectebatur: Pericardium aqua moderate plenum; Cor autem per exteriorem membranam pellucebat.

De pectoris & pericardii hydrope, superius aliqua innuimus, jam de hydrope ascyte, disserendi ansam nanciscimur, affectu satis frequenti, utinam modo & causæ notitia atque modi, quo synathismus aquæ in hoc affectu fit, & ratio curationis ejus tam faciles inquisitu essent: De istis fatur Hippocrat. hunc in modum Καὶ ἐπὴν νοῦσος ἐπιγένηται τῷ ὕδατι πολλῷ χωρέει ὑπὸ τῆς κοιλίης, καὶ ἐς τὰ σπλάγχνα ἔρχεται αἰεὶ ἀπὸ τοῦ ποτοῦ, ἐπὴν πίνῃ ὁ ἄνθρωπος, γίνεται δὲ ἐπὶ τῆς νούσου ταύτης, ὥστε μὴ συρεταίνειν ἄλλως ἐν τῇ κοιλίῃ, ἢ ὁκόταν ὁ ἄνθρωπος διψῇ, ἢν δὲ οὐ κύστις καὶ ἡ κοιλίη μηδὲ κινηθέωσι ..., μηδὲ ἐπιτηδείῃ ἡ διαίτῃ ὁ ἄνθρωπος χρῆται &c. A Galeno ejusque asseclis refunditur ascites omnino in αἱματώσεως noxam & frustrationem sanguificationis, consequentem insignem facultatis αἱματοποιητικῆς in hepate imbecillitatem per intemperiem frigidam, eamque summam: Verum enim vero præterquam quod istam hepatis temperiem intemperiemve cum functione ipsi adscripta, procul rejiciendam esse superius monstravimus, docuit insuper anatome alios nobiscum, hepar & lienem in omni hydrope pariter non affici, uti quidem Galenus hypothesi sua fretus sibi persuasit: Eleganter sane occasione horum Excellentiss. Piso tract. de Morbis à proluvie serosa: Mihi attentius in humoris continentis causæ ascitis intuenti, nunquam satisfacere potuit Galeni opinio ab omnibus scholis hucusque summa cum approbatione atque unanimi Medicorum consensu recepta, sed alias esse ejus causas à generatione aquæ loco sanguinis laudabilis symptomatica, & intemprriem hepatis frigidam consequente diversas, ex hac sequenti ratiocinatione intelligere est. Inprimis enim aquam inhydrope legitimo ascite dicto collectam, & tumoris continentem causam tam certum est quam quod certissimum, partem esse seri, chyli & sanguinis vehiculi, ut qui de ea re dubitet, is sensu egere videatur: hoc enim similitudo substantiæ, imo identitas evidenter docet; & urina ut plurimum pauca nec quantitati potus respondens confirmat: deinde quia seri conceptacula à natura instituta sunt venæ & arteriæ, in quæ vasa id cum chylo & sanguine ex potu & cibo genitis è visceribus illabi-

illabitur, necesse est serum abdominis in cavitatem venisse defluxisseque è vasis, quæ decurrunt aut sedem habent, inseruntur que membris ventre inferiore conclusis, siquidem hic venter undiquaque membranis densis sepitur, & circumcingitur quas aqua non facile præterfluit: Quia ergo omnis motus, vel est ab interno principio, vel ab externo, qui duplex exstractio scilicet, & pulsus; atque in abdominis cavitate nihil quod serum ad se trahat è vasis, exugatque reperire est, in eam certe cavitatem serum sponte sua è vasis defluit, aut motu pulsus conceptaculis suis expressum extrusumque decidit, & quocunque modo descendit, vel per diapedesin ex occultis tunicarum poris desudavit, vel per anastomosin ex apertis vasorum oscillis defluxit: nam ruptionis vel erosionis vasorum nullæ causæ nullaque indicia: In quibus verbis satis apposite Vir Clarissimus ex causis ascytis conjunctis principalissimam exposuit: humorem viz. aquosum ex vasis sanguiferis abscedentem & extillantem; cui adjungit Excell. Willisius & ipso cum plures alii Viri Clarissimi, i Vasorum lacteorum & lymphicorum præprmis disruptionem, vel etiam obstructionem aut compressionem, quæ tamen non prorsus placere videmus aliis, qui fontes hosce rarius aperiri, hancque vasorum ruptionem usque demonstrabilem non esse dicunt: Equidem ut super re satis ardua sententiam nostram exponamus, itidem priorem causam pro frequentissima admittimus, juxta tamen nondum videmus, qui vasculorum lymphaticorum ruptio vel dehiscentia osculorum eorundem ab irruente lympha copiosa, aut etiam obstructio à viscida implente ac distendente, aut compressio ab extrinsecus incumbente, ac identidem ejus motum sufflaminante prorsus negari possit: quamvis enim demus una cum sero particulas fibrosas ac alias nutritias pauciores extillare posse, gelatinam sive formantes in cadaveribus visibilem, sive sero super prunas posito conspicuam, inde tamen concludi nequit, lymphæ motum pariter impediri non posse à tumore partium scirrhoso, glandulis vasa lymphica emittentibus pariter ac recipientibus infarctis ac obstructis, & lympha ista viscidiore ac torpidiore existente, cujusmodi sane est, ubi parilem lentorem ac ad motum ineptitudinem sanguis ipse possidet: aut dicendum erit, subsistere in partibus glandulisve partes viscosiores, tenuiores vero in vascula dicta jugiter usque recipi: quæ, num cum ratione & experientia conveniant, dubii hæremus adhuc, videturque absurdi nihil esse, dicere ex vasis lymphicis in abdomine, hepate & mesenterio conspicuis, lympham pariter extravasare posse, atque in hydropibus partialibus illud admittit Celeberr. Ettmullerus: sed ad priorem causam transimus, humorem viz. serosum sanguine copiose excedentem, cujus causæ variæ secum esse possunt; enim vero vel aquosior sanguis est, & ad dissolvendum aptus, cujus proin particulæ aqueæ facile in partibus abscedunt ac subsistunt; idem in motu torpidior plerumque est & lentescit, ceu supra monuimus, hincque vasa pneumonica mole sua opplet pulmonesque, ipsos ponderoso suo motu gravat, unde hi sæpius rimas agunt per quas exudans serum aut etiam lympha vicinis partibus pleuræ, diaphragmati ac pericardio ipsos sæpissime agglutinat, imo frequente labem una funestam ipsis affricat ceu præsentes historiæ testantur: atque id dicere necesse habemus, in hydropicorum sectionibus, quas plures citra jactantiam instituimus, nos usque in organis pneumonicis labem graviorem invenisse, ut persuasi simus adhuc, in dicta sanguinis diathesi, pari celeritate partibus hisce noxam inuri, ac aliis usquam: vel in vasis ipsis vitium latet, quando oscula ipsorum vel laxiora sunt, aut prorsus occlusa existunt, suntque hæ causæ principes quas Clariss. Willis. allegat. cap. 2. sect. 2. Part. 2. de medicamentor. operation. Et certe obstructio vel compressio vasorum, qua sanguinis circulus interrumpitur, non parum in hydrope progignendo valet. Notarunt alii nobiscum ex ligatis venis jugularibus canes multum aquæ sub cute capitis & musculorum intercapedinibus passim congestum fuisse, ex sanguinis arteriosi in venas libero commeatu impedito, unde serosa portio facile exundat & inter musculorum interstitia cumulatur, alibique versus loca declivia decumbit: atque hac ratione hydropes subitanei oriri possunt, ex vasorum in corde conspicuorum occlusione à polypo vel compressione: Eidem impedimento ansam dant heparis, lienis, mesenterii &c. scirrhi insignes, à quibus comprimuntur subjecta vasa, artusq; inferiores intumescunt, imo ipsum abdominis cavum aquis inundatur: Et quamvis ejusmodi tumores, vitium sanguinis vel lymphæ jam arguant, indeque ad hydropem dispositionem, huic ipsi tamen malo primarium fomentum dehinc præbere negari nequit: sic in priore historia sanguinis torpiditatem ex mala victus ratione contractam atque auctam, tot scirrhis occasionem dedisse, imo lymphæ vitium supra notatum produxisse, ceu mesenterium totum gelatinæ simile probare videtur, apud nos ratum est: id vero insuper rationi consentaneum, ab iisdem cum sanguinis tum lymphæ liberum cursum ac recursum sufflaminatum ac ita utriusque regurgitationem atque extravasationem promotam fuisse, coarctato enim sanguini, ut transitus quoquo modo patefiat, quod tenue & aquosum est prorumpit, & in vicina loca deponitur, ubi post restitans, atque membranulis interceptum hydatides, cujus in rene sinistro insignis historia posterior meminit, gelatinæ similes alicubi efficit: Præter scirrhos autem adhuc alia sunt, quæ serum abscedere faciunt, imo supra dictam sanguinis diathesin augere possunt, utque de pectoris pathematibus, aliisque morbis, ictero, hæmorrhagiis nimiis &c. plura non adjiciamus, transpiratio insensilis suppressa, & inprimis urinæ excretio deficiens, frequens hydropis causa sunt, atque hinc est, quod Helmont. Renem ceu adæquatum artificem omnis hydropis asserit, dubiumque non est, quin materia gypsea, qua ren dexter ludimagistri infarctus fuit, huic commodissimam ansam dederit, M. H. vitio, quod eadem confirmat, non prorsus rejecto: nec potuit duplicata quasi actione seri vacuationem promovere Ren alter, cujus papillæ amplo ore hiantes ecquam strenue illud secreverit, probare poterant: nec vasculorum renalium obstructionem nude accusabimus: Regurgitans inde pars aquosa exitialem labem ipsi M. H. infert, dum solvi magis crasin ejus, torpescere

motum & laxari vasculorum facit oscula, hincque qua data fere porta, sibimet quasi effluxum parit: Id vero apud Eruditos Naturæ Ruspatores ambiguum adhuc esse animadvertimus, negata vasculorum lymphicorum ruptione vel erosione, explicare fontem aquarum tam copiose sæpe in abdominis cavo stabulantium, à quarum limpiditate ac tenuitate ad illorum ruptionem argumentatus fuit Celeberrimus Sylvius: arteriæ cœliacæ & mesentericæ, harumque propaginum oscilla alicubi aperta, fontem hujus probabiliter facit Clariss. Williss. nec inficias pervicaciter ire possumus: illud vero Artis nostræ Statoribus pensiculandum relinquimus, cujus Hippocrates supr. cit. loc. & sub finem præc. §. meminit, annon ex epiploo hujusque vasis aquæ hæ una scaturire possint? enim verò licet ductus aquosos, quos aliqui ipsi attribuunt, nondum credamus, id tamen asseverare possumus, in hydropicorum sectionibus partem hanc vel erosam & absumptam, vel summe extenuatam putridamq; nos reperisse: Excellentiss. quoque Pejerus in Scholio ad historiam hydropici quam method. Historiar. Anato. exhibet, magnam aquæ in ejus abdomine repertæ partem à peritonæo destillasse judicat, siquidem hoc porosum plurimisque sanguineis vasis distinctum fuerit, quæ hinc natura dilatarit ac multiplicarit, ut hac redundans serum commode exantlaret: merentur sane ejumodi φαινόμενα ulterius scrutinium pariter ac attentionem, idque heic aliorum judicio submittimus quod superius in histor. hydrocephalici attigimus, annon serum ejusmodi ex meningibus harumq; vasculis æque exundare possit? ut lamellarum cranii in recens natis laxas commissuras, per quas serum facile exudare potest, linquamus: de vasis vero lympphicis in cerebro conspicuis, quibus negotium facile absolveretur, nostra ex autopsia, certi quid dicere nondum audemus, aliorum hinc tantisper contenti. *Idem ibidem*,

Ex peripneumonia phthisis & hydrops.

Wilhelm *Leybli* Lucisvallensis, 15. circiter annorum, ex orphanotrophio, ubi quotidiano vacabat labori, morbo periculoso decumbens, mense Junio anno 1677. in nosotrophium, sanitatis, si ita Deo placuerit, recuperandæ ergo, admissus fuit; cum tum temporis adhuc curæ ægrorum vacaremus, vidimus ægrotum, facie ex subatra pallescente, siti vexatum intensa, pulsu præditum celeri; debilj & inæquali, difficultate spirandi pressum, & de sputo sanguineo purulento, cum magna appetitus prostratione, anxie conquerentem: solliciti tum hærebamus, cum meliora edocere, neque ab ægro, neque ab adstantibus potuerimus, utrum pleuritidem præcedaneam æger passus fuerit, nec ne: Tandem verò cum doloris pungitivi in latere, se vestigia ulla unquam sensisse, negaret, contra sputo cruento cum tussi, quod jam purulentum evaserat, ab aliquo tempore vexari confessus fuerit, eum ex peripneumonia phthisicũ jure arbitrati fuimus, hanc præscriptæ potiones vulnerariæ cum decoct. pectorali antiphtis. aliave quæ è re esse videbantur: Verum & hic, quod fieri solet, docta prævaluit arte malum, ægro vitæ hujus misellæ afflictionibus fesso, spiritum Creatori suo reddente.

Antequam occasionem cadaver lustrandi arriperemus, placuit prius ab Excell. Orphanotrophii tum temporis Medico ordinario sciscitari, quonam morbo primitus affectus fuerit, & quænam symptomata, ipsi adhuc in orphanotrophio degenti, infesta præcipue esse cœperint, qui per alium nos certiores reddidit, se in misello hoc corpore, jamdudum affectionem scorbuticam metuisse, jamque ab aliquot spatii manis phthisicum eundem auguratum esse: Quibus ita exploratis operi sectionis nos accinximus, linteamentis, quibus demortuos obvolvi honestas suadet & Scriptura imperat, remotis, ventrem infimum tumidum omnino, dequo nec æger conquestus unquam, neq; nos quidquam in ipso animadvertimus, contuiti sumus, unde statim ingentis seri copiæ suspicio mentem nostram neque frustra cepit. Involucris infimi ventris cum epiploo, quod subputridum erat, ablatis, deprehendimus hepar p. n. omnino magnitudinis, parte cava corruptum & putrescens una cum vesicula fellea, quæ uti in cœteris gelatinam referebat: succus tamen effluens subater erat & lividiusculus, parum spumosus: in hypochond. sinistro lienem deprehendimus tumidum, dum, flaccidum, corruptum, & quoad interiorem substantiam nigricantem omnino. Pancreas sub ventriculo vidimus maximum, glandulis insignibus & duriusculis superbiens. Mesenterium observavimus gelatinosum plane, maxime quoad extremitates, quibus intestina cingit: gelatinosus hic humor fere intestinalium cellularum exteriorem faciem circumdedit, ipsamque mesenterii substantiam tantopere occupavit, ut difficile fuerit, vel vasa vulgo dicta mesenterica, vel quod plus est glandulas detegere: In ipsa hujus ventris capacitate ingens extitit seri copia, quæ integumentis discissis, qua data porta fugam dare cepit, non tamen ita fœtidum, uti in aliis spirabat odorem: Cætera hujus ventris satis rite habebant. Thoracis examen aggressi, diaphragmate separato, multum aquei humoris, ex thorace effluxit, neque facile fuit pericardium à sterno, cui firmiter cohærebat, absque ruptione separare; In pericardio aquam adhuc copiosam reperimus, quæ autem ruptione facta per viam Thoracis apertam ad inferiora vergebat: Pulmonum lobus uterque putridus erat & corruptus, magis tamen sinister quam dexter, uterque pressus materiam reddebat purulentam. *Idem ibidem.*

Anatome Adolescentis hydropici μεγαλοσπλαγχνου

Anno 1678. mense octobri in Orphanotrophio diem suum obiit adolescens annorum circiter 22. nomine Furler, prosapia rustica oriundus, ex Arthritide vel magis Rheumatismo Asthmaticus & hydropicus factus: hic referente Medico, tum temporis ordinario, per totum vitæ quod traxit curriculum, imbecillioris erat constitutionis, valetudinarius, cumque morbis conflictans sæpius: Thermas Rheumatismo jam infestatus, Medico invito magis quam volente, invisit, ex quibus autem, si non deterior, melior saltem non rediit: hinc Empirici cujus generis Carnifices & πολυφονοι, plures hoc sæculum

sacculum alit, opem incautus efflagitavit, licet istam parum salubrem senserit: in orphanotrophium ab hoc redux, aliquot ante obitum septimanis d. symptomatibus asthmate & hydrope magis magisque obrui cepit, donec tandem natura pugnæ nimietate fatigata, animam ad superiora adspirantem Creatori reddidit.

Aperto cadavere, plurima occurrere memoratu digna. Ante omnia otare licuit copiam aquarum multam, qua ex imo, qua ex medio ventre, summo cum impetu, atque hoc diuturniore erumpentem: hinc apparebant viscera (vulgo αἱματώσει dicata) longe maxima: Hepar nimirum Lien & Pancreas sed scirrhosa omnia, alia tamen magis alia minus: In Mesenterio notabilem labem (vel multam gelatinam) animadvertere non licuit, secus ac in aliorum hydropicorum cadaveribus: Renes itidem magni satis, non tamen duri: reddidit interna horum substantia pressa, materiam, quandam puri analogam (quam gelatinosam fuisse arbitramur) Epiploon putredine consumptum erat: Medius Venter discissus exhibuit Pulmones sterno & costis valide adhærentes ex utraque parte corruptos & putridos. Cor vero longe maximum, quale ac quantum portentum hactenus nec vidimus, nec apud alios legisse meminimus: Continebat illud in circuitu pollices octodecim, longitudine spithamam, & latitudine digitos octo: (Hujus substantia intrinseca fibrosa erat & carnosa, quæ ipsi quoque pondus fecit insigne.) Totum cor ultra libras medicas tres pependisse judicatum fuit: uterque ventriculus cum auriculis annexis scatebat concreta materia tenaci, seu polypis & grumis, præcipue autem sinus dexter, è quo hos plena manu haurire licuit.

Confirmat utraque harum historiarum, quæ de organis vitalibus ac spiritalibus in hydropicis non raro primario læsis meminimus, enimvero non rejecta sanguinis intemperie, aquositate ac fluiditate,) cum in utroque scorbuticam ac rheumaticam dispositionem Medicus ordinarius, pridem tum viderit tum suspicatus sit) labem quam senserint, spirandi difficultas utrumque primo invadens, & in illo sputum sanguinolentum pariter ac purulentum, pulmonesque hinc sterno & costis valide adnati, una cum polypis complurimis in macrocardia hujus stagnantes, oppido satis commonstrant: nec arbitramur ad viscerum nativum vitium, quod in utero matris contraxerint, in eodem necesse esse recurrere, quamvis ordinariam magnitudinem superarint, inprimis cor: si enim proportione cætera huic respondisse consideramus, insuperque robustissimas fibras, quibus erat instructum perpendimus, magis cogimur in sanguinis vitiatam διάθεσιν primariam noxam conjicere, quam ex mala educatione & prava victus ratione contraxisse potest uterque, neque nobis constat, an orthopnœa à prima ætate laborare ceperint: Accedente sane ex insignibus cordis thalamis in vasa grandiuscula sanguine ejusmodi aquoso & soluto, non tam gravati inde pulmones fuerunt, quam vero ab eodem per venas pari copia & promptitudine non revecto, seri portio abscedere, ulterioremque labem pulmonibus sensim inducere potuit. ut lymphæ vitium vasculaque, quibus recipitur jam prætereamus: accessit, extravasanti sero in illo, unà cruoris portio non exigua, unde hæmoptysis successit, à quibus hinc junctim circa præcordia retentis & subsistentibus, spiritus difficilior redditus, sanguinisque circulus magis adhuc impeditus fuit, pulmonumque cum partibus vicinis adunatio & adnascentia (modo quem suprà descripsimus) ulterius promota, & sic malorum lærna aucta fuit; mirumque est seri parum è cavo thoracis, in Furlero dimanasse, in quo materia tenax & polyposa, sensim succrescens & ad ostium venæ cavæ aggesta, partibus aquosis & cruoris particulis tenuioribus in arteriam propulsis, sanguinis ex cava liberum plenumq; ingressum sufflaminando, eum fere effectum produxisse potest, quem Excellentiss. Lovverus in canibus ex ligata infra cor vena cava, prompte satis subsequi vidit, de quo etiam videri potest Clariss. Willisius citat. cap. part. 2. de Medicament. Operationib. fomentum augmentumq; non leve deinceps, ex noxa à sanguinis partibus crassioribus & viscidioribus prius illata, hepate lieneque scirrhosis afferentibus, cæterum historias de corde magno qui volet, adeat Sepulchretum Excellentiss. Boneti p. 38. & 594. *Idem ibidem.*

Hydropis rari Historia.

Ornatissima matrona, Domina Genovesa du Verney Lugdunensis, Uxor Nobilis Viri Joan. Claudii Marcellini, Doctoris & Professoris medici Collegio Medd. Lugdun. Aggregati, annos tum nata xxxiii. cum besse, quorum xx. in conjugio transegerat, quamvis neque puerperii, neque ψευδοκυήματος ullius, toto illo temporis tractu fecisset periculum: Vitam interim sedentariam agens, ac ῥοῦ γυναικείῳ jugiter detenta: postquam per duos ante menses præter pr pter, balneo aquæ fluvialis intempestive, prorumpentibus quippe tum stato tempore τοῖς καταμηνίοις, se immersisset: cœpit mense Octobri anni 1667. animadvertere, tumorem quendam in sinistro hypogastrio sensim subnasci, qui sese postea versus hypogastrium dextrum propagavit, totumque fere spatium, quod ab umbilicali regione deorsum exporrigitur, occupavit. Tumor autem iste mediocriter durus erat ac anodynus cum tensione: quæ res aliis persuasit, molam subesse, aliis hydropem uterinum, aliis tumorem frigidum in musculis altioribus abdominis conceptum. Post adhibita varia præsidia tam Chiriatrica quam Pharmacurgica, ad Thermas Vichenses ablegata fuit, ut ibi aquas de Craticulæ nomine dictas, actu calentes hauriret, & quidem mense Majo anni 1668. abs quarum lympharum usu tantum abest ut aliquid acciperet emolumenti, ut potius ab ipsis se deterius habuisse, palam professa fuerit. Quum ergo per annum integrum ab eo tempore domi hæsisset, variaque remedia incassum tentasset, adeoque ventrem indies magis ac magis intumescere videret, mense tandem Junii anni 1669. in animum induxit in Burgundiæ Ducatum iter capessere, ad pagum quendam districtus Antissidiorensis, cui nomen Seneley, ut ibi Virum quendam cui nomen *la Tour* conveniret, quem fama vulgabat omnes affectus p. n. ex sola Uroscopia deprehendere, præ-

tereaque medicamentis instructum esse ad contumaciores quosvis morbos, cæterisque Medicis insuperabiles eradicandos efficacibus, ita ut Magi potius quam Medici personam merito præferret. Hujus itaque ardelionis remediis per dies xv. sine ullo fructu usa, Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi à compluribus tum Medicis, tum Chirurgis inspecta, qui quo conflictabatur affectum hariolari, multo vero minus persanare potuerunt: Parisiis Lugdunum reversa est xv. Decemb. ejusdem anni, graviore quam unquam alias infestata veletudine: abdomen enim adeo turgidum evaserat, ut neque erecta stare, neque decumbere posset, neque somnum capere, neque alvum, nisi clysterum adminiculo, dejicere, quos etiam nonnisi ægre admittebat: lotia pauca reddebat: καταμήνια verò quot mensibus periodice utplurimum fluebant, minori tamen copia quam sanitatis tempore. Per morbi decursum febris, nulla vel ἐπιπόλαιος vel idq; perraro. Totum corpus mire colliquefactum ac extenuatum. Quod vero apprime notari meretur, etiamsi intra ventris inferioris capacitatem ingens subesset aquarum proventus, neque femora, neque crura, neque pedes tumorem ullum unquam conceperunt, cum reliquum corpus præter ventrem mire intabuisset. Abdomen ipsius, quod ante iter Parisiense, tumorem unicum præferebat ab umbilicali regione deorsum, etiamsi vel tunc sublesta rudimenta tumoris in hypochondrio dextro, præsto forent, duos tumores ab invicem discretos post reditum ab Urbe manifeste spectandos exhibuit: unum obsidentem universum hypochondrium dextrum, quique ad latitudinem transversorum duûm digitorum supra costas spurias inequitabat, mollis atque fluctuans: alterum vero obsidentem totam sinistri hypogastrii regionem, qui renitentior aliquanto duriorque erat hypochondrii dextri tumore. Inter geminos hosce tumores observare erat interstitium quoddam vacuum, aut quasi sulcum, quo ab invicem dirimebantur ad latitudinem transversorum duum digitorum, quodque protendebatur oblique ab hypochondrio dextro, supra umbilicum progrediendo, versus partem aquliculi sinistram. Duo isti tumores speciem manticæ quodammodo effingebant, parte utraque extrema propendulâ saburratæ, parte vero intermedia quæ cervicibus imponitur, inani. Circa regionem Renis dextri tumor quidam circumscriptus observabatur, atheromatis cujusdam genium æmulans. Post varias tam Medicorum quam Chirurgorum κοινολογίας, conclusum fuit, Paracentesin heic celebrandam, aliis censentibus inchoandam à tumore hypochondrii dextri, aliis à tumore hypogastrii. A quo posteriore tandem decretum ut inciperetur, propterea quod si forte tumor superior communionem haberet cum inferiore, hunc ipsum vacuefaciendo, alterum etiam illum eadem opera contingeret evacuari, ita ut nova apertione minime opus foret. Causticus itaque lapillus, pisi unius mole, admotus fuit regioni laterali mediæ hypogastrii sinistri. Eschara facta incisa fuit. Postmodum cannula in extremo suo punctata, ad magnitudinem pennæ anserinæ, longitudinis vero, trium transversorum digitorum, paratus fuit in capacitatem subjectam introitus: tuncq; è vestigio prorupit aqua lixivii colore, & quidem tanto impetu, ut unico fere momento duas scutellas adimpleverit. Prima vice eductæ fuere ℥.xxi. & diversis vicibus plusquam cxl. ℥. Aqua primulum prodiit ultimis vicibus limpida, sub finem vero emissa, albicans, mucilaginis instar viscida, & caulium putridorum odore prædita apparuit. Ex vulnere manavit pus album, quod ex abscessus intimo sinu procedebat per paracentesin inflicto, licet proficisci plerisque putaretur ab externis incisionis oris. Tertia vel quarta die post apertionem, nihil amplius, aut nimium saltem aquæ ex vulnere ipso effluebat, eo quod Cannula alium situm sibi comparaverat, neque amplius ad perpendiculum, quemadmodum ab initio, vergebat, mucrone videlicet deorsum converso, propter pondus insigne tumoris alterius in dextro hypochondrio consistentis, qui mole quidem nullo modo fuerat diminutus. cæterum qui tum nonnihil, propter evacuationem aquæ abdomine contentæ, supra quam prius innatabat, subsederat. Atque hic ipse tumor in causa erat, quod aqua non amplius per aperturam effundebatur, cum vicem repaguli præstaret, emissionem coercentis, etiamsi plusquam sex pintæ liquoris in abdominis capacitate adhuc forent superstites, sicut post mortem in cadaveris apertione ad oculum patuit. Porro cum animadverteretur, ne gry quidem aquæ amplius exstillare, consilium ceptum est, similem apertionem instituendi in hypochondrio dextro: qua facta, non minori impetu ac in priore paracentesi prosiliit aqua, sed nigra, non secus ac si fuligo camini aqua simplici diluta fuisset. Ægra autem mox languidior nonnihil evasit, & febris increvit, proptereaque ea die à nova evacuatione satius visum fuit abstinere. Postridie evacuatio parca manu denuo tentata. Tertia die mortem oppetiit, Kal. videlicet Maii, anni 1670. hora sesquiquarta pomerid. annos tum nata xxxvi. menses II. dies. xv. Eodem die hora noctis decima, cadaver adapertum fuit, per Henricum Charavel Magistrum Chirurgiæ Juratum, coram Dominis Petro Garnier Collegii medici Decano, Andrea Falconet, Medico Regio, & Joanne de Rhodes, Doctore med. Aggregato, nec non præsentibus Antonio de la Forest, Philiberto Cochaud & Antonio Verdelet, Magistris Chirurgiæ Juratis: qua in cadaveris apertura sequentia fuere deprehensa.

Mox ab obitu totum abdomen mirifice intumuit. Per scissuram primo loco inflictam in hypogastrio pus effluebat. Per alteram vero secundo loco in hypochondrio dextro factam aqua nigra manabat. Remotis artificiose abdominis integumentis, musculis, ac peritonæo, obvia fuit facta ingens ampulla rotunda aqua nigra semiplena, duarum vel trium ipsius pintarum capax, cujus adhuc pinta una præsto erat. Hæc autem ampulla fuit molis & figuræ, qualis magna cucurbita rotunda, incumbens intestinis omnibus lateris dextri, hepati, atque regioni renis dextri, quæ omnia obumbrabat: hæcque ipsa ampulla tumorem illum circumscriptum ad transversorum duûm digitorum latitudinem

tidinem supra spurias costas eminentem effingebat. Huic ampullæ ren dexter velut insitus moluerat basi sua admodum lata, & qui à situ suo naturali luxatus apparebat: quin imo is ipse Ren erat, qui in regione renis dextri, atheromatis speciem falso spectatoribus repræsentabat. Et sane Ren iste molliculus erat, aquaque limpida gravidus, atque intra hunc ipsum latebat vesica aqua plena, mole & figura, quales sunt vesicæ quæ in corporibus occurrere solent: Insuper etiam hydatides complures, singulæ nucis juglandis mole, adnexæ visebantur ampullæ modo dictæ. Ren sinister colliquefactus erat ac fusus. Magna illa ampulla desineb t in modum utricularis tibiæ, in partem dextram superiorem ac lateralem corporis uterini. Ampulla ista sublata, Hepar, quod scirrhosum existimabatur, nonnihil albidum ac decolor dunt xat apparuit, nequaquam tamen admodum vitiatum in propria substantia. Lien suo modo paris erat fere conditionis ac Hepar. Quo fit ut credibile sit, Hydropem quo detinebatur patiens, oriundum potius fuisse à vitio renum debilium ac labefactorum, quam à vitio vel hepatis vel lienis. Epiploon subflavum erat ac pene consumtum, infimo hypogastrio affixum. Omnes mesaraı glandulæ erant scirrhosæ. Pulmones utrique marcidi, nigrisque maculis respersi. Cor parvum, at sanum. His perlustratis, ad hypogastrium perrectum est, ubi tumor valde iniquus comparuit, cujus tunica erat crassitiei digiti unius transversi. Erat hic tumor instratus intestinis, & ossi sinistro ilium, ad longitudinem & latitudinem manus humanæ: intra quem tumorem, multum adhuc puris continebatur, præter illud quod tam in abdominis capacitatem effusum fuerat, quam quod per foramen paracentesi eo loco factum, effluxerat. Hic autem tumor desinebat etiam in modum tibiæ utricularis, in partem sinistram superiorem ac lateralem corporis matricis, Chirurgus initio adstantibus persuadere nitebatur, ingentem ampullam lateris dextri esse ipsummet uterum; alteram vero quæ in parte sinistra hypogastrii sita erat, esse Vesicam. Verum enimvero cum per totum morbi decursum, nulla puris indicia in urinis observata fuissent, hæc res impulit adstantes, ut majori cum ἀκριβείᾳ investigare sibi proponerent, undenam duo isti tumores ortum ducerent: quod ut melius nosceretur, totus pudoris sinus facto abo rificio externo initio, dissectus fuit ad uterum usque, qui in puellabus & in fœminis, quæ neque fœtus, neque ψευδοκυήματα ulla protulerunt, exiguus esse solet. Quapropter cum ad Uteri corpus deventum esset, quod mole & figura pyrum nostratibus dictum felinum, æquabat, occurrit totum illud uteri corpus, sanum atque integrum. Postremo αὐτοψία cunctos satis superque erudiit, duos hosce tumores procedere ex Cornubus uteri, quæ vulgo uteri Tubæ nuncupantur: unum scilicet ex Tuba dextra, puta illum qui hypochondrium dextrum occupabat: alterum, ex Tuba sinistra, nimirum qui in hypogastrio sedem sumserat. Qui posterior tumor, imam Hypogastrii regionem obsederat, tam propter propriæ substantiæ pondus, quam propter materiæ, qua scatebat, gravitatem, adeoque in sublime non evehebatur, quemadmodum tumor Hypochondrii dextri, qui supra aquas innatabat: Præter enim aquam illam, quæ per duo foramina pertusione facta prosilierat, plusquam sex pintæ ipsius inventæ sunt intra abdominis capacitatem adhuc restagnantes. Per hanc porro Cadaveris reserationem notari facile potuit, utrumque tumorem ope Cannulæ probe perforatum ac penetratum fuisse. Et sane Tumor uterque per sectionem administratam, perque patens illac vulnus materiei intus contentæ portionem evomuerat: imo decepti fueramus omnes, quoad materiam ex tumore hypogastrii eructatam: Cum enim Puris plurimum per vulnus inflictum profunderetur, illud ipsum suppurationi vulneratæ partis perperam à nobis tribuebatur, cum debuissemus illud apertioni interni abscessus, unde unice promanabant, imputare. *Idem ibidem de communicatione Excellentiss. Sponii Patris.*

Hydrops ovarii muliebris &c.

Rustica quadraginta & quod excurrit annorum, paupercula & ponderoso oneri ferendo assueta, ante triennium circiter dolorem persentiscere cepit, pone articulationem femoris sinistri cum ischio, gravidamque juxta se esse arbitrata fuit: deficientibus menstruis dolores hi increbuerunt, cum femoris pedisque sinistri atrophia: Ab isto tempore difficulter incedere potuit, & nonnisi baculo suffulta, quin imo, cum ob pauperiem mali rationem segnius haberet, dorso amplius incumbere nequiit: An. 1683. cum à Pastore loci rogaremur, ut misellam hanc inviseremus, vidimus pedem sinistrum citra sensum fere motumve graviter intumuisse; manentibus undique digitorum vestigiis, ægraque de dolore enormi circiter lumborum vertebras & ossis innominati regionem, eoque lancinante conquerente, quibus accessit, urinandi difficultas, ut non absque dolore mingeret. Varia tum qua externe ad lymphæ viscidæ lancinantis solutionem, qua interne ad ejusdem serique subsistentis attenuationem & vacuationem præscripta remedia, sed absque feliciore successu: tandem ad scarificationem in pede imo devenimus, qua multa aquarum copia educta fuit, pesque totus detumuit: diu tamen hoc in statu non perstitit, quin facta nova stagnatione, ex seri cum sanguine accedentis extravasatione, lymphæq; in suis vasis subsistentia, immane quantum intumesceret, cui scarificatione profundiore non saltem hic sed parte etiam superiore iterata occurrimus, aquæque copiosissime iterum eductæ, non neglectis interim mediis internis & externis: Fonticulus quoq; pedi dicto inustus, ceu ex quo aquæ continuo manare possint: ann. 1684. intra musculos femoris vastos, tumor conspiciebatur digitis cedens, & folliculo quasi inclusus, è quo inciso manu Chirurgi materia primum viridis acerrima, inde piscium ovis similis, tandem ichorosa fœtens profluxit: specillo immisso ad inguen usque pervenit Chirurgus, ut de sinu profundiore in cavum abdominis pergente non dubitaverimus: interea injectionibus certatum ex vulnerar. balsam. detergentib. ac putredini resistentibus: Parte inferiore, femori magis adversa, tumor alius deinceps

prodiit insignis, ut priore tantisper relicto, ad hujus apertionem necessario progrediendum fuerit, qui apertus ichorem acerrimum fudit, simulque sinum ostendit, pone os Ischium versus sacrum & lumborum vertebras pergentem, cui itidem convenientibus obviam ivimus, quibus tamen nihil magnopere effecimus, quin in deterius labente corpusculo, viribus exhaustis placides expiraret d. 7. Jun. 1684.

Cadaver lustravimus postridie præsentibus Vir Nobiliss. D. D. Schorkopf. Hildes. D. D. Nabelio Heidelb. & D. Cand. Kartschero Brig. Siles. Chirurgisque aliquot è vicinia: Antequam abdomen incideremus, in hypogastrio tumorem renitentem animadvertimus, ad cujus examen ilico perrectum, separatis undique integumentis & peritonæo rescisso: Tum vero in pelvi ovum prominuit, aqua limpidissima subsalsa, parum fœtente ad ℥xviii. prorsus distentum, quod totam illam regionem opplebat, vasis elegantibus donatum, à quo aliquantum remoto uterus inferius pendebat, densus crassusque, & ad latus dextrum ovarium marcidum, superius autem abscondita prodiit vesica urinæ receptaculum: Inde cum ovum istud accuratius pervestigaremus, vidimus secundum ipsius medium expandi oviductum cum extremitate sua foliacea, nullo alio ovari comparente vestigio, ceu curiosis etiamnum demonstrare possumus: Epiploon pene consumptum erat: Hepar & lien semiputrida: Mesenterii glandulæ duriusculæ fuerunt, & pancreatis facile atteri poterant: Renes flaccidi & in sinistro conspicuæ protuberantiæ aliquot, cujusmodi glandulosæ in intestinis quandoque observari solent, quæ cultello incisæ, glandulas corticales cum fibræ ductibus egregie ostenderunt: Thorax apertus pulmones non quidem adnatos sed putridos exhibuit, punctulis nigricantibus innumere maculatos: Pericardii liquor modicus, sed cor quoad externam superficiem quasi erosum, in cujus auricula & ventriculo dextris sanguis grumosus cum polypis multus hæsit: Interna vero substantia tota corrupta fuit & flaccida: Os ilium parte anteriore perforatum fuit & nigricabat, effluente ichore, à quo stylus argenteus in abdominis cavum immissus mox arrosus fuit, quod à sanie à lumborum vertebris & osse innominato versus inferiorem femoris partem secundum musculorum ductum dimanante, pariter evenit.

Idem ibidem

De atrophia quadam propalandi nobis heic occasio subnascitur, quam in universalem marasmum dictam & particularem Practici distinguunt, hancque ipsa rariorem uno fere ore pronuntiant, cujusmodi exemplum illustre, aliquando prolixius sistemus, atrophiæ viz. ossis coccygis, ex violenta Venere contractæ, facta profusione & jactura spirituum animalium, simulque accedente nervulorum compressione in fistula ossis sacri, à lympha extravasata & in mucum concreta, quam forte succum nervosum alii interpretabuntur, de quo autem fusius heic ducere non constituimus: sufficit atrophiam ut plurimum morbum vel organicum agnoscere, nervorum compressionem, aut etiam coangustationem vel obstructionem, vel intemperiei, M. H. nempe talem vitiationem, qua particulis ad nutriendum aptis illa destituitur, sive jam victus vitio illæ suppeditari nequeant, sive partium chylificationi ejusdemque distributioni destinatarum labe non accedant: fere autem spiritus animalis in causa esse solet varie deficiens: enim vero cum alimentarium particularum secretionem, tum earundem agglutinationem sua præsentia egregie promovet elatere suo, vel tubulorum in partibus nutriendis tonum conservando ac fovendo, imo ipsissimas Massæ particulas in blanda dulcedine sustentando, qua dispereunte sibi relictæ acriores fiunt, fibrillasque nerveas vellicando atrocissimo dolori, qui in atrophia persentiscitur, occasionem dant: Quod nervos obstruit, vel comprimit serum est vel lympha, aut etiam sanguinis grumescentis portio, perreptant siquidem minutæ arteriolæ vertebralium propagines spinalem medullam, è quarum oscillis, casu potissimum vel ab alia causa externa vehementiore sanguis quandoque excutitur, ibidemque subsistendo grumescit, ceu superius in artuum inferiorum ἀναισθησίᾳ innuere cepimus cepimus, lympham vero lentescentem sive in vasis, compressione ipsius motu impedito, sive extra vasa, uno alterove ipsorum rupto, nobis persuadet autopsia, quâ in fœtib. vitulinis abortivis in fine spinalis medullæ interdum vesiculam lympha plenam invenimus, observavitque idem in fœtibus ovillis Excellentiss. Wepferus: sæpenumero autem nervi coangustari videntur, inprimis in iis qui incurvati incedunt, ponderosæque moli ferendæ assuetæ sunt, & interdum distorqueri, sicque spirituum influxui via præcludi: Id heic decidendum videtur, qui spiritus animalis absentia ex compressione nervi hic accusari possit, cum tamen sensu omni pars non careat, id quod etiam in paralysi notamus, in qua pars quidem motu sed non sensu destituitur: sunt qui hoc expediunt distinctione inter nervos sensorios & motorios, illos in paralysi salvos volunt, hos non item. Nobis distinctione hac non rejecta, cum multo major copia spirituum requiratur pro motu, quam vero pro sensu in anima ciendo, videtur sive unica fibrilla nervea superstite rationem facile dari posse, cur sensu pars adhuc gaudeat, cum è contra nec una nec duæ pro motu conservando sufficiant, id est, quod fibrillæ in membranas tenuissimas abeuntes, usque salvæ supersint, principio etiam à quo ortæ sunt, gravius non læso: Quicquid sit in Rustica nostra & coangustari è lumborum vertebris, vicinisque ossibus ad musculos cum his tum femori pedique incumbentes transeuntes nervi potuerunt, & comprimi à coagulata & subsistente lympha, quod malum haud dubie causa externa, gravis viz. ponderis sub quo incurvata incessit gestatio frequens produxit, accessit dehinc mala victus ratio, ob quam sanguis torpidior viscidiorque generatus, menstrua subsistere fecit, sensimque reliquorum symptomatum proventum adjuvit, nempe ab hærente lympha acredine sua vellicante, dolores circa ischium & in lumbis primi pullularunt, maloque sensim radicato, deficiente spirituum influxu, partes vicinæ, femur præprimis cum pede nutrimento defraudari ceperunt: accessit motus impotentia, unde sanguinis lymphæque circulus magis sufflaminatus fuit, serumque à cruore usque non volatili & balsamico abscedere & una cum illa subsistendo

do, tam gravem intumescentiam parere cepit, particulis ejusdem aculeatis, (de quarum corrosivo genio maculæ in pulmonibus, cordisque superficies in histor. descriptæ testimonium perhibent) cum subinde memabranas fibrasque vellicarent, dolorem non exiguum inferentibus: accessit primum ob nervorum confinitatem, dolore circa lumbos urgente, mingendi difficultas qua cum dolore lotium excrevit: Medicamentis variis malo succurrere annisi sumus, sed in cassum, quod cum lympha incorrigibilem lentorem tum nervi graviorem labem contraxerant: & quamvis scarificatione aquæ copiosissime eductæ sint, primaria tamen causa non ablata, diluvium idem ilico incruduit, imo femur ipsum petiit, collectis particulis seri etiam in abdomine acerrimis viridescentibus, ossaque ipsa erodentibus, de cujus aciditate summa stylus argenteus immissus ilicoque arrosus testari potest, particulis ramosis ac ad motum minus aptis, invicem cohærentibus, sibique ita complicitis ovula illa piscium, particulis magis ramosis ad latera protrusis constituentibus, è cujusmodi etiam particularum similium congerie materiam lacti coagulato similem profluxisse vidimus: scilicet è poris arteriarum distortis ac ampliatis, quandoq; etiam exesis, cruor serosus aliisq; particulus variis prægnans profluit, quæ deinceps sive folliculo includuntur, particulis dictis ad latera secedentibus, ibidemq; invicem conglobatis reliquas involventibus, aut libere stagnat inter musculorum interstitia, reliqua sui parte per venas utcunque remeante. De hydrope ovarii muliebris, quem primum in hac fœmina contuiti sumus, Clariss. D. D. Schorkopf, in Dissertat. Inaugural. hac ipsa occasione erudite scripsit, eandemque exemplis à Celeberrimo Wepfero communicatis illustravit, ut necesse non sit pluribus super istum commentari: Confirmavit nobis ille ovarii structuram à Malpighio, Graefio, Vir Celeberr. aliisque studiose sub cultrum vocatam & detectam, quam in animantibus brutis sæpiuscule rimati fuimus: Elegantes sane sunt vasorum plexus, qui ovarium undique investiunt, & notatu dignissima vasculorum minimorum expansio, quibus ipsa ovula, perreptari deprehendimus, una cum fibrillarum, seu mavis, tubulorum subtilissimorum serie, quorum ope ex iis materia congrua, pro ovi maturatione jugiter secernitur, quibusve vel obstructis aut compressis aliterque læsis, ut viam liquori secernendo negent, sterilitas subsequitur, ruptis vero laceratisve à seri extravasantis vel lymphæ stagnantis, aut è vasculis suis ruptis, exundantis copia, hydropi dicto via sternitur, de quo ille prolixius: Id modo heic addimus vasorum copiam atque implicationem, qua in ovario qua oviductu & tuba conspicuam, una cum aquarum undis considerantibus ac perpendentibus, verisimile fieri, serum ex vasorum sanguiferorum osculis copiose abscedens & collectum pari frequentia affectum hunc producere, ac lympham è suis canaliculis extillantem. *Idem ibidem.*

Historia Hydropis memorabilis.

Die 20. Martii, anni 1681. hora prima pomerid. denata est Ludg. Gallor. honestissima matrona, Mauricii Avinan Sartoris Uxor, annos nata Lx. quæ valetudine satis commoda usa fuerat ad annum usq: ætatis undequinquagesimum, quo toto temporis tractu sedecim omnino liberorum, totidem diversis puerperiis mater evasit, quanquam ex isto fœtuum numero duo fuerint abortivi: postremum tamen puerperium laudabile admodum fuit. Anno itaque unde quinquagesimo ætatis, tertio aut quarto mense postquam καταμήνια periodica κατὰ λόγον exulassent, tumor quidam internus pusillus cepit in regione hypogastrica suboriri, qui paulatim ad extremum usque vitæ diem ultra modum increscens, omnes rei conscios varia in ratiocinia merito pertraxit, etiamsi ipsarum nullus verum scopum visus sit attigisse, suisve conjecturis assequi potuerit tam prodigialem Naturæ molitionem. Tumor porro iste sensim augescens, intolerabilis demum evasit, tam ratione molis quam ponderis insolentis, adeo ut etsi non prius lectulo plane affixa fuerit muliercula, quam per tres ante mortem septimanas, ædibus tamen pedem efferre aut in publicum prodire, toto fere postremique vixit anni spatio nequiverit, donec Parca tandem ægrotanti finem ærumnarum fecit, eo ipso quod statim ab initio indicavimus tempore. Tunc itaque Chirurgus familiaris de Cadaveris apertione consilium cepit, ut causæ morbificæ morbique natura palam oculis usurpari posset. Cadaver ergo mensæ impositum, spectaculum adstantibus exhibuit plane portentosum, propter miram ac enormem totius ventris inferioris struicem ac elationem, quam filo dimetiri primo visum fuit, antequam cultro tentaretur apertio, dimensionum quibus constabat explorandarum gratia. Quare producto à cartilagine xiphoide ad os usque pubis supra umbilici regionem filo, eodemque similiter à transversis apophysibus spondylorum lumbarium unius lateris usque ad apophyses transversas prædictor. spondyl. alterius, lateris itidē supra umbilici regionem protracto, eandem mensuram dari innotuit, puta quinq; pedum utrobique: unde Geometra peritus non difficulter capacitatis subditæ amplitudinem collegerit. Ut autem partium interiorum κατάστασις liquido patesceret, oportuisset cautius procedere, quam factum est à præcipiti chirurgo, qui citra ullam προδιαχείρησιν derepente scalpellum in partem inferiorem hypochondrii dextri alte impegit: qua pertusione facta extemplo incredibili quodam impetu liquor inde prorumpere cepit, nullo penitus fœtore præditus, colore subcruento, qualis fere esse solet vini vappescentis, & quidem tanta copia, ut sex urceos ad minus repleverit universos: quæ quantitas collectim sumta ad libras præterpropter centum & quadraginta adscenderet, habita consistentiæ materiei ratione, quæ tum lotio, tum sero hydropum ascitarum aliquanto spissior erat. Hoc pacto ubi detumuisset venter inferior, mox apertio ipsius instituta fuit à medico præsente, nimirum ab cartilagine xiphoide ad os pubis tendendo, nec non altera sectio transversalis etiam adhibita. Quo facto, atque ipsa cavitate sic abunde reserata, nihil protinus in conspectum se exhibuit quàm membrana validissima uniformis

mis, quæ visceribus universis in abdomine sitis superstrata, ipsa obumbrabat, & quæ hinc inde ipsis adhærescebat, videl. ad cartilaginem xiphoiden, costas spurias, epiploon, ventriculum, ac peritoneum fere totum, parte saltem superiore, unde fibræ innumeræ huic membranæ suppeditabantur, quæ fibræ totidem erant minuta vascula succi nutritii vectricia, unde robustior, durior & spissior reddebatur quam peritonæum vel etiam duplicatum. Nec difficile admodum fuit, membranam istam utriformem ab omnibus vicinis partibus sine ulla laceratione liberare: præterquam à Tuba uteri sinistra, cum qua continuitatem habere manifeste constitit; adde quod specillo subtilissimo ductum satis evidentem deprehendere licuit, ab ista imi sacci cavitate in ipsum usque uteri corpus pervium, qui ipse uterus solito crassior erat, ac nonnihil scirrhosus: unde conjectari fas est, κύστιν adeo vastam nil aliud fuisse, quam Tubæ illius sinistræ dilatationem, cujus Tubæ extremitas fimbriata testiculum vel si mavis, ovarium sinistrum amplexans ac obvelans, initio quidem hydatidum quarundam iis in partibus non infrequentium ναυσιώσεως excepit, quas ipsas hydatidas nihil aliud esse quam vasorum lymphaticorum dilatationes, credibile est. Observandum autem heic venit, I. Tumorem hunc pedetentim, sine sensu doloris, ac citra omnem inflammationem pullulasse ac incrementa sortitum esse. II. Quum auctior evaderet tumor, ægram suæ Evexiæ partem demum amisisse, neque tamen vel crurum vell fomorum ullo turgore affectam fuisse, qualis in hyderis subnascentibus alias notari solet. III. Quod statim à prima mali genesi serum quoddam per assiduam quasi exudationem (nequaquam vero per fluxum periodicum) ἐκ τῶ γυναικείων exstillarit, & quidem serum ejusdem plane coloris, ac in cavitate illa longe amplissima stagnabundum. IV. Quod nullo pravo odore prædita erat materia illa stagnans. Testiculus porro sinister, sive ovarium, mole sua æquabat majusculum gallinæ ovum, in quo hydatides numerosæ, satis insignes probe distinctæ apparebant, in unum veluti globum coactæ, sed varia materia refertæ, aliæ quidem liquore lymphatico limpido & glutinoso, aliæ magis concocto & albidiore. Testiculus vero totus Tubæ uterinæ tunicâ vestiebatur, quæ ipsum superius plane amiciebat, & continebat, imo etiam per semipedis spatium altius quam situs ipsius naturalis postulabat. Dextra uteri tuba, ut & testiculus ejusdem lateris naturali plane modo visebantur constituta Sacco illo ingente undique remoto, partes omnes abdominis comparuerunt satis bene constitutæ, sed sursum à prædicto utre propulsæ. Pancreas tamen perfecte scirrhosum erat. In exteriori abdominis regione observatum quoque hypogastrii dextri partem versus os pubis inguen item dextrum, & pudendi totius dextram partem, gangrænosi affectas esse. Crus quoque dextrum, postquam per VIII. aut X. dies ante mortem quasi ἐφθὸν intumuisset, gangræna correptum fuerat per quinque duntaxat aut sex ante obitum horulas. Quæ partium dextrarum gangrænosis non aliunde profecta fuisse videtur, quam à pondere immani prædicti utris tantopere infarti, quod partes dextras forte magis comprimens, quam sinistras, liberum nectaris vivifici appulsum ad partes illas intercipiebat, ut proinde præ hujus ipsius defectu corruptionem sentire coactæ fuerint. Aperto thorace, pulmones toti nigri, propter prægressam phlogosin, animadversi fuere, quin & ad latus sinistrum pleuræ pertinaciter agglutinati & adhærentes erant, ut sine laceratione inde avelli minime potuerint. Nec mirum, cum Diaphragma ab utris supra memorati inusitata magnitudine ac fœtura tam violenter sursum versus protruderetur, ut præ angustia thoraci conciliata, liberatis perquam *motui pulmonum relinqueretur. Cor aliaque partes circum vicinæ nullæ* ἀξιολόγε *noxæ vestigia præferebant Idem ibidem ex communicatione excellentiss. Sponii Patris.*

De Aqua hydropica, in peritonæi duplicatura, in muliere.

Quis Medicorum conjecturalem esse artem medicam negabit, qui quotidiana experientia incertitudinis plurimum eam possidere didicit.

Experientia fallax, judicium difficile Hippocrati Aphor. 1. sect. 1. habetur, imo nullam artem minus constantem inveniri magisque variabilem Medicina Plinius addit.

Incertitudinis hujus, mutabilitatisve variæ, causam invenire haud licet, præter partium plurimarum occultos situs, naturæ lusus varios, humorum spirituumque miscelas diversas, unde actiones corporis integræ læsæve.

25. Mensis Januarii Anni 1651. aperuimus cadaver Dnæ Nicolai Thovelings, quæ uxor fuerat Pictoris apud nos celeberrimi Goverd. Flinkii, jam à primis annis ventris laboraverat, cum tensione gravi, intumescentia magna, quæ tamen circa pubertatis tempora, ætatis nempe annum 13 aut 14. mirum in modum increvit. Menstruorum fluxus non nisi bis, isque parcus valde observatus, ventre eo tempore leviter subsidente. Nec tamen molestus hic ventris tumor, quo minus matrimonii molestias subiret, impedire potuit; nupsit viro nominato, gravida infantem peperit, at sine ulla ventris detumescentia.

Varia ad sublationem tumoris hujus usurpata media, variæ institutæ medicorum, Chirurgorumve, consultationes, at irritus omnis labor; causam in aliud conjicere non licebat, quam sententiarum de vero morbi origine, veraque affecta parte, diversitatem. Fuerunt enim qui Fungos divisos ventris dictæ extensioni ansam præbere statuerent; placuit aliis Atheromatum fasciculos mali causam dicere; Vesiculas plurimas pituitâ repletas hic hærere varii assurere ausi fuerunt. Imo, nec defuerunt, qui Molam adesse suspicarentur.

Præcipua Medicorum, Chirurgorumve, in consilium adhibitorum, pars, aquam ventre conclusam in interstitiis viscerum hærentem, causam esse habendam voluit. Clar. Walæo Medicinæ apud Leidenses Professori probabile omnino videbatur (nec, sententiam hanc mutaret, ullis rationibus induci potuit) serosum humorem sensim ad peritonæi duplicaturam destillasse, ubi, collectione facta, tumorem produxit enormem.

Magni hujus Medici sententia quam vera certaque fuerit antequam demonstremus, considerari meretur, brevissimo temporis spatio, octo nempe dierum, in eam molem ventris tumorem fuisse auctum, ut tres partes accesserint, ad digiti transversi latitudinem ventrem increscere, impossibile omnino dixisses, siquidem eum intueri concessum fuisset.

Addo, quod admirationem omnem superat, agilem eam adeo fuisse, atque in motu celerem, ut nihil non, domestica officia spectans, currendo, stando, laborando, efficere valeret; paucis ante mortem diebus, referente marito, turrim clivensem adscendere, descendereq; sine ulla molestia potuit.

Misera tamen nostra interea temporis, quæcunque etiam adhiberentur media, ventrem magis magisque intumescere percipiens, tandem doloris gravitate quam maxime debilitata, quod nec sedere nec stare, sed manibus pedibusque repere cogeretur, in lecto decumbere coacta est, in quo vitam finire debuit, deo opt. max. animam, nobis, causam gravissimi hujus morbi inquirendi gratia, corpus, concessit.

In cadavere primo cutem cultelli acie circa umbilicum, (quam fere cartilagineum reperiebamus) dissecuimus, & aquæ limpidæ minime fœtentis quantitas centum & viginti quinque librarum effluxit.

Educta aqua saccum, quem hactenus ignorabamus peritonæum esse, ex quo liquor dictus effluxerat, in partes quatuor, cruciali sectione, dividimus, cujus fundum materia impura, lentaque obductum invenimus; rei novitatem admirabamur, qui pervenisse nos in ventris cavitatem putabamus, nihil viscerum reperiebamus, peritonæum cuti unitum in eam magnitudinem extendi posse, qualis nobis occurrebat, nunquam admisissemus, nisi oculis nostris in sequentibus fuisset exhibitum.

Partem adeoque peritonæi superiorem, circa mucronatam cartilaginem, costasque notas separare aggressi sumus, quo facto in conspectum venere hepar, ventriculus, intestina aliaque viscera, integra, & bene constitata, præterquam quod intestinum colon plus justo contortum.

Uterus insuper sinistro latere bene se habebat, similiter ac Tuba Fallopiana, Vas deferens, Testiculusque sinister, quæ tamen partes omnes magnitudinis crassitieique erant excedentis.

Lateris dextri Testiculus deficiebat. Vas deferens & arteria (per quam menstruus excernitur sanguis in non gravidis) alieno detinebantur loco, in ipsius enim peritonæi duplicaturam deferebantur, quam pererrabant simili omnino modo ac ureteres vesicam urinariam, in quam etiam, sine dubio. sanguinem, imperfectumque semen, deduxerunt, materiam tumoris supra declarati.

Sanguinem menstruum per arterias in saccum hunc fuisse deductum inter alia demonstrare videtur, quod, instante tempore menstruationis, quavis vice, ventris intumescentia fuerit aucta.

Hisce sic consideratis, inquirere aliquis posset, quomodo menses, qui statis temporibus fluunt, aquam fere claram potuerunt producere? eamque ad aliquot librarum pondus? Ad hoc quæsitum dicimus, verosimile nobis neutiquam haberi, sanguinem menstruum limpidæ aquæ materiam præbere, quin potius fœtentem ex eo produci liquorem censeamus. At vero aquam hic collectam ex parte etiam ex uretere dextro à rene descendente ad vesicam urinariam exstillasse, judicamus. Ductum enim hunc errore naturæ, ad duplicaturam peritonæi, cum arteria spermatica, & ductu cœco s. Tuba uterina transiisse, per anatomen notavimus.

Et sic dissectionis nostræ opera veritas sententiæ Cl. Dn. Joannis Walæi detecta, imo etiam paracenteseos in ægrotante hac & facilitas, & utilitas, quam idem Walæus, cum Medico nosocomii nostri Dn. Samuele Costero valde commendaverat. *Job. à Meekcrem in Observat. Medico-Chirurgicis.*

Hydrops gravis.

Christianus Friderici Holsatus 2. Octobr. an. 1659. apostemate laborabat sinistro abdominis latere, trium transversorum digitorum distantiâ ab osse ilium, dolorifico valdè, ad externum attactum, materiâ purulentâ hic extra peritonæum collecta videbatur. Cauterium primò applicuimus potentiale, hinc cultello acutiore apertionem instituimus, & effluxit materiæ bene coctæ, haud fœtentis quantitas ℥ij. aut iij. Sequenti die materia effluens & parcior fuit, & sanguinolenta magis; placuit itaque quo materiæ dictæ commodior exitus concederetur, cultello, maximâ parte linteo armato, cujus descriptio habetur apud Scultetum Armament. Chirurg. tab. 2. fig. 7. incisione secundum longitudinem tumoris factâ tumorem magis aperire.

Die tertio, quarto & quinto materia se obtulit impura, fœtidaque; sexto stylo nostro explorare placuit, quousque quaquaversum, apostema hoc se extenderet. At quamprimum eum inserere aggressi sumus, inscii paracentesin instituimus, illico enim aqua effluxit clara, alba, nullius fœtoris, ad quantitatem mediæ pintæ, quem subitaneum effluxum ventris detumescentia insperata sequebatur.

Die sequenti ad foramen factum membrana se conspiciendam dabat crassa, complicata, quam intestinum esse conjiciebamus. At cum vasa in ea nulla occurrerent, forcipe eam apprehendere ausus fui, imo lenta manu extrahere; instar cornu politi pellucida erat vasis nullis prædita.

Ea extracta aquæ iterum limpidæ aliqua quantitas effluxit, hinc nil nisi materia fœtida. Quod educta membrana sinum hic aliquem (uti videbatur) reliquisset, consultum visum fuit injectione hac eum mundificare.

℞. Fol. Scord. Ruthæ, Absinth. Rosar. an. M ß. Hord. ℥ j. ß. flor. Hyper. Centaur. an. ʒ ij. Coq. in vino rubro. in Colat. ℔ j. dissolv. Mell. apii. ℥ ii. Aloes, Myrrh. an. ʒ j ß. F. Injectio.

Utilitatis aliquid adferre videbatur, quod materia magis concocta se exhiberet.

Interim etiam medicamenta ea intus sumenda

da præscribebantur, quæ & ars & morbus exigerent, inter quæ præcipuum decoctum aperiens in Nosocomio nostro usuale, cujus hæc descriptio:

℞. Rad. v. aperient. an. ℥j. Herb. eupatorii.
Herb. Chamædryos. Thymi. Betonicæ an. M. j. Adianthi M. ß. Cicer. rubr. ℥ ß. Coq. ad ℔ j. ß. Colaturæ adde Oxymell. simpl. Syrup. v. radic. an. ℥ i. F. Aposema.

Ad sitis, febrisque, quæ tamen haud multum molestabant, imminutionem usurpabat Decoctum hordei commune, cum Sy. de Althæa.

Die 15. membranæ prædictæ major longe portio se obtulit, succi formam habens, cujus ablationem sequebatur materiæ putridæ fœtidæque ea quantitas, quam etiam satis capaci receptaculo excipere haud licebat, & quidem summo cum impetu, tandem, sanguinis, particularum duriorum, materiæ terrestris, evacuatio, & sic viribus fractis interiit.

4 Novembr. dissectioni nostræ subjectum cadaver, in quo, facta à mucronata pectoris cartilagine ad ossa pubis apertione, materia primo occurrebat glutinosa, flava fœtida, omento, hinc etiam intestinis subjectis, incumbens; hujus ope adeo hæc incrustata, conglutinataque, ut etiam discernere ea vix concederetur.

Lien hic insignis erat magnitudinis, in lobos duos divisus, ad inguina devolutus, in eo sinus notatus rotundus, qui aquam claram, membranamque exhibuerat, tabulæ enim impositus abscessum rotundum, tunicæ propriæ inclusum, exhibebat, in quo dissecto non solum aqua reperiebatur clara, alba, sed & membrana crassa, pellucida, iis quæ jam ante extractæ in totum similis.

Atque ex his colligere licet, naturam ad apertum locum materiam præter naturam in liene contentam deduxisse. Considerandum hic insuper, locum lienis non semper esse ad ventris postica, sed & anteriora sæpius, imo inferiora, quod in infantibus variis ventris tensione laborantibus notamus. *Idem ibidem.*

Hydrops Ascites à Bile degenere.

Quæ de Felle, deque ejus à naturali statu deviatione, coacervationeque allata fuerunt. ex iis desumpta sunt, quæ Praxis quotidiana confirmat: Ideoque tam perspicua, ut prolixiore comprobatione nullatenus egere videantur. Veruntamen notabilem atque in recente adhuc memoria obversantem Hydropici Historiam huc accersam, propterea quod bilis in eo collecta, per duo emunctoria, scilicet per Alvum nigra, & per Vesicam rubra, flavaque copiose excreta fuerit. Ernestus Pfaff, Victor ad S. Goarem annorum 41. (postquam vinis inferioris notæ posthabitis, tantum generosiorum ut & spiritus vini potui inhiaverat,) mense Novembri 1679. intumescit circa præcordia, nigra alvo egerit, cum tenesmo quodam Urinam reddit paucam cum dysuria. Quatuordecim diebus sic transactis, animæ suæ consuluit, hinc me vocari petiit, qui eum inveni stantem & ambulantem, nec vel uno pede adhuc tumidum. Mirabar igitur ejus, alias satis cordati, pusillanimitatem. Is vero mihi reposuit, se recordari fratris sui, qui eadem ætate iisdem symptomatibus correptus, annis ante decem Hydrope mortuus fuit, majores etiam suos ex utraque linea Hydropi obnoxios fuisse; quod nihilominus meam operam requirat, in causa esse nonnullam spem, quæ à quibusdam aliis restitutis affulget. Ego igitur petitioni ejus morem gerens in decursu morbi observavi, Primo, quod urina ejus pauca cum difficultate procedens colorem habebat ex citrino ad flammeum vergente, qualem nunquam vidi; sedimentum autem rubrum instar granorum Ribium maturorum, tamque copiosum, ut quum per 24. horas stetit, vix infra mediam vitri regionem descenderit; duravitque per anni quadrantem circiter ita, ut ejus sedimenti copiam tandem non mirari non potuerim, de cujus quidditate postquam diu dubius hæsi, tandem conclusi, fel esse accumulatum. Secundo observavi, quod sedimento illo per vesicam evacuato, sub remediorum usu urina tam copiosa facta fuerit, ut unius noctis spatio interdum sex pintas & amplius reddiderit. Tertio per alvum frequenter (interpolatis tamen vicibus) nigra dejecit, ac illa semper cum molesto, eoque peculiari per intestina, & sphincterem sensu, aliquando etiam flava (ut referebat æger & uxor ejus) prope, similia iis, quæ per vesicam excreverat; atque insuper purulenta nonnunquam. Tam variæ erant dejectiones. Quarto, ea fœcum saburra plurimam partem exonerata, talis rediit appetitus comedendi, ut familiares ejus mirati fuerint, qui fiat, quod cum antehac parum comedere visus fuerit, (solo potissimum vini potu contentus,) nunc mane, meridie, & vespere cibum tam avide capiat, & satis copiose, quemadmodum ipse mihi aliquoties fassus fuit, sibi meliorem esse appetitum, quam sex annis fuerit. Et quod amplius est, facies, quæ prius collapsa fuerat, in plenas iterum buccas sese extendit, reliquo Corpore similiter ad vigorem redeunte. Quinto, priusquam vero firmiorem hanc convalescentiæ spem recuperaret, aliquoties sibi extrema jamjam subiturus esse videbatur; Pedes enim, abdomen, & præcordia adeo intumuerant, ut sedenti vires non sufficerent, decumbenti autem respiratio deesset. Interim per Clysteres subveniebatur, quoad suffocationis periculum transierit, Cura reliqua in Aperientium usu prorsus collocata. Sexto Scrotum ejus tumore & rubore Erysipelatode ita afficiebatur, ut noctes aliquas ideo insomnes duxerit. Septimo, in latere sinistro de quadam molestia versus inguen & femur decumbente sæpius questus fuit, ignota origine, apparuit autem exterius in eodem latere supra Umbilicum suffusio, seu efflorescentia nigra, cujus causa aperto cadavere apparuit fuisse Epiploon ibi nigrum. Octavo, facie fratrem adhuc viventem, paucis annis minorem, aliquando prorsus referebat, quod tamen in sano alias nunquam observatum oculi Ictericum demonstrabant: faciei color tandem in nigrum vergebat. Non interim nihilominus omnia in melius redire visa sunt, ita ut domo egressus fuerit, Arcis montem conscenderit, hinc & inde iterum obambularit, ami-

amicorumque invitationibus ad mensam paruerit, imo verò contra inhibitiones frequentissimas etiam extra tempus potui indulsit, suum pro excusatione gustum allegans; Quo factum ut serum denuò colligi cœperit, atque tandem circa initium Junii 1680. me peregre profecto correptus fuit sanguinis confertim è stomacho quasi eructantis sputatione, sic translactis 24. horis superveni; nocte secunda, binis à media nocte horis (32. circiter horis à prima Invasione) Fatis cessit. Septimo cum Chirurgus famuli sui opera adjutus Cadaver aperturus communia involucra incideret, pinguedo copiosa apparuit, ut adstantibus omnibus admirationi fuerit, dein aqua flava totum ventrem implens exantlanda se obtulit. Omentum sinistro in latere nigrum erat. Intestinis pinguedo hinc inde adhærescebat. Lien erat insolitæ magnitudinis, ut tres circiter libras pendisse judicem; Interius visu pulcher atque floridus, à sanguine scilicet, quo exterius turgebat, ab omento nigro quodam in loco infectus. Hepar album, distensum meatibus albo crassoque succo infarctis. Folliciculus fellis, primarius inquisitionis meæ scopus, fellis ℥iß. (vix ultra) continebat, quod in vitrum infusum fuit. Interrogante me cujus id esset odoris, mox quidam Medicinæ Studiosus, qui fidelem operâ præstabat, naribus admovit, atque gravissimum halitum deprehendit, cum tanta aversione, ut sibi malè quodammodo inde esse dixerit. Plura libenter investigavissemus, præsertim abscessum in Mesenterio, unde pus prodibat, ut opinor, nisi amicorum præsentia obstitisset. Ex quibus præcipuè notatu dignæ sunt excretiones fellis per alvum, & per vesicam, ejusdemque in sua cystide deprehensa Corruptio; In quam qui in Hydropicis aliisque Cachecticis frequentius inquirere volent, similes fellis degenerationes plures invenient, quemadmodum accidit Regnero de Graaff. scribenti in tract. de succo pancreatico: Icterici Bilis fuit inventa serosa, & tam levi flavedine imbuta, ut immissa in eam lintea non nisi exiguam admodum amaritudinis speciem exhiberent. Item quod Glissonius in anatomia hepatis affert: Erat apud nos Mulier Cachectica in cujus vesicula fellea deprehendimus humorem serosum pallidiusculum, minimè amarescentem, sed insipidum potius, dulcique proximum, Tantum quippe potest fellis constitutio, ad quam hactenus tam pauci respexerunt, penitiore Ascitis causa in abstrusis latente. *Ioh. Georgius Greulichius de Hydropis curandi vera methodo.*

Hydrops in quo Lien præcipuè affectum repertum est.

Uir annum agens 40. temperiei calidæ & siccæ utcunque naturalis, coloris in facie ex atrô & citrino turpiter confusi, opum, quibus jam confertim abundabat, cumulandarum famelicè cupidus, ut etiam in earum gratiam honestæ vitæ commoda nihili faceret, infami passione imprudens Hinc radicibus, rapis, oleribus, leguminibus, caseo, carne sale & fumo exsucca, aliisque idgenus ineptis & rusticis cibis, quod avaræ forent impensæ, ventrem alimoniæ usurpandæ insanè inhiantem animaliter farciebat. Interim duris, barbarè, corporis, sed animi maxime laboribus, curis, studiis, scriptione, lectione, ruminatione & futurorum conjectura, se se inhumaniter conficiebat. Subinde cæcam hospitii cameram nactus, ringente avaritiâ, profusa vini helluatione totus inundabatur. Extemplo absque præcursoribus morbi instantis indiciis, morose questus est de subita virium ruinâ, de corporis enervis plumbea mole, de anxio respirationis pressæ gravamine, de tussi sicca, de appetitus se se desperate negligentis agonia. Interim prurienti inquietudine frangebatur nimis ærumnosum corpus, febre levi continuâ ardens, & inopinato totum abdomen ad duritiem explicatum illico apparuit, quod ante aliquos dies leve initium ceperat; sitis intolerabiliter avida, somnus nec minimus, pulsus debilis, intermittens, intercadens. His pensitatis prognostica rerum futurarum scientia calamitose ominandum esse non dubie dixi de affectus grandis sorte. Contra sentiebat collega Medicus mecum in efficacius curæ robur rogatus; ego autem ursi ut mature sibi in horribile æternitatis jamjam inchoantis momentum, diligentia alacri ad id opus esse, ne tempus avarum, quod modicam lucis usuram concedebat spem vitæ blandientem crudelissima calamitate deciperet. Medicus opposita mente à me alius, nolui ea die consilium his omnibus inire, id non adeo immatura præcipitatione urgendum, sed in crastinum otiose differendum dixit, ætatis vigentis robur facile superius asserens, reposui strictim, nulli ætati ignoscere cæca prægrandium morborum fata: Et revera illa ipsa nocte obiit, ut horum tantummodo remediorum opera usus fuerit. Enema injectum carminativum, quod flatibus superbe tumidis abdomen extensum diceret ordinarius. Ego quidem flatus plurimos subesse ultro concessi, sed aquas iis & copia & noxa graviores. Propinata fuit potio cardiaca.

℞. Aquar. rub. idæi ℥ii. cinnam ʒiii. confection. hyacynthinæ ℈iiii. elixyr. vitæ Matthiol. ʒiß. syr. violarum ʒvi. M. f. potus cochleatim sumendus. Exhibitum hydragogum leve.

℞. Syr. rhamn. cathart. ℥i. magister. jalapp. gr. v. tinct. gran. juniper. spir. vin. extractæ ʒi. aq. baccar. ebuli ʒvi. m. nec remediis audacius vacuantibus patuit, ob vires ferientis ruinæ jam lugubriter affines. Enixe precatus fui ut corpore secto, sensuum indigitantium sententia nemini non evidenti de duplicis opinionis veritate statueretur: quod ut datum fuit, invitavi Medicum curæ socium ad spectaculum secure de nostra lite decreturum. Quando abdomen incisione hiavit, illico prorupit incredibilis humoris aquei, fœtidi, adstantibus intolerabilis & subcitrini colluvies, cameram prodigiose inundans, qui in spatiis inanibus inter ventris infimi partes otiose stagnarat. In vicinam thoracis capacitatem irrepserat ex abdomine notabilis ejusdem diligenter crescentis portio, quæ non tardè quoquoversum diffusa corignis vitalis venerabile sacrarium tandem funebriter submerserat, unde mors repentina, quam sanguine proximi cogitatione assequi non poterant, & si eis modum quo accidisset centies ad nauseam inculcassem. Parum deerat internis partibus ad sui integritatem, nisi quod effæminatæ apparebant; Majus jecur creverat. Lien digitis pressus cedebat haud ægre, & tractatus sæpius

in pultem spissam pigre fluebat. *Ex amica communicatione viri Clariss. Domini Nozet Medici Friburgensis Celeberr.*

Hydrops ascites in quo tumores omnigeni & innumeri abdomen occupabant.

Mulier sexagenaria N. Ascite laborans & Medici cujusdam curæ commissa, male se habuit ab apozemate aperiente & purgante, incommodum pariter accepit ex opiata chalybeata & cathartica: unicum tantum pharmacum ex gumm. gutt. & mercur. dulci conflatum ipsi levamen præstitit. Uerum quandoquidem post catharticum citissime intumescebat venter, ex paracentesi auxilium petere mens fuit. Ter intra sesqui mensem ipsi perforatum fuit abdomen, acu scilicet fistulata juxta umbilicum adacta, toties que duodecim, aut circiter, seri limpidi libræ eductæ sunt, donec ejus decursu cessante acus sanguineo rore stillaret. Grandi levata onere ægrotans, spirandi & decumbendi libertatem adipiscebatur, receptisque somnô viribus res suas expedite peragebat. Uerum ad modicum tantummodo tempus prospera illa valetudinis conditione fruebatur: etenim præ angustia rei domesticæ, & ob inconvenientem infelicemque victus rationem, in priora ægritudinis symptomata relabebatur. Non illi fames & sitis, non mille alia tædia, longaque patientia ad tollendum hydropem, à Celso lib. 3. cap. 21. decantata, quicquam profecere quin potius in diro carcere, religionis ergo, diutius olim asservata, famem, frigus, inopiam, & multa alia non patienda ferens, immanem morbum conceperat. Sed (quod spectandum, & attentiori animo in ægritudinis istius ὑστεροφῇ advertendum) nunquam post paracentesim toties repetitam, aut etiam post catharsim à prædicto pharmaco sæpius institutam, intumescebat ægrotanti abdomen, quin urinæ profluvium ipsi adveniret, quodque opem ferre debuisset, è contra calamitatem inferret. Iam vastius tumefacto ventre, habitum corporis lymphæ diluvium inundavit, tibiæque frequentibus rimis fatiscentes & ulcerosæ supremo frigore obsidebantur, ægraque sub tam acerbo affectu sollicitam & actuosam vitam exhalabat. Apertum abdomen tumores innumeros & omnigenos exhibuit. Contentæ in illo partes, ob situm & figuram penitus immutata, difficile innotescebant, è diruptis vasis hinc inde, scaturiente sero, epiploum, diaphragma, mesenterium, intestina, scirrhorum plena omnia. Tumorum autem scirrhorumque impares fuere conditio & natura. In diaphragmate, peritonæo, externaque intestinorum tunica, duritiei erant lapideæ; plerique autem granorum milii speciem referebant. Unus præ cæteris visendus erat in epiploo monstrosæ magnitudinis & figuræ scirrhus, duo aut ferme tria pondo, cujus interiora cellulis destincta, & vasis atro sanguine plenis instructa; materia istic sevo, illic puri, hic autem gypsi instar concreta & indurata infarciebantur. Reliqui tumores ovi columbini figura & magnitudine, membrana simplici, hydatidum instar, constantes, liquore viscido albidoque pleni. Insigne ad molem hepar decolore ac vieto erat parenchymate. Lausannæ mense Nov. an. 1691. *Ex communicatione viri Præclarissimi Dom. Rivalier Medici. Nemausensis Celeberrimi.*

Hydrops ascites in quo tumor grandis in pancreate aliique minores per totum mesenterium ac intestinorum longitudinem disseminati &c.

Juvenis 22. circiter annos natus, jam à tredecim mensibus febre lenta correptus; tussi præterea, pectoris oppressione, ac larga hæmoptysi subinde afflictus, in marcorem primo deducebatur indeque in hydropem universalem, quo remediis aptis fugato, ultimis vitæ septimanis abdomen tandem non parum tumuit ac distensum est. Cadaver pro rimenda morbi lethalis prima origine die 19. Augusti ann. 1691. concessum, exsuccum nobis primo intuitu, ac quasi sceletum visum est, imo excepto ventre molis ingentis. Aperto illo effluebant seri tenuis ac subflavi pintæ, ad minimum septem. Intestina flatibus quidem distenta, sed minime corrupta apparuere. Uentriculus integer fuit ac liquoribus qui pro potu & cibo hauriebantur semi plenus. Epiploum valde extenuatum at non consumptum. Hepar magnitudinis longe supra naturam, colore albido se quasi sæpius lotum ac elixum oculis exhibebat. Lien paulo tumidior ac mollior. Renes probe constituti. Totum mesenterium, imo intestina, præcipue ad radices vasorum tum mesaraicorum, tum lacteorum, glandulis durioribus variæque magnitudinis, quasi consperса. Uerum se præ aliis observandum præbuit tumor grandis caput infantis annum nati magnitudine sua referens, pancreatis corpori quasi additus eo loci quo ipsius canalis duodenum perforat. Hic tumor erat racemosus è pluribus invicem unitis corporibus compactus, quibus una eademque materia, scilicet sebacea, continebatur. Ab ejus mole sursum elevata ita comprimebatur canalis bilis communis ut hic humor dum liber ad intestina sib non concedebatur transitus, versus superiora refluens non solum hepatis interiora replesset, sed etiam vesicula fellea multum ampliata, imo in sui collo herniam passa fuisset, unde altera quasi vesicula efformabatur. Bilis coloris erat naturali viridioris. Ex abdomine in thoracem ascendentes, vidimus corpus glandulosum nucem juglandem magnitudine æquans diaphragmatis centro tendinoso adnatum. Pericardium multo sero turgidum. Cor admodum parvum, at fibris solidioribus & validis donatum. Cavitates, seu ventriculi cordis aperti nullum profudere sanguinem, nec ejus aliquid congelatum præbuere; hocque notatu dignum, quod in hoc subjecto, quamvis adhuc dum calido à nobis disserto, parum admodum sanguinis effluxerit, scilicet magnæ illius impensæ ac deperditiones tum in hæmoptoë præcedanea, tum in variis ab ea seri separationibus, (unde & tumores descripti, & aquæ extravasatæ) obvenerant. Pulmones undique pleuræ adhærentes, ad latera scilicet, anterius ac posterius, eo magnitudinis venerant, ut sex librarum civilium pondus excederent, erantq; materiis sabulosis, sebaceis, aliisq; viscidioribus ita infarcti, ut vix ac ne vix quidem dignosci posset, quomodo tantula quidem

dem via pro respiratione qualicunque ad extremum continuanda aeri patuisset.

Hydrops Ascites in quo omentum variis turberculis consitum, heparque supuratum repertum est.

Vir Honestissimus mercaturā inter nostros exercens, febre continua sub finem anni 1692. Augustæ Taurinorum, ubi tum degebat, correptus, inde in febrem quartanam simplicem, duplicem triplicemque incidebat, ac totam hyemium sic afflictus transigebat, non proficientibus corticis Peruviani variis dosibus, quia scilicet à nimis avaro Medico, larga satis manu non exhibebantur. Nec febris sola perstitit sed sibi etiam adjunxit duritiem hepatis scirrhosam, quam identidem subsequutus est tumor universalis. Quo viso, Medicus de Aegro suo omnino conclamatum opinatus, illius curam prorsus abjecit. Consultum itaque visum est Aegro, ineunte vere, tempestate sanè incommoda: pro Alpibus trajiciendis, iter Genevam nostram suscipere. Quomodo & qua industria illud peractum fuerit nihil opus est hic enarrem, verum quid demum in tragædiæ finem evenerit jam explicabo. Ex quo ad Nos accedebat plura tentavimus auxilia, unde quidem obtinuimus ut febris lenta morbi comes, ac inappetentia maxima ex parte fugarentur, sed Hydrops universalis in verum ascitem jam conversus nec purgantibus, nec diureticis, nec specificis selectioribus vel minimum cesset. Viribus interim adhucdum satis constantibus, in immensumque ampliato abdomine, è re visum est paracentesim, in aliorum omnium præsidiorum absoluta desperatione, instituere idque mensis Augusti, ann. 1693. die 15. Cumque propterea acum tubulatam, cuspide triangulata, loco apto immisissemus, statim ea prorupit serum extravasatum vehementia, qua è dolio perforato vinum quo repletum est profflueret. Satis itaque largam ejus dosim una eademque die eduximus, scilicet tribus vicibus quibus evacuationem repetiimus, libras civiles ad minimum octo. Die subsequenti rursus libræ sex eductæ sunt. At cum interaneorum dolores tum accederent, qui quidem ante paracenthesim molesti fuerant, sed jam molestiores fiebant cum adjuncta etiam inappetentia, febri, dejectionibus alvinis, summaque virium prostratione; ab ulteriori evacuatione pro tempore scilicet per diem integrum abstinuimus, donec Aegrum nostrum cardiacis & anodynis refecissemus. Hoc peracto turbisque suscitatis maxima ex parte sopitis ad opus nos de novo accingebamus, sed modestius agentes libras tantum tres de die educebamus, sicque per dies duodecim continuavimus, quibus elapsis loco seri, pus fœtidum, sensimque fœtidissimum maxima dimanavit copia, tum detumescebant femora ac subsidebat abdomen, imo durities illa hepatis scirrhosa, quæ hydropem præcesserat, evanescebat. Vicesima quarta paracenteseos die laxabatur denuo alvus, purulentaque copiosissima dejiciebat. Tum viribus collapsis necessario ab opere desistendum erat; & quicquid restabat agendum cardiacis, topicisque loco paracenteseos admotis, pro corruptione arcenda, perficiebamus. Mors tandem lentiori pede ægri summe afflicti sententia adveniens vitæ finem fecit anno ætatis 51. Cadaver nobis concessum rara plura commonstravit, quæ antequam sigillatim explicem non inutile forsan fuerit, si verbo de paracentesi aliquid dicam. Pluries hanc operationem in hydropicis tentavi, sed nullus sic orco ereptus est, quin potius mors, alias etiam inevitabilis sic forsan accelerata est. Revera nostri qui toti ad hanc operationem horrent, tardius ad eam deveniunt, postquam scilicet debilitata viscera, imo etiam corrupta, jam prorsus fatiscunt, eorumque fibræ tono suo resumendo prorsus inhabiles redditæ sunt. Præterea purulentia in hydrope, à suppuratione aliqua interiori necessario lethali proveniens, apud nos satis frequens est; ut & viscositas in materia educenda qua illam cannulæ immissæ, trajiciendæ inidoneam facit; ut non semel expertus sum. Quicquid sit, non ita sane confidendum est huic operationi ut volunt aliqui, uno aut altero exemplo persuasi: nam nisi in peritonæo duplicato aquæ restagnent, quod admodum rarum est; aut in ipsis morbi initiis, antequam serum salibus asperioribus imprægnatum viscera corroserit, quod ab ægris vix ac ne vix quidem obtinebitur, operatio peragatur; non video quid salutis ab ea exquiri debeat. Revera aliquos habui hydropicos qui præ aquarum onere, eò molestiæ ac suffocationis, deducebantur, ut ab omni situ pessime haberent, nec procumbere, sedere, aut erecti stare possent, qui ab hac operatione parte oneris levati ultimam diem suam majori cum tranquillitate, ac minus ærumnose obierunt; ac ea propter in ægrorum solatium, si non itidem in eorum salutem, aliquando utilis pronuncianda. Sed unde digressi sumus jam redeamus, scilicet in demonstrationem eorum quæ in nostro apparuere cadavere. In exterioribus ipso etiam paracenteseos loco gangræna nulla, aut corruptio se manifestavit. Tegumenta communia quod spectat ea in abdomine admodum crassa reperta fuere, quia scilicet dum ab aquis quæ ipsa prius distenderant per paracentesim liberabantur, eorum fibræ facile obediebant contractionibus quæ ab actione salium austeriorum ex prædictis aquis in eas permeantium, proveniebant; unde non mirum si à corrugationibus partium tegumenta constituentium ac salinis particulis turgentium, multo crassiora illa evadebant. Hoc idem evenerat peritonæo quod duarum ad minimum linearum crassitiem possidebat, dum interim per sui interiora ita erat necrosi affectum ut ad minimum digitorum attacum undique per lamellas discerperetur, una excepta regione epigastrica in qua minus corruptum erat. Reserato abdomine multum pus, illudque admodum viscidum undique respersum visum est, quod etiam parum compresso omento, ipsoque hepatis parenchymate multo copiosius fuit, ita ut ad duodecim ad minimum librarum civilium pondus ejus assurgeret quantitas. Omentum alligabatur peritonæo ad latus dextrum & sinistrum, ac etiam ad ejusdem inferiora ubi pelvis constituitur: imo idem omentum profundius in intestinorum varia interstitia se immergebat. Totum ipsius corpus cellulis erat plenum quarum majores nucem juglandem, minores avellanam facile admisissent, purulentiamque fundebant illi prorsus similem quam per paracentesim ultimo eduxeramus, quamque

in abdominis cavo stagnantem repereramus. Nihil itaque paradoxum dixerimus si asseruerimus fermentum hujus partis vitiatum, succos in sacculos adiposos ab Illustrissimo Malpighio in omento abunde demonstratos, eosque satis copiosos in subjecto plethorico & abdominoso advenientes, in purulentum quid convertisse, quod regimini naturæ per alterationem suam subtractum, proprios sacculos, seu vasa adiposa, hinc inde per collectiones hic & illic magis aut minus copiosas, variè distenderit, eorumque perruptiones innumeris in locis fecerit. Sic sane multum de materia extravasata sufficiebatur, sicque adligationes cum partibus vicinis enascebantur, dum scilicet puris particulæ crassiores ac viscosiores glutinis partes hic agebant. Hepar undique diaphragmati cohærebat, ipsiusque membrana exterior albida admodum visebatur. Substantia tota erat vitiosa ac purulentia turgida, sed præcipue à dextris ad dimidium prope sui corpus in pus omnino abierat. Sicque quod restabat hujus visceris admodum parvum, & quasi lacerum apparebat. Suppuratio autem hæc per viam inflammationis non obtigerat, siquidem hepatitidis ne minima quidem indicia se manifestârant, sed per fusionem lentam materiæ scirrhosæ in hoc viscere prius collectæ. Per hanc suppurationem non tantum multum sufficiebatur humoris in cavum imi ventris diffusi, sed etiam quicquid ejus per totum intestinorum tractum copiosissime se exhibebat, alvoque etiam prius rejectum fuerat, inde effluxerat. Ab illo pure in intestina per pori bilarii ramos dilabente, vas hoc justo grandius factum erat, sed dum in ipsius cum canali cystico unione crassiores particulæ subsederant, oppilationem ac obstructionem fecerant, quæ bilis è propria vesicula evacuationem impediens, ipsam non parum distenderat. Advertendum autem hic ratione dilatationis prædictæ, quod quandoque maxima fit, dum ejiciendæ veniunt materiæ in ipso hepate genitæ. Sic v.g. non semel vidimus in capris atque ovibus (in quarum hepatibus sæpius enascuntur vermes illi figura semen cucurbitinum referentes, magnitudine vero minorem scarabeum creperum æquantes) quod ex hujus visceris substantia sibi per pori biliarii capillares ramusculos quam maxime dilatatos, viam in intestina, ad plura etiam millia, faciebant, unde foras rejecta non pauca ex his animalibus verno tempore postea evadebant, etiamsi viscus tam nobile in iis tanta affectum fuisset corruptione. Unde non ita difficile fuerit percipere quomodo multi in suppurationibus jecinoris interioribus, dum viscus per alvum commode expurgatur, fatum suum declinarint. Idem etiam evenire potest glandulis mesentericis & præcipue iis quæ Asellii pancreas cõstituunt, nam dum materia contentâ turgent, sicque ad alterius pancreatis corpus accedũt, & illi uniuntur, facile pus in iis efformatum à canalis Virsungiani ramusculis excipi potest, ac in intestina protrudi. Lien quamvis justo tumidior nihil vitii in sua contraxerat substantia, illa tantum parte qua ad hepar accedebat coloris albidioris erat. Cætera integra visa sunt.

HYDROPS TYMPANITES.

Tympanites vulgo, etsi minus proprie, hydropis species habetur, à quo tamen censu, Prosper Martianus Hippocratis testimonium allegans, tum morbum illum, tum Anasarcam rejicit. Verum prior iste Abdominis regionem infestans, inque molem attollens, jam proxime post Asciten (cui nonnihil affinis est) in considerationem venit: ubi primo occurrit, affectum hunc, prout curatu, sic etiam cognitu difficillimum existere; nam licet exterior ejus species, sc. ventris tumor subdurus, renitens, & à pulsatione instar Tympaniti sonitum edens, sensuum una plurium indicio evidentissime percipiatur; attamen quæ sit materies morbifica tumorem istum reducens, quomodo in ventre aut progignitur, aut aliunde illuc advenit, plane nescitur: ideo Tympanitici quasi vento revera gravidi, conceptus sui ὑστερου & modum & tempus ignorant. Profecto morbi hujus naturam & causas idcirco latere arbitror, quia cum prima ejus initia non advertantur, subito in immensum accrescit; adeo ut affecti vix prius se ægrotare sentiant, quin pene incurabiles fiant. Dein Tympania, statu ejus peracto, in Asciten degenerans, seu potius hanc sibi consciscens, naturam suam amittere videtur: & quidem post obitum, inspectio Anatomica vix quidquam magis in cadaveribus à Tympania quam ab Ascite defunctorum detegere solet. Quod autem plerique Authores medici, affectum hunc à flatibus intra abdominis cavitatem conclusis, excitari facile pronuntiant, animo veritatis avido minime satisfacit; quoniam omnino improbabile videtur, flatus in eo loco tam subito, & copia tam ingenti produci; aut si producerentur, tumorem adeo durum, immobilem, & constantem excitare posse.

Porro inter ipsos, de morbi sede, ubi flatus concludi supponitur, non facile convenit; statuunt enim nonnulli locum hunc in peritonæi concavo, atque ab intestinorum, aliorumque imi ventris viscerum superficie convexa determinari; quomodo autem tanta aggeries ventorum ibi colligatur, nulla ut opinor ratione, exemplo, aut parallela instantia declarari potest. Præterea si ita res haberet, multo facilius punctura quam Ascites paracentesi sanari potuit; quod tamen nunquam audivi factum. Refert Helmontius à paracentesi in quodam hydropico habito flatum putidum editum; repente abdomen sedisse, & virum quamprimum interiisse. Verum Platerus, & Smetius, Authores nihilominus fide digni, se deprehendisse asserunt, inquibusdam qui Tympanitici putabantur, post mortem sectis nullum flatum è ventris cavo erupisse, nec ventrem subsedisse, sed intestina præsertim tenuiora, adeo flatibus distenta, & convoluta prosiliisse, ut in eundem ventrem amplius reponi nequirent.

At vero, neque hæc observatio mihi argumento est, morbi (de quo agimus) causam intra cavitates intestinorum subsistere, atque flatus ibidem aggestos, sæpius aut potissime, ventris intumescentiam Tympaniticam excitare. Præterquam enim, quod affectus à tali προφάσει oriundus non ita immobilis, & frequenter incurabilis

curabilis foret; insuper opinari ducor, non tam intestina à flatibus conclusis immaniter dilatari & extendi, verum illa sæpe sponte extumescentia, flatibus quo spatia ampliata implerentur, consequenter & secundario producendis, occasionem præbere, prout mox planius ostendemus.

Quod autem ab aliis asseritur, flatus, qui Tympanitis causa, sunt inter mesenterii, & intestinorum tunicas progigni; multo adhuc improbabilius videtur: quia cum nulla ibidem præexistat cavitas, quomodo flatus eas partes ita divellet, & ab invicem separabit, proinde ut à specubus ita efformatis, & ventorum cumulis illuc reconditis tota ventris regio in molem ingentem accrescat? Certe tot tantæque continui solutiones, absque torminibus continuis, & cruciatibus acerrimis fieri nequeunt.

Quamobrem his opinionibus circa Tympaniten posthabitis, ad pathologiam ejus paulo certius investigandam, alia procedamus via; perpendendo sc. quot modis, & quibus de causis evidentibus, abdomen intumescere solet. Itaque advertimus quatuor esse contentorum genera, à quibus ventris imi ὄγκος in viventibus procedit. (Cur in defunctis abdomen intumescit, ratio inferius explicabitur,) sunt autem ista Solida, Humida, Flatus & Spiritus.

Primo satis obvium est Tumores viscerum internos, sc. scirrhosos, strumosos, cancrosos, glandulosos, & quosdam forsan alius generis, quando ad molem notabilem assurgunt totum ventrem intumescere; interea tamen donec simplices, & recentes existunt, tactu percipi, & circumscribi possunt: postea tamen inveterascentes in viciniam suam, imo in totam abdominis regionem mala alia accersunt. Profecto hi interdum Ascitis, uti & Tympanitis ab initio sunt causa procatarctica, quibus deinde in utriusque morbi complementum, causa alia conjuncta, sc. aquarum illuvies, aut spirituum inordinatio accedit.

Secundo humor aquosus intra abdominis cavitatem aggestus, aut partibus ejus membranaceis, vel glandulosis impactus, non raro Asciten producit, cujus rationes, & fiendi modus, satis fuse superius explicantur.

Tertio flatus intra coctionis viscera à cruditate, dyspepsia, aut humorum dissimilium fermentatione excitati, non raro intestinorum cavitates inflant, atque ventris ὄγκον plerunque tamen brevem, & transitorium producunt. Quippe succorum ζύμωσει cessante, atque flatuum eruptione procurata, subinde statim ventris detumescentia succedit. Huic causæ, & Colica & Tympanites non tantũ vulgo, sed etiam à multis magnæ notæ medicis imputantur; verum nostra fert sententia eam solitariam neutrum ex iis affectibus producere.

Quarto restat adhuc alia subita & quidem immanis ventris intumescentia, quam spiritus Animales (non de nihilo ab Hippocrate ὁρμῶντες dicti) acciere videtur. Si quando enim hi fibras nerveas ad viscera imi ventris pertinentes ἀθρόως & inordinate irruerunt, illico partes quas hæ contexunt, plurimum inflari, distendi, & quaque versus extumescere facient. Enimvero ab hac causa, subitaneum totius abdominis ὄγκον & inflationem velut Tympaniticam in paroxysmis tum Colicis tum Hystericis vulgo dictis crebro accieri, alibi sæpius ostendimus. Et quidem hi affectus Tympaniti in tantum affines sunt, ut in ipsum non raro desinant: nam frequenter observavi, passioni Colicæ, aut Hystericæ, diu ac graviter obnoxios, nisi curantur, demũ Tympaniticos fieri. Et tunc maxima discriminis ratio erit, quod affectio ista, sc. ventris intumescentia, quæ prius Symptoma erat, vagum, & cito pertransiens, demum morbus fixus, & permanens evaserit. Quapropter ex re fore videtur, pathematũ istorum Ætiologias, à nobis alibi traditas, ad præsentis morbi naturam, & causas explicandas accommodare.

Quod equidem non magni negotii, aut difficultatis erit. Supposito enim (quod alibi fusius exposuimus) membranarum & viscerum concavorum extensiones φυσώδεις seu velut inflationes, à spirituum in fibras nerveas (è quibus contexuntur illa) incursibus impetuosis exoriri, satis obvium erit concipere, etiam Tympanitin à tali causa, sed fixiori, & in actu diutius aut perpetim existente produci; cujus discriminis rationem mox inquiremus.

Interim opinari ducor Tympaniten non à flatibus intra, vel extra Intestinorum cavites conclusis excitari; (talis enim in iis locis flatuum aggestio hujus morbi affectus, sed non causa est) verum exoriri, quatenus, in imo ventre spiritus Animales, ad viscera membranacea spectantes, ab incongruo quodam in ἀταξίαν adacti, fibras ubique nerveas tumultuarie irruunt, inflantque nec statim denuo ab iis recedunt: hinc peritonæum extumescit, intestina ampliata & distenta velut inflantur, mesenterium, aliaque viscera membranacea spiritu impetuoso turgida, velut in molem attolluntur; porro dum hæc fiunt, ut vacuitates à viscerum concavorum extumescentiis factæ impleantur, humoris statim cujusvis intus contenti portio in vapores rarefacta, illico in flatus spatia istæc inania oberrantes cedit.

Profecto spiritus Animales inordinatione sua partes membranaceas inflare adeoque affectus quasi φυσώδεις producere, in Pathologia nostra spasmodica, rationibus, & instantiis satis clare ostendimus. Porro idem ex observatione Anatomica per vivi sectionem facta, apertissime demonstratur, in quantum sc. truncus nervorum octavi paris, per cervicem utrinque descendens, si excipiatur & filo ligetur; totus illico ventriculus, tanquam à vento inflatus, extumescit; quod certe à nulla præterea causa procedere potest, quam quod spiritus fibrarum istius visceris insiti, aliiq; per ductus nerveos influi (quatenus à fonte suo præscissi, in confusionem aguntur) partes illas tumultuarie, subeunt inflantque. Insuper his, ad hypothesin hanc adhuc amplius illustrandam, libet hic Historiam à Clarissimo Smetio citatam referre de Tympanite (uti appellat) universali in juvene quodam Leodiensi, qui cum in conflictu subter Axilla dextra vulnus punctim factum, in pectoris cavitatem penetrans accepisset, postridie toto corpore post unicam noctem, mane turgidus apparebat, non solum pectore, sed & dorso, ventre, lumbis, imo scroto quoque, præterea & Brachiis, humeris, collo vultuque ut ne palpebras quidem deducere possit, quinetiam in vertice ipso, cute ubique distẽta & tumefacta, tumor ubique erat tensus, & cum dolore non pauco. Affectionem hanc admirandam, Author Appellat Tympaniten universalem. Casum huic simi-

le m Cl. Sennertus ex propria notitia recẽset: quin & ipse me tale quoddã à vulnere pectoris prope Axillam facto legisse, vel audivisse memini.

Attamen symptomatis hujus ratio à Smetio assignata, & à Sennerto comprobata mihi haudquaquam arridet: quippe ascribunt illi generalis istius Tympanitis causam, in sufflationem pectoris, per vulnus axillare, subter cute tota illa nocte factam, quomodo vesicam recentem & flaccidam, inserto calamo à pueris inflari videmus: quod equidem non solum improbabile videtur, sed etiam vix possibile censemus, ut ventus è thoracis vulnere exufflandus, propter foramen unica nocte obturatum, cutem subeat, indeque totum corpus permeans, ubique intercus fiat. Præterquam enim quod illinc in partes omnes ventus, etsi per calamum ex ore subter cute insufflaretur, tam subito transire nequiret; insuper dum vulneris foramen obturatur, nullus omnino à cavitate pectoris ventus exsufflari potest, quia nullus interea potest ingredi. At vero stupendi istius affectus, (unde atiam Tympanitis ratio formalis illustratur) causa proculdubio hæc est; In pectore prope Axillas, magni & perquam insignes, (prout in Neurologia nostra descripsimus) extant nervorum plexus, per quos nervi totius corporis inter se communicant: viz. Truncus octavi paris, cum nervo intercostali, & utriusque cum nervis spinæ dorsi, per ramos & propagines hinc inde missas conveniunt. Quapropter plexu istoc nerveo, per gladii puncturam forte transfixo, primo spiritus ibidem hospitantes irritati, ἀταξίας ineunt, dein consensu per nervos tot eximios statim facto, & quaquever sus hucilluc trãsmisso, spiritus alii, & subinde alii, pares inordinationes concipiunt, atque membranas, fibrasque nerveas, (quas ubique tumultuarie subeunt) inflantes, totius corporis Affectionem quasi Tympaniticam inducunt. Propter similem furorem, sive œstrum virulentum spiritibus alicubi impressum & inde mox longe lateque diffusum, toxica quædam epota, telorum aut ferarum ictus, vel morsus venenosus, sæpenumero partium una plurium, aut totius corporis intumescentiam inducunt; cujusmodi spirituum Affectio Typhodes, ab Helmontio dicitur Indignatio Archæas. Complures alii subsunt casus, & instantiæ, quibus clarissime evincitur, spiritus Animales irritatos, & in excandescentias actos, quatenus fibras nerveas impetuosius subeunt, partes imprimis membranaceas intumefacere, & multas ex iis passiones excitare, quæ vulgo sed perperam flatibus ascribi solent: revera ut Tympanitis nulla alia causa verisimilior assignari possit.

Quod si objicitur, defunctorum Abdomina, post aliquod tempus, à flatu in molem attolli, & quasi tympanitice intumescere: dico hoc omnino ab humorum putredine, & extrema mixtionis dissolutione, in qua particulæ activæ omnes manumissæ ab invicem discedunt, & avolantes quaqueversus exitum quærunt, & obstacula quæque, ac imprimis cavitatum parietes immaniter distendunt, (quod minime in viventibus contingit) procedere; quapropter uti cadavera non omnia ex æquo putrescunt, ita illorum ventres citius aut tardius magis aut minus extumescunt: attamen durante vita nulla fit in corpore animato putredo, aut particularum dissolutio, ζυμῶσιν sive intumescentiam splanchnicam illatura. Interea non inficias imus flatus intra pepseos, hæmatoseos, & secretionum officinas, imo intra singulos quosq; corporis nostri specus & recessus generari: attamen è singulis istis donec spiritus fibras tum nerveas tum motrices rite influunt, actuantque, ut viscerum parietes haud distenti ac rigidi teneantur) flatibus ubicunq; genitis, æque facilis patescit exitus. Atque in Tympanite revera flatum spatia vacua implere concedimus, verum spiritus ipsi, quatenus inordinatione sua viscera extendunt, vacuitates istas (in quibus flatus secundario & consequenter progignuntur) primo efficiunt, & illi (quatenus viscera eadem usque rigida & distenta servant) ne flatus isti ablegentur impediunt.

Jamque ex prædictis satis constare arbitror spiritus Animales potius quam flatus, ejusmodi ventris intumescentias, saltem breves & transitorias, quales in paroxysmis colicis & hystericis contingunt, excitare. Attamen magna difficultas restat, quomodo abdominis ὄγκος Tympaniticus, qui fixus & permanens, imo plerumque immobilis est, à tali causa procedit; præsertim quia spiritus Animales, ex sua natura irrequieti & valde mobiles, fere semper lationem affectant, ut nisi defessi, aut defuncti, vix unquam resideant.

Ut nodum hunc solvere ratiocinando pergam, considerare oportet, una cum spirituum Animalium hypostasi, Succum Nerveum, qui istis ubique pro vehiculo simulque pro retinaculo est: namque spiritus hujus fluento subtilissimo potiti, libere expatiantur, & ne ab in vicem dissipati avolent, in serie integra continentur. Si quando igitur latex iste quoad crasin, aut motum suum peccat, exinde statim spiritus Animales, in functionum suarum exercitiis varie delinquunt, aut pervertuntur: uti in Pathologia nostra fuse exposuimus. Ne isthæc modo repetendo, longas ambages faciam, quod ad præsens institutum spectat paucis contraham.

Itaque imprimis advertere licet, imi ventris contenta, (demtis solum hepate, liene, ac renibus) visceribus membranaceis (quas fibræ nerveæ magna ex parte contexunt) plurimis instrui: unde sequitur succum nerveum (cujus in his partibus major ambitus, simulque angustior transitus est) remoras hic plures offendere: quod etiam ab effectu comprobatur, in quantum insultus spasmodici, in passionibus hypochondriacis, colicis, nephriticis, & hystericis passim excitati, abdomen ita graviter infestant. Si quando igitur latex iste, fibras harum partium nerveas irrigans, vel ex se tenax & viscidus fuerit, vel iisdem fæculentias plures impingat, propterea quidem accidet, spiritus Animales, si quando in has fibras quadantenus obstructas impetuose adigantur, exinde non omnes facile redire: cumque ita sæpius, plenior eorum incursus, & parcior reditus fiat, tandem eveniet, magnas spirituum copias in fibras istas magis indies magisque impactas manere, easque distentas usque & plurimum inflatas tenere; demumque propter itum, & redituum in fibris istis vias occlusas, ibidem prorsus immobiles fieri, atq; partes continentes semper extensas & rigidas servare: interea quoniam hi spir. ibidem intra ductus nerveos impacti, ac densim stipati, cum aliis ad illorum antra

antra influis commercium habent, idcirco pars affecta quamvis rigida, & fere immobilis, usque tamen sensu potitur. Pathologia hæc, ut ut paradoxa ac insolens quibusdam videatur, minus dubito quin à pluribus assensum merebitur, si perpendatur eos potissimum, qui affectionibus hypochondriacis, colicis, aliisque imi ventris spasmodicis diu obnoxii fuerunt, demum Tympaniticos fieri.

Designatis ad hunc modum Tympanitis ratione formali, & causa conjuncta, priusquam ad causas ejus remotiores investigandas procedimus, ex prædictis licebit, morbi hujus Definitionem aut saltem descriptionem quandam tradere: nempe quod sit tumor Abdominis fixus, & constans, æquabilis, durus, renitens, & à pulsatione sonitum edens, à partium, & viscerum membranaceorum inflatione τελωώδει ortus, propter spiritus Animales in fibras istas copia nimia adactos, ibidemque succi nervei obstruentis vitio, à recessu impeditos; cui affectioni, consequenter, flatuum in locis vacuis aggestio, velut complementum accedit.

Quod ad morbi hujus causas procatarcticas, & Evidentes spectat, perraro accidit eas omnino adverti, quin tacitis iste initiis obrepens sæpe consummatus, aut deploratus evadit, antequam percipitur; proinde ut contra affectum hunc, vix prophylaxis ulla instituatur: quippe donec functiones ordinariæ haud multum læduntur, ventris intumescentia tantummodo à flatibus exoriri præsumitur; dumque ut sponte evanescat, expectatur, sæpe in Tympaniten accrescit. Itaque ut hujus procatarxis tempestive notetur, sciendum est Affectus quosvis prævios ad eum disponere; cujusmodi imprimis sunt Diathesis hypochondriaca, colica, hysterica, imo & nonnunquam Asthmatica; quarum paroxysmis frequenter excitari solitis, si demum abdominis tumor ut ab initio parvus superveniat, illico Tympanites metuatur. Priorum ex istis affectuum casus passim occurrunt, & vulgari observationi prostant: de posteriori refert Scherichius, virum sexagenarium aliquot menses antequam in manifestum tumorem attollebatur venter, hoc symptomate infestatum fuisse, quod quotiescunque assidens mensæ, cibum mordere aggrederetur, item quando se ad somnum componens, obdormiscere inciperet, tanta corripiebatur anhelandi difficultate, ut pro crebritate respirandi, suffocationis periculum præ se ferret, quo tempore etiam percipiebat circa hypochondria palpitationem quandam, ac si præcordiis aliquid vivi animalis subesset, cujusmodi affectio postea cessit in tumorem abdominis, à quo interibat. In hoc aliisq; modo citatis casibus, eadem ratio tenet, nempe quod Spiritus Animales ad faciendos in fibras imi ventris nerveas excursus irregulares assueti, tandem eas non modo crebrius & copiosius subeunt, sed in iisdē impacti ac impediti resident, adeoque demum viscerum inflationes Tympaniticas inducunt. Quæ quidem νοσερὴ Epigenesis citius ac certius evenit, si insuper causæ evidentes accedant quæ spiritus imi ventris perturbant, inque ἀτάξίας crebras adigunt, simulque succi nervei intra fibras istas scatentis, aut motum sistunt, aut crasin pervertunt, in quo censu habentur inordinationes in sex non naturalibus, passiones immodicæ, ac præsertim mœroris, evacuationes solennes suppressæ, post æstum ingentem frigidi potus, aut subita ab aere aut aqua, infrigidatio ventris illata.

Quoad Prognosin morbus hic adeo pessimi semper ominis habetur, ut vulgo ejus nomen abhorreatur; in tantum, ut sæpe cum de ventris tumore nulla fere mali suspicio fuerit, si forsan iste tumor à medico Tympanites pronuncietur, illico de spe omni conclamatum sit. Attamen hic Affectus raro per se interficit, quin longo tempore protractus, quod demum certius jugulet, sibimet Asciten lethi prænunciam adsciscit; in cujus rationem ut inquirimus, satis obvium erit concipere; dum in imo ventre viscera omnia distenta, & veluti rigida teneantur, insimul sanguinis, nec non humoris nervei, ac Lymphici ductus aut nimis extensos, aut compressos plurimum coarctari: proindeque laticem suum haud libere & expedite transmittere, unde sequitur unumquemque humorem in transitu angustatum ut demum quoquo modo pertranseat, è massa sua serosum quoddam, qua data via exuere, & denique ista humorum stillicidia, in abdominis cavitatem decidua, hydropem excitare.

Quod spectat ad morbi hujus Therapeiam, fere totus medendi scopus, contra flatus dirigitur: viz. indicationes ab Authoribus practicis inculcatæ, materiam unde flatus elevantur evacuandam, & causam quæ eos attollit removendam, flatus vero qui jam ventrem distendunt, discutiendos & dissipandos suggerunt.

Propter hos fines, purgantia contra humorem maxime suspectū destinata, sc. modo phlegmagoga, modo melonagoga modo chologoga, quib. insuper hydragoga, (ut tela in quencumq; hostem tendantur) cum magna confidentia, etsi minimo plerunque, aut malo cum successu præscribi solent. Namque hic morbus (uti nostra observatione constitit) à catharticis præsertim fortioribus, fere semper exacerbari, & raro aut nunquam alleviari solet; cujus ratio satis evidens est, quia fibris nerveis à pharmaco acriori irritatis, Spiritus Animales excursus suos irregulares reiterant, & magis usq; ac magis intendunt, potius quam remittunt; quare licet dejectiones crebræ & copiosæ, cum sedibus aquosis & flatuosis inde procurantur, venter tamen plus intumescit. Porro dein ad flatus dispellendos, discutiendos, aut compescendos vis plusquam Æolia conscribitur; medicamenta carminativa vulgo dicta, cujusque fere generis, vel formæ, intus, ac extus, supra, ac infra, ac super partem affectam sedulo adhibentur; quibus tamen omnibus hic morbus plerunque obsurdescit; unde plurimum suspicari est, veram hujus morbi causam adhuc latere, quia medicamina per Ætiologiam ejus ordinariam indicata, aut suggesta, minime prosunt.

Quamvis non ergo meliorem in hoc morbo sanando successum, aut certiorem medendi methodum, ab experienttia comprobatam venditare possum, attamen libet hic quendam alium Terapeias ritum, hypothesi nostræ accommodum, & rationibus satis firmis stabilitum, in medium proferre.

Itaque in Tympanite; sicut in plerisque aliis affe-

ctibus, tres erunt Indicationes primariæ, quarum prima & maxime semper urgens curatoria, Spiritus Animales ab affectione σπασμώδη revocando, inque ordinem reducendo, abdominis tumorem removendum molitur. Secunda præservatoria, quæ spiritus istos, aut alios ab inordinatis in fibras imi ventris nerveas excursibus cohibet, simulque liquoris nervei eas irrigantis, quoad crasin aut motum, vitia emendat. Tertia Vitalis, symptomata maxime urgentia tollendo, functiones quascunque quantum fieri possit, oppressas aut collapsas sublevat ac sustentat.

Prima indicatio maximi semper momenti est, in qua sc. totius Therapeiæ cardo versatur, verum difficillime perficitur; quippe non facile occurrit, quibus remediis, aut administrationum modis tentari debeat, cum pleraque medicinæ tela contra inviolabilem hunc hostem parum aut minime valeant. Phlebotomia nullum hic locum habet, quin fere semper ut noxia vitatur; item cathartica, quatenus fibras affectas irritant, atque spiritus perturbant, inque illas impetuosius adigunt, ventris ὄγκον adaugent potius quam diminuunt aut curant; pariter etiam diaphoretica spiritus una, & particulas ἑτερογενεῖς, quas è fibris allici, & evocari oportuit, altius in eas impellunt. Medelæ ratio potissima in diureticis, & Enematum usu sosita videtur; quin etiam à Topicis magna expectantur, quoniam ipsi morbo immediatius, & per contactum adhibentur: & quia tumores in aliis locis optime dissolvunt, aut discutiunt. Attamen non omnia dissolventia, nec quidem in aliis tumoribus maxime proficua, hic conveniant; calidiora enim pro discutientibus habita, sive per fotum, linimentum, aut sub cataplasmatis aut Emplastri forma applicantur, in Tympanite sæpius noxam quam juvamen præstant, nam & fibrarum ductus aperiunt & dilatant, proinde ut spirituum incursibus magis pateant; simulque particulas impactas rerefaciunt, proinde ut cum spatium amplius occupent, ventris inflatio ac intumescentia augeantur Denique ad alterantia quod spectat, etiam ex his quæ contra alios nervosi generis affectus juvant, non nisi pauca quædam in Tympaniti conveniunt; nam ubi materies morbifica intra ductus angustiores hærens, prorsum, aut penitus impelli nequit, medicamenta elastica adhuc materiem altius infigendo, obicem usque majorem reddunt; quare Spiritus Cervi, fuliginis, Salis Armoniaci, quinimo Tincturæ, elixires, aliaque medicamina sale volatili, aut particulis aliusmodi activus prædita, in Tympaniticis non modo calorem & sitim valde molestum accient, sed & abdomen plus intumescere faciunt, in quantum sc. ea sanguinem & succum nerveum fundunt, atque spiritus exagitant, proinde ut particulæ ab his singulis depositæ, in partes affectas cogantur.

At vero licet medicina contra hunc morbum adeo minime valeat, non tamen (quasi nihil, aut malum tantum efficeret) prorsus negligenda est; quin ægrotanti ut quoquo modo succurratur, omnem movere lapidem oportet, ut demum ei aut cura, aut saltem alleviatio obtineatur. Itaque imprimis (quoniam mos est ab Evacuantibus incipere) etsi cathartica fortiora semper obsint, atque tenviora ad causam conjunctam educendam vix unquam polleant: attamen posteriora hæc quatenus morbi fomitem nonnihil subtrahunt, etiam, quo medicamina alia energeias suas liberius exerant, viam sternant, in praxi medica vices suas, viz. semel intra vi. vel vii. dies habere debent; atque aliis temporibus Enemata (quorum usus multo præstantior est) crebro exhibeantur. Hydroticis interdictis, Diureticis moderatis sedulo incumbatur, quibus insimul adjungantur spirituum & humorum alternationem, & reductionem respicientia, quæ quidem Pharmaciæ Tympaniticæ præcipuam constituunt. Porro interea Topicorum usus haud negligatur. Medicamentorum in singulos hosce fines appropriatorum formulas quasdam selectiores subdemus. Pro medicamine blande solutivo usurpetur vinum laxativum à Cl. Greg. Horstio in Lib. obser. iv. Cap. xxx. pro Tympanitico præscriptum, vel ejus sequens compendio magis præscribatur.

℞. Flor. persicorum rosar. damascen. an. p ii genist. sambuc. centaurii minoris, ana p. j foliorum agrimoniæ, absinth. marini, ana M. j. senna opt. ℥i. Rhabarb. ʒvi. sem. carthami ℥ß. ebuli ʒii. santal. citrin. ʒiii. radic. Galang. ʒii. incisa & contusa includantur sacculo ex serico, qui vitro indatur, cum vini albi ℔. ii. aquæ saxifragiæ ℔. j. salis Tartari ʒiß. stent per 48. horas, dein patiens bibere incipiat sumendo circa ℥iiii. ad vi. diebus tertiis, aut quartis.

In constitutione calidiori, formula sequens, in hoc morbo nonnunquam cum successu à me probata, adhibeatur.

℞. Aq. mineral. Catharticæ ℔. viii. salis absinth ʒii. leni Balnei calore evaporet ad ℔. ii. Huic addere soleo Aq. è Catharticis cum vino destillat. ℥iiii. dosis ℥iiii. ad vi.

Vel liquori isti ad ℔. ii. evaporat. adde rad. mechoac. Turbith. ana ℥ß. Rhabarb. ʒvi. santal. citrin. ʒii. Caryophyl. ʒi. digerantur clause & calide per duas horas: filtretur calide per chartam emporeticam tenuem, dosis ℥iii. vel. iiii.

Enemata in hoc morbo, quatenus alvum sine magna fibrarum irritatione subducunt, crebrioris sint usus.

℞. Aq. infusionis stercoris equini maris cum floribus chamomeli ℔. j. mellis mercurialis ℥ii. Eodem modo etiam ex stercore canino, cum carminativis parentur decocta aut infusiones.

℞. Decoct. emollientis ℔. i. salis Prunel. vel salis Armoniac ʒi. ad ʒiß. f. enema.

℞. Urinæ sanæ ℔ j. salis prunel. ʒi. terebin. Venet. solut. cum vitello ovi ℥iß. f. enema.

2. Diuretica in hoc morbo si qua alia remedia opem promittunt.

℞. Millepedarum vivarum mundatarum ℥iii. nucem j. moschatam incisam, simul contusis affunde aq. diureticæ infra præscriptæ lib. j. f. expressio fortis, dosis ℥iii. ad iiii. bis in die.

℞. Baccar. virid. Iuniperi, & sambuci, ana lib. vi. conorum abietis lib. iiii. Iugland. virid. lib. ii. corticis Winterani ℥iiii. cortices exteriores vi. Aurant. & iiii. limoniorum, sem. ammeos, erucæ, nasturtii, ana ℥iß. Anethi ℥ii. concisis & contusis affunde seri lactis è vino albo

albo parat. ℔. viii. destill. organis communibus, liquor totus misceatur.

℞. Chrystal. mineralis ℥ß. salis succini volatilis ʒij. pul. sem. dauci ʒj. Terebinth. Venet. q. s. f pilul. exiguæ, sumantur iii. vesperi, & primo mane superbibendo aq. prædict. ℥iii.

℞ Spiritus salis dulcis ℥ß. sumat. gut vi. ad xii. bis in die cum haustu ejusdem aquæ, addendo syrupi violacei cochl. j.

℞ Sp. salis Tartari ʒj. sumat. ℈i. ad ʒß. bis in die eodem modo: sic etiam spiritus, nitri, & Tinctura salis Tartari exhiberi possunt.

℞. Folior. plantaginis, chærefolii, Aparines, ana M. iiii. contusis affunde aq. destillat. prioris ℔. j. f. expressio fortis; dosis ℥iii. bis vel ter in die, cum alio medicamine.

℞. Radic. graminis ℥iii. rusci Brusci ℥ii. chærefolii, eringii condit. ana ℥i. ras. C. C. eboris ana ʒii. Cor. cervi ust. ʒiiß. sem. Bardanæ ʒiii. coquantur in aq. fontan. ℔. iii. ad ii. colatura fervida effundatur foliorum aparin. & nasturtii aquat. contus. ana M. j. addendo vini Rhenani ℥vi. f. infusio calida, & clausa per horas ii. dein iterum coletur, & adde aq. lumbricorum Magistral. ℥ii. syrupi è v. radicibus ℥iß f. Apozema, dosis ℥iiii. bis in die cum alio medicamine.

Dum hæc intus sumuntur etiam Topica, & Applicationes externæ sedulo adhibeantur, non calida, & discutientia, sed particulis salis volatilis, & nitrosis prædita, quæ nempe salium aliorum combinationes destruunt, & spirituum impactiones dissolvunt, in quos fines sequentia proponimus. Si fotus omnino in usum admitti debent, ne calide nimis applicentur, item non è carminativis vulgo dictis, sed imprimis è salibus & mineralibus parentur. Cabrotius (citante Helmontio) se octoagenarium sanasse narrat, cujus ventrem bis in die fomentabat cum lixivio, cui sal, alumen, atque sulphur incoxerat; ac inde fimo vaccino, pro cataplasmate utebatur. Ego sequentia præscribere soleo.

℞. Florum salis Armoniaci ℥i. Crystalli mineralis. ʒii. spir. vini tenuioris multo phlegmate imbuti lib. ii. misce & dissolve in vitro.

Pannus laneus huic tepide intinctus, super totum abdomen applicetur, & subinde mutetur denuo intingendo: fiat bis in die per horæ semis, dein applicetur vel cataplasma ex fimo vaccino cum pul. stercoris canini, vel emplastr. sequens.

℞ Emplastri diasaponis h. e. de minio cum sapone Veneto, q. s. extendatur tenuiter super alutam tenuem, toti ventri applicetur renovando intra x. vel xii. dies.

II. Indicatio secunda remedia alterantia potissimum requirit, quæ nempe in visceribus imi ventris humorum fermentationes, & spirituum orgasmos, & excursus irregulares sistunt, quæ insuper chyli & succi nervei mixtiones æquabiles, & motus debitos procurant; in quos fines chalybeata imprimis accientur. Et quidem modo ad hunc morbum, sed & plerosque alios splanchnicos, ad medicamenta ex ferro, tanquam inde tela maxime aculeata parentur, statim accurri solet: cum interea à multis empiricis, aut medicastris qui hæc confidenter & dogmatice præscribunt, parum aut minime attenditur quo ritu talis pharmacia operatur, aut quas in melius alterationes inde expectare liceat: quapropter dum ferrum in medicamentum cedens, etiamsi Goliathi gladius, à cæco arripitur & vibratur, nihil mirum est, si in irritum cedat, imo si loco morbi hostis, ipsa interdum natura percutiatur, ac lædatur: & quidem ita frequenter accidit, cum chalybeata, quorum magna varietas, & operationum diversitas est, sine ullo delectu, aut in patientibus temperamenti, constitutionis, & morbi status respectu, & discrimine exhibentur.

De medicamentis ex ferro ac chalybe præparatis, eorumque virtutibus, & operandi modis, alibi ex professo egimus; ut non opus fuerit, hic eadem repetere. Ad morbum hunc, si ulla omnino ex iis, certe non omnia conveniunt; ea namque in quibus mixti compage reserata, sulphur usque remanet, & solutum cæteris prædominatur, ab hoc censu prorsus exulent: quippe ζυμώσει sua insigni viscerum succos valde fermentant, atque sanguinem & spiritus adeo exagitent, ut tota imi ventris regio, quasi à spiritu quodam impetum faciente, in majorem molem attollatur.

Nec minus hic conveniunt, à quibus particulæ sulphureæ una cum salinis prorsus abiguntur; uti fit in Croco Martis, per calcinationem fortissimam, ac diuturnam præparato. Hoc enim medicamen cum ad fluxiones omnes sistendas utile sit, ita & humorum, & spirituum impactiones quasvis figit magis, & obstinatiores reddit.

Verum restat medii generis pharmacum Martiatum, in quo sulphure in totum, aut maxima ex parte abacto, sal vitriolicus remanet ac præpollet: uti quidem habet ferri limaturæ solutione, aut infusione simplici, aut acidulata; in sale, aut vitriolo martis, chalybis præparatione nostra, cum multis aliis, ex quibus pharmaca, præparata aut composita, in nonnullis casibus opem insignem contulisse, experientia satis crebra liquet. Hæc enim viscerum fermenta exotica destruunt, & genuina restituunt: obstructiones eorum reserant, sanguinem figunt, ejusque compagem à dissolutione nimia cohibent: quapropter remedia chalybeata, quemadmodum etiam alterantia quædam alia, contra Tympanitis causas procatarcticas, & remotiores, aliquantum forsan prosunt, verum ad causam ejus conjunctam, parum aut nihil opis conferunt.

℞. Chalybis nostri tenuissime lævigati ʒii. aq. destillat. superius præscript. ℔. ii. syrupi è v. radicibus ℥ii. misce in vitro, & per subsidentiam clarificetur dosis ℥iii. vel iiii. mane & hora quinta P. M.

℞. Pul. radicum ari, oculor. cancri, ana ʒiii. crystalli mineralis ʒii. vitrioli Martis ʒß. sacchari Anthosat. ʒii. misce, dosis ʒß. bis in die cum vehiculo idoneo.

Hartmannus, egregie prædicat, liquorem è floribus Tapsi barbati, quasi remedium in hoc morbo specificum: flores istos recentes inde in alembicum immittendo, & fortiter comprimendo, dein vas exacte clausum ponatur in clibano dum panes coquuntur, & postea è floribus exemtis liquor fortiter exprimatur, qui in balneo destilletur. Dosis ℈i. in decocto sem. & radic. fœnicul. Certe medicamentum hoc, si quid omnino efficiet, in dosi majori exhiberi debet.

Iohannes

Ioannes Anglicus commendat electuarium ex rosata novella cum Diatrion. santal. & ovis formicarum, quod equidem remedium satis probabile aliquid promittere videtur. In horum imitationem libet hic sequens proponere.

♃. Conserv. florum Cichorii, nasturtii Indici an. ℥iii. pul. rad. Ari, ligni Aloes, santal. citrini an. ʒi. oculor. Cancri, ʒiß. salis absinthii ℥i. ovorum formicarum ℥i. liquoris Tapsi barbati ʒß. cum s.q. syrupi è corticibus citri, f. Electuarium, dosis ʒii. bis in die superbibendo aq. destillat. prioris, aut Iulapii sequentis ℥iii.

♃. Aq. foliorum Ari, è succo Baccarum sambuci, Aq. Iuniperi, flor. sambuci, an. ℥vi. Aq. limacum, lumbricorum Magistral. an. ℥ii. syrepi è succo bacccarum sambuci ℥ii. misce, f. Iulapium.

III. Indicatio tertia vitalis præscribit remedia potissimum contra spirituum deliquia & dypnœam, & contra vigilias & sitim. Utriusque generis formulas quasdam breviter subjiciemus.

1. Cardiaca.

♃. Aq. Naphæ, florum Calendulæ, Chamomeli, an. ℥iii. D. ris Stephani ℥ii. Tinctur. Croci ʒii. sacchari. ℥i. Margarit. ʒi. f. Iulapium. Dosis Cochl. iiii. vel v. ter aut sæpius in die in languoribus.

♃. Conserv. flor. Calendul. ℥ii. Confect. Alchermes, de Hyacintho, an. ʒii. margarit. pul. ℥i. syrup. è succo citri q.s.f. confectio, sumatur quantitas nucis moschat. vesperi & mane superbibendo haustum Iulapii.

2. Hypnotica.

♃. Aq. hystericæ ʒvi. syrup. de Meconio ℥ß. misce sumatur sera nocte.

Vel ♃. Aq. Cinnamomi tenuioris ℥i. Diacodii ℥iii. Tinctur. Croci ʒii. misce, sumat ad coch. i. sera nocte si somnus defecerit. Vel.

℞. Syrupi è floribus Paralyseos cochl. iii. Aq. pœoniæ composit. j. laudan. Tartarisat. ʒi. sumat cochl. i. sera nocte si vigiliæ urgebunt.

2. Ἀντιδίψοδη in hoc morbo valde siticulo frequenter ac in quantitate solum perexigua exhiberi debent, ut molestissimum illud simptoma absque multo potu qui semper perniciosus est, compesci queat. In quem finem.

♃. Conserv. luiulæ per setaceum traject. ℥iii. Pulp. Tamarindorum ℥ii. Salis Prunel. ʒi. syrup. è succo luiulæ q. s. f. Eclegma molle de quo sæpius lambat. *Thom. Willis. Pharmaceut. Rational. Parte 2.*

Curationes.

In Tympanitide simplici purgationes raro proficiunt, (exasperatur nimirum malum) in composita vero præsertim cum ascite sæpe purgantia præsertim mercurialia & aquam & flatus excusserunt. Est autem specificum in Tympanitide simplici liquor ex floribus tapsi barbati (tapsi arcanum etiam valet, sed liquor hic præstat eo modo paratus, quo supra de ophtalmia liquor ex floribus Cichorii ad affectus oculorum paratus est) cujus ℈i. aliquoties & quotidie sumptus in decocto seminis & radicis fœniculi ventositates expellit. Felicius id exequemur, si simul fiat fomentatio ventris hoc modo.

♃. Urinæ pueri mundi ℔iiii. Lapidis prunell. ℥iii. bulliant invicem ad ignem lentum usque ad casum tertiæ partis urinæ. Hac urina calida fomentetur in petiis, facta insuper forti frictione cum manu (hoc modo restitui viduam Marpurgi ab omnibus Medicis relictam) post bene absolutam curam, expulsis scilicet aquis & tumoribus, tum ventris ipsius, tum reliquarum partium plane consumptis; Colophonem imponant exsiccantia, qualia sunt 1. Essentia Croci martis à Crollio in fine specifici Hydropis in conserva rosarum antiqua, vel etiam in Rob Ebulino aliquoties exhibita. 2. Diacubebæ Paracelsi, quod sic fit.

♃. Cubebarum h. e. granorum myrtillorum exsiccatorum, sem. ocymi, caryophyllor. ℥iß. santal. omnium. spodii, sem. 4. trigid. majorum excorticator. an. ʒi. succini albi ℈ii. sem. endiviæ, portulacæ, lactucæ an. ʒß. pulverisata omnia subtilissime & cum sacch. ℥iiii. in aq. cichor. soluti F. Electuarium, cui adjiciatur syr granator. ℥iß. Hæc mixturâ à ʒii. usque ad ℥ß. sæpius exhibeatur. 3. Spiritus Guajaci cum Rob. Ebulino sumptus ad sudores eliciendos, feliciter exsiccat. In Tympanitide sp. cumini, & carvi philosophice præparatum post primas purgationes leniores, ne malum exasperetur, ejus aliquot guttulæ cum sudoriferis & aliis specificis exhibentur. *Ioann. Hartmanni. Pract. Chymiatric.*

Tympanitidi, quæ semper serosam materjam habet adjunctam cum flatibus, eadem omnia, quæ in Ascite præscripsimus, quoque proderunt, nisi quod Carminativa, cuminum, anethum, caruum, fœniculum, daucus, assumantur. Clysteres in hoc affectu ab initio injiciantur ex decocto carminativo cum ol. anethi & rutæ. Ventriculus frigidus qui semper adest, calidis appropriatis alterandus, ut spec. diacumini, dialaccæ, diarrhodon. Abbatis, diacurcumæ in tabellis cum oleo Caryophyllorum, anisi, aucum conserva menthæ, pulegii, & theriaca ana prosunt etiam syr. de canella, oleum Caryophyllorum, mastichis destillatum, sp. absinthii, cumini, & carui, illorum gutt. aliquot cum sudoriferis propinentur. Hepar vero calidum refrigerandum extrinsecus appositis succo Endiviæ, Cichorii cum pauco aceti, & unguenti rosati; assumptis intrinsecus nonnunquam appropriatis refrigerantibus. Uentriculus externe muniendus oleo nardino, mastichino Emplastro aliquo aut sacculo: maxime ut in reliquis hic prodest Cremor tartari, tinctura tartari, ol. sulphur. & sp. vitrioli. Cucurbitæ magnæ cum multa flamma applicentur umbilico, incantamenti instar, flatus discutiunt, teste Galeno. *Idem ibidem.*

In Tympanitide ♃. Spir. nitri ℈i. spir. Tartar. ʒß. Rob. Iuniperi ʒi. Aq. Carminatim. ℥i. fœnicul. ℥ii. misc. detur cochleatim. (*Elyxiria*)

♃. Essent. Iuniper. ʒi. Tinctur. succin. Tinctur. Tartari, Spir. sal. ammoniac. succinat. ana. ℈i. misc. Dosis mane & vesperi. *Vel.*

♃. Tinctur. antimon. ʒi. Spir. sal. ammoniac. aromatic. ʒß. m. Dosis. ℈i. mane & vesperi. *Seu.*

♃. Elix. proprietatis ʒi. Elix. Balsamici ʒß. Spir. sal. ammoniac. acidi. ℈i. misc. Dosis mane & vesperi

& vesperi ℈i. (*Confortantia & Corroborantia.*)

℞. Conserv. Absinth. menth. an. ℥i. Essent. Absinth. ʒi. Tinctur. Succini, Tinctur. Tartar. Tinctur. antimon. an. ʒß. Elix. Carminativ. ʒi. misce f. Conditum. Dosis ʒi. manè & vesperi. (*Externa*)

℞. Emplastr. de Cumino, Empl. Baccar. Lauri an. ℥ii. ol. still. Cumini, ol. still. fœnicul. an. ℈i. misc. f. Emplastrum.

In plagis Indicis hic morbus inter plebem valde grassatur. Ægrotos optime adjuvant talia vomitoria.

℞. Sulphuris antim. gr. vii. Sal. Cinnam. ℈i. Aq. calidæ ℥i. misc. f. vomitorium. *Vel.*

℞. Tartar. emetici gr. iiii. Syr. Cinnam. ʒii. Aq. fol. Cinnam. ℥i. misc. Purgatio sequens quandoque sumpta, ex voto prodest.

℞. Resin. Turbith. gr. x. Gran. Tiglium gr. iii. Elæosacchar. fol. Cinnamom. ℈i. misc. Ad aquæ per sudorem & urinam expulsionem post posita exhibeo medicamenta.

℞. Spir. sal. ammoniac. Spir. morung. an. ʒß. essent. lign. Colnnbrin. ʒi. Aq. Baccar. Cinnamom. ℥ii. misc. f. Sudoriferum. *Vel.*

℞. Spir. urin. ʒß. sp. morung. ʒi. Spir. Lign. Ebeni, ℈i. Aq. Carminativ. ℥ii. misc. Ad flatus discutiendos unguentum Carminativum, ventri extra applicatum usurpo. *Hermannus Nicolaus Grimm. in Compendio Medico-Chymico.*

Consultationes.

Pro Perillustri, ac Nobilissimo Equite Regiensi Alexandro Malagutio Hydrope Tympanite detento.

Tormina ad umbilicum ex Hippoc. 4. aphor. 11. quæ non superantur, nec medicamentis cedunt, solent esse præludium hydropis siccæ, à quibus cum ante duos annos iterum, atque iterum solicitatus fuerit perillustris eques, mirum non est, si vitium illud incurrerit, quod Abdominis, tibiarum, pedumque tumor, flatuum copia, sonitus cum tensione ventris, ac difficilis anhelitus docent; Verum hydropem hanc siccam esse notham, ex eo non obscure convincitur, quod flatibus immixtus est succus aquosus, quem sonitus ille obscurus, fluctuatio quoque aliqua, & aquosa excretio attestantur; quinimmo est vitium confirmatum, ac in habitu existere, inappetentia insignis, sitis, impotentia ad motum, color totius corporis valde fœdus, urina sanguinea, & genitalium tumefactio suadent: Nec obstat, quod nunc tumefactio illa delituerit ac tussis absit, quoniam illud contingit ob evacuationes præcedentes, hoc vero, quia adhuc in pulmonibus materia non est recepta, nam morbi latitudinem quamdam habent, ut non sit necesse semper omnia illa reperiri, quæ illos exacte demonstrant, hinc hydrops hæc, est quidem in habitu, non tamen omni ex parte, quatenus inquam tussis hucusque non supervenit. Malum itaq; de quo agitur est tumor, & ob id morbus in magnitudine, ut habet Galenus libro de Tumoribus præter naturam, ad finem, & quamquam ipsum libro de Differentiis Sympt. 4. Symptomata vocaverit, alicui mirum videri non debet: tumor namque ex libro de Differentiis Morb. 12. si ad insignem magnitudinem pervenerit ut lædat actiones, Morbus dici debet, sicut in casu proposito, lædit n. (ut ex dictis constat) plures actiones, potissimum autem intestinorum compressionem, quæ fit à musculis abdominis pro fæcum expulsione; quod si idem tumor non vitiaret actionem, jam Symptoma esset facultatis sanguificatricis.

Causa hujus mali petenda tum ex parte agentis, tum ex parte passi; Ex parte agentis duplex existit, proxima & remota: proxima est materia flatulenta cum aquosa permixta in cavitatem abdominis, tanquam in locum jecori, ac ventriculo proximiorem, capacioremque citra dolorem, ac ægri molestiam recepta: Remota est intemperies frigida jecoris & ventriculi, nulla enim hydrops ex Galeno secundo Progn. primo, fit citra jecoris refrigerationem ob quam sanguinem flatulentum, ac aquosum gignit, cui & ventriculi intemperieries favet, qua facultas eiusdem concoctrix calore proprio, atque nativo ex parte orbata, à scopo aberrat, jecorique chylum aquosum, ac flatulentum suppeditat, quamquam etiam & flatus per poros membranarum ventriculi expirare, & in cavitatem abdominis recipi possint.

Undenam autem horum viscerum intempetantiæ ortum duxerint, præter errores in victu, ac animi passiones refrigerantes, puto ego à caloris nativi diminutione ipsas ortum duxisse; Nam in ventriculo primum fuit imminutus calor nativus ob resolutionem factam in spiritibus occasione cujusdam venarum podicis hæmorrhagiæ, quam antea nobilissimus patiens passus fuit; deinde vero in jecore, non solum primo per resolutionem, sed etiam per suffocationem, suppresso scilicet ex toto illo sanguinis fluore, sic enim cacochymia vitiosa retenta sui copia, & qualitate venas jecoris obstruens, caloris extranei, ac præter naturam causa fuit, qui uti magnus ignis in calorem naturalem moderatum, agens, tamquam in parvum ignem, eundem depauperavit primum, non autem suffocavit, quoniam copia haud excessit, cum illius portio ad cutim transmissa lichenes, quibus vir perillustris fuit afflictatus, pepererit, quæ postmodum non amplius illuc demissa, sed in hepate retenta, suffocando, calorem nativum corrupit, atque sic hydropi, prout Hippocrates, & Galenus 6. Aph. 12. indicabant, dedit occasionem, à quo Symptomata jam proposita, veluti ab uno fonte plures rivuli scaturiunt; inappetentia quidem ob humiditatem excrementitiam os ventriculi supernum irrorantem, sitis ob fumos calidos in eandem partem superius elevatos ab aquoso succo putrescente, vel ob moram in cavitate abdominis, tanquam in loco non naturali, & insolito, vel ob jecoris calorem extraneum ab obstructionibus in eodem exortis suscitatum; urina quoque rubra ex eo pendet, quoniam putredine, & imbecillitate segregatricis jecoris urina inficitur, ea etiam ratione impotentia ad motum patiens noster detinetur, qua spirituum deficit necessaria irradiatio, quia spiritus ipsi deficiunt, tandem fit scroti tumor. ob aquam illam abdominis descendentem: Cæterum quod ad huius hydropis

dropis ortum facit, fuit dispositio passi hæreditaria, nam patientis huius consanguinei hoc Morbo detenti periere.

Si ergo medicatio esset instituenda ratione tumoris, flatus per insensibiles meatus & materiam aquosam fluxam per alvum, atque per eosdem pariter poros evacuare, fluentem vero per urinas, & alvum derivare, ac per sudorem revellere opporteret: At ratione causæ remotæ jecur, & ventriculum deobstruere, & calefacere opus esset, ratione vero virtutis proportionem horum viscerum hepaticis, ac stomaticis conservare, & caloris nativi ruinam, imminutionemque reparare, ac resarcire.

Quam medicationem ad fœlicem exitum perducere non licet, quoniam vitium tractatur hæreditarium, in habitu, & cum maximo recessu à statu naturæ, vexat etenim corpus à primo semine biliosum, causæ etiam morbificæ necessario ad agendum efficaces existunt, nam plura Symptomata patientem affligunt, totumque corpus male habet, ac virium robur sub hisce malis pene succumbit, quod non tantum ex ætate quinquaginta sex annorum, sed etiam ex virtutis regitivæ non obscuro languore facile est intelligere, Verum tametsi medicationi locus non detur, quoniam tamen (ut Soranus tradebat) haud humanum est in extrema quoque desperatione languentes penitus deserere, ideo patienti nostro medicina non deneganda, si non curationis, saltem præservationis gratia, quod eo magis faciendum esse puto, non solum quia malum hoc omnem sui gradum non attingit (ut ex tussis absentia, ac scroti tumore interpolato indicatur) verum etiam quoniam patiens remediorum avidus, se totum Medico obsequentem præstat, quibus omnibus rationibus impulsus materias medicas in medium proponere cogor.

Et primum chirurgicas, quas ad evacuatorias tum immanifeste, tum manifeste redigo, Illæ sunt cucurbitulæ cum plurima flamma ex Rase, ventri ad flatus dissipandos applicitæ: hæ vero sunt vesicatoria ibidem adhibita, & diu cerato sacro aperta asservata; huc referantur cauteria circa umbilicum tantum, non autem femoribus (quoniam tument) excitata, item & scroti punctiones ex Aetio cum acubus, vel, quod magis probo setaceum eidem scroto affixum, cum jam ad ipsum natura cœperit transmittere, & commode admodum aqua per partem illam expurgetur, quoniam peritoneum, quod est sicuti sacculus flatus, & aquæ hypochondriorum illuc descendit, perforationem umbilicalem in præsenti rejicio, non solum quia senilis ætas reclamat, verum etiam quia mortem accelerat, quod sive contingat, quoniam cum aqua simul spiritus innatus absumatur, vel quoniam ingreditur aer frigidus, qui vices aquæ supplet, & calori nativo jam valde imminuto adversarius eundem extinguit, non est ut interim pertractetur, sat enim est experientia novisse hoc remedii genus interimere, quare loco ejus punctiones in scroto ab Aetio propositas, item & crurum scarificationes substituerem, Atque ut hæ diu ichorem emittant patientem Lectica circumferre opportet.

Medicamenta respiciunt causam & proximam, & remotam, si proximam, occurrunt evacuantia sensibiliter, ac insensibiliter. In priorum ordine sunt, quæ alvum citant singulis quinque diebus data, uti quod ex succo radicis ireos aucta dosi cum melle solutivo vel confectione de Alcachengi, vel pilulis de Opoponaco, de elaterio vel ipsomet elaterio cum pilulis alephanginis dato paratur; quinimmo & clysteribus paratis ex elaterio, oleo laurino, decocto radicum ebuli, centaurii min. artemisiæ, fœniculorum, anisorum, & soldanellæ, melle rosato solutivo, pilulis fœtidis, vel aliqua ex hyeris magnis, ac nitro alternis diebus uterer; umbilicalia etiam ex elaterio, scammonio, squama æris, succo tithimalli, helleboro albo, nitro, & unguento de artanita cum felle taurino exceptis continuo admoverem.

Insensibiliter autem evacuant assumpta, injecta, & admota; Inter assumpta oleum calcanti, vel sulphuris ad guttas aliquot ex vino odoro, vel jure columbi datum, atq; utraque antidotus magna mihi vehementer arrident, sicuti & ad flatuum discussionem præcipue aqua stillatitia cinnamomi, & oleum ex anisis, fœniculis, aut rad. anthoræ destillatum laudatur; In hunc etiam usum clysteres injiciuntur ex decocto rutæ, & seminum Dauci, carvi, cumini, baccarumq; lauri in aliqua therma calida facto ex electuario de baccis lauri, oleo rutaceo, hyera Diacolocynthidos, & melle despumato parati.

Exterius pro abdomine primum fotus ex decocto artemisiæ; Diptami Cretici, ac seminum flatus dissipantium cum sulphure, nitro, & alumine in vino, & lixivio composito, & per spongias applicito. Secundo, illitio facta cum oleo, in quo radix brioniæ in talleolas discissa fuerit frixa, in quo etiam oleo parantur placentæ ex ovis ad comedendum. Tertio, Cataplasma ex radicibus cucumeris agrestis, & ficubus in vino decoctis, adjectis elaterio, staphide agria, hysopo, felle tauri, cymino, ac sale, vel illud quod nono local. 3. ex Asclepiade ipoterium malagma dictum habetur, vel luta sulphurea, salsa, nitrosaque. Quarto, Ceratum Diapirites convenit, vel quod.

℞. Cerati barbari, phænicini an. ℥ ii. nitri, sulphuris vivi an. ℥ j. seminum dauci, ameos an. drag. ij. Terebintinæ olei laurini an. ℥ ß. baccarum lauri, juniperi an. drag. iii. cum cera & pice fiat ceratum molle.

Ad tumorem vero crurum, & pedum, tum lotio ex thermis calidis, in quibus calx sit extincta, tum oleum salitum atque fotus ex ipsomet sale siccato, & furfuribus calefactis probantur.

Medicamenta vero, si causam remotam respiciunt diriguntur vel ad materiam antecedentem, vel ad viscera, priora per varias regiones evacuant, primo per vomitum, dummodo materia ventriculo insit, ac primis ductibus, patiensque ad evomendum sit facilis; inter cætera autem vomitoria probo quod ex decocto florum genistæ, ac oxym. simplici conficitur; Verum enim vero hæc eadem materia percommode hydragogis mitioribus evacuari potest, ac propterea succum medianæ, sambuci, mechoacanique seligo.

At si materia sit in gibba jecoris parte, ac venis superioribus, urinas esse movendas arbitror

tror vino infusionis Dauci Cretici cum Nardo, & Cinamomo, vel sale ex Sabina chymico ex decocto baccarum juniperi propinato, vel syrupo de artemisia, aut de rubea tinctorum, vel diacurcuma.

Quod si eadem materia in ambitu corporis contineatur, sudorificis omnino est educenda, ideo pulvere cardui benedicti ex vino, vel syrupo Sancti Ambrosii vocato, cum decocto cardui benedicti, vel Diureticis exhibitis vel balneis siccis, præcipue vero instrumento ligneo in lue venerea ad sudores excitandos efformato erit excitandus sudor.

Tandem de alterantibus viscera sermo est habendus, in quorum classe ab electuario cyphoides, ab ipso dialacca, ac trochiscis de absynthio, adjecto hepate lupino haud recedendum. Theriaca etiam in hunc finem mihi non parum arridet, neque propter ætatem senilem suspectam esse censeo, quoniam Gale. 6. de Sanitate tuenda capite quinto, theriacam senibus non incommode dari, & in calce libri de theriaca ad Pisonem vitam prorogare scripsit.

Utcumque tamen rationis victus maxima est habenda ratio, ideo versetur patiens in aere calido, & sicco, cujus causa licebit & solum mutare, vel navigatione ex Galeno, vel itinere pedestri, Cibus quantitate sit mediocris, qualitate calidus, & siccus, extenuans vel propria natura, vel præparatione, & admixtione pulveris aromatum, & seminum odoratorum, qua de causa parum admodum panis comedendum, quando nonnihil visciditatis retineat, ut propterea panem biscoctum magis probem, sicuti & cœnam prandio quoquo pacto uberiorem non improbo; humida quoque, & liquida quæcumque vitanda censeo, potus existat vini Fulvi, ac tenuis, & quam minimum bibat vir perillustris, illudque semper ob oculos habeat, quod plures hydropici, qui ab omni potu abstinuerunt, liberi tandem ab hydrope evaserunt, vinum autem factitium (uti esset anthosatum, salviatum, ac enulatum) seligere oporteret. Plus vigilare, quam dormire expediet, sicuti corpus exercere (si liceret) ambulationibus, gestationibus, vel per currum, vel per triremem, aut cymbam; Quod si somnus interdum fiat in stratis, in quibus substernantur herbæ calefacientes, uti salvia, Anthos, amaracus, serpillum, calaminta, Hysoppus, & Diptamus Creticus, plurimum conferret; Alvus proritetur, si necesse erit, vel conserva ex summitatibus rosarum communium domesticarum in manna conditis, vel pilulis de aloe in succo ireos lota, vel pulpa caricarum, & Cartami, vel sale chymice ex tartaro facto, & caricis indito, sitque inter cætera Patiens nobilissimus animo (quantum fieri potest) constanti, & læto, bene de valetudine speret, quæ ut illi quamprimum contingat D. O. M. precor. Julius *Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicis.*

De Tympanite. Pro Illustriss. Gostacuto, Ferrariam

Quemadmodum ex inflatione ventris tympani instar resonantis facile est determinare Tympanite detineri Illustrissimum Virum, Dominum meum Colendissimum: ita accedo sententiæ Præclarissimi Viri, cui ejus cura demandata est, affectum hunc ortum ducere ab imbecilli calore viscerum naturalium; & quidem ventriculi primo, ut patet ex variis dejectionibus pituitosis, cœliacis, & lientericis. Lienis autem imbecillior multo est, utpote quem jamdiu melancholica saburra gravat, ut propterea fæculentum sanguinem in præcalido jecore genitum, accedente inordinata victus ratione, ad sese allicere, & depurare non potuerit, cujus proinde sarcina gravata natura, ejusdem per vomitum excretionem, & per alvum, forte & per urinam molita est: per quas vias lien facili negotio vitiosos humores sibi graves deturbat. Ab hac tamen evacuatione imbecilliorem longe redditum fuisse calorem cum ventriculi, tum lienis, tū & jecoris mihi persuadeo, ut paulo post intumuerit venter. Cuilibet propterea palam fit summa cum ratione à D. Hipp. determinatum fuisse. 4. Aph. 21. quod excrementa alvi nigra sanguini atro similia, sponte exeuntia, sive cum febre, sive sine febre, pessima. Quod tamen intelligendum non est de excretione melancholiæ naturalis. Hæc etenim non raro felici cum successu à natura dejicitur, teste Gal. Lib. de Atra bile Cap. 3. sed locum habet in excretione atræ bilis, prout variis exemplis confirmavit Marcellus Donatus Lib. 4. suæ historiæ Medicæ mirabilis: cujus qualitatis præteritum vomitum, & dejectionem fuisse mihi persuadeo, cum & elapsis annis, dum crura intumescerent, suborta fuerint ulcera, febribus acutis fuerit opportunus, & vinis generosis sit assuetus.

Quas ob causas vereor quam maxime ne tandem aut hydrops invalescat, vel nova succedat hujusmodi materiæ lethalis excretio, quod avertat Deus.

Quare pro curatione præsentis affectus, & præservatione à gravioribus imminentibus discutiendi sunt flatus; eliminanda minera, à qua elevantur per alvum, & urinam, atque contemperanda intemperies omnium viscerum naturalium per moderate calorifica, & subastrictoria facultate prædita.

Quibus intentionibus abunde satisfactum video a Viris istis præclariss. decocto præscripto, cum gallo, & aperientibus, roborantibus, diureticisque præmisso bolo ammoniaco, & lienis equi pulvere tanquam à proprietate juvantis, non omisso cyphoidis antidoto, in affectu non absimili magni usus, addito sale absinthii, aliisque hujusmodi, si Morbus Curationem admittat. Non præter rem tamen censerem pulveris viperini usum cum aliquot guttulis olei de mentha & spiritus vitrioli, cum pro validiori subastrictione, tum pro faciliori excretione materiæ per urinam. Nec displiceret, si aliquando dejectorium redderetur prædictum decoctum corticibus myrobalanorum. Indorum, & foliis sennæ. Quod si sperarent Viri illi præclarissimi urinam liberalius fluxuram, admixta urina destillata pueri impolluti, ratione sympathiæ, in usum revocari posset. Magna tamen cautione utemur validis aperientibus, ob metum novi sanguinis fluxus; cujus ratione non abs re forsitan fuerit instillare decocto proposito quinque aut sex guttulas chalybis potabilis cum magisterio corallorum. Extrinsecus autem foveri poterit totus venter pelle vulturis, præmissa & sæpius repetita inunctione oleo de men-

tia, mastiche, mentha, furfuribus, cum succo absinthii, & aceto ex usu erit. Benedict. Silvaticus Consil. & Resp. Medic. Cent. 3.

Præfectus & Consiliarius Comitum Solmensium in vicinia, D. Otto à Rehe, ferè sexagenarius, anno 1618. sub initium Aug. de tumore ventris & pedum, gravitate totius, difficili respiratione, de alvi & urinę constipatione, totoque abdomine tympani modo extenso, conqueritur, & urinam quidem paucissimam, eamque crudam excernebat.

Quanquam hic generalia hydropis signa mox apparerent; tumor videlicet ventris & pedum, qui tam in ascite & anasarca, quam in tympanitide solet occurrere, una cum reliquis additis, ut sunt gravitas, difficilis respiratio, excernendorum retentio &c. nihilominus tamen in hac hydropis specie, quæ maximâ ex parte copia flatuum oritur, tympani modo venter totus extenditur, ita ut impressi digiti vestigium non tantum non retineat, sed subjacentis flatuosæ materiæ copiam satis indicet. *Hipp.* 4. *Aphor.* 2. siccus hydrops vocatur, scilicet ad differentiam reliquarum specierum, quatenus hic affectus ex flatibus ut plurimum constat, utpote cum originem suam habeat ab imbecillitate concoctionis, qua materia cruda flatuum productioni satis apta gignitur, quæ propter calorem diminutum perfecte non resolvitur, sed in flatus convertitur. Hinc tumor ventris, propter flatuosam materiam, una cum sero superabundante partes abdominis extendentem; imo & pedum, quatenus, remotiores à fonte caloris facillime serum superfluum in sese recipiunt, & respectu frigoris naturæ, qua præditi sunt ob calorem nativum totius quodammodo suffocatum, per congestionem etiam cruditates prompte colligunt. Hinc totius gravitas, calore nativo, quoad liberiorem suum motum impedito: difficilis respiratio, quam diaphragmatis compressio, musculorumque abdominis extensio necessitate quadam introducant alvus & urina constipantur, tam propter obstructiones venarum concurrentes, quam quod flatuum copia superstitis humoris excrementitii motum, & secretionem impediat: hinc urina pauca, eaque cruda, quæ languentis concoctricis indicium est. Et si v. tympanites, ob difficilem curationem, reliquis hydropis speciebus periculosior à Medicis statuatur, bene tamen hunc ægrum nostrum sperare jussimus, propterea quod malum adhuc esse in principio. Mox igitur juxta sequentes indicationes curationem instituendũ esse duxi. Primo serositates una cum flatibus sensim evacuandos; deinde per appropriata residuam flatuosam materiam discutiendam: & tandem concoctionum viscera corroboranda esse statui. Qua de causa juxta primam indicationem potionem sequentem præscripsi, quæ.

℞. Rad. Ireos ℥i. cort. inter. Sambuci, Ebuli an. ℥ß. Fœnicul. Petroselin. an. ʒvi. Herb. Centaur. minoris, Agrimoniæ, marrubii albi an. m. i. Soldanell. m. ß. Flor. Chamæmeli, Flor. Genistæ, an. p. ii. sem. Fœnicul. Carvi an. ʒiß. Fol. sen. s. s. ʒx. Turbith. opt. ʒii. sem. Cartham. ponderosi, sum. sambuc. in vere collect. an. ʒiii. f. decoctio in s. q. vini & aquæ ad ℥. stent in infusione per noctem: mane colentur ℥ xii.

℞. Colatura ℥iii. syrup. de spin. cervina ℥i. Misce f. haustus, qui reiteretur per quatriduum. Hac evacuatione præmissa, quo magis flatuosæ materiæ dissipatio fieret, pro secunda indicatione perficienda, per dies aliquot sequentem potionem diaphoreticam ordinavi, quæ:

℞. Aq. flor. sambuc. aq. Arantior. an. ℥iß. spiritus Ebuli ℥ß. Cremor Tartari ℈i. Misc. & vacuo stomacho tempore matutino exhibeatur, sudore simul provocato. His medicamentis semel atque iterum permutatis, & per mensem continuatis, victus insuper tenuis imperabatur, & pro potu parciori vinũ aqua decoct. Sassafras, Glycyrrhizæ, sem. Fœnicul. &c. diluebatur, interim non neglectis, quæ segniorem alvum ad excernendum stimularent, flatuumque discussionem adjuvarent, ubi pulverem ad suppositoria ex ficubus confecta præscripsimus, ex ruta, cumino, aniso & aliis: semina quoque flatus discutientia, ante pastum in forma trageæ ordinavimus, donec tandem corroborationis gratia, frequenter confectio sequens in rotulis usurparetur, duabus horis ante cibum, quæ.

℞. Spec. Aromat. Rosati, dianisi an. ʒiß. ol. Fœnicul. ℈ß. Sacchar. in aq. Arantiorum solut. ℥iv. f. conf. in rotulis. Præter hanc concoctionem mane post somnum in promptu erat Aq. vitæ Juniperina, quam ex spiritu Juniperi, cum ejusdem extracto digestam, comparare solemus, cujus cochlear dimidium assumebatur, quibus remediis ab eo tempore restitutus Dei gratia, hucusque vir optimus belle valuit. *Gregor. Horstius de Morbis infimi ventris.*

Illustrissimo atque Præstantissimo viro Raymundo Jo. Forti, equiti, ac Professori Supra ordinario, Cæsareo Archiatros .P. An cœli sydera cum blateronibus Genethliacis, vel potius Parentum semina cum veræ Sophiæ cultoribus ægritudinum miasmata nascenti soboli impertiantur, Tu Judex esto, Vir sapientissime: Ego enim lubenter vati subscribam, Fortes creari ex Fortibus, morbososque ex Hippocr. à morbosis enasci. Quod luculenter testatur exemplum recens nostræ Præclarissimæ virginis ex valetudinaria Parente progenitæ, iisdemque naturalium viscerum inæqualibus intemperantiis donatæ, pro qua curanda ad sublimem virtutem tuam evolamus.

Hæc igitur Patiens inter Moniales Nobilissimas educata, nunc annorum quasi sexdecim, staturæ mediocris, coloris albi, sed in facie roseo conspersi, capillitii tenuis, subnigri, inter crispum & rectum, oculorum glaucorum; habitus bonæ conformationis inter carnosum & gracilem; Temperamenti universalis, calidi, & humidi, fervidi hepatis, ad siccum vergentis, ventriculi frigidi, humiditate præpollente, tardæ coctionis pauciloqua, melancholica, at prudens & mitissimi genii; anno ætatis suæ decimo tertio menstruis expiationibus subjecta fuit, ordinate, rite ac recte fluentibus ad annum usque decimum quartum circiter quando prægressis fortioribus pathematibus, Menses immutari cœperunt quoad motum, substantiam & colorem, non periodice amplius manantes, sed inordinate, coloris modo pallidi, modo flavi, virescentis rubro permisti, at ichorosi, qui tamen nunquam obliterati, licet mensis præterierit sine aliquo signo, post aliquot tamen dies reversi, tantumque hodierna die apparuere, ac statim cessa-

favere. Bis intra biennium ægrotavit, primoque diuturnam lentamq; febrem experta est, pro qua pellenda, præter, cætera, decoctione epithymi Mes.& syr.de cich.& pom.comp.usa fuit, recidivante interim sequenti anno eodem affectu, victus ratione, aliisque levioribus auxiliis fugato.

Demum hoc anno, elanguente vere, papulis quibusdam rubeis, violaceis rotundis, per cutem sparsis foedari cœpit, quæ assumpto jure cichoraceis alterato extemplo delituere: superstitibus tantum quibusdam pustulis miliacis in collo & dorso. Sed quod negotium facessit, est morbi deterioris, pro quo consulimus, nova propago, mense Junio proxime elapso exorta; tunc enim circa lumbos dolorose torqueri cœpit, dolore etiam ad umbilicum protenso cum torminibus, quibus per quindecim dies circiter vexata fuit, nullo interim adhibito auxilio quievit, at rediit post dies cruciatus idem, cui successit abdominis totius orbicularis intumescentia, tensa, prædura, elevata & sonora, quæ aliquando spirandi tulit angustiam & decumbendi impotentiam, siquidem misella Patiens deorsum se reclinare nequibat, nec super latera jacere, at sedens noctes diesque transigere cogebatur; Nunc vero decumbit, bene spirat, nihil tamen imminutus est tumor. Adest aliqua apud familiares suspicio, hujusmodi inflationi ansam dedisse moram diuturnam ac sedentariam supra novos ædis Sacræ parietes, quo ipsa virgo sodalitii causa festivo tempore conveniebat. Non omnino pallescit, non sitit, nec alia pars tumet, excepto ventre, qui tamen non fluctuat, compressus, non cedit, semperque quoquo se vertat permanet idem, nec sinit ob inflationem præmagnam, viscerum obstructiones in apertum venire. Tandem accersitus ego, & cuncta diligenter contemplatus, Tympaniticam affectionem censendam esse non dubitavi; ultra namq; tumoris spectaculum, etiam sonorus auditus est, nam ad palmæ percussum abdomen sonum edit; neque ad corporis conversionem spiritus locum mutat, inquit Aretæus lib.2. cap. 1. quæ cuncta in præsenti affectu concurrunt. Quem quidem prænuntiavit ventris dolor dierum quindecim. Quare divinus Senex Aph. ii. Sect.4. ita prædixit. *Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, nec aliter solvitur in Hydropem siccam firmatur.* Cujus profecto causam spiritum flatuosum cum Gal. ibidem in Comm. seu flatum crassum extare asserendum cum Actuario lib.4.cap. 2. intra ventris capacitatem conclusum, sive in toto corpore stabulantem, ut vult Alexander lib.9.cap.1. exque venarum mesaraicarum oscillis cum Platero, vel per cæcos meatus cum Fernelio detrusum. Quod facile in virgine Nobilissima contigisse crediderim ob cruditatum saburram in venoso genere scatentium, cujus indicia extant vitiati Menses decolores & inordinati, atque cutis efflorescentiæ prægressæ. Quas cruditates in primis viis connutriri suspicor ab imbecilli ventriculo ob hæreditariam diathesin humidaque forsan ipsius universalis temperatura, quam arguunt color corporis albus, pacati mores & vita sedentaria; quibus interim ab ignea jecoris effervescentia in halitus flatusque conversis, nil mirum, si prius inter mesenterii tunicas involuti, earum lancinatu ac tensione lumborum dolor ob viciniam exortus fuerit, inde post exitum ventris tumor, cum difficili respiratione ex ventriculi cum diaphragmate compressione. Cui morbo omnino periculoso, ut cum Aetio loquar Tetrab. 3. serm. 2. cap.20. statim occurrendum decrevi, antequam Ascites exoriatur: Quare ex Chirurgico fonte, ratione hepatis calidioris, & Mensium aliquatenus imminutorum pauculæ sanguinis unciæ ex pede dextero demptæ sunt, coloris atri, fœculenti, crassi, viscidi & flatuosi, Clysteres, prout res postulat, modo laxantes, cathartici, emollientes & carminativi impositi; ventri inunctiones, emplastra emollientia & discutientia. Nondum cucurbitulæ siccæ abdomini applicitæ sunt sive magnæ cum Galeno 12. Meth.8. & 14.7. sive parvæ cum Paulo 3. de Re Medica cap 48. quas assiduè affigendas consuluit. Ex fonte Pharmacentico varia deprompta sunt, primo mundatæ fuere primæ viæ potione solutiva magist. clarif. in aqua totius citri parata; dein per vices septem alternis diebus exhibitum est electuarium lenit. ad ℥iii. cum gr. vi. mag. mechoac. quandoque cum elect. lenit. permistæ sunt pilul. de Aloë & hisce postremis diebus ad hieram simplicem, & species *Elescoph.* devenimus potionem quinetiam catharticam ex sena, rhab. jalap. mechoac. cum cremor. tartar. in aquis agrimoniæ & menthæ cum manna præscripsi. Præparavi syrup. acetos. & cort. citri; blandeque simul eduxi materias crudas per epicrasin Cichoraceis cum Cremore tartari mistis. Copiose dejecit virgo usque adhuc tenaces densasque pituitosas materias cum multa flavæ bilis societate. Quare nunc non abs re deveniendum putarem per dies aliquot ad sanguineæ massæ depurationem per depuratos succos cichor. & borag. prius, inde agrimoniæ, cum decoct. cichor. fumariæ, boraginis, melissæ, agrimoniæ capill. veneris, menthæ & semin. citri, additis aperientibus radicibus, ut ad urinæ viam duceretur, qua vergendum hortantur. Oribasius Synops.9. c.23. & Ægineta lib. 4. cap. vigesimo octavo & 3. cap.48. Et ni timerem de nimio jecoris calore, mihi arrideret syru. Ferneli usus. Dein descendere cogitarem pro majori intestinorum & ventriculi correctione ad aquas Tettucianas & postea ad aquam de succo agrimoniæ cum spiritu salis ac tartari, ut efficacius aperirem urinasque cierem. Quibus peractis, ad flatus discutiendos & viscera roboranda descenderem, intus videlicet rotulis ex aaomat. ros. in aq. menthæ paratis cum oleo fœniculi, cit. anis. chymice extractis, vel assumptione aq. de cinnam. vitæ juniperinæ, theriacalis, vel syrupi de cinnamomo, aut de caryoph. Quercetani. Extra pararem Emplastra de baccis lauri, de meliloto, præmissis prius frictionibus inunctis manibus ol. lil. alb. rutaceo cum aq. vitæ. Et si refractarius esset affectus, ab oleis magis discutientibus, stillicidii forma, non abhorrerem. Postremum locum obtinerent vipereus pulvis, absinthii sal cum ligno sassafras, Conservæ rosarum, cichor. & de toto citro permistus: totaque hac hyeme medicatum vinum paratum china, salsa, sassaphras, lentisco & absinthio exhiberem, observata in cæteris optima vivendi ratione. Quæ ut Patienti eximiæ morem geram, cui salutem enixe precor, pro mearum virium tenuitate exaravi, cuncta tamen, Vir S-a

pientissime virtutis tuæ meliori judicio subjiciens dum interim meritis tuis obsequentissimus devotionem meam commendo.

Præstantissime & Excellentissime vir Colendissime. Summa cum ratione Consilium à Platone *Res sacra* dictum fuit, cum nos ad rerum scientias comparandas facile ducat, & omnes homines natura scire desiderent. Quoniam vero Tu, vir Præstantissime, à Philosopho accepisti, quod in Sapiente pro Scientiis adipiscendis levis quædam sui ipsius diffidentia requiratur, quæ ad consulendum ipsum moveat, idcirco ad hanc conditionem plenius explendam, tuam potius scientificam, quam conjecturalem opinionem in re medica mihi frequenter communicare non dedignatus fuisti, Agamemnonis viri prudentissimi exemplo, qui in rebus suis agendis dicere solebat, *Utinam mihi semper decem Consultores adessent*, modestiæ prudentiæ at sapientiæ argumentum; Præteritis enim consultationibus, sicut & præsenti, quid addam non habui, nec habeo: namq; & ego tecum sentio, virginem hanc Hydrope Tympanitide detineri, quam præcesserunt tormina circa ventriculum & lumborum dolores qui medicamentis minime cesserunt, habitualis potius, quam habitudinalis intemperiei indicium, ut nos docet Galenus, quæ dubio procul ab utero primam sui originem duxit, cum in mulieribus omnium morborum fons & soboles esse possit, & præsertim si muneri suo deficiat in menstruis purgationibus transmittendis, quibus inficitur sanguis, afficitur totum, & magis pars aliqua quæ in corpore natura imbecillior antea fuerat; quæ quoniam in Honestissima ac Nobilissima virgine ventriculus fuit, una cum mesaraicis, ideo à sanguine crasso atque stagnante in vasis illis obstructiones productæ fuere, quæ chylificationem vitiarunt, unde cruditates multiplicatæ, ventris tormina excitarũt quæ dorsum quoque, atque lumbos occuparunt, tum propter duplicaturam mesenterii ultimis vertebris alligatam, tum vero adhuc magis propter flatuositates à cruditatib., calore mediante, elevatas, spatia implentes, atque totum abdomen in tumorem attollentes, & tandem tympanitidem inducentes. Neque culpa deficientis Menstrui in vasorum angustiam referenda est, sed in crassi & melancholici sanguinis conditionem ad quam ipsius natura ob jecoris fervorem prona fuit, quam mox magnopere foverunt animi applicationes atque perturbationes.

Quibus ita se habentibus, sicut difficilis Curationis est præsens affectus, cum habitualem intemperiem supponat, ita curandum, ne Ascitem quoque sibi comitem faciat: materia namque crassa & glutinosa jam genita, & cujus productio quotidie perseverat, fusa atque liquata, in serositates tandem degenerat, à quibus Ascites. Uerum quoniam à minori frigiditate Tympanitidem potius fieri quam Ascitem asseruit idem Gal. in Commento, ideo desperanda salus non est, sed Curatio jam recte instituta, est absolvenda, cruditates evacuando; obstructiones aperiendo; flatus discutiendo, & intemperiem frigidam ventriculi & intestinorum corrigendo, non neglecto hepatis calore.

Et quamvis menstrua diu retenta sanguinis detractionem potius quam subtractionem exigere doceat Hippocrates, & Galenus cum eo, attamen cum nullum medicum unquam viderit Galenus, Tympanitidem, nec Ascitem per sanguinis missionem curare ausum fuisse, idcirco nec ego eam proponere audeo: sicut exiguam sanguinis portionem ex pede jam eductam, ad invitandam naturam, reprobare nequeo. Frictiones quoque laudo, abdomini manibus spir. vini cum spir. salis quotidie faciendas, ut porositates reseret, & insensibiliter discutiantur flatus omittendo inunctiones ut obstruentes. Cucurbitulæ quoque admoveri poterunt, sed caute, ita ut admotæ statim removeantur, ne diutius relictæ, attractione magis obstruant, quam aperiant. Et quoniam multa peracta fuere, quæ ad primarum viarum expiationem inservire potuerunt, ideo statim ad propositas aquas Tettucianas tuto devenire posse existimo, quinque saltem vicibus propinandas cum vihiculo mellis ros. solutivi, aut mannæ clarificatæ: cum enim per alvum educi debeant, ulteriori viarum reseratione, aut humorum præparatione non egent. Nec formidandæ sunt aquæ in quolibet Hydrope curando, cum admittantur imo salsæ, nitrosæ, sulphureæ, bituminosa proponantur & ab ipso Galeno, quæ si tantum alternis diebus propinentur, diebus intermediis præbeatur aqua vitæ juniperina, aut laurina.

Absoluto aquarum Tettucian. usu, ad reserandas obstructiones, & una ad depurandam malam sanguineam, syrupus Fernelianus juxta nostram descriptionem ad ℥ii. in vino albo non dulci, opportunissimus erit, ad xx. dies, imo & ad xxx. offerendus, dum interim quinto quoque die hiera simplex cum speciebus Elescoph & electuario lenitivo parabitur Purgans, cui si tuæ prudentiæ ita visum fuerit, grana quoque mag. mechoac. aut Jalappæ addi poterunt, non omissis Clysteribus carminativis, etiam ex vino cretico cum hiera paratis. Interim vinum pro mensa medicatum reddatur ligno lentiscino è Chio & sassafras. & statim à cibo offeratur Conserva absinthii Pontici, speciebus Aromaticis ros. aut pulvere ligni sassafras reformata. Et interim flatus discutientia sunt frequenter in usum ducenda, ut aliquod cochlear aquæ cinnamomi, rotulæ ex oleo legitimo cinnamomi, vel ex oleo corticum citri, in ore detinendæ: imo & hora una ante cœnam nonnunquam Mithridatica confectio exhiberi poterit, & prima mensa, si ita videbitur, jus cichorio alteratum remisso abdominis tumore abs re non erit. De pulvere viperino exhibendo ambigo, cum humores ad corporis peripheriam propellat, de ipso asserente Galeno, quod valde exiccat, digerit & ad cutem properat: cui opponitur anni tempus atque motus contrarium ad centrum pro uteri vasis reserandis & menstruis provocandis. His autem omnibus à summa prudentia tua adductis, & ego subscribo, congruamque vivendi rationem tibimet describendam relinquo, & me ipsum commendatum volo. *Raymund. Io. Fortis Consult. Te. 2. Cntur. 3.*

Observationes.

In quadam ægra, optima proposita victus ratione, statim nulla expectata coctione, devenimus ad vinum nostrum ἀντιπνευματικὸν & hydragogum, quod semper mirabile ad inveni.

♃. Rad.

℞. Rad. cucum. agrest. seu asinini, sambuc. ireos, & soldanell. an. ℥ii. incid. optimè & infund. per duodecim horas in ℔vi. vini albi & clari, deinde bulliant ad consumptionem tertiæ partis: quo tempore adde cumini, anisi, sem. fœnicul. ammeos, dauci, seseleos, rutæ, anethi an. p. i. cortic. citr. ʒii. cinnamom. elect. ℥ß. tragac. & mastich. an. ʒ. i. bulliant S. A. & coletur, & servetur: dosis ℥vi. vel viii. hoc vinum partim est ab Ætio desumptum, & partim ex nostra inventione; & ut ingenuè fatear, mirabile est ad educendos flatus, tum per os, tum per secessum, & multoties sum expertus: evacuat per vomitum aquam citrinam, & quandoque per secessum, & tantam ructuum & flatuum copiam movet, ut certè sit incredibile: & testor Deum quod assumptis à nostra ægrota bis pro vice ℥vii. istius vini, fuerit secuta evacuatio ad ℔iii. aquæ citrinæ, & infinituum ructuum & flatuum proventus, & tumor minor satis erat: & iterum illud bis exhibuimus singulis quinque diebus, & eadem secuta sunt cum mira tumoris detumefactione. Est hoc vinum mirabile & innoxium, nam si quæ simplicia sunt in ipso deleteria, tamen adsunt corrigentia: quare tutum est & saluberrimum remedium tum in Ascite, tum in Tympanite. *Epiphanius Ferdinandus histor. 41.*

Tympanitis externis curata.

Tympanticus quidam ab omnibus fere Medicis desertus, à fœminâ quadam mihi consanguinea sola inunctione olei philosophor. totius ventris bis de die facta, & per aliquot septimanas continuata, & suppositorii loco adhibitis globulis contra flatus, perfectè convaluit. Antea Melancholiæ ex hypochondriis, dolori colico sæpissimè recidivanti obnoxius fuit, postea vitam satis commodam per octo ferè annos duce ns. *Paul. Spindler. recensente Carolo Raygero in obs. Medic. Centuria.*

Historia Tympanitidis curatæ.

Vir annis quadraginta natus temperamento insignitus calido & humido, quod amicum inquiunt, sanitatis erat ad arrogantiam felicis, ut pudendos & familiares diversæ sortis excessus praxi vix intersectos inconcussa rideret: grandibus vitæ immodestæ peccatis aucta viribus adeò petulanter superbiit bilis, ut quæ naturæ rationalis decreto animæ agentis officiosa est ministra inverso per nefas rerum ordine illi violenta injuria subditæ impudenter dominaretur, sociorumque laticum inclinationis naturalis motus injustè frustraretur; hinc vel ad umbram rei ingratæ bilis igneæ raptu perditus furebat quam sæpissime uxori & toti familiæ horribilis & adeò sylvestris isthæc passio in habitum inhumanum sese corruperat, ut non tantum ad occasiones ab aliis quacunque tandem sorte datas, præcipitanter excandesceret, sed ipsemet capritante animo eas vel mentiretur, vel ubi per genium hic imprimis callidum licebat, malignè vexaret. His omnibus sed maxime profusa meri generosi ingurgitatione & concomitantiæ necessitate, irregulari & sensuali alimoniæ abusu imaginationem gustu animali ter ludente accidit tandem, (cum studiosè agenti ruinæ denique nil non pareat) ut nutrices partes deplorandam subierint felicitatis naturaliter eximiæ jacturam; medullitus corpori universo radicata intemperies peregrena, calida ea & sicca, qua arsit spiritus & humor quivis irrigans corpus ad varias ejusdem augendi & servandi necessitates; cecidere tandem, quæ se generosè ab injuria pertinaci aliquandiu vindicarant mortificatæ vires, appetitus omnis stratus, universa cutis flavo colore omnia tingente ineptè fœdata, præcipuè album, ut solet, oculi utriusque, gutturis nata amarities mordicans, somnus brevis, isque insomniis horridis intolerabiliter gravis, interea in miseriæ cumulum terrifica tensione totum abdomen se se dilatabat, ut digito percussum aliqua tympani militaris imitatione non obscure sonaret & corpus profusiori repletione rigidum tantum flecti pervicaciter abnueret ut conanti sæpius ægro & acrius propterea curioso suas tibias videre nō liceret. Reliquæ omnes corporis partes macie depascenti famelicè tabescebant, anxiè cogebatur spiritus vivificus, brevis & frequens quasi arctato thorace; captivus pulsus erat irregularis, intermissus, debilis, frequens; urina ex rubro nigrescente colore imbuta, eaque, quod huic statui desperatio est, avara; tussis sicca pulmonem sæpius concussum proterebat. illico ut decumbentem breviter examinavi ipsius sorti nequissimæ indignatus candidè uxori ipsius & adstantibus dixi, res ipsius pessimo loco sedere, cum funesto hydrope jam radicitus corpori implantato, & quem viscerum pollutorum lues nutriat, gravissime periclitari, & ea specie, quod pejus est, quam tympanitem usus dicit, reliquis adhuc vitæ perdendæ periculo longè graviori; insuper quod hic nuntians vicinam mortem tussis jam urgeret; ex Hippocratis Aphor. 47. sect. 7. si hydropicum tussis habeat, desperatus est; quod aqueus humor jam in thoracem irrepat brevi mersurus funebriter vitales functiones. post quorundam fletus, omnium commiserationis sensus teneros multifarios discursus & denique tempestatis subitæ impetu primo nonnihil pacato, rogatus omnium sensu fui, ut in solamen, si in vitam reducem non pateret spes, omnia ex artis beneficæ industria & charitate humana quæ vel umbra spei blandiri valerent, studiosè disponerem; quæ omnia benevolè pollicitus fui, ea ergo ipsa die illius naturalē iconem, ut rogatus fueram depinxi vicinæ urbis Medico fama gloriosa illustri, mittendam in consilium qualecunque accipiendum; Is in conclamatam morbi finiendi prognosim multo discursui parcens mecum haud, hæsitanter ivit, ego nihilominus, ut promissa solverem has indicationes stabilivi, corpus caloris & siccitatis utriusque excedentis insolentia, viribus, spiritibus, humoribus & partibus sanguineis exhaustum humectandum, refrigerandum, reficiendum, varioque id humorem ad crassitiem excoctorum glutine obstinaci infarctum aperiendum; & excrementis, queis squalebat, extricandum; idque internorum & externorum medicaminum officio generoso, ejus tamen sint perpetuo conditionis quæ citra caloris hic utique funesti actionem rem moliantur. Ergo imprimis imperata juscula ex pullis gallinaceis & carne vitulina, queis incoquebatur oxalis, Borrag. cichor. endiv. Buglosl,

hordeum mundum, iis variè pro commoditate inservientium aut ægrotantis voluntate selectis, lac amygdal. dulc. in ptisanam & Remedium simul perapposité destinatum fuit, ægri gustui haud ingratum; fiebat autem ex decoct. rad. brusc: aspar. fol. capil. ven. bacc. alkekeng. & flor. cichor. cum amygdal. dulc. excortic. & contus. & sem. acetos. in usu fuerunt pilulæ Mercur. dulc. tertia quavis die ad ℈i. accessit spirit. compos. aperiens refriger.

℞. Spirit. vitriol dulc. nitror. dulc. tartar. rectificat. tinctur. Mart. aper. an. ʒi. Misce. utatur bis quotidie ad gr. xxv. cum aqu. cichorii ℥iv. simul externis remediis rem seriò perdendam premere visum est.

℞. Herbar. nastur. aquat. Nicotian. cicut. verben. an. m. ii. rad. cucum. asin. ʒv. fol. malv. alth. Mercurial. an. m. i. includantur sacco totum abdomen æquanti in aq. com. & & vino albo coquendo & ventri calidè applicando, is sæpius denuo calefiebat prout frigidus removebatur. dein ungebatur calide hoc linimento.

℞. Unguent. arthan. ex august. ℥iß. ol. lumbric. terrestr. ℥iv. philos. ʒiii. f. linimentum pro unctione ventris inflati. Tertio die hujus praxeos humores eorumque vias alterantis, injectus clyster fuit.

℞. Rad. lilior. alb. alb. græc. an. ℥i. sem. caru. contus. ʒv. f. decoctio ex aqu. & acet. an. in colatur. ℔i. solve electuar. è baccis laur. ʒvi. nitr. pur. ʒii. camph. ℈i. f. clyster. post indiscreta ventris plurimum patientis tormenta liberaliter exclusit recrementa, queis gravidus erat, & una turmatim præcipitatæ ingentes flatuum iratè murmurantium copiæ non sine fragore. subsedit tunc notabiliter remissum abdomen, stupentibus omnibus & timidè gratulantibus. sed post duos dies rursus ut modo intumuit, tunc purgationi indispensabiliter necessariæ locum aptum ratus, præscripsi sequens catharticum generosius.

℞. Syrup. emetic. secundum Augustanos ʒvi. sal. tart. vitriol. ℈ii. magist. scam. gr. iv. succ. ireos nostr. purif. ℥ß. Misce. f. potio purgans mane haurienda. partes suas audacter gessit; nam viis & sedis, & vomitus vix credibilis facta fuit seri biliosi putredine corrupti exclusio cum parco phlegmate, crudo, & lento; inclementer quidem inter operandum exagitavit languentem, sed effectus mox jucundus vires afflictas postmodum eâ ipsa die recreavit, ventris inflationem fere omnem sic perdidit, favit & respirationi angustæ, urinæ ruffæ coloris citrini, & gustus amari vitiis adhuc rebellè infestis: scriptorum remediorum methodum nec minimum alterandam credidi nisi quòd vomitui tandem fortè periculoso parcendum erat, sed ei ut jam bene de nobis meritæ constanter adhærendum nisi quod saccos emollientes & aperientes post ipsorum duodecim dierum usum omittendos dixerim. Clyster quarta semper die in usum venit ter iterata potio purgans spatio semper octo dierum medio. Tunc ejus vices aptè mutatas egerunt pilulæ hydroticæ hujus combinationis.

℞. Mass. pilul. Meze rab. Altom. ℈i. elater. sal gem. Mynsyht. Mercur. dul. an. gr. iv. cum syrup. Ramni cathartici f. pilulæ pro una dosi hæ & vias corporis impigre patefacciunt, & prodigam, si subsit, laticis profusionem exturbant. Tandem præter spem perditam secundò curationis hujusce diligentis mense, tanta felicitate immutatus fuit, ut libere ubique ambularet, ederet, biberet, dormiret, reliquasve vitæ functiones obiret sine gravamine. Supererat sola corporis macerati imbecillitas morbi evicti effectus inevitabilis ex ejusdem impressione adhuc superstite. Hæc sola ruina restauranda incumbebat, cui intentioni obediit pulvis iste.

℞. Species diarrhodon. abbatis ʒiiß. santal. rubr. pulver. ℈ii. croc. mart. ʒiß. sal. cichor. ʒi. rhabarb. pulver. ℈iv. facchar. rof. ℥ii. M. F. pulvis ex parvo cochleari sumendus bis quavis die. Eum dein ordinatâ victus ratione regendum & servandum reliqui; quam post decem circiter menses, quasi fortis faventis pertæsus, sprevit adeo, ut primis se vivendi sceleribus rursus temeraret. Ergo brevi in eandem cladem lapsus fuit; sed denuo eodem Medicinæ beneficio sibi redditus: quod & secunda vice post annum accidit. Uivit jam ab primo insultu anno decimo felix, saltem dum excessibus naturam toties mortificatam non lacessit; sed ubi à delineata, quacunque habitus solicitantis passione seductus, via deflectit, quod non rarò accidit, semper promptas nec leves sui criminis pœnas subit: familiari tamen purgatione, & diætæ corrigentis opera, postmodū facile eluendas. *Ex communicatione viri Amicissimi Clariss. D. Nozet Friburgensis Archiatri.*

Anatomicæ inspectiones.

Ancilla quædam ex herili filio gravida, promisso matrimonio frustrata, pepererat, & præ ægritudine animi in Tympaniam hydropem lapsa moritur. Cadavere dissecto universa intestina, adeoque ventriculus ipso flatu distenta inventa sunt, & fere excrementorum prorsus vacua, absque ullo flatu aut humore (secundum Hyppocr. lib. 4. aph. ii.) in cavitate peritonæi extra intestina consistente, ut merito & vere hydrops siccus diceretur. *Smetius miscellaneorum lib. x. p. 524. & lib. 7. Epist. 4.*

Puellæ abdomen in modum tympani extensum fuerat, idque propter flatuum in intestinis retentorum copiam, qui illis adeo tenaciter inhærebant, ut superiori æstate cùm aliquoties ipsam purgarem, purgationi ne quidem cederent, Et post mortem acie scalpelli perfossis intestinis vix efflarent, nec solùm intestina flatu extensa erant, sed & ipse quoque ventriculus. *Fabritius Hildanus centur. vi. Observ. 74.*

Tympanites spurius datur in quo omnino intestina flatu distenduntur, nihil humoris continentia præter vermium copiam qui subripiunt alimentum: Hunc hydropem observavi in Nobili Patavino x. annorum qui statim mortuus est cum tumore ventris Tympanitidem æmulante, Et secto corpore omnia intestina flatu erant plena, circa ulla excrementa. In ventriculo autem 33. vermes cōspecti sunt, & multi sesquipedales. *Herc. Saxonia Prælect. Pract. part. 2. c. 24.*

Puer xvii. annos natus, hydropicus, cum xiv. dierum spatio excrementa alvi per os evomeret, nec per secessum quicquam egereret, in hospitali anno 1569. exspiravit: In hoc cum post mortem rugitus ventris, & illius quædam palpitatio

pitatio sentirentur eoque nomine de sepeliendo corpore ambigeretur, accersitus cùm ventrem aperirem, flatus tandem erumpebant: verum intestina tantopere distenta erant, ut femoris crassitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compressione disrumperentur, stercusque magno impetu profunderent: aliis verò locis adeo convoluta, intorta & implexa, ut nulla illic nec excrementis nec flatibus deorsum pateret via: Sed & vermibus vivis, oblongis quamplurimis referta erant, qui rursum aliis minoribus repleti inæquales illos motus effecerant: Præter hæc, hepar corruptum, arenulis, lapidibus infarctum lienem imminutum, pulmones vitiatos costisque affixos (ut in aliis multis sæpe accidere dixi) ostendebat. *Platerus Observat. p. 656.*

In intestinis & ventriculo retenti flatus, necdum in spatium abdominis procidentes, non solum colicos cruciatus pariunt, sed si adeo inclusi sint, ut nullo patente exitu ea in immensum adeo attollant, ut totus venter inde distentus appareat, tympanitidis quoddam genus, & fortè frequentius quàm aliud quod illis in ventrem erumpentibus fieri communiter docent, procreare possunt: Sicuti in illis quos Tympaniticos esse putabant, deprehendimus, flatum nullum in sectis post mortem è ventris cavo erupisse, nec ventrem subsedisse, sed intestina, tenuiora præsertim, adeo flatibus distenta & convoluta prodiisse, ut in eundem ventrem reponi amplius nequirent, mirumque fuerit quo pacto in ventre prius clauso adhuc contineri potuerint. Quæ & in quodam adeò attenuata ex summa illa dilatatione reperimus, ut non solum tenuissimæ vesicæ instar, vento inflatæ & dilatatæ pellucida essent, sed & compressione aliqua disrupta, stercora cum flatibus procul effunderent: Cujus Tympanitis causa non alia ab ea quæ & alterius existit, flatuum scilicet proventus, atque intestinorum convolutio, vel insignis obstructio: Unde & in hac specie nec fl tum, nec quicquam per alvum longo sæpe tempore egerunt. *Idem Pract. lib. 3. c. 6. de exuberantia.*

D. Salvatoris Medici uxor 18. annorum, cui nunquam menstrua effluxerant, quæ multis mensibus antea laborarat quartana, splenemque magnum habebat; illi venter nonnihil intumescebat, licet nulla de re conquereretur, ita ut dubium esset an prægnans; die 25. Octobr. incidit in dolorem ingentem scapulæ lateris sinistri, vix poterat corpus movere, febricitabat, conquerebatur de hypochondriorum dolore, maximè de sinistro, vomituriebat, & ructus emittebat, venter admodum intumuit, & subito difficulter spirabat, dentibus interdum stridebat, dolebant lumbi, potum appetebat quem raro rejiciebat: vires statim prostratæ, 29. mane, circa 2. aut 3. obiit, semper mente constans.

Ex aperto ventre ingens copia flatus erupit, fœtidi admodum, inter intestina & peritonæum multus humor aderat, circa latus sinistrum apparuit pinguedo innatans, quæ suspicionem præbuit esse vel ex enematis vel ex jusculis, rem inquisivimus, invenimus foramen circa mediam ventriculi partem, ad fundum, ubi jungitur epiploon cum ventriculo prope Colon, versus sinistrum latus, magnitudinis digiti, epiploon, ventriculi tunica tertia, hepatis tunica, & ligamentum suspendens, omnia erant putrida; ventriculus adhuc bene habebat: Intus continebantur multa nigricantia, ita ut videretur humor melancholicus; pridie supremi diei sanguinem concretum longitudine dodrantali excreverat, præter eum grumum nullum, splen detumuerat. *Ex Observat. Joh. Bauhin.*

Creber spiritus cum aqua ubi distenderent abdomen Matthæi Antonii, τυμπανίτης vocatur Græcis, sategit ipse pro virili parte corrigere alliatis illam intemperiem, vel potius imbecillitatem quæ ponitur mali causa, sed accendit illis usque eo lienem obstructum, utique bilem atram (qua redundabat) per se satis turgidam, ut per reseratas ventriculi ac lienis venas, eruperit ipsi supra infraque tam frequens cruor, ut pessum ivisset nisi impetum illius illico frænassent, cùm sanguis mature missus, tum pulvis corallorum, aliaque inspissantia actutum potui data: Quorum ope superavit quidem tempestatem ab alto improvidè excitatam, sed nequaquam imbecillitatem viscerum: nedum spiritum vel aquam, cujus Tympanites nunquam est expers.

Facta autem post mortem secandi copia, vidimus perspicue quàm inconsiderate dentur sæpenumero hydropicis alliata aliave potentiora vina: intumuerat quidem lien: hepar retorridum exaruerat; intestina erant syderata; ren putridus, & in ventre ultra xxx. libræ aquæ: memini aliquando in simili hidrope, ob continuum usum vini malvatici ab empirico præscripti, ade o inflammata fuisse viscera, ut os non modo repleretur aphthis, sed ignoraret ægra præ siccitate quo se verteret, donec miseriæ finem i venerit, magis mors quàm Medicus. *Nic. Tulpius observ. lib. 2. cap. 35.*

Anno 1655. mense Martio, Nobilis cujusdam vicina Cujavia conjux cum filiolo unius anni a colicis doloribus & flatibus per aliquot dies misere afflicto Thorunium venit, consiliumque à p. m. Excellentissimo D. Georgio Mochingero, Physico tum primario, petiit; Sed puellus ille paucarum horarum elapso spatio mortuus est. Tum præfatus Dominus Mochingerus pie defunctum Excellentissimum D. Christophorum Meisnerum Phys. ord. & me, ut sectioni unà cum illo interessemus, rogavit. Mirum sane dictu! quantum ventriculus distentus erat, in quo nihil præter flatus & aliquid viscidi humoris conspiciebatur, intestina autem omnia tam pellucida transparebant, ut etiam multis in locis compuncta statim conciderent, ne guttula quidem humoris alicujus in illis apparente, reliquis visceribus se bene habentibus. Huic analogum exemplum recenset Ant. Benivenius Exempl. Medic. Obs. cap. 81. ubi ex solo vento in Ludovico Nicolino Generosi equitis Othonis filio, mortem subsecutam scribit, quem affectum ibidem in Annotationibus Dodonæus Tympaniti similem fuisse scribit. *Simonis Scholzi.*

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO.

Vid.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA

HYSTERICA AFFECTIO
Vid.
AFFECTIO HYSTERICA.
HYSTERICA SUFFOCATIO
Vid.
SUFFOCATIO HYSTERICA.

HYPERCATHARSIS.

Circa purgationem haud minus quàm vomitionem ritè ordinandam, frenis æquè ac calcaribus opus est. Quemadmodum enim medicamenta cathartica ad alvum lubricandam, au copiosius dejiciendam necessarii interdum sunt usus, ita, si evacuatio istæc immoderata, aut non facilè tolerabilis fuerit, remedia opposita, seu diarrhœæ, aut affectus dysenterici antidota indicantur. Quô ritu, & quibus afficiendi modis, purgantia operationes suas perficiunt, in superioribus ostensum est. Præsentis negotii erit in Hypercatharsi medicamentosa, medendi rationes unà cum selectis remediis proponere.

Medicamentum purgans, aut qualitate, aut quantitate improportionatum, fortius & diutius operatur, & quatenus fibras nerveas nimium irritando, spiritus animales in excandescentias non facilè sedandas adigit, & quatenus sanguinem & humores fundit, & quasi liquat; proinde ut liquamina eorum in viscerum cavitates deposita irritationes excretorias adhuc majores faciant.

Methodus Therapeutica Hypercatharseos, tum præcautionem, tum curationem respicit. Quoad prius ante pharmaciam in operatione ejus, & post eam, consideratione & cautela opus est. Primo namque imprimis perpendere oportet, tum corporis purgandi constitutionem, robur & consuetudinem; tum medicamenti exhibendi naturam, dosin, operandi modum, & effectus ordinarios: dein, symbolis collatis, agentis virtutem juxta patientis tolerantiam proportionare. Secundo dum pharmacum operatur, coctionis viscera, sanguis & spiritus animales à quavis alia perturbatione immunia serventur. Quare hoc tempore nec alimenta crassa, viscosa, aut copiosa, quæ ventriculum molestant ingerantur; frigoris externi occursus, quo pori corporis constipentur, sedulo vitetur, denique animus placidus usque ac serenus curis & studiis severioribus vacet. Tertio Pharmaci operatione finitâ, & spirituum animalium excandescentiam sedari, atque sanguinis & humorum effervescentiam compesci oportet: in quos fines medicamentum anodynum, aut blandè hypnoticum exhibeatur juxta formulas sequentes.

℞. Aq. flor. paralys. ℥ ij. cinnam. hordeat. syr. de mechonio an. ʒ ß. margar. ℈ ß. f. haustus hora somni sumendus.

Vel ℞. Conserv. rosar. rubr. vitriol. ℈ ij. diascord. ʒ ß. margar. ℈ ß. diacodii q. s. f. bolus sumatur horâ somni.

Quod si omissa aut non obstante hujusmodi cautione, medicamento purganti Hypercatharsis supervenerit, illico Patiens lecto calenti impositus, methodo sequenti tractetur. Imprimis ventriculi & totius epigastrii regioni, aut emplastrum ex theriaca, aut fotus è decocto absinthii, menthæ, cum aromatis in vino rubro, cum stuphis laneis calidissime intinctis, & expressis adhibeatur: ore protinus assumatur, aut bolus è theriaca Andromachi, vel solutio ejus in aquâ cinnamomi facta. Porro vinum ustum & aquâ menthæ dilutum cochleatim crebrâ vice propinetur. Si alvi tormina infestent. Enema ex lacte tepido, cum theriaca dissoluta injiciatur; interim membris exterioribus frictiones calidæ, ac interdum ligaturæ, quibus sanguis extra devocetur, & à nimia colliquatione, inque viscerum cavitates effusione detineatur, admoveri debent: Dein vespere si vires constent, & pulsus satis robustus sit, aut diacodii, aut laudani liquidi dosis cum vehiculo idoneo sumatur. *Thom. Willis. Pharmaceut. Rational. Parte* 1.

Hypercatharsis periculosa.

Anno 1649. Mense Maio, Dn. Brian Stapletonus Anglus, Cardinalis Stapletoni ex Fratre Nepos, pulvisculum purgantem à Chirurgo Castrensi præparatum assumpserat; cujus violentia, spatio 15. horarum plus quadragesies per alvum & septies per vomitum, multa pituitosa, biliosa, tandem etiam cruenta excrevit, cum insigni virium dejectione, adeo ut de vita periclitaretur.

Vocatus media nocte, cùm nihil aliud ad manus haberem, balsamo apoplectico nares & pulsuum regionem inunxi, frictionesque extremorum pannis calidis institui, donec ex pharmacopolio alia ad hanc rem facientia transportarentur, inter quæ primum abstergens ex decocto hordei cum syrupo rosarum simplicis infusionis exhibui: Clysterem enim dejectiones frequentissimæ & ani à medicamenti purgantis acredine excoriatio non admittebant.

Hinc ex adstringentium penu terram sigillatam cum conserva rosarum antiqua & miva cytoniorum obtuli, ventremque unguento meo dysenterico inungendum præcepi.

Remisere dejectiones interveniente somno ab hora quinta matutina usque ad primam meridiei: Hinc iterum intra trihorium undecies egessit; propinavi emulsionem amygdalarum cum adstringentibus & cordialibus.

℞. Amygdal. dulc. elect. non rancidar. ℥ iß. aq. dysenteric. Dorncreil. ℥ iij. aq. rosar. & fol. quercus an. ℥ ij. M. F. Emulsio. Adde C. C. usti ʒ j. margar. præp. corallor. tubr. præp. an. ℈ j. spir. rubi idæi, rosar. an. ℈ iß. manus Christi perlatæ ʒ iß. M. Umbilico applicavi emplastrum alutæ inductum.

℞. Unguenti nostri dysenter. ʒ vi. theriac. Androm. ʒ ij. terræ sigill. ʒ iß. ceræ parum. M. F. emplastrum.

Cùm vehementer subinde sitiret & jolabia etiam suavissima respueret, obtuli intritum ex pane siligineo & cerevisia strigense cum syrup. corallior. ex vino granatorum mixtum.

Interea ad virium refectionem per vices cochlear unum atque alterum mixturæ cordialis exhibui.

℞. Aq

Interea ad virium refectionem per vices cochlear unum atque alterum mixturæ cordialis exhibui.

♃. Aq. nostræ cordiali frig. ℥ ii ß. aq. rubr. idæi, fragorum, rosar. an. ℥ j. cinnam. cum florib. borragin. sine vino destillat. ℥ ij. aq. carbunculi ℥ j. margar. præp. ℈ j. C.C. usti ℈ ij. corallor. rubr. præp. ℈ i ß. smaragd. præp. ℈ ß. spir. rubri idæi ʒ ß. spir. rosar. ℈ j. mivæ cydomor. ℥ ß. Misce.

Cordi & pulsibus epithemata convenientia apposui, inuncta etiam spina dorsi oleo amygdalar. dulcium.

His nondum proficientibus circa vesperam exhibui opiatam meam bezoardicam cum granis duobus laudani opiati, à cujus usu in somnum profundum incidit, quievitque per integram noctem, sedatis ex toto alvi turbationibus. Vires etiam continuata cordialium usurpatione & alimentis bene nutrientibus, brevi, per Dei gratiam, pristino vigori restitutæ sunt, relicto evidenti documento, medicastris & barbitonsoribus parum in his fidendum esse: Quæ nocent, docent. Melius à Magistratu prospectum est Italiæ, ubi in singulis fere Civitatibus loco publicô affixæ conspiciuntur tabulæ, cum inscriptione: Nomina Medicorum, quibus licitum in hac urbe purgantia præscribere. Magna enim in molienda catharsi opus est cautione, etiam doctis interdum non satis expedita. *Baldass. Timæus in Casibus Medicinalibus.*

Hypercatharsis à levissimo purgante medicamento.

Cognatus strenuissimi Viri D. Thomas Lucas equitum Capitanei, vir circiter quadragenarius, cùm se non admodum bene haberet, meô consilio foliorum senæ ℥ ij. (nam dicebat se facillime medicamentis moveri) per noctem maceravit in cerevisiæ tenuis ℥ iij. vel iv. atque istam colaturam sequenti mane bibit. A facili & levi hoc medicamento, mirum dictu! spatio circiter octo horar. sexaginta sedes cum summis torminibus habuit, & fortassis de vita illius actum fuisset, nisi sequenti haustu exhibito, & sudore provocato, fluxum sedassem.

♃. Terr. sigill ℈ i ß. corall. rubr. præp. C. C. usti an. ℈ j. theriac. Andromachi ℈ iv. requiei Nicolai ℈ j. aq. theriacal. & cardui bened. an. ℥ j. M. F. haustus. Linteamina ad ignem calfacta ventri quoque imponi & sæpius renovari jussi: atque ita substitit fluxus. Suasi autem, ne in posterum ullius Medici consilio aliquod purgans medicamentum, quantumvis leve, assumeret, sed necessitate sic urgente. alvum potius enemate proritaret, vel aliquo jusculo emolliente. *Isbrand. de Diemerbr. in Observationib. & Curationibus Medicis.*

Ex levi purgatione in Aurifabro mors.

Egregius ac virtuosus Dominus Georg. Heidit, Civis & Aurifaber Viennensis, rerum artificiosarum deaurationi sedulo intentus, Realgaris sulphureo ac Mercuriali per inspirationem attracto fumo, reiteratis vicibus, lassitudine ulcerosa totius corporis, tremore & palpitatione cordis prehensus, est à me curatus; Pluribus tandem dum septimanis apparamentis equestribus deaurandis incubuisset; ac quatuor hebdomadis omnino deaurationi supersedisset, præter Lassitudinem totius nil sentiendo, ordinaria lenitiva ex securissimis parata, sumpta purgatione; venenatis qualitatibus à tempore deaurationis in corpore latentibus agitatis, præfatis symptomatibus, sudoribus frigidis, Lipothymiis ac Convulsionibus totius corripitur, nullisve proficientibus Remediis, Regia Cordis occupata, robustissimo corporis habitu exspirare cogitur.

Scholion.) Ut metallarii qui in fodinis operantur, peculiaribus obnoxii sunt morbis, de quibus singularem tractatum edidit Theophrastus Paracels. illosq; erudita disputatione Lipsiæ 1652. enucleavit collega curiosus præpropere demortuus Zephyrus, Leonhard. Ursinus prof. botanices: sic non minus Aurifabri aliique qui nimis crebro Mercur. tractant, aut ejus fumum quovismodo; sive per os sive per aliam viam ad se trahunt, maximo suo damno experiuntur morbos nervos infestantes. Ut etenim si in loco clauso exponatur aureum vas, & dein mercurius supposito igne avolare permittatur, totus Mercur. qui sublimis in auras evanuisse putabatur, simulata fuga in aurei vasis amplexibus hærere invenietur, experientia Kircher. de arte Magn. L. 3. p. 3. c. 2. sic non minus in ipsis evaporationibus, quæ ab istis Artificibus peraguntur; attrahitur in nares Mercur. indeque in Cerebrum genusque nervosum. Unde concludit Kircher. de arte Magn. *L.* 3. p. 3. c. 3. p. 635. cum Mercur. non raro in craniis in sepulchris inveniatur, esse crania talium Artificum, dum etenim in extrahendo aut præcipitando Mercur. multum fuit occupati, non exiguam vaporis partem per nares excipiant, qui in frigidas cerebri cellulas receptus, ibi denuo congelascat, ut etiam post mortem tanquam in vasculis perennet, non ut Philosophastri nugentur, quod intra hominem & ubivis Mercurius, ut materiam Lapidis sui hoc prodigio jactent, inveniatur. Docet hoc Aurificis Anatomia Romæ facta; qui cum summos capitis dolores passus obiisset, in aperti capitis cerebro plusquam Libr. j. Mercurii reperta fuerit ex vapore ejus hausto ibique congelato. In fœminæ calvaria quæ fucis ex Mercur. quotidie usa, & per biennium enormi capitis dolore fatigata, in osse calvariæ Unc. ii. Mercurii inventi fuerunt. Zuvinger. in Thes. vit. Hum. T. I. f. 520. ex Cardano de subtil. Quin & exterius admotus Mercur. per poros Corpori se insinuat & divisæ istius particulæ rursus se uniunt, unde ex mamma cancrosa Mercur. exstillavit, quod laminæ Unguentum mercuriale adhibita fuisset Bartholin. c. I. hist. 7. & Mercur in sauciati Emplastro adhærere visus est, qui antea inunctionem passus fuerat. Rhodius Cent. 3. obs, 87. Sanè post imperfectam Inunctionem in Lue Gallica Mercur. in caput interdum se insinuat, ibique relictus intensissimas Cephalalgias excitat, qui tandem Mercurius aureo globulo naribus, & aureo nummo ori indito (quia Mercur. auro ob sympathiam se associat, & illud dealbat) per vices extrahendus. Jacoz. 13. commun. River. & ipse Laz. River, Cent. 2. Obs. 91. ex articulis ve-

degeret, varios committens excessus in cruditatem humorum, indigestionem, inappetentiam, pruritum ad frequentem vomitum, tumorem & inflationem stomachi incidit, sputum erat continuum maxime matutino tempore, idque album, tenax & valde viscosum, me ad se vocatum pro remedio rogavit, cujus petitioni lubens satisfaciens ordinavi illi pro digestivp vesperi sumendo ℨß. Tartari Vitriolati in jusculo sumendam, absoluta post unam aut alteram horam pauca & liquida Cæna, ut altero die sumendum vomitorium in ejusmodi viscosis humoribus jam parumper præparatis tanto felicius succederet, nam totam materiam in Stomacho hærere adverti; assumpsit ille suum Tart. vitr. quem alias assumere solebat, nam semper eam domi pro ordinaria & domestica Medicina habebat; hora ab assumpto isto digestivo in talem purgationem incidit, ut intra 24. horas ultra centies secesserit, ita per noctem corruit homo alias corpulentus, ac si substantiam suam carnosam simul expurgasset, adeoque ob urgentia continua animi deliquia, & virium prostrationem, adhibita omni diligentia fluxum coercere debui, qui utique stetit, ita tamen ut per tres dies sequentes bis tantum singulis diebus excreverit, vires interea se modicum valde recolligebant, 4. die circa vesperam accessit calor ingens, & virium dejectio adeo increvit, ut venæ sectionem prohibuerit, sed videbam etiam penes aliqualem efflorescentiam, eam autem definire nondum poteram, adfuit difficultas respirandi circa præcordia, eorumque ardor & æstus manum usserunt, & tensio tactui potenter renituit, absque tamen dolore: in his circumstantiis ita constitutus ad alexipharmaca confugi, & ordinatum tale Diaphoreticum, intermixtis aliis variis Cordialibus vesperi assumpsit, & expulso sudore fætidissimo melius respirare, maculæque se potentius monstrare inceperunt, & urina turbidissima non adeo accensa mingebatur, cum autem idem altero mane ante ortu n solis reassumendum ordinassem, assumpsit quoque, & circa meridiem tam copiosæ maculæ illæ petechiales conspiciebantur, ut totum corpus virgis cæsum quis putasset, Symptomata etiam omnia de hora in horam minuebantur, non neglectis interea tamen diaphoreticis continuis, sed non tam potentibus, ita ut 7. die adhuc insuper per copiosam diarrhœam fœtidissimam, & variis coloribus intermixtam perfecte & saluberrime judicatus fuerit. Mulier quædam phthisica raræ texturæ 26. annorum, temperamenti Cholerici ad me venit, & consilium rogavit, satis adhuc robusta & vegeta, quia scalas ascendere potuit, sua etiam domi & extra absque adeo magna difficultate ritò perfecit, ordinavi illi duas Uncias mannæ in jusculo dissolvendas cum Uncia una Olei amygdalorum dulcium, & assumpto hoc laxativo pectorali venæ sectionem, & post venæ sectionem juscula ex herbis pectoralibus. & ut ulterius quæreret illi dixi, atque ita eam dimisi: vadit domum & parat sibi hoc Medicamentum, & illo assumpto ita purgavit, ut altera die etiam expurgata anima in lecto mortua inventa fuerit, ego hac de re nec minimum somnians inveni;. die post in scheda mortuorum talem, & talem esse mortuam, vado ad illum locum, & quæro causam mortis, sic nihil aliud adstantes dicere potuerunt, quam hoc, quod assumpserit mannam cum Oleo amygdalorum dulcium in jusculo carnium dissolutam, & inde per diem potentissime excreverit, sine tamen magna virium amissione, & quod altera die cum summa copia excrementorum in lecto mortua inventa fuerit, cum omnium stupore. Joh. Georgii Greiselii.

Hypercatharsis à Medicamentis Mercurialibus.

Nuper ad ægrotum quendam vocatus, invenio ipsum admodum debilem & morti vicinum. Hic ab agyrta aliquo pulverem acceperat à quo sexagis secessit, & decies vomuit, tandem etiam cruenta excrevit, molestissimusq; tenesmus secutus est, ex quib. & febre superveniente, insigni virium dejectione, anxietate cordis, salivatione nimia, torminib. ventris, & dosi parva, pulverem istum Mercurialem fuisse conjeci. Hunc ægrotum. Deo (cui sit laus) auxiliante, exhibitis remediis convenientib⁹, præprimis vero tinctura theriacali, intra quinq; dies ex orci faucib. eripui. Similem hypercatharsin non sine vitæ periculo perpessæ sunt hic mulieres duæ honestæ ex usu Azot notissimi Empirici Heslingii, & ante paucos menses Secretarius quidam alias ὀργανικὸν hoc medicamentum plurimis admodum commendans, qui eo assumpto maximos cruciatus & brevi mortem sibi conscivit, nihil proficientibus à Medico Ordinario efficacibus etiam remediis exhibitis De hoc Azot brevibus quidem in tract. meo de varis sive Arthritide vaga scorbutica aliquid monui, sed in altera ejus editione (quam quia prior multis mendis & crassis vitiis Typographicis scatet, atque exceptis paucis exemplaribus distracta plurimum variis rarissimis medicamentis & observationibus auxi) fusius de ἐν σὺν θεῷ acturus sum. *Valentini Andreæ Moellenbrocci.*

Hypercatharsis Curata

Dominus Theodorus à Baruth usus est Pilulis ex Extracto solutivo, quibus alias sæpe feliciter usus erat, die Lunæ dejecit ante prandium septies, prandio nihil amplius, sed optime se habuit; vesperi cœnavit largiter, dormivit usque ad mediam noctem. Tunc subito tormina in ventre maxima cum vomitu & sedibus multis oborta, quæ die Martis duraverunt, & quoque sequenti nocte. Die Mercurii domum rediens ipsum invisi, & dedi Theriac. ℈iv. Croc. Mart. gr. j. in jusculo; Imposui Theriac. ℥i. Remisit dolor, vomitus & sedes. Vesperi omnia rediere, & quicquid assumpsit, evomuit. Præscripsi sequens:

♃. Rad. tormen ill. symph. maj. an. ℨii. Herb. agrimon. plantag. ana m. ß. fl. chamom. mß. Verbasc. Piii. Hord. mß. Coq. in s. q. v. ad ℥x. Col. adde Mell. rof. col. ℥ii. M, F. Enema. Quamprimum assumpsit, omnia remiserunt, repetitum sequenti nocte bis feliciter. Postea corroborantia ventriculum dedi. Excrementa fuere prasina.

Scholion.) Hypercatharsis provenit vel culpa assumpti, vel assumentis. Assumpti, cum medicamentum sit violentum, vel non rite præparatum. Assumentis, cum vel ille errorem committit externum, cum sc. aeri frigidiori se exponit, frigida nimis bibit, &c. vel propter naturæ ipsius errorem internum, cum sc. commota

commota camerina viam monstratam sequitur, & ab acrimonia & copia humorum nimis stimulata insurgens, plus educit, quam requiritur, vel vires permittunt. Et hæc ultima causa hic locum habet. Astringentia cum narcoticis à principio mox adhibuit, ideo quod vires propter largam evacuationem abstergentia non admitterent, & morbus in centro conservaretur. Malo vero recidivante, recollectis viribus, abstergentia anodynis & astringentibus miscuit, & ita feliciter malum sublatum est. Sequenti aliquando Hypercatharsi laborantem à medicamento violento à Tonsore exhibito, cum jam prodromi convulsionum adessent, liberavi:

♃. V. Tormentill. ℥iß. fol. querc. plantag. ana ℥i. Pulv: Pumic. ʒi. Syr. Cydon. ℥i. rib. corall. ana ℥ß. M. Quantum enim Lapis pumex valeat in hoc malo sæpius feliciter expertus sum. Dan I. *Wincleri*.

A remedio superpurganto & humores nimium acuente Apoplexia enata & mors.

Vir temperamento dotatus calido & sicco annum agens 30. in quo bilis nutritia & excrementitia reliquis sociis humoribus subditis peregrinâ virtute domina audacter imperabat, inde nata ex spiritibus sanguineve truculentius concitis, ut functionum famulis, tanta inter agendum animæ immoderatio, ut modo eam bilis flava tostione in atram facessat, saturni morose omnia nauseantis humori melancholico effœminate obediret, aliàs nata rerum vel levi occasione bilis efferæ phrenitide perderetur, hinc novus accessit & atri & biliosi humoris cumulus, & urgentior harumce passionum immodicatarum reciproca malorum productione stimulus, rerum consequentia physica; mentis insatiabilis avarities sacra iis persæpe fames fiebat, ut & mulier pro genio illi sexui naturali tantum sapiens, imò quarumdam pudendarum inclinationum nimium quamvis injuste suspecta, execrandum ferientis cœli flagellum. istis factum est ut primò universa cutis colore citrino subpallido violaretur, sed album, ut fit, oculorum maximè, brevi dein cœpit pigrescere appetitus, corpus languere, in tabem pendere, animus passionum torturis durius præmi, & functiones tandem omnes sensibiliter labascere: tum suæ salutis ex necessitatis cogentis vi sollicitus consuluit prudentissima mente fœminam sublimi doctoratu dignissimam, cui soror apud milites & exteras nationes longa & decora sexui modesto praxi nobilis secretum secretorum tradiderat omnium sine exceptione morborum remedium divinum. scammonium nempe pondere temerario rabidum, & correctione acuente sanitati humanæ longe infestius. hujus barbaræ violentiæ corpus non minus morbi languore, quàm delicata naturaliter indole effœtum vix suffecit, ergo in ferendas momento oppetias præcipitanter precibus coactus præscripsi post maturum, quod præsentiæ desperatio annuebat, rerum omnium examen, sequens remedium exta demulcens pro sumpti acriter urentis necessitate.

♃. Ol. amygd. dulc. sine igne express. ℥ iv. syrup. de alth. Fern. ℥iß. aqu. malv. ℥ j. misce hauriat duabus aut tribus dosibus quamprimum possibile erit, post hujus usum exhibui pulverem fluxum omnem quasi incantamento frænantem quàm brevissime.

♃. Gummi arab. tragacant. sang. dracon. an. ʒß. saccar. saturn. gran. xii. laud. opiat. gran. 2. saccar. rosac. ʒ iij. misce f. pulvis in duas doses easdem secandus, primam accipiat immediate ut libuerit, secundam quinta post hora, si necdum quiescat fluxus, obediitis ilico frænatus, sed ne urgéti adhuc necessitati deessem solicite studiosus tui, ut periculosas inhumani remedii notas expungerem humectantibus & lenientibus blande, primo emulsionibus sæpius iteratis.

♃. Amygdal. dulc. excortic. ʒ x. sem. quatuor frig. maj. ʒ v. contunde affundendo decocti, horum mund. passulat. ℥ vi. in colatura misce specier. diatragac. frig. ℈ij. syrup. de pom. f. ʒ vi. f. emulsio quam hauriat cubitum iturus dies quindecim continuos, accessere hordeata, panatel. lac amygdal. dulc. juscula ex incocta borrag. buglos. cichor. endiv. lact. bet. &c. Quarum fide agentium favore omnis incisa noxa pergit, ergo dato amice consilio ut victu humectante & refrigerante corpus corrigeret, & vel occasiones ad motus ferventis bilis studiose luderet, generoso animæ pacatæ imperio sensimque illam ita mortificaret, donec nulla deinceps vel levis insolentia argui posset, sed nec istis gravibus malis, nec salubribus monitis sapere didicit, ergo cum melancholia & iræ obstinaci stimulo bilis sæpius ad ream turgescentiam insanivisset, rursus empiricam rogat, ut sibi periclitanti amice adesset, sed imitatione dictæ mulieris eum inclementi ni fallor, antimonii vitro imperite forsan parato exagitavit ita, ut cassis viribus tenellis impar certo crederetur inimicæ vi, tunc momento questus est de rodente in capite intus doloris sensu immanissimo, de appetitus morte, de virium extinctione, de privatione dulcis somni, de lacerante in infimo ventre sensatione fixa: tunc ausus fuit secunda vice me accersere pro eodem casu rerum opprimentium desperatione cogente: hic scriptæ methodo, cum idem foret rerum pessimarum casus, nihil detrahendum credidi, sed post ejusdem seduios conatus & infimi & supremi ventris inclementer discrucians uterque dolor parili malitiet obstinacia perstitit; ergo altiori mentis anxiæ ratiocinio fallens rei mysterium disquirens credidi tandem, vomitus omnia inhumaniter violantis furore sacro sursum præcipitatum quæ unque demum via humorem acrem urentem, & probabilissime biliosum, qui suam ibi tragœdiam tam crudeliter & pertinaciter ditissimis patientis impensis luderet, & particulas quasdam lacerantes hujus cathartici maniaci intestinorum tunicis internis abrasa pituita lenta, & avulso adipe insito fixas hæsisse, quæ irato aculeo eam implacabiliter vellicarent. Ut furentes ventris turbas componerem extemplo injici jussi clysma intestinis ad insaniam offensis blande adulans.

♃. Fol. parietar. lactuc. solan. sempervív. min. an. m. j. rad. lil. alb. ʒ x. flor. melilot. verbasc. an. m. j sem. hyoscíam. lin. an. ʒ iij. f. decoctio ex lacte recenti in colatur. ℔j. solve ung. popul. ol. catul. an. ℥ i ß. f. clysma, mox indendum, huic sociam nec dispa:em operam annexuit cataplasma hujus compositionis.

♃. Rad.

♃. Rad alth. mandrag. pulv. ad ℥ß. lumbric. terrestr. purg. m. iv. farin. sem. lin. ℥vi. coque in lacte vaccin. recenter mulcto ad consistentiam cat aplasmatis. applicetur toti abdomini calidum, & ubi refrixerit, calefiat sæpius & applicetur rursus, cessit fractus his remediis indefesse adhibitis dolor: sed majus negotium imposuit is, qui caput dire lancinabat, ei ergo ut prospicerem, & eadem cura minitati de apoplexia eluderem imperavi hanc mixturam.

♃ Aq. epilept. D. Lang. fl. lil. conval. tinctur. castor. cum spir. sal. arm. parat. ad ℥ij. sal. volat. succin. gr. xv. misce f. mixtio cephalica ex cochleari sumenda per intervalla, mox partem utramque aurium inferiorem perforari jussi, & radice gentianæ impleri, ut humor efferus in capite dirè tripudians illuc proluctaretur: dein scarificationibus altis dorsum incidi, adhuc partibus pone aures ambas vesicatoria agglutinari, & tandem tibias iisdem emplastris magnis uri, quæ omnia effectum suum physicum sed minimè intentum meum sortita fuere: ergo morbi invictæ hactenus obstinaciæ iratus propinavi vomitorium ut ejus vi concussum generose caput excuteret forte contentum in se præternaturam humorem.

♃. Spir. ceras. nig. ℥iij. tart. emetic. Mynsicht. ℈ß. misce, quod impigre suo munere functum fuit, sed nullum excepit illud miserabilis levamen: errhino acriter titillante rei pertinaciam frangere studui.

♃. Aqu. majoran. ℥iv. vitriol. alb. ℈ij. naribus violenter hauriat & cerebro intimius mandet, ilico dives muci prodiit expurgatio, sed & ipsa inutilis insuper totum verticem rasum emplastro cephalico indui, tum denique in spem videbatur non dubiam respirare me timidius & ei & mihi applaudente, cum mulier, viris plerumque fatalis ei ad habitualis & ideo facilis iræ commotionem ansam, aliquoties misere præbens, quamvis innoxiè omnia rursus in priorem miseriæ statum funeste turbavit, ut post duos gravis torturæ dies apoplexia obruente cujus non abditæ minæ toto morbi cursu me terruerant, vixerit. Instanter petii ut sectione cadaveris concessa liceret sensuum ostendentium testimonio evidenti scire, num diagnosis mea ex scientiæ principiis nata vera fuisset: ablata cranii parte superiore, cerebrum inundante sero bilioso medebat læva sui parte, ejusque venter lateralis universus eo gravidus erat, color quidem citrinus ab adstantibus plurimis distingui haud potuit ob noctis ignis lumine tantum animatæ tenebras, tunc semper ad sensum albus sed tacite album linteum ei intinxi, quod colore citrino intenso quidem flavescebat ad diem, naturali majore mole creverat hepar alioquin innoxium, & ei alligatam felleam vesiculam bilis ex viridi nigrescens impleverat, crassioris & æquo pinguioris consistentiæ: pulmones colore subceruleo hinc inde plurimis suis portionibus fœde polluti apparebant, cæteris partibus vix aliquid desiderabatur.

Secui adhuc aliud viri cadaver non absimilis sortis, cujus capitis intestinas partes parilis omnino liquor biliosus inundarat, nescio an remediis an vero alio casu illuc trusus quantum ex domesticis & empyrico, cujus dispositioni is incuriè datus fuerat, extorquere potui, ex iræ & desperationis alternatim sæpius & affrænatè furentibus motibus ea miseria prodierat, in corpore fortunatæ constructionis vitæ sæculum pollicentis. *Ex communicatione Viri Amicissimi Clariss. D. Nozet Archiatri Friburgensis.*

HYPOPIUM

Vid.

CORNEÆ MORBI.

Finis Libri Octavi.

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER NONUS.

De Morbis à Litera I incipientibus.

ICHOR & MELICERIA.

DE Hisce tanquam Ulcerum symptomatibus, atque ad Juncturarum morbos etiam pertinentibus, non est quod specificè hic agamus. Verum si quis iis quæ propriis capitibus de Ulceribus, & de Juncturarum morbis reperientur, minus contentus fuerit, ac curiosius quid hac in parte expetat; legat Clariss. Gulielm. Fabricii Hildani elaboratiss. de Ichore & Meliceria Celsi tractatum.

ICTERITIA ALBA
Vid.
CHLOROSIS.

ICTERUS.

ICterus aut per se morbus est; primario incipiens, de quo hic proprie agitur, aut alterius morbi effectus, sive productum: uti cùm febri intermittenti supervenit, quàm & sæpenumero judicat; de quô etiam mox obiter dicemus.

Icteritia affectio ex communi plurimorum consensu exoriri statuitur in quantum flava bilis, è venæ portæ finibus, in pori bilarii ductus non omnino, aut non satis excepta, in massam sanguineam restagnat, eamque virore suo (unde etiam cutis inficitur) inquinat.

Obstructio ista multis modis, & variis in locis contingere solet. Quandoque enim fit juxta extremos utriusque generis vasorum, scil. venæ portæ & pori bilarii fines; quorum intercapedines ob hepatis parenchyma intumefactum, aut alias vitiatum, nonnunquam comprimi, & obturari accidit; quapropter humor felleus è portæ vasis secretoriis, in vasa altera exceptoria minime traductus, in sanguinem regurgitat. Secundo humoris fellei transitus interdum in mediis pori bilarii ductibus intercipitur in quantum scil. horum cavitates materia aut viscosa, aut sabulosa, & nonnunquam lapidea implentur: uti passim cernitur in jecinoribus jumentorum, hyberno tempore dum fœno ac stramine vescuntur. Tertio ex observatione Anatomica etiam constat obstructionem Icteri causam nonnunquam in ipsa vesica fellea, aut in meatu cystico fieri: siquando enim illa lapidibus in pleta bilem non recipit, aut hic obturatus aut coalescens, bilis versus intestina descensum inhibet, humor iste quamvis à sanguine bene secretus, in massam ejus refluere cogitur, adeoque morbum regium parit.

Contra receptissimam hanc opinionem, qua statuitur Icteri causam plerumque citra vesicam felleam, aut circa ipsam versus hepar consistere Cl. Sylvius omnino ultra hanc, viz. in meatu cystico aut ductu communi eam collocat. Quippè bilem non è sanguine intra ductus hepaticos secerni, sed in ipsa cysti fellea, ex humore per arterias illuc advecto progigni supponens; partem ejus maximam per pori bilarii ductus superius latam, sanguini propter insignes quosdam usus suffundi, partemque alteram etiam ob fines necessarios, inferius ad intestina descendere statuit: quamobrem si posteriori hoc emissario occluso, bilis tota sursum in sanguinem evehatur, eum humore isto nimis saturans à crasi genuina in Ictericam pervertet.

At vero ne meatus cystici, aut ductus communis occlusio (cujus neutra facile, aut à levi occasione contingit) ad Icterum quemcumque excitandum minus efficax videatur: idcirco sive talis obstructio locum habet, sive non, insuper ingeniose supponit vir Clariss. bilem dum in cysti generatur, quandoque mutationem notabilem subire, propter quam moveatur, & feratur impetuosius, & copiosius, versus sanguinem, cui tamen solito minus permisceatur sed ipsi dumtaxat confundatur, adeoque facilius ab eodem recedat, partesque solidas colore suo inficiat, & tingat.

Quod autem bilis in Ictero cum cæteris humoribus permisceri, aut intime uniri inepta reddatur; fieri statuit, à spiritu nimis volatili ei copiosius admisto, ipsamque proinde spirituosiorem, aliisque immiscibilem faciente. Assertionem hanc binis instantibus confirmat, in quantum scil. venenum à viperæ morsu spirituosissimum, atque potus generosior, scil. vini, aut aquarum ardentium aliquandiu usurpatus, Icterum accersit. Insuper hypothesi huic fidem astruere nititur, eo quod morbus iste non tantum à medicamentis deobstruentibus, verum ab iis quæ salis volatilis ferocientis vim retundunt, (cujusmodi sunt decoctum seminis cannabini, item sapo Venetus, cum multis aliis ejusdem farinæ) curari solet.

Non hujus loci, neque ad propositum nostrum est, ad hanc litem dirimendam descendere, neque temere nunc determinare ausim (postquam tot egregia recentiorum ingenia res fatigavit) utrum bilis revera conficiatur in cysti fellea, vel annon à sanguine intra hepar, magnum secretionis organum, dumtaxat separetur; fateor posteriorem hanc sententiam mihi potius arridere. Et quidem hæc serio perpendens opinari ducor, Icteri causam in eo potissimum consistere, quod bilis in hepate secreta, ob vias obstructas non omnino, aut non satis ad vesicam felleam transferatur, quin necesse habeat in massam sanguineam regurgitare; interea tamen haud inficias imus, affectum hunc (etsi tarius) à meatu cystico, aut ductu communi obstructis interdum exoriri posse. Cæterum in causæ morbificæ partem, & forsan aliquando totum, etiam sanguinis vitium accedere putamus; quando nimirum ob particulas ejus sulphureas, & salino-fixas supra modum exaltatas, bilis in cruoris massa uberius, ac ocius progignitur, quam per vias ordinarias secerni, aut foras amandari queat; quare hæc à sanguine cum sero ubique decedens, partibus solidis affigitur, iisque tincturam suam imprimit. Et proculdubio ob hanc rationem est quod venena quædam, & imprimis viperarum morsus, atque potus generosior diutine usurpatus, in corpore prius sano morbum Arquatum inducit, pro cujus Therapeia interdum phlebotomia, & medicamina sanguinem ad rectam crasin reducentia, plus quam deobstruentia prodesse solent. Porro ob hanc causam esse videtur, quod febris tertiana intermittens, ita frequenter in icterum terminatur; quippe haud suspicari licet, Postquam in singulis paroxysmis tanta sanguinis & humorum agitatio, per frigus, & æstum, eorumque tanta per vomitum aut sudorem evacuatio contigerit, ductus hepaticos quoquo modo obstrui posse; ac vero sicuti paroxysmi febriles accientur, in quantum sanguinis pars sulphurea nimis evecta, succum nutritium primo in materiam morbificam pervertit, & dein accensa eandem absumit, & exterminat; ita postea cum sal fixus demum in sanguine una cum sulphure exaltatur, ideoque bilis pura copiose progignitur, propter salis fixi vim restinctivam sanguinis accensio febrilis cessat, ejusque loco dyscrasia icteritia succedit. Quemadmodum autem sanguis ad dyscrasiam sulphureo salinam nimis evectus, Icterum quibusvis utut minime prædispositis accersit, ita in aliis quantumvis prædispositis, viasque bilarias obstructas habentibus, cruoris sulphur nimis depressum, morbi istius immunitatem parit; enimvero cognovi plures cachecticos, & phlegmaticos, tametsi hepatis quoad plurimos ejus ductus obstructione & induratione laborarint, Ictero caruisse.

Circa morbi hujus Ætiologiam, non est operæ pretium amplius ut disquiramus; ad Therapeiam quod spectat, tres erunt primariæ Indicationes, quas omnes (siquidem quæ sit potissima, & primo adhibenda fere semper latebit) simul prosequi oportebit; itaque medendi intentiones erunt. Primo ut ductuum obstructiones, si quæ forsan aut in poro bilario, in meatu cystico, aut alibi circa hepar, vel vasa choledocha fuerint, aperiantur. Secundo ut sanguis, ne bilem supra modum progignat, aut secretioni ineptum reddat, ad justam temperiem & crasin reducatur. Tertio demum ut vires sustententur, & symptomatis eas præcipue lædentibus occurratur.

1. Ut primæ Indicationi satisfiat, evacuationes catharticæ, tum per vomitum tum per sedem, quibus bilis versus intestina descensus irritetur, simulque vasa obstructa, magna eorum succussione facta, ab infarctione liberentur, egregie conducunt. Secundo Medicamenta acria, amara, salsa, aliaque incitatione quadam prædita, quæ bilis in hepate aggestæ, & stagnantis motum stimulent, adhiberi debent; huc etiam referre oportet: quæ ex similitudine substantiæ & velut signatura, quatenus nempe succo flavo prædita sunt, contra Icterum juvare creduntur; attamen pleraque ex his quoniam urinas, aut sudores cient, sub eadem qua priora, scil. evacuantium classe, satis apte recenseri possint.

Secunda Indicatio alterantia omnino requirit, medicamina sc. quæ sulphuris ac salis fixi exaltationes, sive efferationes deprimant, atq; salis volatilis interim depressi restitutionem promoveant; propter hoc fines remedia sale acido aut volatili prædita: insuper chalybeata adprime conducunt, hinc spiritus salis, vitrioli, succus limoniorum, item spiritus C. Cervi, item stercus ovinum, anserinum, crocus martis, aliaque diversimoda ejus præparata, in Ictero sæpe fructu præscribi solent.

Tertia Indicatio vires instaurandas, & symptomata quibus lædantur tollenda procurans, plures & diversimodas medendi intentiones suggerit, quas omnes aut præcipuas speciatim enumerare, & præscribere operis ac tædii immensi foret; quapropter regulas quasdam circa diætam generales, & remedia quædam Cardiaca & Anodyna in hoc casu appropriata subdemus.

Designatis ad hunc modum Indicationibus Therapeuticis, jam proxime incumbit quibusque modo propositis medendi intentionibus, medicamenta selectoria viz. tum simplicia, tum composita accommodare, & remediorum, quæ ad hunc morbum præcipuæ notæ habentur, operandi modos, & rationes explicare. Primo igitur pharmacorum Evacuantium in Ictero appropriatorum formulas proponemus.

1. *Vomitoria*

Pharmaca Emetica in ictero recenti, dum viscerum tonus & vires constant, sæpissime juvare solent; quatenus nimirum & ventriculum phlegmatis viscosi saburra in hoc morbo fere semper aggravatum alleviant; insuper & vasa choledocha irritando, atque ductus omnes hepaticos succutiendo, infarctiones eorum expediunt, & bilis per vias prius assuetas transitum sollicitant.

♃. Infusionis croci Metall. ℥ß. ad ʒvi. vini scillitici ℥i. oxymel. simpl. ℥ß. f. vomitorium cum regimine sumendum.

Vesperi præcedente, interdum exhibere convenit mixturam sequentem pro facilitando vomitione præparatoriam.

℞. Pul. radicum Asari, fæculæ Aronis, ana ℈i. Tartari vitriolat. ℈ß. Oxymelitis simplicis ℥i. misce.

♃. Sulphuris Antimonii gr. vii. scammonii sulphurat. gr. viii. cremoris Tartari ℈ß. f. pulvis, detur è cochl. j. panatellæ.

℞. Fol. Asari 9. incisis & contusis affunde vini albi ℥iii. exprimatur succus, detur mane cum regimine.

♃. Gum. gut. præp. gr. viii. Tartari vitriolat. gr. vii f. pulvis.

2. *Cathartica.*

Medicamenta purgantia in hoc morbo sive recenti, sive inveterato locum habent: viz. tum ut uberior excrementorum proventus subinde è primis viis subducatur, tum ut vasa choledocha ad excretionem stimulentur.

♃. Electuarii è succo rosarum ʒiii. Rhabarbari ʒi. salis absinthii, cremoris Tartar. an. ℈ß. syrup. de Rhabarb. q. s. f. bolus.

♃. Radic. lapathi acuti præp. ℥i. summitatum absinthii pontici, centaurii minoris ana P. ii. rad. gentian. curcumæ, ana ʒii. santal. citrin. ʒi. coq. in aq. fontan. ℔. iß. i. ad ℔. j. circa finem adde sennæ opt. ʒvi. Rhabarb. opt. ʒiii. Agarici ʒiß. sem. coriandri ʒii. vini albi ℥ii efferveſiant clause per horas 2. dein f. colatura per subsidentiam depuranda: Dosis ℥iiii. ad vi. cum syrupi de Rhabarbaro ℥i. aq. lumbricorum ʒiii. f. potio repetenda per tres vel quatuor dies continuos, vel alternos.

In constitutione debiliori.

♃. Rhei electi ʒii. Agarici Trochiscat. ʒß. cinnamom. ℈ß. zinz. ℈ß. f. infusio in vini alb. & aq. Cichorei ana ℥iii. clause & calide per iii. horas, in colatura dissolve syrup. de Rhabarbaro ℥j. aq. lumbricorum ʒij.

♃. Pul. Rhabarb. ʒß. ad ʒi. salis ℈i. absinthii f. pulvis.

♃. Pilul. Ruffi ℈i. extract. Rudii ℈ß. f. pilul. iv. sumantur mane cum regimine, repetendo intra iv. vel v. dies.

Tertio sequuntur Deoppilativa, quæ Diuretica, vel Diaphoretica existunt, quorum etiam nonnulla ob substantiæ similitudinem Specifica habentur: hujusmodi medicamina & bilis à sanguine secretionem promovent, ejusque secretæ, per ductus & meatus in hepate minus patentes, transitum urgent. Porro interim ea sanguinem fundendo, & serositates, & recrementa ejus biliosa aliquatenus per sudores, aut urinas amandari faciunt.

♃. Elixir. proprietatis ℥i. sumat. gut. xx. mane, & hora quinta p. m. cum vehiculo idoneo. Eodem modo tinctura Antimonii, aut salis Tartari, item mixtura simplex in majori dosi sæpe cum fructu exhibentur. Pro vehiculis etiam propter eandem medendi intentionem Apozemata, aquæ destillatæ, & Iulapia conveniunt.

♃. Radic. chelidoniæ Majoris, urticæ urentis, rubiæ tinct. ana ℥i. summitatum absinthii pontici, marrubii albi siccat. agrimon. chamædr. an. M i. sem. santonici ʒii. ras. eboris C.C. ʒii. santali citrini ʒiß. sem. coriandri ʒii. coq. in aq. fontanæ ℔. iii. ad ii. adde vini albi ℥iiii. & f. colatura, adde syrupi è cichorio cum Rhabarbaro ℥ii. Aq. lumbricorum ℥iß. f. Apozema dosis ℥iiii. ad vi. bis in die.

♃. Folior. Marrubii albi siccat. centaurii minoris an. M. j. rad. gentian. curcumæ an ʒiii. cinnamomi ʒi. croci ℈ß. incisa ponantur in vitro cum vini albi vel Rhenani ℔. ii. f. infusio clausa, dosis ℥iii.

Huc spectat celebre istud Gesneri Antictericum.

♃. Radic. urticæ majoris ℔. j. croci ℈j. contundantur probe, & cum vino albo extrahatur tinctura. dosis ℥iii. mane per iv. vel v. dies.

Huic simile est illud Fr. Joelis.

♃. Radicum chelidoniæ majoris incis. Mii. granorum Iuniperi Mi. contusis affunde vini rhenani lib. j. & extrahatur succus, dosis ℥iiii. bis in die.

Succus Marrubii albi à Dioscoride, & syrupus ejus à Foresto pro curatione morbi regii valde commendatur.

Loco elixiris aliorumque liquorum chymicorum, qui ad nauseam evitandam, in quantitate perexigua sumendi præscribuntur, aliis fortiori constitutione præditis electuaria, pulveres & pilulæ cum meliori fructu exhiberi possunt.

♃. Conserv. absint. pontici, flavedinis aurant. limon. an. ℥ii. spec. diacucurmæ ℥iß. pul. eboris, santali citrini. ligni Aloes, ana ℥ß. trochisc. de capparibus ʒj. de Rhabarb. ʒß. salis absinthii ʒii. cum s. q. syrupi de cichorio cum Rhabarbaro, f. electuarium, dosis qu. nucis castaneæ bis in die superbibendo Iulapii seq. ℥iij.

♃. Aq. chelidoniæ majoris, fumariæ, absinthii simpl. flor. sambuci an. ℥v. Aq. limacum magistral. lumbricorum composit. an. ℥ ii. sacchari ℥ß. misce f. Julapium.

Vel ♃. Rad. urticæ majoris angelic. gentian. an. ℥iv. chelidon. majoris totius m vi. absinthii, tanaceti, abrotani, utriusque, ana Miii. cortices exteriores xij. Aurantiorum iiii. & limoniorum, lumbricorum præp. limacum, an. lib. j. Caryophyllorum contus. ℥ii. incisis & contusis affunde vini albi lib. viii. destill. organis communibus; liquor totus misceatur.

Vel ♃. Limaturæ Chalybis lib. j. fragorum recentium lib. vi. ponantur in olla vitreata simul agitando, & stent per diem, dein adde radicum Rhabarbari Anglicani incis. lib. j. cor-

tices iiii, Aurantiorum incis. affunde vini albi lib. vi. & destil. s. a. liquor totus misceatur, dosis hujus & prioris ℥iii. bis in die post electuarium, vel aliud Medicamentum.

℞. Pul. radic. curcumæ, Rhabarbari, ana ℥ iss. cortic. radicum capparis, rad. asari, ana ʒß. extracti gentian. centaurii ana ʒ i ß. salis absinthii ℈ iv. sem. nasturtii. ʒß. erucæ ℈ ß. elixir. proprietatis ʒi. gum. Ammoniac, solut. in aq. lumbricorum q. s.f. massa pilularis, formetur in pilulas exignas; dosis ʒß vesperi, & mane superbibendo aquæ distillatæ ℥iii.

Sylvius pro curatione icteri valde prædicat decoctum sem. cannabini in lacte, & solutionem saponis, indeque (prout supra innuimus) hypothesin suam, qua Icteri Ætiologiam à bilis alienatione potius, quam à meatuum ejus obstructione deducit, stabilire nititur.

II. Indicatio secunda sanguinis alterationem sive æquationem respiciens, quo sc. bilem modice tantum progignat, & rite secernat, ejusmodi medicamina requirit, quæ sulphur & sal fixum nimis evecta deprimant. In hos fines nescio quo casu, aut ductu, pharmaca sale volatili prædita, ut lumbrici, limaces, millepedæ, imo pediculi, quadrupedum & volatilium stercora, pro Ictero sanando in praxin introducta, non tantum ab empiricis, sed etiam à medicis celebrioribus præscribi solent: hæc interdum per se, verum sæpius evacuantibus, & deoppilativis adjuncta, præcipuas Antictericorum compositiones ingrediuntur.

Fonseca præscribit stercus Anserculi verno tempore collect. & siccat. etiam pullorum excrementum album, quorum utriusque pulvis detur ab ʒß. ad ʒi. in idoneo vehiculo.

℞. Pul. lumbricorum terrestrium præp. stercoris anserini, ana ʒiii. eboris, santali citrini. pulv. an. ʒss. croci ℈i. f. pulvis, dividatur in vi. partes pro totidem dosibus matutinis cum liquore appropriato. Apozemati, & tincturæ Antictericæ superius descriptis lumbrici terrestres, item stercus anserinum, quin & ovinum utiliter addi solent.

℞. Millepedarum recentium & vivarum n. 50. ad 100. croci ℈ß. nucis moscat. ℈i. simul contusis affunde Aq. chelidoniæ ℥iv. lumbricorum ℥ii. f. expressio fortis, & ebibatur: ad hunc modum sumatur primo semel, dein bis in die per septimanam.

Remedium vulgare, & empiricum apud nostrates est, ut novem pediculi vivi sumantur mane, per v. vel vi. dies, quo remedio (cum alia minus efficerent) plures sanatos audivi: quod certe nullo alio modo juvare potest, nisi quod salem volatilem in sanguine depressum restituat.

Propter eandem juvandi rationem, etiam in hoc morbo flores salis Armoniaci, sales volatiles succini, C. C. fuliginis, item horum spiritus, sæpe magno cum fructu exhibentur.

℞. Pul. lumbricorum præp. ʒii. spec. diacurcum. ʒi. florum salis Armoniaci ʒß. salis succini ℈i. extract. gentian. ʒi. croci ℈i. gum. Ammoniaci solut. in aq. lumbric. q. s. f. massa, formetur in pilulas exiguas, dosis 3. vel 4. mane & vesperi superbibendo Iulapii superscripti ℥iii.

℞. Spiritus C. Cervi cum croco tincti ʒiii. Dosis gut. xv. ad xx. cum aq. destillata superius descripta.

In hac medicaminum, quibus sanguis dyscrasia icterica emendata intenditur, classe, etiam remedia chalybeata jure locum vendicant; hæc enim non tam viscerum obstructiones reserando quam sulphuris, & salis fixi efferationes deprimendo, & cruorem volatisando, in morbo egio, haud minus quam in aliis cachexiæ affectibus insigne juvamen præstant.

Itaque decocto, item Tincturæ, sive infusioni superius præscriptis, ferri limatura, aut pulvis ejus (compage minerali quoquo modo resoluta) præparatus, aut sal vitriolicus extractus, commode adjiciantur: enimvero hinc est, quod Acidulæ ictericos prognostico relictos, interdum usque ad miraculum sanant; quanquam & hæ prælarga quantitate epotæ, quatenus vasa omnia permeant, etiam ductus hepaticos quantumvis occlusos aperiant.

Idcirco etiam Electuario, pilulis, & pulveribus, supra præscriptis, etiam Chalybis præparata, modo hoc, modo illud, in debita proportione addantur, porro syrupus ejus ad cochlear j. in Apozematis vel aq. destillatæ antictericæ ℥iii. detur bis in die, item tinctura chalybis ad gut. xii. vel xv. modo cum fructu exhiberi possit.

Ultimo in loco huic pharmacorum alterantium classi, accenseri debent ea quæ non intus sumta, sed exterius aut per contactum applicata, ictericorum urinis adhibita, morbum hunc curare perhibentur.

Quoad prius remedium apud vulgus satis tritum habetur, ut Tinca piscis vivens, cujus squamæ & exterior superficies nonnihil flavescunt, Icterici hypochondrio dextro aut ventriculo juxta quosdam, & plantis pedum juxta alios applicetur, unde morbi evanescentia subita expectatur; hinc licet multi certam medelam promittunt, mihi tamen aliquoties ad ipsum experto successus defuit.

Icteri curatio altera ad distans, nescio qua sympathia aut secreto operandi modo fieri perhibetur.

℞. Urinam ictericam recentem quæ una vice mingitur, cineris lignorum fraxini cribrati q. s. misce & redige in pastam, quæ formetur in tres pilas æquales, in loco clauso prope focum aut hypocaustum collocandas; quando pilæ hæ exiccatæ indurescent, Icteritia evanescet. Hoc ritu morbum hunc inveteratum, & multis aliis remediis surdum, feliciter curatum novi. Praxis hæc apud vulgus familiaris existit.

Si effectum hunc plerumque aut sæpius eventurum pro certo constaret, hujusque ratio inquiretur; imprimis supponere oportebit, consensum, sive sympathiam, inter spiritus aliasque particulas in cruore animato, cum aliis symbolis urinæ recentis incolis; quoque illi pari statim ritu cum his afficerentur. Attamen satis constat, sal lixiviale urinæ commixtum, salem volatilem prius subjugatum, aut aliis particulis implicitum, illico manumittere: uti plane cernitur in destillatione urinæ, quam si per se arenæ calore urgebis, nihil præter phlegma ascendet; sin tartari calcem, aut cineres addas, è vestigio spiritus & sal volatilis prodibunt: quapropter administratione istac empyrica adhibita, eodem tempore quo in urina icterica, etiam in

in ægrotantis sanguine, sal volatilis à salis fixi & sulphuris dominio vadet; proindeque Icterica cruoris dyscrasia evanescet. Hac etiam ratione innititur curatio altera morbi regii sympathetica, cujus Phil. Grulingius, & Felix Platerus mentionem faciunt: scil. minctionem supra stercus equinum dum calet, ab Ægro factam, plures ictericos sanasse, in quantum scil. urinæ, proindeque sanguinis icterici sal fixus, à stercoris recentis sale volatili alteratur, inque crasin debitam reducitur.

III. Indicatio Therapeutica tertia vitalis, idoneam victus rationem instituit, & insuper cardiaca, & anodyna, quibus utrisque sæpe opus est, præscribit.

Ad priorem quod spectat, alimenta in hoc morbo plusquam alio fere quocumque medicata esse solent. Etenim vegetabilia, eorumque partes, remedia Hepatica vulgo dicta, ictericorum jusculis incoquuntur. Hæc etiam loco aliarum carnium è lumbricis aut limacibus (qui morbi regii antidota habentur confici solent. Porro cervisia, aliique potus ordinarii pharmacorum infusione imprægnantur.

♃. Radic. urticæ majoris, fragariæ, ana ℥iss. eringii conditi ℥i. ras. ebor. C. C. an. ʒii. lumbric. mundatos n. xx. crustam panis albi, maceris ʒi. coq. in aq. fontanæ ℔. ii. ad ℔. j. coletur per manicam Hippocratis, cui impone spec. diatrion santal. ʒß. f. Iusculum cujus ℥iv. ad vi. sumatur bis in die: pro potu ordinario doliolum iv. congiorum impleatur cervisia, cui post fermentationem imponatur sacculus sequens.

♃. Summit. absinthii pontici, Marrubii albi siccat. ana M. ii. rad. lapathi acuti siccat. ℥vi. corticis fraxini, Berberorum an. ℥iii. cortices exteriores viii. Aurantiorum, & iiii. limoniorum, incisa & contusa præparentur s. artem.

Icterici plerique siquidem magno languore, & crebris spirituum deliquiis solent affici, etiam remediis cardiacis opus habent.

♃. Aq. mirabilis tenuioris ℥viii. lumbricorum ℥iv. syrup. è corticibus Aurantiorum ℥ii. misce dosis ℥ii. vel iii.

Porro hoc morbo laborantes doloribus nonnunquam valde molestis qui noctu potissimum desæviunt, ac insuper vigiliis sæpe obnoxii reperiuntur; quapropter etiam Anodyna in usum adhibenda veniunt.

♃. Aq. mirabilis, lumbric. an. ℥i. diacodii ℥vi. tincturæ croci ℥ß. misce, dosis cochl. j. vel ii. sera nocte siquando somnus deficiet.

♃. Laudani Tartarisat. ʒii. Aq. mirabilis ℥ii. syrup. Caryophyl. ℥i. misce, dosis cochl. j. eodem modo. Thom. Willis. Pharmaceutic. Ration. Parte 2. Sect. 2. Hisce in ulteriorem ac absolutiorem morbi idæam jam adjiciamus quæ habet Præclariss. *Johan. Nicolaus Pechlinus in suis Observationibus Physico Medicis. Sic autem ille.*

Icteri vel regii morbi non unæ sunt causæ, neque semper illæ quas vulgo recipimus. Felleus ille qui in habitum erumpit color, non protinus visceris labefactati indicium est: nam & in ipso sanguine sine ulla hepatis offensa affectus hujus semina latere posse manifestum est. Sunt in sanguine mistisque in humoribus potentialia quædam fermenta: sunt ibi acidi, sunt salsi, sunt amari, sunt aliarum qualitatum species, sed centro quæque suo inclusæ, nec ante sensibus nostris obviæ, quam turbata harmonia, in superficiem, id vero est, actum se emerserint. Sit usque biliosa hominis temperies, at certè in sanguine nulla amaritudinis, nulla Bilis ad sensum indicia. Fermento opus est aut textura fluidi mutata, quibus ; jam tum Bilis in sanguine secernatur, mox colore se suo & amaro contagio proditura. Sane quæ ad leviculas occasiones, Iram aut Tristitiam, è potentia materiæ evocatur Bilis, corporisque habitum colore suo repente infamat, haud dubie non tam solidi quam fluidi texturæ debetur, cujus tamen deinde vitium in solidum ipsumque Hepar successione quadam dimanat. Nimirum à solo animi affectu adflari sanguini vel fermentum aut instar ejus potest, quod occultum ibi biliosum & secretioni hepaticæ relictum jam ante contextu fluidi extricet separetque, non aliter, ac venenati animalium morsus evertere sanguinis misturam latentemque ibi Bilem sistere amaram solent. Sed vix fluidi texturam mutatam reperias, quod non ejus quoque contagio in solida & Bilis quidem in Hepar transeat: sive enim tenuior justo sit & volatilior, sive crassior, ubique est, quod Hepati adspergat vitium: hoc tamen cum discrimine, ut, ubi fluidior est bilis copiosiorque, glandulosi visceris secretionem facile admittat & saturatissima tinctura in alvo quoque se ostendat, contra, ubi crassior est viscidiorque, quod plerunque evenit ægre per contextum Hepatis transeat, tandem etiam invalescente ob sanguinis visciditatem glandularum obstructione repellatur alvique excrementa non tincta dimittat. Vidi, quibus per paroxysmos vel ob Diætæ aut animi vitium fermentationes hæ molestæ essent & pro modo secretionis læsæ alvus modo colorata modo alba decederet, non ante instaurato Hepatis tono, quam frequens & diuturnus amarorum atque attenuantium usus fluidorum texturam atque crasin ex æquo revocasset. Et vero sufflaminata Bilis in intestina excretione, quod fieri necesse est, ubi à nova secretaque jamjam Bile vetus illa non pellitur, relinquitur Lymphæ Pancreaticæ pituitæque facile sine Balsami hujus mistura acescenti in intestinis dominium; unde gravia illa flatulentiæ dolorumque lancinantium symptomata, non ante remittentia, quam calidis carminantibusque succurritur, aut salium amaricantium accessione excitata Bilis contextum Hepatis perrupit & intestina flumine novo proluit. Quod autem vulgo de regurgitatione ajunt Bilis, non bene concipi posse videtur, cum Bilis nomine non antè veniat liquor ille pinguis oleosus, quam transmissa glandularum Hepatis textura in ductus se cesserit Choledochos: atque ex hisce ad sanguinem contraria via remitti tam improbabile est, quam quod maxime. Vero similius est in ipsa sanguinis massa latere fermentum Archeumve operantem, qui à primis causis dispositus secretionem solidi texturæ debitam in fluido peragat & τὸ χολῶδες centrale occultumque in superficiem evocet; adeo mirum non est Auriginem esse, ubi nulla sunt obstructionis Hepaticæ indicia Nota-

vi in Tertiana febre, ubi purgationem biliosi homoris in sanguine affluentis Medicus neglexerat, una nocte Auriginem supervenisse, salvo tamen excrementorum, etiam liquidiorum, colore eoque saturato; hic autem cum justa Laxativi dosi effusa in habitum Bilis ad alvum quindecim sellis copiosis & plane felleis revocaretur, intra aliquot horas auriginosus color remisit, ægerque & ab Ictero & Tertiana biliosa liberatus fuit. Alias etiam morbum hunc didici, popularius grassantem non statim omnem Bilem alvo negasse, quando & tinctæ essent sellæ, & amaris Laxativis cum tempore sanguini justa temperies redderetur. At quæ Chronicis affectibus, Hydropi, Quartanæ aliisque succedit Aurigo, ob corruptam jam penitus solidorum fluidorumque texturam, Viscerumq; & Capillarium obstructionem, multum negotii facessit Medicis & plerumque incurabilis est: id quod experimentis morbi Epidemii, qui anno vertentis seculi LXIX. maximam Lugduni Batavorum partem vastavit, compertum esse scio. Qui Febre deprehensi ardente maligna mortem evadebant, plerique omnes aut Quartana vel ictero aut utroque beneficium expiare cogebantur, ex quibus tamen multi etiam occidebant, quo dilata magis quam depulsa mors videretur. Nimirum contemtæ ob malignitatis præjudicium Bilis evacuationes plurimis funestæ fuere, aliquibus etiam naturæ robore effugientibus in Hydropem Icterumve desierunt. Corrupta fuit hic in universum sanguinis & inde viscerum textura, quæ difficulter admodum in illa morbi longinquitate diætæque tædio reduci potuit. In quamcunque autem partem rem verses, necesse est jam ante vitii solido imprimendi idea in fluidis hæserit, & glandularum illa obstructio potentialiter in viscosa sanguinis Bilisque textura. Ut adeoque Icterus non ab obstructione vel Hepatis aut Folliculi velut symptoma à morbo dependeat, sed ipsa illa obstructio Icterum vel concomitetur, aut omnino nulla sit, quod exemplis aliquibus ante monui. Fallunt nos Observationum indices, quando Icterum ab obstructione vel Hepaticorum ductuum aut Vesiculæ felleæ, nunc etiam à Calculo, repetunt; non enim alio, quam depravatæ sanguinis texturæ unionisque, quæ harmonica esse in fluidis debet, vitio contingere illa videntur, & ab una omnia causa pendere. Et a Vesicula quidem obstructa rarissimus est, qui eveniat, Icterus, utut eum sæpius promittant nostri. Vidi ego anatomiam Icterici, cui neque Folliculus nec ipsum Hepar à calculo aliave materia obstructa erant; certe enim stylo ductus Choledochos omnes ipsamq; Vesicam pertentavimus nulla imposita moras imo vero in Hepaticos infusus liquor cœruleus in glandulosi visceris penetralia & superficiem colore transiit; adeo si quæ in Hepatis substantia fuit obstructio, levis fuit & duntaxat à pituitæ visco; sane Bilis, quæ forte inde ab initiis Icteri in Folliculum collecta moram traxerat, & lateribus ductuum Hepaticorum Cysticiq; adhærescebat, lenta erat quammaxime & pituitæ non absimilis, sapore etiam minus amaro, quam esse alias solet; quo ne mirum videatur, toto illo tempore, quo cum Aurigine conflictatus erat nihil admodum fellei liquoris in intestina defluxisse. Sed jam multis quoque exemplis ostendere possem, esse aliquando Folliculi tum à crassiore Bile tum Calculo obstructionem, quæ tamen non protinus Auriginis sit causa. Vetulam vidi in Nosocomio Leydensi morbi Hypochondriaci aliorumq; symptomatum violentia extinctam: nulla hujus unquam cutim Aurigo fœdaverat, & tamen, cum latentis morbi vitia hinc inde rimaremur, nihil magis terruit inopinos, quam Calculorum, qui totam Vesiculam fellis oppleverant, copia & expolita ad amussim omnium figura. Quindecim erant numero, colore obscuro viridi, læves & pentagoni; jurasses virtuti lapidificæ sociasse se ideam quandam mechanicam figurarumq; arbitram. Formam ego tum juvenis penicillo adumbraveram, verum crebra itinera quartumq; imposita migrandi necessitas, uti multa alia peregre & domi observata, ita hunc quoq; cum icone commentarium abstulere. Id autem ex adducto experimento constare puto, duplicem esse, quæ intestina perluat, Bilem, Hepaticam unam, Cysticam alteram, utramq. autem mutuis defectibus succurrere, & ubi Cystis obstructa est, hepaticam officium facere, ubi hepar, Cysticam; atq; adeo Boves anniversariam sæpe hepatis ductuumque à Tartaro lapideo obstructionem passos solius Cysticæ Bilis beneficio ab Ictero immunes alvum habere tinctam.

Hac occasione non possum, quin quod de gemina Bile speciose adtuli, argumento corroborem. De Bilis autem motu veroq; diverso rio magnas identidem lites agitatas fuisse nemo ignorat, primum expugnata mox iterum revocata Veterum sententia. Plurimi olim credidere, Bilem ex Hepate descendere & opportunitate data vel facili lapsu in Intestina, aut retrogrado motu in Vesiculam regurgitare, non admittente statim copiam omnem valvuloso ductus communis osculo. Alii quinetiam Bilis motum tempore distinguebant existimantes non facile eam descendere, repleto succis duodeno, tum enim omnem in Folliculum refundi ad laxius intestinum denuo prodituram. Hæc tamen non passi sunt novitatum magistri, atq; inter tam ancipites disputationum lusus habere se putabant, quod imaginariis forte principiis serviret. Itaq; inventi sunt, qui Bilem ex hepate venire in totum negarent, & quæ esset, omnem in Folliculo generari. Malpigius ergo, ille subtilis Naturæ mysta, explorata bene visceris ductuumque proportione, neglectum pridem Hepatis munus oportune asseruit, Bilemque suam Hepati, suam Folliculo pulchro experimentorum apparatu destinavit, quod ipsum etiam olim inter Anatomiæ ludicra imitatione Grafiana ligato ductu Cystico collecta in phialam Bile Hepatica manifeste ostendimus. Jam vero post hanc certitudinem major altercatio de Viis, per quas ad utramque partem humor deferretur biliosus, aliis Portæ venas, aliis Arteriam Hepaticam in muneris partes trahentibus; & istam quidem sententiam defendit Malpigius, ante etiam Glissonius Anglus libro de Hepate: Nimirum credunt Arteriam hepaticam justo esse minorem, neque ullam ei intercedere proportionem cum ductibus Choledochis Hepatis, quibus tamen ipsis minimum æqualis esse debuerat, si ab una illa omnem Bilem ductus illi repeterent. Imo

Glissonius ne quidem interiora Hepatis attingere Arteriam putavit, morientibus jam inter Portas surculis. Verum, cum ubique corporis secernendos humores per Arterias efferri intelligam, non potui facile persuaderi, quod in plerisque omnibus obtinet experimentum, in uno fallere, quin potius credam aliis intentos Anatomicos Arteriæ Hepaticæ Cysticæque propagines incuriosius tractasse. Ut vero ad primum respondeam, non equidem necessum est, ut pars excipiens deferente, mandataria mandante sit exilior, quando exemplo Arteriarum & Venarum contrarium appareat, hisce semper proportione majoribus, etsi magna sui parte mutilum accipiant sanguinem. Sed malui in causa particulari experientiam sequi, & ex occasione oblati cadaveris veritatem rei investigare. Reperi itaque ramum illum arteriæ Cœliacæ, qui Hepaticus audit, inque duos deinde ramos rursum dividitur, Hepaticum unum, Cysticum alterum, multo esse majorem, quam accuratissimi vulgo Anatomici voluere; imo, si omnium invicem ductuum arteriosorum cum Cholodochis rationem ineas, proportionem non usque adeo esse disparem, certe non minorem dimidia. Jam, si causam quis requirit, cur vas recipiens majus esse debeat, facilis est in illa cæterorum comparatione responsio; nempe ut motus defectum, quem arteriosus sanguis frequenti illa & anfractuosa in capillaribus allisione amisit, latitudo canalium compenset. Sed & illud Glissonii nihil est, Arteriæ Hepaticæ ramos mature & inter Portas deficere; comitantur enim usque vaginam illam, qua & Portæ rami & Cholodochi ductus includuntur singulisque lobulis totidem surculi respondent. Joh. Nicol. Pechlinus *Hactenus Clariss.*

Curationes.

Curatio Icteri varia instituitur. Equidem cum obstructo, tumefacto, obduratoque Jecore junctum, ex hoc deducentia humores, stagnantesque dissolventia moderabuntur; inter quæ præcipua censentur tartarum vitriolatum, sal prunellæ, sal tartari, cardui benedicti, & absinthii, bezoardicum Ferrum, stibium diaphoreticum cum extracto hyperici, baccarum juniperi, spermate ceti, sanguine hirci, aliisque diuresim una simul promoventibus, decocto chelidonii, graminis, apii, fragariæ, marrubii, cum spiritu salis dulci. Si vero suspicio sit concreti lapidis in cysti, commendat Sylvius aquam, & decoctum graminis, ejusque succum cum saccharo, vel melle permistum. Conferre quoque ait spiritum nitri spiritu vini dulcem redditum, ad gutt. x. xii. & ultra in vino, aliove potu. At vero impedient illius concretionem salia volatilia quævis, sed præsertim oleosa, quippe quæ bilem puram reddunt defæcatamque. Cum à veneno Viperæ, aliove accidit, sudorifera volanti sale abundantia maximo usui erunt, quibus simul corrigi, & expelli illud possit: cujus census sunt sal volatile C. C. viperarum, succini, salis ammoniaci, spiritus theriacalis, theriaca ipsa, & quam vocant Germanicam, aliaque ex viperis confecta. Depravatam autem, & vitiatam bilem emendari idem Auctor inquit per oleosa, & pinguia, testaturque à solo cannabis semine in lacte bubulo pingui, donec rumpatur cocto, & colato, atque bis, terve in die ad ℥. v. vel vi. sumpto se plurimos ictericos curasse. Idemque præstari à quovis sapone ad ʒi. in calente lacte dissoluto cum saccharo, bis aut semel in die exhibito.

Specialia denique remedia ab Authoribus plurima referuntur. Apud Hartmannum præsentaneum remedium est Mercurius præcipitatus luteus cum theriaca, ejusque extracto; nec non decoctum Fragariæ. Aliis prædicatur egregium decoctum Marrubii, chelidonii, abrotani, hyperici, radicis rubiæ tinctorum, lapathi acuti; aut lentis palustris. Croco pariter maxima in hoc tribuitur vis, itemque lumbricis terræ, millepedibus, stercori anserino, aut gallinaceo, sali urinæ, lapillis repertis in felle bovis, aliisque similibus A Cardilucio describitur pulvis D. Alsteinii ex floribus sulphuris, & modico croci cum æquis partibus sacchari albi: eo enim intra triduum Icterum pelli perhibetur.

Neque desunt qui magica præscribant: per linteum urina patientis intinctum, & soli expositum quousque siccetur; per tineam vivam umbilico impositam, donec moriatur: per araneam vivam testa nucis inclusam, & è collo ægrotantis suspensam; dentemque leonis, cæteraque à Petræo, Friderico Hofmanno, & Helmontio memorata.

Experientissimus noster Thomas Corhelius, insigni rei literariæ damno, nuper nobis tristi fato ereptus, inter plurima alia remediorum genera, illud præcipuum sibi arcanum servabat, ad hunc morbum, admirandum, Aquam videlicet ex Albo Albi, quam gelidam potandam exhibebat jejuno stomacho per hebdomadam.

Rusticis demum usui est succus cucumeris sylvestris naribus exceptus; itemque succus marrubii è foliis contusis ex Dioscoride. Lucas Tozzi Medicin. Practic. lib. 2.

In Ictero flavo & nigro,

♃. Tart. emetic. gr. v. syr. absint. ʒ ij. aq. absint. ℥ j. M. F. vomitor.

Vel ♃. Sapæ vomitor. gut. vi. vini absint. ℥ j. M. seu.

♃. Gumm. guttæ gr. xii. sal. vitriol. ℈j. rob sambuc. ʒ j. M. F. bolus.

Purgantia. ♃. Rad. jalapp. ʒß. scamm. sulphur. gr. x. tart. vitriol. gran. vi. olei maceris gut. ij. M. F. pulvis.

Vel ♃. Resin. jalapp. scammon. an. gr. v. tart. vitriol. ℈ß. rob sambuci ʒ ij. M. F. bolus.

Seu ♃. Extract. rhei ʒj. centaur. ℈ j. resin. jalapp. gr. v. cremor. tart. gr. viii. rob. sambuc. ʒij. M. F. bolus.

In India. ♃. Extr. rhei ʒ j. resin. turbith. gr. vi. sal. cinnam. gr. xv. rob sambuc. Indici ʒij. M. F. bolus.

Clysteres. ♃. Folior. alth. flor. chamom. melilot. an. m. ß. herbar. centaur. minor. absint. an. p. ij. baccar. laur. juniper. sem. anisi an. ʒ j. Coque & colat. ℔ j. adde pulp. cassiæ ℥ j. olei chamom. ʒ i ß. sal. nitri ʒ j. M.

Diuretica. ♃. Rob baccar. juniper. ʒ j. essent. hyper. gut. xv. tinct. sal. tart. ℈ j. aq. petrosel. ℥ j. M. F. potio.

Vel ℞. Essent. juniper. ℈i. tinct. sal. tart. gut. xv. sal. succin. volat. gr. vi. aq. ononidis ℥ i. M. F. potio.

Seu ℞. Spir. sal. ammon. succinati gut. xxv. tinct. succini & tartari an. gut. x. aq. hyperici, juniperi an. ℥ i. M. F. potio.

Pulveres. ℞. sal. urinæ ℈ß succin. volat. gr. v. oculor. cancr. præp. ʒß. M. F. pulvis pro una dosi.

Vel ℞. Flor. sal. ammon. gr. vi. extr. croci gran. 3. oculor. cancr. præp. ℈i. M. F. pulvis pro una dosi.

In India. ℞. Spir. morungæ, ligni colubrini an. ℈ i. aq. baccar. cinnam. ℥ i. M.

Vel ℞. Sal. ammon. prunell. an. ℈ i, lapid. percarum præp. ʒß. extr. croci gr. 3. M. F. pulvis pro una dosi.

Sudorifera. ℞. Spir. C. C. & fuliginis an. gut. xv. sp. theriacal. camphor. ʒ ß. rob sambuci ʒ i. aq. centaur. ℥ ij. M. F. potio.

Vel ℞. Sp. tart. & sal. ammon. an. ℈ i. antimon. diaphoretici ℈j. rob sambuci ʒi. aq. chelidon. ℥ i. cinnam. ℥ß. M. F. potio.

Seu ℞. Rob juniperi, sambuci an. ʒ i, extr. centaur. absint. an. ℈ i. sal. C. C. gr. viii. antimon. diaphor. ℈ i. M. F. bolus.

In India. ℞. Bezoartic. cornu Rhinocerot. ʒ i. rob sambuci Indici ʒ ii. essent. lign. colubrini ℈ i. aq. zerumbeth. ℥ ii. M. F. sudoriferum.

Vel ℞. Bezoart. viperin. ʒ i. extr. alexipharmaci Indici ʒiß. spir. fuligin. cinnam. ℈i. aq. alexipharmac. ℥ ii. M. F. sudoriferum.

Aperientia & Incidentia. ℞. Elixyr. propriet. ʒ ii. essent. absint. centaur. an. ʒi. tinct. martis, croci an. ℈ i. sp. sal. ammon. succin. ʒß. M. Dosis à gutt. xx. ad gut. xxv.

℞. Sal essent. tart. ℈i. syr. chalybeati & cinnamomi an. ʒ ii. aq. hordei ℥ ii. M. F. potio.

Vel ℞. Sp. sal. tart. sp. sal. ammon. succin. an. ℈ i. syr. fœnicul. ʒiii. aq. carminat. ℥iß. M. F. potio.

Seu ℞. Sp. carmin. ʒ i. sp. nitri ℈ i. essent. absint. & centaur. an. gut. xv. syr. fœnic. ʒ ii. aq. fumar. ℥ ii. M. F. potio.

℞. Essent. carminat. ʒ i. elixyr. vitæ Matthiol. ʒß. spir. nitri ℈ i. aq. marrub. ℥ ii. M. F. potio.

Alterantia & corroborantia. ℞. Confect. alkerm. ʒi. tinct. croci ℈i. tinct. santal. rubr. & curcumæ an. ʒß. tinct. tart. ℈ ii. syr. acetosit. citri ℥ß. M Dosis ʒ i. bis in die.

Vel ℞. Aq. endiv. cichor. fragor. an. ℥ii. tinct. mart. ʒß. julap. rosar. ℥ i ß. syr. acetosit. citri ℥ ii. M. F. julapium.

Spiritus sal. armoniaci acidus virtutem admiratione dignam in hoc morbo possidet: solo enim illo, in ordinario potu exhibito, magnum ægrorum numerum feliciter & velociter ictero liberavi. Sic mercatori cuidam Batavino per me non ita pridem ardenti febre soluto, dum afficeretur Ictero, spiritum prædictum exhibui cum potu ordinario ita mixtum, ut vix pauca gustaretur aciditas: & sic patiens, sex dierum curriculo, ægrotare desiit. Sic cùm ipse relicta Ceylonensium insula, majorem peterem Javam, insolitus pinguis salsamenti, & myrobalanorum conditorum esus, Icterum mihi accersebat. Angebar vehementib. in hepate puncturis: alvus & urinæ erant obstructæ: ac nausea maxime infestabat. Spiritus vero armoniaci acidus, aquæ, pro potu ordinario mihi destinatæ, admixtus, quinto die morbum fugabat. *Hermann. Nicol. Grimm Compend. Medico-Chymici lib. 3.*

In Ictero curando obstructiones vasorum hepatis (præsertim biliferorum) sunt reserandæ, bilisque ex iisdem totaque massa sanguinea per sedem urinamque eliminanda.

℞. Radic. fœnic. asparag. oxylapat. rubiæ tinct. an. ℥ß. rad. chelid. maj. ʒvi. polypod. ℥i. sem. cartham. fol. senn. mund. an. ʒ v. tart. vin. alb. ʒ ij. lumbricor. terrestr. vino albo lotorum num. vi. f. decoctio s. a. In colatura ad dosin reducta dissolve diaphœn. ʒii. syrup. rosar. pallid. comp. cum agar. ℥i. M. F. potio exhibenda aurora horis tribus ante jusculum.

Detur per plures dies ʒi. cremor. tart. chalyb. dissol. in jusculo carnium alterato herbis hepaticis & spleneticis aperientibus.

Alternis diebus, vel tertio quoque saltem die, nisi per se fluat alvus sollicitetur pil. stomach. cum gum. & de Hiera cum agar. ℈ i. vel ʒ ß. sumpt. hora dimid. ante cœnam.

℞. Rad. chelidon. maj. ʒiii. cort. med. berber. ʒii. verm. terrestr. præp. curcum. ana ʒiß. fimi anser. sicciss. ʒiiß. croci ʒß. sal. absinth. & card. bened. ana ʒß. spec. hier. picr. ℈ iv. Omnia sicca reductaque in pulv. subtiliss. excipiantur s. q. syr. de cichor. comp. cum rhab. & f. massa Pilular. de qua capiat ℈iiii. mane superhausto cerevis. absinthit. momento, superambulando vel aliter corpus moderate exercendo, dilato ad 4. horas prandio.

℞. Rad. filic. fœm. ℔j. bardanæ ℔ß. rad. dulcamar. & oxylap. ana ℥v. lign. nephrit. ℥ii. santal. alb. ℥i. fol. chamæpit. m. ii. flor. calend. m. j. nuc. mosch. ℥ß. Omnia debite siccata pendeant in gallon. 4. cerevis. lupul. & gall. 2. non lupul. rec. & sinatur fieri fermentatio ad perfectam depurationem. Liquor sit pro potu ordinario vel per se, vel diluendo cum cerevis. tenui donec stomachus eidem assueverit.

℞. Lign. nephrit. ℥ß. rad. fœnic. petrosel. rec. ana ℥i. rasur. ebor. ʒiii. ras. dent. equi marini ʒiiß. f. omnium decoctio & colatura sæpius per manicam super ʒiii. glycyr. Hispan. rec. sint autem liquoris ℔ iv. quibus adde vin. Rhenan. non adulterat. ℔i.

℞. Hujus liquoris ℥iv. syr. sider. ʒ ii. Ms. f. haustus exhibendus bis in die, viz. octava, matutina, & quarta pomerid. dilato quavis vice ad tres horas cibo.

Vel ℞. Rad. tarax. cichor. dulcamar. ana ℥i. rad. chelidon. maj. & rub. tinctor. recent. ana ℥iii. fol. agrimon. hepatic. adiant. polytrich. salv. vit. ling. cervin. ana man. j. flor. tarax. calend. calth. palustr. ana p. iii. flor. chamæmel. p. ii. sem. alkekeng. & milii solis ana ʒiii. santal. citrin. ʒvi. f. omnium decoctio & colatura, quæ clarificata cum albumine ovi & pauco limonum succo reducatur ad ℥xx. add. syr. de cichor. simpl. & flor. vetonic. rub. ana ℥ ii. ol. sulphur. q. s. ad gratam aciditatem. Ms. f. Apozema pro quatuor dos. sumend. ut prius.

℞. Croci Martis aperient. ℥ii. rasur. C. C. prim. rec. ʒvi. lumbric. terrestr. præp. ʒß. ocul. cancr.

cancr. præp. lap. gagat. præp. ana ℨiii. corall. rubr. & margarit. in magister. præp. ana ʒii. cinam. inter. cort. sassaf. ana ʒiiß. sacch. alb. ℨiii. Mſ. f. Pulvis dividendus in 24. doses sumendas mane è vino albo, superambulando diu, horis 4. ante prandium.

℞. C. C. ad albedinem usti, lap. bezoar. oriental. an. gr. x. excip. pauca conserva ros. rubr. f. Bolus deglutiendus mane & vesperi, superbibend. julap. seq.

℞. Aq. decoctionis pomor. redolent. ℥vi. syr. limon. & ceras. ana ʒvi. syr. fragorum ℥ ß. acetosit. sulph. gutt. 4. mſ. f. julap.

℞. Verm. terrestr. præp. rad. chelidon. maj. sterc. anser. sicc. ana ℥ß. milleped. præp. rad. curcum. flaved. aurant. crem. tartari magistral. crystal. rup. optime præp. per multiplicem extinctionem & lævigationem ana ʒii. tartari vitriolati, sal. absinth. magist: corall. ana ʒi f. omnium Pulvis subtiliss. excipiendus s. q. clyssi liquidioris chelidon. maj. f. Electuarium instar Opiatæ quotidie spatula versandum ad usum.

℞. Hujus electuar. ʒii. exhib. involut. nebulis, bibendo desuper haustum vini chalyb. & absinthit.

Post assumptionem hujus remedii quiescat per horam, deinde corpus moderate exerceat, & prandium differat ad quatuor horas post medicamenti exhibitionem. Perseverante malo,

℞. Elect. præscript. ʒii. vitriol. Martis, salis albiss. tartari pulv. subtiliss. fol. sen. & rhab. ana gran. x. Mſ. cum clysso chelidon. maj. f. Bolus sumend. mane, superbibendo haustum cerevisiæ medicatæ & exercendo per plures dies.

℞. Croci Martis aperient. crem. tartari albiss. ana ℈i. conf. Alkerm. cinam. interioris ana ℈ß. sacch. cand. ℈ii. vel. ʒi. Mſ. & addita pauca mucag. gum. trag. vel potius sem. alth. extract. in aq. cinam. f. pasta ex qua formetur Cortex instar cinamomi pro una dosi sumenda mane, superhausto Julepo sequenti, corpus [illegible]rra vel trochleis exercendo, horis 4. ante [illegible]randium.

℞. Vini Rhenan. opt. ℔iii. rad. mund. rubi maj. & chelidon. mai. ana ℥i. sterc. anser. re[illegible]nt. siccat. ℥ii. cinam. inter ℈viii. Infunda[illegible]ur simul per biduum ante usum: cujus tempo[illegible]

[illegible] De liquore colato ℥iv. conf. Alkermes ℈ii. [illegible] cinam. claret. ʒi. Mſ. Capiat ilico post cor[illegible] factitii chalybeati supradicti assumptionem [illegible]ra una ante exercitium aut saltem dimidia [illegible] horis 4. à prandio cum leviori exercitio [illegible]. Ista fiant pluribus diebus consequentibu[illegible]

R[illegible]edium Monachi de S. Jean d'Angely.

℞. Du[illegible] mala Aurantia per medium divisa, quorum si[illegible]lam medietatem in medio perfora, & in [illegible]gulis foraminibus pone croci Orientalis gr. [illegible]vii aut xx. has medietates filo simul colliga su[illegible]ponendo folia betæ aut brassicæ, coquan[illegible]r a[illegible] lentissimum ignem instar pomorum, et[illegible]m [illegible]b campana si velis. Explica poma & m[illegible]cer[illegible] per horas xii. in ℔i. vini albi opt. Vin[illegible]m c[illegible]atum bibat æger tribus matutinis jejun sto[illegible]cho.

D. Aueri[illegible] vidit Genevæ filiam ictericam annorum 17. quæ præmissa purgatione fœlicissime convaluit poto vino albo per quatuor dies in quo maceratum fuerat per diem Pomum Aurantium integrum Caryophyllis & Cinamomo transfixum, deinde sub prunis lentissimo igne coctum.

℞. Rad. Tapsi. barbati q. v. Infund. in vino albo, da pro potu ordinario.

Succus Aparines depur. per residentiam ad ℥iii. bis in die cum vino albo utiliter propinatur.

Quidam aliis omnibus irritis curatus fuit pulv. santal. rubr. in vino albo. *Theod. de Mayerne Prax. Medic. lib. 3.*

In curatione Icteri respiciat medicus ad bilis peccantis & superfluentis eductionem, ductuumque obstructorum reserationem.

℞. Rhabarb. elect. ʒii. ß. Fol. sennæ mund. ʒi. Zinziberis, ℈i. Sem. dauci, ℈iß. Olei tart. per deliq. gut. xxx. infundantur per noctem in s. q. Seri lactis chalybeati, mane leviter ebulliat. col. adde tartari vitriolati, gr. xij. Syr. de cichorio cum rheo, ℥ß. M. F. haustus purgans. Conducunt hic pilulæ universales antimoniales ex antimonio vitæ correcto cum extracta rhabarbari exhibitæ. nec non pilulæ ex gummi, uti & pilulæ Spadanæ Eligmanni.

Non abs re erit per sudores obstructionum resolutiones tentare, quem in finem mercurius diaphoreticus tam jovialis, quam per præcipitationem factus, exhibeatur cum theriaca, ut

℞. Theriac. Venet. ʒi. Mercurii cum oleo tartari per deliq. præcip. & guttula una aut altera sp. salis irrorati, gr. iv. Croci optimi, gr. x. M. F. bolus sudorificus.

Vel, ℞. Theriac. Venet. ʒi. Mercurii diaphoret. jovialis, gr. x. Reg. antimonii med. gr. xii. Salis tamarisci, gr. vi. M. F. bolus sudorificus.

Suum hic egregie conducunt decocta, ex specificis præparata, ut.

Rad. chelidoniæ, polypodii, Cort. tamarisci, & cort. rad. capparum, Herb. bryoniæ, chamedrii, cent. minor. Marrubii, eupathorii, Semen dauci, & sileris montani, Ligna guajaci, sassafras, quorum col. addatur. Oxymel scylliticum, Sal tamarisci, vel cardui bened. spiritus salis ammoniaci.

Vel in temperamentis calidioribus, ut spiritus salis, Nitri, Vitrioli, Oleum sulphuris per campanam. Conveniunt insuper, tincturæ martis volatilis, & metallorum: etiam vina medicata ex aperientibus & incidentibus conflata, ut

Aquæ chalybeatæ minerales artificiales, Spadanæ, spiritus aperitivus, Vini tartarisatus, Tartarus vitriolatus, chalybeatus, Mars aperitivus Willisii in quovis liquore solubilis.

Descriptio martis aperitivi Willisi, ut

℞. Limaturæ chalybis purissimæ, p. I. Terantur in pulverem tenuem, eique addantur Tartari rhenani purissimi vel Crem. tartari p. ii. Terantur simul in pulv. tenuem, iisque addito vini rhenani tantum, ut inde globuli formari queant, quos in aere exsicca, & postmodum quando panes excoquuntur clymaco committito, pane excocto globulos eximito, & in pulverem terito, addito rursus vini rhenani tan-

tantum, ut globuli formari queant; Eamque Operationem 3. vel 4. vice repetito, sic enim tandem materia tua viridem acquiret colorem, habebisque martem potabilem in quovis liquoro solubilem, cum quo facili negotio elaborari poterunt aq. spadanæ artificiales.

Aquæ spadanæ artificialis descriptio.

℞. Aq. fontanæ. q.p. Coquantur ad medium, iisque addito Martis præparati (ut supra) tantum, quantum sufficit ad vitriolicum saporem induendum.

Quando phiolas obturare animus tibi est, sequenti odore sulphuris nobilitato.

℞. Sulphuris flavi, q. p. Fundito in patina terrea, fuso commisce Coriandri aliquot grana contusa, Linteaque trajicito, ut artis est in suffimentis Sulphureis præparandis, portionem lintei sulphurati accendito, ejusque fumum in collum phiolæ flando cogito, & arte postmodum phiolas obturato. ita enim obtinebis aquam spadanam artificialem, odore sulphuris nobilitatam, earundem virtutum ac naturalem. *Anonymus in Praxi Chimiatrica.*

Consultationes.

Pro Quodam Egregio Patiente icteritia Nigra, obstructione lienis, & dolore eiusdem gravativo laborante.

Si casum propositi patientis diligenter intueor, cogor affirmare nec locum affectum, nec affectum ipsum curandum unum esse, nam merito illius coloris fœdi, & pravi, qui in toto observatur, Cutis tamquam locus affectus est constituenda, sicuti ratione symptomatum, quæ ad hypochondrium sinistrum observantur, lien pro altero loco affecto censendus existit. Affectus autem cutis, ut de se patet nullus est alius, nisi qui à vulgo medicorum icteritia nigra nuncupatur, symptoma inquam in qualitate visibili mutata: Affectus vero lienis non est unus, nam & obstructione ipsum laborare, uti tensio regionis ejusdem suadet, & à dolore gravativo solicitari satis constat, qui dolor gravans proprius est visceribus, quæ sensum habent ob membranas investientes, cujus prorsus naturæ lienem esse nemo est qui neget, & quamquam dolor prædictus morsum nonnunquam inferat, id ratione flatuum contingere non dubito.

Quibus ita sese habentibus generationem horum vitiorum hujusmodi fuisse puto, quod nimirum ex mutatione loci, atque habitationis, ex comestione item piscium paludosorum, patiens noster alioquin melancholicus, à prædominio facile sanguinem sibi melancholicum comparaverit, qui in liene adauctus insignes, & contumaces pepererit obstructiones, propter quas repleto viscere humore crasso, ac terreo dolor gravans occurrerit, lacessito autem calore innato flatus interdum excitentur, unde aliquando morsus illi; Amplius propter easdem obstructiones impedita lienis facultas attractrix non potuerit (sicuti neque potest) sanguinem à succo limoso, terreoque depurare, hinc succus hujusmodi recurrens ex jecore in venas, & ex venis in cutim eandem colore illo fœdo infecerit, quemadmodum sensus ipse demonstrat.

Quare ut æger sublevetur, habita totius providentia Medicus totum studium ad aperiendas lienis obstructiones per attenuantia, & detergentia, ad roborandum calorem innatum ejusdem visceris potissimum, & ad discutiendum succum, qui cutim apprehendit, tandemque ad prohibendum ne de novo generetur convertere debet.

Verum tamen quoniam succus melancholicus propter sui pervicaciam, non ita facile cedit materiis medicis, arbitror non nisi cum difficultate insigni Medicum sui voti compotem fieri posse; multum tamen spei remanet propter ætatem florentem, atque etiam propter id, quod mala hæc à causa externa originem duxerunt.

Curatio ideo sectione venæ basilicæ, apertione venarum ani, & inustione cauterii in crure sinistro pro parte erit absolvenda.

Quocirca alia etiam pro ista curatione perficienda erunt necessaria, hinc lenita alvo syrupo de polypodio, & melle rosato solventibus, præparatis humoribus decocto citerac, capillorum veneris, agrimonii, boraginis, fumariæ, lupulorum, additis syrupis convenientibus, iisdemque deturbatis infuso hellebori nigri cum mel e ros. sol. aut confectione hamech cum electuario lenitivo, devenirem ego ad deobstruentia Inter quæ summopere laudo jus Galli antiqui medicatum cum simplicibus jam dictis, atque etiam cum radicibus aperientibus filicis mar[illegible], liquiritiæ, & altheæ, item & cum tamarisco, prassio, ac ligno sassafras. Secundo laudo trochiscos de capparibus, & de agno casto. Tertio medicamenta calybeata quibus omnibus pulvis lienis equuli esset addendus, ac tempore usus horum molienda est purgatio aliquot intervallis cum pilulis de helleboro.

Exterius pro toto corpore propono inunctionem factam ex oleo camomelino nitrato, pro liene vero fotum factum cum lapide molari ignito, aceto superasperso, probo & embrocam factam cum oleo amygdalino amaro, rutaceo, & nardino, sicut & ceratum Diachilon gummatum cum trochiscis de capparibus.

His omnibus addatur victus extenuans moderate, unde mutato aere ad siccum, patiens debet vesci optimis carnibus, ovis, fisticis, capparibus sale conditis, amygdalis dulcibus, vinum bibat medicatum guajaco, sassafras, ac tamarisco; Alvum lubricam servet pluss de aloe in prima mensa acceptis, quo pertiet & vinum medicatum cum sena, & reliqua omnia jam dictis respondeant, ac Deus patienti faveat. *Julius cæsar Claudinus in Consultationibus Medicis.*

De Icteritia. Pro Perillustri, & Reverendissimo Patiente.

Quemadmodum oculis patet affectus Perillustris, & Reverendissimi Patientis, annum agentis 30. temperamenti calidi, & sicci, gracilis habitus, incomposite viventis ita actui causa ipsius obvia est. Icteritia namque est affectus, morbus Regius à Latinis vocitus, cujus essentia consistit in fœditate cutis universi corporis;

quæ immediate provenit ab effusione flavæ bilis in partes cutaneas: ut propterea definierint Ætius, & Paulus Ægineta inter Græcos, hunc affectum, per effusionem humoris biliosi per corpus, causalem ejus definitionem proponentes.

Quanquam autem à multiplici causa bilis per corpus diffundatur, cum critice, de qua Hippoc. 4. Aph. 64. Quibus in febribus morbus regius in septimo, vel nono, vel undecimo, vel decimoquarto supervenerit, bonum; finita scilicet febre per abscessum; tum symptomatice, stimulata natura à vi morbi; de quo idem Hipp. eodem Aphor. 62. Quibus in febribus morbus Regius ante diem septimum accedit, malum; ut contigit Hermocrati ab Hipp. descripto Primo in Tertium Epid. Ægr. Secundo, qui sexta auriginosus factus fuit, omniaque symptomata exacerbat; atque ita processit affectus modo cum remissione, modo cum incremento ad 27. usque diem, qua obiit.

In præsenti casu aliunde non provenit, quam ab impedimento viarum, quæ per duodenum bilem transmittunt ad intestina, & expurgant per alvum. Quod quidem impedimentum duplex esse potest: obstructio scilicet pori fellei, & ejusdem compressio à jecoris intumescentia. Quod ex tactu colligo, qui in utroque hypochondrio duritiem prodit maxime conspicuam; quanquam majorem in dextro quam in sinistro, in quo ad tumorem scirrhosum proxime accedit, licet verus scirrhus non sit, cum ad compressionem dolore aliquo sit gravis. Intumuerunt autem jecur, & lien ex humoribus crassis cum pituitosis, tum biliosis copia genitis, ob incompositam vivendi rationem, vitamque sedentariam assiduo scribendi studio addictam, unde coarctatis ductibus pori fellei, bilis non fuit ad intestina transmissa; accedente imbecillitate facultatis excretricis, cujus causa sanguis impurior diffunditur per venas, cum urina colore tincta, & cute universi corporis defœdata, non sine alvi stypticitate, cujus propterea faeces, ut audio, albicant.

Affectus hic est antiquus, duorum scilicet annorum, ideoque rebellis valde, qui propterea sicuti antehac generosis remediis non cessit, ita in posterum summa cum difficultate superabitur. Neque spes ulla est hæmorrhagiæ, alteriusve evacuationis, quæ in icteritia ante septimam accedens eam salutarem reddit aliquando: quinimo metuendum potius ne febris invadat, quod antehac contigit, & cachexia, aut aliæ graviores affectiones suboriantur.

Quare agendum, & bipartita instituenda curatio. Primo etenim occurrendum est tumori jecoris per attenuantia, incidentia, emollientia, & resoluentia, ac sensibiliter evacuantia; deinde insistendum expurgationi bilis plurimum quidem per alvum, tanquam viam consuetam, ex parte quinetiam per corporis ambitum: quod remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis consequemur.

Chirurgica quod spectat, scrupulus hæret de missione sanguinis; cum ex Galeno habeamus de Sanitate tuenda Quarto, in cacochymia sanguinem non esse educendum; tunc tamen eximit Ætius Tetrab. 3. Serm. 2. cap. 18. dum proponit curam icteritiæ symptomaticæ; in hac scilicet duo esse maxima remedia, venæ sectionem, & purgationem; subjungitque quod, quibus multitudo sanguinis cum bile adest in venoso genere; vel etiam quibus dolet hepar, vel lien, aut prædicta viscera distenduntur, nihil venæ sectione sit accommodatius, si nulla alia re id facere prohibearis. Quare in casu præsenti procuIdubio sanguis est educendus, mediocri quidem quantitate, ex salvatella utraque, consilio ex Avic. 16. 3. quod mittendus utraque salvatella sanguis sit, dum mixtus est icterus ex flavo & nigro; unde cum in casu nostro tumidum sit utrumq; viscus, ac proinde supponendus sit affectus mixtus, utrinque commode sanguis educatur.

Pharmaceutica sint lenientia, præparantia, & purgantia. Præmissa itaque alvi lenitione elect. lenit. & speciebus hieræ; præparentur humores redundantes syr. de cichorio, de capillo vener. & de succo limonum, cum aqua intybi, agrimoniæ, & acetosæ; deinde purgentur rhabarbaro infuso in sero lactis caprini, agarico trochiscato & senna, cum syr. ros. sol. & de polypodio composito. Mox deveniendum est ad præparationem humorum in visceribus tumefactis, juxta Galeni præceptum Primo de Naturalib. Facult. 13. scribentis medicamentum ad ictericos, bilem purgans exhibendum non esse ante purgationem humorum obstructiones inducentium. Quam ob causam syrupi magis aperientes hunc in modum sunt præscribendi.

℞. Syr. de duabus, vel de quinque radicibus, syr. byzantini cum aceto an. unc. i. oxymel. scyll. unc. sem. decoct. apii, petroselini, fœniculi, agrimoniæ, cetrach. unc. vi. misc. pro syr. & sic pro quinque. Purgetur deinde materia el. de dactylis, & confectione hamech. vel inf. agarici, epithymi, sennæ, & rhab. cum syr. ros. sol. & de polyp. compos. Repetantur validiora præparantia, & per vices evacuantia: atque ideo præparationis ergo præscribi poterunt trochisci de eupatorio, de rhab. & de capparibus, cum syr. propositis, & ammoniaco. Purgatio fiet pil. de tribus cum rhab. aggregativis, & cochiis præparatis cum helleb. exhibeanturque biduo præparantes, & tertia quaque die purgantes pilulæ; à quibus aliquot dies uti poterit vel elect. Saxoniano de chalybe, vel vino chalybeato, vel croco martis, cum exercitio, additis externis fomentis, inunctionibus, & cataplasmatibus olim à Viro præstantissimo præscriptis, applicato jecori cerato oxycroceo. Quod si huc se conferre posset, lutorum quoque cum emollientium, tum digerentium usus in rem esset, quo remotis plurimum impedimentis, devenire possit ad validissima chologoga. In quem usum proderit radix cyclaminis contusa, & cum mulsa epota ad unc. iii. vel 4. Expurgat enim viscera, & sudorem ciet: propterea ab ipsius usu tegatur corpus ad faciliorem sudorem. Ætius in hanc rem laudat pulverem erinacei terrestris; corticem quinetiam raphani contusum, & expressum, cum mulso assumptum. Atque hæc cum victu accommodato ex usu futura censeo in hoc affectu refractario, & difficillimæ curationis. *Benedictus Silvaticus Consilior. & Respons. Medic. Cont. 3.*

Icteritia

Icteritia cum doloribus hypochondriacis.

Hypochondriaca affectione, à Gal. flatuosa, ab Arabibus mirachialis appellata, Principem Excell. jam diu divexari significabat nobis pituitosi humoris proventus, cum ventriculi subversione, frequenti viscida expuitione, & vomitu crudorum ciborum, non sine aciditate, & in fine, majori ventriculi conatu, amari quoque saporis excretione, quandoque etiam concomitante diaria febre, ex cruditate, sive alimentorum corruptione proveniente. Affectio hujusmodi pro causa perpetuo supponit morbum organicum non solum, verum & potissimum in intemperie, eaque calida primo in hepate, mox & in mesenterio, quæ ventriculi fundo quoque communicata, coctiones in eodem vitiare nunquam desinit, modo imminute, modo depravate, unde nonnunquam Bradypepsia, quandoque Dyspepsia excitabatur; & propterea crudorum ciborum congeries frequentem expuitionem, ventriculi subversionem, corruptorum vero acidos vomitus primo, mox adaucto conatu ab inferiori parte, amaros quoque vomitus provocabat, sicque effectus frigidus à causa calida, non sine ignorantium administratione non raro provenit: caliditatem enim ostendunt non solum amari vomitus, sed etiam corruptiones ciborum ad acidum; aciditas enim in facto esse frigida quidem est, at in fieri, quatenus à calore introducitur, calida existit, ut in aceto apparet, qua de re plura Trallianus & Gal.; sed quoniam datur etiam aciditas à frigiditate immediate facta, idcirco ego hanc aciditatem positivam, superiorem vero privatiuam appellare soleo, & ita ventriculum in Excellentissimo Principe privative, non positive frigidum esse decerno. Verum quia ex improportionatis objectis, exercitiis omissis, & evacuationibus per alvum intermissis, sive retentis, cruditates quotidie majus incrementum susceperunt, hinc factum est ut retentæ in mesenterio, obstructiones adauxerint, quæ à calore in halitus & vapores crassos conversæ, totum ipsum mesenterium aliasque cavitates repleverunt, & distendendo atque continuum solvendo, dolores excitarunt, hypochondriacos potius, quam colicos nuncupandos; portio vero cruditatum crassior ab expultrice facultate à doloribus irritata, ad inferiores partes detrusa, non solum porum felleum obstruendo, bilis depositionem ad vesicam felleam intercipit, & inde totum corpus inficit, verum & ulterius progrediens, vas etiam cholidochum implet, & bilis in vesica fellea existentis ad duodenum intestinum transmissionem impedit, sicq; fæces ex bilis defectu albæ per alvum dejiciuntur, & hoc modo jam dictis doloribus Icteritia supervenit: hæcq; toties, quoties præter consuetas mesenterii obstructiones, nova congeratur materia cruda, naturam ipsam infestans, febrilem etiam alterationem potius, quam veram febrem inducens, & potius à doloribus spiritus calefacientibus proveniens. Ex quibus omnibus patet quod etiam in Icteritia, quamvis affectus calidus, biliosus nimirum appareat, causa tamen frigida, cruda, & pituitosa est; ut propterea Hipp. in Icteritia curanda Phlegmagoga ab initio præcipiat, mox Cholagoga; sicut enim quod clauditur, bilis est, ita pituita, quod claudit; quam copiosam observavit per alvum excretam Vir Excellentiss. Adstans.

Hypochondriacus affectus exigit Curationem; hypochondriaci vero dolores & Icteritia Præservationem expostulant, cui præcipue in præsens est incumbendum, dum uno eodemque tempore, iisdemque remediis & affectui hypochondriaco non parum prodesse poterimus. Quod si præservatio negligeretur, frequentiores atque diuturniores dolores evaderent, & in alium affectum Hydropem scilicet siccam migrare posset.

Quare statim primæ viæ sunt mundandæ. Secundo Obstructiones in mesenterio existentes, sunt saltem minuendæ. Tertio Jecoris cava aperientibus & Evacuantibus ab excrementis vindicanda. Quarto Jecoris calor omnium horum malorum principalis auctor, est moderandus; atque tandem aliquo familiari medicamento evacuante semel aut bis in mense cruditatum congeries est impedienda ac removenda. De ventriculi autem roboratione parum, aut nihil, sed potius de congrua victus ratione instituenda soliciti esse debemus.

Pro prima intentione explenda, primum Leniens sit syr. rof. sol. aut potio ex manna clarificata, sive electuarium lenit. cum crem. tartari. Quinque sequentibus diebus Præparans sit.

♃. Julap. acet. ℥. ii. aq. florum citri ℥. j. aq. cinnam. ℥. ß. m. pro una vice, & sic pro aliis. Mox repetatur alterum ex jam dictis Lenientibus.

Pro secunda intentione ♃. Rhab. maturi ʒ. ß. elect. lenit. ʒ. ii. m. f. boli quatuor horis ante prandium assumendi; transacta autem hora ab assumptis bolis, superbibat jus malva, borag. & endivia alteratum, tribus vero horis ab assumpto jure prandeat. Sequenti vero die assumat crem. tart. ad ℥. ß. in jure corticibus citri alterato dissolutum, tribus saltem horis ante prandium; sicque perseveret duodecim saltem diebus, alternatim assumendo & rhabarbarum, & crem. tartari; deinde succedat medicamentum purgans, ex elect. lenit. & pil. de tribus paratum, cui post horam superbibat seri capr. depur. aut aq. Nocer. lib. ij. tribus autem horis ab assumpto potu prandeat; aut paretur rhab. infusum, addito syr. rof. solutivo.

Pro tertia intentione ♃. Rhab. opt. mat. ʒ. j. aq. stillat. de succo cichor. de succo agrim. an. ℥. iii. m. f. inf. per noctem, deinde facta express. adde syr. de succo limon. ℥. j. m. pro una vice, & sic pro aliis. Sequenti vero die bibat.

♃. Aq. stillat. de succo cichor. unc. vii. spirit. tart. ter rect. f. gutt. xii. syr. de succo limon. ℥. j. m. pro una vice, & sic pro aliis: & in horum usu pergat alternatim ad duodecimum usque diem.

Pro quarta intentione valde proderit sanguinis eductio ex Jecoraria dextera ad ℥. vii. vel viii. deinde aliquod Alterans erit offerendum; & quoniam anni tempus permittere, non poterit

terit, quod aptissimum & efficacissimum esset remedium; aquas nimirum Thermales acidulas, ideo aliud erit minus efficax substituendum; aquæ vero ad rem nostram essent Lucenses, & adhuc valentiores, in Valle Solis Agri Tridentini scaturientes, quibus in præsens substitui poterit.

℞. Sem. melon. mundat. ℥. j. sem. angur. & cucurbit. mundat. an. ℥. ß. aq. de succo cichor. ℥. viii. M. f. emulsio, cui adde syr. de pom. ℥. j. m. pro potu quatuor horis ante cibum; in cujus usu perseveret xv. aut xx. diebus. Tandem familiaris esse poterit pilula ita concinnanda.

℞. Pil. de trib. cum rhab. ʒ. j. magist. mechoac. ℈. j. in. ref. pil. n. vi. & aurentur, pro duabus vicibus, hora una ante parcam cœnam semel aut bis in mense assumendæ.

Ut vero aliquod ventriculo robur addamus, abs re non erit, quod Excellentissimus P. aliquando statim à prandio, aut à cœna tria aut quatuor integra grana mastiches devoret.

Quibus jam dictis omnibus congrua vivendi ratio addenda est, ut victus sit humectans, tenuis substantiæ, facilis coctionis & distributionis, parca sit cœna, & ix. aut x. horis à prandio remota, ut sigillatim ab Excellentiss. Viro Adstanti præscribi poterit. Et hæc omnia Principi Excellentiss. à Deo salutaria precor. *Raym. Joh. Fort. Consult. & Resp. Medicin. T. 2. Cent. 3.*

Icteritia cum lenta febre.

Eminentissimus Princeps annorum sexaginta unius, temperamenti calidi & humidi quoad totum, hepatis vero calidioris, & ventriculi frigidioris, edentulus fere, laute libereque parumper vivens, atque sedentaria utens vita ob frequentem ad Studia applicationem etiam à cibo; multis idcirco congestis in corpore pituitosis in primis & biliosis humoribus, correptus fuit, uno jam elapso mense cum dimidio, febre lenta circa vigesimam tertiam horam, dietim invadente, tamque exigua ac levi, ut ipse Princeps Eminentiss. sæpius hæc proferret verba: Dicerem me bene valere, si Medicus non assereret, me ægrotare atque febricitare; nec quidem invalidæ rationi innixus, cum perbelle comederet, noctu dormiret, omnemque aliam actionem integre ederet. Id tantum mali patiebatur, quod circa faciem incendebatur, flammeoque calore & colore suffundebatur, & urinam rubram, ac veluti sanguineam effundebat. Sed paucis post diebus hæc quoque duo ebierunt, cum urina redderetur fere naturalis, nulloque calore & colore amplius fœdaretur facies. At paucis interpositis diebus febris adaucta fuit una cum vultus calore capitisque dolore, necnon subinde hæmorrhoidum tumore, rubore atque dolore, nescio an occasione clysteris injecti, licet ex lacte, re epicerastica parati, an vero potius affluxu redundantium in corpore humorum ad hæmorrhoidum sedem à natura facto. His omnibus sublatis, redactaque ad suam remissionem febre, mox supervenit immanis dolor ventriculi regionem exercens, thoracem in consensum trahens, necnon spiritus difficultatem invehens, quæ omnia sustulit larga pituitæ vitreæ evomitio; quem tamen dolorem excepit fœdus totius corporis cutis color, dum Icteritia subsecuta est hepatis & cystis felleæ obstructionem: siquidem albidæ illico visæ fuerunt alvi fæces, & aliqualis etiam durities atque dolor hepatis substantiam obsidebant. Ad hanc debellandam febrem, instituta primum congrua vivendi norma, lenitaque alvo, pituitosi crassique humores præparati levi deinde cathartico evacuati fuerunt. Inter Purgationem sanguis pro prima vice eductus fuit ex brachio dextero (qui præscriptus fuit ad uncias novem aut decem, licet Artificis liberalitate largius, nempe ad uncias xv. fuerit extractus) minime indicatione à parva febre petita, sed ratione faciei phlogosis, & urinæ flammeæ moderandæ. Et quia præstat ex Galeni cons. majori ex parte evacuare, deinde ad detergendas obstructiones accedere, si enim aliter effeceris, ipsas magis impinges: necnon etiam præcautionis gratia, ne videlicet sanguis, in corpore plethorico exuberans, aliam febris speciem lenta longe majorem excitare valeret. Pro altera vero vice fuit sanguis ad uncias x. extractus ex crure, ratione inflammationis haud parvæ, qua hæmorrhoides occupabantur. Qua peracta Purgatione, ad insignem superstitem excrementorum saburram minuendam consilium de Curatione per epicrasin initum fuit, ideoque in usum ductus cremor tartari, & juscula deobstruentia; quibus tamen non sufficientibus, perseverat febris cum oris amarore, & inappetentia, adeo ut ciborum quoque nomen abhorreat: & quod pejus est, cum virium prostratione. Idcirco non parum de Principis salute timendum videtur, præsertim cum tumor in jecore tactu manifeste percipiatur, qui progressu Hydropem minatur. Quare indicationes insurgunt, obstructiones, quæ sunt lentæ febris & Icteritiæ basis, reserare, materias præparare, per epicrasin purgare, partesque in primis roborare, ne novi in dies pravi regenerentur humores, cum præstet humores non generari, quam genitos evacuari. Ut autem expleantur indicationes, consultum fuit aquam Tettucianam exhibere, deinde jus pipionis aperientibus alteratum, præmisso bolo ex tartaro vitriolato, atque tandem ad usum chalybis potabilis Magni Ducis devenire: docet enim Dioscorides, contumaces obstructiones sine metallis vix superari posse. Hæc raptim scripsi, utpote plurimis negotiis ac summa temporis angustia pressus; Lectorem propterea præstantissimum, me excusatum habeat, rogatum velim, si omnia inconcinna reperiat, nullaque doctrina referta ac firmata: doctissima enim & selectissima à Viro præclariss. expecto, eaque Virum eminentiss. omni virtutum genere cumulatissimum, à morbo vindicantia.

Naturale robur quod à primordiis sortitus fuit Emin. Princeps, permisit eidem libertatem vivendi, quam paulatim postremis annis detrahebat & denegabat senilis æras, quæ secum duxit nativi caloris deficientiam, dentium carentiam, & ad exercitium ignaviam, perseverante forsan, aut parum à consueta declinante

victus ratione, quo factum est ut cruditates, antehac calculorum matres, tandem in primis viis mesentericis stagnantes, fermentatæ, febriculam lentam primo produxerint, quæ utinam intensior fuisset, quoniam Eminentiss. P. victum tenuiorem servasset, & medicamenta, tum attenuantia, tum detergentia & evacuantia admisisset, sicque cruditates nec multiplicatæ, nec ulterius ad nobiliores partes nimirum ad jecur traductæ fuissent, in cujus vasis stabulantes obstructiones: & in parenchyma visceris intrusæ, forsan tumorem quoque excitarunt, porum felleum & vas cholidochum repleverunt, ad cujus obstructionem, bili intercepto transitu, ad duodenum intestinum cum pervenire non potuisset, fæces ab ipsa tingi nequiverunt, sicque albidæ egestæ fuerunt; sicut è contra bilis, retrocedendo per venam cavam, mox per arterias ad totum corpus diffusa, fœdo colore flavo habitum universum inquinavit, affectumque constituit, Ictericum, sive Auriginosum dictum; ut propterea summa cum ratione Avicennas & Aetius dixerint, affectionem hujusmodi, licet ab affecto jecore pendeat, quandoque tamen à ventriculo & intestinis sui primam originem trahere, & ideò dolores in ventriculi fundo colicos æmulantes jam passus fuit; quos potius hypochondriacos fuisse censendum, dum à vehementi pituitosæ & crudæ materiæ commotione motus ejusdem non ad superiora tantum, sed ad inferiora magis, nimirum ad hepar & vasa fellea impetum fecit, cui ideo statim Aurigo successit. Quare cæteras omnes causas excludere possumus, nimirum inflammationem, solam jecoris intemperiem, vehementem adscititium jecoris ardorem, cresim in febribus, solam bilis copiam, ferarum morsum, atque tandem vesicam calculis repletam manifestissimam enim causam habemus, tactu ipso, nedum intellectu dijudicandam, Cruditates autem ultro progressæ, & nobiliorem locum occupantes, clausæ & ventilatione privatæ, à calore p. n. fermentatæ, febrem conservant, priori paulo intensiorem, tum loci ratione, tum quia forsan aliqua bilis portio iisdem copulatur, à cujus minera vapores ventriculum elevari, Anorexiam & quasi Apositiam una cum oris amarore dierum progressu introduxerunt. Interim totius nutritionem bene procedere impossibile est à sanguine bilioso humore infecto, & ideo acri & amaro, cum nutriamur dulcibus; præterquam quod primum ejusdem sanguinis rudimentum, ab affecto jecore, depravatum necessario procedit, ut propterea non solum cacochymicum, sed cachecticum quoque, & imbecille totum corpus modo reddatur.

Status Eminentissimi P. ad perniciem magis quam ad salutem inclinat; ægre namque curari potest affectus iste, ultro progressus, præsertim in Sene jam viribus destituto & à continua febre divexato; sicut ad meliorem statum redigi non potest, nisi prius obstructionibus reseratis, ita cum tempus non breve requirat hoc opus, nec levioribus Purgantibus cessurus sit affectus, cum naturam adminiculantem, validam & irritatam non habeamus vires nec temporis diuturnitatem, nec purgantium medicamentorum violentiam sustinere posse dubitandum; sicut interea aut Cachexiam in Hydropem migraturam, aut Atrophiam tabidam suspicandum. Et quamvis glorietur Galenus se unica Purgatione Auriginosum sanasse, à sola bilis copia, non ab obstructionibus Icterus proveniebat.

Deserenda tamen Curatio non est, primas vias expiando, Obstructiones attenuantibus, incidentibus & aperientibus reserando, humoresque crassos & viscidos per epicrasin evacuando. Deinde bilem elective educentibus expurgando; atque tandem partes affectas, nempe ventriculum & jecur roborando.

Quibus intentionibus implendis, quamvis Gal. asseruerit quod Regio morbo laborantibus si venam secemus, extremam in perniciem Ægrotantes perducimus; attamen de legitimo Ictero in quo mera & sincera bilis peccat absque sanguinis subdominio, intelligendus est, & ideo sanguinis missionem admittit, quando bilis cum sanguine peccat: subdens tamen, quod Purgatio sit magis appropriata, quam sanguinis missio. Sed Phlebotomia admittitur & ab Avic. & à Paulo, habita semper peccantis humoris, ætatis & ipsarum virium, sicut in casu præsenti, temperamenti, & comitantis febris ratione. Attamen de sanguine mittendo, non est amplius quod cogitemus, sicut neque de primis viis expiandis, ne actum agamus; sed statim ad obstructiones aperiendas devenire debemus medicamentis, quæ quidem conferre, sed æque tolerari possint; ex quorum sylva eligerem ego syrupum Fernelianum cum rhabarbaro tertio quoque die xv. vicibus exhibendum ad ℥. ii. in vino albo tenui, non dulci, juxta descriptionem nostram. Intermediis vero diebus, validissimum Deobstruens à me multoties expertum, est spiritus tart. alchalizatus, in decoctione jusculo parata fol. cichor. cuscutæ, agrim. marrubii, chamædryos & absynthii: ita enim & obstructiones aperiri, & humores crassi ac viscidi epicratice evacuari poterunt.

Absoluto jam dicti syrupi Ferneliani usu, ad aliquod chalybeatum medicamentum deveniri poterit, quod pariter & aperire, & evacuare valeat; utrumque autem præstabit vinum chalybeatum ita paratum.

℞. Vini albi tenuis lib. xii. chalybis præpar. lib. j. ponantur in vase vitreo per octo dies, & quotidie bis vas agitetur, tandem adde radic. cichor. petrosel. apii an. ℥. j. fol. senæ mund. ℥. ii. sem. cartami ℥. j. rhabarb. opt. ℥ ß. cinnam. integri ʒ ii. f. infusio per tres dies, mox servetur ad usum, cujus dosis erit ad ℥. v. singulo aut tertio quoque mane. Et dum jam dicta omnia administrantur, extrinsecus quoque regio hepatis emollientibus illinienda, unguento scil. ex rosac. & malv. parato & exiguo succo absinthii reformato. Neque medicamenta præscripta à febre prohiberi poterunt, cum ut considerabat

bat Gal. in hisce casibus causæ multo magis, quam febri sit incumbendum. Aqua vero Tettuciana convenire potuit in principio, ad cruditates primas vias occupantes, detergendas & abluendas, in præsens autem exigua valde cum utilitate ventriculi, nullaque jecoris, & cum virium jactura propinaretur, cum affectarum partium corroboratio debeat semper in Arte esse postrema intentio: de qua tamen si soliciti esse velimus, non deerunt absynthii sales, ejusdem Conservæ, aut succus densatus, omnia statim ab assumpto cibo, ut ventriculum simulque jecur roborantia, assumenda.

Si tandem bili expurgandæ, Deo durante, offeratur occasio, ablatis nimirum obstructionibus, cholagoga medicamenta, & præsertim rhabarbarum cum diagrydio, sulphure præparato, per intervalla in usum duci poterunt, cæteraque medicamenta partes affectas corroborantia, Viris Præstantissimis notissima; quibus præscriptorum omnium rectum usum & congruam victus rationem instituendam libenter committo. *Idem ibidem.*

Observationes

Filiola mea unicum annum nata, morbo regio oppressa, est, quam paucis diebus hoc solo decocto curavi.

℞. Hord. mund. passul. an. ℥i. fragar. M. ii. coq. ad lentum ignem. M. s. q. aq. fontis, quoad rubella fiat ac dulcis potio; quam continuo bibebat. Valet enim optime decoctum hoc in morbo regio. *Martinus Rulandus; cur. 6. cent. 1.*

Rusticum quendam quadraginta sex annorum ictero laborantem hoc modo brevi curavi.

℞. Juris pisorum ℥vi. pulv. sen. laxat. ʒiß. M. F. haustus mane bibendus, qui fomitem icteri alvo soluta prolectavit blande. Pro potu utebatur decocto fragariæ. Pertusa est hepatica, & sic convaluit, Deo sit Gloria.

Alteri ex oculis Ictericia remota est aqua rosarum, qua oculos mane, meridie & vesperi lavabat. *Martinus Rulandus Curat. 32. Cent. 7. & cur. 30. cent. 8.*

Nobilis quædam Matrona non febricitans & bene valens, subito Ictero correpta est, excrementa alba & duriora erant; ad me, consilii causa accedens, his duobus remediis, miraculi instar statim convaluit.

℞. Syrup. infus. rof. pallid. cum sena ℥iß. diacathol. ʒii. aq. agrimon. ℥ii. M. detur manè: alvum egregie deposuit: mox quotidie Cerevisiam bibens expresso nodulo infrascripto in cerevisia dependente convaluit.

℞. Marrhub. exsiccat M. j. rhei opt. incisi ʒi. schænanth. incis. gr. v. croc. orient. gr. iii. spec. diarrhod. abbat. ℈i. M. F. nodulus filo astrictus.

Cognata quædam nostra solo decocto foliorum buxi in sero lactis, sine aliis remediis, ab Ictero curata fuit.

Scribit Dioscorid. succum marrhub. è foliis contusis expressum naribus, Regium morbum expurgare.

Mulier quædam Nobilis Ictero laborans, ex oppilatione cystis fellis, admodum diuturno, multis remediis adhibitis per Medicos doctissimos, curari non potuit; illi continuum usum Syrupi è succo solo marrhubii cum sacch. confecti, admodum commendavi, quo cum diu usa esset, ab omni flavedine icteri, qua per duos annos & ultra afflicta esset, curata fuit: ait ut illum syrupum pro curando Ictero semper in summo honore habuerim. Sic quoque exsiccata herba in nodulo egregie profuit. Petrus Forestus observ. 19. & schol. lib. 19. De Hepatis Affectibus.

Collige stercus anserculi tempore, veris sicca ad moderatum Solem: hujus pulveris dato ad ʒß. aut ʒi. in inveterato morbo per hoc remedium omnis Aurigo tollitur, si per tres aut quatuor dies exhibeatur. Idem facit pullorum excrementum album pulver. ad ʒi. amygdalæ amaræ numero vi. jejuno ventre mane assumantur. *Rodericus à Fonseca tom. 2. consult. 34.*

Tempore æstivo potes quandoque haustum aquæ betulæ bene asservatæ sumere; ea primo vere colligenda, arboris betulæ trunco inciso, aut ramo aliquo amputato, nam large profundit aquam priusquam folia prorumpant, statim autem cum germinare occeperit, nihil humoris extillat, aqua ista limpida est, sapore grata, sitim sedat, interim obstructiones tollit, ut & icterum sanare, & calculum è renibus carare valeat. *Reinerus Solenander cons. 16. sect. 6.*

Quidam ictericus sanatus est edendo omni die pugillum unum absynth. Idem cons. 15. sect. 5.

Mulier quædam post febrem intermittentem tota evasit icterica, alvusque penitus constipata: persuasi ut vino sequenti alternis uteretur diebus.

℞. Rad. aper. an. ℥ß. cortic. rad. sambuc. ℥vi. rad. asar. ʒii. absynth. ʒiii. summit. cent. min. ʒii. fl. cordial. an. ʒi. sem. fœnic. petrosel. cuscut. an. ʒi. fol. sen. ℥iii. turpeth. ʒiii. agar. ℥ß. zinzib. ʒß. tartar. vini alb. & limatur. chalyb. in nodulo ligatæ, an. ℥ß. infunde in vino: coque parum in duplici vase, & utatur. Dejecit egregie hujus vini usu, in quo aliquandiu permansit, sensimque flavities minui cœpit, urinæque ad naturalem colorem redire, alvusque respondere. Postea ut viscera simul roborarentur, obstructionesque solverentur, Electuarium hoc præscripsi.

℞. Conserv. fl. cichor. fl. bugl. capill. ven. an. ℥i pulv. pellicul. stomach. & intestini gallinæ ʒi. troch. de eupator. ℈i. limat. chalyb. præp. ʒii. cum syr. de bugl. F. elect. capiat alternis diebus superbibendo parum vini diluti aqua endiv. sic restituta fuit, & licet gravida tandem esse deprehenderetur, nihil horum usu mali passa est, sed filium mox sanum & bene habitum peperit. *Felix Platerus observat. lib. 2. pag. 352.*

Urina pueri ad ℥v. aliquoties propinata probatur, quæ saccharo vel melle dulcorari potest. Stercus anserinum decoquunt alii in aqua & vino, & colaturam propinant. Salviæ folia sæpius sumpta quendam curarunt. Pediculos alii numero xi. devoratos juvare credunt. Pulvis, quem pro singulari remedio in Ictero quidam laudant, & in tres partes

dividunt, tribusque diebus continuis, mane in decocto cicerum aut pisorum exhibent, talis est.

♃ Sem. aquilin. raſ. C. cervi, croci, or. an. ʒi. M. F. pulvis tenuiſſimus, dividatur in tres doſes. Felix Platerus. practic. tom 3. cap. 2. pag. 140. 141.

Vinum laxativum per triduum in hunc modum ordinavimus.

♃. Rad. cichor. ℥i. liquir. ʒvi. cortic. rad. frangul. ʒii. fol. ſen. ʒx. rhei ʒi. ſem. fœnic. ʒiß. paſſul. min. ℥j. macis. cinnam. an. ʒß. ſpic. ind. ℈iß. fiat infuſio in ℔jß. vini, & ℔ß. aquæ, poſt viginti quatuor horas, ſumatur pro hauſtu tertia pars, addendo ℈i. crem. tartar. propter majorem apertionem; hac evacuatione lenitiva præmiſſa, ad obſtructiones venarum minorum reſerandas, ſequenti formula potionem aperientem & digerentem præſcripſi.

♃. Rad. cichor. ℥i. rad. fœnic. petroſel. an. ʒxi. fol. agrimon. marrhub. alb. an. M. jß. ſem. fœnic. aniſ. an. ʒii. cicer. rubr. ʒvi. coq. in ſ. q. ſeri lactis caprini ad tertias, colaturæ ℥x. adde ſyr. de cich. cum rheo, de eupator. an. ℥iß. M. pro tribus vicibus. Gregorius Horſtius obſ. 36. lib. 4.

Pro reſerandis obſtructionibus, hunc julepum digeſtivum aſſumpſit.

♃ Aq. abſynth. cichor. endjv. an. ℥ii. ſyr. de cichor. cum rheo ℥iß. ſyr. cap. ven. de duabus radic. an. ℥ß. ſpirit. vitriol. gut. iiii. M. F. hauſtus. Sequenti die pro evacuatione bilis, dedi quod ſequitur cum malvatico.

♃. Gummi gutt. laxativ. gr. ix. tartar. vitriol. gr. iv. M. F. pulvis, excrevit eo die egregie. Poſtea ſumpſit M. & v. de ſequenti liquore duabus horis ante cibum.

♃. Lumbric. terræ probe lotorum numero vi. coq. in aq. graminis aſpar. hæder. terreſtr. an. ℥i. in colat. diſſolv. ſacch. cand. ʒi. ſpirit. terebinth. gr. iii. M. Pro ulteriore obſtructionum deoppilatione bibat per biduum de hoc julepo.

♃. Aq. petroſel. apii, gram. an. ℥ii. ſyr. de cichor. cum rheo ℥iß. ſyr. byzantin. & de quinque radicibus, an. ℥i. ſuccin. tenuiſſime pulv. ℈ß. ſpirit. terebinth. gr. iii. M. F. julepus.

Iterum purgetur pulvere priore. Juſcula fiebant cum rad. fœnic. cichor. & petroſel. aurigine nondum cedente, de hoc nodulo bibit vino infuſo.

♃. Marrhub. ſicc. M. j. rhei. el. ʒi. agar. rec. troch. ʒß. ſchænanth. gr. vi. croci gr. iii. ſpec. diarrhod. abbat. ʒi. incid. ad nodulum. Vel. ſic,

♃. Marrhub. ſicc. M. j. rad. aperient. an. ʒi. bacc. junip. conciſ. M. ß. croci ℈ß. incid. pro nodulo.

♃. Rad alth. malv. fœnic. cich. enulæ. an. M. ii. fol. marrhub. cent. min. agrimon. abſynth. chamædr. an. M ii ß. fl. chamæm. melil. ſambuc. an M. iß. ſem. cumini, fœnic. an. M. ii. furfur. M. iii. Coquantur in aq. communi pro inceſſu. *Io. Petrus Lotichius. obſ.* 4. & 5. *cap.* 2. *lib.* 4.

Exhibeatur potio digeſtiva ut ante. Pro potu ordinario bibat de hoc nodulo in vino ſuſpenſo.

♃. Rad. cichor. fœnicul. polypod. an. ʒi. fol. cent. min. abſynth. marrhub. ſicc. card. benedict. an. p. j. fl. 3. cordial. an. p. ß rhei el. ʒiß. ſpec. diarrhod. abbat. ʒß. fol. ſen. el. ʒii. pulv. chalyb. præp. ℈i. ſpic. ſchænanth. an. gran. iii. cinnamom. el. ʒ ß. incid. & conquaſſ. ad nodulum ſericeum.

Sequens pulvis anti ictericus pro tribus matutinis inſerviat.

♃. Pulv. lumbric. terræ præp. ſterc. anſerin. verno tempore collect. an. ʒiß. raſ. ebor. ſpec. diarrh. abb. diatrioſantal. an. gr. xv. ſacch. finiſſ. ʒvi. M. F. pulvis dividendus in tres partes. Interdum de elect. ſequenti ad libitum capiat.

♃. Conſerv. cichor. cent. min. an. ℥ß. conſerv. viol. ʒvi. pulv. lumbric. præp. ſpec. diatrioſantal. an. ℈i. ſpir. ſalis rectificati gt. v. M. ad fictile. *Io. Petrus. Lotichius. obſ.* 6. *cap.* 2. *lib.* 4.

Icterum à folliculi fellis obſtructione ita vinces.

♃. Rhei. ʒii. cinnam. ℈j. agar. troch. ʒß. zinzib. ℈ß. infund. vino tenui & aq. endiv. colaturæ adde mannæ el. ʒxii. F. hauſtus. Deinde,

♃. Lumbric. terræ pulver. ℈. diaſpolitici, gr. viii. cum ſyr. byzantino. F. pilulæ iii. & ſuperbibat decoctum abſynth. ex vino, ſi non febricitet, alioqui ex aqua: & pro potu utatur ſolo illo decocto. *Io. Heurnius. ad aphor. Hipp.* 64. *ſect.* 4.

Vidi quendam ſtatæ ætatis robuſtum virum, qui ſæpe genio indulgebat: hic in pleuritidem tractus fuit: à vena ſecta expuebat flava admodum & craſſa. Quarto die in Icterum abiit, excrementis bilioſis nimirum urina & alvi. ſeptimo, ſudavit vehementer; purgabatur interdum manna cum rhab. & quia virulenti aliquid adeſſe videbatur, conquerebatur enim valide de dolore ad ziphoiden cartilaginem, juſſimus decocto pectorali & cichoraceo incoqui ſcordium & aliquid marrhub. utque interdum ℈i. vel ʒß. theriacæ ſumeret, evaſit. Jo. *Heurnius. ad aphor. Hippoc.* 42. *ſect.* 6.

Puer quidam quatuordecim annos natus Ictero tenebatur fœdiſſimo: huic ſequentia remedia præſcripſimus.

℞. Fol. ſen. ℥ ß. ſem. aniſ. ʒi. ſummit. abſynth. pont. fol. agrim. an. M. ß. liquir. raſ ʒii. flor. geniſt. cichor. an. p. ß. coq. ad ℥iii. in colat. diſſolv. rhei in aq. abſynth. cum cinnam. infuſ. & expreſſ. ℈iv. elect. e ſucco roſ ʒii. ſyr. roſat. ſolut ʒi. F. potio. capiat mane.

♃. Rad. rub. tinct. ℥ß. fol. chelidon. maj. M. j. ſummit. cent. min. p. j. cinnam. ʒ ß. croci ℈ß. infund. per noctem in vini albi ℥viii. colat. adde ſacch. albiſſ. ʒß. capiat mane per quinque dies poſt prædictam potionem. Deinde reiteretur potio laxans præſcripta. His ſolis remediis perfecte convaluit. *Lazarus Riverius. obſerv.* 8. *cent.* 1.

Infans quidam natus ex matre febre tertiana laborante, ipſe in lucem editus quatuor acceſſiones ejuſdem febris paſſus eſt. Deinde factus eſt ictericus: erat tantum bimeſtris cum ad illum curandum vocatus ſum. Dubitavi admodum quid fieri poſſet in tam tenero corpuſculo. Tandem hunc ſyrupum præſcripſi.

♃. Rad.

℞. Rad. rubiæ tinctor. & chelidon. maj. an. ℥ii. fol. chelidon. maj. cent. min. & absynth. pontic. an. Mii. cinnam. ʒii. croci ʒß. coq. in aq. fontis ad ℔j. in colat. dissolv. sacch. alb. ℔j. F. syrupus, de quo capiat exiguum cochlear mane per viginti dies, & perfecte restitutus est. *Lazarus Riverius. obs.* 17. *cent.* 1.

Cuidam icterico egregie contulit quod sequitur.

℞. Fol. marrhub. ceterach cap. ven. cuscut. card. ben. cichor. cum toto, an. M. j. rubiæ tinctor. ℥i. vesicar. alkikengi, numero x. rhei el. ℥ß. caryophyll. ʒiß. incid. crass. harum specierum partem ß. coq. in mens. j. vin. & quarta parte aq. ad consumptionem aquæ, dentur mane ℥v. calide, & duabus post cœnam horis totidem frigide. *Hieron. Reusnerus. obs.* 76.

Vir quidam amplissimus totus ictericus, evacuatione facta, hoc pulvere diutius adsumpto plene sanatus est.

℞. Rhei el. ʒi. alb. græc. ʒii. lumbric. terræ sicc. ℥ß. spec. diarrhod. ʒiß. cinnam. ℈ii. sacch. ℥ii. M. Solo etiam decocto euphras. in vino plurimi curati sunt, interpositis catharticis solutivis: & pulvere millepedum siccat. cum ammoniaco & spec. diarrhod. exhibito. *Achilles Gasserus. obs.* 77.

Ego post bilis purgationem sequentibus remediis Icterum ex bilis regurgitatione ortum fœlicissime semper curavi.

℞. Rad. chelidon. maj. rec. optime lotar. & concisar. M. ii. gran. junip. M. j. simul in mortario conterantur. contritisque adfundatur vini rhenani ℔i. quibus simul subactis beneque agitatis, validissime exprimantur, & colentur, cujus ℥iv mane & ante cœnam ebibantur.

Vel, ℞. Croci pulv. ʒi. cujus singuli scrupuli in ceram novam & mundissimam in tenuissimamque laminam extensam involvantur, & in globulum formentur, singulique globuli in pomum excavatum imponantur, & torreantur vel ad ignem, vel in cacabo, donec cera simul & crocus in pomi carnem resoluti fuerint, ex his pomis unum per triduum mane devoret æger. *Franciscus Ioel. sect.* 1. *lib.* 5. *practic.*

Nuper mihi communicavit pro secreto infallibili ad Icterum, infusionem lentis palustris in vino albo per novem dies, ℥vi mane præbendo. Novi hominem qui prognostico relictus, importuno usu cent. min. in potulentis, & haustu decoctionis fortis in vino omni mane ab ictero convaluit. D. Bates. referente *Jo. Rajo. in Catalogo Plantarum Angliæ.*

Jam diu ægrotaverat quidam toto corpore ex viridi flavescens; dedi pilulas primum aggregat. quæ parum moverunt, itaque præscripsi sequens decoctum.

℞. Rad. sambuc. & cichor. rec. an. ℥. limatur. ferri in petia ligatæ, instar nucis, coq. in vino & aqua, bibit per triduum, atque egregie fuit purgatus.

Jussi eo absoluto, sudare in balneo. sumendo bis rob. sambuci, & lixivio se abluere.

Cum octiduo exacto ad me veniens, urinam adferret, adhuc ea tincta erat, jussi hoc decoctum reiterare, quod ita profuit, ut mox discedens gratias egerit. *Felix Platerus. obs. lib.* 3. *pag.* 620.

In Belgio Rustici fœliciter icterum curant eupatorii canabini decocto. *D. Regemorter referente Jo. Rajo. in Catalogo Plantarum Angliæ, &c.*

A solo cannabis semine in lacte bubulo pingui, ad crepaturam circiter cocto & colato, atque bis, terve in die ad ℥v. aut vi. sumpto, plures curavi, ac vidi curatos ictericos, à quovis etiam Sapone ad ʒi. circiter in calente lacte dissoluto & sacchari tantillo edulcorato, atq; bis aut semel saltem in die usurpato aliquoties curavi fœliciter icterum. *Franciscus Sylvius. prax. medi. lib.* 1. *cap.* 46. *paragr.* 74. & 75.

Binas infusiones in vino fieri curavi, quarum una præpararet, altera purgaret, primæ infusionis hæc erat formula:

℞. Rad. cichor. aspar. an. ℥i. rad. fœnic. cortic. sambuc. ebul. dulcis amaræ, an. ℥vi. rad. rubiæ maj. ʒiii. fol. absynth. M. j. chamædr. ceterach. chamæpit. an. M. ß. fl. genist. borrag. an. p. j. sem. cuscut. ʒi. conquass. omnia, addendo limatur. chalyb. præp. ʒiii. adde vini alb. ℔v. stent in infusione bene obturata. Altera infusio sic parabatur.

℞. Rad. apii levistic. fœnic. petrosel. gram. cichor. rad. ireos, rubiæ maj. an. ℥ß. cortic. cappar. tamarisc. fraxin. an. ʒii. cortic. radic. sambuc & ebul. an. ℥i. fol. absynth. ʒiii. chamædr. chamæpit. ceterach. eupator. an. ʒii. sem. petrosel. apii, cuscut. an. ʒi. flor. cordial. pugil. j. foliorum sen. ℥iß. F. infusio in ℔viii vini albi addendo agar. troch. & rhei el. an. ℥ß. spic. ℈j. limatur. chalyb. in panno ligatæ ℥ß. stent per viginti quatuor horas ante illius usum. Sumebat per biduum infusionem præparantem, tertio die purgantem. Postea has pilulas præscripsi.

℞. Gummi ammoniac. in aceto scillit. dissolut. ʒiß. rhei ʒß. rad. asar. gentian. troch. de cappar. an. ℈i. ciner. lumbric. limatur. chalyb. præp. an. ʒß. cum terebinth. F. massa pilul. capiat. ℈ii. atque sic factum est, dum uno die infusionem præparantem, altero purgantem, tertio die pilulas sumeret, ut tandem excrementa tingi croceo & atro colore inciperent, ægraque aliquandiu in horum usu continuando, præter omnium spem, integre restituta fuit, successum & laudans, & liberaliter remunerata. *Felix Platerus. obs. lib.* 3. *pag.* 612.

Icteritia inveterata.

Stannarius quidam Icteritia laborans usus erat consilio cujusdam Medicasterculi qui baculo incumbens, luscus & loripes hinc inde per civitatem discurrit & multis imponit: hinc factum, ut ignorantia hujus Impostoris, bonus ille Vir ad miserabilem statum redactus de vita periclitaretur: Icteritia enim inveterata varia secum trahit symptomata eaque funesta, ut huic nostro accidit; & sicubi tritum illud locum aliquando habuit, hic profecto meretur:

Principiis obsta serio Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Tandem vero leniter aperientibus, (icteritia enim, præsertim inveterata, non vehementia sed mitia eaque appropriata amat remedia) & quæ præterea secundum methodi leges ad morbi curationem & profliganda Symptomata necessaria videbantur, ut decocto Fragariæ pro potu ordinario, præscriptis & rite adhibitis, sen-

sim, Deo benedicente convaluit. *Caspari Kolichen.*

De Ictero singulari.

Celsissima Princeps 53. circiter annorum, symptomatibus scorbuticis frequentius correpta, dum curæ majali sese submitteret, & à me ordinata medicamenta continue conducerent, ad aliquod tempus valuit pancratice. Sed ubi domo absens aliquo modo inordinatius viveret, rediens sensit inexplicabiles dolores ventriculi, tales quidem, ut præ nimiis angustiis sese morituram diceret, superveniente frigore intensissimo, subsequente pauco calore per modicum tempus durante, totum tamen corpus occupante, & singulis diebus ad noctem repetente. His adjungebatur icterus gravissimus cum dolore dextri hypochondrii; sine tamen ulla inflatione aut alio tumore; comitante urina ruberrima, & excrementis argillaceis. Dum prædicta symptomata intimius considerassem, à succo pancreatico acidiore hosce dolores oriri dicebam, dum scilicet vapores austeri ad superius orificium assurgentes id ipsum rodunt & molestia afficiunt. Hinc itidem succus austerior stagnatione factus dum per venas lacteas, ductumque thoracicum cor penetrat, cum sanguine ad totum corpus delatus intensum frigus excitat: quia vero in intestinis bile acriori non conjungitur, sed inter circulandum sanguini tantum bilioso obviat, sic eundem modice exagitando, modicum tantum calorem producit. itaque principalis & primaria causa prædictorum symptomatum esse videtur denegatio ipsius bilis, à qua pituita intestinalis alias abstergitur; & succus pancreaticus eliminatur. Quia vero bilis denegatur propter obstructiones, medicamenta ordinata; quæ easdem reserarent, sed frustraneo cum effectu, adeo, ut grandinem vesicæ felleæ adesse nullus dubitarem.

Itaque vomitu præmisso ubi pulvisculum A. cum jusculo B. Celsissima sumeret, eundemque sæpius repeteret ultra centum grandines flavas instar nucis avellanæ per secessum excrevit, & desuper optime habuit.

Jam quæritur, ubi iidem grandines latuerunt? Ego credo minores in vesica fellea, majores vero in intestinis pituita viscida instar involucri obductos fuisse.

Pulvis. A.

♃. Sal. prunellæ, crystall. præp. lapid. ceraunii præp. judaici ana. ℈ß. magister. dentis castoris gr. IV. spir. Sal. coagulat. gr. IV. f. pulvis.

Jusculum. B.

♃. Rad. urticæ, petrosel. asparag. chelidon. filicis an. ℥ii. fol. heder. terr. absinth. pont. card. ben. flor. centaur. min. genistæ an. p. j. sem. aquileg. alkekeng. saxifrag. ana. ℥i. lign. nephrit. ℥ii. agaric. troch. ʒvi. turpeth. opt. ℥ii. rhabarb. ℈ii. epithym. ℥ii. Sal. Tartari ℥i. M. incis. & contus. in. 2. chartas æquali dosi distinctas. 5. species *zu den Suppen. Joh. Ferdin. Herted.*

Icterus hæmorrhoidibus succedentibus curatus.

Textor 30. annorum anno 1669. cum Ictero laboraret, Hæmorrhoidibus, antea fluere non solitis, succedentibus, à morbo liberabatur. *Th. Barth.*

De Felicissima icteri diuturni curatione per muscum Pulmonarium quercinum.

Nisi tædium vobis ex descriptione prioris Musci Pulmonarii obrepsit, non injucunda forsan pauca quædam erunt; quæ de vulgari musco Pulmonario quercino (qui subinde locis vacuis in foliis, quibus ad arbores, stipites & ramos se applicat, occurrentibus miras exprimit figuras) mihi constant. Ejus efficacia hic in Conjuge Honestissimi Civis & Mercatoris Andreæ Golii, fœmina satis corpulenta (ut & in multis aliis) cum Ictero, omnium Medicorum solertiam eludente, pene biennium conflictata, ita enituit, ut intra quinque aut sex dierum spatium ex pertinacissimo contagio, cum jam de ea actum videretur; emergeret. Suasore atque Commendatore Ministro hujus loci publico; cum corpus ante Medicamento purgari jussisset Medicorum Experientissimus, eodem approbante, de hoc Musco accepit manipulum addito ℔. Cerevisiæ secundariæ, quem in olla fideliter occlusa ad dimidium decoxit, postea tredecim Cochlearia tepida, mane atque etiam vesperi; eo quem dixi, eventu felicissimo imbibit. Ita hic Muscus exoticis quam plurimis palmam eripuit, reipsa declarans, infinitam Dei bonitatem in prima rerum Creatione, non ut Novercam, parce, sed velut benignissimam Matrem largiter unicuique Regioni Medicamentis prospexisse utilissimis. Optandum esset votis omnibus, ut in tanta Ingeniorum Excellentium fertilitate, quædam ad vires plantarum vernacularum accuratius rimandas accingerentur: nec profecto tot præclarissimas plantas, utpote Ledum Silesiacum, Calceolum Mariæ, Oreoselinum, & alias innumeras, Mysteriis plenissimas, sicco, quod ajunt, pede transiliremus; aut potius conculcaremus. *Jacobi Breynii.*

De icteri cum Hydrope nephritide & ischuria stipati curatione.

Nobilis virgo pene nunquam passa fuerat debito modo & ordine menstrua, licet, ut ait, à Medicastris circumforaneis, & hujus farinæ hominibus cum pluribus cruciata in juventute fuisset remediis, quam sola fere aeris mutatio domum revocata curavit, parentibus etenim orbata teneris annis in Burgundia degebat. Anno ætatis trigesimo incidit in Icterum flavum, ad quam vocatus, remediis ultro citroque à fœmellis aliquot hebdomadibus usurpatis vano eventu; animadverti primo intuitu, latere anguem in herba: Illius enim facies solito tumidior, ventris distensio; respiratio difficilior hydropem subesse notabant, firmavit opinionem pedum œdematosus tumor, sitis insatiabilis, paucitas urinæ crassæ, rubræ cum sedimento farinæ laterum simili, alvus adstrictior, &c. Itaque in ætate non provecta, viribus constantibus, curam adgressus sum admoto quantocius Clysmate ex decocto Rad. Bryon. Irid. nostr. Aspar. Brusc. Eryng. fol. Soldanell. Malv. bis malv. fl. Camomill. Sem. Anethi. fœnicul. Elect. Catholic. è Bacc. Laur. Ol. viol. therebint. Mell. Mercurial. Sal. Gemm. &c. quo feliciter alvus sua deposuit, mane pulverem hydragogum simul & diureticum exhibui ex Rad. Jalapp. crem. tartari; tartaro vitriolato

lato & diagridio secessit magna seri copia, subsistentibus porro urinis vaporarium suasi ex decocto Aperitivo, cui aliquot vicibus insedit, & commode satis minxit, his quidem levabatur ægra, sed in bene cœptis perrexi vino videlicet Medicato ex Rad. Rhab. Ver. mechoac. Jalapp. Irid. nostr. Gramin. chelidon. tot. fol. Soldanell. Epatic. nobil. fumar. puleg. Arthemis. Centaurii min. cortic. Tamarisc. fraxin. fol. Senn. Elect. fruct. tamarind. tartar. crudi; Croci Martis Aperit. Sem. Anis. Cartham. de quo mane vitrum sumpsit cum euphoria. Diæta fuit conveniens & exactissime usurpata, potus erat vinum album diureticum chalybe cum salibus præparato impragnatum, roborantia stomacho & epati non defuere: Interea licet in remediorum usu pergeret indefessa, corpus ab eductis non minuebatur etiam pulvere diuretico & hydragogo sæpius usurpato, cui accessere cum salibus, volatilibus, Card. Benedict. Centaurii min. Scabios. Antimon. Diaphoret. Bezoard. Minerar. Sudores copiose moti: Tandem subsequitur Ischuria, dolores Nephritici ægram angunt pertinacissime, Enematibus, potibus, Electuariis, pilulis, anodynis, intus & extra ventri & lumbis admotis non cedentes, deventum ad Salia, quæ ob vim diureticam urinas una cum viscosa & sabulosa expellerent saburra singulis diebus ter ad ℨi. sumpsit pro dosi cum Ol. Amygdal. dulc. ℨi. Salia fuere Juniper. Camomill. Rest. bov. fraxin. stipit, fabar. volat. Succin. Mandib. luc. piscis, tart. vitriol. cremor. tart. Test. Ovor. Calcinat. Magist. Ocul. Cancr. Lapid. Judaic. à quorum usu alvus præter morem solvebatur aliquoties non secus ac sumpto pharmaco purgante, matulam inspiciens, ut de materia magis constaret, animadverti arenulas in fundo latitare, quas ab incuria ministrantis provenire autumabam, elota eadem matula in dejectione prima ecce novos adverto calculos, electos servo, parique Methodo faciendum impero, sicque spatio dierum octo, ni fallor, plusquam integram libram recipio, quos amicis in vicinia, ut & T. E. communicavi, restant mihi etiamnum ℥ii. Præfata virgo asserit, antequam animadverterem, se longe plures dejecisse, cum singulis dejectionibus aliquid asperi se deponere sentiret. Hac saburra feliciter educta, urinas nullo incommodo libere dejecit sanæ adinstar, atqui, quod summe mirabar, in illis nulli apparuere calculi: perrexit constanter in sumptione Salium, usquedum ab Hydrope, Ictero, Nephritico dolore, Ischuria penitus libera evaserit, hunc effectum excepit integro semestri singulis noctibus sudor universalis copiosus absq; ulteriori virium languore, qua crisi peracta, vixit sana & vivit jam ultra biennium à funestissimis exempta Symptomatibus: cum insuper calculi aliquam ad semen carvi haberent similitudinem, inquisivi, utrumne pica laborans, ut cachecticis peculiare est, hujuscemodi semine usa fuerit, à quo horruisse tunc temporis & nihil nisi chartam bibulam avidissime devorasse subintulit. Ista sunt, quæ hoc de affectu scribenda videbantur. *D. Maichanquez.*

De observatis quibusdam in Icteri curatione.

Æstate Anno 1674. cœlo non admodum læstuoso inprimis mense Junio valde frequens apud nos erat Icterus; nunquam plures vel vidi, vel sub cura habui ictericos. Omnes autem eo modo corripiebantur, cum gravissima scilicet præcordiorum compressione, morsu ventriculi, nausea, cibi inappetentia, constipatione alvi &c. quæ omnia tandem excepit effusio bilis per totum habitum corporis. Urinæ usque ad finem morbi erant ex viridi nigricantes cum sedimento viridi crassissimo in fundo. In quadam fœmina ab initio tenues & croceas observavi urinas cum dextri hypochondrii tumore, sed purgato corpore, urinæ ut aliis turbabantur cum insigni ægrotantis allevatione. Convaluere omnes rite tractati & cholagogis bene purgati; V. S. adhibui nullas, cum morbus non in sanguine, sed in exsuperantia biliosi humoris fuerit. Quidam tamen curabant sibi venam aperire in apice nasi, ad citius profligandum fœdum faciei colorem, quod quidem risu excepi prima fronte, cum insuetatum apud nos, & proverbii loco venerit (*fur dem Furvvitz am Nasen-Spitzel lassen.*) Inveni tamen quod Galenus incisionem hujus venæ commendat in continuo dolore capitis, & Botallus lib. de cur. per sang. miss. p. m. 337. asserit multoties se suasu ac instituto Medici cujusdam Empirici, cum juvenis chirurgiam exercuisset, eam administrasse in vetustis oculorum affectibus, nec non in diuturnis capitis doloribus, utiliorem autem observasse in nasi rubore quam in supradictis affectibus. Edoctus itaque aliis probatis Medicis usuvenisse, licet in aliis affectibus, tentavi quid in hoc valeat. Hinc aliquoties curavi institui, sed dubio successu, nam æque cito curabantur ac pristinum colorem recipiebant, quibus aperiebatur quam in quibus intermittebatur. Nonnulli applicabant regioni ventriculi tincam piscem; quam etiam commendat Schrod. in Pharm. sua l. 3. cap. prop. & ex Kentmanno confirmat Conrad. Gesn. l. 4. de aq. h. v. Ictericis aliqui Tincam viventem alligant umbilico, donec immoriatur, postridie rursus aliam, idque etiam tertio repetunt. Tinca immortua, intus ac foris veluti croco tincta redditur, & plerique hoc remedio restituuntur. Ego authoritate munitus, in nonnullis, reiteratis vicibus, applicari jussi, sine effectu in morbo, & sine alteratione coloris in pisce. Quædam tamen aliquando ex adstantibus honesta Matrona, mihi pro certo affirmavit, sibi in juventute ictericæ, hoc remedium à celebri quodam Medico fuisse commendatum, applicuisse etiam unam viventem umbilico; aliasque duas utrisque pedum plantis, perque 24. horas reliquisse, Remotæ, quæ in plantis pedum erant, nihil de colore mutaverant, at illa, quæ supra umbilicum jacuerat, ea parte, qua cutim contigerat, tota fuerat crocea. Iterum probavi, & ut dixit illa, per 24. horas reliqui, sed frustra: Erit tamen ulterius probandum, cum tantis viris fidem omnem denegare non possim.

Dum hæc in chartam conjicio, ad Virum quendam Generosum hujus Civitatis vocor, qui hydropota, ante aliquot dies, in convivio, suis convivis, variorum sanitatem, aqua præbibens, in horrendos ventriculi morsus, & cardialgiam incidit, præscripsi aquam physogonam Manag. cum spir. arant. spir. nit. & ju-

lepo rosaceo, credidi namque à nimia aqua refrigeratum ventriculum ita flatibus torqueri, sed parum inde alleviationis habuit, quievit tamen per noctem. Altero die mane ipsum visitans, totum inveni ex effusione bilis flavo colore tinctum, & ictericum, cum maxima admiratione: suasi purgans, quod tamen in crastinum differre ipsi placuit. Circa vesperam novi invadunt dolores, & superius orificium ventriculi instar cordis vehementissime pulsare cœpit (quem pulsum sive palpitationem ventriculi sæpius jam in colica in primis nostrate observavi) dedi fl. nitr. cum magist. ocul. canc. perl. corall. & in instanti omnis evanuit dolor, nec rediit. Reliquias icteri purgatione & acidulis Egranis sustuli. *Caroli Raygeri.*

Icteri cura infelix per pediculum. Ex Epistola Georgii Hannæi Prof. Othin. Othin. 27. Decembr. 1664. ad D. Olaum Borrichium.

Nec silentio dignam judico raram Phthiriasin, quæ puerum in hac mea afflixit Patria. Hic puer Ictero laborans non Galbulam quæsivit, ut eam fixis aspiciens oculis, solo, teste Cl. Renodæo, à Galbulo liberaretur obtutu; non ad calcinata ingeniosissimi Helmontii Alcalia provocavit, ut debellarent Arquatum; non ad appositiora Felicisss. olim Sylvii confugit apozemata, aut accuratam Medendi invocavit Methodum, ut viscidi Humores pituitosi, bilem in suo motu impedientes, atque ita noxam universo communicantes sanguini, incisi profligarentur; sed in sordidissimis dignisque Empirico Pediculis solatium se inventurum ratus, vel septem vel novem devoravit. Disparet sensim morbus; unde & sibi & puero gratulabantur Parentes. Verum citato gradu approperantibus gravioribus ipso Morbo symptomatibus, stultæ lætitiæ suæ graves dederunt pœnas. Pediculis enim sugillatus insidiosus hic hospes, simulata tantum fuga delituit aliquantulum, ut postea, ceu alter Pharao, surgeret contumacior. Successit quippe in vicem hujus mali pallor infernus; Appetitus nimius imo caninus, ut jurares huic quinquaginta Ægæonis fuisse ventres; insignis quoque accessit Atrophia, unde mors. Cum autem ventriculus defuncti cadaveris, quod jam tum ariditatem mentiebatur, permissu Parentum, novaculæ cedebat in prædam; obtulit se monstrosæ magnitudinis inusitata Pediculorum in unum conglobatorum Colonia, qui in hanc civitatem receptis, infelici sidere, sed tecto latere, natalibus, numerosissimæ suæ multitudinis originem debuerunt. Hinc illæ lacrimæ! hæc lerna malorum! Invisa erant hæc mala, in quæ curiosius inquirere Parentes moleste seduli prohibuerunt; sed non minus invisa hæc Medicina. Si quid contra Icterum valent Pediculi, quos in consilium sæpe adhibent anus Medicæ, nec dissuadente Zacuto; expediunt certe omne illud negotium sale suo volatili, qui præstat, ut, & inimicæ amoliantur obstructiones, & corporibus nostris necessarii alacrius se moveant liquores. Verum, me judice, & nausea & periculo vacuum nobis exhiberent hæ bestiolæ medicamen, modo ad rigidissimum Vulcani tribunal protractæ excuterentur diligentissime, ut salia quæ in se possident volatilia, Chemiæ penderent. Sed antea mittendus Proxeneta ad conscriptos mendicorum patres, qui copiam impetret. De Phthiriasi cordibus Ægyptiorum inhærenti, legi apud Plinium hist. Nat. lib. 19. c. 5. verum hæc acutissime ab. Exc. T. in Hermetica sapientia explicatur per vermes in sinubus cordis hærentes.

Transplantatio Icteri. ad D. Ioh. Lud. Hannemannum. Hafn. 27. Septembr. 1676.

Lætus excepi binas litteras, nuper mihi traditas cum fasciculo Exercitationis Tuæ de sanguificandi Organo, nomini meo inscriptæ, pro quo honore Tibi maximas ago gratias. Non potui singula accuratius expendere quæ pro sententiæ Tuæ veritate afferuntur. Nec vacavit jam crambem illam recoquere, cum aliæ curæ me distrahant. Duo tamen animadverto errata. Ignosce libertati. Unum est, quod nimius sis in me laudando & filiis excomiis. Alterum, quod §. 18. & 21. confundantur Lactei ductus cum Lymphaticis.

Cætera non tango, ne in Oceano isto, unde enatavi, si reversus fuero, submergar. Gaudeo potius rem tantam à tanto Viro sub incudem revocari, quam libenter lego, non animo examinandi, sed ut veteres delicias recolam, judicandi aliis libertate relicta. Unusquisque suo sensu abundat, & omnibus patet Naturæ campus, per quem decurrant.

Qui proxime feriet hostem, mihi sit Carthaginensis. Cl. D. Lachmundo salutem nuntia & officia mea. Lapidis Judaici delineationem mittam ex Musæo Academico, quamprimum per otium licuerit, nam beati Wormii Musæum dudum esse desiit, quod ab hæredibus subjectissime oblatum Regio Museo cessit.

Quia de Transplantatione Morborum sæpe antehac inter nos actum memini, Tuque illi Medicinæ faventior videris, cujus non pauca experimenta & annotasti, & suggessi ego, mitto jam de Ictero arcanum, pro cujus veritate sponsor ero, sicut ex narrandis perspicies.

Illustris quidam Vir ex hepatis obstructione Icterum contraxerat. Omnia tentavimus ut viscerum obstructiones tollerentur, facile enim tum evaniturum icterum bile per ordinarias vias reducta. Nec fefellit augurium. Internis enim externisque aperientibus adhibitis, disparuit Icterus, urina naturalis reddita, fœces coloratiores sensim expurgatæ, quanquam diu flatuum molestiam senserit æger Magnus. Cum omnia essent in vado, nec ullum superesset flavi coloris indicium, facile etiam peregrina remedia commendari poterant cum successu certo, & morbus profligatus curari.

Ita enim ignoto nomine quidam, bono, ut videtur animo, per literas obsignatas secretum contra Icterum expertum laudato Viro Illustri transmisit. Suadebatur ut decrescente Luna lotium ægri, in panno lineo non loto exceptum nocturno aeri exponeretur donec linteum exsiccaretur, totiesque repetendum illud eodem modo donec icterus cessaret. *Thom. Bartholini.*

In Ictericis non semper obstruitur Ductus aut Intestinalis aut Cysticus: In iisdem solito acidior evadit sanguis.

Obser-

Observavi in dissectione ictericorum non semper obstructum esse ductum aut intestinalem aut Cysticum.

In cujusdam icterici mortui sectione memini me aliquando observare sanguinem solito acidiorem.

Ab obstructione ductus intestinalis docent vulgo bilem in descensu suo naturali plane impeditam ascendere vi ad hepar, sicque ferri ad sanguinem, mox cum ipso transferri ad corporis habitum & superficiem, ibidemque parere Icterum: Quamvis autem existimem posse aliquando ab obstructione dicta excitari Icterum, non puto tamen sufficere istam obstructionem ad illum producendum, nisi novam mutationem subeat in suo præsertim Folliculo tunc subsistens bilis; id ut sentiam plurima me movent experimenta tum Anatomica tum Practica: Observavi autem 1. in Dissectione Ictericorum non semper obstructum esse Ductum aut intestinalem aut cysticum: 2. Non semper in ictero pallere alvi excrementa, licet solito essent minus tincta. 3. Non tantum à veneno peculiari, verum ab animi mœrore gravi & inexpectato, sæpe citius productum Icterum quam ut quis aut aliis persuadere possit productam tam subito, à quacunque demum causa, tunc præsente atque agente in ductibus bilariis, obstructionem; 4. Curari, & quidem sat cito, à medicamentis quorum ope solutam, vel tam cito solutam obstructionem vix aliquis credat, nisi præjudicio præoccupatus: In hunc censum refero cum cannabis semine decoctum lac bubulum, cujus unius beneficio plures curavi: Saponem cum olivarum vel raparum oleo, vel balænarum pinguedine paratum, lacte solutum & assumptum ,: Observavi 5. infantes multos nasci cum Ictero, aut mox post partum ipsis erumpere Icterum: Ex his observationibus cum pateat Icterum posse produci absque ductus bilarii obstructione, quæritur merito quænam vera sit, aut esse possit ejus causa? Hæc ut fælicius & facilius eruatur, præmittam symptomata Icterum instantem aut præsentem indicantia: Solet igitur Icterum frequentius præcedere, ac initio etiam comitari Compressivus cordis dolor dictus, & circa ventriculi regionem inferiorem maxime molestus, concurrentibus anxietatibus, atque obscuris in dextro hyprochondrio, ubi & bilis folliculus & ejus ductus existit, lancinationibus: Alvi excrementa fere albent, suntque coloris cineritii, nec à bile, ut alias diversimode tincta, quin segnius ad dejiciendum ægri sollicitantur; Mox urinæ prodeunt obscure rubentes, atque immissa lintea colore croceo inficientes: Tandem in facie ac collo, & magis evidenter in adnata oculorum tunica, hinc per universam corporis cutim, color citrinus & flavus, quin aliquando ad viriditatem obscuram vergens exsurgit, unde nunc flavus nunc niger vocatur Icterus: Ubi inclinat, nonnunquam pruritus magnus sentitur in tota corporis superficie; Inter causas externas, non raro vidi ex spiritus vini, aliorumque potuum generosiorum abusu productum Icterum, & huic succedentem Ascitem, ut plurimum lethalem: Quibus omnibus rite expensis, censeo, sive locum habeat cujusvis ductus bilarii obstructio, sive talis obstructio fingi nequeat, Bilem tunc subire mutationem notabilem, propter quam moveatur & feratur impetuosius & copiosius versus sanguinem, cui tamen solito minus permisceatur, sed ipsi duntaxat confundatur, ideoque facilius ab eodem recedat; & non tantum cuti partibusque externis, verum musculis quoque atque visceribus se jungat, & illa colore suo inficiat & tingat; bilis enim naturaliter se habens, tum in tenui intestino, tum etiam cordis ventriculo dextro, haud laxe tantum, sed intime admiscetur ac permiscetur occurrentibus humoribus, & ita quidem ut ab illis amplius separari nequeat: quæ unio fit ob ipsius effervescentiam in loco memorato utroque cum confluente Acido junctam: Quoniam igitur desiderari videtur in Ictero, ista Bilis cum cæteris humoribus intima conjunctio, ac secundum aliquas sui partes commistio, ut & laudata illa effervescentia, si non in totum, ex parte saltem impedita, videndum quo utriusque hujus effectus, quin & icteri quoque causa innotescat, quid requiratur in bile ad effervescentiam utramque perficiendam, quidnamque illi advenire possit ut ipsam minuat vel tollat: Jam vero notum Effervescentiam omnem contingere inter Acidum & Salem lixivum, quodve de Sale lixivo participat, & in quantum de ipso participat: Quisquis autem Bilem examinaverit, & tam cum acidis liquoribus quam cum Salibus lixivis qualibuscunque confuderit, facile capiet Bilem concurrere ad excitandam effervescentiam ratione Salis lixivi, sed multis modis in ipsa multum temperati, ne fiat in corpore potens ac vehemens, adeoque nocens, quin blanda potius & naturæ amica Effervescentia: Quod si Salis lixivi rationem habeat in effervescentia excitanda Bilis, ulterius pergendum, ac videndum qui affici queat ejus Sal, ut minus sit ad effervescendum aptus; Notum autem per experientiam, iterum Salem lixivum purissimum, adeoque acerrimum, esse ad effervescendum aptissimum; eundem contra quomodocunque obtusum, ad effervescendum reddi plus minusve ineptum; Obtundunt vero Salis lixivi acrimoniam plura & 1. quidem omne Oleosum & pingue, quod testatur Sapo quivis: 2. Omne spirituosum volatile, quod testatur Tartari Sal, cum spiritu vini rectificatissimo volatile factum. 3. Omne terreum, quod testantur corallia, margaritæ, oculi cancri, creta & alia plura: Salis lixivi effervescentiam promovet, facilitatque aqua, si pauca ipsi jungatur: eandemque infringit & offuscat, si multa ei effundatur: Solus ignis ejusdem lixivi salis acrimoniam acuit & auget: unde quo diutius illud urgetur ignis vi & flamma, eo redditur idem acrius, & ad potenter ac vehementer effervescendum convenientius; Hæc omnia ut præsenti negotio accommodemus, atque doctrinæ de Ictero lucem optatam afferamus: Quisquis attente Bilem consideraverit, agnoscet facile non parum oleosi & pinguis ei secundum naturam esse admistum: propter quod, utpote potentissimum ac efficacissimum, adeoque primarium acrimoniæ Salinæ retundens, nunquam & magna, durante sanitate, observatur bilis aut in corde aut in tenui intestino

stino effervescentia: Eidem Bili admistum esse Salis volatilis aliquid, dignoscet quisquis non tantum nervos satis grandes viderit ad Hepar deductos, sed insuper ipsam cognoverit rebus quibusvis facile admisceri: quod non fieret nisi ei permistus esset notabili quantitate spiritus volatilis: nam ob comitem oleositatem volatilem difficilius admiscetur rebus omnibus Sal lixivus, cui quoties junctus est spiritus volatilis, toties aptior fit ad illam cum singulis commistionem absolvendam: Sed eo ipso redditur insuper Sal bilis temperatius, unde hactenus quoque blandior existit ejusdem in statu naturali effervescentia: In Bile aliquid reperitur Terræ; non tamen tantum ac multi male putant, alias minus esset mobilis & fluida, minusve aliis se insinuans, quin etiam mobilia præstans, sicut id peculiariter patet in colorum materia, quæ à bile admista redditur fluidior & ad pingendum aptior: ab admista vero terra, etiam pauca, infringitur Bilis effervescentia, ne in statu sanitatis contingat potens acrisque: Ignis vero in humano corpore talis tantusque fingi nequit, à quo uri, acriorque fieri queat Bilis Sal lixivus, nequidem in statu recedente maxime à naturali: cum si quis rem rite examinaverit, primaria caloris intensioris in statu naturali, aut præternaturali, causa in corpore ipso existens sit à bile petenda deducendaque: Errant enim qui solum ignem esse agens, & quidem universale putant, quod rebus omnibus naturalibus omnem afferat mutationem: Experimenta enim Chymica ostendunt infinitas mutationes occurrere quæ ab igne deduci nequeant, & non paucas quæ igni adversantur: Dixi autem caloris causam primariam in corpore existentem, sive Internam; quo distinguam ipsam ab Externa quavis, quam nil impedit posse aut ignem vulgarem, quovis pabulo sustentatum, esse, aut Solem, à quibus humores omnes, ac præcipue bilem, acriores fieri nulli non notum: Quoties proinde acrior redditur in humano corpore bilis, & quidem acrimonia propria, & in Sale lixivo consistente, toties acrimonia illa quærenda deducendaque ab externo igne nunc Solis, nunc foci: dixi acrimonia propria, quo distinguatur ab accidentali, quæ ipsi ex admisto acido acri contingit, quod bilem producit nunc æruginosam, nunc atram, prout nimirum magis vel minus acre acidum bili admiscetur, & compositum humorem constituit, uno licet bilis nomine notum: Cum proinde inter ea quæ in corpore inveniuntur, atque inter causas internas referri possunt ac debent, nil occurrat quod bilem possit reddere acriorem præter succum acidum, facile quoque patet cui adscribi debeat bilis incendium; His ita præmissis, quærendum porro, cuinam præsertim debeat suam in ictero se humoribus cæteris permiscendi ac intime uniendi ineptitudinem bilis? Hoc ut pateat, considerandum sæpenumero icterum brevi temporis spatio excitari à Viperæ morsu: cujus venenum, quoniam celeriter opus suum absolvere solet, valde mobile, adeoque subtile, quin naturæ volatilis & spirituosæ omnino censendum: A spiritu valde volatili copiosius bili admisto, ipsamque spirituosiorem faciente, Icterum produci posse, confirmare videtur icterus, sat sæpe vini generosioris, ac præsertim ejus spiritus, potatoribus, propter neglecta simul alia alimenta solidiora superveniens, ac imprimis quando aliquis animi mœror præcessit permanetque. Adeo ut non videatur mihi improbabile bilem ad Icterum producendum reddi, nunc à veneno viperæ penetrantissimo & spirituosissimo brevi tempore, nunc à potu generosiore diutine usurpato, sed longiori tempore, nimium spirituosam, & ad convenienter cum acidis effervescendum, hinc & humoribus cæteris se intime jungendum minus aptam. Sed dicat aliquis rei attentus, Si à veneno Viperæ, aut à potu generosiore ita immutari potest bilis, ut absque obstructione in ductibus bilariis existente, produci queat Icterus, non desinet saltem ad tenue intestinum deduci bilis, à qua licet minor ac debilior contingat ibidem cum succo Pancreatico effervescentia, quidni ab eadem saltem tinguntur alvi excrementa, ut alias fieri solet? Respondeo 1. in omni ictero haud æque albicantia, ideoque minus flavo bilis colore tinctas occurrere fæces: unde judico alias plus, alias minus bilis admisceri quoque in Ictero alvi excrementis, à quibus plus vel minus tinguntur. 2. In omni Ictero haud æque male affectam esse bilem: unde hactenus quoque magis vel minus ipsa excrementis alvi admisceri potest eademque tingere. 3. ut à bile rite tingantur alvi excrementa, desiderari præviam & sufficientem ejusdem cum succo Pancreatico effervescentiam, ob quam ejus partes diversæ ab invicem secedunt, ac tincturam habentes excrementis junguntur: 4. Si durante ictero spirituosior & volatilior, ideoque fluidior & mobilior existat bilis, poterit eadem facilius penetrare ex hepatis glandulosis acinis per minimos suos ductus ad venæ cavæ radices, atque cum sanguine ad cor: maxime si ab eadem bile spirituosiore irritatus arctius contrahatur, aut etiam aliquando obstruatur ductus bilarius intestinalis, quam ob rem facto ad hepar impetu, in eodem persistat bilis, neglecta ordinaria, sua licet ampla, versus intestinum tenue via: Potest namque fieri ut si non obstruatur in totum, angustetur saltem ductus bilarius intestinalis à pituita, imprimis post mœrorem gravem viscosiore facta, ipsum quovis modo obducente: vel à bile spirituosiore facta, ideoque turgente, ac è suo folliculo effusa, irritetur idem Ductus ad sui contractionem arctiorem, propter quam ipsi transitus denegetur liber ad intestinum, atque adeo ipsa sursum ad Hepar feratur pene tota per Ductum Hepaticum, mox cum sanguine ad dextrum cordis ventriculum delata, cum descendente ac lymphatico sanguine solito minus effervescat, ideoque sanguinis massa toti magis confundatur quam permisceatur, mox ubique à sanguine recedens, partes quasvis colore suo inficiat & ad nutritionem naturalem minus aptas reddat, quocirca sensim succedat Ictero vel atrophia vel hydrops, ni brevi curetur: Quamvis enim non putem requiri necessario ad icterum producendum Bilarii ductus obstructionem, non video tamen cur non possit aliquando ipsa præbere ansam ictero, dum sistendo bilem naturali suo effluxu in tenue intestinum, causa est

quod

quod bilis ibidem moram nectens alteratur, & si ita loqui fas est, spirituascat, tum accessu majore spiritus animalis, tum exaltatione atque attenuatione ulteriore partium ipsam constituentium: Hoc vel inde patere videtur quod multis, antequam Icterum patiantur, solet summa in dextro hypochondrio, ubi observatur intestinalis Ductus insertio in tenue intestinum, sentiri anxietas, præcedente nonnunquam mœrore gravi, alimentorumve pituitosorum abusu: A mœrore autem solent humores omnes reddi glutinosi ac viscosi, maxime in tenui intestino, & quidem ob succum pancreaticum idcirco factum austeriorem: undecunque autem pituita existat glutinosa & viscosa, eadem apta est nata in tenui intestino Ductus bilarii orificium obducere atque obstruere, sicque bilis descensum exitumque impedire, quapropter angustia excitabitur ibi loci à bile in notatam pituitam vim suam exerente, atque flatus, ex ipsa producente, dum pars reliqua in semetipsam agens attenuatur, spirituascit & tandem icterum excitat. Ex his videor mihi non improbabilem Icteri, absque bilarii Ductus obstructione necessaria, generandi modum & rationem invenisse, Auctam scilicet bilis tenuitatem & spirituositatem, ideoque ad rite & satis effervescendum ineptitudinem: quam idcirco in Bile notavi, quoniam observatur ipsa tunc sanguini non tam permisceri quam confundi. Videndum porro an symptomata ictero familiaria, & superius notata, deduci queant à modo assignata ejus causa; denique an nota ejusdem curatio eidem quadret? Compressivi cordis doloris eadem causa est quam dixi paulo ante, esse Anxietatum circa ventriculi regionem inferiorem, in tenui intestino excitatarum. Pituita glutinosa ibidem coacervata, & in flatus ex parte deducta, continentesque partes diducens angens ac premens: Lancinationes in dextro hypochondrio adscribendæ humori acido & pancreatico, à bile parcius accedente minus fracto, adeoque puriori, noxamque suam potentius exserenti, partesque sensiles pungenti & lancinanti: Alvi excrementa solito sunt minus tincta, tum ob bilem parcius accedentem, tum ob eandem minus effervescentem, ideoque partes suas tingentes minus ad ipsa inficienda deferentem Segnius ad dejiciendum sollicitantur ægri ob causam eandem, minusque acrem bilem: Urinæ obscure rubent, ob bilem copiosam & tinctura multa prægnantem ipsis admissam. In cute tota, sed in primis magis tenera, qualis est faciei, colli, manuum, quin carne universa, exoritur diversus color flavus ab eadem bile, ob auctam suam spirituositatem, partiumque suarum unionem intimiorem, minus quoque in corde effervescente, minus pronus inde sanguini se permiscente, quin potius ipsi duntaxat confusa, ideoque notatis partibus ubique, dum transsluit cum ipso, adhærente, atque colore suo flavo, nunc pallidiore, nunc obscuriore, atque ad viriditatem quandoque vergente, ipsas inficiente: Inclinante ictero sentitur in corporis superficie pruritus, propter effervescentiam ubique resuscitatam, & halitus subacres inde erumpentes, atq; partes sensiles blande mordicantes. Fieri enim nequit quin postquam usu medicamentorum convenientium correcta est, non tantum in suo folliculo, in quo multa est collecta, verum in universa quoque sanguinis massa, cui est confusa, quin partibus continentibus & solidis omnibus, quibus adhæret, bilis ubique ad occursum succi pancreatis & lymphæ, imo ipsius sanguinis solito acidioris (quod in cujusdam Icterici mortui sectione memini me observare) excitetur quam prius potentior effervescentia, ex qua proinde halitus attollantur subacres, qui ad sensiles partes, ac præsertim cutim delati, pruritum ibi pariant: Quæ modo dixi confirmabuntur amplius ex icteri curatione, quæ in eo consistet ut 1. Remotiores causæ, animi mœror, alimentorum viscosorum, potusve generosioris abusus tollantur. 2. Mediæ causæ, pituita glutinosa, ductum bilarium obducens aut obstruens, quoties locum habet, aut venenum qualecunque bilem immutans & vitians, corrigantur ac emoveantur. 3. Causæ proximæ, bilis corrupta & vitiata, nimium scil. spirituosa, & ad rite effervescendum ineptior facta emendetur, & ad intestinum iterum deducatur. 4. Color cutis fœdus separetur & naturalis restituatur, &c. *Francisc. Sylvius Prax. lib. 1.*

Icterici sectio à Clar. Sylvio anno 1664. administrata, In quo folliculus fellis solito major, ac bile turgens deprehensus, Hepar coloris ex flavo obscure virescentis, &c.

De querelis Martini Hanskenii, ex observationibus meis practicis, in Nosocomio notatis, hæc præmittenda duxi VIII. Maii conqueritur de doloribus variisq; hypochondrii, qui à motu ita augentur ut fere intolerabiles sint, quos etiam transversim in ventre cinguli instar sentit. Decumbens paulo melius habet: Per duos jam annos laboravit hoc affectu, sed initio adhuc ambulare potuit; Jam vero per septem hebdomadas in Nosocomio, & per 8. domi fere semper decubuit: conflictatur jam per annos 4. vel. 5. cum variis morbis, tandem fit Ictericus. Præscripta illi sunt à Medico ordinario varia, à quibus nullum levamen sensit. Inter cætera & oleum juniperinum & Philonium, a quibus semper pejus habuit: ab assumpto alimento molestias majores sentit, 5. horis circiter post alimenta assumpta; hora 6. vespertina cœnat, & deinde per mediam fere noctem se hinc inde jactat, nec dormire potest, deinde obdormiscit sed vix per semihoram continuam: Non assumit nisi juscula. Totus fere osseus, Alvus morigera est: quotidie dejicit, excrementa albicant. Vires animales quoad motum sunt valde debiles; Appetitus integer, etiam sapor, digestio male habet; Respiratio quandoque difficilior, imprimis à sumpto cibo: conqueritur de frigore præsertim in pedibus; num 1. Ictero raro febris conjuncta est: 2. Non tantum superficies cutis, sed etiam ipsa caro Ictericorum flavet, quod ex cadaveribus dissectis patet. D. Sylvius judicat acidum in eo nimis acre, propter dolores

res graves, appetitum integrum: Pituitam item viscidam abundare, propter diuturnitatem morbi & sensum doloris gravativi, quare sequentia præscripta.

℞. Aq. cochl. menth. ana. ℥i. theriac. s. ℥ß. laud. op. gr. ii syr. cochl. ℥i. m. 9. Maii. non est sine animi mœrore æger, propter uxorem & liberos: Heri non assumpsit, sed hodie aliquot cochlearia misturæ, unde id commodi habet quod dolor in hypochondriis non est tantus: Iteretur itaque mistura 10. Maii die præcedente nocte melius solito dormivit, & ille dolor qui instar cinguli abdomen afficiebat, magis ad interiora tendere videtur, dejicit commode: Fæces paulo magis tinctæ ac antea fuerant. 12. Maii in pejus ruit ob defectum medicamentorum: Iteretur mistura die 8. præscripta, 15. Maii conqueritur de dolore magis interius quam exterius urgente: Sensit humorem in sinistro crure à genu ad pedem usque: Forsan in hydropem incidet, quod facile fieri potest, & sæpe fit. Sensit frigus & humorem per totum corpus distribui ab assumpro potu, quia potus cum parte pituitæ solutæ per venas lacteas in corpus distribuitur. Iteretur mistura die 8. præscripta. NB. Qui in hydropem incidentes multum bibunt, in iis plerumque hydrops se primum in abdomine manifestat, Qui vero sobrii sunt in potu, in iis plerumque in pedibus se primum manifestat. 16. Maii non adfuimus Nosocomio. 17. levamen sentit, perget uti præscripto 19. Maii proficit in melius; 20. die habuit paroxysmum febrilem, & quidem frigus circa 10. matutinam initium fecit. Conqueritur de debilitate genuum: observat in ipsa febre quosdam dolores, præcipue circa articulos, qui simul ac in somnum incidit, caput petunt, & tunc quasi delirium sentit. Die 21. per totum corpus dolorem molestum sentit & debilis est, habet quod sumat: 22. Dolor per totum corpus auctus: Surrexerat circa meridiem, & frigus tunc sensit, nunc aliquem calorem habet, pulsus est frequentior. Appetitus prostratus, fauces siccæ.

℞. Rad. petros. fœnic. apii ana. ℥j. coq. in. aq. pura, in colat ℥xxv. dissolve. syr. de 5. rad. ℥ii sal. prunell. ʒi. m. 23. Die pulsus paulo melius habet, febricula levior: Præscripto uti perget. 28. die conqueritur de sapore salso, quem in decocto deprehendit; Lingua flava est quasi fissa; Æstus, deglutitio & respiratio difficilis, Emaciatio.

℞. Aq. petrosel. fœnic. ana. ℥i. syr. de 5. rad. ʒvi. ocul. cancr. ʒß. acet. stillat. ℥ß. m. 29. die paulo melius habet: Utetur præscripta heri mistura. 30. die iteretur mistura 28. Maii præscripta: 2. Iunii iteretur mistura 20. Maii præscripta.

℞. Sacch. alth. ℥ii. 6. die paulo melius habet, Pulsus robustior, dejicit sponte, appetit varia, sed simul ac quædam ex istis quæ tantopere expetiverat comedit, nauseat eadem: De deglutitionis difficultate conqueritur: videntur prope gulam quædam pustulæ albicantes instar aphtharum.

℞. Aq. pluv. q. s. adde paulum aceti & sacch. utetur tepide pro gargarismo: Iteretur mistura 28. Maii præscripta. 9. die deglutitio adhuc difficilis: pulsus paulo robustior: habet quod sumat. 10. die pejus habet ac heri: pulsus paulo frequentior: in robore ac magnitudine vix judicatur: Respiratio difficilior, sitis urget. Per 8. jam dies amarum in ore sentit saporem, imprimis vero hodie.

℞. Aq. cichor. fœnic. ana. ℥i. syr. de 5. radic. ℥i. spir. sal. dulcis ℈i. m. N. Syr. V. Salis d. radic. vim habet incidendi, solvendi pituitam viscidam ☊ ad appetitum. 11. die de vigiliis conqueritur, Alimenta commodius appetit & consumit; alios in eodem statu. Habet medicamenta: 12. die Iteretur mistura 10. Junii præscripta: adde laud. op. gr. ii. ob vigilias. Assumat vesperi dormiturus: 13. die commodius jam somnum sumit: habet medicamenta. 13. Jun. appetitus restituitur, Somnus mediocris, vires dejiciuntur: 17. die eodem modo se habet.

℞. Sapon. ven. nuc. mosch. magnitudine, dissolve in lacte dulci, capiet quandoque cochleare. 15. die iteretur mistura 10. Junii præscripta: 20. die appetitus indies restituitur magis magisque, assumpta alimenta minus solito gravant: visus ante biennium obscurari cœpit, & nunc in dies magis obscuratur. die 22. Jun. conqueritur adhuc de summa crurum debilitate: Appetitus permanet integer postquam spir. Olis dulci est usus, Somnus impeditus & vigiliæ fere continuæ, De visu obscurato valde conqueritur, videt tamen singula debito colore.

℞. Aq. euphr. ℥iß. fœnic. ℥i. syr. cochl. fœnic. ana ℥ß. ☊ Sal commune dulc. ℈i. laud. op. gr. ii. m. cochleatim sumat, 25. die calor semper molestus. Videtur aliquanto clarius videre adstantes: putat felicius sese habiturum ab assumpta minori misturæ quantitate, cum à majori alvus semper adstrictior sit. Appetitus omnino restitutus, alimenta etiam recte sapiunt, carnes tamen non generantur.

℞. Sem. cannabis, decoque in lacte dulci, capiat una vice ejus decocti ʒii. 27. die melius se habet: heri male habuit à decocto cannabis sem. ob nimiam ejus assumptam copiam, cum loco ʒii. dimidiam pintam hauserit: habet adhuc quod sumat, 30. die status mediocris; non in pejus ruit, nec multum etiam proficit: Sedens vel decumbens ægre surgit: Habuit aliquot abhinc annis dolores in sinistra scapula & toto illo latere, ad inferiora usque qui nunc cessant. Iteretur mistura 23. Jun. præscripta. Die 1. Julii in dies magis magisque proficit, color faciei non amplius tam flavus, clarius etiam quam prius videre potest: habet medicamenta: die 2. Jul. in dies melius habet ab assumpto decocto cum semine cannabis. 3. Jul. in eodem est statu: die 4. proficit: Iteretur mistura 23. Jun. præscripta. die 7. proficit in omnibus, excepto motu corporis; iteretur mist. Die. 8. in eodem statu, adde misturæ die 23. Jun. præscriptæ ol. mac. still. gutt. iii. die 9. Jul. iteretur mistur. 23. Jun. præscripta, adde ol. mac. still. gtt. iii. die 14. iteretur mistura 23. Junii præscripta adde ol. mac. still. gtt. 3. ad discutiendos flatus: die 25. in eod. statu, ut & 16 die 17. urina valde

tincta, alias in eodem statu: die 18. excrementa albicantia sunt minusque mollia, iteretur mistura 23. Jun. præscripta, adde ol. mac. stillat. gtt. iij. die 20. in eodem statu, habet medicamenta: die 22. iteretur mistura 23. præscripta, cum gtt. iii. ol. macer. Die 23. in eodem statu: ad tumorem pedum utetur decocto furfurum cum sale, pro lavacro pedum: die 28. in plerisque levamen sentit, solæ vires debiles, excrementa alvi adhuc albicant: pergit uti decocto cannabis cum lacte; Iteretur mistura 23. Jun. præscr. cum ol. mac. gtt. iii. Die 29. habet medicamenta: Die 1. Aug. iteretur mistura 23. Jun. cum gtt. ol. mac. Die 4. iteretur duplo mist. 23. Jun. præscripta, cum ol. mac. gtt. 6. utetur porro decocto sem. cann. cum lacte: anno 1664. die 10. Nov. frequentante iterum Nosocomium Cl. Sylvio, invenimus eundem quod ad omnia symptomata iterum in statu pejore: omisit usum decocti semin. cannabis præterito mense cum exiret aliquando in publicum, capitis dolorem vertiginemque expertus est, & deinde etiam capillorum defluvium, sanguis etiam præterito mensis tempore copiosus è naribus effluxit sputumque sanguinolentum dejecit, quod sine dubio fluentis sanguinis parte in fauces decidente ita tinctum est: somnus paucus, interceptus, alvi dejectio multa, excrementa albicantia. Per tres dies levem habuit alvi fluxum cum torminibus: parum sitit, appetitus cibi integer, bene assumit, sed gravatur ab assumptis, neque nutritur sed sensim fit macilentior: tumor levis in pedibus, hydropis initia, ventris tamen tumor adhuc nullus est: lancinationes in articulis inferioribus, ut in flexura genuum, &c. Sitis nulla.

℞. Rad. galangæ, enul. camp. an. ʒß. sem. anis. fœnic. an. ʒi. summit. absinth. abrotoni, an. man. ß. concisa & crasse contusa indantur sacculo, suspendanturque in pinta vini, de liquore bibet mane. Inserviet medicamentum, ut ejus ope defectus bilis ad intestina non defluentis restituatur, sitque loco bilis ibidem: die 12. Nov. queritur de summo dolore lancinante, in dextro hypochondrio imprimis, quoties corpus dextrorsum intorquet: plus dejecit quam ante, parum quidem singulis vicibus, detur sæpius: affundetur iterum præscriptis speciebus vinum, continuabitque in usus ejus. Die 13. excrementa adhuc subalbida: hodie mane alacrior fuit quam nunc est, hypochondrii dextri dolores adhuc sentit: subinde quoque aquas circa ventriculum quasi fluitantes, unde metus est leipothymiæ, hodie non tam frequenter dejecit: die 14. habet medicamenta: die 17. Nov. capitis doloribus continuo infestatur, lancinationibusque in dextro hypochondrio, unde respiratio quoque impeditur: parum quiescit. Quotiescunque assumit vinum præscriptum, levi vertigine corripitur: videtur medicamentum illud bilem nimis acrem reddere, abstinebit proinde per diem ab usu illius: die 19. ante tres dies incidit in gravedinem & tussim: excrementa nondum tincta: Subinde cardialgiam patitur, capitis dolor ante gravior quam nunc: quater dejecit: in hypochondriis adhuc malum perdurat; superiori anno gravedinem similem passus est.

℞. Aq. beton. petrosel. fœnic. an. ℥i. theriac. ʒ. ʒvi. laud. op. gr. iii. syr. de 5. radic. ℥i. m. die 20. assidens foco paroxysmum febrilem sensit, A mistura præscripta melius paulo habet die 21. melius habet: perget uti medicamento, quod iteretur. Die 15. sensim magis debilitatur: Non potest jam tandiu extra lectum se sustentare. Heri vesperi iterum febrilem paroxysmum passus est, cum levi frigore per universum corpus, unde somnus magis interruptus fuit. Videtur quartana, cum die:

℞. Etiam senserit paroxysmum: Copiose hodie dejecit, retulitque excrementa jam magis tincta fuisse; Servabit cras illa: Die 25. Nov. sensim magis labefactatur: gravedine & tussi molesta jam ab octo diebus laborat, quæ augetur ab humoribus à capite in pectus descendentibus: Dolores in hypochondriis jam remissiores: Non habet medicamenta: Iteretur mistio 19. præscripta. Excrementa similia hesternis, & adhuc albicantia. Die 26. hac nocte quater liquida dejecit, nullo purgante sumpto: Color excrementorum manet cœruleus; Gravedo & tussis perstant: die 27. æger debilis est, pulsus simul; hac nocte & interdiu quinquies dejecit & liquida: die 28. habet aliquantulum melius, bis tantum dejecit, obiit 1. Decembris.

In sectione hæc occurrebant, cutis universa flavescens, aperto abdomine membranæ, & pinguedines imprimis, flavo colore infectæ; carnes non item, quæ solito magis tantum pallebant & flaccidæ erant. Penis glans tamen flavescebat, in abdom. insignis quantitas aquosi humoris, quæ in magna quantitate spectata rubra, in parva vero flava videbatur, eodem plane modo ac si croco tincta fuisset. Quæ in fundo erat aqua, rubicundior erat, & ad sanguinis colorem magis accedebat. Intra tunicas Omenti cruoris aliquantulum inveniebatur, qui copiosior in abdominis fundo occurrebat firmiter, & in longum instar Polypi concretus & cum liene cohærens: Omentum variis quasi glandulis interspersum, quas pinguedinem corruptam Cl. Sylvius judicabat. Lienis membrana tenerrima erat, ut & tota ejus substantia, quæ plane sanguinis concreti consistentiam habebat, fibræ tamen satis firmæ. In una ejus parte membrana ad notabilem latitudinem rupta erat, ita ut vasa ejus apparerent: Ex illa sine dubio sanguis profluxerat qui aquam illam in abdomine contentam adeo tinxit, quem mirum est non magis concretum & coagulatum fuisse.

Ventriculus cum intestinis flavens tumensque; color hepatis ex flavo obscure virescebat: pulmones lividi & cæteris intestinis flaviores. Costæ valde teneræ & nullo labore frangibiles & scissiles. Cl. Sylvius easdem aliquando ejusdem duritiei in aliquo qui aneurismate obierat, deprehendit: Folliculus fellis solito major ac bile turgens, colorisque albi, cum plerumque subviridi, videatur. Dexter ren valde exilis. Separatis ductibus bilariis, epatico nempe, cystico & intestinali, factaque, proxime subligatura, in superiore epatici parte instituta, foramine, immissus ope tubuli leniter flatus ad intestina sine impedimento penetravit, uti & immissus humor cœruleus. Immissus deinde ab intestino versus epar flatus etiam facile in folliculum fellis penetravit, nullo tamen modo potuit inde iterum exprimi: quod Cl. Sylvius jam antea notaverat: Dissecto per longitudinem intestinali ductu,

apparuit in illo materia viscida. Ductus cysticus magis hians, sive inflexus versus epaticum quam versus intestinalem. Bilis in folliculo contenta justo viscidior, colorisque diluti, ita ut immissum linteum non magis tingat quam urina ictericorum. Immissus in ductum hepaticum flatus, observatus penetrare in ipsum etiam folliculum, ubi is epati annexus: Intestinum tenue non ita interius obductum pituita viscida erat, uti solet alias: Pericardium cum sua pinguedine flavebat impense. Liquor contentus paucus, flavus, subsalsus & parumper amaricans, Cranii exterior superficies flavens: ossis frontis interior superficies colore flavo infecta, cæterorum non item. Dura meninx flavescens, ut & liquor sub ea conspicuus cujus sapor non erat notabilis. Tenuis meninx minus flava: cerebri substantia satis alba: in ventriculis liquor satis copiosus, limpidus, subsalsus: plexus choroides valde glandulosus: substantia infunditbuli extrema in quam desinit, subrubra, quodammodo carni simile, quod sæpius observatur. *Matthias Paisenius in Miscell. cur. ann. 4. & 5. observ. 194.*

Icterus à Iecore indurato, lapillis referto.

Memini ego nonnullorum, qui ab Ictero in Asciten delapsi erant, Iecinora vidisse adeo dura, & lapillis adeo plena, ut novacula præscindi non potuerint. *Dodonæus ad cap. 3. Benivenii de abditis.*

A simili causa productum fuisse icterum judicavit Plærus in Nobili quodam icterico & cachectico, qui dolorem in regione hepatis ex compressione sentiens, urinasque effundens copiosis arenulis adeo rubicundis & cruentis refertas, ut ex contactu lintea tingerent, ab iis malis ejusmodi excretione liberatus est.

Icterus ab hepate vitiato & subviridi.

Religiosus toto corpore subviridis referebat colorem qui Gallis *feuille morte.*

In cadavere defuncti nulla obstructio aliave reperta fuit ejus causa, præter parenchyma Jecinoris concolor. *Ioh. Rhodius Centur. 3. observ. 21.*

Icterus ab hepatis vitio quod ὑπόχλωρον erat,

Comitis Chaulnei filius ictericus factus est & mortis appetens: is annos natus 14. olim venustulus, lepidulus & bonæ indolis, facilis, postea vero illepidulus, morosus & subtristis; cervicosus. Ictericus factus derepente: febricula, alvi profluvium albicans, fœtens & corruptum, ita perseveravit per dies 15. medicamenta obstinate abhorruit: Cum nil tale cogitaretur, stridebat dentibus, ad interrogata non respondebat, mane vox querula & horribilis: tota die ἄφωνος, convellebatur nocte, velut exstaticus erat: vox inarticulata & ejulatus magnus, convulsiones, mors; exspirando è naribus excrevit nescio quid subnigrum & subviride: Dubitamus an id à cerebro esset, an recursus liquoris medicamenti quod datum erat ad os, & ab ore ad nares.

In cerebro nihil commemorabile deprehensum est quod mortis causa fuisset. Pulmo vitium insigne contraxerat: vitiosius erat epar, & velut ὑπόχλωρον: anno superiore ante mortem exanthematis fœdissimis laboraverat, & ab eo tempore non belle habuerat. Galenus simile quid annotavit in historia de eo qui repente phreniticus factus paulo post interiit: Non interiit, inquit, vi phrenitidis, sed ob dominatum humorum virulentorum qui sua malignitate vires veneni adæquant. *Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. p. 244.*

Observatio VII.

Icterici intestina tumefacta apparuerunt & coloris citrini: Pericardium humore destitutum, Sanguis in cordis ventriculis concretus, & ipsius cordis substantia pravi coloris, &c.

Cum N. N. Tonsor sanus degeret, cum amico affluentius pransus esset, A comestione nonnullis elapsis diebus sensim in Icteritiam incidit, ac procedente tempore totum illi corpus virore defœdatum est, hinc nulla cura adhibita in fatuitatem & dementiam lapsus est, ac tandem vitam cum morte commutavit.

Cadavere aperto, intestina tumefacta apparuerunt & coloris citrini: pericardium omni humore destitutum. Sanguis in cordis ventriculis congelatus, & ipsius cordis substantia pravi coloris, caput tumefactum: labia admodum grossa, pulmones coloris citrini & secundum alas nigricantes, ac mediastino & pleuræ adhærentes. Lien mollis ac diffluens, & alia nonnulla signa attestantia veneni propinationem.

Quæsitum an ex propinato veneno, vel ex ingenito & intrinseco aliquo morbo occubuisset? Exhibitum venenum videtur, cum nulla signa ex antecedentibus, comitantibus aut subsequentibus hic deesse videantur. Et primo urgentissima videtur præsumptio quæ ex antecedentibus desumitur, ac præsertim ex statu defuncti præcedente, cum immediate ante præsumptam veneni acceptionem optima sanitate frueretur, viribusque constaret: Vide Galeni locum 6. de loc. aff. cap. 5. Comitantia symptomata id suadent, quæ primo fuerunt pernitiosissima, terribilia & exitialia, naturam illico prostrantia ac superantia, quæ non verisimile est accidere potuisse ex icteritia ab interna causa procedente, in qua præter immutatum colorem, non solent adesse talia. 2. Si modum eventus symptomatum spectemus, ea non sensim & ordine quodam, ut in morbis ab interno veneno provenientibus evenire solet, apparuerunt, sed cum impetu & confertim absque ordine, quod in exhibito veneno evenire solet, ut docet Cardanus lib. 2. de venenis cap. 2. Denique series symptomatum id docet, quia in veneno ingenito hæc symptomata nunquam sunt sine febre, Contra in veneno exhibito, ut in casu nostro, in quo febris adesse non solet. His adde signa ex cadavere desumpta, quæ vix occurrunt in corpore naturali morbo extincto, quæ propinato veneno sunt familiaria. In contrariam partem afferri potest, quod si exhibitum esset venenum, illud fuit aut Corrodens, aut Putrefaciens, aut inflammans

quod pro signo talis veneni desumi possit. Non putrefaciens, quia tali maxime patitur primo stomachus & jecur, quæ illæsa apparuerunt. Non inflammans, quia non modo nullus calor adfuit, sed & à febre fuit immunis æger: Congelantis nulla fuere signa, ut nec Tabefacientis. 2. Omnia venena aut Præsentanea sunt, quæ subito, cum violentia aut paucorum dierum spatio operantur: aut Temporanea, que lentè, sensim & longo post tempore. Præsentaneum non fuit exhibitum, per plures enim dies, nempe per dies XXI. nullum evidens symptoma, præter mutationem coloris passus est: deinceps symptomata sensim apparuerunt: Temporaneum non fuit 1. quia mors nimis propere videretur sequuta: at tale ad longum tempus opus suum retardat, & lentum est in operando: 2. quia ejusmodi omnia ex tabefacientium numero sunt. 3. Cum posita causa præsente & patiente prædisposito, necessario sequatur naturalis effectus, Si supponatur exhibitum venenum, causa in agendo maxime efficax, supponatur etiam patiens, quod careat impedimento ad resistendum, debuit necessario sequi veneni effectus, nempe aut naturæ succumbentia, aut illius pugna cum veneno, quorum neutrum fuit sequutum, nam patiens ab assumptione præsumpti veneni per plures dies incolumis fuit: ab interna ergo causa morbus ortus est. 4. Nulla adfuere signa adesse solita in potionatis, notant enim D D. omnes venena omnia esse mali odoris, aut saporis: in assumptione nauseam, vomitum, gulæ ardorem, stomachi morsum excitantia, at de talibus à pastu sumpto nunquam æger conquestus. 5. Accidenti a veneno præbito supervenientia, cum impetu & vehementia utplurimum irruunt, non tolerante natura vim improvisam veneni, sed repellere conante ac superare. Contra vero si ab ingenito veneno eveniant, nam ut plurimum sensim paulatimque, & ordine quodam servato succedunt, juxta aphor. 30. 2. Circa principia omnia debiliora; quia natura interno veneno ob moram in corpore veluti assuescit, hoc autem maxime ostendit venenum fuisse ingenitum: quod in hoc casu verificatur, nam patiens sensim paulatimque flavescere cœpit, nullo alio notabili apparente symptomate; in progressu, nullaque cura adhibita, alia symptomata sequuta, quæ tandem exacerbata mortem intulerunt: Cum tamen si icteritia ab externo veneno venisset, contra evenire debuisset, ut primo alia symptomata notatu digna, ut vomitus indesinens, anxietates, dolores insignes, syncope, &c. dehinc icteritia: & ratio est, quia ad effusionem bilis allevatur natura, humore noxio liberata: ideo potest repente, nec prægressis aliis symptomatis ingruere: at in propinato veneno nequaquam, quia primo & ante epar necesse est lædi stomachum & cor, hinc præcedere debent accidentia offesi stomachi & cordis. Cum ergo constet à propinato veneno non fuisse extinctum, à quo morbo interierit indagandum. Illum exprimit Hipp. 3. de morb. num. 12. Hujuscemodi morbus Regius acutus est, & cito necat: color totius mali corium refert, ex viridi pallescens, & quales lacerti virides, simileque fere corpus est. In urina quod subsidet velut ervum fulvum est, & febris & horror levis detinet, quandoque etiam vestes ferre non sustinet, sed ab iis mordicatur & pungitur, Jejuno mane viscera plerumque lacerantur, & si quis eum excitet aut alloquitur, non patitur: hic fere intra dies 14. moritur, quos si effugerit, convalescit. Eadem fere habet l. de int. affect. num. 38. ubi aliam speciem hujus lethalis morbi, sed longioris describit; quorum morborum signa si cum morbo quo extinctus est N. N. comparentur, similitudo deprehendetur: Hæc ergo causa fuit symptomatum, ex effusione bilis ad totum corpus, partes omnes externæ fœdum colorem contraxere, qui varius esse potest pro natura bilis inficientis, cujus variæ sunt species. Ex effusione vero bilis ad exteriora, cerebrum humescere ac refrigerari dictum, unde debile in omnibus operationibus redditur, præsertim retentrix: Mala est ex morbo Regio fatuitas, ait Hippocr. 1. Prorr. n. 4. & in Coacis. Debili reddita retentrice, pituita ad infernas partes, per venas, nervos & arterias lapsa, varios tumores in variis partibus excitavit, ut alias in his qui jam morbi proximi sunt evenire solet: Cætera quæ de puncturis & anxietudine in universo corpore habentur, & alia recensita, ab ipsa bilis effusione facta fuisse notissimum est, &c. *Zacchias Quæstionum Medico-Legalium lib. IX.*

Icterus à lapidibus in vesica fellea & calculis.

Doctor Rumoldus Van der Borcht. Leopoldi Roman. Imperatoris Protomedicus, ætatis ann. 64. Postquam annis quamplurimis atrocissimo ischiadico dolore cruciatus, asthmate ac orthopnœa, ut nonnisi recta cervice spirare posset, defatigatus, auriginoso corripitur morbo: quorum morborum diversorumque symptomatum vehementia natura devicta, tandem fatis cessit.

Cadavere exenterato, præter bina in pulmonibus tubercula, 72. lapilli coloris flavo subnigri, fabarum minorum ac pisorum magnitudinem adæquantes in vesica fellea ac poris cholidochis reperti fuerunt. *Obs. Nicol. Gul. Beckers Medici Viennensis in Miscell. curios. anni 1670.*

Calculus in cysti fellis plerumque concrescit niger, sed tamen levis, & qui aquæ immersus innatat, neque, ut qui è renibus aut vesicis evellitur, subsidet in imo: Origo illi est à flava bile, quæ proprio receptaculo diutius coërcita, nec tempestive vacuata, nec novæ influxu renovata, mirum in modum obdurescit: Id autem imprimis accidit cum uterque cystis ductus obstruitur. Hujus quidem neque manifestæ sunt notæ, neque gravia symptomata, quibus certo ac facile detegi possit: At suspectus iis esse debet quibus gravis & diuturnus fuit icterus. Decrepitus quidam senex, in iram mire propensus, post decessum sine felle ac sine cysti inventus est in cujus sede ingens calculus concreverat. Quinetiam post diuturnum icterum, oborto alvi profluvio, hujus naturæ innumeros calculos, instar pisi aut hordei, in plerisque exturbari deprehendimus. *Fernelius pathol. lib. 6. cap. 5.*

Alias secui famulam senio & morbis confectam. Inveni in fellea vesica duos insignes lapides cœruleos quorum alter quasi ovi columbini magnitudinem æquabat: laboraverat diu regio morbo, ac ultimo febri correpta occubuit. *Coiter libello observ. Anatom. & Chirurg.*

Brigida N. Uxor, nulla remediorum adjuta ope, icteritia interiit. Huic dissectæ in vesica fellis inventi sunt lapides cœrulei, splendidi, plurimi, angulosi, quorum superficies ita inter se cohærebant & conglobabantur, ut unicus primum lapis visentibus judicatus fuerit: vesicam fellis ii adeo oppletam ac extensam detinebant, ut bilis nec recipi in ea nec permeare posset.

Similes, xviii. numero, nucis Ponticæ magnitudine in Constantia Acciarolia & Elizabetha Capponia reperti, neutram tamen arquatus morbus infecerat. *Ex observat. Nereti Neretii Med. Florentini.*

D. Luques Chirurgus mihi retulit se lapidem amygdalæ magnitudinis, è cystide fellea ictero laborantis detraxisse: bilis autem loco suo, à lapide occupato, per totum corpus regurgitarat, *P. Borellus observ. iv. centur.* 1.

Anno 1612. Coloniæ à D. D. Jo. Fabritio & H. Srapedio, lapides duo ingentis magnitudinis mihi exhibiti fuere, qui ex vesica fellis Comitis cujusdam septuagenarii extracti sunt: unus oblongus, alter fere rotundus est, pro magnitudine tamen non adeo usque ponderosi sunt: major enim (qui ex una tantum parte excavatus est, ut tertiam fere partem minoris excipere possit, eumque à continua fricatione unius contra alterum ita excavatum fuisse certum est) drachmas xiv. minor vero drachmas quatuor & semis solummodo pendet, quandoquidem spongiosi sunt & per laminas concreti: sed ab initio multo ponderosiores, neque adeo duros fuisse asserebat D. Fabritius. In majori rimæ hinc & inde (ut solent esse in limo cum à Sole exsiccatur) conspiciuntur. Color aliquibus in locis croceus, aliis vero in locis ad nigredinem vergit.

Prædictum Comitem per totam vitam robustum, neque morbis usque adeo obnoxium (nisi quod aliquando icteritia laboraverat) tandemque circa annum lxx. febre continua maligna obiisse referebat idem Fabritius. A multis annis quoties in lecto sese convolveret ex una parte in aliam, pondus magnum, molestum, & ex una in alteram partem delabens è regione Hepatis percipere poterat. *Fabritius Hildanus cent. iv. observat. xliv.*

Pater Sanctorius Franciscanus sæpius rebelli, immani, importuna & frequenter renascente Icteritia corripiebatur: mortuo secto, lapides flavi, magni, in cysti fellea reperti fuere. *Dom. Panarolus Pentec. 5. observ. xxii.*

Matrona prius εὔχρυς, jam ἄχρυς, quin & κακόχρυ χλωρότητα in toto habitu præferre cœpit, qui color bilem prædominantem, & inde productum icterum prodidit, cujus humoris quæ fuerit δριμύτης hinc colligi potest, quod præter κνισμώδεα κόπον, post punctiunculas molestas cutim passim in tubercula pisi magnitudinis elevaret: velut ab apiculæ spiculo infixo compunctis contingit, quæ ἐμφυσήματα evanescentia subinde sedem mutabant, & cum inquiete maxima ægræ huc illuc vagabantur.

Variis præscriptis præsidiis nihil proficiétibus, morbo tam diro succumbere coacta est: In aperto cadavere, viscera parum à statu naturali recedentia reperta sunt, excepto Hepate, quod decolor & durius fuit: Sed in vesicula fellea tres lapides castaneam æquantes, triquetra figura & nigri, gagatem referentes, cum pluribus aliis minoribus, & arenulis ambos ductus cholidochos distendentibus, de tantorum affectuum causa antecedenti nobis omnem dubitationem exemerunt. *Alex. Deodati valetudinarii pagina* 248.

Illustris Baro doloribus arthriticis diu multumque affectus in Icteritiam incidit: adhibita varia sine successu: supervenit tandum & hydrops ascites aliaque symptomata, quibuscum ultra semestre colluctatus, leniter exspiravit.

In defuncti cadavere inveni 1. Calculum in vesica fellis ejus magnitudinis ut totam fere cystin repleret: unde liquido constat obstructionem illam à calculo veram icteritiæ causam fuisse, nullisque remediis expugnari potuisse. 2. Hepar maxima quidem ex parte salvum, sed croceo colore tinctum conspiciebatur. 3. Cor, Pulmones, Lien, ventriculus, mesenterium & omentum naturaliter fuere constituta, 4. Intestina maculis nigris & livescentibus hinc inde distincta. 5. Renes flaccidi &, quod notabile, adeo parvi ut magnitudinem nucis juglandis vix æquarent. *Balthazar Timæus lib. 3. observ.* 28.

Secui cadaver hominis qui diuturno morbo laboraverat & hydropicus postremo effectus erat. In eo reperi hepar grande, colore nigricante & fere tali qualem in splene alias conspeximus, folliculus fellis plenissimus erat bile: Hepatis venæ in parte ejus cava, priusquam in communem illum caudicem portæ desinant, omnes obstructæ erant lapillis eas distendentibus, foris nigris intus flaventibus, porro & ille meatus qui ex folliculo fellis in intestinum desinebat, lapide ejusmodi obstructus erat. Hunc cum exemissemus, nihilominus tamen bilis effluxit, coaluerat enim foramen illud desuetudine bilem ad intestina mittendi,

Hanc istius meatus obstructionem ego causam fuisse video icteritiæ, qua hic homo ante hydropem longo tempore conflictatus fuerat, regurgitante ad totum ambitum venarum bile, quæ purgari per intestinum debuisset: nam meatus ille qui ex folliculo fellis in hepar est, liberrimus erat. *Iacobus Camenicenus Epist. ad Mathiolum.*

Nobilis Conradus à Reinberg, pituitosus & cacochymicus, obstructionibus viscerum, ulcere maligno ad genu sinistrum, interdum etiam icteritia annis aliquot laboravit, ac tandem obiit ex febre.

In vesica fellis invenimus lapidem durissimum, ad nucis juglandis magnitudinem, anterius atrum, posterius croceum. *Fabritius Hildanus cent. 1. observ.* 60.

In felle etiam Tartarum reperitur, ac tanti etiam Lapides in vesica fellis reperiuntur qui totam eam replent: ut ego in quadragenario quodam, cui per septem annos Icteritiam patienti nemo Medicorum auxilium ferre poterat, defuncto tandem Lapidem magnitudine vesicæ fellis reperi, ac præsens mihi custoditur, ea autem persona antea maxime iracunda ac violentissima erat: *Iohannes Henen lib. de morbis Tartareis.*

Fuit in Prussia Ducali, non procul Mesacco, quidam insignis conditionis Nobilis, nomine Sach, in cujus cystide fellea nonaginta novem lapides, pisorum magnitudinem æquantes inventi

inventi sunt. Is nominatus Dominus patiens Ictero nigro subactus cecidit. *Andreas Cnoffelius in Miscell. curiosis anni 1673. observ. 206.*

§. 16. Halberstadii ante paucos annos in Pincernæ cujusdam, Ictero & Hydrope demortui cadavere, in fellea cystide plurimi deprehendebantur lapilli, causa istius affectus complicati lethalis. *Mœbius in Fundam. Physiolog. c. xvi.*

Constitutio Cystis felleæ in iis qui calculos in ea congerunt.

Cum difficile sit Calculos ex Bile ortos dignoscere, non mirum si eorundem curatio res intricata videatur multis Medicis: Quoniam tamen isti calculi post obitum reperiuntur in fellis folliculo, reliqua bilis amurcam imitatur, sordibusque scatet ac fæcibus subsidentibus, qualem non semel vomitu excretam observavi, existimarem in talibus metum esse ne aliqua Bilis pars concresceret in calculos, dum in tales fæces abit alia. Ideoque tunc usurpanda medicamenta hosce biliosos calculos solventia ut & concretionem quamvis impedientia. *Franciscus Sylvius de le Boë praxeos lib. i. c. xlv. §. 12. & 13.*

Icterici bilis cysti conclusa serosa & vix flava reperta est.

Observavimus in Icterico anno 1664. in Nosocomio Leydensi, à Clar. Sylvio dissecto, ejus Bilem, dum eam accuratius examinaremus, plane serosam, & tam levi flavedine imbutam, ut immissa in eam lintea vix ulla flavedine tingerentur: atque in lingua nonnisi exiguam admodum amaritudinis speciem exhiberet. *Regn. de Graaf. Tractatu de Succo Pancreatico cap. 8.*

Icterus à Pori choledochi vitiosa figura.

In Firmino Chaudone, Icteritia extincto, reperimus Porum choledochum immani magnitudine ad Hepar, ad intestinum vero meatu capillari: hinc excrementum præcluso transitu jecur repetebat, ac inde per cavam in universum se corpus effundebat: quæ res flavitiei frigositatique causam dabat, etsi corpore omnibus aliis esset procerior. *Barthol. Cabrollius observ. x.*

Icterus ab ossea constitutione Vesicæ felleæ ejusq; meatus, cum parte mesenterii.

Puella quædam satis boni habitus, Ictero fœdata diuturno, tandem post initum aperientium aliorumque præsidiorum usum, vita ipsam defecit.

In cadavere, præter vesicam felleam, ejusque meatum in duodenum intestinum, bona mesenterii pars fuit plane ossea: itaque recedente in ventriculum bile, assumpto cibo dolor vehemens materiæ commotione cruciabat. *Ioh. Rhodius cent. 2. observat. 96. & cent ii. obs. 3.*

Icterus exortus ob vesicam copia bilis turgentem.

Sectus à D. Sylvio febricitans & ictericus, in quo folliculus fellis grandis, distentus bile, hinc ægro ob ductus bilarii obstructionem diuturna fuerit alvi constipatio. *Bartholinus Epist. 97. cent. 3.*

Icterus à Iecore magno, duro, viridi, Et molli ingentique Liene.

Prosper Marcellus cum multis annis Regio morbo laborasset, & subito ex bilis in ventriculum miro confluxu exspirasset.

Jecur inventum magnum, durum & viride, cum molli ingentique Liene. *Vesalius l. 5. c. 9. de hum. corp. fabr.*

Icteritia à vitio hepatis subalbidi, abscessu tentati: Lienis maximi, Lapidibus referti.

Juvenis anasarca diu cum laborasset, subito incidit in icteritiam, deinde in hæmorrhagiam narium, postea vero in subitam mortem.

In hujus corpore apparuit Hepar subalbidum, cum in parenchymate magno abscessu: Lien supra modum magnus, lapidibus plenus albissimis. *Nic. Fontanus Resp. & curat. pag. 90.*

Icterici Anatome, in quo Iecur Scirrhosum &c. Cystis sine felle, Lien & Pancreas scirrhosa &c.

Ne vacuæ ad te redirent literæ D. Bonete, placuit observationem addere, in progressu operis tui forsan profuturam. Ictero ab obstructis visceribus Vir quidam in urbe nostra, Fackius, defœdatus diu anxiam vitam inter mortem & inediam traxit: ventriculo enim debilitato omnia assumpta respuebat, vomitu statim rejecta, & quoties lacticinia ingerebantur, totiens in caseum concreta meabant ea via qua accesserant.

Cadaver defuncti xx. Februar. 1675. apertum à Philippo Hacquart Chirurgo Regio, præsentibus mecum Exercitatissimis Medicis D. Henrico à Moinichen & D. Olao Borrichio, interiora viscera musculosque ab effusa bile flaventes ostendebat: hepar ingens scirrhosum, ea parte qua renum regioni vicinius erat, rubens & quasi sphacelo correptum, quo loco quoque de doloribus conquestus fuerat: vesicula fellis sine felle, sed amurca quadam plena & quasi argilla repleta, quæ in solidum corpus concreverat, forma & magnitudine nuclei majoris dactyli, quod sine dubio, si diutius vita superfuisset, in calculum calore degenerasset; ventriculi cavitas universa rubicunda, venis distentis, unde & vomitus continuus, & nonnunquam cruoris sputum: Neque enim ex liene vel Hepate alius ductus patens apparuit: Lien & Pancreas scirrhosum. Cor grumis sanguinis plenum: Pulmones flaccidi & putridi, superiori parte costis adnati præsertim in latere dextro: *Observatio Excell. Thom. Bartholin. in Actis Medicis annor. 1674. 1675. & 1676*

Anatome Icterici, in quo Mesenterii venæ cruore flavo ac stercoreo scatentes repertæ sunt.

Helmontius lib. de Schol. Humorist. passiva deceptione, Felle, famoso Icteri patratore, profligato, novum in theatrum producit, Virus nimirum excrementosum, seu cruorem flavum & stercoreum, sive stercus liquidum flavum, secundæ digestionis prolem, sursum p. n. raptum in venas & totum corpus dispersum: Quod in duobus cadaveribus dissectis, ictero extinctis, manifeste se deprehendisse affirmat, in quibus nulla præsente folliculi fellis obstructione, mesenterii venæ cruore hocce flavo ac stercoreo scatuissent, qui autem urinæ & alvi sordibus permistus nullam affricasset amaritiem, quum & ipse ea destituatur.

Icterus niger ab Hepate scirrhoso, Vesicula fellis vacua, Omento putrido.

Anno 1657. Senator Erfurtensis cum per quinque menses ictero nigro laborasset, & medicamentis nihil proficientibus, sensim viribus consumptis obiisset.

In ejus aperto cadavere inveni hepar scirrhosum, ligni que instar durum, ac tartareis assatisque quasi humoribus infarctum: vesiculam felleam plane vacuam, Omentumque omnino putrefactum. *Ex observ. D. Valent. Andreæ Mollenbroccii Medici Halæ Saxonum in Miscell. curiosis anni* 1670.

Icterus niger à Lienis absentia prognatus.

Uxoris cujusdam Nobilis viri cutis, atro colore tota ita fuit tincta atque fœdata, ut solummodo ejus aspectus omnibus horrorem incuteret: hæc absque febri mœsta perpetuo nam universa corporis superficies Æthiopis colore erat conspurcata: Medici causam judicarunt contumacem lienis & mesenterii obstructionem (licet nulla, aut saltem sensui conspicua reperiretur partium tensio ac durities) à remediis deobstruentibus & nigrum humorem vacuantibus pejus habebat; Tandem accedente assidua leipothymia, & sequuta continua febri obiit.

Cadaver dissectum sine liene inventum est, qui cum sit receptaculum melancholici succi, nihil mirum si eo deficiente corpus totum redderetur nigrum 1. quia humore atro non attracto, hujusmodi humor per venas cum sanguine ferebatur; ex quo massa sanguinis infecta, corpus nigro colore fœdavit. *Zacutus Praxis admir. lib.* 3. *observ.* 137. *Ex communic. D. Gasparis à Costa Med. Rothomagensis.*

Icterus à parvitate Lienis, grandiore Vesica fellea, & obstructa.

H. Fab. Aquapendens Patavii dissecuit cadaver fœminæ ictero nigro extinctæ, cujus jecur, uti & reliqua viscera, nil consideratu dignum offerebat: sola cystis usitato grandior, aspectu tetro ore cinere concretos continebat globulos: quibus & vena quæ à cysti ad jejunum proficiscitur, infarcta, parvo & exiguo prorsus conspecto liene.

Discoloratio à Vermium copia in intestinis.

Vermibus intestina scatere frequenter, non tantum in ægris; verum etiam in sanis supplicio affectis sæpius deprehendi: Inter quos mendicus quidam, qui tamen dum viveret discoloratus erat, capite mulctatus, sectus supra viginti lumbricos intestinis inclusos gerebat. *Platerus observat. lib.* 3. *pag.* 883.

Icteri anatome, cujus interiora omnia membra, imprimis Hepar & Intestina, bile suffusa deprehensa sunt.

In ictericorum cadaveribus dissectis, quia separari bilis non potuit, bilis colore omnia fœdantur. In Sfortia Cardinale Romano, Icteritia defuncto, cum cadavere resecto, inquisitio interiorum membrorum facta, omnia, imprimis hepar & intestina, croceo colore totaliter infecta deprehensa. *Christoph. Guarinonius Consil.* 215.

Mater ictero laborans, puellum enititur eodem infectum, cujus sanguis totus erat flavus

Mater Ictero laborans, octavo gravidationis mense peperit mortuum fœtum puerum quidem, sed ita flavum ut è cera confectus puer non partus humanus videretur: eum potestatis meæ factum seco, pro sanguine humorem fellis instar flavum reperio, eumque diligenter lagena exceptum servo: Ad ossa ubi perventum, ea sic erant humore eodem, eodem colore flavo imbuta, ut si non ipse secuissem corpusculum, illud mihi atque arte tincta fuisse putassem. *Th. Kerckringius observat. Anat.* 57.

Icterici & Splenetici Cadaveris inspectio.

Homo facie icteritia, à multis annis tumore in sinistro hypochondrio laboravit cum dolore intermittente: Tentatus interdum dysuria, nonnunquam vomitu materiæ nigræ. Postea emaciatus obiit.

Intestina, præter solitum, flava. Vesica fellea præter serosum humorem variosque lapillos ac grumos nihil continebat, Lien immensæ molis, libras medicas quinque facile superans. Renes nigri, in pelvi sinistra aliquantulum puris.

Ingens splenis moles fuit causa difficultatis urinæ; vesica enim urinaria pressa, urina reddi non potuit, hinc dysuria. Ob ipsius visceris obstructionem, sanguis, qui alias ex ventriculi tunicis in splenis ramos transit, regurgitans, in ventriculum erupit, unde vomitus nigri. Vasa enim splenica etiam, ut de vesica dictum, premebantur. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica rationali.*

JECTIGATIO.

Est motus tremulus ac convulsivus, vel totius corporis, vel membrorum tantum quorundam ejusdem, procedens à succo nervoso, aliave materia partes nervosas ac musculares irritante. De hoc morbo tanquam ad convulsiones referendo, dicere jam super sederemus, nisi ipsius Historia ac Responsiones Consultatoriæ de

de ejus cura, a pud Franciscum Ignatium Thiermairium, oppido curiosæ reperirentur, quæ hic inseri mereantur. Sic autem ille.

Iectigatio & Palpitatio Membrorum fere omnium, una cum levi Melancholia.
Pro
Iuvencula Comitissa Illustrissima.

Perillustris Virgo Juvencula Comitissa N.N. annorum decem, temperamenti sanguineo melancholici, correpta & obruta est subito non levi melancholia, cum jectigatione & palpitatione membrorum fere omnium, maxime brachiorum, manuum, & pedum, sine intermissione & quiete. Quæ melancholia cum extra naturæ terminos, & in tali juvenili ætate sine evidenti causa externa invaserit, præsenti Medico merito movet scrupulos, & primogenitum quid latere autumat. Ut ut sit, curam methodice præparantibus & melancholiam evacuantibus, quantum natura & ætas juvenilis concedit, aggressi sumus, non neglectis, caput & corconfortantibus. Iectigatio & palpitatio illa membrorum cum proveniat à vaporoso, crasso spiritu intra musculos partium & panniculum membranosum, quem multi abusive panniculum carnosum vocant, vagante & exitum non habente, mitigatur leni præcedente frictione, decocto herbarum arthriticarum. De cætero non est dubium, quin omnia fiant secundum artis leges; modo inclementia tempestatis modernæ, ut humores in corporibus multum agitans, & hyems futura adhuc rigida propitius cooperentur, quo blandis sudoribus materia vaporosa dissipari possit. Dabam Landishuti ad petitionem ex Musæo, currente calamo 25. *Ianuarii.* 1670

Franc: Stockerus.

Responsio

Continua & universalis fere jectigatio, ac palpitatio membrorum, brachiorum præcipue & pedum, qua Illustrissima Comitissa Virgo de repente, una cum melancholia non levi (uti nobis scriptum est) obruta fuit, à vaporoso crasso spiritu membra agitante, juxta Clarissimi Domini ordinarii opinionem, dependere videtur. Nam uti similia temperamenta sanguineo melancholica, ex natura sua, passionibus animi subjecta sunt; præsertim si vel ira, vel timor accedat; facile profecto in tali ætate (ubi judicium nondum subsistit) spiritus inde commoventur, agitantur, humoresque fermentantur melancholici: ex quibus vapores sui generis pravi, ne dicam, maligni excitantur, continens causa sufficientissima palpitationis spasmaticæ tam insolitæ.

Hisce modo dictis jactationibus, an dolor, insomnia turbulenta connexa sint? dubitamus; scimus tamen, periculum subesse, ne similia accidentia degenerent in epilepsiam. Neque incongrue quis suspicatur, an non ab hypochondriis, vel etiam ex parte ab utero descripta incommoda profluant? novum enim non est, Virgines etiam nondum adultas, hystericis torqueri passionibus, præsertim mature pubescentes. Quin an affectus similes non etiam ad arthritides flatulentas commode referri possint? judicio Medici Clarissimi ordinarii relinquimus.

Verum cum præsupponamus, præmissas esse purgationes convenientissimas, specifica quoque ad ideas morbosas seminales extinguendas determinata præcessisse; ea, quæ hic addimus, judicio itidem Clarissimi Medici ordinarii libenter committimus, omnia juxta præsentes & imminentes indicationes immutanda.

Quod si affectus iste simpliciter ab evaporationibus dependet; præmissis universalibus, materia peccans commodissime resolvetur per sudores. Si à viscerum discrasia, obstructionibus, vel humorum prava aliqua qualitate foveatur; lenioribus epicraticis purgatiunculis opus erit: quales forent Brodium Laxativum, Syrupus Aureus, manna julepata, electuarium de tamarindis &c. Humores digerentur syrupo de corticibus citri, de pomis, de pœonia, superbibendo jusculum gallinæ, in quo radices, cichorii & boraginis, additis seminibus citri, si flatulentiæ urgeant, fuerint incoctæ. Si suspicio sit de affectu arthritico flatulento cum humorali materia; viribus subsistentibus, conducet electuarium de tamarindis cum Cariocostino, addendo pro correctione cortices citri conditos.

Ex quacunque demum causa affectus suboriatur; decoctum chinæ, santalorum, cum radice pœoniæ proponimus in jure gallinæ factum atque si melancholica insomnia, molesta essent, addita tinctura ex floribus buglossi elicita cum aqua è floribus boraginis. Nec emulsiones pro somno conciliando negligendæ, quibus Margaritæ, Smaragdus, præparati merito commiscentur. Theriaca smaragdina in similibus affectibus, ac hystericis præcipue & melancholicis eximium est remedium: nam vitalia, animalia corroborat, flatus vaporesque discutit, pravitatem corrigit, viresque instaurat; dosis ℨß. ad ℨi. cum vehiculo, juxta exigentiam. Ad sudores pro necessitate movendos lapidem bezoar præferimus aliis, ad gra. xii exhibitum, cum aqua scorzoneræ, & è toto citro. Judicium de venæsectione suspendimus, excellentissimis medicis præsentibus relinquendum; quam tamen (si opus) ex inferioribus magis, quam superioribus venis probaremus. Monachii mense Februario 1670.

Ioannes Iacobus De Maphaeis.
Franciscus Ignatius Thiermair.

SCHOLIA.

An puellæ, ante solitos pubertatis annos, hystericis passionibus possint esse obnoxiæ? Narrantur aliquot historiæ raræ.

Quæres, an in consilio nostro recte factum sit, quod in puella illustrissima, decem tantummodo annorum nata, motum illum depravatum, ad affectus hystericos deduci posse, suspicionem moverimus? respondeo: Nollem affirmare in hac Illustrissima puella, quam deinde ipsi vidimus, & examinavimus, uterum probabiliter inculpari potuisse, fatendum tamen erit, nec ætatem, nec vivendi normam in puellis obstare, quin hystericis morbis torqueri possint: differt ætas ab ætate, natura una ab alia distingui debet: tempus quod huic est pueritia, alteri adolescentia esse potest: illæ, quæ carnes habent molles, laxos meatus, quæque lascivis imagi-

nibus deditæ vivunt, temporius viro maturæ menses acquirunt; aliæ, quibus paucus sanguis est, meatus adstrictiores, quæque castam ducunt & semotam à virorum consortio vitam, tardius menses experiuntur, atque adeo non tam cito pubescunt.

Clarissimus Vir Tobias Geigerus utriusque medicinæ Doctor, vitricus uxoris meæ, in suis collectaneis M. S. historiam sequentem manu propria annotatam reliquit. Miles quidam Oenipontanus venit ad me die quinto Septembris, anno 1618. cum filiola quatuor annorum, quæ laborabat singulis mensibus menstruo fluxu, nec non mammas (quod rarum est) perfectas habuit, ac si fuisset virgo annorum viginti &c. A quarto in octavum ætatis annum periodice fluxisse menstrua, quibus suppressis omnis sannis in caput convertebatur; notat Tulpius lib. 3. observ. cap. 36. octavo ætatis anno menstruantem puellam, atque hanc ipsam postea decennem ob menstrua suppressa epilepticam factam novit, & feliciter curavit affinis & olim discipulus meus, excellentissimus D. Joannes Jacobus à Zimern. Landishuti medicus. Puellam novem annorum utero gestasse, visam esse, ait savanorola tract. 6. cap. 21. Rubr. 6. Foroliviensis supra primam partem, de membris generationis scripsit auctoritate fide digni, puellam octavum agentem annum fuisse imprægnatam. Hoc idem asserit & causas aliquas reddit Paræus operum suorum tractatu de renunciationibus, ubi de signis Virginitatis agit. Pariter monstrosum est, quod Saxonia Parte 3. Prax. de moniale refert, quæ vixit ad 103. annum cum menstrua purgatione. Valleriola lib. 1. c. 18. Loc. Com. ex Valesco à Taranta narrat, visam esse puerperam mulierem, quæ sexagesimo septimo suæ ætatis anno peperisset, cum alios sexagesimo, & sexagesimo primo, edidisset fœtus. Apud nos Monachii infrequens non est, fœminas quinquaginta aliquot annorum gravidas, ac feliciter parturientes videre. Scio monialem nobiliter & honeste natam, & hoc anno 1671. quo hæc scribo, adhuc viventem, quam mater per annos omnino triginta, eodem in conjugio sterilis, tandem gravida facta enixa est, utique jam annis prope decrepita. Amplissimus Vir Ioannes Iacobus de Maphæis sancte mihi affirmavit, nosse se Illustrissimam Dominam Comitissam à Wolkenstain, quæ, postquam quadraginta annos in conjugio vixisset sterilis, tandem filium pepererit, etiamnum inter Magnates Tyrolenses viventem. Tanta scilicet est fœmineæ inconstantiæ diversitas: modo enim ante solitos pubertatis annos viro maturescunt; modo jam decrepitæ revirescentes adolescunt; modo denique jam edentulæ, renascentibus iterum mordentibus armis, repuerascunt. Sic vetulam in juvenem paulatim iterum rediisse tradit lib. 6. Valescus. Novi sane egomet ipse, quod Illustrissimæ Matronæ Dominæ Baronissæ de Gravenek, Illustrissimi Gynæcei in Aula Electorali Bavarica olim Præfectissæ, edentulæ & jamjam septuagesimum primum vel secundum annum agenti, dens molaris unus, recenter non sine magnis doloribus, succreverit. Hæc Piissima & Nobilissima Matrona, licet bis dentata à natura fuerit facta, vixit tamen inter alias nobiles fœminas, præter morem aulicum, nunquam mordax.

Pro eadem, Vlterior Consultatio.

Quandoquidem Illustrissima Virgo patiens patrios invisere Lares cogitat, nostraque ulteriora Consilia, pro itinere, expetit; illud, quod nunc in præsentia Illustrissimæ Virginis Comitissæ &c. hic Monachii commorantis, ipsimet observaverimus, & quid ulterius observandum existimemus, paucis, sed præmeditato studio, & ea observantia ac devotione, qua in Illustrissimam hanc familiam ferimur, complexi sumus.

Perpetua ista membrorum jectigatio, affectus nobis videtur mixtus, tum ex partium nervosarum mollitie, tum ex earundem motu contractivo, convulsivo constans. Dolebat Illustrissima Virgo, uti refert, omnium primo dolore capitis, exin defluxiones passa, incidit in hunc motum adeo depravatum; sine dubio dum extraneus humor in capite sive collectus, sive aliunde transmissus, in nervosum deinde genus delapsus est, illud partim copia enervans, partim vaporoso aliquo & pravo miasmate contino lacessens; copia quidem, quandoquidem Illustrissima patiens nec dolore capitis, nec fluxione etiamnum libera est; extranea vero & prava qualitate, cum seminale aliquod miasma subesse, præter nos Clarissimus ordinarius D. Medicus non immerito suspicetur.

Prognosis exercitatis Medicis nota. ipsa sane Epilepsia (quam jam semel Illustrissima Virgo, prout in priori Consilio prædixeramus, incurrit) quàm maxime extimescenda; speramus tamen præsentem affectum Illustrissimorum DD. parentum dulci solatio multum deliniri posse, atque tempus, nativum solum, aërem, ipsaque demum remedia, à perito Medico adhibita, non parum profutura.

Ex Fonte Pharmaceutico alvum epicratice subducentia necessaria credimus; illa tamen, quæ humores non acuunt, fundunt, aut confestim & violenter exturbant; sed potius, quæ leniendo contemperant & evacuant, qualia à nobis in priori nostro Consilio descripta sunt, ubi etiam similes syrupos præparantes proposuimus. Omnia impense calida proscribimus, utpote in juvencula biliosa facile nociva. Decoctum Chinæ ibidem descriptum, & admodum temperate compositum hoc loco repetimus, eum potissimum in finem; cum Illustrissimam patientem nondum videamus defluxionibus liberam. Prægressis universalibus remediis thermæ commendantur; sed temperatæ à Clarissimis Viris adsistentibus tanquam locorum gnaris, in specie determinandæ: has enim speramus nervorum laxitatem roborando correcturas, nec non pravum miasma, minerali sua virtute extincturas. Habent thermæ divini aliquid, solentque malignas corporum sordes peculiari analogia extrahere, salinas solvere, sulphureas temperare, mercuriales figere, affectibus demum uterinis peculiariter prodesse. Quod si thermæ ob siccitatem in corpusculo parum nutrito suspectæ sint, aqua dulci temperari poterunt, vel artificiales substitui; prout scilicet præsentes indicationes postulaverint, & prudentiæ Medicorum adsistentium visum fuerit. Alia specifica non proponimus: theriacæ

riacæ tamen Smaragdinæ, quam in similibus casibus magni æstimamus, si expetatur copia, illam lubentissimè, hic in aula confectam, transmittemus.

In fonte Chirurgico sanguinis Missionem laudamus, mox ab initio, delinita semel alvo, celebrandam: inde semel, bis in anno, pro judicio Clarissimorum Medicorum adsistentium, & viribus Illustrissimæ Patientis; semper tamen in inferioribus magis, quàm superioribus venis repetendam; imminent enim paulatim anni pubertatis, modo citius modo serius in quibusdam efflorescentes. Commendamus præterea inustiones, cauteria ad nucham; utpote quæ materiam è capite in nervosum genus depluentem intercipiunt, derivant, evocant, evacuant. Topica, inunctiones, fomenta non omittenda, & ea quidem, quæ digerunt, resolvunt, corroborant, omnia tamen moderate agunt, cùm corpus habeamus ad maciem facile dispositum. Atque hæc omnia, uti & victus instituendi rationem, judicio Clarissimorum Medicorum adsistentium lubenter committimus, Monachii 5. Julii 1670.

Ioannes Iacobus de Maphæis.
Franciscus Ignatius Thiermair.

SCHOLIA.

Discurritur de Motuum convulsivorum, tremoris &c. Differentiis; Nec non infrequentium convulsionum exempla aliqua adducuntur.

Illustrissima hæc Patiens, postquam ad patrium aërem, propriosque Lares pervenit, nostro Consilio suprà scripto, sanguinisque Missione per venas hæmorrhoidales usa est, ac paulò post convaluit. Tantùm potest Aër patrius, parentum consolatio, animi contentus, & Medicamentorum recta adhibitio. Cæterùm Jectigationem illam perpetuam, speciem fuisse motus convulsivi, mihi quidem semper persuasum fuit: quo enim alio nomine explicari poterat motus tam inordinatus, involuntarius ac depravatus?

Non fuit Saltus S. Viti, de quo peculiaria exempla leges apud Felicem Platerum observ. lib. 1. in Mentis Alienatione, Nicolaum Tulpium Observ. Med. lib. 1. observ. 16. Ludovicum Camerarium Syllog. Mem. cent. 2. Nec incusari poterat morsus Tarantulæ, de quo Matthiolus lib. 2. in Dioscoridem cap. 76. Epiphanius Ferdinandus, & novissimè ac diligentissime R. P. Athanasius Kircherus Soc. Jesu, in libro suo de Arte Magnetica, lib. 3. Nam non saltabat Illustrissima Patiens, non discurrebat, sed majori ex parte lecto affixa decumbebat, nullàque alia, præter brachia manusque, adeò notabiliter agitabat membra, secus, quàm in morsu Tarantulæ aut Saltu S. Viti, Tarantulæ morsui haud absimili affectu, contingere solet.

Spasmus non fuit, cùm spasmus seu convulsio proprie dicta sit musculi versus suum principium contractio, rigido exin membro remanente; in hoc enim differt spasmus à motu convulsivo; quòd, ut dictum, in convulsione seu spasmo membrum ex contractione rigidum manet, in convulsione verò & spasmatico motu, membrum agitatur, vibratur, & variè concutitur.

Neque Tremoris nomine donari poterat prædicta involuntaria Jectigatio: nam licet in tremore membrum varia vicissitudine moveatur, motus tamen tremulus ex toto involuntarius non est, teste Galeno lib. 2. de symptomatum causis cap. 2. ubi fuse & pluribus docet, quod tremor nihil aliud sit, quàm motus voluntarius depravatus membrorum motui inservientium, quo perpetua vicissitudine seu elevantur & deprimuntur, dependens à facultatis motricis imbecillitate; ita ut duobus motibus contrariis partes tremore laborantes afficiantur: uno, qui mere voluntarius est, & à facultate animali movente instituitur; altero, qui contra voluntatis imperium accidit, quo membrum ob gravitatem & pondus deorsum, aut in aliam loci differentiam labitur; cujus prolapsum cùm facultas movens iterum conetur erigere, pondus contrà perpetuo renitatur, brevibus & quæ vix discerni possunt intervallis, hæc motus vicissitudo accidit. Proinde cùm, in Illustrissima Patiente nostra, motus ille seu Jectigatio nullo modo voluntaria fuerit, sane tremoris nomine definiri non poterat, præcipue cùm adesset magna & admodùm inordinata, tremori haud conveniens, brachiorum inquietudo, humore vaporoso, vel potiùs, ut ego quidem credo, seroso, nervosum genus vellicante, & ad hunc motum depravatum vere convulsivum impellente.

Nec obstat primò, quod similes depravatos motus, tremoris nomine aliqui Medici scriptores explanent. Hieronymus Cardanus in 6. Aphorism. Hippocr. 26. quem sequi videtur Felix Platerus cap. 3. de Motu Depravato & Tremoris causa, duplicem tremoris differentiam constituit: unam, in qua facultatis motricis imbecillitas in causa esse recte censetur; dum membrum, ut par est, movere, vel extensum servare nequit, quatenus in senibus contingit, & nos paulo ante ex Galeno explicavimus: alteram vero, quæ validis corporibus accidit, estque causa non imbecillitas nervorum, sed vapor quidam stimulans, pungens nervos, quemadmodum in febribus malignis subinde experimur, vel ut Platerus loc. cit. loquitur, humor excrementitius nervum irritans, & ad motum illum depravatum impellens. Verùm enim vero tales involuntarias & inordinatas concussiones ab humore vel vapore nervum vellicantibus ortas, haud recte tremores dici, sed potius motus convulsivos compellari debere, equidem cum Sennerto lib. 1. Prax. cap. 25. part. 2. firmiter crediderim; cùm non videam, quo modo cæteroquin tremor à motibus convulsivis distingui rectius possit. Quæ proinde duo symptomata tremor & motus convulsivus in eo recte differre dicuntur, quod motus convulsivus sit motus plane involuntarius, è contrario tremor præcise in imbecillitate instrumenti ac motu facultatis voluntario cosistat, ut suprà ex Galeno diximus. Interim non nego, contingere, ut motus convulsivi cum tremore aliquando mixti membrum agitent: nam in febribus ardentibus, aut aliis affectibus quibuscunq; si facultas seu instrumenta ex morbo ad movendum debilia existant, quis dubitet, accedente humoris vel vaporis pravitate, ipsos nervos vellicante, motum quendam ex convulsione & tremore mixtum oriri posse.

Neque

Neque obstat secundo, quod Jectigationem istam convulsivam, affectum dixerimus mixtum, tum ex partium nervosarum mollitie, tum ex earundem motu contractivo convulsivo constantem. Quippe novum non est, ut partes fluiditate humoris emollitæ, ejusdemmet humoris inimica aliqua acrimonia lacessitæ, motibus convulsivis agitentur: quin & observatum est, interdum motus convulsivos cum ipsissima paralysi, seu totali resolutione, in eadem parte conjungi: Hujus rei testis est Thomas Bartholinus Historiarum Anatomicarum cent. 4. histor. 3. Paralysis & convulsio, inquit, sibi subinde invicem succedunt, subinde quoque se presso pede comitantur. Viro Clarissimo, amico nostro, circa vesperas ex linguæ Paralysi sublata loquendi potestas. Postero die sinistrum latus resolutum, & os adeo firmiter constrictum fuit, ut nulla vi aperiri posset, dextrum verò latus convellebatur. Nempe materia maligna, cujus indicia petechiæ apparentes prodiderunt, sinistram principii spinalis partem prorsus obstruens sensum motumque illius lateris abolevit; in dextram vero partem non ita copiose irruens, membranas vellicando, quia nervum totum replere non poterat, ad convulsiones irritavit. Honesta alia matrona, cui curandæ præfui, durante spasmo dextri cruris & pedis, in eadem parte paralysi tentabatur per æstatis decursum, ita tamen, ut sensus in pede remanserit, motu sublato. Eadem fere testatur Galenus in Hipp. lib. 1. Prorrhet. Com. 3. textu 26. ubi exemplum narrat, se vidisse: nempe & semel ego quendam, qui ita affectus erat, permutationemque varie sese mutuo excipientium symptomatum habebat, vidi. Fiebant autem & illi hæc, prægressis lumborum collique & capitis doloribus: post quos manus tota ægre tum sentiebat, tum movebatur: sicuti & in dictione dictum est, paraplectico modo, cùm non esset exacta paraplegia: mox superveniens convulsio sensiliorem eam, atque ad motiones expeditiorem fecit: placata autem convulsione, sensim rursum deterior reddebatur: deinde rursus tum lumborum tum colli tum capitis dolore correptus universam subitamque habebat paraplegiæ in manu adauctionem: atque rursus postea non parùm convellebatur. Casum haud absimilem vidit etiam Petrus Salius Diversus in notis in Altimarum cap. 13. & Valescus de Taranta in suo Philonio cap. de Epil. narrat, habuisse se curandum hominem annum sextum natum, qui eodem tempore Apoplexiam debilem, Paralysin universalem, & frequentissimos Epilepsiæ paroxysmos sustinuerit.

Neque obstat tertio, quod Illustrissimæ Patientis Jectigationes dixerimus motus convulsivos, seu, quod idem videtur esse, epilepticos, absque eo, quod Patiens ceciderit, aut alia communia epilepsiæ signa perpessa fuerit. Etenim uti illi omnes, qui graviori epilepsia detinentur (qu ali jam semel detentam fuisse Illustrissimam Puellam narrarunt) accedente paroxysmo fortiter concidunt, clamores edunt, spumam ex ore emittunt, convelluntur, ita aliqui, ubi causa levior, vel in una solummodo parte fixior, nihil aliud experiuntur, præter partium determinatarum motus convulsivos, nunc majores nunc minores, ac subinde adeo obstupescendas, ut visa sit convulsio, postea à medicenda Aberrans, Statoria, Sedentaria, Procursiva seu Ambulatoria, Circumrotatoria.

Habui olim in ædibus meis Monachii cognatum, octo circiter annorum puerulum, qui nocte quadam, inquietudinem brachiorum, superiori in casu recensitæ haud absimilem, de repente incurrit; quæcunque manibus brachiisque peregit, per modum inordinatissimæ jectigationis confecit: nullibi dolebat: cum æqualibus circumcursitabat: solus tamen comedere non potuit: nam, quod admodum mirabile adstantibus visum fuit, dum ori admovere conaretur cibum, via regia aberrans, nunc dextram nunc sinistram aurem versus, involuntario tractu, cochleare protrusit; adeò ut convulsivos hosce motus Aberrantes appellare visum sit. Durabat malum multis septimanis, & crescentibus jectigationibus prædictis, emaciari puer, ac doloribus arthriticis affligi videbatur. Timebam ego epilepticos graviores insultus, sed hydroticis purgantibus epicratice institutis aliquoties sublevatus, tandem restitutus est, ita tamen, ut multis post annis, vernali semper tempore, hujus incommodi sentiret argumenta; donec ætate firmior, &, nervoso genere magis corroborato, omnimodo convalesceret Vir religiosus nunc optimus.

Quietior fuit, quam nunc exhibeo, Convulsio Statoria. Novi Religiosum epilepticum, virum quadraginta aliquot annorum, morbo caduco graviter afflictum sæpius. Is cùm diu Herculeo hoc monstro torqueretur, tandem, affectu mitescente, rariùs & non nisi stans, oculis solummodo fixe convulsis epilepticum paroxysmum sustinuit. Interim illud mirabile, quod, durante paroxysmo, pedibus adeo firmiter insisteret æger quocunque loco prehensus; ut, licet sæpius ab adstantibus, vel in sellam aliquam, vel lectum truderetur, illico tamen in pedes sese erigeret, ac ita stans convulsivam accessionem absolveret, mentis, per totum paroxysmi tempus, sibi minime compos. Hoc idem fere observavit Marcellus Donatus *in Hist. Med. c. 4. Benivenius apud Dodonæum obs. 97. Chiffletius obs. Med. l. obs. 1.*

Convulsionem Sedentariam vidit, & lib. 1. suarum observat. cap. 14. annotavit eruditus Tulpius. Virgini, inquit, quindecim annorum, divexatæ frequenter à vulva, intervenit tandem admirabilis quædam nervorum contractio: invadens ipsam non nisi sedentem: stanti quippe & ambulanti nihil peperit unquam negotii: quocirca libuit illam vocare convulsionem sedentariam. Causa inusitati hujus morbi insedit procul dubio cùm lumbis tum ligamentis, vulvam illic loci ossibus utrimque adnectentibus. Motis enim lumbis & femore versus sedile inclinato, movebatur evidenter noxia materia, illic loci stabulans, excujus acri vapore verisimile est, lacessitos fuisse nervos à spinali medulla lumbis concessos, & ex eorum, cum cerebro, consortio, expressam sedentariam hanc convulsionem &c. Sedentem quoque accessionis tempore Virginem vidit Dodoneus *observ. Rararum c. 97.*

De Convulsione Procursiva scripsit Bootius de affect. omiss. cap. 6. Thomas Erastus narrante Raymundo Joan. Fortis cent. 1. Consil. 41. Talem etiam viderunt antehac Archiatri Bavarici hic Monachii, in Clarissimo & experien-

tissimo Thoma Mermanno, Viro Medico optimo, Archiatro Principibus Bavariæ acceptissimo. Ita enim Mermannus de se ipso ad Amicum scribit. Cum sub finem autumni proxime elapsi ex ditione Ulmensi, ubi Acidulis aquis tam balneo quàm potu usi fuere aliquot Serenissimi Principes nostri, domum reverterer, repente in gravissimum capitis dolorem, sed brevem illum, post vero in vertiginosam quandam & prope inexplicabilem debilitatem, cum incredibili quadam anxietate, & quasi mortis jam imminentis formidine conjunctam incidi. Suspicor ego, aliud nihil fuisse, quàm ingruentem Epilepsiæ paroxysmum; sed quod causa insufficiens, naturaque robusta esset, irritum. recurrebat symptoma illud crebro, diebus singulis, nulla præcedente nausea, & cibi appetentia vigente. Levabat, ac paulo post finiebat accessionem unà inambulando, ac motus corporis concitatior usq; ad sudorem fere vel madorem saltem, dissipato, ni fallor, ac digesto vapore caput offendente &c. Qua super re Godefridus Steeghius Vir celebris, à Mermanno consultus, sequentem in modum respondit. Deambulatio illa continua & spinæ dorsi in anteriora incurvatio ad depravatum motum spectant; quemadmodum enim in convulsione natura, se contrahendo, conatur in auxilium protrahere partes annexas, quo id, quod molestum est, expellat (existimo enim solum molestiæ sensum esse continentem convulsionis causam) ita rationi consonum est, irritatos circa os sacrum, qui in crura extenduntur, nervos, ad continuum ingressum impellere; quo motu tanquam aliqua convulsione, quod noxium est excutiant. Æquum vero est, eam materiam irritantem tenuem esse, atq; acrem, ex tenui scilicet pituita & bile; si frigida & humida esset, magis obstrueret; iis etiam qualitatibus actiones diminueret: non depravaret; & oreretur magis Paralysis. Hæc ibi Steeghius in aliquo M. S.

Convulsionem circumrotatoriam Thomas Bartholinus se vidisse narrat, dum centur. histor. Anatom. 2. Histor. 90. ait: Juvencula quædam Arhusiensis septendecim annorum ad me salutis causa 1647. accessit, quæ oborta circa caput nubecula in motus convulsivos inciderat, semperq; fere ad dextrum latus circumrotabatur. brevissimos habebat paroxysmos, sæpe recurrentes, & cum timore insolito desinentes. Vide quid ego supra in Scholio de Melancholia, de Monacho, in lectulo tempore Paroxysmi, sese citissime circumrotante annotarim. Observatum porro est, in paroxysmis, Epilepticos alios risisse, flevisse alios, hos mites mansuetosque, illos furibundos exstitisse; tot scilicet modis Epilepsia miserum hominis concutiente corpus.

Mentis convulsiones hoc loco non tangimus: nam infrequentes non sunt. Hominis voluntas quotidie trahitur, retrahitur, ac non raro contra naturam convellitur, in iis præcipuè, quibus lingua, mens, ac voluntas venalis est.

Perfricuit frontem Rex; Aulicus illico vultum
Contrahit, ut, cum Sol occidit, umbra fugit,

ILEOS.

Ileos est morbus in quo excrementa alvina per os rejiciuntur. Causa ejus rectè dicitur motus intestinorum peristalticus inversus, ita ut revera id quod est vomitus in stomacho, hoc sit ileus morbus in intestinis. Nam quando incipit inversio motus peristaltici in quodam loco intestinorum, in specie in fine ilei circa principium coli (ibi enim est frequentior sedes morbi ilei) tum fit ileus. Unus enim & continuus est tractus ejusdem substantiæ similiter connexa à summitate gulæ ad extremum podicis hiatum: Quæ substantia nunc est amplior, nunc angustior; amplior est dum constituit stomachum; angustior vero ubi gulam & intestina efficit. Unde sicut in statu naturali unus est continuus motus à summitate gulæ usque ad podicem, qui per fibras circulares oblique se incidentes, perficitur, & quo ingesta successive, motu peristaltico naturali protruduntur: ita si quodam in loco invertatur hic motus, ut fiat contrario modo sursum versus, tunc oritur excretio contentorum in hoc tractu non per podicem, sed per gulam. Quæ excretio interdum est vomitus, si incipiat motus peristalticus inversus à pyloro; interdum est cholera, si incipiat inversus motus circa insertionem ductus pancreatici & cholidochi; Interdum est ileus morbus, quãdo incipit motus inversus in ileo seu reliquis intestinis. Nam interdum podex est locus ubi incipit talis inversus motus: qua ratione non tantum clysteres injecti, sed etiam suppositoria fuere rejecta per os.

Causa occasionalis motus compressivi inversi est irritatio quæcunq; intestinorum, ita quidẽ ut intestinis irritatis non possint bene deorsum versus moveri; quando enim irritatur in quodam loco intestinum deorsum versus contenta sua deprimit: ubi vero ex quacunque causa hæc protrusio irritantis versus inferiora impeditur, propter hoc impedimentum, continuata tamen irritatione, à contractis fibris sursum promoventur contenta. Hæ causæ occasionales irritantes quidem, sed tamen impedientes, sunt variæ: Hild. observ. cent. 1. obs. 61. asserit quod causa, seu radix ilei imprimis consistit in fine ilei circa cæcum, in principio coli, ubi est valvula quæ ex attenuatione ilei causatur, ubi se ampliat in cæcum, constrictionem itaque in isto loco, ac coacervationem scybalorum circa cæcum (scybala tamen magis frequenter) esse causas ilei: quod confirmat loco citato, ubi affert iliacam passionem ortam ex scirrho & ulcere cancroso in cæco, quod ileum oppleverat ut nihil ad colon penetrare potuerit. Facit huc etiam observatio Nicolai Fontani in Cons. & Respons. p. 84. de iliaca passione lethali, in qua sine ullo volvulo intestinorum, cæcum tantum apparuit plenum materia indurata, & quasi lapidosa, intestinum ita extendente, ipsique ita adhærente, ut extrahi non potuerit. Unde etiam Zacutus Lusitanus est in hac sententia quod ileus tantum oriatur à forti intestinorum adstrictione. Unde notum est quod hernias, tam ubi intestina in umbilicum, quàm ubi eadem in scrotum incidunt, sæpius subsequatur iliaca passio, quia non possunt expelli excrementa per intestina in umbilico & scroto convoluta, ac eapropter versus superiora necessario à parte irritata rejiciuntur. Panarolus Pentec. obs. 50. quatuor species habet ilei à diversitate causarum inter se diversas. Primam causam dicit esse herniam; secundam vult esse convolutionem intestinorum; tertiam adstrictionem alvi instar farciminis Lucanici repletæ; & quartam vult esse descensum partis cujuspiam intestini in cavum alterius.

Examinemus has causas; istam de convolutio-

ne intestinorum seu falsam propalo. Hypothesis enim nondum est pro vera agnita, quod intestina ita convolvi queant; nam quandiu adhærent mesenterio impossibile est talem intestinorum convolutionem dari, demonstrante hoc ipsum Helmont. tractatu de flatibus; unde & appellatio volvuli est absurda, dum à volutatione sic dicitur. Verum descensus partis unius intestini in aliam, seu superioris intrusionem in cavitatem inferioris, & vice versa, est satis frequens, & in praxi à Sylvio aliquoties observatus. Quare autem una pars intestini ingrediatur in alteram, sive hoc deorsum, sive sursum fiat, prædicat hanc causam, nempe flatus intestinum tenue diversimode distendentes, quo fit ut in uno loco magis dilatetur quàm in altero, sicque pars arctior in ampliorem dilabatur; nimirum dum æger in torminibus varie se contorquet, corpusque varie mutat, ac agitat, facillimum est ut intestinum à flatibus distentum admittat partem aliam intestini flatu non distenti & propter angustiam loci fit ut se invicem uniant. Præter exempla Sylvii etiam videbitis in Schenck, l. 3. obs. factam mentionem ingressus intestinorum tenuium in ileo ad digiti longitudinem. Aliàs Barth. cent. iv. epistol. p. m. 542. plures recenset ilei causas, quæ possunt ibidem videri.

Notum etiam est quod inflammatio intestinorum & hanc subsequens gangræna, quâ corrugantur intestina, sit causa ilei lethalis.

Quod attinet signa diagnostica, ea per se clara sunt, nihilominus hic inprimis notanda quæ ileum præsentem, aut futurum esse monstrant. Futurum prænunciant alvus pertinaciter suppressa; intestinorum tenuium crudelia tormina. Jam incipientem nausea imo vomitus. Quod si singultus superveniat mors est in olla, & imminet fatum.

Signa prognostica quod spectat. Raro evadunt iliaci, unus tamen facilius curatur quàm alter. Ileus ex inflammatione & gangræna prorsus est lethalis. Ileus ex scybalis induratis, item ex mutuo ingressu intestinorum curari potest. Ileus ex hernia ut plurimum lethalis.

Supersunt adhuc nonnulla curiosa quoad ileum. Rarum est quod habet Schenck. lib. 3. obs. de ileo contagioso; quod nempe ileus aliquando fuerit contagiosus. Quadrat huc obs. Amat. Lusitan. c. vii. ubi habet ileum epidemicum, in quo cum stercore vermes per superiora fuerunt rejecti.

In insula Americana Iamaica, ileus dicitur morbus endemius, seu communiter grassans in incolas, in quibus etiam oritur ex mutuo ingressu intestinorum in se invicem, uti hoc videbitis apud Bartholin. c. 4. epist. p. 529. Aliàs nota est observatio Dodonæi quam recenset Forestus l. 21 obs. 19 in scholio, nempe de ileo periodico tertio quoq; die recurente.

Cura consistit id eo. 1. ut irritatio intestinorum sistatur. 2. ut excretio contentorum quacunq; ratione promoveatur.

Ea quæ usurpantur sunt tam interna quam externa.

Moneo tamen in genere, ubi stercora dura sunt, aut saltem ubi talia præsupponantur, nihil agi posse nisi antea hæ ipsæ fæces induratæ emolliantur. 2. quod in ileo morbo purgantia fortiora quacunque ratione adhibita, aut etiam leviter stimulantia per os exhibita non convenire, nisi jam ubi sedata est omnis intestinorum irritatio & hinc ortus motus eorum inversus. Subsistente namque irritatione, & durante, aut imminente vomitu intestinali, purgantia quæcunque tam levia quàm fortia, semper evadent vomitoria, & ita malum non parum exasperabitur. Unde recte dicit Sydenham tractatu de methodo curandi febres, qui admodum est elegans, quod non applicanda sint purgantia nisi prius restituto in integrum ventriculo; quod verissimum est.

Deinde etiam hoc observetur, quod in tali morbo ægri laborent summa virium dejectione, & non raro etiam animi deliquiis; propterea Medicus semper aqu. theriacal. camph. aut vinum cum aqua cinnam & similia refectiva, item spir. rosar. ambrat. caute debet admiscere, quo etiam viribus consulatur. Animi deliquium oritur ex fœtore, quo tales sunt affecti; omnia enim fætida spiritibus nocentissima judicantur. De fœtore hoc consulatur Panarol. Pentec. 4. obs. 16. de juvene quodam volvulo tandem mortuo, qui fœtidissimum odorem, non tantum in omni vomitu & ructu, sed etiam tandem ex toto corpore exspiravit.

Quæ ergo conveniunt in hoc morbo, sunt clysteres abstergentes, & emollientes, quos ex vino, urina pueri, & seminib. carminant. commendat Zacut. Lusitan. lib. 7. Medic. Princip. histor. 97. Simplicia emollientia satis sunt cognita & quomodo ex his fiunt clysteres. Ubi opus est stimulo, iisdem incoquitur colocynthis, imprimis in alvi obstructione; aut oleum lini, aut raparum, quibus incoquuntur trochisci alandhal commode injiciuntur. Riverius commendat pro clysmate decoctum intestinorum & omenti vervecis in quo butyrum & sal gemmæ dissoluta sint; sed in induratis fœcibus, Ubi metus est inflammationis intestinorum, Lindanus laudat clysterem ex decocto hordei in quo nitrum usque ad ℥iij. dissolutum sit. Facit huc Zacut. Lusitan. loco supra citato, qui habet observationem de iliaco malo, cum vomitu stercorum, per clysterem ex oleo cum rutha & nitro decocto paratum, curato. Rulandus habet observationem de ileo periculoso curato per clysterem ex sem. lin. ℥vi. trochiscor. alandhal ℨiß. quæ mutuo bullita, partim umbilico inungantur, partim alvo immittantur loco clysteris. Facit huc Poterius cent. 2. cap. 84. de iliaca passione, per oleum suprà & infrà infusum curata.

Hoc tamen moneo, ubi motus peristalticus inversus jam incipit in intestinis crassis, aut ab ipso podice, omnia injecta raro scopo satisfaciunt, immo nunquam, sed observandæ bene circumstantiæ.

Internè notum est quod conveniant globuli sclopetorum, (quod primum credo introduxisse Helmont.) Sive sint fæces remoratæ, sive ingressus intestinorum partis inferioris in superiorem: ubi vero inflammatio & gangræna, & quando superius ingreditur inferius non conveniunt. Videatur præter Helmontium, Henricus ab Heers in observ. oppido raris, item Zacut. Lusitan. lib. 2. prax. admir. cap. 27. ubi dicit & observat quod pilæ plumbeæ 18. devoratæ, parvæ tamen, curarint ileum desperatum ex nimia castanearum crudarum ingurgitatione, seu ingluvie, indeque fæcibus induratis, natum. Sic etiam habet exemplum ilei ex pyris crudis copiose injectis. Cæterum globulos plumbeos superat adhuc mercurius vivus, sed copiose injectus, in dictis casibus, nempe ubi utiles sunt globuli. Communiter ad ℥i. præcipitur ut capiatur in oleo cumini, quod quidem non contemno, sed puto tamen quod dosis debeat esse ab ℥i. ad ℥ii. vel iv. pro necessitate in qua constitutus est æger: & postmodum simul ac per alvum ejectus est, (nam si minor est dosis tardè & difficulter ejicitur) propinetur olei amygdal. dulc. ℥ß. & olei destill. anisi ℈ß. ut lubricentur denuo ac actuentur intestina. Aliquando Erbenius, cum esset Archiater Polonus, propinavit ℔ß. ad ℔. i. mercurii in obstructione alvi, quæ ad aliquot dies in ægro substitit, ut ergo promptius operaretur, ægrum currui impositum hinc inde cum violentia & impetu trahi jussit, qui postmodum domu reversus in somnium incidit; mane vero reperit stercora cum mercurio vivo in lecto, utut per tres dies illum detinuerat. Qui vult videre quædā de mercurio in iliaca passione conferat Riveriū in praxi p. 456. item Henric. ab Heers in citat. loc. Fontanum in Cons. & resp. p. 85. Rhod. c. 2. obs. 80. Lyserum in observ. cultro anatomico annexis p. 244.

Et

Et quidem quod mercurius sit melior globulis plumbeis, patet ex Fontano qui in cons. & resp. p. 85. refert iliacam passionem tandem mercurii ope curatam, postquam tres globuli bombardarum deglutiti fuissent, &c.

Præter mercurium & similia, interne commendantur juscula emollientia, quæ temperant acrimoniam & materias induratas emolliunt; quorum historiam habebitis in Riverio. Iusculum autem malvæ, aut decoctum flor. meliloti & chamom. item decoctum flor. chamom. & hordei cum melle & nitro, assumendum. Sydenham loc. citat. in principio morbi laudat ℈1. sal. absinth. cum succo limon. assumti, superingestâ subinde aqua menthæ. Alias interdum etiam propinantur pinguia, intestina lubricantia; qualia sunt, oleum commune, amygdal. dulc. item spir. terebinth. qui à Petræo ceu egregius commendatur ad sistendam irritationem. Commendatur etiam theriaca in haustu vini ad ℥1. assumta, item syrup. papav. & similia.

Externe commendatur oleum chamomill. cæruleum cum pinguedine taxi mistum & abdomini probe illitum. Item Zacut Lusitan curat ileum pertinacem ex esu malorum cotoneorum. Ab induratis fæcibus contractus, aliis omnibus irritis, per stercus vaccinum recens, toti abdomini illitum, curatus est ileus. Veteres, & jam quoque moderni, applicarunt follem, & flatus copiosos in intestina injecerunt, eum in finem, ut flatus intestina distendentes scybala à parietibus abscedere facerent, & postmodum facilius, si quæ adessent in intestinis stercora, removerentur. Uideri potest hunc applicandi modus in Amat. Lusit. cent. 1. curatione 100. item in Riverii prax. p. 456. uti etiam in Epiphanio Ferdinand. hist. 74. Sic Zacut. Lusitan. lib. ii. prax. admir. observ. 25. habet tale exemplum ilei ex esu nimio oryzæ semicrudæ, per applicationem follis curati.

Ubi dolor urget, quod est frequens symptoma, admodum laudatur omne tum vervecis recens impositum. Item specificum est in tali dolore si sanguis vespertilionis inungatur hypochondriis; uti etiam si exuviæ serpentum cum oleo rosac. decoctæ ventri applicentur.

Denique, cum omnia alia videntur frustranea, deliberandum est an audiendus sit Barbette, qui Anatom. Pract. p. 148. dicit, aliis nihil juvantibus, apertio abdominis instituenda & manuali opera situs intestinorum corrigendus *Michael Ettmullerus Collegii Pract. lib.* 1.

Curationes ulteriores hoc in morbo adhibendas, vide cap. de Colica ex Harthmanno & Hermanno Nicolao Grimm; item cap. de Febribus, in earum scilicet symptomatis ex Thomâ Sydenham. Hic itaque continuo pergimus ad *Consultationes*, *Observationes & Anatomicas inspectiones*.

Consultationes.

Iohannes Puthomme post curas aliquot, & intempestivas comessationes, in quibus liberaliter satis genio indulgebat nec mero parcebat rerum domesticarum curam gerens, quod nunquam solitus fuerat, per alvum inferiorem sanguinis copiam profudit. Huic solemnis erat evacuatio per venas hæmorrhoidales: tandem veritum est ne si immoderatius sanguis ille flueret, de viribus nimium detraheretur. Ei bolo cassiæ & meo judicio venæ sectione consultum est. Malum cessavit. Non ita longè post queritur de doloribus acerrimis ad ventrem in modo colicorum dolorum ægrum vexantibus. At colica passio non erat ea quæ proprie dicta est, pulsus erat citatus: urinæ alias aqueæ alias bile saturatæ: ad utrumque renem dolor erat fixus ac si in partibus illis aut lapis insideret, aut aliquid simile: nullum ventum flatumque per ventrem emittebat. Clysteribus juvabatur, sed momento tantum. Ægrescebat medendo. Indita enemata carminativa nihil aut parum adjuvabatur. Aliquando magnam urinæ copiam profudit. Insomnes dies noctesque ducebat. perpetui ructus erant: necnon ac si immineret præfocatio, sentiebat dolores summos ad sternum, & thoracem. Regio renum oppressu levi dolebat gravissime. Si quiesceret dolor per tempus breve mox acerbior redibat. Nil vomuit. Si colica passio fuisset aut dolor colicus, vomitus aliqui aut præcessissent, aut adessent, ut ex Galeno patet. Tamen nil tale apparuit. Borborygmi aliqui aderant sine tumore aliquo, venter non detumuit. Medici inter se digladiabantur de essentia morbi & natura. Alii tanquam colica laborantem variis remediis calidissimis eum fatigabant, agarico, folliculis, syrupo rosarum solut. Denique magnam frigidorum humorum copiam esse rati, eo suam convertebant operam, ut calida medicamenta & phlegmagoga præscriberent. Nil est profectum, sed ægrescebat medendo. Alvus vero perpetuo sicca remanebat, & nil reddebat nisi, quod vocat Hippocrates, πρὸς ἀνάγκην. Flatus vero omnis exitus præcludebatur, immo quod à pharmacopæo relatum est, cum clysma indebatur, recti intestini pars extrema contorta paulum videbatur, & non nisi vi injiciebatur, & glans immittebatur. cataplasmatis anodynis dolor levabatur. Dicebat se tumultuantes quosdam flatus sentire, non quomodo in colico dolore, sed efferi erant quidam flatus divellentes membranas, & dolores & profundos in mesenterio excitantes, & sublimes in peritonæi tunica, unde minimo digitorum appressu ejulabat præ dolore At in colicis doloribus nil tale contingit. Nulla per os excretio fiebat. Alii autem Medici, & multo acutius, veriusque observata victus ratione, quod multis & generosis vinis assuesset, genio indulsisset, susque deque habita diætâ usus fuisset. Item observato pulsu inflammationis cujusdam in toto mesenterio latentis indice. Præterea observatâ illa per anum sanguinis excretione, quæ repressa aliquantum fuisset, quod ne immodica foret Medici vererentur, cùm fortassis melius fuisset cum nonnulla virium jactura affatim adhuc sanguinem effluxisse. Omnibus (inquam) iis observatis cellegerunt in toto ventre inferiore volvulosam esse quandam affectionem ab inflammatione quadam, aut potius calore concepto in toto mesenterio & intestinis ex olida putrique materia flatus malignos excitante, unde torminosi dolores & ructus perpetui, & stomachi sine vomitione occultæ subversiones. Quæ materia reses, & ignava, & pigra erat, ea sensum doloris modo gravis, modo pungen-

tis in profundo præsertim ad renum regionem excitabat: elevatus vero ex eadem malignus spiritus vagos erraticosque στρόφους provocabat. Neque vero materiam istam pigram necesse erat efferri, sed in parte in qua residebat dolor excitabatur, qui ab eadem parte tanquam radice sese sensim insinuando ac propagando in partibus vicinis dolorem excitabat. Hanc doloris ideam, Galenus videtur vocasse πόνον διάσφοδρον, vertunt turgentem: qui nimirum à parte primo affecta, veluti à radice incipiens celeriter in partes adjacentes traducitur. Nam causa morbi uno loco conquiescit. Vel enim dolorem ἐμπεπαρμένον: vocare possumus, infixum; sed tamen aliæ partes, præsertim si qua sit continuitas affici possunt. Causa illius doloris vel est copia humorum confertim ingruentium, vel spiritus flatuosus. Sed revera, vel ratione ægrotantium, rem non intelligentium vel rei ipsius quæ per se obscura est implicita, difficilis admodum est cognitio speciei doloris. Dolores autem istos reciprocos, revolutos, reductos, Hippocrates in Prorrhet. vocat χειφεμένοις atque illo aphorismo mihi videtur quodammodo adumbrasse morbum quo miserrimus iste æger cruciabatur: quibus (ait) lumborum tenues & diuturni dolores & ad hypochondrium reducti, revolutique. & ciborum aversio cum febre, dolor his valens contentusque ad caput perveniens, cito cum quadam convulsione interimit. id est sæpe circum præcordia & mesenterium residet & restagnata materia olida putrisque; quæ si contingeret aut cholera morbus, aut vehemens alvi fluor, nullam molestiam plane afferret.: sed cunctando varia inducit symptomata, initio quidem exiguos & torminosos excitat dolores, sed sensim atque sensim ac magis collecta, exitu prohibita majores malignitatis nervos nacta tandem fastidium cibi accersit, & febrem: rursus febris materiam deteriorem reddit. Tandem aliquando efferа magis reddita quaquaversum erumpit, & suæ malignitatis notas edit, prout in hanc aut illam repererit partem. Quod certè huic ægro contigisset, si febris major fuisset, quæ materiam deteriorem reddidisset, & nisi materia coërcita intùs fuisset.

Præterea frequentes clysteres injecti, medicamenta præscripta, tametsi minime idonea, tamen impediverunt quominus exaggeraretur humor, taliaque symptomata ederet tandem, qualia in prorrheticis ab Hippocrate describi diximus. De doloribus χειφομένοις dictum in definition.

Aut certe eum morbum speciem quandam volvuli esse dicemus, sumpto nomine volvuli non strictè, ut apud Hippocratem sumitur; Ait enim phlegma à capite descendens volvulos diuturnos excitare, id est, dolores iliacos, & volvulosos, & torminosos, in quibus imus venter & hypochondrium utrumque dolet. Nec enim credibile volvulum morbum esse diuturnum, nisi impropriè sumatur. cum itaque intestina ob flatus nonnullos, tum ob copiam humoris maligni in mesenterio & intestinis collecti dolent, & totus venter, eaque torqueri quodammodo, convolvique (Grecè εἰλεῖσθαι) videntur, volvulosa dicitur passio, ut ex Hippocratis loco superius adducto patere potest. Simile quid apud Hippocratem legere est in lib. de affectionibus, ubi triplicem volvulum constituit, unum hyemalem, ut cum quis nimio victu calido & humido utitur, & non sese deambulationibus dedit, &c. Alium arcuatum, qui æstatis tempore in regionibus palustribus prehendit, & dicitur volvulus, in eoque æger auruginosus fit. Tertium hæmatiten & autumnalem, quem eodem loco describit. Nomine volvulorum intelligit quosdam dolores torminosos volvulososque ob pravam diætam aut temporis intempestivitatem nascentes, qui pro diversis affectibus & temporibus in quibus pullulant. Varias conditiones & nomina sortiuntur. Æger noster hæmatite & autumnali volvulo præhendi visus est. Nam ut ante demonstravimus, sanguinis fæculenti residuum erat aliquod ab excretione quæ præcesserat, à quo prima mali labes. Et tale quid Hippocrates visus est observasse in Coacis, dolores ex lumbis diuturniores febris tertianæ modo exacerbantes (id est quorum dolorum non semper est acerbitas, seu unius diei dant inducias ac si motum quendam haberent, tertianum) grumosum sanguinem egerere faciunt; id est, dolores isti excitantur à conclusa in ventre materia nigricante, adusta, & veluti sanguine fœculento existente, quorum remissio non fit, nisi ejusmodi materiæ fœculentæ, aut ob putredinem, aut moram diuturnam nigritiem adeptæ, è corpore fiat exclusio. Quæ omnia diligenter sunt notanda. Et Fernelius dolores ventris non absimiles doloribus colicis (cum tamen non sint) agnovit quodam circuitu periodoque repetentes in quibus ægri miserè conflictantur. In hoc ægro dominabatur calor præter naturam, flatuum malorum, quales in libro de flatibus describit Hippocrates, copia & vis excitabatur, meatus non erant liberi, unde exitu prohibebantur, & revolvi cogebantur ad superiores partes: denique materia non dissipabatur, ideò flatum non emittebat, nec cum bombo, nec sine bombo, & stridore: de quibus flatibus Hippocr. in Prognost. flatum emittere sine bombo & stridore, saluberrimum: quod significetur vis caloris facilè materiam dissipantis; item libertas meatuum: & tamen optabilius una cum bombo fatum excludi quam illuc revolvi: revolvi autem grecè dicitur ἀνειλέεσθαι. Itaque ad etymon & proprietatem nominis εἰλεὸς alludit senex. Porro revolvitur flatus, cum non exit, aut incendio partis, aut depravato motu intestinorum, proprio autem vitiatos: & ista flatuum devolutio in tenuibus intestinis tormina parit, alvum pulsat, nauseam excitat, & si ad diaphragma appellens respirationem vitiat: quæ omnia in ægro paruerunt. Nam & tormina in tenuibus intestinis excitata sunt, & nausea aderat, & aliquando species quædam suffocationis; quæ omnia ob flatuum revolutionem ad superiora contigerunt; revolutionem autem peperit & incendium, & motus depravatus intestinorum. Horum quoque demonstratio peti potest ex lib. 4. Aphor. cum ait: queis ilia suspensa obmurmurant, lumborum dolore superveniente alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinæ profluvium consequatur. Hæc vero in febribus. Murmur etenim fit ex flatu juncta humiditate; si non separetur flatus à mate-

materia, alvus necessario humectatur; si separetur, alvus non humectatur, sed aut flatus, aut urinæ excretio fit. Et quod addit, in febribus; considerat vel febres symptomaticas, vel febres essentiales, symptomaticæ sunt ut in pleuritide, peripneumonia, in quibus si murmura oriantur, aut suspendeant hypochondria, non perinde tamen aut flatus erumpunt, & murmur ita contingit, ut aut urina fluat, aut alvus feratur. Si enim murmur adsit, non est quid secundum naturam, sed tantum quid symptomaticum: propterea humiditas murmuris causa, naturâ duce non facit aut alvi aut urinæ profluviũ. Sed in febribus, essentialibusquia nõ pars aliqua peculiariter laborat, sed totum genus venosum, œconomia naturalis laborat, vitiatur coctio, hinc à cruditate flatus surgunt cum murmure: hinc naturæ motu, aut ii flatus erumpunt, aut urina fluit, aut alvus. In ægro nostro urina aliquando largè fluxit, unde diabetæ metus esset, factaque humidæ materiæ erat secretio ad renes; dolores tamen non cessaverunt, quia flatus non simul eruperunt: quod si erupissent, facta fuisset dolorum solutio.

Itaque intemperies erat calida flatus excitans, motus intestinorum depravatus, angustia ventrium. Idemque contingeret quod & Galenus contingere ait in melancholia flatuosa; ut legere est lib. de locis affect. sed quæri potest, quomodo flatuosa esset alvus inferior, cum calor esset multus, immò & essentia morbi in calore & intemperie & phlogosi constituatur? Nam ex Hippocrate, icterici non valdè sunt flatuosi, ob dominatum caloris acris, & paucitatem crudi humoris qui flatuum est materia. Nam tametsi in 4. Aphorism. habitualis & hectica intestinorum & ventris inferioris dispositio hydropis sicci causa sit, & inflationis ventris ipsius, non tamen ista habitualis dispositio à calore est, sed à frigore; quanquam tantum non est quantum in reliquis hydropis speciebus. Dicemus ictericos quidem non esse flatuosos per se, sed per accidens, nimirum si partium ad ventrem attinentium sit imbecillitas. Maximè autem imbecillitas contrahitur ob paupertatem caloris naturalis, & dominatum caloris contra naturam omnia pervertentis; immò & omne alimentum in corruptelam & malignum spiritum convertentis. Quod si corpus in quo intemperies est calida ab omni crudo humore immune esset, flatuum quidem ilias non gliceret: sed si qua crudorum succorum quantitas sit, facilè adaugetur ob calorem contra naturam. De ictericis an flatuosi sint, an non, dictum à nobis in comment. de Definitionibus Medicis. Cæterum, indicavit abunde curatio qua ex causa morbus foret. Nam cum immedicabilis per multos dies permansisset, usurpatis præsertim validioribus medicamentis rerum quæ sequuntur, usu plurimum est adjutus. Primum relictis gravioribus enematis, in blandioribus statum est. Vena secta ter, ut inflammatio tolleretur. Sanguis inflammatus & corruptus. Jussula temperata & insulsa data sunt. A vino temperavit. Ter die in balneum descendit temperatum ex aqua dulci. sequenti die data tabella diacarth. ex jusculo pulli ad diacrydii vim debilitandam. Deinde rursus in balneum descendit. Paulo post morbus cœpit humescere, phlogosis temperari, liberari obstructa, flatus erumpere: erumpentibus allevatio multa. Deinde syrupo violato sæpe usus & potione sequenti.

♃. Sem. melonum, cucum. an. ʒ. i. ſ. sem. citrii & fœnic. an. ʒi. granorum alkeken. & Kerme an. ʒi. malv. bismal. & scabios. an. m. j. cinnamomi ℈i. fiat decoct. ad dosim. In colat. dissolve vini hippocratici ℥ß. succi amygdal. dulcium ℥i. ſ. utatur longe à pastu.

Repetatur idem poculum sæpe.

Item fotus post balneum adhibitus est sequens.

♃. Malv. bismal. an. m. i. florum chamæm. melilot. summit. aneth. an. m. ſ. absynth. pont. menthæ, an. m. ſ. semin. lini ℥i. cypper. screnan. an. ʒiii. ben. albi, ben rub. an. ʒi. Fiant sacculi qui bulliant in aqua & vino pro fotu ventris totius & ventriculi, cum spongia.

A fotu liniatur oleis sequentibus.

♃. Butyr. recent. ℥ii. mucag. sem. lini & altheæ an. ℥i. pulver. mastich. & cypperi, an. ʒi. ol. absynth. mastich. & chamæm. an. ℥i. ol. rosati ℥ß. aceti ℥ß. misce, fiat litus ad ventrem totum.

Item adhibitus pullus gallinaceus & catulus ventriculo.

His remediis levatus. Cessantibus ventris doloribus gravissime illi doluerunt partes extimæ, præsertim genua & pedes.

Annotationes.

1. Si verè morbum illum nominare velis, speciem quandam choleræ siccæ appellares, de cujus notis & signis dictum est ante.

2. Urina erat pene cruda & incocta, quod declarabat incendium renum præpropere serum attrahentium: & suppressionem humoris biliosi quæ suppressa malum deterius reddebat.

3. Est ubi qui sunt icterici sunt flatuosi, est ubi non sunt flatuosi, secundum sententiam Hippocratis. Nam cum fit icterus per inflammationem partium, nec pituitosa crudaque materia subest quæ in flatum vertatur, tunc absunt flatus. sed si aut præcesserat congestio materiæ pituitosæ, aut chyli propter pravam simarum hepatis dispositionem, corruptio sequitur, etiam in ictero potest esse flatuum multitudo. Uel dicemus ex agitatione materiæ crudæ, & caloris contra naturam excitatos esse flatus malignos. Idemque factum esse quod in generatione flatuum, de qua in nostris Definitionibus. Galenus comment. in partic. 21. lib. 4. Acutor. ait à spiritus interceptione non inferri flagrantem hypochondrio affectionem. Quod verum est. Sed flagrans in hypochondrio dispositio potest flatus excitare.

Quod mirum est quiescentibus post balnea doloribus ventris & renum, cœpit dolere tibias & malleolos, adeo ut per omnes noctes clamaret, nec ulla ratione sedarentur. Hunc morbum graphicè explicat Hippocrates, lib. de intern. affect. *Gulielm. Ballonius Consil. Medicin. lib.* 1.

Iliaca Passio.

Reverendiss. Abbas 40. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus, multis abhinc annis hypochondriacus, Theologicis studiis addictus, & rei quoque œconomicæ quammaxime incumbens, multum comedens, & vina meraciora bibens, nec vel brevis omnino jejunii patiens, natura enim vorax propemodum observatur, parum tamen concoquens, pituitosæ proinde, & crudæ materiæ vomitibus jamdiu obnoxius, ignava tamen valde atque adstricta alvo, tandem diebus proximè elapsis Venetias petens, negotiorum sui cœtus gratia, Conchyliorum & Ostreaceorum copia se infarsit, vinaque Cretica bibit, suppresso interim consueto crudæ & pituitosæ materiæ vomitu, alvoque adstrictiori quam antea, & stercora ficciora egerente, quinimo tota hebdomada præterita omnino otiante, adaucti in ventre rugitibus intestina inflantibus ac distendêtibus. Cujus rei causa pilul. ex Aloe cum Mastich. sibi familiares deglutiit, quas tamen nulla evacuatio subsecuta est, ideo ad clysterem confugit, quo pauca & exsiccata, atque materia pituitosa involuta dejecit. Cum autem dolores summum ventrem torquere inceperint, magis magisque invalescentes, cum vomitu ferè continuo & vehementi heterogenæ, materiæ, biliosæ scilicet atque pituitosæ, Medicum domesticum accivit, qui statim Potionem ex Syr. & Mel. Ros. sol. præscripsit, quam tamen illico Pat. evomuit, quibus perterritus, statim me quoque, casu tunc temporis Venetiis agentem, in consilium advocavit.

Licet nonnunquam Colicus dolor cum Iliaco, & hic cum illo confundatur, ut videre est apud Gal. dicentem. Cum sit omnis Volvulus periculosus, qui in sublimitoribus intestinis consistunt, iis qui in crassis sunt deteriores, ut qui contagio jecur & lienem afficiant. Cui subscripserunt quoque Aret. & Trall. quinimo & Diocles Carystius apud Celium Coli intestini dolorem Ileum vocavit, potissimū vero id experientia confirmat, qua videmus stercora in scroto obdurata, Coli inflammationem excitare, & postea Iliacam passionem, cum fæcum vomitu, cujus opinionis fuerunt quoque Petrus Salinus, Mercatus, Mercurialis, & Fernelius, qui vidit Colon pituita repletum in Cadavere Ileo defuncti. Nihilominus Iliaca passio non datur, nisi Ileo intestino affecto, quod hisce casibus fit solum per consensum, sicut primario semper læditur in legitima atque exquisita Iliaca passione, quæ nomen ab ileo intestino, ossi ilii adhærente habet, seu à verbo Græco Eileo, hoc est misereor, ob sæva & miseranda symptomata illam comitantia, unde Miserere mei appellata quoque fuit Hanc autem esse affectionem Abb. Reverendiss. divexantem demonstrat ejus proprium & inseparabile pathognomonicum signum, nempe quod nihil ad inferiora descendat, licet Medicorum vulgus falso sibi persuadeat, hoc potius esse stercoris vomitum: Gal. enim ita de Ileo locutus est. Et vomitus non semper adest, sed quando exitiales sunt, & si vehementius distorqueantur, stercus ascendit, atque singultiunt. Quod alibi repetit dicens. Vomitus autem stercoris advenit eis qui exitialiter se habent, & ideo sub finem morbi conspicitur. Id autem confirmat historia ab Hippocrate data de Muliere apud Tisamenum, quæ tertia die volvulosa, sine ullo vomitu obiit. Neque obstat, quod in eadem dejectiones tenues, crudæ, & paucæ fuerint, cum enim inflammatio fuerit in superioribus intestinis, excrementa, quæ infra inflammationem hærebant in crassioribus, attenuata & liquata, paulatim tenuia, cruda, & pauca descenderunt, verum nihil amplius foras expulisset, si diutius affectus perdurasset. Quod comprobat quoque Hipp. dum Ilei ex inflammatione curationem proponens præcipit, educenda esse fæces infra inflammationem stabulantes glande ex Melle Felle Taurino illita, cui subscripsit quoque Petrus Salius. Sed præterea Iliacam passionem confirmat doloris situs atque casu nostro assidui quoque vomitus, ob Ileum Ventriculo proximum, & potissimum rei potulentæ, quia potus innatans facilius vomitu quam cibus rejicitur, Quæ tria signa Gal. ipse quoque confirmavit.

Causa vero hujus affectus multiplex esse potest, à casu tamen nostro inflammatio excluditur, quia febris non adest, excluditur item durus tumor, quia paulatim affectio facta non est, nec abscessus locum habet, quia nec diuturno tempore, nec cum sensu doloris illius partis genitus est affectus, quare superest nobis consideranda fæcum retentio, necnon pituitosæ & crassæ materiæ accumulatio. Et quidem si ex una parte temperamentum totius & jecoris, calidum & siccum, totius & abdominis præsertim gracilitatem, consuetam alvi stypticitatem, meracioris vini familiarem usum, atque tandem fæcum diuturnam retentionem consideremus, hanc esse hujus passionis causam, summa & cum ratione concludi posse videtur. Si vero ex altera consuetam Pat. Reverendiss. voracitatem, quotidianam crudæ & pituitosæ materiæ generationem, & suppressam ejusdem per vomitum evacuationem, una cum postrema Conchyliorum & Ostreaceorum ingluvie expendamus, neque hanc certè excludi posse cognoscemus, atque utramque ad Iliacæ hujus passionis ortum conspirare, asserere cogemur, potissimum cum utriusque præsentia signa habeamus, Etenim fæcum retentio non statim, sed multis post diebus, mordacitate scil. acquisita, dolores excitare solet, tuncque sursum halitus elevantur, & cum vomitu primo bilioso, mox etiam pituitoso per os excernuntur. Et licet à pituitosa materia, utpote humida, dolores vehementes inferri non possint, attamen invalescere incipiunt, quinimo graviores evadent à flatibus copiosis & acribus, ob stercoris præsentiam intestinum distendentibus ac vellicantibus. Neque pituita induratis fæcibus facilem exitum parare potuit, quia à fervido viscerum calore crassefacta, & ipsa ad motum inepta reddita est.

Hanc vero causam pituitosam admisit quoque Avic. capite proprio, imo & Hippocrat. dum dixit, quod, Quibus ex stillicidio urinæ Ileos supervenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superveniente satis urina fluxerit. Nihilominus eam ablegare Gal. conatus est, negans hunc Aphorismum esse Hipp. quamvis postea in progressu illam concedat dicens. Difficulter

id

id evenire posse, at si placeat, & ista causa ponatur.

Passio Iliaca ex se acuta & periculosa censetur ab Hipp. ipso, quam fœtidam & mortiferam appellavit Oribasius, ideo Ab Ieo vomitus, singultus, desipientia, vel convulsio, malum. Comparative tamen considerata, minus periculosa est quam quæ ex abscessu, duro tumore, aut inflammatione procedit. Neque nos prorsus deterreat, nec spem omnino abscindat fæcum retentio novem dierum, siquidem Rhasis historiam narrat mulieris paralyticæ, quæ integri mensis spatio ventrem non exoneravit, sicut Nicolus de quadam gravida aliam refert, quæ 45. dies nihil per alvum dejecit, quæ tamen nec in Iliacam passionem inciderunt, minusque perierunt. Magni tamen facere præsentem affectum nos cogunt Iliaci dolores cum vomitibus, verendum enim ne alia duo prava & exitialia symptomata contingant, difficilis videlicet respiratio, & fæcum per vomitum excretio, præsertim cum ad passionem hanc producendam duplex causa concurrat.

Statim itaque propriis & efficacioribus remediis sedulo agendum, & si medica intentio ab essentia est elicienda, omnium primo adversus fæcum & materiæ pituitosæ retentionem convertenda laxantibus & subducentibus. Quoniam vero urgent, & in posterum magis urgebunt dolores, Anodyna, & Narcotica quoque videntur usurpanda, licet in hoc peracuto, imo acutissimo affectu locum non habeant, præ temporis brevitate. Nam dicebat Galenus Non adhibeantur opiata, nisi post adhibita alia medicamenta, dolores enim sedant, sed dispositiones non sanant. Causis itaque contraria remedia opponenda, quæ quoniam sunt fæces retentæ, & materia crassa atque viscida pituitosa cum copiosis flatibus, ideo primo fæces internis emolliendæ. Secundo dissolvendæ & evacuandæ, & si res pro voto non succedat; Tertio intestina vento replenda & inflanda, ut facilius dura stercora indevolvantur. Inde quarto statim Clyster injiciendus, qui fæces dissolvere & colliquare possit: atque interim crassa & viscida pituita attenuanda, & una cum fæcibus evacuanda, flatusque discutiendi. Quæ omnia attigit Hippoc. 3. de Morbis.

Primo itaque exhibeatur statim Oleum Amygdal. rec. ad ℥v. cum ℥iiii. Olei de Lino, ob præsentiam pituitosæ materiæ. Sex vero aut septem exactis horis, in Balneum descendat ex Oleo paratum, cui suffundatur decoctio emolliendi & laxandi facultate pollens, quam etiam Oleo impertiri possit. Paretur autem ex Aqua dulci, alterata foliis Malvarum, Pariet. Viol. Radic. Alth. & Lil. alb. sem. hordei, & fœnugr. Balneo vero egressus Pat. & detersus, assumat Flor. Cass. recentiss. extractæ ad ʒ x. à qua, si vomitus nullus fuerit metus, bibat jus emolliens, Malvis scilicet alteratum: inde somnus permittatur, & tribus aut quatuor horis ab assumpta Cassia, cibus offeratur, exigua quidem copia, sed multi nutrimenti: & à cibo rursus somnus captetur, ut aliis quatuor post horis Clyster fæces emolliens & evacuans injiciatur, ita parandus.

℞. Decoct. Malv. Betar. Mercur. Chamæm. ℔i. Mel Ros. sol. Ol. Amygd. an. ℥iii. Salis Gemmæ ʒii. Vitell. ovor. n. ii. m. pro Clyst. His peractis, supersedendum opere, neque enim ad valdè attenuantia ratione pituitæ devenire licet, ut ad vinum generosum, cum Aqua vitæ, Elixir vitæ cum Aqua Cinnam. præscripta à Mercato, & Petro Salio in hoc affectu, sed potius iterum laxantia, Ol. scilicet Amygd. recens Ol. Amygd. amar. vel pauco Cretico commistum, cum Matthiolo repetenda, & Pat. rursus in Balneum immergendus.

Quibus si non cedat affectus, ad tumefacientia, & stercus induratum dimoventia, necnon suo pondere extrudentia erit confugiendum. Quare folle fabrili, cannula per sedem introducta, intestina vento implenda & insufflanda, mox clyster dissolvens & moderatè irritans injiciendus, qui peti poterit à Scribonio Largo Medicinæ Principe, Lib. de Medicam. Compos. 118. propositus, & ab eodem feliciter expertus, dum Servum cujusdam Vnguentarii, stercus per os ejicientem liberavit. Paratur autem ex Oleo, in quo decocta fuerit Ruta, addito Aphronitro, ad sescunciam; valet enim flatus discutere, & fæces dissolvere, ut asserit quoque Gal.

Quibus non sufficientibus, ponderosa sunt usurpanda. Sic Trall. proponit plumbum devorandum. Mercatus Chalybem, Pareus Argentum vivum, quod tamen remedii genus desumpsit à Mariano Sancto, qui præbebat Mercurium vivum, ad libras, in Aqua calida, quo multos vidit in Ileo deplorato morti proximos liberatos.

Hæc autem sunt efficaciora & selectiora remedia, quæ Sapientissimo Viro proponere potuimus, quorum recto, & opportuno usu Rever. Abbati in adeò truci malo, sanitas reparanda; congrua addita victus ratione, quam antea innuimus, vino omnino non interdicto. *Raym. Ioh. Fortis Consult. T. i. Cent. 2.*

Medicatio viri, Iliaca Passione Laborantis.

Vir 36. annorum, ingluviei deditus, cum varii generis malis cibis longo tempore esset usus, incidit in intolerabilem doloris cruciatum; totum quidem ventrem circumdantem, sed maximè in umbilicali regione, & circa hypochondria, ipsum miris modis torquentem. Accessit cibi fastidium, & deinde etiam vomitus, quo nec cibus, nec potus, retineri potest. Multos corruptos humores per superiora excrevit. Alvus ita adstricta est, ut nullum flatum, necdum quicquam aliud, per inferiora excernere queat.

Afficiuntur in hoc ægro ventriculus & intestina, ac inter ea potissimum intestinum ileum. Idque ex vomitu & ingenti illo dolore, totum quidem ventrem, sed regionem umbilicalem & hypochondriorum, ubi intestinum ileum situm est, potissimum occupante, est manifestum.

Morbus, quo hic æger affligitur, est intemperies ventriculi & intestinorum, ac præcipuè ilei acris & putrida, & forsan eorum etiam angustatio; quæ dolorem crudelissimum in iis partibus, ac præcipuè in ileo, ac præterea corruptorum humorum per superiora copiosam excretionem per inferiora impediens Ileus, vel iliaca passio, à parte præcipuè affecta, vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est ingluvies illa, quâ varii generis pravi cibi diu à viro hoc ingesti fuerunt. Pravi verò & corrupti humores hinc in partibus affectis, jam commemoratis, geniti, ibique existentes, & cum sanguine mixti, & per corpus diffusi, antecedentem hujus morbi constituunt causam.

Pars vero eorum ab illis imbibita, eaque suâ acrimonia & copiâ vellicans, & forsan etiam crassitie sua, vel convolutionem eorum pravam excitando, angustans, intemperiei hujus, ac doloris crudelissimi; nec non excretionis per superiora institutæ, per inferiora verò, ob spiritus animales, qui in fibras intestinorum oblique ascendentes fortissime ab irritatione hic factâ fluunt, penitus impeditæ; itemque cibi fastidii, continens est causa.

Periculum est, ne hic morbus stercoris vomitum inducat, & ægrum syncope, doloris vehementia inductâ, occidat.

Diligentissima itaque Curatio mox est adhibenda; Eaque in humorum pravorum per inferiora eductione, doloris sedatione, & intemperiei per contraria correctione consistet. Mox itaque injiciatur talis clyster.

♃. Malvæ, bismalvæ, mercurialis, betæ, an. m. i. Rad. althææ ℥ii. Flor. meliloti, camomill. an. m. ß. Caricar. pingu. ℥ſ. Decoq. in jure pulli ad lib. iß. in Colaturâ Dissolve electuar. diacatholici, diaphœnici an. ℥i. Vitelli. ovi No. i. butyri, ol. anethini an. ℥i. ß. Salis comm. ʒi. Misce F. Clyster; mox injiciendus, & quam diutissimè æger poterit retinendus, & aliquoties reiterandus.

Ubi per inferiora excretio aliqua facta fuerit, tale purgans per os dandum erit.

♃. Cassiæ recent. extractæ. ℥ß. Electuar. diaphœnici, diacatholici an. ʒii. Olei anisi. ℈ß. Aq. decoct. hordei q. ſ. misce F. Haustus brevis.

Per os etiam postea exhibeatur oleum amygdalarum dulcium ad uncias duas, cum jure vervecino mixtum. Venter foveatur tali fomento:

♃. Fol. malvæ, althææ, violariæ, an. m. iß. Flor. camomillor. meliloti an. m. ſ. Sem. lini. anisi, anethi an. ʒi. Decoq. in aq. comm. q. ſ. pro Fomento. Et postea venter oblinatur tali oleo.

♃. Ol. anethini, camomillor. Amygdalar. dulc. an. ʒvi. Misce. Dolore perseverante exhibeatur talis bolus.

♃. Theriacæ Andromachi ℈ii. Requiei Nicolai ʒß. Laudani opiati gr. iii. Cum syr. de papav. alb. q. ſ. f. Bolus. In clystere etiam antea proposito addi poterit philonium Romanum ad ʒi ß. vel ʒii.

In victus ratione, Aër, sit calidiusculus. Cibus eupeptus & euchymus, ex jusculis. Potus sit cerevisia & vinum mediocre. Somnus sit longior. Alvus respondeat arte, vel natura: Tristia vitentur.

Medicatio Fœminæ Ileo, Ex Bubonocele, Laborantis.

Mulier quadraginta annorum, jam à multis annis ex partu In dextro inguine herniosa, incidit in diarrhæam; qua, dum alvum frequenter deponere cogitur, intestina, quæ ligamentis externis artificialibus in loco suo retinere solebat, in inguen cum tumore sunt prolapsa; cumque ea ob duritiem renitentem, in locum reduci non possent, incidit in intolerabilem ventris dolorem, circa umbilicum ipsam potissimum torquentem, ac cum vomitu enormi & continuo variorum excrementorum, imo ipsarum etiam fæcum alvi, conjunctum. Iam à biduo hoc torquetur malo, multaque remedia per os & anum sunt adhibita, sed ea hactenus fuerunt irrita. Adest febricula.

Afficitur in hac ægra inguen dextrum, quod ex ejus tumore; & intestina, quod ex dolore ventris, circa umbilicum ipsam potissimum torquente, & tumorem in inguine faciente, nec non ex enormi illo vomitu, est manifestum.

Morbus, qui ipsam affligit, est tumor inguinis dextri, ex intestinorum illuc prolapsu ortus; qui intolerabilem ventris dolorem, vomitumque excrementorum, imo etiam ipsarum fæcum, enormem & continuum faciens, Ileus ex bubonocele appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est diarrhæa illa; qua ægra alvum frequenter evacuare, corpusque inclinare coacta, intestina cum copiosis fæcibus frequenti illo motu in inguen deturbavit; eaque ibi hærentia, atque contorta ac pressa, partesque vicinas distendentia, ac dolorem in iis excitantia, descensumque excrementorum impedientia, continens hujus morbi & symptomatum sunt causa.

Ab illapsis enim intestinis factus est inguinis tumor & tensio, & intestini clausio; indeque dolor; & à dolore pori in cerebro ita fuerunt aperti & spiritus ita in eo determinati, ut illi in inguen multos impellerent humores, tumoremque & dolorem ita ibi augerent, ut tumor indurаretur, & dolor intolerabilis evaderet: in fibras vero intestinorum oblique ascendentes spiritus continuò ita influerent, ut ea, versus superiora magno impetu ab iis contracta, quicquid in iis continetur, magna vi per vomitum continuò ejicerent.

Morbus hic periculosissimus est. Metus enim est, ne intestini illapsi fiat inflammatio, ex qua oriatur gangræna. Et præterea, ne ex vomitu & dolore vires ita prosternantur, ut ægra in lethalem incidat lipothymiam.

Celerrima itaque, quantum fieri potest, Curatione morbus est impugnandus: quæ tota in intestini reductione, & doloris sedatione consistet.

Itaque tali decocto emolliente & flatus discutiente inguen dolens continuo foveatur.

♃. Fol. malv. flor. camomil. anethi, Sem. lini an. Mi. sem. cumini ʒii. Concoquantur in lacte bubulo pro fotu, quo spongiæ imbuantur, eæque calidæ adhibeantur, & leni pressione manuum reductio intestini tentetur.

Dum autem hoc agitur, ægra ita in lecto erit collocanda, ut caput valde sit declive, crura vero elata.

Si vero hac ratione intestinum non potest reduci, cutis & peritonæum in inguine, ad intestini illapsi restitutionem, chirurgiâ erũt aperienda: & intestina reducta, ope subligaculi, in abdomine retinenda. *Henricus Regius apud Theodorum Craanen Medication. lib. 3.*

Observationes.

Pro Ileo.

Imperavi ut ℥ii. amygd. d. rec. sumeret: hoc unicè valet & multis profuit: dedi autem calidè, non

non tepide ne evomeret. Petrus Forestus. obs. 16. lib. 21. *De mesenterii & intestinorum effectibus.*

Mulier quædam Romæ cum deplorata haberetur, & stercus per os evomeret, neque ullis remediis sanari posset, tandem sumpsit omni die jusculum malvæ, & sanitati restituta fuit; ut constat ex arcanis Cornelii Medici Roterodamensis: nihil æque stercora dura emollit, quam juscula pinguia. *Idem Schol. obs. 21. lib. 21.*

Quidam ileosum conclamatum à summa desperatione liberavit gallinaceo fimo ex vino albo vel syrupo epoto. Idem Schol. obs. 21. lib. 21.

Vir quidam ileo laborabat cum vehementissimis doloribus supra & infra umbilici regionem, & gravibus vomitibus non solum ciborum sed & stercorum, & alvi per septimanas octodecim continua suppressione: ego hujus viri misertus, curam ita institui.

℞. Olei sem. lini ℥vi. troch. alhand. ʒiß. M. & fiat ebullitio parva. Postea inunxi umbilicum bene hoc clystere, ac reliquum per siphonem injeci: hoc facto post duas horas cœpit egerere stercora durissima, mucosa, purulenta, fœtidissima, varia & plurima, ac rectè mox habuit, cibum & potum non evomuit, non amplius doluit: &, quod mirum, intra diem sanatus est. *Martinus Rulandus. curat. 99. cent. 10.*

Cum per superiora multa evomeret, per inferiora verò nulla remitteret; post plures injectos clysteres, quibus nihil egessit, ad hoc artificium devenimus, quo scopum obtinuimus, & ægrum ab orci faucibus liberavimus. Follem fabrilem ano indidimus, & eo flatum in ventrem immisimus, quo extracto, infusum emolliens, cum troch. alhand. paratum, per clysterem subito ejaculari fecimus, quo stercora illico dissoluta ac colliquata fuere, & demum educta: sic enim in hoc morbo operandum suadet *Hippocrates. Amatus Lusitanus. curat. 100. cent. 1.*

Cum ad consilium biduo ante mortem vocarer, negaretque medicus chymicus ipsi sanguine junctus se alterius Medici præsentiam passurum; suasi qui me consulebat fratri, darent patienti argentum vivum crebro per corium transitu perpurgatum, quod sæpè vidi sine noxa, momento citius, eductis secum obviis fæcibus per intestina transisse: à cujus usu, ne frigore suo interanea læsisse posset, statim clysterem ex puro Cretico vino injiciebam: sicque aliquot coli nimia tensione morituros, cum Dei gratia liberavi. Sed Medicus maluit hominem in certa morte relinquere, quam remedium, quod inexpertus judicabat periculi plenissimum tentare. Pilas alii in hoc casu aureas, argenteas aut etiam si illa desint, plumbeas præscribunt: sed argentum vivum pilis omnibus expeditius, velocius, intestina percurrit, perpurgatque: vivunt hodie multi, qui norunt centurionem non ita pridem mortuum, cui cum princeps commessabundus, in media compotatione, risum captans, selibram argenti vivi in capaci poculo vino pleno propinandum curasset, ipse obducto amystide vase, præsentibus omnibus, neque enim, adhuc fere bibens, fugere poterat, atque in cachinnos effusis, largissime & cum fœnore pridianæ cœnæ, per anum innoxiè reddidit: ultraque triginta annos sanus vixit; dicens cum inter pocula rideretur se clysteris compendium fecisse: aliis idem evenisse scio. *Henricus ab Heers. observ. 2. lib. 1.*

Cogente necessitate ad mercurium erat condescendendum, quod à Massaria Capivaccio, Paræo & Mariano Sancto ad æthera commendatur, & in hoc morbo est remedium indicatissimum, nam juvat mirum in modum ratione ponderis & flexibilitatis & penetrantiæ, neque ejus malitia timenda est, nam non est vere venenum, exit enim facile è corpore, in & Gallia Cisalpina, inquit Matthiolus, exhibetur mulieribus ægre parturientibus, & pueris etiam in casu verminoso: quare tutò descendere possumus ad hoc remedium urgente necessitate, nam extremis morbis extrema sunt applicanda remedia. *Epiphanius Ferdinandus. hist. 74.*

Dux quidam strenuissimus cum post lusum parvæ pilæ, sudore madidus, sitique oppressus, aquæ nive nimium infrigidatæ calicem ebiberet, ilicò ab ejus potu, in sublimioribus intestinis torsionem sensit: cum intensissimo cruciaretur dolore, multaque jam tentaret efficacissima auxilia, iisque nec fæces, ructum crepitumve emitteret, imo vomitionibus fœdis oppressus in malis esset, nullo alio præsidio quam libræ hydrargyri potu potuit levari: à quo & fæces excrevit, & ex dolore melius habuit; quo sedato, & clystere ex generoso vino injecto, perfectam consecutus est sanitatem: optimum sanè remedium est, nam anodynum est, & suo pondere intestinum aperit, & obstruentes fæces deturbat, & cum vehementer sit humidum, tenuibusque constet partibus, & valde mobile, irritat naturam, & stercus valida ventris perturbatione propellit: Authore Avicenna Argentum vivum plurimi qui bibunt læduntur eo, egreditur enim cum dispositione sua per inferiorem regionem. *Zacutus Lusitanus observ. 3. lib. 2.* prax. admir.

Quidam ex castanearum crudarum ingluvie multa, in omnimodam incidit fæcum retentionem, ita ut ventris tumore, doloreque immani oppressus fuerat: hic cum in agone esset, & frigido sudore madidus, stercus per os ejiceret, variaque interna & externa expertus esset incassum auxilia: tandem duodecim parvas pilulas plumbeas quibus sclopetarii ad enecandos passeres utuntur, devorandas dedi; quibus dolor aliquantisper conquievit; sed post tres horas iterum increvit, cumque iterum octodecim pilulas propinarem, fæces reddidit, & injecto clystere ex aq. vitæ & urina pueri à dolore immunis evasit: nec mireris, nam hoc catapotium transvoratum volvulosos juvat, quoniam intestina involuta, implicita & vincta explicat suo pondere, & aperit; fæces impellit, & obstruentia excludit, lenitque dolorem: in quem usum Mercatus lib. 3. de morb. intern. cap. 16. chalybis limaturam propinat. *Zacutus Luzitanus.* observ. 34. lib. 2. prax. admirand.

Narrat Sanctus Marianus multos se novisse, qui in ileo desperato, imminente morte liberati sunt haustis argenti vivi cum aqua sola ℔iii. pondere enim suo intestinum velut vinctum expedit & evolvit, præduratasque & obstruentes fæces deorsum deturbat. Addit & valuisse in colico affectu apud alios id medicamentum, ℥iii. pondere haustum. *Ambros. Paræus. lib. 17. cap. 65.*

Intestinum si elapsum sit in scrotum, ilico reponatur, antequam febris & singultus supervenerint: si enim illa supervenerint, ac si vi repo-

natur,ante septem fere horas moriuntur: si in hoc morbo fluant sudores fœtidi, anhelitusque & ructus oleant male,lethale : superum intestinum inferiori illapsum sit,clysmis ac glandibus acribus deorsum fiat motio: sin infernum se superno intruserit,globulo plumbi devorato abactio fit. *Ioh. Heurnius. ad aphor. Hippoc.* 10. *sect.*7.

Pharmacopæus maximo ilei tertio quoque die dolore torquebatur:quo sæviente febris aderat satis vehemens,& umbilicus una cum circumvicinis partibus in tumorem attollebatur: injecto autem in ipsis doloribus enemate satis acuto, expurgatisque vitiosis, admodum viscidis, crassis,fœtidisque fæcibus,dolor conquievit ,febrisque cessavit.Quod sæpius contingeret,&nec desinerent hujusmodi tertianæ exacerbationes,nec enemata,nisi cum adhiberentur, prodessent, de aliis remediis deliberatum. Tentata quædam sunt,sed cum nec his dolores integre sedarentur, pilulæ iliacæ occurrerunt,quæ à Rhasi libr.9. ad Almansorem describũtur: harum.ϿI.in die quietis exhibitus admodum pravos & vehementer fœtentes humores eduxit:quibus expurgatis, ilei dolor multum sopitus: cum autem in universum non cessaret , eædem in paulò majore dosi exhibitæ:quibus,reliquis humoribus eductis , ilei dolor omnino conquievit. *Rembertus Dodonæus observ.*36.

Medicus quidam longo usu famigeratus , hydrargyri ℥iv.cum melle rosac. solutivo propinatis, iliacum dolorem ab inversione intestini deploratum compescuit. *Ioh. Rhodius observ.* 80. *cent.*2.

Neminem volvulo perire sivi; potandos nimirum dedi aliquot globulos plumbeos musquetarum,ut sui solo pondere durum istud excrementum propellant,quo plures hauriuntur, & majores,eo tutior & celerior sequitur sanatio , modò æger stet vel ambulet.*Ioh.Helmontius tract. cui titul. de flatibus.*

Vir quidam ileo laborans à quinque diebus, ut fæces per os rejiceret , multis remediis frustra tentatis,sumpsit mercurii cum sulph. extincti & in fomam pulveris redacti ℥1.in globulo ceræ inclusam.Statim post exhibitionem fotus continuo adhibiti,& clysteres frequenter injecti.Post aliquot horas frustula quædam ceræ in rejecto clystere apparuere , quod indicio fuit apertam fuisse viam,& medicamento purgante exhibito æger à morbo prorsus liberatus est. *Franciscus Chomel. observ.*1.

Volvulum hydrargyro propinato plures curatum prodiderunt: nemo tamen hoc modo,quem Petro Penæ familiarem notavit Petrus Asselinæus Gallus medicus Venetus , fœlici successu commendatum.Purgabat enim primo hydrargyrum à plumbagine sua , coquendo cum vino & aceto,trajiciendoque postea per alutam:tum tenuissimam membranam , in qua aurum extensum erat,nodulum compingebat filo ligatum: ea hydrargyri, ut supra,defæcati, sesquiunciam includebat,& glutine ex tragacanth.facto obserabat,lentoque igne siccatam, educto filo,melle aut syrupo intinctam pilulam ægroto devorandam exhibebat:sic glutine in ventriculo statim dissoluto , hydrargyrum copiose alvum ducebat: bis autem sumpto tali globulo quendam sanatum viderat. *Georg. Hieronimus Velschius observ.*43.

Ventris sævum dolorem ex ileo lenivimus sacculo ex suillo stercore aceto decocto confecto. *Martinus Rulandus.curat.*74.*cent.*7.

A violentis vehementer purgantibus in hoc malo omnino abstinendum erit, quod hæc excitant flatus,& augent malum. Sanguis vespertilionis hypochondriis illitus mirifica experientia ilei dolores sistere creditur. *Franciscus Ioel. practic.lib.*4.*sect.*3.*cap.*6.

Mulier quædam ex hernia umbilici in iliacam passionem incidit , ita ut vomitiones continuæ contentorum in alvo subsequerentur; in quibus sistendis nihil quidquam profuit, excepto elixere proprietatis. Parac.cujus gr. v.vel vi.in brodio exhibitis , ad miraculum per viginti quatuor horas , enormes vomitiones sistebantur, quanquam ægra, quod intestina inflammata nullatenus reponi possent, naturæ debitum solvere cogebatur. *Gregor. Horstius. observatio.* 15. *lib.*4.

Volvulus ex irâ.

Morbus tenuioris intestini quem εἰλεὸν nominant, occidit,nisi resolutus sit, inquit Celsus, ante septimum. Sed ortus ab inflammatis intestinis, consumit hominem multo celerius. Accensa quippè intestina, ut facile emoriuntur;sic amittunt victa facillime sensum doloris & præcipitant ægrum, non tam in sudorem frigidum, quam ipsam mortem.

Vxor mercatoris, dolens acerbe, circa umbilicum, ob bilem præ iracundia liberalius in tenuia intestina effusam, incidit ilico in insignem præcordiorum angustiam, sitim immensam , alvum tardam, & præter crebrum ac exilem arteriæ pulsum, in tantum gutturis ardorem, & tam indefatigabilem vigiliam: ut die tertio refrixerit ipsi corpus universum: cum viscido madore, vomitu bilis æruginosæ , & tandem lethali omnium nervorum contractione.

Sed intestinis hactenus acute dolentibus, perierat prius omnis doloris sensus. Nemo enim (ut Senecæ verbis id efferam) potest valde dolere & diu. Sed indolentia hæc arguebat hujus fistulæ mortem. Ac proinde , quæ in aliis ilei speciebus , obstinate supprimitur , illa ipsa dejectio sequebatur hic sponte. Sed mali augurii est, dolorem hac ratione deliniri ; & alvum ex indolentia fieri citam. Nisi enim victrix natura, in ordinem iterum redegerit inversum intestinorum motum ; qui iliacis familiaris est ; & nihilominus plurima vergant deorsum: certum est illic aliquid monstri ali; neque duplici hac viâ , tam auferri , quam augeri vitæ periculum.

At enim, quo constet clarius qui se habeat natura intestinorum. Sciendum illa, in viventibus, continenter in gyrum redigi , & instár alicujus lumbrici, per indefatigabiles circumvolutiones, ac sinuosa volumina, lentè ab illis deorsum propelli quicquid in se concludunt. Quem motum vocat Galenus peristalticum sive compressivum.

Qui

Qui manet animalibus, non tantum quamdiu moventur vel cor, vel auriculæ utrinque ipsi adpositæ. Sed etiam longè post; videlicet donec se movet spiritus arteriis inclusus. Cujus motum observavimus in animalibus morientibus longè diutius permanere quam illum quem habent auriculæ cordis. Quibus hactenus, sed perperam, ultimus fuit attributus motus.

Insitum autem hunc motum quo intestina naturaliter, quasi conglobato agmine deorsum tendunt, lædit evidenter obstructio. Sive illa sit à lenta pituita: sive ab immissione unius intestini in aliud; sive etiam ab inflammatione; de qua agit hocce exemplum Remoraturque non modo naturalem expulsionis motum: verum inducit contrarium. Qui incipiens à convulsione musculi circularis, ano circumpositi, trahit omnia sursum; rejiciendo per os quæ ex naturæ lege tenderent deorsum.

Velut clarè videre est apud Galenum comment. 33. lib. 3. de vict. in morb. acut. Quocirca non temere Hippocrates. Ab ileo vomitus vel singultus, vel convulsio, vel dilirium, malum lib. 7. aphor. 10. Quibus siquidem, certè lubet addere, alvum sub finem morbi lubricam, intestina indolentia, & sudorem frigidum; habebis omnes desperatæ inflammationis notas. Emortua namque intestina, destinant hominem cædi. Et quo minùs doloris, eò plus dejectionis, & maturius interemptus homo, *Nicol. Tulpius Observ. lib. ii.*

De Dolore Ilei, ac corporis membranosi per alvum excretione.

Modestissima vidua, annorum quadraginta, de ulceroso ilei dextri, tempore dejectionis alvi præsertim, sæviente dolore conquerebatur, quem alii nephriticum, colicum alii, mulierculæ vero hystericum existimaverant, variaque ad id facientia præscripserant remedia. Accersitus ego suasi blandiori decocto abstergente, balneis ac enematibus, emollientibus & dolorem lenientibus præ cæteris insistendum esse. His per octiduum sedulo continuatis, corpus membranosum digiti majoris longitudinem & latitudinem adæquans, patulum & erosum ab una, ab altera vero parte clausum, triplici tunica, tenui, carnosa, ac rugosa constans, genuinum quasi intestinum cœcum referens, exiguo cum cruore, cujus ante vestigium nullum, per alvum dejecit. Postea, quod notandum, inappetentia ac alvi constipatione nulla arte solubili correpta est; Verum nona & sequentibus diebus alvo sine dolore sponte soluta appetitus rediit, & patiens pristinæ valetudini restituta. Si verum intestinum cœcum, quod ex doloris specie, loci situ, ac partis excretæ conformatione quasi affirmare liceret; admiranda sane naturæ, quæ defectum ejusdem, ileon & colon per intentionem secundariam ac quietem, sine qua fieri non poterat, reuniendo supplevit, ac à fatis se vindicavit, *D. Nicol. Gul. Beckers.*

Dolores Iliaci & Hernia ab intestino vermibus eroso.

Foemina N. N. 36. annorum in ventre circa regionem umbilicalem magnos dolores patiebatur, inde à vindemiarum tempore, quo vas uvis refertum, junctis viribus attollebat, & in inguine rupturam cum dolore sentiebat, subsequente tumore, vomitu, siti, febre & magna debilitate: tumor ad tactum erat instar ligni durus, lividus & contusus: triduo integro alvus adstricta mansit; clysteres ergo applicati sunt, & cataplasmata emollientia lacti incocta tumori imposita, cordiales potiones exhibitæ; septimo die ruptus fuit tumor foramine juglandis magnitudine facto, atque effluxit ex intestinis materia putrida, nigra, fætidissima: cavitatem ulceris Chirurgus adimplevit plumaceolis spiritu vini imbutis, fotibus foris applicatis è scordio, absynthio, veronica, myrrha & sale marino, spiritu vini, & vino albo paratis, unguentum quoque digestivum vulnerato intestino adhibitum è terebinthina, ovi vitello, spiritu vini, myrrha, & ung. Ægypt. paratum. Post plures vermes ex ulcere prodibant vivi & mortui, intestinum hoc gangræna affectum ritè dictis remediis deligatum, octo dierum spatio, separavit emortuam partem à sana ad palmæ manus latitudinem, sarcoticorum beneficio vulneri cicatrix inducta, & ægra Dei gratia percurata est. *D. Ioh. de Muralto.*

Ileosus in agone mortis Celotomia restitutus.

Lugduni Gallorum, ubi Chirurgi alias summe rigorosum sustinere coguntur examen dum versarer, viro ex Hernia diutina Ileo correpto plurima exhibita & adhibita fuere medicamenta, verum iis nihil juvantibus, omnibusque mortem intentantibus, Sacerdoti fuit commissus, qui extremam unctionem, aliasque ceremonias ex Ecclesiæ Romanæ ritu ipsi administravit, ægerque jam de bonis suis disposuit & amicis legavit, ut adstátes quivis de ejus salute desperarint: Contigit autem ut chirurgus quidam expe ientiss. de misero ipsius statu certior redderetur, qui ægrum visitans extremum remedium adhuc tentari posse ipsi significavit, Celotomiam scilicet, seu apertionem inguinis, qua intestina reponi, sicque fecibus alvi exitus procurari possit, id quod hactenus frustra aliis remediis tentatum: Æger moribundus sustinere hanc operationem in tali statu animum recolligit, parumque fecit difficultatis; Chirurgus igitur ipsum dextrè locans incisionem facit ex arte tutam, circa foramen ovale peritonæi (circa cujus in homine erecto summa patet Creatoris sapientia) per quod intestina stercoribus repleta in scrotum prolapsa sunt, hæcque sursum dextrè reponit, rupturam ritè claudit, sic ut postea injecto clystere è lubricantibus & carminativis, feces duræ subsistentes per alvum ceu locum ordinarium ejectæ fuerint, ægerque è faucibus orci ereptus.

Scholia. Operationum chirurgicarum insignem esse usum, maximum quoque abusum, dum absque illis natura sæpius lenioribus adjuta remediis affectum sanat, Nosodochiorum Ægrorumque alibi dispersorum exempla docent; Quam nobilis vero sit manus Chirurgi & tantum non divina, prædicta monstrat observatio, sine tali enim operatione absque dubio æger iter ingressus fuisset, unde dicitur redire neminem. De tali ergo operatione à celebri Chirurgo

go Parisiensi Dn Bienaise præ reliquis Chirurgis administrata, lubeat quædam adhuc apponere; Administratur ea, ægro prius, ut decet, tabulæ ligneæ commode adaptato, incisione in inguine caute facta, quæ non lædat intestinum, super cannullam scilicet ex una parte rotundam ex altera v. cavam, quæ in processum inseritur, ut impediatur omnis intestinorum instrumento attactus & læsio; dum verò incisio satis magna est, reducitur intestinum, acuque cum filo bis perforato & ligato processus tandem gastroraphia cura absolvitur. *D. Emanuel Konig.*

Ileos à Bubonocele.

Dominus Artheaudius, celebris ille Chirurgus Lausanensis, hanc operationem in cive Lausanensi die 24. Aprilis Anni 1675. celebravit, posteaque casum his verbis è Gallico in Latinum translatis ad me perscripsit.

Mr. du Cloux concivis noster 50. annorum, nunc triduo decumbit ægrotus, horrendos patitur dolores in regione umbilicali, assumpta statim revomit insigni quadam violentia, plures clysteres ipsi fuerunt exhibiti, quia Medici colicam biliosam esse rati sunt; hi autem clysteres sine emolumento rejecti fuerunt: Quod vero motus spasticos in magno hocce dolore animadverterem, judicavi Bubonocelen adesse, & compressionem intestinorum, omnium symptomatum originem: In inguine dextro tumorem tetigi magnum, & durum, & ad tactum immobilem, quem nactus est æger à gestatione & elevatione oneris gravioris; huic imposui Cataplasmata emollientia ex malva, althæa, violaria, butyro & liliorum alborum oleo parata; post clysteres exhibui fortiores, immisi ægrum balneo, & intestini in locum suum reductionem variis artibus tentavi sed in vanum omnia, adeò ut symptomata aucta singultusque molestus, & metus gangrænæ adfuerit; quare in consilium vocavi Dominum Dapples, Dn. de Bergeries, Medicos doctos, iisque quod à priore Medico Constantio peractum sit recitavi, & nil nisi operationem manualem restare subinnui: Cum autem hæc operatio hîc loci sit admodum rara, Dn. Dapples difficulter assensum præbuit, tamen quia in extremis morbis extrema sunt tentanda remedia, ægerque enixè eum expostularit, hoc modo coram Constantio Medico, Chirurgo Gerband, & Pharmacopola Millot celebrata fuit: Ægrum elevatis, diductisque femoribus à famulis meis sustentatum altius in lecto reposui, ego vero integumenta communia supra tumorem digitis prehensa, quantum potis eram, elevavi, cultelloque usque ad peritonæi productionem, seu processum (quem juxta longitudinem aliquantum aperire debui) incidi, tum intestinum naturalem suum colorem mutasse conspexi, & indice sinistræ manus processum intra vaginam dilatando ad musculi oblique ascendentis abdominis annulum perveni, dextra vero intestinum in locum naturalem reposui: Insimul femoribus elevatis intestinum felicissime sedem nativam subingressum est: suturam vulneri postea quatuor in locis, integumentis atque peritoneæo adhibui, & media post hora enema applicui, quod cum copia excrementorum fœtentium brevi rejectum est, ægerque placide dormire cœpit, antea quatriduo integro vigil existens. Vulnus præterea balsamis adstringentibus curavi, & tribus septimanis, Deo benedicente, restitui.

Scholium. Similem herniæ curationem describit Ozias Aimar in observ. 8. Riverio communicata, qua multis remediis incassum per novem dies adhibitis, intestinum in scroto incarceratum feliciter fuit repositum, incisione usque ad processum peritonæi instituta. In quo casu magnam peritonæi dilatationem fuisse necesse est, quæ intestina prolapsa non admodum comprimens, eadem quominus inflammationem & gangrænam, sanguinis utpote motu à vasis compressis, haud omnino inhibito, nec flatibus via denegata, subierint, effecerat; cum alias facile gangræna supervenire soleat, quam intestinis postea omnino sphacelatis, quamvis arte denuo repositis, certam mortem accelerare, non una vice notavi; sicut è contra, tempestive adhibita, inprimis cataplasmata ex emollientibus, simulque flatus discutientibus concinnata, salutem ægris non adeo incertam pollicentur. *D. Ioh. de Muralt.*

Anatomicæ inspectiones.

Quod spectat ad sanguinis aut seri intra intestinorum tunicas suffusiones, à quibus phlogosis, aut tumores dolorifici excitantur, revera ita fieri interdum concedimus, in ο αὐτοψίᾳ novimus, ex inde vero passionem non Colicam sed Iliacam excitatam fuisse observavimus: Quippe cum plures ab Ileo defunctos aperuerim, Intestini cujusdam inflammationem, ac sphacelum fere in omnibus, & morbi & mortis causam fuisse deprehendi, neque mirum hoc, quoniam in membrana tenera & maxime sensili, magna solutio continui spasmos & corrugationes dolorificas ita continuas & atroces ciebat, propterea ut intestini affecti motus peristalticus, quo fæces alvi versus anum protruduntur, inhibeatur ac prorsus invertatur. *Willis Tract. de Anima Brut. part. 2, cap. 15.*

Intestina crassa tunicas easdem ac gracilia obtinent cumque in Colo fæces recta ascendant, fibris carnosis robustioribus, quæ contractionis motum fortiorem efficiant, opus est Hinc si inflammatio, aut sphacelus (ut sæpius novi circa coli initium contigerit, adeo ut fibræ carnosæ læsæ contractiones pro fæcibus sursum elevandis obire nequeant, illæ versus Ileon restagnantes passionem Iliacam incurabilem inducunt: *Idem Pharmac. ration. sect. 1. cap. 2.*

Mulier quædam dolorem Iliacum pati videbatur cum matricali commixtum, tandem quinquagenaria facta, æstivo tempore in hunc incidit dolorem, & trium dierum spatio in volvulum desiit affectum, unde in quarta mortua est: huic erat scirrhosus tumor in confinio intestini coli, qui erat repletus officulis multum acutis, & veluti intestinum pungentibus atque vellicantibus; quapropter observatione (obstructione) in intestino facta, & inflammatione suborta, flatibus repleta, dolore admodum insigni cum fœcum rejectione correpta interiit. *Hippolitus Boscus de Facultate Anat. Lect. 2. p. 14.*

Rusticum novimus, qui cum post longiores torsiones, & ventris diuturnas inflammationes diem obiisset, & demortui incideretur corpus, longior in intestino fissura inventa est; ex qua etiam recentes uvas, quas paulo ante comederat, prorupisse conspeximus. *Benivenius cap. 76. de Abditis.*

Anno

Anno 1668. Amstelodami vir quadragenarius moritur, hic ab aliquot jam annis, quasi tabe conficeretur, marcebat, & inter dubia vitæ mortisque vota miseram trahebat animam: Tandem febri correptus fuit 14. ante fatalem sibi diem: post x. nihil excrementorum per inferiora dejecit, tertio fæces per os fœdum in modum ejecit, quas triduo post anima sequebatur: Laborabat is omnium opinione volvulo, & revera is erat morbus, cui peritiores Medici, vel quod æger victus doloribus se convolvat sæpius, vel quod flatus in ventre quasi volvantur, etiam hoc nomen indi non abnuerunt; Nondum mihi hominem, vere miserando hoc morbo extinctum, secondi fuerat oblata occasio: hanc igitur non negligendam ratus, apud propinquos eam mihi impetravi veniam.

Ego inter secandum convolutionem intestinorum nullam, sed ea circa coli principium arctius compressa atque inflammata reperi: & ubi cauta lenique incisione ea aperueram, ulcus inveni, quod transitum ad inferiora fæcibus negabat, & hinc quæ deorsum vergebant, vacua, quæ sursum, excrementis plena; quin ipse ventriculus iis infectus, fædum visu, grave odoratu spectaculum erat: Post inventam morbi causam, dum causæ causam indago, ecce tibi Pancreas se offert, quod ordinariam longitudinem media sui parte: latitudinem tribus transversis digitis, crassitudinem incredibili modo, pondus xiv. unciis excedebat pendebat enim uncias xix. cum hominis quinque, equi xi. plerumque pendeat; Omni ex parte plenum erat scirrhosis glandulis, ovum columbinum magnitudine exæquantibus: Hac Pancreatis mole compressum Ileum, primo inflammatum; deinde exulceratum negaverat excrementis transitum. *Th. Kerckringius observ. Anatom. xlii.*

Aperui olim corpora ex Iliaca passione defunctorum in quibus Omentum & Intestina tota Sphacelo tenebantur: Ex his fœtor gravissimus vetuit penitius morbi causam indagare. *Fabritius Hildanus lib. de Gangræna cap. 4.*

Clericus annos 22. natus horruit & incaluit: Nox implacida, Vomitiones assiduæ rerum variarum, deinde velut cineritiæ ac nigricantes: Dolor ad totum ventrem implacabilis: hypochondria ἐπῳδύνα & distenta: neutrum in latus decumbere potuit: febris assidua, jactationes; ferre potuit phlebotomias, nec adjutus est: venter perpetuo siccus non solvebatur: Volvuli magna erat suspicio, 5°. die repente interiit: Vomendi finis non fuit: Incendium intus magnum: Mortuus valde è maligno intumuit.

Aperto cadavere, Colon erat velut nigrefactum, Epiploon totum putre, ad regionem Hepatis sanies purulenta: fœtebant adeo omnia ut viscera dimovere impossibile fuerit. Audio halitum illi fœtentem fuisse. *Ballonius lib. ii. Epidem. & Ephemer. pag. 193.*

Novi ebriosum Jureconsultum, qui cum temperamento biliosissimus esset, ideoque bile mota, quam clysterem naturalem vocat Avicenna, bis, ter in dies alvum deponeret; demum ut docet Hippocr. aph. 52. sect. 2. cum senescenti adstringeretur, pituita nimirum bilem superante, & ætatis & quotidianæ ebrietatis vitio, erat enim sexagenario proximus, nec alvum tensam ulla arte posset deponere, naturæ pensum persolvit, intestinis immane quantum tumentibus, adeo ut viderem crassitie brachium adstantis, quod duabus vix capiebam spithamis, superasse.

Dum mortui fieret anatome, statim musculis abdominis & peritonæo secto, intestina sponte crepuerunt, anatomicumque & viciniores, tanta alvinarum fæcum mole obruerunt, ut vestes illorum nemo adstantium internosceret: Itaque omnibus fœtorem fugientibus, nihil ulterius observari potuit: Hoc rarum quod Colon inflammatum, & immane quantum tensum; loco suo motum à Medicis judicabatur; adeo enim cætera premebat intestina, ut alvo omnimode suppressa, decimo demum die Ileosus factus fato suo fungeretur.

Cum ad consilium biduo ante mortem vocarer, suasi dari patienti argentum vivum, crebro per corium transitu perpurgatum, quod sæpe vidi sine noxa, momento citius, eductis secum obviis fæcibus, per intestina transiisse: A cujus usu, ne frigore interanea læderet, statim clysterem ex puro Cretico vino injiciebam, sicque aliquot coli nimia tensione morituros, cum Dei gratia servavi: Sed alius Medicus Chymicus maluit hominem in certa morte relinquere, quam remedium, quod judicabat periculi plenissimum, tentare: Pilas alii in hoc casu aureas, argenteas, aut etiam, si illæ desint, plumbeas præscribunt, sed argentum vivum pilis omnibus expeditius, velocius intestina percurrit perpurgatque. *Henr. ab Heers observ. Medic. ii.*

Clariss. Guido Patinus inflammatoriam dispositionem Ilei intestini semper hunc producere morbum censet, adeoque plurimos evadere per Venæ sectionem, fotus tepidos, semicupium ex aqua tepida & enemata emollientia: Idem ante annos triginta in auriga cujusdam Archiepiscopi, ex volvulo demortuo, totum hoc intestinum corruptum, nigrum & gangræna conspersum fuisse literis mihi indicavit. *Blasius in Veslingii Anatom. c. 3. p. m. 46.*

Ileus à mutuo intestinorum subingressu; seu Intussusceptione.

Animadverti intestinorum tenuium mutuum ingressum spatio ampliore quam sit digiti longitudo, præsertim in nonnullis quos dolor Iliacus enecaverat. *Columbus lib. 5. Anatom.*

Aliquando intestinum in cavitatem intestini descendit, unde obstructio fæcis & corruptio illius cum morte oritur, sicut in sectione Anatomica observavi, Juvenis enim quidam hoc morbo affectus sine ullo hydrargyri juvamine mortuus est: quod cum permeare non potuisset, prope obstructionem à me inventum fuit. *Dom. Panarolus Pentec. 1. observ. ultima.*

Altera hujus mali causa post mortem à me deprehensa fuit, Intestini tenuis parte quavis coarctati ingressus in partem proximam, sed flatu solito magis expansam: Unde alvinis fœcibus transitus omnis ad alvum præcludebatur, consequente mox earundem regressu & ascensu ad ventriculum, cum miserabili ipsarum evomitione.

Iudicavi modo dicto illum contigisse intestini tenuis in partem proximam ingressum, Et quidem nunc partis superioris in proximam inferiorem nunc inferioris in superiorem, quoniam observaveram sæpius 1. Intestinum tenue variis in locis flatu distentum, atque in partibus proximis, tam superioribus quam inferioribus, ad notabilem longitudinem arctissime contractum. 2. Ægros eosdem torminibus pressos corpus suum mire agitasse ac non raro subito inflexisse: Ista vero inflexione sæpius repetita contingere potuit ut subinde ob relaxatum in alterutro extremo intestinum, ulterius pressus flatus locum concederet opposito Intestini adhuc coarctati extremo sese in satis sufficienter expansi intestini cavitatem insinuandi, succedente mox ejusdem intestini à propulso flatu liberati coarctatione satis violenta circa partem proximam insinuatam: Quoties autem pars intestini inferioris subit superiorem, toties aut sponte per assumpta alimenta, aut arte per pilulas plumbeas, aureasve deglutitas, curationis spes superest: Non item, quando pars intestini superior ingreditur inferiorem, quoniam sensim ulterius pergit pars conclusa, unde augetur magis magisque angustia, omnisque præcluditur contentis descensus, quocirca necessario certoque inde venit expectanda mors. *Franciscus de le Boë Sylvius Pract. l.1.c.15.*

Dissecui quandam volvulo denatam, cujus superior intestini pars in inferiorem inserebatur. *Plempius fundam. Medicinæ cap. de mesenterio.*

Intestini tenuis coarctati parti cujusvis ingressus in partem proximam, contingit, juxta Franc. Sylvium Praxeos p. 183. quod intestinum tenue variis in locis flatibus distentum, atque in partibus proximis, tam superioribus quam inferioribus, ad notabilem longitudinem arctissime contractum fit: Quod vidi in Nosocomio Leydensi in cadavere viri, ut & in fœmina xl. annorum ab eodem dissecta: unde si ad dolorem levandum, vel aliam ob causam, abdomen prorsus vel comprimatur, vel antrorsum inflectatur, facillime hic ingressus continget, idque vel partis inferioris in superiorem, vel superioris in inferiorem, Inflammatio autem contingit ob sanguinis in intestina effusionem, præsertim acrioris &c. Sic vidi vascula sanguinea ita tumescentia à sanguine in iis hærente, ut supra tenuium intestinorum tunicam distenta egregie observarentur in dissectione illius fœminæ; Inflammationis vero illius causam fuisse judicabantur carbones suppositi, quatenus immediate supra eum locum, trium scilicet digitorum transversorum spatio sub umbilico, in cute abdominis observatæ fuerant quamplurimæ maculæ nigricantes: Quod autem à carbonibus suppositis ortum censebatur, ratio hæc est, quatenus è numero mendicarum erat, quæ hyeme semper multum ignis secum circumferunt; atque supponunt, moxque iterum auferunt, partesque omnes corporis aeri frigido exponunt: unde puto primo à nimio calore humiditatem sanguinis affluentis in tam exiguis vasculis aliquomodo dissipari, sic minus fluxilem reddi: Secundo à subito frigore stagnari atque incrassari: vascula quoque ab intenso illo igne aliquomodo corrugari posse credo. *Joh. Von de Flammerdinge Disputat. de Iliaco dolore.*

Interdum revolvitur intestinum instar digiti cheirothecæ reduplicati, quod omnino obstruit viam intestini, inde vomitus intestinorum per partes superiores: Reduplicationem hanc omnino fictitiam dicit nominatus Patinus, quam nunquam videre potuit; At bis terve eam in cadaveribus dissectis cum Clariss. Joh. Walæo videre contigit. *Blasius comm. in cap. 3. Anat. Veslingii cap. 3. p. 46.*

Sub ipsa præteriti nuper anni 1676. auspicia, mulierem ex pago Vallis Leporinæ, Faito, advenam, cui eadem exitus ex hac vita quæ adventus in hanc urbem (Schafusam) hora contigerat, in Xenodochio nostro dissecuimus, diros ante obitum ventris cruciatus, cordis anxietates, dejectiones cruentas, tandemque vomitus perpessam.

Patefacto abdomine Ileon alicubi plane constrictum, ac velut injecto laqueo strangulatum vidimus: Nimirum ejus portio, quatuor transversos digitos longa, plurimum contracta & angustata, intra proxime superioris cavitatem abscondita prorsus latebat, hacque sua φύσει verum ejusmodi intro-susceptionem, qualis à Clar. de le Boë Sylvio Ideæ Prax. Med. lib. 1. cap. 15. describitur representare visa est. Intus vero non Intestina duntaxat, imprimis Ileon, sed & ventriculus multis quasi stigmatis inflammatus erat.

Post inde ac nuperius dissecui Puellam octennem, cujus Ileon tres ejusmodi Introsusceptiones distinctis intervallis spectandas exhibuit, una cum lumbricis alicubi velut conglomeratis, & mucagine intus contenta valde biliosa & crocea, interiora quoque ventriculi incrustante: Unde judicatu omnino proclive fuit Puellam sine torminibus, & præcordiorum anxietate vitam non finivisse; quod & assertione eorum qui curam ægræ habuerunt confirmatum. *Ioh. Conradus Peyer Tractatu de Glandulis intestinorum.*

Saltatoribus, mimis, aliquando tenuia intestina intorquentur. Filiolus Dom. Petrei, Medici celeberrimi, volvulo interiit, In dissecto Ileum ita replicatum inveni, ut si chirothecæ digitus contraheretur. *Ioh. Riolanus Pract. p. m. 156.*

Quam rarum sit Ductuum dari intussusceptionem, nulli non cadavera hominum curiosius dissecanti notum: In cystico bilario se eam invenisse in observatis tradit Ioh. à Mekeren: In infante non uno, postquam Iliaci interierint, me eam in Ileo intestino observasse scias velim; imo etiam in puero 14. annorum eam notare licuit, & quidem duplicem, si uno loco pars intestini inferior se inseruerit in superiorem, altero pars superior in inferiorem. *G. Blasius Observ. Med. p. 3. obs. 3.*

Intestina, lumbricorum instar varie se moventia, intussusceptionem quandam incurrunt, imprimis ubi dolore atroci afficiuntur, & hoc modo excrementis transitus ad anum denegatur, hinc Ileos; Mediis ordinariis nihil efficientibus, cucurbitula magna sine scarificatione sæpius parti dolenti apponi potest, atque iterum auferri: Annon etiam præstaret facta dissectione musculorum & peritonæi, digitis suf-

susceptum intestinum extrahere quam certæ morti ægrum committere? *Paulus Barbette Anatom. Pract. lib. 4. cap. 1.*

Theodori Roulen puerum aliquoties invisi, qui dolore fixo & continuo sub regione Hepatis per annos aliquot laboraverat, eo tandem ex gravissima Iliaca passione mortuo, vocatus sum ut causam præcedentis doloris inquirerem.

Aperto corpore, inveni intestinum Cœcum contractum, in intestinum Ileum se insinuasse, idque opplevisse, adeo ut nihil ex superioribus intestinis ad Colon permeare posset, inde Iliaca: Denique fisso Ileo, & exempto Cœco, id ubique inflammatum & tumens inveni: Præterea scirrhus exulceratus, aut potius cancer exulceratus in ipsius Cœci intestini fundo conspiciebatur.

Diversæ constituuntur causæ Iliacæ passionis: Præcipua autem est Ilei constrictio & coarctatio: Itaq; hujus rei indagandæ causa diversa cadavera inspexi; & quamvis ut plurimum fœtor adeo teter erat, ut vix possent exquisite omnia considerari, id tamen in omnibus hactenus observavi, principium & originem hujus morbi fuisse circa intestinum Cœcum: h. e. sacculum, qui in fine Ilei & coli principio conspicitur. Quare existimo valvulam (quum Clar. Bauhinus in initio coli invenit) primum ex intestini Cœci inflammatione adeo contrahi & constringi, ut plane nihil excrementorum permeare possit, sicque accrescere inflammationem, ut tandem totum intestinum Ileum, imo & circumjacentes partes gangræna & sphacelo corripiantur: ut observavi in omnibus quos præter prædictum puerum hactenus dissecui. *Fabritius Hildanus centur. 1. observat. lxi.*

Puer triennis, qui 25. dies decubuerat, ac ex lumbricis ægrotasse putabatur, dissectus fuit: Huic intestina cuncta flatu turgida & lucida, unam tenuis intestini partem intra se contractam ac convolutam, quasi in se infarctam, ut duritiem quandam, tanquam tumoris speciem repræsentaret, vidimus: nam quod sesquipollicem longitudine æquabat dum involutum esset, id leniter evolutum, duos fere palmos implebat. *H. Smetius miscellan. lib. 10. pag. 579.*

Observatio.

Ileus ab implexis, involutis, intortis intestinis. A connexis & convolutis instar funis. Ab Ileo contortuplicato. Ab Ileo tribus complicationibus complicato. Ab Ileo diversis in locis convoluto. Ab Ileo tribus nodis constricto. Ab ejusdem constrictione.

Puer XVII. annos natus, hydropicus, cum 14. dierum spatio excrementa alvi per os evomeret, nec per secessum quicquam egereret, exspiravit: In hoc cum post mortem rugitus ventris, & illius quædam palpitatio sentiretur, eoque nomine de sepeliendo ambigeretur, accersitus, cum ventrem aperirem, flatus tandem erumpebant: Verum intestina tantopere distenta erant, ut femoris crassitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compressione disrumperentur, stercusque magno cum impetu profunderetur: Aliis vero locis adeo convoluta, intorta & & implexa, ut nulla illic nec excrementis nec flatibus deorsum pateret via: Sed & vermibus vivis, oblongis, quamplurimis repleta erant, qui rursum aliis minoribus referti, inæquales illos motus effecerant. Prætes hæc Hepar corruptum, arenulis, lapidibus infarctum, Lienem imminutum, Pulmones vitiatos costisque affixos ostendebat, *Platerus observat. lib. 3. p. 657.*

Intestina aliquando aliquomodo connectuntur, ut observavi, tanquam in fune madefacto qui postmodum convolvitur: Et in hoc casu mirum in modum pila tum plumbea, tum argenti vivi potio prodest. *D. Panarolus Pentec. 1. observ. ult.*

Per Iliacam passionem ὁλίγδην convolvi videntur intestina, Testisque mihi fuit D. Tilemannus, se vidisse aliquando in sectione anatomica ab Ileo mortui, intestinum ileum contortuplicatum, uti pannus à lotricibus convolutus. Dietericus *Iatrei pag. 40.*

Die 29. Januari 1644. D. Patris laborare cœpit colico dolore vehementi ex intenso frigore concepto: vocatus Pharmacopæus injecit statim clysterem emollientem, carminantem & laxantem, quo fæces multas excrevit: dolore perseverante iteratus fuit idem clyster, adjectis oleis carminantibus, quem non rejecit, dolore adhuc sæviente, tertius postmodum injectus est, quem etiam retinuit: plurimis immissis suppositoriis, clysterum portionem excrevit sine ulla materia fæculenta: Die 2. morbi vocatus, præscribo fotum emollientem & anodynum toti ventri admovendum, & clysterem ex fotus decocto paratum, quem etiam diu retinuit & exiguam illius portionem rejecit sine ulla materia; Nullus dolor aderat, neque ulla febris, vomitus autem per intervalla infestabat: Hinc conjicere licuit ægrum Iliaca affectione laborare, sed à qua causa fieret, valde dubitatum est in consultationibus pro tanto affectu convocatis: Inflammationem enim testari videbatur febris, quæ tertio die supervenit, sitis & linguæ ariditas; Sed quomodo inflammatio intestinorum adesse posset citra dolorem concipere non poteram: Videbatur potius fieri à fæcibus induratis, vel contorsione alicujus intestini: Multa remedia usurpata fuere, venæ sectio ter repetita, bis in brachio & semel in pede: julepi refrigerantes exhibiti, clysteres ex decocto intestinorum vervecis omni hora injecti fotus emolliens continuo admotus toti ventri: usque ad septimum diem vomitus perseveravit, quo jusscula & potulenta excernebat cum materia biliosa, pituitosa & stercorosa, nihil vero per alvum effluebat: circa finem septimi diei alvus fluere cœpit, & fæces multas excrevit per intervalla, cessante prorsus vomitu: alvi fluxus continuavit per quinque dies, manente tamen febre & virium imbecillitate, liquida in fine dejiciebat, qualia ante vomere consueverat: die 13. morbi gravibus inquietudinibus affectus est, cum virium languore, quibus sensim deficientibus è medio sublatus est.

Aperto cadavere, inventum est intestinum Ileon tribus complicationibus convolutum & quasi compactum in unam massam circa finem illius: Tota autem illa intestini porro

complicata, gangræna affecta erat, cum portione mesenterii sibi adjuncta: Intestina reliqua amplissima apparebant, ut brachii magnitudinem æquarent: Præterea intestinum gangræna affectum, perforatum erat supra complicationem: existimo à pondere materiæ contentæ in superioribus intestinis fuisse disruptum, postquam sphacelo affectum est: Per illud foramen tota excrementorum illuvies in abdomen effluxerat, & mora sua partem ani interiorem corruperat, in qua etiam foramem aliud apparuit, per quod excrementa effluebant per alvum, & obstructionis intestinorum apertionem mentiebantur; unde patet alvi fluxum Ileo supervenientem posse interdum Medico imponere. *Lazarus Riverius centur. 3. observat. 26.*

Secui puellam quadrimam verminosam, quæ post Epilepsiam Ileosa facta, per os & vermes & alvina excrementa deposuit: Quærens causam, tandem in fine Ilei, quinque intestini complicationes inveni maximas, ita ut ad longitudinem mei digiti, in qualibet complicationum Ileum convolutum invenirem: quodque pessimum erat, hic inferne sursum repebat, alibi superne deorsum implicabatur: atque ita supernam ac infernam medicationem eluserat: Hujus sine dubio, putri vapori, atque à vermibus elevato, originem suam debebat: *H. ab Heers. observ. 24.*

Pauperrimus quidam Walo morbo hoc, miserere mei dicto, summo cum dolore periit: aperto cadavere, septem diversis in locis intestinum Ileon vidimus ita convolutum, ut cibis, potui, fæcibus omnem necesse fuerit denegari transitum. *P. Barbette Praxeos lib. 4. cap. 7.*

Ilei quædam species est, quando Ileon, ut aspexi, ita arctatur quasi farcimen, (quod vulgo lucanica dicitur) cum inter unam & alteram lucanicam circumducitur filus: Hoc ad unguem inveni: Intestinum enim tam strictum erat ut non secus quam filo vinctum coerceretur; Humor enim biliosus ob acrimoniam morbum hunc pepererat. *Panarolus Pentecoste 1. observat. ult.*

Ileus à compressione Jejuni intestini in hypochondrio dextro.

Jejunum intestinum sæpe comprimitur, id quod primum ad longitudinem quatuor digitorum transversorum latitudinem sub costis spuriis in hypochondrio dextro compressum vidi Tiguri cum Dom. Parente anno 1667. in Josia Bruschedlero de Hottingen: *Ioh. Henric. Lavaterus Thesium Inaugur. V.*

Ileus à Cœco Intestino obstructo & coangustato à devorato Cydoniato.

Septennis puella Diarrhœa correpta, quum per dies complures subalbidam ac putrem olidamque materiam indolenter alvo redderet, diuturnitatis fluoris ejusmodi pertæsa, ejus avia consilium de cohibendo cum aliis mulierculis cœpit: In eam rem cydoniato larga manu exhibito, sic est ejus usu alvus repressa, ut eo die & sequenti nocte nil omnino reddiderit; sed excitatis sævissimis ventris doloribus & torsionibus, usque eo intumuerit, ut hydropica derepente evasisse putaretur: Accitus Medicus, quid rei esset suspicatus, clysmatis primum lenibus, deinde etiam acrioribus identidem injectis, hærentem alvo materiam noxiam foras evocare; fotu dolores lenire tentat, sed id frustra: invalescentibus quippe doloribus immanibus, cum crebris animi deliquiis, tandem liquidioris stercoris vomitione intra biduum miserabiliter extincta est.

Aperto corpore, cœcum intestinum coangustatum constrictumque, adeo obhærescente, & interioremque ductum obturante cydoniato, deprehensum est, ut illac nullo modo prorsus quicquam posset pervadere: unde accidit ut acris illa & corrupta materia meatu prohibita, objectaque mora restagnans, inusitatam sibi viam in abdominis spatium patefecerit, paulo supra obstructum locum pereso perforatoque intestino, quo velut emissario & cuniculo acto excidens, abdominis totam capacitatem repleverat: Hinc acerbissimi dolorum morsus, hinc distensio, hinc animi defectiones, obortoque fœdo vomitu crudelissima mors brevi consequuta: Hæc historia ad eos valebit, qui redundantem nocentemque humorem, undecunque is profluat, intempestive sistere atque coercere properant, maximo ægrotantium malo. *Fernelius Pathologiæ lib. 5. cap. 6.*

Ileus à coalitu & gangræna Ilei. A flatu in eo cohibito, hinc fisso. A gangræna in vicinia cæci, ob ligaturam in Hermotomia. A materia lapidea obturante intestina juxta Cœcum. A colo cancro affecto. A colo prope Rectum sphacelato & disrupto. A Colo exulcerato cum stercore retento. A Tumore vesicali Recto intestino annexo. A Recto intestino constricto & replicato. Ab abscessu in intestinis.

In schedis suis annotavit Caspar Bartholinus mulierem Germanam Patavii, robustam & corpulentam, nonnihil pinguem, sexagenariam, nihil excrevisse per alvum spatio novem dierum, nec tamen clysterem admittere voluisse: Incidisse tandem in febrem malignam cum vomitu bilioso, & transacto biduo obiisse:

Aperto cadavere, Pulmones fere putridos, Hepar parum scirrhosum & inflammatum: Ventriculi tunicam interiorem inflammatam: Intestinum Ileum in medio gangræna obsessum & putridum, ut inopinato contactu disruptum sit: universam partem supra Ilei gangrænam, interiore tunica inflammatam, ut supra modum venæ mesaraicæ essent turgidæ: Partem vero Ilei inferiorem totam coaluisse, ut nihil hac via pertransire potuerit: *Th. Bartholinus centur. 6. observat. 38.*

Tenuioris intestini morbo, quem Græci εἰλεὸν vocant, urgeri commune est, sed urgeri sic ut vitam tollat, inauditum: Corpulenta quædam mulier, cum modo supra modo infra umbilicum intolerabili premeretur dolore, nec ullus hinc inde erumperet spiritus, adeo agitata est, ut scisso tandem intestino vitam finierit, Quod nisi incisa mortua pluribus innotuisset, nescio an citra mendacii suspicionem à me scribi potuisset. *Benivenius de abditis cap. 76.*

Gallus

Gallus agyrta Leodium venit lithotomum professus herniarumque curam, filo aureo certissimam pollicitus: Huic cum plurimi se crederent, rogatus à patre adstarem vincturo epiploon filioli sui, in scrotum delabens, Adsto, filum, non jam aureum, sed ferreum, mercurio crudo oblitum, in inguen pueruli trimi agenti: Videris, inquam, altius & justo & solito mihi adigere, Quæ tua sunt, inquit, cura, ego quæ mea sunt rite exsequar: interim filum, ejulante multum puero, valide torquet: sed, quod commiseratione dignissimum! intestinum Ileum, in vicinia Cœci, una comprehendit, itaque vincit, ut negato per inferiora fæcibus exitu, per os ejectis stercoribus, Ileosus factus puer, peristaltico intestinorum motu mutato, animulam inter mille tormenta, cum fœtore & cruciatu ejecerit, die à ligatione quinta: Mortui cadaver aperiens, inveni intestinum, qua parte ligatum fuerat, unoque supra infraque ligaturam digito, omnino gangræna infectum & jam putre: Hunc postea Turnoni similium scelerum pretium crucem tulisse accepimus. Henricus ab *Heers observat. med.* 22. *p. m.* 191.

Orphanus ex Iliaca passione expiravit: Inspecto corpore nullas vidi plicas nec volvulum, sed circa cœcum intestinum vidimus materiam induratam, lapidosam, intestina extendentem, & ita arcte adhærentem ut Cheirurgo impossibile videretur extrahere. *Nic. Fontanus Respons. & curat. pag.* 84.

Cancer etiam hoc idem causare potest, cujuscemodi vidi in Fabro ferrario, qui cum in colo per plures menses cancrum passus fuisset, ex quo in transitu fæcum quotidie vehementi cruciabatur dolore, maximas persentiens punctiones, perinde ac si acubus perforaretur, tandem aucto cancro, ab eodemque obstructis intestinis, factus Iliacus, præcedentibus stercoris vomitibus, misere vita functus est. *P. Salius Diversus de aff. partic. cap.* 11.

Matrona sanguinea 50. annor. 7. integris diebus nihil dejecerat, purgans exhibitum vomitu rejectum, nihil quoq; effecit enema, 7. die, & subsequentibus varia assumpsit purgantia fortia, sed tristi eventu: morbi 21. die dicebat intestinum aliquod crepasse: 22. fatis cessit.

Dissecto cadavere nil quicquam vel circa ventriculum, vel in intestinis tenuibus poteram reperire quod morbi causam indicaret: Cum obstricicis præsentis ergo uterum explorarem, vidi intestinum Colon, non procul à Recto sphacelatum, tunicasque disruptas. *P. Barbette Praxeos lib.* 4. *cap.* 7.

Non multos post annos quandam secavi mulierem, quæ semper sana fuit tempore suæ vitæ: Sexagenaria tandem colico dolore affecta in volvulum incidit, sive in morbum miserere mei dictum:

Huic colon intestinum in suis anfractibus erat assato stercore repletum, ita ut lapidescere videretur: Et ab hoc stercore anfractus intestini Coli videbantur exulcerati: vixit hoc pacto octo dies, per os stercus excernendo. *Hippolitus Boscus de Facult. Anatomica Lect.* 2. *pag.* 24.

Ut quid in intestinis observavi dicam, anno 1580. in quadam muliere quinquagenaria defuncta, quæ per triginta annos passa fuerat dolorem, quasi diceres matricalem, reperi Tumorem veluti vesicam, non dico magnitudine tantum sed tunica, in qua erant pinguedo sæposa, & ossa veluti diceres mandibulæ, in quibus erant duo alveoli cum dentibus duobus, alter erat caninus, & alter masseterum, & videbantur ita lenia, ut diceres per multum temporis spatium ex usu in ore humano fuisse: circumquaque hæc ossa capilli multi oblongi, ad longitudinem magni palmi circumducebantur, involuti omnes ab hoc sæposo humore; & quia tumor iste annexus erat recto intestino, ob id monialis hæc, post multos dies quibus passa fuit dolorem quo aliquoties vexabatur, per dies novem volvulo fuit correpta, à quo vitam cum morte commutavit. *Hippolitus Boscus de facult. Anat. Lect.* 2. *p.* 23.

Anno 1672. mense Septembri, quidam, vocatus la Grange, Genevæ obiit, cui alvus totos 15. dies adstricta fuit, hinc dolores ventris vehementes, succedente sub finem κοπροεμεσία.

Aperto cadavere intestina omnia, tam tenuia quam crassa, fæcibus turgentia reperta sunt: Intestinum vero Rectum reduplicatum inventum, præterea membraneus annulus arcte id constringebat, enatus è proximo peritonæi processu, in scrotum abeunte: hinc adstrictionis alvi causa & remeantium sursum fæcum,

D. Maignam Medicus & Professor Regius in Mathematiciis; volvulo interit, impetu magno pituita multa in intestina prolapsa, ibique collecta & putrefacta unde abscessus factus, hinc morbus. *Iac. Thevart. Annotat.* 2. *in cons.* 31. *G. Ballonii lib.* 1.

Ileus à Colo pituita infarcto.

Caroli V. Imper. Legatus dolore torquebatur, necnon tumore à dextro hypochondrio per ima ventriculi in sinistrum exporrecto: huic cum sexennio toto remedii genus omne, tanquam emolliendo scirrho adhibitum fuisset injecto tandem acriore clystere, durum ac firmum quippiam, medio ductu pertusum, pedis longitudine detractum est, quod ille intestini portionem esse metuebatur sed quum repente levatus videretur, adhibito consilio iterum ac tertio clystere prolutus est, rursusque simili evulsa materia continuo est pristinæ valetudini restitutus: Alteri cuidam simili, sed gravior affectus alvum prorsus cohibuit: qui tandem ventre supra modum intumescente decessit è vivis: Inventumque est Colon intestinum usque adeo infarctum pituita concreta, ut solidum prorsus censeret, nihilque omnino fæcis in alvum dilabi fineret. *Fernelius Pathol. lib.* 6. *cap.* 9.

Ileus à prolapsu intestinorum in scrotum.

Joh. le Charron Volvulosus factus à prolapsu intestinorum in scrotum: Manus adhibita, Reposita intestina, restitutus: Sed postea excreta est à medicamento innumera humorum colluvies, prius mota sed non promota: Iste evasit quidem tunc; exactis aliquot post annis alio morbo interiit.

Aperto cadavere, observatum est mediam quandam partem intestinorum & mesenterii, rupto peritonæo, in scrotum amplissimum, & omni fide majus, prolapsam, ut etiam inde retrahi nequiret; Et ista prolapsio erat illi naturalis, intestinaque tanquam in loco nativo & augebantur in scroto, & nutriebantur. *G. Ballonius consil. medic. lib. 2. consilio 24.*

Iliaca passio à prolapso intestino in inguen, cum imi ventris quasi syderatione.

Jac. Berthier post longas corporis agitationes & conatus, & usum rerum flatulentarum, in colicum dolorem, ut putabant, incidit, sed Iliaca passio erat: aut saltem à torminibus cruciatibusque conturbata convolutaque sursum deorsum intestina, tandem id mali intulerunt: Circa inguen apparuit tumor, intestini prolapsus erat: semel tantum eum prolapsum fuerat passus; tamen principio non putabat intestinum esse provolutum, sed tumorem testiculi: Quod ne cui mirum videatur, sciendum in eo conformando naturam sui oblitam fuisse: nam testiculus neuter in scroto erat, sed uterque intus conclusus erat: unus quidem apparebat tactui soli, & circa pectinem locatus erat, alter delitescebat plane: sic tumorem tantum testiculi circum pectinem suspicabantur: At aliter res erat, & frequentes vomitiones, & suppressa omnino alvus prolapsionem intestini indicabant: dolor erat magnus circum umbilicum, qua situm est Ileon: Pars fomentis & semicupiis non est remollita, sed eorum usu an contingerit, nescio, intra triduum totus pecten inflammatus est, & aliquid acuminatum apparuit, ex quo pus saniosum & fœdissimum excretum est: dubitabant an id ab intestino rupto nasceretur, Et magna rupti intestini erat suspicio: quicquid sit devolutum erat intestinum è sede sua, quod tumor ad pectinem indicabat: clysteribus tentata alvus nil reddidit, longioribus balanis sollicitata, reddidit; Quæ materia rupto exiguo tumore excreta est, ea graveolebat admodum, hinc fæculentæ materiæ magna fuit suspicio; tamen speculo res explorata est, nec incisum intestinum compertum est, febris perseveravit, dolores frequentes, spuitiones, vomitus, sed non ita frequentes ut in aliis observavimus, sudores, defectiones animi: 6. die totus pecten inflammatus magis, erysipelatodes, mors denique nono die.

Aperto cadavere, imus venter quasi sideratus apparuit, prolapsum Ileon: *G. Ballonius consil. 31. lib. 1.*

Ileus à mesenterii scirrho genitus.

Observavi Ileum ex scirrho mesenterii compressis intestinis. *Joh. Riolanus medendi meth. Sect. 3. tract. 1. cap. de Ileo.*

Anatome Fœminæ Passione Iliaca defunctæ.

Foemina 40. circiter annorum, aliquot liberorum mater, plures annos ante hernia inguinali detenta, ex manifesta notaque causa externa in Passionem Iliacam incidit, eaque, frustra adhibitis omnibus remediis, obiit. Post mortem facta corporis Anatome, ut genuinam morbi causam inveniremus, vidimus intestina tenuia pene omnia inflammata ac sphacelata, unde dolor ille ventris continuus & intolerabilis cum intemperie calida & siti inexplebili ortum duxit: omento non supra intestina expanso, sed plane detracto, & in hypogastrio prope inguen dextrum complicato: Intestini vero Ilei portio digiti articulum longitudine vix superans cum particula omenti in processum peritonei dextrum delapsa externum illum in inguine dextro conspicuum tumorem excitavit, quem jam non, ut quidem alias facile fieri poterat, in corpus, adhibitis licet omnis generis emollientibus, ac inflammationem arcere solitis, cum internis, tum externis remediis, retundere atque reprimere licebat, quia non minus illam in processum peritonei dextrum delapsam intestini atque omenti portionem inflammatio & sphacelus in tumorem interea attulit, maxime processu illo peritonei ante nimium ampliato, interea vero iterum coarctato: quo etiam evenit, ut non solum excrementa nulla per alvum secederent, sed & redundarent, & per superius guttur egererentur, quin & per os assumpta quæcunque in hac nempe intestini portione, quæ processum peritonæi subiit, sufflaminata, ultra transire nequirent; quo propterea in casu mercurii etiam Clysterumque omnium usum plane frustraneum deputamus *D. Georg. Abrah. Merclini.*

Virginis cujusdam ileo laborantis, & bufones vomentis dissectio.

Virgo per annos 20. plurimos bufones evomuit. Laborabat pedum tumore, imo cutis ipsa sæpe findebatur, ac humor tenuis extillabat. Erat admodum emaciata. Circa stomachi regionem dolore atroci vexabatur, eodem ritu ac si unguibus ventriculi parietes lancinarentur. Potus & cibi asitia. De dolore, duritie, & pondere in dextro hypochondrio semper fere querebatur. Inter dormiendum multum sanguinis evomebat. Tandem, post evomitus immanes, cum excrementis intestinorum fætentibus, interiit.

Duos tumores habebat, magnitudine ferme nucis juglandis mediocris, alter in sinistro latere circa infimos lumbos, alter vero pube tenus eruperat; hic paulo ante obitum sponte sua erumpens in ulcus degeneravit.

Aperto abdomine, ilion tribus in locis involutum erat, nodi, seu involutiones, digiti longitudinem æquabant, & aliqua intercapedine ab invicem distabant. Intestinum illud, hac involutione, se duplicatura tam arcte angustatum fuit, ut liquor siphone injectus non nisi guttatim pertransiret. Injecto liquore, & involutiones evaginatæ sunt, & perpauca, dura & parva excrementa cum quatuor lumbricis perexiguis exturbabantur.

Hepar solito grandius, quatuor libras pendebat. In media parte concava erat macula alba ducatum aureum adæquans, adipis instar, tactu mollior, cartilagini persimilis, quæ totam jecoris substantiam penetrabat. Huic &

alix

aliæ minores comites erant. Hepar intrinsecus album & durum apparuit pure & sanie refertum. Cadaver admodum fœtebat.

Varias de bufonum vomitu habemus observationes, anne fuerint bufones, an analogum quid, certè hæreo. Sum in ea opinione nihil animale produci nisi ex semine, non dicam ex virili & fœminino, cùm, expertus loquor, mense Martio araneam vitro incluserim quæ ova pepererit, & postquam exsiccata fuerint, alia rursus peperit, ex quibus, quod mirandum est, novæ araneæ exclusæ sint, idque obturato semper vitro, ita ut certus sim araneam masculam non adfuisse. Per se ex putredine ranas, bufones, aut lumbricos generari nego. Quid de lumbricis in corpore genitis sentio, postea dicam.

Crediderim facilè ægram hanc non vomuisse bufones, sed simile quid: fieri potuit illam ejecisse caseosum quid; imò quibus menstrua deficiunt, sæpe vomitus cruentos incurrunt. Quid si sanguis coagulatus esset ejectus, qui viscidis ac biliosis humoribus erat involutus, non absimilis bufonibus semierosis fuisset?

Vehementi hoc vomitionis motu, intestina ita invicem illata & vaginata fuerunt, adeo ut tota fistulæ intestinalis cavitas maxima ex parte esset occlusa. Non mirum igitur eam dolore atroci circa ventriculi regionem fuisse vexatam; cum istæ intestinorum convolutiones (quæ convulsione & spasmo excitantur) admodum dolorificæ sint imò ab hac occlusione factum est, illam ascitia laborasse, nam quicquid potus aut cibi assumpserat, evomere iterum coacta fuit.

Hunc morbum ab acido in sanguine & chylo abundante, originem habere non dubito: serum illud acidum glandulis intestinorum extillans, cum tam acre fuerit, ut ventriculum & intestina erodere potuerit, dolores intolerabiles excitati sunt, hinc convulsiones, quibus intestina invicem volvebantur. Ex humoribus lentis, ibique stagnantibus, lumbrici producti sunt. Corrodente acido vascula sanguinea erodente, sanguis effluebat, qui inscia ægra vomitu nocturno tempore exturbabatur. Ex hac saburræ stagnatione etiam fœtor ortum habuit.

De dolore, duritie & gravitate sub dextris costis, etiam à sanguine acido & lentis humoribus inquinato, hepatis vascula obstruente certe originem sumit. Fecit obstructio ut plus humoris admitteretur, quàm in venas reducentes amandari poterat, hinc mole auctum fuit. Interna interim substantia ab humoribus obstruentibus, qui & corrumpebantur, erosa fuit, unde dolor. Durities veniebat, quia partim sphacelatum, partim ab humoribus contentis distendebatur.

Ulcera externa etiam ab obstructionibus in musculis aut glandulis ortum ducunt. *Stephanus Blancardus in Anatom. Practic. rationali.*

Post dolorem fixum in dextro hypochondrio & passionem iliacam cadaveris inspectio.

Filius alicujus mercatoris à longo tempore continuo dolore fixo in dextro hypochondrio vexatur. Tandem iliacam passionem passus, moritur.

Aperto abdomine, cœcum intestinum erat contractum, & in ilium insinuatum, adeo ut nihil ex ilio in colon descendere potuerit. Cœcum extractum non tantum inflammatum & prætumidum erat, sed etiam cancrosum.

Iliacis passionibus causa sæpe est inflammatio, à fœcibus obstructio, flatus, aut hernia; exinde intestina distenduntur, & succi nervosi cursus pervertitur. Hinc quoque intestini partis paralysis, & contractio, adeo ut intestinum arcte contractum facilè in distentum incidat. Cancri in intestinis fieri possunt, cum eorum glandulæ obstruantur. Cancer enim est mortificatio glandularum, quæ in carne sphacelus & in ossibus caries dicitur. *Idem ibidem.*

Ilei affectus veræ causæ per varia exempla anatomica demonstratæ.

Qualis sit affectus ileos (quem vulgo etiam miserere mei vocant) quæque propriè ejusdem causa, haud satis convenit inter Medicos. Nonnulli credidere in eo intestini tenuioris fieri circumvolutionem, seu contorsionem. Alii è contra pernegant, intestina posse in nodum circumvolvi quandiu mesenterio sunt annexa. Putrefacto vero mesenterio (quale semel atque iterum me vidisse memini) idem utique evenire posse arbitrantur. Quod si vero attendamus ad ea quæ post mortem observare nobis contigit, oportet ut statuamus ileon atoniam esse intestinorum, & præcipue tenuium, concomitantibus vomitionibus frequentissimis, alvi adstrictione, & non raro quoque doloribus valde atrocibus, imo morte repentina. Hæc intestinorum atonia provenit primò à nervis intestinorum, si non in totum, saltem ex parte obstructis unde otiantur intestina & prætertim tenuia, imo motu peristaltico naturali destituuntur, utpote spiritibus animalibus deficientibus. Secundo, eadem oritur ab obstructione intestinorum, quam vel excrementa indurata, vel deglutita ossa, similiaque solida alia inferunt. Tertio, susceptio, seu ingressus intestini subinde affectum istum gignit, sive ingressus iste ortum ducat à motu peristaltico præpostero, sive à motibus convulsivis, imò à nimia dilatatione particulæ intestini, aut ab ejusdem nimia constrictione; unde pars magis ampla, partem arctiorem in se se recipere apta redditur, in hoc vel illo intestinorum motu. Quarto, hujus mali causam invenio contractionem & coarctationem esse intestini, quod aliquoties adeo contractum reperi, ut vix minimum digitum admitteret, neque deglutita, nec flatus penetrare sineret. Quintò, ab hernia intesti-

nali idem affectus sæpissime provenit. Et demum sexto, inflammationem quoque intestinorum ad causarum seriem referre oportet. A nervis intestinorum obstructis ortum habuisse hunc affectum in uxore cujusdam Viri Docti, (quæ nuper in totalem alvi adstrictionem & vomitum continuum, sine notabili dolores sine febri, inciderat, unde mors subito sequebatur) nullus dubito. Quod intestina à functione sua quoque desistant, simulac, vel ab excrementis induratis, vel deglutitis ossibus aliisque similibus solidis intus obturata sunt, in cadaveribus me bis animadvertisse memini. Tertio, hoc malum à susceptione, seu ingressu intestini unius in aliud provenire, non est dubitandum, imo bis publice idem demonstravi in intestinis filii cujusdam pistoris, ut & aliis cujusdam hospitis, à me exemptis & dissectis; qui, dum viverent, multis malis fuerant correpti, sed præsertim ventris doloribus, idque horâ unâ atque alterâ post pastum. Tertium exemplum hujus affectus conspexi in cadavere à me dissecto, præsente Joachimo Schradero Chirurgo satis perito. Dixi quoque hujus mali causam esse intestinorum coarctationem. In cadaverum nempe apertione aliquoties observavi intestina ita coarctata, ut ne minimum quidem digitum admitterent. Si igitur in hoc casu excrementa paululum indurentur, aut si flatibus transitus denegetur, quid mirum, homines subito ex intolerabili dolore & inflammatione interire? *Frederic. Ruysch. in Observation. Anatomico-Chirurgicis.*

Ex enterocele & gladii ictu ileos funestus.

Anno 1675. cum Parisiis versaremur in Nosotrophium la Charité dictum miles advectus fuit, ictu gladii profundiore & in abdominis cavum penetrante, vulneratus: Peritissimus Dn. Morellus Partem omenti prominulam, manu ilico prehendit & filo quod per acum trajecerat, partem ejus incolumem ligavit, abscindendo portionem aeri diutius expositam, reliquamque blande reponendo, medicamentis necessariis non neglectis: Biduo post æger malo iliaco misere vexatus interiit: Cadavere aperto intestina tenuia, ileon præprimis læsum gangrænatumque depreheadimus: In alio quopiam, cujus interanea idem Vir Exercitatiss. lustravit, triplici in loco portionem hujus intestini intra alterius cavum rediisse, sive intro susceptam vel inferiorem in superiorem ejusdem partem intortam fuisse notavimus cum tamen non constiterit affectu isthoc ægrotum laborasse. Eundem mali exitum vidimus An. 1681. in Viro sexagenario majore, qui subligaculum ex linteis malè confectum, aliquandiu gestarat, successu non æquè felici, cum intestinorum prolapsum illud semper prohibere non valuerit: Unde de commodiore omnino prospicere sibi debuisset, ni intempestiva verecundia malum clam haberi voluisset, intestinorumque optata in abdomen quandoque regressione, sibi meliora pollicitus esset, quibus tamen se frustratum vidit, dum muniis publicis functurus decem circiter ante obitum diebus, intestina subito prolabi denuo expertus est, non sine multa animi consternatione, inprimis cum emollientibus medicamentis, aliisve convenientibus adhibitis, interne & externe, pristinum locum illa repetere nollent, quin imo elapsis diebus aliquot, nauseam vomitumque cierent, quo tandem cum assumptis fæculenta ejecit, subsequentique febri & delirio, viribus prostratis, ad Creatorem, cujus intuitione perpetim frui ardenter desiderabat, emigravit.

Scholium. De variis nobis heic dicendi ansa subnascitur, ac præprimis de vomitu Iliacorum: Illustris Willisius vel de hoc potissimum sollicitus fuit, ut qui Medicamenta per os assumi solita operationes suas peragant, tandem inveniret, huncque ob finem ventriculum, intestina, cor & arterias sub cultrum studiosè vocavit, quo de ipsorum affectibus ac ratione formali eo certior esset: Equidem in ventriculo, si quis alius affectus, vomitus frequenter accidit, in quo fundum ventriculi, orificium superius versus se recipere, & quidquid intus contentum habet, per illud dejicere, jam Vett. statuerunt, modo autem laudatus Vir, in media ventriculi tunica fibras carneas detexit, varii generis, circulares præprimis, harumque binos ac distinctos ordines, stomachum, quoad omnem sui dimensionem cingentes: suntque istæ satis conspicuæ, ubi ventriculum tantisper elixaveris: & sane motus ventriculi in animalium vivorum sectionibus demonstrabilis est, suadeturque à sana ratione, enimvero ingesta quibus ille secundum peripheriam suam distendi videtur, cedentibus tantisper fibris, instar lapidum illic hærerent, ni motus iste superveniret, docuitque nos ventriculorum caninorum post pastum examen, uti & ruminantium, dictas fibras ingesto alimento quasi disjunctas contrahi, & magis magisque coangustari & ad se invicem redire, hocque ipso retentricis facultatis robur, si non & concoctricis Veterum absolvi, siquidem actione ista è glandulis stomachicis menstruum spirituosum exstillet, quod massam undique compactam, promptissime pervadit: in vomitu illud notavimus, quod unusquisque vel in se experiri potest, adduci ad se invicem latera ventriculi dictarum fibrarum ope, juxta tamen has ita corrugari, ut valide reniti ventriculus ad attactum fundi ratione deprehendatur, eodem quo thalami cardiaci modo, fibris ipsarum ad sanguinis quem susceperunt expulsionem se accingentibus. Est hic motus ventriculi peristalticus in homine inversus, quem in vivarum bestiarum anatome sæpius quoque vidit Celeberrimus Wepferus: ceu constat ex Histor. & nox. Cicut. pag. 87. verba ipsa, utpote Willisii sententiæ, nostræque robur ac lucem addentia paucis heic subdemus: ventriculum non semel vidi constringi lente versus stomachum subsequente vomitu, aut versus pylorum contentis in duodenum explosis: nonnunquam gracilior & brevior reddebatur, mox iterum intumuit, subsequente rursus nova coarctatione, quæ vel versus pylorum vel stomachum progrediebatur: Motus istos peragit fibrarum beneficio, quarum maxime conspicuæ sunt exteriores

rectæ

rectæ, à quibus se contrahentibus undiquaque ventriculus brevior & gracilior evadere videtur, & internæ his subjacentes circulares, à quarum motu peristaltico, undiquaque latera sibimet accedunt & contenta propelluntur, præter transversas, quarum beneficio utræque connectuntur: Ut vero motus isti subsequantur, necessario requiritur stimulans aliquod nunc blandum & amicum, nunc inimicum, unde irritati Spiritus illos crebrius & vehementius iterant, fibrisque quaquaversum contortis, vomitui enormi ortum præbent: in statu naturali ita comparatum est, ut singulari Dei providentia, constitutisque legibus, quamprimum massa alimentorum in ventriculo soluta in intestina tenuia appellit, motus peristalticus succedat, quamvis forte irritamen non adsit: nempe, si nil aliud, parietes saltem intestinorum, ista sensim adaucta, sibi modo contiguos diducere valet, sicque fibris optimo instituto contra nitendi motumque hunc continuandi ansam tradere, quamdiu alimenti nondum subacti & à fæcibus secreti, portio notabilis adest, ut ipsius massæ particulas & succos hoc ipso motu strictis ductuum vicinorum fibrillis accedentes, jam silentio prætereamus, quorum acrimonia non attemperata, intempestivæ dejectiones sæpius subsequuntur: Inde fibris istis nerveæ præeunt, imo junctæ atque intertextæ sunt, ut ad spiculorum noxiorum eliminationem, junctis viribus usque insurgerent, nec opus est nerveam coronam ventriculi, hujusque innumeras per substantiam ejus propagines, tunicam nerveam, pariter ut in intestinis constituentes, heic multis adducere, quarum sensilitatem, dolores ventriculi & intestinorum atrocissimi, indeque nati motus spasmodici satis evincunt, merenturque legi quæ harum ratione Excellentiss. Wepferus p. 83. Cicut. aquat. scripta reliquit: nos quoque superius plura de his diximus. Quandoque autem vellicans materia in ventriculo immediate non contenta est, sed vel circa octavi nerverum paris propagines subsistit easque aggreditur, ceu in affectibus nephriticis, colicis ac hystericis palam est; enim vero strictæ illic ab irritante fibrillæ, spirituque in motum impetuosum acto, passio eadem fibrillis confinibus inducitur, indeque fibris carneis una in subsidium vocatis, motus ejusmodi peristaltici subsequuntur, quandoque vani & inanes, uti in nausea ac vomituritione: In herniosis, ni intestinum prompte reponatur, labes facile succedit, enim vero compressis intestini parietibus, & fibrarum motus impeditur, & sanguis in vasculis capillaribus non raro stagnat, gangrænamque hinc, acquisita corruptela inducit, quorum utrumque violentæ fibrarum irritationi, & funesto exitui non raro occasionem suggerit. Accedit sæpenumero iterata intestini procidentia, unde labes vel non vel levior primis vicibus inducta, sensim natales & augmentum capessit, inprimis si manuum contrectatio frequens vel imprudens, qua intestinum reponi consuevit, supervenerit, hinc enim vascula sanguifera simul comprimuntur, irritanturque haud parum intestinales fibræ, intestinis nihilominus non semper regredientibus, quod procidentia vel major est, intestinaque constricta admodum ob fibras non parum irritatas, vel etiam portio superior à fibris processus peritonæi, itidem sese stringentibus, arctius comprimitur & coarctatur: interdum autem intestinum secundum unam alteramve sui portionem in se ipsum redit, idemque fibrarum motui, massæque isthoc subigendæ & à fœculentiis liberandæ obstaculum parit: In adolescente, qui ope chirurgica ab enterocele liberatus fuit, non putamus gravem labem intestino illatam fuisse, quod vomitus frequentior fuisset, motusque spasmodici, de quibus corpus versus umbilicum ascendens, testatur, vehementiores, fitque interdum, ut à materia acri ad intestinum ileon delata, levius irritante, ob fibras ad talem motum ex prægresso symptomate dispositas, vomitus in talibus mox subsequatur; quin imo potuit in coli angustiis illic loci notabilibus, colligi & hærere vellicans pituita, motuque pari per fibrillarum nervearum seriem, ob dictam octavi nervorum paris ramificationem, ventriculus affici: & sane vomitus ultimus à meteriæ saburra in hujus plicas collectæ profectus videtur, præcessit en. capitis dolor, junctus cum oris amarore, compressione circa præcordia; in milite gangræna intestini manifesta fuit, dubiumque non est, quin in sexagenario inflammatum fuerit idem, febri, deliriis & vomitu materiæ fæculentæ; fidem huic facientibus: nostrum cum peteretur à consanguineis consilium, suasimus ne multis intestini regressum manu molirentur, si fotibus aliisque medicamentis ex artis præscripto usurpatis obtemperare nollet, sed ad cultrum tempestive devenirent: antequam noxam funestam acciperet: Fuerunt autem, qui contra senserunt, operationem, ni repositum fuerit intestinum, instituî non posse, contra quam cum ipsi Parisiis celebratam vidimus, tum etiam Pigræus Chirurgus peritissimus epitome de præcept. Chir. & Medicin. gallice edito docet, cap. 41. lib. 2. Et sil advient, que le boyau soit tourné, la matiere estant enfermée dans luy mesme, lors ny la main, ny les medicaments, ny la situation, ne peuvent plus servjr, tellement qu'il faut venir â l'extreme remede, qui est l'incision du peritoine &c. Quandoque intestinum prolapsum multo cum sudore & labore introrsum recedit, parvo tamen ægroti cum solatio, exitiali labe prolapsu & mora ipsi inusta mox subsequente: qua de re notabile est exemplum, super quo aliquando nobiscum contulit, beatæ memoriæ Sponius Pater Hac ipsa (inquit in literis An. 1675. ad nos exaratis) die memorabile quid in hac urbe contigit; insignis Jurisperitus enterocele à pluribus annis obnoxius, præcautionis ergo subligaculum gestare consueverat: cum vero pronuper per aliquot dies illud abdicasset, ecce repente in bubonocelem gravem incidit: accersitus Chirurgus satis solers, intestinum omni ope reponere satagit, verum frustra, quin imo supervenit postridie ileus cum frequenti vomitu: Alii Chirurgi in reductione ejusdem intestini suam etiam industriam exerceut, sed irrito conatu: Interim tusa vena: Enemata subdita, hydrargyrum nec non globulus aureus & argenteus devorantur, sicut & oleum amygdalinum sorbendum datur: Tandem consilium cogitur Medicorum & Chirurgorum: Decer-

nunt sectione artificiosa partis facta, intestinum in abdominis capacitatem reponere: dum sua arma hunc in finem propere quærit & expedit Chirurgus, suadet quidam fotu supra partem denuo adhibito, ægrum pedibus suspendere: rem ergo moliuntur, moxque intestinum quo optabatur, regreditur; Quod ubi factum vident, gratulantur certatim assidentes, ac si res esset in vado: Verum ab eo tempore, symptomata eadem, quæ prius perseverant, vomitus, singultus, dolor ad inguen sine tumore, enemata citra ullam excrementorum alvinorum admistionem rejecta, unde magna incessit suspicio, intestinum præ nimiis compressionibus ecchymoses passum, in gangrænosin, nisi jam de facto concepta sit, devergere, quod etiam sectio, ægroto mortuo instituta confirmavit: Ita enim d. 15. 7bris An. ejusdem præfatus Vir ulterius: Enterocelicus ille tandem fato functus est (uti recte conjeceras) & quidem trigesima morbi die: Aperto post mortem corpore, intestini ilei portio deprehensa fuit, præter omnium opinionem tenacissime adhuc inhærens ac agglutinata ovali annulo: Intestina omnia gangrænosi occupata apparebant, nunquam diachoremata ulla demisit, semper ingesta revomuit, sicque tandem misere è fatis excessit. Omenti cujus portionem prudenter rescidit D. Morellus ratione, aureum potissimum Hippocrat. aphor. sect. 17. heic adscribimus: ἢν ἐπίπλοον ἐκπέσῃ ἀνάγκη ἀποσαπῆναι. ubi ementum exciderit, illud putrescere necesse est, judicamusve ulteriori malo cultri adhibitione commodum subveniri posse. Joh. Jac. Harderus in Apiario sive *Observat. Anatomico Practicis.*

In Ileo Intestini Ilei & glandularum ejus gangrænosis, cum abscessibus variis in imo ventre latentibus, &c.

Puer 13. circiter annorum, à Parentibus bene habitus, Vino generosiori assuetus, cum aliquando pomorum quandam copiam furtim sibi parasset, eamque una vespera devorasset, sub noctem male habere, de multa anxietate conqueri, & nunc è lecto prosilire, nunc in eundem recurrere cepit, cum vehementi quem sentiebat, cordis ardore, donec tandem vomitus subsecutus fuit, quo semidigesta, cruda, odoris summe fermentacei ejecit, dicto nihilominus ardore persistente: hinc ab imo ventre adusque genua intumescere cœpit, qui tumor autem convenientibus adhibitis, sensim cessavit: alvus ab hoc tempore per 15. dies substitit: Per os excrevit fœtida, fæculenta, viridia, nigra, verminosa, hinc alvo soluta persentiscere cœpit, murmura, rugitus in ventre insignes, cum aquæ fluctuantis undulatione, quæ ad 15. passus usque ab adstantibus audiri poterant, ranas in corpore coaxantes dixisses cum multis: fluctuantes hi rugitus in sinistro inguine incipiendo, ascendebant adusque ventriculi fundum, ubi paulum subsistentes, mox cum sibilo versus dextrum inguen prorumpebant, quibus non raro accessit dolor insignis: Remedia convenientia in usum fuere vocata, eaque complurima, quæ qua glandularum obstructionibus, qua materiæ morbificæ, qua etiam, ventriculo & intestinis præprimis prospicerent, sed in cassum, neque certi quid de murmuratione & fluctuatione cum sibilo conjuncta, augurari licebat: Tandem rebus ita in pejus ruentibus, venter & artus inferiores, ut & scrotum insigniter intumescere ceperunt, ægerque non sine partium internarum motibus convulsivis, præcedente maximo doloris sensu, à Creatore suo cœlesti requiê donatus fuit.

Cadaver primo intuitu tumidum & livescens conspeximus: Abdomine inciso adusque mensuras duas, materiæ serosæ, purulentæ, summi fœtoris evacuavimus: intestina flatibus insigniter distenta, inprimis autem intestinum ileon gangrænosin passum fuit, per cujus membranam extimam videre licuit glandulas intestinales, & præ cæteris plexum unum protuberantem gangrænatum, qui incisione facta, nigricantem exhibuit faciem: Abscessus in hypogastrio, ut & intra epiploon bini; hepar lividum plane, corruptum, scirrhosum, & instar ligni exsiccati aridum. Vesicula fellis bile viscida distenta, ductus autem choledochus præ lympha viscida quasi transparuit: Pancreas lividum omnino, & cujus glandulæ, præ putredine facile conteri poterant: Lien itidem corruptus: In Mesenterio autem glandulas admodum induratas, ac gelatinosas non deprehendimus: nihil quoque præternaturalis in renibus observare licuit: De pulmonibus putridis non fuit dubitatum. *Idem ibidem.*

In alio Ileo Intestini Ilei gangrænosis & perforatio &c. cum polypis in corde, vasisque huic appensis maximis.

D. 6. Julii 1681. in pago Benckheim ditionis nostræ, Virginem secuimus 18. circiter annor. in consortium electis Viris Nobiliss. & Doctiss. Martino Joann. Haesbaert, Med. D. Clivens. D. M. Rudino, D. M. Zaeslino nostrat. & D. Andrea Kohlio Cur. Rhæto. Hæc aliquot septimanis ante obitum, quantum quidem ex relatione Pastoris illius loci, cui Defunctæ consanguinei adstipulabantur omnes, indicibilibus ventris cruciatibus & torminibus spasmodicis vexata fuit, cum conatu evomendi multo, nulla tamen materia fæculenta subsequente: Quadrimestre circiter ante, cum Ægrorum aliorum curæ ibi vacaremus, nostram imploravit opem, conquesta præcipue de alvi fluxu & sanguinis sputo, quod præcedente hyeme copiosius, cum dolore lateris pungitivo passa erat: pulsus celer fuit & frequens, corpusque macie consumi incipiebat, suasimus usum lact. cum pulv. antihect. Misella autem, singulis in pejus ruentibus, ob rem angustissimam domi, sibi ulterius consulere nescia, post d. cruciatus exantlatos, à Redemptore suo feliciter liberata fuit.

Musculis abdominis resectis, ingens fœtor nares statim ferit: Epiploon satis bene habebat ast circa hypochondria & in pelvi, materia fæculenta chylosa, & purulenta stabulabatur, Intestinorum flacciditas cum fœtoris gravitate, de perforatione unius vel alterius illorum, haud obscurũ indicium præbuit, imo confirmavit gangrænosis intestini ilei maxima, in quo ad septem usque

usque foramina obiter quærentibus notare licuit, à quibus materia dicta in cavum ventris abiit, pone hoc mesenterii scirrhum, circa glandulam Mesenterii magnam insignem animadvertimus, longitudinalem, & ipsum, forte à contactu ilei rubicundum: Hepar fere exuccum & pallidum. Vesicula fellis, loco non naturali in lobo nempe hepatis infimo sita, & ab hujus extima superficie exorta, circa finem pylori cum initio duodeni arcte cohærebat: Ventriculus admodum inflatus, sinistrum hypochondrium fere totus occupabat, quasi è sua sede secessisset: Pancreas duriusculum: Lien autem & Renes naturaliter habebant: Venter medius pulmones exhibuit putridos, & ex sinistra parte adnatos: Cordis auricula dextra lata & ampla; sinistra vero parva & angusta: in illa delituit polypus figura dimidii thaleri, ℥ß. circiter pendens, cujusm odi alius oblongus ℥iv. in arteria magna hæsit, & alius ℥iiß. longitudine, venam pulmonalem occupavit: fibræ, ventriculi dextri, præ flacciditate collabascebant: Pericardium ichore turbido plenum, & glandula thymus dura & subatra: Pulmones v. incisione facta præter materiam subpurulentam & spumosam nihil ostenderunt. *Idem ibidem*

De Ileo sponte sphacelato & Miserere mei lethifico.

Puero ætat. 14. per aliquot hebdomadas præfui, Torminibus excruciabatur diris; sursum & deorsum assumta fœcesque regerebat. Convellebatur universe, præsertim in suris, dentibus stridebat, & dum brachia fortiter contenderet, manibus contractis, abdomen ipsi hinc inde globosum fiebat, à musculis validè contractis, & ventre suo tot monticulos formantibus.

In consilium fortissimi quiqae Medicinæ Atlantes adhibiti, causam morbi refundebant in bilem porraceam & æruginosam, sed ipsorum præsidiis nihil juvantibus puer indies dolentior, debilior & macrior, convulsus tandem enormiter, abreptus est. Cadaver mihi cessit extremum ileon (qua parte in colon ascendit, & valvula munitum est prægrandi, ne fœces in cœcum assurgentes relabantur,) universe attextum, putrido tabo, musculo iliaco, quem arroserat, adeo ut nihil nisi liquidissimi præterflueret, idque dolenter admodum & convulsifice, imo ab ipso crassioribus transitum negante, intestinorum motus peristalticus invertebatur, vomituque refundebantur assumpta, plurimo glutine atque bile, modo flava, modo viridescente perfusa.

Ileus idem fœmineus

Puerperæ æt. 30. per menses aliquot adfuit sub initia dolebat modicè ad ileum dextrum carminantibus: nullis vel assumtis, vel admotis adjuta fuit. Dolor vero pedetentim ita increvit, ut ægram in ejulatus impulerit, imo in vomitus enormes arte nulla compescendos & exinde ita debilis evasit, ut exanimis videretur, sed vitellis ovorum vel vino, vel spir. vini dilutis recreabatur.

Millies me rogavit ut medium ipsi recluderem abdomen aculei dolentissimi extrahendi causa. Convulsionibus tandem & febre nobis est erepta, atque muto corpore suo fideliter nos docuit tot symptomatum originem esse ilei ext emi & valvulæ ejus universæ sphacelum obfirmatum, nullis Pœoniis herbis medicabilem. *E Collegiis Clariss. Dom. Car. Drelincurtii.*

IMAGINATIONIS VITIA.

Antequam de Imaginationis vitiis hic dicamus, quædam de imaginatione in genere præmittenda veniunt: Est autem Imaginatio facultas corporea potius quàm spiritualis, quæ res exteriores atque absentes, tanquam præsentes nobis sistit, idque spirituum animalium organo, qui vestigia in cerebro ab objectis visis prius impressa, refricant. Nec tantum objecta absentia nuda & qualia sunt nobis sistit; verum etiam vel multiplicat ac conjungit quæ, aut pauca, aut separatim visa sunt; vel dividit quæ conjunctim objecta fuerunt. Quando illa in statu naturali subsistit non cogit mentem præsentia credere quæ tanquam talia repræsentat, quia scilicet moderata est spirituum actio. Verum quando iidem spiritus, vel per particulas à sanguine vel succo nervoso degeneribus suffectas, aut etiam extus advenientes, in motus cientur & perniciores ac vehementiores, non tantum objecta absentia pro præsentibus per profundiorem sui insinuationem in ea quæ premunt vestigia, habere cogunt, sed etiam plures rerum ideas toto cœlo diversas momento per excursiones suas in cerebrum promptissimas ita copulant atque combinant, ut inde præsentia objecti prorsus chimerici menti proponatur, cui etiam se subripere minimè valeat. In hoc itaque spirituum vehementiori motu, atque pernicitate, imò in eorundem particulis paulo fixioribus, ac de natura salium ad fluorem evectorum participantibus, unde ex quo semel quædam pressere vestigia, iis obstinatius insistunt. In hisce, inquam, omnibus consistit tota imaginationis læsæ vis, de qua jam aliquot exempla adducemus.

Vires imaginationis.

Mercator quidam Hafniensis, intensissimo dolore capitis afflictus cum dies, noctesq; aliquot insomnes transegisset, pharmacis incassum tentatis, jussi fonticulum in brachio aperiri, & quidem, ut è vestigio humorem noxium ad se raperet, scalpello in vivam carnem adacto. Dum autem in eo sum ut pressu digiti interstitium musculorum inveniam, æger averso vultu pressum illum, scalpelli ictum interpretatus, stentorea voce Ah, inquit, quam penetravit ferrum ad ipsa usque ossa, simulq; in deliquium animi lapsus, ægre post quadrantem horæ sibi restituitur, irrisus suaviter ab astantibus mulieribus, quod digitum à ferri cuspide nequisset distinguere. Sed tantum potuit imago scalpelli animo ejus impressa. Aliud: Nicolaus Bagge civis sanatus ministerio meo ab ictero intensissimo, post tres hebdomadas improviso nuntio, eoque tristissimo exterritus, in

in idem malum subito relapsus est, graviusq; quam ante decubuit. Scilicet, futuri damni imago metum injecit, & porum choledochum jam ante apertum iterum obseravit. *D. Olai Borrichii.*

Imaginarius dolor pedis ab amputatione cruris.

Observavi in Nosocomio civico quosdam post crurum abscissionem conquestos fuisse de dolore digitorum pedis abscissi, Et signum erat imminentis jamjam convulsionis, cerebro, nervorum principio, jam sine dubio patiente, quæ postmodum per defensiva & appropriata cauta fuit. *Paulus de Sorbait.*

Ex Imaginatione mors.

Henricus ab Heer libro observ. Medic. oppido rararum in Spa & Leodii animadversarum, observ. 6. recenset tria Exempla personarum imaginationis suæ vitio è vivis sublatarum: in quorum lectionem cum nuper forte fortuna inciderem, revocavi mihi in memoriam casum simillimum ante aliquot annos in Urbe hac nostra Thorunii observatum. anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, Magnifici cujusdam Præ-Consulis Thorunensis filia unica, tum ante annum Magnifico itidem Præconsuli in eadem Urbe, (quorum uterque adhuc vivit) nupta, cum tempore graviditatis sibi post partum moriendum esse firmissime imaginaretur, hoc argumento nixa, quoniam mater mox à partu illius ipsa superstire vivere desierit, die sexta Novembris mulier sana, juvencula, & liberaliter hucusque educata, felici cum successu peperit filiolam sanam, quæ adhuc in vivis est. Hæc paucis à partu horis, satis vegeta existens, nulla ex causa, Epilepticis insultibus, qui usque ad mortem sine intermissione miseram gravissime torserunt, correpta, omnibus quamvis selectissimis & expertissimis remediis à Beato excellentissimo D. Meisnero & me frustra adhibitis, die nona dicti mensis naturæ debitum persolvit: cujus mortis causam (omnibus circumstantiis, ante, in & post partum rite expensis) nullam aliam quam, unicam eamque magnam imaginationem invenire potuimus, quæ etiam absque omni dubio ex metu mortis Epilepsiam induxit. Simonis Scholzi.

Kerkringius Spicileg. Anatom. Observ. 41. simile exemplum habet de Fœmina. Catharina Petri, in Pago Quadiisk-Holand Septentrionalis habitante, Hæc cum eleemosinam mendicæ denegasset, mendica ipsi intra sex menses mortem prædixit; quæ cum sæpe fatalem terminum sibi proponeret; ad imaginem illius cohorresceret, aucta in dies imaginatione, indeque infirmitate, eo ipso die mortua est. *J. Jac. Sachs.*

Mira Imaginationis vis in somniante.

Valentinus Reich, Præconsularis Minister, annos aliquot supra triginta natus, vir robustus, sanus & vegetus, nocte quadam sub initium Decembris Anni millesimi sexcentesimi septuagesimi dormiens, vidit per somnium hominem quendam procera statura, Polonica veste indutum sibi obviam venientem, & lapidem in manu dextra tenentem, propiusque ad eum accedendo lapidem in pectus ejus vibrantem, & super ventriculi regionem percutientem, quo somnio ille expergefactus percipit dolorem in pectoris media parte supra ventriculum, accensaque candela, animadvertit in dicto loco maculam nigram, orbicularem, magnitudine pugni, inde perterrefactus, animo angitur. Post Solis ortum accersito Chirurgo Antonio Statlender, somnium narravit, simulque maculam illam monstravit, qui, Sphacelum metuens, locum affectum scarificavit, postea Emplastra discutientia & resolventia applicavit, tum pedetentim macula illa colorem mutare cœpit, dieque quinta plane evanuit, viro illo adhucdum sano & munia sua obeunte. Quem casum mihi, ut verissimum, dictus Chirurgus bona fide ipse retulit. Quid hic aliud statuendum, quam quod ex forti impressione cum terrore conjuncta, humores vitiosi in corpore commoti locum affectum subito occuparint? Siquidem patiens affirmavit, faciem istius hominis animo ipsius ita esse impressam, ut eum inter plurimos alios dignoscere adhuc non dubitaret. Alias miras imaginatricis facultatis affectiones collegit Marcellus Donatus, quem benevolus Lector videat *Lib. 2. Hist. Med. Mirab. cap. 1. Simon. Scholzi.*

Purgatio ex Imaginatione.

De viribus imaginationis in hypochondriacis præsertim obvia sunt apud Autores plurima; nec ignota sunt quæ de prægnantium impressione inter plures alios Th. Fienus eruditissimo in Tractatu suo consignavit Nauseam medicamentorum impressionem facere posse satis gravem sæpiuscule expertus sum, inter alia exemplum sequens exponere non abs re fore judicavi.

Uxor famosi apud nos mercatoris. J. D. P. quartana laborabat molestissima, corpus totum atrocissime affligente, sentiebat dolorem osteocopon, lumborum & dorsi gravitatem, rigorem, inappetentiam, & alia quartanariis familiaria symptomata. Advocor, ut de remediis prospicerem; ea respuebat omnia, ita ut nec ad salia, nec essentias, nec tincturas, nec spiritus per guttas sumendos, vel dolo etiam, quod sæpius fieri oportere praxis docet, persuaderi posset. Tandem antiquartanarium meum exhibere dolo tento, ipsa cauta nimis & attenta elusit consilium meum: quæro an conservam rosarum assumere possit, habere me nimirum & saporis grati & morbo, quocum conflictabatur, accommodatissimam, ex cujus usu febris sine dubio cessatura sit? annuit tandem persuasionibus, & an vomitus, an dejectiones illa sit motura, & an certo certius febris etiam peritura sit, perquirit. Cessabit, inquam ego, Dei ope, infallibiliter (ita enim erigenda ei anam alias remedium non admisset) febris; operationem autem medicamenti talem experieris, quod si ventriculus pravis abundaverit humoribus, forte vomitum, dejectiones autem modicas quidem, sed certas conciliabit. Mitto circa vesperam febrifugi dosin cum rosarum conserva

serva permixtam, simulque ut mane vice una, nam boli habebat formam, deglutiret, significari curo; Ægra impressionem vomitus dejectionumq; habens, maximam autem in medicamentum & ejus operationem ponens spem, sollicita tamen numne postero die sapor ingratus sit futurus, circa noctis horam fabæ majoris quantitatem degustat tantum; inde nauseabunda statim quater vel quinquies cum maxima violentia vomit, simulq; sexies vel septies alvum exonerat. Accedo mane & de operatione remedii quæro; male, inquit, mecum actum fuisset, si ex consilio tuo conservam deglutivissem, gustabam enim hesterna vespera medicamentum & vix me vivam amplius reperisses: verebar, ut nosti, vomitus, verebar dejectiones, periculum tamen facere volui, an, te sic volente, saporem remedii ingratum superare possim, & quod timui experta sum; vomitus enormes, dejectiones copiosas: si totum assumpsissem remedium, qualiter cum vita mea actum fuisset, ipsus judica, Dignam, respondeo, temeritatis luisti pœnam, ex imaginatione enim & nausea sola operationem talem subsecutam esse, certa sis, ut effectus etiam, febris nimirum solutio, jam subsequatur, animitus voveo. De ea, inquit, nullus dubito. Habebat tempore eodem ancillam quartana etiam laborantem. Ut videas, dico, non adeo periculosum me tibi exhibuisse remedium & ex imaginatione sola factam fuisse operationem, ancillæ, quæso, meo periculo, quod reliquum est totum devorandum exhibe; paret ac exhibet ancillæ remedium, quæ sine nausea, sine vomitu quinquies blande dejecit: In hera imaginatio & impressio, quam de medicamento habuit, in ancilla medicamentum ipsum felicissimum sortiebatur exitum; utraque enimà molestissima aliàs liberabatur febre; sicque dozi una binæ curabantur febres. *Johan. Schmidii.*

Superiori vere vir quidam egregius, cujus nomen, uti petiit, supprimo, vagos stomachi & hypochondriorum dolores non sine magna molestia integrum sextiduum animosè sustinens, tandem me accessit, omnique voto genuinas pilulas Francfurtenses, quas Beiero acceptas referunt officinæ, expetebat, serio & unice sibi persuadens solam mali sui medelam latere in istis pilulis, quare omnia alia, licet meliora, pertinaciter damnabat remedia, nec ullis precibus abduci poterat à suo voto. Mirans ego fervidum optimi viri desiderium, tandem promisi me satisfacturum ejus voluntati, dictasque pilulas fideliter confecturum. Interim, ut & alii scirent, quantum mentis ludibrium foret imaginatio, ex micis recentis panis cum saliva XVIII. formo pilulas, easq; inauratas mitto Domino patienti; ille in aurora avide devorat omnes. Circa vesperum ad me venit lætus sanusque, insignem pilularum mearum efficaciam astra super ferens, meque specioso mactans elogio. Quinquies alvum insigniter deposuerat & semel vomuerat. Vix fidem dabam insolita narranti, Domum itaque comitabar eundem, ut coram viderem materiam rejectam, quam in patina asservaverat. Profecto stupebam ego magnam tenacis pituitæ saburram, & nisi his oculis vidissem, nunquam vel juranti credidissem. Vah! quid non molitur pertinax in re aliqua opinio aut fiducia? Certe quos nec ratio, nec ars interdum curavit, temeritas sanavit & mera imaginatio ac superstitio, quod vel infinita confirmant exempla. Joh. Schmidii.

§. 3. Quantum imaginationi in humores corporis imperium sit, ut ex Th. Fieno, & aliis passim experimentis liquidum evadit, ita eo, quod subjicitur, exemplo confirmabitur. Primarius quidam civis Hafniensis ex febre tertiana convaluerat, &, domito jam morbo, corpus solenni cathartico expiarat, jamque sibi plene restitutus rogabat, ut uxorem quoque leni purgante tentarem. Pareo & pilulas duntaxat quinque propino. Dum illa delicatula in deglutiendo tricatur, maritus, nisi, inquit, subito hauseris, quod apponitur, jam mihi quoque nauseam commovebis; abhorrebat enim maritus à pilulis, sorbitioni addictior. Dictum, factum, vorat illa hamum, & maritus, qui hauserat nihil, ante uxorem strenue purgatur, nec ternis dejectionibus, iisque luculentis contentus provocasse uxorem, etiam gemina vomitione stomachum evacuat, hac parte uxore superior, ut quæ nihil per os rejecerit. *Olai Borrichii.*

Alia imaginantium exempla.

Illustrissimus quidam belli Dux febri continua a ictus meam exposcit operam. Venio, & quæ salutaria visa sunt, per aliquot dies præscribo, cum vespertina quadam nona subito evocor in auxilium, identidem occentante famulo, Dominum suum in extremis esse, hausisse per imprudentiam venenum, jamque sudore frigido perfundi. Miratus inexspectatam mutationem advolo, invenio ægrum propemodum desperabundum, pulsum turbatum, omnia confusionis plena, famulum qui venenum obtulisse credebatur, fuga elapsum. Sciscitatus causam audio famulum similitudine vitrorum pharmaceuticorum deceptum, non consulta prius inscriptione, Domino suo gargarismum ebibendum porrexisse, cum debuisset offerre analepticum. Hic ego, peccatum, inquam, hoc est, sed non adeo grave, quippe gargarismum illum nihil ingreditur quod vitæ insidiari possit, utcunque ejus simul hauriatur integra libra. Tum vero experrectior Illustrissimus, At ego, respondit, frequenter audivi gargarismos solis faucibus consulere, stomacho autem & intestinis esse inimicissimos, id quod & jam expertus sum, ita horam pæne integram affligor, & vertigine funesta circumagor. Ego placide, nil, inquam, in Dania gargarismis permiscetur quod haustum graviter nocere possit, & simul ad pharmaca roborantia conversus propino ægrotanti liberalem haustum. Unde mox alacrior deposuit de veneno opinionem, & noctem quiete transegit, inque paucis diebus sibi restitutus est. Sed ad experimentum aliud. Uxor Christiani Nærgeri statuarii tertiana contumaci excruciata recipit, meo jussu, vitra duo, alterum sudori eliciendo, paulo ante paroxysmum, alterum corrigendis stomachi cruditatibus destinatum, ex absinthio, centaurio min. gentiana, aliis. Imminente autem jam paroxysmo, per errorem totum illud vitrum exhaurit, quo stomachicum extractum in plures hebdomadas suffecturum continebatur, &

ad sudandum se componit. Intervenit frater ægræ, studiosus, & intellecto; ex inscriptione, errore, non, inquit, soror sudandi tempus jam est, sed de extremis cogitandi, hausisti enim illud una vice quod in dierum viginti usum præscriptum est. Illa anxia in sudores frigidos declinare, circumspicere sacerdotem, &, si adhuc locus esset auxilio, opem meam ardentissime implorare. Advenio, & ægram jubeo habere bonam mentem, nihil esse quod mortem formidet, paratum me esse ut in ejus gratiam tantumdem exhauriam. Illa præter spem suam in novam vitæ spem erecta in paucis diebus perfecte convaluit, nullumque amplius experta est paroxysmum, formidine mortis, haud dubie, ita effervescentiam humorum febrilium turbante, ut in statum morbosum nescierint reverti. Tolerabilia hæc in ægris medicam artem ignorantibus, sed & Medico D. D. Oldenburgio similia ante biennium contigere. Is, ut erat castrensis Medicus, & artis suæ alioquin oppido peritus, sed imaginationum intervallis obnoxius, & in hariolandis imminentibus suo corpori ægritudinibus prolixe anxius, postquam diebus aliquot Helsingoræ decubuisset ex suspicione febris malignæ, quod existimaret traxisse se miasma à præfectis aliquot militaribus quib. in petechiali febre medicinam nuper fecerat, Hafniam se jussit transportari consilio meo usurus. Ego cum toto triduo nihil vel febrile, vel malignum in pulsu, urinisque deprehendissem, quin, inquam, Amice, ad alia convertimur, febris equidem suspicio evanuit, sed noto corpus tuum pravis stagnare humoribus, ex diætæ & aquarum vitio, in obsidione Christianostadiensi contractis. Annuit ille, &, me suasore, lene bibit purgans, quod lienis, aut certe acidi putrescentis circa lienem fæces exturbaret. Postridie adsum iterum, & Oldenburgium meum propemodum desperabundum invenio. Et quid, inquam, turbarum? ille, decepit te, respondit, stochasmus tuus, ego enim jam mortem imminere sentio, quod in medio febris ardentis, & malignæ æstu catharticum assumpserim, unde jam totus exundo petechiis, iisque præ malignitate liventibus, simulque femora & crura ostendit maculis scorbuticis distincta. Tum ego, aut, inquam, me fallunt omnia, aut hæ non sunt febriles petechiæ. Consulo pulsum, urinam, contrecto frontem, nullum usquam febris indicium. Ille diu reluctatur, & in febrim lipyriam se incidisse credit; cumque nec pulsus id suaderet, nec arderent interiora corporis, tandem, licet satis ægre, expugno pertinaciam tristia sibi ominantis, & antiscorbuticis insistendum moneo, quibus ad breve tempus usurpatis cessavere maculæ, & Medicus sibi restitutus sanus in Scaniam ad exercitum rediit. Audio tamen ipsum hoc anno Helsingoræ obiisse, sive recurrerit similis imaginationis constantia, sive serio rem gesserit Morbona. Contumacior, funestiorque observata est imaginatio in clarissimo quodam Duce militari, qui nescio quo infortunio persuasissimus erat se gratia regis excidisse, in conservandis præsidiariis sibi commissis negligentius egisse, eoque jam ad tribunal citari, ut capite lueret socordiam. Quæ licet sola animi tristia secum agitantis inquietudo di- [illegible] nec enim ullius criminis reus deprehensus est) duravit tamen in pertinaci illa credulitate adeo obstinata mente, ut nec sacris, nec politicis, nec medicis rationibus contraria docentibus pareret, immò nec præsenti aliquando indulgentissimæ Reginæ, & prolixè Regiam gratiam offerenti crederet; multo minus Medicis, qui duo simul advocati eramus, nostra enim pharmaca totidem toxica interpretabatur, & in alimentis aspidum virus recondi præ se ferebat; donec tandem ex longa & precibus omnium invicta marcidus inedia, pestiferæ imaginationi immortuus est. *D. Olai Borrichii.*

Historia de Imaginatione timida insolenti.

Virgo annorum circiter 30. temperiei calidæ & humidæ, cum naturali ubivis moderatione, pulmonem si exceperim, quem calor auctioribus gradibus miserè dives infide afficiebat, humores illuc indiscrete prolectans, sputorum specie postmodum fastidiose explodendos. Animi vivacis, lepidi, hilaris, passionum turbinibus facile versatilis. Cum in eam frater, ægræ mentis vesania, subito irrueret, minis trucibus, vultus maniaci larva formidabili ad desperationem asper; rutilante, quod horridius est, sanguinis avido ense, Jove fulminante terribilior; se millies perditam rata, qua desperatio abripiebat, palante fuga se præcipitavit, sicque terribile furentis fratris fatum decepit domo quomodocunque recepta. Ut otium fuit in rei nefas libede intuendi jam innoxium; modò terrore quasi etiamnum absorbentis periculi exanimabatur; modo pruriente vindictæ capessendæ stimulo, effusa ira, amens sæviebat. Sic alternatim mutatis vicibus, bina & diversa passio sui moderandi impotentem perimebat. Ut vocatus ad finem secundi diei eam vidi, totamque rei hujus seriem ab adstantibus garrulitate fœminina certatim strepentibus, sermonemque, ut hisce in casibus ambitiosum est indiscrete miscentibus, eumve invicem tumultuarie rumpentibus, didici, pulsus sortem exploravi, ut lascivarum passionum in corde periculosè ludentium conditio innotesceret. Erat is debilis, deses, intermittens, irregularis, qualis mortem proximè vicinam ominatur. Ut momento ambæ ex intervallis tempestates desæviebant, statim apparebat animæ facetæ vigor in sales alacris, ut delirio nugante desipere crederetur familiarib⁹, aut nescio quies spirituum non visibilium larvis mysteriose agi. Utriusque passionis immodicæ assuetum inordinationis motum, inter tumultus, ut licuit, succincte perpendi; scilicet in timoris præcipitantioris confusione, omnia irregulariter turbante, & calor vivificus, & spiritus animans, nec non sanguis alens, uno quasi instinctu acti in cordis viciniam, quoad licet, certatim fatui proruunt, illudque nonnunquam imprudenti auxilii ferendi ardore luctuose obruunt, tumulatis sic spiritibus, nec non calore comite, vitæ moderatoribus; ut circulatione, non vilioris ad vitam perennandam fati, anxie impedita, dum immorigeri cum permixtis spiritibus humores tumultuarie cor inundant, instinctui nativo, inde natæ consuetudini, ut & cordis tremuli vili tunc imperio pervicaciter rebelles; spretis injuriè hoc pacto partibus externis, grandi percellentis casus horrori fallendo inconsulte sacrificati

ficatis, ut uni cordi, penes quod vitæ sors est, sic satis tuto prosint. Hanc inordinationem Poeta pinxit. Palluit, & subito sine sanguine frigida sedit. In iræ autem turbine, contrarius priori est humorum spirituumque raptus, nempe à centro ad circumferentiam evaginantur ij, externas partes furiose armaturi, ut intolerabilem injuriam amoveant, &, si licet, vindicent, quacunque demum prurientis passionis arte. Hinc opposita omnino est externa species hominis hac bina passione abrepti; ignescunt iræ & duris calor ossibus ardet: bilis siquidem irata agitatione spumantis fit truculenta in vicina loca eruptio. Id ambabus pariter proprium est, quod lugubri pretiosissimorum spirituum detrimento peccent, quamvis opposita insolentiæ ratione. Duplici ergo indicatione pro rei urgentis necessitate, anxie plenus, illi parui priùs quæ propiorem perniciem minitabatur, methodo ambabus apposite annuenti, sacræ videlicet fugitivi spiritus restaurationi.

℞. Elix. vit. Matthiol. ℥iß. tinct. croci ℈ii. specierum diambr. ʒi. spir. vini rectif. ʒiß. syr. cinnam. ʒiii. aq. meliss. ℥ii. M. capiat sæpius pro vitæ per intervalla sese horride negligentis, necessitate ex cochleari.

℞. Conserv. flor. violar. tunices, aurant. an. ℥iii. confection. hyacinth. ℈iv. ambr. gris. gr. iii. cum syr. alkermes f. opiata partitim magnitudine nucis avellanæ ad libitum capienda. Juscula imperabam ex gallis gallinaceis senioribus & columbis, quæ spiritibus superbis in similes casus utilissime catulliunt. Potus erat vinum generosius, sed avara copia concessum. His quatuor dies, nullo virium lugentium progressu frustra instititimus, quod lethifera horrificæ tragædiæ idea, imaginationem adhuc tremulam sæpe sæpius misceret; affectiones sic totas toties renovans. Forte quinta die vicini pagi necessitas me occupabat, cum solito frequentiores animi deficientis pavores desperate ingeminabantur; ergo in mei desiderati absentia, alius Medicus fuit rogatus, qui derepente prognosi exitiali præsentes inepte confecit, ut suis in æternitatem rebus ultimo sensu imperarit præcipitanter, ne fato properante, sacrum adeo opus forsan præoccuparetur. Interim domum redux, inviso ægram horum omnium imperitus. Ut has funebres lugentis domus ceremonias vidi, ex levi indignatione admirationi mixta parce risi; dum omnes susurrante vultu mihi tacite insultarent, & statim postquam serio & parco discursu hujus timoris errorem futilem castigavi, cujus forte non amplius dubia omnium persuasio vix patiens erat, hoc enema injici jussi, quo alvus sui perniciose incuria ad actionis necessariæ beneficium blande moveretur; bilisve portio aliqua circum præcordia infide otiosa in alvum utilissime seducta excederet, in hujus affectus pertinacia inprimis rea.

℞. Decoct. emollient. & refrigerant. ℥ix. electuarii lenitivi, olei violacei an. ℥iß. M. F. Clyster jam indendus. Evacuationem optimam excipiens insigne solatium prostratam non obscure recreavit, vix ob funereum mendacis persuasionis caracterem sanæ persuasionis capacem. Hujus purgationis perutilis beneficio suasus, audax præscripsi cholagogum sequens.

℞. Syr. rosar. solut. de cichor. cum rhabarb. ana ʒx. electuar. è succo rosar. ℥ß. spir. vitr. dulc. ʒß. aq. violar. ℥iß. f. mixtura mane ter ex cochleari sumenda. Effectus & copia humoris & discretione actionis, & quod fatum est, affectionis solamine pretiosus fuit, ita ut postmodum in horas felicius emendaretur, quamvis rardo progressu, & repetitis subinde assultibus retrogrado. *Ex communicatione Clariss. atque amicissimi Viri D. Nozet Friburgensis Archiatri.*

Imaginationis falsæ observatio quam anatomica manus detexit.

Rustica quædam sibi ad mortem usque ranas viventes tres, per quatuor menses gestare imaginabatur. Ex fonte per fistulam scaturiente bibit, & jam satiata, ore à fistula remoto, pedem ranæ fistulæ inhærentem vidit, unde se tres, uti dictum, ranas imbibisse vulgus, per rugitus flatusque, præsertim jejuno stomacho, uti solent discurrentes, & quasi coaxantes, sedulo persuadebat. Imo tria quasi ranarum capita in superficie abdominis tangi adstantibus videbantur. Tandem ex ascite obiit.

Aperto abdomine, lympha affatim effluxit. Tres excrescentiæ se prodibant, quæ omenti glandulæ scirrhosæ & induratæ erant. Adnatus hisce tandem tumor omenti scirrhosus qui libras duas cum quadrante penderit. Mesenterii glandulæ etiam scirrhosæ. Cætera inculpabilia.

Hoc modo & Medici vulgares & adstantes falluntur. Medici enim perspicaces, rationeque utentes facile concipiunt ejusmodi animalcula in corpore nostro vivere non posse: oportuit igitur ei ab imaginatione falsa dissuadere. Multi quippe morbi ab imaginatione non raro generantur, & per imaginationem curantur.

Pro varia enim imaginatione succi nostri varie disponuntur, & ad hanc vel illam partem diversimode fluunt. Quare per vesicatoria, fontanellas artificiales, setacea (quæ ad rem nihil faciunt) aliquando morbi curantur, quàm quod præ dolore arte excitato, à parte morbosa avertantur. Hoc est idea de dolore setacei, te non amplius de dolore mali cogitare cogit, adeo ut hac occasione spiritus per vim imaginationis in partem morbificam aliàs ituri, jam ad partem aliam mittantur. *Steph. Blancard. in Anatom. Practic. rationali.*

IMBECILLITAS

Vid.

VIRIUM PROSTRATIO.

IMPERFORATI.

De cura eorum quorum penis podexve clausus, similiter ac earum quarum vagina non aperta.

IN recens natis non raro podicem imperforatum observari, exclusionem fœcibus denegante membrana quadam crassiore, orificium intestini recti claudente, varia ab authoribus variis proposita exempla declarant, legi hac de

materia possunt quæ habent *Fabr. Hildanus parte* 1. *obs.* 3. *Antonius Benivenius lib.* 1. *cap.* 30. *Ambrosius Pareus lib.* 24. *cap.* 17.

Membranam hanc anum claudentem unguibus lacerari posse Paulus Ægineta lib. 6. cap. 6. docet. Hier. Fabr. ab Aquapendente orificia clausa instrumento secante aperiri vult, imo unguibus venenatis imperitæ obstetricis apertionem hanc minime permitti debere; addit insuper monitum hoc: Nullam sectione perficiendam esse aliqua in parte corporis apertionem alio loco, quam ubi veri foraminis vestigium, digito obvium, notari potest: Ubi enim, inquit, vestigium nullum occurrit, cultri usus non obtinet. Exemplum hujus rei apud *Hildanum. part.* 1. *cap.* 75. *invenire licet.*

Honesta, inquit, quædam Matrona Genevensis filium peperit, qui clauso ano excrementa per ductum urinarium simul & urinam excernebat, accessito itaque Medicorum & Chirurgorum collegio, nullus in ea fuit opinione, ut de ani incisione quicquam tentaretur. Tandem cum excrementa indurescerent, nec per ductum ullum amplum amplius permeare possent, inflatus est venter, exorta febris, aliaque symptomata, ita ut decimo septimo ætatis die è vita decesserit, aperto cadavere inventum est intestinum rectum vesicæ fundo adnatum. Admonitionem ihanc consideravimus in recens nato filio alicujus aurifabri, cujus glans non perforata, nullo præsente meatus vestigio. At subtus glandem insculptum observabamus foraminis vestigium, membranaceo quodam velamento tectum, hoc loco instrumento à nobis noviter invento, in hypopio usuali, apertionem fecimus, & effluxit urina insigni satis copia, satisque rivulose.

Infantes nobis occurrerunt varii, quorum anus imperforatus, integumento membraneo incrustatus, similiter ac puellulæ diversæ, quarum vagina uterina velamento simili occlusa. In omnibus felici successu instrumentum modo indicatum usurpavimus, nec unquam foramini facto turundas aut alia ejus sortis imponere coacti sumus, cum nullus metus sit modo dicto aperta conglutinari subito iterum posse, quale quid sibi persuadet Paulus, continuus enim materiæ effluxus unionem hanc non potest non impedire; in puellulis tamen cum larga, continuaque adeo, imo nulla excretio humoris excrementive liquidioris, per vaginam, non inutile observavimus Emplastrum Diapalma liquefactum plumaceolis exceptum, turundæ forma vaginæ imponere, quo inhibeatur conglutinatio, *Iob à Meckren in observation. Medico Chirurgicis.*

De imperforata quadam Epistola ad virum celeberrimum D. Ioannem van Horne, Anatomes Profess. Lugd. Batavum. Domine.

Ultimas nostras ad te missas, quibus dubia quædam curiositatis gratia solvebantur his concludebamus verbis:

Quod si quædam rarius occurrentia in arte nostra se exhibuerint, haud intermittam quin eorum te participem reddam.

Accipe ergo, Vir Celeberrime, haud adeo admiratione dignum, quam rarius occurrentibus annumerandum quod civitas nostra mulieres tales qualem hic proponimus rarius exhibeat.

Propositum minime nobis de puellis agere, sed virginem exhibebimus adultiorem.

Rensje Eeltjens, ex Frisia oriunda, Amstelodami licet nata, virgo robusta, annorum viginti duorum, & alvi & urinæ excrementa legitima quantitate, debitoque tempore, deponebat, menstrua vero necdum observaverat, satis licet annosa; urinæ tamen excretio tandem valde interrupta fuit, forsan quod materi serosa ventris cavo colligeretur, brevi enim abdominis tensivo tumore correpta. Accedeban pressiones dolorificæ gravissimæ circa pudenda, vehementes hæ adeo fuerunt, ut vestimenta lacerare, omniaque turbare coacta fuerit, imo desperatione mota violentas sibi intulisset manus, ni soror impedimento fuisset.

Quæcunque ipsi præscripta fuerant medicamenta plus noxæ quam commodi attulerant. Dissentientium medicorum Chirurgicorumque ingens satis hic numerus, unde factum, quod quæcunque usurparentur nihil omnino effecerint, adeoque ansa data fuerit vulgo, Medicorum Chirurgorumque inscitiam magis accusandi, quam statum ægrotantis desperatum deplorandi.

Fuerunt qui causam horrendi symptomatis menstruorum suppressionem constituerunt, ex vasorum uterinorum præternaturali angustia ortam.

Alii graviditatem subesse suspicabantur; rari denique veneficio rem totam adscribere haud detrectarunt.

Petrus Potgieter, Chirurgus, publico salario ad id obligatus, ut parturientibus pauperibus in casu necessitatis succurrat, uterum ad orificium externum prolapsum statuebat, quod vitium manuale operatione corrigere tentabat, sic tamen ut capiti insisteret ægrotans.

His aliisque sic frustra usurpatis, vaginam uterinam imperforatam esse, sic ut ingressus æque ac egressus negaretur excludendo æque ac admittendo, eo quod membrana valida orificium clauderetur, innotuit.

Membrana hæc Medicis variis excrescentia habebatur carnea, aliis carcinoma, aut aliud incurabile malum, in re adeo dubia certi aliquid quo constitueretur, Medici Chirurgique alii prioribus juncti, inter hos & me accedere voluerunt consanguinei.

Inspectione conveniente habita, portam eam angustam per quam Cæsares, reges mendici, omnisque ordinis homines, mundum hunc intrant, membrana quadam incrassata clausam invenimus, cui simile exemplum Hildanus part. 3. observ. 60. & 61. proponit; Clausura hæc arcta adeo observabatur, ut digito nullus concederetur introitus, unde factum quod menstruus sanguis, indies acrimonia, mente quovis quantitate, auctus, ad locum angustatum fuerit collectus, quæ causa repletionis, tensionis, intumescentiæ, dolorisque summi.

Hoc in casu medium nullum excogitari posse indicabam, quam instrumento commodo vaginam aperire, & quidem ad modum eum quem in ancilla fere mortua exercuit Fab. ab Aquapendente

pendente part. 1. oper, Chir. cap. 82. & Wierus lib. de præst. Dæmon. cap. 38. in virgine Craneburgensi. Assentiebat ægrotans, suadebant idem Chirurgi Medicique præsentes.

Operationis modus quis fuerit, antequam proponamus, duo hæc consideratione nostra digna occurrebant: 1. Annon exiguo quodam foramine membranam dictam perforare necessarium, ne materia intus collecta confertim nimis effluat, cum virium prostratione summa, quale quid in apertione abscessuum magnorum observamus.

2. Annon sectio quædam hic instituі debeat cruciata, quam commendat Corn. Celsus lib. 7. cap. 28. ne lædatur via urinaria.

Ad primum respondebam, vix eam humoris copiam hic collectam esse, quæ æquiparari queat ponderi fœtus recens nati cum annexis, nec tamen puerperas calore, spiritibus, roboreque præter modum semper destitui.

Ad secundum, sufficere hic sectionem simplicem, quæ à parte inferiore deducatur ad superiorem, quo, etiam jam effluente materia, apertio continuari queat, nec humor exiens eam inhibeat.

Operatio ipsa hoc modo instituta. In dorsum prostratæ virginis crura utrinque primo ad latera depressa, quo labia pudendi magis distarent, hinc lanceola dissectio membranæ obliquo ductu ne orificium vesicæ urinariæ læderetur, peracta, illico materiæ impuræ, aliquomodo fœtentis, colore & consistentia hepati comminuto similis quantitas ea effluxit, quæ librarum quatuor cum dimidia; nocte sequenti ejusdem humoris quantitas major se exhibuit; parcior hinc ast alterius conditionis.

De eventu suo tempore certiorem te faciemus, interim tuum erit Hymen, an membrana incrassata imperforata vitium hoc appellari debeat, determinare. Operationi dictæ adfuerunt. *Arnoldus Tholinx. Franciscus van der Schaagen. Joannes Deyman. Simon Dilleman; Adriaen Reyniers, Medici. Georgius Van Lon, Chirurgus.*

Vale vir magne in commodum Reipublicæ Medicæ, & nominis gloriam æternam; favereque perge in nullo non inservire tibi paratissimo Jobo à Meckren. *Idem ibidem.*

Atresia accidentalis, & una menstrua.

Non temere statim omnem atresiam, quæ infantibus puellisque evenit (pro periculosa habendam esse sequentibus exemplis persuadeor. Puella erat annicula, intertrigine aut excoriatione copiosa ob urinæ acrimoniam, ut fieri solet, affecta, huic tandem Vulvæ oræ coalescunt interveniente membranula alba, nonnihil etiam dura, quippe quæ initio immissi specilli apicem repellere videretur. Mira inde Parentum sollicitudo, non statim in hoc casu ad Medici aut Chirurgi operas properantium; sed, dum interim animi pendent locumque iterum iterumque inspiciunt, veriti, ne longiore mora magis induresceret valvula & tandem sero negligentiæ pœnam luerent, auxilium Medici implorare constituunt: Nutricula autem, cum Medici Chirurgive manum crudelem ominaretur, effusissimis precibus fere & fletibus Parentum propositum Medicique præsentiam si non avertit, certe dilationem aliquot dierum impetravit. Illa interea locum quotidie diligentius inspectat, nec, quod ante sæpe & liberali manu tentaverat, partes illas sevo obducit. Octavo inde die foraminulum, quod forte sevum ante occluserat aut occlusum solidaverat, apparet; magna inde Nutriculæ, majora etiam Parentibus tripudia. Jam vero patulum foramen non inspicere tantum sed & tractare ausa Nutricula, balenatiam alterius fæminæ consilio immittit virgam, lenteque ad justæ magnitudinis proportionem dilatat, ex qua nihil tale in adolescente virgine conspectum. Adeo etiam initio leviculis adjuta natura magnos prævertere morbos solet. Crediderim ego hic ab urinæ acrimonia exesos interiores labiorum naturalium margines purulenti quid sudasse; hanc deinde saniem, conjuncta in illo membrorum positu superficie utraque, exsiccatam membranulæ quandam præbuisse speciem, non aliter atque excoriatæ partes coire invicem, aut jungi per lympham saniosam glutinosamque solent. Aliud menstruæ ἀτρησίας genus puellæ jam nubili & octodecim annis majori evenisse memini, cui quoties menstrua fluxere, fluxerant autem ab anno quarto decimo, toties tribus quatuorve diebus ante fluxum nymphæ per membranam coalescebant gelatinosam, adeo ut aditus penitus obstrueretur: hanc illa adventante jam sanguine molliorem digitis facile resolvebat, patente hunc in modum fluxui via. Certe hic etiam à lympha uterina & vaginali, quæ sæpe acris & copiosa præire mensibus solet, membranulæ valvulosæ speciem enatam arbitror, sed quæ à sanguine emollita, digitis facile cederet, nec ante rediret quàm eadem illa sanies, quod tribus quatuorve diebus ante menses fieri solebat, angustias subiret menstruumque φαινόμενον repeteret. *Ioh. Nicol. Pechlinus in observationibus Physico-Medicis.*

Infantis penis non perforatus.

Sicuti puellæ quandoque clausis nascuntur vaginis (quod pluribus probaverim testimoniis) ita pueri interdum occlusis prodeunt virgis. Hujusmodi exemplum vidi cum Chirurgo Adriano van der Cruys, in nantæ cujusdam filiolo, cujus masculi membri anterior pars non erat perforata, vel minimum saltem aperturæ indicium solito gerebat loco, quæ tamen transmittendo lotio non esset apta. Ita ut procedente tempore aliam sibi aperuerit urina prorumpens viam, sub freno videlicet penis. Infans tamen, quoniam recens natus erat, fideli Chirurgi opera hoc incommodo fuit liberatus.

Varia clausarum virgarum exempla passim habent scriptores nostri; quibus, solito deficiente transitu, urina sibi alium aperuit, vel infra glandem penis (uti precedenti observatione patet, ac mox de adultiore dicetur) vel in media urethra, aut etiam circa penis radicem prope pubem, ipsove quandoque in perinæo.

D. Melchior Fribe obs. 98. Miscell. Medico-Physicorum, Ann. 3. p. 158. virum quendam se novisse tradit, cui penis non solito loco, sed infra prope frenum perforatus esset; per quam aperturam idem non urinas tantum, sed & genituram egereret. Duxerat bis uxorem ille, ac

sex genuerat liberos, nec minus quàm alii coitu delectabatur. Nec dissimile est quod tradit G. Samuel Polisius obs. 106. Miscell. Medico Phys. Decur. i. ann. 9. p. m. 265. de senescente, qui ejusmodi male formato pene prodierat; ac licet hic solito loco foraminis quoddam gereret vestigium, seminis tamen urinæque excretioni non sufficiebat; hæc tamen ille per aperturam intra glandem absque incommodo egerebat. Uxorem duxerat, liberos autem non procreabat.

Apud Benivenium cap. 90. p. m. 259. de puerulo legere est, qui obstructa anteriore penis parte, per angustum foraminulum infra glandem urinas ejiciebat, quod earum vi paulatim eo loci factum erat, quamvis non sine lachrymis, membrique illius tumore procederet ejectio. Idem quoque de puero refert, qui, licet pene perforato, meatum tamen urinarium fune media in virga, insciis parentibus ne noctu lectum permingeret, præcluserat. Ita ut vinculum istud, quanquam impete ferretur, removere nescia urina duobus in locis tumentem admodum aperuerit penem, quæ foramina, nonnisi hac via transeunte urina, atque oris etiam temporis processu callo obductis, sanari nunquam potuere. Meo quidem judicio, nisi cutis forsan fuerit minus tenuis, foraminis labia incidi & abradi potuissent, inducta interim antrorsum in penem plumbea vel argentea cannula, donec medicamentis idoneis cicatrix nata fuisset, remansura.

Simile præclusi fune penis exemplum Bierlingus obs. 204. p. 305. Ephemer. Medico-Physic. German. se vidisse ait in puero, cujus virga supra locum quo præclusa erat tota sphacelo corrumpebatur, ac putrefiebat. Ille autem per factam, qua proxime ventri adhæret, penis aperturam, postea semper absque incommodo lotium excrevit.

De infante bimulo scribit Amatus Lusitanus Curat. 27. Cent. i. p. 42. cui pene non perforato, nec ullo foraminis loco debito existente signo, prope testiculos per aperturam egrederetur urina.

Pueri trimuli meminit Gerh. Blasius obs. Med. 5. p. 39. qui recte alioquin se habens, lotium per foramen in perinæo excreverit prope penis radicem, hic enim nullum omnino permittebat transitum, nec ullo tegebatur præputio.

Casus ejusmodi meminit Theod. Kerckringius obs. 54. p. 115. de egeno quodam, cujus in cadavere intra scrotum fistula fuerit reperta, per quam multos annos, perforata etiam ipsa vesica, nec non transitum negante virga, urinas emiserit. *Cornelius Stalpart. observationum rariorum Cent. i.*

Anus imperforatus, *Ejusque Anatome.*

Ancilla ex illicito concubitu prægnans, xv. Octobris 1679. Viennæ fœtum, quoad externa masculum, ad initium noni mensis, alius quidem vivum (sed cum pedibus prius in partu venisset, ac collo diutius inter sinus muliebris latebras hæsisset deinceps suffocatum, enixa est; Qui cum à Medicinæ Studioso ad me delatus esset, convocatis aliis Collegis studiosis, partes externas examino, in quibus alias nil præter naturale observatum; nisi quod dextra manus duobus tantum digitis prædita esset, Metacarpus etiam ita contortus, ut potius plantam pedis referret, addita portione callosæ pellis circa extremam plicaturæ partem, quæ non inconcinne calcem repræsentabat. Pedes etiam nisi quod mire contorti, nil insoliti habebant: converso vero fœtu in abdomen in dorsi spina σκωλίωσις seu obliquatio observata tum & anus desiderata, loco cujus eminentia quædam callosa ad lineam usque, sero tum dirimentem, protensa erat, contrectatisque à me digitis iis partibus, Meconium per penem prodiit; unde, statim conjectatum, naturam viam pro alvinis excrementis per membrum affectasse: quæ ut melius pateret, abdomen decussatim, illæsis tamen Umbilicalibus vasis, aperio; inter quæ arteria Umbilicalis sinistra, tum & Urachus desiderabantur, dextra etiam non recta deorsum in iliacum ramum descendentem ferebatur, sed paulo altius ante divaricationem Aortæ inserebatur. Hepar mole vastum, &, uti fieri in nuper natis assolet, utrumque Hypochondrium occupans: sub eodem stomachus latitabat, qui admodum contractus, ac multum protensus potius intestinum quoddam referebat; Scatebat is præterea muco subpallescente, qualis & in ore reperiebatur. Lien naturaliter se habebat, intestinum duodenum vero, ubi cholodochus, seu potius communis ductus inferebatur, summopere dilatatum, ita ut novum quasi ventriculum repræsentaret. In jejuno & ileo nil. p. n. observatum; Cæcum vero, licet protensius, contractum tamen & vacuum. Colon ab initio satis tenue, sed in progressu dilatatum, nec multis cellulis exaratum, versus rectum copiosissimo Meconio turgescebat, ac tandem in rectum terminabatur, quod etiam eo loci, ubi alias vesica locari solet, in appendicem vesicæ æmulam (hæc enim etiam in hoc fœtu deficiebat) dilatabatur, ac tandem non per anum, sed antrorsum, membrum virile pendulum præputio suo munitum referens, extra corpus finiebatur, cujus structuram, ut meliùs innotesceret, propria manu delineatam transmittere lubuit. Jam admirabar naturæ industriam, quam putabam loco vesicæ dilatationem, seu appendicem recti substituisse, sicq; compendiaria via utrumque excrementi genus excretum voluisse; sed cum in Renes inquirerem, hi non glandulosi reperti, sed eorum loco glandulæ tantum Renales, irregularis figuræ, substantia solito solidiori præditæ, & compressæ admodum conspectæ, adhærescebant ex insuper ramusculis ex Aorta & cava descendente oriundis, quæ emulgentes venas & arterias supplebant, nulli etiam Ureteres ad appendicem recti, vesicæ æmulam, visebantur: unde in opinione mea superiori me falsum deprehendebam. Ex iisdem Aortæ & cavæ truncis vasa exoriebantur spermatica utrinque in testiculos minutos ciceris magnitudine, & compressos, fœmineos fere æmulantes, ac vasis seu capreolis suis pampiniformibus insignitos, terminata; qui testiculi non in Scroto, sed ad latera pelvis in abdomine (qui locus alias muliebrium est) situabantur. Scrotum vero vacuum erat ac darto crassiori præditum. Inquirebam in testiculorum deferentis vasa, ac vesiculas

culas seminales, & prostatas, sed præter confusionem vasorum quasi gangræna tactorum, ob comprimens rectum meconio admodum turgescens, nil observare licuit, neque aliud in abdomine præternaturale visum. Unde ad examen medii & summi ventris progressum, qui nil p. n. etiam in se recondebant. Dubium tamen ex hisce moveri posset, utrum fœtus hic enixus (in utero enim vixisse supra relatum) supervivere potuisset? & num ad generationem aptus? Putarem ego salvo meliori judicio, nec vivere illum stante hac constitutione partium potuisse, nec enim locus erat pro excretione Urinæ, nec generationi aptum (cum & locus pro excretione seminis desiderabatur) fuisse, tum corpora nervosa penem non constituebant, quæ ad rigiditatem illius in generatione necessaria; involuntarie etiam fœces alvinas deturbasse, inde colligere licuit, quod Musculi ani tum levatores, tum sphincteres deficiebant, *D. Wolffstriegel in Litt. Vienna datis ad D. Sachsium.*

De Ano clauso.

Anno 1672. d. 7. Jan. Vocatus fui ad Civis cujusdam primarii filiolum vix viginti quatuor horas natum; inveni misellum illum fasciis involutum in gremio obstetricis jacentem & quasi animam agentem, ut ab adstantibus etiam mortuus crederetur: à fasciis ergo ipsum liberari jussi, & linteis calidis debile illud & pene emortuum corpusculum involvendum curavi; hoc facto, quamprimum ex proximo pharmacopolio afferri potuit exhibui cochleare aquæ ex typhis C. C. recens destillatæ, inde sensim ad sese rediit pusio, inquisivi postea ulterius in causam istius debilitatis & lipothymiæ; anum ergo guttur illud inferius impervium esse comperi, observans præterea quoties misellus ille respiraret, materiam excrementosam in ano latentem, exitum vi quadam moliri: meo jussu advocatus fuit Chirurgus expeditæ manus, qui instrumento incisorio tunicam illam quæ anum claudebat, perforavit; exiit illico materiæ excrementosæ atramenti crassioris instar satis magna copia; sublevatus inde paulum bonus ille pusio liberius respirare cœpit, sequenti tamen die fatis concessit, quia, quamprimum anus pervius esset, etiam per nares materia purulenta effluebat, forte abscessus ibi latentis signum: sic Ars nisi naturam adjutricem habeat, frustra sæpe tentat auxilium. *D. Casp. Kolichen.*

Anus imperforatus.

Anno 1669. Mense Octobri in Suburbana Uratislavia Villa, Fabro cuidam lignario nascebatur puellus cætera optime conformatus, præterquam quod anus penitissime clausus esset. Obstetrix id vel ex negligentia non observaverat, vel nescio qua ex timiditate rem parentibus revelare distulerat. Tandem quarta post partum die anxia ad me venit, consilium petens; cui respondi periculum hinc vitæ impendere, nisi ocyus à Chirurgo perito clausa porta aperiatur, opus tamen fore ut ante ipse infantulum viderem, quàm certum curationis modum determinare possem; properat obstetrix & parti responsum meum denunciat; qui haut cunctanter filiolum ad me deferri curat, ipse spectatator curationis futurus. Sublatis ab infante linteolis, comperio anum rite quidem locatum; nonnihil tamen prominentem præter solitum; & penitus coalitu veluti consutum, nec nisi levissimum, ac vix ab acutiori oculo rite discernendum indicium Foraminis, quod lineola subtilissima, veluti calamo inscripta, designabat. Digito etsi comprimeretur anus, in intestino tamen recto quicquam detineri excrementum, neutiquam dijudicari poterat. Econtra guttatim semel atque iterum, aliquando etiam paulo longius feces alvinas modo tenuiores modo crassiores, prout paucior copiosiorve urina ipsas diluebat, per mentulam excernebantur, ex qua non rari etiam flatus cum sibilo prorumpebant. Jam quoque venter ab excrementis retentis manifeste intumescebat. Interea serio pensitatis, quæ in tali casu, Sennertus, Riolanus, Mercurialis atque Minadous consulunt, atque insuper in consilium adhibitis viris aliquot ex Praxi Medica celebribus, Fautoribus & Amicis meis omni cultu & honore observandis, vitium hoc non sine ratione pro inemendabili habitum est: Nihilominus ut parenti, tam enixe flagitanti ut quodvis auxilium tentaretur, etiamsi frustraneum foret, satisfieret, indultum fuit Chirurgo, aliàs satis solerti, ut periculum faceret, quoad aperiri clausura posset. Hic quidem Lineolæ supra memoratæ, atque ab ipsa natura in prominentem anum inscriptæ, Lanceolam dextre infigit; verumtamen sive ob profunditatem coalescentiæ, sive ob laxitatem corrugatæ in extimo Sphinctere cutis, acies instrumenti etiam valentius & bis adacta, profundius penetrare non potuit quam ut locus superficietenus cum paucarum guttarum sanguinis profusione, vulneraretur, quemadmodum laudatus Sennertus satis clare & fideliter *lib. 5. instit. p. m. 1005. prædixerat.*

Cum ergo melius esset, ut ab operatione hac manus detraheretur, quàm ut infantulus porro & frustrà torqueri deberet, statueretur, patri spe omni curationis excluso filiolus domum reportandus redditus est. Infantulus vero, abdomine toto à Genitalibus usque ad sternum, mirum quantum intumescente, ut tantum non inclusa ibi viscera, præprimis tamen ventriculus, transparerent, die abhinc tertia (quæ septima à partu erat) miserrimo adstantium parentum spectaculo, suffocatus obiit.

Cadaver, sectione dignissimum, nec prece, nec promissis, nec comminationibus à matre nimium superstitiose obstinata impetrari potuit. Infantulum hunc spectarunt Consilioque & operationi interfuerunt Viri Nob. & Experientiss. DD. *Godofredus Tilesius, Physicus Reip. DD. Philippus Iacobus Sachs à Levvenhaim, D. Gasparus Feldnerus, D. Ioh. Ianisius, Practici Vratislavienses, nec non Dn. Daniel Schmied, Chirurgus*

Scholion. Tres occlusorum Podicum potissimum dari species ex practicorum traditione & quotidiana Experientia comprobata facile; videlicet Angustiam sive Conniventiam intestini Recti, Ani Clausuram per membranam, & Coalitum, propter quem patientes propriè Atretæ sive imperforati dicuntur.

Illam observavit Scultetus in Armamentario Chir. obs. 77. (vel 71. secundum exempl. German. Francof. edit.) ibique curationem per immissos penicillos ex radice Gentianæ, ad intestinum dilatandum, exhibet.

Istius descriptionem & curationem Sennert. Instit. l. 5. p. 1. S. 2. c. 7. p. m. 1005. Fabritius Hildanus C. 1. obs. 73. Ronsseus Epist. 14. p. m. 45. nec non Borellus C. 1. obs. 77. & C. 3. obs. 9. fideliter communicarunt; unde elucet Eandem contingere tripliciter, videlicet, in aliis inveniri membranam tenuem, quæ facile digito dilacerari potest; in aliis membranam densiorem, quæ scalpello opus habet; quale exemplum Nobiliss. Dom. D. Sachs à Levvenheimb, Fautor & Amicus, inter præcipuos ob singularia benevolentiæ suæ testimonia merito habendus, communicavit; nimirum quod Anno 1663. mense Majo vocatus fuerit ad Fabri cujusdam Lignarii recens natum puellum, cujus anum membranula contectum invenit, subtus latente colostro nigro. Is, sectione membranulæ adhibita, & suppositorio abstersivo & dilatante, operationem faciente Chirurgo Henrico Neugebanero, feliciter restitutus est, & aliquot annos vixit. Similem huic historiam *Oetheus observavit, referente Schenck. lib. 4. pag. m. 383.*

In aliis denique foramen ani membrana prædura, in qua nullum fere vestigium ani, præter maculam (quam lividam in suo infante spectavit Hildan. l. modo citato) apparet. Nec dubito quin ad hanc classem reduci debeat Sculteti obs. 77. ubi refert, se novisse obstetricem Patavinam, quæ anum totaliter occlusum acicula communi perforare, & foramen turundis ex Gentiana ampliare solita est.

In hac ultima, sive tertia specie foramen podicis omnino occluditur sive carne, uti Ronsus Epist. cit. existimat, sive etiam cute densiore, vel, quod fortasse sæpius contingere potest, utroque modo. Neque etiam à vero absona videtur conjectura naturam in his duplici modo aberrare, vel in Conformatione intestini recti, quando illa hoc vel fundo vesicæ vel ipsius corpori, recto ductu (quemadmodum oblique ureteres inseruntur) implantavit, quod Anatomia pueri Genevensis apud Hildan. C. 1. ob. 75. & filioli lapicidæ Scaphusiani, ap. Schenck. l. 4. obs. 6. de intest. recto. p. 383. itemque Lauremberg. Process. Anat. l. 1. c. 16. confirmat vel quando collo vesicæ intestinum inseritur, uti in fœmellis in pudendum, ut plurimum solet desinere.

Vel II. in Conformatione Ani, quando intestinum rectum quidem recte conformatum est, Sphincter vero connascitur vel carne oppletur, quod Beniven. c. 30. d. Abdit. observavit. Hinc minime mirum, si quandoque una cum fecibus alvinis Urina quoque supprimatur, quale exemplum Garnerius Schenckio communicavit, & ab Hoc recensetur l. 3. obs. p. m. 383. vel etiam si intestinales feces per Urethram excernantur, citra insertionem intestini recti in vesicam; siquidem pluribus exemplis compertum est, materiam retentam sua sponte sibi viam ex intestinis ad vesicam per exulcerationem ac fistulam quæsivisse, videlicet ex morbo intestinali, ut Scirrho, Calculo, Vulnere, Ulceribus venereis, &c.

Hoc tamen miratu dignum videtur adeo tenella infantum corpora tamdiu sub tormento tam atrocis morbi durare posse; nam ut noster infans septimum, sic Ronsei undecimum, Garnerii ap. Schenckium decimum tertium, & Hild. decimum septimum diem attigit. Observatu quoq; dignum, quod imperforatis, si ricte nobis sic dictis, Puerulis hoc vitium semper lethale sit, quod è Riolano c. 33. lib. 2. Enchir. Anat. p. 220. non obscure innuitur & plurimis exemplis alibi, præcipue tamen ap. Tulpium l. 4. c. 35. p. 50. & Plater. l. 3. obs. p. 565. confirmatur; Fœmellis vero non item, certe non tam subito, aut frequenter funesta est ani occlusio, quod a Minadoo lib. 5. d. Ext. Aff. c. 18. p. 27. col. 5. exemplo puellæ, comprobatur, cui cum anus imperforatus esset, & intestinum rectum in pudendum desineret, per id feces nunquam non excernebat, vitam ad annos sex & forte ulterius producens: cum quo conferatur *Fr. Sanchez. obs. p. 375. & alii.*

Denique verbo notamus, quod non aliud exemplum imperforati ani, quod nostro magis simile sit, in lectione Practicorum obtigerit, quam quod Platerus in obs. p. 564. habet, excepto eo, quod ibi præputium quoque coaluerat, & nota in Ruga figuram rotundam obtinuerat. *Henr. Volgnadi.*

De Intestini recti perfecta & profunda coalescentia.

Pellionis filiolus altero demum post partum die imperforato ano deprehenditur: instituta proin inspectione, & collecta hinc intima coalescentia, pro deplorato habitus est. Cum autem parentes quidvis experiri vellent prius, quàm innocens pusio propriis excrementis quasi suffocaretur; cordatus quidam Chirurgus interveniens, facto tamen denuo prognostico, lancetta aperturam aggressus est, loco rimulæ non tam oculis, quàm conjectura qualicunque concepto, puello interim, quasi bene secum ageretur, quietissimo, imò conatum fere quendam egerendi adversus Chirurgi manum ostendente. Postquam ad articuli pene longitudinem lente sursum pergendo pervenerat, nil vero exiret, destitimus, donec elapsis aliquot horis, rogantibus denuo parentibus, insertaque iterato lancetta (exigua semper cruentatione) sensim ac sensim ad finem coalitus, qui longitudine sua duos Auricularis digiti articulos (in mediocri viro) facile æquavit, perveniretur, & excrementa nuper natis consueta, cuspidi occurrerent, satis liquida. Unde inserta turunda prælonga meatus amplius dilatatus, indeque circumcirca usualibus medicamentis cicatrisatus est: infante bene ingerente, bene egerente vegetoque. Demum anniculus, ni fallor, (affectu maligno tum, an epileptico? mihi nunc incertum,) diem suum insperato obiisse dicitur. *Danielis Ludovici.*

De Pudendo Muliebri natura clauso arte adaperto.

Quemadmodum sæpe infantes orificio ani occluso nascuntur; ita nonnunquam & fœminis sinus

sinus muliebris in Utero Matris membrana quadam obducitur, ceu plurimi Authores annotarunt, quorum observationes congessit Schenck. lib. 4. observ. Medic. observ. 12. 13. 14. Præter eos Guil. Fabr. Hild. cent. 3. observ. 60. & 61. & Dan. Sannertus Instit. Medic. lib. 5. p. 1. sect. 2. c. 7. similium casuum tractationem proposuerunt. Nos quicquid hac in materia Antonius Stadtlander Chirurg. nobis communicavit, tibi benevole Lector candide impertiemus. Vocatus est prædictus Chirurgus ad Scabinum Veteris Civitatis H. B. mihi bene notum, cujus filiola quatuor annorum à primo statim ortu hucusque urinam guttatim & cum summa difficultate atque maximo dolore reddebat: Parentes calculum suspicantes ad eum depellendum varia remedia quæsierunt, sed frustra, Chirurgus autem naturalia puellæ inspiciens, invenit eadem membrana valida obducta, vix conspicua rima, quasi acu leviter facta versus intestinum rectum apparente, per quam urina in vagina cumulata non stillabat, sed vix transudabat: Ulterius instrumento illuc intruso, invenit membranam admodum crassam, circumcirca cum carnosa parte firmiter connexam, imo cum ipso meatu conjunctam, unde puella gravissimum dolorem in emissione urinæ percipiebat. Tum Chirurgus Parentibus indicavit, naturale hoc vitium nullo alio remedio præterquam Sectione corrigi posse: Sed hæc demum tertia die, illis perterritis, instituta est, ubi Chirurgus in præsentia Parentum & Consanguineorum, puella decenter disposita, sectionem ab inferiore parte versus superiorem aggressus, benedicente Deo, feliciter peregit, primum quidem scalpello, dein forcipe acuta ad id singulariter formata: separatis itaque singulis urinæ liberum transitum hucusque prohibentibus, partes vulneratæ Medicamentis, partim dolorem, partim sanguinem sistentibus, à prædicto Chirurgo undique secundum artem circummunitæ & tandem unguento Diapompholygos perfecte sanatæ sunt. Puella ista per Dei gratiam in totum restituta in hunc usque diem optime valet. Notandum autem in ejusmodi operationibus magnam diligentiam adhibendam esse, ne vel partes versus collum lædantur, vel, quæ separari debent, intactæ maneant, neve foramen nimis augustum fiat, quod posteà in matrimonio constitutis nocere poterit, & tandem ne partes divisæ iterum coalescant: Ceu plura exempla talium casuum apud authores inveniuntur. Singularem casum de partium Genitalium coalitu videat benevolus Lector apud Gregor. Horst. Epist. Med. lib. 1. Sect. 19. Faciliorem Sectionem & Curationem instituit dictus Chirurgus in Nobili quadam Virgine, cui Genitalia naturaliter membrana, tympani crassitie, obducta erant, relicto à natura foramine ad pisi magnitudinem, per quod tamen urina libere effluebat. Similia exempla & operationes vide apud Hier. Fabr. ab Aquapend. Oper. Chir. pag. 1. cap. 82. 83. & 84. Joh. Andr. à Cruce Offic. Aur. lib. 5. cap. 47. Guid. de Cauliac. Tract. 6. cap. 7. Beverevic. Chir. cap. 3. de Paracent. Henr. van Roonhuysen obs. P. 1. pag. 102. 103. Paul. Barbet. Part. 1. Chir. cap. 13. tum etiam apud Franc. Peccet. & Pigræum in Chir. &c. *D. Simonis Schubizii.*

Rustica imperforata.

Par conjugum ex plebe rusticana se invicem Ratisbonæ coram Consistorio Episcopali, de impotentia maritali coarguentes, divortium petebant. Præses consistorialis, post multas altercationes, ad certiorem litis decisionem, per certas personas, more veteri, utrorumque conjugum inspectionem corporalem decreverat. Qua facta, culpa in uxorem recidit; hæc etenim præter naturam, licet vicennali major ætate fuerit, imperforata inventa est. Igitur per Chirurgum ex artis lege incisio facta, posthinc concordes satis in conjugio isto vixerunt atque liberos progeneraverunt. *D. Ioh. Helvvigii.*

IMPETIGO.

Vid.

CUTIS VITIA.

IMPOTENTIA VIRILIS.

IMpotens is dicitur qui non potest id quod maritum decet. In duobus ergo consistit impotentia proprie sic dicta, nempe in debita membri erectione, & convenienti per istud seminis ejaculatione læsis. Prior tamen defectus ut plurimum hoc nomine venit, nempe deficiens erectio, & hinc congressus debitus.

Læditur autem erectio penis, & hinc copula maritalis debita tribus modis: 1. Quando deficit & est imminuta. 2. Quando excedit & est nimium extensa. 3. Quando depravatur, dum penis non convenienti modo & figura turgescit & erigitur. Præsuppono hic ex Physiologico-Anatomicis distensionem & turgescentiam membri fieri primario à sanguine arterioso, quando corpuscula ejus duo nervosa instar spongiæ excavata & perforaminata replet, & ita repleta corpuscula fortiter distendit. Hæc de distensione & inflatione penis.

Erectio verò inflati penis & motus ejus tonicus (ut in tali figura & statu persistat) dependet imprimis à duobus musculorum paribus circa ejusdem radicem implantatis, à quorum musculorum actione, nempe contractione versus suam originem, indeque in eorum medio intumescentiæ; non tantum comprimitur & angustatur vena per penis dorsum excurrens, ut ita sanguis per arterias in corpora penis nervosa effusus eadem que distendens non possit refluere, sed præterea quoque horum musculorum contractione iis alligatus penis prius distentus sursum versus retrahitur: quæ ipsum semen spiritibus tempore congressus turgidum (dico tempore congressus aliàs non) inflans vesiculas seminales ab horum musculorum cōtractorum vesiculas simul comprimentium rō-

bore, in sua eruptione in meatum urinarium non leviter juvatur. Hinc simul atque contractio & tonus cessat, sanguis ex pene refluus per venam in denuo apertum corpus ejus flaccidum, rugosum & tandem pendulum relinquit.

Læsiones ergo hujus erectionis imprimis fundatæ erunt in istis musculis sanguinem penem distendentem, aut sistentibus, aut linquentibus. Deficit ergo penis extensio triplici de causa. 1. Quando musculi paralysi laborant, seque exinde debite contrahere nequeunt, id quod fit in quâcunque & à quacunque causa orta paralysi eorundem. Item ex nervorum affectorum vitiis. Hinc v. g. ex nimia equitatione compressis nimis & in se coactis his musculis erectio penis impeditur. Tale exemplum recenset Jacob. Fontanus Consf. 2. de Nobili, qui ab exercitio violento, & qui equitatione nimia incidit in privationem erectionis penis, ob vias ejus & meatus à motu obstructos, qui ad musculos derivantur. Sic casus super dorsum & os sacrum, aut vicinas partes, ut paralysim aliorum locorum, ita & penis inferre solet. Tale vero exemplum recenset Hildanus Cent. 6. obs. 59. ubi ex casu in dorsum erectio penis omnino fuit sublata, manente etiamnum forti ad venerem stimulo, quatenus nervi ad penem ejusque musculos tendentes, aut compressione, aut laceratione, aut alia ratione affecti fuerunt. Citato in loco similiter ex gravi capitis percussione, talem membri erigendi impotentiam ob similem causam ortam refert.

2. Causa propter quam deficit penis erectio est absentia spirituum animalium in musculis istis ad penem erigendum & distendendum necessariis. Deficiunt spiritus in musculis istis, vel in genere ex eorum defectu universali, ut fit in languidis, in morbidis & similibus. Unde in morborum acutorum statu & declinatione, erectio membri naturalis (naturalis dico: nam interdum est præternaturalis & convulsiva, quæ mala) rediens, faustum solet esse signum spirituum animalium regeneratorum & in debitas motiones dispositorum. Vel in specie deficiunt specialiter in musculis penis, vel in pene: quando animus, aut imaginatio (loquor cum vulgo) circa aliud objectum occupata spiritus animales eo evocat, vel in aliis partibus detinet, ac minus ad penem mittit. Hac ratione & pudor, interdum, imo sæpius, penis erectionem impedit, aut etiam jam factam denuo tollit. quatenus alio vocantur spiritus. Sicuti è contrario meditatio rerum venerearum ad penis erectionem disponit; quia scilicet spirituum motus sic eo dirigitur.

Ex hac causa, nempe pudore nimio & intempestivo, subinde fit ut noviter nupti se maleficiatos putent, cum tamen potius ex inconsulto pudore membri erectio impediatur, quo tandem discusso negotium alacriter succedit.

Pertinent huc ii qui melãchoia hypochondriaca laborant, qui ut variis subinde conflictantur phantasmatibus, ita & subinde imaginatione propria decepti se impotentes existimant. Aliquot exempla talia vide in Salmuth. cent. 2. obs. 78. Qui tales postmodum curato malo hypochondriaco sponte ad rem redeunt. Simile exemplum est quod habet Silvaticus cent. 4. conf. 4. ubi refert impotentam ad coitum ex malo hypochondriaco, in quo distenditur penis, sed dum accingitur ad opus flaccescit. Ad hanc causam, nempe spirituum absentiam, revocandus est etiam deficiens veneris stimulus à semine deficiente ortus, cum notum sit quod ex copia, aut turgesnentia hujus, indeque facta partium istarum irritatione, & hinc dependente determinato spirituum motu ad istas partes, tam pollutiones nocturnæ, quàm interdum etiam diurnæ oriantur.

Huc faciunt flagra natibus infligenda: quorum flagrorum ad rem veneream magnus est usus. De quo vid. elegans tractat. Meibomii de usu flagrorum ad rem veneream, quem nuperrime notis illustratum edidit Bartholinus. Ubi refertur exemplum cujusdam, qui nunquam potuit amasiæ satis facere, nisi prius virgis cæderetur ab hac: unde postmodum ita cæsus egregie officio præstando functus est.

3. Causa propter quam deficit subinde membri erectio, & huic succedens negotium, est fascina, seu maleficium noviter nuptorum; dum scilicet sub ipso sacerdotalis copulationis puncto, per seram clausam, aut per ligulam constructam, aut aliis ultra 50. modis, quos taceo, ita ligatur sponsus, ut postmodum stimulante licet natura & erigente se membro, tamen cum sponsa gaudia optata peragere nequeat, quia, ubi propius accessum parat, subito membrum flaccescit; adeo ut etiam cum quacunque alia optime & facile coire possit, sin vero ad sponsam vel noviter nuptam propius accedit, mox mentula torpida rugata contrahit cornua. Existimant equidem multi, quos inter est Wierus de Præstig. Dæmonum; item Borellus cent. 4. obs. 65. talia esse vana, & omnem hanc ligaturam esse fictam, quia proveniat solummodo ex affectibus animi, aut nimio gaudio, aut pudore, aut metu, aut alia quacunque, vel etiam ex falsa imaginatione spirituumque animalium hinc avocatione. Cujus tamen verius contrarium videbitis assertum in Bartholini cent. 3. histor. anat. 71. causa, si non omnino perscrutabilis est hujus fascini; aut si non præcise ad dæmonem referendum sit (quod non temere faciendum in rebus naturalibus, quippe quæ Deo potius acceptæ ferendæ) forsan à sola imaginatione ligantis, seu ejus qui hanc vexationem facit, sita est: quò non tantum inclinat Verulamius in Sylva sylvarum, sed præterea etiam Helmont. & Marcus Marci in scriptis. Qui omnes, uti hoc fascinum, ita & reliquos affectus ab incantatione inductos, soli imaginationi Sagæ vel Incantatoris tribuunt.

Signa horum affectuum de erectione membri læsa quod attinet: Facile patet malum ex relatione ægri, seu potius uxoris ejus. Causæ perscrutandæ & cognoscendæ à Medico. Et quidem si defectus spirituum animalium adsit languor ac imbecillitas in corpore & actionibus reliquis animalibus adest: sin vero isti alio avocantur in hypochondriacis, variæ cogitationes, varia phantasmata & similia subjecta actu se repræsentabũt. Sin adsit paralysis membri, flacciditas manet, & à nullo unquam objecto illud moveri aut evigilari poterit. Sin deficiat stimulus venereus hoc ipsum facile patet, quod ipse patiens nullum appetitum habeat ad tales actiones. Denique si

ab

ab incantatione malum ſit, homo aut antea ad venerem fuit aptus, aut etiam cum alia quacunque ſe commiſcere poteſt excepta ſola ſponſa.

Prognoſis eſt quod tales ſint infæcundi, tamdiu ſcilicet quamdiu debite coire nequeunt.

In cura uſurpanda venerem ſtimulantia, tam interne, quàm externe: applicanda vel inungenda nervina, olea penetrantia & ſimilia. Animus omni cura eſt ſolvendus, & faſcinum empiricis, ſeu expertis alias, eſt ſolvendum.

Interne ergo conveniunt omnia ea, quæ ſuprà diximus ſeminis generationem promovere; ex formicis, ex ambrâ, ex ſanguine galli & denique aromatibus parata ſunt optima. Sic namque eſſentia ſatyrionis cum ſpir. formicarum parata in haustu [illegible] ſub introitum lecti aſſumenda. Cinnamom. & Cubebæ ſeu gra[illegible] radiſi cibis permiſta, aut vinum cinnamomo maceratum, egregiè conducunt. Sed de his internis ad nauſeam uſque ubi de ſeminis generatione læſa. Externe balnea vel inunctiones ad paralyſes uſitatæ, aliàs inſtituendæ, cum cubebis in vino generoſo bulliant, & ita applicentur teſtibus & locis vicinis. Inunguntur testes ipſumque membrum virile cum ſucco ex ovis formicarum expreſſo, cui parum zibethi additum ſit; aut loco hujus præparato ſucco oleum de caſtoreo, oleum de piperibus, in ſpecie oleum caryophyll. permiſcenda, & ita partes blande fovendæ & inungendæ. Aliàs oleum coſtinum, ol. macis, ol. euphorbii ac ſimilia in uſu ſunt. Balſamum venereum Mynſicti hic eſt egregium, hoc namque ad erectionem & ad voluptatem facit perinæo & radici penis inunctum. Addi poteſt ol. formicarum. Fel apri peni inunctum magnam & erectionem & delectationem facere Montagnana aſſerit. In uſu etiam aliis eſt balſamum apoplecticum radici penis ad firmam erectionem inungere, ſicuti glans eodem illita, utrique ſexui voluptatem auget. Unde etiam præcipitur ut in paſſione hyſterica, & ejus paroxyſmo deſperato fere, vir glande ita inuncta uxorem comprimat, pro ſolvendo paroxyſmo. Angelus Sala tale habet linimentum.

℞. Zibethi gr. viii. ambræ gr. vi. moſchi gr. v. olei cinnam. gtt. vii. ol. nuciſt. gtt. iv. balſam Peruvian. q. ſ. ut incorporentur omnia. Hoc inungatur glans ante congreſſum, vel poſt balneum ex nervinis eodem inungatur perinæum. Singulariſſimum eſt ſi recipiatur pulvis rad. pyrethri, qui miſcetur cum pinguedine coturnicis, & hoc ipſo linimento inungendum eſt membrum: hoc enim non tantummodo validam facit erectionem; ſed & hoc præſtare dicitur (ſit fides penes experientiam) ut & mulier virgo, & ipſe maritus magis haſtatus appareat.

Quod ſi ab incantatione fuerit malum, aliis opus eſt remediis: mictus per ſcopas betulinas experimentum eſt Carichteri, exercitatiſſimi, ſi quis alius, in morbis ab incantatione. Confirmat hoc Helmont. tract. de lithias. c. 8. §. 25. Ubi potum cereviſiæ betulinæ, ſeu in qua decocti ſunt ſurculi betulæ, commendat tanquam experimentum contra maritorum ſeu ſponſorum faſcinationem. Harthmanni experimentum certum & aliquoties probatum eſt quod ipſe recenſet in Prax. Chymiatr. lotio pudendorum utriuſque ſexus cum decocto aquilegiæ: (hoc enim eſt ſingulare) poſt lotionem fiat ſuffitus ex dente hominis mortui ſuper carbones ponendo, qui ſuffitus excipitur membris læſis. Modus ſuffitus eſt hic. Recipiuntur tres dentes ex capite mortui viri, qui minute pulveriſentur. Hinc recipiuntur duo lateres novi, qui candefacti per crucem diſponantur in terram, hinc affundatur ſp. vini rhenani opt. & ſuperimponatur pulvis dentium iſtorum contuſorum: fumo imponatur membrum incantatum, & ita excipiatur fumus donec membrum incipiat ſudare. Hic ſudor cum linteo mundo deorſum verſus abſtergatur; quo facto inungatur membrum cum aſſa fætida: (quæ eſt baſis emplaſtr. Minſichti contra incantat.) hinc linteis involvatur & ita cubitum ſe conferat. Quidam [illegible] addunt dentibus [illegible] antirrhini. Compoſitionem hujus pulveris videbitis in Granſii tract. de coralliis. Hic pulvis ſæpius repetitus probatus fuit aliquoties in his ipſis ligaturis virorum. Mercurius vivus in nuce avellana, vel in calamo ſcriptorio collo appenſus præſervativum eſt certum ſponſorum ne ligentur in copula ſacerdotali: quibuſdam placet unà cum hoc mercurio calamo ſcriptorio incluſo facere nodulum, additis florib. hyperic. capill. vener. ſem. antirrh. baccis paridis & ſimilibus: quæ omnia nodulo incluſa ſuſpenduntur ex collo, & præſervativum ſunt hic aliquoties expertum. Fuit experimentum D. Michaelis, aliàs etiam probatum, ſi quis emat lucium piſcem ſexus maſculini, huic per vim aperiatur os, & in os immittatur urina maleficiati: Hinc lucius ita vivus immittatur in fluvium, idque contra ejuſdem curſum, & ita ſinatur; ſubito namq; tollitur maleficium, ſi non ſit nimis inveteratum, ſeu in maleficio novo. Probatum etiam fuit ſi ſponſus ante copulationem, & etiam poſt illam, mittat urinam per annulum ſponſalitium quem accepit à ſponſa; ubi hoc non ſufficit accipiatur raſura annuli ſponſalitii, quæ raſura interius in potu vini aſſumpta ſingulare eſt experimentum in tali caſu. Aliàs tanquam ſecretum habetur quorundam raſura campanæ, ex eo loco deraſa ubi piſtillum eam ferit. Raſura hæc miſcetur cum pauco coco, & pauco pulveris priapi cervini, & ita uſurpatur interne. Fuit aliquando curatus quidam ſimiliter incantatus conſilio ipſi à vetula ſuppeditato, dum ſcilicet in cæmeterio quodam miſit urinam per annulum cujuſdā lapidis ſepulchro incūbentis. Denique, ſi qui aliud, ſingulare eſt, ſi quis accipiat ovum recens, hoc coquat cum urina propria ad abſumptionem medietatis; quo facto urina ſuperſtes abjiciatur in flumen ſecundum ejuſdem curſum; ovum vero ita coctum leviter apertum immittatur in acervum formicarum. Unde quando formicæ aſſumpſerunt ovum, ſolutum erit faſcinum. Plura, quia pertinent ad morbos de incantationibus non addo. *Michael Ettmullerus in Collegio Practico ſpeciali de morbis virorum, Mulierum &c.*

Inutilis ſæpe eſt Medicorum opera, qui opiatas excitandæ, explicandæque veneri proprias architectantur & concinnant, quo ægri & corpore & animo dominabus ſint gratiores: nam hic judicio opus eſt, undeque frigidiores ineptique, & inſulſi ingrati ſunt ſalaciſſimo mulierum generi. Et obiter unum notandum, quod is tardus dicatur, qui corpore & membris ineptus eſt & imbecillus ad venerem, & ideo minus

minus amabilis apud dominas. Tardus facile venerem non explicat, id quod est meretricibus odiosum: insulsus qui caret sale non est salax & cupidus coitus.

Aliquando non arrigit verpus, alias arrigit, sed molliusculus est. Sic non subit, nec semen ejaculatur. Id fit aut vitio peculiari instrumenti, aut totius corporis morbo, aut seminis defectu, aut ejus inefficacia, ut minus turgeat, & penuria spirituum laboret, & minus intentus maneat verpus.

Videndum de ætate, si ætas congrua, an olim minus aut magis aptus fuerit, an proclivior ad venerem, ut vetere ubertate quasi arefactus lan[illegible] infirmior manus quasi dederit.

Videndum quoque an [illegible] illi non laborarint, an mercurii litum, aut cinnabrii suffitum passa fuerint, an vitio diætæ, ut si vinis albis & tenuioribus usus fuerit, ac rebus liquidioribus, quæ quasi laxant & effæminant carnes & semen: assa enim carnem solidiorem reddunt. Scire oportet an parcius ederit, ut sufficiat ad esse, non autem ad robur.

Item canones alii sunt observandi, ut loco & tempore congrediatur, non crudus; alioqui ineptus erit: præcedente titillatione; ut sit ad venerem incentivum & calcar. Id fit retenta urina & mejendi desiderio.

Minus bona habitudo ineptitudinem istam conciliat, vel quia totum alimentum absumit, & non sinit semen esse reliquum, ut succulentæ & εὐσαρκοι nutrices minus sunt aptæ; fiunt enim vasa angustiora, & in viris & in mulieribus præ mole & pinguitudine. Rationes apud Aetium exponuntur à nobis.

Denique videndum, ne quæ adfertur infæcunditas, aut impotentia ut justa repudii causa, sit imaginaria & falsæ ac mendacis amicitiæ testis. Sunt enim corpora quædam quæ simul juncta quandam habent antipathiam ad justam fæcunditatem & lætam, de qua sic Plinius loquitur. Est quædam privatim dissociatio corporum, & inter steriles ubi cum aliis junxere gignunt. Acetosa & olera fugienda. Commendant asparagos ad excitandam venerem, facilis est usus. Absit jejunium. Vitetur nimia repletio; tum ne cruditas oriatur, aut ne revocatus calor & spiritus ad ventriculum pleniorem deserat testes & partes semini mitificando & cogendo destinatas. Nimia cura obest. solliciti arrigunt, sed fugax est erectio.

Quidam hoc commendant quod sequitur.

℞. Amygdal. pistaciar. pinearum & dactylor. an. ℥i. conf. satyr. anth. myrobalan. condit. an. ℥i. cort. citr. cond. ℥iß. zinziber. condit. ℥ß. scincor. vino albo lotor. ʒvi. carn. capon. & perdic. an. ℥iii. cinnam. caryophyll. nuc. moschat. an. ʒii. macropiper. ʒi. galliæ mosch. ʒi. sem. anis. fænic. an. ʒß. sacch. ℥xii. fiet opiata, utatur singulis matutinis vel hac sequenti.

℞. Satyrion. cond. ℥ß. rad. & sem. ascalonii an. ʒiß. sem. erucæ, fraxin. & pastinac. an. ʒi. renum scincorum ℈iv. conserv. eryng. ℥ß. zinziber. cond. ʒß. confect. alkermes ʒiß. cum syr. conservation. satyr. fiat opiata, de qua capiat dormiturus ad quantitatem nuc. mosch. adde conservam anthos.

℞. Aq. vitæ ℥iv. sem. staphid. agriæ ʒiii. macerari sinas per horas duodecim ad verpi fotum & perinæi.

Ex majore parte istorum simplicium concinnatur à Fernelio opiata diasatyrion; huic inest mira vis calfaciendi: sed & in multis, ut ante diximus, bona victus ratio sanguinis boni, & spirituum proba generatio, unde fæcundum & multum semen conficitur, & superfluit ex reliquiis alimenti; sic cibus & potus primas tenent; bellariorum & multorum ciborum infarctus (unde æstus & turbatio contingit) nocent plurimum sanitati, & minus fæcundos & ad palæstram veneream idoneos reddunt. Notandum illud Hippocrat Cibaria, & potus, & obsonia (excepto pane & maza, quæ fit ex farina hordei tosti liquore aliquo subacta) [illegible] & carnibus, & pisciculis, & aqua, reliqua omnia tenues & debiles utilitates habent ad augmentum, ad robur & ad sanitatem. Ad sanitatem (ait alio loco) optima sunt quæ modice ingesta sufficiunt, ut & famis & sitis sint medela.

Quod si ob causam aliquam impotentius reddatur corpus, est opiata analeptica apud eundẽ Fernelium, cujus usus esse potest in eo affectu.

Annotatio.) Non perperam hoc adjeci de reficiundis & consulendis viribus, sed quod primum animadverti debet, est quod non semper more Medicorum Practicorum ad excitandam venerem impense calidis utendum est. Nam calidiora extinguunt semen, ut sabina & agnus castus. Item quidam temperamento sunt calidiore, & æstuantiora habent viscera, & hi minus sæpe ob δυσκρασίαν istam minus apti sunt ad explicandum venerem: deinde vero quæ sunt calidiora flatus dissipant, quorum usus aliquis ad arrectionem. Itaque hic judicio opus est, nilque temere agendum. *Gulielm. Ballonius Consil. Medicor. lib. iii.*

Extinctam virilitatem, vel saltem imbecillem restituit. 1. Essentia satyrionis apud Crollium, cujus mirabiles virtutes ii deprædicant, qui egentes ejusmodi confortativis aliquando usi sunt. 2. Paracelso tribuitur sequens.

℞. Castor. galang. macis, caryophyll. anisi, piper. longi, borrac. venetæ an. ʒii. fol. satureiæ, rad. satyrion. valerian. an. ʒi. boleti cervini ʒiß. carnis scincor. marinor. rad. aronis, cardamomi an. ʒß. M. & redige in pulverem, quem cum saccharo in aqua rorismar. solutum M. & F. tabulæ. Dos. à ʒiii. ad ʒvi. Fortius operatur, si aliquoties in laconico umbilicus & partes vicinæ inungantur cum oleo maceris destill. Mirabile nimirum est confortativum oleum maceris. 3. Valet essentia ambræ cum sp. rosar. extracta, & pilularum forma exhibita: hoc vero in senioribus præcipue operatur. Dos. gr. iii. iv. v.

℞. Confection. alkermes ℥ß. ambræ gris. ʒii, zibeth. non sophisticati ʒi. aq. magnanimitatis ℈ii. M. recondantur diligenter. (Ne evaporent) hujus misturæ à ℈ß. ad ℈i. exhibe alternis vesperis cum aqua cinnamomi. 5. Pudenda cujusq; sexus decocto aquilegiæ simplicis diligenter laventur. Legatus Persicus ad Principem Holsatiæ in itinere suo pulchram concubinam ex Russia emit, & quia ob senium non par fuit solvendo, consilium à Russo quodam accepit. Jussus est semen cannabis in vitello ovi frixo sæpius comedere. Sequutus consilium continuam ferme virgæ tensionem sensit.

Nobilis

Nobilis est essentia satyrionis Crollii in primis si illi addatur ambra essentificata & aurum potabile Anglicum. v. g.

℞. Liquor. satyrion. ℥i. ambræ essentificatæ ʒii. auri potabilis ℈i. Dos. à ℈ß. ad ℈i. Hæc & similia interdum materiam tam fortem reddunt ut simul anima cum vita expulsa fuerit, omne nimirum nimium naturæ inimicum. Valet quoque diatrion pipereon tabulatum, si illi admisceantur aliquot grana ambræ & olei cinnamomi. *Ioh. Harthmann. in Praxi Chymiatr.*

Utile est linimentum ex moscho & ambra cum oleo nuc. mosch. vel oleo caryophyll. sed omnium efficacissimum est quod sequitur.

♃. Ol. sesamini, lil. alb. an. ℥i. formic. alatar. ʒiß. simul bulliant, mox coletur, adde euphorb. ℈ß. sem. rutæ, piper. an. ʒß. sinapi ℈i. iterum bulliant: & colatura utatur pro linimento partium affectarum & vicinarum. *Io. Zecchius. consult.* 42.

In usum vocetur hæc opiata à Rondeletio commendata.

♃. Testicul. vulpis in hydromel. decoctor. ℥i. contusis adde pinear. & avellanar. infusar. in pauco lacte & melle, an. ℥ß. carnis leutræ, stercor. muris, moschan. ʒß, cum syr. conserv. cortic. citri. F. opiata, sumat præterea sæpe ex hoc Electuario.

♃. Zinzib. rec. condit. rad. eryng. rec. condit. rad. pastinac. condit. an. ℥i. pinear. præpar. pistacior. avellan. assatar. diasatyrionis an. ℥ß. sem. bauciæ (i. e pastinac. sylvestr.) napi, an. ʒij. testicul. vulpis, cerebellor. passerum, an. ℥ß. cum syr. conserv. zinzib. viridis, F. electuarium, capiat cochl. i. & superbibat vinum dulce: egregie profuit hoc electuarium: ut & eryngiorum radices cum melle conditæ, jussi autem ut frequenter comederet castaneas molles, dactylos, erucam, ut & fabas recentes excorticatas, in aqua coctas, aquaque ablata contusas, adjecto oleo amygd. d. pipere albo, & zinzibere exiguo; in usum vocentur cibi delicatiores, quique maxime alunt, vinumque bibatur meraciusculum. sequens. opiata à Rondeletio commendatur.

℞. Cortic. citri, zinzib. virid. an. ℥i. conserv. eryng. ℥ß. carnis leutræ, testic. vulp. priapi tauri, vel cervi, an. ʒiii. pulv. diamosch. d. & diambr. an. ℈i. cum melle in quo ʒi. cantharidum integrarum prius maceratar. in lacte dissolvantur; fiat opiata, capiat ad quantitatem avellanæ, superbibendo parum vini malvatici; duabus horis ante cœnam, quæ pauca sit. Ego abhorreo cantharides, ob gravia accidentia quæ inferunt, ideo postea paravi sine iis. Lactis pondo cum cinnamomi ℥i. continuis diebus quadraginta si bibatur, reficere id infirmitatem virilium tradunt: etiam consumptos venere reficit: tenuioris fortunæ homines ova cum cæpis & butyro frigunt: sed regum impensa est, virilitatem opobalsamo, & renum partes cum mero diluto moscho inungere: sed quia opobalsamo caremus, possumus naturalia hoc oleo inungere.

℞. Pyrethr. ʒii. cinnamom. ʒi. euphorb. ʒß. tunde cum oleo sesamino, adjecto exiguo oleo caryophyll. & mosch. gr. v. *Petrus Forestus. obs.* 18. & 19. *lib.* 26. *De Penis & Virgæ vitiis.*

Ad Venerem augendam, mumiam Satyrionis per chymicum aliquem conficiendam curet. Hanc Cæsarei quidam & Regii medici, nuperis Imperatoribus & Regibus multo in usu dentisque fuisse mihi adfirmarunt in Spa. Formula ejus hæc est: ineunte vere, vel autumno medio, aut exeunte, hoc est floribus foliisque vel nondum natis vel deciduis, radices Satyrii collectas aquæ puræ injice, duobus quibus constant orbiculis divulsis; quotquot innataverint, ut inutiles abjice; quæ fundum petierint, contunde in mortario lapideo pilo ligneo, sensim micam panis albissimi & recentissimi addendo; & propter lentoris dilutionem affunde spiritum vini è malvatico extractum, irrorando paulatim suavissime: dein optime mixta pone in alembico cæco, clausaque digere in balneo per sex septimanas: tum prælo exprime, expressum iterum per mensem digere in alembico: innatabit liquor rubini æmulus: hunc inclinando caute collige, abjectisque fæcibus, cuique selibræ adde salis margaritar. ℥ß. olei nuc. mosch. anisi, cinamomi, an. ʒß. dosis guttæ xv. in vino; jusculo, vel conserva corroborante. *Henricus ab Heers. obs.* 9.

Ad ignaviam genitalium expertus sum boracem officinalem ciceris magnitudine in ovo sorbili mane crebro acceptum, erectionem & coeundi potestatem facere. *Hieronymus Mercurialis. tomo* 1. *consult.* 48.

Pro Venere excitanda. Species confortantes.

♃. Spec. diasatyrion. simpl. diatrion pipereon an. ʒiii diamosch. dulcis, diambræ an. ʒi. lithontriptic. ʒii. boleti cervini, priapi cervi, carnis scinci marini an. ʒi. semin. urticæ, erucæ, linguæ avis an. ʒii. cardamomi, cubebarum, macis, cassiæ ligneæ cinamomisatæ, caryophyllat. an. ʒi. olei macis ℈ß. cinamomi gtt. v. M. fiatque pulvis subtilissimus. In confortanda & stimulanda venere est pulvis præstans. Dosis ℈i. ad ℈ii plus minusve, prout Medico videbitur, in aquæ cinamomi cordiali q. s. hora una ante somnum.

Trochisci confortantes S. Reg. Majest. ex præscriptione Dn. D. Matth. Littau.

♃. Magisterii butyracei perlarum, carnis scinci marini, priapi cervini debito tempore, (dum videlicet in coitu est) excisi & subtiliter pulverisat. an. ʒi. ambræ. gryseæ ℈iß. macis ʒii. pulveris viperini, succolatæ Indicæ an. ʒvi. sacchari albissimi ℥iß. cum glutine veretri cervini q. s. & confect. alkermes ʒii. Fiat massa, adde olei cinamomi gtt. iii. caryophyll. gtt. ii nuc. mosch expressi ℈ß. essentiæ moschi gr. xii. Impastentur optime, tandem fiant trochisc. Ad restaurandam totam naturam, senibus & iis conducunt, qui officium maritale præstare non possunt. Dosis à ℈i. ad ℈ii. sub ingressum lecti, in haustu vini malvatici optimi.

Trochisci viperini confortantes Dn. D. C. pro S. R. M. Vladislao IV.

♃. Ambræ gryseæ. cum semine alcææ odoriferæ in pulv. subt. redactæ ʒii moschi orientalis veri optimi ℈i. magist. perlarum butyracei ℈viii. pulveris viperini nostri simplicis, succoladæ Indicæ subtil. pulv an. ʒi. sacchari Canar. pulverisf. ʒii Ex omnibus exacte mixtis, addi-tis

tis confect. alkermes & gelatinæ priapi cervini an. q. s. F. Pasta mollis, ex qua formentur trochisci minores scrupulum dimidium ponderantes, qui chartæ inclusi lente exsiccandi sunt, Sign. rotulæ pro S. Regia Majestate.

Dosis n. iv. usque ad vi & viij. hora una vel altera post cœnam, superbibendo bonum haustum vini generosi seu aquæ cinamomi cordialis.

Pasta Regia confortans.

℞. Amygdal. dulc. excortic. ℥iv. pinearum mundat. non rancidarum, pistaciorum decorticat. an. ℥iß. Contundantur probe & minutissime in mortario lapideo ad pultis formam, addendo per intervalla, aquæ cinamomi cordialis q. s. quibus postea admisceantur succoladæ Indæ subtil. pulveris. ℥iii, sacchari albissimi pulv. ℥xx. rad. satyrionis condit. ℥ii. cortic. aurantiorum condit. zingib. Indic. condit. an. ℥i. nucis Indicæ conditæ ʒvi. spec. confortantium ʒiii. cinamomi pulverisati ʒiß. caryophyllorum pulverisat. ʒß. macis ʒvi. ambræ ʒiß. Misceantur in mortario lapideo & fiat massa tenax, ex qua formentur orbiculi ad placitum, qui postea charactere ponderis ex una parte, ex altera vero signo consueto aquilæ albæ insigniri possunt: tandem exsiccentur in sartagine occlusa vel super fornace, vel in alio loco calido, & asserventur in scatula lignea sicca.

Pasta alia pro Placentulis in extincta virilitate

℞. Amygdal. dulc. excortic. pinearum mundatar. pistaciorum non rancidorum decortic. an. ℥iv. pulpæ capi assati, perdicis assatæ an. ℥ß. dactylorum, uvarum Damascenarum enucleat. an. ℥i. cerebelli passerum in æquinoctio verno captorum & aqua cinamomi ablutorum n. xxx. renum cuniculorum juvenum n. iv. rad. eryngii conditæ, satyrii conditæ an. ℥i. cinamomi acuti ʒii. cassiæ caryophyllatæ, pulveris viperini an. ʒß. ʒii. carnis stinci marini ʒv. ambræ gryseæ ʒii. moschi electi ℈ii. sacchari albissimi ℔ii.

Omnia optime miscendo redigantur in massam tenacem, ex qua postea formentur panes dulciarii, qui sensim exsiccandi & auri foliis obducendi sunt.

Ad virilem fortitudinem instaurandam, maxime si impotentia à maleficio aut incantatione, aut pharmaco aliquo originem duxit. Dosis à ʒii. ad ʒß. ante ingressum lecti.

Ex communicatione Dn. Sebastiani Engelerti, Serenissimi Principis Caroli Ferdinandi Pharmacopœi.

Morsuli confortantes D. D. C.

♃. Amygdal. dulc. excortic. pistaciorum excortic. pinearum mundatarum non rancidar. an. ℥ß. priapi cervi raspati, tauri raspati an ʒi. seminis urticæ ʒß. carnis stinci marini ℈ii. borracis ℈i. galliæ moschatæ ℈iß. sacchari albissimi ℥iv. F. cum aquæ cinamomi cordialis q. s. Confectio in morsulis.

Electuarium diasatyrionis Dn. D. C.

♃. Electuarii diasatyrion simpl. officinæ Regiæ ℥iß. pinearum recent. non rancidar. pistaciorum excorticat. an. ℥ß. rad. eryngii condit. M.N. semin. fraxini, erucæ an. ℈i. spec. diatrion. piper. ℈ii. carnis stinci marini ℈iß. extracti glycyrrh. borracis an. gr. xv. olei cinamomi gtt. iii. caryophyll. gtt. ii. elæosacchari citri ex recentibus corticibus sine igne parati ℈ii. Ex omnibus prius contusis & concisis more consueto cum syrupo zinziberis conditi q. s. F. electuarium mediæ consistentiæ. Dosis à ʒi. ad ʒii. & ʒiii. sub ingressum lecti: superbibatur vitrum vini moschatellini seu Alicantini.

Essentia Regia composita.

℞. Confect. alkermes ℥ß. ambræ n. m. præparat. ʒii. ess. perlarum, trium pipereon per elixir Matthioli factæ an. ʒi. ℈i. zibethi non sophisticati ℈i. moschi ℈ß. olei cinamomi gtt. viii. caryophyllorum gtt. iv. macis ℈i. spir. formicarum compositi per spiritum ardentem facti. elixir. Matthioli an. ℥iv. Misceantur probe & in vitro angusti orificii, quod optime clauditur; stent per octiduum in digestione, in loco tamen non nimis calido, postea filtrentur, & ad usum in vitro bene munito serventur.

Cordiale, cephalicum & venereum est insigne. Dosis gtt. vii. ad xv. & ultra, in vino generoso Hispan. seu moschatellino vel aq. cinamomi. *Martin. Bernhard. de Bernitz in Fasciculo Medicament. singular. Andreæ Cnoeffelii aliorumque &c.*

Consultationes.

De roboranda & confortanda Virilitate in imminuta potentia circa actum matrimonialem, pro quodam magno Principe.

Serenissimus & Potentissimus quidam Princeps circa alterum & novum matrimonium, & quidem ante adventum charissimæ sponsæ suæ, conquestus est aliquomodo de impotentia quadam in ejaculando semine, quam contraxerat ab immoderato congressu venereo statim post finitum morbum podagricum celebrato: non quidem quod totus actus ille ablatus esset, sed saltim imminutus, siquidem rem perficere potuit, nisi quod aliquando membrum in ipso coitu non satis diu permanserit rigidum, adeoque semen cum impetu ejaculare non potuerit. Fassus præterea est se eo tempore, quo dolores podagrici in declinationem vergunt, vehementiores stimulos sentire, quam alias. Summopere autem & immodice rei venereæ deditus erat, etiam jam declinante vigore ætatis.

Consilium autem à medicis suis exegit, tum in gratiam venturæ sponsæ, tum quoque liberorum, quos serio expetebat, sibique certo ex hoc conjugio promittebat, procreandorum causa. Sequens itaque Medici consilium præscripserunt, dictante illud & proponente Clarissimo Dn. D. *Cnoeffelio.*

Primo instituebatur bona victus ratio, huic debilitati commoda, quæ etiam literis consignata pharmacopœo exhibita fuit, tali sensu.

1. Nocte cibetur Serenissimus Princeps spermatica gelatina ex perdicibus, coturnicibus, caponibus, testibus gallorum cum radicibus satyrionis majoris ex brodio incoct.

2. Ovis tribus vel quatuor sorbilibus, quæ omni tempore & jejunii occasione varianda sunt, de quibus omnibus culinæ præfectus à pharmacopæo sufficientem informationem capiet.

3. In singulo ovo exhibeatur ambræ grysex

seæ veræ ℈i. ita ut pro una nocte ʒi. capiat: Superbibat haustum vini boni & generosi, nempe moschatellini malvatici, seu Hispanici, idque fiat per triduum, si necessitas urgebit; sed ne quid nimis.

Deinde externè pro roboratione sphincteris applicetur & intrudatur quantum potest penitissime sequens balsamum, quod.

℞. Olei nucist. ℥j. ʒi. zibethi ʒi. croci mart. nostr. præparation. q. s. pro excipiendo balsamo. Misceantur probè. Applicetur cum bombace quotidie, semel sub ipso tempore & necessitate reponendi intestini. Quo tempore etiam simul regio tauri & perinæi, calfactis prius digitis, inungatur sequenti unguento, quod

℞. Olei nucist. express. ℥ß. lauri ℥i. pulver. rad. pyrethr. cubebarum an. ℈iv. rad. aronis. alumin. plumosi an. ℥ß. olei castor. still. Jacobi de Manliis ʒiß. garyophyll. still. ℈ß. zibethi ʒi. mosch. ʒß. M. & F. unguentum. Cum hoc unguento etiam testiculi circumcirca inungantur: vel solo zibetho oleo nucistæ excepto, sed parce tamen & semel per diem, cubitum iturus fricet.

Reliquo quatriduo, noctu sub ingressum lecti capiat emulsionem sequentem.

℞. Nucleor. pineor. excortic. pistacior. mund. amygdal. dulc. an. ʒii. testicul. satyr. maj. num. vi. caponis num. 2. aq. meliss. citratæ. & petroselini an. ℥iii. F. emulsio. Adde syr. cinnamomi, julebi rosacei nostri an. ℥i. confection alkerm. magister. perlar. butyrac. an. ʒß. ad ℈ii. M. Singulo mane sumat rotulas citro tartareo. corallinas num. vi.

Interim de moderatione circa ipsum actum matrimonialem Princeps admonitus fuit ne in illo excederet; & si possibile, post primum peractum somnum: secundum Hippoc. qui victus rationem instituens omnino vult ut labores sequatur cibus, cibum somnus, somnum coitus.

Balsamum Vladislavianum.

℞. Olei nucis mosch. expressi, unguenti stomach. Sereniss. Reginæ Cæcilia an. ʒß. axung. galli Indici ʒii. rad. aronis pulver. pyrethri an. ʒß. specier. diatrium piper. ʒii. alumin. plumosi ℈ii. olei formicar. per oleum spicæ vel baccar. lauri facti, & ol. semin. erucæ seu sinapi an. ʒ ii. caryophyllor. still. ℈i. mosch. ℈ ij. zibethi ʒiß. M. F. balsamum, cujus usus & vires cum præcedente conveniunt. *Andr. Cnoffelius in prædicto Fasciculo &c.*

Pro Nobili Adolescente Bononiense ignavia partium genitalium, Intemperie calida renum, melancholiaque hypochondriaca laborante.

Vitia, à quibus Perillustris Adolescens extorquetur sunt ignavia partium genitalium; intemperies calida renum, & affectio hypochondriaca; Cœterum, quoniam primus affectus ad earum partium actionem pertinet vel diminutam, vel ablatam, unicuique satis perspectum esse, in præsenti actionem tantum diminui, vel ex eo confido, quod penis quidem erigitur, sed statim flaccescit, & semen emittitur quamquam aquosum, paucum, & fere citra delectationem; Intemperies autem renum calida ex arenulis, & filamentis, quæ fere semper cum urinis excernuntur, nec non ex insigni calore ad regionem renum percepto clarius innotescit: Affectui vero hypochondriaco flatuum copiosa, tum inferius, tum superius excretio, somnia turbata, suspiria, sputumque humidum, attestantur.

Quorum omnium affectuum principia generationis interea sunt perquirenda, & quantum attinet ad primum, si diminutam colis erectionem spectem, nulli dubium est, hanc fieri, quoniam facultas, aut non suscipitur, aut non influit, non est dicendum non suscipi, alias penis ad tactum frigidus persentiretur, ergo non influat existimandum; At quoniam facultas non influit, vel quia ejusdem transitus prohibetur, vel quia non mittitur, postquam nullum adest signum in via prohibentis transitum facultatis, reliquum est, ut statuatur non transmitti, quatenus meo judicio alio avocatur propter timorem, à quo continuo detinetur, & quia spiritus in ea copia, ac qualitate, quæ necessaria ad hanc actionem naturaliter edendam existit, non gignuntur in corde, sicuti colligere licet ex intemperie cordis frigida, quam depilatio thoracis, timiditas, audaciæ defectus, segnities, & pulsus raritas, itemque parvitas demonstrat: ut ex his non sit difficile cognitu, patientem nostrum (quamquam melancholicus sit, ac flatibus scateat) haud esse salacem, quoniam flatus concurrunt quidem ad Colis erectionem, sed tanquam cum causa, spiritus vero ut causa principalis. & hi ipsi deficiunt, cui accedit dispositio quædam hæreditaria ex parte matris, quæ narrat filios etiam se peperisse, atque in coitu nullam unquam percepisse delectationem.

Quantum autem spectat ad seminis emissionem pariter imminutam, puto facultatem lædi non solum organi vitio, verum & objecti; Organi primum, quatenus vasa generationi seminis deservientia intemperie frigida laborant, & humida, quibus accedunt tum rei venereæ tardus aggressus, tum ad venerem ablata, vel saltem admodum diminuta propensio; nec obstat partes genitales pilis esse refertas, quoniam id solum ad appositum adstruendum non sufficit, & eo magis ubi patiens fuerit jecoris calidioris, (ut in casu proposito) merito cujus multa materia fuliginosa pro generandis pilis coacervatur; sed & secundo objecti vitium occurrit, quod pertinet ad impuritatem, ac improbitatem sanguinis, qui continuo testibus à jecore suppeditatur, quod suadet affectus melancholicus, qui & ipse impuri, atque improbi sanguinis partus esse solet, acceditque huic lassitudo quædam totius corporis, de qua fere semper continuo perillustris patiens conqueritur.

Intemperiem calidam renum à jocinore justo calidiore, & à decubitu super dorsum occasione variolarum, à quibus annis superioribus fuit immaniter tractatus oriri unicuique satis cognitum cognosco, quamquam etiam per plures menses, & annos immoderatus totius corporis motus accesserit occasione ludi parvæ pilæ.

De origine autem affectus flatuosi quid sit statuendum, non est difficile captu, nam cum

Jecur incensum sanguinem crassefaciat, & ventriculus refrigeratus multa excrementa pituitosa coacervet, facile est percipere in hypochondriis insignes obstructiones fuisse concitatas, merito quarum partes ad illa pertinentes æstuant, sanguinem, ac excrementa ibidem contenta exurunt, vaporesque concitant atros, qui cor, & caput adeuntes Symptomata melancholica pariunt.

Ut igitur ab omnibus hisce malis patiens noster vindicetur, partes Medici erunt, prius habita totius providentia spiritus reparare, cor, atque testes una cum vasis seminalibus calefacere, obstructiones reserare, jecur, & renes attemperare ac ea administrare, quæ à proprietate partes genitales iuvant.

Quos scopos assequi ex parte ignaviæ partium genitalium fere impossibile existimo, quando vitium hoc sit fere nativum, ac sibi conjungat mala viscerum principalium hectica: Ex parte vero intemperiei jecoris & renum, res aliquam apud me difficultatem habet, quemadmodum & ex parte affectus flatuosi, cum hujusmodi vitia non soleant materiis Medicis (ubi in habitum tendunt) de facili cedere, censeo tamen Dei auxilio primum, prudentia deinde perillustris patientis futurum, ut ipse saltem quoad affectus istos posteriores meliorem statum debeat recuperare.

Ex quo ad materias Medicas devenio, de chirurgicisque statuo, nullam aliam ex usu esse posse, nisi frictiones partium genitalium factas cum oleo jasmino, cariophylorum, tandemque cum oleo de Cherua.

De pharmaceuticis decerno, ut primum leniatur alvus cum melle rosato solutivo, & syrupo de polypodio solvente, deinde præparentur humores cum decocto ex jure columbi, betonicæ, buglossi, boraginis, cichorii, graminis, & passularum cum syrupis appropriatis, demum humores præparati deturbentur infuso Agarici, & Senæ cum manna; Verum post hæc patiens nobilissimus aquam Tettuccianam per tres dies assumat, & ab hac jus bibat columbinum medicatum cum china, modico sassafras, capillo ven. Citrac, radice filicis, mentha, cichorio, boragine, buglosso, coriandris, betonica, & passulis. Ad hæc & Diambra, utrumque Diamuscum, Dianthos, lætificans Almansoris non solum assumpta, verum etiam regioni cordis illita laudantur, sed præ cœteris extractum Croci eodem modo usurpatum probo; Exterius vero summis laudibus extollo gossipium aliquot granis Musci, Ambræ, & Zibeti refertum in serico purpureo consutum, & super cordis regionem gestatum. Pro testibus præter olea superius commemorata mihi probatur fotus factus cum vino Malvatico, in quo aliquot grana Musci, Ambræ & Zibetti fuerint dissoluta, deinde illitio cum unguento facto ex oleo pinearum, sampsuci, additis pariter Musco, Ambra, & Zibeto jam dictis.

At non contemnenda medicamenta, quæ à proprietate hisce in casibus prodesse plurimum solent, quæ interius assumenda, sunt caro synci, & propie illa, quæ circa renes, radix testiculi canis majoris, virga Cervi, sem. erucæ, sem. lini, sem. porri, pastinacæ, ac urticæ; inter condita maxime probo [illegible]

Exterius vero fel capræ, vel hirci illitum regioni pudendorum in hunc usum facit, sicuti & oleum sampsuci, in quo ebullierint formicæ alatæ, sed & pollex pedis dextri cum oleo, in quo cantharides pariter ebullierint inungendus.

Futuro autem vere, si opus erit, præmissa totius corporis purgatione modo superius exposito jecur, & renes usu succi cichorii ex jure pulli poterunt attemperari.

Eo tamen constituto, ut nunc, atque tunc, compar vivendi ratio observetur, præcipue ratione cibi, ac potus, vescatur propterea nobilissimus patiens cibis probe nutrientibus, columbis cum macere coctis, cerebris passerum, testiculis gallorum, usus etiam castanearum probatur, ac cibariis inspergatur pulvis factus ex semine lini, erucæ, croco, Musco, addito saccharo; vinum sit album, clarum, subdulce, & aliquo pacto generosum, quinimmo in primo mensæ potu vinum cum modico Croci medicatum probarem, & hæc sunt, quæ pro affectibus perillustris, & nobilissimi patientis mihi dicenda occurrunt, faveat modo Deus Opt. Max. *Julius Cæsar Caudinus in Consultationibus Medicis.*

De Congressus impotentia.

Quidam annos natus 26. ad venerem ineptus erat explendam: non talis natura: sed quia primis annis pubertatis œstro libidinis excitatus se se exhauserat & confecerat; sic & instrumentorum erat quædam imbecillitas intempestivo labore contracta, & aut minus aut inefficacius semen. Insulsus non erat, quia satis ad libidinem titillabatur sed tardus quia venerem explicare non poterat: Eviratus, erat, quærit à nobis ut vir fiat.

In hoc affectu considerandum, an defectus sit materiæ seminalis, an ejus vitium, an instrumentorum & vasorum spermaticorum an ejaculantium.

Magna hic prudentia adhibenda, nam nec nimis calfaciendus, (ut fit in aliis, quod frigidis convenit) quia ætas & temperamentum reclamat, & febris facilè moveretur: nec ad vulgaria remedia adigendus; nam usu calidiorum flatus dissiparentur, quorum aliquis usus est in exercenda venere: frigidiora nocerent semen extinguendo, & nimium refrigerando.

Juscula moderata conveniunt: vinum temperandum, & cibo præbito bibendum. Abstinendum per tempus ab actu venereo. Aliquando verpus patitur resolutionem aliquam ob majorem extensionem manu factam, id quod meretrices conari narrat Rondeletius. Balneum non confert metu effœminationis partium: ni in eo coquantur adstringentia ad robur partium, aut immergatur corporis media pars in magmate racemorum.

Clysteres cum herbis mediocriter siccantibus: medicamenta roborantia, cassia & quæ emolliunt laxando non prodesunt.

Tabellæ roborantes & conservæ, pro decocto

℞. Rad. tormentill. sanamunda & consolid. utriusque, fol. veron. fragar. bellid. prunell. pilosell. herb. Robert. stellar. gran. kerm. flor. vetonic. altilis, sem. cardui, portulac. ocym. Folia senn. infund. & Rheumii dissolvend. syr. de sichor. compos.

℞. Pulver.

℞. Pulver. electuar. triasantalor. ʒ i. aromatic. rosati, diambræ, pulveris scynæ, coralliì & succini an. ℈i. conserv. rosar. & symphit. an. ʒii. rhabarb. ℈ii. rad. dictamni, torment. & lign. aloës an. ℈i. fiant tabell. cum sacch. in aq. ros. sol. & vino hippocratico pauco.

Fiat massa panis qualis descripta apud Fernelium.

Hæc opiata sit in usu. ℞. Conserv. rosar. cortic. citrii, myrobalanor. an. ʒvi. pulv. scynæ ʒiiß. conserv. consol. ʒiii. pinear. pistaciar. an. ʒiß. diasatyrion ʒii. diamargar. frig. & diarrhodon, an. ʒß. terr. sigillat. ʒß. Cum sacch. rof. fiat conditum, vel opiata cum syrupo. Hora somni præsertim.

Confectio diasatyrion erit omnium instar descripta apud Fernelium.

Fotus blandi ad perinæum & partes vicinas, ex ros. communib. & transmar. santal. radicib. consol. bistort. & tormentill. utriusque, foliis myrti, & plantag. coctis in aq. & vino.

℞. Emplastr. contra ruptur. ℥i. unguenti Comitiss. & desiccativ. rubr. an. ʒvi. trochiscor. de spod. & terr. sigill. an. ʒi. pulveris santal. & mastich. an. ℈iv. Cum cera lora in aq. rosar. & aceto pauco, addita pauca terebinth. fiat magdaleon pro inguinibus & partibus vicinis.

℞. Empl. ad fract. ossium ℥ii. cerati santal. ℥i. M. pro lumbis. Injectiones fiant in penem roborantes ex rosar. heptaphyll. & pentaphyll. decoct. Forte & blandum scynæ decoctum valebit. additis santalis. *Gulielm. Ballonius consil. Medicor. lib. 3.*

Pro quodam juvene ad venerem inutili.

Junior ad venerem avidior, promptior & ardentior fuit, hinc & seminis minor vis & vitalitas, & instrumentorum mollities. Parum arrigit, & arrectio fugax; effluit etiam sponte sine libidinis pruritu quippiam spermaticum, sed falsum & adulterinum: temperamento est calidiore. Equitationibus magnis & frequentibus usus. A calidioribus abstinendum putavimus, item venerem exercendam, sed ex longis intervallis, & prægressis incentivis, & pruritibus libidinis. Hæc capita sunt deliberationis.

Putamus purgandum corpus cassia, rheo, addito cinnamomo.

Clysteres, non vulgares ex emollientibus, sed qui sint vice injectionis ex rosis commun. plantag. fol. rubi, radic. tormentill. trifol. consolidis, lapatho, agrimon. Dissolve mel rosat. sacchar. rubr. & rosat. syr. rof. pallid. cum diaprunо pauco sine oleis.

Opiata sit in usu ex conserv. buglоss. borrag. anthos. cortic. citrii, flor. salv. beton. addendo parum semin. erucæ & pastinac. renum scyncorum, pinear. pistaciar. cum tantillo confection. alkermes vel de hyacinth. utatur satyrio condito, & præsertim ejus radice succulentiore: nam duplex radix est, una tenuior & inutilis, alia succulentior.

Frequens sit usus pinearum pistaciar. & amygdalar. Item bulvorum paratorum ut decet, & parum conditorum.

Cerebellis passerum & columbarum quidam utuntur ad excitandam venerem.

Imus venter & perinæum foveantur sequenti decocto, aut muria.

℞. salv. minutior. puleg. rorismar. an. m. j. sem. erucæ, pastinac. an. ʒß. rosar. rubr. flor. chamæmel. melil. an. m ß. cyperi ℥ i ß. excipe sacculo qui bulliat in aq. & vino rubr. styptico pro fotu perinæi & pectinis.

Parte detersa fiat litus ex mastichino additis ovis formicarum & pauco castoreo. Non alienum erit admovere emplastra, ut ante dictum est. *Idem ibidem.*

De profluvio seminis non venereo.

Non abs re Vir Nobilis curam suæ sanitatis habet, (quorsum enim fœlicitas, si non adsit sanitas?) & naturam ducem sequi destinavit; hæc æternitatis est avida, aliàs capax, aliàs rapax, & per novam sobolem, ut per progerminationem id facit. Si in arboribus adeo sedula, quid in homine agat, qui ad Deum tanquam archetypum formatur, & ex tantulo semine, re tantula, miros effectus producit. Ideo D. Laborans in eo conservando laborat ut semen sit prolificum, non insulsum, non degener, non evanidum, ut homo ex homine exiliat. Tantulum semen ex omnibus quasi partibus deciduum rapit secum ideam quandam hominis, ut homo sit tanquam character, & transcriptio quædam viva: semen est tradux ad æternam propagationem, ex omnibus partibus decidit, & deciditur ex prona quasi semita ductuque; omnes meatus, aut tubi ad partes naturales imas (quæ per ἀνομαλίαν, naturales dicuntur, aut potius κατ' ἐξοχὴν) tendunt, diriguntur, conspirant, hinc summa in palæstra venerea voluptas; ideò harum partium maximè habenda ratio, sive ut simplices, sive instrumentales considerentur, nervi, tendines, miro artificio fabrifacti, in generatione valent plurimum. At partium principum ad opus aliquod etiam leves affectus magni sunt momenti; inter cætera animantia homo à congressu maximè exolvitur, quia proportione corporis multum seminis excernitur, & quod robustum est exilit, & ut ædificii constructio, sic corporis compages quatitur ac convellitur, dum semen decedit. Mirum quod maximè in mictu, & egerendi conatu ægro Domino semen effluat, id partium vicinia & sympathia facit: hinc qui meiendi desiderio tenentur concumbere nequeunt, quia meatus implentur per affluxum, & qui concumbunt si meiere velint, penis intenditur, id quod ad rem præsentem pertinet: inde est formæ & morum similitudo, & in aliis animalibus major est similitudo quàm in homine, quia cogitatio alio traducit: hinc majores differentiæ, dissimilitudines, quia velocitas cogitationum, celeritas animi, notas multifarias imprimit, non sic in aliis animantibus: imo in iis certi sunt per anni tempora concubitus, homini omnibus horis dierum ac noctium, quod (ut aiunt) magis intersit hominem nasci quàm cætera animalia: imò nulla animalia gravida præter mulierem coïtum norunt: itaque non mirum si sanitatis maximè ratio habetur, & ut natura ad pristinam integritatem redeat: usus enim veneris ad æternitatem quandam per sobolem, & ad sanitatem si moderatus est confert. Quia qui tardius & moderatius venerem exercuerunt maximam laudem habuerunt, quia validiores & longioris vitæ fuerunt: sic statura corporis alitur, aluntur vires. Mirum in homine cæteris animan-

tibus in congressu satietas, homini prope nulla, licet usus veneris ad æternitatem producenda sobole, & ad sanitatem, si moderatus est, conferat, ut præfractior & magis ridiculus videatur Democritus, qui usum veneris damnarit, ut in qua homo ex homine exiliat. Id ad Paganos non ad Christianos, apud quos eximia soboles desideratur ad gloriam Dei, & ejus cultum, & eximia gerenda negotia in Reipubl. decus & salutem. Laudo antiquitatis studium, quæ tanti fecit hominis generationem, ut remedia quædam excogitarit ad generandos liberos pulchros & bonos; Hermelias vocatur.

Continet multa laudanda & non negligenda; non ita est efficax, ut quod promittit exolvat, & spem effectus mentiretur, aut elevaret.

Danda quæ succum lentum generant, ut sunt extrema animalium & testudines, & ostrea. Arbores sunt vivaciores quæ lentum habent succum. Exercitium violentum malum, inutilis à cibo contentio animi & jugis actio, spiritus ad partes superiores fertur, inferiores fraudatæ spiritu imbecilliores redduntur.

Homines solertes & negotiosi liberos generant imbecilliores, vulgus est proletarium, robustos generat.

Magna pars urbanorum est imbecilliore ventriculo, item studiosorum pertinax vigilia cruditatis parens; ex cruditate affluxus humorum & effluxus: labor naturalis, in visu, auditu & cæteris excessus vitetur.

Ira vitanda, licet oxythymiam laudet Hippocrat. & excandescentiam ad bonos succos generandos & εὐχροιαν Id de pinguibus & succulentis audiendum non de biliosis & gravi negotio occupatis & studiosis.

Corpus & animus instar duorum equorum viribus æqualium corpus & animum tanquam curru & vehiculo, id est se ipsos trahere debent.

Sinapi, acria, allia sunt vitanda.

Diæta aliquando siccans & adstringens.

Portul. intybum, (nam quidam aiunt cichoracea semen minuere) plantago, lactuca, buglossborrago, in jure conferunt; hordeata, oryza, quidam consulebat pistacia, pineas, passulas, avellanas, amygdala; sed parum consulto: semen enim augent, & ad venerem excitandam commendantur; hic instituuntur ut sit semen crassius. Usus sit vini crassa diluti aqua, aut simplici, aut in aqua torquis aureus candens extinguatur.

Purgatio ex rheo & syr. de cichor. ex intervall. apozemata ex endiv. scariol. plantag. semin. lact. citrull. coque in aq. adde syr. limonum, de granat. ros. siccar.

Opiata commendatur ex acetositate citri, semine cannab. cariphor. sem. portul. lact. nenuph. floribus, semine agni casti, rutæ.

Alia opiata ex cydoniis conditis ad ℥ii. corall. rubr. margarit. an. ʒß. balaustior. ʒi sem. agni casti & rutæ an. ℈i. conditum fiat cum syr. ros. siccar. valent trochisci de terra sigillata.

Quod ad topica spectat. Fotus ad perinæum ex fol. plantag. tapsi, centinod. cupresso, rosis, florib. chamem. cortic. granat. sacculus plenus bulliat in vino rubr. & aqua fabrorum.

℞. Olei rosati, myrtill. mastichini an. ℥j. pulver. corall. rubr. mastich. antheræ an. ʒi. cum cera fiat unguentum.

Emplastrum Comitissæ, & desiccativum rubrum, confert.

Quæ evocant ad cutim valent. De aquis plumbaribus videbitur, si res urgeat.

Insessus in plena decocto adstringenti, pelvi impositis partibus naturalibus.

Testudines valent, cancri fluviales, syr. resumptivus, Semen salicis & viticis albæ confert.

Valet purgatio ex conserv. rosar. nymph. sym ph. rhab myrobal. cond. aut syr. convenient. Juvat mandere rheum cum passulis. Utatur vino optimo, non hujus anni in quo vina sunt tenuia quæ sanguinem ex Hippocr. imbecillum generant & serum tenue.

Abstineat à diureticis, utatur pane in lacte subacto.

Marcipanes cum carne pulcorum conferunt.

Diarrhod. Abbat. Electuar. de gummis, pasta regia.

Hæc scripta collata sententia M. Jacobi Guillemeau Chirurgi Regii, *Idem ibidem.*

De rei Venereæ impotentia pro Nobili Viro.

Quanquam ignavia, seu impotentia ad venerem plures causas agnoscat; in hoc tamen Nobili viro quinquagenario non aliam censeo, quàm nimiam laxitatem corporum nervosorum penis, raræ substantiæ, quæ sanguinem arteriosum non continent, ad perfectam erectionem necessarium, qui præter voluntatem ideo effluit, nec non semiparalysim musculorum penem erigentium, productam à pituitosa materia ad eas partes confluente ob immoderatum, & violentum coitum. Ad quam rem quoque faciunt etiam morbosæ renum affectiones: quarum causa arenulæ copiosæ procreantur, licet hæc princeps causa non sit hujus affectionis.

Quicquid tamen horum sit, nonnisi difficili negotio pristinum robur partibus illis conciliari poterit, cum & in juvenibus id magni laboris opus esse experientiæ fide constet.

Quod tamen ut consequamur, præmissa blanda totius corporis purgatione, in usu sint alimenta, quæ copiosum semen, & materiam flatulentam producant; quo facilius partes nervosæ membri virilis turgeant. In quam rem opportuna censentur quæ inflant; ciceres scil. rubri, fabæ, pastinaca, & origanum, modice assumpta, & præterea, semina erucæ, urticæ, & raphanus, atque inter aromata, zingiber, & cinnamomum, in usum condiendorum ciborum. Quibus accedant nuclei pinei, pistacia & hujusmodi huic scopo accommodata: necnon composita, quæ prostant apud pharmacopolas; puta diamoschum, diasatyrium, & diambra quæ ex usu quandoque sunt; ut & Mithridatica confectio, & virile membrum cervinum in pulverem redactum. testiculi vulpis exsiccati, scinci marini, bulbi, & qui testiculi canis vocati, si eorum pars crassior comedatur; juvabit etiam carnes cum mace coquere, galli testiculis pro cibo uti, & ovis perdicis. Extrinsecus vero plura usurpari possunt, in quibus primum locum obtinet insessus in aquis Thermalibus sulphureis, ac deinde in aqua fabrorum, in qua ebullierint calamentha, salvia, stœchas, rosmarinus, & lavendula: tunc inunctio perinæi adipe leonis, oleo de castoreo, sinapi, & pyrethro, necnon fotus illarum partium ex vino generoso, cui incoctæ fuerint herbæ prædictæ, aut hujusmodi, vel hujus formulæ linimentum.

℞. Ol. laurini ℥iii. ol. caryophyl. ʒß. pyrethri, piperi

piperis an. drach. i. seminum urticæ pulverizatorum, adipis suilli drach. ii. ambræ, & moschi parum. ceræ q. s. f. linim.

Validioribus deinde remediis arenularum productioni occurrendum erit opportuniori tempore. Atque hæc habui, quæ in medium afferrem, Viri Illustriss. mandatis morem ut geram. Quæ ut ipsi juvamento sint, juxta nobis in spe, & votis est. *Bened. Silvaticus Cons. & Resp. Medic. Cent. iv.*

De Impotentia ad Coitum. Pro Illustriss. Frederico Martinengo, Brixiensi. Veneto Nobili.

Secundus nunc agitur annus, cum Illustr. Vir, annorum 22. temperamenti sicci, ad frigidum vergentis, gracilis, & proceræ staturæ, lectissimæ, & elegantissimæ Virgini matrimonio junctus, hujus tamen jura nondum persolvit, nec ipsam inire potuit. Cum primum enim in ejus ruit amplexus, arrigitur quidem penis citissimè; quod nec raro etiam contingit ab ipsa sejuncto; cum vero veneream palæstram aggreditur, illico flaccescit, cum gravi cordis palpitatione, idque quoties flatibus redundat: hypochondria continuo fere rugitu obmurmurant; plusque appetit, quam concoquat; nostram propterea efflagitat medelam.

Ex enarratis itaque cuilibet compertum est, hypochondria esse partem potissimum affectam; ut patet ex rugitibus, & flatuum copia; de causa vero affectionis ipsorum, & de coitus offensa, quæ ab hac manat, non ita constat. Si enim Galenum consulimus 3. de Loc. Aff. 7. ubi data opera juxta Dioclis sententiam de hoc affectu verba fecit; quam & amplectitur; duplicem causam melancholiæ hypochondriacæ agnovit; vel immoderatum calorem in venis illis, quæ chylum à ventriculo excipiunt, Mesaraicis scil. cujus causa sanguis in ipsis crassescat: ex cujus deinde tenuiori substantia flatus eleventur, rugitum excitantes: vel quod infernum ventriculi orificium intestinis continuum, pylorus nempe, phlogosin concipiat, crudosque attrahat humores; qui attenuati, & in flatus facessentes, rugitum excitent, cum siti, ob æstum, sielismo, à serositatibus melancholicis, aortæ pulsatione, cum ob compressionem, tum ob effervescentiam: ac tandem timore, & mœrore, melancholici affectus luculentis indiciis, à vaporibus crassis in caput elevatis, spiritusque animales offuscantibus, non sine cordis consensu, ex Hipp. enim Timor, & mœror diutius durans est signum melancholicum. Quod si expendamus symptomata in nobiliss. patiente, cum neque se prodat æstus in hypochondriis, nec sitis, vel sielismus, vel aortæ pulsatio, neque tandem timor, & mœror, quæ morbi progressu suboriuntur, pronunciandum omnino est, affectionem hanc hypochondriacam quidem esse, ratione partis affectæ, non tamen hypochondriacam melancholicam, cujus causa non sit phlogosis mesenterii, vel pylori, cum nullus sit æstus: verum solum flatum hypochondriacum, excitatum ab intemperie frigida, & sicca cum ventriculi, tum cordis, cui consentit habitus totius corporis, ex Gal. lib. Artis Medicinal. ubi de hac intemperie. Cum enim calor est imbecillis, deficitque humidum primigenium, perfectæ coctiones fieri non possunt, flatuumq; copia succrescit, qui in mesenterii duplici membrana conclusi, atque ægre erumpentes, hunc affectum inducunt. Majus facessit negotium causa impotentiæ coitus. Si enim juxta omnium Medicinæ Scriptorum sententiam, flatulenta penis arrectioni quammaxime sunt accommodata, fabæ in primis, phaseoli, eruca, pastinaca, & hujusmodi, qui in casu præsenti flaccescit, quin potius rigidior fit penis, cum ex Hipp. constet 3. in 6. Epid. quod, quibusdam cum venere utuntur inflatur venter, ut Demagoræ, & quibusdam in hac strepitus, ut Archesilao. Quod luculentius expressit Text. 22. ejusdem libri, his verbis: In accessionibus, id est in congressibus, sunt qui strepitum edunt, quidam antem jam accessuri, horrentes, rugosi fiunt, id est ipsorum cutis corrugatur, & quidam cum accesserint, ventre inflantur. Addam ego, quod Viro cuidam Nobilissimo in congressu solvebatur alvus. Quorum sane causa est flatuum, & humorum motus in congressu. Flacciditatis vero illius causa in Illustrismo patiente, experientia comperi timorem fuisse, & animi perturbationem, eadem scilicet ratione, qua tunc spiritus, & vapores, ad cor recurrentes, gravem illam palpitationem induxerunt. Cum enim medicis præsidiis, & blandi decocti usu, præmissa universali purgatione flatus discutere animus esset, atque Vir Illustriss. juvenili œstro actus biduo formosæ meretricis nocturnos appeteret amplexus, in eo conatu, eadem imo & graviori cordis plapitatione correptus est, cum gravi mœrore, cujus postea blanditiæ, & verborum lenocinia illi animos cum addidissent, concubio perfunctus, ut virum decet, eadem & sequenti nocte nullo labore, atque in patriam redux nono post mense, cum uxore filiæ prole omnia implevit vota. Verum à naturæ ortu temperamentum frigidum, & siccum sortitus, innati calidi proinde inops, paucorum annorum curriculo vitæ spatium absolvit. *Idem ibidem*

De impedita seminis ejaculatione arrecto pene Virum à causa naturali, vel à Fascino ortum ducat. Responsum.

Ex historia ad me à Germanis transmissa, constat, Virum quendam annorum 46. salacissimum, ita ut aliquando novem continuis coitionibus suffecerit, à duobus annis uxorem duxisse, quam hucusque sæpius inire tentaverit: irrito tamen conatu, nec semine unquam emisso; cum viribus alioquin, & viribus valeat satis, ad Venerem proclivis; quanquam pene arrecto, & in mulieris loculos irrumpente, non sine justa in illis mora, seminis nihil emittat; quinimo flaccescat tandem ille, veluti lorum in aqua, & luctæ se subducere cogatur; si tamen eumdem mox flaccidum, aut vulvæ applicet, aut quandoque attrectet, semen cum voluptate, aliqua copia ejaculetur, nulla præcedente arrectione, neque unquam dum penis tumet: quærit propterea an magicis vinculis implicetur, Martis instar à Vulcano irretiti, quod derepente subortus sit affectus, cum multo ante matrimonium rem habuit cum quadam muliere, cujus maritus magicæ artis suspicione laborat, ex quo postea quamlibet aliam aggressus, nunquam semen emit-

tere potuit: an vero hic affectus naturalis sit, & quæ sint ejus causæ.

Nec certe præter rem hoc in dubium revocatur, & quidem primo de causa naturali, cum scil. fistulosa illa penis corpora in ejus arrectione magna flatuum, & vaporum copia distenduntur, atque ex frequenti coitu rariora in dies evadunt, & turgent magis, à quibus propterea urethra undique coarctata, semen intercipit, usque dum flaccescente pene, libere effluere possit, nisi forte musculis prostatas comprimentibus, ad seminis ejaculationem, id ascribendum sit, qui spasmo rigidi, munere illo non funguntur, prius quam remittat affectus, & flaccescat penis. Quæ me judice, potest esse causa naturalis: quam tamen censeo non posse esse immediatam, & adæquatã, cum mente assequi satis non possim, cur membrum virile hac ætate rigidius fiat, & tumidius, quam in juventute, qua calor viget magis, spiritus uberiores, vapores copiosiores, acrior in Venerem libido, & frequentiores erant coitus, cum tamen semen tunc ejiceretur, ut propterea & de fascino gravis apud me sit suspicio. Quod autem incantamenta, & fascinationes adhibeantur, constat non solum ex sacris paginis, sed etiam id Medicorum consensus, & experientia confirmant. In Exodo siquidem sic exclamat Dominus, Maleficas non patiaris vivere, & in Levitico: Non declinetis ad Magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, ne polluamini per eos. Quod sanctorum Patrum autoritate passim comprobatur, non dissentientibus Medicinæ Scriptoribus: Alexander enim Trallianus, cum ex Gal. tum ex propria sententia id asserit, Lib. 9. de Arte Medica Cap. 4. his verbis: Divinissimus Galenus, qui ne esse quidem incantamenta putavit, longo tamen temporis spatio, multoque usu plurimum ipsas posse deprehendit. Audi igitur verba ipsius, quæ de Medicatione Homerica reliquit scripta, habent autem ea in hunc modum. Nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulis esse persimiles, quemadmodum ego quoque diu existimavi, temporis autem progressu, ab iis, quæ evidenter apparent persuasus sum, vim in ipsis esse. Hæc Trallianus, ex Galen. citato loco, in nostris codicibus desiderato. Addit postea ex propria sententia, si igitur Divinissimus Galenus, & alii plerique Veterum id testantur, quid prohibet nos quoque, experientia cognovimus, & quæ ab amicis sinceris accepimus, hæc vobis impertiri, &c. Quod vero universim dixit Trallianus, expressius prodidit Fernelius de virilitate 6. Pathol. 13. cum ait: exstinguitur virilitas ex senio, morbo, & causis omnibus, quæ insitum spiritum, roburque dissolvunt, atque ex incantamentorum, neque enim fabula est, maleficiis, & medicamentis, quæ genitale semen aut proprietate, aut qualitate manifesta perimunt. Sic Alexander Benedictus Lib. 24. de Medendis morbis, Cap. 14.: Si virilitas carmine, quod sæpe fieri solet, aut veneficiorum injuria intercepta fuerit, sine ulla corporis labe, aut membrorum vitio, primitivave causa evenire dubitamus. Atque plura suppetunt exempla eorum, quibus ex fascino extincta fuit Venus, ac præ cæteris, historiam refert Codronchius 3. de Morbis Veneficis, Cap. 5. Comitis cujusdam Argentinensis, qui matrimonio junctus triennii spatio rem veneream exercere non potuit, peregre vero profectus, cum mulierem offendisset, quam pro scorto antea habuerat, post mutuas salutationes, interrogatus de valetudine sua, & suorum, prospere in omnibus respondit, quod cum intellexisset, turbata illa, iterum interrogavit, utrum filios ex uxore suscepisset; repondit Comes, triennio tres quidem: cum autem mulierem adhuc magis turbatam videret, cur inquit, turbaris, forte meam mihi invides felicitatem. Non, inquit mulier, sed vetulæ succenseo, quæ putavit suo maleficio vim procreandi liberos se impedituram, in cujus rei signum, ait, puteus qui in medio claustri est, ollam in fundo continet, in qua res quædam clauduntur, veneficij instrumenta, gaudeo autem illa irrita esse, & tuæ fœlicitati gratulor. Quibus perceptis, Comes in patriam reversus, expurgato puteo, ollam invenit, & combustis instrumentis, in posterum nullo impedimento uxore sua usus est. Quare cum ex historia habeamus, patientem ipsum antea salacissimum derepente hunc affectum incurrisse, dum ante matrimonium rem habuit cum quadam muliere, cujus maritus fascinationis suspectus est, vero consentaneum est, ipsum fascino præpeditum esse, cum potissimum ab illo tempore ex consuetudine cum qualibet muliere nunquam semen ejaculari potuerit. Et quanquam fascini vis polleat in sola aliqua muliere, uxore puta, non autem aliis, non tamen præter rem accidit ut intercipiatur congressus, aut ejaculatio seminis, cum aliis quinetiam in graviorem scorti pœnam, & scortatoris potissimum. Concedo itaque in hanc sententiam, quod affectus præsens à fascino ortum ducat, dum certior mihi constet causa. *Idem ibidem.*

De Tarda seminis ejaculatione. Pro Nobili Viro. Ad Præclariss. Virum Fridericum Vitalium. Ferrariam.

Dum accuratius expendo historiam à Viro Perillustri, & Excellentiss. enarratam, de Nob. Patientis morbo, qui prole olim adeo felix fuit ut ex Nobiliss. & elegantissima Uxore 22. filios susceperit; nunc vero ætate quinquaginta sex annorum, dum rem cum ea habet semen nulla ratione ejaculari potest; vel nonnisi rarissime, & pauca copia, nec sine animi deliquio: duorum alterutrum statuendum censeo, vel ex facultatis animalis, vel naturalis vitio ortũ ducere. Quanquam enim firma corporis constitutione sit præditus ab ortu, temperamenti hepatis calidi, facie florida, & cerebri humidioris, atq; ad quaslibet actiones promptissimus; cum tamen in juventute multas tulerit ærumnas, dum magno labore, terra, mariq; per loca confragosa, & aspera, varias perlustravit regiones, nocte plerumq; insomni ducta; adeo ut ex multis, quos habuit itineris comites; solus superstes illi fuerit; quibus accedunt varii errores in cibo, potu & Venere; ac tandem gravissimæ febres, quibus correptus fuit. Quas ob causas facultas naturalis labefactari adeo potuit, ut ea sanguinis copia produci nequeat quæ & nutriendo corpori, par sit, & in utile excrementum, semen scil. facessat, quo conjugali officio sufficiat. Verum cum bene appetat, concoquat, & penis aliquandiu arrectus persistat in coitu, quod sine spirituum copia, & robore facultatis naturalis perfici nequit, de facultatis potius animalis gravi aliqua labe suspicio

ſuſpicio ſit potiſſimum in motu internarum partium; cum non ſolum torpeſcat corpus, in viro Excellentiſſ. vegeto antehac in omnibus actionibus, & motu, inprimis cui nunc laxa adeo ſunt membra, ut non ſolum ad greſſus ſingulos gradum ſiſtere cogatur, ſed etiam baculis innixus ambulet, nullis licet in corpore tumoribus, doloribus, aliiſq; affectionibus conſpicuis. Vt propterea affectus hic ſit ſemiparalyſis inferiarum partium; quæ non ſolum earum motum perimit, ſed etiam illorum muſculorum, qui ſub urethram per ejus longitudinem excurrentes comprimunt proſtatas, & ſemen elidunt, in ejus ejaculatione. Qua omnino ratione in epilepſia, ex violenta muſculorum concuſſione ſemen quandoque præter voluntatem effluit. Quanquam enim ſeminis emiſſio ſit motus facultatis naturalis, expultricis ſcil. ut & urinæ, fæcum, aliorumque excrementorum excretio, illam tamen muſculi ſollicitant, ut diximus: ut propterea in Nobiliſſ. patiente nonniſi magno conatu, nec ſine animi deliquio fiat ſeminis ejaculatio. Penis autem rigidus fit & tenditur à copia ſpirituum, & vaporum, qui arterias, & nervos fiſtuloſos penis replent, ac proinde abſque motus animalis opera, accedente tamen aliqua ſeminis penuria, quod alioquin, vel poſt congreſſum efflueret, vel ex ipſius emiſſione in coitu non ſuccederet animi deliquium. Semiparalyſis vero inferiorum partium aliam non agnoſcit cauſam, quam venerem immodicam, quæ lumborum partes agitans vehementius pituitoſam materiam in capite humidiſſimo redundantem ad prædictas partes rarefactas & imbecilliores attrahit.

Qui quidem affectus graviſſimus eſt: quippe qui minatur paralyſin partium etiam ſuperiorum, imo & apoplexiam, cum jam afficiantur oculi hæreditario jure.

Totum itaque corpus accurate expurgandum, & caput in primis, mox internis, & externis diſcutiendi humores paralyſis autores, atque nervoſæ partes pro virili roborandæ, facta diverſione materiæ ad partes affectas influentis.

Toti purgando alvus eſt lenienda melle. roſ. ſolut. & manna, aut el. lenitivo, cum ſpeciebus hieræ. Præparandi humores ſyr. de betonica ſimplici, oxymel. ſim. & ſyr. de hyſſopo, cum decoct. vel aqua cichorii, betonicæ, borraginis, & menthæ: quo tempore ſanguis modice ex jecoraria dextri brachii mittendus erit, ob jecoris fervorem. A quibus purgetur corpus agarico trochiſcato, cum ſyr. & melle roſ. ſolutivis. Repetenda poſtmodum humorum præparatio qui longius à primis viis redundant, & quidem ſyr. de betonica: & oxymel. compoſitis. ſyr. de ſtœchade, vel oxym. ſcyllitic. cum decoct. calendulæ herbæ paraliſis, juæ artheticæ, & cichorii: purgato corpore pilulis de hiera cum agarico, & aggregativis, capite vero per nares errhinis, & per os apophlegmatiſmis, A quibus, internis, & externis topicis demum locus erit. Inter interna principem locum obtinet decoctum ex ligno Indico, ſalſa parilla & viſco quercino, cum ſalvia, ſtœchade, herba paralyſis, & calendula, præmiſſo bolo ex terebinthina Cypria, & caſtoreo, cujus uſus erit triginta dies, ſemel in die vel iterum etiam, ſi per vires licuerit. In externorum vero uſu, ſudor partium inferiorum ſollicitandus erit, doliolis potiſſimum aqua hydrotica, vel lixivio calido repletis, cui incoquantur, laurus, juniperus, & prædictæ herbæ, vel, ſi earum fuerit copia, aquis Thermalibus ſulphureis, in quibus ſedeat umbilico tenus. Luta quinetiam Thermalia, diſcutientia quammaxime ex uſu erunt: à quibus inungenda regio oſſis ſacri oleo de caſtoreo, petroleo, laurino, & vulpino, cum aqua ardente, necnon picationes prædictæ partis ſæpius repetendæ, atque fonticulus ſiniſtro brachio inurendus, divertendæ fluxioni.

Victus in uſu decocti erit attenuans, & tenuis, ac exſiccans, panis ſcil. biſcoctus, cum paſſulis, & piſtaciis, conceſſis quandoque carnibus aſſis, & loco vini, potui erit mulſa ex coriandro, & ſuperſtite decocti materia parata. Alvus ſollicitetur octavo quolibet die, uſu pilul. de hermodactylis, & de hiera diacolocynthidos, & quolibet quatriduo, clyſtere, ex decoct. colocynthidis nodulo incluſæ, cum centaurio, praſſio, beta, & malva, additis mell. roſ. & oleo rutaceo. Vindemiæ vero tempore vinum medicatum paretur ex iis, quæ decoctum componebant, quo ſolo tota hyeme continuo utatur. Atque hæc in caſu præſenti ex uſu potiſſimum futura cenſeo. *Idem ibidem.*

Penis Flacciditas.

Nob. Patiens, calidi & humidi temperamenti, habitus maxime carnoſi, 37. ætatis anno, ex longa ſub fervidiſſimo Cœlo equitatione, calidam viſcerum naturalium intemperiem contraxit: unde ex vini nigri ſumme refrigerati, frigidæque uberrimo potu, ventriculi, viſcerumque omnium gravi imbecillitate laboravit, plurimamque urinam fere per ſeptennium reddidit, cum inſigni carnis conſumptione, totius corporis laſſitudine, oriſque ſiccitate perenni. Graviſſimi vero affectus detecto diſcrimine, ad Archiatrum longe celeberrimum curandus confugit, à quo longa cum ſapientiſſimis doctoribus, de affectus eſſentia, habita diſceptatione, diabeticam tandem ſpuriam affectionem unanimes ſtatuerunt, ea potiſſimum ducti ratione, quod aſſumpta concoquebantur, nec (ut in Diabete exquiſito contingit) immutata excernebantur; toto autem curationis tempore, in dies collecta urina, 15. librarum pondus æquavit, cruda, craſſa, & interdum utcunque oleoſa; quam tamen longè pinguiorem antehac reddidiſſe probabile eſt. cùm Patiens Nobiliſſ. valdé carnoſus & obeſus eſſet.

Inſtituta victus ratione, levique totius expiatione præmiſſa, quatuor unciæ ſanguinis ex venis ſedalibus eductæ fuerunt; mox ad emulſiones amygdal. dulc. & ſem. papav. albi, lactis item bubuli (deſideratur quippe ovillum) chalybeati uſum, necnon dulcis aquæ balneum, & inunctiones ex oleo viol. & amygd. recent. properatum eſt; ſyrupum pariter coral. necnon roſar. tincturam ad viſcerum robur aſſumpſit, quorum remediorum ope, paulatim ſe remiſit affectus, corpuſque inſtaurari cœpit, licet obſervatum fuerit lac omnibus præſidiis antecellere; quod propterea triennium, toto verno tempore maximo cum emolumento ei exhibitum fuit. Obſervatum præterea roborantia, calefacientia ac valde nutrientia præſentem tuliſſe opem, quod imbecillitatis, & immodicæ naturalium viſcerum, ex frequenti largoque gelidæ ac vini impenſius frigefacti potu, contractæ perfrigerationis certiſſimum præbuit indicium.

Paucis vero à curatione elapsis mensibus, fluxio quædam acris in penis caput decubuit, quæ internam præputii superficiem erodens, ulcus pruriginosum, satis molestum excitavit, facile tamen sanatum, cum omnis impuræ Veneris abesset suspicio. Verũ ex ipsi' præputii cicatrice phymosis satis contumax oborta est, quæ validis incassum tentata præsidiis, sola chirurgia expugnari & superari posse videtur. Interim Patiens in dies melius habuit, atque in præsens viribus satis constat, omniaque negotia satis expedite paragit, licet redintegrari omnino nunquam potuerit: qualibet autem animi passione, & ira potissimum, aut interturbata concoctione, intra paucas horas, ita extenuatur & decolor fit, ut hebdomada febre laborasse quis existimaverit, animo vero pacato, dejectisque per alvum cruditatibus; pari celeritate pristino statui restituitur.

Antequam vero ulterius progrediar, operæ pretium duco præmonere, ob pravam quandam consuetudinem hunc patientem, præter uberiorem vini summe frigefacti usum, in frigidæ intempestivo atque immodico potu, multis abhinc annis, perstitisse.

Secundus autem jam annus agitur quo de læsa penis erectione conqueri cœpit, cujus causa neque in ætatem, nec in virium imbecillitatem, neque in seminis defectum referenda; Ætas enim 48. annum vix attingit, vires, ut dictum est, satis vigent; semen vero non raro in somnis copiosum excernitur, cum titillatione & voluptate. Mirum vero profecto videtur, nobilem patientem, tum ante affectionis diabeticæ, tum ab ejusdem sanatione, cum marasmo fere confectus esset, viribus ferme attritis, in castris Veneris fortiter militasse, nunc vero, instauratis viribus, mariti debitum minime persolvere posse; potissimum cum lectissimam ac dilectissimam conjugem semper proximam habet.

Mihi vero oculato testi concreditum est negotium, tum prægressi, tum præsentis morbi historia conscribendi, sapientissimorum sapientissimo committendam, cui iterum, atque iterum perennem felicitatem precamur.

Responsio.

Condonandum mihi, Vir Excell. si tuis humanissimis literis statim responsum non dederim; siquidem præter quotidianos labores hujus Academiæ, frequentes quoque consultationes, tum ore, tum scriptis mihi habendæ sunt, quarum causa non raro totam diem jejunus ducere cogor, nec nisi noctu cibum sumere.

Historia genuina atque accurata status Nob. Viri, à te disertissime atque eruditissime descripta, & ad me transmissa, licet prima fronte ancipitis videatur judicii, attamen medullitus considerata, spero fore ut nos manuducat in veram causarum hujus affectus cognitionem. Ignavia, seu impotentia ad Venerem, de qua conqueritur Nob. Patiens non in deficiente seminis ejaculatione, nec voluptatis defectu sita est, siquidem jucundas in somnis pollutiones nocturnas pluries expertus fuit; sed in penis denegata erectione duntaxat. Hæc referenda in defectum spirituum, aut vitium instrumentorum. Spiritus autem deficere possunt, aut quia non generentur; aut quia transmissi à partibus non exuscitentur. Vitium vero instrumentorum potest esse morbus aliquis in mala compositione, vel in intemperie genitalium partium; quibus mihi liceat addere & seminis vitium, quod, casu nostro, saltem quoad qualitatem concurrere posset, licet non quoad quantitatem. Quæ omnia breviter consideranda, ut inde veritas elucescat. Et primo quidem spiritus non generantur, vel ob deficientem sanguinem, vel ob ejusdem frigiditatem, vel ob eundem calidiorem atque ficciorem ex quo pauci spiritus generari possunt; vel tandem ob cordis refrigerationem. Non transmittuntur autem, vel quia alio divertantur, ex timore aut aliis animi passionibus; vel quia ob aliquod impedimentum in via, iidem intercipiantur, qualis foret angustia meatuum; vel ex aliquo tumore; vel ab exsiccatis instrumentis & ductibus ab insuetudine; sicuti à coitus frequentia ampliores redduntur. Et tandem non exuscitantur, ob genitalium partium frigiditatem.

Diabetica affectione jam fuit correptus Nob. Vir, post longam atque diuturnam equitationem, necnon post gelidæ, atque vini nive refrigerati continuum potum, ex quibus conjicere facile est, quod nonsolum renum attractrix facultas fuit culpanda, sed & eorundem imbecillitas, à potu frigido, copioso & diuturno contracta; unde, summa prudentia, non modo refrigerantibus contra causam primariam, verum & densantibus ac adstringentibus, contra secundariam pugnatum fuit, adeo ut longo emuls. sem. papav. & potissimum lactis bubuli usu, accedente balneo, affectio tandem profligata fuerit. Observatum insuper, curationis tempore, viscera omnia, & naturalia potissimum, semper corroboranti calefactione opus hebuisse, à quibus forsan quodammodo biliosæ & acres adauctæ serositates, abscessus modo ad penem à natura transmissæ, ulcus, indeque phimosin excitarunt. Tandem bene, at non pancratice Vir hic se habet; propria namque negotia satis commode obit, nisi quod à qualibet animi passione, aut turbata coctione extenuatur, spiritibus affatim destituitur, atque pallescit, vel spiritib. vitalibus retrocedentibus, & cruditatib. expulsis; quæ sicuti cordis debilitatem, ita influentis caloris, tum ad viscera naturalia, tum ad cæteras corporis partes, imbecillitatem nobis significant. Denuum in penis flacciditatem inopinatam, anno ætatis 46. incidit, de qua, jam dictis consideratis, statui posse mihi videtur, primo à spiritibus deficientibus eam provenire; defectum vero spirituum à cordis imbecillitate non solum, verum & sanguinis, si non inopia, saltem cruditate, atque frigiditate, ac proinde à semine frigido, utpote ex hujus conditionis sanguine genito. Secundo etiam à laxitate & frigiditate corporum nervosorum penis, tum ex influentis caloris defectu, tum à diuturno interno atque externo refrigerantium & humectantium usu contracta, ob quam spiritus influentes ab eadem parte nonnisi ægre vivificari possunt. Neque dictorum causæ latent, si primo consideretur diuturnus ac perennis usus gelidi copiosi potus, qui solus, tum ventriculi, tum & Jecoris nativum calorem obruere, atque tandem extinguere potuisset; cui addamus diuturnum medicamentorum frigidorum, & ipsius lactis usum; à quibus omnibus crudioris sanguinis productio, indeq; cordis imbecillitas, spirituũ diminutio, & frigidi seminis procreatio provenerũt; accedentib. quinetiam à balneo nervosarum quoque penis partium frigi-

citate & laxitate. Quibus tandem penem erigendi impotentiam successisse, jure merito existimari potest; hinc Scythæ, ut habemus ex Hipp. ad coitum minime alacres ac prompti sunt, ob corporis laxitatem, mollitiem & frigiditatem, necnon diuturnas equitationes; genitale namque semen copiosum & calidum, imo & acre sit oportet, ut coitum excitet; materiam autem à sanguine, calorem à corde, acrimoniam à jecore, vasis & testibus suscipit; hinc insomnis, ob caloris concentrationem, tum seminis effusio, tum forsan etiam penis erectio contingere potuit, ut Milesio ab Aetio & Orib. descripto; atque adeo, quodlibet impedimentum in via, tum à tumore, tum ab exsiccatione obortum, omnino excludi debet; sicuti neque de calore, ad hujusmodi affectum conspirante, ullus rationi aut suspicioni locus est; etenim flaccidus penis factus fuisset in diabetica affectione, quo tempore calor magis vigebat; qui modo calori nativo & imminuto, ut ita dicam, & quodammodo labefactato successit.

Affectus utique huic Viro permolestus, cum uxori justa persolvere nequeat, & qui speciei, potius quam individuo Patienti, hac ætate, noxæ foret, nisi Ventriculi, hepatis, cordis, verbo, totius corporis imbecillitatis indicium adesset. Quare curandus, ut robore toti restituto, vita diuturna frui possit Nob. Patiens, quam tamen, statu præsenti, eidem polliceri non possumus, spe tamen eam nos consecuturos, si Medicis præsidiis accuratæ victus rationis fundamenta solidaverit.

Medicæ vero intentiones jam patent; etenim, cruditatibus evacuatis, ventriculum & cor calefacere ac roborare oportet. ut probus sanguis, indeque uberiores spiritus, & semen copiosum & calidum procreari possint; pudendorum quoque roboratione & calefactione non omissa.

Ad medicamenta itaque devenientes, omissa qualibet sanguinis missione, primæ viæ cruditatibus emundandæ melle ros. solut. cum manna clarif. aut elect. lenit, cum hiera; quod opus ut perficiatur, diebus sequentibus adhærentes cruditates detergendæ, & incidendæ mel. ros. simpl. oxym. & syr. de cort. citr. sine diluto, à quibus si abhorreat, præbeatur quotidie semiunc. crem. tart. in jure sem. citri, vel cinnam. alterato dissoluti. Inde repetatur supra propositum medicamentum; quod si primum sitim excitaverit, præbeatur ab eo mulsa diluta ad ℔. i. ſ. vel ii. Hac secuta primarum viarum expiatione, aqua Tettuciana, cum vehiculo mel. ros. sol. poterit ventriculum & intestina à crudis excrementis omnino liberare, easdem partes exsiccando & roborando; atque si conjectetur massam sanguineam cruditatibus scatere, repetatur infrascripta præparatio & expurgatio; sin minus, omittatur, & ad juris usum deveniatur. Secunda autem præparatio absolvatur decoct. cichor. borrag. melis. beton. salv. absinth. calendulæ, nasturtii; additis oxymel. & syrup. de prassio. Quod si dulcia hujusmodi respuat; substituantur succi dep. borrag. betonicæ, fumar. prassii, ad ℥ ii. aut iii. in decoct. præscripta. Inde purgans medicamentum præscribatur, quod quidem cruditates educere, sed & calorem naturalem enervare non possit; quale poterit esse pil. de hiera cum agarico, mastic. cum gr. x. extracti mechoac. Jalappa enim ventriculo nimis infensa. Post hæc assumat jus columbæ 40. dies, ita paratum.

♃. Ligni lentisci è Chio ℥i. ſ. sassafras, ligni rorismar. an. ℨ. ſ. aquæ meliss. borrag. an. ℔ i. ſ. m. f. inf. per horas 24. deinde adde dimidiam columbam turricolam, & bul. ad consump. dimidii, ita ut supersint ℥xvj. & colar. servetur pro duabus vicibus, mane sumenda; cui præmittatur pulv. viperinus sic paratus.

♃. Pulv. vip. gr. xii. confect. anacard. vel alkermes parum, itaut ref. b. Nec ad urinæ vias auderem medicamenta perducere, ob prægressam diabeticam dispositionem. Topica tamen interim, tum interna; tum externa pudendis & genitalibus non sunt deneganda, calorem & robur eisdem partibus præstantia. Extrinsecus vero, quoniam præsto non sunt aquæ sulphureæ pro insessu, ideo adhibeantur fotus perinæo & testibus, spongia magna madefacta in vino, in quo ebulliant folia calament. salviæ, rorismar. aquilegiæ, nux myristica & pyrethrum; vel paretur ex aqua vitæ, sem. staphysag. alterata. Post fotum de more fiat inunctio adipe leonis, cum moscho & zibetho, vel oleo de spica addito zibetho.

A proprietate vero juvat oleum formicarum alas habentium, inungendo perinæo & testibus, Per os quoque aliqua usurpari poterunt; non tamen valde calefacientia, nec violenta, ut semen erucæ saccharatum, radix eryngii, condita, gingiber conditum, confect. amygd. pineorum, pistaciorum, aliquando vero primo vini cyatho, in cœna parum croci affundatur.

Et in victus ratione omnium primo mittat gelidum potum, sicut quoque potum aquæ. Vitet repletiones & cruditates. Modice bibat, vinum album & subdulce, subgenerosum, & in omnibus prudentissimæ tuæ curæ sese committat, sine qua irrita evaderent à me quoque adducta & præscripta, ut Nobiliss. Patiens ab hac molestia liberetur, & totius corporis robore adepto, vitam feliciter proroget *Raym. Joh. Forsss Cons. & Resp. Medic. T. 1. Ceret iv.*

Ignavia ad Venerem.

Nob. Juvenis, 28. annum agens, temperamenti secundum totum, & secundum jecur calidi & humidi, ad obesum vergens, hirsutus tamen, mediocris staturæ, vegetus, & ad omnes operationes animales promptissimus, & semen ocyssime ac facillime emittens, anno 1657. Venetiis per dies 15. scorti consuetudine maxime oblectatus, non erecto pene semen profudit, cum alias, eodem rigido, Venereos congressus obiret; & redux ita perstitit usque ad hyemem anni 1661. quo integris noctibus, cum dilecta puella, ad fenestram versatus, osculis atque amplexibus, citra congressum, iterum & tertio, flaccido pene, semper semen profudit. Venetias postea reversus, rursus, erecto pene, Venerem inivit, à qua gonorrhœam reportavit, & ad pristinam relapsus est ignaviam, cum qualibet etiam fœmina, potius solo intuitu pulchræ alicujus

cujus mulieris, semen, cole non erecto, ejaculatus. A gonorrhœa autem aquarum Masini, & aliorum remediorum ope, sex post mensibus liberatus est. Modo tandem pudendum frequentius, absque res venereæ meditatione, & jucundi objecti præsentia, tenditur perfecte & arrigitur, noctu potissimum, à somno expergefacto. Raras vero ex insomniis pollutiones patitur. Tantæ vero calamitatis Juvenis generosus causas quærit, opemque implorat.

Penis flacciditatis, quæ Nob. Juvenem anxium habet atque contristat, quæque actio est imminuta, non ex toto abolita, causa sedulo à nobis perquirenda, ut pristino robori restitui possit; non posthabita cita nimis, & nonnunquam fere involuntaria seminis ejaculatione. Primo itaque in seminis defectum culpa conjicienda non est; genitale enim copioso & calido semine abundat, quod commode coitum proritare potest; licet nos semini penis arrigendi vim minime concedamus; sicuti eam admittimus Veneris excitandæ; deficit enim erectio huic Nob. Juveni, copioso adeo semine abundanti, quæ Eunuchis concessa rigidum penem frequenter habentibus, nec tamen quicquam seminis emittentibus. Neque vitium instrumentorum criminandum, ut Scythis contingere solebat, ob mollitiem ac frigiditatem eorundem; siquidem nec equitationes immodicæ, aliique labores aut paralysis præcesserunt; & præterea habet hirsuta pudenda. Superest itaque, quod vitium spiritibus insit, aut quia non producantur, aut quia producti non transmittantur, aut producti & transfusi, in illis pudendorum partibus non exuscitentur. Spirituum autem penuria in eorundem ortu nullo modo admittenda, cum totum ejus corpus calidum & humidum, ac sanguine abundet, cui spirituum procreatio deficere non potest: Genitorum autem influxus intercipitur aliquando; aliquando vero alio avocatur; nostro casu non intercipitur, quia nollus conjici potest affectus in via; neque divertitur, quia in venereis congressibus nullus contingit metus, nec adeo corde frigidus est. Reliquum est igitur, ut spiritus geniti atque transmissi in vasis non excitentur, non quidem ob frigiditatem, quæ insignis atque manifestissima esse deberet, ut in frigidis & maleficiatis; sed non vegetantur, quia transfusi à pudendarum partium calore illico attenuantur & dissolvuntur, eoque facilius, cum ob rarefactam ab eodem calore illarum partium substantiam, sanguis arteriosus diu cohiberi minime possit; unde immodicum calidum, tum carnium effœminationem, tum nervorum incontinentiam producat, ut dicebat Hipp. Hanc autem veritatem confirmare possunt illarum partium hirsuties, copiosum calidumque semen, in Venerem facilis proclivitas, & omnium maxime impotentia, sive flacciditas, quæ tunc potissimum contigit, quando cum scorto & puella, objectis sibi dilectissimis, versatus fuit; etenim, quo major est oblectatio & voluptas, eo fervidiores, tenuiores, & ad penis erectionem ineptiores, in hujusmodi temperamentis, redduntur spiritus; absque vero hujusmodi intenta cogitatione, noctu expergefacto facilior contingit penis erectio; prout etiam dum illi objecta non adeo dilecta objiciuntur. At citam, atque celerem nimis, imo & involuntariam seminis ejaculationem, partim ab irritata expultrice, ob seminis acrimoniam; partim à debilitata retentrice vesicularum semen continentium, nec non glandularum prostatarum provenire credendum; quæ vasa ex semestri gonorrhœa majorem laxitatem adepta esse, minime dubitandum; cum ab eadem involuntaria, quæ antea non aderat, facta sit seminis profusio. Pollutio autem in somnis frequens ei non contingit, deficientibus forsan speciebus, tunc facultatem moventibus atque excitantibus; aut circa renes immoderato calore non præsente; vel ipso forsan etiam ægro haud supino dormiente.

Affectus autem hujusmodi nunquam facile sanantur; minoris tamen laboris censendus est præsens casus, quo nec ullus morbus instrumentalis, nec frigiditas ullo modo concurrit, quæcunque enim ea sit, sive essentialis, sive per consensum, sive privativa, sive positiva, caliditate semper deterior habetur. Quare optatum finem nos consecuturos, sperare juvat. Intentiones autem medicæ erunt, universo corpore prius leniter expurgato, Jecoris, totius & pudendorum calorem contemperare; eadem pudenda corroborare; & aliqua à proprietate juvantia, sed temperata in usum revocare. Quibus si, hoc anni tempore, omnino satisfieri non poterit, sub finem saltem Veris, vel æstate ineunte perficietur curatio.

In præsens itaque sat sit Nob. Pat. omnium primo assumere leniens ex syr. ros. sol. cum lenit. vel flor. cass. cum lenit. & tart. sequentibus vero decem aut duodecim diebus, quotidie, quatuor horis ante prandium, sumat cass. cum pulp. tamar. Primis vero quatuor aut quinque diebus.

♃. Flor. cass. ℨii. pulp. Tamarind. ℨ i. m. f. b. reliquis vero.

♃. Pulp. Tamarind. ℨii. flor. cass. ℨi. m. f. b. statimque superbibat jus, plantag. & rapis alteratum. Duodecim vero exactis diebus, si venter bene subierit, nullo alio solvente medicamento opus fuerit, sin minus, repetat præscriptum ab initio, à quo hauriat aquam, aut jus hordei, ad ℔ i. & subinde in usum ducat jus ita paratum.

♃. Santal. alb. legit. ℥ii. cort. secundi, hoc est, subcort. ligni frax. ℥. ſ. Aq. com. Chalybeat. ℔ iv. m. t. inf. per horas 24. deinde adde dimidium pedem vitulinum, & bull. ad consumpt., dimidii, colat. vero servetur pro tribus vicibus, matutino tempore assumenda, cui singula vice infundantur gutt. v. tinct. corall. chymicæ; & hujus usui insistat ad dies 40. & ultra, absque ulla in vivendi ratione arcta adeo & rigida cautione; nisi hac sola, quod si mane ventriculus fuerit ex præterita pleniori cœna repletus, omittatur die illa potio præscripta. Interim extrinsecus, derasis prius pudendorum pilis, fiat de more hujusmodi illitus.

♃ Ung. ros. Mes. ℥ii. Adip. Leonis ℥. ſ. coaguli lepor. ℨ ii. ol. myrt. ℨ ſ. m. ref. linim. quo illinantur pudenda & perinæum.

Post hæc, aliquod à proprietate juvans, nec operosæ compositionis, nec Nob. Pat. injucun-

dum

dum remedium præscribi poterit. Sic parentur testes vulpis exsiccati, & in pulverem redacti, quos innoxiam, & minime vacuam membri tentiginem efficere asseruerunt, tum Orib. tum Aetius, quibus addi poterunt semina erucæ, pauca tamen dosi,

Ut. ℞. Pulv. testium Vulpis ℥ ß. sem. erucæ pulv. ʒi. m. cujus dosis ad ʒi. cum aqua Ononidis, vel ex pulv. ref. bol,

Victus ratio ad frigidum declinet, neque tenuis, neque attenuans; repletiones tamen & cruditates fugiendæ; sanguinem enim corrumpunt, semen extinguunt, & calorem naturalem præfocant. Cœna sit prandio parcior. Venerem excitant, pulli, columbæ, perdices, verveces, potissimum testes, ova recentia, Trotta. Legumina, & potissimum faba, cicer, & pisa, cæpæ coctæ, tubera terræ, oryza ex lacte, ostreacea. Mitto gallorum testes, pistacia, erucam, horminum, satyrii rad. crocum & cætera aromata, ut calida nimis, casu nostro. Vinum sit mediocre & substypticum. Sic somno potius indulgendum, quam vigiliis. Consueta exercitia non omittenda, Venus aliquando, sed raro usurpanda, cum abstinentia torpidos reddat. Cæterum alacri ac præsenti animo vivat.

Quod si jam dictis non cedat affectus, mense Junio proxime futuro, sanguis ex Jecoraria semel, aut partitis vicibus educendus; totum pro usu expurgandum; & primis Julii diebus, Nob. Pat. ad aquas vitriolatas assumendas se conferat, aut Engaddinæ Sanct. Mauritii aut Vallis, Solis, in Agro Tridentino; etenim si Aquæ Masini, quæ nitro, ferro & sulphure constant, jam opem tulerunt, multo magis id illæ præstare poterunt; cum & ad contemperanda viscera ac pudenda, & quammaxime eadem roboranda, egregium sit hoc medicamentum. Insessus quoque in iisdem fieri poterunt, balnei vice, ita ut pudenda in ipsis immergantur, vel spongia iisdem aquis imbuta illis applicetur. Et licet earum vis quam facillime evanescat, ac resolvatur; tepidas tamen extrinsecus illas admittat Nob. Pat. cui à Summo Deo optatum finem precor. *Idem ibidem.*

Penis difficilis Erectio, Arenularum Mictio, & Imminuta Visio.

Illustriss. & Exc. Marchio, 29. annum agens, temperamenti secundum totum, & potissimum secundum caput, calidi & humidi, habitus carnosi, rosei coloris, longis itineribus, & violentis exercitiis assuetus, vel ante ipsam pubertatem in coitum valde proclivis, atq; adeo 13. ætat anno Uxori addictus, gonorrhœam iisdem teneris annis passus fuit (cui Excellent. ejusdem Parens frequenter obnoxius fuerat) ex consuetudine cum alienis mulieribus, forsan etiam gallico infectis; cui & in humido carcere menses concluso contigit capillorum defluvium, cum aliquo capitis dolore; licet solutus rursus capillatus evaserit; & dum Romæ commoratus est, misso affatim copioso sanguine, nigro & sine fibris, sudore uberiori, à validis motibus manante, omnino convaluerit. Verum proxime superioribus annis, de penis debilitate, aut difficili erectione, & aliquando de seminis in ipso coitu suppressione conqueri cœpit; & præterea de arenularum in urina subsidentium mictu, cum aliquo spinalis medullæ dolore, qui tamen à corporis motu remitteret. Quibus adhucnum perdurantibus, visioni difficultas accessit, in oculo sinistro; dum enim diutius legit, aut scribit attentius, oborta lacryma turbatur visio, ut desistere cogatur, cujus causa dextero oculo fere omnino orbatum se cognovit. Modo de agendis levaminis causa consulit.

Triplici affectu molestari Illustriss. & Excell. Juvenem, ex enarratis colligimus. Penis scil. flacciditate respectiva, cum seminis quandoque in coitu suppressione. Secundo arenularum mictione. Et tertio visione fere abolita in dextero, & imminuta atque turbata in sinistro oculo. Et primo quidem penis erectionem imminutam quod attinet, hanc à vitio instrumenti, partium videlicet genitalium, necnon facultatis in eodem insidentis, procedere credimus, si præterita & præsentia consideremus; etenim partes genitales ex paterna hæreditate debiles, primo à præmaturo & immoderato coitu; mox & à longis itineribus, atque validis exercitiis laxitatem facile contrahere potuerunt, unde penis flacciditas, cui accedit & vitium facultatis, tum determinatæ, tum communis imaginationis scil. quæ sicut ab objecto novo, valde delectabili magis magisque ad venerem accenditur, ac proinde promptior evadit penis erectio; ita ab objecto familiari, & consueto minus concitatur, & penis flaccidior, fit, determinatæ vero, ob defectum spirituum, non quia non generentur, hoc temperamento calido & humido, ac juvenili ætate; sed quia ab illarum partium immodico calore præter naturam dissolvantur ac dissipentur; nec superstites adeo facile excitentur à parte, non quidem frigida intemperie (hirsuta enim est, & exuperanti calore prædita) verum laxitate laborante; quarum causarum alterutram consequi quoque solet nonnunquam ejaculandi seminis difficultas.

Huic autem vasorum seminalium imbecillitati hæreditariæ facile successit gonorrhœa, accedente immoderato, & forsan virulento coitu, à quo tamen liberari potuit copiosa sanguinis missione, affatim Romæ facta, & copiosis sudoribus, à validis motibus solicitatis.

Arenulæ secundo loco considerandæ veniunt, quibus procreandis, sicuti causam materialem à capite, & ventriculo ad renes decumbere credendum; atque efficientem, eorundem scil. æstum, ipsis inesse, ita ad calculi procreationem, causam sine qua non, malam videlic. tum ipsorum renum, tum vasorum conformationem desiderari sperare juvat.

Visio tandem valde imminuta & turbata perpendenda, quæ in oculo dextero jam confirmata, absque ullo evidenti vitio in tunicis aut humoribus oculi, ab intercluso spirituum influxu ortum habuisse existimamus, semiobstructis sive densatis opticis nervis, à catarrhali materia in humido capite genita, illucque transmissa, in oculo vero sinistro, visio in ipso intuitu turbatur, à tenui catarrhali materia, quæ à capite extra cranium, per pericranium, juxta adnatam, ad oculum descendit, & visionem turbat, quousque facta ejusdem materiæ expressione, per oculi angulum, lacrymæ specie exstillat, cujus

cujus portio aliquando per musculorum spatia, vel parietes spinalis medullæ delabens, lumborum dolores excitavit, motibus corporis evanescentes, eadem materia à calore resoluta.

Præsens ad Venerem ignavia, hac juvenili ætate licet eo nondum progressa sit, ut speciei detrimento esse possit; verendum tamen ne brevi temporis spatio calore magis invalescente, ad impotentiam perducatur, quæ ideo nec in præsens negligenda, sed ut signum quoque consideranda; calor enim ille, qui spiritus dissolvit, arenulas quoque procreat; quæ glutinoso humore accedente, diutius conclusæ, conglobari & in calculos cogi poterunt. Visio quinetiam imminuta, magnifacienda; etenim cum oculi dextri curationem vix admittere possit, nos omnino sollicitat ut oculi sinistri, dextero validioris, curam suscipiamus. Quibus jam dictis curationem infra proponendam, quammaxime profuturam, speramus.

Totum itaque per partes, & caput evacuandum: Renum, & jecoris calor contemperandus; vasa seminalia roboranda; & capiti, prout hoc tempore licuerit, omni conatu corroboratio concilianda.

In Chirurgico itaque fonte, sanguinis missionem omnino necessariam, ex Jecoraria censemus medico præsente; si enim niger effluxerit, ex altero brachio repetenda fuerit, eo parcius prima vice, educto. Cauterium brachio, jussu Exc. Pat. inurendum subjiciemus. Frequentes circa dorsum & occiput frictiones commendamus, ut fluxio ab oculis revocetur.

Ex Pharmaceutico desumenda sunt Lenientia, præparantia, purgantia, alterantia, & roborantia. leniens erit syr. ros. sol. cum lenit. Vel potio ex manna claris. vel elect. lenit. cum tart. Primum præparans, mel ros. simpl. cum julap. acet. cortic. citri aromatiz. ad ℥iii. quinque diebus sine diluto; mox attenuati humores eodem modo quo supra evacuandi. Secunda præparatio, hoc anni tempore, perficietur succis syruporum loco, ad ℥iii. cich. nempe depur. & borrag. quibus, si sanguis extractus niger fuerit, addatur quoque succus fumar. sin minus, acetosæ, in decoct. cich. borrag. end. acet. viol. nenuph. & septem post diebus, præbeatur purgans ex infus. rhab. agar. & sennæ, addito syr. ros. sol. & elect. de succo rosarum. vel elect. diasebesten, cum scamm. & de succo rosar. superhausto ser. depur. ad ℔ ii. His peractis, si sanguis eductus niger fuerit, præbeatur tribus aut quatuor vicibus, tertio aut quarto quoque die, decoct. epith. Mes. ad ℥ vi cum ser. depur. intermediis vero diebus exhibeantur succi depur. superius præscripti. Quod si sanguis niger non apparuerit, loco decoct. epith. exhibeantur pil. totum & caput purgantes, aggreg. cum aureis, hausto semper ab his sero depur. capr. aut asin. Atque interim masticatoria parentur, ex mastiche, pulvere fœniculi & cera.

Ita toto & capite expurgatis, alterantia erunt usurpanda, ad contemperandum Jecoris, & Renum fervorem; in quem finem, succi depur. cich. acet. opportunissimi fuerint. Quod si succum cich. ut amarum respuat Exc. Pat. illi substituatur succus end. viol. nenuph. Interim, adventante tempore opportuno, in corroborantibus auxiliis, casu nostro, principem locum obtinebunt Aquæ Thermales Vitriolatæ, in Valle Solis Agri Tridentini, quæ præterquam quod genitales partes roborare, renes quoque emundare, calorem quinetiam contemperare poterunt, absque ulla ventriculi noxa.

Capitis quinetiam abstersiones quotidie adhibendæ, à pectinatione, spongia prius imbuta infusione ligni visci quercini & rorismarini in vino albo, mox expressa & exsiccata. Erunt quoque ex usu capitis aspersiones, sub somni tempus, pulv. ros. rubr. cornu cervini, majoranæ & Ireos. Conservæ quoque eodem tempore in usum revocentur, quandoque rosarum, quandoque vero betonicæ, aut euphragiæ.

Et victus ratio jam dictis proportione respondeat. Vinum autem paretur medicatum euphragia & santalo. Quæ omnia à summo Deo, Nob. Juveni salutaria precamur. *Idem ibidem.*

Vasorum Seminalium Imbecillitas.

Vir Illustrissimus annorum 30. calidioris & siccioris temperamenti, biliosi scil. prædominio, & subdominio melancholici, alias robusti & hirsuti corporis, multis abhinc annis aulicæ vitæ addictus, qua in rebus nonnaturalibus, præsertim potibus frigidissimis, comessationibus, exercitiis violentissimis, ut ludo pilæ, equitationibus, Venereis congressibus, plurimos commisit errores, tribus abhinc mensibus incidit in febrem biliosam, tertianam duplicem continuam, non tamen exquisitam, cum symptomatibus ab ea non alienis, ut siti magna, dolore capitis, animi deliquiis; à qua tamen, facta humoris biliosi præparatione, obstructionum reseratione, & eductione materiæ peccantis, non omissis cordialibus, & quæ symptomata reprimere possent, adhibita quinetiam exacta victus ratione, feliciter convaluit. Quia tamen sanitate, auro multo pretiosiori, diutius frui desiderat; ideo expetit normam, qua ab his & hujusmodi morbis in posterum præservari possit. Hic autem, decennio abhinc, juvenili florente ætate, temperamento stimulante, nimium indulsit Veneri, ita ut virulentam contraxerit gonorrhœam, prout alioquin fieri solet, cum tentigine & ardore urinæ, nec tamen exercitia valida prætermisit, quæ licet annum perduraverit ab ea tamen utcunque sanatus est, permanentibus tamen capillamentis quandoque, quæ subinde cum ardore urinæ, præsertim dum à Venere abstinet; modo tamen absque dolore prodeunt. Urina insuper, natura stimulante, diutius contineri non potuit, quinimo paucis abhinc mensibus eadem sat segniter & cunctanter, absque impetu, more senum effluxit. Observatione quoque dignum est quod à biennio, post sanatam gonorrhœam, sub finem emissionis urinæ, duæ aut tres guttulæ seminis aliquando, primo subrufæ, mox & albicantes, modo albuminis ovi similes, cum titillatione emanarunt. Hic vero fluxus, pro exercitii modo magis vel minus violenti ratione, crebrius vel rarius recurrit, nec nisi octo abhinc mensibus derepente cessavit, nisi quod in urina, anno abhinc cum dimidio circiter, prout & illius Parentibus contigit aliqua apparent vestigia. Et licet enarrata mala patientem

tem in vitæ muneribus obeundis non multum infestent: nihilominus cum uxorem habeat juvenem, boni temperamenti, & integra sanitate gaudentem, nulla tamen prole beatus, prudentissimum tuum consilium Illustriss. Vir enixe efflagitat.

Historiam accuratam status Viri Nobiliss. à doctissimo Viro nobis enarratam, tum individuum, tum speciem spectare, ac proinde utriusque curationem à nobis exposcere videmus; licet, bona valetudine Nobilissimo Viro comparata, speciei quoque à nobis prospectum fore jure speremus; siquidem Viro, non vero Mulieri, utpote quæ jam concepit, sterilitatem imputandam censemus.

Fuit autem Nob. Vir temperamento totius & jecoris justò calidiori atque sicciori à natura præditus, quod semper in dies ab erroribus, in compotationibus, violentis corporis motibus, equitationibus, venereisque congressibus, & conviviis majus majusque augmentum suscepit; adeoque ad bilis generationem aptissimum, biliosis quoque febribus obnoxium, & ob exustionem ab insigni calore, ad melancholiam quoque pronum eundem reddidit; quam tamen adustionem in sanguine à tabo Celtico nec impressam, nec adauctam fuisse credimus ex gonorrhœa, qua olim laboravit, quoniam virus vasa spermatica transgressum non esse, nec ad jecur, minusque ad massam sanguineam pervasisse, sed in iisdem hæsisse existimamus; quæ spatio mensium, imo integri anni ad nihilum redacta, cum semine ipso, foras ab irritata expultrice detrusa fuit. Verum quoniam tunc temporis liberaliori ac intemperanti vivendi rationi indulgere non destitit, quæ & immoderatum viscerum calorem fovere, & cruditates accumulare potuit; hinc primo à diuturna gonorrhœa laxatis vasis seminalibus, & imbecillitate inducta, seminis guttulæ statim in mictione multo tempore post sanatam gonorrhœam ipsam, observatæ fuerunt, copiosæ quidem, & frequentiores post validiora exercitia (laxatæ retentricis, non amplius, ut ab initio, irritatæ expultricis indicio) quæ tamen tandem suppressæ sunt omnino; ut propterea secundo ob earundem dorsalium, ac renalium partium imbecillitatem, cruditatum portio, à ventriculo, jecore, & forsan etiam à toto, per emulgentes transmissa, & à renibus suscepta ac superastata, capillamentorum specie, cum ardoris sensu, una cum urina ipsa excreta sit; adeoque urinæ stranguriosæ non nephriticæ fuerunt, sed alia pro aliis; ex Hipp. dum (addidit Gal.) totum corpus per urinam expurgatum est; in quod vitium facilius prolabi potuit Nob. Vir, quoniam diathesin, & imbecillitatem illarum partium hæreditariam à Parentibus contraxit.

Ex quibus facile patet, semen Viri Nobil. ex impuro & fervido sanguine productum; nec perfecte, ob illarum partium laxitatem atque imbecillitatem elaboratum, sterilitatis causam esse. Unde narrat Hipp. de Aëre, Aquis, & Loc. Scytharum gentem, ob laxitatem, ex continua equitatione contractam, infœcundam fuisse; atque adeo cum triplici ratione à Viro contingere possit sterilitas, nimirum ex testibus, pene, & semine, nec ulla in testibus, aut pene labes observetur; in semine vero eadem sit manifesta, ab hoc vitiato procedere statuendum, si enim, ut consideravit Arist. agricolæ puriora grana pro semine colligunt, & sedulo eligunt, quid nobis agendum in humana propagatione? Quanquam nos non latet sterilitatem fere ab omnibus in mulieris vitium rejici, cum vir sola seminis ejaculatione egeat; mulieri vero seminis emissione, sanguinis menstrui subministratione, & laudabili uteri constitutione opus sit.

Status Nob. hujus Viri jure merito salubrior desideratur, cum enim gonorrhœa sit proprie instrumentorum seminis, non vero pudendorum affectio, illa ideo laxata hoc perfectum atque prolificum reddere minime possunt, potissimum ex improbo sanguine. Quare, sicut in præsens deficit propagatio, ita Nobiliss. Viri corpus neutrum ægritudinibus opportunum atque obnoxium semper habendum erit.

Quæ incommoda ut auferantur atque arceantur, totum corpus expurgandum; massa sanguinea purificanda; jecoris & vasorum calida intemperies corrigenda; vasaque seminalia roboranda. Quæ implenda remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

In Chirurgia repetita ex utroque brachio sanguinis missio ex usu omnino fuerit.

A Pharmacia vero desumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperiem Corrigentia, & vasa seminalia Roborantia. Lenientia esse poterunt, man. clarif. vel syrup. rosf. sol. cum man. vel cas. cum. lenit. & tartaro. Primum præpar. sit julap. acetos. aromatizat. cinnam. ad ℥iii. cui addatur pulvis tenuissimus crem. tar. ad ʒiii. repetendum quotidie, quinque dies. Mox Leniens supra propositum rursus præscribendum. Inde ad validiora præparantia deveniendum, non mellita, nec saccharata, utpote quæ bilescant facile & viscera inflent. Quare succi herbarum depurati præferri poterunt.

Ut. ℞. Suc. depur. cichor. borrag. end. an. ℥i. Decoctionis cichor. borrag. end. viol. plantag. ℥ vi. m. pro syr. & sic pro aliis decem. Aquibus succedat talis expurgatio.

℞. Rhab. opt. agar. troch. fol. sennæ mund. an. ʒii. cinnamomi integ. ʒ. s. aq. cichor. q. s. m. f. inf. per horas xii. deinde facta forti expressione, colaturæ adde syr. rosf. sol. ℥ v. m. f. p. & tribus horis ab ea bibat seri capr. depur. ℔ ii. & duabus horis ab eo prandeat; vel bolo, sumat elect. lenit. cum diacath. & de succo rosf. sero pariter superhausto. Hac peracta expurgatione, ut totius sanguis purificetur, decoct. epith. Mes. assumat Nob. Vir tribus saltem vicibus, quarto quoque die, hac, hac formula.

℞. decoct. epith. Mes. ℥ vi. aquæ florum citri parum m. pro potu, & incepta evacuatione, superbibat serum depur. ad ℔ ii. duabus vero horis ab eo prandeat, & duobus intermediis diebus, sumat syrupum hujusmodi, sanguinem emundantem.

℞. Succi cich. depurati, fumar. an. ℥i s. decoct. cich. borrag. end. acet. beton. fumar. agrim. ℥ v. m. pro syrup. & sic pro aliis. Toto expurgato & emundato sanguine, jecoris & vasorum fervor fuerit contemperandus, & vasa seminalia roboranda, utrumque vero præstare poterunt aquæ Therm. acidulæ. in Valle Solis Agri Tridentini scaturientes, vitriolatæ; prærogativa enim sunt præditæ singulari, tum viscera

refrigerandi, tum renes vasaque seminalia roborandi. Verum quia nonnisi circa mensis Julii initium assumi solent; ideo interim utatur hac potione, quotidie summo mane xx. dies, & amplius.

℞. Seri capr. destillati, aquæ plantagin. destill. aquæ destill. ex tenerrimis quercus foliis an. ℔ i. santal. alborum rasp. ℥ ii. lentisci è Chio ʒ ſ. m. f. infus. per horas xxiv. deinde bulliat ad consumpt. tertiæ partis, & colatura servetur pro duabus vicibus, cui, si placeat, addatur conserva de acido citri ad lubitum, vel illi instillentur gutt. vi. tincturæ coral. chymice extractæ.

Victus ratio jam dictis omnibus proportione respondeat; sit autem refrigerans, sed non valde humectans. Alimenta sint boni succi, & facilis coctionis, ut probus regeneretur sanguis. In usum autem revocet à cibo duo aut tria integ. mastich. grana deglutienda. Potus sit consueto parcior, & quidem vini nigri, non generosi, per annum integrum santalis rubris aut lentisco medicati. Vitetur in somno decubitus supinus, & à validis motibus atque exercitiis abstineat. Coitus sit rarus, & cum propria uxore, potissimum recens subsistentibus menstruis purgationibus. Et alacriter vivat, sed citra comessationes atque compotationes. Quæ abunde pro inculpata salute Viri Nobiliss. quam eidem à Deo enixe precamur. *Idem ibidem*

Penis flacciditas in Adolescente Melancholico.

Adolescentem Illustrissimum, in præsens vigesimum secundum annum agentem, temperamenti totius ad calidum & humidum vergentis, jecoris tamen à nativitate fervidioris, habitus mediocriter carnosi & albi, ac floridi coloris, melancholico affectu, eoque hypochondriaco jam diu divexari atque torqueri, est luce clarius: etenim præter timores atque mœrores, cum solitudine & fletu, sine manifesta causa, quæ sunt characteres melancholicum affectum constituentes, non desunt innumera alia symptomata, functiones tum naturales, tum animales infestantia, quæ hujus affectionis testimonium præbent: namque vitiata in ventriculo coctione, & in hepate hæmatosi, nutritio toti corpori deficiens visa est, unde macies: nec mirum, cum viscera naturalia, intemperie calida, & sicca affecta, nutritioni inepta sint, asserente Gal. quod naturalia instrumenta quo duriora & ficciora fuerint, eo ad nutriendum minus idonea; præterquamquod sunt obstructionibus referta, præsertim mesenterium, secundo loco jecur ipsum, nec pancreas ab his immune observatum. Cum autem jecoris fervor & obstructiones, sint duo crura quibus hypochondriacus affectus incedit, & jecur in Nob. Pat. à primis annis fervidum observatum fuerit, jure merito censendum ab Utero matris ad hujusmodi affectum dispositionem reportasse: etenim cum calor jecoris exuberans, ventriculo & mesaraicis communicatus, chylificationem quæ in ventriculo fit, & in mesaraicis absolvitur, non parum incommodet atque turbet, ita ut necessario cruditates emergant, primo ex diminuta coctione, sed magis, augescente calore, ex eadem depravata: idcirco ex priori, Bradypepsia dicta, obstructiones in mesenterio primo, mox & in hepate acervatæ fuere, quæ tractu temporis à jecoris fervore exiccatæ, in terream atque melancholicam naturam abierunt: à Dyspepsia vero, cruda non solum, sed corrupta alimenta, ut pondus inutile, à natura per alvum dejiciuntur, sicque alvus, alioqui in Melancholicis, ob calorem & siccitatem astricta, accedente ciborum corruptione, coctionis scil. depravatione, lubrica evadit: Quare ab excedente naturali hepatis calore à clausuris supervenientibus adhuc magis adaucto, universam naturalem œconomiam subversam fuisse non est dubitandum; Sic Hipp. Ventris torpor, omnium confusio. Nec tamen credendum ventriculi facultatem concoctricem positive & essentialiter læsam esse, sed privative & per consensum à jecore & hypochondriis: ut propterea nos admoneat Galenus quod Coctione in ventriculo laborante, statim considerare oporteat circumsitas ventriculo partes, nempe jecur, lienem, mesenterium, pancreas, nec statim culpam in ventriculum ipsum referendam esse: siquidem cum excedenti calori tractu temporis siccitas quoque succedat, ab utraque hujusmodi excedente qualitate vitiatur concoctio, elixatio ab Arist. dicta: ut ideo monuerit idem Gal. quamlibet intemperiem, sive calidam, sive frigidam, sive humidam, sive siccam, dejicere concoquendi facultatem ut propterea pronunciaverit, quod Hypochondriaci læduntur à calidis, levantur à frigidis. Et quia finis cujuslibet vitiatæ coctionis in ventriculo est ipsa cruditas, idcirco Galenici non capitis destillationem in Hypochondriacis humiditates per os educentibus, pro causa assignant, sed Ptyalismum, ut familiare hypochondriacæ affectionis signum, proponunt. Dum autem calor in obstructionum mineram cōtinuo agit, inde flatus & exhalationes elevat, quæ rugitus in ventre, totius abdominis distentionem, septi compressionem excitant, & in ventriculo ciborum amplexum impediunt: per vasa quoque ascendentes, cordis oppressiones, & in capite gravedines pariunt: symptomata hæc omnia propria hypochondriacæ affectionis, quam ideo Galenus flatuosam appellare solebat. Nec est necesse, vitiata coctione, quæ in fundo ventriculi celebratur, vitiari simul & appetentiam, quæ in ore excitatur: quinimo Hypochondriaci voraces esse solent propter aciditatem, quæ in iisdem abundat, à qua os ventriculi corrugatur, & non sine frigiditate ad appetendum excitatur: & ideo Gal. docebat ventriculi frigidi proprium esse, plurimum appetere, & parum concoquere; cujus doctrina non solum de positiva frigiditate, sed etiam de privativa, ut in casu nostro, est intelligenda; quæ quidem aciditas in facto esse frigida est, licet in fieri sit calida, & à causa calida pendeat, ut exemplificat Trall. de vino, in acetum converso, quod quidem antea calidum, à Solis fervore in acetum frigidum vertitur, & ita à causa calida frigidus provenit effectus; quod desumpsit ab ipso Gal. Verum à clausuris jam dictis, excalefactis hypochondriis, sanguis sui natura fœculentior, per vasa in abdomine contenta, circulando, ut rectificetur, crassior factus, stagnans redditus est, à quo obstructiones

nes

nes insurgunt, hypochondriacam affectionem, melancholicam reddentes: quæ semper fit vitiato in aliqua parte ipso sanguine; & idcirco Aristot. dicebat prudentiam in probo sanguine consistere, quod ab Hippoc. desumpserat, docente, quod probus sanguis secundum magnam partem confert ad Prudentiam atque Sapientiam; à quo in hypochondriis vitiato existente, vitiati quoque spiritus producuntur, qui una cum exhalationibus per vasa, per venas scil. ad cor elevati, inde per arterias carotidas ad ipsum cerebrum, spiritus animales, opacitate cum Averroe, & nigredine cum Gal. inficientes atque obtenebrantes, sicque imaginationem ipsam depravantes, timores de non timendis incutiunt, & mœrores afferunt sine ulla manifesta causa, adeo ut quandoque Patientem Illustriss. non solum ad solitudines, verum etiam ad luctuosa suspiria & fletus duxerint. Et quoniam melancholicæ exhalationis proprium est spiritus crassefacere & torpidos reddere, ut innuebat Hippoc. dum dicebat, quod si aliqua pars corporis stupore elangueat, tale est melancholicum signum; ideo mirandum non est, si torpentibus quoque spiritibus, erectioni penis inservientibus, torpeat ipsa Venus, quæ sine ulla animi distractione & cum hilaritate exerceri debet; eoque magis languet, cum stupor & torpedo ipsa non à sola crassitie, sed ut ego reor, ab aliqua frigiditate privativa procedat. Non tamen ejusmodi conditionis est semen ipsum, quod ut acre & mordax, expultricem facultatem ipsam ad sui expulsionem irritat, & etiam cum debili penis erectione in somno pollutiones inducit, non sine ventriculi & totius corporis noxa.

Affectus iste quamvis ratione diuturnitatis confirmatus, imo & in habitum conversus videatur, non tamen ita se habet ratione causarum; obstructiones enim sunt quidem exiccatæ, ac viscera, sine tumore, medicamentorum refrigerantium & humectantium ope servata fuere: ut ideo salutis spes nobis supersit, præsertim in hac florida ætate, dummodo præceptis medicis costanter obsequens sit: Melancholicorum enim inconstantia sæpe constantis & perseverantis hujus affectionis in causa est: cum tamen nonnisi diuturno Alterantium & Aperientium usu, & repetitis Purgationibus affectus hujusmodi tolli possit.

Et quoniam dixi geminas habere radices, calidam scil. & siccam intemperiem, atque viscerum obstructiones, primo morbus organicus, nempe obstructiones, sunt reserandæ, quod præstare non vetat hoc autumnale tempus; mox intemperiebus remittendis Vere venturo & Æstate erit incumbendum. Ut igitur primum intentum obtineamus, primæ viæ sunt expiandæ. Secundo Obstructiones in mesenterio firmatæ & exiccatæ, sunt aperiendæ. Tertio quæ in jecore & pancreate reperiuntur, reserandæ. Quarto Massa sanguinea parumper depuranda. Quinto Calor quoque nonnihil contemperandus, totumque corpus renutriendum.

Pro prima explenda intentione, repetitum Leniens necessarium erit ex syr. rof. solut. aut ex flore cassiæ cum electuario lenitivo, quibus superbibat jus, aut malva, aut hordeo alteratum. Intermediis vero quinque aut sex diebus summo mane assumat Præparans ex julapio acet. corticibus citri alterato, & exigua aqua florum citri dissoluto.

Pro secunda intentione, subsequenti mane assumat jus pullæ Cichoraceis alteratum, additis foliis malvæ, melissæ & petroselini, in quo dissolvantur gr. xii. solis tart. fixi. Sequenti vero die præscribantur boli ita parandi.

℞. Flor. cass. rec. extr. ʒ. ii. rhabarbari maturi ℈. j. m. f. boli, quibus post horam superbibat jus suprascriptum, sed sine sale tartari, duabus vero vel tribus horis ab assumpto jure prandeat. Tertia die repetat jus cum sale, & ita saltem xx. diebus perseveret, alternatim sumendo jus cum sale, & cassiam cum rhabarbaro. Interim primis diebus aperiatur Jecoraria, & parce sanguis educatur ad sanguinis eventationem & expulsionem. Terminatis autem viginti diebus jam dictis, præscribatur Minorativum ex syr. rof. cum infusione senæ & rhabarb. Vel, melius ex flore cass. cum pilula de tribus cum rhabarb. quibus superbibat serum asinin. depurat. ad ℔. j. ß. vel 2.

Inde ad tertiam & quartam intentionem explendam, opportunissima erit rhabarbari infusio & tinctura chalybis, aut crocus Martis aperitivus, talem in modum.

♃. Succi cichor. depur. ℥ii. decoct. in jure tenui paratæ borag. endiv. malvæ, sonchi, pentaph. agrim. rad. graminis ℥. v. tincturæ Martis aperitivæ ℈. j. aut croci Martis aperit. gr. v. m. pro syr. matutino cui addi quoque poterit portio succi limonum vel syrupi de succo limonum, ad gustum Patientis. Sequenti vero mane.

♃. Rhabarb. maturi incisi, fol. senæ mund. an. ʒ. j. aq. stillat. de succo cich. ℥. vi. succi limon. ℥. j. aquæ cinnam. cochlear j. m. f. inf. per noctem, & mane facta colatura, haurienda præbeatur quatuor horis ante cibum; in quorum alternato usu est perseverandum ad vigesimum usque diem; quo tempore flos cassiæ, ut supra, cum pilula de tribus offerri poterit, cui superbibat seri depur. libras. Toto vero hoc tempore, post primarum viarum expiationem, abdomen totum est quotidie inungendum ita.

♃. Ungu. malv. butyri rec. ol. amygdal. an. ℥. j. m. reform. ad ignem; præterea universum corpus quotidie oleo amygdal. rec. illiniatur.

Pro postrema intentione, quoniam lac naturale hoc anni tempore non adeo probum & boni succi esse potest, paretur ita arte factum

♃. Sem. melon. mundat. ℥. j. sem. cucurbitæ mundat. ℥. ß. amygdal. dulc. mundat. n. xx. m. contund. & cum jure pullæ aut vituli extrahatur Emulsio, cui addatur sacchari albissimi cochlear, & assumatur quotidie summo mane quatuor horis ante prandium per mensem: etenim hypochondriorum calorem contemperare, sanguinem edulcorare, & totum corpus quodammodo nutrire valebit.

Hæc in præsens; quibus Vere venturo forsan addi poterit Acidularum usus, sed certe lactis asinini, & postea caprini: necnon Balneum aquæ dulcis, herbis refrigerantibus & humectantibus alteratum.

Et interim congrua vivendi ratio à Doctissimo Viro Adstanti erit præscribenda, quam ego

quoque ut Illustrissimo Patienti melancholico morem geram, paucis attingam. Et primo, degat in aere, neque montano, neque palustri: ille namque nimis exiccat, iste spiritus incrassat, & officit nutritioni: dormiat vero in cubiculo, ad Orientem vel Meridiem posito. Secundo, quoad alimenta, inter carnes, abstineat à suilla, leporina, bubula, & volucrum aquatilium, ab extremitatibus animalium, ut à capite, pedibus vituli. Inter pisces, caveat à glutinosis, lutosis & squamis carentibus, ut anguilla, tinca, &c. a Conchyliis & Ostreaceis; a piscibus & carnibus sale aut muria conditis. Inter lacticinia, caveat ab usu casei; ab edulis ex pasta paratis, delicatioribus quibusdam exceptis. A leguminibus omnibus, excipiendo orizam & hordeum. Inter fructus, conceduntur fraga, pepones; poma, pyra & persica cocta. Inter olera, prohibetur brassica, præsertim valde cocta; item raphanus, frequens usus apii & fœniculi, & prorsus fungi ac tubera terræ. Ex condimentis, abstineat ab acidis, ut ab aceto, succo agrestæ, arantiorum, citri & limonum: à calidioribus, ut ab aromatibus, cinnamomo & pipere ruditer contuso exceptis; pariter à condimento allii, cæparum & Laridi suilli. Potus sit vinum tenuis substantiæ, non dulce, non acerbum, sed maturum, nec saxosum, aut argillosum. In prima mensa prandii de more bibat jusculum boragine aut endivia alteratum: & intercedant horæ decem inter prandium & parcam cœnam. Tertio Somnus nocturnus sit diuturnus, diurnus vero brevis, aut nullus. Quartò Exercitium utile erit moderatum, sed ante cibum: Labores enim ante cibum, dicebat, Hippocrates. Quintò Venus hoc tempore ablegenda, vel saltem raro amplexanda; & ad pollutiones evitandas, sub ingressum lecti illiniatur renum regio unguento ros. Mesues, succo sempervivi reformato, & aceto rosato asperso. Alvus autem lubrica servanda, & flore cassiæ ad ℥ ii. vel iij. si opus fuerit, quandoque sollicitanda. Ultimo, Animi passiones, alterationes & perturbationes, quantum fieri potest subterfugiat: sicut & intensas applicationes; seipsum vero, etiam invita inclinatione, ad solatia, ad geniales, & confidentes conversationes convertat, & alacri atque confidenti animo vivat. *Idem T. 2. Centur. 3.*

Penis flacciditas cum Affectione Hypochondriaca &c.

Nobiliss. D. N. annos circiter 34. natus, jam à primis vitæ annis temperamentum habuit ad melancholicum inclinans; solitudinis fuit amans & maximæ appetentiæ. Præterea ex quo studiis incumbere cœpit, in iis noctes insomnes non semel transegit: ac in aliis pluribus non parum erravit, unde non mirum si is acor conciliatus sit sanguini à nativitate prædisposito, qui vigilias à multis annis molestas, imo dolores vagos in toto corpore: ac præcipue in imo ventre & lumbis, cum ponderis quadam sensatione, & urinarū ardore, procreaverit: Illa enim omnia sero acriori salibusq; quam maximè impregnato, tum in vias urinarias, sibi familiares & ordinarias, tum etiam in intestina, mesenterium, musculos varios, eorundemque membranas, effuso, merito adscribenda veniunt. Dum interim Nob. Pat. quandoque se hernia laborare, aut ad eam maxime pronum esse (propter pondus, scilicet, quod ab ingurgitatis cibis, flatuumque inde enatorum circa inguina, supraque ipsum os pubis, pressione persentit) arbitratus est; ac propterea subligaculum ab aliquo è nostris Chirurgis accepit, quod demum errore detecto abjecit. Quandoque propter urinæ ardores (quamvis nunquam sane atroces, & noctu tantum vexantes) se vesicæ calculo affligi opinatus est, ac propterea specilli exploratorii, seu cateteris in vesicam intrusionem non semel sustinuit, quo nihil prorsus, ut ipsi sæpius significaram, præter mucosum quid repertum est. Verum quod ipsum præcipue & merito anxium habet, est quædam ad venerem impotentia, unde se matrimonio, ad quod ab aliquot sollicitatur annis, inhabilem videt. Non sanè quod testiculi, vesiculæ seminales, aut prostatæ, multum peccare deprehendantur; semen enim abunde conficitur & colligitur, ut patet ex frequentioribus nocturnis pollutionibus, illiusque etiam ad minimum manus tractationem promptis effusionibus. Sed præterquam quod partium generationi inservientium à sinistris debilitatem aliquam indicant pilorum in scroto & pube, præcipue hoc in latere, à pluribus jam annis effluvium, testiculiq; sinistri flacciditas quæpiam; penis semper pendulus est, nec unquam satis erigitur, imo & erectio, si quandoque adveniat, & admodum imperfecta, & tantum momentanea est, cum interim membrum illud in omnib. sui partibus satis bene conformatum, ac firmioris etiam structuræ, magnitudinisq; naturalis, appareat, nec tam deficere videatur erectio verpi fabricæ vitio, quàm potius liquorū in illum influentium culpa; scil. vel quod sanguini ad cellulas corporum spongiosorum via non sit satis expedita, vel quod musculi ad radicem penis positi illum valide satis non constringant, ut dum id quod ab arteriis advectum libere per venas non refluit, partem pro tempore repleat; vel quod liquoris demum alicujus spirituosioris ac volatilioris, sanguini contento ad turgescentiam partis rarefaciendo, destinati, undecunque tandem advenientis, appulsus præpediatur. Accusat Nob. Dom. succussationes quas ab equo impetuosius exiliente ac cursitante per duas fermè horas sustinuit in itinere quod jam à 15. annis in Germaniam habuit: Ab hinc siquidem, in testiculo sinistro, & ejusdem lateris femore, ponderis gravantis quædam sensatio semper perstitit, quæ cum debilitate descripta [antea enim in arrectione partis mascule se habebat) ea in dies incrementa sumpsit, quæ post aliquot demum annos ipsum ad auxilia Medica confugere coegerint. Non ausim pronunciare an ejusmodi succussiones vim fecerint fibris musculorum penem constringentium; an vero illuc tantum evocarint aliquid succi melancholici, quo frenum quasi injectum sit spiritibus continuo accurrentibus; an denique idem succus stypticitate ac terrestreitate sua, obstructiones, & constrictiones meatuū, tum qui spiritus in musculos, tum qui sanguinem in cellulas corporum penis spongiosorum deducunt, fecerit. Hoc tantum adjiciendum habeo, sc. erectionis defectui hic non parum facere maximam seminis acrimoniam, ac fluxilitatem, à sero, ut mox dictum, peccante, propter partium secernentium

tium undequaque demum conquisitam debilitatem, copiosius admisto, inductam, imo sphincterum orificiis per quæ semen à vesiculis suis ad urethræ radic eructatur adpositorum, laxiorem texturam. Sic enim seminalis materia viis proprio vitio facilioribus, pro egressu sibi referandis semper ita prompta est, ut sæpius ad primum puellæ amatæ contactum effluxerit, non concesso erectioni necessario tempore. Varia in pertinacis morbi medelam adhibita sunt remedia, tum interna, tum externa, nullo tamen cum fructu; quin immo debilitas in dies incrementa capescere videtur jamque dolores non tantum femorum, hypogastrii & lumborum, sed etiam omnium prope artuum sibi socios facere cum multa lassitudine: subsistente interim appetentia, seu potius voracitate quadam. In re tam difficili, Viros Præclarissimos ac Famigeratissimos, ad quos dimittetur ejus historia, obnixè rogamus humaniter nobis accurrere non graventur, quidque de morbi natura, causis, prognosi & remediis sentiant, explicare non dedignentur. Scribebat Genevæ Ann. 1693. Joh. Jac. Manget M. D.

Super casu proposito Consilium Medicum Præclarissimi Viri D. Joh. Jacob. Wepferi Medici Scapphusiani longè Celeberrimi.

Ob quatuor præcipue affectus Nob. D. Æger de sua valetudine sollicitus est, & opem Medicam postulat. 1. Mictio quædam dolorifica, quæ jam ab aliquot annis durat: in hujus mictionis principio dolet circa radicem virgæ, seu sub finem colli vesicæ, insuper crebro ad illam stimulatur, adeo ut in una nocte quandoque 30. vicibus ad urinam emittendam urgeretur, rarius interdiu: pridem cum ardore magno in Hollandia minxit, imo dysuria hæc ibi aliquando in stranguriam degeneravit; aliquando etiam in primo paroxysmo tertianæ cujusdam ischuriam passus est. Ob hoc mictionis vitium diutius perseverans de calculo vesicæ latente suspicio oborta est, quam obrem etiam explorationem per catetherem admisit. Suspicionē hanc subinde adhuc fovent, molestia quædam ante mictionem in hypogastrio, utroque inguine ad os coccygis usq; ob quam ad promovendam & facilitandam mictionem palma hypogastrium premit, & noctu in genua decumbens urinam emittit; deinde descensus ponderis cujusdam ab umbilico ad os pubis & radicem penis: Verum dum nobiscum erat diligenter omnibus observatis, tum ratione modi mictionis, tum urinæ, vesicam à calculo & ulcere, hucusque immunem credere potui, nam iterato vidi illum sine forti nisu, citra ruborem faciei, dentium & manuum constrictionem, & quasi calcitrationem pedum, urinam libere, sine interruptione, aut interceptione intermedia, crasso satis filo non in ramos divisam emisisse; & finita mictione non ulterius ad mictionem coactum fuisse; quorum tamen omnium contrarium in calculo, aut ulcere vesicæ affectis nimium quam apertè observatur, sæpeque magis in fine quàm principio mictionis affliguntur: Urinæ omnes à 21. ad 25. Januar. erant claræ, perspicuæ, subflavæ; in una parum muci, sed pellucidi subsidit, qui virgulto adhærens in filum trahebatur: Non crassus turbidus, instar terebinthinæ viscidus, pertinaciter matulæ adhærens. Nunquam cruenta minxit, nisi semel post catetherem violentius & imperite intrusum, nam inde valde doluit & virga intumuit. Ipsemet profunde, dum nobiscum erat, intra collum vesicæ immisi sine dolore citra urinæ immutationem, nec quicquam alieni, vel in vesica vel in urethra deprehendi. In perinæo sive illo stante, sive decumbente, ullam duritiem, aut tumorem iterata exploratione inveni, quinetiam, fortissimum attactum & compressionem pertulit. Molestiam illam mictionem prægredientem & sensum ponderis ad os pubis & ulterius procedens, facientem, existimo effectum esse diuturnæ dysuriæ, ob quam musculorum abdominis contractione validiore, & ejus compressione palma urinam promovens intestina profundius in pelvim adegit; plerumque flatibus in hypogastrio valde distento, in primis post pastum; forte subligaculum ferreum cum pulvillis subjectis huc quoque symbolum contulit. Calculum è renibus ad vesicam unquam descendisse non verosimile est, quia nullum unquam paroxysmum nephriticum, ut retulit, passus est. Dolores dorsi, de quibus hic etiam querebatur, qui quandoq; ad interscapulium ascendunt, & ad os sacrum & coccygis usque descendunt, non sunt in renum regione, sed secundum spinam dorsi potissimum afficiunt. Ischuriam in paroxysmo febrili obortam, nullo modo calculo sive vesicæ sive renali adscribere possum, quia tollebatur lana succida & demulcentibus internis, nec unquam vel in illa febri vel post eam rediit, Dysuriæ causam proximam quam in collo vesicæ & sub illo in regione prostatarum & principio urethræ, ob quam crebrius ad mictionem stimulatur & in principio mictionis dolet, hucusque existimo esse denudationem. Per denudationē intelligo talem harum partium constitutionem in qua non sufficienter muco suo naturali munitæ sunt contra urinæ & seminis acrimoniam. Illum quasi abstersum fuisse existimo à salsugine nimia urinæ & acrimonia seminis. Urinæ acrimoniam vel maxime inculpandam hic esse propterea existimo, quia dysuria hæc ante 8. annos potissimum in Hollandia incepit, ubi insolito victu, scil. cibis salitis & fumo induratis per 15. menses fruebatur; præterea ibi abusus est spir. vin. & tinct. cinnam. Urinam & ipsum etiam semen acrimonia imbuta esse plurima testantur, quorum quædam dum D. Æger nobiscum erat rescivi: nam post ablactationem, à teneris unguiculis, cibabatur ovis, carne ovilla, artocreis; in tenella hac ætate etiam vinum concedebatur: siticulosus evasit: nunc læditur à Chiocollata, decocto Coffée aliisque paulo calidioribus: facilius perfert frigida: abusus est saccharatis: sol & hypocausta ipsi nocent: frequenter patitur pruritum sub oculis in facie: S. Galli pulvinari pennis infarcto noctu incumbens tinea quadam correptus fuit: ante bimestre correptus cardialgia quadam, illa mitigata dolorem per totum pectus omnesque artus expertus est ac si cultris sauciaretur: forte etiam dolores dorsi & utriusque interfeminei effectus sunt seri acrioris. Seri & urinæ acrimonia magis innotescet, si seorsim in cochleari ad siccitatem inspissentur super prunis, aut cercola subtus posita, nam licet sal volatile evanescat cum fumo, manebit tamen sal acerrimum in corpore exsiccato.

II. Est hernia, cujus causa Nob. D. Ægrum non parum angi testatur subligaculum ferreum cum

pensorio quod jam ab an. 1684. gestat. Metus hujus mali post equitationem infelicem incussus fuit. Parisiis anno 1684. suggerebatur illum illum cirsocelem pati, an vere anve dolose nescio: Certe dum nobiscum erat, & postquam subligaculo deposito per plures horas obambulaverat, tussierat, retento spiritu intestina deorsum trusuerat, nec bubonoceles, nec cirsoceles, vel minimum vestigium apparuit. In sinistro latere nec visu, nec tactu, vasa præparantia, nec tumidiora, nec magis irretita & varicosa esse, quàm in dextro, vel alias sanissimo, deprehendere valui; hæc legitimam magnitudinem ab egressu ex abdomine, in progressu & circa parastatas habuisse tactu comperi. Legitima moles & forma testiculi sinistri clare demonstrant D. Ægrum immunem ab hydro- & sarcocele esse. Equitatio quidem metum superventuræ aliquando herniæ incussit; verum postquam locum illum monstravit qui in succussione super equo alto & latum dorsum habente, & pede sinistro ex stapede elapso, ultra sesquihoram fortissime allidebatur, facile intellexi non fuisse, vel testiculū sinistrum, aut processum peritonæi, sed capita musculi tricipitis & alius vicini ubi ossi pubis adnascuntur; ibique adhuc dolet, dolorq; inde ab interfœmineo ad genua usq; exporrigitur. Certe si vel testiculus vel processus peritonæi in illa succussione contusi fuissent, luculentius damnum apparuisset, quia dum S. Galli & domi morabatur metum suum ad tertium annum prope reticuit, omniaq; remedia alias necessaria neglexit, quod sine graviore noxa neutiquam facere licuisset. Certe nec nunc subligaculo opus haberet, nisi forte equitaturus, Italorum more præcautionis causa.

III. Est erectio virgæ imperfecta, aut erectæ cita flacciditas; præpropera seminis ejaculatio, minusq; fortis, cum minore titillatione ac oblectamento, unde se matrimonio imparem fore veretur. Causa hujus symptomatis obscura & dubia videtur; hoc tamen asserere ausim Nob. Do. non frigidum esse, nam organa genitalia omnia bene conformata sunt & legitimam magnitudinem habent, insuper scrotum, pubes & abdomen ad umbilicum usq; pilosa sunt, pilis virilibus similibus. Salvo aliorum judicio culpam omnium tribuo seminis nimiæ fluxilitati, & osculorum vasorum ejaculatoriorum, vesicularum seminalium & prostatarum nimiæ laxitati nam ejecto semine protinus virga tensa flaccescit & collabitur etiam apud maxime viros, sublato scil. stimulo sanguinis arteriosi influxum sollicitante & urgente. Unde hoc vitium seminis & osculorum memoratorum provenerit, non anxie multis in causam ejus inquiram: Solum hic memoro, me hoc vitium observasse potissimū apud illos qui pueri adhuc matrimonio jungebantur, aut sæpius manib. seminis ejaculationem promoverant: & vix credo masturpatorē ab hac calamitate immunē esse. Nob. Dom. semen producere adhuc mihi fidē faciunt pollutiones nocturnæ quas subinde experitur.

IV. Est Melancholia. Melancholicum Nob. D. Ægrum esse concedendum est, si qui solitudinem amant, minutias exaggerant, sibique nescio quæ pericula fingunt ex illis, uno verbo etiam omnia tuta timent, &, ut putant non sine ratione, phantasia non raro præconcepta quadam opinione, plerunq; erronea imbuta: attamen hoc fieri posse idque sæpissime salvis hypochondriis forte quoque non negabitur.

Apud Nob. D. Ægrum partes sub hypochondriis graviter affectas iterato examine, ut verum fatear, deprehendere nequii: appetit bene: cibum tolerat: hora 3. aut 4. post pastum, quando chylus crassior ex ventriculo potissimum eliminatur, non affligitur in præcordiis: chylus in intestinis legitime separatur, ad massam sanguineam rite ablegatur quotidie: nam alvus quotidie aperta est, fæces frequenter indurantur potius quam ut pultaceæ secedant; si molliores sint consistentiam quandam habent & flavescunt. Jejuno stomacho & mane nunquam vomit sive acida sive amara, neque alias nisi medicamenta sumat, aut cibo vescatur nocuo. Ructus sunt inodori & insipidi: flatibus abundat, sed quia vitam sedentariam agit & multo cibo idque ter in die fruitur. Hepar aut pancreas ægrotare nullo certo indicio comperi. Lienem portiones sanguinis crassiores & acidas in reticulatum suum parenchyma admittere hactenus persuaderi nequii, cùm proxime à corde æque laudabilem per insignem suam arteriam, quam cerebrum per carotidas accipiat.

Indicationes ergo præcipue in curatione Nob. D. Ægri erunt, operam dandam esse, ut sanguis laudabilis seu futura seminis materia producatur; ut oscula vasorum seminalium firmentur, & collum vesicæ cum urethra ampliore continue demulceantur. Ut his indicationibus satisfiat ante omnia diæta accuratissima observanda. Hac neglecta omnia cætera frustranea erunt: Commendandi in primis cibi boni succi & facilis digestionis illique temperatissimi: nominare illos nolo, cùm Excel. D. Medici præsentes id melius coram indicare & inculcare possint: certe crudi, acidi, valde saliti, admodum aromatizati acresque semper nocebunt: frixa, nimis pinguia & saccharata non conveniunt maxime in cæna. Si prandium fuerit lautum cæna sit parcior. Vinum bibat bene maturum: nimis generosum diluat decocto chinæ præ alio. Corporis motus & exercitia moderata plane non intermittat. Bene faceret si nocte tempestiva lectum peteret, & mane surgeret post horas 8. in lecto traductas, ut sensim ad somnum naturalem invitaretur: certe illum semper narcoticis conciliare non tutum est. Alvus quotidie aperta sit: tardior promoveri poterit clystere emolliente, non purgantib. per os sumendis. Sudorem matutinum non supprimat. Seminis profectio omittatur donec partes genitales suum robur acquisiverint & tunc præ aliis remediis præstaret matrimonium. Animus semper ad meliorem spem erigendus est. Si venæ sectioni assueverit illam propter hæmorrhagiam narium non omittat. Fonticulo non opus habet.

Ad laudabilis seminis productionem non suadeo illa quæ sub magnanimitatis nomine venditantur aliaque aphrodisia calida & stimulantia: certe hoc in casu non utilia futura, ac potius viis urinariis nocitura. Hoc tempore ad principium veris suaderem hanc gelatinam.

℞. Limatur. C. C. crud. ℥ iv. eboris crud. ℥ ii. Infund. cum aq. fervid. ℔ iv. Sinantur bene tecta in digestione in loco tepido horis 12. postea adde sequentia. ♃. Rad. satyrion. purpur. ℥ ß. flor. bugloss. citri an. p. i. fol. capill. vener. p. ii. pulver. carn. viperinæ ʒ iii. ichthyocoll. ʒ ii. passul. maj. exacin. ℥ ii. Incis. cum infus. C. C. indantur vasi vitreato, aut probè stanno obducto, & lento prunarum

narum calore coquant. ad consumption. dimidiæ aquæ. sub finem ferè coctionis adde conserv. ros. rubr. ℥i. Colat. expressæ adde confect. alkerm. compl. ʒj. M. servetur in vase terreo. Hujus gelatinæ sumat mane hora 6. vel 7. cochlear. ij. cum juscul. carnium non saliti ℥iii. vel ℥iv. calidè & rursus vesperi duabus horis ante cœnam.

Præstans remedium esset hoc in affectu cura lactea; sed non eo rigore quo illam suadent Itali & Galli. De modo suo tempore illum Deo volente scribam.

Ad vias urinarias demulcendas prodesset hic pulvis. ♃ Rad. althææ ℥j. far. hordei mund. ℥ß. sem. bombac. portul. an. ʒij. tragach. sol. ʒ i. sacchar. penidiat. ℥ii. M. F. pulvis, Dosis, omissa aliquandiu gelatina C. C. sit ʒi. mane & vesperi hora 4. cum cremor. hord. ℥iv. calide, idque cum dysuria urserit, Deus T. O. M. his benedicat. Die 25. Januar. ann. 1693.

In eodem casu Consilium trium Præclarissimorum Medicorum Basileensium.

Nobilissimus Dn. Patiens, cujus historiam pleniorem ad nos misit Excell. Dn. D. Manget, affectioni hypochondriacæ obnoxius videtur esse, testimonium perhibent varia in historia contenta: enimverò solitudinis amans est, vitæ sedentariæ assuetus, & qui etiam studiis noctes insomnes transegit: hujus certe constitutionis homines plerumque serum lymphicum acrius, naturæ utplurimum acidæ solent congerere, cujusmodi deinceps tum circa fibras nerveas intestinorum è glandulis ibidem extillans, tum plexus quandoque nerveos splanchnicos transudando per porosas vasculorum tunicas, plurimorum fœcunda mater est symptomatum ceu sunt dolores vagi in toto, præcipue autem in abdomine ac lumbis, spirituumq; turbulenti motus, à quib. singulis spirituumque turbulenti motus, à quibus singulis nec cerebrum ipsum immune manet, at autem in ejusmodi, fibrarũ tenerior constitutio, vellicanti materiæ minus resistit, atque spirituum ὁρμῇ facilius obtemperat, unde dolorosæ partium harum inflationes subsequuntur, ita eædem herniæ eædem imaginariæ ansam dare possunt apud D. Ægrotum, ut ab intestini prolapsu dilatari autumet, cui non nisi flatus viam pepererunt, seri autem urinosi salsacidam acrimoniam urinæ ardor comprobare potis est: Nec tamen de his magis sollicitus Dn. Patiens, quàm de Venerea quadam impotentia: Perpendentibus sane exacte omnib. & attendentibus ad legitimam partium genitalium structurã & constitutionem, ad pollutiones nocturnas, imo citam, ubi tantillum membrum fricaveris, seminis effusionem, neque horum vitium, neque materiæ seminalis inopia in culpam trahenda ardetur: forte etiam seminis serosa acrimonia non peccat, in ex frequenti pollutione nocturna ejus crasis labem acceperit, imo nec testiculi sinistri vitium aliquod: concesso ex equitatione fortiori detrimentum aliquod ipsi illatum fuisse, huic impotentiæ protrudendæ unice sufficit, siquidem dextro suis partibus strenue fungente, appetitus atque erectio membri necessaria usq; vigerent: Persuasum hinc habemus, ni forte in virili membro vena aliqua amplior & p.n. dilatata) unde sanguinis breviorem moram & hinc momentaneam virgæ erectionem deducimus: in causa fuerit hanc impotentiam ex perversa magis: imaginatione & meticulosa apprehensione provenire, quam vero aliunde derivandã esse: sunt certe ejusmodi exempla nobis notissima etiam uxoratorum, qui postquam à pluribus annis frequenter cum suis uxoribus coiverunt, frequentiæ defectum, amoris incremento causante, etiam cum virga naturaliter erecta est dum uxori suæ appropinquant, ex mera apprehensione eandẽ rursum flaccescere animadvertunt: Ad membri erectionem materiæ seminalis legitima præsentia requiritur, præprimis autem fluidi utriusque cum vitali tum animali jugis influxus sanguinis videlicet arteriosi & animalis spiritus: atque hujus contentio quam maxime necessaria est, si modo, (quod certissimum est) corpora penis nervosa turgida persistere, atque hinc necessaria erectio durare debeant: jam vero ex levi quapiam apprehensione, ne dixerim absurda imaginatione hanc ipsam animalis spiritus contentionem atq; influxum cohiberi atque infringi posse, quis non videt: inde medelam palatari Nob. D. Ægroto juxta salubrem victus rationem, ciborum boni succi, & si ita loqui liceat, lactiferorum (ceu sunt amygdalina & his adgnata omnia. Cuperemus quam maxime, ut ipse sit bono animo atque ejusmodi nihil apprehendat, utatur potius & quærat consortium pulchrarum atque blandiloquarum virginum, sibique jungat propediem thori sociam amicabilem, quæ ipsum excitare suavibusq; colloquiis exhilarare valeat: singulorum tamen ratione, utilissimas fore deprehendimus thermas nostras Badenses in Helvetia quæ cum fluxile reddere fluidum, excitare spiritus, robur conciliare partibus & aperire meatus, sicuti necesse est, potis sunt, quibus addimus usum linimenti ex unguento Comitiss. rosat. cum essent. ambr. parat. aut ambr. ∧. convenient. solut. quo balanum post thermarum usum illinire toties poterit: Pariter essent. ambr. usum interne quàm maxime commendamus: potest illa misceri cum confect. alk. & bis terve de die sumi: aliquib⁹ cubitum ituris nuces pineas contus. in haustulo vini malvatic. juxta exhibuimus: sunt etiam illa, quæ Celeberr. D. Wepferus ordinavit perquam utilia, quibus proin, uti libuerit itidem locum concedere poterit: Deus præstet successionem!

Joh. Jac. Harder. Pr. Ord. Med. p.t. Decan.
N. Eglinger. Jac. Zot Colleg. Sen.

In eodem rursus casu Consilium Celeberrimi ac Præclarissimi D. Barbeyrac Medici Monspeliensis.

Impotentia virilis de qua jamdiu conqueritur Vir Nobilis, stuporem musculorum penem erigentium causam agnovit propter quem sanguis ardore, & impetu venereo ad ligamenti cavernosi sinus, & mœandros ruens, non potest ibi coërceri ad membri virilis extensionem, inflationem & robur excitandum, non solum languent musculi penis, sed etiam vesicularum seminalium ora, & sphincteres hiant, cùm semen ex iis elabatur ad conspectum, & momentaneum mulieris contactum: hæc ægritudo ex obstructo nervi lumbaris ramo ad penis musculos extenso oritur, cujus culpa spiritus animalis influxus hanc partem erigificantis impeditur, & illa obstructio ex sero tenui in ejus poros illapso genita est, & continuo fovetur.

Huic malo mederi oportet evacuantibus diaphoreticis & aliquando extremis sudorificis, & omnia cautè administranda sunt in constitutione

melancholica ad atrabilariam vergente, ne partis unius saluti incumbendo, toti labes inferatur.

Debet mitti sanguis ex alterutro brachio ad deplenda vasa, ad ℥ix. præmisso clystere emolliente & laxante.

Una aut altera die à venæ sectione exhibebitur ipsi catharcticum blandum, ex senn. pulp. cass. & syrup. de pomis compos.

Post purgationem sumet juscula viperina per xv. dies mane, & purgabitur in medio & fine jusculorum potione supra præscripta.

Peractis jusculis viperinis utetur sequenti opiata bis in hebdomade hora somni ejusque sumat singulis vicibus ʒij.

℞. Conserv. satyrionis ℥iv. confection. de hyacinth. ℥i. confection. alcherm. ʒß. pulver. viper. ʒß. ambar. & mosch. an. gran. xvi. cum syrup. de ros. siccis. fiat opiata ad usum dictum.

Adibit thermas Sabaudiæ, vel Germaniæ mense Junio proximo, earumque balneum ingredietur per quatriduum, semel in die, usque ad lumbos tantum pro more solito.

Ante & post usum thermarum purgabitur ut supra.

Datum Monspelii 25. Aprilis anni 1693.

In eodem casu Consilium Amplissimi ac Præclarissimi Viri D. Caroli Drelincurtii Universitatis Leidensis Professoris Antiquissimi.

Suffragor enterocele & calculo nullis; sanguini autem salsiori, serosiorique, unde semen damni consors catuliens & fluidius levi Veneris idea confestim erumpit, adjutrice sibi laxitate partium.

Sanguini igitur temperando & incrassando, genitaliumque tono firmando totus studerem vino nimirum generosiori rubro, cibis opimis, pane primario, jurulentis vitulinis & ovillis; volatilium electissimis; sorbilibus ovis, vel solis, vel jure dilutis vervecini femoris.

Pastus vero singulos pistaciis clauderem, dactylis, amygd. dulcib. passulis, pineis; & conditis vel corticib. arant. citr. nucis moschat. vel nucib. jugland. vel seminib. fœnic. & coriandr. vel cumin. & carui.

Tabellis frequens uterer è Confect. Alkerm. largis ambar. gris. & mosch. perfusa.

Conserv. adhiberem è rad. satyr. fol. salv. major. flor. anth. beton. lilior. convall. atque lavend. Chocolata demum multus pascerer, Coffé autem nullo.

Sacculos pararem ex absinth. ros. rubr. tria sant. castor. civett. styrac. liq. scroto adaptandos.

Illitus mihi forent ex aq. Reg. Hung. styrac. liq. civett. castor. ad scroti perin. & penem.

Injectiones denique è terebenth. ol. hyper. syr. symphyt. maj. sem. cydon. myrtillor. vel è syr. ros. rubr. cum modico Peruviano balsamo, quibus ejaculantium ora firmentur.

Istis, vel bimestri spatio adhibitis, haud instrenuus fiet Domitianæ κλινοπάλη athleta. Arrecturus ergo, intromissurus. & semen ejaculaturus mascula virtute prægnans Leidæ 20. Maii 1693.

Præclarissimus Nobilissimus ac Amplissimus Dominus Redi in responsoriis quibus nos 24. Iulii ann. 1693. cohonestare dignatus est in eodem argumento Italice sic scribebat.

Infirma valetudo quâ in hac mea progressa fruor ætate non permittit ut mentem scripturis consultatoriis applicem, unde tibi minus mirum videri debeat, si respondere non valeam doctissimæ informationi quam ad me de morbo Nobilissimi cujusdam Viri transmisisti: Unicum cum vero candore, non Medici, sed amici partes agens dicere possum, nimirum ex consilio meo Dominum Ægrum abstinere in posterum debere ab omni genere tot tantorumque medicamentorum quibus hactenus ad fatigationem potius quàm ad sanitatem usus est. Enimvero dum in iis persistet poterit in vitæ periculum incurrere, aut saltem in aliam aliquam novam infirmitatem priore multo pejorem devehi. Hæc est charissime Domine Manget mea sententia, quam tamen submitto omni alii meliori consilio.

In eodem rursus casu Consilium Illustrissimi ac Præclarissimi Dom. Malpighii Archiatri Pontificii Dignissimi.

Melancholia hypochondriaca vexatur Nobilissimus Patiens, multis abhinc annis cum doloribus in lumbis, & in variis corporis partibus manifestatis, gravitate in imo ventre, aliisque symptomatibus in doctissima scheda eleganter expositis, quibus associatur ad Venerem impotentia, cum penis pendulus jaceat, & momentanee tendatur. Successit autem hæc morbosa affectio, ut optime innuitur ab Eruditissimo Viro, ex acidarum particularum, sylvestriumque salium copia in fluidis luxuriante, unde imi ventris glandularum fermenta & præcipue bilis sales enervata languent, nec primam coctionem absolvunt; hinc nec debite dulcoratur chylus, nec excrementa præcipitantur. Quapropter chylus hujusmodi acidis salibus turgidus, sanguini affusus propriam labem eidem communicat, quæ in secundariis etiam humoribus perpetuatur; & cum ob inopiam volatilium particularum secundum naturæ leges sanguis non volatilizetur, nec per transpiratum depuretur, circulatione media musculos, & membranas exteriores lacessendo, dolores varios inducit, refluus autem ad interiora ulteriori usura fermenta viscerum inquinat, & nervorum fines vellicando, membranasque terebrando, dolorem, & pondus manifestat. Exaratæ autem labis vis præ reliquis in seminariis vasis patet, cum penis erectio vitietur, cujus causæ solerti indagine à Doctissimo Viro inquiruntur, & indicantur. Erit igitur probabile læsionem hanc vitio fluidi, & organi contingere: & licet non adhuc integre pateant penis structura, & mechanicus modus, quo tenditur; conjectare tamen licet hunc musculum esse sui generis concavum, cujus tendinosa, & mirabilis contextura, corpus nervosum dictum efformat, carneæ autem fibræ radicem constituunt.

Impulsus itaque ab arteriis sanguis, & venarum compressione interceptus, turgentiam excitat, ni addere velim expressi à proximis glandulis succi copiam ad inducendam rarefactionem. Contranititur autem penis tendinosa compages

ges, quæ argentei coloris, firmæque substantiæ fibris coagmentatur: unde in actu illo, nerveo succo saturatæ tenduntur, & ex gemino nixu tensio excitatur, quare laxato pene fibræ crispantur. In casu igitur nostro verisimile est tendinosas fibras proprio tonico motu non gaudere, sed quasi paralyticas jacere, propulsumque pariter sanguinem ob paupertatem volatilium particularum, & copiam acidorum salium, debitam fermentationem, & elaterem non excitare. Nec verisimile est ex succussatione, contusa parte id accidisse, cum ex stagnatione acidorum ichorum in adjacentibus partibus satius successerit; pilorum enim plantula velut in sterili & vitriolato solo contabuerunt, & testis flaccidior redditus est, nam stagnante concreto succo, spermatico fortasse arteriæ, non patent, vel saltem intestinula, quibus compaginantur, acidis salibus oppilata, secretioni seminis non favent.

Effluit porro frequentibus pollutionibus semen; nam fibræ carneæ, quibus vesiculæ seminales, extremitasque ejaculantium vasorum firmantur, cum debito tonico motu non gaudeant, contra irritantis, & modice turgentis seminis impetum non agunt, juvante pariter eruptionem, salium copia in semine luxuriante.

Medicæ igitur indicationes sunt absumendi, si fieri potest, acidos sales, juvandi viscerum coctiones; tollendi irritationes, & firmandi generationis organa, quæ quidem perardua censeo, cum a tenella ætate ex primæva constitutione, ex studio, & vivendi genere, fermenta, & præcipue lympha, ita inquinata sint, ut minime etiam folliculorum structuræ immutatæ probabiliter fuerint. Ut autem aliquam opem præstem, quædam cursim indicabo. Pro lenienda itaque alvo, irritantia, & validiora vitentur solventia, sed blanda tantum administrentur, & præcipue oleum amygdalarum dulcium, extractum absque igne, & clysteres emollientes sufficient. Acidi namque ichores solis vomitoriis extirpantur quæ tamen si admittantur, non mineralia sint. Pro corrigenda vero aciditate convenient succi ex fumaria, absynth. cocleraria, & similibus, quibus gra. VIII. limaturæ chalybis subtiliter contriti addi poterunt, hisque superbibat jusculum chalybeatum. In similibus uti soleo sero caprili colato tantum, in quo per noctem absynthii roman. coma maceretur, & pro tollenda irritatione in imo ventre, & lumbis esurpo antimonium diaphoreticum, & pluribus etiam decoctio cruda antimonii arridet. In vino infundantur chalybs, & absynth. romanum. Potus Thee salutaris erit.

In jusculis bulliat limatura cornu cervi vel salvia, aut gentiana pro juvanda fœcunditate. Victus sit mediocris, & carnes sint elixæ, & facilis coctionis, vitet varietatem ciborum, acida & acria. Motu locali, prout licet, plurimum exerceatur. Hilare vivat absque studio & curis. Pro firmandis autem spermaticis partibus convenient semicupia aquis thermalibus parata, quæ naturam sulphuris sapiant, vel potus administrentur ex aqua sæpius chalybeata & alterata simplicibus alkalicis; Et pro excitanda erectione ex usu habeo linimentum quod Bononiæ prostat in Aromataria soli. Hæc indicabam in tam contumaci morbo, eaque subjiciebam acri judicio Doctissimi Viri. Faxit Deus, ut cedant ex voto &c.

Romæ Kalendis Augusti 1693.

Super eodem argumento Epistola, Responsoria Præclarissimi ac Amplissimi Viri Domini Lucæ Tozzi, in Universitate Neapolitana Medicinæ Professoris Celeberrimi.

Excellentissimo, ac Præclarissimo Viro, Domino Johanni Jacobo Mangeto Medico, atque Anatomico præstantissimo &c. Sulutem & felicitatem.

Literæ tuæ, Ornatissime Vir, 6. nonas Julii datæ ad me, nonnisi 7. idus Augusti delatæ sunt. Fuere autem mihi charissimæ, & quod tanti Viri fuit, qualis tu ipse es, præclarissimum nomen referant, & quid de Bibliotheca Medico-Practica sub Prælo versante, ac de Bibliothecæ Anatomicæ iteranda editione, tua industria, principem me feceris: opus utrumque insigne, & maximo cum fructu cunctis rei Medicæ Professoribus commendabile, de quare gratias tibi satis non sum ut, quas debeo, referam immortales. Id vero solum citra rationem actum videntur illæ continere, quod avide à me inter Professores minimo, de ægritudine à Temetipso quam optime examinata vestratis cujusdam Nobilis consilium expetant. Sunt enim à Te tam scite tamque accurate, quæ ad naturam, causas & partem affectam pertinent luculenti stylo prodita, ut nil penitus habeam, quod æstimatione dignum sit, adjicere. Equidem ex temperamento ejusdem ad melancholicum vergente ex vagis doloribus præsertim in imo ventre, ex urinarum ardore, cum sensu ponderis in regione hypogastrica, aliisque similibus symptomatibus, quæ diu illum molestarunt, serum sanguinis acritate præditum fuisse bene deducis, adeoque varias partes tractu temporis potuisse afficere; quin & ipse crediderim sanguinem ipsum, lympham, liquorem nervorum cæterosque corporis humores simile vitium sensim sensimque adeo contraxisse, ut etiam postremo semen infecerint. Succussiones autem illas ex laboriosa equitatione haudquaquam causas, sed occasiones duntaxat putare est; quamobrem in partes pudendas potius male affecti humores decubuerint, cum jam illi antea præstiterint, si non hunc, alium planè & fortasse graviorem morbum allaturi, si nimirum in alias præstantiores, principalioresque partes delati, aut hæsissent, aut suo acore rectum eorundem tonum fuissent vitiaturi. Quoniam vero (bono ne an malo fato nescio) partes seminis confectioni ac conservationi dicatas acor ille potissimum affecit, proinde factum, ut semen, quod puto dilutius & sale acriori præditum levi quacunque de causa, aut titillatione effluat &

& inter Martis ac Veneris implexus membra illa pugnam non sustineant, imo imbecilliter admodum se gerant. Vereri quoque valde licet, factam in musculis, ad radicem & latera penis, sitis, quandam veluti paralysin, qua motus erectionis fatiscit, & nedum ipse, verum etiam aliæ circumjacentes partes ac sinister testis ingentem laxitatem patiuntur, unde flacciditas, languor & pilorum defluvium à vitio liquoris nervorum eas partes pertingentium. Hac eadem de causa timere est, ne graviora mala ibidem exoriantur, imo in toto illo tractu nervorum male affectorum, cum & vesica jam jam, ut memoras, compatiatur, & urina parcius egeratur, & venter imus gravante dolore molestetur. Memini me aliquando vidisse quendam pari impotentia coëundi laborantem ex languida penis erectione, qui tandem in urinæ suppressionem incidit; recte enim nosti quam inter sese consentiant vasa spermatica, & urinaria. Ut igitur præsenti, quoad fieri poterit, opitulemur, atque imminenti morbo occurramus, peropportunum existimo, remediis acorem in humoribus retundere valentibus, utendum esse, & simul una iis, quæ partem sanguinis floridam reficere, & succum nervorum vividiorem reddere apta sunt: Hac quippe ratione penis erectio juvabitur, & sanguis ac semen à sua acritate repurgabuntur. Quæ ex chalybe conficiuntur medicamenta ex una parte optima sunt, præcipue vero pulvis ille Cachecticus Quercetani, aut etiam vinum ex infuso Marte paratum. Est apud nos in usu chalybs igne reverberii cum nitro, sulphure, & vitriolo Romano præparatus, qui infusus in vino albo veteri blandam nimis, nec insuavem tincturam communicat, in ejuscemodi ægritudinibus, atque humorum vitiis, summopere efficacem, si ad menses integros, aut mane jejuno stomacho, aut in primo potu prandii ad uncias tres circiter exhibeatur. In eundem finem commendare solemus jura ex carnibus viperarum elicita, adjectis Cornu Cervi, rasura eboris, radice Chinæ, satyrione, aliisque simplicibus e genere Antiscorbuticorum. Non multis ab hinc annis è nostratibus unus non dissimili impotentia affectus perfecte convaluit, & res suas strenue gessit, solo usu Diasatyrionis, cum quo assumebat etiam cochleare unum, vel alterum aquæ Magnanimitatis dulcis redditæ; verumtamen in cæteris bene se habebat, neque tot tantisque symptomatibus vexabatur. Novi alium qui solis Thermis Pithecusanis amissam coëundi impotentiam recuperavit: mirum enim quantum aquæ istæ in iis aliisque similibus affectionibus imi ventris proficiant. Cæterum Diambra, Diagalanga, Diacic. Adriani à Minsicht, & alia hujus generis electuaria, ut tibi notissima, & fortasse etiam in usum ducta, prætereo hic commemorare. Sed quorsum hæc? nonnisi ut jussis tuis obtemperem, cum cæteroqui bene sciam me noctuas Athenis afferre. Interea me ama tui nominis perpetuum & devinctissimum cultorem.

Dabam Neapoli V. Idus Augusti 1693.

Quæstio, an cui testis unus sectione ademptus, alter etiam incisione quæsitus, nunquam deprehensus, est matrimonii capax.

Affirmativa non vana veritatis specie gloriatur.

1. Ante annos circiter 21. matrimonium iniit post consilium D. D. Medicorum, id ipsum à D. D. Medicis Lucernensibus formaliter nuper datum ad secundum matrimonium mortua jam uxore.

2. Quod loci illius ordinario sufficisse mihi videtur.

3. In salacem venerem libidinose catullit.

4. Penis in duritiem erigitur, ubi veneris blandientis species, pruriunt partes genitales idque prompte & sæpius.

5. Semen cum voluptate evibrabat inter mulieris amplexus ea frequentia, quæ aliis ut plurimum familiaris est.

6. Semen non aqueum & iners esse inde judicatur, quod per nocturnas inter dormiendum pollutiones indusium proluat, quod ubi siccatur rigidum evadit ut fere à glutine imbutum.

7. Subinde unus immo uterque testis intro abditus delitescit imitatione alterius sexus.

8. Etiam utrinque castratos quosdam fœcundos fuisse ex historiis discere licet.

9. Et quædam animalium perfectiorum species testibus carent ut notat Aristoteles, unde universaliter concludit cum quibusdam authoribus Medicis, semen prolificum testium opus neutiquam esse, sed solummodo eos ad æquilibrium partium generationis operi sacrarum famulari.

Sed meo judicio opinioni negativæ longe gravius probabilitatis momentum inest.

1. Adeo familiaris apud Medicinæ authores sententia hactenus fuit, ut quasi supponatur grande spermatosis opus testiculorum ad id natorum beneficio peragi, queis naturalis ad id conformationis aptitudo minime deest, ut apud anatomistas videre est. & si concederetur ipsum humorem & causam materialem seminis non fabricare testes, sane spiritum saltem fœcundum subtilisabunt, quo afflabunt humorem seminis in vicinia confectum, ut etiam ovaristæ ultro admittunt, id alias sterile sic impregnaturi.

2. Vixit cum uxore & ut jactat, generose mariti munere functus fuit ad annos 22. nullius prolis parens, quæ etsi non jucunda sanitate felix fuerit, cum tamen eo usque vitam qualemquamque protraxerit, probabile non apparet nequam adeo vitium subfuisse, quod efficaci obstaculo fuerit.

3. Nulli prorsus nec fœminini pili mento in barbæ decus crevere.

4. Vox proceræ corporis sat aliàs vegeti staturæ nulla proportione concors est.

5. Non virilis color faciem honestat.

Quæ ultimæ rationes quatuor seorsim sumptæ cum fœcunditate subinde deprehensæ, at simul sumptæ, quod credo, nunquam.

Fateor ut objicitur ex Aristotele & nonnullis Medicinæ auctoribus cum exemplis quibusdam, testibus privatos valuisse ad generationem subinde sæpius iteratam, sed revera crediderim,

vel intus latuisse natura. Sic errante testes mulierum exemplo, sed id monstrosum, & insolens non nisi casus vim tenet: vel in operatione herniæ observata methodus minus nota & usitata, ut testis intactus, intro abdatur.

Quales eunuchi seu spadones, non censentur ex Concilio Medico per summum Pontificem imperato; & revera multis animalibus negantur testes, ab Aristotele, in quibus tamen eos curiosa anatomistarum solertia detexit, vel aliquid ipsis in idem opus naturæ providentia substitutum.

6. In castratis semen quod etiam pruriente voluptatis sensu prosilit, aqueum est, & ideo sterile, quamvis non modestius subinde in luxuriem solicitans.

7. Penis etsi ordinariæ longitudinis tamen solito magisteres est. Non vili interim scrupulo animum veritatis religiosè curiosum angit, quod interrogatus jurisiurandi sæpius inculcati momento responderit, quod delicata voluptate semen ejaculatus fuerit, idque sæpius, quod indiscreta ipsum vexet in eam actionem solicitatio: quod penis erigatur, promptè ad imaginationis solicitantis imperium & ad duritiem constantem rigidus fiat; quod semen pollutione inter noctis otia, emissum viscidioris & spissioris sit consistentiæ, ut ex indusio madido & postmodum siccato discere est: ex his audacter suspicor, quod non insolitum est. Et cum D.D. Medicis Lucernensib⁹, abscondi unum testem, dictorum motuum authorem, quem frustra, in puero semestri quæsiit Chirurgus.

Datum Friburgi die 30. Maii 1691.

Noset Medicinæ Doctor & Urbis Friburgi Physicus

Sic etiam testatur Joannes Savazy Chirurgus.

Observationes

De impotentia ad Coitum, propter contusionem capitis & lumborum.

Anno 1630. 9. Februarii jussu Consistorii matrimonialis, cum reliquis Medicis Ordinariis Bernensibus, Collegis meis plurimum honorandis, hominem 36. annorum, robustum & optimo corporis habitu præditum, Michaelem Jutzeler, de impotentia ad Coitum ab uxore sua accusatum, exploravimus. Exterius quidem nihil quicquam, quod congressum cum uxore impedire posset, invenimus. Etiamsi enim ex una parte castratus esset, reliqua tamen secundum naturam se habebant omnia: Confitebatur insuper, stimulum libidinis sæpissime non deesse, sed penem erigi non posse.

Hujus impotentiæ causam, & anteactæ vitæ statum, cum diligenter perquireremus, retulit nobis se ante annos octo circiter, baculo ad dextrum bregma graviter percussum, multumque ex hac contusione se perpessum fuisse, imo & auditum auris dextræ amisisse, urinam quin etiam involuntarie effluxisse. Ex quibus conjecimus, post ictum & contusionem capitis, materiam quandam præter naturam deorsum fluxisse, & nervos, imo & arterias, quæ erectioni penis inserviunt, opplevisse. Hæc cum Consistorio matrimoniali relata essent, divortium factum fuit.

Impotentiam ad Coitum post lapsum in dorsum sequutam quoque esse, in viro quodam robustissimo, ab uxore sua (quam ante sesquiannum duxerat) ut inepto ad congressum matrimonialem, in jus vocato, Anno 1625. 15. Novembris, hic Bernæ observavi. Fuit is rusticus quidam, *Hanns Reschlimann* nomine, ex vicino pago *Langnavv*, oriundus. Hic in primo matrimonio ex uxore sua liberos aliquot susceperat: in secundo vero plane impotens fuerat, etiamsi circa genitalia omnia secundum naturam se haberent. Referebat ille, etiamsi tempore coitus libidinis stimulus non deesset, membrum tamen virile erigi non posse. Hujus impotentiæ causa erat casus ex arbore, ex quo lumbi mirum in modum concussi, nec à rationalibus Medicis aut Chirurgis ex arte curati fuerant.

Anno 1630. 3. Martii jussu Magistratus nostri, una cum Collegis meis hominem 36. annorum, Durs Gnægi nomine, robustum & optimo corporis habitu præditum, exploravi, is eodem modo ex casu in dorsum ad congressum matrimonialem impotens factus fuerat.

Hæc in gratiam Medicorum & Chirurgorum, quibus aliquando à Magistratu amplissimo examinandi, & explorandi eos, qui à libidinosis & luxuriosis mulieribus, ob impotentiam ad judicem Consistorii matrimonialis citantur, in mandatis datur scribere visum fuit. *Guliel. Fabricius Hildanus Obs. Chirurg. Cent vi.*

De impotentia ad coitum, propter frenum nimis breve & durum.

Viro Clarissimo atque Doctissimo Domino Joanni Jacobo Crafftio, apud Neocomenses Doctori Medico ordinario atque Celeberrimo, Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

In Viro isto quem ad me misisti, Clarissime atque Doctissime mi Domine Doctor, maleficium nullum adfuit. Quod autem ad actum venereum hactenus ineptus fuerit, id propter frenum penis accidisse reperi. Adeo enim erat breve, durum, atque validum, ut simile nunquam mihi videre contigerit. Adhærebat præterea frenum usque ad ipsum ductum urinarium, uti ex ipso ægroto prolixius intelligere poteris. Quapropter distento pene, & retracto præputio, glans, (testis sum ocularis) versus perinæum fere usque retrahebatur. Ex his facile intelligere poteris, cur ex inordinato atque præternaturali illo coitu voluptatem nullam habuerit. Quæris causam, cur in primo concubitu cum sponsa sua melius commodiusve quam deinceps semen ejecerit? Respondeo, ipsum hoc imaginative fecisse, cum certum sit, eandem causam mali ac vitium freni in primo coitu, non minus quam in posterioribus adfuisse. Verum in primo congressu cum nova sponsa, propter seminis & spirituum abundantiam, tantus ardor, aut

potius

potius furor ad Venerem fuit, ut etiam mens si non aliquo modo perturbata, adeo tamen occupata esset, ut verum à falso non satis recte distinguere posset. Ab eo vero tempore ex continuo, & quidem (ut ille ipsemet testatur) laborosissimo coitu dissipatis spiritibus, & aliquo modo exhausto humido radicali, Mens, quia in coitu non ita, uti antea, occupata est, melius verum à falso distinguit. Nudius quartus frænum à glande separavi, majori tamen cum difficultate, quam in quodam alio viro, de quo vide historiam Centur. 3. Observ. 54. Si diutius moram hic trahere voluisset, maxime consultum fuisset: aliquando enim frenum iterum recoalescere solet. Verum quia negotia sua id non concedebant medicamentis ipsum instruxi, quibus ipsemet se curabit. Quod petis Oleum ex Vitellis ovorum, hodie extractum, nunc ad Te mitto; Uti quoque Emplastrum pro Nobili puella. Retinaculum & medicamenta pro puero hernioso, per famulum meum brevi, Dante Deo, mittam; Uti is, qui has Tibi traditurus est, fusius significabit. Vale Vir Clarissime, & æternum feliciter vive. Raptim Bernæ, 6. Aprilis 1616. *Idem ibidem.*

De sterilitate, propter coitum dolorificum ob longitudinem penis, & quomodo emendata.

Generosus quidam juvenis, robustus & corporis proceritate elatior multis aliis, Virginem ex nobilissima familia oriundam, formosam, sanam, & quam optimo corporis habitu præditam, duxerat, quæ in secundum annum non tantum sterilis permansit, sed tandem quoque in cacochymiam incidit. Hujus rei causam quum mater, matrona singulari virtute, pietate, ac prudentia prædita, ex filia anxie expiscaretur, respondit, ob immensam longitudinem penis mariti sui se maximos dolores, non solum in ipso coitu, verum etiam post congressum persentire: genitalia quin etiam sua ob intempestivum coitum læsa esse. Mater cum ex oculari inspectione cognovisset, collum matricis filiæ suæ exulceratum esse, & anxia esset, Coloniam (ubi tunc temporis artem meam exercebam) filiam suam adduxit, Anno 1593. Vocor in consilium, exque matre omnia, veluti internuntia, percipio. Suadeo ut ad tempus à congressu Venereo, & consortio atque familiaritate cum viro suo abstineat, interim corpus aliquoties blande expurgo, & quia propter violentum & intempestivum ac dolorosum coitum obstructiones viscerum exortæ fuerant, apozemata aperitive exhibeo. Conservis quinetiam, tabellis, Electuariis, & Confectionibus Alkermes, de hyacintho, & similibus partes nobiles corroborare studeo, & collo matricis mulcilaginem seminis Cydoniorum cum aqua plantaginis, & rosarum extractam, cui admixta erat tutia, cerussa, cornu cervi ustum & præparatum, per matrem bis terve in die imponere jubeo.

Hisce adhibitis remediis, cum intumefactio colli matricis remisisset, Excoriatio quinetiam persanata esset, & maritus uxorem suam invisendi causa Coloniam venisset, & congressum cum ipsa urgeret, anxia fuit juvencula. cui præcedentes dolores, quos passa fuerat tempore coitus animo infixi adhuc inhærebant: quapropter cum iterum in consilium vocatus essem, suasi ut instrumento quodam instar scuti, inferius adumbrato, & ex subere fabricato, lana quinetiam munito, tempore coitus penis muniretur, ne profundius intraret. Scutum autem hocce ejus erat spissitudinis quantum penem in longitudine proportionem justam excedere conjicere potuimus. In medio foramine ea magnitudine, ut penem excipere posset, præditum erat. Externa facies plana & æqualis erat, interna vero propter ossis pubis exuberantiam nonnihil excavata, sed ubique Lana vel gossipio bene munita erant. Scutum hocce ante congressum cum uxore apponebat maritus, idque non sine maximo successu. Tam bene enim successit inventio hæc, ut non solum sine dolore, verum etiam cum voluptate cum viro suo coiret: Eventus quoque fidem fecit. Non diu enim post prægnans facta fuit, filiamque formosam peperit, quam ego cum An. 1611. Coloniam profectus essem, una cum matre, & nonnullis aliis infantulis ex ipsa natis, vidi. Hinc plerumque magnos morbos ab initio, exiguis remediis removeri posse videmus. Ex doloroso enim coitu omni procul dubio, tandem putridum, sordidum, & incurabile ulcus in collo matricis sequutum fuisset. *Idem ibidem.*

De Impotentia Virili.

Vir quidam generosus ac in militia strenuus, de sequenti affectu conquestus: Quando cum uxore propria æstu libidinis percitus coire appetit, in momento omnem appetitum coeundi evanescere, membrum virile flaccescere; interdum vero ab hoc morbo immunis est, verum tum justo citius opus suum peragit, si vero cum meretricibus consuescit, tum optime sese posse suæ virilitatis munere fungi, & nil tale ipsi evenit, nisi cum propria conjuge. Ejus uxor mihi confessa est, Marito cum ea coire volenti, tale quid accidere. Quæstio est naturale, vel Magicum vitium sit?

Hic Generosus Dominus (nomini parco) si curam posceret, nova hac mea Methodo Deo auxiliante facile restitueretur, quod autem curam non poscat, causa est; credit etenim fascinum esse, ac per malos homines ejus Virilitatis magnanimitatem minui, hincque etiam Generosa conjux sterilis permanet. Hac autem Methodo procederem, quam novam dico, quoniam nullibi similem legi.

1. Generosum Virum, ut & Generosam Conjugem appropriato pharmaco sine aromatibus purgarem.

2. Generoso Viro Venam mihi notam apud membrum virile secarem; Venam utriusque tali, saphænam dictam, inciderem quoque in Generosa Conjuge.

3. Octiduo elapso post hæc administrata, iterum Dominum & Dominam purgarem pharmaco in forma sicca iterum absque aromatibus.

4. Purgatum Herum ut & Heram introducerem in cameram aromaticum odorem spirantem, cujus pavimentum stratum radice satyrionis incisa,

cisa, inque ea camera Domino balnea parata esse juberem, alterum pro Generoso Viro, alterum pro Generosa fæmina. Balneum pro Viro hisce constabit;

♃. Herb. Majoran. Melissæ, betonic. Salviæ, serpilli an. M. iij. Flor. rosar. boragin. buglosf. Violar. an. M. ij. 4. sem. frigid. m. ij. an. Drach. iv. Carnis bovinæ, Vitulin. coct. in jure balnei an l. ii. Panis similaginei. M. V. Pœoniæ, bryoniæ Unc. j. M. f. l. a. Decoctum in Lacte, & decocto affunde Vini Malvatici l. V.

In hoc balneo collocarem Virum, cum carne utriusque animalis, ut & cum herbis fricarem integrum corpus; apud testes reponeret hunc sacculum in vino Hispanico coctum ac sequentibus refertum;

♃. Radic. satyrion. incis. Unc. j. Pæoniæ incis. Bryon. incis. an. Drach. j. Passerum carnis Unc. iii. Cerebr. passer. Unc. j. Mac. Nuc. Moscat. an. Drach. j 4. sem. frig. majoran. an. Drach. j.

M. f. sacculus longus, ut commode cingat inferiorem ventrem & simul involvat testes, per horam ita detinerem in balneo. sæpius vero haustum præberem sequentis Mixturæ.

♃. Vin. Malvatic. Unc. vi. Aq. Rosar unc. viii. Destill. cum vin. Meliss. Unc. j. succi Radic. satyrionis Depurat. Unc. ii. Confect. Alkerm. complet. Drach. ij. Syrup. Rub. Idæi unc. vi. Elixir. propriet. Helmontii unc. s. M. f. Mixtura, Dosis unc. s.

Sæpius etiam darem in balneo Morsulos Viriles Mynsichti per 4. semin. frigid. major. correctos juxta nostrum præscriptum.

Dorsum adhuc balneo insidentis inungerem pinguedine ex passeribus collecta cum momento uxungiæ ciconiæ. Egressum ex balneo totum inungerem sequenti Linimento:

♃. Ol. Verbasci destillat. chamom. cærul. dest. an. drach. j. amygd. dulc. scrup. j. piperini, gut. v. euphorbii gut. 3. M. f. linimentum.

Post inungerem inferiorem ventrem, testem, penem Balsamo meo Mulceberino Venereo. Morsulos vero Viriles juxta nostram descriptionem semper masticaret, vel nostrum Electuarium, opipare semper cœnaret, juberem.

Peracta hac methodo cum Nobilissimo Viro, cum Conjuge ita procederem.

Hanc bellam fœminam obstetrix in Balneum sequens collocaret:

♃. Herb. Meliss. Matricar. artemis. Puleg. an. Mi. Sabinæ Ms. Castorei scrup. ii. Mac. croci in petia ligat. an. Scrup. j. Carnis Vitulin. l. ii. Schœnanthi Drach. iii. M. f. l. a. Balneum in lacte.

In hoc balneo detineretur per semihoram, ex quo deduceretur, hausto primo confortanti potu, in aliud Balneum, cujus beneficio uterus sese aperiret magis quam in prædicto, totum inferiorem ventrem inungeret obstetrix in balneo unguento aperitivo nostro, quo uterus pateret, in quem obstetrix manum successive insereret, ac decocto nostro uterino optime elueret, ut nihil sordium amplius superesset, putrescentem enim sanguinem quidam Medicus ex sterili utero aliquando ademit. Ita elotum uterum, sordibusque ejectis, haustuque facto confortativo, ut & pulvere nostro confortativo assumpto duceretur in Balneum nostrum astringens, cujus benencio uterus iterum clauditur, tumque inungerent linimento nostro astrictivo. His peractis semen generantia propinarem, & ad carnalem copulam cum Viro subeundam, elapsis tribus horis post hæc (invocato primo numine divino) hortarer. Cuique poma mea Venerea masculina & fæminina traderem. Cum Viro bis in anno hunc processum instituerem, mulierem confortarem saltem iis, quæ mihi tum ratio tum natura ægræ suadebant. Hæc est mea nova Methodus curandi sterilitatem in utroque sexu. Et nisi hæc efficeret, ad curam meam Magneticam confugerem, quæ posthac aperienda. *Joh. Lud. Hannemanni.*

Impotentia ex frigore.

Novi olim virum doctum, jam pie defunctum, qui hyemis frigore sæviente, iter aliquot horarum equo emensus paralysin penis incurrit, successit oppido coitus impotentia salva manente urinæ excretione, quod etiam Aetius l. 6. c. 35. observavit, Grave fuit illi hoc malum, utpote viro boni habitus, ad quinquagesimum vergenti & præcipue (Forest. l. 10. Obs. Med. 93.) uxorem habenti. Medicos non infimæ notæ in consilium vocarat in principio, sed nihil profecere, manserat vir optimus, multorum antea liberorum parens.

Ineptus thalamo thorive rebus: Joh. Jov. Pont. l. 1. Bojar.

Interim cum suo munere adhuc vasa spermatica fungerentur, resolutis saltem musculis, aut potius eorum partibus nervosis tendinibus, nocturnis quidem pollutionibus non tentabatur, singulis tamen mensibus tribus aut quatuor ante plenilunium diebus calore internarum partium, dolore capitis cum appetitu prostrato, & intolerabili cutis circa regionem pubis pruritu defatigabatur. Post urinam turbidam per diem unum & alterum mingebat, quæ frigori exposita magnam partem in materiam albumini Ovi non absimilem resolvebatur, quæ vero fundo scaphii adhærebat, colore & consistentia lardum referebat. &c. Fuit sine dubio Semen retentum, quamvis pituitam aliquam partem constituisse etiam copia arguat. Quod noctu non fuerit pollutus, singulare, quodve urinam, si præfatos dies excipias, per totum mensem non minxerit turbidam, aut filamentis albis conspicuam, qualem in venereo seminis profluvio notat Lemnius l. 3. d. Sign. morb. p. 257. Sed claram & diaphanam, ob partium, ut dixi, spermaticarum constans adhuc robur. An quotidianus Tabaci usus, quo impense delectabatur, consumserit portionem humoris genitalis, aqueam imprimis, quod illis qui fumo pasci amat in ore, non ita liquet. A modico Tabaci usu fumisugos impotentiam non incurrere, Magnenus Exerc. 6. de Tabac. §. 10. p. 116. probare contendit, ab immodico autem Seminis portionem aqueam & spumosam dissipari, aeream autem intensiorem fieri non negat p. 117. Si etiam è cerebro, ut placuit Hipp. l. d. genitura, magna pars seminis descendere ad vasa genitalia, Tabacum vi, qua pollet, exsiccandi cerebrum, multum Seminis generationi obstaret. Narcoticæ ipsius facultati (quam quidem ridet & reji-

cit Primerosius l. 4. d. vulg. Error. c. 31. p. m. 176.) aliquid comprimis dandum putarem hac in parte, eo modo uti famem sedare dicitur. Id namque non facit ut approbe Helmont. tr. mortis occasiones p. 592. quasi satisfaceret defectui, sed in quantum defectus sensum tollit, simulque functionum exercitia. Cur vero circa plenilunium Semen mejebat? Ut Sol aeris, ita Luna matricibus aquis præsidet, Helmontius tr. Formarum ortus n. 924. p. 10. respondebit. Medullis & Ossibus praeest Luna secundum Eundem tr. ignota actio regiminis n. 42. p. 120. De cerebri in & decremento, juxta diversas lunæ phases libro 2. d. mirac. mort. Tit. 6. Tempore novi & plenilunii venas sanguine repleri, medullis Ossa, inde concubitum corpori tunc parum officere concludit Lemnius (l. 2. d. acc. nat. mir. c. 41. p. m. 263.) Calorem istum, Cephalalgia stipatum febrem dixissem aphrodisiacam aut potius spermaticam. Cur vero fundum petebat Scaphii materia Seminis? Eandem Urinæ instar pinguedinis experti Lemnius c. l. p. 287. Hugo Senensis Consil. 74. p. 64. aut crustulæ albicantis, ut in præparatione cremoris tartari semper & constanter supra natare, nec sidere agitatam Henric. ab Heer Obs. 18. docuerunt. Aquositatem, & id quod aereum fuit, forsan Semini subduxit nimius Tabaci usus, pondus vero addidit pituitæ admixtio. Urinæ Chylosæ meminit Th. Bartholinus d. Hep. def. p. 54. Lacteæ Rhodius ap. schneider. l. 3. de Catharr. c. 7. p. 266. Symptoma quod Bieber vulgus vocat, quo Urina lac fere repræsentans excernitur, Dracviz. d. Scorbut. Tit. 9. p. 377. à Chyli crudi cum urinæ miscela oriri statuit. In hoc nostro vero Chylum esse absolvendum, contra Semen potiorem fecisse paginam, corporis constitutio, ratio morbi & symptomatum, & menstrua evacuatio evincere videntur. *Christ. Friderici Garmanni.*

Impotentia ab obstructione vasorum spermaticorum & seminis egressus per foramina quædam in parte dextra Epigastrica.

Vidi Anno 1656. Wurzenæ in Grammatophylatio Rev. Capituli Wurzenensis scribam quendam, virum ann. 38. si rite recordor, gracilis atque cachecticæ constationis. Is Dn. D. Fottfredo Welschio &c. aperiebat affectum satis mirabilem; satis etiam periculosum, ratione facultatis Generatricis, & insimul consilium ejusdem anxie efflagitabat.

Conquerebatur autem de Impotentia coëundi, non à flaccido verpo, vel vitio conformationis oriunda, quandoquidem urgebatur vehementissimis membri Erectionibus, sed potius, quod erectum penem, nulla subsequi voluerit seminis emissio: Pertulit hanc passionem per integrum annum, in cassum semper solicitando venerem, quo ipso tempore non parvam etiam virium jacturam perpessus fuit, adeo ut ipsi Marasmo via jam strata videretur.

Natura, seminis copia procul dubio gravata, alium interea quærit exitum, in parte dextra Epigastrica, tria foramina, instar minimi fonticuli, excitando, per quæ laudabile semen, quoties volebat, velut lac è papilla exprimebat. A nulla cura potuisset adhiberi huic morbo, tunc disputabatur, & plurimi stabant pro negativa, quod eventus etiam docuit, quandoquidem paulo post tabe correptus, obiit.

Clarum ex hoc casu fit, quod naturæ omnium hominum, nullo utantur Doctore Hipp. lib: de alimentis p. m. 596. præsertim in excogitandis viis? pro excretione retentorum; & Helmoncius calculum meretur, quando in lib. de Vict. Rat. p. m. 364. §. 19. ita scriptum reliquit: Natura in homine est sapientior quovis Medico, magisque gnara suæ utilitatis atque damni, quam cuncta scholarum ingenia. Pauli Ammanni.

De Iuvene de Impotentia suspecto, feliciter defenso.

Quinto Februarii anni hujus 1666. jamjam cum Deo finiendi, Vir Juvenis Dominus N. N. 25. annorum, constitutione Corporis Phlegmaticus, mihi, Medico suo, confidenter exposuit, quod forma & virtute virginis cujusdam invitatus, erga illam castum in animo amorem conceperit, reciprocumque ab ipsa obtinuerit quem cum arctiori Matrimonii vinculo nectere, consentientibus Parentibus & consanguinitate propinquis, constituissent, resque eo nunc devenisset, ut nuptiæ celebrandæ forent, se præter expectationem naturæ suæ robore diffisum, veteri, ut ad præstandum debitum conjugale habilis sit futurus, utpote quod membrum exercendæ veneri dicatum, olim vegetum & robustum, jam molli languore solutum experiatur, ideoque hunc defectum profiteri, & vinculum istud cum cordiolo rescindere necesse habere. Hinc à me petere, ut hujus rei interpretem agerem apud eos, quos verbis suis fidem derogare dicebat. Ad quæ respondebam: Arduum hoc esse negotium, accurato mentis scrutinio subjiciendum, ubi ante omnia ocularis membrorum genitalium inspectio requiratur, quam ut concederet, suasi, & quamvis ob verecundiam invito, persuasi. Deprehendi autem illa, quoad externam formam, recte disposita, nisi quod flaccidam viderem Spinam virilem; pro certiori itaque censura hortatus sum, manu admota erigere eam attentaret: non refragante, secuta quidem aliqualis penis intumescentia, sed haud rigida, quin flaccidior & languidior, ut Claustrum virgineum reserare, ac intimius penetrare potens esset. Quare eum coram pronubis non absolute pro impotente pronunciavi, Consiliumque dedi, ut Medicam opem ad tempus experiri concederent, futurum forsan, ut Natura commodis auxiliis adjuta imbecillitatem deponat, pristinum autem virtutis robur vicissim adipiscatur, præsertim cum reliqua Corporis constitutio firma sit & robusta. Illi vero regerebant, per se licere, Juvenem Medicamenta usurpare vel omittere, neutiquam tamen obligatos se futuros desponsationi istius virginis renovandæ, ast minime concessuros, ut, virilitate fors robustiore facta, aliam ducat, antequam notificari virgini, ejusve Parentibus, vel agnatis Connubii contrahendi propositum, ac licentiam ab iis obtinuerit; qus conditione posita tum discessum est. Ab eo tempore in peregrinas regiones Juvenis ille profectus, Herbipoli media æstate in febrem ardentem incidit adeo vehementem, ut de vita fuerit periclitatus, superato autem morbo ad patrios Lares rediit,

ubi

ubi recollectis viribus notabilem corporis mutationem observans, se satis aptum nunc ad congressum & actum venereum exercendum futurum ratus, mihi istud lætus exposuit, insuperque petiit, ut pro pleniori fide literas de mutato ejus statu consignarem testimoniales. Cui respondi, me petito non refracturum, si prius indicasset, quibus ex signis tantum fiduciæ attribuat redintegratæ (pro sua opinione) naturæ. Ille stimulo ad venereos amplexus haud raro interdiu noctuque se incitari, membriq; virilis erectione valida affici ajebat, quin somniantem interdum cum aptitudine & delectatione pollui confitebatur. Cum instarem, an hæc vera essent, quæ enarraret? & an secure eadem literis hisce inserenda non dubitaret? Omnia certa & non fucata jurato asseverabat. Pensitans igitur mecum, & probe examinans ab ipso prolata, maxime in re tam ardua, fallenti in præsentaneum fortunæ & famæ detrimentum censura; & cum quilibet præsumatur bonus esse, inculpatæ præsertim alias vitæ, qualis hic νέος ἐπανδρος audit, laude commendatus, fidem iis adhibere non recusavi. Imprimis quod haberet faventes suorum verborum rationes Physicas, quæ suspicionem impotentiæ ab ipso removere sufficerent. Causæ etenim diminuti coitus, & impotentiæ ejusdem, suffragio Clarorum in Arte Medica Virorum, inter quos est Forestus l. 24. Observ. 18. pag. 586. variæ quidem existunt, ast ad tres magis principales referri possunt, nimirum vel ad virtutem, potissimum vim imaginativam; vel instrumenta generationi inservientia; vel materiam spermaticam: quæ omnia diffusius explicare, temporis & chartæ angustia non permittit. Thonnerus Observ. Medicar. lib. 3. cap. de impotentia pag. 194. è Felicis Plateri Observ. statuit, impotentiæ causas (scilicet naturales, de præternaturalibus, utpote fascino, incantamento, vel maleficio, hic nobis non est sermo) latitare in vasis spermaticis potius, quam exterioribus membris, utrum autem sit vitium organicum, vel intemperies vel obstructio, cum in abscondito, judicium esse difficile. Atqui in hoc subjecto præsens corporis status si rationis trutina expendatur, apparebit nulli horum vitiorum sive defectuum culpæ obnoxium esse, sed incolumi gaudere sanitate. Ætate enim Adolescens floret, 25. nativitatis annum vix dum egressus; laudabiliori, quàm ante perpessam febrem erat, nunc præditus est temperamento, omnes partes præcipuas bene temperatas habet; intermediæ partes nullo laborant morbo; vasa seminaria, testes, pudendum bene constituta sunt, id quod ex pollutione nocturna, diurnaque ad amplexus venereos cum erectione pudendi canalis titillatio præsumitur. Si objiciatur, Anni terminum nondum præterlapsum esse, ex quo inhabilitatem ad actum venereum perficiendum fassus sit, unde ergo metamorphosis hæc tam repentina eveniat, quod jam potentem se jactet? Resp. Exuperantem in perpessa febre calorem haud leve momentum mutationi factæ dare potuisse: notum enim est ex Practicorum libris, quod febris morbos frigidos curet, cui sententiæ imprimis favet Hollerius in Schol. ad Hipp. aph. 26. Sect. 2. dum inquit. Calor quicunque fuerit, sive externus; sive internus, sive naturalis, sive præter naturam, curat morbos, argumento est febrilis calor, qui morbos frigidos, & qui ab humoribus frigidis pendent, curat; rationem mox subjungit his verbis: Quia calor febrilis incidit, attenuat, ac discutit materiam crassam, frigidamque intemperiem, quæ pituitosi humoris causa est & effectus, ad calidiorem permutat. Hæc ille. Atqui impotentia maximam partem debilitati vel frigiditati membri, pituitosa materia ad partes genitales confluente, acceptam referre debet, Ergo novi aut inauditi nihil est, si naturæ transmutatio ab habitu pituitoso in meliorem & calidiorem per febrem istam secuta fuit. Pro exemplo inserviat historia Senis cujusdam decrepiti apud Lotichium in Observ. Med. lib. 4. cap. 9. Obs. 2. Is octogenario major, cum priori conjugi defunctæ aliam, & quidem Juvenculam, annorum viginti quinque superinduxisset, è gravi periculosoque morbo eluctatus, Senex ille tanquam rejuvenescens, vires tanto robore atque incremento recepit, ut vere è Sene, veriusque quam fallax ista Ovidiana Medea recoxit Aesacum, Juvenis, instar anguis alicujus, evasisse, senectamque omnem deposuisse tantum non videretur, sed reipsa existeret; veritatem rei eventu comprobante. Convixit enim insuper aliquot per annos mulierculæ Juvenculæ ipse tanquam Juvenculus, &, præterquam quod distinctos numero filiolos procrearit deinceps, tam libidinosus etiam fortisque ea parte fuisse dicitur, qua viri sumus, ut mox Achillem æquipararet, uxorique vix ferendus, etiam Protesilao, quod ajunt, exhiberet se gratiosiorem. Similem casum de quodam cano & edentulo Concionatore Dano rejuvenescente nova Francofurtensia nundinarum Autumnalium anni 1655. pag. 79. perhibuerunt. Exinde subsumi potest, quod si hæcce in senibus contigerunt, cur non facilius in junioribus eadem accidere queant. Et forsitan in præfata nostri adolescentis ad erigendum membrum instituta exploratione, verecundia & timor haud leve obstaculum præbuerunt, quo minus voluntati obsecundarit veretrum, quia per illa animi pathemata spiritus revocati, erectionem impedire potuerunt; mirum enim est, secundum Pauli Zacchiæ Quæst. Medico-Legalium lib. 3. fol. 6. quantopere Animi passiones vehementes in re venerea operentur; unde Alex. Benedict. suæ Pract. lib. 24. cap. 12. Scimus, inquit, quosdam cum in venere conjugali essent vel promptiores, facta inter eos de re tristi mentione ita ab opere imperfecto solitos desurgere, ut veluti intermortuum languesceret genitale membrum, quosdam in coitu sordidum auditum verbum de venereo diverticulo deturbat, alios verecundia tenet, nonnullos metus ipse, tot modis suspenditur cum animo coitus. Quod de erectione membri absque illo clarissimus verbis explicat Horat. Augen Epist. & Consult. Med. lib. 3. pag. 404. Medicum Judicem & arbitrum verbis sequentibus admonendo: Cave ne aberres, ex hoc actu (applico ad nostrum) concludens, nunquam antea erexisse, nec de cætero erecturum. Quia certe neque hominibus maxime venereis semper erigitur cum volunt, hoc quidem non est in nostra potestate. Et ut sententiam suam Augenius firmaret, addit: Repeto, ex eo quod quispiam aliquando non erigat, non tollitur erigendi potentia alio tem-

pore: alioquin omnia dirimerentur matrimonia, cum neminem esse sciam profitearq;,cui aliquando ejuscemodi non contingat casus. Hucusque Augenius. Concludo igitur, & credo, quod si amore reciproco fuerit potitus noster juvenis, per jus matrimonii castum ac legitimum, tum debitum conjugale sit soluturus expedite, ubi elanguescentem venerem inprimis excitabunt amplexus, quibus, monitore Foresto, subinde grata & formosa blandaque Conjux proniorem maritum excipiat; cum, si Zacchiæ l. c. mihi pag. 8. verbis authoritatem tribuimus, etiam calore naturali ad coitum destituti, à fœminæ interdum formositate (& blanditiis, excitati, ad coitum perfecte moveantur. Deum quæso, ut felix illi (si voti reddetur compos) fiat concors & alterno fœcundo Amore læta cum sua nympha cohabitatio, inter humana bona maxime exoptanda beatitudo. Dabam Augustæ 27. d. Decembr. anni ad casum vergentis 1666.

(L.S. *Lucas Schrockius Med. D. & Reipubl. Augustanæ Physicus juratus, Coll. Med. p. t. Dec.*

Redintegratam sic sentiens naturam suam lætæ indolis adolescens, primam Sponsam ad novas iterato sollicitabat nuptias, sed cum responso illum non dignaretur, & sic tacite connubium refugeret, aliam virginem venustam, assensum præbentem, post causam ex literis hisce sufficienter cognitam, Ecclesiastici fori Judice, matrimonio secum junxit; ex qua anni curriculo filiolum suscepit, paterque factus est. Pariter secunda ac tertia, in concordi conjugio, prole ditatus, sanitate inculpata is cum uxore sua fruitur. *Lucæ Scrochkii.*

De Ανωφροδισια soluti Matrimonii causa.

Varias ἀναφροδισίας causas in utroque dari sexu Practicorum docent observationes, docet quotidiana experientia. Usitatissima apud Viros causa vel defectus est seminis, & partium ad seminis generationem facientium læsio; vel membri virilis, quod genitum semen in uterum deponere debet, vitium. In viro singulare hisce diebus videre exemplum mihi contigit. Accusabat juvencula quædam succi plena, cui nuper nupserat, maritum, quod ad actum matrimonialem prorsus ineptus esset, coram Consistorio, & propterea vinculi solutionem petebat. Dominus Officialis loci hujus, ut ex officio in rei veritatem inquirerem, rogari me curat, simulque Conjuges ad me mittit. Examino uxorem, quæ causa querelæ in maritum esset, quæro; ipsa, nondum me ex eo tempore quo ei copulata sum, cognovit, respondet; imo quod magis est, nec digito quidem me tetigit; sed trunci ad instar immobilis semper in lecto jacuit: quæro, nunquid non salibus vel illecebris stimulum veneris interdum excitare tentaverit? Num non contrectatione mammillarum, vel pudendorum, vel suaviis, maritalem testatus fuerit amorem? Nihil horum omnium quicquam factum unquam fuisse serio affirmat: quæro num illa non ad negotium conjugale ansam præbuerit? Non sui hoc sed mariti fuisse officium replicat; nam cum adeo eum insensibilem deprehenderem, cur plus justo ei me exponerem, vel ad amores invitarem, causam habui nullam. Devenio ad maritum, exploro genitalia, optime ea illi figura & magnitudine constituta invenio: de veneficio suspicari incipio; quæro, numquid unquam penis erectionem? ejaculationem seminis? vel pollutionem nocturnam antehac senserit? pernegat omnia: nunquid ullam aliquam libidinem perceperit? insomnia venerea unquam habuerit? numquid virgines amplexando, vel oscula eis præbendo non stimulum perceperit amoris? nunquam se clandestinis amoribus deditum fuisse, nec virginum expetiisse conversationem? multo minus ullas veneris illecebras unquam amasse respondet. Cur ergo, inquam, uxorem duxisti? quia moris ita esse existimabam replicat; nec conjugale, quod nunc a me exigitur, officium, in rebus venereis situm esse putabam. Cum promptum eum adeo ad matrimonii solutionem invenirem; quæro, cur tam facilis fuerit coram Consistorio ad solutionem? quia, inquit, odio me habet uxor, quæ si tranquille mecum vivere vellet, mihi esset exoptatissima. Cum ergo seminis defectum causam viderem impotentiæ hujus, quamvis in habitu athletico defectum talem mirarer, solutum fuit à Consistorio matrimonium. *Joh. Schmidii.*

De Singulari continentiæ axemplo.

Vir Nobilissimus & Clarissimus Joh. Chemitius, σὺν ἐν ἁγίοις, Magistratui Gedanensi annis 45. à secretis, qui anno ætatis suæ 80. verè cœlebs in cœlestem migravit patriam, inter alias præclaras laudes, probæ nimirum vitæ & eruditionis eximiæ, & hanc post se reliquit, quod miram vitæ castimoniam coluerit; à prima quippe statim juventute à conversatione mulierum abstinuit, imo omnes occasiones vitavit, & datas pro animo superavit; neque impotentiam in eo arguere licuit, cum boni semper & vegeti fuerit corporis, & de hoc gloriatus sæpius fuerit, quod ad seram usque senectutem morbi causa nullis opus habuerit remediis, unde de aptitudine nulla fuit dubitatio unquam: sed aversatio à sequiori sexu erat insuperabilis, præsertim si vel virginem aliquam videret lascivientem, vel famulam in ædibus suis domestica munia exercentem, & æstivo tempore paulo liberius mammas exponentem conspiceret, cum præterire illam forte contingeret, aversa facie, & oculis, ne viderent vanitatem, in terram demissis exspuens, & phui, phui exclamans subito in musæum se suum contulit; tanto magis laudandus, quod nullo facto voto talem observaverit ex sola pietate & Numinis Divini reverentia castimoniam. Non ea ei mens fuit, quæ stolido alicui, referente Diog. Laert. de vita & morib. Philos. juveni, qui audiente Pythagora dixit, malle sese cum mulieribus esse, quam cum Philosophis conversari; cui recte Pythagoras, & sues, respondit, libentius in cœno, quam in aqua versantur. Huic cum piis & doctis conversari dulcius, quam illecebris sese exponere mulierum. Cippum ei vir quidam consularis Generosus & Magnificus J. E. S. Patronus mihi magnus erexit, quem ut memoria dignum hic addere volui: *Joh. Schmidii.*

Quem

Quem spectas tumulum Chemniti, suspice Lector:
Hoc Vir, & intacto corpore Virgo cubant.
Grande Virum, Musæque decus, Vestalis amore:
Otia cui nunquam nota, nec ulla Venus.
Nescio quid tulerit Tibi, Patria, serior ætas:
Hoc scio, non scribet castior Acta manus.

Anatomicæ Inspectiones.

Illustris Steno Bielke per totam vitam à Veneris usu, & omni fœminarum consortio abstinui: Huic Renes flaccidi, & quod notabile, adeo parvi ut magnitudinem nucis juglandis vix æquarent. *Balthazar Timæus lib. 3. Observ. 2.*

Veneris libido in quibusdam nulla est à mala conformatione vasorum horum ab ortu quibusdam innata, quæ qualis sit in vivis difficile est discernere, nisi ex eo quod perfectis alioquin membris genitalibus, & nulla prægressa causa, ad Venerem tamen minime apta sunt: Et in mortuis sectio, quandoque vasorum semen deferentium, aut generantium absentiam aut ductum perversum, si in utroque præsertim hoc latere inveniatur, sicut ipse deprehendi, vel aliud quid in causa fuisse patefacit. *Platerus prax. lib. 1. cap. 17.*

Nos in cadavere Monachi, cujus Testes in adolescentia moderatam magnitudinem à natura erant adepti, processu temporis ob votum castitatis, inviolabiliter per multos annos observatum, fere penitus contabuere, vasaque spermatica una cum semine ejus redundante adeo aruere, ut exsiccatorum nervorum, seu ligamentorum duriorum imaginem potius præ se ferrent. *Vidus Vidius, junior de curatione membratim lib. 11. cap. 2.*

Anno 1640, dissectus est adolescens Epilepticus, cujus membra generationi inservientia erant conformata p. n. nam vasa semen deferentia vix conspiciebantur, præparantia in uno latere deerant, Testiculi intus fuere retracti. *S. Scholizius in miscell. curios. anni 1671. obs. 62*

Interdum utraque arteria spermatica deficit, quod sterilitatem affert in bene compositis corporibus, quæ partes genitales optime conformatas habent, fortiter arrigunt, semen excernunt, sed infœcundum quia vitali spiritu destitutum. *Riolanus Anthropograph. lib. 2. cap. 23.*

Mortuum secuimus qui ab utraque parte vasa spermatica ex emulgentibus venis & arteriis orientia habebat: Hujus semen cum admodum aquosum & frigidum esset, ob serosi humoris copiam, generationi erat summe ineptum. *Dom. Panarolus Pentec. 2. obs. 35.*

Retulit mihi Celeberrimus D. D. Theodorus de Mayerne &c. in ultima cadaveris humani dissectione quam suis manibus fecerat Lutetiæ, insolitam sibi & inauditam oblatam fuisse sterilitatis causam, Calculum videlicet, exactissime meatum illum claudentem, qui à Prostatis in urethram dehiscit; per quem è venis varicosis semen vibrante ejaculatione expellitur: quem quidem calculum, nonnisi vi, cum partis aliqua laceratione extrahere potuerit. *Frid. Lossius lib. 1. observ. 33.*

Nos in Friderico Triviolo Mantuæ, in Glanduloso corpore illo quod vesicæ collo adnascitur, & in quod Deferentia vasa, postquam coiere inseruntur, seminis elaborationi præter alios inservienti, observavimus lapidem innixum: Non poterat semen hic vir, nisi paucum admodum aquosumque valde in coitu excernere, Dissectusque pro lapidis vesicæ extractione occubuit. *Marc. Donatus histor. mirabil. lib. 4. cap. 30.*

INAPPETENTIA
Vid.
ANOREXIA.

INCUBUS.

Incubus seu Ephialtes est gravis corporis oppressio, ac nocturna suffocatio, vocem intercipiens, & absurda super injectæ molis imaginatione somniantem deludens. Illius itaque essentia in duobus potissimum consistit nempe respirandi difficultate, & gravi ipsi adjuncto insomnio.

De loco affecto eleganter admodum loquitur Clariss. Menjotius in suis dissertationibus pathologicis, cujus hæc sunt ipsissima verba. Facultates animales in incubo offenduntur, vel à succo aut habitu densiore, cerebri basim, à qua septem nervorum conjugationes, spinalisque medullæ truncus, enascuntur, obstruente; unde illiberalis succedit τῆ ὁρμώντων ἐπιρροή: vel etiam à narcotica qualitate, absque ullis viarum obicibus, spiritus animales quodammodo vinciente, ac ex impigris & indesidibus, inertes segnesque reddente. Suspiriosa vero respiratio sequitur compressionem partium thoracicarum, ac præcipuè diaphragmatis, ab humoribus, aut vaporibus copiosis atque crassis, seu infernè evectis, seu per se intra vasa stabulantibus, Neutra porro istarum noxarum, videlicet cerebri atque pectoris, seorsim, sufficit creando ephialti; sed ambas combinari opus est Nam ductuum cerebri obturatio in incubo minus completa est, aut spirituum animalium νάρκωσις minus eximia, quam ut spiratui officere queat, cum ipsimet carotici pro voto aerem ducant. At nec vicissim septi transversi, aliorumve instrumentorum ἀναπνευστικῶν constrictio ephialtem potis est invehere, nisi cerebro coaffecto, vis animalis in nervos exilire prohibeatur, 1. quia una cum respiratione & voce, universi corporis motus, & eapropter commune movendi principium oblæditur. 2. quoniam incubus perniciosorum cerebri affectuum, ut apoplexiæ & epilepsiæ est πρόδρομος, Tandem quod ephialtici sat ægre expergiscantur, excitati vero, nec dum penitus discussa capitis plenitudine in erro e τῆ φάσματος aliquandiu perseverent. Concludamus ergo incubum esse velut monstrum δίκρανον, seu mixtum πάθημα è pectoris conjunctim & cerebri memorata invaletudine. Verum de hac, aut simili ex parte opinione, hæc habet Clar. Willisius. Hæc opinio (haud magis verisimilis quam incubati conceptus) assensum non meretur; quippe nec ulla humoris istius circa præcordia aggesti, ante, aut post paroxysmum vestigia apparent; quin ubi hæc regio plurimum aggravatur, uti in phthisi, asthmate, aut hydrope pectoris, incubus non propterea, aut crebrius,

aut crebrius, aut gravius infestat: porro non constat quomodo materies in præcordiis aggesta, in somno tantum molesta fuerit. Quapropter affectus hujus ætiologiam longe aliam statuendam esse arbitror. Hic itaque arbitratur locum in hoc morbo unice affectum esse nervos è cerebello ortos, & ex parte ad cor tendentes; nam ipsius motu cessante, propter spirituum influxum pro tempore denegatum, sanguis in hujus sinubus ac in vasis pneumonicis stagnans, ibidemque plurimum angustatus, magni quasi ponderis sensu pectoris regionem opprimit; quod item eo gravius videtur, quia una cum corde, pulmones, diaphragma, & thoracis musculi, à motibus suis impedita, & quasi constricta, magno se se exerendi nixu laborant.

Differentiæ quæ incubum inter aliosque capitis affectus intercedunt per se abunde patent.

Causam Clar. Willisius reponit in materia quadam incongrua quæ inter dormiendum una cum succo nerveo cerebello instillatur, quæ spiritibus in prima scaturigine torporem, sive narcosin quandam inducens, eos mox à functionum suarum muniis paululum cessare cogit; proinde ut ab altero velut Lethargo, intra cerebellum excitato, actiones vitales eclipsin brevem patiantur: qua durante, partim a præcordiorum obstrictorum lucta, partimque à sanguine in iis plurimum aggesto, & stagnante, gravamen istud, ac velut molis incumbentis sensus infertur; deinde quoniam cæteræ omnes totius corporis facultates à cordis motu dependent, idcirco hoc impedito & suppresso, illæ statim deliquia, aut inordinationes subeunt: præsertim vero quia sanguinis in cerebrum, pro spirituum animalium fomite, affluxus interrumpitur, propterea mox horum effluxus in systema nervosum supprimitur; adeo ut laborantes dum molem pectoris imaginariam excutere satagunt, nec corpus, nec membrum aliquod movere possint; nimirum, quia spirituum (donec sanguinis affluxu destituuntur) irradiatio in partes motrices inhibetur: interim qui in cerebro resident, huc, illuc, lati, phantasmata confusa, & ex molestia à præcordiis impressa, horrenda spectrorum insomnia concipiunt. Paroxysmus autem cito finitur, quoniam materies cerebello raro, aut nunquam altius insidens, facile excutitur, aut in sanguinem resorbetur. Quod autem in corde & diaphragmate tremores & vibrationes celerrimæ succedant, ratio est, quoniam hæc corpora, quamdiu à motibus suis cohibentur, exerendi se nixu laborantia, quamprimum restituuntur, intra justos limites se continere nequeunt, quin totas vires simul exerentia, & nimis actuosa, debitum officii munus excedunt. Hæc ex Viro Clar. fusius adduximus, quia ingeniose & admodum docte naturam hujus morbi, ejusque causam explicant: unde jam cum vulgo lemuribus atque larvis tristia ephialticorum visa, ipsis soporatis immitti stolide non suspicandum, aut cum Plinio Faunorum in quiete ludibria vocitanda, aut ad alia superstitionis phantasmata recurrendum. Causa siquidem ab extra nullatenus accedit, sed intus in imi ventris visceribus, & ipso sanguine accumulata, per vices inter dormiendum in cerebrum irrumpit, ibique tragicos parit effectus, jam ex parte memoratos, & ulterius in morbi diagnosi mox describenda enarrandos.

Diagnosis ex historia à Clar. Diemerbroeckio allata, hucque jam adducenda, satis declaratur. Mulier quinquagenaria, inquit, boni habitus, carnosa, fortis & plethorica, capitis gravitate & catarrhis ad pectus delabentibus hyberno tempore interdum obnoxia, hac hyeme nullis catarrhis infestata, interdiu bene sana, mente sensibusque integris vixit, sed nocte ad quietem composita, frequenter in somno nocturnis ludibriis afficitur: interdum enim putat se dæmone obrui & detineri, interdum à magno cane, vel latrone corpori incumbente suffocari, adeo ut vix loqui, aut respirare possit; cumque se ab hoc onere expedire nititur, quasi fortiter detenta, non potest membra movere, tantaque anxietate premitur, ut se jam suffocatum iri putet: atque dum in illa lucta est, tandem difficulter & cum summa perturbatione interdum sponte evigilat, interdum a marito, obscuram, inarticulatam & anxiam ejus vocem audiente, è somno excitatur, moxque se in lecto erigens, aliquandiu celeriter respirare cogitur. Sæpe etiam contingit, ut postea ad somnum se iterum componens, in idem malum rursus incidat. Menses illi ante decennium ætatis ratione defecerunt. Ex hac incubi historia, integram ejus diagnosim continente, patet illum nihil proprie cum epilepsia habere commune, & male a quibusdam nocturnæ & minutæ epilepsiæ titulo insigniri. Incubus enim expers est omnis convulsionis, præter momentaneam illam celerem respirationem facientem, quæ paroxysmum finit, cujusque rationem ex Clar. Willisio attulimus. Jam vero tota epilepsia in convulsione consistit: rectius itaque incubus exigua apoplexia dici posset, quandoquidem ejus natura, symptomata, atque causæ, morbo syderato quàm comitiali magis respondent, hicque in illam facile abit ut in sequentibus dicetur.

Incubus si sæpius recurrit, & si diutius persistit, in carum, apoplexiam, melancholiam hypochondriacam, imo maniam facilé degenerat; obesos & pueros nonnunquam suffocat; adfertque Aurelianus ex Silimacho contagiosum & epidemicum incubum Romæ grassantem multos pestis instar jugulasse: hoc itaque sensu periculosus est affectus. Verum si raренter occurrat, vel à crapula oriatur, discrimine prorsus vacat. Incubus qui vertiginem mentisque stuporem post se relinquit, formidabilis est, quia cerebri aliquam idiopathiam, aut impressionem in spiritibus & nervis nimium permanentem denunciat.

Indicationes sunt causæ antecedentis, si quæ adsit, ablatio, cerebri & nervorum inde ortorum corroboratio, spirituumque per eosdem nervos ad cor & præcordia influentium exhilaratio & excitatio. Quibus omnibus providebitur, tum iis quæ in sequentibus, ubi de melancholicis affectibus, tum iis quæ supra in affectibus soporosis, caro, comate &c. afferuntur: seligendo scilicet ab utraque parte quæ magis apta videbuntur. Hic itaque toti hujus morbi theoricæ finem faceremus, ac continuo ad varias ejusdem curationes à variis Autoribus propositas pergeremus: verum in Lectoris nostri majus commodum non possumus quin prius inseramus quæ doctè super hoc argumento scripsit Clarissimus

Bellini suo de morbis capitis tractatu. Sic itaque ille.

Ephialthes Conjuncta.

Imaginatio alicujus incumbentis plerumque monstri, vel Dæmonis, qui premat, Venerem exerceat, suffocet: vocis interceptio, corporis immobilitas, somnus. Experrectis subito evanescunt omnia.

Succedentia.

Nonraro apoplexia, epilepsia, insania.

Quoniam incubus semper invadit in somno, ac tum excitatur imaginatio alicujus incumbentis, qui premat, Venerem exerceat, suffocet; excitatur igitur in somnis species cujusdam lædentis, & si enim excitatur species exercentis Venerem, quia tamen illa cum pressione, & suffocatione conjuncta est, quæ summum nobis affert discrimen, & exercetur vel à monstro, vel à malo Dæmone, quæ à nobis concipiuntur, ut maxime lædentia, concipi Venus illa non potest, absque eo quod excitetur species summi discriminis. Incubus igitur est cum excitatione speciei summum discrimen repræsentantis, adeoq; timorem maximum incutientis, & hanc ipsam maximi timoris speciem excitantis: & hæc species maximi timoris in incubo excitatur subito, cum in incubo subito occurrat animo comprimentis illius species; igitur necessario producetur in corpore quicquid conjunctum est cum summi alicujus discriminis tumore subito excitato, sed summi alicujus discriminis subito excitatus timor omnem corporis motum intercipit; igitur in incubo fiet corpus immobile: toto autem corpore immoto nec movetur pectus, & hoc non moto suffocamur, nec loqui possumus; igitur in incubo vocis suppressio, & suffocatio etiamsi terrificum illud non concipiatur, ut suffocans. At vero multo gravior erit suffocatio, si terrificum illud etiam ut suffocans concipiatur; per suffocationis enim speciem cogentur magis musculi, unde motus eorum quasi tonicus validior, quam si à solo timore cogerentur. Patet igitur ex his, experrecto homine quicquid est in incubo statim evanescere debere sopita per sensus externos specie comprimentis illius, à quo excitabatur species timoris subiti, & magni discriminis, adeoq; incubum nihil aliud esse, quam somnium, & partem ipsius potissimam sitam esse in specie rei noxiæ, per quam excitatur species timoris, ex quo immobilitas, & reliquæ incubi affectiones pendent, ut exposuimus. Quemadmodum igitur somniorum omnium causa potissima est casus excitans hanc, aut illam speciem fortuito, prout particulæ perspirationis nervis occurrentes, vel per eorum liquidum se agentes ipsum in has, aut illas undas, vel nervos in hunc, aut illum tremorem agunt, ita casus excitare aliquando poterit speciem alicujus incumbentis, gravantis, monstrosi &c. cum qua specie quia conjuncta est species timoris subitum aliquid, ac summi periculi obiicientis excitata specie illius terrifici, hæc eadem necessario excitabitur, & incubo nos præhendi dicemus. Quia vero eæ species facilius à perspirationis particulis excitantur, quæ sunt faciliorismotus, & illæ sunt facilius mobiles, à quarum motu vel per brevius spatium temporis destitimus, ut puta quas dimovimus cogitando &c. antecedenti die, vel antequam cubitum imus, vel quibus indormivimus, vel quas pluries dimovimus aliquando, etiamsi deinde per longiusculum tempus easdem quiescere permiserimus (in utroq; enim casu nervi ad circumferentias flexionum servent facilem ad motum dispositionem oportet, in primo quidem ob brevem quietem, in secundo vero ob diuturnam, & millies repetitam flexionem): igitur si eodem die, vel cum imus cubitum, Dæmonem, vel quid simile cogitabimus, vel aliquot ante diebus ejusdem meditatione diutius, atque attentius incubuerimus, facile in ejus somnium, seu in incubum incidemus. Quod si meticulosi fuerimus, multo facilius eadem excitabitur species: semper enim dubitabimus, atq; verebimur, ne terrifici illius species occurrat, & ex eo ipso quod verebimur, ne excitetur, excitabitur subito, cum vereri nequeamus, ne concipiamus determinatum aliquid, quin ipsius illius rei, quam nollemus concipere, species excitetur, unde semper obversabitur animo interdiu species illius terrifici, & facile proinde excitabitur etiam in somnis. Quæ incubi generatio nihil habet cum humoribus, sed cum quadam quasi assuetudine concipiendi dæmonem, vel quid simile conjunctum. Quia vero species rerum timorem incutientium possunt esse ex earum genere, quæ excitantur, & sunt momenti minoris, hinc fieri poterit, ut quando incubus casu excitatur, proveniat ab iis humoribus, à quibus perspirant particulæ momenti minoris, hoc est humoribus crassis, lentis, frigidis, siccis: ac tum provenire potest tanquam à causa remota ab abundantia ejusmodi humorum, à quibus particulæ minoris momenti perspirant, quæ non nisi species minori momento trementes excitare possunt. Rursus quoniam timoris species per motum tonicum, seu perpetuam contractionem musculorum liquidorum fluxum intercipit, & hæc crassescunt, torpescunt, & frigidiora fiunt quiete, vel motu magis lento; igitur incubus per assuetudinem productus si sæpius, ac multoties recurrat, poterit sanguinem ad majorem crassitiem, lentorem, ac frigiditatem disponere, atq; adeo idem ita dispositus particulas perspirabit minoris momenti, quæ proinde species solum minoris momenti excitare pore poterunt, seu incubi imaginationem, in somno facilius, hoc est, frequentius, singulis nempe noctibus semel, aut pluries obiicere. Quia vero species illius terrifici concutit, seu in vividum tremorem agit nervos, adeoq; partim excutit eosdem, partim motu prohibet, ne quod apponendum esset humidum apponatur, hinc sponte expergiscimur non secus, ac ab alto somno expergiscimur per vividum sonum, punctionem &c. ob similem concussionem nervorum eosdem excutientem, & concepto motu impedientem, ne humescant ulterius. Quia vero à crassis humoribus infarciuntur vasa, adeoque ipsorum amplitudo fit major; pia igitur mater ab iis infarta comprimere poterit totum cerebrum, ita ut apoplexia invadat. Incubus autem repetitus vel crassos humores supponit, vel eosdem ad crassitiem disponit, ac tandem omnino crassos reddit; igitur ab incubo apoplexia. Ad-

de, ab humoribus crassis posse obstrui glandulas cerebri, unde spirituum defectus, & apoplexia alia de causa, vel generari eosdem crassos, seu, quod idem est, non spiritus, unde apoplexia rursus ab incubo. Quoniam insuper in crassis humoribus non omnes ex æquo canales piæ matris infarciantur oportet, neque omnes partes cerebri ex æquo comprimentur, sed diversæ diversimode pro diverso infartu arteriarum contingentium: itaque pro diversa compressione major, vel minor spirituum copia exprimetur in musculos, unde hi, illive subito, & nullo ordine præter naturam contrahentur, seu convellentur cum iis omnibus, quæ cum epilepsia conjuncta sunt, ut ex ipsius expositione patet. Eadem succedere poterit per nimiam compressionem aliquarum partium cerebri fluxum spirituum penitus impedientem; musculi enim contranitentes musculis, quorum nervi occlusi sunt, contrahentur subito, seu convellentur, & propter mobilem compressionem occludentem restituentur, & contrahentur identidem, prout illa recurret, & fient motus epileptici. Iidem etiam succedant oportet, si humor crassus ad aliquam glandulam cerebri identidem devehatur, quæ liquidum crassius derivet in nervum alterutrius solum musculorum contranitentium, & interim in nervum alterius musculi abeat spiritus crassitiei naturalis, vel minoris, quam in alterum; crassior enim ille spiritus minoris erit facultatis, unde alter musculus subito cum impetu contrahetur, seu convelletur. Tandem quoniam dimota sæpius, & in diuturna dimotione detenta aliqua specie fit, ut nervi tremere non possint nisi tremore illius ejusdem speciei undis spirituum quasi per lubricum dilabentibus ad inflexiones illas, quæ nervos nimis tensos per earum motus inflecti ad alias partes non sinunt & hæc ejusdem speciei permansio dementia est, insania, vel delirium; igitur si invalescat incubus, & per noctes singulas, semel, aut pluries corripiat, facile ipsius species diutius, & sæpius dimota omnem alium tremorem prohibebit, idq; fiet facilius, si etiam interdiu nocturna illa visa quis secum tacitus, solus, atque formidans reputet, ut patet, ac tum delirus quis evadet circa eundem incubum, & metum ejus. Quæ de essentia, & causa Incubi. Hactenus Clariss. Bellini Jam ad Curationes, & Consultationes. *Anatomicas inspetiones ex variis.*

Curationes.

Quoad incubi curationem, ad paroxysmos quoniam sua sponte cito transeunt, ea non opus est; methodus therapeutica post totius provisionem phlebotomia (ubi convenit) & leni catharsi faciendam remediorum, quæ vulgo cephalica habentur, usum præcipuum suggerit. Itaque hic pulveres è succino, Coralliis, Margaritis, radicibus pœoniæ maris, dictamni cretici, contrayervæ, item electuaria, tabulæ, aquæ destillatæ, tincturæ, elxires, aliaque in Lethargo & Apoplexia præscribi solita, locum habent; imprimis autem recta victus ratione instituta, vitentur cibi crassi, & dyspepti, legumina, fructus horarii, nec statim à pastu somno, aut studio, vel lectioni indulgeatur: cœnæ largiores & serotinæ, & decubitus supinus interdicantur.

Quoniam infantes & pueri hoc morbo sæpe laborant, (cujus indicium est quod inter dormiendum concutiuntur, & experrecti atrociter ejulant) ejusque insultus crebriores passi non raro affectiones convulsivas incunt; idcirco iis, quamprimum affici videntur, recta medendi ratio adhibeatur: de lacte, quod sugunt, inquiratur, utrum ex se purum, & laudabile, stomacho rite conveniat; non statim à functione pleniori dormire sinantur: nutrix bona victus ratione utens, sumat insuper vesperi, & mane dosin aut pulveris, aut electuarii cephalici, superbibendo haustum liquoris posfetici cum foliis salviæ, aut Betonicæ, vel radicibus aut sem. Pœoniæ incoctis: Infans sumebat bis in die cochlear j. aq. destil. appropriatæ. Fontanellam habeat in nucha, accumbat lateri modo uni, modo alteri, & raro aut nunquam supinus collocetur. Haud prorsus de nihilo erit Corallia, aut Globulos è seminibus vel radicibus Pœoniæ maris collo suspendi, aut supra ventriculi scrobem gestari; siquando inter dormiendum sæpius & gravius concussi, affectu hoc periculosius affici videntur, vesicatoria cervici, aut pone aures applicentur; insuper vesperi & mane pulveris de gutteta, vel alius appropriati dosis in cochleari aquæ destillatæ, aut julapiis quotidie exhibeatur. *Thom. Willis de morbis ad animam corpoream.*

In incubo prosunt partim cephalica, partim cordialia atque stomachalia, in specie rad. & sem. pœoniæ, chrysolithus auro inclusus, lapis Armenus, oleum cinam om. electuar. diacorum, extr. &. pœoniæ, viscus quercinus, magisterium chrysolithi.

Aloës per aliquot dies cum cubebis & passulis certum habetur præservativum contra incubum. Ex semine pœoniæ maris fieri possunt tempore somni emulsiones, ut & ex semine nigellæ.

♃. Sem. pœoniæ ℥iii cum s.q. aq. flor pœoniæ f. emulsio edulcoranda rotul. man. Christi perlat. adde smaragdi præp. ℈ii.

♃. Aq. flor. pœoniæ ℥j. theriac. smaragdin. ℥i. syr. flor. pœoniæ ʒiii. tinct. pœoniæ ʒi. M.

♃. Pulver. stomachal. ʒ iii. coriandri præp. ʒ i. fœcular. pœoniæ ʒß. smaragdi præp. ℈i. M. F. pulvis, sumatur tempore somni.

♃. Conserv. stœchad. Arabic. ʒiß. betonic. meliss. flor. citri, conditura radicum cichorii, helenii nuc. mosc. Indic. an. ʒv, specier, diaplere-sarch. lætificant. Abas an. ʒiß. magister. eboris; cranii human. an. ℈i. fœcular, pœoniæ, corallor. præp. an. ℈i. cum s.q. syr. de stœchad. Arabic. & flor. pœon. f. l. a. electuar, cui instilletur tinct. lunæ ℈i. M. ♃. Magister. corall. succin. cranii hum. an. ℈i. confect. alkerm. ʒi. sacch. in aq. epilept. Langii sol. ʒviii. f. s. a. rotulæ: adspergatur parum ol. citri.

Externè. ♃. Olei nucis mosch. expressi ʒiß. vel ʒii. ol. mastich. menth. an. ʒii. M. pro unguento. Proderit quoque emplastrum de crusta panis. *Joh. Michaelis in Prax. Clynica generali.*

In incubo ♃. Conserv. flor. rorismar. salviæ an. ʒi. sal. C.C. gr. v. magister. succin. gr. 8. M. F. bolus, qui horis matutinis usurpari debet priusquam salis virtus avolet.

Vel ♃. Conserv. flor. lavend. beton. an. ʒi. bezoartici C.C. ʒß. M. F. bolus pro una dosi.

In India. ♃. Bezoart. de ungula alcis ʒi. sp. epilep-

epileptici ex ungula alcis ʒß. aq. rorismar. ℥i. M. pro una dosi horis matutinis exhibenda.

Vel ℞. Bezoart. de cornu Rhinocerot. ʒ i. essentiæ rorismar. ℈ j. aq. menth. ℥ii. M. utere sicut præcedenti.

Vel ℞. Specier. dialunæ ʒ i. conserv. flor. cinnam. ℥ i. essent. rorismar. gut. xx. M. Dosis mane & vesperi ʒ ii. *Hermann. Nicolaus Grimm Compendii Medico-Chymici lib. 1.*

In incubo 1. Evacuandus est stomachus & primæ viæ. 2. Propinanda medicamenta antepileptica seu convulsionibus appropriata.

Inter evacuantia vomitus obtinet primatum; Inter vomitoria vero excellunt infusa antimonialia & mercurialia. Modus infundendi omnibus est notus.

Si nolumus vomitorium propinare, ut ut vomitus sit optimus, saltem instituatur evacuatio per inferiora cum extr. ellebor. nigr. & mercur. dulci in forma pilulari, quæ in epileptico insultu est experta.

℞. Extr. ellebor. nigr. mercur. dulc. an. gr. xv. scammon. sulphur. gr. 2. vel 3. extr. trochiscor. alhandal. gr. i. cum s. q. olei destill. succini f. pilulæ purgantes stomach. & cephalicæ. Adspergantur pulvere succini præparati.

Alias etiam infusa sennata sunt in usu; item massa pilular. officinal. de lapide lazuli commendatur à quibusdam.

Inter appropriata hic convenientia præ cæteris palmam refert pœonia, cujus rad. sem. & flor. sunt in usu frequenti: Sive radix infundatur potus: sive ex seminibus fiat emulsio; sive ex florib. fiat tinctura. Huic adjunguntur nonnulla alia in epilepsia usitata. flor. stœchad. lavend. anthos.

A quibusdam pulvis smaragdi præp. contra pavores nocturnos, & contra incubum insigniter commendatur: Quibusdam in usu est, ut dum cubitum eunt theriacam in aq. pœoniæ præservationis gratia assumant. Item oleum rorismar. succin salv. cinnam. & similium per sacchar. in eleosacchari formam redacta, & sub introitu lecti assumpta commendantur. In primis tamen pœonia mas & semina ejus singulariter commendantur, ac præcipuè si ex iis fiat emulsio. Expertum etiam est remedium si passulis majoribus indatur aloë: si scilicet passulæ majores excavatæ, seu exemptis acinis impleantur aloë optimâ ciceris parvi magnitudine, quarum passularum nonnullæ semper in aurora duabus horis ante cibum assumptæ curare cretè dicuntur incubum, modo aliquandiu continuetur remedium.

Zacut. Lusitan. lib. 7. Medic. Princip. exemplum taliter curati refert: Aloës scrupuli duo passulis indendi, & tamdiu earum usus continuandus donec omnes assumptæ sint.

Pilulæ alephangin. uti ex Zacuto notum est, quod arceant ebrietatem, ita in incubo laudantur si earum v. vel vi. una altera ve hora ante cibum assumantur: Loco harum pilularum substitui possunt pilulæ sine cura Cyriaci Weberi, quarum descriptio vid. in Pharmac. August. Class. 6.

Anisum quoq; appropriatum est in incubo, si scil. ejus semen in introitu lecti comedatur: cùm præterea mirifica præstet in somnis truculentis & turbulentis, si olei ejus aliquot guttæ cum aliis permistæ post cœnam assumantur. In prim s pavores in pueris potenter curat. *Michael Ettmullerus in Collegio Practico.*

CONSULTATIONES.

Generosus & Strenuus D. Abrahamus Schonnichel equitum in exercitu Imperatorio Magister, ebrietati deditus, quoties supinus decumberet, sub initium somni onere gravissimo se premi, interdum ab hoste invadi & quasi strangulari somniabat, ita ut neque clamare, neque se movere, neque fugere posset, donec tandem multo labore & conatu de somno expergisceretur.

Incubus quem signa præsentia manifestè detegunt, à levi obstructione meatuum cerebri, qui ad initium spinalis medullæ excurrunt dependet; quatenus spir. animales obstructis viis ad organa sensus & motus liberè deferri nequeunt. Obstructionis hujus causa non est humor, sed vapor, cito namq; fit, & cito desinit: vapor iste à pituita viscida & crudis humorib. in hypochondriis & circa præcordia hærentibus elevatur. Quoties enim per crapulam & cruditatem, vel aliis de causis turgescit & movetur, diaphragma & pulmones comprimit, inde in cerebrum delatus nervorum principium quodammodo obstruit, motumque thoracis denegato spirituum animalium influxu impedit, quo impedito & respiratio & vox intercipitur, & phantasia visis tristibus turbatur. Levior est obstructio, alias enim carum vel apoplexiam induceret.

Invadit sub initium somni; quatenus hoc tempore vapores crassiores majori copia ad caput elevantur.

Cùm supinus decumbit æger; quia promptior tunc est vaporum ad caput adscensus, qui ipsi & facilius in nucham & posteriores cerebri partes & medullæ spinalis principium feruntur, cùm meatus in illo decubitu nonnihil deprimantur.

Multo labore & conatu expergiscitur; quia vapor crassior est & narcoticæ qualitatis particeps.

Curationem difficilem fore prædixi, non tam morbo, quàm intemperantia ægri territus. Severius itaque monui, ut ab ebrietate, repletione & crapula sibi in posterum caveret, vini potentis & cerevisiæ crassioris valdeq; lupulatæ usum, ciboșq; flatulentos & vaporosos devitaret, sobrie frugaliterque viveret, parcius cænaret, nec à sumpto cibo ad somnum nisi elapso trihorio se componeret, supinusque nunquam decumberet.

Ad ventriculum primasq; vias à pituitosi humoris infarctu liberandas exhibui decoctum meum laxativum, Hinc ob plethoram ex cephalica brachii sanguinem detraxi. Mox ad materiæ viscidæ, lentæ & crassæ incisionem, attenuationem, & præparationem, mixturæ sequentis singulis matutinis uncias tres exhibui. ℞. Aq betonic. hyssop. an. ℥iii fœnic. salv. an. ℥ii. syr. de beton. & de hyssop. an. ℥ii. oxymel. simpl. ℥iii. M. Pro electiva purgatione præscripsi pilulas.

℞. Extr. agar. ℈ß. panchymagogi Croll. ℈j. olei still. fœnic. gut. 3. M. F. pilulæ nu. 13. deaurentur. ad revulsionem pediluvia institui & frictiones, postmodum & saphænæ sectionem.

Pro roborando ventriculo & cerebro commendavi diacorum tribus ante cibum horis sumendum. Conservam item flor. tunicæ cum confection. alkermes, essentiam ambræ, rorismar. magister. coralliot. perlar. &c.

Ad reprimendos vapores à pastu, ad cubitum ituro dedi trageam. ℞. Sem. coriandr. præp. ʒvi. pœoniæ ʒiß, corallor. rubr; præp. ʒi. olei still. carui gut. xi. ol. nuc. mosch. gut. vii. rotul. man. Christi perlat. ℥iiß. M. f. tragæa.

Ad

Ad particularem capitis evacuationem præscripsi pulverem ex fol. betonic. major. flor. lilior. convall. & ambra.

Naribus odoramenta caput roborantia & vapores discutientia destinavi ex balsamo rutæ, succini, rorismar. &c.

His usurpatis rarius quidem invasit malum, cùm tamen ob repletionem & compotandi consuetudinem, recurreret, monui cubicularium, ut quoties in somno quiritantem & lamentantem audiret, statim corpus leniter vellicaret, dormientem compelleret & excitaret, ac deinde pro vaporum revulsione & discussione extrema pannis asperis & calentibus aliquandiu fricaret, tandemque pulveris sive tragææ suprà descriptæ tantillum exhiberet. Quo facto insultus quidem breviores sensit, biennio tamen post epilepsia exstinctus est. *Baldassar Timæus Casuum Medicinalium lib.* 1.

Incubus.

Virgo Nob. 25. annum agens, temperamenti calidi & humidi, speciosi atque carnosi habitus, Patre defuncto, non adeo divitiis abundans, sponte castitati atque pudicitiæ addicta, cum Matre alacri animo vitam ducens, potiusque cibis ac potibus, quam Viro aut Veneri indulgens, ideoque carnosior atque obesior facta, decem abhinc mensibus insomnia pati cœpit, partim jucunda, partim molesta & affligentia; siquidem ab aliquo Viro, vel ignoto sæpe se premi supina somniat, aliquando cum voluptate, etiam usque ad seminis emissionem; sed adeo ponderoso sensu, ut & respiratio, & vox, & motus omnino sibi intercipi videantur, ut revera accidit; expergesit enim nonnunquam magno conatu, magnaque anxietate, cum ululatibus, & quidem mœsta, cum madore faciei, & cervicis gravitate. Nonnunquam etiam somniat se non à Viro sed ab alio pondere premi, citra ullam delectationem, imo cum labore & afflictione jam dicta; quod potissimum sibi evenire observavit quando liberalior fuerit cœna. Tandem Matri hoc incommodum, atque frequentem molestiam detegere prudenter decrevit: cujus causa cum Medico domestico accersitus ego, ut procul à Viro, & incolumi castitate curaretur, ita exorsus sum.

Affectus, quo multis abhinc mensibus premitur Nob. hæc & honestissima Virgo, inter fabulosos Faunorum fuit à Plinio collocatus; quem tamen nituntur Ætius & Orib. à fabulis vindicare, scribentes esse affectum Epilepsiæ proximum, in quo quæcunque accidunt Epilepticis vigilantibus, patiuntur quinetiam hoc affectu pressi dormientes. Hunc autem Paulus Ephialtem, sive Incubum appellavit; dormientes enim aliquem sibi insilire, sive incumbere imaginantur. Ætius vero ait, Incubus, non Dæmon, sed magis præludium est Comitialis, aut insaniæ, aut siderationis. Avic. vero, quod quidam hunc affectum strangulationem, à symptomate nominant. Cæl. Aurel. Incubus ab incubando: quia, ita affecti imaginantur aliquod onus sibi incumbere. Fern. quod incubus est gravis corporis oppressio, & nocturna suffocatio, respirationem impediens, vocemque interrumpens. Omitto dæmones Incubos, Mulieres, & Succubos, Viros prementes à D. Augustino adductos, ut qui supernaturales causas habeant, & à casu nostro alieni sint.

Hujus affectus causa immediata, ut in reliquis, est impeditus transitus spiritus animalis ad organa motus, respirationis & vocis; quoniam nec respirationem ducere, nec moveri, nec vocem edere potest ipsa Virgo. Causa vero mediata transitum impediens, non est intemperies, quia cito fit & cito desinit; nec morbus in soluta unitate, cum sine incisione, contusione, & dolore fiat. Ergo in mala compositione fuerit, nimirum in via; est enim obstructio, potissimum in posteriori cerebri parte, ut facile conjici potest ex læsione motus totius, linguæ, & respirationis; quod confirmat quoque Gal. Unde observatum fuit ab Avic. quod Incubus accidat potissimum supine cubantibus; quoniam facilius materia in posteriori cerebri parte coacervatur. Ideo nullo modo audiendus Rondeletius, qui partem affectam voluit esse venas thoracis; nec Fern. & Platerus cum eo, præcordia assignantes; eo quod legerint Paulum asserentem, Incubum crapulæ deditis esse familiarem; totius enim motus oblitas motus principium læsum esse necessario supponit Verum tamen est quod lædi potest per consensum, & à Ventriculo, in Epulonibus cruditatibus scatente, & à Liene sanguine melancholico referto; ab Utero item, vel à toto, suppressis menstruis, vel consueta hæmorrhoidali evacuatione, verum ab Utero, copioso potius quam corrupto semine repleto; cum à corrupto uterinæ præfocationes potius excitentur.

Et quidem in casu nostro; sicut Cerebrum in postica parte præsertim læditur; ita non primario, sed secundario & per consensum, tum ab utero, tum à ventriculo læditur; ab utero quidem ex copioso semine in eodem acervato, quo Juvenis ista formosa, boni habitus, & plethorica quam maxime abundat; à ventriculo vero, cum cibis & potibus delectatur; quorum ratione post copiosam cœnam accidere solet affectus, sine Venereis delectationibus; ab his enim partibus vaporosa materia elevata, in posteriori Cerebri ventriculo obstructionem faciens, transitum intercipit spiritibus animalibus, & irradianti ac illustranti facultati motrici, unde sequitur immobilitas, cito tamen evanescens, quoniam materia humorosa non est, sed vaporosa, crassior tamen, si enim tenuis esset, cito resolveretur, nec obstrueret. Ab hujus autem vaporosæ meteriæ præsentia depravatur Imaginario in somno, diverso quidem modo, pro diversitate vaporis excitantis peculiarem speciem in imaginatione; eadem ratione propemodum qua in delirio melancholico, in quo variæ, & multiplices observantur species depravatæ imaginationis, quarum varietas à vaporum varietate, atque proprietate dependet. Sic quoniam Incubus, in hoc casu, ut plurimum fit à vapore, à copia seminis elevato, imaginatur Virgo se in actu Venereo, ab homine premi, prout quando à nimis repleto ventriculo exoritur crassus ac nebulosus, gravitatis, atque ponderis tantummodo sensum infert eidem imaginationi.

Est autem affectus non spernendus, præsertim cum frequenter honestiss. Virginem invadat, est enim Epilepsiæ vel Apoplexiæ præludium; epilepsiæ quidem, non quia à vapore fuliginoso ac melancholico procedat; sed quia ætatis progressu se

su semen, vel corruptionem, vel saltem calidam & acrem qualitatem concipere posset; & præterea quia ventriculi cerebri, temporis spatio, majorem imbecillitatem atque laxitatem contrahunt, sicque facile & vapores & humores admittunt: unde etiam facile & Epilepsiæ & Apoplexiæ succedere possent, in hac Juvene, succis & copioso sanguine redundante. Lethalis enim nonnunquam affectus iste observatus est in pueris, & obesis derepente suffocatis; prout Aurel. epidemicum & perniciosum incubum Romæ grassantem describit.

Quamprimum itaq; huic malo occurrendum, ut consulunt Ætius, Paulus, & Orib. Curatione, scil. vaporem discutiendo; & Præservatione, ejusdem regenerationem inhibendo. Id autem præstabitur, humorem evacuando: Partem mandantem corrigendo; & errorem externum auferendo.

In accessione itaque Virgo leniter à somno excitanda, compellatione, vociferatione, vellicatione, corporis frictione, & exsufflatione pulv. in nares ex Iride, & Nigel. parati, ad sternutamentum excitandum; in quam rem, habeat penes se in auxilium custodem famulam.

Pro præservatione, præmisso leniente, sanguis erit ex brachio mittendus, tempore æque distanti ab utraque, præterita nimirum & futura menstrua purgatione; corpus enim est plethoricum, sanguine & semine abundans. Quod si menstrua non satis copiosa fluerent, saphena quoque aperienda. Perseverante vero affectu pluribus mensibus, repetenda erit ex brachio eadem sanguinis missio. Frequenter sub ingressum lecti adhibeantur partibus infernis frictiones asperæ, arctæ ligaturæ, & lotiones aqua calente,

A Pharmaceutico fonte desumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Discutientia, Semen Extinguentia, & à Proprietate juvantia.

Leniens esse poterit, Potio ex Man. clarif. vel Lenit. cum Tart. Præparantia primo erunt julap. acet. cum syr. de Cort. Cit. ad ℥iii. sine diluto quinque diebus, repetito deinde leniente suprascripto. Præparantia postmodum ita præscribenda.

℞. Decoct. cich. borrag. endiv. violar. nymphex, portul. aut plantag. lact. ℥vi. Succi depur. Pom. dulc. succi lim. an. ℥i. m. pro syr. & sic pro aliis.

Vel ♃. Aq. still. nymphex ℥iv. Lactucæ ℥iii. Conf. de acido Cit. succi lim. ℥i. m. pro syr. & sic pro aliis. In quorum usu persistendum quindecim saltem diebus; atque in horum intermedio, sicut & in fine, purgans erit exhibendum hujusmodi.

♃. Pot. ex Man. clarif. ℥vi. addendo infus. consuetæ Agar. trochis. ʒii. Rhab. opt. ʒi. Spicæ gr. vi. & f. p.

Vel ♃. Fl. Cass. rec. ext. ʒvi. Elect. de succo rof. ʒii. Diaphæn. ʒi. m. f. b. quibus superbibat Aq. Necerianæ lib. ii. Absoluto autem syr. usu, Pilulæ hujusmodi exhiberi Poterunt, ut capitis quoque ratio aliqua habeatur.

♃. Pil. Aur. Coch. præpar. an. ʒ ß. Mastich. ℈j. m. refor. Pil. cum succo rutæ, & aur. quibus pariter superbibat Aq. Nocer. ut supra.

Capur purgiis opus non esse videtur in casu nostro: cum caput ab utero & ventriculo vaporosam materiam suscipiat nihilominus, si per nares ducatur pulvis ex Major. Iride, & nigel. paratus, reliquum vaporosæ materiæ discuti, & caput quoque nonnihil roborari poterit.

Interim semen extinguentia in usu diuturno sint. Sic mane jejune comedat Conf. è Fl. Nymph. Viol. vel sem. lactucæ sacch. incrustata; vel lactucam sacch. conditam, quibus superbibat cyathum aq. still. Lactucæ, aut jus lactuca alteratum, addito quoque lim. succo. Comedat in cœna acetaria, vel ex lactuca, vel ex portulaca, vel ruta hortensi, vel ex omnibus simul mistis parata, & aceto copioso condita.

A proprietate juvare unanimes omnes Medicinæ Principes asserunt, Pœoniæ nigræ fructus, si gr. xv. trita devorentur, & aq. ejusdem Pœoniæ superbibatur; quod genus remedii à plurimis quoque recentioribus admittitur. A Chymicis commendatur tinct. Corall. Magist. Perl. Extrac. Pœoniæ, & Visci querc.

Inter externa, Rad. pœoniæ è collo suspendenda, Corallia rubra, Chrysolithes, Malachites lapides sinistro brachio gestati; Cucufa item ex pelle lupina noctu capite gestata.

Victus ratio debet esse consueto tenuior, attenuans & flatus discutiens; quare omnia flatulenta & vaporosa vitentur. Cœna frugalis erit maximum, & potissimum remedium; imo, si quandoque ab eadem abstinuerit, paroxysmum præcavebit. Potus sit Vinum album, aquosum, & cœna claudatur Cydoniato, vel Conf. Rosar. sive Absint. si ventriculus non omnino bene se habeat. Vigilet à cœna saltem duas horas, & supinum decubitum vitet. Se exerceat in reb⁹ domesticis. Bis in mense Pil. mastichinam sub cœnam assumat, & consueto alacri animo vivat.
Raym. Ioh. Fortis Consult. & Resp. Medic. T. 1. Cent. 1.

Vir quadragenarius, boni habitus, qui diu ebrietati & ingluviei incubuit, inter diu bene se habens, & mente ac sensibus integer, ubi sub noctem se ad quietem componit, frequentissimè nocturno quodam ludibrio afficitur. Putat enim se in somno interdum vi ad venerem sollicitari; interdum à magna mole, vel homine incumbente suffocari, adeo ut vix loqui aut respirare queat; sensibus stupescentibus non tamen ademptis. Cùm se movere cupit, maxima accedit anxietudo; qua summopere perturbatus, tandem evigilat. De capitis gravitate etiam interdum conqueritur.

In hoc ægro afficitur cerebrum secundum illam partem, unde nervi respiratorii originem ducunt; & hinc etiam afficiuntur musculi thoracis ac pulmo: quod ex læsa respiratione, & capitis gravitate est manifestum.

Morbus, qui ipsum divexat; est incubus: sive; intemperies sanguinea & pituitosa cerebri, quæ meatus ejus, in nervos respiratorios desinentes, in somno frequentissime angustans, insomnium excitat, quo ægro, ab incumbente vel strangulante aliquo corpore, respiratio & vox præcludi videntur.

Causa procatarctica, unde hic morbus primo originem duxit, est ingluvies & ebrietas, quibus æger noster diu fræna laxavit. Hinc magna copia humorum sanguineorum & pituitosorum in ejus corpore fuit genita: quæ antecedens hujus morbi est causa. Eaque in vapores soluta, ac in cerebrum copiosius delata, illudque in somno nimis gravans, & meatus nervorum respiratoriorum

rum angustans, spirituumque justam in eos reciprocationem impediens, continentem, ejus, & symtomatum, constituit causam.

De causa Incubi sic commutatur Clar. Craanen.

Hic morbus oritur, cum vapor aliquis crassus abdomen impleverit, & distendat, qui sua crassitie avolare non potest, sed calore excitato totum abdomen distendit, quare etiam diaphragma sursum premitur, & ideo non tam commode deorsum trahi potest, præsertim in somno, ubi propter minorem influxum spirituum animalium minus vehementer inflatur, & deorsum ducitur. Sic vidi hydropicam aliàs sanissimam, quæ moriebatur, quia casu fermentatio producebatur in aquis in abdomine existentibus, tunc vapores crassi excitati abdomen distendentes, & diaphragma prementes, tam incommodam fecerunt respirationem, ut intra horæ spatium respirando defatigata, diem suum obierit.

Altera causa hujus affectus potest latere in musculis abdominis, qui inspiratione extrorsum debent propelli; cum enim diaphragma deorsum premitur, omnia viscera in abdomine contenta loco suo movet, quæ necessario abdomen debent dilatare, quare musculi abdominis debent convexum corpus componere, & extra situm vulgarem propelli: hinc necessario longiores debent fieri, & tubuli intra fibras debent angustari, si jam assuevenit, ut acrimonia quædam existat in musculis abdominis, quæ nervos vellicando multos spiritus in illos alliciat, necessario inflantur, & distenduntur, quare breviores redduntur, & non possunt satis commode cedere visceribus in abdomine contentis; hinc etiam diaphragma minus deorsum potest trahi contra nitentibus abdominis visceribus.

Hinc primo, cum anima istam difficultatem sentit, sic ratiocinatur; semper cum pectori & abdomini aliquod pondus incumbit, tum respiratio læditur: ergo reciproce, cum impræsentiarum respiratio impediatur, pondus quoque corpori incumbet, & in eo fallitur quà maxime.

Secundo cum abdomen nimis extrorsum premitur, etiam minus aeris in abdomen intrudit, quare sanguis solito modo non refrigeratur, sed magis fervidus ad sinistrum cordis ventriculum defertur, hinc ibidem majori vi ebullit, majorique vi & motu in arterias ingreditur, & plures velocioresque spiritus ad caput deferuntur, & in varia membra influunt, & homo quadantenus expergiscitur, sed quia statim omnes circumstantias non rite examinat, ideo confusæ & anxiæ cogitationes ad tempus in anima manent, donec plane moti fuerint spiritus in omnia omnino membra, & circumstantias connectens, anima se somniasse perceperit.

Causa incubi etiam hærere potest in valvulis, quæ a musculis respirationi inservientibus in musculos antagonistas diaphragmatis spiritus transmittere debent; cum nempe illæ clauduntur (& tunc spasmi cujusdam species hic morbus est) & ita spiritibus transitum vel partim vel omnino prohibent: hinc inspiratio, si non in totum aboleatur, saltem diminuitur, & depravatur: secundo, sanguis è dextro cordis ventriculo in pulmones egressus, non satis coagulatur ab inspirato aere, quia respiratio impeditur, ideoque in ventriculo cordis sinistro vehementius ebullit, & magna vehementia quaquaversum expellitur, atque sic in arterias capillares vehementius tendens, & eas quoque una cum venis capillaribus sanguini implendo, ruborem in facie producit, (quod omnes experiri possumus, si tantillum respirationem cohibeamus:) tertio, vehementi ista rarefactione cordis palpitationes & anxietates producit: quarto, vehementi sanguinis in cerebrum impulsu spiritus copiosiores generantur, & hinc homo evigilat.

Quod hic morbus ab ingluvie, & ebrietate producatur, non universaliter verum est, nam etiam homines temperatissimi hoc morbo divexantur. In diaphragmate ab auctoribus in anatomia versatis inveniuntur pori, qui facti sunt, cum diaphragma adhuc tenerum fuit, qui postea conservati sunt, quia abdomen naturaliter vaporibus scatet, ideo cum diaphragma deorsum trahitur propter angustiam ibidem factam, necessario quidam vapores per diaphragma in cavum pectoris delabuntur, quorum aliqui etiam in pulmones penetrando cum aere expirato extra corpus propelluntur, cum diaphragma sursum iterum propellitur; quidam vapores vice versa à cavo pectoris per diaphragma in abdomine progrediuntur; si ergo aut ni vapores nimis crassi fuerint, aut pori nimis parvi, evidenter respiratio impeditur. *Hactenus Clar. Craanen.*

Dum enim ab humore vaporoso, meatus nervorum respiratoriorum in somnis occupante, respirationis difficultas, & inde magna molestia, ægro nostro oboritur: hinc spiritus animales in ventriculis cerebri fortius dilatati, & sensorium commune à superioris cerebri pressione, omnia insomnia, omnesque cogitationes alioqui impediente, liberantes, ipsi imaginationem excitant; qua, quia veram molestæ istius respirationis causam in somno excogitare non potest, ab invadente aliquo sibi fauces ac thoracem magna vi comprimi, spiritumq; sibi præcludi, imaginatur, Ille autem magno conatu, ab opprimente pondere vel homine invadente, se, ut putat, in insomnio expedire laborans, præ imaginarii periculi timore magnopere angitur; & quia nervi tactorii, per somnum à subsidentis cerebri mole compressi, propter hujus insomnii inquietudinem parum tantum patent, idcirco tactus ipsi, in isto agitandi corporis conatu, stupet. Conamine vero isto laborioso diutiuscule perseverante, spiritus animales in ventriculis cerebri vehementius dilatantur, & novi è corde tam copiose eo propelluntur, ut non tantum sensorium commune, sed etiam ventriculi cerebri & nervi cerebro subjecti, à pressione & subsidentia liberentur, ac humores vaporosi, qui nervos respiratorios angustabant, discutiantur; atque ita æger noster, magnopere insomnii istius ludibrio turbatus, tandem evigilet, & ab ista respirationis difficultate liberetur.

Et quoniam semen copiosum in partibus genitalibus, ex copioso sanguine ab ingluvie & ebrietate natum, quod venereorum insomniorum cogitationes, suo peculiaris temperamenti motu

ti motu, sæpe excitare solet, nonnunquam in ipso redundat; ideoque molestiam respirationis in somnio percipiens, interdum ab invadente quapiam se vi ad venerem sollicitari & cogi somniat.

Metus est, ne hoc malum ingravescens in ipso paroxysmo ipsum suffocet, vel sanguinem in ventriculos cerebri, aut ejus substantiam effundendo, vel carotidis arterias, vel plexum choroidem, aut eorum poros obstruendo, apoplexiam, vel carum, vel alium similem gravem cerebri morbum ægro nostro accersat: ideoque tempestiva Curatione, hujusmodi mala sunt præcavenda.

Eaque tota in causa procatarctica, antecedente, & continente tollenda, & intemperie corrigenda, versabitur.

Primo itaque talem sumat haustum jejunus.

♃. Spec. diaturbith cum rhabarb. diacarthami, an. ʒ ſ. Cremor. tartari ℈ j. Scammonii gr. 12. Cerevisiæ tenuis q. ſ. M. F. Potio.

Postridie aperiatur ipsi vena in brachio dextro, & sanguis educatur ad uncias decem.

Postea præscribatur hoc medicamentum:

♃. Rad. acori, angelicæ, pæoniæ an. ℥ ſ. Fœniculi, petroselini an. ℥ j. fol. betonicæ, fumariæ, cuscutæ, Scolopendriæ, acetosæ an. m. j. Hyssopi, endiviæ, borragin. an. m. ſ. Sem. anisi, fœniculi, an. ʒ iii. cymini an. ʒ j. Decoquantur in aq. communi ab lib. j. ſ. Addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥ i. Rabarb. agarici, jalappæ an. ʒ iii. Cremor. tartari ℈ iiij. Colaturæ adde syr. de cichorio comp. cum rheo ℥ j. ſ. F. Apozema, de quo sumat quotidie ℥ iv.

Corpore his universaliter purgato, utatur errhinis & apophlegmatismis, & sternutatoriis, jejunus, ad particularem capitis evacuationem instituendam.

In nucha, vel alterutro brachio, excitetur fonticulus, diuque apertus servetur.

Interim hoc utatur medicamento:

℞. Spec. diarhod. abbatis, aromatici rosati, diambræ, diamusci dulc. an. ʒ j. Dissolutis in aq. betonicæ adde sacchari albiss. ℥ ii & F. Confectio in tabulis, de quibus sumat ʒ ij. vel iii. post singulos pastus.

Et per plures dies sumat pæoniæ maris semina xv. pulverisata, & aqua betonicæ mixta.

Nocturno tempore hanc cucupham gestet, capitis tegumento inclusam:

♃. Cortic. citri sicc. ℥ ſ. Rad. cyperi ʒ iii. Fol. rorismarini, majoranæ, betonicæ an. m. ſ. fl. lavendulæ, rorismarin. salviæ, stœchad. Arab. an. p. j Cinnamomi, cariophyllor. maceris an. ʒ ſ. F. Pulvis, qui excipiatur cotone moschato, & cum panno serico interpuncto formetur Cucupha. Singulis septimanis his utatur pilulis, mane jejuno ventriculo:

♃. Pil. cochiarum ʒ ſ. Extracti catholici gr. xii. Scammonii gr. iv. Cum syr. de stœchad q. ſ. F. Pilulæ N. vii.

Vesperi, ab ista purgatione, sumat theriacæ dragmam unam, cubitum iturus.

In victus ratione aer sit moderate calidus, purus. Cibus sit facilis concoctionis, bonique succi; non flatulentus; hyssopo, serpillo, satureia, aliisque attenuantibus conditus. Potus sit cerevisia tenuis, vinum tenue & parcius sumtum. Cæna sit valde frugalis. Vitet omnem crapulam & ebrietatem, Corpus tempestive & moderate exerceatur. Inter cænam & somnum tres ad minimum intercurrant horæ. Decubitus fiat in alterutro latere; nunquam sit supinus. Noctu fidum adjunctum habeat hominem, qui lamentantem & quiritantem mox expergefaciat. Alvus aperta sit, vel natura vel arte. Affectus animi sint pacati. Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib...

Anatomica inspectio.

Academicus Oxoniensis, hydrope pectoris extinctus, postremo morbi decursu somnum nisi prona facie & inclinato capite capessere non potuit: Si enim capite in pulvinar reclinato somno se componeret, intra tertiam horæ partem horrendis Insomniis & terroribus tristis semper evigilavit, quin & Tremore cordis & ejusdem oppressione maxime diu postea afflictus fuit:

In cerebro post mortem aperto ventriculi aqua summe distenti reperiebantur, nulla autem præterea notabilis culpa in toto capite apparuit.

§. Novi quendam Incubo olim maxime obnoxium, virum alias robustum & satis sanum, qui per duos annos nunquam in dorsum conversus dormivit, quin simul affectu isto corriperetur, adeo ut necesse haberet servum contubernalem in eodem lecto decumbentem admittere, qui statim ac gemitus & suspiria, quibus affectus iste incipere solebat, exaudiret, ipsum in latus alterum converteret, quo factum est semper ut insultus illi præcaverentur.

Cum ventriculus quartus cerebello subjectus multo declivior & magis in profundo situs sit quam reliqui in cerebro, & quam ipsum etiam infundibulum, ideo fit ut lympha in ventriculos cerebri è plexu choroide secreta, in dictum ventriculum reliquis magis declivem, potius quam in infundibulum defluat, præsertim si capite reclinato somnum quis capiat, Ex quo humorum decubitu cavitas illa plurimum repletur, & eousque aggravatur ut ponderis ejus sensu nervis præcordiorum communicato, sæpe cordis oppressio & Incubus inducantur: Atque adeo solenne hydrocephalis fere omnibus ut nunquam supini impune dormiant, quin in latus hoc aut illud decumbere cogantur, quo melius hujusmodi molestias prævertant: Quin & plurimos infantes recens editos, si motibus convulsivis obnoxii fuerint, nunquam diu aut placide in cunis dormire, sed variis spasmis & artuum subsultibus corripi observare est: Causa hæc videtur, quod si quidem eorum cerebra multa aqua abundent, ex hujusmodi supino decubitu, qualis in cunis est, aqua in ventriculis cerebri contenta, ob situm magis declivem in ventriculum quartum potius quam ad infundibulum defluit, & proinde medullam oblongatam (ex qua nervi præcordiorum oriuntur] valde aggravat, & comprimendo illam spirituum in nervos transitum impedit, unde cordis gravamen & motus convulsivi tandem succedunt: Atque hoc ideo magis verisimile est, quia in contrario situ, scilicet intra ulnas nutricum, vel in earum sinu, ubi caput magis attollitur, placide & secure magis obdormiunt: *Richardus Lovver. Tract. de Corde cap. 2. p. 150.*

INFANTVM MORBI.

De iis jam plura propriis capitibus de variolis, Morbillis, Colicis, Diarrhæis Dentitione, Epilepsia &c. Unde ab ulteriori in hoc argumento tractatione commode supersedere possemus Verum de eo in genere ita solide scripsit Doctissimus & Accuratissimus D. Gualther. Harris Celeberrimi Medicorum Londinensium Collegii Socius ac Censor ut eum hic legendum exhibere è re omnino futurum duxerimus Sic itaque Ille.

De Morbis Acutis Infantum.

Cum æstate dudum elapsa verba forte fecerim Peritissimo Consummatissimoque Medico Domino D. Sydenham, de successibus repetitis quos in medendis Infantum periculosioribus affectibus sæpenumero fueram expertus sane Magnus ille vir attente percontatus est, quam ego methodo uti solerem in re adeo hactenus desiderata, & cujus plenam notitiam (nequid gravius dicam) Medici omni laude dignissimi vix ac ne vix quidem sunt assequuti. Cui ego tum protinus methodum quæ præ aliis mihi placuit, lubentissime exponebam. Re tandem ab eo perpensa ac in praxi sua examinata, ille non modo methodum nostram non improbabat, sed & eam aliis perutilem fore, experientia sua propria jam confirmatus prædicabat, atque literis me eandem consignare magnopere hortabatur. Tanto igitur Autore calamum pro virili arripio, & reipublicæ saluti, quantum in me est, vere inservire studeo.

Scio quam leviter delineatam, imo incognitam sane Provinciam perlustrare contendam, cum Pueruli ac maxime Infantes ægrotantes nihil quicquam obstrepent ad Diagnosin luculentam, nisi quod querulis vagitibus, & proterviæ incerto idiomate, possimus expiscari; quapropter Medici non pauci nominis amplissimi, palam sunt nobis aliquando professi, se Pueris ægrotis, ac præsertim recens natis visendis advocatos, invita quidem Minerva, tanquam ad Mysterium nescio quod evolvendum, aut insanabilem aliquem affectum sanandum, plumbeis pedibus accedere solitos. Minime dubium est, ægritudinum Puerilium Curationem exquisitam perinde nobis exoptandam, ac aliud quidquam quod in Medica Arte hactenus deficere videtur. Nec modo viri opulenti, qui terrarum & latifundiorum amplissimorum Hæredes aut desiderant, aut sospites conservare volunt, in hac re plurimum ponunt, verum & parentes universi στοργῇ fere invincibili erga sobolem suam exardescunt, atque in tutelam eorum tanquam propriam suspirant. Quamobrem si facem utut exiguam detur accendere, qua alii egregiis animi dotibus ornati opus hoc rude & imperfectum limato suo ingenio perpoliant, ac magis absolutum reddant, incœpti neutiquam pœnitebit, & boni id ego consulam.

Quisquis igitur Infantum minimorum symptomata, quæ manifesto se produnt, diligenter expendet, qui crasin eorum molliculam simplicissimam diætam attente considerabit, non ita difficile pensum hoc fore comperiet ut falsa imaginatione ductus prius sit autumatus. Etenim asserere non verebor morbos illius ætatis genere paucissimos esse, & gradu tantum differre: imo curationem puerorum multo tutiorem ac faciliorem, quam virorum & mulierum.

Inter ætates, ut senilis alterationem qualemcunque in melius ægerrime sustinet, propter partium omnium solidarum siccitatem & duritiem, atque saxeam fere temperiem, ita mollities juvenilis, & tantum non mucilaginosa teneritudo alterationibus omnimodis recipiendis proculdubio apta nata est. Siccus utique est Senex iis omnino in partibus, quibus Infans humore excellit: nimirum ossibus, membranis, ligamentis, arteriis, venis, nervis, & ipsis carnibus; quandoquidem vel ossa Infantum Cartilagines potius dici mereantur; cumque humido tam primigenio quam ascititio adeo abundent, adeo mollia & fluxibilia sint eorum corpuscula, ejusmodi Temperamentum omnium humidissimum est rite statuendum.

Et quemadmodum temperies puerorum Humidissima est, haudquaquam vereor pronunciare, morbos eorum universos ejusdem generis esse, ab una eademque Causa produci; quodsique prout partes corporis diversæ, sint superiores sint inferiores, hac vel illa ægritudine affici solent, prout nempe Ventriculus, Intestina, Pulmones, Caput, & Nervi, maxime urgentur, aut male se habent, idem revera morbus quamplurima nomina sortiatur.

In qua assertione, ne Paradoxon inconsulto sustinere videar, Hippocratem ipsum, libro de flatibus, de una eademque universa morborum Causa differentem audiamus. Τῶν ᾗ νούσων ἁπασέων, &c. Morborum omnium unus & idem modus est. Locus vero ipse eorum differentiam facit. Quare videntur quidem morbi nihil simile habere, propter diversitatem scilicet locorum, quum sit tamen una morborum omnium species, & causa eadem.

Quocirca si humidi puerilis naturam paulum examinemus, id in nullam aliam putredinem, nisi Acescentem, degenerare aptum, liquido constabit. Quemcunque enim affectum pati deprehenduntur Infantes, hoc vel illo nomine insignitum, raro aut nunquam eis deesse fæces Acidum redolentes, & maxime ab initio Ructuum Acidorum copiam, observare potui. Rursum liquores ferme omnes in putredinem tendentes, Acorem ante omnia contrahere solent. Imo lac ipsum, proprium tenellæ ætatis pabulum, si aliquanto diutius asservetur, ultro coacescit, & ad ignem sine acido quocunque instillato sponte coagulatur. Porro symptomata Infantum singula Acido, ut parenti legitimo, ortum suum debent.

Addatur his tonus sanguinis debilior, & crasis nimium infirma, ita ut spiritus in eodem hospitantes nondum eo prædominii devenerint, ut functiones aut munia sua debite obire, aut quoscunque humorum motus irregulares à causis vel externis vel internis suscitatos possint ipsi vi propria componere. Liquor nempe vitalis, Musti in morem, priusquam ad debitam ἀκμὴν exaltatus, in Acorem præternaturalem facillime degenerat; neque idem tamen ita difficulter, tempestiva artis ope, in ordinem redigitur.

Infantem intelligimus non modo strictiori sensu, cum Galeno, unicum mensem natum, aut bimestrem, aut ad summum trimestrem, verum etiam latius (uti vulgo fit) puerulum paulo provectiorem, nempe ad quartum usque annum. Pueri nomine complector deinceps ad annum decimum quartum. Quo minor autem natu est, qui male valet, eo faciliorem fore morbi alicujus gravioris eliminationem, cum experientia multiplici, tum ratione ipsa suffragante, edoctus constanter affirmo. Etenim in humido quam in sicco, in molli quam in duro, quælibet impressio, sive sit bona, sive mala, citius perficitur, tametsi in sicco, atque duro, eadem semel peracta diutius quidem immoretur. Facillime in morbos dilabuntur Infantes, & nisi imperitius tractentur, facillime in sanitatem restituuntur.

Diagnosis affectuum puerilium non ab ipsorum narratione, non tam ab explorato pulsu, neque ab urinæ curioso examine, quam à nutricum & muliercularum iis assidentium responsis est extorquenda. Norunt fæminæ an Nausea & Vomitu, & quamdiu laborarint; an lac vel cibum coagulatum rejecerint; an importuni vagitus, Vigiliæ, & inquietudo, Torminibus ventris eos excruciari indicarint; an Ructus Acidi, vel singultus emittantur; an Tussis adsit; an sedes vel pauciores quam par est, vel frequentiores fuerint, quo colore de-

mm

mum inficiantur, an albidæ, viridescentes, vel bile sint admodum saturatæ. Norunt an siti præternaturali, atque adeo Febre detineantur; an ulcuscula in ore (Aphthæ dictæ) late serpant, atque inter cibandum molestias creent. Percontanti respondebunt, an insultus membrorum epileptici dicti, majores vel minores, diuturniores aut breviores, repetiti vel rariores, puerilia corpora jam corripuerint; an Dentitionis sit tempus quo male se habent; denique an quid alicujus momenti, sive sit Tumor abdominis, aut alterius partis, sive exanthemata qualiacunque aut Pustulæ, vel color ictericus, aut Phlegmonodes, instar Rosæ quam dicunt, extra sese prodat. Reliqua ad speculationem subtilem, quam ad Praxin, mihi quidem videntur magis attinere.

Incertæ vero diagnoseos (quæ nunc apud plures obtinet) querela non tam à symptomatum defectu, quam à præpostera ac inepta medendi ratione ortum suum duxisse videtur. Sub hoc enim prætextu & velo medici ignorantiam & errores suos quoquo modo celare contendunt. Neque excogitare possum, qua ratione summum numen omnia gubernans & prospiciens, & in miros agendi ordines res quasque optime disponens, quodque ipsis bestiis, & insectis omnium vilissimis nativam quandam & sufficientem sese conservandi sagacitatem communicare dignatum est, quorsum inquam, humani generis gynecæo æquam & idoneam conservationis rationem voluerit deficere, quæ in aliis universis tutandis suppetit.

Quod ad Pulsum puerorum attinet, is naturaliter quidem, aut levissima quavis ex causa est creberrimus, ut quodammodo febricitari nunquam non videantur. Præterea, ista morum protervia juniores fere omnes sunt præditi, ut carpum eodem situ vix mon e ito plerique sustineant ad pulsum attrectandum. Denique sunt totidem quæ eorum pulsum accelerant, vel alias immutent, ut sententia exinde lata sit utplurimum fallax futura.

Urinæ puerorum sanitate recta gaudentium sunt crassissimæ, ut si inspiciat curiosus quispiam hujus rei nescius, affectum quempiam graviorem subolebit, cum interim valetudine jam fruantur secundissima. Infantum urina una cum fæcibus inter pannos continuo redditur, atque excoriandis suis femoribus quam profundo hariolatoris examini potius inservit.

Ut morbos eorum rectius investigemus, Causæ Procatarcticæ notitia non est in totum prætereunda. Ea autem potissimum refertur ad dispositionem tam maternam quam paternam, qua principia prolifica tum temporis constabant, cum Conceptus ipse primum transfigeretur: ac deinde ad illud alimenti genus quod in utero materno vitæ & motus stamina inchoantibus, per umbilicum, vel etiam poros carnis, ne dicam cutis, tunc apertissimos transmissum fuerit ad nutritionem debitam fœtui præbendam.

Nemo est qui inficias ibit, morbos dari hæreditarios, à parentum altero prognatos: qui dubitet, quin Arthritis, Epilepsia, Calculus, phthisis, &c. à fonte paterno in filiolos nonnunquam profluant. Integræ familiæ ex eadem prosapia oriundæ, sæpe eodem morbi genere vitam claudunt. Scilicet semen prolificum sæpe diathesin morbosam fœtui adeo clavo trabali infigit, ut nulla unquam arte vel industria in posterum amoveri queat.

Ego vero Hæreditariæ labis pueros ab ortu inficientis nullam existimo causam frequentiorem, quam quæ à matre in utero gestante participari solet. Prægnantes enim mulieres mille erroribus in victu sunt pronæ, mille casibus fortuitis expositæ, quibus vel terrefactæ, vel alias læsæ, injurias indelebiles fœtui à tenerrimis unguiculis sæpe sæpius communicant. Quam absurdis enim desideriis urgentur Prægnantes! Hæc carbones, illa gypsum, tertia cineres devorat, inque summis deliciis habent; hæc carnes, illa pisces crudos comedet; imo non defuere quarum appetitus adeo enormiter fuit depravatus, ut nullum edulium eas reficere poterit, nisi quod ex corporis humani parte aliqua callosa constaret. Quinetiam quanta imaginationis vis in Gravidis pollet, quot portenta produxit! Maculas omnis generis fœtibus impressas unusquisque in via quotidie conspicit. Atque si historias gravidarum admirabiles ubicunque colligere esset animus, hoc est, si sub umbra eruditionis copiosæ memet tanquam insatiabilem librorum helluonem magnopere venditarem, locus est jam à cæpto docte deflectere, & in amplum campum, utut alienum expatiari. Sed malim institutum recta prosequi, & brevitati studere, quam plurimis verborum ambagibus, atque Autorum diu tritorum citationibus ineptis, scientiæ falso sic dictæ ostentationem facere. Semper ratus Doctiorem revera esse, qui de re una aut altera ex proprio penu scit verum pronunciare, quam qui mille autorum litigantium sententias, indiculorum peritissimus, novit congregare.

Genitrices istæ, quæ in hosce appetitus depravati effectus magis sunt proclives, eam labem fœtui inurunt, quæ non nisi temporis medicantis ope in solidum est eluenda. Pauperculæ, quarum animos à Melancholia detinet labor, vel ministerium aliquod quotidianum, & quarum victus tenuior est & simplex, depravationes recensitas minime omnium experiuntur. Præ cæteris Hystericæ mulieres (quibus annumerare jam possumus longe majorem partem earum quæ cuticulam lautius curant, atque otio liquescunt, & quarum sanguis lento torpore perinde coacescit, ac stagnantes aquæ putredinem subeunt) diathesin morbosam fœtui una cum primis naturæ rudimentis nunquam non communicant. Siquidem mali corvi malum, ut ajunt, ovum.

In cæteris animalibus innata generis bonitas proli certissime transfertur, partim quia victus eorum simplicissimus est & partim, idque potissimum, quia mas naturæ leges inviolatas universim servat, neque est piaculi istius reus, ut gravitanti fæmellæ se unquam commiscere voluerit, postquam sive odore, sive instinctu suo admodum sagaci, ne dicam Rationali, fæmellam utero ingravescere suboleverit. At vero genus Humanum (cujus ratio intumescens plerumque dictat cristas in sublime erigere, & præ se brutum omne sem-

per aspernari) quovis hirco fere salacius, indomitam suam libidinem adeo nescit gubernare, ut à prima conceptione ad ipsum parturiendi momentum, fœminam vix desinat importunius exagitare. Hinc viri torosi & vegeti prolem valetudinariam non raro progignunt. Hinc annosi senes, scilicet ab effrænatis amplexibus (benigno naturæ favore) jam pridem emancipati, liberos rectius valentes ex effœto suo semine plus semel procreant, quam juvenes utcunque strenui, atque æstu Venereo flagrantissimi solent.

Post causam Procatarcticam prædictam à principiorum generationis conditione ac statu deducendam, aut à matre gravida plurimum pendentem, causæ eorum affectus propius respicientes ad quatuor capita referri possunt. 1. Ad frigus susceptum. 2. Ad lac Nutricis nimis crassum. 3. Ad carnis deglutitionem præmaturam. Et 4. Ad insanam materculatum, ac nutricum plerarumque indulgentiam, in pitissatione vini, aut liquoris alicujus spirituosi, suis infantibus non raro permittenda.

Et primo frigus ab iis facillime susceptum, idque frequenter ab aere vespertino, viam sæpissime sternit affectibus febrilibus, quibuscum jactari solent Infantes. Quandoquidem nullo naturali vestitu, prout cætera animalia, matris utero nudi prodeant, Ratio, vel potius natura statim dictat, sobolem adeo destitutam ope propria, alienam magis necessario requirere, atque involucris admodum calidis indesinenter committendam. Præterea aeris mutabilitas, & continua vicissitudo nunc caloris, nunc frigoris apud nos se invicem excipientium, aperte monent, nos cunctos maxime sollicitos esse oportere in protelandis aeris incuriis. Quo tenerior enim est alicujus, etiam adulti, natura, eo magis subjicitur externis aeris impressionibus. Verum tenerrima omnium & mollissima est Infantum crasis; & nisi summa adhibeatur cura in vestimentis adaptandis, non splendidis & sumptuosis, sed calidis, atque ætati idoneis (idque potissimum in pueris honeste natis] morborum insultus vespertino frigori debitos non diu effugere possunt. Atque amictus exquisita ratio (quicquid contra obstrepent athletici nonnulli) singulis ætatibus ita necessaria videtur, ut qui valetudine minus firma per totam vitam divexantur (in quantum mihi observare licuit) utplurimum spiritum diutius ducant, & frequentius in senectutem vergant, quam qui sanguineo, carnoso, & temperamento robustissimo, hoc est, optimo sunt natura prædití. Quod nihilo magis quam summæ vestimentorum istis curæ, his incuriæ, merito ascribendum est.

2. *Nutricis* lac magis crassum. Etenim si nutrix vino, aut poculis spirituosis ebibendis dedita sit, lac suum repente flammis succenditur, & per mammas ignes fere inextinguibiles lactentibus facile transmittuntur; sin eadem mariti amplexus intempestivos, durante lactationis tempore, lascivior admittat, menses ex coitu irritari solent, & propterea lac corrumpitur, & coacescit, atque aliorsum derivata lactis materia ipsum sensim diminuitur, ac strigosus infans victu incongruo aliquamdiu lacessitus multoties enecatur. Si denique nutrix hysterica sit, hoc est, teneriori & delicatulo temperamento prædita, utut casta sit, ac sobria, tamen lac degener, & crassius, tandem aliquando ex ipsa temperie est evasurum. Quanto igitur discrimine versatur universum lactantium genus! In quam lubrico exponitur prolis innocuæ salus! Mehercule ex hac, & causis illico recensendis fieri solet, quod pagorum in vicinia Londini campanæ funebres fere semper sonare audiantur, ob infantem aliquem nutricis errores immerito luentem, ac non alia de causa fato jam defunctum quam quod nutricem nactus sit minus sobriam, immundam, protervam, aut morum turpitudine aliqua coinquinatam.

Quinetiam ex iisdem causis pendebat observatio, quam non ita pridem fecit fide dignus Theologus, Parochiæ dictæ Haies duodecim mille passibus à Londino rector, qui cum animi dolore gravissimo mihi narrabat, suam Parochiam limitum spatio, & numero incolarum non parvam, atque in aere admodum salubri sitam, fuisse sub primum ejus adventum Infantibus lactentibus quaquaversus repletam, & nihilominus intra spatium unius anni se universos (duobus tantum exceptis, & unico suo libero, quem parum firmum curæ meæ, ex quo primum natus est, non inauspicato committebat) tumulo mandasse, nec non eundem numerum Infantulorum statim bis suppletum (pro more nutricum mercedi soli inhiantium) ex urbe per totum terrarum orbem forte maxima, & semper inexhausta, se eodem isto anno terræ parenti ante diem reddidisse.

Ad hæc crassities lactis, undecunque nata, non potest non secum trahere diversi generis incommoda, cum infantum corpora præ omnibus aliis continuo fluida esse debeant, cum ductus tenuissimi chylo transferendo destinati sint aperte conservandi, cum deniq; crassities ipsa alimenti præternaturalis ex adverso sit naturæ infantum fluidissimæ, atque obstructionibus primarum viarum quibuscunque locum præbeat.

3. Ad prææmaturam carnium, ne dicam esum sed deglutitionem. Est autem res perquam admirabilis, quod matres infantes suos victu prorsus incongruo & omnifariam improprio, penitus jugulare non vereantur, quos tamen ita perdite amant, ut ipsorum amore plane insanire conspiciantur. Quis enim serio existimet carnium tenacem substantiam infantibus tenellis commodam fore, qui nullos adhuc dentes ad masticandum extrusos, vel siqui forte extrudantur, minime firmos habent ad opus masticationis quadantenus peragendum? Quisnam ingenii acumine leviter prompto donatus, luxum virilis & insigniter robustæ ætatis, tenerrimæ & simplicissimæ, ac viribus maxime infirmis præditæ, quomodocunque convenire pronunciaverit?

In omnibus ætatibus diætæ ratio non est admodum negligenda, sed quia juniorum temperamentum injurias ex ea parte inflictas facillime omnium suscipit, atque vires affectibus resistendis impares habet, ideo cautela diligentiori iis opus est ad istiusmodi errores præveniendos. Ingluvies enim carnis prææmature ingestæ Cruditatum est feracissima, quæ voraci huic ætatulæ fere inseparabiles elimentum crudum

crudum & indigestum humorum putredinem necessario progignit; ex qua putredine non solum lumbrici generantur, verum etiam symptomata diversa, & gravissima, eaque valde anomala, quibus miselli intabescunt, sæpissime pendent.

Hic obiter animadvertam, quod cruditates infantum ex abundanti quotidie accumulentur, eo quod nutrices fere omnes statim ab usu victus, qualiscunque is sit, eos obdormire nunquam non permittant.

4. Ad pitissationem vini, aut liquorum spiritibus abundantium imprudenter concessam. Hæc etiam Causa, sicut & præcedens, ad fatuam materculrum indulgentiam est referenda. Scilicet augurantur, ea quæ ipsis bona & jucunda, & quæ cor suum sollicitudine oppressum exhilarare solent, neutiquam posse infantibus suis in vitium vertere. Quasi vero eadem caliga omnibus pedibus aptari, quasi crepundia viris, virilia puerulis accommodari poterint? Mehercule bonæ istæ mulieres non satis animadvertunt, quam dura ac tenacia sint ipsarum tergora, & quam molles & teneræ juniorum pelliculæ; nequaquam recordantur, quod alterius alimentum (ut dici solet) fuerit nonnunquam alterius venenum; denique ex animo tollunt, quod ipsarum stomachus ferme oblatrans non nisi bovina quandoque satietur, cum appetitus horum languens, & debilissimus, panatellæ ægre digerendæ vix sufficiat.

Quo propius vero ad senectutem quisque vergit, eo magis illi vina convenire solent. Quandoquidem calor senum languidus succendiculis spirituosis plane indigeat, quæ ex vino copiose suppeditantur, ad naturalis sui caloris tum conservationem tum incrementum. Quapropter infantum naturæ, utpote à senili longissime dissitæ, vinum est maxime alienum, quorum nervi omnes debilissimi eo facile franguntur, & quorum tenera corpuscula subtili calore vini aut sensim colliquantur, aut in flammas febriles præcipitanter ruunt.

Sunt qui vini usum minimis indulgere volunt, eo quod carnibus ita præmature vescantur. Nempe coctionem Cruditatum, quibus carnivori infantes sunt proculdubio obnoxii, plurimum promovere vel in hac ætate vinum apud illos censetur. Verum an error unus sit altero emendandus, an vero uterque potius non sit aufugiendus, non tam pluribus disceptabo, quam observationi eorum tradam, qui infantes pauperiorum victu simplici ac sobrio necessario enutritos, cum iis divitum & luxu semper gaudentium inter se conferent.

Sane vini omnis generis paulo liberalius ingesta, quemadmodum & liquores quilibet alii spiritibus referti, fermentum naturale ventriculi puerorum destruunt, appetitum prosternunt, tunicas ventriculi comburunt, nec non eas, instar pergameni coram igne nimis areafacti, corrugant; sed & tunicam nerveam (quod maximi in hoc casu est momenti) summopere lædunt, atque mediante hac tunica universos corporis nervos labefactant, & spiritus animales in omnimodam confusionem certocertius adigunt. Quod minus omnium teneram hanc ætatem lædit est vinum album, utpote à Veteribus frigidum appellatum, non vero absolute frigidum, sed comparate ad vina alia, sive rubra, sive colore fulva aut flavescentia. Galenus autem pueros ne gustare quidem vinum, rigide imperavit.

Omnes Causæ ægritudinum infantilium Antecedentes, & mediatæ, quotcunque revera fuerint, aut excogitari poterint, in una causa Proxima & immediata tandem coalescunt, nimirum in Acido longe lateque præpollenti.

Historia igitur affectuum graviorum, quibus plerumque corripiuntur Infantes hoc se modo fere habet.

Ventriculus ipsorum, à quacunque causa id primario pendet, in Acidam intemperiem nunquam non facessit, unde fit quod alimentum suum omne nequaquam in homogeneam chyli substantiam rite conteratur, verum in lac quoddam coagulatum, Anglice, à posset, continuo transiat. Inæqualis ista Chyli, aut nutrimenti conditio, Aciditati prædominanti jugiter nitens, Nauseam, & Vomitiones, & Ructus acidum redolentes, præ aliis omnibus parit. Si diutius res protrahatur, paulatim magis magisque impallescunt, nec non quippiam flavescentis aut viridescentis coloris admixtum decolor vultus ostendit. Tum flatibus intumescit ventriculus, atque eruptiones flatulentæ sursum feruntur. Interim Pustula Rubra una, aut altera (certissimum Acidi redundantis signum) cuticula exurgit, in superiori aliqua corporis parte, nunc scilicet in gena utravis, nunc in mento, nunc fronte, aut in colli regione, aut quandoque inferius; atque infans indies in deterius vergit. Sed & idem Anhelat, & cum stertore aures astantium feriente nonnunquam spiritum ducit; quo quidem symptomate semper laborare deprehenditur (maxime si carnosior sit) quoties morbus in Acutorum partes transit. Porro tussicula levi, eaque sicca, & nonnunquam suffocativa, sæpius urgetur: Sicca quidem tussi ob acrimoniam humorum ramulos asperæ arteriæ valde sensiles continuo vellicantem; suffocativa autem propter bronchia pulmonum serositatibus in ea depluentibus, neque exitum invenientibus, gravissime onusta. Quinetiam quia nervosi generis debilitatem maximam habent, atque mollitie temperiei summa ac delicatula sunt donati, ideo vim tussiendi molestissimam ferre nequeunt, atque agitationi pectoris violentæ, quasi suffocati, & nigricantes facie, fere succumbunt. Sin coagulationes præfatæ ex ventriculo in intestina (quod sæpissime fit) mox descendant, nunc Tormina ventris, nunc Dejectiones alvi Viridescentes, nunc vero Diarrheas violentissimas producunt. Dum vero in ventre inferiore agitur tragædia, vel Torminum dolor ingens Febrim Acutissimam accendit, quæ minus perite tractata plerisque infantibus vitam eripere solet; vel dolor aliquantū mitior, & curationi qualicunque imperitæ forte cedens, in tumorem abdominis duriusculum sæpe desinit, qui in nonnullis aut rachitidi, aut scrophulis producendis commode inservit. Gelatina quædam tremula (proxima lubricis generandis materia) nunc albidior, nunc fusci aut flavescen-

its coloris, nunc viridi juncta, nonnunquam sponte, sed sæpius à recta medicamentorum operatione, una cum fæcibus excernitur. Fricant interim infantes sæpissime suas nares, quod non modo præsentibus lumbricis contingit (ut mulieres vulgo credunt) verum & in unaquaque febre, quæ ab humorum corruptela exoritur; acrimonia enim humorum sursum lata sensiles Narium membranas, tum in Acutis, tum in Chronicis affectibus plerisque, tamque in Adultis quam junioribus, vellicare aut pungere solet. Tormina ventris memorata, vigilias, inquietudines, querimonias, aut ejulatus noctes diesque efficere solent, quibus quoquo modo compescendis nutrix toties quoties mammas lactenti admovet, quo induciæ molesto suo officio aliquantisper interponi poterint. Cæterum si nutricula rerum domesticarum omnium penuria laboret, atque idcirco infantem sudo aeri ejulantem subinde relinquere cogatur, vel si ea mercedi soli inhians (ut nonnunquam fit) nulla commiseratione versus plorantem teneatur, ille hernia intestinali, aut omentali, ad plures sæpe annos perseverante vulgo detinetur. Porro lac vel cibus omnis (durantibus sc. Torminibus) minus recte concoquitur, magisque acescit & coagulatur, febricula sensim exoritur, sitis intenditur, artus omnes flaccidi fiunt, collum non sustinet capitis onus, atque tenellus magis magisque debilis quotidie existit. Utque coronis huic miseræ ægritudini tandem imponatur, motus convulsivi, aut membrorum subsultus debilissimo superveniunt: Et cum nervi nullam ulteriorem vim musculis cordis commovendis, & sanguini per arterias (Circulationis lege) protrudendo relictam habeant, albedines oculorum ad cœlos (proprium innocentiæ nullatenus violatæ domicilium) natura sursum feruntur, atque infans brevem vitæ curriculum immature conficit, antequam recta ratio edocuerit, quam sit revera miserum in rerum natura diutius versari.

Si dentitionis sit tempus, quo male valent, plerisque symptomatum prædictorum cruciari solent, atque insuper aphthæ, ulcera oris, caliditatis fere igneæ (crusta quasi inalbescens) quæ ante dentitionem ab ortu primo sæpissime adveniunt, & nonnunquam serius, sed quæ hoc potissimum tempore prædominium habent, os totum adeo interdum exulcerabunt, ut nec mammas ipsas quantumlibet dilectas, neque cochleare queat sine molestia & aversatione admittere os ipsorum tenerrimum, & quaquaversus exulceratum.

Addam quod, ore infantum aphthis multum sauciato, sæpe accidat, ut neque vagitum aliquot diebus emittere, neque lacrymam ex oculis destillare poterint, quamvis oris teneritudine summa, & calore intenso, nec non cæteris pluribus febrim concomitantibus malis, miserrime excrucientur. Atque idcirco iis rem bene augurari soleo, cum ex mutis in clamosos illi vertantur, cumque sub exitum morbi fletu & plangore tota domus compleatur.

Pueri natu paulo majores febrilibus symptomatis tentati, de capite affecto, plerumque conqueruntur, cujusmodi dolorem rarius idiopathicum, sed utplurimum sympatheticum esse, nimirum ex ventriculi & inferiorum partium dyscrasia pendentem, verisimillimum quidem videtur.

Quod universa hæc, & consimilia symptomata immediate proveniant ab alimenti nimia coagulatione, aut incrassatione, eaque longe majori, quam quæ infantum naturæ quomodocunque convenit, quorum ductus omnes fluidissimi necessario debent esse; quodque istiusmodi coagulatio aut cuipiam aciditatis gradui jugiter innitatur, aut saltem exindè proficiscatur multo sæpius quam ab alia quavis causa, luculentissime constabit, siquæ sensibus ipsis, aut demum Curationi (quæ Acidum obtundentibus, & Coagulationes solventibus optime instituitur) fides certò adhiberi possit.

Frequentes vomitiones gelatinæ tenacis, aut pituitæ cujusdam viscidæ & coagulatæ, ejusdemque nonnunquam viridis, cum vehementius ægrotent; anhelitus eorum sæpenumero acidum redolens, sunt res sensibus admodum manifestæ.

Quod viridis fæcum color acido bili admixto se prorsus debeat, observationi plane sensibili illorum, qui experiri amant colorum in viridem mutationes aceto & spiritibus acidis perficiendas, evidentissime apparebit. Præterea odor dejectionum viridium nunquam non curatricibus acidiusculus appellatus idem dilucide commonstrat.

Torminum dolor immanis in ventre inferiore, atque una pallor faciei insignis, humorum acidorum prædominium apertè confirmant. Porrò quandocunque diris cruciatibus puerili torquentur, utut sanguineo prius, & florido corporis temperamento fuerint donati, tamen tum temporis summe impallescunt, nisi quod genarum rubore, eoque in pallidum facile ac cito redeunte, subinde soleant perfundi.

Hic obiter adnotabo, quod honorem (siquis sit) Novæ Hypotheseωs inveniendæ nullatenus ambiam, neque si Hypothesin aut uspiam excogitaverim, aut quoquo modo stabiliverim, mei esse ducam, omnimoda argumenta invita quidem natura (ut moris est) cogere, ut dictæ Hypotheseωs veritati fidem faciant. Res siquidem primaria Medicæ artis, & quæ humani generis saluti unicè inservit, in tali morborum dignotione versatur, qualis Experientia & Curatione ipsa tum fundatur, tum corroboratur. Reliqua enim quæcunque φαινομένων explicatio, quantumvis docta & subtilis habeatur, Sophistam acutum, aut Philosophum improprie sic dictum, vel ingenium promptissimum non raro ostentare potest; sed Medicum revera peritum atque arte sua præstantem, haudquaquam denunciabit. Etenim omnes istæ perbellæ speculationes, & juniorum animis lascivientibus (perinde ac Poetici volatus) semper admirabiles, sæpissime nuspiam existunt, nisi in ipsa Inventoris phantasia, atque etiam ab iis, qui Praxi Medica minus omnium fæliciter valent, haud raro solent excogitari. At vero ideæ morborum solidæ ac veræ nunquam rectè ediscuntur, nec earundem veritas nisi in ipsa Praxi aut dijudicatur, aut probatur.

Scio quam obnoxia, & fortassè non immerito,

merito, animadversoribus videatur hæcce notio acidi à nobis existimati in omnibus Puerorum affectibus insignioribus prædominium habere. Neque tamen disceptabo, nimius in hac re, an singulæ aciditatis notæ, quascunque homines nasutuli, altercationibus gaudentes, aut negotiis vacui, possunt comminisci, acido illi, quod in ventriculo Puerorum dominari sustineo, ad unguem quadrent. Votis meis abunde sufficiet (utut in perpolienda notione minus perfectè laborem) si ita fælix fuerim, ut curationis methodum efficaciorem, ac certiorem ea quæ hactenus passim obtinuit (quod lubens quidem relinquo iis, qui veritatem dictorum experiri volunt, determinandum) tandem indigitare valeam.

Nihilominus non præteribo quæ Medicorum omnium facile Princeps, Hippocrates, de causis morborum paulo fusius explicat in libro de veteri Medicina: Ut scilicet penitus evincat, morbos universos non primis, at secundis qualitatibus originem suam debere. Verba igitur sua sic se habent: οὐ γὰρ τὸ ξηρὸν, οὐδὲ τὸ ὑγρὸν, οὐδὲ τὸ θερμὸν, &c. Non sicco, neq; humido, neq; calido, neq; frigido, neque horum quoquam hominem lædi existimarunt (nempe veterum Medicorum praclarissimi) neque horum aliquo ei opus esse. Sed quod in unoquoque potentius esset, & supra naturam humanam, adeo ut ab ea superari non possit, id lædere censuerunt, & tollere conati sunt. Est autem valentissimum inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & quod in re quaq; summum est. Hæc enim in homine inesse, eique nocere videbant. In homine namque inest & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & insipidum, aliaque infinita, quæ pro copia & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutua inter se contemperatione, neque cernuntur, neque quenquam molestia afficiunt. At ubi horum quidpiam secretum fuerit, & per se extiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestiâ afficit. Quin & ex cibis qui minimè nobis conveniunt, & qui in corpus ingesti hominem lædunt, horum unusquisque aut amarus est & minime temperatus, aut salsus, at acidus, aut alio aliquo modo intemperatus & vehemens, ideoq; perturbationē in corpore efficiunt. Et postea, οὐ γὰρ τὸ θερμόν ἐστι τὸ τὴν μεγάλην δύναμιν ἔχον, &c. Neque enim est calidum, quod magnam vim habet, sed ipsum quatenus acerbum, & insipidum, aliaque de quibus dixi. Rursus, οὐ διὰ τὸ θερμὸν ἁπλῶς, Non propter calidum simpliciter homines febricitant, neque ipsum solum affectionis causa est, sed est & amarum & calidum idem, & calidum ac acidum, & salsum ac calidum & alia infinita; ac rursus frigidum aliis facultatibus conjunctum, &c.

Ex his, & quamplurimis ejusmodi aliis in libro prædicto fusius explicatis, liquidum est, nostrum Divinum Senem, sapientia Medica omnibus aliis prælucentem, pro certo determinasse, quod secundæ illæ qualitates, nimirum aciditas, amaritudo, salsedo, & consimiles, symptomatis caloris aut frigoris conjunctæ, sint ut Causæ morborum principes & efficientes, præcipuè considerandæ. Et proinde addere nullus dubitabo, quod naturaliter sequatur, Curationem ipsam non tam ad calorem frigido extinguendum quam ad aciditatem obtundendam, quemadmodum & amarum alterandum, salsum contemperandum, crassos humores incidendos, tenues & nimis fluxos compactiores reddendos, asperos leniendos, ac denique obstructos corporis ductus aperiendos atque infarctu liberandos, imprimis dirigi oportere.

Verum antequam Curationem ipsam aggrediar, operæ pretium forte videbitur aliquid loco Prognostici, ut usu comparatum est, præmittere.

Prognosis autem, prout mihi videtur, potius pendet ab ipsa Curationis methodo, recta vel secus facta, ut & à Nutriculæ moribus, an scilicet sibi nimium placeat, atque sola sapiat (quæ, proh dolor! mœstissima est consideratio) an vero morigera sit, &, quæ in mandatis habet, fideliter exequatur, quam ab infantum ac puerorum ægritudinibus ipsis. Leves enim ex se sunt puerulorum febriculæ, neque tam exardet, aut efflagrat eorum calor febrilis, quam suo modo paulum intendi rectius dicatur; nisi cum Ars inepta Cardiacis igneis & spirituosis nitens, auspiciis admodum sinistris, in auxilium advocetur.

Corpulenti & obesi infantes, pituita diffluentes, verticis regionem mollem (pulpæ adinstar tremulæ) & apertam quam dicunt, Anglicè an open Mould, ab anteriori ad Posteriorem Cranii Suturam persæpè excurrentem diutius retinentes, Rachitidi, Tussi Convulsivæ, Aphthis difficulter cedentibus, ac tandem Scrophulis, maxime sunt obnoxii.

Macilenti & strigosi sunt omnium tenerrimi, acerrimo calore aduruntur, & in febres pessimi moris, hoc est, summe inflammatorias (pro ratione ætatulæ) & nervoso generi adversas, sunt utplurimum proclives.

Pueri ex matribus hystericis, teneris, morbosis, fructus horarios aut acetaria (tempore gestationis) continuo devorantibus, aut acida & acerba quæcunque tunc temporis percupientibus, aut ex iis quæ sunt ventricolæ, ac mera abdominis mancipia, aut denique in quibus appetitus insigniter depravati, cujuscunque fuerint generis, regnare solent, hisce inquam parentibus orti, è gravi aliquo morbo difficilius convalescunt.

Quicunque alvo sunt laxiore præditi, melius sese habent, quam qui astrictâ.

Tempestas, verna, atque æstiva, Febribus cito propulsandis maxime omnium favent, minime vero tempus autumnale aut hyemale.

A medio mensis julii ad medium Septembrem Tormina infantibus Epidemica (utpote quorum vires æstus tempestatis annuus tunc penitus exhaurire solet,) adeo quotannis increbrescunt, ut plures tenelli unico mense, quam tribus vel quatuor aliis mensibus mitioribus, tum temporis extinguantur.

Convulsiones, aut saltem membrorum subsultus, tenellos hac vel illa ægritudine aliquamdiu debilitatos, aut regimine calidiori paulo plus incensos, coronidis loco ad finem miseriarum, quibus excruciati sunt, ut plurimum perducunt.

Quod ad Infantilium affectuum Curationem attinet, nullus (quod scio) omnium Autorum, qui de hisce rebus, sicut & de aliis universis ad curandos morbos spectantibus volumina solenniter evulgarunt, eam satis indagasse nobis quidem videtur. Mehercule morbos multiplices accurate describere, causas ornate recensere, signa tam diagnostica quam prognostica pro more tradere neutiquam neglexere. Semitam diu tritam alter ab altero similibus vestigiis pressit; atque utplurimum posteri, quæ à prioribus acceperunt, absque aliquo examine maturiori sunt facile amplexi. Paucissimi quidem fuerunt qui Indicationes Curativas alias quam vulgares stabilire sunt ausi, qui observationes ex natura Infantum genuine deducendas, magis quam ficticias atque artificio singulari concinnatas, scripto prodiderunt.

De affectibus Infantum, optime omnium, quos mihi perlegisse contigit, tractatum edidit Sylvius de le Boe, qui Acidum esse veram ac generalem eorum Causam strenue sustinuit, sed qui partim ob vehementem suum ardorem erga Chymicas quasdam præparationes maxime Volatiles, atque eo nomine calidiores, & partim ob Opiatorum continuum fere usum, vel in tractatione minimorum Infantum (ut Doctoris Opiati nomine non immerito distingueretur) quod in Theoria doctissime, simul ac verissime, magna ex parte stabiliverat, in Praxi plane labefactabat, si non funditus dirueret.

Siquid igitur fundamenti stabilis ad Infantes Curandos jacere desideremus, teneritudinem eorum, atque imbecillitatem naturalem præ oculis habere imprimis oportet. Eligenda etiam nobis ejusmodi medicamenta, quæ tenerrimis maxime conveniunt. Etenim quo mitiora ac tutiora sunt remedia quæ adhibemus, eo certius ex animi sententia succedet eventus. Et profecto medicamentorum Nobilium ac Generosorum (uti vulgo dici solent) usus nunquam aptius quam in tractandis Infantibus latâ medicinæ provinciâ exulare potest. Quorsum enim inserviunt ignium intensissimorum dies noctesque deflagratio, ad vires mineralium extrahendas, ubi alteratio quælibet facile peragitur? Quænam obsecro harmonia naturalis excogitari potest inter duritiem metallorum fere impenetrabilem, & quasi ceream temperamenti junioris mollitiem? Quonam pacto appetitus admodum debilis, qui panatellæ aut ipsius lactis victum tenuissimum ægre digerere potest, medicamentorum summe deleteriorum, ac facile inflammabilium vim causticam poterit sustinere? Quemadmodum alimentum ipsorum simplicissimum, ita & medicamenta iis vulgo exhibenda debent esse simplicia, à naturali suo statu parum recedentia, atque artificii nimis operosi utplurimum expertia.

Quandoquidem humorum Aciditas causa extat primaria omnium affectuum quibus tenera ætas excruciari solet, totum Curationis artificium in Acido expugnando unice versatur. Sane nebulæ quamplurimæ oculis tyronum obduci possunt, quo minus veritas sedulo indagatori patefiat. Cæterum si quod verum est candide pronunciare fas sit, neque operam & oleum perdere efflagitemus, quæ ad Acidum expugnandum recta tendunt, sola Curationem promovent, quæcunque vero eo non spectant, tenera infantum corpuscula magis, vel minus, saltem lacessunt.

Verum Acidi tractatio duabus solummodo Intentionibus innititur. Nempe primo, ut Aciditas præparetur, atque reddatur idonea, quo melius è corpore eliminetur. Secundo ut Acidum sic rite præparatum evacuationibus debitis expurgetur. Altera sine altera scopum vix attinget; sed vis ambarum, alterius alteri opitulantis, affectus eorum Acutos cito ac tuto amovebit, atque vel diatheses morbosas Chronicas dictas haud parum contemperabit.

Teneræ ætatulæ Purgatio, durante scilicet morborum Acutorum vigore, prima facie discriminis plena, & supra vires esse apparebit. Atqui emolumenti certitudo ex methodo jam describenda pro periculo faciendo apologiam optimam dabit.

Purgatio quidem ipsorum Adultorum febribus continuis laborantium eandem periculi simul ac audaciæ speciem inexpertis præ se tulit. Veruntamen eventus ejusdem auspicatus, nuperis Medicorum aliquot imprimis peritorum experimentis plurimum comprobatus est. Primus autem Catharseos beneficia vel in ipsis Febribus evulgavit incomparabilis ille Febrium omnis generis debellator, & Practicus insignissimus Dominus D. Sydenham, qui in Schedulâ suâ Monitoria tribus abhinc annis typis mandata Methodum suam dedita opera exposuit, ad Epidemicam hanc Febrim propulsandam, quæ etiamnum grassatur. Atque ita porro exindè promeritus est, quod nobis videtur, ut nullum unquam sæculum (quandiu medicinæ ars florebit) ejus nomen conticescat: nempe qui pariter Diaphoreticorum tam apud nostrates quam exteros perperam usitatorum perniciem exitiabilem animo excelso & virili detegere non dubitavit. In operibus suis jamdiu editis, nimirum in Peripneumonia Notha (morbo apud nos non ita raro) curanda, ut & in aliis affectibus ingentem Catharticorum usum antea inculcaverat; atque in post scripto operibus ejus universis pridem superaddito febris Hyemalis nuncupatæ curam in purgando unice posuerat. Tantus scilicet viri fere Septuagenarii, ac valetudine maxime infirma laborantis ardor in bonum publicum indigne tulit fato jam in procinctu stante impediri, quo minus observationes suas circa hanc materiam omnibus numeris absolutas in Aurea illa Schedula tandem redderet.

Quod vero Catharsis (quanquam inter arcana Medica haud numeretur, atque mirabilibus Chymiæ vix quicquam debeat) sit omnium auxiliorum, quotquot ferax hominum Curiosorum inventio unquam excogitavit, revera primarium, inducor quidem ut credam, ob hanc potissimum rationem: nempe quia firmam corporis valetudinem vix quisquam obtinet, aut illæsam vel paulisper conservare potest, qui alvum non habet de die in diem Catharsi naturali mediocriter solutam: quæ quidem Catharsis naturalis perinde est necessaria ad vitam sustentandam, ac cibus & potus noster quotidianus ad ipsum corporis nutrimentum.

Neque

Neque enim ratio vivendi magis requirit, ut pars cibi melior & succulentior per venas lacteas transmittatur, ad debitum nutrimentum corpori præbendum, quam quod pars ejus crassior & deterior (quæ nimis diu retenta halitus noxios, imo venenatos, sursum emittit) natura aut arte per sentinam corporis expellatur. Et profecto eam gloriam sibi ipsi purgatio jure acquisivit, ut ex usu vulgato, nomine Medicinæ amplissimo sola omnium insigniretur.

Septennio nuper elapso mos mihi fuit in Febribus puerorum, nec non Infantum vel minimorum, secundum methodum jam laudatam catharsin adhibere; licet id in adultis negligerem: & quantum res ex animi sententia successit nequeo facile narrare.

Quomobrem cum primum schedulam præfatam attente perlegissem, eadem animi lætitia perfundebar, ac si insignem aliquem favorem à Numine Divino me recepisse contigisset. Itaque facillime adductus fui ad fæliciter experiundam methodum catharticam in adultis, quo ex eadem in juniorum febribus successus optatos sæpissime fueram expertus.

Prima autem indicatio in curandis infantum febribus est, acidum rite præparare, quo melius id eliminetur. Atque acida debere præparari, antequam poterint cum ἀφέσει expurgari, facile constabit, si naturam acidi paulum expendemus: nempe si incrassandi & coagulandi vim, qua idem pollet; si generalem obstructiones pariendi causam ex isto parente quam sæpissime oriundam; si naturalem omnium liquorum, exceptis maxime spirituosis, in acidum putredinem; si molestiam illam maximam, qua medici solent torqueri in iis curandis, quorum corpora acido humore multum scatent; sed & præ aliis argumentis si tormina consideremus, quæ purgationes sine corporis præparatione debita exhibitas, in habitu in acidum vergente comitari solent.

Scio quod vox illa, Humorum præparatio, apud autores complures legi possit. Atque finis propositus fuit, ut Catharsis tandem aliquando secutura eo fæliciorem eventum haberet. Nempe crassos humores attenuare contendebant, fervidos temperare, obstructas vias aperire, vel per poros cutis Diaphoreticis eosdem impellere. Verum utplurimum huic fini nescio quos Syrupos, aquas simplices destillatas, atque ejusmodi nugamenta adhibuerunt, quæ præparationi sive alterationi designatæ nihil prorsus contulere. Interim tempus, quod morbo acuto subjugando apprime necessarium fuit, otiose quidem, imo pessime absumebatur.

Hæc vero qualis qualis præparatio ortu suum, ut opinor, duxit à trito illo, verum non satis intellecto Hippocratis Aphorismo §. 1. n. 22. Cocta, non Cruda, sunt Medicanda. Atque hujus magni canonis in alienos à re sensus frequentem contorsionem fuisse causam haud minimam equidem existimo, cur Medici tot celeberrimi multis retro sæculis ne hilum fere somniarint de purgationis beneficio in febribus continuis. Nempe cum febrium primi insultus (& maxime postquam ægrotantes lectulo calidiori fuerint aliquamdiu incarcerati,) Cruditatis signa evidentia sæpissime exhibeant, Medici astantes utut in Praxi aliàs egregie versati, statim ad sudorifica tanquam unicum Asylum plerumque confugiunt, ad Catharseos autem mentionem non minus ipsi quam ineptæ nutrices magnopere exhorrescunt.

Nec me præterit, quod Autores aliquot de Catharsi in Febribus, sicut & de aliis fere omnibus, disputationes prolixas instituerint, sed si rem ipsam paucis complecti liceat, potius ad implendam paginam, ad animum lectoris occupandum, atque ad doctrinæ copiam ostentandam, quam ad veritatem ipsam sive illustrandam, sive determinandam verbose collimarint. Magnum hujusce ævi ornamentum & lumen Sydenhamius, insolita animi fortitudine ac ingenio non vulgari præditus, hanc rem de qua alii plane verba dederunt, tum ratione multiplici comprobavit, tum factis, hoc est, Praxi ipsa plenius absolvit.

Præparatio humorum Crudorum in Febribus usitata, per Alexipharmaca ac Sudorifica, magis ad humores Crudiores reddendos, quam ad Coctionem veram introducendam spectat. Profecto ista immaturam potius ad mortem præparant, dum Cruditates ex imis corporis partibus sursum ad Caput impellendo, Phrenitides, Convulsiones atque ejusmodi deploranda Symptomata certo certius arcessunt.

In principiis Febrium (sive sint Essentiales, sive symptomaticæ) siquidem præ Coctionis lenta expectatione evacuationes necessarias in crastinum produceremus, tempus illud opportunum sæpe irrevocabile celeri pede præterlabitur. Tempus illud, quo fundamentum omne Curationis securæ illico jaciendum fuit, quo denuo vires constant, quo fere solo evacuationes emolumento esse possunt, sub Cardiacorum insulsa administratione, vel Chymicorum Febrifugorum fallaci experimento, paulatim fugit, atque æger nuperrime athleticus, furibundus nunc denique redditus, miserrime perit. Adhæc affirmo, quod non obstante hominum cæco præjudicio, evacuationes opportune celebratæ Urinam, quæ Cruda apparuit, ad Coctionem exoptatam, atque una ægrotantem ad incolumitatis propiorem conspectum citius ac certius ducat, quam quodlibet aliud, quantumcunque illud fuerit, quod nobis innotescit, humanij ingenii tentamen.

Præparatio igitur, de qua nunc agitur, nequaquam est aggredienda Sudorificis propriedictis, hoc est, corpus excalfacientibus, quæ nullo nomine teneris Infantibus aut puerulis prosunt sed multifariam lædere deprehenduntur. Quandoquidem res prorsus temperatæ Aciditatem prædominantem secure absorbebunt, ebullitionem paulatim lenient, atque Anodyna potentia ac tuta sunt evasura. Talia sunt oculi & chelæ cancrorum, testæ ostreorum, concharum, os sepiæ, cortices ovorum, creta, coralia, corallina, margaritæ, mater perlarum, lapis Bezoar uterque, c.c. ustum ebur ustum, os è corde cervi, rasura c.c. unicornu bolus Armena, terra sigillata, lapis hæmatites, &c Inter composita, pulvis è chelis 69. compositus, lapis è Goa, species Confectionis de Hyacintho, facile primas obtinent.

Ante

Ante omnia hic animadvertam, quod, ne liberalitas Medicorum versus egenos summe necessaria quoquo velo retardetur, pretiosa illa medicamina ex Indiis longe advecta (quantum in me est observare) non magis benignos effectus edant, quam quæ viliori constant pretio, & quæ, in usum humani generis multiplicem, nunquam satis colenda Divini Numinis Providentia ubertim suppeditavit.

Eâ propter etiam Magisteria lapidis alicujus pretiosi apud multos amplissimis præconiis celebrata, nullis ego laudibus efferre possum. Certe nativas quæcunque sunt vires alienis commutarunt. Quæ potenter absorbere Acidum apta nata prius fuerunt, Acidodulcia jam reddita, Arti plane debent, quod ad idem minus valeant.

Nullam mentionem consulto feci Salium Volatilium, sive sint Oleosa, sive Spirituosa; non Bezoardici Mineralis, Lunaris, aut Solaris; non spiritus salis armoniaci, non cornu cervi: quorum tamen Spirituum usus haud prorsus improbandus est vel in tenellis: nempe quia acidum absorbendi facultate excellunt, verum eos summa cum cautione in tenellis usurpandos esse, propter calorem non exiguum eosdem concomitantem adverti velim. Ideoque nec elogiis hic sunt prædicanda Salia Lixivialia, neque Aquæ Cardiacæ calidiores, quales aqua pœoniæ composita, epidemia, cœlestis, mirabilis, cinnamomi fortis, & similes qualescunque, nisi hæ minima quantitate aliis temperatioribus adeo diluantur, ut vis earum calefaciens sapori fere insensibilis fiat. Etenim quæ corpus valde calefaciunt, quocunque nomine honorifico ea nobilitentur, ceu pretium aliquod inestimabile præ se ferant, ceu salutem fere immortabile præ se ferant, ceu salutem fere immortalem fronte dura promittant, corpuscula puerorum, & multo magis Infantum, facile colliquabunt, naturalem omnem calorem vel sensim depopulabuntur, vel in febrilem tandem vertent, ac denique tenerrimæ ipsorum ætatulæ non magis conveniunt, quam lacticinia & panatellæ stomachum aratoris oblatrantem poterint compescere. Quibus ductus rationibus Galenus usum Theriacæ ipsius, utut rite præparatæ, quam tanquam unam fere omnium Panaceam amplissimis laudibus in cœlum usque sustulerat, Pueris tamen Sancte interdixit.

Quod prædicti pulveres Temperati Acidum absorbere soleant, est res ita vulgo nota, ut probatione nullatenus indigeat. Quod vero Anodynorum tutissima, ut & semper certa & indubitata in Torminibus Puerorum ea sint futura, luculentissime apparebit, si dosi mulsutum liberaliori quam vulgari, hoc est, sufficienti ad finem propositum exhibeamus. Adhæc, audacter eloquor, quod prædicti pulveres recte exhibiti Tormina eorum quæcunque, & inquietudines undecunque natas, nisi ob partium Principalium insignius aliquod vitium nihil spei ex medicinis qualibuscunq; sit reliquum, eadem certitudine compescuerint, qua certi esse possumus Rhabarbari vires Purgativas demum futuras.

Si in violenta aliqua Inflammatione aut turgescentia humorum tantummodo sex uncias sanguinis Adulto detraheremus, cum viginti ad minimum fuerint necessariæ, non est quod Venæsectionem tanquam minus propriam Curationi inculpemus, sed parcior illius Remedii potentissimi usus est unice incusandus. Similiter si pulverum prædictorum uncia una aut altera fuerit requisita ad ægritudines Infantum quibuscum corripiuntur demulcendas, quid magni ex drachmæ unius aut alterius (eodem temporis spatio quo uncia fuit necessaria) usu imperfecto, liceat expectare? Medicamentorum exquisita notitia est exigua, ne dicam minima, pars boni & periti Medici. Usus medicamentorum rectus ad intentiones Medicas integre satisfaciendas adaptatio tum generis tum quantitatis medicamentorum as,- particulari ægrotantis temperiei, idque à morbi præsentis perspecta penitus natura; dignotio temperamenti consummata, & potissimum in Adultis an sit sanguineum, an vero Melancholicum; an scilicet febris sanguinem maxime exagitaverit, an vero Spiritus ex tumultu deficiant, & vires fuerint enervatæ: denique Diætæ recta institutio, sunt omnia longe excellentioris momenti ad Medicum Optimum stabiliendum, quam Præscriptorum Medicinalium apparatus, undecunque collectus fuerit, numerosissimus. Sin illud minus verum fuerit, Pharmacopola Receptorum Doctissimus Doctorem eruditissimum in re Medica facile superabit, ipsum Pharmacopæum servulus garrulus confestim æquiparabit; nec non nutricula aut saltem locutuleiæ & con potrices fæminæ libris Receptorum Hæreditariorum turgidis jamdiu locupletatæ, palmam tum à Medico quantumvis docto, tum à Pharmacopæo in Præscriptionibus Medicis utcunque versato, forte fortuna reportabunt.

Verum ut institutum prosequar, Infanti anniculo Febricitanti, aut Torminibus (ut plerumque fit) excruciato, hujusmodi præscriptionibus succurrere soleo.

℞. Pulv. è chel. 69. comp. margar. pp. an. ʒj. M.F. pulvis in vi. p.æ. dividendus.

Vel ℞. Bezoard. Orient. margar. pp. ocul. 69. pp. an. ʒß. Specier. confect. de hyacin. ℈j. F. pul- vis similiter dividendus.

Vel ℞. Pulv. è chel. 69. simpl ʒj. ocul. 69. pp. ℈ii. cochinell. gr. vi. M. F. pulvis tenuissimus in vi. chartulas dirimendus. Sumat unam quamprimum, repetatur (si res urgeat) bihorio post, ac deinceps quarta quaque hora, nisi somnus intercedat, per duos primos dies. Exhibeantur vero Pulveres, in cochleari Julapii sequentis, superbibendo cochleare alterum.

℞. Aq. lact. alexit. ℥iv. ceras. nigr. ℥ii. pæon. comp. epidem. an. ʒii. Sacch. perlat. ʒß. M.F. Julap.

Vel ℞. Aq. puleg. lact. alexit. an. ℥iii. Syr. caryoph. ʒvi. M.

Vel ℞. Amygd dulc. excort. num. x. contund. in mortar. marmor. sensim affundendo aq. hord. aut. aq. lact. alexit. ℔ß. colatur. adde aq. cinnam. ten. ʒvi. Sacch. albiss. ℥ß. M. F. Emulsio.

Nonnunquam Julapio summe Perlato) omissis aliis uti soleo, vas diligenter agitari monens, antequam effundatur.

℞. Aq.

℞. Aq. ceras. nigr. ℥iv. totius citri ℥ii. mirab. margar. pp. ana ʒii. Sacch. albiss. ℥ß. M. F. Julap. Perlatum; dequo capiat cochlearia tria, ut prius.

Sin molesta Tussi opprimatur Infans, capiat subinde de Mixtura aut Linctu quodam molliori cochleare dimidium, interim pulveres suprascriptos parcius assumens.

℞. Corallin. pulv. è chel. 69' simpl. ana. ʒiß. Syr. capill. Ven. de althæa ana ℥j. de Balsam. Tolut. ℥ß. aq. papav. rhæad. ℥ß. ad diluendum M. Bolus Armena sæpe talibus proprie admiscetur, utpote catarrhos in pulmones depluentes potentissime sistens. Succus Pulegii, in quo calefacto solvitur saccharum candum, paucis remediis cedit. Oleum amygdalarum dulcium etiam optime conducit, si palato infantuli paulum arridere deprehendatur. Item sulphur vivum, aut flores sulphuris (mira exiccandi, penetrandi, imo & compactos humores in quacunque corporis parte discutiendi, facultate præditi) acidum absorbentibus additi, in habitu phlegmatico, maxime sunt ex usu. Neque enim sulphur noxiam aliquam aut deleteriam facultatem obtinet) prout Crato, aliique egregii nonnulli viri immerito quidem somniarunt) sed potius vi alexipharmaca, expulsoria, & corruptelæ humorum opposita, maxime valet.

Repetitio Pulverum prædictorum rarior, vel frequentior, non est exquisite definienda nisi pro ratione symptomatum, quatenus aut mitiora sunt, aut graviora. Id duntaxat repetam, tormina omnia, inquietudines, & vigilias Infantum, Testaceis apte exhibitis æque certo demulceri, ac dolores aut vigilias adultorum ipsis Narcoticis ad tempus tolli.

Hic autem, ~~qui vel~~ Praxin Medicam mediocriter delibaverit, objiciat, quod ejusmodi Pulverum exhibitio nihil Novi præ se ferat. Cui duntaxat refero, ineptum quidem, insipidum, parcissimum eorum usum, atque nullo animo intentioni rite satisfacturum, diu nimisque fuisse pluribus notum: atvero neque tam repetitam, neque tam magnam eorundem dosin, neque subsequentem purgandi necessitatem fuisse hactenus literis consignatam. Nota est fabella (quam & quicunque volet ad rem hanc nostram transferat) de lepido quodam, qui cum astantes gloriose provocasset, ut ovum alterutri extremo immobile collocarent, neque quisquam eorum, varia tentans, mysterium penetrare valeret, ipse utrumlibet ovi extremum mediocriter frangens, admirationem omnem derepente tollebat, & simul risum commovebat. Id quippe cognitum, toti sodalitio jam fuit facillimum.

Tertio die à quo sum advocatus, nisi variolæ, Morbilli, aut febris Scarlatina, caput attollant, purgandum esse præcipio, nempe infantem unius anni, in hunc fere modum:

℞. Syr. de cichor. cum rheo ʒii. rhabarb. el. pulv. gr. xv. aut ℈i. aq. lact. alexit. ʒi. vel cinnam. ten. gut. xxx. ad diluendum. Misce.

Vel ℞. Syr. de rhamn. cathart ʒiß. vel ʒii. pulv. diasen. gr. viii. M.

℞. Pulv. Comit. Warvicens. in nuperrima editione Pharmacopœiæ Londin. descripti, aliis pulv. Cornachin. gr. vi. Sumat in cochleari aq. ceras. nigr. sacchari tantillo edulcorata.

℞. Amygd. dulc. excort. n. iii. Contund. in mortar. marmor. sensim affundendo aq. hord. aut aq. alicujus simpl. ℥j. vel ℥iß. colat. dissol. mann. opt. ʒiii. vel. ℥ß. M. F. Emulsio cathartica.

℞. Elect. lenit. ʒii. vel iii. solve in aq. lact. alexit. ʒi.

In symptomatis ἀτόποις, ex summa humorum putredine oriundis, sæpe ex usu est Æthiopis Mineralis inferius descripti grana vi. vel Mercurii dulc. gr. 4. admixta in mortario vitreo, cum florum sulphuris tantundem, in Syrupi alicujus grati cochleari parvo, nocte catharsin præcedente, exhibere.

Si ægrotus infans ad tres vel quatuor annos jam adolevit, vel si Dentitionis negotium sit maxima ex parte absolutum, & præsertim si lumbricorum aut putredinis humorum gravioris aliquamdiu contractæ sit suspicio aliqua notabilis, Bolus ex istiusmodi præparationibus apprime conveniet, atque potest confici, cum miva cydoniorum, vel cum cortice citri condito, per setaceum trajecto.

Ejusmodi Boli illis haud parum conducunt, quorum alvus est vulgo constipata, & medicamentis difficilius solvitur, utpote Præparantes, quo Catharsis mane insequenti instituenda faciliorem ac meliorem protinus edat effectum.

Nonnunquam etiam regioni umbilici Emplastrum sequens, aut consimile, adhibendum impero.

℞. Aloes Succotr. ʒi. fol. sabin. summit. centaur. min. flor. chamæm. pulverat. ana ℈i. terebin. Ven. qs. f. Empl. cujus margini illinatur paulum emplastri è Cymino, quo melius parti adhæreat. Interdum & cæteris colocynth. ℈ii. addere licet.

Nullum omnium medicamentorum Purgantium novi magis accommodum ætati puerili, magisque ex se innocuum notissimo, atque usitatissimo Rhabarbaro, quod febrium tenellorum, materiam blande admodum, & tuto subtrahit: quod ventriculum, imo & totum corpus vitiosis humoribus prægravatum, tum leniter expurgat, tumq; strenue corroborat, quodq; eo nomine infantib. pueris, prægnantib., senibus & ex morbo aliquo jam imbecillis, maxime quidem convenit. Titulum hieræ Rhabarbarum profecto æquius meretur, mire collaudata apud veteres, nec non à recentioribus etiamnum celebrata, & in pilulis omnibus Officinalibus locum primum, sive basin, tenenti Aloe, quæ ob amarorem suum insignem non exiguam laudem quandoque postulat, verum ob acrimoniam, corrosionem, & calorem quem corpori summum impertit, aliquam subit, nec immerito, infamiæ labem.

Ab operatione Lenitivi alicujus purgantis, pulvis prioribus consimilis est vesperi injungendus, & postea repetendi sunt ter vel quater in die, temporibus opportunis, pro duabus aliis Nyctemeris; & rursum tertio die iteranda est purgatio, cujus quantitas tunc demetienda est pro ratione operationis prioris.

His rite peractis plerumque cessant graviora omnia symptomata, vel saltem multum leniuntur, ut proinde in vado jam res sit, quæ in extremo discrimine paulo ante fuerat.

Pueris aliquantum provectioribus eadem methodus (sub quacunque Forma perficiatur) humores

mores primum Præparandi, dein Expurgandi, tutissimo usui esse potest, proportione alterutrius medicamenti, secundum ætates, diligenter observata.

Notandum est, quod prima Catharsis quam Pueris Febricitantibus adhibemus, sit non tantum è Lenitivis, verum etiam dosis eorum plerumque sit mitior, quam alias fieri debet; quodque nocte primam Catharsin præcedenti Enema mitissimum è lactis vaccini unciis quatuor sacchаro dulcorati, & salis tantillo addito in alvo astricta, sit nonnunquam injiciendum.

Insuper ad vim primæ istius Purgationis accelerandam, atque defectum medicamenti Cathartici (siquis tunc sit) supplendum, crystallorum Tartari scrupulus unus, aut alter, in cochlearibus aliquot jusculi avenacei tenuioris, aut similis, solutus, tutissime atque efficacissime exhiberi potest.

Verum imprimis cavendum, quod crystalli tartari sinceri, & rite præparari, in usum vocentur, non autem adulterini isti, & vulgo venales, quorum pretium fere idem est, ac tartari ipsius crudi.

Si Infantem carnosum, obesum, aut temperaramento humidissimo atque in acidum degeneri constantem, ægrotatio aliqua difficilis (idq; tempore brumali potissimum) corripiat, ut putredo acetosa duabus Purgationibus in hunc modum exhibitis nequeat in totum superari, tunc in eadem methodo ad vicem unam aut alteram adhuc persistere oportet, donec ægritudo omnis penitus evanescat: nisi quod diei unius aut alterius intervallum præfatis diebus, in quibus Pulveres Acidum alterantes erant exhibendi, debeat superaddi.

Nec incommodi quicquam observare unquam potui ex toties repetitis Purgationibus in temperie contumacissima, sed vires prius enervatæ gradatim redintegrari sunt semper visæ.

Id solummodo cavendum in Puerulis purgandis, quod nulla unquam occasio, quæcunque ea sit, viribus fortiorem catharsin iis adhiberi postulet.

Quamobrem hic præterire non possum quæ maximus rei Medicæ magister, Hippocrates, in libro de Medicamentis Purgantibus scite, sed minus recte intellecta, edisserit: Quicunque igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris. Sin minus, saltem non intra quatuordecim dies. Carnes enim ipsorum & ventres, quum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi regii speciem præ se ferunt. Commota enim bile, & non purgata, non sorbere vult æger, neque bibere, sed omnia abominatur, & plerumque perit. At si hac die superstes maneat, & una cum purgatione remittat febris, sanus fit. Quapropter in febribus vehementibus medicamenta purgatoria exhibere non oportet. Verum si alicui opus fuerit, infusum per clysterem adhibere potes, quotiescunque volueris. Hoc enim minoris periculi est.

In his verbis magistri nostri Observandum est. 1. Eum verba facere de febribus adultorum, quæ fortes, vehementes, atque Ardentissimæ esse solent, non vero intelligenda esse de febribus infantilibus aut puerilibus, cujusmodi sunt natura mites, & minus ardere aptæ. 2. Medicamenta purgantia sui temporis fuisse vehementia fortissima, nec non dicta deleteria, ut elaterium, colocynthida, Helleborum, & similia; nostrorum vero Lenitivorum pleraque Mitissima, imo maxime Temperata, si non quædam actu frigida, fuisse ejus sæculi sapientibus adeo incognita, ut antipodes, ut novum orbem, ut denique Artem Typographicam. 3. Hippocratem loqui de Febribus in naturali suo statu, & sibi alias permissis, sicut & descriptiones suæ Morborum Epidemicorum verissime atque accuratissime sese habent: non vero de Febribus intelligi ipsum fas est, quatenus ars futurorum sæculorum, & maxime præsentis hujusce seculi, utcunque invidis præsentia male audire solent, provectior quidem & maturior (quod posteri grata memoria, ni maxime fallor, recolent, & facile confitebuntur) tandem dedicit, eas ad purgandum rite Præparare, atque earum truculentiam liberaliori Adultorum venæsectione, die præcedenti catharsin habita, multum temperare, aut etiam perdomare. 4. Considerandum est, Hippocratem hic docere, quod si Febre detentus medicamentum Catharticum assumat, atque ejus diei periculum forte effugiat, ipse statim, id est, eadem ipsa die in sanitatem incolumis redeat. Quod verum quidem esse, & pueros Febricitantes eadem ipsa die, ab operatione primæ Catharseos absoluta, symptomata febrilia universa, (id autem imprimis tempore verno aut æstivo) statim excussisse sæpe sæpius vidi.

His itaque præmissis dico, Hippocratem recte sentire, de purgantium medicamentorum deploratis affectibus, prout pharmaca sui sæculi fortissima in Febribus ardentibus imperite, nempe Venæsectione haud præmissa, exhibebantur. Atvero si in adultis, & præsertim Sanguineis, aut Athletico temperamento donatis, die Catharsin præcedenti, sanguis liberali manu detrahatur, atque Lenitiva nostra proxima exhibeantur: aut si Juniorum corpora Testaceis, & ejusmodi acidum contemperantibus Præparentur, quo melius causa febris primaria radicitus expurgetur, via ad sanitatem celerior, imo securior sternitur, quam Cardiacis aut Diaphoreticis quibuscunque fieri potest.

Videtur autem mihi (ut id obiter dicam) ea esse vera & principalis ratio cur catharsis apud Medicos bene doctos in acutis Morbis hactenus ita male audiverit: nempe quia iidem plaustrum equis, ut ajunt, præponere solerent, hoc est, Catharsin venæsectioni præmitterent, aut saltem posthabita sectione venæ, ubi apprime necessaria fuerit, Catharticum solum, idque è fortioribus, temere propinarent.

Quod ad Venæsectionem puerorum attinet, quamvis materiæ febrilis in Pulmones metathesis insignior, & Tusses Convulsivæ, eam in minimis Infantibus quandoque exigant, tamen aperte constat, eam non esse medicinam iis natura consentaneam, neque magis huic tenerrimæ, quam decrepitæ ætati accommodam. Et proinde minime necessarium duco ejus auxi-

lium

implorare iu quibuscunque Infantum affectibus, nisi in Tussibus istis Convulsivis, vel ubi Febrim subito exortam Tussis importuna concomitari solet: nisi & in Convulsionibus gravioribus, quæ nonnunquam contingunt. Etenim raro aut nunquam Infantes victu tenuiori & minime lauto nutriri soliti vera Plethora (utcunque fuerint floridi) laborare sunt habendi. Humiditas iis inest, qua diffluere omnes solent, atque ejusdem Humidi in acidum præternaturalis ac facilis conversio, est omnium illis ægritudinum causa. Neque credam, sanguinem corpore eductum posse Humidum temperamentum, idque præsertim in Acidum jam degeneratum, proprie corrigere.

Sunt qui pertinaci Contradicendi cupiditate ducti, omnimodum mittendi sanguinis usum, vel in Adultis, incusant aut reformidant. Nimirum hi sunt Helmontii illius nunquam iracundi, & rationi medicandi veteri semper amicissimi, sequaces discipuli; Arcanorum tantorum fortunati hæredes, ut nec Ars medica, nec Respublica eorundem Notitia unquam fuerit digna. Nimirum & hi sunt qui Chymiæ cujusdam non vulgaris, Medicis omnibus peritis plane ignotæ, quæ non nisi mirandos effectus producere solet, Adeptos & Philosophos per ignem sese venditant.

Testacea omnia valide exiccant, eaque de causa affectibus ab humiditate nimia pendentibus, sicut & naturis eadem abundantibus, proprie conveniunt. Puerorum autem temperies humidissima est, eo quod omnium mollissima. Quin & leviuscula astrictione sunt eadem prædita, quæ ustione deperditur, quanquam ustio calorem, imo & acrimoniam non exiguam impertit, quod in Calce viva, ut & in Chymicis quamplurimis medicamentis, manifesto apparet. Cæterum & Aciditatem potentissime obtundunt, quæ humiditatis aqueæ putredinem perinde sequitur, ac ignem calor. Porro Testacea nullam calefactionem teneris corpusculis præbent, qua potissimum consideratione ductus eorum usum omnibus aliis medicamentis in Puerulis curandis longe antepono.

Sed est & aliud, propter quod hujusmodi testacea in Pueris tractandis prædico. Ventriculus ipsorum fermento quodam voraci, ne dicam insatiabili, imbuitur, cui tantisper compescendo Liquida sola minus valent. Siquidem aut obtundi debet Butyro orificio ventriculi superiori diu innatante, aut panatellis, vel fartis farinaceis, haud ita confestim ventriculo depulsis, nutriri discupit. Atque ægrotantes puerulos non semel observavi vix alia causa languescere, quam quod eos nutrices victu tenviori ac nimis liquido reficere solerent. Quapropter Testacea multis nominibus puerorum naturæ sunt idonea, neque impressionem sive alterationem quam in ventriculi regione faciunt, ita celeriter ac liquida medicamina quæcunque deperdunt.

Ut nihil dicam de avibus quamplurimis pica sive appetitu depravato (quod Pullariis notum) debilitatis, quæ arena cibo inspersa, atque una deglutita cito convalescere solent.

Testaceorum nomine, non solum proprie dicta intelligi, sed & Corallia, Cretam, Corallinam, bezoar utrumque, & similia, eadem fere facultate Acidum absorbendi conspicua, & naturis affinia, licet pleraque stirpis prorsus alienæ designari volo.

Hujusmodi medicamenta quidem diu in usu Medico fuerunt, verum usus eorum rectus, & naturæ puerili maxime accommodus, aut nullatenus innotuit, aut opem fere nullam hactenus tulit. Perminuta enim illorum dosis plane effecit, ut ad alia minus tuta, imo naturæ puerorum contraria & noxia (intelligo Opiata) quilibet Medicorum, in Vigiliis & doloribus compescendis, jamdiu transiret.

Atque hic me non fugit scomma quoddam super hac re à medico celeberrimo in me olim missum. Nempe cum ad subveniendum Puero Nobili, maximarum facultatum hæredi, curæ meæ demandari solito, & febre periculosissima tum languescenti, meo monito accerseretur, atque ille Narcotici exhibitionem statim proponens, me ejusdem usui maxime reluctantem, inopinato offenderet, tu inquit, more exoleto, non hodierno, si ita sit animus, medicinam facere videris; cui ego: neque, ut mos incessit, pueris medicinam quidem aut facio, aut unquam me facturum credo. Cum enim ex prædictorum usu, non minus certus sim, imo longe certior (ni plurimum fallor) & saltem tutior, in Torminibus compescendis, vigiliis sublevandis, doloribus quibuscunque leniendis, & denique in diarrhoeis sistendis, ac est quilibet alius (quantumlibet Narcotica vulgo æstimantur) cum maximo vitæ discrimine, per id genus medicamenta.

Nullus, quod scio, Opiatorum insanus admirator eorum usum in Debilibus, imo Debilissimis naturis unquam laudavit; licet in eisdem nonnulli Opiatorum usum tacite persequerentur. Nempe proverbium illud animo tenaci forte complectentes, quod Mortui obmutescant. Verumenimvero cum pulsus juniorum sit debilissimus, temperies natura tenerrima, & vires sint admodum infirmæ, neutiquam mihi constat, cur incertis & periculosis medicamentis, quando tutiora, imo tutissima sint æque in promptu, ægrotanti Puerulo subvenire contenderemus.

Adjiciam & illud, quod ex quo mihi abunde innotuit Testaceorum, atque ejusmodi, vis prorsus Anodyna, imo Infantibus Soporifera (dummodo dosi ad finem attinendum requisita tum exhibeantur, tum repetantur) vix quæpiam eorum ægritudo, quantumvis dolorifica, minimam Narcoticorum proprie dictorum delibationem postulare mihi visa est.

Ut autem in nullis Infantum affectibus pharmacia Opiatica est probanda, ita neque in eisdem Medicamentorum Calefacientium (quantumlibet nomine Cardiaco, aut salutifero vulgo inscribantur) usum, saltem liberaliorem, laudare unquam possum. Cardiaci nomen affabre, & singulari artificio inventum fuit, ad mulierculas omnes blande demulcendas, ad facilem captum ruricolarum sæpe à medicis peritis longe habitantium, atq; à bonis in vicinia matronis medicinam Eleemosynariam cum laude facientibus Cardiaca ad omnes morbos reportantium, & denique ad ignorantes universos summa oblectatione nunquam non perfundendos. Quis enim ex Cardiaco propinato malum aliquod suspicetur? Et tamen res est aliquantum dubia

nonnullis emunctæ naris Medicis, an eorum qui citra violentiam diem obierunt, plures ex Morbis vel Cardiacis revera interierint. Quicquid enim morbi symptomata exasperare solet, sitim auget, linguam aridam facit, aut quoquo modo febrilem flammam intendit, naturis omnium tenerrimis, & vires illatæ injuriæ fere nullas opponentibus minime quidem convenit. Et profecto diversa nocumenta, ne dicam exitialia, ex regimine puerorum Calidiori iterum atque iterum supra adverti, cum ex usu Temperatorum prædictorum, quotiescunque is fuerit, ne unum quidem incommodum observare unquam licuerit.

Hic objiciet aliquis, quod ex dura, & pene Saxea medicamentorum prædictorum substantia, Obstructiones necessario progignantur, quodque res ejusmodi indolem Puerorum tenerrimam, & vias omnes minimas, propter partium exiguitatem, procliviores obstructionibus reddere debeant.

Cui dubitationi quo melius satisfaciamus, considerandum est, parentem obstructionum solennem & legitimum esse Acidam Intemperiem, quam sæpe contrahere solent Infantes, ex ipsa Aeris frigiditate, atque ex temperamenti sola teneritudine, utut victus tenuissimi, ac limpidissimi ratione utantur. Ideo & quæcunque Acidam Intemperiem corrigunt, contemperant aut obtundunt, & Coagulationes solvere apta nata sunt (quod imprimis ejusmodi res faciunt, & sine caloris tantilli additamento) obstructionibus submovendis, & reliquæ symptomatum catervæ ex hac ansa pendentium cito devincendæ maxime sunt idonea.

Alii fortasse crimini dabunt, quod abdita, & in Scholis Medicorum jamdiu celebrata de crisibus doctrina interim negligatur, quodque dierum criticorum computatio veteribus ad unguem instituta, & ab iis, qui res minus intelligibiles maxime admirantur, etiamnum prædicata, in oblivionem nobis abeat. Subjicio igitur, cum Crisis sit repentina mutatio in morbo facta, vel ad salutem, vel ad mortem, eam, quatenus summa diligentia observare licuit, ab ipsa curationis Methodo (idque maxime in tenellis de quibus hic res agitur) in totum pendere, atque à solertia artis vel imperitia aut accelerari, aut produci. Etenim cum Evacuationibus generalibus tempestive adhibitis curatio principaliter innitatur, Cruditates febrim committentes citius, quam alias fieri solet, concoquuntur, pars materiæ morbificæ statim eliminatur, & reliqua viribus impar medicamentis deinceps administratis facilius cedit. An vero cum Diaphoreticis, & Cardiacis dictis exagitari soleant humores, aut in majorem confusionem spiritus quotidie subvertantur, atque res permittatur solis enematis, quæ ultra crassa intestina integris viribus nunquam transgrediuntur, uti concoctio, ita crisis ipsa, jure merito post nimiopere doctam & solennem medicamentorum quamplurium pompam sero, uno tardissime est expectanda.

Ut vero finiam, crisis nihil aliud quidem videtur, quam ultimum naturæ conamen reliquis omnibus viribus materiam morbificam per locos convenientes tandem evacuare. Idque apud nos sæpissime contingit per Sudores, nimirum ob præposterum regiminis calidioris usum. Fit etiam sæpe per Hæmorrhagiam, per Alvi fluxum, per Vomitum, & nonnunquam per urinas. Quæ omnia concludere efficiunt, quod Natura ipsa, Medicorum optimus, & Sapientissimus, nullam aliam febres judicandi rationem, nisi quæ debitis evacuationibus perficitur, aut vult unquam intelligere, aut conari.

Multa nuperis hisce temporibus varie sunt conscripta, atque argumentis disceptata, de insigni Præcipitantium usu in medicina, quasi omnes ægritudines quibuscum homines conflictantur facillime abigerentur, si Præcipitantis proprii & Specifici cuique morbo maxime accommodati dignotionem exquisitam nos haberemus. Notandum est autem nos impræsentiarum agere de affectibus Puerorum acutis & febrilibus, qui vitæ eorum derepente interminantur, non vero de Chronicis, qui medicanti longas dant inducias, atque novas rerum facultates curiose experiri tutius permittunt. Rursum præcipitatio est separatio particularum crassiorum, quæ vi solventis Acidi in liquore aliquo claro imperceptibiles suspendebantur, ast ope acidum infringentis, vinculis jam solutæ, ad fundum depelluntur. Porro cruditas, quæ in febribus apparere solet, nobis quidem videtur esse prædominantis acidi genuinus effectus: coctio vero acidi multum infracti, atque naturæ vincentis signum. Et proinde Catharsis arte sollicitata Cruditates sursum prius latas versus fundum corporis deorsum impellit, & videtur præ omnibus aliis medicamentis proprie præcipitare, quo eædem per alvum vel urinas tandem exonerentur. Quinetiam quodcunque aliud medicamenti genus (tametsi Speculatores, Philosophos se nuncupantes, longe aliter sentiunt) Præcipitandi rationem aliquam habet, vix aliam ob causam, nisi quatenus quodammodo Catharticum, illam effectum unquam producit. Neque enim præcipitatio in corpore diversiformi, atque totidem succis & humoribus, tot ductibus & anfractibus constanti, eadem aut celeritate aut certitudine transigi posse intelligenda est, qua præstigiator Chymicus instillationibus varii generis in suos liquores, vel colorum mutationes plane admirabiles molitur, vel præcipitationes dictas Magisteria quantocius conficit. Quandoquidem igitur Febris partes vitales, & maxime superiores, intentare solet, neque experimentis incertis aut periculosis moram aliquam relinquit, prudentis medici certe erit, qua potest efficaci methodo, materiam febrilem non modo levioribus aut fictitiis Præcipitantibus demulcere, quin & veris & genuinis, hoc est, evacuationibus opportunis, quamprimum fieri potest, radicitus extirpare.

Cum vero per plurimos Medicos famæ celebritate admodum conspicuos, jamdiu, imo etiamnum, serpserit consuetudo fugam omnium fere febrium Sudorificis maturandi, non abs re erit hic pauca quædam eo spectantia nunc subnectere.

Ut primum quempiam febre epidemica correptum vident, de Malignitate nescio qua protinus somniant, atque alexipharmacis & diaphoreticis haud parum calidis Malignitatem illam propulsare indesinenter contendunt. Interim

rim febris ex sua natura sæpissime mitis, nec mali omnino moris, ex ipsa methodo vere maligna (si quæcunque alia) solet effici. Etenim cum serum sanguini per venas & arterias transferendo debitum Sudorificis importunis ita penitus exhauriatur, nil mirum est crassiores sanguinis partes in motu suo interrumpi, ac quodammodo stagnare; Pulsum exinde debilitari atque inæqualem, undosum, tremulum, formicantem, aut intermittentem reddi; Urinas insuper eadem de causa paucissimas esse, aut Cruditatis summæ indicia exhibere; ac denique notas malignitatis primarias, nimirum petechias, Maculas purpureas, & quandoque stigmata pestilentialia, (varios gangrænæ fientis aut facti gradus) sese ostendere solere. Nempe habitus corporis humido multo prius perfusus, & benigno calore constans, sub regimine calidiori statim exarescit, aduritur, atque æstu acerrimo prorsus torretur: ut proinde neque lymphæ irrigandis continuo partibus destinatæ copia sufficiens restet, neque sanguis crassior jam redditus, & passim stagnando idoneus, per vasa circuitioni perenni ad vitam sustentandam necessariæ inservientia amplius fluere aut moveri possit.

Illis autem qui malignitatis infælicem notionem & retinere volunt, & cæce deperibunt (utpote nomen funestos ignorantiæ epidemicæ effectus tutissime celans) propono considerandam communem Turcarum praxin, à mercatoribus fide dignis mihi concreditam indoctam quidem, sed vere rationalem, quinimo naturalem, in curanda ipsa peste malignarum omnium Febrium facile principe, per succum limonum in omne jusculum liberalius instillatum, per frusta limonum saccharata ore frequenter masticata, & per potum apud eos vulgatissimum, dictum Sherbett, hoc est, per ipsum regimen frigidissimum: utpote quibus mithridatium, theriaca Andromachi, radix serpentariæ Virginianæ, & cætera nostrorum remedia calidissima, Alexipharmaca nuncupata, bonis auspiciis sunt plane incognita, aut in nullo numero saltem habentur. Neque igitur mirum est, pestem (cujus terror nostratium animos fulguris adinstar longe lateque percutit) apud ipsos nonnunquam minorem hominum stragem facere solere, quàm mitem alias febrim iis in regionibus in quibus grassatur doctrina.

Argumentum est infidum, & vel puero dignum, quo medici nonnulli, ad partes malignitatis tuendas, uti solent, quod scilicet febrium quarundam natura rectè statuatur maligna, quoniam eædem sunt sæpe contagiosæ. Nam si contagium necessario indicaret aut probaret existentiam malignitatis, consequeretur scabiem ipsam morborum malignorum numero fore accensendam. In quo tamen morbo nec vires concidunt, neque appetitus prosternitur, nec pulsus, aut Urina quicquam à sanissimis discrepant; ac denique in quo functiones tum animales, tum naturales constant, & rectè fiunt. Certe Contagio aliquo non carent morbi, quotquot insignem inflammationem in se habent, ut pestis ipsa, de qua jam loquor, ut variolæ, ut morbilli, ut Tussis infantum Convulsiva, & cæteri id genus morbi, qui inflammationi intensissimæ originem suam debent.

Quod ad Sudorifica in febrientibus attinet, haud inficias eo, Sudores sive naturales, sive arte sollicitatos, in primis Febrium insultibus (cum pori cutis incipiant occludi, cumque sensibilis aut insensibilis perspiratio corporis plurimum impediatur) nonnunquam maximi è re fore. Sudorifica autem, quæ in usu esse debent, sint Temperata, non ea quæ incendium internum promovent. Neque sint tam sicca, & pharmaceutica, neque etiam tam spirituosa, qualia flammam flammæ admovent, quam Liquida & culinaria, quæ materiæ copiam sudoribus proliciendis supplere possunt, quæque ob calefactionem externam, non ob calorem suum ingenitum sudores provocant.

Rem unam hic notatu non indignam, nec à scopo nostro prorsus alienam, nolo prætermittere. Ea nimirum febris, quæ anno jam præterito grassata est, & cujus historiam nunc breviter tradam, malignæ etiam nomen, apud medicos quosdam diaphoreticorum usu notissimos, forte asciscebat.

A media parte mensis *Maii* anni ultimo elapsi ad aliquot septimanas, febricula quædam (qua ægrotantes de leviusculis doloribus singulos eorum artus per vices tentantibus, de dolore etiam Capitis frontem imprimis corripiente, atque de Vertigine quadam maxime conquerebantur) adeo epidemice invalescebat, ut nullam similiter, quacunque ex causa, aut quavis anni tempestate, hactenus observaverim. Integræ familiæ quamplurimæ eadem febri pariter corripiebantur, ut vix uni è multis procellam illam generalem effugere contigerit. Insultus autem hic febrilis ita epidemicus ex varietate ipsius tempestatis anni tunc temporis pendere mihi plane videbatur, æstu aliquot dierum intensissimo in frigus derepente mutato, perspiratione corporis sensibili tunc impedita, & poris qui apertissimi fuerant ex improviso occlusis. Illud vero super hac re advertam, nunquam tot homines simul ægrotasse, nunquam pauciores fuisse fato perfunctos. Ea quidem febre laborantes, methodis tam congruis quam absurdis, nimirum venæsectione, catharsi, sudorificis, administrationibus omnibus muliebribus, culinaribus, aut medicinalibus, domi aliquantisper continendo, foras in aerem prodeundo, equitandi exercitio aut alio quocunque, imo perturbatione omni & cura paululum vacando, ac denique nihil quicquam aut quodlibet agendo, in universum fere omnes convalescebant. Siquos autem mitissimo illo morbo male mulctari acciderit, adolescentes fuerunt & juvenes, fervidiori temperamento donati, atque sudorificis calidissimis ultra modum lacessiti. Quod in hac re notandum restat, extimescendum est nobis, naturam hujusce febris ita mitem ac benignam, tam impropriis quam salutaribus remediis facile propulsatæ, effectus diros atque funestos posthæc forte habituram: nempe optatum illum successum frustra expectantibus bonis illis mulieribus, & gregalibus medicastris, ex cardiacis suis & nescio quibus sudorificis (cum alia tempestas anni curationi fuerit plane aversa, & febris quæpiam truculentis admodum symptomatis stipatam sese ostenderit) quam tempore vernali, & cæptis quibuscunque plurimum favente, atque in febre omnium mitissi-

ma, prius visi sunt experiri.

Priusquam exempla aliquot Curationum methodi nostræ beneficio peractarum libeat proponere, paucula quædam adjiciam, quæ symptomata infantum magis usitata respiciunt: quæcunque apud Autores vulgo invenienda sunt curiosis relinquens.

Inter omnes affectus, qui vitæ infantum interminantur, nullus tot gravia symptomata progenerare solet, quot dentitio difficilis & laboriosa. Ægritudo illa novem mensium, sive prægnatio (quæ sexcentarum & innumerarum calamitatum autor, justius quam ipse uterus, perhiberi potest) genitrices non paucioribus periculis, quam fœtum omnem Dentitio exponit. Etenim cum gingivæ tenellorum inflammationem talem sæpissime subeant, qualem aliæ corporis Adultorum partes (unde febres hisce impendent vehementissimæ) eo quod dentes ex alveolis in conspectum erumpere nequeant, minime est demirandum eorum tenera corpuscula tot symptomatis febrilibus gravissimis eapropter jactari solere. Nimirum illinc iis Tormina ventris, Vigiliæ, Inquietudines, Profluvium alvi, aut ejusdem constipatio, dejectiones & Vomitus virides, aphthæ, febres, convulsiones, & similia: quæ universa eidem fere methodo (ratione ætatis, & symptomatum violentiæ habita) Acidum primo contemperandi, ac deinde leniter expurgandi indubio cedunt; nisi morbus Chronicus in Acutum transiens, sit valde complicatus, atque altas adeo egerit radices in regione partium principalium, ut nulla jam arte dimoveri queat; aut nisi misellis fuerint ingenita mala, imo pessima stamina vitæ.

Duplex est dentitionis tempus, infantibus molestum: unum, quo dens osse maxillari primum emergere nititur, & quo gingivæ pars extera & superior, absque aliquo ejusdem tumore, albido quodam circulo circumscribi utplurimum solet. Alterum est, quo dens mole jam auctior, & amplior factus, gingivam tumidam semper reddit, inflammationem insignem in eadem parit, atque eam perrumpere omni vi conatur. In primo illo dentitionis molimine, æque ac in secundo, chirurgi gingivas infantum quacunque ex occasione imperite incidunt, quo scilicet dentes facilius erumpant, unde vulnus citra necessitatem, & nullam plerumque opem ferens, teneris promiscue infligitur, quum secundum solummodo dentitionis tempus (quod diligenter notandum est) eam plagam inferri proprie requirat.

Est & aliud circa hanc rem observatione non prorsus indignum. Nempe quod chirurgorum nonnulli gingivam intumescentem aperire jussi, phlebotomo suo id facere consuescant: quod pluribus exitio fuit. Nam cum incisio ejusmodi statim cicatricetur, neque foramen aliquod denti extrudendo aliquantisper permaneat, plane inefficax ea fit, atque alia remedia interim negliguntur. Curandum est igitur medico, ut instrumento magis commodo (sive sit Scalpellum quo calami scriptorii vulgo conficiuntur, sive sit aliud, cujus dorsum in densitatem novaculæ æmulam assurgat) incisio semper fiat.

Cum aphthæ ab halitu acri incendii interni, teneram oris pelliculam (quemadmodum & alias corporis partes interiores) rodente aut vellicante proveniant; quæ illam acrimoniam potenter retundunt, atque etiam tollunt, ea sola nobis maximi sunt æstimanda. Gargarismata autem, topica, & τοπικὰ φάρμακα nullius hic sunt usus. Nequeunt enim infantes os suum quoquo modo colluere, nisi id inter ipsam deglutitionem quadantenus evenire existimetur. Quippe illico deglutiunt, quicquid ipsis propinatur ad colluendum aut hauriendum; imo ipsum illum humorem, qui Tussis vi ad fauces rejicitur expuere nolunt (nisi invitos quandoque Vomitus cogat) sed in ventriculum suum delabi constanter permittunt. Nec vero materia ex qua gargarismata conficiuntur ita est nonnunquam innocua, ut tuto eorundem usui in tenellis locus relinquatur. Certum est, aphthas (quantumlibet lactationem, aut qualemcunque esitationem impedire solent) Testaceis, & lenissimis catharticis dicto modo intercalatis protinus recessuras esse; neque video, cur pluribus artificiis ad finem attinendum nimis docte uteremur, cum pauciora medicamenta, & simpliciora, tam tutissimos quam præstantissimos effectus edere poterint.

Ratio autem, quare oris superficies adeo aphthis producendis faveat, cum interim cæteræ corporis partes ulcusculis nullis afficiantur, hæc est: quoniam pellicula est eadem, quæ circumvestiens regionem oris per œsophagum in ventriculum ipsum continua serie ejusdem tunicæ exporrigitur ac descendit Quamobrem halitus acres ex effervescentia corporis præternaturali circa hypochondria contingenti, tanquam ex aheno per oris spiraculum sursum feruntur, atque membranæ illius partis labem suam facillime infigit. Ideoque gustus linguæ delicatulus sapores omnes promptissime distinguit. Denique propter eandem rationem Medici temperiem corporis prædominantem ex conspectu linguæ usitato valent dijudicare.

Diarrhœa infantum ab orgasmo humorum in intestina delabentium, vel à turgescentia illic bilis cum acido prædominium habente semper profluens, neque Astringentibus proprie dictis, neque narcoticis est cohibenda. Astringentia enim refluxum humorum acrium versus partes nobiliores producere solent; quod humidissimo & fluidissimo temperamento præditos in discrimen vitæ manifestum conjicit. Narcotica quidem ferociam humorum turgescentium ad tempus consopiunt, quo scilicet vi sæpe majori paulo post recrudescant. Adde, quod vires puerulorum tenerrimæ, & à morbo jam multum fractæ ac enervatæ opiatorum energiam potentissimam raro sine maximo salutis discrimine sustinere valeant. Quæ vero acorem molestias omnes facessentem mollitet demulcent, & tutius exhibentur, atque iis rectius conveniunt. Quamlibet enim in levioribus hujusmodi casibus (ubi febris abest) diascordii, & similium, utroque medicamenti genere constantium, usus in malam partem non cessisse, quin potius emolumento alicui fuisse, nobis quidem videatur, tamen compertum est, ea in febricitantibus infantulis periculo suo haud vacare, atque cretam, corallias, margaritas, acid genus alia ferocientes humores compescentia, citra aliquam caloris novi accensionem,

sionem, ut demum Rhabarbaro expurgentur, Symptomati huic perdomando optime conducere, & suppetias saniores ferre.

Nec minus in fluxu deorsum, quam sursum habito, sive vomitu eadem prodesse liquebit. Quamdiu enim in ventriculi regione potissimum regnat quæ est perturbatio, atque Aciditas in primis omnium viis potestatem suam maxime exerat. medicamenta quibus facultatibus pollent eas integras, & illibatas, ventriculo impertiunt. Emetica, ut Sal vitrioli, vinum benedictum, Tartarum emeticum, &c. hic præ aliis remediis palmam nonnullis præripere videntur; sed si ætatis tenerrimæ, & virium summæ imbecillitatis ratio in emeticis propinandis locum aliquem promereatur, & si coagulationum facilis solutio, ac deinde subductio, à rebus nullam naturæ vim injicientibus, nullum vitæ periculum secum ferentibus, satis efficaciter, imo longe tutius, atque ab emeticis, aut narcoticis, haberi possit, sane prudentis Medici erit ab istis omnibus abstinere, aut etiam in totum abhorrere.

Neque eadem prosunt tantum in fluxu omni, verum & in torminibus infantum undecunque natis, in quibus non modo præstantes, sed & specificas (si quælibet alia) facultates habent. Non ego Corticem Peruvianum (principem omnium hujus sæculi medicamentorum) febribus intermittentibus magis specificum, non opium (celebratum illud alterum remedium) vigiliis & doloribus magis compescendis, quam testacea illa prius memorata torminibus infantum specifice subvenire censeo. Quanquam enim inter innumera fere experimenta, in tanta temperamentorum varietate, maternis tot tralatitiis infirmitatibus contingentia, forte singulam hic illic instantiam contra nos militantem, curiosus quispiam forte fortuna, inquam, observare poterit, id tamen naturæ summe depravatæ, non remedio in viribus suis delinquenti, est omnino tribuendum. Neque enim corticem ipsum, longe lateque pro specifico deprædicatum, asthmaticis viris febre sive intermittenti, sive aliquantum remittenti laborantibus, ita certo convenire constat. Et nihilominus specificorum omnium princeps in id genus morbis, & maxime in primo illorum genere, jure merito nunc audit.

Quod ad convulsiones spectat, aut insultus illos sæpe improprie dictos epilepticos, tam à viribus jam proxime attritis & exhaustis, quam ab acrimonia materiæ morbificæ propaginem nervosam extimulante ut plurimum pendentes, testacea nostra, & maxime si castoreum iis adjiciatur, magis eximiis imo & magis innocuis facultatibus, vel in tanto affectu, vigere deprehendentur (utcunque apud plures hactenus pro quisquiliis & rebus nullius momenti sint æstimata) quam aut aquæ antepilepticæ, quæ teneros plurimum excalfaciunt, aut spiritus volatiles qualescunq; qui scintillarum instar in omnes corporis partes extemplo prosiliunt, quique ex parvis initiis magnum incendium febrile sæpissime faciunt. Nam cum tunica ventriculi interior tota sit nervea, atque tum alimentorum tum medicamentorum facultatibus in penetralia corporis intimiora quantocius tranferendis sit idcirco accommodatior, cumq; spiritus ejus partis, ut & cæterarum, incolæ jamjam irritentur, vellicentur, ac in motus inordinatos exagitentur, videtur nobis maxime necessarium, ut acrimoniam illam nervos irritantem absorbentibus remediis, & tumultum spirituum plane compescentibus, imo somnum iis sine ναρκώσει conciliantibus, non autem rebus tumultum spirituum majorem excitantibus, & quæ calorem jam late depopulantem augent, curatio potissimum instituatur.

In convulsionibus quamplurima pro specificis vulgo habita (quorum nomina diu in omnium ore tritissima reticere placet) tam ab autoribus gravissimis quam à practicis celeberrimis decantari solent. Veruntamen virtutes eorum (quantum observare licuit) nostram de se expectationem videntur vix ac ne vix quidem explevisse. In Paroxysmis infantum convulsivis, utpote à Torminum prægredientium materia acri nervos omnes vellicanti jugiter obortis, ea quæ acidum obtundunt, contemperant, aut infringunt, idque sine corporis novo æstu aut calefactione, quæque aciditatem sic infractam atque aculeis orbatam per inferiora deducunt, post alia infinita incassum tentata, veras continere vires huic symptomati horrendo debellando pares tandem agnoscentur.

Quin & hujus dicti veritatem multum comprobatam habui in puella annum vix unicum agente, filia cujusdam honesti viri, nomine Jacobi Louvry, convulsionibus quas ununquam vidi gravissimis, vehementissimis, & frequentissimis correpta, quæ per plures dies ante meum adventum labia, oculos, artus, imo & totum corpus minima cum intermissione exagitaverant. Fuit illa tunc temporis pallidissima, nec non horrido aspectu; alvus interim astricta, atqui id quod parcissime dejiciebatur colore fuit viridissimum. Alta tamen voce ejulabat, quantumlibet vires prosterni videbantur, ut viciniam commiseratione haud levi eadem afficeret. Durantibus vero hisce motibus convulsivis, ac torsionibus ventris, vix cochleare alimenti aliquamdiu assumpserat, Cardiacis solummodo nescio quibus subinde enutrita. Huic miseræ infantulæ subveniebam, & Curationem fæliciter adhibebam, nullis aliis medicamentis, nisi unciis aliquot oculorum 69. cum crystallis tartari admixtis. Simplicissimi illius pulveris scrupulum unum aut amplius singulis horis in aqua pulegii aut consimili statim deglutire cogebatur, à cujus repetita dosi somnus paulum conciliabatur, ac paroxysmi Convulsivi sunt plurimum imminuti. Enema è lacte saccharato, eodemque salito, semel atque iterum injiciendum esse curaveram: donec tandem crystalli tartari (tam alvum leniter solvendi, quam obstructas vias aperiendi facultate pollentes, modo quantitas eorum sufficiens introsumatur) viam sibi per inferiora patentem faciebant. His vero paucis, & hac nulla remediorum pompa, infans ille deploratus è faucibus imminentis fati, insperato quidem, sed perfecte evadebat. Cur autem, ut id obiter dicam, tenellos convulsionibus excruciatos, & simul Vigiliis ac inquietudine quasi absumptos, vesicatoriis aut nuchæ aut aliis partibus admotis, ulterius ego torquerem, nequeo probe intelligere; quandoquidem id genus medicamentum comatosis stupore excitandis aut etiam

extorquendis videatur esse proprie & peculiariter dicatum.

Quidni addam, quod, ex quo methodo supra laudata in medendis infantibus usus sim, plures eorum, sub primum meum ingressum, convulsionibus correptos viderim, imo & nonnullos iis adeo jam graviter debilitatos, ut medicamentis qualibuscunque deglutiendis nullæ omnino vires amplius suppeterent: sed quod vix meminerim quidem tenellorum quenquam convulsionibus tunc temporis prorsus immunem, post primum usum pulverum prædictorum, denuo correptum memet unquam vidisse.

Variolæ & morbilli infantum, plerumque illis mitis & tranquilla sanguinis effervescentia, sæpe non ita male se habere solent, ubi nec Medicorum auxiliatrices manus expetuntur, neque curatricum sibi magnopere placentium abundans peritia efflagitatur. Cum vero effrænis sanguinis impetus Medicam opem jure expostulet, testacea prius recensita id fere auxilii infantibus, quod adultis narcotica, præbere solent. Atvero spiritus volatiles, qui in usu sunt, aquæ cardiacæ, mithridatium, Theriaca Andromachi, & cætera calidiora alexipharmaca, aut diaphoretica, sunt imprimis fugienda, quæ exanthematis præpropere expellendis, atque insanæ eorum foras extrusioni omni ope moliendæ præcipue destinantur; at quæ, loco virtutis cardiacæ aut expulsoriæ quam præ se ferunt, variolas ex se benignas in periculosas multoties immutant; & morbillorum materiam, aliàs in superficiem corporis facile secedentem, irritant, perturbant, & introvertunt, Dyspnæas lethales sæpe invitant, & catarrhos suffocativos excitant; ac denique sanguini leviter & modice æstuanti mox ulterius succendendo videntur maxime quidem inservire.

De variolarum natura pensitanti mihi in mentem sæpe subiit admirari, qua ratione regimen intense calidum in hoc morbo non modo apud ineptas nutrices, verum & Medicos alias satis doctos ita invalesceret; cum hicce morbus sit maxime inflammatorius; cum denique suppuratoria omnia medicamenta, proprie sic dicta, partibus corporis sive uni sive pluribus intumentibus, & in suppurationem proclivibus externe applicari solita, tum à Medicis tum à chirurgis, uno omnium consensu, sint & esse debeant facultatibus summe Temperata; qualia sunt radices althææ, & liliorum, folia malvæ, althææ brancæ ursinæ, farina lini, fænugræci, tritici, butyrum, adeps, oleum, vitellum ovi, mucilagines, medulla, & similia, quæ calore minime excellunt. Remedia enim calidiora sive interna, sive extra adhibita, sunt plane discutiendi, & rarefaciendi, & facultate priori contraria prædita: adde quod hæc functiones naturæ suppurationi ita incumbentis revera perturbent, & in confusionem alienam necessario adigant. Quamobrem testacea, quæ sunt viribus admodum temperata, quæ Suppurantibus Medicamentis natura sua benigna ac miti proxime accedunt, quæ putredini corporis universali summopere resistunt, quæ deniq; functiones neque animales neque naturales interturbant, aut inordinatas reddere solent, pluribus certe nominibus variolarum curationi symbolum conferunt.

Potui pluribus rem institutam defendere, atque adeo limites hujus opellæ in longinquum proferre. Sed lectorem nolo diutius detinere, ambagibus scholasticis nullam unquam determinationem aut subituris aut promerentibus; & ad praxin Medicam nihil quicquam attinentibus; nolo autorum inter se in æternum velicantium citationibus gloriosis umbram eruditionis non vulgaris aucupari; ac denique nolo aliorum sententias subtiliter convellere, quo in alienis hallucinationibus ipse triumphos agam, & quo meam qualem qualem opinionem quoquo modo propugnem. Etenim probe novi, quam revera difficillimum sit, veritatem rerum penitus scrutari; novi quod is ad veritatem cujusque rei proxime accedat, qui minus aliis errasse deprehendetur, Utcunque enim homines ex qualibet ansa cristas suas in altum vulgo erigunt, & scientiæ consummatæ speciem in hac vel illa disciplina sibi facile assumunt, mortalibus tamen haud concessum est ultra tenuitatis & fragilitatis naturales terminos progressus facere. Et profecto quanto quis aliis scientia est superior, tanto utplurimum se gerit submissior. Videtur autem nobis quædam rerum mediocris comprehensio, atque pari scientiæ proportione limitata, omni sæculo partitim diffundi, ut scilicet neutrum alterius ignorantiam nimiam merito exprobraret. Sane perdidimus nos, inter magnas rerum humanarum vicissitudines, quamplurima quæ in prioris alicujus sæculi præclaram memoriam & cesserunt, & semper vertent. Neque etiam desunt ipsimet nostro huic sæculo (quicquid invidi ringuntur) sua inventa laude admodum digna, quæ artem Medicam, usquedum ars erit, & magnopere nobilitabunt, & a nostris sic excultam feræ posteritati sacram tradent.

Exempla aliquot infantum Methodo hac nostra curatorum nunc tandem exhibebo; id autem non eo animo ut conamina nostra, qualia qualia ea sunt, aliis omnibus peritioribus methodis anteferenda proponerentur, Quippe quid alii judicio magis valentes possint, non est nostri determinare. Illud duntaxat agimus, ea quæ pro vero, aut saltem verisimillimo, ex nostra observatione, sunt comperta (eandem judicandi potestatem aliis libere relinquentes quam nos jure suscipimus) & quæ nonnullis è re fore haud veremur conjectari, in lucem emittere, & publici juris facere.

Observatio. I.

1. Nobilissimus infans, filius natu maximus Illustrissimi Domini, Domini Caroli Marchionis & Comitis Vigorniensis, (Viri muniorum omnium in Republica maximorum summe capacis, quem nullæ rerum humanarum vicissitudines ab integritate singulari unquam transversum egerunt, ac denique ingenii celeritate quadam incredibili donati) Temperamento corporis valde sanguineo & succulento præditus, sed cui nervi omnino infirmi fuerunt, febre acuta plus semel fuit correptus; materia autem febris in pulmones ipsius potissimum se semper transferebat. Interim Dominatio sua dyspnæa graviter laborabat, & difficilis inter dormitandum anhelitus astantibus clare fuit auditus.

pallor faciem venustissimam obducebat, sitis maxime urgebat, & calor cutis intensus ac mordax, cum jactatione & inquietudine continua.

Sanguinem è brachio paulo liberalius primum detraxi, ac deinde ipsa hac methodo quam descripsi semper auspicato sum usus, qua febris cum omni symptomatum satellitio fuit facile profligata, & sanitas demum restituta.

Cæterum primum tempus quo illustrem hunc infantem ac dominum ego invisebam fuit, cum jam quatuordecim menses esset natus, Junii die 14. Anno 1685, Tussi autem convulsiva tunc temporis fuit maxime debilitatus, cum curæ nostræ committeretur; Domino Doctore Short, medico nemini secundo, in sociam operam fæliciter accersito. Vena brachii dextri ex communi consilio statim aperta, & sanguinis unciis circiter quatuor detractis, equidem proponebam margaritarum, & similium Aciditatem prædominantem contemperantium, usum solito liberaliorem; Succi pulegii saccharo cando edulcorati cochleare interim bis vel ter in die simul præbendo, atque tertio quoque die alvum ejus manna blandè solvendam; cui quidem methodo, ut à me alias comprobatæ, ac simul tutissimæ, facile annuebat Vir candore singulari, & perspecta morum probitate, non minus quam peritia artis, præstantissimus. Atque eo pacto Nobilissimus ille infans, Augustissimæ post Regiam Familiæ Ducis de Beaufort proximus a patre hæres, qui ex judicio præclarissimi illius medici haud minus trium mensium spatio liberandus videbatur, decem circiter diebus (ut non male tum temporis palam augurabar) è gravissimo hoc morbo convalescebat.

Porro eundem nobilissimum puerum, jam quinque annos natum, nuper febre continua decumbentem; & primum de capite ac ventre alternis vicibus quiritantem, sed mox immanissimis Torminibus in regione ilii intestini misere excruciatum, (ut ad iliacam passionem jam proxime accederent) cum pulsu debilissimo (fortunante numine) ad sanitatem redumo (sic) (fortunante numine) ad sanitatem reducebam. Notandum autem, quod cum hæc febris acutissima & continua, in intermittentem & tutam denuo transmutaretur, cujus paroxysmus, nullo rigore aut frigore inter initia (ut fieri solet) constans, sed tussicula sicca a situm sibi pariter ac durationem faciens, semper à prandio singulis diebus recurrebat, corticis peruviani vires experiri placuit. Verum emolumentum exinde enatum erat fugax & mere palliativum, donec stillæ aliquot sanguinis è naribus fluentis cum tussi vehementius urgente, & febre novas vires capessente, me aliquamdiu prius reluctantem (eo quod robur nativum ex hoc morbo jam plurimum attereretur) è brachio sanguinis uncias ad minimum sex detrahere tandem cogerent, atque die proxima catharsin adhibere. Quibus igitur exactis, Julapium corroborans, & reliquiis tussis abigendis præcipue destinatum, illi jam valde imbecillo ita protinus conducebat, ut ad perfectissimam valetudinem quotidie propius accederet, & sanitas ex omni parte confirmata qua ab illo tempore jam integra fruitur, ei restitueretur.

Observatio. II.

2. Filiolam ejusdem Celsissimi Marchionis, & Dominam, Dominam Elizabetham, undecim menses natam, habitu opimo & crasso præditam, febre acuta cum tussi fere convulsiva, ineunte vere, sed & tempestate admodum frigida, nuper correptam, methodo prius recensita auspicato tractabam, & paululo majore temporis spatio (nempe æquaratione tempestatis anni habita) ad integram sanitatem reducebam, nisi quod sub finem curationis guttas aliquot Elixir propriet. dulcis testaceis exhibitis denuo adjici curaverim.

Observatio. III.

3. Unicus filius Illustrissimi Comitis Pembrokiensis (non modo antiquo natalium splendore, verum & universis animi dotibus egregiis ornatissimi) septemdecim septimanas natus, torminibus ventris, dejectionibus Viridibus, aphthis, inquietudine perpetua, nec non subsultibus membrorum crebro recurrentibus, incipiente februario, laborabat. Aures, quibus madidus quidam humor (pro more infantum) copiose effluere solebat, jam fuerunt prorsus exarefactæ. Hujusmodi præscriptionibus obtinui, ut Nobilissimus ille infans intra spacium sex dierum quam rectissime valeret.

℞. Pulv. è chel. 69. comp. ℈i. margar. pp. ℈ii. sal. prunell. ℈j. M. F. pulvis in viii. p. æ. dividendus. Sumat unam statim, in cochleari Julapii sequentis, superbibendo cochleare alterum.

℞. Aq. lact. alexit. ℥iv. puleg. ℥ii. pæon. comp. ʒiii. sacch. perlat. ʒi. M F. Julap.

Postquam primis duabus diebus illustris infans de pulveribus prædictis quod præscriptum erat assumpserat aliquoties in die ad Symptomata quibus detinebatur consopienda, & ex quibus revera sunt consopita, exhibui diei tertiæ aurora syrupum Solutivum sequentem; quo alvus leniter subducebatur, atque res omnis in vado fuit constituta.

℞. Syr. de cichor. cum rheo, de rhamn. cathart. ana ʒi. rhei el. pulv. gr. xii. tinctur. croc. gtt. x. M.

Deinceps duos alios dies in pulveribus illis exhibendis adhuc pergebam, ac rursum tertio catharsin eandem instituebam. Quibus absolutis ægritudo omnis in totum evanuit, color faciei pallidus fuit in vividum immutatus, atque aures, uti prius, exudare protinus cæperunt.

Observatio. IV.

4. Honoratissima ejusdem Illustrissimi Comitis Filiola, Domina Catherina, tres Fannos & dimidium quarti emensa, febri lenta exacerbationibus valde irregularibus constanti corripiebatur, atqui illa de gravi capitis dolore maxime, (& Ventris nonnunquam) conquerebatur. Alimentum omne fastidio ei fuit, & somnolentia identidem premebatur, ut variolarum suspicio apud domesticos omnes fuerit oborta; subsultibus nervorum aliquoties inter dormiendum, nec non tussicula

sicca, nonnunquam tentabatur. Sequentia præscripsi.

℞. Aq. lact. alexit. ℥ vi. epidem. ℥ ß. margar. pp. ʒi. pulv. è chel. 69. simpl. ʒ ii. Sacch. crystall. ʒß. M. F. Julap. de quo capiat cochl. iij. quarta quaque hora, vase prius diligenter agitato.

℞. Aloes. Succotr. ʒi. summit. centaur. min. fol. sabin. sicc. ana. ʒ ß. pic. Burgund. ʒ i. tereb. Ven. q. s. f. Empl. umbilici regioni adhibendum.

Die proxima persistebat in usu Julapia.

Epispasticum etiam subtus nucham fuit applicatum.

Enema è lact. saccharat. & salit. ℥vi. quoniam alvus non respondebat, injiciebatur.

℞. Æthiop. mineral. calomel. an. gr. vi. mivæ cydon. ℈ii. f. Bolus sero exhibendus.

Sequenti die sumebat Syrupum hunc catharticum:

℞. Syr. de rhamn. cathart. ʒii. pulv. Comit. Warvicensis gr. vi. rhei el. pulv. gr. xii. tinctur. croc. gutt. xx. aq. ceras. nigr. ʒi. M.

Crystall. tartar. ʒß. ad vim purgativam exacuendam in haustu seri possetici propinabatur.

Eadem nocte quatuor cochlearia Julapii prædicti exhibebantur hora somni.

Quarta die & quinta Mixtura sequens cochleatim delingenda reliquis additamento fuit.

℞. Corallin. ʒii. fol. menth. sicc. pulv. ℈j. pulv. è chel. 69. simpl. ʒi. syr. de balsam. Tolut. de althæa ana ℥i. aq. aurant. ℥ß. M

Vespera sextum diem præcedente bolus suprascriptus repetebatur; & mane insequenti Syrupus catharticus; ex cujus vi & efficacia, sub meridiem, Nobilissima domina lumbricum spithamæ longitudinis ventriculo evomuit. Quo facto, ab ægritudine omnimoda promptissime liberabatur.

Observatio V.

5. Honoratissima, & unica filia serenissimi principis Jacobi Ducis Ormondiæ, vix unum mensem adhuc nata, nausea ac vomituritione fuit male affecta, nec non sedibus viridibus, ac proinde torminibus cruciata. Pulvere perlato ad gr. viii. vel ℈ß. in cochleari aquæ menthæ, bis vel ter in die propinato, tormina ventris facile propulsabam; atque rhabarbaro à gr. vi. ad ℈ß. in tantillo Syrupi de cichorio cum rheo materiam morbificam blandissime subducebam: ex quibus color dejectionum viridis in meliorem immutatus, ac torsionibus statim sublatis dies noctesque fuerunt quietis plenæ. Nausea pariter ac vomitus, ventriculo jam emendato, protinus cessabant.

Observatio. VI.

6. Filia unica eximii domini. domini Foot Onsovv Armigeri, apud Kensington, præsentis Parliamenti Senatoris, atque ex amplissima & florentissima familia in Comitatu Surriæ oriundi, sex menses nata, febre insolita, ac mali moris, quam malignam nuncupare amant, aliquamdiu fuerat correpta. Dejectiones ejus virides fuerunt, color faciei pallidissimus, nec non plumbeo proximus. Aphthæ oris lactationem omnem prorsus impediebant; & Symptomata quædam insitata maximum vitæ discrimen una intentabant. Mentum suum, quantum potuit, sursum attollebat, & caput retrorsum dies noctesque deflectebat, ut ego apostema aliquod circa fauces hærens, aut Strangulationem repentinam, statim ac advocatus, proinde suspicarer. Huic alterum è pulveribus præmemoratis ad gr. xv. qualibet vice exhiberi jussi, secundum methodum superius descriptam. An vero toties quoties is propinabatur, è vestigio contigit ebullitio talis, qualem in nullo infante tam perceptibilem observare adhuc licuit. Omnia enim deinceps in tumultum enormem conversa sunt, atq; res in extremo discrimine perinde versari videbatur, ac si Suffocatio totalis eam statim confectura esset. Ebullitionem vero usitatam inter acidum & alcali, sub primam eorum in vase admixtionem, plane referebat. Porro effervescentia hac finita, illa sudore multo protinus diffluebat. Neque tamen post plures pulverum doses, & subsequentem lenissimam catharsin, aut Symptoma illud tantillum minui, aut cætera in melius mutari videbantur. Itaque mercurii dulcis, & florum sulphuris ana gr. iv. in tantillo syrupi caryophyllorum, tandem vesperi exhibebam; & mane insequenti, ad summam humorum corruptelam, sive corrigendam, sive averruncandam, eadem repetebam. Ex secunda autem illorum dosi matutina, non ita diu exhibitionem, magnam humorum putridorum & fœtidissimorum sanguine striatorum copiam, colores iridis multiformes æmulantium, illa evomuit; ex quo statim convalescere incæpit, & pulveres illi, à quibus paulo ante ita abhorrebat, tunc iterum propinati optime quidem conducebant, nulla jam ebullitione inter eorum usum amplius comparente. Exinde etiam plorare, ac strenue vagire, tanquam sana, tunc valebat. Item tussis perexiguam molestiam creans, tum fuit exorta, tum facile propulsata. Aphthæ quantocyus recedebant, febris protinus evanescebat, color vividus vultui restitutus, atque infantula hæc universis pro deplorata merito habita pristinum vigorem omni ex parte statim recuperabat.

Observatio VII.

7. Filius unicus domini Burton, præfecti navis onerariæ ad Indias Orientales navigare solitæ, octo dies tantummodo natus, tempore hyemali, torminibus, dejectionibus viridescentibus, atque inquietudine continua laborabat. Adde, quod aphthæ, adinstar crustæ albæ, labia interna, imo & totum os adeo jam obducebant, ut mammis nutricis os suum tenerrimum admovere, aut minimum lactere, haud sustineret. In hunc igitur modum ei præscripsi.

℞. Margar. pp. ℈ii. pulv. è chel. 69. simpl. ℈i. M. F. pulvis in viii. chartulas dividendus. Sumat unam ter in die, temporibus opportunis, in cochleari Julapii sequentis.

℞. Aq. lact. alexit. ℥ii. puleg. ℥i. sacch. perlat. ʒiii. M.

Die prima, ac deinceps, Tormina sunt consopita, & somnus placidus conciliabatur.

Tertia

Tertia die sumebat Syrupum solutivum sequentem:

♃. Syr. de cichor. cum rheo. ℥ij. pulv. rhabarb. gr. vi. aq. rosar. gtt. xxx. M.

Eadem vespera pulverum prædictorum alter propinabatur.

Die quarta lactere incæpit, aphthis jam disparentibus; atque sedes fuerunt omnis viriditatis expertes. Veruntamen eadem die, & quinta, in usu priori pulverum perseveravit.

Sexta syrupum solutivum cum Rhabarb. el. pulv. ℈ß. loco gr. vi. assumebat. Quibus demum exactis, perfecte convaluit.

Observatio VIII.

8. Filia domini Georgii Sclater, (Theologi, liberali eruditione eximie perpoliti, & Rectoris parochiæ Hajes prope Bromely) decem circiter menses nata, profluvio alvi violentissimo, inter dentiendum, corripiebatur, ut ex dejectionibus continuis (quæ virides fuerunt, nec pauciores quadraginta aut quinquaginta, spatio viginti quatuor horarum, ut parentes mihi retulerunt) fere exanimis foret, & ab omnibus relicta pro deplorata. Exhibebam ei pulverum descriptorum (inter quos in sistendis diarrhæis cretam primas obtinere, & vel coralliis præstare, conjectari soleo) scrupulum quarta ad minimum quaque hora, sed & sæpius inter initia, donec fluxus admodum remitteret, ferocia bilis sedaretur, somnus una conciliaretur, & vires aliquantum redintegratæ fuerint. Tertio die præparatos jam humores è corpore exigebam rhabarbaro illo nunquam satis laudando, quod tam partium jam imbecillarum robur firmat, quam impuritates blandissime tollit & expurgat. Perseveravi in eisdem ter vel quater in die exhibendis, donec tertia dies rursum rediret, qua Catharsin eaudem repetebam. His finitis perfecte convalescebat.

Hic porro adjiciam. Quemadmodum rhabarbaro, inter purgantia infantibus, sive febri, sive alias affectis accommodata, palmam facile adjudicem; ita vix aliud reperiri est ex natura sua insalubrius, aut periculosius, in tenellorum febribus, decantata illa aloe, quæ febricitantibus (quantumlibet præparatio ejus sacra indigitetur) perniciosissima tamen extat, tum propter intensum suum calorem, tum propter corrosionem suam insignem tenerrimæ indoli maxime adversam. Atque hujusce rei veritatem poterim, si libuerit, confirmare, historia plane incredibili nobilissimi infantis vix quadriennis, febre lenta correpti, & binorum dierum spatio ad eas incitas redacti, per usum potissimum hieræ picræ, in vehiculo, uti mos est, calido, ut labes viscerum inde subito enata, quam autopsia anatomica postmodum demonstrabat, omnem fidem longe superaverit. Verum sileo, memor quemadmodum de mortuis, ita & Quoad viventes, nil nisi bene & honorifice loquendum.

Observatio. IX.

9. Filia Generosi, quadriennis, æstate anni 1687, laborabat febre omnium vehementissima, quas in tenera hac ætate unquam vidi; habitus corporis fuit admodum macilentus, sitis inexplebilis, calor cutis ultra istos annos acer & mordax, ut tangentis manus incendium ejus internum vix aliquantulum sustinere potuerit. Parotides interim cruciabant, nec non mediocriter intumebant; genæ rubore summo utplurimum perfundebantur; atque anxietate & inquietudine continua languescebat. Eam sic ægrotantem vesperi primum invisebam. Cui illico propinabam ex pulveribus prædictis, & redditis paulo expulsoriis, semidrachmam, paulo post repetendam, in cochleari aquæ pulegii. Mane insequenti eadem sunt iterata; sed bihorio post haustulum matutinum, sanguis è naribus copiose fluebat, atque tota frons livida & turgidula erat, cum rubore insigni hic illic interspersо, ut omni ex parte fustibus recens verberata frons ejus videretur. Sub tempus sinistrum macula plene coccinea, magnitudinis duorum plus digitorum, eademque rotunda se exhibebat. Quibus spectatis neutiquam deterritus, imo rem bene ominans, in pulveribus acidum contemperantibus, sed iis jam minus expulsoriis, propinandis per illum diem permanebam. Proxima autem, hoc est, die tertia, ex quo adveni, tametsi febris, Calor, & sitis, æque intensa atque prius tunc manerent, tamen pulverem purgantem, cujus operationi promovendæ opem non exiguam conferebant Crystalli Tartari, exhibere nullus verebar; unde quinquies aut sexies dejecisse eam contigit. Denique eadem ipsa die febris illa in totum profligata est, sitis vesperi nulla, & calor cutis, tanquam sanissimæ, jam fuit tactui maxime temperatus, ut proinde sub noctem pusilla integræ valetudinis conscia parentibus suis læte exclamaret: Quam rectissime nunc ego valeo.

Observatio X.

10. Filia Domini Golton, generosi, annum unum nata, habitu opimo & præpingui, mense Novembri, propter difficilem dentitionem gravissime Febricitabat; sitis ei fuit inexplebilis, vultus pallidissimus, nisi quod & nonnil viriditatis pallori conjungeretur. Quotiescunque os mammæ lactatura admovebat, Tussi statim exorta à lactatione desistere ea toties cogebatur; quo symptomate equidem admonitus, uvam tumidam ac inflammatam fuisse conjiciebam. Os præterea aphthis valde sauciabatur, quod firme occlusum vix unquam aperire vellet, nisi naribus arcte compressis, ad spiritum ducendum, & simul medicamentum sumendum, nonnunquam impelleretur. Sedes ejus viridissimæ, atque acidum redolentes, cum jactatione frequenti, Torminibus ventris eam cruciari denunciabant. Inter dormitandum anhelatio astantium aures clare feriebat. Præterea ne tantillum vagire tunc potuit, donec excurrente septimana, & ex remediis ipsissima hac methodo, quam descripsi, administratis multum retusa ægritudine, clamor infantibus usitatus præsentium aures tandem demulceret. A secunda catharsi singula Symptomata manifesto remittebant; & à tertia celebrata, color vultui floridus cum candore nitidissimo sen-

sensim rediebat, os sanum fuit, oculi redditi vivaces, atque valetudinem confirmatam deinceps obtinebat.

Adjiciam & Chronici affectus exemplum non vulgare, quod nec ab instituto multum alienum, nec ipsum fortasse erit prorsus inutile.

Observatio. XI.

II. Isaachus Pope, tredecim annos natus, atrophia, uti apparuit, Verminosa adeo emaciatus fuit, ut ipsissimo sceleto quam puero viventi similior ille videretur. Facies fuit cadaverosa, aut Hippocratica dicta, oculi concavi, nares acutæ, ossa pellibus tantummodo circumtecta. Ex morbo fatuus, & Rationis omnino expers fuit; de altera parte conclavis in alteram, ope artuum strigosorum, vix repere utlimax potuit: omnes ejus excretiones, sive per urinam, sive per sedem, fuerunt interdiu in braccas, noctu in lectum, involuntarie emissæ. Huic indies exhibebam Æthiopis mineralis, quem in usu habeo, grana viginti quinque, aut semidrachmam, mane & vesperi, corpus interim blandissime laxando quarta quaque die. Complures illinc lumbricos per alvum excrevit, atque deinceps εὔχυμος & εὔσαρκος paulò post evasit.

Præparationem autem Æthiopis nostri mineralis, utpote apud nullum Autorem, quod scio, legendam, & usui multiplici, ut opinor, futuram, describere non gravabor.

♃. Hydrarg. p. IV. Flor. sulphur. viv. p. III. Agitentur in mortario vitreo, donec omnes globuli Mercuriales penitus evanescant, & massa redigatur in Pulverem fuscum tenuissimum, qui paululum asservatus maxime nigrescit.

Vulgaris modus Æthiopem mineralem conficiendi est, mercur. crud. & flor. sulphur. viv. ana p. æ. incorporando, ac deflagrando, donec genus quoddam capitis mortui, finita combustione, in forma pulveris mediam admixtæ massæ partem continentis restet; cujus facultates genuinæ annon exustione illa plurimum deleantur, an vero etiamnum, & quantum vigeant, nondum ita constat, ut quid certi statui possit: quemadmodum & de plurimis Præparationibus aliis igne exortis idem sit dicendum.

Præparationem hanc cæteris mercurialibus utplurimum anteferre soleo, tum quia qualicunque quantitate, & quotiescunque exhibita salivationem nunquam provocat, quæ tenerrimis naturis neque convenire potest, neque inexpectata citra horrorem astantium summum unquam conspicitur; tum quia simplici ac naturali modo perficitur, absque aliquo auxilio Artis nimiopere Curiosæ, quæ Medicamenta nullo loco numerare solet, nisi ignium luculentorum torturæ ea prius commiserit, quo scilicet puriora & à sordibus nescio quibus ingenitis defæcatiora illinc fiant, cum tamen ex optimo statu, & naturalibus eximiis facultatibus pollenti in deteriorem, minus tutum, ac prorsus novum eadem non raro transmutentur. Sic autem indomita mercurii Volatilitas, cui quidem figendæ tot laboribus & tanta contentione chymici diu sudarunt, minimo Mortarii & Pistilli negotio facillime subigitur.

Poterim quamplurima alia Curationum exempla enumerare, si diutius eadem in re immorando molestias lectori facesserem.

Poterim & in memoriam revocare, atque merito comprobare, consuetudinem illam veterem, semperque optimam, morbos plerosque tum infantiles tum pueriles facile præveniendi, medicamentis notis & salutaribus, corruptelæ humorum plurimum resistentibus, & singulo mense exhiberi solitis. Quippe cum indoles puerorum tenerrima impressionibus omnibus externis pariter ac internis tam obnoxia sit, cumque ἀπεψίαι & Cruditates in teneris tam facile prædominium obtineant, prudentis Medici erit, diatheses illas morbosas ita per ἐπίκρασιν corrigere & emendare, quæ nequeunt in temperie tam molli ac imbecilla in totum tolli.

Poterim & prolixius disceptare, aut tutius sit infantes recens natos Nutricum conductitiarum custodiæ, uti mos incessit, temere resignare, ut scilicet Parentes, postquam ex nutricum errore aut incuria infans animam innocentem jam efflaverit, ipsum nunc maxime periclitari tandem intelligant; an vero ab ortu primo illi potius ablactandi sint; an matres ipsæ, Nutricis partes jure agere deberent; aut denique; annon nutricula, ubi talis requiritur, sit domi maternæ alenda, & sub Parentum Oeconomia sit à mariti consortio diligenter cohibenda.

Verum jam tempestivum est objectionem diluere, tam Medicorum quorundam in praxi egregie versatorum, quam eorum omnium qui materiæ medicæ, qua patet, recens investigandæ operam diligentissime dederunt: Nempe culpabunt, methodum nostram simplicem, & minus ornatam esse, tam ex rebus vulgo notis constantem, quam varietate illa præscriptionum Medico docto apprime necessaria, atque apud Autores sæpe luxurianti, plurimum carentem. Imo & crimini dabunt, me præparationes chymicas apud autores plerosque omnes in operibus suis jamdiu celebratas aut penitus ignorasse, aut saltem immerito posthabuisse.

Hi igitur meminerint, medicum esse Naturæ tantummodo ministrum, & φύσεις νούσων ἰητρούς. Querantur & iidem nos nudos esse natos, naturam paucis contentam, atque artis esse naturam, quoad poterit, æmulari, vel potius adumbrare. Sciant etiam illum, qui nimis longas, vel qui nimis Multas remediorum formulas præscribit, aut ex ignorantia peccare, aut Dolo malo.

Quod vero ad chymiam attinet, malim ego eam probe callere, quam promissis Chymicis firmissimam fidem adhibere. Nihil dicam, quod apud Clarissimum Lemerium, Hermeticæ artis, ut & hujus sæculi (quoad rem chymicam) decus & ornamentum, aliquamdiu fuerim Parisiis Convivator, nec non Contubernalis. Sin medica ars methodis curativis genuinis minus antea fuisset destituta, cum chymica primum in Medicina locum præ aliis non ita pridem ambirent. Præparationibus chymicis, ni multum fallor, ea minus postmodū exuberasset. Quorsum enim ad res ignotas, incertas, imo & periculosissimas

quo-

quorsum vel ad asyla ignorantiæ confugerent Medici, nisi rerum diu notarum, & à pluribus expertarum, suspicio aliqua notabilis merito fuisset oborta? Certe umbram, amissa substantia, non ita avide captaverant, nisi lux umbræ illius tremula incantamento quodam oculos forte perstrinxisset. Nolim vero chymiam intra pharmacopœiæ limites circumscriptam temere vilipendere, quemadmodum & nullis limitibus Medicis conclusam nolim alios inconsulto magnifacere.

Notatu autem dignissimum est, maximos rerum Chymicarum fautores, & rationi medendi veteri præfervidos hostes (ut nihil dicam de Ciniflonibus istis, & circumforaneis operatoribus qui omnia medicamenta adulterinis corrumpunt, & fumos tantummodo vendunt) in summa rerum inopia, paucissimis exceptis, vitam plerumque agere; tametsi credulis, imperitis, & avaris aureos montes (quod ajunt) polliceri haud vereantur. Quanquam autem verum sit, Divitias ac facultates viris Sapientibus, peritis, & in unaquaque Arte optime versatis, juxta meritum suum haud semper concedi, tamen verisimillimum id esse duco, quod extrema eorum inopia ita passim obvia Medicamentorum aut Arcanorum suorum Celeberrimorum noxa, quinimmo summæ perniciei, originem suam debeat: quodque pars eorundem non exigua sit saluti generis humani (propter ignis exitialem sive participationem sive incorporationem) saltem inidonea, si non maxime adversa. Etenim si hominibus magna ex parte è re forent, aut vires eorum dictis vulgo congruerent, etsi hunc vel illum alchymistam locupletare non valerent, tamen sedulos ejusdem Artis cultores in pecuniis corradendis (quemadmodum plerosque omnes artifices industriam adhibentes, & utilitatem aliquam publicam præ se ferentes, quæstus, unde vivant, mediocris concomitari non desinit) haud ita frequenter frustrarentur. Si filio meo charissimo consilium dare animus esset, quid ei facto opus sit ad magnam vim auri, aut saltem sufficientem comparandam; me quidem autore, spectata morum probitate sese ornaret, nullis fraudibus quenquam ludificaret, neque confingendis mendaciis quoquo modo operam daret, quodcunque vitæ genus aut quamcunque negotiandi rationem, ad rem familiarem augendam, ex instituto ille prosequeretur. Nec minus eidem inculcarem, eam esse rationem omnium promptissimam, quo in egestate misera degeret (quantumlibet veteratoribus nonnulis imposturæ suæ ad tempus aliquod prospere contingunt) alios perfide circumvenire, falsa pro veris narrare, atque scelesti impostoris aut hominis nequam partes ullas agere.

Sed ut ad chymica redeam, quantumlibet Opera naturæ apud quosdam evilescant, & natura ipsa, apud Epicurum, ceu iners incusetur, nunquam ego possum non existimare, naturæ opera iis quæ solertia artis comparantur longissime quidem præstare, imo cum Galeno eadem omni laude esse majora & excelsiora. Quamobrem rectissime Divinus noster Senex. Ἡ ἰατρικὴ μάλιστα κατὰ φύσιν ἐστί.

Ut autem ad umbilicum perveniam, id eos haud prætereat, qui artem de qua jam loquor in deliciis nimiis habent, quod vix quælibet Præparationum chymicarum (ut plus semel apud me conquesti sunt ipsi hujusce artis, siqui sunt, adepti) hodie venum vulgo prostet, quæ non sit plane ementitia, atque sordida lucri causa jam tandem facta Adulterina.

Objicient denique nonnulli Venæsectionem tam teneræ ætati nunquam recte convenire posse, nedum eam fore quandoque necessariam.

Respondeo, Venæsectionem vel minimorum omnium Infantum, ex Summi Numinis, Summi Medicorum, præscripto fuisse olim imperatam per circumcisionis illud institutum; magnas sæpe Hæmorrhagias illinc exorsas, & quas sistere difficillimum fuit, nisi remediis exquisitis eapropter paratis; & tamen scriptores Judæos, quod maxime notandum est, audacter affirmare ne unum Infantulum ex millibus, eo quod sanguis ita mitteretur, cognitum desiderari, aut è vivis præmature excessisse.

Deus Optimus Maximus, à quo tanquam fonte æternum inexhausto omnia bona ac fausta continuo descendunt, à cujus gratia fœlix medicæ artis successus, præ aliis quibuscunque, jugiter pendet, his, quæ sincero animo fideliter scripsi, pro sua bonitate favere dignetur, quo in publici commodum, privato semper anteferendum, cedant. Hactenus *Præclarissimus Dominus Harris insequetur unica Raymund. Joh. Fortis Consultatio.*

Pro Vitalitate Natorum adipiscenda.

Illustrissimi ac Præclarissimi jugales, qua prompta semper fruuntur fœcunditate, crudeli, heu nimis celeri ac perenni filiorum orbitate premuntuntur; Vix enim vel limina vitæ ingressi, vel infantilem, aut puerilem percurrentes ætatem, ferino opprimuntur catarrho; epilepsia tentantur, hujusque convulsificis tortoribus miserrime pereunt. Cruciantur mœstissimi genitores, & causam sedulo inquirentes, ut ab uniformi Natorum jactura, eadem in omnibus agnoscunt; sic à sese derivatam ac in sese latere extimescunt. Unica filiola quatuor annorum superstite gaudent, fluxione tamen copiosa à capite tentata, & molesta tussi laborante, quandoque etiam præterito tempore convulsivis quibusdam motibus epilepticis correpta. Ab ipsis usque incunabulis patitur vir Illustrissimus continuam fere auris dextræ purulentam emanationem; utriusque oculi, dextri potissimum, imbecillimum visum; totius capitis ad quosvis etiam minimos excessus facillimam alterationem, quæ in destillationes frequenter desinit; cui compatiuntur spiritalia Anacatharsi, & Ptyalismo ventriculus, nec fortasse emollitione abnuit corporis reliquum. Detinetur autem Matrona Præstantissima animi angore, mœstitia, importunis cogitationibus, alvi adstrictione, pauca cibi potusque appetentia, nullo Veneris sensu, aut oblectamento; Prolem edit non æque nutritam, exilem, justa conformatione carentem, ut non immerito suspicari liceat, efficientis materialisque causæ in communi generationis concursu adesse defectum: præstet utramque cum Philogalenicis fœmina, vel det ista materiam tantum in sanguine menstruo, concurratque vere active ipse Vir; utriusque viget vitium in utraque

causa

causa; in ambobus enim Illustrissimis Jugalibus sanguinem cruditatibus melancholicoque succo commistum, serosiorem extare ex rara ipsorum textura ac viscerum effœminatione, sicque non dissimile deduci semen, credendum venit: unde quia sicut indifferens ad vitam est quodlibet humidum, ita ad longævitatem requiritur apprime consistens & densum, aereum videlicet cum debita terrestreitate conjunctum, adeo ut nec facile siccabile, nec facile congelabile sit; contingit, ne possint ex aqueo humido cum languido calore conceptus vitales multum efformari. His physice consideratis, offertur ex astris à viro eruditissimo non risu explodenda prognosis: sunt illinc aeris immutationes, quæ corporibus nostris officiunt: istis exurgunt temperies, componuntur Naturæ, explentur actiones; mirari igitur liceat, Ptolemaicum artificium comprobare Hippocraticum, & easdem rerum expromere causas. Habet vir Illustrissimus in genethliaca figura Saturnum in Quinta capricorni signo, ejus proprio domicilio, à quo ipse fortius influit. Ut maleficius igitur filios, in tali domo positus ac residens, vel prorsus denegat, vel occidit, aut dispergit: Vis causam? quia debilem inducit complexionem, ex qua cruditates multæ; lædit aurem dextram, lienem, ossa, vesicam, cartilagines, ligamenta & alimenta ipsorum cum spermate participantia. Coincidunt hæc cum temperamento physice considerato; quia in hujusmodi cœli positura, efficientia cœli, cui subordinantur sublunaria ad misti constitutionem concurrentia, ad id temperamentum disposita, movet, limitat ac determinat; tritum est illud: sol & homo generant hominem: Utcunque velimus, eadem consulendi ratio, idem pensum debetur: extenditur hoc ad excessus intemperantiis superadditos tollendos: ipsas namque nobis congenitas delere est impossibile; ad priorem terminum deducere fas esto. Consecutionem speramus, cum qua depuratis ac roboratis partibus, & in habitudine sanitatis constitutis, quam non valuit impedire sobolem Constellatio, non posse hanc imposterum firmiori stabilitam exordio debellare confidimus. Non oppugnatur obsistens, aut renuenti inditur forma materiæ: in hujus aptitudinem excurrit cœlorum vis. Jam fœcunda semina emandata felicius geminabunt. Indicationibus respondentia auxilia non difficilia, ex altiori penu deprompta exoptantur, & à me lubentissime excipientur.

Uberrimam fœcunditatem Illustrissimorum Jugalium, quæ vitalis non est, non ab alia causa, quam à spermatis viri, & muliebris seminis, atque menstrui sanguinis vitio pendere posse, dubio procul est asserendum, consideratis & exclusis cæteris causis ab extra venientibus, quæ in nutricibus & morbosis aliis contingentibus affectionibus quandoque evenire & observari solent. Neque mirum videtur, cum & Hipp. ipse asseruerit: Ex parentibus claudis claudos progigni filios, ex morbosis morbosos. Utinam vero causa hujusmodi in parentibus ipsis cognitu difficilior esset, & longa ac diligenti inquisitione indigeret; non enim pateret iisdem proprius status ærumnosus, Viro nimirum antiquus ab aure dextera putridæ materiæ catarrhalis effluxus, visionis hebetudo, facilis capitis alteratio, & frequens ab eodem præsertim in ventriculum defluxio; Matronæ vero timores, mœrores, aliaque melancholica symptomata. Neque medico adeo facile fuerit cognoscere, enarrata Symptomata in viro Illustrissimo ab intemperie capitis summe humida, mox etiam calida à naturæ primordiis eidem indita, ortum duxisse; in matrona vero melancholicos characteres, non hypochondria tantum, sed sanguinem quoque inficientes, a præcalida jecoris & totius venosi generis intemperie procedere; ut propterea Viri semen, cum à toto quidem, sed potissimum à cerebro, spinali medulla & renibus decidat, præhumidia ideo temperatura & consistentia necessario præditum ad conceptionem active concurrens, fœtus quoque eadem cerebri præhumida intemperie affectos progignat. Quoniam vero & muliebre semen ad conceptionem viri spermati immisceri non dubito, & utrumque à menstruo sanguine retineri, foveri cum Hipp. censeo, ideo & Matrem proprias morbosas affectiones, mediante sanguine, fœtibus ipsis communicare credo; & idcirco catarrho suffocativo, aut epileptico insultu nati, aut in Infantia, aut in pueritia miserrime perduntur: suffocantur enim materia catarrhali à capite ad vias spiritales præcipitante, & spiritui vias occludente, aut ab eadem in cerebro detenta, & cum Galeno sui copia replente, aut cum Hipp. à melancholico sero expultricem facultatem irritante, epileptici & lethales excitantur insultus, cum melancholici facile Epileptici fiant, & è contra: sicque catarrhum suffocativum à semine paterno, & melancholicos, sive epilepticos affectus à materno sanguine contrahunt: à quibus nec immunis potuit esse superstes puella, modo quartum annum agens, quæ quandoque convulsivis motibus epilepticis correpta fuit, & in præsens molesta tussi ex catarrhali fluxione laborat.

Quoniam vero Illustrissimi jugales adhuc juvenes sunt, curandum ut nasciturі filii, vitales reddantur, quod assequuturos esse non despero; etenim quamvis saturni aspectus filiorum vitalitati sese opponat, intercedit tamen debilis complexio, ex qua cruditates pituitosæ emanant: & quia complexionis imbecillitas pendet ab intemperiebus ipsis, idcirco nos intemperies corrigendo, sicque Naturæ robur addendo, saturni vires mediate infringere valebimus, cum ars vere medica, Astra, ut distantissima, inimica habere recuset, atque ideo contra eadem arma movere renuat. Itaque sicut infantium affectibus medemur, nutricis lac corrigendo, ita multo magis fœtibus oriundis providendum, parentum pravas dispositiones emendando. Et quia vitiosum viri sperma primas tenet, ideo prius Illustrissimi viri, mox ejus Nobiliss. Uxoris Curationem proponam: & tandem pro puellæ præservatione aliqua adjiciam.

Viro Illustrissimo jecoraria erit aperienda, & sanguis parce mittendus; quo explorato, & crasso forsan invento, rursus parca erit ex venis sedalibus eductio repetenda. Cauterium præterea sinistro brachio affigendum.

Ex Pharmaceutico fonte reliqua erunt depromenda remedia, primas vias expiantia. Secundo Sanguinem depurantia. Tertio Caput expur-

expurgantia. Quarto ejusdem capitis humidam intemperiem corrigentia, atque tandem & aures, & oculos respicientia.

Pro prima intentione, opportunissimum erit oxymel exigua aqua flor. citri dilutum, præmissa potione magistr. ex manna clarif. quæ erit quoque post prædictum Præparans repetenda.

Pro secunda intentione, ulteriora Præparantia erunt usurpanda, ut decoctio chicor. agri. meliss. pentaph. & betonicæ: præmisso pariter oxymelite diluto ad ℥. ii. vel iii. Inde præparati humores purgandi infusione agarici, senæ, rhab. addito syr. ros. solutivo; vel electuario lenit. Diacath. diaphæn. quibus superbibat jus, vel aquam hordeaceam, eadem postea repetita præparatione & expurgatione.

Tertiæ intentioni erit satisfaciendum pilulis capit. præsertim cochiis præpar. & aggreg. ter tertio quoque die repetendis, quibus pariter jus hordeo alteratum, vel aquam superbibat Et interim per nares capitis ejusdem expurgatio erit procuranda errhino ex pulvere ireos, major. & nigellæ parato.

Quartæ & potissimæ intentioni satisfacere poterit decoctum sudorif. sine quo nihil reliqua juverint, ex visco querc. vero, salsa, ligno ror. mar. & medul. guajaci, in aqua stillat. cichor. beton. & rutæ capr. paratum, cui succedat sudor in hypocausto, ut caput, omnium malorum fons & origo exiccari possit; in cujus usu quadraginta dieb. insistendum. Ut vero remittatur calor, facile à Decocto sudorifico introductus, terminato sudoris tempore, hauriat summo mane xii. aut xv. diebus cyathum aquæ stillat. de succo cichorii: præmittendo bolum Conservæ rosarum; aut eidem aquæ conservam de acido citri immiscendo.

Tandem postremæ intentioni satisfaciendum, turundam in aurem introducendo, primo melle rosato, mox digestivo, nimirum ex terebinthina & ovi vitello parato, & postremo Balsamo naturali, sive Opobalsamo intinctam. Oculis vero Ophthalmicum egregium admovendum, erit tinctura croci metallorum, aquæ chelid. immista; quæ parata habetur Venetiis ad signum S. Margaritæ prope pontem apud Dominum Hieronymum Rizzettum.

Interim capitis aliqua roboratio negligenda non erit, usu alicujus conservæ capitalis, ex floribus vel beton. vel roris mar. vel salviæ sub ingressum lecti frequenter assumendæ.

Hæc autem omnia congruo tempore erunt administranda, ineunte nimirum proximo autumno, aut verno tempore venturo.

Victus ratio jam dictis intentionibus proportione respondens, erit à Viro Excellentissimo Adstanti præscribenda, & ab Illustrissimo servanda.

Pro Illustrissima Uxore multo minus operosa erit ineunda Purgatio, primas vias mundando; massam sanguineam ab humore melancholico defæcando; jecur & hypochondria refrigerando; & cordi atque capiti aliquod robur addendo.

Quibus intentionibus ut satisfiat, Jecoraria dubio procul erit aperienda, sed sanguis parce mittendus, tempore medio inter utramque purgationem menstruam, quæ si imminute procedat, supplebit in fine purgationis, adhuc hiantibus vasorum uteri orificiis, Saphænæ apertio.

Primæ intentioni satisfacere poterit potio ex syr. ros. sol. & manna clarif. addita portiuncula aquæ flor. citri. Inde quinque diebus summo mane assumat julapium acet. corticibus citri alteratum, addita exigua aq. totius citri, ut mox Leniens præscriptum repetatur: cui superbibat jus malva alteratum.

Pro secunda intentione, succi depur. erunt in usum ducendi, ut à dulcibus, quantum fieri possit, abstineamus. Sic parabitur Præparans ex ℥. iii. succi depur. & per arenam trajecti cich. borag. & pom. dulcium; qui dissolvantur in decoct. jure pullæ parata fol. malv. melissæ, viol. sonchi, cum frustulo citri recentis; in horum autem usu xv. aut xx. diebus erit insistendum; sed sexto quoque die medicamentum elective purgans erit exhibendum, ex flore cassiæ, electuario de succo rosarum & portiuncula confect. Hamech parandum, cui post horam superbibat serum depur. ad ℔. i. ß. tribus autem horis ab assumpto sero prandeat. Vel paretur infusio senæ & rhab. addendo syrup. ros. sol. & de polypodio, cui pariter superbibat ad ℔. ii.

Viginti jam dictis tranlactis diebus, tertiæ intentioni satisfacere poterit potus aq. Nocerianæ; primis diebus dejectorio, reliquis vero diuretico modo propinatæ; vehiculum autem dejectorium poterit esse syr. ros. sol. aut potio ex manna clarificata; diureticum vero spiritus tartari ter rectif. ad semidrachmam in primis cyathis.

Tandem cordi & capiti erit prospiciendum. Sic mane jejuno ventriculo convenire poterit aqua totius citri, additis gutt. julap. gemmati, aut scorzoneræ, una aut altera addita gutt. olei de cortic. citri. Ventriculo quoque & cordi gratissima erit confectio ex guttulis olei legitimi cinnamomi, tum mane, tum vesperi assumenda.

Sub ingressum lecti juvabunt conserva totius citri; & flor. rutæ capprariæ, lil. convallium, roris marini; & deficiente somno, ex floribus violarum.

Quibus omnibus congrua erit addenda victus ratio, à Viro Excellentiss. præscribenda; & super omnia animi passiones, curæ, sollicitudines & solitudines sunt ablegandæ, imo geniales conversationes procurandæ; fugato namque melancholico affectu, qui respuere solet omnes oblectationes, grati quoque atque jucundi evadere poterunt cum suo Viro congressus.

Puellam quod attinet, cum sit destillationibus tussique obnoxia, magnopere juvabitur à Cauterio sinistro brachio inusto; cum enim catarrhi fontem exiccare in adeo tenella ætate non liceat, genitum à pectore divertere, & educere optimum fore existimo: sed præterea aliqua etiam in usum ducenda, quæ materiam catarrhalem continuo in ventriculum delabentem incidere, abstergere & expurgare, præterea nonnihil fontem ipsum exiccare, atque tandem symptomatibus occurrere valeant.

Primæ intentioni satisfacere poterit frequens usus, singula nimirum hebdomada, crem. tart. ad ℥. ß. cum saccharo in jure pullæ dissoluti.

Pro secunda intentione valebit usus chinæ in taleolas incisæ, & in jure carnium consueto ebullitæ.

Pro tertia julapium acet. in usum ducatur jejuno ventriculo ad cochlearia, tum ut tussi educatur è pectore catarrhalis materia, tum ut à ventriculo abducatur; præterea sit familiaris, usus matutinus aquæ pæoniæ; quandoque rutæ caprariæ; quandoque betonicæ, cui instilletur guttula spirit. cranii humani, aut cornu cervini; nonnunquam etiam spiritus vitrioli.

His autem omnibus custodia aliqua in victus ratione erit addenda; & omnium primo saltem usque ad septimum annum prorsus vinum interdicere saluberrimum foret. Superingestiones etiam, quoad fieri potest, sunt inhibendæ, & exercitium permittendum; sicuti applicationes nimiæ, utpote ætati infantili impropriæ, non sunt imperandæ. *Raym. Ioh. Fortis Consult. & Resp. Medic. T. ii. Cent. iv.*

INFLAMMATIO seu PHLEGMONE.

Antiqui omnem calorem, naturæ modum excedentem appellabant Inflammationem, & hanc duplicem faciebant, φλόγωσιν & φλεγμονὴν. Igitur sicca illa inflammatio, in qua citra ullius humoris defluxum calor parti insitus excitatur, φλόγωσις Græcis, Latinis Exarsio appellatur, estque prope incipiens inflammatio. Sed Phlegmone dicitur, 1. de quovis tumore calido, & eo respectu est calidorum humorum defluxio, sanguinis nempe puri, volatilis, aut biliosi, tenuis, fervidi, ut complectantur erysipelas, herpes, & similes tumorum species. 2. De ea inflammationis specie, quæ nomine generis absolute & usitate recentioribus dicta est Phlegmone; tumore nimirum à sanguine puro, eoque mediocri, seu temperato.

Est ergo Phlegmone seu inflammatio rubescens, renitens, dolorificusque tumor. Vel potius dicatur, tumor præter naturam è sanguine in cutem & subjectos musculos effuso, calorem, rubedinem, dolorem, pulsationem, & tensionem excitans.

Distinguitur porro Phlegmone in exquisitam & non exquisitam seu spuriam. Exquisita dicitur, quando purus sanguis extra sua vasa in aliquod membrum effusus est, eique inhærens alteratur, & incenditur. Non exquisita appellatur, quæ fit ex sanguine minus puro, sed hoc vel illo humoris genere abundante, unde Phlegmone Erysipelatodes, Oedematodes, Scyrrhodes.

Ideoque Phlegmonis causa habita semper fuit, vel purus sanguis extra sua vasa effusus, vel permixtione aliûs humoris inquinatus, qui non solummodo in cutem, sed in subjectam quoque carnem tandem confluxit. Quum enim venæ atteriæque majores immodica sanguinis copia distenduntur, gravatæ in minores quasi onus deponunt, atq; hæ demum in minimas, tumq; per minima illarum oscula sanguis, quæ cohiberi nequit, effluit, ac in vacua illabitur spatia; quæ inter fibras sunt primorum organorum, præcipue musculorum, arteriarum, venarum, nervorum, atque membranarum. Quæ partes dum fluxione perfunduntur ac implentur, copia distentæ quasi divelluntur, ferventisque sanguinis ardore incalescunt, ac dolorem excitant: sanguis quippe extra vasa collectus, neç libere circulare potens necessario putrescit, ac inceditur.

Verum enim vero sanguinem licet veluti causam tumori huic enodando plerique assignent auctores, tamen fiendi modum plurimi tacent; quem inter veteres aliquatenus exprimit, Doctissimus Fernelius l. de extern. corpor. affect. c. 2. quando dolorem ex calore, hunc ex vehementi inflammatione, illam à sanguine non in solam cutem, sed & in subjectam carnem impacto, & ex venis eo confluente oriri contendit, &c. Hic quanquam causam attribuat fluxioni vasa distendenti, quæ distentio à plethora ad vasa oritur; equidem credendum non est, omnem omnino inflammationem à sola sanguinis copia fieri, cui ratio & experientia quoq; contrariantur. Enimvero in plethora cruor tali modo vasa distendit, permeatque, ut sua sponte carceres suos non perfringat, nisi aliud quid accedat, quod sanguinis motum retardet, quodque stagnationem, effusionem, atq; adeo inflammationem moliatur. Cl. Sylvius Praxeos Medicæ l. I. c. 40. incendi sanguinem, & inflammationem oriri arbitratur, quatenus ex ipso in vasis suis valde distentis, & aliis quibusvis partibus subsistente, hoc est, stagnante mox incipiunt evanescere partes spirituosæ, magisq; volatiles & subtiles, tum acidas, tum salinas temperare solitæ, unde utræq; acriores factæ acrius in se mutuo insurgunt, effervescentiamque ob particulas sanguinis oleosas calidam excitant, quin paulatim sanguinem ita corrumpunt, ut in pus vertatur, & quidem pro sanguinis corrupti varietate plane varium: ubi satis clare acidum accusat minus temperatum, partibusque spirituosis volatilibus illud temperantibus privatum.

Ex dictis itaq; constare videtur, sanguinis in minoribus vasis stagnationis, hinc ejus effusionis, indeq; ortæ inflammationis, primam esse causam Plethoram ad vasa, vel ex obstructione vel compressione. Enimvero venæ cum nunc à sanguine, nunc à pituita in ipsis coagulatis ac concretis obstruuntur; vel ab aëris externi frigore, aut potenter adstringentibus, medicamentis admotis constringuntur, tunc plus sanguinis per arterias influit, quam per venas nunc obstructas vel compressas refluere potest; hinc cruor paulatim collectus, eadem vascula magis, magisq; distendit, & ita quidem, ut reseratis eorundem osculis, exitus ipsi patefiat; unde tunc (quoniam sanguis ex arteriis in venas non per anastomoses, sed per intermediam partium substantiam, hoc est, carnium tubulos seu poros circulatur) is necessario extravasatur, ac in vicinarum partium substantiam effunditur; ubi copia mediocri saltem collectus, modo nunc exposito, mox excandescit, & caloris sensum molestum in parte sensili producit; quæ mutatio inflammatio vocatur.

Sequuntur nunc ordine symptomata pluribus tumoribus communia, qualia sunt dolor, tensio, pulsatio, rubedo, febris, perpendenda. Et sane inflammationi plerumq; conjunctus est dolor, propter peccans acidum acidius ac volatilius, effervescentiam inordinatam primo sanguini, dein membranosas partes vellicando dolorem inducens. Dolorem excipit tensio ab affluxu sanguinis in partem subjectam, quem venæ recipere

nequeunt

efferveſcentia præternaturali, obſtructis vel compreſſis vaſis, incipiente, tandemque ebullitione ſanguinem in pus præcipitante, quæ poſtmodum ceſſat. Rubedo oritur ab extravaſato & excandeſcente ſanguine per cutem ac cuticulam tranſparente; altius enim impreſſus per muſculos, cutemque vix tranſparet, ac minorem inducit ruborem, qui tamen pro ratione ebullitionis vel efferveſcentiæ ſanguinis vel accreſcit, vel decreſcit. Cæterum Febris, quæ non raro adeſt, vel primaria eſt, vel ſymptomatica; Viz. à ſanguine acido, vel aliter depravato, atque hinc in parte inflammata ſtagnante, unde motus ejus vitiatur, ac inordinatior fit.

Signa porro, quibus dignoſcitur hic affectus ſunt membri inflatio, rubor, calor, dolor, profunda pulſatio, moleſtaque tenſio, & alia ejuſmodi, quæ ſanguinis abundantiam & extravaſationem aperte arguunt.

Hæc vero partium externarum inflammatio à multis morbis liberat partes internas, adeoque ſalutaris plerumque; niſi extenſione gangrænam produxerit. Periculoſa equidem & difficilis curationis eſt inflammatio, quæ Oculos, Fauces, Penem, Muliebre pudendum, Articulosve occupat. In juvene, & Æſtate brevius curatur: tardius in corpore pingui, quam macilento.

Ut autem recte perfecteque phlegmone curetur, duo imprimis ſunt obſervanda: primum ut cauſæ antecedenti occurramus: ſecundum ut cauſam continentem evacuemus: quibus tertium adjungi poteſt, ut emendentur ſymptomata; quæ aliquando tam ſæva ſuperveniunt, ut omnem Medentis curam ad ſe, neglecto etiam morbo, convertant.

Repellimus ergo, & corrigimus cauſam antecedentem recto rerum nonnaturalium uſu, & humoris in partem influentis Revulſione.

Rectus rerum nonnaturalium uſus in bona Diæta, ſeu debita ac ordinata illarum rerum diſpenſatione conſiſtit. Aër eligatur ſerenus. Cibus Potuſque modice ſumantur, iique refrigerantes: calida quævis, dulcia, pinguia, ut Zinziber, Piper & ſimilia nocent. Nocet etiam corporis motus, inprimis partæ læſæ. Conducit ſomnus moderatus. Obſunt Alvi duritiės, Venus.

Quod ſi bona Diæta, hoc eſt, recta rerum nonnaturalium diſpenſatio ad humorem, qui in partem affectam influit avertēdum, nec ſatis idonea, nec ſatis valida fuerit, venæſectio quamprimum inſtituatur, utpote ſummopere neceſſaria, vel ad evacuandum, vel ad revellendum, vel ad derivandum.

Interim vero dum hæc fiunt, cum rariſſime corpus vitioſis non abundet humoribus, etiam per clyſteres, atque purgantia leviora rite uſurpata, ſæpe æque ac venæſectio iteranda, multum efficere poſſumus.

Alterum autem Medici ac Cheirurgi de evacuanda conjuncta materia conſilium verſatur in recta Topicorum applicatione, & commoda adminiſtratione, hoc eſt, in debita ac tempeſtiva eorundem ad partem affectam appoſitione, diligenter conſiderando, quod ſit tumoris initium, quæ progreſſio. &c.

Remedia igitur quibus in inflammationis initio uti oportet, ſint modice repellentia, quibus aliquid diſcutientium admiſceatur, ut influens materia arceatur, & quæ nunc influxit leviter interim reſolvatur. Quem in finem cōducunt aq. plantaginis, ſolatri, ſpermatis ranarum, roſarum, florum ſambuci, acetum roſarum, ſambuci, vinum rubrum adſtringens, ſaccharum Saturni, camphora, & ſimilia abſtinendum vero à vehementer adſtringentibus, Bolo ſc. armeno, ſanguine Draconis, Acacia, Gallis, Alumine, omnibuſque oleoſis & pinguibus, utpote valde noxiis. Quæ omnia poros obſtruendo, adeoque diflationem prohibendo dolorem, calorem, hinc & inflammationem augent.

Sed quanquam incipienti inflammationi ſint imponenda Repellentia; ab iis tamen abſtinendum, 1. ubi juxta partes nobiles eſt inflammatio, vel in glandulis, 2. Quando humores maligni ſunt. 3. Quando critice expelluntur. 4. Quum ſit inflammatio in corpore Cacochymico, quumqꝫ pars affecta debilis admodum eſt.

In incremento, hoc eſt; increſcente Phlegmone, quoniam & repellere, & digerere tum oportet, habenda magis ratio humoris influentis, & ejus qui jam influxit. Sic nimirum repellentia admixtis reſolventibus & lenientibus erunt temperanda, ut reſolventia prævaleant. Fomentum ver. gr. applicetur ex Malva Althæa, Violaria, Abſynthio, Scordio, Ruta; Floribus Camomillæ, Meliloti, Sambuci, Roſarum rubrarum, Baccis juniperi, ſimilibuſve in aqua, vel Cereviſia tenui decoctis.

In ſtatu vero reſolventium pondus augeatur, admixtis una anodynis, ſi dolor moleſtus admodum ſit. Cum autem ad declinationem vergat inflammatio, vehementius diſcutere convenit, adeoque ſola diſcutientia & reſolventia ſunt imponenda. Quem in finem applicetur ſequens, aut ſimile Cataplaſma.

♃. Fol. malvæ, althææ an. Mj. ſum. abſinthii, flor. camomillæ, meliloti an. Mß. Coq. in cereviſia tenui ad mollitiem, dein in mortario contundantur; contuſis adde farinæ hordei, fœnigræci an. ℥iß. olei anethini ℥ij. pulv. croci ʒß. M. F. Cataplaſma. Cataplaſmatis loco non minore cum fructu apponatur fomentum ex ſupraſcriptis diſcutientibus, additis & aliis, decoctum, cui vel Vinum Gallicum, vel ſpiritus vini, pro re nata, admiſceri poteſt.

Quod ſi inflammatio ægre reſolvatur, tendatque in ſuppurationem, promovenda erit & acceleranda puris confectio ac generatio. Hoc vero præſtant omnia medicamenta emollientia & Maturantia vulgo dicta, Radices puta & folia Althææ, Malvæ, Liliorum alborum, Branca urſina, Flores Camomillæ, Meliloti, Farinæ Lini, Fœnigræci, Fabarum, Caricæ, Cæpæ ſub cineribus aſſatæ, Unguentum Baſilicon, Emplaſtrum Diachylum, & ſimilia. Ex quibus commodiſſime parari ſolent cataplaſmata. ex. gr.

♃. Rad. liliorum albor. recent. ℥iij. cæparum ſub cineribus aſſatar. ℥ii. fol. malvæ, althææ, flor. meliloti an. Mi. Caricarum ping. conſciſſ. N. x. coq. in aqua pura vel cereviſia tenui ad mollitiem; tunc in mortario contuſis adde farinæ ſeminis lini, fœnigræc an. ℥iß. unguenti baſilici ℥ii. M. F. Cataplaſma.

Si autem Ægris arrideant magis unguens

vel Emplastra, nec à pinguibus lædantur; inungi poterit semel aut sæpius pars dolens situ, ex unguento Agrippæ, Althææ simplici vel composito, Oleo liliorum alborum, similibusve parato; moxque ei imponi emplastrum Diachylum cum gummi, ut & Mucaginum.

Igitur ubi Calor, Febris, & alia accidentia remiserint, quando in mucronem tumor attollitur, quum pressione digitorum fluctuantis velut humoris mundatio percipitur, tum intelligere licet pus confectum esse. Quare sine procrastinatione tumor aperiendus erit, ne pus diutius conclusum mora reddatur acrius, ideoque nocentius, atq; ab ipso partes vicinæ magis magisque corrumpantur, sicque ulcus majus, sinuosum, & fistulosum fiat. Aperiendus autem est loco commodissimo, hoc est, in loco tumoris maxime molli & declivi. Fiat verò apertio aut cauterio, aut Scalpro: equidem Scalprum Cauterio præferendum puto, præsertim quum tumori inest rubor, ardor, atque purulenta materies calida est.

Sed patiens si admittere nolit apertionem, danda opera, ut versus corporis superficiem alliciatur pus, quo citius ab ipso perforetur corrosa cutis; cui usui Cl. Sylvius prax. Medic. lib. 1. cap. 40. §. 58. sequens emplastrum valde extollit.

℞. Mellis optimi, farinæ secaliginis an. ℥i. vitellum unius ovi; imponantur blando igni, & agitentur ad emplastri consistentiam. Emplastrum hoc extendatur supra linteum densum, & applicetur parti affectæ, indies renovando.

Possunt etiam Ficus contundi, & cataplasmatis modo calidæ applicari loco tumoris maxime molli & eminenti, quo sic facilitetur ac promoveatur abscessus apertio.

Ubi autem multum puris continetur in abscessu, sedulo cavendum, ne omne una vice educatur, sed partitim; quoniam Ægrorum vires aliàs non parum prosternuntur. Ubi verò parum puris adest, nil nocet omne effluere, quod aptum est paratumque ut effluat; omissa pressione forti & diutina multis Chirurgis familiari, à qua nunqnam aliquid commodi Ægris evenit, at sæpius multum incommodi.

Cæterum facta & aperta puri via, ad ulceris mundationem & consolidationem pergendum; in quem finem conducit digestivum ex Therebinthina, Melle, & Ovi Vitello, petiis impositum; vel applicetur unguentum Basilicon, vel unguentum Aureum, vel si magis detergendum sit.

℞. Therebinthinæ venet. Mellis optimi, vel Rosacei an. ℥i. Vitellum unius ovi, Farinæ Hordei ʒij. Thuris ℈ii. M. F. S. A. Digestivum Nonnulli laudibus extollunt Detersivum ex Apio, cujus hæc est descriptio.

℞. Succ. apii, plantaginis, betonicæ an. ℥i. Mellis optimi ℥v. Therebinth. venet. ℥iiii. farinæ hordei, orobi an. ʒii. pulv. aloës, myrrhæ, iridis Florent. an. ʒi. Coquatur mel cum succis, quibus consumptis addantur farinæ & pulveres, & omnia misceantur ad formam unguenti. Sin adhuc validius detergere fuerit consilium, utendum unguento Apostolorum vel solo, vel unguento Basiliconi admixto.

Ubi vero satis detersum est ulcus, carne oppleatur, & cicatrice obducatur, adhibitis Medicamentis variis nunc expositis, & porro exponendis lib. III. de Ulcerum curatione. Hunc tamen in finem vehementer laudat Balsamum sulphuris therebinthinatum Cl. Sylvius prax. Med. l. 1. c. 40. §. 61. 62. cujus effectus mirabilis ac fere incredibilis est, si ejus aliquid ulceri instilletur, aut illinatur. „Mox enim, inquit, novi puris „generatio ita fuit inde diminuta, ut non raro „hujus unius Balsami ope intra paucos dies „plene curata fuerint & in Mammis, & alibi „excitata post inflammationes Apostemata notabilia.

„Ex hoc autem experimento, haud parvi pendendo, censui Ulcerum Apostemata „consequentium Mundationem ac consolidationem consistere in Correctione puris acidi, „rodentisque ulceratæ parti adhærentis, atque „sanguinem ipsi nutriendæ dicatum ex parte „saltem corrumpentis, ac in novum pus vertentis: Corrigi vero illud pus parti affectæ „adhærens à sulphuris Balsamo laudato, imprimis ratione Olei Aromatici, adeoque sale volatili oleoso abundantis; à quo spiritus acidus „in pure luxurians, quin sanguinem in pus indies corrumpens non tantum obtundatur, sed „insuper mitigetur, emendeturque ita, ut affluens sanguis partes prius consumptas brevi „reparet, consolidationemque ultimam expediat.

Ultimus tandem curandæ inflammationis scopus est, ut symptomata, illam nonnunquam comitantia placentur. Sunt autem ea ut plurimum quatuor, dolor, Durities, Gangræna, Febris. Inter hæc primum locum dolor obtinet, in eoque sedando diligentem esse Medicum oportet, Nam præterquam quod vires prosternit, functionesque debilitat, etiam fluxiones ciet, adeoque inflammationem auget. igitur imponatur cataplasma ex mica panis albi & lacti dulci, addito croci pulvere, confectum. Vel

℞. Flor. camomillæ, meliloti, sambuci an. M.i. coctis in lacte dulci, & in mortario contusis adde farinæ seminis lini, fœnigræci an. ℥ii. vitellos duorum ovorum olei rosacei ℥iß. M. F. catapl.

Quod si dolor perseveret, nec his cedat remediis, ad validiora confugiendum erit, usurpatis etiam Narcoticis; ea tamen cautione, ne inde parti inferatur Necrosis. In hoc casu itaque cataplasmati addantur folia Hyosciami, Papaveris, Solani, &c.

Durities vel Gangræna quomodo curari debeant, suis locis sumus dicturi.

Ad curam Febris quod attinet, ea ad Medicum potius, quam Cheirurgum spectat: Tolli tamen ut plurimum solet Diæta, venæsectione, & Medicamentis, quæ in phlegmonis curatione observanda modo docuimus. *Ioh. Munnicks Praxeos Chirurgicæ lib. i.*

Consultatio.

Inflammatio erysipelatodes cubiti in viro quodam Reverendo.

Maximi in Medicina momenti est, Vir Reverende, non tantum similia à dissimilibus secernere atque morborum naturam exploratam penitusque cognitam habere; sed & perspecta morbi idæa & vero schemate remedia cuique affectui debita prudenter assignare, Hoc opus, hic labor. Quod affectusqui Te affligit, sit phlegmone

ne eryſipelatodes in cubito oborta; ut ſcribis, facile crediderim. Venarum eminentia & tumor rubeus in parte affecta, atque in tumore fervor ac pulſatilis dolor, quæ graphice admodum in literis tuis delineaſti, id ipſum manifeſte evincunt. Methodum vero in curatione ſuſceptam probare nullus poſſum. Vidi plures ægros periiſſe magis debitorum remediorum neglectu, quam intempeſtiva & temeraria ſæpe eorundem adminiſtratione. Venæſectio, ut feciſti, nullo modo omittenda erat, quæ in corpore plethorico, quale tuum eſt, omnino requiritur, & præcipuus ſcopus eſt in morbis à plenitudine obortis, ne ſcilicet ſanguinis copia ad affectam partem confluens malum adaugeat, dummodo in principio inſtituatur. Inchoantibus enim morbis ex Hippocratis decreto, ſi quid movendum videtur, movendum. Gignitur enim phlegmone ex ſanguinis copioſioris influxu quàm pars poſtulat, undecumque etiam influat, aut ſi qualitate præter redundantiam moleſtus ſit. Requirebat eandem febris; quæ acceſſit, non quidem abuta, quod materia phlegmones in parte externa, longe à corde diſſita, hærebat, magna tamen, quod inflammatio fuerit magna & profunda. Huic generationi in Te proculdubio, ſi præincipientem cauſam reſpexeris, magnam anſam præbuit, nimius concionandi labor & ardor immodicus, quo factum ut per æſtum attenuato ſanguine & concalefacto, exagitante motu & in fervorem ſanguinis maſſam deducente, propulſo foras ſanguine è vaſis majoribus ad minora; & inde ad minima, donec tandem è venis quaſi expreſſus & ad inania muſculorum ſpacia delatus, in phlegmonem degeneraverit. Ex quibus patet, quam male & quanto damno tuo neglecta fuerit venæſectio. Nec obſtabat, quam prætendis, virium imbecillitas, tanquam contra indicans, cum illa à gravante ſanguinis & humorum copia, minime vero reſolutione aliqua evenerit. De purgatione omiſſa itidem es culpandus, præſertim in corpore cacochymo & ſedentariæ vitæ aſſueto. Etſi enim inflammationes maxime à ſanguine natales ortus derivent, attamen anſam iis præbent humores vitioſi & calidi qui ſæpe ſanguinem ſecum rapiunt. Hi itaque expurgandi, quod commode effeceris infuſo rhabarbari cum corrigentibus in decocto tamarindorum, addita uncia una ſyrupi roſarum ſolut. & de cichor. cum rhabarb. Quod phlegmonem ipſam attinet, cum jam ſuppurata ſit nihil habeo quod addam. An ſponte ſua aperta fuerit, an vero ferro vel medicamentis, de eo nihil in literis tuis. Illud tædioſum, diuturnum & ſæpe minus tutum. Hoc non ſine dolore. Ut ut ſit, pus diligenter evacuandum, non una vice, ſed pluribus; dolor mitigandus; & ſi reliquiæ quædam non ſuppuratæ apparuerint, in pus concoquendæ; vulnus mundificandum, ut ejus fieri poſſit agglutinatio, & alia, quæ Chirurgo tuo ex artis lege adminiſtranda relinquo. Tu his fruere in commodum tuum uberrimum, me que, ut facis, amare perge vale. *Fridericus Loſſius in Conſiliis Medicis.*

Obſervationes.

Ruſtica quædam mulier magnam phlegmonem in brachio habebat, huic cum menſtrua deficerent, facta eſt phlebotomia in crure ex loco oppoſito. Poſtea applicuimus parti affectæ quæ repellerent

♃. Aceti opt. ℥iii. album ovi ℥i. aq. roſar. ℥iß. roſar. rub. pulv. ʒß M. & petias lineas in hoc liquore madefactas loco affecto applicato. Hoc utebatur Benedictus Faventinus Præceptor meus.

℞. Unguent. de ceruſſa ℥ii. ſucci plantag. & ſemperv. an. ℥i. aq. roſar. ℥ii. M. & cum petiis lineis apponito. At cum hæc valde repellentia ob inſignem dolorem minus juvarent, appoſui emplaſtrum ex mica panis cribellati cum oleo roſac. & lacte; quod in omnibus inflammationibus cum rubore ſæpe experti ſumus, & dolorem ſedare, & fluxum materiæ inhibere; dolor vero illo appoſito mitigari cæpit, & inflammatio ceſſare. Interim ſtatim poſt ſanguinis miſſionem corpus purgavimus.

In alia, ad inflammationem brachii inunximus primo unguento roſacco. Poſtea cum dolor intenderetur, cataplaſma ſequens impoſuimus.

♃. Malv. m. iiii. piſtentur ad mollitudinem; add. farinæ hordei ℥ß. ol. viol. roſ. unguenti popul. an. q. ſ. F. cataplaſma: ſepties fuit reiteratum. Poſtea etiam brachium inunximus unguento populeo, oleo viol. amygd. d. roſ. an. part. æq. impoſito deinde iterum cataplaſmate ſupraſcripto, tandem bene habuit & à phlegmone curata eſt: alteri hoc cataplaſma egregie profuit & dolorem ſedavit.

℞. Farin. tritic. q. ſ. coq. in aqua addendo ol. roſac. q. ſ. & parum croci; hoc etiam maturat: hoc item emplaſtro commode ſæpe uſi ſumus ad dolorem ſedandum, & tumorem & tenſionem remolliendam, & materiam inſenſibiliter reſolvendam.

♃. Farin. ſem. lini fænugr. ſem. aneth. fl. chamæm. melilot. biſmal. coq. piſtentur & corporentur cum mucilag. ſem. althææ & butyro recenti poteſt addi in proceſſu farina fabarum. *Petrus Foreſtus. obſ. 5. lib. 1. obſ. Chirurg.*

Ubi cognoveris reſolventia non complere opus ſuum, ſtatim debes ſollicitare ipſius phlegmones ſuppurationem, quam complebis ſequenti emplaſtro.

♃. Rad. malv. fol. viol. an. M. iß. rad. alth. minutim inciſ. ℥ii. rad. lil. alb. ℥iß. bulliant omnia in aq. ad medietat. conſumptionem: deinde adde mucil. ſem. caulium ℥iß. farin. frumenti ℥i. pingued. porcin. butyr. rec. lact. mulier. an. ℥i. ol. lil. alb. amygd. d. an. q. ſ. ad impinguandum emplaſtrum, quod calidum loco dolenti apponatur. Ad idem egregie maturans & ſuppurans.

♃. Lactis vaccin. ℔i. medull. panis ſubtiliter trituratæ ℔i. ſucci caulium ℥iii. croci ʒß. ol. lil. alb ℥iii. M. & calide apponito: maturata vero phlegmone (cujus indicia erunt mollities cum undoſitate apparens, carentia doloris, & tenſionis privatio;) debes te præparare ad illius diſruptionem, quod ſi patiens ferro vel igne terretur, diſrumpatur ſequentibus.

♃. Diachyl. ſimpl. ℥ii. fermenti ℥i. ol. amygd. d. ʒß. M. groſſo modo, extend. ſupra corium, in medio pone ſtercor. columb. ſubtiliter pulver. ʒi. & phlegmoni applicato; ſtercore appoſito in loco in quo habilior erit ejus diſruptio;

secundum ingenium est hoc ruptorium.

℞. Fermenti ℥ß. salis ℥i. aceti opt. ℥ii. pulv. cantharid. ℈iv. omnia simul bene misce, & in mortario bene ducantur, quousque fiat pasta, cujus ʒß. vel secundum quantitatem phlegmone disrumpendæ applicabis apostemati, superposito emplastro supradicto: rupto apostemate, sic ut plurimum medicaberis.

℞. Terebinth. ℥ii. vitell. ov. numero 1. optime agitentur simul quousque F. forma unguenti, in quo tentam factam ex pecia vel ejus filis ad quantitatem foraminis affecti intinges, & foramini impones; tum vero ipsum unguentum extendes supra peciam, & totum apostema teges: factaque idonea ligatura non multum stricta, ne prohibeatur eventatio spiritus & caloris ad membrum, & materiæ residuæ maturatio: sic continuabis per dies, donec materia fuerit sufficienter evacuata, & labia vulneris optime digesta. Postea ad majorem mundificationem & abstersionem, appones unguentum sequens, & tentam intinctam in eo.

℞. Terebinth. ℥ij. mell. ℥i. M. & usui serva; semper superponendo unguentum digestivum prius factum: mundificata phlegmone, quod poteris videre ex privatione generationis saniei & alterius malæ materiæ currentis ex ulcere & sufficienter abstersa, indigebit tunc ulcus incarnatione & consolidatione: ideo cum sequenti unguento procedes.

℞. Terebinth. ℥ii. mell. ℥iß. thur. mastich. myrrh. aloes; an. ʒi. sarcocoll. ʒß. pulverizanda pulver. & omnia in mortario bene ducantur & agitentur, quousque F. unguentum: & sic continuabis usque ad veram ipsius consolidationem: hæc Præceptor meus Faventinus admonebat: si vero vehemens dolor inflammationi accesserit, modis omnibus is mitigandus est, quod si anodynis non demulcetur ad narcotica transeundum erit: inter hyoscyamum admirandam opem sæpe contulisse frequenti experimento præter quorundam authoritatem comprobatum est: itaque folia ejus sub calidis cineribus coquito, recenti axungiæ misceto & admoveto; hoc vehementer dolores mulcet, & phlegmonosos tumores ad suppurationem perducit. Petrus Forestus. schol. obs. 5. lib. 1. obs. Chir.

Vir quidam vexabatur in metacarpio & gibbo manus phlegmone seu apostemate calido: exhibui balsamum sulphur: ut eo mane meridie ac vesperi apostema probe illiniret, & linteola superimponeret cum levi ligatura; quod cum fecisset, statim maturationem, mox disruptionem & tandem perpaucis diebus consolidationem & optatam curationem consecutus est. *Martinus Rulandus. curat. 90. cent. 1.*

Plurimos, cum paterentur apostemata, seu phlegmones, sanos feci intra paucos dies solo emplastro diasulph. (cujus descriptionem, vide lib. 18. sect. 22. subsect. 4.) admovi autem illud mane & vesperi, unde citissime ad suppurationem venerunt. Deinceps ultra rupta, & indies his mundificata mox ad consolidationem perducta sunt: quia in hoc emplastro miranda & celeris inest vis emolliendi, suppurandi, rumpendi, abstergendi & conglutinandi. *Martinus Rulandus. curat. 94. cent. 1.*

Cuidam laboranti phlegmone erysipelatode in facie, folia hederæ arboreæ in aqua quæ à tectis tegulatis cæruleis defluit cocta, & humida supra faciem posuimus: hoc experimentum habuimus à Chirurgo quodam seniore, quod in seipso, tum sua uxore sæpius, ad guttam quoque rosaceam in facie expertus fuerat: & ego in quamplurimis: semper enim mihi fœliciter successit applicatio fol. hederæ post universalia adhibita remedia: eodem modo & fol. tussilag. cocta in aqua & apposita egregie prosunt, ut expertus sum; quanquam in herpere magis conveniant. *Petrus Forestus. obs. 6. lib. 1. obs. Chir.*

Plantæ pedis inflammationes periculosæ.

Cum plantæ pedis partes sint nervosæ, ac proinde exquisitissimo sensu præditæ, atque in parte decliviori sita, non leviora symptomata ex ipsarum inflammatione oriri solent, cujus rei exempla aliquot in gratiam tyronum hic in medium adferre non gravabor. Juveni cuidam Coloniæ viginti circiter annorum ætatis, ex domesticis generosi Viri Dom. Gulielmi de Hodorff. Dn. in Leud. & Wel. &c. cum ex nimis violenta deambulatione dolor in ipsa planta pedis exortus esset, & ab initio remedia nulla adhibita fuissent, auctus est dolor, & mox sequuta inflammatio. Ego vocatus totum pedem in tumorem elevatum, & phlegmone occupatum inveni. Dolor aderat maximus, & ad coxas usque se se extendens; febris continua & ardens; inquietudines item, delirium & lipothymiæ. In curatione autem hunc in modum processi. Instituta victus ratione tenui, sequenti potiuncula corpus purgavi.

℞. Electuar. de succo rosar. ℥ß. pulver. Passavanti cum rhabarb. ℈iß. syr. rosar. sol. ℥i. cum decocto agrimon. veronic. radic. lapath. acuti, cortic. inferior. radic. frangul. & sem. anisi, fiat potiuncula. Qua clementer expurgatus fuit. Eadem die post cœnam per duas horas ipsi ad gr. vi. laudani exhibui; quievit ea nocte, viresque aliquo modo refocillatæ fuerunt; quapropter postridie venam brachii lateris laborantis incidi, & sanguinem ad ℥x. extraxi, erat enim plethoricus & robustus, hinc febris, dolores & inflammatio multum imminuta sunt. Statim quoque ab initio, coxam, genu, & quicquid ab inflammatione liberum, sequenti linimento inunxi.

℞. Olei rosac. ℥ii. olei lumbric. & axung. human. an. ʒii. M. loco vero affecto, quia pinguia ex Galen. doctrina lib. 5. de simpl. medic. facultatib. admovenda non erant, sequens applicui cataplasma.

℞. Sem. cydonior. fænigr. alth. an. ʒii. pulverisentur & macerentur aqua calida per duas horas deinde admisce farinæ hordei ℥iii. pulver. rosar. ʒß. coquant. cum. s. q. aq. ad formam. cataplasmatis, postea admisce vitellum ovi cum albumine; applicetur & renovetur quotiescunque opus videbitur. His adhibitis medicamentis dolor multum cessare cæpit, & locus materiæ apparuit, cui emplastrum basiliconis, toti vero pedi cataplasma præscriptum applicui. Et quia pars illa pedis maxime callosa, lacte calenti, in quo semen fænigræci, folia malvæ & violarum incocta erant, diligenter fomentavi

fomentavi, deinde novacula callositatem illam abrasi, quemadmodum obs. 97. cent. i. in curatione paronychiæ scripsimus. Sic brevi in ipsa planta pedis rupta vomica, feliciter evasit. Interim dum circa curationem atque sanationem hanc occupatus eram aliquoties mihi narravit Generosa Dom. de Leud. quendam ex suis consanguineis ex simili morbo intra paucos dies extinctum fuisse. Quod mirum nemini videri debet, cum locus iste, ut antea dixi, sit nervosus, & exquisitissimo sensu prædictus, ut proinde gravissima symptomata accerseret. *Gulielm. Fabr. Hildanus observat. Chirurgicar. cent. iii.*

INQUIETUDO.

QUandoquidem aliorum morborum symptoma potius quam morbus per se dici meretur ejus specialis tractatio consulto hic omittitur.

INSANIA
Vid.
DELIRIUM.

INSOMNIA.

CUjusmodi sit insomniorum significatio, tum naturalis, prout cerebri intemperiem indicant; tum fatidica prout à Dæmone inspirari, atque futura prænuntiare affirmantur, hic consulto præterimus: solummodo inquiremus quali spirituum animalium motu, & agitatione, in cerebro insomnia producantur. Dicimus igitur, quod spiritus animales, licet alterna motus, & quietis tempora naturaliter affectent, dumque requiei indulgent, humoris nervosi cerebro recens instillati complexibus, velut catenis, ne motum ineant, sese colligari patiuntur; tamen plerumque accidit, quod spiritus nonnulli hoc vinculum facile excutiant, atque inter alta reliquorum silentia huc illuc expatiari ament. Atque revera insomnia sunt tantum excursus quorundam spirituum in cerebro ligatione solutorum, qui dum cæteris arcte constrictis, huc, illuc, sine duce, aut regulatore quovis divagantur, atque motuum typos veluti choreas prius edoctas repetunt, rerum prius actarum cogitationes, licet more valde confuso, repræsentare solent. Spiritus qui aliis interim constrictis, custodia soluti varie discurrunt, duplici ratione in motus libertatem vindicantur. Nimirum spiritus nonnulli somni captivitatem effugiunt, plerumque ob nimium cerebri calorem, & agitationem, prout à vini potu, Nicotianæ fumo, exercitio immodico, necnon passionibus, aut studio acriori accidere solet: his enim modis spiritus stimulatione quadam citantur, ac velut in impetus adiguntur, ut somno licet obrepente, una omnes constringi, ac coërceri nequeunt; quin aliqui velut spectra in cœmeterio, inter reliquorum sepulchra obambulant, & stupendas rerum apparitiones faciunt. Alia spirituum quorundam in cerebro, qua insomnia producuntur, exuscitatio, fit ob spiritus quosdam in aliis partibus, uti in præcordiis, stomacho, liene, genitalibus, &c. perturbatos, à quibus dum perturbatio eadem per nervos in cerebrum communicatur, unus forsan, aut alter spirituum manipulus, ibi concitatus, varia phantasmata repræsentari facit. In affectione incubo dicta, cum præcordia ob nervos constrictos, aut alias impeditos in motu sistuntur, animal quoddam, aut pondus grave pectori incumbens, respirationem inhibere somniamur. Humor genitalis in vasis turgescens, eademque irritans, insomnia impudica producit. Cibi dyspepti, & crassiores, in cœna comesti, quatenus ventriculum aggravant, & molestia afficiunt, somnos item perturbatos, & phantasmatum terriculamentis infestos reddunt; pariter de multis aliis partibus habere, in promptu est ostendere.

Dum spirituum turmæ quasi privatæ, in cerebro exuscitatæ, & huc, illuc, se proripientes, phantasiam exercent, illorum ῥοπαὶ sive excursus, modo regulariter, modo inordinate contingunt; proindeque insomnia, aut rerum anteactarum series, aut tantum chimæras, sive notiones omnino dispares, & incongruas repræsentant. Porro dum spiritus animales, eo ritu intra cerebrum agitati, insomnia, seu cogitationum simulachra producunt, non raro in genus nervosum resiliunt, ibidemque spiritus alios cientes, motus locales diversimodos producunt; quapropter homines nonnulli, etiam quando alte dormiunt, è lecto exurgere, huc illuc ambulare, supellectilem juxta positam è loco in locum movere, sæpe vestimenta induere, fores aperire, scalas ascendere, loca anfractuosa, & vigilantibus vix adeunda pertransire solent; interim si illorum progressui obstaculum occurrit, aut illud consulto prætereunt, aut è via amovent. Novi quendam hoc ritu, instar spectri noctambulare solitum, qui alios vigilantes obviam factos alloqueretur, manibus comprehenderet & non raro pugnis cæderet, deinde nisi asperius tractatus expergisceretur, ad lectum rediens, & postea sponte evigilans, nihil omnino à se actum consciret. Quinimo de plerisque ita lemurum more noctu-vagari solitis observare est; quod expergefacti fere nihil rerum in somnis à se gestarum recordantur; quasi diversum aliquid à somniantibus paterentur; namque hi se motus locales edere concipiunt, quos revera minime edunt, verum isti loco moventur, nec tamen istius conscii fiunt. In somniantibus spiritus excitati omnino interius versus corpus callosum lati, tantum imaginationem, & memoriam afficiunt; in somnambulis vero, illorum manipuli quidam exporrecti ῥοπὴν suam solummodo exterius versus partes motrices dirigunt, interim sensu communi, imaginatione, & memoria minime affectis. Mirum est, quod sagis, seu veneficis passim accidit, nimirum istæ, dum sopore profundo sepultæ jacent, se loca valde remota adiisse, marium, & terrarum spectacula iis prorsus ignota vidisse imaginantur, & exacte describunt; quod procul dubio est, quoniam Diabolus rerum ideas phantasiæ illarum objiciat, adeoque fortiter imprimat ut sese illis interfuisse pro certo credant: è contra somnambuli totas divagantur ædes, earumque procinctus, & actiones diversimodas revera perficiunt, quarum vigiles facti prorsus ignari sunt. Si hujusmodi [illegible]sionis ratio inquiritur, hic primo occurrit [illegible] localiter affecti, facultates tum sensitivas, quippe [illegible] motivas isto tempore libere exer[illegible] certis mo[illegible] non tantum pedes, & brachia,

dis, & numeris movent, uti solet machina rotis ac elatere instructa tia insuper auribus audiunt, oculis vident, & cum discretione quadam, juxta impressiones à sensibili factas, motus suos locales variant. Quare hinc concludere licebit, spiritus quosdam animales intra cerebri meditullium posterius, forsan circa corpora striata inordinate excitatos, nervorum capitella ferire, aliosque deinde spiritus, longa serie intra ductus nerveos, & partes motrices consitos, exciere, inque motus prius assuetos ineundos adigere; hinc ut corporis & membranarum lationes diversimodæ producantur. Attamen quia spirituum excitatorum ῥοπῇ tantum exterius tendit, & non omnino interius in corpora striata & callosum reflectitur, proinde ut nec commune sensorium, nec imaginatio afficiantur, idcirco agentes actiones suas nec percipiunt, nec recordantur. Quod si interrogetur (siquidem sensus communis hoc tempore obtorpescit) quo instinctu spiritus animales, juxta sensibilium impressiones, ad motus locales hujus, aut alius generis obeundos determinantur: dicendum erit, quod hæc sensus, & motus reciprocatio, à consuetudine potissimum dependeat, spiritus scil. hoc, aut illo ritu ordinari prius assueti, in somno actionis libertatem nacti sponte sua ad solitos agendi modos se componunt; non secus atq; dum Citharædus aliud quidpiam meditotur, digiti ejus modulaminis numeros prius edocti, fides miro discrimine, & agilitate exacte pulsant. *Thom. Willis de Anima Brutorum.*

De Insomniis morbosis jam quædam capite de Incubo. Hic rursus pauca per observationes è Miscellaneis curiosis & Actis Haffniensibus exceptas.

Mirum, sed nunquam fallens ægræ somnium.

Fæmina nobilis, jam ab aliquot annis valetudinem minus firmam experta, sæpe arthritica, semper κακοστόμαχος aliquando calculosa, in quæ incommoda incidit ex non interrupto ob mortem filiæ unicæ luctu, quamquam plurium Medicorum pareat consiliis, familiarius tamen meo, quoties grave incidit symptoma, utitur ministerio. Hæc sine omni hæsitatione præsagit venturum proximo biduo morbum, quod trienni jam experimento constantissime edocta sit, quoties de me somniat, instare sibi adversam valetudinem, licet sana ad dormiendum se componat. Credibile oberrare in corpore ejus semina mali antequam se plenè colligant, atq; ab istis vagabundis motiunculis membranas cerebri inter dormiendum leviter pungi, & ab his vellicationibus redire memoriam eorum quæ solenniter geruntur, quoties punctiones ejusmodi crebrius infestant, hoc est, discurrendum ad sollicitandam Medici familiaris operam. Hinc quoties eam inviso, primo omnium percunctari soleo, utrum inter somniãdum me viderit vel lætum quicquam, vel triste agentem; si neget, jam securus sum proximo ad minimum biduo de mali induciis. *Olai Borrichii.*

Somnium mortis nuntium.

Uxor charissima jam à tribus annis dolore vexatur hypochondriaco cum suetis symptomatibus, quæ noctu fere eam affligunt: ante, vero per somnum quasi sentit venturum malum; quare mo[illegible] habet utplurimum hujus vel alterius nonnu[illegible]brepentis, interdum periculi in aquis, facta stati[illegible]m rerum aliarum tristium: expergefacta dolores istos: q[illegible]el paulo post, sentit incumbere dolores [illegible]ies ergo noctu contingit (contingit vero maxime) toties per somnium nuntiatur: alia somnia veridica possunt videri apud Henric. ab Heer. obs. 2. & Gassendum in vita Peireski l. 2. p. p. m. 75. *Georgius Francus.*

Insomnium Exitiosum.

Matthias Brischvviz temperamenti melancholici, annum agens 21. & hospitans apud tutorem suum, in cujus ædibus terrifica spectra videri censent cum die 28. Septembr. Anni hujus 1671. cubitum iturus (dormivit autem solus in ipso domus vestibulo) terriculamenta quædam in superiori domus contigatione audiret, lectum gravi perculsus timore ingreditur, ac profundo opprimitur somno. Non diu post cernit in somnis lictores, qui civem, optime mihi alias notum in vestibulum deducunt, & carnifici non procul à dormientis lecto capite plectendum offerunt. Nec renuit ille, sed celeri ictu caput cervicibus abscindit. Cæterum, caput truncatum adstantes omnes crudeliter interemit, ipsique somnianti præsentissimam minabatur mortem, quam ut iste effugeret, ad januam se contulit. Et licet, ut per somnium ei videbatur, revulsum caput eum insequeretur, à vicinis tamen ficto periculo eximitur, dum caput & simul cum isto omne removent periculum. Et hic quidem fuit finis insomnii, non tamen finis miseriæ somniantis. Corripiebatur namque finito somnio epilepsia gravi, quam cum maxima membrorum jactatione horrificoque boatu sustinebat. Audiverat quidem hos tumultus in hypocausto ipse Tutor, qui à febre petechiali, Deo benedicente & me assistente, vix reconvaluerat, sed pro illusionibus spectri eos cum uxore habebat. Sequenti die 29. Septembr. mane surgens æger, de insomnio horribili & capitis dolore conquestus est coram domesticis, consueta tamen obivit munia. Sed vesperi, nihil quicquam cogitantibus adstantibus, paroxysmo epileptico iterum infestatur. Ubi ex membrorum jactatione & boatu merito colligit tutor, simile ei præcedenti accidisse nocte. Advolat interim amita ægri, & re cognita, propinat ægro Medicamentum aliquod, cujus vires antepilepticas mirum quantum deprædicaverat. Sic quidem æger sequenti nocte, & die, quæ hanc excepit, nullis infestabatur manifestis paroxysmis, attamen interdum per quadrantem horæ & ultra oculos habens apertos, sine sensu & motu decumbebat, mox rursum ad consuetos labores se conferens, eadem die ego vocatus, urinam turbidam & pure repletam offendo, simul quoq; ægrum de capitis & lumborum dolore conquerentem audio. Quare necessitatem purgantis medicamenti propono, & ægri corpus potione digerente, quam etiam antepileptica ingrediebantur, præparo. Die 1. Octobr. post assumptum Medicamentum dejecit sine molestia decies, & remiserunt dicti dolores. Die 2. Octobr. citra voluntatem scitumq; meum egrediens ex hospitio suo, amitamq; invisens, in istius ædibus denuo, sed ultima vice, convellitur. Inde in hospitium reductus, ea atq; sequentibus diebus diversis ei prospexi antepilepticis, tam internis, quam externis. Die 4. Octobr. cum nonnisi difficulter responderet, licet adstantes innatæ ejus morositati ac pervicaciæ id adscriberent, variis tamen sollicitationibus à me victus, respondit tandem se, quandoquidem fauces nimium dolerent, loqui non posse. Vocatus mox Balneator, ægri Patruus, atq; ut faucium leviter inflammatorum curam haberet

haberet, jussus. Die 5. Octob. loqui desiit, & manum dextram cum dextro pede difficulter movere cœpit. Ego lateris illius Paralysin imminere conjiciens, ad malum illud avertendum diversa præscripsi interna pariter & externa, sed cuncta sine fructu, unde ingravescente malo tandem die 7. Octob. noctu ad plures abiit. &c *D. Georgii Segeri.*

Ex Insomnio Ingens Catharsis.

Consulis Hanoviensis filia, octodecim circiter annorum virgo, consueta erat purgare alvum Extracto Rhabarbari, quod cum aliquandiu neglexisset, monebatur quadam vespera à matre, excusavit se filia, prætendens nauseam à familiari illo purgante, & sic aliquanto diutius ob id increpata à matre una cum Sorore jectum repetit. Hora prima post mediam noctem incipit nauseabunda hæc virgo gemere & suspirare, & expergefacta à Sorore conqueri de ingentibus alvi doloribus ab usu Rhabarbari, quod se sumpsisse somniaverat, & paulo post cogitur relinquere lectum, aliquot horarum spacio plus quàm sexies copiose purgata à sola phantasia, humores illos mobiles & fluctuantes deturbāte. Hic recordor. Observationum de vi imaginationis in tom. 2. Ephemeridum German. p. 32. & 221. à D. D. Sorbait & Scholzio communicatarum, quæ ibidem à curioso lectore videri possunt. *D. Ioh. Jacobi Waldschmidii.*

INTERTRIGO

Vid.

CUTIS VITIA.

Hic uno tantum verbo de ani intertrigine, quæ nihil aliud est quam partium ano vicinarum, ac inter femora etiam sitarum, attritus ac excoriatio, à motu vehementiori & equitatione orta. Curatur sevo cervino & hircino, nec non pulvere ex floribus Balaust. ros. sant. rubr. & camphora, parato ac insperso. Alii farinam nucis juglandis inspergunt, sicq; dolorem mitigant. Alii partem affectam aqua ros. in qua aliquid salis saturni sit dissolutum fovent. Alii laudant adipem anseris, anatis, gallinæ, chalcitidem aqua subactam, mucilaginem semin. cydonior. & tragacant. ex aqua rosarum, vel malvæ paratam, item oleum amygdalar. dulc. myrtin. rosar. vitell. ovor. item plumbaginem cum aceto & vino mistam, pulverem gallarum oleo vitell. ovor. exceptum, mista plumbagine, myrrha & alumine, unguentum de cerussa, de lithargyr. cum pauxillo mercur. vivi, item gryseum ac sambucinum. Tandem remedium Foresti est si intertrigini argentina herba contusa apponatur, vel hujus herbæ succo partes affectæ liniantur.

INTESTINORUM MORBI.

De intestinorum fabrica, membranis, vasis, glandulis, de eorundem differentiis, situ, connexionibus, actione ac usibus fuse agitur ex Clar. Glissonio & aliis in Bibliotheca nostra anatomica. Morbos quod attinet; illi sunt inflammatio Angustia, Lævitas, tumores, flatus, motus imminutus, intussusceptio, vermes, hernia, vulnus, ulcus, ac intestini recti affectus speciales, qui sunt inflammatio illius specialis, verrucæ, rhagades, ulcus & fistulæ. De inflammatione, angustia, tumoribus, intussusceptione actum capite de ileo, ac etiam de colica & de alvo adstricta, de lævitate, capite de diarrhæa. De vermibus, hernia, vulnere, ulcere, verrucis, rhagadibus, fistulis, propriis capitibus. Hic itaq; spicilegium tantum aliquod eorum prope omnium per consultationes, observationes, & anatomicas inspectiones hinc inde excerptas, exhibebimus.

Consultationes

Pro Illustri, & Nobili Mirandulano, tumore scirrhoso intestini recti à sanatis hæmorrhoidibus exorto laborante.

Postquam satis perspectum est tumorem ad sinistram sedis partem in nobili, & illustri viro ab hæmorrhoidibus olim immodice fluentibus per incisionem, ablationemq; sanatis subortum latitare, ipsum idcirco rectum intestinum obsidere pro certo habendum; & quoniam tumor durus, ac renitens existit, inter tumores ideo scirrosos; eosq; potissimum qui ex minera melancholica mixta prædominante fiunt, est reponendus, in ea siquidem parte contextæ sunt venæ prædictæ ejusdem mineræ receptacula; patiensq; habitus melancholici proponitur: atqui succum pituitosum subesse ex his vel facile persuaderi potest, & primo quia occasione cujuslibet hæmorragiæ calor nativus valde depauperatur, unde insignis pituitæ proventus fiat, necesse est; secundo ubicumq; succo melancholico pituitosus commiscetur, unaq; ad cutim demandatur, colorem subrubrum suboriri contingit qualis in tumore nostro conspici scribitur, pituitosus ergo succus melancholico subdominatur, in cujus rei confirmationem facit, & illud, quod pars laborans imbecillior facta quam pro naturæ statu conveniat, proprium haud bene conficit alimentum; proindeque excrementa pituitosa cruda coacervare cogitur, ut minime interea dubitandum sit, scirrum hunc illegitimum esse, non solum qua ex minera mixta ortum ducit, verùm etiam quatenus ob dolorem adjunctum non est immunis à sensu, quamvis dolorem partes adjacentes magis, quam tumidā excruciare putem: ut ex his etiam pateat, scirrhum hunc esse de genere eorum, qui non incipiendo, sed qui ex alterius morbi permutatione fiunt, patet adhuc a natura cancri liberum existere, quando neq; venosus, neq; lividus, nec inæqualis existat, continuoq; non doleat, sed ubi tantum ab excrementis crassioribus descendentibus, fluxioneque humorum irritatur.

Scirrhus igitur hic (ut modus generationis ejusdem clarius innotescat) à succo melancholico peccante, pituitosoque subpeccante ortum ducit, & ex eisdem incrementum suscipit; an vero ab illis per repletionem, siccationem, vel concretionem fiat, & an humores eundem efficientes per fluxionem, vel congestionem colligantur, meo judicio non est difficile decernere, nam quoad primum cum non sit dubium, corpus egregii viri succo melancholico plurimo scatere, minime fieri potest quin scirrhus per repletionem fuerit subortus; pariter quoniam locus affectus, minera morbifica, ac usus olim medicamentorum adstringentium in unicam frigiditatem (à qua concretio) conspirant, ea propter in hujus tumoris generatione concretionem locum habere sentio, siccitas autem, quoniam causæ ipsum inducentes, uti nimis calefacientium, ac dissipantium usus, similiaque non præcessere, mea sententia omnino seclu-

quoniam causæ ipsum inducentes, uti nimis calefacientium, ac dissipantium usus, similiaq; non præcessere, mea sententia omnino secludenda. De secundo, & postremo statuo, succum melancholicum per fluxionem, pituitosum vero per fluxionem, & congestionem (ut ex supra dictis liquet) in parte laborante, & per transmissionem, ac attractionem colligi; Per hanc quidem primum ob maximum in alvo deponenda conatum, qui ab angustia intestini recti per constipans tuberculum facta Procedit, deinde ob doloris subsequentis acerbitatem: per transmissionem vero ob partis imbecillitatem tum nativam, tum adscititiam, & à morbo, & à remediis adhibitis acquisitam, quam transmissionem sicuti respectu humoris melancholici à toto, vitio jecoris fervidioris (quod succi melancholici ferax esse solet) necnon forsan lienis haud bene massam sanguineam defœcantis, fieri non dubito, ita & respectu pituitosi ab eodem toto ob errorem fere triplicis coctionis totius nutritioni destinatæ prodire certum habeo; Error autem hic non nisi ex caloris nativi jactura, ac labe dependet, merito cujus in parte quoque laborante succus idem, ut statutum fuit, ex parte coacervatur.

Doloris vero generatio sicuti & cujuslibet alterius ex objecto improportionato tactus organo oblato dependet, ex intemperie videlicet frigida inæquali, & soluta unitate à copia materiæ partes sentientes distrahente producta. Dolorem autem augeri modo, modo imminui contingit, quoniam minera peccans à debili calore in spiritum flatuosum interdum aliqua ex parte resoluta majorem infert distensionem, unde doloris augmentum, atque sævities; at spiritu illo dissipato distensio minuitur, sicque dolorem mitescere contingit; idem deinde dolor est periodicus, quoniam causa illius, fluxio inquam, & spiritus flatuosus quibusdam intervallis accedunt, & agunt, ubi scilicet alvus in proprio fuerit munere; causam vero propter quam per unam, vel alteram horam ab excretione, & non statim dolor insurgat, ac insæviat, nullam aliam esse existimo, nisi quod fluxio sine temporis aliqua intercapedine materiam in ea copia, quæ vincat, & ob id tristem sensum excitet, suppeditare non potest, ut non sit mirum post unius, vel alterius horæ spatium ab alvi conatu, atque secretione dolorem accedere, ad quod etiam spiritus illius flatuosi generatio, quæ subito fieri nequit, non parum conducit, tandem dolor est uniformis, quia causa operatur, & ad operandum uniformiter promovetur.

Ex quibus ita constitutis facile sit intellectu ad Medicum curantem attinere materiam absorptam, replentem, & concretam evacuare discutientibus, ac emollientibus, calefacereque moderate calefacientibus, prius tamen danda opera, ne hæc eadem de novo generetur per alterantia viscera in contrarium, quod ubi Medicus obtinere non poterit, saltem materiam genitam ab affecto loco deflectat, sed inter cœtera caloris nativi jacturam ut reparet omninò conabitur.

Sed ut verum fatear horum vix fœlix eventus est expectandus, quoniam sicuti scirrhus illegitimus difficulter admodum ob materiæ pervicaciam curationem admittit, ita ab eodem graviora longe mala superimminent, primum quidem in casu nostro fœcum retentio, quæ facile ob ipsius incrementum (ut ego sæpius vidi) succedere potest, unde omnis postmodum occasio vollvuli non exquisiti; secundo imminet carcinoma non solum propter id, quod scirrhi melancholici à medicamentis quàm facile irritati in cancrum degenerant, sed ea potissimum ratione; quod patiens in ea est ætate constitutus (agit enim trigesimum septimum annum) in qua ut plurimum succi atrabiares gigni consueverunt; At quod curationis difficultatem auget, ut fere ex hoc impossibilis evadat, est quod scirrus veluti internus existit, atque vix topicorum usu gaudere potest, quibus & illud accedit, quod purgatio succi peccantis per medicamentum catharticum summopere necessaria per locum fit affectum, à quo maxime abhorret vera medendi methodus; In id igitur saltem incumbendum, ne aliquid deterius contingat, & quod nunc infestat magis quam fieri potest imminuatur.

Quod assequi materiis præsidiorum Medico licebit, atque primum Chirurgicis, ex quarum ordine præter venæsectionem prius medianæ dextræ, deinde salvatellæ sinistræ, hoc tempore administrandam & fonticulos in brachio dextro, femore sinistro, tandemque ad spinæ caudam quamprimum inustos propono, atque ut fonticuli magis, ac magis prodessent, pilas in iisdem gestari juberem ex pulvere hellebori nigri, & agarici simplicis cum cera excepto paratas, extrema quoque fricari, vinciri, lavari aqua actu calente, ac jugiter ventosari vellem.

De pharmacis autem ita sentio, ut ad universalia, ac particularia redigantur, in genere priorum primo occurrunt quæ materiam genitam respiciunt, & sunt præparantia, & evacuantia. Priora erunt; quæ ex betonicæ decocto, boraginis, buglossi, fumariæ, lupulorum, agrimonii, cichorii passularumque & syrupis appropriatis fiunt; Posteriora vero, si sint evacuantia sensibiliter, ac primum lenientia, occurrunt tanquam accommodatiora syrupus de polypodio magistralis, & mel rosatum solvens; si sint purgantia per alvum, ab infuso hellebori nigri, & agarici cum electuario lenitivo, aut decocto Epit. aut syrupo de polypodio dicto, non est recedendum: quinimmo non semel, sed pluries hoc vel simili medicamento uti proderit, quocirca hellebori ejusdem præparati, tum pulvis succo rosarum pluries irrigatus, in umbraque siccatus, tum extractum ejusdem mihi plurimum arrident, huc infusum myrobolanorum Indorum, & chebulorum in vino subdulci, necnon epitimi in sero caprino depurato, prout Dioscorides perhibet, est ut referatur.

Nec ab horum usu me abducit illud, quod, scilicet, per locum affectum non sit evacuandum, quoniam id ipsum in Medicina (ut dicunt) regulari, non autem coacta, qualis est, quæ nunc facienda proponitur veritatem habet: Accedit, quod utique per partem affectam evacuare conveniens est, ubi materia medicamento purgante deducta in ipsa non detineatur, sed statim educatur, eo

purgantis

purgantis genere; cui medicamentum aliquod robur addens sit adnexum, & idcirco myrobolanos, Rhabarbarum, ac similia addere si opus fuerit, expediet.

Sed purgantia per sudorem, urinas, ac vomitum non despicienda, pro sudoribus ergo movendis præter syrupum Sancti Ambrosii vocatum, extractum cardui benedicti, decoctum chinæ, & salsæ, modicique guajaci, aliquot simplicibus diureticis temperatis, ac emollientibus, cicoreaceisque temperatum, instrumentum ligneum ad sudores movendos paratum summis laudibus extollo: Pro ciendis autem urinis ab usu seri caprini infusionis anisorum destillati adjecto lacte sem. melonum non recederem, quo non conferente ad pulverem rubeæ tinctorum, ad species electuarii Iustini adscendere non dubitarem. Vomitus si modo ad ipsum pronus, facilisve patiens fuerit, copia cibi sæpius moveatur.

At si medicamenta evacuantia insensibiliter agant, Medicamentum aliquod ex viperis paratum, item jus galli antiquioris, simplicibus fere omnibus commemoratis medicatum, necnon ammoniacum cum lacryma terebinthi, utramque antidotum magnam, ac salem theriacalem ex conserva boraginis propinatum omnibus præfero.

Verum si medicamenta respiciant materiæ morbificæ generationem, potissimum ad viscerum alterationem diriguntur, quare gratia jecoris præter lac asininum, atque caprinum serum cum succo cicoreaceorum assumptum, thermas etiam frigidas bibitas de more probo, sicuti & perfusionem factam ad hypochondrium dextrum cum succo prædicto adjecto aceto, ac tandem balneum aquæ dulcis non improbo; gratia vero lienis forsan læsi usum tum trociscorum de capparibus, vel de agno casto, item & medicamenti ex chalybe assumendorum, tum ammoniaci in aceto dissoluti cum succo radicis cyclaminis, & oleo capparorum admovendi propono proficuum; postremo gratia ventriculi mastichem, nucem myristicam conditam omnibus præfero, urgenteque necessitate thermas calidas non vitupero, à quarum usu si aliqua noxa timeatur, licebit ex oleo communi, atque butyro clysteres injicere; Exterius pro eodem ventriculo convenit ceratum ex mastiche cum speciebus diambræ, aut etiam stillicidium stomaticum, prout decet paratum.

Topica post hæc occurrunt, & primum sub forma insessus, qui commode satis, vel ex oleo sem. lini, vel ex lotura lanarum, vel ex decocto herbarum emollientium, adjectis pinguedinibus, ac medullis poterit parari, quibus in progressum addere licebit oleum rutaceum, irinum, ac laurinum, licebit & incoquere herbam Nicosianam, radicem peucedani, atque cucumeris agrestis: pariter injicere prædicta medicamenta vel primo medicamentum filii Zachariæ, ceratum ex Oesipo, & diachilone gummatum, deinde ceratum sacrum dissoluta in vino decoctionis fœnugræci erit opportunum; sed mihi maxime placet injectio, quæ fit ex mucilaginibus altheæ, fœnugræci, sem. lini cum succo tabaci: Tentæ etiam ex lana, quam succidam dicunt, prædictis imbuta uti & glandes factæ ex pinguedine capræ, leonis, ursi, Medulla cervina, & gummi ammoniaco, debilioque, ac pulvere radicum cucumeris agrestis, & florum tabacci Indi non sine fructu usurpari poterunt; luta quoque Patavina, primum Divi Bartholomæi, deinde Sanctæ Helenæ quomodocumque administrata meo judicio mirifici erunt usus, quinimmo cum sciam ex his olea chymice parari, illa propterea (sicuti & balsamum verum) injecta maxime efficacia futura prædico. Et quantum ad suffitum attinet statuo, dum frequens est usus patienti jam dictorum, licere etiam sibi per anum fumum recipere, qui tum ex lapide pyrite, vel molari ignitis ac aceto acerrimo aspersis, tum ex decocto actu calente simplicium dictorum facto in lotura lanarum, & aceto, in quo lapides igniti fuerint extincti, excitatur.

Vivendi modum appositum non propono, quoniam ab excellentissimo curante apposite satis superque poterit institui, solum illud admoneo, ut continuo patiens bibat vinum aliquod cum china, guajaco, boragine, buglosso, ac similibus medicatum, & alvum sibi lubricam clysteribus emollientibus, passulis, ac prunis præparatis conservet; Atque hæc sint satis à me nunc proposita pro salute nobilis viri, cui Deus utinam faveat. *Iulius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinalibus.*

De dolore Colico ex Calculo. Pro Nobili Accolina Tarvisina.

Nobilis Matrona annorum 30. temperamenti sanguinei, cum bilis subdominio, mediocriter carnosa, proceræ staturæ, sexdecim abhinc diebus conqueri cepit de dolore in Ilio sinistro, satis intenso, gravativo, & fixo, cum adstrictione ventris, & vomitu materiæ crudæ, & pituitosæ, boni coloris, urinis variis medicis præsidiis sanata tandem quartadecima post excretionem pituitæ viscidæ ejectæ usu clysteris excrevit per alvum duos calculos tophaceos, inæquales, magnitudinis ovi columbini; retulitq; se ante biennium Bergomi cum esset, alium similem ejecisse. Propterea de agendis, præservationis ergo consulit, cum alias perfecta fruatur corporis salubritate.

Cum itaq; morbum ostendat sanatio, non est difficile determinare quænam sit pars affecta, qualis affectus, & quæ causa. Licet enim in regione ilii positus sit ren sinister, & intestinum colon, doloresque renales, & de quo jam agitur convenire possint, nihilominus cum urinæ non sint crudæ, ut in nephritide, nec adsit vomitus heterogeneæ materiæ, qualis comitatur nephritidem; atq; cum alvus sit adstricta, quod in nephritide non adeo contingit, calculique per alvum sint excreti, compertissimum est dolorem hunc colicum fuisse, eumque à calculo in intestino genito: quos licet Galen. 6. de Loc. Aff. 2. non observaverit, oculata tamen fide testari possum ipsos etiam in intestinis generari posse. Ubicunque enim adest materia disposita, & agens, potest & debet fieri actio. Illa autem plurimum est pituitosa, & viscida; agens vero calor exsiccans, & eandem in calculosam, ac tophaceam convertens; qua cum abundent potissimum intestina crassa, non raro per clysteres excreta, atq; in iisdem calor non desideretur;

tur, licet non æstuosus, cum sint partes exsangues, & membranosæ; hic tamen diutius agens in prædictam materiam intestinorum anfractibus conclusam, potest ipsam exsiccare, ut in calculos coalescat. Si enim concrescunt in cerebro natura frigido, & humido, in quo eos vidit Brasau. 3. Aph. 26. & Cornelius Gemma l. 1. Cosmocr. 6. in articulis item, ut in doloribus articularibus tophaceis, quid prohibet quominus generari possint etiam in intestinis, ut & in aliis pluribus corporis partibus, pulmonibus nempe, vesica fellea, & in utero, præter renes, & vesicam, quarum sunt proprii morbi. Quod oculata fide testatus est Anton. Guainerius in tractatu de calculosa Passione c. 1. Benivenus 9. sui de abditis morb. causis, & Brasavola 4. Aphor. 59. qui refert, se Ferrariæ mulierem Gallam vidisse, quæ calculos quinque ano excrevit, & Iul. Cæsar Scaliger de subtilitate ad Cardanum, Exerc. 108. n. 3. his prope verbis hoc prodidit: desperata inquit ab omnibus valetudine senem, summo dolore intestinorum divexatum, cum videremus carere febre, neq; tumorem extare quempiam, quotidianis dejectionibus alvum exonerare, pondus in ipsis intestinis sentire, fatali quadam conjectura lapidem subesse rati, enemata ex bdellio, & oleo nostro Telino croceo malagmate, butyro, & quodam decocto infundi jussimus; tertio clysmate magna vis lapidum educta est. Ex quibus constat, calculos dolorem intestinalem producere, quem non necessario comitetur alvi adstrictio, & pro quorum curatione clysteribus sit opus.

Cum itaq; calculus sit jam eductus, dolorque sublatus, sat nunc censemus de præservatione consulere: quod non difficile fore speramus.

Tria itaque in hunc finem peragenda veniunt. Primo intestina detergenda, & à viscida pituita emundanda. Secundo divertenda materia ad intestina fluens; & tertio roborandus ventriculus, in quo hujusmodi materiæ proventus. Quos scopos implebunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

Chirurgica quod spectat, si menses libere non fluxerint, non abs re erit sanguinem educere ex saphena; vere & autumno, moderata quantitate, supersedendo quibuslibet aliis validioribus remediis Chirurgicis.

Pharmaceutica item vere, & autumno præscribenda, atq; ideo lenientia detersoria erunt opportuna, puta mel. rosf. sol. Hiera picra Gal. vomitoria semel in mense ex usu erunt, ex oxymel. simplici, & succo raphani, cum hydrelæo. Purgatio quinetiā bis in anno exigitur, cum mell. rosf. sol. & agarico trochiscato; præmissa humorum præparatione cum oxymel. simplici, syr. de stœchade, de hyssopo, & de corticibus citri. Aqua Tetutiana Vere, & Autumno, pro detersione erit apprime utilis: sicuti corroborationi ventriculi consulemus aquis Thermalibus, Aponitana in primis, ad l. viii. circiter, quæ & inferiori ventri prospiciet: cui etiam stillicidium præscribi poterit.

Ac tandem curationem absolvet congrua victus ratio, & ventriculi corroboratio vino absinthite, & Theriaca antiqua hyeme usurpatis. *Benedictus Silvaticus Consil. & Resp. Medic. Cent. iii.*

Observationes & Anatomicæ Inspectiones.

De Alvi excrementis per genitalia ejectis.

Martini Jenneri, mercatoris apud nos, filia sexennis manibus pudenda continuò fricabat, quæ ob rei turpitudinem à parentibus sæpius corripiebatur, tandem ex fructuum horæorum intempestivo usu in malignam incidit dysenteriam, qua de causa vocor in consilium, ptopino contra malignitatem & humorum acrimoniam pugnantia remedia, non neglectis subinde cordialibus & roborantibus, enema etiam ex abstergentibus & consolidantibus injici curo, quod dum applicatur, liquor enematis per pudenda rursus effluere conspicitur, territus ad insolitæ rei hujus visum parens, me advocat, & ut inquirerem & edicerem causam obnixe rogat; accedens puellam tabulæ imponi jubeo, pudenda inspicio, & velamento aliquo carnoso illa subducta, sicque clausa esse animadverto, ita tamen ut superne & inferne stilus exilis intromitti possit, ubi exilia foramina, per quæ urina impetuose extrudebatur, conspiciebatur; cum autem liberum effluxum urina non haberet, moram circa velamentum trahere opus habebat; acrimonia autem seri retenta loca obscœna rodebat, & vellicabat, quæ causa erat frictionis pudendorum, erosum tandem per moram longam sine dubio ex illa acrimonia intestinum rectum est, unde per alvum excernenda, per genitalia communi facto meatu exire conspiciebantur. Licet autem natura viam apertionis & sectionis monstraret, nolui tamen propter instantia fata, ne accelerasse me eadem jure culpari possem; nam summa virium debilitas, & extremorum refrigeratio, quam sudor colliquativus excipiebat, postero die infelicem ἀναλυσίν terminabantur. *Joannis Schmidi.*

De Excretione fecum per umbilicum

Vocatus Haynam Misnicorum, & Medicinam ad hunc usque diem ibi faciens, Anno 1668. ex Gemellis ibidem natis, alter erat masculus, qui duodecimo à nativitate die insultu epileptico tentatus idoneis tamen medicamentis restitutus, post tres aut quatuor præter propter Septimanas, circa umbilicum rubor quidam inflammationem minitans, sine tumore tamen, in eo se prodidit. Applicarat Chirurgus emplastrum quoddam defensivum, cottidie bis renovatum: Hoc tertio die remoto, umbilicus simul excidebat, & posteà, præprimis alvo segniori, stercora per umbilici foramen patiens excernebat, nihilque per anum dejiciebat. Externis consolidantibus umbilico læso impositis, simul interna, nempe syrupi & clysteres emollientes, laxantes, & intestina rupta consolidantes alternatim adhibiti, consociabantur. Hisce continuo adhibitis, non solum excrementa per emunctorium ordinarium dejiciebat, verum etiam intra paucas septimanas, coalescente iterum umbilico, infantulus restituebatur, excepto, quod cottidie guttulæ quædam aquosæ in loco affecto ad hunc usq; diem, quo hæc scribo, exsudent, sine ulla tamen læsione, rubore aut dolore. *Melchioris Fribe.*

Lapis in Intestinis.

Perillustris & Generosissima Matrona Hildesiæ vivens (cujus nomini consulto parco) à pridie assumptis ex meo præscripto pilulis è gummatibus Nobilissimi Sylvii præceptoris honoratissimi; altero mane cum excrementis lapidem exturbat ovi columbini formam referentem, in exteriore superficie subcinereum, & lum à me clavo ferreo in duas æquales partes diffringitur interius instar crystalli albicantem & rutilantem, ita ut qui olim ex Ennii stercore aurum, hic colligere potuisset gemmas *Joh. Henr. Brechtfeldi.*

Intestina Sphacelata.

Viduus quidem literatus, J. S. Uratislaviæ degens, quadragenario major, melancholicæ, & dum viveret, valetudinariæ constitutionis, M. Februario Anni 1670. solito plus conquestus est de ructibus austeris, inappetentia & dolore Ventriculi, nec non Renum & dorsi. Subsecutæ dehinc sunt obstructiones alvi, noctes inquietæ & sæpe insomnes, doloresque obscuri, gravativi circa ilia, iique in sinistro latere supra Ventriculum quasi adscendentes. Febris apparuit nulla, major tamen nonnunquam sub vesperam, quam interdiu, Lumborum dorsique incalescentia. Urinæ pallidiores plerumque & crassiores deprehensæ, cum sedimento copioso, nonnunquam tartareo rubro, sæpius albo, mucoso. pulsus indies debilior, ab initio tardior, versus interitum celerior. Supervenit his omnibus Vomitus sanguinis nigricantis in grumos majores tenacissimos maximam partem concreti; qui cum intra triduum copiosior aliquoties rediisset, Ægroto, exhausto virium thesauro, lipothymias frequentiores, ipsamq; demum mortem, quam die 6. Aprilis beate obiit, accersivit.

Ut itaque tot Symptomatum causa inquireretur, permissu ipsius Agnatorum, cadaver aperire concessum fuit, quod etiam factum præsentibus Viris Excell. D. Godofredo Tilesio, Ph. & Med. D. & Physico Uratislav. meritissimo, & Dn. Phil. Jacobo Sachs à Leuvenheimb, phil. & med. D. & Practico famigeratissimo, Amicis meis honoratissimis, qui ambo ultimis diebus mecum Ægri curam habuerant, Sectore dn. Franzio, Chirurgo nostro industrio.

In aperto Corporis demortui Abdomine atque Thorace sequentia ad partem affectam, causasque morbi & mortis inprimis facientia, occurrerunt notatu digna.

(1) Pinguedo quidem sat multa sub cute per totum corpus diffusa;

(2) Musculi vero Abdominis & Thoracis excarnes.

(3) Cor nihilominus obesum satis, duriusculum, compactum, beneque constitutum, Sanguine vacuum.

(4) Pulmones quoad colorem quidem à naturali statu parum differentes; flavidi tamen & exsangues, horumque lobus dexter interior versus dorsum Thoraci annexus.

(5) In Ventriculo nullus Sanguis, tunicæ bene constitutæ.

(6) Lien justæ figuræ, magnitudinis & coloris.

(7) Mesenterium non glandulosum, sed una cum Pancreate naturaliter constitutus.

(8) Hepar admodum magnum, totum obvolvens ventriculum, admodum pallidum, totum licet Sanguine vacuum, ponderans tamen ponder. Medic. ℔. iii. ℥. viii.

(9) Vena portæ versus hepar Sanguinis exhausta.

(10) Intestina in sinistro latere ferme bene constituta, quæ vero in dextro, livida, nigricantia, sphacelata, Vasaque meseraica in intestina desinentia sanguine nigricante turgida.

(11) Intestini coli pars superior in sinistro latere supra Ventriculum inflata, qua vero deorsum vergit incisum, Sanguine concretofæculento, nigerrimo, instar picis, quale vomitu rejecerat Ægrotus, admodum repletum.

(12) Renes pallidi & flavidi, inque dextro horum materia multa tartarea, & circa infundibulum calculus instar fabæ minoris:

(13) In sinistro vero major & albicans calculus, prodere scrup. V. fig. & magnitudine cordis avium oblongiore tornata, multæ materiæ seroso-lacteæ, quæ una cum plurimis particulis tartareis, instar calcis, per totam Renis substantiam dispersa erat, quasi innatans.

Mirum, quod viscera lienis, pancreatis, Hepatis cum suo felle, Ventr. culusq; in hoc corpore omnia deprehensas fuerint sana & naturaliter constituta, cum tamen Ægrotus per torum vitæ spatium, pallidus, & tristis incesserit, solitariamq; & sedentariam vitam amaverit, omniumque Medicorum consultorum sententia Hypochondriacus audiverit.

Nec minus mirum, Intestina illius sphacelata fuisse sine prævus doloribus Abdominis, sine prævia Febre manifesta. Conjectura est, Sanguinem melancholicum, acido austerum inhabilem quidem ineptumque fuisse ad concipiendum subitam & magnam fermentationem & exæstuationem febrilem, nihilominus tamen, forte ab errore diætæ excalefaciente intra morbi decursum commisso, in tantum irritari & commoveri potuisse, ut per vasa mesaraica (hæc enim versus intestina repleta, versus hepar vacuefacta apparuere) ad intestina successive confluxerit, hisque sphacelum, misello vero mortem attulerit. *Friderici Ortlobii.*

Vulnus Intestinale periculosum feliciter curatum.

Anno 1676. Dominicus Simeoni Patavinus, annos natus XXVII. unus ex palatii apparitoribus, amicum quemdam suum litibus obrutum è castello Baldo, Patavium inter & Ferrariam sito, educere cupiens, quem à lictoribus conquisitum noverat, breviori via summaque diligentia eo concessit. Supervenientibus lictoribus quatuordecim, inclusi tres, portas apprime obserarunt, aditumque fortiter negaverunt.

Exploſa utrimque ſclopeta Lictori uni vitam eripuere, duos alios graviter vulneravere. Caſtelli dominus & ipſe globo transfixus occubuit: Noctis beneficio aufugit amicus ille, ob quem exorta erat rixa. Solus remanſit Dominicus, qui pulvere pyrio deſtitutus, hoſtium numero cedere coactus eſt, in latentis & corpus antrorſum ſubmittentis abdomen, ſclopetum majus (quod archibugio Itali nuncupant) exploſum. Lictores actum eſſe de illo opinabantur, quem paulo poſt ſpirantem adhuc cernentes, in curru collocatum, Patavium reduxerunt. Magiſtratus indulgentia, Dominico ſaucio in ædes ſuas deportari conceſſum eſt, quem brevi in carcere periturum magna erat conjectura. Medicorum habito conſilio, deſperata fere omnia cenſebantur. Vulnus maximum in epigaſtrio dextro non procul ab umbilico, diſrupti, præter tegumenta, tendines muſculique, rectus, tranſverſalis & obliqui, ingens αἱμοῤῥαγία dejectiones ſupernæ infernaque, frequens ſyncope, proſtrataque vires, ut ægro, ſic Medicis ſpem omnem præſcindere videbantur. Nunquam tamen omnino deſerendum eſſe ægrotantem, dubiamque ſpem certa deſperatione potiorem, & hoc confirmat exemplum. Quippe quinto morbi die, per alvum una cum fæcibus à clyſtere ſollicitatis, in pelvim excidit globulus, tragœdiæ inſtrumentum. Longior non ero in enarranda cura: Sæviora abhinc ceſſavere ſymptomata; atque poſt unius menſis periodum plane liberatus eſt æger. Non deficientibus miraculum eſſe cenſentibus, benefici erga amicum animi pretium: At Medicis opera Naturæ curioſius ſcrutantibus alia via procedere expedit.

Perpendatur imprimis quæ à deciſo globulo oritur maxima difficultas: Quo modo is in inteſtinum penetravit? quo modo & hoc ſanatum eſt? Qui enim fieri poſſet per podicem dejici quod inteſtina non ſubiiſſet? ſi ſubierit, inteſtino perforato quænam fuit Medicina? Hanc cœlo delapſam interpretentur qui ulterius inquirere faſtidiunt. Inteſtinorum qualiacunque illa ſint, ſectionem periculoſiſſimam eſſe docent Authores, ratio & experientia. Craſſa vix ſanantur, Tenuia nunquam; ita Hipp. aph. 18. & 28. ſect. 6. ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν. Nulla prorſus facta fuit ἐντεροῤῥαφία. Ergo concludere liceret profundum vulnus, Naturæ providentia agglutinatum fuiſſe, ut non immerito corpus noſtrum innato balſamo ſibi proprio refertum credatur. Quod majus eſt, nihil conſutum fuit, neq; cutis, neq; muſculi, neque tenuis illa membrana, nervoſa atque exanguis, quæ vix araneæ telam mole ſuperat, περιτόναιον nuncupata, ſed omnia tam cito coiere, ut fidem ſuperet. Nihil perinde incommodi reliquum fuit. Obſervatum in omnibus Galeni præceptum, Meth. l. 6. c. 4. excepta ſuitione, quæ inutilis cenſita eſt: Exciſa inteſtina cum omento, in ſuum locum recondita ſunt, medicamenta impoſita, & ne qua præſtantior pars ſimul afficeretur, quantum fieri potuit, proſpectum.

Multos audio dicentes globum præter muſculos non penetraſſe, ac inter adipoſam abdominis molem latuiſſe, donec tum ſuo pondere, tum etiam Naturæ vi, in imas ejus partes collapſus fuerit. Eſto, nec tamen patet ad exitum via: An deinde globulus in capacitatem inteſtini penetravit, abſq; ſubſtantiæ deperditione? quo modo reparata illa fuerit? Qui fæces, ne foras proſilirent, coercitæ? Quid factum de ſanguinis copia in abdomine ſparſa, diſrumpentis concutientiſque globuli vi? An & hæc per diſruptum inteſtinum effluxerit? Obſervationes huc referat quamtumvis curioſior, à Schenckio ſcriptas, l. 3. de acu, cultro, aliiſq; per diverſas à naturali vias excretis, aut alienis humoribus per inteſtina deductis: Naturam continuo beneficam innumera producere liquet arti non expectanda, imo ne ſperanda quidem. Hinc Gal. monente l. 3. de criſibus, Generoſus Medicus neque difficillimis caſibus terreatur. Celſus ad id, temeritatem aliquando efficere docet in morbis, quod prudentia nullo modo tentare deberet.

Ego quidem ad hujus rei conjecturam nec à temeritate præſidium invenio. Sit Dominico ſuperſtes fuero, ab eodem vitam adhuc agente, venia jam accepta, ſcrutabor in ejus inteſtinis, ſi forte tam prodigioſæ valetudinis latentem modum dignoſcere potero. Intereà ſi vobis, viri Eruditiſſimi, aliquid occurrat quod propoſitæ difficultati ſatisfacere queat, pro veſtra & in Collegam benignitate & in rem medicam ſtudio, mihi palam eſſe facturos & ſpero & rogo.

Inteſtinorum aliquod à globuli exploſi impetu fuiſſe hic læſum, vix dubitandum eſt; neque enim credibile eundem tam parvo temporis ſpatio, nec ſingulari aliqua violentia externa protruſum, cuniculos per tot illæſas partes, etiam ſatis craſſas & membranoſas: agere potuiſſe, ut quinto morbi die jam inteſtinum rectum ingreſſus fuerit: Symptomata etiam graviſſima non levius aliquod vulnus cutem tantum penetrans, ſed altius progreſſum, & in ſpecie dejectiones illæ ſupernæ infernæque &c. ipſorum inteſtinorum aliquod læſum ſatis indicare poſſunt. Neque ullo modo obſtat Hippocratis authoritas, multiplici ejus experientia procul dubio firmata, in aphoriſmo 18. ſect. 6. ab Exc. D. Authore citato: uti enim Coum noſtrum lethalia ſæpe dicere vulnera, quæ utplurimum, non ex neceſſitate & ſemper ſunt talia, alibi in hoc Libro ex Galeno fuit notatum, atque ipſe etiam lib. 2. Prorhet. vulnera, quæ magnam quidem perniciem adferunt, non eam tamen, ut, ceu ipſe ſe explicat, nemo ex his ſervari poſſit, recenſens, inteſtinorum quoque, nullo inter tenuia & craſſa facto diſcrimine, quæ ſunt, eis adnumerat. Dum vero Coac. prænot. 503. & ſect. 6. aphor. 24. ex tenuibus ſi quod diſſectum fuerit, non coaleſcere ſcribit, partim de vulneribus utplurimum, ceu dictum, taliter ſe habentibus, partim etiam de magnis diſciſſionibus interpretari debemus; prout ipſe quoque §. ſeq. 509. Coac. prænot. cum mortem prædixiſſet in inteſtino aliquo, ſive craſſo ſive tenui, vulneratis, ſi nempe per tranſverſum fiat plaga & magna: ſi vero parva & recta, quoſdam evadere edicit. Nemo itaque amplius, inteſtina vulnerata mortem ſimpliciter inferre ex Hippocrate evincet. Neque aliud nos variorum docent obſervationes, qui tam craſſorum, quam tenuium inteſtinorum, vulnera ſanata viderunt; illorum ex. gr. ſpecimen ſuggerentibus Nicol. Tulpio lib. 3. obſerv. Med. cap. 20. & Joh. Rio-

lano in app. Sim. Paulli tr. de febb. horum Ephemeridibus noſtr. Curioſ. Ann. III. obſ. 176. Jacob. Seidelio obſ. Med. 5. Joh. Heurnio in comm. ſect. 6. aph. 18. Hipp. & Jacob. Hollerio obſ. propr. 17. nec non Comm. in cit. aphor. Conferatur etiam hiſtoria ab Ambroſ. Paræo lib. 24. Oper cap. 19. memorata, nec non alia huic Authoris admodum ſimilis, quam Franc. Dalleriola lib. 4. obſ. 9. conſignavit. Unde etiam quodcunque tandem inteſtinum in hoc caſu globulus transfixerit, licet vel ipſum jejunum id fuerit, ceu quidem ex denominatione loci percuſſi, ſcil. epigaſtrii dextri non procul ab umbilico, quo nempe in loco illud naturaliter ſitum obtinere ſolet, nobis conjecturare licet, ſalvum evadere potuiſſe ægrum, non adeo eſt incredibile. Videri quidem hic poſſet, ſcrupulum injicere metuendam chyli ex vulnere iſto in cavitatem abdominis effuſionem, quam olim non nemo pro ſtabilienda ſimilium in tenuibus inteſtinis vulnerum lethalitate publice in medium protulit, ita ut æger neceſſario nutrimento, in ſanguinem & ad ſingulas partes derivando, orbatus perire neceſſe habeat: aſt (ut taceam, quod ipſa læſæ partis glutinatio, de cujus utpote impoſſibilitate nullum penitus argumentum producitur, exitum illum chyli impediat, ſi quem vero egredi detur, ſicque conſolidationem is retardare queat, eandem tamen omnino inhibere minime valeat, cum chylus non continuo à ventriculo ſuppeditetur, perque inteſtina permeet,) ſi in ſuperiori parte inteſtini, & quidem ita in corpore à natura locati, ut transverſum ſitum obtineat, plaga infligatur, ille chyli ex cavitate iſtius prolapſus non adeo prompte aut copioſe continget, ut mortis periculum, ob defraudatum corporis alimentum, inde ſit metuendum. Galenus quidem lib. 6. Meth. Med. cap. 4. jejunum omnino incurabile eſſe adſerit, tum propter magnitudinem multitudinemque vaſorum, tum quod tunica ejus prætenuis nervoſaque ſit, bilemque inſuper ſinceram univerſam recipiat, & jecinori omnium maxime ſit vicinum. Verum quod attinet 1. magnitudinem multitudinemque vaſorum, ſcrupulo huic ſatisfecit Heurnius, plerumque calamitoſum eſſe, l. c. ſcribens, ſi inteſtinum tenue ea parte vulneretur, qua meſenterium attingit, ob venarum eo venientium magnitudinem, quæ plurimum ſanguinis fundunt; id quod in parte oppoſita non adeo eſt metuendum. 2. ipſe Galenus Comm. 6. aph. 18. tunicæ tenuitatem & nervoſam naturam quodammodo impugnat, dum verba faciens de omnibus tenuibus, inteſtinorum tenuium naturam non parum participare ait carnoſæ ſubſtantiæ, ideoque in ſumma parte vulnerata ſæpius conglutinari, tota autem diſciſſa uſque ad eorum cavitatem, non quidem nunquam, ſed tantum rariſſime; hoc autem, addens, non tam propter eorum ſubſtantiam mihi videtur accidere, quam quod non poſſimus æque intrinſecus ſicut extrinſecus medicamenta vulneribus imponere. 3. Bilis in inteſtino jejuno jam acredinem ſuam, qua vulneris unionem impedire poſſet, depoſuit, videlicet tam à lympha pancreatica &c. quam ipſo inprimis chylo acidulo alterata, atque ita in ſincera ſua natura multum immutata; ſic ut humorem viſcidum è glandulis inteſtinalibus egreſſum, aut etiam ſerum nutritium ex diſciſſis arteriolarum oſcillis exſtillans impedire minime valeat, quo minus tenacitate ſua vel glutinoſitate, ſive balſamica, ſi ita loqui liceat, virtute, ceu ſarcocolla aliqua, vulneratæ partis labia, ab aere externo improportionato, vulnerum ſanationi non parum contrario, ob intimiorem, quem occupat, in corpore ſitum, ſic ſatis immunia, & poſt vulnerationem, dum aer in cavitate inteſtini prius contentus ex hiatu egreditur, concidentia, ſicque propius ad invicem accedentia, conjungat, iſtamque continui ſolutionem ita reuniat; quod denique 4. de vicinia hepatis dicitur, quomodo in conſiderationem venire hic queat, penitus non video. *Caroli Patini.*

De Ilei vulnerati curatione.

Vocatus ante decennium ad Sartoris conjugem, cui maritus cultro vulnus inflixerat in hypochondrio dextro ſupra Os Ileon intempeſtiva nocte. Vulnus obligatum eſt, mane dum Chirurgus, Nicolaus Reinhard, Emplaſtrum removet, fœces alvinæ ſubſequuntur, dilatato parumper vulnere apparet Inteſtinum Ileum læſum, placuit in caſu deſperato periculum facere, nec ægra 25. annorum dolores recuſabat, modo vita donaretur, inteſtinum caute acu alligari curo cuti, recentiſque laridi lamella interpoſita, ut fœcibus alvinis pateret tranſitus cutem jungere jubeo, quod & factum, potiones præſcribo vulnerarias, quibus ad ſtuporem curata eſt, binoſque enixa eſt liberos annis ſequentibus: cum de valetudine ipſius nuper quærerem, fatis ceſſiſſe anno proxime præterito accepi. *D. Maichanquez.*

De Inteſtino Colo vulnerato cum Hypogaſtrio vulnerato coaleſcente.

Quod Natura ſit morborum medicatrix, nemo neſcit, & in hoc exemplo maniſeſte. apparet. Anno M. Dc. LXXII. die 12. Februarii, Servus à ſtabulis Illuſtriſſimi Dn. Dn. Comitis Schilhard, &c. temperamenti ſanguinei in taberna inter compotandum à quodam ſtudioſo, circa tertiam lumborum vertebram ex parte dextra à tergo gladio quadrangulari per initium inteſtini coli & hypogaſtrium verſus ilia ſiniſtra transfixus, in domo ejuſdem Illuſtr. Dn. decubuit. Curam ejus ſedulam Chirurgus ſuſpiciens illum deligavit: altero die amota ligatura excrementa per vulnus hypogaſtrii exivere, & hac via alvi inſtar natura ſe per dies novem exonerare conabatur, quod in quavis deligatione apparebat: quo etiam tempore, alvus ſuum, nonniſi per glandes ſolicitata, præſtitit officium; tandem decimo ab accepto vulnere die, per alvum copioſa dejecit, animo alias præſens; ad omnia oblata bene ſe habere viſus eſt, nihilominus decimo ſexto die fatis ceſſit. Ut luſtrationi adeſſem, Chirurgus ex me petiit, quod etiam lubens præſtiti. Apertum abdomen tetrum odorem ſpiravit, namfœces per vulnus inteſtini coli in cavitatem illapſæ, inteſtina corrupta & gangrænoſa reddiderant, vulnus vero inteſtini coli, ſive labia il-

lius, cum labiis vulneris abdominis in unum ita concreverant, ut cultello ad separanda ab invicem opus fuerit: & si cavitas abdominis ab hac sentina libera & expurgata primis diebus fuisset, ægrum evadere potuisse, una mecum adstantes affirmabant, nec desunt tales casus. Similem fere casum proponit DD. Franciscus Bouchardi, Anno III. Ephem. German. Observ. 8. qui videatur. *Simonis Aloysii Tudecii.*

Intestini coli pars per triennium & amplius ab abdomine pendula, ambulationem non impediente.

Mihi Lutetiæ Parisiorum anno 1661. degenti, juxtaque Theatinorum Templum fortuito progredienti, Mendicus occurrit quidam, è cujus abdomine prominens intestinum cum animadvertissem; illum propositæ stipi plus satis audientem, seorsum exegi, remque tunc ad libitum explorans, è sinistri Renis & Umbilici loco propemodum intermedio, pendulam intestini Coli partem semipalmo longiorem comperi, cujus fæcibus identidem excipiendis appensam ille lateri scutellam aptarat; hic peristalticum ipsius intestini motum multoties observare licuit, adeo ut palmi longitudine modo protendi, deinde vero crassiorem in trunculum cogi, fæcibus nimirum excretis, videretur, nulla tamen ex parte (quod ego peculiariter demirabar) introrsum recondebatur: Interrogatus homo num ullis adhuc muniis anus fungeretur? num multis torminibus afficeretur? peculiare quid aliud in se ipso pateretur? ubinam gentium & quo pacto fuisset ita confossus; respondit, anum quidem omnino vacate; colicis vero doloribus, primo frigidioris alimenti, vel aeris occursu se torqueri, (unde luridus illi, mehercle, vultus) proindeque tegumento quodam ad id effecto scutellam ac intestinum, pro re nata, accingere & obvallare; nec nisi in dorsum paulo magis erectum commode decumbere posse; quoad alias functiones belle se satis habere: Cœterum in Anglica nave jam ante triennium militantem, majoris catapultæ glande, sinistrum circa Renem (ubi magna superat cicatrix) trajectum ita fuisse. Rem hancce Clarissimo undequaque Viro domino Guidoni Patino Doctori Medico Parisiensi, Professori Regio, Præceptori olim meo amicissimo, præsentibus, qui mecum viderant, aliis compluribus postridie narravi. *Franc. Bouchardi.*

De Gangræna intestini recti.

Anno 1673. die Augusti 10. vocatus sum una cum Antonio Stattlender, chirurgo ad Magnificum Dn. Burgravium Regium & Proconsulem I. N. annos natum 65. qui de dolore ani seu intestini recti, maxime circa dejectionem fœcum alvinarum jam à sesquiseptimana continuante conquerebatur: hic autem quotidie intensior factus eum prædicta die lecto affixum domi detinuit. Eadem die & 11. Augusti, hora quarta vespertina febriculam percepit: urina erat admodum tincta & nonnihil confusa, pulsus celerrimus, calor ad tactum intensissimus, sitis maxima, hinc dolor partis affectæ, qui noctes diesque durans, omnem cibi appetitum prostravit & somnum cum magna inquietudine ademit. Chirurgus affectum locum cum inspexisset, invenit inflammationem insignem cum tumore ab interiore intestini recti parte circa orificium vesicæ ad exteriora vergentem, sed cum speculum ob dolores Magnificus admittere nollet, iste omnia manibus tractare necesse habuit. Cum vero ante tres septimanas Magnificus Proconsul purgatione solita, hucusque ob publica negotia dilata, usus esset, & ante duodecim dies venæ sectionem satis largam instituisset, viriumque languor insignis accessisset, julepis tantum & aliis alterantibus atque corroborantibus, tam internis, quam externis pro virili optime ei succurrimus: sed inflammatio indies majus incrementum sumpsit, viribus interim corporis summe deficientibus. Die 14. Augusti, post applicationem enematis (cujus emolumentum jam semel expertus est, ejusque repetitionem ideo petiit) gangræna ex interiore intestini recti parte versus scrotum, (quam ominabamur) in conspectum veniebat. Ita, licet linimento magistrali Hildani & spiritu vini camphorato ei satis prospiciebatur in horas crescente & scrotum occupante, naturaque succumbente die 15. Augusti hora media sexta vespertina Magnificus Dn. Burgravius placide in Christo expiravit. Notandum hic, quod jam à tribus circiter annis Magnificus Proconsul à dolore atrocissimo in sinistra parte faciei circa maxillam & oculum maxime infestabatur, qui quidem assumptis quolibet vere & autumno medicamentis purgantibus solitis aliquantisper remittebat, sed iterum mox revertebatur: qua de causa ipsi suasi, ut fonticulum in brachio ejusdem lateris admitteret, sed frustra. Præterea sæpissime eidem molestus fuit totius corporis, præsertim autem superiorum partium, pruritus cum pustulis quibusdam, cujus gratia frequentes scarificationes, & quolibet vere semel venæ sectionem adhibebat: quæ autem symptomata, post inflammationem in intestino exortam, penitus evanescebant; scilicet metastasi acrium humorum à capite ad inferiora & inprimis intestinum rectum facta. De quibus vide sis Stephanum Rodericum Castrensem in libello. Quæ ex quibus, dicto, cum primis libri 2. cap. 2. 3. &c. pulcre & docte disserentem. *Simonis Schultzii.*

De osse maxillæ Rhombi piscis ex intestino viri alicujus extractio.

Jacobus Joosten, vir mediæ ætatis, dolore sensim aucto, afficiebatur circa intestini recti extremum, cum suppressione alvi & febri gravissima, pluribus, hinc inde ministratis, frustra usurpatis, quod hæmorrhoidibus internis ipsum vexari persuasissent alii, nos advocari voluit.

Accedentes, in parte ipsam, quam doloris, summi subjectum dicebat, nec inflammationis, nec tumoris indicia ulla observabamus, ne, in re licet incerta, nihil egisse videremur, linimentum hoc præscripsimus.

℞. Unguent. popul. rosar. an. ℥ß. olei raparum ℥ i. M F. linimentum.

Nihil hujus usu effecimus; quod excretio alvina

vina tarda valde atque molesta, imò materiæ purulentæ cui sanguinis plurimum commixtum, hoc enema injici curavimus, ad doloris mitigationem valde conveniens.

℞. Decoct. emollient. ℥ix. olei mucag. amygdal. dulc. an. ℥i. unguent. popul. mell. rosac. an. ℥i. M. F. Clyster.

Podici applicatum hoc cataplasma.

℞. Micæ panis albi, farin. hord. an. ℥ii. mucagin. cydonior. ℥i. unguent. popul. ℥ß. croc. Britann. gr. xxii. vitell. ovi num. 1. M. F. Cataplasma.

Tantum hæc profuerunt, quantum profuissent siquidem pulvinari fuissent applicata: Febris interim, dolor, vigiliæque, hinc quærelæ, magis magisque increscebant. Pharmacopœi servus qui applicaverat Enema, aliquod corpus durum occurrisse sibi, ubi fistulam arte imponere laborabat, per quam injiciendus clyster, referebat; hoc audito necessarium duximus digito in anum immisso an aliquid loco eo hæreret aut præternaturalis quædam constitutio intestini recti adesset, explorare; quamprimum digitus in anum immissus occurrebat substantia illa dura, cujus mentionem fecerat pharmacopœus, hæc extracta mandibula erat ipscis illius quem Belgæ vocant Eenschol, bronchi sub branchiis hærens: eam ante octiduum se avidius pisces tales comedentem deglutiisse, ante actorum jam memor, referebat æger, imo cum dolore ventriculi, intestinorumque gestasse.

Ablato hoc ossiculo (quæ ablatio non sine dolore peragebatur, eo quod transversum non solum situm obtineret, sed & utrinque lateribus intestini firmiter inhæreret, unde symptomata dicta exorta) illico symptomata omnia remiserunt, febris scilicet, dolor, excretionis alvinæ suppressio, vigiliæ continuæ, somnus econtra inductus placidus.

Parti affectæ applicavimus turundam melle rosaceo cui Aloes aliquid mixtum, inunctam. Et integre convaluit.

Similis fere casus occurrit aliquando Medico hujus loci celeberrimo Dn. Arnoldo Tholinx, nisi quod hic intestini recti circa plicaturam exulceratio accederet, & Chirurgus frustulatim, duas scilicet in partes forficis ope divisum ossiculum, extrahere coactus fuerit.

Gravius obvenit ægrotanti illi, qui, referente nobis Collega nostro Dn. Daniele Floriano, curæ Rogerii Bernardi olim Nosocomii chirurgi ordinarii subfuit, in quo, ossiculum simile, gravissimo cum dolore, per lumborum inferiora, ulcere intercedente magno, prodibat. *Job. à Meekren in Observat. Medico Chirurgicis.*

De intestini tenuis vulnere.

Anno 1678. Vir nobilis εὔσαρκος & robustus, annos circiter natus 21. cum Galli & Lotharingi, aliquandiu excubias contra invicem agerent, gravi vulnere gladii punctim ictus; ex illorum exercitu, ad nos advectus fuit, ut pristinæ sanitati restitueretur, sedulam hunc ob finem operam ipsi locante chirurgo solerti Claudio Passavantio: denudato & ampliato tantisper vulnere; quod admodum angusti oris primum fuit, in abdominis cavum illud vergere deprehensum fuit, medicamentisque hinc convenientibus illi prospectum: mox suspicio de intestini tenuis læsione Medicorum Chirurgorumque, quos ad ejusmodi vulneris spectaculum ille invitavit, animis inhærere cepit, nec fefellit eventus, subsequentibus enim diebus quoties fere vulnus denudabat, materia chylosa evidentissime profluxit, & in linteolis vel plumaceolis conspici poterat, adeo ut una de vasculi lactei punctura, chylo puro ita extillante, indicia certissima depromere potuerimus; Instituta exactissima diæta, qua Ægrotus ipse pejorum symptomatum adventum elusit, & adhibitis vulnerariis convenientibus, singula feliciter cesserunt. *Joh. Jacob Harderus Observationum Anatomico-Practicarum libro.*

Intestini à lumbricis perforatio cum tumore subitaneo in inguine dextro.

Vir 50. & quod excurrit annorum, sanus & incolumis, uti sibi quidem videbatur, d. 11. Aug. 1683. cum tota d. strenue desudasset in vineis, domum redux de atrocissimis torminibus ventris conqueritur, quæ excepit ilico horror & calor inguinisque intumescentia, paulatim ita adaucta, ut femoris partem anteriorem & superiorem maximopere occuparet tumor, qui primum renitebatur, aliquot autem dierum spatio, instar vesicæ humore distentæ sua sponte ruptus fuit, ichoremque primum subatrum, hinc viridem, & deinceps purulentum, s. magis fæculentum copiose fudit, transudante primum sero tenui glandularum, mox hinc viis magis apertis, una materia fæculenta: materia quoque saniosa inter musculorum femoris interstitia collecta, illis pressis acervatim erupit: accersitus Chirurgus illius loci, medicamentis putredini resistentibus ac detergentibus sedulo pugnavit, nostram autem mox implorare jussit operam: Vocati d. 25. ejusd. sub vesp. mali faciem intuiti sumus, quam satis horridam deprehendimus: ex inguine enim dextro, pone scrotum, materia fæculenta, ubi tantillum premebamus, tenuis & graveolens, prosiliit, retulitque Chirurgus, ex eodem antro, (quod vulnus dilatatum satis non erat) triduo ante lumbricos sex se extraxisse: pridie etiam cum uvas comedisset ægrotus, semina earum per foramen dictum excrevisse, atque ab hoc tempore fæces per alvum dejecisse amplius: nec minus femoris interiora à massa serpente fuerunt erosa, foraminibus sinuosis hinc inde conspicuis: Facta incisione scrotum versus, ut mali exitus pateret magis, fæces liquidæ, cum sibilo & strepitu ex intestino evidentius prorumpebant, hujusque perforationem labiis vulneris sensim remotis, postridie magis patulam fore prædiximus, interim seq. usum præcepimus: Chirurgus ter de die vulnus calidiuscule lavet cremore & sero lactis caprilli cui immista sint sangu. dracon. subtiliss. & myrrha cum mastich. inde balsam. vulnerar. quod præscripsimus, moderato caloris gradu vulneri instillet: plumaceolisque eodem irroratis intestinum obmuniat pro viribus: ægrotus autem singulis diebus m. hauriat cyat. lact. caprill. cui sanicula consol. sarac. veron. & alchimill. fuerint incocta: horula v. post ut & sub 4. ves-

pertin. dosin capessat pulv. vulnerar. ex radic. symph. fl. hyperic. corall. sangu. dracon. v. &c. paratum: Extractum quoque veron. cum sanguin. dracon. in pilul. concinnatum sæpius exhibuimus. Postridie nuntiari jussit Chirurgus vulnus jam magis patere, & post discessum meum sub vesp. lumbricum denuo se extraxisse: triduo post cum ægrum inviseremus, satis bene habebat, appetitus constabat, non nauseabundus erat, nec siticulosus, pulsus blandus & æqualis, fæces etiam per alvum jam excernebantur, at non diu substiterunt ista, quin pristina symptomata ingruerent, ægerque viribus fractis lenta morte consumeretur.

Notatu dignissimum est Venerandi Hippocratis l. VI. Aphorism. 18. & 24. effatum: κύστιν διακοπέντι ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίαν ἢ φρένας, ἢ ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ ἧπαρ θανατῶδες: item ἐντέρων ἤν διακοπῇ τι τῶν λεπτῶν, οὐ ξυμφύεται quæ ipsa confirmat Co. c. 5.9. istius modi autem periculum imminet, non modo quod intestina tenuia membraneæ partes sunt, & nerveæ sensiles, quæ facile non consolidentur, sed subsequentibus gravissimis symptomatis enecent, verum quia cum vasis sanguiferis tenuia copiose instructa sunt, quibus hinc à vulnere profundiore læsis, hæmorrhagia nociva succedit, tum etiam ob motum peristalticum, cui ob chyli absolutionem solenniter vacant, latera vulneris difficilius agglutinantur; enimvero uti beneficio succi nutritii, sive particularum balsamicarum agglutinabilium, ceu balsamo quodam partes separatæ reuniuntur, ita vicissim mora & quies partium ad isthoc operis feliciter perficiendum requiritur, ne dictæ nutritiæ particulæ distrahantur & in cavum inaniter effundantur: atque hinc esse potest, cur vulnera crassorum intestinorum ita periculosa non sint, curamque facilius forte admittant, crassiore eorum substantia non rejecta: nec enim ea vasorum copia est, neque etiam jugis ita ipsorum motus, nonnisi fæcibus blande versus anum protrudendis emancipatis, cum contra illa motu sursum deorsumque officio suo defungi necesse habeant, istis aliquandiu fecriantibus: Docet nihilominus experientia, vulnera tenuium leviora, fuisse curata, idque ipsum historia prior confirmat, quæ vasculi lactei puncturam simul commonstrat: gravioris certe hæmorrhagiæ, aliorumque symptomatum, de quibus in histor. altera) absentia vulnus ibi superficiarium magis fuisse persuadent: Excellentiss. vero Patinus Ann. 1. Dec. 2. Ephemerid. Observ. 20. meminit Dominici Simeonis Patavini à vulnere intestinali, globulo sclopeti inflicto periculosissimo feliciter liberati, solent quoque in gravioribus vulneribus, aliqui ἐντερορραφὴν instituere, labiaque intestini separata ad invicem adducere: commodum autem ista non semper succedit: attamen si de corpore & massæ præprimis humoralis εὐθεσίᾳ, atque intestini crassi robore certi fuissemus, ejus modi quid in quinquagenario nostro tentassemus, contrarium vero nobis faciei colore, copiosis lumbricis &c. imperantibus, remedium istud reluctantibus adstantibus ultro adhibere noluimus: Felicior isthoc fuit Muliercula, cujus mentionem facit Clariss. D. D. Haesbaert, Societ. nostr. Rhases, cui post atroces cruciatus ex aperto in inguine tumore, lumbrici duodecim prodiere, & quamvis adjectum non sit utrum ex intestino perforato prorupeerint, tormina nihilominus & abdominis cruciatus, de istius labe satis testari posse videntur: quandoque etiam labia vulneris exterioris clauduntur, interioris necdum consolidatis, indeque funesto cum exitu tumore recrudescente: interdum ex tumore in inguine suppurato, & materiæ acrimonia, ulcus fistulosum subnascitur, cujusmodi historiam heic inserere operæ pretium faciemus; puella 14. annor. circiter, quam cum B. m. Glasero in nosotrophio sæpius invisimus, adhuc in tyrocinio constituti, tumore in inguine dextro vexata, ex materiæ suppurantis acrimonia, tandem ulcus fistulosum incurrit: cum totius corporis cachexia & emaciatione paulatina: plurima tum in usum vocata fuere remedia vulneraria, antihectica & analeptica, sed in cassum: sæpius quoque de intestini crassi erosione (quod materia effluens gravi fœtore nares feriebat] præfat. Vir Celeberr. Chirurgo ordinario verba fecit, quia autem fæces ejusmodi, nec semper nec æque didistinctæ videbantur, lis indecisa perstitit, donec rore vitali prorsus absumpto, ac spiritibus exstinctis, ægra inter vivos esse desiit: sectioni, cum ob negotia urgentiora Beatus Præceptor noster adesse non posset, aliquot nostrum, è quibus Excellentiss. D. D. Matthæum Harderum nominamus Amicum honoratiss. cum Chirurgo vacarunt, deprehendimusque præter viscerum omnium labem ac corruptelam, intestinum dictum, reapse erosum, effluente simili, cum premeretur, materia, quam cum viveret misella, ulcus reddidit, Non raro etiam Bubonocele, ejusmodi sub tumoris in inguine specie, occultatur, cujusmodi in ancilla quadam vetula notavit sæpe laudatus Sponius, quæ præ pudore affectum diutius celans, eum tandem Chirurgo communicavit, qui hinc Bubonem præsto esse ratus, suppurantia imperite adhibuit, locumque paucis post diebus imprudentius scalpello aperuit, unde ichores & fæces alvinæ ubertim primo eruperunt, ægraque paucos intra dies, superveniente necrosi, è vivis erepta fuit: ejusdem, si non gravioris mali, sed felici successu curati historiam nobis aliquando perscripsit Excellentiss. Hottingerus Medic. Tigurinus, veteri amicitia junctissimus quam ipsiusmet verbis heic commemorabimus: Digitum, inquit, nuper leviter intendi in curam Viri vel pro desperato relinquendi, ni charitas Christiana aliud juberet, hic cum annorum 56. hernia à multis annis affligeretur, curam palliativa certiorem, magno suo dammo non admisit, sed apud artificem de tumore inguinis conquestus est, qui sive ex imperitia de tumore inguinis conquestus est, qui sive ex imperitia de tumoris specie minus sollicitus, hunc pro rato habuit, & tanquam materialem bubonem tractavit, medicamentaque emollientia lacti incocta imposuit, ex quo tumor cum intestino intra se contento, vi medicamentorum ad putredinem & subsequentem νέκρωσιν tendebat: Ego omnium ignarus & absens, unice rogatus de remedio sitim sedaturo, pro more judicium eousque suspendi, donec mentione facta tumoris & singultus observati, non sine Dei providentia pejora suspicatus sum, atque

ὑπεροθεσιδλω aliquam ab hernia oriundam subsequi posse, & periculum in mora esse dixi, ac σπουδαίως cum manu periti Chirurgi huc requiri summopere: Chirurgo viam ineunte & ægrum jam invisente, gravissima comperimus, non visu tantum, sed etiam olfactu: partes interiores putrefactæ à sanis protenus erant liberandæ: partes adhuc sanæ a contagio vindicandæ ac defendendæ, cum jam colon ipsum in hoc incendium contribuerit, putredine infectum eatenus, ut per hujus aperturam ex inguine, crassiora alvi excrementa, neque per unam, neque per duas solas hebdomadas fuerint excreta: & tamen tota hæc mali dicta tragœdia tam felici cursu absoluta est, ut post sex septimanarum intervallum, sanitas fuerit reducta, sine fistula vel alio incommodo post relicto: hæc ille. *Idem ibidem.*

Colica à bile non uno modo degenere ac corrupta.

Nihil certe verius Fernelii doctrina de febribus intermittentibus quæ degenerant in colicam ad febris typum periodicè recurrentem. Imò stupore quodam me percutit immanis ille cruciatus sponte conversus in omnium artuum paralysin indolentem, & hanc aliquoties aquarum Borboniensium potu & embroche miratus sum vegete sanatam.

Verum unus ex iis febrientibus colicæ tormento exenteratus est, & morte mihi subductus, prævia paralysi nulla; & tunc certe laudatissimus mihi fuit Citesius de Colica puerorum. Ejus quippe ductu intestina reperi hic & illic per areas quasdam bile suffusa, & per modum tincturæ sparsim vel flaventia, vel viridantia, vel atrata, prout scilicet bilis multiplicis aculei se se tunicis intimius infixerant. Bilem enim intestinis impactam sedulus observavi, hic vitellinam, hic vero porraceam, hic demum atram, & ab ipsa spiculis hamata, dolores illi suscitabantur rabidi, ne quidem vel Homerico Nepenthe; vel ipsius Phœbi paregoricis ullis placabiles. *E Clarissimi ac Celeberrimi Viri D. Caroli Drelincurtii, Dictatis; Communicante Clar. D. Guyot Medic. Doct.*

Colica Convulsiva in prægnante lethalis.

Autissima Matrona, laudabilis temperamenti, annos circiter 28. nata, quantoque prægnans, totum gestationis suæ spatium molestum habuit, siquidem febri prope continua, eaque noctu exacerbationes faciente, afflicta vixit, imo fluxiones & ad dentes & ad alias corporis partes easque atroces dolores parientes, subinde passa est permanente interim ad cibum appetentia. Cum demum nonum gestationis mensem attigisset dentium dolor pro tempore aliquatenus sopitus, non tantum recruduit, sed etiam rabidus factus est, tumoremque totius genæ cum gingivarum erosione produxit, nec ex parte quidem cohiberi potuit quin prius accersitus Chirurgus unum è dentibus eduxisset. Verum non diu fruebatur inducta sic aliqua tranquillitate, nam biduo ad summum post dentem evulsum, subito furioso dolore, sub ilio sinistro prehensa est, qui ab ipsa totam diem clamores &, ut ita dicam, ululatus expresserunt. Horis pomeridianis, post longum ægræ laborem advocatus inhæsitanter sanguinis ebrachio eductionem suasi, cochleariaque aliquot julapii carminantis & anodyni propinavi; Sic dolor circa mediam noctem inducias dare coactus est, quæ ad horam secundam pomeridianam ejusdem diei producebantur. At quasi novas sic vires acquisiisset morbus, cùm exsuscitabatur, non tantum in regione iliaca sinistra, sed etiam in dextra, imo toto abdomine dirum in modum ægram fatigabat, ipsiusque viscera quasi lacerabat, cum frequentibus animi deliquiis. Eodem tempore fœtum utero contentum de sede excidisse, caputque exitui præsentasse creditum est ab obstetrice adstante, imo aquarum stilla quædam è matrice emanavit, cum interim nulla in orificio seu collo ejus interno dilatatio, aut aliud aliquod signum, unde de partu proximo constaret; observaretur. Dolores colicos subsequebantur motus convulsivi universales cum oculorum globi inversione prorsus horrida, visusque totali deperditione, ac abdominis monstrosa tensione. Injecti sunt de novo clysteres, exhibiti pulveres ac julapii antepileptici & anodyni, imo tandem ad venæsectionem in malleolo deventum qua momento sane liberatum est cerebrum, restituta visio, ejusque organum spasmodice retrahi desiit, & evacuationes per alvum, prius duas dies cohibitæ, ac remediis interim minime sollicitabiles, clysterio etiam benignissimo tum faciles fuere. Itaque sic ad parebat res in melius abire: at circa quartam vespertinam post multam materiam fœculentiorem, glutinosiorem ac fœtidiorem per inferiora redditam, pulsus debilitatus est, imo prorsus suppressus, repetiere convulsiones, dimanavit e toto corpore frigidus sudor, extrema quasi conglaciata refriguere, morsque præcipitantur adveniens tot malis finem imposuit.

In cadavere totum abdomen maximé tumefactum vidimus, etiamsi multæ evacuationes per sedem factæ fuissent. Interius Omenti vasa sanguinea prorsus varicosa reperta fuere. Ventriculus vastior ac flatibus distentus, ut & Intestina interque ea præcipuè Colon, aliis cæteroquin materiis vacua; Cæcum cum apophysi sua vermiculari omnino flaccidum; Jecur, Lien, Renes Pancreas, Mesenterium cum suis glandulis, intemerata omnia, bene colorata, ac justæ magnitudinis. Uterus vastior, de se ad primam, illamque levem punctionem, seri flavescentis particulis nigrioribus variegati, odorisque paululum ingrati libras circiter octo promebat. Fœtus, qui masculini erat sexus, cubabat super latere sinistro, caputque suum in orificium matricis, aliquatenus tum dilatatum profundius jam intruserat, ab omnibusque suis involucris liber, utero tamen non tantum per placentam, sed etiam quod varius est per magnam chorii partem firmius adhærebat.

Ex enarratis satis manifestum est dolores colicos in nostra ægra lethales, dispositionis alicujus inflammatoriæ, vel uteri, vel intestinorum, productionem minime fuisse, de qua sane, imo etiam de gangrænosi subsequente apud nos multa suspicio erat. Verum totum morbum potius convulsivum fuisse & in nervis, fibris nerveis, spiritibusq; ac eorumdem vehiculo has par-

tes irradiantibus irritatis, & in furorem actis originem suam habuisse. Hocque eo probabilius est quod præterquam nihil in cadaveris abdomine repertum quo contrarium indicaretur, Ægra nostra toto suæ gestationis tempore iis obnoxia fuit symptomatibus quæ serum subtilius ac maxime salsuginosum denotare valent, nempe doloribus dentium, aliarumque corporis partium membranosarum | affligebatur. Quidni itaq; prædictum serum tandem à nervi qui par vagum constituit fibris laxioribus, viasq; magis patentes propria natura præbentibus, imbibitum, per eas ad mesentericos plexus deductum est, ubi cum primo malignam suam acrimoniam in plexu renali sinistro explicasset, inde demum late evagata est vis morbi aliosque omnes plexus, ac per eos totum mesenterium, ventriculum, intestina ac uterum misere excruciavit. Sic concussus uterus oneris factus est impatiens, fœtumque ante maturitatem de se excutere sategit, sed frustra, quandoquidem præterquam quod mors præcipitantius advenit quàm ut intervallum necessarium daret parti ad orificii sui dilatationem, placenta tota ac ex parte chorium firmius parietibus suis implantabantur, quàm ut sine laceratione divelli possent.

ISCHIAS.
Vid.
ARTHRITIS.

ISCHVRIA.
Vid.
VRINÆ VITIA.

JUNCTURARUM MORBI.

De Juncturarum varietate vide capite de Ossibus, in Bibliotheca nostra Anatomica, idque præcipue ex Præclarissimo Dom. Havers, qui de Ossibus tractatum sanè elegantissimum composuit, in quo de glandulis ipsis articulationibus adfixis, serumque pinguius, ad motus facilitatem vomentibus verba facit; à quo succo degenere, non pauca mala derivantur. Arthritis quæ præcipuum ex iis, aliaque quæ ex vulneribus, laxationibus, incurvationibus ac fracturis, fiunt propriis explicantur capitibus. Hic propterea tantum de apostemate schirroso digitorum, de contractura, rigiditate ac Synovia articulorum, per Curationes & observationes aliquot, pauca trademus.

De Apostemate scirrhoso Articulorum digitorum.

Nascuntur circa juncturas digitorum quandoque apostemata phlegmatica seu potius schirrosa, dura, coloris fusci, in quorum circuitu venæ attolluntur: ulcerantia & corrodentia ossa, & ligamenta: currentia & mutantia sedem, aliquando à membro ad membrum. Illorum causæ, judicia, & cura sunt sicut strumarum malignarum & diffusarum per corpus; præmissa purgatione, diæta sarsæparillæ, usu aquar. vitriolatar. & aluminosar. carnis viperar. & serpentium præpar. In principio ungendus est tumor oleo de spica & de lilio, & superponendum emplastrum diachilum ireatum. Quod si contingat ea ulcerari, mundificentur unguento Apostolorum & pulvere asphodelorum, vel mercurii præcipit. vel trochiscor. de minio, & si necesse sit arsenicum adhibeatur ut in scrophulis dictum fuit. Si autem os fuerit corruptum, uratur & removeatur ab eo corruptum: nam cauterium omnem corruptionem removet, postea vero curatione aliorum vulnerum curetur. *Joh. Vigierius Chirurgiæ lib. 1.*

Contractura membrorum.

Manuali opera membra contracta si diduci possunt, tunc, etsi mobilia nō rursum fiant, (quod tamen interdum evenit) nihilo secius forma alia illis quæ minus in motu impedimentum affert, accommodari potest. Ut si digiti extensi sistantur, tunc si contrahantur paulo minus in apprehensione incommodant: Si pes sursum tractus hæreat, ad terram usque retractus, etsi articulus genu fixus maneat, tamen incessum, qui prius sublatus erat, restituit.

Hoc autem manibus, vel instrumentis adhibitis, non magna vi, sed sensim, in dies aliquantum impellendo, successu temporis, astrictos tendines & ligamenta ita magis magisque relaxando, in quibusdam locis aliquando id possumus efficere. Idque pro membri contracti ratione, variis modis. Ut si propter genu articulum fixum, ut sæpe fit, pes sursum tractus sit, calceo induto, & alicubi adligato, continuo dum sedent & aliquid agunt, eum detrahendo; vel pondere appenso sæpe eum deprimendo. Quod & eleganter perficitur si laminis duabus oblongis, in medio cavis, tibiæ & coxæ posteriori sedi accommodatis, & juxta articulum junctis, interposita cochlea, eam invertendo quamdiu ferre potest, pes à superioribus deorsum sensim propellatur. Uti & in aliis locis, eadem ratione, cochlea strias habente, commode perficitur: cum si vertatur, sensim ex quibus inseritur premendo membrum fixum impellat, & cum cochlea inversa sic immota maneat, eadem membrum, quousque protrusit, sustentet & retineat. Quod ego in multis cum successu, ingeniose fabricatis instrumentis tentavi. Sicuti quoque, si digitus extensus maneat, annulo illi inserto, qui alii annulo, vicino digito adhibito contiguus & affixus sit, dum hic digitus movetur, alter fixus continuo impulsus, tandem cedere & flecti nonnihil cogitur. *Felix Platerus Praxeos Medicæ lib. 2.*

De Cubito rigido, immobili, subito curato.

Ex incommodo quoties in arte Chirurgica commodum aliquod resultat & Chirurgo & ægrotanti gaudii ansa sæpius præbetur; evenit hoc in Helvetio illo, cujus his verbis meminit Hildan. cent. 5. obs 89. Helvetius quidam adolescens Lausannæ studiis dans operam, ex arbore cadens, brachium sibi ad carpum frangit

git. Ego in consilium adhibitus fracturam feliciter sanitati restitui.

Ante annos autem aliquot contusionem talem circa carpum ejusdem brachii ex casu quoque contraxerat, ut eo tempore manus veluti resoluta & impotens permanserit: postrema autem curatio tam feliciter successit, ut manus penitus in integrum restituta fuerit. causam hujus sanationis hanc esse, mihi videtur: Primus affectus sive contusio carpi, cum ab imperito male curata esset, & imprimis plurima medicamenta refrigerantia applicata fuissent, materia quædam viscida inter ossa carpi remanserat, quæ post fractum brachium, ab humore affluente veluti irrorata, emollita, & excalefacta esset, postea medicamentorum emollientium & resolventium, à me summa, qua fieri potuit diligentia exhibitorum beneficio, resoluta & dissipata fuit. Quæ exitiosa nobis videntur, frequenter commodum maximum afferunt.

Petrus Jacobi Amstelodamensis anno 1661. utriusque brachii laboraverat aliquamdiu abscessibus, ulceribusque, circa articulationem humeri & ulnæ, Chirurgus, quo usus fuerat, ad veram eorum figuram, convenientemque usum haud attendens, non incurvata sed rigida ca reliquerat, unde ori aliquid iis admovere impossibile ipsi.

Curæ nostræ ubi subjectus, Fomenta varia, Cataplasmata, Emplastra, applicata, diversæ brachiorum fricationes, extensionesque institutæ, ast nihil hæc omnia effecerunt, nec humor glutinosus articulos fere accedens, nec mucus articularis, articulorum motui dicatus, ullo modo resolvi potuit, ut mobilitas aliqua adferreretur membris dictis.

Cibum ori admovere quod haud valeret, cochlear ipsi parari curavimus similiter ac cultrum excedentis longitudinis. Quid fit, panis dissecti particulam cultri apici impositam ori admovere laborans, ea privatur, procidens enim in terram à cane præsente aufertur, iratus ille in pedibus percutere canem dum laborat, in hupedibus prolabitur, hoc ubi fit, eo quod brachiomum prolabitur, hoc ubi fit, eo quod brachiorum uno resistentiam pavimenti lapidei perciperet, soluta materia ad dictum articulum huc usque detenta, & quod hactenus rigidum immobileque fuerat membrum, ex improviso mobilitatem debitam acquisivit, sic ut eo ad modum pristinum ubi potuerit.

Joh. Henrici Wolvegad, bajulus, ex violentia externa pedis utriusque fracturam non solum, sed omnimodam comminutionem contraxerat. Hujus curatio nobis committitur, quæ etiam ex voto successit. Ex lecto surgens, non modo fracturam dictam curatam notavit, sed & herniam intestinalem inveteratam, ad cujus tamen curationem nihil à nobis adhibitum.

Plura huc facientia qui desiderat, quomodo nempe ex incommodis commoda producta, adeat Fabr. Hildanum part. 1. obs. 29. & part 2. obs. 8. *Job. à Meekren in Observationibus Medico-Chirurgicis.*

De Synovia,

Synovia nihil aliud est quàm liquor chylosus nutritius, in parte vulnerata degenerans in liquorem saniosum & aquosum, sub qua degeneratione acorem occultum contrahit, & exinde vulnera istarum partium insigniter contumacia ac simul periculosa fuit: partes vero istæ interea, dum destituuntur convenienti nutrimento, necessario arefiunt. Unde fibræ exsiccatæ & contractæ poros partis internos angustant, eosque connivere, seu quasi subsidere faciunt. Itaque sanato licet vulnere nihilominus tamen difficillime & tardissime pars denuo nutriri potest, quin potius sæpius pertinax aut contumax aridura sequatur. Quin & cum debilitata dicto modo pars minus robusta sit, atque alia ipsi respondens, (id quod robur inæquale vocat. Helmont.) propterea facilius ac sensibilius fere externorum objectorum impressiones recipit, unde tales ægri restituti licet, tamen quasvis aeris mutationes in loco antea læso mox præsentiunt.

Ut autem hæc Synovia, periculosum sane vulnerum in partibus tendinosis articulationum symptoma compescatur.

♃. Ostrearum, nempe testarum, ℥ i. cranii adusti, ossis sepiæ, mandib. lucii piscis calcinat. an. ʒ ii. spodii. terræ sigill. an. ℈ iß. quæ mista inspergantur: Sic namque cito evanescit synovia.

Optimum quoque est unguent. fusc. Wurtzii, quia tamen præparatio est laboriosa, & propterea difficulter potest parari.

♃. Loco ejus vitriolum toties calcinatum spir. vitr. dulc. speciatim ex vitriol. mart. & dicto modo cum hoc procedatur atque vult Autor; nempe immittantur in acetum destil. quoddam vulnerarium, & ita addatur mel, flores æris, sicque porro misceantur.

Vel ℞. Unguent. Ægyptiac. simplex, & adde terram vitriolatam Dulcem in aceto destillato dicto permixtam quantum postulat ingredientium proportio, hoc potest esse loco unguenti fusci Wurtzii, & unguent. Ægyptiac. magistr compos.

Alias singulare experimentum est si stercus porcinum cum sanguine vulneris invicem mistum coquatur, & ita vulneri externè applicetur instar cataplasmatis: hoc enim compescit synoviam.

Quin & linteum sanguine primo menstruo virginis tinctum humidum sive siccum applicatum certissimum habetur remedium ad compescendam synoviam. Polychrestum est si destilletur aq. ex cancr. fluviatilib. contusis: hæc enim cum linteis duplicatis imposita, non tantm synoviam sistit, sed præterea omnes inflammationes; erisypelata, dolores partium vulneratarum; ac NB. quod cancri fluviatiles multum prosunt in casibus Chirurgicis. *Michael Eumullerus Collegii Practici parte 2. cap. 1. Item in Chirurgia Medica.*

De Synovia Venæ sectionem infaustam in brachio factam subsequente.


Vietori nostri oppidi Barbarossæ venam medianam Balneator scalpello vehementiori cum talitro adacto pertuderat, tendine musculi bicipitis subjacente simul læso, quod ipsum sicuti

ab imperitis Chirurgis ſæpius magno cum ægrorum periculo fieri jamdudum notavit Adrian. Spigelius lib. IV. de humani corporis fabrica cap. 15. ita eventus in dicto Vietore comprobavit; is namque primo derepente brachii ſtuporem perpeſſus eſt, quem, paulo poſt redeunte ſenſatione, dolor inſignis & inflammatio exceperunt, poſt elapſum autem triduum ichor flaveſcens, ſive meliceria aut ſynovia Paracelſi, ex labiis vulnuſculi intumefactis atque ex pallido liveſcentibus emanare cœpit, cujus fluxione ultra octiduum in notabili copia perennante, miſer vietor in febriculam continuam ac totius corporis atrophiam manifeſtam cum inappetentia & vigiliis continuis incidit, fruſtra interea à balneatore, quem cum Terentio imprudentem harum rerum ignarumque omnium merito dixero, unguentis emollientibus pinguibus divexatus. Vocatus igitur tandem ego in conſilium, exhibitis prius ægro medicamentis internis convenientibus, pulverem ſtypticum ex ſanguine draconis, bolo armena, maſtiche, rad. biſtortæ & flor. roſar. rubrarum concinnatum cum albumine ovi exceptum Venæ ſectæ admovi, quo facto mox Synovia imminui viſa eſt, aſt cum labia vulnuſculi unionem admittere adhucdum renuerent, iis ad propiorem contactum adductis Emplaſtrum ſequens admovi, quod ubi per 24. horarum ſpatium affixum permanſiſſet, deſiit emanare Synovia, atq; conſolidatio ex voto ſucceſſit. Emplaſtrum tale erat præſcriptum.

♃. Empl. de plumbo ℥i, diapalm. ʒii. Pulv. bol. armen. ℈iv. M. F. Magdal. dradchart. incerat. ſgr. *Pflaſter zum bevvuſten Gebrauch.*

Scalpellum, quo ſiniſtrè uſus eſt Balneator, noſtratibus communiter dicitur *eine Flitte* frequentiſſime olim in univerſa Germania, & hodie in quibuſdam locis, propter vanam ſecuritatis melioris perſuaſionem, uſitatum, idemque depingitur à Botallo in Tr. de modo incidendæ Venæ p. 94. ac verbis deſcribitur ſequentibus pag. 87. Autoris ἐπίκρισιν ſimul continentibus Scalpellum aciem habet ad imum ſpectantem & manubrium, quod inter indicem & pollicem miniſtræ manus, dum pulſanda vena eſt prehenditur, & accommodata acie obliquo modo ſuper locum venæ eminentiorem, dorſum ejus vel pollice illiditur, vel adverſo medio vel indice digito talitro intro pulſatur. Quod inſtrumenti genus & utendi ratio non admodum approbanda ſunt: eo quod in ejus uſu fallacia multa ſit, & periculum non exiguum feriendi nervi, aut tendinis aut arteriæ, ſi venis tundendis hæreant; propterea quod ad unguem nulla repentina impulſio moderari poſſit. *D. Joh. Mauritii Hoffmanni.*

Finis Libri IX.



Laudanum disentericum fol. 494.
Spiritus aperitivus ad hydrop. f. 942.
Mars aperitivus idem f. 1017.
Pulvis ex insul. idem f. — 1027.
Aq. artificiales spadanae f. 1017.
Essentia vulneraria f. 666.
vinum chalybeat. pro femin. f. 208.

Scarlatina maligna seu purpura p. 413. et seq: